Io. Schenckii
Obſervation

1609

5827/D

A XXIX Sch

[illegible]
Milan 05.

6. H. 1316

1310







ΠΑΡΑΤΗΡΗΣΕΩΝ

Siue

OBSERVATIONVM MEDICARVM, RARARVM, NOVARVM, ADMIRABILIVM, & monſtroſarum.

VOLVMEN,

TOMIS SEPTEM

DE TOTO HOMINE INSTI-tutum.

IN QVO, QVAE MEDICI DOCTISSIMI ET EXERcitatiſſimi Abdita, vulgo incognita, grauia, periculoſaq́ʒ, circa Humani corporis Anatomen & fabricam, eiuſdemq́ʒ morborum Cauſſas, Signa, Euentus, & Curationes accidere comperêrunt, Exemplis vt plurimum & Hiſtoriis propoſita exhibentur.

Studio atque Opera

IOANNIS SCHENCKII à GRAFENBERG, apud Friburgum Briſgojorum Medici, multa & varia lectione conquiſitum.

Retractatius verò à

IOANNE GEORGIO SCHENCKIO, FILIO, PHIliatro, Hagenoenſium Alſatiæ Poliatro, Comitisq́ʒ & Herois Hanoenſis Medico, per tertiationem illuſtratum.

Continentur præterea hoc OPERE Illuſtrium ætatis noſtræ Medicorum Aſclepiadarum ἀνέκδοτα complura, & numquam publicata Exempla memorabilia, quorum Auctores ſingulari elencho traduntur.

FRANCOFVRTI,

E Typographeo NICOLAI HOFFMANNI, impenſa Ionæ Rhodij. M. D. CIX.



WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Virtute Heroicis, Familia Illuſtribus, Stemmate Generoſis, Splendidiſsimis iuxta & Auguſtiſsimis

D D

FUGGERIS

UNIVERSIS AC SINGULIS:

Bronaibus in Kirchberg & VVeiſſenhorn

Animi virtutum ornamento Magnificis, & Litteratæ Sapientiæ Prudentiæque laude Celeberrimis:

DOMINIS PER-ILLUSTRIBUS

In priſca Vindelicorum Auguſta, veluti amplißimis Romanorum Theatris reſidentibus

adeoq; ad AEternitatem ipſam glorioſum, florens, & opulentum Nomen extendentibus:

MECOENATIBUS

Ergà Litteras & litteratos Munificentiſſimis,

Obſeruandiſſimis Colendiſſimis:

VOLUMEN OBSERVATIONUM SCHENCKIANUM

Exemplis Rarum, Varietate Gratum, Vtilitate Carum,

Nec minus, ſed multo magis

Retractatum. Mactum. Illuſtratum.

Honoris, Officij, Obſeruantiæ, Gratitudinis,

MONVMENTVM

DAT CONSECRAT DICAT

DONAT

Obſeruantiſſimus Cliens

JOANNES GEORGIUS SCHENCKIUS

à Grafenberg Medicus

Filius

Hagenoënſis Imperialis Vrbis & Cameræ Poliater, idemq; Generoſißimi Comitis in Hanavv Phyſicus Philiater

PON. POS. PON.

AD EOSDEM

ILLUSTRES ET GENEROSOS

HEROES PRÆSCRIPTIO MEA.

AVREOLVM prȩſens volumen, ILLVSTRES & GENEROSI BARONES, Splendidiſſimi & Magnificentiſſimi Heroes, Tomis Septem DE TOTO HOMINE & Microcoſmico Corpore inſtitutum, quod iam per Tertiationem nouo delectu facto retractatum eſt, cuius deniq; rara vtilitate vniuerſa MEDICINA illuſtratur, perilluſtri FVGGERORVM Nomini atq; Domui veſtræ etiamnunc inſcribimus. Dignos quippe arbitramur, vt qui Litteras & Litteratos ad ȩternitatē Nominis amant, viciſſim Litteris ad Poſteritatis Memoriā cōſecrentur, & chartis ære perennioribus (quib. Hominis Immortalitas conſtat) circumſcribantur & cōſignentur. Vos ô HEROES, qui inclytas Animi & Fortunæ opes, rarumq; totius Antiquitatis & Encyclopœdiæ theſaurū immortalib. animis coaceruaſtis, vt ad ſplendorē & Gloriā veſtræ Æternitatis nihil propemodū ſupereſſe videbatur, ſoli eſtis digni ac digniſſimi omniū Muſarū & Litteratorum Fauore ac Gratia. Etenim, ſi quæ fuit prius Magnorum huius iſtius OPERIS Mecœnatum, quaſi erga cōmunem Litteraturā Munificentia; vt nimirū ad hoc abſoluendū non dubitarit SERENISSIMA BAVARIÆ Domus annuam Liberalitatem contribuere, & ad hoc ipſum continuandā Principes aliquot alii ſuā Clementiā exhibuerint: Eadē ipſa ſemper quoq; fuit erga Artes & Scientias FVGGERORVM ſingularis Propenſio, rara Munificētia, & propagationis Litterarū ſtudioſa volūtas, ita vt poſt alias lectiſſimas virtutes, Animiq; Dotes Heroicas, Palladē Mineruam vniuerſę Cycloſophiæ Deaſtrā, perpetuo venerētur & colant. Veſtrū igitur nunc eſſe volumus, veſtrum inquā, id quod rȩtractauim⁹ OBSERVATIONVM Volumen, quaſi magnum ampliſſimi Libri Naturæ Penuarum, ditiſſimumq; Exemplorum & Hiſtoriarum Copiæ Cornu: toti alioqui illuſtrandæ Medicinæ natum factum. Veſtrum iure fuerit, quod Filius viuiradix in Paternos cineres gratus, & de Re Publica Medica ſtudioſus, Illuſtri FVGGERORVM Domui reponit, quaſi ANTIDORON & MVNVS GRATITVDINIS: quia nimirū Clariſſ. Parentem meum, IOANNEM SCHENCKIVM Seniorem, ante hoc tempus in Locum Medici vobis prȩfecti expetiuiſtis, & honeſtiſſima cōditione Friburgo Auguſtā euocaſtis. Verum quia valetudo ſiniſtra expeditiſſimā vobis gratificādi voluntatē intercepit: minime ferā, nec patiar diutius Ingratitudinis vitium apud Filium deliteſcere. Veſtro igitur Nomini atq; DOMVI Volumē præſens poſterius Lubens Merito INSCRIBO, & CONSECRO. Saluete ac Valete MAGNATES Generoſiſſimi, iure nobis Cari VIRI Rari. Scripſi Hagenoâ Imperij Opido & Camera ex Ædibus Veſtalium: anno à nato ex Virgine Dei Filio cIↃ IↃ CIX.

AGALMA

AGALMA

JOANNIS SCHENCKII à GRAFENBERG, MEDICI.

SIC ERAT IN FATIS.



IN AGALMA

JOANNIS SCHENCKII, A GRAFENBERG, MEDICI

Epigrammata.

IN EFFIGIEM

D. Ioannis Schenckii à Grafenberg, Medici celeberrimi, diſtichon Iacobi Paſcharii, Lotharingi Medici.

CORPORIS effigiem pictor, ſed mentis acumen
Docta tuæ, SCHENCKI, ſcripta referre valent.

Thomæ Freigij I.C.

Ζωγράφος Ἱπποκράτους μορφὴν ἅμα, ἠδὲ Γαληνοῦ
Ἀρξάμενος γράψαι, ΣΧΕΓΚΙΟΝ ἐγράφετο.
Hippocratis faciem pictor, ſimul atq; Galeni
Pingere cum vellet, SCHENCKION exhibuit.

Ioan. Sigiſmundi Hornſtenij.

Artis Apollineæ docuit quæcunq; vetuſtas,
Cuncta dedêre vni numina SCHENCKIVS, eſt.

Aliud eiuſdem Hexametrum.

Ecce: Dioſcorides, Podalirius, atq; Machaon,
Diuus & ipſe pater, Medicinæ inuentor, Apollo,
Et Cous Hippocrates, Epidaurius atq; Galenus,
Et quiſquis medica ſic vſq; inclaruit arte,
Omnes ingenij faciem hanc habuêre. Proinde
(Crede) latent omnes hac hac ſub corporis vmbra.

Aliud.

Εἰκὼν fiat, ait, Medici, ſic nuper Apollo.
Conſenſêre Dij. En SCHENCKIVS archiater.
SCHENCKIVS artis opus, quo non fælicius alter
Exercet: Medicis gloria ſumma viris.
Viuit Germanus: Italos tamen atq; Britannos,
Hiſpanos, Gallos, SCHENCKIVS ipſe docet.

Leonhardi Kabelij I.C.

Ἐλλογίμου ἐθέλης ἰητροῦ εἰκόνα δέρκειν,
Τὴν παιονίῃ χειρὶ χάραξε γραφεύς:
Εἰδ' ἐθέλεις τοῦ Ἱπποκράτους, νόον ἠδὲ Γαληνοῦ
Δεῦρ' ἄγε καὶ βίβλον μάνθανε τήνδε λαβών.

τοῦ αὐτοῦ ὁ αὐτός.

Τοὺς δωρησαμένους αἴκεν μέροπες φιλέουσι:
Σχέγκιος οὖν πάντων φίλτατός ἐστι βροτῶν
Σχέγκιός ἐστιν ἐπωνυμίην, μαλὰ πολλὰ καὶ αὐτὸς.
Πάντοθεν ἀνθρώπους ἀγλαὰ δῶρα φέρει.
Καὶ γὰρ ὁ εὖ εἰδὸς νηπενθέα φάρμακ' ἀμύνει
Τήν τε νόσον συχερὴν τὸν βίοτον τε δίδοι.

Nicolai Nauij.

Corporis externas partes, vt pingit Apelles
Sic polit internas, SCHENCKIVS arte potens.

Aliud.

Primus honor merito Diuis tribuendus Olympi:
Altera laus Medicis eſt tribuenda viris.
Hi curant animum diuini dogmate verbi,
Illi depellunt corporis arte malum.
SCHENCKIVS herbipotens ægrotis vulnera ſanat
Obtinet hinc igitur nomen habere Dei.

Aliud.

Pulchra quidem veniens è pulchro corpore imago:
Pulchrior at virtus clara trophæa parans.

Aliud.

SCHENCKIVS es dictus, nec enim natura recuſat:
Donantis medicam ſentit amicus opem.

Aliud.

Ingenium chartâ, ſi quis depingere poſſet:
SCHENCKIVS egregium ferret ab arte decus.

Petri Syluij.

Corporis effigiem manus impreſſoria ſolam
Auctoris tibi dat, cætera non potuit.
At quod non potuit preſſor, fælicius author
Emiſſis libris præſtitit ipſe ſibi.

Chriſtophori Walvvitzij I. C.

Effigie hac viua Medicus depingitur ille
SCHENCKIVS, illuſtrem quem Medicina facit.

I Henr. Bohemi I.C.

Effigiem præſens demonſtrat charta laboris:
Ingenijq; decus ſcripta diſerta notant.

Aliud.

Corporis effigiem præſens deſignat imago:
Ingenij ac mentis quis mihi pictor erit?

Aliud.

Corpus depinxit pictor: tu mentis acumen
Pinxiſti ſcriptis: pictor vterq; valet.

Aliud.

Pingere ſi libeat, ſat erit quod pingere poſſis,
Si bene vis tanti pingere geſta Viri.

MEMORIA

JOANNIS SCHENCKII MEDICI, PAtris ſuauiſſimi, à Joanne Andrea Schenckio Filio, Medico, repetita.

GLoria Virtutis, Muſis ſtudioq; parata,
Serpit humi nunquam, celſa trophæa petit,
Euolat in patulum pinnis quatientibus orbem,
Ceu mare, ceu terras, ceu loca cuncta, ſubit,
Nunc huc, nunc illuc fertur fulgore coruſco
Auguſtum titulum nouit habere ſuum,
Non humiles intrat poſtes, prægrandia tecta,
Atria conſcendens regia ſceptra tenet,
Nec moritur, fas huic per ſecula viuere centum
Gloria Virtutis non peritura manet.
Hæc ſequitur cineres, SCHENCKI, chariſſime Pater
Alma tuos, hac hac viuere datq; tibi.
Pœoniam pulſans cytharam, recolensq; Machaona longum
Depuleras morbi corporis omne malum:
Te præſente dolens fælicia pharmaca ſumſit,
Te Medico ſanus languidus æger erat:
Quidquid in humano reperiſti corpore VERVM,
Quidquid & ad Medicam forte referret opem,
Id docto poſtris tentabas texere filo,
Iatrica quo magis ars ſplendida facta foret.
Hos inter medios ſuccumbis morte labores,
Artus terra tenet, fama ſuperſtes adeſt.
Phœbe rotam decies voluiſti in æthere, PATRIS
Pallida cum gelidus linqueret oſſa pauor;
Nec dum fama ſilet, nec dum monumenta ſilebunt,
Sunt qui Paternum nomen vbiq; legant.
Te proprij fœtus plaudunt, te viuere monſtrant,
Dum præ doctrina pulpita docta premunt.
Ediderat ſeptem ſimili de ſanguine FRATRES
Præcelerem fati temporis ante diem:
His hi temporibus non infima præmia laudis
Oris in varijs promeruere tibi:
Nunc redeunt iterum, referunt tibi PATER honores,
Et reuocant SCHENCKI nomen & ingenium.
Hinc tua te remanet fælicis gloria Fati,
Quæ te per totum non ſinit eſſe neci.
Quam fælix mors hæc, quæ viuere ferre perempto
Geſſit, & æternum donat habere diem?

Joannes Andreas Schenckius Filius, iunior, Medicinæ Doctor, Memoriæ Paternæ retinentiſſimus.

EPI-

EPITAPHIVM

IOANNIS SCHENCKII
A GRAFENBERG, MEDICI,
PATRIS: SCRIPTVM A IOANNE
GEORGIO SCHENCKIO,
Medico, Filio.

D. O. M. S.

I. SCHENCKIO. A. GRAFENBERG.
MED. PHILOS. CLINICO. LAUTO.
ASCLEPIADÆ. GERMANO. ELEGANTI. SCRIPTIS.
CLUENTI.

INGENI. GLORIA. ET. AUGUSTA.
PRUDEN. CLAR.

CUM. IMMORTAL. ADOREA. HAUT.
CITRA. DIVIDIAM. MACTUS.

EX. PRINCIPIIS.

FUTURA. VERO. PROSPECTANS.

A.D. PRID. ID. IXBR. AN cIↃ IↃXCIIX.
SEPTUAGENARIO. FORSAN.MINOR.

ΠΑΡΕΠΙΔΗΜΊΑΣ.

SVÆ. MUNDI. FINEM. ACCESSISSET.

ET. CORDULÆ. SCHENCKIÆ.
UXORI. CONIUGIQ. II. MATRONÆ. HONORAT. EX VELEROR. FAMILIA.
NATÆ.

A.D. XV. KAL. IAN. AN. SUPRA. SPECULUM. XVI. SECUNDO.
DENATÆ.

ETSI. AD. ἘΥΦΗΜΊΑΝ. PRÆCLARA.
INGENI. MONUMENTA.
SUPERENT.

TAMEN
H. M. FFFF. ET. F. HERED.
SUPERSTITES.

PARENTIBB. DESIDERAT.
OPTUMISQ.

PON. POS. PON.

ΓΗΟΒΟΡΟΥΣ ΝΟΎΣΟΥΣ ἸΉΣΑΤΟ
ΣΧΈΓΧΙΟΣ ἸΑΡΙΣ

Ἢ Δ᾽ ἌΚΟΣ ἸΗΤΡΩ͂Ν ΘΗ͂ΚΕΝ
ἈΜΗΧΑΝΊΗ

PESTIFEROS MORBOS SANAVIT SCHENCKIUS
INGENS.

ARTI ASCLEPIADUM SIC TULIT AUCTOR
OPEM.

S T T L

MEMORIÆ S.

CESSI. NON TIBI: SED INEVITABILI FATO. SI QUÆRAS QUIS FUERIM? ILLE EGO SCHENCKIUS MEDICUS FUI: QUI NON SINE ILLUSTRI ARTIS NOSTRÆ CUM FACIUNDÆ, TUM LITTERIS ILLUSTRANDÆ GLORIA INCLARUERAM: QUOD RELIQUUM EST, CINERIBUS MEIS BENE IRÆCARE, ET ABI.

SIC ERAT IN FATIS

TUMULUS

VIATOR, tametſi properas, Sta, Lege:

OSSA

SCHENCKI, Aſclepiadæ Medici, hâc Tumba

S S.

Hoc volebam neſcius ne eſſes
Χαῖρε.

Quoi vixit ANN. LXVII. M.
IV. D. XXII.

Θ AN. ∞ IↃ XCIIX. 4. Id.
IIxbr. Frib. Briſg. circiter tertiam poſtmeridianam.

IOAN. ANDR. SCHENCKIVS
Filius Medicus
hoc APIUM FUNEBRE
P.

JOHANNIS SCHENCKII A GRAFENBERG MEDICI, AD CANDIDVM Lectorem,

PRÆFATIO.

HAVD parum ex re cum tua tum mea quoque fore exiſtimaui, *Candide Lector*, ſi quo conſilio aut inſtituto, ad laborem hunc ſuſcipiendum publicandumque acceſſerim, paucis tibi & vere aperirem. Cum in tanta ingeniorum ætatis noſtræ fœcunditate & præſtantia, vix vllo alio ſcribendi genere præclarius quenquam de vniuerſa medicina mereri poſſe ſemper putarim: quam ſi quæ non tam doctrina quam experimento Clariſſ. Medici noua & admiranda, vel in curandis morbis, vel in hominum corporibus ſcitu non minus vtilia quam neceſſaria obſeruarunt, vnico quaſi volumine, ſparſim alias & incidenter, vellicatim quidem illa, & velut palantia tradita, iis, quæ recentiores docti & ſummi quidam viri, in hoc argumento ex profeſſo & ſeorſim ſcripſerunt, coniuncta tandem, & ad cognoſcendam faciendamque medicinam opportune diſpoſita, & in vnum veluti corpus redacta, in publicum quiſpiam proferret: idque potiſſimum eo docendi genere præſtaret, quod Hiſtoria vt plurimum, & exemplis, quibus appoſite docemur atque confirmamur, conſtaret, rarique caſus, cauſæ abditæ, euentus inſperati & incredibiles ſæpe, curationes memorabiles, nec non corporum conformationes monſtroſæ proponerentur. Operæpretium me proinde haud aſpernabile facturum ſperaui, ſi hunc ego laborem mihi ſumerem, diuini *Hippocratis* exemplum ſecutus: qui admirandis illis ſuis *Epidemiorum libris* (quibus omnia, quæ toto vitæ ſuæ tempore medendo obſeruarat, concludere voluiſſe creditur) velut ideam quandam extruendæ porro medicinæ & amplificandæ conſtituit: cuius imitatione ſubſequens ætas excitata, artem noſtram omnibus numeris abſolueret, & ad ſummam perfectionem deduceret. At vero Hippocratis laborem hunc, *Galenus* etſi ex profeſſo & ſingulari ad id comparato ſcripto haud proſequi viſus ſit, niſi quod ad eiuſdem Epidemiorum opus, *commentarios*, partim extantes, partim temporum iniuria abſumptos, poſteritati reliquit: idem tamen author oppido quam multas obſeruationes proprias & memorabiles, quibus medicinæ inſignis acceſſio facta eſt, paſſim operibus ſuis inſeruit. Id quod is demum ſcire & affirmare poteſt, qui in ſcriptorum illius diligenti lectione verſatus eſt. Has *Rabi Moſes Iſraelita*, pro ſeculi ſui & interpretum infelicitate atque inſtituto, *Aphoriſmorum ſuorum opere*, ex vnico, vt apparet, Galeno concinnato, *part. 24. de Miraculis in medicinalibus libris repertis* inſcripta & congeſta exhibuit. Sed & *Symphorianus Campegius* ex Galeni monumentis obſeruationes ſuperioribus annis collegit, quibus *Hiſtoriarum campos* titulum fecit. Verum cum per ea tempora bona adhuc Galeni ſcriptorum pars, à doctis interpretibus nondum translata, deſideraretur, factum eſt, vt & hunc laborem, vir ille alias de re Medica, pro tempore, non malè meritus, feliciter abſoluere haud potuerit, & ordinem in congerendo fere nullum tenuerit. Ex Arabum numero, præter Raſim, Græcorum religioſum admiratorem & experimento Nobilem, nemo hoc argumentum attigit: niſi quod Rhaſi *Auenzoarem* ſubiicimus: ſed omnes veterum inuentis contenti, arti, præter medicamenta nonnulla, & perpauca quædam alia, nihil adiicere conati ſunt. Qui tamen vel hoc nomine excuſari merentur, quod iis per religionem, humana corpora, ad latentium morborum & cauſſarum inueſtigationem, diſſecare non licuerit. Ille vero etſi nulla diſſectionum opera perfunctus, nihilo tamen minus ſolius artis exercitatione & lectione vſus, in vaſto illo ſuo opere, quo vniuerſam Medicinam, Oribaſii ad Iulianum Imperatorem Συνόψεως exemplo, concludere voluit, & *Continens* appellauit, *libro decimo ſeptimo, capitulo decimo quarto, de Mirabilibus*, quæ in medendo annotarat, pertractauit: quo ægrorum Hiſtorias raras triginta quatuor enumerat. Poſt hunc ſeculo barbaro ſtudium hoc prorſus intercidit, & plane reſtinctum eſt: niſi quod *Gentilis*, *Matthæus Gradius*, *Guilielmus Placentinus*, *Valeſcus Tarentinus*, *Nicolaus Florentinus*, *Gattinaria*, exempla quædam rara, perpauca tamen, ſtylo familiari & horrido, in denſiſſimis eorundem commentariis deliteſcentia ad nos tranſmiſerint. Cæteroquin noſtra hac ætate, quam tertiam & vltimam conſtituimus (primam enim Medicis Græcis & Latinis veteribus tribuimus) quā ſingulari Dei Opt. Max. prouidentia, non tantum linguarum, artium & diſciplinarum omnium ſtudia, ad ſummam integritatem deducta cernimus, verum etiā medicinam ipſam priſtino ſuo nitori, certatim per omnes tum nationes tum partes ſeu locos, nondum abſoluto primo hoc centenario, excultam, reſtitutam, magnoq; mortalium commodo exauctam propagatamq; habemus, παρατηρήσεις ἰατρικὰς haud parum multi ſane tradendas ſibi ſumpſerunt. Horum alii ex profeſſo, alii vero aliis ſuis ſcriptis, quod ſupra quoque monui, diſperſa intulere: alii denique vtroque modo propoſuere.

Propriis

AD LECTOREM.

Propriis quidem libris,tum publicatis tum publicandis argumentum hoc viri celeberrimi, *Beneuenius, Car-*
danus,Fernelius,Veſalius,Vierus, Coiterus,Valleriola, Hollerius,Dodonæus,Gemma, & Traianus excoluere. Alii ſuis
operibus rara & noua plurima commiſta exhibuere, *Alexand. Benedictus, Braſſauola, Columbus, Euſtachius, Ia-*
cotius,Trincauella,Scaliger,Langius,Pareus,& alii,quos ex adiuncto catalogo cognoſces. Vtroque modo, *Fer-*
nelius,Veſalius,Cardanus,Vierus,Hollerius & Gemma in vtiliſſimo hoc argumento verſati ſunt. Ceterum de pri-
mis,priuatim nonnulla ſubiicere viſum eſt.

Beneuenius ex recentioribus eruditis, primus omnium glaciem fregiſſe, & facem aliis, vt eo confi-
dentius auderent, prætuliſſe viſus eſt. Quem quidem circa ea tempora, qua lues Indica primum, non tam
gliſcere quam ſæuire cœpit, floruiſſe apparet. Et hic ille eſt, qui *libello de abditis* nonnullis ac mirandis mor-
borum & ſanationum cauſis edito,nullo nouationis ſtudio,ſed iuuandæ locupletandæque ſolum medici-
næ occaſione,innotuit:primuſq; libere de medicina ſentire & pronunciare auſus fuit: diſſectionibus cor-
porum,ex occultis diuturniſque morbis peremtorum,adhibitis.

Cuius induſtriam omniſcius ille & πολυμαθέστατος *Cardanus*, annis plus minus ſexaginta inſecutus,
ſuum illum *de Admirandis curationibus & prædictionibus commentarium*, in publicum & commune bonum re-
tulit,plus certe in receſſu continentem,quam prima ſtatim fronte præferentem: qui lectorem non tam at-
tentum quam in facienda medicina exercitatum expoſcit. Contentus in tanta breuitate autor, nobiliſſima
quæque medicamenta,adeoque infallibilia ſæpe remedia,vix nomine,citra omnem epangeliam,prudenti
anagnoſtæ ſignificare. Idem *libris de Subtilitate,& Varietate,*& aliis pleriſque ſuis,ſubinde ſui ſimilis, arcanis,
raris,& nouis affluens,præſtitit.

Amatus Luſitanus,Curationes Medicinales per Centurias exhibuit,multa rerum varietate refertas,& rario-
ribus affectuum atque remediorum exemplis illuſtres.

Proximus *Fernelio Gallo* poſt Hippocratem & Galenum, velut numini cuidam,locus debetur. Hunc
Gulielmus Plantius,eiuſdem gener,*commentarium* reliquiſſe teſtatur, *quo obſeruationes eorum, quæ in curandis*
morbis noua deprehendit, congeſſerit. Quem magnum illum Cratonem, Cæſareum Archiatrum & conſiliari-
um,tantopere ſitire,expoſcere,& cum multis aliis ſummis viris deſiderare conſtat. Mirum vero, res tam v-
tiles & neceſſarias, tam diu cælari ab iis, quibus tamen ex communicatione de vſufructu decedit nihil,&
authoris illuſtri alias nomini, plurimum præterea laudis accreſcere poſſet. Sed quænam hæc tam diutur-
na,& medicinæ tantum non detrimentoſa procraſtinatio eſt? Apud inuidum aliquem,ſtolidum, aut aua-
rum deliteſcere vix mihi perſuadeo. Quorſum enim canem ad præſepe,quod aiunt,inuigilare attinet? Spe-
ro autem propediem,cum aliis pleriſque Fernelianis, cum fœnore, & hunc quoque tanti viri fœtum pro-
diturum: quandoquidem nuper quidam publicandis eiuſdem Conſiliis ſeu reſponſis, & de re medica &
de Fernelio ipſo præclare merentes, ad alia eiuſdem propediem euulganda,quaſi præludere viſi ſunt. Cer-
te hoc ipſo commentario, non ſine rei Medicæ iactura graui, hactenus caruimus. Fernelium ſane eum o-
mnino fuiſſe nouimus, quem nulla veterum quantumuis præiudicata authoritas à veri inquiſitione ab-
ſterrere aut auocare potuerit, quin multa noua, libero ingenio fretus, in artem inuexerit. Commentarii
poſtto deſiderati huius vices pro tempore explere fortaſſe poſſunt,*obſeruationes* eiuſdem,*ex Pathologia & Ab-*
ditorum libris potiſſimum à me ſupra ſexaginta exceptæ, & in opus hocce noſtrum debitis locis diſtri-
butæ.

Veſalius ſynceriotis Anatomes, quam non ex chartaceo libro, ſed ex ipſo corpore humano, tan-
quam naturæ libro,deſcripſit,parens,diuerſum omnino ab edito,ſed æque neceſſarium atque frugiferum
opus Anatomicum conſcripſerat: quo non, vt in priore, ſanorum tantum, & ſecundum naturam ſe haben-
tium: ſed vel ex occultis diuturniſque morbis, demortuorum corporum, diſſectionum Hiſtorias, fuſiſſi-
me complexus fuerat: labore profecto ad morborum, cauſſarum, ſignorum, curationum, & corporum
perueſtigationem, etiam regum theſauris præferendo. Quem tamen eandem fortunam,& fatum idem,
quod Fernelii, ſubiiſſe, heu nimis quam verum eſſe comperimus. In Hiſpania eundem latere veriſimile
eſt: vt illius palingeneſiam optare verius quam ſperare liceat. Ex editis vero authoris ſcriptis, exempla ra-
riora, perinde atque ex Fernelianis, itidem operi noſtro, ad iacturam hanc quoquo modo farciendam,
inſeruimus.

Iohannes Vierus,arcanorum naturæ callentiſſimus doctiſſimuſque ætatis noſtræ Medicus,ante annos
ſedecim & ipſe quoque *Obſeruationum Medicarum rariorum librum* primum in lucem protulit, multiiuga
ſane rerum medicarum cognitione refertum, nouorumque morborum, Scorbuti inprimis, Quartanæ i-
tem, & Peſtilentium atque Hydropis curatione, nec non meatuum clauſorum ingenioſa chirurgia inſi-
gnem. Cuius reliquos inſtituti huius libros velut omnium abſolutiſſimos,& primo haud inferiores, ex fœ-
cundiſſimo Autoris ingenio,multorumque annorum apud magnates medica experientia confirmato iu-
dicio profectos expectamus.

Succedit his Germanorum celeberrimi anatomici *Volcheri Coiteri, Reip, Norimbergenſis medici & chi-*
rurgi feliciſſimi, Obſeruationum Anatomicarum & medicarum & chirurgicarum Miſcellanea varia,ex humanis cor-
poribus,tam ſanis quam male affectis, tam viuis quam mortuis, deprompta. Hunc virum nobis immatura
mors ſubtraxit. Ex quo enim infelicem illam expeditionem Gallicanam ſecutus,caſtrenſis Medicus factus
eſt,vt corporum diſſecandorum occaſione,abſtruſorum morborum penetralia cognoſceret: vitam ſuam i-
bi magna cum artis medicæ & anatomicæ iactura poſuit.

Hollerii conſummatæ eruditionis,atq; Hippocraticæ medicinæ religioſiſſimi, & poſt vnum Galenum
ſummi interpretis,*libellum, ſingulares aliquot autoris obſeruationes,ad medendi conſilia ſpectantes, continentem, An-*
ton.Valetius cum eiuſdem de Internis morbis opere publicauit. Idem ſimiles alias plures, cum *in commentariis ad A-*
phoriſmos Hippocratis & eiuſdem Coaca,tum vel maxime *in Scholiis ad Internos morbos*,(ſiquidem ad eum Scho-
lia illa, docta ſane,ſpectant) cumulatiſſime & feliciſſime exhibuit.

Franciſcus

PRÆFATIO

Franciſcus Valleriola, vir doctiſſimus, & de arte medica bene meritus (quo eum elogio maximus ille Crato cohoneſtauit) pręclarum quoque *opus obſeruationum ſuarum* foras dedit. In quo grauiſſimorum morborũ hiſtoriæ, eorundem cauſæ, ſymtomata atque euentus, tum & curationes, miro ordine & elegantia ſingulari deſcribuntur. Quod ſi filius eius, & ipſe medicus, pio in paternos cineres affectu quaſi ἀντιπελαργῶν, eas, quas pater ad ſexcentum reliquiſſe dicitur obſeruationes alias, publici iuris facere dignabitur, næ ille, non tam patris per ſe illuſtre nomen, quam ſuum ipſius, præter id quod medicorum filios ſibi arctiſſime deuinciet, nunquam intermoritura fama proferet.

Nouiſſime omnium ſenio venerandus & ſolida eruditione præſtans, experientiaque ſingulari præfulgens, iudicio vero acerrimo inſignis, tum ob ſtirpium hiſtoriam clariſſimus, *Rembertus Dodonæus, Cæſareus Medicus, Medicinalium Obſeruationum exempla rara & paulo poſt recognita & aucta*, in commune contulit. Quo ſcribendi genere vehementer delectatus, *Annotationes* inſuper *ad Beneuenium*, varia quoque & rara Hiſtoria conditas, adiecit.

Quin & *Cornelium Gemmam*, virum in omni Philoſophiæ & Medicinæ genere ad miraculum vſq; doctum, arcanorum naturæ, vt ſi quem alium, callentiſſimum, *Hiſtorias* quoque *Medicas, ac παρατηρήσεις morborum*, quibus nihil hodie vtilius ſcribi poſſe conceptis verbis affirmat, adornaſſe conſtat: ſed & morborum omnium ſingularium, & praxeos ſuæ curriculum vniuerſum, cæteroſque rariores caſus, in vnum volumen redactos, ſi fata vitam conceſſiſſent, editurum ſe pollicitus eſt. Quod cuiuſmodi futurum fuerit, vel ſola illa *deſcriptio rara & epidemica Febris peſtilentis*, quæ *ad hemitritæum Galeni* acceſſit: tum illa *de peſtilentia ipſa tractatio*, abunde demonſtrare poſſunt. Exorandi proinde, nobiliſſimi atque doctiſſimi celeberrimæ Louanienſis Academiæ Medici, vt vita defuncto collegæ tanquam ſuccenturiari adſint: & ab eiuſdem hæredibus, quacunque tandem ratione poſſunt, redemptum opus, etiam imperfectum, abſoluant & publicent. Quo beneficio & labore, vel maxime ſibi φιλιάτρους omnes obnoxios reddent. Nos quidem ex authoris Cyclognomicis & Coſmocriticis exempla non pauca ſingularia noſtro volumini intulimus.

Alexandrum Traianum Petronium Romanum Medicum perfectiſſimum, edito inter multa alia *de morbo Gallico opere* conſummatiſſimo celebrem, in conſimili labore iam à multis annis occupari, nuper ex literis doctiſſimi & induſtrii Viri, D. D. Martini Holtzapfelii, Medici, ad Clariſſimum Virum D. D. Iacobum Mockium datis cognoui. Cuius hæc ſunt verba: Petronius Hiſtoriam à ſe curatorum morborum (opus luce digniſſimum) edet intra paucos annos. In eo ſemper ad indiuidua curandi methodum accommodat, & quid diebus ſingulis in hoc vel illo acciderit, quid è contra adhibuerit, quomodo cura profecerit, quid ipſe prædixerit, & quid euenerit patientibus ſuis, &c. enumerat: citatis nominatim Romanis in curam ſuam receptis. Monſtrauit mihi labores eos, tales, quales inprimis optare ſolemus, vt omnes alii clari Medici in medium conferant. Hæc ille. Communibus itaque votis expetendum, vt tantum tamque vtile & rarum opus, quod antiquorum in hoc argumento gloriam æquare, recentiorum vero illuſtrare aut exercere queat, mature ab authore, antequam humanitus ei quid eueniat, ad publicos vſus proferatur: ne tot annorum vigiliæ & labores, ad ægrotantium pedores, moleſtias, & gemitus, ab abſolutiſſimo Medico exantlati (quod ipſum Fernelii, Veſalii, Valleriolæ, Gemmæ & collegæ quoque illius olim Bartholomæi Euſtachii ſcriptis accidit) dubiam vitam ſortiantur, & poſteritas tanto bono fruſtretur.

Petrus Salius Diuerſus, accuratus Auctor, & vir longe Doctiſſimus, edidit non ſolum *de Febre Peſtilenti Tractatum*, ſed & *Curationes quorundam particularium morborum*, quorum tractatio ab Ordinariis Practicis Medicis non habetur. *Selecta quadam argumenta Medica rariora exquiſite deſcripta* exhibuit.

Inter omnes hoc idem argumentum luculentius & poſterius excoluit *Marcellus Donatus*, multæ & raræ Lectionis Vir, qui *publicata Hiſtoria Medica memorabili* ex profeſſo nobis *Exemplorum memorabilium ſyluã ex diuerſis Auctoribus* congeſſit, & *per humani corporis partes membratim* deſcripſit.

Huc accedunt *Petrus Foreſtus Belga, & Martinus Rulandus Friſinus*, Medici Practici celeberrimi: quorum hic *Curationes Empiricas arcanis Medicamentis chymicis atque priuatis abſolutas*; Alter vero, *Obſeruationes & Curationes affectuum humani corporis*, plures & copioſas, in lucem retulere. Vterque & ex his præcipue Foreſtus, rariora morborum, cauſſarum, & curationum Exempla, exhibuit: vnde non parum excerpſimus.

Reinerus Solenander Clariſſimus Medicus, Ducis Cliuenſium Archiater, experimentis celeberrimus & Praxi Medica Illuſtris, *in Opere Conſiliorum poſterius per ſectiones quinque edito, Exempla multa Rara, & quædam alia in Conſiliis ipſis*, publicauit: cuius operam & induſtriam cum aliis celebramus.

Atque hæc de authoribus omnium ætatum & ordinum, qui argumentum hoc excoluerunt: maxime vero de iis, qui illuſtri hoc ſeculo id ſingularibus ſcriptis, magna cum nominis ſui & artis propagatione præſtiterunt præfari viſum eſt.

Nvnc quem vſum ex hoc opere ſperare liceat, ediſſerendum. Quanquam, autem ſuperuacaneus fortaſſis labor iſte quibuſdam videbitur, quod eruditis vel ex ſola operis inſcriptione, aut paucorum eiuſdem exemplorum lectione, confeſtim immenſa huius ad Medicinam pariter & Philoſophiam vtilitas, nemine licet docente, admonenteve, conſtare poſſit: viſum tamen eſt, ea de re, non tam Medicinæ ſtudioſorum nomine, quam calumniatorum occaſione, pauca quædam in medium adferre.

Primum omnium veterum placita, haud parum ſane multa, hactenus vel pro dubiis vel etiam pro commentitiis habita, ex his confirmari poſſe & ſtabiliri oſtendemus. Viciſſim quædam eorundem dogmata pro veris ſacriſque tradita, ad hunc veluti Lydium lapidem explorata, merito pro ſuſpectis, ne dicam

falſis,

falſis, deinceps haberi poſſe euincemus. Quinetiam noua plurima, veriſſima & ſcitu non minus neceſſaria quam iucunda, cum magna rei medicæ acceſſione, recens inuenta docebimus. Artis denique medicæ partes omnes hunc in modum mirifice illuſtratas, confirmatas, correctas & auctas exhibebimus.

Ex veterum placitis, recentiorum obſeruatione confirmatis exempli inſtar ſit pulmonis hydrops, ab Hippocrate *libr. de morbis 2. numer. 66.* propoſitus. Cuius etſi nulla apud reliquos Græcos, Latinos, Arabes, aut mixobarbaros mentio fiat: at noſtra tamen ætate, tam Illuſtribus Fernelii, Fallopii, Hollerii, Columbi, Coiteri, Cardani, Salii, Menzelii, Iacotii Hiſtoriis innotuit, vt ne Hippocrati quidem ipſi, huius natura, differentia, locus affectus & ſymptomata æque atque nunc cognita & perſpecta fuiſſe videantur: nuperque adeo doctiſſimus Crato, Maximilianum Secundum Imperatorem Auguſtum æternæ memoriæ, pectoris hydrope, cum cordis palpitatione ad 20. annos infeſtante, obiiſſe teſtatur: inuentis aquei humoris in cauitate pectoris ſupra duas menſuras. Quæ viſceris imbecillitas iam inde à S. S. Imperatore Ferdinando pulmonibus putridis & ſanioſis, ſiniſtri lateris membranis valide adnatis, in filium propagata videatur. Cephalalgiæ genus quoddam Raſis & Auicenna deſcribunt, ex vermibus in capite natis, Indis Medicis cognitum, capitis vehementi dolore infeſtum, & tetro odore moleſtum. Quem affectum, vt Auicennæ quoque ætate quidam vt fabuloſum exploſerunt, ſic nemo alius præter Gerard. à Sole, ad noſtram vſque ætatem, quod ſciam, de eo meminit. Eum ipſum cum primo legerem, vel Indis proprium, vel commentitium morbum eſſe iudicabam: quod viuo homine cerebrum ad tantam corruptionem peruenire non poſſe crederem. Poſtmodum vero cum Hollerii & Thomæ à Vega obſeruationibus confirmaret: atque inſuper luculentis Gemmæ & Conradini Hiſtoriis conuictus, veritati manus dedi: Euidenter namque illi demonſtrarunt, peſte, febre Vngarica theriode, & hemitritæo peſtilente laborantium cerebrum, varii generis vermiculis, craſſis nonnullis & breuibus, nonnullis cimicum ſimilibus, affectum fuiſſe, & ex recens mortuorum auribus aliiſque locis turmatim erupiſſe. Itaque hunc morbum vulgus ab argumento & effectu cerebri vermem, & ex eo cephalalgiam natam, nominauit. Ex noſtris Coiterus, cerebri verminationem in obſeruationibus ſuis impugnauit. Sed à viris bonis admonitus, quibus malum hoc per experientiam innotuerat, circa finem ſui operis ſententiam ſuam reuocauit. Vt hinc quoque conſtet, multa rationibus ſubtilius aſtrui poſſe, quæ tamen ad ſenſuum fidem & experientiam rerum omnium magiſtram, longe aliter ſe habeant. Colicum dolorem in paralyſin deſinere interdum primus ex veterum numero Ægyneta docuit. Poſt quem alii fere omnes affectum hunc neglexerunt. De natura illius, de cauſſis & curatione, eruditiſſimorum ſeculi noſtri medicorum ſententias, & obſeruationes, primo hoc Tomo noſtro & nonnulla etiam quinto, producemus. Hoc ipſum nos etiam argumento, cum reliquæ Germaniæ, tum nobis præſertim in vicinia apud Briſacenſes & Waldkilchenſes familiari & pene domeſtico, indies experimur, Italis aliiſque nationibus inſolito & nouo. Pertinacem tuſſim prouenire aliquando à vermiculis, muſcis, & (vt interpretes habent) animalibus muſciliones aſſimilantibus, in pulmone, aſpera arteria, & vitalium inſtrumentorum regione enatis, auctores Arabici non obſcuri affirmant. Hoc ex noſtris Beneuenius, Fernelius, Braſauola comprobant. Et Vlyſipponenſem quandam fœminam nuper, poſt moleſtiſſimam, diuturnam, rebellemque tuſſim, ſtrobylis nucleis ſimillimos vermes excreuiſſe, Thomas à Vega diſerte docet. Quibus omnibus, multa veterum, pro fabuloſis & falſis, aut ſaltem incertis hactenus credita, firmiſſima, veriſſima, & certiſſima eſſe euincitur.

Venio ad ea, quæ veteres parum firma, nec ſatis bene perueſtigata, nonnunquam etiam omnino amplianda & forte abroganda, ad poſteritatem tranſmiſerunt. Cuiuſmodi illud Galeni eſt: Cor abſceſſum pati non poſſe, neque pulmonem aut ligamenta dolorem.

Idem alicubi affirmat proprio affectu cor laborare incipere, vel ob ſimplicem intemperiem, ſiue inæqualem, ſiue æqualem, vel ob inflammationem aut eryſipelas: antequam vero augeatur affectus, animal interire. Quibus Plinius quoque accedit, dum ſcribit: Solum hoc viſcerum vitiis non maceratur: nec ſupplicia vitæ trahit, læſumque mortem illico adfert. Cæteris corruptis vitalitas in corde durat. Sed quid dicturus fuiſſet Galenus, & poſt eum Plinius, ſi cor Viri Principis, pyri toſti inſtar flaccidum & torridum ex recenti diſſectione inſpexiſſet: qualia intemperierum vel inæqualium vel æqualium initia ſaltem comminiſci potuiſſet, cum veriſimile ſit, viſceris huius ſecundarios humores, in tali conſuetudine abſumptos fuiſſe, non tridui ſpacio, ſed longo tempore, mœrore & vigiliis. Quid de abſceſſibus & natura, & loco, & quantitate, & duratione, & illuuie variis: quid de ſymptomatibus prodigioſis reſpondiſſet? Numero quidem quales in vno corde Fernelius tres vidit. Loco vero, in auriculis Maſſa & Trincauella, in ambitu Columbus, in ſubſtantia Hollerius, in ventriculis Beniuenius, annotarunt. Quantitate denique & illuuie, velut cum maiorem cordis partem ſanioſam, corruptam & putridam, Cornax & Franciſcus Rota conſpexerunt, Siccine cor, nobiliſſimum ac robuſtiſſimum viſcus, humoris vitio moram tantam, donec vomica abſoluatur, ſuſtinebit, & ante mors, quam morbus pateat, occupabit? certe ſi nobilitatem ſpectes, cerebrum corde inferius non fuerit. Ad illud ex cauſſis nonnullis putredinem ſentire conſtat. Si robur conſideres, oſſa cor longe etiam ſuperant, & nihilominus viuente homine, corruptioni, teredini, & abſceſſibus obnoxia ea inuenias. Iam ſi varia etiam cordi humano innata expendamus: veluti pituitoſas concretiones, minimi digiti longitudine & craſſitie caruncnlas, imo vero glanduloſæ carnis nigricantis libras duas in ſiniſtro ventriculo inuentas, vermes item & tumores oui magnitudine, lapides denique, de quibus paulo poſt: an cum Galeno & Plinio viſcus hoc vitiis non macerari, nec ſupplicia vitæ trahere porro affirmabimus? Et hæc eo conſilio in medium proferre volui, vt candidus Lector cognoſceret, quæ noſtra ætas per Anatomiam didicit: multa naturam aliquando moliri, nobis, qui veterum ſaltem decreta ſectamur, incredibilia, nedum incognita, vera tamen: multa ipſo ſenſu quotidie deprehendi, in quibus humani ingenii vis deficiat,

& prin;

& principia theoriæ vel nullum vel ſaltem exilem præſtent vſum. Ad aliud Galeni decretum, *libro de Locis affectis* ſancitum, progrediamur, quum ait: A locis ipſis morborum indicia ſumuntur, eo quod quibuſdam ſolis morbus hic accidit, quibuſdam vero ſolis non euenit. Quippe ſoli oculi ſuffuſione laborant, lapis in renibus & veſica naſcitur, atque (vt nonnullis placet) etiam in colo: lumbrici in inteſtinis gignuntur. Hæc ille. Quam quidem de lapidibus renum & veſicæ, de lumbricis item inteſtinorum propriis, ſententiam omnes omnium ætatum Medici, ad noſtra vſque tempora, velut firmiſſimam & inconcuſſam receperunt. Niſi quod idem author, *ſexto eiusdem operis*, perinde atque iam citato loco, etiam in colo genitorum & teneſmum prouocantium obiter mentionem facit, additque nec ſe vnquam vidiſſe, neque videntem audiuiſſe. Quæ vero alias ipſe quoque grandinoſa ex pectore tuſſi reiecta animaduertit, lapidis nomine minime dignatus eſt. At Paulus auellanæ magnitudine, duritie lapidoſa, & dum terræ alliderentur ſonora, ex thorace reiecta obſeruauit: idemque multo euidentius Trallianus affirmat. Arabes præter ea, quæ ex Galeno tranſcripſerunt, nihil habent, niſi quod Auenzoar in lingua natum lapidem, ſermonis vſum inhibentem, annotauit. Vgo, Gentilis, Pedemontanus, Arculanus, & alii, qui ſeculo barbaro vixerunt, pauciſſima quædam annotarunt.

Sed vt intelligatur, quanto plus vſus, quam ratio & authoritas doceat: operæprecium videtur, quam breuiſſime, & loca vbi lapides in corpore natos neoterici obſeruarunt, & morbos atque ſymptomata, quæ pepererunt, recenſere. Quibus cognitis, luce meridiana clarius fiet, in quanta illi verſentur caligine, qui mordicus tuentur, veteribus nihil ignotum fuiſſe. In cerebro ortus lapis cuidam perennem & lethalem cephalalgiam attulit: Ad cerebri baſim cuidam alii genitus lapis, odorandi vſum ſuſtulit. In oculis, viſus hebetudinem, & tandem quoque cæcitatem: In lingua, non tam ſermonem impediuit, quam tubam inflandi poteſtatem ademit: In dentibus, deformitatem & ſcabritiem: In maxilla dextra: In aſpera arteria & pulmonibus, tuſſim, laterum dolores, ſanguinis ſpuitionem, aſthmata, atrophiam, veram ex pulmonis vlceratione phthiſim, ſæpe mortem quoque: In corde (tanta enim lapidifico malo vis eſt, vt ne ipſis quidem vitalibus parcat) palpitationem, tabem, pus per vrinas expurgari & renum dolores prouocare ſolitum. Quinetiam cordis calculi aliquando cum pectoris hydrope coniuncti ſpectantur. Id quod non ſolum doctiſſimus Iacotius in Iureconſulto obſeruauit, verumetiam CL. V. V. Crato & Vierus annotarunt. Quorum hic in Imperatoris Maximiliani II. corde ſecto affirmat inuentos tres lapillos, quantitate piſorum, vnum interim maiorem altero, colore rubigineo. Ille eundem pectoris quoque hydropi obnoxium fuiſſe teſtatur. Ad baſim arteriæ magnæ enati lapilli, ſanioſi & arterioſi concretique ſanguinis comites: In œſophago ſtomachi & gulæ ardorem excitarunt: In ventriculo diuturnos & intolerabiles dolores: In inteſtinis, colicos cruciatus, teneſmum, obſtructiones difficiles, aluum aſtrictam, ſtomachi & inteſtinorum perennes dolores, & nonnunquam mortem: In hepate, icteros pertinaces, hydropem cum grauiſſimis ſymtomatibus: In venis & ſanguine, intolerabilem pruritum, motum conuulſiuum, maxime earum partium, ad quas venæ illæ ſabuloſum ſanguinem deferunt, vt ſi ad coxam, Iſchiadico perſimilem: In fellis folliculo vomitum, nauſeam, moleſtiam, ſtomachi & hypochondriorum torſiones, atrophiam, tabem, viſcerũ obſtructiones, & inflammationes, morbum regium immedicabilem, vigilias, laſſitudines, mœrores, melancholicas affectiones, ad iram propenſiones, vrinæ difficultatem & ardorem, cutis lepram, febrim, necnon ſubitaneam mortem: In liene, triduanum ſiniſtri lateris dolorem menſtruum ante plenilunium: In meſenterio complurium vitioſorum humorum colluuiem & argumentum: In omento, & peritonæo calculi: In teſticulis, ramicem vel carnoſum vel aqueum mentientem: In glandoſo corpore paraſtatῶn ſeminis difficilem excretionem: In ſcroto numeroſi, iſchuriam: In Perinæo alii: In vtero & matricis acetabulis, dolores parturientibus ſimiles: Lithopoedion omnia phyſica miracula ſuperat: In abſceſſibus & apoſtematibus, aliquando ſine offenſa, nonnunquam (præſertim in inguinis abſceſſu) dolorem colico ſimilem: In vulneribus, velut veſicæ, eorundem conglutinationis impedimentum: In externis partibus, vt in vmbilico deformationem. Hęc vt nemo medicorum, ante annos ſexaginta circiter, tam explicate, tam definite, tot illuſtrium virorum teſtimoniis ſuffulta comprobataque docuit: ſic ex iiſdem Galeni ſententiam, lapidum generationem ſolis renibus & veſicæ adſcribentis, conuelli neceſſarium eſt. Etſi enim Heroi illi, dogmaticæ medicinæ illuſtratori ſummo, immortales ſunt habendæ gratiæ, quod deſertam pene Hippocrateæ artis poſſeſſionem ingenii ſui diuinitate explicarit & ampliarit, vt ſicut ipſe ſibiipſi Hippocrat. ſic nos Galenum nobis bonorum omnium in arte medica auctorem eſſe ingenue profiteri debeamus: attamen in communi veritatis cauſſa non plus auctoritati quam ratiocinationi & experientiæ tribuendum eſſe, vel Ariſtotelis ſummi Philoſophi exemplo diſcas. Is namque *lib.* 10. *Problem.* 42. affirmat, nullum animal, excepto homine, calculoſum fieri poſſe. Atqui in veſicis porcorum & aprorum, Aponenſis, Geſnerus, & Encelius, non ſemel lapides deprehenſos profitentur. Lapidem etiam nigrum, pondo vnius libræ, equo ex veſica mortuo exemtum Langius teſtatur. Nos alio loco, ſi Deo videbitur, non modo ex homine, verumetiam ex variis animalibus, eorundemque partibus, puta ex capite maxilla, pulmone, corde, ventriculo, inteſtinis, hepate, felle & renibus, complures erutos fuiſſe, hiſtorica fide, contra ſubtiles licet & argutas, at experientię reluctantes tanti viri ratiocinationes oſtendemus. Vera etenim lapidum natura inueſtiganda, & ex veris principiis certæ hypotheſes conſtituendæ, non ex rationis acumine ſolum, ſed ex ipſa ſapientiæ obſtetrice experiētia: ſi modo vniuerſalis doctrina, quæ ſine errore ad particularia vſque progrediatur, extrui debeat. Et vero lumbricorum & verminationis, quam Galenus ad ſola inteſtina (quo loco potiſſimum & frequentiſſime proueniunt) contraxiſſe viſus eſt, eadem quæ lapidum ratio fuerit: cui fere omnes corporis partes perinde obnoxiæ ſunt, varioſque morbos & ſymtomata horrenda generant. Quæ omnia hic referre, vti præfationis limites excedit, ita pleraque diligenter congeſta, & concinne digeſta, rectius ex ipſomet opere noſtro petentur. Sane longum foret, omnia huc ſpectantia recenſere, præſertim ea, quæ ad Anatomiam faciunt: cum (quod bona aliorum pace dictum volo) fere omnia veterum in hoc genere ſcripta, ex promiſcua animalium & hominum ſectione obſer-

ne obſeruata,ad Veſalium vſque dubia, incerta, confuſaque plurima, nonnulla etiam plane falſa eſſe deprehendantur.

At his relictis,ea quoque attingamus,quæ ætas noſtra,prorſus noua,& veteribus omnino incognita, ad artem retulit.Cuiuſmodi ſunt morbi noui, cum alii,tum vero etiam contagioſi quidam, nonnulli cum contagio peſtilentes quoque.Inter contagioſos primas meretur morbus Indicus, vulgo Gallicus nominatus,quem non ſine errore quidam ad veteres retulere: decepti eo,quod veneficium,characterem, ſeminarium,& virus illud ſuum,omnibus prope morbis communicet,ſymtomataq; omnia reliqua labe & illuuie ſua teterrima contaminet & aſpergat, vt proinde, inſtar Protei cuiuſdam, morborum omnium veluti apparitorem & proxenetam eſſe putauerint. Miſerabile certe vagarum libidinum flagellum, iuſto Dei iudicio,iam inde à patrum memoria, Europeis immiſſum:Indis & Barbaris,primam Africæ partem incolentibus,vernaculum.Ceterum huic Scorbutus quoq; Septentrionalibus endemius,contagio æque infeſtus,& fœditate haud inferior,annumerandus:quem nonnulli ad lienes magnos Hipp.alii ad eiuſdem Volulum hæmatitem male retulerunt.Brunnæ nuper in Morauia exorta lues crudeliſſima,ad ſcarificationum & cucurbitulatũ vſum conſequuta,ſymtomatum quorundam affinitate & nouitate, etiam huc referri meretur. Porro contagioſis & peſtilentib.ſimul,accenſeri debet Ephemera Britannica,quam aliqui hydropyreton, quaſi febrem ſudorificã appellarunt: non quod reuera veterum τυφώδης ſit,vt quidã crediderunt, ſed quod à ſimili ſymtomate & effectu,quo ægri primo ſtatim die ſudabant,nomen inuenerit. Vnde noſtris quoque ſudor Anglicus & Britannicus appellatus eſt, in Britannia etenim primum ortus, magno terrore poſtmodum vniuerſam prope Europam concuſſit.His addendus alius popularis morbus nouus,à variis ſymtomatibus varia nomina ſortitus.Ab implacabili enim capitis dolore Cephalalgiam epidemicam: à deſtillatione & grauedine anheloſa,Catarrhum epidemicum:à tuſſi & febre,Tuſſim popularem & Febrim epidemicam:alii Febrim catarrhoſam vel Catarrhũ febrilem:Galli,quos Anno M D X.& rurſus Anno M.D.LVIII. infeſtauit.Coquelucham,quod qui eo mali genere detinerentur,cuculione caput velarent:Germani,quos circa annum Domini M D X X C. non admodum vehementer afflixit, vulgo das Hünerweh (quod laborantes ad inſtar gallinarum coryza vexarẽtur) appellauere.Huius Fernelius obiter meminit. Valleriola vero,Bockelius,Stenglinus & Sporiſchius viri doctiſſimi exacte deſcripſere: Geſnerus in Epiſtolis ſparſim attigit.Huius ſæuitia Romæ,eo ipſo tempore,quo Germaniã inuaſit,ſupra nouem millia hominum abſumta fuiſſe amicorum literis didici.Eodem ſpectat Pannoniæ lues,quæ febris Vngarica θηριώδης & vulgo cephalalgia Vngarica, ſeu morbus Hungaricus appellatus eſt: genti huic vernaculus quidẽ,at contagioſus & peſtilens,periculoſiſſimis ſymtomatibus ſtipatus, caſtris fere infeſtus.In ea namque, quam Diuus Imp. Maximilianus II. Auſtrius anno partus virginei 1566.aduerſus Turcarum tyrannum ad Camoram ſuſcepit expeditione,contagium ἐπιχοίνως graſſans, promiſcuo milite dimiſſo,in vniuerſam Europam diſperſum,plurimos abſumſit. Veteribus etiam non ſatis cognitam fuiſſe Buboniam peſtem,tum nouam Italorum febrem ſtigmaticam (Lenticulam ſeu Lenticularem vel Petechiam vulgo dictam,quod maculis, pulicum puncturis ſimilibus,affecti ſcaterent) malignam potius quam peſtilentem: inſuper Febres illas populares, cu morbillis & variolis,vix peſtiferis,coniunctas,liquido demonſtrari poteſt. Superſunt etiam extra cõtagium aut peſtilentem conſtitutionem noui morbi alii,velut Enthuſiaſmus ſeu inſaniæ illa ſpecies ſtupenda, quæ patrum memoria maxime in Germania plurimos corripuit: qua affecti,nullo loco conſiſtentes, ſed ὀρθοστάδην diſcurrentes,choreas ad extremum vſq; ſpiritum,niſi per interualla contineantur, ducere ſolent,quã vulgus D.Viti choream nominat: ſymtomatum vehementia & curandi per muſicam ratione,proxime ad eum morbum accedentẽ,quem Tarantulæ,terreſtris ſcilicet aranei morſus infert: vtrumq; ex æquo Græcis perinde atque Arabibus incognitum.Horrendum deniq; aliud morbi popularis genus contigiſſe,in Pannonia narrant: viperis paſſim & lacertis in humano corpore natis,Anno 1549.mille hominum indies,poſt cruciatus acerbiſſimos,fœditate & crudelitate omnem ætatem ſuperante, interimentibus. Cæterum de aliis nouis tum morbis,tum cauſis & euentib.quibus res medica inſigne incrementum accepit, per præcipuas iam artis partes,quanta poſſumus breuitate,exemplis aliquot in medium productis agemus.

Paulo ante monuimus,Anatomen,quæ Phyſiologiæ primarium membrum ſtatuitur, à recentiorib. ad veram hominis hiſtoriã addiſcendam, tanta ἀκριβείᾳ excultam eſſe, vt veterũ de ea confuſam doctrinã, vix ſatis tutum ſit artis ſtudioſo perlegere: niſi duplicẽ laborem ſubire velit, diſcẽdi primũ falſa & perplexa, deinde eadẽ ipſa dediſcendi. Vnius namq; anatomes opera Neoterici admirabile illud & priſcis inexplicabile auditus organũ cognouerunt & explicarũt. Nec eſt quod quidã nos ad receſſus illos Democriti & colloquiũ cum Hippocrate ablegent: aut eorum, quæ de proceſſib. ſcopuloſis, de cauitate tympani,& ſuccingente membrana ab Hippocrate notata ſunt, admoneant: nec quæ Galenus de labyrinthina cauitate, *lib. de Vſu partium*: quæ de cochlearia parte Empedocles inter Plutarchi problemata, quæ de pleriſque his Celſus, *tractatu de oßib.* ſcripſere, obiiciant. Nam ſi cum his ea, quæ nos primo hocce Tomo operis noſtri, paulo quã inſtitutũ noſtrũ tulit, fuſius & copioſius ex Coitero tranſcripta exhibuimus, conferas: meras vmbras & rudimenta ſolũ, nudaq; prope nomina eſſe dixeris: vt interim multa, veteribus prorſus intacta, velut oſſicula, muſculos, chordam, meatus, feneſtras, atq; id genus alia, prætereamus. Maius paradoxum illud, quum tactus organũ, non in neruis, vti falſo creditũ hactenus, ſed in membranis conſiſtere, à quibuſdã aſſeritur, tactus ſenſu rorem analogum, ad ſpecies tactiles, per omnes membranas diffundente. Iam vero neq; in proceſſib. mammillarib. cerebri poſitam eſſe peculiarem vim olfactus, ſed vt viam quandã duntaxat, ad ſenſationis integritatẽ, cum aliarum partiũ œconomia conſpirare, deprehenſum à nonnullis Guſtatiliũ item rerum diſcretricẽ vim, in peculiari humore aqueo, in ſubſtantia rara, ab Anatomicis hucuſq; non animaduerſa, oblonga, dura, inæquali, cum piſciũ fœtu comparata, & epigraphe oſſis ſphenoidis, vomeriſq; ſpeciẽ præferentis, concluſa, poſitã eſſe, non vanis argumentis quidã profitentur. Et hæc quidẽ paucula, rara prorſus, noua atque admiranda, antiquitatis captum excedentia, de ſenſibus, à quibus maxime neceſſariæ hominis

functiones proficiſcũtur, monere libuit, vt quid vtilitatis operis noſtri lectio afferre poſſet, cognoſceretur. Nam ſi ad reliqua Phyſiologiæ illuſtratæ placita excurrere vellemus (verbi gratia, ſi de hæmatoſi vera hepatis & venarũ: de lienis vicaria in hepatis defectu opera: de ſpirituum præparationis & generationis officina noua: ſi de tot oſſium, ligamentorũ, cartilaginũ, muſculorũ, venarum, arteriarũ, neruorũ, aliarumq; partiũ, recens animaduerſarũ, ſubſtantia, ſitu, cohærentia, functione, idq; genus aliis, vel perfunctorie dicere inſtitueremus) in immenſum noſtra excreſceret oratio. Ipſius ſaltẽ fœtus humani, qui phyſiologiæ vniuerſæ baſim compendio quodã nobis ſuppeditat, abſtruſa & recõdita, hucuſq; latens, hiſtoria ſimul & notitia, nonne vt plurimũ ita à veterũ deſcriptione euariat, vt perpauca eorũ, quæ vel ab Hippocrate, vel à Galeno tradita ſunt, conſiſtere queant, ſi maiorẽ veritatis quã authoritatis rationẽ habere velimus? Iam vero vt ad Pathologiã deſcẽdamus, ad hanc ipſam non pœnitendũ fructũ ex opere hocce noſtro peruenturũ eſſe, præter nouorũ morborũ paulo ante à nobis deſcriptorũ hiſtoriã, vel vnius capitis morborũ cauſę, mirũ in modũ apud veteres inuolutæ & implicatæ, fidẽ facere poterunt. Apoplexiam non ex ventriculorũ cerebri obſtructione ſolum, ſed & plexus choroidis, & arteriarũ retiformiũ obturatione, à craſſa pituita, aut grumis ſanguinis concitata, ſæpe à copioſa aqua glutinoſa in ventriculis cerebri contenta, frequẽtius ab humore melancholico, tum & à congelato concretoq; ſanguine, ꝓuenire, recentiores ex reſectionib. docent. Paralyſim ab intemperie frigida & humida, quidã etiã calida & ſicca: nõnulli à quouis humore ſpinæ medullæ infixo: alii à tenui & multa pituita, nerui ſubſtantiã totã irrigante (contra veteres, qui à craſſo humore neruis inhærẽte aut eoſdem obſtruẽte oriri volunt) rationib. & experimẽtis multifariã quæſitis, dependere contẽdũt. Vertiginis & ipſius melãcholiæ nouas cauſas ꝑter mentẽ veterũ annotauimus. Epilepſiã viciſſim à ſubſtãtia vel mordaci, vel alioqui cerebro inimica, eiuſdemq; ventriculos lancinante, ortũ trahere aſſerũt. Iã in Conuulſione neruos neq; per repletionẽ, neq; per vacuationẽ immodicã ſic decurtari, vt muſculos trahãt: ſed cerebrũ morbi huius verũ ſubiectũ eſſe, quod nõ κατ᾽ ὄρεξιν λογικὴν, ſed αἰσθητικὴν afficiatur, perhibent: propterea conuulſionẽ morbũ eſſe ſtatuunt eius cerebri partis, qua appetitus vt ꝓprio inſtrumẽto muſculos mouet, non voluntatis arbitrio, ſed ſenſionis ſolũ occaſione, à cauſa acri & infeſta irritata. Catalepſeos ſeu catochi cauſam, vaporẽ frigidũ & ſiccũ, in ventriculos cerebri irruentẽ, & eoſdẽ diſtendentẽ, ſpirituſq; quodammodo ſiſtentẽ & immobiles reddentẽ, vir magni nominis arguta diſputatione decernit. E diuerſo alii per anatomen, ſanguinẽ craſſum, coctum aut concretum in maiori vena, quæ medium caput perreptat, quinetiam ſerum rufum in cerebro poſteriore contentum, ad catalepſeos cauſam retulerunt. De Catarrhi, Aſthmatis, Singultus, Ilei, Calculi, Iſchuriæ, Gonorrhœæ, Vteri ſuffocationis, Arthritidis, Elephantiaſis, aliorumque morborum cauſis hic agere, præter rem & inſtitutum fuerit, quum ex ſingulis operis noſtri claſſibus commodiſſime peti poſſint.

Ad Semeiologica & Prognoſtica tempeſtiuũ eſt deſcendere: ſed delibando ſolũ, ne in immenſum excreſcat præfatio. In hoc quidẽ genere admiranda ſagaciſſimæ naturæ, ſiue ſapientia, ſiue ꝓuidentia, in criſeωn ratione & excretionib. ſpectanda, celebrandaq; occurrit. In Ecthymatib. nõ per nares, ſed per gingiuas ſanguinem expulſum fuiſſe conſtat: eundẽ rurſus ſuppreſſum per veſicã cruento lotio euacuatum, cum ſalute ægri. Quanquã alius puer eadẽ copia ſanguinis oppreſſus, mictione eiuſdẽ euadere haud potuerit. Stupendus quoq; ex peſte vel decumbentiũ, vel demortuorũ ſanguineus ſudor, non ſemel notatus. Sic cũ quidã ex capitis cerebriq; vehementi concuſſione ex caſu ἄφωνος factis, ſenſib. & mente deſtitutus eſſet, febre, delirio, & aliis prauis accidentib. præſentẽ mortẽ minitantib. citra capitis apertionẽ (cum nulla cranei fractura ſe proderet) ſeptimo die, ingenti ſudore oborto, cũ frequenti ſternutatione, magnã puris vim per nares, os, & aures reiecit, & præter omniũ ſpem ſanitati reſtitutus fuit. Eodẽ modo in Epilepticis paroxyſmis, per os & nares ſæpe aqueã eluuiem profluere, aliquando etiam, ſed rarius, nec niſi in ſumma morbi violentia, cerebri particulas vna ꝓtrudi, certa cum ægri pernicie, videmus. Similiter etiã cerebri & partiũ intra craniũ contẽtarum ſuppurationes, ex abſceſſib. vel aliter enatas, per aures diuturno profluuio expurgari, in omni ætate conſpeximus. In Phrenitide & Angina pus quandoque, à venis iugularib. in venam cauam, indeq; in emulgentes & renes tranſmiſſum, tandẽ per vrinas excerni notauimus. Sic in Pleuritide non tam per vrinas, quã per aluum pus ipſum deturbari quandoq; viſum. Pulmonis abſceſſus per vrinam, thoracis per aluum excretos, poſt Galenũ Matthiolus & Alexandrinus obſeruarunt. In intercoſtali pleuritide, exemplo plane raro, nos hic Friburgi in nobili fœmina ſexagenaria, cui aſſiſtebamus, ſuppurationẽ foras intus cum febre, lateris dolore & punctione, ſputo cruẽto, vt in genuina pleuritide, proceſſiſſe vidimus: poſtmodũ etiam intus foras eandẽ erupiſſe, & ex morbo, conſolidato rite vlcere, quaſi miraculo quodam anum euaſiſſe, bona fide affirmare audemus. Cuius præterea ampliſſimũ ſimul ac certiſſimũ teſtimonium ferre poteſt nobiliſſimus idemque prudentiſſ. ſenex Ioan. Vdalricus à Stadion, prouinciæ Beffortenſis præſes æquiſſimus.

Cordis etiam abſceſſus, cum calculis ibidẽ genitis, aliquot menſiũ ſanguinolẽta & purulenta mictione, ſaluis renibus, expurgatos fuiſſe, Hollerius & Iacotius teſtantur. His accedũt hepatis abſceſſuũ ſuppurationes, ſępe per vomitũ, aliquando per aluũ aut vrinas euacuatę: rarius illud, eoſdẽ quoq; per tuſſim & excreationẽ purgari. Infrequens quinetiã, ſed animaduerſum tamen, ad ſuras putrilaginẽ tranſmitti, certa cũ ægri pernicie, & longa dolorũ carnificina. Obſeruatus quoq; latẽs hepatis abſceſſus in vẽtris muſculoſa ad ſternũ regione manifeſte extrorſum ſuppurari. Nec minori induſtria & ſolertia, natura interceptis aut præpeditis ſtatorũ quotidianorumq; excrementorũ viis & meatib. ſuccurrit. Sic detentos menſes per oculos, nares, os, dentiũ præſepiola, ſputa, excreationẽ, vomitũ, mammas, periodicas mictiones, hæmorrhoides, colli vteri venas, vulnera deniq; excerni, certis & indubitatis hiſtoriis oſtẽdemus. Vrinas præterea per foramen paulo infra glandẽ, circa radicẽ virgæ virilis ſupra teſticulos, per ſcrotũ, ex vmbilico, infra pectinẽ, paulo ſupra vuluã, circa coxam, femur, nates, perinæũ, per vulnus circa ſedẽ, aut anũ ipſam reddi ſolitã, docebimus. Quorum nonnulli diu ſuperſtites vixere, ſed non ſine miſeria & moleſtia. Viſum deniq; vrinã ſuppreſſam, in extrema deſperatione, per multas corporis partes circumquaq; defluere, & per anum, perinæũ, ſcrotum,

penem

penem & inguina exudare,exemplo rariſſimo.Stercora nonnullis,vt in ileo,quibuſdam aliis aliquot menſibus,imo toto vitæ tempore vni,in conclamata,miſeria & fœditate per os euacuari,cõſpecta ſunt.Per vmbilicum eadem & penem,item per vuluam,aliis per veſicam & vulnus tenui inteſtino illatũ,integris quindecim annis excreta fuiſſe,autores celebres tradidere. Ad eum modum, neceſſitate leges præſcribente, inuerſo rerum ordine,per os,penem,& vuluam egerere,per anum,vmbilicum mingere natura coegit.

Æque admirandæ ſunt morborum quorundam μεταςάσεις,ſiue commutationes,altero in alterũ, vel minus vel magis noxium,tranſeunte.Sic febris,apoplexia,epilepſia,coli dolor in paralyſin:catochus in comitialem.Eſt etiam quando ægrũ per vices & catocho, & epilepſia, & comate, & conuulſione torqueri & exerceri,horrẽdo & miſero ſpectaculo videmus.Menſiũ retentionem in inſaniam: atq; hanc in varices deſinere conſtat.Pleuritis ſæpe in peripneumoniam abit: Podagra in quartanam, paralyſim, apoplexiã, aſthmata,hydropem,coli dolorẽ,dyſenteriam,ſcroti relaxationẽ,& articulorum calculos commutatur. Viciſſim ventriculi dolor,iecoris affectus,lochia à partu cohibita,in podagrã tranſeunt. Animaduerſionẽ quoq; ſummã meretur morborũ nonnullorũ λύσις ſeu ſolutio:veluti cũ hydropicos p ſudores,mẽſtrua,vrinas, aluũ,vmbilicũ ſolutũ,puſtulas cutaneas,præciſos vngues,ſcarificationes,potus abſtinentiã,aeris mutationes, & huiuſmodi alia exoneratos cernimus.Quæ omnia,quantum medico ſcire interſit,nemo non videt.

Reſtat vltima artis eademq; nobilior pars Therapeutica:de qua non minus neceſſaria, quam copioſa ampliſſimaque exemplorum hoc loco proponendorum materia ſeſe nobis offerret: vela tamen pro tempore contrahenda,& digitus tanquam ad fontem intendendus,quoad per Dei Opt. Max. gratiam vniuerſum hoc Admirandorum opus abſoluere concedetur.

Curationes itaq; nouas deſperatorũ morborum,vt multas,ſic memorabiles ætas noſtra adinuenit. Puerorum crania confracta, miſeriſq; modis contuſa,citra ſectionem,integra cute, qua ratione percurari debeant,Botallus,Arcæus & Arantius,nullo veterũ exemplo exacte demonſtrarunt, Prodigioſa & deplorata cerebri vulnera,etiam cum eiuſdem ſubſtãtiæ iactura percurata,remediis nonnullis nouis allatis,& ſingulari ſolertia adminiſtratis, primo hoc tomo diſcere licebit. Sic oculum diſciſſum, viſu illæſo à Langio reſtitutum.Quid quod patrum memoria Branca Siculus Cataneus,chirurgus ac phyſicus eximius, ſuo ingenio & arte,aures,nares & labra,quibus multo ante cæſa fuerant, inſtaurauit: cuius diſcipulus fuit Baltazar Pauonus.Sed hodie etiam Tagliacotius nariũ deformitatem,editis ſpectatæ fidei exemplis, cohoneſtari poſſe docuit. Adeoq; permulta ſunt quæ fieri non poſſe,priuſquam ſint facta,arbitramur. Sic quoq; veram ex pulmonis vlceratione phthiſim ortam,contra receptã ſcholarum & medicorum opinionem, minime inter deſperatos, ſed curabiles morbos referri debere, curationis ratio, ab Ingraſſia & Arcæo propoſita ſatis indicat.Sanitatem phthiſicis nonnullis reſtitutã,quibus dimidia pulmonis pars,ex morbo perierat,Eraſtus affirmat.Noua item & ingenioſa puris ſupra ſeptum tranſuerſum coaceruati & concluſi,per ſectionẽ comparato emiſſario,eductio,veriſſimis hiſtoriis illuſtrata(quo remedio ęgri,alias perituri,ſeruari poſſunt) per Veſaliũ adminiſtrata extat. Veterib. item incognita thoracis vulnerũ tractãdorũ ratio, & puris in eodẽ per medicamenta,citra vllam vſtionem,ſectionẽ aut pforationem conſumendi diſſipandiq; modus atque expellendi à Maſſa traditus.Idem de pfundis pectoris & pulmonis vulnerib.ſentiendum.Inuenta quoq; pectoris fiſtulas & mammillarũ cancros medendi via, à nemine prius excogitata. Calculi veſicæ per hypogaſtrium extractio.Ad epilepſiã,cõuulſiones,paralyſes,contracturas,hydropem,coli dolores,elephantiaſim Græcorum veram,febres,venena,remedia rara,efficacia quædam etiam noua, ex claſſicis medicis ipſi non pauca annotauimus, cum multorũ ab his malis liberatorum exemplis. Ad hydrophobiam ex rabidi canis morſu,ſi partes capitis ſupra dentes illæſæ permanſerint,certũ & infallibile remediũ, vnicum atq; alterum, Palmarius,magno ſuo cum honore & candore communicauit.Curationes herniæ raræ & nouæ, tũ per ſectiones & punctiones,tum per ligaturas & medicamenta quoq; inſtitutæ. Tum & lithotomia tutior, necnon podagræ atq; ſclopettorum vulneribus auxilia, noua,rara,fida,& præclara,virorũ artis operib. clariſſimorũ ſedula opera perueſtigata ſunt. In magnis etiamnum & pertinaciſſimis morbis, veterũ remedia magna,à ſummo Hippocrate ad Galenũ & Arabes vſq; feliciſſime vſurpata,quæ poſtmodũ ſiue ob medicorũ negligentiam & inſcitiam ſiue ob hominũ mollitiem negligi cœperant,maxima cum mortalium, in cõclamatis caſibus,ſalute,denuo ad vſum,eumq; correctiorẽ,reuocari cœpere. Abaptiſta ad cranii fracturas & forationes,formis conuenientiorib.accommodata. Arteriotomia,in deſperata hemicrania, in aneuriſmate,aliiſq; tum occultis,tum latentib. perennibuſq; vitiis denuo introducta. Vſtiones omnis generis, tũ per fontanellas vulgo dictas,tum per pyrotica alia ad cephaleam,epilepſiam,ſpaſmos,catarrhos, arthritidẽ: in angina,Laryngotomia:In hydrope Paracenteſis & noua quidẽ per vmbilicũ & ſcarificationes,poſtliminio reductæ hyſterotomotokia. Quibus accedit fœtus & eiuſdem ſceletorũ,nec non vteri totius exectio, ſalua matre,ſtupenda prorſus:& viciſſim demortua matre,extractio fœtus viui,crudeli quidẽ,ſed pio miniſterio. Litothomia renum hydrops veſicalis,vteri,ſcarificatio crurum,Arabica. Acrotomia, hoc eſt partiũ ex gangræna,aut aliter vitiatarum amputatio,in multis ad mitiorẽ & certiorem vſum emendata: & noua quoque alia ratio,citra ſerræ vſum,adminiſtratione mira,demonſtrata.Sed manũ de tabula: ſi prius practicæ quoq; errores nonnullos(quis enim omnes poſſet)hoc opere plurimos detectos, vel ſaltẽ leuiter perſtrictos, colophonis vice oſtẽdero.Sanies inter cutẽ muſculoſam capitis & craniũ ex vlcere aut vulnere nata & neglecta,nonne apoplexiæ metũ,inſaniam,diuturnũ capitis dolorẽ, morbi Gallici opinionẽ vaniſſimã) accedẽte præſertim oſſis corruptione) & mercurialẽ curationem perditiſſimã attulit? Intempeſtiuo refrigerãtium vſu,nonnulli phreneticis veternũ & mortem quoq; accerſiuerunt.Glaucedo,ſuffuſionis ſpecie curata, excæcauit ægrum. Puſtula in cornea enata, & peptico medicamento ad ſuppurationẽ deducta, miſer cliens, exoculatus eſt.Cruris ſtupore deceptus medicus,vere calculoſum,pro paralytico curare,ſed fruſtra,cõtendit. Aſtringentium ſiniſtro vſu hæmoptoicus mortuus.Punctione & tuſſi ex hepatis obſtructione natis,deceptus alius,femellam ex ſubſequente cachexia in hydropem delabentem,errore lethali, tanquam pleuri-

Idem in Epiſtola ad Andream Wechelum Fernelii operibus præfixa.

AD Fernelium vt redeam, me vero animi iudicio illius præclara ſcripta probare, etiam atque etiam
affirmo, & vt ea, quorum mentionem Plantius, in primis vero obſeruationes eorum, quæ in curandis mor-
bis noua deprehendit, proferantur, vt operam des, maiorem in modum peto. Nulla re de arte medica me-
lius, quam cum exemplis rectiſſime docemur, mereri poteris. Quid hiſtoriis illis morborum, quas Hippo-
crat. attentiſſime variis in locis collegit, & propterea Epidemion libros inſcripſit, ad docendam, illuſtran-
dam, & confirmandam artem medicam accommodatius? Imitatus eſt Hippocrat. ſtudium Amatus. Ve-
rum plura conficta quam facta illum ſcripſiſſe, & interdum opiniones ſuas iſto modo confirmare voluiſſe
apparet. Præclarum quoque nuper opus ſuarum Obſeruationum Vir Doctiſſimus & de arte medica bene
meritus Franciſcus Valleriola foras dedit. Id cum inſpicerem, ingemiſcens cogitaui, cum mihi ætatem in i-
ſta virium imbecillitate ſatis longam & vſum artis non mediocrem, addo etiã hoc (ꝙ diuinæ benignitati ſi-
cut reliqua præcipue acceptum refero) ſucceſſum fœlicem conceſſerit, quod non dico, cum in magnis re-
bus publ. ſed hoc vel decennio, quo in aula Sacratiſſimorum Impp. fui, meas obſeruationes non ſcripſe-
rim. Fortaſſis magis, quam aliis ſcriptis poſteritati nomen meum commendaſſem, & de ea præſentibus ho-
minib. bene mereri potuiſſem. Nunc curarũ onere preſſus, & laboribus fractus in magna virium omnium
infirmitate, cogitare magis, quæ ſint mei officii, quam exſequi poſſum. Vt tamen proſim quamplurimis, &
te quibus ſciam poteroque modis adiuuem, dum vixero, operam daturus ſum.

*IOHAN. BAPTISTA DONATVS. Lib. 6. De Iudi-
ciis ad Lectorem.*

QVIS eſt, qui non plane videat Hippocratis Hiſtoriis veluti teſtimonia & grauiores quaſdam huiu-
ſce doctrinæ confirmationes eſſe? Namque vt in ſingularibus, quæ ſub ſenſum cadunt, noſmetipſos exer-
ceamus, maxime auctor Galenus eſt, vt quæ ante generaliter didicerimus, optime dignoſcamus. Neque e-
nim vniuerſales viæ ac rationes ad certam, definitam, rectamque alicuius rei cognitionem ſatis eſſe poſ-
ſunt. Generalis enim methodus ſine vlla in ſingularibus exercitatione optimum artificem reddere nullo
modo poteſt. Quæ res omnibus in rebus tibi clarius eluceſcet; ea tantam habet quibuſdam in rebus vim,
vt vniuerſalem methodum diſcere vel vnius anni ſpacio nemo non poſſit; & niſi in ea diutius, ſed quid diu-
tius? niſi toto hoc vitæ ſpacio ſe diligentius exercuerit, in artis vſu mirifico offendat, neceſſe eſt. Teſtes ſunt
Dialectici, Rhetores, Muſici. Demonſtratum vero eſt cum in aliis voluminibus, tum vero in methodo me-
dendi duplicem eſſe eorum, quæ quæruntur, inueniendi viam. Altera ratione ad notitiam peruenit, tum
generalis tum vero communis cuiuslibet ſingularis ſpeciei. Altera autem in ſingularibus ad commune v-
niuerſaleque progreditur. Atque ex his vniuerſale conflatum eſt. Artificis vero munus atque opus omne in
ſingularibus exercetur; quæ vt ex arte tractentur, exercitatio neceſſaria eſt ei, qui prius vniuerſale inuene-
rit. Præterea & ad prædictorum vniuerſalem doctrinam ſingularia vtilia ſunt. Sunt quoque, & ad diſcen-
tium captum veluti exempla quædam. Quapropter ipſe Galenus quoque in cunctis fere, quæ edidit, volu-
minibus non vniuerſalia modo, verum etiam ſingularia perſecutus eſt ex libris Hippocratis, præcipue vero
Epidemiorum Hiſtorias diligenter perpendit, in quibus cuncta expoſuit, quæ ab initio ad finem vſque æ-
gris ſuperuenere. *In libris* quoque *de difficultate ſpirandi* omnes percurrit, qui in Epidemiis durius ſpiritum
ducebant: *in libro de diebus* quæ iudicia exercent, quicunque iudicia ſubierunt. Idemque in ceteris eadem
ratione.

*REMBERTVS DODONÆVS. In Epiſtola dedicato-
ria Obſeruationum ſuarum.*

ARTEM medicam longam quæ efficiunt ab Hippocrate medicorum Principe, mox in initio Apho-
riſm. tertio proponuntur. Præcipites videlicet agendorum occaſiones: experimenta fallacia periculoſaque
& iudicii difficultas. Ex his autem, vel ſola iudicii difficultas, non modo prolixitatis, ſed & difficultatis i-
pſius artis, cauſa vel præcipua eſſe apparet. Occaſionem ſiquidem etiam repentinam poterit diligens ac ex-
pertus medicus non negligere: celeriter ac in tempore idoneis remediis adhibitis. Experimentis non facile
falletur, ab expertiſſimis doctiſque medicis frequenter expertis medicamentis vel ſibi longo cognitis vſu,
qui cum iudicio & ratione vtetur: ab iis vero abſtineat, quorum facultates vel non ſatis exploratæ aut co-
gnitæ fuerint: vel alioqui vehementiores, vſuique minus accommodæ, aut tutæ ſint. In iudicio vero etiam
exercitatiſſimos atque doctiſſimos ſubinde hærere contingit: & non modo in futurorum prædictionibus
quandoque falli, veluti in morbis acutis, quorum non eſſe certas, vel ſalutis vel mortis prædictiones Hip-
pocrates affirmat: ſed tunc potiſſimum, quando aliquid admodum rarum, antea non obſeruatum, ſuper-
uenerit Symtoma. Tale enim medici etiam doctiſſimi atque expertiſſimi iudicium non raro interturbat,
ac dubium eum ſollicitumque ſæpe numero reddit, dum morbum atque eius cauſam cognoſcere laborat,
nec cito aut facile vel omnino non aſſequi poteſt. Iſtis autem tantis difficultatibus occurrere veteres Hip-
pocrates & Galenus magno ſtudio voluiſſe videntur, quando multorum ægrotorum, tum & curationum
exempla ſuis operibus interuenerunt. Per hæc etenim medici Doctores, & in ferendo iudicio promptio-
res redduntur: certiuſque aliquid affirmare queunt, morborum cauſarumque cognitionem facilius conſe-
quuntur; dum videlicet præterita, quæ circa alios contigerint, in memoriam reuocant. Nec vero dubium
eſſe poteſt: quin & maiorem lucem abditis & difficile cognitu, ſiue morbis, ſiue cauſis, allaturi fuiſſent, ſi ex
morbis mortuorum corpora ſecare & aperire ipſis vel licuiſſet, vel libuiſſet. Neque enim vlla eſt, quan-
tumcunque diligens obſeruatio, quo occultis ſiue abditis morborum & Symtomatum cauſis veritatem ci-
tius aut facilius oſtendit, quam ipſa mortuorum corporum diſſectio. Hæc etenim affectum mox oſtendit,
manifeſtumque facit, tum ipſius, ac ſymtomatum cauſas cognoſcere docet.

Sed cum

Sed cum priorum ſeculorum mores ac conſuetudines non paterentur mortuorū aperiri corpora, quod potuerunt Hippocr. & Galen. præſtiterunt. Ille ſiquidem 5. *ac* 7. *de morb. popul.* multorum ægrotorum affectus narrauit: Galen. vero, non in vno aliquo libro, ſed ſparſim plurib. locis non pauca ad morborum notitiam ac curationes facientia ſcripta reliquit. Quæ olim in vnum volumen à Symphoriano Campegio contracta & edita ſunt. Poſterior ætas, maiore libertate vſa, humana corpora aperire, & latentes affectus, abditaſq; eorum cauſas, hac via perquirere didicit. Quod cum medico vtile & quam maxime ſit conducibile nos quoq; imitari, quando licuit, ſtuduimus. Atq; hoc modo non ſolum difficilium aliquot morborum affectuumq; abditas cauſas nos deprehendiſſe: ſed & nonnullorum veras legitimaſq; curationes cognouiſſe & didiciſſe libenter profitemur; quorum hactenus curationes vel incognitæ, vel non ſatis recte traditæ aut deſcriptæ fuerunt: vt in noſtris de curandis morbis libris oſtenſuros nos ſperamus, quos paulatim ad editionem paramus.

DE CORPORVM DISSECTIONIBVS IN MORBIS OCCVLTIS.

GALENVS lib. Art. Med.

AD eorum, quæ ſenſum latent, cognitionem plurimum confert, tum apparentium ex corporum diſſectione cognitio: tum actionum vtilitatumq; inquiſitio.

PLINIVS Lib. 19. cap. 5.

Compertum eſt in Ægypto Reges corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecaſſe.

PLINIVS alter lib. 4. cap. 1.

ÆGyptiis regibus erat ſtudium, ſcrutari corpora mortuorum, & cauſas valetudinum, occulta fide recognoſcere.

ALEXANDER BENEDICTVS, cap. 1. lib. 1. anatomices.

OBſeruauere priores medici, vt ſi qui ignotis morbis interiiſſent diſſectis cadauerib. occulta morborum initia perſcrutarentur, vt pari exemplo viuis prodeſſent. Idem in Simia ſua facere Galenum nō puduit, ignota mortis cauſa: ſicut & nos in morbo Gallico fecimus. Hunc reſecandi modū Pontificales conſtitutiones iampridem permiſere, alias exſecratiſſimū, atq; abominabile, ſiue irreligioſum haberetur. Eorū præterea animæ purificationibus pro ritu occurritur, atq; offenſionem eorum, precibus propitiamus.

BARTHOLOMÆVS EVSTACHIVS Lib. de Renum adminiſtratione, cap. 45.

ERit adminiſtratio in corpore hominis, qui aliqua ægritudine affectus fuerit, & ſi propter eam obierit, tanto vtilior, quanto priore pars hæc anatomiæ ignotior eſt, & ad cauſas morborum dignoſcēdas magis idonea, atq; ad cōmodum remediorum vſum explorandum aptior. Vtinam ego dum iunior ætate fui, & bona valetudine præditus, huic potius anatomiæ parti ſtudium nauaſſem, & tot annos, quot in illa conſumſi, in iſta poſuiſſem: neq; tam ſero ad agrū adeo fertilē excolendum aggreſſus eſſem; abſoluiſſem Deo adiuuante, niſi & me ſpes fefelliſſet, inceptū opus: & honeſti laboris à me ſuſcepti, aliquē fructum cōmendatione & laude dignū adeptus eſſem, ꝙ exſequi amplius nequeo, coactus tū ob ingraueſcentem iam ætatem, tum ꝓpter continuos ingenteſq; articulorū cruciatus ab incepto deſiſtere, animumq; penitus deſpōdere; quam equidem iacturam multo moleſtius fero, quam alia damna ac incommoda, quæ multa & ſumma aliquot ab hinc annis accepi & paſſus ſum.

IOAN. KENTMANVS Ex lib. de Calculis.

EX lapillis, bilis receptaculo inhęrentibus, magnas obſtructiones in vaſis, multaq; violētia Symptomata conſequi compertum eſt: in quib. vel peritiſſimi medici ætate prouecta hærere atq; impediri queant ambigentes nimirum, vnde tam ancipites ægrotationes & accidentia ita varia exſiſtant. Atq; vſu attentioribus medicis inter ſecandum corpora humana veniſſe audiuimus, non duos ſolum aut tres, verū aliquando centenos quoq; in eodē receptaculo tales calculos vt reperierint. Vtinā ſæpe multumq; in dubiis præſertim ac periculoſis caſibus ſimiliter fieret, atq; ab exſtinctorū cognatis precibus obtineretur, ſecare corpora vt integrū eſſet: non dubito eiuſmodi ſæpe res oblatum iri, quæ vſu notatuq; vtiles atq; dignæ forent.

VOLCHERVS COITER In præfatione Lib. obſeru. Anatomicarum & Chirurgicarum.

VTinam vbiq; magiſtratus & vulgus medicis Chirurgiſve veris, in ſectionib. corporum verſatis (intelligi hic nolo barbitonſores arrogantes imperitoſq;, qui veſicam pro ventriculo, vermes pro neruis, pulmonem pro epate demonſtrant, & monſtroſa tum vulgo, tum quibuſdā credulis doctoribus narrant) ad morborum incognitorum eorundemq; cauſarum indagationem, aperiendi corpora copiam facerent, medius fidius, nonnulli morbi facilius curarentur. Sed deploranda eſt potius hac in parte non ſolum, ſed vniuerſa arte medica (cuius auctoritas indies magis vileſcit, propter ingratos hominum animos, & peruerſa iudicia) minus fortuna propitia, quam melior aliqua exſpectanda conditio.

MARCELLVS DONATVS de hiſtor. Medica mirabili, lib. 4. cap. 3.

VIderint, qui cadauerum ſectiones non admittunt, quanto in errore verſentur. Cum enim de morbi cauſa minime conſtat, ſectiones medicis interdicentes, cadaueri, proxime vermium eſca futuro, nihil proficiunt, ac mortalium generi plurimum obſunt, cum medicis obſtent (qui alioquin prudenti coniectura, quæ interius latitant, nonnunquam minime aſſequi poſſunt) quo minus in eam rerum ſcientiam deueniant, quæ in poſterum conſimili morbo laboranti maxime ex vſu ſit futura, Nec minus medici quidam reprehenſione vacant, qui laboris impatientes, fœtoremq; diſſecti cadaueris (vt aiunt) auerſantes, delicatuli ſane, in cæcis ignorantiæ latebris, quotidie verſari malunt, quam veritatis curioſo ſtudio teneri. Deum interim, ſeipſos, humanumque genus vniuerſum, non contemnenda iniuria damnoque afficientes.

Euchariſtica poſthuma Memoria

MECOENATUM

OPERIS SCHENCKIANI PRIMÆ Editionis.

DVM Meſſem contracturus membra OPERIS huius in vnum veluti CORPVS Hiſtorico-medicum-harmoniacum, & per tertiationem nouo delectu facto, retractaturus: cõmodum in mentem venit, nouam editionem etſi locupletiorẽ atq; illuſtriorem meditantem adornantemq; eandem tamen ſine poſthuma ſolemni memoria & concelebratione Magnorum Illuſtriumq; MECOENATVM laborioſiſſimi operis neutiquam publico vſui interponere. Cũ n. Marcus Tullius Orator, verum decus, quod in VIRTVTE poſitũ eſſe decernit, magnis illuſtrari in Rempub. meritis contendat: eos profecto in id negotium vel principe loco præferendos atq; illuſtrandos cenſemus, qui ad honeſtiſſimorum eiuſmodi conatuum propagationem, columnarũ & tibicinum inſtar, nobilem operam liberalemq; munificentiam contribuerunt. Grauiſſima poſthæc merita eſſe illa, quæ ad litterariæ ſapientiæ, Litteraturæ, totiusque Encyclopædiæ exædificationem præclare conferunt, iuxta mecum omnes paulo humaniores intelligunt: qui ad diuina humanaq; iura conſeruanda propagandaq; nihil his eſſe vel diuinius, nedum vtilius, illuſtrius, aut peræq; neceſſarium intellexerint. Litterarum proinde & litteratorum qui patrocinia ſuſtinent: viciſſim Litteris conſecrari debent atq; concelebrari, quib. nempe æterna horumdem memoria perpetuet, atq; vt Venuſinus ait, ære ſit perennior inclita gloria. Vtinam vero quam nunc prouinciã ingredimur, eamdem optimus & deſideratiſſimus ille PARENS noſter, nobis cum natura tum virtute amantiſſimus, ipſe dignius exſequi potuiſſet: fuiſſet profecto magnã illam ſuam in bene meritos præconceptam gratitudinẽ ipſe viuus & ſuperſtes reapſe declaraturus. At ſecundum illud Schenckianũ: SIC ERAT IN FATIS. Æquũ proinde videatur, Filios Parentum traduces & viuiradices, pia in paternos cineres memoria excitatos, in eum extremi officii locum concedere, honoris candorisq;, & debitæ gratitudinis ſymbola bene meritis comprobare atq; deferre, non ſolum Paternos retractare labores. Quamobrem illuſtris atq; primaria Munificentia annua Sereniſſimi GVLIELMI, vtriuſq; Boiariæ Ducis fortiſſimi ſimulac pientiſſimi, loco præcipuo concelebranda: Cuius nempe perliberali Clementia vniuerſum hoc Opus propagatum, abſolutumq; in manus hominum venit. Ea eſt ſane Herois huius, virtute & ſanctitate incliti, erga Pietatem & Litteras ſingularis propenſio, ita vt communib. omnium votis diuinitus videatur exoptandum, tam Rarus & Glorioſus æui huius Princeps longum perpetuet. Huic proinde, totiq; Sereniſſ. BAVARIÆ Domus, præſertim vero Heroi MAXIMILIANO F. PHILIPPO, ET FERDINANDO F. F. Bauariæ Ducibus, debitæ gratitudinis & officii cauſſa Monumenta Schenckiana quantumuis poſthuma primitusq; inſcripta in perpetuum nihilominus conſecrata fuerint, quæ tam ſplendidiſſ. Mecœnatum Gloriam & Merita publice teſtabuntur & proloquentur. Reuerendiſſimi poſthæc Principis D. D. VVOLFGANGI, Electoris Moguntini, in Schenckianos labores propenſam Clementiam & Munificentiam, luculenter & liberaliter exhibitam, cum inſigni gratitudine recolimus, animiq; tabulis conſecramus; ſimulac Celſ. ſuæ memoriam perpetuam gratanter & clienter renouamus: Eidemq; operam, officia, ſtudiumq; deferimus atq; ſpondemus. Clariſſimis vero & Illuſtribus Ciuitatibus, AVGVSTANÆ Vindelicorum, FRIBVRGENSI Briſgoiorum, ob præclaram voluntatem & honorificam cohoneſtationem perpetuo gratiſſimi ſumus futuri, & ſi quid in nobis ſit, ad demerendum, non tam inueſtigabimus, quam collocabimus. Nobiliſſimos & Heroicos VV. MARCVM à REVSCHACH & IOANNEM à SCHELLENBERG honoris, officii, debitæq; gratitudinis ergo ſimiliter celebramus: bene meritorum longum retinentiſſimi futuri. Reliquorum pariter memoriam ſubinde officioſamente conſeruabimus, officia exoſculabimur, humanitatem amplectemur & perpetuum teſtabimur.

SCHENCKIVS FILIVS.

ILLV-

EPIGRAMMATA

ILLVSTRIVM VIRORVM, AD OPVS HOC SCHENCKIANVM PER SINGVLOS TOMOS CONSCRIPTA.

TOMVS PRIMVS.

JACOBI MOCCII MEDICINÆ in Archigymnaſio Friburgenſi Profeſſoris, ad JOANNEM SCHENCKIVM, ex Choro ſuo Illuſtrium Medicorum, Carmen.

Quis te prætereat tacitum clariſſime SCHENCKI,
Pæoniam tanta qui cumularis ope?
Ingenij primos en fœtus, lector: at illa
Viua dabit plures bibliotheca libros.

ΙΑΚΩΒΟΥ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΙΑΤΡΟΥ ΤΕ καὶ φιλοσόφου (ὀρθεὸς φυσικοῦ) εἰς Ἰωάννην τὸν κρατὴν πολυπειρότατον ἰατρὸν σχεδιασμάτιον.

Σ τειῶ λέγῃ ὁ Κράτης,
Φερωνύμω πατρόςτε,
Πάππων τε σῶν ἐπικλής.
Ἀλλ' εἶτα δὴ ἀπ' ἔργων
Σοῦ νεῖτων κελέξῃ
Σύμπασιν Ἱπποκράτης,
Τοῖς στοιχείοις τοσαύτοις,
Ὅσοις γέρων ὁ κῷος.
Λέξει διδόντος ἵππου
Ἐπωνύμω γονῆος
Τοῦ ῥόπην μεγίστην,
Τοῦ πᾶσι σὴν φανῆναι
Τὴν ἀξίαν φερεῖστην
Τέχνης ἀπ' αὐξανούσης
Ἰατρικῆς τέλουσαν.

In eundem eiuſdem τετράστιχον.

Hippocrates quin ſit Medicorũ primus habẽdus
Non dubium, quis ſit proximus, ambigitur.
Te pars eſſe volunt, SCHENCKI, pars eſſe Galenum
Ipſe ais, Eſto ſenex, hunc iuueniſq; ſequar.

Joannes Brunnerus Dockenburgenſis, Græcarum literarum & Sanctæ Linguæ Profeſſor ord. in Archigymnaſio, apud Friburgum Briſgojæ ad authorem.

Magne Vir & cunctis decus immortale Camœnis
SCHENCKI, *Mæcenas, præſidiumq́, meum:*
Sic hominum æternas ver aq́, merebere laudes,
Naturas homini dum canis ipſe ſuas.
Tu tantum ingenio ſuperas ſtudioq́, priores,
Quantum naturam ſe ſuperaſſe doces.
Omnia te, Vir, ſecta canent totumq́, per orbem
Artis Pæoniæ nobile numen eris.

Aliud eiuſdem ad librum.

Mira canis, mirande liber, mirabitur orbis
Nobilibuſq́, viris gaudia mira feres.

Joannes Jacobus Beurerus Græcarum Litterarum, poeſeos & hiſtoriarum in Archigymnaſio Frib. Profeſſor Cæſ. Majeſt. Hiſtoricus & Interpres Græcus, ad V. CL. D. D. JOAN. SCHENCKIVM Medicum.

ΣΚΕΓΚΙΕ ἰητρῶν κλέος ἄφθιτον οὐρανόμηκες,
Καὶ συγγερᾶν νούσων πῆμα περιπλομένων.
Πολλὰ διορθώσας σὺ σφάλματα, πολλὰ δοκεύσας
Θαύματα καὶ γλυκερὸν ἤγαγες αὐτὰ φάος.
Τῷ σῦν τρίλλιστος περιθρυλλεῖται σέο φήμη.
Οὗτος ἀκεσορίην ΣΚΕΓΚΙΟΣ ἠκέσατο.

Aliud eiuſdem.

Immortale decus, medicorum gloria, SCHENCKI,
Inuiſi morbi peſtis, & acre malum,
Arte in Pæonia ſapienter mira notaſti,
Quorum nunc gratum & nobile prodit opus.
Ergo hac optata paſſim celebrabere fama,
Artem curauit SCHENCKIVS & Medicum.

Aliud eiuſdem.

Hactenus in multis cauſarum inſcitia morbis
Artes traduxit, heu miſeræ, medicas:
SCHENCKIVS *ad reliquas addit miracula cauſas,*
Artem perficiens, artis & artifices.

AD LECTOREM

De Obſeruationibus Medicinalibus Dn. Doctoris JOAN. SCHENCKII *Epigramma* JOACHIMI ROSALECHII, *à Nouotreptouio Pomeraniæ.*

Admirabilibus frequenter atque
Horrendum facientibus ſtuporem
Humanum vitiis maliſq; corpus
Ex ortu miſere ſcatet ſiniſtro.
Vel ſi proſperior fauebat ortus,
Tunc ætate graues ſenex per artus,
Aut pulcra iuuenis puerve molli
Signis ſub cute ſordidis, onuſque
Et miracula dantibus grauatus,
Quin & corporis intimus latensque
Crebros angulus accipit dolores:
Et quid non ſolitum dolensque carni,
Inuitis, dubieque, geſtat intus:
Quod premens ſemel, egerensque tandem,
Contemplantia cum ſtupore magno

In ſo

In ſe lumina detinet videntum.
Et ſic omnia ſæpe tam moleſtæ
Sunt obnoxia membra paſſioni:
Sic in parte ſui vel hac vel illa
Maiores cruciantur & minores:
Sic vitam miſeram potenter angunt
Sub triſti cruce duriora fata.
O quam vos ſuperi beant, amantque,
Qui ſaluo pede ſtatis, & valetis,
Nec tactu manuum leui gementes
Læſæ per loca carnis ambulatis;
Et qui vos poſita modoq; recto
Formatos geritis valente greſſu.
Sed quid triſtius his in orbe viuit,
Qui nunquam ſimiles, paresve raro
Lætis aſpiciunt dies diebus:
Quorum ponderibus malisq; corpus
Inſuetis premitur, peritq; ſenſim.
Hæc noſtræ mala carnis & dolores
Deſcripſit ſapienter, ediditq;
Laus chariſſima, SCHENCKIVS, virorum
Phœbeæ decus atq; Doctor artis,
Morborum Medicina languidorum.
Non ſic Hippocrates acutus olim
Subtiliſq; Galenus hæc dediſſet.
Quid? non ipſe dediſſet hæc Apollo.
Ergo cum, ſtudioſe Lector, iſtos
Per libros oculi tui recurrent,
Miras hiſtorias, grauesq; morbos,
Antiquos ſimul, & ſimul recentes,
A multis quoq; liberationem
Morbis inuenies & annotabis:
Et mox incipies libenter eſſe
Ad præconia SCHENCKII paratus:
Qui poſt experientiam ſagacem,
Poſt multos ſtudij ſui labores,
Poſt fructus alios tibi paratos,
His prodeſſe tibi, ſcientiæq;
Inſeruire tuæ libris volebat.

AD SCHENCKIVM MEDICVM IOhannes Brectius Sandeodatenſis, Lotharingus.

INgenio poteras ſuperas volitare per arces,
Inuida turba ad humum te niſi deprimeret,
Magnanimo fortiq; viro eſt audacter eundum
Contra, virtutis nam comes inuidia eſt.

TOMVS SECVNDVS.

IN OBSERVATIONES MEDICAS EXCELlentiſsimi D. IOANNIS SCHENCKI *à Grafenberg, &c.*

OMniparens vis illa DEI, Natura creatrix
Quanquam operũ mira nos maieſtate ſuorum
Attonitos paſſim tenet, ac ſuſpendit hiantes:
Non tamen illa oculis, quanta eſt, occurrere noſtris
Dignatur; neq; de facie manifeſta videri:
Sed caput auguſtum ſumma vltra nubila condens,
A tergo ex longis vix cernitur interuallis.
Hinc rerum tacitas conantem euoluere cauſas
Oppoſitæ prohibent nebulæ: ratioq; laborat
Deficiens: ancepsq; ſui ſubſiſtit & hæret,
Solis vt ad clarum caligans noctua lumen.
Pauca ex innumeris ideo, quæ corpore mundi
Toto fuſa ſuis Natura receſſibus abdit,
Eſt homini nouiſſe datum: Neq; pauca profecto
Illa eadem, nî longa dies, rerumq; Magiſtra
Inuentrix aliquam ferat experientia lucem.
Teſtis erit, dominæ quæ per veſtigia tantæ
Ingreditur, luſtrans terras, maria, aëra, cœlum.
Morborum domitrix Medicina, parensq; ſalutis
Namq; ſagax animi quamuis indagine multa
Inſiſtatq;, aditusq; omnes ratione peteret:
Succeſſu tamen illa carens, pede debilis vno
Claudicat, argutæ niſi quæ rationis acumen
Repperit, euentis eadem firmentur & vſu.
Talib. auſpicijs equidem ſata, talib. olim
Creuit, & hoc æui Phœbæa ſcientia creſcit,
Auſa etiam (ſi fata manent tam mitia terras)
Forte vel ad ſummum mox aſpirare vigorem.
Nam quacunq; ſui ſpectetur parte, videbis
Hanc magè florentẽ, magè ſucco & ſanguine plenã,
Quam mundo rudiore fuit. Sollertia tanti eſt
Publica, & artificum ſeris pater vſus ab annis
Proueniens: adeo exemplis cumulata priorum
Poſtera quæq; dies à præcedente docetur.
En admirandam, magni mundi inſtar habentem,
Corporis humani fabricam: quibus vndiq; picta
Quotve reſecta modis, tenuem clareſcit ad vnguem
Illa hodie, veterum nulli tam cognita auorum
Quid rerum ſyluam medicatum inſignibus auctam
Inuentis, noſtri quid dona recentia ſêcli,
Et defæcatas operoſi afflatibus ignis
Naſcentum, validasq; rudi ſine corpore, vires
Enumerem? quid morborum noua mõſtra nouasq;
Et cauſſas, & ſigna loquar, curamq; medendi?
Hac equidem ſparſim Medicorũ interlita chartis,
Sed latè diſiecta, ſibiq; hærentia nuſquam,
Tum nec prompta ſatis, nec cuiuis obuia lectu,
Hac latuêre tenus; neq; non fors deînde laterent,
In commune malum, defraudandamq. ſalutem
Multorum, ſineres, Phœbo gratiſſime SCHENKI,
SCHENKI, militiæ dux nobilis Hippocrateæ.
Magnum opus hoc ſed n. longi, ingratiq; laboris,
Optatum à multis, tentatum à nemine, tandem
Auſus es: audenti Muſæ, & medicator Apollo
Porrexêre manum, & fauerunt pollice vtroq;.
At tibi quas grates meritas, quid ſoluet honorum
Æſclapij venerande nepos, pro talibus auſis
Candida poſteritas Coi ſenis? vnde rependet
Hunc animum, hos tanta ſuſceptos mole labores?
Næ tu morbifugam, vaſtum mare, Pæonis artem,
Heu longam nimium anguſtis tam finibus æui,
Non paulo breuiore via das deînde ſequendam,
In lucem, mediumq; ferens aliena, tuoq;
Marte notata tibi, noua & antiqua, optima quæq;.
Quod ſi propoſita eſt ſeruanti laurea ciuem
Vnum aliquẽ: quę digna ſatis tibi laurus obumbret
Tempora ſeruanti tam millia multa per orbem
Conſultis ſacrę, monitisq; ſalubribus artis?
Macte animo, macte ingenio, felixq; laborum,
Quos colet & præſens ætas, & laude perenni
Ritè coronatos cœlo ventura ſacrabit.

Philippus Menzelius Med. D. & Profeſſor Ingolſtadienſis f.

IN OBSERVATIONES MEDICAS JOANNIS SCHENKI, Viri Clariſs. Epigramma Joan. Poſthij M.D.

A Capite exorſus varios deſcribere morbos
SCHENCKIVS, *inſignem texuit hiſtoriam.*

Plurima

Plurimaq; admiranda refert exempla, legenti
Iucunda, ægrotis vtilia ac Medicis.
Qui ſe multa viro debere fatentur & optant
Longæui ſuperet Neſtoris ille dies:
Poſſit ad optatum reliqua vt perducere finem
Nominis æternumq; inde referre decus.

JOANNES JACOBVS BEVRERVS Græcarum literarum & Hiſtoriæ in Archiducali Gymnaſio Friburgenſi Profeſſor Publicus.

AD CLARISS. V. D. IO. SCHENCKIVM *Medicum.*

HIppocratem fama eſt, medicam dum quæreret artem
Argutis primum cuncta notaſſe oculis:
Tunc quidquid ſenſu verum perceperat acri
Scripſiſſe exiguis protinus in tabulis.
Quæ poſt in multis ſuſpenſa anthemata fanis,
Authorem Diuis æquiparaſſe ferunt.
Non tu artem quæris, SCHENCKI, myſteria quæris
Artis adhuc medicos quæ latuêre viros.
Et nunc ipſe tuas doctas ſuſpende tabellas
Nec dubita quin ſis iam nouus Hippocrates.

SEBASTIANVS MAYRO, LANDſperganus, Boius, Medicinæ Candidatus.

QVæ poſt Argiuos, Arabasq; notamine longo
Deprenſa eſt medicæ portio magna rei,
Hiſtoriis ſeptem, digeſtis ordine libris,
Doctrina præſtans SCHENCKIVS *expoſuit.*
Doctorum Herculeo tot voluit ſcripta labore,
Quot rutilo cœlo lumina clara micant.
Miſſaq; ſunt etiam varijs a partibus orbis,
In medica ſummis arte notata viris.
Augmentatorem medicinæ agnoſcite diæ.
Vrbes, & populi, magnanimiq; duces.
Quiq; artis refugit ſpatioſa parte carere,
Hoc ſibi feſtinans ære parabit opus.

LIBRI TERTII

SECTIO PRIOR.

AD IOAN. SCHENCKIVM à GRAfenberg
Virum Clariß.
Medicum abſolutum

Martinus Holtzapfel M. D.

ARtis iam ſtabilita ſunt Medendi
Fundamenta, ſatisq; firma conſtant:
Nec longis opus eſt docere libris
Præcepta, & veterum explicare ſenſa:
Solus perpetuuſq; reſtat *vſus*
Qui *exemplis* locupletet augeatque,
Ad ſummum quo ad ipſa ducta culmen
Omni floreat abſoluta puncto.
Iſthuc non alia via venitur
Quam ſi Pœonis optimi coloni
Sumant hunc ſedulo ſibi laborem
Vt, quæ, dum Medicam ſequuntur artem
OBSERVANT noua, rara, digna ſcitu,
Promant, in mediam afferantq; lucem.
Nam, quæ Artis methodum ratasq; leges
OBSERVATIO prima fabricauit,
Incrementaq; dans amœniora
In tantum vegetauit vſq; florem:
Imponens eadem manum ſupremam
Summo perficiet gradu locatam.
OBSERVATIO ſola notionem
Naturę dabit abſolutiorem:
Occultas reſerabit vna cauſas:
Mirandasq; docebit vna curas.
Hæc morbos reſecabit vna multos,
Et vitas reparabit vna plureis.
Ergo macte tuo labore SCHENCKI
Immenſo, eximio, optimo labore:
Quo famam tibi comparas perennem:
DONANS ipſe tibi tuæq; proli
Nomen, poſteritas quod inuidebit
Nulla, & quod celebrabit omnis ætas.
Et DONANS Medicæ roſas palæſtræ,
Quas dum ſedulus ambulas per hortos
Autorum veterum recentiumq;,
Dumq; vſum medicæ artis ipſe tractas,
Felici calamo & fauente Phœbo
Collectas calatho recondis vno:
DONATOR meritoq; nunc vocaris
SCHENCKI Pœoniæ decus Coronæ.

AD JOANNEM SCHENCKIVM MEdicum Clariſſimum, Jacobi Sutoris Reuerendiſſ. Paſſauienſis Epiſcopi Medici, Epigramma.

POeoniæ miro canones molimine SCHENCKI
Dum ſtabiles firmas, dum quatis inſtabiles:
Magnis dum ſummam locupletas auctibus artem,
Et facis obſcuram luce nitere magis,
Te melius nemo medica de gente meretur
Nec meruit: ſolum demſeris HIPPOCRATEM.

AD CL. V. DN. IOANNEM SCHENCKIum Medicum.

QVid non longa dies, labor, & mutabilis æui
Multorum ſolers induſtria perficit, atque
Retulit in melius? vel caſtigauit ad vnguem
Exactum? Fuerit ſenis hæc ſapientia Coi
Poſt Diuos, SCHENCKI, quod primus rite notârit
Prima rudimenta, & quod duxerit ille colores
Artis Apollineæ Primas: nec adorea laudis
Parua manet reliquos longo certe ordine patres;
Vel qui iacta probe, & multo collecta labore
Semina, & exiguos medicinæ nobilis hortos
Gnauiter, & docte ſenſim excoluere per artem:
Vel qui ſenſa viri nimium retruſa potenter
Subnixi ingeniis in apertum cuncta tulêre.
Quis te nunc tacitum, quis docte Galene relinquat?
Quo ſe poſt Coum magno Medicina parente
Iactat, opesq; ſuas in te vnum contulit omnes.
Longius atqui hominũ progreſſa induſtria tandem
Inuentis veterum, quædam ſuper addere, quædam
Illibata prius dias in luminis auras
Edere nil verita eſt, nec famæ ceſſit auitæ.
Si tamen hæc vllo fuerint certamina ſeclo;
Ingenij quæ luxuries, atq; æmula virtus
Accendit; noſtro hæc, & maxima ſæpe fuerunt
Tempore; iamq; alios alio decurrere campo
Vidimus, ad palmæ recta contendere honores,
Qui tractant medicas, traduntq; fideliter artes
Acriter hoc iniêre viri certamen, & inde
Ingentes referunt titulos, & nomina clara
Materies laudis tamen eſt diuerſa; iuuatq;

Hunc

Hunc veterum doctos iterum illuſtrare labores:
Hic diſiecta artis miſeri ceu fruſtula Penthei:
Aut diſperſa velut prægrandis membra Coloſſi
Iungere,& effigiem meditatur condere veram.
Aſt alij humanum corpus de vertice ad imos
Excuſſere pedes, Momo acrius omnia cenſent:
Sunt quos plantarum miranda potentia ducit:
Sunt qui rimantur penitus quoq; viſcera terræ.
Afflictis alij ſed opem; ſed pharmaca quærunt
Membris & medicas adhibent ad vulnera palmas.
Omnia præclare. Quis enim negat?& tamen omniâ
Sunt vulgata. Tibi, longe Clariſſime SCHENCKI,
Multo alias partes Hygiene credidit alma:
Ex adytis artis tibi quæ miſteria pandit:
Rebus vt afflictis quando ars,& pharmaca fallunt,
Et iam depoſiti planguntur ab omnibus ægri,
Ipſe nouus myſtes hæc tanta oracula promas:
Exemplisq; fidem facias, & ſingula firmes,
Quæcunq; in paruo noſti miracula mundo.
Vt quiſquis medicas poſt hæc tractauerit arteis
Acrius in cauſas animum, mentemq́; ſagacem
Intendat miſerum neve hæc incognita fallant,
Hæc non Diua tibi;nec tu tibi commoda ſoli
Propria duxiſti: ſed opus tam nobile;cunctis
Vtile, qui dias venerantur Apollinis artes,
Candidus in medium profers: nihil ingenijq́;
Et nil artis egens:numero perfectius omni.

Sic IOVA cunctipotens faciles ante omnia canos:
Quod reliquum placide (longum ſit) degere vitæ:
Tum quæ prima tuis ſunt, Vir Clariſſime,votis:
Concedat, Muſæ celebrem ſuper æthera famam
Dum ſuperas, tollant: nec poſt pia fata remittant.

Ioan. Iacobus Beurer in Archiducali Academia Friburgenſi Briſgo. Græcarum literarum & Hiſtoriarum Profeſſor.

LIBRI TERTII

SECTIO POSTERIOR.

SEBASTIANVS MAYRO LANSPERGIUS, Med. Doct. totius Aſclepiadeæ gentis nomine.

INclyte,quæ ſeptem ſcripſiſſe volumina SCHENCKI
Diceris ſemper,dum feret aſtra polus;
His viſas nunquam ſtructuras corporis ante
Et legimus morbos, interituſq; nouos.
Morborum legimus non vnquam exordia nota,
Occultas legimus patribus antidotos.
Euentuſq; nouos,non obuia ſigna vetuſtis,
Et miranda canis,monſtra ſtupenda refers.
Talia,quæ tecum penetrarunt mente ſagaci
Diſperſim toto Pæonii orbe viri,
Contrahis,& corpus dextre componis in vnum,
Primus,& ante omnes perficis iſtud opus.
Quis memoret tanta victos in mole labores?
In medica nullus te fugit arte liber.
Vix dedit in lucem quiſquam monumenta,paratis
Mercaris nummis,protinus atq; teris.
Nos tibi Phœbicolæ nimium debere fatemur,
Pro meritis,ſumtu,proq́; labore graui.
Auxiſti methodum,non vili parte medendi,
Dum noua cum priſcis ardua crebra iugas.
Nulla dies vnquam monumenta hæc eximet æuo,
Æternabuntur gloria opusq; tuum.

EIVSDEM.

Lemma Obſeruationum omnium.

HÆc noua:cum cauſis morbos,medicamina, formas,
SCHENCKIVS *euentus,ſignaq; in arte locat.*

TOMVS QVARTVS.

Atlantici Galli Pegaſus

AD DOCTISSIMI HVIVS SCHENCKIANI Operis Lectores.

VT nocturna quies reddat quæ vota diurni
Voluerunt ſenſus,experto credite,dicam;
Morborum facies, herbarum nomina mille
Perdidicit, ſummam euaſit ſapientiæ ad arcem,
Mortales veniens curas extendit in æuum,
Promeruit gratos per dædala ſcripta nepotes,
Contraxit diſtracta,recluſit clauſa, retexit
Tecta,noua & rara & mira & monſtroſa medenti
Exhibuit ſectæ, Briſgauum SCHENCKIVS axem
Sortitus,quo ſe toti communicet orbi.
Huic nonnulla viro poſcenti carmina, crebris
Ingenij lita luminibus donare volebam
Nec reſpondebat conatus:idonea deêrant
Verba rei;haud deerat verbis res ipſa perinde,
Quærebam,inſtabam,vrgebamq́;, dieq́; peribam
Continuo miſer:oppreſſit nox denique: ſomno
Declinaui oculos: ad partes ſpectra venire
Cœperunt, mentemq́; etiam turbare quietam.
Ales equus, Graium celebratus Pegaſus ore
Propter ſtrata mei eſt viſus conſiſtere lecti.
Acceptum refero quod ſit conſiſtere viſus
Docte Maro tibi,Pegaſeas tu dirigis alas.
Ænean maior nam te quis nuncius ornat?
Inuenta eſt via(quærenda eſt,ne dixeris vltra)
Qua te tollis humo(non,qua te tollere poſſis)
Iamque virum volitas(potes haud volitare)per ora.
Argutum commendat equos caput,iſte vigebat
Arguto capite,atq; omnino epigrammatis artem
Signabat,cuius peperit Verona Catullum
Artificem,Romam tellus ac miſit Ibera
Scriptorem. Neruis contenta atq; ardua ceruix
Plectra pati dignabatur, lyriciſq; poëtis
Inſertum,atq; adeo ferientem ſidera Flaccum.
Quæ duplex agitur per lumbos ſpina Tibullo
Seſſori patebat, amatoriq; Corinnæ,
Et cui de nihilo conſueuit maxima naſci
Hiſtoria. Ad veram, qui nos adhibes rationem
Cor ſapiens laudis thyrſo percuſſe Lucreti,
Luxuriare toris animoſum pectus honeſto
Lætabaris equo. Breuem amabat Perſius aluum
Tota minus Marſi vt memoretur Amazonis, vnus
Quam Perſî liber, effecit largitor acuti
Ingenij venter. Iuuenalem adiungere cogor
Pegaſea ſaturatum aluo, grauiterq; rogantem
Semper ego auditor tantum? Calcaria nulla
Ardebat,Senecæ eſt iuſſu glomerareq; iuſſus.
Non aliter Diuum regina ſororq; Tonantis
Incedit: Plautus ſed enim propiora pedeſtri
Sermoni meditans, Lectisq; Terentius Afer
I lignis pedibus faciens in ſole, repreſſo
Inceſſus faſtu, captabant PLAVDITE ſimplex
Pro ſubigi terram pedibus, plaudiq́; iubebant
In denſos humeris Muſas producere cœtus
Inferni & raptoris equos ſub luminis auras
Edere quidam auſus, numero claudi abnegat apto
Gorgonei comębatur iuba denſa caballi

Huic

Huic agili dextra. Caudam mulcebat, agreſti
Iucundos calamo ducens Calpurnius annos
Et ſocium à Nemeſi claroq; vocabat Olympo.
Deluſo tot imaginibus ſpumantia frena
Mandari, tradi, credi mihi maximo amore
Maiore ac ſtudio properabam. Heu liber habenis
Frenorumq; exors medium aërea & æthera ſummũ
Tranarat, paribuſq; alis ſuperauerat ales.
Spectra fugam dederant, triſtis manſi, artubus ægris
Defluxit ſomnus, breuis atq; ignauia vitæ.
Quando autem Vatum pleno bona copia cornu
Me ditare inopem verborum debuit, atq;
Ditauit nihilo magis: exantlaſſe legendo
Herculeos quoniam videor ſine fruge labores:
Conſtitui excuſum ſpiranti molliter ære.
Pegaſum ei libro vobis quem SCHENCKIVS offert
Quartum, Lectores, præponere (fuerit auctor)
Emptores libri bella inuitabit imago.
Rideris. Valeant æris ludibria ſculpti;
Carmina præfigam minime mala. Rurſus apertum
Soluimini in riſum, male nec cenſetis, inepta
Præfigam; mala præfigam, cenſetis inepte;
Sum minime malus. Expreſſit ſtudioſa voluntas
Carmina ab indocto. Noſcatur SCHENCKIVS ex ſe;
Non ex me noſcatur. Erant præconia ſcripto
SCHENCKII, adhuc clamet liuor, facienda, refellam.
Vendibili ſcripto fruſtra præconia fiunt.

GANNIENS MVLCES ME.
CLEMENS MAGINVS PER A-
nagramma.

Τοῦ αὐτοῦ πρὸς τὸν πολυΐστορα καὶ πολύπειρον
ΣΧΕΓΚΙΟΝ.

Τὰς βίβλους τὰς σεῖο κειτῶν ἐν γούνασι κεῖσθαι
Λαμπρὸν ἀκεστορίης ΣΧΕΓΚΙΕ ἴσι φάος,
Καὶ πῶς οὐ δέδιας φοβερῆς ψήφοιο κέραυνον,
Ευθέμενος ψυχὴν πτώματι Ιππολύτου;
Ἔξαριος δ' ἔσσαι ὅτι Ἱππόλυτόν σύ ποτ' ἔγιως.
Σκιδνάμεν ἰητρῶν πεῖραι, ὁ Ἱππόλυτος.
ΤΕΤΛΑΘΙ ΔΗ ΚΡΑΔΙΗ.

TOMVS QVINTVS.

IN
ERVDITISSIMI ATQVE EXPERI-
entiſſimi Viri D. Joannis Schenckij à Grafenberg
Obſeruationes Medicas tetraſtichon
*FRIDERICI MARTINI, VTRIVSQVE IV-
ris Doctoris, & apud Friburgum Briſgoiæ ordinarij
Canonum Profeſſoris.*

*Hippocrates queritur longam artem, ſed breue tempus,
Iudicium facile haud, anceps ſimul experimentum;
Schenckius aſt artem paruam, longam bene vitam.
Iudicium facile, & tutum facit experimentum.*

AD EVNDEM DOMINVM SIBI
ſumme Obſeruandum
Ode
*M. Bernardi Meſmilleri, Poeſeos pro tempore Profeſſoris
in Archiducali Academia Friburg. & I. V.
Candid.*

Quiſquis Apollineæ ſtudioſus es artis & arte
Deſideras qui practicam:
Huc age: plantarum vires, vſumq; medendi
Docent volumina SCHENCKI.
Non pluresalij ſuper iſdem plurima rebus
Scripsêre tanta induſtria.
Scripſerunt; ſed ſunt confuſe tradita quæq;
Sic implicata ambagibus;
Vt ſit opus fidis Ariadnæ ductibus, illis
Exire tricis qui velit.
Longe alia ratione ſuper fama æthera notus,
Sua SCHENCKIVS tractat, docet.
Abdita Naturæ ſcrutatur iura ſagacis,
Noua, Rara, Monſtroſa explicat;
Rara Rara fide, mira Noua ſedulitate,
Omnia modo admirabili.
Arte Dioſcorides quod Graijs, quodq; Machaon,
Podalirius vel quod fuit;
Hoc, quâ terra patet vaſto circumſona ponto,
Eſt SCHENCKIVS modo omnibus.
Nî terram terræ peteret Mors, ſtamina Parcæ
Nunquam ſecarent SCHENCKIO:
Tanta viri pietas, virtus, ars tanta medendi
Parcis reſiſterent feris.

TOMVS SEXTVS.

IN OBSERVATIONES MEDICAS V.
CL. D. Joannis Schenckij à Grafenberg, Medi-
ci experientiſſimi.

*Dum morbos varios obſeruas, atq; medelas
Aſſimilas morbis cum ratione bona;
Tot medicis ſummis per tempora longa probatas:
Et priſcis aptas ſic noua, priſca nouis:
Quis bene de genere humano neget vſq; mereri
Te SCHENCKI, Medici lumen honoſq; chori?
Fida in agiſtra manus medicæ, Experientia: nempe
Hæc artem pariter fecit, & artificem;
Exemplo varios iter huic monſtrante per vſus.
Artem vſus, vſum ſed iuuat ipſa manus.
Tu quodcunq; ſagax tentando repperit vſus,
Sedulus hoc vno colligis omne libro:
Gratia magna tuo debetur, lausq; labori
SCHENCKI: perpetuum te manet inde decus.*
Nicolaus Reuſnerus V. I. D.

LIBRI OBSERVATIONVM
CLARISSIMI ET EXCELLENTIS-
ſimi D. D. Joannis Schenckij à Gra-
fenberg.

AD LECTOREM.

Cur dederit nobis clarũ OBSERVATIO, nomen,
Si quæris Lector, vitæ ſtudioſe ſalubris:
Nonne obſeruantur nulli vel cognita paucis?
Mole, vſu, ſpecie præſtantia quæq; notantur?
Talia noſtra leges, noua, rara, inſignia cuncta,
Delecta ex omni numero, compoſita labore
Ingenti: his creſcit Phœbæa ſcientia, & inde
OBSERVATORVM ferimus per ſecula nomen
Semper enim hoc nomen ſemperq; hæc ſcripta ma-
nebunt.
*Sebaſtianus Mayro, Lanſpergius, Boius, Medi-
cinæ D. ſcribebat.*

IN OBSERVATIONES EIVSDEM
CL. V. D. D. Joan. Schenckij Medici.

*Nullius eſt artis tam firma ſcientia doctæ,
Quin habeat gryphos ardua difficiles:
Grammatici laus eſt, quædam neſcire fateri
Iudicio exacto Quintiliane tuo.
Inſtituit lites, verboſa negotia Rhetor,
Et coniectura dirigit artis opus.
Effodit humanas ſed Demonſtratio mentes*

AD LECTOREM EPIGRAMMATA.

Heu mihi quam fruſtra ſæpe petita fuit:
At cubos, & cyclo quadrata figura rotundo
Dura Mathematicis Quæſtio ſæpe venit.
In Phyſicis quid non potius miramur? at inde
Qui cauſas poßit reddere nullus erit.
Sunt etiam Medicis problemata dira: Podagra,
Quartana, & Peſtis, cumq; Elephantiaſis.
Hos quia tu nodos, ſimileſq; reſoluere tentas,
Et Medici cedunt, & medicina tibi.

Joan. Jac. Beurerus Græcarum Liter. & Hiſt. in Archiduc. Acad. Friburg. Briſg. Profeſſor.

JACHIMI ROSALECHII, POESEOS in Academia Friburgenſi Profeſſoris, ad Dn. JOAN. SCHENCKIVM, De Obſeruationibus medicinalibus, Epigramma.

SCHENCKI, morborum læſæq; medela ſalutis,
In cuius quæuis eſt medicina manu:
Quæ tibi fama deeſt, tua laus vt Sidera nondum
Tangat, & ad ſtellas hinc properanter eat?
Nulla deeſt: ſed habet plenas tua gloria laudes:
De quibus hæc iuſſus nuncia dico tibi:
Cuncta tuæ mittunt famæ ſimul aſtra ſalutem:
Quæ, quod ament ipſam, teq; ſalute probant.
Teq; volunt autore nouam ſibi iungere lucem:
Illa tuum poſthac lux noua nomen erit.
Mitte tuas ſurſum, cingendas ſidere, laudes:
Sublimeſq; nouis ſedibus eſſe ſine.
Poſthac Aſtrologus dubitantia lumina figet
In ſtellam, quam non viderit ante, nouam.
Cumq; leget tandem, quæ ſunt inſcripta, videbit,
Aſtrorum partem nomen habere tuum.
Hoc tua magna tibi dedit ars, & dextera felix,
Quæ morbos facili pellere ſueuit ope.
Quos vt tu ſanas, ita nunc deſcribis & illos:
Iamq; fere totus perlegit orbis eos.

TOMVS SEPTIMVS ET VLTIMVS.

AD CLARIS. EXCELLENTISSIMVMque V. Dn. D. Joan. Schenckium à Grafenberg, Med. καὶ ἀσκληπιαδῶν πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, ἔπος.

AMphitryoniades, monſtrorum maximus ille
Victor; qui totum late ſubiecerat orbem:
Is licet extremis defunctus rite periclis;
Non tamen ille prius Iunonis leniit iram:
Quam tetras Erebi domitor penetraret ad vmbras,
Atq; ipſum Ditis cuſtodem è faucibus Orci
Cerberon extraheret, vinclis premeretq; tremendis:
Sic SCHENCKI longe, longe Clariſſime SCHENCKI
Corporei mundi latebras, imosq; receſſus,
Artus, articulos, venas, fibrasq; per omnes
Rimatus; ſpecies morborum mille notaſti;
Portenta, & peſtes diras, miracula, cauſas,
Omnia quæ Medicos æui latuere prioris.
Et iam tempus erat, tabula de tollere doctam
Et cohibere manum: teneras cum vellicat aures
Sancta HYGIEA tuas: ſupereſt tibi Cerberus ille
Vitæ principium, qui cor vorat ocyus omne,
Lethifer, & miſeros ſubito demittit ad orcum.
Cerbereas offas dicetis rite venena.
Hunc ait in dias age protrahe luminis auras
Protinus, atq; veneficij vires, validasq; reſolue
Antidotos, celeris medicamina plurima fati.
Nec plura, at noſter monitus ſuperauit & arte
Et genio, ingenioq; valens Aſclepi maxima proles
Septeno numero, ſepteno deniq; Libro
Sæua venena refert, & Circes pocula ſcribit,
Lurida terribiles miſcent quæ aconita nouercæ,
Qualia Timochares, Medicorum dedecus, auſus
Auſonijs offerre viris, herois ſtamina vitæ
Exigui cupiens abrumpere fraude veneni.
Pellæus Iuuenis, cui non ſatis vnicus orbis
Extinctus iacet (heu) guttis Nonacridis atris.
Hæc ſibi præſcripſit ſepteni pagina Libri
Nec docet, vt noceas, cauſasq; viasq; ſalutis
Monſtrat; habetq; penu iam diuite cuncta repoſta
Ædes ergo velut tandem faſtigia ſumma
Perfectas ornant reliquis magis omnibus aurea:
Sic liber hic eſt dignus apex: eſt mira Coronis
Magni operis, quod nulla poteſt abolere vetuſtas,
Inuidia maius: ſed & ære perennius, atq;
Cedro charta nitet. Venerando fauſta precemur
Grati Aſclepiadæ, longæui Neſtoris annos.

Joannes Jacobus Beurerus, in Archiducali Academia Friburgenſi Briſgo. Græcarum Literarum & Hiſtoriæ Profeſſor, φιλίατρος Domino & amico ſingulari, bene meritoq; lubens merito, &c. Anno 1597. menſe Aug.

Τοῦ αὐτοῦ

Εἰς τὸν ἕβδομον τόμον, τὸν περὶ δηλητηρίων ἐπίγραμμα,

ΣΧΕΝΧΙ ἀλεξικάκων ὑποφῆτα φέριστε ἐφετμῶν
ἡρακλῆς νούσων μῶν σὺ ἔφυσθα νέος:
οὐ μήν: ἰοβόλων δ' ὅς δηλητήρια θηλοῖς
Ἀνθ' ἡρακλῆος ζηνὸς ἔχῃς ὄνομα.

Eodem interprete.

Interpres, SCHENCKI, medicinæ ſumme ſalubris
Morborum Alcides an nouus ipſe cluis?
Non; ſed qui referas, & tollis toxica ſæua
Tu non Alcidæ; ſed Iouis omen habes.

Beureri F. reddente.

SCHENCKI poteſtates herbarum edocte medendo
Alter es in morbis tu Amphitryoniades?
Non: quia vitam, animamq; cies, adimiſq; veneno
Tu pro Tyrinthij nomine, ζηνὸς habes.

IN TOMVM SEPTIMVM, QVI EST de Venenis, CL. Experientiſſimiq; V. Dn. D. JOAN. SCHENCKII, Med. celeberrimi, & ob paternam amicitiam mihi omni officio colendiſſ. ſenis venerandi;

M. IOHANNIS IACOBI BEVRERI IVnioris, & L L. ſtudioſi. Epigramma.

TRux cadat Ichneumon, Lybicæ & Crocodilus arenæ:
In caſſum radido mox hiet ore Canis:
Atq; Macedonium quod edit ferrum, chalybemq;
Anguis, & Hippomanis virus, & Aſpis atrox:
Vipereaq; animæ, quas Colchis, & ardua Memphis
Et Lybia, & tetro flamine Pontus alit.
Cuncta vacent Nam Pæonia clariſſimus arte
SCHENCKIVS hoc libro cuncta venena fugat.
Adfixa vt venis, animos ne in vulnere ponant,
Morſibus illæſis Scorpio dire fremas.
Ille Machaonia veteres informat ocellos:
Ille dat Aſclepi tot noua ſcripta Choro
Dum noua nimirum; conditq; volumina priſca
Hunc noua, cum lauru, palmaq; cana decet.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS
AVCTORVM
EX QVORVM SCRIPTIS PVBLICATIS VEL ANECDOTIS VNIVERSVM HOC OPVS congeſtum eſt.

MEDICI

GRÆCI.

Hippocrates Cous
Diocles
Ariſtoteles
Theophraſtus
Dioſcorides
Archigenes
Apollonius
Aretæus Cappadox
Ruffus
Cleopatra
Priſcianus
Cl. Galenus
Oribaſius
Trallianus
Aetius
P. Aegyneta
Philoteus
Actuarius
Nic. Myrepſus
Κοιρανίδων auctor.

LATINI VETT.

Celſus ſiue Hippocrates Latinus
Scribonius Largus
Cœlius Aurelianus ſiue Soranus latinus.
Marcellus
Plinius.

HEBRÆI & ARABES.

Aſis
Meſues
Alſabarauius, qui eſt
Albucaſes
Auenzoar
Serapio
Auicenna
Hali abbas
Hali Rhodoham
Medici Indi
Rabbi Moiſes.

LATINO-BARBARI.

Ant. Guainerus
Arnold. Villanouanus
Bauerius de Baueriis
Bern. Gordonius
Brunus Longoburgenſis
Gentilis de Fulgineo
Gerardus de Solo
Gilbertus Anglicus
Guliel. Placentinus
Guido Cauliacus
Hugo Senenſis
Iacobus Carpus
Iacobus Forliuienſis
Iacobus de partibus
Ioannes Anglicus
Ioannes Arculanus
Io. Franc. Pedemontanus
Ioannes Hundt
Io. Mich. Sauanarola
Ioan. de Tornamira
Ioan. Platearius
Ioannes de Vigo
Lanfrancus Mediolanenſis
Marcus Gattinaria
Marſilius Patanus
Marſilius de S. Sophia
Martinus Stainpeiß
Mathæus de Gradi
Nicolaus Nicolus Flor.
Paulus Bagelardus
Petrus Aponenſis, Conciliator.
Petrus Bayrus
Rolandus Capellutus
Santes de Ardoynis
Theodoricus Ceruiſienſis
Thomas Forſterius
Valeſcus Tarantinus.

LATINI RECENTIORES elegantes & docti.

Abraham è porta Leonis.
Achilles Pirm. Gaſſerus
Adamus Lonicerus
Adolphus Occo
Adrianus Alemanus
Adrianus Iunius
Ægydius de Hertoghe
Albertinus Bottonus
Alexander Achillinus
Alexander Benedictus
Alexander Camerarius
Alexander Maſſarias
Alex. Trai. Petronius
Alexius Pedemontanus
Alfonſus Mareſcottus
Alfonſus Ferrerius
Aloyſius Mundella
Aluarus Nonnius
Amatus Luſitanus
Ambroſius Pareus
Andreas Baccius
Andreas Cœſalpinus
Andreas Gallus
Andreas à Cruce
Andreas à Lacuna
Andreas Laurentius
Andreas Ruinella
Andreas Veſalius
Antonius Beniuenius
Antonius Chalmeteus
Antonius Fumanellus
Anton. Ludou. Olyſipon.
Ant. Maria Bettus
Antonius Mizaldus
Ant. Muſa Braſauola
Antonius Portus Firm.
Antonius Schnebergerus
Antonius Valetius
Anutius Fœſius
Apollonius Menabenus
Balduinus Ronſeius
Balthaſar Conradinus
Balthaſar Piſanellus
Barcimonenſes Medici.
Bartholomæus Euſtachius
Bartholomæus Maranta
Baſtianus Landus.
Baſilius Valentinus
Benedictus Victorius
Bern. Tileſius Conſ.
Bern. Deſſ. Croneburgius
Bernardinus Tomitanus
Brudus Luſitaus

Bruno Seidelius
Carolus Cluſius
Carolus Stephanus
Cæſar Odonus
Chriſtephorus Burgenſis
Chriſt. à Coſta
Chriſt.Encelius
Chriſtophorus à Vega
Claudius Giardinus
Claudius Richardus
Comes Montanus
Conradus Geſnerus
Conſtantius Varolius
Cornelius Gemma
Cyriacus Lucius
Deſiderius Iacotius
Dominicus Lampronius
Dominicus Leonus
Donatus Ant. ab Altomari
Eucharius Rhodion
Felix Platerus
Ferdinandus Mena
Ferdinandus Ponzettus.
Franciſcus Alexander Verc.
Franciſcus Arcæus
Franciſcus Michinus
Franciſcus Rota
Franciſcus du Port
Franciſcus Puteus
Franciſcus Rouſſetus
Franciſcus Rueus
Franciſcus Saguinerius
Franciſcus Valleriola
Franciſcus Valleſius
Franciſcus Vertunianus
Gabriel Cuneus
Gabriel Fallopius
Gaſpar Bauhinus
Gaſpar Hofmannus
Gaſpar Peucerus
Gaſpar Tagliacotius
Garzias ab horto
Gartias Lopius
Georgius Agricola
Georgius Bertinus
Georgius Graſeccius
Georgius Hamberger
Georgius Kufnerus
Georgius Melichius
Georgius Pictorius
Georgius Stabelius
Georgius Valla
Gerardus Bergenſis
Guliel. Adolphus Scribonius
Gulielmus Guacelbenus
Gulielmus Rondeletius
Hector Gibaltus
Helidæus Paduanus
Henricus à Bra
Henricus Ranzouius
Henricus Smetius
Hermolaus Barbarus
Hieremias Thrin. Brachelius
Hieremias Schuueickerus
Hieremias Accorombonus Eugubius

Hieronymus Capiuaccius
Hieronymus Cardanus
Hier. Fabricius Aquapendens
Hieronymus Fracaſtorius
Hieronymus Gabucinus.
Hieronymus Mercurialis
Hieronymus Montuus
Hieronymus Reuſnerus Leor.
Hieronymus Rubeus
Hieronymus Tragus
Horatius Augenius
Iacobus Aubertus
Iacobus Camenicenus
Iacobus Dalechampius
Iacobus Douynetus
Iac. Goborry ſiue Leo Suauius
Iacobus Greuinus
Iacobus Hollerius
Iacobus Horſtius
Iacobus Oliuarius
Iacobus Peruſinus
Iacobus Rueff
Iacobus Schegkius
Iacobus Syluius
Ianus Coruarius
Iaſon Pratenſis
Ioachimus Camerarius
Ioan. Albertus Vuimpinæus
Ioannes Alboſius
Io. Amm. Agricola
Ioannes Argenterius
Ioan.Bapt.Cadronichius.
Ioan. Bapt.Cardanus
Ioan.Bapt.Montanus
Ioan.Bapt. Porta
Ioan. Bapt. Theodoſius
Ioannes Bauhinus
Ioannes à Belfortis
Ioannes Bockelius
Ioannes le Bon
Ioannes Bruyerinus
Ioan. Caius Anglus
Ioannes Crato
Ioannes Dryander
Ioannes Euuichius
Ioannes Fernelius
Ioannes Ferrandus ſenior
Ioannes Fienus
Ioan. Guinth. Andernacus
Ioannes Gorræus
Ioannes Iac. Mannus
Ioan.Iac.Vueckerus
Ioannes Iuuenis.
Ioannes Handtſchius
Ioannes Heurnius
Ioannes Kentmannus
Ioannes Lalamantius
Ioannes Langius
Ioannes Liebautius
Ioan. Lonæus Boſsius
Ioannes Manardus
Ioannes Marquardus
Ioannes Moibanus
Ioannes Neſius
Ioannes Piſtorius

Ioan.Philip.Ingraſsias
Ioannes Riolanus
Ioannes Rungius
Ioannes Ruellius
Ioannns Sambucus
Ioannes Sporiſchius
Ioannes Stockerus
Ioannes Tagaultius
Ioannes Thalius
Ioannes Viſcerus
Ioannes Vernerus
Ioannes Vierus
Ioannes Vrſinus
Iodocus Lommius
Iodocus Vuillichius
Ioſephus Quercetanus
Ioſephus Struthius
Iulianus Palmaris
Iulius Alexandrinus
Iulius Cæſar Arantius
Iulius Cæſar Scaliger
Lambertus Tulutanus
Laurentius Ioubertus
Leo Roganus
Leo Suauius ſiue Iac.Goborry.
Leonardus Botallus
Leonardus Fuchſius
Leonardus Iacchinus
Leonardus Rauvvolf
Leonellus Fauentinus
Leon Vuolphardus Memminus.
Leuinus Lemnius
Lucillus Philalthæus
Ludouicus Bonaciolus
Ludouicus Duretus
Ludouicus Mercatus
Ludouicus Paſinus
Marcellus Donatus
Marcus Oddus
Marianus Sanbaralitanus
Marſilius Cognatus
Marſilius Ficinus
Marſilius Acakia
Martinus Rulandus, Pater
Martinus Rulandus, Filius
Martinus Vueinrichius
Mathias Cornax
Mathias Lobolius
Mauritius Cordæus
Melchior Guillandinus
Michael Ioan.Paſchalius
Micael Toxites
Nicolaus Frambeſarius
Nicolaus Maſſa
Nicolaus Monardes
Nicolaus Piſo
Nicolaus Taurellus
Nicolaus Rocheus
Omnibonus Ferrarius
Paſchalis Gallus
Paulus Cloſius
Petrus Andr. Mathiolus
Petrus Bellonius
Petrus Droetus
Petrus Foreſtus

Petrus

Petrus M. Pinus
Petrus Monauius
Petrus Paulus Pereda
Petrus Salius
Petrus Pœna
Petrus Sibyllenus
Petrus Toletus
Philippus Geringus
Philippus Schopfius
Proſper Alpinus
Realdus Columbus
Reinerus Solenander
Renatus Henerus
Renatus Tioneau
Rembertus Dodonæus
Robertus Conſtantinus
Robertus Feuinus
Rodericus à Fonſeca
Salomon Albertus
Sebaſtianus Roth
Serinus Göbelius
Simon Riquinus
Simon Prouancherius
Scholiographi Hollerij, quo nomine Iacotium & Chriſtophorum Burgenſem inaudio
Scholiographus libr. Galeni de locis affect. Lugduni in parua forma excuſi.
Schroterus
Speronus Speronius
Symphorianus Campegius
Stephanus Gourmelenus
Tertius Damianus Viſſenac.
Thaddæus Duxus
Thaddæus ab Hayck
Theodorus Zuingerus
Thomas Eraſtus
Thomas Iordanus
Thomas Moreſinus
Thomas Mouffetus
Thomas à Veiga
Valerius Cordus
Victor Trincauella
Vidus Vidius Senior
Vidus Vidius nepos
Volcherus Coiter

EX SEQVENTIBVS AVctoribus, linguis alienis ſcribentibus, ſi quæ exempla OPERI noſtro intulimus; vel noſtra vel filiorum vel amicorum aut amanuenſium opera in latinam tranſtulimus.

Angelus Bellicochus
Bartholomæus Carrichterus
Gaſpar Kogler
Georgius Bartiſchius
Iatreion Vvirtembergicum
Iacobus Horſtius, ſcholiaſtes Lemnianus.
Ioannes Hebenſtreit
Ioannes Vuirſungus
Leonardus Turnauſſerus
Michael Papa
Nicolaus de Metri
Petrus Paulus Magnus Placentinus
Philippus Schopfius
Simon Paulus
Theophraſtus Paracelſus paradoxus
Victorinus Schönfelder
Chartæ aliquot monſtrorum Venetiis, Tubingæ, Auguſtæ, alibi, ſeu in ære ſeu alias excuſorum

AVCTORES MIXTI.

Abbas Vrſpergenſis
Afranius
Agellius
Ælanus Copus
Ælianus
Ælius Lampridius
Albertus Crantzius
Albertus Magnus
Alcadinus Poeta
Alexander ab Alexandro
Aloyſius
Ambroſius Calepinus
Andreas Coruus
Andreas Dudithius
Andr. Petr. Peruſinus
Antigonus
Antonius in Chronico
Antonius Gaza
Antonius Muretus
Antonius Zimara
Appianus Alexandrinus
Arator
Arrianus IC.
Arrius Menander
Athenæus
D. Auguſtinus
Aug. Iuſtinianus
Auguſtinus Niphus
Baptiſta Fulgoſus
Bartholomæus Anulus
Bernardus Scardoneus
C. Suetonius
Cæcilibus
Cæſar Baronius
Cœlius Rhodiginus
Chiliadum auctor
Chronicon Hirſaugienſe
Conradus Lycoſthenes
Diodorus Siculus
Eccleſiaſtica Hiſtoria
Eliſius Calentinus
Erneſtus Botruſſus
Euſebius
Eutropius
Florentinus Leudanus in martyrologio
Galeottus Martius
Gaſpar Bugatus
Gaſpar Bruſchius
Gaudentius Merula
Georgius Buchananus
Gilb. Cogn. N.
Gregorius Turonenſis
Guido Bituricenſis
Franciſcus Petrarcha
Herodotus
D. Hieronymus
Hieron. Vuolphius
Hugo Blotius IC.
Iacobus Capellus
Ianſonius Doccomenſis
Ioan. Ant. Campanus
Ioannes Auentinus
Ioannes Boccatius
Ioannes Bodinus
Ioannes Carion
Ioannes Cuſpinianus
Ioannes Eccius
Ioan. Franc. Mirandula
Ioannes Hedio
Ioannes Iac. Manlius
Ioannes Nauclerus
Ioan. Iouianus Pontanus
Ioan. Pierius Valer.
Ioan. Stumpfius
Iobus Fincelius
Iulius Capitolinus
Iulius Obſequens
Iulius Pollux
Iuſtus Lipſius V. CL.
Lambertus Danæus
Laurentius Surius
Leonardus Goretius
Lucianus
Lucretius
Ludou. Guicciardinus
Ludouicus Viues
Maffeus
Marcellus Virgilius Flor.
M. A. C. Sabellicus
M. A. Delrio è Soc. IESV
M. T. Cicero
Martialis
Martinus Cromerus
Martinus Cruſius
D. Matthæus
Natalis Comes
Paulus IC.
Paulus Diaconus
Paulus Iouius
Paulus Lentulus
Pauſanias
Petrus Bembus
Petrus Crinitus
Petrus Damianus Epiſc.
Petrus Lampagnonus
Petrus Roizius IC.
Philippus Beroaldus
Philippus Camerarius
Philippus, grammaticus
Philippus Engelbrechtus Poeta
Philoſtratus
Phlegon Trallianus
Platina
Plautus
Plinius
Plutarchus
Poggius Flor.
Polid. Virgilius
Porphyrius
Poſidonius
Pomponius Mela

IOANNES KNOBLOCHIUS, Medicinæ Profeſſor in Academia Francofortana ad Oderam Clariſſ.

IOANNES PINCIER, Illuſtrium Comitum Naſſouienſium Medicus celebris & doctus.

IOANNES POSTHIUS, Archiater Palatini Septemuiralis, longe doctiſſimus.

IOANNES SCHENCKIUS, à Grafenberg, Medicus, PATER: Auctor huius OPERIS laborioſus.

IOANNES STADLERUS, Enſishemii ex conducto Medicus Curialis.

IOANNES VISCERUS, celeberr. Academiæ Tubingenſis Profeſſor Clariſſ.

LAURENTIUS SCHOLTZIUS, Vratislauiæ Medicus Clinicus, Lautus, ob medicinam omnem, cumprimis vero Cratonianam multis iam pridem vigiliis, & monumentis illuſtratam, Nobiliſſ.

LEONARDUS DOLDIUS, Noribergenſis Medicus ſingularis eruditionis & doctrinæ.

MARTINUS HOLTZAPFFEL, Auguſtanæ R.P. cumprimis Illuſtr. & Generoſorum Heroum D.D. FUGGERORUM, Medicus commendatiſſimus & excellentiſſimus.

MELCHIOR ROTH, S. Galli Protomedicus

MELCHIOR SEBIZIUS, Medicinæ in Schola Argentinenſi Profeſſor primarius.

NERETUS NERETIUS, Florentinus Medicus, cuius nonnulla ab amicis ex Italia tranſmiſſa accepimus.

OSVVALDUS GABELCHOFERUS, Illuſtriſſimi Ludouici, Wirtenbergici Principis Medicus, Eruditionis & Experientiæ ſingularis.

PETR. QUENTZIUS, Patricius, & Archiater Friburgi Heluetiorum lectiſſimus.

PETR. SPEHRERIUS, Reuer. & Illuſtr. Elect. Archiepiſcopi Moguntini Aulicus Medicus.

PHILIPPUS MENZELIUS, Medicinæ in perilluſtri Academia Ingolſtadienſi, Profeſſor elegans & Primarius, Vir Doctiſſimus. *

SIGISMUNDUS SCHNITZERUS, Pabepergenſis Medicus Clariſſ.

THOMAS MERMANNUS, Vir Nobilis & Magnificus, Dominus in Schœnberg. Sereniſſimorum Boiariæ vtriuſq; Principum Archiater & Conſiliarius intimus. Cuius ſingulari propagandæ & augendæ medicinæ ſtudio potiſſimum debebunt, quicquid Obſeruationum ad poſteritatem tranſmiſſum eſt.

TOBIAS CNEULINUS, Medicus Auguſtanus Induſtrius. Qui in conquirendis, tum aliorum, tum ſuis quoque mittendis Hiſtoriis, ſedulam operam nauauit.

VALENTIN. HENNERUS, Argentinenſis Xenodochii conſtitutus Medicus.

Ex horum, quos recenſui hactenus, numero, IACOBUS OETHÆUS, Vir ad Medicinam tum conſtituendam, tum amplificandam, & cum ratione atq; conſcientia faciundam natus factus: Obſeruationum ſuarum librum ad nos tranſmiſit, eo conſilio, vt eundem, ſi non grauaret, Operi meo inferrem: ſin minus, ſeorſim excudendum & pro meo genio reformandum, foras darem. Non ita multo poſt, CL. V. D. D. IOACHIMUS CAMERARIUS, Illuſtrium Germaniæ Principum aliquot, & Norimbergenſis Reip. Medicus primarius, lecto libello meo publicato, Laborem hunc meum data ad me Epiſtola humanitatis & beneuolētiæ plena, plurimum probari ſibi teſtatus eſt. Et quo eſt ad Medicinam excolendam ſtudio atque induſtria admirabili: itidem iuſtam Obſeruationum ſuarum ſyluam, ſupra quinquaginta hiſtorias continentem: vna cum Georgii Palmæ, Collegæ ſui: atque Ioannis Heſſi Norici, virorum doctiſſimorum nonnullis lectiſſimis exemplis ad me dedit. IOAN. BAUHINUS, & ipſe quoque Diariarum ſuarum, cum Obſeruationum tum Curationum, potiſſimum vero Lugdunenſium Symmicton Opus: non ad editionē quidem, ſed ad priuatum ſuum vſum conſcriptum, vt quæ poſteritatis memoria digniora viderentur, excerperem, candidiſſime elargitus eſt. Iuſtos quinetiam Obſeruationum libellos ſuos FELIX PLATERUS, & GEORGIUS GARNERIUS ſyncere quoque contribuerunt. RELIQVI vero omnes, etſi pauciora exempla quilibet pro ſua occaſione & otio, communis boni ergo contulerunt: tamen paucitatem ſæpiſſime raritate & nouitate hiſtoriarum compenſarunt.

Quod reliquum nunc eſt, omnes cuiuſcunque Nationis & Ordinis Medicos & Philiatros, quos medicinæ excolendæ, ampliandæ, & iuuandæ cura aliqua tangit, peramanter rogatos volo, vt quod à me bono animo & ſtudio ſuſceptum eſt: pro virili in poſterum & ipſi iuuare me velint. Et ſi quid huius argumenti præterea habeant: vt aut ipſi in poſteritatis gratiam edāt, aut mihi ad hæc propediem, ſi Deus Opt. Max. vitam prorogauerit, exornanda & augenda (ſi modo certæ & indubitatæ fidei ſint,) publicanda mature communicent. Pro quo officio, omnibus vobis ſacræ artis Appollineæ Myſtis ac Hierophantis, gratioſa poſteritas, quæ æmulationis & inuidiæ expers erit, ſe gratam declarabit: auctionemque iſtam veſtram, artis antiquiſſimæ & ſumme neceſſariæ, auguſta nominis veſtri memoria ac concelebratione, grata mente acceptura eſt.

Quiſquis

Viſquis es, Candide Lector, qui nomen forte tuum, raraſq; aliquot, vel tuas, vel aliorum obſeruationes, communis boni ergo, operi meo inferendas, ad me datas, in publicatis à nobis hactenus ſeptem Obſeru. tomis atque iſthoc Elencho deſiderabis, certo certius tibi perſuadeas velim, illas ad nos non perueniſſe, ſed vel negligenter, quibus commiſſæ fuerant, curatas, vel æmulorum inuidia, aut aliorum, quorumcunque tandem, incuria, quod ſæpe alias nobis accidiſſe comperimus, furtim ſubtractas & ſuppreſſas eſſe. Quod ad nos attinet, noſtrumq; in inferendis operi obſeruationibus munus ſpectat, ſancte aſſerimus, candide & fideliter, prout Virum bonum addecet, certis etiam & debitis locis pleraq; omnia nos bona fide inſeruiſſe. Cuius te admonere viſum eſt, ne in ſuſpicionem veniremus, vnde vel nobis vel tibi ea res fraudi eſſe potuiſſet.

IOHANNES SCHENCKIUS ÆQVO LECTORI SALVTEM.

Paucas epiſtolas quaſdam, à Nobiliſſ. Clariſſ. Doctiſsimiſq; Germaniæ noſtræ medicis, ad me ſcriptas, & è multis ſelectas, at argumento huic noſtro apprime conuenientes, præmittere nobis placuit. Quam opellam noſtram, tibi Lectori candido & amico, minime improbatum iri, confidimus. Vale.

IOAN. CRATO DE KRAFTHEIM III. IMPPP. CÆSSS. MEDICVS: IOAN. SCHENCKIO S.

VIDI obſeruationum tuarum librum, & ſingularem animi tui propenſionem erga me perſpexi. Qua de ſcripto tuo, cum non meum ſit in os quenquam laudare, non expectes à me quid ſentiam. Iam antea enim publice oſtendi, expetere me vt aliquis hunc laborem ſumat. Te manſuetiores atque elegantiores Muſas cum Medicis coniunxiſſe, atque ad multorum præſtantiſſimorum autorum lectionem iudicium grauiſſimum attuliſſe, oratio atque res indicat. Cum vero omnis beneuolētiæ & humanitatis declaratio, mihi gratiſſima ſemper acciderit, & M. Ciceronis ſententiam, qua affirmat, nihil minus eſſe hominis, quam non reſpondere in amore iis, à quib⁹ prouocere, iuſtiſſimam eſſe ſtatuam, committendum mihi non putaui, quin tibi exigua ſignificatione oſtenderem, declarationem illam voluntatis tuæ erga me atque beneuolētiæ ſingularis, ita vt par eſt exceptam, & non omnino male, etiamſi ad referendum hac ætate, nihil præter voluntatem ſuppetat, te operam tuam poſuiſſe. Hac igitur vt contentus ſis, in maiorem modum à te peto. Tibique perſuaſum eſſe cupio, ſi qua erit occaſio nominis tui memoriam poſteritati commendandi, & quid de laboribus tuis ſentiam publice oſtendendi, me honoris tui cauſa quæ debeo facturum. Sed quid poſſumus non valentes? Diſceſſi ante annos tres ab aula, ac illo ipſo die quo me in viam dedi, in aduerſam valetudinem incidi, qua nondū emerſi. Obſtat ſenectus inſanabilis morbus, atque graue ſeptuaginta fere annorū onus Verum omitto iſtam commemorationem, teque oro vt in ſuſcepta erga me beneuolentia maneas, atque inchoatum opus perficere, & cum ſtudioſis artis medicæ communicare ſtudeas. Nihil rei medicæ, nihil ad nominis tui memoriam accommodatius facere poteris. Idque vt facias, pro mea etiam parte te in maiorem modum oro. Bene vale Vratislauiæ XVI. Iulii, Anno M.D.XXCV.

THEODORUS ZUINGERUS BASILIENSIS, MEDICUS. IOAN. SCHENCKIO. S.

LITERAS tuas amoris & officii plenas, V.CL. recte accepi, recte inquam, ſi poſitionis neceſſitatem natiuam ſpectemus, vt quod dexter dextre porrigit, ſiniſter dextre accipiat. Nā quæ tu mihi ſingulari quadam amoris abundantia tribuis, ea ſi rem ipſam intueamur, ne oblata quidem ſuſcepero. Sin vero tuam erga me beneuolentiam, à ſiniſtris quidem dextre accepero, ſi ad ea quæ mihi deſunt ſupplenda ſarciendave me totum accinxero. Studium ego tuum ſyntagmaticum medicum plurimi facio: vtque genium tuum in hoc ductorem ſequi pergas, etſi monitoris non eges, pro meo tamen erga Remp. affectu, vehementer rogo. Nempe hac ipſa ratione, in pleriſq; artis noſtræ theorematis conſtituendis veteres vſos, ipſa inuentrix methodus ex cauſis ſuis facile conuicerit. Eoq; tu præclarius de medica Rep. mereberis, ſi quæ hinc inde ſparſim, & loco ſæpe alieno apud ſcriptores hiſtoriarū & curationū microcoſmi exempla reperiūtur, per locos

communes

communes digeſta, orbi terrarũ inſpicienda perluſtrandaq; exhibueris. Præfationẽ tuam eruditã legi, viro
bono digniſſimã. Cenſorem in alieno opere agere vt velim, ſane non poſſim. Nam quis ego ſum, qui poſt
Schenckium tale quid ſuſcipere auſim? Ne tamen de voluntate mea dubitares, exilia quędã notare ſum au-
ſus: & ad guſtũ meũ, quando tam liberaliter, & amice mecũ agis, accõmodare potius; quã mutare. Tu vide,
ne nimia tua facilitas mihi audaciæ notã inurat. Cæterũ quia dimidiũ plus toto cenſeatur, laxatis iam car-
cerib. perpetuo curriculo ad metam properare memento, in opere Reip. vtiliſſimo, diligentia, & eruditio-
ne tua præſtanti digniſſimo. Vale V. CL. Baſileæ 19. Aug. XXCIV.

IACOBUS OETHÆUS, REVEREND. EPISCOPI EICHSTADIENSIS MED.
IOAN. SCHENCKIO. S. D. P.

CVM ex nundinis Francofortanis præterito vere habitis, indices librorũ hoc anno in lucẽ editorum ad
me mitterentur, Vir Clariſſ. forte incidi in Obſeruationes tuas medicas, quarũ argumentũ tantopere
mihi placuit, vt primo quoq; tempore ad te ſcribendũ, & tecũ amicitiæ ſanctũ fœdus conſtituendũ eſſe, ex-
iſtimarem. Verũ dum de eius rei occaſione cogito, afferuntur mihi literæ tuæ, non ſolũ hoc nomine gratæ,
quod tuã erga me beneuolentiã oſtenderẽt, ſed &, quod tuorũ ſtudiorũ & conſiliorũ in iuuãda re medica,
eas rationes explicarent, quæ imprimis mihi ꝓbarentur. Etenim ante plures annos quibuſdã medicis, quib.
mediocre otiũ erat, autor fui, vt obſeruationes rariores ſparſim in medicorũ libris cõpræhenſas & collige-
rent, & ordine quodã conuenienti digeſtas publicarent. Verũ cum plæriq; hunc laborẽ recuſarẽt, illud cõ-
ſilium tandẽ cœpi, vt ipſe proprias quaſdam obſeruationes congererẽ, & congeſtas ea ſerie tractandas mihi
ſumerem, vt primo phyſiologicas, poſtea diæteticas, tum pathologicas generatim, deinde pharmaceuticas,
ac poſtremo ad febres, & particulariũ partiũ affectiones pertinentes, explicarẽ, ac iis omnib. quaſdã ad gra-
uidas & ad pueros ſingulatim ſpectantes ſubiungerem. Sed factũ eſt perpetuis occupationib. meis, vt quod
inſtituiſſem, abſoluere omnino non liceret. Itaq; quod reliquũ erat, argumenta tantũ obſeruationũ ordine
conſignans, earũ plenã explicationẽ in aliud tempus reieci. Cognito vero iam conſilio tuo omniũ medico-
rũ artis pulcherrimæ amplificationis ſtudiorũ approbatione inprimis digno, plane conſtitui, pcipuas Ob-
ſeruationes ſtylo contractiori explicare, & ad te primo quoq; tempore mittere, minime dubitãs, hoc ſtu-
diũ meũ tibi gratũ, & ad illud conſiliũ quod tibi conſectandũ ꝓpoſuiſti, in iuuandis noſtræ artis hominib.
accõmodatum futurũ eſſe. Cæterũ dum in eius rei cognitione verſor, ſignificatur mihi ab Hildebrãdo Me-
ckero Cancellario Antiſtitis Eichſtadiani digniſſimo, viro laudatiſſimo & optimo, ſe breui tabellariũ Fri-
burgũ ablegaturũ eſſe. Itaq; oblata hac cõmoditate ad te literas meas mittendi, collegi quaſdã Obſeruatio-
nes meas, quas dignas luce & cognitione medicorũ exiſtimaui, eaſq; ad te ꝓpediem, vt ſpero, plures miſſu-
rus. Siquidẽ eiuſmodi ſint abs te iudicatæ, vt recte ferre lucẽ, & iudicia eruditorũ poſſe videantur. Verſabar
aũt hoc eodẽ tẽpore in tractando illo genere Colicæ, quod præſertim in Franconia noſtra & in Auſtria fre-
quens apparet, cui plerunque vel paralyſis vel epilepſia ſuccedit. Quod genus argumenti vt ſumerem ex-
plicandum, multæ fuerunt cauſæ, præſertim vero eæ, quod viderem hoc genus mali à veterib. (excepto Æ-
gineta) ne quidẽ attactũ eſſe, à recentiorib. vero nõ integre tractatũ. Deinde quod tot mihi in ditione Ful-
dana & Franconia ac aliis in locis occurrerint ægri hoc malo affecti, vt facile potuerim diutina obſeruatio-
ne aliquid de hoc affectu aduertere, quod ad mediocrem eius morbi tum cognitionẽ tum curationẽ perti-
neret. Accesserunt etiã multorũ celebriũ medicorũ, & præſertim Ioachimi Camerarii medici inſignis, hor-
tationes, vt iſti ꝓmiſſioni, q̃ libello meo cuidã ante annos decem de officio ſanorũ & ægrorum tum etiam
aſſiſtentiũ ægris, edito, inſeruerã, tandẽ ſatisfacerem. Mouit etiã me non parũ Ampliſſimi & Nobilis Viri E-
raſmi Neuſteteri autoritas, cui operã illã qualemcunq; iam diu pollicitatione mea obſtrinxeram. Si tamen
eas, quas de morbo Colico ſingulariter animaduerſas habeã obſeruationes tuo operi inſerere velis, nõ erit
abs re reliquis ad te mittendis etiam has adiungere. Quod vero reliquũ eſt, quando ſperem nobis datũ iri
occaſionẽ ſæpius mittẽdi literas, dabimus operã, vt mutuis amicitiæ officiis neceſſitudinẽ conſtitutã literis
vtrinq; diligẽter colamus, & cõmunicatione ſtudiorũ rẽ medicã iuuandi nullã oportunitatẽ negligamus, ꝙ
de me polliceri, de te vero ſperare poſſum. Vale Vir Doctiſſ. Datæ Eichſtadii, An. D. M. D. LXXXV. die 15. Iulij.

E I D E M.

S. Plures quã putara etiã in occupationib. meis frequentib. Obſeruationes congeſſi. Quarũ etſi quædã ab
aliis etiã animaduerſæ ſunt, tamen qa mihi quoq; in vſu practico occurriſſent, eas conſignare quoq; volui.
Puto vero Tyronib. artis noſtræ ꝓdeſſe: vt varia variorũ experimenta etiã de iiſdẽ rebus cognoſcãt. Ita n. ac-
cidit, vt iis quæ à plurib. obſeruata ſunt tutius fidere, & ea ad vſum neceſſariũ accõmodare cõfidentius poſ-
ſit. Non vero dubito quin tu ꝓ tuo candore, cuiq; obſeruationi, ſui autoris nomen adiecturus ſis. Nã illud
in prima parte obſeruationũ à te diligenter præſtitũ eſſe video. Habeo aũt gratias quas poſſum, ꝙ ad me li-
brũ illũ tuũ veluti voluntatis & induſtriæ tuæ in vtilitate publica ꝓmouenda teſtẽ locupletiſſimũ, tranſmi-
ſeris. Ac quanq̃ tua ſponte præclara tua volũtate ferri videris, vt de reliquis humani corporis partib. ſimiles
obſeruationes etiã edas, tamen ꝓ ſtudio meo in remp. tũ etiã pro inchoata amicitia noſtra te hortor, vt nul-
lo impedimento ab illo ꝓpoſito abſterreri te ſinas. Satis cõmentatum eſt in veteres medicinæ autores, & ſa-
tisfactũ illis q conciliationes locorũ diſcrepantiũ in veterũ libris expetunt. Neq; deſunt libri in quibus vel
millies generalia artis præcepta, quorundã etiã ſuperſtitioſo fere ſtudio trãsfuſa ſunt. Itaq; ſi q induſtrii ho-
mines artẽ ampliare cupiãt, ad ea, q̃ ab aliis non ſatis explicata ſunt, accuratius elimanda, potius conferre ſe
debent, q̃ vt in vulgarib. illis & vulgo notis ꝑpetuo hæreant. Idq; eo diligẽtius faciendũ eſt, quo maioribus
veluti machinis vetus medicina à nouis Empyricis oppugnatur. Neq; alienũ eſt ab officio eorũ q rem me-
dicã iuuare poſſunt, vt habita ratione iuniorũ & Tyronũ artis, nõ ſolũ vulgaria, ſed & rariora, & magis præ-
cipua tradant. Satis diu audiunt noſtri ordinis initiati artis medicæ nouis titulis, oportere eos noua cæmi-
teria habere q̃ repleant cadauerib. ꝑ errorẽ occiſorũ, & ſimiles calumnias ab artis vituperatorib. excogita-
tas. Quas ſane ꝓuidens iuniorũ inſtitutio facile refellet. Sed redeo ad inſtitutũ tuũ, quod reipublicæ cauſa
ſuſcepiſti,

ſuſcepiſti, quod etſi plenũ ſit & laboris & curæ, tamen facile eius difficultas minuetur. Siquidẽ quoſdã laboris ſocios habueris, qui ex definitis autorib. obſeruationes colligant, eaſq; collectas ad te mittant, poſtea à te diligentius ſeligendas & ordine cõmodo diſponendas. Quod ad me ſpectat, ipſe cogitare potes, me otio minime abundare, qui iam ſolus & Aulæ noſtræ & totius Cleri & reliquæ Reip. noſtræ medicationib. præſum, ac alioqn ſeptẽ cœnobiorũ curã medicã etiã ſuſtineam. Itaq; plura præſtare nõ poſſum, q̃ vt priuatas meas obſeruationes ſubinde ad te mittã, ac alios vt idẽ faciant, incitem. Cæterũ quod ad iam trãſmiſſas attinet, peto vt eas ſtudioſius aſſeruari cures. Nam earũ accuratius deſcriptarũ nulla exempla apud me retinui, q; temporis anguſtia à deſcriptione excluderer. Hoc monendũ ob id cenſui, quod amici quidã ſuadeãt, vt aliquando eas obſeruationes additis quibuſdã aliis ſeorſim etiã edam. De quo quid tibi videatur, haud grauatim tuã mihi explicabis ſententiã. Quæ reliqua ſunt, de quib. cõmunicare noſtros ſenſus vtiliter poſſumus, ea in aliud tẽpus reſeruabimus. Vale Vir Doctiſſime, & me vt cœpiſti, ama. Eichſtadij.

LIPSIANA MVSA,

ſiue

IVVENILES LVSVS:

Ad eruditos huius Operis LECTORES.

PRobe proba illa Philoſophi mens τὴν τέχνην ἐμπειρίαν, ἀτεχνίαν δὲ ἀπειρίαν genuiſſe. Cõditionẽ tibi pono: Theoremata illa vides artiũ ſciẽtiarũq;? Canonũ illud mare? Iuro ſalutẽ meã, vt parũ recte clara, niſi lucẽ à ſcintillanti illo exemplorũ ſole mutuari. Leges, præcepta adhuc loquor: qbus παρατηρήσεων hanc purpurã appone: & tũ demũ in vera illa ſeriaq; veſte apparebit candida illa Diua. Hinc ſcientia vniuerſaliũ: hinc ſingulariũ obſeruatio & experientia in luce non magis cõſtituta, q̃ admiratione. Fidẽ meam culpas? Audi. Hęc ſapientiũ; hæc veterũ mens & ſenſus: tum artes peniſſime & diſci & doceri, cum definitionũ, diuiſionumq; veluti theatro, vera illa ſcena non demta aut inemta. Quod columnæ & tibicines ædium ne ruant, robur ſunt. Idem παρατηρήσεις illis Canonib. Theoreticã aũt ideo & Methodicã perire ais? languere ais? adeo falſum, vt non magis ceptæ illæ, q̃ perfectæ. Sudarunt in ea palæſtra, eo puluere viri altioris auræ. Neu magis in flore collocatæ iam, & vigore, q̃ ſupremo loco. De illis, inquã, quid querimur, ſi cultæ & propagatæ? De hiſtorica pathologia (ſi neglecta) cur nõ ante alias erigenda? Proh quam turpe neglegi illã dominam? locũ ei non eſſe in ꝓprio ſuo loco? Oportuit certe & hoc ſydus ſtellis illis accedere, nexuq; indiſſolubili iungi, nec ſeiungi aut diſiungi. Pulcra hæc cõiunctio, & quæ, niſi ſit, abite q in medicis quæritis ſolidã ſciẽtiam. In quẽ aũt ais finẽ? in hunc inquã: vt placita & decreta artis firma exſtent, vt ſolida, vt dilucidiora. nec luxuriẽ illã paralogiſmorũ rectius reſecabimus vna q̃ hac falce. Quam multi tales in medicina, q̃ multa pſeudaria, & ἁμαρτήματα τὰ ἰατρικὰ, paſſim ſeminata à pragmaticis dictis, & Theoricis medicis diſſeminata! Hic nodus Gordius: At habeo ei cuneum. Non vnguentũ ſit efficacius his vlcerib. perſanandis: non ſpongia huic maculæ abſtergendæ. Ecce tibi magnas illas magni mundi cathedras, & medicas quidẽ, ſiſto tibi puluerẽ ſcholaſticũ & aerem. Iam libertatẽ, iam candorẽ introſpicis? malis vtiq; tribulis, malis ſcrupeis expleta per prauũ acumen. Vbiq; abſynthiũ doctrinarum: acuminum flexuoſi labyrinthi. pelle illud, hos purga vna hac coniunctione ſeria & ſera. Scholarũ hunc vſum ſiue abuſum cur teneas? ſperne, & reduc cum Lipſio ad verã formam: cui præter fructum, par dignitas & venuſtas. Reliquarum artium theatrum intueare: deierares nil poſſe ſcribi magis aut amplum aut magnum. & muſæo illi peplo amica & docta nimis acu intexta vbiq; omnia, quæ quidẽ ad ſtudia, quæ de iis. Æuum hoc vides? non aliud magis idoneũ diſciplinæ aut bonũ. Lumina & columina ſcholarũ? magna vtiq; ac maxuma: & virtutum vbiq; ſuboles, vbiq; ſcientiarum. Scripta? recta plane & electa. Omnes artes ſeſe vltra cœlum extendunt, non valde tamen medica, etſi ſat valide. Et neſcio an doleam magis ſeculi, an prauorum ingeniorum cauſa: quibus heic omnia directa minume recta. Multa fateor ex m.s, multa ex editis in hac arte patẽt: multa latent. quis depingat; nemo rectius aut melius q̃ externum opus, & naturæ codex ille. ex quo exoticas Obſeruationũ gemmas erues: & bibes abditæ doctrinæ fontes. & ita valeam, niſi omnis artis huius vis & entelechia in externo illo codice maior. Iam quem non delectet tam varius ſenſus magnæ matris; quæ bona & dona ſua nemini omnia animo vouit, nemo cognouit. nec illi viſum illas ipſius opes ſuas, vno velut partu ex diuinis ſuis abyſſis & fauiſſis effundere. Illud potius: poſteriorẽ diem prioris diſcipulũ fieri. Vos itaq; maliuoli, vos auſtelli poſterorũ obſeruationes, prædictiones, curationeſq; felices admittite: ſed non ea via, qua hactenus. Et ſinite mihi hanc herbam creſcere, ꝓout nata & ſata: id eſt, ẽ natiuo ſuo ſolo. Qui aliter adficiantur? itan' nigri illi tam candidã farinam porro lamberent? porro ea, quib. ars & aucta & cõfirmata, deiiciant, vt otioſa, vt ſuperuacanea? tu quiſquis ſic cenſes, ipſe ꝓfecto otioſus & ſupernacaneus. abiecte ſapis, quiſquis ea facis. Vitia hæc mollioris & præſertim rebdis animi: quem vtinã vtinam ſemel excitarent & erigerent. Cauſa hæc Parenti meo p.m. collectionis Obſeruationũ: neſcio an eadẽ editionis, Seueros illos ingeniorũ menſores & cenſores vides? improbant, pæne quã aduenerint: nec ꝓbant niſi quæ illis proba, etſi alias approba. Deniq; quid eſt adeo in hoc opere præter mentẽ doctorũ. Ecce tibi laborũ magnũ mare: ecce tædiorum. qd ſumtus? ꝓpriæ valetudinis inualetudines pellectas? Profecto talia omnino: quæ te centies auocaſſent, ne ſemel huc vocaſſent. Amor illi & ſtudium in hoc ſtadiũ amor: & is ſyncerus, candidus, liberalis. Quid ſi candidi lectores tã candidę menti? Quamuis etiamſi cũ non: virtutes tamen hæ aperient ſcio hunc, medicũ ſtadiũ decurrẽdi, campũ, & hunc maliuolẽtiæ, operient. Tu quiſqs manum & mentẽ ad hæc noſtra, imo ad hæc parentis: ꝓbæ mentis cenſeto, & ſic cẽſeto, vt vbiq; SCHENCKI Medici amor in literas, ſtudium te alioſque iuuandi, tibi recta & bona. Salue & Vale

DIXI.

OPERIS

OPERIS
OBSERVATIONUM MEDICARUM,
TOMUS PRIMUS,

qui agit

DE CAPITE.

PRÆFATIO.

ANimalium omnium nobiliſſimo atque diuiniſſimo Homini,
quæcumq; non tam circa corpus quam morbos rara, noua, &
prodigioſa euenire poſſunt, exhibituri: à CAPITE potiſſimum
velut parte principe ΠΑΡΑΤΗΡΗ΄ΣΑΙΣ has noſtras, ΣΥΝ ΘΕΩ, auſpi-
cari viſum eſt. Eſt enim caput rationis domicilium, facultatiſ-
que animalis ſedes, quæ inſtar Regis, in altiſſimo corporis, ve-
lut ſpecula ſita, duabus concupiſcibilibus animis, toto corpore dominatur, in
eoque longe lateq; imperium ſuum profert. Homo proinde, triſmegiſto Her-
meti, priſcis ſophis, ſapientiſſimo etiam Ariſtoteli analogia quádam ΜΙΚΡΟΚΟΣ-
ΜΟΣ, quaſi paruus mundus & epitome mundi, verè dicitur. Siquidem, vt cœ-
lum æthereum, aeri ſublunari elemento eminet, terris maria; quæ veluti mun-
di quædam membra fuerint tum ætherea, tum elementaria, actiua & paſſiua.
Ita Caput quoque, reliquos Corporis noſtri partes ſuperare & excellere cerni-
mus, non minus certe, quam inter elementa cœlum Principiorum, aut arcem,
mœnia, cœteraque vrbis ędificia, præcellere videmus. Eſt enim in Capite ratio-
nalis animæ, quæ λογιστικὴ dicitur, ſedes, iuxta Platonis & Galeni ſententiam: qua
αἰσθητικὴ, externa ſentiens; κινητικὴ, motrix ſiue mouens facultas; & ἡγεμονικὴ, rectrix ſi-
ue princeps ſeu cognoſcens, continentur. Quorum ope vniuerſa corporis no-
ſtri Reſpublica gubernatur. Commodum igitur à Capite medicas has noſtras
ἐκλόγας ordiri viſum eſt, atque oſtendere, quam multifariam id, non tam mon-
ſtroſa conformatione aliquando, quam admirandis quoque morbis affici &
deformari queat, initio à Capillis eiuſdem ſumpto.

DE CA-

DE CAPILLIS CAPITIS ET BARBÆ.

Et primum;

DE CANITIE.

OBSERVATIO.

Subita canities, qua nonnulli metu mortis aut pœnarum, vna nocte, vel vnica etiam hora, cani facti ſunt.

ACCIDIT vt cùm prouinciam ingreſſus (Imperator) ſacrificaret intra ædẽ publicã puero è miniſtris acerram tenenti, capillus repente toto capite caneſceret. *Suetonius in Sergii Galbæ vita cap.8.*

Obſeruatum eſt, pilos quandoque horæ ſpatio, aut etiam minore canos fieri. *Cœlius A.L.lib.3.cap.14.* Non ægritudine ſolum incaneſcere hominem contigit, verum etiam repentino mortis diſcrimine. Quod eueniſſe compertum eſt cuidam è rupe pendenti, dum accipitrum pullos ſcrutaretur, interimque funes, quibus ſuſtinebatur, diſſiluiſſent. *Idem lib.13.cap.27.eiuſdem operis.*

Illud minime ſilentio pertranſeundum, nulla re citius promoueri canitiem, quam curis, mœrore & metu. Noui qui è naufragio prętèr ſpem ſalui enatauerunt, repente canos euaſiſſe. Commemorant alii nonnullos qui in præruptas rupes aucupii gratia θήρης μεθέποντες γλυκερὸν πόνον, vt verbis vtar Nazianzeni, funis ope peruaſerant, ſoluto eo aut delapſo, deſperabundos præproperam canitiem accerſiuiſſe. *Iunius cap.10.Comment. de coma.*

Iacobus quidam Oſorius Erigini in carcerem coniectus, adoleſcens etiamnum, vna nocte incanuit totus. *Viues, in Præfat. in Somn. Scipionis.*

Memoratu non indigna eſt hoc in loco hiſtoria, narrata mihi olim à Franciſco Dilpho, nõ gentilitiis magis imaginibus quam ſingulari eruditione clariſſimo Equite, Cæſareæ Maieſt. apud Sereniſſ. Angliæ Regem tum temporis oratore: ea ſic habet. Hiſpanus nomine Didacus ſiue Diegus Oſorius nobiliſſima familia ortus, aulicæ puellæ amore captus, communicato prius cum ea conſilio, in patula arbore & frondoſa abſconderat ſe (ea creſcebat in Hiſpaniis intra regii horti ſepta) interim fortuito catelli Melitæi latratu prodita colloquii fides, ſatellitum manui illum obiecit: comprehenſus carcerique incluſus, quod capitale fuerat illic deprehendi, dictata vltima ſententia ità inhorruit, vt nox vnica iuuenem eundem & ſenẽ incanum viderit. Quo ſpectaculo motus carcerarius, delato ad Ferrandum Regem Catholicum prodigioſæ rei indicio, effecit, vt capitalis legis rigore in benignitatem conuerſo Rex illum abſoluerit, dictitans pœnarum ſatis dediſſe, qui præmaturam ſenectutem cum iuuentæ flore commutaſſet. Cui rei atteſtatur & Petri Meſſiæ Hiſpalenſis authoritas, euentum hunc imaginationi adſcribens. Alioqui & amoris flagrãs deſiderium Theocrito Citam canitiem vel vno die accelerat, cum inquit: οἱ δὲ ποθῶντες ἐν ἄματι γηράσκουσιν. Eiuſmodi hominem προπόλιον dici teſtatur Ælius Dionyſius, quod ante tempus canos producat: eundemque & ἀωρόλειον. quanquam ego ἀωρόλειον intellexerim potius eum, qui præpropere calueſcat ſeu leuis fiat, ſi à tanti autoris ſententia diſſilire par eſt, qui ab Horatio præcanus vocatur. *Had. Iunius, comment. de coma, cap.10.*

Ex timore canitiem ſequi, tum ratio docet, tum habemus exemplo pene domeſtico. Subducto namque à pilis alimento calueſcimus: vitiato, canities ſubit. Nempe refrigerato ſuccedit humor non naturalis. Hiſtoria vero noſtræ tempeſtatis eſt ſub Franciſco Gonzaga. Is affinem ſuum ſuſpectũ coniurationis, cum in turri portę Cæſareæ ad quæſtionem aut ſupplicium aſſeruari iuſſiſſet, nunciatum eſt mane totum repente canum factum. Quod quaſi prodigium flexit principis animum: qui ei propterea & venię & vitæ fecit gratiam. *Scaliger. Exercit.312. ad ſubtilit. Cardani.*

Metus, conſternatio, terror repentinus, atque improuiſa ſubitaque periculorum aut mortis intentatæ formido, ita vires & formam depopulantur, vt nonnulli ſui prorſus diſſimiles appareant. Cuius rei exemplum memorabile noſtra memoria edidit iuuenis quidam generoſus ac nobilis, qui, cum in aula Cæſaris verſaretur, indecore parumque reuerenter atque inhoneſte ſe geſſit. Siquidem Virginis cuiuſdam, quam deperibat, pudicitiam expugnauit, quod in cœtu conſeſſuque Heroicarum virginum capitale cenſeri ſolet, ac morte piandum, tametſi nulla vis illata ſit, ac puella tacito quodam conſenſu non magnopere repugnare obluctarique videretur: itaque in carce-

rem coniectus eſt, poſtridie plectendus capite: nã id rigide obſeruare ſolent, ne quis impune tale quiddam attentare, ac decus aulicum ſtupro fœdaque libidine contaminare audeat. Quum autem ea nocte tædio ac mœrore conficeretur, ex angore mentis conceptaque mortis formidine ita immutatus eſt, vt ſequenti die, cum pro tribunali conſiſteret, à nemine eorum, quibus cum familiariter vixerat, ne à Cæſare quidem agnoſci potuit: adeo illi mortis horror, vitæque deſperatio paucarum horarum ſpacio colorem viroremque corporis ademerat, vt omnis ſpecies formęque decor ac venuſtas defluxiſſe appareret, ſic vt ſupra quam credi poſſet, ſquallida ſit effecta facies, color ex florido luridus & cadauerofus, aſpectus horridus, indecora canities, barba ſitu & pœdore fœdaque illuuie deformata. Cæſar, cum in illum defigit oculos, ſuppoſititium eſſe ſuſpicatus, ac fucum ſibi factum, explorari iuſſit, an ipſus is eſſet, & an ementita aut adulterina canities, barbaque medicato aliquo liquamine oblita forte ac delibuta: cum autem nihil tale ſubeſſe animaduerteret, aſpectu viri attonitus atque obſtupefactus, ex vindicta in commiſerationem animum deflexit, itaque ſatis pœnatum dediſſe ratus, culpam illi remiſit, ac violatæ ereptæque pudicitiæ crimen condonauit. Cauſam autem tam prodigioſæ ſubitæque mutationis, cum nuper à me ſciſcitaretur in accubatione epulari, illuſtriſſimus Dominus Nicolaus Micholdius ab Indeuelda, apud ſummos principes omneſque proceres gratioſus: illam in ſupplicii imminentis intentiſſimam cogitationem, quæ intimis ſenſibus penitus inhæreret, referendam pronunciaui: ea ſiquidem animi affectio tam fuit illi grauis & acerba, vt propemodum extincto ſopitoque vitali calore ac ſpiritu, ſingulæ corporis partes amiſſo florido ac ſpectabili colore, in deſpicatum habitum deuenirent, adeo vt capillorum radices, quæ fumido vapore, qui cuti ſubeſt, aluntur ac frondeſcunt, vt gramina terræ ſucco, concepta frigida ſiccaque qualitate, areſcerent, ac natiuum colorem exurerent. Vt enim arborum folia ac vitis pampini, qui vuam à cœli iniuria defendunt, æſtu, grandine, pluuia, Aquilonio ac Boreali flatu, qui æſtiuis aliquando menſibus ingruit, ex viridanti in luteum flauumque colorem elangueſcunt ac demutantur: ſic genuinus corporis vigor, ſic color, ſic externa ſpecies defloreſcit, ac crines, qui non exiſtunt corporis partes, ſed appendices, ſublata oppreſſaque vi, qua aluntur, intempeſtiuam canitiem contrahunt, quod vere omnibus obuenire videmus, qui in labore militari, in periculis maritimis verſantur, aut cum morbis conflictari ſolent, in quibus eſt mortis quoddam inſtar: nihil enim aliud meditantur, nihil animo magis concipiunt, vbi ſtat in procinctu acies, ac res agenda cominus, quam extinctum iri ſe nec facile poſſe eluctari: niſi forte animus longa aſſuetudine ad pericula occalluit, ac ſit obfirmatus: quod fere perſpicimus in veteranis militibus, atque iis qui tempeſtatibus ac maris ſæuitiæ ſunt aſſueti. Tantæ eſt autem efficaciæ profunda ac continuata imaginatio, quod alias multis argumentis commonſtratum eſt. Vt mulier infanti notas quaſdam ac conſpectarum rerum veſtigia imprimat: quod etiam viris vſuvenire ex ardenti fixaque cogitatione palam eſt. Sic erecti in crucem Chriſti contemplatio Franciſci manibus pedibuſque lituras ac ſtigmata impreſſit. Quanta vero Seruatorem oppreſſerit anguſtia, quis animum confecerit mœror, quæ trepidatio, vel id cuiuſque documento eſſe poteſt, quod mens in præſens periculum defixa, ac velut intuita inſtantem imminentemque mortem, ſanguinolentum ſudorem expreſſerit, adeo effuſe promanantem, vt in terram defluxerit, ac ſolum, in quod inclinatus erat pronuſque decubuit, ſanguineo madore cruentaret. Eſt autem horror mortis, ſi quando hominem corripit, aut eius imaginatio mente concipitur, ipſa morte atrocior: multis enim cum illa vitæ finem imponit, ſenſus obſtupeſcunt, nec vllum dolorem percipiunt, quod iis accidit qui apoplexia vel lethargo opprimuntur, vel deliquio animique defectu velut conniuentes ſomno conſopiuntur atque obdormiſcunt, nullo ſpectantium oculis exhibito doloris ſenſu. Sic in adeundis terra marique periculis, quæ mortis imaginem oculis ac menti obiiciunt, nemo non contremiſcit ac trepidat metuque exalbeſcit, refugiente ad intimas partes ſanguine: cum enim omnes corporis partes vitali ſucco deſtitutæ ſint, nulla ſatis probe ſuo officio fungitur, ſed titubant vacillantque pedes, caligant oculi, labaſcit vigor, mens hebeſcit, animus deiectus eſt, genæ pendulæ ſunt ac flacceſcunt, lingua hæſitat, dentes crepitant,

Arrectaq; horrore comæ, vox faucibus hæret.

Adeo nullus eſt quamlibet conſtantis robuſtique animi, cui non repentinus aliquis caſus ſit formidabilis, ac mentem concutiat, ſic tamen vt confeſtim diſcuſſo metu, ac concepta diuinitus fiducia intrepidus interrituſque ſubſiſtat, quæque ingruunt aduerſa, ſi declinari nequeant, alacri atque infracto animo ſe illis opponat. Nulli itaque naturæ ſpirabili mors non horribilis ac formidoloſa, quod interitum adferat: niſi quibus mens obſtupeſcit ac ſenſus minus vigent, vt ſunt decrepiti, infantes ſtolidi, amentes, deliri, quibus nõ ſubit vlla rei formidandæ cogitatio, nec vt cæteri, quibus cerebrũ eſt firmum, nec vitiata animalis facultas, dolorem percipiunt, præſertim qui lethargo, apoplexia opprimuntur, vel qui deliquio defectuque animi velut conniuentes ſomno ſenſim conſopiuntur, nulloq; doloris ſenſu placide obdormiſcunt. *Lemnius lib.2.cap.2.de complex.*

Cum Ludouicus Bauarus Imp. cum ciuitatibus ad Rhenum ſitis inito fœdere contra eos, qui diſtractione principum Germaniam vaſtabant, in armis eſſet, Maria Brabantina eius coniunx, Werdæ habitans, binas literas, vno quidem anulo, diuerſa tamen cera, atra, rubra, obſignatas, illas marito, alteras Heinrico Ruchoni Decurioni equeſtri mittit. Atque is qui epiſtolas detulit errore ſeductus, rubra cera complicatas Ludouico tradit. Qui lectis literis amatoria agi ſuſpicatus, diſſimulata re, relicto apud Rhenum exercitu, quam maximis poteſt itineribus ad vxorem

dis

diu noctuque contendit, & indicta cauſa adulterii condemnatam ſecuri percuti iubet. Poſtea veluti conſcias, Helicam virginem Prennebergenſem cultello cõfodit: & aliam fœminam nobilem, quam gynæceo præfecerat, de turri præcipitauit. Anno 1256. *Auentinus libr. 7. Annalium Boiorum.* Ob id mirandam habuit & horrendam nocturnam viſionem, qua vna nocte totus factus eſt canus. Inde pœnitentia ductus, monaſterium in Bauaria ſupra Amram, quod Principis campus, patria lingua Fürſtenfeldt dicitur, extruxit, & donariis ac cenſibus locupletauit. *Cuſpinianus in Cæſarib.*

Wipertum ob magnæ virtutis indolem nec dum profeſſum, nec dum capitularem feruntur aſſumſiſſe & elegiſſe fratres in Epiſcopum Raceburgenſem. Ipſemet Romam petiit, cum etiam propter annos diſpenſatione eſſet opus: alioqui Bremenſis Archiepiſcopus eum confirmaſſet. Pontifex adoleſcentiam eius contemnens, noluit annuere poſtulationi. At Wipertus proxima nocte ita incanuit, vt poſtero die à Pontifice non eſſe putaretur is, qui pridem confirmationem petiiſſet. Ergo iuſſit eum in Epiſcopum conſecrari, quẽ euidenti ſigno Deus probaſſet. *Crantz. libr. 9. Metrop. cap. 47.*

Vidi puerum Matthæi Lippi de Scarparia, & Zechium ſutorem in Burgo ſancti Laurentii, ex magno & ſubito timore repente canos affectos. *Nicol. Florent. Serm. 7. tract. 6. ſum. 3. c. 24.*

Nobilis Patauinus cum illi veſpere nunciatum fuiſſet, indictum eſſe, vt capitis amputatione plecteretur, nocte totus canitie correptus eſt. Et talis vſque in nouiſſimum vitæ diem permanſit, cum multo temporis tractu ſuperuixiſſet. *Speronus Speronius in Dialog. de partu mulierum.*

Frequentius ſane:

φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαί.
θαμά, καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον.

Naſci (*inquit Pindarus Olymp. 4.*) frequenter iuuenibus canos, & præter tempus congruum ætatis. Tyrrhenum ab ineunte pueritia incanuiſſe; Strabo. Xiphilinus in Galba id puero ſacrificanti accidiſſe; Gellius in Albania cuidam genti peculiare docet. Et Patri quondam meo, bono & laudato viro, vnius noctis peruigilo, & mortis metu, quoniam Medicos conclamantes audierat, vix tertio ætatis luſtro, plane capillos omnes incanuiſſe. *Mart. A. Delrio è ſocietate* IESV *ſyntagmate Tragœdiæ lat. parte 1. libr. 2.* περιλεγομένων *de Seneca vita, &c.*

Observatio.

Canities vnica nocte emendata.

Scribit *Rhaſes 25. continentis. cap. 24.* ſe habuiſſe amicum quendam, qui potata chalcanthi, ſiue vitrioli drachma, vna prope nocte abiecit omnes pilos albos. Scio hoc genus remedii maxime apud multos eſſe commendatum: ſed ſemper mihi Galeni conſilium placuit, qui in medicamentis quæ per os aſſumuntur, damnat calchanthi vſum. *Mercurialis lib. 1. cap. 6. de morbis cutaneis.*

Observatio.

Cani à natiuitate.

Patritius & Senator Scaphuſianus, affinis amicus meus ſingularis, quo ab ineunte ætate in Gallia & in Italia familiariſſime vſus ſum, Ioan. Conradus à Waldkirch (quem honoris gratia, vt ipſius dignitas poſtulat, hic nomino) qui ſtatim à natiuitate canos ab vna parte capillos & barbam, ſimulatque illa creſcere cœpit, ſimiliter ab illa parte cana habuit: vnde *Grauulock* ab ineũte ætate fuit appellatus; quod nomen ſiue agnomen adhuc retinet. Ex literis *Guil. Stuckii ad Cl. V. Dominum Ioan. Iacob. Beurerum*, amicum noſtrum datis.

Obsesvatio.

Canitiei barbæ admirandum in vtero materno contractum fomentum.

Ante biennium, cum forte prætereuntem ruſticum ſyluicolam noſtratẽ, annos paulo ſupra trigrnta natum, robuſtum, floridæ & viuidæ faciei, conſpicatus fueram; paſſimque canos glomos ex reliqua ſubruffa barba emicare animaduerterem; hominem ſubito alloquebar, & quæ nã iſthæc in iuuenili & benehabito corpore incana barbitii capillorum cauſa foret perquirebam: ſubridens ille, ait, à multis idem à ſe expetitum. Serio vero rem vrgenti, ſancte mihi affirmauit, matrem, cum vtero geſtaretur ipſe, ædium in vicinia ignis conflagratione adeo perterrefactam, vt non ita multo poſt ſe filium, felici alias partu, at circa mentum altiſſimis maculis notatum, in lucem progenuerit. Vnde factum, vt iiſdem maculis, nulla arte emendabilibus, ad annos pubertatis vſque conſpiceretur: pubeſcente tandem mento, vna cum barba etiam canos huiuſmodi capillorum glomos, non niſi ex albis punctis, cætera ruffos, ſuccreuiſſe. Sic vt grauidæ duo in fœtum effectus contrarii, manifeſto ſeſe protuliſſe videri queant; hinc ignis conſpectu rufforum: illinc metu perculſam canorum autores fuiſſe. Illud proinde admirationem & inquiſitionem omnẽ vincit, qui matris in fœtum vis, tanto tempore, ꝙ ad pubertatis vſq; annos perſtitit, deliteſcere atque otiari interea, tandemq; ſe proferre quiuerit. Nomen ei eſt Iacobo Heitzman. *Schenckius.*

Observatio.

Canitiei cauſarum, variantes autorum ſententiæ, tum quæ verior conſtitui debeat.

De cauſis canitiei, ætatis pręſertim ratione oborientis, (huius enim cauſa inuenta, morboſæ quoque cauſa intelligitur) diuerſæ diuerſorum fuerunt autorum ſententiæ, quibuſdam ob ſiccitatem gigni aſſeuerãtibus, exemplo foliorum ſiccatorum, & ad albedinem mutatorum id comprobantibus. Quæ ſententia vera non eſt, cum multi capitibus nudis incedentes, qui magis aliis ſiccantur, minus aliis, qui capita perpetuo habent aperta, caneſcant. Ad hæc quidam adoleſcentes humidis eorum corpotibus adhuc exiſtentibus caneſcunt. Quare ſi canities à ſiccitate aliquando inducitur, id non niſi per accidens fieri ſentiendũ eſt: quatenus videlicet per ſiccitatem humidum viſcoſum rareſcit, & pilorum ſubſtantia rarefacta, lucida euadit: aut quatenus per eam humida & opaca capillorum ſubſtantia exſugitur. Hac enim quæ nigredinem efficiebat abeunte, etiam nigredo euaneſcit, & albedo introducitur. Alii ob humiditatem pituitoſam fieri volunt. Cum enim pars eius ſubtilior ad cutim mittitur, eaque pili

nutriuntur, eoſdem albeſcere opinantur. Ideoq; canos capillos habentes, cutem albam habere affirmant, eo quod ſubtili hac pituita, ad pilorū radices latente, cutis tingatur. Cum pili vltimo alimento, non pituita nutriantur, iſta ratio abſolute vera non erit. Quod ſi è pituita aliquando naſci pilos contendas, non pugnabimus, ſed ita tunc mutatam dicemus, vt eos tingere albo colore non amplius poſſit. Rectiùs illos, qui natiui caloris inopiam & putredinem (in qua ſententia tum *Ariſtotelem in lib. 5. de Generatione animal. cap. 4. & 5. & Gal. lib. 2. de Temperam. cap. 6.* fuiſſe cernimus) canitiei cauſas eſſe aſſerunt, ſentire iudicamus. Calor enim ille aliqua de cauſa debilitatus, humores amplius concoquere non valet. Quocirca à natiuo calore deſerti pili, ab externo aere magis tentantur, ac putreſcunt. Putredine inducta, albedo ſubſequitur. Quod hac ratione accidere docet Ariſtot. Cum humiditas, quæ in exhalatione terreſtri ineſt, putreſcit, bona eius pars in aerem conuertitur, aer autem terreæ & aqueæ ſubſtantiæ commiſtus, colorem album inducit: quod etiam in butyro & ſpuma videre eſt. Canities ætatis ratione obueniens prædicit ſenectutem, vt ſupra quoque monui. Non enim poteſt ante ſenectutem, vbi nullus adeſt morbus, aut violenta affectio, congenitus calor hactenus debilitari, vt canities oriatur. Omnis canities è morbo mala eſt. Quippe magnam caloris natiui inopiam, humiditatis vero copiam demonſtrat. *Eraſtus in diſput. Baſilienſi habita Anno* 81. *Reſpondente M. Andrea Ruinella Theſibus* 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

OBSERVATIO.

Ad canitiem remedia certa & infallibilia.

AD canitiem iam contractam medicamentum generale eſt: Menſe Septembri virentis nucis & proceræ radicē crutis craſſitudine ſub terra latentem per tranſuerſum ſecabis, ſublataque parte inferiore, illius loco vas vitreū, aut figulinū vitreatum, oleo oliuarum plenū ſubmittito, ita vt vas ipſum radicis trūcum ex quo reliquū pcidiſti recipiat intus, immergaturq; oleo. Deinde vaſis os cera ita obline, vt cera radicis caudicē cū vaſis ſummis labris cōiungat, ne terra intus poſſit penetrare inde linteo circūducto terrā ſenſim ſuperimpone, vt vas radicis q̃ pcidiſti loco ſub terra ſepultū iaceat, donec nux ipſa flores emittat: tunc vas diligenter ne terra in eum cadat cauendo detrahito, oleū inuenies nigrum, ſucco nucis in illum defluente perpetuis nouem iam menſib. Ex hoc ſcrotum diligenter, poſtq̃ homo in balneo ſudare cæperit, inungito, atq; aſſidue in ipſum teſtes immiſſos foueto, nā ad omnes pilos & capillos denigrādos optime facere exiſtimatur. Sufficereq; aiunt, ſi ſemel in anno quis hoc præſidio vtatur. Nā vim teſtium transferri in totum corpus, pilorumq; cauſam eſſe indicio eſt, quod qui caſtrati ſunt, nec calui fiunt, nec barbam emittunt.

Aliud experimentum apud nos ꝙ non fallit, quo quidā totus canus, Patritius Ianuenſis, amicus noſter, nulla ex parte, ne vel vllo pilo aut capillo canus videtur, lotis capillis & barba dum adhuc madent lixiuio; aquā capitelli, ex qua ſapo lanuæ fieri ſolet, cum lithargirio & calce viua ita immiſceto, vt formam luti mollis, & ptiſanæ recipiat. Inde capillos diligenter, & barbam ex hoc medicamento calido illines, vt vndequaque capilli & pili inficiantur, cutis autē nō tangatur; nā vrit hoc medicamentum, & præcipue barbam, & veſicas excitat. Ergo poſtq̃ illiueris, ſiccari medicamentū permittito, celeriter n. ſiccatur: inde poſtquam ſiccatum fuerit, abluito lixiuio, & relinquentur pili nigerrimi, ac etiam ſplendentes, vt ſunt cornua bubulorū terſa & polita. Sufficit autē in vndecim diebus ſemel renouare fucū. *Cardan. de ſanit. tuend. lib. 4. c. 15.*

DE CALVITIO.

OBSERVATIO.

Duorum fratrum natiuum ac perpetuum caluitium.

DVos fratres germanos nouimus natura caluos. Vnum telonarium noſtratem, ad portā molendinariā habitantē: Alterum agricolā, in Vngerſcheim vicino nobis Enſisheimii pago agentē. Quorum poſterior nō ita pridē ſæuiſſimis dentiū doloribus tortus, cum me conſulendi gratia conueniſſet, & honoris cauſa caput nudatū, & depile obiiceret: morbi alicuius occaſione, phalacroſim hanc natam arbitrabar. At ille falleris, inquit, domine; eſt n. hoc mihi cum fratre ex vtero materno cōmune ac perpetuū caluitium. Quod exemplū, vt mihi rariſſimum viſum eſt, ita tibi, vt Myconiis & Arumpheis accenſeres, communicandum cenſui. *Ioan. Stadlerus. de obſeruat.*

OBSERVATIO.

Subitaneo terrore perpetuum caluitium contractum in puella.

ADoleſcentula patri vnica mane parentis thalamum ingreſſa, vt de more illi è lecto ſurgēti miniſtraret, adapertis feneſtris patrem vocat, illū vero altiori ſomno detineri rata ad cubile accedit cū expergefactura; verum rigidum immobilemq; repertum, cū tetigiſſet frigidum adinuenit nocte intempeſtiua ſubitanea morte correptum. Quo caſu inopinato perterrefacta horreſcens, arrectis capillis, ſemianimis vicinos aduocat, ſoli n. pater & filia vitā ducebant, qui patrē mortuum ſepulturæ dederunt, ſemiuiuentem filiam in lectū collocantes vt vires reciperet, cui quarta die cæperūt defluere capilli, ita vt omnes fere deciderint, paucíq; fuerint reuerſi, & in poſterum caluitio laborauerit. Hoc autē fieri dicendū iudicio noſtro, ꝙ, ob repentinū validumq; timorē, vniuerſus calor cōfertim ad vitæ penetralia cōfugiat, hinc cutis riget, & capilli arrigūtur, vnde maximus poetarum cecinit: Obſtupui, ſteteruntque comæ & c. *Marcell. Donatus hiſt. med. mirab. lib. 1. cap. 1.*

OBSERVATIO.

Calueſcere mulieres, etſi aliter ſentit Ariſtoteles & alii nonnulli.

ESt ſentētia *Hippocratis & Galeni, in aphoriſm.* 28. *& Ariſtot. 5. de generat. animal. c.* 3. mulieres ipſas non calueſcere. Imo refert *Syneſius philoſophus in libro de caluitio*, à ſeculo nunq̃ viſas fuiſſe mulieres q̃ calueſcerent: quanquā *Albert. Magnus lib. 19. de animal. cap. 6.* ſcribit, ſe vidiſſe duas mulieres caluas. *Mercurialis lib. 1. cap. 5. de morbis cutaneis.*

Falſum eſt mulieres caluitiem non pati, ſæpe enim vetulas videmus pilis nudatum habere caput, & hoc vitium alieno crine tegere. Quod ſi forte mulieribus id accideret, non tamen ea ratione

one puto contingere, quod ſemen illæ non emittant, vt Ariſtot. putauit. *Argenterius Comment. 2. in Art. Medic. Gal.*

DE ALOPECIA.

OBSERVATIO.

Hiſtoria Alopecia laborantis, ſola purgatione curati.

EGo iam factas alopecias aliquando ſola purgatione ſanaui, nullo amplius medicamento poſt ipſam ad locum affectum admoto. Vt autem ampliorem eius rei experientiam facerem, ex eiuſmodi quopiam ſucceſſu ſum impulſus. Adoleſcens quiſpiam, bonæ habitudinis, & exercitiis aſſuetus, hanc affectionem in capite habebat: erat autem ſatis familiaris mihi, vt diætam ipſius, qua iam per tres aut quatuor menſes vſus erat, probe noſſem, explebat enim ſe quotidie ferme fungis. Hunc itaque ſola hiera ex colocynthide purgaui, bis in quinque diebus: in prima ſane purgatione quatuor ex ea drachmis, in ſecunda quinque exhibitis. Priuſquam vero ad has purgationes peruenirem, catapotia ex aloe vndecim ei præbui, ciceribus fere magnitudinem parem habentia. Habent autem catapotia hæc Colocynthidis partem vnam, aloes & ſcammonia vtriuſque partes duas, his ego vnam partem ſucci abſynthii addo. Antea vero etiam maſtichen, chiam, & bdellium adieci. Hoc enim modo Quintus vtebatur. Quum igitur poſt has purgationes homini pituitam è capite deducere per apophlegmatiſmos vellem, atque deinde pharmacum quoddam ad affectam partem adhibere, contingit ipſum derepente in profectionem quandam ablegari: in qua, quum boni ſucci cibis, de quibus à me inſtructus erat, vteretur, poſt dies fere viginti rediit ab affectione circa capillos penitus curatus. Ex hoc ſane ſucceſſu incitatus ego, quum in aliis eandem curationem feciſſem, expectaui, vt viderem quid citra pharmacorum ad caput adhibitionem eſſet ſequuturum. Curati ſunt itaque omnes hoc modo: non tamen in iam inueteratis huiuſmodi experientiæ periculum feci. Difficulter enim eluuntur in his cuti impacti ſeroſi humores, multo vero magis in his, quibus iam ipſa cutis ad malum habitum peruenit, deſperanda eſt per ſolas purgationes curatio. *Galenus lib. 1. cap. 1. de compoſ. pharmac. local.*

DE TINCTVRA CAPILLORVM.

OBSERVATIO.

Virgines quædam ob deprauatam capillorum tincturam periculoſiſſimis & admirandis ſymptomatibus affectæ.

PVella nobilis in hac vicinia annorum 16. vel 17. vt flauos & prolixos efficeret capillos, vnguento quodam illitos, feruentiſſimo ſoli per horas aliquot, ſingulis diebus, capite non munito, exponit. Hæc etſi optatum effectum ſit aſſecuta; tamen magnos capitis dolores ſibi attraxit, & ſanguis per nares ſingulis fere diebus copioſe effluxit. Quodam tempore, cum nares comprimendo ſanguinem ſiſtere vellet, non procul à dextro oculo verſus tempora, per porum, tanquam per foramen acu factum, ſanguis affatim erupit: admoto autem digito, iterum per nares effluxit. Laborauit etiam tunc temporis obſtructione menſium.

Alia quædam huius oppidi puella, eadem arte vtens, doloribus oculorum fere eſt obcœcata, ſic quæ nimium ſtudent formæ ſeipſas ſæpe deformant. *Ioan. Francus Med. Camitenſis.*

OBSERVATIO.

Nouum prorſus, atque Europæ, Germaniæ præſertim, incognitum remedii genus, ad capillos aureo colore ſine omni noxa, fingendos.

QVum hucuſque multa & varia in puellis experti ſimus, (quibus vel inuite obtemperare decet) & ex omnibus remediis hoc vnum cæterorum præſtantiſſimum & tutiſſimum inuenimus, placuit illud hic chartis mandare, & eo magis, quia Maria à Baldouinis, nobilis Florentina, multo omnium mihi chariſſima, non altero vnquam vſa eſt; habet autem remedium ſic. Alkanam Arabum in puluerem redactam, vt à Græcia & Mauritania mercatores afferre ſolent, accipito; quam pauco vino tepente exceptam, in pulmenti formam redigito, & ea poſtea capillos per ordinem vniuerſos ad radices vſque illinito, quos ſic illitos per viginti quatuor horas ſtupis coopertos bene faſciato, poſtea vero tepente vino caput lauato, & eburneo pectine, vel altero dentes oblongos & plicabiles habente, prædictos pectinato capillos; breui enim eos vt aurum reddas, nec pluribus medicamentis, vt ſcopum conſequaris, opus habebis, tanta enim ineſt medicamento vis. *Luſitanus cent. 3. curat. 59.*

Ex foliis Cypri, Orientis arboris, quem Ægyptii, Elhannę, vel Tamarrhendi vocant, puluerem conficiunt, quem Archenda illi appellant. Hoc mulieres vtuntur, ornatus gratia manus & pedes colore aureo tingentes. Non autem in ſucco lanariæ vel ſtrutii, *vt ait Dioſcorides*, ſed ſimplici aqua eam miſcentes, aquam auream faciunt, quæ aureo colore tingit: quod arcanum noſtræ mulieres ſi agnouiſſent, pro deaurandis ipſorum capillis nihil haberent quo ſecurius vterentur, neq; ſub radiis ſolis ſe vrerent, variisq; modis caput lęderent. *Proſper Alpinus lib. de Plantis Ægyptiis, cap. 13.*

Plura vide *in Hodœporico L. Rauvvolfii. pag. 60. & 61. Et in Magia naturali recognita Portæ.*

Alcanna in Punicæ mali altitudinem excreſcit: ſed cũ cædatur, virgulas duntaxat profert ſaliceorum viminum inſtar. Magnũ adfert quæſtum Ægypti incolis: nã eius folia ſiccata in pollinem teſunt, flauo colore inficiẽtem. Huius pollinis cenſus tam ingens eſt per eas regiones quę Turcarum Imperatoris ſubiacẽt imperio, vt plus quam octodena ducatorum millia reddat: inualuit enim ea cõſuetudo, vt omnes mulieres, manus, pedes, capillorum partem, rubro aut flauo; viri autem vngues rubro colore hoc puluere inficiant: addito præterea alumine, puerorum. vtriuſq; ſexus capillos tingunt, equorum iubas, pedes & caudas. Eius regionis mulieres ad formæ decorem multum accedere putant, ſi ab vmbilico, infra etiam coxarũ partem flauo colore inficiant, quẽ ex hoc puluete concinnare norũt, ſimulatq; ex balneis egrediuntur; quoniam eo tempore color altius penetrat. Illius vſus adeo frequens eſt, vt non modo apud Turcas inualuerit, ſed etiam in Wallachiam,

Ruſſiam, & Boſniam deferatur. Cum itaque plebs hoc puluere carere nequeat, neceſſario eius diſtributio magnum cenſum præbet: ſæpeque accidit, vt Alexandrinæ naues eo oneratæ Conſtantinopolim deuehantur, qui illico venundatur & diſtribuitur. *Bellonius memorab. & ſingular. lib. 2. cap. 74.*

DE TRICIS INCVBORVM.

OBSERVATIO.

Nouum veteribuſque indictum horridi & intricati capillitii tum capitis tum barbæ genus, difficilium quorundam capitis morborum argumentum.

HORRIDVM quoddam, impexum, adeoque intricatum capitis atque barbæ capillitium, apud noſtros haud infrequens, cæterum veteribus cuiuſcunque ætatis medicis incognitum, obſeruare licet: Quo affecti prælongas capillorum tricas & cincinnos mirifice intricatos, digiti ſæpe craſſitie, ex reliquo Capitis & Barbæ capillitio, ad humeros, pectus, & aliquando ad vmbilicum vſque demiſſos, propendere videas, aſpectu plane monſtrifico, & Gorgonæum caput præferente. Quos illi magna relligione prorſus incultos, nec ferro præſcindere, nec pectine explicare ſuſtinent. Perſuaſi omnino, grauiſſima capitis morborum fomenta, velut Apoplexiæ, Paralyſeos, Maniæ, & cumprimis Cæphalalgiæ pertinacis, conſimiliumque materiam iiſdem alendis abſumi. Qua, ſiue ſuperſtitione, ſiue multa hominum obſeruatione ducti, quiduis potius, quam eorundem culturam, aut præſectionem, velut prorſus infauſtam & lethalem admittunt. Factiſque de experimento & hiſtoria periculis, ſententiam ſuam mordicus tuentur. Qui ex his elegantiores haberi volunt, tricas huiuſmodi, capitis quidem intra pileum: barbæ vero ſubtus pectorale conuolutos prius recondunt ne conſpiciantur. Alii vero etiam inter congreſſus publicos aut conuentus, nec ſi cælare velint, poſſunt, nec ſi poſſunt, volunt. Adeo & geſtantium & conſpicientium animis indubitata fide inſedit, vt citra opprobrium aut vituperium, velut rem maxime ad vitam ſuſtinendam neceſſariam, conſpiciendos ſinant. Sed enim quoſdam per vniuerſum vitæ ſuæ decurſum eo modo aluiſſe annotatum eſt: ſperantes ſe à difficilimis impendentibusque ſibi morbis vindicari poſſe. Sunt qui ad eoſdem ſubnatos, numquam, vbi inuiolatos cuſtodiuiſſent, recidiuam ſe paſſos fuiſſe, conſtanter affirment. Vulgus etiam, ſi in tales incidere contingat, ſtatim de occulto aut latente, atque difficili aliquo capitis malo, eoſdem ſuſpectos habet. Qua in re, num ſuperſtitio experientiam, an vero experientia ſuperſtitionem conuincat, ad iudicium meum nunc non reuoco. Ego certe vt nihil diſſimulem, vt in vulgi ſententiam propendo: ita ſeminarium huiuſmodi morborum non tam inde argui, quam ali, atque, ne inuadant, hoc modo præueniri poſſe, de pilorum generationis cauſis, euentibus & curationibus, recepta Medicorum ſententia doceri poſſe, accedente quæ ex vulgo conſtat, & quaſi per manus tradita atteſtatione, ſentio. Europæis aliis innotuiſſe hoc capillorum vitium nondum comperi: vt nec pleriſque Germaniæ partibus omnibus, Briſgois, Alſatis, Belgis, nonnulliſque Rheni tractibus quaſi endemium, & popello noſtro notum eſt ſatis. Ciues hic ipſe noui ſupra triginta, quorũ aliqui vel hodie quoque ſuperſunt, hoc capillitio inſignes. Vulgus Marenflecht/ & Schrötlinszepff, quaſi dicas Incuborum tricas ſeu cincinnos, vocat, quod putet Incubos & Fannes noctu eoſdem ſugendo tractare. Alii Marenlöck vel Morenlöck, hoc eſt, ſcrofarum tricas, quod his ſimiles à ſcrofarum collo dependentes obſeruent, vocant. *Ioan. Georgius Schenckius, Schenckij F. Hagenoenſis Medicus.*

DE BARBA.

OBSERVATIO.

Infans barbatus, piliſque ſub alis & pectine inſignitus natus.

VIDI qui natus fuit cum barba, & pilis pectinis, & pilis titilicorum. *Hali Rhodoham comment. ad text. 177. Tech. Galeni.*

OBSERVATIO.

Mulieres barbatæ.

MVLIER natura læui eſt, ac delicata, & ſi multos pilos habuerit, monſtrum eſt. *Epictetus 1. cap. lib. 3.*

Tale monſtrum vidi aliquando Lutetiæ, muſtace nigro & incano iuſtæ magnitudinis, mento etiam piloſo mediocriter. Fertur & in Gynæconitide Alberti Bauariæ Ducis eſſe mulierem promiſſa nigra barba. *Wolfius in enarratione huius loci.* De mulieribus barbatis ob deſuetudinem virorum & menſium defectum vide *libr. 4. huius noſtri operis obſeruatione 6.*

DE MONSTROSIS CAPITIS CONformationibus.

BICIPITES.

OBSERVATIO.

Bicipites nati, cætera ſimplices.

IN Veienti biceps puer natus. *Lycoſth. Anno mundi* 3791.

In Veienti agro puer natus eſt vnimanus & biceps. *Rueff. lib. 5. cap. 3. de generat. hominu.* vterque vt videtur ex Iul. Obſequente, quo hactenus integro deſtituor.

Fruſinone ex ancilla puer biceps. *Idem Lycoſth.* Anno mundi 3838. Ex eodem vt opinor Obſequente.

Puella nata biceps. *Cicero de diuinatione.*

Vidi virum quendam natum habentem duo capita ſeparata. *Hali Comment. ad lib. 3. text. 177. Tech. Galeni.*

Dixit Porphirius ſupra terras Siciliæ accidit eclipſis ſolis magna, & illo anno mulieres terrarum regionis ipſius filios deformes, habentes duo capita, generarunt. *Rabi Moſes Particul. 24. Aphoriſmorum.*

Anno Domini 601. puer natus biceps *Lycoſth. l. Prodig.*

Anno Domini 1104. Mõnſtroſi partus editi pecudes, homines bicipites nati. *Idem. lib. Prodig.*

Circa Annum 1118. Monſtrum quoddam Namuti natum eſt, biceps videlicet infantulus, tam ſexu duplex quam cæteris, ſimplex autem compage corporis. *Idem prodigiorum & oſtent. Chronico.*

Poſt Clementem III. vrbe pulſum, inter alia prodigia, etiam monſtroſi partus editi, homines bicipites nati. *Auentinus lib. 5. Annali Boiorum.*

Circa annum Chriſti 1413. biceps puella in Boiaria aquilonari inter Danubium atque Alemannum amnes in Sandersdorff, nono Calend. Apr. nata eſt, in mola pagi, quæ & quaterna brachia, totidem manus, & pedes habuit. *Idem Annali. Boior. lib. 7.*

Anno 1487. Biceps infans Patauij natus eſt, in quo præter naturę luxuriem nihili alioqui fœdum aſpectu. *Lycoſth. lib. Prodig.*

Editum in patrij ſoli vico, cui Sarzano nomen eſt, magnitudinis inuſitatæ monſtrum. Digna res eſt viſa quam libellis infererem, eo quidem procliuius, quoniam flagrante inteſtinis diſcordijs Italia, & intonante altius bellorum procella, quæ iam aliquot annis late vaſtitatem dedit, vice prodigij habitum id eſt. Is verò infans fuit biceps, multa in eo mira. Primum quadrimeſtris magnitudo, membra omnia cum proceritate reſponſum habentia, abſoluta, amuſſitataque, facies vtraque ſimilitudinis propè indiſcretæ. In capitibus crines aliquanto longiores ac nigricantes, inter vtrunq; caput ex collimitio humerorum tertia ſurrigebatur manus, ſed quæ aures longitudine non excederet, nec integra viſebatur omnino. Reliquum corpus prorſum bene compactum, ac citra vllam maculæ fœditatem. Natus eſt quinto Idus Martias, anno nati verbi, milleſimo quingenteſimo quarto ac decimo. Poſtridie allatus Rhodigium eſt. Quia verò viſenda res erat, placuit ad Hiſp. Ducem, qui in proximo vicaria Regis fungebatur poteſtate, adferri. Id verò vt citra putredinis timorem poſſet obiri, exenterare præmortuum neceſſe fuit. Inibi ergo mirum aliud cor quidem ſimplex, vt aſſolet, at iecur duplex ficuti & lien. Nam in viſcere hoc quandoque viſam duplicationem vel in vno, credimus Ariſtoteli. Et paulo poſt. Quod ad infantem attinet, illud amplius ſciendum, vnumne an plura ſint per coagmentationem, quod monſtrificum prodit animal: iudicandum eſt ex principij ratione. Nam ſi cor pars eiuſmodi eſt, quod vnum cor habet vnũ animal eſt: quod duo, animal item duplex coalitum propter conceptuum coniunctionem. *Cœlius libro 24. capite 3. L. A.*

Narrant Cœlio Rhodigino viſa fuiſſe duo in Italia monſtra, marem vnum, fœminam alterum, corporibus per omnia pulchrè, & concinne compoſitis, niſi quod capite eſſent duplici, ac marem quidem paucis ab ortu diebus interijſſe: fœminã verò quinque & viginti annos vixiſſe: quod à monſtrorum communi conditione abhorret: ferè enim fit vt breuis admodum vitæ ſint, quod vt inuita natura naſcuntur, & ſic viuant. Adde quod ſibi admodum diſpliceant, quod reliquis mortalibus ludibrio ſint, itaque vitam ſibi acerbam putant. *Pareus operum ſuorum libr. 24. cap. 2.*

Louanij anno 1536. Infans biceps natus. *Gemma lib. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

Anno 1538. Natus eſt quidam, & ad perfectam viri ſtaturam excreuit, capite & humeris tantum geminus, ita vt caput alterum ante alterum retrò eſſet, mira inter ſe ſimilitudine. Barbis etiam & oculis ſeſe referebant mutuo. Idem erat cibi appetitus, fames eadem, vox ſimillima, idem vxoris quam habebat & excernendi vtriſque capitibus erat deſiderium. Annum excedebat trigeſimum quando hunc videre contigit. *Rueff. lib. 5. c. 3. de conc. & generat. hominis.*

Simile quoq; monſtrum in Bauaria, anno 1541. conſpeximus, erat autem mulier vigintiſex annorum, duobus capitibus, quorum tamen vnum ſatis deforme erat. Hæc dum mendici habitu hoſtiatim victum quæreret, propter grauidas, datò viatico abire à finibus iuſſa eſt. *Lycoſth prodig. & oſtent. Chronico.*

Noſtra memoria fœtum vidit Haſſia editum quinto idus Ianuarij, Anno 40. geminis capitibus reflexis in dorſum, quorum ſeſe facies obuerſæ inuicem minaci aſpexerunt vultu. *Peucerus Teratoſcopia pag. 440.* facie auerſa.

Anno incarnati verbi ſeſquimilleſimo quadrageſimo ſecundo, quinto idus martias, natus eſt infans in noſtra regione biceps, viuus, vtraque facie indiſcerta, vnicaque manu inter vtrumque caput aſſurgente. *Pictorius Sermonum conuiuialium lib. 4. pag. 84.*

Anno M. D. XLIV. menſe Ianuarij, nata eſt puella biceps, reliqua autem omnia vnum corpus referebant: nam bina crura, bina brachia, vulua vna, ſed tamen cum amicus noſter Gabriel Cuneus, Chirurgus diſcipuluſque meus, eam me abſente diſſecuiſſet, primo quidem gulam interiorem, (ſunt qui meri vocant) ac cum eo ventriculum inuenit geminatum, ſed tamen in fundo coibant: ibi pylorus vnus, attamen ex eo inteſtina gemina exoriebantur: vt vterque ordo duplicatus eſſet illorum præterquam in recto: nam in illo rurſus in vnum coibant: ſicque ad anum finiebatur. Erant autem fæces in ambobus: pulmones gemini viſebantur, atque hi nulla ex parte in vnum coibant. Cor paulo altius quam in alijs eſſe ſolet, υ literam Græcam referens: bifidum ſcilicet, ſed tamen in vna ſede. An vterque ventriculus ſuperior in eo eſſet, haud explorauit: iecur craſſum valde oblongum, ſed abſque penulis, ſed additamentis, atque ideo informe: ſpina dorſi duplicata, diſtabatque vna ab altera digiti magnitudine, vnaquæque ſuo inſeruiens capiti, & vſque ad crus quod ſibi in directo erat, ferebatur. Dentes inferiores anteriores quatuor, ſuperiores autem duos tantum ſed magnos, verum inferioribus duriores, ac paulo ſolidiores, ſed tamen qui nec ipſi dentis exquiſitam præferrent duritiem, habuit: renes duplicati, vterus & veſica minimè. Orta eſt menſe nono, & abſoluta, ac etiam corpulenta. Verum in ipſo ortu, ob errorem obtorto collo vnius ab obſtetrice, idem dies eademq; hora fuit qua tenebras mortis & vitę huius

lucem experta eſt. Manifeſtum eſt igitur idem in his cōtingere quod in fructibus: duas tentauit natura creare puellas: in ipſo exortu principalium membrorum colliſa atque conſtricta ſunt omnia præter caput, omnia igitur principalia præter cerebrum in vnū coiuerunt, fuerunt tamen potētia duo: quæ autem poſterius creata ſunt velut vterus brachia, & extrema, ab vno tantum, & tanquā in vno fœtu ſunt abſoluta. Ergo cerebrū prius creatur inter omnia, nō cor, quemadmodum dicit Ariſtoteles: aut ſimul cum aliis, vt Galenus cenſet; nam plures bicipites videre contingit: qui autem geminum corpus habeant, atq; vnum caput, non ita. *Cardanus de Varietate lib.* 14. *cap.* 77.

Anno 1552. in Haſſia Germaniæ haud ignobili, Vuitzenhauſæ, tertio poſt feſtum trium Regum die, infans maſculus biceps, collo duplici, duobus capitibus, ac corpore optime cum reliquis membris compacto natus eſt. *Lycoſtenes. lib. Prodig. &c.*

Decimotertio calend. Sextilis, anni 1553. in Miſniæ pago quodam Zieheſt, non procul à Pirnaum, natus eſt infans duob. capitibus, membris omnibus abſolutis. *Idem ſæpius citato opere.*

Puerum, anno quinquageſimo quarto ſupra ſeſquimilleſimum, monſtroſum in pago Senas, prope Druentiam bicipitem natum, à pleriſq; non dilutæ fidei hominibus, qui ſpectatores fuerunt, oculatiq; teſtes, accepimus. *Valleriola Locor. Commun. lib.* 1. *cap.* 18.

Monſtri bicipitis, & duo crura, at vnū brachiū habentis, effigiem, *Pareus lib.* 24. *cap.* 6. exhibet.

Obſervatio.

Biceps natus, cui ex medio ventre alterum caput prominebat.

NAtus eſt (*anno* 1516. *Lycoſthenes*) & in virum excreuit, qui caput aliud vmbilico exereret, & pro more alterius quoque cibum caperet. *Iacobus Rueff. lib.* 5. *cap.* 3. *de conceptu & generatione hominis.* Quo anno Franciſcus primus Gallorum Rex fœdus cum Heluetiis iniuit, natum eſt in Germania monſtrum, cuius è medio ventre caput inſigne extabat, ad virilem ætatem peruenit, nec ſecus quam verum & ſummū monſtri illius caput, hoc monſtrificum & tanquam applicitum nutriebatur. *Pareus. lib.* 24. *cap.* 2.

Obſervatio.

Alius biceps natus: cui ex perinæo alterum caput enatum.

REcens in Regno Anglico Anno 52. tertia Augusti, intra decimam & vndecimam, biceps natus fœtus, capitibus non vno & naturali loco eminentibus, ſed oppoſitis, inter ſeſe, altero de collo exerto, altero ea nato parte, quam femen & περίνεον vocamus, vno vmbilico, tribus pedibus, vno dextro latere tenus exporrecto, duobus ex appoſito latere, ſiniſtris, manibus omnibus. *Peucerus Teratoſcopiæ pag.* 440. facie auerſa.

Acephali.

Obſervatio.

Capitibus carentes nati, acephali dicti.

ANno 1525. Infans Wittembergæ ſine capite natus. *Lycoſt. lib. Prodig. & oſtent.*

Anno 1554. In Miſnia infans natus eſt abſq; capite, oculorum effigie in pectore expreſſa. *Iacobus Fincelius de miraculis noſtri temporis.*

Anno Domini 1562. Calendis Nouembris, Villæfrancæ in Vaſconia, natum eſt monſtrum, fœmina, Acephalon: cuius imaginem à Fontano Agenēſi Medico, qui ſe id vidiſſe ſanctè affirmabat, acceptam mihi de monſtris commentationē paranti obtulit Ioannes Altinus Doct. Med. *Pareus lib.* 24. *cap.* 6. Quod ad iconem attinet, circa colli regionem tuber exprimit ſubacutum, auerſa corporis parte ſingulis ſcapulis rudimenta quædam papillarum, ex ſpirali linea ductarum, apparent: ex quarū demiſſiore regione media roſtellum incuruum elephantis proboſcidi haud abſimile exprimitur: quæ ſi inuicem conferantur, oculorū, naſi, atque adeo faciei imaginem quandam præbent. Humeris ab vtraque parte, vel auribus, vel oculis quid ſimile incumbere conſpicitur. Cætera muliebre corpus affabre compactum referunt: niſi quod vmbilicus paulo longius propendeat, & capite in vniuerſum careat. Atq; hæc ex nuda icone deſcriptio. *Schenckius.*

Varia capitis forma.

Obſervatio.

Non naturalium capitis, tum ab Hippocrate & Galeno, tum ab aliis deſcriptarum figurarum, varia & prodigioſa forma.

NOn naturales capitis figuræ cenſentur: primum ea, in qua anterior eminentia à ſyncipite, frontiſve elatiori ſede producta perit: poſterior autem, quę occipitis eſt, reſeruatur. Item, quę huic plane contraria viſitur, ac poſteriorem, occipitij nimirum, eminentiā manente anteriore perdidit. Deinde tertia, naturali adhuc magis opponitur, in qua ambæ capitis eminentiæ abolentur; & caput ad amuſſim rotundum, & inſtar exactæ ſphæræ, ac veluti ſcillæ obſeruatur: qua figura Therſites ab Homero fuiſſe traditur, hāc enim ab ipſo φοξὸν appellari, nonnulli aſſerunt: quanquam pleriſq; acuminatas omnes capitis figuras eo nomine, & ὀξυκεφάλον nuncupare libuerit. Quarta ſpecies non naturalis figuræ omni ex parte diſſimilis eſt, haud ſecus quam ſi ad alterā aurem in naturali figura faciem, ad alteram vero poſteriorem ceruicis ſedem fingeres. Verū Galenus alibi hanc excogitari quidem, non autem in rerum natura conſiſtere poſſe affirmat, quamuis interim Venetiis puer multis partib. deformis; & admodum amens, hac figura hodie conſpiciatur. Imò apud Bononienſes mendicus obambulat, cui caput quadratum, ſed latius paulo quam longius contigit. Præterea Genuæ puellus annos natus ferè tres, à mendica oſtiatim circumlatus eſt, & paulo poſt in nobiliſſima Belgarum Brabantia ab hiſtrionibus fuit propoſitus, cuius caput in vtrumq; latus protuberans, duob. virorum capitibus grandius extitit. *Veſalius libr.* 1. *c.* 5. *de corp. human. Fabrica.*

In nano quodam monſtruoſo, ac alio huic quaſi conſimili menſuraui maiorem diſtantiam fore à tempore in tempus, quam ab occipite in ſynciput, vt hanc quartam videretur capitis figuram innaturalem habere. Sed talia monſtruoſa rara & inuitalia. *Pet. Aponenſis, different.* 79. *Conciliatoris, de quarta nō naturali capi. figu.* Idem obſeruauit *Hugo, &c.*

atteſtante *Thoma à Veiga. Comment. ad cap. 11. Art. Medicinal. Gal.*

Non videtur ſilentio eſſe prętereundum,quod nuper in inciſo Iacobi cuiuſdam furis inſignis cadauere,præter alia,annotauimus: poſteriorem nimirum eius capitis partem,vbi memorię ſedes eſt, adeo breuem, vt tantillam cerebri portiunculam contineret.Quam ob cauſam cum priorum ſcelerum,& eorum quæ pro his ſæpè paſſus fuerat, tormenta ſcilicet,exilia, & carceres minime recordaretur,toties ad vomitum, tanquā canis impudens reuerſus eſt,vt in laqueum tandem inciderit,vitęque ac furti finem fecerit. *Beniuenius Abditor. capite octageſimo nono.*

OBSERVATIO.

Capita humana pro regionum, populorum, nationumq́; diuerſitate,cum ab arte,tum à natura plurimum variare.

PRimum omnium de macrocephalis (differāmus)cum nulla omnino alia gens ſit,quę ſimilia capita habeat. A principio quidem conſuetudo in cauſa fuit, vt tam longis capitibus eſſent, nunc autem natura ipſa cum conſuetudine conſpirauit. Siquidem generoſiſſimū apud eos putatur, caput habere quam maximè longum. Conſuetudinis a. hoc initium fuit.Cum recens infans natus eſt, caput eius adhuc tenerum ac molle exiſtens, quam celertime conſtringunt manibus, coaptantesque cogunt in longitudinem augeri: quin & vinculis connectunt,ac aptis inſtrumentis colligant, quo rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur.Ea cōſuetudo tantum effecit, vt eiuſmodi capitum natura exiſteret:temporis vero progreſſu natura quoq; tales produxit, vt non eſſet neceſſe conſuetudine priore cogere. *Hipp. lib. de aere, aquis & locis,&c. textu decimo ſextu,Mela lib. 1. cap. vigeſimo primo, Plin. libr. ſeptimo & lib. 6. cap. 4. Ariſtoteles lib. 1. Politicorum. Suidas ex lib. 7. hiſtoria rerum Troianorū. Cœlius Rhodigin. lib. 17. cap. 3. L. A.*

Id in corporibus admiratione dignum, quod apud Indos occidentales in prouincia Portus veteris cernitur,cum homines ceruice careant (eam voco nunc partem colli, quæ eſt iuxta atlantem vertebram) & caput illis quadratum ſit. Sed hoc arte,non natura, comparatur: verum etiam ars in naturam quandā tranſit. Etenim nati ab his,quorum caput ab initio inter tabulas colligatum fuit, quibuſq; compreſſum,ſtatim vt nati forent, ſimilem formam contraxerunt. Conſtat igitur humanam formam multis modis variari, tum arte, tum diuturna ſucceſſione. *Cardanus lib. 8. cap. 43. de Varietate.*

Hippocrates naturalis capitis formæ cauſam in obſtetrices nutriceſq; videtur reieciſſe, cum aſſerit quoſdā oblōga capita exiſtimaſſe eſſe pulchra, hoſque ideo in puerulis ea compreſſiſſe, atque ita tandem natura in hanc oblongam formam procreata eſſe:eo prope modo, quo pleraſq; nationes peculiare quid in capitis forma ſibi vendicare cōſtat.Genuenſium namq; & Gręcorum adhuc magis & Turcarum capita globi ferè imaginem exprimunt, ad hanc quoq;(quam illorum non pauci elegātem, & capitis, quibus variè vtuntur tegumentis,accommodam cenſent) obſtetricib. nonnunquam magna matrum ſolicitudine opem ferentibus.Germani vero compreſſo plerunq; occipitio &lato capite ſpectantur,quod pueri in cunis dorſo ſemper incumbant, ac manibus ferè citra faſciarum vſum, cunarum lateribus vtrinque alligentur. Belgis oblongiora cæteris propemodum reſeruantur permanentve capita, quod matres ſuos puerulos faſciis inuolutos, in latere & temporibus potiſſimum dormire ſinant. *Veſalius lib. primo,cap. 5. de Corporis humani fabrica.*

Genuenſes, cum à Mauris progenitoribus accepiſſent olim morem, vt infantibus recens natis tempora comprimerentur: nunc abſq; vllo compreſſu, Therſitico & capite & animo naſcuntur. *Scaliger Comment. ad lib. 5. Theophraſt. de cauſ. Plant. pag. 287.*

OBSERVATIO.

Quidam animalium quorundam; velut Elephantino, Bouino, Arietino, Coruino, vel etiam Felium, Simiarum, Ranarumq́; ſpecie, capitibus geniti.

PRecipuè admirationis etiam illa prodigia,quę C. Volumnio & Sei. Sulpitio Coſſ. in vrbe noſtra inter initia, motuſque bellorum acciderunt. Puer infans ſemeſtris in foro Boario triumphum proclamauit. Alius cum elephantino capite natus. *Valer. Maximus. lib. 1. cap. 6.* Alcippe elephantum enixa,quanquam id inter oſtenta eſt. *Plin. N. H. lib. 7. cap. 3.*

Natus alicubi eſt infans maſculini ſexus, capite elephantis. *Rueff. lib. 5. cap. 3. de concept. & Generat. hominis.*

Iam puerum ortum capite arietis,aut bouis referunt,idemq; in cæteris membrum nominant animalis diuerſi vitulum capite pueri, & ouem capite bouis natam aſſeuerant. *Ariſtoteles lib. 4. de generat. animal. cap. 3.*

Anno Chriſti 1414. Monſtrum habens caput caninum,& cętera membra ſicut homo, prę̨ſentatur Ludouico. *Vernerus Veſphalus in Faſciculo temporum.*

Anno Domini 1517. in Boſci Regis Parœcia, in Biera ſylua, via ad fontem Bellæ aquæ, natum eſt monſtrum facie ranali, viſum Ioanni Bellangerio Machinariæ Regiæ Chirurgo, coram Harmoij oppidi iuſticiæ cuſtodibus, in primis Ioanne Bribonoeius loci Procuratore Regio. Pater vocabatur Amadæus Paruus, Mater Magdalena Sarbucata. Hæc febre diuexata, mulierculæ cuiuſdam conſilio ranam viuam manus palmæ affixerat, tandiu detinendam,quoad immoreretur parti,eo habitu in viri amplexus venerat de nocte, & conceperat, eam Bellangerius, perſpicaci ingenio vir, monſtroſæ deformitatis fœtus cauſam eſſe arbitrabatur. *Pareus lib. 24. cap. 7. Operum ſuorum.*

Simiarum aſpectu, & vrſinis obſitos villis toto dorſo partus, ipſi vidimus, quas ſimilitudines reputatæ pepererant. *Peucerus in Teratoſcopia.*

Anno 1556. Baſileæ Rauracorum puellus natus eſt crudeli aſpectu, corpore quidem ſatis bene compacto, ſed capite hirſuto, canem, aut catum magis vel ſimiam, quam hominem referēte, vixit autem circiter horam dimidiam. *Lycoſthenes Chronic. de Prodig. & Oſtent.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Puer monſtroſo capite, eodemq; aperto natus.

QVinto Calend. Septembris, anni 1544. Argentinæ nobilis Alſatiæ metropolis, infans fœminei ſexus, horrendo, monſtroſo, atq; in ſuperiori parte aperto plane capite, lato ore, bouinis oculis, narib. aquilinis natus eſt, *Idē iam citato loco.*

OBSERVATIO.

Monſtrum natum, ſuperiore capitis parte & collo carens, oculis in fronte ſitis, occipite foramine peruio, vnde ſanguis emanabat.

SEptimo Idus Auguſti apud nos Baſileæ maſculus natus eſt, corpore ſatis quidem bene compacto, ſed ſine collo, monſtroſa planè facie, oculis inſolitæ magnitudinis, quaſi in fronte ſitis; ac ſuperior capitis pars omnino deerat, in occipitio autem habebat foramen iuſtæ magnitudinis, ex quo ſanguis aliquantulum fluebat, vnde ſtatim poſtquam in lucem editus eſſet, diem ſuum obiit. *Idem lib. Prodig. Anno. Domini 1557.*

OBSERVATIO.

Viſus infans reclinato & obtorto in alterutrum latus capite, pedibusq; ſibi inuicem impoſitis, figura Saluatoris Chriſti crucifixi.

ANno 42. Pilſenæ quæ Boemiæ oppidum eſt, puer natus imagine Chriſti Saluatoris noſtri crucifixi, quem virgo mater de cruce depoſitum, ſinu fouet, altero ſuper alterum pede inflexo, vt ſi amoueretur mox reductā reponeret. Illi propter collum reflexum cibus in os difficulter inſeri potuit. *Peucerus Teratoſcopiæ pag. 443.*

OBSERVATIO.

Mulier vnico partu caput humanum, lacertam bipedem, & porcellum enixa.

ANno 1531. Auguſtæ Vindelicorum mulier peperit: primo caput humanū, membranis inuolutum: ſecundo bipedem ſerpentem, cui lucii caput, corpus ranæ & pedes, cauda lacertæ: tertio porcum omnibus partibus integrum. *Idem Teratoſcopiæ pag. 439.*

DE MAGNITVDINE CAPITIS.

OBSERVATIO.

Monſtrum; cuius caput ferme duplo aliorum maius.

MAteria interdum ſuperabundat in toto; vel in parte, vt in Golia, & monſtro Vlmenſi, cuius erat ferme duplum ad aliud caput. *Eckius Comment. ad 2. Phyſicor. Ariſt. pag. 38.*

OBSERVATIO.

Magno admodum capite, cæterum ſine oculis auribus, naſo, mento, ore, cranio, & fronte, natus.

ANno 1591. Nouembri menſe, Francofurti ad Mænum, non procul ab ædibus Electoris Treuirenſis, horam circa tertiam, poſt medium noctis, monſtroſus puer natus eſt; caput habens ingens & præter modum magnum; oculis, auribus, naſo, mento & ore, cranio & fronte carens; ſub hoc tam monſtroſo capite humeri, manus, crura, pedes, aliaque membra naturalia, proportionibuſque ſuis fuere diſtincta: mortuus hic puer à multis conſpiciebatur, & tandem in Cæmiterio S. PETRI, ſepultus eſt. *D. M. Ianſonius. lib. 4. Mercurii Gallobelgici. pag. 342. & 343.*

DE HYDROCEPHALO.

OBSERVATIO.

Hydrocephalon.

Yδροκέφαλον, eſt tumor capitis aquoſus. Colligitur enim aliquando in capite tanta humoris copia; vt eo caput ſupra modum intumeſcat. Is vt plurimum quidem aquoſus eſt, aliquando tamen fæculentus aut ſanguine dilutus. Eſt autem omnis piger & deſes, tribuſque in locis colligitur, ex quibus totidem ὑδροκεφάλων differentiæ exiſtunt. Aut enim inter cutem & pericranium, aut inter cranium & pericranium, aut inter cranium & cerebri membranas coaceruatur. Addidere & veteres, *inquit Aetius.* quartam differentiā inter cerebrum & eius membranas; ſed quæ nullam recipiat curationem. Multis autem de cauſis aqueus ille humor colligitur, quarum aliæ euidentes, aliæ internæ ſunt. Interna quidem eſt cum ſponte ſua vaſa capitis rareſcunt, & aquoſam illam ſubſtantiam, quæ ſanguini miſta eſt, in locum aliquem effundunt, vnde totum caput intumeſcat. Externa vero euidenſque cauſa eſt plaga aut contuſio, non omnis quidē, ſed quæ infantibus præſertim ab obſtetrice infertur in puerperio, rudius contrectato appreſſoque eorum capite. Ob id puerulis maxime morbus hic innaſcitur, eſtque eorum proprius. Singularum eius ſpecierum diſcrimina *à Paulo & Aetio* explicantur. *Gorræus Deſinit. Medic. litera Y.*

Fœmina nata in Argelia, cum Anno Domini 1547. comitante marito, proficiſceretur Lipſiam, in pago Oberdorf, ſito inter Mansfeldiam & Sangershuſium, cruciari cœpit dolore parturientis, enixa eſt igitur puellam, infantem pulchrum & aſpectu delectabilē, niſi quod in dorſo exanthemata rubra adpareret, latitudine groſſi Ioachim.

Cum autē vixiſſet infans, quatuordecim dies, ei caput ita creuit, vt quotidie maiori tumore oneraretur, donec & oculi circumflua carne prorſus intecti, nihil videre poſſet. Quinto igitur mēſe cum adhuc ſuperſtes eſſet, filo explorata eſt circumferenti capitis, qua æquat hæc linea duodecies explicata, quæ ad marginem adiecta eſt. *Fincelius. lib. de miraculis.*

Vidi in quodā puero, filio Vincentii de refrigeriis, qui tantam aquam habebat extra cranium, q̃ ſciſſuræ apparebant apertæ. Cauſa iſtius aquæ eſt, & maxime extra craniū poteſt eſſe, propter obſtetricem, vel propter nutricem, ꝙ quandoq; in extractione fœtus, vel in nutriēdo, vel in faſciando, caput ſtringunt vltra modum. Vnde commiſſuræ ſcinduntur, & aperiuntur, & exprimitur humiditas illa, quę eſt in cerebro, ad exteriora cranii, inter cutem & cranium, & ſic intumeſcit caput vehementer. *Leonellus. de Morb. Pueror. cap. 14.*

HYDROCEPHALICI MORTVI.

VIdi puerū, cuius caput adeo augmentabatur in lōgitudine & latitudine, quod corpus eius ſufferre non poterat: & non ceſſauit augmentari quouſque mortuus eſt puer. *Rhaſes. cap. tertio libel. de morb. puerorum.*

Viſus

Viſus mihi puer, cui caput indies ob aquoſum humorem contentum grandeſceret, tandemq; in tantum tumorem ſublatum, vt ipſum nec ſtans, nec ſedens ceruice ſuſtinere poſſet, adeo vt paucis diebus interierit. *Albucaſis lib.2.cap.1.Cheirurgiæ.*

Nos infantes fere omnes (Hydrocephalo laborantes) mortuos vidimus, præſertim quibus intra cranium communicata eſt aqua, & quendā adhuc bimulum puerulum Panhormi inſpeximus: cuius & coronalis, & recta ſuturæ in tantū dilatatę ſunt, vt digiti ſpaciū interfuerit: minus vero lambdoides diuaricata erat. Huncque longo tempore (aliquibus enim menſibus) eo modo vidimus, vt Celſi (*lib. 4. cap.2.*) ſententiā veram eſſe experiremur: poſſe videl. hunc affectum longum eſſe: an vero demū ille obierit, ignoramus, quia Panhormo diſceſſimus. Quod autem admirabilius erat, cōſiderauimus, per earum enim vſque adeo apertarum ſuturarum ſpatium diaphanum quoddam cōſpiciebatur, non aliam ſubſtantiam, quam puriſſimā aquam repræſentans. Si ergo aqua continetur, vel pura fæx, ſtrigmentumve, frigidus tumor erit. Calidus autem vbi ſanguis, etiamſi fæci admiſceatur, qui ſupputari ſæpiſſime conſueuit. *Ingraſſias Tract. 1.cap.1.Comment.ad Auicenn. de tumoribus.*

In cadauerulo ſex annorū vel circa vidimꝰ hydrocephaleam, ſcil. aquā in capite, q̄ collecta erat inter cerebrum & piam matrem in anfractibus illis, eratq; limpidiſſima aqua, ac ſatis copioſa reſpectu loci patientis. *Fallopius in Obſ. à Franc. Michino editis.*

Infelix puerulus in Pago Antiſylua dicto, filiolus Heinrici Verlanij, generoſi domini præſidis Hollandię, cū naſceretur, forte ex duriore tractatione obſtetricis hydrocephalo afficiebat. Cheirurgus quidam puluerē exiccātem capiti cum inſperſiſſet, nec alia remedia adhibuiſſet, cum forte inciſio magis ꝓfuiſſet, hydrocephalus maiorem in molem ſemper deinde accreuit. Poſt duos menſes deinde Epilepſiā incurrens, fruſta adhibitis remediis, quartū agens mēſem, cum ad illum curandū, morte inſtāte, accitus eſſem, paroxyſmis epilepticis ſemper increſcentibus: de huiꝰ morte etiam ex genitura pueruli p̄ſagiū feci, ad Pręſidem eundē ſcriptū. Qui puerulus, eodē die, q noſtrum p̄ſagiū Pręſes acceptſſet, mortuꝰ eſt. *Foreſt. Obſ. 30. lib. 8.*

Tres vidi pueros in hac vrbe hydrocephalo laborātes duobus ſtatim à partu caput inflari cœpit, donec tandē mole oppreſſi perierunt: nullus autē Cheirurgorū curationē attētare voluit. Tertii caput in tantā magnitudinē increuit: decimaquarta, ſeptimana partu (cū famula illum inſcia matre ad balneas publicas portaſſet:) ita vt caput grauiꝰ ſeu ponderoſius euaſerit q̄ corpus: monſtrum potius quā hominem referebat. At multis tentatis fruſtra remediis, curari non potuit. Tandem miſere epilepſia periit. *Thobias Cneulinus de obſ.*

Ante triennium D D. Kolreitterus & ego, cuiuſdam nobilis infantem, quatuor menſiū hydrope cerebri laborantē, curandū ſuſcepimus. Adhibita a omni diligentia, malum, medicamētis capiti per aliquot ſeptimanas applicatis, depelli non potuit. Tandem cum Chirurgus caput, ꝙ prę nimia mole vix ferre poterat infans, parente ita iubente, loco tumidiore aperire, effluxit aqua limpida & pura. Sed poſt aliquot horas in Epilepſiā incidit, & paulo poſt è vita diſceſſit. *Ioan. Fran. Phyſ. Camicenſis.*

Nobilis Balthaſari à Balden vxor, peperit filiam venuſtā admodū, bene habiti corpuſculi. Cęterū, poſt menſem ſextū cœpit caput in ingentem molē excreſcere, adeo vt omnib. ea res viſa tergorem incuteret. Craniū v. per ſuturas dehiſcebat, maxime circa occiput & Lambdoiden ῥαφὴν, vnde magna ſubſtātia ſeroſa & ſanioſa effluebat, quotidie, malè olens, quę ſubinde cruſtoſa efficiebat, nutrix interea valde ſollicita fuit in educēda tenella filiola q̄ alias optime vbera ſugebat, & pultes aſſumebat vel moſam: corpore vndiq; bene cōſtituto. Cauſā varii variā eius mali adferebant aliqui, quū præter hydrocephalū tn̄ nihil aliud fuerit, fruſtraq; optimus nobilis varios ſuper ea re conſuluerit empiricos, Chirurgos & doctores. Audiui tandē, accedētibus febribus & cōuulſionibus, infantulū extinctū fuiſſe. Primus n. partus erat is. Poſthac nobilis ex vxore alios ſuſcepit feliciori ſydere natos. *Mocc.*

HYDROCEPHALICI CVRATI.

Ego vidi quendā in quodā hoſpitio Cremonæ, quē natura rectificauit p ſe ſecundū longitudinē tēporis, & vixit puer ille longo tempore, poſt hæc ſumpſi ex illa operatione naturę, modū curationis per me cū exſiccantib. paulatim. Et cum venit ad manus meas filia cuiuſdā mei amici, & tractaui eā modo curationis, primo proceſſi in cura illius hac via: omni die incipiebā inungere caput eius totaliter cū oleo camomillę & ſulfure, facta hac ꝓportione. ℞. olei camomillę vnc. iiij. ſulfuris vnc. j. miſceātur ſimul. de hoc calido actu bis in die faciebā fieri vnctionē, ponebā lanā calidā ſuper caput eiꝰ, vel pannū de lana calidum, & ſic cōtinuando per menſem, & plus natura cōfortata fuit ſuper infirmitatē: & incepit manifeſte exſiccare de humiditate illa. Et ꝙ mihi apparuit ꝙ illa humiditas erat intra craniū & cutim exteriorē, potui ſecurius ꝓcedere cū re fortiori. Et ēt ꝙ membra hæc iam erāt firmata quodammodo: & ꝙ hæc ſpecies eſt minoris timoris q̄ alia volui, & feci poſt hoc quoddam cauteriū punctale in parte anteriori intra locum q dicitur fons & frontē, & impreſſi cauteriū vſq; ad aquam, & ſic aqua cæpit paulatim emanare, poſt aliud tēpus feci alia duo cauteria ex parte poſteriori, ex quib. ſimiliter emanabat aqua ad meā volūtatem: & ſic cū iſtis trib. cauteriis, & oleo ſupradicto continuaui ꝑ tempus, quouſq; aqua illa tota, exſiccata eſt perfecte, & puella infra mediū annū ſanitati fuit reſtituta. Sed ex cauteriis aquā non ꝑmittebam exire niſi ſtillando: & claudebā eam cū tentis pfecte omni die decēter, & ligabā ligationē cōuenienti caput eius totū. In ea autē, in qua aquā clauditur intra craniū & durā matrē, ꝓcedere debes cū eiuſdē rebus eodē modo, timendo ſemper debilitatē virtutis: & de impreſſione cauterii propter approximationē aquę ad cerebrū: nam in hac ſpecie infirmitatis timoroſius & ſubtilius ꝓcedendum eſt: ꝙ vtplurimum non curatur, neq; curari poteſt infirmitas talis, quando fit ex tali cauſa. *Guilhelm. Placentinus Cheirurg. lib. 1. cap. 1.*

Nō temere inter infantium morbos Auicenna cōputauit: Cū talis tantaq; capitis inflatio, vt ſuturę diſparent in pueris, ob oſſium teneritatē mollitiemq; contingere queat. Atq; ego vel in me ipſo huiuſmodi tumorē ꝓpè quartū ætatis meæ annū, expertus ſum. A quo ſtatim euidētiſſimo Redemptoris noſtri miraculo, (deſperātib. Medicis) liberatꝰ ſum. Intercedentib. interim Diui Vincētij precib. cui mater mea collachrymās vouit, expeditaq

miſſa, domum reuerſa, me incolumem reperit. Cuius quidem caſus (ita Deus Opt. Max. perpetuo me adiuuet) ac ſi heri, aut nudius tertius ſucceſſerit, certiſſimam habui memoriam. *Ingraſſias de tumoribus præter naturam. pag.* 311.

Puer quindecim dies natus, derepẽte in tumorem magnum in capite, tactu mollẽ, lapſus eſt, quẽ morbum Greci hydrocephalon appellant: cui occurrens, hoc vſi ſumus medicamento, quo intra tres dies ex toto inflatio illa euanuit: ſic enim medicamentum habet. Recipe puluer. abſynthij, camomillæ, meliloti, ana vncias duas, butyri recentis, olei camomillini, ana vncias quatuor, ceræ parum, & ad ignem fiat vnguentum, quo inungatur locus, & eo, vt dixi, intra tres dies ſanitati fuit reſtitutus. Cæterum in hoc caſu expertum hoc quoque habetur, quod ſic habet; Recipe Mellis lib. ſemis, ſalis, vnc. ſem. pul. origani vnc. tres. Miſce, & lepido locus inungatur: ſi quis vero huius morbi exactam deſiderat curationem, legat *Paulum lib.* 6. *ſuæ medicinæ cap.* 3. quo nullus melius rem, vt mihi videtur, pertractat. *Luſitanus. Curat.* 69. *Centur.* 1.

Memini me quatuor pueros hoc morbo laborantes animaduertiſſe & curaſſe, quorum vni poſt mortem diſſecto, non erat cerebrum amplius pila palmaria: Cæterum ex tumore intus ſub cranio contento, neminem conualuiſſe vidi: & ab externo tumore, facile ſaneſcunt. Ergo ſiue ſub pericranio, ſiue ſub cute capitis muſculoſa lateat humor, reſoluentibus primo oppugnandus eſt. Quod ſi ſic expugnari nequeat, facienda inciſio eſt, temporum vitato muſculo, indeque exprimendus humor omnis, ſiue carnium recens mactatarum loturam, ſiue nigrantem ſanguinem, ſiue ſanguinis thrombos, cum nempe tumori occaſionem dedit contuſio, referat: hinc vulnus lino carpto ſicco implendum, conduplicatis pannis contegendum, ac denique decenti ligatura viciendum. *Ambr. Pareus. lib.* 7. *cap.* 1.

Quanquam Neoterici, inter quos eſt *Guilielmus Placentinus*, *& Nicol. Florentinus*, curationem per inciſionem non commendant infantibus: nos tamen vidimus infantem & filiolum Magiſtri Petri Friderici Chirurgi Delfenſis, quem ipſe ex fonte ſacro ſuſcepi, euaſiſſe. Filiolus quoque M. Petri de Meer, Penſionarij Delfenſis, licet poſt inciſionem curatus, poſtea tamen obijt, non quidem propter inciſionem, quia diu curatus erat, verum poſt aliquot dies, incidens in febrem, mortuus eſt. Interea tamen ſi ſit aqua extra cranium, & humiditas non ſit multa, Concoregius ex mente Auicennæ incidere iubet cutem ſecũdum latitudinẽ: ſi vero multa, crucis inſtar incidit, aquã per vices euacuando; deinde cum lixiuijs & vnguentis conuenientib. curat. *Foreſtus ſchol. ad obſeru.* 30. *lib.* 8.

Puerulus nuper natus, ingenti capitis magnitudine afficiebatur; quẽ vt recte curaremus, nutrici imperauimus, vt victus ratione exſiccante vteretur; illamq; ſæpius purgauimus cũ pilulis de hiera. Et quia non erat materia aquoſa, valde copioſa, diaphoreticis eandẽ curari tentauimus; vnguento q; conſtabat ex puluere abſinthij, chamomillæ, origani, ana. drach. iij. pulu. myrtill. ros. rub. meliloti an. drach. j. ol. chamomillæ. q. ſ. ad incorporationẽ, cũ pauco butyro & cera adiecta fiebat vnguentum. Poſt inunctionem puluerem ex mirtillis, ros. cinnamomo, caryophillis, chamomilla, inſpergi iuſſimus, quibus infans curatus eſt.

Alius vero puer hoc medicamento curatus eſt, quo Placentinus in eodem caſu feliciter vſus eſt, vniuerſo capite cũ oleo chamæmelino & ſulphure inuncto, accipiendo olei chamomillæ vnc. iiij. ſulph. vnc. j. quibus commiſtis, bis in die pueri caput calide per mẽſem oblinebatur: quo facto, lana calida & ſicca capiti imponebatur, donec ſanitatem conſecutus eſt. *Idem obſeruat.* 29. *lib.* 8.

Hydrocephalos duos videre me memini, alterum ſexto ab hinc anno Gislingæ, q; eſt Vlmenſis Reip. oppidum, comitum olim ab Helffenſtain, &c. Puella erat nouem menſium, parentibus nata pauperculis, cuius reliquũ corpus iuſtæ erat proportionis, caput autem adeo immenſum, vt intuentibus horrorem incuteret. Patebat autẽ vertex totus, ſolo pericranio tectus, in quo tanquam vtre copioſus continebatur humor, loturæ carnis, tamen dilutæ, non abſimilis; nam vſqueadeo diuulſæ erant cranei partes, vt latera tantum aliqua ex parte tegerent capitis, innatante meningibus humore illo copioſo. Verũ quandiu deinceps ſuperuixerit, ſcire non potui, cum eodem anno in aulam migrarim.

De altero vtrum hydrocephalos dici mereretur dubitaſſem, niſi & Aëtius, & noſtro tempore Pareus ita appellaſſent. Puella erat & hæc nobili genere orta, recens nata, quæ inter cranium & pericraniũ tumore laborabat æquante, aut ſuperante & iam pugni magnitudinem. Quem cum chirurgi fruſtra linimentis, & plumbeæ laminæ multis foraminib. pertuſæ impoſitione curare niterentur, mater tandẽ puellæ ſola ſaliua & habitu ſuo, quibus per aliquot dies ieiuna, inungebat tumorem, & halitu perfundebat, ita percurauit, vt præter tenuem ſanguinei coloris lineã, qua limites tumoris fuerant, nihil reſtaret. Verum hæc minus infrequẽtia ſunt. Nam & de aliis interea hydrocephalis, qui partim tertium, partim decimũ ætatis annum ſuperaſſent, audiui, quamuis ipſe non viderim. *Oſvvaldus Gabelchouerus de obſ.*

OBSERVATIO.

Hydrocephali noua ſpecies, quæ intra cerebri ventriculos (res mira) nouem prope aquæ libræ citra difficilia admodum ſymtomata deprehenſæ: craniumq; non oſſeum, ſed membranoſum, quale ſolet eſſe abortiuo fœtui, conſpectum.

AFfectum Auguſtæ Vindelicorũ in bienni puella obſeruaui, cuius caput in menſibus plus minus ſeptem ita increuerat, vt nullum viri caput vnquã viderim, quod nõ mole illi cederet. Fuitq; is affectus, quẽ veteres hydrocephalum vocarunt, ab aqua, quę in capite aſſeruatur, ſenſimq; colligitur. Quanquã ea non inter caluariam & externus ipſam ſuccingentem membranam aut cutem (vbi alias aquam reponi medicorum libri docent) huic puellæ fuerit collecta: verum in ipſius cerebri cauitate, adeoq; in dextro ſiniſtroq; illius vẽtriculis: quorũ cauitas amplitudoq; ita increuerat, ipſumque cerebrũ ita extenſum fuerat, vt nouem fere aquæ libras, aut tres Auguſtanas vini menſuras (ita me ament Superi) cõtinuerint. Ad hęc vt cerebrũ in capitis vertice, mẽbranę quaſi modo erat tenue

quodammodo continuum cum tenui ſua membrana corpus: ita quoq; caluaria fuit prorſus membranea, tantaque duntaxat ſede oſſea, quanta caluariæ puellæ erat amplitudo, priuſquam caput extra modum increſceret: ea fere ratione, qua in nuper natis pueris, frontis os & verticis oſſa conſtare cernimus, vbi illa alioquin mutuo ſunt contermina & in admodum pueris, inſigni interuallo amplitudineque viſuntur membranea. Cerebellum interim, cerebrique vniuerſa baſis ſecundum naturam habebant, vti & neruorum productiones. Dein nullis prorſus ſedibus, qua in cerebri ventriculis adeo atque dixi adauctis aquam reperi, & puella ad mortem vſque ſenſibus integris eſt vſa, & quoties caput, cum illam paucis ante mortem diebus conſpexi, ab aſtantibus mouebatur, & nonnihil, quantumuis etiam leuiter, erigebatur, grauis illico tuſſis puellæ moleſta fuit, cum difficili reſpiratione, & totius faciei miro rubore, ſanguiniſque ſuffuſione, & lachrymarum prouentu. Reliquo corpore mediocriter habuit: & ſi laxis infirmiſque, ſed non reſolutis tamen fuerit articulis, neque præſente etiam inſigni macie, aut etiam ſeroſo in membris tumore, aut morbi comitialis, aut tremoris alicuius notis. Iecur cum paulo poſt mortem ſpectaretur, ſubpallidum, & nonnihil naturali alias iecore contractius duriuſque occurrit: liene interim maximo & molli conſpicuo, perinde ac ſi iecoris vices aliquandiu obiuiſſet, adeo vt cum præſentibus medicis nihil æque admiratus fuerim, ac tantam aquæ vim in cerebri ventriculis abſque maioribus ſymptomatibus tamdiu collectam fuiſſe. *Veſalius lib.1.c.5.de Humani corporis fabrica.*

OBSERVATIO.

Puer cranio non oſſeo, ſed membranaceo natus: quibus remediis reſtitutus ſit.

GEorgio filiolo meo, ex vtero in lucem prodeunti, adeo molle fuit totum cranium, vt ad leuiſſimum digiti tactum velut membrana aliqua cederet. Ego de vita infantis deſperans, nolui corpuſculo tenerrimo adhibere medicamenta. Animaduertens autem temporis progreſſu, capitis magnitudinem, plus quam par erat augeri, & metuens, ne fieret ὑδροκέφαλος, elapſis ſex ſeptimanis, caput raſum ſingulis diebus ol. chamemelino, cui ſtæchas Arabica, Briganum, Sulphur & nitrum, incocta erant, inunxi: & menſe ſeptimo durius eſt factum craniū, & nunc puer bimulus, Dei gratia, bene valet. *Iohan. Francus. Phyſicus Camicenſis de obſ. ſuis.*

OBSERVATIO.

Stupenda hydrocephali ſpecies, in viro viſa, & curata: cuius caput increſcendo bouis caput æquabat.

EQuidem non in puſillis, ſed in viro, qui furnariam exercebat, augeſcere, caput ad tantam magnitudinem vidimus, vt mole bouis caput ſuperaret, & totam cum naſo faciem occultaret. Iuſſimus primum baculum in ore immitti, ne deperdita reſpiratione ſuccumberet. Mox omni diuerſionum genere, cum tenuiſſima victus ratione ſeruatus eſt, ſenſimque caput detumuit. *Montuus de infant. Pragmatia. pag.8.*

DE VARIIS CAPITI AGNATIS.

OBSERVATIO.

Corona ſacerdotali natus viſus.

NIcetus Treuirenſis naſcitur cum corona clericali. *Cæſar Baronius Eccl. hiſt. pag. 630.*

OBSERVATIO.

Puer multifariam monſtroſus, cui genitale membrum à vertice propendit.

ANno 1487. Puer Venetiis editus eſt, ore pluriuariam ſciſſo, & præter multa fœdiora relatum, genitale membrum habuit vertici agnatum, atque ob eam rem non placuit in apertum referre. *Lycoſthenes Chron. de Prodig. & Oſtent.*

OBSERVATIO.

Infans natus, cui præter alia monſtroſa in vertice carnea maſſa teſtudinis inſtar: in ceruice vero quiddam murinæ caudæ ſimile agnatum cernebatur.

STETINI, Anno 1554. accidit, vt infans in lucem editus noctu baptizaretur, qui diro modo corporis giratione, vociferationibus, & geſtibus variis aduerſatus eſt paſtori baptizaturo, vt terrorem omnibus adſtantibus incuteret. Tandem paſtor factis ad Deum ardentibus votis infantem baptizauit. Habuit ille in vertice maſſam carnis, imaginem præbens teſtudinis tuſſæ, in ceruice caudam carnoſam habuit inſtar muris, ſed albeſcentem, qualis erat cutis, ſine pilis, capite erat Therſitico, oculis extantibus. *Fincelius de Miraculis noſtri temporis.*

OBSERVATIO.

Carnis excreſcentia infanti cuidam circa frontem vſque ad malam pronata.

ANNO 1578. die vero 25. Septembris oblata eſt mihi puella in ædibus meis Clodiæ, ex familia Samborum, quam mater, angina laborans menſe 3. abortiuit, non ſine magno vitæ diſcrimine, diuino tamen auxilio matrem curaui, puellam vero præſente Domino Iohanne Baptiſta Aquiſtapace Vicentino medicinæ Doctore diſſecui, in cuius fronte magnum carnis excreſcentiam reperi, quæ totam fere occupabat faciem, collumque vna cum malis ſuo colore tingens. In reliquis corporis membris naturaliter erat diſpoſita & formata *Georg. Garnerius. de obſ.*

OBSERVATIO.

Alius & in fronte & in occipite maſſa carnoſa notatus.

FRibergæ, Anno 1530. infans natus eſt obſcœno vultu, qui in fronte & occipite maſſam carnoſam duram & prominentem habuit. *Lycoſthenes Chro. de prodig. & oſtent.*

OBSERVATIO.

Puer oxicephalus, tumore ventriculi ſuilli inſtar ex occipite pronato ſimili, viſus: oculo dextro bouillo, ſiniſtro exiguo foramine ſine pupilla peruio; dente vnico, cum aliis aliquot corporis particulis monſtroſis, viſus.

ANTE annos quatuor ad puerperam hortulani cuiuſdam vocatus, quæ filiolum recens natum mihi obtulit, capite oblongo, iuſtæ alias magnitudinis, cui tumor ab occipite obnatus, ventriculi ſuilli inſtar propendebat, quo aperto, ſanies, carnis loturæ haud abſimilis, profluxit: oris fiſſura ſiniſtræ

partis ad eandem aurem vſque pertingebat: aperto ore, dens vnus albus, at nondum oſſeus conſpiciebatur: naſus ſimus, atque adeo depreſſus, vt imaginem quandam aſſidentis faciemque occupantis ranæ exprimeret. Oculus dexter magnitudine bouillum referebat, ſiniſter pupilla carens exiguo foramine viſebatur, digiti aliquod tum manuum tum pedum deſiderabantur, quorum loco rudimenta quædam, velut propediem ſubnaſciturorum, apparebant, digitis etiam ſingulis rite conformatis pilulæ carneæ ex fibrillis dependentis agnati cernebantur, ad ſiniſtri pedis imam partem ad os vſq; impreſſo circulo pedem cingente, perinde atque ſi ea parte reſti conſtrictus fuiſſet, notabatur. Puero tertia die extincto.

Vidimus præterea tres alios infantes ſimilib. ſuillorum ventriculorum tumoribus natos, quibus diſſectis, nihil præter aquam carnis loturæ haud abſimilem deprehendimus nonnunquam etiam pluſculum puris profluxit, at mox altero à partu die vita functos *Tobias Cneulinus de propriis obſ.*

Observatio.

Alia horribilis & monſtroſa capitis conſtitutio, in qua, præter alia monſtroſa, cutaneum velamentum, ex capite pronatum & propendens cernebatur.

ANNO 1578. natus eſt veſtiario cuidam, in pago ducatus Megalopolenſis Greueſmllen dicto, infans monſtroſæ admodum formæ? Cuius capiti agnatum viſum eſt carneum quaſi & membranaceum integumentum, quod vbi in anticam partem propendebat, faciem vniuerſam ita obuelabat, atq; obtegebat, vt obſcuram hominis faciei imaginem repræſentaret, quod à facie detractum & ſurſum tenſum, tyaram quandam, aut totius Turcici vel Ruthenici, pilei imaginem præbebat: caput in vniuerſum oſſibus & cranio carebat, vnde colligere licebat cerebro etiam, num caruiſſe? Sed & auribus quoque deſtituebatur, quod ea parte integumentum enatum cerneretur. Velamen iſtud facie abſtractum & ſurrectum, vna quoque oris rictus, inſtare clamantis, aut os diducentis, horribili aſpectu apparebat. In ore lingua nulla deprehenſa. Quo ſubinde patente, atque hiante, ſanguine atque igne collucere, formidando ſane aſpectu viſebatur. Oculi ſemper aperti, ſine pupilla vlla, caui non minus atq; fauces apertæ ſanguineum & igneum quiddam reconditum habere comperti ſunt. Naſus ei inſtar moloſſorum canum corrugatus. Collo erat oblongo nimis, adeoque molli, vt eo erecto, caput vel in anticam, vel poſticam, aut ad alterutram ſcapulam procideret. Manus dextra aperta, ſiniſtra vero concluſa, quæ quotieſcunque aperiebatur, ſua ſponte recludebatur. *Ex charta D. Simonis Pauli, vulgari lingua publicata. Schenckius.*

CORNVTI.

Observatio.

Capitibus cornutis nati.

NATVS eſt puer cum corniculo in capite: non dolebat, nec quicquam obnoxii ex eo percipiebat: grandior vero factus puer, cornu quoq; creuit, quod omnino deponendum ex capite puer contendebat, & à patre efflagitabat, ob id quod pueri illum cornutum appellabāt: accerſito igitur chirurgo plus iuſto audace: primo partem ſuperiorem præcidit, ex qua inciſione, nullum fere puer dolorem ſenſit: Chirurgus vero credens ita euenturum ſi radicitus corniculum reſecuerit: opus aggreditur, ſed infelici ſucceſſu, breui enim, vel intra paucas horas puer obiit, nec mirādum, quum cornu illud prædurum in parte inferiori, conflatum ex craneo, & medullari cerebri ſubſtantia eſſet. *Luſitanus. Cent.* 1. *Curat.* 51.

Anno 1233. In Rathſtadio oppido in Alpibus Noricis, quas Taurum incola vocat, infans cornutus natus eſt, vagitus eius atque ploratus quatuordecim ante dies quam ederetur auditus. *Lycoſthenes Chron. de Prodigiis & Oſtent.*

Anno 1551. In Marchiæ villa Dammenuualde prope Witſtock, coloni cuiuſdam coniunx monſtrum huiuſmodi edidit. Infans toto corpore fuit ſpadiceo colore, capite cornuto, oculis craſſis, prominentibus, abſque naſo, patulo ore, quod longitudine Spitamæ diſtentum fuit, in cuius medio lingua candida eminuit, & quadrata, colli expers. Caput enim ſcapulis accreuit, corpus totum inflatū & rugoſum, brachia in lumbis hæſerunt, pedes longe tenuiſſimi. Ab vmbilico autem ſpecies laxi inteſtini longe dependit ad pedes. *Fincelius de miraculis.*

Apud Subalpinos in Quiero, decem à Taurino miliaribus poſito oppidulo, Anno Domini 1578. die 17. Ianuarii ad octauam horam veſpertinam honeſta matrona fœtum peperit, cornua quinque ſibi aduerſa & arietinis ſimilia capite gerentem: cui præterea à ſumma fronte ad occiput in dorſum fere totum prælongum carneum fruſtum pendebat, capitii muliebris inſtar habens. Circa collum vero alia caro duplex aduoluebatur, tanquam colare ſubuculæ. Extrema vtriuſque manus digitorum vncos rapacium auium referebant, genua tanquam in poplitibus erant. Crus dextrum, peſque item dexter rubro colore præfulgebant. Reliquum corpus bœtico erat colore, magno cum clamore in lucē prodiiſſe dicitur, quo ſic conſternatæ obſtetrices, & reliquæ mulieres clinicæ fuerunt, vt ē veſtigio in fugam ſe ab ædibus puerperę dederunt. De eo monſtro cum Subalpinorum princeps reſciuiſſet, iuſſit id ad ſe adduci, nec dici poteſt, quam varia fuerint tum aulicorum de ipſo iudicia. *Pareus lib.* 24. *cap.* 2.

Ante annos duodecim natum monſtrum quinque cornibus in capite, qualia arietes ſolent habere; cum carnoſa appendice longa à tergo dependente. *Veinrichius Comm. de monſtris pag.* 220. facie auerſa.

Nuper apud Lingones, haud procul à Caſtellione, mulier peperit puerum, facie ſpectante in tergū, capite cornuto, vnguibus pene vrſinis, cætera hominem. Monſtrum id mox vt natum eſt, inſiliit in faciē matris: oppreſſumq; eſt, ſed aliquandiu ſeruatum in rei fidē. Qui vidit ad me perſcripſit. *Gilb. Nozerenus.*

Observatio.

Adultis cornua in capite pronata.

VIDI hominem, qui venit ad me pro conſilio, qui habebat in capite ſeptem eminentias, vnam aliā maiorem, & in diuerſis locis: quarum aliqua erat ita magna & acuta ſicut cornu capreoli vel longitudinis pollicis: & multum lædebant cutem, & miratus fui, quoniam cutis nō fuerat vlcerata. Cum ergo vidi, quod habebat à craneo ſuam originem & radicē, non me volui de cura intromittere: ſed ægro conſului, ne ſe poneret in manu alicuius propter curā: cum

mihi impoſſibile videbatur. *Lanfrancus tract.3.doct.2. cap.3. Cheirurgiæ maioris.*

Multoties in capite fiunt apoſtemata quædam quaſi cornua, dura tanquam lapis, & ſunt de genere nodorum:& aliquando ſunt mollia, & tunc proprie ſunt teſtudines. Omnia autem apoſtemata, quæ in capite ſunt tam dura & lapidea, quam mollia carnoſa vel pinguia debent incidi ſecundum formam crucis, vt facilius poſſint excoriari. Præterea quæ ex eis continent humiditatem, quæque poſt autem accidunt, eorum inciſio ſuperficialiter fiat: & ex eis quæ facilius vertuntur in ſaniem, ſunt ea quæ accidunt in capitibus puerorum, hocq; propter abundantiam ſanguinis & fluxibilitatem cutis. *Theodoricus lib.3.cap.27. Cheirurgiæ.*

Observatio.

Virgini nobili non tantum circa articulos brachiorum & pedum: verum etiam in capite & fronte cornua vitulinis haud abſimilia, cute tenus pullulantia, non ſine extrema deformatione ſubnata, percurataque puella deniquè priſtinæ genuinæ formæ reſtituta.

Nos Panhormi vna cum ſolertiſſimo cheirurgo Iacobo à Sorii, noſtro à pueris ferè familiariſſimo, nobilem quandam puellam virginem, quamplurimis recuruas, ſimulque in ſummo exacutas, cornuum vitulorum inſtar, effigies repræſentantibus, & omnibus fere artubus, præcipueque manuum cubiti, & genuum correptam conſpeximus, atque etiam in capite & fronte. Verumtamen non ſub cute, ſed ſuper ipſa oborti erant tumores illi, & quidem nouo quodam generationis ordine. Etenim velut lapidis generatio contingit in veſica, vt ſcilicet alia paulatim, atque alia ſuper aliam velut tunica adueniente, in magnitudinem increſcat: ita & in illis aſpeximus plurimas veluti oſſeas caſtas ſibi inuicem inhærentes, non ſecus etiam, ac ſi auellanarum cortices dimidios, alterum alteri ſuperimponas, minorem tamen maiori, vt in acutum, Pyramidiſque effigiem coniungantur. Tacti autem ſummopere circa baſim dolebant, & in tantum firmiſſime, ac ſumma duritie inhærebant, vt nemine Medicorum aliquo remediorum genere ſuccurrere valente, ad nos tandem, poſt multos iam ſui morbi, atque ortus horum annos, conſanguinei venerint. Continuo enim & magnitudine, & aliis nouis enaſcentibus numero etiam augebantur. Quam Dei Opt. Max. gratia pauciſſimis diebus ad ſanitatem reduximus, priſtinamque pulchritudinem. Cum tamen turpiſſima euaſerit, dæmonium potius, quam hominem præ ſe ferens, vſque adeo vt parentes libentius mortem, quam vitam illi optarint. *Ingraſſias. tomo primo de tumoribus præter naturam pagina 336.*

Observatio.

Cuidam è fronte corniculum digiti longitudine pronatum & filo præciſum.

Cornu in fronte Nobilis fœminæ natum, quam de Fortiuc Monpeſſulani vocant, digiti longitudine, filo paulatim adſtricto præciſum vidi Anno 1542. *Dalechampius annot. ad cap.37. lib.11. Plinii litera d.*

De Cornibus in aliis corporis partibus externis natis, vide *lib.5. huius operis.*

De Cute Capitis.

Observatio.

Cutem capitis vniuerſam poſteriora verſus mouentes quidam.

Bini in lucem reuocandi ſunt muſculi, ab aliis negligentia præteriti, quos in capitis poſteriore parte licet animaduertere, qui à lambdoide futura ſupra mammillares proceſſus oriuntur: triangulares ſunt, & in carnoſam membranam definunt, quæ frontis etiam muſculos excipit, eorumque vtilitas non contemnenda hæc eſt, vt frontem, cutemque capitis poſteriora verſus abducant, vt ego millies non ſine voluptate contemplatus ſum, in capite præcellentis viri præceptoris mei Iohannis Antonii Plati, quem Lonigum nunc vocant. Is enim cutem capitis vniuerſam valide mouet. Sed quid ego in aliis exempla perſequar cum domeſtica, vel interna potius exempla non deſint. Ego quoque is ſum, in quo cutem capitis manifeſte moueri nullo negotio cernere poſſes, quippe qui caluus admodum ſim, abſque vlla cutis ariditate, ſed mollitie adeo laxa, vt nuper nati infantis cutem præferat. *Columbus. de re Anatom. lib.5. cap.7.*

Scribit *Galenus 2. de vſu part. cap.14.* ſolam frontem, ſeu cutem frontis, in corpore humano moueri, quanquam vidi ego interdum aliquos, quibus cutis capitis pro libito mouebatur. *Mercurialis li. de decoratione cap.24.*

Nos quoque vniuerſam capitis cutem in anticam & poſticam partem pro arbitrio mouere poſſumus, id quod doctis nonnullis, non ſine admiratione oſtendimus ſæpe. Meminit *D. Auguſtinus lib. de Ciuit. Dei 14. cap. 24.* cuiuſdam, qui totam cæſariem, capite immoto, quantum capilli occupabant, deponeret ad frontem, & reuocaret cum vellet: quem probabile eſt, eo modo traducere & reducere citra capitis cutis pro arbitrio motionem, haud potuiſſe. *Schenckius.*

Mihi adoleſcens viſus, qui & aures, & capitis cutem promte moueret. *Dalechampius Annotat. ad 57. lib. 11. Plinii litera a.*

Observatio.

Hiſtoria Galeni ruri degentis, quomodo Achoras patientem ſanauerit.

Qvvm aliquando ruri degenti mihi pharmacum ex charta ad manum non eſſet, conſpecta in ægri domo inutili alias charta, faculam poſtulaui, exuſtaque charta ac aceto diluta, locum affectum illeui, hominemque ad me poſtridie venire iuſſi: ſciebam enim, quod, cum duræ carnis eſſet, pharmacum ferre poſſet: qui vbi veniſſet, parum aberat, quin curatus eſſet: quare ad aliud pharmacum non tranſiui, ſed eodem vti iuſſum, poſtera die perfecte ſanitati reſtitutum conſpexi. Prudenti igitur viro opus eſt, & qui tum curandorum morborum ſubſtantiam, tum ægri naturam probe norit: inſuperque pharmacorum facultatem non iuxta genus tantum, ſed & iuxta quantitatem cognoſcat, quo ſingulis diebus, quali præſidio opus ſit coniectet, in extendenda enim aut exoluenda pharmaci, quod

prioribus diebus admotum fuit, facultate in quantum ſane affectio ipſa indicat, congrua curatio conſiſtit. *Galenus lib.1.cap.8.de Compoſ.Pharmac.Local.*

OBSERVATIO.

A tinea crebris capitis lotionibus vindicata, capitis dolorem, febremque continuam incidit: à quibus malis, cum nulla arte liberari poſſet, moritur. Aperto cranio, dextra pars cerebri cum membranis putrida, & ichore citrino deprehenſa.

MVLIEREM tinea alias tentatam, ac frequentibus quibuſdam capitis lotionibus tandem ſanitati reſtitutam, in capitis dolorem febremq; cōtinuam incidiſſe, ad illam vocatus, minime mirum eſſe duxi. Cum vero nullis prorſus, vel reuulſoriis, vel deriuatoriis & euacuantibus cederent; ſed tandem ægram poſt dies 30. ad internecionem duxiſſent, ſublato cranio, media pars totius cerebri cum membranis (erat autem dextera) putrida prorſus inuenta eſt, ichore citrino referta, vrinam recte dixiſſes. *Hercules Saxonia obſ.*

OBSERVATIO.

Talpa cum cranii corruptione.

TESTVDINEM & glandulam ſiue talpam quæ adhæret cranio, & id contaminauit, *ſecundum Rogerium* melius eſt dimittere, quam cum trypanis (*vt ipſe docet*) curare. Et ego (*vti etiam Lanfrancus*) vidi hominem qui habebat talpam vlceratam ſuper proram capitis, cum corruptione oſſis, adeo vt ita perſpicuus eſſet panniculorum motus, ac ſi locus eſſet detectus. Cui conſului regimen palliatiuum, & receſſit. *Guido Cheirurg.Tract.2.Doct.2.ca.1.*

OBSERVATIO.

Capitis arteriæ, à vertice ad occipitium vſque cuidam in tantum dilatatæ intumuerunt, vt varicum ſpeciem repræſentarent.

INTVMESCVNT interdum arteriæ, & fiunt in illis veluti varices, quod tamen raro accidit: nam ob duplicem tunicam, quam duriorem habent & craſſiorem, & ob ſanguinem tenuem, quem continent renituntur, & non ita facile, dilatantur. Vidimus tamen Alexandrum Boſcollum, ciuem Florentinum, cui arteriæ capitis à vertice ad occipitium adeo tumidæ erant, vt viderentur varices ingentes: pulſabant autem vehementer cum tangebantur. Venit hic Piſas vt curaretur, à Gabriele Falloppio: qui magno cum apparatu ſectionem pollicitus: cum manum iam inciperet admouere, perterritus magnitudine tumoris, curatione ſuperſedit: veritus ne homo vitam cum ſanguine funderet: ille autem cum eiuſmodi affectu diutius vixit. *Vidus Vidius part. 2. ſect.2.lib.6.cap.14.Medicinæ.*

OBSERVATIO.

Muſculoſa capitis cutis pars cuidam ab occipite ad frontem diuulſa, reſtaurata.

DVM Hiſdini eſſem, militi cuidam ex proruta terra, dum ſuffoderet, muſculoſa capitis cutis vſque ad pericranium depreſſa eſt, & tota ab occipitis initio in frontem vſque ſic diuulſa, vt in faciem propenderet. Huius curationem hoc ſum ordine aggreſſus. Primum totum vulnus vino tepido laui, vt concretum ſanguinem fæce terrena permixtum eluerem, inde molli linteo deterſi, toti vulneri terebinthinam Venetam mixtam cum pauca aqua vitæ, in qua ſanguinis draconis, maſtiches & aloes aliquid diſſolueram, impoſui: hinc pendulam cutem ſuæ ſedi reſtitui. ſtabiliui ductis acu punctibus, nec plus quam par eſſet preſſis, nec denſioribus, metu doloris & inflammationis, quæ duo dum pus fit, potiſſimum contingunt, ſed quantum ſatis eſſet ipſi vndique continendæ, & aeri arcendo, qui ſuo ingreſſu vulneribus plurimum nocet: quæ deorſum vergebant vulneris oras penicillis longioribus, latioribuſque inditis compleui, quo ſaniei pateret effluxus. Toti vero capiti quod ſequitur cataplaſma impoſui. Recipe farinæ hordei & fabarum, an. vncias vj. olei roſati drachmas iij. aceti quantum ſufficit, fiat cataplaſma ad formam pultis, huic deſiccandi vis ineſt, refrigerandi, repellendi, dolores ſedandi, inflammationes mitigandi, & ſanguinem ſiſtendi. Ægro ſanguinem non detraxi, quod multus illi fluxiſſet, ruptis maxime arteriis quibuſdam, quæ ſunt ad tempora, hac arte curatus breui conualuit. *Pareus libro nono, capite decimo quinto.*

OBSERVATIO.

Sanies inter pericranium & cranium notata, nonnunquam oſſis corruptionem inducens.

IN dolore capitis ſæpe ſanies ſubeſt inter cranium & pericranium. Molliter digito contingendus locus, vt ſi quid illic ſit puris, intelligatur: multo magis ſi fixus illic dolor eſt, aperiendus locus. Nam ſæpe ſanies aperto loco defluit & liberantur: atque inde metus eſt, ne os corrumpatur. Si qua illic vena eſt, aperiri, vel ferro reſcindi debet, ſi admodum ſit inſignis. *Hollerius libello proprio, Obſeruat.3.*

OBSERVATIO.

Caſu ab alto, vulnus in capite acceptum, & citra ſaniei repurgationem conglutinatum, capite in tumorem abeunte, muſculoſa cutis inciſione percuratum eſt.

CAROLVS Philippi Hiſpaniarum Regis F. Caroli Quinti nepos, ex quartana aerem mutare iuſſus, in arce quadam nobilem puellam corollas nectentem intuitus, cum ludendi cauſa ad illam properaret: illa vim metuens, in cubiculum fugit, peſſulumque oſtio obdidit. Iuuenis eo magis irritatus, in cubiculum præceps per gradus effracta violenter ianua delapſus, grauiſſimum vulnus in capite accepit. Vocati Chirurgi vulnus obligant, conſolidationiq; intenti, ſaniei effluxum negligunt.

Itaque

Itaque caput totum tuberis inſtar intumuit; & apoplectico ſimilis puer aliquandiu iacuit. Tum demum Philippus, vt morituro extremum adeſſet filio, accerſitus Andream Veſalium Bruxellenſem ſecum adducit, quem Hiſpani in ſuperficie tantum corporis verſatum veri Medici appellatione indignum eſſe calumniabantur. Is in deplorato vnicam ſpem in ſectione pericranii ſitam affirmans, data ſibi poteſtate à Philippo, tuber decuſſatim aperuit, & pus fœtidiſſimum ſenſim euacuauit. Rediit igitur ad ſe puer, tanquam è profundo ſomno excitatus, vitæ reſtitutæ beneficium Germano Medico ſe debere affirmans. *Hugonis Blotii Delphtenſis. I. C. acroama.*

Observatio.

Vulnere non ita difficili & periculoſo in capite accepto, atque ob id neglectim tractato, cranii oſſa vitiata ſunt: vnde perennis Cephalalgia oborta, quæ Medicis morbi gallici falſam opinionem præbens, ægro prope lethalis extitiſſet, niſi ille chirurgi opera ſeruatus fuiſſet.

Georgius ex antiqua & celebri familia Nobilium ab Hohenheim, qui Bombaſt cognominantur, natus, cum iuuenis adhuc D. Maximiliani Primi Imp. Auguſt. caſtra ſequeretur, & vulnus in capite minime ἀξιόλογον accepiſſet, Chirurgo caſtrenſi id percurandum commiſit. Qui præterquam quod artis operum parum peritus eſſet, id etiam rium neglectim tractauit. Quo factum, vt vulnus non exacte à ſordibus & ſanie perpurgatum, ſenſim & latenter cranii oſſa vitiauerit. Chirurgus itaque ſuperficiaria expurgatione contentus, citra oſſis corrumpendi metum vni vulneris conſolidationi ſtuduit. Qua aſſecuta, rem omnem probe confectam vterque arbitratus, firmam valetudinem ſibi perſuaſerunt. Interea Nobilis Ordini Equitum Diui Iohannis Hieroſolymitani (qui hoc tempore Melitam occupantes, eandem aduerſus Turcam fortiter defendunt) ſeſe addicit, quo loco vbi pro more decurſum ſuum exegiſſet, & vt emeritus miles in Germaniam reuerſus fuiſſet, indies difficili capitis dolore torqueri cœpit. Medicis proinde tum multis, tum ſelectiſſimis adhibitis, nihil non tentatum, quod ad capitis dolorem tollendum conducere videretur. Malo autem peruicaci ſubinde inualeſcente, neque quicquam vulgaribus & vſitatis medicamentis proficientibus, ad decoctum ligni Guaiacini, & alypticam Hydrargyricam ventum eſt: cauſantibus Medicis, refractariam illam Cephalalgiam, ſuſpicione morbi Gallici haud vacare. Itaque vir optimus, & meliore fortuna digniſſimus, diætam gallicoſis debitam, quanquam innocentiſſimus, ſubiens, ſudat gnauiter, & ex artis, vti tum tempora ferebant, præſcripto, vnctiones ſuſtinuit fortiter. Vſus in hoc opera Clariſſimi & exercitatiſſimi viri cuiuſdam Argentinenſis Reipubl. ex conducto Medici Phyſici, apud quem ego circa annum Domini 1555. praxeos artis noſtræ tyrocinia poſui. Fœdis autem ſputationibus, tanquam curationis baſi, indicibili patientia certatum acriter, ſed pro ſperata reconualeſcentia fructus alius nullus ſubſequutus, præterquam quod medicamentis & acciſa diæta excarnificatus, ſatis habuerit menſibus aliquot inde, velut nauta tabulas in naufragio, ſic ille ſeſe ex virium imbecillitate analeptica diæta recolligere. Verum non ita multo poſt gemminatis eo vſque doloribus, vt vel mori omnino, vel extrema quæque experiri præferret: exemplis multis, quibus reperita alyptice & hyderotice in quantumuis pertinaci Gallicoſo capitis dolore præſens auxilium tuliſſet, perſuaſus, miſer denuo in priſtinum piſtrinum detruſus, ſummam aleam tentat: nouantur aut intenduntur medicamenta pleraque, & qui prius vnico, nunc pluribus menſibus Medico hoc carcere detinetur: atqui hygeia & Appolline nullo. Tandem cum remediandi ſpes exigua aut nulla ſupereſſe videretur, Medicis & medicamentis, à quibus tot tantaque perpeſſus fruſtra fuiſſet, longum valere iuſſis, reliquum vitæ ſuæ Deo & fortunæ committere ſtatuit. Accidit autem, vt in ſumma rerum deſperatione caſu, Argentinæ in ſenem & celebrem chirurgum incideret, & inter alia diuturni ſui morbi calamitatem ei recenſeret, qui ſciſcitatus ex illo, num aliquando ab externa aliqua cauſa, puta caſu, ictu, vlcere, aut vulnere caput læſiſſet, nulla reſpondit, niſi vulnere illo, quod ei in adoleſcentia inflictum fuiſſet, & cuius ſupra meminimus. Petit Chirurgus capitis explorandi poteſtatem ſibi fieri: Annuit ille, ſimul etiam, qua parte cicatrix prope obliterata notabatur, fixi capitis doloris locum monſtrat, quem ille digitis diligenter & ingenioſe pertentans, latentis oſſis vitium ſolerti coniectura animaduertit, & de nudando capitis oſſe, vel ferro vel cauterio cutem aperiendo, conſilium cœpit. Recipit æger Chirurgi ſententiam, & quia ferrum reformidaret, cauſticum prætulit. Itaque cathæretico & eſcharotico, arte chymica ex variis compoſito, & in lapidis duritiem redacto, ruptorio lapide vulgò dicto, eodemque linteo excepto, abraſis prius capillis, affectum locum iam ante notatum, amplitudine Ioachymici numi aliquoties induxit, vnde paucis horis, eſchara citra notabilem aliquem dolorem excitata eſt, hanc butyro loto inunctam, tandem vulſella ſenſim detraxit, qua ſemota, cranii oſſis vitium, Cephalalgiæ huius diuturnæ & latentis legitima cauſa in conſpectum venit: quod quia carie propemodum nigruerat, demiſſo, vt fit, ſpecillo, quouſque os abſcedere deberet, explorat, ſiquidem quantum oſſis corruptum, ſola eiuſdem abſceſſus curatio eſt. Catagmatico itaque puluere ſuperdato, primum ſuperficiaria caries ablata, deſquamatorio autem emplaſtro teſtulæ ſquamæque exemtæ, tum ſicubi radere opus fuerat, id eouſque factum, dum quidam veluti cruor per oſſium poros exſudaret, quibus omnibus, vitiato oſſe reſtituto, tum ſarcoticis carnem generantibus adhibitis, reliqua curatio epuloticis cicatrici procurandæ ſeruientibus abſoluta eſt, diuturnaque illa, & tantum non interneciua Cephalalgia, cauſa eiuſdem legitima ſublata, ceſſauit. Atque hæc vera eſt & indubitata Nobiliſſimi Herois, alias terra marique ſummo cum vitæ diſcrimine exagitati Hiſtoria, qui propter innumeras virtutes, tum bello Melita à Chriſtiani nominis hoſtibus crudeliſſimis ſtrenue aſſerenda partas: tum pace domi inſigni æquitate ſuis imperando adeptas, ſupremi in Germania Ordinis D. Iohannis Equitum Magiſtri & Principis honorem aſ-

ſecutus eſt, quo eum incredibili omnium applauſu multis annis perfunctum vidimus. Eſt autem morbi huius caſus & euentus cumprimis memorabilis, quo monemur, etiam ſummos & exercitatiſſimos Medicos, in tanta artis obſcuritate latentiumque morborum & cauſarum ambiguitate, facillime falli poſſe. Hunc ego caſum ex Opt. Principis ore bona fide (Deum teſtor) exceptum, dignum, qui poſteritatis memoriæ conſecraretur, iudicaui. Cui ego ab anno ſexageſimo tertio vſque ad vltimum vitæ ſuæ terminum à Medicinis adfui. Et quia Podagra quoque implicabatur, ſæpius ſiniſtras illas inunctiones execrabatur, quæ neruos tantopere debilitarant, vt in ſenectute, vbi Podagricum paroxyſmum ſuſtineret, tam ſæuis ſæpe circa ſuras ſpaſmis conuelleretur, ita vt horribile viſu, pedes natibus non ſine ingenti cum dolore tum clamore connecterentur. Quare ſponda aliquando inuerſa, & pedibus ad eam partem collocatis, qua caput alias in decubitu reclinare ſolebat, reſtipedem ad ſuperiorem ſpondæ partem foratam alligari curabat, pedis contractionem ſe hoc modo ad poſticam partem inhibiturum ſperans. Verum cum impedita conuulſio longe ſæuiores dolores excitaret, mox vt vincula ſoluerentur imperabat. Quæ cauſa fuerat, cur infelicem ſortem ſuam ex ſiniſtro medicinæ vſu multoties non ſine lachrymis deploraret: cui quoniam ante annos complures in Domino obdormiit, ex immenſa ſua bonitate locum in iuſtorum reſurrectione largiatur Deus. *Schenckius.*

Observatio.

Vlcus in capite cuiuſdam excitatum, quod citra exactam ſuppurationem coaleſcens partes inter cutem capitis & pericranium corrupit, atque in ſaniem & vermes conuertit, vnde grauiſſima Cephalalgia & perpetuæ vigiliæ obortæ, quæ tandem muſculoſæ capitis cutis ſectione diſparuerunt.

CANTSTADII, quod eſt amœnum Ducatus Wirtenbergici ad Nicrum ſitum oppidum, Bernardo Vogth Auo meo materno, celebri chirurgo, ciuis quidam diuturnis capitis doloribus atque vigiliis præſentem maniam iam minantibus infeſtatus, offerebatur. Hunc vbi de intolerabilis capitis doloris cauſa, origine & occaſione percunctaretur, neque certi quicquam explorari poſſet, inter alia caput ægri contrectare & digitis pertentare cœpit. Quod dum tumidum, molle & admodum inflatum, plurimumque à cranio receſſiſſe tactu deprehendiſſet, manus vola capitis cuti applicata, non tantum externum alienumque calorem, ſed & pulſantem ſubtus ſenſum deprehendit. Suppurationem itaque, vti reuera erat, ſubeſſe ratus, pilis nouacula primum ſublatis, ſectionem decuſſatim ea capitis parte, qua maxime tumida, mollis & laxa viſebatur, quaque pulſans ſenſus notabatur, inſtituit, vnde confeſtim puris ingens copia, cum vermibus partim viuis, partim mortuis in conſpectum venit. Sanie itaque & pure primum abſterſis, vermibuſque, quantum tum quidem licuit, forpicula detractis, ſordes & eluuiem vlceris vino calente proluit & perpurgauit: tum puluiſculum, ex aloe & elleboro necandis vermibus, putrilaginique arcendæ idoneum inſperſit, & vt par erat, recens inflictam plagam decenter obligauit, vnde æger quaſi miraculo quodam leuatus, ſublatis nimirum intenſiſſimis illis doloribus, in ſequentem noctem ſuauiter dormiuit. Auus cum poſtridie explorandi vlceris cauſa faſcias ſolueret, multo maximam vermium copiam medicamentorum inſperſorum vi enectam vna cum inſigni putrilagine ſuſtulit, & reliquam curationem medicamentis, quæ recentibus vulneribus cum ſordidis vlceribus complicatis debetur, feliciſſimo ſucceſſu abſoluit. Deprehenſumque tandem fuit, ægrum ante ſemeſtre vlcere recens in capite oborto laboraſſe, quod quia neglectum & ſua ſponte citra exactam ſuppurationem coaluiſſet, pus concluſum ſenſim eas partes, quæ cutem & pericranium interiacent, exedendo corrupiſſe & in ſaniem primam & putrilaginem, indeque in vermes conuertiſſe, qui rodendo & lancinando indubie pericranio moleſti, tam ſæuos capitis dolores, vigiliis complicatos excitarunt. *Idem Schenckius.*

De Vvlneribvs Capitis.

Observatio.

Vulnera capitis pro locorum & temporum diuerſitate curatu vel faciliora vel difficiliora eſſe.

FLORENTIÆ & Bononiæ ita capitis vulnera periculoſa ſunt, vt raro capite vulneratus ſanetur. In hoc vero ſaxo Raguſæo contrario euenit, vix enim ex fracto & comminuto capite ægrotus decedit, imo plerumque conualeſcit. *Luſitanus. Curat.* OO *Cent.6.*

Quid dicemus de ſitu & poſitione vrbis Ferrariæ aut Florentiæ, quarum in illa vulnus omne in capite acceptum peſtiferum eſt: in hac tibiis impoſita vulnera immedicabilia ſunt. *Quercetanus lib. de vuln. ſclop.cap.3.*

Ab ambiente aere petenda indicatio eſt, ſub qua illa etiam comprehenditur, quæ ab anni tempeſtate, regione ac cœli & ſoli quod incolumis ſtatu temporiſque præſentis peculiari conditione petitur. Hinc eſt quod à Guidone ſcriptum legimus capitis vulnera ſanatu eſſe longe contumaciora Lutetiæ quam apud Auenionenſes, apud quos contra tibiarum vulnera difficilius ſanantur quam Lutetiæ, quod Lutetiæ aer frigidus ſit & humidus: quæ conſtitutio cum cerebro & capiti inimica ſit, non poteſt non eſſe infenſa earum partium vulneribus. At apud Auenionenſes, qui eſt ambientis aeris feruor, humores liquefacit: & ſuperne deorſum decurrere facit. Quod ſi quis huic Guidonis decreto contrariam experientiam obiiciat, atque ſæpius lethalia eſſe & animaduerti in calidis regionibus capitis vulnera dicat, is intelligat, non eſſe eum caſum acceptum ferendum aeris manifeſto calori, ſed maligno cuidam & venenato humori vel vapori per aerem ſparſo, & à mari ſuſcitato: vt obſeruare in his demum locis Narbonenſis Galliæ & Italiæ licet, quæ mari Mediterraneo ſunt vicina: *Pareus lib. 10.cap.8.*

Iam agitur quartus vel quintus annus, quod in ciuitate noſtra Mantuana quicunque in capite vulnerabatur, licet leue admodum vulnus illi inflictum fuiſſet, quouis adminiſtrato auxilio, ſanari minime poterat, qui tamen influxus, poſt tertium vel quartum annum penitus abolitus fuit, ita vt nunc fere nullus eadem in parte ſauciatus moriatur. Cum tamen ijdem Medici eiſdemque auxilijs vtentes; & nunc ſint, quæ certe mirabilia, non niſi in cœleſtes influxus referri poſſe videtur. *M. Donat. lib. de variolis cap. 2.*

Observatio.

In recentibus tum capitis tum aliarum partium vulneribus curandis, nonnunquam largiori ſanguinis profluuio, ad conuulſiones declinandas, indulgendum.

Vidimvs vulneratos, poſt ſanguinis copioſum profluuium, ſine contractionis metu, paucis diebus liberatos. In caſtris quendam chirurgum vidimus, nobilem iuuenem in humero vulneratum curantem, cui linteolos protinus vulneri admouerant amici contra ſanguinis profluuium, linteolos ſtatim euomuiſſe, neſcio quid in vulnere digito perquirentem dum amicos profuſione larga ſanguinis conquerentes fruſtraretur, ſanguinem pro ægri viribus citra animæ defectum fluere permiſit haud ignarus, quo ægrotantem tutum à ſpaſmo reddidit, & 8. circiter die per cubiculum deambulantem vidimus. Hoc magiſtris vulnerum dictum ſit, qui à vena demere debent, ſi ex vulnere commode haberi non poterit. *A. Benedict. de Curand. morb. lib. 1. c. 47.*

Observatio.

Naturam aliquando à capitis vulneribus pus, aliasq; noxias materias ſub cranio latitantes, per impro-uiſos meatus, vel ſymtomatice, vel critice expurgare.

Natvra aliquando pus, noxiamq; materiam ſub cranio latitantem, per vias inopinatas extrudere conſueuit ſymtomatice nonunquam, aliquando vero critice: quod binis exemplis confirmare libet. Anus quædam ſexagenaria ventricoſa, & ad motum inepta, dum Vergiliarum occaſu incaute ſcamnum aſcenderet, prolapſis pedibus, marmoreum dolium occipite offendit. Hæc, quia vehementi ictu contuſa tantum, & non ſauciata fuit, neque Medicum accerſire, neque victum à conſueto mutare voluit, trigintaque dierum ſpatio nullam temeritatis ſuæ pœnam perpeſſa eſt, quibus elapſis, è veſtigio ipſi totum intumuit caput, & tactu doluit, & febre confuſa correpta fuit, in grauem ſoporem, & altam caliginē vertiginemque cecidit, continuſa aliquandiu permanſit, & binos riguit menſes, & amara euomuit, oculusque alter modo liuidior, modo prominentior effectus eſt, tandem è naribus alba, læuis & æqualis ſanies bis ad vnciam effluxit, qua niſi oculorum dictis affectibus leuiter infeſtaretur & non ſemper, in priſtinum ſanitatis ſtatum reuerſa eſt.

Ita & Iacobus Hebræus percuſſus vulnere tranſuerſali muſculum temperalem incidente, ſeptima die, ſuperuenientibus rigoribus quotidie vſque ad 45. diem riguit, & quotidie fere ſemper ſudauit, alternatim rigoribus ſuccedentibus ſudoribus, qui tamen nonnunquam per duos vel per tres dies inordinate ſupprimebatur, rigoribus tamen & motibus quibuſdam conuulſiuis perſeuerantibus, vlcere ſicco, & labijs depreſſis ſemper exiſtente, præter omnium tamen ſpem, rigoribus vnaque ſudoribus ceſſantibus, ſanitati fuit reſtitutus, ſenſim natura materiam à capite ad neruoſas partes ac muſculoſas decumbentem, ac rigores excitantem, per ſudores euacuante. *M. Donat. hiſt. Mirabi. lib. 5. cap. 4.*

Observatio.

In capitis vulneribus collectum intra cranium pus aliquando per eiuſdem poros exſudare.

Accidit etiam quandoque in vulneribus capitis, quod ſanies non habeat liberum exitum à vulnere, ſicque per poroſitates oſſis refudet ad intra cranium, cuius rei teſtis eſt *Hippoc. libr. de vuln. capit.* dum ſcribit, partem poſteriorem capitis vulnera occupantia minus lethalia eſſe, eo quod os ob craſſitudinem diuturniori tempore pus contrahat & ad cerebrum inferius transfundat, quod pus oſſa permeare poſſit. Confirmat *Gal. in comm. aph. 55. 7. lib. ex Hipp. ſententia, & Auicen. fen. 14. 3. lib. tract. 4. cap. 5. Et Iacobus de Carpo, cap. de ſignis cerebri commoti,* ſe hoc vidiſſe tradit in actu practico anatomizando capita mortuorum à ſimili caſu non rupto cranio, nec panniculo læſo, idque facilius accidere conſueuiſſe affirmat, cum à vulnerante arma, vel à chirurgo medicis inſtrumentis ſuperficies oſſis exterior, quæ eſt denſior, quam pars media, fuerit amota, ſicque ſanies facilius ad interiora deſcendit, ſi enim perrimulam paruam, & vix ſenſibilem, extrahi ſaniem interius contentam quandoque obſeruatum eſt, quanto magis & ad interiora ſua grauitate deſcendere dicendum erit.

Narrat idem author huiuſmodi hiſtoriam ibidem. Curabam quaſi me nolente Bononiæ quendam Martinum Boletarum nuntium, qui fuerat enſe non multum ſubtiliter incidente vulneratus in capite, in cuius cranio erat fractura fere capillaris, maior tamen, & penetrans intra ſine panniculi læſione, circa decimum diem vidi accidentia ſuppurationem panniculi monſtrantia, ſtatim ego volui os incidere, & figuram ampliare, ſed ille quidem nunquam fuit conſentiens, tamen ego procedebam in cura cum attrahentibus, & ſemper per rimulam illam exibat notabilis ſaniei quantitas, dum ei imperarem, vt impelleret à pectore ad caput aerem, & ita ſufflando notabilis ſaniei quantitas exibat, tamen ſemper habuit febres & rigores, & inquietudines, vſque ad quinquaginta dies: tandem natura ſeparauit totum os capitis à dura matre, vſque ad ſuperficiem oſſis, ad quantitatem hoſtiæ magnæ. *Idem loco citato.*

Observatio.

Oſsicula latentia in vulneribus capitis ſæpe curationem ad longum tempus protrahere.

Admirantvr quandoque medicinam facientes vulnerum capitis quorundam ſanationem cum oſſis inciſione nimium in longum protrahi, diutiusque ac vulneris qualitati conueniat curationem retardari, quod ex oſſis portiuncula, ad intra latitante, prouenire obſeruatum eſt, quæ niſi amoueatur, nunquam ſanatio ex voto ſuccedet,

quod nos non ſemel obſeruauimus, & Carpenſis per hæc verba teſtatum reliquit. Et quia oſſa vt plurimum ſunt frangibilia, & vitrea, & fixura notabili facta in cranio penetrante ad intra aliqua fruſta oſſium cadunt ad profundum ſupra panniculum, & notabilia ſunt, quia ſunt maiora, id eſt cum maiori fractura in ſecunda tabula, id eſt, in inferiori, vel vt melius dicam, in intrinſeca ſuperficie cranij, quam in ſuperiori, & pungunt ſiue grauant panniculos, & Medicus in ſimilibus debet ſerrare cranium lateraliter, fixuram ampliare, & os illud extrahere, quia aliter non curatur talis diſpoſitio.

Et hunc caſum ego habui notabilem in quodam Philippo Donella de Carpo, qui ſteterat per annum cum magno fruſto oſſis ſub oſſe, & vulnus erat notabiliter longum, & conſolidatum totum, niſi quod extrema vulneris nunquam potuit conſolidare, & perfecte claudere, & ibi erant duo parua orificia, à quibus reſudauit ſanies ad minus per ſex menſes, & hic fuit curatus à fratre ſuo, qui erat ſatis bonus operator, & à patre meo, ſed ſuperueniens ego, aperui totum vulnus ſecundum longum, & dilataui in latum, & ſerra amoui partem lateralem cranij, & inueni fruſtum longum & groſſum ſupra panniculum, quod extraxi, deinde mundificaui panniculum, & breui ſanaui eum, & adhuc viuit in bono ſtatu. *Idem ſæpius citato loco.*

Observatio.

Capitis vulnera non tantum poſt quadrageſimum ſextum diem, verum centeſimo quoque periculo non vacare.

MIRANDVM ſane Iuriſtas tranſacto 46. die in capitis vulnere, nullum amplius ſubeſſe periculum ſtatuiſſe, ſique poſt dictum tempus vero tradi contigerit ægrotantem, id nequaquam in vulnus reijciendum eſſe decernunt, cum tamen vſque ad centeſimum periculo non vacare, autores ſint *Rogerius, Guido, & Iacobus de Carpo.* Quinimo nec poſt centeſimum periculo vacare, obſeruauimus nos. Iudeus quidam quadragenarius, Moſes de Fontanella appellatus, quadrato corpore donatus, dum æſtiuo tempore poſt cœnam ab inimico inſequente fugam arriperet, vulnus ab eo in capite cæſim inflictum accepit rotundum profecto, ac ſi circino quis muſculoſam carnem à coronali ſutura in lambdoide ablatam demeteretur, pericranio vndique niſi prope ſagittalem commiſſuram illæſo manente, quia ibidem tamen lupini inſtar cum quadam primæ laminæ ſuperficietenus abraſione deficiebat. Huic tunc temporis neque grauia neque mitia ſymtomata acceſſere, imo quam proſpere tum circa vlcus, tum circa corpus vniuerſum (erat enim ſemper febris expers) omnia ex voto proſequebantur, veruntamen hæc dum ita eſſent, maximam quandam ob animi excandeſcentiam, quarta ineunte die, febre, inalterato vulnere, duodecim horarum ſpatio, cum triſti cruris oppoſiti ſenſatione, correptus fuit, ſed ad vigeſimam ſubſequentis diei horam bene ſe habuit, nocte aduentante direpente eodem cruris & frontis dolore, oſſe florido apparente, cum tumore tum capitis totius œdematoſo, atque vulneris mala intemperie iam contracta, iterum tot horis, quot elapſa die, incaluit, atque ſedata febre, tumore & vulneris intemperie non exceptis, cuncta fuerunt penitus remota, ſed ordine prædicto deinceps reuerſa, etiam p. ſymp. acceſſere, & eo deuenit res, quod abſque oſſis detrimento cum febre & accidentib. intermittentibus, vulnus 20. die male oluit, verum 27. die nondum expleta, vlcus in ſtatum priſtinum fuit redactum, nec non etiam tumor ille fuit exolutus, atque trigeſima præter inſtitutum febre aſſueta & ſymtomatibus ſoboles cutis in qua capilli efflorefcebant, gradatim emerſit, vlcuſque poſthac in melius ſemper tum cicatrizando tum monſtruoſe capillizando vſq; ad os ipſum proceſſit, at febris in deterius degenerauit, quam ſæuiora ſymtomata comitabantur, nam ex intermittente continua facta eſt, cum bilis vomitu, quo ſedato, nunquam nauſeatiua ſacietate non deſtituebatur vſq; ad 70. diem, quo tempore ſquamam ab aere alteratam os amiſit, & ſemper continua febre, atque extremarum partium frigiditate, aurium atq; narium liuore, cum pectoris in latere dextro dolore ingenti, & oculis liquefactum referentibus vitrum, vna cum ſudore vniuerſali, ſic quod omnium eiuſdem temperaturæ hominum copia excederet fuit cruciatus, ſed poſt huiuſmodi oſſis deſquamationem excepta febricula quadam omnino à patiente ſpreta ac neglecta, pectoris tamen dolore perſeuerante, in nihilum penitus prænarrata accidentia redacta fuere, atque 85. die inſtante, caro calloſa, in qua capilli non erant, ſolida tamen & firma vlcus adimpleuit, cuius occaſione Cheirurgis & Medicis à curatione recedentibus, is fere cachexia affectus, ad 125. diem (quia Mercator erat) per totam vrbem die ac nocte ambulabat: 126. die ineunte, ardenti febre, articulorum dolore, pectoriſque, neruorum opticorum, oculorum, frontis & ſyncipitis, cum narium & aurium liuiditate, abſque tamen ſanati vlceris iactura vlla correptus fuit, atque 129. die accedente, prædicta omnia fuere remiſſa, qua tamen nocte, dum placentam à leui cœna ex ſaccharo melonumque ſeminibus confectam commanducaret, copioſiſſima ſanies, ichoroſa, liuida, fœtida, & corrupta, qua ambiens valde inficiebatur, à colatorio oſſe, Medico intuente, in fauces influente, motu ſtatim & ſenſu à Diaphragmate infra deſtiturus, mente conſtante, cum ſemel aſſellaſſet vitam cum morte commutauit. *M. Donatus Hiſt. mirab. med. libr. 5. cap. 4.*

Observatio.

In capitis deſperatis vulneribus, etiam apparentibus lethalibus ſignis, ægri non deſerendi: exemplo cuiuſdam, qui ex tribus capitis vulneribus magnis, & quæ lethalia eſſe Hippocrates pronunciauit, præter omnium exſpectationem euaſit.

ADDENDA mihi hoc loco hiſtoria D. de Vaten, qui in pugna Moncunturei tria magna vulnera in capite accepit. Primum in fronte, parte dextra, duobus tranſuerſis digitis ſupra oculum, indeq; ad Zygoma, oculum medium ſecans, pertendebat. Alterum in oſſe ſiniſtro βρέγματος ad membranam vſque perueniens, duos digitos longum, latum vnum: Tertium in occipite, omnium grauiſſimum. Nam quatuor digitorum longitudo erat, & latitudo duorum. Hæc illi grauia acciderunt. Septima die illum febris iniuit, eademque tam graui marcore & inexpugnabili pene dormiēdi neceſſitate oppreſſus eſt, vt

eſt, vt ſubinde excitandus eſſet, mens lababat, memoria quoq; amiſſa, læuitas inteſtinorum aderat, eique nullo ſenſu fluebat aluus: denique nulla ſanies ex tribus illis plagis effluebat, membranaq; fere immobilis nigraq;, hoc eſt, cancro occupata videbatur. Quæ omnia ad diẽ vſq; trigeſimum ab accepto vulnere perſeuerarunt, adeo vt aliquid in natura ſpei, vix quicquam in medicina eſſet. Conualuit tamen. Hanc hiſtoriam appoſui, vt à D. Pigræo Regis Chirurgo peritiſſimo, viro fide digniſſimo, mihique amiciſſimo accepi, quo iuniores Chirurgi diſcant, cũ deſerti à medicis ſæpe conualeſcant, quoſdamq; fama prodiderit in ipſis funerib. reuixiſſe, ne aliquot mortiferis ſignis ab Hippocrate recenſitis apparentib. ſtatim prognoſtico temere pronunciata ægri ſalutem prodant, ſatius eſſe rati, ſi aliquod, anceps licet, appareat auxilium, periturusq; ſit qui laborat, niſi temeraria quoq; via fuerit adiutus in hoc ſtatu, illud, inquam, auxilium potius experiri, Celſi conſilio, quam nullum. *Vertunianus Comment. ad lib. Hippoc. de Vulnerib. Capitis.*

Observatio.

Graui vulnere in capite percuſſus, ad duram vſque menyngem pertingente vulnere, reſolutione, conuulſione correptus, & ſine voce mutus dies totos ſeptem manens, magno labore, nutu Dei, curatur.

Svtor Auenione agens, in capite graui vulnere percuſſus, cum cranii vulnere ad duram vſque menyngem pertingente, reſolutione ſimul & conuulſione poſt ſeptimum diem correptus, & ſine voce mutus dies totos ſeptem manet: curatur tandem magno labore, & nulla relicta labe, à tanto malo, integra valetudine fruitur Dei benignitate. *Valleriola lib. 5. Obſeruat. 9.*

Observatio.

Simplicium capitis vulnerum, ſine cranij offenſa, per terebrationem apertio quam periculoſa.

Qvantvm ſimplicibus capitis vulneribus, in quibus cranium læſum non ſit, loci ad aperiendum conſuetudo vulgata, contra id quod præcepimus, tum nocumenti, tum moræ ad ſanandum afferre poſſit, præter alia multa exempla, vnum illud ſatis confirmat, quod in Ioanne Gometio de Columbis Cazzallenſi editum eſt, qui Philippi Regis noſtri ſtipendiis terras monteſque mineralium inueſtigandi cauſa rimatur: is, dum alte defoſſo ſpecu vna cum operario inquiſitioni ſuæ operam daret, ad conſpectam repente glebam, quæ metalli ſpecimen habere videbatur, manu tollendam ſeſe feſtinus demittit, quem ſocius imprudens liberato iam atque improuiſo ictu ligonis, altero dente oblique, ac non grauiter percuſſit in dextra capitis parte, ſuper os quod laterale dicitur: nec vero vulnus ad cranium pertigit, neque vllam rupti oſſis ſignificationem dedit, quoniam reuera os minime fuerat læſum. Huic imperitus chirurgus, vulnus adaperiens, vehementer auxit, crucemque tribus digitis quadratam incidit, & cranium ſatis pro arbitrio detexit: deinde multos dies digeſtiuis & oleo vſus eſt, adeo profuſe, vt vltra quindecim regios nummos oleo, & quis adhibendis impendiſſe dictus ſit: ex quo euenit, vt non modo detecta cranii pars, ſed multo etiam maior vndique portio corrupta fuerit: tandem poſt alterum iam menſem, cum ego à D. Franciſco Mendocio, qui Regis mandato metallorum rationibus & operibus curæque omni præerat, accerſitus, hominem vidiſſem Llerenam, vbi publico ſtipendio medicam artem exercebam, adduci iuſſi. Huic, cũ ſatis magnam oſſis partem extrahere opus eſſet, quæ tamen anguſtiori vulneris apertione produci non poſſet, cumq; ego tantundem aperire recuſarem, orificium ad argentei nummi, quem regium vocant, magnitudinem trepanis feci, ita, vt membranæ extarent, atque ea parte pus, quod intus corruptum erat, quodque in dies conficiebatur, purgari poſſet; atque ita balſamo illo à me deſcripto, & emplaſtro, gummi elemii, & filis tam diu curationem proſecutus ſum, quoad inſtrumentis leuiter quotidie expertus os ipſum circumquaque abſciſſum eſſe, & duram matrem ſuperinducta iam carne conſtare intellexi. Igitur vt os ipſum magnum minori multo foramine extraherem, inſtrumentũ mihi ad trepani inſtar comparaui, quo foramen facerem, quantum ferreus fuſus fœminarum noſtratium facere poſſit: quo ferro contiguis ferri pertuſionibus in crucis modum os totum corruptum perforaui; opus autem ipſum à medio loco inceperam, qua ſuperius vulneris ipſius oſculum patebat, quod ad argentei numi magnitudinem paraueram. Foraminum vero intercapedinem, leuatore dicto inſtrumento interrupi: facile enim os ipſum rumpenti cedebat. Hæc vbi iam expedieram, vnam primum ex his quatuor portionibus inſtrumento attollens extraxi, & alteram deinde, & tertiam: quartam, quæ maxima erat, in poſterum diem reliqui; quam tandem extraxi. Totum autem os laterale appellatum, & petroſi etiam eiuſdem lateris bona pars, & coronalis quoq; non exigua portio, quæ in anteriorem partem vergit, extracta eſt; ex petroſo prodit quantum fere ad auriculum originem extenditur. His autem oſſibus extractis, dura mater, quæ iam interim inducere carnem cœperat, vltra modum etiam induxit, adeo vt exuperantem carnem ex orificio illo, quod iam pridem feceram, bis fuerim coactus reſcindere: adeo autem duram experiebar, vt forcipibus vix poſſem reſcindere. Poſt hæc autem cum melius habere ſtatim cœpiſſet, Cazzallam diſceſſit, à quo poſt menſem fere accerſitus ſum, quod in capite ſuper occipitis ipſius os magnum tumorem ac pure etiam plenum haberet: quem cum aperuiſſem, oſſa multo etiam magis, quam quæ prædicta ſunt, corrupta eſſe deprehendi: tum vero Llerenam ad me venire iuſſo, poſtera die ſatis ex arte ſubtiliter oſſa extraxi, tria etiam prædictis æqualia, ſed multo magis corrupta. Relictus autem eſt toto fere occipitis oſſe carens, atque portione etiam non exigua alterius lateris oſſis ſiniſtri, vulnera autem ipſa carne & cute vndiquaque obducta ſunt: molli tamen & tactui cedente conſtitutione, quæ paulatim dureſcit. Homo autem ipſe diuino beneficio liberatus bene habet. *Arcæus de Curand. Vuln. lib. 2.*

CEREBRI VVLNERA CVM EIVSdem ſubſtantiæ iactura.

Obser.

Observatio.

Prodigioſa & deplorata cerebri vulnera cum eiuſdem ſubſtantiæ effluuio & iactura percurata.

Habet hæc *Bertapalea de fractura cranÿ cap.* 5. Et ſemel habui vnum ruſticum, cui erat remota pars medullaris cerebri, qui eſt ſanatus. *Nicolus ſer.* 7. *tract.* 4. *ſum.* 2. *cap.* 91. ſcribit hominem vulneratum in capite cum enſe, profundato vulnere vſq; ad ſubſtantiam cerebri, ſuper verticem in anteriori parte frontis, vſque ad medium capitis, qui ſequenti die poſt vulnerationem incurrit paralyſim vniuerſalem & emittebat ſuperfluitatem primæ & ſecundæ digeſtionis inſenſibiliter, & ſtetit ſex diebus quod non comedit, bibit tamen aquam frigidam cum ſyr. roſarum, & ſexta die petiit cibum, & cibatus fuit, & poſtea regulariter rectus euaſit.

Vidi etiam quendam vulneratum cum enſe pluribus ictibus in capite ſuo, omnibus cum fractura cranii vſque ad panniculos cum multa emiſſione oſſis, & cum hoc amputata fuit ei manus ſiniſtra, cum multa effuſione ſanguinis, & remanſit velut mortuus pluribus horis die cooperto capite, & erat ſine ſenſu & motu, & delatus fuit ad Eccleſiam vt ſepeliretur, & cæpit ſentire & moueri, & curatus poſtea euaſit.

Carpus in ſuo tractatu aureo de fractura cranÿ inquit: Quod contingat cerebrum lædi & ſanari, tenet *conciliator diff.* 181. etſi aliqui tenent contrarium, hoc eſt, quia pauca viderunt, & minus credunt; Credo ego mihi ipſi, & fateor, quod vidi ad hunc vſque diem ſex homines à quibus notabilis quantitas medullæ cerebri exiuit, & ſanati ſunt, de quibus aliqui eorum maxime duo paſſi ſunt paralyſim vnius lateris, tamen vixerunt per duos annos, de quibus tres vidi & curaui in terra Carpi, etiam dum eſſem ſatis iuuenis, & pro ætate non fui deceptus, & habui fideles & peritos Phyſicos in ſocietate, à quibus in prima vel ſecunda viſitatione ægro extraxi à labiis vulnerum magnam cerebri partem, quæ ex ſe exierat cranium.

Et vnum vidi in ciuitate Piſtorii, quem curabat quidam Angelus hæbreus ſatis expertus chirurgus & ſanatus eſt. Et duos vidi quos ego curaui Bononiæ, vnus fuit quidam D. Vincentius Ragacia, alter fuit D. Paulus nepos Cardinalis Hiſtrigonienſis, & ad iſtum habui multos nobiliſſimos teſtes, & doctos, cui extraxi in prima viſitatione portionem cerebri, deinde in 13. die exiuit alia notabilis portio, & tandem vſque ad ſexageſimam deuenit diem ſine aliquo malo accidenti, & tale foramen in cerebro erat valde profundum, quia cauſa fuerat cuſpis vnius ronchæ, & remanſit tale fruſtum perpendiculariter in cerebro per diem, & erat longitudinis quatuor digitorum, quod tenaculis magno labore extraxi, quia vix poterat videri & capi, & in eodem foramine tenui tentam per quinquaginta dies, vel circa, quia ſemper emanabat humiditas aquoſa & multa, tamen tunc ad nihilum deducta fuit ipſa humiditas & tunc extraxi tentam, quæ erat canulata, & tentaui conſolidare vulnus, & ſic circa ſexageſimum diem, ob materiam in cerebro contentam, ſuperuenit magnus paroxiſmus Epilepſiæ, cum maximo omnium membrorum tremore & rigore. Hoc ego videns, iuſſi pedibus eleuari, & capite deprimi, & cum ſtilo paulatim aperui foramen illud prædictum ſub cranio, in quo inueni magnam quantitatem materiæ aquoſæ colore lacteo coloratæ, qua euacuata ſtatim ceſſauit Epilepſia, & rediit in bonum intellectum. Hoc videns, iterum impoſui canulam, & cum letionibus ſyringabam taliter quod exſiccaui totaliter illam humiditatem, & ſanitati reſtitutus eſt. Qui poſtea vixit multo tempore & Deũ teſtor quod ipſe iurabat, quod ipſe ſemper etiam à principio læſionis habebat coitum cum quadam ancilla domus, etſi non ſingulis diebus, alternis tamen; & quod bibebat tres phialas aut quatuor Maluatici ſingulis diebus à principio læſionis, ex hoc credo ego iſtum ſanatum fuiſſe nutu Dei. Et etiam iuro quod vnus illorum prædictorum quos ſanaui in terra Carpi, cuius nomen erat Rumpha, & erat Villicus, comedit tempore quo vlterius ſe habebat ſingulis noctibus carnem ſalſam in magna quantitate, cum pane & melle; nam hic tempore noctis clam ſurgebat, & capiebat carnes ſalſas non lotas, nec à ſale expurgatas, & ſub prunis coquebat eas, & habebat magnam mellis quantitatem ſub lecto, & ſic nemine ſciente triumphabat, & ſic fuit in veritate. Hæc dixi vt contradicerem opinoſis, qui non credunt cerebrum poſſe ſanari, quos rogo vt velint dictis noſtris acquieſcere, quia ego cognoſco & cerebrum, & ſaniem, & alias medullas. *Hactenus Carpus.*

Non deeſt noſtræ tempeſtatis chirurgus multa quidem experientia peritus, & nobis per quam familiaris, nomine Hippolytus Dantreppus, qui nuper ſuper menſam meam apud Nanceium Lotharingiæ primarium oppidum, ſimile quiddam ſibi contigiſſe, affirmare conſtanter defendereque non dubitabat, reclamante tamen Vaxino Riſicho Inſubre clariſſimi Lotharingiæ ducis chirurgo præcipuo, quod Hippocrati adhæreret: cuius verba ſunt ex ſexta aphoriſmorum particula: Si veſica præciditur, aut cerebrum, aut cor, aut præcordia, aut aliquod ex tenuioribus inteſtinis, aut venter, aut iecur, letale eſt. Nec facile audiebat illum, cum ſubſtantialis particulæ cerebri quantum cocleari excipi potuiſſet, in terram decidiſſe aſſeueraret: hominemque à ſe ſanatum contenderet. Cuius rei locupletiſſimos teſtes, vtpote oculatos, nec auritos, in medium proferebat. Vtcunq; res ſe habeat, multis diſputationibus confutare conati ſumus, ego & Ioannes Galfredus, eiuſdem ducis medicus. Itaq; adhuc de ea re certamus, atque ſub iudice, *vt Flaccus ait*, lis eſt. Non ignoramus Theodericum Chirurgiæ nequaquam ignarum ſcripſiſſe, ſanari quendam ab ſe viſum, ex cuius cerebro cellulæ pars egrediebatur. Huic tamen fidem integram Vaxinus neutiquam habebat, quoniam eius verba euangelica veritate ſubnixa non omnino putabat. Quid de ea re antea libro primo, hiſtoria decima quinta ſcripſerimus, memoriam noſtram non fugit, nobis tamen iſta placent. *Conciliator tamen differentia centeſima octogeſima prima*, Galeno aſſentire videtur: cuius verba ſubſcribo, ne lector amantiſſime ea fortaſſe deſideres, aut tempus in eis quæritandis inſumas. Sciendum, inquit, eſt quod ſolutio continuitatis ſiue imparis omnibus aduenit membris etiam ſanabilis, niſi cordi: Illud enim ſolutionem non tolerat continui: octogeſima ſeptima differentia: Aut niſi ad intimam partis intrinſecæ peruenerit, vt ad ventriculos cerebri,

cerebri, vel profunditatem hepatis: aphoriſmorum ſexta part. Ad hanc enim immoderatus ſanguinis proſequitur exitus. *Campegius Enarrat. Hiſtor. 25. lib. 4. Galeni.*

Guido ſe quendam vidiſſe affirmat, cui ex vulnere parte capitis poſtica accepto, parua quædam portio ſubſtantiæ cerebri exierat, vt ex memoriæ læſione cognitum eſt, & tamen is à tali vulnere conualuit, reſtitutaq; eſt illi ex integro poſt curationem memoria. Non tamen aſſerit illum ſuperſtitem permanere potuiſſe, ſi totus ventriculus per vulnus exiiſſet, vt de quodam Cellario refert Theodoricus. Verum his exemplis, quæ rariſſima ſunt, quæq; Dei potius voluntate, quam arte eueniunt, non euertitur vniuerſalis ſententia. *Iacotius Comment. ad aphor. 15. lib. 1. ſect. 3. Coac. Hippoc.*

Nos in cerebro vulneratis mira vidimus: in vno, qui magnificis Valengis inſeruiebat, tanta ſubſtantię cerebri quantitas exiuit, quantū eſt paruum gallinæ ouū, tamen euaſit: at deinceps probe loqui non potuit, & per trienniū ineptus & fere ſtupidus ſuperuixit. Aliū vidimus ex Corſica milité, cui fere dimidiū capitis cū ſua cerebri portione ablatum eſt, conualuit: ſed nihil recordabatur, loqui non poterat, & erat adeo inſenſatus, vt nihil vel intelligeret, vel referre ſciret: illa ſolū comedebat, quæ in os ponebantur, totū ſe cōſtercorabat & cōmingebat, à conſociis in Corſicam ductus eſt: an illuc peruenerit, ignoramus. *Braſauol. comment. ad aph. 18. lib. 6. Hippoc.*

Quanquam ab Hipp. Gal. & aliis eminentiſſimis antiquis, & modernis medicis antiquos inſequentibus dictum ſit, vulnera cerebri cum inciſione velaminum & ſubſtantiæ cerebri minime ſanari ingeniis medicinalibus poſſe, & ſi aliqui ſic vulnerati ſanitati reſtituti ſunt non illud factum vi medicaminum & medicæ artis, ſed potius diuina potentia, à qua nihil eſt quod fieri non poſſit, ſic volente. Ego teſtor Deum, & quamplurimi homines qui adhuc viuunt, teſtes ſunt, me plurimos vulneratos in capite cum inciſione oſſis, panniculorum & inſignis cerebri ſubſtantiæ ſanaſſe arte & remediis medicinalibus & non ſolum vulnerati enſe, ſed fracti tum à rebus frangentib. tum à caſu ex alto: ita vt non ſolum vulnus fuerit in menyngis, ſed laceratio in ſubſtantia cerebri cum deperditione & conquaſſatione non modicæ cerebri quantitatis. Inter quos viuit adhuc Clariſſimus Paulus Raymundus vir nobilis Venetus, qui percuſſus cum enſe in capite in parte poſteriori prope ſuturam laudæ fuit, cum inciſione oſſis velaminum, & cerebri ſubſtantiæ: vulnus vero erat duorum digitorum longitudinis, profundum ad trium digitorum craſſitudinem, pars oſſis inciſa ex toto ſeparata erat à reliqua parte cranii: cui ſuperuenerunt accidentia omnia futuram mortem enunciantia: qui tandem Dei omnipotentis auxilio mentem meam illuminantis, & arte & remediis medicinalib. ſanitati reſtitutus eſt, teſtes ſunt in primis non pauci huius ciuitatis medici, ac etiam tota & nobilium ac ciuium multitudo. *Nicol. Maſſa. tom. 2. Epiſt. 11.*

Sanitati etiam mea opera reſtitutus eſt magnificus iuuenis Marcus Gojo, qui cū parte acuta cuiuſdam haſtilis, ab vna parte præ ſe ferentis ſecurim, & ab alia mucronem, ſiue pugilli acuti formam, quam alobardam vocant, vulneratus eſt, & facta fuit fractura, non ſolum oſſis cranii, ſed panniculorum & cerebri ſubſtantiæ vſq; ad os baſilare, quod atteſtabatur radius argenteus in vulnere poſitus, qui deſcendebat vſque ad os baſilare, ita, vt ſentiretur percuſſio facta à radio ſuper oſſe baſilari. Rogatus ergo à quamplurimis clariſſimis ſenatoribus acceſſi, cumque vidiſſem oſſis fracturam inſignem ſatis ad dimidii digiti articularis longitudinem, & ad craſſitiem latitudinis eiuſdem, ſciſſitaſſemq; à medicis illis, qui medelam præſtiterant, de illa parte oſſis vbi erat fractura: qui cum nullum os viſum ab ipſis fuiſſe aſſeuerarent, cauſam amiſſæ vocis fuiſſe cogitaui, partem illam oſſis in cerebro fixam, & accepto inſtrumento chirurgici cuiuſdam, qui ei in medendo deſeruiebat, os ex vulnere extraxi, & immediate cœpit loqui, & dixit, ad Dei laudem ſum ſanus, quod non fuit ſine medicorum omnium, qui interfuerunt, & nobilium ſenatorum atque adſtantium maximo applauſu & admiratione. Hic tandem ex malo cibi regimine (nam cum eſſet iuuenis inſolens & incontinens, vna die voluit ouataricam, quam cauiarum vulgares vocant comedere,) incidit in omnia accidentia, quæ futuram & certam mortem ſignificabant: tandem Dei benedicti auxilio, & medicā arte & auxiliis ſanitati reſtitutus, qui viuit etiamnum: huic nobili ſuperuenerunt accidentia epileptica ex retentione ſaniei ſuper os cranii baſilare: Neque alio ingenio vlcus fiſtuloſum potuit curari, niſi factâ argenteâ canulâ ad vnius digiti longitudinem, vt vlcus continue apertum remaneret: & ſic bis & ter etiam in die à ſanie expurgabatur, ſcilicet accepta parte inferiori naſi manibus, & ſtrictâ, atque anhelitu contento, & aliquo conamine facto, ſanies ex vlcere in ſummitate capitis egrediebatur ad quantitatem ſæpiſſime dimidii corticis gallinacei, & plus: quâ egreſſâ, imponi iubebam mel roſaceum dilutum cum duabus partibus aquæ ardentis ex vino per deſtillationem factæ, quam aquam vitæ vocant, ſupra quam cannulam argenteam ceratum de betonica apponi iuſſi, quam cannulam per annum & amplius in vulnus detinuit: ſicq; vlcere ſenſim mundificato, partes coaluerunt, & factā cicatrice euaſit. *Idem.*

Alphonſus quoque Bononienſis, qui percuſſus fuit cum enſe in parte ſiniſtra capitis inter ſuturam ſagittalem & mendoſam cum inciſione non ſolum oſſis & membranarum ſed etiam inſignis quantitatis ſubſtantiæ cerebri: Etenim vulnus erat ad longitudinem vnius digiti cum dimidio, ita vt manifeſtiſſime ſubſtantia cerebri inciſa inſpiciebatur, & digito tangebatur: cui ſuperuenerunt accidentia omnia mala mortem & interitum atteſtantia, vt eſt febris, rigores, paralyſis lateris oppoſiti, alienationes continuæ: qui tandem Domino auxiliante euaſit noſtra rationali adminiſtratione regiminis & medicinalium medicamentorum, quæ fuerunt præter aeris alterationem & rectificationem, miſſio ſanguinis bis facta à vena cephalica eiuſdem lateris: atque lenitio ventris à primis diebus cum caſſia, & in proceſſu per euacuationem cum pilulis cochus exhibitis: & etiam exhibitio ſyrupi roſati & de endiuia, diluti cum aqua betonicæ & borraginis: & ea quoque quæ vulneri imponi ſecundum diuerſitatem temporis læſionis iuſſi: quæ talia fuerunt. Etenim in primis illis diebus, antequam accidentia hominem inuaſiſſent,

uaſiſſent, continue qui ei medelam præſtabant, oleum roſaceum omphacinum in vulnus infundebant, vngebantque vniuerſum caput oleo roſaceo ſimplici: cum vero accerſitus, ac ſupplicè rogatus acceſſiſſem, videns profunditatem vulneris, & ſubſtantiam cerebri inciſam, quæ iam liueſcere & corrumpi incipiebat, iudicaui omnia accidentia ea potiſſimum de cauſa prouenisse, quoniam cerebri ſubſtantia corrumpebatur. Nam & ſanies (quæ pauca erat) fœtebat: cum vero conſiderare cœpiſſem omnia alia remedia vana & incaſſum fore, ni prius & putredo & putredinis cauſa remoueretur, iuſſi vt acciperetur mel roſaceum, & tantundem olei roſacei, & duas partes aquæ vitæ ex vino ſcilicet factæ, quod medicamentum in vnum reddebatur: deinde penicillis in eodem medicamento madefactis vulnus replebatur, & oleo roſaceo vniuerſum caput vngebatur, ſicque proceſſum fuit, vſque ad perfectam vlceris correctionem & mundificationem: deinde cum vnguento de matriſylua ſuper penicilla in eodem madefacta: qui Dei omnipotentis gratia euaſit (non ſine tamen maximo labore) trium menſium ſpatio: cui ſuperuenere accidentia epileptica, à quibus etiam ex frequenti exhibitione agarici, & rerum neceſſariarum regimine liberatus fuit. *Idem.*

Minime vero caſum horrendum prætcribo, & omni admiratione dignum. Etenim vir fortis & ſtrenuus Theodorus Bua, natione Græcus, equitũ ductor, qui, præterquam vulnus à quo ſiniſtra manus abſciſſa & ſeparata ex toto fuerat, (quoniam ſola cutis inferior eam detinuit, ne humi caderet, quæ ſuta fuit, & ex applicitis medicaminibus partes coaluerunt, & ſanitati reſtituta fuit, motum tamen amiſit,) vulneratus etiam fuit in capite cum enſe quatuor magnis vulneribus, cum inciſione oſſis & ſubſtantiæ cerebri: horrenda erant vulnera viſu, nam cum eſſent quatuor ſecundum diuerſos incuſſus, & vbique ſubſtantia cerebri appareret lacerata, ſine ſpe omnes eramus, & eo magis, quoniam ſuperuenerunt à primis illis diebus rigores ingentes, qui non ſemel ſed pluries vnica die hominem inuadebant, febriſque ardens erat: ariditas linguæ, labiorum vulnerum depreſſio, & reſolutio fere vniuerſalis, atque ſubſtantiæ cerebri liuiditas, & quod à vulnere emanabat virulentum & fœtidum erat: cui præter apertionem venæ cephalicæ dextri & ſani brachii, atque euacuationem ventris cum caſſia, & quoque regimen ſex rerum neceſſariarum, plurima remedia capiti adminiſtrata fuerunt: quæ cum non contuliſſent, vnicum ſalutare remediũ fore exiſtimauimus, ſi iam inceptam putredinem & cauſas quis amouere poſſit. Quare cum putredinis cauſa ſit humiditas non regulata à calore naturali, & id quod putridum factum iam eſt, non poterit niſi exiccantibus remediis modeſte calefacientibus corrigi & tolli. Conſilium fuit vt vna cum melle roſaceo & oleo roſaceo, duplum aquæ vitæ ex vino per deſtillationem factæ permiſceretur: ſicque per plures dies in vulnus hoc medicamen ponebatur: ſed cum apparuit ſanies laudabilior, amoto oleo roſaceo infundebant in vulnus mel roſatum, & aquam vitæ æquis portionibus ſimul permiſtam, deſuper vnguentum de matriſylua ſuper pannum extenſum ponebatur, caputque vniuerſum oleo roſaceo completo vngebatur: & quoniam per plures menſes laborauit, moleſtatus à diuerſis accidentibus, & præſertim epilepſia, omni ingenio, vt vulnus adapertum maneret, ſtatutum fuit. Quare vlcus continue replebatur lychniis, ſiue penicillis cum vnguento de matriſylua, & deſuper cerotum de betonica ſatis amplum imponebat: quod non dimiſit vſque ad perfectam vlceris conſolidationem: vſus eſt & agarico, & pilulis cochiis permiſtis, vt materia craſſa, circa panniculos inferioris partis cerebri detenta, euacuaretur, & tandem ab omnibus malis euaſit, non ſine maximo ſtupore totius ciuitatis. *Idem.*

Præterea in vico ſanctæ Mariæ formoſæ, iuuenis viginti duorum annorum, qui ex maxima contuſione cranii cum quadam virga auri ponderoſa à viro forti facta, cum ruptura non ſolum cranii, ſed menyngarum & ſubſtantiæ cerebri contuſione, euaſit eodem fere regimine, & eiſdemmet medicamentis applicitis, cui tamen non affuerunt accidentia mala, præter febrem à prioribus illis diebus, qui ſpatio duorum menſium ſanus euaſit. *Idem.*

Famulus etiam Domini Paſqualini Miſſochæ vulneratus in capite, in parte anteriori ſub ſutura coronali verſus frontem vulnere vnius digiti longitudinis: quod vulnus nullis medicinis applicitis potuit ſanari: ſed ſemper ſanies ab eo egrediebatur, præſertim ſi ſtrictis naribus & anhelitu retento, conatum faceret: quæ ſanies per multos menſes permanſit, qui etiam ad omnia munia extra domum egrediebatur: hunc ſanaui continue bis in die infundendo aquam vitæ per ſyringam. Super vulnus vero exterius cerotum de betonica ponebat: tandem poſt multos menſes fruſtum oſſis longitudinis dimidii digiti egreſſum eſt: poſt cuius egreſſum vulnus ſanitati reſtitutum eſt. Poſſem quam plurimos alios mirabiles caſus cum inciſione & laceratione ſubſtantiæ cerebri ſanatos enumerare: ſed hi ſatis ſint, vt ſcias vulnera cum inciſione, profundatione & deperditione ſubſtantiæ cerebri ſæpe à me ſanata fuiſſe: dicant antiqui & moderni Medici quicquid ſibi placuerit. *Idem Maſſa.*

Poteſt egredi cerebrum in magna quantitate & ſtare vita, ideo non relinquatis ægros. Multa ſunt exempla à Galeno, à Carpo, & à multis aliis propoſita. Ego etiam mirabilia expertus ſum. Vidi Zinganum Ianuario menſe frigidiſſimo, Partiſanone percuſſum, & ſectum eſt dimidium fere caput, & maior quantitas cerebri exiit quam includi poſſit in ouo gallinaceo, & ſanatus eſt. Habeo exempla familiaria multa, lethale quidem vulnus eſt, ſed ſolis prognoſticis non credendum, quia ſæpenumero ſeruantur homines. Notate tamen quod vidi multos, in quibus egreſſum eſt cerebrum, & aliquot remanſere ſtolidi, aliqui ſuperuixere vſq; ad 120. dies, aliqui ſanantur & integri manent. Habui mulierem concubinam cuiuſdam, percuſſam vetriculo ignis ab vxore mæchi, ſuperuixit ad 80. vſque. Sed habeo multa exempla illorum, qui ſtolidi facti ſunt, & periere tandem poſt duos aut tres annos. Et vnum habui in quo parua quantitas egreſſa eſt, & durauit ad 80. vſque, ſtolidus non erat, ſed eadem die qua egreſſus eſt domo concidit ſtatim mortuus. Itaque nunquam derelinquendi ægri, ſemperque ſperanda ſalus. *Fallopius, c. 45. de Curand. Vulnerib. Cap.*

Vulnera cerebri ſi ad ventres perueniant, nõ curantur,

rantur, ſed alia multa vidimus ſanata, quæ ad cerebri ſubſtantiam perueniebant, & amiſſa cerebri ipſius portione. *Chriſtoph. à Vega. comment. ad aphor.* 18. *lib.* 6. *Hippoc.*

Nos Dei auxilio, cui omnia accepta referimus, multos è maximis & grauiſſimis vulneribus liberatos teſtari poſſumus, inter quos hactenus nouem iam ſunt, quibus non exigua cerebri pars perierat. Fere autem innumeri, quib. prior meninx vehemẽter fuerat lacerata, ex his autem nouem, quos retulimus. Prior apud vrbem Xeres Pacenſis diœceſeos, familiaris quidam Ioannis Bazzani, qui gladio vulnus in capite acceperat, ex quo vulnere membranis ruptis tantum cerebri deceſſit, quantum duo tritici grana ſunt. Succeſſit citiſſima paralyſis, & alterius corporis partis, & linguæ impedimentum, qua vſq; ad quartum menſem laborauit, ex qua tamen affectione, poſtquã ex vulnere ſanatus eſt, melius etiam habere indies cœpit. *Franc. Arcæus lib.* 1. *c.* 6. *de Cur. vul.*

Secundus vero fuit puer quidam, 10. annos natus, muli calce percuſſus in fronte, vt ferreæ ſoleæ margine oſſa etiam comprimerentur. Huic per continuos ſex dies de cerebro, quantum lens eſt, ſingulis curationibus deperiit, atq; hinc nihil mali, præter vulnus eſt conſecutum. *Idem.*

Tertius in oppido, Fuentes de Leon appellato, erat, qui telo obtuſo, ex baliſta iacto petitus, & capillos & oſſa & carnem ſuper cerebrum coacta habebat: prima autẽ ſecunda atq; tertia cura hæc omnia extracta à nobis ſunt: pulſatione enim ipſa paulatim expellebantur: vna vero & cerebri pars prodibat commiſta, in quo rem nobis non negligendam animaduerti: id autem fuit quod duodecimo die molle quiddam & candidum excreſcere intus cœpit inſtar adipis, quod ſequenti curatione ita exuberauerat, vt ſupra carnem omnem emineret, nos autem hermodactylorum puluerem iniecimus, eo modo reductum coactumq; iri arbitrati. Cum autem tertia curatione ſupra cutem etiam nimium exceſſiſſe deprehendiſſemus, ferro rem agere conſilium fuit. Igitur forcipe, quatenus cranium æquabat reſecuimus: Id autem quod reſectum eſt, nucẽ iuglandem magnitudine ſuperabat: nihil vero neq; ſanguinis, neq; alterius rei ſecutum eſt: poſtera vero die nihil apparebat, ſed plana omnia, bonoq; colore cõſtabant. Sanatus igitur hic homo eſt, ſed tamen quoad vixit, morbo regio laborauit, cuius prima acceſſio ſeptima die fuit, & dum curaretur, alteram & tertiã paſſus eſt acceſſionem. Superuixit autem vſq; ad quartum & trigeſimum annum. *Idem.*

Quartum autem curauimus in oppido Llerena, Marchionis de Falces, qui eam prouinciam adminiſtrabat, famulum: hunc alius ex domeſticis quidam æreo petierat candelabro in coronali oſſis parte, omnis autem ea oſsis pars, qua vulnus accepit, comminuta, atq; ſuper cerebrũ fuerat vehementer coacta: opus igitur fuit ſecũda, tertia & quarta curatione: ea oſſa omnia extrahi oportuit, quæ loco mota, cerebrum grauiter premebant, maxime quæ in inferiori tabula erant, cerebri ſubſtantiam continentes pelliculas ruperant, ex quibus duo oſſa ita magna erant, vt per vulneris meatũ magna cũ difficultate erui potuerint: ab his autem pelliculæ, & cerebrũ ipſum vitiata fuerant, quamobrem ſingulis curationibus, à ſecunda ad quintam vſq;, ternæ quaternæq; ex cerebri ſubſtantia portiones, eæq; nõ exiguæ deceſſerunt. Interfuit autẽ dum curaremus, Benedict. Arius Mondanus Theologus noſtras, qui apud nos eo tẽpore chirurgiam, artis potius quã operis cauſa docebatur: quinq; ergo continuis diebus oſſa & cerebri partes prodierunt, quæ pulſatione ipſa pellebantur. Atq; hic iuuenis grauib. ſymptomatib. affectus eſt, dum curaretur: nam dextro latere conuulſionẽ, ſiniſtro vero paralyſin, atq; etiam regiũ paſſus eſt morbum. Hæc aũt omnia vndecima die aggreſſa, ad vigeſimam vſq; cum ſummo etiam faſtidio durauere. Poſthæc melius habere cœpit: tandem diuina ope omnino incolumis euaſit. *Idem.*

Dum nos Llerenæ (ꝙ oppidũ inter Bethicam & Luſitaniam eſt) publico populi ſtipendio chirurgiã, & inquiſitionis magiſtratus honeſta mercede exerceremus, admirandum periculũ accidit apud oppidulum Valuerde, decem miliaribus Llerenâ diſtant, quod hic referre decreuimus, quod eius hominis reſtituti hiſtoriam nemo audire poſſit, quin Deo auctori, atque vnico humanæ ſalutis præſidi gratuletur. Ea vero res ſic habet. Dum operarii quidã prægrandes lapides machinis & arte in terram, quæ tunc ædificabatur, tollerent, (productum autem opus iam erat, & templum cui hærebat, altitudine ſuperabat) vnus ex lapidibus decidens, quendam eorum, qui machinam voluebant, in capite plene percuſſit, qua ſagittalis commiſſura eſt; is autem ſubito corruit, ſimulque cum lapide terram attigit: erat autem lapis cubitali latitudine & longitudine, duodecim vero digitorum altitudine, & pondere quatuor & viginti librarum. Iacuit autem homo in eodem loco, per horæ dimidium, nihil omnino ſentiens: inde autem pro mortuo pene, aut intra horam ſaltem expiraturo, domum eſt ſublatus. Hic cerebri commotionem paſſus, tres integros dies non ſolum ſermonis, ſed motus etiam expers, mouebatur autem ab adſtantibus, non ſecus ac ſi mortuus fuiſſet. Magna autem oſſium pars, depreſſa cerebro incubuerat, ſanguis vero oculis atque auribus eruperat: caput autem ipſum & collum tumidum atroque colore conſpiciebatur. Poſt octauam autem diem ſponte ſua apertum eſt caput à ſincipite atque ab occipite, & ex altero etiam latere: maturuerant enim iam apoſtemata. Nos igitur oſſa in locũ ſuum reſtituimus, mẽbranæ autem inflammationẽ paſſæ ſunt: tertia die locutus eſt, imperfecte tamen, & vt commotæ mentis homines ſolent, apertis oculis imo & patentibus epilepticorum more erat: ſed nihil omnino videbat, neque cernere cœpit vſque ad vigeſimum diem, indiesque viſu etiam proficiebat. Secundum vero poſt menſem recte iam cernere, vt ſanus cum eſſet, potuit, cum vulnus iam ſanatum fuiſſet. Nam ad vigeſimam quintam, plurima oſſa remiſſa ſunt. Statim autem è lecto ſurrexit, tametſi tunc recte ingredi non valebat: atque ita diuina magis quam humana ope ſanatus eſt: euaſit autem pætis & tranſuerſa tuentibus oculis, qui etiam curatione præcedente, quarto menſe reſtituti ſunt, recteque intuebatur: viuit hic adhuc vxoremque duxit, iuuenis tunc erat, oculos vero aliis auxiliis reſtituimus. *Idem.*

Eſt magnopere medicis expendendum, quod in morbis grauiſſimis ſæpe euadunt, vel imbelles plurimi, etiam omnibus reclamantibus notis; quæ iu-

xta Hippocratis ſacroſancta oracula mortẽ in limine eſſe deſignent. Sic in vulnerib. cerebri, fragmento caluæ ad mollẽ vſq; menyngem, per duram prorſus adacto, nonnulloq; ipſius ſubſtantiæ apparente effluuio, nuper è populo quidam nobis manum admouentib. eſt reſtitutus. *Gemma lib.1.c.6.Coſm.*

Nos Venetiis, quæ nobis dilectiſſima patria eſt, hoc anno præſertim Feltriæ, ac alibi, dum iuniores eſſemus vulnera menyngarum & cerebri ſanauimus & ſanata vidimus, nec ſumus decepti: nam plures actus anatomicos in humano corpore propriis manibus exercuimus, ac quamplurimas & propemodum innumerabiles caluariæ fracturas pertractauimus. Quorum fideliſſimi teſtes eſſe poſſunt excellẽtiſ. Patres D. Franciſ. Longus, Leander Zarotus, Vincentius Prouincialis, Auguſtinus Gedaldinus, Tiberius Barbarus, Decius Pulcher & bonus, Ioannes de Franciſcis, Ioſeph Bonipertus, Bartholomæus Belatus, Aloyſius Bognotus à Cruce, nepos & nobis tã-quam filius dilectiſſimus, qui à latere noſtro vix vnquam diſceſſit, ac quamplurimi alii huius inclitę ciuitatis Venetiarum philoſophi ac medici præclariſſimi. Et paulo poſt: Feltriæ nos fuimus in curatione cuiuſdam adoleſcentulæ, quæ cum à cuſpide falcis vulnus cum cerebri læſione paſſa fuerit, ex quo terebrata caluaria, notabilis portio ipſius cerebri exiuiſſe compertum eſt, tranſacto quarto menſe ſanitati fuit reſtituta: & in vulnere ſemper canulum cõſeruauimus, ac vſq; ad decimum quartum diem ſolo oleo de terebinthina, & aqua vitæ curauimus: inde vulnus guttatim tali liquore repleri iuſſimus: Vini montani vnc. 20. ſucci betonicæ, vnc. 4. ſucci calaminthæ vnc. 2. myrrhæ, olibani, aloes, ſanguinis draconis, centaureæ minoris, granorum hypericonis, ana drachmam vnam, piſtentur quæ piſtari poſſunt, ac in ſubtiliſſimum puluerem redigantur, & omnia ſimul componãtur, ac per triduum in vaſe bene obturato marceſcant, poſtmodum lento & claro igne, donec tertia pars abſumatur, bulliant, & adde mellis roſati vnc. 4. & parum adhuc bulliant, & ab igne vaſe detracto, adde aquæ vitæ vnc. 6. liqueſcant & percolentur, & adde olei de terebinthina vnc. 4. & in vitreo vaſe cera optime obturato diligenter conſeruetur. Reliquum vulneris repleuimus cephalico puluere ab Auicenna deſcripto, ac deſuper latam petiam lineam pluribus in locis perforatam cerato humano munitam adhibere iuſſimus, cũ vero perfectam loci rectificationem nouimus, ſolo melle roſaceo ac cerato prædicto vſi fuimus, & Deo fauẽte iuuenem ſanitati reddidimus. Vexabatur tamen quadam linguæ balbutie, & oppoſiti brachii mollitie. Longo quidem experimento nouimus, omnes fere ab his vulneribus Dei nutu liberatos, aliquo ſymptomate ex his, quæ cerebro affecto apparere ſolent, detineri. Oleum de terebinthina ſic paratur. ℞ Terebinthinæ claræ & odoratæ libras. iij. arenæ fluuiorum depuratæ, lotæ & ſiccæ, aut vitri cõtuſi libram j. s. omnia in curua boccia cum ſuo recipiente ponantur, & boccia in vaſe terreo, inter quod & bocciam cinis in ea adſit copia, quod nullo modo tangi poſſint: & lento igne ne terebinthina tumeat & infletur fiat elambicatio, & quod primo deſtillat aqueum eſt, ac nullius momenti, quod ſecundo, coloris auro obſcurioris, ac denſioris ſubſtantiæ, optimum eſt, ac vſui ſeruandum: quod tertio, atrum & cæno ſimile eſt, probatur in vlceribus tibiarum antiquis, & cacoethe. Aut Recip. Terebinthinæ claræ lib. ij. laterum recentium lib. s. maſtichis, ſtyracis ana vnc. j. lateres igniti oleo extinguantur, & fracti miſceantur reliquis, & per lambicum tres, vt dictum eſt, excipiuntur liquores, quorum ſecundus & tertius optimus eſt. *Ioan. Andreas à Cruce. lib. 1. c. 14. Chirurgiæ.*

Anno Domini 1548. dum ego Polemarchi Monte-jani Chirurgus Taurini eſſem, quendam ex Prætextatis eius aſſeclis curaui, cui diſco ludenti inflictum lapide fuerat vulnus, in dextro bregmate cum fractura & effractura oſſis tanta, vt per eam, cerebri ſubſtantia dimidiæ nucis auellanæ craſſitie exiliret. Quo animaduerſo ſtatim pronunciaui vulnus eſſe lethale: obtrectabat huic meæ opinioni, qui dum aderat Medicus, aſſerens eiuſmodi ſubſtantiam haud cerebri eſſe portionem, ſed adipoſum quoddam corpuſculum. At ego hominis pertinaciam ratione & experientia adſtante multorum nobilium corona conuici: ratione quidem quod ſub cranio adeps gigni nequeat, nam etſi conceptæ illic partes frigidæ ſunt, tamen quia ſpirituum animalium calidiſſimorum & prætenuium copia, quæ vaporum è toto corpore eo ſuſcitatorum calore feruent, adipem circum ſe concreſcere non patiuntur. Experientia vero, quod per cadauerum diſſectiones nunquam eo loci animaduerſus eſſet adeps: iam vero adeps aquæ eminet & innatat: hæc vero ſubſtantia vtpote medulloſa in aquam iniecta, fundum ſtatim merſa petiuit. Deniq; adeps igni admotus funditur & liquatur: at hæc candenti laminæ impoſita ſubſtantia, reſiccabatur quidem & inareſcebat, contrahebaturq; in ſeſe lori inſtar, quod omni medullę familiare eſt, minime vero liquabatur. ex quo omnium qui aderant clara voce intellectum eſt, quam verum eſſet meum de illa ſubſtantia, quæ cranio eminebat, iudicium. Reſciſſa tamen ea, conualuit nobilis adoleſcens, cætera ſanus, niſi quod in vitæ reliquum ſurdus manſit. *Pareus lib. 9. cap. 22.*

Vidimus nos aliquando totam ſubſtantiam cerebri vulneratam, ventriculos diſſectos: aliquam etiam portionem cerebri cũ vulnere iam primum illato foras profluxiſſe, hominem tamen vulneratũ ſanitati fuiſſe reſtitutum. Qualem in Smyrna Ioniæ, adhuc viuente eius præceptore Petope Galenũ obſeruaſſe caſum ſcribit, huiuſce euentus cauſa non eſt niſi in corporis naturam firmitudinemq; virium redigenda, non in vulnus cuius cauſa fuerat moriundum. *Horat. Augenius lib. 9. Epiſt. 2.*

VVLNERA VENTRICVLORVM cerebri.

OBSERVATIO.

Vulnus anterioris cerebri ventriculi curatum.

ADmirabile ſpectaculum atq; incredibile quod Smyrnæ in Ionia accidit, aliquãdo ſumus conſpicati adoleſcentulum vulnere in alterum anteriorum ventriculorum accepto ſuperſtitem fuiſſe Dei (vt plerisque videbatur) voluntate: ſed ne temporis quidem momentum viuere potuiſſet, ſi vtrumque ſimul vulnus violaſſet. Ad eundẽ etiam opinor modum, ſi ſine vulnere alius quiſpiam affectus alteri ventriculorum acciderit, reliquo manente ſano, mi

no, minorem offenſionem in vitam ſuam animal accipiet, quam ſi vterque ſimul affectus fuiſſet. Nam perinde eſt, duobus ventriculis comparatis, ambos ſimul lædi, ac ſi vnico à principio facto is vnus afficiatur. Itaque tutius eſt in quibus licet quod geminum eſt, quam ſimplex, licet autem non vbique. *Galenus lib. 8. cap. 10. de vſu part. Meminit huius hiſtoriæ idem author comment. ad aphoriſ. 18. lib. 1. apho. Hipp. his verbis.* Vulneratum cerebrum ſanari ſæpe vidimus, ſemelque Smyrnæ Ioniæ viuente adhuc Pelope præceptore, vulnere axiologo, id eſt maiuſculo exiſtente. Verum id ex iis eſt, quæ rariſſime eueniunt.

OBSERVATIO.

Quartus cerebri ventriculus memoriæ dicatus, cuidam totus per vulnus ablatus, ſalua memoria.

MVltoties dura mater rumpitur: aliquando etiam pia mater, cum tamen accidentia non appareant, imo reparantur panniculi, & ſanatur infirmus. De hoc fidem nobis facit experiẽtia, quia multos fractis ambabus membranis, & aliquos, à quibus non parua quantitas medullæ exiuit, perfecte ſanari vidimus: de hoc adeo ſumus certi ſicut de morte. Plures etiam vidi habentes aliqua ex prædictis accidentibus, priſtinæ ſanitati reſtitutos. Et *Galenus* teſtatur de læſione piæ matris multos ſe vidiſſe ſanatos, ſicut patet *in comment. aphoriſ.* illud tamen eſt de his quæ raro contingunt. Sciui hominem, cui vna cellularum tota euacuata fuit, & tandem repleta carne loco cerebri per dominum Hugonem ſanatus eſt. Cum vero cellula rememoratiua fuiſſet, vidi dominum Hugonem ſtupentem valde ſuper illo, quod memoriam ſicut ante habebat, erat enim factor ſellarum, & artem ſuam non amiſit. *Theodoricus lib. 2. c. 2. Chirurgiæ.*

OBSERVATIO.

Ex cerebri vulneribus, eiuſdem ſubſtantiæ & ventriculorum incredibilis putrefactio animaduerſa.

APerui quamplurimorum in capite vulneratorum cerebra, in quibus plus quam cerebri partem dimidiam vndequaque putrefactam, eiuſdem lateris ventriculum pure fœtido, viridi & craſſo refertum, atq; in cerebrali ſubſtantia apoſtemata putidiſſima deprehendi. *Coiter. libell. obſeruat. Anatom. & Chirurg.*

VARIA ALIA AD CEREBRVM pertinentia.

OBSERVATIO.

Hiſtoriæ aliquot de vulneratis in cerebro ad animalem facultatem, earumq; proprias ſedes curationem vulnerum cranij, ad fungos & alia chirurgis ſcitu digna, pertinentes.

BOnoniæ in ædibus generoſi & nobilis viri Iulii Cæſaris Maluetii, Regienſis quidã nomine Auguſtinus gladii non admodum acuti cuſpide in capite vulneratus fuit: vulnus vero ab oſſe bregmatis ſiniſtri lateris paulo poſt aures incepit, & tranſuerſim per muſculum temporalem, qui totus tranſciſſus fuit, ad oculi canthum maiorem ſeſe extendebat, atque in cerebri profundum ad eiuſdem lateris ventriculum fere penetrauit. Fractura hæc cranii nõ fuit ſimplex, ſed ex ἕδρᾳ, id eſt ſede, & ex thlaſmate ſiue contuſione compoſita, ſiquidem ſquamæ & ſeparatæ & exemptæ ſunt. Æger ſtatim ab accepto vulnere in terram concidit, bilioſa euomuit, amiſit ſenſus & motum, correptus eſt rigore & ſpaſmo, aliquot horis poſt rediit ad ſe, ac balbutire, aſtantesq; vix ægre cognoſcere incepit: attamen tum memoria, tum intellectu, tum ſenſibus omnibus vacillabat. In curando hoc vulnere vſi ſumus Hippocratica methodo, Hippocraticisq; remediis. Quarta die febris, quæ ante mitiſſima fuit, aucta eſt, & cum ea omnia ſymptomata intenſiora ſunt reddita, & ex vulnere ſingulis diebus ſubſtantiæ cerebri quid excernebatur. Idque tantum, vt totum collectum dimidiæ nucis iuglandis magnitudinem adæquarit, ad veſperam quartæ diei, ſuperuenit alui ſolutio, vnde quinta die omnia remiſere, multo magis ſequentibus diebus: nona die maxima viſa eſt mutatio in melius, in vulneribus enim capitis criſes ſunt admodum fallaces & inconſtantes. Ex vulnere cerebrum excreuit, vt in omnibus capitis vulneribus, quæ ego tum curaui, tum à Fallopio, tum à Iulio Cæſare Arantio curata vidi: animaduerti ſubſtantiam quandam fungoſam, ita duram, ita tenacem partibus ſubiectis annexam, vt ſpatula auferri nequierit, hæc ſemper ſuppullulat, donec carne loco cerebri, vel calli ſuccreſcente, vulnus cerebri repletũ & obductum ſit, hoc tempore deſinit humorum putredo vnde fungi huius ſcaturigo prodit. Inquit *Ioannes Langius in Epiſtola quadam*, quemadmodum enim in ſtipitibus arborum, humores ſemi putridi per corticem extuberantes, in fungos coaleſcunt: Sic vulnerato cranio, vt multi volunt (at vt ego obſeruaui, læſo cerebro) humores cerebri affluunt, qui (*teſte Alexandro Aphrodiſeo*) oſſis frigore condenſati, in fungi ſpeciem concreſcunt: qui in ſuperiore parte ampliuſculi, infra vero prætenues, pro loci ratione perficiuntur. Vnde *Galenus libro tertio Epidemiorum* denſitate humorum tales in vulneribus annaſcentias efficiente, quos multi fungos appellabant. Hos fungos cum noſtri chirurgi in capitis vulneribus enatos vident, ſubſtantiam cerebri eſſe arbitrati, aut ægros tanquam deploratos relinquunt: aut ſi forte fortuna eos curauerint, vulnera cerebri ſeſe curaſſe, tantillumq; de cerebro fruſtum exemiſſe gloriantur. Nunc redeo ad meũ ægrum, 14. die abſceſſere duæ oſſis portiunculæ, 30. die vlcus vndequaq; fuit carne repletum, & tamen oſſis ſquamulæ duæ erupere: poſtquam curatus fuit, memoria ſemper læſa, ſtupidus intellectus, iudiciũ valde imbecillum permanſit. Triennio poſt in aduerſam valetudinem ægro & Medico ſuo Phyſico ſatis obſcuram, vel cognitu difficilem incidit, & tandem ex inſperato atq; inexpectato ſedens leniſſime efflauit animam. *Volcher. Coiter lib. obſer. Anatom. & Chirurg.*

Adiiciam hîc & aliam hiſtoriam de quodam, qui etiam cerebri habuit vulnus profundum & magnum, multo magis atq; prima admiratione digna. Ante quinque, ni fallor, annos Amberge in ſuperiori Palatinatu cum Illuſtriſſ. Ducis Bauariæ & Comitis Palatini Rheni Ludouici, Palatinatus ſuperioris præſidis eſſem Medicus, cuidam qui ipſius principis equi inſtruendi curam geſſit, nomine Nicolao Graffereuter nouam explodenti bombardam, fruſtum eiuſdem (inter explodendum enim in multa fruſta diſrumpebatur) inter ſupercilia, paulo ſupra ſuperciliorum intercapedinem, frontem perfregit,

 & ad

& ad dimidii digiti longitudinem in cerebrum oblique dextrorſum ingreſſum eſt, aliud fruſtum eiuſdem lateris oculi corneam tunicam diſcidit: vnde aqueus ſiue albugineus humor totus effluxit: ex percuſſionis vehementia tanto impetu vulneratus retrorſum in terram proiectus impegit, vt ex hac illiſione occipitis cerebri poſterior pars vulneri obiecta non leuiter offenſa ſit, idcirco magis de hac parte, atq; de vulnere oculóue conquerebatur. Stupidus, attonitus, & omnibus ſenſibus quaſi orbatus, domū vectus, & curæ barbitonſorum balneatorumq; qui iſtic magni habentur, commiſſus. hi cum cerebri nō parum ex vulnere eminere cernerent, atque prognoſticarint, eum deſperatum atq; intra triduū vel quatriduū moriturū, Illuſt. Princeps vt erga omnes, ſic verſus ſuos benigniſſimus ac clementiſſ. caſum miniſtri dolens, me accerſiri, vulnus detegere, atq; quídnam de vulnere eſſet, explorare iuſſit, ego remoui emplaſtrum & ſtatim cerebri aliquot fruſtula cum ſanguinis grumis, non ſine reprehenſione barbitonſorum (volebant enim cerebrum relinquendum fore) exemi. Quo & Celſitudini ſuæ & circumſtantibus aulicis cerebrum fuiſſe læſum certo conſtaret, id cerebri, quod abſtuleram, omnibus demonſtraui: ne aliud quam cerebrum eſſe putarent, ex ſufficienti enumeratione partium, nec pus, nec ſordes (trium enim horarum ſpatio tale nihil generari potuit) nec os, nec cutim, nec carnem, nec membranam, ſed cerebri ſubſtantiam fuiſſe comprobaui. Celſitudo ſua reſpondit, iam conclamatum eſt: inquiebam, eſt quidem caſus periculoſiſſimus, verum non omnino deſperatus, neque lethalis, hocque exemplis plurimis confirmaui. Illuſtriſſ. Princeps admirabundus dixit, hoc in Germ. inauditum eſſe, vtque Celſitud. ſuæ conualeſcentiæ miniſtri maiorem ſpem facerem, attuli *Fallopii commentaria in Hippocr. librum de cranii fracturis*, in quibus ſimilia enarrat, deinde quæ exempla Fallopius iſthic de cerebri grauiſſimis vulneribus ab eo curatis recenſet, Celſitud. ſuæ indicabam. Tandem Illuſtriſſ. Princeps acquieuit, commiſitque totum ſauciatum meæ curæ, ego eum curandum ſuſcepi & humana pollicebar. Mira benigne lector audires, ſi vellem hîc recenſere barbitonſorum balneatorumque, quo exarſi ſint erga me, tanquam prognoſticum, atque illorum curationis modum (in principio enim omnibus capitis vulneribus & etiam grauiſſimis, barbitonſores in Germania adhibent cataplaſma calefaciens, humectans ac relaxans, nonnunquam miſcent attrahentia, vocant hoc cataplaſma Germanice ein warm Gebandt/ Latine ligaturam calidā, aliquot poſt diebus feruidiſſimo vino vulnera eadem fouent) ſpernentē furorem, calumnias, obtrectationes atq; maledicta, quib. me laceſſauerunt, vltimo quantū virus in me euomuerint. Equidem recordatione reſponſi Socratis, dum à proteruo ac inſolenti homine in publico læſus, ab amico, cur illum non iniuriæ apud magiſtratum deferret, interrogabatur, hæc omnia deuoraui, & alia ſingulis diebus deuoro: eos enim cōmiſeratione potius quam incuſatione dignos eſſe iudico. Hæc iuſtis de cauſis hîc inſerere coactus ſum: nunc ad rem noſtram. Reperi ægrum cum febri ſatis intenſa & delirio, oculi læſi palpebras tribus in locis vulneratas, eaſq; cum vicinis partibus ad pugni magnitudinem ita inflatas atque tumefactas, vt ad inſpiciendum oculum palpebras diſiungere nequierim. Mundaui vulnus diligenter, exemi tum cerebri tum oſſium paruas portiunculas à ſubiectis partibus liberas, immiſſi conuenientia atque vulnus obligaui, ſanguinem ex brachio extrahi iuſſi: oculo impoſui cataplaſma ex farinis & herbis partim frigiditate, ſiccitate & leui adſtrictione inflammationem arcentibus, partim ex dolorem ſedantibus, vnde poſtridie maiori ex parte tumor ſubſiderat: inſpexi oculū & deprehendi humorem albugineum vniuerſum effluxiſſe, corneamque tunicam deſidiſſe, atq; cryſtallino humori immediate incumbere, iuſſi ſanum oculum occludere, ac intueri læſó (vt fecit) circumſtantes, quos præter omnem rationem & cum ſtupenda admiratione læſo oculo æque, atque integro vidit agnouitque: durauit viſus in hoc oculo ad ſextum vſque diem, quo cœpit deficere: erat enim tanta, ob vehementem illius oculi contuſionem, putredo, vt à corruptione diutius cōſeruari nequierit. Opinor ſi exiguum extitiſſet corneæ tunicæ vulnus, viſus priuationem non ſecutam fuiſſe. Si quidem vidi in pueris corneæ vulnera ſtylo puncta, ex quibus humoris albuginei parum effluxerat, & tamen curata, ſimilia ab aliis ſunt animaduerſa. Vulnus erat ab omni inflammatione liberum, effuditque grumoſum ſanguinem cum cerebri contuſi aliquot particulis: ad delirium, dolorem occipitis & febrium quæ intenſius creuerant, acceſſere rigores inordinati, appetitus proſtratio, vigiliæ atque vulneris magna ſuppuratio. Occipiti à principio repellentia adhibui, deinde exiccantia & diſcutientia abſque manifeſto calore, interdum etiam anodyna: his cum viderem nihil me proficere, contuſionemque occipitis ad ſuppurationem, quod ex pulſatione, doloris incremēto febris exacerbatione & rigoribus inordinatis, qui vulneribus cerebri familiares ſunt, conieci tendere: ad maturationem me conuerti, atq; paucorum dierum ſpatio collectam materiam ſuppuraui, intus apoſtema perruptum & per vulnus expurgatum fuit integrum, nunquam integre à ſymptomatibus enumeratis liberabatur, interdum remittebant, nōnunquam rurſus exacerbabantur, inter cætera rigor, præcipue noua collecta in cerebro materia, quæ expurgari nequiuit, equidem corpus purgabam, humores reuellebam, deriuabam, vlcus expurgabam, exiccabam & corroborabam vulneratum cerebrum cum decoctis, matre balſami, & interim balſamo artificiali ſimilibusque per clyſtere auriculare immiſſis. His dubia ſpe & plurimorum hominum, qui euentum vel finem videre deſiderarunt, expectatione ad quartum à vulnere accepto menſem perſeueraui: tum primū leuam cōualeſcentię ſpē concepi, & ſymptomatū conſtantem remiſſionē deprehendi, multū tamen puris quotidie effluxit. Tertio menſe materia calloſa, cuius in p̄cedenti hiſtoria mentionem feci, tanta duritie atq; copia ex vulnere excreſcere cœpit, vt mihi in remouēdo atq; impediendo, ne vulnus ea ſubſtantia occluderetur, negotiū non leue exhibuerit, cōpeſcere illam creſcendi luxuriem tum cauſticis aquis, tū alumine, tū vitriolo combuſto, tum vinculis (erat enim fere tota exanguis, ſtupidi ſenſus & dura) tum aliis mediis, totis conatus ſum viribus, at ſemper ex profundo repullulabat: ad extremum decimo vel vndecimo menſe, conua-

leſcentia

leſcentia ſuccedente, ſponte ſuccreſcere deſiit. Symptomata omnia ſenſim ac pedetentim euanuere, ac tandem 13. poſt inflictum vulnus menſe, per Dei omnipotentis inſignem & inſperatam benignitatem valetudinem priſtinam recuperauit. *Idem.*

In Metarum obſidione Pienarum dominus, cum ad dirutam muri partem propugnaret, fracto temporis oſſe læſus eſt lapidis ictu ex adſtante muro eliſi, æneo tormento ab Imperatoriis caſtris diſploſo, ab ictu ſtatim concidit, ſanguinem ore, naribus & auribus cum multo vomitu reddidit, ac totos fere quatuordecim dies mutus & attonitus ſic extitit, vt neminem adſtantium agnoſceret. Crebræ palpitationes ac ſubſultus conuulſorii illum exercebant, facies tumida erat. Terebratum autẽ illi fuit os frontis ad latus temporalis muſculi manu Petri Auberti Chirurgi Regii: ac quamuis die quinto ac viceſimo caro mollis & exquiſito ſenſu prædita per foramen terebra factum emerſiſſet, cuius ortum cathæretici pulueres prohibere non potuerunt, tandem tamen conualuit. Emergentis hanc carnis ſpeciem Veteres Fungum nominarunt, quod mollis ſit & radice ſubnixa fungi inſtar ſuperne laxior, inferne tenuior: augetur vero & decreſcit pro materię affluentis copia, & Chirurgi arte incrementum intercipientis induſtria. Fœtet valde hæc caro: vulgo Ficum ſancti Fiacrii nuncupant. Ortum habet id mali genus hoc fere modo: Quemadmodum in arborum tunicis ab alimenti excremẽtis humor quidam ſemiputris, craſſus & glutinoſus per corticem exudat, ſenſimque excumulatus cogitur in fungum: ſic ex craſſæ menyngis & cranii vaſis ruptis ſanguis exilit, temperie & conſiſtentia melancholicus, quem etiam aliquando natura ad carnis illis locis neceſſariæ reparationem tranſmittit, vnde concreſcit quidam veluti fungus, qui Galeni ſententia partium quibus adnaſcitur naturam & cõditionem redolet: quanquam in genere de natura verrucarum malignarum. Cæterum ad eiuſmodi fungorum profligationem admouenda ſunt remedia, quibus ſpecifica facultas inſit abſumendæ carnis ſuperfluæ, qualia ſunt quæ validius exſiccant, & blandius atterunt, & excedunt: quale eſt quod ſequitur. Recip. Sabinæ drach. ij. ocræ drach. j. puluериſentur ſimul, aſpergatur caro accreſcens. Vel. Recip. hermodactylorum combuſtorum vnciam s. fiat puluis in eundem vſum. Quod ſi eiuſmodi caro fungoſa eo, vt ſæpe fit, incrementi veniat, vt oui magnitudinem æquet, quam proxime radicem ſerico filo liganda eſt & conſtringenda arctius: cumq; vi conſtrictionis deciderit, commemoratis puluiſculis eſt aſpergenda: ſic enim certius quam acrioribus cathæreticis profligabitur. *Pareus, lib. 9. cap. 19.*

OBSERVATIO.

Sex fungi in caluaria cuiuſdam hominis animaduerſi.

EST apud nos ciuis quidam, cui ante annos fere 40. me vidente, tum adhuc impubere, caluaria in publico foro cæſim fiſſa eſt, & mẽbrana læſa. Hic ſex fungos in capite enatos in hunc diem geſtat, nucum fere regiarum magnitudine: è quibus tamen proximis annis tres ſua ſponte deciderunt. *Cornarius Emblemate. 71. ad lib. 4. Dioſcoridis.*

Memini etiamnum me puerum admodum ex elatiore ſcamno in caput decidiſſe, & periculoſum vulnus in ſiniſtra parte accepiſſe. Cui percurando cũ imperitus Chirurgus diu inſtitiſſet, non animaduerſa cranii offenſa, tandem ad conglutinationem id perduxit. Vnde factum, vt aliquot inde annis per interualla, capitis doloris ſenſum quaſi impacti claui pertulerim: ſuccedentib. vero annis ea parte fungus mihi enatus eſt, mediocris caſtaneo magnitudine indolens: quem ad pubertatem vſq; circumtuli: donec periculoſiſſima febre cum intenſiſſimo capitis dolore correptus: cute capitis externa ſua ſpõte diſrupta: tuber vniuerſum nulla difficultate, & velut ſcalpendo auulſerim: quod ipſum cornea quaſi ſubſtantia præditum, & multis laminis inuicem coagmentatum, atque lapidum veſicæ inſtar incruſtatum, deprehendi: certiſſimo offenſi ex eo caſu cranii, & ſubſtratarum membranarum indicio. *Ioan. Schenckius.*

OBSERVATIO.

Quidam cerebro offenſo diu obmutuit, qui poſt crebras conuulſiones in furorem actus, tandem conualuit.

NOs obſeruauimus, quibus cerebri partes ſauciatæ eſſent, alios repente mortuos: alios ſoporatos cruentatis etiam auribus & narib. diu manſiſſe, tandemq; euaſiſſe: quendam Arelatæ, cum diu obmutuiſſet, crebriſq; conuulſionibus prehenſus ſupremum, vt videbatur, diem conficeret, ſubito è lecto noctu exilientem, ac furore percitum in eos, qui aderãt impetum feciſſe, proſtratiſq; aliis, cum Franciſcano valente & neruoſo, diu pugnis, vnguib. calcibus certaſſe, quem fruſtra cæterorũ opem implorantem, ita miſeris tractauit modis, vt arrepta primũ cruce, deinde matula, fuſte, ferro etiam incredibili vi è feneſtris detracto, hominem non ſine eiulatu pene oppreſſerit: ac certe ſublato lapide quadraginta pondo, tandem oppreſſiſſet, niſi Franciſcanus in ſumma deſperatione collectis viribus ictum grauem ægri pudendis impegiſſet, quo ille humi concidit. Hic tamen præter omnium opinionem noſtris auxiliis adiutus tandem conualuit. *Iacotius Comment. ad aph. 3. lib. 1. ſect. 3. Coac. Hipp.*

OBSERVATIO.

Cerebrum punctim læſum.

SIMILIA ſymptomata ſuperuenerunt & cuidã cui durior cerebri mẽbrana, anteriore parte punctim læſa fuit. Vulnus hic acceperat cũ tridentis acuto radio in ſuperiore dextri oculi palpebra ſub ipſo ſupercilio, oculi bulbo haud læſo: exigui momẽti vulnus habitũ: cito quoq; in palpebra coaluit: interim vulneratus ſopore tali correptus, quali is qui cum baculo percuſſus erat, ac eodem affectus modo. Adhibita fuerunt multa capiti remedia, non etenim ex tam exiguo vulnere, ſed alia ex cauſa, putabantur talia ſuperueniſſe accidentia. Cũ vero nullis remediis affectus cederent, ſuperueniens noxius ſopor, vitæ finem fecit. De cauſa mortis cum dubitatio eſſet & concertatio, primum exemptus eſt oculus, atque tunc compertum radium non tantum palpebram vulneraſſe: ſed vlteri⁹ progreſſum os illud penetraſſe, quod cauitate ſua oculi bulbum continet. Exempto vero & frontis oſſe, apparuit durior membrana & vulnerata & ſanguine multo perfuſa, iam corrupta cerebri proxima vulneri ſubſtantia ac vitiata. Quæ dubio procul exitii cauſa. *Dodonæus obſeruat.*

ſer. Medicinal. cap. 3. Hippocrates libr. Prorrheticōn ſtatim initio, & ſimiliter in Coacis prænotionibus, interrogare videtur, num ſic affecti Phrenetici ſint. Qui ſoporoſi, inquit, inter initia fiunt, cum capitis, lumborum, præcordii, colliqne dolore vigilantes num phrenetici ſunt? Reſpondet *Galenus in Commentarijs*, Phrenitin non appellari (proprie videlicet) niſi febricitet æger & continuo deliret, ac continuitate dementiæ, quodque ſimul cum febri fiat, phrenitin agnoſci: phreniticos tamen & hos eſſe, qui ſoporoſi exiſtentes ſapiunt, ſed & delira quandoque loquuntur, atque à præſentibus expergefacti ſtupefactis ſimiles videntur: & tales quidem fuiſſe, *de quibus Hippocr. Epidem. lib. 3. ſect. 3.* hunc in modum ſcribit. Neque phreniticorum quiſquam inſaniuit, vt in aliis, ſed alia quadam veternoſa in ſomnum delatione capite grauati moriebantur. Ex quibus apparet, cum eum cui os petroſum fiſſum, & alterum in capite vulneratum, tum & hunc, cui punctim læſum, phreniticos dici potuiſſe: cum & ipſi excitati, veluti ſtupentes, mox in ſoporem relapſi, ſubinde ad interrogata recte reſponderint, quandoque vero aliena. *Idem annotat. ad cap. citatum.*

OBSERVATIO.

Medulla ſpinali vulnerata conualuere nonnulli.

MEdullæ ſpinalis, cuius vulnera lethalia ponuntur ab Hippocr. Vidi tamen aliquos ſanatos ſed, ſi vulnus ſit in partibus ſuperioribus, neceſſario ſuccedit mors, & conuulſio partium inferiorum. *Fallopius de vuln. cap. 12.*

COMMOTIO VEHEMENS.

OBSERVATIO.

Hiſtoria admirandæ & variæ, quibus oſtenditur, vnius cerebri, eiuſdemque membranarum, vel vaſorum vehementi commotione, atque concuſſione, capitis cute & cranio quam minime læſis, lethalia vt plurimum ſymtomata produci, quæ nonnullis præſentem mortem, vel curationem ambiguam admodum, aut miraculoſam prorſus attulerunt.

ANtuerpiæ hoc anno quamplurimi citra caluariæ læſionem, ex cerebri ſeu menyngum concuſſione (effluente è venis ſanguine) obierunt. Quod malum eo magis fuit capitale & funeſtum, quo minus illi qui ſic affecti erant, in ſolita ſymptomata incurrerent: nam cum ſeptimo, aut ad ſummum decimoquarto ſymptomatibus ab Hippocrate deſcriptis hæc ſe noxa manifeſtet, hi illis diebus bene valere, non febrire, non vomere cœperunt: decimoſeptimo aut vigeſimo, &, quod magis eſt mirandum quinto & vigeſimo, hæc ſeſe oſtenderunt, mortuique ſunt omnes. *Aluarus Nonnus in annotat. ad cap. 3. Arcæi de curand. Vulnerib.*

Vidimus non paucos à capitis vulneribus, quæ ſolam carnem occupabant, non vulnerato pericranio, minime vero perforata aut diſciſſa caluaria, febrem pati & bilem vomere, facta ab ictu aut caſu cerebri & totius corporis concuſſione. Quod ſi cerebrum aut eius membranæ vulneratæ fuerint, bilis, vomitus & febris neceſſario ſuperuenient. *Chriſtoph. à Vega. comment. ad aph. 50. lib. 6. Hippoc.*

Bononiæ in ædibus nobiliſſimi, ampliſſimi ac prudentiſſimi viri D. Ioannis delli Armæ Senatoris Bononienſis, quidam ex ſuis miniſtris ab equo calce vehementer percuſſus, in capite iuxta ſuturam ſagittalem vulnus accepit rotundum & anguſtum ad cranium vix penetrans. Ob percuſſionis vehementiam ſuo Doctori Arantio, tum temporis chirurgo feliciſſimo, offenſionis cerebri ſuſpitio oriebatur, quare inciſa capitis cute in formam crucis vel X literæ, os detexit, quod etiam terebra perforauit ad interiorem fere laminam vſque, nam ob ſanguinis effluuium profundius penetrare nequiuit, Secundo die rigor febrilis, quem ſequebatur æſtus ſuperuenit. A principio conqueſtus eſt de capitis, præcipue de colli intenſo dolore, laſſitudineque brachiorum febri quartanæ, qua ante diu laborarat, rigor, brachiorum laſſitudo caſui, colli dolor contorſioni inter cubandum aſſignatus eſt. Paucis diebus poſt facta euacuatione & ſanguinis miſſione, febris omnino remiſit, mitiora ſunt reddita omnia ſymptomata, nunquam tamen vulnus mihi placuit, erant enim vulneris labra tenuia, ſqualida, depreſſa, flaccida & mali coloris, minime vt in non lethalibus, vel non periculoſis, ſubdura & tumida mediocriter, abſque inflammatione tamen: & viui coloris. 19. die acceſſit rigor, & cum eo maxima atque violenta inferioris maxillæ conquaſſatio, vomitus biliosus, ſingultus, capitis ingens dolor, inquietudo, delirium, vigiliæ, facultatis ventriculi retentricis imbecillitas & colli rigiditas. Rigor erat frequens, inordinatus, abſque calore comitante, vt in quartanis rigoribus contingit. Sequenti die, excepta colli conuulſione, inquietudine, maxillæ concuſſione, omnia ſymptomata multum remiſere, & tandem mortuus eſt. Apertum fuit caput & inuenimus putredinem dimidiam cerebri partem occupaſſe, in ventriculo laterali & medio, qui tertius dicitur, plurimum tum puris, tum aquæ ſubrubro colore tinctę vidimus, dura membrana, fuit integra, & è regione vulneris aliquouſque à cranio libera, accreuerat in illo loco membranæ, caro laudata, quæ etiam cranii foramen obturarat. Hoc idem in multis ſimilibus vulneribus interemptis, deprehendi. Vnde periculoſiora penes me ſunt cranii vulnera, in quibus integra dura, cerebrum læſum eſt, vel vbi ſub dura membrana læſa vena vel arteria (quod leui de cauſa contingit) ſanguinem effudit, quam cum membrana ſimul ſit vulnerata. Siquidem horum plures, atque illorum vidi curatos, nam membrana dura cerebri ob ſuam denſitatem atque craſſitiem, nec ſanguinem emiſſum, nec pus ſub ea generatum emittere poteſt. Hac de cauſa niſi reprehenſionem & calumnias metuerem, in grauibus & periculoſis capitis vulneribus, vbi vel contuſionis cerebri vel perrupti vaſis ſub membrana manifeſta haberem ſigna, auderem hanc duram cerebri membranam perſcindere, etenim vt in omnium, ſic in horum vulnerum curatione præcipuum eſt, perficere, vt vulnera optime expurgentur, nam omne quod tangitur à putrido, putreſcit. *Coiter. in obſeruat. Anato. & Chirurg.*

Quidam cum baculo craſſo ad ſiniſtram capitis partem ſupra aurem percuſſus, non exiſtimabatur inſigniter læſus. Nam cutis integra, nullam læſionis notam oſtendebat: oſſe interim petroſo,

quod

quod ſubeſt, fiſſo, ac ſecundum latitudinẽ magnam rimam habente. Huic mox ſuperuenit ſopor, non tam profundus tamen, quin interpellatus excitari facile potuerit: excitatus vero facile iterum oculis concluſis in ſoporem relapſus eſt: donec tandem poſt (plus minus) dies 14. grauem ſoporem, à quo excitari non potuit, mors ſequeretur. Decubitus toto tempore erat ſupinus, vrina & aluus raro reddebantur, tandem etiam citra ſenſum profluebant: lenta admodum, ſed nunquam remittens, aderat febricula. Capite huius poſt mortem aperto, reperta eſt durior cerebri membrana, ſub oſſe petroſo, ſanguine omnino ſuffuſa, purulento etiam circa cerebrum humore conſiſtente. *Dodonæus Obſeruat. Medicinal. cap. 1.*

Concuſſum autem hinc fuiſſe cerebrum, aperto capite ſatis apparuit, quanquam & hoc ex ipſa oſſis petroſi inſigni rima ſatis manifeſtum: neque enim tam violentus ictus abſque cerebri concuſſione fieri potuit. Cur autem non ſtatim mutus factus fuerit, perquirendum videtur. Ait enim *Hippocrates*: quibus cerebrum aliqua ex parte concuſſum fuerit, nec[eſſ]e eſt ſtatim mu[t]os fieri: *ſectionis ſeptimæ Aphoriſmo* 60. Eadem vero & de morbis primo, ſed minus conciſis verbis, habentur; Si cerebrum, inquit, concuſſum fuerit, ac doluerit eius qui percuſſus, mutum ſtatim fieri neceſſe eſt: ac neque videre neque audire. Sed hic Aphoriſmus, aut hæc Hippocratis verba, non de quauis cerebri concuſſione, neque de tali, qualem deſcripſimus, ſunt intelligenda, ſed de violentiſſima tantum, veluti cum cerebrum concuti contigit (vt Galenus interpretatur) propter caſum aliquem totius corporis violentum, ex locis altioribus factum. Iacent enim tunc eodem quo apoplectici modo, abſque ſenſu pariter ac motu. Quando vero minus violenta eſt concuſſio, non ſtatim muti redduntur, ſed tardius & aliquot poſt dies demum: veluti percuſſo huic contigit, tum & illi, de quo *Hipp. Epidemion quinto*: Qui lapide, ait, in capite percuſſus eſt à Macedone, corruit. Tertia die voce deſtitutus erat, anxietas, febris tenuis, pulſus non valde in temporibus. Nihil omnino audiebat, neque ſapiebat, non quietus, ſed quarta mouebatur humiditas circa frontem, & ſub naſum, & vſque ad mentum, & mortuus eſt. Veluti enim maximos & violentiſſimos caſus, omnia grauiſſima ſuccedunt: ita minores moleſta minus conſequuntur accidentia: aut tardius ſuperueniunt. *Idem eod. loco.*

Alteri vulnus illatum in ſuperiore capitis ſiniſtra parte, cum inſtrumento retuſo, ſed nonnulli ponderis, quod exiſtimabatur periculi exors, vtpote cranii oſſe illæſo, idcirco etiam negligentius curatum. Superuenit huic & ſopor ille, qualis ſuperiori: ex caſtris, vbi vulnus acceperat, tunc in vicinam vrbem translatus fuit. Decubitus huius quoque ſupinus fuit, pulſus paruus ac creberrimus, mens nonnihil læſa, ad interrogata enim haud recte reſpondit. Huic ingraueſcente malo, vniuerſum dextrum latus reſolutum eſt (cum tamen in ſiniſtra capitis parte vulnus eſſet) inde pernicioſus ſopor, à quo excitari non potuit, breui vitæ exitu ſubſequente. Cranio huius ſublato, reperta eſt dura menynx ſiniſtra parte liuens, ac ſimiliter ſub hac cerebri ſubſtantia, quæ apparebat, ſphacelo correpta: dextra cerebri partem cum ſua membrana haud male affecta; cranio etiam vndequaque integro, nec rimam vllam aut fiſſuram habente. *Idem cap. 2.*

Apparet & huic concuſſum fuiſſe cerebrum. Nam dextræ partis reſolutio vulneris occaſione non videtur acceſſiſſe, ſed aliam ac maiorem cauſam habuiſſe, ipſam videlicet cerebri ab ictu per inſtrumentum grauioris ponderis concuſſionem. Reliqua ſymtomata vulneri ſucceſſiſſe potuerunt. Capitis ſiquidem oſſetenus vulneribus etiam oſſe cranii haud læſo, grauia quandoque ſymtomata accedunt: ac tandem ipſa mors. Aer frigidus hiſce vulneribus inimicus, à quo niſi vulneratus ſe non contineat, ſæpe in periculum ſeipſum adducit. Complures referri poſſent, qui ex leui vulnere capitis, pericranio tantum vulnerato, obierunt, qui ſe aeri frigido expoſuerant. Superuenit autem iſtis ſenſuum ſtupor, ac tandem profundus ac noxius ſopor: nonnullis etiam febris: deinde mors: ſed reſolutionem alicuius partis non memini in quoquam capite vulnerato alio, quam in hoc, me obſeruaſſe. Quamobrem non vulnus modo, ſed cerebri concuſſio morti occaſionem præbuiſſe videtur. Cur autem alii ex leui vulnere capitis perierint, qui ſui nullam aut exiguam rationem habentes aeri frigido ſeſe expoſuerunt, nulla alia apparet cauſa, quam quod frigidum per denudati oſſis cranii poros ad cerebrum perueniens, ſphacelo inducto ipſum vitiauerit: quo ſuper accedente, ægri haud diu viuere potuerunt. Nam vt *Aphoriſ. 51. libro ſeptimo.* Quibus cerebrum ſphacelatum, id eſt, corruptum eſt, in tribus diebus pereunt: ſi vero hos euaſerint, ſani fiunt. Quæ ſententia in Coacis prænotionibus paulo aliter ſic habetur: cerebro corrupto, alii in tribus diebus, alii in ſeptem moriuntur: hos vero ſi effugerint, ſeruantur. Cuius ſententiæ poſtrema verba de ſphacelo confirmato veritatem habere non poſſunt, *vt Galenus ſatis manifeſte in Commentariis teſtatur.* Sed de incipiente tantummodo, & leui ad ſphacelum diſpoſitione præuia accipi debent; à qua æger, diligenti adhibita curatione, reſtitui poteſt, vt & *Hippocrates libro tertio*, de morbis ſcriptum reliquit. Quod ſi morbus leuiter, inquit, corripiat, vbi ſanguis diſceſſit, melius æger habet: ſi vero vehementer correptus fuerit, cito perit. *Idem Scholio ad c. 1. prædictum.*

Si experimentis credimus, hederæ folia cerebrum continentis membranæ dolorem ſedant, ſi mollia imponantur, cum aceti exiguo & roſaceo trita, & decocta, addito etiam roſaceo: vnde poſteriores ex hederę lachryma cerotarium componunt. Quod nos felici euentu experti ſumus in ſene octogenario, qui ex trabis percuſſione obmutuerat, ſuadentibus viribus ſanguinem ex manu detraximus intrepide, impoſito eo emplaſtro in bregmate, ſine vino carneque, contentus ptiſana & intrita panis, ſine vllo potu, nam aquam nolebat, quoniam ſenex viribus valeret, eo victu ad 15. diem ſermone carentem decrepitum proſpere duximus: ſequenti die loqui cœpit, pauciſque ſequentibus diebus ex toto ex pericoloſa cerebri conquaſſatione præter omnium opinionem perſanatus eſt. Huius exempli fidem faciunt Hiadrenſes ciues, quoniam & hic ſenex inter primarios habebatur, Lubanacius cognomine. Emplaſtrum ex his conſtat. ℞ Gummi hederæ vnc. iij. reſinæ purgatæ drach. iiij. ceræ vnc. iij. ol.

roſacei vnc. ij.s.ammoniaci vnc.ij terebinthinæ vnc. iij. ſucci corymborum hederæ vnc. iiij. farinæ fabarum,quantum ſatis ſit: omnia ad vnitatem rediguntur. Sine fine id prodeſt, nam & fractæ caluariæ oſſa ferruminat plus quam ſit credibile, huius emplaſtri gloriam quidam ex poſterioribus chirurgis ſibi falſo vendicauere, cum vetuſtiorum inuentum ſit. *Alex. Benedictus lib.1.cap.5.de medend.morb.*

Arduynus Ferrerius adoleſcens annorum tredecim fuſte lignea è ſalice, leui quidam illa, ſed ex alto demiſſa: accepto contemptibili, vt videbatur, vulnere in capite, abſque cranii fractura ſciſſurave: oborta ſexto die inflammatione in vulnere,ſequente conuulſione & paralyſi in cruce dextro &brachio ſiniſtro,cum febre & delirio, vndecimo tandem die moritur. *Valleriola.lib.3.Obſer.1.*

Claudius Aymargus vinitor, vulnere in capite ſecundum oſſa bregmatis accepto à lapide incuſſo, ſine fractura ſciſſurave aliqua, conuulſus & reſolutus moritur quatuor decimo die,inuenta ſanie ſub meningibus,diſſecto cadauere. *Valleriola.libro tertio,Obſeruat.8.*

Henricus Rex felicis memoriæ, compoſitis Galliæ rebus, & pace cum finitimis parta, dum filiæ & ſororis nuptias celebri & feſtiuo haſtiludiorum exercitio feſtiuiores reddere conaretur, procurrens & ipſe in catadromo pyxidata lancea adeo grauem ictum pectore excepit, vt ictus violentia lamina ductilis,qua è galea proſpicitur, ſurrigeretur, & diſſulti-is in fruſta lanceæ truncus ſupra dextrum ſupercilium impingeretur, cutiſque muſculoſa frontis ad minorem vſque oculi ſiniſtri canthum laniaretur, multis eiuſdem trunci fruſtulis in commemorati oculi ſubſtantiam depactis, penitus tamen intactis & illibatis oſſibus: fuit vero commoti inde & concuſſi cerebri tanta vis, vt vndecimo ab ictu die interierit. Poſt obitum diſſecto cranio in parte ictui oppoſita ad mediam occipitis ſuturam effuſi, inter craſſam & tenuem menyngem, ſanguinis copia comperta eſt, & corruptæ cerebri ſubſtantiæ, quantum pollice tegi poſſet, indicia ex coloris natiui in flauum mutatione, apparuere. Quæ cauſæ Regi Chriſtianiſſimo mortis conſecutionem attulerunt, non ſola vulnerati oculi læſio, vt plerique falſo ſunt ſuſpicati. Pleroſque enim alios vidimus, qui ex longe grauioribus in oculo vulneribus non interiere. *Pareus lib. 9. cap. 9.*

Ducis Vrbini nobilis quidam, vt refert Vigonius, ex equo in marmor duriſſimum capite prono deciderat, iacuerat mortuo ſimilis, ſanguis ipſi naribus, ore, & auribus eruperat, caput facieſque tota intumuerant colore liuido ſuffuſa, mutus viginti totos dies manſerat nullo cibo ſumto niſi gelatina eliquata, & pullorum caponumque iuſculis cum ſaccharo,conualuit tamen, quanquam memoria captus & balbus in reliquum vitæ tempus manſit. In quam rem extat Hypocratis Aphoriſmus: Quibuſcunque quacunque ex cauſa cerebrum concuſſum eſt, hos neceſſe eſt mutos fieri:imo etiam,*vt notat Gal.in commentario*, motum ſenſumque amittere. Permulti exiſtunt peruicaci ingenio homines, pertinaciter negantes, in cerebri ſubſtantia abſceſſum fieri poſſe, erroremque hunc alio errore cumulantes, negant quenquam cerebri portione diſſecta poſſe conualeſcere aut reſurgere: ſed rationum quibus nituntur vanitatem veterum ſcriptorum authoritas & experientia abunde refellunt.Nam quod ad primum attinet, Hipp. ſententia, caput dolenti pus vel aqua vel ſanguis effluens per nares,os,aut aures morbum ſoluit. Gal. vero Rhaſis & Auicen. affirmant naturam,ſanie in cerebro genita ſeſe per nares, os, & aures exonerare: multos vero ipſe obſeruaui, quibus talia contigiſſent. Auditum habeo ex Prothaſio Colono,nobilis Langæi Chirurgo, vidiſſe ſe in Cænomanorum oppido adoleſcentem quendam, qui ſæpius concitandæ & ſonandæ craſſiori nolæ operam præſtaret: cum is aliquando ludibundus ex fune penderet, perpendicularis in altum ſublatus, in caput ſuper ſilicem pronus deuolutus, ἄφωνος factus,ſenſibus omnibus & mente captus eſt,ſuppreſſa inſuper penitus aluo. Mox igitur febre & delirio, aliiſque horrendis ſymtomatibus ſuperuenientibus cum minime terebratus fuiſſet, quod nulla in cranio fracturæ ſpecies appareret, die ſeptimo oborto ingenti ſudore, cum frequenti ſternutatione, cuius impetu magna illi materiarum vis & puris, per nares,os & aures effluxit, ſequuta eſt ſymtomatum omnium leuatio, atque ſanitatis reſtitutio. *Idem Pareus lib.9.cap.22.*

Observatio.

Ex caſu, concuſſione cerebrum ſuppuratum, vnde ager extinctus.

Ante annos plus minus ſedecim,cum apud Fiſcherum pharmacopolam virum doctum agerem:memini patritiæ Herbrotorum gentis, decem annorum puerum nobilem,cui ille commiſſus fuerat,hyberno tempore cum aliis æqualibus ſuis, pleno,vt ſolent,curſu,glaciem tranſmittendo,in caput cecidiſſe: vnde paulo poſt ille febri correptus eſt. Aduocatis proinde Medicis celebribus, Gaſſaro & Rollero,omnem in curanda hac febri diligentiam, at fruſtra,impenderunt: vndecimo puero non ſine amicorum luctu fatis concedente. Demortui cranio aperto, vlcus cerebri oui magnitudine deprehenſum:quo diſſecto,aqua fœtida promanauit. *Tobias Cneulinus.in obſ. propriis.*

DE CRANIO, SVTVRIS FRACTVRIS, CONTVSIONIBVS.

De Cranio.

Observatio.

Quibus locis & hominibus duriora ſint crania.

Rem mirandam vidi ab indigenis (Ægyptiis) edoctus, oſſa eorum qui in acie ceciderunt, cum iacerent fuſa, vt ab initio diſtincta fuerant, ſeorſum erant Perſarum, aliorſum Ægyptiorum: ſed Perſarum capita adeo fragilia ſunt, vt ſi velis ferire, vel ſolo calculo perforare poſſis: Ægyptiorum autem ita firma, vt ea vix ictu lapidis elidas. Cuius rei cauſam hanc illi reddebant (facile mihi perſuadentes)quod Ægyptii ſtatim à pueris capita radere incipiunt:& os capitis ad ſolem redditur cõpactum:

quæ

quæ eadem cauſa eſt non caluescendi, nam ex omnibus hominibus pauciſſimos quis Ægyptios caluos videat. His igitur hoc cauſæ eſt, cur robuſta capita geſtent. At Perſis cur fragilia ſint capita, id in cauſa eſt, quod à principio in vmbra nutriti aſſueſiunt operire capita, geſtantes pilea & tiaras. *Herod.*

Si præter modum oſſa capitis craſſa fuerint, indociles & parum à feris abhorrentes ac obliuioſos oſtendunt: talia ſunt Indis Hiſpaniolæ, *vt Gonzalus Fernandus Ouiedus refert*: atque adeo dura, vt conſenſu inter Hiſpanos conuenerit, non eſſe ferienda capita, tametſi nuda, Indorum: quod enſes frangãtur. *Cardanus lib.12. de Subtilit.*

Molliora ſunt & tenuiora mulierum quam virorum, & puerorum quam mulierum, & adoleſcentum, quam conſtantis ætatis hominum crania. Æthiopes pariter omneſque, qui ad Meridiem incolunt populi, cranium habent durius, & paucis ſuturis contextum. *Pareus lib.4.c.4.*

OBSERVATIO.

Notanda in cranio, quæ vulgo non occurrunt, tubercula.

NONNVLLORVM in craniis tubercula eminent, præter naturam in rotundum aut angulos acta: quæ chirurgo duabus de cauſis ſunt notanda. Prima eſt ad ictus & fracturæ ineundam rationem. Nam in illis tuberculis, ſi in longum porrecta viſantur, continui ſolutio fieri nequit, quin vulnus ad intima penetret. Nam in rotundo corpore non poteſt longum vulnus exiſtere, quin idem ſit profundum, adacto penitius telo: quia vt ſphæricũ corpus planum in puncto tantum tangit, ſic quicquid leuiter & ſuperficie, tantum tenus in ſphæricũ corpus incidit, id punctum tantum eius attingit. At cõtra in plano vulnus longum poteſt exiſtere, quod idem ſit ſuperficiarium: Altera cauſa eſt, quod talia tubercula figuram ſitumque ſuturarum mutant. *Pareus eod. loco.*

OBSERVATIO.

Foramina caluariæ exeſa.

FORAMINA in baſi caluariæ ſoporales arterias tranſmittentia, nec non alia ad palatum, oculorumque cauitates pertinentia, in multis exeſa adeoque ampliata reperi, vt non iam vaſorum, quæ deducebant, amplitudini reſponderent, ſed duplo quoque vel triplo maiora exiſterent, quod à continuo humorum à cerebro defluxu, vti gutta cauat lapidem, profectum, facile licebat colligere. *Felix Platerus.*

DE SVTVRIS.

OBSERVATIO.

Caluariæ ſolidæ ſine ſuturis, vel iiſdem obliteratis notatæ.

IN Platæenſi ſtrage Perſæ caput repertum, nulla prorſus ſuturarum commiſſura. *Herodotus li.9.* Cui Aratus ſuccinere videtur: πολλαὶ δ' ἀῤῥαφέες κέφαλαι πάγεν ἀνθρώποισι, id eſt: *Capitum pleraq; hominibus citra ſuturas compacta ſunt.*

Arrianus Æthiopum capita ſuturis nullis eſſe laxa prodidit. *Cælius libro decimo tertio cap. vigeſimo octauo. A.L.*

Iam & viri caput viſum ſine vlla ſutura eſt. *Ariſtoteles libro tertio, capite ſeptimo, de Hiſtoria animalium.*

Raro caluaria ſolida ſine ſuturis eſt, locis tamen æſtuoſis facilius inuenitur. *Celſus lib.8. cap.1. de re medica.*

Patauii vidimus in Anatomices ſpectaculo caluariam ſolidam ſine compagibus, &c. *Ale. Benedictus. lib.4.c.7. Anatom.*

Quod Herodotus, ac præter illum plerique etiam alii in Perſia caluarias reperiri ſcribunt, nullis prorſus ſuturis interſtinctas, ipſeque Ariſtoteles ſuo tempore viri caluariam abſq; ſuturis repertam tradit, neutiquam miror: cum valde ſenum caluariæ nobis ſuturarum ſitum duntaxat, idque perquã obſcure referant, nulla interim ſuturæ conſpicua imagine. Neque profecto mirum eſt ſenibus ſuturas cõcreſcere, ſiquidem illis vertebras vniri connaſcique cernamus, & oſſium quoque ſupercilia proceſſuſq; ita ipſis excreſcere conſtet, vt conſuetis motibus illorum oſſa agi nequeant. *Veſalius lib.1. cap.6. de Hum. corp. fabrica.*

Non reperi quatuor vel ſex, ſed plurimas caluarias, quæ deſtitutæ erãt omnibus ſuturis. Vidi etiam quaſdam, quibus deerat coronalis, aliquas quibus deerat vna ex reliquis ſuturis. Vidi etiam aliquot, quibus deerant omnes tam anteriores quam poſteriores, & laterales. Ideo non venit probanda ſententia Ariſtotelis, quod ſaltem ſuo tempore vnum caput tale ſit repertum, quia ego plurima vidi. Sed nullum reperi caput tenerum vel puerile, in quo nõ fuerint omnes ſuturæ, in ſenum præcipue caluariis nullas reperi. *Fallopius Commen. ad lib. Gal. de Oſſibus. Et lib. Obſeru. Anatom. ad Petr. Mannam.*

Quandoque in nonnullis tam viris, quam fœminis, caluaria abſque ſutura & commiſſura vlla reperitur. *Luſitanus Cent.6. Curat.*100.

Bononiæ Doctor Arantius Anatomicus publicus mihi in ſuis ædibus cranium anteriori eminentia, & coronali ſutura, ſquamiformique commiſſura priuatum, oſtendit. Alio in loco inueni in craniũ, omnibus ſuturis deſtitutum. *Coiter. in Obſeru. Anato. & Chirurg.*

Caluariam ſine ſuturis apud Franciſcum Stabilem Neapolitanum Philoſophum & Medicum excellentiſſimum perſpeximus. In ſimili enim hoc euenire facilimum eſt. In quibuſdam vero craniis ſuturæ ſubſtantia contigua eſt, contiguitate adeo cõpacta, vt omnino continua appareat, ac difficilime ſeparabilis, vt in quodam ſenum capitibus videre eſt, in quibus oſſa caluariæ præterquam in temporibus, ita in ſuperficie inſeruntur, & propemodum vniuntur, vt vnum tantum eſſe credantur. Quemadmodum in cæmeteriis, rectiuſque in anatomicis adminiſtrationibus cum oſſa admodum exiccata non ſint, inſpici poteſt. Noſtrates etiam atteſtantur anatomici multoties caluarias ſuturis ſenſus effugientibus arctiſſimiſque vt vix agnoſci ac diuelli poſſint, munitas ſe inſpexiſſe. *Ioannes à Cruce, cap.2. Sect.1. lib.1. Chirurg.*

Albertus, Marchio Brandeburg. Natus Anno 1414. Nouembr. 24 germanicus Achilles cognominatus: habuit caluariam ſine ſuturis, quæ etiamnunc hodie adſeruatur Heilbronnæ, vt refert *Reinerus Reineccius, in Chro. Brandeb.*

OBSERVATIO.

Caluarias ſuturis præditas firmiorem valetudinem præſtare, contra Celſum.

Pro

RARO caluaria ſolida ſine ſuturis eſt, locis tamen æſtuoſis facilius inuenitur. Et id caput firmiſſimum atque à dolore tutiſſimum eſt: ex cæteris quo ſuturæ pauciores ſunt, eo capitis valetudo commodior eſt. *Celſus lib.8.c.1.de re medica.*

Hoc veriſſimum, ſi ſolum externas iniurias conſideres: At ſi etiam internas, falſum. Eſt enim magis morbis obnoxium, propter retentos vapores fuliginoſos. *Robertus Conſtantinus in aduerſariis ad Celſum.*

Celſi ſententia eſt partim vera, partim falſa. Si enim intelligas de affectibus, qui habent dolorem à cauſa interna, tunc tantum abeſt vt non doleant, vt magis doleant: cum plurimæ reperiantur affectiones, quæ oriuntur à vaporibus & fuligine retenta. Si vero intelligimus de doloribus, qui oriri poſſunt vel à mora ſub ſole, vel à frigiditate ambientis aeris, ſua ſententia eſt veriſſima: Quia cum non adſint ſuturæ, non datur tranſpiratio aeris externi calidioris aut frigidioris. Ideo intelligenda eſt ſententia Celſi de doloribus qui proueniunt â cauſa extrinſeca *Fallopius in Comm. ad lib. Gal. de Oſsibus.*

Patauii ſuperioribus annis iuuenem quendam propinquorum voluntate ad me delatum, domi in magna amicorum corona ſecui, qui diutino capitis dolore vexatus nullis remediis ſanari potuerat, in cuius caluaria vix ſuturarum veſtigia apparebant, adeo erat compacta, vt in vnum coacta capitis oſſa viderentur. Quamobrem pro comperto omnes, qui tunc aderant, habuerunt, non aliunde ingentem ac fere continuum capitis dolorem profectum eſſe, quam ex arctiſſima illa oſſium compoſitione, ex qua nullus exitus patebat fumidis illis craſſiſque vaporibus, qui & perpetui doloris cauſa fuerant, & tandem mortem intulerant. Sed neque ſemel id mihi contigit experiri: complures etenim ſecui, qui dum viuerent in frequentem capitis dolorem incidere ſolebant, in quorum caluariis exiguas ſuturas & eas coagmentatas inuenimus. Neque in viris modo, ſed etiam in muliere, quod mirum fuit, vt vix credibile. Nudatum enim ac detectum illius caput, fere ſine ſuturis offendimus. Et hæc pariter multo magnoque capitis dolore quam diutiſſime affecta atque afflicta, poſtremo phreneſi laborauit, & mortua eſt. Certiſſimum ergo argumentum nobis erit capitis ſuturas non modo conferre ad ſalutem corporis tuendam, verum eo plus conferre, quo maiores laxioreſque fuerint. Quare Cornelii Celſi ſententiam ego nunquam approbare potui, aſſerentis capita ſine ſuturis non modo validiſſima eſſe, ac firmiſſima, ſed etiam ab omni penitus dolore immunia, eaque reperiri in calidis & æſtuoſis regionibus. Nam ille extrinſecus tantum cauſas caput lædentes animaduertit. Quod ſi Celſi vera eſſet ſententia, imbecilliora eſſent capita, & ad patiendum promptiora, quæ inſignes ſuturas haberent, quam quæ aut exiguis eſſent prædita, aut eiſdem prorſus carerent. Cum vero contra res habeat, maiuſq; impendeat damnum ipſi cerebro ab internis fuliginoſis recrementis, quam ab externis noxis, concludendum eſt, à dolore longe tutiora eſſe capita ſuturis amplioribus, quam iis ipſis deſtituta, aut exilib. admodum arctiſſimiſque interſecta. *Columbus lib.1.cap. 3. Anatom.*

OBSERVATIO.

Variare plurimum ſuturas.

SAGITTALIS interdum, & in primis quibus lata anguloſaq; admodum frons obtigit, per frontis medium ad naſi vſque ſummum, at non adeo inſigni atque in ipſo vertice complexu, exquiſitave adeo ſuturæ compage, prorepit. Atque id nonnulli viris omnibus, alii autem mulieribus peculiarie eſſe, falſo contendunt: cum rariſſime in viris, atque adhuc multo rarius, aut vix vnquam in mulieribus id accidere, non obiter animaduertimus. Et hoc vel inde coniicias, quod ex viginti quæ in cæmiteriis occurrunt caluariis, vix duas, cui frontis os diuidatur, reperies: neque vlla, etſi ſecus tradiderit Ariſtoteles in ſuturarum enarratione prorſus aberrans, viris ac mulieribus hac in parte vniuerſim videtur differentia. Et paulo poſt. Non deſunt etiam, qui infantibus hanc ſuturam per medium occipitii oſſis ad foramen vſque dorſali medullæ viam porrigens deſcendere, totumque occipitii os diuidere aſſerãt: quod ſane & nos quoque obſeruauimus. Verum potius ea diuiſio ad vnionem coalitumque, quam ad ſuturæ ſpeciem referenda eſt: cum hæc cartilaginis beneficio in pueris perficiatur, & in ætate prouectioribus nullum eius diuiſionis rudimentum occurrat: Vnde etiam eiuſmodi diuiſionis ratio non hic in ſuturarum ſermone, ſed potius in occipitii oſſis deſcriptione enarranda. *Veſalius lib.1.cap.6.de corp. hum. fabrica.*

Suturæ craniis omnibus non eodem ſunt loco ſitæ, ſed quibus eminentia, quæ ad frontem eſt, perit, deeſt quoque eius partis ſutura: vt quibus perit eminẽtia ad occiput. deeſt lambdoides ſutura, tuncque T literæ formam habent relictæ capitis ſuturæ: vt H cum vtraque eminentia ſeruatur: X vero cum vtraque perit. Harum porro & figurarum & ſuturarum vitia Galeno ſcripta, in noſtris craniis haud ita crebro apparent, præterquam quod coronalis ſitu in his maxime variat. Extremis enim finibus nunc in ſuturam ſphenoidi & oſſi petroſo communem incidit, nunc anterius, nunc poſterius & ſumma parte ſua nunc fronti propinquat magis, nunc vertici. Obelæa quoque rectave ſutura non raro ad naſum vſque per os frontis medium deſcendit. Domi lambdoides denique eſt mihi duplex, etiam trium digitorum interuallo diſſita, & vtraque aliis duabus ſuturis æquidiſtantibus coniuncta. In eo autem cranio, pars poſtica erat ampliſſima, & longius vltra ſpinalis medullæ foramen exporrecta. Multa quoque alia in cæteris ſæpiſſime variant, ſed quæ ſunt naturæ conſuetiora, ſcribimus: quæ autem raro eueniunt, vnicuiq; obſeruanda relinquimus. *Syluius Com. ad lib. Gal. de Oſsibus.*

Sagittalem *Galenus in libello de oſsibus* ſeruari ſemper affirmat: vbi ex profeſſo agit de variis capitum figuris: reliquas vero duas teſtatur deleri, aliquando ambas, aliquando alterutram tantum. Ego vero (pace tanti viri dixerim) vtrumque falſum eſſe affirmare auſim, ſexcenta millia capitum inſpicere manibuſq; mihi attrectare per otium licuit multis in locis, ac præſertim Florentiæ in Diuæ Mariæ Nouæ ampliſſimo Xenodochio, vbi per innumera propemodum ſecula demortuorum oſſa in elegãtiſſimas ſtrues digeſta ſeruantur: necnon Romæ in communi gen-

nigentium omnium cœmeterio, quem Campum ſanctum nominant,&tamen ne vnum quidem cranium cernere potui, quod figura non naturali conſtaret,ac cui ſutura illa deeſſet.Et paulo poſt. Atque vt prætermittamus, quod in aliquibus grandiores ac laxiores appareant, in aliquibus exiles & compactæ magis: illud eſt tamen adnotandum, in quibuſdam caluariis tam virorum quam mulierum, quicquid alii dixerint, ſagittalem ipſam per mediam frontem vſque ad naſi ſummum deſcēdere: ſed hoc raro admodum accidit. Quamobrem vix ſatis mirari poſſum Ariſtotelis diligentiam, qui differentiam in viris & mulieribus,quo ad ſuturas, quæ nulla eſt,obſeruauit. *Columbus lib.1.cap.5. Anatom.* Capitis ſuturas vario modo ſe habere comperi: nam in quibuſdam nullo pacto erant conſpicuæ, aliis ſutura recta deerat:huic erant oſſa triangula, illi quadrangula: alii ſagittæ ſpecie, aliiſque id genus figuris ſuturæ circumdatis.Eam tamen figuram, qua X Græcam literam imitetur, *de qua Hippocrates & Galenus meminerunt*,fateor me nunquam vidiſſe:licet lynceis pene oculis ſæpenumero inquiſiuerim.*Idem lib.15. Anatom.*

Non aduertunt aliqui os,quod A literam imitatur nō ſemel in bene conformato cranio multiformes ſuturas obtinere: interdumque vel tranſuerſa ſutura diuidi, vel gemina circumſcribi, perinde ac ſi triangulus maior minorem vndique comprehenderet. Et paulo poſt: Sagittalem ſuturam (quamuis hactenus nemo animaduerterit) frequenter deeſſe inuenio: & paucis ante diebus in publico Theatro quindecim eius formæ caluarias ante oculos omnium cernendas & examinandas expoſui, in quibus obelæta ſutura penitus deeſt, nullumque veſtigium ſui oſtendit,quamuis aliæ ſuturæ ſint concinnæ & eleganter exſculptæ.*Euſtachius lib.de Oſsibus.*

Crania viſuntur, quæ anteriore ſutura carent: alia quæ poſteriore, nonnulla etiam aliquando quæ nullam verarum obtinent, ſed ſolis mendoſis ſunt notata.Sed & notabis aliquando ſagittalem ad naſi harmoniam vſque excurrere: ſæpe & in occipite tres vel quatuor cernuntur ſuturæ, ſicut planæ certus non ſit ſuturarum numerus *Pareus lib.4.c.3.*

Habeo domi σκελετὸν viri annorum xxxv. cuius Anatomen Pictauii Anno Domini M. D. LXXV. cum doctiſſimis Doctoribus Medicis Fran. Vlmo & Rena. Morenio, collegis meis adminiſtraui, qui vnicam λαμβδοειδῆ ſuturam in caluaria habet, & tamen vtraque proiectura caret. Habeo & aliam caluariam,cuius ſola ſagittalis ſutura obliterata viſitur, reliquis duabus coronali & lambdoide integris,cōtra Galeni ſententiam, libro de oſſibus. Denique, quod apud diligentiſſimum, noſtræ ætatis Chirurgum Regis primarium Ambroſium Pareum me legiſſe memini, ſæpiuſq; obſeruaui, λαμβδόειδης ſutura in angulo ſuo duplex triplexve quandoque inuenitur. Et quibus omnino ſuturæ pereunt,vel duæ,vt in meo σκελετῷ & caluaria illa,cuius mentionē feci, vnum aut duo foramina non raro ſecundum λαμβδοειδῆ τοῦ βρέγματος oſſibus apparent, valde conſpicua.Quis igitur iam de Hippocratis theſi ambigere poſſit.*Vertumanus Comm.ad lib. Hipp.de Vuln. Cap.*

OBSERVATIO.

Suturas quidam etiam in maiore ætate hiulcas habent.

QVidam laxas & hiulcas ſuturas,vt pueri, & nōnulli etiam homines,habent, (quod in Gouino cognato meo,XLV.annos nato Pictauii,obſeruaui, qui vniuerſali neruorum reſolutione perierat, caluariaque tenuiſſima erat) alii magis compactas, vt fere ſenes.*Idem loco citato.*

FISSVRA.

OBSERVATIO.

Cranii fracturæ ſpecies,quæ fiſſura & vulgo rima dicitur,mulieri mortem attulit.

PRima diſſectæ caluariæ differētia, Rima dicitur, quā Græci ῥωγμὴν appellāt.Hæc caluariæ eſt perſumma diuiſio, rimave ꝓfundior, in qua nequaquā os vitiatū foras emouetur. Interdū adeo arcta rima huiuſmodi eſt,vt ſenſum effugiat,tumq; ῥιχισμόςvel ῥιχίασις,quaſi capillarē dicas,nuncupatur:quæ quoniā ſenſum exiguitate ſua fallit, pleriſque ſic affectis mortis cauſa fuit,*vt Paulus li.9.c.90.*teſtatur,& nō raro experientia ipſa docet. Memini olim dū Auenione medicinā factitarē caſum accidiſſe huiuſmodi:vt non ſatis perſpecta rima mulieri cuidā ſecundū frōtem vulneratæ, mortis cauſam attulerit. Quoniā v. res eſt animaduerſione& ſcitu digniſſima,hiſtoriam recenſere ad veri fidē,haud pigebit, ꝙ *authore Gal.9. meth.*exemplorū ea ſint pro potiorib.habēda, q̄ ipſi oculis vſurpauimus.Erat mulier quędā florenti ætate,eleganti forma,ac bono corporis habitu predita, q̄ viro cauponi nupſerat eius diuerſorii Auenionenſis, cui Gryphus āuis inſigne erat. Ad cauponā cum multi inſolentes impuriq; homines accederēt,vt fere fieri ſolet,vbi ſe mero multo impleſſent, vnus aſſidentiū probe potus,& hoſpitæ (q̄,vt aiunt,deperibat) cū propinaſſet,illaq; renuiſſet,geſtans manu vitreū poculū ioco vinū in illā cū proiicere vellet,vna & poculū vino plenū proiecit, vulneratq; exiguo ac plane contemnendo vulnere mulieris frontē. Accitus chirurgus,ille officio fungens linamenta admouet,nullus capitis dolor,nulla verenda ſymtomata, nec primo,nec altero die inſecuta ſunt: tertio dolor grauis,febris,totius faciei ingēs tumor, rubori & inflammationi coniunctus: mox deliriū & conuulſio quaſi quædā,interceptaq; vox. Apertū vulnus, multi adhibiti Medici atq; chirurgi, magnitudine caſus inopinati acciti, rimula vix cōſpicua apparebat,qnto die mors. Diſſectū cadaueris caput, Prætoris vrbani iuſſu,ingens phlegmone intra caluariā inuēta, dura menynx,tumens,dura,liuore affecta, & ingēti puris copia ſuffuſa reperta eſt. Erat a. tanta puris cōgeſti copia,vt librarum fere duarū pondus æquaret. Hic euentus miſerrimus fuit, illud vt verum eſſe fateamur,quod eſt paulo ante ex Pauli authoritate citatum, rimam in capite mortis nonnunquam cauſam extitiſſe.*Valleriola c.5. Appendicis Loc. Commun.*

Vidi Bononiæ in Reuerendo D. Piramo de Pepulis, qui habebat fiſſuram capillarem in craneo, per quam deſcenderat aliqua materia, & adhibita cura cum inſtrumentis vt videretur an rimula penetraret interiorem ſuperficiem,craneum,inuētum eſt,quod ſic cum raſpatoriis per fiſſuram dilatatam exiuit,& vna modica & fere nulla ſaniei quātitas,& ceſſauit ſtatim febris acutiſſima,inquietudines & vigiliæ,& omnia mala accidentia quæ aderant,& hoc etiam vidi in quam pluribus aliis. *Marcell. Donat.li.5. c.4.hiſt.Mirab.Med.*

CONTRAFISSVRA.

OBSERVATIO.

Percuſſorum vna parte cranii fiſſuram ſeu rimam in altera & oppoſita contrahentium Hiſtoriæ admirandæ, contrafiſſuram & reſonitum, contra quorundam ſententiam aperte demonſtrantes.

Ἀπόχημα ſecundum nonnullos id fracturæ genus eſt, cum non pars caluariæ percuſſa, ſed alia illi oppoſita frangitur. *Id fieri poſſe Paulus libro ſexto, cap. 90. negat. Celſus libro octauo, capite quarto,* ſolere *ait* euenire, vt altera parte ictus inſederit, & altera fideiit. Recentiores Medici, qui de factitanda Medicina ſcripſerunt, Celſo conſentiunt, inter quos *Nicolaus Florentinus Serm. ſeptimo ſum. ſecunda, tract. quarto. cap. primo.* oculatum ſe eſſe eius rei teſtem affirmat. Hiſtoriam namque ille narrat filioli Maſi Flunamollis, qui cum ſecundum dextrum tempus claua percuſſus fuiſſet, contuſio quidem ac vulnus parte illa, qua impactus ictus fuit, apparuit, rima tamen nulla aut ſciſſio ea parte conſpicua erat, patentiore quidem facto de induſtria vulnere: cumque vigeſimo die horror, febriſque inuaſiſſent, die viceſimo tertio liuor atque gangræna in ſiniſtro tempore illi aduerſo apparere cœpit, ſummotaque raſorio demortua carne ad caluariam vſque, cranium fractum ea parte repertum eſt. Vnde conſtat fieri poſſe *(quod Paulus negat)* vt altera parte ictus, altera fractura ſciſſiove ſequatur. Quam fracturæ differentiam, quaſi ab Echo reſponſionem dicas, ἀπόχημα Græce vocari Paulus contendit. *Valleriola ca. 5. Appendicis Loc. Comm.*

Gentilis dicit ſe hoc habuiſſe à chirurgo fide digno, eſſe verum. Nic. Florentinus dicit ſe hoc vidiſſe in quodam a tifice, qui funes faciebat, & fuit percuſſus in capite c aua, facta fuit apertio in parte affecta, ac nihil fuit repertum: in tertia poſtea die ſucceſſit febris, & facta fuit apertio in parte oppoſita & reperta eſt ſanies in magna copia, & ego expertus ſum in multis poſtquam mortui ſunt, in quibus nihil aderat in parte affecta, & vbi feci apertionem in parte oppoſita reperi copioſam ſaniem collectam & magnam contuſionem. *Fallopius cap. 14. Comm. in lib. Hipp. de Vulnerib. cap.*

Percuſſus fuit puer annos natus duodecim in capite verſus tempus dextrum, quod vulnus paruum & contemnendum videbatur. At tertio die illi ſymtomata grauiſſima euenerunt, qua de cauſa etiam raſorio ſcalpro ad cerebrum vſque craneum raſimus. Sed quam ſymtomata vt primo euenirent, & verſus alteram partem æger dolere diceret, illico, ſupra dolentem locum aperiri fecimus ad cerebrum vſque, vbi pus iam confectum inuenimus, & magno applauſu ægrum curauimus, & ipſum vltra triginta quoque dies ab orci faucibus liberauimus. *Luſitanus Cent. 3. Curat. 42.*

Quamuis hanc fracturæ ſpeciem riſu excipiat Paulus Ægineta, nec in capite humano duro nempe & pleno, vt in vaſis vitreis vacuis contrafiſſuram dari poſſe putet, à me tamen aliquando viſa & obſeruata eſt. Nec valet eorum ratio qui ideo putant naturam, ex multis oſſibus ſuturarum compage cõtextis, caput conflauiſſe ne vnius partis fractura in oppoſitam protenderetur. Locum enim id forte habere poteſt in his quibus ſuturæ ſunt expreſſæ, & naturaliter ſitæ ac conſtitutæ. At non in his quibus vel deſunt, vel è natura ſitæ non ſunt, vel ſunt admodum conſertæ: atque ita obliteratæ, vt vnum veluti os ex multis coaluiſſe videatur: id fiet ſequentis hiſtoriæ commemoratione manifeſtum. Maſſi diſpoſitorum equorum cuſtodis ſeruo cuidam grauis lapidis ictus in bregmate dextro eſt inflictus, vnde vulnus quidem exiguum, ſed grandis contuſio tumorque extitit. Quare quo certius pateret, ſi quæ noxa oſſi inflicta eſſet, quoque facilius concretus ſanguis exprimeretur, cute patefacta, latius apertum vulnus eſt à Theodorico Hereo Chirurgo, qui vt erat peritus artifex & vir probus, nihil eorum, quę ars præſcriberet ad curationem omiſit. Diuiſione peracta os integrum animaduerſum eſt, quanquam eius fracti multa erat coniectura, quod ſtatim ab ictu æger in terram prociderat, vomuerat, & alia fracti cranii ſigna pertulerat: quo factum eſt, vt vigeſimo primo morbi die interiret. Ego vero aduocatus, qui qua ex cauſa interiiſſet edicerem, diuiſo ſerra cranio, comperi in parte ictui oppoſita ingentem ſaniei copiam & in craſſa meninge ipſiuſque etiam cerebri ſubſtantia abſceſſum: ſuturam vero nullam præter duas ſquammoſas. Ratum ergo illud eo Hippocratis authoritate, ratione & experientia confirmatum, alia parte ictum, & alia fracturam eſſe poſſe: in his præſertim quibus aut nullæ ſuturæ erunt, aut illæ admodum arctæ & valido adhæſu adeo conſertæ, vt vix appareant. *Pareus lib. 9. c. 8.*

OBSERVATIO.

Reſonitus ſeu contrafiſſura in eodem cranii oſſe commiſſæ hiſtoria, fiſſa nimirum interna cranii lamina, externa integra.

NON abſurdum eſt oppoſitam ei quæ ictum exceperit, oſſis eiuſdem ac non diuerſorum oſſium partem findi, in his hominibus, quibus cranium eſt bene confirmatum, & ſuturis vt natura fert & ſolet diſtinctum: fuitque & eſt germana hæc Hippocratis mens & ſententia. id quo magis intelligatur, notandum ictui oppoſitam eiuſdem oſſis partem intelligi duobus modis. Primo, cum fractura in eadem eſt oſſis icti ſuperficie, vt ſi parte alterius oſſium bregmatis, quæ eſt ad ſuturam lambdoidem icta, fiſſa altera ſit quæ eſt ad coronalem. Secundo cum non quæ ictum excepit ſuperficies & lamina, ſed quæ ſubiecta eſt fiſſa extiterit, cuiuſmodi fracturæ genus animaduerti in nobili quodam equite, turmæ Ducis Stempani. Is dum in diſiecta murorum caſtri Hiſdini parte propugnaret, glande tormento manuario miſſa ictus eſt in bregmate, alioqui caſſide armato. Caſſidem quidem glans impulſa depreſſit, non fidit, imo nec cutem muſculoſam, nec cranium, quod ſaltem cerni poſſet, nihilominus ſexto die apoplecticus interiit. Ego vero ſciendi auidus, quæ ipſi iuſta interitus cauſa extitiſſet, cranio diuiſo animaduerti fractam laminam ſecũdam teſtaſque ex ſe remittentem, quibus tanquam aculeis cerebri ſubſtantia aſſidue compungebatur, integra interim cranii lamina prima. Simile exemplum feci poſtea cernere Capellano Regis & Caſtellano Reginæ primariis medicis in Rhotomagenſi expugnatione. *Idem Pareus loco citato.*

OBSERVATIO.

Cranii laminæ internæ fiſſæ, externa illæſa, hiſtoria alia.

VIdi in Scholari nobili Brixienſi, vulnerato in poſteriore parte capitis à gladio graui, vbi erat ſedes teli, nos deradebamus os, vbi nullam rimam, nullam contuſionem inuenimus: neſcio quomodo factum ſit, vt voluerim deſcendere ad meditullium, abraſi integerrimam illam partem, & perueni ad alteram laminam, vbi reperi fiſſuram magnam & inſignem. Si nos dimiſiſſemus ſine deraſione, quid actum eſſet, de illo iuuene? ratio autem eſt, quia pars exterior patitur contuſionem, quæ communicatur interiori laminæ, quæ durior eſt, & ideò ſuperficies interna eius vitrea dicitur: quare externa in eodem ictu poteſt cedere in ſeipſam, & interior cum non poſſit cedere in ſeipſam, contrahit rimam: cum ergo magnum ſeſe vobis offert vulnus, abradite vſque ad interiorem laminam. *Fallopius Comment. in lib. Hipp. de Vuln. capitis. c. 13.*

OBSERVATIO.

Cranii lamina interna rupta animaduerſa.

RInaldus Corteſius, in Noſocomio S. Spiritus, Cheirurgus, cranium oſtendit, in quo inferior crani lamina ſeu tabula (vt vocant) ſine vllo in exteriori apparente rupturæ ſigno, rupta erat. *Petrus Spererius.*

DE EFFRACTVRA SEV DEPRESSIONE oſſium.

OBSERVATIO.

Cranii effractura ſeu oſſis depreßio vt ingenio ſe tractata.

NOtandum eſt, nũquam Trypanon, nunquam Vectem oſſi penitus fracto, applicanda eſſe, ne ipſius compreſſione ſubiectæ lædantur membranæ. Ergo oſſi quidem ſano applicabuntur ea, ſed quam fieri poterit, proxime fracturam, vt cranii quam minimum eximatur, ne cerebrum oſſeo ſuo operculo denudatum noxam contrahat: nec verò effracturas, vt nec fiſſuras ſi longius proceſſerint perſequeris vſque ad extremum, contentus exitum ſaniei aperuiſſe, & id oſſis auulſiſſe, quod membranas pungebat. Callo enim genito & ſuppoſito cranii, vt & reliquorum oſſium, fracturas natura reſarcire ſolet: *quemadmodum ab Hippoc. & Galen. teſtatum legimus*: in quem finem illa prouidentia ſingulari geminas cranii laminas alimentaria quadam & ſanguinea materia infarciuit, vt hac tanquam medulla oſſis iacturas repararet. Ergo eius rei nuper patuit veritas in ſeruo, D. Grolo graui mulini pedis calcitratu effracturam in coronali oſſe paſſo: Id ipſe cum intelligerem, trigona ſectione cutem muſculoſam eo conſilio parte illa diuiſi vt terebram liceret admouere. Sequenti die ergo terebrato oſſe, cum de illo extrahendo cogitarem, imo ipſum iam terebra diuiſum auellere conarer, enormem effracturę productionem, ex oſſis ſub manu vacillantis mobilitate, cognoui: à media enim fronte vſque ad minorem oculi canthum protendebatur. Itaque extrahendi & conſilio & conatu miſſo, ægro ſatisfactum putaui, ſi os ipſum depreſſum etigerem altius: ſic enim nõ iam craſſæ meningi comprimendo moleſtum erat, & concluſis materiebus, per diuiſionem ſerra factam exitus patebat. Quo factum eſt, vt tandem conualuerit, niſi quod inde altero lumine, quod ad fracturam erat, orbatus eſt. *Pareus lib. 9. c. 6.*

OBSERVATIO.

Depreßiones oſſium raræ aliæ.

DEpreſſiones oſſium quandoque, præſertim in capite, raro tamen obſeruatæ ſunt, non ſolum autem in pueris, in quibus frequentiores ſunt, ſed etiam in prouectioris ętatis hominibus. Scribit *Hippoc. 7. de morb. popul.* Plateæ filio, vbi mortuus eſſet, ſutura capitis valde cauata eſt, cum autem ægrotaret, ſemper manu ſinciput contingebat, maxime morti propinquos. Carpus in aureo illo, de fractura Cranii, libello ita ſcribit: Ego vidi compreſſionem magnam & notabilem in alia ætate, quam in pueritia, abſque fractura oſſis manifeſta, & non erat rupta cutis, tamen erat concauitas in capite notabilis, & per emplaſtra ſanati ſunt, & non fuerunt mala accidentia aliqua, & nunc habeo puerum vnum in cura, cuius os eſt depreſſum depreſſione magna & nullum eſt malum accidens. Vidimus nos in Nobiliſſimo Patritio vrbis noſtræ Aurelio Recordato, in vltimo ſenio conſtituto, cranium ea in parte, vbi anteriores commiſſuræ annectuntur, ſenſim & ſenſim ita depreſſum, vt inſignis admodum cauitas non ſolum tactu, ſed & viſu ibi perciperetur, quæ digitis compreſſa & pertractata dolebat, hanc ipſe incepiſſe teſtabatur, cum Thermalium ſtillicidium aſſumſiſſet, pluries vero illud aſſumpſit, eum per annos fere triginta vertigine moleſtiſſima, aliiſque morbis laborauerit, multum ea in parte exſiccato oſſe, quæ ſiccitas ex vltimo ſenio adaucta, cauitatem quoq; auxit, ſiquidem *Galen.* teſtimonio *2. de temp. cap. 2.* docuit, ſenes humidos non propriis particulis eſſe, ſed excrementis, rurſumque ſiccos non excrementis, ſed particulis ipſis. *Marcellus Donatus lib. 5. c. 1. Med. hiſt. mirab.*

OBSERVATIO.

Oßicula in effractura ſeu depreſſione menyngarum pungentia, vt tractanda.

CArpus capit. de ſignis oſſis pungentis panniculos & cerebrum hæc tradit. Quod cranium nutriatur à venis duræ matris, ego vidi experientia Florentiæ in quodam puero ætatis annorum duodecim, vel circa, filio cuiuſdam tinctoris, qui fuit percuſſus à quodam mulo cum pede, & Cranium erat fractum ad quantitatem hoſtiæ magnæ, & intra pergroſſitiem vnius cultelli compreſſum & vndequaque ſeparatum, & ego cum Magiſtro Alexandro de Ripa phyſico, ſimul cum quodam Taſura dicto, qui erat chirurgicus, fui vocatus in cura, & viſo oſſe depreſſo, cum inſtrumentis aptis volebamus eleuare totaliter illud, ſed in eleuatione vidimus vnam notabilem venam ruptam, à qua multa ſanguinis quantitas exibat, in qua cognouimus periculum magnum, & dimiſimus os: quia retinebat ſanguinem, cogitando illud deinde ad tempus remouere, & curando vidimus os ſemper eſſe viuidum nec aderant mala indicia, & ſic proceſſi poſtea ego ſolus in cura, & vidi os à lateribus mediante horosbors conſolidari, & dimiſi os, & ſic perfecte ſanatus eſt, & alios vidimus prius & vidi

vidi poſterius, quos breuitatis cauſſa relinquo narrare. Huiuſmodi venis quibus nutritur cranium laceratis, eas interius retrahi contingit, ab eiſdemque ſanguinem manare, qui putreſcens, nulla in oſſe manifeſta labe conſpecta circa initia, tandem ſæuis ſymptom. ſuborientibus, neci tradatur æger. fieri præterea poteſt, vt quamuis venæ non dirumpantur, ex vehementi tamen ictu & concuſſione, plurimis intra venas ipſas ſub cranio latitantes euocetur ſanguis, ſanguineque in parte anguſta conculcato, & retento, nec debite expurgato, ex mora, & prohibita deflatione calorem extraneum concipiente ſuboriatur inflammatio, ad quam mortem ſubſequi contingit, quamuis leuiſſimum vulnus conſpicientium occulis ſeſe offerat. *Marcellus Donatus, libro quinto, cap.4.hiſt.*

OBSERVATIO.

Cranii oßium effractura, eorundem detractione curanda.

Aliquando ſectione admittit Effracturam noſter Hippocrates, de ea accipiendum eſt, cuius fruſta acuta membranam vellicant ac vrgent, quam noſtri vocant Embar rure. In quo quidem affectu intuto ſane, vt dixit, ſtatim os ſcalpris excíſoriis excidere, aut ſaltem fruſta membranam vrgentia ferramentis ad id accommodatis extrahere neceſſe eſt. Quod in effractura cranii filioli nobiliſſimi viri Ludouici Abenaii Rupipozæi, Oratoris Regii ad Pontificem Maximum feliciſſime Franciſco Vlmo D.M. collegæ meo, Nicolao Vincentio, & Iacobo Gilbonio Chirurgis noſtris peritiſſimis, & mihi ceſſit. Cuius cum βρέγματος os ad numi aurei latitudinem effractum eſſet, fruſtaque oſſis membranam pungerent, ſtatim illa detrahenda curauimus, vt etiamnum ſuperſtes incolumiſque viuat Dei beneficio. *Vertunianus, comm. ad lib. Hippocr. de vuln. cap.*

OBSERVATIO.

Oßium depreſſorum & fractorum per terebrationem eductio, exemplis aliquot demonſtrata.

Caſtagnedus Hiſpanus miles quinquagenarius bellico malleo aut (ſi mauis) bellica claua percuſſus, modioli opera repetita liberatus eſt. Item à caluaria infantis bimi magno lapide percuſſi, triplici perforatione quantum oſſis eximendum erat eduximus, & valuit. Molitoris erat filius, qui diuertebat in ſuburbio diuæ Mariæ nouæ, & caſu à Germano milite vulneratus. Vixit, ac etiam viuit Chriſtophorus calceolarius, quem adiuuimus quinquies repetito modiolo vt defixum os eximeretur, ætatis erat annorum circiter viginti, in bregmate vulneratus halabarda (vt aiunt) habitabatque eo tempore in ſuburbio diui Pauli. Alios ſane præter hos in medium ducere poſſemus, niſi hęc ſufficere putaremus exempli cauſa. *Botallus de vuln. Sclopet.*

ABSCESSIO OSSIVM.

OBSERVATIO.

Cum caluariæ oſſa vel ob contuſionem, vel aëris iniuriam abſceſſura ſunt, chirurgia ſuperſedendum: & puluis cephalicus ſuperdandus, illuſtri exemplo confirmatur.

Cum oſſis teſta, vel ob contuſionem, vel ob aëris iniuriam, abſceſſura eſt, ſatis eſt ſine chirurgia puluerem inſpergere, quem κεφαλικὸν vocant: ſubcreſcente autem carne, ex plaga expelletur exſiccata, atque emortua tecta, reſolueturq; à reliquo oſſe quod viuit, & humidum eſt, id quod Petro de Polius Lugduni euenit, militum tribuno admodum ſtrenuo; huic cum ex ſuperiori loco caderet, contuſa caluaria eſt, poſt quadrageſimum autem diem ampla admodum, atque inſignis teſta à reliquo oſſe reſoluta eſt: hanc chirurgus paruo negotio ex plaga eiecit, curauerat autem aſſidue hominem, me auctore, medicamentis illis quæ ad fracturas caluariæ à veteribus componuntur: ex toto autem hominem liberauit. *Vidius Iunior. lib.6. cap.5. de curat. Membratim.*

CONTVSIO.

OBSERVATIO.

Contuſa puerorum capita, citra cutis ſectionem quomodo percurari debeant.

Supereſt vt de contuſis puerorum capitibus ſine vulnere oſſe colliſo & ſanguine è vaſis fuſo, eorundemque curatione ab Hippocr. prætermiſſa pertractemus: & quoniam ſæpe accidit, vt infantes & pueri propter capitis molem, tibiarumque imbecillitatem ex alto præcipites cadant, graueſque interim contuſiones experiantur: idcirco opportunum duxi huius frequentiſſimi affectus, rectam curandi rationem, mihique diu comprobatam tradere, coque magis, quod ipſe cum iunior eſſem, minuſque exercitatus, ſuſpicarer aliquando ne ſanguis ſub cute fluctuans putreſceret, & ad membranam deſcenderet, idcirco ſectionem cuti interdum adhibens, vt ſanguis educeretur, in maximum diſcrimen perduxi. Poſtquam vero longo rerum vſu ſum oculatior effectus, à ſectione omnino abſtinendum eſſe conſtitui, nam ob effluentis ſanguinis copiam reſoluuntur vires, & ſectionis occaſione fluxio excitatur, clamitant pueri, & ex clamore & gemitu venæ capitis turgent, & inflammatio ſubſequitur, tandemque ipſa mors. Quare medicamentis tuto, nec magno quidem negotio, graues colliſiones feliciter ad ſanitatem reſtitutis infra ſcripta curandi ratione, ſi ab accepta protinus contuſione abraſo capillo multiplex linteum oui albo, aceto, & roſaceo permixtis, madidum admoueatis, ac ſuper deligetis, totoque die naturali ita madefieri extrinſecus linteum iubeatis, vt exſiccari non permittatur, ſint tamen æſtate frigida, hieme tepida, ſic enim humorum confluentium impetus prohibetur, & aliqua ex parte reſoluitur: ſequenti vero die ſubſequens cataplaſma ſuperdandum eſt, quod habet roſarum rubearum puluerifatarum, foliorum & baccarum myrti, ana vncias ij. farinæ fabar. hordei, ana vnc. j. abſinthii, beton. puluerifatorum, ana vnc. ſ. cymini pulu. drachmam j. mellis albi vncias ij. cum vino nigro

gro auſtero fiat cataplaſma, cui adde olei roſ. camomel. ana vnciam j. ceræ q. ſ. Hoc medicamentum, certe benedictum, bis ſingulo die tepidum admouendum eſt, vt non ſolum contuſam partem, ſed etiam circumſitas complectatur, ſitque eius quantitas quæ vna vice adhibetur mediocris. Si enim ſit exigua parum habet virtutis, & ita à partis calore facilè exſiccatur, ſi multa locus affectus comprimitur: eodemque medicamento vſq; ad nonum vel vndecimum diem perſeuerandum eſt. In dies enim ſingulos partem detumeſcere, collectum ſanguinem reſolui, contuſamque caluariam ad priſtinum habitum naturæ & artis beneficio perduci conſpicietis. Neque eſt quod quis vereatur ſanguinem ſub cute collectum in pueris concreſcere vel corrumpi, nam præ tenuitate & caloris innati copia cutiſque raritate, neque corrumpitur, nec in grumum vertitur, ſed à medicamento per poros cutis euaporans abſumitur & exſiccatur, interdumque guttulæ euaporati humoris ſuper cataplaſmate conſpiciuntur. Cùm verò vndecimus dies præterierit, emplaſtrum diapalma Gal. corio tenuiſſimo illitum, ſuperdandum eſt, ac tertio quoque die permutandum. Poſt vigeſimum vero ad reliquias humorum abſumendas, & colliſam caluariam in ſuam ſedem reſtituendam, barbarum emplaſtrum illitum corio adhibeatis, & quamuis humoris ſub cute collecti diſſolutio diutius protrahatur, felicem nihilominus exitum habent, cauendum tamen interim ne inædia illos maceretis, ſed alimentum ætati ſufficiens concedite, dum tamen vino ſibi temperent. Neque vereamini vulgarium & imperitorum iudicia: cucurbitulas etiam vt multi faciunt, ne admoueatis, nam quamuis deriuationis ratio id poſtulet, plus tamen ex iis incommodi, quàm vtilitatis ſequitur: clamant enim, exagitantur & inflammantur pueri ex ſolo conſpectu cucurbitularum, ſed frictionibus vel balneo earum vice vti licebit. Eadem denique curatio pueris recens natis opportuna eſt, nam plerumque vel ob magnitudinem capitis, vel quod mater ſit primipara, magnas in locis muliebribus contuſiones patiuntur, ex quibus magni tumores ſanguine pleni excitantur: conuenit tamen illis ſimplicior curatio, nam ſolo diaphænicino ex roſaceo confecto affluxi humores diſcutiuntur, naturæque beneficio colliſa caluaria in priſtinum reſtituitur. *I. Cæſar. Arantius in appendice comment. ad lib. Hipp. de vulner.*

OBSERVATIO.

Cranii contuſio in puero, citra eiuſdem inciſionem, aut perforationem, percurata.

NArrabo ego ſincerè quod vidi. Cum chirurgiā factitarem, puerum curaui annum agentem ætatis ſuæ plus minus ſeptimum, qui ex podio altitudinis circiter pedum duodecim ceciderat in caput, vbi bregma vna cum frontis oſſis ſuprema parte ſibi adeo confregerat, vt fragmenta oſſium inter ſeſe diuiſa manifeſtiſſime tactu perciperentur: cutis tamen nullo loco erat ſeparata ſeu vulnerata, quod in ſolum planum concidiſſet, nec pileus è capite deceſſiſſet. Puer hic agebat ſub tutela cuiuſdam. D. Ancillæ, quæ olim Aſtæ puellas inſtruebat acu pingere, diuertebatque tunc temporis in foro Gandinenſi in hoſpitio, quod quondam dicebatur domus placentiæ, in qua podium erat parte interna domus & ſupra portam. Ad huius igitur curam accitus, vbi tam grandem caluariæ confractionem percepi, totus animo confuſus conſtiti: puer autem loquebatur, animoque conſtabat dum appuli (quāuis ſtatim à caſu exanimis & ſine loquela effectus fuiſſet, mox & euomuiſſet, quæ in prandio ſumpſerat, & bilem ſimul) pulſu integro ſed paulo frequentiore quam pro natura eſſe debuiſſet. Multa hercle animo mecum ipſe peruoluebam interea dum medicamenta exſpectabam à pharmacopæo deferenda, nempe cum cutem diuiderem, & oſſa euellerem, vel ſinerem: tandē potior ratio præualuit. Non ſecui, ſed tantum caput totum obduxi medicamento confecto ex abundanti bolo armena, & myrtilorum baccis contritis & exceptis duplo roſaceo, & vna parte aceti, & altera albuminum ouorum: quo genere medicamenti quatriduum ſum vſus, mox ad ſiccatia temperate me conuerti: tandem citra ſectionem conualuit, & multos annos poſt ſalubriter vixit, quem item viuere puto: nominis eius non memini, quod dudum ſit. Quæ autem ratio occurrerit, quæ ſectionem diſſuadere debuiſſet (à quā perpauci abſtinuiſſent) hęc eſt: quod cum tam grandem oſſis ruinam obſeruarem, putabam fore vanū aperire, niſi & oſſa ipſa freſa penitus abducerem, quod opus nullum naturæ robur ferre potuiſſet, præterea, quod cerebrum concidiſſet, neque etiam id tutum ſeruare ab aeris iniuriis potuiſſemus, quod autumnali tempore eſſet, & eam domum vrgeret egeſtas: quanquam difficillimum fuiſſet à tali iniuria ſeruare etiam opulentiſſimum. Accedebat puerilis ætas, quæ tenellis oſſibus & textura rara cum ſit, ferruminationem nobis faciliorem, & occurrentium humorum diſſolutionem obiiciebant: adhæc ſi aperiendum mihi foret, ſatius eſſe cunctari, quam eo tempore præſtare, quo animo conſtabat, & cæteris malis ſymptomatis vacabat, quo anſam tollerem criminandi operis: quod equidem opus præſtitiſſem poſt, ſi vel febris, vel graue aliquod aliud ſignum inualuiſſet. Res hæc creditu difficilis eſt, non tamen omnibus artis peritis. Memini dum Medicinæ ſtudiis incumberem in celebribus Academiis Ticinenſi primum, mox Patauina, me hanc hiſtoriam narraſſe peritiſſimis chirurgis ſimul & medicis D. Petro Martyri & Gab. Fallopio, quorum vnus (vter fuerit certe non ſuccurrit) faſſus eſt alias fracturas non multo abſimiles curaſſe citra ſciſſionem cutis, & feliciſſime proceſſiſſe. Alias ſane vidi minores, & contuſiones etiam, in quibus cauitas ſeu oſſis depreſſio percipiebatur, quæ ad integrum ſtatum reducebantur ſine apertura. Hæc ſane argumenta ſatis valida eſſe videntur, vt prima poſſint reddere dubia, nimirum, ea quæ aperturam probāt neceſſariam. Verum obiiciet hic alius, num tuis credendum verbis? Neminem ſane cogo meis dictis fidere ſi ratione ſint vacua, imo etiam etſi rationem habeant comitem. Quod autem hiſtoria expoſita vera ſit, & alios curatos viderim, nil (per hominum fidem) verius videri poteſt. Cæterum quod iis meis experimentis quiſquam fidere debeat, vt omnes ſic curare poſſe putem, id prorſus empiricum & ab omni ratione alienum eſſet: cum nihil in medicina ſit ſtabile, vnde ex re nata mutare conſilium & præſidia operæpretium ſit. *Botallus cap. 17. de vulneribus Sclopettorum.*

OBSERVATIO.

Contuſionem capitum infantium & puerorum, aliquando vel cum membranarum cerebri læſione, aut cum vulnere, vel ſine vulnere, curandi ratio.

EXiſtunt perſæpe in pueris ſeptennio minoribus contuſiones, aut caſu, aut ictu, aut alio quouis inſtrumento impetuue factæ, ſimiles omnino apoſtematibus, aut iis vitiis, quæ in æreis aut plumbeis vaſis conſpicimus, ita vt cute illæſa, & poſteriore etiam cranii tabula minime rupta, prior tamen perſæpe lædatur. Namque eius oſſis per ætatem teneritudo aliquando in cauſa eſt, vt nonnunquam cranium illæſum, ſæpe etiam læſum & ruptum deprimatur, & pelliculæ cerebrum ambientes rumpantur: quod nos perſæpe deprehendimus; Eiuſque rei exemplum nuper editum eſt, cum in oppido Llerena Bethicæ prouinciæ, quadrimus puer nobis curandus fuiſſet oblatus, quem lignea porta è feneſtra decidens grauiſſime percuſſerat, ſecundum eam quæ coronalis commiſſura dicitur, ex quo ictu, vtrumque os, atque vtraque etiam membrana rupta ſunt, atque etiam cerebri pars ter per totum curationis ſpacium emiſſa eſt. Sanatus tamen eſt puer citra vulneris manifeſtationem, & ſine vlla oſſium iactura, neque vltra vigeſimum diem dilata eſt curatio. Ad huiuſmodi autem compreſſiones in puerorum capitibus curandas, nulla vulneris maiore (quam ipſo caſu facta eſt) manifeſtatione fuerit opus: & ſi nullum vulnus factum fuerit, nihil eſt aperiendum, quamuis omnia oſſa læſa comminutaque eſſe cognoſcantur, atque hæc tutiſſima ratio curandi in eiuſmodi vulneribus erit. Nam quicquid contra quam diximus, vulgo fieri ſolet, id certiſſimum habet periculum. Huius autem hæc curationis ratio eſt, præter temperatum pueri & ſalubrem victum, aut ſaltem nutricis, ſi lacte adhuc alatur: diuerſiones aliquas facere conueniet, aut brachia ipſi aut crura ſcarificanda ſunt. Si contuſio nullum manifeſtum vulnus oſtenderit, prima curatione hoc remedio vtimur. ℞. Olei roſarum, camomelini ana ℥. ſemis. olei myrthini ℥j. oui vnius album cum vitello, cum parte aliqua farinæ fabarum, & ordei ana, & myrtillorum puluere ℥. j. omnia commode miſceantur, & fiat ad modum emplaſtri, idque ſub contuſo loco ponatur; poſtera vero die aliud emplaſtrum adhibemus, loco tamen probe prius nouacula abraſo. ℞. Sordiciei aluearis apum, vel ſi id haberi minus poſſit, ceræ nouæ ſordidæ, & mellis communis pulueriʒati ℥. j. lapidis hæmatitis in puluerem redacti ℥. ſemis, pumicis lapidis, & cymini, & abſinthii, & furfuris communis ℥. ij. miſce omnia ad ignem, & fiat emplaſtrum, quod loco depreſſo imponito, latiore etiam ambitu duorum digitorum, mira enim vis huius emplaſtri eſt, vt intra duodecim dies oſſa contuſa compreſſaque tollat: nullumque ad eam rem medicamentum efficientius eſſe puto. Quod ſi præter oſſis depreſſionem & rupturam vulnus etiam fuerit, principio oui albo, & vittello ſimul agitato curandus eſt, additis peciis mollibus, atque tenuibus, ſtupa puluilis, quibus vulnus tegitur. Poſtera autem die, vtemur balſamo à nobis ſæpe commendato: vulnus autem hoc leuiter ex pluma inungendum eſt: cuius præſentiſſima virtus facile hoc in genere etiam perſpicietur; mire enim concoquit, emundat, carnemque inducit: liquefactum autem eſſe oportet, non nimis tamen, ne quid ægrotus vratur; aut ne quid de medicamenti vi nimio calore decedat (Illud vero maxime eſt cauendum, ne quod omnino os extrahatur, quamuis omnia comminuta eſſe conſtiterit) filis autem ſiccis vulnus operiendum eſt, neque iis nimium preſſis. Super hæc vero id, quod modo deſcripſimus, emplaſtrum eſt addendum, calidum quidem illud, quod profecto magna cum curantis voluptate, & admiratione, ſine vllo diſcrimine, omne pus quod intus conficitur, exugit, & compreſſa quoque oſſa breuiſſime tollit, in eumque reſtituit, qui ſecundum naturam fuerat, ſitum. Poſſumus enim tuto affirmare, nobis hac & aliis curandi rationibus, quæ deſcriptæ iam ſunt, per annos plus quinquaginta, frequentiſſimo experimento vſis, ſemper ex animi ſententia ſucceſſiſſe, & Dei auxilio, cui nos omnia accepta referimus, multos è maximis & grauiſſimis vulneribus liberatos, teſtari poſſumus. *Arceus de curand. vulner. lib. 1. cap. 6.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria pueri in fractura cranii cum capitis apertione curati.

IN Nouoforenſi Noricorum ciuitate puer lanii trimus ex ſuperiori domus tabulato proſpiciens pronus in ſtratum decidit, & in delapſu caput parieti prominenti alliſit. Qui cum in domum patris ſemianimis deferreretur, primum bilem euomuit, & ſpaſmo Epilepſiæ bis conuulſus, obmutuit, & tam brachio quam crure ſiniſtri lateris reſolutus, comate deprehenſus iacebat. Ex quibus ſignis facile coniicere potui, offenſam per cranium ad cerebrum vſque penetraſſe. Quare altero die mox caput concuſſum, primum in occipite, non longe à ſuturæ interuallo, & vtroque latere aperui, vnde quotidie cruor ſanie permixtus vbertim profluebat: & cum per hæc caput expurgatum fuiſſet, puer (vel hodie ſuperſtes) citra omnem membrorum & loquelæ offenſam, Deo auſpice, conualuit. *Langius. Epiſt. 5. Tom. 1.*

OBSERVATIO.

Ex cranii fractura cum meningarum offenſa puer ſeruatus.

MEmini me Veneriis accerſitum vna cum chirurgo excellenti ad viſendum puerum, qui ex alto loco in caput ceciderat in impluuium lateribus ſtratum, & os fractū in multa fruſta vidi, & illa quidem acuta, quorum duo interius reflexa, vtraque membrana perforata cerebro infixa erant: qui tamen ſumma diligentia tractatus tandem liber ab eo morbo euaſit, ſed hæc raro eueniunt. *Trincauella lib. 4. cap. 4. de compoſ. Medic.*

OBSERVATIO.

Pueri in caput præcipitati ſymptomata varia.

PVer quinque annorum, ex altiſſimis gradibus, vbi pulſantur campanæ, præceps in caput decidit poſt caſum obmutuit, reſtituta tamē paulo poſt vox & loquela, licet ſoporoſus pulſus frequens, calebat totum corpus, non vomuit, aliquid iuſculi aſſumſit, totum tempus ſiniſtrum nonnihil excoriatum erat, apparebat in latus capitis decidiſſe, tertia die male habebat, & tumor apparebat in bregmate,

mate, paulo ſupra os temporale, cedens digitis, quaſi ſubeſſet ſanguis aut pus, & quaſi oſſa eſſent ſuppreſſa: quarta tamen die immunis à febre apparuit, ſopor ceſſauit, appetitus bonus, tumor remiſit, itaque non aperuimus tumorem. Vſi ſumus exyrhodino: aliquot diebus poſt, aucto tumore, & aperto, multus ſanguis concretus & pus viſa, in cranio fiſſura magna, ita vt appareret motus cerebri. *Ioann. Bauhinus in Diario obſ.*

DE FRONTE.

OBSERVATIO.

Secundum frontem duobus vulneribus tenuiſſimis acceptis, mortuus.

INflicta fuerunt duo vulnera cum duobus cathenæ ferreæ annulis; in caput Alouiſii fabri ferrarii, alterum ſupra ſupercilium ſiniſtrum; aliud in eodem latere parum infra angulum; vbi ſutura, quæ ſagittalis dicitur; coronariæ coniungitur. Octauo die poſt vulnerationem ſuperuenit eryſipelas in facie; quod paulo poſt totum caput complexum cum febre eſt. Die vero duodecimo reſolutio quædam dextræ manus cum diminutione loquelæ: & demum die decimoquarto mors. *Manardus lib. 6. epiſt. 1.*

OBSERVATIO.

Frons tota Oſſa nudata.

QVIDAM, dum in monaſterio Diui Donati, quod vrbi noſtræ prominens Scopetum dicũt, vitam ageret, ſemel mecum conqueſtus eſt, affirmans capitis eius os paulatim indies eroſum iri: quod miratus; caput detego; manu diligentius contrecto, frontem fere totam oſſe denudatam inuenio; & quod maius eſt nullam in cute ſummam, nullam in carne noxam aduerto: rei cauſam quæritans, iudico acutiſſimo humore id fieri, qui foraminulenta carne demiſſus nullam in ea vim faceret Os vero, quod denſius, ac propterea magis obſiſtens, eroderet, non ſecus ac fulgur, quod aurum, illæſis interim loculis, nonnunquam liquare ſolet. At ille, cum maior iam oſſis ipſius pars eſſet eroſa, & nullo proficeret auxilio, paucis annis vitam finiuit. *Ant. Beniuenius, de abditis. c. 18.*

Oſſa capitis erodi frequenter contingit ſub iis tumoribus, qui luis venereæ ſymptomata habentur: quorum plerique ad Atheromatum, alii ad Meliceridum naturam accedunt. Qui ſi diu incurati permiſerint, os quod ſubeſt corrumpitur, ac carioſum redditur. *Alexander Benedictus* non modo corrumpi, ſed & exemplum refert in oſſe abſceſſus nati, *hiſtor. hum. corp. libro primo, cap. 6.* Oſſa corrumpi nouum, *inquit*, non eſt: ſed abſceſſus innaſci mirum eſt, vt nuper vidimus, dum mulierem quandam gallico morbo interemptam reſecaremus; cauſam morbi perquirendo, oſſa ſub membranis ſuis integris tumentia, & ad medullam vſque ſuppurata inuenimus, ea duntaxat ratione, quoniam & ipſa nutriuntur, abſceſſibus ob id afficiuntur. *Dodonæus annotat. ad idem cap.*

DE BREGMATE SEV SYNCIPITE.

OBSERVATIO.

Quædam lapide in ſiniſtro bregmate percuſſa, feliciter curata.

FElciſſimum exitum vidi in agreſti quadam muliere quadragenaria lapide in ſiniſtro bregmate percuſſa. Hanc villicus tonſor tractauit vſque ad diem nonum, quo tempore iam de eius ſalute prorſus deſperabatur, ad quam accerſitus Secundus Botallus frater meus, in arte chirurgica exercitatiſſimus, (nam tum eo manuductore chirurgiam & ipſe faciebam) & edoctus cuncta per aſtantes, & patientem, illico cutem, quæ paruo tantum vulnere affecta erat ad decuſſis formam diuidit, ab oſſe diſſoluit, ac euertit; poſtridie modiolo perforat. Os quidem integrum erat: cæterum cerebrum immobile eo loco offendimus, nigrum ac durum; quaſi cruſta in carne facta videretur, vnde de eius ſalute non parum diffidere cæperimus. Verum hic non perterritus frater meus, melli roſaceo duplum Ægyptiaci dicti medicamenti addidit, & ex hoc in emiſſario parum indidit, ſerico membranam texit, & cauum os goſſipio impleuit, reliquum curauit vt vulnera ſimplicia. Eodem met die ſanguinem è brachio eduxit: poſtero purgauit: res in melius cedere viſa eſt. In eodem medicamenti genere perſeueratum eſt ad triduum, quo pus ſatis laudabile ſeſe obtulit, hinc ſolo melle roſaceo curari membrana cępit, huic aliquot dies poſt iridis rad. & hordei pollon. additum eſt, vt ſiccaret vtcunque magis: ſic ad finem vſque optatum res peruenit: vnde maiore ſum admiratione affectus, quam ex aliis aliquot quibus à principio meninx ſauciata erat. Habitabat hæc, dum ægrotaret, in ſuburbiis diuæ Mariæ nouæ ad porticos Camirani. Vulnus receperat in agro, iuxta ſacellum ſanctæ crucis. *Botallus libro de Vulner. ſclopeot.*

OBSERVATIO.

Glans ſclepeti bregmati inflicta vt educta, & curatus æger.

POſtridie à conflictu vel potius clade Cereſolenſi (quo tempore chirurgiam exercebam) Hiſpanus miles ad me confugit, qui in dextro bregmate plumbeam glandem infixam habebat; cui actutum manus adhibui, & quantum oportebat cranium nudaui, glandemque protinus coruino roſtro educere laboraui, hæc tamen adeo tenaciter os mordebat, vt potius in fruſta diuelleretur, quam integra poſſet educi: quare ſtatim modiolo antiquorum (nondum eo tempore ſtriatum meum excogitaueram) operam ſum aggreſſus: ſic globulum modiolo latiore cinxi, quē eduxi vna cum ciclo tenui caluariæ, cui infixus erat: poſtea depreſſum os extraxi quod cerebrum premebat: continuo poſt membranæ coacto ſanguine erat cooperta, ſuperpoſui roſaceum mel admixto triplo roſacei olei, & ſic proceſſi vſque dum ſanguis ſuppurari ſeiungique cœpit, biduum nempe, quo tempore medicamentum vice verſa compoſui, nimirum triplum mellis imponebam: poſtea ſolo melle curaui ad dies aliquot: cui poſtremo addidi hordaceam farinam & iridem quo pharmaco ad cicatricem vſque perduximus. Ab initio phlebotomatus, purgatuſque fuit, ſic fauſto numine in ſanitatem reſtitutus eſt. Quandoque vero glans oblique collidit, & cranium tantum radit, quorum aliquot citra oſſis artificialem raſionem, nec perforationem curauimus, ac curare fecimus: alios raſoriis ſcalpris ad membranam vſque

ſcalpimus, nonnullos alios modiolo recta ad teli ſedem aperuimus, & ſæpius quidem felici ſucceſſu, ex quibus aliquot alios ſuperſtites nominare poſſemus. Aliquos etiam ſola illiſione leuiſſima à globulo facta, cum in fronte, tum in aliis partibus capitis, quæ negligentia tam patientium, quam artificum interiiſſe vidimus, quibus omnibus recta ad os ictú pus collectum reperiebatur ſub membranis. Verum non modo ex iis obiiſſe diem vidimus qui à glande ſclopetti leuiter erant vulnerati, & citra omnem oſſis fracturam, ſed alios etiam multos, qui ab aliis telis erant affecti, lapidibus, nempe fuſtibus, caſu vel illiſione alia leui. *Idem eodem lib.*

Observatio.

Bregmate contuſo cutis capitis inciſione arteria vulnerata, æger à lethali hæmorrhagia liberatus.

SI tanto impetu manare ſanguinem (in cutis capitis ſectione) contingat, vt nullis adſtringentibus ſiſti poſſit, vas ipſum deligandum erit, adacta primum acu filum ducēte per cutis muſculoſæ partem externam, indeque reuocata & reducta ipſa per partem internam: tum nodo formiſecus ſubnectendum filum, impoſito prius & eodem modo, vna cum tota cute muſculoſa, comprehenſo penicillo linteo magnitudinis pennæ anſerinæ, ne fili arctior conſtrictio, quæ cohibendo ſanguini ſufficiat, vel cutem diſſecet & dilaniet, vel dolorem inferat: tum demum caput altiuſcule excitandum. Id ego nuper tentaui & perfeci in auriga quōdam, qui ex curru pronus in caput ſuper quadrato lapide ſtratum pauimentum deuolutus bregmati partem poſteriorē vehementer ſibi contudit, quo nomine decuſſato vulnere fuit illi cutis muſculoſa incidenda, tum vt ſanguis concretus exprimeretur, tum vt vitium, ſi quod in cranio eſſet, animaduerteretur. Sed diuiſa in illo opere faciundo arteria, cum qui aderat chirurgus ſanguinem impetu ſalientem reprimere non poſſet, ac tantam eius copiam auriga ille iam amiſiſſet, vt præ virium exolutione non in lecto ſe cōmouere, vix vero loqui poſſet. Vocatus ego facto ipſo docui, cum ante fruſtra adſtringentia remedia tentauerit, ſatius eſſe vinculo ſanguinem comprehenſo vaſe cohibere, quam ęgrum puerili puncturæ metu, vicinæ morti prodere. *Pareus lib. 9. c. 4.*

Observatio.

Lapide in ſiniſtro bregmate percuſſus adoleſcens chirurgi inſcitia infeliciter curatus eſt.

ADoleſcens annos egerat plus minus ſeptendecim, cum in ſiniſtro bregmate paruo lapillo à puerulo alio ſecum ludente vulnus recepit. Hic cuidam Chirurgo ſe ſtatim concredidit, qui ineptiſſima grauique manu, ac aſperis linteis ſic crudeliter vulnus exiguum ac tantum cutaneum tractabat, vt id indies magis recrudeſceret, & carnem ſanam conſumeret. Puer autem in reliquis omnibus ſe bene gerebat, negotiabatur, & (vt ſuis moris erat) hero ſuo inſeruiebat. Vidi ego tum dicti vulnerarii manibus ſubmiſſum, cum vulnus recens eſſet, quem tam impie artem exercentem amice monebam: reſpondebat is nebulo ſtatim, Chirurgo opportere eſſe crudelem, non pium: hunc reuiſere deſtiti, quod morbus exiguus eſſet: circiter decimum octauum diem, ab accepto vulnere, ad me ſe contulit patiens, vt luſtrarem quomodo ſe res gereret: huic cutis circunquaque ad cranium vſque ſinuoſa erat; & ſinu quidem vaſto, in quo pus multum colligebatur, ex carne ipſa colliqueſcente, & humore qui eo ferebatur putreſcente: quod pus tantum exire poterat dum manu premebatur; hoc ipſe videns, cauitatem hanc ad inferiorem partem apperiendam eſſe monui, quo putredo & calor ipſe extraneus cerebrum ſuppoſitum non afficeret. Id ſe facturum pollicitus eſt vulnerarius. Nullam enim eo tempore ſedem habebamus permanentem, ſed ſimul cum Regio exercitu omnes vltro citroque ferebamur, quod mihi facultatem adimebat viſendi eum frequentius. Circiter diem quartum & vigeſimum accitus, ad illum me contuli. Febriebat hic iam à quatriduo (vt aſtantes retulerant) febre aſſidua, grauiter oculos aperiebat, ſoporoſus, oculis tumidis, & viribus propemodum deiectis, vrinæ ſanæ, ex quibus tamen nullum ſignum ſumere poſſumus bonum iis in affectibus. Sinus autem adhuc integer erat, fœtidoque pure refertus, quod ignauus ille (neſcio quidem num præ arrogantia vel formidine potius) nil eorum quæ iuſſeram præſtitiſſet. Hæc omnia cum viderem, non dubitaui cerebrum affectionem iam conflaſſe ex vicina putredine: vnde illico cutis & oſſis perforationem adeundam eſſe perſuadebam, putans ſatius eſſe anceps auxilium experiri, quam ægrum morti prorſus decernere. Aſt ſtupidus ille cum audiſſet os perforandum eſſe, Niſi febris eſſet (inquit) vulnus facile curam ſuſciperet: vigeſima ſexta expirauit. Iuſſi poſtea cadaueris caluariam aperiri. Annuit hilari animo vulnerarius, fretus mortem contigiſſe febris iniuria, non capitis affectu, cum ſciret os à vulnere ne minimum quidem fuiſſe offenſum: os quidem integrum, omniſque iniuriæ expers nouit: Inuenit tamen non paruam puris copiam inter cranium & membranam, quam ex ſupernis partibus ſtillaſſe non poterat non cenſere. Vidit & cerebrum totum ea parte liquatum, & in pus verſum: quod nullam aliam ob cauſam factum fuiſſe putare debebat, quam ceruicoſa, lethalique ſua ignauia. Hoc more præcipites ægros dant qui craſſa quadam & fallaci experientia artem medicam & vulnerariam exercent: quod vtique non contingeret, ſi ii in Galeni Hippocratiſque libris inſudarent, aut ſaltem artis peritis parerent, ac inſeruirent, quoad artem vtcunque didicerint. Quod tamen ſemper facere abhorruit audax, ac tumultuaria audentium turba. Non nobis deſunt alia multa ſimilia exempla: ſed hoc ſufficiat, cum vt crimen in memoriam reuocent ii, qui proprii delicti ſunt conſcii, tum vt iuuenes ad artem diſcendam concitet, moneatque præſtantius eſſe ſibi famam alieno conſilio comparare, & ægris vtile obſequium præſtare, quam ſtupido ſuo phantaſmate vtriuſque iacturam facere: non iuuiſſet quidem hic os perfodere ad vigeſimum quartum, quod nimia iam corruptela eſſet labefactatum, ſed profuiſſet (credo) ſi vigeſimo, vel illico ab ineunte febre, vel aliquo aliorum ſymptomatum ſuperius enumeratorum, fuiſſet præſtitum. *Botallus de vulner ſclopet.*

Obser-

OBSERVATIO.

Bregmatis oſsis fractura ad ſecundam laminam vſque pertingente curata: æger ob prauam victus rationem febrem continuam cum grauiſsimis ſymtomatibus incurrit, vnde ingens carioſi oſsis abſceſſus, cum vermibus (res mira) obortus, ſingulari tamen induſtria, tantis periculis ſubtractus conualuit, hoc vno incommodo relicto, quod cicatrix caua permanſerit.

PLacet hoc loco hiſtoriam, cuius ipſe teſtis oculatus extiti, dum apud Subalpinos chirurgiam ſtipendiis Polemarchi Monteiani Regis Gallorũ proregis facerem, commemorare. Contigit vt curandũ ſe mihi traderet nobilis Golanii pediſſeques: fractum illi os bregmatis enſe fuerat parte ſiniſtra, nec tamen fractura ad ſecundam laminam pertingebat: paucis poſtquam diebus oſſe agglutinato & vnito conualuiſſet, contigit vt Vaſconum militum conterraneorum ſuorum turma Taurinum appelleret, cum quibus ſe & mero generoſo & defrixorum inteſtinorum & cœpis ſpeciebuſq; ſaporatorum plenis patinis, repleuit largius. Ex quo mox in febrem continuam incidit, voce & mente caput intumuit, oculi flammei, & è capite velut prominenti rubore ſuffuſi ſunt. Quibus animaduerſis, ex medicorum conſilio iniecto clyſtere ſanguinem detraxi, & capiti quę conueniebant, appoſitis medicamentis, frictionibus & vinculis artuum extremitatibus iniectis humores deorſum reuellere ſtudui: nihilominus pars ſincipitis ante affecta, ſuppuratum concepit: quo aperto ingens ſaniei vis erupit, tandemq; ſubſidente cute muſculoſa cum pericranio, ambæ cranij lamiæ cum putredine & carie tentatæ ſunt, vt ex illarum nigrore & fœtore erat intelligere. Hanc ego labem vt emendarem, vtque quod oſſis vitium inemendabile contraxerat, abſcederet, cauteria quæ actu talia ſunt, ex interuallis admoui: ſed ecce poſt exactum menſem, vermium vis per cariei foramina ex locis, quæ ſub putrente cranio erant, emerſit: quæ res impulit me vt oſſis nutantis abſceſſum lapſumq; accelerarẽ. Quo facto, ſupra ipſam craſſam meningem, quod eſt admirabilius, quo loco natura carnem induxerat, tres animaduerti cauitates pollicari amplitudine, vermibus capite nigris ad ſtrictoriæ ligulæ ferrum æquantibus, & vario ſe implexu obuoluentibus, differtas. Erat vero oſſis quod natura abſcedere fecerat magnitudo palmaris, vt nõ videretur tam inſigni cranii portione vi naturæ abacta, non æger ipſe interiturus: cõualuit tamẽ contra ſpem omniũ, ſed poſt vulneris agglutinationem cicatrix admodũ caua extitit *iuxta Hippocratis decretum. aph. 45. ſect. 6.* Non enim caro facile callo ſuperinducitur, quia callus naturæ quid eſt alienum & ſuppoſititium: adde quod vt cicatrix cute, ſic callus oſſe eſt aliquid denſius, vt per compactiorem ipſius ſubſtantiam nec libere, nec liberaliter ſanguis in carnis inducẽdæ materiam, poſſit exſudare. Hinc fit vt vndecunq; cranii portio aliqua integra exceſſit, illac admota manu cerebri pulſatio percipiatur. Ex quo neceſſe eſt infirmius multo illa parte cranium exiſtere. Huic ego infirmitati vt conſulerem iuſſi pediſſequem illum pileum geſtare ex denſo corio præparatum, quo facilius externis iniurijs obſiſteret, & certe inde multo melius illi fuit. Placet vero hoc loco quorundã impoſtorum Chirurgi titulo falſo gloriãtium fraudem recludere. Hi vbi ad curanda capitis vulnera vocantur, quę cum oſſis deperditione coniuncta ſunt, perſuadent ægro & aſſidentib. in locum deperditi oſſis laminam auream eſſe ſubſtituendam. Itaque coram ægro illam cudunt, atque vt conuenientis figuræ ſit, varie verſant, parti apponunt, ſed paulo poſt ipſam furtim in crumenam ſubducunt, atq; hac arte deluſum ægrum deſerunt. Alii gloriantur ſe ſua induſtria perficere, vt in locum amiſſi oſſis cucurbitæ reſiccatus cortex, ſuperſtiti cranio inſeratur, & tanquam ſcutica emplaſtretur: atq; hoc eſt artis ignaris nimiũ pueriliter illudere. Nam tantum abeſt vt hoc fieri poſsit, vt natura ne pilum quidem aut minutulum quoduis aliud corpuſculum cicatrice incluſum tolerare aut pati poſsit: nec vero par ratio eſt globuli plumbei, qui in corpus impulſus illic ad multos annos cunctari cernitur, ſine ægri noxa; nam & familiaritas quædam plumbo cum humano corpore intercedit, & tamen id tandem: niſi oppoſitæ carnis, aut ligamenti, aut tendinis, aut ſimilis alterius ſubſtantiæ denſitas impediat, à natura, peregrini omnis corporis impatiente, foras protruditur. *Pareus lib. 9. cap. 20.*

DE OSSE PETROSO.

OBSERVATIO.

Hiſtoriæ puerorum, quibus os petroſum fractum erat.

TEmporum oſſa infra ad baſim anfractuoſa ſunt, & aſpera, rupes ceu lapides imitantia, vnde Gręci λιθοειδῆ, quaſi petroſa vel lapidoſa vocarunt, ſupra autem leuigata: & quamuis tenuiſsima ſint, ac præcipue vbi aſsident muſculi, duriſsima tamen exiſtũt mirabili naturæ prouidẽtia, cum vix frangi ſine certo vitæ diſpendio poſsint. Locus admonet ne ſilentio prætercam, quod feliciſsime ceſsit prudẽtiſsimo & doctiſsimo ætatis noſtræ chirurgo Ioanni Antonio Plato cognomento Lonigo, quo præceptore ſeptennium vſus ſum, adeo vt quantum in hac medendi arte profecerim, me nunquã pœnitere poſsit. Hic Patauii puerum in Diui Antonii collegio, qui ex alto cadens tẽporis os ad ocularis formæ magnitudinẽ fregerat: miro ingenio atq; arte ſanauit, quamuis certa mortis ſigna omnia adeſſent. Eundem ego fortunę, curationiſq; exitum in Romano puero ſum aſſecutus. *Columbus libr. 1. cap. 5. Anatom.*

OBSERVATIO.

Oſsis petroſi fractura, cum temporum muſculi contuſione, metu conuulſionis, citra eiuſdem ſectionem curata.

NE quis Chirurgus eo temeritatis veniat, vt muſculi illius (temporalis) ſectionem aggredi auſit ad ſubiectum os terebrandum: ſupra potius, aut ad latus, ac quam proxime partem affectam fieri poterit ſibi terebrandum putet. Quod ego feci in nobili Bretechio. Is in triumphali Regis Henrici ſecundi in vrbem ingreſſu, lapide ita ſauciatus eſt, vt ictus impetu os petroſum fractum, & vehementer contuſus muſculus temporalis, ſine vulnere tamen extiterit. Sequẽti die aduocatus, perſpecta læſionis ſpecie, & læſæ partis conditione, Medicorum & aliorum mecum Chirurgorũ conſilium cogẽdum cenſui, ex quibus, cum quidam cenſerent diuidendum quamprimum temporalem muſculum, vt renudato oſſe terebrare liceret, ſicque fracta oſſa eximere.

Ego contra acriter reſiſtere cœpi, citata *Hippocratis* ſententia *de Vulneribus capitis*, qua interdicitur Chirurgis eiuſmodi muſculorum ſectione metu multorum & malignorum ſymptomatum: citata etiam experientia, qua crebro animaduerteram, cunctos quibus is ſectus fuiſſet muſculus cõuulſos interiiſſe: ſatius multo futurum, ſi proxime ſupra fracturam, os terebra aperiretur intacto quam minimum temporali muſculo. In eam ſententiam cum tandem omnes deſcendiſſent, ipſe ex tempore ſectione trigonа cutem muſculoſam quæ ſupernæ fracturæ immineret, diuiſi. Poſtero die, qui tertius erat morbi, terebraui, ac terebratione peracta, diebus aliquot poſt quatuor aculeata fracti oſſis fragmenta exemi, tubulumque plumbeum planum immiſi, per quem iuſſo ægro, quoties curaretur caput deprimere, & ore naribusq; obturatis contentius exſpirare, multa manabat ſanies inter cranium & craſſam meningem collecta. Reliquæ ſordes, ſi quæ contumacius adhęrerent, rerum detergentium decocto Syringe iniecto, elui: tantumque, Deo conatus meos fortunante, perfeci, vt tandem conualuerit. *Pareus libr. 9. cap. 19.*

DE TEMPORVM OSSIBVS.

OBSERVATIO.

Eques lapide in temporibus leuiter vulneratus obijt.

EQues in Noricorum Nouoforo, à ſtabulario iactu lapidis in temporibus leuiter cute ad pericranium vſque vulnerata, ſauciatus: ad cuius curam ſeptimo die ego accerſebar: cum vero rationem ac ſiniſtri lateris brachium & crus labaſcere, & linguam ægrum titubare viderem, & chirurgum nulla opportune appoſuiſſe remedia, breui moriturum prædixi, qui tandem 14. die conuulſus obijt. Stabularius vero prognoſtico meo cautior factus, ne manus carnificis incideret, fuga ſibi conſuluit. *Langius. Epiſt. 10. Tomo 1.*

OBSERVATIO.

Leui ad tempora ictu, conuulſiones & mortem quoq; aliquando concitari.

NOs aliquoties obſeruauimus ex leui in temporibus ictu, conuulſiuos motus, Epilepſiæ paroxiſmis haud diſſimiles inſequutos, interdum etiam mortem præcurrente brachij ac totius cruris infirmitate, cum paruula quadam titubatione linguæ. *Iacotius Comment. ad aph. 1. lib. 1. Sect. 3. Coac. Hipp.*

OBSERVATIO.

Temporum venis vulneratis, conuulſione oborta, æger moritur.

VIdimus quendam, cui temporum venæ abſciſſę fuere, hic conuulſus mortuus eſt, cum nullo præſidio, nec igni ſanguis reſtringui & ſiſti potuit. *Braſauolus Comment. ad Aphoriſ. 9. lib. 7.*

OBSERVATIO.

Plaga, ad alterutrum tempus inflicta, os temporale integrum exemtum, reſtituto ægro.

COlonus quidam curatus eſt à Benedicto Bonacurſio, Phyſico & Cheirurgo, qui ex caſu plaga accepta in temporali muſculo, cum maxima cutis & muſculi laceratione, oſſisque denudatione, ſed abſque Catagmate, per annum & amplius curatus eſt tandem, oſſe temporali ſano & integro exemto. *Ex Italia, vna cum aliis ſine expreſſo autoris nomine ad me miſſum.*

DE FRACTVRIS ET CONTVSIONIBVS *capitis varia alia.*

OBSERVATIO.

Caſu ab alto diffracta vniuerſim caluaria, & ſine voce, ſine ſenſibus, & prope apoplectico reddito ægro, curatur, miraculo tamen.

FAmulus patris mei Antonius nomine, Belga, ex caſu ab alto, cum Staturnalib. feſtis vino onuſtus ſe in feneſtras ſublimes domus contuliſſet, vino ſopitus cadit in mediam viam publicam, diffracta vniuerſim prope caluaria: pro mortuo habitus, ſine ſenſu, ſine voce, ſtertens & moribundus dies totos ſeptem manet. Curatur tamẽ ingenti labore & magno ſtudio à principibus medicis Monſpelienſibus, Griffio ſeniore, Falcone, & Tremoleto, tum à chirurgis perititiſſimis Petro Alzina, Antonio Barreterio, & Nicolao Bleſio: cæcus tamen ferè, ac omnino ſurdus manſit reliquo vitæ curriculo. *Valleriola. lib. 6. obſeruat.* 4. Meminit eiuſdem Hiſtoriæ *idem Autor lib. 3. enarrat.* 8. *Operis enarrationum medicinalium.*

OBSERVATIO.

Contuſio cum fractura oſsis, ſine apparente vulnere.

EX duobus rixantibus hominibus alter ab altero percuſſus eſt ſaxo: is vero qui accepit, galea caput armauerat, qui tamen grauiſſimo turbatus ictu protinus in terram corruit: ſtatim autem, dum ab accurrentibus ſuſtollitur, euomuit. His ego coniecturis, & galeæ aliquantulum compreſſæ contemplatione, oſſis rupturam ſubeſſe iudicaui: loco igitur aperto, contuſionem ipſam vulnere facto formaui. Poſtera vero die cranium eo inſtrumento, quod à Græcis abaptiſton, nobis trepanum dicitur, terebraui, quanquam vix capillaris & ſubtiliſſima rimula in oſſe oſtẽderetur. Offendi autem ſatis magnam concreti ac teterrimi cruoris copiam, quæ in duram matrem defluxerat: ſed breui à me curatus eſt, nullo graui ſymptomate inuadente. *Arcæus lib. 1. cap. 2. de Curand. Vulneribus.*

OBSERVATIO.

Cranio fracto integra cute, ægros neq; cute inciſa neq; cranio aperto ſeruari poſſe.

IAcobus Peruſinus Romæ celeberrimus, atque optimus noſtri ſeculi chirurgus mihi refert ſe longo vſu obſeruaſſe magis ſeruari eos, qui citra ſcalpelli operam, partim lenientibus, partim ſiccantibus, curantur, quam, quibus cutis inciditur, & os aperitur. At dum requiro quo pacto ſanies à membrana cerebri detrahatur, niſi os pateſiat, & ipſa membrana: dumq; inſto nudati oſſis exemplum afferens, quod cum fiſſum vel colliſum eſt, neceſſario ſecari debet, vt humor euadat, qui in membrana cerebri collectus eſt, neque ibi ſubſiſtens putreſcat, & cerebrum afficiat. Longe (inquit ille) hi caſus inter ſe diſtant, cum os apertum eſt, ſi abſque ſectione dimittatur, humor, qui ſuper membrana cerebri receptus eſt, à calore, cum exſpirat, diſcuti non poteſt: quocirca putreſcens hominem conſumit, neque tutum eſt citra ſectionem oſſis experiri emplaſtra, quæ cum cal-

nariæ cauſa componantur cephalalgica dicuntur, quamuis & hęc docentur à Cornelio Celſo, & nunc à nonnullis chirurgis adhibeantur, ſed ea medendi ratio fallaciſſima eſt. Vbi integra cute os perrumpitur, calor non exſpirat, & per ſe digerere ſaniem poteſt, & oſſa ſolidare, quod in membrorum fracturis aperte videmus: fragmenta enim, cum nudata non ſunt, ſolidãtur: vbi patefacta ſunt, nequeũt amplius cum alio oſſe glutinari, atq; idcirco euelli debẽt. naturalis enim calor in nobis omnia efficit: nunquid oblitus es illius iuuenis, qui tribus abhinc annis in abdomine vulnus accepit, ita, vt telum à priori parte ad poſteriorem in altero ilium penetraret, vulnuſq; peruium eſſet: is cum minus recte curatus eſſet & plaga iam vetuſta, atque oris obcalleſcentibus deiectionem alui per plagam magna ex parte redderet, nos ambos accerſiuit, cumque vereremur, ne (quod ratio dictabat) ſi plagam aperiremus, & vlcerati inteſtini oras, quas veriſimile erat iam callum contraxiſſe, ſcalpro exaſperemus, vt vna poſtea glutinarentur, hominẽ ad interitum præcipitaremus, ſatius iudicauimus plagam exaſperare, vt cruor inde effunderetur, tum carnem producentibus ipſam nutrire, & poſtremo cicatricem inducere, atq; ita naturæ inteſtinum apertum dimittere, res autẽ adeo recte ꝓceſſit, vt illæ præter opinionem omnium ex toto liberaretur, & nunc bene valeat: nonne vides quantã vim habeat naturalis calor, ſiue ipſa natura? hæc enim (*teſte Hippocrate*) morbos exoluit, & ad omnia ſufficit, quæ animali neceſſaria ſunt, hæc item, cum valida fuerit, ſemper viam inuenit materię, quamuis craſſa ſit, debeatq; per anguſta foramina penetrare: nonne fracto oſſe & callo glutinato per integrã cutem ſanguis euadit ita vt lintea inficiat? qd ergo mirum eſt, ſi integra cute natura, cum potentior ſit, humorem in membrana cerebri collectum diſcutiat? hæc ille. quib. mihi perſuaſit eam eſſe omnino mentem Hippocratis, vt cum os nudatũ nõ eſt, quamuis fractum, neq; aperiatur neque ſecetur, etſi hoc Celſi & Pauli præceptis aduerſetur. At ſi perrupto capite, neq; os nudatum ſit, neq; fractura intelligatur, ſed ſuperueniant febris & mala indicia, id mihi ſeruandum videtur, quod ab ipſo præcipitur, vt os ſcilicet protinus ſecetur, & à membrana detrahatur, etiamſi nudatum non ſit. *Vidius Comment. in lib. Hipp. de vulneribus capitis.*

Dubium eſt, cum integra cute os perrumpitur, aperire ne os, & ſubiectam membranam oporteat, vt extrahatur ſanguis ex venis fuſus, an cutem integrã relinquere? Antonius Venturinus, celebris noſtri ſęculi chirurgus, Piſis nobis ſæpius aſſeruit, ſe lõgo vſu comperiſſe, magis ſeruari eos, quibus citra ſcalpelli operam ſuccurritur, impoſito aliquo Emplaſtro ex his, quæ ad fracturas capitis componuntur, quã quibus cutis inciditur, & datur exitus humori membranam lædenti. Id quod ex ratione etiam firmatur, ꝙ integra cute calor non expiret & idcirco augeatur, poſſitq; non ſolum digerere ſaniem & ſanguinẽ, ſed etiam fragmenta cum integro oſſe ſolidare. Hoc in membris ſæpe conſpicitur, in quib. oſſa integra cute in plura fragmenta cõminuuntur, ſolidãtur. n. omnia, quamuis ſeparata ab aliis videantur, id ſi nudata eſſent minime eueniret, emorerentur n. & euellenda eſſent. Eadem ratio eſt caluariæ perruptæ, nam ſi tegatur adhuc cute, retinetur calor, qui & oſſa ſolidat, & concretum ſanguinem diſcutit. Venit in mentem Petri de Moncada, viri non minus docti, quam Religioſi, qui in agro Bœcinonienſi ante octo annos de porticu decidit, & icto capite, caluariam perrupit integra cute; adhibiti ſunt ad curationem duo ex peritioribus Chirurgis Bæcinonenſibus, quorum alter aperiendum eſſe os, vt ſanguis ex membrana detraheretur, iudicabat; alter cutem integram relinquendam. Nos (cum forte non longe ab eiuſmodi loco tunc degeremus) ad noſtrum iudicium interponendum accerſiti, tutius exiſtimauimus citra ſcalpelli operam, ſolo Emplaſtro cephalico ſuper impoſito, hominẽ curari: habent enim vim Emplaſtra Cephalica oſſium ſquamas ſurſum attrahendi, ac in priſtinum locum reuocandi, & fragmenta, tum in capite, tum in aliis corporis oſſibus, educendi: non ſolum a. detergunt, ac ſiccant; ſed ob acrimoniam ex alto in ſuperficiem extimam, non oſſa modo, ſed his multo magis humorem craſſum & glutinoſum alliciunt. Adhibitum autem eſt id ꝗ de matri ſylua à recentioribus inuentum eſt, eoq; ſolidata ſunt oſſa quæ tangebantur valde perrupta & diſcuſſo ſanguine ſuffuſo, homo intra XL. dies liberatus eſt. *Vidius Iunior lib. 6. cap. 3. de Curat. Membratim.*

Observatio.

Cranij oſſis partem aliquam ictu vel aliter penitus exciſam, ſic vt muſculoſæ cuti aut pericranio aliquantum adhuc adhæreat, non reſcindendam, abiiciendamq;, ſed reponendam, illuſtri exemplo docetur.

NOtandum eſt, quod ſi contingat ictu valido & ingenti vulnere oſſis portionem ſic penitus exciſam eſſe, vt à reliquo cranio omnino diſtracta, pericranio tantum & cuti muſculoſæ pendula hæreat, haud à pericranio auellendam eſſe, & tanquã inutilem abiiciendã, ſed ipſam ſuo loco & ſtatui reſtituẽdam, callo mox genito, oſſis velut cicatrice naturæ vi glutinandam, vt eſt à Celſo adnotatum. Huius rei veritatem certa experientia in capitaneo Hydron nõ ita pridem comprobaui. Illi oſſis coronalis portio media tres digitos longa lataq;, enſe valido ſic exciſa erat, vt iam viciniæ oſſeæ non cohæreret, ſed vix pericranio & cuti muſculoſæ adhęrens in faciem inuerſa procumberet, ac craſſam meningẽ oculis ſubjiceret: itaq; ipſam à ſua cute auulſam parabam abijcere, ni Hippocratici illius præcepti in mentem veniſſet, quo cautum eſt, cerebrum operculo ſuo exarmare, & nudum relinquere. Quare ſanguinem qui in craſſam meningem, cuius motum oculis erat percipere, exciderat, primo quoq; tempore abſterſi, oſſis prouolutam portionem ſuo loco reddidi, & ex ſuperna parte ſutura, tribus punctibus adacta acu, ſtabiliui: atq; quo reliquæ ſaniei pateret effluxus, interiectas vulneris rimas linamentis compleui: hac arte factũ eſt, vt etſi eodẽ illo tempore multis aliis & ingentibus vulneribus corpus confoſſum haberet, per Dei tamen miſericordiam cõualuerit: exemplo certiſſimo, nihil neq; cranii, neq; pericranii, ac ne muſculoſæ quidem cutis quicquã niſi poſcente neceſſitate abiiciendũ, multo vero minus vt cerebrum ſuis operculis nudũ maneat cõmittendũ. *Pareus lib. 9. c. 7.*

Observatio.

Spaſmos, paralyſes, & Epilepſias, ad cranii vulnera cõſequi, & ſæpe mortẽ inferre, contra quorundam ſententiam: tum quomodo his ſuccurrendum, & quæ reſolutionis in oppoſita parte ex vulnere capitis cauſa.

Obſer-

OBſeruaui ego cùm Turonii medicinam facerem anno 1569. puerum decem aut vndecim annos natum (quem vna cum cabrolio Monſpelienſi Anatomico & Chirurgo peritiſſimo, Pigræo Pariſienſi, & Renato Cireto Turonenſi, doctiſſimis & exercitatiſſimis Chirurgis, curabam) die XL. ex vulnere in oſſe frontis ſiniſtra parte accepto, in febrem & reſolutionem alterius lateris, id eſt dextræ, incidiſſe, cùm tamen à primo morbi die ad XL. vſq; belliſſime habuiſſet, nec vlla nobis in dilatato vulnere vel rimula quidem apparuiſſet. Eo tertio poſt die vita functo, & diſſecto, alienatum & cancro occupatum cerebrum ἐκ τοῦ ἀπηχήματος in occipite inuentum eſt. Nam & ibi aliquot rimæ in oſſe conſpicuè erant, & quod de Henrico II. Rege diximus, ex vera eadem parte, id eſt, in occipitis tenui omento rupta ſanguis erumpens cerebro vitium fecerat, & inflammationem in eo excitauerat, à qua abſceſſu facto, & XL. illa die, vt veriſimile eſt, aperto, pus in ſpinalis medullæ neruos dextros decubuerat, atque reſolutionem dextram creauerat.

Addam & alteram hiſtoriam vulneris Iani Caſtanæi filioli nobiliſſimi Ludouidi Sabennii Oratoris Regii. Ei βρέγματος alterum os ita effractum fuerat, vt oſſis fruſta omentum lacerarent, inde viginti quatuor horas, aut circiter à vulnere accepto, collectis licet forfice & aliis ferramentis fruſtis, inflammari membrana cœpit cum febre. Quinto ſuppurata inflammatione, membranaq; in magnum tumorem ſublata, comitialis morbi inſultu vehementer adeo concuſſus eſt, vt de puelli ſalute iam deſperaremus. Verum eo ſedato & nudato vulnere, cauſam eius tam grauis ſymtomatis manifeſto deprehendimus non aliunde pendere, quam à cerebri ventriculis, à ſaniei in membrana collectæ copia oppreſſis, ab eiuſdemque tetro malignoque vapore laceſſitis, ad quæ expellenda impetu quodã cerebrum in ſe contractum concutiebatur: idque fieri tamdiu perſeuerauit, donec cerebrum irritari deſiit, puriſque copia illa per oras vulneris oppreſſa eſt. Nam illas, linamentaq; impoſita ſanie madentia, atq; omnino detumuiſſe craſſam membranam, detecto mox vulnere, deprehendimus. Vnde didicimus merito ab Ambroſio Pareo Regis ἀρχιχειρούργῳ præcipi, vt ſuppuratus in omẽto craſſo abſceſſus ſcalpello acutiſſimo ad id accommodato incidatur. Nam, licet citra hoc præſidium puelli illius membrana aperta ſit, non tamen forte æque facile in adultiorib. aperietur, quorum videlicet craſſior firmiorq; membrana illa eſt, quã vt vel Epileptico inſultu diſrumpi queat, quod tamen horrendum ſymtoma ſemper, quoad eius fieri poteſt, præcauendum eſt. *Franciſc. Vertunianus Comment. ad lib. Hippoc. de vulner. cap.*

DE CEREBRO EIVS MEMBRANIS, SPINALI MEDVLLA, ET NERVIS QVÆDAM.

OBSERVATIO.

De ſitu, numero, magnitudine, forma, & vſu ventriculorum cerebri.

CIRCA ventriculos multa conſpicio in natura, quibus non conſentiunt ea, quæ paſſim ab omnibus referuntur, pſertim de ſitu, magnitudine, forma, numero, & vſu ipſorum. Deponũtur ergo duo ventriculi magni in anteriori cerebri parte. Dico tamen ipſe eos ventriculos eſſe eodem modo in poſteriori, & media parte cerebri, ac ſint in anteriori, quemadmodum enim cerebrum excauatum eſt in anteriori parte, ita etiam eſt in omnibus aliis partibus ſecundum eandem cauitatem. Sunt etiam ventriculi longe maiores, quam appareant in communibus oſtenſionibus, vbi neque etiam eorum quarta pars conſpici ſolet, magnitudo enim ipſorum proportione reſpondet magnitudini totius cerebri, quam eodem modo ſit totum ventriculis prǫditum, quo eſt in anteriori parte.

Quod ſpectat ad formam & figuram. Communis modus adminiſtrandi eam plurimum obtenebrat, & à re ipſa diuerſam repræſentat. Qualis autẽ ſit figura, quæ communiter aſcribitur, ventriculis maioribus cerebri non eſt, vt tibi deſcribam, vtpote qui eandem frequentiſſime videris, ideo ipſa dimiſſa, devenio ad illam, quam ego ſæpius vidi, aliiſque patefeci. Quum itaque figura ventriculorum inſequatur figuram cerebri, iure merito figura cerebri prius venit proponenda. Eſt ergo (vt optime noſti) cerebrum ex vtraq; parte oblongum, & ex parte qua cerebri magnæ portiones ſe mutuo reſpiciũt eſt planum, atque depreſſum, in aliis vero partibus habet ſphæricas prominentias, reſpondentes oſſium concauitatibus. Sunt autem tres cerebri prominentię. Anterior, Media, & Poſterior. Anterior cerebri prominentia replet cauitatem caluariæ formatam ab oſſe frontis, à ſuperiori parte oſſis cerebroſi, ab anteriori parte oſsis ſyncipitis, & à ſuperiori parte oſsis cunealis. Media autem prominentia, quę in inferiori ſede exiſtit, replet cauitatẽ vtrinque excauatam ad latera ſellæ gratia glandis pituitã cerebri depaſcentis in oſſe cuneali exculptæ, quæ cauitas formatur à poſteriori parte oſsis cunealis, ab anteriori parte oſsis auditus ſiue petroſi, nec non ab oſſe temporali. Poſtrema cerebri prominentia replet cauitatẽ productam à ſuperiori parte occipitii à poſteriori oſsis ſyncipitis, & oſsis petroſi. Omnibus igitur iſtis prominentiis correſpõdet ventriculorum cauitas, nam fertur inſignis quidam ſinus recta ab anteriori prominentia cerebri vſq; ad poſtremam, qui ſinus tantum diſtat ab extima ſuperficie cerebri in poſteriori parte, quantum in anteriori parte. Hic ſinus vbi peruenit ad regionem anguli exiſtentis in ſuperiori parte oſsis petroſi intra caluariam reflectitur ad prominentiam mediam, & inferiorem cerebri, eademque ratione in ea prominentia inſculptus eſt, quà in anteriori, & poſtrema dicebam, eſtque vnica cauitas, ita, vt vniuerſum cerebrum ſit veluti inſignis quidam cortex ambiens prædictas cauitates, quod cerebrum in ambitu ventriculorum habet ſubſtãtiam craſsiſsimam præterquam in baſi, ibi enim ſubſtantia cerebri ventriculis obducta eſt, longè tenuior, quam ſit in reliquis partibus.

Quod pertinet ad numerum ventriculorum, ſcis communiorem, magisq; famoſam opinionem eſſe ventriculos cerebri eſſe quatuor, quidam etiam eo perueniunt, vt ſex ventriculos declarent: ſed quanto magis numerus augetur, tanto maior fit à veritate receſſus, proptereaq; ſunt tantum, modo duo ventriculi in cerebro, qui ſuperius fuerunt commemorati, quibus exceptis, nihil eſt cui competat, nomen

ven-

ventriculi, mei ad placitũ, & impropriè loquendo, vt ſi cuidam arrideret appellare ventriculos ſpatia, quę formãtur inter varias inteſtinorũ circumuolutiones extra inteſtina, & quodcunq; ſpatium formatũ inter varia corpora ſe mutuo contangentia. Vt a. hęc veritas conſpicua euadat, dicã quomodo producantur, & qualia ſint illa ſpatia, q̃ vocantur communiter tertius & quartus ventriculus, vnde iudiciũ afferre poteris num ſint ventriculi vocãdi. Tibi igitur cõpertũ eſſe ſcio totũ cerebrũ eſſe in duas partes diuiſum, p̃terquam in inferiori loco, vbi eſt illud corpus quod calloſum vocant, hoc ſane corpus nihil aliud eſſe niſi cerebrũ in ea parte coniunctũ, & vnitum, vbi enim ad eam partem perueniant cerebri partes diuiſæ aliquantulũ flectuntur ad exteriora, deinde albicantes reflectuntur ad mediũ & ſimul vniuntur, quæ vnio habet connexitatẽ quandã proportionatam cõuexitati toti⁹ cerebri in ſuperiori parte: & quãuis dicatur, ea pars cerebri corpus calloſum, & credãt multi eſſe duriorẽ cæteris partibus, tñ mollitie æquat alias cerebri partes, & albicat, quemadmodum albicant internæ partes ventriculorũ. Neq; hęc cerebri copula alba eſt ita exiguę longitudinis, quemadmodũ communiter in oſtenſionib. demõſtratur, quandoquidẽ eius longitudo eſt æqualis longitudine ſuturę ſagittalis, hui⁹ copulę pars inferior fornix appellari ſolet. Hac igitur parte excepta oẽs aliæ cerebri partes ſunt geminæ, & ideo ortus ſpinalis medullæ eſt duplex quemadmodũ cerebrũ, vtraq; n. pars ſuum producit truncum ex ea ſede, in qua (vt dicebã) ventriculi reflectũtur ab anteriori cerebri ꝓminentia ad mediã, q duo trunci, vbi primũ teretes ſunt formati, ſe mutuo cõtangentes aliquantiſper in anteriora ferũtur, deinde in poſteriora verſus foramen occipitii reuertuntur. In primo igitur illo truncorũ contactu quum ſint corpora rotunda faciunt inter ſe ipſa quandã leuem concauitatẽ angularem abſq; quod in ea parte habeãt quidpiã exſculptũ. Huic a. depreſſioni angulari (vt vnde digreſſus ſum reuertar) ſuperſtat baſis cerebri vnita, vnde formatur ibi ſpatium quoddã ex contactu prędictorum corporum, ꝙ vocatur tertius cerebri ventriculus, licet ſit totum extra cerebrũ, & ad id producendũ nulla facta ſit cauitas per ſe, ſed ꝑ accidens, quatenus videl. tria illa corpora ſe mutuo contangunt, & in medio illius contactus ſpatium edunt. Quamobrẽ ego non appellarẽ ventriculum, quum videã eſſe formatũ potius ex neceſſitate quadam, quam ex intento naturę, ꝙ ſi quiſpiam velit omnino vocare ventriculũ, interim memoria teneat, id totũ eſſe, extra cerebrũ, & accidentaliter productũ, in ſuperiori parte a. huius ſpatii in vtroq; latere ſunt duæ rimæ oblongæ, quæ feruntur fermè per dimidiã circumferentiam truncorũ ſpinalis medullæ. Hæ habent ingreſſum ad duos ventriculos magnos cerebri, & ipſis mediantib. ventriculi p̃dicti habent exitũ aduocatũ tertiũ ventriculum, & qua ꝓgreſſus truncorum ſpinalis medullæ ad anteriora pertingit vſq; ad ſellam, vbi eſt infundibulũ, ita etiam dicunt tertium cerebri ventriculum peruenire vſq; ad eam partẽ. Eadem ratione formatur alius ſinus, quẽ vocãt quartum ventriculum inter inferiorẽ partem cerebelli, & ſuperiorem truncorum ſpinalis medullæ, ꝙ ſpatium, (quum ſit & ipſum extra cerebrum, & cerebellum) nõ poteſt propriè appellari ventriculus, nec obſtat id, quod dicunt omnes, nimirũ ſpinalem medullam in eo loco eſſe ad inſtar calamii ſcriptorii excauatũ, propterea ꝙ ſunt trũnci à cerebello naſcentes, qui antequã ex toto vniãtur, cum aliis inferiorib. à cerebro natis ꝑ aliquod ſpatium ſupra eos ꝓgrediuntur aliquantulũ inuicẽ diſtantes, vnde neceſſariò fit illa cauitas, quæ tamen non eſt exculpta in ſpinali medulla, nec per ſe à natura intenta. Perperam igitur illud ſpatiũ ex diſtantia vtriuſq; propaginis cerebelli productum, ventriculis cerebri adnumeratur, & eò magis (vt dicebam de tertio) quoniã eſt totum extra cerebrũ & cerebellum. Foramen a. quod dicunt ingredi quartum ventriculum nihil aliud eſt niſi ſpatium ex cõtactu quatuor ſpinalis medullæ truncum formatũ, in eo videl. loco, vbi trunci à cerebello orti primum ad inferiora flectuntur, & truncis maiorib. à cerebro natis inhęrent. Quæ a. in ea parte principia ſpinalis medullę quaſdã eorum partes exiguas oſtendant, quæ veluti quatuor ꝓminentię orbiculares ex cõmuni adminiſtãdi modo apparẽt, ideo poſuerunt oẽs Anatomici in cerebro nates, & teſtes, reuera tñ ſunt extra cerebrum, quum nates nihil aliud ſint, q̃ portiones apparẽtes radicum ſpinalis medullæ à cerebello ꝓdeuntium, & teſtes exiguę portiones radicum à cerebro ꝓductarum. Redeundo itaq; ad propoſitũ dico eſſe ſolummodo in cerebro duas cauitates q̃ propriè ventriculi appellari poſſint: cuicunq; tamẽ placuerit alia ſpatia ventriculos vocare, ad libitũ vocet, ego nihil curo, ſat mihi eſt cognouiſſe ea extra cerebrũ exiſtere, & nullo modo in cerebro, aut ſpinali medulla inſculptas eſſe alias cauitates, demptis duabus prius cõmemoratis. Firmat a. tota ſpinalis medulla intra caluariam in propria ſede reſpectu cerebri & cerebelli in quadam membrana tenui, lucida atque robuſta, qua mediante anterior pars medullæ annectitur cerebro, & poſterior cerebello, ad quam poſteriorẽ membranã extra ſpinalem medullã deſinit ſpatium, ꝙ quartum ventriculum vocant. Licet a. Mercurialis clariſſime, pręcipuus ſcopus mihi in hoc negotio propoſitus ſit verſari circa ea, quæ ad capitis hiſtoriã ſpectant, dimiſſis interim ſpeculationib. omnibus, tñ non retinebo quid ſentiã de vſu vẽtriculorum cerebri, ſcis enim cõmunem, & celeberrimã opinionẽ eſſe, ventriculos cerebri eſſe locum Spirit⁹ animalis ea ratione, qua ſimiliter ventriculus cordis eſt locus Spiritus vitalis, q̃ opinionẽ infringere ſane non auderem, quum citra temeritatis notã nullus vnquam id efficere poſſet, vnum tñ vſum tanquam p̃cipuum ego tibi cõſiderandum proponam, vbi potius me ipſum per modũ dubitationis, q̃ aſſeuerãter id prodire exiſtimes velim (quamuis non ignorẽ vnius, & eiuſdem partis abſq; errore plures aſſignari poſſe vtilitates.) Ad habendum igitur ventriculorũ vſum cõſiderandum eſt mun⁹ plexuum retiformium vtpote q deferãt ad vẽtriculos eam ſubſtantiã, qui in ipſis tanquã in proprio loco cõtineri debet. Nos igitur plexus ſi accuratè animaduertamus, videntur ex toto glanduloſi ita vt eorũ ſubſtãtia & color prorſus aſſimiletur ſubſtãtię & colori glandis pinealis, vbi v. diligentius tractentur, nihil aliud ſunt niſi mẽbranæ quædam latiuſculæ, & oblongæ, ex altera quarum parte ſecundum totã earum longitudinẽ appenſum eſt vaſculum quoddã craſſiuſculum, humore quodã excrementitio plenum, ꝙ perbelle repręſentat inteſtinũ quoddã ſuo meſenterio adnexum, per illud a. meſenteriũ ferunt vaſa quędã anguſtiſſima, & in hoc toto aggregato glandulę ſunt longè in maiori copia,

ſeruata

ſeruata proportione magnitudinis corporis, quã ſint in meſenterio ventris inferioris, quamobrẽ multo magis naturæ rei cõueniret, ſi plexus glãdulosi, quã retiformes, appellarẽtur. Quodſi dubitet quiſpiam, an eorum ſubſtantia ſit talis, qualis à me fuit deſcripta, ego viſioni ipſum remitto, nulla enim melior extat mihi probandi ratio. Hoc itaque ex ſenſu ſuppoſito accipio ſententiam, *Hipp. in lib. de Gland. text. 2.* vbi proponens vſum vniuerſalem glandularum omnium, inquit, in omnibus corporis partibus hoc præſtare, vt depaſcantur ſuperfluam humiditatem, ipſoque mediantibus totum corpus humido ſuperabundanti exoneretur, cuius ſententiæ veritatem comprobat, ſingularum totius corporis glandularũ inductio. Igitur Hipp. inhærendo hæc corpora, quæ plexus retiformes dicuntur, quum ſint pro maiori parte ex glandulis conſtituta, quid prohibet ſi dicamus depaſci ſuperfluam humiditatem cerebri, & hoc eſſe inter præcipuos eorum vſus adnumerandum? eoq; magis quia in ſingulis cadaueribus quæ diſſerantur reperiuntur tales plexus humido quodam cænoſo inſperſi, ſicuti aliæ glandulæ reperiri ſolent. Si ergo plexu illi depaſcuntur cerebri humidũ ſuperfluum: exiſtantque, vt notum eſt omnibus, in ventriculis, concludendum neceſſario mihi videtur ventriculos eſſe locum prædicti humidi, & propter id præcipue factas fuiſſe ea ratione, qua veſica eſt locus ſeroſitatis ſanguinis, & reliqua cõſimilia. In hãc autem venio ſententiam tum propter id, quod in diſſectione obſeruatur, tum propter ea quæ apud Hipp. leguntur, inquit enim *Hipp. in lib. de hominis ſtructura* in principio, Hominẽ conſtare ex quatuor humoribus & aſſignando proprium locum, cuiuſcunque, inquit, locum ſanguinis, & Spiritus eſſe in corde, flauæ bilis in iecore, atræ bilis in liene, & pituitæ in cerebro. Si locus pituitæ eſt in cerebro, aſſerendum eſt eſſe aliquam cauitatem, quæ aliquid cõtinere poſſit in cerebro exculptam quemadmodum ſunt ventriculi cordis, veſica iecoris, & ſpongioſæ poroſitates lienis. Exceptis vero duobus ventriculis primo commemoratis nulla eſt alia in cerebro cauitas nec magna, nec parua, ergo concludendum omnino videtur (niſi forte Hipp. tanquam mendacem accuſare velimus) ventriculos cerebri eſſe locũ humoris pituitoſi. Mox notum eſt omnibus pituitam diſtillare à cerebro per infundibulum ad palatum, ſi itaque animaduertatur diſpoſitio partium per quas pituita tranſit, cognoſcetur facile eam primum in ventriculis coaceruari, nihil aliud enim in cerebro exiſtit, ad quod infundibulum exitum habeat, niſi vterque ventriculus, vt ex ſupra dictis ſatis ſuperque patet, imo à cauo ventriculorum ad extra nihil eſt peruium exceptis plexibus glanduloſis humidum depaſcentibus, exceptaque via infundibulum petente, prædictumque humidum ad palatum deferente, certo enim ſcio ab inſtrumentis olfactus nullum eſſe aditum ad ventriculos ipſos, & opinionem eorum, qui credunt aerem per nares attractum ingredi ventriculorum cauitates eſſe potius probabilem, quam Anatomicam. Concludo igitur ventriculos cerebri, hunc præcipuum habere vſum, vt ſint receptacula humoris pituitoſi, qui in cerebro gignitur, & per palatum expurgatur. Neq; hoc repugnat ſententiæ communiſſimæ exiſtimãtium eos eſſe locum Spiritus animalis, quum (vt dictum eſt) vnius partis plures vtilitates aſſignari poſsint, niſi forte aduerſus eam difficultatem faceret, quia ab ipſis ventriculis ad alias partes nullus vnquam obſeruatur ductus, niſi ille qui petit infundibulum, neq; rationi conſonum videtur cauitates ita amplas, & inſignes habere extra ſe exitus inſenſibiles, ſed debet inter iſthæc aliqua requiri proportio, vt videmus in aliis partibus, alioquin poſſemus ad libitũ fingere à qualibet parte quemcunque fluentem ductum; ſed eſſe inſenſibilem. Quod autem excrementum pituitoſum magnis indigeat cauitatibus, ratio & experimẽtum ſuadet, quia niſi pituita colligeretur in aliquo ſpatio ſecundum quandam quantitatem, miſerrimã degeremus vitam, nobis enim opus eſſet continenter expuere, quemadmodum continenter mingunt illi infælices in quibus nulla fit vrinę collectio, vnde impeditam haberemus locutionem & alias nobiles neceſſariaſq; operationes, quare videm⁹, per ſingula diſcurrendo, naturam cuilibet excremento propriũ dicaſſe locum in quem recipiatur in quadam conuenienti quãtitate, vnde poſtea breui temporis ſpatio poſsit expelli. Quod ſane in hoc pituitoſo excremẽto omnes quotidie experimur, quãdoquidem dormientes per ſeptem, aut octo horas nihil expuimus, vbi vero primum expergefacti ſimus breui tempore multam ſputi quantitatem expellimus. Quid aliud quæſo dicere poſſumus, niſi prædictum ſputum in aliqua cerebri cauitate prius collectum, atq; per totum id tempus retentum fuiſſe. *Varolus in epiſt. ad Mercurialem.*

Observatio.

Ventriculorum cerebri partem interiorem tenuiſſima membrana veſtiri, cuius beneficio ſentiant.

ETſi corpus cerebri, quoad mẽbranis nudatum eſt, nihil ſentit, ex eo tamẽ inferre nullus debet, ventriculos etiam ſenſus omnis expertes eſſe. Nam interior illorum ſupeficies tenuiſsima membrana veſtita inductave eſt: cuius ratione, ſi quis aliquantulum ſentire eos dicat, non abſurde facere videtur. Etſi vero, in qua parte neruulum ea membrana accipiat, nondum exploratũ habeam, non tamen non huc animus inclinat, vt propter ipſam ſenſum ei aliquem adeſſe credam. Negant Anatomici clariſsimi ventriculorũ parietes membrana tegi, ſcio, ſed nec me cuiuſquã mouet, aut mouere debet authoritas, vt in ſenſibilibus contra ſenſum aliquid pronunciẽ. Secuit nuper (me, D. Sigiſmundo Melanthone, & aliis præſentibus) caput bouis inſignis Anatomicus, Doct. Antonius Franciſcus Pigafetta Vincentinus Palat. Electoris Chirurgus feliciſsimus: in quo adeo dilucide & clare nobis hanc membranam monſtrauit, vt porro dubitare non poſsim. Equidem perſuaſiſsimum habui, haud aliter in homine rem habere, quod hanc rem attinet, quam in boue. Nec me decepit cogitatio. Nam poſt non multos dies, eandem membranulam in recenter mortui pueri capite tam oſtendit manifeſte, vt manifeſtius vix aliud demonſtrari poſſe putem. Vidimus alia inſuper, quæ nonnulli negare auſi ſunt. Hoc dicere volui non temere damnari debere affirmãtes cerebri vẽtriculos ſenſu prædictos. *Eraſtus parte 4 Diſp. aduerſus Paracelſum.*

Observatio.

De origine ſpinalis medullæ ſententia noua, verior.

COmmunis ſententia de exortu ſpinalis medullæ eſt, eã naſci ex infima baſi cerebri, vbi nempe cere-

cerebrum ſupra oſſa decumbit,atque ipſa contangit prope orificium capitis præbens ipſi medullæ aditũ ad ſpinam; pro rei veritate tamen naſcitur multo ſuperius, & etiam anterius, ita, vt ex vna parte ſui ortus reſpiciat cauitatem ventriculorum, ex alia parte vero tam cerebri ſedem, quæ eſt fermè media inter infimam baſin,& ſupremam illius partem, eouſque enim ſuis propriis fibris prædita, & à maſſa cerebri ſeiuncta ita aperte aſcendere videtur vt ſola inſpectiorem hanc patefaciat, & nullus veritatem nõ cognoſcat. Circa hunc primum autem exortum extra ventriculos feruntur nerui optici, & reflexi,in poſteriori partę verſus medium tandem deſinunt in eam ſpinalis medullæ partem, quæ ex cauitatibus cerebri naſcitur. Cæterum mihi videor quædam de cerebelli proceſſibus obſeruaſſe,quæ (ni fallor) ſunt illius momenti, ſed ipſis mediantibus ſperandum ſit aliquando nos cognitionem habituros eſſe veri vſus cerebelli, atque cauſarum diuerſitatis ſenſuum. Nõ loquor de proceſſibus, qui neruiformes dicuntur, ſunt enim partes cerebelli, nec per ipſos cerebellum aliquam habet coniunctionẽ cum reliquis partibus; ſed loquor de illis, qui à cerebello naſcentes, quibuſdam aliis membris ipſum connectunt.

Quod igitur ad prædictos proceſſus pertinet, video iuniores Anatomicos plurimũ *à Galeno* diſcrepantes,ipſe enim & *in* 8.*de vſu partium cap*. 13. & alibi etiam aſſerit omnes neruos ſpinali medullæ attributas à cerebello naſci,ità, vt ſecundum ipſum ſpinalis medulla à cerebello pendeat. Increpant autem alii Galenum, audacter affirmantes nullum prorſus à cerebello naſci neruum. Ego vero cognoui ſententiam Galeni eſſe ſecundum quid verum,ſententiam autem eorum, qui Galeno repugnant eſſe ſimpliciter falſam,quandoquidem ſpinalis medulla eſt conflata ex quatuor veluti radicibus magnis,quarũ duę, quę ſunt maiores,naſcuntur vtrinq; ex duabus cerebri partibus in regione ſuperius dicta, ex quib. duobus truncis nondum ad cerebellum peruentis naſcuntur duo prima neruorum paria ad oculos delatorum. Vbi vero iſti duo magni trunci perueniunt ad cerebellum, tunc admittunt duos cerebelli magnos,ſed breues truncos, qui ex inferiori parte cerebelli vtriuſq; lateres naſcentes (vbi aliquantulum in poſteriora progreſſi ſunt) iungũtur proceſſibus maiorib. cerebri,quare ex quatuor magnis truncis fiũt duo, qui deinde conſtituunt, integram ſpinalẽ medullam.Ergo ſecundum quid verum eſt,omnes neruos ſpinalis medullæ oriri ex cerebello vbi Galenus ſimpliciter dicebat. *Conſtant. Varolius in epiſtola ad Hier. Mercurialem.*

Spinalis medulla,ꝙ primam originem non ex infima,ſed potius ex media cerebri parte, vt ipſe inueniſti,ducat, naturæ prouidentiæ valde conſentaneũ puto. Nam ſi peripſam,tanquam per communem& amplum aquę ductum in alios riuulos, & ab iis in vniuerſum corpus erant ſpiritus,qui in cerebri medio perficiũtur,deriuandi, quomodo poterat natura felicius obtinere,q̃ ſi illius principium in cerebri centro, & prope ſpirituum officinam, vt inde hauriret abunde ipſos collocaſſet? Sic arterias ex cordis, venas ex iecoris ferè medio oriri conſpicimus. *Mercurialis in epiſtola ad Varolium.*

Obſervatio.

De proceſſibus à cerebello prodeuntibus.

Vnum aliud obſeruo cerebelli inſignem proceſſum,cuius notitiam quemadmodum apud neminẽ aliũ adnotaui, ità exiſtimo eſſe maximo pondere dignam,ſicut eius hiſtoria patefaciet. Naſcitur ergo vtrinq; ex cerebello ꝓpe truncos modo deſcriptos proceſſus quidã,qui per trãſuerſum in anteriora, inferioraq; fertur, quo proceſſu mediante cerebellum amplexatur ſpinalem medullam in anteriori parte eo modo,quo muſculi illi laryngis lati & tranſuerſales tertiũ par muſculorũ communium cõſtituentes amplexãtur principium gulæ in poſteriori parte. Huius tranſuerſalis cerebelli proceſſus,ſedem obſeruare poteſt quilibet intra caluariam prope foramen ſpinalis medullæ in anteriori parte, eſt enim ibi quędam notabilis depreſſio tranſuerſalis,quę locum huic proceſſui cedit. Ex hoc cerebelli proceſſu naſcuntur nerui auditus, ita, vt nullo modo naſcantur à cerebro.

Quamobrem neruorum quidam naſcuntur à cerebro tantum,& non à cerebello,quales ſunt optici, quidã à cerebello tantum, & non à cerebro, quales ſunt nerui auditorii, quidam demũ ab vtroq; ſimul ſicut ſunt nerui ſpinæ. Nullus a. neruus naſcitur immediate ex aliquo duorum principiorũ. Sed omnes ex ſuis naſcũtur principiis, vel mediante ſpinali medulla, vel mediante proceſſu tranſuerſali prædicto: ecce. Num cerebellum habeat in capite noſtro vſum ita leuem,atq; obſcurum quemadmodum iuniores autumant, hactenus n. habemus eſſe primum principium ſenſus auditus. Vtrum mihi liceat rebus inuentis imponere nomen? Ego certe quum videã ſub hoc proceſſu tranſuerſali ſpinalẽ medullam ferri eo modo, quo canalicul⁹ quidã fluẽs ſub aliquo ponte fertur,clarioris doctrinę gratię appellarem pontem cerebelli, & iam diu ita appellare conſueui ſumpta denominatione ab eo,ꝙ proceſſus iſte ſecundum ſimilitudinem quandam repręſentare videtur. Perperam igitur recentiores aduerſus Galenũ dicunt,nullum prorſus neruum à cerebello originem ducere: quum ab ipſo naſcatur fermè dimidium ſpinalis medullæ & pons cerebelli,à quo naſcuntur nerui auditus, & ſuſpicor etiã quoſdam alios naſci neruos; ſed nondum potui omnia exacte aſſequi, obſeruabo quamprimum dabitur occaſio diſtinctam originem ſingulorum neruorum intra caluariã,& de omnibus q̃ cognouero ſtatim teipſum, vt debeo, certiorẽ reddam. *Conſtant. Varolius in epiſtola ad Mercurialem.*

DE CAPITIS DOLORE.

MERIDIANVS CAPITIS DOLOR.

Obſervatio.

Capitis doloris ſpecies rara, ægrum circa ſolis exortum dolore ad nares vſq; premens, circa meridiẽ vehementior, veſperi vero euaneſcens.

Civis noſter Ioannes Baptiſta Modœtienſis, ſingulo die, ſolo exoriente, dolore capitis ſupra nares corripiebatur, inde creſcebat dolor, donec ſol meridiem attigiſſet: vbi decederet, minuebatur, ſic vt ſub veſperam ceſſaret. Quid hoc? niſi quod ſol aſcendẽs vapores ſurſum in corpore trahit, quib. cerebri mẽbranæ vexantur. Trahit autẽ quia lentus eſt humor ac frigidus, qui non remittit niſi vi ſolis. Vt vero à calore non videtur; nam poſt meridiem magis cre-

ſceret: calor enim à meridie magis accenditur, magis quam ad meridiem: æſtatis exemplo, quæ à ſolſtitio initium ducit, non ante illud. *Cardanus lib. 8. cap. 44. de varietat.*

Quæſtor curię Rhetorum, vir boni coloris, carnoſus, robuſtus, ante annos 12. ſenſit principium hemicranię ſeu claui, modo ſupra hunc, modo ſupra alterum oculum: dolore intollerabili (ex phlegmate nimirum, πολυπότης enim) die tantum, ita vt mane inciperet dolor cum ſole oriente, deinde augeretur vſque ad meridiem, & tandem paulatim vſq; ad occaſum imminueretur, idq; quotidie per aliquot ſeptimanas. Secare iuſſi venas ſub lingua, præſcripſi oxymeli meum, & purgationes fortes. Pationes amaræ ei profuerunt ex centaurio min. prodeſſet & abſinthatum. *Ex Geſneri obſ. propriis Caſp. VVolphius.*

Observatio.

Admirabilis capitis dolor, ægrum quotidie circa meridiem inuadens, & ad furorem vſq; fatigans, veſperi remittens.

IVuenem quendam nobilem aliquando vidi, qui quotidie ad meridiem dolorem maximum ſentiebat, adeo vt fureret. Statim vero & vrina aquæ non diſſimilis mingebatur, vt late pateret, bilem omnem caput magno impetu petiiſſe. Ad veſperam rurſus vrina bile infecta mingebatur, & dolor ceſſabat, qui etiam purgata bile & roborato capite, prorſus affectione liber euaſit. *Ioach. Comm. ad 9. lib. Raſis. cap. 4.*

DOLOR CAPITIS EX LVNAE PERIODIS.

Observatio.

Hemicrania admiranda, certis lunæ periodis ægrum ad triennium vſq; diuexans.

HEmicranicum dolorem vt plurimum per circuitus exacerbari monet Altomaris & hoc idē experientia ipſa teſtatur. Quod autem hi circuitus habeant aliquando certas periodos, nec ab autore expreſſum habemus, nec omnibus hoc notum eſt. Cum vero à me caſus hemicranici doloris, qui ſtatis horis & diebus regrediebatur, viſus ſit, dignus eſt, vt à me recenſeatur. Curaui ego Religioſum virum, & Diui Dominici fratrum conſortio iunctum, qui per tres annos continuos, & menſes ſeptem, paſſus eſt hemicraniam in parte capitis dextera vna cum ingenti & acuto dolore circa temporalem muſculum, quæ vnoquoque octauo die Lunæ dicato, ſemper eadem fermè hora inuadebat: exacerbatio ad viginti octo, aut ad triginta horas, ad ſummum perſeuerabat, quo tempore nec lumen aſpicere, nec ſtrepitum audire, ſine manifeſta læſione, nec etiam cibum aſſumere, aut guſtare poterat, hoc tempore elapſo, ſaniſſimus erat, omniaq; munia, tam naturalia, quam animalia, feliciter obibat. Hunc caſum non tantum notare volui tanquam rarum hemicranici doloris exemplar, ſed etiam, vt hinc coniiciant Medici, an poſſit dari octaua febris, quæ conſimiles circuitus, & periodos vnoquoque octauo habeat die. De hac enim licet *Hipp. lib. primo Epide. ſect. 3. tex. 2.* alia febriū genera recenſens, non meminerit, videaturq; Galenus, cum Diocle in hoc concordans, eius eſſe ſententiæ, vt nullus alius, vltra quintanum, detur circuitus; tamen ex præcedenti narrato caſu poſſumus arguere, dare circuitum febrilem octauum; quoniam quæ maior poteſt eſſe cauſa huius octaui circuitus in hemicrania, quam quæ poſſit eſſe in febre? Sed vltra hoc argumentum experientia hoc idem mihi bis teſtata eſt dari certo octauum circuitum, & octauam febrem; alteram enim vidi in nobili Equite non vltra vigeſimum quintum annum agente; alteram autem in muliere quinquagenaria. *Saltus cap. 12. Annotat. ad Altom. pract.*

DOLOR CAPITIS SVTVRAS AFFICIENS.

Observatio.

Ex cephalalgia Cranij ſuturas nonnunquam ſeparari.

SEparationem ſuturarum ego ſemel obſeruaui in fronte cuiuſdam puellæ, cui vnius lateris os alterius ſuperabat latitudinem, poſt diutinam in infantia cephalalgiam. *Ioubertus. cap. 9. de cap. affect.*

DOLOR CAPITIS EX LAPIDIBVS CEREBRI.

Observatio.

Calculus in cerebro natus, forma & magnitudine mori, intolerabilem & pertinacem capitis dolorem, & tandem etiam mortem inferens: tum de aliis in capite genitis & repertis lapidibus.

VIr clariſsimus Ioannes Pfeil, artium & Medicinæ Doctor, in Academia Lipſenſi quondā Profeſſor, affinis & pręceptor meus clariſsimus, ſæpe inter prælegendum publice nobis auditoribus narrare ſolebat, ſe curationem ſuſcepiſſe hominis miſeri atque inopis, vbi primum Lipſiam rediiſſet ex Italia: vbi per plures annos egregiam medicinæ operā nauarat, & maioris diuitisq; noſocomii Florentini cōductus mercede medicus fuerat, vir magna authoritate & plurimo rerum vſu: nam & à philoſophia, arte medica, atq; Aſtrologorum ſcientia præclarè inſtructus, & Latine atq; Gręce inſigniter doctus erat: is igitur curam ſe geſsiſſe ægri cuiuſdam affirmabat, qui diuturno atque intolerabili capitis dolore adeo fuiſſet excruciatus, vt dies noctesq; nullam prorſus quietis caperet partem. Interrogatus autem ipſe, aut qui ei tum adminiſtrabant, quid ſibi præcipue doleret? Capitis continuo cruciatu ſe confici aiebat, quē ſibi mori eſu contraxiſſet. Nulli operæ tum parcens Medicus, omnes adhibuit machinas, nihil intentatum reliquit, imo vero & ſuis ipſe ſumptibus medicinam pauperi ægroto cōparauit, vt quoquo modo poſſet, languenti opem auxiliumq; ferret, ſibiq; ampliſsimam inde mercedem quęreret, gloriam. Sed in tam dubio & deſperato caſu omnem operam ludos fecit, nulla quæ ſanaret medicina, tanto malo reperta fuit, æger perpetuis doloribus iiſque acerbiſsimis ſuperatus, vitam morte commutauit. Hic prædictus Doctor Ioannes Pfeil homo induſtrius & fidelis medicus, cum arderet deſiderio cognoſcendæ cauſæ tanti cruciatus, quo facilius & rectius opitulari aliis ſimili in caſu poſſet, à defuncti cognatis præcatio impetrat, vt diſſecare ſibi caput mortui liceret, erat enim inter cętera dona, quibus clarebat, etiam Anatomes egregiè peritus. Quod cum feciſſet, in capitis aperti cerebro lapidem reperit, magnitudine & forma mori, colore autē quaſi pullo aut cinereo; quem deinceps pro ſingulari miraculo multis oſtendit.

Diſci-

Diſcipuli & auditores huius viri inter cæteros fuerunt præcipui illi & præſtantes viri D. Vdalricus Srendlerius PhyſicusLabachenſis.D.Ioañes Spremhergius Phyſicus Medicus Vratiſlauienſis. D. Matthias Cornax, Cæſareæ Maieſtatis Medicus Viennæ. D. Wolffgangus Meurerus,philoſophiæ & medicinæ Profeſſor in Academia Lipſenſi, vir pietate & doctrina ſingulari & artis medicæ periti ſſimus, tum temporis omnes artium & philoſophiæ magiſtri. Non multo poſt idem D. Ioannes Pfeil, Lipſia,in aulam accitus fuit à Duce Saxonico Mauritio, cuius corporis curam egit, donecanno 1544. Lipſiæ calculi dolotibus confectus è vita diſceſſit. *Kentmannus libell. de Calculis.*

Eſt in cerebro apud nos paruus inuentus lapis, illi non abſimilis, quem Dreſdenſis Medicus Ioannes Kentmannus inter Geſneri monumenta deſcripſit. *Gemma lib. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

Viſus eſt aliquando in ſcholis noſtris diſſecto publicè cadauere & repertus intra cerebrum calculus ſolidior. *Leonardus Botallus,regius medicus* (de nobis æque ac de re medica optime meritus) idem ſe vidiſſe teſtatur: & in ipſo cerebro quatuor lapides à ſe repertos annotat, *in tract. de catharrho. Lubertus in Apolog. pro Paradox. 7. Dec. 2. Tom. 2.*

In cadauere reperimus oſſicula quatuor inter vtramque cerebri partem, dextram videlicet & ſiniſtram recta ſub ſagittali commiſſura poſita, & ſub torculari (quod limon à Græcis dicitur) ſepto ipſo affixa adnataque: horum autem maius erat longitudinis craſſitudiniſque faſeoli: alia verò paulò minora: minimum autem ſublongioris lentis ſpeciem repræſentabat. Dura erant, atq; duriſſima cranei pars, intusque ſpongioſa inſtar oſſis lambdoide. *Botallus in Append. lib. de Medico, Aegroto & Catarrho.*

Lapides in capite,cranio & cerebro naſci præterea atteſtantur, *Braſauolus Comment. ad aphoriſm. 79. lib. 4. Hippocr. Thomas à Veiga, referente Andr. Laucunà Comment. ad cap. 5. lib. 4. de loc. affect. Galeni. Hollerius in append. lib. propr. Obſeruat. 5. Scholiographi ad cap. 48. lib. 1. Hollerij de morb. internis. item Scholiographus anonymus in annotat. marginal. ad lib. 1. de loc. affect. Gal. in 16. Lugduni excuſi, anno 49.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria lapidis intra cranium geniti & per nares validò anniſu expulſi, vnde multorum annorum Cephalalgia ſublata.

CVm obiter euoluendo tuo libello incidiſſem in caput de lapidibus intra craneum generatis (quod veterum pauci eius generationis meminerint) dicam quæ mihi anno 57. Caſſouiæ in Pannonia ſuperiore, teſte concionatore Caſtrenſi, in mercatore Hungaro, viſa ſunt: laborauerat is multis antea annis hemicranico quodam dolore grauatiuo, idque magis parte anteriore capitis circa frontem, multis diu attentatis remediis. Tandem cum validiore niſu mucum è naribus emunctutus eſſet, extraxit lapidem ad vnguis humani digiti maioris latitudinem, & pollicis craſſitiem, inſtar lapidis, qui in capitibus carpionis piſcis reperitur, & coloris eiuſdem. Sed ea duritie, quâ cuiuſuis cutelli acutiſſimi aciem elideret: quem tamen ab initio aliquid lentoris ac mollitiei habuiſſe, compertum eſt. Hic caſus celebribus aliquot medicis Italiæ à me expoſitus, omnino obſeruatione dignus, tanquam rariſſimus, viſus eſt. *Ex Obſeruat. Ioann. Culmanni, ad me miſſis.*

DOLOR CAPITIS EX VERMIBVS ALIISQ; animalculis in cerebro genitis.

OBSERVATIO.

Capitis dolor, ſecundum Indorum medicorum ſententiam, ex vermibus in cerebro natis, excitari ſolitus.

DIxit Schare, aliquando accidit Soda ex vermibus generatis in capite, & cognoſcitur ex corroſione, quoniam ſentit patiens in capite de odore fœtido, qui eſt in eo, & augetur dolor, cum mouetur caput, & cura erit prouocare ſternutationem, & inſtillare naribus interficientia vermes. *Raſis cap. 10. lib. 1. Continentis litera. ll.*

Quidam Medici Indi dixerunt, quod quandoq; eſt cauſa in Soda, vermes generati in partibus capitis, motu ſuo lædentes, tentione ſua & corroſione. Et quidam remouerunt hoc; ſed non eſt neceſſarium vt remoueatur. Nam vermes multoties naſcuntur in anteriore capite, & ſuper locum qui eſt in ſtrictura narium, & poſſibile eſt vt naſcantur apud velamina, etſi raro contingat. *Auicenna. Fen. 1. tract. 2. c. 3. lib. 3. Canonis.*

Quibuſdam vermes generantur in cerebo. Id ratum eſſe ſcripſit Auicenna: quod tamen memoria noſtra viſum eſt. *Hollerius libr. primo de morb. intern. cap. 1.*

Auicenna addit (aliis dolorum capitis cauſis) ex relatu Indorum Medicorum, vermes in capite genitos, motu ſuo lædentes. Quod rarum quidem eſſe fatetur, non tamen impoſſibile, cum multoties naſcantur in anteriore capite ſuper locum ſtricturæ narium: vbi oues & capræ dicuntur perpetuo vermes habere, vt ceruiin gutture. Itaq; poſſibile eſt, inquit, vt naſcantur apud velamina. 1. cerebri tunicas, &c. *Ioubertus. cap. 9. De capitis affectibus.*

Naſcuntur vermes in prora cerebri, vt ſcribit *de Solo, ſuper Viatico. Hier. Montuus. cap. 19. tom. 4. Anaſ. morb.*

Vermes in cerebro viſuntur frequentes, & in naribus, dentibus, &c. *Thom. à Veiga. Comment. ad cap. 5. lib. 4. de loc. affect. Galeni.*

Memini me alias docuiſſe, vt dicit Ariſtot. Albertus, & alii, Vermes fieri in Cerebro, & vaſis ſpermaticis. *Mercurialis de morb. Muliebr. lib. 4. cap. 12.*

In cerebro, omnibuſq; locis vbi generari putredo poteſt, vermes generari poſſunt: & memini me ex auribus cuidam vermes ſumpſiſſe. *Montanus Conſilio 39. Editionis vltimæ Baſilienſis.*

OBSERVATIO.

In immenſo capitis dolore eorum, qui febre peſtilenti, theriode, & Vngarica nonnullis dicta laborarunt, vermes in cerebro deprehenſi.

EX corporibus eorū (qui febre Vngarica, theriode mortui ſunt) vermes nonnunquam conferſim prorepſiſſe animaduerſi ſunt. Id quod experimento didici, cum nemo ſubeſſe ſuſpicaretur. Nonnulli craſſi quidem, ſed non ita longi per aures pro-

diiſſe viſi ſunt, quales etiamnum in peſte obſeruaui. Vnde euincitur eoſdem facile in ſæuiſſimis capitis doloribus, ex praua venenataq; eluuie, quæ in cerebri ventriculis aliquibus coacetuatur, naſci poſſe. Fidem faciunt Anatomici nonnulli, qui inibi conſpectos deprehenſosq; teſtantur. Quæ cauſa etiam fuit, cur vulgus circa initia huius luis febrem hanc, cerebri vermem multis in locis nominarit. *Conradinus. cap.10. Febris miſcellaneæ Vngaricæ theriodis.*

Medici tum præclariſſimi, tum fide digni mihi ſignificarunt, non vnum vermem, ſed aliquot in hominis lenticulis extincti vel oppreſſi cerebro inuentos qui num in cerebri ſubſtantia num in duræ matris ſinubus latuerint, non ſat ſcio. Porro affirmarũt ſeſe in cerebro ceruino vermiculorum, inſtar ſeminum cucurbitę latorum, qui in aqua mortui, in vino viui ſunt, cumulum vidiſſe. Similes & ego Monſpeſſuli, cum in diebus canicularibus cum eruditiſſimo clariſſimoq; Medico, nunc in Schola Monſpelienſi Medicinæ Profeſſore excellentiſſimo Iouberto ad prædium ſuburbanum D. Rondeletii ſpatiatum ieram, in caua vena ouis deprehendi vermes. *Coiter. in append. Obſeru. Anatom. & Chirurg.*

Observatio.

In grauiſſima, peſtilentis & epidemici hemitritæi cephalalgia, cimicum, vermiculorum, & putrilaginis indicibilis copia poſt ſectionem in cerebro animaduerſa.

QVandam fuiſſe matronam memorãt in ciuitate prope Moſam, vt à fide digno accepimus, cui poſt capitis vehementiſſimos & diuturnos maxime cruciatus (peſtilentis Hemitritæi) diſſecta caluaria magnam putredinis vim oſtenderit circa ſubſtantiã cerebri & inter menynges, tum vermiculorum, tum cimicum copiam incredibilem. *Gemma in append. operis Coſm. de Hemitritæo peſtilenti.*

Observatio.

Epidemicorum & pernecinorum Capitis dolorum, ex cerebri vermibus, hiſtoria aliæ.

BEniuentis cum multi ignoto morbo è vita decederent, tandem Medici hoc morbo interemtum inciderunt: & in huius cerebro inuenerunt vermem rubeum breuẽ, quem cum multis medicamẽtis vermes occidendi vim habentibus occidere non poſſent, tandem fruſta raphani inciſa in vino maluatico ebulliebant, quo vermis occidebatur. Atque hoc eodem remedio deinde ſimili morbo quaſi epidemico affectos, omnes curabant. Hæc *in Cornelij Roterodamenſis Medici (libro)* inueni: qui apud Giſtertum Horſtium in Noſocomio Mariæ Conſolationis Romæ ſeptem annis ægris vt Medicus aſſiſtens, inſeruiebat, qui paulo ante, me, cum Romæ apud Giſbertum agerem, ab vrbe in patriam diſceſſerat. *Foreſtus Scholio ad Obſeruat. 2. lib. 9.*

Anno 1571. in Marca Anconitana in oppido Alburgo. S. Sepulchro, graſſabatur morbus atrociſſimus quidam velut Epidemicus, niſi quod clandeſtinæ, & veluti inaduertentia homines inuaderat, paulatim vertigine affligens: verùm in ſecunda vel tertia aut quarta à decubitu die ſtatim iugulans; & caput ſolum tentans. Cuius cauſas & eſſentiam omnes illius loci & Medici & Philoſophi planè (vt fatebantur) ignorabant, nec proinde ei occurrere & reſiſtere poterant, morbo enim incognito, ignoratur etiam & illud quo profligari debet remedium: Nullique ſiquidem rei vires experientia commode explorabis, niſi prius per rationem ad vnguem compertum habueris affectum cui applicatur id quod exploras. Cæterum longo poſt tempore. Nobilis q-dam viginti duos annos natus, vltra rem Callicratis diues, huius mali primo ſuſpitione, mox & reipſa affectus & maxime conturbatus, multis in patria & pͣſeruatiuis & curatiuis adhibitis fruſtra remediis, meliores vndiq; auxiliatrices manus quærens. Venetias tandem 18. Nouembris nauigauit, atq; excellentiſſimos mox ad ſe vocari curauit medicos, inter quos fuit præcipuus, Clariſſimus & Excellentiſſimus Dominus Nicolaus S. Michel alias Comaſcus dictus, patronus meus humaniſſimus, conſultationem de agendis habentes, firmiter multiſq; rationib. comprobauit aliquid in cerebro eſſe viuens, fieri n. haud poterat vt atrociſſimis huiuſmodi doloribus periodice ita afficeretur, quemadmodũ afficiebatur. Nam illæſa ratiocinatione, intellectu, memoria, & omnibus internis ſenſibus, ita pro tempore cruciabatur, vt ſibi craniũ totumq; cerebrũ terebello perforari videretur, mox per vniuerſum cerebrum extenſiones, contractiones, multaſq; cõmotiones, cum maximis concuſſionib. & tremoribus, frequenter & in omni paroxiſmo percipiebat. Ob id multa interna & externa etiam admota, ſed fruſtra, fuere remedia: Nam tertio, ab aduẽtu & eius Venetias ingreſſu, die, circa vigeſimam primam horam, magna cum aſſiſtentiũ admiratione, hac miſera functus eſt vita. Quo demortuo, ego qui vocatus & conſtitutus illi ſemper affueram aſſidens, & à Clariſſimis Medicis Ordinata executioni mãdans, maximo internarũ partium inſpiciendarum flagrans deſiderio, diligentem & ſedulam, cum apud fratrẽ maxime conturbatũ, tum apud Clariſsimos medicos, operã dedi, vt caput ſolũ diſſecarem & diuiderem, quo mortis cauſa eo meli⁹ nobis innoteſceret, & aliis in ſimili caſu, facilius ſubueniri poſſet. At ꝙ meis precibus licet multis apud defuncti fratrem obtinere non potui, id authoritatẽ Clariſſimorum Medicorum & defuncti ipſius affinium conſenſu & voluntate ſequenti die cõſecutus ſum. Vnde Deo ꝓpitio & auxiliante, hora nona matutina vigeſimi primi diei Nouembris, proſtrato & appoſito aſſeri, ſyndone munda ornatê, vt decet, corpore potiſsimum cõmode diſpoſito, trunco ceruici & occipitio ſubiecta, nouacula in capite ad os vſq; orbicularem per frontis mediũ molitus cum ſectionẽ, & cute aliquomodo remota, caluariã ipſam orbiculatim, ſecundum illam primam ſectionẽ ſerra diuiſi, atq; ſectione per caluariam facta, fortis cultri dorſum tranſverſim adeoq;, & illo modice ſurſum deorſumq; acta, dictam ſectionem ampliorem feci, quod idem in occipitio temporibuſq; repetij, & ſic ſuperiorem caluariæ partem à dura matre liberaui, quam loco conuenienti perforaui, ſtiloq; in foramẽ indito, orbiculariter circumquaq; ad latera ſectionẽ perfeci, & ad piam matrẽ deueni quam partim cultello, partem vnguibus diuulſi, atq; deinde ſenſim à cerebro ipſiusq; anfractib. eam digitis detraxi, ſicq; membranulis cerebrum denudaui ſuis, quibus extractis illico concidit & quodammodo diffluxit moxque ex dextro anfractu prorupit atque apparuit caput cuiuſdam lumbrici, qui ſtatim aere per-

percepto frigidiore,ſeſe in cerebri anfractus recipit. Vnde vtrinq; magnam cerebri portionem quo cautius potui abſtuli, ne id quod ſuſpicabamur fore detrimentum pateretur. Tandem apertis dextro & ſiniſtro cerebri ventriculis maxime confuſis,dilatatis, & ad capitis baſim conſpicuis, repertus eſt lūbricus totus rubeus,indice digitum longior,acutum os,oblongum & nigrum atque pilolum collum habens, multis modis ſeſe in illis anfractibus conuoluens, & ad capitis baſim fere pertingens, qui obtuſiori forſicula exceptus & mūdo papyro appoſitus,paulo poſt obiit: qui noſtro patienti etiam mortem intulit. At non eſt mirandum ſi lumbrici & vermes in cerebro reperiātur. *Cum Galenus 4.de ſimpl.med. facul. cap.* 20. non longe ab initio dixerit, vermes in humidioribus corporibus naſci. Atq; cerebrum omnium eſt humidiſſimum,vt probat *Galenus libro de occult. part.2.ca.2. & alibi paſſim. Georg.Carner. de Obſ. propriis.*

Inter ſolida corpora animata, Lumbricorum genera referimus, ſed & abſceſſibus aliarum partium, inq; ipſo adeo cerebro naſci aliquando ex putredine magna phlegmatis. *Peucerus de Præſig. medicorum pag.*310.

Observatio.

Capitis doloribus affecti quadam: tandem vermibus per nares reiectis,liberati ſunt.

SOlet interdum acutus & peſtifer dolor in capite excitari,quem Græci κεφάλαλγίαν vocant, ſed talem,quo caligent oculi, alienetur mens, citētur vomitus,ſupprimatur vox, frigeſcat corpus, & ipſa deniq; deficiat anima; rarum eſt videre. Nam & nos amicum habuimus Philippum nomine, qui cum his omnibus ageretur malis, & aduentante die ſeptimo mors ipſa,nullis conferentibus auxiliis, iam iam adeſſe videretur, tandem robuſtioris naturæ vermem ex dextra nare palmo longiorem eiecit:quo propulſo,omnis ſtatim cum eo amotus eſt languor. *Beniuenius,cap.*100. *de Abditis.*

Vermem vehementis doloris capitis cauſam, in cerebro natum fuiſſe ſatis apparuit. Naſci vero & illic quandoq; vermem Auicenna etiam ſcribit,& Iacob. Hollerius noſtra ætate viſum affirmat. Idem & Italo ſcorpium ex frequenti Ocymi odoratu natum refert. *Dodonæus Annotat.ad idem cap.*

Nos ab annis decem iuuenculam nouimus, quæ reiecto per nares verme mille pedi non abſimili à diuturno capitis dolore reſtituta eſt *Ronſſeus Epiſtolâ* 10. *Miſcellan.*

Observatio.

Diuturnus,pertinaciſſimus, atq; adeo lethalis capitis dolor,ex ſcorpione in cerebro genito, natus.

CVidam Italo ex frequenti odoratu baſilicæ herbæ natus Scorpio in cerebro, vehemētes dolores & longos,mortem deniq; attulit. *Hollerius lib.1.de morb. intern. cap.* 1.

DOLOR CAPITIS EX CRANII LAMInæ internæ particulis.

Observatio.

Graui pondere in caput ſuſcepto geſtatoq́, interna diploidis dua particula, à reliquo craneo diffracta; duodecennalem Cephalalgiam concitarunt: quæ tandem natura vi & ſternutatione per nares eiecta,eandem ſuſtulerunt.

QVod ſcribo ipſe his oculis vidi, & in manibus meis palpaui, alias vix habiturus fidem. Nuringæ, quod eſt huius Ducatus ad Nicrum oppidū, non inelegans viuit, niſi nuper admodum obierit, mulier ſeptuagenaria maior, proceræ ſtaturæ, & quantum vel ex reliquis colligere licet habitu in iuuentute optimo prædita. Ea circiter ætatis annum 30. vel paulo ante, dolore capitis immenſo laborare cæpit. Cui curando, cum Noricus mercator prædiues (huic enim tum temporis ſeruiebat) nihil non tentaſſet, adhibitis in cōſilium Doctiſſimis eius vrbis medicis:nihil tamen omnino profecit,neq; purgantibus medicamentis,neq; venæ ſectionibus, nec ſcarificatione,nec aliis diuerſionibus: nihil profuerunt,nec Thermæ, nec repetitus decoctorū guaiaci & ſarſæ pariglię vſus, ita vt ſæuo hoc dolore per 12. annos continuos affligeretur. Tandem die quadam è lecto ſurrectura,maritum (nam interim nupſerat, ſperans vel hoc modo futurū, vt à tam moleſto dolore liberaretur) vt opem ferret inclamabat,cum extrema ſibi imminere metueret, & animo quaſi linqueretur. Hæc dum fiunt, ſternutare cæpit, vnde emunxit oſſis ex interiore cranii lamina particulam, vnguis humani prope magnitudine, altera parte leuem,qua nimitum cerebro incubuerat, altera poroſam, vt quæ recipiendo cranii nutrimento, & quaſi medullis deſtinata eſſet: quo minus dubitari poſſet, vnde, vel quâ ex parte, delatum eſſet os illud. Excluſo hoc oſſe, dolor manifeſtè remiſit, non tamen ex toto deſiit, donec poſt tertium menſem alterum eiuſdem propemodum formę,ſed aliquanto minus, excluderetur. Hæc ego oſſa, non ſine admiratione vidi, ſeptimo ab anno,eandem mulierem, febre laborantem, curaturus. Cum vero ſeparationis huius oſſium cauſam inueſtigarem,& nunquid in caput aliquando præceps decidiſſet,an vero vel ictu,vel caſu incidentis grauioris alicuius læſa fuiſſet, quærerē: nihil ſibi horum accidiſſe affirmauit. Verum cum corpore eſſet robuſto, ſæpiſſime hoc à ſe factū affirmabat:vt quantum robuſti duo viri eleuare pondus poſſent,in caput receptum geſtaret, quaſi ſine moleſtia. Vnde ego factum exiſtimaui, vt cranii laminis,interior frangeretur,exteriori illæſa:quæ deinde à reliquo cranii corpore diſiunctæ partes poſt longum ita tempus excernerentur. *Ex obſeruat. Oſualdi Gabelchoferi,mihi communicatis.*

Vidi quendam ex naribus emungere oſſicula ex craneo in fronte deciſa. *Valleſius comment. ad Epidem. lib.* 6. *ſect.* 5. *num.*2.

Observatio.

Implacabilis capitis dolor, ab interna cranii laminæ corroſione,natus: ægrum tandem ſuſtulit.

IVuenis quidam Florentinus cum peraliquot annos graui ac perpetuo capitis dolore laboraſſet; pro eoque arcenſo varia Medicorum auxilia fruſtra expertus eſſet, tandem moritur, quem Medici per tam diuturnæ cephaleæ inueſtigandæ cauſa diſſecantes; interiorem cranii tabulam ſemicarioſam tanti capitis doloris cauſam extitiſſe inuenerunt. Ex Italia à *Petr. Sphererio*, ſine expreſſo nomine communicatum.

E 3 DOLO-

DOLORIS CAPITIS CVRATIO.

OBSERVATIO.

Medicus quinquagenarius ſibi venam ſecuit, ob vehementem capitis dolorem.

MEdicus quidam quinquagenarius, cum iam ſeptimam noctem ægrotaret, nec viribus admodum valentibus eſſet, dolore illis capitis vehementi in dextro potiſſimum tempore oborto, non expectans, dum amicorum quiſpiam ad ſe veniret, ſibi ipſi nocte venam incidit. Itaque dolor illi protinus conquieuit: cæterum longo tempore tum decolor, tum viribus imbecillis, tum exilis manſit, alique corpus eius deſit (Atrophiam Græci vocant) ſic, vt vix priſtinum habitum receperit. *Galenus lib. 12. cap. 1. method. medend.*

OBSERVATIO.

Capite per inaduertentiam alliſo, & hæmorrhagia inde prouocata, à deſperata cephalalgia liberatus.

NOui per imperitiam, in diuturno dolore, offenſo capite, ſanguinemq; fundente, ab omni poſtea moleſtia liberatum fuiſſe. *Bernhard. Deſſennius Cronenburg. Defenſione Veteris Medicinæ, aduerſus Paracelſiſtas cap. 7.*

OBSERVATIO.

Arteriæ ſectio, vtiliter adhibita, in dolore capitis diuturno.

CLariſſimus Medicus Bononienſis, Antonius Maria Betus, ſenex venerandus, præceptor olim meus: in antiquis doloribus capitis, & vertigine, frequenter arterias circa aures incidit: attamen prius diligenter inquirens, num materia excitans dolorem, per arterias carotides, & venas, caput peteret, nec ne: quod deprehendit ex diſtentione & motu earundem. Fit autem hæc inciſio ferro ignito, vel potentiali cauſtico, quod iſti Medico ſemper optimè ſucceſſit: præſertim in Polono quodam, qui diuturno dolore capitis afficiebatur, cui primum in vno latere fuit ſecta: cumque poſtea dolor rediret, idem tentatum in altera parte: & ſic integer per Dei gratiam conualuit. *De Obſeruat. Ioach. Camerarij.*

OBSERVATIO.

Arteriotomia in crotapho hemicraniam, incurabilem alias ſtatim ſuſtulit.

DE arteriotomia illa, quæ meo conſilio feliciter ſucceſſit, non vacat nunc ſcribere. Summa eſt: Chirurgus hic laborans immani hemicranico dolore, meo conſilio arteriam, in crotapho affecto (vbi arteria inflata apparebat) per tranſuerſum amputauit, & ſubito conualuit, & hactenus multis iam annis non redijt dolor: cum prius anno interpoſito redijſſet. Mira eſt hiſtoria, adeſt & D. Thaddæus Dunus. *Geſnerus lib. 5. Epiſtolar. Medicinal. pag. 96.*

OBSERVATIO.

Arteriotomia, qua ſupra tres libræ ſanguinis eductæ, quibus æger à diuturna capitis Hemicrania leuatus eſt.

TIgurinum chirurgum, Felicem nomine, noui, virum audacē, qui cum diutiſſime implacabili capitis dolore, ſiniſtra parte laboraſſet, doloris impatiens, ſecta in eodem latere temporis arteria, ſanguinis pulcherrimi, inſtar dilutæ nonnihil purpuræ, ſeptuaginta tot emiſit ſine noxa. Pondus autem hoc libras tres æquat: imo ſuperat. Nam tot vnum pluſquam ſemuncia eſt. Sanguinem iſtum librauimus Clariſſimus Conradus Geſnerus, & ego, tum ab illo vocati, vt aliquid conſilii daremus. Arteriam enim non ſine temeritate, nobis nō expectatis, nec id ſuadentibus, phlebotomo, ſiue ſcalpello ſecuerat, ſuadebamus autem nos ἀρτηρειοτομίαν funiculis iniectis arteriæ partibus ex tranſuerſo ſectis. Dolebat vero plurimum, quod ſanguinem miro impetu per ſaltus proſilientem non vidiſſemus, illo nobis magnam hanc voluptatem quaſi inuidente. Dolore liberatus ex eo, non fuit: proinde aliud ſimili audacia vel temeritate tentauit: (conſilio noſtro cognatum) arteriam venamq; eodem loco totas trāſuerſas ſemicirculi figura ſecuit vſq; ad os ſubiectum, poſtridie, ſi dolor non remiſiſſet, circularem ſectionem integrā facturus, (alterius tamen chirurgi manu hæc omnia facta, illo iubente, & monſtrante, intelligas) & quicquid intra circuli huius circumferentiam eſſet ablaturus, temporis oſſe nudo relicto. At circulum complere, neceſſe non fuit, cum priori illa ſectione omni dolore ſe liberatum profiteretur. Perſuaſerat quippe ſibi vaſis vtriſq; penitus reſectis, morbi cauſas omnes prorſus abolitum iri, nec eum ſpes ſua fruſtrauit. Occurrit iam mihi quod *Cornelius Celſus lib. 3. c. 9.* ſcite admodum & elegāter ſcribit: Ferè, inquit, quos ratio non reſtituit, temeritas adiuuat. Quod ſanè in morbis longis, & contumacibus, & deploratis, non raro euenire videmus. Ac ſunt qui quartanam ſola temeritate curari egregiè putent. *Thaddæus Dunus Miſcellaneor. cap. 12.*

OBSERVATIO.

Hemicrania deſperata, arteriotomia ſublata.

DOloris cauſa à ſanguine feruido, tenui, & vaporoſo, quæ nullis remediis vinci potuerit, ab arteriotomia in temporibus celebrata, pernéceſſariū, perutile & promptum habebit remediū, ſiue ab internis, ſeu ab externis vaſis malū exiſtat. Hinc enim ſemper materiæ coniunctæ, ſanguinis & ſpirituum ſequitur euacuatio. Id ego expertus ſum in permultis, ſed præcipuè in principe à Rupe Surionēſi. Huic atroci hemicrania diuexato, dominus Capellanus Regius, & Caſtellanus Reginæ primarius Medicus: denique Ludouicus Duretus medicinam faciebant, nec tamen phlebotomia, cucurbitulis, balneis, frictionibus diæta, vllove remedii genere ſeu aſſumpto, ſeu admoto quidquam opis adferebant. Vocatus ego dixi vnicam ſalutis ſpem reſtare, ſi ipſi arteria in tēporib. phlebotomo diuideretur, qua parte dolor ſæuiret. Mihi n. veriſimile fieri, doloris eius cauſam non venis, ſed arteriis concludi: quo in caſu nullū arteriotomia pſtantius eſſe remediū veterib. proditū fuiſſe, cuius ego in me ipſo magno meo bono, periculum feciſſem. Meū iſtud Medici cum probaſſent conſilium, ad opus è veſtigio me accingo, arteriamq; in tempore dolente ſeligo, quæ & tumentior eſſet, & vehementius cęteris pulſaret. Hanc ego vnica inciſione quemadmodum in phlebotomia fieri ſolet, aperio, ſanguiniſq; magno cum impetu & ſaltu proſilientis, pluſquam duo vaſcula elicio: quieuit ſtatim dolor, neq; vnquam relapſum habuit. Plurimis tamen ſuſpecta eſt arteriotomia, quod prorumpentem inde ſanguinem ſiſtere, quod cicatricem obducere ſit operoſum, propter arterię denſitatem, duritatem, & pulſationis pernicitatem: quod denique cicatrix obducta aneuriſmatis periculum inferat. Itaque ſatius eſſe putant, cutem primo diuidere,

deinde

deinde à circumſtantibus omnibus particulis diuel-lere, inde vtrinq; arteriam vincire, denique diuide-re, quemadmodum in varicibus faciendum monui-mus. Sed hæc opinio eſt hominũ omnia tuta timen-tium: ego enim multiplici, experientia didici non eſſe periculoſam arteriæ, quæ ſcalpello fit, quemad-modum in phlebotomia fieri ſolet, apertionem: cõ-ſolidationem vero paulo quidem vena tardiorem eſſe, tãdem tamen fieri. Sanguinis vero fluxum nul-lum vnquam ſuperuenire modo deligatio apte fa-cta ſit, hæreatque totum quatriduum, appoſitis vt decet plagulis. *Pareus lib.16.cap.4.*

OBSERVATIO.

Dolor capitis cum tuſsi & difficultate ſpirandi.

QVæ contigerunt in Io. Paulo Negrolo, merca-tore non vulgaris nominis, tempus eſt vt com-memorem: tanta enim fuit res, vt pleriq; obſtupue-rint, omnibus vero maledicis perpetuum ſilentium ſit impoſitum. Pertranſibo autem breuiſſime rem o-mnibus notam, vt poſteri etiã ſciant. Laborabat igi-tur hic capitis dolore grauiſſimo, cũ tuſſi & difficul-tate ſpirandi iam biennio: & vt erat liberalis admo-dum, & ingenui animi, tres medicos primos ciuita-tis abſque dubio, aduocauerat: cumq; illi curando nihil profeciſſent, in eam opinionem (vt audio, idq; etiam ab vno eorum accepi) deuenerunt, vt eſſet phthiſicus, & omnino inſanabilis. Spe igitur omni deſtitutus, ad me venit, rogat vt opem afferam, fuit dies illa Iouis: iubeo vt ſequenti mane operiatur in lecto: eo ad illum: omnibus bene penſitatis pronun-cio illum ſanandum, facturumque vt die ſequenti Mercurii intelligat ſe poſſe ſanari. Deſcribo igitur quædam in rem facientia. ſequente die admonet eum pharmacopola Caſtellinus, vt deſiſtat, tam calida enim eſſe medicamenta quæ ſcripſi, vt ſi eis v-tatur vitæ periculum ſubeat. Quo conſilio id egerit, tibi æſtimandum relinquo. Die dominico, cum diu ſortem ſuam languens defleuiſſet, decreuiſſetq; ab-ſtinere his auxiliis, nec amplius fidere conſilio meo: admoneor ab Ambroſio Serono, quem poſtea ex hæmoptoi curaui. Accedo ad ęgrum, poſt multa im-petro vt pharmacopola vocetur, aduenit, interrogo quænam ſint illa medicamenta calida? tandem, vt breui rem peragam, fatetur ſe ignorare ſingula me-dicamenta cuius naturæ ſint: hocq; pertinere potius ad me, quod etiam verum erat. Itaq; conuictus pro-pria confeſſione, accerſitur alius pharmacopola, quid plura? die Mercurii accedo ad illum, lætum in-uenio. Proh ſuperi, inquit, vera pollicitus es, quo-modo tam celebres medicos tã diu latere hic mor-bus potuit? tum ego. Non latuiſſe puto, inquam, ſed quiſq; iudicio ſuo vtitur in medẽdo. Hinc fit vt ego in te fortunatior ſim, alius in alio. Vt vero rem pau-cis peragam, intra viginti duos dies perfecte ſanatus eſt. Quæris modum? idem ferme, quo Iuara ſanatus eſt. Purgaui illum catapotiis Galeni, ad catarrhum, quinto methodi: inde ligni Indici decocto, cum co-locynthide & aromatibus: detraxiq; prandium, ſo-lum panem bellariaq; concedens. *Cardanus de curat. & prædict. admirandis curat.28.*

OBSERVATIO.

Capitis dolor annis viginti ſeptem continuis diue-xans, alleuiatus.

DOlorem capitis annorum viginti ſeptẽ, in Fran-ciſco de Puteis, ſacerdote D. Nazarii, mitigaui: cum alii non potuiſſent: plurimum valuit à pingui-bus omnibus & validis ab Hippocrate nutrimentis vocatis, abſtinuiſſe. *Idem, curatione 22. eiuſdem o-peris.*

OBSERVATIO.

Frigidæ vſu quidam ab Hemicrania, qua 40. annos affligebatur, curatus.

OBſeruaui quendam, cum 40. annos laboraſſet hemicrania, fruſtra aliis adhibitis remediis, cõ-ſilio medici frigida ſæpius lauiſſe frontem, atque in-de perſanatum, niſi quod materia deriuata in œſo-phagum, & illic cõcreſcens, prohibebat deglutitio-nem. Quia tamen cerebrum frigidum eſt & mem-brum princeps, à frigidiſſimis metuendum, aut cum ſummo iudicio vtendum. Cæterum topica, quæ re-pellunt, tepida admouentur, vbi materia frigidior & crudior: frigida, vbi materia calida & bilioſa. *Scholiograph. ad c.1. lib.1. Hollerii de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Capitis dolor ſedatus, ventriculo cerato impoſito.

VIdi ſedatum contumacem capitis dolorem ex cerato ventriculo impoſito. *Cardanus artis parua libro proprio, pag.111.*

OBSERVATIO.

Intolerabilis & aſsiduus capitis dolor, omnem medicamen-torum vim eludens, vt ferro & igne euin-cendus.

IN intolerabili cruciatu capitis, qui & aſſiduus ſit, nec aliis cedat remediis, ferro & igne vtendum eſt. Fruſtra enim pharmaca, cucurbitulæ, topica, &c. cõ-perta ſunt, quia hectica quædam capitis intemperi-es atque infirmitas adeſt. Et cõſtat quidem permul-tos melius habuiſſe in eiuſmodi malis, & epilepſia, mania, melancholia, hemicrania, terebellis vel cy-cliſcis aperto capite, vel iniuſto. Sed ignis toto capi-te periculõſus. Inuenta ergo melior ratio. Locus in brachio medius inter axillarem ferro aperitur. Vul-nus continetur ne coeat, vt hac perpetuo excurrat materia, atque hic melius, quam exteriore brachio: quia minus opportunus locus eſt occurrentibus ex-ternis, minuſque viſui patet. Sed interim capiti prius & vniuerſo corpori conſulendũ, vtputa ſint, vt pau-latim reducantur ad naturam. Odioſum enim fue-rit, ſi perpetuo locus defluat. Eodem modo in coxa-riis & aliis contumacibus malis, ferro & igne vten-dum eſt. *Hollerius libello proprio. Obſeruat.1.*

DE EBRIETATE.

OBSERVATIO.

Grauida eſu nucum aliquot Moſchatarum ebrietatem & delirium incurrit: & de aliis nonnullis raris ebrietatem facientibus.

MEmini generoſam Anglam, grauidam, eſu 10. aut 12. nucum myriſticarum, ebriam deliraſſe. Oleum preſſu dant, neruorum morbis vtiliſſimum. *Lobelius in obſeruationib. ſtirpium. pag.570.*

Lignum aloes Indum infuſum in vino, ebrieta-tem cito inducit, ſine nocumento.

Ambarum vino infuſum temulentos efficit. *Ma-thiolus lib. cap.20.*

OBSERVATIO.

Puer vino antiquo liberaliter potato, vigiliis correptus, & febri cum delirio perijt.

GRammaticus quidam ſingulis diebus balneum petens, vnum ex pueris ſecum ducebat, altero domi relicto, qui rem familiarem ſeruaret, atq; ea, quæ ad victum eſſent neceſſaria, præpararet. Puer itaque domum cuſtodiens, quum vehemēti ſiti cruciaretur, nec eſſet ei aquæ copia, vinum antiquū liberaliter potauit, atque ex reliquo tempore vigil omnino permanſit. Poſtea correptus febre, vna cum vigiliis oborto delirio periit. *Galen. de loc.aff.notitia. cap.3.pag.*111.

OBSERVATIO.
Ex Ebrietate conuulſi, & ſubito mortui.

PEtrus ille Iacobus Delfius, vir admodum craſſus, qui ad partem vrbis orientalem habitabat, anno 1563. cum in Haghenſi dedicatione (in qua more ſolito Bacchus colitur) vino repletus potuq; obrutus, curru ab Hagha Delfos veheretur, in ſinu fratris etiā ebrioſi decumbens, ſupraq; dorſum iacens ſterteret, ita vt cæteri omnes vna in curru exiſtentes ac ebrii ipſum profundo dormire putabant, licet ad interrogata non reſpōderet, nec motu illi citatiore expergiſceretur. Vehebatur autē celeriori curſu, laxis equorū habenis ab auriga, cuiuſmodi homines tunc plerunq; etiam ebrii ſunt, & ſicut mutus ad domum perueniens, & ad eā vix allatus, in ſtertore permāſit, ac ſubito conuulſus periit, anteq̄ ego & Cornelius Heydius, collega meus acciti, ad eūdem perueniſſemus; quem mortuum deprehendimus. Vino igitur repletus ſtertore ſuffocatus eſt, quanquam crediderim vectionem illā celerem, ad mortē iuuiſſe ſubitaneam, cum ita dorſo incumbens iactaretur.

Idem euenit cuidam Aurigæ Alcmariano, Ioanni Brant, qui cū ebrius eſſet, & currum (ab Alckmaria Harlemum proficiſcens) regere non poſſet, eundem ſic ebrium in partem currus poſteriorem abiecerūt, & alius currū rexit. Verū cū Harlemum appuliſſent, aurigam ſupra dorſum iacentē mortuū inuenerunt; quem tamem antea ſtertentem audiuerunt. Si vero preſentes vtrumq; neglectim non habuiſſent, & in latus volutaſſent, forte vterq; in vomitū incidiſſent, nec ita ſubito extincti fuiſſent. Prior autem antequā in curru ſuffocaretur, aluum reddiderat, ſe ignorante ac ſeipſum confœdauerat: vtrumq; ex violentia mortis præoccupantis, hæſito.

Interim memini, quendam Simonem Barbrandū, quoq; Alcmarianum, qui mercaturæ cauſa frequēter Coloniā proficiſcebatur, à potu cōuulſum periiſſe. Hic autem cum in Pago nō procul ab Alckmaria vrbe, patria mea, egregie potitaſſet, ac in ſcapha vino oppletus, porcorum more ſtertens, in dorſo iacens, domum veheretur, nauclerus etiam ebrius exiſtens eum dormire ratus eſt. Verum cū Alchmariam appuliſſet, vt ex ſcapha exiret, & nauclerus eum alloqueretur, & diu dormiētem (vt exiſtimabat) arriperet, hominem præter exſpectationem mortuum inuenit. *Foreſtus. Schol. ad obſeruat.* 27. *lib.* 9.

OBSERVATIO.
Ametiſta rariora.

ARiſt. *lib. de Temulentia*, Quas ollulas, inquit, rhodiacas nominant, & voluptatis gratia afferūtur; ex calfacto vino bibentes, minus vt inebrientur afficiunt. Etenim Myrrha, odorato iunco, & aliis eiuſmodi coniectis in vinū, coquuntur, ideoq; vinū affuſum minus inebriat. *Idē in eiuſdē lib.* alia parte ſcribit: Rhodiacas ollulas fieri, myrrha, odorati iunci flore, croco, balſamo, cinamomo, amomo, cum argilla ſimul coctis, qua de cauſa vinum affuſum & potū, tā valenter arcet ebrietatem, vt etiam cocto diſcuſſoq; vaporoſo ſpiritu venerē extinguat. *Athenæus lib. Deupnoſophiſt. lib.* 11. *pag.* 346. *edit Dalechampii.*

Plutarchus (*in ſympoſ. quæſt.* 6. *lib.* 1.) Chæroneus ſcribit, apud Druſum Tiberii Cæſaris filium, medicum quendam alios omnes qui bibendo vinceret, antequam potaret quinq; vel ſex amaras amygdalas edentem fuiſſe deprehenſum, & cum id facere prohibuiſſent, ne tantillum quidem ad compotationem valuiſſe perferendam. Eius ſane rei cauſa amaritudinis vis exſiccans, & humorem diſcutiens. *Idem lib.* 2. *Deupnoſoph. pag.* 41.

Produntur nonnulla, naturæ peritioribus, quæ abſtruſa vi, & cœca proprietate, mortalibus vim odium gignunt & efficiunt, ne ipſius cupiditate moueantur, ſed auerſentur & fugiant. Sunt & alia quæ admiranda facultate pollent, cauentque ne etiam liberaliter hauſtum quicquam offendat. Quædam vero non occulta ſed manifeſta qualitate temulentiam abarcent, aut ne validius hominem corripiat, obſiſtunt.

Ex primo genere illud eſt, quod Iarcas Indus *apud Philoſtratum* narrat: Vino, ait, abſtinendum eſt pueris veſtris, vt ne ipſum quidem concupiſcant. Si qui igitur poſthac naſcentur filii, obſeruare oportet, vbi noctua nidum faciat, & illius oua mediocriter elixata, infanti comedenda præbere. Vinum oderit, & modeſtius deget:

Clitorio etiam *quicunq; ſitim de fonte leuarit,*
Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius vndis.

Hoc ferunt Melampodem clariſſim. Medicum conſonaſſe Proeti filias, & ad ſobrietatem temperantiamque reuocaſſe.

Democritus ſanie dixit vini deſideria aboleri, quæ putatis vicibus emanans, inſcio temulento potui fuerit adiecta.

Ex ſecundo genere Braſſica perhibetur; de hac nouum extat Catonis teſtimonium: Si voles, inquit, in conuiuio multum bibere, cœnareque libenter, ante cœnam eſto crudam, quantum voles ex aceto, & vbi cœnaueris, comeſto alia quinque folia, reddent te quaſi nihil ederis, biberiſque, bibeſq; quantum voles. Quis queſo nō rideat tam facetum commentum? Alii efficacem contendunt, ſi elixa comedatur.

Sunt qui ſyrupum conficiunt, ebrietatem tardātem, iuxta *Auicen. ſen.* 3. primi, ex vna parte ſucci caulium alborum & vna parte ſucci granator. acrium, & media parte Aceti, ſumitur ℥.j. *vt Iaſon Zirizæus refert*, ante claſſicum poculare. Vide *Theophraſtum.* Antrocides hac medela contra vinum, confecta ex Braſſica videlicet, temulentiam poſſe ꝓpulſari confirmauit: quippe cum vitis etiam viua odorem Braſſicæ fugiat.

Hori præterea Aſſiriorum Regis inuentum dicitur, ſi Hirundinis roſtri cinis, cū myrrha, vino (quod bibitur) inſpergatur, ſecuritatem præſtat.

Acini hederacei ſuccum croci habētes, cum præſumuntur, tutos ſeruant.

Eſt in Syria Oleum quod Elæomeli vocatur, ex ipſis oleis manans, ſapore melleo, ex quo in potoriam palæſtram deſcenſuri cyathum præbibunt. De

Croco & de oleo ad tertium genus laſon refert, in quo etiam ſupputantur pinguia, oleoſa, & quæ in ſuperno ventriculi oſtiolo ſupernatantia, veluti ſepimenta impediunt, ne halitus noxii vndatim ferantur in cerebrum.

Ariſtotel. vlt. problem. tom. 3. Cur, inquit, Oleum ad arcendam vinolentiam valet, ſorptumq; præſtat facultatem bibendi? An quod vrinam ciere poteſt, & vino hauſto viam facit? Capparis præterea, & lentes & olea, abſinthium, pecudum pulmones aſſi, panis biſcoctus, halec ſalitum: in ſumma quicquid alligat, reprimit, reſtinguit, afficcat, abſumit triſtia efferueſcentis meri eiaculamenta, mirifice conducit.

Allium quoque, *teſte Hippocr.* maxime ſuccurrit, vbi quis vel potationi vel ebrietati indulgere propoſuerit.

Præ cunctis vero ſaluberrimum in fuga conſilium exiſtit, vt huiuſmodi potus ſapientes vitemus, qui nimium ingeſti, hominem dementant, & cerebrum, principem illam corporis partem in qua luxuriatur anima, & præcipuas ſuas, maximeque diuinas functiones exercet, turpiter labefactant. *Foreſtus lib. 9. ſchol. obſ.* 28.

OBSERVATIO.

Vini odium inducentia.

DE ranarum vi, ad inducendum vini faſtidium, ex literis amici cuiuſdam viri boni & noti, ad amicum, qui eas literas Germanice ſcriptas mihi communicauit: Filio ebrioſo, & ſæpius ex ebrietate variis periculis expoſito, dum conſulere cogito, ab honeſtis viris remedium hoc accepi: ranam viridem (aiunt) ex iis quæ in fontibus ſalientibus reperiuntur, viuam in vini menſura (duarum lib. forte) ſuffocatam, eam in vino vim relinquere, vt qui vel hauſtum vnum inde bibiſſet, per omnem deinceps vitam abſtemius degeret. Ego ſolicitus & metuens ne quid aliud etiam inde detrimenti ſequeretur, cum filio (recens etiam ex ebrietate periclitato) inſtitutum meum confero, acquieſcenti propino vinum (in quo tamen paluſtris rana, cum circa fontium ſcaturigines nulla reperiretur, ſuffocata fuerat) duobus hauſtibus, vno veſperi, altero mane. Volui autem ipſe prægustare vinum, & experiri ſaporem, os tantum colluendo, ita vt nihil inde glutirem: qui licet non diſpliceret, poſtea ad duos fere menſes vinum faſtidiui. Vxor eius, quæ odorem tantum vinarii valis illius olfecerat. ab eo tempore hactenus (neſcio quantum temporis) vinum non bibit, etſi enim interim experiundi gratia non ſemel guſtauerit, inde tamen ſtomachi dolore non mediocri percepto, abſtinet. vterum quidem non fert, ne quis eam ob cauſam vinum ei faſtidio eſſe ſuſpicetur. At in filio faſtidium hoc non vltra quatuordecim dies durauit: citius tamen à vini potatu caput ei nunc tentatur. Experiemur alias idem remedium cum rana viuidi è fonte ſaliente: Hæc ille, quibus ea, quæ apud veteres legimus, ad inferendum vini tædium, medicamenta hic adſcribam: Vinum in quo Anguilla ſuffocata ſit, (alii in quo anguillæ duæ necati ſint) potui exhibitum (addunt aliqui, vel modice) vini tædium (vel odium) parit. Plinius, & alii quidam veteres, Rubellio (piſcis marinus) in vino putrefactus, iis qui inde biberint tædium vini affert. Item mullus in vino necatus, & vna marina in vino putrefacta. Vinum aiunt tædio venire his qui ex Clitorio lacu biberint. *Idem Geſnerus libro quarto aquat. pagina* 953. *hiſtor. animal.*

OBSERVATIO.

Modus tutior ebrietatis noxas corrigendi.

EBRIETAS quo apud noſtros homines frequentior eſt, eo minori cura eius noxas depellere vulgus ſtudet. Itaque operæpretium fecero, ſi illorum valetudini inſeruiens, qui potius ſtudio aliis gratificandi, quam voluntate propria adducti, interdum temperantiæ fines exceſſerint, crapulæ diſcutiēdæ, & eius noxas corrigendi viam tutiorem oſtendere. Illud igitur primum in ea re erit, quod largiorem vini vſum minus noxium reddit, vt antequam cubitum eatur, primo & alui & veſicæ excrementa eiiciantur: vomitus etiam (ſiquidem facile id fieri poſſit) excitetur: & per motum aliquem moderatum cibi potuſque deſcenſus à ſuperiori ventriculi parte, ad inferiorem promoueatur: ructus etiam excludantur: & ventris flatus inferius expellantur: tum hauriatur parum aquæ frigidæ ſimplicis, vel eum ſaccharo roſaceo miſtæ & ori parum de eodem ſaccharo inſertum, in eodem à dormiente retineatur. Poſtea ſomno maiori ex parte peracto, ſurgatur: & denuo excrementa, tum alui, tum veſicæ, egerantur: ſputum promoueatur: repetanturque vomitiones, (ſiquidem illæ faciliter excitentur.) His peractis, ſomno ſe rurſum dedant crapula grauati, & eum deinceps ſentient ſuauiorem & minus grauem. Quod ſi poſt ſecundum ſomnum denuo ſurrexerint, & neceſſariis euacuationibus operam dederint, non ſolum minus moleſte heſternam crapulam ferent, ſed & tuti erunt ab illis noxis, quæ & capiti & membris extremis à crapula impendere ſolitæ ſunt, præſertim ſi tertio ſomno leui indulſerint. Sin vero neglectis his cautionibus ſomno indulſerint, continuo crapuloſi & nullis vacuationibus intercedentibus vſi fuerint, tum caput euaporationibus noxiis replebitur, & membra ſuperfluitates ad artritidem diſponentes facile recipient. Id quod etiam tum fiet, ſi interrupto ſomno ſufficienti crapuloſi ſtatim ſe vigiliis, & exercitiis dederint, ſtudentes ſolis exercitiis crapulam diſcutere, cum ea nondum facta per ſomnum neceſſarium digeſtione, minus commoda eſſe ipſa experientia & ratio confirment. *Oethæus lib. obſ. propriarum.*

DE VERTIGINE.

OBSERVATIO.

Occipitii contactu leuiſſimo vertigine prouocabatur.

IN quodam, cui ab occipitio vertigo exoriebatur, pars in eo minima dolebat, quæ ſi vel blandiſſime attingeretur, concitatus humor vaporem in ſenſus omnes expirabat, quo protinus offuſi tenebantur. *Fernelius lib. 5. cap. 3. Patholog.*

OBSER-

Observatio.

In capite cuiuſdam vertiginoſi, & caro affecti, arteriæ cartilaginoſæ, humore profluente, viſæ ſunt.

IN capite cuiuſdam Mercatoris, qui aliquot annis vertigine laborauit, & tandem caro periit, obſeruauimus ipſas arterias cartilaginoſas cum copioſiſſimo humore aquoſo hàc & illac emanāte, cum caput aperirem, præſente Cl. V. D. Platero, Collega meo honorando. *G. Bauhinus Anat. cap. alt. de ſimilaribus, cap. 1.*

Observatio.

Noua de cauſis vertiginis ſententia.

DE cauſis vertiginis quid ſentiam breuiter aperio. Et quamuis me nouam opinionem cōſcripturum profiteor, hanc tamen veriſſimam eſſe arbitror: ſi non placuerit, ſit communi opinioni adhærere. Vertigo eſt, qua omnia in gyrum videntur moueri. proxima huius cauſa eſt ſpirituum inordinatus motus in anterioribus cerebri ventriculis: quoniam igitur hi circumaguntur, omnia pariter ſic videntur moueri: quia rerum ſpecies repræſentatæ, communi ſenſitorio recipiuntur per modum recipientis: hæc ſane formalis ratio eſt ſymptomatis huius. Modus inquirendus, quidnam in ipſis ſpiritibus faciat circularem hunc modum, duplex cauſa, interior vna; exterior altera. Interior eſt permiſtio alicuius ſubſtātiæ quæ ſpiritus agitantur. Sunt qui dicunt viſcidos, & craſſos humores permiſceri. Ego ſane haud crediderim hos efficere vertiginem: quia cum ſint parum proportionati cum ſpiritibus cerebri, virtus illorum conſeruationi maxime intenta violenter ac ſubito moueretur vt eoſdem expelleret, hæc ipſa expulſio fit ventriculis contractis, ex quo motu procreatur epilepſia. In vertigine motus nullus ventriculorum adeſt. Multo rectius dicemus, ſi vapores miſceri ſtatuerimus, qui cum illis familiaritatem habent. Fiunt enim ſpiritus ex vaporibus. Si quando igitur contingit hoſce permiſceri vapores, ſpiritus mouentur circulariter. Exemplo tibi ſit aqua: in qua ſi proiiciatur quippiam, etiam leuiſſimum, ſtatim illam in gyrum mouebit, quid putabis in ſpiritibus contingere? qui ſane tenuiores aqua, naturam ſcilicet aeream repręſentantes. Hi vapores aliquādo ex toto cerebro, aut ex determinata illius parte, capitis parte per eſſentiam læſo proficiſcuntur, determinatam illius partē dixi, quia in quodam obſeruatum eſt, ab occipitio vertiginem deduxiſſe originem: pars in eo minima dolebat, quæ ſi vel blandiſſime attingeretur, cōcitatus humor vaporem in ſenſus omnes expirabat, quo prorſus effuſi tenebantur. In capite morbum per eſſentiam conſiſtere denotant eius partis dolor aut grauitas auriũ, tinnitus, olfactus, vel auditus oblæſus. Aliquando hic vapor ex humore deducitur, qui in ventriculo, præcordiis, aliiſue partibus naturalib. continentur. hunc ſignificat nauſea, inappetentia, oris amaritudo, cordis eroſio, (cardiomos dicta) via per quam in cerebri ventriculos irrepit hic tenuis & calidus vapor, ſunt arteriæ, per quas dũtaxat in ventriculos afferri poteſt, nam in plexu choroide ſpiritus & humores exagitans, ac varie impellens, turbulentos ſenſus motuſq; reddit. Hic vapor ſoboles eſt intemperiei vel ſuperiorum, vel inferiorum partiũ: Quamobrem hoc ſymtoma cum interna eſt cauſa, morbum ſequitur in intemperie iis intercedētibus, quorum eſt facta mentio. Si vero cauſa fuerit externa, vt contuſio, tunc fit vertigo citra intemperiem: ſed à ventriculorum conniuentia: quæ tamē niſi habeat aliunde originem & fomitem, breui euaneſcit: poſſunt enim humores obſtruere ventriculos. hic fiet comitialis morbus. Poteſt etiam ob eandem contuſionē introduci temporis tractu intemperies, quæ iugiter vitiatos vapores procreans vertiginem facit. Et hęc mea eſt opinio, quicquid in hac re alii dixerint. *Horat. Augenius. epiſt. 4. lib. 10.*

Observatio.

Pleraſque vertigines ex ſanguinis & ſpirituum perturbatione proficiſci.

VErtiginum ſpecies variæ exiſtunt, quarum pleræque ex ſanguinis redundantia, & ſpirituum inordinato motu proficiſcuntur. Hę vero his depręhenduntur ſignis, ꝙ poſt equitationem, vel vectationem diuturnam, vel alias motiones corporis concitatiores, veluti gyros quoſdam ſpirituum ſentiant ægri, etiam ceſſantibus antecedentibus motionibus ac iidem etiam interdum in prima ſomni acceſſione apparent, maxime in illis in quibus contemplationis diligentis intentio anteceſſerit. His itaq; præſentibus, ſiquidem alia etiam plethoræ ſigna adſint, vena ſecanda, & ſpirituum ſedationis incumbendum eſt. *Oethæus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Vertigo, admiranda & ingenti purulentæ materia per dentium alueolos & os excretione leuata.

MErcator quidam primarius Grudentinus, vir quinquagenarius, aliquandiu vertigine conflictatus, cum malum ingraueſcere ſentiret, ita vt tandem in publicum prodire vereretur, opem meā efflagitauit, ſibi vt contra tam graue ſymtoma, & à quo aliud grauius ac periculoſius metuendum eſſet, conſulerem rogans: Ego ex conuenientibus rebus, longum vt vocant, decoctum, idque purgans conficicuraui, cuius vſum ei imperaui ad hebdomadas duas vel circiter, ſimulque conueniens Electuarium alleuans & roborans conceſſi, à cuius vſu tantum fructus percepit, vt & multo leuius & rarius eo ſymtomate infeſtaretur: & longe ſe melius habere fateretur. Ideoque in Vere & Autumno per annos fere tres eadem pene medicamenta repetiit, dicens, admodum augeri malum illud, & peſſime ſe habere, ſi diutius à medicamentis abſtineret. Tandem aliquando ſub initium veris, cum cepiſſet priſtina adhibere auxilia, excitata natura, tantam excretionem malignæ admodum materiæ in capite aceruatæ vna vice molita eſt, vt res admiratione non careat. Aſſidens enim menſæ cum amicis, à ſumto prandio ſubito defluxum quendam à capite per vtraque tempora percipere, & quiddam animi deliquio ſimile ſibi impēdere queritur. Vix dum homo in vicinum lectulum collocatur, ecce, copia ſpurciſſimæ & purulentæ materiæ cum impetu ex ore eius profluit, per dentium alueos viam ſibi faciens, quibuſdam dentibus è locis ſuis prorſus eiectis atque eliſis, reliquiſque pene omnibus vno eodemque impetu adeo labefactatis, vt omnes fere vacillarēt, nec non altera ex inferioribus maxillis quodammodo diffringeretur, vt fruſtillatim quædam eius particulæ per

gingi-

gingiuarum continuitatem ſolutam à cheirurgo eximerentur. Copia vero prorumpentis humoris, vel potius prorumpentium ſordium, tanta fuit, vt impleret peluim capientem libras tres & plus eo: Fœtor vero tantus, vt nemo adſtantium ferre illum poſſet, ipſi vero ægro adeo eſſet moleſtus, vt quauis ratione naribus obturatis, vel odoratarum rerum admotione, munire ſe cõtra illum cogeretur: quinimo graueolentia illa à quouis domum ſaltem ingreſſo, foribus hypocauſti apertis, ſatis ſuperque percipiebatur. Confeſtim autem ad huius purulentæ & graueolentis materiæ effluxum, vertigo & grauitas Capitis in vniuerſum hominem deſeruit, ita vt iam ad alterum annum ab ea totus liber viuat. Hoc inde mali abſtulit, quod cum prorumperet illa materia, quaſi eluuione facta, inferiorem maxillam adeo luxauit, vt ab initio vix illam mouere, adeoq; difficulter os aperire & claudere, nec ſatis quod volebat, proloqui poſſet, nunc vero difficilem & moleſtam habeat maſticationem, quod ab eo tempore dentium firmitudo longe minor ſit, nec dentes inferiores iam poſitu ſatis reſpondeant ſuperioribus. Addo & hoc, quod cum materia illa putrilaginoſa è capite delaberetur, pars eius deuoluta ſit in ventriculum per Oeſophagum, vnde mox ſenſit ſe male affici, deiecta enim erat appetentia, erat καρδιωγμὸς, necnon quiddam lypothomiæ ſimile, & in tantum afflictus fuit ventriculus, vt ad hunc vſque diem, debiliorem illum experiatur, quam fuit antea. *Franciſcus Tidicæus ſuis mihi communicatis obſeruationibus.*

Observatio.

Vertigo difficilis admodum, incertis periodis & frequenter inuadens, curata.

CLemẽtem pocillatorem illuſtris Principis Bentiuolæ, iam non audentem progredi ob vertiginem ſæuam, qua incertis horis, ſed aſſidue corripiebatur, aquæ decocto cum ligno Indico, & corticis eiuſdem dimidio, tum agarico, ſtœchade, ſaluia, betonica, ſeſeli, ſemine leuiſtico, roſmarinoque ſanaui; nec in poſterum eiuſmodi ſymptomate correptus eſt. Reddidit hic mihi gratias ingentes. *Cardan. de curat. & prædict. admirand. curat. 22.*

Observatio.

Vertiginoſorum curatorum hiſtoriæ aliæ.

QVidam laborans vertigine antiqua, poſt vacuationem per pilulas cochias curatus fuit lotione aſſidua capitis raſi decocto camomillæ, & roſarum. In diuturna vertigine, & ferme incurabili eſt ſummum auxilium venæ non pulſatiles poſt aures abſcindere. Quorundam experientia probatum auxilium eſt cauterium prædictarum partium. Paſſus eſt quidam vertiginem propemodum inſanabilem amiſſo fere ſenſu cap. & cum immenſo ſtupore ob frigus intenſum, & poſt multa remedia, quæ nihil profuerunt, cataplaſmate ex ſola vrtica toti capiti raſo per noctem admoto curatus eſt: factis poſtea multis ambullis plenis aquoſa pituita, à quibus multa emanauit pituita. *Paſchalius de curand. Morb. lib. 1. cap. 7.*

Observatio.

Vertigine & vomitu ventriculi vitio excitatis, æger remediis non nullis reconualeſcere viſus, paucis poſt diebus languida febricula correptus, recidiuam incidit cum delirio & aliis prauis ſymptomatibus, quibus tandem expirauit: vitiata viſcera cadaueris diſſectio detexit.

QVidam Germanus adoleſcens 18. annorum vſus antea beria, in Galliam venit: vbi crapulæ indulgens, cœpit vertigine laborare, reuomere quæ ſumebat, dolere ad ventriculum. Adhibito remedio ceſſauit vomitus & vertigo. Melius habuit. Sed poſt quartum aut quintum diem rediit malum. Languit leui febricula: inuaſit leue delirium, vnde facile redibat ad ſe, pulſus languidus. Decimo quarto ſudor multus, perturbatio, pulſus concidens. Decimo quinto in eo ſudore mortuus. Aperto inuentus epiploon putrefactum, hepar, ſiccior, ventriculus interior ad finem quaſi contuſus, nigro ſucco ex dimidio plenus. *Hollerius libello proprio obſ. 21.*

DE SIRIASI, CEREBRI INFLAMMATIONE, SPHACELO EIVSDEM, & Tumore glanduloſo pomiformi.

DE SIRIASI.

Observatio.

De ſiriaſi, febrili capitis infantium feruore.

SAne in capitibus puerorum largior coaceruatur pituita, quę æſtu recaleſcens, mẽbranas cerebri feruefacit, ſomniferoſque diſſipat vapores. Vnde Alex. Aphrod. verus ille à philoſophia medicus ait. Feruor per arterias deſcendens, ad ſedem cordis, & ſpiritum vitalem feruefaciens, febrem ſine putredine accendit. At vero bilis per febrem adaugeri ſolita, aluum mordens, profluuium ventris mouere poteſt. Cauſam etiam & originem mali eſſe in cerebro inde accipimus, ꝙ omnia infrigidantia, vt oxyrrhodinum, ſuccus ſolatri hortenſis, cucumeris, ſincipiti, fronti, temporumq; arteriis, cum otthoniis applicati, hunc ſiriaſis feruorem extinguunt: id ꝙ & cucurbitæ ramenta, domeſticæ præcipue, præſtant. Vnde Dioſc. Ramenta cucurbitæ contra capitis infantium ardores, quos ſiriaſim vocant, vtiliter emplaſtri modo ſincipiti imponuntur. Hunc vero feruorem à capite per arterias ad cor defluere, id certiſſ. argumento eſt. Nutrici prius diæta frigida & humectante indicta, poſtquã vrticas in mortario contuſas, addito momento vnguenti διὰ αἰγείρου, ꝙ populeon vocant, arteriis temporũ ac metacarpii applicueram: ſingulis vero quaternis horis innouaram, ille ſiriaſis feruor plus minus biduo extinguebatur citius. *Langius epiſt. 54. tom. 1.*

DE INFLAMMATIONE CEREBRI.

Observatio.

De cerebri inflammatione.

APprehendit aliquando cerebrum inflammatio, cuius tanta eſt violentia, vt inde ægrotantes intra quartam diem ſæpius mortui ſuccumbant, cum inuadit hic affectus: apprehendit patientem ingens capitis dolor, qui per occiput collo, & vniuerſæ ſpinæ communicatur, à quo ſtatim deperdũtur ſenſus, tum externi, tũ interni, ſoluſq; remanet motus, qui adeo nonnũquam in his ægrotantib. validus eſt, vt vix quandoq; loco contineri queant, quamprimum enim correpti ſunt hoc morbo, deperdito vnoquoque ſenſu exiliunt ægri, quemcunque inordinatum motum tentantes, modo cruribus & pedibus, modo

toto

toto corpore ſe agitantes, prçcipue autem manibus, partes ſuperiores, licet non ſemper, ſæpius tamē inuadunt, eaſq; toto conatu diſtrahere nituntur, vt interdum viderim ego mulieres hoc morbo detentas omnes crines dilaniaſſe, & totā faciē vnguibus propriis dilacetaſſe, ſicuti etiā & viuos hac eadē ægritudine, deprehenſos totā fere barbā ſibi euellentes idē feciſſe conſpexerim, procedente morbo langueſcit corpus, ad motūq; impotens redditur, hi ſemper ſine voce manent, nec vllum veſtigiū ſenſus retinēt; cū ne (ſi etiā fortiter pungant) reſpōdere, aut annuere poſſe videantur. accedente hoc morbo, vna inuadit acutiſſima & intenſiſſima febris, q̄ eundē ſemper concomitatur affectū, cum tanta tamen febre, nec, ſi potum offeras, quid guſtare tentant; imò nihil nec cibi, nec potus nunq̄ admittunt. Horū omniū cauſa eſt inflammatio, ſubſtantiam, corpusq; ipſum cerebri occupans. cuius ratione ita deperdūtur virtutes rectrices, cùm cerebrū per ꝓpriam & innatā temperiem munia ſua exequatur, vt nec dignoſcere affectū ipſum, nec cætera queāt; vnde licet in parte neruoſa ſpiritus animales nō ſint intercepti, tamē, quia his mens ægrotat, & deprehenſa eſt, nec dolorē, nec quid moleſtum ad extra perſentiunt; interius tamē cùm ſupra modum affligantur, adſitq; incendiū maximum, irritatā natura eſt in cauſā illius motus voluntarii, qui non poteſt tolli, non obſtructis, vel occluſis neruis ipſis. Febris autem huic morbo connectitur; quoniam cùm inflammatio ſit valida, & ſit in membro principali, neceſſario ad hunc conſequitur febris. Huius inflammationis cauſa eſt ſanguis ſuper calefactus, vel admodum bilioſus, qui affatim irruēs ad partes ſuperiores, cerebri corpus, & partes eius internas, ipſiuſq; ſubſtātiam occupans in eo figitur, firmaturq; ac inflammationem facit; per inflammationem nūc intelligimus omnem tumorem calidū, ſiue pura inflammatio, ſiue eryſipelas, ſiue ex vtriſq; mixtus affectus fuerit. Huius ex prędictis ſumantur, quibus hoc addatur, ꝙ facies in huius morbi principio ſatis rubet, & fere tumet; oculi autem præcipue rubent, & in his venæ ſanguine plenæ apparere ſolent, conſtanteſq; ac fixi prominent. Prædicta ſigna obſeruantes, habemus ea, per quæ diſtinguitur hic affectus à cęteris, qui huic ſimiles exiſtentes cerebrū occupant. Ab Epilepſia differt quoniā licet in vtriſq; deperdantur ſenſus interiores, & exteriores, & in vtriſq; adſit motus, tamen in epilepſia eſt motus conuulſiuus, in hoc autem eſt voluntarius; præterea in Epilepſia ſpuma ex ore procedere conſueuit quæ nunquam in hoc affectu videtur, cui etiam neceſſario febris acuta cōnectitur, ꝙ non eſt in epilepſia. Ab apoplexia diſtinguitur, quoniam in apoplexia tollitur & motus, & ſenſus, at in iſto ſoli ſenſus deſunt, non motus. præterea apoplexiæ neceſſario adiungitur febris immorare in ea, & ſalubriter aliquando apparere ſolet: at in hoc febris acuta admodum de neceſſitate connectitur. A phrenitide autem diſtat; quoniam in phrenitide eſt delirium, & non deperduntur ſenſus, quorum neutrum eſt in iſto affectu. Videtur quidem conſimilis phrenitidi hic morbus ratione affectionis, & ratione loci affecti; quoniam in vtriuſq; eſt inflammatio, & in vtriuſq; inflammatur cerebrum, tamen maxime differunt ratione partis, & loci affecti; quoniam in phrenitide potius eſt inflammatio in membranis, quàm in cerebro ipſo, & prçcipue in tenui, à qua communicatur & ipſi cerebro inflāmatio, potiſſimumq; parti eius exteriori, & contangenti membranam; at in iſta internas cerebri partes, eiuſq; ventriculos, & propriam ſubſtātiam inflammatio occupat. qua de re caſus hic grauior eſt, quam ille, magiſq; lethalis, & potiſſimum cum hæ inflammationes magnæ exiſtentes partem frigidam, materiæq; peccanti importionatam occupent: vnde ſæpe euenire ſolet, vt partem ipſam patientem fere corrumpant, & ad gangrenam deducāt: quapropter dicebat Hippocrates caſum hunc ab alııs non animaduerſum, conſiderans. Quibus cerebrum ſphacelatum eſt, in tribus diebus pereunt, ſi vero hos euaſerint, ſani fiunt. per ſphacelum autem hic, vt monet Galenus in comment. intelligit non factam, & completam partis corruptionem; quoniā hæc ſanationem nō admittit, ſed quæ eſt in fieri, iminetque ob inflammationis magnitudinem. Qui autem hoc patiūtur, velociter pereunt, tum quoniā pars maxime principalis admodum læſa eſt. quod ſi tamen contingat ægrum tribus primis diebus ſuperuiuere, & ad diem quartū peruenire, poſſumus ſperare, & morbum declinaturum fore, & vires ita fortes eſſe, vt morbum ſuperare poſſint. ꝙ vbi contigerit, in ægro nulla erit memoria præteritorum, nō recordatur enim nec morbi, nec alterius rei ad morbū ipſum pertinentis, tantum hoc vidi in nōnullis, qui ſaluati fuere, ꝙ confuſe meminerunt ſe valde anxios & anguſtiatos fuiſſe, magnumq; incendium perſenſiſſe, non tamen quid diſtincte enarrare potuerunt. Huius morbi meminit etiam *Hippocr. lib. 3. de morbis.* ſub nomine ſphaceli, ſeu ſyderationis ipſius cerebri, vbi habet, ꝙ in his caput dolet, & ceruix, & ſpina, ꝙ intelligas dū hic morbus patientem aggreditur; hoc enim facto, ſenſus omnes externos, & internos, amittunt; quod docere voluit exemplo auditus & loquutionis, dum inquit, quod illi nō audiunt, & ꝙ derepente obmuteſcunt. ſubdit, his ſanguinē è naribus defluere, ꝙ non eſt vniuerſale ſignum, ſed aliquibus tantum peculiare. quibus ſi copioſior fluat, indicium eſt ex morbo conualiturum ægrum: ſi parce autem, & ſtillet tantum, contrarium enunciabit. ꝙ autem, vt inquit, hi liueſcant, eſt in caſu, in quo iā natura ſuccumbente, vere cerebrum ſphacelatur; dum enim eſt ſpes ſalutis, non liuent, ſed potius rubent ægrotantes. Huius morbi narrationem ęmulatus eſt *lib. 2. de morbis.* ſed paulo aliter: quæ omnia fere in idem coincidūt, exponenda tamen ea ratione, qua nos morbum hunc iam explicauimus. De cerebri inflammatione loquuti ſunt etiam *Paulus Aetius, & Oribaſius ex Philumeno*, quos æmulatus eſt etiam Auicennas in huius morbi explicatione, ſed eorum caſus nō eſt huic, quem nos explicamus, conſimilis. quoniam iſti aſſerunt in hac cerebrum inflammatū ita intumeſcere, vt ſuturæ capitis diſparentur, quod dictum nedum verificatur in caſu noſtro, ſed nec apud me eſt poſſibile, cum ſuturæ ex graui ictu nō ita facile diſſolui, & diſparari poſſint, nedum ꝙ imaginati queat, ex tumore interno hoc accidere poſſe, niſi forſan hoc in puerulis admittatur, in quibus ſuturarum ligamēta molliſſima exiſtunt, cartilaginoſaq; corpora nondum oſſea ſunt facta. Prætetea addunt ſubſequi nauſeam multā in illis, biliſq; vomitū ſuperuenire, quorum neutrum in caſu noſtro reperitur, niſi forſan hoc ante factam inflammationem

accide-

acciderit; vt ſemel in vno vidi; qui in primo morbi inſultu copioſiſſime euomuit; ſtatim facta inflammatione, & ſenſus exteriores; & interiores amittens, ab omni euacuatione quieuit. De Eryſipelate etiam cerebri loquuti ſunt, ſed ſigna noſtra non ponunt, & adduntin hoc dolorem totius capitis adeſſe, & videri ægrotantibus flammam in ipſo cerebro habere, quæ duo iure conſequuntur quidem ad eryſipelas: ſed cum poſtea omnem ſenſum, & cognitionem hic tollat, non poſſunt eſſe ſigna præſentis morbi, quare pro habendis huius ſignis, recurratur, ad ea quæ ego declaraui & enarraui, conſtituamuſque morbum hunc; cum ſit inflammatio vel ſimplex, vel eryſipelatydes, eſſe intemperiem calidam cerebri cum materia, & cum tumore, quapropter pro eius curatione indicabitur, vt materia in cerebri ſubſtantia contenta euacuetur, & ipſum cerebrum refrigeretur, euacuabitur iſta materia, ſi retrocedet, vel è corpore educat: retrocedet, vel impulſa, vel attracta à corpore; educent, vel ſenſibiliter, vel inſenſibiliter; materia tamen non poteſt retrocedere, niſi prius corpus ſit euacuatum. Et ideo primo totum euacuandum eſt. Secundo ita agendum eſt, vt materia retrocedat, retrocedet autem, vel ſi reprimatur, vel ſi retrahatur. Tertio debemus materiam diſcutere, & reſoluere, & ſuo loco, & tempore refrigerare. An poſſit Medicus his indicationibus ſatisfacere; vel non dixerim vnum, ſcilicet, raro hoc contingere, vt huiuſcemodi ægrotantes ſaluentur, quoniam tanta eſt huius morbi ſæuities, vt cerebrum ipſum ad gangrænam vt plurimum deducat, niſique ex arte ſtatim opportuna adhibeantur medicamenta; citiſſime pereunt, & maxime, vbi vires ægrotantis imbecilles erunt, potiſſimum cum has nullo modo reſtaurare poſſimus; ad oblata enim nequaquam apti ſunt, ſoliſque exterioribus auxiliis hic agere poſſimus. Vbi tamen vires fortes erunt, cum in omni interna inflammatione, & in acutis morbis vnica ſit ſalutis ſpes, ipſa virium fortitudo, ſi cætera cito, tuto, & cum ratione adminiſtrentur, & poſſimus quoquo pacto ſalutem, licet ſemper cum maximo ægrotantis diſcrimine, & periculo, ſperare. Pro executione autem indicationum propoſitarum ita procedendum erit, pro totius corporis euacuatione ſtatim ſecanda eſt vena interna brachii dextri, vbi ſit magna plenitudo: vel non adſit plenitudo, humeraria, præmiſſa alui lenitione per leniens & refrigerans clyſtere, non per acre; acria enim per partem poſt partem calefaciendo magis inflammant, & affectum præter naturam adaugent, febremque intenſiſſimam, & acutam, quæ huic affectui connectitur, magis accendunt. Venæ ſectio ſit copioſa, repetaturque eadem die ex altera humeraria: interim reprimentia, & actu frigida adhibeantur, opportuna ad hoc ſunt excirrhodina ex oleo roſaceo completo, non omphacino, addita quarta parte aceti ad penetrationem, quibus totum ſinciput optime abraſum continue madefiat. Sed quoniam hic ſummum eſt incendiū, magis laudo irrigationes, & Embrochas continue adhibitas, & factas ex decoctionibus herbarum refrigerantium, ſicuti ex endiuia, lactuca, ſolatro, ſemper viuo, violis, portulaca, acetoſa, & ſimilibus, quæ actu frigida in continuo ſint vſu ſuper ſinciput admodum Embrochæ ſtillantis; poſſunt etiam, ceſſantibus Embrochis, parari emplaſtra ex prædictis herbis contuſis, admixtis earundem ſuccis, oleiſque refrigerātibus, addita portiuncula aceti roſati; hæcque frigida actu applicentur: quæ cum incaluerint, remoueantur, & repetantur: hocque in morbi principio, & præcipue ſi tempus æſtiuum fuerit, agatur his refrigerare, & materiam repercutere poterimus: quam eandem materiam à cerebro retrahemus reuulſionibus, & deriuationibus, pro quibus ſatisfacient, cucurbitulæ ſcarificatæ, quæ plurimæ ſint, & profunde incidantur, quæ poſtea etiam repetantur; ſed vbi non ſit magna vrgentia, non ſcarificatæ, ad idem facient frictiones, & ligaturæ doloroſæ extremarum partium, quæ etiam balneari poſſunt decoctionibus herbarum refrigerantium, ſed quæ ſint actu calidæ, ita enim actuali caliditate poſſunt reuellere, potentiali autem frigiditate refrigerabunt, & vaporibus illis cerebrum demulcere poterunt, fiant autem hæc ex foliis roſarum, violarum, maluarum, lactucarum, ſalicis, & huiuſmodi, quibus ſemper aliquid chamæmeli addatur ad aliquam diſcuſſionem, & faciliorem tranſmiſſionem, ad eandem intentionem exulcerantia humeris, & ſpatulis appoſita facient, quibus ego aliquando vſus ſum cum optimo ſucceſſu, ea ex cantharidibus formando. Pro deriuatione conuenient hirundines poſt aures applicatæ, ſectioque venarum ſub lingua, ſi ægrotantes admitterent, ſatis commoda eſſet. Sed illis vniuerſalioribus præmiſſis, factiſque prædictis reuulſionibus, hoc vnum maxime laudo, cui potiſſimum attribuo ſanitatem in nonnulliis ex tali morbo recuperatam: videlicet miſſionem ſanguinis ex naribus, quam hirundinibus ad narium penitiores partes applicitis habeo, nitorque, vt copioſe effluat ſanguis, vel iiſdem repetitis, vel ad nares appoſita ſpongia aliquo liquore relaxante, non tamen calidiori imbuta, vel ſaltem in aqua dulci calida infuſa, hinc maxime ſubleuatur cerebrum, alleuiataque natura morbus, ſi fieri dabitur, vnquam aliqua via, ſuperabitur, quo caſu remittantur refrigerantia illa, & quo ad actualem, & quo ad potentialem frigiditatem, admiſceanturque prædictis tunc aliqua temperata, vel leuiter diſcutientia, ſicuti oxyrrhodino oleum chamæmelinum, Embrochis illis, malua, flores chamæmelini, meliloti, ſemina fænugræci, lini, radices altheæ, & conſimilia, quæ aliqualiter diſcutere valeant, quorum vſum poſtea declinante morbo ſolus erit vel nullis admiſtis, vel paucioribus refrigerantibus, ſternutatoria etiam tunc temporis, iam euacuato cerebro, & inclinante morbo adhibeantur, & aliqua odoramenta, quæ non ſint grauia, nec caput replere poſſint, adminiſtrentur. Et dum hæc omnia fiunt, ſemper habeatur aluus lubrica, & ſi non ſponte fluat, ex lenientibus clyſteribus, vt ſupra dictum eſt, venter leniatur: & quoniam in his aliquando nō prodit lotium, non exurgente virtute ad munus ſuum, vbi hoc euenerit, ad imum ventrem apponatur veſica ſemiplena oleo calido, vel aliquo decocto relaxāte, inungatur idem locus oleo amygdalarum amararum, oleo de ſcorpionibus, & foueatur eum his, quæ virtutem excitare & relaxare poſſint. Hæc quo ad medicamenta: quo ad victum, raro eſt, quod ante quartam veniat cibus offerendus, quoniam, vel primis tribus diebus pereunt, & ſic cibandi occaſio præteriit, vel his tranſactis, ad quartam perueniunt,

niunt, quó tempore, ſi res ex voto ſucceſſura ſit, incipiunt ægrotantes & aliquo modo ſenſus recuperare, & tunc cibandi ſunt. Sed cum omnimoda inedia præceſſerit, non ſtatim pleno victu vti debent, ſed tenuiter alantur, contentique ſint ferculo in iure pulli tenuioris, vel alterato cum ſeminibus communibus, abſtineantque à vino, quo ad præſens non fuerit totius morbi vniuerſalis & manifeſta declinatio, quo tempore vinum bibant, ſed pauciferum, & lymphatum, largiorique cibo vtantur, qui pro ratione virium & morbi præcedentis expediat, tuncque poterunt ægrotantes pharmaco electiuo ab humoribus calidioribus expurgari, vt integre omnis morbi cauſa amoueatur. *Salius de Affect. Particular. cap. 1.*

DE SPHACELO CEREBRI.

OBSERVATIO.

Cerebri ſphacelo correpti, alii ſeptimum, alii decimum, nonnulli decimum quartum diem, cum reſtitui non poſſent, attingentes, mortui tandem ſunt.

MVLTOS vidimus, qui cerebrum ſphacelatum (hoc eſt principium ad ſphacelum, vti Galenus ſtatuit) habebant, tamen nonnulli (contra Hippoc. ſententiam, qui intra triduum perire aſſerit) peruenere ad 14. diem, antequam morerentur, alii ad ſeptimum, alii ad decimum, & non ſunt reſtituti ſanitati, & horum caluarias aperientes, totum cerebrum penitus ſphacelatum, id eſt corruptum inuenimus. Hoc mihi videre contigit, proh dolor immenſus, & nefanda res, in magnifico atque illuſtri Alphonſo Contrario Comite nobiliſſimo, hic ſexto die à ſphaceliſmo obiit. Cum Galeno igitur in genere dicimus, cerebrum corruptum habentes nullo modo poſſe ſuperuiuere, imo breui moriuntur, non tamen in tribus diebus. Nam virum quendam robuſtum vidimus, qui vſque ad decimum quartum diem peruenit, is Baptiſta nuncupabatur, qui magnifico Iohanni Petro Obicio erat à cubiculo, & ſi petas quo nam modo cognoſci potuit iam cœpiſſe corruptionem. Reſpondemus, ex vehementiſſimo dolore, quem patiebatur æger, tum putamus ſphacelum & corruptionem cœpiſſe, quarta die effectus eſt attonitus, octaua die omnes ſenſus amiſit, decimo quarto die obiit. Huic ablata caluaria, totum cerebrum corruptum inuenimus. Propterea non putamus verum eſſe Aphoriſmum (51. *libro ſeptimo*,) ſi ita ſimpliciter exponatur, vt dictum eſt, & Galenus intelligit, nam tres dies pertranſeunt, & quatuor & decem. Hippocrates forte neminem vidit, ſed ratione principalitatis membri id coniectatus eſt: imo cum ſint variæ naturæ, quia aliqui robuſtiores, alii imbecilliores ſunt, propterea aliqui citius, alii tardius ex ſphacelo moriuntur: arbitramurque Galenum hos caſus non vidiſſe, aliter illos ad hoc propoſitum retuliſſet, ſicuti alibi facit, vbi etiam caſus refert, qui ſunt minoris momenti, quam prædicti. *Braſauolus Comment. ad Aphoriſm. 51. libro ſeptimo, Hippoc.*

OBSERVATIO.

Sphacelo cerebri correptæ mulieri vita ad decimumſeptimum diem extenſa.

MVLIER fuit in Noſodochio Lutetiano, Anno 1579. quæ per dies 17. ſphacelo cerebri laborauit, cum tamen Hippocrates dicat, eum qui ſphacelo cerebri laborat non per diem viuere poſſe. Teſtis mihi Clariſſimus Medicus, Dominus Perdulus, tunc temporis Medicinæ Profeſſor. *G. Bauhinus de Obſeru. propriis.*

DE ABSCESSV CEREBRI.

OBSERVATIO.

Ab abſceſſu cerebri, per nares aureſque ſupra quatuor libris puris euacuatis æger liberatus.

ABSCESSVM in cerebro contractum ſanaui in hiſce montibus: & quo tempore hominem expiraturum dixeram, maximo naturæ impetu facto per nares aureſque, affatim libras quatuor, plus minus, puris albi vacuatas conſpexi: ſicque fuiſſe vitæ reſtitutum: de quo caſu ſcripſi alias; *Horat. Augenius libro octauo, Epiſtola prima.*

DE TVMORE GLANDVLOSO POMIFORMI.

OBSERVATIO.

Glandula pomiformis in cerebro viſa.

CAſpar Bonecurtius Nobilis Eques, ſenſim per biennium mente alienari cœpit, adeo quidem vt tandem omnino attonitus, nihil ſecundum rationem ageret: cibum nec petebat, nec niſi per vim illi intruſum capiebat: lectum nō niſi coactus petebat, ſed ad menſam brachio innixus continuo, dormiens fere ſedebat: nec niſi interrogatus ſæpeq; admonitus verba quædā, ſed quæ ad rem minime pertinebant, proferebat. Stillabat interim è naribus pituita aquea copioſe frequenterque. Quibus ſic ſe-mianni ſpatio ſe habentibus, tandem expirauit. In cauſis perquirendis, nihil quod huic malo anſam præbuiſſe certius cognoſci potuit, quam ictus capitis, quo tribus aut quatuor annis ante percuſſus, cerebri imbecillitatem ab eo tempore cœpit experiri, cum alias prius ſtrenuus alioquin miles nihil tale ſenſiſſet. Caluaria poſt mortem ipſius aperta, cerebroque diducto, ſupra calloſum cerebri corpus, inſignis glandula carnoſa, ſcirrhoſa fungoſaque pomi mediocris magnitudine deprehenſa eſt, quæ priuata tunica inueſtita, venuliſque erat conſita, ab omni tamen connexione cum cerebri ſubſtantia libera, adeo vt citra ſectionem manibus exemta, foueam inſignem aqueo humore mox repletam, quo & ventriculi admodum dilatati diductique referti erant, poſt ſe relinqueret. Quam glandulam ſua mole cerebrum illiuſque ductus comprimentem irrigantemque huius ignauiæ & torporis, tandemque mortis occaſionem fuiſſe deprehendimus. Cum tamen prius aliqui ab incantatione, alii vero ab humoribus

tantum,

tantum, vti plerique Medici cerebri morbos hiſce aſcribunt; profectum huc malum aſſeuerarent, donec patefacto cerebro; multa nobis abſtruſa & recondita inueniri ſæpe in morbis proponantur. *Platerus de Obſeru.propriis.*

DE PHRENITIDE.

SIMTOMATA PHRENETICORVM.

OBSERVATIO.

Phrenitici nonnulli de iis,quæ oculis offeruntur,recte,quantum ad ſenſitiuam notitiam, iudicant,cogitando verò à naturali iudicio aberrant.

CVM Romæ quidam domi cum lanifici puerò contineretur, ſurgens à cubili venit ad feneſtram,per quam & ipſe videri,& prætereuntes videre potuit. Itaque ex vitreis vaſis ſingula oſtendens, interrogauit imperarentne vt ea proiiceret: illi vero ridentes plaudenteſque vt ea proiiceret, rogabant: tum ipſe deinceps omnia arripiens eiecit; at illi magnis acclamationibus riſerunt. Poſtea iuberent ne puerum quoque proiici, cum eos interrogaſſet; atque id illi iuſſiſſent, illico ipſum deiecit, quem ab alto cadentem viderites, ſuppreſſo ſtatim riſu accurrerunt, & confractum iam puerum ſuſtulerunt. *Galenus lib.4.cap.1.de loc.affect.& libro de different. ſymtom.cap.3.*

OBSERVATIO.

In Phreniticis nonnullis veluti errans eſt imaginationis motus; qui cogitatione minime falluntur.

CONTRARIAM affectionem non ſolum in aliis,verum in me ipſo, cum adoleſcens adhuc eſſem,expertus ſum: cum enim per æſtatem ardente febri laborarem, & feſtucas atro colore ex cubili eminere, & floccos ſimiliter in veſtibus eſſe putarem,quos auferre tentans, nihilque ſub digitis eductum inueniens, accuratius vehementiuſque id efficere conatus ſum, audiens itaque duos ex amicis qui tum aderant, dicentes: Videſne huric iam & floccos euellere & feſtucas colligere, ratim intellexi,quod dicebant me feciſſe. Cum vero ſic animo conſtarem,vt rationalis in me facultas non vacillaret: recte, inquam, dicitis: proinde ne phrenitis me arripiat,auxilio eſtote. Illi autem eum idoneis rigationibus caput fouerunt, tota die, ſequentique nocte grauibus inſomniis turbatus ſum, vt interim & clamare, & exilire viderer: verum poſtero die mitigata erant omnia accidentia. *Gal.ibid.*

Accidit Theophylo Medico ægrotanti, qui cum alioqui prudenter diſſereret, atque eos qui tum præſentes erant, exacte noſceret; tibicines tamen quoſdam arbitrabatur eſſe in angulo cubiculi in quo decumbebat, eoſque tibia canere, atque pulſare & ſe illos videre putabat, alios quidem ſtantes, alios autem illic ſedentes atque ita continenter canentes, vt neque noctu neque interdiu quicquam remitterent; aut quieſcerent ne minimo quidem temporis momento. Proinde aſſidue clamans iuſſit eos à cubiculo expelli. Atque hanc habuit ille delirii ſpeciem. Is vbi conualuit, abeunte morbo, quicquid ſinguli eorum, qui ipſum viſitabant, vel dixiſſent,vel egiſſent,narrabat.Denique viſa (Græci phantaſmata vocant) quæ de cantoribus apparuerant, memoriter recitabat. *Galenus libr.3.de different.ſymtom.*

Noui quendam,per tredecim dies deliraſſe, hoc pacto: putabat ſe Athenis, non Roma iacere: cerebro autem familiarem puerum reuocans iubebat ſibi,quæ ad Gymnaſium pertinebant,afferri:& pauca intermiſſione facta. Heus, inquit, Ptolomæum dico, decreui in Gymnaſio diu lauari: ac nonnunquam exiliebat interea, atque indutus ibat recta ad oſtium aulæ. Ac quum retinerent eum; qui intus erant,exire prohibebant,cur ſiſteretur ab eis percunctabatur.Hic vero (nihil enim licebat,niſi vera proferre)febricitasſe eum affirmabant,& nondum febrem abiiſſe.Ipſe ad hæc valde modeſte reſpondebat, ſcire enim ipſe dicebat, quod adhuc reſtibiles quædam reliquiæ febris perſeuerarent, ſed eas eſſe penitus exiguas, nec verendum, ne à balneo læderetur,ortam enim ſibi præſentem febrem ex itinere. An non recordaris conuerſus, ad puerum dicebat, quod laborioſe iter heri fecimus à Megaris Athenas. Talia cum diceret ac faceret, hæmorrhagia liberali ex naribus oborta; totumque dein corpore effuſo ſudore; leuauit. *Galenus libr. de Muſculor. motu.*

OBSERVATIO.

Cogitandi & imaginandi facultatis vtriuſque ſimul læſæ exemplum.

PVellam virginem, forma moribuſque inſignem & amabilem male affectam,curandamque à me haud ita pridem antea rexi. Quæ & ipſa ex metu, mœroreque graui in validum delirium tranſiuit; huiuſmodi,vt omnes ſe inuiſentes & probe cognoſceret, & quicquid eorum quique in vita feciſſent, vel quæ ipſa vidiſſet; aut ab aliis accepiſſet, omnia recte recenſeret, ſed laruas, vmbras, funera coram ſe multa, pollinctores, pullatos tediferos, mortuum fratrem(qui haud ita multum antea ſatis conceſſerat)adeſſe ita exiſtimabat, vt ab ea meditatione auelli nulla ratione potuerit. Procedente tandem affectu,moraque ſeniore reddito, vtræque facultates & cogitandi & imaginandi læſionem ſubiere:tumque fatuitas illa prior in furorem verſa eſt, ac delirium acre: ita vt & vinculis & plagis ad moderandam inſaniam fuerit opus.Hanc nos ſuperum benigno fauore noſtraque qualicunque induſtria, methodo curauimus, & in curatione profecimus, miſſo ſanguine,præſidiiſque multis ad atram bilem maxime appoſitis. *Valleriola Comm.ad ca.3.lib. de ſymtom.different.Galeni.*

OBSERVATIO.

Aliud phrenitici exemplum.

VIDI qui in phrenitide mediis ignibus, quos purgatorios vocat, verſari ſeſe affirmaret:cumque refutaretur quod ederet,loqueretur,reſpondebat,quem videremus edentem & loquentem ſe nō eſſe,ſed fratrem: Ac cum multis diebus febre inaniſſet,eaque dementia perſeueraſſet, beneficio ætatis adiutus remediis conualuit. Sunt qui ſe frigida complui affirment: ac prope infinita ſunt exempla, varia quoque genera ludibriorum quæ phreniticis occurrunt. *Hollerius,comment.2.ad Aphoriſm.7.lib.3. Coac.Hippoc.*

CAVSÆ PHRENITIDIS.

Observatio.

Phrenitide ſublatus, cuius cerebri ventriculi aqua cærulea referti; ſiniſter quoque eadem acerrima inuentus eſt.

IVVENIS, Anno Sal. 1583. in Noſocomio D. MARIÆ Nouæ, Phrenitide 17. die perierat. Hunc ſecuit Matthias Grabisgadius Germanus Medicus ſtudioſiſſimus; inuenti cerebri ventriculi aqua pleni cœrulea, ab hac ſiniſter ventriculus exæſus erat: acerrima enim inuenta eſt, Iacobo Belga, Medico deguſtante, qui ſectioni interfuit. *Nereti Nerutii Med. Florentini, Obſeruatio, ex Italia vna cum aliis eiuſdem accepta.*

Observatio.

Paraphrenitis à vermibus.

PVELLA apud Setiam, duodecim annorum incidit in paraphrenitidem à vermibus, & ſubito: quæ paulo poſt ceſſauit. *Iohan. Bauhinus de Obſeruat. propriis.*

MVTATIO PHRENITIDIS.

Observatio.

Pleuritis in Phrenitidem mutata.

MEMINI vigente vt quam maxime pleuritide factam, ſubito tranſmutationem ad caput, & phreniticos redditos fuiſſe duos, nullis remanentibus prorſus pleuritidis ipſius notis. Sic ex Hippocrate & Galeno Epileptici fiunt Melancholici & Melancholici Epileptici. *Iul. Alexandrinus. in Epiſt. ad Andream Kamutium, adiuncta libello eiuſdem autoris de Cordis palpitatione.*

CVRATI PHRENITICI.

Observatio.

Sæua phrenitide detentus, frontis vena ingenioſe ſecta, liberatus.

IN omnibus proprie phreniticis, ſi vires robuſtæ ſunt, & nihil aliud prohibet, ſanguinis detractio adhibenda eſt, tanquam primum omnium & maximum futurū præſidium. Sin autem repugnet æger, quod ſæpe accidit, vt nolit brachiū permittere Medico, omnino conandū tandem eſt ex recta in fronte vena ſanguinis miſſionem moliri. Facis autem id recte, ſi collum artificioſe faſcia lanea conſtringas, vt vas attollatur. Ita namque ſi feceris, ſanguis ſtatim vena ſecta citra impedimentum cum ſpiritu erumpet. Ego ſane magna adeo phrenitide correptum curaui: & niſi multi forteſque famuli eum cōtinuiſſent, & vinculis vndequaque conſtrinxiſſent, neutiquam ne in fronte quidem venam ſecare potuiſſem: adeo ferociter agitabatur, omniaque faciebat quæ inſanientes ſolent: atq; ſi gladium habuiſſet, non paucos, qui ei aderant, iugulaſſet. Quia vero bis ſanguinem detrahere moleſtum eſt viſum, ideo tantum initio euacuauimus, quantum ei ſatis erat futurū etiam ſi ſecūda vice iterū emiſiſſemus. At mirabile erat, vacuatione facta, q̄ feſtinaret ex riuo ſuperbibere: ſimul aūt aſtantes etiam aſpergebat, vt riſum quoque ideo vulgo excitaret. Verum hic quidem celeriter curatus eſt, alia quoque ratione ac cura conuenienter ei adhibita. *Trallianus libro primo, cap. 12.*

Observatio.

Ab acuta & periculoſiſſima Phrenitide quidam intra menſis ſpatium conualuit.

COnterraneus quidam meus, annos natus plus minus quadraginta, in acutam phrenitidē inciderct (omnia enim ab initio ſymtomata grauia erant) ad quem accedebam, cum alio Medico ſeniore, in artis operibus diu multumque verſato. Prima morbi acceſſio comitialis fuit. Poſtea delirauit, febris, accenſa eſt. Sequentibus diebus oculorum, totiuſque faciei rubor magnus aderat, quieſcere non poterat, huc eſt illuc duci volebat, vrinam reddere obliuiſcebatur datam matulam diu manibus tenebat, ſed non meiebat. Secta illi fuit primum humeraria, poſtea frontis vena, remedia multa adhibita. Febres & delirium continenter illum affligebant: vrinæ admodum malæ, alui excrementa plerunque inſtar viridis vitri liquefacti: omnia mala. Exſpectātibus nobis quotidie vt moreretur, ad ſeptimanas quatuor morbus nos delūſit; ægrotus vigeſimo ſeptimo die ſeruatus eſt. Pituita (ni fallor) bilem temperauit, compeſcuit & frenauit, morbumque protraxit, poſt biennium, hydrope correptus, interiit. Ebrioſus homo erat. *Thaddæus Dunus, c. 2. Miſcellaneor. Medicinal.*

Observatio.

Acutas febres ſæpe phreneſin & conuulſionem grauiſſimam inducere: cum qua ratione eorundem ſymtomata mitigentur.

CONTINVAS febres interdum in phreneſin, & conuulſionem, & alia quædam horrenda ſymtomata degenerantes ſæpe animaduertimus, maxime vero in quodam piſcatore Euchſtadiano Laurentio Gobelio: qui iam dum viuit, & valet. Is igitur cum iuuenis adhuc incidiſſet in acutam febrem, ac meo conſilio ipſi primo epatica vena, deinde eæ quæ ſub lingua exiſtunt, ſectæ eſſent, & leniente remedio choleram vacuante vſus eſſet, vna adhibita diæta refrigerante, non tamen potuit prohiberi, quin in delirium & phreneſin incideret. Quam etſi mitigare cucurbitulis, ſcapulis adhibitis, conaremur, ſequutæ ſunt tamen conuulſiones totius corporis vehementiſſimæ, quas ante primam inuaſionem præcedebant ictus ac oris deductio manifeſta, qualis in ridentibus aduertitur. Erant autem conuulſiones illæ tam vehementes, vt in paroxiſmo vix quatuor aut quinque robuſti viri ægro retinendo ſufficerent, mali huius magnitudinem augebat horridus clamor & vociferatio adiuncta. Igitur ad reuulſionis auxilia nos contulimus & in ſcapulis & dorſo, reliquiſque inferioribus corporis partibus ad decem cucurbitulas apponi curauimus, non omnibus tamen ſcarifica-

tis, ſicque malum mitigatum fuit, non ita tamen, quin deinceps duabus vicibus adhuc recurreret ſemper vnius diei ſpacio interpoſito. Verum cum ſingulis acceſſionibus reuulſoria prius dicta vſurparemus poſt tertiam inuaſionem malum non rediit. Intermediis vero temporibus cum æger ab acceſſionibus liber fuit, clamauit, furiit, fugam elabi ſæpe conatus eſt. Interdum cantillauit tanta linguæ, & tam admiranda celeritate, vt cantores, etiam exercitatiſſimos ſuperare, hac linguæ volubilitate videretur. Acceſſit & aliud quod non minus mirari liceat. Homo rudis Italicarum rerum & linguæ, Italicas tamen cantiones voce ſe expreſſit, vt quidam aſſiſtentes in Italia verſati, & teſtabantur, & ipſe etiam percipere facile potui. Porro reuulſionibus prius dictis & refrigerantia, & ſomnum inducentia tum interna tum externa cum confortantibus adiuncta ſunt, ac hoc pacto æger ex deſperatiſſimo affectu ſenſim ad ſanitatem integram eſt traductus. Sicuti & nos ſimilibus reuulſionibus, & phreneticos, & maniacos, & apoplecticos, & epilepticos, ac conuulſionibus correptos plures, præmiſſis tamen vniuerſalibus vacuantibus ad valetudinem priſtinam reduximus, vt facile perſpici poſſit, hos capitis morbos raro ex aliis humoribus, quam ex ſanguine efferueſcente, & violenter ſuperiora petente, proficiſci. De quo tamen plura in aliis obſeruationibus dicemus. *Oethaus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Deploratus phreniticus ſeruatus.

Capvt roſaceo cum modico aceto irrigetur, æſtate quidem tepido, hyeme vero moderate calido, quod in cunctis aliis medicamentis ſeruandum erat topicis: & ſi ambiens frigidior fuerit, commodum eſt & camæmelinum ex æquo ipſi admiſtum: velut ipſe Illuſtrem Indicum Picolhominеum, Ducis Amalfiæ filium hoc medicamento à phrenitide, cum à cunctis Medicis eſſet deſtitutus, liberaui: facta ex eo irrigatione ſupra coronalem commiſſuram, capillis prius tonſis. *Donatus ab Altomari c. 6. de medend. human. corp. malis.*

Observatio.

Phrenetici caſu & fortuito liberati.

Lvtetiæ Anno 1572. menſe Iulio, vir quidam nobilis, moribus ad omnem modeſtiam & comitatem compoſitus, in continuam febrem incidit, eaque occaſione phrenitis inuaſit, cuius æſtro percitus, præcipitem ſe per feneſtram è ſecundo ædium tabulato dedit, deciditque primum in ſcapulam Vaterræ Medici Ducis Alenconii, inde in ſubiectum pauimentum, qua ruina coſtas & iſchium grauiter contuſus, ſed interim ſibi reſtitutus rediit ad rationis & iudicii dexteritatem. Aderant ægro præter Vaterram euentus huius teſtes Medici. Alexis, Magnus, Duretus, Martinus.

Idem contigit eodem in morbo, & ſimili ex caſu, Vaſconi cuidam iacenti in domo Agrippæ, via ſtrata. Otthomannus Monſpeſſuli Medicinæ Doctor & Profeſſor Regius retulit mihi, fabrum quendam lignarium Broquerii pago Heluetiorum, phreniticum factum, ex alta feneſtra ſe in profluentem præcipitaſſe, ſtatimque vndis & fluctibus ereptum, mentis integritati fuiſſe reſtitutum. Cæterum ſi liceat caſum in conſilium artemque vertere, nolim ego ægros per feneſtras ædium præcipites dare. Sed magis probauerim derepente ac nihil tale cogitantes, in ingentem cuppam frigida plenam præcipitari, in caput prouolutos, nec inde niſi poſt multam aquam hauſtam eripi, vt repentino illo illapſu & forti timore fieret translatio materiæ phrenitidem committentis ſuperius, deorſum à partibus nobilibus ad ignobiles, quod fieri poſſe tum exemplis patet propoſitis, tum exemplo eorum, qui à cane rabido demorſi aquas formidantes in eaſdem ſæpiuſcule merguntur. *Pareus libro Introductorio ad Chirurg. cap. 23.*

Theodorus Petri, vir craſſus, obeſus, & maxime carnoſus, ex parte temperaturæ ſanguineus, cui tamen portio pituitæ aderat, annos 38. natus, qui in platea ſacerdotum dicta Alcmariæ commoratus. Hic Amſtelrodamo domum rediens, vbi per tres continuas noctes apud conciliatores in contractibus, quam ſympoſia libera forent, diuerſis, craſſis, & fortibus ceruiſiis, & vino ſeſe impleuiſſet, atque ſine ſomno degiſſet, phrenitide cum perpetuo delirio correptus eſt, ac febre continua, quæ huius ſoboles eſſe ſolet. Ad hunc menſe Martio, Anno 1547. cum decumberet, noctu accitus fuit: quem quam blande admodum alloquutus eſſem, magno periculo fere ac meo damno, ex lecto in me quodammodo irruiſſet, niſi eundem hominem robuſtiſſimum etiam furore exagitatum, viri fortes, qui tunc præſentes erant, in lecto vi detinuiſſent. Huic autem (vti hoc malum exigit) quam ſanguinem libenter detraxiſſem, admittere noluit, quare Epithema ſeu Frontale ex aq. end. plantag. roſ. vncia vna roſ. ol. drach. ſex aceti roſ. vnca ſemis fronti admoueri iuſſimus cum panno lineo inculcato & expreſſo: at ager in mille partes ilico diſcerpebat. Mane redeuntes ægerrime ad ſectionem venæ, mulierculis ineptis diſſuadentibus, me atque Chirurgo præſente ſuadentibus adductus eſt, ita vt glande prius ſequenti (℞ pul. hier. pic. ℈ j. s. drach. de agar. ℈ s. diagr. gran. iij. Satis parum, mellis quantum ſufficit. f. ſuppoſ.) aluo fæces reddente, paulo poſt vena cæphalica ſecta fuit, ſanguine nigerrimo & calidiſſimo exeunte, faſcia ſtricte vulneri alligata, ne eam auferret, vel disligaret, aſtantibus vt eius rationem haberent, diligenter præcepimus. Nocte vero ſubſequente, vt ſomnum conciliaremus, tempora inunximus linimento ſequenti. ℞ Olei mandrag. papau. &c. ℥ s. opii thebaici gr. vij. Croci gran. ij. Miſce. Potus erat Aq. hordei quamuis mente captus, parum aut nihil bibebat. Cæterum poſt venæſectionem febris multo mitior videbatur, delirio tamen perſeuerante, cum quodam furore & mania: ita vt prorſus nulla medicamēta tam intus aſſumta, quam extra admota admitteret, imo ne potum quidem ſumere voluit: vnde neque illi aluus ſoluebatur, imo fęces detinebantur, ita vt clyſterem inieciſſemus, modo admiſiſſet. Fuco igitur opus fuit, & ſic 4. die in homine robuſto ſolutiuum ſatis forte ac vehemens, præſcripſimus, illo inſcio: quod eo tempore, etiam ſub noctem, cum ſitiret, dedimus, in hac forma. ℞ Elect. de ſucco roſ. ℥ ij. diaprunis ſolutiui ℥ j. s. diaphoen. (quia propria

natura ex parte pituitoſus erat, & febris minus vehemens videbatur, & quanquam deliraret, phrenitis nō omnino exquiſita cernebatur) ℥ ij. Diagridii gran. ij. Aq. Betonicæ Lactucæ, Fumar. Bugloſſ. an. ℥ j. miſce & f. potus. Cum autem hanc potionem ſumſiſſet, præceperam, vt diligenter ab aſtantibus, viriſque fortiſſimis cuſtodiretur. Per totam autem noctem ſequentem, in furorem quodammodo agebatur, inquietus permanebat, medicamento non operante: tandem in diluculo vi ſeſe à manibus cuſtodientium diſſoluens, caligis (quas exuere prius non poterant aſtantes ob delirium) tantum veſtitus, thorace quoque indutus, abſque pallio, diſcalceatus foras erupit, & furibundus ſummum templum ingreſſus, tanquam maniacus, ſub concione quum quadrageſima eſſet, cum multorum confuſione hinc inde diſcurrentium, magnam turbam concitauit, eodem autem tempore cum ipſemet in concione eſſem, & hominis furibundi vocem clangoſam audirem, atque eundem furore percitum, ſpectarem, ilico clam me ex templo ſubduxi. Nam Phrenitici aut maniaci præſentia Medico periculoſa eſt, ſi non ſtricte cuſtodiantur. Prima nocte quum ad illum delirantem & furibundum euocatus eſſem, atque me ad ipſum accedentem longa tunica indutum cerneret: Non fero, inquit, iſtos tunicatos: atq; ſimul erumpens ex lecto, me petere videbatur, & in me irruiſſet, niſi pedibus celer, atque iuuenis tunc adhuc exiſtens, ianua poſt me occluſa, ex ædibus foras euolaſſem: neque redire volui quin ipſum arctiſſime in lecto aſtantes robuſti continuiſſent.

Venit etiam tunc mihi in mentem caſus haud diſſimilis prioris de quodam, Iohanne Bekeſtenio, Hærlemenſi phrenetico, quem Iohannes Tyengius Medicus Amſtelrodamenſis eo tempore inſignis, Anno 1531. in curatione, cum aliis præſtantiſſimis Medicis habebat, qui ex Phrenitide in furorem verſus, domum erupit, cum neglectim à miniſtris haberetur, & niſi adfuiſſent quidam præſentes, qui hominem phreniticum & furioſum ex aqua traxiſſent, eidem aqua ſuffocatus fuiſſet.

Sic etiam in Hagha, Comitis matrona quædam, puerpera phrenitica, cum ab obſtetrice tum aliis minus cuſtodiretur & ſola eſſet, è lecto ſurrexit, & per feneſtram ſaltans, miſere obiit. Quibus exemplis docemus, vt phrenitici nunquam ſoli abſque diligenti cuſtodia manere debeant. Cæterum noſter æger cum ita templum ingreſſus, quemadmodum dicere ceperamus, tandem per fratrem qui illum ſequebatur, blandis verbis illectus à templo deductus eſt, in ædes fraternas, quæ apud ædem D. Claræ ſitæ erant, extra vrbis portam, domumque ingreſſus æger, vaſculum repperit ſero lactis repletum ibidem, quo ſeipſum ſitibundum more beſtiali adeo repleuit, ita vt medicamentum ex nimia ingurgitatione ſeri lactis, ſupra modum operari reperit, aluo egregie laxata vltra 12. vices: mox ab alui illa deiectione in lecto collocatus, in ſomnum profundiſſimum incidit, ita vt per totam noctem & diem deinde ſubſequentem dormierit. Deinde à ſomno, (dictum mirum:) cum euigilaſſet, ad mentem rediit, fratremque interrogare cæpit, quomodo ædes eiuſdem intraſſet, & quid ſibi contigiſſet. Frater vero quum illi omnem rem tranſactam enarraſſet, æger confuſus eſt rubore, quamuis priſtinæ ſanitati hoc modo reſtitutus, incolumis domum remeauerit. *Foreſtus lib.10.obſ.1.*

MORTVI PHRENETICI.

OBSERVATIO.

Intempeſtiuo refrigerantium medicamentorum vſu nonnulli phreniticis veternum, lethargum, & tandem mortem conciliaret.

VIGILIIS valde infeſtantibus licebit camæmelino miſcere decoctum capitum papaueris, & tepidis fouere caput. Quæ enim frigida admouentur, humorem & vaporem compingunt, & quæ valide ſtuporem inducunt, vti mandragora, cicuta & opium, in contrarium deducunt affectum, & immedicabilem efficiunt paſſionem. Vidimus enim quoſdam, quos Medici immodica refrigeratione perduxerunt in veternum, lethargicos periiſſe. *Chriſtoph. à Veiga. libro tertio, capite ſexto. Art. Medend.*

OBSERVATIO.

Fœmina ex febri ardente cum phreneſi mortua.

ANNO 1567. menſe Iunio Ambergæ in Palatinatu ſuperiori, mulier quædam, quæ acu ſibi victum quærebat, ex ingenti animi mœrore, febri ardenti cum capitis dolore, cui poſtea phreneſis ſuperuenit, correpta: vulgus duxit Vngaricum illum morbum fuiſſe. Signa omnia atteſtabantur hanc phreneſin ex ſanguine eſſe, ridebat, iocabatur, cantabat, omnibuſque geſtibus hilaritatem exprimebat, interim ad interrogata reſponſum dedit, aliquando non: frequenter manum capiti, tanquam iſthic dolorem perſentiſceret, admouit: tempeſtiue fuit leuibus medicamentis purgata, & vena illi ſecta, ſanguis erat maiori ex parte pituitoſus, crudus & ſeroſus: tandem reſipuit, & paulo poſt animam expirauit. Aperui caput, dum ſerra craneum remouebam, effluxit aqua loturæ carnium ſimilis: tenuis membranæ & plexus choroidis vaſa aquoſo & pituitoſo ſanguine turgebant: vterque ventriculus tam dexter quam ſiniſter plenus aqua fuit inuentus, nullam nec in membranis, nec in cerebri ſubſtantia deprehendere quiui inflammationem. Ex ſinubus duræ membranæ cerebri vt alias ex ſuſpendio enecatorum cerebris, extraxi fibras ſeu filamenta craſſa, lumbricis non diſſimilia, ex alba pituita conflata, ſimiles ſumpſi ex cordis ventriculis. *Coiter in Libell. Obſeru. Anat. & Chirurg.*

OBSERVATIO.

Ex leui catarrho, rubor in facie natus, cum futuri delirii notis ſubſecuta phrenitis, conuulſio, tremor leuiuſculus, & ſudor frigidus: vnde morbi malignitate victus æger.

STephanus Hacque cœpit leuiter è catarrho laborare. Rubor quidam apparet in facie: multa loquitur, prudens futuri delirii coniectura. Quarto die, quo ſtatim detractus ſanguis, melius habere viſus. Sexto delirauit nocte. Matutino melius habuit. Sequenti nocte phreniticū auctum malū, conuulſio totius corporis & maxillarū. Adhibitis remediis ceſ-

ſat phre-

tat phrenitis & conuulſio, niſi quod leuis quidam tremor ſubapparebat. Decimo apparuit vrina melior cum leui ſedimento diuulſo, acuto. Sub meridiem ſudor frigidus. Eodem die, rite omnibus alioqui inſtitutis, & nullo peccato ab ægro neque à miniſtris, morbi malignitate mortuus eſt. *Hollerius libello obſ. propr. curat.* 28.

Observatio.

Adoleſcens, cui tumor ad malleolum obortus, ſubſequentibus balbutie, febri latente, ſiti, & lingua fuliginoſa phreniticus factus: quarto die moritur.

Cuidam adoleſcenti annorum 15. tumor, velut inflammatio, ad malleolum dextrum. Adhibita iuſta remedia. Quarto die cœpit balbutire, cauſari ſtomachum, delirauit. Cum autem videretur qualitas venenoſa efferri à pede putaui adhibendum loco cauterium potentiale, aut locum eum ſcarificandum eſſe. Quod minime factum eſt, reclamãte pertinaci & imperito barbitonſore. Clyſter iniectus, à quo conuenienter deiecit. Auctum delirium. Phreniticus eodem die quarto mortuus, April. menſe, anno 1548. in collegio Barbarano. Febris erat latens & obſcura, ſitis ingens, lingua fuliginoſa. *Idem libello proprio. curat.* 27.

De Lethargo et Caro.

Observatio.

Lethargico diſſecto, abſceſſus & pus in anteriore cerebri parte repertum.

Inter ſoporiferos affectus Lethargus eſt. Catocho tanto difficilior eſt ac periculoſior, quanto cauſa eius frigidior, & viſcidus pituitoſus humor amplius præpollet. Non ſubito veluti Catochus apprehendit, ſed ſenſim ſomniculoſis obrepit. Mulier quædam honeſto loco nata, cum aliquot diebus capitis grauitate laboraſſet, adeo fuit ſomniculoſa ac in ſomnum propenſa, vt quæcunque agens, dormire ſemper cuperet, ac aſſidue in ſomnum dilaberetur: à quo initio excitari potuit, tandem vero accedente febri non potuit. Remediorum vſum hæc neglexerat nec Medicum accerſiri admittere voluerat. Itaq; non prius vocatus, quam omni ſenſu deſtituta in grauiſſimum ſoporem delapſa eſſet. Detractus illi mox ſanguis fuit è vena iuxta digitũ magnum dextri pedis: enemata iniecta: cucurbitulæ naribus & humeris admotæ: topica multa alia adhibita: verum his non proficientibus, tandem mors ſuperuenit. Capitis huius cranii oſſe ſublato, abſceſſus in anteriore cerebri parte repertus, & pus interiori cranii oſſis parti adhæreſcens: quod & è naribus paulo ante mortem irritatis, profluxerat. *Dodonæus obſeruat. Medicinal. cap.* 7. Ætius ex variis cauſis Lethargum originem ducere refert: & quandoque cerebrum per conſenſum, quandoque vero primario laborare. Verum iſte lethargus non per conſenſum, ſed proprius cerebri morbus fuit, & quidem partis anterioris, cuius partis affectum lethargum eſſe veteres teſtantur. Galenus morbum eſſe refert phreniti di contrarium. Phrenitis ſiquidem fit ex bilioſo humore ſuperabundante: Lethargus vero cum pituitoſus præpollet, quem in præſenti lethargia copioſum fuiſſe pituitoſus ſanguis oſtendit, atque adeo quidem tentus ac viſcoſus, vt ſimul cum aqua permixta, inſtar iuris carnis muſculoſæ concretus mox fuerit, tenuis glutinis, aut gelatinæ vulgo dictę, ſpecië & conſiſtentiam referens: quod non niſi admodum crudo, pituitoſo, viſcidoque contingit. Talis autem ſanguis in quocunq; morbo apparuerit, crudorum, pituitoſorum humorum redundantiam oſtendit, & morbum lethalem aut diuturnum ac difficile curabilem. Nobis certe lethales obſeruati ſunt morbi, tali apparente ſanguine. Sed ad lethargum reuertamur. Huic reſpondere Paulus ait Caron: ſed tamen hoc diſcrimine differre, quod carus vel abſq; febri accidat: vel ipſam ſubſequatur: è contra vero lethargus prior inuadat, febris deinde ſuccedat. Caro ſimilis eſt grauis & profundus ſomnus, qui ebrios occupat. Suidas hunc Caron etiam appellat κάρος ἐστὶν ἡ ἐξ οἰνοποσίας ἐγγινομένη μέθη, καὶ καταφορά: hoc eſt: *Carus eſt ex vini potatione ebrietas & grauis ſopor. Idem in annotationibus.*

Observatio.

Capitis dolore ſoporifero puer enectus, cuius cerebro diſſecto, circa opticum neruum, abſceſſus ſanioſus, vna cum glutinoſa pellucida aqua deprehenſus eſt.

Sodę Subethicæ, hîc iam multos interficiunt pueros: quorum è numero ante ſex dies. D. Georgii Fuggeri octennem filium, cũ eum 14. die ſopor citra febrem rapuiſſet. Diſſecto corpuſculo, omnia ſalua reperimus. Tantummodo in media parte ſubſtantiæ cerebri ſiniſtri, ſupra oculum ſiniſtrum prope neruos opticos, ſinum apoſtematis caſtaneæ magnitudine, vacuum deprehendimus (iam enim in ipſa ſerratione caluariæ pus per nares exierat mortuo) quem cum amplius videndum palparem, & ſiniſterius cerebrum eximerem, erupit clara ſcilicet mucilaginis ſubtilis inſtar aqua ad dimidiam vſque libram, quæ ſub cerebro ſupra neruos opticos & rete mirabili vocato delituerat. *Ex epiſtola Achillis Gaſſari ad Geſnerum à Wolphio communicata.*

Observatio.

Medicus ſeptuagenarius ex diuturna febri in lethargum incidens, pro deplorato à medicis relinquitur triduum totum: reuiuiſcit tamen paulatim, & vi naturæ tacite operantis integræ ſanitati reſtitutus eſt.

Medicus Luſitanus, ſenex ſeptuagenarius, febri continente grauiſſima Auenione correptus, ſoporatus & fere apoplecticus factus decimo quarto die, ad multos dies ſine cibo & potu vitam ducens, ſine voce & ſenſibus omnibus deſtitutus, tanquam mortuus iacens, & à medicis pro deplorato relictus (in queîs & ipſe aſcitus eram) tandem ſenſim naturæ ope reuocatus, poſt bimeſtre tempus, & eo amplius conualuit, integræque ſanitati reſtitutus fuit. Erat autem ſenex temperamento frigido & humido, pituitoſus & excrementis abundans, carnoſus, vorax, & parum in victu cautus. *Valleriola. lib.* 6, *obſeruat.* 7.

Observatio.

Lethargicorum ſolo Caſtorio, & aliorum balneo curatorum, hiſtoria.

Si lethargus & malignus eſt & inueteratus, capillos adimito, vngitoque iis tunc caput, quæ exaſperare ac vellere cutem poſſunt, vna cum caſtorio,

datoque ipſis potui caſtorium præ omnibus: idque faciendum eſt præſertim hora vna ante acceſſionem. Etenim extenuat & corpus quod perfrixit, & prope eſt vt totum emoriatur, recalfacit fouetque. Ego ſane noui multos eo morbo victos, hoc ſolo remedio mortem euaſiſſe. Item per ſe exhibitum proficit: adhuc autem magis cum oxymelitide: Quod ſi æger recrementis plenus fuerit, etiam cum aliquo ad ventrem ſubducendum efficaci, præſertim ſcammonea, dari debet. Sufficit autem vnum ſcammoneæ ſcrupulum aut paulo plus minúsue pro virium ratione duobus caſtorii ſcrupulis adiicere. Iam vero non ſolum auxilia extenuantia eſſe debent, ſed etiam cibus talis exhiberi. Quare ſuccus quoque amygdalarum ex melle coctarum præbendus eſt, ac ptiſana, quæ habeat comam porri aut apii, aut hyſſopi, niſi ægri vehementer febricitent. Si enim febris vehemens fuerit, abunde eſt etiam ſolius apii radix, & oxymeli ſimplex: tum ex ptiſana, tum per ſe ſolum. Salutares ſunt etiam micæ panis ex apomelite aut hydromelite datæ. At hydromeli cibiriticum dare ipſis non oportet: imo neque cnidium prorſus, morbo adhuc concoctionis experte. Vbi vero concoqui inceperit, nihil obſtat & lauare ipſos, & vini paulum exhibere: præſertim à ſanguinis miſſione, ventris ſubductione & mediocri corporis totius purgatione: verum balneum timeri nō debet, niſi recrementorum copia ſubſit. Nam quæ in cute hærent ſuperflua, magis balnei calore moderato digerentur. Ego certe noui me quoſdam ita laborantes neque ſuſpicere præ multo ſopore potentes, neque hoc ipſum quod lauarentur percipientes, poſtquam à ſeptem diebus in balneum duxiſſem, magis ab eo excitatos inueniſſe, vt reſpicere, loqui, nonnullosque aſtātium agnoſcere potuerint. Quare ſi vires robuſtæ appareant, in balneo lauandum eſt: ſi imbecilliores, vt æger laſſitudinem aut calorem balnei ferre nequeat, domi lauato, vaſe quodam aqua calida repleto, in quo æger collocetur, ita vt ſedeat, capite aquam excedente. Facile autem eſt eiuſmodi vas ex lignis parare. Non madefaciet autem caput æger, quoniam præterquam quod nihil à calidæ ſuperfuſione iuuatur, etiam animæ defectionem celeriter ſuſtinet. Sic igitur donec ſemel aut bis lotus æger fuerit, agendum eſt: deinceps tandem ad balneum ducere ipſum, & conſuetis nihil ſuſpicantem abſtergere conuenit. Eiuſmodi curatio etiam in his qui veternoſo ſopore, quem Caron vocant, premuntur, tentanda eſt, neque enim ea multum variabit, neque cauſa. At noſſe oportet caron in anteriore potius capitis parte conſtitui: quare etiam ſenſoriæ ipſorum vires magis oblæduntur. *Alex. Trallianus, lib. 1. c. 14.*

Obſervatio.

Lethargus vnico cauterio ſanatus.

QVidam Germanus correptus lethargo, ita vehementer ægrotabat vt ſenſibus plane deſtitueretur, nihil comedens, ſed quaſi exanimis iacebat mouebat tamen interdum brachia & pedes. Virtus enim animalis intenta erat morbo. Ludouicus de Leonibus Medicus, ſuo tempore celebris, iuſſit ſtatim cauterium actuale in ſutura coronali fieri, & melius habuit. Corroborat enim tale Cauterium cerebrum & materiam reſoluit. Idem in quâdam fæmina quoque feliciter præſtitit. *Ex manuſcriptis obſeruationibus Ioach. Camerarij ſenioris.*

Obſervatio.

Ad lethargum remedia aliquot, comprobati vſus.

SVccus conſolidæ maioris bibitus ad ℥ij. in lethargo & profundo ſomno commendatur. *Camerarius.*

Ad Lethargum veriſſimum, adeoque de experimento cognitum remedium, Satureia, cum floribus vino incocta, & calens occipiti admota, cum decocti huius aliquot guttæ auribus inſtillatæ, lethargicos, difficili, & pertinaci ſomno oppreſſos, velut raptos excitat, & reuocat certo experimento. *Handtſchius.*

Obſervatio.

In caro memoria ſuperſtes.

IN quodam deprehendi vnam conſtitiſſe memoriam. Is cum per acceſſionem ita ſopiretur, vt nec pilorum auulſionem, nec punctionem ſentiret, excitatus tandem omnia furore quodam memorauit, quibus acerbe excruciatus fuerat in ſopore. *Fern. lib. 5. cap. 2. Pathol.*

DE CATOCHO, CATALEPSI ET *congelatis.*

Obſervatio.

Catocho ſeu catalepſi correptorum horribiles & miſeranda forma ſeu modi, ſymptomataque mire varia.

QVidam ex noſtris condiſcipulis, cum aſſiduo diſciplinarum ſtudio ſe fatigaret, malo hoc (Catocho) correptus eſt. Iacebat enim veluti lignum prorſus inflexus, rigidusq; atq; extenſus, videbaturque oculis apertis nos ita intueri vt ne conniueret quidem: nihil tamen loquebatur. Is quoque tempore eodem, quæ loqueremur, audire ſe dixit, quanquam non euidenter clareque: nonnulla item & memoria tenens referebat, præſentesque omnes ſeſe conſpicere dixit, ita vt quorundam actiones recordatus exponeret: ſed neque loqui poſſe, neque membrum vllum mouere. *Galenus comment. 2. in 1. Prorhet. Hipp. cap. 56.*

Rarum hoc malum, & cuius admiratione ſpectatores obſtupeſcunt, laborantes duos referam, quorum animaduerſio in cæterorum cognitionem adducat. Vnus dum literis & chartis ſedulo inuigilaret, repente hoc vitio perculſus: ita quidem obriguit, vt ſedens calamumq; digitis premens, oculis in libros deflexis, putaretur in eorum ſtudia incumbere, donec vocatus ac impulſus deprehenſus eſt omni ſenſu motuq; carere.

Alterum mortui ritu iacentem inuiſi, qui neque cernebat, nec audiebat, neque compunctus ſentiebat quicquam: facilis tamen inerat ſpiratio, & quicquid in os inſerebatur, prompte vorabat. E lectulo ſublatus ſolus conſiſtebat, impulſusque incedebat, & quocunque vel manus vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quaſi fixum, ac ſtabile permanebat. Expreſſam quandam dixiſſes laruam, aut arte progredientem ſtatuam. *Fernelius lib. 5. c. 2. Patholog.*

Superiore anno cum D. Valleriola viro doctiſſimo & humaniſſimo pauperem vidimus ſenem, e

xuccum

xuccum, & extenuatũ hoc malo raptum, qui menſæ accumbebat apertis oculis, erecto ac firmo corpore, manu dapibus admota vt viuere & prandere mortuus videretur, & ita rigidus, vt collum à me torqueri vix potuerit. *Iacotius comment. ad aphor. 7. lib. 2. Coac. Hipp.*

Catalepſis erat, à ſanguine melancholico cerebri ſubſtantiam occupante, quam patiebatur puella in quodam pago non procul à Nemauſo in Simeneis montibus. Hæc erat annorum vigintiquinque, nupta cuidam iuueni quem parum amabat: vixitque tantum dies octo cum eo, vbi hoc morbo ob animi ægritudinem corriperetur. Quam ob cauſam in parentum ædes rediit in quibus tam diu à malo illæſa permanebat, quam mariti obliuio duraret: recrudeſcebat vero, quum de marito cogitaret, vel illius mentionem audiret: aut etiam quando ad illam inſciam maritus forte veniret, priuſquam eum vel videret vel audiret. Quod ſi in via aquæ hydriam geſtaret, eam quandoque deponebat, aliquot horas in eodem loco ſedens vel decumbens, oculis & ore apertis, ſine ſenſu & motu, niſi quod ventris & coſtarum infernarum muſculi multum mouerentur. *Ioan. Wierus de præſtigiis dæmonum. libr. 5. cap. 35. Ex Rondeletio de curandis morbis, cap. 20. libr. 1.*

Monialis hunc morbum patiens ter, & quater in menſe nulla præſente febre ab eodem capiebatur, & ea forma, quâ eam ſtantem inuadebat, permanebat, & tanquam ſtatua rigida ſe habebat, ſine motu, & ſine ſenſu erat, adeo vt etiam ſi tunc temporis pungeretur, vel ſecaretur, nihil ſentiret, nec vllius rei poſt ſolutam acceſſionem meminerat: in reſolutione autem acceſſionis incipiebant quædam ſuſpiria, & quædam vox clangoſa, cum ſemper prius ſine loquutione muta permaneret: huic aliquando viſum eſt crus ſiniſtrum conuelli, qui forſan eſt caſus ſimilis poſito *ab Hippocrate libr. tertio. Prorrhet. text. 66.* hæc curata eſt à me per vniuerſalia, & per particularia, & ſana facta eſt. *Salius annotat. ad cap. 4. pract. Altom.*

Sub doctiſſimo Medico Curtio, vt mihi aliquando à fide digno relatum eſt, cum Sacerdos in ſacrificio conſueto manus in altum eleuaſſet, in tali habitu permanebat, vulgares & plebei ſpectantes, diuinum quid eſſe putabant, ac ſacerdotem cum Deo colloqui, & in ecſtaſin raptum eſſe exiſtimabant: quanquam Medici periti & exercitati Sacerdotem deprehenſum & congelatum, ſeu catalepſi correptum eſſe animaduerterunt.

Cum Metim obſiderent milites in aſperrima hyeme, niue ac gelu admodum horrido exiſtente, milites paſſim, tum equites, & potiſſimum pedites, gelicidio coereti, catalepſi correpti, in excubiis cateruatim mane inuenti ſunt mortui, vt inſignis vir Ioãnes Heuterus, cognatus vxoris meæ, qui in obſidione erat, nobis narrauit. Omnes iſti, catalepſi, ex ingenti frigore contracta, obierunt. Vnde & *Theomneſtus* qui *de veterinorum morbis* ſcripſit. Nos, ait, Italiam petentes cum Alpes ſuperauiſſemus, repente tanta vis niuium præceps circiter horam primam deuoluta eſt, vt paſſim milites gelicidio concreti animam efflarent: equis enim inſidentes diſtenti manebant: equum adhuc vita fungi, ſors ferebat, qui militare cadauer gereret, agmenque ſequeretur: defunctus autem ante & ſcutum & habenam tenebat, inſidebatque rigidus, tanquam equo modo quodam agglutinat⁹ cohæſiſſet, ſic vt non ſine negotio, à viuentibus auelleretur. Si vero vna quoque mortem oppetiuiſſet equus, gelu rigens perſtabat, & vndique fixus in veſtigio manebat. Ita quoque & pedites prope Metim congelati haſtas in manibus adhuc tenentes mortui deprehenſi ſunt. Iſti videtur prius ex frigore in catalepſim incidiſſe, & cum ad manum Medici non eſſent, poſtea congelati obierunt. Hoc enim malum admirandum in modum hominem afficit. *Foreſtus obſeruat. 41. lib. 10.*

Congelationis ſpeciem, vt puto raram, me obſeruatam præterita hieme memini. Puella eſt 20. annor. quæ per menſes nec dum purgata eſt. Ea quoties ab hoc malo deprehenditur: deprehenditur autem ſæpius non ſtans modo vel ſedens in eodem habitu manet, ſed inter eundum correpta procedit, licet lento gradu: imo etiam interdum onus capiti impoſitum geſtans progreditur. Quamuis puellam non viderim, ſed à parentibus ipſius hoc ita ſe habere intellexerim. *Gabelchouerus de obſeruat. ſuis.*

Fuit Francobergæ quidam in Haſſia, qui dum in templo ſacra aqua ſe conſpergeret vellet, ſtatim cum aquam ſenſiſſet congelatus eſt, & rigidus & arrectus cum flabello in manu contento in templo conſtitit, & mortuus eſt ſtans, magno hominum miraculo. *Lonicerus in explicat. morborum cap. de congelatione pag. 5.*

Vidi qui & ſubito cum integerrima fruerentur valetudine, eo malo deprehenſi, vt niſi interrogati non reſpondiſſent, non animaduerteretur vitium accumbentibus in menſa. Vidi qui è delirio in catochen inciderunt, alius è febre. Quibuſdam, vt modo delirarent, nunc conuellerentur, nunc κατόχως iacerent. Quidam ingemiſcunt, alii iuſſi vt linguam exerant, vtcunque intelligentes, vt id præſtent, annituntur. Alii memoria retinent, quæ audiunt. Audiunt autem obtuſe, præſentes agnoſcunt, ſed nec loqui poſſunt, nec corpus mouent, quomodo condiſcipulo Galeni contigit. Nonnullis ſic auctum malum eſt, vt rigidi immotique iaceant, nec vllum ſignum edunt ſenſus, motus, memoriæ, aut intelligentiæ, παρακρούοντες autem non quia loquantur abſurda, aut geſtu delirium referant. Non loquuntur enim, neque mouentur. Oportet igitur interualla quædam eſſe, vbi & geſtu & ſermone delirium oſtendat, alia vbi κάτοχοι iaceant, quod nos vidimus ἀπολη φθέισης κοιλίης. *Hollerius comment. ad aphoriſ. 13. libr. 5. Coac. Hippoc.*

Vidi in quo comatis, epilepſiæ, catoches, conuulſionis mutatis vicibus ſigna ſe proderent. *Idem comment. 2. ad aph. 8. lib. 2. Coac. Hipp.*

CAVSÆ.

Observatio.

Catalepſos ſeu Catochi cauſæ variæ examinatæ, & noua verior conſtituta.

NOminis definitio ex effectibus ſenſibilib. ſumpta nota eſt cunctis, res ſiue rei definitio, ſiue ſympto-

ſymptomatum cauſa fortaſſe nulli ſatis eſt comprehenſa. Ingruit hic morbus ſubito, & in quo ſtatu ægrum offendit, vigilantem, loquentem, ſcribentem, ſtantem, &c. in eo immotum ſeruat, ac ſi conglaciatus eſſet: vnde & congelationem appellare ſolent. Eſt in eo vt in aliis magna latitudo. Etenim aliqui nihil ſentiunt. Alii vel audiunt vel vident, licet palpebras oculóſue mouere nequeant. Alii manus mouere nonnihil viſi ſunt. Quidam imaginari feruntur, ac veluti ſomnia vidiſſe. Dolore pleriq; omnes vacare perhibentur. Reſpiratio in omnibus aut leuiter aut nullo modo impedita reperitur. Pulſus quoq; non admodum mutatur. Hæc, inquam, ſunt ſymptomata quæ apud Galenum, Ætium, Paulum, recentiores inueniuntur: & in nobili quodam ipſe quoq; notaui: ex quibus notatio perſpicua eſt. Nihil autem perfecti nos hîc ſcire, ignorata vera cauſa, nimis intelliget, qui exponere aliis tentabit. Alii ad frigidam intemperiem confugiunt, ſed parum tuto loco conſiſtunt. Non enim repente adeo intemperata fieri cerebrum eiuſque ſpiritus poſſunt, vt ſubito hic morbus ingruit, & celeriter iterum ſoluitur. Adde quod motu ſenſuq; priuari eos oporteret. Non fieri hoc inde patet, quod aliqui ſtantes aut ſedentes, aut in alio habitu comprehenſi tales permanent: vt iam taceam, quod quidam ſentire potuere, ac non prorſus nulli loqui in ipſo paroxiſmo auditi ſunt. Non deſunt, qui diſtentionem cerebri, quam venarum & arteriarum, per cerebri membranas exporrectarum repletio efficiat, pro cauſa adferant. Sed ab hac cerebri membranarum tenſione naſci prędicta ſymptomata non poſſe, quiuis intelligit. Non ſunt hæ cauſæ actionum principum: cum eximi quoque poſſint abſq; eo, vt ſenſus motusq; ſtatim lædantur. Si enim poſtea fiat cũ eo non pugnat quod aſſerimus: vt ſcitè prudenterque Galen. de hac ipſa re diſceptans monuit. Ergo membranarum tenſioni ventriculos conſentire oportet: hoc eſt, eouſq; ambientes membranas per quas venæ & arteriæ diſſeminatæ feruntur, tendi oportet, vt internæ ventriculorum membranulæ ſimul tendantur. Quippe intemperie nulla afficiuntur: nam morbi repentini omnes à materia aliqua excitantur, ex omnium medicorum ſententia: cum fieri nõ poſſit, vt magna intemperies vel ſubito inducatur, vel repente ſoluatur, quoties præſertim vel cauſa externa vehementer alterans abeſt. Ipſi quoq; ſententiæ huius, de qua diſputamus, aſſertores, ſanguinem replentem intemperatum nõ eſſe aiunt. Materiam igitur aliquam in ventres influere oportet, extenſis repletisque membranis ac venis. At eadem ſi abſque tanta repletione vaſorum per membranas ambientes cerebrum reptantium in eoſdem illabi, aut eorum membranulam alia ratione intendere poteſt, fruſtra incertam cauſam & remotam pro vera & proxima introducunt. Ego profecto non video quomodo repente ſic poſſint repleri venæ, quæ eouſque diſtendant membranas, vt cerebrum & in eo contentos ſpiritus reddant immobiles. Alii quidam ſanguinis melancholici, frigidi & ſicci ſobolem faciunt, ſed generationis modum & affectus naturam non exprimunt. Priores opinionis ſuæ firmamentum aliquod habent. Quidam enim copioſo ſanguinis ex naribus fluxu liberati ſunt. Probabile igitur eſt, ſanguinem cauſam fuiſſe. Probabile ſi ſit, verum ob id non fuerit. Si nihil huic ſimilitudini veri aduerſaretur, acquieſcere poſſemus. Sed cum alia plura, tum hęc etiam repugnant, quod paroxyſmi ſæpe ſunt breues: quod nullo præcedente ſenſu grauitatis ſubito occupant: quod faciei color in plurimis non mutatur: quod fermè frigidis accidit: quod pauciſſimi hoc modo liberantur; quod melancholicis potius accidere veteres dixerunt: qualis & ille fuit, qui, dum mea vteretur opera in quartanę curatione, inopinato in hunc incidit morbum. Nec mirum eſt, vna cum ſanguine cauſam mali, quæcunque tandem fuerit, effluxiſſe. Quinimo quam ego cauſam eſſe ſuſpicor, fluxui occaſionem præbere potuit. Cauſam eſſe quid putem haud difficile, quod verum ſit non perinde facile mihi eſt dicere. Hoc primum conſtat, cauſam huius morbi eſſe materiam, quæ celeriter accedere iterumq; recedere poſſit. Certum illud etiam eſt, mentem ſenſusq; non lædi, niſi vel in cerebri fabrica, vel in ſpiritibus vitium contigerit. Manifeſtum non minus eſt, obſtructos non eſſe cerebri ſinus: cum & ſtantes & ſedentes correpti in eo ſtatu perſeuerent, & nonnunquam videant atq; audiant aliquantulum: ſemper autem ſine offenſa reſpirent. Fit hoc conſimili motu ſeu modo, quo brachium ſublatum immotum conſeruamus. Nec dubitat quiſquam puto, quin reſolutio potius quam rigiditas neruorum ac membrorum conſecutura eſſet, ſi humor craſſus ac denſus in cerebri ſinus ſubito illaberetur: tantus, inquã, quantus totius corporis rigiditati procreandæ ſufficiat. Veriſimilius mihi videtur dicere, qui vaporem frigidum & ſiccum in ventriculos cerebri irruentem eoſdem diſtendere, & ſpiritus quodammodo ſiſtere immobilesque reddere dicat. Nam ſi & ventriculi naturaliter ſint affecti, & ſpiritus nullo vitio laborent, neceſſe eſt tum operationes cerebri primarias, tum ſenſum motumque corporis (ſiquidem in ipſis membris nullus inſit morbus) integra inoffenſaq; manere. Ergo cum neque intemperies, neq; ventriculorum cerebri obſtructio hîc vlla cogitari, neque craſſus humor in eoſdem incidens abſq; obſtructione prædictas actiones poſſit lædere, neceſſarium omnino eſt, vt à materia ſubtili vitium hoc excitetur. Quo autem pacto vapor aut flatus talia ſymptomata generet, nondum liquet. Si mordax ſit aut inimica qualitate præditus, epilepſiam efficiet, dum ad expulſionem ſui cerebrum commouebit. Si craſſitudine ſua obturet meatus, paralyſin generabit. Ergo videtur diſtendendo ventriculorum actionem & ſpirituum motum impedire.

Cõpararem huic diſpoſitioni veſicæ illũ affectum, in quo nimium diſtenta vrinam excludere nequit, niſi obſtructio in ea fieret. Hîc meatus cerebri patere, ſed ſpiritus non eodem quo prius, modo moueri videntur. Quocirca vt nominare cerebri hanc affectionẽ non poſſimus, diſpoſitionem tamen eiuſmodi eſſe intelligimus, in qua ſpiritus propter flatũ abſq; occluſione meatuum cerebri, quos ventriculos vocamus, moueri pro natura & cõſuetudine ſua nequeat. Verum de hac re plura dixi, quam decreueram. Hoc tantum exemplo τῆς καταλήψεως oſtendere volui, nunquam ſymptomatis nos plenam habere cognitionẽ, quoties veram proximamq; eius cauſam perſpectam non tenemus. *Eraſtus. part. 4. diſputat. aduerſus Paracelſum.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Catochi vera cauſa experimento per Anatomen deprehenſa.

IN Anatomia eorum, qui Catoche periiſſent, maiores venas, quæ recta decurrunt, à poſteriore capite ad ſinciput plenas concocto craſſoq; ſanguine vidimus, & poſterius cerebrum ſeroſa materia occupatum. Atq; reuera in hoc malo poſteriora magis affici veteres medici putauerunt. *Galenus* meminit cuiuſdam condiſcipuli *in Prorhet.* qui ex hoc ſed leui malo, vt ſcribit, euaſit. Nam in omni genere morbi hic grauior, ille leuior eſt. *Iacotius comment. ad aph.7.lib.2.Coac.Hipp.*

Secretarius Vaſco in febris declinatione, & alui profluuio, vrinis bene coctis, certam valetudinis ſpem præbentibus, catalepſi deprehenſus vno die obiit, anno 1552. Auguſto menſe. Aperto cadauere pulmones & hepar corrupta inuenta ſunt, ſerum quaſi rufum cerebro poſteriore contentum, & ſanguis concretus in maiore vena, quæ medium caput perreptat *Scholiographi ad caput nonum libri primi Holl.de morb.intern.*

OBSERVATIO.

Prodigioſus ex vermibus natus Catochus.

CVm Cydone eſſemus in Cornella domo, puella quę octauum nondum compleuerat annum, in febri ardentiſſima ſomno primum, deinde intentis oculis, catocho correpta eſt, diebus 7. continuis nihil hauriendo, præter ius pulli in quo portulaca decocta fuerat: iacuit pallida, muta, ſine ſenſu & motu, grauiter reſpirans, in ea ſuprema filiæ deſperatione, mater ex melle glandem in aluum ſubdidit, qua ſine ſordibus 42. vermes in globi modum extulit, & ſtatim ad vitam rediit, ex iis ventris animalibus caliginoſi vapores cerebri ſenſus omnes comprehenderunt. Si ægri itaq; corpus ſanguine, inquit Ætius, abundauerit, venam in ancone ſuperiorem ſoluito, & demito quantum neceſſe eſt. In cæteris clyſteribus vehementioribus aluus ſollicitanda eſt. Prodeſt furfuris ſuccus addito aphronitro & melle, vel polypodii radice decocta. Nos vero in eo ſomni marcore hieram diacolocynthidis alteram hieram imponi iubemus, in exemplo haud diſſimili, vbi materia craſſior denſiorq; bilem ſuperauerat: iuuenem Petrum Guilielmum ciuem Venetum in ſomnum inexpugnabilem corripuerat, in illa ſuprema medicorum deſperatione, vnicum remedium tentandū duximus, catapotia, quæ aurea à colore vocamus, ſupra ʒ.p. liquefacta, quoquo modo potuimus, per fauces demiſimus: paulo ante & clyſteres quoſdam in aluum infuſos profuiſſe ſcimus, quibus fœdiſſimam proluuiem extraxere, his ad vitam æger reuocari cœpit. *Benedictus lib.1.cap.26.de curand. morb.*

METATASIS.

OBSERVATIO.

Gelatus quidam in comitialem incidit morbum.

HIeronymus Bentius, cum è Diui Laurentii æde, vbi declamantis ad populum concionem audierat, domum ſe recepiſſet: & reſerato oſtio ad cubiculum vſque, in quo vxor ex partu languens iacebat, aſcendiſſet, immotus ibidem & inconniuis oculis ſtetit: Quem cum vxor diutius intuita rogaſſet tandem quid ageret: & ille nihiloſecius expergiſceretur, accerſitis famulis in eodem quo illa iacebat cubili coniugem locari iubet. Qui vbi tandem ſenſum recepit, nihil eorum quæ ipſe interim egerat, recordabatur. Quare conuocatis medicis, quibus & ipſe interfui, plurimo ſermone quæſitum eſt, an ille toto eo tempore obdormierit, vt accidit multis: qui ea perſæpe dormientes faciunt, quæ munia ſolum videntur eſſe vigilantium: an alio quopiam morbo laborauerit. Ac tandem conuenimus illum eo tempore non dormiſſe, ſed rigidum potius, vel attonitum, vel gelatum fuiſſe. Quam quidem ſententiam etiam ſubſequens malum manifeſtiſſime comprobauit, cum paulo poſt in comitialem inciderit morbum: quo nullis prorſus conferentibus auxiliis, multos iam annos miſerabiliter cadit. *Beniuenius, capite 46. de abditis.*

Catochus affectus erat, quo Hieronymus Bentius initio detentus fuit. Cum autem huius frigidus ac craſſus pituitoſus humor cauſa fuerit, facile in comitialem morbum tranſitum fecit. *Dodonæus in annotationibus ad idem caput.*

OBSERVATIO.

Catochus abſque febri.

SVperuenit autem Catochus non ſolū febricitantibus, ſed & nullo alio præcedente morbo hominem quandoq; occupat, vt in ſuperioribus ſcripſimus, & Ætius quoque Tetrabib. 2. lib. cap. 4. teſtatur. Sic vtique contigit cuidam matronæ natæ annos (plus minus) 45. quæ poſteaquam cum aliquot amicis cœnaſſet ac hilaris fuiſſet: ſubito Catocho occupata eſt. Videbatur omnes intueri, interim neminem agnoſcebat: neq; interpellata cuiquam reſpondit: corporis nullam partem mouebat: ſed quo modo correpta, ita permanebat, donec ab affectu libera fieret. Erat autem hæc obeſa, multis repleta humoribus: pulſus magnus, fortis & æqualis. Detraximus huic ſanguinis ex dextri pedis vena, magno digito vicina, abunde multum. Verum cum nec ſic morbus mitior fieret, enema ſatis acre iniici curauimus, quo cum irritata aluus ad excretionem impelleretur, mox ſenſuum ſuorum compos facta eſt, & aluum exonerauit, nihil eorum, quæ ipſi facta eſſent, ſciens. Admirabatur ad alui excretionem ſe bis terue extimulari, ſed multo amplius, cum cerneret pedem faſciola obuinctum. Nam ſanguinis miſſionem nunquam admiſerat antea, vtpote quæ non ſolum ab omnibus medicamentis ſed & auxiliis & Medicorum conſiliis abhorreret. Atque hinc, cum remedia nulla deinceps admitteret, tribus poſt mēſibus, cum capitis grauitate & aſſidua in ſomnum delatione, tandem & accedente febri lenta, in grauem ſoporem incidit, à quo cum nec ſanguinis miſſione etiam repetita, nec enematis, nec etiam topicis remediis excitari potuerit, in viuis eſſe deſiit. *Idem eodem libr. cap.5.*

Catochum quoque hunc affectum initio fuiſſe, ex iis quæ ſuperius ſcripſimus, ſatis eſt manifeſtum. Sanguinem vero ex pede detraximus, ſexus rationē habentes. Nam ſubinde ſanguinis è brachio detractio incommode fit, præſertim iis, quæ facile ab vtero afficiuntur. Iam vteri ſtrangulatione correptæ,

quando-

quandoque Catocho occupatæ videntur, vt Paulus Ægineta teſtatur: & in definitionibus medicis Galeno aſcriptis reperitur: vbi tria Catochi genera referuntur, quorum ſecundo vigilanti dicto, ex vtero præfocatio affinis. Sanguis autem huius admodum craſſus fuit, aquæ adhuc calentis mox fundum petiit, atque illic ſimul concreſcens, in magnam molẽ coaluit. Cum autem remedia nulla ægra admitteret, quibus vel reliquum humorum expurgari, vel cerebro ac capiti conſuli potuiſſet, morbus in Lethargum commutatus. *Idem in annotat. ad prædictum caput.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Catocho ſeu Catalepſi expletora detentus copioſa narium hæmorrhagia liberatus eſt.

QVandoque ob ſanguinis multitudinem cõfertim caput occupantis & ipſum ſuperimplentis fit hæc affectio: quemadmodum vidimus in adoleſcente quodam multo ſanguine referto. Qui cum triduum exegiſſet, neque claudens palpebras neq; ad vehementes vociferationes tranſmouens oculos, neque reſpondens, quarta die ſanguinis eruptione larga per nares facta ab omnibus moleſtiis confeſtim liberatus eſt. *Aetius Tetrabibl. 2. Serm. 2. cap. 4.*

OBSERVATIO.

Gelatus medicamentorum vſu conualuit.

POſt graues diuturnosq; labores, quibus per ingentia frigora turbido & pluuio cœlo, per flagrantiſſimos æſtus diu noctuque perequitans ſeſe fatigarat Antonius Collenſis, in difficiliorem tandem incidit ægritudinem: qua ſtatim vt corripiebatur (quod ſæpe homini contingebat) amiſſa illico memoria ſenſuque, eodem quo erat, dum ab ea inuaderetur, habitu perſeuerabat, patientibus etiam & inconniuis oculis: ſi enim inter ambulandũ contingebat hoc illi malum, ambulabat: ſi inter quieſcẽdum, quieſcebat: ſin vero inter aliud quóduis agendum, tantiſper ipſum agebat, nihil interim audiens, nihil loquẽs, nihil cognoſcens, donec cedente morbo ad ſe regrederetur, & tunc etiam nihil eorũ, quæ egiſſet, reminiſcebatur. Ex medicis autem, qui hominẽ viderint, aliis virtutem, quæ diſcernit & vnit coniungitq;, læſam eſſe iudicantibus, eiusq; noxiam ceteris ventriculis iunctum iri volentibus, adeo vt memoria ex hoc & communis ſenſus intrinſecus paterentur: aliis aliter, & quidem argutius & morbum & cauſam explorare conantibus: nos hominem gelatum dicebamus: cum huius morbi notæ, quæ per ſe ſatis eruditioribus eas veſtigare volentibus manifeſtæ ſunt, eiuſmodi detegerent ægritudinem. Fit autem id malum ex nigriore bile poſtremũ cerebri ventrem impetente, quæ ſtatim memoriam tollens, ſua etiam ſiccitate cæteros ventres contrahit: quibus clauſis tollitur pariter ſenſus & motus, & quoniam frigidior eſt, hominem gelat. Quibus vero medicamentis ad hunc morbum profligandum vſi ſimus, propterea, quod eius cura notiſſima ſit, intexere ſuperfluum iudicauimus. *Beniuenius de abditis cap. 102.*

OBSERVATIO.

Catocho cum febri correptorum & curatorum hiſtoria.

CAtochus quandoq; abſque febri inuadit: ſubinde eidem ſuperuenit, & quidem intermittenti: vt nobis quandoq; obſeruare contigit. Inuadit autem paroxyſmi tempore & cum ipſo deſinit, ſi præpoſtere nihil fiat. Si etenim tempore paroxyſmi plẽraque temere tententur, non raro in ipſa acceſſione æger deficit. Expectanda eſt febris remiſſio, & eouſque dum vires nonnihil fuerint reparatæ, prius tamen, quam altera ſubſequatur acceſſio, malo occurrendum. Si enim ſecundo ſuperuenerit, perniciem adfert. Neminem certe liberatum nouimus, cui ſecundo catochus ſuperuenit. Non potis ſiquidem natura videtur, tam graue malum bis ſuſtinere. Adhibent nonnulli mox Catocho cum febri correptis quædam remedia qualia apoplecticis ſubinde etiã temere infunduntur: & adhibẽtur: quæ & Catocho correptis nocent ac perniciosa ſunt. Magis ferendi videntur, qui in ipſa acceſſione vel ſanguinem ducunt, vel enæmata iniiciunt, tametſi & hoc modo pauci ſeruati. Tutiſſimum nobis viſum, febris remiſſionem & ἀπυρεξίαν expectare: in ipſa vero acceſſione præter diuerſiones veluti crurum frictiones nihil adhibere. Ita certe referre poſſumus nonnullos noſtra opera ſanitati reſtitutos.

Generoſus quidam vir, poſteaquam febri intermittente aliquot diebus laboraſſet, & iam ab ea liber videretur, ſubito in febrem iterum relapſus atq; vna in veluti ſtuporem: membra nulla mouit: videbatur oculis apertis omnes intueri præſentes, interim vel digitis, vel re quauis alia prope admota, ne nictabant quidem palpebræ. Febris acceſſio ſatis vehemens fuit, horarum plus minus 12. interea ſolis diuertentibus frictionibus vſi, donec manifeſtam febris declinationem conſecuti, ſub cuius finem ſpõte ſomno ſuperueniẽte, quietem permiſimus. Cum autem à febri liber eſſet, & vires vtcunq; reparatæ, ſanguinem pro viriũ robore detraximus, idoneaq; victus ratione inſtituta, alteram acceſſionem expectauimus, quæ omnino exigua fuit, poſt hanc purgante medicamento exhibito, generoſum hunc virum à febri & Catocho liberauimus.

Similis & mulieri cuidam affectus contigit, quæ & in ipſa acceſſione correpta, oculis apertis immota perſtitit: huic ſanguinem non detraximus, ſed in die intermiſſionis purgans exhibuimus medicamẽtum quod certis de cauſis vtilius videbatur. Atque hoc modo, hæc quoque ſeruata, ſanitatiq; reſtituta, libera à tam graui malo euaſit. Potuit hæc referre nonnulla eorum quæ contigiſſent, circa illam, quo tempore Catocho detinebatur: ſed generoſus vir, de quo ſcripſimus, minime. Manſit huic & à morbo nonnihil læſa aliquanto tempore memoria. Profuit nonnullis in ipſa acceſſione oxyrhodinon, ex aqua & aceto roſaceis fronti admotum: ſed quando poſt febris paroxyſmum nihil præterea adhiberetur, recurrens cum febri Catochus eos ſuſtulit. *Dodoneus obſeruat. medicinal. cap. 4.*

Atque huiuſcemodi affectum κάτοχον à veteribus, ac ſubinde κατοχὴν dici, *ex Pauli Aegineta cap. 10. libr. 3.* manifeſtum eſt: Catochum ſiquidem ait, eſſe, quando æger ſubito corripitur, & in illa permanet figura, quia correptus eſt, clauſis oculis, vel reſpici-

ens

ens, atq; ſic affectos κατοχομένυς appellat: quales, de quibus iam ſcripſimus, qui in ea, qua correpti, figura permanſere, donec acceſſionis finis eſſet. Dicitur vero & idem affectus καταλῆψις ſiue Detentio: & κῶμα ἄγρυπνον, id eſt, vigilans ſopor. Sunt tamē qui κατόχον à vigilante ſopore differre velint, & cū profundo ſopore conuenire: ſed his contradicit *Galen. lib. 4. de locis affect.* vbi per ſoporem claudi palpebras, in Catocho vero ſiue Catalepſi apertas manere ſcribit. Cauſa morbi pituitoſus humor cum bilioſo temperatus: vt ait Paulus, Ægineta: Ætius etiam ab humore melancholico: Atque hanc ob cauſam nō ardentibus febribus, ſed (qui comes febrium) tertianis haud exquiſitis ſuperuenit, quæ non ex ſola bile, ſed pituitoſo humore permixta originem accipiunt. Quod & ſanguis generoſi viri oſtendit, cui multa adeo pituita permixta, vt concreta per vniuerſam aquam (ex manu ſiquidem ſanguis miſſus) plurima ferreretur, manibusque eximi potuerit, ac impoſitis virgulis copioſa, quando auferebantur, adhæreſceret: vnde & ex pituita permixta, hunc morbum natum colligi potuit. *Idem in annotat. ad idem cap.*

OBSERVATIO.

Catalepſis cum febri in iuuenibus curata.

MArtiano mercatori duo filii ægrotabant, quorum natu maior annos natus (ni fallor) octo, poſt delirium, ſenſum & vocem amiſit, aderatq; febris & vrina aquoſa & vires imbecilles, minor natu eo tendebat, ſed nondum tanta morbi magnitudine correptus erat: nam natu maior iam decem dies in amentia degerat. Intellexi abſceſſum eſſe in capite ex genere catalepſis, cum detinentur ſenſus atque motus, proximo affectu ſideratorum. Verū vtrunq; ſanaui: facile quidem, vt par erat, natu minorē, difficulter autem maiorem. Summa curationis, quandoquidem aliter parum proficere poteram in cucurbitularum, ſine ſanguinis detractione aſſiduo vſu fuit, & ciborum abſtinentia ac ſomno: cum alii peſſimo argumento & nutrirent abunde & vigilias imperarent, Galenum & Auicennam, de grauis ſoporis cura, perperam interpretantes. *Cardanus Curat. admirand. 23.*

OBSERVATIO.

Catochus in ſene curatus.

SImilem ſuperiori affectum in ſene quadam virgine moniali me quoque obſeruare quandoq; memini. Ætatis hæc numerabat annos (plus minus) 70. habitu corporis extenuato ac macro, rigere ac obſtupeſcere tota videbatur: oculis in omnes intentis non mouebatur, non loquebatur, non reſpondebat. Huic nec ſanguinis miſſionem nec enemata adhibere ex re fuit. Exhibuimus autem aquam è vino ſtillatitiam, ſępius repetita deſtillatione puriſſimam, qua aſſumpta mox ad ſe, vniuerſo rigore ſoluto, rediit. Nec alio remedio deinceps op⁹ habuit, quam quo vires & calor naturalis refici poterant. *Idem Dodoneus cap. 5. citati libel.* In tam ſenili & extenuato corpore, etiam tenui victus rationi, ex profeſſo monaſtico, aſſuefacto, multos humores collectos fuiſſe non fuit veriſimile: proinde non erat, quod metueremus, extenuatis & fuſis humoribus, affectum ex vſu huius vini extenſum iri: Quod, vbi humorum copia ſubeſt, contingit. *Idem author in annotat. ad c. prædict.*

OBSERVATIO.

Cataleptica reſtitutæ, hiſtoria alia.

DVobus milliariis ab vrbe noſtra, Monialis quædam Cœnobii. Schönfeldt, ſæpius hoc anno aphonia, catalepſi, ſeu congelatione corripiebatur: ita, vt etiam eundo velut rigida conſiſtere videbatur, ſenſu motuque deſtituta. Hunc affectum diligentius expendens, eundem ex ventriculi conſenſu natum iudicaui: ſyrupis itaque ex floribus perſicis, & diaſereos, exhibitis, ſpinaque dorſi caſtorii oleo atque anethino inunctis, firmæ valetudini mea opera reſtituta eſt. *Cneulinus de obſeruat. propriis.*

DE VIGILIIS.

OBSERVATIO.

Aliquos plures non tantum dies, ſed & menſes, annos denique aliquot multos ſine ſomno exegiſſe.

QVIBVSDAM perpetua febris eſt, vt C. Mecænati. Eidem triennio ſupremo nullo horæ momento contigit ſomnus. *Plin. nat. hiſt. lib. 7. c. 51.*

Refert *Seneca in lib. de prouidentia.* Mœcenatem tribus annis integris, ſine ſomno permanſiſſe, & tandem ab hac ægritudine liberatum eſſe, ſola placida & leui harmonia. *Mercurialis de morbor. pueror. libr. 2. cap. 9.*

Comperti ſunt, vt narrat philoſophus, qui nouem dies inconniuis oculis egerint.

Mente captus quidam menſes quatuordecim inſomnes duxit. *Fernelius Patalog. lib. 5. c. 2.*

Cum Papiæ in Italia, operam literis dabam, retulit quidam: Nizolium illum Ciceronianum, decennio ſomnum non vidiſſe. *Heurnius cap. 16. de morb. capitis.*

Nouimus nobilem matronam, quæ per 35. annos inſomnis permanſit ſana & citra noxam, vt ipſa cum marito & tota familia affirmabat. *Montuus Anaſt. lib. 1. cap. 27.*

Mulier Pataui 15. diebus inſomnis viuebat, nec vllis rebus ad ſomnum perduci poterat, ex ventriculi imbecillitate & vaporum inopia, noctu enim per cœnam nihil penitus comedebat, ſolo prandio contenta. Tandem pane in vino maluatico macerato cum noctu vteretur, ad ſomnum rediit. Ex relatione hoſpitis Patauini annotauit *Gaſpar Wolphius.*

OBSERVATIO.

Vigilias multis modis, corrigi emendarique poſſe.

VIgiliarum cauſæ in eo conſpirant, quod fere omnes ſpiritus animales irrequietos & mobiles efficiant. Itaque in vigiliis ſedandis vitandæ erunt, quæcunque ſpiritus commouere ac perturbare inordinate poſſunt. Veluti ſunt aer calidior, odores calidi, & fœtidi, ſplendor loci in quo verſatur vigilans, item tegumenta calidiora, puluinaria molliora, ex plumis confecta, caput ſua admotione nimis excalfacientia, motiones corporis feruorem,

ſpirituum excitantes, cibi calfacientes, & in caput vapores acres tranſmittentes, vinum forte, nimia repletio ciborum, & potuum, ſtudium vigiliarum & ſomni neceſſarii omiſſio, curæ & ſtudia intempeſtiua, ac cogitationes fixæ in re quadam ſeria ſuſceptæ, Venus intenſior. Contra ex vſu erunt, quæ faciunt ad ſedandum impetum ſpirituum, veluti ſunt aer ad frigidum declinans, odores frigidi & ſuaues, loci in quo æger verſatur, obſcuritas tegumenta haud ſuperflua, puluinaria non ita mollia, ſed potius ex pellibus vitulinis læuigatis confecta, maxime in tempore æſtiuo, quies, aut moderata motio corporis, cibi refrigerantes, & moderate humectantes, fuga vini, præſertim calidioris & fortioris, fuga vigiliarum, & ſomni neceſſarii ſtudium, fuga curarum & ſtudiorum intempeſtiuorum ac abductio animi à cogitationibus ſeriis, maxime tempore decubitus aut ſomni.

Præterea requiritur etiam correctio diſpoſitionum corporum, ſomnum impedientium, nimirum impuritas ſtomachi multas acres euaporationes in caput tranſmittentes, vacuatio lenis, item ſanguinis efferueſcentis, & in caput ebullientis, vel per venæ ſectionem vel per cucurbitularum appoſitionem in ſcapulis factam, retractio, quæ in me ipſo euidenter ſpiritus requiem reſtituiſſe animaduerſa eſt, vt per alterantia frigida in forma lotionis, pedibus & brachiis adhibita, vel per topica capiti admota, vel per remedia moderate refrigerantia internis ſumta. Ad quæ referri poſſunt, quæ noctu ori inſerta retinentur & ſenſim deglutiuntur, quorum maxime efficax eſt roſarum conſerua ore retenta per totam etiam noctem, ſomnum enim ſuauem, ita vſurpata conciliat, ſpirituum motionem ſedando. Ac ob id ſtudioſis hominibus, qui cogitationis labore ſpiritus neceſſario commouent, atque accendunt, in aſſiduo vſu eſſe debent, maxime æſtiuo tẽpore. Sed reſtant adhuc duo genera auxiliorum in hoc caſu maxime vtilium, quorum primum eſt, quod alias etiam à me explicatum eſt, vt corde per epithemata confortato, & iam cerebro ex conſenſu robur quoddam communicetur, ſecundum vero illud eſt, vt æger vel muſicis inſtrumentis, vel harmonia vocum humanarum ad harmonicam quandam mentis & ſpirituum diſpoſitionem reducatur. Quo auxilio celebris olim Medicus D. Balthaſar. Brauchius Gemundenſis ex diuturnis vigiliis ad ſomni recuperationẽ etiam præter opinionem deductus eſt. Hoc obſeruare præſertim vtile eſt hominib. ſtudioſis, quib. vigiliæ non ſolũ moleſtæ ſunt, ſed ſæpe ẽt pericula grauia valetudinis, cuiuſmodi ſunt cruditas, capitis dolores, & vertigines, febres in hecticam degenerantes, melancholia, phrenitides & ptiſes obijciunt. *Oetheus lib. obſ. prop.*

DE NOCTAMBVLIS.

OBSERVATIO.

De dormientibus, qui vigilantium munia obeunt, noctambulis dictis.

DVM homines vigilando munia animalia exercent, ſpirituum opulentia in eis imminuitur, ac diſperditur: hinc labor in obeundis his functionibus ſuccedit, indeq; non poſſunt mortales perpetua ſenſuum agitationẽ frui. Huius merito ex naturæ præſcripto animantibus irrepſit ſomnus, vt per eum quieſcente omni animalis motu, ac ſenſatione deperditi ſpiritus regenerentur: at vires quæ non tantum per motum, ſenſationemque, verum etiam per animales functiones obitus languent, reſtaurentur. In ſomno quieſcit cerebrum, primum omnium ſenſationum inſtrumentum, & eo quieſcente, ceſſat homo ab omni motu, & ab omni ſenſuum functione, dumque hoc pacto ſe habet, in eo non tantum nerui, muſculi, membraque omnia, & præcipue cerebrum, verumetiam omnes ſenſus conſopiri videntur, quare tunc nec mouetur homo, nec ſentit. Attamen hic in ſomno non ita motu, ac ſenſu priuatur, vt nuſquam moueatur, aut ſentiat. Seruantur enim in dormientibus plurimum muſculorum motus, vt clare apparet in his, qui excretionibus ſuperfluitatum retinendis, & qui mandibulæ inferioris retractioni, & qui reſpirationi, & qui huiuſcemodi functionibus deſtinati ſunt, ſed clarius in his, à quibus pure, & ſimpliciter voluntarii motus dependent, quorum ratione dormientes ſæpe brachia, & crura agitantes, de loco ad locum mouentur. ſeruantur etiam in multis ſenſus exteriores, hinc aliqui vocem cantantis galli vel latrantis canis dormientes audiunt, & dignoſcunt, & lumen præſentis lucernæ vere agnoſcunt, ſaporesque rei guſtum afficientis diiudicant, fœtentiaque, ac male olentia diſcernunt; aliqui autem clare loquuntur, & alta voce quandoque clamant, quidam etiam ad interrogata reſpondent, cuius merito nonnulli propria ſecreta in ſomnis cæteris aperuerunt. In nonnullis tamen adeo exteriores ſenſus conſopiuntur, vt nihil ad extra percipiant, ſed tantum interius, phantaſia rerum idola repræſentante, apparent dormientibus inſomnia, in quibus ſibipſis videntur audire, videre, loqui, diſcurrere, comedere, currere, pugnare, & cætera omnia patrare, quæ vigilando operari conſueuere. Hæc inſomnia aliquando clara, & certa, aliquando incerta, & confuſa videntur, prout rerum ſpectra, vel clare, vel confuſæ imaginationi repræſentantur. Nonnunquam tamen in quibuſdam hæc ita euidentia apparent, vt dormientes & ipſi tanquam ex propoſito, ac ex induſtria aliquid agentes è lecto ſurgant, & modo ſuperiores domus partes, modo inferiores adeant, modo domo exeant ad exequenda ea, quæ vere imaginantur ſe facturos eſſe, hincque in maximum diſcrimen alicuius præcipitii deducuntur. Hoc quamuis difficile ſit imaginari, rariſſimeque contingant tales caſus, cum in ſomno, quieſcente primo ſenſiterio, (id eſt cerebro ipſo) debeat dormiens ab omni functione tam motiua, quam ſenſitiua deſtitui, & ideo videantur dormientes nec poſſe moueri, aut ſentire. tamen teſtimonia habemus celeberrimorum virorum, affirmantium in ſomno aliquando fectuari motum, aliquando cum motu ſenſus ipſos, quod idem experientia ipſa, in pluribus hoc euenire teſtata eſt.

Galenus libr. 2. de muſculorum motu cap. 4. narrat quoſdam dormiendo deambulaſſe, & teſtatur ſe ipſum

ipſum dormientem & ſomniantem integrum ferme ſtadium peregiſſe, nec à ſomno priuſquam in lapidem impegiſſet, excitatum fuiſſe, quam cauſam affirmat eam eſſe, propter quam non queant dormientes, quia leuem viam exacte nanciſci non poſſunt iter longum facere, innuẽs ex hoc multos, ſi per planam viam progrederentur, longe proficiſci poſſe. *Ariſtot.* autem *lib. 5. de generatione animalium c. 1.* affirmat in ſomno non tantum motum, verum etiam ſenſus ſeruari poſſe, hæc verba habens. Accidit enim dormientibus etiam animalibus ſenſus non modo, quæ ſomnia vocantur, ſed etiam præter ſomnia, vt iis qui dormientes reſurgunt, & quidem pleraque agunt, ſine ſomnio, ſunt enim qui dormientes reſurgunt, & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant, iis enim, qui ſenſus accidentium contingit, quanquam non vigilantib. tamen nõ vt ſomnium. Ex quib. verbis claram habemus eius ſententiam, quod in dormientib. quandoq; ſeruetur motus, & ſenſus & hoc non per ſomnium, quaſi dicat, quod per ſomnium hoc eis non contingat, ſed quod dormientes, & non ſomniantes moueantur, & videant, tanquam ſint vigilantes. Quod affirmarunt hi duo inter Philoſophos & Medicos celeberrimi viri, idem mihi experientia comprobauit.

Iuuenem noui, qui ſomnians, ſe propter negotia ſua equitaturum eſſe, è lecto ſurgens indutus veſtimentis propriis, cothurnisque ac calcaribus appoſitis ſuper feneſtram, (nam in tabulato degebat) conſcendit, & hinc, indeque diuaricatis cruribus parietem, perinde ac ſi equus eſſet, & voce, & calcaribus ad curſum incitabat, hic ex ſomno expergefactus tanto horrore correptus eſt, cogitans ſe per ſomnium mortem fere ſibi ex præcipitio conſciuiſſe, vt me die ſequenti conſuluerit, ad prohibenda hæc inſomnia, quæ ipſum ad obeunda vigilantium munia deducebant.

Alterum curaui, qui cum natura iurgioſus, & cõtentioſus, cum aliis foret, vt plurimum ſomniabat, ſe cum aliquo manum conferre, indeque ſurgens è lecto, arma capiebat, gladiumq; euaginatum furioſe vibrabat, perindeq; ac cum inimico pugnans vndiq; parietes, & circũſtantia loca percutiebat, hunc ſolũ in thalamo dormientẽ claudere armaq; omnia inde auferre, ne vel ſeipſum, vel alterum gladio confoderet, in poſterum neceſſarium fuit, tam diuque ſolus permanſit dormiens, quam diu ſe cognouit à talibus inſomniis deprehendi.

Præter hos, artificem cognoui, qui dormiens è lecto ſurgebat, è thalamoq; exiens domum fere totam peragrabat, ſcalaſq; nullo diſcrimine aſcendebat, & deſcendebat: hîc ſemel nullis indumentis amictus, domo exiens apothecam propriam adiuit, eamq; clauib. aperuit: à qua demum expergefactus, ab amicis, qui ei forte obuiam facti fuerunt, maxima cum verecundia, & timore, dubitans, ne inde ſtultus exiſtimaretur, non amplius dormiens, ſed vigilans rediuit.

Dum hæc ſcriberẽ accerſitus ſum ad inuiſendam adoleſcentulam, annũ decimum nonum agentem, quæ decima die à puerperio media nocte ſomnians ſe quædam domeſtica negotia acturam eſſe, è lecto hieme ſæuiente nullis indumẽtis amicta ſurrexit, & cũ è thalamo hac imaginatione ducta, in partes domus inferiores deſcendere vellet, ſtrepitu facto, dum oſtium aperiret, matrem, quæ vna cum filia in eodem lecto decumbebat, expergefecit, quæ mater nouitatem rei admirans, filiam, alta voce clamans, eam increpando vocauit, ex qua voce expergefacta ipſa filia, ad lectum rediit, affirmans ſe, niſi à ſomno excitata fuiſſet, è thalamo exituram eſſe. Hinc ad viginti quatuor dies cum marito dormiens, ſimiliter circa nonam noctis horam ſubito è lecto exiliens, & ad oſtium properans, expergefacta à viro eam alta voce vocante, flens, & tremens ad lectum regreſſa eſt, narrans ſe ſomniaſſe fugere ex lecto tunc temporis voluiſſe, ad euitandam vim ſibi illatam ab homine Venerem ab ea expetente. hæc eadem cum ſimilia inſomnia ſæpius paſſa ſit, & hinc timeat, ne quid mali ei ex hoc contingat, me ad eam curandam accerſiuit. Alias his conſimiles hiſtorias referre poſſem, tamen hæ ſufficiant vltra teſtimonia Galeni, & Ariſtotelis ad confirmandam hanc ſententiam, quod aliquando in dormientibus vel motus tantum, vel ſimul cum motu etiam ipſi ſenſus reſeruentur. Qui dormientes quomodo contra formalem rationem ſomni (qui eſt ligamentum primi ſenſiterii, per quod animal ab omni ſenſu, & functione animali ad regenerationem ſpirituum, & ad reſtaurationem virium ex vigilia diſſipatarum quieſcit) vigilantium munia, quæ ſunt ſentire, & moueri, obire poſſint, non ita facile eſt, explicare, ac certam rationem reddere. Si tamen ad hoc ego probabilia (alii hanc rem demonſtratiuis explicabunt rationibus) adducam, ſatis mihi feciſſe videbor, ita horum affectuum cauſas expoſiturus. Anima corpori annexa, vt docet *Hippocrates in libello de inſomniis*, eidem, dum vigilat homo, ita inſeruit, vt in multas partes diſtributa, ſingulis corporis partibus, ſiue ſenſibus, aliquam ſui partem diſtribuat, videlicet, auditui, viſui, tactui, guſtui, greſſui, actioni, ac omni corporis facultati. In hacque diſtributione non ſui iuris eſt anima, ſicuti nec in cogitatione, non enim non poteſt corpori ſuas facultates impartiri, & non poteſt continue aliquid non cogitare. Cum autem corpus quieſcit, anima adhuc in motu eſt, & corporis partes omnes perreptans, eaſdem gubernat, & omnes corporis actiones perficit. Nam corpus dormiens non ſentit, ipſa vero vigilans cognoſcit, ac viſibilia videt, & audibilia audit, vadit, tangit, triſtatur, gaudet, conſiderat, & in ſumma quæcunque corporis, aut animæ munia ſunt, ea omnia anima ipſa in ſomno obit. Dum anima ſiue vigilando, ſiue dormiendo hæc agit, ſemper omnia, quæcunque agat, mediantibus ſpiritibus, qui ſunt propria, & immediata ipſius animæ inſtrumenta, exequitur. Vnde in his, in quibus ſpiritus ſunt perfectiores, ſemper anima proprias functiones, vbi organa naturaliter diſpoſita fuerint, excellentius operatur in quibus autem hi ſunt imperfecti, diminute, & imperfecte ſuas producit operationes. Spiritus perfecti & imperfecti redduntur ex puritate & impuritate ſanguinis & humorum, quales enim ſunt corporis noſtri humores, tales ſunt & ſpiritus. Qui ſpiritus in aliquibus ſunt puri, ſubtiles, ætherei, & clari, in aliquibus ſunt impuri, craſſi, turbidi, & nebuloſi; Qui hos habent, ſicuti ne vigilando perfecte vel ſenſus vel mẽtis munia obeunt; ita nec dormiendo ſomniantes clare rerum imagines ſenſibus & menti iam obla-

tas, & in phantaſia reſeruatas, circumſpiciunt in his quæ præ nimia ſpirituum, ac humorum impuritate ac humiditate vel nulla, vel pauca, & confuſa videntur ſomnia: præ nimia enim turbatione ac craſſitie tum ſpirituum, tum humorum, rerum idola clara & euidentia repræſentari nequeunt. Qui autem ſpiritus claros, ſubtiles, ac æthereos habuerit ſicuti in vigilia perſpicax ad actionesq; promptus, & ad motum facilis exiſtit; ita in ſomno rerum imagines clarè diſcernit, eaſque adeo euidentes, ac euidenter conſpicit, vt perinde ac in vigilia, ea omnia quæ cogitationi offeruntur, tanquam vera imaginetur, eaque ſedulitate qua vigilans in eiſdem actionibus vteretur, hæc omnia mente exequatur eo ordine, quo imaginationi repræſentantur. Quod ſi vltra ſpirituum tenuitatem, ac ſubtilitatem dormiens ſit fortis imaginatiuæ, quales ſolent eſſe qui melancholici ſunt habitus, in quorum nonnullis rerum imaginationes ita fortiter, ac vehementer imprimuntur, & adhærent, vt nullis argumentis diſſuaderi, aut ab his amoueri queant, in his hoc cauſatur, quod eis dormientibus ſomnia ita euidentia ac fortiter imaginata repræſentantur, vt vera magis hæc credant quam ea, quæ ipſis vigilantibus offeruntur, hincque in his ſomniis tota mente, ac totis viribus agentes eas functiones, dominante anima præ ſpirituum tenuitate, ac forte imaginationi ipſi corpori, perinde ac ſi vigilarent, operantur, & inde ſurgunt è lecto, ambulant, pugnant, iiſdem propriis operationibus, quæ ſomniantes imaginantur, ſe addicunt, ac operam nauant. Quod ſi in his dormientibus etiam ſomnia non repræſententur vbi tanta fuerit cum forti rerum imaginatione ſpirituum tenuitas, & ſubtilitas, poſſunt in his ab anima ita ſenſibus ipſis propriæ facultates impartiri, vt dormientes quidem, non tamen ſomniantes videant & audiant, cæteraſque ſenſuum functiones euidentes habeant: indeque nonnulli dormientes iter inceptum proſequuti ſunt: alii domus partes ipſis notas circumierunt, ſuperioraq; & inferiora adire potuerunt, alii ad loca familiaria, quæ ipſi vidêtes ab aliis diſcernere potuerunt, progreſſi ſunt quod eſt id, quod Philoſophus per ea verba teſtabatur, dicens. Sunt enim dormientes qui reſurgant & ambulant, vidẽtes eo modo quo qui vigilant: iis enim qui ſenſus accidentium cõtingit, quamquam non vigilantibus, non tamen vt ſomnium. Cauſa igitur quod in dormientibus, vel motus tantum, vel vna cum motu etiam ſenſus ipſi reſeruentur, erit fortis imaginatiua vna cum ſpirituum tenuitate, & ſubtilitate. Quoniam autem fortis hæc imaginatiua in melancholicis vt plurimum adeſſe ſolet, ideo animaduerto talia accidentia vt plurimum cauſari in his, qui melancholici ſunt habitus, teſtorque me tales affectus in conſimilib. hominibus curaſſe, in quibus etiam ſpirituũ tenuitatem, & ſubtilitatem ineſſe conieci: hos enim loquaces, promptos, impigros, facile iraſcibiles, & verſatilis ingenii eſſe, obſeruaui. Quos cognoui facilius in hęc incidere inſomnia, & dormitiones, vbi quibuſdam paſſionibus irretiti eſſent, in his enim omnis imaginatio repræſentat id, à quo iidem facile patiuntur, & afficiuntur: & hi ab omni leui imaginatione, & ſimilitudine facile in proprio affectu decipiuntur, ac circa eandem ſupra modum ſoliciti ſunt; circa enim ſenſus, vt dicebat *Ariſtoteles in libro de ſomno, & vigilia*, facile decipimur, cum in paſſionibus exiſtimus. Vnde à modica ſimilitudine trepidus imaginatur, & putat ſe hoſtem videre, amans autem dilectum inſpicere, iracundus ſtimulantem perſentire, & hic quanto magis paſſibilior fuerit, tanto magis, à minori ſimilitudine decipitur; Vnde huius ratione, qui fortem rerum imaginatiuam vna cum ſpirituum tenuitate habuerint, ſi paſſionibus afficiatur, in hęc inſomnia procliuis erit: ac etiam, vbi non ſomniauerit, dormiens poterit ductus à leui ſimilitudine, & imaginatione vigilantium munia obire. Hæ penes me ſunt eæ cauſæ, ex quibus coniicio dormientes, non præter rationem poſſe moueri, & ſentire. Quas qui animaduertent, facile nouerint, quibus præſidiis ſuccurrendum ſit iis, qui talibus affectionibus detinentur, cum enim, vt ex prædictis liquet, tenuitate ſpirituum ac forti imaginatione hi dotati ſint; quibus etiam adduntur ſæpe paſſiones, quibus irretiti ſunt: quæ omnia in melancholicis habitus promptius, quam in cæteris quibuſcunque reperiuntur, ac firmantur; ideo ad talia inſomnia ac dormitiones prohibendas & ſpiritus craſſiores reddere, & imaginationem minus tenacem efficere, melancholicum habitum temperare, & affectus ipſos in talibus patientibus corigere debemus. Quos curabimus, non quia hæ affectiones ſint morbi, vel quia ab his malum aliquid ſimpliciter immineat, ſed quia hi dormiendo poſſent ex inſomniis ad præcipitia deduci vel ad aliqua peragenda concitari, ex quibus vel mortem incaute, ac inconſiderate ſibi conſciſcerent, vel aliis inferrent: cuius ratione, non autem quia ex inſomniis, aut ex ſomno lædantur, huiuſcemodi patientes conſulere medicos ad tales ſomnos prohibendos, & ad talia inſomnia profliganda conſueuere. Quod vbi contigerit. Medicus hac via quatuor indicationibus propoſitis obuiabit. Primo nimiam ſpirituum ſubtilitatem corriget, eos craſſiores reddens: hoc autem faciet, humores, ex quorum puriori, ac ſubtiliori parte hi regenerantur, incraſſando. hos vero incraſſabit, ſi alimenta craſſi ſucci patientibus exhibenda præſcribat: talia erunt carnes bubulæ, leporinæ, ſuillæ, cochleæ, caſei omnes, oua ad perfectam concretionem cocta, fercula ex farina ſubacta, piſces molles, ſicuti loligines, ſepiæ, polipodes, anguillę, legumina, caſtaneæ, rapæ, nuces pineæ, vina dulcia, & craſſa, & quæ huiuſce ſunt ordinis. ſecundo imaginationis tenacitati ac fortitudini proſpiciet, cerebrum, ex cuius, ſicca intẽperie hęc dependet, humectãdo: in quo caſu præter victus rationẽ humectantem præſcribendam, maxime prodeſſe potuerunt embrochæ & lotiones capitis, vel ſimpliciter ex aqua dulci paratæ, vel ex decoctionib. rerum, quæ eiuſdem ſint facultatis compoſitæ. Secundum locũ ab his habebunt inunctiones ex oleis humectantib. quale eſt, oleum amigdalarum dulciũ & violaceum, & præter hæc odoramẽta, ex aquis odoratis, quæ ſimpliciter humectare queant. Tertio loco, habitũ melancholicum temperabit præſcripta ea victus ratione, quæ nec retorridos, nec aduſtos, ſed benignos humores generare poſſit. quare humectantia alimenta, quæ tamen boni ſucci exiſtant, adminiſtrentur, & corpus ipſum, ad humidum alteretur, quod potiſſimũ aquæ dulcis balnea

quæ

quæ in ſimili caſu cæteris omnibus medicamentis præferantur, præſtare poterunt, ſi quæ in his generati ſunt, abundentq; nigri, & melancholici humores lenibus medicamentis prius expurgentur. Vltimo vehementes intenſosq; animi affectus corriget, ſi patientes à propriis, & moleſtis negotiis abdicati, ſi hilarem vitam præſcribat, ſi iucundas, & gratas ſocietates adhibeat, ſi grauib. perſuaſionib. eos increpet, ſi ſolicitudines, & omnes laborioſas curas interdicat, in ſummaq; ſi hos in contrariũ habitum traducat. His omnib. peractis, ſperandum eſt, hoſce patientes à talib. inſomniis, & dormitionib. liberatos eſſe, vnde vere iucundiſſimũ ſomnum, qui omnium laborum, & ſolicitudinum eis certũ exiſtat perfugiũ capere poſſint, ſi tamen ex prædictis nõ omnino, nec integre res abſoluta ſit (in nonnullis n. vidi admodũ difficile eſſe tales affectiones ſoluere) deueniat Medicus ad aliqua leniter ſomnũ prouocantia: in quo caſu feliciter quandoq; expertus ſum poſt cęnã ante ſomnũ exhibere lac amygd. d. ad quantitatẽ quinq; aut ſex vnciarum; hinc n. leniter humectatur cerebrum, & leniter cõſopitur, ſpiritusq; illi tenues quodãmodo incraſſantur. Quod ſi nec hoc ſufficiat, ad lenia ſtupefacientia deuenio, ſicuti ad fercula ex ſeminib. papaueris albi parata, ex quib. prouocato ꝓfundiori ſomno, ac obtuſis, ſpiritib. ipſis adeo cõſopiuntur homines, vt facultates ſenſitiuæ, ac motiuæ ꝓpriis organis ea viuacitate amplius cõmunicari non poſſint, vt ex his dormiẽtes vel deambulare, vel ſentire queant. Validiora aũt ſtupefacientia vitãda eſſe duco, non quod hæc nequaquam in tali caſu cũ patientes non ſint inſomnes, nec vigiliis crucientur, in ſomnosq; proclines ſint, ſtupefacientia talia nocumẽtum quã iuuamentum, facilius inferre poſſent, vltra enim intentum, ac ꝓpoſitum terminum agerent, cerebrumq; ac omnes ſenſus nimis conſopirent, vnde inſomnia quidẽ ꝓhiberent, ſed vel in carum, vel in coma patiẽtes deducerent: cuius ratione ẽt exteriora ſtupefacientia, & cætera omnia ſomnũ prouocãtia omittenda cenſeo ſolisq; prædictis, vel ſimilibus præſidiis agendũ eſſe iudico. *Salius de affect. partic. c. 18.*

Quando ex cauſarum ſomni mediocritate, placidus obrepit ſomnus, diſcernendi tamen facultas adhuc vaporum caligine obfuſcetur: effectrix tamen viſorum facultas libera, nullis irretita vinculis ſibi conſtat: tum ex rebus quas vigilans geſſit, ſenſit, cogitauit & operata eſt plurima ſomniorum ſpectra effingit, quæ tanquã vera dormientes amplectuntur, vnde tandẽ ſolutis à calore accidentario ſenſuũ ſpirituumq; meatuum vinculis, & motus cõpedib. vigilantium opera exercent, tecta in ſublime cõſcendũt, per trabes & lacunaria in ædib. oberrant, lectos aliorum adeunt, omnia intrepide audent, nec quicquã ſibi timent: quoniã vis illa diſcernẽdi ſenſus cõmunis adhuc vaporum caligine cõſopita iacet, nec pericula niſi clamore experrecta agnoſcit. Caſus n. abrupto ſcribit Albert. iis qui excelſa conſcendunt tunc maxime accidere ſolet, quũ pericula agnouerint, & formidare cæperint: eoq; virtutes roboris ad cor formidoloſum confluunt; lacertos, neruos, muſculosq; virtutis motiuæ organa, deſtituunt, dormiẽtes igitur ſecuriores ſunt ac clamationib. vero experrecti, ſæpe præcipites cadunt. *Langius. Tom. 2. epiſt. 45.*

A viris fide dignis accepimus pharmacopolam famulum fuiſſe, qui ſingulis noctib. inſcius ſurgebat, vt artem gladiatoriam exerceret.

Alterum qui cum circa mediam noctem officinam adornaſſet, omnibus apertis immemorem repetiiſſe lectum. Imo referunt quendam Pariſiis gladio cinctum Sequanam fluuium tranaſſe, eumq; interfeciſſe quem vigilans interficere propoſuerat, ac poſt patratum ſcelus domum rediiſſe, quod ſi verum eſt, quis corpore quieſcente animum dormire putabit. *Adrian. Aleman. comment. ad lib. Hippocr. de aere aqua & locis.*

Theon Stoicus dormiens paſſim ambulabat, quo etiam morbo laborauit ſeruus Periclis, adeo vt dormiens in ſumma tecta reperet. *Textor in officina.*

Noui familiam, quorum nomini honoris gratia parco, in qua fratres prope ſinguli noctu euigilantes hinc inde oberrant. Vnde factũ vt vnus ex fratribus crus fregiſſet aliquando. Quare Pædagogus anxius de reliquis ſibi cõmiſſis, conſilium cępit, quomodo ei rei mederi poſſet. Cum igitur nocte quadã ſolito more animaduerteret, aliũ ex lecto ſurgentẽ & per periculoſa loca altosq; gradus ſcandentẽ, & redeuntem ad lectũ obſeruaret, cum acriter vrigis cæcidit: & metu formidineq; incuſſis, abſterruit, vt in poſterum cautior factus eſſet, & in profundum ſomnum poſthac magis non incidiſſet. *Horſtius lib. 2. c. 5. ad Lemnij Occult. Nat. Mirac.*

Exſtat *Horſtij de Noctambulis integra tractatio, cum Aureo dente Sileſii pueri* edita, quam præterea conſulere licebit.

DE MEMORIA.

Observatio.

Senectutis vitio memoria deſtituti.

FRanciſcum Barbarum, Hermolai amicum, Gręcas literas, quarum prius erat doctiſſimus in extrema ſenecta oblitum accepimus: quanquam is & diiudicandi & commentandi facultate pollebat. *Baſianus Landus lib. 1. de humana hiſtoria.* Idem apud Philippum Inſubrium ducem verba facturus, in media prope oratione excidit. *Rauiſius in Off.*

Georg. Trapezuntius in extrema ſenectute oblitus eſt literarum. *Idem author eodem loco.*

Observatio.

Terrore & metu repentino quidam memoria priuati.

DEmetrius turbine repentino expaueſcentes atque perculſos quoſdam ſic ait, vt etiam obliuione prægeſtorum afficiantur. Sic deniq; Artemidorum Grammaticum Appollonius memorat nitentem [illegible]eſſu, crocodilum in arena iacentem expauiſſe, atque eius motu percuſſa mente, credidiſſe ſibi ſiniſtrum crus atque manum à ſerpente comeſtam, & literarum memoria caruiſſe obliuione poſſeſſum. *Cæl. Aurelianus cap: 5. lib. 1. Tard. Paſſionum,*

Observatio.

Veneno hauſto memoria deperdita.

BAmba Rex Gothorum hauſtu veneni ab Heringio ſucceſſore dati, memoriam amiſit. *Rauiſius in Officina.*

Observatio.

Stupendum exemplum extinctæ literarum memoriæ, poſt hauſtum à venæ ſectione ſanguinem: ægro tamen (res mira) exacto anni decurſu, eodem modo reſtituto.

MIrum proculdubio illud fuit, quod Friderici II. Imper. tempore cuidam GERMANO clerico contigit, qui ex petra ſancti Michaelis ortus eſt. Is à vena hauſto ſanguine, ſeruata aliarum rerum memoria, literas tantum oblitus fuit, nec plus aut legere aut ſcribere norat, quam ſi vtrumque nunquam didiciſſet annumq; in hac obliuione manſit. Poſtea eodem tempore, atq; ex eodem loco iterum hauſto ſanguine, (mira res eſt) ad eandem legendi ſcribendiq; ſcientiam, quam ante habebat, reſtitutus eſt. *Fulg. lib. 1. cap. 6.*

OBSERVATIO.

Ex ſiccitate propter intenſa ſtudia & labores contracta, memoria amiſſa.

NOui quendam, qui ob laborem in ſtudiis atque vigilias, memoriam pene amiſerat, læſa etiam ratione. Item agricolam, qui ob labores, quos vites colendo ſubierat, ac tenuem victum, eodem modo affectus eſt, atq; ij certum eſt quod exiccantib. calorificisq; lædebantur, madefacientia vero, quæ calefaciendi quoq; vim haberent, haud mediocri ipſis erant præſidio. *Galen. lib. 3. de loc. affect.*

OBSERVATIO.

Memoria ex peſte amiſſa.

NOnnullos etiam cum primum ex morbo aſſurrexiſſent, eo ipſo momento rerum peræque omnium tanta cœpit obliuio, vt & ſe ipſos, & neceſſarios ignorauerint. *Thucydides lib. 2. hiſtor.*

Atq; etiam quoſdam cœpere obliuia rerum
Cunctarum, neq; ſe poſſent cognoſcere vt ipſi. Lucretius in calce lib. 6.

OBSERVATIO.

Poſt acutæ febris ſolutionem quidam memoria & omni literarum cognitione ſubito excidit, quibus tamen intra quadrimeſtre debita curatione adhibita reſtitutus eſt.

VIdimus religioſum quendam Franciſcanũ, qui acuta febre laborauerat, & ſoluto morbo ipſe ſine memoria fere ſubito factus eſt, ita vt cũ ipſe alias peritus eſſet theologus, nec literas agnoſceret, neq; nomina rerũ quæ ſibi aſſidue in vſu erant memoria teneret, quatuor autem integris menſib. ſic affectus primas literas addiſcebat, adhibitis tamen remediis, mira quadam celeritate prædicto elapſo tempore in priſtinam ſuam eruditionem fuit reductus. *Chriſtoph à Vega. c. 10. lib. 3. de arte medendi.*

OBSERVATIO.

Morbo amiſſa atque iterum recuperata memoria.

EX præterito morbo cõualeſcens Antonius quidam Senenſis, quæcunque memoria fixa tenuerat, ita prorſus oblitus eſt, vt ne rerum quidem nomina reminiſceretur. Dumq; Florentiæ eſſet, Senis ſe eſſe putabat: ſed ne amicos quidem ab inimicis diſcernebat: quos etiam immutatis nominibus vocitabat. Quare eo velut prorſus amenti, atque deliro naturæ dimiſſo, cum 20. iam die hoc malo ageretur, cœpit venter fluere, variaq; & diuerſa ſtrigmenta, ſanguinem, bilem viridem, mucoſasq; deiectiones deponere. Quo factum vt mens ſimul & memoria redirent, licet nihil eorum quæ ipſe interim geſſerat, recordaretur. *Beniuenius c. 47. de abditis.*

OBSERVATIO.

Lethali vulnere accepto ſubſecuta memoriæ amiſsio.

INtegra fide auditoribus narrantem audiuimus Guilelmum Rondeletium medicum Mõſpelienſem de ſtudioſo iuuene, qui illic noctu oberrans in ſicarios caſu incidit, & vulnere lethali accepto punctim alterutro oculorum quoque cæſus eſt. Multis itaque vt par eſt morbis conflictatus, vbi diligenti ſollicitaque medicorum induſtria ad ſanitatem reuerſus eſſet, qui ante in artibus, ſcientiis, imo medicina ipſa non vulgares fecerat progreſſus, tanta obliuione correptus eſt, vt omnia quæ ante norat, didiceratq;, memoria exciderent, & tanquam letheo amne exhauſto, omnia mentem effugerent, vſque adeo vt balbutientium inſtar infantium Lutetiam regredi, & prima pueris tradi ſolita eleměta, denuo diſcere coactus fuerit. Hoc vti rarum, ita vere admirationem parit, nec tamen ob materiæ ſimilitudinem reticendum fuit. *Iordanus cap. 2. tract. 2. de peſte phænom.*

Ille cui in occipitio vulnus ingens inflictum fuit, vtriuſque membranæ, duræ & ſubtilis portiunculam, aliquali cum ſubſtantia medullari perdidit, & ſanatus eſt: memoriam tamen in totum amiſit. *Luſitanus curat. 32. cent. 7.*

OBSERVATIO.

Ex ictu Capiti illato, ſubſecuta oculorum, aurium, narium & oris cruentatio, quam tantus ſenſuum mentisq; ſtupor excepit, vt etiam adhibitorum remediorum, quorum opera intra trimeſtre æger reſtitutus eſt, & anteactorum omnium prorſus immemor fuerit.

QVendã vidi ictu adeo vehementi ac valido cõcidiſſe, vt ſanguis ex oculis, auribus, naribus & ex ore manaret: hinc tantus mentis ſenſuumq; ſtupor inuaſit, vt calua pertuſa ac deinde obducta fuerit, omneq; remedii genus ſine ſenſu inductum; ſitque is tertio menſe reſtitutus, immemor omnium quæ obtigerant. An autẽ ex contuſione, an ex humorum frigidorum copia ortus ſit affectus ſoporoſus, facile tum propria ſigna explicãt, tum quæ morbum anteceſſerunt. *Fernelius. c. 2. lib. 5. Patholog.*

OBSERVATIO.

Lapidis ictu, caſu ab alto, & morbis, memoria deſtitutorum exempla.

MEmoria nihil æque fragile eſt in homine, morborum & caſus iniurias atq; etiam metus ſentiens, alias particulatim, alias vniuerſa. Ictus lapide oblitus eſt literas tantum: Ex præalto tecto lapſus, matris & affinium, propinquorumq; cœpit obliuionem. Alius ægrotus, ſeruorum etiam ſui vero nominis Meſſala Coruinus orator. Itaque ſæpe deficere tentat, ac meditatur, vel quieto corpore & valido. Somno quoque ſerpente computat, vt inanis mens quærat, vbi ſit loci. *Plin. c. 24. lib. 7. nat. hiſt.*

Athenis vir quidam erudítiſſimus, cum ictum lapidis capite excepiſſet, cætera omnia tenaciſſima memoria retinens, literarum tantummodo, quibus præcipue inſeruierat, oblitus eſt. Dirum, malignumque vulnus in animo percuſſi, quaſi de induſtria ſcrutatis ſenſibus in eum potiſſimum locum, quo maxime lætabatur, acerbitate nocendi erupit, ſingularem doctrinam hominis pleno inuidiæ funere efferendo. Cui ſi talib. ſtudiis perfrui fas non erat, vtilius aliquanto fuit ad illa aditum non impetraſſe, quam iam percepta eorum dulcedine caruiſſe. *Valer. Maxim. lib. 1. cap. 6.*

Auriſ-

Aurifaber quidam cum ante annum, amicum ſuum ægrotantem inuiſere conſtituiſſet, in platea forte in poſticam partem cadens, occiput terræ alliſit: ex quo caſu vſque adeo memoria priuatus eſt, vt neque vxorem, liberos, aut Comites agnoſceret, imo ſe hominem eſſe ignoraret: neque diem, aut noctem diſcerneret. Ad hunc accerſitus ego, dorſo cucurbitulis adhibitis, frictionibuſque eiuſdem inſtitutis, ſpina etiam oleo de caſtoreo & moſchelino, inuncta, atque pilulis cochiis exhibitis: poſtero die ſibi reſtitutus eſt: omnium eorum quæ acciderant immemor ſubſequente tamen ſeptimana male habuit, donec corroborantibus & tonoticis cerebrum plene confirmaretur. *Cneulinus de Obſeru. propriis.*

Observatio.

Memoria ex ignota cauſa amiſſa & reſtituta.

Novimvs quendam in Francia adultiorem, qui præter vulgarem & vernaculam linguam etiam latinam ſanus ſonaret, cum magna eruditione, caneret fiſtula, ac quendam agens pancratiaſten, vibraret haſtam, concurreret lanceis, ac demum obliuiario morbo occupatus, vbi Medici auxilio curatus rediiſſet ad ſeſe, prædictorum omnium poſuit notitiam, nec ſecus quaſi letheum totum hauſiſſet fontem. Nam quod prius rite nouerat, iam ne communi quidem nomine compellare ſciuit, nec aliter ac puer elementarius, ad ludum literarium diſcendi gratia tranſmiſſus eſt. *Tertius Damianus capite decimo tertio Theoricæ Medicinæ.*

Observatio.

Memoria deplorata vt inſtauranda.

Qvod ſi res propemodum deplorata ſit, atque ad extremam obliuionem quis deuenerit, vt in lethargo, foris nucha & ceruices inungi debent oleo caſtorei, nigellæ, euphorbii, coſti, erucæ: intus vero momentum exhibeatur confectionis Anacardinæ, aut ipſa lingua defricetur: diſſoluit enim extreme frigidam humidamque ac viſcoſam pituitam: ſicvt Apoplexia perculſis loquelam reſtituat, linguamque hærentem refulciat, quod ipſum & oximelle, ſcillitico perfici poteſt, ac vino ardente, in quo grana aliquot erucæ macerata ſunt, ad hæc enim tanquam ad ſacram anchoram perfugimus in deploratiſſimis morbis, in mitioribus vero alia iam memorata adhiberi poſſunt, vt ſerapion de ſtœchade, dianthos dulcis, aurea Alexandrina, diacaſtorium, pliris cum muſco, theriaca & mitridaticum. Experimento autem ac quotidiano vſu comprobatum eſt Agallochum, quod vulgo lignum aloes vocatur, vel ſuffitum, vel naribus admotum, mirifica eſſe vi in corroborando cerebro ac ſenſibus excitandis, adeo vt ſi in puluerem redigatur admixtis aliquot garyophyllis, atque oſſe de corde cerui, eaque oleo nigellæ commiſceantur, eas vires conferre cerebro, vt ſi galli gallinacei vertex eo oblinatur, cantillare ac crocire non deſinat. *Lemnius capite quarto, libro ſecundo, de Complexion.*

DE APOPLEXIA.

CAVSÆ.

A SANGVINE.

Observatio.

Apoplexiarum à ſanguine profectarum Hiſtoriæ.

Apoplexiam fieri ab humore frigido, viſcido, & lento, ſit vel pituita, vel humor Melancholicus replente, & obſtruente cerebri ventriculos, cuius ratione vis animalis ad partes inferiores defluere non poſſit, vnde ægrotantes motu, & ſenſu vna cum detentione principum facultatum priuentur, nemo non nouit, omneſque ſcribentes de hac pertractant. At *Hippocrates quarto regiminis acutorum docuit*, etiam hanc fieri à ſanguine, vt ibidem declarauit. *Galenus in commento vigeſimo tertio, & vigeſimo ſeptimo*, quod idem affirmauit libro curatiuo per ſanguinis miſſionem *capite quinto*, hæc verba habens. Nam hoc pacto Apoplexiæ proueniunt, multo nimirum ſanguine in principium animantis confertim irruente. Quod præcipue aliquãdo in his contingere docuit, qui plurimo abundantes ſanguine ad validas exercitationes perducuntur, vt habet *libro tertio Aphoriſm. Comment.* 20. Sanguinis hæc plenitudo cerebrum occupans non per obſtrictionem ventriculorum, ſicuti pituita, & Melancholicus humor, Apoplexiam generat, ſed propter eorundem conſtipationem, & conſtrictionem, cuius ratione vis animalis ad infernas partes defluere impeditur. Venæ enim omnes cerebri, & ſinus illi ampli, & præcipue retiformis plexus adeo ſanguine hoc confertim irruente replentur, vt ventriculis, & vaſis principalibus anguſtiatis, tranſitus virtuti animali prohibeatur. Hinc dicebat *Galenus libro ſecundo Aphoriſmorum Comment.* 42. duplici de cauſa fieri Apoplexiam, ſcilicet aut oppletis ventriculis cerebri humore frigido, qui eſt caſus, de quo omnes ſcribentes agunt, aut propter aliquam diſpoſitionem inflammationi ſimilem, quæ in ipſo cerebro conſtituta ſit, & hic eſt caſus præſens, de quo nos agimus, & cuius curationem neglexere, qui ſingulorum morborum medicationes docere profitentur. Nam vere in tali Apoplexia ex plurimo ſanguine, cum ex calidis humoribus vnus ſit, cerebrum occupante: ſit affectus inflammationi ſimilis. Aduertatur autem quod non dixit Galenus ab hoc inflammationem fieri, ſed affectum inflammationi ſimilem: quoniam in hac Apoplexia ſanguis ad intra propria vaſa cõtinetur, nec ſubſtantiæ cerebri communicatur, at in vera inflammatione à venis magnis ad minores, à minoribus ad capillares, ab his autem in poroſitates, & ſubſtantiam cerebri tranſmittitur. Vnde vere membrum inflammatur. Quod membrum inflammatum cum ſit ex principalibus, neceſſario ad eius inflammationem conſequitur febris, quæ febris cum ab Apoplexia abnegetur, non enim Hippocrates nec Galenus vnquam huic aut alteri Apoplexiæ febrem copulari meminere, ideo

apoplexiam à vera cerebri inflammatione cauſari non tradunt, nec ab ea fiet, ſed tantum ab affectu inflammationi ſimili, qui non erit, niſi maxima venarum, & vaſorum à ſanguine calidiori repletio, de qua vaſorum repletione ſolum in caſu iſto Hippocrates, & Galenus, non autem de cerebri ſubſtantia male affecta meminere, cuius ratione dicebat Hippocrates. Quod autem quis repente obtumeſcat, id venarum interceptiones, occluſioneſque faciunt, quem locum declarans *Galenus libro de morborum cauſis*, poſt alia ſubiungebat. Vbi vero intercipiuntur, quæ ſunt in animali, arteriæ, hoc eſt, ita oppletæ ſanguine fuerint, vt nullus in ipſis relinquatur locus, in quem, dum attolluntur, aerem externum attrahere poſſint, tum quodammodo ſtrangulatur, atque extinguitur calor internus, ac qui ita affecti ſunt, ſubito ſenſum, & motum totius corporis amittunt. Quare hæc apoplexia non ex ſubſtantia cerebri inflammata, ſed ex eiuſdem vaſorum nimia oppletione cauſabitur. Et hinc patet eorum error, qui locum illum ſecundi Aphoriſmorum exponentes per diſpoſitionem inflammationi ſimilem intellexerunt, vel veram inflammationem, vel eryſipelas, pateatque nec eos mentem Galeni aſſequutos eſſe, nec veritatem attigiſſe, vbi enim cerebrum vel inflammationem, vel eryſipelas patitur, ſi partes exteriores, & membranæ tantum hic patiuntur, fit phrenitis, ſi autem intimæ partes, & internæ, ipſiuſque cerebri ſubſtantia hoc idem paſſa ſit, accidit affectus ille, de quo ſupra egimus, non autem apoplexia, in qua cum neceſſario adeſſe debeat impedimentum, per quod ſtatim prohibeatur deſcendere vis animalis ad inferiores partes, hoc non ex eryſipelate nec ex pura inflammatione, quoniam hinc, nec ventriculi, nec vaſa omnino anguſtiantur, pendere poteſt, ſed tantum hoc fiet, ex venarum, arteriarum, ſinuumque nimia ſanguinis repletione, cuius ratione facta conſtipatio, & conſtrictio, vnde ſpirituum non tantum tranſitus prohibeatur, ſed etiam, & ipſi ſtrangulentur, & ſuffocentur, ſit in cauſa, vt ſubito motus, & ſenſus vna cum detentione principum facultatum amittatur, ſicque vera, & exacta ſuccedit apoplexia. Hunc affectum olfecit quidem Auicenna non tamen perfecte metam ipſam attigit, nam apoplexiæ eſſentiam declarans docebat etiam eam à ſanguine fieri, quam duplici ratione accidere teſtabatur, ſcilicet vel eo ſtatim effuſo ad ventriculos cerebri, perinde, ac ob pituitæ, & humoris Melancholici ad eoſdem ſubito factam effuſionem fit etiam apoplexia, quod non alia poterit contingere via, niſi cum ex vena, ſiue hoc ex cauſa pro cataretica, ſiue ex interna eueniat, eiectus, cerebri cauitas multitudine replens, eas obſtruit, caſus mea ſententia inſanabiles, tum quia ea ſanguinis copia ex ventriculis cerebri arte educi non poteſt, tum quia ibi permanens neceſſario in grumos conuertetur, à quibus ineuitabiliter mors ſuccedet. Vel eo oppilante non cerebrum, vel cerebri vaſa, ſed meatus ipſius ſpiritus ad cerebrum permeantes, qui meatus ſunt arteriæ carotides, & venæ iugulares, his autem ex vehementia repletionis, & multitudine ſanguinis oppilatis, credit Auicenna hominem ſtatim apoplexia deprehendi perinde, ac contingere conſueuit (inquit ipſe) conſtrictis venis apopleticis, quibus ligatis deperditur ſtatim motus, & ſenſus. At hic caſus à noſtro ratione loci affecti, cum nos cerebrum ipſum affectum, hic autem vaſa ad cerebrum deuenientia affecta ſupponat, multum diſſidet, nec veritati, aut Galeno conformari videtur. Nam falſum eſt his vaſibus, ſiue per hæc vaſa, venas iugulares, ſiue arterias, intelligas, coarctatis, & conſtrictis, hominem ſopiri ſenſumque ac motum amittere, vt clare docuit *Galenus libro ſecundo, de plac. Hippoc. & Plat. capite ſexto*, qui etiam *libro de pulſuum vſu capite ſecundo*, ligatis venis iugularibus exiguum quid incommodi animal ſentire, vinctis autem arteriis carotidibus etiam idem currere poſſe experientia hoc approbante teſtatus eſt. Si autem, his ligatis non ſopitur animal, in eoque ſeruatur motus, & ſenſus: deperditur autem tantum, vt *loco prius citato* monet *Galenus*, pulſatio in arteriis ſuper partem ligatam exiſtentibus, igitur nec his obſtructis, aut oppilatis videtur poſſe hominem apoplexia deprehendi, ſubſequitur quidem ex tali oppilatione læſio, in homine lethalis, vbi hæc perſeuerauerit, quoniam huius ratione non communicata vitali virtute, ac ſpiritu ipſi cerebro omnes eius virtutes in poſterum periclitabuntur, non tamen ſuccedit apoplexia, quæ ſubito accedens affatim ſenſum, & motum auferre conſueuit, in hac autem oppilatione cum ſubitus non fiat caſus, nec etiam apoplexiæ nomine vocari poterit. Forſan lapſus eſt in hac re Auicenna ex nomine venarum apoplecticarum quas Arabes ita appellarunt, quia opinati his conſtrictis apoplecticum hominem fieri. Hi autem apoplectica vocarunt, & ſubetica hæc vaſa ad imitationem Græcorum inter quos præcipue *Ariſtoteles* hoc idem *libro de ſomno, & vigilia*, pro vero ſupponens recenſeatur, qui has carotides arterias, quaſi his obſtrictis & anguſtiatis ſtupidus, & ſoporoſus homo reddatur, dixere, cum tamen in hac re antiquiores Græci errarint, qui ligatis vna cum his arteriis venis, & neruis, videntes animal mutum reddi, illud ſopitum dixere, obmuteſcentiam ipſam ſoporem arbitrantes, quod non ab arteriis tamen, ſed à neruorum interceptione cauſatur, quemadmodum *Galenus loco citato* clariſſime expreſſit. Quare hinc cenſeo Auicennam lapſum fuiſſe. Ni forſan eum nos ab omni calumnia vindicare nitentes, dicamus ipſum per meatus ipſius ſpiritus ad cerebrum, intellexiſſe plexum retiformem, ac choroidem contextum, quibus, aut obſtructis, aut anguſtiatis, cum non per ea ſubminiſtrentur amplius ſpiritus animalis ipſi cerebro neceſſario eo munere ſuo non fungente concidit animal, ſenſuque, ac motu vna priuatur. Qui tamen caſus, à noſtro longe diuerſus eſt, nec conincidit cum his, quæ à nobis declarata ſunt, licet in hoc etiam prædictorum vaſorum obſtructio à ſanguine ipſo ſupponi queat. Huius autem cum nos eſſentiam, cauſas, differentias, ſigna, & curationem, tradere debeamus pro eius declaranda, & eſſentia, & cauſis ſufficiant ea, quæ nunc dicta ſunt. Differentias, & ſigna earundem habebimus ab eodem fonte, à quo & alterius apoplexiæ habuerimus, nam hic, cuiuſcemodi, & illam, vel eſt fortiſſima, vel fortis, vel minus fortis, vel debilis, harum differentiarum ſigna deſumuntur ex anhelitu, qui ſi vel prohibeatur, vel magna cum vi inſpiretur, vel ſi non erit violentus, ſit tamen inæqualis, inordinatus,

natus, & intermittens, vel ſi aliquo modo ſit ordinatus, & non ita intermittens, nec ita inæqualis, indicat, vel fortiſſimam, vel fortem, vel minus fortem, vel debilem Apoplexiam. Hanc vltimam curare poterimus ſi omnia fiant, quæ ſunt ex arte neceſſaria, minus fortem non ita facile, fortem cum difficultate maxima, & ſæpe eius erit curatio impoſſibilis, ſicut, & eius, quæ eſt fortiſſima. Signa autem, per quæ hæc Apoplexia à ſanguine genita differat, & diſtinguatur ab ea, quæ ab humore frigido ventriculos replente cauſatur, maxime conſideranda ſunt, quoniam vtrarumque curationes non coincidunt, maximaque in ægrotantium detrimentum errata, ſi omnia indiſcriminatim fiant, committi poſſunt. Illa enim calefacientibus, incidentibus, acrioribus, exurentibus, & quandoque igne ipſo curatur, quæ ſi in hac adhiberentur, omnia pernicioſa eſſent. Diſtinctionem hanc habebimus, ſi materiam peccantem, quæ ſit, coniicere poterimus, præſentemq; ægrotantem exacte inſpexerimus, conſiderauimus, materiam peccantem ex præcedenti victu, ex ratione vitæ, ex ætate, ex ſexu, ex temperatura, ex anni tempore, ex aeris cõſtitutione, ex paſſionum conſuetudine, ex ſupreſſa euacuatione, & ſimilibus iudicare poterimus. Vnde ſi patiens vſus ſit cibariis ex farina ſubacta, lacticiniis, leguminibus, oleribus frigidis, rapis, vinis nouis, & ſimilibus, ſi circa aquas, vel in locis humidis degerit, ſi ſit ſenex, ſi mulier, ſi frigidę & humidæ cõplexionis, ſi ſit in hyeme, ſi aeris cõſtitutio his ſit ſimilis, ſi cõſueuerit pati morbos à pituita, ſi eiuſdem aliqua euacuatio ſit cohibita, ſit ſit ſolitus excremẽtis pituitoſis abundare, poterimus iudicare morbum hũc à pituita genitum fuiſſe. Si aũt patiẽs vſus ſit carnibus ſylueſtrium animalium, vel domeſticorum, ſed ſalitis, lentibus, caulibus, cochleis, vinis nigris, & craſſioribus, & aliis ſimilibus, ſi ſit in ætate declinanti, ſi habitus calidi, & ſicci, vel ſaltem calidioris hepatis fuerit, ſi ſimus in autumno, ſi in conſtitutione ſimili, ſi in regione ſicca degerit, ſi conſueuit pati morbos à Melancholia ſi eiuſdem aliqua euacuatio ſuppreſſa ſit, & præcipue in hæmorrhoidum conſueta fluxio ſit cohibita, ſi ſit ſolitus abundare Melancholicis excrementis, ſi plurima paſſus eſt animi moleſta accidentia, ſi curis ſolicitudinibuſque implicatus fuit, ſi vigilias, vel ſaltem inſomnia formidoloſa, & mœſta paſſus eſt, iudicare poterimus hanc Apoplexiam à Melancholico humore genitam eſſe. Si vero patiens aſſumpſerit cibaria boni chymi, & ſanguinem generantia, ſi hilariter vixit, ſi moderate ſe exercuit, ſi ſit iuuenis, ſi ſit habitus carnoſi, ſi temperaturæ calidæ & humidæ, ſi ſimus in vere, ſi ſimus in conſtitutione calida, & humida, in regione conſimili, ſi conſuetus ſit pati morbos à ſanguine, ſi ſuppreſſa ſit aliqua ſanguinis ſolita euacuatio, ſi plurimo ſanguine abundare ſit ſolitus, etſi alia conſimilia adſint, poterimus coniicere morbum hunc à ſanguine genitum fuiſſe, quod idem confirmabitur, ſi ægrotantem conſiderantes, in facie ruborem, in oculis venarum apparentiam, in capite calorem inſignem adeſſe inſpexerimus, quod ſi pallor in facie, & frigiditas eiuſdem, & totius capitis, oculique caui adſint, pituitam, vel Melancholiam, eſſe in cauſa morbi poterimus ſuſpicari.

Cum autem habita hac cauſarum conſideratione propoſita, & cognita fuerit Apoplexia à ſanguine, quid pro eius curatione indicabitur. Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, quare cum hic morbus fiat ex ſola ſanguinis repletione eiuſdem ſanguinis euacuatio indicatur, quapropter ſtatim mittatur ſanguis, vt docet Hippocrates in caſu iſto, ex interna brachii dextri vena, ſanguiſque copioſe educatur, repetaturque eadem die ex alterius brachii humeraria, & quoniam materia eſt firmata in cerebro, & loco principali, hic vltra vniuerſalem totius ſanguinis miſſione euacuationem factam, conueniunt omnia reuulſionum, & deriuationum genera, quæ propoſita ſunt in inflammatione cerebri. Vnde cucurbitulæ ſcarificatæ, & non ſcarificatæ, frictiones, ligaturæ, compreſſiones, balnea ad extremas partes, hirudines, & poſt aures, & ad intra nares applicitæ, ac etiam vltra hæc clyſteria acria cum hic nulla ſit inflammatio conueniunt methodo conuenienti, & recta ratione adminiſtrata. An autem hic conueniant repercutientia, & cætera localia ſuperius explicata, dico, quod licet quæcunque materia in principio, ſit reprimenda cum tamen Apoplexiæ principium vno oculi ictu pertranſeat, cum fiat ſubito, non ratione principii, repercutientia conueniunt, quæ nec etiam ratione materiæ peccantis conuenire poſſunt, cum enim ſanguis nimia quantitate ſuper abundans adeo repleat vaſa, vt ſpiritui animali tranſitus per ea permeare, & ad infernas partes deſcendere perhibeatur, hincque craſſeſcat, & quaſi coaleſcat, difficulterque effluat; ideo reprimentia, adſtringentia, refrigerantia, repercutientia non conueniunt; quoniam magis conſtipabunt, & conſtringent materiam, & eam impingent in vaſibus ipſis, quã quod eam poſſint à proprio conceptaculo excludere, & repellere, quare hic moneo abſtinendum eſſe à repercutientibus, & refrigerantibus, quoniã hæc potius ſanguinem ſiſterent, ſed vtendum eſſe his, quæ laxare poſſunt, quibus mediantibus ſanguis, qui in loco affecto firmatus eſt, poſſit euacuationibus, reuulſionibus, & deriuationibus cedere. Iſta autem laxantia ſint moderate calida, tum quo ad caliditatem actualem, tum quo ad potẽtialem; præ omnib. autem commẽdo balneum aquæ dulcis, eiuſq; embrochã, per hæc enim laxantur facile vaſa, ſanguiſq; magis fluidus redditur. Vnde in his, in quib⁹ minus quam deceat ſanguis è naribus fluxerit, laudat Hippocrates lauare caput aqua dulci calida, quod remedium particulariter ipſe in Mitone adminiſtrauit, vnde ſanguinem prouocando ægrotantem ſubleuauit, quoniã vaſa laxare poteſt, & ſanguinẽ fluere facit. Quod idem cum tentandum ſit in apoplexia à ſanguine vid. vt vaſa laxentur, & ſanguis fluidus reddatur, vt reuulſionibus arte faciendis, & etiam his, quę à natura tentari poſſunt, cuiuſmodi vidi nõnullos ex ſanguinis profluuio hoc morbo ſanatos, facilius cedat remedium maxime cõueniens, ac opportunum exiſtet, & multum proficere poterit, cui in morbi progreſſu nonnulla etiam laxantia addere poterimus ea in aqua decoquendo, ſicuti folia maluarum, violarum, radices altheæ, radices maluæ, ſemina lini, maluæ, fœnugræci, altheæ, & ſimilia, quorum decoctiones ad hanc eandem intentionem procedente morbo in vſum

venire

venire poſſunt, modo quibuſdam refrigerantibus temperatæ, modo ſolæ. Excrementorum hic eadem habeatur ratio, quam in ſuperioribus habendam eſſe declarauimus, cibi, dum morbo detinentur, nullus eſt vſus, in eius autem declinatione ad ſorbitiones deueniendum eſt, cum omnimoda vini abſtinentia. Qui docuit apoplexiam fieri obſtructis, vel conſtrictis arteriis, quæ plexum retiformem conficiunt, ſi pro caſu ſpeciali, & poſſibili hunc propoſuit, admittatur, & iure, cum iis vaſis impeditis vitales ſpiritus ad cerebrum promeare nequeant, quibus ipſum deſtitutum neceſſario motum, & ſenſum influere amplius non poteſt. At ſi hunc caſum, tanquam exemplar, quo ſemper ita apoplexia fiat, in medium protulit, non admittendus eſt, cum enim ſolutæ apoplexiæ crebertime alterius partis corporis paralyſis ſuccedere conſueuerit, & hoc ex permutatione materiæ à cerebro ad neruos transmiſſæ, & transpoſitæ: clare liquet, non ſemper fieri apoplexiam prædicto modo, quoniam ad hunc caſum ſpecialem propoſitum paralyſis nunquam ſuccedere poteſt, collecta enim materia ad baſim cerebri, vbi eſt plexus ille retiformis, nullam habet cum neruis communionem, quibus illæſis nunquam paralyſis ſuccedere poteſt, cum igitur ſæpiſſime ad apoplexiam ſolutam paralyſis ſuccedat, & in hoc ſpeciali caſu nunquam ſuccedere poſſit, concludatur apoplexiam non ſemper modo nunc propoſito generari, & eo magis, quo apoplexia hæc ex materia anguſtiante retiformem plexum videatur inſanabilis, cum tamen ſolutio apoplexiæ ſæpius videatur, ſæpeque ab apoplexia ſoluta priſtina ſanitas recuperetur. *Salius de Affect. Particular. c. 2.*

Apoplecticis, cum in ipſo agone mortis, tum poſtea, maximam ſanguinis copiam è naribus atque ore promanare aliquoties vidi: ex quo cauſam huius mali ſæpius à ſanguine affatim ſubitoque è ductibus cerebri in ventriculis irruente obſtruenteque proficiſci, primum coniecimus, cum cerebrum magis quam cætera fere viſcera ſanguine abundet, qui inductus menyngum ipſius ex venis & arteriis continuo effuſus, cum calidior ſpirituoſiorque venarum ſanguine exiſtat, cuius etiam, incaleſcens vel exuperans, pulſatiles capitis facit dolores, atque è vaſis in cerebri ſpatia elabitur ſpiritusque animales intercipit: ſicuti ab ictu in percuſſis capitibus in armentis, grumoſo ſanguine cerebrum commaculari, ipſiuſque ventriculos, impleri, quotidie cernimus. *Platerus de Obſeru. propriis.*

Observatio.

Apoplexia mortuus, cui interiores oculi venæ per contuſionem diruptæ, è quibus ſanguinis cochlearia duo in cerebri baſin defluentia & concreta arterias retiformes & choroidem plexum obſtruxerunt.

IPSE ſæpe ac multum de epilepſiæ, quemadmodum ſane & de Apoplexiæ cauſis dubitaui. Cum enim aliquando vidiſſem virum viribus integrum, ſiniſtri oculi ictu vehementiore, repente attonitum corruiſſe, moxque ſenſu ac motu priuari, cum ſpiritu difficili ac ſtertore, & cum aliis fortis Apoplexiæ indiciis, eumque nec venæ ſectione, nec alia potuiſſe ratione ſeruari, quin horis duodecim interiret, mortis cauſam inueſtigatione dignam putaui. Diſciſſo apertoque capite neque oſſis neque menyngum neque ſubſtantiæ cerebri quicquam confractum diuulſumve ſed duntaxat interiores oculi venas contuſione vi diruptas animaduertimus, è quibus ſanguis cochlearium duorum menſura, in cerebri baſin procubuerat, qui concretus arterias eas obſtringebat, quæ retiformem contextum conficiunt, & quæ illinc in cerebri ventriculos propagatæ, choroidem alterum conſtituunt. Cerebri autem ventriculi prorſus illæſi inaneſque cernebantur. *Fernelius libro ſecundo, capite decimo quinto, de abditis.*

Observatio.

Apoplectici capite aperto, ſanguis atramenti inſtar profluxit.

IVVENIS Lutetiæ Apoplexia cum periiſſet, illico caput ipſius fuit apertum, ex quo quamplurimus ſanguis ater, atramenti inſtar effluxit. *Georgius Bauhinus, de Obſeruationibus propriis.*

Observatio.

Sanguinem in Catalepticis & Apoplecticis concreſcere.

CONSTAT refrigerato cohibitoque ſpiritu ſanguinem non ſolum frigeſcere, ſed concreſcere, quod in catalepticis & Apoplecticis aliiſque id genus diſſectis obſeruatum. *Hollerius Commentar. ad Aphoriſmum primum, libri primi, coac. Hippoc.*

Observatio.

Crebro & conferto ſanguinis profluuio nonnullos Apoplexia tactos.

ANNOTAVIMVS nos, quo artem Medicam annis ab hinc quadraginta exercemus, vel crebra, vel conferta narium hæmorrhagia, Apoplexia aliquos correptos, vel ſtatim interiiſſe, vel annis aliquot miſeram inde vitam traxiſſe. Crebro quidem ſanguinis profluuio Dominum Andream Guntersheimerum pharmacopolam noſtratem, atque inde etiam ſenatorii ordinis virum, gracili corporis conſtitutione prædictum, apud Diuæ Agnetæ Virgines Veſtales, quarum curam agebat, eadem deprehenſam intra biduum extinctum. Primo ſenſorio, adeoque vniuerſo corpuſculo, ob frequentem hæmorrhagiam, ſanguine, ſpiritu, atque natiuo calore exhauſtis, refrigerato.

Secundi inter alios exemplum eſto, Dominus Iacobus Baur: qui conſulatu primario apud nos magna prudentia, annis aliquot perfunctus eſt. Is in ea legatione, quam in Suæuiam Reipubl. cauſa ſuſceperat, ſubito in tantum ſanguinis narium profluuium

fluuium incidit, quod aliquot diebus, vix vllis remediis cohiberi potuit, adeo quidem vt inter deſperatos iam haberetur. Accepto vero à nobili quodam vicino, lapide, ad hoc malum commendatiſſimo, manuque detento, eidem ſanguinis compreſſionem acceptam retulit. Vir alias robuſtus, corpore quadrato & plethorico, facie ſubrubra, victu liberali vtens. Qui domum à profectione reuerſus, indies ſeſe debiliorem animaduertens, cœpit ſenſim balbutie linguæ corripi, quæ ſubinde exaucta eſt. Accedente vero creberrima ex capite, ob excellentem cerebri imbecillitatem, de fluxione, perpetuis ſputationibus adeo hactenus infeſtatur, vt continuati ſermonis vſus ei prope intercipiatur. Tabeſcente vniuerſo corpore, & viribus magis magiſque decreſcentibus. Itaque lecto ab annis aliquot iam affixus, his malis conflictatus, abdicatis Reipubl. functionibus, in Apoplectica iſthac diatheſi, diem Domini, & vitæ finem præſtolatur. Vir firmiore valetudine, & fortuna meliore dignus. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Vulgi de Apoplexiæ cauſis ſententia.

ANTERIVS ac poſterius cerebellum plurimum afficitur, ſicuti & in comitiali morbo: frequenter ſubita ſanguinis in cerebrum inuaſione, per venas iugulares ac ſphagitides, quæ ſtatim obſtruuntur, Apoplecticos vulgus corruere arbitratur, è capite ſanguinis gutta in vitalia delapſa: in ventriculos enim cerebri eadem oppilatio lethifera effertur, à qua nerui ſenſiles ac motiui nullo ſpiritu intermeante iniuriam ſentiunt: vnde reſpiratio difficilis, interdum ſpuma, quæ periculoſior eſt, ac hominis veluti ſtrangulati ſonus intercifus. Deterior omnium eſt morbus, ſi non reſpirat æger, ſine ſpuma & ſono, mens & corpus ſtupet. Si omnia quoque membra reſoluuntur capi celeriter ſolent Apoplectici: ſi quædam reſoluuntur, diutius quidem viuunt. *Benedictus libro primo, capit. 34. de curand. morbis.*

A PITVITA ET AQVA.

OBSERVATIO.

Apoplexiæ à pituitoſo humore, vi caloris potiſſimum æſtiui aliquati, Hiſtoriæ duæ.

CONFLVVNT pituitoſa excrementa repente ad cerebri ſinus interdum quia à calore immodico & potiſſimum aeris æſtui liquentur, vt ſæpius obſeruauimus, & potiſſimum in ſtrenuiſſimo militum tribuno Iohanne Martino Calabro, atque in Nobili admodum & optimo Ciue & Affine noſtro, Iacobo Rubeo, quorum vterque ſeptuageſimum iam annum agens, cum multas cruditates in capite iam collegiſſet, circa Idus menſis Quintilis per maximos æſtus Florentiæ in Apoplexiam incidit, quibus licet innumera fuerint adhibita præſidia, vnus decimo quarto, alter vigeſima die tandem coactus eſt, vitam cum morte commutare. *Vidius Iunior libro ſecundo, capite decimo quinto, de curat: membratim.*

OBSERVATIO.

Alius Apoplexia mortuus, in quo craſſus & viſcoſus humor ad eundem retiformem contextum inuentus eſt.

ALTERVM, qui citra cauſam externam Apoplexia extinctus eſſet, diſſecare viſum eſt, in quo humor craſſus & viſcoſus ſimiliter ad contextum retiformem inuentus eſt, cerebri ventriculis nec oppletis nec obſtructis. Hinc ego rationatus, conſentaneum putaui, iis arteriis vel obſtructis vel compreſſis Apoplexiam gigni, quod tum cerebrum nihil ſpiritus è corde per ſubiectas arterias recipiat, ſitque neceſſe illius motum ſenſumque perire. Quidam hæc opinor animaduertens, recte dixit fieri Apoplexiam interceptis viis, quæ ſunt cerebro cordique communes. *Fernel. libro ſecundo, cap. decimo quinto de abdicatis.*

OBSERVATIO.

Apoplexia à cerebri nimia humiditate & colliquatione.

APOPLEXIA mortuæ anus caluariam, cum aperirem, cerebrum ipſum in menyngibus velut fluctuare deprehendi: quod mox diſſecta craſſa membrana, puris alicuius inſtar vel muci craſſioris, per faciem defluebat. Ad tantam ſæpe mollitiem humiditatemque, cerebri ſubſtantia, in ſenibus præſertim, peruenit, vnde non mirum ipſorum ſenſus adeo hebetari: collapſa enim cerebri ſubſtantia, neruorumque originem, quæ in baſi cerebri exoritur, comprimente: ſubito illos ſenſu motuque priuari: *Felix Platerus de Obſeruationib. propriis.*

OBSERVATIO.

Apoplexiæ cauſa, nonnunquam magnæ & perſpicuæ ſed glutinoſæ, aquæ copia.

DIſſecui non ſemel, qui ob fortem Apoplexiam obierant, in quorum cerebro magnam aquæ copiam reperi, perſpicuam quidem, ſed glutinoſam. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Nos quoque poſt annuum luctum, ex miſerando dulciſſimæ coniugis Apoloniæ obitu contractum, exhauſti: ſuccedente etiam morte Fratris morte, in tantam mentis animiq; perturbationem, commotionemque incidimus: qua circa autumnum, paulo ante cœnam, ſubito, eo capitis loco, quo fungum ex cranio nobis aliquando enatum, hoc ipſo libro teſtati ſumus, intéſiſſimo dolore, veluti ſi quis ea parte, clauum magna vi ad cerebrum vſque adegiſſet, ſuſtinuimus: & certe quin in terram prori: concidiſſemus parum abfuit. Recollectis vero nonnihil viribus, ſubſequente hebdomada, vertigine & obliuione adeo correptus ſum, vt altiora loca conſcendere, nõ niſi adminiculis, ne caderem, opus habuerim; libri quoque & calami ſcriptorii, nolenti mihi è manibus ſæpe elaberentur. Proinde minime vana coniectura de Apoplexia ſucceſſura, ſollicitus fui. Exacto octiduo, ingens capitis dolor, cum ſenſuum perturbatione & tremore, me inuadit. In ea trepidatione, cum pro tempore nihil aliud ad manus eſſet, de ſpiritu iuniperi, (aquam ardentem ex Iunipero chemici

chemici vocant,)duo cochlearia ſumſi: cuius vi ex ſiniſtra aure, aquæ flauæ, quantum teſta oui capere potuiſſet, intra bihorium propulſum,effluxit: accedente inſuper,totius corporis, maxime vero capitis ſudore profuſo. Ex quo capitis dolor, reliquaque apoplectica ſymtomata, confeſtim remiſſiora facta, & indies mitigata ſunt: Etſi plenariam reconualeſcentiam, ad proximum Veri vſque conſequutus primum ſum: quantumuis accuratam valetudinis meæ rationem tum victu tum medicamentis inſtituerim. *Schenckius.*

A MELANCHOLICO HVMORE.

Observatio.

Apoplexiæ potior cauſa humor Melancholicus, qui & difficillimas apoplexias creat.

DICO nullam Apoplexiam fieri ex pituita: proximum huic, omnem Apoplexiam ex atra bile fieri. Cum dico nullam aut omnem, intelligo modo Medico non geometrico: neque enim negauerim in centum vnam aut alteram ex pituita fieri, non ex atra bile fieri, quod ſic oſtendo. Morbi violentiſſimi fiunt ab inuictis humoribus ac peſſimis: ſed atra bilis peſſima eſt, & Apoplexia morbus violentiſſimus, conuenit ergo atra bilis apoplexiæ, & non pituita. Deinde infantibus plenum eſt cerebrum pituita, vt nulli alii ætati: & tamen nunquam viſus eſt infans (quanquam etiam comitialib. morbis tot ex his ſint obnoxii) qui correptus ſit apoplexia. Præterea ſi apoplexia è pituita præcipue fieret, & hi maxime ſenes corriperentur apoplexia, qui pituita abundarent in cerebro, atque ita ſoliti grauedinibus & raucedinibus laborare: ſic & aquæ potores, & non vini, ſomnolenti & non vigiles: at nihil minus horum. Accidit enim hic morbus violentis, ſollicitis, vigilibus, capite carnoſo, ſed non pituita redundante ex naribus, nec ex palato. Quod ſi omnino fieri velis à pituita adeo repente ventriculos: cur non antequam in hunc morbum incidunt, grauedinem ſentiunt? neque tanta fieri repletio poteſt confeſtim, ſed multo indiget tempore: at hoc viſum eſt, quin potius ante & per multos dies ſentiunt acutos dolores capitis, teſte Paulo. Signa quoque alia à Paulo ibidem deſcripta, id non atteſtantur, venarum ſphagitidarum, id eſt, ſoporatiarum toruli eleuantur: oculis tenebræ modo, modo ſplẽdores obuerſantur, vrina æruginoſa & atra: quid hæc rogo cum pituita? ſi non vltima primis miſcere volumus. Rurſus ſi pauca materia collecta eſt, cur dolores magni? ſi tota, cur non colliqueſcitur? eſt enim quaſi principium in Medicina & Philoſophia, humidum à calido colliqueſcere. Rurſus ſi pituita eſt cauſa Apoplexiæ, cur iubent mitti ſanguinem? cum nec ratione loci, cum ſit extra venas: nec originis, cum orta ſit in cerebro, & non illuc deducta per venas & arterias, nec qualitatis, cum ſit valde frigida, conueniat? Cum etiam pituita deſcendit per nares & palatum, deberent alleuiari, ſicut in comitiali. At tantum abeſt vt alleuientur, vt ſignum ſit lethaliſſimum, materia illac deſcendens, neque enim talis pituita eſt, materia morbi, ſed humidum ipſius cerebri, quod colliquatur ex atrocitate morbi: ſicut etiam in morientibus ex acutiſſimis & ſicciſſimis febribus, in quibus ſentitur recmon: quod non tam eſt cauſa mortis, imo leuis cauſa, quam certiſſimum ſignum: quia ſignificat colliquationem ſubſtantiæ cerebri, & ideo nullus horum prorſus audit, aut videt. At illi qui patiuntur recmonem ex deſtillatione pituitæ, licet propter illius multitudinem moriantur, vident tamen, audiunt, ac ratione pollent. Modo intellige quantum referat hoc ſcire, ſi quis paratus ſit ad apoplexiam: vel quia maiorum aliquis ex hoc morbo interierit, vel quia in ea regione plures ex eo morbo moriantur: vel quia eo tempore conſulent iſti inclyti Medici, ſecuti ſuum Galenum, vt vtantur carne, ouis, vino, parum indulgeant ſomno, abſtineant ab aqua, & piſcibus: tamen ex illis generatur hic morbus, cum his tribus impoſſibile eſt decidere in eum, niſi præoccupauerit. *Cardanus Comment. ad Aphoriſm. 55. libro ſexto, Hippoc.*

A FLATIBVS, VAPORE ET FVMO.

Observatio.

Apoplexia à flatibus, & eius curatio.

APOPLEXIA morbus eſt organicus in figura vitiata tum cerebri corporis, tum ventriculorum ipſius, concitaturque multis de cauſis, modo flatibus quæ dicuntur *Hippocrates lib. primo de flatibus.* ψευδοπνεύματα ab imbecillo calore productis, ex humore crudo & craſſo, qui motu errabundo in cerebrum ſublati, venaſque ipſas & arterias carothidas, in plexu retiformi intercipiunt: ea cum leni ſtupore eſt, non difficili reſpiratione, & ſtertore, in paralyſim non deſinit, ſoluitur enim vehementi concuſſione, frictionibus & calidis adhibitis remediis. *Douinetus Apolog. lib. 3. c. 1.*

Observatio.

Thermarum quarundam vapore in caput recepto ſymtomata apoplectica induci.

NARRANT accolæ cum ſoliis plus iuſto temporis inſidetur ſæpe vſu venire vt egreſſuri (Loſſinenſes Morauiæ thermas) præcipiter deuoluantur & cernui capite ſolum quatiant (quod illi debilitati ex longiori mora contractæ aſcribunt vel aquæ violentiæ) vbi caput replentes fumi erant culpandi. Siquidem valet conſequentia, caput grauant. Ergo ſunt ſulphureæ vel bituminoſæ. Hic cum nullum bituminis veſtigium appareat ſulphur erit accuſandum. Mihi cum fixis oculis ſupra horam, ſolus, aquæ pelluciditatem iucundiſſime intuerer & bullulas in altum ſcaturientes obſeruarem tum etiam cogitabundus mecum diſquirerem aquæ naturam & vires trabitum innixus cum illinc aliorſum me recipere vellem caput in gyrum contorqueri animaduerti: mox neque pes neque mens officium facere ad vicinum parietem me inclinaui, cui ſemper ſubnixus, ægre tum miniſtro ſuccollante ſum egreſſus. Grauitate, imo ſtupore preſſus oculos ægre attollere, rogantibus

vix re-

vix reſponſa dare pratum exiguum, diuerſorium qua petendum erat, difficulter tranſire potui, neque ad me radii, niſi inter cœnandum benignioribus vaporibus ab alimeñto ſurſum eleuatis & priore fumos diſcutientibus. Cœpi apud me ipſum cogitare de cauſa tantæ vertiginis, cum demum deprehendi me vaporum (pronus aquas cum intuerer fumantes) nimium hauſiſſe & ita pœnas imprudentiæ luiſſe, quod Badenis agro Viennenſi crebro contigiſſe nouerani, cum ſpectatores ex alto balneantium nugas & ludos vix horæ quadranto (ſiquidem actu calent) ferre poſſint habitus ſulphureos in altum eleuatos: at qui in alueo lauant, ſunt immunes ab hoc ſymptomate eo quod illi ſurſum ferantur, & innixos prodiis ſolum feriant. Poſtridie num res ſeſe haberet & an vaporum ingentium culpa id contigiſſet exploraturus, aſpexi duos lauantes, qui turbata aqua luctantes congreſſi maiorem vaporum copiam excitarunt, eoque ſimili ſed non tam vehementi ſymptomate affectum breui ſecedere coegerunt. Neque vllas Morauiæ thermarum tam copioſos & denſos vapores emittere obſeruaui & eos continue exhalantes ac iſtas. Nec eſt quod quis culpam conferat in anni tempus frigidum quandoquidem Auguſti primis diebus eas perluſtrauimus. Hæc omnia ſulphur arguunt. *Iordanus de aquis Medicatis.*

OBSERVATIO.

Apoplexia ex carbonum fumo.

SCIENDVM obſtructis non ſolum cerebri cauitatibus & cauſis à materia craſſa apoplexiam ſequi intercepto ſpiritus animalis tranſitu, ſed & id ex obſtructione à vapore craſſo facta, præſertim ſi mala ſui qualitate cerebrum vellicet, vnde contractio ſubſequatur, totaliſque fiat obturatio, euenire poſſe quod exemplis nonnullis comprobare libet ab iis deſumtis qui fumo carbonum extincti ſunt.

Quintus Luctatius Catulus orator collega Marii in conſulatu ab ipſo Mario mori iuſſus incluſus in cubiculo calce recenter oblinito, carbonum vapore ſuffocatus ſibi necem dedit, autore *Valerio Maximo, lib. 9. c. 11.*

Eodem fere modo ciues Romanos à campana plebe deprehenſos balneis includi iuſſos, fœtore atque æſtu anima interclusa peremptos memoriæ mandauit *Liuius libro vigeſimotertio hiſtor. ab vrbe condita.*

Zoë Nicoſtratis Martyris vxor à Beato Stephano ad Catholicam inducta pietatem crinibus ſuſpenſa carbonum fumo ſubterſuffocante periit anno 155. die Nouembris hora quinta noctis.

Quatuor homines anguſto carcere in vrbe noſtra detenti ferreos cancellos, ſeu tranſennam ignitis carbonibus ignire & emollire tentarunt. Fugam inde arripere procurantes, cumque opus aggreſſi fuiſſent lignea feneſtra, quæ exterius tranſennam muniebat, atque tunc temporis clauſa reperiebatur, vaporum & fumi, à carbonibus eleuatorum exitum prohiberet, vnde in carcere anguſto fumus totus cogebatur; hinc omnes tetro illo vapore male affecti concidere quorum vnus penitus reſolutus mortuus eſt; alter vero, qui doloſi huius inuentus author extiterat, ſine loquela ſtupidus, ac immobilis per horas viginti tres facie mortuo permanſit tandem apertis oculis, confuſus, & ſine ratione reſolutus fere totus delirans loqui cœpit, ſed poſtea febre indeficiente, lateriſque dolore, & tuſſi moleſtiſſima ſubſecuta extinctus fuit reliqui duo longo temporis tractu multiſque opportunis adhibitis remediis, ope excellentis viri D. Antonii Capriani Medici conualuerunt. *Marcell. Donat. Hiſtor. Mirabil. libro ſecundo cap. 6.*

Erat homo quidam ex iis, qui laneos birretos ſuper ligneas formas extendunt Nicolaus Gerarducius appellatus, hic hyberno tempore cum mandentes multos, vt moris eſt extendiſſet, exſiccandos hippocauſto huius muneris gratia parato, impoſuit, atque ſuccenſis carbonibus abiit. Pueri bini ei in arte miniſtrantes cum cœnaſſent, vt calefierent vaporarium ingreſſi ſomno correpti, intus totam noctem tranſigere, ſummo mane ſurgit Magiſter ambos ſine ſenſu, & motu humi procumbentes reperit; faciem tamen non mortui referentis, ſed dormientis; hos ego cum inuiſiſſem non penitus pulſu deſtitutos inueni tamen breui moriturus penitus pronunciaui, malum enim altius radices egerat, paulatim vero viuido colore faciei deficiente veſperi exanimes omnino ſepulturæ traditi ſunt.

Anno quoque 1575. Fabriferrarii Ioannes Maria nomen bini filii in Gabianæ villa commorantes, cum per ſex horas in thalamo cubaſſent quem pater calce dealbandum curauerat, carboneſque accenſos indiderat, vt citius exiccarentur parietes, reſoluti ſine ſenſu & motu reperti ſunt aliquali tamen vitæ reſiduo remanente, vt ex pulſu & viuido faciei colore deprehendebatur quo paulatim extincto non niſi per multas horas delituit ita vt nulli dubium relinqueretur, ipſos apoplexia correptos concidiſſe. Quod poſtremo exemplo alio clariori confirmari libet. Alexius Chiaponus Mantuanus cum Bononiæ, Iuriſperitiæ operam nauaret, accenſis in thalamo carbonibus, vt frigidi aeris inclementiam arceret; feneſtris ianuaque optime clauſis, ſtudere cæpit, paulo poſt conſocii ad cœnam ipſum aduocant, cumque remorantem minimeque reſpondentem animaduerterent, oſtio cubiculi reſerato, illum ſenſu & motu deſtitutum; in terra proſtratum, ſpuma ore madente reperierunt, Medicos ſtatim aduocant; qui capiti multis adhibitis præſidiis tandem candenti ferro in occipitio inuſſere, ſicque ſenſu & motum recuperare cœpit, ac tandem ſanitati reſtitutus adhuc viuit, & ſtudiis eiſdem incumbit: Hippocratiſque dictum in *aff. 43. lib. 2.* non ſemper veram ſententiam continere clariſſ. demonſtrauit, cum inquit ſtrangulati ac diſſoluti, nondum mortui, non referuntur, quibus ſpuma circa os fuerit. Mendacem vero *Hali 6. practic. cap. 4.* ſcribentem qui autem cum fumo fuerit ſuffocatus & diſſolutus, ſi ab ore eius ſpuma exiuerit, nulla eſt ad eius ſalutem via ex quo fumum ignitorum carbonum cerebrum præcipue petere, maloque ingenti afficere aperte docuit. Non tamen negandum, nonnullos, quibus ſenſus & motus reſtitutus eſt, condenſatis vaporibus craſſis & in catarrhum verſis, & ad pleuram membranam decumbentibus, pleuriti-

H dem

dem, vel ad fauces Anginam excitare potuiſſe, ſicque tandem patientes grauiter affectos neci tradere. Hinc fortaſſe *Ioann.Math.de Gradis in ſuis comm. in 9.Raſis.* de iis, qui fumo carbonum ſuffocati ſunt. *in cap.de Angina.* meminit, hiſtoriam recenſens, duorum famulorum cuiuſdam Apotecarii, qui Mediolani ex fumo, carbonum thalamo incluſi extincti ſunt, ſententiam noſtram ſecutus eſt, Clariſſimus in re medica vir Hier.Mercurialis, *lib. 3. var. lect. cap. 2.* quo loco Carbones lædere nimio illorum colore, caput exiccante & condenſante tradit. *Idem eodem libr.& cap.*

A CALIDIS HVMORIBVS.
OBSERVATIO.
Apoplexiam, epilepſiam, & ſimiles capitis affectus, ex calidis potius quam frigidis humoribus proficiſci.

CVM de medici natura, & corporis conditione, differunt tum Hippocrates, tum Plato, non idem ſentire eos conſtat. Nam Hippocrates medicũ firmo corporis habitu & valida conſtitutione ſanitatis eſſe vult, vt laboribus ægris impendendis ſufficiat, Plato vero eum requirit, qui ob proprii corporis imbecillitatem multorum morborum experimẽta in ſe ipſo collegerit, vt morborum naturas exactius diſcernere, ac experientia propriæ calamitatis ad maiorem diligentiam ægris adhibendam, excitetur. Quod ſi vtriuſque ſententiam ita temperare liceat, vt eum ad medendi artem maxime idoneum cenſeamus, qui & firmum à primo ortu corpus acceperit, & nihilominus ex accidentariis cauſis varias morborum variorum moleſtias in ſeipſo expertus ſit, videor mihi aliquam ægris recte conſulendi facultatem peculiari quodam fato meo eſſe adeptus. Quamuis n. natura ortus mei robur tantũ, quãtum ad medicam artem exercendam, requirebatur mihi conceſſerat, tamẽ factum eſt partim negligentia exactioris victus, partim intempeſtiuis ſtudiis meis, vt pene in prima iuuentute mea in grauiſſimas corporis, maxime vero capitis affectiones inciderim, quibus dum ſubinde exercitatus ſum, multarum obſeruationum experientiam conquirere non difficulter potui quam ſi ad vſum ægrorum accommodem, facturus mihi operępretium eſſe videor. Itaq; libet dictarum obſeruationum ex propriis malis collectarum, quaſdam in hoc loco ſubiicere, quibus tamen narratio propriorum malorum, ex qua obſeruationes deduci poſſint, præmittẽda eſt. Cum in aula Fuldana verſarer, ac pro conſuetudine eius loci largiori diæta tum in cibis tum in potu vini eiuſq; francici vterer, intermittens interim efficaciora euacuationis inſtrumenta, eiuſmodi ſunt venæ inciſio & ſcarificatio, tũ etiam alui purgatio, ſolũ abſtinentia, quibuſdam temporum interuallis ſuſcepta erã contentus. Itaq; tam humorum plethoram collegi; vt tandem in acceſſiones quaſdam epilepſiis lenibus non diſſimiles inciderem. Antecedebant autem has iectigationes ſeu palpitationes quædam circa tempora ac oculorum ſupercilia cum punctionibus moleſtis & extenſionibus partium internarum, ac anxietate quadam ſudores quoſdam violẽtos, tum in capite, tũ in reliquo corpore excutiente. Quæ ſymptomata ſequuta eſt oblæſio q̃dam, eaq; breuis interior ſenſuũ, partim ad ſomnolentiã incitans, partim ſtuporẽ quendam maxime in facie, cute capitis & manibus, collo ac brachiis inducens. Qui etſi remitteret paulo poſt, tamen eius quædam veſtigia, tum in manib. tum etiam in collo & faciei cute remanſerũt. Ac hæ acceſſiones repetebant aliquoties. Videbantur quidem mihi hæc ſymptomata mira, ꝗ à practicis non ita expreſſe notata eſſent, & quod cum iiſdem facultas naturalis appetendi, & concoquendi cibos recte conſtaret, & in nulla actione vel naturali vel vitali noxa aliqua aduerteretur. Conſului vero medicos ſeniores me, qui mihi cephalica eaq; calida tum externis tũ internis adhibenda ſuadebant, ꝗ hæc ſymptomata ex frigidis humoribus, ex crapula collectis nata eſſe cenſerent, præſertim cum deſtillationibus & catharris pituitoſis ſubinde obnoxium me eſſe affirmaſſem. Sed parum calida illa proficiebãt. Quinimo potius nocere & obeſſe videbantur, ꝗ acceſſiones dictorum ſymptomatum denuo vel leuiter excitarent, vel ſaltem ad eas diſpoſitionem quandã inducere viderentur. Quemadmodum & vini meratioris vſus, item cibi vel calidi, vel euaporantes, vel odores calidi & graues & ſtudia intenſiora, & exercitia vehementiora repletionem cõſequentia & matrimoniale debitum ſolutum, malum illud non obſcure exaſperabãt. Contra vero proderant, diæta tenuior, fuga vini meratioris, & vſus vini obligophori, vel aqua diluti, moderatio laborum ingenii, item reuulſiones per ſcarificationes in ſcapulis factæ, & vacuationes alui leniores. Porro nimis frigida, neq; interius, neq; exteri⁹, conferebant. Sed torporẽ cutis augere videbantur. Ergo cũ hæc ſymptomata leuib. ex cauſis ſubinde in capite recurrerẽt, aliquot annis tranſactis incido tandem in febrem tertianam intermittentem, quæ poſtea in tertianam continuam, eamque malignam, & cum vigiliis & magna virium oppreſſione coniunctam, degenerabat. Hanc tandem excepit lethargus periculoſiſſimus, aliquot dies durans, qui omnem rationis vſum mihi ademit, neq; eum præcauere potuerũt venæ ſectio epaticæ, & purgationes bilis, & clyſteres reuulſorii aliquoties adhibiti. In initio vero lethargi quod emplaſtra quædam calidiora aſſiſtentes mihi impoſuiſſent, quorũ vim ægre ferre mihi videbar, ſicuti & reliqua topica capiti admota, ea furore quodã ipſe mihi remoui, de eorũ noxa cõquerens. Itaq; per triduũ ſomno veluti ꝓfundo oppreſſus, neq; cibum neq; potum ſumſi, neque ad rogata reſpondi. Tandem cum aliqua ſpes meis data eſſet leuationis ipſius morbi, ſcapulis cucurbitulæ quædam, adhibita vna ſcarificatione, affixæ ſunt. Quod auxilium ſequuta eſt leuatio quędam capitis. Nam & loqui cæpi cum domeſticis & de rebus familiaribus cum iiſdem conferre. Verum dum mihi defunctus, grauiſſimo periculo viderer, morbi antecedentis: ſenſi deinceps magnos dolores in partibus ano vicinis. Quas cum contẽplati eſſent familiares, obſeruãt eas vna cũ ore ani eryſipelate phlegmonoſo eſſe occupatas. Quare factũ eſt, vt os ani ita clauderetur, veluti reſte quodam conſtrictũ eſſet. At vero cum redeunte appetitu mediocrẽ cibi quãtitatem ſumſiſſem & aluus ſua ſponte nihil redderet, torpida reddita facultate expulſiua inteſtinorum ob ani & vicinarũ partium dolores, & affectiones phlegmonoſas, ſenſi denuo ex conſtipatione illa capitis magnã grauedinẽ, quã tamẽ euacuatio alui clyſteris ope facta, mihi diſcuſſit:

opus

opus vero fuit per integri menſis ſpatiũ aluum mollientibus clyſteribus alternis diebus mouere, quod ea ſua ſponte nihil egereret. Quod ſi diutius alui artificioſam ſolutionem diſtuliſſem, eam capitis ſenſi affectionem, vt iam iam paralyſis, brachiorum præſertim ſequutura videretur. Incidit & frequenter alia moleſtia. Nam cum vel ſeriis cogitationibus incumberem, vel iracundiæ motu concitarer, vel ſcripſiſſem, aut tegiſſem intenſius, aut vigilaſſem diutius, aut caput aliis occaſionibus excalefeciſſem ſtatim eam ſanguinis feruentiſſimi in capite ebullitionem animaduerti, vt cucurbitularum appoſitione ad ſcapulas, & ſcarificatione, ad reuellendum ſanguinis impetum ad caput, & efferueſcentiam eiuſdem mitigandam, indigerem. Quinetiam topicis moderate refrigerantibus capiti applicandis, opus habui: nam vehementer refrigerantia ſubitum ſtuporem inducere mihi viſa ſunt. Tãdem acceſſit rurſum paroxyſmus febrilis moderatior tamen. Itaque ſequenti die potionem cholagogam ſumpſi, quæ choleram rubicundiſſimam magnæ quantitatis reiecit per aluum. His omnibus ſymptomatibus vltimo ſucceſſit, hæmorrhoidum primo quidem inflatio, poſtea apertio, & earundem fluxus per interualla temporis ſanguinem feruẽtem, & ſatis copioſum educens. Hunc poſtremo excepit ſanitas confirmatior, & capitis à prioris temporis moleſtiis, liberatio euidẽtior. Præmiſſa hac narratione variorum ſymptomatum, cum quibus conflictatus ſum, reliquum illud erit, vt ex ea obſeruationes ad artem medicam vtiles deducam. Quarum illa prima ſit, quod vini eiuſq; fortioris vſum, potius calidi humoris, quã frigidi & pituitoſi repletio ſequatur. Nam & ſymptomata incidentia, & eorum ſublationis modus id teſtantur. Neq; obſtat, quod peruagata ſit apud multos medicos illa opinio, ꝙ ebrietas morbos frigidos & pituitoſos pariat, idque inde patere, quod ebrioſi in apoplexias & epilepſias interdum etiam in conuulſiones quaſdam incidant: Nam hos iam dictos morbos potius ex plethora vel ex calidiorib. & feruentioribus humoribus potius proficiſci, vel inde liquet, quod potius ſanguinis reuulſione, & euacuatione, quam aliis remediis & auxiliis cedant, & ꝙ præſertim in epilepſia, omnium ſymptomatum ratio, humoris acris efferueſcentiam potius, quam frigiditatem oſtendat, accedit & eo, ꝙ & calidiorum vſu, eiuſmodi morbi plerunq; exacerbẽtur. Interim tamen non nego apoplexiam & paralyſin interdum ex frigidis etiam humoribus naſci poſſe, præſertim in ſenioribus & iis qui ex naturæ cõſtitutione multum pituitæ colligunt. Cæterum neq; illud etiã noſtræ ſententiæ refragatur, ꝙ in narratione propoſiti de ſtupore incidente, à me dictum eſt. Etenim ſtuporem ab eodem calido humore vel potius vapore vellicante, ab humore tamen concitato, cerebrum proficiſci etiam poſſe, vel inde intelligitur, quod humores calidi ſuã copia ſpiritus perturbantes ad præbendum ſenſum ineptos reddant, ac cerebrum excitans ſeſe ad repellendum noxia vicinarum etiã partium neruos violenter moueat, in quo motu nõ ſolum extenſio, ſed & conſtrictio fit, ſenſum tum internũ, tum externum hebetans, ſpirituũ harmonia confuſa, ac vna etiam ex illa conquaſſatione partiũ capitis & veluti compreſſione colliquatio quædam aliorum humorum in capite exiſtentium fiat, cuius occaſione humores illi ad neruoſas partes propulſi obſtructionem excitẽt, & hebetioris ſenſus veſtigia in iis relinquant. Sed nolo hoc ad viuũ reſecare, ꝙ notum ſit, etiã epilepſias eas, q̃ in acutiſſimis febrib. incidunt, & ſine omni dubitatione acerrimos & feruentiſſimos humores cauſas habeant, tamen ſtuporis ſenſum habere adiunctum. Quare pergamus in ꝓponendis obſeruationib. quarũ hæc ſecunda eſt, ꝙ in morbis capitis tutiſſima ratio ſit curãdi, q̃ reuulſionis & auerſionis auxiliis inſtituitur, præſertim in magna capitis repletione. Nã excalfaciẽtia incidentia ac diſſoluentia vel internis vel externis initio adhibita ob metum commotionis humorũ, facile vel apoplexiam excitare poſſunt. Ac ob id mirum videri poſſet, cur multi practici in morbis capitis ex humorũ repletione etiã ortis digeſtiuis calidis & euaporantib. principiũ curæ aggredeantur, aut in iiſdẽ dum clyſteres parandi ſunt illis capitales (vt appellant herbas iniiciant) aut vinis etiam medicatis humores ꝑparare ſtudeant, cũ hęc omnia pręſertim initio, nulli vſui eſſe queant, niſi forte vtile exiſtimari debeat, caput refertum humorib. vaporibus humores perturbate mouentib. magis implere. Sed accedo ad tertiam, q̃ hæc eſt, ꝙ in lethargo calida topica minus conferant, ꝙ is pręſertim, ſi cum febre iungatur (vt fit) potius ex mixtis humoribus iiſq; ſuo modo putrentibus, quã ex ſolis frigidis excitari ſoleat. Itaq; hic potius reuellentia & vacuantia, quam vel alterantia, vel diſcutientia fortia ex vſu erunt.

Quarta vero eſt, quod per Eryſipelas exortum Cryſis & ſolutio grauiſſimorum morborum fieri poſſit, quodque illud nullam non corporis partem occupare poſſit, vt alias latius declarabitur.

Quinta eſt, ꝙ conſtipatio alui vel ſola grauiſſima capitis pericula inuehere queat; præſertim ſi in corpore humores maligni exiſtant, qui vapores virulentos & noxios in caput tranſmittant.

Sexta eſt, ꝙ etiam in reualeſcentia in membro particulari aliqua ſanguinis repletio exiſtere poſſit, cuius ratione ſymptomata denuo noua excitari poſſint ac ob id etiam remotis morbis ſæpe eiuſmodi repletiones particulares minui debere.

Septima eſt, ꝙ ſæpe morbis finitis, tamen ex reliquiis prioris morbi recidiuæ incidant, ac ob id reliquatum etiam euacuationem prudenter inſtituendam eſſe: ſiquidem vel ex faſtidio ciborum, vel ex aliis ſignis ſubeſſe quiddam, quod nouum malum excitare poſſit, medicus coniiciat.

Octaua eſt, quod hæmorrhoidum apertio tempeſtiua etiam diuturnos morbos, præſertim vero capitis, mitiget atq; corrigat.

Nona eſt, ꝙ ſæpe in iis qui crebros catharros etiam pituitoſos habeant, nihilominus tamen in venis capitis ſanguinis redundantis repletionem habeãt, cuius ratione accidat, vt in capite diuerſos morſos à pituitæ natura ſæpe patiantur. *Oethaus, de obſ. propriis.*

A PLETHORA ET ALVI OBSTRVCTIONE.

OBSERVATIO.

Plethoram & alui obſtructionem apoplecticam diſpoſitionem, ſæpe inducere poſſe.

PLethoram humorum, & alui obſtructionẽ, & inde ſequentem apoplexiã quandã inducere poſſe, ſequens hiſtoria oſtẽdit. Præerat Eichſtadii parochi officio vir bonus, & in ſuo munere eccleſiaſtico dili-

gens Magiſter Petrus Piperanus, vir ſexagenarius.
Qui etſi crapulæ nō eſſet deditus, tamen ea erat na-
turæ bonitate, vt in illa ætate & cibos bene appete-
ret,& vini etiā fortioris largiorē quātitatem aſſume-
ret. Quod vero exercitiis careret,& nullis vacuanti-
bus auxiliis vteretur, factum eſt, vt excrementa &
ſuperfluos multos humores colligeret,& in quandā
alui obſtructionem incideret, cum quodam dolore
& grauitatis ſenſu. Vrina erat ruffeſcēs, & venæ ſan-
guine turgidæ apparebant. Clyſteres à me præpoſi-
tos æger hic reiiciebat, potum vero lenientem ad-
mittebat. Hic vero non ita multum eduxit, obſtru-
ctione noua incidēte. Suadebam venę ſectionē,ſed
eam recuſabat, ꝙ ei non aſſueuiſſet. Cæterū dum il-
le negligit auxiliorum conuenientium vſum,corpus
torpidius redditur. Tandē etiā delyrium incidit,id-
que cū riſu leui,repēte ſuccedit ſermonis vſus inter-
ceptio, q̄ plurimos dies durauit, ipſo nihilominus
totū corpus perpetuo iactante, vt aſſiſtentes ipſum
continere ſubinde oportet. Ac dum illa ſymptomá-
ta perſeuerabant plane nihil recepit, excepta aqua
ſimplici cuius parum interdum deglutiebat. Itaque
cum illum in ſpatio nouem dierum ab omni cibo &
potu confortante abſtinentem, tamen nullā corpo-
ris roboris diminutionem pati aduerterem, & venæ
iamdum turgidæ exiſterent, Aſſiſtentibus dixi ple-
thora ingenti ita opprimi vires, vt ad ſe æger redire
nō poſſit,ac ob id venæ ſectione eum indigere. Cu-
raui itaq; venam aperiri eamq; cephalicam, permiſ-
ſu aſtantium, ꝙ cum bene ferret ac euidenter ſuble-
uari videretur, interpoſito aliquo temporis ſpatio
etiam medianam in ſiniſtro brachio aperiendam
curo, etiam maiori leuatione. Nam ſequenti die
rurſum cibum ſumſit,& quoties redditus eſt, non-
dum tamen loquela erat reſtituta. Cum vero dein-
ceps purgāns præbuiſſem,illudq; per vomitū multa
fœtida eduxiſſet, cum vſu rationis & ſermonis vſus
etiā eſt reſtitutus,& mouēdi corpus facultas ſenſim
reddita,ſequutaq; ea ſanitas, vt rurſū ad functionis
ſuæ exequutionē ſe conferret, quanq̄ & propria in-
curia & domeſticorū negligentia fiebat, vt tranſacto
fere biennio in apoplexiā fortiorem rurſum incide-
ret,& ita vitę finem fecit. Ex hac hiſtoria primo illud
depromi poteſt, ꝙ magna plethora ita expultricem
facultatem alui interdū labefactet. vt omnia excré-
menta retineantur, præſertim venis inteſtinis infer-
tis & vicinis,ac os ani circumdantib. ſanguine turgi-
dis magnaq; humorum repletione laborantibus,i-
taq; hac occaſione accidere, vt obſtructiones inte-
ſtinorum & venarum meſaraicarum,ſequātur. Dé-
inde apparet hanc conſtitutionem inferiorum mé-
brorum facile ſuperiores partes ita aggrauare vt de-
lyria, apoplecticæ diſpoſitiones, & membrorū tor-
pores ſequantur, præſertim ſi in reliquis etiam cor-
poris partibus multa plethora exiſtat. Inde etiā illud
manifeſtū euadit corpora plethorica diu abſq; cibo
& potu incolumia perſeuerare poſſe,neq; in hoc ſta-
tu nutricationē vel neceſſariam vel vtilē exiſtere. Vt
ꝓfecto grauiter reprehendēda ſit plerunq; mulier-
cularum importuna diligentiá, q̄ plethoricos ægros
ſingulis fere horis repetitá ciborū oblatione infar-
ciunt, non ſolum morborum diſcuſſionē impedien-
tes, ſed plerumq; ægros ad ſuffocationem, ex immo-
derata ſanguinis copiá effectam, ſtulte perducentes.
Quinetiā ex dictis illud liquet, etiā ꝓgreſſo iam lon-
gius morbo, vtiliter ſanguinē minui. Si vero conſtét,
& oppreſſæ vires multitudine ſanguinis aut humo-
rū eſſe videantur. Nō addā hoc ꝙ ex eadē hac hiſto-
ria etiam clarū fit, apoplexias & torpores mentis nō
ſemper à phlegmate, ſed ſępe etiam à boni ſanguinis
copia poſſe excitari. *Idem lib. obſ. propriarum.*

AB EXTERNIS.

OBSERVATIO.

Lunæ radiis expoſiti ſub ſomnum ſiderationem incurrunt.

VIdimus quoſdā, dū in Creta eſſemus, qui nocte
lunæ radiis expoſiti dormiere, mane ſideratis
mēbris debilitati ex ſomno reſurrexere. Tanta eſt in
familiariſſimo ſidere violētia, ſiccitatis vapore ſerio
ardēte: arbores etiā ſiderationē patiuntur ſimili vitæ
in vtroq; moleſtia. *Alex. Benedict. lib. 1. c. 33. de cur. morb.*

Si quis diu ſub luna ſomno ſe dederit, ægre excita-
tur,& ꝓximus fit inſano, pondere preſſus humoris,
qui in omne eius corpus diffuſus atque diſperſus eſt
proprietate lunari, quæ vt corpus infundat, omnes
eius aperit & laxat meatus. Hinc eſt ꝙ Diana, quæ
luna eſt, ἄρτεμις dicitur, quaſi ἀερότεμις, hoc eſt aerē
ſecans. *Macrobius Saturnal. lib. 7. c. 16.*

OBSERVATIO.

Fulmine attoniti ſeruati quidam, quidam mortui.

ATtonitos fulmine patrē & filium vidimus quo-
rum corpus & mens ſtupore quodā tenebātur,
adeo vt diſſolutione neruorum, q̄ Græci ἀποπληξίαν
vocant, affici eos crederē. Cumq; ad ſeptimū vſque
diē fere abſq; cibo & potu, quin etiam muti & ſine
ſenſu vitam miſerā traherēt, ex vena demū, q̄ Medi-
ci nigrā vocāt, ſanguis emittitur, aluus ducitur, cor-
pus plurimis frictionib. diſtringitur, ac tenuiſſimis
interim cibis vtcūq; alitur, donec paulatim refecti,
ad priſtinam ſanitatem reuerſi ſunt. *Beniuenius. c. 13. de abditis.*

Inter magna prodigia habitum eſt fulmine tangi
nec interire, vt nos vidimus in Ioan. Maria Carda-
no, Breſma cognomine: qui à ſupercilio ictus vſque
ad pollicem cum iacuiſſet ternis horis vt mortuus,
& reuixit & ſuperuixit. Id accidiſſe in agro Trebu-
lano vxori Romani ciuis Pharrano & C. Attilio
Cos. inter prodigia relatum *à Iulio obſequente.* Sed &
inter mira referunt, Mithridatem illum, qui tot bel-
la cum Romanis geſſit bis ſenſiſſe vim fulminis ci-
tra iniuriam, primum cum infans eſſet cunis exuſtis,
ipſo etiam lęuiter in fronte læſo ita vt cicatricem te-
gerent capilli poſt dormientis ingreſſum cubile
pendentem perforaſſe ſagittam. *Ioan. Baptiſt. Cardan. libel. de fulgure. cap. 2.*

Mirum quoque eſt id quod Scopeliano, pontifi-
cis Aſiæ filio atque oratori accidit: nam cum in cu-
nabulis eſſet à fulmine occiſo fratre qui vna cum il-
lo natus erat ipſe euaſit omnino incolumis atque
per maximos labores ad extremam etiam peruenit
ſenectutem. Sunt fulgurum varia decreta & multo
certiora miracula. Referunt enim in Lemno inſula
vbi inſulæ cornu diuiditur, octo meſſores ſub quer-
cu cœnantes, à fulmine percuſſos atq; exanimatos
manſiſſe ſub ea ſpecie qua diſcubuerant, vt vnus co-
medere videretur, alter ori poculum manu admo-
uere, alius bibere. Cumque nigri omnes eſſent ima-
ginem ſtatuarum totidem repreſentabant. Tantum

in his

in his fulminis vis potuit, tam parum in illo. *Cardan. de varietate lib. 8. c. 43.*

Nõnullos vidimus ſideratos & mortuos, vnã tantũ mulierem videre licuit ad hæc vſq; tempora ſideratam & fulmine tactam, quã curauimus & ſanitati reſtituta eſt. Secundus tamen agitur annus & adhuc in lecto moratur. Soror lucida in D. Claræ cœnobio Ferrariæ initiati tamen à ſtupore mentis libera euaſit, hi latine dici poſſunt fulmine tacti, fulmine percuſſi, de cœlo tacti vnde & Virgilius.

De cœlo tactas memini prædicere quercus.

Celſus lib. 3. c. 27. hos vocat attonitos, dicitq; attonitos raro videmus quorũ & corpus & mens ſtupet, fit interdum ictu fulminis, interdũ morbo ἀποπληξίαν hunc Græci appellant, vt ex Celſo colligi poſſit, fulminis ictu & corporis & mentis ſtuporem inducere, & ſiderati ipſi mentis & corporis ſtuporem habent. tamen ictus vna in parte videtur. Iudicandum eſt de talibus βλήτοις. i. ſideratis Hippocratem loqui qui vna parte percutiuntur, & cito obeunt, veſtigiumq; remanet.

Ruſticos vidimus vniuerſim combuſtos ex ictu, nec locus ictus diſcerni poterat.

Puellam vidimus in qua nullum ictus veſtigium apparebat circa dorſum duo tantum erant ſigna, à ſummo ad imum pertracta, quæ à pyragra candenti facta videbantur intus nihil erat incommodi præterquam in vna pulmonis penula, in cuius fine exuſtio quædam videbatur. Celſus ſideratis opem fert, tamen qui vere tacti ſunt fulmine, curari non poſſunt ſed obeunt. *Braſſauola comment. ad lib. 1. Hipp. de Rat. Vict. in Morb. Acut.*

Fulmen omnia animalia præter hominem ſolo contactu occidit, hominem vero vix vnquam euadere licet. Euaſit tamen Ioannes Maria Cardanus & ſuperuixit raro miraculo. *Cardanus libro 2. de ſubtilitate.*

Vtriuſque euenti habemus nos exempla pene innumerabilia: quę noſtris oculis perſpecta ſunt. Nam & ſolo afflatu aliquot extinctos vidimus in quibus nulla vſquam ictus veſtigia apparebant: & plures ſuperſtites ſine miraculo etiam nunc ſalutamus, virgines maritas, milites, ſacrificos, bubulcos, campanarum quæ aduerſus fulmina pulſantur, ventilatores. Quorum maxima parti ad incommoda quæ obuenerant vel ex ictu vel ex afflictatione aut ex vſtione medicas manus iuſſu noſtro miniſtri adhibuere.

Bubulcum in Taurinis percontati ſumus, quo haberet authore auriculam perforatam (pertuderat eum fulmen tenuiſſima traiectione) at ille amẽs atque attonitus, nunquam recte aut ſapere aut loqui poſtea valuit. Qui igitur Pliniana verba mutuatus eſſes, longe commodius eius quoque verba deſcripſiſſes, quam obſtreperes tuis. Sic enim ille. Vnũ animal hominem non ſemper extinguit: cætera illico. Quanquam ne hoc quidem verum eſt. Intacto enim equo ac ſuperſtite inſidentem interfecit, in Taurinorum agro ad vicum Cereſolam: qui ſeſe ſub arbore contuliſſet. *Scaliger. Exercitat. 13. ad ſubtilitat. Card.*

Hier. Fracaſtorei mater, dum Hieron. ipſum, etiamnum infantem in vlnis geſtat, fulmine tacta, periit, infante illæſo: futuræ gloriæ non obſcuro præſagio: *Auctor vitæ.*

Anno 81. Veſontione; ſiue Byzantii Sequanorum: cum campanarii (vt vocant) in feſto aſſumptionis B. M. virginis, in templo D. Iohan. Baptiſtæ, contra tempeſtatem campanas pulſarent, quidã ex illis fulmine petitus, interiit, qui habitabat in vico S. Quintini. Totum vero eius corpus inſpectum, ſine vllo vulnere, & pellis integra comparuit: eo excepto, quod collum nonnihil denigratum, & collare induſii ſciſſum fuit. Eius itaque corpore à Medicis aperto, præcipua viſcera, cor, hepar, & lien deſiderata ſunt, reliquis minutioribus inteſtinis ſideratis. Iis, qui ipſi adfuerant, pedes ambuſti tantum fuere. *Acroma Ioan. Gilberti, Nobilis Burgundionis Palmenſis.*

Habes hanc hiſtoriam, clariſſime Schencki, vtcunque à me deſcriptam, quantum ſcilicet, iuueni ille commeminiſſe potuit, quam vti boni conſulas, te etiam atque etiam rogo. *Ioannes Iacobus Beurerus, S. Cæſ. Maieſt. Hiſtoricus & interpres Græcus, Profeſſor Hiſtoriæ & Græcæ literaturæ in Archigymnaſio Friburgenſi Briſgoiæ.*

Observatio.

Ex horrendo terræ motu attonitio mentis emotio, & væſania inducta.

AVdi rem atrocem & annalibus memorandam, quæ in vrbe noſtra ob terrificum terræ tremorem, nuperrime accidit, municipi meo viro alioqui probo, & opulento, cui Fulco nomen, Argelatoque cognomẽ, hic cum ex illo diro ac perterricrepo fragore factus eſſet, vt aiunt, attonitus, menteque alienata, nam limphaticos, ſimileſque furentibus fieri ab hoc malo, Seneca locupletiſſimus teſtis affirmat, cæpit deſipere, cum diſpendio ſanitatis, qui morbus ſenſim gliſcens implicituſque viſceribus, adeo hominem dementauit, & in tantum impulit furorem, vt die Paſchalis ſolennitatis ſacroſancto, cultro ſibi gulam ſecare tentauerit, moxque confeſtim ſeſe ex ſuperiore ædium parte in inferiora præcipitauerit, ex quo præcipitio mors eſt ſecuta. Pauor itaque egit hominem in veſaniam, veſania in furorem, furor in mortem, niſi lubeat magis credere id Biothanatæ mortis genus, ex maleuola ſiderum radiatione contigiſſe, nam ſi Mars & Sol diametra ſe radiatione aſpexerint, in contrariis conſtituti locis, longa ſe inuicem radiorum poteſtate pulſauerint, iſta in genitura coniunctio homines *vt docet Firmicus Maternus,* ex altis deiectos locis miſera laceratione præcipitat. aut ex altis deiectis locis, graue neſcientibus periculum ſemper affertur. *Beroaldus libell. de terræ motu.*

Observatio.

Ictu bombardæ exaudito puer apoplexia mortuus.

INfans Benepeſantis, ab ictu bombardæ exaudito: totus contremuit, & turbatus fuit: ſequenti nocte lac non ſuxit, flebat & irrequietus permanſit: ſequenti die à prandio, apoplexia correptus fuit. Nam vniuerſum eius corpuſculum tremebat, labia torquebantur, & oculi ita eleuabantur, vt foras exire viderentur. Cæterum pulſus huic frequens, celer ac languidus erat, præcipue dextri lateris. Nam vniuerſus ſiniſtrum latus illico paralyſi correptum fuit, & arteriæ ſuis motibus deſtitutæ. Porro à præſagio facto, quod puer hic intra paucas horas moriturus eſſet, poſt rutam ad eius nares admotam & oleum

vulpinum nuchæ adplicitum, & ſanguinem per tibiarum ſcarificationem extractum, & cauterium prope nucham applicitum, tertia hora noctis obiit. Non eſt mirari, ſi ab ictu bombardæ morbus dictus ex quo mors ſubſecuta fuit, ortum traxerit, cum perterrita natura ſpiritus animales ad cerebrum tanquam ad arcem defendendam retraxit, cum quibus ſanguinem plurimum ſecum quoque duxit, ad quẽ meatuum coarctatio ſecuta eſt, & conſequenter apoplexia, & paralyſis, morbi pernitioſi ſunt orti, conſequenter hic eſt adducere ea quæ à *Galeno lib. de theriaca ad Piſonem* traduntur. Mulier vtero gerens, ſolo tonitruo exaudito, & horribili quodam ſpectaculo viſo, infantem abortiuit. *Luſitanus, curat. 22. Cent. 3.*

Observatio.

Alapa quidam, alius pugno in faciem incuſſo ſtatim apoplexia correpti, & mortui.

Exorta inter duos iuuenes lite, cum alter alterum extento brachio, alapa percuſſiſſet, in morbum ſtatim quem ἀποπληξίαν Græci vocant, reſolutus vapulans, paucis autem horis iugulatus interiit. Quare conuocatis medicis (in vinculis enim detinebatur reus) quæſitum eſt de cauſa mortis ipſius. Verum aliis in ictum ipſum, quo materiam commotam fuiſſe putarent: aliis in humidiorem locum, quo diutius obdormierat: nonnullis etiam in lautiorem victum & potum pleniorem, quo dum vixit eſt vſus, huiuſmodi mali cauſam referentibus, indiſcuſſum apud præſidem remanſit iudicium. *Beniuenius cap. 110.*

Quendam accepi pugno in faciem illiſo, mox cõcidiſſe in pago, cui la Voulte nomen eſt. *Valleriola lib. 3. enarrat. 8.*

Vidimus quendam pugno in facie percuſſum ſtatim apoplecticũ concidiſſe. *Horat. Augen. lib. 9. epiſt. 2.*

CAVSARVM DISTINCTIO.

Observatio.

Diſcrepantium apoplexiæ cauſarum, diſtinctio notabilis.

De cauſa apoplexiæ non eadem omnium eſt cõſenſio. Putant enim pleriq; ex craſſiore frigidioreque pituita hanc ſemper gigni, nunquam vero à ſanguine aut melancholico humore. *Hippocr.* tamen cuius ſententiæ experimenta cõſentiunt, neq; hunc neque illum humorem abſolutè cauſam ſtatuit, ſed omnem craſſiorem ſuccum, ſiue ſit pituita ſiue humor melancholicus, ſiue craſſus ſanguis, aut multus, aut cõcretus, & grumoſus. *In libello de flatib.* addit flatus intercipientes vaſa: aliquando abſceſſum vel tumorem prę̨ter naturam: & vinum commouens materiam in cerebrum, vel vinum ipſum replens. Rariſſima cauſa eſt fulmen, vnde tamen attoniti & ſiderati veteribus dicti apoplectici, quod fulmen ſidus eſſe crederent. Addit etiam *Galen. de differ. morb.* ab externo & vehementiſſimo frigore apoplexiæ quippiam ſimile concitari, ita vt ſymptomatis à materiali non diſtet, quanquam eam affectionem catalepſim potius dicerem, in qua partes ſolidæ refrigerantur, humores in venis concreſcunt, & ſpiritus prę ſiccitate immobiles redduntur. Melancholicus ergo humor, cui cum pituita craſſities communis eſt, ſi cerebri ſubſtantiam imbuat, melancholiam morbum, aſſatus, acris & malignam quandam qualitatem contrahens, maniam concitat: ſin vero cerebri ventres obſtruat, apoplexias & epilepſias inuehit, vt ſcribit *Hippocrates ſecundo de morbis: & in aphoriſmis.* Vere & Autumno in declinante ætate à quadrageſimo ad ſexageſimum (cui atra bilis familiaris eſt, vt ſenioribus pituita) apoplexias fieri docet: Morbus melancholicis (*inquit 6. Aphoriſm. 56. 57.*) per hæc tempora ſuſpecta ἀποσκήψιες (humorum videlicet tranſpoſitiones, aut decubitus) vel apoplexiam corporis, vel conuulſionem, vel maniam, vel cœcitatem denunciant. Et ſequente aphoriſmo, non omnem apoplexiam, ſed eam ſolum, quæ (interprete Galeno) ex ſola atra bile ortum habet, in dicta ætate fieri ſubiicit. De ſanguine multo vel craſſiore, & plenitudine in vaſis, dubium non eſt, quoties carotidas & arterias intercipit, quæ contexunt retiformem plexum: qualis apoplexia à frigida ſyncope parum diſtat, & quarto de victus ratione in acutis (nonnullo falſo interpretantur catalepſim) deſcribitur. Calor enim natiuus cum ſpiritu in illa plenitudine ſuffocatur, quia diffiari non poteſt, vt & in crapula, fitque τῶν ἀγγείων ἀπόληψις, venarum interceptio. Nam cum ſupra modum oppletæ fuerint, premi virtutem, grauarique eſt neceſſe, vnde extinctionis natiui caloris periculum, & propter multitudinem atque copiam ſuffocatio ei ſimilis, qua omnes apoplectici laborant. In quo à ſyncope frigida maxime differt, quod in hac diſſipentur ſpiritus, aut ad cor contrahantur. Hic enim per naturales ductus intro foras aut contra, ferri non poſſunt, vt ante: proindeque torpent ac refrigerantur, ſanguiſque coaleſcit & concreſcit, vt in mortuo corpore, non à vehementi frigore aut ſiccitate, vt in catalepticis, ſed ſuffocato calore & intercepto ſpiritu, quo liquidus erat ac fluxilis, vt cum fuſum metallum ab igne remotum, licet adhuc calens, cogitur. Ob eamque cauſam quamplurimis horum hæc (*ait Hippocrat. 4. acut.*) accedunt, faciei rubor à ſanguinis copia: oculorum immobilitas & veluti quidam functionum torpor, læſo neruorum principio: manuum porrectiones & ſtridores dentium, propter vitiatam motionem conuulſionemque coniunctam: extimarum partium refrigeratio, oppreſſo calore ab humorum copia: denique ſpirituum in venis interceptiones impedito tranſitu. Quod autem *Galenus 2. de dog. Plat. & Hippoc.* negare videtur carotidum & iugularium venarum ſectione vel compreſſione (idem iudicium de obſtructione) apoplexiam fieri, intelligere oportet ſtatim, quod accidere oportebat, ſi iuxta Peripateticos animalis vis à corde per arterias cerebro & corpori influeret. Poſt aliquot enim horas vim animalem exolui & animal mori, nõ ſolum ibidem fatetur, ſed & alibi ſæpe. Spiritus enim animalis vitali, ex quo fit, in carotidibus intercepto, externo aere recreatus aliquandiu ad motum & ſenſum ſatis eſſe poteſt. Vbi vero diſſipari & contabeſcere incipit, alterius (vt corpus alimenti) penuria, veluti carus quidam hominem inuadit, ablato iam omni ſenſu ac motu præter reſpirationem, qua tandem læſa & perturbata apoplexia conſtituitur. *Galenus* ſimiles ex ſanguine apoplexias intelligere videtur, cum præter pituitam vẽtriculos

cerebri

cerebri opplentem alteram apoplexiæ cauſam (*6. Aphor. 42.*) ſcribit eſſe φλεγμονώδη διάτασιν in ipſo cerebro conſiſtentem *Iacotius Comment. 1. ad aphoriſm. 3. lib. 7. Sect. 2. Coac. Hippocr.*

APOPLEXIA IN PARALYSIM DEſinens.

OBSERVATIO.

Mulier febricitans, apoplexia correpta, quæ in ſiniſtri lateris reſolutionem ceſſauit, dextro latere conuulſionibus cum febre afflicto.

Conſultaturi Peregimus, Saracenus, Fauherius, Maupea, Ruſticus, Philippus, & Ego, pro vxore Itali ægrotante à duobus menſibus. Primo correpta apoplexia, quæ ad tertium ferè diem durauit, poſtea in paralyſim incidit totius lateris ſiniſtri. Deinde quum melius habere inciperet, incidit conuulſionẽ alterius lateris violentam, & diu perſeuerãtem, cum febre, qua etiam laborauerat dum eſſet apoplectica; Mulier erat accedẽs ad quadrageſimum annum lactans inordinatè, aquam biberat, multos fructus comederat, natura admodum melancholica, obnoxia hemicraniæ: quæ paucis annis per biennium, quartana laborarat: Mens conſtabat extra epilepſiæ paroxyſmum. *Ioan. Bauhinus de obſeruat. proprijs.*

OBSERVATIO.

Apoplexia in paralyſin definentes.

ANno 1554. cum apophthegmatum meorum editionem iam ad prelum pararem, egreſſus muſæum, 21. die Decembris dira paralyſis corripuit: Quo ſenſim in terram dimiſſus, vno momento, non tantum vocem, ſed dextram, totumque eius ſenſum & motum à capite, vſque ad calcem (ſolo viſu ac auditu exceptis) adeo amiſi, vt nec verbum vnum proferre, ad 12. dies, nec pedibus inſiſtere, nec digitum vnum ad tres integros menſes, lecto infixus, mouere potuerim. Videbantur membra non in ligna ſed in lapides duriſſimos cõuerſa eſſe, dum ſanguis læſæ partis ex humorum frigiditate & neruorũ meatuumque obſtructione adeo gelitus, ac induratus, vt nec fricationibus, nec fomentis, nec aliis medijs quibuſcunque calefieri vix tandem potuerint. Amiſi tunc (dictu mirum) humoribus à capite per cerebrum defluentibus, adeo omnem memoriam, vt orationis Dominicæ verba, literarumq; omnium notę penitus exciderint (id quod olim Meſſalæ Coruino ex morbi etiam improbitate contigit, quemadmodum etiam Franciſco Barbaro, ac Georgio Trapezuntio, qui inter Latinos Græce loquentes, ſenio iam confecti in profundam Græcę linguæ obliuionem incidere, vt grauiſſimi authores teſtãtur.) Meæ autem calamitatis teſtes ſunt, amiciſſimi mei, qui me animo quidem ac ratione ſaluum, ſed tantum nutu loquentem non intelligentes, literis alphabetico ordine in tabula creta depictis admonebant, vt dicturus ſiniſtrę manus indicio, literas ſuo ordine oſtenderem, vt ſic ex literis ſyllabas, ex ſyllabis voces integras facientes, inde animi mei cogitata, vtcunq; tantum elicerent: ſed Chyronium vulnus ac immedicabile malum videbatur. Quo factum eſt, vt non ipſe modo, ſed omnes morbi atrociſſimi ſpectatores, de vita mea deſperarent. Verum Deus miſericors, cuius virtus infirmitate noſtra perficitur, aſſiduas meas ac ſuæ eccleſiæ pro me preces exaudiens, D. Wilhelmi Gratoroli Bergomatis, inſignis medici opera, maiori ex parte reſtituit. Si quid igitur ex ea vitæ parte, q̃ adhuc reſidua mihi eſt, muſis aut obelo dignum à me acceperis, Deo potiſſimum optimo maximo, ac inde Gratorolo medico aſcribas velim. *Lycoſthenes lib. Prodigior.*

Leuiter ætate noſtra tactus fuit in foro Iulio Antonius Fereus ex Patricia gente, diutiusq; reſolutis quibuſdam membris vixit. *Benedictus lib. 1. capite 34. de curand. morb.*

OBSERVATIO.

Apoplexia quædam rara.

APoplexiam non fortem quandoq; vidi, quæ ſiniſtram capitis partem cum inuaſiſſet, ſimul etiam digitos dextrę manus & dextri quoq; pedis corripuit. *Thaddæus Dunus lib. 2. c. 4. de miſſ. ſanguinis.*

OBSERVATIO.

Apoplexiæ & epilepſiæ diſcrimen.

EPilepſia differt ab apoplexia hac ratione. Nam in hac non tantum ventriculi, verum etiam corpus afficitur cerebri. Deinde ſemel & vna vice replentur cerebri ſinus in apoplexia, nõ ita tarde vt in epilepſia. *Eraſtus Parte quarta, diſputatio. aduerſus Paracelſum.*

Licet apoplexia & epilepſia ab eadem cauſa videantur excitari, ea tamen non eſt eadem, ſed in modo differt. Nam humor craſſus in epilepſia non perfecte obſtruit ventriculos: in apoplexia perfecte obſtruit: quod ſi addas in apoplexia plures ventriculos obſtrui, quam in epilepſia, hoc etiam non parui refert. Illud etiam potes addere, in epilepſia affici tantum cerebri ventriculos, in apoplexia etiam corpus cerebri: quare cum modus cauſæ diuerſus ſit, diuerſi ſunt morbi, quod ex diuerſitate ſymptomatum patet. *Comes Montanus. libr. 3. cap. 31. de Morbis.*

PROGNOSTICVM FVNEſtum.

OBSERVATIO.

In magnis capitis morbis, apoplexia ſcilicet, conuulſione, &c. vrina vinoſa, cruenta, mortis argumentum.

VIdimus certe aliquando in grauioribus capitis morbis, vt apoplexia & conuulſione, cruentam vrinam & vinoſam certiſſimo imminentis mortis ſigno, de quibus omnibus dictum eſt in librum huius operis de vrinis, quem ante hunc expoſuimus. *Iacotius Comment. ad aph. 19. lib. 1. Coac. Hippo.*

OBSERVATIO.

Aliquando leuis apoplexia vtero geſtantes infeſtat.

MVlieribus quibuſdam, quo tempore fœtus in vtero animatur atque mouetur, vt 40. die, & in fœminis 3. aut 4. menſe fiunt apoplexiæ leues, vt in Domina Ezelin à nobis eſt obſeruatum. *Scholiographi Comm. ad cap. 6. lib. 1. Hollerij de morb. int.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Ab apoplexia curati nonnulli.

COncludimus forti apoplexiæ remedia non eſſe adhibenda, cum ſuapte natura exitialis ſit. Hippo. authore, ſed ſi ita debilis, licet ſolutu neq; facilis

ſit, opportunis tamen auxiliis adhibitis forte curari poterit, Galeno teſte: quemadmodum & nos non ſemel curauimus, potiſſimũ in illuſtri Fabritio Maramaldo, qui bis, diuerſis tamen temporibus ab ea correptus, opportunis remediis adhibitis, Deo fauente liber euaſit. Nec non & illuſtris Chriſoſtoma de Aquino Ruborum comes, quę cum annos ageret ferè ſexaginta, in apoplexiam incidens, remediis cõfeſtim adhibitis, ab ea liberata, principeſque primo functiones recuperauit, deinceps cum in ſiniſtri lateris reſolutionem finita eſſet apoplexia, ſenſum primo cum brachii tum cruris, & motum deinde, cruris antea, & demum brachii non longo poſt tempore, adepta eſt. Qua de re leuis apoplexiæ curatio non prætermittenda erit, & cum ea quoq; magna & acuta ſit affectio, potius à præſidiorum quam à victus ratione eius curatio auſpicanda eſſet, quemadmodum mos eſt pleriſq; artis medicæ authorib. *Altomarus cap.19. de medend. hum. corp. malis.*

Fortiſſima apoplexia correpta fuit honeſti ciuis vxor, cum ad 48. ætatis annum perueniſſet. Habitu erat corporis *εὐσάρκῳ* ac carnoſo, temperamento calido & mediocriter humido, ſanguinis redundantiam atteſtante. Concidit ſubito: ſeniores Medici vocati nihil ſpei ſupereſſe iudicabant, tãdem 14. aut 16. ab inuaſione horis vocatus acceſſi, tum temporis adhuc iuuenis medicus: obſeruaui grauiſſimã cum difficili admodum reſpiratione apoplexin: pulſum fortem & magnum, tentandam eſſe curationem exiſtimaui. Itaque ſanguis illo die bis, & quidem ſatis copioſus detractus, ſemel è brachio dextro, deinde ex pede: enemata quoq; hoc ipſo die ſatis acria duo iniecta, deinde continuis diebus ſingula: adhibita & localia quædam. Ita tandem octauo aut nono die ſuos domeſticos cognoſcere cœpit, & nonnihil balbutire, poſtea purgantibus medicamentis per os exhibitis: deinde & *φαρμάκοις*, apophlegmatiſmis, aliiſq; ſimilibus vſa, meliuſculè habuit: verum eouſq; perduci non potuit, vt mentis ac ſenſuum integrè compos fieret, aut pedibus conſiſteret. Manſit reliquo tempore impotens: ſedebat ac geſtabatur in ſedili, ita tamen aliquot annis ſuperuixit. *Dodonæus. Obſeruat. Medicinal. cap.8.*

Eos, qui debili aut exigua apoplexia occupantur, in vita ſeruare haud eſt difficile: ſed ita curare, vt nulla labes relinquatur, hoc opus, hic labor. Multos certè enumerare poſſemus à leui apoplexia reſtitutos: & nonnullos ita reſtitutos, vt nulla in ipſis præcedentis morbi manifeſta veſtigia relicta ſint, ſed tamẽ alicuius partis ſtupor aliquis, vel linguæ aliquod impedimentum remanſit: quod ſubinde tam exiguum, vt in ſolo cantu deprehendi potuerit. Nihil autem conſultius in hoc morbo, quàm confeſtim ſanguinem mittere, etiamſi corporis temperies frigidior, & morbi cauſa pituitoſa videatur, ſi modo vires ferant. Nequit enim citius à ſuperfluis humoribus exonerari cerebrum, quam per ſanguinis detractionem: & humores cerebrum occupantes abſque ſanguine permixto non ſunt. Niſi in valde ſenibus, quibus & vires imbecillæ & pituita copioſior quam aliis. *Idem in annotat. ad cap. citatum.*

Obſeruatio.

Apoplecticus ſine paralyſi reſtitutus.

Nos, multis præſentibus, Procuratorẽ Regium Arelatenſem ieiunum derepente ſenſu motuq; priuatum, cum magno ſtertore & violenta reſpiratione, reſtitutum vidimus ſine paralyſi aut alia noxa. *Iacotius Comment. 1. ad lib. 7. ſect. 2. coac. Hipp.*

Obſeruatio.

Potio, qua Apoplecticus 20. horis decumbens reuocatus eſt.

Aqua deſtillata è nucibus moſchatis, auribus, palato, naribus ebibita, omnium eſt remediorum accommodatiſſimum. Quodſi fiat cum aqua vitæ deſtillatio, multo erit efficacior. Hoc præſidium Senecteſem Epiſcopum, horas iam viginti iacentem, excitauit. *Hollerius de curand. morb. lib. 1. cap. 7.*

Obſeruatio.

Cucurbitularum in apoplexia vis mira.

Raſis *inquit lib.3 aphoriſmorum*: Apoplexia accidit regi Hamech filio Hali, & in principio curam conuenientem non habuit, ſed dimiſerunt eum, ſicut erat, & nullus ex eius magiſtris ei aliud precepit fieri, niſi inungi corpus odoriferis & ſuffumigari. Quod ſufficiens ei non credidi, ſed feci ventoſam collo eius apponi, & velociter ab illa ægritudine exiuit, & eſt res in qua confidentia eſſe debet.

Petrus Apponenſis in complemento Meſues: Scire, inquit, debes, quod mundificato corpore, ſi occurrat adminiſtratio ventoſarum poſt ſiniſtram ſpatulam, eſt res faciens te ſecurum à morte, & quãdo res iam poſita eſt in deſperatione, in omni cordis paſſione eſt medicamen fidele, virtutem facit liberam, & ſpiritus reſpirationem, ſi Deo placebit, & ſubuenit ægritudinibus diuerſis. Et paulo poſt. Si catarrhus cũ impetu deſcẽdat, vt homo ex eo fluxu videatur ſuffocari, confeſtim fiant ligaturæ fortes apud axillas in ſuperiori parte adiutorii, & ponantur ventoſæ magnæ multum ignitæ ad ſpatulas, & item vna medio-cris bene ignita ſupra cõmiſſuram ſagittalem, & eſt ſecretum admirabile, ſeruans hominẽ à ſubita morte: & his factis, fricetur palatum & colatorium cum caſtorio diſſoluto in aceto ſcyllitico, aut cum theriaca veteri. *Iaſon. capite decimo ſeptimo, de curand. morbis cerebri.*

Ferunt Hieronymum Fracaſtorium dum langueret, cognito fatali morbo, poſt multas amicas ſibi herbas in olfactum balbutiente lingua efflagitatas, amiſſo penitus ſermonis vſu, manu ſæpius in verticem exporrecta, iis qui aderant innuere voluiſſe, vt celeriter cucurbitula affecto & laboranti cerebro, quo ille peropportuno remedio ſe Deo dicatam Veronæ virginem curaſſe adhuc meminerat, ſubuenirent: ſed re nequaquam intellecta cum alii alia adhibenda rum eſſe remedia prædicarent, fruſtra expectato remedio, leniter ſub noctem expiraſſe. *Hæc ex vita Fracaſtorij.*

MORTVI.

Obſeruatio.

Tempeſtiua venæ ſectione neglecta, mortuus apoplecticus.

Referam paucis hiſtoriam vnam. In grauiſſimam apoplexiam ſenex quinquagenarius incidit. Vbi vocatus ad eum fuiſſem, hominem ſanguine pleniſſimum comperi, boni habitus: ſanguinem detrahi iuſſi: Ibi cœperunt mulierculæ, familiareſque & amici diu ſecum ipſi muſſitare. Rogati quos miſcerent inter ſe ſermones: vires eſſe proſtratas dixerunt, ſangui-

ſanguinis miſſionem in aliud tempus differendam. Ego mortem præ forib. eſſe prædixi, & abiit: ille poſt horas duas mortuus eſt. Bene autem mecum actum eſt, quod non obtemperarint, nam ſi poſt ſanguinis detractionem mortuus nihilominus fuiſſet, me illum iugulaſſe fortaſſe dixiſſent. *Thaddæus Dunus. lib. 2. cap. 5. de miſſ. ſanguinis.*

OBSERVATIO.

Intempeſtiua vena ſectione mortuus apoplecticus.

MVlier quædam Hebræa, cum continuos quadraginta dies integros, Hebræorũ more ieiunaret, inde debilis facta eſt. Cæterũ, cum poſtea malis ſucci cibariis veſceretur, multum humorem pituitoſum exaggerauit: ex quo cerebri cauitates occluſæ ſunt, & obſtructiones factæ, ad quas priuatio ſenſus ac motus ſecuta eſt: pro quibus recuperandis & obſtructione leuanda multa illico facta ſunt, & ad cauterium vſq; in commiſſura coronali peruentum eſt, cuius loco, primo caput optime raſum, aqua vitæ, vel oleo de ſaxo petroleo dicto, illinibatur, & ignita candela accendebatur: quibus remediis mulier hęc ad ſe aliquantulum rediit. Sed medicus inſcius ad eam iuuandam præſens, ex brachii ſecta vena, ſanguinis ℥. 8. vel 10. extraxit, vnde mors certa conſecutura breui ſuperuenit: non ſine doctorum hominum iniuria & filiorum hominis iactura. *Luſitanus Curat. 23. Cent. 4.*

OBSERVATIO.

Apoplexia ſubito interfectorum hiſtoria.

NOs aliquando vidimus, qui ſtatim cum correpti ſunt obiere, vt nuper contigit Bartholomæo Ratiocinatori, qui ferè me præſente in apoplexiam decidit, & illico omnia vitæ indicia abiere, & mortuus eſt. Idem anno ſuperiore euenit intimę cubiculariæ illuſtriſſimæ Ducis noſtræ. Hæ fuere fortiſſimæ apoplexiæ. *Braſauolus Comment. ad aph. 42. libro ſecundo Hippocr.*

Prætorem noũi, qui amiculos aliquot in cœnam conuocauerat, quos inter & medicus accumbebat. Cum iam epulatio ferueret, & cuique ſtrenua res eſſet cum hilarioribus poculis. Sympoſiarches anaticulæ alam præminiſtrans ipſius latus claudenti, derepente apoplexia corripitur. Id eſt, quod parœmia nobis ſuggerit: inter os & offam multa contingunt. Hic protinus admirabilis metamorphoſis, pro gaudio planctus, pro riſu fletus, pro tripudiis trepidæ curſitationes. Medicus moribundo laturus opem, pennam poſcit, quam oleo tinctam in fauces & gulam vſque demittit, quo crudus cibus, & nondum in imum delapſus excuteretur. Sed qui ſic vexatur inter manus reiectionem molientis expirat. Quam gratiam medicus pro officio impenſo retulerit, non dicam. Plato ſuarum legum, dialogo nono: Omnes inquit medici, qui curantes non ſponte occiderint, mundi ſunt. Hæc incommoda qui non veretur, neque penſi quicquam habet popularem auram, vomitum experiatur. Equidem malim (quod & Paulũ & Aetium voluiſſe exiſtimo) vbi ex aliqua parte iam recreatus videbitur, aut ſi ſenſus mentis; tantillum habeat, vt ſeipſum aliquantulum adiutare queat, & in ventriculo primaria morbi cauſa exiſtat, promptusque ſit ad reiectiones, vt tum vomere cogatur. Veriſſimum eſt illud, vbi difficilis eſt obſeruatio, perito & exercitato opus eſt artifice. *Iaſon. de morbis Cerebri cap. 27.*

Didacus Ferdinandus à Lapide, vir qui diu apud Indos egit, & inde nobilem lapidem adamantum magni pretii & valoris attulit, vnde illi cognomen à lapide inditum fuit: cum ſeptuageſimum ætatis ſuæ prope annum ageret, & optime valeret, apoplexia correptus fuit ita graui & forti, vt illico mortuus cōcideret, neq; pulſus aut reſpiratio vel minima apparuerit, quę plerunque per aliquod vel breuė tempus comparere ſolent, vt in ſpeculo percipitur, vel goſſipio ſubtiliter carpto naribus admoto & ori, vel ſcutula aquæ plena pectori ſuperpoſita, aut aliis ſimilibus. Obiit autem 22. die menſis Decembris. Anno 1552. *Luſitanus Curat. 23. Cent. 4.*

OBSERVATIO.

Apoplexia negligentius curata, æger mortuus.

QVidam apoplexia correptus, frixione, motione, phlebotomia excitatus eſt. Secuta febris cōtinua, ſatis mitis, ſed cum delirio. Negligentius curatus neque expuens, quæ in pulmones defluebant, nono die à febre, decimo ab apoplexia ſuffocatus eſt. *Hollerius libello proprio. curat. 29.*

OBSERVATIO.

Ex materia pituitoſa frigida cum obliuione, capitis grauitate & dolore præcedentibus mortuus apoplecticus.

DIcam pro exemplo quemadmodũ in viro quodam, qui quadrageſimumquartum agebat annum, eueniſſe vidi. Erat hic calidi capitis natura, ac potius ſicci, multis vitæ incommodis actus, cũ ventis & pluuiis, tum nocturno aeri ſe diu temere expoſuit, ſic negotiis exigentibus: tandem obliuioſus eorum eſſe cœpit, quę ſubinde faciebat: at præteritorũ tamen recordabatur ſatis: ſed neque prorſus mente conſtabat, cum loca in quibus morabatur non bene dignoſceret. Tandem diutino capitis dolore vexari cœpit, flatuum ſcilicet ratione, atq; ita medium poſt menſes fere ſex accerſiuit. Quo ad ſomnum attinet, aliquando admodum procliuis erat: purgatus vero quieuit dolor & ſenſus. Itaque cum iam melius habere videretur ſibi, curatio tandem invictus ratione permiſſa eſt. Circa Februarium menſem adhuc obliuioſus & tardus perſiſtens, rurſus doloribus afflictus eſt: & tandē attonitus effectus, obiit citiſſime. Huic ergo obliuionis ſymptomata, multum humorũ frigidi aceruatum arguebat, ſimiliter & capitis grauitas & dolor. Præterea ſenſus obtuſi hoc monſtrabāt imminere malum. Alia ſigna ab Hipp. poſita, à quo Paulus, & ab eo Auicenna. Similiter etiā & tremores præcedent, & ſomni longi & grauiores. Hi enim cauſam frigidam & humidam eſſe monſtrant, præſertim in ſene, qua ætate, cum ſe habent ſecundum naturam, potius ſicci ſunt & inſomnes: ſic & diuturnæ vertigines monſtrant. *Iacchinus. cap. 9. Comment. in lib. 9. Raſis.*

OBSERVATIO.

Apoplecticorum hiſtoria varia.

IN Apoplexia homo repente concidit ſine motu & ſenſu. Sic à nobis obſeruatum in frigida & auſtrina aeris conſtitutione, Medicum quendam doctiſ-

ſimum

ſimum ſexagenarium, vltimo Ianuarij die Lutetiæ à cœna concidiſſe mortuum. Ruellium Septembri periiſſe, quarto die, ſicut & Bibliopolam quendam eodem die via Iacobęa: Pictorem quoque menſe Aprili, anno 1545. interiiſſe ſtertenti apoplexia: eodem menſe figulum in ſuburbio Iacobæo leui apoplexia, paralyticum altera parte euaſiſſe, vtrumq; vinoſum & macilentum, vt inde intelligas vim ambientis in ſuſcipiente præparato. Acutiſſima apoplexia mox iugulat, & ſpiritum adimit, fortis violentum trahit: tertio loco eſt, quæ non violentum quidem & intermittentum, ſed inæqualem, inordinatum, & intermittentem, deſinitque in paralyſin. Vnde animaduerſione dignum illud videtur, quod ſcribit *Galenus in aph. 51. lib. 6.* Quicunque ſani capitis dolore derepente capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertũt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehendat. Quæ ſententia etiam ſcripta eſt, *2. de morb.* Interpretatur enim de apoplecticis, qui apoplexia forti laborant. Sed hi ferè primo, ſecundo aut tertio die pereunt. Hinc quoq; perſpicuum eſt, ex difficultate reſpirationis de magnitudine morbi coniiciendum eſſe. *Scholiogr. ad cap. 7. lib. 1. Hollerij de morb. internis.*

Observatio.

Apoplexia mortui cadauer horrendi aſpectus: quod faciè tumida & liuida admodum, per os, nares & prominentes oculos, feruidam ſpumam egerere, viuentis inſtar, viſum eſt.

VIR magni nominis, liberatus ante biennium, à leui apoplexia; tandem in templo, eadem correptus, interiit. Ego quia apoplexia deceſſerat, vt ante triduum ſepeliretur, concedere nolui. Tertio die, cadauer intuitus, aſpectu, id plane formidando depræhendi. Etenim cum innumera corpora diſſecuerim, ſubitanea morte, veluti peſte, apoplexia aſthmate, vteri præfocatione, & carbonum vapore, extincta: ſuſpenſa etiam, vel aquis ſubmerſa: tertio ſępe ab interitu die; velut hydropicæ cuiuſdam Monſpeſſuli ex monumento ereptæ, & lapillos nigros in folliculo fellis habentis: nihil tamen vnquã quod cum hoc cõferri potuiſſet, videre licuit. Huius enim facies tota tumida & liuida cõſpiciebatur: per os, nares, & prominentes oculos, ſpuma feruida, inſtar ebullientis fontis, aut aquæ in olla, efferueſcentis egerebatur, ſicut niſi fœtor immenſus atq; liuiditas prohibuiſſent, viuere id credidiſſes. Stupendi autem euentus huius vix alia mihi cauſa occurrit, quam quod plethorico cum corpore fuerat, & Lato thorace, vnuſque quaſi ſedens dormire, atque decumbere aſſueuerat: mortuus, cadauere reclinato, compreſſis viſceribus vniuerſus ſanguis, ſurſum ad caput regurgitans ebullitionem hãc efficere potuit. Subitanei autem & inſignis fœtoris cauſa ne fuerit, quod putreſcentium ferinarum cranium eſu delectaretur, aliis inquirendum relinquo. *Ioan. Bauhinus ſuis ad me obſ.*

Observatio.

Apoplexia, qui mortui credebantur, reuiuiſcentes.

NOn eſt ſepeliendus niſi poſt tres dies. Illo enim ſpatio mouentur omnes corporis humores & extra illud, aut mortis aut vitæ euidens demonſtrabit ſignum. Et ideo Euangelium ſecundum de Lazaro, fœtet quia quadriduanus eſt; primis tribus diebus, aliqui corde frigidi, viſi ſunt reuixiſſe. *Paſchalius lib. 1. cap. 13. de curand. morb.*

Compertum habeo noſtra & aliorum memoria nonnullos effracto capulo reuiuixiſſe. Quamobrem lege cautum eſſe conuenit, ne libitinarij ac veſpillones præproperè, quos mortuos exiſtimant, extinctæque animæ ſpeciem præbere vident, loculo includant, eos præſertim qui apoplexia aut morbo comitiali, vterique ſtrangulatione ſuffocantur: cum in illis nonnunquam deliteſcat anima, quæ rurſus corpus ſpiritu vitaq; imbuit. *Lemnius lib. 2. cap. 3. de occult. rerum mirac.*

Cum hæc ſcribo, memoriæ occurrit, olim apud Ferrarienſes puellam quãdam apoplexia detentam fuiſſe, quæ ab omnibus medicis pro mortua habebatur. Cæterum cum mater puellam ſummopere amaret, eam non ita facile ſepeliri permiſit, & eo magis, quia ab aliis perceperat, qui ſubito & repente grauioribus iis morbis corripiuntur, & pro mortuis habentur, non ſic facile & repente cleto ſunt committendi. Demum mater puellam per triduũ apud ſe contra omniũ opinionem detineri fecit, & tertio die puella quaſi ex inferis ſubleuata reuixit, & hodie adhuc, vt audio, pulcherrimè viuit.

Conſonum, fuerit hic enarrare id quod olim Salmanticæ, celeberrimo Hiſpaniarum ſtudio, euenerit, & ita habet: Doctor Reginæ Iſabellæ (ita enim vir hic vocabatur) abhinc annis viginti octo, medicus, prout illa ferebat ætas, doctus, & in vniuerſa Hiſpania in maximo pretio & honore habitus: cum ægrotum quendam inuiſeret, ac illi pulſum nõ adeo debilem comperiret, non illico, neq; ita breui eum moriturum aſſiſtentibus & diſcipulis, qui eum comitabantur, prædixit. Cæterum, cum veſperi eundem de more inuiſum rediret, & è mula iam deſilierat, quidam ex illis, qui ægroto aſtabant, illi ad ſcalas obuiam venit, ægrotum obiiſſe exponens: medicus vero vtcunque rem nouam admiratus, non ita tamen huic, qui ægroti obitum expoſuerat, fidem habuit, forte iudicio ſuo magis confiſus, vt qui non multis antea horis hominis male habentis vires cõprehenderat ex quibus certus erat, eum non ita de facili moriturum, prout quoque aſſiſtentibus & diſcipulis prædixerat. Vt generoſus igitur & magnanimus medicus, ad ægrotum vtcunq; mortuum peruenire non dubitauit, quem primo aſpectu, panno contectum, & Franciſcana veſtę indutum cõſpexit, non niſi variis reuerẽdis monachis circunſtantibus. Tunc vero grauiſſimus, magna animi conſtantia, eum detegere fecit, & eius in metacarpio arteriarum motiones explorauit, quas vigere adhuc deprehendit: proinde eum ad cubile reuerti fecit, & præſidiis idoneis adhibitis, ad ſe redire fecit, qui poſtea multos vixit annos. *Luſitanus Curat. 23. Cent. 4.*

DE PARALYSI.

CAVSA.

Observatio.

Singulares celebrium aliquot medicorum de Paralyſis cauſis ſententiæ diſcrepantes.

CAuſam reſolutionis effectricem magna ex parte internoſcere licet ex craſſo, viſcoſo, frigido, interdum etiam terreſtri & melancholico humore cõſtitui.

ſtitui. Sciendum autem eſt vitium hoc ex qualitate calida aut ſicca proficiſci, vbi calida intemperies ſanguinem & humores nimium torrefecerit: ſimiliter etiam ob frigidam qualitatem ſolam. Quoniam igitur cauſa diuerſa eſt, quæ reſolutionis affectum pariat, inſpiciendum internoſcendumque diligenter eſt, copiane ſit an qualitas ſola: non parum enim intereſt. Si namque copia & craſſities, neceſſe eſt adhibere quæ extenuant, & humoris, qui reſolutionem excitarit, vacuationem moliuntur. At ſi qualitas ſola fuerit calida & ſicca, tunc extenuantia excalefacientiaque (omnia enim eiuſmodi natiuum humorem conſumunt) magis adhuc aſſant materiam: craſſioremque reddunt. Liquet igitur contraria qualitati remedia inducenda eſſe, hoc eſt, refrigerantia & humectantia omnia, ad frigidam vero neceſſario ea quæ calefaciunt, applicari debent. *Al. Trallianus. lib. 1. cap. 16.*

Cauſa ſpiritus influxum & diſtributionem interpellans, craſſa fere eſt pituita, neruo tenaciter impacta huncq; obſtruens & impediens, quo minus ſpiritus animalis in eam diſtribuatur partem, in quam neruus propagatur. Quin etiam alius quiuis humor in ſpinæ medulla infixus paralyſin committere poteſt: ac ſæpe flaua bilis hanc infligit, cum ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi ac neruorum origines effunditur. Eam præterea inducit nerui callus & tuberculum & tumor omnis præter naturam neruum aut medullam conſtringens, multoque magis iniectum vinculum, & contuſio ex caſu vel ictu, & vertebrarum luxatio, quæ aut in dextrũ fit, aut in ſiniſtrum. *Fernelius libr. quinto, cap. tertio Patholog.*

Paralyſin à pituita craſſa neruo tenaciter inhærente fieri, omnium medicorum eſt ſententia. Ego vero à tenui, ſed multa, quæ à cerebro defluit, & ob tenuitatem: totam nerui ſubſtantiam irrigat, mollioremque efficit, in quo idem neruis, quod in apoplexia cerebro accidit. Ex illa enim nerui remollitione ſequitur nerui extenſio, cõſtructioni naturali contraria, quæ efficit, vt partem cui inſeritur neruus, mouere non poſſit. Quare non eſt audiẽdus Fernelius, qui flauã bilem paralyſin poſſe excitare ſcribit. Huius autem verba ſunt. Quinetiam alius humor in ſpinali medulla influxus, paralyſin cõmittere poteſt: ac ſæpe flaua bilis hanc infligit, cum ſub finem intermittentium febrium in ſpinam dorſi, deinde in neruorum origines effunditur. Hactenus ille. Non eo inficias ſanguinem in ſpinam prouenire, & ab eo paralyſin induci poſſe, cum in ſpinali medulla, frequẽtiſſimæ ſint venæ, à quib. multum ſanguinis effundi poteſt, qui ſua humiditate vim habeat humectandi neruos, ſed qua ratione, aut bilis, aut melancholia id efficere poſſint, non video, cum hæc raro nec facile ad ſpinã deferantur, & cum eo peruenerint, neruos potius ſiccent & indurent, quam emolliant, vt in elephantica laborantibus videre eſt, quorum corpus propter ſiccitatem areſcit, non tamen inde paralyſin accerſit: quamuis ſentiendi munus extinctum in his prope appareat. Tantum abeſt, vt nerui ob id reſoluantur & laxiores efficiantur, vt robuſtiores euadãt, niſi ad extremam ſenectutem redigantur. Bilis enim non minus, quam melancholia ſiccat, ſed cum acrimoniam adiunctam habeat, idonea magis eſt ad cõuulſionem quam ad paralyſin excitandam. Acrimoniæ enim conditio eſt, neruos potius vellicãdo contrahere & cogere quam relaxare & emollire, vt puncturę quę illis ab acribus & mordacibus humoribus accidunt, nobis demonſtrant. Non ergo ſatis mirari poſſum, quod tantus vir tam leuiter etiã ſine ratione in hanc ſententiam præcipitanter adductus ſit, vt ꝙ ſub finem intermittẽtium febrium paralyſin ortam aliquando conſpexerit, à bile in ſpinam dorſi & neruorum originem effuſa concitatam credidit, quaſi bilis quæ tunc euicta eſt & pauca, ad locum adeo diſſitum & remotum, acceſſu difficilem permeare queat. Quod enim pauca eo tempore ſit & cocta, non dubium eſt, cum morbus in declinatione ſit. Sed quis illi aditus ad ſpinalem medullam eſſe poterit? Aut enim à cerebri ſinu poſteriore delapſam eſſe, aut per vertebrarum foramina ad ſpinam perueniſſe oportet. Quod ſi per cerebrũ, cur non phrenitim potius in illis febribus excitauit? quod æquius eſſe videtur. Idem etiam præſtat. Quod cum nõ fiat, nec in febrium intermittentium declinatione per hanc viam fieri putandum eſt. Per vertebrarum autem foramina, quia cũ ſanguine ſimul deduci oporteret, ſubiiſſe cum ſanguine, bilis videri non debet, aut in venis contentam fuiſſe. Quare ardentem aut continuam potius, quam intermittentem febrem concitauiſſe oportuit. Adde quod venæ illę, quæ per vertebrarum foramina intra ſpinã peruadunt, nutritionis eſſe vertebrarũ tantum, aut perioſtii interioris, quod efficere tertiam ſpinæ membranam crediderim, conſtitutæ ſunt. Quæ cum nec duram nec tenuem ipſius membranam attingunt, nec bilem etiã ad illas deferre poſſe credendæ ſunt. Nec ſi ſub finẽ intermittentium paralyſes fiant, à bile pronatas argumentum eſt, cum bilis aut febrilis calor, pituitam in cerebro contentam, aut in ipſa medulla ſpinali latitantem eliquare potuerit, quæ in neruos effuſa paralyſin induxerit. Ex quibus concludimus ſanguinẽ ſolum tenuiorem bilemque aquoſiorem paralyſin committere poſſe, dum aut multitudine ſua obſtructionem faciunt, viamque ſpiritus intercipiunt, aut humiditate ſpiritus extinguunt aut conſopiunt, aut neruos emolliunt & elongant. Qua ratione paralyſi conuulſio ſuperueniens curare illam aliquando videtur, propterea quod neruus immodice extenſus, per illam cõtractionem ad illum naturalem ſtatum reuocatur, qui tamen ceſſante conuulſione ad priorem extenſionem recurrit. Calori porro non minus quam frigori paralyſin inducendi vis eſt, cum illi emolliendi & effœminandi neruos (ſi ita loqui licet) poteſtas inſit, ſiue per ſe id præſtet, ſiue dum humores præſertim pituitoſos fundit, & ad fluendum paratiores reddit, atque vt facilius ſubſtantiam neruorum peruadant, poros aperiendo efficit. Qua ratione vinum, quod ſuo calore & tenuitate excrementa ad neruos deducat, paralyſin efficere dicitur. Quod vero Trallianus & qui illũ ſecuti ſunt, à ſiccitate fieri ſcripſerint, admodum difficile & rarum eſſe cenſeo. Hoc autem ideo euenit, quod muſculi vel tendones minus à ſpiritu influente turgeant, vnde flaccescunt & longiores efficiuntur. Sic quodam in loco Galenus ex atrophia laxiores euadere pronunciauit. At id quamuis reſolutionis ſpeciem præ ſe ferat, non tamen veram eſſe paralyſin iudicandum eſt, quæ tamen exiſtit, cum ſenſus & motus ſpiritus extinctione vel abſentia perit. Quare cum ſolũ ſenſus,

non

non autem motus amittitur aut obtunditur, vt per partium refrigerationes accidit. Stupor affectus nominatur, quæ ad paralyſin via eſt, aut paralyſeos altera pars. His ita cōſtitutis ſi particularis aliquis neruus emolliatur, elongetur, refrigeretur, aut à tumore aliquo comprimatur, ſequitur illius particulæ, cui neruus animalem facultatē defert reſolutio. Quod ſi tota ſpinalis medulla ita affecta ſit, totius à capite reſolutio ſuccedit. Si tantùm altera eius pars, ſiue dextra ſiue ſiniſtra, aut nerui ſaltem alicuius partis, ſemipleta ſit, cuius generatio admirationem præbere non debet, cùm defluxio, quæ cauſa eſt reſolutionis per vaſa fiat. Illa autē ſic diſtincta ſunt, vt dextra ſiniſtris non permiſceantur. Nerui n. omnes (quod à nullo ante nos obſeruatum fuit (ab ipſo cerebri principio, vel in ipſa ſpinali medulla diuiſi ſunt. Quare non tam à ſpinali medulla, quam à capitibus neruorum paralyſin accidere ait; quomodo neruorum capita, vel obſtructa vel reſoluta ſunt. *Rondeletius cap. 23. de Curand. morb.*

Si ocularis inſpectio hac in parte ſcriptorum authoritati eſt præponenda, noſtra ſententia magis ad Rondeletii, quam ad Fernelii opinionem inclinabit: pluries enim inuenimus in cerebri ventriculis ſacraque fiſtula aquam limpidam tenuem & puram; quam flauam, vel bili ſuo colore ſimilem vel etiam alium humorem: maiorique itaque ex parte, ſi non ſemper, paralyſin excitat tenuis limpidaq; hæc aqua in cerebri vētriculis atq; in ſpina dorſi collecta; quæ ſenſim à ſuperiore parte neruos irrigat; quoad peruenerit ad eorum extremitatem. *Coiter in Libell. Obſeruat. Anatom. & Chirurg.*

A quo humore Paralyſis fiat, difficile eſt iudicare. Doctiſſimis tamen viris non ſine ratione videtur neque à melancholia neque à bile extra venas excitari paralyſin. Non à melancholia, quia neruos ſiccat potius & cogit, quam emolliat. vt in elephanticis, quorum membra aridiora facta non reſoluuntur, ſed imbecillius ſentiunt: neque à bile. Cùm enim ſiccandi vim habeat, & acrimoniam adiunctā, conuulſionem potius inducit, neruos contrahendo & conuellendo. Ergo vel à ſanguine ſolum (niſi per accidens) vel pituita fieri poteſt, eaque vel craſſa vel tenui. A ſanguine rarius. Inde tamen oritur, cum tenuior eſt ſanguis & multitudine ſua viam ſpirituum intercipit, aut humiditate eoſdē extinguit, aut neruos molliendo diſſoluit. Idem fit à pituita tenuiore ſed multa à cerebro defluente, & in neruorum ſubſtantiā penetrante. Frequentius a.à craſſa, neruo tenaciter inhærente. Quæ omnia ex humorum in corpore exuberantium propriis notis, ac victu antecedente facile diſcernuntur. Cauſæ antecedētes ſunt, quæcunq; neruos contundere, comprimere, emollire poſſunt, caſus, ictus, contuſio, ſomnus in ſpelunca, domus recens polita, lunę radius, exercitium à cibo vel ſomnus. Sed frequentiſſime Lutetiæ noua è gypſo politura & hunc morbum & alios frigidos inducit. Arelatæ grauiſſima viſa eſt ex leui vulnere, illæſo cranio, ſed ſanie per meatus ſuturæ ſagittalis ingreſſa ſenſim ad tenuem menyngem, quæ cerebri ſubſtantiam obuoluit, neruos, venas & arterias ſuſtentat. Vnde primum eiuſdem partis reſolutio: ex qua mors conſecuta eſt: ſecto cranio pus inuentum. Quod F. Valleriola vir philoſophiæ & medicinæ peritus annotauit, cuius obſeruationes propediem in lucem exituras audio. *Scholiographi ad cap. 10. lib. 1. Hollerij de morb. internis.*

Observatio.

Paralyſim aliquando acutum morbum eſſe, nec ſemper ab humore neruos obſtruente, gigni.

ALtomaris paralyſis prognoſtica recenſens, ex Cornelio Celſo affirmat, paralyſim nunquam acutū, ſemper longum eſſe morbum. At experientia mihi ſæpe oppoſitum dictauit, cum viderim plures paralyſes intra ſeptimam diem ſolutas; quarum ratione coniecturam feci, paralyſim ex neruorum obſtructione ortam, non ſemper à frigidis, viſcidis, & craſſis ſuccis cauſari; tales, enim paralyſes tum ratione materiei morbum facientis, tum ratione partis affectæ diuturnæ ſunt, & non facile ſoluuntur: cum autem illæ cito, & leui negocio ſoluātur, ab alia materia, & ab alia cauſa procreari coniiciendū eſt. qua de re ego in eam ductus ſum ſententiam, vt exiſtimē paralyſim etiam fieri poſſe, ex neruorum quidē obſtructione, at non ſemper cauſata ab humore frigido, & viſcido, verum etiam à vaporoſa materia, quæ ad principia neruorum tranſmiſſa obſtructionem in eis inducens, ac ſpiritus animalis viam intercipiens, ſenſum & motum inferiorū partium inhibeat. Hanc ſententiam mihi hæc Hiſtoria comprobauit. Tonſor quidam, cum die pręcedenti vino, ac gulæ nimiū indulſiſſet, nocte media cum timore maximo (nam videbatur ſibi ſuffocari) expergefactus, incidit ſubito in paralyſim omnium corporis partium, infra faciem exiſtentium, in qua adeo motus & ſenſus erāt deperditi, vt nec acu profunde perforatus, nec gladiolo ſcarificatus quicquam ſentiebat, omniaque motui, præterquam ipſius capitis, ineptus erat. Hic tamen ſoluta in totū ebrietate & crapula, intra tertium diem, libere omnino ſanatus eſt, factis tantummodo nonnullis reuulſionibus, ac inunctionibus quibuſdam reſoluentibus, ad ſpinam. hic quæ potuit eſſe paralyſis cauſa? non materia frigida & viſcida; quoniam non ita velociter, nec ita facile ſubleuatus æger fuiſſet, ſed vapores craſſi, & multi ratione crapulæ oborti, & ad neruos tranſmiſſi, qui eoſdem obſtruentes fuerunt in cauſa paralyſis. Nec alicui ſicuti nouum, ita etiam mirandum hoc appareat, cùm etiam à flatuoſa materia neruos ingrediente ſpecies quædam conuulſionis generari ſolita ſit: quę eadem materia flatuoſa, ſi craſſior abundauerit, quid prohibebit eam neruos obſtruere poſſe, & inde paralyſim cauſare? Sed cur nouum dixerim, cum antiquiſſimum ſit, à flatuoſa materia cauſari ſtuporem, paralyſim & ſyderationem corporis. ſicuti habetur *ab Hippocrate in libello de flatibus, ſpiritibusve inſcripto*, in quo hanc ſententiam clare docuit. Quod vero ſtupor attonitus, vel ſyderatio à flatibus fiat, deinceps demonſtrabo, quum ergo flatus multi frigidi penetrent, ac inflent carnes, partes corporis ſtupidæ, & inſenſiles fiunt, & ſiquidem plurimi flatus per vniuerſum corpus diſcurrant, totus homo ſyderatur. Si vero per partem; partem illam ſyderant, & percutiunt: atque vbi abierint flatus, ceſſat & morbus; quamdiu autem permanſerint, conſiſtit & morbus, hæc Hippocrates. *Salius Annotat. ad cap. 14. Pract. Altom.*

Obser-

OBSERVATIO.

Paralyſis lateris ſiniſtri & conuulſio dextri,ex apoſte-mate cerebri,turgentibus venis,tenuis me-nyngis,cum febre.

MEmini me Lugduni, cum D. D. Dalechampio talem ægrum habuiſſe: Melancholicum iuuenem, laborantem paralyſi lateris ſiniſtri, & conuulſione lateris dextri violenta, cum febre inſigni, paroxyſmi erant admodum frequentes, ita vt multoties quæreretur, mente cõſtabat, extra paroxyſmum epilepſiæ. Eo mortuo, aperuimus cadauer; in latere dextro admodum turgebant venæ tenuis meningis; multo ſanguine nigro & concreto, ea pars nigricabat,& apoſtema continebat in proxima cerebri parte. *Ioan. Bauhinus de Obſeruat. propijs.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria reſolutionis ex mœrore.

NOui quendam reſolutionem ex mœrore,multa ſollicitudine & inedia expertum: deinde ſumpta hiera,adeo læſum,vt totus ipſe immobilis fieret, & propemodum interiret,niſi in contrarium mutatus fuiſſet,&humectantibus omnibus tum potionibus tum cibis, & aliis quæ temperatum ipſum reddidiſſent,vſus fuiſſet:maxime vero balneis compluribus vnctione ex hydrelæo, mutatione aeris temperati & omni hilaritate. Etenim triſtis erat, ad iram procliuis, à medicamento nimirum excitatus,& qui flauam bilem collegiſſet. Hac ſane ratione; ſi qualitas fuerit, præſertim intemperies calida, vitari debent cibi acriores: adhuc autem magis, quæ medicantem vim purgantemque obtinent. Nam præter id quod nihil inueniant,quod ex corpore euacuent, magis adhuc aliam intemperiem regenerant. *Trallianus. lib. 1. cap. 16.*

SYMTOMATA.

OBSERVATIO.

Paralyticorum lingua motum tardiorem per nouilunium quam plenilunium eſſe.

CVM apud Viuarienſes medicinam facerem, me conſuluit D. Nic. Mactus Albenatienſis medicus, in gratiam cuiuſdam qui linguę παραλύσει ſtatis temporibus afficiebatur. Mirum illi videbatur, neque immerito,qui fieret,vt linguæ tardior eſſet motus nouilunio quam plenilunio, cum tamen Luna humidis rebus dominari dicatur, eaque plena ſucci in animantium corporibus abundet. Quippe laxitatis,quæ παράλυσιν comitatur,alia cauſa præter humoris pituitoſi largiorem defluxionem non occurrebat. Nihilominus quam mihi explicabat per nouilunium adeo increſcebat, vt vix loqueretur homo: plena vero exiſtente Luna ſic dearticulate verba omnino exprimebat, vt ne blæſus quidem cenſeretur. Eo tempore linguæ tarditatem hunc pati maiorem veriſimile eſt, quo magis abundat pituita paralyſeos effectrix. Hæc copioſior fit in cerebro (cui admodum familiaris, ob innatam temperiem frigidam & humidam) vbi ſe ipſo frigidius euaſerit. Nam ſi non concoquat alimentum, id crudum remanet: vnde pituita. Non concoquit autem, amplius refrigeratum. Cæterum vt reliqua omnia, ſic ipſum prompte afficitur ab aere ambiente, vndiquaque corpora etiam ſolidiſſima permeante. Aer vero natura ſua frigidior & humidior talis eſt perpetuo, niſi à Solis lumine, quod potentiſſime calfacit, & exiccat, immutetur. Ob id enim æſtate ſupra modum incaleſcimus, hyeme frigemus, Solis acceſſu & receſſu has alterationes coacti ſuſtinentes. Eadem ratione interdiu caleſimus magis etiam in vmbra: noctes refrigerant. Et cum idem ſit lumen Solis atque Lunæ, ſed huius ab illo mutuatum, & longe minus: liquido apparet, quam ſit rationi conſonum, vt plena Luna, aer magis incaleat, & ſe ipſo reddatur ſiccior: cum vero eſt nouilunium, qualem natura fecit, humidior & frigidior. Idcirco veriſimile eſt hyeme, Luna decreſcente vel omnino recente atq; noctu vel tempore matutino, magis & euidentius, quam æſtate, Lunaque plena, aut interdiu impediri linguæ motionem:cum per ea tempora ſit copioſior pituita, quæ paralyſin excitare poteſt. *Ioubertus, in quæſtione de Paralyſi ex Medicina & Aſtrologia explicata.*

OBSERVATIO.

Cuidam poſt reſolutionem vtriuſq; cruris,vrina ſuppreſſa.

MEmini me vidiſſe Venetiis nobiliſſimũ quendam patritium Venetum, cui poſt reſolutionẽ vtriuſque cruris, immo totius inferioris partis corporis fere à lumbis infra,ſuppreſſa eſt vrina,& veſica adeo vrina repleta intumuit, vt putarent nonnulli medici eum inflammatione, vel ſcirrho fuiſſe arreptum:ob paralyſin vero nullum percipere dolorem. ſed tandem ego accedens, & comprimens vtriſque manibus,& illis cancelatis ventrem inferiorem, expreſſi vrinam, donec fuit inanita veſica, ac deinde per plures dies non poterat niſi hoc modo extrahi vrina: quæ (vt tunc exiſtimaui) habebat retentionis duplicem cauſam ex vna eademque occaſione procedentem; ſtuporem neruorum,qui ſenſum veſicæ auferebat, & reſolutionem muſculorum abdominis. *Trincauella lib. 10. cap. 9. de rat. curandi part. corp. hum. affect.*

OBSERVATIO.

Paralyſim ſibi, quoties vellet,accerſebat quidam, idem totus venenoſus.

AVicenna ſcribit,fuiſſe quendam,qui cum vellet corpus ſuum paralyſi oblædebat, nec à noxiis feriebatur animalibus niſi quũ ea ipſa cogeret, quæ tamen mox, vt ſic demum adimpleatur admiratio, inter moreretur. *Cælius lib.20. cap. 16. A.L.*

OBSERVATIO.

Paralyticorum exempla varia.

VIdimus quendam, qui reliquis partibus omnibus reſolutis,nullam quæ ad faciei partes pertineret,actionẽ amiſit, ſeruata etiam ſpiratione: quomodo enim viuere diutius potuiſſet,ipſa deperdita? In quo affici putauimus illã ſpinæ partem,quę paulo inferior eſt, proceſſu neruorum ad ſeptum tranſuerſum tendentium: quinetiam & vrinam, & alui ſedimina ipſum præter voluntatis imperium emiſiſſe manifeſtum eſt.

Vidimus alium, cui propter caſum omnes inferiores partes demptis manibus reſolutæ. Igitur quę admodum corporis partes quæ ſub facie conſtitutæ ſunt, reſoluuntur,faciei partibus illęſis,affectionem in ſpinæ initio eſſe certum eſt; ad eundem modum ſi toti corpori conuulſis acciderit, eundem ſpinæ

locum affectum eſſe declarat, faciei partibus omnino ſeruatis illæſis. Quod ſi hæ quoque afficiantur cerebro noxam iam illatam eſſe oſtenditur. Vbi vero pars aliqua conuulſa eſt, neruum qui eius motioni deputatus eſt, aut muſculum affici neceſſe eſt. *Galenus lib. 3. cap.* 10. *de loc. Affect.*

Exempla ponemus, ſi quādo à foris iniuria, membrorum debilitas ſecuta fuerit: Vidimus quendam ſub renibus in ſpina vulneratum: altero duntaxat crure debilitatum, quoniam altera medullæ pars ictum ſenſerat.

Alium è ponte lapſum, iuxta ſpinam ſine motu & ſenſu iacuiſſe, triduoq; obiiſſe.

Alterum ex alto quoque lapſum integris manib. cęteris debilitatum partibus, quoniam ab initio medulla illæſa permanſerat.

Ex equo alium lapſum, laxata ſeptima, vel concuſſa ceruicis vertebra, digitis torporem tantum intuliſſe, quem inſcii vulnerum medici auxilia digitis imponentes, ægrum fruſtrabantur, quæ tamen contuſæ parti impoſita ex toto profuere. At faciei partem ſenſationis & motionis vires à cerebro poſſidēt, per neruorum ſemitas inde orientium, quorum alii humoribus craſſis obſtruuntur, alii immunes linquuntur, quibus de cauſis oculis interdum, aut lingua, aut genæ aut labia buccæue reſoluuntur, quoniam ſingulorum nerui non ex eodem tramite oriri videntur, ſed alii ex aliis prodeunt foraminibus quæ in nuda caluaria facile conſpiciuntur.

E diuerſo cuidam faciei duntaxat motus ac ſenſus permanſerat, cæteris reſolutis membris, læſa ab initio ſpinali medulla.

Vidimus & Marcum Baſſadonium ex acutę febris paraphrenitide dextro brachio debilitatum, adeo vt ſenſationis & motionis vires amiſerit. *Benedictus lib.* 1. *cap.* 39. *de curand. morb.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Septuagenarius ſenex, optimi habitus, magnarumq; viriū, ex paralyſi dextræ partis, ſola ſanguinis miſsione & purgatione, leniq; ad ceruicem vnctione integre ſanatus.

SAcerdos homo Gallꝰ, corpore quadrato & ἐυσάρκῳ, fereq; temperamento proximo, optimi & viuidi coloris (ſuauis namque in facie color ex albo & rubeo mixtus conſpiciebatur) muſculoſo & bene carnoſo corpore erat, venis latis & ſanguine plenis: ita vt ex totius corporis habitu ad calidum & humidum, à temperamento labi videretur, humido tamen calidum ſuperante. Hic cum Arelaten veniſſet, vt in fano Diui Antonii, quod ea in vrbe celebre eſt, parochum ageret: (erat enim ad id muneris probe factus homo, nec vt inter eius ordinis homines inſciens ſacrarum literarum) cum inquam, menſes aliquot Arelate conſtitiſſet, ſub hyemis initium capite grauari cœpit, vnaque cum ſumma membrorum confractione & impedito ſermone lingua balbutiēs fieri: quæ ſymptomata cum æger neglexiſſet, derepente ſub noctis medio cum oris tortura in dextræ partis reſolutionem incidit, crure, inquam, dextro itidem brachio reſolutis. Accerſor ipſe, ægrum video proſtratum in cubili, facie rubicundiſſima, crure & brachio voluntario motu deſtitutis, atq; etiamnum ſenſu: magis tamen motu, quam ſenſu. De anteacta vita interrogo: intellexi plus æquo nimium ſibi indulgere, pluſculumq; genio deditum, præſertim in potu aſſumendo, erat enim vini huius generoſi Arelatenſis amans, quo cum nimium ſe implere ſolitus eſſet, effectum eſt, vt inde læſis neruis in paralyſin inciderit. Vinum namque, authore Galeno, ſi immoderatius ingeratur frigidos morbos excitat, tremorem, conuulſionem, paralyſin, apoplexiam, comata, comitialesque. Non mirum igitur, ſi læſis à vini potentia neruis, cruditatibus item multis per cibi intemperantiam genitis, adiuuante adhæc ætate ſenili, in huiuſmodi affectum inciderit. *Valleriola lib.* 4. *Obſeruat.* 4.

OBSERVATIO.

Omnium membrorum contractio medicamentis curata.

QVod contigit de Gaſpare Roulla (vix enim aliter ſcribi recte poteſt, vt profertur) caupone trium tibicinum è regione arcis noſtræ Mediolani, adeo miraculo proximū viſum eſt omnibus, vt multi ad hunc viſendum accurrerent, nam nulla vi humana ſanari poſſe videbatur, antequam per nos ſanatus ſit. Sed libet narrare hiſtoriam. Iacebat iam per annū integrum contractus in lecto, ſed ſupremis quinque illius anni menſibus totus immobilis, non pedē, nō caput aut brachiū mouere poterat: neq; aliud quicquam, præter dolorē enim ingentem, membra vt lapis rigida obduruerāt. Et erat media hyems, conſtat hunc à me intra 40. dies plene ſanatum, non admiratione ſed ſtupore maximo eorum qui illum viderunt. Alii enim ſideratum, alii perculſum ira diuina, alii reſolutum, alii dæmone correptum dicebant, ita vt non deeſſent ſupplicationes & excrationes. Hunc ita curauimus. Abſtinuimus ab omnib. vnctionibus, quorum vſu maxime non recte præpurgato corpore in tantam morbi magnitudinē deuenerat. Miſimus ter ſanguinem, quamuis maxima cum difficultate, quod brachia contracta eſſent, nec poſſent extendi: induruerat enim velut dixi, vt ſaxum, aut lignum totus, ceruix, crura, dorſum & brachia. Sed & dum curarem, ſæpius de ſalute deſperauit, adeo vt à cura me deſiſtere vellet: primis enim 25. diebus nō alleuatus eſt vel minimum. Sanatus autē eſt cura Mareſchalci: (cui colocyntidam in melle puro coxi, mel autem odoratis miſtum velut offam deuorandum dedi, decoctum interim ligni ex aqua propinans) ſed vt dixi ter miſſo ſanguine non ſolum ob morbi magnitudinem, ſed etiam quod ex vitæ ratione & ipſo morbo coniectarer totam ſanguinis congeriem corruptam eſſe. Nec fefellit me vlla ex parte de hac re iudicium factum, ſiquidem totus qui exiit ſanguis, putridus erat. Remanſit tanti mali veſtigium collum obtortum: & nunc Alexandrię etiam, vt audio, cauponam exercet. *Cardanus de curat. admirand. cura.* 18.

OBSERVATIO.

Imperfecta Paralyſis cum tremore totius corporis, & linguæ oblæſione ob ictum ad dextrum ſupercilium profecta, cum horrendis ſymtomatibus, ægro ſuperſtite.

NObilis Belga nunc eſt Patauii paralyſi imꝑfectâ dextrę, ac ſiniſtrę partis, tremoreq; totiꝰ corporis tentatꝰ, motū quoq; linguę impeditū optinēs q̃ in

hæc

hæc & multo grauiora à principio incidit mala, ob ictum obtuſo cuſpide in dextro ſupercilio factum, nulla de cranii fractura tunc habita ratione, cum tamen ſtatim ab ictu caſus periculum, conuulſionem epictonum, vomitum, ſoporem, fluxum ſanguinis narium, delirium, ſiniſtræ partis paralyſin, poſt 14. vero dexteræ linguæ præterea paralyſin. atque Oris tortura inciderit. Hic cui nulla vel in parte læſa, vel oppoſita facta eſt nedum cranii, ſed nec cutis dilatatio, prima die excepta à febre immunit, nunc (eſt autem quintus ab ictu menſis) circa hæc omnia melius habet. Febre quidẽ, duplici tertiana ſpuria proxime per dies 17. detentus eſt, iam vero immunis euaſit. *Herculis Saxoniæ, Patauio ad me miſſa Obſeruatio.*

Observatio.

Diuturna Paralyſi liberatus.

QVidam affectus diuturna reſolutione poſt conſentaneas vacuationes curatus fuit hoc medicamento: Accipe lapidem molarem ignitum, quem ſparge vino maluatico, cuius ſuffitu & euaporatione pars reſoluta calefiat bis in die, poſt vaporem vngatur hoc vnguento: ℞. olei de euphorbio ℥ iiij. olei rutæ ℥ j. caſtorei, pyrethri, trionpiperon an. ʒ j. pulueris roſarum ʒ j. ſ. ceræ q. ſ. miſce & fiat vnguentũ. *Paſchalius Method. lib. 1. cap. 14.*

Observatio.

Collum tortuoſum quadragenario, duodecimo tandem anno reſtitutum, & correctum.

ANte annos circiter triginta, cum Bononiæ Medicinæ operam darẽ, ciuis quidam Bononienſis quadragenarius, per annos duodecim continuos, collum inflexum ſeu tortuoſum omnino habebat, vt facies ſua ad latus ſiniſtrum perpetuo inclinaret. Hunc Andreas Albius, medicus & Profeſſor doctiſ. ſola & vnica victus ratione (qui alias cunctos ſuos ægros ſolo victu eurare ſolebat) attenuante, & incidente quadraginta diebus cum magna aſtantium admiratione, pfecte ſanitati reſtituit, nullis aliis medicamentis adhibitis. Potus erat aqua mulſa. Affectum autem in neruis colli, ab humore craſſo & glutinoſo eſſe aſſerebat. Huic curationi à principio vſq; ad finem interfui. *VVeckerus, de Obſ. proprijs raris.*

Observatio.

Cruris reſoluti ſanatio.

SAnati ſunt nonnulli, quibus vtrunque crus paululum reſolutum erat, adaptato lumbis medicamento, in eo ſpinalis medullæ loco, vnde cruribus nerui adueniunt, nullum reſolutis cruribus medicamen adhibendo. Neque enim ipſorum, ſed medullæ proprius erat affectus. *Galenus lib. 4. cap. 5. de loc. affect.*

Observatio.

Cruris dextri reſolutione menſes totos decem & octo perſeuerante, poſt articulares dolores enata, & ligni ſancti potione curata.

NObilis Catherina Martina, Ioannis Baſtonii Patritii Arelatenſis vxor, reſolutione crurum, pręſertim dextri, poſt dolores articulorũ affecta menſes totos decem & octo, ſumma adhibita cura, potione ligni ſancti tandem curatur, integræ ſanitati reſtituta. *Idem lib. 1. Obſeruat. 3.*

Observatio.

Paralyſi ex ictu ceruicis, ſagitta inflicti, vt conſeruatus ager.

VIdi quendam, qui cum ſagitta in nuca fuit vulneratus, in Cremona: & ſtatim poſt percuſſionem amiſit ſenſum & motum, in omnibus membris à nuca inferius ita quod in ſuperfluitate primæ digeſtionis peccabat, omni die in lecto & multum verecundabatur: quia non ſentiebat. curaui ipſum vt diximus, poſt deſperationem: & enunciationem de morte eius, & reſtitutus fuit. ita quod cum duobus baculis ibat, per terram, & vixit cum iſta diſpoſitione x. annis poſt infirmitatem. *Placentinus. Pract. cap. 5.*

Observatio.

E vehiculo decidens dorſi initium afflixit, vnde paulatim duobus minoribus digitis & medietate medij ſenſum illæſo motu amiſit, qui medicamentis digitis fruſtra impoſitis, tandem iiſdem dorſo alliſo applicatis conualuit.

QVidam medicamentum tribus digitis manus impoſitum habens, triginta iam dieb. ſenſum ipſorum ſe amiſiſſe dixit, motu illæſo ſeruato, nihilque præſidii ab impoſitis medicamentis percipere. Quod igitur in huiuſmodi caſibus facere conſueui, ne tunc quidem prætermiſi: ſed medicum qui digitorum curationem ſuſcepit, vocãs interrogaui qualibus medicamentis vſus fuiſſet. Vbi vero idoneis illum vſum inueni, cauſam inueſtigaui cur homini non profuiſſent. Cumque quæ præceſſerunt ſymptomata percontatus fuiſſem, ipſoque dicente, neque phlegmonem, neque refrigerationem, neque ictum præceſſiſſe, ſed ipſum paulatim ſenſum amiſiſſe: admiratione captus rurſus interrogaui, num ſuperiorum partium aliqua icta fuiſſet. Illo vero reſpondente, digitos quidem non fuiſſe ictos, ſed dorſi initium fuiſſe afflictum: rurſus interrogaui quomodo, & quando ictus fuiſſet. Cum autem ille reſpondiſſet ſe cum Romam proficiſcetur à vehiculo decidiſſe, ac non multo poſt tempore digitos laborare cœpiſſe: coniecturam feci in primo poſt ſeptimam vertebram nerui exortu partem quampiam ob ictum phlegmone correptam ſcirrhoſum nactã eſſe affectum. Id vero intellexi per diſſectionem edoctus, quod nerui per propriã circumſcriptionem veluti venæ enaſci videntur. Et putares vtiq; vnumquemque eorum exquiſite vnum eſſe, quemadmodum & venam: verum protinus ab initio multi ſunt compacti, & omnes communibus inuolucris, quæ à cerebri membranis enaſcuntur contenti. Igitur humilior vltimi neruorum, quiá ceruice prodeunt, ad minores peruenit digitos, in cutem ipſos continens, prȩterea in medietatem medii digiti diſperſa. Quod vero cæteros medicos in maximam admirationem duxit, quod media duntaxat pars laboraret, id mihi magis perſuaſit, eam duntaxat nerui partem, quæ in cubito ab ipſo enata ad iam dictos digitos finitur, laborare. Quocirca adhibitum ei medicamentum abiicere iubens, illi præcipue ſpinæ parti, quæ laborantis partis initium originemve obtinebat, impoſui. Atque ita accidit, quemadmodum aſpicientib.

videbatur, res & admirabilis & inopinata, vt digiti manus per medicamenta ſpinæ adhibita, curati ſint. *Galenus lib. 1. cap. 7. de loc. affect.*

Etſi vero in præſentia nomen eius, de quo hiſtoriam hanc refert, non exprimat, tamen *libr. 3. cap. 12.* eandem hiſtoriam recenſet, his verbis. Pauſanias Syrus Sophiſta, cum Romam aliquando veniſſet, in duobus ſiniſtræ manus digitis, atq; medii parte media ſenſum prius difficilem habebat: poſtea vero à medicis male curatus ſenſum prorſus amiſit. Vbi vero ego illum inuiſens de præteritis interrogaui, cum iis audiui ipſum in itinere è vehiculo excidiſſe, atq; in dorſi initio læſum eſſe, partemq; afflictam breui tempore curatam, nec ita diu poſt noxam in digitis auctam. Proinde remedia, quæ illi digitis adaptauerant parti afflictæ adhibere iuſſi, atque ſic vir ille celeriter ſanatus eſt.

OBSERVATIO.

Ex caſu quidam dorſi initium terræ allidens, aphonos factus, crurum reſolutionem incidit, qui affecto loco, remedijs idoneis adhibitis, conualuit.

CEcidit quidam ab alto, ita vt dorſi initium affligeretur, is tertio die exiguam admodũ vocem emiſit quarto deinde die omnino obmutuit, reſolutaq; ſimul fuerunt crura manib. omnino illæſis, ſed neq; ſpirationẽ amittebat, neq; difficulter ſpirabat. Quum enim tota ſub ceruice ſpina eſſet reſoluta, accidit thoraci, vt tum per ſeptum tranſuerſum, & muſculos ſupernos, numero quidem ſex, moueretur: Quippe nerui ex ſpinali medulla, quæ in ceruice eſt ipſis adueniunt. At intercoſtaliũ muſculorum nerui, per quos efflationem fieri diximus, omnes affecti erant. Quum itaq; fruſtra medici negotium ſubirent, circa crura quidẽ, vtpote reſoluta: circa guttur vero, propter vocis affectum, equidem id interdixi, atque affecto duntaxat loco curationem adhibui. Proinde finita tandem ſpinæ inflammatione: à ſeptimo die vox reſtituta eſt iuueni, & crura motionis facultatem recuperauerunt. Huiuſmodi ergo noxæ ſpeciẽ, magis proprie per conſenſum euenire dixeris, quam vbi ab humorib. in ventriculo contentis, caput dolore tentatur. quippe per huiuſmodi diſpoſitiones, eleuatur ad ipſum aliquid: Sed in dictis nuper diſpoſitionibus, nihil noxium ad crura defertur. Nam cõtra, priuantur ea facultate, quam antea ſpinalis medulla ipſis ſuppeditabat. Guttur vero, quum vox ablata eſt, non omnino priuatur ſpiritu. quippe ſpirare animal per ipſum, etiam dum videmus. At vero flatum amittit, qui quidem fieri ſolet, cum affatim pluribus ſpiritus per guttur animalis foras effertur. *Idem lib. prædicto cap. 7. Loc. aff.*

OBSERVATIO.

Quidam ſub multa pluuia & vento impetuoſo ambulans, pallio madefacto, circa ceruicem vehementi frigore affectus: cui imperiti medici medicamenta, quæ ceruici admoueri debebant, capiti magno errore adhibuerunt.

CApvt cuiuſdam, non ita pridem, impoſitis medicamentis vehementer calefacientib. vlcerauerunt, putantes, ſenſum ipſius grauiter læſum, hoc pacto poſſe reuocari: atque hunc ipſum ſanauimus, inuenta ſede affecta, tum ex reliquis accidentibus, tum ex procatarcticis, id eſt, euidentibus cauſis: nam ſuper ſingulis interrogauimus, quarũ vna huiuſmodi erat. Cum ſub multa pluuia, ac vento impetuoſo ambulaſſet, pallium circa ceruicẽ madefactum aiebat, adeo vt vehementi ſe frigore in ea parte affectum ſentiret. Itaq; ſi ſciueris ex primis ſpinæ vertebris quatuor neruos ad caput aſcendere, à quib. pellis ipſum ambiens, ſenſum accipit, facile ſedem affectam inuenies: Hac igitur ſanata, capitis quoq; pellis pariter ſanata eſt: vtpote q̃ nulla primaria affectione laborabat. Medici vero neq; huiuſmodi neruos, neque eos qui per ſingulas cutis partes diſperſi ſunt, cognoſcentes, cũ in promptu eis eſſet minimæ particulæ iuxta nerui initium adhibere remedia, partes illæſas multo negotio moleſtant. *Idem lib. 4. cap. 5. de Locis Affectis.*

OBSERVATIO.

Iuuenis in cella vinaria propemodum reſolutus, vt fuerit curatus.

QVidam iuuenis operiens diu amaſiam in cella vinaria, membrorum humiditate nimia & reſolutione afficiebatur. Cum a. Medici difficulter adhiberent remedia, quidam iuuenem duxit ad furnũ & compoſito ei lecto calfecit folia nucum in furno, & calfacta includebat linteis, & in iis ponebant iuuenem optime coopertum & ſtatim prouocatus eſt ſudor vberius: qui inter ſudandum iuſculo gallinæ refocillatus conualuit. *Solenander ſect. v. Conſ. 15.*

CVRATIO FORTVITA.

OBSERVATIO.

Improuiſa & vehementi incandeſcentia, multorum annorum paralyticus quidam, à contractura pedum liberatus.

EGo mirum quid vidiſſe me in conſobrino meo Ioanne Sobiratio teſtari plena fide poſſum, qui cum Auenione conuulſus annos plurimos conſtitiſſet, ita vt contractis poplitibus ingredi non valeret: repentina ira eaq; vehementi percitus in famulum, quem plagis cædere nitebatur, ita corpus exagitaſſe, vt confeſtim diſtentis crurum neruis, poplitibuſque emollitis, & ſine vllo doloris ſenſu incedere, & erectus ſtare, cũ incuruo corpore annos totos plus minus ſex conſtitiſſet, poſſet: deincepsque per omnem vitam ſanus euaſit. Vt quem non operoſa medentiũ manus, non accurata medicorum diligentia, nõ vlla medicamentorum genera curare potuerant, ſola ira naturam exagitans perſanauit. *Valler. l. 2. Obſ. 4.*

OBSERVATIO.

Reſolutione multos annos laborans, incendij metu ſe præcipitem è ſuccenſa domo deijcit, de repente ſanatur, & deinceps probe incedere cœpit.

IOannes Berla ciuis Arelatenſis alterius partis reſolutione affectus, complures annos (quantum fide proborum virorum, & rei veritate affirmatum eſt) miſere degebat, omni ope humana deſtitutus, vt quem non operoſa medicorum manus, non opportune adhibita remedia, non cauta victus ratio obſeruata, leuare tam diro morbo potuerant. Caſus vero tum mirificus interuenit: flagrat igne domus in qua degebat, incenduntur tigna, propeque iam ad cubile in quo decumbebat æger flamma ſerpebat: Incendio omnia cõplentur, quum ecce æger,

& metu

& metu & ira fremens, grauique timore perculſus, derepente ſeſe erigit, ſeque ſummo nixu attollere conatur: mox vero incitatis corporis viribus, atque in vnum collectis, ſe è ſummo ædium præcipitē dat, à ſuis tamen adiutus, morbo confeſtim liberatur, reſtituiturque illi in parte ſenſus ac motus: ita vt qui multos annos immotus conſtitiſſet, liberè deinceps abſque vllo moleſtiæ ſenſu progredi cœperit, obfirmata etiam in reliquum temporis quoad vixit, valetudine. *Valleriola lib. 2. Obſeruat. 4.*

DE PARALYSI EX COLICA.

OBSERVATIO.

Noua & veteribus pleriſq; incognita, Germanis autem noſtris non infrequens Paralyſis ſpecies, ad coli dolores & febres conſequens, tum quomodo & quibus ex cauſis accidat, & curetur, eruditorum ſententia.

EST quando colicus affectus ob tenues & acres humores oritur, quorū victus ad humidius frigidiusque verti debet. Clyſteres ſint mitigantes & emplaſtici. Antidotum ex aloe amaram bibant. Balneis dulcibus vtantur. Si dolor nimius vrget, ſtupefacientia conceduntur. Cæterum ex huiuſmodi humoribus nouam illam noſtri temporis colicam affectionem natam exiſtimo. Hæc primum in Italia cœpit, deinde peſtilenti contagione per alias etiam imperii Romani diuerſas regiones graſſata eſt. Tranſiit autem nonnullis in comitialem, quorum plerique mortui ſunt: aliis in reſolutionem artuum extremorum, incolumi ſenſu, qui magna ex parte liberati ſunt: aliis in vtrunque migrauit: tanquam per iudiciū affectus prima ſede pulſus aliorſum abiret. Porro ſic affectos Medicus quidam in Italia curabat, victum omni modo refrigerantem, difficile creditu, præſcribens ægris. Nempe crudas ipſis, eaſque refrigeratas, præbebat lactucas, itidem intyba, ſaturitatem vltra. Adhæc vuas, mala, & duræ carnis piſces, omne genus teſtacea, boum pedes, bulbos, & conſimilia, non modo facultate, ſed tactu quoque frigida. Vinum autem raro, & ſi quando præbebat, frigidam miſcebat. Imo frigidam per ſe & poſcam porrigebat, ab omnibus aliis calidis & temperatis alimentis abſtinens. Itaque plurimos hoc inopinato modo perſanauit, etiam eorum aliquos, quibus iam affectus in comitialem aut reſolutionem, mutari cœperat. *Aegineta. lib. 3. cap. 43.*

Noſtro ſeculo morbus quidam coli homines infeſtauit, qui motus artuum omnimodam priuationem inferebat, ſaluo tamen ſenſu, idque maximè in iis, quos ſpes erat fore ſuperſtites, tanquam ex profundo corporis materia per criſin alio migraſſet. Itaque ſponte multis redditus eſt motus progreſſu tēporis: imbecilliores autem etiam ſimpliciores vnctiones ad reſolutionem prædictas vtiles ſenſerunt. Imprimis autem efficacia ſunt experti acopum ex populo nigra, & abiete conſtans. Multis vero etiam roborantia & refrigerantia mediocriter, opitulata præclare ſunt. *Idem lib. 3. cap. 18.*

Quod Paulus ſuo tempore accidiſſe in morbo colico memorat, nos quoque noſtra ætate frequenter videmus. Nempe ex magno diuturnoque colico cruciatu artuum reſolutionem, præſertim brachiorum quanquam & crurum imbecillitas ſumma adfuerit. Iam ex febri quę humoribus ad inteſtina confluentibus, ibique dolorem vehementem excitantantibus finita fuerit, ſecuta eſt artuum reſolutio, quod nuper in Canonico quodam, ſed non iuxta regulam viuente, ſum expertus. *Andernacus in Comm. ad iam allegatum caput.*

Quod à veteribus ſcriptum eſt colicum dolorem tranſire in Paralyſin, id rarum apud nos: familiare quibuſdam populis, vt Britonibus. Sacerdoti cuidam annorum quadraginta, ex aſſiduo prope dolore colico Paralyſis nata dolorem ſoluit, ſed manſit paralyſis annis aliquot. *Scholiographi ad cap. 41. Hollerij de morb. intern.*

Venetiis vidi mercatorem quendam Piſanum, cui poſt colicos dolores, reſoluta ſunt vtraque crura, deſinentibus doloribus. Alium vero poſt ventriculi dolores itidem vidi in paralyſin incidiſſe: ſolent autem hæc euenire, quando dolores fiunt à frigida & lenta materia. *Trincauella lib. 3. cap. 1. de ratione curandi partic. hum. corp. affectus.*

In Germania & præcipue in Franconia ac in Norinbergico tractu frequentiſſimum hoc malum eſt. Quo vero modo & quibus de cauſis hoc contingat ex ſubſequenti hiſtoria intelliges. Ante paucos dies Noribergæ, præſente eximio ac eruditiſſimo Philoſopho ac Medico Henrico Wolffio anatomiæ ſtudioſiſſimo Domino & collega meo obſeruando, ſecui iuuenem quandam mulierem, quæ primo ex hepatis & veſicæ bilis obſtructione in tertianam notham, deinde in colicam paſſionem incidit, paulo poſt paralytica reddita, integrum annum vixit, qua tamen vſu thermarum aliqua ex parte ſubleuata ad extremum delirio ac epilepſia correpta, occubuit. Paralyſis à principio occupauit brachiorum ſuperiores partes, ſenſim ad extremitates manuum, vltimo ad crūra deſcendit. ægra atrophia contabeſcebat, de ventriculi ardore, ſiti, appetitus edendi proſtratione, alui difficultate & dolore ilii ſiniſtri tenſiuo grauique (ſentire enim ſeſe inquiebat in illo loco pondus aliquod graue, tanquam plumbi maſſam) conquerebatur. Hanc mulierem aperui, & reperi iecur pro corporis ratione nimis magnum, obſtructioneque minime vacans, veſicam bilis bili craſſa ac nigra turgidam, ventriculum humore viridi plenum, atque extenſum. Vlterius deſcendens, inueni colon inteſtinum male atque præter naturam conformatum. Siquidem vbi ſacculus, ſiue monoculus ſitus eſt, & vbi colon ventriculo annexum erat, colon fuit valde laxum flatibuſque expanſum, reliquis in locis ad craſſum inteſtinum vſque anguſtum, fecibus craſſis duriſque in globulos concretis infarctum, eodem modo conformatum vidi colon in multis fœminis tum Monſpeſſuli, tum Bononiæ. Reliqua viſcera, tam naturalia, quam ſpiritualia erant illæſa ac integra. Ex cerebri ſubſtantia inter diſſecandum effluxit aqua tenuis & colore ſubrubicundo, quod venarum arteriarumque inciſioni adſcribendum eſt: nam aqua qua omnes ventriculi ſcatebant, fuit tum tenuiſſima, tum limpidiſſima ac pura, nihil vero pituitæ in ventriculis cerebri vidi. Totum ſpatium, quod in ſacra fiſtula inter tenuem ac duram membranam eſt & vbi neruorum funiculi neruos conſtricturi à ſpinali medulla recedunt, ſimili aqua plenum extitit. Ex hac hiſtoria & ſymptomatibus, quæ præcurrerunt, con-

ijcio omnium malorum ſcaturiginem ab epatis & veſicæ bilis obſtructione prodijſſe, indeque febrem conſecutam, vt cuique ſatis notum eſt: poſtquam vero bilis non expurgabatur per conuenientes vias, quæ ſunt inteſtina, ac eorundem facultatem expultricem ad recrementa propria expellenda non ſtimularit, haud dubie inteſtina debilia ſtupidaque reddita, multa ſuperflua, quæ in flatum ſoluta excitarunt colicum dolorem pertinaciſſimum, colligere: hi flatus cum liberum exitum ob coli in quibuſdam locis anguſtiam habere nequierint, in laxa parte vt pote paulo ſupra inguen ſiniſtrum collectus, huic parti viciniſque locis, quibus colon beneficio ligamentorum firmiſſime alligatur, magni ponderis & tenſionis ſenſum excitauit, in aliis locis non æque nam non ita laxa erant. In his affectibus bilem tenuiorem regurgitare in ventriculum, tum quotidiana experientia docet, tum *Galenus in Commentarijs in ſexti lib. aphoriſm. Hipp. aphoriſmo* 50. manifeſte his verbis demonſtrat. Conſueuit quidem & aliter in magnis doloribus, atque mœroribus fortibus ad ventriculum fluere bilioſa ſuperfluitas: & multo magis cum ipſe male affectus fuerit: ad ea enim, quæ talia ſunt, feruntur partium proximarum ſuperfluitates, præſertim quæ tenuem habent ſubſtantiam, qualis eſt ipſe bilioſus humor, atque cum eo, quæcunque ſeroſa ſuperfluitas, quæ ſæpius in vomitibus bili commiſcetur, ſiquidem raro admodum accidit, vt bilis exquiſita euomatur, cui ſeroſam ſuperfluitatem non videamus admiſtam. In huius præſentis fœminæ ventriculo humor contentus vndequaquã erat viridis, & ſatis tenuis, vnde non mirum, ſi ventriculi actiones diſturbatæ fuerint, ac ægra omnem cibum nauſearit, ſitimque ardoremque ingentem cum morſione perceperit. Ad paralyſin capitiſque alios affectus quod attinet, notiſſimum eſt nullas partes conſenſionis vim maiorem atque cerebrum & ventriculi orificium inuicem habere, quare in hoc caſu cerebrum per ventriculi conſortium affectum eſſe minime dubitandum exiſtimo, multo minus plurimos vapores ad caput elatos, atque in tenuem illam humiditatem, quæ forſan acrimonia non caruit, conuerſos, atque totum cerebrum irrigaſſe, cerebro vndequaque repleto, hanc humiditatem per ſacram fiſtulam ad neruorum originem defluxiſſe, ad extremum facta aquoſi humoris ebullitione auctaque acredine, ſecutum delirium ac epilepſiam opinor. Hæc ita ſeſe habere omnes, quos ſimilibus affectibus correptos, & tandem ſimili modo interemptos vidi (vidi autem plurimos) manifeſte atteſtantur, præcurrerunt hæc maiori ex parte, primo febris tertiana notha, faciei color ſubflauus icteritiis non admodum diſſimilis, vel color pallidus, nonnunquàm pallor, interim faciei tumor appetitus edendi deiectio, totius corporis emaciatio & languor: plerique incurrunt in colicas paſſiones curatu difficillimas: colica ceſſante ſubſequitur paralyſis primo brachiorum, ſecundo manuum, vltimo crurum, paralyſin comitatur nonnunquam delirium, interim lethargus, interim apoplexia, interim epilepſia & mors ipſa, fœminæ non recte purgantur, habentque menſium purgationes prauas atque inordinatas, iuuenes multi ab hac paralyſi liberantur, ſi in tempore conuenientibus vtantur remediis ac abſtineant à venere, vino, & iram reprimant. Sin minus, difficillime, præſertim ſi magna acceſſerit hepatis obſtructio ac imbecillitas: ſenio confecti difficilius conualeſcunt. *Coiter in libell. Obſeruat. Anatom. & Chirurg.*

Dolor colicus, quem effuſio humorum in toto corpore efficit, plerunque in pareſim deſinit, poſtq̃ longo ægrum tempore afflixit. Paulus Aegineta & recentiores Græci vna cum Auicenna hoc, quod frequens apud nos eſt, pro raro & infrequente accidente referunt. Quinimo in Gallia & Italia hodie etiam inſolens eſt, vt colicos dolores artuum reſolutio excipiat. Quanquam in Gallia ſæpius viſum legamus. Quod mihi ſcrupulum mouet illud eſt, quod non ſatis comprehendere intelligentia poſſum, quomodo reſolutio hæc fiat, ſi ab humoribus craſſis & pituitoſis excitata ponatur. *Paulus* enim de membrorum reſolutione loquitur à calida humidaque cauſa profecta, vt *ex 56. cap. lib.* 4. perſpicimus: & proinde illos reprehendit, qui à frigore ortam putantes, calidis remediis profligare conabantur. Non valde igitur mirandum videtur, quomodo calidus & ſubtilis humor ad neruos penetrarit, ſed qua ratione frigidi & craſſiores eo perueniant, non iniuria percunctaturus videor. Etenim in hiſce noſtris regionibus qui his doloribus conflictati, tandem reſoluuntur, non calida, ſed frigida & pituitoſa affectione laboraſſe vniuerſi videntur. Verum iam dixi, nullos me vidiſſe in πάρεσιν artuum incidiſſe, niſi qui longo tempore hoc malo vexatus fuiſſet: hoc eſt, quibus propter influxum humorum & flatuum ſæpe malum recurriſſet. Etſi igitur multa confluat in talibus pituita ad inteſtina, non tamen ſine calidorum & tenuiorum ſiue bilioſorum admiſtione humorum ad ea confluit. Equidem ex infinitis prope nullum vidi hoc malo affectum, qui non eſſet natura calidiore & ſicciore: & in quo non multa ſimul bilis generaretur. Dignum obſeruatione illud etiam eſt, quod non ſtatim ab initio morbi laxantur artus, ſed poſtquam longo iam tempore durauit. Quis vero ambigat, quin craſſus humor poſt diuturnos labores, perpetuas fere vigilias, longam inediam, multorum & continuum calidorum pharmacorum vſum tãdem calefiat & attenuetur? Quomodo autem ad extremos artus peruadat: iudicant plerique omnes humores iſtos ex inteſtinis, poſtquam attenuati ſint, ſic ad manus & pedes deponi, vt in acutis morbis peccans materia plerunque per ſudorem vacuare ſolet. Ratio eos hæc permouet, quod corpus totum σύμπνουν καὶ σύῤῥουν ἑαυτῷ, reuera eſt ac dicitur. Ideoque *Galeni* teſtimonium *ex 7. Aph. 54.* huc citant. Alii quidam, humorem per inteſtinorum tunicas penetrare intra vertebras lumborum & ſpinę, indeq; ad Nucham appellatam procedere: mox ſecundum neruos ad artuum extremitatem deſcendere opinantur. Sunt & alii quidã, qui non omnem colicæ affectionis cauſam ad membra transferri cenſent, ſed illam ſolum, quæ ex capite ad inteſtina defluit. Ad mẽbra autem peruenire, quia à cõſueta via deflectat, & ſecundum neruos ad muſculos ad manus ac pedes cõtendat. Fieri hoc facile tũc poſſe, cum quodammodo natura iam euicerit malum, ac dominari humori cœperit. Duæ priores ſententiæ mihi non admodum probantur. Vtraq; hoc inniti videtur fundamento, ꝙ ſtatuunt humorem in inteſtinis collectũ fuiſſe, qui ad artus tandem ablegatus

gatus ſit. At res non ita habet. Intelligi id ex eo primum poteſt, ꝙ nunquam natura per aluum pituitã illam excernit: ꝙ certe ſi non ſemper frequenter ipſam facere oporteret. Longe namque facilius craſſum humorẽ per patentes, & à natura adhoc ipſum deſtinatos meatus, id eſt, per vias vſitatas & conuenientes (præſertim ab enemate aut pharmaco inuitata) expurgat, quàm ad longinqua loca per impeditiſſimum iter deponat. Deinde ex eo, ꝙ per interualla dolores augentur ac minuuntur. Sæpenumero vbi per biduum triduumue commode habuerunt ægri (quoties ſcilicet vel clyſmate, vel pharmaco, vel ſua ſponte purgati fuerunt) recrudeſcunt dolores ſubito. Equidẽ poſt ſumptũ leue pharmacum, à quo pituita detracta deraſaque fuit, pleriq; omnes, quos quidem vidi ipſe ac curaui, per aliquod tempus cõquieuerũt: illis demptis, quibus inter tunicas flatus concluſus mali author fuit. Poſtea vero cum redierunt de integro dolores, aut etiam anteꝗ rediiſſent, manifeſta humoris iterũ collecti ſigna apparuerunt. Maxime autem præſentiunt recurrentes dolores, quibus de capite cauſa mali deſtillat in ventriculũ & inteſtina. Patet ex prædictis non in inteſtinis contineri humores, qui ad artus reiiciuntur: ſed ex venis eo potius extrudi à natura exonerare ſe volente. Mirum certe ſit, ſi ex inteſtinis per iter adeo impeditũ & lõgum ad artus plerunq; ableget potius, ꝗ vel extra corpus eiiciat, vel ad alias partes amandet. Æque abſurda eſt altera opinio: idq; non eo tantum nomine, quod, vt prima, falſo innititur principio, ſed ꝙ eo cõceſſo nihilominus parum veriſimilis exiſtit. Quis enim credat humorem tam craſſum perdenſas inteſtinorum tunicas permeare & per ligamenta membranaſq; quibus veſtiuntur & colligãtur vertebræ, ad interiora ſpinæ prorepere, inde ad ſuperiorem ipſius partẽ aſcendere, demumque ad extremitatem manuum procedere? Si pertranſire potuit per inteſtina is humor, quomodo tantum ſuſcitauit dolorem? Si attenuatum dixeris, nihil dixeris. Non enim adeo potuit fieri tenuis, vt per aluum non commodius faciliuſq; exiret. Solet etiam natura, quæ in inteſtinis ſunt, ſiue in ipſis nata fuerint, ſiue aliunde in ipſa influxerint, per ipſa expellere. At tunc ſolum nõ meminit natura vſus inteſtinorum, cum pituitam ibi, quæ dolorem ciet, collectam habet? Huc & illud pertinet, quod plerunq; manus aut ſolæ, aut primũ reſoluuntur. Videtur autem natura longe minore labore humorem craſſum & grauem ex inferiore ſpinæ parte ad pedes detrudere poſſe, quam ſubleuare ad ceruicem, vt inde ſecundum neruos exeat ad manus. Solet nãque ſua ſponte talis humor, cum ex cerebro in ſpinam delabitur, per ipſam deſcendere ad pedes. Taceo quod oporteret ſemper fere totum corpus reſolui, non ſolum vel brachia vel crura. Certe cum ad vertebras thoracis penetrat humor, qui colum infeſtabat, vox læditur, propterea quod exufflare amplius ægri non poſſunt. At ne totæ quidem manus plerunq; reſoluuntur, ſed extremæ tantum. Tertia opinio probabilis quidem eſt, atque adeo vera, quoties à delabente ex capite humore gignitur colicus dolor. At non perpetuum hoc eſt, nec in omni colica vſu venit. Etenim affectus colicus frequentius oritur ab humoribus crudis ex toto corpore ad inteſtina effuſis. Hi dum craſſiores & plures exiſtunt, quam vt à natura ſemel expelli queant, paulatim & ſecundum partes, ex magnis atque etiam propinquioribus ventri venis primum vacuantur. Vbi iam pars eorum maxima excreta eſt, & reliqui propter enumeratas ſupra cauſas, diuturnũ ſcilicet dolorem, vigilias, inediam, calorem, medicamentorumque calidorum vſum attenuati ſunt, ſummo conatu eos ex venis extrudit, & ad extrema membra dimittit: cum nec longius poſſit, nec per cutem expurgare valeat. Ad inteſtina ideo non mittit, quia alio pellere iam poteſt, & longius ab eis diſſiti ſunt, atque in illorum membrorum venis hærent, quibus noxam poſt inferunt. Vera eſſe quæ hic dico, is comperiet, qui diligenter obſeruare volet. Paulum Æginetam moderate frigefacientibus & corroborantibus curare ſatis noui. Videtur is humorem reſolutionis authorem calidum iudicauiſſe. Palam certe libro tertio annumerat reſolutionibus ab humore acri mordacique profectis: tametſi medicum frigidis curantem vituperet. Imo calidam & humidam affectionem iudicauit, ſed non immodice calidam. Ideo pharmacis vtitur modice refrigerantibus (aut non valide calefacientibus) & ſiccantibus. Ratio quoque conſonat. Vix enim humores craſſi & pituitoſi ad extremos artus protrudi poſſunt, niſi vel attenuati (& ob id calefacti nonnihil) ſint prius, vel tenuem calidumque humorem permiſtum habeant: cuius ratione per meatus anguſtiores ad longe diſſita loca deducantur. Animaduertendum eſt, quod multos abſque pharmacorum vſu ſanatos eſſe ſcribit, quod nunc etiam accidit. Sane plurimi adeoque maior pars ægrotantium vel ſponte ſanantur, vel thermarum vſurpatione reſtituuntur: rariores medicamenta à nobis poſtulant. Adeo plerique lætantur cum ſe ab immaniſſimis illis cruciatibus liberatos ſentiunt, vt reſolutionem pro nihilo ducant. Qui conſilium petunt, hos ita curare fere ſoleo. Vbi materia multa eſt & craſſa tumorque durus & cutis albicat, decocto guaiaci (in quo incidentes herbas interdum incoquo, hyſſopum, ſerpillum, chamæpytim, pulegium, ſaturegiam, & ſimiles) foueo, & ſtuppa in hoc madefacto inuoluo ac ſæpe renouo. Parte iam maxima vacuata, geranium & pruna ſylueſtria ſimul incoqui iubeo, & ſimiliter foueo. Interdum thermas arte paro, ſimiles naturalibus ex prædictis herbis, & præterea nitro, ſale, alumine, & in iis quotidie, ſemel aut bis membra per horæ ſpatium aut eo amplius continere impero. Aliquando etiam fumo commemoratarum & ſimilium herbarum in lixiuio cum ſale decoctarum foueri membrum præcipio: & poſt fotum cataplaſmate reſoluente ſimul ac roborante contego. Et adhuc quidẽ ita ſucceſſit conſiliũ, vt me eius pœnitere non poſſit. Nemo n. non percuratus eſt, licet tardius paulo quam ii, qui ad thermas bene prius purgati abierunt. Duos vidi qui abſq; tumore & abſq; humoris indicio, ſolas manus reſolutas habebant. His mandaui, vt manus vapore, qui de molari lapide ignito aceto cõſperſo tollitur, probe calefacerent: ac mox medicamentum calidum ex corroborantibus & adſtringentibus cõpoſitum imponerent. Erat id cõfectum ex cupreſſi glandib. hypocyſtide, acacia, malicorio, oleo cydoniorum, terebintina, ſtyrace, myrrha, & piſciũ glutine in aceto diſſoluto. Et quia tenaciter partib. hoc medicamentũ adhæret, quib. calidum apponitur, iuſſi vt tertio quartoue tantũ die moueretur. Interim monebã vt mane & veſperi ma-

nus medicamento cõtectas, vel ad fornacem, vel ad ignem hactenus calefieri paterentur, vt penetraſſe calorem perſentirent, ac demum pannis calefactis inuoluerent. Hũc vaporem ideo adhibebã, vt meatus aperirentur & roborantis medicamenti vis altius faciliuſq; ad neruos penetraret, quo niſi peruaſiſſet, nihil ſperare poterã Deinde vt humor quẽ nerui combibiſſent, commodius ac ſiccius abſumeretur. Habet enim hic vapor vim exſiccandi non inſtrenuam, teſte Galeno. Idem craſſiores humores incidere ac per denſiora corpora in profundum permeare, inq; iis contentos ſuccos diſſipare ſolet. Cæterum affectionem non abſq; humore conſtitiſſe, cum ex aliis plurimis, tum ex hoc intelligebam, ꝙ prope ſubito reſoluti fuiſſent. Si ob nudam ſolamq; intemperiem eueniſſet talis reſolutio, ſenſim ac vix longo tempore nata fuiſſet. Satis autẽ conſtabat, mali cauſam non in neruorum, qui ad manus diſtribuuntur, principio, ſed in manibus ipſis conſtitiſſe. Quoniam partes ſupra carpum optime omnes habebant quod eſſe non potuiſſet, ſi neruorum principia affecta fuiſſent. Sed nec illud metuebã, vt tenuiore parte reſoluta, cæteri in ſcirrhoſam duritiẽ abirent. Etenim aquoſi erant & tenues: non craſſi, tenti, multi. Nec quia calidi poſſent videri minus confidenter hoc remedio vtebar.

Nam vt initio tales ſint, temporis progreſſu refrigeſcunt, & calorem partis quaſi ſuffocant, vt manifeſto atrophia laborent id quod in vtroque factum cernebatur. At vero quia non ſatis erat partes eas calefieri, ſed eaſdem oportebat corroborari, adſtringẽtibus ſiccantibuſq; poſt fotum vti eos iuſſi: quippe vehementer debilitatæ fuerant. *Eraſtus part. 4. diſputat. contra Paracelſum.*

Colicam affectionem in Italia, cæpiſſe, & per Imperii Romani peſtiferæ luis modo graſſatam, in comitialem & paralyſin tranſiiſſe, (quibus affectibus Medicus Italus infideli & temeraria victus ratione inſtituta, præter opinionẽ remedium attuliſſe) Paulus ab Ægina, ſecundus à Galeno, medicorum antiſtes, teſtatum facit. Suffragium illi ſalua veritate ferre poſſum, qui octauum vel nonum agens annum in Pannodacia noſtra, Gregorium Wizacknaii, primum ingenii formatorem, virum inprimis eruditũ, Colico infeſtatum, & extinctum cruciatu meminerim. Nouus tum morbus per vrbem, de nouo morbo, nomine infauſto, peregrino, nuſquam audito, murmur ingens, haud aliter ac Romæ, cum Tiberius edicto promulgato, valetudinem, incognito Coli nomine, excuſaret. Vidimus eum artus reſolutum, calcibus petere, morſum ad ſe accerſitos comprehendere ſolitum pueros, eum alias Orbilio magis plagoſius, manuum auxilio (morbo etiam impatientior redditus) ſe deſtitutum, animo augeretur. Ex eo tempore adeo inualuit, & familiaris factus eſt morbus, vt populares, fide digni ad me retulerint, etiam recens in lucem editis, infantes, ex vtero hanc luem ſecum attuliſſe, & paucis interiectis diebus, artuum beneficio deſtitutos, omni motu priuatos eſſe. Quod minime miror, cum Gulielmum de Lippa Perchtoldi Marſalci filium, ſexennem, è colico paralyticum viderimus, vnde beneficio naturæ & ætatis emerſit. Progreſſu ex illis regionibus facto, deinceps vicinam Pannoniam, Auſtriam, Morauiam, cum aliqua parte Germaniæ, ita oppreſſit malum, vt ingenue affirmare poſſim, apud nos, è denario ægrorum numero, vix duos reperiri, qui colicis non conflictentur morbis, eorundemq; pauciſſimi Paralyſin euàdant: & contumaci huic malo profligando, colluctandum nobis plus eſſe, quam omnibus reliquis, quæ hominem infeſtare poſſunt, ægritudinibus. Ita ante annos plus minus triginta, peregrinus habitus, modo endimus factus eſt. In Italia certe iam dudum euanuit: (vt verum ſit, morbos oriri, durare & deſinere certis locis) cui rei fidem facit vel hoc, quod neque per Gallias vel Italiam, pręceptores noſtros, publicis lectionib. colicę in Paralyſin tranſeuntis mentionem habuiſſe, neque lucubrationes ipſorum literarum monumentis cõprehenſas illius meminiſſe ſciamus. Imo ſi qui illinc vt ſolent, medicinæ ad nos faciendæ gratia commearint, & ex improuiſo illis occurrerit curandus hic morbus viri, alias ſolidioris ſcientiæ, ac eruditionis, mirum quam turpiter, antequam ei conſueſcant, ſuam prodant inſcitiam. Solus veterum, præter Paulum Princeps Abocali, cap. de Paralyſi, docet, ceu per criſim, è colo, materias in neruos perturbari. Niſi hoc cenſu collocamus. *Hipp. 6. Epid. com. 4. text. 3.* vbi fluentium in articulos humorum in colum factum, tranſmutationem aſſerit, eoque arthriticum fuiſſe ἰσυγχώταερον, ac ſi daretur è Colo in articulos, ac vice verſa materiæ tranſitus. Neotericorum Eraſtus exquiſite colicam, quo pacto in paralyſin degeneret, annotauit, cui poſteritas vel eo nomine plurimum debebit. *Iordanus pagin. 51. luis Morauiæ deſcript.*

Poſt colicos cruciatus diu perſeuerantes pleriſque ex noſtratibus membra quædam reſoluuntur vel conuelluntur, aut ex hiſce veluti mixtus affectus cum dolore interim vehementi naſcitur quod vti à dorſalis medullæ neruis læſis, qui ad exteriores partes feruntur prodire omnibus conſtat, ſic ab affectu neruorum, quos ſexta aut ſeptima coniugalis interioribus partibus, veluti muſculis laryngis ſepto, ventriculo aliiſque tranſmittit, grauia quoque ſymptomata iiſdem quoque prouenire in multis obſeruari, qui præter quam quod, vti dictum, reſoluti vel conuulſi ſunt ſubmiſſe & rauce loquũtur, cum difficultate deglutiunt, & cum tuſſiunt vel rident cum ſibilo, ſtridore & pectoris quadam anguſtia conuelluntur & veluti ſuffocantur, adeo vt quidam ex iis propter hanc ſpirandi difficultatem, quæ illis quo magis mouentur accreſcit vel leuiſſimum aeris motum pertimeſcant, atque de aura quadam, quæ illos ſuffocet ad finem vſque conquerantur. *Platerus de obſeruat. propriis.*

Obſervatio.

Curationis paralyſis ex Colica hiſtoria.

Nobilis quædam mulier annor. 20. grauiſſimis doloribus colicis laborans, conſilio muliercularum balneo corpus non purgatum immerſit, & paulo poſt in paralyſin manuum & pedum incidit, ac pituita lenta magno copią ex ore eius effluxit, nõ aliter ac ſi argento viuo eſſet inuncta, quæ niſi aſſiſtentium digitis nonnunquam fuiſſet ex ore extracta obſtructis faucibus ſuffocata fuiſſet. Cumque meo conſilio vteretur, Deo medicamentis noſtris benedicente ad priſtinam ſanitatem rediit. Sed poſt biennium cum in eundem morbum incidiſſet, nec

ſet, nec tempeſtiue medicamentis vteretur, vitam cum morte commutauit.

Alia quædam nobilis matrona annorum 50. ventre pingui ac obeſo, grauiſſimis doloribus colicis tempore frigidiori torquebatur, qui adhibitis Enematibus & aliis medicamentis remiſerunt aliquandiu, ſed morbus tamen non penitus receſſit, ſæpiuſque recurrit. Morbo diutius durante, cum longius à Medico abeſſet, varia medicamenta ab aliis ſibi miſſa ingeſſit, bibit vinum malu. aquam mulſam re. & paulo poſt in bracchiis & pedibus, deinde in toto corpore magnos vbique dolores ſenſit, non aliter ac ſi acubus pungeretur, qui cum diutius perſeuerarent, nec illis medicamentis cederent, in paralyſin manuum incidit. Viribus proſtratis & doloribus ſæuientibus bibit aliquoties decoctum colocynthidis ſibi à muliere quadam præparatum, quod & morbum & vitam expulit. *Ioan. Franci Hildeſii Medic. Cameniceni obſeruatio per Laur. Scholzium tranſmiſſa.*

Vir nobilis & militaris Georgius à Rolvvitz cum ex colica paſſione incidiſſet in paralyſin vtriuſque manus ad me acceſſit, cui purgato corpore decoctum Sarſæ parillæ propinaui, & deinde ad Thermas Deplicenſes ablegaui, & ſanitatem recuperauit. In eodem morbo plurimum proſunt Thermæ Hirsbergenſes in Sileſia zum warmen Brunn/ dictæ. *De eiuſdem exemplis.*

Colicus dolor in paralyſin & paralyſis in colicum ſæpe tranſmutatur. Eius tranſmutationis viæ alias manifeſtæ ſunt, alias inſenſiles, at quid obſtat à neruis in inteſtina humorum decubitum fieri, & ab inteſtinis humores crudos in neruos rapit πᾶν γὰρ τὸ σῶμα σηπνοῦν omne corpus in niuentibus tranſpirabile & transfluxile. In abſceſſibus inferiorum partium & tumoribus crudis fit ſæpe παλινδρομή, ſeu recurſus ad ſuperiores partes, vnde cita mors venit, idque per inſenſiles. In calcis fractura apud *Hippocrat. lib. de fract.* fiunt febres ſingultuoſæ & conuulſificæ per ἐπιγένεσιν, & in Aphoriſmis angina faucium cum rubore & tumore ceruicis ſæpe recurrit. Cur ergo à neruis in inteſtina & venas & à venis in neruos non fiet humorem μετάςασις? Febris materia in venis concluſa ſæpe in neruos migrat: teſtem habeo locupletiſſimum Hippocratem *in Coacis prænotionibus.* σπασμὸς ἐν πυρετῷ γενόμενος παύει τὸν πυρετὸν, ἀνθήμερον. ἢ τῇ ὑςεραίῃ ἢ τῇ τρίτῃ ὑπερβάλλον δὲ τὴν ἐν ᾗ ἤρξατο καὶ μὴ παυόμενος, κακόν. id eſt, conuulſio febris finem adfert, quæ aut eodem die, aut poſtridie, aut ad ſummum perendie incidit. Sed ſi eam quæ cœpit, horam exceſſerit, neque quieuerit, malum. Conuulſio neruorum affectus eſt, febrilis materia in vaſis locum habet. Si ergo conuulſio febrem ſedat, è venis ingens neruoſum μετάςασιν fieri neceſſe eſt. *Laurentius Anat. libro quarto, quæſtio. 5.*

Alexander à Rotenburg multo tempore obnoxius fuit doloribus colicis, & rediit is morbus ſæpe propter intemperantiam ipſius, & ſi poſt vſum remediorum acceſſiones fuerunt rariores. Tandem poſt ingentem quendam paroxiſmum, reſoluti ſunt illi externi artus, nempe pedes, brachia & manus, ſecuta ἀτροφία non bracchiorum ſaltem, ſed totius etiam corporis.

Vſus eſt remediis paulatim phlegma detrahentibus, potione ex herbis & manna dedit operam vt aluus quotidie eſſet aperta, confortatus eſt, ventriculus intus rotulis, foris vnguentis, & ſacculis denique cum viderem alienam humiditatem inſinuaſſe ſe in membra exteriora, dedi illi decoctum ligni guaiaci, per quatriduum, iuſſi vt ſudaret, quantum vires ferrent.

Repetiui id poſtea cum bene conueniret. Idque factum eſt decumbente ſocero meo Croſnæ, paulo ante mortem ipſius. Quæris euentum? Antea ingerebatur illi cibus inciſus in os, cum ipſe nec cultrum tenere, nec manum ori admouere poſſet. Tum vero me ipſum inuiſente, anatomicum egebat, gallinaque & patina arrepta & inciſa, mihi quicquid toto prandii tempore edebam, præponebat.

Reliquum erat vt paulatim colorem naturalem ſuſcitare, & auctiorem reddere ſtuderet, ſed ille neglectis remediis intemperantiæ frena laxabat. Interea Nugiuendus quidam Paracelſicus (qui poſtea furto ablatis rebus alienis, & conuaſatis ſe coniecit in pedes) magnifica illi pollicitus, valetudinem ipſius violentis & vitriolatis remediis aut venenis potius ita attriuit, vt poſtea non tam de morbo propulſando, quam de viribus ſuſtentandis & retinendis ſolicitus eſſe cogeret. Ita ille cum ſubito conualeſcere cupit malam valetudinem (nebulonis illius mendaciis in ſpem ſummam erectus) ſibi accerſiuit, ac ſic tandem periit. Qui ſi recta conſilia ſequi pertexiſſet, per multos annos vita frui potuiſſet.

Alter eſt Albertus à Kracht, qui ſimiliter ex colico factus erat paralyticus, ita vt præter collum cæterorum nihil mouere poſſet. Dixi ille ne nimium properaret vſurpandis remediis, ne fieret humorum aliqua vehemens agitatio, ſed ſenſim illi collectos humores detraxi, & propemodum eadem vſurpaui, quæ apud Rotenburgium.

Eduxi pituitam per nares, adhibui fomenta manibus, vt confortarentur nerui, viuit & valet hodie adhuc venatur, potat, omniaque munia ita obit, quaſi ante nunquam ægrotarit. *Hoffmannus libro tertio conſiliorum Cratonis & aliorum per Scholzium publicator. pagina centeſima decimaſexta.*

Observatio.

Paralyſis quæ Colicum dolorem ſequitur, natura, cauſa, generationis modi, criſes & curatio plane noua & exacta: qua autor magno ſuo honore atque ſucceſſu, ſupra aliquot millia florenorum apud Morauos, Bohemos alioſque lucratus eſt.

Πάρεσις, quæ colicum dolorem conſequitur, à paralyſi, quæ apoplexiam vel paraplexiam comitatur, origine & cauſis differt. In paralyſi cerebrum & principium neruorum affectum eſt; itaque ad caput & ſpinam dorſi remedia adhibemus. In pareſi poſt colicam malum ab inteſtinis oritur, & impetu quodam ad membra exteriora fertur, ac muſculos, tendines & partes exteriores occupat; ſæpe principio neruorum illæſo.

De quo miror nonnullos dubitare, cum ἴασις, ſententiæ meæ ſuffragetur. Dubitationes illorum vnica illa ſententia Hippocratica diluit: In corpore humano viuo, omnia eſſe transfluxibilia & tranſpirabilia. Quid ni æque ab inteſtinis, ac à neruis ipſis in totum corporis habitum hæc materia deferri poſſit? Non colligitur in muſculis & eorum neruis ac tendinibus, ſed magno impetu, ſicut alia multa ab interioribus corporis partibus deferri videmus, hæc quoque ad exteriora defertur. Neque materia plane craſſa eſt, ſed vberoſa & bilioſa, etiamſi deinceps in exterioribus refrigeretur, & craſſior euadat, propter primam originem & caloris defectum. Abſurdum quod illis videtur, expellere inteſtina excrementa, quæ recipere apta & nata ſint, mihi non videtur. Nam cum in inteſtinis ſit obſtructio in colico dolorē, & ea materiam per ſuas vias depellere nequeant, expellit natura eò, quo maxime poteſt. Non autem eſt vera criſis: Multa enim craſſa materia remanet, ad quam attenuandam calidis iſtis oleis vtimur. Non nego materiam ex capite & aliis locis affluere, neque hoc, vt arbitror, ſcripſi.

Hos autem oro, ſi illis de paralyſi poſt dolorem colicum non ſatisfeci, vt furioſos ſpectent, qui in animi perturbatione magnas machinas & maiora viribus mouent, cum ad ſanā mentem redierunt, & materia ad exteriora delata, nihil virium habent. Videant in illis παρειμένας χεῖρας, ſatis apparebit cauſam non eſſe in neruorum principio. Quid igitur communem methodum curandi in paralyſi ſequimur.

Itaque primum inteſtinorum malam intemperiem corrigere, ſtudemus, deinde materiam, quæ in membris exterioribus eſt diſcutere & membra corroborare hoc eſt, ad ſuam temperiem reducere. Ad intemperiem vero inteſtinorum, niſi inflammatio adſit, fœlici ſucceſſui deſtillatum è galbano, baccis lauri & gummi elemi vmbilico adhibui.

Deſtillatum ſic habet:

℞. Gummi Galbani
Elemi
Hederæ

Ol.laurin. (aut etiam baccar. lauri) an. partes æquales, deſtillentur, ſeruentur ſeorſim primo aqua, deinde oleum clarum, tertio oleum craſſius.

Hoc muſculis epigaſtrii aliquando applicatur & materias morbi fœliciſſime diſcutit.

Membris vero exterioribus pro corporum conſtitutione fomenta & vnguenta, quorum formulas certas nunquam obſeruaui, ſed vt corpora ferebant ordinaui.

℞. Rad. Vrticæ M. iij.
Iuæ artheticæ M. ij.
Baccar. lauri
Saluiæ.
Rutæ.
Roſmarini an. M. j.
Gran. iuniper. M. j. ſ.

Incidantur & dentur & ad chartam pro balneo.

℞. Pingued. Taxi
Vulpis
Gallinæ
Anatis
Anſeris
Ciconiæ an. ℥ j.
Succi ſaluiæ
Abſinth. inſpiſſat an. ℥ ß.
Ol. laurini. ʒ. ij.

Miſc. f. vnguentum, quo inungatur poſt balneum. *Crato conſilio vndecimo lib. 1. & epiſtol. 4. eiuſdem libri.*

In paralyſi inchoata manuum poſt colicam qualis fuit mea & hærente iam malo in muſculis ibi etiam ſugillatis, primum ad expellendam materiam è muſculis per exhalationes & ſudores vtitur Crato ſudorifico, fomentatione & vnguento infra ſcripto.

Sudorifica.

℞. Sy. de Betonica.
de ſucc. cardui an. ʒ. ij. ſ.
Theriac. præſtantiſſ. ʒ. ij. miſc.

(Hoc vſus ſum, ſed parum mihi fuit ἱδρωτικὸν præfero ſyrup. ſancti Ambroſii.)

Sumatur mane vnum cochlear alternis diebus, & contineat ſe æger in lecto, vt ſomno & fomentatione lectuli ſudor promoueatur.

Fomentum.

℞. Saluiæ
Origani
Roſmarini
Iuæ arthetic. an. M. iij.

Incidantur, coquantur in aheno, & decoctum cum herbis calentibus, infundatur in vaſculum ad hanc rem præparatum quod tegatur, ſuperne panno quadruplici, & fomententur manus per quartam horæ, mane & veſperi ante cœnam. Formam vaſculi non dubito tibi notam eſſe. Aqualis breuioris inſtar habet, & in lateribus foramina, per quæ manus inſerantur.

℞. Axung. gallinac. ʒ. ij.
Ardeæ
Taxi an. ʒ. j.
Lumbricor. terreſt. vino lotorum ʒ. j. s.

Coquantur in lento igne & addatur oleum nucis conditæ.

Miſc. f. linimentum poſt fomentationem.

Additur his omnibus & ſapo certi generis, quo poſt fomentationem & vnctionem æger manus abluat, qui ſicceſcat ſua ſponte in manibus & poſtea abluatur calida. Huius Saponis deſcriptio ſequitur:

℞. Saponis veneti.
Mucillag. Altheæ. an. ʒ. i.
Sem. Erue. contuſ. ʒ. ii.
Ol. Iunip. ex granis ʒ. s.
Miſc. ſ.

Quod ſi ſuperioribus illis nihil proficitur, pro fomento ſuperiori, vſurpetur hoc.

℞. Radic. Vrtic. M. iij.
Cimin. pulu. ʒ. j.
Salis ʒ. iij.

Miſc.

Miſc.& coquantur vt ſupra.

Pro vnguento autem ſupraſcripto vſurpetur tum hoc quod ſequitur.

℞. Ol. antiqui. ℔. s.
Sanguin. porci ℥. iij.
Caſtorei. ℥ j.

Ceræ parum. Miſc. f. linimentum, vtriſque vſus ſum primis & ſecundis, & ſecundis in primis: quibus ſenſi tremorem in manibus (nam pedes firmi ſemper fuere) euaneſcere, quod fuit confirmati membri certiſſimum argumentum. Sed temporis detrimenta ferre nolui, cum eſſem tum totus in Pſalmis, &c.

His ſequentibus non fui vſus.


Quod ſi vero neque proxime ſupra ſcriptum vnguentum ſatis fuerit efficax, ſumatur, quod ſequitur.

℞. Conchar. nigrar. (hæ conchæ non potuerunt reperiri in noſtris officinis) vrantur in fictili, & colligatur humidit. pinguis ℥ ij.
Axungiæ ardeæ.
Taxi.
Canis. an. ℥ j.
Seui hircini.
Ceruini an. ℥. vj.
Saponis veneti cum ſucco cardui & altheæ diſſol. q. ſ.
Miſc. lento igne.

Quod ſi adhuc etiam magis acuenda curatio, adhibeatur ad extremum vnguentum ſequens.

℞. Pul. lumbric. terreſt. ℥. ij.
Calami aromatic. ℥. vj.
Galangæ ℥. iij.
Mellis deſpumati q. ſ.

Coquantur ad ſpiſſitudinem & extendantur in duabus alutis, quælibet ſit facta ad formam hanc:



Monauius libro ſecundo epiſtolarum. pag. trecenteſima decima quinta, ad Iohannem Weidnerum ex ſententia Cratonis.

Observatio.

De pſeudoparalyticis, quos Germani* Contract *vocant, cum tabeſcant, vt vix oßibus hæreant, & manibus ac pedibus ſubinde magis magisque, imo tandem prorſus immobiles reddantur.

HVIVSMODI ægri in omnibus regionibus Germaniæ, inueniuntur, ſed alibi rarius: alibi vt in Morauia, Auſtria, & Vngaria frequentiores: omnes autem hi primum Colici & Nephritici ſunt, vt colica & doloribus calculi renalis ſimul afficiantur, idque ſæpius per interualla, quod vel plane non curationem admittant, vel eam quæ nō eſt vera, aut ſaltem magis mitigationem ſymptomatis, id eſt, cruciatuum ventris reſpicit, experiantur? præſertim cum opiatis dolorem colicum ſanent, ac fere inſanabilem ventrem reddant. Hi menſes aliquot, vel etiam annos morbo colico & nephritico ſimul infeſtati tabeſcunt, ſine omni tuſſi, atrophia hepatis, quod & eius & ventriculi vis naturalis omnis labaſcit, atque vix aliqua remanet, concoctione ſecunda adeo deprauata, neque tertia conſtare poteſt, caro euaneſcit, & tunc vix manus ad caput tollere queunt, mox magis tabeſcit, & color totius liueſcit, ſæpius quaſi Ictero flaueſcit, omnibus humoribus acrioribus redditis, & calore hepatis cum diſcraſiæ ventriculi frigidi creſcente. Qui fit, vt & cerebrum infirmius reddatur ſimul, & ſpiritus animales in primis deficiant, nerui debilitentur, muſculi organum præcipuum motus quaſi euaneſcant, indeque immobilitas ſequatur. Edere non poſſunt, verum neque dormire, dolent potius diu noctuque, & cum ipſi ſeſe mouere nequeant, ſingulis quadrantibus horæ, verius dixerim momentis, linteo ab aliis modo in hanc, modo in aliam partem moueri cupiunt. Eſuris & bibituris alii cibum, potumque ſuis manibus dare coguntur. Quis igitur non videt, hoſce ægros miſerrimos eſſe, & auxilio dignos? Addo quod alii tres annos, alii ſeptem, & plures, hiſce doloribus atque infirmitatibus infeſtentur. Quis ſit morbus, id eſt, cauſa horum ſymptomatum, alii aliter ſentiunt. Non pauci ſeſe magicis artibus Diaboli ita tabefactos immobileſque redditos eſſe putant: in quorum numero Conſul ciuitatis cuiuſdam in Auſtria quem honoris cauſa nominare nolo, & adhuc hodie viuere ſcio, fuit, qui ſeptem annos, adeo miſere vixit, & tandem cum certior eſſet factus, de multis hiſce à me in integrum reſtitutis, Cremſam ad me deportatus eſt, meam curationem, qua duobus menſibus & octo diebus vires atque carnem, omnemque motum manuum pedumque recuperat, expertus eſt fæliciter, alii paralyſim, quam etiam apoplexiam particularem autores aliquando vocant, & exiſtimauerunt, ſcilicet, obſtructionem neruorum ex frigido craſſoque humore, ideoque hoſce ægros nacti, ſtatim eos vnguentis diſcutientibus & calefacientibus vngunt, vel aquis ſimilibus illinunt, frictionibus, quibus omnia deteriora redduntur, vtuntur. Falluntur enim cum paralyſis vera non ſit & laterem ſua operoſa curatione lauant. Huius generis ſine dubio fuere medici in Campania, de quibus *Galen. ſexto, de tuend. valetud. cap 11.*) in hunc modum ſcribit: Inæqualis compoſito nulli dictarum in malitia cædit, in qua renes calculum gignunt, totus vero corporis habitus gracilis eſt, chinaque medicamenta victumque, quæ extenuare poſſunt, requirunt. At ea gracili corpori ſunt inimiciſſima adeo, vt quidam, qui propter renum vitium vſus his fuerat, vbi digitos deterius moueri ſentireque ſenſit, & vt ipſe locutus eſt, veluti cauum quiddam ſonantes, communicauit rem medicis, primū in Campania vbi ipſe agebat. Hi tanquam eo affectu laboraret, qui paralyſin, id eſt, reſolutionem neruorum minaretur medicamentis, quæ ex Euphorbio & limneſi vtebantur. Vt autem affectus ei deterius ceſſit, cum vehemēti dolore ad ſuperiores partes ſemper aſcenderent, mihi qui id temporis in Campania forte eram rem indicauit opemque rogauit. Ego vero me-

ro mediam inter extenuantem impinguantemque victus rationem eſſe ſtatui. *Hactenus Galenus.* Mihi in Auſtriam anno 80. mundi vocato, vt ordinarium prouincialem Medicum agerem, cum non immerito horum ad meam medelam confugientium commiſeratus eſſem, attendenti ad omnia, morbus hic deprehenditur, non ſimplex, ſed compoſitus ex colica, nephreſi, & tabe hepatis, quam pſeudoparalyſis propter defectum carnis muſculoſæ & imbecillitatem cerebri neruorumque ſequitur. Colicos multos, nephriticoſque curaui feliciter, vt ne vnus quidem in tabem vel pſeudoparalyſin hac incurreret: plures nactus ſum, qui hiſce morbis compoſitis & aliis ex aliis ortis, diu affligerentur. Etſi vero id temporis neminem haberem, vel ex ſenioribus Viennenſibus Medicis, quorum tres nemini facile comparandos, mihi familiares amiciſſimoſque tunc habebam, nimirum D. Eicholcium, D. Paulum, D. Caſparum, collegas, qui vel curandos ſuſciperent, tamen diſpoſitione morbida horum ægrotorum & eius cauſis atque ſymptomatibus cognitis curationi non diffidebam, eamque in omnibus & Viris & Mulieribus, & Nobilibus & Ignobilibus fœliciter continuabam, vt reuera omnes, quotquot ad me ex Auſtria, vel ex Vngaria, excepto vno nobili, qui ſimul Epilepticus erat, & moriebatur, ſanitatem priſtinam ac ſæpe meliorem corporis habitum, quam ante morbum habuiſſent, recuperarent. Diuturnam fore hanc curatiuam omnibus prædicebam, ſed certam tamen, quæ ſpem non fallat, ſi obtemperauerint, imo addebam, ſeſe primis tribus ſeptimanis effectum medelæ, vel parum, vel nihil percepturum, ſed poſtea conualeſcentibus ſenſim & ſingulis diebus omnia meliuſcule fore. Nam cum multi morbi alii ex aliis in his ægris orti ſint, & pſeudoparalyſis tanquam ſymptoma tabi & aliis ſuperueniat, morbi qui habent ſeſe veluti cauſæ aliorum, prius, qui rationem effectus poſterius curandi veniunt. Itaque Colicam, ſi quæ reſtaret prius extirpādam & diſcraſiam ventriculi frigidi atque calidioris hepatis, quæ cauſa colicę huius, plerunq; cū inflammatione coli eſt, corrigendam ſumſi. Deinde humores peccantes, pituitā, & maxime bilem, ſimul leniter aperientib. & mundificantibus vias renum per interualla purgaui. Tertio calculum tantum vnguento emollire & mitigare, ac puluere ſimul corroboranti leniter mouere conatus ſum; quod fortia lithontriptica, tenuia corpora, præſertim tabefacta, non ferunt. Quarto hepar & inprimis carnoſas muſculoſas partes reduxi ad meliorem complexionem & habitum corporis. Poſtremo corroborantia cerebrum & neruos, præcipue interna ſimul vſurpaui, in fine etiam externa, quibus ita profeci, vt alius tribus, alius quatuor, alius quinque menſibus ſanus, vndiquaq; firmus & boni habitus euaſerit, cibum potumque ipſe ſine alterius adminiculo adſumſerit, ambulauerit quo velit, & manibus omnia apprehendere potuerit. Materiam auxiliorum ſi quis ſcire velit, breuiter illam fuiſſe ſciat, Διαιτητικὴ in principio attenuans parumper, nec adeo calfaciens inungebatur, ſecundo & tertio menſe incraſſans; magis nutriens, ſubinde media inter attenuātem & impinguantem. Quam ob cauſam aerem temperatum, parumper ad calidum vergentem, etiam arte parari neceſſe eſt, puriorem quoque & aptiorem ad giguendos ſpiritus, tum vitales, tum animales, vel aquis roſ. cum parū lauend. mixtis, vel pul. in conclaui accenſo, antequā & æger deportetur, qui ℞. roſ. rub. ℈. ij. roriſm. ℈. j. Caryophyll. Macis, Cinam. liq. aloes an. ℈. s. ſuccini, olib. ana ʒ. s. ſtorac. calam. ʒ. ij. miſce & f. pul. pro fumo. Cibus ſint ſaxatiles piſces lucii, percę, auratæ, iuſcula ex cereuiſia ſola, ex aqua cum butyro, gallinarum, bouinę carnis, ſiue ſola, ſiue cum rad. petroſelini; carnes gallorum, vitulinæ, bouinæ iunioris hædinæ, oua mollia, poma cocta, olus ſpinachiæ, betæ, ſecundo menſe & poſtea curationis magis nutrientes & incraſſantes accedant, ſcilicet iuſcula amygd. ſelect. non rancid. cum paſſulis. Euulſiones ſem. melonum & amygd. cum aquis roſ. mixtis iuſcula cereuiſiæ, cum ouis, aues montanæ, turtures, perdices, columbæ nidificātes in turribus, capones, lac caprinum, iuſcula ex contuſa pulla gallinacea, carnes capræ ſylueſt. cerui iunioris, cancrorum caudæ, oryza, amylum, pyra cocta vel toſta, cydonia vel poma toſta. Potus ſit cereuiſiæ, primo menſe, hordeacea, poſt & hæc & triticea, ſemper autem bene defæcatā, vinum tanquā venenum fugiat, niſi ſimilaginem ex vino rarius edere lubeat, qui cereuiſiam bibere nequeunt, vinum tenue & ὀλιγόφορον, aliquando potius aquam hordei cum Cinam. multo aromatiſātam, nōnunquam etiam cum mace, quies & motus corporis alternis vicibus moderate peragentur, & cum ambulare nequeunt, motione ab aliis facta, ita vt ſemper tres ſint partes, quietis, vna motus, cum ambulare diſcant, itidem. Somnus eſt valde conueniens, ſed non narcoticis quærendus, ſponte emendabitur meliori coctione accedente, oleo nucis moſchatæ inuncto temporibus, cum etiam cerebrum corroboret, iuuetur. Secundo & tertio menſe eſu lactucæ & mixtione ſem. papau. albi cum iuſculis amygdal. Inanitio alui quarto tantum die arte ſi noſtra denegat, acceleretur, & vel ſuppoſitoriis, vel lenitiuis purgantibus, vel leniſſimo enemate. Affectus animi conſeruandi ſunt moderati, alacres, & ſpe bona refecti, abſit terror, ira, & triſtitia χειρουργικὴ nulla opus eſt. φαρμακευτικὴ accuratior hæc. Prioribus diebus & diſcraſiam epatis atque ventriculi ſpectabit. Itaque aluus leniatur enemate, quod ℞. herb. Mercur. brancæ vrſ. an. M. j. s. origani, pulegii, beton. an. M. j. bis malu. M. ij. fol. ſennæ ℥ j. fl. camomeli M. s. bace, lauri ʒ. s. ſem. aniſi, cumini ana ℥ j. s. coq. in ſuff. quant. aq. s. a. ad tertias, poſt colentur ℥. xij. & adde olei communis ℥. iij. ſalis parum f. enema. Altera die & ſequenti triduo, intus vtetur modo morſulis hiſce. ℞. Marg. præpart. ℈. s. zinzib. ℈. iij. cinam. electi ʒ. iij. Macis caryoph. nucis moſch. ana ℈. j. Cardam. vtriuſque ana ℈. s. ſacch. ℥. viij. diſſolu. in aq. cinam & roſ. an. æqualiter q. ſ. & aromata groſſo modo incidantur & f. morſ. Exterius applicetur emplaſtrum ex pane toſto aſperſo vini aceto calido & pulu. qui ℞. menthæ ʒ. j. abſynth. ℈. ij. roſ. rub. ℈ iiij. caryoph. ℈. ij. culeb. maſtich. nucis moſch. ana ℈. s. miſc. f. pulu. Quinta die euacuetur leniter pro cuius gr. complexionis quantitate variata, & ſciamus colicos tanto difficilius, quanto tormina ſunt maiora, aut quando imbecillior vis naturalis & animalis, purgari. Potione purganti hac vtebar per interualla, quatuor vel poſtea etiam ſeptem dierum quæ ℞. rad. liquerit. cich. ana ʒ. ij. polip. ʒ. vj. fænic. Caryophillatæ, an. ʒ. j. ſem. aniſi ʒ. j. s. 4. frig. maior. an.

an.drach.s.herb.Beton.agrimon.an.M j. s. Endiuiæ M j.fl. roſ.rub. p ij. borrag. p. ij. ſtœch.arab.drach.j. paſſul. minor. vnc. j. Coq. in ſ.q. aq. ad tertias, poſt colentur vnc.xiij & in Colatura infund.rhab. electi drach.j algari citroch in petia ligati ſcrup.iiij.macis, Cinam an ſcrup.s.ſtent per noctem mane colentur vnc. iiij & adde Mannæ drach. vj. ſyr. de duab. rad. roſ ſolut. an.vnc.s.miſc.& f.potio.Sexta die & inter mediis cum purgare non ſit conſultum iterum adhibui Emplaſtrum ante dictum exterius, interius vero quæ diſcraſiam temperarent magis,rotulas haſce duas vel tres duabus horis ante prandium & ante cœnam exhibui, quæ ℞ ſp.arom.Caryoph ſcrup. ij.el.reſumbui, ros.nouellanæ an. ſcrup. j. diamarg. frig. diagal. an.ſcrup s. ſacch. albiſſ.vnc. iij. diſſol in aq.ros.& Cinam.q ſ.f.Confectio in rotulis. Præterea cum flatus orificio ventriculi ægre facerent, iuſſi de morſulis dictis aliquando ſumere, quando vellent fruſtulum paruum, veſperi & mane vngebam ipſos in dorſo vnguento contra Calculum, quod ℞ Ol. Viol.drach.iij.Seſam. amygd.amar.an.vnc. s. lil. alb.drach.ij ſcorp.drach vj. Vnguenti dialtheę,pingued gallinæ an.drach.ij. Ceræ q.ſ. Miſce f.vnguentum. Vrgentibus torminibus flatuum oleum carui cum cereuiſia calida ſed rariſſ.vſurpaui,ipſe ante tertiam vel etiam ante quintam ſeptimanam nullum leuamen, niſi lenitionem Colici & Nephritici,in aliis doloribus,neque etiam virium reſtaurationem, ſiue in appetitu,ſiue in aliis ſenſere, poſtea vero aliquantulum,qui tertia meliuſcule ſibi eſſe ſentirent, nona ſeptimana conualeſcebant prorſus, qui quinta 15.ſeptimana circiter.Nam multi & linteis deportādi è naui Danubio & ex ſuperiori Auſtria & ex Vngaria Cremſam venerunt infirmi vt Syncope ſæpius afficerentur & immobiles ne odorem cibi, nedum cibum ipſum ferre poſſent. Cum meliuſcule quid ſentirent, ſubinde ſingulis diebus vires, carnem & denique motum ſed valde ſenſim acquirebant, ſeptimo nimirum die aut etiam ſerius, ſuppoſitorio non niſi quarto die leniebam, menſes in mulieribus quia exangues ſunt, toto tempore morbi non mouebam,& conualeſcentibus cum bono habitu corporis ſponte redibant, magnam autem diligentiam in corrigenda temperie hepatis nimis calidi & ventriculi frigidioris adhibebam,præter rotulas noſtræ compoſitionis, & emplaſtrum ante dicta, ſyrupos hoſce cōtra tabem adhibebam,qui ℞ ſyr.de Endiu. de ſucco Borrag.de ſucco granat.an.vnc.ij. de ſucco acetoſæ vnc. j. de cort.citri vnc.j.s. iulep.roſ. vnc.iij. Aq Cinam.drach.j.Veron.vnc ij Miſce & f. liquor, de quo mane & veſperi duo cochlearia vel etiam tria bibebant:quoſdam æſtus&ariditas magis vexabāt, illos præſertim ne ſemper eodem medicamento vterentur, bibere alterno triduo de aqua Endiuiæ & Veronicæ mixta cum cochleari ſemiſſis pulueris, qui ℞ ſantali citrini,rub.an.ſcrup.roſ rub.Cinam.elect.an.ſcrup.iiij. ſp.diarrh.alb. diamarg.frig. an.drach j.ſacch canchi.vnc j.ſem.melon.excortic. drach.ij. ſacch. ad pondus omnium, f. pul. Iuſſi, & Cerato ſandalino aliquando hepar vnxi. Poſtremo emulſionem ſem, melon.ex cort.vnc.ij. amygd. ſel. & mundat.vnc. vj. coctar.cum aq. q.ſ. & in fine affuſis aq. Veronicæ & roſ. an. vnc. ij. Cinam. vnc. s. ſacch.vnc.j.propinabam vt diu noctuque vel frigidam ſi ventriculus ferret, ſin minus calidam biberet,rediit caro & melior habitus ſenſim,ſubinde rotulas haſce pro corroboratione Cerebri & Neruorum ſimul edere ipſos coegi, quæ ℞ mar. præparat. cornu cerui vſti an.ſcrup.j. ſmaragdi præparati gran. v.ol.nucis moſc.per expreſſ.drach.j. ſacch.clarif.lib. s.aq.lauend.vnc.iiij,Coq.ad conſumtionem aq.&f. confectio in rotulis. In fine curatiuæ de ſpeciebus Diamoſchu, quæ non tantum corroborant cerebrum & neruos,ſed contra omnem tabem proſunt, quantum capit cuſpis cultelli bibere volui cum cereuiſia calida, & exterius tantum ſpinam dorſi lauari aqua lauend. & maluatico mixtis; Deinde etiam articulos iuncturarum in pedibus & manibus ac ſponte exiccari. Poſtremo huius lotionis gratia hoc decoctum vſurparunt, quod ℞ ſtorac cal.vnc.s. lig.aloes drach. j Macis, nuc moſch. Cinam. Card. vtriuſque ana.ſcrup.ij.maſtich in petia.ligat. drach. j s. flor.lauend. anthos.ſtœch.arab an. drach.j. Coquantur in ſ. q. maluatici & colentur lege artis fiat epithema. Curatiuam hanc nullius exemplo nec authoritate 13. annos iuueni ex tot experientiis certam communicare pro obſeruatione noſtra non grauatus ſum. *Iac. Horſtii Obſeruat.*

Helmſtadii in Acad. IVLIA *Profeſſoris.*

DE STVPORE.

Observatio.

Stupor totius corporis cutis viſus.

Cvm imperfecta paralyſi ſenſus motuſve torpet,& hebeſcit, proprie ſtupor appellatur,quo aliquando vidi vniuerſam corporis cutem ex crapula & vinolentia corripi,illæſo motu. *Fernelius libro quinto,capite tertio,Patholog.*

Observatio.

Digitorum manus ſtupor, ex humero baculo percuſſo obortus, medicamento collo inducto leuatus eſt, cum fruſtra ante digitis adhiberetur.

IN omnibus torporis cauſis origini ſtudendum eſt & pororū meatibus, vt ſuaues facileſq; fiant. Huius rei rationē in exemplo referam cuiuſdam mulieris, quæ à viro ſupra humerum ſcipione percuſſa, manus digitos ſtupentes mihi oſtendit: & à quodam imperito Chirurgo, qui digitis emplaſtrum pluribus diebus impoſuerat, ſeſe fruſtrari conquerebatur: emplaſtri genus laudaui, quod non vt digitis, ſed collo imponeret, hortatus ſum illa obſequens paucos poſt dies ad nendi opus rediit incolumis. *Benedictus libro primo,capit. trigeſimo tertio,de curand.morb.*

Observatio.

Ex ſtupore cruris Medici decepti, calculoſum pro paralytico percurarunt.

NVPER Nobilem curauimus, qui Medicorum doctiſſimorum conſilia communi conſenſu remedia, ad paralyſin accommodata præſcribentium nobis attulit. Huic enim cum præ-

dixiſſemus futurum, vt intra quatriduum calculi fragmentis excretis alleuiaretur, ſubridens prænotionem contempſit, quod neque à quoquam ea de re eſſet admonitus, neque arenulas vnquam reddidiſſet. Tandem tamen vix perſuaſus magnâ omnium admiratione verum nos prædixiſſe expertus eſt. Cauſa autem eſt eiuſmodi, Venæ cauæ deſcendentis ramus vnus in renem, alius in crus, tertius in teſtes fertur. Ad plenitudinem itaque eius, qui crus alit, aut compreſſionem ſtupor ſequitur: quemadmodum alio tumente, qui ad teſtem peruenit, & ideo breuiore facto teſtis contrahitur. *Iacotius Comm. ad Aphor. lib. 7. ſect. 2. Coac. Hipp.*

Observatio.

Stupores exorti, quid portendant:

STVPORES, quando in ſuperioribus partibus incidunt: epilepſiæ vel apoplexiæ, vel paralyſeos futuræ nuntii exiſtunt. Qui tamen in tibiis apparent abſque iam dictis malis diu perſeuerare poſſunt, vt à nobis obſeruatum eſt. Nam particularium membrorum obſtructiones animalium ſpirituum penetrationem in iſta membra impedientes tantum denotant. *Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

Observatio.

Stupores epidemicis haud abſimiles quibus remediis propulſi.

SVperiore anno, cum mulier quædam funus vicini cuiuſdam hyeme comitaretur: ſubito tanto ſiniſtri lateris ſtupore correpta fuit, vt etiam crepidas pedum in itinere inſcia amiſerit cui, mea opera vtenti, imperaui crurum & laterum fruitiones, atq; litus ex vino ardenti cum ſaluiæ decocto: adhibito etiam aquæ dulcis ſolio. Quorum vſu aliquoties repetito, ſtupore cedente, liberata eſt.

Huius generis ſtuporem, ſiniſtram manum, magnifici cuiuſdam viri occupantem, hac æſtate, ſolo decocto ſaſafras, percuraui. Quin affirmare auſim, me intra biennium, ſupra trecentum ægros, conſimili ſtupore affectos, pleroſque omnes debitis medicamentis vſurpatis, reſtituiſſe. *Cneulinus de Obſeru. propriis.*

Observatio.

Hæmorrhagia narium affectus, corporis ſtuporem & inſenſibilitatem incurrit, quam nihil proficientibus remediis mors excepit.

QVendam vidimus, qui ob defluxum ſanguinis narium obiit, hic antequam obierit, ad inſenſibilitatem quãdam fere & corporis ſtuporem deuenerat, nullaq; medicamentorum ope iuuari potuit, tamen probos Medicos habebat & doctiores, qui tunc Ferrariæ extarent, cum ſemper alma patria noſtra probiſſimis medicis ſcateat. *Braſauolus Comm. ad Aphor. 9. lib. 7. Hipp.*

DE TREMORE.

Observatio.

Rara tremoris ſpecies.

QVIDAM baiulus erat, qui ſtando, incedendoq; corripiebatur tanto tremore corporis, vt ſtatim ſeorſim ſe recipere cogeretur. *Camerarius de Obſeru. Patauio acceptis, & ad me miſſis.*

Observatio.

Tremores etiam Chronicos, bona Diæta curari poſſe.

TRemores etiam in iunioribus crapulæ deditis, incidere poſſe notius eſt, quã vt eius rei exempla proponere debeamus. Placet tamen, quid in eiuſmodi affectus curatione animaduerterimus, ſubiicere. Cum ego in prima ætate in Bugonia Medicinã facerẽ, venit ad me cœnobii cuiuſdam præfectus quidã nondũ annũ quadrageſimum attingens, conquerens de totius corporis tremore moleſto illo quidẽ, cum totius corporis cacochymia coniuncto. Quod vero cũ diætã q̃ cõſectatus eſſet negligẽtiſſimã, relinqueret curari non poſſe, dicerẽ, ſic à me diſceſſit, quaſi id ne fieri quidẽ poſſe arbitraretur, ob inueteratã à ſe ſuſceptã cõſuetudinẽ crapulæ indulgẽdi. Verũ cũ nõ ita longe poſt infidelẽ adminiſtrationẽ ſuæ præfecturæ, ab officio remoueretur, & ad ſummã inopiam redigeretur, coactus eſt neceſſitate quadã, æditui officiũ in pago quodam in ſolitudine quadã abdito recipere. Quod vero iſthic omni vſu vini careret, & cibo vili ac aqua cõtẽtus eſſe cogeretur, ita illã, q̃ contraxerat crapulandi conſuetudine cacochymiã temporis progreſſu concoxit, vt corpori ſua ſanitas reſtitueretur, & omnis membrorum tremor abiret. De quo cũ certior factus eſſem, ac alioquin inueſtigandarũ rariorũ ſtirpiũ gratia in locis vicinis iſti pago miniſtris quibuſdã nobilis & celebris viri Hermanni Rideſelii ab Eiſenbach comitatus verſarer, ad eum pagum diuerti, ac hominẽ de quo dixi ad me vocari iuſſi. Quẽ cum vidiſſem, plane mutatũ ab eo, q prius fuerat, mirari me iſtã metamorphoſim dixi, ac qb. auxiliis ad eã inopinatã ſanitatis integritatẽ pueniſſet, ex eo q̃ſiui, interim diſſimulans q̃ mihi de ipſius fortunę cõmutatione dicta eſſent, ab aliis. Subridens itaq; pauptas (inqt) & neceſſitas abſtinẽdi à crapula me curarũt. Quare cõſolans ipſum, vt ferret patiẽter eã fortunã, q̃ tantopere ipſi pfuiſſet, & deinceps cauti⁹ viueret, hominẽ cõmonui. Cæterũ ſimilẽ podagræ diuturnæ curationẽ in ciue quodã Landtsbergenſi, obſeruatã ſcriptores qdã memorię tradiderũt. *Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

DE EPILEPSIA.

RARA EPILEPTICORVM SYMTOMATA.

Observatio.

Rara epilepticæ acceſſionis forma.

CVM iuuenis Ioannẽ Dryandrũ medicũ ac tum præceptorẽ meũ ad cœnobiũ Hanoiẽſe in Haſſia ſitũ q à duce Landgrauio paulo ante Xenodochii vſibus deſtinatũ fuerat pficiſcentẽ comitarer, vidi quendã epilepticũ ſingulis dieb. aliquoties in epilepticos paroxyſmos incidere ſolitum, prius multoties in gyrũ veluti verti, ac agitari, & tandẽ in humũ collabentem, epilepticis conuulſionib. mirifice torqueri, magna aſtantium commiſeratione *Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

Vir quidã annos natus tũ circiter 30. boni alias habitus, referebat nobis ſe à prima ſtatim ætate, ſymtomata ſequẽtia ppeſſũ fuiſſe. Solebat igitur is, quum duos vel tres paſſus progreſſus eſſet, ſeſe inflectere quaſi in circulũ idq; continenter facere cõpulſus erat, tota die citra intermiſſionẽ aliquãdo à diluculo, vel ex ortu diei ſtatim quãdo pulſũ cãpanæ audiret,

vſque

vſque ad veſperas, & ſecundum campanarum ſonum. Interea vero temporis, ab omni cibo & potu penitus ſe abſtinebat, ac non ſatis erat miſerum ſic alternatim & per vices prorſum vel retrorſum eundo in orbem quaſi vorticem intorqueri circuireve. Sed accidit, vt poſtea acceſſionibus epilepticis corriperetur grauiſſimus, & humi concidens omnes artus violenter admodum concuteret, ſpumamque extra os regereret copioſam; tandem à turbinoſo vel vertiginoſo motu cum altero illo directo & epilepſiæ paroxyſmo liberatus. Ad ſeſe collectis viribus rediens, cum aliis diſcumbebat, quos tum forte obuios habuit interdum in ſtabulis & horreis commorans, & commiſeratione hominum ibi admiſſus, & bona ratione vtens, ſatis læte comedebat & liberalius tamen bibebat, vti ad tres menſuras vini non raro ventum eſſet. Sine duce nunquam profectus eſt, quin conductus variis cum viris vel ægris fœminis per vrbes & vices hinc inde erogandæ ſtipis gratia oberrabat, quam largam & beneficam ſatis ab omnibus miſericordia tactis, expertus eſt. Aiebat malum hoc eſſe hæreditarium, & citabat auiam primo hiſce accidentibus laboraſſe & aliquos in familia ſua exiſtere, qui ſimilibus ſymtomatibus agitarentur, & in ditione Groeiegenſi natus & educatus eſt, vt ex idiomate facile coniectari potuimus, quod ex eo non ſemel audiui in pago Adelhauſen, qui oppido Friburgenſi proxime adiacet. Hæc ex Daniele vinitore vicino, viro non fucatæ fidei, aliquoties audiui. *Moccius.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria Epilepticorum admirandis ſymtomatibus affectorum.

SVperiore anno adoleſcentem curaui egregium, qui ex alto loco decidit, & tempus ſiniſtrum læſit, ex quo in epilepſiam incidit, qui paroxyſmi tempore ter, quater, ſæpius in gyrum ſe vertebat, impetuque facto, ſi non prohiberetur, verſus locum aliquem procurrebat, priuſque prorſus caderet (plerunque non cadebat, ſed manibus magna vi faciem confricabat) nec ad ſe reuerſus quicquam eorum quæ eueniſſent, ſciebat.

Nuper etiam puellam allocutus ſum, quæ, cum antea grauiſſime laborauiſſet, ac proxime tanquam mali nihil pateretur, in conclaui per dimidiã horam ſurſum deorſum curſitauiſſet, atq; à me interrogaretur, vtrum aliquem vidiſſet vel audiſſet (nam & allocuti eã ſunt, qui aderant, & inhibere motum tentarunt) negauit ſe quenquam aut vidiſſe aut audiſſe. Conſtat tamẽ eam parietes vidiſſe, quos cum ad eos acceſſiſſet, protinus cauebat, ac ſe rurſus conuertebat. *Eraſtus in Anatom. librorum* Com. *Montani.*

OBSERVATIO.

In epilepticorum paroxyſmis, nonnunquam pituitoſum humorem, aliquando cerebri ſubſtantiæ particulam morbi vi extrudi.

VIdi non nullis pituitoſum humorem ex ambabus naribus, & ex ore profluere: quod Auicenna quoque annotauit. Quinimo cuidam huius oppidi matronæ (quæ ex hoc morbo interiit) ſubſtantia quædam, cerebri ſubſtantiæ ſimillima ex naribus effluxit. Quantum ex narratione aliorum comprehendere potui, de ſubſtantia proceſſuum cerebri, quos inſtrumenta odoratus eſſe credimus, abruptum violentia morbi fuit. *Eraſtus Part. 4. Diſput. cont. Paracel.*

OBSERVATIO.

Admiranda Epilepſia, qua æger brachiorum & manuum agitatione conuulſiua inſtar pugilum cum leni rationis noxa & ſine proſtratione in terram torqueri viſus eſt.

RICINVS quidam comœdiarum mimus & Hiſtrio, dum Mantuæ vna cum aliis conſociis artem ſuam exerceret, ſæpius indies tali ſympt. corripiebatur, perſentiebat primo ſibi ipſi caput totum oppleri ac deinde ſtatim contractiones manuum ac pedum ipſum inuadebant, ita vt illos hinc inde eorum inſtar, qui in monomachia ſe inuicẽ oppugnãt, & defendunt, iactare cogeretur, ac in altum oculos contorquere nunquam tamen ipſe cadebat, licet ſuper pilas magnas vento repletas ambulare ſibi videretur, mentis non omnino tunc temporis compos erat, ſed imminens malum perſentiebat, eo tamen correptus manifeſte principes functiones oblædi dignſocebat, ſymtoma iſtud ſingula quaq; vice non longiori tempore illum afficiebat, quo oratio Dominicalis à quouis dici poſſet, quo temporis interuallo prętcrito id malum ita ceſſabat, vt ipſe ac ſi nihil illi contigiſſet derelinqueretur, quod cum ei in proſcenio nõ ſemel accidiſſet, me ipſum aduocauit, vti fieri poſſet, opem ferrem. Labo au :rat autem hic homo calidæ & ſiccæ temperaturæ, alias ſæuiſſimo morbo Gallico, ita vt tunc temporis eiuſdem ſobolis vlcerum cicatrices in corpore viderentur, præſertim magni, quod diutius in fronte apertum detinuerat, ac ſponte paulo antea conſolidatũ fuerat. Nos corpore expurgato aliiſque præſidiis adhibitis, præſertim vero cauterio in occipitio adaperto illum priſtinæ ſanitati reſtitutum dimiſimus, ſed iure merito dubitauimus an, huius Hiſtrionis affectio, ſimplex conuulſio eſſet dicenda, an potius epilepticus ſpaſmus, cum enim minime corrueret, nec paſſum epilepſiam dicendum videbatur *Auic. fen. 1. 3. tract. 5. cap. 8.* Non eſſe poſſibile homini epilepſia detento remanere erectionem corporis, hinc vulgo eũ morbum caducum vocãnt, at æger hic nunquam cecidit, licet millies ea affectione vexatus fuerit, ſed cum nec illi principes functiones eſſent integræ, quis ipſum duntaxat conuulſiuis molitionibus ſuperius dictis laboraſſe iure aſſeuerare audebit? cum *Gal. de creto. 3. de loc. affect. & lib. 1. de cauſis ſymt.* in conuulſione nullum fiat principibus functionibus nocumentum ex iis licet, quodammodo animus anceps redderetur, nihil ominus hominem epilepticum fuiſſe ſtatuendum decreuimus, at non cadebat, quia non per ſe cerebrum, ſed per conſenſum patiebatur, eratque paſſio non fortis, ſed debilis, hinc nec ſpuma oris aderat, ſignum alioquin epilepticis communiſſimum leuiter itaque per conſenſum affecto cerebro, duntaxat motus conuulſiue excitabantur, ita vt veluti ſaliendo per interualla, corpus contraheretur & concuteretur, citoque ob id pariter ſoluebatur affectio huiuſcemodi, hinc quoque factum, vt non inſignem in principibus facultatibus læſionem obſeruaremus, nam paſſio leuis & ipſa erat, quemadmodum & *Galenus 3. de locis affect.* Meminit de puero illo, qui veluti auram frigidam aſcendere

ad cerebrum Epilepſiæ paroxyſmo aduentante perſentiebat & in ipſo paroxyſmo mentis ita compos erat vt quæ fierent perciperet & profligata acceſſione eadem narrare ſciet ex quo in Epilepſia quandoque eaque debili & parum oblæſi primarias operationes ſtatuendum eſt quo prænarrato ægrotanti accidiſſe obſeruauimus, cui etſi aliquantum mens oblæderetur, quæ tamen fierent perſentiebat, ac licet motus conuulſiui excitarentur, ita vt hinc inde caſum minaretur, non tamen cadebat eo, quod affectio prægrandis non eſſet. *Donatus Hiſt. Mirab. lib. 2. cap. 4.*

OBSERVATIO.

Mira epilepſiæ ſpecies aphrodiſiaſtica, in qua paroxyſmus ſeminis profluuio ſolutus: alia item variis horrificiſque ſpectrorum imaginationibus & anxietudinibus ægros torquentes.

QVIDAM ſunt, quibus videtur quaſi mulier eos quærens ad coitum, & feſtinanter furiunt ad eam & agunt cum ea, & poſt emiſſionem ſeminis ceſſat eorum paroxyſmus & ſurgunt: & ego quidem iam vidi cui hoc accidit. Aliqui vero ſentiunt grauitatem capitis & iectitationem ante ſui aduentum, & vocant qui circa ipſum ſunt, vt ipſum teneant, donec ceſſet eius paroxyſmus, & ego quidem iam vidi quendam puerum meum patientem hanc ægritudinem: qui dixit mihi quod videbatur ei mulier nigra accedens ad eum habens ſuper ipſam corium, quod dicitur parua, & quando accedebat ad eum mox cadebat, & ſtudui ego erga ſui curationem, & ceſſauit illud phantaſma ab eo, & alleuiata eſt ægritudo eius. *Alſaharauius lib. Pract. Tract. 1. Sect. 2. cap. 34.*

CAVSÆ.

OBSERVATIO.

Epilepſiæ cauſæ præter veterum ſententiam aliæ & nouæ à recentioribus tum experimento tum ratione conſtitutæ.

PRÆTER humoris copiam venenata & cerebri ſubſtantiæ grauiter infenſa atque inimica qualitas, Epilepſiæ cauſa ſtatuenda eſt, quæ quoties exagitatur & prorepit in cerebrum, ea quidem ferientè, cerebro autem contra pugnante quaſi colluctatione quadam ac dimicatione fit Epilepſia. Huius autem fomes modo in cerebro, modo in ore ventriculi, nonnunquam & in aliis diſtantioribus ſedibus deliteſcit, è quibus furtim per cæcos ductus in cerebrum ſerpit & progreditur. Hinc Epilepſiæ tres differentiæ conſurgent, vna cerebro aſſignatur, altera eſt, quæ ventriculi, tertia quæ alterius cuiuſuis partis conſenſu fit. Quæ in cerebro fit Epilepſia, aperto eorum, qui è viuis deceſſerunt, capite animaduerſa eſt ſæpe aliunde ſuſcitari, quam ex ventriculorum infarctu. Cauſam interdum deprehendi cerebri abſceſſum eſſe, interdum corruptam menyngis portionem caluæ adhærentem, ſummo dolore: quibus è locis teter vapor in cerebri ventriculos penetrabat. Hanc ſpeciem oſtendunt, capitis grauitas, aut etiam dolor atrox, ſenſuum mentiſque ſtupor aut tarditas, faciei pallor, turbulenta inſomnia, & quod acceſſio repente hominem adoritur nulla ſymtomatum præſenſione. Alteram quæ ab ore ventriculi haud ſecus atque oculorum ſuffuſio originem ſumit, præcedunt ventriculi dolor, diſtentio, compunctio & difficilis inediæ tolerantia: cumque acceſſio proxima eſt, nauſea, cordis dolor aut animi defectio: cum vero ea deſierit, vomitio alias pituitoſa alias bilioſa. Tertia ſpecies ſæpe à manuum pedumve digitis, vel à crure, interdum ab vtero ſuſpiratur, præſertim cum fœtus geſtatur, cum quo & putria multa coerceri ſolent. *Fernelius libr. 5. cap. 3. Pathol.*

Aliquando obſeruauimus e ſummo capitis vertice, in quo ſub pericranio vitiatus venenatuſque humor coercebatur, vaporem manifeſto ſenſu intro ſubire qui Epilepſiam concitaret, hancque poſtea cauſtico perſanatam medicamento, ita procul-dubio exiſtimari debet intus vel circum menynges vel circum cerebri ſubſtantiam vitium contineri veneni æmulum; cuius ex interuallis impetu facto, Epilepſia ſuſcitetur. Aperto Epileptici Philoſophi qui deceſſerat capite, qui vehementiſſimo eoque fere perpetuo dolore vix digitum lato circa ſinciput torquebatur, deprehendimus craſſiorem menyngem ea ſede, caluæ oſſi adhæreſcere, pauculo humore putri interiecto. In altero cerebri ſubſtantia humorem fœtidiſſimum eumque exiguum contineri: vtriuſque tamen ventriculos & meatus omnis humoris, omniſque obſtructionis expertes. Multos vidi inde Epilepticos euaſiſſe, quod in curanda lue venerea, dum vnguentis ex hydrargyro illinirentur, nonnihil in aurem & in cerebrum penetraſſet. *Idem capit. 15. libro ſecundo, de Abditis.*

Fit Epilepſia cum cerebrum in ſeipſum ſeſe contrahit, vt quod noxium eſt expellat, quemadmodum & in ſternutatione, cui ſimilis eſt. Fit enim ſternutatio, quando quod moleſtat in anteriori parte cerebri tantum continetur, prope eius appendices, & narium interna foramina, ita vt ſi materia pauca ſit, vna vel duabus vel tribus contractionibus expelli queat. Materia autem Epilepſiæ in ventriculis mediis & poſterioribus hæret, aut in parte poſteriori: ob idque difficilius excutitur. Communis Medicorum ſchola credit cum Galeno, craſſum humorem cerebri ventriculos obſtruentem hunc maxime affectum parere, quibus obſtructis ſpirituum tranſitum impediri neceſſe eſt. Exiſtimant enim ſpiritus animales in ventriculis cerebri contineri extra arterias: in quo plurimum aberrare mihi videntur. Nam ſi craſſus & viſcidus humor ventriculos cerebri obſtrueret, vt illi putant, qui ſpiritum, quo minus poſſet exire, impediret, ceſſaret motus, aut ſaltem minor fieret, vt in Paralyſi accidit. At tantum abeſt vt ceſſet, vt omnes partes præter voluntatem ad motum concitentur. Porro ſi Epilepſia fiat propter aliquam obſtructionem, ea erit in meatu illo, qui à cerebro ad coanam, id eſt, pelouim ſiue infundibulum perueniat, per quem pituita ad palati foramina deſcendit, quod contra fit in Epilepſia. Ob id *Galenus 4. & 11. de vſu part.* optime à natura comparatum eſſe ait vt per decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium orificiis perſpicuis & magnis pituita aut alia cerebri excrementa excernantur, ne animal frequenter corripiatur Epilepſia. At còtra in Epilepſia accidit, in qua per illam

viam

viam expurgatur materia quæ inſultum excitat, & ea quæ cum ſpuma ex ore eiicitur ab ægris. Adde quod epilepſia magis à tenui materia, vel ſpumoſa & acri fit, quam craſſa, vt illi exiſtimant. Subitaria enim obſtructione in magnis cauitatibus non fit. Nec ſequitur, ſubito fit, ergo à craſſo viſcoſoque humore. Argumentum Galeni docet epilepſiam non fieri abſque materia. Nam morbi omnes qui ab intemperie ſicca fiunt, citra affluxum materiæ ſenſim fiunt, quod Galenus demonſtrare voluit. Quod autem repente fiat epilepſia, id materiam potius tenuem eſſe quam craſſam indicat, vt cita morbi ſolutio materiæ paucitatem & tenuitatem. Craſſa enim difficillime mouetur, tenuis facillime. Sed quo magis veritas eluceſcat, aliis argumentis euincamus epilepſiam fieri à materia acri vel tenui vel aquea vel ſpumoſa potius quam craſſa. Primum negari non poteſt epilepſiæ omnia genera, quæ per conſenſum fiunt, à ſubſtantia tenui fieri. Quod *Galenus de locis affectis* de iuuene illo Grammatico indicat, qui quoties vehementius doceret, aut cogitaret, aut inediam ſuſtineret aut iraſceretur, morbo comitiali corripiebatur. Eodem in loco ſcribit ſe multos vidiſſe conuulſione comitiali ab ore ſtomachi correptos, aut cum non probe concoxiſſent, aut vini meracioris plurimum potaſſent, aut vbi veneri immodice operam dediſſent: quinetiam per febres quoſdam conſpexiſſe derepente conuulſione prehendi, nullo (quod eam præſagiret) præcedente indicio, qui bilioſo ſuperueniente vomitu protinus ab omni noxa liberati fuerunt. Atque hoc modo affectorum nonnulli res quaſdam fuſcas vomendo reiecerunt, alii humorem porri ſucco ſimilem: Hactenus Galenus. Ex his locis manifeſte apparet, per conſenſum ventriculi fieri epilepſiam à vaporibus eleuatis à bile flaua & porracea & fuſca, quæ atram bilem indicare videtur. Præterea docet hunc affectum oriri ex agitatione, aut ab ira, aut à magna contentione, aut vaporum acrimonia, vt in eo, qui ob potum meracioris vini epilepſia corripiebatur, aut inedia, quæ humores exacuit. Item quæ fit per conſenſum vteri in mulieribus à vaporibus caput conſcendentibus fieri manifeſtum eſt. Teſtantur & hoc mulieres, quæ fumum quendam aſcendentem ſentiunt. Extat hiſtoria apud Galenum de puero, qui auram e pede ſurſum eleuari ſentiebat. In eadem ſententia videtur eſſe *Ariſtoteles* ſub finem *libri de Somno & vigilia*, cum ſcribit pueros maxime eſſe obnoxios epilepſiæ, quod eorum caput multis fumis repleatur. Quare ab vſu vini, quod ſuapte natura eſt vaporoſum, & quod caput tentat, vult mulieres abſtinere. Solutio enim morbi repentina oſtendit materiam paucam eandemque tenuem eſſe, quod facile diſcutiatur. Simili argumento *Galenus* vſus eſt *in libro de tremore & palpitatione*, vt probaret iectigationem fieri à tenui humore, quia cito diſſoluitur & generatur. Quod etiam teſtantur vacuationes, quæ fiunt, cum à paroxyſmo liberantur. Oſcitant enim, ſternutant & ſpumam per os reddunt, quæ omnia materiam eſſe tenuem oſtendunt. Materia autem craſſa, niſi attenuata fuerit non facile euacuatur. Eſt autem comitialis morbus à nidore & odoratu vt experientia comperi. Quare neceſſe eſt fumos omnes aut omnes, aut materiam communem habere aliquam qualitatem vel quantitatem, quæ cerebri facultatem expultricē commoueat. Noui multos qui cum iter facerent, ex aere vel vento concepto per nares, ſtatim epilepſia corripiebantur, à qua ſi aures bombace aut alia aliqua ſubſtantia molli obſtruerent, ſeſe vindicabant. Hæc annotaui, vt intelligerent ſtudioſi epilepſiam fieri & à pituita tenui & à ſpumoſa, vel à bile flaua, vel attenuata atra, aut eius ichoribus, vel à vaporibus acribus vel ab odoratu propter cerebri exactiorem ſenſum. Hinc efficitur, vt qui ingenii acumine pollent, huic morbo frequenter obnoxii ſint, vt de Cæſare, Mahumetē, Carolo Quinto Imperat. ſcriptum legimus. Id quod illi à comitiis inditum nomen teſtatur, eo quod plurimi manis in illis eo morbo frequenter corripi viderentur. *Rondeletius li.1. De curand. morb. internis ca. 36. altero de Epilepſia.*

De Epilepſiæ cauſis, generationis modo ac loco non eadem eſt omnium ſententia. Veterum enim prope omnium communis conſenſus eſt, ab humore craſſo, viſcoſo & fere ſemper frigido procreari, obſtruente (vt quibuſdam placet) medium ventriculum cerebri, vel (vt aliis) poſteriorem vel vtrumque, vel modo vnum, modo alterum, vel etiam primum: atque ita fieri vt interceptis viis, ſpiritui ad neruos non pateat aditus. Addunt nonnulli, non ſine probabili ratione, quandoque id contingere ob anguſtiam meatus à poſteriore cerebro ad ſpinam, vel imperforatam aut ſtrictiorem lacunam ad palatum, aut ad nares. Et certe *Galenus de vſu partium* ſcribit optime comparatum eſſe à natura, vt per decliues cerebri meatus, tum per palatum in os, tum per corpus narium orificiis perſpicuis ac magnis, pituita aut alia cerebri excrementa excernantur, ne animal frequenter corripiatur epilepſia: videmuſque per illam viam expurgari materiam, quæ epilepſiam excitauit, ac ſpumam ex ore educi. In contrarium tamen multa à doctis afferuntur. Primum ab intemperie fieri non poſſe videtur, ſine vapore aut humore. Citius enim interiturum eſt animal, quam ad tantam perueniat intemperiem. Hoc enim modo corpus non conuelleretur: ſed ab omni prorſus actione deſiſteret. Licet Hippocrati duæ conuulſionis cauſæ ſint, plenitudo & inanitio. Quod de particulari intelligi videtur. Hæc autem & vniuerſa eſt, & mentem ſenſuſque omnes oblædit. Nam ſine mentis læſione conuulſio, etiamſi totius ſit corporis, epilepſia non eſt. Neque ab humore craſſo. Cita enim ſolutio, materiæ & paucitatem & tenuitatem indicat, quod craſſa difficile moueantur. Idem demonſtrant oſcitatio, ſternutatio, ſpumæ per os exitus, tenuioris materiæ initia. Fit enim ſpuma cum frequenti inſpiratione ex expiratione, violentoque motu aqua tenuis agitatur & ſpiritu aut ſubſtantia quadam vaporoſa comprehenditur. Accidit quoque frequentius ingenioſis hominibus, ob tenuem cerebri ſubſtantiam valde ſenſilem, victus rationem vaporoſam, flatus, vinum fumoſum, & ſimilia. Adde omnem epilepſiam per conſenſum à tenui ſubſtantia oriri, vt vaporibus bilis flauæ & porraceæ, eorundem agitatione & acrimonia, fumis, odoratis, aere vel vento per nares concepto. Videtur ergo cauſa eſſe pituita tenuis, ſpumoſa, bilis flaua, atra tenuior, aut eius ichor, vapor acris, odor ob cerebri exactiorem ſenſum. Neque etiam fit obſtructione ſpirituum tranſitum impediente. Oporteret

enim vel motum in vniuerſum prohiberi, vel mi-nui, quantitate ſpirituum, qui tranſeunt, nō ſufficiente ad partes interiores mouendas. Sed vehementior quam ante apparet concuſſio, & motus inæqualitas. Probabilius multo, cerebrum inſeipſum contrahi, vt expellat quod noxium eſt, ſicut in ſternutatione, quæ veluti parua epilepſia eſt, vt recte dixit *Auicenna Fen* 1.*lib.*3.*Tract.*5.*cap.* 8. Sed in hac excutitur, quod eſt in anteriore parte cerebri, iuxta nariū foramina. In illa, quia in poſteriore parte materia ſubſiſtit, difficilior materiæ diſſipatio, vnde pars affecta & generationis locus intelligi poſſunt. *Scholiographi ad c.15.lib.1.Hollerii.de morb.internis.*

Epilepſiam efficiunt res multæ ac variæ vapor & aliquando humor acris ac mordax, exhalatio putrida, ſanies fœtida, halitus graueolens, & virulentus (à vermibus, vtero, vaſis ſeminariis, ſanguine corrupto, bitumine & cornibus caprarum hircorum vſtis ſublatus) aura venenata ſeu inimica neruis & cerebro; fumus, ira, fames, vigiliæ, conſternatio ſubita, frigus & aliæ complures. Has omnes oportet vnum aliquid idemque agere, quo vnam aliquam & eandem gignant diſpoſitionem in cerebri ventribus: quæ epilepticorum ſymtomatum cauſa prima & immediata ſtatuitur. Quid autem commune eſſe omnium poſſit, præter mordicationem ſeu vellicationem cerebri (omnes vel nota qualitate, vel abdita & maligna poteſtate, neruos ac cerebrum oſtendere, irritareque ſolere ac poſſe, citra dubitationem notum eſt) imaginari difficile eſt, imo impoſſibile eſt. Quod enim obſtructionem efficere aliqui fingunt, abſurdum & ab omni ratione alienum eſt figmentum: vt cum ex aliis plurimis, tum ex dicendis patefiet: Primum eſt, quod omnium ætatum Medici epilepſiæ ſpecies quaſdam abſque obſtruente humore accidere conceſſerunt. At vnam eſſe proximam omnium ſpecierum cauſam oportet: tametſi vehementia, efficacitas, duratio, frequentia non eadem ſemper ſit. Deinde quod ex raritatis cauſis pauçæ aut nullæ potius repente obſtruere adeo capaces cerebri ſinus poſſunt. Quoniam humor craſſus, cum copia magis quam qualitate offendit, Apoplexiam parit non epilepſiam. Tertio, quod nullo exemplo doceri poteſt, partem corporis notabili cauitate præditam propter motſum hactenus contrahi, vt ſpiritibus per eam tranſeuntibus iter intercludatur. Quarto, quod animal confeſtim ſenſu & motu priuari oporteret. Quia vi nulla fieri poteſt, quod cerebri ventriculis occluſis eodem fere momento ſenſus ac motus in toto corpore deficiat. Sed in Epilepticis motus, quam in ſanis plerunque validior atque auctior cernitur. Neque Apoplecticorum inſtar omni ſenſu orbantur ægri: cum aliquos ligaturis, vociferationibus, vellicatione aurium, vſtione quoque excitari certum ſit. Denique nulla foret inter Apoplexiam & Epilepſiam alia differentia, quam maioris ac minoris, quod abſolute falſum eſt. Equidem locus affectus vtriuſque, cum abſque controuerſia vnus idemque ſit (diſcrimen de corpore & ventribus cerebri neque verum eſt, neque ad rem pertinet) niſi cauſæ diſcrepent. Veriſimilius & naturæ magis conſentaneum eſt, ſimili quadam ratione epilepticorum paroxyſmos fieri, qua ſternutationes, vertigines, corporis illæ totius concuſſiones, quæ ſub ingreſſum ſomni omnibus ferme aliquando accidunt, concitari videmus. Ego nihil aliud fuerit epilepſia (quo ad pro morbo nomen hoc vſurpatur) quam inſtrumentalis cerebri ventriculorum morbus à ſubſtantia mordaci aliterve inimica cerebro excitatus, in quo propter impetum ac concitatiorem motum cerebri, noxia volentis excutere, mens cum ſenſibus læditur, & totum corpus inæqualiter quatitur. *Eraſtus in Diſputatione de Epilepſia, Heidelb. diſputata. Anno* 73.

Obſervatio.

Pleraſque Epilepſias, à cauſa calida exoriri.

EPilepsias innumeras obſeruauimus maxime in Franconiæ tractu incidentes, quas vel ira vehemētior, vel vinorū fortium vſus vel Venus importuna anteceſſerat. Itaq; facile colligere potuimus eas ex ſanguine ferociēte, & malignitatē quandam cū acrimonia obtinente eſſe profectas, ac dein ſymtomata hos affectus antecedentia etiam demonſtrant. Nam qui ad eos morbos propenſi ſunt, plerunque vrinas rubicundiores obtinent, & ſiti moleſta affliguntur, & perpetuum ſentiunt calidiorum euaporationum, cum conuulſionis ſenſu coniunctarum, ad capitis verticem penetrante, aſcenſum. Itaque his inditiis præſentibus, epilepticas acceſſiones vereri oportet, quas præcauere reuellentibus ſectionibus venarum inferiorum præſertim in fœminis recte poterimus. *Oethaus libro Obſeruat. propriarum.*

Obſervatio.

Epilepticorum cerebrum, ventriculos & ſacram fiſtulam plerunque limpida aqua eſſe imbuta & repleta.

PLvries inuenimus in cerebri ventriculis ſacraque fiſtula aquam limpidam, tenuem & puram, quam flauam vel bili colore ſuo ſimilem vel etiam alium humorem, maiorique itaque ex parte, ſi non ſemper, paralyſin excitat tenuis limpidaque aqua, in cerebri ventriculis atque in ſpina dorſi collecta; quæ ſenſim à ſuperiori parte neruos irrigat, quoad peruenerit ad eorum extremitatem. De epilepſiæ cauſa idem quaſi aſſerendum opinor, nam ſimilem aquam in epilepticis apoplecticiſque multoties vidi. Et paulo poſt. Nihil in cerebri ventriculis pituitæ, nullam in iis obſtructionem, & non plus humoris tenuis, aquoſi & limpidi in medio ventriculo, atque in reliquis deprehēdere quiui: cæterum totam cerebri ſubſtantiam inueni aquoſa humiditate infarctam, ventriculoſque omnes eadem aqua plenos. *Coiter in libell. Obſeru. Anatom. & chirurg.*

Obſervatio.

Ventriculos cerebri aqueo & cruento humore plenos in nonnullis conſpectos eſſe, qui epilepſiæ nunquam obnoxii fuerunt.

COmpluriumEpilepticorū cerebrum diſſectum nihil habuit, ex quo obſtructio colligi poſſet. Diſſecti enim alii ſunt, in quibus ventriculi aqueo humore, aliquādo etiā cruento pleni apparuerunt, quamuis epileptici nihil fuiſſent paſſi. *Eraſtus Part.* 4. *Diſput. contr. Paracelſ.*

Obſervatio.

De Epilepſia à ſanguine.

EPilepsiam fieri, quemadmodū, & Apoplexiā, ex venarū interceptione, & occluſione à nimia ſanguinis copia cauſata, nemo præter Hippocratē,

& Ga-

& Galenum (à quibus tranſcripſit Auicenna) citatis locis quarto de ratione victus in morbis acutis, tradidit, niſiq; hanc ego aliquando in actu medendi vidiſſem, cum omnibus ſignis ab Hippocrate prænarratis, forſan nec huius verbum facerem, cum hic ſit rariſſimus caſus, nec ita facile ſit explicare, quomodo ex venarum interceptione, & occluſione fieri poſſit epilepſia, cũ tamẽ hunc videam & ab Hippocrate, & à Galeno poſitũ, ab Auicennaq; receptum, mihiq; hic caſus in praxi ſe obtulerit curandus, propono Epilepſiam aliquando à ſola ſanguinis copia venas intercipiente, & occludente generari. Sanguis hic cũ copioſus eſt, ab aliqua cauſa extrinſeca, ſicuti vel ex potu vini vinoſi, vel ex valida exercitatione, vt innuere videtur *Galen.3. aph. commen.* 20. concitatus, & quemadmodum in his, qui mihi ſe curandi obtulerunt, ſemper animaduerti, irruens ad partes ſuperiores, cerebri vaſa affatim replens, cum naturæ grauis, & qualitate forſam etiam moleſtus ſit, epilepſiam cauſat inſurgente natura ad eiuſdem propulſionem, & diſcuſſionem, ſicuti in ſingultu à repletione euenit, & eo magis natura adhoc inſurgit, quo magis ex repletione vaſorum ſentit ſe grauari, & premi. Vnde in extinctionis periculum eat natiua caliditas quæ ob multitudinem, & copiam ſuffocationi quippiam ſimile patitur, hacq; ratione in caſu iſto accidunt conuulſiones, ſcilicet conculſo, & concitato primo principio ad noxii humoris expulſionẽ, quod non fit in apoplexia, licet ab eadem cauſa generetur, quoniam in apoplexia eſt fere omnimoda venarum interceptio, cuius ratione ſpiritus nullo pacto permeare poſſunt, vnde ſtatim motus, & ſenſus deperditur, at in hac epilepſia licet ſit aliqua interceptio, & occluſio, non tamen eſt tanta, & talis, quanta, & qualis eſt in apoplexia nec eſt adeo vehemens, vt ſpiritus omnino meare prohibeat, vnde natura poteſt valide inſurgere, quod non poteſt in apoplexia, cum in apoplexia etiam ſpiritus fere extincti ſint, & ſuffocati, at in epilepſia ſit tantum ob materiam copioſam grauantem, & occludentẽ periculum eius extinctionis, & ſuffocationis cuius ratione etiam facilius admodum hæc epilepſia, quam apoplexia curetur, quæ niſi importuna adhibeantur calefacientia remedia ab his, qui epilepſiam ab humore frigido cauſari ſemper exiſtimant, ſola copioſa ſanguinis miſſione tollitur. Huius ea ſunt ſigna quæ ab Hippocrate poſita ſunt, videl. faciei rubor, oculorum conſtantia, manuum porrectio, dentium ſtridores maxillarũ contractio, & cæteri ſimiles cõuulſiui motus, quod ſi his addatur ſanguine patientem abundare, vt ex propriis ſuperius poſitis ſignis coniicere poſſumus, cauſamq; præcedentem eum concitaſſe, certo poterimus indicare Epilepſiã hanc à plurimo ſanguine, eundemq; venas intercipiente, & occludente genitam eſſe, cuius curatio cum ea, quæ apoplexiæ à ſanguine debetur, à ſuperiorib, adminiſtranda remedia aſſumantur. *Salius de curat. morbor. particular. cap.3.*

OBSERVATIO.

Melancholia Epilepſiæ cauſa.

INternæ cauſæ ſunt quæ in capite obſtructiones faciunt, vapor putris, morſus oris ventriculi, pituita, & melancholia. Vnde fit vt ſcripſit *Hippoc. lib. 6. Epidem.* Melancholicos magna ex parte laborare epilepſia: & Epilepticos melancholiæ opportunos eſſe. Cuius ſententiam Gal. ita diſtinguit, in Epilepticis ſi melancholia repit in corpus cerebri, ſi obſtructionem faciat, induet epilepſiam: ſi vero in mentem feratur, calidum & ſiccum intemperiem inuehet & tũ fiet melancholia morbus. Hinc inquit Syluius 16. Auguſti 1549. venit ad me ſenex octogenarius, qui vnico die, duarũ horarũ ſpacio correptus eſt octies acceſſione Epileptica, poſt ſolutã Epilepſiam, febrem paſſus eſt, dehinc melancholicus futurus, iam mania laborat, in eo ſene ſuſpicatus eſt cauſam mali vſtam pituitam: quæ iam in melancholiam propter feruorem degenerauerat. *Duoynet. Apolog. lib.3. c.2*

OBSERVATIO.

Epilepſias à flatibus fumis & vaporibus cauſari, Hippocratis, Ariſtotelis, Auerrhois & aliorum authoritate.

DIco & ſacrum morbum ſic fieri. Cum plurimus ſpiritus per vniuerſum corpus vniuerſo ſanguini fuerit permixtus, multæ oppilationes fiunt multifariam per venas. Quod ſi ergo in craſſiores & ſanguine abundantiores venas copioſius aer irruat, & irruens ibi hæreat, ſanguinis tranſitus inhibetur. Alibi igitur quieſcit, alibi lentius mouetur, alibi celerius. Qua ſane inæqualitate tranſitus ſanguinis per corpus facta, omnigenæ inæqualitates proueniunt. Omne enim corpus vndiquaque cõtrahitur, ac turbantur corporis partes, ipſo ſanguine tumultui ac perturbationi ſubſeruiente. Ob ſanguinis autẽ peruerſionem totius quoq; corporis ſubuerſiones vndiquaq; gignuntur. Eo igitur tempore neque ſentiunt quicquam neque audiunt quæ dicuntur, neque vident quæ fiunt, neque vllos dolores percipiunt. Aer namque conturbatus ſanguinem quoque turbauit & inquinauit. Spuma quinetiam per os illis effluit, non ſine cauſa. Per iugulares enim venas aer tranſiens penetrat, & ſecum id quod tenuiſſimũ eſt in ſanguine, ſimul euehit: quod cum humidum ſit illius, illius permixtione albeſcit. Pertenues enim membranas purus aer pellucet. Eaque propter omnes ſpumæ albæ apparent. Quomodo autẽ liberẽtur ægri à morbo & tẽpeſtate præſenti, ego dicam. Quando vehementi motu agitatũ corpus incaluit, calefit & ſanguis. Is calefactus calefacit viciſſim & flatus. Hi calefacti diſſoluuntur & ipſi, & conſiſtentiam ſanguinis ſimul diſſoluunt: proceduntq; è corpore partim cum ſpiritu, partim cum pituita eiecti. Deferueſcente autẽ ſpuma, & conſiſtente ſanguine, & tranquillitate in corpore oborta ceſſat etiã morbus. *Hippocrates de Flatibus.*

Auerrhoes à flatu mordaci & fumo epilepſiam ſuſcitari probauit his rationibus. Paroxyſmi huius morbi breues ſunt: neceſſarium ergo eſt, vt ſicuti in acutis morbis accidit, humor tenuis ſit. Si obiicias hunc morbum ferme frigidis moleſtum eſſe atque ob id craſſam frigidamque cenſeri debere eius cauſam, reſpondet, humorem craſſum, frigidum ac lentum diſſolui non poſſe ſiue in anguſtis meatibus, ſiue in patentib. eã eſſe cogites, priuſquam à natura euictus ſit. Hoc autem tam cito nullo pacto fieri poſſe. Ratio altera talis eſt. Morbus per conſenſum factus, ab humore vel aura fit tenui & ſpiritali. Ergo cum ab hoc effici poſſit, fruſtra alium quærimus. Argumentum hoc etiam ſupra recitatum fuit. Quippe oportet omnes epilepſiæ cauſas per vnam immediatam & proximam morbum efficere. At cauſa hæc ne que craſſa neque lenta eſt. Quare non craſſi-

tie ac lentore ſed alia qualitate morbum hunc ſuſcitat. Tertia Auerrhois ratio hæc eſt. Galenus curat hunc morbum hiera, quæ bilem vacuat: ergo ab humore tenui naſcitur. Confirmat rationem quod propter famem & iram multi hac paſſione corripiuntur. His iam adde authoritatem *Ariſtotel. in libr. de ſomno & vigilia.* Si Galeni quoque teſtimonium poſtulas, extat id *in lib. 3. de loc. affect. c. 7.* Quo in loco cum epilepſiam per cōſenſum ſic fieri dixiſſet, quomodo ſingultus fit, & nonnunquam huic conſentiens conuulſio: & ob id mirum nobis videri nō debere, ſi neruorum principium ſic quati videamus, quo noxia expellat, hæc ſubdit: Ad hunc modum reliqua quoque accidentia omnia quibus neruoſum genus concutitur fieri putauerim. Si ergo accidentia, quibus neruoſum genus per interualla concutitur, ob id cuncta eueniunt, quia excutere principium conatur moleſtiam exhibentia, & omnis epilepſia tales habet conuulſiones, quod experientia certiſſime demonſtrat, omnem epilepſiam confiteri nos oportet excitari ab humore non obſtruente, ſed qualitate aliqua acri aut venenata moleſtante. *Eraſtus. Par. 4. diſp. cont. Paracelſ.*

Differentia Apoplexiæ & Epilepſiæ noſtra & cum Auicenna & Auerrhoe eſt, quod apoplexia fit ex materia, comitialis ex flatu. Galenus credit quod ex materia, ſed non eſt verum. Primum quia non adeo breues haberet acceſſiones. Secundo quia ab acceſſione non perfecte liberarentur: quo enim detrudi deberet illa materia? Tertio quia plures comitiales morbi tranſirent vel vitio regiminis, vel ob hyemem in ſiderationem: cū tamen videamus multos laborare 20. annis comitiali morbo, nec tamen corripi ſideratione. Quarto quia videmus expreſſe & Gal. ipſemet fatetur, aſcendere flatum in his qui eum morbum ex conſenſu patiuntur: ergo ſi fieret ex materia eſſet multo deterior. Præterea *Hippocrates libro de ſacro morbo* docet, quod hic morbus fit prohibito ſpiritu, ne progrediatur in cerebrum, à pituita in venis contenta, & ita non vult pituitam in cerebro contineri. Et ſi dicas, quod ibi Hipp. & *in lib. de victu in acutis*, vult quod ex comitiali fiat ſemiſideratio ſeu paraplexia: dico, quod hoc facit pro nobis: nam eadē materia ſi ad ventriculos cerebri perueniat facit paraplexiam, ergo antea in comitiali ibi non erat. *Cardanus comment. ad aphor. 45. libr. ſecundo, Hippoc.*

Ariſtot. in libro de ſomno & vigilia dicit epilepſiam fieri ex vaporibus ad caput aſcendentibus poſtea redeuntibus. Propter hoc addit, fieri vt plurimum dormiendo: quia hoc tempore multi vapores aſcendunt, & quia pueris facile euenit, iubetne illis vinum potui detur, nec eorum nutricibus. Tamen mulieres Ferrarienſes nutrices vino implent & fere inebriant, vt lac multiplicare faciant: & reuera ab Ariſtotele nō multum diſſentio, quod hæ epilepſiæ, in quibus perbreue ſpatium homines detinentur, ſint potius à vaporibus quam ab humoribus: ſcito tamen epilepſiam quandoque interficere poſſe, vt nuper vidimus in vno, qui aſſuetus erat epilepſiam incidere, hic nudius tertius cū hunc morbum incidiſſet, totus conuulſus eſt, & veſperam nō videbat, forte dices fuiſſe apoplexiam. Curauimus præterea magnificum Hippolytum Boiardum, qui per nonnullos dies ex potu vini Cretici in febre, decies & duodecies in epilepſiā corruebat: illam puto ex vaporibus factam, nam & cito expergiſcebatur, vel forte erat valde tenuis materia, & nuper puerum lac exugentem curauimus, qui per quadraginta vices ſingulis diebus morbum comitialem incidebat, tamen ſanatus eſt, putamus ex vaporibus hunc morbum potius huic puero contigiſſe, quam ex materia aliqua craſſa & glutinoſa. Alium puerum diebus ſuperioribus curabamus, qui inter dormiendum pluries in hūc morbum coincidebat: ſed hic vna vice nunquam experrectus eſt, putamus tunc materiam fuiſſe & non vapores: materiam, inquam, quæ adeo occluſerit ventriculorū meatus, vt anhelitus huic penitus auferretur. Id autem facile fieri poterat, cum eſſet puer lac exugens, valde imbecillis, & qui etiam mamma exugere vt ſatis eſſet, deſpiciebat. Is forte ex imbecillitate obiit. *Braſauolus. commen. ad aph. 42. lib. 2. Hippoc.*

Observatio.

Ex crapula epilepſia oborta.

Aliquos ex crapula, ab ebrietate concidiſſe eo ſontico morbo video, os ſtomachi ſupprimente materia: Quoſdam ex choleræ vomitu conualuiſſe certum eſt, indico colore, aut porraceo, vel putrido cibo. *Benedictus libr. duodecimo, cap. 11. de medendis morb.*

Observatio.

Ex vrinarum Anadrome funeſta Epilepſia.

Non admodum eſt, quod accerſitus fui ad ægrū: vir erat robuſtiſſimus, militiæ deditus. Hic toto biduo vrinam non reddiderat tremulus decumbebat, mens ægre conſtabat, ac lingua titubabat. A meridie in Epilepſiam incidit nec rediit, ſed validis conuulſionibus, vitam cum morte ſequenti die cōmutauit & Auicenna dicit, hoc cum ait, ab humiditate malæ ſubſtantiæ & fœtidæ Epilepſiam naſci. *Heurnius de morb. capitis. c. 22. pag. 234.*

Observatio.

Epilepſiæ malignitatem, per contactus contagium, in ſanos transferri aliquando annotatum.

Hiſce diebus elapſis, puer integre ſanus & minime valetudinarius, morbum eſſe totius ſubſtantiæ, & venenatum expertus eſt, qui cum poſt ægrum epilepſia laborantem in eodem cyatho bibiſſet, huius morbi contagione ſtatim correptus eſt. *Bertinus Medicinæ lib. 12. c. 3.*

Observatio.

Ex animi affectibus epilepſia correpti quidam.

Noui ego duos, qui tantum ex animi affectibus inciderunt in hunc morbum: vnus enim fuit quidam Laurentius Brachadenus & Marcus Antonius Contarenus: iſti tamen in victu erant parciſſimi, non erant excrementoſi, tantum ex animi affectibus venêre in talem ægritudinem. *Ioan. Baptiſt. Montanus. conſil. 50.*

Observatio.

Pueros terrore Epilepſia facile corripi.

Vidi pueros, quibus per iocum incuſſus eſt terror qui deinde morbo comitiali premebantur, & alium, qui cum attente inſpexiſſet eum, qui in comitia-

mitialem inciderat, ſubito eo malo correptus ceci-dit. *Chriſtoph. à Vega. c. 12. lib. 3. de arte medendi.*

Hac in parte laudandus *Plato*, qui monet *in 2. de Republica*, ne matres figmentis, & fabulis filios terreant; & his diebus ſcriptum ad me, è Germania, de puella quadam, quæ tantum ex terroribus facta eſt epileptica. *Mercurialis de morb. pueror. libr. 2. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Subitaneo tubarum terrore puer epilepſia correptus & mortuus.

Diligens cura rei, quam ſum dicturus, impendatur: ne ſcilicet delicatus puſio pauore aliquo repentino exterreatur, aut inſtrumenta ſenſuum terribile quid ſubitaneo impulſu conquaſſet. Quod ſolent efficere incondita hominis vociferatio, aut obſcœnus animantis mugitus, ſeu grauis cœli tonantis fragor, vel perſtrepens clangentium tubarum ſonitus. *Ioannes Mattheus à Gradi in capite de Phreneitide ſupra nonum Almanſoris*, filium ſuum epilepſia correptum ſcripſit, ex inopinato huiuſmodi tubarum increpitu, poſt occubuiſſe intra decem horas. *Iaſon c. 24. de morb. cerebri.*

OBSERVATIO.

Quædam fratris morte ex improuiſo denunciata, comitiali morbo correpta.

Reuerenda monacha apud Cenobiū S. Sixti Romæ, & nata Friderici à Palma, nōdum 20. ætatis ſuæ annum attingens, cum fratrē ſuum emortuum ſubito acciperet, illico humi cecidit, & tanquā mortua per horā integrā manſit: quæ poſtea vtcunq; reuocata, comitiali morbo grauiter cruciari cœpit. Quo morbo bis, & ter & amplius ſingulis diebus torquetur, nō tamen ad os ſpuma refertur, quia nōdum ſæuus & crudelis morbus ſextum ſuperexceſſerat menſem. *Luſitanus curat. 90. centur. 2.*

OBSERVATIO.

Lentis eſu quidam comitialem morbum incurrebat ſemper.

Nouimus, qui huius (lentis) eſu, atque ex illius tamen, cumque illius iure comitiali acceſſione vehementer corriperetur ſæpe, ſemper autem fere tentaretur. *Alexandrinus libr. 8. cap. ſeptimo, Salubrium.*

OBSERVATIO.

Anguilla affatim deuorata, comitiali morbo correptus quondam.

Retulit præceptor meus Benedictus Fauentinus in ſuo auditorio habuiſſe ſe quendam ſcholaré iuuenem, qui repente Epilepſia concidit. Cū autem ad ſe rediiſſet, & reſtitutus eſſet, querentes alii ab eo, quid mane in prandio eſitaſſet, dixit copioſe ſe anguillas deuoraſſe: & ſtatim quum hæc narraſſet, abunde carnem anguillæ euomuit. *Foreſtus Scholio ad c. 37. lib. 10. obſeruat.*

OBSERVATIO.

Aſſiduo porrorum eſu Epilepſia concitata, eorundem abſtinentia ſublata.

Erat qui pueros duos longo porrorum eſu educauerat, hi percurati ſunt à Syluio fuga porrorū in poſterum & hiera ſola diacolocynthidos & trib. drachmis electarii diacarthami diſſolutis in ſola decoctione hyſſopi & Bethonicæ. *Douinetus Apolog. lib. 3. cap. 2.*

OBSERVATIO.

Puella pugno ad tempora cæſa facta epileptica.

Puella in gynecæo noſtro, pugno fatui ad tempora afflicta, multis inde epilepſiæ paroxyſmis conuulſa, tandem ægra meo conſilio & opera conualuit. *Langius epiſt. 10. tom. 1.*

A VARIIS CORPORIS PARTIBVS per conſenſum.

OBSERVATIO.

Epilepſia ab vniuerſo corpore proficiſcens.

Aſcendunt aliquando ab vniuerſo corpore vapores ad caput qui in Epilepſiam homines cōpellunt, quemadmodū in nōnullis febrib. mali moris præcipuę ab aduſta bile profectis quas illi ſuſtinent quorū caput alioquin debile fuerit, quod olim nos Piſis obſeruauimus in Ludouico Poſchio ciue Piſano, ac Florentiæ in Ioanne Garbio Phyſico Florentino, quorum vterq; cum ſatis acuta febre prauiq; moris per aliquot dies laboraſſet, ac bile aduſta redundaret, in Epilepſiam incidit, quam nunquam antea vllus eorū expertus fuerat, ceterum poſt multa præſidia, quæ fuere adhibita, cōmutatis febribus (quib. aſſidue vterq; vexabatur) in erraticas demum in quartanas interpollatas, breui temporis ſpacio ab Epileptica conuulſione ambo fuere penitus perſanati. *Vidius Iunior lib. 2. c. 18. de curat. membr.*

OBSERVATIO.

Epilepſiæ ſine partium inferiorum concuſſione, caput ſolummodo afficientes, & parum à vertigine diſtantes.

Vix quiſquam fuit doctus, qui non finitimos affectus crederet vertiginem & epilepſiam. Equidem complures auſi ſunt aſſerere vehementiorem vertiginem eſſe paruam epilepſiam: vt Cœl. Aurel. Theod. item Priſc. & reliqui teſtati ſunt. Non in omni epilepſia cadunt ægrotantes, ſed aliquando ſolum caput nonnihil mouetur (quod in duabus nobilibus virginibus, cum iam ferme ſinatæ fuiſſent, obſeruaui) interdum pedes duntaxat vacillant: vt tamen nondum cadant. Vidi nonnunquam vertigines, inquit Montanus, in quib. accidentia adeo erat ſimilia epilepticis ſymptomatib. vt vix dignoſcerentur: & à peritis medicis plurimum dubitaretur, vtrum vertigines potius cenſendæ, an epilepſiæ nominari deberent, propterea quod in finibus vtriuſque morbi conſiſtere viderentur. *Eraſtus part. 4. diſpu-tat. cont. Paracel.*

Vidi ego qui facili & breui delirio cum labiorum vix ſenſibili contractione tētati ſtatim ſibi reſtituerentur. *Idem author eodem loco paulo poſt.*

Epilepſia aliquando fit in cerebro tantum ſine vlla partium ſubiectarum concuſſione, ſed ſolius capitis. Quod rarū eſt, à me tamen annotatū & obſeruatum in ſacerdote quodam annos 30. nato. Illud medicis viſum eſt contingere maligna aliqua materia in dextro ventriculo contenta, præſertim cum in dextram partem caderet. *Scholiographi ad c. 16. libr. 1. Holerii de morb. intern.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Particularis epilepſia ſine omni capitis offenſa animaduerſa.

Obſeruatum hoc etiam eſt à medicis, morbum hunc in aliquib. à particularis cuiuſdam membri (brachiorum, pedum, digitorum, humeri, ſpatularum) conuulſione ſæpe incidere, tametſi nihil ex iis ad cerebrum aſcendere percipiebatur. *Eraſtus part.4.diſputat.contr. Paracelſ.*

OBSERVATIO.

E ſummo vertice excitari ſolita Epilepſia.

Viſa eſt (epilepſia) quæ à ſummo vertice capitis originem haberet, è quo vapor quoquo verſum excurrens, ſi per extremas ſolum partes vagabatur, vertiginem: ſin intro penetrabat in cerebrum, epilepſiam ciebat. *Fernelius lib.5. Pathol.c.3.*

OBSERVATIO.

Epilepſiæ initium à labro ſuperiore & eiuſdem curatio.

Vidi ciuem Tricaſtinum referentem ſe labro ſuperiore oris titillationem quandam paulo ante acceſſionem perſentiſcere: deinde per continuas ſedes auram quandam mentis aciem ferire, quæ manifeſto ſenſu cerebrum ipſum ſubiens, epilepſiam accerſeret, conualuit ille eſcharotico admoto ipſi labro. *Fernel.lib. 2. de abditis rerum cauſis* ſcripſit Epilepſiam perſanatam admoto cauſtico ſummo vertici capitis in quo ſub pericranio vitiatus venenatusque humor coaceruabatur. Quæ cum ita ſint quis non facile credat corruptionem quandam in affecta parte generari, quemadmodum Pelops aſſeuerabat, inquit *Galen. Douinetus Apolog.lib.3.c.*

OBSERVATIO.

Ex digito, manu, brachio & humero excitata primum epilepſiæ.

Carnotenſi adoleſcenti è minimo digito ſiniſtro ad regionem cordis perueniebat: vnde palpitatio. Hinc ad caput, vnde caſus. Aura aſcendente manus conuellebatur. *Scholiographi ad caput 16. Holler. de morb.intern.*

Alteri Scoto annorum 20. incipiebat à tremore dextri brachii ad mammam progrediendo: vnde conuulſio ſine ſenſu, memoria & voce. Reuocabatur cibo & potu, quæ non ſentiens quoque deglutiebat. Multis fit primum tremor & conuulſio brachii, deinde capitis concuſſio. *Scholiographi loco iam citato.*

Anno 1555. Martii 8. die in adoleſcente Picardo annos nato 15. à torpore manus dextræ initio accepto contrahebantur tres primi digiti: index vi extendebatur. Ita cadebat obtorto oblique brachio & corpore inflexo.

In alia, ab articulo humeri mali initium, deinde tremor totius brachii, ex quo adſtrictio dentium & caſus. *Scholiographi ad cap. 16.lib.1. Hollerij de morb.internis.*

Nos vxorem domini Oroboni curauimus, & priſtinæ ſanitati reſtituimus, à cuius auriculari ſiniſtræ manus per brachium materia mouebatur ad caput aſcendens, quæ cum cerebrum attingeret in comitialem morbum incidebat. *Braſauolus comment. ad aphoriſm 45.lib.2.Hippoc.*

Habebam ſenem in cura, à cuius digito aſcendebat vapor ad cerebrum, vnde ille incidebat in epilepſiam. Curaui eum fortiter ligando digitum ſupra iuncturam. Et ſi adhuc aſcendebat materia, fortius vinciendo etiam ante locum, vt dolor ille materiam attraheret, vnde ille ſemper accubando in aliqua ſede dormiuit, vt materia minus ſurſum vergeret, & euaporaret ad cerebrum, & ita euaſit. *Fauentinus cap.11.de medend.morb.*

Vidimus nos ſpeciem epilepſiæ mirabilem: & quod quidam ſcriptor ſentiebat, in brachio ſuo dextro, in menſe ſemel aut bis deambulationem rei frigidæ aſcendentis ſurſum, donec perueniebat ad caput eius, quum ergo perueniebat ad caput eius, accidebat ei paroxyſmus epilepſiæ leuis. *Hali Rhodoham comment.ad lib.3.text.191.Tech.Galeni.*

Quidam Epilepſia per conſenſum laborans, aura venenata è pollice ad caput tendente, curabatur cauterio actuali pollici appoſito laboranti. *Camerarius de obſeruat. Patauio acceptis, & ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Ex ore ventriculi ſuſcitata Epilepſia.

Iuuenis quidam Grammaticus, cum vehementius doceret, aut cogitaret, aut maiorem inediam ſuſtineret, aut iraſceretur, epilepſiæ corripiebatur malo. Huic os ventriculi, quod facili ſenſu præditum erat, laborare deprehendi, ac deinceps per conſenſum cerebrum & vniuerſum corpus conuulſorio motu concuti. Igitur ſolius probæ concoctionis illum curam exacte habere iuſſi, ac tertia vel quarta hora panem diligenter confectum offerri: atq; hunc quidem ſolum ſi non ſitiret, ſi vero ſiti cruciaretur ex vino aqua diluto modice adſtringente & albo. Huiuſmodi enim vinum ventriculum roborat, nec caput, vt ſolet vehemens, tentat. Cum itaq; hæc faciens nihil laboraret, exactam iam notitiam eorum, quæ prius ſola coniectura conſequebar, habebam. Itaq; ſingulis annis bis, nonnunquam etiam ter medicamentum amarum ex aloe ei exhibui. Totum enim ventriculum ab excrementis purgat, & ad proprias actiones robuſtum facit. Vir vero ille annis plus quam 20. quibus poſtea ſuperſtes permanſit, inculpata valetudine vitam exegit. Quod ſi vero aliquando propter ingruentes occupationes à cibo abſtinere coactus eſt, vt minima conuulſione corriperetur accidit. Alios quoque vidi propter os ventriculi conuulſione comitiali correptos, cum vehementi cruditate laboraſſent, aut venere intempeſtiuius vſi fuiſſent. Quoſdam etiam per febres cõſpexi derepente, nullo, quod conuulſionem ſignificaret, præcedente ſigno, eſſe conuulſos, qui bilioſo ſuccedente vomitu protinus liberati fuerunt. Nonnulli autem hoc modo laborantium fuſca euomuerunt. Quidam vero porri ſucco ſimilia. *Galen. cap.5.lib.5.de loc.affect.*

OBSERVATIO.

Ex mamma Epilepſia excitata.

Fuluia Mainolda in D. Heliſabet cœnobio vrbis noſtræ Deo dicata prope mammæ papillam dolorem patitur, quo augeſcente, inde vaporem eleuari, & cerebrum impetere percipit, vnde Epilepſia corripitur. Ea pars vlcere nonnunquam & tumore diriori laborat, dumq; ex vlcere ſanioſus ichor emanat, bene ſe habet, quod ad epilepſiam ſpectat. *Donat.hiſt.mirab.lib.2. c. 4.*

OBSER-

Observatio.

Epilepſia è corde ſuſcitata.

EX cordis conſenſu quoq; epilepſiam accidere poſſe multũ cõtendunt eo quod epileptici pleriq;, antequam ipſis male afficiatur cerebrum, inſignem in cordis regione læſionem percipiant. Quidam ex Canonicis regularibus in æde D. Bartholomæi extra vrbem cõmorans antiquata epilepſia plu-ries vexabatur in anno imminenteq; paroxiſmo cõquerebatur de corde, ſociosq; aduocabat Canonicos, ſi qui forte tunc aderant, qui admoniti ei ſub mamma ſiniſtra valide fricabant manib. quo facto læuius multó afficiebatur, & multo citius ſoluebatur paroxiſmus. Plures conſimiles hiſtorias *in Hollerii praxi c. citato* leguntur ſed non ob id tamen dicendũ (quod ego ſentio) perſimiles epilepſias ex cordis conſenſu prouenire id, eſt principaliter, & primo affecto, & per ſe corde; nam vires laberentur, & fere penitus conciderent, ſi ita cor pateretur, vt poſſet in huiuſmodi conſenſum cerebrum trahere quod ſi illius malum ante acceſſionem epilepſiæ perſentiunt laborantes, id aſcribendum vapori malo, & venenato ab infernis partibus eleuato ſuperiora petente qui in tranſitu cor etiã male afficit, vnde cordis palpitationem oriri obſeruamus, ſed ſtatim ad cerebrũ perueniente vapore ſubſequitur Epilepſia. Verum quia dum cor pateretur mens erat integra, fit, vt de cordis paſſione, conquerantur ægri, & non de capite quia ſubinde ſtatim male affecto cerebro mens obleditur. *Idem eod. loco.*

Observatio.

Ex liene proueniens epilepſia.

MOnacho Dechantecler Pariſienſi, annorũ 30. corpore nigro & piloſo, è male curato liene in febre continua vapor quidam menſtruis interuallis cum tumultu exiliebat. Qui vbi ad ſiniſtram mammam peruenerat, modo pronus, modo ſupinus cõcidebat, ſine ſenſu & motu. Poſtea confricatis aceto temporibus, oculos aperiebat, manu locum dolentem oſtendens, ἄφωνος, non loquens. Liberatus paroxyſmo noctem conſequentem inſomnem ducebat. *Scholiographi ad cap. 16. lib. 1. Hollerii de morb. internis.*

Observatio.

E veſica ſe primum proferens epilepſia exemplo notabili.

EST mihi mulier quædam nota, quæ paroxyſmũ epilepticum præuidet: itaque cum vel ad aquas lauat, diſcedit, vel ſi domi eſt, aut in eo loco manet, in quo eſt: aut in alium abit: mox vrinam reddit vbicunque eſt, deinde oculis apertis quaſi ſtupida hinc inde circumſpicit, & vel ſtat, vel ad colum accedit, vel aliquid huc illuc defert, vel ſedet nihilque loquitur, & quid agat, plane ignorat. Raro autem cadit: vbi ad ſe reuertitur, quærit quid egerit. *Toxites explicat. 3. paragraph. 3. lib. 3. Paragraphorum Theoph. Paracelſi.*

Observatio.

Vteri vitio ſuſcitata epilepſia.

ETſi nouiſſimus inter cæteros morbos eſſe ſoleat qui comitialis nominatur, ignotus tamen apud multos plerunque eſt, vt quem nuper in puella vidimus Aretina: quæ cum huiuſmodi inuaderetur morbo, minime (vt aſſolet) concidebat, minimeque ex eius ore ferebatur ſpuma. Sed ſtans caput tandem hinc inde, ac ſi quid inſpicere vellet tota cum ceruice mouebat, nihil interim loquens, nihil audiens, nihil ſentiens. Cumque iterum ad ſe reuerteretur, interrogata quid egiſſet, penitus ignorabat. Cauſam autem perquirentibus nobis, cur puella, cum comitiali afficeretur morbo, non concideret, viſum eſt ex hoc contingere, quod contractio & tenſio ad cerebrum non ferreretur, cum ſolus vapor ſurſum aſcenderet. Ex quo nullo rigore cerebrum ipſum intentum ab inordinatis motibus reliqua membra præſeruare poterat. Quod autem puella ipſa hoc morbo laboraſſet, & Medici omnes quicunq; eam viderant, affirmabant, & rei euentus facile comprobauit: cum prorumpentib. menſtruis hoc malum euaſerit. Nam vt quandoq; in pueris venus, ita in puellis menſtruorum initium huiuſmodi morbũ tollere ſolet. *Beniuenius c. 97. de abditis.*

Memini & ego virginem 20. annorum me curare ſubinde conuulſam & manus clauſas habentẽ, quæ non concidebat, ſed toto acceſſionis tempore ſedens permanebat. Cum autem occaſio ex vtero eſſet, adhibitis idoneis remediis, breui ſanitatẽ recepit. Huius affectus non diſſimilis videtur ei, quo Aretina puella laborauit. Ex vtero autem laborantib. varia ſuperueniũt ſymtomata, & ſæpenumero haud ſimilia. *Dodonæus in annotat. ad c. prædict.*

Observatio.

A teſtibus & vaſis ſpermaticis prouocata Epilepſia.

A teſtibus, & vaſis ſpermaticis quando in iis ſperma collectum corrumpitur, infrigidaturque, & ſibi induit naturam veneni: cuius vapor aſcendens cerebrum lædit, & Epilepſiam inducit. *Dominicus Leonus art. med. ſect. lib. 2. c. 14.*

Observatio.

Ex pedis parte ſuperiore epilepſia initium ſumens.

CVidam à parte pedis ſuperiore, quæ obuertitur plantæ, aura frigida ad os ventriculi euadebat, vbi ille epilepticus concidebat. Poſtea vehementer curuato in ventres corpore, doctus eſt auræ curſum intercipere atque ita ſeſe caſu liberare. *Scholiographi ad libr. 3. de loc. affect. Galeni, Libelli in 16. forma excuſi.*

Hoc anno vidimus apud Lugdunum, in quodam amico noſtro, viro clariſſimo, principium affectionis à pedibus factum, hinc in ventriculum perueniſſe, ac præcordia & ſpinam ad ceruicem atque in caput vſque conſcendiſſe. Dicebat, is veluti frigidam rem eſſe, id quod aſcendebat, & præcordia tangebat. Quare Medici qui tunc ad curationem eius conuenerant, à principio tremorem cordis eſſe putabant: at vbi talia vidimus, cogitauimus ſubſtantiam quãdam eſſe aut ſpiritalem, aut fluidam, quæ vt mole minima, ita facultate quam maxima eſſet. Itaque non impoſſibile eſſe dixi in corpore ſimilem aliquam eſſentiam generari, non accedente cauſa extranea, quæ vbi neruoſam aliquam partem occupauerit, per continuas partes, vſque ad neruorum principium vim ſuam tranſmittit, ſiue id per alterationem fiat, ſiue ſpiritali eſſentia, veluti aura ad ipſum elata. *Campegius annot. ad hiſt. 26. lib. 1. Galeni.*

Obser-

Observatio.

E cruribus primum & ſura producta Epilepſia.

FIt, ſed raro, alterum epilepſiæ genus, ſiue differentiam vocare malis, quam à parte aliqua, cui id forte fortuna accidit, incipit malum, ac deinde ægrotanti ipſi ſenſibiliter ad caput aſcendit. Atque hoc genus primum vidi in puero, qui decimum tertium ætatis annum agebat, cum adoleſcens etiam dum cum optimis, qui nobiſcum erant medicis, ad ipſius curationem inueniendam conueniſſem. Audiui itaque puero ipſo exponente affectum à tibia initium capere, dein recta per femur & incumbentia ei ilia ac latera ad ceruicem, & vſque ad caput aſcendere. Poſtquam vero primum ipſum attigiſſet ſibi ipſi haud quaquam conſtare. Interrogantibus vero medicis qualis eſſet qualitas, quæ ad caput ferebatur, quod de ea reſponderet puer nihil habuit.

Alius iuuenis haud imprudens, vt qui ſatis, quod fiebat, ſentire potens erat, & alteri enarrare, veluti auram quandam frigidam dicebat eſſe id quod aſcendebat. *Galen. lib. 2. c. 9. de loc. affect.*

Curaui nobilem virginem & puerum. Illi ex interuallis crus dextrum vna cum brachio diſtorquebatur, vt non concideret tamen. Quæ tametſi in paroxyſmo ad interrogata ſatis apte reſpondebat, ſibi tamen relicta ridebat, alienaque loquebatur: & poſt paroxyſmum interrogata nihil prorſus ſciebat aut recordabatur eorum quæ vidiſſet, egiſſet, dixiſſet. Quinimo interdum, erecta ſtans ita, vt dixi, riſu, vultus mutatione, & deliris ſermonibus morbum teſtabatur nec grauius aliquid patiebatur. Et tametſi breui tempore ſic afficeretur, nullius tamen rei ad ſe reuerſa meminerat. Quod eorum non meminiſſet, quæ in grauioribus paroxyſmis, quibus aliquando corripiebatur, perpeſſa fuiſſet, non admodum mirabar.

Puero interdum crus dextrum plane rigidum efficiebatur, vt flecti nulla vi adſtantium poſſet, licet non vehementer deliraret, ſi nihil grauius ei accideret. *Eraſtus in Ana. librorum com. Montani.*

Nos hoc adhuc pueri vidimus in adoleſcēte quodam & in alio qui iam vigeſimum quintum annum exceſſerat, Ianuēſe. Hi ergo referebant præſentire ſe ſaltum quendam & noxam indicibilē circa crura. Conſului, vt & Galenus ſuadet, vt aliis adhibitis antea remediis, cauterio ad eam partem, vbi mali erat minera, vterentur. *Iachinus comment. ad cap. de Epilepſia Raſis.*

Florentis ætatis nobili Scoto, Iacobo de Flamin-pilo rufo, è ſura dextra, veluti gutta crampa (vt vulgo appellant) incipiebat: inde totius corporis concuſſio cum ſpuma. Soluebatur vomitionibusílioſis, eoque affectu corripiebatur declinante luna ad interlunium. *Scholiographi ad c. 16. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

De flatu quidem vidimus expreſſe in Franciſco Corio cum manifeſte aſcenderet per crus tanta multitudine, vt videretur fons quidam, aut canalis magnus ad hunc effectum à natura fabrefactus, conueniunt authores in materia quod ex melancholia aut pituita craſſa ſpiritus ille gignitur, ſed & de ſolo, aut enim ex ventriculo, aut ex aliquo membro alio, aut ex ipſo cerebro defertur ſpiritus tanquam materiæ ſedibus. Quocirca demiror quomodo Galenus admittat comitialem morbum fieri ex materia quæ alibi genita ſit, & ſecundarium eſſe, deinde omnem comitialem eſſe credat ex materia. *Cardanus de cauſ. ſig. ac loc. morb. part. 1.*

Observatio.

Hiſtoria cuiuſdam patris & filij, qui cum ſe ob ſcabiem abſque corporis expurgatione inunxiſſent, vulgari linimento, correpti fuerunt pater palpitatione quadam in dextro brachio, filius autem epilepſia ex pedis conſenſu.

REferam quid viderim & ego aliâs: fui accerſitus ad viſendum puerum, agentem duodecimum annum, qui vexabatur comitiali morbo, & paulo antequam ab acceſſione corriperetur, percipiebat à pede aliquid, quod tamen neſciebat quale nam eſſet exponere, ad genu aſcendere, mox ad coxam, indeque paulatim ſerpens ad caput pertingebat; & ſubinde ſtatim ille cadebat, neque per octauam horæ partem aliquid ſentiebat. Illud autem propterea illi euenerat, quod cum ipſe & pater eius ſcabie laborarent, abſque corporis expurgatione, inuncti erant facili & vulgari linimento, confecto ex reſina laricina, ſale, ouique vitello, & ſucco limonum, & à tertia vnctione puer cœpit percipere aſcenſum illius rei: pater vero palpitationem quandam in dextro brachio, & quaſi ſaltum rei cuiuſdam per muſculorum partes, quamobrem pater ſtatim ab vnctione ſe continuit, ac paulatim deſiit ea palpitatio: vir enim & validior erat, puer vero & tenerior infirmiorque: ſed & ipſe tandem aliquot poſt annos variis remediis, & ſeruata commoda victus ratione ab eo morbo liber euaſit. *Trincauella libr. 2. c. 6. de ratione curandi partic. corp. hum. affect.*

Observatio.

E pedis pollice enata Epilepſia.

VIdit Syluius Epilepticum referentem ſe ex pedis pollice titillationem quandam perſentiſcere & deinde per artus ſpinamq; ſpiritum ſe inſinuantem in cerebrum Epilepſiam inuehere pedum quoque illuuies vt alibi docuit Syluius hanc auram gignit. *Douynetns Apolog. lib. 3. c. 2.*

GRAVIDARVM.

Observatio.

Prægnantes epilepſia affecta.

NOn paucas noui mulieres, quę quoties vterum geſtant, crebro epilepſia corruunt, expeditę vero nunquam. *Fernel. c. 3 lib. 5. Patholog.*

Et ego prægnantes aliquas epilepſia affectas vidi, & ſanatæ ſunt partu, non prius: quamuis à vacuatione melius habuerint. *Iachinus ad cap. de Epilepſia Raſis.*

Interdum ſopor, deliria, conuulſiones, epilepſiæ etiam in prægnantibus ſuſcitantur, quæ facile conquieſcunt diſcuſſo eo vapore, vt per ſternutamenta, aut edito partu, aut vitioſo humore ex vtero excreto. Nonnunquām etiam mala hæc per interualla quædam & circuitu quodam repetunt, aliis crebrius aliis rarius. *Iacotius comment. ad aph. 24. libr. 4. ſect. 2. Coac. Hippoc.*

Paulus ſcribit ſe in muliere prægnante vidiſſe: in qua poſt partum ægritudo ceſſauit. *Dominicus Leonus art. med. ſect. prima. lib. 2. c. 14.*

Noui-

Nouimus etiamnum nobilem mediæ ætatis fœminam, ſuperſtitem adhuc, fœcundiſſimam quidem illam, cæterum difficillimis epilepſiæ paroxyſmis, quoties vterum geſtat obnoxiam, quam nos non ſemel ſic affectam ipſi conſpeximus, medicamentisque idoneis ab acceſſione leuauimus: hæc vtplurimum ex leui occaſione irritata recidiuam incurrit, ex qua frequentes obortus patitur, quibus plerunq; mortuos, aliquando etiam ſemiputridos fœtus magna omnium admiratione excludit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Epilepſiam non ſemper in grauidis aborſum facere.

VELIM hic obſeruari quod epilepſia haud neceſſario facit aborſum, niſi cum fuerit vehemens & crebra neq; facit ratione alia quam vehementia conuulſionis. Vidi ego multas hoc affectu detentas, quæ fœtum vſq; ad perfectionem maturitatemque portarunt. *Horat. Augen. lib. 5. epiſt. 1. c. 6.*

OBSERVATIO.

Epilepſias in grauidis ſectione venarum in cruribus ſæpe curari.

ARtis medicæ eam amplitudinem exiſtere, vt induſtrii Medici ſemper quædam propoſita habeant in quibus acuratius inquirendis verſari cũ fructu poſſint, notius eſt, quã vt demonſtrari rationib. debeat. Animaduertimus etenim ẽt in tanta copia auxiliorũ ab induſtriis medicis tũ veterib. tum recẽtiorib. inuentorũ, relinqui tamen multa, quæ magis expoliri quaſi poſſint. Itaq; ſemper in eam curã incumbendum mihi eſſe exiſtimaui, vt obſeruationes ſingulares in praxeos ſtudio inquirerẽ, ac eas inquiſitas, aliis ẽt communicarem. Inter illas vero obſeruationes, quas ſtudio & cura mea cõſequi potui vel præcipuã hanc eſſe cenſeo, de qua iã nunc verba facturus ſum. Grauidis ſæpe per moleſta, tũ ẽt periculoſa ſymptomata accidere notum eſt. Inprimis vero obnoxiæ exiſtunt epilepſiis grauiſſimis, & metu plenis, non ſolum ꝙ hoc genus affectus per ſe pertimeſcendũ ſit, ſed ꝙ cura ẽt difficilior & perplexior exiſtat. Cum n. eiuſmodi epilepſiæ fere eam cauſam habeant, ꝙ grauidæ impurum ſanguinẽ colligant, qui in cerebri ſedes exſpirans conuulſionẽ excitet retractione quidem ſanguinis ad inferiora opus habent, q̃ tamen in inferiorib partib. moliri medici verẽtur, tum grauiſſimi viri Hippocratis (qui in aphoriſmis grauidis ſectã venam aborſum excitare, ſenſiſſe videtur) authoritate permoti, tum ẽt vulgi calumniis abſterriti. Itaq; fit, vt permultæ fœminæ grauidæ epilepticæ neceſſariis auxiliis deſtitutæ, miſere pereant, Quod cũ ego conſiderarẽ, ac alias grauidas plerasq; facta in ſuperiorib. partib. venæ ſectione plurimum inuiſiſſem, vt Celſi vetuſti Medici ſententia, qua recte ẽt in grauidis ſanguinẽ mitti poſſe aſſerit, mihi occurriſſet, cępi in hac re eſſe cõfidentior. Quod vero reuulſionẽ ad inferiora in hoc genere mali curãdo in fœminis nõ grauidis multoties efficaciſſimam cognouiſſem, ſubdubitabã, num ea ẽt in grauidis vti liceret. In ea dubitatione verſanti occurrit grauida cuiuſdã Lanii Eichſtadiani vxor, eaq; vicina partui, robuſta illa quidẽ, & ſanguine referta, grauiſſima epilepſia oppreſſa. De qua curanda, cũ dubitarẽ, dixi aſſiſtentib. mulierculis niſi mature iuuarent, & matrẽ & fœtum perituros. Itaq; videri mihi tentandum auxilium reuulſorium in crure per venæ ſectionem. Neq; in maturam fætus excuſſionem timendam eſſe, quod alioquin vicina eſſet partui. Aſſentiunt. Secta itaq; vena ad malleolos, adhuc fluente ſanguine & oculos ſuſtulit & loqui cępit. Neq; deinceps hoc malũ rediit. Illa vero ſequẽti die domo egrediens, & ſolita negotia exequens, retinuit fœtũ adhuc per octiduũ, eumq; poſt ſanũ fœliciter eſt enixa. Hoc experimento cõfirmatus, plurib. aliis fœminis grauidis in ſimili periculo verſantib. eodẽ genere auxilii ſuccurri. Ac cũ filia mea, q̃ Doctori Friderico Martini Iuris Profeſſori ordinario ſcholæ Ingolſtadianę nupta eſt, primo eſſet paritura, ꝓ ſollicitudine paterna iuſſi, vt ſi ꝙ periculũ incideret aperiretur ante partũ vena in crure, non tamen multo educto ſanguine. Quod domeſtici, nõ exacte aſſequentes, ẽt periculo nõ præſente ſunt exequuti, nullo tamen incõmodo, ſed aliquo ẽt fructu facilioris partus. Quinetiam cũ hoc ipſo anno, quo hæc annoto, vxor mea grauida, in eã cordis & pectoris anguſtiã, ac pectoris cõpreſſionẽ incidiſſet, vt iam iã ſuffocatione peritura videretur, ſubito venã circa malleolos in ſiniſtro pede aperio, euidente ac ſubita mali iſtius leuatione, nec quicquam incommodi ipſi accidit, ſed per integrũ menſem fœtũ ſalubriter geſtans, fœliciter eundẽ poſtea peperit. Quocirca minime dubito in tantis periculis non ſolũ neceſſario, ſed & tuto reuulſionem hãc adhiberi poſſe, præſertim, cũ vt ipſe animaduerti, quædã fœminæ præſente impregnatione ita ſanguine turgeant, vt vel menſtrualem fluxum, vel hæmorrhoidum apertionẽ vna & ſimul experiantur, nullo periculo aborſus. Quod ſane mirum videri nõ debet in larga illa victus ratione, qua multæ vtuntur & in naturis humidioribus & robuſta vi ſanguifica præditis, quæ magnam copiam ſanguinis colligunt. Quinimo occurrerunt quæ tẽpore impregnationes negligentes ſanguinis eductionẽ, vel in aborſum inciderint, vel appetente partu copia ſanguinis à pariendo prohibita, vel ſuffocatæ miſere vel epilepticis paroxiſmis crudeliter ſunt enecatæ. Hæc vero dũ propono, volo illos qui mea experimenta ſequi velint, cautas eſſe, vt non niſi neceſſitate iubente id faciant, & cum cautione quantitatis moderatioris emittendi ſanguinis, aliarumq; obſeruationum quæ prudenti medico conſiderandæ ſunt. *Oethaus. de obſ. prop.*

OBSERVATIO.

Epileptica acceſſio ex partu difficili nata & crebro recurrens, curata.

LEoduna, morata & nobilis mulier grauida effecta, integreque tumore hypochondrii dextri paulo ante liberata, ex puerperio difficili in epilepticas acceſſiones derepente incidit: graues quidem illas & crebro recurrentes, purgationibus à partu plus æquo nimium fluentibus: ſanatur tamen nutu Dei, magna & ſolerti adhibita cura. *Valleriola lib. 4. obſeruat. 6.*

PVERORVM.

OBSERVATIO.

De matre puerorum epilepſiæ affini malo.

MAter puerorum nonnihil cum epilepſia commune habet cuius ſigna ſunt frequens ploratus, terror inter dormiendum, vigiliæ, calores immodici, & fœtens anima: prouenitq; ex imperfecta

lactis aſſumpti coctione. Curabitur, ſi lac nutricis emendetur, quo facilius concoqui poſſit. Etſi quotidie infanti ſcrupulus ſemis diamoſchi dulcis exhibeatur, aut diapliris, cum lacte confert, *vt ait Raſes*: & præcipua medicina in hoc eſt theriaca magna, quod non probo: nam pueris theriacen non facile concedunt Zoar, & Damaſcenus. *Montuus in Pragmateia infanti:m.*

OBSERVATIO.

In matre puerorum cum febre Rutam & Caſtoreum minime conuenire, quæq; huius mali, vera ſit curandi ratio.

ERror eſt, cum in epilepſia ſiue conuulſione infantium vtuntur caſtoreo, rutha, mitridato, etiam circa caput aſa fætida, & reliquis calidis medicinis: cuius ſententiæ authores celebres habentur: interq; hos *Raſis*, quos male recentiores interpretati, hora caſus ēt epilepſiæ adminiſtrant, quo nihil eſſet exitiale magis, nam longe plus eſt, quod trahitur de materia, quam quod euacuetur, nec eorũ cerebrum tantam vim ſuſtinere poteſt, quoniã humidiſſimum eſt, antiquorum vero conſilium fuit, vt cerebro & corpore purgato hęc adminiſtrarentur, ſic n. poſſibile eſt cerebri malitiam, per hæc emendari, quod igitur in hoc præſtat, ſi non vniuerſa diuertentia iuuerint, cucurbitulæ, ſuppoſitoria cathæretica quæ veſicatoria, frictiones, ligaturæq; adhibeantur, conſiderabis etiam ſi ea quæ anteriorib. cerebri neruis moueri ſolent, qualia os, lingua, oculi illæſa ſint, tunc vertebræ candens ferrum imponens, vnde neruus conuulſi membri deriuatur, quod ſi à collo, infra totum corpus conuellitur à tertia ad quintam vertebram cauterium impones, hoc n. ſolo auxiliari ſuffragio poteris, pluresq; ſpe deſtitutos, ſanitati reſtitues, ſed illud eſt longe deterius, cum pueris iam febrientib. huiuſmodi medicamenta exhibent contraria curationi, nam cum epilepſia vel ſpaſmus febri ſuccedit, humidis curãda eſt, vt colligitur *ſecunda aph.26.& 5.aph.commen.*1. ob hoc mirum eſt, quomodo circa illam curam totum contrarium faciant, non eſt tamen mirum, cur nullus infans ex hoc ſanetur, cum mori cogantur, nec mirum eſt cum de nomine non conſtet apud Auicennam & Raſim curam eſſe ancipitem. *Cardanus libel: de malo medendi vſu, c. 46.*

OBSERVATIO.

Epilepſiæ in pueris ſpecies Atra & vulgo Bruta dicta.

DIcitur infantilis, quia infantes plerunq; impetit eſt vero hic morbus (præſertim cum mixta ſit aliqua atræ bilis portio) is qui à Ferrarienſib. mulieribus bruta nuncupatur, ac ſi dixerint atra, quoniam atri fiunt infantes eo correpti, & hoc potiſſimum circa os cernitur. *Braſauola com. ad aph.45. lib.7. Hip.*

METASTASIS.

OBSERVATIO.

Epilepſiæ in paralyſin metaſtaſis.

VIdi ex Epilepſia factos Paralyticos. *Eraſtus parte 4. diſput. contra Paracelſ.*

Id nos quoque ante annos aliquot in nobili fœmina, liberiore victus ratione vtente & vini appetentiſſima comperimus: quæ poſt plures epilepticas conuulſiones per incerta interualla ægram fatigantes, tandem Martio menſe tam valido ſpaſmo correpta eſt, vt de vita omnes deſperaremus. Siquidem triduum integrum ſine omni ſenſuum mentisque vſu, ſola reſpiratione eademque mire varie affecta agitateque, ſe viuere oſtendent, exegit: quarto demum die, recollectis poſt variorum medicamentorum tonoticorum vſu viribus, ſenſibus, & rationi paulatim reſtitui cœpit: niſi quod in ſiniſtri brachii paralyſin, eiuſdemque lateris imbecillitatem & atoniam poſtrema illa atque adeo ſæua epileptica acceſſio deſierit, qua reliquum vitæ ſuæ miſere, cum medicorum præceptis nunquam ſatis acquieſceret, ad annos forte quinque vſque durans, cum brachii, quod alimentum non ſentiret, tabe tranſegit. Poſtremum intempeſtiuo cælo filiæ nuptias ſecuta, paulo poſt expirauit. *Schenckius.*

Aduertendum eſt, quod dicere ſimpliciter epilepſiam non finiri in paralyſim, falſum eſt; quoniam, vt nos centies vidimus, & alii etiam quotidie in praxi vident, ſolutæ epilepſiæ, & non ſolutæ aliquando non ſuccedit modo vnius, modo alterius, modo plurium membrorum paralyſis; ſed intelligendum eſt dictũ Galeni in cõparatione apoplexię, ſc. quod ſicut apoplexia creberrime, vt dicit ipſe, terminatur in paralyſim, ita & epilepſia creberrime in eadẽ nõ finitur. Hoc experientia teſtatur, nam vt plurimũ terminantur epilepſiæ acceſſiones particulares, & morbus vniuerſalis ſine paralyſi. Veruntamen aliquãdo licet raro, tũ vniuerſalis morbus, tum ēt aliquæ acceſſiones particulares, nondum terminato morbo, in paralyſim ipſam deſinunt, ac ſoluuntur. Quod ēt *Gal.* non neget epilepſiam terminari in paralyſim, ab eo habere poteſt. *li. 4. reg. acut. com. 27.* vbi clare habet quo modo epilepſiæ nonnunquã paralyſis ipſa ſuccedat. Hoc idẽ teſtatur *Author libri de morbo ſacro, qui Hippocrati adſcriptus eſt*, docens pulcherrime, quãdo, & qua de cauſa paralyſis, & membrorum particularium læſiones epilepſiæ ſuccedant, & quid ex hoc ſperandum ſit p̄ hæc verba: ſi vero modica exiſtens pituita in vtraq; venas defluxum fecerit, aut in alterius partis, ſuperueniunt, nota ex morbo impreſſa relicta; aut n. os vel oculus diſtorquetur, aut manus, aut ceruix, vbicunq; ſane vena pituita repleta ſuperata fuerit, & gracilis reddita hanc itaq; venam neceſſe eſt debiliorem eſſe, & hanc corporis partem lęſam defectuoſiorem: verum ad longius tempus plerunq; prodeſt, non enim amplius morbo apprehenditur, ſi ſemel notam impreſſam ſuſceperit hæc Author ille, ex quibus patet, quod, & quando epilepſiæ membrorum reſolutiones ſuccedant. *Salius annotat. ad cap.19. pract. Altomar.*

OBSERVATIO.

Epilepſia ex terrore contracta, poſt biennium in paralyſim alterius lateris tranſiens, nihilominus ſingulis menſibus, circa nouilunium affligit.

BArbara Friderici Wenckhij lanij noſtratis vxor, ante annos plus minus quatuor, noctu ex terrore apparitorum, ædes irrumpentium, & maritum, iuſſu magiſtratus, ad carcerem poſtulantium, Epilepſiam incurrit, qua biennium integrum grauiter afflicta, tandem ex ea in paralyſim ſiniſtri lateris incidit, infeſtante nihilominus Epilepſia, quæ etiamnum in quintum annum perſtat, & poſt reſolutionem, vt plurimum neomeniam menſtrua facta, recurrit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Cum epilepſia ſyncopen aliquando coniungi.

NON infrequens eſt prorſus vt cum epilepſia cõiungatur ſyncope (quam aliquando præcedere comitialem, ſæpius ſequi nouimus) tametſi nullus ob id putet, proprium hoc epilepſiæ accidens eſſe. *Eraſtus part.4.diſp.cont. Paracelſ.*

DIÆTA.

OBSERVATIO.

Comitialium prodigioſa prophylactica diæta.

HEliogabalus eſitare ſolebat calcanea Camelorum, & criſtas viuis gallinaceis demptas, linguas pauonum & luſciniarum, quod qui ederet, epilepſia tutus crederetur. *Iaſon c.25.de morb.cereb.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Epileptica à dæmonibus vexata reſtituta.

QVædam mulier epileptica ſingulis fere noctibus à dæmonibus tentari aſſerebat, qui vt ex iis miſeriis euaderet, ſuadebant, quoniam de animæ ſalute nulla ſpes relicta eſſet, vt in puteum ſe deiiceret, ea domeſticis viſa nunciauit, noctu de cætero cubiculo claudebatur, alioqui dæmonum iuſſa peregiſſet: paucis poſt diebus aſſumptis remediis conualuit, nec amplius dæmonum ſpectra apparuere. *Benedictus lib. 1. cap. vigeſimooctauo, de curand. morb.*

OBSERVATIO.

Epilepſia venæ ſectione & ſcarificatione curata.

EGo tres fœminas à morbo comitiali liberaui, quarum duabus venas malleolorum ſecare præcepi: quoniam menſes ſuppreſſi erant, ſed ſectis venis deſcenderunt: tertiæ vero crura ſcarificauimus, & menſes prouocati ſunt, quos nunquam fuerat experta, erat enim 14. forte annorum. *Chriſtop. à Vega c. 12.lib.3.de arte medend.*

OBSERVATIO.

Subitanea & difficilis Epilepſia, cum rationis priuatione, poſt ſemeſtre per purgationes tempeſtiuas curata.

VIrgo Polona nobilis & nubilis ſubito in Epilepſiam incidit, cuius inſultum ſingulis pene horis patiebatur ſatis grauiter, ad minimumque quemque ſtrepitum ſiue pulſum perterrefacta. Rationis vſu ab initio ſtatim morbi ſpoliata, ita vt etiam finito paroxyſmo nihilominus tamen mente non conſtaret, ſed aliena ſemper & abſurda loqueretur & cogitaret, neque ſuas aut alias adſtantes noſſet: Sic ſatis tamen admittebat cibum & potum, fluxum quoque menſtruum debito patiebatur tempore. Tentata fuat circa eam à parentibus & propinquis talia, quæ à proprietate & ſpecifica qualitate morbo huic reſiſtere creduntur, tum quæ cerebrum & cor roborarent ſimiliter adhibita, ſed ſine fructu: Durauit hoc malum ad menſes fere ſex: Ducta tandem ad me eſt Thoruniam virgo, vtque ſerio eius curam ſuſciperem rogabar, pollicebantur in omnibus quæ ſuaſurus eſſem, mihi velle moram gerere. Cœpi rem aggredi & pro vitioſorum humorum (quibus abundare illam palam erat) præparatione propinatis quibuſdam potionibus, ad exquiſitam corporis purgationem me contuli, à leuioribus facto initio: à quibus ad validiora aſcendi magis magisque per breuia etiam interualla, cum facile purgationes validiuſculas etiam ferre illam animaduerterem. Ad hoc faciendum animauit me Medicus eximius *Leonhardus Iacchinus comment. in 9. Raſis, cap. quinto.* Vbi de antiquo capitis dolore agitur, vbi autor (lubet enim verba aſcribere) ſic habet: Animaduertere oportet, quod ignaui noſtri temporis medici, dum relictis ducibus, fucos ſectantur, magnarum ægritudinum curam ſuſtulere. Quis hodie comitiales, quis melancholicos, quis elephãtẽ morbũ curari vidit? raro paralyſin, raro antiquos dolores, raro podagricos. Quod ſane non alia ratione euenit, quã quod fortia medicamenta omiſerunt tam purgantia, tum ẽt aliorũ generum ſiccantia & vacuantia, qualia ſunt theriaci ſales, qualis viperarũ eſus. Dum n. contenti ſunt, ſolo curationis nomine, lucrum ſane cupiunt ſolum, ſed honorem omnem arti detrahunt, quaſi ij ſolum morbi à Medico ſanentur, qui ſponte ſua ſanarentur. Quod vero magis indignandum eſt, hoc eſt, quod ſæpe, qui morbi ipſis incurabiles perſtitere, à ruſticis & mulieribus curari videas, non ſine multo artis dedecore. Nihil igitur timendum eſt, ſed audacter propinanda, dum probe memineris eorum, quæ in purgatione faciunda obſeruari debent. Nec enim temere propinanda, ſed exploranda ægri natura omnis, tam tẽperamentum, tum habitus corporis, tum purgandi facilitas. Hæc ille. Hac ratione cum procederem cũ virgine illa Epileptica factũ eſt, vt poſtquã quartum, ni fallor, purgans à me accepit, & iam ſemel atq; iterum aluũ deieciſſet ſatis largiter, tandẽ inter deſidẽdum cœpit nonnihil ad ſe redire, circumſpicere, quærere vbi eſſet, vel hactenus fuiſſet, agnoſcere præſentes, ita vt intra duas aut circiter horas in vniuerſum pene ſibi reſtituta ſit, atque tum à magno ſe onere, maxime quoad caput, liberatam fatebatur ac num prior adhuc mundus, omniaque adhuc in ſuo loco eſſent ſciſcitabatur. Sic indies & in ſingulas horas in melius proficiebat, ad valetudinem & rationis vſum quod attinet, & iam belle valet, neque ab eo tempore (agitur enim nunc annus quartus) quicquam Epileptici, aut conſilium ſymtomatum paſſa eſt. *Tidicæus ſuis mihi communicatis obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Acceſſio comitialis grauiſſima, vitio ventriculi derepente ſuborta, curatur.

NObilis Catharina Martina, acceſſione comitiali vitio ventriculi derepente ſuborta, eaq; grauiſſima, vt caſus in attonitum morbum timeretur, ob miram totius corporis plenitatem, præſertim cerebri, magna adhibita cura intra biduũ curata fuit. *Valleriola lib.3.obſeruat.7.*

OBSERVATIO.

Epileptici poſt 25. annum curati.

AVxiliante Deo tum mares tum fœminas, maritatos ac cœlibes percuraui, qui poſt viceſimum quintum annum correpti fuerunt. Nobilis quidam iuuenis Vveſtphalus, qui à prima infantia grauiter & crebro paroxyſmis infeſtari ſolebat, & multarũ regionum medicos conſuluerat, non magno cum fru-

ctu vt aiebat, conſilium noſtrum ſecutus, intra primum annum vix ſemel & valde leuiter, vt mater eius literis ad me ſcriptis teſtata eſt, comprehenſus fuit. Conualuiſſe eum tandem integre ex eo conijcio, quod nullas ab eo poſt obitum matris literas porro accepi: & quod vxorem duxiſſe intellexi. Quæ non ob aliud refero, quam vt intelligatur, ne illos quidem pro deſperatis omnes habendos, quibus connutritus eſt morbus. Si enim extingui morbus nequeat, ſaltem mitigari ac debilitari poterit. *Eraſtus part.4. diſput. cont. Paracelſ.*

Obſervatio.

Epileptica triginta annorum conualuit.

Curaui mulierem natam triginta annos ſequenti methodo, victus ratio inſtituta eſt ex placitis Arnoldi. Materia parata eſt limatura ligni ſancti lib. ß. maceratæ tres dies in aquæ calfactæ lib.8. & coctæ cum vuis corinthiacis, addito ſub finem pugillo vno hyſſopi eo decocto vtebatur mane & in paſtu corpus vacuatum eſt apozemate parato ex radice peoniæ polypodii, rad. ireos florent. ſal.hyſſop.bethon. lupuli, agrimonii, ariſt. rotund. fol.ſennæ, ſpicanardi, caſ. epithym. turbith. in quo diſſolue confect. hieræ diacolocynth. cum ſyrup. ſaporis. Tertio quoque die corpus ita vacuabatur, deinde bis in ſeptimana, donec morbus conſenuerit. Singulis diebus mane quibus abſtinebat apozemate, vtebatur opiata ſequenti: Ex veteri theriaca viſc. quercino ſem. peoniæ maris, rutæ. pul. cranii humani, cornu cerui, elect. lætitiæ Gal. conſ. anthos & ſyrup. de hyſſopo & oximelite ſcyllitico, raſo pregmate perfuſum eſt caput ad coitum futurarum lixiuio cineris iuniperi in quo hyſſop. ruta ſamps. roris bethon. rad. ireos florent. fol. 10. ſennæ fuerant: poſt fotum illitum eſt bregma ad illum coitum, de dicta opiata, cui iſtum eſt oleum therebinthinæ & aquæ vitæ, pul. conueniens, qui bombace carpta exceptus in cucullum interſuto coaptaretur. Cerebrum roborabatur & ſiccabatur odoratis, & præſertim ambare, reliquiæ materiæ per errhiam ducebantur, ſola digitis trita & in nares indita: appendi collo radicem peoniæ & hydragyrum incluſum teſta auellanę, pulpa ſua vacua & pice obturata, gerebat annulum ex vngula alces: hieme hora ſomni deuorabat tres pil. ex aloe ex deſcript. *Arnoldi tractatu de conſeruanda iuuentute, & retardanda ſenectute*: mane aliis vtebatur, vt hiera diacolocynthide. *Douinetus Apolog. libr. tertio. cap. ſecundo.*

Obſervatio.

Quadragenarius ab infantia ad eam vſque ætatem epilepſia vexatus & liberatus.

Nicolaus Florentinus quendam quadragenarium ab infantia ad hanc vſque ætatem epilepticum ſanaſſe affirmat hoc electario, quod recipit herbæ paralyſis (quæ coſtus, piperella, herba Sancti Petri, vel Pauli quoque vulgo dicitur) quantitatem idoneam minutim conciſam & caryophyl. pœonię, pirethri, ana portiones æquales cum melle ſufficienti fac electuarium, ſumendum indies ad cochlearium vnum, vel theriaca, aut mithridatios ſemel in ſeptimana ſumantur. *Syluius in curat. Epilepſiæ practica.*

Obſervatio.

Epilepſia inueterata in ſene curata.

Gordonius curari poſſe ait recentem Epilepſiam in pueris modo ſit ipſa perconſenſio ventriculi, non poſſe autem in adultis & cerebro propriam. Aliter tamen docet experientia. Curauit Syluius Epilepticum natum quadraginta annos Luterię, quem continuit tota quadrageſima, in vini abſtinentia, veneris, piſcium, carnium vſu imperato, purgationibus ex hiera diacolocynthidos & hydromelite, cui ſub finem addebatur p. j. hyſſopi. Opiata ex Theriaca vetere viſci quercini, conſeruæ anthos, ſemine peoniæ, ruthæ, pul. lætitiæ Gal. confectione Alchermis, & ſyrup. de hyſſopo, aut oxymelite ſcyllitico: qui omnino ſuffitu bituminis exploratus, ſyncerus ab eo morbo & integer inuentus eſt. Cum ad ſuos reuerſus, vino & veneri indulſiſſet, rurſus in morbum incidit. *Douinetus Apolog. libr. 3. cap. 2.*

Obſervatio.

Ad ſæuos dentium & capitis dolores, duciſſa quædam periculoſa Epilepſia correpta, quæ poſtmodum in ſiniſtri brachii reſolutionem ceſſauit, tum quibus hæc remediis fuerit reſtituta.

Foemina quædā Princeps, ſummi loco nata, poſt ſæuos dentium & capitis dolores, in grauem Epilepſiam incidit, quaſi idoneis adhibitis auxiliis, in totius ſiniſtri brachii paralyſin terminata reliquis membris omnib. intactis. Reſtituta ſanitati fuit, corpore toto rite euacuato, factisq; reuulſionib. neceſſariis, nec non Topicis conuenientibus admotis. In quib. balſamos, qui ex India occidentali adfertur, & vnguentum de dbellio primas obtinuerunt. *De Thomæ Mermanni Bauarici Archiatri exemplis ad me miſſis.*

Obſervatio.

Vulneribus capiti inflictis quidam ab antiquata Epilepſia vindicatus.

Nouimus dum Patauii medicinæ ſtudiis incumberemus nobilem Gallum, qui dum Epilepſia laboraret nec à Gallicis Medicis curari poſſet, Italos conſulere decreuit; dumque iter faceret in Pedemontana ditione prope alpes, ab Hiſpanis quibuſdam, qui tunc ibidem bellantes ſtipendia merebant, aggreſſus, ſpoliatus, perempto ſeruo pluribus vulneribus confoſſus, tanquam mortuus derelictus, à ſocio, qui aufugerat, reuertente, in proximum vicum tranſportatus ac chirurgo curandus traditus qui eum curauit, verum quia magnum admodum in fronte vulnus ſuſceperat, cum inſigni oſſis deperditione, non niſi multo poſt tempore integre ſanata fuit ea pars ita vt cum Patauium perueniſſet, adhuc ceratum ſupergeſtaret, conſueuerat ſingulo menſe corripi Epilepſia, & iam tertius menſis à vulnerum ſuſceptione agebatur, nec vnquam malum perſenſerat, quare conſulentibus primariis Medicis Patauinis ab omnis generis præſidiis tunc abſtinuit, ob aeris hiemalis inclementiam, in proximum ver curationem diſtrahens: quo iam aduentante nullo amplius malo tentante in patriam ſanus reuerſus eſt, ab iis ſanitatem nactus à quibus mortem ſuſcepturum ſe crediderat. *Donat. hiſt. mirab. lib. 2. cap. 4.*

Obſer-

OBSERVATIO.

Tumore in coxa ſuborto, & oſſe vitiato, quidam per conſenſum epilepſia corripi ſolitus: qui tumore & oſſe vitiato percurato, ab epilepſia conualuit.

SI per conſenſum cum parte aliqua ſubiecta, elato ad cerebrum ex ea vapore prauo & venenoſo acceſſionem committente, epilepſia fit, ſtricta fiat deligatura: ſi in artubus eſt, quæ viam vapori præcludat, poſt acceſſionem vero ex parte ipſa luem ipſam vacua, etiam ſi opus eſt, partem ipſam vlcerando, vt Gattinaria quendam epilepticum ſanauit, aperto per cauterium tumore in coxa, & oſſe quod ſimul computruerat, ablato, & parte illa putri ſanie diligenter purgata. *Syluius, de morbis internis, c. de epilep.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria pueri epilepſia ex crure laborantis, deligatione, &c. curati.

PVerum, cuius morbus comitialis à tibia oriri cõſueuerat, medici qui tunc ad eius curationem cõuenerant, ſanare ſperabant, ſi imprimis vacuato vniuerſo corpore medicamen ex tapſia aut ſinapi parti adhiberent; ligato in medio membro ſupra eam videlicet partem, quæ primaria diſpoſitione erat affecta, atque hoc pacto acceſſionem reuerti prohibuerunt, quamuis antea quotidie puerum infeſtare conſueuiſſet. *Gal. lib. 3. c. 7. de loc. affect.*

OBSERVATIO.

Vnico epileptico paroxyſmo eodemq; viginti quatuor horis continue & amplius affligente, liberata virgo quædam.

VIdi paroxyſmum vnũ totas vigintiquatuor horas, & eo amplius, ita virginem affligere, vt, quãuis nonnihil interdum remitteret, nunquam tamen intermitteret: quod, eo mirabilius cenſeri debet, quod non ſolum abſque periculo ægrotantis ſolutus eſt, ſed & poſtremus fuit. Poſt illud enim tempus, optime habuit, adhibitis remediis. *Eraſtus part. 4. Diſput. contr. Paracelſ.*

OBSERVATIO.

Centum & quinquaginta paroxyſmis Epilepticis intra 24. horas exagitatus puer medicamentorum abſtinentia conualuit: quorum vſu prius irritatus fuerat.

PVER quidam ſingulis quindecim diebus Epilepticus concidebat. Per affectum capitis hos fieri Medicorum præſtantiſſimi Friſimelica Montanus, Odus, & Francanzanus exiſtimarunt. Sed quo plura pharmaca exhibuerũt, eo affectus magis creuit. Ita vt in vigintiquatuor horis paroxyſmos haberet plures centum & quinquaginta, leues tamen, quia parua cõmotio capitis cum bulla circa frena labiorum aderat. Vnde tandem cognouerunt morbum eſſe non per affectum capitis, ſed per conſenſum à ventriculo. Quare cum illum pharmacis exagitare deſiſterent, & roborarent, puer egregie conualuit. *Trincauella lib. 1. conſil. 25. edit. Baſil.*

OBSERVATIO.

Liberari aliquos epilepſia incognita morbi cauſa.

EQuidem ſanaui aliquos ope diuina, quos in capite non colligere cauſam morbi ex multis coniecturis colligebam, tametſi vbi, quando, à quali cauſa pateretur, aut per quam regionem ſiue partem aſcenderet, neſcirem. *Idem author opere citato.*

OBSERVATIO.

Paracenteſi liberatus ſetone videlicet collo & ceruice perpunctis.

HOc remedii genere Hollerii Medici vndequaque doctiſſimi, decreto, adoleſcentem quendam viginti annos natum morbo caduco, cuius inſultibus ante crebro prehẽdebatur, liberaui: deriuatis vt credere par eſt, illa arte ichoribus mali fomitibus. *Pareus lib 9. cap. 24.* Adminiſtrationis rationem non tam ex veterum quam recentiorum inuento require *lib. ſecundo, artis chirurgicæ Gourmeleni. & Pareum loco citato.*

OBSERVATIO.

Epilepticorum per pyrotica & ſectiones ſeruatorum variæ & admirandæ claſſicorum authorum atteſtationes.

NOs hodie præſeruandi gratia, in his quos prõnos ad hoc malum videmus cauterio vtimur: aliis circa ceruicem ſuppoſitis. Affigitur autẽ ad primam vertebram. Inſtrumentum vero oliuæ nucleũ imitatur. Sed eſt abaptiſtõ, id eſt, quod in profundo agi nequit: excidente eſchara, ſinimus diu effluere. Sic enim ſiccatur cerebrum: quoniam præter vacuatoria per naturam, etiam hoc adiungimus. *Iachinus comment. ad c. 14. De Epilepſia Raſis.*

Pueris applicetur cauterium actuale in parte põſteriore capitis, & maxime iis qui obeſiores ſunt, eſtque præſtantiſſimum remedium. Florentiæ quia pueri ſunt obnoxii huic morbo, etiam mulieres admouent cauteria actualia, vt torrem ignitum: ſiquidem cauterio occiput vrunt, idque habent in communi vſu, edocti quotidiana experientia. Ruſticæ pueros ſacerdotibus deferunt, vt cauterio, vel carbone ignito partem illam poſteriorem vrant, quod maxime confert, ſi epilepſia facta fuerit per idiopathiam. Si enim per ſympathiam aut ventriculi aut partium infernarum, hoc eſſet potius trahere humores ad cerebrum, quam idem euacuare. *Rondeletius c. 36. Method. curand. morb.*

Nonnulli ſolis cauteriis putant ſanari poſſe epilepticos. Etſi ea quæ anterioribus cerebri neruis moueri ſolent, qualia os, lingua, oculi illæſa ſunt, vertebræ candens ferrum imponunt, vnde neruus conuulſi membri deriuatur. Quod ſi à collo infra totum corpus conuellitur, à tertia ad quintam vertebram cauterium imponunt, hoc ſolo ſuffragio, vt putat Cardanus, auxiliari poteris. Vltimũ auxilium eſt, vt idem ait, iuxta talum ex vtroque crure paululum ſanguinis mittere, occiput incidere, & cucurbitulas admouere. In occipitio quoque & infra, quo ſumma vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, vt per vlcera pernitioſus humor euadat. *Montuus c. 16. lib. 1. Anaſceu. morborum.*

Ego ſummopere laudo cauteria in brachiis, imo hoc eſt familiare remedium. Et vidi anno præterito nobilem ſenem, qui ſolo cauterio ſanatus eſt & erat ſenex in 52. anno ætatis ſuæ conſtitutus. *Montanus conſilio 50.*

D. Montanus cauteria duo in cruribus loco ſolito apponi curauit epileptico. Ea vt facilius aperta teneret, chirurgus laminas ex argento cum hemiſphærio perforato fecerat pilei figura, ſed ea nimiũ inferebant dolorem: quare ex ligno hederæ globulos fieri curauit, quos imponebat, ſupponendo folium hederæ, ſi non adeſſet inflammatio cũ vnguen-

to magiſtrali:aut ſi appareret, iubebat folium plantaginis imponi, aut ſolani, cum eodem vnguento. Fit autem illud hoc modo. Recip. Vnguenti de ceruſſa ℥. j. s. Miſce ad ignem & poſtea in petia extende & appone. Pro immunditie intus auferenda velim inſpergi farinam hordei: prohibet enim ne generetur caro,& ne globuli dolorem inferant. Si autem nimium creſceret caro, imponat ſpongiam, factam in mod[illegible] globuli,& imbutam alumine vſto, per duos aut tres dies, vel loco aluminis vſti, vtatur vnguento iſidis,ita vt fiat ex bombace vel ſpõgia, & in eo vnguento bene intincta, imponatur per noctem. Quod ſi hæc leuiora naſcentem carnem non prohiberent,vtatur ſequenti & applicetur prædicto modo. ℞ vnguẽti Ægypti.℥.j.Lythargyri ℥. s.Miſce. Hæc facta eo tempore ſunt, & ille perſeuerans in debito regimine victus,& abſtinens à vino,liber fuit per tres menſes à morbo. *Idem conſil.* 42.

Vis & efficacitas cauſticorum ea eſt, vt non ſolum frigidas qualitates mutent, verum etiam venenatas & malignas, calidas pariter ac frigidas emendent. Hoc modo ſanatus eſt,qui apud Fernel. ſcribitur ex humore venenato ſub pericranio cõntento laborauiſſe.Eadem ratione perſanati ſunt, quibus ex pede vel manu aura frigida ſenſibiliter caput petere ſolita fuit.Ego aliis non ſum vſus, quam cantharidibus cum aceto & fermento miſtis. Alii fortioribus vſi ſunt optimo cum ſucceſſu.Cauſticis ſemper aliquid Theriacæ bonæ miſcendum cenſeo:vt quam profuiſſe non ſemel tantum compererimus. Vbi autem, quæ pars fomitem & ſcaturiginem huius mali in ſe habeat, ignoramus, aſſidua purgatione naſcentem in ea fructum exitioſum priuſquam adoleſcat, ſubinde tollere ſtudebimus: & totius corporis mutatione illam quoque corrigere tentabimus. Si non ſufficere purgationes ſuſpicabimur, etiam per medicamenta calida ex alto ad circumferentiam humores trahentia, vel per cauteria euocare tentabimus. Fient hæc vel in pedibus vel in brachiis, vel in ceruice, prout mali cauſam in vna magis quam in aliis partibus prouenire ac naſci conijciemus. Vidi ſane in ceruice cauteria inuſta plurimum contuliſſe illis, quibus cauſa morbi in capitis partibus externis paulatim generabatur, vel ſenſim aliunde aſcendens ibidem colligebatur. Quibus hoc in ſcapulis, humeris, lateribus accidit, brachiorum cauteria magis proſunt: quemadmodum pedibus ſub genubus impreſſa,illos præcipue iuuant,quibus in ventre,iliis,inguibus,fœmoribus,mali cauſa deliteſcit. Tenere autem aperta oportet,dum certa coniectura intelligatur,tale nihil porro in corpore pullulare. Interea nihilominus (cuius te ſemper volo meminiſſe)exhibere oportet,quæ cerebrum confirmare & venenatæ cauſæ reſiſtere poſſe putantur. Talium diuturno vſu,affectio partis, à qua malign⁹ ille vapor gignitur, tandem extirpatur: nam cum à putridis & corruptis humoribus corporis intima cum vaſis exquiſite expurgantur, & partes extimæ pariter cum intimis remediis ſudorem vndiquaque prolicientib. vacuantur, atque pharmacis venenatis qualitatibus reſiſtere potentibus continue alterantur & veluti armantur ac comminuuntur,neceſſarium eſt, inimicam in corpore vim abſconditam ſenſim langueſcere,debilitari, extingui. *Eraſtus part. 4. diſput.cont.Paracelſ.*

De antiquo pueros vrendi more, Thuſcis Libiæ populis & Scythis aduerſus pituitæ mala & morbũ puerilem,recepto,vide Doctiſſimi *Mercurialis variarum lectionum lib.2. cap. 2.*

Si malum non ceſſerit adhibe ſinapiſmum capiti,aut ferro candente adure,quo loco vertebra cum capite committitur, ſeu in fine occipitis,Cauſticum etiam poſt aures aperitur, vel vtrique brachio ad muſculum deltoidem, & diu vulnus apertum tenetur. *Piſo, libr. primo, cap. 19. de cognoſcen. & curand. morbis.*

Petrus Merenda ſcribit in comitiali morbo admodum vehementi exiguo interuallo ſæpius repetente,nec aliis remediis cedente, ſe quamplurimos per admota collo prope ſcapulas rubrificantia medicamenta, donec veſicæ excitarentur, breui temporis ſpatio ad priſtinum rationis vſum frequenter perduxiſſe,& ab acceſſionibus liberaſſe, qui deinde decenti curatione, ad integram ſanitatem perducti fuerunt.Sed hoc faciendum eſſe poſt purgationem, niſi morbus vrgeat.Sed neq; hæc neq; ſetones,neq; cauteria conueniunt circa caput, niſi morbus cerebro ſit eſſentialis,vt fiat diuerſio à cerebro. *Scholiographi ad c. 15. Hollerij de morb. internis.*

Ab alchael vſque ad alchadam incluſiue, inter quemlibet ſpondylum, dantur cauteria actualia pueris in præſeruatione ab Epilepſia, & eſt remedium ſingulare. *Carpus Iſagog. Anatom. de Anatomia extremorum.*

Observatio.

Rutæ odore quidam caſu ab epilepſia liberatus.

HOc in Thuſcia à ruſtico quodam accepi, qui dicebat aliquem caſu morbo liberatum fuiſſe. Rutam enim ſyluaticam, quam rure habebat, contundebat, & vbi conſeruus eius lunaticus concidiſſet, ipſæ rutæ odore plenus aggreſſus nares ægri cõtinebat vnde ille excitatus, non amplius comitiali morbo laborabat. Expertus autem erat hoc etiam in alio, morboq; eum liberauerat. Atque ego ſæpius ita hunc affectum curaui. Mirabile igitur & eximium medicamentum eſt, quod nulli communicabis. *Trallianus lib. 1. c. 15.*

Ruta ſylueſtris comitialib. prodeſt. *Dioſc. lib. 3. de mat. med.* Rutæ ſylueſtris ſemen epilepticos iuuat. *Idem in Euporiſtis.* Cũ aqua potum adiicitur ab Aetio.

Comitialibus ruta maxime prodeſt, vel Dioſcoridis teſtimonio: quin ſuccum rutæ ceu præſens quoddam remedium releuandis ab acceſſione infirmis exhibere cũ melle ſcillitico multa & diuturna experientia mihi comprobatum eſt: quod & in Martina Catharina fœmina nobili magna cum vtilitate fecimus, vti & in aliis multis. Ex quo enim bis ſuccum ſumpſit, nunquam amplius acceſſione tentata fuit, vtiq; diſcuſſio à rutæ potentia caliditateq; humore, quod & ipſum in puerulis recens natis & acceſſione comitiali præhentis ſum bona fide expertus. *Vallerio. la lib. 3. obſeru.* 7.

Ex iis quæ olfactu ſenſus excitant, torporemque diſcutiunt, ſunt Ruta, cuius poſt aliorum veridica teſtimonia admirandam poteſtatem nec vanus præco perlibenter effero. Quippe qui de periculo votis promptiſſime reſpondere comperi. Nec profligando tantum paroxyſmo conducit, quin & morbum ipſum potenter tollit. *Iaſon c. 23. de morb. cerebri.*

Nihil

Nihil præſentius noui, quod paroxyſmo comitiali infeſtatum, æque cito ſenſibus & rationi reſtituat atque rutæ ſuccum aceto remiſtum & contemperatum, ex quo non tam ægri nares foueantur, quam quod eidem frequenter & ſolerter ingeratur, *Conradinus capite duodecimo, Libello de Febr. Theriode Vngarica.*

OBSERVATIO.

Pœoniæ vſus ab epilepſia vindicat.

GLYCYSIDÆ (quam pentorobũ vocant, & pœoniam) radix ſubaſtringit, aliquid dulcedinis amaroris & acrimoniæ habet. Exiccat autem vehementer adeo, vt rationi conſentaneum videatur ipſam collo ſuſpenſam pro amuleto morbum comitialem in pueris ſanare. Equidem noui puerũ olim octo menſes ab hoc affectum liberum egiſſe, poſtquam radicem hanc geſtare cœperat: quæ vt forte fortuna à collo delapſa eſt, mox rediit affectus: iterumque ſuſpenſa denuo ceſſauit, & cum experiundi gratia rurſum radicem abſtuliſſemus, comitialis cõuulſio rurſus ſuperuenit. Itaque deinceps magnam recentis radicis partem à pueri collo ſuſpendimus, qui in poſterum incolumis omnino manſit, nulla amplius conuulſione cerebri correptus. Nimirum aliquæ particulæ defluentes, attractæq; narium inſpiratione locis affectis medebãtur: aut ipſius inſpirandus aer qualitate radicis imbuebatur. *Gal. lib. 6. Simplicium pharmacorum.*

Pœonia Galeno non minus decantata quam Braſſica Catoni, non ſolum à qualitate elementari, ſed totius ſubſtantię vi ac proprietate ſpecifica hunc morbum expugnat. Pueros aũt in quibus vis morbi minus valida, etiam à collo geſtata hoc morbo collapſos erigit. Diſcutit enim conſumitque humorem pituitoſum, qui huius morbi eſt ſeminarium. Intus vero exhibitæ eius baccæ etiam in adultis efficacius id præſtant. Siquidem flatuoſum imbutumque veneno humorem abſorbet, ac corpus ad temperamentum calidius ſicciuſque perducit. Hoc autem ſemen præſtantiſſimi nonnulli aſſerunt, quod à Pœoniæ, quam maſculi nomine deſignant, prima fœtura emergit. Diu enim ſtolones, hoc eſt, inutiles frutices culmoſq; effœtos ac ſemine deſtitutos profert. Vbi vero perfecte adoleuit, ſiliquis dehiſcentibus, hinc baccas atro calore politas, hinc acinos coccineo flagrantique rubore nitidos, oſtendant, nigricans ſemen in vſum reſeruandum, non tamen ea vanitate ac ſuperſtitione, vt ſequentis anni ſemen credatur inefficax, cum à decimo partu etiam qui emerſit fœtus, præſentaneam vim habeat: modo ne carioſus ſit & euanidus. *Lemnius libr. 8. cap. 3. de occult, naturæ mirac.*

In confeſſo eſt, Pœoniæ radicem de collo pendentem epilepſiã arcere, quod manifeſtauit Gale. minime omnium mendax. Noſque ſubinde experti ſumus ad ſonticos & lunaticos plurimũ valere. *Montuus lib. 1. c. 8. Haloſeos Febrium.*

Radices & grana Pœoniæ aduerſus lemurum & Faunorum ludibria, inprimis vero contra morbum comitialem è collo ſuſpendi debent, quod Galenus primus animaduertit, quod & multi comprobarũt, & ipſe non ſemel ſalutare eſſe expertus ſum. *Tragus lib. 1. c. 200. hiſt. ſtirp. Comm.*

Pœonia infantium collo ſubnexa, comitialem morbum ſanat, id de Pœonia maſcula veriſſimum comperi. *Fernelius lib. 2. c. 17. Abditorum.*

Pœoniæ maris, & fœminæ radices, quarum prior recens collo appenſa, puerum epilepticum illico ſanitati reſtituit, vt Galenus & alii docuerunt, & ego nonnullis experimentis in Suecia vidi: vbi iſtius Pœoniæ magna eſt copia, & colligitur ad hunc vſum, decreſcente Luna: altera nempe fœmina hoc præſtare non ſolet, vt multorum experimento compertum eſt. *Menabenus, Libello de Alce capite ſeptimo.*

Pœoniæ albæ radicem, ſole in leone exiſtente & ipſo nouilunio die ſolis, ante exortum ſolis, manu linteo tecta, erue; erutam, exicca, & auro incluſam, à collo ſuſpende. *Iatrion Wirtembergicum.*

Nullum adhuc, omnino candidum florem Pœoniæ, ſiue plenum, ſiue ſimplicem, quamuis tam in Principum, quam priuatorum hortis inſtructioribus diligenter multis annis, de illo inquiſiuerim, videre contigit. *Camerarius in horto.*

Conſtat itaque Montanum, Puteanum, Matthiolum, Eraſtum & alios nonnullos, qui Nobilem hanc vim in tam difficili morbo Pœoniæ derogant, fœmina verius, non mare, aut ſi mare, ſaltem extra natiuum ſuum ſolum & cœlum tranſplantata, vel etiam illegitimo tempore citra certam ſyderum obſeruationem collecta, vſos: quam nonnulli Sole leonem occupante, die item & hora ſolaribus, decreſcente etiam luna eruendam præcipiunt. Non igitur mirum ſi ſperatis effectibus non ſubinde reſponderit, *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Alces vngulæ ad comitialem morbum mira vis, hiſtoriis aliquot & experimentis nobilitata.

ALCES vngula præſentanea vi pollet aduerſus morbum Comitialem, quod multis experimẽtis comprobatum habeo, licet ratio mihi viſa ſit obſcurior. Sunt apud Belgas quod regio plus ſatis humida frigidaque ſit, atque auſter continenter ſpiret, ventorum inſaluberrimus, complures huic morbo obnoxii, adeo, vt in compitis ac triuiis miſerãda ſpectacula hominum oculis exhibeantur, ſic vt paſſim ad hoc remedium tãquam ἀλεξίκακον, hoc eſt, quod malum depellat, confugiant. Mihi ſane ſemel atque iterum contigit, vt muliercula quædam in ædiũ noſtrarum veſtibulo, tanquam fulmine icta, concideret, quod vbi eſſem cõſpicatus, accedo propius atq; annuli geſtamen cui Alcis particula inſerta erat, digito qui infimo proximus eſt, infero: illa eueſtigio erexit ſe in pedes potuque refocillata iter inceptum alacriter peragit. Altera quædam cum domo abeſſem, pro foribus edito clamore inſolito, derepente in terram concidit, ſoloq; caput illiſit, ibi vnus ex familiaribus Alcis partem palmæ impoſuit, manuque in pugnum complicata quod annulo incluſa nõ eſſet, morbum cõfeſtim depulit. Hæc fieri crediderim ſpecifica vi abditaq; proprietate ſubſtãtiæ, vel quod eximia exiccãdi diſcutiẽdiq; poteſtate polleat. Porro niſi eſſet res ſolida, ſtatui poſſet effluxũ quendam emanare, qualem flores, olenteſque herbæ effundunt. Quod tamen fieri poſſe perſuaſum habeo, licet emanantes ſpiritus tenues ſint atque aridi minimeq; vaporoſi, adeo vt ſenſui minus exiſtant expoſiti, ab eoque non niſi latenti vi percipiantur. Sic la-

pides,gemmæ,aurum,ferrum, atque ænea quæque occultam quandam vim expirant ſed agitatione cõcalefacta, aut eorum nonnulla ignita, manifeſtius odorandi ſenſum excitant, ſeſeque corpori potentius inſinuant. Quod ipſum percipimus, cum celeri rapidoque motu rotæ feruefcunt, vel cum equi ferrata vngula ſic ſtrata feriunt, vt igneſcant. Cõtinuo enim fuliginoſus ac retorridus odor in aera ſe auraſque diffundit. Quod ſi affectus huius cauſa non ſit ſatis euidens nullaque probabilis ratio excogitari poſſit: ſaltem ea vi iſta perfici ſtatuamus, qua monocerotis cornu aqua vinoque immerſum venenata quæque diſcutit, atque araneas contactu conficit. *Lemnius lib.2.c.3.de occult.rerum miraculis.*

Vngulæ Alcis ſunt in magna exiſtimatione: ſuſpẽſæ enim ita vt nudam cutem attingant epilepſiam curant & ab acceſſione eius liberant hominem vbi etiam iam ſpumam ore ſolitus eſt reiicere. *Agricola lib.2.Medicinæ Herbariæ.*

Magni animalis (quo nomine author Alcen inaudit) vngula, ſi collo appendatur, comitiales ſanare, ſi quid aliud poſſe creditur. Quoniam dum hoc morbo laborat, animal ipſum (nã comitiali morbo laborat) non prius excitatur, quam vngulam poſterioris pedis auri intulerit, tunc enim protinus excitatur à morbo. *Cardanus lib.10.de Subtilit.*

Si quis epilepſia correpto partem huius vnguis ſiniſtræ manus digito, quem annularem dicunt, & rectitudinem habere ad cor, medicorum ſchola aſſerit, intrepide applicauerit, æger ab hoc morbo tanquam à ſomno excitatus in pedes ſe eriget illico ac liber euadet. Si etiam annulus ex eodem vngue cõfectus patientis eundem digitum veſtiuerit, efficacius idem præſtabit, quia non pars ſed totus digitus annulum attingit. Si inſuper pars huius vnguis ſiniſtræ palmæ imponatur, manuſque in pugnum complicetur, morbum confeſtim depellet. Si eiuſdem quoque portiuncula in aurem ſiniſtram miſſa, & aliquandiu velut ſcalpendo mota fuerit, idem ipſum non ſine miraculi ſuſpicione feliciter præſtabit, non tantum autem dictis membris hunc vnguem applicandum cenſeo, ſed cordis etiam regioni apponendum ſuadeo, quamuis enim in hoc morbo cerebrũ primario afficiatur, vt inſtrumentale tamen etiam cor per ſympathiam affici certum eſt, cui ſi ſuccurratur eodem vngue eximie operam ſuam præſtat ad expellendam craſſam illam materiam, quæ cerebri meatus occupans hunc morbum facit. Huius vnguis raſuram ipſe dedi, & ab aliis cum felici ſucceſſu datam ſcio epilepticis pueris cum aqua liliorum conuallium, aut ſpicæ, quam lauendulam vocant. Hic locus mihi in memoriam reuocat non vulgaria contra eundem morbum remedia, quæ communis vtilitatis cauſa huc afferam. Inter omnia primas tenet hic puluis. Recip. caluariæ humanæ ſiccatæ & v-ſtæ vnc. j. raſuræ vngulæ Alcis iuſto tempore cæſæ, cornu cerui vſti ana. drach. ij. viſci quercini, granorum pœoniæ, rad. pœoniæ maris mundatæ, rad. tormentillæ, rad. & ſem. diptami albi ana. drach. j. s. ſem. antheræ, atriplicis. ana. ſcrup. ij. coralli vtriuſq; præparati, eboris recenter raſi, margaritarum præparatarum ana. drach. j. fol. auri num. xxx. ſpinarum piſcium vnc. s. ſacch. albiſſ. vnc. ij. miſce & terantur omnia ſubtiliſſime in lapide porphyrii, & fiat puluis, qui vocetur epilepticus, detur ex eo ad ſummũ drach. j. cum iulep. viol. aut cum aqua liliorum conuallium, aut florum tiliæ, aut ceraſorũ. Ego aliquando cum felici ſucceſſu exhibui puero epileptico puluerem ex æquali portione raſuræ iſtius vngulæ, rad. pœoniæ maris & ſuccini candidiſſimi cum aliqua ex iam dictis aquis. *Menabenus c.9. de Libell. de Alce.*

Vngulam eius animalis quod Germani Elendt appellant, vel appenſam vel annulo incluſam vidimus epilepticam acceſſionem cohibere: *Fernelius in conſil. pro Epileptico. Vide etiam Geſnerum de Alce.*

DE SPASMO.

SYMTOMATA.

OBSERVATIO.

Varia ſpaſmi genera.

SPASMI varia exiſtere genera, vſus rerum oſtendit. Vidi enim ipſe ſpaſmum capitis abſq; internorum ſenſuum læſione, item linguæ ſpaſmum, item gulæ, colli, ſcapularum & brachiorum. Vidi etiam dorſi partes in ratione quadam concuti per interualla. Quin etiam à me ſpaſmus quidam notatus eſt, qui oẽs fere corporis partes per interualla quædam temporis peruadens, miſere affligeret, donec acceſſiones acquieſcerẽt. Quæ tamen denuo redeuntes vnam partem poſt aliã crudeliter affligebant miſerabili aſſiſtentium ſpectaculo. His ſpaſmis vexati plerique euaſerunt. Pauci vero, temporis progreſſu, dum dolorum magnitudine vires exhauſtæ eſſent, perempti ſunt. Quibus euadere periculum contigit, ii maxime ſanguinis extractione, & topicis ad frigiditatem declinantibus, adiuti ſunt. Fuldanam tamen fœminam piſtoris cuiuſdam vxorem vidi, quæ cum toto corpore rigeret, & omni ſenſu deſtituta videretur, decocto ex aqua lauandulæ in qua ruta & caſtoreum cocte eſſent, violenter ori infuſo à me ſanitati reſtituta fuit. *Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

Quædam mulier paſſa dolores brachiorum, humerorum genuum cum cõtractione, cum non poſſet vllis remediis ſanari, tandem vetula aſperſo maluatico vino ignito lateri, & adiectis foliis Lauri, nepitæ ſtœchadis maior. roriſim. orig. ſalu. iubebat exceperet fumum: & excitato ſudore conualuit. R. *Solenander ſect.7. Con.15.*

OBSERVATIO.

Conuulſiones infrequentes.

CONuulſioni motus etſi quotidie in curandis morbis à Medicis obſeruentur, nonnunquam tamen admirationem quandam ſecum adferentes, minimeque vulgares viſi fuere. In æde Diui Vincentii Mantuæ monialis quædam, cui nomen monacha Grignana per plures annos concuſſiuas commotiones perpeſſa eſt, ita vt lecto cubare cogeretur, ſedendo diu, noctuque capite, collo, ac ſpatulis commotis antrorſum, retrorſumq; inceſſanter edẽdo, & bibendo quaſſare cogeretur, ita vt nec ipſa, nec adſtãtes eam continere valerent quo minus id pateretur, quod ſi valida vi aliquando id prohibere tentaſſent, in animi deliquium incidebat, maximeq; affligebatur, id aũt perpeſſa eſt pluries triũ annorũ tempore, & dum hæc ſcribimus eodem ſympt. conflictatur aliquãdo per plures menſes cõtinuos ſingulo quoq; die, non-

quoque die, nonnunquam de tertio in tertium non ſemel etiam quartanario typo ſeruato, quinetiã per aliquot menſes immunis ab affectione hac per interualla degit, præſertim æſtiuo tẽpore, quo minus hac præternaturali affectione vexari conſueuit, quod ſi aliquando leuem certe ſomnum capeſcit, acceſſionis tẽpore à motu illo concuſſiuo haud immunis obſeruatur, mentis ſemper compos, læſionis initium à ſpina ea in regione, qua ventriculum incumbere ſcimus ortũ ducere, aiebat. Innumera propemodum auxilia ab excellenti viro D. Paulo Magno mihi arctiſſimo amicitiæ vinculo coniunctiſſimo adminiſtrata fuere, quę cum haud contuliſſe videret libuit, vt moris eſt amicos medicos conuocare, accitus primo Excellens Dominus Raphael copinus Ducalis Medicus, mox & ego ſimilis ſpectaculi cognoſcẽdi auidiſſimus, qui cunctis rite obſeruatis potius affectionem miratus ſum, quam quod auxilii genus quodpiam certum quo perſanari poſſet mulier excogitare voluerim; cepi itaque mecum ſymt. naturam perpendere, atq; in eam deueni ſententiam conuulſiuos motus illos concitatos eſſe à malo vapore craſſo ad neruorũ originem ſpinæ nucam dicunt, delato mala qualitate prædito, à parte illa dorſali eleuato, atque per partem poſt partem à calore materiam eo in loco contentam agitante, fomentum recipiente.

Lucilla Calandra Nobilis mulier vrbis noſtræ, per multos annos perſimile ſymt. perpeſſa eſt, namque policem pedis continuo modo ſurſum attollendo, modo deorſum deprimendo agitare cogebatur, ita vt nec in ſomno à motu illo deſiſteret, ſicque vſque ad mortem multis in caſum tentatis præſidiis, perſeuerauit. *Donat. Hiſt. Mirab. lib. 2. c. 3.*

Observatio.

Spaſmi holotonici mira & noua hiſtoria.

Acceſſimus aliquando, Franciſcus Emericus inſignis Medicus Viennenſis bonæ memoriæ, & ego ciuem Viennenſẽm, hominẽ catarrhoſum perpetuo & ſubinde per interualla acerrime cum podagra conflictantem, cui à pleriſq; annis digiti nodoſi, & fere oẽs ſpaſmati erant, hic forte fortuna à rheumatiſmo quodam vniuerſali correptus, hoc modo grauiſſime laborare cœpit, diffluebant vndique per ambitum corporis materiæ catarrhales ad cutem & partes cuti propinquas, replebantur muſculi propinqui: cutis tandem per vniuerſum corpus per omnia membra quaſi infarcta, ſpaſmo tonico rigebat: ita vt vniuerſa cutis duritiem quaſi corticis cuiuſdam arborei adquireret, vel potius corii præcraſſi in ligno extenſi, nullum pedem patiens, nullam manum mouere potuit: ſed obriguere omnia. Spina denique tota, collum & nucha, muſculi deniq; abdominis bona ex parte eodem modo affecti, inflexibiliter rigebant, ſine tamen vel vehementi vel cõuulſiuo dolore:, oculorum ſaltem & palpebrarum perſtitit motus & mollities naturalis: durabat ille ſpaſmus holotonicus (qui fortaſſe poteſt ſub ὁμοιοτόνῳ comprehendi) per dies & noctes tres, tandem ſubito rediit mollities primo, ſubinde motus membris, per cutem vapore quodam rorido prorumpente, qui morbum quaſi criticando ſoluit. Erat hic caſus cum pertinax (ſiquidem nullis medicamentis cedere volebat) tum lamentabilis æque ac memorabilis. Sed quod notatu dignius, internarum partium nullum conuellebatur. Quin imo cerebrum, lingua, ventriculus, inteſtina, veſica, anus, ſuum vtcunque faciebant officium: ſola deglutitio aliquantum præpedita fuit, ob muſculos œſophagi cuti compatientes. *Cornax, libro ſecundo, capit. 27. Enchiridii Medici.*

Observatio.

Saltus, motus inordinatus, & riſus in conuulſionibus.

Convvlsionvm diuerſa genera in horrendis motibus edendis, eſſe, vti ſuperiora declarant, ſic & ſaltus corporiſque inordinata iactatio, Principem enim ad extremum vſque ſpiritum, motus enormes, omnibus totius corporis partibus inquietis, edentem vidi. Et quod mulier quædam, conſtante interim ratione, decumbens: continuo pectus in altum eleuans, dorſo lectum validiſſime aliquot ſeptimanarum ſpacio, conquatiebat. Dein, quod aliqui inuoluntarie ridere coacti: vti Abbati cuidam illæſa mente, & Principi dicto, deliranti accidere vidi, ad extremam vſque virium proſtrationem ſe exagitare. *Platerus de Obſ. propriis.*

Observatio.

Conuulſio & paralyſis aliquando in eodem membro, alternatim coniunguntur.

Spasmo opponitur paralyſis, quoniam ille dicit motum, hæc immobilitatem, tamen ſpaſmus iunctus cum paralyſi, ita vt alternatim affligant eãdem partem, ſcilicet, quod modo illa pars conuellatur, modo eadem reſoluatur, poſtea iterum conuellatur, & deinde iterum paralyticetur ponitur *lib. 3. Porreth. tex. 26.* Qui caſus fuit etiam *à Galeno* viſus, vt ibidem *in Comm.* ipſe narrat. Hoc idem ſemel ego tantum vidi; quare hoc aduertatur tanquam vnum ex mirabilibus, poſſibilibus tamen, quæ Medicis offeruntur. *Salius Annot. ad c. 13. Pract. Altom.*

Observatio.

Effoſſo oculo ſiniſtro, dextro conuulſus, eodemque latere reſolutus ſuperuixit.

Memini me vidiſſe virum ſtrenuum, qui in monomachia effoſſo oculo ſiniſtro, conuulſus & reſolutus eſt in parte dextra, & ob virium robur & diligentiam medicorum euaſit, ſuperuixitq; multis annis impotens eo latere. *Cardanus Com. Apho. 2. lib. 5.*

Observatio.

Diſtentionis & palpitationis genus, ad febris & conuulſionis ſolutionem conſequutum, quo immotis pedibus, corpus indeſinenter ſubſiliebat.

Vidimus filium Bernardini Romeri lignorũ mercatoris annorum triũ, qui cum ex febre & conuulſione conualuiſſet, tanta ſub femorib. diſtentio ac palpitatio relicta eſt, vt immotis pedib. corpus perpetuo reſiliret: velut in circulatorib. quibuſdã. Vnde deprehẽdi eam quam vocant ſaltationem, morbum eſſe ac veram, quoniam verę infantis aſſimulatur. *Idem lib. 11. de Subtilit.*

Observatio.

Alia horribilium ſpaſmorum ſchemata, quibus muſculorum & tendinum capita ad diuulſionem vſque extenſa viſa ſunt.

Solutio cõtinui in ſpaſmo accidit, quoniam non ſolum eouſq; membrum contrahitur, quo & ſecundum

cundum naturam voluntas mouet, ſed multo valentius & plurimum. Vnde & capita muſculi & tendines diuelluntur. Etenim vidimus rigentes tendines colli adeo & contractos, vt nulla vi per naturam, ne ad dimidium quidem contrahi poſſent. Sic alium calcaneis vidi clunes attingere, quod quacunque vi nunquam efficies. Hinc dolores acerbiſſimi fiunt, & cito vigiliis & dolore corpus conficiunt, & ad Syncopen primum, mox mortem miſerabilem ducunt. *Iacchinus Comment. ad capit. 13. libro nono. Raſis.*

Obſervatio.

Flatulentæ conuulſionis ſpecies rara.

Flatvlentæ conuulſionis ſpecies rara quædam non ita pridem mihi occurrit, nó extremas ſolum, verum alias quoq; partes impetens. Ea quotannis hyeme duntaxat, ſed bis terve quotidie affligebat. Caput primum in acceſſione vibratione quadam ex interuallis contorquebatur, hinc ſenſim natum per ceruicem frigoris ſenſu deuoluebatur: cumque inter ſcapulas irruebat, illæſa mente, integriſque ſenſibus opiſthotono corpus rigebat, cum vero in alterutrum latus, aut in brachium, aut in crus excutiebatur, ita arctè id protinus contrahebatur, vt nulla adſtantium vi exporrigi poſſet, dum prorſus conquieſceret acceſſio. Ex quibus intelligi poteſt, continentem proximamque illius cauſam non humorem, ſed frigidum craſſum & lentum vaporem fuiſſe, qui inclinante acceſſione totus diſſiparetur, cuius tamen fomes eſſet in capite. *Fernel. lib. 5. c. 3. Patholog.*

Obſervatio.

Rara conuulſio, qua inteſtina, Abdomen, teſtes & vaſa ſpermatica conuelluntur.

Cvm Medicinam diſcebam Patauii, vidi adoleſcentem, cuius inteſtina totumque abdomen conuellebatur teſtes & vaſa ſpermatica, ſub oſſe pubis abſcondebatur, rugitus aderat & tenſio hypochondriorum. Frigida huic erat temperies, & ventriculus frigidus cum madore. Anheloſus erat oppreſſo à diaphragmate, ac mente in paroxyſmo exuebatur. Præceptores mei adhibebant flatus diſcutientia, & eos attenuantia: ac ea quæ euincere poſſunt materiam frigidam coquendo ac purgando & roborant tandem inteſtina. Primum iniectus clyſter ex decocto anethi: cum hiera, melle roſato & oleo chamæmeli & dein decocto agrimoniæ, petroſelini, præparabatur, poſtea pilulis aureis ac alephanginis purgabatur, alternis diebus clyſter repetebatur. Interdũ accipiebat vnam pilulam ex caſtoreo cum ſyrupo betonicæ: hæc inaurata erat. Foris oleo ruti & caſtoreo vngebatur. Bibebat vinum ſaluiatum ex betonica, dianyſum illi in delitiis erat, fricabantur crura. *Heurnius de morb. capitis. c. 25. pag. 310.*

Obſervatio.

Mira particularis ani conuulſio.

Non hoc loco omittendum cenſeo mirandum minimeque vulgatum à me in Michaele Pomponatio matris meæ fratre viſum, huic cum forte fortuna ex Paraplegia vniuerſi corporis, pars ſiniſtra reſoluta eſſet, illiuſq; curæ excellens tunc Medicus Aurelius eius filius nunc à ſecretis Sereniſſ. Dñi noſtri aliique præſtantiſſ. vrbis noſtræ medici, ipſeque vna cum illis incumberemus & inter cætera præſidia, perſæpe enemata præſcriberentur, factum aliquando fuit, vt ita anus ex conuulſione conſtringeretur, vt clyſteris inſtrumẽti canulam, haud admitteret, aliquando vero ita muſculi illius reſoluerentur, vt clyſteris materia vti iniiceretur, ita quoq; extra prodiret, cuius rei cauſam nos aſſignabamus, quod humores modo neruorum meatus, modo ſubſtantiam tantum occuparent ex hac enim tum reſolutionem tum conuulſionem, licet ambæ affectiones proueniũt ab humoribus neruos occupantibus duntaxat differre manifeſtum eſt. *Donat. Hiſt. Mirab. lib. 2. c. 3.*

Obſervatio.

Admiranda conuulſionis ſpecies quæ in morientibus membrum virile intendi obſeruatum eſt.

Non admiratione caret, quod in morientibus nõ ſemel fuiſſe compertum eſt, mentulam ſcilicet ex conuulſione ita, erigi, vt nullo pacto laxari queat.

In vrbe noſtra quidam ex iis, qui tegulis ad imbrium iniuriam arcendam, teſtaceis domus contegunt, ab altæ domus tecto in viam cadens, dorſum pauimento viæ valide impegit vnde crurum & fœmorum omnimodam reſolutionem incurrit, huic interim virili membrum aſſidue erecto permanente, donec animã efflauit nonnullos enim dies ſuperuixit. *Fernel. li. 6. de part. morb. & ſymp. c. 13.* Iugulatum quendam bis ab exceſſu è vita intentum rigidumq; habuiſſe pene tradit.

Quidam vir Doctiſſ. ſe vidiſſe quibuſdam, dum ſuſpenderentur, membrum tendi quod ex conuulſione illis accidiſſe fatetur.

Sic & epilepticas conuulſiones patientibus tradit *Areteus lib. 1. cap. 5.* penis arrectionem ſequi, nonnulliſque etiam adſtrictis compreſſiſque vaſculis genitura excerni, id vero & dolore irritante & humiditate erumpente accidere poſſe. *Idem loco citato.*

Obſervatio.

Recens etiamnum mortui viſi admirandis conuulſionibus exagitati.

Hæc veluti admiratione digna prætermittere nolui, ſicuti non abs re duco cauſam reddere naturalem, cur nonnunquam quidam cum primus neruorum, vel cerebri paſſionibus laboraſſent extincti, ac in feretro poſiti manus tractantium manibus ita firmiter conſtrinxerint, vt nullo pacto, vel ſaltem difficile admodum diuelli potuerint. Monialis quædam in Cœnobio D. Vincentio Sacro, cum per ſex menſes phthiſi laboraſſet, Apoplexia repente correpta, quæ in dextræ partis paraplegiam terminauit triduo poſt examinata feretro imponitur, Monacha altera affinis ingemiſcens, ac lachrymabunda, demortuæ manum deoſculatum accipiens, ter valide conſtringi ſentit, tanquam miraculo perculſa reliquas adſtantes Moniales aduocat, accurrunt manum à mortua valide comprehendi intuitæ, mirantur. Nos cauſam naturalem indagati cenſuimus, Mulierem Deo dicatam non prorſus animam

animã exalaſſe, ſed remanſiſſe, vitæ fomites & igniculos quoſdã, quales in ꝑuocatis & valida apoplexia detẽtis nõ ſemel obſeruarũ ſcimus, licet ſenſus, mot⁹ pulſus, & reſpiratio ſint aboliti, vnde motus illos coſtrictionis conuulſiuos excitatos in extrema extinctione putauimus, quod veritati cõſentaneũ magis eſſe affirmare poſſumus ex hiſt. *à Matt. Vill. hiſt. ſui tẽporis li. 3. c. 46.* deſcripta. Ait nãq; Florẽtię Gualterio Buſtaccii Vbertini filio diſſecto publice à carnifice capite, atq; cadauere arca impoſito, dũ ad eccleſiam S. Crucis humãdũ geſtaretur, adeo repẽte cõcuſſione valida ſpõte exagitatũ, vt arcæ tabulata inuicem diſiungerẽtur ac pene ex geſtantiũ humeris decideret, ꝙ ad iactũ baliſtariæ ſagittæ, dũ funus ꝓgrederetur pſeuerauit nõ ſine omniũ adſtantiũ ingẽti admiratione. *Idẽ loco allegato.* OBSERVATIO.

Motus conuulſiuus vt à diſtenſione diſtinguatur.

QVoniam de rabie agẽtes, eiuſq; ſymtomata explicantes, poſuimus hanc ſemper concomitari diſtenſionẽ membrorũ, affectum pandiculationi ſimilẽ, raro a. conuulſionẽ, ſciendũ eſt, inter hos duos motus dari tertiũ mediũ, ꝗ ſine diſtenſione, & ſine conuulſione fiat. Hic motus fit, retractis ad propria principia neruis, & membris motui voluntario deſeruientib. cũ quadã concuſſione, & vibratione, vt videatur, neruorũ palpitatio, vel vibratio, correſpõdens motui pulſus vibrantis, cõſueuit hic motus admodũ affligere patientes, & eos detinet aliquãdo ꝑ menſes, & annos, ſed diuerſimode in aliquibus n. hic motus antiquatur, & conſeneſcit, continue affligẽs, in aliquibus aũt periodos habens, vt contingit in epilepticis acceſſionib. ꝑ interualla repetit, & moleſtat, niſi factus fuerit in morbis acutis; hic n. morte præueniente cito terminari ſolet. Hic motus, ꝗ aliquando valde doloroſus eſt, aliquando aũt non doloroſus quidẽ, ſed valde moleſtus ratione cõcuſſionis, & vibrationis exiſtit, raro occupat totũ corpus, creberrime aũt modo dextrã modo ſiniſtrã partem, rariſſime aũt vnicũ membrũ, ꝗ cũ violẽtior eſt, cauſat diſtorſiones membrorũ ſæuas, & admodũ doloroſas, à quib. ſummopere languẽtes cruciãtur, quæ ſi inualeſcant, & partib. ſuperiorib. ac cerebro ipſi interdũ cõmunicẽtur, ſolet inducere affectũ epilepſiæ ſimilẽ; cõcidunt n. cũ deꝑditione ſenſuũ, & ꝑ interualla quaſi ſaliẽtes cõuellũtur, cũ tamẽ epilepſia nõ ſit; in his n. nõ emittitur ſpuma ad os, nõnulloſq; vidi, dũ hoc detinerẽtur affectu, licet oẽs ceteros ſenſus amiſiſſẽt, auditũ tamẽ ſeruaſſe. Motus hic differt à diſtẽſione neruorũ, quoniã in hoc nõ diſtẽſio, ſed eorũ cõtractio licet nõ cõtinua adeſt, differt a. à cõuulſione, quoniam ꝗ̃uis in cõuulſione pariter ac in motu iſto, retrahãtur nerui, & muſculi, à cauſa pręter naturã ad ꝓpria principia, tamẽ hæc adeſt differẽtia, ꝙ in cõuulſione vera ex retractione neruorũ, & muſculorũ, mẽbra remanẽt rigida, ſicuti fit in tetano, opiſthotono, emꝓſthotono, riſu ſardonio, ſtrabiſmo & ſimilib. conuulſionib. at in motu iſto mẽbra rigida nõ reddũtur, ſed quaſi ſaliẽdo cõcutiuntur, & vibrãtur, fitq; in neruis ipſis mot⁹ palpitationi ſimilis. Hunc motũ, & hãc differentiã nõ aduertẽtes multi medicorũ, motũ hunc conuulſionẽ appellarunt, cũ tamẽ nequaꝗ̃ cõuulſio ſit, & ab ea differat, nõ tãtũ eſſentia, ſed etiã cauſa. Cõuulſiò n. duplici fit ratione; alias n. fit ex inanitione, alias ex repletione; fit ex inanitione, exiccatis, & inanitis neruis ex repletione a. dũ materia, vel flatu iidẽ replẽtur, & in vtroq; hoc caſu ſemꝑ tẽdũtur mẽbra, & rigida manẽt vna cũ notabili dolore. At mot⁹ iſte, de quo loquor, nũꝗ̃ ab intẽtione; quoniã nerui exſiccati cuicũq; motui, ne dicã cõcuſſioni, ac vibrationi inepti ſũt, ſed nec etiã à repletione eorũ; quoniã nerui repleti ſeu à materia, ſeu à flatu cuiuſcemodi fit in cordis, humore aliquo madefactis, ſemper rigent, nõ aũt cõcutiuntur, nec vibrãtur. Cuius aũt ratione fiat motus iſte, hinc pateat cũ ex notis cauſis in cognitione eorũ, ꝗ̃ non ita in aperto ſunt, deuenire poſſumus. In vulnerib, capitis lethalibus ſolet hic motus, dũ deterius habẽt, ſuperuenire in oppoſita loci affecti parte, his ꝗ̃ è directo ſunt, paralyſi deprehẽſis, hoc qua cauſa fiat, ſatis apertũ eſt, nam vulnete male habente, ſuperataq; ab eo iã, & euicta partis natura, & temperie, putredo ingens, ac corruptio ſuꝑuenit, vi cuius, ſanies prauã & malignã qualitatẽ adepta, partium è directo loci vulnerati ſe habentiũ, ſpiritus diſſipat, ac in totũ deſtruit, indeq; fit paralyſis, cum aũt ad alterã cerebri & neruorũ partẽ praui, ac maligni ab ea ſanie trãſmittuntur vapores, tunc oppugnata, nõ aũt expugnata facultate, ab eorũ prauitate, & ſæuitia, inſurgit natura irritata ad eorũ expulſionẽ, fitq; pugna ob eorundem diſcuſſionẽ, indeq; generatur motus ille tentãte natura remouere id, ꝙ cõtriſtat; cuiuſcemodi fit in ſingultu, vbi natura irritata à materia in vẽtriculi ſubſtãtia exiſtẽte, ꝑ motum illũ ꝗ̃rit contriſtantiũ remotionẽ. Hi praui vapores, cum deteriorẽ naturã acquieſierint, altiuſq; in neruorũ ſubſtantiã infixi fuerint, non ſolũ motũ hunc cauſant, ſed etiã expugnata natura, diſtorſiones mẽbrorũ generãt, etſi vlterius ꝓgrediantur, tandẽ conuellunt partes eas, & ipſum patientẽ perdunt. Hoc exẽplo manuductus cenſeo motũ hunc cauſari à ſimili cauſa, vid. ab aliqua re, ꝗ̃ prauã naturã, & malã qualitatem adepta ſit, hæc duplex eſſe põt, ſc. vel materia, vel vapor: vtrãq; quidẽ credo poſſe hunc affectũ generare, tamen cũ vapor facile diſcuti poſſit applicatione medicamẽtorum reſoluentiũ, & diſcutientiũ videamq; ſymtoma hoc etiã pluribus huiuſce generis recte adminiſtratis medicamẽtis, ſæpiſſime nõ cedere, ſed ꝑ mẽſes, & annos ꝓtrahi, iudico vt in plurib. hũc motũ fieri nõ à vapore, ſed à materia, ꝗ̃ materia ſit tenuis, pauca, & praua, qua tenuis, facile põt infigi in ſubſtantia, & principiis neruorũ, qua pauca, nec in totũ obſtruere, nec replere neruos põt, vnde nõ eſt apta nec inducere verã cõuulſionẽ, nec paralyſim, ratione a. qua praua, aduerſatur neruis, eoſq; ſtimulat, & angit cuius ratione excitata natura inſurgit ad motũ illũ, vi cuius poſſit eã materiã diſcutere; quemadmodũ pariter fit, vt dixi, in ſingultu, inſurgẽte natura ad expulſionẽ rerũ ꝑ̃ter naturã in ſubſtãtia vẽtriculi exiſtẽtiũ, & ipſã ꝓritantiũ, tandiuq; durat motus iſte cõuulſiuus, quãdiu fuerit in totũ diſcuſſa hæc praua materia ꝑ motũ illũ; ſicuti & pſeuerat ſingultus, quouſq; materia in vẽtriculi ſubſtãtia exiſtens, vel remota, vel diſcuſſa in totũ fuerit. Hoc a. tantũ cõtingit, vbi nec cõtinue noua materia ſubminiſtratur loco affecto, nec cõtinũa eiuſdẽ fit generatio: tuncq; motus iſte vel in totũ ſoluitur, vel de nouo genita, & trãſmiſſa ad eadẽ loca ſimili materia, repetit, periodoſq; habens ꝑ interualla accedit. Si a. cõtinue noua materia & generetur, & ſubminiſtretur, nõ ꝗeſcit motus, nec ꝑiodos habet, ſed cõtinuus eſt, & cõtinue affligere cõſueuit, ꝑ̃terꝗ̃ in ſomno, quo tẽpore obſeruaui patiẽtes à tali motu nõ cõcitari, ꝗ tñ vbi repetẽs dormientes aggrediatur, & ꝑ̃cipue ille, ꝗ periodice, & ꝑ interualla ꝗdã accedere cõſueuit, à ſomno excitat patientes, eoſq; è lecto nõnũꝗ̃ ſurgere, & deambulare ad alleuiãdã moleſtiã cogit, ſicq; motus iſte hãc habebit differẽtiã, ꝙ quãdoq; acceſſiones, & ꝑiodos habeat. quandoq; aũt ſit cõtinus, & cõtinuue affligat patiẽtes, ſemper à ſimili dependẽs materia: quæ tamen in habento periodos, & acceſſiones eſt tenuior & ſubtilior, & inde cito ſoluitur; in continuo autem eſt minus ſubtilis, & minus tenuis, & ideo magis reſolutioni rebellis.

In periodicis autem acceſſionibus, cum ſoluendus, & in fine eſt periodus, tunc maxime concutiuntur ægrotantes, magiſq; tunc affliguntur. Vnde nõnullos tunc temporis vidi alta voce clamare, & deprecantes aſtantes, vt eos detinerẽt, vt hinc motũ illum vehementẽ, & eius ſolutionem facilius ferrent. Hæc tamen materia neruos petens, ſi multum prauitatis conſequuta fuerit, motuiq; illi, diſcuſſioni nõ ita facile cedat non tantũ motum ſimpliciter conuulſiuũ generat, ſed etiã ex valida neruorum afflictione diſtenſiones membrorum ingentes & retractiones vehementes & admodũ doloroſas cauſat, q̃ ſi forte ob cauſarum vehementiam, vel ob partis læſæ imbecillitatẽ, partibus ſuperioribus communicatæ fuerint, in cerebro affectum epilepſiæ cõſimilem, producit, quo affectu accedente, ſæuienteq; tunc clamantes, & volentes ab aſtantib. detineri, concidunt patientes, ac ſi epileptici forent, à quo tamen caſu, poſtea terminata per reſolutionem materię affectum hunc cauſantis acceſſione, immunes, ac liberati ab omni motu præter naturam reſurgunt. Nec mirum ſit ex tam pauca materia in principio neruorum exiſtente poſſe ſubſeq tot praua, & ſæua ſymtomata; cum pateat ex pauca materia virulenta ad os ventriculi exiſtente, ſubſequi ſyncopes, conuulſiones totius corporis, & aliquando epilepſiã, & ſæpe mortem. Materia hæc q̃ principia neruorum petẽs, eſt in cauſa huius motus, non in ipſis generatur neruis, ſed alibi genita aliunde tranſmittitur. Vt plurimum autem in cerebro generari, ab eoque ad principia neruorum tranſmitti conſueuit, ſicuti ad principium medullæ ſpinalis; tuncque motus hic, ſi æqualiter eam in totum occupat, vniuerſum apprehendit corpus, ſi aũt vel dextram tantum, vel ſiniſtram eius partem detinet, fit motus iſte in parte vel dextra, vel ſiniſtra tãtum, è directo loci patientis exiſtente. Si aũt hæc eadem tranſmittatur materia, non ad principium ſpinalis medullę, ſed aliquẽ particularem neruũ membro particulari inſeruientem, tunc fit motus ille tãtum in illo particulari membro, ſi tamen in particulari membro læſio ingẽs fuerit, hic motus ab eo cõmunicatur etiam omnibus è directo partibus ſe habẽtibus, & hinc ſæpe à læſione particularis membri hæc affectio vniuerſo corpori transfertur, indeq; totum corpus hoc motu apprehenditur, licet autẽ vt plurimum fiat hoc vitio capitis, tamen & vidi factũ ratione aliarum partium, in quibus genita hæc materia, & inde ad neruos trãſmiſſa, factus fuit hic motus. Vnde & in viſcerib. patientibus, & in dorſi affectibus, & partib. inferiorib. (ſicuti coxis & crurib. læſis, cuius vitio generari potuerit talis materia) vidi factos hoſce motus, primo quidẽ in membris vicinis, & particularib. poſtmodum etiã cõmunicatos vniuerſo corpori, præcipue aũt ei parti, quæ è directo loci affecti ſita eſt, quapropter quodcunq; membrũ ita infectum, vt prauam gignere, licet minimã, queat materiam, poteſt eſſe huius motus ſufficiẽs cauſa. Quod membrum quomodo ſit inueſtigandũ, Medico diligenti patebit, dum conſiderauerit læſionẽ membrorum, eamq; perpenderit, & diiudicauerit, an primario, vel ſecundario; & an per ſe, vel per cõſenſum patiatur. Inuenta n. parte principaliter læſa, & ad cuius læſionẽ generetur hæc praua materia, ab eaq; neruis demandetur, nouerit etiã cuius vitio talis fiat, genereturq; motus, ad cuius generationẽ nõ tantum requiritur materia illa praua, & cauſa apta neruos ipſos lædere, ſed etiã neruorũ ipſorũ imbecillitas concurrit, oẽs n. fere, quos pati hoſce motus animaduerti ſemper notaui imbecillũ genus neruoſum vel ab ortu recepiſſe, vel ex accidenti in eis tale factũ fuiſſe. Quare affectus hic, q nullis ſignis ponẽdis declarãdus eſt, cũ ſenſui pateat, pendet ex pauca, tenui, & viroſa prauaq; materia ad principia neruorũ patientiũ, q ratione propriæ imbecillitatis facilius oẽm admittunt noxam, trãſmiſſa, q̃ genita ſit, vel ratione cerebri male affecti, vel ratione particulariũ membrorum praue ſe habentium; ad quæ principia cum fuerit tranſmiſſa, in eis infigitur, eaq; praua ſtimulans qualitate, viroſaq; eſſentia moleſtans proritat naturã ad motum hunc, cuius merito, ipſa tentat vel remotionem, vel diſcuſſionem materiæ peccantis; ſicuti natura irritata à materia in ſubſtantia ventriculi exiſtente, inſurgit per ſingultum ad remotionem, vel ad diſcuſſionem contriſtantiũ. Quibus poſitis, clare apparet, quid pro curatione huius ſymtomatis agendum ſit; Iudicatur n. primo, vt ea materia vel amoueatur, vel diſcutiatur. Sed quoniã hæc facile per motum hunc, vel remoueri, vel diſcuti põt, niſi noua ſuggeratur materia, ideo principaliter incũbendum eſt, ne materia hæc vel generatur, vel vt ſi genita eſt, alio diuertatur, non generabitur, ſi membra principaliter læſa, & in quibus fomes huius materiæ ſeruatur, roborẽtur, & temperentur. Si autem generatio non ſit prohibita, euocanda eſt materia hæc à parte læſa, & à neruis ipſis, alioq; diuertenda, præcipue autem ad exteriora, ſimulq; partes neruoſæ roborandæ erunt. An his indicationib. poſſimus ſatisfacere, vel non, dixerim morbum hunc difficillimum eſſe curatu, & hoc præcipue ſi hic non ad alios cõſequatur morbos, ſed ſponte aduenerit; neruoſæ n. partes in hoc afficiuntur, quæ ſemper difficulter oẽm recipiunt curationẽ. Vnde hunc motum in aliquib. non tantũ antiquari, ſed etiã, vbi à principio neglectus fuerit, cõſeneſcere vidi, ſi tamen pars primario affecta inuenta fuerit, eiq; oportuna adhibeantur medicamenta, dum morbus non fuerit antiquatus, & ſolicitus ſit patiens, non ita difficilẽ atteſtor eſſe curationẽ; facile n. tolli poterit, ſi materiæ prauæ generatio cohibeatur, eiuſque genitæ vel diſcuſſio, vel euocatio tentetur. Quibus aũt remediis hæc exequi debeamus, hinc pateat. Præſuppoſita vniuerſali facta & parata cum his, quæ neruorum genus reſpiciũt, medicamẽtis totius corporis euacuatione, q̃ ſemper particularib. curationib. p̃mittenda eſt, adminiſtret medicus ea q̃ diſcutiendi facultate donata ſunt; ſicuti oleũ camomelinũ, lumbricatum, anethinum, & liliorum alborum, rutaceum, Viperinũ, & q̃ huius ſunt generis, calidaq; actu ſæpius applicentur, ꝙ ſi hæc ſatis fuerint, his admiſceatur caſtoreũ, ꝙ cum ſubtilitate partium donatũ ſit, in caſu iſto multum conferre poterit, loca inungenda erũt præcipue collũ, & dorſum ab occipite, vſq; ad os ſacrum & vna cum his etiam partes magis ab hoc affectu detentæ, Partes læſæ, pellib. animalium actu tepidiorib continue cooperiantur; vel ſi hę deſint, loco harum ſtuppa canabina, vel lana ſuccida ſemper calida. Reuellatur materia cum frictionib. in parte oppoſita factis, fiant clyſteria acriuſcula ad eandem intentionẽ, his poterit morbus ſuperari, niſi noua regeneretur, & fluxerit materia, quo caſu adeũda eſt ea indicatio, qua membro generãti & tranſmittenti

atten-

attendendum eſt. Vnde ſi cerebrum ſit in cauſa huius materiei,conſideret Medicus,qua hoc intemperie laboret, eamq; corrigat, & temperet,in cuius vſum veniunt ea,quæ in hoc caſu (vbi in culpa ſit intemperies frigida,calidave) oẽs docent adminiſtrãda eſſe, ſed præcipue hic aſſumantur Embrochæ aquarum naturalium, quæ hic multum prodeſſe poterunt,robur n.cerebri hinc habebimus,& materiæ diſcuſſionem, quam ſimiliter tentare poſſumus ex eiſdem,ſi inſtillentur ſupra partes affectas. Si aũt nõ cerebrum ſit pars primario affecta, ſed vna ex inferiorib. ei incumbatur, tum intemperiem tollendo, tum ipſam roborando,ſicque genita materia ab his adhuc in fluxu fuerit, hæc euocetur ad extra, & ſimul diſcutiatur,quo caſu expertus ſum ſinapiſmata, omnibus medicamentis præſtare; his n. admininiſtratis, vidi quieuiſſe motum hunc, ſicuti animaduerti in puella decimum quartum annum agente; q̃ cum maxime moleſtaretur ad hoc motu, per annoſq; ita laboraſſet, & per interualla morbus regrederetur, ex nullis,quæ plura à Medicis parata fuere,remediis vllum ſenſit iuuamẽ:tandem cum tempore exacerbationis illius motus conquereretur, maxime ſe affligi ſub coſtis mendoſis prope ſpinã in dextra, parte, ego iudicans hanc partem primario affectam eſſe,hincq; tranſmitti,&communicari materiam neruis illis proximiorib.indeq; cauſari motum eũ conuulſiuum, ſolis ſinapiſmatib. præmiſſis tamen vniuerſalibus ei parti applicitis,morbum ſuſtuli,qui tamen ſemper totam dextram corporis partem apprehendebat,ac vehementiſſime cruciabat, adeoq;, vt & diſtorſiones membrorum,& affectum, epilepſiæ conſimilem,ſæpe induceret. Vltra ſinapiſmata tamẽ parti primario affectæ adhibita, diſcutientia etiam neruis applicentur, idemq; roborentur & per exterius admota(qualia ſunt inunctiones,emplaſtra, pfuſiones,balnea, embrochæ,ac ſimilia) per interius aſſumpta,qualia erunt confectiones magnæ, Antidoti variæ,Caſtoreũ ipſum, & vſus Terebinthi Cyprii,quæ valde prodeſſe poterunt. Vbi tamen cerebrum primario affectum ſit,præcipue ſum expertus pulueres ex cornu ceruino,tale ſuillo,cornu vnicornis,craneo humano, & conſimilibus oſſeis medicamentis addito cortice ligni Guaiaci, & radice ſalſæ pariliæ, multum profuiſſe, quæ etiam in cæteris caſibus prodeſſe poterunt.Si vero affectus hic rebellis fuerit,nec prædictis ceſſerit remediis,decoctum ſalſæ pariliæ, adhibitis corticib. ligni Guaiaci, & aliis, quæ neruos reſpiciunt(ſicuti iua,ſtœchas,& ſimilia, cum tenui, & ſiccanti victus ratione) oportune exhibeatur ad minus per viginti quinq; dies; ita n. deuinci poterit,& potiſſimum vbi intemperies membrorum prauam materiam generantiũ, & tranſmittentium,ad frigidum declinauerit, ſi autem ad calidum vergat, fluxioq;, & diſtillatio ſit admodũ praua potius veniat in vſum decoctio radicis cinæ; hæc n.diſtillante,& fluente materia tenui,calida,& praua,multum prodeſſe ſolet;& ideo in caſu iſto cæteris præferatur. Alimenta flatuoſa, & vaporoſa in affectu iſto vitentur,ſimiliter & quæcunq; acida,& acria,& quæ praui, & tetri ſunt odoris; hæc n.omnia neruos lædere ſolent.Vinum primis diebus interdicatur,poſtmodum autem debile,& in aquoſum cõcedatur. Veneris vſus prohibeatur, & omnis aeris exceſſus,præcipue autem frigidus,& humidus,& omnia animi moleſta accidentia, quæ potiſſimum hunc morbum exacerbare ſolent, fugiantur. *Salius de Affect. Partic.c.20.*

C A V S Æ.

O B S E R V A T I O.

Noua de natura & cauſis ſpaſmi ſententia.

NErui nequaquam muſculos mouent,ſed imperium deferunt ſolum,& ob id cõuulſionis ſubiectum primum ii non ſunt. Deinde ii neque copia differti, neq; vacuatione depauperati ſic decurtantur,vt muſculos contrahere poſſint. Tertio muſculi nullius conuulſionis authores ſunt, hac vna excepta,quæ à flatib. confertim & ſubito irrumpentibus cietur.Quare cerebrum(ꝙ poſt neruos inter inſtrumenta motus arbitrarii ſolum relictum eſt)ſubiectũ huius morbi eſſe concludimus. In hoc n. ſedem habet principium motus arbitrarii imaginatio ſcil. ſiue ὄρεξις αἰσθητικὴ(Nam ὄρεξις λογικὴ ſolum in hoc morbo non habet.)Tandem conuulſio morbus eſt eius partis cerebri,qua appetitus, vt proprio inſtrumento, primo muſculos mouet. Conuulſio igitur nihil aliud fuerit,quam morbida ſpirituum& cerebri diſpoſitio,à qua imaginatio appetitui iũcta ſic vitiatur, vt muſculis violentam illam cõtractionẽ, per quam membra inuitis nobis diſtorquentur, imperet. *Eraſtus Theſi.105.& 138.de Conuulſione.*

O B S E R V A T I O.

Opiſthotono mortuus, in cuius capite aqua cochlearia tria viſa.

OCtauius Albertus,Renati filius, dolore capitis ac deſtillatione, tenui vexabatur, cum exigua cõuulſione ceruicis ad poſteriora.Hunc defunctum comperimus aquæ cochlearia tria collegiſſe inter duram menyngem ac cerebelli poſteram ſedem.*Nereti Nerutii Med.Florent. Obſ.* ex Italia vna cum aliis eiuſdem accepta.

O B S E R V A T I O.

Coturnicum eſu comitialẽ morbum,& cõuulſiones cõtrahi.

COturnicib.veratri ſemen gratiſſimus cibus,quã ob cauſam eas damnauere menſæ, ſimulq; comitialem propter morbum deſpui ſuetum, quem ſolæ animalium ſentiunt præter hominem *Plin.libr.10.c.23.Eadem Solinus.*

In Doride & Bœotia & Theſſalia, omnibuſq; finitimis regionib.multi ex coturnicum eſu muſculorum diſtentionib. correpti ſunt, quoniam veratro ſ. illę veſcantur.Iſtud idem & Athenis quibuſdam acidiſſe nouimus, qui coturnicib. largiter nimis ſeſe impleuerant.*Gal.Com.6.li.6.Epid.Hipp.noſtro 35.* vide hac tota de re *Bruyer.de re cibaria li.15.c.35. Alex.li.13.c.7.Card.de ſanit. tuenda lib.3.c. 21.* Et ante illos omnes, *Mundell.Epiſt.6.*

Accidiſſe nouimus(idq; ex Aloyſio Bollacallo,audiuimus Patauino Medico celeberrimo) vt qui in ſympoſio quodam fuiſſent conuiuæ, omnes cõuulſione corriperentur,quida etiam morerentur.Poſtea inquiſitione facta, cõpertũ eſt appoſitas in cõuiuio coturnices,captas fuiſſe in loco, vbi magna hellobori copia proueniret,vnde ſuſpicio cõcepta fuit, ex hellebori violentia id malum emanaſſe *Seidelius lib.de morb.incurabilib.pag.102.*

Romæ mulier quædam ſponſa comederat in cœna duas coturnices,poſt harũ eſum ſecutus eſt morſus inſignis ventriculi, adſtrictio ventris, febris, totius fere corporis conuulſio, excretioq; vrinæ prorſus

ſus nigra & craſſa. Mane accerſitus. Dn. D. Parternus, quæſiuit ex illa, num hæc ſymtomata præceſſerit menſium Melancholicorum retentio, cum hoc negaret, & ipſe certus eſſet, caloris extinctionem, ſiue frigiditatem mortificantem, à qua alioqui huiuſmodi vrina ortum ducit, tam ſubito contingere nõ potuiſſe, præſertim cum pulſus eſſet magnus & vehemens. Conuertit ſeſe ad victum, & quæſiuit ab ipſa, quidnam cœnæ loco aſſumſiſſet, illa cum coturnices comediſſe aſſereret, ipſi ſtatim in mentem venit, cibus coturnicum, qui veratrum eſt, præſertim cũ adeſſet tempus, quo eiuſmodi cibo vtuntur. Veratrum a. cum educat atros ſuccos, & caro huius auis, vel ſucci purgatiua veratri infecti fuerint, vel aliquid in ventre auis veratri remãſerit, quod ipſa deglutinerit, veriſimile eſt, hac de cauſa iſtum effectũ conſecutum eſſe. Quod autem atros iſtos ſuccos, nõ per aluum eduxerit, in cauſa fuit, quia in hac muliere hoc longo tempore ſuppreſſa fuerat. Cõuertit ſeſe igitur ad vias vrinarias & per has ſuccos illos atros, à quibus color iſtæ vrinę nigrę originem ducit, eduxit. Ipſe vt hanc mulierem rurſus ſanitati reſtitueret, ordinauit ei clyſterẽ, ad aluũ molliendum, & remedia ſedantia morſum ventriculi, atq; ita eã ab hac affectione liberauit. *De Obſ. Laur. Scholzii.*

Observatio.

Ex decubitu ſub dio in humo contractæ conuulſiones.

QVendã ego vidi, qui cum humi dormiuiſſet ſub dio, mane conuulſionib. acerbiſſimis captũ in variis membris. *Iacchinus Comm. ad c. 13. lib. 9. Raſis.*

Observatio.

Filius meus triennis ex verminatione in ſpaſmum incidens, excluſo lumbrico, maligni generis viuo, liberatus, ſubſequente tamen tenaſmo, & inde etiam ani procidentia.

FIlius meus Ioannes Conradus ex Apollonia vxore ſuſceptus, tertiũ iã annũ ingreſſus, Maio mẽſe languere cœpit: cumq; ex febricula, ventris tumore, & oris graueolentia, nocturnis item dentiũ ſtridoribus, aliiſq; ſimilib. ſignis verminationi eum obnoxium eſſe cõiicerem, puluiſculum ex muſco marino Corallina dicto, lumbricis exigendis & putrilagini expurgandæ commendatiſſimum melle expumato exceptũ, & ecclegmatis modo remiſtum ei exhibui, quo ſumpto paucis ſubſequentib. horis fœtidiſſimã eluuiem multo ſero perfuſam ſed ſine vermibus aliquoties deiecit. Circa meridiem cum à matre grauida in vlnis, vt fit, geſtaretur, ex improuiſo, nihil huiuſmodi nobis metuentib. difficillimo ſpaſmo corripitur, conuulſis primum labellis, mox etiam oculis inuerſis, cum dẽtium fragore & manuum diſtorſione. Territus itaq; ſubitaneo & improuiſo malo, confeſtim theriacam cum pauxillo aceti ſubactam oris & nariũ regioni adhibeo, vnde breui à graui illo paroxyſmo leuatus eſt. Hũc vbi placidus admodum ſomnus excepiſſet, in lectulo reclinatũ diligẽter obſeruauimus: ſoluto tandẽ ſomno lumbricũ vnũ, viuum forma à vulgarib. rotundis variantẽ nonnihil, roſtello acuto & ſanguineo notatũ, cętera ſubſpicea lanugine veſtitũ, in lectulo obrepentẽ deprehendimus, q indubie expurgata putrilagine ex inteſtinis in ventriculũ ſubiens, eiuſdẽ orificiũ vellicãdo lancinans ſpaſmũ hunc tantũ nõ lethalẽ excitauit. Adhibita aũt ori & naribus theriacæ ex aceto miſcella à ventriculo rurſus ad inteſtina, & inde p ſedẽ accedẽte vehementi ex ſpaſmo corporis cõmotione ꝓpulſus fuit. Puer itaq; ex ſumma imbecillitate paulatim medicamẽtis & diæta idonea reconualeſcẽs ab hoc malo in ꝑtinaciſſimũ tenaſmũ incidit: cui poſt multa alia remedia fruſtra tentata tandẽ ſacculũ ex furfure præparatũ, & in aceti & vini rubri adſtringentis partib. æqualib. percoctũ, remedio alias infallibili, ſedi applicari præcepi, vnde ſubito tenaſmus cohibitus. Quẽ tamẽ aliud ęque difficile ſymtoma ſedis ſc. ꝓcidentia ſubſecuta eſt: cuius dũ diligentius cauſas inquiro, deprehẽdi erratũ à vetula, q̃ puerum ægrotantem obſeruabat, quæq; ſacculum ex furfure neglecto vino ſolo aceto, eoq; acerrimo incoxerat, cuius vi ani muſculus reſolutus, eiuſdem procidentiam induxerat, commiſſum eſſe. Quanquam a. ani illa proptoſis minimũ doloris puero, & p interualla tantum, vbi vid. acrium præterlabẽtium materia irritaretur, inferret: tamẽ hoc nomine fœda & moleſta fuit, quod toties, quoties alui excrementa excernẽda erant, reponere opus haberet. Perſtitit autem hic affectus (puero nimirum frequentem medicamentorum adhibendorum vſum auerſante ſubinde) ad plures menſes, donec natura ſua ſponte, muſculi paralyſi diſpulſa, ſedem firmauit. *Schenckius.*

Cvratio.

Observatio.

Conuulſio exinanitione curata.

COnuulſionẽ exinanitione ſanari poſſe, docere nos poteſt Reuer. Stellæ Caſſinenſis cõgregationis nunc generalis, caſus, qui ex vniuerſi fere ſanguinis per mariſcas ſubita euacuatione, non modo ſyncope, ſed & conuulſione ſtatim tentatus, ſanitati tamen reſtitutus, adhuc Dei beneficio incolumis viuit. *Herculis Saxoniæ Obſeruatio.*

Observatio.

Conuulſio ex ſanguinis immenſa hæmorrhagia nata phlebotomia ſublata.

IN magnis venis accepto vulnere confluente plurimum ſanguinem in partem, fit conuulſio, ꝙ periculoſum eſt, & malũ inquit *Hipp. Aph. 3. lib. 5.* & ſyncope, ſed ab ea non moriũtur ægri inquit Hollerius. Vidit & ipſe hominẽ natum 50. annos in conuulſionẽ & animi deliquiũ incidiſſe, ex tanta ſanguinis ꝓfuſione, quanta duo vaſa aquaria capere poſſent, admotis cucurbitulis & facta venæ ſectione, plaga quã minima conualuiſſe. *Douinetus Apolog. lib. 1. c. 3.*

Observatio.

Opiſthotonus ex congelatione facta in vena caua.

CHriſtophorus Alberti Pharmacopolę noſtri filius, vigeſimũ agẽs ætatis ſuæ annũ Melancholicus natura Wittebergã ꝓfectus eſt. Vtẽs igitur pro ratione victus loci illius cereuiſia & cibis frigidis & cõcoctu difficilib. incidit in ſuppreſſionẽ alui & dolores quaſi colicos: quib9 accedebat ſpaſm9 opiſthotonus dictus. Exhibuerunt igitur illi medicamẽta p os ſatis fortia: ſed tantũ irritarũt illũ paroxyſmũ ſpaſmaticũ & nihil ꝓfecerunt. Acceſſerũt igitur ad clyſteres valde fortes, q b. lenita eſt aluus, & cæpit meli9 habere. Sed quoties egerebat, inuadebat illũ paroxyſmus ille. Cumq; paulo melius haberet, ad nos rectus curru, rediit mediocriter habẽs, quanq̃ alu9 nõ reſpõderet, venit igitur ad nos die decima, nec interea tẽporis habuit beneficiũ alui: redierũt igitur dolores colici. Acceſſimus igitur ad clyſteria fortia, ſed parum ſunt operata, & ſemp exagitatione materiæ rediit paroxyſmus. Tandem exhibuimus illi ſimplicia cly-

cia clyſteria, ex libra vna lactis & mellis ℥ iiij. quæ ſatis commode operata ſunt, nec excitarunt tam vehementos paroxyſmos. Interea tamen temporis ſemper ſupprimebatur aluus & illi paroxyſmi redibant, magna cũ violentia ita vt tres aut quatuor homines, vix illum poſſent detinere in lecto: & hoc aliquando bis aut ter in die fiebat, ratio tamen ſemper conſtabat, & in paroxyſmo & poſt paroxyſmum loquebatur. Exhibita ſunt per os varia medicamenta incidentia & concoquentia materiã: deinde medicinę fortes, quæ tantum exagitarunt materiam, vt paroxyſmi eſſent vehementiores, excrementa erant plane pituitoſa & Melancholica, vrina aliquando ſupprimebatur, per biduum deinde prodibat nigricans & craſſa. Cumq; igitur diligenter ꝑpenderem ſymtomata huius morbi tandem cognoui eſſe ſpaſmum opiſthotonum propter congelationẽ in vena caua facta. Quia contingit, vt vena caua humoribus frigidis & viſcoſis abundet, ratione quietis ſanguis congelatur & frigeſcit corpus ob talem congelationem, vnde mẽbra neruoſa compatiũtur vt teſtatur *Montanus in 9. Raſis.* Conſului igitur illi vt vteretur decocto ligni & ſingulis quatuor diebus vteretur clyſteri ex lacte & melle: & cœpit melius habere & paroxyſmi redibant, nõ ita frequẽter, nec ita vehementer. Et quarta primum ſeptimana cœpit ſudare ex vſu decocti fortioris, alias ad noctem aliquando ſponte habebat ſudorem frigidum, ſudore veniẽte, ceſſauit ſpaſmus, ſed tremor occupabat totum corpus præcipue tamen crura. Inunxi igitur ſpinam ſingulis diebus mane & veſperi vnguento Friderici Imperatoris ad Paralyſin & paulo melius habuit, cumque eſſet obſaturatus vſu clyſterũ, infudimus quarto aut quinto die decocto fortiori mane ebibendo ℥ j. fol. ſena. & aluus ſatis commode deiiciebat, ſingulis etiam octo diebus hieram pachii exhibuimus, & ſenſim morbus remiſit. Tandem loco hieræ Pachii fecimus infuſionem in decocto fortiori ex hellebori nigri ℥ ij. epithymi ʒ j s. & vidimus multam Melancholiam & pituitam ab ipſo euacuari. Octaua ſeptimana loco tremoris ſenſit tantum frigus, ꝙ ex continuatione horum medicamẽtorum ceſſauit: & pedis qui videbantur eſſe contracti, vt non poſſet recta incedere, remiſerunt. Nec tantum toto hoc tẽpore apparuit corpus eſſe collapſum vel extenuatum, quod maximum eſt indicium humorum frigidorum. *Camerarius de Obſ. Ioan. Heßi.*

OBSERVATIO.

Tenſio neruorum ceruicis curata.

GRauiorib⁹ morbis obnoxia ceruix eſt: ſed inter cæteros importunior acutiorq;, q rigore quodã neruorũ erectam ægri ceruicẽ intendens, eũ ſæpe vel intra quartum diem interimit. Quo morbo cum Parmenſis quidã Franciſcus nomine grauiter vrgeretur, & nos ad eum vocati hominẽ robuſtioris naturæ, & qui turgentib. venis faciem etiam, atq; oculos rubicundiores haberet, inſpiceremus, ſanguinẽ ſtatim ex ea vena, quã κεφαλικὴν Græci vocant, mitti iubeo. Tum parciore victu, hoc eſt ſola aqua ex melle hominem cibans, hircino atq; caprino oleo detõſum madefacio caput: ſuperq; impoſito pileo, aluum etiam his medicamentis duco, quibus à capite ipſo ac cæteris ſuperiorib. partibus diduci reſoluiq; poſſit humor, qui huius mali cauſa fuerant: ex quo ocius adfuit illi ſanitas, quam mors ad futura credebatur *Beniuenius c. 103. de Abditis.*

Rigor neruorũ ceruicis, rectã & immobilem eam reddens, τέτανος Græcis dicitur, Conuulſiones ſpecies, ꝑ quã, vt *Gal. ait, lib. de muſculorũ motu,* partes immotæ in contraria trahuntur à muſculis oppoſitis. Conuulſionis enim, q̃ abſq; motu fit, tres ſunt ſpecies, ἐμπροσθότονος ad anteriora: veluti cũ mentum pectori annectitur, ὀπισθότονος, ſi ad poſteriora, vt dum caput ad ſcapulas pertrahitur: τέτανος, cum in neutrã partem immobiliter ceruix tenditur. Acutus aũt & vehemens affectus eſt. Memini olim me cuidam adeſſe, cui cum maxime dolore ceruix rigida in nullã partẽ inflecti poterat. Huic primũ fomentum adhibuimus: deinde aurea dicta catapotia dedimus, q̃ ſummo cum labore deuorauit. Subſequente a. ex his larga purgatione, à dolore & neruorũ rigore cito liberatus fuit. *Dodonæus in Annot. ad c. citatum.*

OBSERVATIO.

Vomitione æruginis adoleſcẽs à febre & cõuulſione liberatus.

IN ore ventriculi, cũ vehemẽtius morderetur, cõuulſiones fieri vidimus, ſicuti adoleſcẽti accidit, q æruginem vomuit. Præſtat n. vomitum illum æruginẽ q̃ æruginoſum appellare. Erat n. (qualis vera exactaq; ærugo appellata) viridiſſimus. Huic totũ inter vomendum eſt corpus cõuulſum, & ſimul vt vacuata eſt ærugo, ꝓtinus febris ipſius & cõuulſio ceſſarunt. Materia aũt vomitu reiecta talis erat, veluti ſi quis optimam æruginem eo modo aqua ſoluat, vt ex vtraq; connatum corpus, ſæpe referat craſſitudinem. *Gal. Comm. ad Aph. 1. lib. 5. Hipp.*

OBSERVATIO.

Conuulſio ab helleboro vomitorio curata.

VIdimus quendam Elleboro conuulſione correptum, qui datis vomitoriis lenitiuis breui liberatus eſt. Eodem fortaſſe remedio ſanatus eſt ille Galeni adoleſcens. *Hollerius Comm. ad Aph. 1. li. 5. Hipp.*

OBSERVATIO.

Quidam ex ſpaſmo dies quadraginta continuos ſpinam ad arcus modum retrorſum inflexam ſuſtinens, vrina lactea emicta, ſumptoq; caſtoreo, miraculo quodam conualuit.

CEruix grauibus & periculoſis morbis obnoxia eſt vel acutiſſimis. Nam neruorũ rigore, modo caput ſcapulis, modo mentum pectori annectitur, modo rectam immobilemq; ceruicem intendunt muſculi, priorẽ Græci opiſthotonon, ſequentẽ emproſthotonon, vltimũ tetanum appellant, ii deſtillationib. proueniunt. Ea vitia ad ſpinam quoq; deſcendunt, vt ipſa ad arcus ſcytici modum retrorſum flectatur acutiſſimo morbo, quo ſæpe intra quartũ diem tolluntur. Inter exẽpla Sanctius Pollanus Cydonienſis ex patricia gente ad 40. vſq; diem huiuſmodi tormentis tortus eſt, digeſta tandẽ materia & ꝑ vrinam humore lacteo reddito leuatus eſt, cui caſtoreum p̃cipuo fuit remedio. *Benedict. li. 5. c. 16. Anat.*

OBSERVATIO.

Spaſmus ad eryſipelas, bubonem & febrem in infante conſecutus & curatus.

NVllum remediũ vtilius eſt, q̃ embrocatio partis poſterioris capitis, nuchæ & colli cũ oleo violaceo decenter calido: ſicut ego feci, dum eſſem in ſeruitiis Illuſt. Dom. mei, Domini Caroli II. Sabaudiæ Ducis, in Illuſtriſſimo Ludouico Principe Pedemonti, p̃libati Illuſt, Ducis filio, q dum eſſet in cunabulis, paſſus eſt eryſipelas in tota tibia cũ bubone in coxa & febre intenſa valde, à q̃bus cũ conualuiſ-

ſet,incurrit ſtatim in ſpaſmum à ſiccitate cauſatũ cũ ꝯtinuis, maximiſq; clamorib. torquẽdo caput ad poſteriora & nullo modo poterat ſugere lac. Ego igitur ꝑfudi nuchã & totã partẽ capitis poſteriorẽ & collũ cũ oleo violato decenter calido, ꝑmittẽdo cadere, oleũ ab alto manu exprimente petiã in eo infuſam ꝑ ſpatium quartę partis vnius horæ,& ſic embrocando dormire cœpit. Mox pannis decenter calidis abſterſi caput leuiter fricando,&eũ dormire ꝑmiſi:ꝗ poſt tres aut quatuor horas ꝑ ſe excitatus, ſugit lac abſq; difficultate. Redeũtibꝰ eiſdẽ ſymtomatib. ſemel aut bis,eodẽ & remedio iterato, cũ gratia Dei ſanus factus eſt. *Bayrus Pract.lib.2.c.20.*

OBSERVATIO.

Opiſthotonus curatus.

LAborabat multũ Donatꝰ Lanza,& beneficio ꝓprio & experimẽtis in agnatũ ſuum atq; alios, vt nomen meũ omnibus innoteſceret, & vt in ciuitate inclareſcerẽ. Itaq; cũ relicta taberna pharmacorũ in domum Franciſci Sfondrati ſe cõtuliſſet, ꝗ vir & ſenator erat & ſecretioris conſilii,& multis nominibꝰ dignus:forte fortuna contigit vt ꝑ eoſdẽ dies puellꝰ, ni fallor 17. natus mẽſes, febre ægrotaret, aderat aũt Lucas Cruceius,famoſus medicus: dixeratq; nõ eſſe periculũ, 13. die ſuperueniente,comitiali morbo ſubito correptus eſt. Aduocatur alius celebris medicꝰ: hæret,& merito : nã in decretorio die aduenerat, & à febre: eratq; admodũ validus affectus. Tũ Donatꝰ ꝑſuadet patri, vt me aduocet, ille vt videbat periculi magnitudinẽ ſimul,& alterũ medicorũ deceptũ, alterũ hærere, miſit ſtatim ad me:nõ inueniunt, paulo poſt bona quadã fortuna rediens domum, intelligo me vocari:accedo illico,non ſolũ ꝙ vir illuſtris eſſet Sfondratus,ſed etiam quod de me bene meritus,ibi inuenio medicos reſpicio puerulũ,animaduerto cõtortũ collũ retro habere,dico corã omnib. laborare alio morbo, etiã grauiore q̃ comitiali: q̃rũt quo? reſpondeo,Opiſthotono. Ad vocem inſolitam omnes ſilent,coniiciuntq; in me oculos, tum Cruceius exponit,quid hoc nomine ſignificetur, deinde rogát, quare id dixerim,tum ego puerulũ attolli iubeo, vident retortũ collum velut arcũ,nec hoc contentus, admoneo vt conentur dirigere, nihil ꝓficitur, tum Cruceius,vt erat vir minime malus,ſeu numine impellente, inquit. Ecce non eſt ſimilis Hieronymo in dignoſcendis morbis. Adhæc verba obſtupuerũt omnes, vt qui ſcirent quanta apud medicos laborarẽ inuidia. Tum pater, Eſtne modo auxiliũ huic morbo? ſiluerunt ſocii. At ego,ne gloriã partã ſcientia artis,fortunæ arbitrio committerẽ, reſpondeo: me tẽtaturum omnia,nihil poſſe polliceri, ꝙ morbus natura lethalis eſſet. Medici reliqui coniiciunt totũ onus in me,ne ſi puer interiiſſet,ꝙ ſcirẽt notũ omnib. eſſe q̃ mihi aduerſarentur, ego in illos culpã reiicerem,poſtq̃ iam ꝑſuaſum eſſet aſtantib. me ſolũ morbum agnouiſſe. Hac igitur in parte fortunã propitiã habui, ſanauiq; puerũ, & ſatis breui: qui nunc à dignitatis cuiuſdã nomine Baro vocatur. Itaque ex ea hora tãtũ glorię mihi accreuerit, vt ſi vel integro anno Sfondratus Mediolani manſiſſet,oẽs ciues ad me confluxiſſent, atq; ita breui primũ locũ inter medicos noſtræ vrbis obtinuiſſẽ. Sed Deus,qui me ad maius munus vocauerat, effecit vt nondũ expleto bimeſtri ſpatio Sfondratus abierit: & interim etiam mortuus eſt Donatus Lanza. Tantũ tamen mihi ꝓfuit hoc factũ, vt nunquã deinceps coactus fuerim cogitare de moderando expenſas,ſed vt ꝓ eatũ magnitudine laborẽ augere vellem. Quæris quomodo ſanauerim? tribus auxiliis, breuiter dicã: abſtinentia à carnibus, vino & ouis : linteis in oleo chamæmelino & liliaceo perpetuo impoſitis ceruici, partibuſq; q̃ contrahebantur: & medicamento quod cõſtabat ex Methridato & triplo ſacchari roſacei, & electuario de moſcho, tum margaritis,hyacinthis. Smaragdiſq; orientalib. id quadam bona fortuna apud me compoſitum erat: miſcebatur ſerapium, ex citri ſeu mali medici ſucco. *Cardanus de curat.admir.cur.15.*

OBSERVATIO.

Tetanus aquæ frigidæ affuſione curatus.

EST tamẽ vbi in tetano ſine vlcere, iuuene *εὐσάρκῳ*, æſtate media, frigidę longa perfuſio calorem reuocat. Calor vero hunc ſoluit. *Hipp.Aph.21.li.5.*

Meminit huius curationis *Hipp.3.de morbis*, his verbis. Aquam frigidam plurimã ſuperfundito, & poſtea veſtimenta tenuia, pura ac calida ſuperintegito: ignem aũt tunc non adhibeto, hoc auxilium & ad tetanos & ad opiſthotonos adhibe. *Ioannes Liebautius in ſcholiis ad eundem Aphor.*

Ex his q̃ iuuant habentẽ ſpaſmũ communẽ, qui nominatur tetanus & tenſio, factus à materia, frigida eſt vt ſubito in aqua demergatur frigida, ſecundũ quod dixit Hippocrates. Nam corporis exteriora inſpiſſantur, & innatus calor in interiorib. clauditur, quare confortatur & reſoluitur materia : non eſt tamen omne corpus tolerans hoc à timore tutum: ſed corpus forte, iuuenile, carnoſum, quod vlcera non habet, & in æſtate. Plures enim per hoc iam euaſerunt. *Auicenna lib.3.Fen.2.c.7.*

Iſto modo curaui iuuenem viginti annorum, de quo deſperabatur in Morlanis, quamuis non multũ erat carnoſus. Habui fere viginti vrceos plenos aqua, & quatuor viri ægrum ipſum erectum tenuerunt. Ego aũt omnes vrceos euacuaui ſupra collũ & omnia inferiora membra eius, & ſtatim poſui eum in lecto, & poſt vnam horam cum dimidia vnxi ipſum à collo vſque ad poſtremum ſpondilem, ac tibias & brachia cum dialthea & marciato, & Agrippa, cum oleo caſtorei, & dedi ſibi brodium pullæ, & vere nihil amplius feci, & in eadẽ nocte curatus fuit, cum Dei auxilio. Alium curaui in Burgedalis, qui erat Anglicus, ſed iſte fuit corpulentus, per modum ſuperius dictum. Itaq; ſatius eſt aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam adempta ſpe certo perire, & potentibus extremiſq; præſidiis pugnare; quam nihil agere. Semper melius eſt anceps auxilium, quam nullum. In quo tamen deſperata omnino ſalus eſt, nec vllum patet effugium imprudentis artificis fuerit; apud vulgum infamare remedia, quæ multis opem contulerunt. *Iaſon c.21. De morbis cerebri, ex Valeſio.*

MORTVI.

OBSERVATIO.

Ex diſtentione neruorum mors ſubſecuta.

MIttere ſanguinẽ vt expeditiſſimum perito eſt, ſic ignaro periculoſiſſimum. Iuuenẽ vidimus, cui cum ex brachio ſanguis mitteretur, & neruum ſcalpellum attigiſſet, ſtatim ſubſecuta eſt neruorum diſtentio: quæ hominem ita crudeliter afflictauit, vt

paucis

paucis etiam diebus laboranti illi vitam eripuerit. *Beniuenius c.48.de Abditis.*

OBSERVATIO.

Spaſmo Cynico mortua mulier.

CVm imperitus quidam Medicus cuidam muliⁱerculæ ex gena dextra tuberculũ furunculo ſimile ſcalpello abſcidiſſet, nulla habita ratione neruorum ac venularũ, quib. illud, cũ ſemioui magnitudinem expleret, alligabatur, ilico ſubſecuta eſt inflãmatio ac dolor, ex quo ſimul infelix mulier in eũ incidit morbum, quem Græci κυνικὸν σπασμὸν vocãt: quo, dum miſellæ illi temerario quodam motu peruertitur os, & facies modo in dexteriorem, modo in ſiniſteriorẽ partem diſtenditur, ac totũ corpus pallore quodã ſuffunditur, adeo affligatur mulier, vt cum neq; ſanguinis miſſione, neq; alui ductu, neque vnctionib. vllis, neq; alio quouis genere auxilii hoc malum inhiberi poſſet, infra paucos dies è vita migrauerit: hoc nobis ſuo ipſius infortunio documentum relinquens, vt cum ſcilicet oportuerit, nõ paſſim nos omnibus, qui ſibi chirurgici nomẽ vſurpant, ſed his tantum qui doctrina ſimul, vſu & iudicio præualent, credamus. *Idem c.101. eiuſdem operis.*

OBSERVATIO.

Iuuencula & bene habita, in octauo geſtationis menſe opiſthotono corripitur, graui comitante febre. Quarto à morbi initio die filium parit, poſtero die conuulſa moritur.

MAgdalena Franciſci Martineti vxor, iuuẽcula, & bene habito corpore, vtero grauis in octauo geſtationis menſe febri continente ex putredine ſanguinis corripitur: ſecundo die opiſthotono afficitur, ceruice in poſteriorẽ partẽ inclinante: loquela priuatur eodem ipſo die: oculis cõuulſis, & in vnam ſemper partẽ ſpectantib. manet, febris acutiſſima intẽditur magis. Quarto à morbi initio die filiũ parit, purgationes cõmode exeunt, à partu tamen omnia grauiora & periculi plena apparuerũt. Poſtridie partus cõuulſa moritur, infanſq; horis aliquot poſt matris obitum & ipſe quoq; diem obiit, mater filiũ geſtãs eodẽ feretro humo tradũtur. *Valleriola li.6. Ob.5.*

OBSERVATIO.

Appoloniæ vxor mea dilectiſsima, nonimeſtrẽ prope partum vtero gerens, pyrophoba, ædiũ in vicinia conflagratione perterrita, vna cum fœtu, ventre adhuc concluſo, intra duodecim horas crudeliſsimis ſpaſmis extinguitur.

INfandũ prorſus, funeſtum, mihiq; & liberis meis plane exitioſum & deploratũ vxoris meæ chariſſimæ Appoloniæ ex patritia Wernhartorum apud Haganoenſes familia natæ, fœminæ honoratiſſimæ caſum hic locus renouare & non ſine lachrymis recenſere poſtulat. Hęc cum ætatis ſuæ quadrageſimo anno tertium iam grauida vterum ad vltimum prope menſem vſque, firma integraque, vt ſi quacunq; alias valetudine pertuliſſet: Ecce circa medium noctis ex improuiſo ædes in vicinia igne conflagrantes à tubicine turris ſummi templi excubitore animaduertuntur. Qui ſine mora ſimulatq; flammas conſpicatus fuerat, tuba ciues pro laudatiſſimę atque optime conſtitutæ Reipubl. noſtræ recepto more ad incendiũ reſtinguẽdum deſtinatos horrifico certe, ſed in huiuſmodi difficultatibus ſingulariter vſitato modulo & ſono prouocat. Verum cum pleriq; concubia nocte profundo ſomno tenerentur, & incendiũ ſubinde increſceret, ex maiore campana ictibus aliquot repetitis ſigno de nouo dato ciues denuo excitat: id quod non niſi in maximo incendio aut alias hoſtium metu fieri ſolet. Quibus tãdem expergefacti, alii ad arma, alii vero ad ſcalas, vncos ferreos, ſitulas coriaceas, idque genus alia ad incendia cohibenda cõparata, expedienda concurrunt. Strepitu itaq; per plateas frequenti armorum & inſtrumentorum diſcurſu animaduerſo, nos quoque excitamur, & quid rerum ſit perquirimus. Mox vbi de incendio in proximo oborto atque inualeſcẽte admonemur: perterrita vxor curioſa, & ipſa ſe è lecto quoq; recipit, claues ad arcas expromit, lumina aliquot diſponit, concluſa ædium cubicula & conclauia aperit, eo conſilio, vt ſi res ita ferat, quæ chariora & pretioſiora haberemus, commodius incẽdio ſubtrahi poſſent. Accidit autem, vt cum malo quodam fato per feneſtràs in ſublimiori ædium loco horribiles flammarum & ſcintillarum ſurſum in aera effumationes cõſpicaretur, ſtatim de vehemẽti grandioris iam in vtero fœtus commotione quereretur: cumque dolores parturientibus non abſimiles quaſi præcurrerent, iuſſa quieti ſe dare: paruit. Cumque ſedari iam viderentur dolores, ſomno correpta dormire viſa eſt. Sed ecce inter dormiendum derepente rurſus, ignis imaginatione indubie perterrefacta, horribili ſpaſmo corripitur, qui tanta violentia maxillas conuellebat, vt immiſſum ori cochlear, ne reſpiratio interciperetur, in fruſtilla quamprimũ dentibus confringeret, oculos diſtorſione omnino inuerteret, manus intorqueret, ſpinam diſtenderet, notabili fragore dentibus frenderet, ſtertorem in faucibus difficilem non ſine attoniti morbi metu ederet, membra pleraque & muſculoſæ partes palpitantes tremerent, mente abalienaretur, mox ſenſibus omnibus tam internis quam externis priuaretur, fœtus in vtero multifariam iactaretur, iam in latera, nunc etiam ſurſum verſus vitalia, rarius deorſum, nunc conuolutus, nunc explicatus animaduerteretur, ſpectaculo ſane horrifico & miſerãdo. Quo ſic conſternatus ſum, vt quis mihi cernenti tum talia ſenſus fuerit, quiuis facile iudicare poſſit, quidve in tanta trepidatione & tam crudelis & ſæuæ acceſſionis cõuulſificæ (quæ vt prima erat, ita ob violentiam vicinam mortem minabatur) cõſilii caperem, incertus eſſem prorſus. Siquidem hic morbi conclamati vis Hippocraticum illud: Grauidam ab acuto aliquo malo corripi lethale eſſe; in memoriam reuocabat, illic fœtus in vtero rationem aliam atque aliam, imo contrariam non tam rebus agendis indicationem præſcribebat, quam vtẽdorum remediorum moderationem ſuggereret. Adſtantes etiã mulierculæ pro ſuo more nullis hic medicamentis locum eſſe, tum grauidæ, tum fœtus occaſione, paroxyſmi tam atrocis vi, vtriſque propemodũ enectis, clamarunt. Itaque dum ſpemque metumque inter dubius, anxie medicamentis, quæ non ægrã ſolum, ſed & fœtum quoque grauiter iam periclitantem, & frequenter ſubſultantem reuocare atque confirmare poſſent adminiſtrandis inſiſto: tum quæ conuulſionibus debentur, conquirendis ſollicite admodum contendo. Ecce alius ſpaſmus æque atque primus formidandis ſymtomatibus ſtipatus, miſerã de nouo aggrẽditur. Et quia externa membra ex prima acceſſione ita debilitata fuerant, vt propendentia, viriumque expertia & languida omnino con-

ſpicerentur,& ſi ea etiã ſecunda hac vice plurimum conuellerentur,ob eorundem tamen imbecillitatẽ ad ſenſum,non intelligentibus haud tam crudeliter torqueri videbantur.Quin etiã intro conuerſus ſpaſmus interna quoq; maxime vitalia conuellendo p̃tentabat, edito iatus ex diſtentis partib. crepantib. ſono euidenti,adſtantib.nobis omnib.nõ ſemel exaudito.Vnde proxime ſanguinis affatim per os anaphoricõn inſtar reiectio ſubſecuta,q̃ res vt admiranda & rara, ſic extra hæmoptoicos in epilepticis ſolũ aliquib⁹ notata.Cæterum cum ex pulſu concidente & virib. proſtratis ſpem oẽm vitæ matris afferẽdæ abiicerem,atq; ægram iamiã morientem conuulſiones in ſingulas horas geminatis vicibus inuadere & crudeliter exercere,indicibili animi mei dolore cõſpicerem,locos num humerent aut cruenti quid remitterent,futuri abortus certa ſigna mulieribus explorandum præcipio. Quæ cum pudoris ſinum ſiccum omnino, neq; vllam fœtus excluſionis ſignificationem præbentem comperiſſent, ſimul etiã dubia viuentis adhuc fœtus ſigna ſurſum vitalia verſus conuolui notarentur,proh diram mortalium conditionem,nuncillicet ſatis repugnantib. de vtriuſq; vita actum eſſe videbam. Interea varia medicamẽta reficiendis virib⁹,ſpaſmo profligando,& ad partum deiiciẽdum accõmodatiſſima adminiſtrata. Ex quibus ea quæ ori infundebantur, pleraq; vna cum ſanguine regerebantur. Quæ v. exterius adhibebantur, nullum prorſus effectum in tanta matris cum fœtu colluctatione,qua ſeſe mutuo tot interuenientibus ſpaſmis conficiebant,oſtenderunt. Caſtoreum ex aceti modico & aquis ſpaſmicis maceratum, naribus & ori adhibitum,inprimis auerſabatur ſiquidem vbimitiores eſſent conuulſiones,aut nonnihil remitterent,viſa eſt rationi ſibi aliquo modo reſtitui, ſed viſu & voce à prima aggreſſione ad finem vitæ vſq; deſtituta fuit.Tandem cum ſpaſmi nullo modo, niſi prius vita ab iis ſuperata fuiſſent, ceſſuri viderẽtur, atque omnia in peius abirent, dulciſſima coniunx à prima noctis hora vna cum fœtu, qui ante aliquot horas mortuus coniiciebatur,tantis malis confecta, circa duodecimam horam meridianam ex hac vita caduca in ſempiternã, Anno Salutis M. D. LXXIV. XXVII. Iulii,placide deceſſit.Scire autem licet, cõuulſiones huiuſmodi multis de cauſis immedicabiles omnino fuiſſe.Primum incredibilis ille ignis metus & formido,quam ante multos annos Haganoæ firmiter impreſſam cõceperat,cum ciues vita & bonis,incenſa vrbe priuari ſe metuerent.Quod accidit Henrico ſecũdo Galliarum rege ciuitatem obſidione ad diem aut circiter premente, atque indignante, quod ad primum aduentum ſuum non ſtatim in vrbem receptus fuiſſet.Quin ante aduẽtum eius fama ſpargebatur, Regem Haganoam militibus ſuis ex pacto diripiendam conceſſiſſe. Quibus permoti ciues:cum iam tormenta bellica muris & portis admouerentur,tentoria extenderentur,ignes maximi vndiq; & vndiq; excitarentur:ipſa quoque ſingulari tum ignis metu correpta, perpetuo poſt eum terrorem animo ſuo obſtinate firmatũ,fouit & circumtulit ſecum. Accedente autem altero etiam illo funeſto & fatali incendio noſtro,cũ grauida, iam partui vicina eſſet,aucta πυροφοβίᾳ lethales illas cõuulſiones,proh dolor,incurrit.Porro Apoplexias, epilepſias, ſpaſmos, tremores, paralyſes ex animi affectibus, metu, terrore & conſimilib. non tam ſubitò excitari,q̃ plerunq; lethales & irremediabiles eſſe, exemplis & obſeruationib. libri huius abunde demonſtratum eſt.Quam potentes aũt grauidarum in fœtũ affectus ſint & miraculoſi,vbi vel maxime noxiis ardenter ſine offenſa omni p̃fruuntur,vel apprime deſideratis fruſtrantur, vel deniq; terrore afficiuntur, id operis huius libr.6.prodigioſis hiſtoriis oſtenſum eſt. Iam quotuſquiſq; medicorum eſt, qui grauidæ conuulſionem ex terrore, momento quaſi incuſſam,ſine omni cauſa interna morbifica prouocatam,vel certiſſimo medicamento arcere queat?Si morbi cauſæ ablatio, eiuſdẽ curatio eſt, quomodo, quæſo, ſubito conceptum terrorem, ne mentem & neruos ſtatim feriat,& percellat, inhibebit medicus? Si grauida monſtroſi animalis improuiſo occurſu perterrita fuerit, q̃ idem ne fœtui notam aliquam enormem & inemendabilem imprimat, prohibebit? Fortaſſis pluſculum ſpei liberandę coniugis dilectiſſimæ fuiſſet, ſi vel morbi vi, vel medicamentorum ope,abortus ante virium proſtrationem mature ſucceſſiſſet. Qualis aũt occaſio adminiſtrandorum remediorum fuerit,ex hiſtoria conſtat, vt quæ vel primo paroxyſmo confeſtim prope exanimata fuerit, fœtu, quod hic repetendum cenſui, ſurſum ſtatim conuoluto. At vero ſi tempus ſpectes, robuſta & optime valens cum fœtu intra duodecim horas, pauciſſimis interpoſitis dialimmatis continue ſæuientibus conuulſionib.animam cum ſanguine, horreſco referens,profudit.Indubitatum præterea eſt, denegata fœtus excluſione iam matrem fœtui, iam fœtũ matri conuulſiones ſubinde communicaſſe, cruenta vtriq; ad æternam vitam victoria. Adde nullã hic inuolucrorum fœtus diruptione, nullam ſeroſi aut ſubcruenti, ꝙ fieri nonnunquã ſolet, humoris profuſione notari potuiſſe: ſicuti quoque fœtus ad imum ventrẽ deuolutionem nullam compertã, quæ vel minimam abortus, qui tamen & ipſe quoque & matri & fœtui ſępe periculoſus eſt, promouendi indicationem præbuiſſent. Qualis autem enixus partus ſperandus ſit,ſi non præeunte & cooperante natura adiuuetur, in tanta præſertim virium deiectione, irritumq; futurum omnium medicamentorum partui excludendo ſeruientium vſum, quiuis facile decernet.Sæpius etiam in eam conſiderationem veni qua vel matrem vel fœtum ſectione morti ſubtraherem:Sed cum fœtus ante matrẽ multis argumentis mortuus crederetur,neutrum fieri potuit.Quod ſi fœtus matri certis ſignis ſuperuixiſſe deprehenſus fuiſſet, nihilo tamen minus moriendum ei fuerat, quãdo chirurgo fœtus ἐκτόμιας perito & exercitato caruiſſemus. Reſtat igitur vt firmiter mihi perſuadeam non hoc ſine numine Diuum accidiſſe, ſed Deum optimum maximum recondito ſuo conſilio ſic diſpoſuiſſe,vt artis præſidiis omnibus vacuus,auxilioque omni deſtitutus, fidiſſimam coniugem vitæ meæ iucundiſſimam ſimul & neceſſariam ſociam, ſenectutis liberorumque meorum poſt Deum ſpem vnicam,ſalutis denique meæ verius quam ſuæ curioſiſſimã, fœminam lectiſſimam, piam atq; honeſtam,rei domeſticæ imprimis obſeruantiſſimam, quibus donis plerisq; omnibus hic innotuit, deſerere atque amittere,non ſine ſumma animi mei perturbatione,vitæq; iactura coactus fuerim, vt ſubſecutis nimirum ab eius obitu innumeris calamitati-

bus ſe-

bus ſolus ſupereſſem, nihilque conſilii aut ſpei alias quam à Deo Opt.Max. ardentiſſimis votis flagitandum liquido per ipſius clementiam agnoſcerem: cui laus & honor ſit in ſecula ſeculorum. *Schenckius.*

Observatio.

Opiſthotonos ex clauo pedis digito infixo, ægrum extinxit.

FAbri cuiuſdam lignarii filius octodecim annorum, robuſtus iuuenis, forte ſiniſtri pedis digitum maiorem clauo caligario impegerat, quod vulnus quia neglectim habebat, neq; chirurg⁹ magnopere curabat, ſexto die opiſthotono correptus, tanta violentia conuellebatur, vt caput illius dorſo retrahendo affigeret, fruſtra & nimis ſero multis remediis tentatis, vnde me præſente miſere periit. *Cneulinus de obſeru. propriis.*

DE INCVBO.

Observatio.

Incubo laborantium hiſtoriæ.

NVperrime ſacrificus quidam me conuenit, Domine, inquit, niſi ſuccurras miſero & afflicto, actum eſt & prorſus perii, Tabes me habet. Viden' quam ſim emaciatus, quam exanguis? vix tenui pelle contegor, ſucculentus eſſe ſoleo, ſpecioſulus & bene habitus, nunc fœdũ ſpectrum videor, hominisq; inanis imago. Quid, inquam, te cruciat, & q̃ affectus tui cauſam opinaris? Dicam, ait, intrepide, & valde admiraberis. Sub quamlibet fere noctẽ ad me cõmeat muliercula mihi non ignota, & pectori meo illabitur, illapſa violenter cõprimit, atq; coarctat animæ meæ vias, vt ægre reſpirare queam. Quin clamitare cupienti vocis iter præcludit, vt quantum præ pauore nitor attollere, minime queam. Nec manus ad propulſandam iniuriam, nec pedes ad capeſſendam fugam expedire valeo. Vinctum me & affixum tenet. Heus inquam, ſurridens, nihil admirandum prædicas (ex narratione Incubonem intelligebam) merum eſt phantaſma, merum ludibrium. Nec plura moratus, Phantaſma, inquit: ludibrium inquit: profecto non eſt ita me Deus amet, quæ hiſce oculis conſpicatus ſum & quæ hiſce manibus exercui denarro. Equidem vigilans, mentisque compos, eam video coram, & inuadentem accipio, conorque obluctari, ſed præ languore, metu, anguſtia, & impacta vi nihil efficio. Hac de re horſum, vorſum amens curſitaui, vnumquemlibet percunctans poſſétne ſuccurrere miſerabiliter pereunti. Minoritam conſului (quem callidum veteratorem dicunt) ab hoc præſentaneã opem ſperabam. Sed ſpe mea plane fruſtratus ſum, nullam is ſalutem attulit, tantum monebat Deum Opt.Max. (quẽ iam pridem precibus fatigaram) ſtrenue adorãdum, vt dignaretur infeſtam vexationem auertere. Adii vetulam quandam pro fama populari, ſagam atq; verſutam. Hæc aiebat, quod ſub crepuſculũ diei ſtatim ab excreto lotio matulam obturarem dextra caligula, & fore, vt eo ipſo die malefica me inuiſeret. Id etſi vanum videbatur, nec parum me ab experimẽto abſterreret religio, victus tamen impotentia & diuturni laboris tædio, tentaui. Et per Iouẽ accidit vaticinium, veniens in domum meam veſicæ cruciatum quærebatur nec potui ab illa aut precibus ſupplex, aut contentione minax impetrare, ne ſub noctem ad me terrifica commearet, ſed implacabilis veterem morem aſſeruat, ſemelq; conſtituit me fœdo angore cõficere. Hominem hunc vix quiui vlla oratione ab inſania reuocare, ſed à ſecundo tertióue congreſſũ hilarior factus morbũ agnoſcere cœpit, & ſanationis ſpem fiduciamque concipere. *Iaſon de morb. cerebri, &c. cap. 26.*

Non iniucundum eſt, quod Medicus quidam ſcribit contigiſſe nuper apud Auernos in cœnobio quodam. Cum enim pharmacopola, quem ſecum habebat, inter dormiendum incubo laboraſſet, quĩ in eodem cubiculo erat, accuſauit. Se enim ab illis noctu prope iugulatũ fuiſſe, cõſtricto collo. Quod cum ſocii audacter negarent, totamque in eum culpam reiicerent, qui noctem inſomnem furore quodam percitus duxiſſet, iuſſus deinde eſt ſolus, laute cœna ſumpta, exhibitis etiam flatuoſis alimentis, dormire, cubiculo vndique optime clauſo. Rediit paroxyſmus, dæmonem eſſe iurauit, cuius etiam faciem, & geſtus mirifice depingebat. Neque vnquam illi aliter perſuaderi potuit, niſi vbi curationem inito conſilio adeptus eſt. *Scholiographi ad c. 13. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

Nobilem virginem ex bona proſapia nouimus, quamprimum ſomno oppreſſa, noctu ophialten perpeſſa eſt, viſaque eſt ſibi multos lemures & ſpectra videre. Quæ vſa meis præſcriptis medicamentis, in totum, à grauibus, eiuſmodi ſymptomatibus liberata eſt. Sed & in hiſtoriis legimus, quoſdam ex incubo vel ſuccubo mane in lecto extinctos inuentos fuiſſe. *Horſtius annotat. ad Lemnij occult.*

Memini, dum puer eſſem, me cubare apud matronam quandam optimam: cum dormiret ei ſuper ſtragula, vir niger mihi incumbere viſus, mane querebatur incubone ſe infeſtatam fuiſſe. Ego quamuis puer, nihil de nigro illo audebam indicare, quod minitari ſi quid protuliſſem viſus mihi fuiſſet. Quare mulieres olim putabant, ſe à Faunis opprimi qui hac mali parte tentabantur & Dæmon Faunorum faciem induẽs profitebatur ſe incubonem eſſe. *Heurnius de morb. capitis. c. 21. pag. 224.*

Observatio.

Epidemici ſeu popularis Incubi ſpecies peſtilens & rara.

MEmorat Silimachus Hippocratis ſectator, contagione quadam, plurimos ex iſta paſſione, veluti lue, apud vrbem Romam confectos. *Cæl. Aurelian. Tardar. Paſ. lib 1. c. 3.*

Observatio.

Incubus in conſtante ætate curatus.

GRandes natu corripit, ſed minus. Vidit Syluius duos quadragenarios habitu melancholico, qui de hoc affectu inter ſe conquerebantur. Coniecit id fieri propter ſucum melancholicum multum opplentem vaſa lienis ad ventriculum attinentia, coniecturam veram probauit, exitus: nam purgato ſucco melancholico, conquieuit. *Douynetus Apolog. lib. 3. cap. 2.*

DE MELANCHOLIA, SYMTOMATA.

Observatio.

Prodigioſa melancholicorum hiſtoria.

VT melancholicos timor nunquam deſerit, ita præter naturam eis per imaginationem viſa, non ſemper eodem genere continerentur. Siquidem alius teſtam ſe factum putauit, atque idcirco obuiantibus cedebat, ne collideretur. Alter gallos cantare audiens, vt hi alarum ante cantum, ſic ille brachiorum plauſu latera quatiens, animantium ſonum imitatus eſt. Fuit autem alter, timens ne Atlas, qui mundum ſuſtinere dicitur, grauatus ſub tanto onere ipſum à ſe excuteret, atque ipſe cum illo collideretur, ac nos quoque cum illo periremus. Sunt alia huiuſmodi infinita eorum viſa. *Galenus lib.3.cap.6. de loc.affect.*

Aliis (melancholicis) quidem caput plenum & graue eſſe videtur, aliis vero leue & vacuum, aliis ſiccum. Quidam neque omnino caput ſe habere putauit, ad quem excogitaſſe dicitur Philotimus ſupra reliquam curationem plumbeum pileum, à quo grauatus caput ſe habere intelligeret. Fiunt autem mente capti & timidi & miſericordes & lachrymantur & deſerta perſequuntur. Quidam etiam dęmones ab inimicorum præſtigiis ſibi immiſſos eſſe putant. Alii venenoſum pharmacum accepiſſe ſuſpicantur & ſuſpicionem ipſorum confirmant viroſi & peregrini ructus, qui ipſis adſunt. Et eſt morbus hic omniuarius, & non facile enumerabilis. Et alius ad lucem prodire timet, & tenebras perſequitur. Alius amiciſſimos timet, alius omnes homines: Alius fugit caliginoſos locos. Plerique tamen in tenebricoſis locis degere cupiunt, & in monumentis ac ſolitudinibus. Quidam vero etiam aquam timent & vinum, & oleum, & omnem liquorem, velut qui morſi ſunt à rabioſo cane. Et in ſumma melancholiæ deliria multiformia quidem ſunt ob particulares corruptas imaginationes. Vnum vero omnibus ipſis commune eſt: Timor & Triſtitia. Triſtantur enim omnes præter rationem, & neque ſi interroges, habent quod dicant cur triſtentur. Non pauci vero ipſorum mortem timent: & alia quædam nullo timore digna. Sunt etiam qui mortem vehementer exoptant. Quod igitur ob atram bilem ratiocinalis animæ principia occupantem, timor fit, & triſtitia & mortis formido, nihil miri eſt. Videmus enim etiam extra corpus nihil nobis ita horrendum veluti ſunt tenebræ. Cum igitur velut caligo quædam ratiocinali animæ circumfuſa fuerit, neceſſe eſt timere hominem, vt qui cauſam timoris ſecum in corpore circumferat. Sicut enim in profundis tenebris pueri timent, itemque adulti imperiti. Ita etiam atræ bilis color velut tenebræ rationis locum obumbrans, timoris efficit. Quapropter omnium ſymptomatum ſingulas accidentium cauſas enarrare impoſſibile eſt. *Aetius Tetrabibl.ſecundæ.ſerm.2.c.9.*

Ego mulierem vidi, quæ ea imaginatione vexabatur, vt medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem. Plorabat autem illa quoque, verita ne quando digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret, & omnia ſtatim interirent. Iam alios pleroſque vidimus, quorum ſuperfluum eſt, forte etiam ſupra vires noſtras omnium velle meminiſſe: verum hæc appoſuiſſe ſufficiet, quæ iis potius, qui à melancholico humore originem trahere incæperunt, ſolent euenire. Quapropter ſi morbus ex triſtitia aut ſollicitudine quadam præcedente, aut alio animi affectu cœperit, conſiderare tunc oportet, imaginationis ſpeciem, aut rationem, aut aliud quiddam eorum, quæ ſubitam mutationem efficere poſſunt. Plurimi namque ſic curati ſunt quodammodo, vel cum vidiſſent audiuiſſentque ea, quæ conſequi deſiderabant. Ita ergo Philodotus Medicus, quendam qui ſibi caput amputatum eſſe, quod tyrannus factus fuiſſet, putabat, caſumque deplorabat, curauit: impoſito repente capiti ipſius plumbeo pileo, & grauitatem ſentiens caput ſe recepiſſe rurſus putaret, gauiſusque ſit plurimum, atque ideo vana imaginatione liberatus.

Iam mulierem quidam curauit melancholia laborantem, hoc pacto: cum putaret illa ſerpentem ſe deuoraſſe, vomitum medicamento citauit, atque in id quod reiectum fuit, paruam beſtiam per omnia imaginationi illius & deſcriptæ à vana imaginatione feræ ſimilem impoſuit. Quare huius quoque affectum qui ob triſtitiam eius quod putarat, euenit, gaudium nimirum ſubito accedens diſſoluit. Adhæc aliam quandam ex longa viri peregrinatione melancholia correptam & iracunde omnibus reſpondentem vidi: ſed & ipſa eodem modo ſanata fuit. Nam maritus ille peregre reuerſus, nulli prædicens, neque aliquandiu differens, ſed ſubito ingreſſus, ſeipſum illi oſtendit. Præter ſpem igitur mulier ipſum conſpiciens, atque ita amplexa, multoque gaudio affecta, ſubito omni metu liberata eſt, rurſusque ad ſtatum naturalem rediit, vt nulla alia indigeret curatione Sic igitur, niſi affectus longo aliquo tempore infeſtauerit, tales imaginationes curare oportet, omni modo, omnique artificio vtentem, præſertim vbi malum à manifeſta quadam & veluti primaria cauſa occaſionem habuerit. *Trallianus lib 1.c.16.*

Thraſylaus Pythodori filius Axonenſis, hac inſania correptus fuit, vt æſtimaret eſſe ſuas quæcunque in Peiræum naues appellerent, illas recenſeret, dimitteret, deduceret, in portum ſubeuntes exciperet, tanto gaudio, quàm ſi dominus earum mercium eſſet, de his quæ perieraut, nihil requireret, de iis quæ allata & ſalua fuiſſent vehementer gauderet, ſic multa cum voluptate vitam agens. Vbi vero frater eius Creiton ex Sicilia reuerſus prehenſum medicis tractandum commiſit ab illa ſanatus dementia lætius ac iucundius ſe nunquam vixiſſe affirmabat quoniam & omnis moleſtiæ prorſus expers eſſet & plurimis interea voluptatibus frueretur. *Athenæus Deipnoſoph.lib.12.*

Apud Horat. *epiſt.vlt.lib.ſecundo.* Argiuus quidam credidit in theatro vacuo tragædos ſe audire: ope vero cognatorum ſanatus, queſtus eſt extortam ſibi voluptatem iucundiſſimam ademptumque mentis errorem gratiſſimum.

—Fuit haud ignobilis Argis:
Qui ſe credebat miros audire Tragœdos
In vacuo lætus ſeſſor plauſorq; theatro:
Cætera qui vitæ ſeruaret munia recto
More, bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in vxorem, poſſet qui ignoſcere ſeruis
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ:
Poſſet qui rupem, & puteum vitare patentem.
Hic vbi cognatorum opibus curisq; refectus
Expulit helleboro morbum bilemq; meraco,

Et redit ad ſeſe: Pol me occidiſtis amici,
Non ſeruaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Noſtra memoria vir quidam illuſtris in eum mētis errorem incidit, vt mortem animo conceperit, ac ſe iam è viuis exceſſiſſe haberet perſuaſum, adeo vt cum illum amici & familiares ad inſtaurandas vires iam collapſas, precibus, blandimentis, obiurgatione adhortarentur atque vrgerent, omnia reſpueret, quod cauſaretur mortuum eſſe ſe, ac nihil ita conſtituto opus eſſe alimento. Cum autem fame enecandus videretur, inſtante ſcilicet ſeptimo die, qui famelicis atque inedia lethalis eſſe ſolet, comminiſci cœperunt, atque excogitare rationem aliquam, qua poſſet hic mentis error eximi aut mederi: itaque inducti ſunt in conclaue, arte atq; induſtria obſcuratum perſonati quidam hiſtriones linteo obuelati ac faſciis obuincti, quibus mortui ſepulchris inferri ſolent, inſtructaque menſa ferculorum apparatu, liberalius largiusque ſe cibo, ac potu reficiunt, æger autem hæc conſpicatus, ſciſcitatur quid moliantur, & quod ſint genus hominum, reſponſum eſt, mortuos eſſe ſe: tum is, mortui ne edunt? illi, maxime, ſi libeat accumbere, id non vanum experietur, confeſtim mente captus exiliit, lectoque ſe ſubduxit, atque vna cum mortuis commentitiis cibo fruitur affluentius: peracta autem cœna ſomnus illi obrepit in eum vſum coſecto liquamine. Siquidem qui ſenſu mentisque iudicio ac ratione ſunt orbati, arte tractandi ſunt, nec vlla re efficacius, quam ſomno domandi.

Cuidam perſuaſum erat naſum ſibi excreuiſſe in immenſum, atque in prodigioſam longitudinem, exporrectum ſic, vt elephantis proboſcidem circūferre viſus ſit, qui nuſquam non eſſet impedimento adeo vt ſubinde patinis, vt illi creditum eſt, innataret: accitus medicus atq; affectum melancholicum ſubeſſe ſuſpicatus dexteritate quadam ac latenti habilitate longum farcimen naribus admouit, arreptaque nouacula ſeu cultro tonſorio, apprehenſa nonnulla carnis parte imaginarium naſum auulſit, confeſtim exhibita homini parum ſobriæ mentis ſoporifera potione præſcriptaque ſalubri diæta, omnis mali metus ademptus eſt.

Alius quidam hypochondriacus, hoc eſt cui pręcordia humore melancholico ac flatibus turgida eſſent, perſuaſum habebat, ranas ac rubetas, quas bufones vocant, inteſtina perterebrare, nec vlla ratione ea opinio illi eximi potuit. Medic⁹ quo illum magis haberet obſequentem (nam melancholici ægre ab opinione dimouentur) tale quiddam corpori inhærere pronunciauit, itaque exhibita purgante potione, ac ſubdito clyſtere procuratum eſt, vt aliquot eius generis reptilia in ſubiectam peluim conijcerentur: vbi autem pharmacum vires ſuas explicuit, aluus affatim inanitus eſt, conſpectisq; excrementis, & quæ illis innatabant animalculis, vana illa opinio animo excuſſa eſt.

Alter quidam opinatus eſt ex vitro ſibi conflatas clunes, ſic vt omnia ſua negotia atq; actiones ſtando perficeret, metuens ne ſi in ſedile ſe inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde diſſilirent. *Lemnius lib. 2. c. 6. de complex.*

In febre ardente Burgundus quidam Lutetiæ ad ædem S. Iuliani multis clariſſimis medicis aſtantib. mortuum ſe affirmabat ſimul cum fratre ibi decumbente: Poſtea phantaſia mutata declamabat, precabaturque medicos, ne amplius animæ impedimento eſſent, quo minus è purgatorio euolaret ad Deū: aliquando imitabatur moribundum, quaſi efflaret animam: monebat vt ſpectarent exſpiratum, poſtea ſummo timore & omnium deſperatione corripiebatur. Tandem opportunis adhibitis remediis & hæmorrhoidum profluuio liberatus eſt. *Scholiographi ad c. 17. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

Melancholici affectus dicuntur, qui ex imaginatione ea præternaturali varia ac multiplici fiunt, alii ſe figulina ex argilla vaſa eſſe putant de facili frāgibilia, & frequentiam hominum euitant, ne occurſu leui frangantur: alii ſe putant eſſe lupos vel gallos, alii non parua formidine hiatum terræ timent, quidam ſemper de morte cogitant, aliqui ſe mortuos eſſe arbitrati ſunt, cibum potumque reſpuentes, alii ſe ceruina cornua geſtare non dubitabant, quidam in flumina ſe immerſere, alii vitam ſuſpendio finiere, quidam religioſus in vadoſo Veneto litore ſine cauſa ſe obruit: quidam à dæmonib. quos noctu videbat, vt in puteum ſeſe demergeret, excitari nobis narrauit. Timent fere omnes quæ non ſunt timenda: & mēte corrupta in furiam labuntur, mortem eligunt, vt alia quæ magis timenda putant, euitent, ideo ſemper triſtes, pauidi, & meticuloſi cernūtur, ſicut pueri in tenebricoſis locis inſpicientes, ſic color fumidus atræ bilis mentis ſedem perturbans, timorem generat. Vnde philoſophorum ſententia eſt, corporis humores complexionē & naturam immutare, ex qua animæ actiones pariter immutantur & vires animæ corporis ſequi habitum, è diuerſo alii ſe reges principesque faciunt. Quidam nec ſe caput habere arbitratus eſt, qui plumbeo pileo grauiori capiti impoſito quo premeretur aſſidue, ſanatus eſt. Ille qui cornua ſe geſtare putabat, impoſitis & alligatis capiti ceruinis cornibus, quæ ſerra diu ſecari ſentiens, & ablata cernens, ab ea inſania liberatus eſt. Quidam qui ſe mortuum putabat moriturus, ſocii comitate, qui cum eo ſeſe mortuum in ſepulchro eſſe aſſerebat, & quod ipſe mortuus cibum caperet, ad eſcam facile incitauit inſanum. Sunt qui tales timidi, ſtupidi, miſerabiles, lachrymoſi, latebras & ſolitudinem quærentes, quidam ſe à dæmonibus vexari putant, alii venenum ebibiſſe, quidam mala medicamenta hauſiſſe, aut phyltra incautos deuoraſſe autumant, certiſſima tamen ſuſpicione. Eſt enim morbus varius ac multiplex, vel infinitus. Nam alii vel amiciſſimos metuunt vel odere, alii vel omnes: alii tenebras amāt ſolifugarum & talparum more, & in lucem prodire verentur. Alii aquam & humorem omnem formidant, quos canis rabidi vitio hydrophobos vocamus. Totidē enim ſunt melancholiæ deliria, quot particulares phantaſiæ, ſed vnum fere omnibus commune eſt, formidine agi, quando non metuenda metuunt.

Quædam mulieres ſine pudore nudæ per vrbem cōclamatæ inſaniæ feruntur. Exemplum vnum referam mulieris nudæ per ciuitatem peragrantis in quadam Italiæ vrbe, quæ cum in officinā quandam meritoriam incidiſſet, nocte tota à quindecim viris Venere defatigata, menſium largo profluuio, qui pluribus annis antea conſtiterant, non ſine magno pudore diluculo menti reſtituta diſceſſit.

Nouimus quendam in Creta religioſum habitudinis cholericæ, ætate iuuenem, ſubita furioſa dementia correptum, qui domeſticos omnes gladio perſequebatur, à pluribus captus, manicis & compedibus in carcerem intruſus eſt: tonderi ad cutem ſtatim iuſſimus, & ſupremam in cubito venam ſecari, & cataplaſmata capiti imponi, & cibum humectantem dari: verum præter pruna & ſorbilia oua omnia negligebat, factis & ſermone delirabat, neminemq; neq; amicum neq; ſodalem nouerat: audax, furioſus, poſt triduum ſanguis rurſus dimiſſus eſt. Mox rediere ſenſus paulatim, & manicas laxari ſupplex orabat, deinde & compedes, ſed clauſus in carcere detinebatur, tum perfecta loquebatur, nec factis deinceps delirauit. Qui demum non ſine pudore patres rogauit, vt in Nihium inſulam mitterent. Is enim nouilunio ſæpe comitialiter cadebat. *Alex. Benedict. lib.1.c.28. de curand. morb.*

Vidi quendam, qui totam mundi ſuperficiem imaginabatur eſſe ex ſubtiliſſimo vitro, & ſubtus eſſe ſerpentes, ſe in lecto tanquam in inſula, vnde ſi egrederetur, frangeret vitrum, & incideret in ſerpentes, & ideo nolebat ex lecto egredi. *Montanus conſil.23.*

Ego etiam audiui à fideli medico, quod mulier quædam illiterata, dum eſſet melancholica latinum loquebatur congruum: qua ſanata euanuit. *Aponenſis comment. ad probl.1. partic.30. Ariſt.*

OBSERVATIO.

Melancholiæ varia ſymptomata.

IN melancholicis affectuum varietas, & frequentiſſima mutatio, vt nunc canant, nunc furiant, fleant, rideant, imo & vnico vultu diuerſiſſimorum affectuum ſigna appareant, per conſtrictionem & relaxationem ſubitam, villorum cordis ex alternatim ingruentibus phantaſiis, cum apprehenſione boni aut mali. *Gemma lib.1.c.7. Coſmocrit.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria melancholici ad riſum proni: quem tandem mœror & triſtitia ſubſequuta.

QVidam Wildenbergius tribus diebus cõtinuis ad riſum pronus erat, vt quicquid ageret vel ipſe vel alii riſum ipſi mouerent. Is cum forte inter concionandum mulier dormiens de ſubſellio caderet, & omnes reliqui, qui id viderant, riderent, cœpit etiam ipſe ridere ita vt ſibi temperare à riſu amplius non poſſet tribus diebus continuis atque & noctu, ex quo admodum debilitatus & male affectus eſt. Vocatus Brunfelſius, explorato pulſu, iuſſit ſtatim ſaluatellam ſiniſtræ manus ſecari, ne tamen admodum multum detraheret. Statim igitur conualuit, & dixit Doctor, ſi per tres præterea horas expectaſſet, quod expiraſſet. Immoderatum iſtum riſum ſubſecuta eſt ingens melancholia, mœror & triſtitia: ſed ex confectione lætificantis Gal. paulatim melius ſe habuit. Accidit id anno 1525. *Ex ſchedis Geſnerianis Wolphius.*

OBSERVATIO.

Alia non multum abſimilis hiſt.

NOui Chirurgum quendam, mihi admodum familiarem, qui citra cauſam manifeſtam aliquando in tantum riſum ſeu cachinnum prorumpebat, vt interdum ad mediam horam, aut diutius nihil aliud agere, niſi ridere ſolebat, etiam cum periculo vitæ, vt adſtantes omnes nonniſi riſu emoriturum metuerent, tandem per ſyncopem ridere deſiit: idque magna ex parte accidit, quando erat parum potus. Nos, qui videbamus eum ridentem, obſtupefaciebamur ſemper, futurum putantes, vt ridendo moreretur, mortuus tandem eſt quartanarius. *Adolph. Occo, ſuis obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Melancholia ſingularis quadam ſpecies.

MELANCHOLIÆ ſingulari quadam ſpecie Gryphiſvvaldiæ Pomeranorum multos annos detenta eſt honeſta quædam & primariæ familiæ matrona, quæ anno ætatis viceſimo, marito ſuo nupta, trigeſimum nunc annum cum eo vitam in coniugio ſterili agit. Hæc mente quidem integra ac vegeta eſt, nec quicquam à ratione alienum loquitur, veruntamen auerſatur ea, quæ auerſari non debebat, & vitioſam ad cibos, potus, homines, veſtimenta, & cæteras res offenſionem atque faſtidium obtinet, propterea faſtidium melancholicum aptiſſime dici poſſe arbitror. Senſit primum faſtidium hoc paucis annis poſt contractum cum marito ſuo matrimonium, vt nec vndelibet allatis, nec à quibuſuis hominibus, vel in quibuſuis vaſis præparatis cibis aut potionibus frui poſſet, & ſi aliquando ad conuiuium ab amicis apparatum inuitaretur, panem, carnes & reliquos cibos vndiquaq; circumcideret, quam eos ori admoueret, nec cõmuni cum marito, nedum cæteris poculo vteretur. Ante annos vero circiter ſedecim puella quædam, cum qua ei ſumma amicitiæ neceſſitudo fuit, in ædibus ipſius Epileptica conuulſione correpta eſt. Eius paroxyſmi terror illi poſtea maiorem non tantum ciborum & potionum, verum etiam hominum, veſtimentorum ac cæterarum rerum ſatietatem iniecit. Nam ab eo tempore ſolum maritum ſuum eiuſque ex fratre nepotem puerum in domum ſuam admiſit, cæteros omnes tam externos, quam domeſticos & cognatos excludit, quod ipſos in Epilepticorum familiaritate verſatos eſſe ſuſpicetur. Sed nec Maritus omnes homines, niſi ipſa volente & conſentiente compellare audet. Præterea omnis fere generis cibos ac potus ab eo temporis ſpatio auerſata eſt, eoſque vel ab Epilepticis vel Epilepticorum conſuetudine vtentibus attrectatos eſſe veretur. Aliquot annis ſolo pane, à certo quodam Piſtore empto, cibi & ſola aqua ex certo quodam puteo hauſta, potus loco vſa eſt, poſtea vtriſque tam pane quam aqua illi ſuſpectis redditis, iam biennio ſolo lacte ex propria vacca, quam eius rei cauſa domi ſuæ alit, nec cæterorum pecorum gregi adiungi ſinit, mulcto, victitauit. Eadem quoque de cauſa multis iam annis ab vſu cœnæ Domini abſtinuit. Ad hæc veſtes, interim non mutauit, ſed eas ſolas, quibus tum temporis, quo puellam ab Epilepſia affectam conſpexit, induta fuit, retinet. Quæ cum quotidiano vſu prorſus attrita ac dilacerata ſint, iam in publicum, quod antehac facere ſolebat, prodire non audet, nec nouas ſibi veſtes parari cupit, quod omnes ſartores,

tores, ſutores, pelliones & cæteros opifices de Epilepſia, vel Epilepticorum conuerſatione ſuſpectos habeat. Denique ex omni ſua ſupellectile ampliſſima nihil præter vnicum cantharum & lectum in vſum adhibet. Et lectum quidem cum marito communem habet, cantharum vero, ex quo conſuetum ſuum lac haurit & veſtes ſuas, nec maritum, nec alium quenquam contingere patitur. Triſtis ſane & commiſeratione dignus caſus, quod optima illa matrona, in ſumma omnium rerum abundantia nullis propemodum eſcis vel potionibus famem ſitimue depellere, nec veſtimentis neceſſariis corpus tegere, nec aqua ſordes vel corporis vel linteorum veſtium abluere poſſit, ſed miſeram in ſolitudine, ſqualore & immunditie vitam traducere cogatur. *Seidelius ſuis communicatis exemplis.*

CAVSÆ.

OBSERVATIO.

Melancholiæ morbi cauſa veræ dioriſmo inuentæ, atque experimento conſtituta.

SI ratiocinationis imaginationis, & cæt. præcipuum inſtrumentum recte demonſtrauimus eſſe ſpiritus animales naturæ congruenter affectos, prorſus neceſſarium eſt, vitiatæ tum ratiocinationis, tum imaginationis cauſam proximam eſſe diſpoſitionem eorundem ſpirituum inconuenientem. At melancholia eſt affectio quædam cerebri rationem aut phantaſiam primo impediens. Quare diſpoſitio eſt ſpirituum contra naturam. Equidem quod nos per ſomnum, per ſubitum timorem, per ebrietatem & cæt. falſa imaginari cogit, idem quoq;, vt per melancholiam aliasque deſipientiæ ſpecies, imaginando erremus efficit. At in prædictis cauſa eſt, vel ſpiritus inordinate motus, vel vapor alienus cum eo miſtus, diſpoſitionem ipſius naturalem contaminans. Hinc ſcite dictum eſt, talia eſſe delirantium phantaſmata, qualia ſunt dormientium ſomnia. Non obeſt ſententiæ, quod ille deſipientiæ ſunt breues, melancholica autem deliria plærunque longa exiſtunt. Hoc enim non modum generationis alium eſſe probat, ſed perſeuerantiam cauſæ eandem vtrobique non eſſe, clare oſtendit. Hinc ex hypochondriaca melancholia deſipientes, quia malum in cerebro pertinaciter non hæret, ſæpe ad ſe ſubito redeunt, ac puriſſima interualla habent. Quocirca nihil aliud eſt melancholia morbus, quam praua quædam ſpirituum cerebri diſpoſitio, à melancholicis fumis profecta, mitem cum perſeuerante timore & triſtitia deſipientiam inducens. Duplex vero eſt huius morbi ſpecies. Nam vna perpetua eſt, altera ex interuallis affligit. Illius cauſa eſt in cerebro ipſo, huius extra ipſum ſubſiſtit, ac hypochondriaca à Medicis nominatur. Illam rurſus bipertitam faciunt. Nam aut in ſolo cerebro humor ac vapor talis continetur, aut in toto corpore (vel pluribus ſaltem aliis partibus) collectus eſt. *Eraſtus diſputat. Heidelbergæ habita, Anno* 1577. *Reſpondente Leone Wolpharto Memmingenſe.*

OBSERVATIO.

Melancholici cuiuſdam locus affectus circa torcular in cerebro.

NOuit Syluius quendam, qui leuem quandam melancholiam patiebatur, & aliquando ſimilis furioſo videbatur, is ardorem magnum dicebat ſe ſentire interna capitis parte, qua torcular eſt, vaſorum cerebralium ad ſuturam lamdoidem & in occipitio vbi decidit vas inſigne quod reptans ad frontem vſque inter duo cerebella protenditur, in quo ſolum cerebrum afficitur. In hoc morbo ſectio cephalicæ & baſilicæ inutilis fuit, atque etiam poplitis. Fortaſſe vena frõtis ſecta vtilis fuiſſet quod animalem facultatem exoneraret. *Douynetus Apolog. lib.3.cap. 2.*

OBSERVATIO.

Somno ob melancholiam menſibus quatuordecim quidam deſtitutus.

DEprauatæ aut perturbatæ mentis functionum comites fere ſunt vigiliæ, eæque interdum pertinaces adeo ac diuturnæ, vt mente captus quidam menſes quatuordecim inſomnes duxerit. *Fernelius lib.5.cap. 2. Pathol.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Virgo quædam ob menſes retentos melancholia correpta, & tandem inſaniens, per venæ ſectionem curata eſt: qua minime repetita, recidiuam incurrit.

SI fas eſt, vt ſe res habet eloqui, nullum animi perturbationibus inueniri poteſt præſentius remedium, quam quod miſſione ſanguinis adferri poteſt, cuius ope & viribus ipſa commotio ſanguinis & difflari poſſit & refrigerari. Vnde poſtea ceſſet putredo tandemque deſinat ſanguinis inflammatio.

Vis eius ſectionis nobis quondam enituit apud Stephanum laminium in vico Diui Antonii & eiuſdem nominis templi confinio, qui vt cuidam apud ſe virgini mederemur, procurarat nos ad ſe conuocari. Erat virgo annorum quatuor & viginti, corpore vegeto craſſoque, facie ſubrubente & læta lepidaque, quæque prima ſtatim fronte ludere videretur. Aderat Stephanus ille herus eiuſque vxor & quotquot erant in ædibus pueri. Imo etiam, ſi valemus memoria, Martinus Collaudus in eodem vico Chirurgus & Magiſter Guilielmus Bellus eius vicinus pharmacopola, priores in auxilium vocati, nec ſua adhuc opera quidquam profecerant. Adeo omnes illi iſthanc virginem conturbari obſeruauerant, horrere, contremiſcere, pallere, erubeſcere, vagari modo, modo delitefcere, ſilere diu, conclamare repente alias tot denique malis excruciari, tot differri doloribus & perturbationibus animi, vt in ſuſpicionem dæmonii tandem omnes deuenerint, quum morbi principio, ludos iocoſve illi antea eſſe reputaſſent. Ad hanc cum appuliſſemus, aſſertum nobis eſt, firmatumque,

que, nullis prius vexatam animi doloribus, nullo mœrore aut moleſtia, omnes denique defuiſſe ægritudinis cauſas, & triſtitiæ, ſaltem occaſiones eſſe minus oblatas, nullos etiam amoris præceſſiſſe igniculos, quorum conſcii eſſe poſſint teſteſue. Inter has moras auctiora eſſe cœperunt omnia, & nobis præſentibus geſtus varios & vultus nouos illa capit & varie componit ſeſe. De Phantaſmate quæritur magnitudinis cuiuſdam inuſitatæ quodque pollicetur adeo truculenti vultus, horrendique, vt cuius intuitu illa horreſcat magis & coram omnibus perpetuo contremiſcat, eiuſdemque præſentiam conſpectumque refugiat oderitque peius cane (vt dicitur) & angue. Multa ipſi primum præſcribimus, quæ melancholici humoris acerbitatem retundant, reprimantque eiuſdem perniciem, multa quæ fumos diſſipent tetros, quæque eundem humorem depellant, tandem etiam quæ foras eiiciant, & euacuent. Nihilo inde magis ipſi minuuntur cruciatus: quin potius cumulatur malum vigiliarum damnis angeturque, illique tandem inceſſit exclamandi vociferandique permagna cupiditas: phantaſma denique eam crudelius propiuſque premit, agitat & conſectatur. Iuſſu noſtro herus gladio armatus & clypeo phantaſma illud deſignatum adoritur magno fortique animo. Quod cum intuetur illa, manibus pedibusque obnixe rogitat ſupplex, vt herus phantaſmati nequiſſimo inſidias paret ipſumque confodiat. Proindeque obteſtatur iterum vt herus ad id attendat ardentius. Alioqui identidem ſtatim recurſurum aſſerit ſedulo ni animaduertat. Fugandum inde alii aliter exclamant miſeranda, commoti clementia, & ſingulari miſericordia ducti. Tot quot homines ſententiæ. Accerſendos eſſe parentes, & commonefaciendos adhibendoſque cenſent, omnes in conſilium.

Nos ægrotantem contra ad eos deducendam eſſe percenſemus. Ita fore vt loci & aeris mutatione fortaſſe illud prægrande phantaſma diſpareat & euaneſcat. Eo cum ventum eſt, ecce propere phantaſma præcurriſſe conqueritur miſella. Ibi retinetur tamen vi diem totum noctemque, & quod ante ſe duceretur atq; phantaſma præuenerit, ipſamet illius peruerſitatem incuſat. Eam interea parentes, ſuis quibus apud ſe poſſunt auxiliis adiutant, ſed promouent admodum parum. Eodem iterum conuocati comperimus omnia grauiora, inædia dum vires labaſcunt, metu perenni, vigiliis egerendique frequentia. Sæpius ſiquidem iſthuc protrahebatur, vbi phantaſmatis locum deſignabat, quaſique digito demonſtrabat, animi gratia ſecurioris, & comparādæ ſecuritatis. Tumque dum luctabatur omni renixu, ita conturbari, præmi & quaſi opprimi phantaſmatis vicinia contactuue vidimus, vt egerere protinus vtrinq; cogeretur, facti neſcia & velut oblita ſui. Nullum non mouemus interea lapidē, cumq; interueniſſet eius mater, interpellata num illi belle ſingulis lunis menſes reſpōdiſſent, ſubticuit: iterum rogata per me, ſe minus aduertiſſe fatetur firmatq;. Iam enim liueſcebat facies præ ſanguinis refluxu & abundantia. Nobis (hercle) turpe & indecorum videbatur, nihil noſtra opera potuiſſe reſcindi. Inde adeo factum eſt, vt in rem ægrotantis illico conſilium inierimus de ſecanda vena. Vinum interea vt viribus collectis eſſet ferendo, illi meracius propinatur etiam generoſiſſimum, tumq; vena ſiniſtri cubiti interior pertunditur. Sanguinis effluxu omnia continuo diſſipantur, vt pene infecta qui aderat, dixerint quæ præceſſerant incommoda, ita belle omnibus viſa eſt in integrum reſtituta. Vires confeſtim factę ſunt auctiores, nullæ denique mali ſuperioris veſtigia reſtiterunt. Perendie iterum venam ſecari oportere, recreatis etiam prius viribus conſulebat vis boni. Quod eſt attentatum quidem, ſed parca admodum manu. Miſellæ attamen huic inuētum eſt ad aliquod tempus remedium, quod tantiſper illi fuit ex vſu, dum in tanta iterum copiam ſanguis coaceruaretur, vt copia æqualis priori, & exitu impeditus in eandem denuo reuolueretur naturam & perniciem, quæ ſimiles tandem turbas & cruciatus concitaret atque prius. Iſta vero nunquam redeant, nec renaſcantur, ſi ex arte medicinam fecerimus, & iuxta præſcriptum Hippocratis *libr. de virginalibus* omnia detraxerimus impedimenta quæ deorſum expellenti obnituntur naturæ, prohibentque ſanguinem effluere. *M. Cordatus comment. ad libr. Hippoc. de virginalibus.*

Obſervatio.

Melancholici annuis euacuationibus curati hiſtoria alia.

ERAM Romæ primum, cum cæteri omnes mihi inſidiabantur: erat etiam vir quidam præclarus ac fortunatus L. Martius qui quotannis incidere in melancholiam conſueuerat, erat porro admirabile videre clementiam ſimul & inſcitiam, & temeritatem illorum medicorum, quibus eo tempore cuncti principem locum tribuebant, alii enim pituitoſos, alii bilioſos humores euacuabant, at Lucius cum nihil proficeret, nec meliuſculus eſſe inciperet, ac de me eſſet ad ipſum perlatum, ſtatim me aduocandum cenſuit, vt ego quoque & de origine & de curatione morbi diſſererem, ego vero acceſſi, & ex ſolo colore feci de noxio humore coniecturam, ipſumque eſſe melancholicum cognoui, itaque eum ipſum euacuaui, & ſtatim Lucius eſt melancholia liberatus, hoc prætera illi conſilii dedi, vt ſingulis annis verno tempore, ac ſi opus etiam fuiſſet autumno idem faceret: eique receptui fore, vt poſtea eodem morbo non corriperetur, quod cum feciſſet, meam vocem ex aureo Apollinis tripode miſſam etiam hodie prædicat. Ea autem euacuatio fit, aut venæ ſectione, aut medicamento, aut hæmorrhoidibus reſeratis: id quod etiam tutius eſt, ex quo fit, vt cum hæc euacuatio ſit alicui conſueta, tum vero ſuppreſſa, exiſtere melancholia ſoleat, ac ſi quis id parui faciat, nec prius corpus expurget, cum ſymptomata huiuſce affectus perſentiſcere neceſſe ſit. Sed conſequuntur etiam ea omnia, quæ ipſe memorauit: vt abſceſſus, morbus attonitus, conuulſio, inſania, aut alii affectus; quorum nulla poſſit inueniri leuatio: cum humor melancholicus plus vel aduſtus vel putris redditus, malignam acrimoniam contraxerit.

Galenus lib. de Hum. commen. 3. ad text. 26.

Obser-

OBSERVATIO.

Melancholici deſperati vitro antimonii reſtituti, hiſtoria memorabilis.

STibium opitulatur omnibus in vniuerſum morbis, quos atra bilis excitauit, iiſq; præſertim, qui hypochondriacam obtinet inflammationem. Equidem vidi Pragæ Bohemorum parochum, qui melãcholicus factus, plane deſipiebat, multaq; ſtulte loquebatur. Huic ſane exhibitum fuit ſtibium granorum duodecim pondo: q; paulo poſt copioſe atram bilem per aluum eduxit, cui erãt admiſta (vt ego qui vidi vocatus tãquam ad miraculum teſtari poſſum) ramenta veluti carnis, quæ magnos varices in particulas diſſectos præ ſe ferebant. nãq; excrementa illa ſanguinem nigerrimum repręſentabant potiùs, quã vllum ex aliis humoribus. Hoc vtiq; illi tantam opẽ tulit, quod poſtera die viſus eſt belle priſtinã mentis ſuæ ſanitatem recuperaſſe. Et quoiam is erat corpore robuſto & animo forti, ideo non eſt mirum, ſi facile & fine vllo incommodo tulerit tantam illius medicamenti quantitatem, quanquam audax nimis forte habendus eſt ille, qui eam exhibuit. *Mathiolus comment. ad lib. 5. c. 59. Dioſcorid.*

OBSERVATIO.

Mulier melancholica, enemate & cauterio curata.

MELANCHOLIA vehementi correpta quædam mulier nullum voluit plane admittere Medicamentum nec dormiuit quicquam. Piſaurenſis iuſſit fieri clyſterem ex vino Maluatico & Philonio, & optime contulit. Nam vinum deducit vim medicamenti ad cerebrum. Deinde peruenit ad cauterium actuale, in ſutura coronali. *Ex obſ. manuſcriptis Camerarii communicatis.*

OBSERVATIO.

Melancholia cum hæmorrhoidibus annuis purgationibus leuata.

QVIDAM quotannis, niſi purgetur laborat melancholia, & mira viſu res eſt, quo modo iam ipſe etiam incipientis morbi, primam præſentiſcat generationem, meque protinus accerſi iubeat: quo melancholicis humoribus expurgato, è veſtigio ceſſat melancholia, atque huic quidem ex purgatione hæc duo commoda eueniunt, vnum, quod expurgentur ſuperuacanea, alterum, quia excretorum acrimonia recluſa, paululum hæmorrhois mali ſanguinis aliquid ipſa etiam profundat. Nam quum ſolennis ipſi & conſueta ſit eiuſmodi excretio hæmorrhoica, eius poſtea ſuppreſſione redundat melancholia. Ipſum itaque non Vere ſolum ſed Autumno etiam purgare ſoleo, quia ſi per hæc tempora propriæ aliquando purgationis anticipationem neglexerit, nonnulla ſentiat ſuperioris morbi ſymptomata. *Galenus comment. ad Aph. 47. lib. 6. Hippocr.*

OBSERVATIO.

Melancholia cum comitiali morbo complicata, vt in ſumma deſperatione curata.

CÆSAREM Palauicinum, aliumque nobilem ex oppido Gallarati, melancholia & comitiali morbo alternatim, quorum vnus iam quindecim diebus (cum febre, Palauicinus, alter iam ſex menſibus ſed ſine febre, verum cum clamoribus) laborantes & fruſtra à medicis vexatos, ſomniferis lotionibus capitis, & ſolo potu pulueris chryſoliti ex vino, in octo dierum ſpacio ſic liberaui vt nunquam morbus redierit. *Cardanus curat. admirand. cura. 3.*

OBSERVATIO.

Melancholia difficili cum diuturna alui aſtrictione, poſt multorum remediorum inutilem vſum, liberatus quidam.

IVVENIS ditiſſimi mercatoris filius, cum ante annum ad nundinas Nordlingenſes proficiſceretur, ac per decem dies integros, in eadem profectione inſumeret, in reditu grauem melancholiam incurrit, qua ſibi perſuadebat, omnem eam pecuniam, quam eo mercatu conquiſierat, furto ſibi ablatam, quin eo vſque delirabat vt ſe hominem eſſe haud agnoſceret. Imo parum abfuit, quin totus amens fieret. Domum reuerſo parẽtes anxii omnem operam in percurando filio nauarunt, at poſt multorum remediorum vſum, quum ſe inanem operam ludere viderent, in eam ſuſpicionem incidere, qua philtrum ſeu poculum amatorium propinatum fuiſſe ſibi perſuaderent. Puellam enim noſtratem liberalis formæ, paulo ante deperibat. Ego tandem vocatus, cauſam huius affectus inquirens, hominis aluum ideo plus minus decem aſtrictam comperi. Itaque clyſtere iniecto & poſtero die ſyrup. de Rhabarbaro exhibito, intra paucos dies conualuit. *Cneulinus de obſ. propr.*

OBSERVATIO.

Caſu à melancholia liberata mulieres.

ERAT quædam annos nata plus minus vigintiquinque, cui, vt ſunt garrulæ mulieres litiganti, acquiduis vt in buccam venerat, improperanti vicina irritata auitum neſcio quem næuum, illi tamen incognitum, obiecit, quod eo moleſtius ferebat. quod obliteratam maiorum maculam, & ne ipſis quidem cognitam prolibus, iam quodammodo refricaſſet. Cæpit illa rei indignitate mota, ſecum muſſitare, indignari, ſolitudines quærere, neceſſarioſque omnes à ſe ablegare, ac tandem in grauiſſimam incidens melancholiam, quum vix dum ceſſantibus λοχείοις puerperio ex conſuetudine iuſta perſoluiſſet, nihil tamen aliud ſomniabat, quam imminentem partum: & quamuis iam plane collapſus vterus eſſet, perſuaſum tamen ſibi habebat, eundem quam maxime turgidum eſſe. Aſtant circumquaque mulierculæ conſilii inopes: nam dum conceptam de impregnatione opinionem eleuare ſtudent, morbum augent. Aduocor igitur & ego tandem, vna cum doctiſſimo collega meo D. Iohanne Paridano: narrantur ſingula, vt acta ſunt ordine. Illa interim, etſi medici operam recuſaret, quando me ſolum præter opinionem illi aſſentiri percepit; præterea, cum pollicentem me audiret, ſi modo obediens eſſet præceptis noſtris, partum breuem, & quam maxime facilem, admittit quiduis, atque ſemotis aliis, rationem quærit, qua ratione partus optime promoueri poſſet. Re-

 ſpon-

ſpondeo, opus eſſe obſtetrice, & ante omnia, quod aluus adſtrictior eſſet, neceſſarium eſſe eandem leui enemate eluere. Admittit: inditur per obſtetricem clyſter, ominaturque interim me ſuaſore omnia proſpera. Nos interea, dum ferebat occaſio, quiduis non molimur ad propulſandum morbum, purgamus, reuellimus, humoremque melancholicum, vt potuimus maxime, refrenauimus. Verum omnia fruſtra: nam quum vanæ parturiginis ſpes diutius protraheretur, indies magis ac magis ingraueſcebat malum, adeo vt iam vinculis coercenda eſſet. Illa interim intelligens, arctum conclaue apparari in quod recludenda eſſet, ſolitudinem nacta, proſilit è lecto, ac ſubito conſcendit vicinum periſtylium, ſuſpicata ibi ſe ad tempus deliteſcere poſſe. Redeunt tandem in cubiculum quibus cura illius demandata erat, & appropinquantes lecto, nihil audiunt nihilque vident. Accenduntur candelæ, ægrotam è lecto profugiſſe comperiunt, circumſpiciunt quoquo verſum; vident tandem illam ſtatuæ in morem erectam in periſtylio ſtantem. Illa interim perquirentium oculos in ſe intentos conſpicata, verita ne quid grauius in illam decernerent, vt ſunt melancholici ſuſpicaces prorſus & meticuloſi, ex periſtylio præceps in pauimentum decidit: corripiunt eam alii, inopinato caſu attoniti, atque in lectum deferunt. Ibi illa aliquantulum quieſcens, in ſuauem incidit ſomnum, à quo & delirare deſiit; & quæ ante cibos faſtidierat, & non niſi coacta eoſdem ſumere ſolebat, iam vltro illos poſtulabat, ac ſenſim ad ſe rediens, congrua victus ratione obſeruata, citra medici alicuius operam conualuit.

Noui & aliam ætate prouectiorem, mihi admodum familiarem, quæ cum & ipſa delirare cœpiſſet, fortuito caſu conualuerit. Quod quidem, quantum ego coniicere poſſum, in iis ſolum melancholicis locum habere poterit, quæ oriuntur eo tantum ſanguine, qui iuxta cerebrum eſt alterato, reliquo in toto homine illæſo permanente; aut ſi ob ventriculi os affectum primario, ob cognationem in conſenſum rapiatur cerebrum. Veriſimile ſiquidem eſt, violento illo & forti caſu corporis compagem concuti, atque melancholicum humorem, forti illa concuſſione à cerebro ad partes inferiores delabi. *Ronſſeius Miſcellan. epiſtol. 3.*

OBSERVATIO.

Melancholicus ad cranii fracturam vſque, vulnere accepto, à melancholia liberatus eſt, eodem vero conglutinato, melancholiam denuo incurrit.

GORDONIVS ſcribit, ſe quendam melancholicum vidiſſe vulneratum in capite, vſque ad cranei fracturam: qui quamdiu vulnus fuit apertum tamdiu mentis dilucida habuit interualla; clauſo autem vulnere rediit melancholia. *Dominic. Leonus lib. 1. c. 8. Art. Medend.*

OBSERVATIO.

Melancholicus vulnere in crure accepto ſanatus.

MElancholicus dum noctu vagaretur per vias, forte vulneratus eſt in crure, & multo effuſo ſanguine, melancholia eſt liberatus. *Hollerius comm. ad aph. 21. lib. 6. Hippoc.*

OBSERVATIO.

Melancholiam, commoda conſolatione ſæpè curari.

QVemadmodum orationis iniuria ſæpe animi ægritudinem aliis concitat, ex qua ipſum corpus male etiam afficitur, ita accidit etiam vt ſermonis commoditate, & apta conſolatione non ſolum animi mœror, ſed & corporis moleſtia diſcutiatur. Eius rei ſit hoc exemplum. Venit aliquando ad me vir doctus & induſtrius, cuiuſdam oppidi Bauarici Scriba ſenatorius. Is igitur cum ſignificaret, ſe vigiliis diuturnis vexari, & ita animo conturbari, vt negotiis ſui officii pro eo ac deberet, incumbere non poſſet, quæro ex eo, quam cauſam eius mali eſſe exiſtimaret, reſpondet ſe quidem non certo ſcire, putare tamen ſe in id malum incidiſſe, occaſione mœroris quem ex ſtulta ædificatione, qua ipſius loculi magna rei familiaris iactura exhauſti fuiſſent, ſuſcepiſſet. Quod cum cognouiſſem, dixi me conſilio meo quamprimum illi adfuturum eſſe. Itaque mittens ad illum epiſtolam in eam ea conieci, quæ ad conſolandum ipſum accommodata eſſe cenſerem, idque effeci ſolius orationis ſubſidio, vt non ſolum animi mœrorem deponeret, ſed & corporis ſanitatem integram breui reciperet, ac hoc beneficium meum grato animo apud multos prædicaret. *Oethaus lib. obſeruat. prop.*

OBSERVATIO.

Muſicam ad melancholiam curandam efficacem eſſe.

ADMIRABILEM vim à Deo Opt. Max. Muſicis Harmoniis in animi noſtri tum affectibus perturbatis ſedandis, tum etiam facultatibus roborandis, & excitandis conceſſam eſſe, cum multa alia oſtendunt, tum vero experimenta plura probant. Etenim cum in Aula Fuldana verſarer, vſus ſum familiariter quodam aurifabro homine artificioſo & bono. Is igitur cum in melancholiam grauiſſimam incidiſſet, ac à me conuenientibus purgantibus euacuatus eſſet, remiſit quidem malum, ſed non plane deſiit. Itaque Muſicorum inſtrumentorum harmoniam, qua illum oblectari plurimum ſciebam, adhibens eum paucis diebus ad mentis ſanitatem reuocaui. Idem genus auxilii ipſe etiam ſoleo in me ipſo reficiendo, cum vel ſtudiorum contentione vel occupationum crebritate moleſtiam animi contraxi, perlibenter vſurpare. *Idem lib. obſer. propr.*

OBSERVATIO.

Singulari ſolertia Medici à Melancholia aſſerta.

VEnetus quidam Medicus, curaturus puellam, melancholica diſpoſitione laborantem, poſtulauit à patre ipſius vt ſibi ſuo more agere cōcederetur, ſic n. ſeſe facilius illā ſanitati reſtituturū eſſe. Pater cū vnica filia eſſet, lubēter hoc ipſi permiſit. Ille dormiturū ſe cū illa ſimulans, poſtq̄ veſtimēta depoſuiſſet, tandē ad eā in lectū proſiliit, illa perterrita improuiſo illo ſpectaculo exclamare, ac ſeſe in pedes

coniicere cœpit, ſicque curata eſt. Humor enim melancholicus difficilis alioquin, ad motum, niſi valide moueatur, non expellitur. *De clariſſ. docenda & illuſtr. medi. Philoſ. & Med. Laur. Scholzii obſeruat. varioribus.*

DE LYCANTHROPIA.

Observatio.

Lycanthropiæ ſeu lupinæ inſaniæ exempla horribilia.

Malvm, quod à Græcis λυκανθρωπία dicitur. Latine lupina inſania, ſpecies quædam melancholiæ eſt. *Aetio libr. 6 cap. 11. & Paulo libr. 3. cap. 16.* teſtibus: qui namque hoc affectu detinentur, in Februario menſe domo egreſſi lupos in cunctis imitantur, & donec dies illuceſcat, circa defunctorum monumenta plerumque vagantur, eaque maxime aperiunt: quo fit, vt prompte quæ pars in ipſis afficiatur dignoſci poſſit, quoniam cerebrum: pariter quis affectus præter naturam ſit, quæue ſit eius cauſa, quoniam ſymptoma in genere functionum noxæ principum præſertim imaginationis & cogitationis deprauatæ: nam memoria his fortaſſe oblæſa non eſt; veluti percepi in quodam, qui hoc affectu laborabat, etſi huc vſque duos viderim tali affectione correptos. Ille namque cum prius me nouiſſet quadam die cum detentus hoc malo eſſet pariter obuiam mihi factus, ipſe vero timens ſeceſſi: at ille modicum me aſpiciens abiit: erat autem cum eo multitudo quædam hominum, ipſe quidem ferebat humeris crus integrum ac tibiam defuncti cuiuſdam: hic demum curatus liber euaſit. Qui cum iterum mihi occurreret, nunquid timuiſſem interrogauit, cum in tali loco, dum inſanus erat, eum offendiſſem: ex quibus conſtat memoriam in eo non fuiſſe oblæſam. *Altomaris capit. nono, de medend. morb.*

Patauii, authore *Iob. Fincelio libr. 2. mirac.* Lupus ſibi videbatur agricola, anno 1541. multoſque in agris inſiliit, trucidauitque. Tandem non ſine multa difficultate captus, confidenter aſſeuerauit ſe verum eſſe lupum, diſcrimen ſolum exiſtere in pelle cum pilis inverſa. Quapropter quidam omnem exuti humanitatem, vereque lupi truces, voraceſque, tibias & eius brachia gladio feriunt, amputantque, veritatem rei exploraturi; cognita vero hominis innocentia, eum chirurgis tradunt curandum, ſed poſt dies non multos expirauit. Hunc ea melancholiæ ſpecie exagitatum fuiſſe dubium eſt minime, quæ Arabibus Chatrab dicitur, deriuato nomine à beſtiola, quæ irrequieto modo ſuper aquas modo huc modo illuc abſque ordine vagatur. Latini, vt quidam volunt, Tipulam id inſectum vocant in paluſtribus locis frequens. λυκανθρωπίαν, id eſt, hominis in lupum conuerſionem vocant Græci: quidam melancholiam quoque lupinam, appellant, ex Marcello: item inſaniam lupinam, plerique λυκάωνα, alii κυνανθρωπίαν. Eo mali correpti, ex atræ bilis fuligine ſe in lupos vel etiam canes credunt mutatos. Plinius & Edouardus ſcribunt cerebrum vrſi deuoratum ingignere imaginationes, quaſi in vrſum quis tranſmutatus ſit. Id noſtro hoc ſeculo cuidam Hiſpano nobili oblatum fuiſſe edendum traditur, qui per deſerta ac montes vagabatur, ſe in vrſum eſſe conuerſum phantaſia viciata ratus. *Vierus lib. 3. cap. 21. de præſtig. dæmonum.*

Ruſticus quidam ſubinde verno tempore Alcmariæ viſus eſt, aſpectu toruo ac inſanus & circa cœmiterium hærere, mox & Eccleſiam intrare, qui & ſupra ſcamna (vt ipſi ſpectauimus) furore percitus ſaltabat, modo aſcendendo, modo deſcẽdendo, qui nunquam in eodem loco quietus. Baculum verò oblongum manu tenebat: neminem percutiebat, ſed canes eo à ſe depellebat, nam ex canum morſu crura nigra & vlcerata cum cruſtis nigris habebat: Totum corpus ſqualidum, ſubnigrum & melancholicum ſpectabatur. Facie tamen pallida, cui & oculi valde concaui erant. Ex ſignis iam dictis hominem lycanthropia affectum iudicabam; hic, quod ſcio, nullo medico vſus eſt. *Foreſtus obſeruat. 25. libr. 10.*

DE MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

Observatio.

Melancholiæ hypochondriacæ dilucidatio.

Etsi frequentiſſima illa affectio præternaturalis ſit quam hypochondriacam ſeu Mirachialem vocant medici, nihilominus illius eſſentiæ, necnon, & ſymptomatum cauſæ à paucis cognitionem haberi exiſtimamus, qua de re de eadem verba facere inpræſentiarum decreuimus. Sapit namque raritatem quandam ac mirabilis nonnihil, ſi illius eſſentiam ac ſymptomatum naturam ſpectemus, ita vt ex illius diſcuſſione non contemnendam vtilitatem medicinę ſtudioſos percepturos arbitremur, etſi enim quotidie medicos nonnullos ac vulgares etiam illius verba facere audias, parum tamen vel nihil propemodum recte intelligere illius naturam comperies, quinimo & ſcriptores ſicco admodum pede eius pertractationem pertranſire manifeſtum eſt. Cum itaque quiſpiam rugitibus quibuſdam, flatibus, ructibus acidis, fluctuationibus in hypochondriis vexatur tremoreque detinetur, ac præter cauſam timet, ac tactu circa medium ventrem pulſatio quædam præſentitur, iam dubio procul hunc Mirachialem ſeu hypochondriacum appellant Medici. Quod ſi non omnia, ſed maior pars prædictorum ſymptomatum adſit, nihilominus eundem quoque eadem affectione laborare dicunt, ita vt nonnullas etiam nullis melancholicis ſymptomatibus vexatos hypochondriacos ſeu Mirachiales appellent; meminit *Galen. 3. de locis affect. melancholia hypochondriaca, cap. 7.* de mente Dioclis; ſcribitque hanc affectionem ob alteram cauſarum ortum ducere, vel quod ſit plus caloris quam debet habere, in iis venis quæ alimentum à ventriculis excipiunt, vnde ſanguinem in ipſis craſſiorem fieri contingit, vel quod ventriculi, os quod inteſtinis continuatur inflammetur. Huius quoque affectus meminit idem *Galen. in commentar. in lib. 6. Hippocrat. de morb. vulg. comm. 3.* per hæc verba. Sed quibuſdam potius raro iam inclinan-

clinante ætate, & affectu fluctuoſo vocato præcordiali, & melancholico, vexatis, cum venere vtuntur inflari magis ventrem contingit. Iiſdem quoque ipſis vt aſſidue coitum appetant euenit, cur vero non omnes hoc morbo detenti melancholia corripiantur, & ſi omnibus ab affecta parte vapores melancholici eleuentur, cerebrum impetentes ea eſt cauſa meo iudicio quod fortes animales facultates principes internas obtineant, quæ validæ cum ſint, cauſis reſiſtere poſſunt, vaporeſque iam dictos diſſipare, quod ex verbis Galen. colligere poſſumus, dum ait pueros & indoctos, in tenebris profundis terreri, minime vero audaces & doctos, agens enim in paſſo bene diſpoſito facilius agit & dicebat *Auicenn. 2. method. cap. 2.* agentem debilem poſſe efficere actionem maiorem, actione agenti fortis & hoc propter diuerſitatem ſubiecti in diſpoſitione ſeu præparatione, & *2. de generat. animal. cap. 1.* agens, debile quando agit in materiam poſſibilem, videtur eſſe maius, & manifeſtius quam ſit agens fortius, quod agit in materiam difficilis poſſibilitatis, à pari & nos dicimus, vapores melancholicos ab infernis partibus eleuatos, ſurſumque petentes nonnulli melancholica excitare ſymptomata, aliquibus vero minime pro diuerſitate ſubiectorum, quæ minus vel magis apta ſunt, ad ſuſcipiendam vel arcendam noxam, ab illis illatam, ex quibus patet perperam Medicos Mantuanos à *Manardo epiſtol. 1. libr. 17.* redargui eo quod ſcripſiſſent D. Aurelium Reordatum hypochondriaca affectione ſeu Mirachiali laboraſſe cum mente ſana conſtaret, rectius enim in illos animaduertiſſet, inquiens, illum non laboraſſe hypochondriaca melancholia, cum affectionem hypochondriacam ſimpliciter dictam nonnullos vexare quotidie obſeruemus quibus nulla vel ſaltem leuia admodum melancholica ſymptomata eueniunt. Hoſce vt diximus flatus plurimi infeſtant; vnde non immerito *Galenus. tum tertio, tum quinto. de loc. affect.* nec non & *2. de ſymptom. cauſ.* hunc morbum hypochondriacum flatum appellauit.

Arabum vero ſectatores Mirachialem morbum ſeu mirachiam dicunt, eo quod abdomen Arabibus Mirach vocatur, in quo loco plurimi flatus percipiuntur, qui hinc inde commoti rugitus illos excitant qui frequentiſſime nedum ab ægrotantibus, ſed ab aſſidentibus audiuntur. Nec tamen hoc à ratione alienum eſſe putandum, vt quidam falſo immaginati fuere, etſi enim flatus ab imbecillo, diminutoque calore fieri manifeſtum ſit, & partes illæ affectæ quæ flatibus redundant calida intemperie æſtuent, non tamen ob id cenſendum flatuoſitatum generationi obſtare, quinimo potius maxime fauere. Nam vt inquit Auicen. & ſi in iis non reperiatur ſitis, & adſint ructus, & ventoſitates frigiditatem præ ſe ferentes, non tamen ſequitur quin cauſa huius poſſint eſſe calida eo quod calor extraneus, qualis eſt in taliter affectis, facit exhalare & calidum innatum, & ipſum debilitat, hincque fit vt calore naturali coctionum opifice labefactato, ſequantur cruditates, ructus, & flatus copioſi, eo, quod calor præternaturalis lædit formam naturalem caloris intrinſeci & corrumpit ipſum. Pulſatio illa tactui quam maxime manifeſta, quæ ſubter præcordia præſentitur ab eadem intemperie calida ortum trahit, vt multi exiſtimarunt. nam temporum arterias per febres vrentes, & ſi à potu meri largiore in capitis doloribus à ſolis ardore excitatis ob præternaturalem caliditatem maxime pulſare docet *Galenus quarto de different. pul. capite primo, & comment. 9. 3. comm. in 1. prorhe. Hippocrat.* quæ ratio & ſi veritati conſentanea ſit nihilominus & aliam cauſam huius pulſationis à nobis excogitatam ſubnectere placet, ad quam excogitandam ex lectione Mundini & Carpi Anatomes excitati ſumus & ex huiuſmodi. In meſenterio plurimas glandulas reperiri omnes conſentiunt, quas Veſalius, vna cum aliis Anatomicis in hunc vſum fabrefactas à natura ſcribunt, vt ſcilicet vaſis, quæ per meſenterium copioſa diſſeminantur fulcimentum quoddam ac firmamentum eſſent, ne ſcilicet in magnis; atque violentis motibus diſrumperentur lacerarenturue.

Fallopius vero hunc alium ipſis vſum aſcribit, vt ſcilicet obſtent quo minus vaſorum ductus comprimantur, vel à repletis inteſtinis vel à prono decumbente animali, vel compreſſo abdomine aliquo alio modo. Nos vtrumque vſum præſtare poſſe contendimus ſi naturaliter ſint conſtitutæ cum ſpongioſiora rara & leuia corpora ſint at ſi humore aliquo craſſo terreſtrique qualis melancholicus eſt repleantur, earum cauitates ſit vt potius comprimant vaſa atque diſtributione ſuccorum impedimento ſint; repletur itaque in hypochondriaca affectione vt teſtatur *Mundinus in Anatome capite decimo tertio.* cui adſtipulatur etiam Carpus huiuſmodi glandoſa corpora humore craſſo, atro & melancholico, aſſato ſcilicet ſanguine, qui in vaſis multiplicibus quibus abundat meſenterium continetur ob calidam eius partis intemperiem, verum cum in centro meſenterii, grande glandoſum corpus reperiatur inſigniores ac primas vaſorum diſſectiones ſuffulciens, hinc ſit vt ibidem arteria magna quæ iuxta venam cauam per dorſi medium verſus ſiniſtram partem perrepit, craſſo humore, glandoſo hoc corpore oppleto, ac reliquis etiam glandulis circumiacentibus eodem modo ex humore melancholico vrgentibus comprimatur, ſicque non modò ratione calidæ intemperiei, ſed etiam ratione compreſſionis vehementius pulſare in ſiniſtro hypochondrio perſentiatur: quæ trina pulſatio maior faciliuſque ſeſe offert tangenti, eo quod affectione hac detenti excarnes euadant, & circa eam præcipue regionem extenuentur, ſiquidem *Galenus per initia libr. de introduct. ad pul.* ſcriptum reliquit arteriarum quæ partibus ex carnibus inſunt pulſationem paucis percipi, earum vero quæ in carnoſis ſunt obſcurius; niſi forte extabuerit animal, nam ſic motus arteriæ, quæ ſpinæ incumbit, tangentibus epigaſtrium, plerumque depræhendi ſolet, quod pariter *libro primo de dig. pul.* per hæc verba repetit. Iam vero maxime arteriæ quæ ſecundum dorſum eſt ſita, cuius fugit pridem motus, ſimularque contabuit animal ad abdomen motus percipitur. Atque

quis

quis compreſſionem arteriæ à corpore glandoſo, grauiori ex repletione humoris terreſtris affecto minime (quod nos facimus) inter cauſas pulſationis maioris illius reponendum contendet authoritati Galen.innixus, ait namque *Galen.loco* paulo ante *citato*, arteriæ quippe leuiora corpora vbi diſtendantur facile ſecum attollunt; arteriæ ergo tanto ſegnior erit motus arteriæ magnæ, quanto grauius à glandoſo corpore comprimetur. Cui ſic ſatisfaciendum putamus, verum quidem eſſe arterias grauiora corpora ægrius attollere, id eſt, maiori cum conatu, vnde fit vehementior motus earum; per grauiora enim corpora intelligenda ſunt, quæ licet arteriæ vim inferant, nihilominus à motu arteriæ ſuperari & abigi poſſunt; quod experimento patet; ſi enim digitis arteriam brachii leuiter comprimamus, motum naturalem percipimus; at arctius comprimentes aliquantulum vehementiore pulſatione digitos percuti manifeſte cognoſcimus, maiore conatu ſcilicet natura arteriam mouente, vt onus ſibi graue propulſet: at ſi arctiſſime arteriam compreſſerimus, vix motus percipietur, vtpote ſuccumbente natura oneri grauiſſimo & cuius propulſationem aſſequi non poteſt ſic in inflammata particula non ſolum ratione caliditatis excedentis, ſed etiam compreſſionis oritur pulſatio, dicebat namque *Galenus de loc. aff.c.3.* non ſolum dolorem inflamatis partibus oriri; eo quod tū attolluntur arteriæ, ab adiacente carne comprimuntur & ipſam comprimunt, ſed eadem de cauſa & inflammatas partes pulſare, & quanto maiores fuerint tumores atque inflammatorii affectus tanto magis & pulſatio & dolor aderit, quod etiam *cap.1.lib.14. met.med.* confirmare videtur dum ait; pulſationem magnæ phlegmones proprium eſſe ſymptoma. Statuamus itaque contentum in glandibus meſenterii humorem craſſum melancholicum, non arteriæ magnæ pulſationem grauius comprimendo vehementiorem reddere, ſed & obſtructiones vaſorum; quæ ſuffulciuntur augere, ſicque calidam intemperiem partis intendere ex quo fit vt aſſato magis ſanguine humor melancholicus in corpore redundet, atque iam enarrata ſymptomata excitet. Reliquum modo eſt vt declaremus vnde ortum trahant multæ ſeroſitates, aquoſæque materiæ, quæ hypochondriaca affectione dicta multiplicantur, atque cum patiens altius ſpiritum trahit fluctuationem in hypochondrio præſertim ſiniſtro excitat, quæ etſi violentius corpus dimoueatur facile perſentitur; iecinore phlegmone obſeſſo, præſertim ipſius parte, protinus etiam venas quæ in meſenterio ſunt, vnà phlegmone laborare neceſſe eſſe tradidit *Gale.lib.13.met.in calce.c.14.* & è contra etiam male affect. meſaraicis hepar quoque male affici non eſt dubitandum, quinimo *Galen.5.de loc.aff.cap.7.* ſcribit meſentericas venas habituali intemperie affectas facile poſſe hepati, præcipue partibus ſimis eandem intemperiem communicare, quamobrem cum ſuperius ſtatuerimus intemperiem calidam præternaturalem in hac affect. in meſenterio reperiri ex qua naturalis eiuſdem calor debilitatur, haud à ratione alienum erit, ſi eadem hepati communicetur vnde etiam ſequatur eiuſdem temperamenti vitium; ſicque eius operationes quæ eiuſdem caloris naturalis medio perficiuntur, viciehtur, ita vt ſanguificatio recta minime ſequatur, ſed aquoſior ſanguis plus iuſto progignatur: præterquam quod & offenſa ventriculo quoque communicari poteſt, vnde cruditates multæ generentur, maleque complectente ventriculo in illo fluctuent, & in inteſtinis etiam, in quibus quoque concoqui alimentum in tranſitu per ea facto teſtis eſt Galenus *4. de vſu part.* quorum etiam facultates quatuor miniſtrantes cum omnia meſenterio hæreant ex eiuſdem læſione offenſionem pati non eſt ambigendum, vnde nec ipſa recte continendo cruditatibus ad flatuoſum motum gignendum occaſionem præbent. Verum quia ſemper nos obſeruauimus nullis euacuationibus, quamuis repetitis licet cætera ſymptomata conquieſcant, nunquam tamen fluctuationem tolli, nec etiam imminui, ob id cogimur affirmare aquoſitates huiuſmodi aliquo loco contineri, à quo nullo pacto poſſint vel ſaltem admoueri, cumque hanc eſſe ventris magnam cauitatem exiſtimare nequeamus, ſiquidem hoc dato, qui hoc morbo detinentur, tandem hydropici fierent, quod non fieri, vſu probatum eſt, in hanc deuenimus ſententiam inter binas tunicas ſeu membranas meſenterii corpus conſtituentes aliquam ſeroſi humoris portionem contineri; namque binæ hæ membranæ, multa intercedente pinguedine, ſic meſenterium quoque præpingue adipiſcitur, ſanguine ibi ex venis reſudante, membranarumque vi in adipem mutato; At cum præter naturalem calorem membum iſtud in hac affectione occupaſſe diximus, fit vt pinguedo hæc paulatim procedente morbo liqueſcat, ac conſumatur; ſicuti enim calor feruentiſſimus teſtimonio *Galen. in comm. 72. comment.3.in lib.3 Hippocrat.* de morbis vulgaribus, carnem fundit ita moderatior, minuſque feruens pinguedinem liquare atque conſum e-re poteſt, liquata itaque & conſumpta pinguedine inter mébranas meſenterii binas mediante, fit vt locus intermedius, vacuus derelinquatur, qui poſtmodum paulatim ichoroſo humore à venis meſenterii reſudante repletur, verum quia hæ membranæ inteſtinis annectuntur, fit vt illis compreſſis; vel retro actis moueatur quoque, & vnà meſenterium vniuerſum, ſicque ichor in illo contentus fluctuans, motum illum vndoſum, ac ſtrepitum ædat. Non enim Rondeletio aſſentimur, qui in Mirachiali affect. intemperiem ſiccam cum aliqua caliditate ſine humoris affluxu in meſenterio reperiri literis mandauit. Vtinam aliquando mihi liceat hominem aliquem hoc morbo peremtum, diſſectum conſpicere vt certiores effici valeamus an res ita ſe habeat, quemadmodum opinamur, necne. Sed fortaſſe quis aduerſus dicta noſtra inſtabit; quod vno & eodem tempore in meſenterio intemperiem calidam & frigidam quæ contrariæ ſunt nec in eodem ſubiecto, eodem tempore ſe comparati queūt, ineſſe voluerimus in hac affectione cui ſit ſatisfaciendū putamus, medicis mos eſſe intemperiē frigidam vocare cum calidi naturalis temperies vel à frigido vel à calido imminuit, modo calor naturalis idem ſubiecto eſt cum calore præternaturali; quinimo præternaturalis calor ipſe naturalis, eſt

 mu-

mutatus ad igneam qualitatem. Naturalis namque animati corporis calor nunquam naturalitatis nomen amittit, niſi extra primos ſuæ temperiei gradus erumpat, quibus tranſactis extra propriam temperiem ignea caliditate defertur, atque igneus tunc præternaturaliſque efficitur, at non vniuerſaliter per totam ipſius caloris eſſentiam, calor naturalis præternaturalis euadit, neque enim latitudo ſubito acquiritur, deperditurve, ſed & paulatim naturalis innaturalis euadit, atque ſicuti dum naturalis erat, ſalubres edebat actiones, ita quamprimum prolabitur in gradum caloris extraneum, ſtatim læſio actionum ſequitur, verum cum inchoata præternaturalitate caloris naturalis multæ quoque ſuperſint gradus caloris, differentiæ quæ naturalitatis, adhuc naturam obtinent, & nondum permutatæ, igneæque effectæ ſunt & naturaliter agunt, & ſimul etiam exiſtunt cum gradu caloris præternaturalis pręter naturam excalfaciente & operante, ſicq; calor naturalis alicuius partis, lapſus à ſuæ naturalitatis temperamento, cum totus non ſit præter naturam effectus, læſas tantum, & non deperditas ſuas obtinet actiones, ſicque duo caloris gradus, quorum vnus præter naturam, alter naturalis exiſtit, in vno & eodem ſubiecto ineſſe poſſunt, atque vnus ſecundum naturam, alter præter naturam agere poteſt, non tamen ſeiunctim agere dicimus, ſed dum vna vincti reperiuntur, idem enim in radice, & fundamento exiſtunt calor naturalis & pręter naturam, & ſolum ſecundum gradus metaſque quaſdam diſtincti; cum itaque in meſenterio intemperies calida, igneaque introducitur læditur calor naturalis, ac minuitur, vnde deprauate ac diminute operatur, hincque fit quod frigida etiam illi dicatur ineſſe intemperies, quæ tamen re vera frigida non eſt, ſed calida, at quia imminutus eſt calor naturalis hinc fit vt priori naturali ſuo temperamento comparata frigida dicatur, ex dictis itaque iam ſatis patere exiſtimo qualis ſit hypochondriacæ, ſeu Mirachialis affectionis dictæ ac illius ſymptomatum eſſentia, ſed antea quam huic capiti manum imponamus, mirabilem hypochondriacę mulieris vrbis noſtræ libet ſubſcribere hiſtoriam. Hæc cui nomen Laura Grignana valetudinariam ferme continuò vitam ducit, quemadmodum qui hac affectione laborant ducere conſueuerunt; ac cum vtero gerit tum longe melius multum ſe habet, cum tamē prægnantes propemodum omnes male ſe habere obſeruatum ſit, præſertim vero tunc melius ſe habere ſolet, cum grandiuſculū fœtum vtero geſſerit. Cuius rei cauſam nos eam eſſe cenſuimus, quam *Ariſt.* aſſignat 4. *de gene. animal.* 6. dum ait, quod quibuſdam mulieribus euenit vt pręgnantes melius ſe habeant, in quarum corpore exigua ſe continent excrementa, quæ abſumi poſſunt cum alimento, quod fœtui adminiſtratur; licet enim hæc mulier multo excremento redundaret, tamen illius portio, cum modo dicto abſumeretur melius ſe habebat, addamum quoque fœtum calore proprio vtero contentum fouendo meſenteriuum flatuum generationem prohibuiſſe, rectiores coctiones proceſſiſſe, vnde & minus ingratam tunc temporis vitam traducere conſueuit. *Donat. de Hiſtor. Mirabil. libr. 4. cap. 8.*

Scribit Aggregator ſe binos ægrotantes, vidiſſe melancholia hypochondriaca laborantes, qui cum rugitus illis affectionis familiares audirent, ſe in ventre ranas habere, quarum ille ſonus eſſet affirmabant, cumque proceſſiſſent, cum rebus flatus reſoluentibus ceſſauit illa deprauata imaginatio, hac quoque oblæſa imaginatione facultate, miræ certe deprauatæ obſeruentur imaginationes, deprauatur autem male affecto cerebro, vel per eſſentiam, vel conſenſum totius corpo is humore melancholico redundante, vel partis alicuius, vti Meſenterii, vti in Mirachialibus. *Idem lib. 2. cap. 1.*

Mulier quędam nobilis melancholia hypochondriaca laborans, multorum medicorum conſilio vſa fuerat, ſed ſine magno fructu. Deniq; me quoq; ad ſe accerſi iubet, cōqueritur de magna capitis imbecillitate & putrefactione & ventris rugitu, ſeq; apoplexia propemodum perituram ſibi imaginabatur: videns igitur multa ſigna melanch. hypoch. adeſſe, præſcribo illi ſequētia. ℞. Rad. bugloſſi. petroſ. fenic. glycirrh. ana ℥.s, ſcorzonera ℥ iij. quatuor ſem. fr. mai. an. ʒ j s. ſem. aniſi ʒ. ij. trium flor. cord. fl. meliſſæ ana M. s. fiat decoctio in iuſculo carnis vel brodio gallinæ non pingui. De colatura bibat per dies 5. aut 6. matutino tempore. Ex iiſdem ſpeciebus additis fol. ſennæ, zinzibere, & conf. Hamech. vel ſpec. elect. Epiſcopi & Manna electa, ſyr. de fumaria, & violato, præparaui potionem purgantem. Nonnunq̃ dedi diacatholici. elect. hierę s. an. ℥ j. conf. hamech. ℥. s. miſce pro doſi ʒ. vj. purgato corpore lauit quotidie in aqua tepida, exceptis illis diebus, quibus potionem purg bibit. Singulis ſeptimanis autē vtebatur medicamento purgante. Hiſce medicamentis Deo benedicentę menſis ſpacio ad priſtinam ſanitatem rediit, ſeque huius beneficii memoriam, quamdiu viueret non depoſituram promiſit. Sed quia fuit mulier valde auara, ad rem nimis attenta, valetudinis ſuæ non magnam habens curam quæ promiſit non præſtitit. Elapſo biennio in hunc & alios grauiores morbos incidit, quibus adhuc conflictatur. Ita multi homines magis de corradendis pecuniis, quam de recuperanda & conſeruanda valetudine ſunt ſolliciti, qui non ab Æſculapio, ſed à Plutone curari poſſunt. *Iohann. Franci Hildeſii. exemplum, vna cum aliis ad obſ. communicatum.*

Observatio.

Melancholiæ hypochondriacæ cauſa variæ hiſtoriæ mulieris ab eadem liberatæ oſtenſa.

HYPOCHONDRIACA melancholia non fit à ſucco frigido, ſed fumis malignis & acrioribus ad cerebrum elatis, quando ſcilicet venæ meſaraicæ inter ventriculum & hepar ardore quodam efferueſcunt, & obſtructione aliqua laborant, vnde humores crudi & melancholici illic concluſi flatus multos procreant, & ad caput elati melancholica ſymptomata ac difficultatem anhelitus inducunt. Percipitur rugitus & veluti murmur quoddam (eſt enim hoc ſignum maxime proprium) circa hypochondria, modoque incipit ab hepate, modo à liene, cum humor ille in-

ter

ter lienem & ventriculum ſubſiſtit in venis. His enim duobus locis fieri poteſt, vt ab intemperie vel obſtructione, vel ab vtroque. Contingit frigido ventriculo exiſtente, & calido hepate. Inde ſequuntur cruditates, refrigeratio corporis & ſanguinis, macies, ſudor, plurimum ſputum, ſed imprimis, vt dixi, perpetui rugitus circa hypochondria & ſomnia turbulenta cum metu & triſtitia. Quibus duobus ſignis collegimus morbi eſſentiam in nobiliſſima muliere, quam Medici alias fruſtra curauerant, vt imbecillitate ſtomachi laborantem. Summa erat macies, vehemens extremarum partium frigus, ſibilus auris ſiniſtræ, ſomnia turbulenta. Curatio abſoluta fuit minoratiuo ex Cathol. & diaphœ. ſyrupis & apozematibus melancholiam ad expulſionem præparantibus, fortibus hypochondriorũ vnctionibus, pharmaco ex hiera diacoloc. Poteſt etiam fieri hypochõdriaca melancholia à partibus inferioribus ventris, quæ calida intemperie laborant, vel effuſa bile atra per meſenterium & partes ventris, magno inteſtinorum calore adurente chylo. In cruditate optimum, arctius ventriculum ligari, vt flatus impediantur, & melior fiat concoctio. *Scholiographi ad c. 17. libr. 1. Hollerij. de morbis internis.*

DE MANIA SEU INSANIA.

Observatio.

Admiranda Carpentarij cuiuſdam Mania.

Decaeterum etiam fama diuulgat carpentarius quidem olim fuit cum domi eſſet operator: ligna bene metiebatur, ſcindebat, complanabat, clauis iungebat, aptabatque, in domo extruenda ſobrius cum exact. operum verſabatur, paciſcebatur pro laboribus iuſtam mercedem poſcebat, porro iſte in loco vbi arte ſua fungebatur mente conſtabat: at ſi in forum quandoque diſcederet, ad balneum aut ad aliud quippiam neceſſarium, inſtrumenta deponens, primo ſuſpirabat, deinde egrediens, humeros conſtringebat: poſtea cum è ſeruorum fabricæ locique illius conſpectu abiiſſet, tum penitus inſaniebat & furore rapiebatur, quod ſi ad eundem locum celeriter recurriſſet iterum ad ſe redibat. *Areteus lib. 3. cap. 6.*

CAUSAE.

Observatio.

Tuberculo in collo oborto grauiſsima inſania inſecuta.

AD Raphaelem Hebræum iuuenem in ſua lege doctiſſimum atque ditiſſimum, dum hæc ſcriberemus, circa ſecundam noctis horam ab eius patre Iſaac viro ingenuo ſum vocatus. Hic iuuenis per varias corporis partes tumores habebat, qui de genere anthracum videbantur, inter alios vnus collo inſidebat ſatis amplus, qui ſtatim diminutus eſt, & ſtatim ipſe Raphael ridere cœpit, & aſſidentibus venam ſecare volebat, claui quadam: ſed deſipientia hæc in furorem illico verſa eſt: nempe omnes percutere volebat, hucque & illuc percurrebat, omnia lacerans, accitis baiulis & famulis à ſex fortiſſimis vix detineri poterat. Nos factis quibuſdam remediis abiuimus, ſequenti die accedentes pridie Calend. Aprilis, 1538. ipſum ſatis ſedatum inuenimus, ſed poſt prandium ſomnus adeo præpotens illum inuaſit, vt ab aſſidentibus vigil nullo modo detineri poſſet: primo materia calida phrenitim mouit: deinde frigida ſuum motum fecit, huius tumor anteriorem partem occupabat, in latus dextrũ inclinans, alii tumores erant in anteriori corporis parte. A profundo ſomno liberatus cœpit per interualla percutere ſibi hypochondria, & per quatuor horarum ſpatium in ectaſin ducebatur, curreus tanquam à cacodæmone exagitatus: & interim omniũ animalium voces fingens, inter ſe loquens, membra præter naturam mouens, adeo vt potius miraculum videretur, quam res ex naturali cauſa prodiens: itaque bis in die agitabatur, & principium motionis erat ab hypochondriis. Putamus nos, & reuera ita erat, hypochondriacam paſſionem paſſum eſſe: poſtea in ſe ipſum ita libere recipiebatur, vt nihil paſſus eſſe videretur: ſed deinceps curari noluit: nam ſui domeſtici dicebant ipſum eſſe effaſcinatum & omnia tentarunt contra effaſcinationes amulenta, quæ nihil profuere. Cogitarunt deinde malo quodam dæmone agitari, & accitis Chriſtianis religioſis nihil etiã profecere: nam morbus erat, qui aut diligẽti cura, aut temporis ſpatio expellitur. Deinde poſt octo menſes ex ſe conualuit, & nunc adhuc ſanus perſeuerat. *Braſauolus Comment. ad aph. 65. lib. 5. Hippoc.*

Observatio.

Mania ſiue inſania ex feruente ſanguine cerebrum petente.

MAnia inſania quædam abſque febri eſt: eius cauſæ plures reperiuntur: quandoque vero feruens ſanguis cerebrum petens. Magnificus quidam vir 40. annos (plus minus) natus, ſanguinem cum circa præcordia moueri ſentiret, oculi caligabant: vertigo aderat: mox clamores, vociferationes, inquietudines accedebant; ita vt contineri debuerit. Detracto mox ex dextro brachio ſanguine ſatis copioſo, nondum tamen inſania ceſſabat: carmina quædam recitabat, canebat, vociferabatur, ſaltabat, præcipitare ſeſe conabatur, arcte contineri ac vinculis ſtringi idcirco ipſum oportuit, donec ex codiis papaueris potionibus vſus in ſomnum incidiſſet: à quo cum meliuſcule haberet, purgatus & adhibitis idoneis remediis ad ſanitatem peruenit. Verum hæc non diuturna fuit: poſt enim aliquot menſes iterum ac deinde tertio in eundem affectum relapſus eſt, ac iiſdem auxiliis reſtitutus. Tandem vero cum ſanguis non amplius ad caput ferri videretur, inſania quidem deſiit recurrere: ſed ſanguinis, tum tuſſi, ſputum ſucceſſit, deinde puris excretio. Ita qui prius Mania laborauerat, phthiſi demum mortuus eſt. *Dodonæus Obſeruat. medicinal. 10.*

Ex hæmoptoe tranſitum fieri in phthiſin ſatis cõſtat, ſed quomodo mania in hæmoptoe permutetur, non æque manifeſtum. Videtur autem de huiuſcemodi

modi permutatione in *Coacis prænotionib. Hippocrates* ſimile aliquid ſcriptum reliquiſſe. Qui ex lethargicis, inquit, ſeruantur, plerunque pectori ſupputati fiunt. Nam ſi lethargus in ſuppurationem conuerti poteſt, cur non & eadem ratione mania in pulmonis exulcerationem commutari? Per vtrunque etenim affectum cerebrum, & eadem quidem parte laborat: ſed cauſæ differentes. Eſt autem lethargi, vt *Archigenes apud Aetium* ait, duplex origo. Quandoq; præcordia & viſcera primario affectu læſa ſunt, & ad conſenſum cerebrum perducunt: quandoq; vero in cerebro affectus inchoat. Simile & de mania dici poteſt: per hanc videlicet cerebrum ſubinde proprio & primario affectu laborare: alias v. per *συμπάθειαν* & per cõſenſum alterius partis. Maniam vero & per conſenſum fieri oſtendit *aph.* 40. *ſect.* 5. Quibus mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat. Sanguine ſiquidem circa mamillas collecto, furor ſuccedens per conſenſum cerebrum offici teſtatur. Sic potuit & magnifico viro ſanguis circa præcordia collectus, perturbata mente, furorē concitaſſe, per conſenſum cerebri functionibus depravatis. Sed cur ſanguis circa pręcordia cõfluens, mentem cum furore perturbauit, ſuccedente vero hæmoptoe nihil tale accidit? An ne quia feruens loco concluſus, via nulla patente qua poſſet erumpere, in ſepto tranſuerſo membraniſq; vicinis cum tenſione inflammationi ſimilē affectum induxit? poſtea vero patefacta ſibi per pulmonem via, liberumq; exitum nactus, membranis aut diaphragmate non diſtentis, mentem non fuiſſe permotam? Nam ſepti tranſuerſi inflammationes, mentis alienationes conſequi teſtatur *Gal.* 4. *de locis affect.* Atque hoc quidem modo Maniam in Hæmoptoem permutari poſſe apparet: Maniam videlicet ex conſenſu natam. Nec tamen à ratione quoque alienum, initio cerebrum primario fuiſſe affectum & ſanguinem feruentem caput petiiſſe: poſtea vero eiuſdem feruore remiſſo (quod diuturnitate fit mali) ad caput non amplius aſcendiſſe ſed circa pulmones conſtitiſſe, cuius ſubſtantia vitiata ſanguinis, deinde puris ſputatio ſucceſſerit. Cęterum Mania cum melancholia affinitatem talem habet, vt non raro Mania in melancholiam tranſeat: & initia melancholiæ frequenter Maniacum quid habeant. Mania autem, quę ex ſanguine bilioſo procedit, præcipue ſanguine redundante, minus vehemens eſt, & fere cum riſu cõiuncta. Difficillima quæ à bile flaua aduſta: Sed omnium grauiſſima & difficillima, quæ à melancholico humore aduſto originē ducit. Omnibus autem maniacis cum inſania mentis alienatio coniuncta eſt. Melancholici è contra ſępe non inſanire videntur, ſed concepta tantum aliqua falſa opinione occupãtur: nonnulli ſe mox morituros exiſtimãt: quidam ſe cõprehendi metuunt: aliis alia obuerſantur, quæ ex animo excutere & abiicere nequeunt, interim nõ raro omnia ſua negotia adeo prudẽtèr & cũ iudicio peragunt, vt nullo morbo detineri videantur. *Idem Annot. ad cap. citatum.*

OBSERVATIO.

Melancholicus ex effreni coitu inſania correptus.

NVper quidam tali habitu prędítus erat, vt ſi melancholicũ depingere voluiſſes, ipſe exemplar foret. Hic cum æſtate media vxorem iuuenculam duxiſſet, vt ſolent eſſe ad coitum proni, vt Ariſtoteles teſtatur, adeo profusè venere vſus eſt & præficcatus, vt non poſt multos dies vehemẽti furore eſſet percitus. Hunc vinculis cohibitum, embrochis & victu humectante curauimus: non adeo tamen, vt fider illi aliquem ſuadeam. Etenim oculis & facie torua adhuc furorem quendam præ ſe fert. *Iacchinus Comment. in* 9. *lib. Raſis. cap.* 15.

OBSERVATIO.

Adoleſcenti adamata ſuæ aſsidenti, vena ſecundum tempora ſua ſponte diſrupta, feruidiſsimum ſimul ac copioſum ſanguinem profudit.

VIdi ego meis oculis rarum amoris ſignum. Aſſidebat nobilis quidam (inſanus præ amore) iuuenis nobili & honeſtæ cuidã fœminæ viduæ, cuius nuptias ambiebat, & progreſſu temporis conſecutus eſt. Hic in prandio ad menſam cum colloqueretur: ecce vena in temporibus prope aures illi ſponte aperta eſt, & profluxit copioſus ſanguis, quem ſtrophiolo compeſcere conatus eſt. Hæc ipſe vidi, cum vtrique in menſa aſſiderem, in arce quadam, eo ad nobilis cuiuſdam curam vocatus. *Cornax lib.* 1. *cap.* 3. *Conſult. med.*

OBSERVATIO.

Melancholicos, Maniacos, vel Inſanos, amoris vi, aut Zelotypia inductos, ſibimetipſis teſticulos amputaſſe.

VIdimus plures iam adultos, & etiam ſenes qui dum redditi ſunt Maniaci, Melancholici, & inſani, ſibimetipſis tam teſticulos, quam virgam exciꝺere. Quod à me Aureliæ dum adhuc Grammaticæ ſtuderem, obſeruatum in Epiſcopi Mannetani architriclino, (tum temporis etiam Aureliæ literis operam dãte) qui ex rabie amoris in profundũ puteum præcipitem ſe dederat: quo loci omnia ea, quę amoris morbum cauſabant, exſciderat, tãta cum hæmorrhagia, vt facile eſt colligere: cum ea perſeuerarit, donec exinde extrahi poſſet; & tamen mortuus non eſt. *Rouſſettus de Partu Cæſareo cap.* 6. *ſect.* 4.

Animi dolores ac morbi, ſi diu perſeuerant, temporis proceſſu dementes reddunt, quales ſunt Zelotypi. Quod cuidam piſtori accidiſſe, cum iuramento etiam mihi aſſeuerarunt complures, mihi familiares. Piſtoris, vt retulerunt, cum ſuſpectam de adulterio vxorem ſuam haberet, tametſi pudicam & probam, nec eam in ſtupro deprehendere poſſet, teſtes ſibi amputauit, ratus, ſi illa forte vterum gereret, non ex ſe, vt qui ob ademptã genitalia generãdo ineptus eſſet, ſed ex altero concepiſſe certo ſciret, nulla enim hac dementia maior eſſe poteſt. *Acakia Comm. ad Art. paru. Gale.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Nocturna inſania curata.

VIR quidam ſupra 30. annos natus, interdiu benè habebat, mente & ſenſibus integris: ſi quando autem quieti ſe dediſſet & dormiret, mox inſanire cœpit, clamitare ſubinde, brachia manuſque huc illuc

luc abiicere: ſurrexiſſet quandoque, ſaltaſſet, & per domum cucurriſſet, ſi aſſidentes permiſiſſent, qui in lecto eum continuerant. Vigil factus, iterum ſanæ mentis. Purgatus hic idoneis medicamentis fuit, ſanguisque detractus: verum non prius hæc profuerunt, quam cauterio in ceruice poſito, vlcus eſſet factum, quo aliquandiu aperto, profluente inde humore, melius ſe habuit, & ſanitati reſtitutus. *Dodonæus obſeruat. Medicinal.*

Ἐφιάλτης, Incubus vel Incubo latinis morbus dicitur, dormientibus moleſtus: hoc correpti ab aliquo ſibi incumbente, aut re quapiam corpori impoſita comprimi ſeſe exiſtimant, & ſuffocari imaginantur, exclamare aut vociferari volentes nequeunt, vocem ſi edant, nihil ſignificantem vt plurimum proferũt: adeſt & difficilis motus. Cum hoc autem inſaniam nocturnam (quam deſcripſimus) haud quaquam conuenire ſatis manifeſtum, cum lycanthropia ſimilior videtur, quam Paulus Aegineta deſcribit, & ſimiliter Auicenna ſub nomine Chatrab. Nec tamẽ cum hac omnino conuenit. Ait quidem Paulus, noctu domo egredi, & circa defunctorum monumenta verſari, donec illuceſcat. addit Auicenna, interdiũ etiam latrare, hominum conſuetudinem fugere: vno loco haud diu conſiſtere: triſtes & pallentes eſſe: At hic vir omnia ſua negotia dextre interdiu obibat, nulla parte mentis laborans, nec ſolitudinem amabat, ſed cum amicis & domeſticis perlubenter verſabatur. Quamobrẽ nec Lycanthropia affectus huius dici potuit: ſicut nec vere incubus fuit. Cauſam mali huius humorem fuiſſe craſſum crudumque ſatis apparuit, cui bilis portio admixta fuit. *Idem in Annotat. ad cap. prædictum.*

Observatio.

Furore correptus ſuperueniente liberatus.

DYſenteriam quidam & hydropa tranſlationis materiæ ratione, maniæ remedio eſſe, ratione non caret, à capite deorſum noxiis translatis humoribus: mentis vero emotionem, quam ἔκστασιν Græci dicunt, ipſius minime ſolutionem ſed augmentationem potius eſſe dixeris. Verum tamen ſiquidem vere Hippoc. vehementem inſaniam ecſtaſin ſæpe appellauit, quendam inſania moderata qua prius detinebatur ita leuatam fuiſſe meminimus, rationemque collegimus propter vehementem cauſarum maniam efficientium motionem, eiuſdemque fuiſſe ſolutionem ſubſecutam: quemadmodum in morbis acutis vehementiſſima ſymptomata bonas interdum criſes efficere ſolent. *Galenus Comment. ad aphor. lib. 7. Hippoc.*

Observatio.

Inſania graui ad menſes aliquot detentus, ſuperuenientibus varicibus liberatus.

VIcinus meus Daniel Federer, faber ahenarius circa ætatis ſuæ annum vigeſimum ſeptimum difficili mania corripiebatur, qua eouſque vexabatur, vt iam prorſus amens factus præter alia furoris & ſtoliditatis argumenta, ædium tectis conſcenſis, hinc inde in iiſdem obreperet. Communi itaque amicorum conſilio, catenis ad aliquot menſes vinctus, in conclaui aſſeruabatur, ne vel ſibi vel aliis vim inferret. Subortis autem in cruribus, varicibus, venis craſſo, nigro, fœculentoque ſanguine multifariam diſtentis atque explicatis, ab inſania liberatur. Natura ipſa ſua ſponte κατὰ μετάστασιν, & morbum & cauſam eiuſdem materialem à capite & animalib. partibus nobilioribus ad crurales venas ignobiliores ſalubriter transferente & exonerante. Quibus vel hodie quoque annum iam prope quinquageſimum attingens, detinetur. Homo craſſo & quadrato corpore, facie truci, ex qua facile eum mente aliquando emotum fuiſſe coniicias, voraciſſimus, ſedentariam vitam agens. Qui pro temporis & victus ratione varia, craſſo, ſicco, & melancholico ſanguine coaceruato, ſingulis annis p interualla, ſæpius acerbiſſimis varicum doloribus cum crurum inflammatione & diſtenſione miſere torquetur. Et niſi remediis ſibi mature proſpicit, recidiua inſaniæ ſpecimina, regeſto nimirũ & abundante tali ſanguine, edit. Itaq; præter fomenta ex herbis idq; genus aliis præparatis nonnunquam thermis vicinis popularibus Kybenſibus vulgo dictis, ſæpius autem varicum inciſione, non exciſione ſibi conſulit. Diuiſis etenim ſcalpello venis, ſanguinem craſſum & reſiccatum cõpreſſione ſurſum & deorſum inſtituta, exprimere & exſtringere ſolet, quo plurimũ iuuatur: qui ſuperiore non ex caſu ab alto, bihorium ſuperuiuens, tandem deceſſit. *Schenkius.*

Observatio.

Ex menſibus, aut ſemine copioſo cohibitis: virgines & mulieres quædam in furorem actæ: quæ valido & neruoſo coitu, menſibus & rationi reſtitutæ ſunt.

QVædam mulieres ſine pudore nudæ per vrbem conclamatæ inſanie feruntur. Exemplum vnũ referam mulieris nudæ per ciuitatem peragrantis in quadam Italiæ vrbe, quæ quum in officinam quandam meritoriam incidiſſet, nocte tota à quindecim viris Venere defatigata, menſium largo profluuio, qui pluribus annis antea ſubſtiterant, non ſine magno pudore, diluculo menti reſtituta, diſceſſit. *Alex. Benedictus. de curand. Morb. lib. 1. cap. 28.*

In oppido Zuccani, in agro Lunenſi, quæ mihi patria eſt, vidi mulierem temperaturæ snbilioſæ, ob ſpermatis retentionem, & coeundi deſiderium (erat enim iuuenis viginti quinque annorum & nondum nupta fuerat, neque virum cognouerat) maniacam, & furioſam factam: ita vt per agros, & per ſyluas, erraret, & vnumquemque obuiam factum, vt ſecum coiret, prouocabat, & renuentes lapidibus, & conuiciis inſectabatur. Deniq; huiuſmodi furorem coitu ſedauit: nupſit enim cuidam ruſtico, vnde conuenientem adepta medicinam, priſtinæ ſanitati fuit reſtituta. *Domin. Leon. Art. Medend. lib. 2. cap. 9.*

Observatio.

De inſania mirabili ex amore inducta atq; curata.

VIR quidam Mercator (cuius nomini, ob eam quæ in medico eſſe debet modeſtiam atq; prudentiam, parco) ex amore in inſaniã deductus, melancholicus effectus eſt, miriſq; viſis etiam interdiu, nedum noctu agitabatur, modo in iram ac furorem concitus, mox placabilis in riſum effuſus, amatę ſpeciem ſe in momenta ſingula in conſpectu habere affirmabat, illi blandiebatur, ac ſi præſens fuiſſet:

mox

mox quod ſe amantem redamare nollet, mitis increpabat modis, omnis de amata ſermo, omnis inter luctus ibat dies, nocte ſine ſomno, triſtitia mœrorque conſumebant: & ſibiipſi iniecisset manus, ni ſuorum vi prohibitus fuiſſet. Cum ſic inſaniens totos ſex conſtitiſſet menſes, egoque eo profectus eſſem, vbi æger laborabat, ad curam accerſitus, hominem magno ſane labore, multisque in eam rem paratis auxiliis, ab inſania Dei gratia adiutus, reuoco & integræ menti ac ſanitati reſtituo, *Valleriola Obſeruat. 7. lib. 2.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria, amore inſanientium & perdite amantium, qui earum quas exarſerant, coniunctione & perfruitione, ab amoris inſania mœrore item & tabe liberati ſunt.

FAma eſt ex melancholicis quendam inſanabiliter ſe habentem cum puellam deperiret, medicis nihil proficientibus, ab amore fuiſſe ſanatum. Ego vero ſuſpicor eum ab initio in puellam exarſiſſe, inde triſtem & languenti animo, quod ea non potiretur, euaſiſſe, ſuisque popularibus melancholicum viſum eſſe, neque iſte amorem eſſe in cauſa noſcebat: at vbi puellæ amatæ ſe coniunxit, mœſtitia receſſit, ira & animi languor diſcuſſus eſt: gaudium triſtitiam deleuit, & mens amore medico prorſus ſanata eſt. *Aretæus lib. 3. cap. 3.*

Vocatus, vt inſpicerem fœminam noctu vigilantem, & ex vna iacendi figura in aliam crebro ſe tranſferentem, vt ipſam ſine febre reperi, percontatus ſum, quæcunque ſigillatim illi contigiſſe poterant, ob quæ vigilias obuenire ſcimus. Illa autem vix, & interdum nihil reſpondebat, perinde atque fruſtra ſe interrogari ſignificaret: demum auerſa ſtragulis adductis ſe totam opperuit, & quodam paruo velo ſupra caput adducto in morem eorum qui dormire volunt, cubare cœpit. Id videns diſceſſi, duorum alterum mecum ipſe colligens, vel atræ bilis vitio mulierem animæ deiectionem pati, vel rei, quam fateri nollet, mœſtitia laborare: quamobrem poſtero die cuncta diligentius obſeruare propoſui. Cum itaque acceſſiſſem, ex ancilla, quæ ipſi aſſiſtebat comperi fieri non poſſe, vt tunc ægram dominam viſerem: abij igitur, & deinde rediens, vt idem denuo comperi, tertio reuerſus ſum: ſed & tum ancilla renunciante vt diſcederem, (nolle enim tunc heram vexari, nam ſimulatque ſecundo receſſiſſem, abluiſſe ſe illam & ſolitum cibum ſumſiſſe) diſceſſi: & ſequenti die rediens, ſolus cum ancilla variis de rebus collocutus, aperte mœſtitia quapiam dominam laborare cognoui, quam caſu poſtea reperi. Nam cum prius noſcerem nulla corporis parte mulierem affligari, verum animi moleſtia tantum quapiam perturbari, contigit, vt quo tempore fœminam inſpicerem, iſtud ipſum, quod eſſe ſuſpicabar, mihi confirmaretur: nam quidam tum è theatro cum veniſſet, narraſſetque ſe Pyladem ſaltantem conſpexiſſe, ſtatim mulieris vultus & faciei color immutatus eſt, quod cum viderem, brachio manum ſtatim admoui, pulſumque ſubito variis motibus agitatum inueni, id quod animi perturbati indicium eſt: talem enim pulſum & qui de re aliqua certant, habere ſolent. Quocirca ſequenti die cuipiam ex iis, qui me ſequebantur præcepi, vt, cum ad mulierem veniſſem, me parum poſt ſubſequeretur, & nunciaret Morphum eo die ſaltaſſe: quod cum feciſſet, nullam in pulſu mutationem obſeruaui. Sequenti die quoque cum iuſſiſſem, vt idem annunciaret hiſtrionem, qui ex tribus reliquus erat ſaltaſſe, ſimiliter pulſus ſe non mutauit. Quarto die cum ad mulier tam noctem de induſtria expectaſſem, vbi renunciatum eſſet Pyladem ſaltaſſe, diligenter annotaui, pulſum variis modis ſubſultaſſe: atque ita mulierem Pyladis amore captam deprehendi, quod ſecutis etiam diebus attentius obſeruatum, me in opinione adhuc magis confirmauit. Hoc cum ſciret Eraſiſtratus, & eſſet eadem domus iuuenis ægrotantis, & dilectæ fœminæ, facilius quam ego amorem deprehendere potuit, cum frequentius æger amatam intueretur, & non plurib. interiectis diebus, quemadmodum noſtra mulier, neque tum denique viſo Pylade, ſed nominato ſolum turbaretur. *Galenus libro de præcognitione ad poſthumum. cap. 6.*

Seleuci regis filius Antiochus nouercæ Stratonices infando amore correptus, memor quam improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia diſſimulatione contegebat. Itaque diuerſi iiſdem viſceribus affectus ac medullis incluſi, ſumma cupiditas & maxima verecundia ad vltimam tabem corpus eius redegerunt. Iacebat ipſe Antiochus in lectulo moribundo ſimilis, lamentabantur neceſſarii, pater mœrore proſtratus, de obitu vnici filii, deque ſua miſerrima orbitate cogitabat, totius domus funebris magis, quam regius erat vultus. Sed hanc triſtitiæ nubem Leptini Mathematici, vel vt quidam tradunt Eraſiſtrati medici prouidentia diſcuſſit. Iuxta enim Antiochum ſedens, vt eum ad introitum Stratonices rubore perfundi & ſpiritum increſcere, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum ſubinde recuperare animaduertit, curioſiore obſeruatione ad ipſam veritatem penetrauit. Intrante enim Stratonice & rurſus abeunte brachiũ adoleſcentis diſſimulanter apprehendendo modo vegetiore, modo languidiore pulſu venarum, comperit cuius morbi æger eſſet. Protinusq; id Seleuco expoſuit. Qui chariſſimam ſibi coniugem filio ſuo cedere non dubitauit, quod in amorem incidiſſet, fortunæ acceptum referens, quod diſſimulare eum vſque ad mortem paratus eſſet, ipſius pudori imputans. *Valerius Maximus lib. 5. cap. 7.*

OBSERVATIO.

Mira apud Veteres Medicos inſania, quam Enthuſiaſmum nominarunt annotata: ſaltandi furore, Muſica, Pharmaciaq; & Diæta coercita.

ENthuſiaſmus, fanatica perculſio, ſeu numinis afflatio eſt, veluti cum quidam mente in ſacris faciendis caperentur, ſi qua vidiſſent, aut tympana, vel tybias, vel ſigna audiuiſſent. *Definit. lib. author. qui Herodotus eſſe creditur.*

Sunt qui membra ſibiipſis amputant, tanquam diis propriis ea repetentibus, gratam rem, pia cogitatione facturi. Atque inſania huiuſmodi in opinione duntaxat collocatur, cum in reliquis temperate ac prudenter degant.

Excitantur vero tibia, animi oblectatione aut temulentia, aut aſtantium exhortationibus. Manat huiuſ-

huiuſmodi furor à Deorum afflatu. Quodſi incolumes deſiſtant, bono & pacato animo ſunt, tanquam Diis initiati: at decolores, macilenti & præ vulnerum doloribus infirmi longo tempore remanent. *Aretæus libr. tertio cap. 6. de cauſ. & ſign. acut. morb.*

Anteneaſmum (lego Enthuſiaſmus) eſt ſpecies Maniæ periculoſa nimium. Irritantur tanquam maniaci, & in ſe manus iniiciunt. Hi ſubito arripiuntur, cum ſaltatione manuum & pedum, qua intra aurium cauernas, quaſi voces diuerſas ſonare falſo audiunt: vt ſunt diuerſorum inſtrumentorum Muſicorum ſoni, quibus delectantur vt ſtatim ſaltent aut curſum velocem arripiant; ſubito arripientes gladium percutiunt ſe aut alios, morſibus ſe aut alios attrectare non dubitant. Hos latini percuſſores, alii dicunt dæmonis legiones eſſe, vt cum eos arripiunt, vexent & vulnerent.

Diligentia eis impendi debet. Quando iſtos ſonos audierint includantur & poſt acceſſionis horam phlebotomentur, & venter eis moueatur. Cibos leues accipient, cum calida aqua, vt omnis ventoſitas, quæ in Cerebro ſonum facit, egeratur. In ipſa acceſſione ſilentium habeant. Quodſi ſpumam per os reiecerint, vel ex Canis rabidi morſu cauſa fuerit, intra 7. dies moriuntur. Gariopontus antiquus & Græcus author cuius ſcriptum primum Paſſionarii Galeni, vltimum vero Æſculapii titulo euulgatum eſt. *Ioann. Georgius Schenckius, Schenckl Fil. Hagenauienſium Alſatiæ Medicus.*

Observatio.

Rara & horrenda, apud Recentiores, inſaniæ ſpecies: qua correpti, miro ſaltandi furore agitantur, vnde S. Viti choreæ nomen inuenit.

Grassata eſt etiamnum diu multumq; patrum noſtrorum memoria, ſtupenda inſaniæ quædam ſpecies, tum alibi, tum præcipue in Germania. Qua cuiuſcunque conditionis homines, maxime vero ſedentariæ operæ & plebes correptæ: ſubito, ſutores quidem & ſartores atque ruſtici, calceis, veſtibus, aratroque abiectis: horrendo ſaltandi furore perciti: certis per interualla locis conuenientes: ſine omni decubitu & ὀρθοστάδην, vt Hippocrates appellat ſaltantes, choreas ad extremum vſq; vitæ ſpiritum, niſi per vim ad tempus cohiberentur, ducebant. Sæpe etiam eouſque furoris progreſſi ſunt, vt ſibi ipſis, ni caueretur, vim inferrent. Quibuſdam horum in petras, nullo diſcrimine facto, impingentibus: nonnullis vero Rheno, aliiſque fluuiis ſaltando ſe præcipitantibus atque immergentibus. Vnde ab argumento D. Viti choreæ, amentiæ iſthęc ſpecies, nomen inuenit, quo vel hodie quoque ab imprecantibus ipſam appellatur. Saltando currendoq; futiunt, & velut ouantes in tantum afferantur, vt geminatis clamoribus, horrendo plane & truci aſpectu, ſpumam ore regerant: quiq; curam illorum agunt, ſcamna & ſellas altiores, in circum quo concluduntur, producere neceſſe habẽt, quæ tranſiliendo ſuperent: ſic furori illorum ſatisfacientes. Quib. tandem adeo fatigãtur, vt velut exanimes viribuſq; omnibus exoluti, humo ſe proſternant, mortuiſque haud abſimiles iaceant. Quorum nonnulli, apud quos inſania nondum plene exſpirauit, ſubito velut reuiuiſcentes, in medium tripudiantium agmen ſe recipiunt, choreaſque tantiſper redintegrant, donec ſaltu emotio iſthæc mentis abſumatur funditus. Videas etiamnum grauidas mulierculas, res miraculo proxima, eodem furore agitatas, excitataſque faſcia latiore prægrandem ventrem cinctas, ſurſum deorſumq;, ſine fœtus incommodo, conſpiciendo, inter alios ſaliendo, diſcurrere: quod ipſum niſi recentia exempla atteſtarentur, vix fidem impetraret. Inſtrumentis Muſicis affici & prouocari adeo noſtri affirmant, vt ex publico ærario Magiſtratus, non tã tympaniſtas, alioſq; muſicos conſtituat, quam robuſtiſſimos quoſque, qui choreas cum inſanientibus ducendo, donec furor expirauerit, exigãt. Noſtri quoq; veſtes proprias ſæpe dilacerare animaduertũtur: ſed & rubris veſtitos adeo infeſtos habent, vt vel à longe conſpectos impetere, atq; inimicius inuadere, ni coerceantur, annitantur. vnde ſerio cautum eſt, ne quis rubro amictus, conſpiciendum ſeſe prębeat, & occaſionem inde furiendi ampliorem illis exhibeat. Cuius antipathiæ rationem nemo facile attulerit. Ditiores, ſuis ſumptibus, conductos Comites adducũt, qui ſe obſeruent, ne vel aliis vel ſibiipſis periculi quippiam inferant, quique velut choragi furentium ſociorum ordines ducant. A deprauata imaginatione furorem hunc ſuſcitari *Paracelſus libris de Amentia* multis argumẽtis oſtendit. A furoris paroxyſmo ſibi reſtitui notiſſimum adeo, vt ſutores, vbi ſe ab inſania recollegerint, ad ſutrinam: ruſtici ad aratrum recipiant. Certum quoq; nos habemus, pleroſq; à D. Viti chorea adeo debilitatos & fractis virib. eſſe, vt ſæpe analepticis vix reſtitui poſſint. Noſtri quoq; ad Diuos, Sanctum Vitum, aut Ioannem Baptiſtam ſpe recuperandæ valetudinis confugiunt. Etenim qui ex Briſgois noſtris & vicinis furori huic obnoxii ſunt, annuatim in ꝓfeſto D. Ioãnis Baptiſtæ ad duo Fana, alterum quidem in Bieſſẽn D. Vito ſacrum, & Briſacenſis ditionis: alterum vero, Waſenvveilerii proxime, ſed cis Rhenum ſitum, Diuoq; Ioan Bapt. dedicatum, atq; ad Theuthonicorum Ordinem ſpectãs, accurrentes, conueniunt. Siue ꝙ voto perſoluendo teneantur, ſiue quod à ſanctis illis ad furorem hunc comprimendum ſubſidia ſperent. At quod mireris, vniuerſo iſthoc menſe, qui D. Ioannis feſtum præcedit, triſtes admodum, timidi, anxii, & deiecto animo incedunt, totoq; corpore vellicantes & quaſi ſubſultantes dolores, veluti præludia & fomenta quædam mali huius, denuo ſuppullulantis, perſentiunt. Perſuaſi, nunquam de cætero quietos ſe futuros, aut liberari poſſe, niſi ad Diuorum Fana tripudiando inſaniam hanc excuſſerint: euentu, vt plurimum rem ipſam comprobante. Siquidem poſt abſolutas has annuas ſaltationes, quas trihorio potiſſimum conficiunt, immunes poſtmodum eo anno ab hoc furore conſpiciuntur.

Par quoq; Curationis ratio fuerit: nam ꝙ Græci carceribus, inedia, & euacuationibus, per venæ ſectiones, & purgationes inſtitutas Enthuſiaſmo laborantes reſtituerunt: Id alicubi etiam fœlici ſucceſſu, Paracelſo atteſtante, animaduerſum. Alii furorem hunc non minus atq; à Tarantula Phalangio beſtiola cõmorſos, muſica & tripudiis, vſq; dum fanaticus ille furor diſcuteretur percurarũt. Alii Antidotis inſaniam expugnarunt, quarum nobiles aliquot Paracelſus exhibuit, ſed quod præparatio earundem

non-

nondum innotuerit, poſſet forte non inutiliter à-nalogia quadam, Scaligeri, quæ ex Napelli muſcis paratur, illis ſubſtitui, non minori quam ad tarantulæ morſus fœlicitate, pulchre ſymptomatibus & remediis vtriuſque morbi inuicem reſpondentibus. Conſtat vero poſt Eccleſiæ preces, etiam medicinæ locum aliquem in eiuſmodi malis eſſe: ſæpeque plurimum remedia, tam maniacis, quam dæmoniacis profuiſſe. Maiorum denique obſeruatione compertum, nullum ſexum, ætatem nullam, ab hac inſaniæ ſpecie, ſuperiori ſæculo immunem fuiſſe, quin promiſcue pueros, adoleſcentes, & ſenes, viros & mulieres, at has, quam illos, frequentius, corripuiſſe. *Paracelſus* fuſiſſime furoris huius genera & Curationes *libro de amentia* proſecutus eſt: Pleriſque ex Paſſionario, vt apparet, & ſui ſæculi, quo maxime viguit hoc malum, obſeruationibus depromtis. Quæ præter Antidotos, de ſuo admiſcuit, magna ex parte ſuperſtitioſa & magica ſunt, atque Chriſtiano homine indigna. *Ioann. Georgius Schenckl ſen. Med. F.*

Meminit præterea furoris huius *Bodinus lib. 5. de Republ. cap.* 1. & ſaltatricum quarundam puellarum *Monauius in Epiſt. ad Scholzium vltima, ab eodem Scholzio, libr. 2. Conſil. & Epiſt. publicata: Idem in Epiſt. ad Dudithium propoſita libr. 5. conſil. & Epiſt. Medicinal. pag.* 418.

Observatio.

Delirium cum ſaltatione iunctum.

NOuimus monachum quendam, qui cum abſque febre deliraret, & melancholica quædam ſpectra ſibi obuerſari quæreretur, quibuſdam temporum, interuallis ſaltationibus ſe ita defatigauit, vt tandem feſſus repente decideret, & miras æderet geſticulationes. Hunc nos hellebori nigri potione, quam affatim cereuiſiæ loco hauſerat, curauimus. Curato tamen deinceps conſilio meo vena ſiniſtri lateris ſplenetica appellata, ſecta fuit, idque vtiliter. *Oethæus lib. obſ. prop.*

Ruſtica quædam iuuenis continue ſaltabat, & quemlibet obuium arripiens, tamdiu Choreas agebat, donec defeſſa in terram caderet, & tanquam Epileptico paroxyſmo vexata, pallida ſtupidaque aliquandiu iacebat. Hæc ſacrificiis & Orationibus R. Patrum Societatis IESV, reſtituta eſt. Deficiente tamen Luna apparet adhuc ambulando aliquis ſaltationis motus.

Memini dum puer eſſem, me virum ac fœminam vidiſſe, ſimili delirio affectos. Fama erat, ſacerdotem ſacratiſſimum Chriſti Corpus ad infirmum ferentem, præteriiſſe prope tripudiantes, vbi omnes pro more genubus flexis Chriſto diuinum honorem exhibebant, duobus iſtis exceptis, qui ſaltando pergebant, inde vltione diuina tacti, continua ſaltatione vexabantur. *De Obſeruationibus P. Quenzij Archiatri & Senatoris Friburgi Heluetiorum.*

Observatio.

Melancholicos, Maniacos, Phreniticos quique ex alia cauſa furore perciti ſunt, nonnunquam linguam aliam perſonare, quam non didicerint, aut vaticinari: nec tamen eſſe dæmoniacos: medicamentisque reſtitui poſſe ſæpe.

AVdiui à fideli medico, quod mulier quędam illiterata, dum eſſet melancholica, latinum loquebatur congruum: qua ſenata, euanuit. *Petr. Aponens. Comm. ad Problema. 1. ſect. 30. Ariſtotelis.*

Ferunt veteres, & maxime antiquus Alexander, & bonus Raſis: quoſdam melancholicos futura prędicere, & euenire quæ prædicunt, & quidam alii quod illiterati, fiunt literati, ſic quod in quibuſdam ſcientiis, ad propoſitum diſputantes, reſpondent.

Ego Pinaroli quendam ruſticum melancholicum vidi, qui ſemper, luna exiſtente combuſta, carmina componebat, & tranſacta combuſtione, circa duos dies, vſque ad aliam combuſtionem, verbum nunquam vllum literaliter proferebat: & hunc nunquam didiciſſe literas aiebant. Hoc quoque *Gentilis in quæſtione de incantationibus & colli ſuſpenſionibus* affirmat, cum inquit, famoſum eſt, multos & multas, quæ nunquam prius literas cognouerunt, ſubito literaliter loqui: quod *Ariſtoteles trigeſimo problematum, problemate primo* ſentire quoque videtur. Maracus (inquit) ciuis Syracuſanus, poeta etiam præſtantior erat, dum mente alienaretur, &c. *Guainerius tract. 15. de cap. dolore cap.* 4.

Panaceum, celeberrimi nominis medicum, adoleſcens colui, is, me teſte, quendam reſtituit, nomine Phlyarium, patria Spoletanum, qui ex vermibus nouũ maniæ genus inciderat, ita vt in morbo probe teutonice loqueretur, quod (vti conſtabat) ſanus nunquam potuerat. Quis imperitus rei medicę, non hunc demoniacum, vel deieraſſet etiam? At is hominem facili paratoq; remedio, menti reddidit. Redditus ſibi, teutonice nec loquebatur, nec intelligebat. Quod ſi quis hunc vere dæmoniacum fuiſſe cõtendat, ea ſane res, vel maxime medicorum illuſtrat artem, cui compertum eſt, & dęmones impios parere, quemadmodum in reſtituenda vita, ita & in exigendis ſpiritibus, diuinæ virtutis tum miniſtræ tum æmulæ. Neq; vero deerant, qui factum hoc magicis artib. tribuebant, quorum ego calumniam arti noſtræ, gloriæ laudiq; verto, per quam ea præſtantur, q̃ vulgus hominũ humanis viribus præſtare poſſe credit. *Auctor. Chiliadum, in declaratione ſua pro laude artis med.* plura vide *libr. 2. cap. 2. de Occult. Natt. Mirac. Lemnij.*

Observatio.

Maniacus, dæmoniacus falſo creditus: medicamentis curatus.

QVoſdam in officio vix contineas: accepi inquit Syluius à viro fide digno, quẽdam ſibi perſuaſiſſe, tribus dæmoniis agitari, in corpore latere, indicabat in ſcapulis & fronte, cum eſſet deductus ad Sanctum Mathurinum cui Lutetiæ dæmoniis obſeſſos vouent. Medicorum conſilio ſcapulæ & frons acri quodam ſucco ſunt illi illita clanculum, fingentes interim miniſtri exorciſmum, & crucis ſignum in his partib. facere, interim ei indicant, complures dęmones cum morſum in motib. perſentiſceret. Itaq; cum ipſe de morſu cõquereretur, ac in eo loco dæmones latere prædixiſſet, vnus alius retro aſtans, pulueres quoſdam conſperſit, ſuper accenſam candelam, deinde orante etiam ipſo ægro, & aliis puluis celerrime flammas concepit, ac in ſublime ſubuolauit, tertio id factum, æger pulſos dæmonas credens, perſanatus eſt. *Douynetus Apolog. lib. 3. cap.* 2.

Observatio.

Mania correpti, caute tractandi.

Monet

MONET Sylvius vt quiſquis medicaturus melancholicum caueat. Ego, inquit, anno ſuperiore vocatus ad melancholicum: cum per feneſtram in cubiculum reſpexiſſem, nam intrare aliter nolui, ac furore præhenſum viderem, contorquentem caput in alios, ac furentem cæpi illius vicem deplorare, maluique me inde eximere, quam in aliorum conſpectu periclitari. *Idem eod. loco.*

MORTVI.

OBSERVATIO.

Virginum quarundam mira inſania, quæ nullis proficientibus perſuaſionibus, aut remedijs, ſibiipſis manus intulerunt.

MILESIÆ virgines quondam graui, & inuſitato affectus genere correptę fuere, cuius tamen cauſa tum quidem perſpici non potuit. Aertamen in primis intemperie quadam, quæ ipſas de mentis poteſtate exire faceret: & venenata quadam qualitate, quæ abalienationem mentis induceret infectus videbatur. Omnes ſiquidem ſubita mortis & furioſa ſeſe ſtrangulandi cupiditate concitatæ: multæ quidam clam laqueo vitam finiere. Neque verò obſecrationes parentum lactymæ, aut conſolationes amicorum quicquam proficiebant: ſed omni ingenio & calliditate iis, qui eas obſeruabant, ſuperiores, ſibi ipſis manus afferebant. Itaque malum illud diuinitus illatum, & omni humana ope potentius videbatur: donec de ſententia ſapientis cuiuſdam viri conſilium eiuſcemodi ad deliberandum propoſitum eſt: eas ſcilicet virgines, quæ ſe ipſas interfeciſſent, nudas per forum efferri debere. Id conſilium, publica auctoritate comprobatum, non ſolum eas continuit, quominus ſeſe necarent: ſed omnem hanc moriendi libidinem plane exemit. Scilicet turpitudinis fuga magnam præclaræ indolis, & virtutis argumentum eſt: & quod illæ, quæ, ad res omnes maxime formidabiles, mortem inquam, & dolorem, intrepidæ eſſent: ne quidem animus concipere: nedum ſuſtinere potuerint dedecus illud poſt mortem futuram. *Plutarchus in libel.* γυναικῶν ἀρετῶν.

Quæſitum nuper eſt à viris prudentioribus, quò nam fato accideꝛit, vt hoc ipſo anno in parte Galliæ (quæ à noſtris Lugdunenſis dicitur) non paucæ quidem fœminæ ſe ipſas in puteos & in vndas conieccerint: etſi nullo (vt apparebat) corporis morbo vexarentur. In quo nihil certum, aut etiam dignum eſt allatum, præterquam quòd hoc totum plærique poteſtate ſyderũ, ac cœli defluxu fieri arbitrati ſunt; vnde furore perciti homines, violenta nece occumberent. Nec enim deſunt exempla apud veteres, quibus aperte colligitur, plurimos tali morbo affectos, ſe interemiſſe: quod à veteribus tamen in Deorum iram & quaſi vltionem refertur. *Crinitus de Honeſt. Diſcipl. lib. 3. cap. 9.*

OBSERVATIO.

Amoris vi puella mortua.

NVPER puella quędam, propter retrogradas nuptias in magnum animi mœrorem incidit, quę propter continuas lachrymas, cum omnem conſolationem reſpueret, conſecutus eſt dolor capitis ingens, hunc epilepſia, epilepſiam mors. *Cornax libr. 1. cap. 3. Conſultat. medicarum.*

Teſtis mihi Pontanus virginem Neeram in Salentinis paucis ante annis, ſeſe in puteum deieciſſe. Sed hoc nimia indignatione factum conſtitit, quod ab eo ſe repudiatam videret, cui pro coniuge pacta erat. *Crinitus de Honeſt. Diſciplin. lib. 3. cap. 9.*

OBSERVATIO.

Suppreßis menſibus, opinionem conceptus præbentibus, dolore leui ab imo ventre ad fauces pertingente, mania corripitur mulier & catarrho, quæ paulo poſt interijt.

NObis, cum alias aliquando, tum hoc ipſo anno in nobili muliere obſeruare licuit, quæ cum ſuppreſſis menſibus grauidam ſe falſo crederet, oborto leui dolore, quem ab imo ventre in fauces conſcendere dicebat, derepente admirabili mania correpta eſt, nec remediis adiuta in βράγχον ſiue ἀρτηρίακον incidit, vnde paulo poſt obiit. Ea raucitate perſuaſi parentes, mulierem catarrho laborare, remedia maniæ conuenientia adhiberi nunquam paſſi ſunt. *Lacotius Comment. 1. ad librum ſeptimum ſectionis 2. Coac. Hippocr.*

OBSERVATIO.

Peſtifera inſania correpta puella, primo curatur: poſt menſem vero in eandem incidens, vnius diei ſpatio è medio tolli-tur.

INSANIÆ tria genera, & acutum quodlibet. Vnum cum in acceſſione febris, aut in ſuo vigore deſipit æger, & aliena loquitur, ſed tamen leuata febre ſtatim reſipit. Alterum, quod Græci φρένησιν vocant, cui ſemper dementia comes eſt. Nam licet inter morbi initia reſipere interdum videatur æger, eius tamen mens quibuſdam ſemper imaginibus agitatur. Tertium vero genus eſt lethale magis ac peſtiferum, cum ſcilicet æger ipſe non ſolum perpetuo deſipit, ſed & quæcunque agit, impetu quodam & violento motu operatur. In huius autem generis lethalem inſaniam cum nobiliſſimi cuiuſdam viri filia prolapſa maleageretur, & nos ad eam intempeſta nocte vocati accederemus, adeo furentem puellam inuenimus, vt dum hinc inde ſeſe violento quodam impetu iactaret, quicquid interim obuiam habebat, dentibus arriperet, frangeret, laniaret. Ex quo proprios capillos, brachia & manus, & ſi quid præterea aliud arripere poterat, ita mordicus, nullo habito diſcrimine ſuumne an alienum eſſet, apprehendebat, vt niſi ſciſſum ac prorſus laceratum ex eius dentibus eripi non poſſet, adeo vt vinciri puellam oportuerit, ne ſibi aut alteri noceret. Verum cùm paucis poſt horis furor illi remitti cœpiſſet, in ſomnum incidit grauiorem, quo (tametſi noſtris præſidiis, ſtudio & diligentiæ ægre cederet) vix tandem excuſſo, ab inſania quoque puellam ipſam liberauimus. Sed vt eſt ingenium mulierum, præſertim nobilium, cum ſanitate adepta nihil eorum, quæ pro tuenda firmandaque valetudine iniuncta fuerant, obſeruaſſet, & ſua vi-

uereret libertate, poſt integrum menſem, quo priſtina vſa eſt valetudine in eundem incidit morbum: à quo cùm nullis vnquam auxiliis potuerit à medicis liberari, vnius tantum diei ſpatio è medio ſublata eſt. Si quis autem huius morbi cauſam quærat, nos quantum cõiectare licuit, materiam credimus fuiſſe calidiorem, ſed paucam tamen: quæ cum caput peteret, ſuo & incendio & mobilitate puellam furentem redderet. Et quoniam caput ipſum frigidiore materia oppletum fuerat, hanc quoque, cum & ipſa, (vt creditur & par fuit) exagitata fuiſſet, priore illa materia extincta ac reſoluta, ipſum denique profundiorem ſomnum puellæ feciſſe putamus. *Beniuenius cap. 99. Abdit.*

DE DÆMONIACIS.

Obſervatio.

Vere dæmoniacos, poſt Eccleſiæ preces, etiam Medicorum opera ſæpe reſtitui.

QVod occultum aliquod, ab altiori quam naturali, per ſe naturaliter agente cauſa dependens, nonnunquã in morbis reperiatur, ratione graui, ſententia multorum, & experientia etiam mihi nõ ignota, edoctus affirmo. Hoc autem, vt à Deo, ac Diuis profectum, vere diuinum vocari poteſt, ſic à Dæmone aut Veneficis inductum, communiter maleficium, & iam apud aliquos generali vocabulo huc allegato, hyperphyſicum malum appellari ſolet. Poſterius iſtud, non ſolum per aliqua intra corpus ingeſta, ſed & per ea, quæ in corpore ſunt, modis variis vſurpata aut alterata, atque etiam per alia, quæ foris exiſtentiæ corpus attingunt, vel quoquomodo id afficiunt, iuſto ac ſapiente Deo permittente, à Dæmone fieri poſſunt. De iis liberandis, multa in Eccleſia approbata Theologorum & Medicorum extant conſilia, breuiter ob id hæc paucula ſubiicio. Ego tum ob cauſas antecedentes, tum nonnulla morbi modum comitantia, tum etiam, malos inde ſequentes effectus, non raro in iuſtam, de diaboli paſſim ſe ingerentis, & prauis corporum diſpoſitionibus, vt inſtrumento vtentis cooperatione, ſuſpitionem veni; & auxilium petentibus (plures autem, præſertim qui ad manus ſibi, aut aliis inferendas, aut poteſtati vel conſortio Dæmonis, ſe committendos animum grauiter exſtimulatum habuerunt, hac in re tam in ſecreto, quam publice me conſuluerunt) ſpiritualia cum naturalibus remediis coniungenda fore ſignificaui. Hoc in caſu probo, ac conſulere ſoleo, vt à ſpiritualibus quibuslibet præſidiis initio facto, mala corporis diſpoſitio, qualiſcunque illa occurrat, per medica præſidia ſecundum artis regulas communes inſtituta curetur, ſemper autem tam alimenta, quam medicamenta ſale, aqua, vino, & aliis in Eccleſia rite benedictis, permiſceantur; & ipſa quoque modo approbato benedicantur, ſuffumigia, appenſiones, conſperſiones, hiſq; ſimilia ex benedictis variis parentur; ea quæ Theriacalem aut Alexipharmacam appellatam vim habẽt, malignitati reſiſtunt, & prauos ſuccos educunt quæ porro cordialia ſunt, caput roborant, & ſpiritus illuſtrant, & quæ aduerſus maleficia facere perhibentur, tanquam præcipua in curatione adminiſtrentur, & animus pro affectuum varietate verbis temperetur: atque tum Medicus, tum aſſiſtentes diuinis præmuniantur, & æger in eorundem vſu pergat, vel etiam ſuper ægrum preces, exorciſtis notæ, fiant. Conſilio huic non abſque fructu ſperato nonnulli paruerunt. Vnum autem caſum teſtimonii & explicationis loco hic referam. Iuxta Landisbergam Bauar: ciuit: in pago quodam ruſtici vxor, ætate mediocriter ꝓgreſſa, ab inſidiante ſpiritu vexata, & vt vel illa necem ſibimet inferret, vel poteſtati & conſortio eius ſe traderet, frequenter admodũ iuſſa, & quaſi compulſa fuit; imo & in forma viſibili apparens ſpiritus id vrſit, & ni horum vnum faceret quietam & ſecuram minime ipſam fore dixit: At mulier in malum conſentire noluit, auxiliumq; diuinum præcibus multis implorauit. Tandem cum viros quoſdam à Religione ſingulariter celebratos (tunc enim Reuerendi Societ: Ieſu patres primo collegium inſtituerant) Landiſpergam nuper aduenisſe intellexiſſet, illa in ciuitatem ire, & apud eos conſilium & auxilium quęrere conſtituit. Landisbergam veniẽs ad Ilustris Domini Schueikhardi Comitis in Helfenſtein, & Ducalis præfecti coniugem, deuotione atque in miſeros ac pauperes, clementia & munificentia, vt & nobilitate illuſtri conſpicuam matronam adducta fuit, cui ſuam calamitatem aperuit, & aduentus cauſam expoſuit. Domina Comitiſſa, condolens operam ſuam mulieri, addixit, & rem Reuerendis Dominis Societ: patribus denunciauit, eandemque mihi, qui tunc forte præſens & aliquot Septimanis ibi permanſurus erã, quoque ſignificauit. Cum ſpirituales ſpiritualia ſe libenter præſtituros promitterent, ego corporis diſpoſitionem vitioſam, & Dæmonis luſui aptam aduertens, hominem integrum curæ ſubiiciendũ eſſe iudicaui. Diuinis igitur ſacriſque mediis recte ordinatis ac factis, medicam curationem hoc (quantum memini & obiter conſignaui) modo inſtitui. Pituitoſum & Melancholicum ſuccum (præcipue pituitam ſalſam, & in melancholiam deſinentem puto) repetitis vicibus purgaui; inter purgationis dies, iis, quæ præter communes humorum qualitates, etiam malignitatem reſpiciunt, materiam & corpus præparaui, medicamentis ad id paſſim commendatis & cõſuetis vſus, multa Zedoaria iis commixta. Caput, abraſis capillis, herba betonica, & ſtuppa cannabina, additis etiam odoratis, optime tegi, & foueri, illudque calido pullorum & agnorum, recens mactatorum ſanguine frequenter, & potiſſimum mane ante ſumptum cibum illiniri præcepi. Corpore bene purgato, & ſanguine miſſo, ſudorem promoui, & ſemel atque iterum gallinam viuam in dorſo diſſectam, capiti ægre imponi, eamque linteis alligatam, donec ſudor erumperet, atque toto corpore ægra lecto bene tecta ſudaret, ita relinquendam curaui.

Decoctum tam ad ſudorem promouendum, quam ad quaſdam alias intentiones curatiuas expediendas, in progreſſu curæ huius quotidie (exceptis purgationum diebus) exhibui.

Huius

Huius forma ſecundum communem practicantium modum hæc eſt. ℞. Hordei mundi, herbæ benedictæ, lupuli, ana M. j. Aquæ communis (benedictæ) ℔. xxv. bulliant igne lento per ſpatiũ mediæ horæ, vel circiter, dehinc facta colatura in aquã iniiciãtur Sarzæ parill. ℔. ß ligni ſancti Cort. ligni ſancti an. ℥ v. in vaſe bene perlutato bulliant ad lentũ ignem, per horæ vnius ſpatium, quo exacto, ignis ſubtrahatur, ſed decoctum horis xij. in vaſe clauſo, calido in loco permaneat. Poſtea ex aqua eximatur materia videlicet Sarza, lign: & cort: atque in mortario lapideo fortiter contundatur, & in aquam denuo imponantur, additis in ſacculo lineo ligatis his puluerizatis ſcilicet Rad: Enulæ ℥ j. Zedoariæ ℥ iij. herb: card: bened: M. j. (his Rhaponticum, herba yua, & hypericum vtiliter adduntur) bulliant ad perfectam conſumptionem duarum tertiarum, ita vt adhuc circiter ℔. viij. decocti remaneant, quo facto affundantur vini puri, tenuis (Neccarici) ℔ vj. fiat leuis ebullitio, & vaſe adhuc cooperto, ab igne remoto, maneant omnia immota, donec refrigerentur, & craſſa in fundo ſubſideant, tandem decoctum purius ſenſim effundatur & per linteum coletur, & ad vſum ſeruetur. Supra ea quæ remanent, aqua copioſior paulo affundi, & decoctione facta, ad vinum diluendum, aut pro ordinario potu exhiberi poteſt. Interim victus & omnia curæ medicæ neceſſaria, ſecundum Medicorum regulas, ſeruata, vinum, ſal, & aqua benedicta, medicamentis & alimentis permixta; benedicta etiam collo appenſa, & in conclaui repoſita fuerunt. Cum hiſce ad aliquot (puto quatuor, aut quinque) ſeptimanarum ſpatium cura eſſet protracta, tunc omnia melioris conſtitutionis ſigna medica apparuerunt, animus liberior euaſit & ſuggeſtiones facilius excuſſit, tandemque mulier Diuina ex gratia conualuit, & domum reuerſa vitam quietiorem egit. *C. Lucius de obſeruat. proprijs.*

Observatio.

Etiam veteres dæmone obſeſſos per medicamenta vel ante vel poſt exorciſmos adminiſtrata liberaſſe.

TRADIT Pomponatius, priſexorciſtas, quos præcatores vocant, ante coniurationem, obſeſſorum corpora ab atra bile expurgaſſe. Morbis ſiquidem geminis vt plurimum hi infeſtantur, corporis nempe, ex melancholico ſuccu genitis: & animi vt amentia, mœrore, timore, vitæ odio, & deſperatione, quibus nocte diuque eiuſmodi homines macerat iuratus humani generis hoſtis, & veluti lugubribus tentationibus ita vellicat, vt quaſi aquila apud inferos Titii iecur arrodere videatur. Obſeſſos expulſos eo humore non amplius mirabilia facere, experimento ſe vidiſſe, in expoſitione illius problematis dicit Conciliator. Vxorem quoque cuiuſdam ſutoris à dæmonio agitatam, variaque ſonantem idiomata eo modo perfecte curauit Galgarandus medicus, Mantuæ celeberrimus.

Puella quædam in Burgo melancholica, ſe Virgilii ſpiritu obſeſſam eſſe fatebatur, diu coniurata: quod creditum eſt facilius, quia puella ſimplex, admodum pia, & quæ ſemper domi latuerat, Hetruſca, affectaret exprimeretque Mantuanum hoc eſt, Longobardicum idioma, vt ſubinde Latinum aliquid ſonaret. Cum nihil proficerent coniuratores, medicus ex arte adhibitis melanogogis primum, & deinde aliis roborantibus illam optime per Dei gratiam reſtituit. Exonerato itaque corpore, promptius in reliquam ſanationis obſeruantiam velut à naturali iam impedimento leuatus, ab Eccleſiæ miniſtro inducetur δαιμονοφόρητος. *Vierus lib. 5. cap. 28. de Curat. Laſ. Malefic.*

Observatio.

Ad inſaniam, mentis emotionem, Melancholiam, experimentum ſingulariter celebratum.

AD mentis alienationem & deſipientiam, vitio Cerebri obortam, in manuſcripto codice germanico tale medicamentum reperi: Caput Arietis, nondum experti Venerem, vno ictu amputatum, cornibus tantum demtis, integrum cum pelle & lana in aqua bene elixabis, tum aperto, Cerebrum eximes, & addes aromata, Cinamomi, Zinzib. Nuc. moſch. Macis, Caryophill. ana. ℥ s. Horum pollinem cerebro admiſcebis, in patella ad prunam non magnam diligenter agitando, ne aduratur, quod facile fieret.

Curabis autem ne nimium deficcetur, ſed ita coquatur, ne ficcius fiat Vitulino Cerebro, ad cibum parato. Sat coctum fuerit, vbi bene commiſcueris ad prunam. Sic conditum ſeruabis, & per triduum, ægro quotidie ieiuno, dabis, ita vt horis poſt duabus à cibo potuque abſtineat. Sumi poteſt cum pane vel in Ouo, vel ex iure, vtcunque, modo deuoretur ab ægro. Danda interim opera, ne loco lucido æger ſit, & vt ad 14. dies eodem victu vtatur, quo vti ſolent, quibus detractus eſt ſanguis: & Vino caput tentante abſtineat. Sunt qui breui tempore iuuentur, aliqui ſex demum vel octo ſeptimanis à ſumto medicamento. Conſultum autem fuerit medicamentum à tribus menſibus repeti. *Geſnerus Hiſt. animal. lib. 1. pag. 917.*

Si magnas intueamur coniunctiones: quoties ſimiles coierint naturæ ſiderum, ſimilibus ſignis, domibus, gaudiis, exaltationibus, faciebus, terminis: efficaciora quoque ſint euenta. Hæc vulgo quoque nota ſunt. At illa ſolis doctis: abductum Caput Arietis à ſuperioris cæli capite, non amiſiſſe vires ſuas qua in re tecum ſentiamus: ſed ſociis copiis amiſſis, eius operam minoris factam non poteſtatem. *Scaliger libro ſecundo de Plantis in Ariſtotelem, pag. 121.*

Capiat Cerebrum Arietis, butyro tortum, & aromatibus hiſce conditum. ℞. Cinam. Nuc. moſch. Zinzib. Caryophill. Macis, an. ℥ ij. Sumat die ſolis hora Martis, vbi pridie die ſabathi Arieti in ipſis actu venereo caput amputatum fuerit: nam ſic multo efficacius medicamentum euadet. *Conradinus cap. 9. febris miſcellan. Vngar.*

Plura vide, apud *Carrichterium pract. cap. decimo tertio. Nicol. de Metri pag. 129. & Iatrio VVirtembergico*

Edit. Tubingenſis, pag. 62. quibus locis variæ huius remedii vtendi rationes proponuntur

DE CATARRHO.

OBSERVATIO.

Catharri maxime externi natura, cauſa, & generationis modus nouus.

IN externis partibus capitis aliquãdo excrementum colligitur, maximeq; ſub cute verticis, quo venarum per faciem & tempora in caput irrepentiũm extrema deſinunt. Quoties enim hæ vel ſero vel humore multo turgent, alimenti reliquias & ſuperuacua ſub cutem effundunt, quæ præ cutis craſſitie atque denſitate vaporare foras vix queunt. Horum coagmentatione aſſidua tantus interdum cumulus fit, vt humor ceræ inſtar mollis promineat cutem condenſans eamque à calua plurimum diſiungens. Hic certe fons, hic fomes eſt omnis externæ deſtillationis, quem miror neminem omnium veterum obſeruaſſe. Hinc in externas corporis partes fertur deſtillatio in oculos, in maxillas, in dentes, in ceruicem, in ſcapulas, in brachia, in latera, in dorſum & lumbos, in coxendicem, in crura, in omnes denique articulos: eaque tum omnis arthritidis tum omnis fere externi doloris cauſa eſſe deprehenditur. *Fernelius libro quinto cap. 4. Patholog.*

OBSERVATIO.

Cautio in catarrhorum cura vtilis.

IN catarrhi deſcenſu, qui vehementem tuſſim plerunque excitat, in initio vehementer irritantia nocere notum eſt. Verum illud etiam diligenter aduertendum eſſe, à me obſeruantum eſt, ne noctu aut veſperi tempore decubitus irritantia & ſputum vehementer mouentia, ſumantur. Id enim ſi fit, tum commotione materiæ ſomnus impeditur, & ſæpe periculum ſuffocationis excitatur, dum tuſſiendi conatu vehementi mota materia repente inferius præcipitatur.

Quare, vt & ſomnus promoueatur, & catarrhi materia per quietem coquatur, ac incraſſetur, & vires capitis magis firmentur, proderit decubitus tempore, vel ſaccharum roſaceum, vel aliud quiddam in ore continere, quod humores incraſſet, & ab omnibus irritantibus tuſſim abſtinere. Si tamen maiori ſomni tempore peracto, ſputum facile efficientibus opus eſt, adhibeantur moderatiora, ne nimis commota materia defluens, moleſtiam euidentiorem concitet, & catarrhorum delapſus augeatur. *Oethaus lib. obſ. propriarum.*

OBSERVATIO.

Infantium catarrhus noſtris frequens, ſæpe cum ſuffocationis aut Epilepſiæ metu.

IN Catarrhis ſuffocatiuis & epilepticis paroxyſmis, ad ſperma cæti, magnitudine piſi, in lacte nutricis diſſoluti, inque os infantis inſtillati tanquam ad ſacram anchoram confugiendum, polliſque iuæ moſchatæ, & nucis myriſticæ conditæ ferculis admiſcendus: vt ei, ſi fieri poteſt, Doronici magni. Quorum tamen in locum commodiſſime ſubſtitui poſſunt, aquæ & trochiſci, à Clariſs. Philoſophis & Medicis D. Ioann. Langio ciue cognatoque noſtro & D. Thoma Eraſto, præceptore plurimum colendo, memoriæ proditi. Horum non minor via eſt in morbo illo, quem matrem vocant, puerorum, qui tum plerunque infantes affligit, cum ob παργάνωσιν tantam lactis copiam ſuxerint, cui non ſunt coquendo. Vnde in ſymtomata caduco morbo fere ſimilia incidunt: qualia ſunt, ἐφιάλτης, frequens eiulatus, terror in ſomno, vigiliæ, vomitus, fœtens anima, colici cruciatus, febris, quandoque ἄσωδης τωεγχώδης καὶ ἀφόρητ𝛐ς, *Galeni 4. de ration. vict. in acut. ſent.* 47.

Quo in affectu alias, lacte nutricis prius correcto? vtiliter exhibent infanti ſcrup. dimidium elect. diamuſci, vel pleres archondt, maxime vero theriacam in lacte diſſolutam cauteria ſane inter primam & ſecundam occipitis vertebram inſtrumento argenteo glandem repræſentante adminiſtrata, maximo cum incommodo noſtri cane peius, & angue fugiunt. Vt & παρεγκέντησιν illam, quæ in cute ceruicis ſetone fit. *H. Reuſnerus Diſputat. Baſilienſ. habita. Anno M. D. XXCII.*

S. Scribis infantes apud nos Catarrhos ſtrangulationem minitantibus ſæpenumero laborare atque ex iis nonnullis Epilepticis paroxyſmis corripi, ac peti à me rationem medendi, qua leuari hoc modo miſelli poſſint. Tametſi autem mihi tantum non arrogem, vt ad hæc pro rei exigentia reſpondere poſſem, communicabo tamen tibi ea, quæ mihi ſunt cognita & obſeruata, vt intelligas me tuis votis deeſſe nolle. Principio noſti Catarrhos infantum variis ex cauſis oriri, atque ſingulas cauſas ſua remedia poſtulare, quæ ex probis authoribus petenda ſunt: tamen ſi volumus eiuſmodi deſtillationes modice curare, neceſſe eſt vt ante omnia matribus ſeu nutricibus proſpiciamus, qua debita & ratione gubernentur, & vt lac ipſarum probe corrigatur.

Nam ſolent magna ex parte pueruli male habere ob nutrices & malum in ſex rebus non naturalibus regimen.

Poſtea etiam ipſos infantes conſideramus, an videlicet humor deſtillans frigidus fuerit, vel calidus, atque ita contrariis medelis ipſis ſuccurrimus. Fluxione itaque frigida exiſtente, exhibemus j. atque alteram gut. ſyrup. de glycyrrhiza, aut aliquid Lohoch. de paſſul. in modica Aq. Scabioſ. diſſolutum. Capitis etiam commiſſuræ puluerem ex ſandaraca factum inſpergimus. Si vero, calidum fluxum eſſe deprehendimus, gutt. j. ſiue ij. ſyrup. vel Iulepi Viol. propinamus, aut ipſum Viol. ſuccum, aut facimus pul. ex penidiis, gumm. arab. Tragacanth. & glycirrh. tritis, ana. q. ſuf. & lacti nutricis miſcemus, donec ad Eclegmatis formã veniat, atq; de eo parumper deglutiendũ porrigimus. Si v. ad vigorem vel ſtatũ mali ventum eſt, ſoleo ego exhibere

Sperma

Sperma Ceti, quantit. piſi, in lacte muliebri diſſolutum, & iubeo inſtillare, in os pueri, poſtea moneo, vt ſomno committatur. Hoc remedio multis profui, quos etiam fere pro deploratis habuerunt mulieres. Nam fluxiones intercipit, atque ſuffocationis paroxyſmos mitigat. Sed tamen exhibere non ſoleo, niſi cæteris non iuuantibus. Epilepſiæ acceſſum ſequentibus remediis arcere ſolemus. Appendimus iuxta Galeni & Medicorum conſilia, grana pæoniæ excorticata collo, & brachiis puerorum. Smaragdum etiam integrum & minime læſum cordi applicare ſolemus. Quidam etiam Corall. rub. & alcis vngul. ita vſurpare ſolent. Ad intra vero conſeruam pæoniæ aut betonic. exhibemus, aut facimus deſtillationem harum conſeruarum in Aq. flor. Tiliæ, & de ea nonnunquam vnam atque alteram guttam inſtillamus. Puerulis etiam bimis & maioribus natu de ſequenti puluere porrigimus.

℞. rad. pæoniæ ℥j.
ſerpent. ℥ s.
Viſci quercin. iuſto tempore collect. ʒ s.
Croci oriental. ℈ i.
Corall. rub. ℥ s.
Rad. & Sem. Dictam. nri. a. ℈ j.
Fol. auri puri ſubtil. inciſ. n. iij.
Vnicorn. veri ℈ j.
Marg. oriental. non perfor. ℥ s.

Puluerizanda puluerizentur ſubtilit. miſceatur & f. pulu. Δόσις infanti quantitas piſi j. vel ij. cum lacte nutricis. Maioribus natu tripla quantitas cum aq. Beton. fl. Tiliæ, ruthæ, exhiberi poteſt. Et hæc quantum ad præſeruationem. Paroxyſmum iam præſentem releuant peſſuli ex bombyce facti, intincti in ſuccum. Vitæ, in quo aliquid Caſtorei fuerit diſſolutum, aut ſucus per ſe vitæ, puerorum naribus illitus, acceſſionem in morbo mitigat. Idem facit Caſtoreum odoratum. Auerſiones quoque fieri poſſunt frictionibus & ligaturis, ſi ætas permiſerit. Vidi apud Italos cauteria actualia ad coronalem ſuturam capitis applicata fuiſſe bimulis, & trimulis atque contuliſſe. Ad mitigādum paroxyſmum pulueré priore etiam vti poſſumus. Item ſequenti condito, quod:

℞. gr. & rad. pæon. excortic.
a. ℈ j.
Corn. cerui vſti.
Coagul. leporis.
Rad. Tormentill.
Viſci quercin. iuſto tempore.
collecti a. ℈ s.
Nucis cond.
Cubeb. an. gr. v.
Syr. Diamuſc. dul. ℈ s.
Sacch. albi ſſ. ℥ s.

Cum Syr. de ſtœchad. q. ſ. f. Conditum molle: Δόσις, ij. piſor. lactentibus ſeniotibus, iuxta ætatem exhiberi poteſt. Habes, V. C L. remedia mea, quæ ego in deſtillationibus puerorum atque adeo in leuandis acceſſionibus morbi caduci vſurpare ſoleo. Et quanquam non dubito, quod cum Medicis tuis iis potiora habeas, volui tamen tibi gratificari, atque mea communicare. Quæ tibi ſatis fecerint, bene ſe res habet, olim meliora ſuperaddam. Vale & meam illam tenuitatem æqui bonique conſulas. Dreſdæ 12. Calend. Aug. Anno 1556. *Neſius ad D. C. P. Med. Celeberr. libro tertio conſil. 24. Cratonis & aliorum pag. 168.*

Solet hoc affectu correptos multos, qui in extremo diſcrimine poſiti ſunt, & quaſi ſemianimes liberare, & in vitam reuocare. D. Stromerus noſter, exhibitione diaturbith ſui mineralis à gran. ij. ad v. vel vj. hoc enim facto, natura mox irritata, ingentem copiam pituitoſi, & lenti humoris, tum per vomitum, tum per deiectionem exturbat, & maiori oneris parte leuata, ad ſe redit. Fortaſſe idem etiam (Galenus,) noſtris medicamētis, puta diagrydio, aut ſimilibus, in debita copia aſſumtis, conſequeremur niſi plus iuſto timidi nonnunquam eſſemus; aut illam Coinei ſenis ſententiam, nobis in mentem reuocaremus. Extremis morbis, extrema exquiſita remedia optima eſſe. *Monauus lib. 5. Epiſt. & conſ. Cratonis pag. 601.*

Nos quoque infantibus, etiam in cunis adhuc vagientibus, bimulis nonnullis, aliisque paulo maioribus, hoc malo affectis; & de prognoſtico certo alias perituris; vini antimonii grana aliquot, pro ætatis, virium & morbi occaſione, cum fœlici ſucceſſu exhibuimus. Vſus ad eam rem opera Iſaaci Foreri pharmacopæi & chemici dexterrimi. Ex illis autem, quos plures ſane per Dei gratiam liberaui; Hieronymi Iungii liberi vel hodie quoque ſuperſtites viuunt. *Schenckius.*

Observatio.

Puer deſtillatione & febre continua laborans, deſperatus reſtitui-tur.

Filivm legati Reguli Mantuæ, puellum decem circiter annorum, cui olim confracta caluaria, magnaque parte oſſis capitis extracta, deſtillatio & febris continua adeo vrgebant, vt ego (quod eſſet illuſtris viri filius) iuſſerim primos ciuitatis medicos aduocari, qui vbi ſuperuenerunt, nullam ſpem ſupereſſe iudicabant. Itaque hoc videns, & ſolus in cura relictus, nouam curandi rationem inirí incepi, & humido victu imperato, ab ouis & carne abſtinens, melque deſtillans, ac rorem Syriacum (quoniam & illud adiectum erat incommodi, vt medicamenta omnia reſpueret) 40. dierum ſpatio illum plene ſanaui. *Cardanus. Curat. admirand. cura. 11.*

Observatio.

De catarrho ſiue deſtillatione ſuffocante.

Defluere ex capite humores in pectus ac pulmones haud rarum eſt inde ſiquidem tuſſes, raucedines, reſpirandi difficultates, & ſi humores ſalſi aut acres, pulmonis exulcerationes & phthiſes proueniunt: quod ſi vero & in pulmonibus vitium, latentes anginæ ſuccedunt. Sed adeo copioſum deferri, vt hominem mox ſuffocet, per-quam rarum. Generoſo cuidam viro ſic tamen contigit. Annos vitæ fere attigerat ſexaginta corpore non extenuato, ſed bonæ habitudinis, liberaliore potu ſubinde delectabatur: podagra quandoque moleſta: purgari aliquando conſueuerat:

O 3 aderat

aderat laſſitudo & humorum plenitudo. de medicamento purgante ſumendo deliberauerat, cum ſubito nocte media catarrhus vehemens ipſum obruit, ſentiebat defluxionis impetum velocem: auxilium implorabat, ſed priuſquam quiſquam adeſſe potuerit, ſuffocatus eſt. A morte mox copioſa pituita lenta ac viſcida ex ore profluebat: quæ haud dubio in pulmones affatim defluens repentinæ mortis ac ſuffocationis cauſa fuit. *Dodonæus Obſeruat. Medicin. 9. Hippocr. in fine aphoriſm.* 12. *ſect.* 3. deſtillationem quandoq; cito etiam interimere teſtatur, τοῖσι δ᾽ ait, πρεσβυτέροισι κατάῤῥοι συντόμως ἀπολλύνεες: id eſt, *ſenioribus autem deſtillationes, quæ cito interimant.* Similis ſententia legitur *in lib. de aere, aqua & locis*, ſed copioſior, his verbis. Valde ſenibus deſtillationes propter raritatem & venarum ἔκλυξιν, id eſt tabefactionem, ita quod repente intereunt, quoſdam autem contingit dextra aut ſiniſtra parte ſtupentes reddi. Quibus verbis duo ex catharro in ſenibus oſtendit pericula, vel mortem ſubitaneam, vel alicuius partis cum ſtupore reſolutionem. *Idem Annotat. ad cap. citatum.*

Observatio.

Raucedo & grauedo in nonagenario ſene curata.

Nicolaus Leonicenus præceptor celeberrimus, vir nonagenarius, imo & qui iam ſextum ſupra nonageſimum tranſegerat, milleſimo, quingenteſimo vigeſimo tertio raucedinem ſimul & grauedinem incidit: hic medico vtebatur probiſſimo atque doctiſſimo Alberto Sauonarola, diui Hieronymi fratre, ne ſine medico ægrotaret: nam medico non indigebat tantus vir. Cum per aliquot dies raucedo atque grauedo in Leoniceno perſeuerarent, & eſſet de ſalute ſua valde ſollicitus, bonus ille vir Albertus, ne Leonicenus has affectiones curandas putaret, & ne eſſet de ſalute tam ſollicitus, hunc aphoriſmum illi retulit, Grauedines & raucedines in valde ſenibus concoctionem non admittere. Quem audiens Leonicenus ſubriſit, inquiẽs: Parce mi Alberte, Hippocratis aphoriſmum non intelligis: quippe verus non eſt in viro medico. Et ita certe fuit: Nam vir (quod mirum eſt) tanta ætate ingraueſcens, ſola victus ratione obſeruata, à raucedine & grauedine euaſit. Talis autem erat eius victus ratio. Nunquam abſtinuit à carnibus, nunquam à pinguiſſimo capi iure, nunquam à vino, quod & dulciſſimum ſimul & potentiſſimum bibebat: & ſanitati reſtitutus fuit. Dicebatq; hoc genus victus eſſe illi ætati proprium: & à quo ſi declinet, potius periclitari, quam iuuari. Imo medicos illos deliros vocabat, qui in tam ingraueſcenti ætate carnes, iura atque vinum prohibebant, ſi modice ſumantur: ſit quodcunque ægritudinis genus, quo ille afficiatur. *Braſauolus Comm. ad aph. 40. lib. 2. Hippoc.*

Observatio.

Pulueris hauſtu lethalis raucedo inducta.

Pvluis hauſtus ſeu inſpiratus, raucedinem concitauit lethalem, quod nobis non ſemel viſum eſt. *Ioupertus cap. 4. Tract. de affect. thoracis.*

APPENDIX AD CAPITIS MORBOS.

Observatio.

Aquas vitæ magna cautione vſurpandas, in capitis morbis.

Cerebri temperiem ſua natura maxime moderatam, exiſtere, medicorum ſumma conſenſione aſſeritur, ac inde etiam intelligi poteſt, quod ſi hominis veluti minoris mundi partes ad totius vniuerſi partes quædam analogia conferre velimus, cerebrum cælo, quod exceſſibus qualitatum vacuum ſit recte comparare poſſimus. Itaque magna cautione tum interna tum externa remedia adhiberi capiti oportet, ne eius natiuam temperiem imprudenter mutantes, nobiliſſimo huic membro grauem noxam inducamus. Quapropter non probanda eſt quorundam audatia, qui tantum aquis vitæ appellatis, ex calidiſſimis rebus confectas tribuunt, vt omnes capitis morbos earundem aquarum vſu tum præcaueri, tum curari poſſe, aſſerant: non cogitantes, pleroſque capitis morbos potius ex calidis cauſis, quam ex frigidis naſci præſertim in iis qui vel in iuuenili vel in virili ætate conſtituti ſunt, conſueuiſſe.

Accedit eo etiam & illud, quod in Germania noſtra ea ſit plerorumque victus ratio, vt vix ſit certiſſimus quiſque, qui non particularem plethoram capitis colligat. Vnde accidit, vt ſi tali aquæ vitæ vſus imperetur, ea cum tota vaporoſa ſit, caput ſtatim petat, & humoribus variis repletum conturbet, ac vel ad epilepſiam vel ad apoplexiam, vel ad catarrhos periculoſos illud diſponat. Quod vero ſententia hæc experimento non carent, inde intelligi poteſt, quod ij apoplectici, quibus aquæ iſtæ vitales propinatæ ſint, fere omnes moriantur, aut deterius ſe habeant, id quod ſæpe ipſe obſeruaui, & ab aliis obſeruatum, animaduerti.

Quinetiam & id cognitum fuit, quoſdam empyricos, & empyricas, qui omnis generis dolores capitis ſuis aquis, quas germanica voce Anſtreich-Waſſer vocant, tollere ſe poſſe temere pollicentur, multos ad perpetuos capitis cruciatus, eoſque vehementes deduxiſſe. Noui etiam ipſe quendam nobilem virum adhuc iuuenem, qui ex feruentis ſanguinis ebullitione graues dolores capitis patiens, cuiuſdam ſuaſione, totum caput aqua vitæ fortiſſima perfundens, ferè in inſaniam imperito hoc conſilio præcipitatus eſſet.

Quapropter prudentius quidam ſuperiori ſæculo in Eccleſiaſtico ordine viuens, vir ſenex, egit: qui eâ moderatione aqua vitæ, quam habuit ſelectiſſimam vſus eſt, vt in ſumma vitæ temperantia, quotidie tantum mane guttulam eius aquæ vitæ ore exciperet, & exceptam exiguam eius portionẽ quotidie etiam eodem tempore occipitio & vertici capitis illiniret.

Ac ita vitæ modum inſtituens, vltra annum octua-

octuageſimum proceſſit. Cæterum non minori cautione etiam vina medicata vſurpanda ſunt. Qui iuuenes aut plethorici iis aſſidue vtuntur, ſuæ imprudentiæ pœnas luunt ſæpe grauiſſimas; dum ſe frequēter vel in febres calidas, vel in graues capitis moleſtias aut membrorū dolores præcipitatis humoribus, vel in caput vel in membra, coniiciunt. Itaq; tales à fidelibus medicis ſui periculi admoneri debēt. *Oethæus lib. obſ. propriarum.*

OBSERVATIO.

Topica cordi applicata capiti etiam conferre.

MAximam conſenſionem cordis & capitis exiſtere, medici & præſertim Anatomici affirmāt, & ipſa experientia oſtendit. Etenim cor ſpiritus vitales cerebro ſuppeditare ab omnibus medicis aſſeritur. Itaque in deliquiis animi cerebro ſtatim noxam etiam communicari, notum eſt. Sic vbi cum cerebro noxa accidit, ea cordi quoque imprimi conſenſione quadam ſolet. Itaque epilepſias, cordis quoque tremor ſubſequitur communicata cordi ea malignitate quæ cerebro negotium faceſcit. Quæ cum ita ſe habent, non inutile erit in maximis cerebri noxis, cordi etiam topica confortantia imponere. Sed experimentis etiam rem confirmabimus. Ego cum anno ſeptuageſimo quinto ex febre quadam maligna, quæ me etiā in lethargum præcipitarat, reualeſcerem, ex facili cauſa in vigilias ſubito omnes vires debilitantes incidere conſueui. Quare cum aliquando in ſummo diſcrimine vitæ verſarer, ac vigiliis non tantum cerebri facultatem, ſed & cordis vires atteri ſentirem: epithema cordiale, cordis regioni applicaui, ac poſt ad capiendum ſomnū me compoſui.

Epithematis vero vi ad cor ipſum penetrante illudque roborante, ſenſi veluti radium quendam à corde ad cerebrum aſcendere, ac mirificam capiti leuationem adferre. In quo ſenſu confirmati denuo cerebri ſuauior ſomnus mihi obrepſit. Idem vero experimentum multis aliis profuiſſe, præſertim vero reuerendo & nobili viro Iohanni Georgio à Leonradt ſeniori, nobilis collegii Eichſtadiani: cui vigiliæ perſæpe moleſtæ ſunt, poſtea obſeruaui. *Idem.*

OBSERVATIO.

Alui obſtructiones ob euaporationes capiti pernicioſas cauendas.

IN ſingulis vero morbis capitis, ventrem laxum ac fluidum eſſe, conducere plerique teſtantur. Sed cauſas eius rei legitimas pauci explicant. Ego vero ventris occluſionem pernitioſam eſſe exiſtimo, non præcipue ratione materiæ in inteſtinis retentæ, quæ vſum remediorum neceſſarium ſæpe impedit: ſed ratione vaporum ab illa retenta materia & à reliquis humoribus inferiorum partium perpetuo ſeſe eleuantium ad ſuperiores corporis partes, & maxime ad caput. Etenim in iis vaporibus efficitur, vt dum continenter caput, alioquin afflictum, occupant, non ſolum ſua copia illud prægrauent, ſed & pro diuerſo ſuæ qualitatis modo animales ſpiritus perturbent, & corrumpant, quibus perturbatis aut corruptis, capitis mala omnia ſunt deteriora, & ſæpe noua ſymptoma grauiſſima capiti inducantur. Quinetiam occluſa aluo, & reliquarum partium excrementa, & flatuoſi humores, denegato in inferioribus partibus tranſitu, ſurſum feruntur, & capút totum periculoſo impetu replent. Itaque in omnibus capitis morbis ventrem apertum eſſe inprimis prodeſt. *Idem lib. obſ propriarum.*

DE OCVLIS.

DE CONFORMATIONE.

OBSERVATIO.

Monſtroſæ oculorum conſtitutiones quorundam: cuiuſmodi ſunt, qui vel oculis omnino carent, vel vnicum vel tres, aut quatuor habent, vel alienis partibus ſitos.

IN Ægypto portentum nutrice placuit, binis in auerſa capitis parte oculis hominem, ſed iis non cernentem. *Plin. lib. 11. c. 52.*

In Lepidorum gente, tres, intermiſſo ordine, obducto membrana oculo, genitos accepimus. *Idem lib. 7. c. 12.*

Mediolani Anno 1542. fœmina quædam Plebeia, Fauſtina appellata, peperit infantulum oculis in ſpatulis ſitis, de quo *Petrus Lampagnenus lib. 2. Prodigiorum ſuorum.*

Pueri ingenui Arimini ſine oculis & naſo nati. *Lycoſth. Anno mundi 3772. Chronic. de Prod. & oſtent.*

In Haſſia infans bene diſtinctis membris natus eſt, niſi quod auribus, oculis, & naribus in vniuerſum careret ac in facie ſolum os haberet, *Idem lib. prodig.* Anno Domini 1503.

Anno Domini 308. Apud Daphnem amœnum illud & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum, viſu relatuque horrendum natum eſt Conſtantii Imperatoris temporibus monſtrum, infans ſcilicet ore gemino, dentibus cum binis, & barba, quatuor oculis, breuiſſimis duabus auriculis. *Idem Chron. prodig.*

Anno 1554. In Miſnia infans natus eſt, abſque capite, oculorum effigie in pectore expreſſa. De hoc dictum paulo ante *in hoc primo obſeruationum libro.* quo loco acephalon quoq; monſtrum in Vaſconia natum, oculos in humeris exhibens reperies.

Mulier Anconitana, monſtrum quoddam peperit, nam tertio vel quarto menſe impregnationis, informe quoddam carneum corpuſculum emiſit: quod omnino hirſutum erat, & piloſum, quatuor habens oculos: duas nares: quatuor aures: labra vero deformia: vt omnibus eſſet admirationi. *Luſitanus curat. 57. cent. 3.*

DE HVMORIBVS.

OBSERVATIO.

Non tantum aquei, quantum vitrei humoris, oculis contineri.

ERRAT Veſalius, qui oculis tantum humoris aquei, quantum vitrei reperiri affirmat. *Idem circa finem lib. 10. Anatom.*

Quantitas exigua, nimirum quatuor, vel quinq;

guttarum,nam ſpatium illud, quod eſt inter corneà & cryſtallinum humorem, non tantum humore aqueo,ſed ſpiritu repletur,eſt enim hoc ſpatium maius, quam aqua repleri queat. Veſalius voluit hanc aquã dimidium oculi occupare, at ne tertiam quaſi partem obtinet, nimirùm eam, quæ in regione iridis, & pupillæ contineri poteſt, diſtinguitur hæc regio à cornea tunica. At ſi fuiſſet plurimus, non penetraſſet lumen: ſi paucus, innatum lumen non defenderetur, & diſſiparetur luminis vehementia: *Coiter in tabulis Anatom. oculor.*

Observatio.

Cryſtallinum humorem non in centro oculi conſiſtere.

VEſalius tota errat via, exiſtimans cryſtallinum humorem in centro oculi exquiſite ſitum eſſe. *Columbus lib. 10. de re Anatom.*

Cryſtallinus humor non eſt in medio collocatus,nam duo ſequerentur incommoda: aut enim à lumine externo nimium diſtaret, lumenque externum ad eum difficulter permearet: aut lumen & ſplendor cryſtallini nimium cogeretur, & non facile cum externo conſueſceret, propinqua non rectè videremus, longinqua optime. Nec proxime ad corneam,nam lumen internum conſueſceret nimium cum externo, hinc ſpiritus viſui cito diſſoluerentur & diſſiparentur, vnde propinqua quidem videremus,remota difficulter aut nullo modo. Itaque poſitus eſt in anteriori parte magis, atque in poſteriori: ita tamen remote à cornea tunica, vt ſplendor quoquo modo refringi poſſit. *Idem eodem loco.*

Observatio.

Viſionis impeditæ in propinqua vel diſtantia loca, cauſa cryſtallinus humor.

CRyſtallini humoris nimiam tenuitatem, craſſitiem ab ortu, vel poſt inductam, in cauſa eſſe,quod alii res propinquas melius,diſtantes minus; vel è contra, vt in ſenibus fere accidit, res diſtantes rectius, propinquas ægrius diiudicent; obſeruari. Quod vitium in cryſtallino humore, quem oculi perſpicillum eſſe, alibi docui accidens, perſpicillorum aliorum opera rurſum corrigi emendarique ob eam cauſam poteſt. *Platerus de obſ. propriis.*

Observatio.

Cryſtalloidem nonnunquam defluxionum vi citra externam offenſam repente ſede ſua propelli: & cur nonnulla falſo gemina appareant.

INterdũ vidi nullius externæ cauſę vi, ſolius acerrimi humoris defluxu repente & cryſtalloidem è propria ſede dimoueri & pupillam dilatari, ſed tum comitabatur dolor immanis & implacabilis. Quin etiam cum cryſtalloidis dimotio ſurſum deorſumq; fit,laboranti quæcunque cernuntur gemina apparent, non autem cum in alterutrum angulum fit. *Fernelius lib. 5. cap. 5. Patholog.*

De Iride.

Observatio.

Iris quid reuera ſit, ex celebriorum anatomicorum ſententia.

EST iris in oculo circulus ille variis coloribus refertus: quæ colorum varietas (quicquid hac de re Ariſtoteli videatur) vueæ membranæ, non humoribus (vt ille voluit) accepta ferenda eſt: quæ vuea non eſt in omnibus hominibus cõcolor: nam in hoc nigrior eſt, in illo magis albicat, in alio cærulea, aut varia cernitur. Iridis vero nomen in oculo, à cœleſtis iridis ſimilitudine translatum fuit. *Columbus lib. 10. de re Anatom.*

Galenus inquit, nihil aliud hunc circulum eſſe, atque concurſum omnium tunicarum oculi, ſinguli iſthic ſingulum promunt circulum. Si enim probe quis diſſecuerit oculum, & nihil confuderit, in iride ſeptem videbit circulos ſibi mutuo inſidentes. Veſalius dicit eſſe tunicam vueam: quæ tali colore prædita, per corneam lucida apparet, equidem ſemper deprehendi eſſe vueam tunicam. *Coiter in tabulis Anatom.* *Veſalii* atteſtatio (*lib. 7. c. 14. de hum. corp. fabrica*) hæc eſt. Vuea tota ſuperficie, qua dura tunica proxime ſuccingitur, perpetuo nigra eſt, & modice humecta: in anteriori autem ſuæ compreſſionis ſede varie tingitur, eumq; ſemper exprimit colorem, qui in oculo iride, ſeu maiori circulo, ſanis hominibus occurrit, cuiuſque gratia oculos nigros, aut cæſios, aut glaucos dicimus. Neutiquam enim is color ex oculi humorum copia, aut defectu, aut tenuitate aut pupillæ etiam collectione aut dilatatione, aut oculi veluti profunditate, aut tenuitate conſurgit, aliciuiue conſimili cauſæ acceptus ferri debet. Quod etſi magnum illis forte videbitur paradoxum, qui integros libros de oculorum coloribus conſarciunt: non aliter tamẽ id probatum velim, quam eum qui ſingulis hominibus (quantumuis is varius ſit, & ſibi in vtriſque oculis & in vno etiam oculo interdum diſſimilis) obtingit colorem perpetuo eundem in vuea apparere, ſiue integro oculo, ſiue effluxis ex dimidio, aut in vniuerſum humoribus, ſiue ipſa vuea tunica per reſectionem à conterminis liberata, diuulſaque, hunc examinaueris, adeo vt de oculorum coloribus haud ſecus diſputandum arbiter quam de nigra, fuſca, & alba, in ipſo etiam vtero, hominibus data cute, ac rufis flauiſque & nigris capillis: vti etiam parem fere cutis & oculorum coloris in variis nationibus rationem obſeruari cernimus. Cęterum interna vueæ ſuperficies, diuerſis ſed omnib. interim hominibus iiſdem, interſtinguitur coloribus. In poſteriori enim oculi ſede, qua hæc tunica primum pronaſcitur, ſubalba eſt: mox viridis, & dein cœrulea iridis in modum efficitur, atque hos etiam colores in poſteriori oculi ſede interna hæc ſuperficies poſſidet, in anteriori autem oculi ſede vniuerſa impenſe nigricat, & non adeo leuis hic atque in poſteriori ſede viſitur: quod illi potiſſimum accidit propter proceſſus, quos à ſe hac in parte educit, tunicam conſtituturos, quæ anteriori vitrei humoris ſedi obducitur, & veluti interſtitium eſt vitrei, eiuſque quem aqueum nominabimus. Hactenus Veſalius.

Observatio.

Nigrum oculi cuidam tam latum, vt quam minimum albi reſtaret.

VIdimus nos Piſtoris filiolum, qui nigrum oculi ita latum habebat, vt nulla vel ſaltem exigua albi portio ſpectaretur. *Donatus hiſt. mirab. lib. 6. c. 3.*

DE NERVIS OPTICIS.

OBSERVATIO.

Nerui viſorii num ſint peruii.

INter reliquos corporis neruos, hi duntaxat meatu, qui ſenſu diiudicari poſſit, perforati dicuntur, hincque Græcis πόροι ὀπτικοὶ nuncupantur. Cæterum ego huiuſmodi meatum mihi aliquando occurriſſe, neutiquam queo aſſerere: quantumuis etiam canum adhuc viuentium & aliorum grandium animalium viſorios neruos, vel hac ſolum occaſione aggreſſus ſum: & hominis, cuius caput adhuc à decollatione calebat, vixque quarta horæ parte, cum iam cerebrum pateret, abtruncatum fuerat, neruos non oſcitanter ſpectauerim, ac calente aqua ſedulo fouerim atque vt eiuſmodi meatus toto neruorum progreſſu me penitus latuit, ita ſane in mutuo neruorum coitu is neutiquam ſe obtulit, vtrunque tamen hunc inibi oportebat eſſe inſignem, ſi modo nerui ob hoc ex Galeni ſententia congrederentur, quo minus ſimplicia nobis gemina eſſe perperam viderentur. *Veſalius lib. 4. c. 4. de corp. hum. fabric.*

Nerui optici hoc eſt viſiui ſeu viſorij nuncupantur, quoniam virtutem viſiuam ad oculos ferunt. ſubſtantia conſtant cerebri ſpongioſa quidem, ſed nullus in illa porus manifeſto cernitur: quamuis id Galenus aſſeueret, imo vero non modo in homine meatus nullus eſt in neruo optico perſpicuus, ſed neque in bobus ipſis, aut quibuſuis grandioribus animalibus. Non eſt tamen vllo pacto negandum, cum ſubſtantia horum rara ſit, molliſque, quin ſpiritibus tranſitus pateat, præſertim purioribus. *Columbus lib. 8. c. 3.*

Neruum opticum omnes facile videbunt vel oculis ſuis peruium, ſi non ab exortu tranſuerſum ſecent: ſed paulo ante quam inſeratur in oculi ſphæram, vbi neruus idem & craſſior, potuſque magis instar puncti conſpicuus. *Gemma lib. 2. pag. 74. artis Cyclonomicæ.*

OBSERVATIO.

Neruorum opticorum conſtitutio veriſſima.

VNum tibi animaduertendum de neruo optico aliis forſan ignotum, venit. Opticus neruus minime vt Galen. aliique eius aſſeclæ voluerunt, ex ſolido corpore, eoque perforato conſtat verum non aliter, atque cæteri omnes nerui, ex multis neruoſis fibris ſiue filamentis ſibi mutuo membranarum beneficio connatis conflatur, hoc in bouino optico luce clarius eſt, nam ſi medullarum fruſti cuiuſdam nerui optici humiditatem digitis expreſſeris, filamenta neruoſa conſpicies. idem atteſtatur *Euſtachius in examine oſſium.* vbi ſic inquit, neruus viſorius veluti tenuiſſimum matronatum linteum in innumeras rugas æquales, & pari ſerie diſtributas complicatur, tuniculaque illas ambiente coactus, hac eadem inciſa euolui ſeſe permittebat, & in amplam membranam totum explicari atque extendi. *Coiter in tabul. oculorum human.*

OBSERVATIO.

Neruos opticos non oriri ex anteriori baſi cerebri parte: ſed ab initio ſpinalis medullæ producti: contra veterum & recentiorum medicorum placita.

DIcunt Antiqui, & iuniores Anatomici neruos vocatos opticos oriri ex baſi cerebri in anteriori parte: Re vera tamen (vt ſæpius vidi, & quamplurimis aliis oſtendi) Nerui prædicti non in ea regione tanquam in ſuo primo ortu deſinunt, ſed adhuc ſecundum magnam eorum portionem plus vltra feruntur latentesque in ſpatio quodam inter cerebrum, & ſpinalis medullæ radicem formato verſus occiput progrediuntur, ac prædictæ radici medullæ inhærentes, poſteriori eius parte reflectuntur, ita, vt ſedem mediam capitis, petant, ſuumque primum ducant ortum ex principio trunci ſpinalis medullæ in ea nimirum parte, quæ reſpicit ventriculorum cerebri cauitatem. *Varolius in epiſt. ad Hieronym. Mercurialem.*

Quod ad neruos opticos attinet, quis non videt rerum omnium principia debere eſſe firma, & ſtabilia? quod vero magis vnum eſt, procul dubio firmius, atque ſolidius, exiſtit: vnde valde decet, principium omnium neruorum vnum eſſe, non autem opticos alio loco, & cæteros alibi originem ſuam poſſidere. Etenim ſi arteriæ atque venæ omnes ad vnum principium, ſeu fontem, nimirum ad vnum cordis, ac iecoris particulam reducuntur, certe & nerui ea conditione non debent priuari, cum ipſi quoque non minus humanæ vitæ ſint neceſſarii. Quam veritatem, quaſi diuinatus *Plato in Timæo*, de omnibus neruis loquens, ſcripſit; Deum eos extremæ capitis parti circumpoſuiſſe, nec non ſpinæ dorſi ſimilitudine quadã circumplicaſſe. Immo & *Meletius*, qui humani corporis opificium diligentiſſime tractauit, *in libro de natura hominis* in ſcripto, oculorum fabricam exponens, inter neruos opticos, atq; alios, nullam differentiam agnouit, quam quod ii fiſtulares & tenebrati ſint, cæteri vero ſolidi: variæ ipſorum originis, perinde ac rei nõ exiſtentis, nullã omnino mentionem fecit: Nulla ſane me iudice, potior reddi ratio poteſt, cur res non videantur geminæ, cur altero oculorum moto, & alter moueatur. Ob quod *Alexander in problem.* vnum ægrotantem oculum, quam ambos eſſe difficilius curare dicebat, cur denique vno oculo quis captus paullominus videat, quam ſi opticorum neruorum eam coniunctionem, quam tu clare aliis videndam propoſuiſti, ſtatuamus. Adde his, ſi placet, mirificas vtilitates, quas cauteria occipiti infixa oculis, & viſioni quotidie afferre experimur, quas iurarem inde magna ex parte proficiſci: quoniam depurato opticorum principio, atque confirmato, liberior viſoriis ſpiritibus dimittitur excurſus. *Mercurialis epiſtol. ad Conſtantium Varolium.*

OBSERVATIO.

Neruorum congreſſus ratio mira.

IIs, qui de congreſſu hoc neruorum opticorum, meatuque acriter citra partium inſpectionem indies altercantur, non grauabor duo, quæ in congreſſu animaduerti, hic adiicere, quo & hinc ſuarum nugarum habeant argumenta. Patauii itaque adoleſcens ſuſpendio necatus, publicæ ſectioni adhibitus fuit, cui ante annum dexter oculus à carnifice erutus fuerat: deinde mulier eodem ſupplicio affecta, nobis obtigit, cui dexter oculus ab ineunte ætate emarcuerat, ſiniſtro interim integerrimo. Mulieri dexter neruus toto progreſſu longo tenuior ſi-

niſtro

niſtro viſebatur, non ſolum extra caluariæ cauitatem, verum in exortu quoque & in dextra congreſſus neruorum ſede, ac præterquam quod dexter tenuis erat durior quoque & rubicũdior cernebatur, vti ſane in adoleſcente: ſed dexter non admodum neque craſſitie neque mollitie adhuc ſiniſtro cedebat. His ille acceſſit, cui⁹ neruos viſorios illo de quo hic ſermo eſt congreſſu inuicem non connaſci, neq; ſeſe contingere vidimus: ſed dexter nonnihil illa ſede qua caluariam egreſſurus fuerat, ſiniſtrorſum, & ſiniſter nonnihil dextrorſum reflectebatur, quaſi nõ coalitus, occaſione nerui congrederentur, verum vt commode per ſuum foramen è caluaria procideret: potiſſimum cum etiam hoc ductu progredientes, in oculi poſterioris ſedis mediam non inſerantur. Quã ſedulo autem ac ſolicite eius viri, cui in eum modũ nerui dehiſcebant, familiares, num illi omnia gemina perpetuo oculis obuerſarentur, interrogauerimus, neminem naturæ operum cognitione flagrantem ambigere ſat ſcio: at nihil aliud reſciſcere licuit, quam ipſum de viſu nunquam conqueſtum fuiſſe, viſuque præſtanti ſemper valuiſſe, familiareſque de viſorum duplicatione nihil vnquam intellexiſſe. *Veſalius lib. 4. c. 4. de corp. hum. fabrica.*

DE MVSCVLIS.

OBSERVATIO.

Neruorum muſculos oculorum mouentium conſtitutionis ratio noua.

Ferunt ſecundum par neruorum qui muſculis oculorum motricem facultatem deferant, oriri ex baſi cerebri in anteriori parte, prope ortum optici aſſcriptum aliquantiſper exterius, vt ex deſcriptionibus, & figuris aliorum patet. Verum longe aliter res ipſa ſeſe habet: non enim ibi tanquam in ſuo principio finiunt, at à cerebro diſtincti, ad mediam capitis ſedem accedunt, & infra opticos progredientes, pulcherrimam intercuſſationem faciunt, indeq; ad anteriorem, & intimã partem principii ſpinalis medullæ perueniunt, ex quo loco primum naſcuntur, & in eo ortu ambo vtriuſque lateris nerui, adeo ſimul vniuntur, vt in angulo quodam ſe mutuo contangant. Quid ſi diceremus hanc copulam eſſe cauſam propter quam oculi ambo ſimul, & ad eaſdem partes mouentur? *Varolius in epiſt. ad Mercurialialem.*

OBSERVATIO.

Muſculorum oculos mouentium deſcriptio vera.

Oculorum muſculi apud Fallop. ſex, apud Columbum quinque, apud Veſalium in magno opere ſeptem. At Veſalius in examine ſuum errorem fatetur, & hos muſculos breuiter recte deſcribit. Horum itaque quatuor primi rectis motibus nimirum ſurſum deorſum, ad internum angulum, ad externum canthum attractioni præſunt forma exortuque ſibi reſpondent, ſunt oblongi & rectis fibris præditi, oriuntur à cono orbitę ſiue radice viſorii nerui, inde optico neruo, oculoque attenſi, carnoſi, ductu recto ad corneam tendunt, ſed antequã eo peruenerint, deſinunt in latum tendinem, qui aliorum muſculorum tendinibus, coniunguntur, ac propriam videntur membranam, oculum totum ambientem conſtituere. Membrana hæc tendinoſa duræ ante iridem inſeritur, hinc fit quod omnibus ſimul operãtibus muſculis, oculus ſiſtatur ac firmetur. Quintus hoc modo à Veſalio in examine deſcribitur. Quintus quatuor ſuperioribus gracilior, ad internum latus foraminis neruum viſorium tràſmittentis, à cono orbitæ cauitatiſue oculi initium ducit, iuxta latus muſculi oculum ſurſum ducentis. Dein ſecundum frontis os antroſum veluti recta repens, circa ſuperiorem ſedem interioris lateris oculi in tranſuerſo, quod hic ab oſſe exoritur, ligamento continetur, in illoque veluti habena in annulo retorquetur, & carneus adhuc exiſtens, ſub tendine muſculi oculum attollentis fertur, inibi tandem in nerueam tenuitatem ceſſans, quæ ſuperiori ſedi exterioris lateris oculi oblique ſatis & verſus anteriora inſeritur. Membranula in qua muſculus veluti in tranſuerſo ligamento vehitur, cartilagineum quid ad muſculi reflexum (idque in bobus præcipue) oſtendit. Sextus primis quatuor etiam gracilior eſt, ad foramen illud carneus enaſcitur, quod inſigne in interiori anguli orbitæ ſemper proximus, inter os & muſculum illum repit, cuius beneficio oculum deorſum agimus. Vbi vero ſextus muſculus externum latus oculi attigit, in membraneum ceſſat tendinem, illi lateri oblique tam altè verſus anteriora inſertum, vt quinti muſculi tendinis externum latus veluti attingat. His duobus vltimis muſculis circũuertendi munus aſſcripſi, illiſque oculum verſus minorem angulum valide etiam agi exiſtimo. *Coiter in tabul. citatis.*

DE TVNICIS.

OBSERVATIO.

De tunicis oculorum anatomicorum ſententiæ, mire variantes, diſtincta.

Tvnicæ apud pleroſque anatomic. ſunt numero 7. apud Galen. in quibuſdam locis 5. alio in loco 6. apud Fallop. 8. Prima vocatur ἐπιπεφυκὼς, id eſt, adnata, eo quod non ſit propria oculi, ſed quaſi aſcititia, colligans oculos vicinis partibus adhærens, etiam vocatur; quod huius interuentu oculis adhæreat, item & alba à colore; à neotericis coniunctiua. Secunda, quæ pars duræ anterior perlucida κερατοειδὴς, id eſt, cornularis, ob ſimilitudinem, quam cum perlucido cornu lucernarum habet, vocata: item cornea, vt Ruffus inquit, quod cornu inſtar in laminas quaſi diſſolui poteſt. Tertia σκληρότης dura dicta, & à ſubſtantia qua prædita eſt, & à dura matre, vnde originem trahere ſcribitur. Quarta orta à pia matre eſt ῥαγοειδὴς & ῥόγα vuea, quod qua parte corniculari ſubiicitur, vueæ folliculo, ex quo pedunculus cũ acinis extractus eſt ſimilis ſit; vel quia intus colore vuæ nigræ colorem repræſentat: appellatur & χοροειδὴς, id eſt, ſecundina, vel quia à pia matre χοροειδεῖ vocata oritur, vel quia ſecundina vteri inſtar vaſorum eſt ſuſtentaculum poſt ſitum cryſtallini humoris. Quinta tunica à cerebri ſubſtantia oritur ἀμφιβληςροειδὴς, id eſt, reticularis vocatur, à ſimilitudine retis piſcatorum, quod vni baculo accommodatur, & ex ampla baſi globi dimidiati modo in obtuſum mucronem fertur. Ruffus vocat hanc mẽbranam ὑαλοειδῆ, id eſt, vitream, quod includat vitreum humorem, at non recte; nam vitreus humor propriam habet tunicam. Ruffus hanc etiam vocat ἀραχνοειδῆ: putat enim ni fallor, eſſe proceſſum reticularis:

culatis. Sexta tunica eſt cryſtallini humoris ſemicircularis, cryſtallini dimidium ab anteriori parte ambiens, vocatur ἀραχνοειδὴς à ſimilitudine, quam tenuitate ſua nequaquam duricie & robore, cum telis araneatum habet, Ruffus inquit, hanc nomine antiquitus caruiſſe, à poſteris lenticularem vocatam, & ab humote contento cryſtallonem. Septima & vltima eſt proceſſus χοροειδὴς & interſtitium inter aqueum & vitreum humorem, & vix tunicæ nomen meretur: Vnde Fallo. hanc tunicam vocat ligamentum ciliare, tanquam cryſtallinum humorem alligaret χοροειδή. Veſalius dignatur hanc tunicam tunicæ nomine, & vocat ciliarem tunicam à palpebrarum ciliis. His ſeptem tunicis Fallop. adiicit tunicam vitreo humori peculiarem & propriam, & authoritate Ruffi, quæ propterea vocatur ὑαλοειδὴς, id eſt, vitrea. Adiici poteſt tunica ἐπινδέρωσις muſculorum, quæ à Galeno tunica oculorum vocatur. Animaduertendum, Galenum alioſque antiquos ſcriptores interdum omnes tunicas reducere ad quinque interdum ad quatuor tantum. Cum ad quinque reducit omittit corneam & ciliare interſtitium, cum ad quatuor etiam adnatam tanquam impropriam excludit. *Idem in tab. part. internarum corp.*

DE FACVLTATIBVS.

OBSERVATIO.

Facultatum incorporearum probe diſtinctarum in oculo viſionis inſtrumento luculenta demonſtratio.

NON eſt quod in cerebro facultates incorporeas tam probe diſtinctas admiremur: habemus enim iſtius diſtinctionis atque compoſitionis imaginem quandam alteram in ſenſuum exteriorũ omnibus inſtrumentis. Vnus tãtum puſillus oculus cunctorum loco in exemplum proferatur: ineſt huic etenim ſtatim in lumine tunicæ corneæ perſpicua quædam portio (pupillam vocant) ſpecierum viſu perceptilium conceptrix prima, per quam velut ianuam vis quidem interior foras erumpit, externa vero ſimulachra oppoſito fluctu in penetrale interius ſeſe tranſmittunt, intus receptas imagines vueæ tunicæ proceſſus arachnoeides ad cryſtallinum humorem vſque pertingens eas in compoſitionis ac diuiſionis examen appellat, elaboratas denique amphibliſtroeidis membrana tenuiſſima in nerui optici ſubſtantiam rapit, vbi tanquam in memoriæ penu diutiſſime reponantur, vt facile quiuis animaduerteret, ſi à diuturno ſolis intuitu repente commiſſis palpebris videndi actionem in ſe ipſam reflecti patiatur. Illic enim ſolis radios atque colores obiectos vna nõ recipi tantum in oculos ſciet, verum & motos vltra citraque in varias ſpecies, atque adeo ſub formarum diuerſa compoſitione viſorio neruo pertinaciter inhærere. Rurſus ſi quis in oculo & figuram & ſitum & qualitatem examinet humorũ triũ, pulchre (ita me diiament) humor ille aqueus anterior, fluxus & tenuis cum ſenſu communi analogiam obtinebit, cryſtallinus medius orbicularis, plane pellucens cum illa extremorum conciliatrice potentia conferetur. At neruo vicinior vitreus, cryſtallino anguſtior multo atque tenuior, à facultatis cuiuſque vertice parum diſcrepabit, præſertim cum per illum maxime colorum tranſmiſſæ ſpecies ex vuea in cryſtallinum diffundantur, vti ſpecies & formulæ intelligibiles per intellectum in rationem, etſi fortaſſe iuxta partitionis alterius ductũ, humor quidem aqueus aptius ad phantaſiæ ſimilitudinem referatur, ad rationem cryſtallinus, ad memoriam vitreus, ad intellectum denique ille qui ſupra humorem omnem ex vueæ poſtica inenarrabilis colorum fulgor apparet. *Gemma libr. 2. pagin. 61. artis cyclognom.*

DE CAVSIS MORBORVM.

OBSERVATIO.

Cataractæ cauſa, aquei humoris craßities.

HYpochyma ſeu cataractam non ab humore in oculos defluente, cum nulla ſit via, per quam eo humor ferri poſſit, ſed ab aqueo humore, adeo exiccato à cauſis externis vel morbis, vt tenacitatem acquirat aliquam, pupillæque adhæreat, eamq; obfuſcet: & tandem albuminis oui excocti inſtar diuturnitate albeſcat & induretur, pupillamque penitus occludat, proficiſci, vt multis rationibus probare poſſum, ſic ex ipſa ſectione deprehendi. *Platerus de obſeruat. propr.*

OBSERVATIO.

Conſummata ſuffuſio vno die oborta.

SVffuſio eſt humoris præter naturam vel in pupilla vel inter rhagoidem tunicam & cryſtallinum humorem concretio. Is autem è cerebro per opticũ neruum prolabitur, idq; ſenſim, vt idcirco vix poſſit initio conſpici: quanquam interdum vidi omnino craſſam atque conſummatam ſuffuſionem vno die congeri. Etenim ſi craſſus humor in opticum neruum repente incidens ſubito obcæcat, cur non etiam is longius ob pupillam conſiſtens, ſuffuſionem eamque perfectam inducet? *Fernelius libr. 5. c. 5. Patholog.*

OBSERVATIO.

Ophthalmia, & imminens ſuffuſio, non per ſe ſed ex vermibus.

PVtabatur mulier laborare ophthalmia vera, & imminere etiam ſuffuſionem: cum tamen vere & per ſe hi morbi non eſſent: ſed è vermium aſcenſu ad os ventriculi, atque iecur, tollerentur vapores ad caput: & facerent videri oculum alterum inflammatione rubere, atque ſuffuſionem imminere. *Lucillus Philalthæus in 11. tom. curationum.*

OBSERVATIO.

Splendores oculorum admirandi.

SPLENDORES quoſdam ſeu corruſcationes aliquando nonnullis oculorum vitio laborantibus præ oculis obſeruari non ſine admiratione obſeruatum ſcimus, cuius rei haud facile eſt cauſam adinuenire, & aſſequi: Illuſtris vrbis noſtræ mulier Comitiſſa Anna ex antiquiſſima Caſſilionea familia oriunda cum pluries oculorum infl. laboraſſet valida humorum calidorum ad ipſos decumbente fluxione, in vtriuſque pupillæ dilatationem incidit, cumque etiam & hypochondriacam affectionem pateretur, fereque aſſidue humidæ euaporationes, ſurſum latæ oculos peterent, multoties incipientis ſuffuſionis accidentia patiebatur, nonnunquam quædam piliformia, alias veluti lanarum filimenta, ac veluti aranearum texturas muſcaſque

caſ'e, & culices, huiuſmodique idola præ oculis obſeruari conquerebatur verum cum indies noua ſuboriente fluxione pupillæ midriaſes augerentur, ferme integra cœcitate correpta fuit vt nihil præter tenebroſas nebulas, modo rariores modo denſiores cerneret. Cumque iam tertius ageretur annus à die quo in huiuſmodi malum inciderat & derepente Ianuario menſe, iam occidente ſole à mulieribus ancillis percunctari cœpit, an ſolares radii thalamum illuminarent ſe enim vndique ſplendores intueri affirmabat qui fere penitus paucum, quod illi reliquum videndi munus erat adimerent nocte tota etiam clauſis feneſtris, nec dum luminaribus accenſis, ſe nihilominus ſub ſole verſari affirmabat, & aſtantium vmbras in ſole videre, rei nouitate cōmoti affines me aduocant, qui cum eam alias non ſemel melancholicis deprauatis imaginationibus vexatam ſcitem ob hypochondrii vitium & tum perperam imaginari exiſtimabam verum cum recte in reliquis omnibus diſcuteret, & eodem ſymptomate pluries per ſubſequentes dies & menſes vexaretur, aliunde illius cauſam indagandam eſſe exiſtimaui.

Obſervatio.

Læſo muſculo temporali læditur oculus, & contra.

SEcundum neruorum par, primo proximum, fertur per propria foramina, nec non per rimam orbitæ ad quinque muſculos oculo famulantes, & ad duos palpebram recludentes, & in quibuſdam huius ſecundi paris ramuli præter dictum iter in muſculum temporalem inſeruntur, propterea ſæpenumero obſeruare poteris mirum conſenſum oculi temporaliſque muſculi, vt læſo temporali muſculo oculus quoque lædatur, & è conuerſo. *Columbus lib. 8. cap. 3.*

Obſervatio.

Glaucedo ſuffuſionis ſpecie curata excœcauit ægrum.

GLaucedines fiunt ſecundum Galenum, ob immodicam inſtrumentorum ſiccitatem, & quia ſpecie quandam ſuffuſionis habent, multi decipiũtur, qui ſuffuſiones eſſe exiſtimarunt. Vidimus nos ocularium medicum, qui glaucedines has ſuffuſiones eſſe arbitratus, deponere volens, hominem excœcauit. *Braſſauolus comment. ad aphor. 31. libr. 3. aph. Hipp.*

Obſervatio.

Ex humorum copia & defluxione oculum aliquando eouſque diſtendi vt crepet medius, cœcitasq; omnimoda conſequatur.

AB influxu humorum tanta nonnunquam fit oculi diſtentio, vt oculus crepet medius, humores ipſius effundantur: cœcitaſque conſequatur, vt contigiſſe memini ſorori Ludo. Billiaci mercatoris, Lutetiæ ad pōtem D. Michelis commorantis. *Pareus l. 16. cap. 13.*

Obſervatio.

Puſtula in cornea enata & medicamento in tempeſtiuo ad ſuppurationem deducta, æger excæcatus eſt.

EGo miſerum quendam ophthalmicum noui, cui in ea parte corneæ, quæ pupillæ opponitur, puſtula inerat admodum exigua, vt vix ſenſu perciperetur. Huic imprudens occurrens tanquam ſolam ophthalmiam creaturus pomum ferueti cinere maceratum, ſaccharoque conditum temere applicauit, eaque nocte cum dolor omnino ſedatus eſſet, probeque obdormiuiſſet, mane lætus medicum accerſiuit de ſanitate gratulaturus, nec minori lætitia geſtiens delirus medicus, ſoluto oculo, propereq; abluto, cataplaſmate, ſubſecutus eſt humor aqueus, qui cryſtallinum præcedit, vt miſerabili euentu æger altero oculo cœcus ſubinde redderetur: illo enim cataplaſmate diſrupta puſtulā profundiori quā ſenſu apparuerat, vlcus ſubortum eſt. Dies non ſufficeret, ſi errores omnium recenſere voluerimus, qui quotidie oculis curandis committuntur. *Montanus conſil. 81.*

Obſervatio.

Cœcitas ex vulnere in occipitio repentina.

CAmillo Tarzano cum vulnus in capite occipitium verſus inflictum fuiſſet, ad cerebri ſubſtãtiam pertingens, ſtatim ac derepente, & ſi non cecidiſſet viſum penitus amiſit, nec dum exiguam videndi facultatem toto ægrotationis tempore, quo decubuit per plures dies, nam mortuus eſt, recuperare valuit, non ſine Medicorum atque Chirurgicorum magna admiratione, dicebant aliqui authoritate innixi *lib. 7. cap. 48.* ex forti ictu, & plaga neruos opticos à cerebri nexu diſiunctos & ruptos fuiſſe, quod tamen minus probabatur reliquis, cum oculi minime primum prominentiores, deinde cauati, & alimentum non ſentientes, in laborante obſeruati fuiſſent. Alii reſolutos ob eandem cauſam neruos opticos prædicabant, quod etiam minime arridebat cum oculi nequaquam motum amiſiſſent nec tardius moueri obſeruatum eſſet, alii & rectius ex capitis ob vulnus concuſſione, & ictu, humorem quempiam in cerebri ſubſtãtia redundantem, vel ſanguinem rupto vaſe aliquo tenuiori ad opticos confluxiſſe aſſeuerabant, itaque eos obſtruxiſſe, vt videndi facultas omnino adempta fuerit. Namque cum cæteri ſenſus, principesque ſimul facultates vegete cōſpicerentur cæcitatis cauſam in cerebrum minime reiiciendam videbatur; ſe potius ad opticorũ morbum, non ab intemperie quidem, quia huiuſmodi morbi paulatim fiunt, ſed potius à morbo ex obſtructione, ſic enim repentina cœcitas fieri poteſt. *Aetii loco citato & Gal. pracitato 4. de locis affect.*

Ita *Iohannes Herculanus in ſuis comment. in 9. Raſis cap. de debilitate viſus.* tradit ſe duos curaſſe quibus deſtructio viſus ſubito propter oppilationem neruorum opticorum acciderat, quorum ægrotantium vna fuit vxor cuiuſdam Veronenſis quæ ex dolore defuncti filii in vna nocte cœcitatem incurrerat, humiditate propter dolorem &c. cerebri conſtrictionem expreſſa, & ad neruorum opticorum meatus obſtruendos tranſmiſſa. *Donat. Hiſtor. mirab. lib. 2. cap. 11.*

Obſervatio.

Circa ſinciput vulneratus, viſum amiſit.

QVi vulnus mirum in ſincipite habuit, ex quo ipſum moriturum omnes prædicebant, ſanitati fuit

ti fuit reſtitutus: oculi tamen viſionem, cuius maxime, qui vulnus reſpiciebat, in totum perdidit, forte quia neruus viſorius læſus erat; puer vero Iſahiæ ſacerdotis, ex ingenti in capite vulnere accepto, vtriuſque oculi lumen amiſit: tamen ipſe recte valenterque hodie habet: abſque tamen vtriuſque oculi viſione. *Luſitanus curat.32.cent.7.*

OBSERVATIO.

Colapho faciei impacto, viſus ſubito amiſſus, quem, ſurditas & fatuitas conſecuta ſunt.

MVlier, cui maritus colaphum impegit, illico eodem die, vtriuſque oculi viſionem amiſit, cæca namque euaſit, nulla in oculis habita macula aut nubecula, læſioneue aliqua, puri namq; cernebantur oculi. Quæ non diu poſtea ſurdaſtra eſt facta, & fatua, cum quibus lunaris purgatio, huic deperdita eſt, agitur iam annus, quod mulier hæc nata annos viginti ſeptem, malum & infortunium hoc patitur, cuius cauſas intimas cum curatione ad præſens ſubticemus. Tu vero docte lector conſidera. *Luſitanus. Curat.44.cent.7.*

OBSERVATIO.

Bombardarum horribili exploſionis corruſcatione atq; impetu viſus ſine externa nota, ſubito amiſſus.

CIuem Argentinenſem Chriſtophorum Bernartum zu der Spißen cognominatum nouimus. Cui in obſidione Metenſi ex horribili Bombardarum & cannarum muralium exploſione, frequenti ignis corruſcatione, citra vllam aliam pulueris bombardici aut alterius offenſam, viſus, irreparabili damno periit. Quem nos ipſi hac ex cauſa, viſu iam aliquandiu orbatum, in conuiuiis aliquot ingenioſe & ſuauiſſime teſtudine ludentem, non ſine admiratione conſpeximus. Quanquam autem conſtet, Turcas poſt viſum ab ipſis Mahometis ſepulchrum, candenti ignitaue pelui, oculos ſibi excæcari ſinere, &, ne in poſterum aliquid videant, ſeſe obcæcari permittere & cupere. Præterea, illos quibus feruente aqua oculi offenduntur, corneam tunicam non pellucidam conſiſtere, ſed glaucam effici: Tamen cum hic noſter nihil huiuſmodi perpeſſus fuerit, vel ipſomet atteſtante, nulla denique labes maculaue in oculo relicta notari potuerit, qua vel exſiccationem qualemcunque corrugationemue aut glaucedinem inducere quiuiſſet. Vehementi proinde frequentiorique ignis corruſcatione ex tormentorum quibus ille præfectus fuerat, exploſione orta, idem eum paſſum fuiſſe certum eſt, quod qui aduerſus ſolem inconniuentibus oculis ſpectant, affici ſolent: quorum vt plurimi obcæcantur, affatim nimirum diſſoluto oculorum viſiuæque facultatis temperamento, ſic certe Bona pars talem ſentiunt noxam, vt vix vnquam in melius proficere poſſint, cæcutientes, imbecillimique in cernendo effecti: quod ſcilicet pro Ariſtotelis ſententia, excellens omne ſenſile, ſenſum corrumpat.

Quæ cauſa eſt, cur viſionis organum excellentem ſplendorem citra grauem noxam ferre haud poſſit. Eſt enim in exemplis vehementia fulgetra nō minus cæcitatem nonnullis induxiſſe, quam aliis improuiſa & horribilia tonitrua ſurditatem: Quod fit, rei ſpecie, violentius ſentiendi inſtrumentum feriente. Cuius rei probe conſcius Dionyſius ille tot, tantisque facinoribus apud Siculos nobilitatus Tyrannus: domum longe ſplendidiſſimam, calce illitam, & incruſtatam, ſupra tenebroſum carcerem conſtruxiſſe dicitur, vt longis tenebris diu aſſeruatos proferens, in ſummamque lucem ſubito emittens, miſere excæcaret. Quæ quidem *libro de partium vſu* 10. ſcite à *Galeno* referuntur. Sed & pilas bombardicas aerem obuium tanto impetu quatere, & propellere conſtat: vt ſæpe eo prius, ipſa pila occupentur homines, contuſis aliquando carnibus, nonnunquam etiam oſſibus ipſis, vel luxatis, vel fractis abſque vlla armorum aut veſtium prætenſarum noxa, pari in multis cum fulmine effectu & certamine. Siue igitur ad inſignem tormentorum ex corruſcatione ignem, radiis ſuis oculos fibrantem, ſiue ad externi aeris vehementiam, ſpiritus viſorios diſſipantem, nec vſque opticos ſine externa nota corrumpentem, aut ad vtrumque reſpiciamus: vel etiam occultam ignis, tum qui in oculis viſus conſtitutionis cauſa continetur, cum externo analogiam conſideremus: probabili certe ratione, cæcitas illa doceri poteſt. *Schenkius.*

OBSERVATIO.

Oculorum vſu, ex male curato vulnere deſtitutus Rhinoptes quidam, per nares viſibilium rerum ſpecies internoſcere & haurire quiuit, exemplo plane ab omni hominum memoria inaudito.

EXemplum rariſſimi caſus, quod ab amico doctiſſimo accepimus de homine ῥινόπτῃ, cui ex male curato oculorum vulnere per patentes narium meatus ſpecies viſibiles alluebant, ita vt proxima quæque dignoſceret obiecta. Conſtat enim ad maiorem angulum foramen eſſe carne glandulosa expletum à natura, quo deriuantur excrementa oculorum partim in os, partim in nares: hinc autore Galeno collyria alii non multo poſt inunctionem emunxere, alii exſpuere. Ea depaſta vlcere ſinuoſo, quale ex ægilope ſuppurato crebro naſcitur, vel etiam ferro exciſa, perui vtrinque pori hiant, per quos rerum obiectarum ſimulachra ad cryſtallinum in latus propinquum obtortum commeant. Quo pacto autem pupilla dimota in latus alterutrum viſio conſtet, ex Galeno liquet, qui ſane minus id officere actioni pronunciauit, licet tantam fortitan ἔκστασιν non conceſſerit: tamen maiorem ad rei fidem haud alienum fuerit Ariſtotelis argumentum, quo veterum opinionem de ignis analogia cum viſu confutauit auctuarii vice addidiſſe. Hi quoniam noctu clauſis palpebris oculo concuſſo exſilirent ſcintillæ flammeæ, igneam protinus cognationem aſſignarunt. Ariſtoteles, id tantum fieri καθ' ἀνάκλασιν docuit, parte vna cryſtallini ob celerem vibratum dehiſcente, iterumque refluente inæqualiter priſtinam in ſedem, cuius fulgorem obuerſa tum portio locoque ſuo fixa percipit, radius inde mediis emicat tenebris flammæ æmulus. Ita nimirum vel caſu ipſo vel curationis errore pupilla æqualiter citra humorum perturbationem in obliquum acta, ſub oſſis vſque excauati regionem, ſpecies naribus haurire & internoſcere quiuit, ſalua ex

parte inſtrumenti compage, *Iohann. Rungius in diſputatione de præcipuis viſus ſymptomatibus,&c. theſi 68.69.70.71.*

OBSERVATIO.

Oculo punctim,ad cerebri ſubſtantiam vſque puluere penetrante, læſo puer ſtatim apoplectico ſimilis,concidit.

CONtigit,vt ſtudioſus quidam patria Landtshutanus, &c. forte puerum fullonis punctim in orbita oculi, vulnere altius ad baſim cerebri ſubeunte,læſiſſet: puer ſenſibus,& mente illico deſtitutus,,& apoplectico ſimilis, vltra vnius horæ ſpaciũ, amplius non vixerit. Hiſtoria vtraque in Academia Ingolſtadianæ, atque ſenatus ciuitatis conſignata, reperitur. *C.Lucius de obſ.propr.*

OBSERVATIO.

Veſtium ſpinteres incuruatas acus, & ligularum ferramenta,aliquando incantationum vi, per ſuppurationes ex oculis prodire viſa: vt & carneas excreſcentias, pirorum aut pomorum forma, ex iiſdem pronaſci.

IPSEMET meis oculis vidi certoque experimento comperi, quorundam oculos per incantationes adeo vitiatos, & corruptos fuiſſe: vt per ſuppurationes, veſtium ſpinteres,incuruati acus, & ligularum ferramenta, eiuſque generis alia eximerentur:quin nonnunquam carnoſas excreſcentias, pirorum aut pomorum inſtar,ex iiſdem pronata vidimus. *Georg.Bartiſchius in Ophtalmico ſuo.*

CVRATIO OPHTHALMIAE.

OBSERVATIO.

Hiſtoria œconomi Romani diuitis, qui fuit ab oculorum inflammatione, ac cæcitatis periculo per ſanguinis miſsionem è directo liberatus.

EGo olim rogatus ſum, à diuite quopiam in ſuburbiis Romanæ vrbis,vt rerum ſuarum œconomum inuiſerem,cui cœcitatis imminebat periculũ, nam ita ille dicebat.certe magno dolore vexabatur, idque diebus iam viginti. Diuitis autem illius familiæ præfectus erat medicus ſectæ Eraſiſtrateæ, anxie ſemper venę ſectionẽ refugiens. Vbi ergo laborante inſpecto iuuenẽ eũ multi ſanguinis cognouiſſem,ac oculos quidem nondum vlceratos habere:cæterum phlegmonem maximam fluxionemq;, tum in ambabus palpebris denſitatem, atque in altera quaſdã etiam aſperitates,à quibus oborta caligine ægrotus, magis magiſque dolebat, ac phlegmone fluxioque acerbabantur: his inquam conſpectis, cognitaque omni ratione curationis, qua medicus ille vſus fuerat, me quidem aſſidue in ſuburbium venire poſſe negabam,cæterum ex vſu eſſe, vt triduum, vt minimum hominem paruis temporum interuallis inſpicerem. Permitte igitur illum, inquam, mihi, ſi videtur,tres hoſce dies.Imo vero, inquit, vt facias obſecro, gratiamque habeo, quin iam hominem tecum ad ædes tuas abduc. Venit autem circiter horã quintam,ac prima protinus detractione,tres ſanguinis libras exhauſi,deinde hora nona aliam. A quibus mirifice refectus: inunctus eſt, poſtero die molliũ collyriorum quopiam, cui admiſtum erat quod vinum habet,ſicuti in eiuſmodi facere conſueuimus, illitu ſub palpebris facto,ſpecilli cuſpite in ſummo medicamen impoſitum ferente,id primum,quidem mane faciebam, deinde ad horam tertiam, poſtea ad nonam:poſt quas inunctiones ſub occaſum ſolis in balneum ductus eſt. Poſtero deinde die, palpebris extra verſis bis inunctus eſt,maiore copia collyrii illius vinũ recipientis,molli illi collyrio admiſta.dein ad veſperam lotus eſt. Poſtridie vero mane obuius diuiti illi egreſſus,eo loci vbi ex vehiculis deſcendere ſolent,ſalutauit illum oculis apertis,phlegmoneque ac fluxione plane liberis quidem, ante biduum illos ne aperiri quidem præ fluxione, atque dolore potuerat. Itaque res incantationis ſimilis viſa eſt,adeo,vt & ipſe ille curationis celeritatem admiratus, exclamaret, vnaque qui cum eo erant omnes in clamorem protumperent: cum nos interim haud magnum quippiam feciſſemus, niſi tantum ex medici illius comparatione,qui ſummum malum attulerat venæ ſectionis metu. Porro ex palpebris reſtabant extergendę laboranti tum denſitates illæ,tum aſperitates. Cæterum id fieri non poterat, citra medicamentum mordax. At qui ferre illud neutiquam potuiſſet,niſi prius vacuatus foret. Dictum enim ſæpe à nobis demonſtratumq; eſt,acria omnia medicamẽta parti cuiuis admota,niſi vacuũ corpus omne fuerit,atq; ad amuſſim excrementi expers, fluxionem attrahere,phlegmonemq; efficere. Percontatus itaque,tunc diues, quæ nam ea fuiſſet incantatio, req; omni intellecta, exinde Eraſiſtratũ illum medicum αἱμοφόβον,quaſi dicas ſanguiſugum, nominabat. *Galenus.de curand.rat.per ſang.miß.*

OBSERVATIO:

Hiſtoria duorum adoleſcentum,ophthalmia percuratorum.

IVuenem quendam laui cui medicus, qui eius curationem ſuſceperat, non abſq; ratione ſecundo ab initio morbi die venam ſecuit, deincepsq; curauit medicamentis,quæ experientia conuenire didicerat, ſola inflãmatione oculos obſidẽte. Cruciabatur autem per quoſdam circuitus & paroxyſmos vehementiſſime, quibus ipſe acres humores cõfertim affluere in oculos ſentire ſe dicebat, quibus poſtea excretis,doloris ſedabatur vehementia: non tamen dolore omnino vacabat: & hoc ipſi quinto quoque die toto accidebat ſemper magis magisque inualeſcens. Quum igitur dolorem diutius ferre non poſſet,me & quendã ex ocularijs medicis,qui tum Romæ erãt, celeberrimum accerſiri iuſſit. Hic itaq; videbatur vtendum eſſe collyrio quopiam emplaſtico,& anodyno:cuiuſmodi ſunt quæ ex ceruſſa lota, amylo, & papauere comparantur. Nam ſic maxime poſſe reprimi, per emplaſtica id quod influebat, ſimulq; ſenſum ſtupefieri per narcotica ſperabat. Ego vere ab initio ſuſpecta habui talia medicamẽta. Neque enim vehementes fluxiones reprimunt: ſed ne excernantur prohibeant. Atq; ideo ſi quidem acres ipſi extiterint,corneã exulcerari accidit:ſi vero multi,diſtendi & irritari vehementer quaſi rumpãtur euenit. Quibus fit,niſi medicamentum ſit vehemẽter narcoticum, id eſt, magnopere ſtupefaciat, vt dolores intollerabiles excitentur. Si vero adeo ſtupefaciat,vt oculi vel maximam inflammationem non ſentiant, tum viſoriam vim labefactari, ita, vt poſtquam inflammatio ceſſarit, vel exiliter admodum, vel nihil omnino cernant: tum etiam

affectio-

affectionē quandam prædurã in oculorum tunicis relinqui eſt neceſſe. Qui igitur iſta noſſem & affluētem humorem animaduerterem nō paucum. Ideoque acrem & calidum, primum fomento vtendum cenſui, tentãdi atq; experiundi cauſa, vt qui ita certius qualiſnã foret affectio intellecturus eſſem. Solet n. fomentum in his aliquantiſper dolorem lenire & mitigare, ſed alteram fluxionem euocat. Quã enim ratione valet contentum oculis humorem digerere, eadem alterum poteſt ex vicinis partibus attrahere. Sed ſimul vt aquam calentem & ſpongiam adferri iuſſi, ipſemet ægrotus idē remedium in præſens quidem dolorem minuere, ſed paulo poſt eundem amplificare ſæpius iam toto die expertum ſe eſſe dixit. Quæ cum audiuiſſem, ocularium illum medicum dimiſi, pollicitus me apud ægrum permãſurum, atque eum ſine vllo frigido medicamento dolore liberaturum. Protinus itaque ſolo balneo vſus ſic hominem dolore leuaui, vt totam noctem dormierit, nec eorum qui iuxta dormiebant, quenquam interpellauerit. Ab huius curatione in poſterum, in quibus acres humores in oculos influere, nec dum tamen plethoricum corpus eſſe, ſignis quibuſdam & coniecturis deprehēdi balnei vſu omnes dolores liberari.

Alterum quendam iuuenem, qui ruri procul vrbe plures iam dies ophthalmia laborauerat, poſteaque perſiſtente dolore in vrbem venerat conſpicatus ſquallentibus oculis, & ſupra modum tumentibus in ipſis venis & ſanguine refertis, iuſſi vbi lauiſſet vino vti meraciore, atque ita dare ſe ſomno. Itaq; ſomno graui oppreſſus eſt, atq; mane omnis expers doloris ſurrexit, mihiq; cōfidentiam attulit, in quibus ſanguis craſſus oculorum venulas diſtenderat, nulla toto corpore affectione plethorica, vtendi vini potione, quod quidē & attenuare, & vacuare, & motus vehementia obſtructiones liberare poſſit. Atque hæc ſunt oculorum doloris remedia agonoſtica. Ad ſecuritatem autem & certitudinem adhibetur fomentum, aliquam omnino vtilitatem adferens, vel vt ſignum ad dignotionem, vel tanquam cauſa valetudinis oculorum effectrix. Quum enim nihil omnino influit amplius in oculos, adhibitum fomentum in ipſis contentum humorem ſuperfluū digerit, atq; ita ipſis ſanitatem reſtituit: vbi vero adhuc influit, ad primam admotionem ipſo ſolo calfactu doloris leuationem aliquam breuem adfert, ſed paulo poſt dolorem amplificat, atq; tum demum fit diagnoſticum ſignum, vnde affectu intellecto, ad aliquam totius corporis vacuationem peruenimus. *Galen. Comment. ad Aphoriſ. 31. lib. 6. Hipp.*

OBSERVATIO.

De Lippitudine.

QVidam ciuis Tigurinus per duos menſes lippitudine laborauit, cū aſperitate magna oculorū quaſi arenam inſperſam haberet. Poſt remediorum multorum vſum cum deterius haberet, tandem appoſuit cucurbitulas poſt vtramq; aurē ſine inciſione & mox eaſdem detractas, inferiore loco aliam appoſuit, & ſic deinceps vt prioris cucurbitulæ circulum
cuti impreſſum, ſequens inferius paulo poſita ℞ 1.
cōtingeret, &c. donec ad humeros vtrinq; per- ℞ 2.
uētum eſſet, illic demū poſtremū ſcarificauit in ℞ 3.
balneo vel prope fornacem: hocque cum per- ℞ 4.
geret facere, continuando per dies 12. (circiter) ℞ 5.
deſcendente luna, ſanatus eſt. *Ex Schedis Geſnerianis propriis Wolphius.*

OBSERVATIO.

Ad antiquam ophtalmiam Setonum & Annulorum præclarum remedium.

SI antiqua fuerit ophtalmia, & intermittens, præcedenti debita victus ratione, & humoris concoctione ſyrupo roſarum, & rhodomelle, cū aqua, aut decocto ſeminis fœniculi, purgabis ʒ. j. pilularū lucis ma. aut ſine quib. eſſe nolo, aut de agarico, ſemel in hebdomadã. Iterum purgabis ſcrupulo vno prædictarum, aut ſimilium pilularū: & oculis non ſunt, admouenda repellentia, intenſe frigida, imo iis ſemper adde parum aquæ fœniculi, aut rutæ, ne fiat albugo, aut ſuffuſio oculorum: hanc tamen, & vlcera oculorum gigni prohibet filum collo traiectum per tres digitos ſub nuca, prius tamen apprehende forcipi cutē, donec ſenſus tactus abeat, & poſt acui incerato filo craſſo, facto ex pilis caudæ equinæ, vel (ne tãtus dolor excitetur) ſeta, vel lino perforamus, vt in vulnere. Acu ablata filum maneat, quod vlcus diu apertū ſeruet, vt per id puris multitudo euacuetur. Diuitibus aureum annulum immittunt, loco fili acu ablata. Quotidie remouent dictum filum, vel annulum, & mane veſperiq; tergunt materiam. Hoc auxilio reuellēte & vacuante multis oculi acies ferme amiſſa, fuit in priſtinam ſanitatem reſtituta, vt ego ſæpe expertus ſum in pleriſq; & in filio meo nato octo menſes. *Paſchalius de curand. morb. lib. 1. cap. 14.*

OBSERVATIO.

Deſperatæ oculorum defluxiones ſetonum vſu curatæ.

QVod ſi omnibus remediis fluxioni ſiſtendæ idoneis nihil profecerimus, reſtat vt pyrotico ſeu ignito ferro ceruices inuramus, & ſetone tranſuerberemus: eſt enim ſingulare inueteratarum in oculos fluxionum remedium. Quotidiana namq; experiētia ſcimus, permultis quibus ex aſſidua & multa defluxione viſus hebes caligabat, adeo vt iam ferè cæcutirent, priſtino ſplendori & acumini oculos ac videndi aciem reſtitui paulatim, vbi primum ab vlcere, cauterio appreſſo, pus manare cœperit. Cuius rei patuit veritas in Paulo Aurario Fabro Italo qui ad Auguſtinianū ſodalitium habitabat. Is enim multis multorum & Medicorum & chirurgorum fruſtra vſurpatis remediis, cum fere conclamatæ eſſet viſionis, appreſſo, me conſultore, pyrotico, ſenſim pro puris manantis ratione, acutius cernere cœpit, donec tandem acutiſſime cerneret. Tum igitur, etſi ſemper pure vlcus manaret, ſetonis, quam annū integrum circumtulerat, pertæſus, ipſum detraxit, atque vlcus cicatrice ſibi obduci voluit. verum illo fluxionis ſublato diuerticulo, cum humor in oculos iterum ſe inferret, ac iam cœcitatis periculum immineret, me vocato, vlcus cauterio aperiri, & ſetonem denuo immitti ſibi curauit. Ex quo priſtinæ oculorum & viſionis integritati reſtitutus, etiam nunc ſetonem illum circumfert. *Idem lib. 9. c. 24.*

OBSERVATIO.

Phlegmone oculi ſola per aluum purgatione vna die ſanata.

EX iis, quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonnullos ſola purgatione per aluum, vno

die ſanatos vidimus. *Galenus libr.13.capite 11. Methbod. medendi.*

CVRATIO COECITATIS.

Observatio.

De cœcitate curata.

COEcitatem in non paucis ſanaui, nondum tamen confirmatam, ac præcipue in illuſtri antiſtite Bonromeo: quem cum non tam morbus quam medici excœcaſſent, curantes oculum, qui nullo morbo laborabat, purgantesque iam debilitatum eodem proceſſerunt, vt nō ſolum non ſanauerint, ſed in deterius deduxerint hominem. Erant autem eius temporis primarii omnes: ſed in medendo parum, vt etiam reliqui, proſpicientes. Verum quomodo ſanauerim ſeu potius iuuerim, nunc dicam. Iuſſi vt abſtineret à medicamētis omnibus purgantibus, vt vteretur fœniculo & euphragia, conſpicilia etiam perpetuo gereret, à quibus dum ferret, ita leuabatur, vt ſine impedimento interim cerneret: ſed & in poſterum abſque illis melius cernebat: Hic poſtmodum fungis malis deuoratis, cum ego non adeſſem, periit. Leonem Ogionum, cum diu conflictatus eſſet oculorum morbo, medicamento ad parotidas ex cantharibus appoſito, ſtatim multa aqua defluente liberauimus, indicium curæ fuit, aliis præſidiis non potuiſſe ſanari. A cœcitate etiam, ligni Indi decocto, eruditionis non vulgaris amicum vindicauimus, Ioan. Antonium Comitem, cum aliquot menſibus parum aut nihil videret. *Cardanus Curat. admirand.* 20.

Observatio.

Poſt dolorem capitis cœcitas diſcuſſa.

PAuſanias in Meſſeniacis, *ſiue lib.* 4. memoriæ prodidit, Ophionem vatem, quia primo ſtatim ortu cæcus fuerat, rurſum oculorum vſum mirabili admodum caſu recuperaſſe. Nam cum ingenti capitis dolore laboraſſet, poſt aduerſam illam valetudinem ſubito luminis compos eſt factus.

Observatio.

Nonnullis repentino alui profluuio viſus reſtitutus.

NOnnulli cum aliquandiu nihil vidiſſent, ſine vlla manifeſta cauſa, repentina alui profuſione lumen receperunt, nam inde omnis nocens materia depelli ſolet. *Benedictus libro ſecundo, cap.* 28. *de curand. morbis.*

Observatio.

Viſus, ex implacabili capitis cruciatu & vigiliis, repente amiſſus: qui extracti opiati vſu, quaſi ſubito reſtitutus eſt.

IOannes Lang ex ingentiſſ. capitis cruciatibus, nec non & vigiliis derepente occœcatus eſt: Cui cum gr. v. opiati extracti exhibuiſſem: ſomnus accerſitus, dolorque ablatus, & ſubito quoque vno momento viſum recepit. *Camerar. de obſeruation. Palmæ, ad me miſſis.*

Observatio.

Doloribus colicis excœcata mulier, idoneis adhibitis viſui reſtituitur.

QVędam mulier nobilis colica paſſione grauiter laborans, viſu per triduum fuit priuata, Purgato autem corpore, & pane calido, ſem. fœnic. conſperſo, ac aq. roſ. & fœnic. madefacto ceruiciq; impoſito, viſum recepit & conualuit. *De Io. Franci Hildeſii med. Cameniceni obſ.*

Observatio.

Quidam, vulneribus frontis, à cœcitate liberati.

OMnes ſenectute viſu hebetiores fiunt: aliqui ad octogeſimum annum ſine ſpecillis, vt Laurentio patri meo contigit, clara oculorum acie vitam duxere. Vidimus ſenem viſu hebetiorem, nonagenarium, Hadriæ ſuper frontem vulneratum, cœcitate & vulnere pariter liberatum. *Alex. Benedict. de curand. morb. lib.* 2. *c.* 1.

Sæpius audiui à Domino Andernaco ſe habuiſſe famulum Pariſiis, catarracta laborantem. Ille cum vehementius in Dominum Omphalinum, & Sturmium, qui adhuc Argentinæ viuit, atque dominum Symphacinum profeſſorem Ingolſtadienſem: tunc temporis illis inſeruientem inueheretur, alter ex illis gladio diſtricto vulnus ei ſuper frontem inflixit: ex quo ſtatim viſum recepit: Andernaco interueniente, & obiurgante, noli, inquit famulus, mi Domine iraſci: viſum enim ex eo vulnere integrum recepi. *Cneulinus de obſeru propriis.*

CVRATIONES NYCTALOPIS.

Observatio.

Nyctalopis curatio expedita.

CVidam qui noctu neque ſtellas neque lunam cernebat, cum ſpodii exiguo violaceum admiſcebat, & in naribus ſæpe coniectum, lumen reſtitutum eſt: ex oleo illitus cinis ficulnus, emendat, & hircinus ſanguis, caprarum iecinora in vino auſtero decocta. Quidam in aſſatorum ſanie inunguntur: noſtri recentiores piper longum inter iecinoris fibras imponunt, atque ita inaſſatum in farinam redigunt addito exiguo muſci odorati. Caprarum carnibus veſci vtile exiſtimant, & dum coquuntur oculos vaporari præcipiunt, idque referre arbitratur, ſi rutili coloris fuerint. Suffiri etiam tradunt oculos iecinore in olla decocto, aut igne inaſſato. Quidam gallinaceorum fimum duntaxat rubrum illinendum monſtrarunt, turturum, palumbinum, columborū, perdicumq; ſanguis nyctalopas ſanat, & iecur quoque ouium, atque vt in capris diximus, efficatius fuluæ. *A. Bened. lib.* 2. *c.* 32. *de curand. morb.*

SVFFVSIONIS.

Observatio.

Suffuſio citra Chirurgiam curata.

AD cataractas (Latinius ſuffuſiones dicunt, noſtri ſtarren) quas plerique omnes chirurgia tantum curari poſſe exiſtimant, à doctiſſimo & mihi amiciſſimo medico perſæpe experto, his diebus myſterium hoc ad me perſcriptum eſt. Ex fece olei, & omphacio, id eſt, de vuis acerbis expreſſo ſucco, vnguentum fit, quo malum hoc ſine morſu & periculo curatur. *Geſnerus Epiſtolarum lib.* 3. *ad Ioannem Fabricium.*

Obser-

Observatio.

Cœcus quidam altero oculo, gallicoſus factus, hydrargyri inunctione à ſuffuſione & morbo Gallico vindicatur.

QVidam, qui antequam morbo Gallico afficeretur, altero oculo cœcus erat, ſuffuſione denſiſſima (vulgus Cataractam vocat) oculum occupante: hydrargyri inunctione à morbo Gallico & à ſuffuſione, quod maxime mirum eſt, euaſit. *Alexan. Traian. Petron. lib. 5. c. 1. de morb. Gallico.*

Observatio.

Ad viſus imbecilltatem oculorum ſuffuſiones nubeculas & maculas, quæ ab angulis oculorum naſci incipiunt, remedia noua & de experimento commendatiſſima.

EX iecore cuiuſdam piſciculi vulgari lingua à noſtris dicti aelpuyck, liquor quidam defluit experimento certo obſcuritati viſus admodum commodus & vtilis. Capitur autem hic piſcis in aquis Venlandiæ prope Delphenſem vrbem. Eſt vero hic piſcis mollis & valde limoſus ſubnigriuſculus, & aliquantulum latior anguilla: cuius iecur quod valde album eſt ac pingue, tegulæ alligatur cyatho ſubiecto vel vitro in ſole, vt ab eo pinguedo, olei inſtar deſtillet: Vel iecur tegulæ filo alligetur, vitro capaci imponatur, & ſupra hoc aliud vitrum magis, inſtar galeæ ſeu capitelli ſuperponatur, & ſoli exponatur: exibit autem liquor albus & clariſſimus, admodum olei puri deſtillantis, & vſui reſeruetur. Hoc liquore cilia tantum inungantur, & lachrimæ ex oculis exibunt, & is qui viſum obſcurum tenebroſumque habeat, miraculi inſtar ilico lucidum & luminoſum recuperabit. Oportet autem minime hunc liquorum in oculum ſtillare, verum ſatis eſt, ſi cilia & palpebræ ſuperiores eo inungantur, quo remedio mulier quædam ſatis lumine orbata viſum recuperauit, ita vt hoc arcano feliciſſime in aliis multis vſus fuerim, palbebris inunctis humores tenues lachrymarum inſtar, ab oculis fluebant, quibus profuſis, viſus diminutus, & ſatis abolitus, reſtituitur. *Foreſtus libr. 11. obſeruatione 35.*

Ex muſtelæ fluuiatilis, quæ Germanis noſtris ein Treuſch oder Rufolck appellatur, hepate colligitur oleum, ad ſolem vel ad fornacis calorem ſuſpenſo, intra vas vitreum: clarum id oleum & flauum eſt, aduerſus oculorum ſuffuſiones vtile, vel (vt alii ſentiunt) aduerſus nubeculas & maculas, quæ ab angulis oculorum naſci incipiunt. *Geſnerus Hiſtor. animal. lib. 4. de Aquatilibus pagin. 714.* Idem remedium *Wirtemb. Iatrion habet, &c.*

PROCIDENTIA OCVLORVM.

Observatio.

Adoleſcenti Veneto, dexter oculus adeo prominebat, vt omnem faciem deturparet.

EQVIDEM ego cognoui nobilem adoleſcentem patritium Venetum, cui dexter oculus adeo prominebat, vt vniuerſam fere faciem deturparet; id vero contigerat ex ſcirrhoſo humore, qui erat in interna parte; quam adnata membrana alba, quæ coniunctiua à iunioribus appellatur, oculum oſſibus, in quibus locatus eſt, annectit: qui tamen tum ætatis ope, tum medicis auxiliis tandem longo tempore eſt liberatus. *Trincauella libr. 4. cap. 6. de rat. curandi partic. human. corp. affect.*

Observatio.

Saua vtriuſque oculi ad genas vſque procidentia, ægrum per ſemeſtria interualla, ſine viſus noxa, diuexans.

SEXAGENARIVS quidam ſenex mechanicus, vir bonus, tantam ſæpe vtriuſque oculi procidentiam incurrit, quæ ſuis cauitatibus excidentes ad genas vſque propendent, vt eos præſecare facile liceret, qui præſcripto meo fomento ex roſis vtens, eoſdem reponit & reſtituit: adeo quidem, vt ſemeſtre vſq; perdurent. Sed quod admirationem omnem vicit, etiam dum propendent, viſu inoffenſo vtitur. Verum tanta capitis cum imbecillitate, quæ illum integro die lecto affigat. *Ex obſ. Cneulini.*

Observatio.

Oculorum procidentiæ hiſtoriæ

VIdimus nobilem fœminam, cuius oculi partus violentia exciderunt, & quatuor tranſactis diebus menſtruis purgatis reducti fuerunt ſponte.

Iuueni vero cuidam, cum ab alto cecidiſſet, exilierunt oculi extra palpebras; quos ſenſim reduximus & eiſdem admouimus linteolos duplicatos, madefactos decocto roſarum & balauſtiarum, inſperſos acatia, & intra duas horas à caſu, ventris onere depoſito, ſanguinem miſimus, de externa dextri cubiti vena, is liberatus eſt topico remedio reperito, decenti adhibito victu. Cum autem oculo procidenti inflammatio accidit, integrum ouum cum vino & roſaceo lana exceptum ſuperponendum eſt; aut folia hyoſcyami elixa atque contuſa, aut papaueris capita ſic parata. Remittente vero inflammatione, collyrium fiet ex roſis & acacia cum albo oui: ſed interim dum inflammatio adeſt, emplaſtra octo horis interpoſitis permutanda; ne putreant. *Chriſt. à Veiga. lib. 3. cap. 12. art. med.*

VVLNERVM.

Observatio.

Oculorum vel ſtilo vel aliter per pupillam ad corneam vſque perforatorum & diſciſſorum, illæſo viſu curatio.

QVibus pars corneæ, quæ pupillæ obiecta eſt, vulneratur, ſi vulnus ad interiora deſcendit, magna ii ex parte obcœcātur. Cæterum incredibile quippiam nec fieri ſolitū in puero vidimus, qui ſtilo in pupilla punctus erat. Nam cum ſtatim aqueus effluxiſſet humor, tum pupilla ipſa minor reddita, tū tota cornea apparuit rugoſior, Atque poſtea ſanatus recte vidit, inſtaurato ſcilicet paulatim humore, qui ante effluxerat. *Gal. lib. 1. c. 2. de ſymptom. cauſ.*

Quatuor annos natam puellam vidimus, cui dū ea nodum in panno ſoluere acuto gladio niteretur, reſiliens mucro oculum dextrum percuſſit, quo perforata oculi ipſius tunica, plurimus ſtatim inde fluxit humor: quare etſi viſum prorſus amiſerit, ipſum tamen haud multo poſt rite curatam recepit. Tanta

enim ineſt vis tenellæ illi ætati, vt hunc ipſum oculi humorem (quod ſæpe accidit) ad integrum reficere poſſit. *Benuuenius cap. 74. de Abditis.*

Ciuis erat Ambergæ, cui nomen Neudecker, hic debita exacturus, in quendam pagum peregre ibat, & dum cultello oblongo rapum ex agro proximo euulſum excorticaret, & ob itineris lubricitatē pedibus vacillaret, pronus cum oculo in cultellum cadens, oculum ab inferiori palpebra ad ſuperciliū vſq; per medium diſſecuit. Chirurgici vero accerſiti ne putredo intra craneum ſerperet, oculum excidere ſtatuerunt, id ciuis citra mei abſentis conſilium fieri nolebat. Veſperi vero cum domū ab agro, quē in oppido Sulzpach inuiſeram, rediiſſem, vidi oculum ad oui gallinacei magnitudinem intumuiſſe, quare quam primum ne oculus ob tumorem & humoris alluuiem phlegmone corriperetur, cum vnguento de alabaſtro illeui: & albumen oui, addito camphore momēto, cum oleo & aqua roſarum diſſolutum & othoniis exceptum, ſupra oculum applicui: quibus tumor deſidebat, & tandem oculi recēs vulnus citra phlegmonem & ſuppurationem cōſolidaui. Nouimus ſane quam frugiferum ſit in omniū vulnerum phlegmone coercenda vnguentum illud quod ex alabaſtritide marmore frigidæ & ſiccæ conſtitutionis. *Beneuenut. Hieroſolymitanus in libel. de ocu-lor. morb.* cōficere docuit. Et noſter quoq; patiens viſum recuperauit plenarie, vno relicto ſymptomate, ꝙ temulētis quoq; accidere ſolet, omnia viſa gemina illi eſſe apparebant. Pupilla ſane oculi ad inferiorem palpebram agglutinari, depreſſio altera ſtabat. Cryſtalloides quippe humor, ſi ad ſuperiora vel inferiora declinat, tum (inquit Galenus) quicquid cernitur, id duplū videtur. Sed tādem oculus frequenti motu, quē illi indixeram, ab inferna relaxatus palpebra, à geminati viſus fallacio liberabatur. *Langius epiſt. 7. tom. I.*

Vidi in pueris corneę vulnera ſtylo puncta, ex quibus humoris albuginei parum effluxerat, & tamen curata: ſimilia ab aliis ſunt animaduerſa. *Coiter in obſeruat. Anatom. & chirurg.*

OBSERVATIO.

Prodigioſi oculorum ictus ſagittis vel aliter illati, vti miraculoſe percurati.

GOthicis contonantibus bellis, conſtat ab hoſte Barbaro Traiano cuidā ſuper oculi dextri partē ſic adactum ſpiculū, vt mox dilapſo ligno, occultaretur omnino ferrum. Nec vim doloris vllā vulneratus perſentiſceret: quin anno demū quinto, citra moleſtiam prorſus, promi ſpiculi ſummū cœpit, atq; inde amplius emergens, liberum deniq; Traianum comparebat relicturum. *Cælius lib. 11. c. 13. A. L.*

Cuidam iuxta angulum oculi maiorem ſeu internum, ſagittam inflictam parte adipoſa, quæ auribus ſubiacet extraxi. Vnde conualuit ille nullo vel in oculo vel eo quo euulſa fuerat loco incommodo accepto. Aliud telum, alii cuidam detraxi, cui id ſub palpebra inferiore tā profunde occultatū impingebatur, vt non niſi extimā eius partem, qua ligno iungeretur, apprehendere liceret. Erat autem id magnū ex eorum genere, ꝙ Turcæ ex arcubus ferratū ſine ſpiculis extorquere ſolent. Seruatus eſt & hic quoq;, Iudæus profeſſione, nullo graui oculi ſymptomate relicto. *Albucaſis lib. 2. c. 94. Chirurg.*

Recentis eſt memoriæ domini à Sancto Ioanne hiſtoria. Is in catadromo ante ædes Guiſianas pro tempore poſito, confractæ lanceæ fruſto digiti longitudinem & craſſitiem æquante, per ductilem laminam, qua è galea prouiſitur, ſub oculo in orbitam ſubeunte, & trium digitorum latitudine in caput penetrante vulneratus, mea opera præſentibus Medicis Regiis, Valerano & Dureto, adiuuante Iacobo Regio Chirurgo curatus, Dei beneficio conualuit.

Quid ingens illud, & plane memorabile Franciſci Lotharingi ducis Guiſiani vulnus memorem? Is in Bononiæ vrbis proſpectu, lancea ita caput tranſverberatus eſt, vt ſub oculo dextro ad naſum cuſpis penetrans, per ceruices in aurem vertebrasque exiliret, abrupto violenti ictus impetu, & intro relicto ferro, tanta contumacia illic hærente, vt niſi tenaculis veterinariis extrahi inde & auelli nequiuerit. Quanquam vero ea fuerit ictus rapiditas & violentia, vt contingere non potuerit ſine oſſium fractura, neruorum, venarum, arteriarum, aliarumque partium laniatu & attritu: conualuit tamen Dei fauore generoſus princeps. Ex quo intelligere licet, multos ab exiguis vulneribus mortem oppetere, alios ex ingentibus & penitus magnis deſperatisque conualeſcere. Quorum cauſa euentuum, in Deum quidem humanæ vitæ authorem & propagatorem pręcipue & primario eſt conferenda: ſecundario autem in temperamentorum varietatem & conditionem. *Pareus lib. 9. c. 9.*

OBSERVATIO.

Lignorum & lapillorum fruſtula oculis impacta, vt educta.

CVm diuideretur lignum, pars ligni impacta eſt in oculum filiæ cuiuſdam mulieris. Ipſa autem ſtatim cepit rubrum oui, ceruſām & oleum roſatum ac in circuitu totius oculi poſuit hanc mixtionem loco defenſiui, & intra oculum aquam albuminis oui. Alii vero commode imponunt aquam albuminis oui, vna cum lacte muliebri & aqua roſ. ſed hæc priori medicamento ſanitati reſtituta fuit, ac pars ligni hoc modo exiliit.

Lapidis ſculptori, fruſtum lapilli in oculum illapſum eſt. Factæ ſunt fomentationes ex mollitiuis, vt malua, anetho, fœnugræc. meliloto per biduum: poſtea fuit tutia cum zaccharo candi impoſita, & ab hoc tædio euadens, ſanus factus eſt. At ſi in oculo ſurculus aut quippiam impingatur, oſſiculum (teſte Aetio) volſella extrahemus, diligenter cauendo, ne infringatur. Si vero nihil emineat, ſed æqualem habeat cum corpore ſuperficiem, bina poma accipito atque vtrinque eiectis nucleis comprime oculum, vt ꝙ infixum eſt in medio, intercipiatur; cumq; procūbere videbitur, volſella extrahito, deinde ſanguinem turturis aut columbæ aut oui albumen inſtillabis: q̄ ſi parū ſucceſſerint, curato oculum infuſionibus & linimentis, quæ ad inflāmationes conficiuntur. poſt aliquot n. dies, ſuppurata punctione, quod infixum eſt, fluitabit. *Foreſt. lib. 11. obſ. Scholio ad obſ. 16.* Mulier cuiuſdam filiolæ dum ſecarent lignū, particula aut fragmentum ligni impactum eſt in oculū, ſtatim ipſa accepit vitellum oui cum ceruſſa & oleo roſ. & in circuitu oculi totius iſta mixtura, loco defenſiui, inungebat, & intra oculū ponebat aq. alb. oui. Alii ponunt alb. oui, lac muliebre & aqu. roſ. & ſanitati reſtituta eſt. *Solenander ſect. 5. conſ. 15.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Cicatrix in oculo caſu deleta.

PVellæ cum ex cicatrice in corneæ media ſede nata, viſus impediretur, chirurgus ſacch. candi puluerem oculo inſpergere volens, ad eam exterendam, errore quodam pixidem eam arripuit, in qua ſublimati puluis continebatur: quem cum imprudens oculo inſpergeret, tanta ſuborta eſt inflammatio, vt periculum eſſet de oculo. Ea tamen ſedata, tantum abfuit, vt quid obfuerit, vt potius multum profuerit: nam cicatrice pene vniuerſa deterſa: remanente leui duntaxat macula: viſum recuperauit. Indicio, globum oculi, fortia quoque perferre poſſe medicamenta, cum ſit duriſſima & inſenſibilis. *Platerus, de obſeruat. proprijs.*

VESICVLAE SEV ANIMALcula.

OBSERVATIO.

De Veſicis & puſtulis oculorum.

ORiuntur cum in albo oculi tum etiam in ipſa corneæ circumferentia, interdum veſicæ quædam vel puſtulæ humore aqueo refertæ, granorum mihi formam, & magnitudinem æquant, vel ſuperant: quæ ſi augeri permittantur, præter id quod oculum deturpant, viſionem tandem vitiant, celerrime ob id ſuccurrendum eſt. Conſueui igitur ipſe, & tuto quidem ſi humorem in ſuperficie ſitum contineant, vbi medicamentis non ceſſerint, acu ex puriſſimo auro confecta pertundere, humoris deinde reliquias, vt dicemus, abſumere, ac cicatricem huiuſmodi auxilio obducere. ℞. Pompholigis præparatæ drach. duas aloes lotæ drach. vnam ſacchari candidi puluerizati drachmam vnam ſemis croci ſcrupulum ſemis miſceantur, & fiat puluis ſubtiliſſimus, qui linteo illigatus, aqua verbenæ, fœniculi roſarumque æquis portionibus madefiat, & in oculum ægro decumbente exprimatur ter quaterve ſingulo die, & animaduertite huiusmodi puſtulas á frigida materia ortas dolorem nec flammam adiunctam habere alioqui palpebris diducere ac medicamenta infundere ex vſu minime foret, poſſunt etiam aquæ illa nuper memoratæ ex melle & ſaccharo deſtillatæ ad abſtergendum, & exſiccandum: cicatricemque obducendam: id tamen é memoria non excidat, mitioribus primum paulo deinde validioribus vtendum eſſe: illud poſtremo perpendite probatos authores omnes collyriis crocum ad robur immiſcere. *Arantius libro de tum. præter nat. capite decimo.*

Veſicellæ huiuſmodi ſi non eædem ſunt tamen non multum abludunt ab hiſtoria D. Iunieris Chirurgi Regii & Ducis Guiſiæ, quam de animalculis Cironum inſtar in coniunctiua oculi tunica natis exhibemus.

OBSERVATIO.

Animalcula, maiorum cyronum inſtar, in coniunctiua oculi membrana, eiuſdemque albo nata: intenſiſſimum pruritum excitantia.

PAucis ab hinc diebus quidam ex noſtra familia mihi retulit, ſe cuidam oculorum affectui obnoxium eſſe: videlicet, quod in coniunctiua oculi membrana, eiuſdemque albo, animalcula quædam, exiguis pediculis, aut maioribus cyronibus ſimilia, gignerantur: quæ tantum pruritum excitent, vt ex aſſidua fricatione, omnē ferme amittat patientiam. Ego omnem diligentiam adhibui vt ſecundum veterum de Pthiriaſi doctrinam, huncaffectum curare poſſem: verum me nihil proficiente, ad quandam mulierculam de Ioinuille deductus, quæ me præſente, ex coniunctiua dictos cyrones, acu argentea, admodum dextre ſine notabili dolore, expurgauit: Et niſi moueri vidiſſem, nunquam certe animalcula talia in oculi candido generari poſſe, crediдиſſem. Affirmauit prædicta muliercula pluribus, diuerſo tempore, ſine vllo incommodo, eiuſmodi cyrones expunxiſſe: dictique loci Ioinuille homines, peculiariter huic morbo obnoxios eſſe: quæ ego omnia ex diligenti inquiſitione vera expertus ſum. *Ex Epiſt. D. Iunioris Chirurgi Regij & Ducis Guiſiæ, ad Iacob. Guillemeau, eiuſdemque de oculorum affectibus lib. Gallica Lingua publicato ſubnexa Interprete P. Quentzio.*

ADMINISTRATIO REMEdiorum.

OBSERVATIO.

In oculorum vitijs vt remedia adhibenda.

IN oculis affectis remedia inſpiratu hominis anhelantur. Declinatur frictio capitis & pectendum partem poſteriorem. Quod ſi abluendum caput, reclinatum abluatur, atque oculi muniantur. Cauendum ab errhinis & ſternutatoriis, his enim facile materia decurrit in oculos. *Hollerius Obſeruat. 2. libel. proprij.*

OBSERVATIO.

Collyrium oculo ad motum, paulo poſt in palato perceptum.

MIHI ex oculorum vitio laboranti ante annos contigit, vt cum Collyrium, quod album vocatur, adhiberem, paulo poſt per ſpatium forte minutorum horæ vnius decem, amaritudinem in palato ſentirem. Prima vice non curaui, cum ſecundo vterer, eodem temporis interiecto ſpatio, ſimilem amaritudinem percepi. Nihil autem minus in mentem veniebat, quàm quod à collyrio proficiſceretur. Tandem cognoui exploratumque habui, ſarcocollę ſaporem ipſiſſimum eſſe, qui per oculum omnesque occurrentes partes in palatum vſque veniſſet. Si exterinſecus applicata ſic peruadunt, quanto magis aſſumpta. *Thaddæus Dunus. lib. 4. de Venæ ſectione.*

OBSERVATIO.

Oculorum dolor collyrio ex opio adhibito, exaſperatus.

NOs ingentes dolores oculorum incipientibus inflammationibus adhibita purgatione viginti horarum ſpatio ſanauimus. Placet tamen vnius eorum mentionem facere. Cum enim Gilius de Andrache, nobilis adoleſcens 22. annorum, Medicum Metinenſem omnis bonæ literaturæ expertem vocaſſet, retulit ſe vehementem dolorem alte-

rius oculi pati, cum acrium lachimarum effluxu. Medicus vero collyrium album, quod opium recipit, oculo inſtillare præcepit, verum eo remedio adhibito dolor fluxione retenta augebatur. Ego vero accerſitus ac re intellecta præcepi, vt pilularum ſine quibus ʒ. j. ea nocte aſſumeret, ſolum autem oui album inſtillaret: cum autem mane ad ipſum viſendum acceſſi, cum profecto ſine dolore, fluxione & inflammatione inueni purgatum. *Chriſt. à Vega. lib. 3. Sect. 2. cap. 1. De arte Medendi.*

OCVLI FACTITII.

OBSERVATIO.

Oculi factitij, ex auro encauſto, depicto & tectorio opere expolito.

Qvod ſi hunc arte paratum oculum, vel nolit æger, vel caſu aliquo impeditus orbita non poſſit admittere, alium hac via parare licebit. Virgula ferrea flexilis & incurua præſto erit, ei ſimilis, qua mulieres crines coercere ſolent & reuincire, quo ſcilicet arctius aut laxius dimidium caput, cui cingendo ab imo occipite ſupra auriculam ad maiorem oculi angulum circumponetur, conſtringere queat. Hæc ſerico obducta, vtraque extremitate latiuſcula erit, ne quam partem acumine pungere & premere poſſit. Sed ea quæ vacuæ orbitæ obducetur, erit latior, & tenui aluta obducta, vt in ea pictoris arte, oculi amiſſi colores expreſſi ipſam adumbrare poſſint. *Idem.*

OBSERVATIO.

Qua arte, veri oculi iactura celari poſſit.

SI caſu aliquo, vt ab inflammatione, vnus alicui oculus effuſis humoribus crepet & diſrumpatur, vel ingenti ictu orbita ſua excutiatur, aut propriæ ſubſtantiæ conſumtione tabeſcat, haud equidem reparandæ hac ex parte viſionis aut oculi functionis ſpes vlla eſſe poteſt: amiſſi tamen oculi deformitatem, quod vnum in tanto caſu ſupereſt ſolatium, hac arte cælare poteris, ſi curato & ſanato vlcere, in exciſſi effuſiue aut conſumpti locum, alium factitium aureum, argenteumve opere tectorio expolitum, ſic encauſto pictum ſubſtitueris, vt natiui oculi per luciditatem & gemmeum decorem habere videatur. *Pareus lib. 22. cap. 1.*

DE PALPEBRIS.

OBSERVATIO.

Nullos eſſe oculis peculiares muſculos dicatos, verum ſolius lati muſculi id opus eſſe, contraria prorſus ſententia.

LAtum muſculum vt intueri poſſis, ſeparare cutem ſubtiliter in faciei parte aliqua oportebit. Nam niſi attenderis, vna cum cute panniculum carnoſum auulſeris, muſculumque hunc latum, cui immediate adhæreſcit, ac nonnullis locis pertinaciter, adeo quemadmodum in labris, palpebris, totaque fronte ſeorſim vt haberi iſta nequeāt. Muſculo hinc lato natura motum ſeu mouendi vim largita eſt, vt dum alternatim ac certis vicibus exporrigit ſe aut contrahit, oculo claudendo & aperiendo inſeruire poſſit. Cute muſculo ſic expedito, ipſum ſeparare oportebit, ducto initio ab anteriore clauicula ad mentum vſque, ſecundum rectitudinē aſcendendo, indeq; in poſteriora quantum fieri poteſt deflectendo: ſic enim demonſtrabis vt ſe cuti commiſceat & labrorum muſculis. Cum ad oculos perueneris, docebis ab hoc vno muſculo claudi & aperiri oculum: quia ex triplici genere fibrarum componitur, quanquam ex omnium, qui hactenus ſcripſere de re anatom. ſententia, eiuſmodi actiones fieri dicantur, vi duorum muſculorum in eam rem dicatorum: quorum vnus ſit ad maiorem angulum parte ſuperiore, alter ſemicirculi formam habēs ad minorem angulum, vnde in medium vſq; rurſum ſe extendens, anteriori eo deſinenti occurrat, parte autem ima totum cilium cōprehendat, quo ſit vt mobile & ipſum quodammodo reddatur. Quanquam vero in demonſtrationibus publicis hi duo muſculi ſolenniter demōnſtrari ſoleant, eo quo dixi modo, arbitror tamen ne ipſis quidem demonſtratoribus magis conſtare de illis quā mihi. Hanc ex eo hauſi opinionem, quod panniculum carnoſum ſeu muſculum latum ſeparantibus, nulla alia locis illis muſculoſa caro, appareat, quā quæ eſt panniculi illius, ſeu à fronte deorſum ſeu à mala ſurſum nouaculā ducas. Præterea inciſionis occaſione in ſuperciliis vrgente, prohibemur illam tranſuerſim peragere, ne muſculus hic latus in oculum incidens, ſuperiorem palpebram ſeu cilium ſupernum immobile reddat: quod ſi eiuſmodi inciſio caſu inciderit, iubemur ſtatim illam ſuturа ſarcire: quæ res magno argumento eſt ſuperni cilii, ſeu ſuperioris palpebræ motum non propriis & ſuis peragi muſculis, ſed totum pendere, & peragi à muſculo lato. Iam ii in cilio ſuperno eiuſmodi quos deſcripſimus proprii muſculi haberentur, quoniam muſculorum vno agente, oppoſitus ſeu antagoniſta ceſſat & feriatur oporteret, eo qui oculum aperire dicitur agente, oppoſito vero feriante, trahi palpebram ſuperiorem ſeu cilium ſupernum verſus ſuum principium, vt contingere videmus in conuulſionibus: quoniam muſculi operatio eſt partis quam mouet verſus ſuum principium collectio. Cum igitur eiuſmodi motus ſeu collectio nuſquam in cilio appareat, cōſtare inde arbitror, omnem ſuperni huius cilii motum pendere ex muſculo lato, ſolum hūc motus eius authorem eſſe. Muſculi huius lati origo eſt à ſterni parte ſuperiore, clauiculis, omoplatis, vertebrarum ceruicis ſpinis omnibus: inſertio vero in capitis partes omnes depiles, faciemque totam villis à tam diuerſa origine variis: quorum beneficio tam multiplices licet facie ciere motus (nam in faciem ita deſinit, vt totam eam tanquam laruа integat) pro originis muſculi huius varietate, & diuerſarum fibrarum productione. *Pareus lib. 5. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Muſculorum palpebrarum ratio.

PAlpebrarum ſuperior peculiares muſculos obtinet duos, horum alter apertioni oculi ſeruit, à Veſalio oculo aſſcriptus eſt cum primis quatuor oculi muſculis. Oritur ab ingreſſu optici nerui in oculi orbitam & recti latus carnoſique ſuperiorem regionem oculorum tranſcendens, pinguedini impli-catus, deinde lato tenui ac tendinoſo fine in cartilaginem ſuperioris palpebræ, ſecundum latitudinem inſeritur, ita trahendo hanc cartilaginem ad ſuum principium, oculus aperitur. Galen. & Veſalius dixerunt muſculum palpebram ſurſum trahentem à

fronte

fronte prodire, quod fieri nequiuit. Alter occluſioni dedicatus eſt, qui vt ſphincteris cuiuſdam munere fungi, ita & ſimilem cum inferioris palpebræ muſculo formam nanciſci videtur, vnus enim in orbem orbem o-culum ambiens cernitur, operatio idem demõſtrat, nam ſimulatque quis oculum arctiſſime velit occludere, & palpebra inferior etiam ad internum oculi angulum, vtpote ad muſculi huius principium trahitur, ac leuiter ſurſum ad palpebram ſuperiorem adduci manifeſte ſatis conſpicitur. Enaſcitur ex interno angulo & ſutura capiti & maxillæ ſuperiori communi acuto principio, & vniuerſæ palpebræ cu-ti orbiculatib. fibris ſubſternitur, & latus carnoſusque in cantho minori cum palpebræ inferioris muſculo, ſi alioqui peculiaris ſit muſculus, ita commiſcetur, vt vnus cum inferiori appareat, talis etiã confuſio eſt cum muſculo frontis, at cognitu facilior eſt hæc ſeparatio. His adiicit Columbus tertiũ eodem principio, quo proximus exortum, qui oblique verſus magnum canthum palpebræ tereti tendine infe-ritur, huius munus eſt primi muſculi motum adiuuare, videtur primi portio eſſe. Inferiorem ſane palpebram opinor ſatis conſpicuo motu moueri, vt vnuſquiſq; in ſemetipſo deprehendere poterit. Conſequitur enim ad hunc motum peculiarem ac ſatis manifeſtum muſculum, qui paulo ſupra lachrymalem meatum carnoſo & gracili principio ortum ducit, hinc ad palpebram inferiorem tendens, ei ſemper ſubſtratus, totus carnoſus ita dilatatur, vt totum mali os tegat, ad medium oſſis mali videtur in duos ſcindi, qui tamen vno lato carnoſoque fine iuxta canthum minorem fini ſuperioris palpebræ muſculi immiſcetur: huius munus eſt leuiter trahendo palpebram inferiorem, ſuperiori adducere: firmiter trahendo oculum exacte occludere, & ita obit medii ſphincteris munus, cum vtraque palpebra ad canthum maiorem trahitur, canthus minor valde ſtringitur, iſq; etiam ad maiorem adducitur, ex quo motu conſtrictioneq; ſi quid puluerum, vel muſcarum, vel humoris in oculo ſit, ad internum propelli-tur angulum. *Coiter loco prædicto.*

OBSERVATIO.

Puncta lachrymalia palpebrarum notata.

PVncta lachrymalia in ſingulis palpebris ſingula perforata ſunt, ita vt in mortuis ſetam porcinam admittant. Fallopius putat tranſmiſſioni lachrymarum inſeruire, habent meatus: ſub caruncula quæ ἐγκανθὶς dicitur: vniuntur in quendam communem ſinum in narium cauitatem deſinentem per canalem proprium in oſſe ſquamoſo, quod internum angulum occupat, inſculptum. Sinus interim exulceratur, & fiſtula lachrymalis fit, tum ſanies manifeſte per ea foramina exprimitur, vocantur lachrymales meatus. *Coiter in tabulis.*

OBSERVATIO.

Lapis in palpebra.

EX ora palpebræ, vbi hordeolorum collectiones fiunt, lapillum eximi iuſſimus, tritico figura, colore magnitudine parem, duritia ſuperiorem. *Scaliger Exercit.* 108. 3. *ad Subtilit. Cardani.*

Calculum in palpebris dicũnt, cum euerſis palpebris, tofis ſimilia circa ipſas extiterint alba ac aſpera, varorum ſpeciem præ ſe ferentia. *Aetius Tetrabibl. Serm.* 3. *cap.* 80.

OBSERVATIO.

Morum nucis iuglandis quantitate cuiuſdam palpebræ innatum.

NOuimus nos quendam Neapoli, qui magnum, & nucis iuglandis inſtar, quoddam morum in ſuperiori palpebra obortum afferre potius (tametſi turpiſſimum, & oculo moleſtiſſimum) quam tyrannorum chirurgorum imperitis, ineptiſſimisque manibus ſeſe committere decreuit. *Ingraßias Tract.* 1. *ca.* 1. *De tumoribus præter naturam.*

DE SVPERCILIIS.

OBSERVATIO.

Duplex ciliorum alterius oculi palpebræ, ordo magno vtriusq, oculi incommodo in muliere quadam animaduerſus.

LAborabat Mulier, morbo mihi inaudito, & multis medicis, quibus deſcripſi. Eiuſmodi autem eſt: Duos ordines ciliorum habet in ſuperiori palpebra vnius oculi, quorum primus naturalis eſt, ſecundus præter naturam, lædens plurimum oculum pungendo, & per conſenſum etiam alterum. Pater ſuaſit cauterium cum paruo ferro: quod & mihi placuit, quum minori dolore & periculo poſſit illos pilos ſuperfluos conſumere, quam pſylotro. Rationem adhibendi inuenies apud *Auicennam lib.* 3. *Fen.* 3. *tract.* 3. *cap.* 32. *de pilis inuerſis.* Inprimis tamen ſuaderem, vt probe purgaretur ne irritata pars cauterio attrahat humores pillulis vel decoctione aliqua. *Ioan. Bauhinus in Epiſtola ad Geſnerum.*

OBSERVATIO.

Muſculi ſupercilium trahentes à nullo adhuc cogniti.

BIni in lucem reuocandi ſunt muſculi, ab aliis negligẽtia præteriti, quos in capitis poſteriore parte licet animaduertere, qui à lambdoide ſutura ſupra mamillares proceſſu oriuntur: triangulares ſunt, & in carnoſam membranam deſinunt, quæ frontis etiam muſculos excipit, eorumque vtilitas non contemnenda hæc eſt, vt frontem cutemque capitis poſteriora verſus adducant, vt ego millies non ſine voluptate contemplatus ſum in capite præcellentis viri præceptoris mei Ioannis Antonii Plati, quem Longum nunc vocant, is enim cutem capitis vniuerſam valide mouet. Sed quid ego in aliis exemplar perſequar, cum domeſtica vel interna potius exempla non deſinit? Ego quoque is ſum, in quo cutem capitis manifeſte moueri nullo negotio cernere poſſis, quippe qui caluus admodum ſim, abſque vlla cutis ariditate, ſed mollitie adeo laxa, vt nuper nati infantis cutem præferat. *Columbus lib. quinto cap.* 7. *Anatom.*

OBSERVATIO.

Mira paralyſis ſuperioris palpebræ ex immodica frigidorum applicatione.

QVidam graui oculorũ morbo laborans, admiſit conſiliũ cuiuſdã, qui id malum ſe curaturũ pollicebatur. Infudit is itaq; primo cochleari argenteo aquam ſatis mordicantem, cuius vt acrimoniam mitigaret, ſuperpoſuit oculis pannũ lineum madefactũ aqua putei frigidiſſima aliquãdo etiã tẽporib. ſuperpoſuit frigidiſſimũ ouorũ albumen, neſcio qua aqua com-

commixtum, quibus tandem non ſolum oculorum verum etiã capitis dolor indies magis ac magis creſcebat. Quare alium aduocauit, qui oculorum infirmitati remedium præbuit, ex priori tamen cura remanſit infirmitas miranda ſatis, & quam plurimis medicis incognita, vt ſequitur. Infirmi oculorum cilia aliquando proprio nutu clauduntur, quibus clauſis, vix ſumma in adhibitis digitis poſſunt aperiri, cui ſeſe intermiſcet maximus dolor in ſuperciliis & anteriore capitis parte: quæ ſæpius retractionem & rictum oris parit, quam (vbi intereſt conſortio bonorum colloquendi gratiâ) minime cohibere poſſit: etiam ſolis ſplendore maxime turbantur oculi, & ſtatim clauduntur, vt prædictum. Attamen aliquando interrumpitur dolor prædictus, ita vt per biduum aut triduum, nec oculorum nec capitis dolorem, ſentiat. Verum cum ſcribit vel ludit aleis, in tabula luſoria, aut aliquid ſimile curioſe exercet, non clauduntur oculi, nec premitur capitis dolore, quod omnibus videtur mirandum: Medici, qui tum preſentes erant, iudicarunt, hanc morbum paralyſim eſſe, non quidem confectam, ſed affectum muſculorum vtriuſque palpebræ ex intemperie frigida, inducta ex crebra applicatione frigidiſſimorum topicorum. Seriori autem negotio quando incumbit æger, continentur palpebræ vt non diducat, quia maior animi intentio, plus ſpirituum eo ſe confert e facit. Cura fuerit calefactio & execratio illorum muſculorum, quod tentandum foret vel cum elyſir vitæ vel cum aqua vitæ cui incoctum eſſet caſtorium, aut quid ſimile, aut cum cerato aliquo ex reſinis, cum rebus calidis & ſiccantibus confecto, quę ſupra muſculos applicanda forent: aut oleo ſpicæ muſculos ipſos illinendo. *Arnoldus de Villa noua tractatu de epilepſia cap.* 26. curam paralyſeos palpebræ docet, iubens vt poſt digeſtionem & purgationem fomentorũ palpebra cum filtro intincto in hoc decocto. ℞. mentaſtri orti in loco ſicco an. iij. bulliat in vna pinta aceti acerrimi ad tertię partis cõſumpt: fiat vt dictum. *Aetius* eandem curam tractat *lib.* 6. *cap.* 29. & caſum hunc *Galenus* videtur attigiſſe, *lib.* 4. *cap.* 1. *locor. affect.* Ex annotationibus cuiuſdam inſignis medici communicauit. *VVolffius.*

Observatio.

Cauum ſupercilij læſum fractumve, inſanabile alias, reſtitutum tamen.

QVędam neceſſario non ſanantur, vt in cauitate, quæ eſt ſupra ſupercilium, vbi eſt cauitas ſupra oculos: iſta cauitas neceſſario non ſanatur, ſi comminuatur os in illa parte, nunquam ſanatur. Sed ego poſſum dicere in vita mea, vidiſſe me hæc in nobili Scholari Foroiulienſi: repleta eſt carne pars iſta, & hoc miraculum fuit, in cęteris nunquam vidi, *Fallopius lib. de Vulneribus cap.* 12.

Observatio.

Supercilij vulnus vt curandum.

IN vulneratis ſuperciliis id maxime notandum venit, quod ipſa per tranſuerſum ſic ſæpe ceduntur, vt qui illa moueant ſurrigantque muſculi & panniculus carnoſus penitus lacerati ſint & laniati. Quo in caſu palpebrę ſurrigi nequeunt, & oculi tecti, palpebrarumque tanquam vagina clauſi, maneant: ſic vt etiam poſt vulneris agglutinationem, ſi aciem in rem aliquam intendere velit æger, cogatur manu palpebram erigere, quo infortunio multos laborantes animaduerti, ſæpe tamen id non tam vulneris inflicti vehementia, quam chirurgi, à quo curati fuerant, imperitia: nempe diplomatum linteorum appoſitione neglecta, inepta faſcia, & ineptiore ſutura. Hoc in caſu tantum cutis & panniculi carnoſi, peritus qui ſuperuenerit chirurgus, amputabit quã tum ſatis eſt palpebris, quo iuſta contentione ſuo ſe rigore ſurſum erigere & continere queant citra manus ſubſidium. Hinc pellionum ſutura vulnus, vt decet, conſuet: balſamum noſtrum affundet, vicinis vero partibus tale medicamentum. Recip. olei roſa. ℥. s. album. ouor. num. ij. boli armen. ſang. Draconis, maſt. ana ℥. j. agitentur ſimul, fiat medicamentum: hinc decenti vinculo pars conſtringatur. His peractis in vſum veniet emplaſtrum de gratia Dei. de betonica, diachalciteos, vel ſimile aliud, vſque quo cicatrice obductum fuerit vulnus. *Pareus lib.* 9. *cap.* 22.

Observatio.

Abſceſſus ad ſupercilium ſiniſtrum.

QVidam iuuenis, ſupercilium ſiniſtrum, digito comprimens in parte ſuperiore exiguam guttulam inſtar lactis expreſſit. Quærimus cauſam, reſpondit ſibi puero eodem in loco enatum tuberculum, quod à Chirurgo apertum, & materia abſceſſus exempta fuit: ſed pellicula non integre extracta rurſum vt prius, creuit. Poſtea ab alio admonitus: ſuccum ex tithymallo cypariſſia expreſſo, locum inunxit, & tunc materia eliquata eo modo quo poſtea factus eſt, cœpit egredi, quæ tamen non quotidie ſolet effluere, ſed per aliquot dierum interualla, noua materia ibidem collecta. Foramen tamẽ admodum exiguum verſus palpebram ſemper apertum permanſit. *Camerarius de obſ.*

DE ANGVLIS OCVLORVM.

Observatio.

De ſanguine tres fere ſeptimanas ex oculis lachrymarum inſtar, copioſe emanante & profluente.

LAchrymas ab oculis profluere, nihil nouum eſt; at guttas ſanguineas reddere rariſſimum: id tamen vidimus anno 1581. 23. Aprilis die, in vetula quadam, annos 80. nata, quæ in parte orientali Delphis decumbebat, in domo cui flos calendulæ pro inſigni erat. Lecto autem incumbebat, mente conſtabat cum ad illam accitus eſſem, vtcunq; comedebat, nullum dolorem ſentiebat, niſi ſubinde exiguum in ventre, idq; circa vmbilicum quem referebat aliquando ex caſu contractum: vtcunque dormiebat, non febricitabat, quãquam per totum corpus ictero ſuffuſa videretur. Erat autem mulier procera & valde macilenta, cui & lachrymæ ſanguineæ, imo ſanguis, continuo fere per vtroſq; oculos fluxerant. Inſpecto lotio, quod croceum & nigrum erat, quale in ictericis apparere ſolet, interrogaui quam diu hoc malo, nempe ictero laboraſſet, & ſanguinem ex oculis profudiſſet, reſpondit tres ſeptimanas elapſas eſſe, quibus hoc colore totum corpus infectum fuerat: & ſtatim ab eodem tempore, ſatis con-

continuo in hunc vſque diem lachrymas ſanguineas ex oculis emanaſſe referebat: oculi tamen non dolebant, niſi quod mane ob ſanguinem profuſum difficulter aperirentur, & quod in iiſdem ſentiret aliquem pruritum. Aluus huic ad 14. dies reſtricta erat, ſed cum clyſterem non admitteret, glande impoſita probe aluum reddidit. Deinde adhibitis leuioribus medicamentis, qualis eſt ſyrup. ex inſuſ. roſar. pallid. cum rhab. cum vetula eſſet, & vix aliquid edulii longo tempore ſumſiſſet: deinde ebibito hoc quoque iulebo: ℞. foliorum acetoſæ, bellidis minoris ana m. j. florum viol. p. j. ſem. acetoſæ, portulacæ ana. ʒ. j. ß. ſem. 4. frig. maior. ana. ʒ. ß. hordei mundati p. j. coquantur in aqua communi pro lib. j. colæ. adde ſy. de limonibus granator. ana. ℥. j. ß. miſce. Sitiebat autem, & pro ſiti frequenter ſumebat ex compoſitione rob. de ribes dicta. Oculos autem prurientes lauabat lotione ſubſequenti: ℞. folior. viol. maluæ, plantaginis, bellidis minoris, an. m. j. ſe. cydon. ʒ. j. ß. Quibus remediis poſt quinque dies, quod dictu mirum eſt, liberata fuit à lachrymis ſanguineis & ſanguinis profuſione, & præter omnem ſpem ſanitati reſtituta. *Foreſtus lib. 11. obſ. 13.*

OBSERVATIO.

Vermiculi ex angulis oculorum erumpentes.

VErmes aliquando creantur in angulis oculorum vt in aliis locis, & in fiſtula. *Anglicus, Compend. Med. lib. 3.*

Puella trima, quæ in circulo Almoſſinorum agebat, cum omnium conſenſu recte valeret, & nihil mali ſentiret. Ecce illi per oculi interiorem partem, quam angulum magnum appellamus, lumbrici cuiuſdam caput apparere cœpit, oculum ipſum non raro occupans turbansve, ex qua re anxiæ mulieres forte aſſiſtentes oculum aduertentes, vermem viderunt, quem illico manu, admiratione ingenti, longitudinis ſemipalmaris, coloris albi, craſſitudinis lineæ, præuiuum nulla noxa à puella percepta, aut foramine vllo euidente relicto, extraxerunt. Eſt certe caſus hic mirus, & dignus chartis qui detur. *Luſitanus Centur. 7. Curat. 63.*

Cuidam nobili de Capellen, qui patrem ſuum (horrendum dictu) verberibus impetiuerat, in morbo ex oculis vermes ſerpere viſi: quod ad vltionem diuinam referimus. *Solinander Sect. 2. Conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Excreſcentia pilæ quantitate, oculum prope totum operiens, ex cantho domeſtico, ſeni cuidam enata.

SExagenario cuidam euenit habenti excreſcentiam cancroſam ad pilæ quantitatem, emittentem virus quoddam. cuius magnitudo totum oculum occupabat, & non videbatur niſi ad piſæ quantitatem. Huius origo erat ex cantho domeſtico ſeu lachrymali, ad corneam procedens. Cum auté non poſſet corrodi propter ſenium & debilitatem partis, neq; conſumi ob continuum fluxum; Chirurgus igitur pro palliatione appoſuit vnguentum Diapompholygos, cum curari non poſſet inciſione. interea pro oculi corroboratione, & q carnem cooperienté conſumeret, hoc ſequens collyriū præſcripſit: ℞. antimonii loti cum aqua caprifolii ʒ. ij. tutiæ præpar. & extinctæ in aqua roſ. ʒ. j. ß. cimoliæ ʒ. ij. pulueriſentur ſubtiliſſime & cribrentur, & cum aqua roſar. & decoctionis menthę ℥. iiij. miſce, & fiat collyrium, addendo in fine camphoræ pulueriſatæ ʒ. ß. Deinde præſcripſit vnguentum palliatiuum & exiccans, ne increſceret, aut latius ſerperet, & vt conſumeretur: ℞. aquar. caprifolii, roſ. ſolatri an. ℥. ij. tutiæ præparatæ cum aqua roſ. terræ ſigillatę, minii an. ℥. j. plumbi vſti & loti cum aqua roſ. ʒ. iiij. pulueriſentur ſubtiliter & miſceãtur cum aquis prædictis per noctem mane vero cum oleo cheirino q. s. & ceræ ℥. j thuris ʒ. s. pul. fiat vnguentum cum ʒ j. camphoræ. Cum iſto vnguento componebat emplaſtrū, quod apponebat oculo prius loto cum collyrio ſupra dicto. *Foreſtus lib. 11. obſ. 21.*

ORBITA OCVLORVM.

OBSERVATIO.

Glandulæ in oculorum orbita recentioribus animaduerſæ.

GLandulæ in oculi orbita ſitæ humiditatem à capite ad oculorum lubricitatem conſeruandam eo defluentem excipientes, atque oculos irrigantes mobilioresq; reddentes. Harum glandularum Fallopio vnica eſt, & ita in obſeruationibus eam deſcribit. Vna tantum manifeſta ac perpetua ſatisque inſignis à me reperitur in parte oculi ſuperiore, prope angulum exteriorem: præter hanc vero nulla alia adeſt, quæ perpetuo appareat, ita vt alicuius momenti videatur. At in reliquorum brutorum oculo, quæ nictari videntur & præcipue in bouino reperitur alia calloſa ac durior in interno angulo collocata, quæ ob lachrymas ibi (vt reor) minime poſita eſt, ſed ratione illius membranæ, quam nictitant, nam in his animalibus membrana quædam latitat interno in angulo vngui ſimilis, quæ cum cartilaginis vel corneæ tunicæ naturam ſapiat, tenuiſſima eſt, mouetur motu voluntario ad canthum minorem, reliqua in Fallopio. Veſalio ſunt plures. in obſeruationū examine ita ſcribit ac ſeſe purgat. Ego in oſſea cauitate, qua oculus continetur, latam quandam & rotundam carneamque recenſui glandem, ſuperiori ſedi lateris externi oculi incumbentem: & dein carneam veluti glādem in interno oculi angulo deſcripſi, neque in præſenti cauitate aliud quid glanduloſum aut cognoſco aut deſcripſi. Sic itaque lata illa carnea glans, vti prius tradidi muſculi cuiuſdam mihi vice habetur, quo palpebram attollimus. Pars autem in interno angulo repoſita, illa eſt, quam anteriori ſua ſede membrana illa, quæ oculo & palpebris pariter communis eſt, & laxe in anteriori angulo conuoluta iacet, integri, & in bobus ab hominib. in hoc differre iam deſcripſi, quod his quidem tota quodãmodo mollis ſit, illis a anteriori ſuo extremo in cartilaginē & veluti vnguē ſic finiatur, vt telis ideo corneū qd inglutinari cernimus, quo min⁹ ab arcus neruo prompte findatur. *Coiter in tab. oculorū human.*

OBSERVATIO.

Oſſa oculi orbitæ innata miræ magnitudinis.

NVper intra oculi orbitam, hærentia ſupercilii oſſi tam magna oſſa à natura creata ſunt, & eo acceſſerunt magnitudinis, vt tumor totius adnati oſſis cute tecti, oculum obtegeret, maiore humore quam ouum eſt, extuberante oculo: quæ omnia (erant enim multa) chirurgi opera euulſa, mulieri viſum & decorem faciei reſtituerunt. *Thom. à Veiga. Comment. ad cap. 5. Sect. 4. lib. 1. de loc. affect. Gal.*

DE

DE AVRIBVS.

CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Monſtroſæ aurium conſtitutiones quorundam.

CRACOVIÆ mulier in ſuburbana villa, cui Nigræ nomen eſt, ad duodecimum Calend. Nouemb. Anni 1494. monſtrum edidit, cætera quidem humana figura, ſed collo & auribus leporinis & vno grandiore inteſtino totum ventrem occupante, diducto rictu ſpirans. *Lycoſth. Chron. de prodig. & Oſtent.*

Quarto Decembris anni 1556. Baſileæ infans natus eſt virilis ſexus, carens auribus, quarum loco habuit duo tantum foramina, quæ tamen ita clauſa erant, vt nihil inde audire potuerit. Vixit autem puellus valetudinarius vſque menſem Auguſtum, in cuius principio multis dolorib. obiit. *Idē in opere citato.*

In Haſſia infans bene diſtinctis membris natus eſt, niſi quod auribus, oculis, ac narib. in vniuerſum careret, ac in facie ſolum os haberet. *Idem.*

Auriculas inſtar brutorum in hominibus obſeruaui. *Columbus Anat. lib. 15.*

Mulier quędam in Lombardię Caſtello quodam Canoſſo dicto, atteſtante *Gisberto in Chronicis* tempore Gregorii Pontificis piæ memoriæ, peperit infantulum auribus tam grandibus & amplis: vt vniuerſum corpuſculum integerent: quod ipſum præterea auium plumis veſtiebatur. *Thomaſus Thomaius in Horto mundi cap. 19.*

OBSERVATIO.

Aures quibuſdam pro arbitrio mobiles.

SCribit Aurel. Auguſt. (*lib. 14. cap. 24. de ciuit. Dei*) fuiſſe quoſdā, qui aures ꝓ arbitrio mouerent, vel ſingulas, vel ambas ſimul. *Cælius li. 20. cap. 16. A L.*

Aures quidam habent mobiles: vt Veſalius narrat ſe vidiſſe Patauii Iuriſconſultum Claudium Symonium Foroiulienſem virum facetum, & Petrum Rauaſcherium Geneuenſem, virum fortem & ſtrenuū, *Cardanus lib. 8. cap. 40. De varietate.*

Quibuſdam mobiles viſæ ſunt: mihi quidem adoleſcens qui & aures & capitis cutem prompte moueret. *Dalechampius Annot. ad lib. 11. ca. 37. Plinij litera a.*

Muſculi aures mouentes, raro in homine reperiuntur: duos tamen nouimus, qui aures quando volunt, mouere poſſunt. Quare duo aliquando repetiuntur muſculi, quorum alter à buccis enatus, in auris pinnâ deſinit, eamq; voluntarie verſus anteriora mouet. Alter vero, in poſteriori parte à mammillari proceſſu prodit: & hi in Brutis conſpiciuntur. *G. Bauhinus de Corp. hum. fabr. lib. 3. cap. 22.*

Aurelienſis dux ſtultum quēdam habuit, qui poterat omnes, vel centum, habitu & facie repræſentare. Ille ipſas aures, æque mouebat, atque ipſas palpebras. Quod Rondel. ex conſuetudine quadam fieri poſſe credebat, quod ſi volebat eſſe inſignem ſtultum. Intellexi à D. Antonio Schnebergero Medico Cracouienſi, fuiſſe quendam Magnifici cuiuſdam Poloni filium, qui poſtea in Italia ſuum diem obiit: qui natura, non vſu, aures mouerit. *G. VVolphius, de Obſeruat. proprijs.*

Ego muſculos aures mouentes nō deſcribo, nam raro imo quam rariſſime inueniuntur: in quodam tamen ego muſculū offendi, qui à buccis naſcitur, & in auris pinnā deſinit, eamq; mouet voluntarie verſus anteriora: quandoq; etiam alium vidi muſculum in poſteriori parte à mamillari proceſſu proficiſcentem: ſed hi duo vltimi in brutis ſemper conſpiciuntur, in homine perraro. *Columbus lib. 5. ca. 10. Anatom.*

AVDITVS INSTRVMENTA.

OBSERVATIO.

Audiendi modus quis.

AD inſtrumentorū auditui inſeruientium hiſtoriam antequam peruenero, operæprecium eſſe duxi Galeni pręcepto, actionum actioniſve modum declarare, ſic fores ad ſequentia rectius aſſequenda aperientur, inquit n. Galenus, cum aliquam partem explicare volumus, totius inſtrumenti actio oportet vt ſit cognita, ita demum particularum, quæ ipſis inſtrumentis inſunt, vtilitates exponere ſemper conuenit, omnes enim vnum habent cōſtructionis ſcopum, totius ſcil. inſtrumētiactionem. Actionis modus nobis innoteſcet, ex definitione auditus obiecti, quod ſonus eſt, & modo communicationis aquæ vel aeris per ſonum alterati, cum aere interno. Primo de ſono. Sonus eſt qualitas prodiens ex aqua vel aere à duris ſolidisq; corporib. iiſque leuibus, concauis & amplis affatim magnoq; impetu inuicem colliſis & concurrentibus percuſſo. Hæc eſt ſoni definitio, quā nunc latius explanabo, quod ad ſonum deſideretur aeris reuerberatio, antra, ſpecus, ſyluæ, mōtes cauernoſi, putei, locaq; caua atq; anguſta, quæ non tantum ſonos, verum etiam voces articulatas exceptas reddunt, atteſtantur. Aerem oportere maxima vi ac confertim in rem renitentem ac duram impelli indeq; repelli, in timpanis conſpicuum ſit, ſiquidem in his ſi corium, quod per timpanum expanſum eſt, fuerit humidum laxumque, ſonus redditur obtuſus, vel nullus, ſic in omnibus inſtrumentis Muſicis fidibus obductis, vſuuenit. Quantū ad rei repercutientis aptitudinem pertinet, deſideratur primo duritíes: mollia enim cedunt, & non reſiſtunt rei impellentis vi. Secundo eſt amplitudo ſiue latitudo, præcipue quæ cum æqualitate cōiuncta, nam acuta corpora tenuiaq; aerem ſcindunt, minimeq; aeri in repercutiendo vim inferunt. Tertio ſi accedit concauitas, iam aer per ſonum alteratus à labris ſiue lateribus rei concauæ congregatus, vnitus & minime diſperſus redditur, maioremque ſonum efficit. Aere iam per impulſum rei duræ fracto, ſiue ſono affecto, proximus continuuſque aer alteratur atque commouetur, ex eo ſucceſſione vicinior, donec perueniat ad aures: hoc non aliter contingit, atque in aquis fluminibusq; cernitur, in hæc ſi iniicias vel lapillos, vel glebas terreas, ſtatim videbis circulos ſiue gyros excitari, quorum alter alterum excitat, quoad ad aquarum riuulorumque ſiue fluminum ripas vel ora impulerint, vel in amplis aquis ſponte ſoluti fuerint. Simili modo in aere putant Philoſophi à ſono circulos generari, atque ad aures peruenire. Quod ſi lapillus ſiue gleba aliudve magnum ſit, atque magna vi iniiciatur, ita vt ſuos gyros vehementer in ripas ſiue labra amnium fluminumque impulerit, circuli repelluntur, atque geminatim recurrunt ad primum gyrum. Simili ratione fit, ſi aduerſus loca concamerata & teſtudinibus obducta, ſyluas

atque

atque montes loquamur vel clamitemus; nam in iis vox duplicatur ac echo generatur. Hinc accidit vt non ſimul ac corporum alliſio conflictusque inciderit, ſed aliquanto poſt ictũ ſonus audiatur, priuſque à propinquo quam à longinquo. hæc de natura atq; generatione ſoni, nunc de communicatione aeris percuſſi cum aere interno, partibusque internis. Primo notandum eſt quod in aure ſit ſpiritus quidam incluſus ſiue implantatus, cuius beneficio pe[illegible]ſi aeris qualitates cũ communi ſenſiterio cõmunicetur. Hoc Plato primũ inter philoſophos docuit, dixit enim aerem qui auribus inſidet, pulſari: pulſum in principem animi ſedem mitti, ſicq; auditum effici. Nunc pergamus ad reliqua. Ad ſentiendũ quippe oportet vt ſit mutua actio ac paſſio inter ſentiens ac ſenſibile, ad mutuam actionẽ paſſionemq; mutuus contactus requiritur. Vnde ſequitur, quod cũ aer externus agat, internus ſiue implantatus patiatur, internum alterationẽ aeris externi excipere, eumq; tangi ab externo. Sed hoc non fit immediate, ſed interpoſita membrana, intercedentibus oſſiculis quibuſdam ſtupẽdo naturæ artificio, hoc modo. Aer externus ſoni qualitate affectus in membranam myringã incurrit, myrinx pulſata oſſicula mẽbranæ colligata commouet, oſsicula porro neruum quendã per tranſuerſum membranæ expãſum percutiunt, ex illa nerui ſiue funiculi percuſsione ipſe neruus in membranam repercutitur, vnde aer incluſus alterationẽ & ſonos excipit, ſoni vero per auriũ tortuoſos & flexuoſos anfractus citra vllam turbam fertur, peruaditq; ad neruum auditorium. hoc demum exploratore & miniſtro, ſtrepitus imago ad ſentiendi principium tranſmittitur. Veſalius eiusq; aſſeclæ ita auditum fieri tradidere, neruus quinti paris per meatum quendam tortuoſum procedit & in membranam aurium foramini obductam ſeſe explicat, ea quoniam tenuis, ſicca & valde tenſa eſt, ab aere pulſata ac cedente oſsium duricie, quæ antrum cochleamue æmulatur ſonum efficit, nullum aliud artificiorum addunt. Antiquitas in anatomia imperita atq; rudis aliter ſenſit, vt ex Empedoclis ſententia liquet: putat enim auditum fieri, quod aer intimam aurium partem impellit, cum enim ea in cochleæ morem inuoluta ſit, ac tanquam tintinabulum edito in loco appenſa, omnis aeris ingruentis appulſus percipit. Alcmeõ ideo nos audire ait, quod aures intus ſint vacuæ, & vacua reſonare omnia, cum in ipſa vox incidat. Diogenes eſſe in capite aerem, eumque percuti vocibus, & commoueri putat. Platonis ſententia omnium veriſsima eſt. *Coiter tractat. de audit. inſtrument. cap.* 1.

Observatio.

Inſtrumenta auditui ſubſeruientia quæ.

NVnc vero, quo intelligatis qua ratione ſingulæ partes ad hanc functionẽ abſolute & perfecte adminiſtrandam à D.O.M. efformatę ſint, ad inſtrumentorum explicationem me conuertam. Exordiar ab eo, quod oculis noſtris primo occurrit, nimirum ab aure. Attamen totum negotium in 4. partes partiar, quarum prima continebit quomodo & per quam viam aer externus permeet ad membranam myringam. Secundo quomodo generetur percutiaturq; aer implantatus in propria ſua ſede. Tertio per quas vias, & qua ratione aer implãtatus ſuas qualitates neruo auditorio communicet. Quarto & vltimo nonnulla de neruo acuſtico adiiciam, & in tota de auditu abſoluetur hiſtoria, præſtabo hæc per partium his functionibus ſubſeruientium explicationem. *Idem cap.* 2.

Observatio.

De Aure.

NVnc de aurẽ, de qua *Galen.* 11. *de vſu partium* ſic loquitur: Natura omnib. ſenſuum inſtrumentis operimentum fabricatur, aliis quidem, ne cerebrum, quod eis eſt propinquum lædatur: nonnullis propter ſecuritatem propriam: hoc vidimus in plurimis ſenſibus externis, olfactui præfectum eſt os ithmoide, oculis palpebræ, naſus, malæ, ſupercilia, cutis circumfuſæ motio. Linguæ nullum contigit propugnaculum, ſiquidem in ore quaſi in ſpecu eſt concluſa. quid de auditus inſtrumento, quod propugnaculo caret, minime munimentum requirebat, ſiquidem neruo auditorio, & cerebro præfectus eſt meatus admodum tortuoſus & anfractuoſus, atque etiam inuolucrum aliquod, quod impedit, quo minus quæ extrinſecus incidunt, ipſi nocerent. Quapropter auris non poteſt hac de cauſa à Deo eſſe fabricata, vt cerebrum ab externis iniuriis tueatur, ſed in alium vſum, in quem, nunc audietis.

Cum auditorius meatus à lateribus non in anteriori parte vt nares & oculi ſit collocatus, facile ſonus auditorium meatum præteriret. Secundo cum à poſteriori parte antrorſum vergit meatus auditorius, & nos antrorſum mouemur, nos difficulter audire contingeret, ſi nihil à poſteriori parte obſtaret, quod ſonũ repelleret, ſiquidem appulſæ voces meatum auditorium præterlaberentur aberrarentque. Natura itaq; in illum vſum præfecit auditorio meatui à poſteriori parte aurẽ cauam ac prominentem, quæ non ſolum ſonum illabi non ſinit, verum etiam ſonum repellendo fundit, vt à poſteriori parte ſonus repercuſſus antrorſum verſus auditus meatum ingrediatur. Hoc teſtatus eſt Hadrianus Romanorum Imperator, qui cum hunc ſenſum læſum habebat, manus cauas, quo audiret facilius à poſteriori parte auribus obtendebat. Hinc etiam bruta aurita naturę inſtinctu aures ad ſonos vocesque circumagunt.

Quo his vſibus commodius inſeruire poſſent, & ne cum nudæ eminentesq; ſint iniuriis externis quibus ſunt expoſitæ, offenderentur, vel contunderentur frangerenturque, dum multis variisq; modis inter cubandum, in impoſitione galearum pileorumque contrectantur, ex dura oſſeaque ſubſtantia, quę ad externarum rerum vim ac impetum ferendum aptior eſt atq; mollis, componi debebant. Cęterum oſſeæ partes rebus foris ingruentibus non cedunt, earundemq; vim exoluere nequeunt, deinde facile rumpuntur, mollis ſubſtantia vt caro, ſonum non repellit, ac facile cõtunditur, quapropter aures medium quid inter extreme molle & extreme durum conſecutæ ſunt, quod nimirum ob mediocrem duritiem vſui aptum eſt, & ob mediocrem mollitiem cedere, ac offendentium impetum, abſque contuſionis ruptionisq; periculo refringere quibit: & hoc eſt cartilago, conſtant enim vnica flexibili cartilagine, tenui cute, eaque pertinaciter cartilagini adhæ-

rente, obducta Cartilagini ab inferiori regione appendet ſubſtantia molli carni ſimilis, fibra vocata.

Ab inferiori loco vbi aures ab oſſibus temporum, tanquam ex profundo eductæ, principium ſumunt, craſſiores atq; duriores ob vicinitatem oſſis temporis, vnde prodeunt, exiſtunt.

Porro conſideremus, quam egregie vſui inſeruiat aurium figura, ſitus & magnitudo.

Quantũ ad formam ſpectat, primo rotunda eſt, nam rotundum ab iniuriis omnium eſt remotiſſimum, ad eundem vſum etiam multos habet flexus, magis enim eo modo complicari poſſunt, atque in ſeipſas duplicari, quam ſi ſimplex tota vtriuſq; figuræ vtraq; fuiſſet. Extrinſecus ſunt conuexæ, intrinſecus cauæ exiſtunt, & id ne quid ex inopinato intro irrueret, neve aures facile afficerentur.

Ab exortu ad auditoriũ meatum magis ſunt concauæ, quo melius aeri percuſſo obiectæ, eũ ad meatum auditorium repellant. Nõ temere etiam ab anteriori regione & poſteriori ad ingreſſus principium proceſſibus cartilaginoſis protuberat, nimirum vt interiores partes tanto forent à rebus externis ſecuriores. Notandus quoque venit ſulculus inter fibram & proceſſum anteriorem, per quem, tanquam per riuulum, auris pure, & alia quauis fluxili materia ſeſe egregie expurgat.

Magnitudo aurium homini cum brutis non contigit, ſiquidem caput pileis, galeis, aut aliis tegumentis tegendum erat, qua in re magnitudo plurimum obfuiſſet, tam magnæ tamen ſunt, vt adſonare, meatum operire, ſimulque minime impedire poſſint, quo minus quiduis capiti iniiciatur.

Animaduertendum etiam quod in hominib. parum vel nihil moueãtur, ratio eſt, quod etiamſi mobiles verſatilesq; eſſent, cum paruæ ſunt, parum vel nihil nos iuuiſſent. De aurium ſitu *Cicer. 2. de natura Deorum*, ita loquitur. Aures cum ſonum recipere debeant, qui natura in ſublime fertur, recte in altis corporum partibus ſunt collocatę. *Idem c.3.*

OBSERVATIO.

Sedes auditus quis in genere.

POſtquam hanc materiam de auditu ordine reſolutiuo, qui ab vniuerſalibus ad particularia procedit, tradere conſtituimus, antequam ad partes ſingulas peruenero in genere de ſede auditus, quæ interna proceſſus petroſi parte, de qua in tabulis de oſſibus comprehenditur, prius agendum eſſe duxi: vocatur oſſis petroſi proceſſus, ſedes auditus, auris, & meatus obliquus, cauſas ex tabulis oſſium intelliges.

Sedes hęc nihil aliud eſt, quam oſſis petroſi portio intus in caluariæ regione protuberans, quæ collocata eſt inter proceſſum mamillarem & proceſſum oſſis iugalis. Sic totus hic proceſſus petroſus, magis in interna caluariæ conſpicuus eſt. In brutis oſſi temporum ita aſſidet, vt non ſolum in iuuencis, verum etiam in prouectiorib. facilime ſeparari diuidiq; in duas partes poterit. Cum per hanc ſedem externarum rerũ ſonis integra forma tranſeundum erat, ita hæc ſedes extrui debuit, vt nihil in tranſitu amitterent, aliquid vero ſonis abſcederet, ſi ſedes, in qua ſonus intus generatur, & per quam ſonus tranſmeat, ab aeris impulſi impetu deiiceretur, hoc conſpicuum fit in rebus externis, ſiquidem ſi in veſicam loquaris, nullus edetur ſonus, vel admodum obtuſus, ſi in æneum canalem, ingens fundetur ſonus: eadem eſt ratio in fiſtulis muſicis, organis & campanis. quare hæc pars conſtat ex ſolidiſſimo ac duriſſimo oſſe, huius rationem ex præcedentibus manifeſtius intelliges. At ſi vndequaque ſolidus eſſet hic proceſſus, ſedem auditus nimio pondere grauaſſet, hinc maior proceſſus huius pars eſt ſpongioſa, in qua elaboratur atque excoquitur aer implantatus, attamen viæ, ductus atque canales cruſta dura tenſaque ob cauſas dictas obducti ſunt. Forma rotunda, quo maior aeris implantati copia excipi quiret, conduxit: ſi exigua copia ſufficiebat, etiam rotunditas vtilis foret, ſic enim paruo anguſtove in loco cõtineri potuit aer implantatus, & minime neceſſum erat oſſis onere atque loci magnitudine vicinas moleſtare partes. eſt quidem rotunda quoquo modo, at oblonga, idque alio modo vix melius contingere quiuit, neruus enim auditorius poſt opticum omnium molliſſimus, abſque ſuſtentaculo vel coniugatione vlla ſine rupturæ periculo longe à cerebro recedere non potuit. Vnde Deus exproduxit hoc os eouſque introrſum verſus, vt ſtatim atque neruus auditorius extra cerebri ſubſtantiam proruperit, eum excipere tuto poſſit. Cur vero Deus non propius neruo auditorio aures appoſuit? primo aures ob commoditatem excipiendi aerem externũ, foris agglutinare quaſi oportuit. Secundo hæc ſedes ſecundario defert vel venam iugularem, vel arteriam aliquam ad cerebrum, vt autem tuto ad cerebrum peruenirent, prolongata eſt hæc oſſis pars, & canalem huius venæ tranſitui accommodatum conſecuta: exproductio huius oſſis eſt, vbi venæ optime pertingere poſſent ad cerebrũ, vt rete mirabile conſtituant. Vbi primum hæc ſedes ab oſſe temporum prodit, latior & craſſior eſt, ſic gyri anfractuſq; multi ad auditionem illi imprimi queunt, ſenſim magis exacuitur ad extremum vſq;, vbi vena iugularis vel arteria in cerebrum ingreditur. Forma in ſimia prope ad humanam accedit, in aliis brutis quam longiſſime diſtat. Eſt omnino vt vniuerſum temporis os à vicinis partibus ſeparatum, nam ob ſuam duritiem cum reliquis oſſibus mollioribus coaleſcere nequiuit: ſitus eius ſedis eſt inter os ſincipitis & os cuneale, tendit à poſteriori parte antrorſum verſus deſcẽdendo, oblique verſus nerui auditorii exortum, quoniam hic proceſſus propter amplitudinẽ capitis homini propriam magis, quam in cæteris animantibus introrſum protuberat, longior etiam eſt factus. Poſtquam muſculi nec ei inſeri, nec inde pronaſci debuere, aſperitatem externæ faciei ſimilem non conſequitur, ſed leuẽ quandam inæqualitatem cruſta leui obductam. *Idem c.4.*

OBSERVATIO.

Meatus auditorius, ſiue oſſeus canalis quis.

ABſoluta iam in genere hiſtoria de ſede auditus, ſingulas partes aggreditur, diuiſa eſt hæc ſedes in tabulis de oſſibus in quatuor meatus, quos hic ordine pertractabo: & primo de primo, qui proprie vocatur meatus auricularis. Per hunc aer per ſonum alteratus atque ad aurem delatus impulſusq; in auris concauum, à poſteriori parte antrorſum, obliquo ductu tranſmeat, ad pelliculam myringam. Duplex autem huius eſt vſus, quorum primus eſt, vt ſi aer in aurem ingreſſurus vel frigidior

vel

vel calidior, vel ingenti ſono affectus fuerit, ea omnia remittat, antequam ad membranam ſiue neruum auditorium peruenerit, & ſimul hac ratione internæ partes forent ab externis rebus tutiores. Siquidem experimur frequenter myringam acutiſſimo ſono, bombardarum ingentiſſimo ſtridore, item campanarum maximarum pulſatione, denique à frigore intolerabili affici dolore, imo rumpi, vnde ſubſequitur ſurditas, vnde myringæ & neruo auditorio hic canalis ſiue meatus præpoſitus eſt. Secundus eſt vſus, aerẽ percuſſum in anguſtum colligere, quo tanto diſtinctius audire queamus, nam ſi aer percuſſus tranſiret per locum amplum, diffunditur, diſſipatur & multum de ſua vi amittit; at per anguſtum tranſmeans, in vnum colligitur, atque ex illa collectione maiorem vim acquirit. Anguſtia hæc non ſolum ad auditionis intenſionem ſuffecit, verum etiam Deus addidit ſoliditatem & duritiem, nam ſonus in tranſitu vehementius in meatus ſiue canalis parietes impulſus vi & efficacia magis intenditur, ſi ambitus fuerit oſſeus atque durus, atque ſi eſſet membraneus mollisve. Oſſeus hic canalis diſtinctus eſt à reliquis ſubiectis temporũ oſſium partibus in puerulis, ita vt ad ſeptimum menſem per cocturam ſeiungi poſſit, & id quia cartilagine, vt multæ aliæ appendices, incruſtatus eſt, deinde mẽbrana myrinx mollius ex cartilagine, atque ex oſſe adipiſcitur principium: eſt etiam in puerulis totus quaſi cartilaginoſus, in adultis media ex parte cartilaginoſus, & media ex parte oſſeus, cartilago vero oritur à cartilagine auris, quæ ab oſſe temporis ad illius meatus circumferentiam, veluti ex profundo, auris corpus potiſſimum efformat auremve ſuſtinet. Ductus minime rectus, verum obliquus eſt quatuor de cauſis, quarum prima eſt, vt aeris vel frigiditas vel caliditas intenſior, antequam ad myringam peruenerit, exolueretur. Secundo prohibetur ingreſſus paruorum animalculorum ac corporum, quæ in aurem ingreſſa, aliquando ingentes cruciatus adferunt. Tertio obliquitas conceſſa, ne ſonus, qui in aurem ingreditur, recta membranam petat, ipſamque lædat: ictus enim obliquus minus, quam qui recta fertur offendit. Quarto quo ſonus ingens affatimque in aurem immiſſus, ex obliquo ingreſſu frangatur, antequam in membranam impellatur. Obliquus hic ductus non oblique deorſum, ſed oblique à poſteriori parte antrorſum ſurſum verſus tendit, quo tanto difficilius vel puluis, vel aliud quippiam in aurem ingrediatur. Secundo, vt ſi quid ingreſſum ſit, facile elabi queat. Si vero deorſum deflexiſſet, ex diuturna hæſione rerum externarum, in maxima mala atque incommoda myrinx incurrere potuit. Tertio vt reſpiciens cauitatem cochleam, cum ea coniungeretur. At enim paulo ante myringam eſt quædam decliuitas, eaque tamen talis, vt ſi aqua aliudue quippiam in aurem ingreſſum fuerit, id leui capitis ad latera flexione excuti poſſit, eſt & hoc in loco aliquanto latior, quo capacitas aliquantulum dilataretur, terminatur ad tympani vel cochleæ principium, vbi myrinx ſatis ab externis periculis tuta eſt, veſtitur hic canalis aliquo vſque cute auris, quæ ab aure intus procedit, ſed ſub ea tamen continetur meo iudicio membrana à perioſtio producta, quæ ab Ariſtotele μῆνιγξ, ab Arabibus myrinx vocatur. Hæc de primo meatu, ſiue canali ſufficiunt. *Idem cap. 5.*

Observatio.

Communicatio aeris externi cum implantato, & myringa, ſiue tympano.

ABſoluta iam prima hiſtoriæ de auditu parte, vtpote qua ratione, ac quibus mediis ſonus ad myringam perueniat, ſequitur vt agam, quomodo communicetur cum aere interno, & qua ratione aer innatus ab aere externo afficiatur: incipiam hic à membrana myringa, tanquam mediaſtino ſiue ſepto, inter meatum primum & ſecundum. Ad auditum requiri aerem tranquillum, quietum & purum: aer ventorum agitatione turbatus, aurium tinnitus, ſibilus & ſonitus demonſtrant, deinde aerem implantatum tenuem, ſubtilemque citiſſime facilimeque aeris externi alterationes excipere, ſatis eſt notum. At ſi aer hic implantatus communicaretur immediate cum externo, propter permixtionem & confuſionem cum ambiente (qui in perpetua agitatione exiſtit, & ſatis craſſus caliginoſus & impurus eſt) conturbaretur, craſſiorque, præſertim cum in aere nebuloſo, pulueruiento ac fumoſo verſamur, per conſequens ad auditum ineptior fieret, denique dum ſub aqua ſumus, in auditorium meatum ingrederetur aqua, quæ nos omnino auditu priuare poſſet, adiiciatis irruptiones animalculorum minimorum ac aliarum rerum externarum. Vnde D.O.M. aerem externũ ab interno, ſepto membraneo ſeiunxit, hui⁹ præcipuus vſus eſt noxia externi aeris ineuitabilia excipere, atq; internas partes ab externarum iniuria tueri. At quamuis ſubſtantia externi aeris cum interno communicari nequeat, tamen neceſſum eſt ad auditionem, ſonum cum aere implantato cõmunicari, id vero fieri nequiret, ſi hoc ſeptum ex oſſe ſubſtantia dura & flexioni inepta conſtitiſſet. Siquidem pulſari, atq; ſua tenuitate ſonum tranſmittere debuit. Caro vero ob nimiam raritatem multa noxia & mala admitteret, quæ membranoſa ſubſtantia propulſat, ob laxitatem etiam foret inepta ad ſonum tranſmittendum. Hinc itaq; ſeptum hoc à Deo factum eſt ex ſubſtantia membranoſa, eaque tenuiſſima ac pellucida, verum denſa, nullis poris conſpicuis prædita, ob denſitatem externa mala propellit, ob tenuitatẽ ſonum aeremque ſubtiliorem tranſmittit, denique ob eandem tenuitatem pulſationem ad auditum neceſſariam perferre poteſt. *Hippoc. in lib. de carnibus* inquit, pellicula in aure iuxta os durum, tenuis eſt, veluti aranearum tela, & omnium pellicularum ſicciſſima, id enim auditui conduxit, nam quod ſicciſſimum eſt, maxime reſonat. Quidam volunt hanc membranã à pia matre prodire, quidam à ramulo quintæ coniugationis neruorum cerebri, at anatomica adminiſtratio hæc falſa eſſe demonſtrat, ſed potius originẽ trahere à perioſtio, quod ſub cute meatum auditorium inueſtit: tandem in meatu aliquãtiſper dilatatur, petens leniter deorſum ad tympani principium vſque, ibi paruus proceſſus oblique rotundus ex oſſe petroſo erumpit tali figura, qualem calamus ſcriptorius, cum primum obliqua inciſio illi eſt indita, exprimit. Hic proceſſus factus eſt cauſa annexionis membranæ cum oſſe petroſo, quo vero firmior & tutior foret hæc inſertio proceſſus, cir-

cumcirca in medio leuiter excauatus eſt, margineſque duas conſequitur oſſeas eminentes, ſic vtrinque myringam melius amplecti poteſt. myrinx ab ipſo proceſſu recedit & ſeſe interponit inter poron acuſticum & tympanũ, ſeparans alterum ab altero. Situs eius eſt nõ tranſuerſus, ſed obliquus, non aliter, atq; ſi ſcriptorium calamum, ea parte, qua derafus & attemperatus eſt, tenſa membrana obducamus. Situs autem cauſæ ſunt duæ, prima, vt membrana magis recta reſpiciat cauitatem primam quæ meatu auditorio elatior exiſtit. Secunda impedire, ne ſonus impetuoſus, aer prauus, aut aqua, aut quicquam aliud auditui noxium in aurem ingrediens recta membranam petat, ipſamq; lædat, ictus enim obliquus minus offendit, quam qui recta fertur, hæc de myringa, eiusq; operationibus: nunc de modo generationis aeris implantati, eiusq; alteratione, deinde de vero meatu, iiſque quæ in eo reperiuntur, ſunt autem hæc oſſicula tria, chorda, muſculi, feneſtræ duæ, & meatus ad palatum tendens. *Idem cap. 6.*

OBSERVATIO.

Aer implantatus.

AER implantatus ex eo nomen conſecutus eſt quod priſcis Philoſ. ac Medicis in ſecũdo meatu viſus fuerit ita concluſus, vt vbinam ingrediatur, nulla ratione inueſtigari potuerit. Vnde exiſtimarunt multi, à primo animalis ortu hunc aerem à creatore huic meatui immiſſum. at antiquos ſcriptores in hoc deceptos eſſe, rationes manifeſtæ anatomicæque adminiſtrationes teſtantur. Primo, quod ſi aer inibi implantatus eſſet, nec alium aerem, nec aliud quiduis foris admitteret nec etiam ingreſſis in eam cauitatem exeundi viam præberet. cæterum deprehendimus ore naribusque occluſis, cohibito ſpiritu, ac inflatis buccis, aerem ab ore in aurem impelli, & auditus organa percutere, aer vero impulſus ex tranſglutitionis conformatione vel ſimulatione regreditur. Secundo, multoties flatus, ſiue halitus craſſus tinnitum excitans, per maſticationem educitur. Tertio, eſt manifeſta ſatiſque ampla via à ſecunda cauitate in os, per quam viam illa cauitas maſticatoriis aliiſve mediis expurgatur. Quapropter opinandum aerem implantatum non eſſe in ſecunda cauitate concluſum. Vndenam prodeat, & à quonam foueatur, cognitu admodum difficile eſt. A cerebro per neruos (vt ſcriptorum maior pars opinatur) eo transfundi vix poteſt: nam nullus neruus (vt in oculo, aliiſque nonnullis ſenſuum inſtrumentis contingit) in aure terminatur. Eſt quidem via aperta ab ore & naribus, per quam aer externus in ſecundam cauitatem immitti poſſit, ſed num hic aer ſit ad audiendum aptus, non ita liquet. Cæterum cum hic ſpiritus nihil præter aeris in ſono mutationem pati debet, coniiciendum eſt per os & nares aerem externum immitti in ſecundam cauitatem, indeque generari, vel ſaltem foueri aerem implantatum. Imo etiamſi aliunde, quam ab externo prodiret aere, tamen ſine dubio non erit ſincerus, purus, & impermixtus. Aer hic qualiſcunque ſit, eſt primum & præcipuum audiendi inſtrumentum, pars ſcilicet animæ. Secundaria autem inſtrumenta ſunt eæ omnes partes, quæ ad audiendum aliquid adiumenti præbent. Quidam ſcribunt, cauitatem oſſis petroſi aerem implantatum continentem, ea ratione habere ad auditum, quæ cryſtallinus humor ad viſum, nimirum quod primum ſit auditus inſtrumentum, at hoc falſum eſſe quiſque facile iudicabit ex eo, quod os ſonum ita excipere nequeat, vt cryſtallinus humor colorum diuerſitates ſplendoremque: at aer vero hoc facit, quare aer erit principale audiendi inſtrumentum, cum autem aeris beneficio audiamus in prima parte tractatus de auditu ſatis clare docuimus, quare ad reliqua. *Idem cap. 7.*

OBSERVATIO.

Secunda cauitas, vel ſecundus meatus, & quæ in eo continentur in genere.

HÆc cauitas non vno nomine à ſcriptoribus appellatur. Ariſtoteles autem, ſententia multorum Philoſophorum vocat hanc cauitatem cochleam, ſic & Euſtachius cochleam & antrum. Fallopius vero tympanum, Veſalius peluim. Equidem opinor eos, qui hoc ex Ariſtotele ſumſere, Ariſtotelem non recte intellexiſſe, iiſque vſuueniſſe, quod his, qui neglecta rei inſpectione, rerum naturalium ſcriptores pro proprio iudicio interpretantur. Ariſtoteles nulla ratione quiuit hanc cauitatem cochleam appellare, ſiquidem nec in brutis, nec in ratione prçditis vllam cum cochlea ſimilitudinem obtinet. Secundo ex Ariſtotelis verbis id elici non poteſt, inquit enim hoc modo, *primo de natura animalium cap. 11.* Pars auris interior anfractui cochleæ ſimilis deſinit in os, quod auriculam imitatur, & adiicit, hinc meatus nullus ad cerebrum eſt: at in oris meatum ſemita pertendit, quod & nos deprehendimus: ex his verbis non licet colligere, quod pro interiore parte ſolummodo ſecundum hunc meatum tympanum intellexerit. Equidem opinor Ariſtot. voluiſſe hic intelligi tertium cum ſecundo, nam in tertio meatu cochleæ forma conſpicitur, & non in ſecundo: quod ſi vocaſſet concham à ſimilitudine conchiliorum, iam brutorum aurium ſecundo meatui hoc vocabulum aſſcribi poſſet, quod dicat Ariſtoteles deſinere in os auriculæ ſimile, in brutis, & non in hominibus verum eſt.

Quod Fallopius vocarit tympanũ, ex brutorum & ruminantiũ præcipue aure ſumpſit, ſiquidẽ ea meatum hunc inſtar mediæ conchę, vel tympani turcici formatum habent. Homines toto cœlo à tympano diſcrepantem formam conſequuntur, quapropter puto hunc meatum potius vſus, quam formæ cauſa, tympanum appellandum. Nam quemadmodum in tympano aer contentus pulſatus, propriũ ſuum edit ſonum: ſic putant aerem implantatum percuſſum à myringa, oſſiculis & neruo, ſonorum differẽtias in ſecundo meatu exprimere, quo inde ad auditorium meatum deferantur. Poteſt & tympanũ dici eo quod ſuper hanc cauitatem extendatur membrana, vt in turcicis fit tympanis. Tertius meatus potius cochlea appellandus venit, quam ſecundus. Hic ſecundus internus eſt, & propria ſedes auditus, habet duos alios per ſucceſſiuum ingreſſum ſibi mutuo coniunctos: Deſtinatus eſt hic ſecundus aeri implantato, vt nimirum in eo fieret ſonus, tinnitus & ſuſurrus. Quo autem ſonus optime fiat, oportuit hunc meatum ſubſtantia dura atque oſſea circumduci, ad quam aer vehementer impulſus repercuteretur. Subſtantia hæc non eſt reliquis oſſibus ſimilis, ſed omnium duriſſima & lapidea. Situm eſt tympanum

panum inter radices mamillaris proceſſus, & ſedem illam cui caput maxillę inferioris inferitur iuxta articulum, cõſtituiturq; in principio proceſſus petroſi, cuius intimis partibus inſculptum eſt, & ſtatim poſt myringam. Hinc fit, quod inflammata intima auris regione circa ſecundum meatum, vel exhulcerata illa parte, ex commotione inferioris maxillæ, dolor in aure excitetur.

Cauitas hæc cæteris duabus ſequentib. eo, quod multum aeris implantati in ſe continere, atque aer per pulſationem alterationes externi aeris excipere debebat, multo maior eſt. Videtur quaſi duplex; nam poſt myringam ſtatim in ſuperiori parte ſurſum verſus anteriora prodit cauitas primo anguſtior, deinde ſeſe dilatans, ad ſuperiora retrorſum tendit, vt alia cauitas, ad inferiora deorſum producitur. Hæc pars cauitatis ſecundæ eſt ſpongioſa & fungoſa, aſſimilarique poteſt & reſpondet cauitati magnæ in vitulo, quæ aſſimilatur marſupio aurigarum: in hædis & agnis peris mercatricum; in homine veſicæ formam conſequitur. Spongioſa ſubſtantia videtur ſane cõmunicari cum mammillaris proceſſus interno ſpatio: tot enim inibi ſunt foramina, tot cauernæ; vt coniiciendum ſit inibi ſpiritum implantatum elaborari, atq; ad perfectionem perduci, cum vero mammillaris proceſſus baſis ſecus atq; in brutis ſit, forſan cauernulæ hæ, loco cauarum, ad meatum ſpectantium in brutis inſeruiunt. *Veſalius in obſeruationum examine* hoc antrum aſſimilat fodinæ amplæ ſedi; à qua plures cuniculi & viæ principium habent, & in eandem circulatim huc illucque incedentes regrediuntur. Fallopi⁹ dicit figurã tympani habere, ſed equidem id videre nequeo, intus enim ob feneſtras, foramina, anfractusque, tympano nulla ratione conferri poteſt, vt ante docui. Hactenus de tympano, nunc de iis quæ in tympano cõtinentur, demonſtraturus ſum hic neceſſitatem horum omnium. Meatus vel cauitas tympanum vocata, deſtinata eſt aeri implantato, qui cum ſonum vel aerem externum alteratum à ſono excipere debet, neceſſum eſt vt percutiatur, cæterum hic meatus ſeparatus eſt beneficio membranæ à meatu externo, quare externi aeris alterationem, abſque aliis mediis excipere nequit. Hinc Deus artificium inuenit per pulſationem quæ fit per propria oſſicula & chordam, quamuis nunc per pulſationem interni aeris alterationem excipiat, nihil homini conferret, niſi ad neruum auditorium deferatur, idcirco canales ſunt facti, tanquam aeris latores ad acuſticum neruum. Poſtquam implantatus, qui puriſſimus, nullo excremento, vel ſuperfluo infectus conſeruari in propria ſede debet, per aerem ex ore in ſecundum meatum immiſſum fouetur ſuſtenteturque, requiritur neceſſario, ne turbido & auditui inepto ſpiritu implantatus afficeretur, via ad expurgationem idonea, per quam & eadem opera aer ad ingenii enutritionem nouus ſuccedit. Quæ itaque in hoc meatu reperiuntur, triplici de cauſa inibi exiſtunt, vel pulſationis gratia, vel implantati delationis, vel expurgationis ſimul & noui admiſſiõis cauſa. quarto reperitur etiam canalis, ſiue aquæductus, neruũ tranſmittẽs. Pulſationi inſeruiunt tria oſſicula, neruus vel chorda, & vt Euſtachius vult, muſculus vnus vt alii, muſculi duo. Delationis cauſa duæ feneſtræ meatusq; in labyrinthum deſinentes. Ad expurgationem meatum apertiſſimum in palatum terminantem, de his nunc ſigillatim: *Idem cap.8.*

OBSERVATIO.

Contenta in ſecunda cauitate, & præſertim de tribus oſſiculis.

HORVM officulorum, vt plurimorum in aure exiſtentium hiſtoria, non ita neceſſaria vtilisque, vt inueſtigatione ob reconditum in iis artificium digna eſt, eo, quod vſus officiaque incerta coniectura aſſequamur. Tria ſunt in hac cauitate oſſicula priſcis anatomicis ignota, à recentiorib. primum inuenta, quæ à ſimilitudine, quam cum rebus externis habent, nomina conſequuntur, veraque auditus ſunt inſtrumenta: æque enim in puerulis recenter natis, atque in adultis perfecta conſpiciuntur, cæterum quemnam præbeant vſum, vel quidnam ad auditum conferant, non liquet. Columbus inquit, nobis à Deo eſſe conceſſa, vt fiat ab iis aeris repercuſſio: nam cum ab aeris motu fiat auditio, aeris ictu in meatu ad hæc defertur oſſicula, fitq; ibi repercuſſio ad eũ ſonitum ciendũ, q percipitur, hæc igitur oſſicula mẽbrana cedente moueri, atq; inuicẽ confricari neceſsũ eſt, vt cum primũ os aeris ictu in alterum impingat, illud feriat. Hunc vſum trib⁹ oſſiculis attribui poſſe nõ opinor, ſiquidem ſi ex mutua confricatione ſonus hic fieri debebat, inutilis foret chondrodis copulatio, quę illum impedit attritum. Quapropter credendũ eſt alio quopiã modo auditui cõferre. Equidẽ duos coniicio modos: quorum primus eſt, vt ſonus melius ad neruum auditorium deferatur, auditio n. fit per ſucceſſiuam cõmunicationem. nam videmus ſolida corpora aptiſſima eſſe ad ſoni communicationem, vel delationem, cuius rei experientia fieri poteſt. Inuenias tibi trabem vel ferrum, quam potes longiſſimum, colloces aliquem ab altero fine, tu vero ſtes ab altero, ferias digitorum condylo partem tuam ita leuiter, vt ictus vix à te percipiatur, alter vero ex altero fine, trabis collocatus, ſi autem propius ad trabem admouerit, quamuis longiſſime à te diſſitus, exquiſitius tamen ictus percipiet, atque tu, ſed aliquo poſt tempore, ſiquidem per lignum ſonus non ita cito, atque per aerem permeare poteſt: idem atteſtatur Muſica inſtrumenta. Attribuo itaq; iis, vt ſonum per myringæ cõmotionem iis participatum foraminib. per quæ ſonus ad neruum auditoriũ defertur, & oſſib. vicinis cõmunicarent. Secundus vſus eſt, vt ex horum oſſiculorũ cõmotione neruus, ſiue chorda pulſaretur, & deinceps nerui motus aerem implãtatum cõmoueret ad ſonum percipiendum, à membrana enim non ita vehementer pulſari poterit neruus, atque ab oſſibus. Adiicias & his alium vſum, quippe vt excipiendo ſoni vehementis impetuoſique vim impediant, ne myrinx tenuis, ac valde tenſa membrana, affatim ac violenter pulſata, diſrumpatur. Quamuis verus vſus nos lateat, tamen eorum hiſtoriam pertractabo. Hæc tria oſſicula priſcis fuere incogni-tã, duo à Iacobo Carpenſi, vnum à Ioanne Philippo ab Ingraſſia Siculo inuentum. A rerum externarum ſimilitudine nomina conſequuntur, & ſunt numero tria, diuerſa figura prædita, quid vero in cauſa ſit, quod cum ſibi mutuo colligata cohærëant, tria fecerit, & non vnum, ex cauſa articulationis aliorum oſſium coniicere licebit, nimirum ob

motum,nam ſi tria hęc oſſicula vnica eſſent,vel myrinx impulſa ab ingenti ſtrepitu ſonoue, propter oſſis rigiditatem & duritiem inſignem cedere nequiens,rumperetur,vel proceſſus oſſis,fracturæ periculum ſubiret,iam ob ſeparationem & vinculum molle, quo colligantur ligamentis, & vinculo cartilaginoſo mutuo hærent, extrema verò horum oſſiculorum,quibus in articulum coagmentantur cartilagine illita ſunt,ac mollibus quibuſdam membranulis ligamenti vice colligantur mobiliaque redduntur.Myrinx intus abſque vlla offenſione cedere poteſt, compacta autem ſunt duobus articulis. Hæc oſſicula ſunt Veſalii ſententia quam ſolidiſſima, ſoliditas enim ad auditum confert. Soliditas hæc tamen tanta non eſt, vt paruis foraminibus priuata ſint,in quibuſdam medulla proportione ineſt, duo maiora oſſa præcipue foraminibus ſcatent.Tertium ob ſui tenuitatem minime.

Nunc de ſingulis.Primum ab vſu potius, quam à forma malleum dici ſcriptores exiſtimant,nimirum quod dum myrinx mouetur & malleus commoueatur vel quod malleus inſtar mallei fabrilis percutiat myringam.Aſſimilatur vere oſſi femoris, ſi capita inferiora femoris reſecueris finemq; inferiorem exquiſite exacueris, quemadmodum enim femur iuxta eius ceruicem duos aſciſcit proceſſus , quos trochanteres,ſiue rotatores vocamus, ſic etiam oſſiculum hac eadem ſede proceſſulos aliquot conſequitur , quorum beneficio membranæ ſuæ firmius innaſcitur, dein vt femoris oſſis ceruix oblique verſus anteriora ad coxendicis oſſis ſinum vergit, atq; in caput oblongum & rotundum ceſſat, ita etiam præſens oſſiculum à membrana introrſum abſcedit, in rotundum caput deſinens, quod læue minimeq; aſperum eſt.Ab inferiori parte, mucronis ritu in acutum tendit. Conſequitur tres proceſſus, & vnum caput, quorum primus proceſſus eſt longus & tenuis, quo membranæ ſecundum ipſi⁹ latitudinem innaſcitur interna facie. Secundus ſurſum ſpectat, & eo etiam connectitur cum myringa. Tertius deorſum tendit,& eſt fulcrum chordę,ne in percuſſione à ſuo dimoueatur loco. Caput eſt rotundum inſtar capitis femoris, quod in cotylem iſchiæ immittitur: tuber hoc ſublatum ſurſum verſus anteriora ſpectat latus meatus auditorii , caputq; hoc ea parte,qua latius eſt, leui quadam cauitate tuberculum incudis excipit,ac ſecundo oſſiculo incudi committitur,vt iſte nexus ad articulationem lubricis & leuibus ſuperficiebus efformatam referri poſſit.Columbus putat,baculorum more , quib. tympanum pulſatur,membranam à malleo quati, at mea ſententia Columbus in hac re decipitur, nam malleus nullibi membrana ſolutus eſt, imo compactio in membrana valida exiſtit, vtiq; ſi membranam percutere debebat, libera vt eſſet oportuit. Malleus cum incude cartilagine illita in articulum coagmentatur, ſecundo oſſiculo, & mollibus quibuſdam membranulis, ligaméti vice colligantur,quo mobilia forent compactio,hæc valida eſt. Int⁹ myringi inſternitur tranſuerſim, quemadmodum in tympanis ſidem vnam atque alteram craſſiorem, membranæ obtendi videmus, quo autem validius firmaretur, oblongum tenuemque exigit proceſſum,vel caudam, vel pediculum inſertum membranæ interna in facie ſecundum latitudinem.Situs pendet ex membranę ratione.quæ ab extāti oſſeo margine, quo auditorii meatus ſedes peluis in modum ampliata circumambitur,exorta eſt. Secundo oſſiculo quidam à ſimilitudine, quam cum fabrili incude habet, incudis nomen aſſignant, quidam ab actione nomen illi attribuunt, eo quod incudis vicem gerat, excipiés quodammodo ictus permoti ac percutientis malleoli iam deſcripti. Columbus etiam vocat dentem molarem, nam denti molari apte aſſimilatur, qui duas radices habet. At vſus nomine quoquomodo incus dici poteſt. Huius oſſiculi vſus non ita conſtat: equidem credo hoc oſſiculum aliæ partis myringis non occupatæ à malleo, ſpacium occupare, quo eius partis pulſationem percipiat,deinde vt communicet ſonum ſtapedi, vnde per foramina parua deferturad neruum auditorium. Cóſequitur formam dentis molaris præditi duabus radicibus, obtinet gemina crura , altero quod breuius craſſius, & elatius,auri vicinius, latius, ac in acutum deſinit apicé: parieti ipſius tympani hæret ea parte, qua aquæductus labitur,hac ratione firmius hæret malleo, ne in vehementi percuſſione myringis à ſe mutuo ſeparentur. Longius ſecundi oſſiculi crus, quod ſuo apice nonnihil intorquetur, ſurſum ex membrana eminet,& inferiori tenuiorique parti ſtapedis affirmatur & nectitur, quo ſonus à ſecundo oſſe exceptus participaretur cum ſtapede. Præter hos duos conſpicuos proceſſus, conſequitur minorem proceſſum,pedem vocatum, cuius munus eſt chordam in ſua ſede conſeruare, ne videlicet ea ſurſum tendat.Eſt adhuc caput craſſiuſculū,quod planam quoquomodo incudis partem refert, inſtar parui incudis, at vbi mallei caput excipit, leuiter deprimitur, neceſſario ab aliis oſſiculis ſeparatum eſt: & vt vſum eundem cum malleo, ſic & ſubſtantiam obtinet, craſſius tamen & breuius exiſtit, poſitum eſt ex oppoſito mallei,nempe in inferiori parte, partem myringis non tectam à malleo integit, attamen craſſiori ſua portioné aurem ſpectat, cruribus tympanum. Tertium oſſiculum primi inuentores vocarunt à ſimilitudine,quam cum ſtapede obtinet, ſtapedem. Verum vt nunc ſtapedes efformantur, ſtapedis nomen non meretur, ſed vt antiquitus fuere ſtapedes, nimirum triangulari forma, ſine foramine, per quod lorum, vt in noſtris ſtapedibus tranſmittitur,ſtapes dici poteſt. Eſt enim triangulare repræſentans quodammodo Græcorum Δ, vel ferreum triangularem, qui annulis aliquot obſitus mendicùm cantilenis apud multas nationes accommodatur,munus huius oſſiculi eſt excipere ſonum ſibi communicatum ab incude,eumque per oualem feneſtram ad labyrinthum deferre. Figura illi contigit triangularis,qua autem de cauſa,me latet.Stapedis cui equorum ſellis inſidentes pedem immittimus, quaſi formam conſequitur, in medio eſt perforatum, multis foraminibus inſtar ſpongiæ oppletum, in ſuperficie æquale & planum, inferiori ſede tenuius & aſperum exiſtit. Latum & vtcunque amplum longoque ſinu veluti ad inarticulationem concinnato donatur, quo ſuperiorem foraminis ſedem ſpectat,quod foramen principium antri cuiuſdam ſtatuetur , fodinæ amplam ſedem referentis. Situm in feneſtra ouali, cui totum præpoſitum eſt. Hactenus de oſſiculis tribus in ſecundo meatu contentis,nunc de muſculis. *Idem cap. 9.*

Obser-

Observatio.

Muſculi in ſecundo meatu poſiti.

DIximus pulſationis gratia ſecundum Euſtachii ſententiam vnum muſculum, ſecundum alios, duos auditui tribui, in quem vſum non liquet. Euſtachius inquit: organa auditus voluntate moueri, vnde Deum his animalibus conceſſiſſe muſculos, equidem ita aio, cum auditus prorſus in noſtra non ſit voluntate, aut muſculi non erunt, quos muſculos appellant, aut ſi muſculi ſunt, alii vſui quam auditui inſeruire exiſtimandum eſt. *Veſalius in examine* non vult eſſe muſculos, inquit enim hoc modo, in anteriori ſede ſinum etiam vtcunque inſignem & notatu dignum habet, cui neruoſum & fibroſum inſtar rotundæ oblongæque glandulæ, cum integrum eſt organum, inſiſtit. Sunt qui dicunt, cum ex induſtria illas partes ad audiendum excitare ſtudent, vel ſeſe quid in aure moueri, vel audiendi vim intendi, perſentiſcere, equidem id non ita auditui proprie atq; communiter motui, & omnibus ſenſibus attribuere queo, nam ad alicuius animalis operationis intēſionem excitandam, omnes alii ſenſus concurrere videntur, rurſus inquiunt, nulla oſſa abſque motu hoc modo articulari, ad id ita reſpondeo, oſſium articulationes ad motum eſſe factas, at ob id minime ſequi, proprios ad illum motum requiri muſculos: etenim reperiuntur in puerorum corporibus oſſa capitis, colligata laxis vinculis, ſic & oſſium multas partes tum membranulis, tum cartilaginibus connexas eaſque mobiles, ſed tamen abſque muſculis: in carpis & pediis ſunt oſſa per articulationes colligata ſine muſculis, ſic & oſſa pubis cohærent. Inuenies hunc muſculū ſecundum Euſtachium hoc modo: incides os petroſum, prius aperta caluaria eo in loco, quo linea minime alte penetrante inſculptum eſt, & verſus tenuiorem oſſis temporis ſedem in anteriorem partem magis eminet, aperiaſq; eius ſquammam, hoc cum effeceris, ſtatim muſculus cōſpiciendum ſeſe exhibebit, qui etiamſi omniū minimus ſit, conſtructione nulli cedit, oritur à ſubſtantia ligamentis ſimili, qua parte os cuneiforme cum oſſe temporis committitur. Inde carneus euadens redditur ſenſim ad medium vſque aliquanto latior: deinde vero anguſtior redditus, tēdinem gracilimum producit, qui in maiorem apophyſim mallei è regione minoris apophyſis eiuſdem inſeritur: & in canibus parum ante inſertionem, carneā rotundamq; glandulam aliquantulum depreſſam habet, illud in paruis animalibus æque atq; in magnis conſpicuum eſt, hinc patet illam regulam, quæ vult, quod particularum moles animantibus pro ratione magnitudinis tributa ſit, falſam eſſe, nā auditus organa, præcipue oſſicula tria in pueris æque fere magna ſunt, atque in adultis. *Idem c.10.*

Observatio.

Chorda ſeu filum in ſecunda cauitate.

COnſequitur tertiū in tympano pulſationis gratia factum, & eſt quid inſtar chordæ vel fili, vt Fallopius inquit, diximus in principio nos credere aeris pulſationē in aure fieri eo modo, quo in tympano bellico ſonus, nimirum ex chordæ per corium expanſæ repercuſſione, tribuitur itaque chordæ hic vſus, vt aerem percutiat, ex exceptione verberationis factæ à tribus oſſiculis, chorda hæc, vel ex ligamento, vel ex neruo, vel ex vtroque ſimul conflata conſtare debet, ex alia ſubſtantia minime componi poteſt, at ligamēta duriora ſunt quam vt paruo ictui cedant, quapropter minime ex ligamento, quandoquidem vero neruus ita robuſtus eſt, vt quantumuis vehementer impellatur, difficulter rumpi poſſit, ita mollis, vt ex facili commotione commoueatur, (quod ad ſonum excipiendum deſideratur) recte Fallop. dubitauit, num hęc chorda arteria, num neruus, numve alia ſubſtantia eſſet. Euſtachius aſſerit, neruum exiſtere, & eius naturam hoc modo deſcribit. Hic neruulus oritur non à quinto pari neruorum cerebri, ſed ab altero quarti paris ramo, exilis quædam propago reflexo itinere oritur, iuxta oſſeum canalem in os deſinentem, aurium cauum tympanum vocatum, ingreditur, & oblique tympano ac deinde oſſiculo malleo ſupra muſculi inſertionem adhæreſcit: nec ibi deſinit, ſed vlterius progrediens, os lapideum in poſteriori ſede meatus auditorii perforat, deorſumq; reflexus parumper repit, ac tādem cum tenuiori durioriq; ramo quinti paris neruorū cerebri iungitur & coit, hæc chorda tenuiſſima eſt, quæ per medium tympanum percurrens incumbit, vel attenditur illi articulo tantum, quo ſtapes cum altero crure incudis copulatur. *Idem c.11.*

Observatio.

Feneſtræ duæ delationi ſoni inſeruientes, itidem in ſecunda cauitate contentæ.

HActenus dictum eſt de his, quæ ad pulſationem pertinent, nunc de inſeruientibus ad ſoni delationem, & ſunt duæ feneſtræ à Veſalio foramina dictæ. Munus earum eſt ſonum aeri implantato communicatum, per pulſationem excipere, eumq; ad ſequentes cauitates tranſmittere. Veſalius vocat primam feneſtram à Fallopio oualem dictam, anterius foramen, eo quod antrorſum verſus ſpectet: oualis feneſtra ob oualem formam, qua prædita eſt, à Fallopio appellatur, hæc feneſtra oblonga & à lateribus compreſſa eſt, ſua poſteriori ſede in buccinoſum illud antrum, inſigni ſatis amplitudine ſeſe aperit, & cum anteriori ſede buccinoſi antri, ita communis efficitur, vt non aliter feneſtra oualis in foramen buccinoſi antri, quam foramen illius antri in feneſtram pertinere, quis poſſet aſſerere, hoc idem anterius foramen ſeſe poſteriori foramini etiā coniungit, deinde in interiora progrediens, dilatatur, forumque quodammodo, aut præcipuam fodinas alicuius metallicæ ſedem conſtituit, à qua (vt Veſalius inquit) multæ plateæ aut viæ, aut cuniculi excurrunt. Collocata eſt quaſi in media concameratione, manet ſemper ſtapedis baſi clauſa. Altera feneſtra nullum peculiare conſequitur nomen, à Veſalio appellatur ſecundū foramen, vel poſterius foramē, eo ꝗ in poſteriori regione collocatū ſit. Foramen hoc rotundum, & in homine paulo minus anguſtiuſve, q̄ anterius viſitur, in vitulo & oue poſterius foramen amplitudine anterius quaſi vincit: ad poſteriora declinat, coitq; cum anteriori in cauitate, quæ per os penetrans ex ſeſe labyrinthum & cochleam depromere videtur, hoc foramen ſemper apertum manet, & à nullo corpore operitur. Eſt & inter feneſtrā vtramque tuberculum, ꝗ Veſalius cum

foramine rotundo, & extuberãte tuberculo ſubdito priori ſedi, paruæ conchæ confert, quæ in frenorum ornamẽta adhibetur. in tubere vero latitat antrum quoddam, cochlea vocatum. *Idem c.* 12.

OBSERVATIO.

Meatus à ſecundo auris meatu in os pertingens, & expurgationi inſeruiens.

SEquitur via expurgationi aeris implantati deſtinata, excremẽto à capite ad aurẽ defluenti exitus viam præbens, cernimus aũt ex his, quæ foris in aure colliguntur per tranſudationem, autem multis excrementis fluxionib. deſtillationibuſq; obnoxiam eſſe. Si enim illa, quæ per denſam membranam tot ſunt, quanto erunt plura intus latentia, foris p̃ meatum auditorium ob membranam denſiſſimam interpoſitam nihil exire poteſt, niſi tenuiſſimum, & id per tranſudationẽ, craſſum vero ſi intus hæreret (vt multoties contingit) ſemper, propter perpetuam reſolutionem, quæ fit continuo à calore innato, flatus generaretur, vnde ſuſurrus, aurium tinnitus, auditus deprauatio ac amiſſio. Expurgando itaque auris recremento, peculiaris meatus à rerum cõditore hic in aure conſtructus eſt, quod autem per illam viã aures purgẽtur, ex curatione patet, nam in auditus difficultate, in tinnitu, & ſimilibus aurium affectibus, maſticatoria admodum cõferunt, maſticatoriorum enim facultas per palatum ad aurium cauitatẽ tranſmittitur, vnde materia partim extracta euacuatur, partim reſoluta diſcutitur: hic vnicus vſus præſenti meatui ab Anatomiæ ſcriptoribus attribuitur. at ego illi præter hũc, vſus & duos alios adſcribo, nimirum vt ad refectionem & reſtaurationem aeris implantati abſumpti, nouus ex ore, per hunc meatum ſuppeditetur. Secundus vſus eſt, vt cum ob membranæ læſionem auditus difficilior obtuſiorque redditur, per hanc viam ſonus per os ingreſſus ad aurium intima pertingat, atque hac via ſurdaſtris ſubueniatur, hoc ex ſurdaſtris, qui, vt exquiſitius quid audiant, hiante ore, voces & ſonos excipiunt, liquet: idem teſtantur Muſica inſtrumenta, quæ ſi vtraque aure diligenter obturata, baculo, quem dentibus comprehendiſti, attigeris, exquiſitius pulſari audies. Alcmeon vt teſtatur *Ariſtoteles, primo de nat. anim. c.* 11. alium illi tribuit vſum, nempe vt animal per aures reſpiret, affert exemplum de capris. Vnde colligendum priſcos hoc foramen non latuiſſe, at in vſu Alcmeon deceptus fuit, ſiquidẽ ſi animal per aures ſpiraret, neceſſum foret aeri externo nullum fore obſtaculum, quo minus ad ſecundam cauitatem perueniret: at nunc membrana hoc impedit, quare per aures aer ad os peruenire nequit. Poſſit & præter alios iam enumeratos vſus alius adiici, nimirum ne in bombardarum & alio ſimili impetuoſo ſono mẽbrana myrinx rumpatur. Si enim ſecundus meatus vndequaquam occluſus, ab aere implantato infarctus eſſet, vt nullus exitus pateret, ex tali ſono, maximo impetu & affatim concitato, membrana myrinx impulſa, cedere nequiens, haud dubie rumperetur, iam vero aer implantatus exitum ſibi inueniens cedendi locum membranæ myringi concedit, atque hoc modo rupturæ periculum euadit. Hic meatus in narium cauitatem deſinens ortum ducere debuit à tympano, in quo continetur aer implantatus, & vbi ſua excrementa deponit. Eſt rotundo canaliculo perſimilis, atque inſtar tenuioris calami in exordio amplus, indeque oblique ad anterius interiuſque baſis capitis latus procedens, in medio quatuor foraminum totum illud os perfodit ac penetrat. nam poſteriori ipſius ſede arteria ſoporaria caluariam ingreditur. in anteriori regione, quartum par neruorum cerebri, extra caluariam emergit, externum latus patefacit aditum arteriæ diſtributæ in duram matrem: interim denique fiſſura quædam circumſcribit, quæ à cuneiformis oſſis & lapidoſi extremis partibus oblique infra & antrorſum verſus ductis fiunt. Cæterum meatus hic eo in loco non deſinit; ſed alterius generis ſubſtantia auctus, inter duos faucium ſeu gulæ muſculos; paulo ante dictæ figuræ ductum vlterius procedit, & iuxta radicem internæ partis apophyſis alis veſpertilionum ſimilis, in alteram narium cauitatem terminatur, & in craſſam palati tunicam prope radicem gargareonis inſeritur. Subſtantia eius, qua extrema fiſſura oſſa temporum & cuneiformis tangit, cartilaginea eſt, admodumque craſſa: oppoſitæ vero partis ſubſtantia exacte cartilago non eſt, ſed neſcio quid membranoſi obtinet, tenuiorque euadit. Sed huius meatus interna extremitas narium cauitatis mediũ reſpiciens, robuſta eſt cartilago, quæ plurimum extuberat, muccoſaque narium tunica obducitur, & quaſi ianitor præfectus vini obducitur. Hæc autem ſummo rerum opificis conſilio atque arte ſunt machinata, primo autem fit meatus hic cartilaginoſus, quo via excrementorum exitui ſemper pateret, & ne ſua duritie vicinis partibus vim aliquam adferret, materia enim cartilaginoſa abſque fracturæ periculo facile cedit, deinde membrana obduxit muccoſa, valuulæ inſtar, quo excrementia in os effluere poſſent, & viciſſim parum ex ore in aurem. Si v. ſemper apertus fuiſſet hic meatus, ex ore in aures facile quid mali vaporis ingredi potuiſſet, quare non ſemper patet, ſed aliquando, aliquando non, pro neceſſitate. Terminatur vbi os palati ſuperioris deſinit, ita vt terminus huius canalis & palato, & narib. communis ſit, hocque modo os excrementorum cerebri commodum receptaculum, auris ſuperfluitates facilius recipit. Vbi deſinit vtrinque, vnus muſculus faucium conſiſtit, voluit enim Deus pro neceſſitate hunc meatum aperiri, quod egregie fit, dum fauces dilatantur ſiue aperiuntur ad tranſglutitionem excitatam à duobus iam dictis muſculis. *Idem c.* 13.

OBSERVATIO.

Aquæ ductus.

EST quidã oſſeus canalis, ob ſimilitudinẽ, quam cum aquæ, per cuniculos impoſitis canalib. hinc inde vario modo diductione habet: à Fallop. aquæ ductus vocatus, à quibuſdam cochlearis canalis. A Galeno & Veſalio cœcus meatus, nõ à cœco inteſtino (vt nonnulli volunt) ſed ex eo, quod immiſſa ſeta porcina difficulter perqri poſſit. imo in arida bouis caluaria fere nulla ratione ſetam hoc foramen tranſmittit. poteſt & cœcum vocari, quod tenuis & circumducti vertiginoſique inteſtini loco perpulchre cenſetur. Paratur hoc foramen ramulo quinti paris neruorum cerebri, qui poſtquam indureſcere debuit, non ſine cauſa per duriſſimum ſicciſſimumque oſſis anfractuoſum foramen diductus eſt. adde quod per alium locum via illi non partuerit. Canalis

itaque

itaque huius anfractuoſi eſt, vt 5. pari neruorum via ac tranſitus præbeatur. Aquæductus hic oritur ab interna & interioris caluariæ parte, ſatis anguſto foramine, & in homine rotundi foraminis imaginem habet, atque per os ſuo fundo modice dilatatur, tenuiſſimaque oſſea ſquamma à ſubditis antris ſeiungitur, interim & non tamen ſemper amplus hic foraminis iſtius locus duobus paruis foraminibus peruius eſt, poſterius vero, quo boues & oues pariter donantur, exiguum admodum eſt, & ad ſuperiorem præcipue dictorum cuniculorum interſectionis ſedem pertinet, portionem 5. paris neruorum cerebri tranſmittens. Anterius foramen poſteriori amplius, & ad 5. paris neruorum cerebri portionẽ quoque deducendam paratum, mox integer efficitur meatus canaliſve, in petroſæ partis anteriori ſede inſculptus. Iſte aquæductus ſecundum anteriora antri fodinarum cameram referentis procedens, retrorſum ſupra inferiorem petroſæ partis ſuperficiem retorquetur, itaque continuo in oſſe tantiſper progreditur, donec extra caluariam ſub auditorii meatus ad aurem foramine vbi 5. paris neruorum pars ſub aure excidit, ad auriculę radicem erumpat. In homine autem hic aquæductus ſeſe exiguo interuallo ad initium antri fodinarum cameræ comparati adaperit, nullibi alias ſub inferiori petroſæ partis ſuperficie pariter dehiſcit: exprimit medii circuli figuram. *Idem c.14.*

Observatio.

Labyrinthus, ſeu tertia auris cauitas.

Abſolutis his, quę ad tympanum, id eſt, ad ſecundam cauitatẽ ſpectant, proximũ eſt, vt tractem de tertia cauitate. Tertia hæc cauitas à Fallopio labyrinthus dicitur, qa in ea multi cuniculi reperiuntur, qui in eandem labyrinthi inſtar, circulari modo, cauitatem redeunt. Anfractuum cauernarumq; finalis cauſa eſt, vt ſonus per anguſta tranſiens loca, tanto acutior & exquiſitior foret, quod ex artificialibus inſtrumentis, præcipue Muſicis ſatis liquet, vtpote ex fiſtulis manualibus & organorum, hæ enim quanto anguſtiores longioreſque ſunt, tanto magis ſonorem acutioremque ſonum reddi deprehendimus, primo autem aer contentus in canalibus, quietus ac tranquillus facilius ſoni alterationem excipit, atque aer ex agitatione conturbatus. Secundo, aer anguſto loco concluſus non diſgregatur, ſed vnitus permanens, diſgregato maiorem ac efficaciorem ſonum promit. Quoniam vero hi canaliculi propter breuitatem petroſi proceſſus, in longum exproduci nequiere, recompenſata eſt longitudo circumuolutione & gyroſo anfractu. Sic etiam per varias concauitates & ſpiras, quaſi per diuerſos gradus ſenſim voces elaboratæ, & quodammodo fractæ, in cerebrum aſcendunt. Poſtquam iam hæc cauitas ſub tuberculo & poſt feneſtrã oualem ſtapede occluſam, ſeſe quartæ veluti communi portæ coniunxit, in interiora deinde progrediens dilatatur, forumq; quodammodo, aut præcipuam fodinæ alicuius metallicæ ſedem conſtituit, à qua multæ plateæ aut viæ, aut cuniculi excurrunt, qui per duram oſſis ſubſtantiam veluti in circulum excauati incedenteſque in amplam cameram rurſus reuertuntur. A poſteriori amplæ huius cameræ regione plures vię excurrunt, quã ab anteriori retrorſum procedentes ita feruntur vt duæ circulares viæ rectis quaſi angulis ſeſe bis interſecent, hi cuniculi numero tres circulares in eãdem cauitatẽ redeunt, nuſquam tamen toto proceſſu in ſe inuicem manifeſte patent. Præcipua & manifeſtior interſectio ſupra apicem buccinoſi antri perficitur, vbi foramen totum quinti paris neruum excipiens finit, & tenuiſſima quaſi ſquamma ab hac viarũ interſectione dirimitur. Numero tres ſunt hi cuniculi, qui in eandem cauitatem redeunt, non enim conduxit (vt dictum eſt) per latum canalem ſonum ferri. Primus vero inferior exiſtit, & ab anteriori parte cauitatis diuertens verſus exteriora, ac deinde reflexus in eandem cauitatem, per poſteriorem angulum recurrit. Secundus oritur ab eodem anteriori cauitatis angulo ſurſumque elatus quaſi ad ὀρθογώνιον facto ſemicirculo iterum in cauitatem, per angulum poſteriorem regreditur. Tertius & oritur & occidit, aut finit in poſteriori cauitatis angulo, nam inde ortus perforatoque oſſe circulari quodam canali exteriora verſus illuc iterum reuertitur, canaliculi hi in intima ſuperficie membranula quadam molliſſima ac tenuiſſima veſtiũtur, quæ membrana num ſit neruus expanſus, an aliud, nõ refert. *Idẽ c.15.*

Observatio.

Cochlea, quarta auris cauitas.

Sequitur iam quarta cauitas vel antrum aliquod in tubere ſuperius deſcripto latitans, quod à Fallopio cochlea vocatur, eo, quod teſtæ cochleari exteriori ſuperficie rotunda detracta, & parte interiore, quæ in ſpiras contorquetur reſeruata, ſimilis ſit, à quibuſdam nominatur foramen cœcum, quia nonnullis nullum exitum habere viſum eſt, at hac ratione cœcum dici non poteſt, nam etiamſi ſpirarũ modo conuoluatur, tamen foramine ſiue exitu non caret, ſed in medio ea nimirum parte, cui ſpiræ innitũtur, à principio ad finem vſq; anguſto & recto meatu eſt peruium, atque à feneſtra ouali via aperta eſt quæ in maiorem huius oſſis ſpiram deſinit, etenim ſi cauitas cœca eſſet, aer percuſſus neruo occurrere nequiret. A Veſalio hæc cauitas vocatur buccinoſum antrum, à buccina cornu recuruo ac contorto, quo paſtores pecus conuocare ſolebant, vel à buccina conchilii ſpecie. Vſus ex ſuperioribus ſatis conſtat, eundẽ docet ac confirmat buccinoſa teſta multis gyris circumuoluta, nam ſi talem teſtam foramine ſuo quis auri admouerit, miros quis audiet ſibilos, ac tinnitus ſuſurroſque excitari, quod ſi quis apici aut cauo perforato inflarit, tubę in modum ſonus edetur. Hinc animaduertendum Deum creatorem non contentum fuiſſe tertiæ cauitatis gyris & anfractibus ſed etiam addere voluiſſe alium anfractum, eumque magis anfractuoſum, q̃ ſunt cuniculi tertiæ cauitatis, quoniã nequiere recta intus petere hi cuniculi, cochleæ modo circunducti ſunt, cauitas itaq; hæc ab ampla baſi, nimirũ ſub tuberculo à ſede metallicæ fodinæ foro pſimili exorta, excauatur, & gyris tribus quatuorve ſeſe mutuo excipientibus ꝓcedens anguſtatur & abſoluitur. Hæc cochlea præcedentib. internis cauitatibus longe minor eſt, atq; inſculpta in eodẽ petroſo proceſſu, in latere anteriori eſt collocata, quo ſono q. à poſteriori parte antrorſum vergit, occurrat. Spirarum elatior ſuperiorem ſedem obtinet, & neruum ſuſcipit, anguſtior inferiorem & oſſis cauo terminatur, exitum conſequitur vt

tur vt dictũ eſt, hinc fit quod aer ab oſſiculis & myringa agitatus in tympano, per ſpiras dictas ad cochleã, inde ad neruum deferatur, nerui enim quinti paris maior propago videtur in tres portiones inuicem diſtantes terminari, ex quibus præcipua exiguo foramine peruio in cochleatum os, vel in cochleam obducitur. Sed num inſtar operculi eidem incũbat, an vero alte penetret, atq; in ſpiras eius oſſis cõuoluatur, propter adminiſtrationis difficultatem, certo adhuc explicare nõ potui. Fallopius inquit hanc cauitatem in intima ſuperficie membranula molliſſima, ac tenuiſſima veſtiri, quæ an ſit neruus expãſus, an aliud, non refert. Hoc idem os cochlea ex duplici ſpirarum genere conſtat, quorum alterum ab oſſea ſubſtantia admodum tenui & ſicca, & quæ facile teritur, creatur: atq; vndequaq; ſerpenti in ſpiras conuolutæ ſimilis. Alterum vero aliis Anatomicis, præter Euſtachium, ante noſtra tempora ignotum. Ex materia quadam fit molli, muccoſa, ſed firma tamen, & quæ neſcio quid arenoſi permixtum habet. Oritur ex medio ſpatio primarum ſpirarum, tanquã ex ampliori baſi, ſenſimque extenuatum in aciẽ deſinit, ſed non tam alte conſcendit, vt oſſis ambitum, qui priores terminat ſpiras, attingat. Euſtachius vult 3. vel 4. foramina minima reperiri, ita vt aliquando vix capillum admittant, quæ in ſecũdam & tertiam cauitatem pertingunt à canali, quem nerui quinti paris ingrediũtur, per hos meatus paruos credit Fallopius neruulos à quinto pari membranæ communicari, vel facultatem & vires, vel quod veriſimilius eſt, à dictis propaginibus membranulam ortum ducere, quæ cochleæ cauitatem inueſtit. *Idem capite decimo ſexto.*

OBSERVATIO.

Neruus Acuſticus ſeu auditorius.

SVpereſt quartum & vltimum ad auditũ ſpectans, nimirũ vt agam de neruo auditorio, in cuius deſcriptione Anatomici ſcriptores ob adminiſtrandi ſummam difficultatem, valde inter ſeſe diſſentiunt. Euſtachius ita loquitur, quintum neruorum cerebri iugum, ex duobus tantum neruis, vt alii arbitrantur, minime conſtat, ſed duas vtrinque propagines inæquales habet: quarum maior ſecundum longitudinem inſtar ſemicirculi eleganter excauatur, minoremque, quod alios fugit, amice ſuſcipit & amplectitur, eoque modo ambæ ſimul iunctæ oblique in anteriorem & exteriorem partem vſque ad extremum ſinus, in oſſe petræ ſimili earum gratia exſculpti, procedunt, vbi minor propago à maiore recedẽs paruum foramen ſibi paratum inuenit, & ingreditur, miroque admodum flexuoſo inceſſu extra caluariam elabitur, maior propago videtur in tres portiones parum inuicem diſtantes terminari: ex quibus præcipua exiguo foramine in cochleatum os peruio obducitur: ſed num inſtar operculi eidem tantum incumbat, an vero alte penetret, & in ſpiras eius oſſis conuoluatur, propter difficultatem adminiſtrationis (quam is, qui negotium manibus contrectat facile experitur) certo explorare adhuc non potui. Fallopius inquit: quintum par auditui inſeruire, at ab eodem, quo volunt alii Anatomici loco ex duobus neruulis conflatum, antequam è membrana egrediatur, prodire, altero, quo nullus neruus mollior eſt exceptis viſoriis, hicque ad auditum deſtinatus. Altero, qui quinto etiam pari aſſignatur, quia naſcitur ab eodem penitus loco, cum molliori dicto, & cum eodem ad os petroſum venit: ſed reuera diſtinctus eſt neruus, & durior priori, atque æque durus vt reliqui nerui, qui cæteri paria efformant, neque vlla ratione videtur paris mollis dicti. Fallopius ne videatur velle diſſentire à reliquis Anatomicis, contra animi ſententiam concedit quinti paris alterum ramum mollem, alterum durum, equidem hic durum neruum tanquam ad audiendi facultatem non ſpectantem omittam, & agam de molli auditorio, de hoc ita Fallop. proſequitur. Altera quinti paris portio quæ mollis eſt, & neruus auditorius à me vocatur, vna cum dura ad extremum antri illius perueniens quibuſdam anguſtiſſimis foraminibus mediis in cauitates diſtribuitur geminas, atque illas quodammodo ſublinit, quarum vna labyrinthus, altera cochlea, vel cochlearis à me inter oſſa vocata atque deſcripta eſt, neque vlterius procedit, vllumve neruum à ſe dimittit ad exteriora. Neque tu, neque alius quiſpiam (vt mihi perſuadeo) aliquam ab hoc quinto pari neruoſam propaginem, quæ alicuius momenti ſit, præter has dictas, inuenire poterit, hactenus Fallopius. Equidem multoties ductum huius nerui ſecutus, & eodem modo ſeſe habere deprehendi. *Veſalius in obſeruationum examine* ſeſe purgat, rurſus Fallopium erroris accuſat, hoc modo. Ego diſcrimen illud, quod abs te in molli & duro in quinti paris exortu (q alias veluti duobus fit funiculis) & in ipſius ad ſuum proprium foramen progreſſu adfertur, non memini me obſeruaſſe: & rationi, vti nunc colliges, haud videtur conſonum. Mihi namque nulla vicinior via occurrit, qua anterior quinti paris nerui portio (quæ veluti gracilior eſt funiculus) in bobus & ouibus, & manifeſtius adhuc in porcis quidem, ad inferiorem petroſæ partis ſuperficiem, in homine autem ad initium antri, quod fodinarum cameræ comparo, deferri & diſtribui queat, modo antrorum in petroſa parte exſculptorum debeat haberi ratio, illaque citra cauſam & ſeriem non fuerint temere perforanda. Et quanquã duram quinti paris tuam portionem, ita defers deſcribiſve potius, ac ſi auditus organo nullum vſum conferret, animaduertẽdum tamen eſt, qui oblongo illi nerueo corpori in boue adnaſcitur & in homine per foramen camerato antro peculiare, propaginem exhibet. Corpus hoc proprio ſinu in inferiori petroſæ partis ſuperficie contineri, iam ſæpius dixi: illiſque oblongis corporibus conferri poteſt, quæ in neruorum complexibus, oliuaria appellas, ego autem flocculis & nodulis illarum chordarum aſſimilare ſoleo, quæ Cardinalium galeris appendũtur. Vt enim corpora illa, neruea ſimul & glanduloſa ſubſtantia efformata, neruis adnaſcuntur, aut potius neruorum incrementum conſtituunt, ita quoque hic in auditus organo, tali oliuare corpus in ꝓprio ſinu reponitur: quod quinti paris applantationem admittens, aut ab illa conſtitutum, humiliori ſua ſede neruos à ſe diffundit, qui oſſiculorum auditus organi nexibus, craſſarum & manifeſtarum fibrarum ritu partim exporriguntur, & partim illac ad coalitum, cum non ſpernenda tertii paris neruorum cerebri portione, procidunt, qua vaſa auditus organum ingrediuntur. Quæ cum diligentius aliquando in examen reuocabis, prompte animaduer-

teš, in neruorum diſtributione tibi non pauca inſuper deſideranda. Poſteaquam igitur natura eleganti compendio, his ſedibus anteriorem quinti paris portionem diſtribuit, & reliquam quinti portionem (quæ velut craſſior eſt funis) quodammodo ante oſſeam tenuitatem ſubſiſti & dilatari voluit, quæ inter cuniculorum camerali antri præcipuam inter ſectionem, & foraminis quintum par admittentis baſim obſeruatur, ipſa inquam natura, tertiam portionem in illam interſectionem, demandat, quæ proprio foramine, licet arcto, in cuniculos illos fertur, & fibroſis diſtributionibus per antra in petroſa oſſis parte hic conſpicua, diſpenſatur. Eſtque hæc diſtributio bobus, & ouibus pariter, ac homini communis, etiamſi in hoc quam in illis ſit manifeſtior, vti & camerali antri ſeriem, aut imaginem in homine ampliorem potentioremque quam illis, eſſe expendimus. Imo, cum foramen quintum neruorum par admittens obſeruo, & in anteriori huius ſede meatum auſpicari intueor, qui ſub aure tandem extra caluariam finitur, non poſſum ſatis colligere, qui dum quintum par in mollem & durum neruos partiris, & cum durum graciliorem & ſitu poſteriorem ſtatuis, ipſum nuper dictum meatum ingredi cupias, citra neſcio cuius decuſſationis, alteriuſve rationis explicationem, quæ durioris tui nerui ſupra & infra molliorem ductum ſitumve argueret. Mihi enim (vt quid reperiam, ſemel rurſuſque inſinuem) anterior quinti paris nerui portio, non vero poſterior, meatum illum ſubire cernitur, qui ſub aure verſus poſteriora in illud ceſſat foramen, quod Galenus ob difficilem ſetæ tranſmiſſionem, quemadmodum à me eſt commonſtratum, ſatis ex merito cœcum nuncupauit. *Idem capit. decimo ſeptimo.*

CAVSÆ.

OBSERVATIO.

Ingenioſa ratio cognoſcendi, num auditus ſit ablatus ob morbum myringi aut potius nerui expanſi.

MORBI myringæ cognoſcuntur, quia obſeruatur fluxio ad illam partem: præterea æger fuit expoſitus aeri frigidiori nudis auribus. Si vitium myringæ fiat ex vlcere, facile cognoſcitur, quando poſt vlcus excitatur cicatrix adeo denſa, vt auditus auferatur: quod etiam contingere poteſt ob alias cauſas, vt ob fluxionem. Quare maxima diligentia eſt opus, vt cognoſcatur an auditus ſit ablatus, ob morbum myringæ, vel potius nerui expanſi: quod ſic cognoſcitur: Sumatur fertum longitudine cubiti, & vna extremitas imponatur ſupra dentes, altera autem extremitas imponatur, verbi gratia ſupra chordas cytharæ: & quiſpiam ferro commoueat chordas citharæ, tunc ſi æger ſentit ſonum citharæ, ſurditas dependet à morbo myringæ: ſi non ſentit, ſurditas dependet à morbo nerui expanſi, vt prorſus extincta ſit vis facultatis. Nam auditus ſit, quoties ſonus excitatus à percuſſione aeris inter duo dura corpora, recipitur in aere tanquam in ſubiecto, & per medium aerem perducitur ad ſenſorium auditus, nimirum ad neruum expanſum. *Capivaccius libro primo, de læſo auditu pagin. 333. Practicæ ſuæ.*

OBSERVATIO.

Quidam ex coniuge ſana liberos omnes ſurdos & mutos ſuſcepit.

GRauis auditio atque ſurditas, quæ iam ab ipſo ortu & à prima natali die cōtracta ſit, à conformationis vitio proficiſcitur, quo vel audiendi inſtrumentum deeſt, vel certe figuram vitioſam obtinet. Sic quidam Senator ex coniuge ſana liberos omnes ſuſcipit ſurdos atque mutos: cuius rei cauſa inprimis cœca & obſcura cenſetur. *Fernelius lib. 5. cap. 6. Patholog.*

OBSERVATIO.

Duo muti & ſurdi intra decem menſes cum molis mortuis & putrefactis nati, ſuperſtites.

MAgna & admiranda ſunt naturæ noſtræ arcana. Mulier quædam quæ habitat in orientali porta, vxor artificis cannarum, viginti quinque filios enixa eſt, atque ea fœcunditas primum mira fuit. Ex his duos intra decem menſes ambos mutos ſurdoſque, qui ambo ſuperuixerunt, viuuntque. Primum cum tribus molis, ſecundum cum duabus non ſolum mortuis, ſed putrefactis. Dum eos in vtero gereret, non quemadmodum in aliis ſe habuit, ſed in imo ventris pondus quaſi plumbi ſentiebat: veriſimile eſt, ad natas molas ſua frigiditate (ſunt enim quaſi ſanguis congelatus) cerebrum læſiſſe: inde auditum & vim loquendi hebetatam, maxime cum computruerint. Læſo autem cerebro fœtum deſcendiſſe aliquantulum, tum ea ratione, tum molarum pondere grauatam fuiſſe admodum. *Card. lib. 4. c. 44. de varietate.*

OBSERVATIO.

Vermes in auribus.

DIVTVRNA ſordis & ſaniei ſuppreſſio in auribus, ac etiam impurum ſordidumque vlcus, vermes progignit, quorum veteres Græci, Latini, Arabes & recentiores, imprimis vero Galenus, Aetius, Ægyneta, & Auicenna mentionem faciunt, qui ad verminoſas aures remedia quoque præſcribunt.

Vidi expellere vermes ab aure iuuenis, febrē habentis acutam, duos aut tres ad formam granorum pini, erant tamen groſſiores, & ſanatus fuit homo. *Valeſcus de Taranto. lib. 4. c. 30.*

In cerebro omnibuſq; locis, vbi generari putredo poteſt, vermes generari poſſunt: & memini me ex auribus cuidam vermes ſumpſiſſe. *Montanus Conſilio 39.*

Vidimus quibuſdā vermes ex auribus erumpere. *Solenander ſect. Conſ. 15.*

Nuper cum eſſem in Luſatia inferiori, retulit mihi Nobilis Matrona von der Schoulenburg/ veniſſe ad ſe ruſticum quendam è ſubditis ſuis, & degrauiſſimo dolore capitis vxoris ſuæ conqueſtum eſſe. Huic ſe conſilium dediſſe, vt myrrham electam, carbonibus candentibus imponeret, & vxor fumum tecto capite auribus exciperet. Quod cum bis terve, cubitum ſe conferens, feciſſet, tertia nocte, vehementer eiulaſſe, & propter ingentes dolores de vitā periclitatam fuiſſe, & maritum è ſomno excitaſſe. Hunc v. incenſa candela vxorem erexiſſe, & vermem quendam in aure hærentem vidiſſe, eumq; admota lodice vi extraxiſſe, & ita mulierem à doloribus capitis liberatam eſſe. Ruſticum huncvermem ad ſe attuliſſe, eumque dorſum admodum durum habuiſſe, & minimò digito non minorem fuiſſe.

Eſt et-

Eſt etiam in oppido Lulænau Sutor quidam, qui cum diu doloribus capitis & aurium tinnitu laboraſſet, conſilio eiuſdem Nobilis Matronæ, nigellæ ſemen, aquæ ardenti immiſcuit, & goſſipium hoc liquore madefactum, & conuolutum auri per noctem inſeruit, & poſtea vermiculi multi, quales in caſeis ſemiputridis inueniuntur, ex auribus prodierunt, atque ita Sutor conualuit. *Ioan. Francus, Phyſicus Camicenſis, literis ad Scholtzium datis.*

OBSERVATIO.

Puris per aures perennis defluxio: puellæ nuper natæ firmioris valetudinis cauſa.

FILIAM habeo Lauram nomine, cui ſtatim ab ortu pus ex ſiniſtra aure exire cœpit. Et per multos menſes cum teterrimo illius auris fœtore perſeuerauit, in reliquis ſaniſſima eſt. Poſt neſcio quot menſes ſiniſtra auris profluere ceſſauit, & dextra pus profundere cœpit, quod vſque ad decimum ſeptimum menſem emanauit, deinde pus ceſſauit, & continuo ſaniſſima vixit. Arbitramur hoc fuiſſe vniuerſale naturæ iudicium, quo huius puellæ, male affectum cerebrum expurgauerit. *Braſſauola Comment. ad Aph. 24. lib. 3. Hipp.*

OBSERVATIO.

Auris purulentia, à cerebro profluente, cohibita: mortuus æger.

CVM quidam Venetiis, nobiliſſimæ familiæ nomine Daniel Iuſtinianus, vlcus fiſtuloſum in aure ſiniſtra pateretur, ex quo ſanies plurima flueret, cum medici illius fluxum retinere voluere, contra meam opinionem. Nam ego à cerebro defluere dixeram, cum quidam phyſicorum eſſet me percontatus, vnde tanta ſanies deflueret, cum ſinus ille nō fuiſſet tantæ capacitatis, quo quidem retento, quaſi repente mortuus eſt, adeo mors præſto fuit. Et poſt mortem, ne viſus eſſem mentiri, plurima ſanies ab auribus, & naribus effluxit, vt oſtenderet materiam retentam fuiſſe in cerebro, quam ſi foras eduxiſſent, talis caſus minime contigiſſet. *Marc. Sanct. Barolitanus, Commentar. ad textum Auicennæ de Significat. exit. internæ.*

OBSERVATIO.

Aquæ limpidæ per aurem excretio admiranda.

CÆSAR Odonus Bononienſis Medicus narrabat, ac iuramento affirmabat, tanquam miraculum in quodam febrem patiente, cum capitis dolore, vidiſſe ex aure copioſiſſimam aquam claram ac limpidam fluxiſſe. Ita vt menſuræ illæ amplæ quam vulgo Bononiæ triguntio appellant vacuam totam adimplere potuiſſet. *Marcell. Donat. Hiſt. med. Mirab. lib. 2. c. 12.*

OBSERVATIO.

Auriſcalpii intempeſtiuus vſus noxa.

INTER alias occaſiones, quibus humores & præſertim ſanguis ad aures attrahuntur, & in iis auditus grauitatem excitant, eſt etiam hæc aliquoties à me animaduerſa, quod quidam dum cum auriſcalpio nimis accurate ſordes auribus eximere ſtudent, internas aurium partes lædant, & ſanguinis ad eas violentum affluxum incitent. Vnde fit, vt ſanguis ad eas partes violenter attractus, auditum hebetet, obſtruendo eaſdem, & interdum in illis locis non abſque periculo phlegmonas excitet. Quare qui auriſcalpio vtuntur, caute agant, ne dum à ſordibus aures liberare conentur, ſe in grauem ſurditatis moleſtiam præcipitent. *Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

OBSERVATIO.

Chirurgi errore dum venam tundit, ſcalpelli acies fracta, & poſt aurem delata, frequentes lancinationes excitauit.

ACIES ſcalpelli fracta, dum venam imprudens Chirurgus cuidam incaute ſecaret, meatus penetrauit diuerſos, poſtque aurem conſtitit, vbi continuis fere punctionibus ſentiebatur: qua moleſtia ſæpe à nobis leuari voluit. *Benedictus lib. tertio, capit. 9. Anatom.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Ad humiditates aurium, & vlcera capitis puerorum remedia ſingularia.

SI ætas ferat, ad diuertendam materiam, quæ dolorem attrahit, conueniet vti cucurbitulis, primo natibus, deinde etiā ipſis ſpatulis affixis: & ego quādoq; in extremo dolore expertus ſum, mirifice contuliſſe vlcera in capite pueri excitata, tum quia retardatur fluxus materiæ ad aures, tum quia ipſæ humiditates cerebri, quę alioquin ruerent ad aures, fere per ipſa vlcera conſumuntur. *Mercurialis de Morb. Pueror. lib. 2. c. 11.*

OBSERVATIO.

Surditas venæ ſectione curata.

SVRDITATES ſæpe à ſanguinis copia ad aurium radices delabente oriri in multis animaduerti. Itaque non plane abſurdum mihi videtur, cuiuſdam Bauarici balneatoris mihi noti, auxilium, quo multos à difficultate audiendi eum liberaſſe ſermone plurimorum ad me delatum eſt. Eſt vere illud eiuſmodi. Iubet is balneator ſurdaſtros mane balneum ingredi, vt venę, quæ retro aures ſunt ſitæ, balnei calore turgeant, eas poſtea ita turgētes ſecat, ac quantum videtur educit ſanguinis, euidente vtilitate eorum quibus grauitas auditus moleſta eſt. *Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

OBSERVATIO.

Theſſalicus quidam, purulentam aurem curauit, qua hiſt. demonſtratur, cur ſumme ſiccantia medicamenta, auribus purulentis adhibenda.

DICAM fortaſſis incredibile, cæterum diis ipſis notum. Deprehendi aliquando quendam ex ſapientiſſimis iſtis Theſſali ſectatoribus, ſic vlcus medicantem diuturnum. Cum citius homini auris putruiſſet, ac vermes creaſſet, quam medicamento, quod ex cadmia componitur, inductum cicatrice fuiſſet: cæterum, permiſſo homine pluribus diebus medicamento ſimiliter vti poſteaquam indies grauius auris oleret, & ſanie impleretur, etiam incredibilius quiddam quam prius, auſum vidimus: quippe ratus meatum ipſum in profundo contraxiſſe phleg mo

phlegmonem, confugit ad tetrapharmacum: quod plane multo magis augere putredinem partis debuit: vtpote, quod ſiccare vlcus prorſus non poteſt maturare phlegmonem poteſt. Ergo vbi hoc medicamento ad affectum ſanandum, vno die eſt vſus, vt facile videres id maxime eſſe contrarium, & multiplicata ſtatim ſaniei vis eſt; & fœtor intolerabilis obortus. Itaq; qui propinqui laborantis erant, contingere amplius aurem Theſſalium non ſinebant. Ille vero præ impudentia ſtultitiaque volebat non modo medicamenti tetrapharmaci aliquid iniicere, verumetiam intrinſecus cataplaſma relaxans imponere. At cum eum propinqui hominis abigerent, timerentque ne in magno periculo æger foret, nos vnum diem amplius permitti Theſſalio aſino curationem exorauimus. Erat autem profecto poſtridie tum ſanies multo copioſior futura, tum odor grauiſſimus: quo die tentaui, an fieri poſſet, vt ſententiam Theſſalii aſelli mutarem, ne omnes perderet ægros, imo aliquos iam, tametſi paucos, ſeruare aliquando poſſet, tam aliena ſcilicet ab omni vera methodo deſerta, ſecta. Ergo ſic agere cum homine ſum orſus. Nunquid (inquam) phlegmone tibi eſſe videtur in intimo meatu, proinde relaxantibus vteris auxiliis? Ille tum ita eſſe magnopere contendit, tum aliter eſſe non poſſe. An igitur (inquam) aliquando vlcus, quod cum phlegmone coniunctum eſſet, aceto acerrimo cum glaucio curatum vidiſti? Minime gentium (inquit) imo, ſi quis paſtillis androniis ex aceto liquatis vtatur, etiam conuulſionem fortaſſe accerſat. Ergo (inquam) ſi quis alio quopiam medicamento, quod ſit Andronis multo valentius ex acerrimo aceto vtetur, idque ad aurem ita propinquam cerebro, inuolucriſque eius particulam, nunquid plane te authore cõuulſionem accerſet, ſi phlegmone præſertim aliqua ſubſit? Hæc tum ipſi, tum iis, qui adſtabant vniuerſis recte dici ſunt viſa. Ergo quantum (inquam) ad ipſarum partium habitum ſpectat, quæ ea, quæ ad ſummum ſiccent, deſiderant, tametſi nunc curatione tua ſint veluti effœminatæ, iam tali medicamento vterer. Nũc quoniam plures iam dies, male ipſas aſſuefeciſti, transferre eas ad contrarium vno impetu, & ſemel non licet. Nam tibi ac Theſſalo contemnere conſuetudinem licet, non minus quam partium naturam nobis autem non licet: ſed primo die aceto vtar cum glaucio: Secundo vtar Andronio, tertio ad valentius aliquod, quã ipſum ſit adronium, tranſibo. Atq; hoc quatuorve diebus vſus, ſi mihi vehementius etiam medicamentum requirere vlcus videbitur, eo etiam vti non dubitato. Extrinſecus vero (inquam) imponam capiti, ea parte qua auris infeſtatur, non me Hercules ſicuti tu, cataplaſma quod relaxare poteſt, ſed eorum medicamentorum aliquod quæ vehementiſſime ſiccare poſſunt: cuiuſmodi eſt quod ex ſalice conficitur: aut etiam ipſum Andronium ex aceto illiniam: aut ex iis aliquid quæ hoc magis ſiccent. Nam quoniam particula cui medemur ſicciſſima eſt, neceſſe eſt valentiſſime ſiccetur. Indicat enim veluti vitium ipſum vt curetur, ſibi applicandum eſſe contrarium: ſic particula ipſa quod ſit ſibi ſimillimum. Itaque prout dixi, egi: ſanauique hominem, nullo potẽtiore requiſito remedio. Quibuſdam vero qui potentiora deſiderabant, quibus vno alterove anno vlcus aurem infeſtauerat, valentius omnibus iam dictis medicamentum adhibuimus. Id fuit ferri ſcoria tunſa, cribrataque tenuiſſimo cribro, mox in tenuiſſimum veluti pollinem læuigata, poſt cum acerrimo aceto ad mellis ſtrigmentiſque craſſitudinem cocta. Conſtat autem multiplex eſſe debere in miſtione acetum. Verum (quod ſæpe iam dixi) materiæ medicamentorum copiam ex aliis commentariis petes. *Galenus Methodi Medend. lib. 5. c. 10.*

Observatio.

Hiſtoria cuiuſdam in cuius aurem curculio irrepſerat.

VERMES, qui in auribus reperiuntur, aut ex aure ſuum habent ortum: aut alibi geniti aurem ingrediuntur. Nam memini me quendam vidiſſe, qui cum in quodam cubiculo decumberet, ꝙ horreo in quo triticum ſeruabatur, ſubiectum erat, expergefactus aliquando mane, percepit motum & morſum intra aurem: in quam diligenter familiares inſpicientes, inuenere tineam, quales ſunt quæ in tritico gignuntur, quæ quidem non ſine labore fuit extracta. *Trincauel. lib. 4. cap. 6. de rat. curandi part. hum. corp. affectus.*

Observatio.

Muſca cuiuſdam aurem ſubiens: vt fuerit educta.

QVENDAM & ipſe memini me curaſſe, q̃ ex muſcæ ad intra aurem ingreſſu male admodum afficiebatur: & terebynthina inſtillata primum in oppoſitam partem inclinato capite, mox in affectã reclinato, terebynthinæ inuiſcatæ muſca egreſſa hominem malo liberauit.

Observatio.

Quidam per luſum & imprudentiam ceraſorum nucleum: alius ſiliquæ ſemen auribus immittentes eadem non niſi prius inibi germinantia educere potuerunt.

NOBILIS puer vrbis noſtræ, dum aliis conſociis, quibus cum luſus agebat, ſe iocularia artis peritum oſtentare vellet, arreptis ceraſorum nucleis binis, ex dextra aure ad ſiniſtram manuum dexteritate vt peruolarent, ſe facturum, prædicabat, quod dum exequi parat, ita illorum alterum in intimiori auris parte indidit, vt vllo ingenio, nunquam à Medicis neque ab aſtantibus extrahi valuerit; qui id non ſemel pertentaſſent, non leuem enim illi noxam inferebat; quare toto negotio naturæ derelicto, poſt multos dies factum eſt, vt plurima humiditate madente aure nucleus germinare cœperit, germenque extra prodire, quod iam conſpicuum tenaculis arreptum, altera nuclei pars germini adhærens inſequuta eſt, altera vero (nam in binas ſciſſus erat) haud difficile & ipſa extracta. Nuclei namque integri craſſities auriſque tortuoſum foramen ita à natura fabrefactum *Auer. teſte 2. coll. capite decimo ſexto*, ne à frigido aeris ingreſſu fortiſſimiſque vocibus auditus læderetur, quo minus antea extrahi valuiſſet, obſtiterunt, quodque Medici omnia in caſſum tentaſſent fuerunt in cauſa cum enim dolor valde infeſtaret veriti ne inflammatio, conuulſio, ac tandem mors ſubſequeretur, cogitarant de

ſectione parua, & profunda lunari figura in radice auris apud adipem eius in loco depreſſo ex Albucaſis præcepto facienda, ex aurium namque dolore prænarrata mala ſubſequi poſſe *Hippocrat.3.prognoſt. & Galenus in Commentar. 26.* ibidem, præſertimque pueris manifeſtiſſime teſtatum reliquere, cum enim auditorius meatus non ſolum vſque ad cerebri duram membranam, penetret, ſed etiam neruum contingat, qui in ipſum à cerebro deſcendit ex *Galeni* ſententia *in calce libri ſexti, Method. Medend.* ob id cerebrum pati neruoſque affici non eſt ambigendum, vnde nō immerito Celſus maius imminere periculum in aurium affectionibus, quam in oculorum vitiis ſcriptum reliquit.

Haud diſſimilis Hiſtoria eſt quam ſubnectere libuit.

Iohannes Maria Bonardus cum ſibi intra aurem ſemen ex Anagirde (vulgo Venetiis Karobe vocitant) forte fortuna vidiſſet, dum illud extrahere pertentat intimius impulit, quare dolore excitato valide vrgente concitata fluxio, apoſtemaque genitum, ac ſuppoſitum, quod per plures menſes miſellum hominem afflixit, donec tandem germinante ſemine, prominente germine extractum medicamentiſque oportunis vitæ vlcere curato conualuit. *Donat. Hiſt. Mirab. lib. 2. c. 12.*

OBSERVATIO.

Sphærula corallina in aurem delapſa ſtuporem & dolorem atque adeo tabefact. drach. ij. impulit.

GEORGIVS IENISCHIVS Sil. Med. Cand.

LAVRENT. SCHOLTZIO. M. Vratiſ. S.

OFFERVNTVR hic ſæpe caſus rari, ad quos inſpiciendos & iudicandos accerſor à Guil. Fabricio Chirurgo peritiſſimo D. Saraceno, D. Canardo, & aliis Medicis. Famula quædam Chirurgi illius, diu paſſa hemicraniam, ſtuporem & dolorem brachii, nullum leuamen ex multis contra fluxiones, quarum ſuſpicio erat, percepit, vt dein medicamentorum pertæſa, & curſum relinquere coacta ſenſim brachium contabeſceret. Forte fortuna in demonſtratione anatomica, quam nuper rogatu ſtudioſorum, (cæteris Medicis minus illud propter occupationes detrectantibus, in ſuſpenſi latronis cadauere, ſuſtinebam, cum inter alia neruum illum quintum coniungationis in cauſa eſſe, cur ſi quis auris meatum ſtylo tangat, vel auris ſcalpio, ſtatim tuſſiat, chirurgus neruū illum ab auris tympano deorſum tendentem perſecutus, animaduertit ramum ab eodem neruo, præter eum, qui in muſculo laryngis & oſſis hyoidis inſeritur: per foramen primo colli vertebram egredi, & ramulos in humeri & ſcapulæ muſculos ſpargere. Incidit ergo ſuſpicio, ſi quid forte famulæ iſti in aurem incidiſſet, quod brachii actū propediret, & dolores excitaret, & dum ex ea quæreretur, reſpondit ante ſexennium quidem ab infante ſphærulam corallinam in aurem immiſſam, neſcire autem an rurſus fuerit exemta. Scrutatis ergo illam reperit, & exemit. Quo facto dolores ceſſarunt, & motus brachii fuit reſtitutus. Vale.

Idem Eidem.

S. Ancilla illa, de qua proxime, ni fallor, ſcripſi, non ſolum doloris omnis brachii eſt expers, ſed etiam ab atrophia plane liberata, Vale.

OBSERVATIO.

Auricula cum cranii particula abſciſſa, & ad humerum vſque propendente, quidam reſtitutus.

VIdimus quoque Louanii, cum ibidem operam medicinę daremus, Adolphum quendam Phriſium adoleſcentem vulneratum gladio, adeo vt tota auricula cum particula oſſis cranii ad humerum ſeu collum propenderet: qui tamen Chirurgi inſignis induſtria curatus fuit, tantum poteſt natura, vt vulnera deplorata Chirurgi quoque præſtantiſſimi opera ad ſanitatem deducat. *Foreſtus Obſ. 36. lib. 9.*

OBSERVATIO.

Aures vt reſarciendæ.

QVi vel natura mutili ſunt auriculis, vel caſu aliquo, vt vulnere, anthrace, cancro, ferarumve morſu, ſiquidem haud tota rapta ſit auricula, ſed eius adhuc non contemnenda reſtet portio, ea ſtylo locis aliquot perforabitur: foramina poſtquam peruia cicatrice obducta fuerint, ad ea vinculis adnectetur conueniens & deſideratus auriculæ lobus. At ſi omnino rapta & populata fuerit auricula, integra alia ex conglutinata papyro vel corio aptanda erit, ſic reuincta funiculis ex vertice aut occipite, vt nutritus, promiſſuſq; capillus vel geſtatum pilleolum, fraudem & deformitatem cælet. Niſi mauis eam pictoris induſtria carnis colore infucatam virgula ferrea occipiti circumpoſitam, ſic in deperditæ locum affigere, quemadmodum in oculi iactura diximus. *Pareus lib. 22. c. 7.*

DE NARIBVS.

CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Prodigioſa narium conſtitutiones.

BAsILEÆ circa paſchatis feſtum anni 1556. infans adeo ſciſſis & apertis naribus natus eſt, vt inde eius cerebrum facilime ſit conſpectum. *Lycoſthe. ibid.*

OBSERVATIO.

Variæ de olfactus organo autorum ſententiæ.

ARiſtoteles inſtrumentum odoratus naſum eſſe putat, *2. lib. de anima cap. 9. & libello de ſenſu & iis quæ ſentiuntur.* Eidem ſententiæ viſus eſt acquieuiſſe *Plato*, qui *in dialogo de natura* ita ſcripſit. Circa narium vim ſpecies non ſunt. Vocat itaque olfactum, narium vim. Galenus multis argumentis inductus non inefficacibus aliter opinatur: Olfactum non fieri in naſi parte aliqua, ſed ventriculos anteriores cerebri huic vſui eſſe deſtinatos. *Valleſius lib. 2. c. 24. controuer. Medic. & Philoſ.*

Varia profecto de odoratus organo noſtræ tempeſtatis medicis pariter ac philoſophis eſt ſententia: magna-

magnaque inter ipſos;ob Anatomes.imperitiã, oboritur diſſenſio. Quoſdam namque reperias odoratus organum in illa cauitate conſtituere, quam in frontis oſſe ad ſuperciliorum regionem inter duas eius oſſis ſquammas conſpicimus: qui ſi duos etiam inſignes ſinus, quos in oſſis cuneum imitantis medio, tanquam antra inter ipſius ſquammas ſubinde comperimus; adinueniſſent, ac ſubſtantiam illam quodammodo medullarem, in illis cauernis repoſitam, ſummoq; ſtudio hic expendendam, obſeruaſſent, proculdubio & inibi quoq; in oſſe cuneum referente olfactus organum collocaſſent. Alii vero quoſdam cerebri anfractuum reuolutionumque apices, ac ab frontis oſſis ſedem verſus ſuperciliorum medium protuberantia cerebri tubercula, olfactus organa ſtatuunt: & tubercula, quod promineant, carniſq; quaſi modo rubeant, mammillares cerebri proceſſus vocant vtrinq; vnum (vti etiam eſt) enumerantes. Alii rurſus ex aliquot Gal. locis, præcipue autem *octauo de partium vſu*, ſimpliciter anteriores cerebri ventriculos, olfactus organa eſſe aſtruunt, perinde ac ſi anteriores ventriculi, præſentis duntaxat ſenſus eſſent principia. Alii quidem duos anteriores cerebri enumerant ventriculos: verum deinde alios totidem confingunt; quos olfactus organa eſſe aſſerunt. Cæterum quam probe hi ſentiant, ex ſectione diſcas licebit, dextri ſiniſtrique cerebri vẽtriculorum conſtructionem formamve inſpiciens: quæ mehercule multo alia eſt, quam hactenus diſſectionum periti tradiderunt. Quandoquidem ventriculi in poſteriori ipſorum ſede neutiquã lati conſpiciuntur & in priora procedentes, paulatim in anguſtum coguntur, inibique olfactus organa educunt, neq; etiam ad olfactus organorum ſedem pituitam excernunt, multoq; minus ipſa olfactus organa inſtar canalium cerebri pituitam, vel quãtumuis maxime abundantem, eodem deducunt. Præſentes namque cerebri ventriculi, ſecundum cerebri longitudinem, ſuperius ampli exiſtunt, anteriori ſede nequaquã anguſtiores redditi, imo potius magis quam in ipſo medio lateſcentes. In poſteriori autem parte ampli quoq; viſuntur: at hinc cornu modo per cerebri ſubſtantiam deorſum deſcendentes, atque antrorſum porrecti, tantiſper anguſtãtur, donec ad eam vſque cerebri pertingant ſedem, quæ glandulæ pituitam cerebri excipientis regioni incumbit, ac ſub qua grandiores ſoporalium arteriarum rami duram cerebri membranam perforant, in cerebrique ventriculos conſcendere incipiunt. Illi namque in hos ventriculorũ anguſtos ſubeunt terminos, quos modo ad cerebri baſim deſinere dicebam. Eiuſmodi itaque dextri & ſiniſtri ventriculorum cerebri ductus viſuntur. A ſede vero, vbi ventriculorum anguſtos terminos deſinere dicebam, olfactus organa, aut ſaltem cerebri proceſſus, animalem ſpiritum pręcipuo olfactus organo deferentes, ac ipſi etiam viſorii nerui enaſcuntur. Hinc enim vtrinque à cerebro alba molliſque prodit ſubſtantia, quæ in progreſſu etiam cerebro, tenuis membranæ interuentu colligatur, quouſque ad ſinus octaui capitis oſſis pertingat, qui his proceſſibus excipiẽdis priuatim parantur. Ad poſteriorem enim horum ſinuum ſedem albicantes cerebri proceſſus à cerebro abſcedunt: neque amplius tenui membranæ connatæ, in ſuum ſinguli porriguntur ſinum: & adhuc antrorſum magis protenſi, ad ſinuum finem, ſeu anteriorem illorum ſedem deſinunt, ſinibus ſuffulti, ac cerebro interim proxime accumbentes. Nam etſi cerebro in ſinuum regione non amplius adnaſcãtur, nihilominus ipſi perpetuo contermini ſunt, illique attenduntur. Hi cerebri proceſſus ductu, colore, formaque neruis correſpondent: quamuis interim longe neruis ipſis molliores ſint, pauloq; (quod ad teretem ſpectat formam) latiores quam profundiores. Verum quia illi reliquorum neruorum ritu, extra caluariæ, vt neque etiam extra duræ membranæ cauitatem, nõ procidunt, nerui nomine eos Herophylus haud dignatus eſt: vt neque etiam Marinus, neque Galenus licet Anatomicorum nonnulli hos interim in neruorum habuerint numero, ipſos primum neruorum par recenſentes. Porro in horum proceſſuum, qui canibus & ouibus multo grandiores quam homini obtigerunt; natura non negligenter conſiderandum eſt, quonam pacto illi duræ membranæ ſuis finibus adnaſcantur, & quæ foramina hinc à dura membrana & oſſium finibus, quibus proceſſus innituntur, ad nuper commemoratas frontis oſſis & cuneiformis oſſis cauitates pertingant. Ac demum expendendum quoq; venit, quodnam verum ſit olfactus organum, ſimilitudine quãdam ſumpta ab auditus inſtrumento, diſſectionum quoq; ac philoſophiæ profeſſorib. nimis perfunctorie cognito. Sat fuerit proceſſus illos cerebri cõmemoraſſe, quos aliqui etiam mammillares & papillares nuncuparunt: qui ſectionem paulo diligentius aggreſſi, dicta prius cerebri tubera, mammillarum imagine prominentia, nihil ad olfactus organi conſtructionem auxiliari cognouerunt. *Veſalius lib. 4. c. 3. de corp. Hum. fabrica.*

Quod ad inſtrumentum olfactus pertinet, ſcis quot variæ ſint tum antiquorum, tum recentiorum de huiuſmodi organo ſententiæ. Ego vero, quum credam recentiores Anatomicos longe melius diſſectione aſſequutos fuiſſe hæc inſtrumenta, quam aſſecuti fuerint antiqui, dimiſſis omnibus diſceptationibus per organa olfactus intelligo eos cerebri anteriores proceſſus, q̃ progredientes inter opticos neruos terminãtur ad rimas illius oſſis ſpongioſi in Naribuſq; locati, quod ἠθμοειδὲς appellatur, & communiter à Veſalio, omnibuſque poſterioribus inſtrumenta olfactus vocantur. Hæc itaque inſtrumẽta, vt alii exiſtimauerunt, inde naſcuntur, vbi primo aſpectu terminari videntur, nempe ex baſi cerebri prope coniunctionem neruorum opticorum. Verum horum inſtrumentorum (vt verum fateor) dimidium tantummodo cognouerunt alii Anatomici, ſi quidem præter id, quod oſtendunt, tantundem etiam progrediuntur latentia inter anteriorem, & mediam cerebri prominentiam inferius conſiderandũ, progreſſus autẽ eſt ad poſteriora; ſed quanto magis progrediuntur, tanto magis inuicem recedũt quouſque ad extrema latera in regione, quæ eſt ſupra foramina auditus finiant, indeq; ſuum primum initium ſumant, & vbi magis in poſteriora feruntur, eo magis attenuantur donec in mucronem, quendam acutiſſimum deſinant. *Conſtant. Varolius in epiſt. ad Mercurialem.*

De olfactus inſtrumento non eſt, quod plenis, vt dicunt, buccis non applaudam; ſiquidem videmus ſæpe; ac ſæpius, vbi nares, & olfactus præ gra-

uedine læduntur, ſimul & auditum nonnihil offendi pariter inter ſternuendum, inter emungendum, in retinendo occluſis naribus ſpiritum, quis illico auditum, atque aures compati reipſa non ſentit? cuius nemo meliorem excogitabit rationem, quam ſi olfactus inſtrumenta vſque ad auditus foramen vtrinque pertingentia ſtatuat? Sicque aliquo pacto iis eo affici auditum affirmet imo vero, qui olfactum amittunt, citiſſime quoq; ſurdaſtros fieri, facile intelliges. Vt debeas magnopere de hoc gloriari, quod multis dubiis, & obſcuris effectibus explanandis viam apertam ſtraueris. An vero hac eadem ſympathia liceat eius problematis *ab Ariſtotele 11. partic. problem. 4. & 33. partic. 14. nec non à Caſſio proble. 23.* diſputaturi, cur ſcilicet ſurdaſtri ex naribus loquantur, aliquam reſolutionem inuenire, tu maturius pro tuo acerrimo iudicio cogitabis. *Mercurialis in epiſt. ad Varolium.*

Non in proceſſibus mammillaribus cerebri, poſita eſt peculiaris olfactus vis, ſed vt via quædam duntaxat ad ſenſationis integritatem cum aliarum partium œconomia conſpirat. *Corn. Gemma. Artis Cyclognomicæ libro ſecundo, pagin. ſextuageſima ſexta.* In olfactus inſtrumento tres ſunt cauitates inſignes, duæ in fronte, & vna alueolorum plurium ſpecie, quarum ſingulis ſuæ particulatim tunicæ, ſui humores, qui aduenientem è cerebro ſpiritum & per neruos vel proceſſus mammillares influentem alterant atque immutant, vt fiat particularis ſenſus idoneum inſtrumentum. *Idem libro primo, Art. cyclog. pap.* 64. Eſt humor vtcunque ſpiſſus in cauitate frontis, & in ipſis alueolis ſub oſſe cithmoidi, quo ignis ad olfactum pertinens propria velut ſede conſiſtit, & ſibi cognata maxime, iuxta *Hippocratis libr. de diæt.* 1. vbi ignis ſedem & fomitem in aqua, aquæ perfectionem, ab igne arcano prorſus oraculo deſignauit. *Idem eiuſdem operis libro ſecundo, pagina ſexageſima quinta.*

Galenus in libro de Inſtrumento odoratus capite quinto, increpans Ariſtotel. ſententiam, manifeſtis demonſtrationibus probauit, odoratum ſedem habere in anterioribus ventriculis cerebri, adeo vt operatio huius qualitatis in cerebro, non in vlla alia parte fiat, quam in parte anteriore, vbi ſunt ventriculi. Cæterum qua ratione hæc qualitas à rebus odorabilibus perducatur ad anteriores cerebri ventriculos diu eſt à Philoſophis & Medicis diſputatum. *Auicenna libro ſecundo, de Anima*, tres opiniones diuerſas recenſet circa hanc rem. Prima opinio fuit eorum qui putarunt qualitatem hanc, quæ odor vocatur ſpiritualiter ſiue intentionaliter, ferri à re odorabili ad cerebrum, haud ſecus atque videmus lucem & colores per ſolas ſpecies ferri à ſubiectis rebus ad ipſa ſenſoria. Hanc opinionem videtur quoque adumbraſſe *Tertullianus in libro de corona militis*, vbi ſcribit Deum, ſine natura odoratum in naribus ventilaſſe, hoc eſt, inſtar venti produxiſſe. Secunda fuit opinio eorum, qui putarunt, odores ferri ab odorabilibus, ad cerebrum per vapores, eo quod pura qualitas cum ſit accidens opus ſemper ſit, & ſubinde vt eo ſubiecto in hanc vel illam partem feratur, vt cum vapor videatur ſubiectum corpus odoris, dixerunt hi neceſſe eſſe per vapores ferri ab odorabilibus rebus vſque ad ſenſorium. Tertia opinio, quam ego puto probabiliorem, licet forſan *Galenus libro de inſtr. odor. capite tertio*, videatur, adhæſiſſe ſecundæ opinioni, fuit illorum, qui dixerunt, odores ferri à rebus odorabilibus per vapores vſque ad certum quoddam ſpacium, ac deinde diſcedentes à vaporibus, ſpiritualiter ferri in ventriculos cerebri, ſiue in proprium inſtrumentum atque hinc fieri, vt quum vapores ſint res quædam tenuiſſimæ alii odores breuius ferantur per vapores, alii vero longius ferantur. *Mercurialis libro decorat. capite vltimo.*

Observatio.

Naſum dilatantes muſculi recens inuenti.

POST frontis muſculos bini occurrunt naſum dilatantes, adhuc à nemine cogniti: nam etſi Galenus, aliique de duobus muſculis naſum dilatantibus meminerint, eos tamen cum labii ſuperioris muſculis confudere. Præter hos Veſal. duos deſcripſit naſum claudentes, quos interiore in parte eſſe vult, imaginationeque duntaxat intuitus eſt: quo enim pacto oculis cernas, quod nuſquam eſt? Latas itaque nares reddentes muſculi illi duo à ſupradicta oriuntur ſutura, eſtque exortus eorum acutus carnoſuſque, cum muſculorum frontis fine permiſtus, deorſumque tendentes latiores redduntur, & ſupra naſi oſſa deferuntur, inque eius pinnis terminum habent, triangulusque pene efficitur, cuius duo ſint latera oblonga, breue tertium: hi pinnas ſurſum trahunt, fibraſque rectas habent, itaque dilatant: illi vero, quos alii Anatomici deſcripſere, portio ſunt eorum muſculorum, qui in ſuperiori labro poſiti ſunt. Clauditur naſus à muſculis dicto labio opem ferentibus, non autem à propriis. Nam quoties aliquid per nares nobis attrahendum eſt, ſuperius labium conſtringere cogimur. *Columbus libro quinto, capite quarto, Anatom.*

PROMISCVA.

Observatio.

Lapis in capite Nobiliſſimi cuiuſdam Patricii Veneti ad cerebri baſim inuentus olfactus inſtrumenta plane impediens.

CLARISSIMVS atque Excellentiſſimus Dominus Nicolaus S. Michiel, alias Comaſcus, Patronus, cui aliquot annos conuixi, dum per aliquot menſes quendam patritium Venetum quadraginta ſex annos natum curaſſet, qui à pueritia frangrantiſſimis & calidiſſimis odoribus vehementer delectabatur & maxime ab Anno 1575. quo tempore peſtis Venetiis graſſari cœpit, in maximam tandem olfactus organorum obſtructionem incidit, ita vt nihil plane etiam fœtidiſſima olfacere poterat cum dolore capitis obtuſo, & maxime grauatiuo, adeo vt caput ſemper, in pronum & pondulum habere cogeretur. Adhibitis autem multis calidis & omnis generis medicamentis in febrim continuam & ardentem incidit, quę intra nonam iugulauit hominem. Suaſu itaq; Clariſſimi Domini mei, curaui apud Veſpilionem, vt mihi caput aperiendi, daretur facultas, q̃ tribus coronatis in auro nummis

ipſe

ipſe Veſpilio deuictus biduo poſt, extracto de monumento noctu cadauere & in domum ſuam deportato, non ſolum eius caput ſed etiam vniuerſum corpus aperiendi, facto tamen prius ſilentii iuramẽto, licentiam fecit nobis vberrimam. Ego proinde & Iohannes Baptiſta Faber Brixianus, mei amantiſſimus chariſſimuſque collega, acceptis noſtris chirurgicis inſtrumentis, locato vt decet, & capite potiſſimum bene diſpoſito, terra orbiculatim cranium aperuimus, quo detracto & exemptis membranulis alteram per medium cerebri, molitus ſum ſectionẽ, nihilque in ventriculis ipſius cerebri reperimus. At dum magis cerebrum excauaremus, tandem prope baſim lapidem compreſſum taleri nummi inſtar ſed non omnino rotundum cinericei colore reperimus qui os cuneiformæ & olfactus meatus plane impediebat, adeo vt nec olfacere nec expuere potĕrat, quo reperto & expurgato ſtatim collega meus accurrit clariſſimum virum, ad videndum, vt vocaret, veniretque qui mox vltro & maxime lubens acceſſit viditq; quod non ſperabat, quamuis morti cauſam non faceret, vnde abdomen aperui, atque membra omnia naturalia examinantes, vltimo iecur valde obſtructum durum & quaſi lapideum nigri coloris, carbonũ inſtar, ſanguiſq; in eo contẽtus perinde erat atque atrumentum, valde ater & corruptus, quem mortis cauſam fuiſſe affirmabat, quod vel illo tacente conſtabat. Accepto autem lapide in capite reperto, vna cum noſtris inſtrumentis, cadauerà Veſpilione, ſuo more tractandum relinquimus, domumq; clam & tacite Clariſſimum Dominum comitando reuerſi ſumus. *D. Garnerus de Obſ. ſuis mihi ad publicationem communicatis.*

OBSERVATIO.

Nucleus ceraſi, olfactum auferens.

QVIDAM puer auidiſſime deuorans ceraſa, haud ſcio an flens vel alia ratione ſe commouens, nucleum vnum attraxit ad meatum, qui ad nares & os ἠθμοειδὲς pertingit; Atque ex eo tempore per aliquot annos omnibus neſcientibus cauſam deperditi olfactus, laborauit hoc affectu. Tandem oborto ſanguinis è naribus effluxu, cum ille valide quoque emunxiſſet, nucleus iſte excidit, & olfactus ſtatim rediit. Amicus quidam meus vir fide digniſſimus αὐτόπτης recenſuit. *Camerarius de Obſeruat. ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Narium hæmorrhagia iuueni cuidam in ſingulas hebdomadas familiaris, citra vitæ diſpendium.

HÆMORRHAGIA narium cuidam Canonico Nobili Eichſtadiano iuueni quidem adhuc ſed largiori vtenti diæta & abhorrenti à venæ ſectionibus tam familiaris eſt, vt ſingulis ſeptimanis recurrat, ac iam quaſi ordinaria ac natura conſueta eſſe videatur. *Oethaeus libro Obſeruationum propriarum.*

OBSERVATIO.

Prodigioſæ nariũm hæmorrhagiæ, quæ interdum 18. interdum 20. nonnunquam etiam 40. ſanguinis libræ profluxere.

CASVM ego vidi in Moniali, in qua non ex abundantia humorum, nec ab aliqua cauſa primitiua, vt à caſu vel percuſſione, emanabat vndequaque ſanguis, & per ſputum & per nares, & per vrinam. Vnde in prima præſentatione quaſi per omnia euacuatoria vidi eductionem ſanguinis notabilis quantitatis, ita vt aſcenderet vltra 18. lib. Et tamen erat exilis naturæ, & macilenta & phlegmatica: tentaui pro cura, propter debilitatem ſolum ventoſas ſiccas in ſpatulis & immediate facta cutis ruptione, impletæ ſunt ventoſæ ſanguine: nolui vllo modo tentare phlebotomiam, propter debilitatem, ſed non habens aliud ingenium, ad curam dedi tandem drach. j. Philonii Perſici, cum timore, & tamen per Dei gratiam de caſu quaſi deſperato ſanata eſt infra duas horas. *Matth. de Gradi, Comm. ad c. 35. Raſis ad Almanſ.*

In cura habuimus Illuſtriſſimam Dianam Eſtenſem Contrariam, mulierem probitate & moribus incomparabilem, ex fluxu ſanguinis narium, cui decem & octo ſanguinis libræ exiere. Nos illũ his manibus recta lance ponderauimus, eo etiam dempto, qui per terram, per ſudariola, per lintea, & per veſtes ſpargebatur. Omni ingenio vſi ſumus, vt ſedaretur hic ſanguinis fluxus, inprimis enim aqua frigida vſi ſumus, quæ non profuit: deinde facta fuere omnia diuerſionum genera, ex venæ ſectione, ex cucurbitulis in omni parte: poſtea ad valde ſtiptica & exſiccantia peruenimus, addidimus deinde agglutinantia & multis vſi ſumus, quæ à ſpecifica forma adſtringere dicuntur, in cibiſque portulacam, lactucam & ſolatrum dedimus. Denique ſedatus eſt hic defluxus emplaſtro ex gypſo & albumine oui, ſtatueram ad potentialia cauſtica accedere, quia actualis ignis in hoc loco commode & non ſine magno diſcrimine applicari non poteſt. *Braſauolus Comm. ad Aph. 23. lib. 5.*

Ipſe in Andrea Coco Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. fel. mem. Federici Gonzagæ Cardinalis Ampliſſimi Heri & Mæcenatis mei Splendidiſſimi ac bene meritiſſimi, libras amplius viginti ſanguinis, vnica die & duabus noctibus per nares fluxiſſe vaſe collectas, & lance libratas me vidiſſe teſtor, qui tamen conualuit, & adhuc viuit, priſtino corporis habitu recuperato *Marcellus Donatus libro de variolis & morbill. cap. 23.*

Antonius Correa, Nobilis Luſitanus, quartana febri iam diu affligi cœpit: qui cum eam grauiter ferret, ex Mediolano Romam venit: vbi cum à morbo ob rigidam hyemem & iter longum grauius corriperetur, illi repente ſanguis è nare ſiniſtra effluere cœpit, & ita copioſe, vt intra quinque dies libræ viginti effluxerint, adeo vt de funere potius, quam de eius ſalute cura inter domeſticos iã eſſet. Cæterum inter cætera huic opitulantia remedia, hæc potiſſimum iuuerunt. Cucurbitula ſplenis regioni admota & gelida teſtibus applicata & ſæpe innouata. Porro interea dum ſanguis effluxit, quartana curſum ſuum dimiſit. Sed poſtea elapſis paucis diebus rediit, & eam nunc vt antea patitur, temperatura enim birioſa exuſta præditus hic eſt. *Luſitanus Curat. 100. Cent. 2.*

Berdauid iuuenis cum ex Genica Theſſalonicen veniret, in tantum ſanguinis profluuium per nares deuenit, vt in itinere, & poſtea domi intra ſex dies,

ex eis libræ quadraginta fluxerint, pro quo ſiſtendo cum varia & fere infinita remedia tentata fuerint; nullum tamen contulit, quam cephalicam tunde-re, & ſanguinē permittere longa p interualla fluere iubente ſic *Galeno libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem c.11.& 15.* Secta namque vena, ſanguis pauculus extractus cum erat, cum vulneri appoſito digito, & clauſa vena ipſa, ac pauculo interpoſito tempore, eum rurſus fluere parum permittebamus, ſic enim per horam & plus factitantes, pro ægrotantis viribus, ſanguinis ex naribus profluuium compeſcuimus. *Idem Curat.60.Cent.7.*

OBSERVATIO.

Sanguis poſt reſtinctum fluxum narium, ex oculis emanans.

QVIDAM Nobilis in Aula Dreſdenſi crebriorem hæmorrhagiam ex naribus moleſte ferens, eam ſibi curauit reſtingui. Quo facto, ſanguis poſtea ex angulorum oculis ſtillare cœpit. In quodam puero Nobili, dyſenteria graui decumbente; à me idem obſeruatum. *Camerar. de Obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria iuuenis, cui ſanguinem critice profluxurum è nare dextra Galenus prædixerat.

QVINTVM morbi diem iuuenis quidam agebat, ac licet, idoneum tempus, ſanguini detrahendo præteriiſſe videretur, quia tamen, nec anni tempus, nec ægrotantis ætas, nec virtutis imbecillitas, nec denique victus, qui morbum anteceſſerat, aduerſabatur, ſed vno conſenſu omnia, ſanguinis miſſionem ſignificabant: Medici venam incidere decreuerunt: idque tempeſtiuum fore cæteri arbitrabantur. Ego vero diligenter omnia contemplatus, quæcunque ab Hippocrat. tradita ſunt ſigna illorum, quibus fluxurus eſt ſanguis, bene quidem eos in opinionem mittendi ſanguinis veniſſe dixi: verum naturam id quod ſe grauaret, expellere feſtinantem, breui admodum, etiamſi nihil ipſi egerint, idem vltro facturam. Dum Medicis hæc admiranda videntur, æger è lecto ſe ſuſtulit, tanquam proſiliturus, interrogatuſque, cur exilire voluiſſet, cum nihil adeſſet, ob quod id facere debuiſſet, rubri coloris ſerpentem per laquearia repentem à ſe viſum expauiſſe reſpondit, ne ſi aliquo modo aberraſſet, ſupra ſe ferretur, atque idcirco ſe è lecto aufugere velle. Reliquis nihil hoc ad futurum ſanguinis fluxum conferre viſum eſt: vulgi vero cum alia ſingula perpendenti, tum ruborem, qui prius in dextra naſi parte ad malam vſque obſcurus fuerat, auctum valde intuenti, ſanguinis paulo poſt è dextra nare fluxuri manifeſtum id attulit indicium: atque ideo cuidam ex ægrotantis familiaribus ſummiſſa voce præcepi, vt vas aptum ſanguini excipiendo ſub veſte promptum haberet: atque ad Medicos conuerſus alta voce dixi: ſi parumper expectaueritis, ſanguinem ex dextra nare fluentem videbitis. Riſerunt illi, quod ante dictis, à dextra nare adieciſſem. At, inquam, vel vtrumque eueniat, oportet, vel alterutrum me decipiat. Nam, & quod ſanguis fluxurus ſit, & quod à dextra nare venturus, arte medica præſciri poteſt. His dictis eum, qui vas ſub veſte occultum habebat, inter obſeruandum admonui, mentem adhiberet, quid ægrotus ageret, ac cum ſanguinem erumpentem videret, accurrens vas ſupponeret. Vix hæc dixeram, cum ecce digitum è naſo ſanguinolentum iuuenis extraxit: tum familiaris accurrens, vas ſubiecit, quod dum fieret, magno clamore oborto, Medici quidem omnes dilapſi ſunt. Ego vero tibi rerum mearum ſtudioſo, quo pacto id præſciuiſſem idque ex Hippocrate præſtantiſſimi Aſclepiadæ, ſcriptis & monumentis expoſui: atque inſuper illud etiam addidi, vehementem ſanguinis fluxum expectandum, eo quod & naturæ impetus vehemens, & morbus adhuc crudus eſſet. Conſueuiſſe vero hiſce de cauſis immoderatas exinanitiones fieri. Atque ideo cum parumper adhuc morari vtilius eſſe laboranti cognoſcerem, puerum qui me ſequebatur, ad accipiendam magnam cucurbitulam miſi, idque reliquis inſciis, faceret, iuſſi. Celeriter itaque cum multum ſanguinis in vaſe collectum vidiſſem, altero vaſe poſtulato, ſanguinem, qui fluxerat, excepi, quem vt comperi librarum quatuor, & dimidiæ pondus æquare, ægrum capite in ſcapulas dimiſſo collocaui, ac naribus frigidam poſcam attraheret, præcepi: fronti ſpongiam aqua mulſa madentem impoſui: brachia & crura vinclis obſtrinxi. Quæ cum minus conferre viderentur, poſtremo cucurbitulam in extremis præcordiorum ad dextrum latus adegi, ſtatimque ſanguinis fluxum cohibui. Quod remedium etiam ex Hippoc. arte ſumtum fuiſſe te docuimus. Atque idcirco, & hæc & alia omnia quæcunque medicando peregi literatum monumentis commiſimus. *Galenus de præcognit. ad poſthum. c.13.*

OBSERVATIO.

Narium polypus cum bubonocale.

RVSTICVS in noſodochio, inſigni polypo deſcendente ad palatum, vel potius glandula in pharynge indurata, & ramice (bubonocæle) inſigni gutturis, fere ſuffocabatur, vix poterat loqui & deglutire. *Ioan. Bauhinus de Obſeru. propr.*

OBSERVATIO.

Horridum faciei puellæ cuiuſdam ſchema, cui naſo excidente, facieque adæquata, cartilagineum quiddam ſuffectum eſt.

FACIES, puellæ cuidam in Memblingen, cōcidens, complanata eſt: euaneſcente naſo: cuius loco cartilagineum quiddam enatum. *Meichſnerus de Obſ. propriis.*

OBSERVATIO.

Abſceſſus in naribus notatus: vermeſque duo in naribus geniti ægro inſaniam, febrem, & tandem etiam mortem inferentes.

INtra nares abſceſſus interdum fiunt, nulla febre minimo dolore, è quibus ruptis animaduerti pus

ſyncerum per nares affatim profluere, perinde atque è purulentis auribus. idque nullo incommodo valetudinis. Sed & in quodam milite, qui reſimis erat naribus, ex fœdiore quadam eluuie diutius cohibita, vermes duo villoſi inſtar digiti illic geniti inuentique ſunt, qui tandem in furorem illum adegerunt, febreque non admodum manifeſta, de medio ſuſtulerunt, die circiter 20. *Fernelius libr. 5. cap. 7. Pathol.*

Observatio.

Quidam cum febre laboraret, per naſum eiecit vermem obſcurioris coloris & longitudinis quatuor ferme digitorum.

EGo Venetiis nobiliſſimum Venetum patritium vidi, qui dũ febre laboraret, & quotidiano præſertim noctu dolore tentaretur: tandem per naſum vermem eiecit obſcurioris coloris, lõgitudinis quatuor fere digitorum, qui vtrinque ſecundum longitudinem quoſdam tenues & breues pedes habebat, & exceptus vitreo cyatho velociter ferebatur: eiectus autem fuit inuolutus mucis, craſſoque & nigro ſanguine, ex qua etiam putreſcente materia ortum habuerat. *Trincauella lib. 9. c. 11. de ratione curandi part. hum. corp. affectus.*

Observatio.

Alia de vermibus in naribus obſeruationes.

PVella quædam, quæ in laterna ad portas D. Iacobi decumbebat, album vermem latum, palmo maiorem, ſatis craſſum reiecit per nares, nulla tuſſi, nullo vomitu antecedente. 9. Aprilis. Anno 1553. *Scholiographi Hollerii ad c. 54. lib. 1. de morb. intern.*

Viſuntur vermes frequentes in naribus, dentibus &c. *Thom. à Verga comment. ad libr. 1. cap. 5. de loc. affect. Galen.*

Observatio.

Vermes in naribus polypo vexati.

QVendam noui narium vlcere laborãtem è quo ſanies manabat, non ſine contagii ſuſpicione: meo conſilio inſtillauit foliorum Tabaci ſuccum, à ſecunda inſtillatione multi vermes exciderunt, deinde pauciores, & poſt aliquot dies ſanatum eſt vlcus, ſed quæ eroſa erant, non reſtituta. *Monardis, de medic. ſimpl.*

CVRATI.

Observatio.

Cuidam iuueni odorandi ſenſus à diuturna tum grauedine, tum deſtillatione læſus & reſtitutus.

FOrté contigit, vt quidam, cui odorandi ſenſus à diuturna tamen grauedine, tum deſtillatione læſus eſſet, ad nigellam, remedii cauſa confugeret: quã vt ratio medicamenti poſtulat, cum contudiſſet diligenter, & in puluerem liquaſſet, veteriq; oleo immiſcuiſſet, iterum eandem cũ eo humore minutiſſime triuit, mox aquam ore excepit, & ſupino capite, non minimam medicamenti partẽ ſibi narib. inſtillatam adducto ſpiritu vehementius attraxit: eodemq; modo triduum medicamento ſic eodẽ vtens, magnũ ex eo iuuenis ille adiumentum cæpit. quarto autẽ die cum eodẽ medicamento ſic vſus eſſet, vt ſpiritũ violentius, quam ante, attraheret, grauem in intimo capite morſum percepit: qui tamen cum ſenſim leniretur, poſtera die prorſus ſedatus eſt. Qui euentus mihi argumento fuit nigellæ paulum vſq; ad cerebri ventriculos eſſe attractũ, quod aut membranæ, quæ ſecundarum modo, quib. inuoluuntur factus, intexta eſt, aut fortaſſe ipſi cerebro inhærens dolorẽ intulit, atq; hoc idẽ illius rei conſenſu approbatũ apparet, quod vaporis quodammodo ſimile proprium odoratus inſtrumentum eſſe oportet. Ex quib. rebus ego cõmotus, aliis quibuſdam, aliisq; alias, multisq; deinceps famulis eodem medicamento in nares inſtillato, eos ſpiritum vehementer trahere iuſſi: quorum alii nullum, alii leuem, alii grauem morſum alte in capite ſenſerunt. *Gal. de inſtrum. odorat. c. 4.*

Observatio.

Triduani ſanguinis profluuii mirum vetulæ remedium.

QVædam vetula Monſpeſſulana, ſolamenta, naribus impoſita, curauit ſanguinis profluuium è naribus trium dierum. *Paſchalius method. medend. lib. 1. cap. 21.*

Observatio.

Ad narium hæmorrhoides, Polypum, atque omnem eorundem carnoſam excreſcentiam, remedium & hiſtoria rara, & notanda.

HÆmorrhoides quæ ſunt molles, ſine dolore, licet omnes ſcribentes laudent eas debere incidi cum ferro, aut vri cum cauterio actuali: ego tamẽ reperi modum multo faciliorem & ſecuriorem, cũ quo non ſolum hæmorrhoidas narium, ſed & polypum & omnẽ carnoſitatem, ſuperfluam in naribus & aliis locis excreſcentem, abſq; moleſtia patientium, curatas vidi. Hic eſt modus; Accipe aquam capitelli, ſeu à ſaponario (ſi habere potes) ſin minus fac eam ſic: Accipe ſitulam decentis quantitatis ſeu capacitatis, perfora eã ſex aut ſeptẽ foraminib. in fundo, deinde pone in fundo eius calcis viuæ per ſpiſſitudinem quatuor digitorum, ſuper calcem pone tantundem cineris ligni quercus, deinde iterum de calce, atq; ſuper eam de cinere, donec remaneat vacuum in ſitula quatuor digitorum, vel circa: tunc ſuſpende ſitulam & reple illam vacuitatem, aqua ponendo vas ſub ſitula, vt recipiat aquam, quæ deſtillabit. Cum tota aqua deſtillauerit, reuocetur in ſitula vt ſupra, & iterum deſtillationem facias tribus aut quatuor vicibus. Cum fuerit tota deſtillata, ponatur aqua in vaſe ſuper ignem, & tamdiu coquatur, donec ſit congelata, ſeu coagulata ſicut gelatina: tunc accipe cum ſpatula quantitatem fabę pro vice, & proiice in ampulla vitrea, & quando totum erit ampulla, obtura orificium cum cera, quia ſi apertum dimitteres, liquefieret, & conuerterentur in aquam, ſed tenendo orificium obturatum, remanent illæ petiæ duræ valde, & hoc eſt optimum ruptoriũ. Habeas poſtea inſtrumentum factum ex plumbo, longitudinis vnius digiti vel circa, tantæ vero craſſitudinis, vt poſſit ingredi narem: quod in extremitate, quæ in naribus ponetur, ſit cauatum in forma pyxidis, & in ea cauitate ponatur de ruptorio prædicto, & ponatur in nare ita vt carnoſitas recipiatur in concauitate, vbi eſt ruptorium, & latera concauitatis narem à læſione ruptorii cuſtodiant.

Patiens autem teneat dictum inſtrumentum plumbeum cum manu firmum in nare, per ſpatium vnius horæ.

Deinde remoto inſtrumento à nare, applicetur butyrum, donec ſit eſchara & caro combuſta remota. Poſtea reiteretur ruptorium, donec tota caro ſuperflua ſit abſumpta, applicando ſemper butyrum poſt ruptorium, vt ſupra. Quod ſi caſu remaneret aliquod vlcus, curetur cum his quæ ad vlcera ſpectant narium. Experimentum huius rei feci in domino Fundulo, ſecretario Reuerendiſſ. Cardinalis Turonenſis, qui habebat carnoſitatem in nare, quæ non ſolum narem explebat, ſed extra pendebat per medium digitum, & hac vſa (Deo fauente) caro illa fuit totaliter conſumpta, neque cauſata eſt aliqua, neque in nare deformitas, dum eſſem Lugduni anno 15,8. *Bayrus pract. lib. 5. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Ozænæ curatio.

VLCERARI nares intus conſueuerunt, eique malo vix ſuccurri poteſt, cum inueteraſcit. Mihi nubilis puella nobiliſque oſtenditur, quæ eiuſmodi morbo diu tenebatur: nec inuentus eſt Medicus, licet plurimi puellam curandam ſuſcepiſſent, qui id malum tollere potuiſſet. Erant enim vlcera circa nares pluribus cruſtis fœda è quibus etiam malus conſurgebat odor quod genus Græci ὀζαίναν appellant. Curam itaque, orante patre, qui vnice filiam diligebat, aggredior, his auxiliis fretus, quæ ad hunc morbum conducibiliora viſa ſunt. Primo igitur aluum duco, humores æquo, & cucurbitulis ſcapulis affixis carneque ferro inciſa ſanguinem mitto. Tum & frictionibus diuertentibus vſus, nares calida aqua ſpongia expreſſa confoueo: deinde ceruſſam & argenti ſpumam oleo myrtino & omphacino excipiens, ad craſſitudinem mellis reduco, eoque illiniri nares ſæpius iubeo: quo auxilio cruſtis omnibus exciſis, ceruſſa demum, olibano, cadmia, ſiliquæ interiore parte diligenter attritis & melle addito medicamentum conficio, quo ſpecillum lana obuolutum intingens vlceribus admouebam: & his repletis linimentum, eo quoque medicamento illitum demittebam in nares. Idque bis die vel ter faciendum curabam: quoad his præſidiis & auxiliis, quod plurimos medicos diu multumque fruſtra fatigauerat, paucis etiam menſibus ſublato, puellam priſtinæ reddidimus ſanitati. *Beniuenius cap 27. de abditis.*

OBSERVATIO.

Narium vlcus deſperatum, efficaciſſimo remedio curatum.

OPtimum eſt parare candelas ex cera rubra. Nam fuligo talis candelæ plurimum iuuat exiccationem, maxime, ſi contineatur in cubiculo bene clauſo & anguſto. Quod autem fuligo recipiatur, idem experimur, cum diutius in ſtudiolo moram trahimus noctu. Nam poſtea ſputum & excrementa narium fuligine illa denigrata redduntur. Hac ratione nos vlcus curauimus, quod neque ab Italis, neq; à Gallis Medicis curari poterat. *Rondeletius lib. 1. cap. 65. method. curand. morb.*

OBSERVATIO.

Turundæ muſcoſæ ex naribus.

FRanciſcus nummularius Racuſinus per nares cruſtaceas quaſdam turundas ac concretos quoſdam mucos mittere ſolebat, non ſine capitis tamen dolore, cui occurrentes nos, à purgato corpore: & à capite particulariter tum errhinis, tum maſticatoriis medicamentis decoctum radicis chinæ ad viginti dies exhibuimus, & ſanus factus eſt. *Luſitanus curat. 17. cent. 6.*

OBSERVATIO.

Ab exulceratione altera pars narium conglutinata, relicto paruo foramine.

PVer, vt apparebat, annorum decem, ex Giangra, ab anno prope narium vlceribus à Coriza, vti affirmabant, profectis laborabat. Cuius curationem in Ioannem de Argenteria Chirurgum ſuſcepiſſe teſtabantur. At neſcio qui factum, vt altera nariũ parte adeo conglutinata, iunctaque, exiguo ſaltem foramine peruia permanſerit, vt vix ſpecilli extremum capitulum admittere videretur. Altera parte ſimilem occluſionem minitante. *Ioan. Bauhinus de obſeru. proprijs.*

OBSERVATIO.

Noua & inaudita ratio, qua Naſus, Labra, Aures, vel à primo ortu curta, vel multo ante tempore abſciſſa reſtaurari & refici queant, hiſtorijs & teſtimonijs demonſtrata.

CHirurgica operatio, qua naſus aut abſciſſus, aut à natiuitate curtus, ex brachii carne, aut ex ſerui naſo reficitur, fabuloſum non eſt, vt teſtatur *Calentius epiſtola quadam ad Orpianum*, quæ ſic habet. Orpiane, ſi tibi naſum reſtitui vis, ad me veni. Profecto res eſt apud homines mira. Branca Siculus ingenio vir egregio, didicit nares inſerere, quas vel de brachio reficit, vel de ſeruis mutuatas impingit. Hoc vbi vidi, decreui ad te ſcribere, nihil exiſtimans carius eſſe poſſe. Quod ſi veneris, ſcito te domum cum grandi quantumuis naſo rediturũ. Vale. *Steph. Gourmelenus lib. 1. Chirurg.*

Branca Siculus Cataneus, Chirurgus ac phyſicus eximius, ſuo ingenio & arte, aures, naſos & labra, quibus cæſa fuerant, inſtaurabat. Huius diſcipulus fuerat Balthazar Pauonus Siculus. *Gilbert. Cognat. Nozorenus lib. 3. narration.*

Ætate noſtra narium deformitatem cohoneſtari docuere ingenia, carunculam è brachio ſuo conciſam ad narium formam conſeri addiq; trunco naſo ſæpe viſum eſt: ſummam enim cutim brachii nouacula excidunt, facto vulnere, abraſis, ſi opus eſt, narib. vel nouiter abſciſſis, capiti brachium deligant vt vulnus vulneri cohæreat, cõglutinatis vulneribus à brachio tantum cultello demunt, quantũ inſtaurari conueniat: Naſi n. venulæ cognatæ carunculæ alimentum præbent, cutiſq; demum ſuperinducitur, pilis quandoq; pro brachii natura innaſcentibus, eoque modo nares nouas miro ſtudio componunt, foraminaq; faciunt, audaci ingenio naturæ imperantes. Id additamentum hyemis vehementiam vix ſuſtinet: & curationis initio naſum ne prehendant moneo, ne ſequatur. *Alex. Benedictus libr. 3. cap. 39. Anatom.*

Fieri maximo labore, & mirabili admodum naturæ adminiculo poteſt, vt ſi naſus integer abſciſſus prorſus ſit, nullumque reſtet remedium, à dextro

vel ſiniſtro brachio iterum detrahatur caro, quæ maximo cum artificio naſi formam quandam recipere apta eſt, & iterum à loco vacuo conglutinari hoc pacto. Proponitur homo, cui vel modo, vel longo etiam poſt tempore naſus abſciſſus ſit. Primum facta conuenienti humorum purgatione, detracto ſanguine, ſancitaque conuenienti victus ratione, ſi recens abſciſſio ſit, ita vt nihil adhuc operatum à chirurgo ſit, locum nequaquam ſcarificamus, ſed ſi cutis generata fuerit, adſitque tantum cicatrix, vel anguſtiſſimum orificium, tunc temporis ante ſcarificationem brachium quod magis ægroto ſit commodum accipimus, & cubitum in anteriorem partem muſculum ſuperficialem flectentem, prope tendonem, hoc eſt circa locum copulationis eiuſdem tendonis manibus diligenter exquirimus. Eo autem inuento ab vtroque latere violenter ita vulneramus, vt reliqui vicini muſculi minime malum perpetiantur: atque eadem vulnera ſcalpello profunda efficimus, curamuſque ne vel dolor, vel inflammatio ſuperueniat, & interim pededentim magis perforamus, donec linteum ab vtraque parte facile aditum habeat, ac ſi dicas te velle muſculum eleuare, in ea parte, in qua magis carnoſus ac corpulentus exiſtit, & ab aliis ſubiectis partibus totum ſeiungere. Hoc facto ab altera ſuperiori parte paulatim adhuc ſeparamus, donec vndequaque dermis & epidermis contracta ſit, quod medicamentorum ope commode ſatis perfici poteſt: Interim locum in quo antea naſus erat, diligenter ſcarificamus donec ſanguis maximus effluat. Poſtea faciem ita cum muſculo iam affecto coniungimus, vt ne moueri quidem vel caput, aut brachium, quadraginta dierum ſpatio poſſit. Secamus nos tunc ſuperiorem muſculi partem carnoſam, quam diximus, & vndiquaque cum parte iam ſcarificata ſuimus, & cum ſequenti medicamento vtramque partem tam diu ſemel in die curamus, vt coaleſcant, coeant, ac vnam ſortiantur ſubſtantiam naſi locus cum brachii muſculo: ſecamus deinde aliam partem muſculi, & eodem tempore brachium reſtauramus, & ſubinde naſum ex carne coniuncta effingimus, cōſolidando ab omnibus regionibus nares, atque orificia duo procreando, ac tandem naſi vicem attribuendo. Idque curriculo quadraginta (vt diximus) dierum perfici ſolet, quo tempore ne tantillum moueat æger brachium à capite, ac propterea faſciis ac ligulis obligetur, viuatque interim tenuiſſime & iuſculis, & panatella, ac aliis ſorbilibus cibis interim vtatur. Medicamentum vero, quo id totum conſequimur Balſamum noſtrum artificiale eſto, quod hoc pacto componitur. Recip. terebinthinæ optimæ ℔. j. ol. laurini. ℥. iiij. galbani ℥. ij. gummi ℥. iij. s. thuris. myrrhæ, gummi hæderæ, centaurij maioris, ligni aloes, ana ℥. iij. galangæ, caryophyllotum, conſolidæ minoris, cinnamomi. nucis muſcatæ, Zedoariæ, Zingiberis. dictamni albi, ana ℥. j. ol. vermium terreſtrium ℥. ij. aquæ vitæ ℔. vj. Terantur, quæ contundi poſſunt, & omnia infundantur in aqua vitæ per tres dies, poſtea per retortam optime lutatam lento igne extrahantur tres liquores, quorum primus eſt ſubtiliſſimus, aquoſus & maxime clarus, ſecūdus eſt flaui coloris, ſubtiliſſimus etiam, tertio loco ſubſequitur balſamum artificiale rubei ac purpurei coloris. Qui primo extrahitur liquor, mirifice ac valenter iuuat, & prodeſt in omnibus ventriculi affectibus ex cauſa frigida prouenientibus, potenter enim phlegma ac flatuoſos ſpiritus conſumit: ſecundus in vulneribus agglutinandis & cicatrice obducendis, in neruorum ſedandis doloribus, in prohibenda ac fuganda inflammatione, paralyticis, conuulſis ac apoplecticis mirum in modum efficaciſſimus eſt. Vltimus vero præ cæteris omnibus his ægritudinibus excellens comprobatur. Atq; hæc de naſi deperditi fabrica dicta ſint. *Veſalius lib. 3. c. 9. chirurgiæ.*

Extitit ſuperioribus annis in Italia Chirurgus, qui reſectæ portionis naſi reparandæ hanc rationem inierat: naſi mutili calloſa labra circumcidebat, quomodo in implendis roſtris leporinis fieri ſolet. Inde lacunam nouacula tam magnam in bicipite brachii muſculo excauabat, quantam amputatæ naſi portionis amplitudo exigere videbatur. In eam mox naſum, qua parte mutilus erat, demergebat, capite ad brachium tanquam ad palum ſic tum reuincto & colligato, vt immotum & ſtabile nullam in partem flecti poſſet. Quadrageſimo inde demum die, quo ſcilicet tempore peractam carnis brachii cum naſo agglutinationem ſuſpicabatur, tantum eius pro deperdita naſi portione circumcidebat, quātum ipſi reparandæ ſatis eſſe putabat. Id informe poſtea quaſi lambendo parabat, complanabat, & ad reliqui naſi æqualitatem, quantum ars patitur, reducebat. Ægrum interea panatella, carnibus expreſſis, omnibusque deglutitu, coctu, & diſtributu facillimis nutriebat. Medicamentis vero haud aliis tantum ſynſarcoſeos opus perficiebat, quam balſaminis quibuſdam liquoribus agglutinantibus. Minor natu à S. Thoano familiæ, naſi argentei & brobroſi, quem multos iam annos circumferebat, pertæſus, ad Chirurgum illum in Italiam perrexit, & artis commemoratæ induſtria, naſum recuperauit, magna omnium qui ipſum ante nouerant admiratione. Poſſibile id quidem opus eſt, ſed arduæ omnino plenum difficultatis, tum patienti ægro, tum agenti Chirurgo: vel hoc nomine quod carnis, quæ è brachio reponitur, temperies longe differt à carnis naſi temperie, & quod reſtituti naſi foramina, qualia ante erant, excauari nequeunt. *Pareus lib. 22. cap. 2.*

Non habet Italia hoc tempore ſuperiorem Anatomicum Fabritio noſtro. Secundas ab illo partes deferunt Talicotio Bononienſi Chirurgo, (qui iam tertia vice in reſtituendo naſo vero, ex muſculorum brachii inciſione, ſe admirandum exhibuit) Tertias Arantio Bononienſi, &c. *Hæc ex literis D. D. Martini Holtzapfelij ad D. D. Iacobum Moccium Venetijs Friburgum Anno M. D. X X C I I I. datis.*

Observatio.

Naſus recens deciſus, expedite conglutinatus.

CVidam deciſus naſus, qua os in cartilaginem deſinit, Ruſticus propendentem partem alteri digitis coniunxit, herbam tuſam & è vino nigro tritam, quod miliefolium appellant, impegit, rudius omnia colligauit, vnde celerrime reſtitit profluens ſanguis, & vulnus pulchra cicattice breui coiit. *Hollerius lib. 2. c. 5. chirurg.*

Observatio.

Naſus factitius.

Reſciſſus

REſciſſus ſemel à facie naſus totꝰ, vel à naſo narium portio, reſtitui & ſuo toti vniri rurſum nequit: non enim in hominibus res perinde ſe habet atq; in plantis. Languidus enim calor plantis obtigit atq; iners in omnem porro ſtirpis ſubſtantiam æquabiliter diffuſus, nec facile diſſipabilis, hoc iudicio, quod arborum defracti, auulſi, aut abſciſſi rami aliquantum viuunt, poſſuntq; inſiti reuireſcere & fruticari: neq; enim in iis vlla eſt ſedes cordi vere cōparata, è qua neceſſe ſit hunc calorem quoquouerſum in omnes partes influere & illabi. At contra perfectiorum animantium, vt hominum partes diſſectæ continuo vita priuantur, quoniam non ex ſe, ſed aliunde influentibus viribus nutriuntur, viuunt, ſentiunt, omninoq; ſuſtinentur: neq; proprio ſolum calore vt ſtirpes, verum etiam aſcito gubernantur, vt ſupra iecoris vim naturalem, alia etiam ex corde vitalis eis adueniat. Quare in reſecti naſi locum alium factitium ſubſtituere ars neceſſe habet, quia eam iacturam ars ſarcire nequit: ſuppoſitus ille artificio naſus ex auro erit, argento, papyro, aut conglutinatis linteis. eius coloris & figuræ, quæ ad naturalem proxime accedat, reuinctus ad occiput aut pileum ſtabilietur funiculis. Quin etiam ſi vna cum naſo labri ſuperioris portio reſecta fuerit, licebit eam appendice, naſo illi factitio adiecta, quam myſtax velabit adumbrare, ne quid quod ad faciei ornatum faciat, miſero homini deſit. *Pareus libr. 22. cap. 2.*

Reficiendarum ex arte narium methodum illam, quam nuper à me per literas petiiſti, V. CL. libenter nunc tibi ſignificabo: ſed breuibus & currenti calamo. Diu enim in hoc immorari non poſſum, cum medicis negotiis, oppido nimis detineat impeditus, tum legēdi munꝰ in forib. ipſis iam immineat. Quapropter capita rei duntaxat delineabo, fueritq; ſchema ipſius, & adumbratum ſimulachrum cum in peculiari tractatu, ea enarrauerim, omnia quæ ad hanc artem pertinere videntur, opere prolixo, & quod ni ſcrupulus aliquis muſis noſtris iniiciatur, mox typis excudendum trademus, vt mortalibus vniuerſis facultas hæc impertiatur. Quod eo lubentius facimus, ne quiſpiam fortaſſis clariſſ. illorum virorum qui de hoc opere conficiundo, nonnulla literis mandarunt, autoritate ductus, veluti ex libro nauta opus aggrediatur inepte, dignitatis artis ægrique diſpendio. Scripſerunt enim Veſalius, Pareus, Groumelinus & alii, foueam ſeu lacunam in brachio parari, in qua naſus mutilus demergeretur, quouſq; increſceret caro. hanc dein carnem in narium figuram complanari. Quod pace, tantorū virorū ab artis miniſteriis longe diſſentit: ac tantum abeſt, vt carnis beneficio vtamur (ſi carnem muſculorum ſubſtantiam intelligant) & fouea lacunaue excauetur, in brachio vt potius vulnus brachio inflictum ad nares reſarciendas planæ & coæqualis ſit ſuperficiei, nullusque ſit penitus in hac re carnis vſus, ſed cutis brachia tantum excipitur, coniungenda naribus per illum inſitionis modum, quem rei ruſticæ profeſſores, inſitionem per ſurculum, à ſua non auulſum matre appellare conſueuerunt, vt clarius & aperte magis declaramus in opere noſtro. Atqui exordiamur iam. Primum itaque ægro corpore ſuſcepto, temperies corporis tum cerebri optime inſpiciatur. ad illam enim veluti ad ſcopum præſidia cuncta erunt, dirigenda; & ſi in corpore humores à ſymmetria declinarent, quantitate ſeu qualitate, in commoderationem ducendi: breuiter cacochymia omnis tollenda oportunis medicamentis, probaque victus ratione cauendum, ne in chirurgicæ operationis decurſu turba aliqua in humoribus ſuſcitari poſſit. Quapropter res non naturales omnes conſilio & arte ſunt vſurpandæ, nonnulla prorſus reiicienda. Venus quippe omnino ſileat, ira, mœror, ac animi ſolicitudines omnes tollantur. Alimenta facilis ſint coctionis, excrementi pauci, & euchyma. aluus quotidie fluat, vel arte irritetur. Nocturnus aer malus, itidem pluuioſus & auſtralis, in paſſiuis temperatus eſto, in actiuis modicum ad caliditatem vergat, quod corporis peripheria benigne calens felicius ſanguine tranſmiſto fruatur. Somnus itidem mediocris, plurimus enim caput humectat, hinc protrahitur vulneris coitio, humore fluente nimio in cutaneam regionem & exaſperatis ob humorum colluuiem coniunctis partibus, cicatricis decorem impediunt ac interturbant. His ita conſtitutis, ad corporis præparationem & præſeruationem in altero brachio ſiniſtro vel dextro ſectio cutis fiat vſque ad carnem muſculorum, ſcilicet ſuperficiem: ſimplex nempe & ſolida cutis, detrahitur in antica brachii regione, qua eſt finis muſculi triquetri & bicipitis initium. Quantitas porro cutis detrahendæ longitudinis ac latitudinis, monſtrabitur à naribus decurtatis. Mox illa ipſa cutis ſeparata medicamentis ſuppurari, poſtmodum exſiccari debet, vt opportuna ſit inſitioni, quæ in naribus eſt faciunda. Tempus exſiccationis & ſuppurationis, in corporibus non vnum, at multiplex pro illorum commoda temperie ac nutritione, vbi vero cognoſcitur apta cutis, inſitioni, in eius & narium extremis oris ſcarificatio ſtrictim faciunda venit, vt futuris brachia cutis naribus ex arte adiungi poſſit. Veruntamen ne in vario corporis motu partes iſtæ hoc pacto coniunctæ, diſtrahantur & lacerentur, faſciis opportunis brachium capiti deligatum contineatur, vulnus & inſutio illa medicamentis epuloticis curetur.

Deligationem vero ſoluendam indicabit vnitio & proba cutis enutritio; quæ longe euariat pro corporum diuerſo temperamento. Cæterum vbi optimam vnionem vulneris, cutis enutritionem animaduerteris, brachium à facie ſeiungatur, illiusque vulnus, aliquot dierum ſpacio perinde ac cætera curare oportet; quæ vero reliqua eſt cutis, inſitionis opus & naribus adiuncta viſitur, in naſi formam eſt redigenda, gladioliſque effingenda, nimirum in parte ipſius inferiori vt myras ſeu nares earumve foramina patentia, naſi columnam, globulum & pinnas repræſentet adiuncta cutis, quod non ita difficili negotio præſtatur, quemadmodum & reliquum huius operationis, vt fere omnes hactenus & clariſſimi quoque viri credere viſi ſunt. vulgo enim fertur, eam eſſe cruciatus & laborum vim ac numerum in hoc opere efficiundo, vt ſatius ſit decurtatas geſtare nares. Verum longe falluntur omnes: imo tolerabilis ita eſt adminiſtratio in ægris, vt præ opere ipſo ſuperet omnem admirationem, aliaque ſint in chirurgia multo ſpinoſiora & difficiliora. Sed opus ſuſceptum proſequamur.

mur. Columna gladiolis parata ſi oppoſitæ parti coniungi debet, in philtri confinio ſuperiori paulo intimius locus ſcarificatione aperiendus, ſimul & columnæ pars extrema, ſuturiſque adiectis ea curatio adhibeatur, quæ in reliquis etiam adhiberi ſolet. In narium interim cauitate ad earum figuram & magnitudinem turunda imponatur, poſtremo cannula plumbea ſeu argentea: ac vt exterior ſuperficies elegantem formam ſuſcipere poſſit, tectorio argenteo ſeu plumbeo, à quo arcte nares complectantur, iuxta naturæ exemplar forinſecus inueſtiatur. Sic reſtaurantur nares artis beneficio, ita probe, vt quandoque natura ſuperetur, & cum à cutis colore diſceſſeris, (qui prioribus illis diebus, non ita viget, arte tamen occurrimus) non diſtinguas aliquo pacto adiectas nares, vt quilibet teſtari poteſt ſenſuum iudicio, qui nares à me reſtitutas, huius anni viderit. Fuerunt enim plures, inter quos vnus nobilis D. Sigiſmundus Barianus, alter nobilis D. Alexander Vinſtinus, Placentini ambo; quibus dum digladiarentur enſibus, nares diſſectæ fuerunt; Octauius Facinus; Placentinus etiam: ac Flander vnus, D. Henricus van Banesghem Andovverpienſis. quibus omnibus nares ita ad naturæ exemplar reſtituimus, ita numeris omnibus abſolutas, vt conſilio rationeque adhibita, his faueant potius quam prioribus ex natura ſuſceptis. Quæ tacuiſſem profecto, ne anſam aliquibus præberemus nobis maledicendi, vtpote qui noſtra iactare videamur, niſi arti aliquo pacto vim inferre crederemus eius opera perſtringentes: Sed epiſtolæ modum iam exceſſiſſe videmur: in qua ſi tibi prorſus non fecimus ſatis, clariſſime vir, præſtabimus opere noſtro, artis arcana omnia & miſteria continente: cui licet extremam iam impoſuerimus manum; editionem tamen prorogare cogimur, cum deſiderentur adhuc inſtrumentorum icones & ſimulachra: quæ omnia diebus ſeſe longius porrigentibus æſtiuis proximis curabimus perficiunda, & in communem mortalium vſum libenti animo proferemus. non enim ij ſumus qui artem hanc veluti in compedibus apud nos manere velimus, ſed longius vagari apud cæteras etiam gentes deſideramus: ob quam rem etiam omnibus copiam videndi fecimus dum operati ſumus. Sed minus fortaſſis calamo excurrimus. Valeas itaque vir clariſſime, & me ama. Bononiæ die 22. menſis Febr. anno à partu virginis M. D. LXXXVI. *Tagliacotius epiſt. ad Mercurialem.*

Exſtat publicitus Clariſſ. *Tagliacotii opus cheirurgicum de eodem ipſo argumento*, ingenioſum & luculentum, cum picturis.

OBSERVATIO.

Ab ictu naſi profluuium purulentum, vnde magni oſſis excretio.

VIDI Iuuenem Sacerdotem, cui à multis menſibus quem recepiſſet ictum ſupra naſum, fluente perpetuo pure, tandem prorupit magnum os, ac longum: nullo externo apparente humore, & ſine inſigni dolore, quod mirum. Homo interea crapuloſus. *Ioan. Bauhinus de obſeruat. propr.*

OBSERVATIO.

Cuidam naſus cum ſuperiore labro ac mandibula adeo præciſus: vt ſupra mentum propenderet: qui ingenioſa chirurgi curatione, ita conualuit: vt nullum accepiſſe vnquam vulnus videri poſſet.

CONTIGIT nobis in oppido Frexenal, vt hominem curaremus, cui facies vulnerata ferro fuerat, ab ipſo naſi & ſuperciliorum confinio, vſq; ad vtriuſq; labii vtrinque extremitatem, & diductionem: ita vt naſus cum mandibula ſuperiori, ac dentibus ſupra mentum deciderint. qui autem illi domi adſtabant, imprudentiſſime ſe geſſerant. nam lineo panno vulnus obſtruentes, eam faciei partem quæ deiecta fuerat, ſic temere iacere ſiuerũt. cum nos vocati acceſſimus, eam partem; naſum inquam, & mandibulam, iam frigidam, & pene mortuam depræhendimus, vt acus difficilime potuerit penetrare, tamen totum locum acu commiſimus, atque vt mandibulę ſuperioris oſſa, ſuis oſſibus, vt natura fert, interius cohærerent. Idque hoc modo: ligauimus vittam duobus digitis latam, fronti circumdedimus, cui ab inferiori parte limbus eſſet, cui fortiter fila committi poſſent: ei vittæ duas aſſuimus alias à ſyncipite in occiput, & ab aure in aurem, in crucis modum, anguſtiores illas quidem, quæ tantum latiorem illam tenere poſſent. Hæc vbi parata fuere, cui grandiori filum longum indidimus, atque ex vitta ambiente fila, inter aurem & frontem ligauimus, quod inter primũ molarem dentem, & caninum tranſmiſimus, atque ad vittam retulimus, quæ frontem cinxerat: deinde rurſus dentes è regione petendo, atque hoc modo affluentes, mandibulam cum naribus, ſimul aliis quibus conueniebat, oſſibus commiſimus: deinde cutem acu iunximus; ita ergo, vt diximus, colligatum tenuimus, quoad membra inuicem coaluiſſent: tandemque diuina ope reſtituimus, vt nullum accepiſſe vnquam vulnus videri poſſet. *Arcaus libr. primo, cap. 7.*

OBSERVATIO.

Aliud admirandi circa naſum à tauro inflicti & curati vulneris exemplum memorabile.

EAdem etiam ratione homo à nobis curatus eſt, quem taurus petierat, cornuq; ſub mento ab aure ad mandibulam vſque ſuperiorem, eam etiam faciei partem aperuerat, quæ ſiniſtrum oculum à naſo diſiungit, cum cornu extremitas (vbi ij qui erant; maxime autem homo ipſe affirmabat) plus decem digitis prominuiſſet: cenſuimus autem acu locum, qua cornu ſubierat, & qua prodierat etiam, mandibulam vero ipſam, vt in ſuperiori curatione dictum eſt, alligauimus, atque exterius quidem iuxta præcepti noſtri rationem curauimus, interius autem os ipſum frequenter lauari iuſſimus, decoctione ex hordeo, roſa, balauſtiis, & melle roſato colato etiam admixto; atque ita breuiſſime curatus eſt; multis tamen oſſibus è palato decidentibus, quæ cornu fuerant comminuta, atque in palato ipſo foramen relictum, quantum pollex digitus ſubire poſſet. Vbi autem omnia ſana, cutiſque fuerat inducta, foramen illud ſuper cortice leui, affabreque adaptata, lino etiam circumueſtito obturauimus: qua ratione

prouiſum eſt, vt & loqui & edere atq; bibere recte poſſet. Noctu tamen auferendum curabat, ne foramen magis aperiretur: interdum autem reponebat. *Idem loco citato.*

OBSERVATIO.

Circa tempora ſagitta vulneratus, poſt annos viginti quinque teli partem ſternutatione reiecit.

QVidam Græcus Suirus nomine mihi notiſſimus, Chalcidis in expugnatione tempore ſagitta vulneratus, ductus inter captiuos à Turcis, perſanato quoquo modo vulnere, annis 20. vitam duxit ſeruilem. Tandem Cydonem venit, poſtque quintum annum, dum aqua per æſtatem frigida os collueret, concitatis ſupra modum ſternutamentis, magno pruritu inter maximos conatus, profilit è naribus ſagittæ fruſtum digiti medii longitudine, ferrea acie, nec aliam vulneris notam reliquit. Dum id Medicis Venetis inter mira naturæ refero, aliquibus non credentibus, aliis inter contentiones, vt fit, viam indagantibus. Ecce ex improuiſo Suirus Græcus noſter, qui forte tum Venetias venerat, rebus dubiis accitus imo fide carentibus ſagitta demonſtrata, quam miraculi gratia ſeruabat, teſtimonium veriſſimum dixit, qui cum antea per annos 10. in vrbem non veniſſet, pro diſcutienda veritate caſu oblatus non credentibus fidem attulit. *Alex. Benedict. lib. 4. c. 24. Anatom.*

OBSERVATIO.

Teli ſpiculum naſo tranſuerſum inflictum, inibi abſque ſingulari noxa hærens.

VIDI quendam deferentem telum in naſo ex tranſuerſo fixum, verſus aurem ſiniſtram & nullum dolorem faciebat, niſi dedecus in loquendo, & difficultatem in mundando naſum, quia per medium erat fixum. *Anglicus in compendio. pag. 233.*

OBSERVATIO.

Sagitta circa naſi regionem inflicta, vti tandem ſingulari induſtria educta.

VOcatus ad curationem Principis cuiuſdam, ſagitta circa medium naſi ſauciati, & inclinante nonnihil ad dextram vulnere, & detenta iam ad triduum ſagitta, vulnus anguſtum admodum, & contractum depræhendi, itaque tenui ſtylo ſagittam diu multumque fruſtra perquiſiui. Princeps vero, cum de doloribus & punctionibus ad dextræ auris regionem quæreretur: coniiciebam ei parti ſagittæ apicem inſediſſe. Attrahens proinde & concoquens ſeu maturans emplaſtrum, ei loco induxi, ea ſpe, vt parte ad ſuppurationem deducta vel emollita, notæ aliquæ latentis teli, ſeſe proferrent, quarum occaſione ſectionem inſtituerem. Etſi autem nulla ſigna, quæ ſagittam proderent, apparerent, nihilo tamen minus propoſito inſiſtens, idem emplaſtrum diebus aliquot multis continuis adhibui. Verum cum ne ſic quidem quicquam quod ſagittam inibi hærere teſtaretur, depræhenderem, vulnus interea neglectum, ſcilicet, ſua ſponte coaluit, & æger ab omni medicamentorum vſu abſtinuit. Atqui non ita multo poſt Princeps ſagittam rurſus ad naſi regionem hærentem perſentiſcens, rem mihi denunciat, itaque vulneri quod ſua ſponte conglutinatum antea fuerat, medicamentum acre, erodens, Catharæticum dictum eouſque impoſui, donec huius beneficio recrudeſceret, & recluderetur, quo aperto, ſagittam rurſus ſtylo ingenioſe perquirens tandem extremum eiuſdem, qua parte ligno iungebatur inueni. Itaque in vſu medicamenti hujus corrodentis tantiſper perſtiti, donec iam manifeſte in conſpectum veniret telum, qua curandi via quatuor menſibus inſiſtebam. Ampliato igitur vulnere eouſque vt iam forcipulas quoque immittere liceret, telum mouere quidem concedebatur, educere vero minime, ſiquidem vehementer renitebatur, multis itaque ratione & experimentis tentatis, tandem non ſine difficultate extraxi. Exacta autem ſagitta, debitis & congruis remediis conglutinaui. Et ſi autem de medicorum ſententia naſi cartilago minime reſtitui queat, à me tamen percurata eſt, ægro plene conualeſcente, neq; quicquam nocumentis ægri quod ad omnes functiones attinebat, obueniente. *Albucaſis libr. 2. cap. 94. Chirurg.*

OBSERVATIO.

Iuuencula, phaſeolo naribus intruſo, & inibi tumeſcente non ſine moleſtia: per ſternutamentum liberata eſt.

ILluſtriſſimam vrbis noſtræ Iuuenculam ſcimus naribus altius faſeolum incuria indidiſſe, qui humiditate multa per nares ſtillante ſeu profluente, maxime tumefactus, non leui noxa illam moleſtabat. Verum validiſſima ſuperueniente ſternutatione, extra pulſus, illam maxima moleſtia liberauit. *Donat. hiſt. mirab. lib. 2 c. 12.*

OBSERVATIO.

In naſi morbis vt remedia adhibenda.

IN naſo multo magis, ſi ad radicem conſtrictus eſt, videndum, ne acris materia capitis illac deducatur. Nam inde contingit, vt exeſo naſi initio è naſo loquantur, & vox vehementer vitietur. *Hollerius lib. proprio obſeruat. 2.*

OBSERVATIO.

Ex venula in naribus fortuito ſauciata, mortuus quidam.

AEtate noſtra contigit Venetiis tonſor quidam cum in naribus pilos incommodos forcipe côcideret, venulam incaute ſecuit, tantoque impetu ſanguis erupit, vt ſiſtendi modum medici non adinuenerint, & ille vitam miſere finiuit. *Benedict. lib. 4. c. 4. de curand. morb.*

OBSERVATIO.

Hirudo naribus imprudenter adhibita, eademque ſurſum in cerebrum penetrante: ægrum, nihil proficientibus medicamentis, necauit.

MAgna cautio eſt adhibenda in applicandis hirudinib. ad nares ne pro libitu cuiuis parti adhæreant. Nam accidit vt anno 1572. Romæ quidam Chirurgus voluerit cuidam miniſtro Cardinalis Farneſii hirudinem applicare, quæ cum putabatur adhæſiſſe parti interiori narium, quum de illa non amplius fuit Chirurgus ſolicitus, quæ paulo poſt penetrauit vſq; ad tunicas cerebri, & ibi iam diu commorata eſt, donec miſerum hominem interficeret

nihil

nihil proficientibus vllis remediis, quibus ſtuduerunt illam rurſus retrahere. *Pet. Paul. Magnus Placent. de venæſect. hirudin. &c.*

DE LINGVA.

CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Linguæ monſtroſæ conformationes.

SCRIBVNT Æthiopiæ partem, cuius incolæ naſcũtur toto corpore flexili, vt in omnem poſitionem ſeſe cõtorqueant quam facillime, his oſſa neruea eſſe non dubitandum. Aiunt iiſdem & linguas geminas, quibus diſtinctim, ac pro arbitrio vti poſſunt. *Gemma lib. 1. cap. 7. Coſmocr.*

Infans cuiuſdam nobilis duplicem habuit linguam, ſecundum latitudinem diuiſam. Inferior autem pars progreſſu temporis emarcuit, & tandem anno ætatis quarto, variolis laborans, è vita exceſſit. *De Io. Franci Hildeſii Med. Camenicenoi obſeru.*

Aliquando præſentatus fuit quidam, temporib. noſtris qui habuit vndecim linguas, & vndecim ora, & labia incompleta viginti duo: & fuit mortuus antequam naſceretur. *Albert. comment. ad lib. 2. phyſico. Ariſtot.*

Vidimus partus qui exertas ac ceu dependentes tenerent linguas, inſtar vitulorum recens iugulatorum. *Peucerus in Teratoſcopia.*

MAGNITVDO.

OBSERVATIO.

Linguæ prægrandis natura.

VIdimus linguam cuiuſdam mirum in modũ auctam idque citra omnem ſenſum doloris, vt neque œdema neque ſcirrhus, neque phlegmone videri poſſet. Nam neque excauata eſt ſub premente digito, neque ſenſum amiſit, neque dolebat. Sed hic affectus incrementum quoddam erat partium, ita tamen vt ipſa partis eſſentia ab omni noxa videretur immunis. *Gal. lib. 1. c. 9. de diff. morb.*

Linguam homini cuidam adeo grandem vidimus, vt mendacii ſuſpicio ſilentium indicat. *Scaliger. Exercitat. 199. 2.*

Vidi aliquos qui magnam admodum linguam aliorum comparatione haberent, & obſeruaui eos tardius & ægrius loqui & aliquando hæſitare. *Trincauella lib. 5. c. 16. de rat curand. par. hum. corp. partes.*

Nouimus nos Ioannem Fugacinam mercatorem Mantuanum lingua adeo longa & flexibili donatum, vt quoties vellet, vel nullo negotio, boum more in nares inderet. *Donatus hiſtor. mirab. lib. 6. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Lingua non natura, ſed morbi vitio portentoſæ magnitudinis.

SANE linguam ita tumefactam cuidam vidimus, vt ore hominis contineri non poſſet. Is nec venam inciderat vnquam & ſexagenarius iam erat, horaque diei fere decima erat cum ad eum primum acceſſi & vidi. Ac viſus mihi eſt vſitatis mihi pilulis, quæ ex aloe, ſcammonea, & colocynthide conſtant, veſpere datis purgandus, ipſi tamen particulæ afflictæ ſuaſi refrigerantium aliquid imponere, ſaltem in initio. Poſt enim, inquam, applicabimus, prout ſuadebit euentus. Verum id vni medicorum non placebat: ac propterea pilulas quidem ſumſit: de locali tamen remedio deliberatio in diem poſterum eſt dilata, quo tempore etiam efficacius aliquid præſtiturum, quicquid probatum fuiſſet, ſperabatur, & purgato ſcilicet iam toto corpore, & humoribus ad inferna reuulſis. Cæterum ea nocte euidentiſſimum per quietem inſomnium, noſtrum homini conſilium approbauit: ac materiam ipſam medicamenti definiuit, lactucæ ſucco collui iubens, quo ille ſolo vſus, prorſus eſt ſanatus, nullius alterius egens. *Gal. lib. 14. c. 8. methodi medendi.*

Ego aliquando vidi ita magnificatam linguam, propter humores ad eius ſubſtantiam venientes, & ipſam imbibentes, quod quaſi totum os replebat, & aliquando os exibat, ſicut dicit Auicenna. *Valeſcus lib. 2. cap. 66.*

Ex ſanguinis plenitudine interdum ex phlegmonis abundantia, ita excreſcit lingua, vt prodigii more ingens ex ore excidat: quod in quadam fœmina ex gallico morbo vidimus. *Benedict. lib. 5. c. 11. de curan. morb.*

Nos etiam duos vidimus, quibus lingua ita intumuit, vt neque loqui, neque comedere poſſent, imo duas (erant enim mulieres) quarum altera in ætate iuuenili erat, & cum iudicarent medici eſſe infectam morbo gallico appellato, decreuere illam inungere, vt eo tempore inungere ſolebant, antequam irreperet conſuetudo, vt ex decocto ligni guaiaci curarentur: medicus vero, cui ſe curandam commiſerat, vſus eſt ſatis imprudenter vnguento. nam præter id quod plus hydrargyri, vel (vt nunc aiunt) argenti viui addidit, quam par eſſet, inunxit etiam caput, vel potius capiti ceratum ex eadem materia appoſuit: quo deinde factum eſt, vt humores violentius commoti præcipitanter ad linguam confluxerint: vnde illa adeo intumuit, & elongata eſt, vt in ore contineri nequiret, ſed exertam diutiſſime, imo vltra menſem detulerit, deinde reſoluto tandem tumore, linguam retraxit: ſed abiecta pelle vniuerſa quaſi vagina, & extra os relicta. Altera vero erat iam in primo ſenio, cui cum cœpiſſent variolæ, ab Arabibus appellatæ, efflorescere, & extuberare in vniuerſo corpore, tanta earum copia occupauit vniuerſam faciem, & adeo illa intumuit, vt res monſtruoſa videretur: nec modo facies tota intumuit, ſed & lingua correpta eſt ab adeo numeroſis id genus tuberculis, vt intumuerit adeo, quod totum os repleuerit, neque eam mouere quoquo per os poterat, neque comedere, niſi quod cibus fluens per fiſtulam impoſitam, imo vi adactam inter linguam & buccam inſtillabatur, & ita alta eſt non ſine magno diſcrimine, donec inclinante tumore, lingua mutata pelle, rediit ad priſtinum ſtatum. Prior tamen iuuenculæ tumor referebat potius modum frigidi & pituitoſi tumoris, quamuis non ſine aliqua acrimonia. *Trincauella libr. 5. cap. 11. de rat. curand. partic. hum. corp. affect.*

GVSTVS.

OBSERVATIO.

Guſtus vt fiat & quæ eius ſedes, quæ inſtrumenta ſint, ſententia noua.

GVſtus elementum aqueum nequaquam in palati ſede inferiore conſtituit, neque in linguam effudit alieno humore ſæpius imbuendam, cum ipſa debuerit potius ſupplere pro ſenſu craſſiuſculo ſolius medii locum: ſed peculiarem habet humorem aqueum in ſubſtantia rara hactenus ab anatomicis non animaduerſa, quæ quidem ſpecie dura, oblonga, inæqualis, cum fœtu piſcium optime comparabilis, incluſa longiori epigraphæ oſſis illius, quod intra narium amplitudinem ſitum, ab oſſe ſphænoeide verſus palatum exporrigitur, & vomeris ſpeciem præ ſe fert. huic ego aquam illam guſtatilium rerum diſcretricem ingenitam puto, quæ partim circumſitas tunicas, partim à plexu mirabili inter proceſſus clinoeides oſſis ſphænoeidis poſito, & hinc per occulta foramina tum in antrum interius, tum in oblongum vomeris ſinum tenuiſſimos ramulos ingerente, inſtar aliarum rerum quæ continue defluunt, continue reſtauratur. Et paulo ante. Guſtus elementum craſſius, quam vt externas ſpecies abſque maiori elaboratione perciperet, peculiare medium poſtulabat continuum ſcilicet tunicarum neruorumque contextum: & totius propemodum ſubſtantiæ communione cognatum. *Gemma lib. 1. artis Cyclognomicæ. pag. 65.*

OBSERVATIO.

Quidam guſtatu omni deſtituti, ita vt neque iucunda aut iniucunda diſcernerent: indifferenter vitra, lapides, ligna, viua animalia, carbones, piſces, fœnum, lineos & laneos pannos, atq; id genus alia vorabant.

VIdi in Auguſto Corbeta patritio vrbis noſtræ: ſcilicet vt nullum perciperet ſaporem. Cum enim lingua ſit inſtrumentum ſaporum, per neruos tertii & ſeptimi paris ex offenſa illorum ablatus eſt totus guſtus, & ſentiebat odores: & non percipiebat ſapores: & percipiebat ex pipere dolorem: ſed non ſaporem. Et hoc docet eſſe verum, quod alias diximus, ſenſum noxii eſſe in toto corpore. Et ideo duæ iſtæ quæſtiones non conuertuntur inuicem: an omnis ſenſus fiat per neruos, & an totum corpus ſit ſenſile. *Cardanus comment. ad lib. Hippoc. de aliment. ſect. 4 o. text. 41.*

Maxima admiratione me affecit inſpectio Lazari vitrivoracis vulgo dicti, quem patritii omnes Veneti, imo Veneti omnes, omnes Ferrarienſes de facie nouerant. Hic nullo prorſus guſtu, dum viueret, præditus erat, nullam in edendo voluptatem, nihil iniucundum perſentiebat: inſipida, amara, dulcia, pinguia, ſalſa, acria non diſtinguebat: vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viua animalia, carbones, piſces è viuario extractos adhuc ſalientes vorabat. Vorabat lutum, lineos, laneoſque pannos, fœnum, ſtipulam, & vt breui omnia complectar, quicquid homines, quicquid animantia vorant, quicquid edendum, ſeu deglutiendum potius offerebatur, mercede propoſita dictum ac factum ingurgitabat. Teſtis eſt inter reliquos Martinus Aromatarius Patauii ad Angeli inſigne, cui ſacculum carbone refertum, & ſaccum inſuper deuorauit. quo viſo perſoluit, quod pollicitus fuerat, comminatus ne ad pharmacopolium amplius accederet: veritus ne ſe cum taberna & vaſis eſitaret. Cum igitur hoc naturæ monſtrum mihi diſſecandum eſſet Patauii, cœpi huiuſce rei diligenter quoad eius fieri potuit, cauſam venari, quam me tandem Deo duce ex particulari illius ſtructura aſſecutum eſſe confido. Nam quarta neruorum coniugatio, quæ guſtus gratia in aliis hominibus à natura producta eſt, in hoc Lazaro vitrivorace neque ad palatum neque ad linguam reptabat, ſed ad occipitium reflectebatur. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Guſtatu quoque non minus quam articulati ſermonis vſu deſtitutus fuit monſtrum illud hominis, quod à multis annis hic in Xenodochio publico altum omnes nouimus, cui Ioanni gutturoſo ſeu chœradico (vulgo Kropffhans) à chœradibus, quibus præter alia monſtroſa inſignitus erat, nomen fuit. Huic ego à Iodoco Huſero Conſule, aliquando in nuptiis, experimenti gratia, ex ſecundæ menſæ quiſquiliis bolum oblatum, ex ſale, nucis iuglandis quantitate, caſeo, corticibus caſtanearu[illegible] toſtarum & pomorum, allatis etiam ex culina c[illegible] bonibus, ſpectante morione, cū vino remiſtum, patulo ori ingeſtum vidi. Quam ille miſcellam, vbi auide admodum deuoraſſet, tantum aberat, vt inde aliquid offenderetur, quin nutibus aliam quoq; expeteret, certiſſimo fruſtrati guſtatus argumento. Capite erat Therſitico & deprauatæ omnino conſtitutionis, vnde reliquorum maxime internorum ſenſuum mutilatio & fatuitas. Ad nulla ciuilia opera perficienda, præterquam ad ligna portanda & culinæ ſeruiendæ, vtilis: præcipua ei cum pueris conuerſatio, quibus, vt & aliis quoq;, animi ſui ſenſu nutibus, & manuum agitatione exprimebat. Puellis, ancillis & fœminis plurimum fauere viſus eſt, quod inde accidiſſe puto: ſiquidem à nonnullis ad lupanar aliquando abductus, venerea expertus eſt. Fuit autem natura mutoniatus & naſutus: quando ei egregie de membro virili (quod ille ad impurorum quorundam hominum prouocationem oſtentare ſolitus fuerat) proſpectum erat. Ita factum, vt quod in reliquis partibus & ſenſib. natura denegauerat, hoc ipſo membro cumulatiſſime rependeret. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Moueri linguam poſſe, eiuſdem tactu & guſtu amiſſo.

IN linguæ affectibus præclare ſe geſſit Galenus, nam cum ea laboret triplici affectu ſentiendi, guſtandi, atque loquendi, guſtus autem ſit quidam tactus exquiſitior, ideo ambo hæc à neruis tertii paris cerebri habet. motum autem & loquendi facultatem accipit, à neruis ſeptimi paris ipſius cerebri: quo fit vt moueri linguam amiſſo prorſus tactu, & guſtu eius poſſit, ſicut accidit Auguſto Corbettæ amico noſtro, vt contra amittere motum linguæ ſaluo guſtu licet vitiatis neruis, ſeptimi paris, non his qui à cerebro veniunt, quod longe frequentius quam primum accidit, idque perſæpe videmus: ſicut & id quod lingua ſemiſyderata ſit. *Cardanus parte tertia de cauſ. ſign. ac loc. morb. num. 53.*

DE SERMONE ET VOCE.

OBSERVATIO.

Cuidam integre valenti per interualla & periodos ſermonis vſus ademptus & reſtitutus.

Viſus eſt etiam cui leuiore ex cauſa biduum, triduumve loquela adimeretur, moxq; repente & inopinato redderetur, & qui ſæpius ex interuallis & circuitibus modo loqueretur, modo muteſceret integre, ſano corpore. *Fernelius lib.5.c.9.Pathol.*

OBSERVATIO.

Vſum ſermonis interdum ex inducta obliuione intercipi.

OBSERVATVM à me eſt plurimos poſt apoplexiam aut lethargum, aut ſimiles magnos capitis morbos etiam non præſente linguæ paralyſi loqui non poſſe, quod memoriæ facultate extincta, verba proferenda non ſuccurrant. Idque potiſſimum notauimus in clariſſimo viro Nicolao Seldio olim Cancellario Eichſtadiano, & vidua quadam Grulichiana Fuldana fœmina. *Oethæus de obſ. propriis.*

OBSERVATIO.

Indignatione quædam obmutuit in totum.

NAuſimenis Athenienſis vxor, cum filii ac filiæ ſuæ ſtupro interueniſſet, inopinati monſtri perculſa conſpectu: & in præſens tempus ad indignandum, & in poſterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium cõcubitum, voluntaria morte penſarunt. Hoc modo fortuna ſæuiens huic vocem, iis vitam ademit: illi propitia donat. *Valer. Max. lib. 1. cap. 8.*

OBSERVATIO.

Pueri quidam ad nonum aut duodecimum vſq; annum ſermonis vſu deſtituti, tandem vel ætatis decurſu aut ſua ſponte vel etiam artis opera vocales facti ſunt.

RElatum eſt Maximilianum Friderici III. Imperatoris filium vſq; ad nonum ætatis ſuæ annum prorſus elinguem, & mutum fuiſſe, ſed tamen beneficio naturæ non ſolum ſermonem acquiſiuiſſe, verum etiam fuiſſe eloquentiſſimum. nam in ipſo exiſtimandum eſt vitium originem duxiſſe ex larga humiditate, quæ ætatis progreſſu conſumta fuit. *Mercurialis lib. 2. c. 8. de morb. pueror.*

Puer annos natus duodecim filius Hieronymi Gradii patritii Raguſæi, qui ad ætatem hanc vſque cum pro muto haberetur nũc demum loqui cœpit, ſcatebat, enim puer hic quibuſdam excrementis humiditatibus quibus temporis & ætatis progreſſu, conſumtis expedite, & concinne, eum loqui ſperamus, ad nucham nanque laqueum inditum fuit, quo capitis humiditates ſuperfluæ, apprime extinctæ ſunt, vnde ipſe loqui cœpit. *Luſitanus cent. 6. curat. 5.*

OBSERVATIO.

De angigloſſis ſeu mogilalis.

ANGIGLOSSI difficulter pronunciant L, R, K, atque in loquendo reſtitantes loquelam præcipitant. *Galen. comment. 2. libr. 1. Epidem.* τραυλοὺς appellat, qui ex muſculorum linguæ vitio balbutiunt. Naſcitur enim id vitii, aut quia breuior lingua, vel quod imbecillior ab intemperie humida, vnde & mollior, vt in quadam paralyſi: nonnunquam ex intemperie ſicca, frigore, ira concitatiore, calore. At ſæpius hic naſcitur morbus ab adſtrictione membranæ linguæ ſubiacentis. Purgandum corpus: parcius viuendum, vt minor ſit copia ſanguinis: refrænantibus ſanguinem alimentis, frictionibus reuellendum. *Albucaſis parte ſecunda*, inciſionem ſecundum latum inſtituit, & ab arteriæ, quæ illic eſt, ſectione cauet, hæmorrhagiæ metu. Colluit ſtatim aqua roſ. aceto, aq. frigid. vitata poſca. Sed in mediam inciſionem inducit linamentum, ne rurſus pars ligamenti reliquo ligamento conſueſcat. In hæmorrhagia lenticulari cauterio inurit. Quod ſi breuioribus neruis, qui ad motum in palatum & dentes feruntur, id acciderit, res incurabilis, vt cum breuior lingua. Aliquando ſiccioribus iiſdem, nec ita ſeſe extendentibus accidere poteſt. *Hollerius libr. 1. cap. 13. de morb. intern.* Eo morbo laborans Epiſcopus Senenſis, frater domini de Beauiour, cum medicos impoſtores ad curationem adhibuiſſet, conſumpta grandi pecunia nihil profeciſſet, ac tandem me vocaſſet, aperto malo, & variis commemoratis cauſis, quas medici ſuſpicarentur: cumque vnicam cauſam eſſe adſtrictionem membranæ, quæ ſub lingua eſt, vnde prohiberetur motus linguæ, qui ad priores dentes extenditur, indicaſſem, necnon vnicum eſſe remedium ſcriptum à Celſo, Paulo Aegi. Aetio, & recentioribus medicis, cognitum etiam vulgo, vt membrana illa ſuccideretur, miratus quod affirmarem eam cauſam vnicam, & curationem ab omnibus ſcriptam medicis, ignotam ab iis, quibus ſeſe commiſerat, omnino ſeſe conſiliis noſtris ſummiſit. Monui, nam peregre proficiſcebatur, vt experto chirurgo vteretur: qui vulſella prehenſas membranas (filum vulgus vocat) ſuccideret, ne altiore plaga hæmorrhagia moueretur. Quanquam ſcribit Celſus nouiſſe quendam, qui ſucciſa ea membrana, nihilo melius ſit locutus. Adeo, inquit, in medicina etiam, vbi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum eſt, id quod ſequi conuenit. Sed & priuſquam ad inciſionem veniretur, ſuaſi totius corporis & linguæ reſiccationi incumbere. Ille autem interceptus negotiis, de morte fratris cæſi, & inde contra homicidam commota cauſa abiit. Adhæc quibuſdam inciſum eſt filum, ſed manſit intermedius callus, non caro mollis: vnde nihil effectum fuit. Quod chirurgis diligenter conſiderandũ. *Scholiographi ad idem caput.*

Si à membranæ ligamentalis (filum vulgus appellat) linguæ ſubiacentis adſtrictione & breuitate malum eſt, inciſio eius ſecundum latum facienda venit, magna cura habita, ne venæ & arteriæ, quæ illic ſunt, violentur, hæmorrhagiæ non facile ſiſtendæ metu, mox oxicrato colluendum eſt os, in mediamque inciſionem inducendum linamentum ſyrupo de roſis ſiccis, aut melle roſato imbutum: ne rurſus pars ligamenti, de nocte præſertim, quo tempore altum ſilentium, altaque quies linguam contineat, reliquo ligamento conſueſcat. In eundem finem hac ſæpe tranſadigendus digitus, & lingua vehementius verſanda, atque ab ore proferenda. Nonnunquam tamen id ligamentum adeo craſſum & breue eſt, linguamque adeo arcte conſtringit, vt inciſioni quæ ferro fit, locus eſſe nequeat, ſine magno & manifeſto ab hæmorrhagia vitæ periculo. Tum igitur acus filum ducens tranſadigenda eſt, indeque filum indies arctius, arctiusque conſtringendum, donec ſenſim linguæ ligamentale id vinculum, quod immodica breuitate ſua motus eius libertatē intercipiebat, tabefecerit, & diſruperit. *Pareus lib. 16. cap. 29.*

PROMISCVA.

OBSERVATIO.

Linguæ & vteri ſympathia mira.

VIdimus in quadam matrona Cydonæ diu locorum vitio à partu laborante, dimidia lingua nigrore quodam diu infectam, nec colorem, niſi diſcuſſo morbo delituiſſe. *Benedictus libr. 25. cap. 1. de curand. morb.*

Fiſſura eam diſtingui non ſatis perſpicuum eſt, ſed ex offenſione intelligitur, propterea partem alterutram Apoplexiæ morbo periclitari: & in vuluæ quoque malis nigreſcentem, altera parte illæſa continuis diebus vidimus. *Idem libr. 3. cap. 21. Anatom.*

OBSERVATIO.

Lingua affecta in peſtilenti febri rara & formidanda hiſtoria.

NOui mulierem cui in pelliculas craſſas & glutinoſas non ſolum lingua, ſed & œſophagus vniuerſus cum ventriculo, tandem & inteſtinorum tunicæ putruerunt. Hæc inter initia ſitiens magnopere, vinum auſterum & rubrum ſumpſerat in vno die prope ad quantitatem libr. 6. vnde ſic illi guttur incanduit, vt nec liquidiores cibos tranſmittere, nedum medicamenta potuerit. Obiit illa miſerrimo fato damnans humana præſidia, multumque impatiens, quod ne potui quidem accipiendo in acerbiſſima ſiti, viam aut inſtrumentum commodum reperirent. Vrina huic alba ſemper inter calores maximos totius corporis, in qua tamen odor grauis & piſculentus indies augebatur, vnaque fluebat primo furfurea quædam: inde & pelliculæ magnæ: & poſtremo pus manifeſtum, villis, feſtucis, & tunicis variis intertextum. Aderant ſingultus, ructus aſſidui, cum tanta doloris acrimonia circa præcordia, vt tanquam parturiens miſerrime clamitaret. Sed poſt delitia, parua ventris torſio ſuperuenit, ac primum fœtida, purulenta per ſedem copia incredibili profluxerunt: inde & ſanguis per os & per poſticam cum dolore punctili, vehementi: atque ita per acerbiſſimos cruciatus extincta eſt paulo poſt vigeſimum diem. Sic Deus interdum vel cauſis omnibus exploratis, in artium atque artificum vbertate maxima, omnem cum velit humani præſidii atque operationis aditum intercludit. Profecto (vt retuli prius) ea membranarum defluxio pro quantitate ſui, certum morituris prænuntium miſit. nam ex hepatis, aut pulmonis, aut cordis ſyderatione contigerant, vt etiam per anatomen deprehenſum eſt. Pleriſque diſſecto corpore vniuerſa hæc viſcera, aut maior illorum portio nunc nigra vt carbo quiſpiam viſa eſt, nunc ſuppuratis puſtulis plena, fit enim facillime, vt per conſenſus tunicarum pituita concreſcens iugiter adhæreſcat eademque ſalſior, aut virulentior, ſubiectam œſophagi linguæque ſubſtantiam depaſcatur. *Gemma lib. 2. cap. 4. Coſmocrit.*

OBSERVATIO.

Conuulſione quidam ſibi linguam mordicus amputauit.

NVper quidam in magna vniuerſi corporis conuulſione, linguæ anteriorem partem mordicus abſcidit: qui deinceps à conuulſione quidem reualuit, ſed loqui, vt antea, non potuit. *Galen. lib. de morb. diff. cap. 8.*

OBSERVATIO.

Lingua abſciſſa ſine valetudinis noxa.

COrreptus quidam non ita pridem vehementi vniuerſi corporis conuulſione, linguæ anteriorem partem mordicus amputauit: atq; hic reualuit quidem à conuulſione, ſed loqui, vt antea, haudquaquam potuit. *Galen. lib. 1. c. 8. de diff. morb.*

Non equis modo, ſed hominibus periuris linguã clauis affigere trunco, illuſque primam præſcindere partem, non in Germania tantum, verum & Bononiæ & in Hiſpaniis citra noxam vidi. *Langius, epiſt. 4. tom. 1.*

VARIA IN LINGVA VISA.

PILI.

OBSERVATIO.

Pili in lingua geniti, ſatis longi.

IAcobus ex flumine male habebat, quem cum curandum ſuſciperem, & varia interrogarem: Ecce mihi reſpondet, in eius lingua pilos magnos etiam breui tempore gigni, quos quandoq; propriis eradicat manibus, id quod tunc rem mihi experiundam indicat, pilum namq; intra noctem genitum non eſſe conſcii ſatis ſumus, cum pilus paulatim tanquam lorum creſcit & producitur. Crediderim tamen ipſe vt pili huic in lingua creſcunt, ita in eius corde quoque abundare. Vt olim Ferrariæ experti ſumus in quodam à nobis confecto, cuius cor pilis circumſeptum erat, audaciſſimus tamen hic erat graſſator, & latro inſignis. Iacobus vero de quo agimus, bonus videtur, cum ſcoquiis tamen, piratis, prædonib. ac latronibus inſignibus iuxta patriam ſuam maximum habet commercium, imo & affinitatem. *Luſitanus curat. 65. cent. 6.*

SPONGIA.

OBSERVATIO.

Cuidam ſpongia carnoſa in lingua enata, quæ à reſectione in tantum excreuit, vt faucibus vndicunq; occupatis, ægrum ſuffocaret.

FRancofurtenſi ciui cuidam, ſpongia carnoſa in lingua enata, quæ ſectione & cauſtico ex auro candente coercenda fuerat, verum cum à prima reſectione tumor ad eam, exiguo tempore magnitudinem excreuiſſet vt vniuerſum os & fauces occuparet, tandem ægrum, dormientem ſuffocatione necauit. *V. Henneri obſeruatio.*

LAPIDES.

OBSERVATIO.

Lapides prodigioſa forma & magnitudinis in lingua nati, ſermonis vſum nonnullis intercipientes.

QVÆ circa linguas eleuantur coagmentata & exigui exiſtentes lapilli, & quæ podagricis iuxta articulos debiles illorum ſunt, etenim oſſium natura cauſa, & quod dureſcat eſt, & quod contendatur. *Hippocrates lib. 2. ſect. 3. Epidem.*

Vidi lapidem generatum ſub lingua cuiuſdam viri prohibentem ei locutionem: & eo remoto lapide rehabuit vir loquelam. Et generatur ab humoribus groſſis, qui indurantur ad inuicem ſimul donec

necad lapidem conuertuntur. *Auenzoar. libr.2.tract. 2.cap.2.*

Zoar recenſet viſum à ſe hominem, cui ex naſcente intra linguam lapide, loquendi vis amiſſa eſt, ex ablato reſtituta. *Thom. à Veiga. comment. ad c.5. lib.1. loc.affect, Galeni.*

Sub lingua lapidem ad quantitatem fabæ generatum, ſe vidiſſe ſcribit *Gentilis referente Nicolo* 5. 4. *tract.1,c.6.*

Ego vidi lapidem ſub lingua generatum in Domino Nicolao de ſumma Ripa: *Forolitiienſis comment. ad aphor.79. lib. 4. Hippoc.* Idem ex eo repetit *Guaynerius.*

Quibuſdam ſub lingua inuentum lapidem ſcripſere. *Benedict. lib.22.c.31. de curand. morb.*

Vnum lapidem ſub lingua cuiuſdam heroinę natum & inde euulſum inſtar ſtrobili, cōſpicatus ſum. *Montuus lib. 4 c.1. Anaſc. morb.*

Torgæ in aula Principis Electoris vera laude illuſtriſſimi Ioannis Friderici tibicen erat, quo buccinatore nonnunquam Princeps vtebatur, in eo ſtudio cum ingenio, nec ſine induſtria verſatus: Ioannem Steidelium vocabant. Huic tuberculum ſub lingua ſurgit duriuſculum & diuturnum, ſed doloris expers prorſus: quod ipſe & quos conſulebat ex flatu vehementi ſic intumuiſſe opinabantur. Sed cum paulatim accreſceret, & buccinanti impedimento eſſe cœpiſſet, à chirurgis conſilium petit, qui malagmatis foris appoſitis, intus autem gargariſationibus tumore mollito, ſaniem tuberculum illud facere cogunt: quod dum ictu aperiretur, exprimereturq; , iuxta pus durus lapillus exilit, qui etiamnum penes me eſt, vt bina piſa magnus tereſq; , cum arefacta atq; excorticata lauri bacca ſimilitudinem habens, colore ſpadiceus, & iuſtæ grauitatis. Vulnus deinde ſanatum integre fuit, & tumor euanuit, nec tibia canenti amplius moleſte obſtitit. *Kentmannus libell. de Calculis, nu. 3.*

Sub lingua lapides genitos vidimus. *Gemma. ca. 6. lib.1. Coſmocrit.*

Ranula lapis, qui ſub lingua oritur, vt Auguſto caſtri Sancti Petri: cui me præſente forma & magnitudine ſimilis è linguæ radice eductus eſt: leui negotio, cum ante loqui vix poſſet locusque doleret. *Cardanus comment. ad libr. Hippocr. de alimentis lect.40. text. 41.*

Vidi in linguę venis, quas Græci ὑπογλωττίδας, noſtri Raninas appellant, præ maxima ariditate ſanguinem in lapideam duritiem conuerſum. *Iouberrus, Prouocatione ad paradox.3. dec. 2. contra ſentent. Seidelij.*

Sororcula quædam Delſia annos 23. nata, ex iis quæ Diuæ Claræ votum præſtant, cum circa os maxillæ inferioris prope mentum, longo tempore doleret, ſub lingua in muſculoſa carne laxiore verſus radicem, chirurgus Petrus Fredericus noſter amicus & compater qui illam quotidie inuiſebat, cum duritiem diu ſenſiſſet, abſceſſum in lingua futurum ſperabat: huic ficum aridam per medium ſciſſam continuo, ad ſuppurationem promouendam, loco dolenti apponit. & præter ſpem tumore iam emollito, lapillus quidam inſigniter durus vltrò exiuit abſque inciſione ad magnitudinem nucis auellanæ, formę tamen parum longioris, vt vidimus. Illo quidem lapillo expulſo, ſtatim omnis dolor ceſſauit, nullaq; ſuppuratione aut ſanie vel purè ſubſequente; & quod dictu mirum eſt, labris vulneris per ſe rurſum vnitis, abſque vllis medicamentis.

Iam etiam iſtis diebus lapillum ex lingua prodeuntem vidimus paulo ampliorem ab alio quoque tandem expulſum. *Foreſtus lib.14. obſeru.26.*

Res admiratu digna, lapillo erumpente, nec ſaniem nec ſanguinem ſubſecutum fuiſſe, linguamq; ita per ſe coaliſſe forte, cum & vulnera linguæ facile per ſe coaleſcant, vt conſtat in periuris & iis maleficis, quibus lingua clauo perfoditur, facile coaleſcit & conglutinatur ob mollitudinem carnis. Non minus admirandum quod lapillus in ſpongioſa illa carne prognatus & concretus abſque abſceſſu exeat: cum & in aliis abſceſſibus & tumoribus, vti atheromatis, in quibus pulli quid ſimile reperitur; in meliceridibus melli, vt ſeuo in ſteatomatis, contingit. at hic lapis durus ex lingua prodiit. *Idem in Sholio ad eandem obſeruat.*

Quod quidem ex veteribus, nonnulli etiam noſtri ſeculi Medici annotarunt, obſeruatum à ſe, calculos quibuſdam in ore ſub lingua genitos, eius rei ipſemet ego hic Thorunii duo vidi exempla. Puer 7. vel 8. annorum dolere ſibi quiddam ſub lingua aliquandiu quæritur, idque quo diutius eo magis, ita vt linguæ quoddam impedimentum perciperet inter loquendum vel maſtificandum: Accerſitur Chyrurgus, is ſub lingua pueri in carne illa ſpongioſa ac molli tuberculum quoddam animaduertens, digitis illud nonnihil comprimere tentat, magis magisque, ecce mox quaſi albicans quidam punctus ſeſe profert, is pergit præmendo, mox inde lapillus proſilit cinericæus, aſperiuſculus, quantitate nuclei interioris ceraſi, vel ſeminis fœnugræci, aut paulo maior: neque dum tamen tumor ſatis ſubſidere & molleſcere videbatur, dumque adhuc verſatur chirurgus circa tuberculum illud tractandum, mox alter lapillus, priori magnitudine & forma colore pene reſpondens indidem erumpit, non ſine præſentium admiratione: atque inde puer ab illo linguæ impedimento liber euaſit.

Nobilis deinde Poloni miniſter adultior iam ſimiliter per aliquod tempus moleſtiam ſentit in carne illa molli, linguæ ſubſtrataque eſt, quæ moleſtia illi tandem aucta eſt, vt difficulter admodum moueret linguam, quoties vel loquendum vel comedendum eſſet, Tuberculum ſatis durum, dolore etiam non carens, ſub lingua, dicto loco, ipſemet palpat digitis, premit, comprimit, contrectat ſæpius, donec etiam inter contrectandum dehiſcens tumor lapillum itidem albeſcentem effunderet, forma & magnitudine nucleo pineo prorſus ſimilem: qui poſtquam exiiſſet, deſiit illa oris moleſtia: ipſe autem cum Domino ſuo me accedit, lapillum monſtrans, & locum inſpiciendum præbens, in quo illæ hæſiſſet, cuius cauitas tanta etiamnum apparebat, vt digiti indicis ſummitatem ad primum vſque articulum eo inſerere poſſem. *Tidicæus ſuis mihi communicatis obſeruationibus.*

Gryphiſvvaldię Pomeranorum, vxori cuiuſdam opificis quinquagenariæ catarrho frigido ex cerebro defluente, tantus in lingua & maxillis tumor ſubortus eſt, vt potum quidem ſumma cum difficultate, cibos vero ſolidiores nullo modo deglutire

S 3 poſſet.

poſſet. Tonſor ad eam accitus, primo fauces & linguam diamoro, maxillas exterius oleo Chamomelino illeuit, poſtea eminentia quadam in inferiore & dextra parte linguæ apparente, eam vnguento Ægyptiaco perfricuit, appoſito ſimul maxillis emplaſtro de meliloto. Quo facto, poſtero die lapis colore ſubflauo, magnitudine & figura hoc loco expreſſa è lingua excidit, nullo vel puro vel ſanguine conſequente. Expulſo lapide tumor linguæ ſubſedit, & cauitas vlceris ſemel tantum vnguento Ægyptiaco leuiter inuncta, poſtea ſua ſponte intra paucos dies conſolidata eſt. *Seidelius ſuis communicatis exemplis, de adiicienda lapidis figura.*

Cum inter ſecandum de venis duabus ſub lingua ageret D. Iulius mentionem fecit, cuiuſdam Monachi, qui adhuc in viuis eſt, & quem ipſi nouimus, in monaſterio Diuo Antonio de Padua dicato, (vulgo al ſanto:) Is cum ante tempus non ita multum laboraret tumore ſub lingua admodum duro, ab eodemque Doctore Iulio omnis generis malactica fruſtra applicata eſſent, tandem natura operante, ruptoque tumore, cum pauca ſanie exiuit lapis, phaſeolorum magnitudine, duriſſimæ ſubſtantiæ, vt etiam in terram proiectus, ſonum etiamnum ædat: quem adhuc frater ille ſecum geſtat, atque petentibus oſtendit. *Spererii obſeruat. Patauio acceptæ.*

VERMES.

OBSERVATIO.

Vermes in lingua.

NAſcuntur vermes ſub lingua, & in vlceribus, vt ex Valeſco allegat *Montuus tom. 4. c. 19. Anaſceu. morb.*

CVRATIONES.

OBSERVATIO.

Mutus & ſyncope affectus puer curatus.

PVero annos nato 12. repente ſyncope correpto & muto, in lecto repoſito, temere, quaſi geſticulando, mouebatur corpus, crura & manus. Subinde garrulus vocatus non reſpondebat. Diem integrum ita habuit. Clyſteres non retinebat. Balano acuta cũ hiera diacolocynthide & cucurbitulis in ceruice rediit & ſanatus eſt. *Hollerius libel. proprio obſeru. 14.*

OBSERVATIO.

Muti quidam ſola animi vehementi incitatione vocales facti.

ANimæ imperio mutus Cræſi filius & natiuo linguæ ac vocis proferendæ impedimento affectus vocalis euaſit, integræque ſanatus eſt. Cum enim Perſes quidam in Crœſum ſibi ignotum occiſurus irrueret, id filius eius mutus aſpexit, timens patri, erumpensque in vocem, ira & metu percitus, dixit: Homo ne perimas Crœſum. Atque hoc ille primum effatus, poſtmodum per omne vitę tempus vocalis extitit. *Herodotus in Clio.*

Aegles Samius Athleta mutus, cum ei victoriæ quam adeptus erat, titulus & præmium eriperetur, indignatione accenſus, vocalis euaſit. *Valer. Max. lib. 1. cap. 8.*

OBSERVATIO.

De Ranulæ natura, eiuſque curatione recentiorum animaduerſiones & experimenta rara.

IN ea oris parte molli & laxa quæ ſub lingua eſt, & cui ea incubat, atque quaſi vinculo alligatur, tumor colligitur batrachus appellatus, qui interdum phlegmonis, ſæpius œdematis mollis & laxi ſpeciẽ exhibet, è quo aperto mucus proſilit oui candido perſimilis. *Fernel. lib. 5. c. 9. Patholog.*

Ranunculus quem Græci βάτραχον vocant, in inferiore oris parte, quæ ſub lingua eſt naſcitur, cuiq; ipſa lingua veluti vinculo alligatur: attollitur inſtar tumoris hæc pars, colore haud quaquam mutato, mollis, laxus, ac indolens: & tantus apparet tumor, vt inferiores dentes ſuperet: rima autem media, dextram à ſiniſtra dirimente, ranę poſteriorem partem refert, vnde affectui nomen. Præcedit ſæpenumero maxillæ inferioris dentium dolor, continetur vero in hoc craſſus, lentus, oui albido colore & ſubſtantia aſſimilis humor. De curatione huius extant apud nonnullos quædam ex Albucaſi translata. Errorem horum facile agnoſcet, qui curationẽ quandoque viderit, ipſe fecerit, aut hæc noſtra legerit. Legitima curatio eſt ſcalpello vtrinque tumorem aperire: deinde vbi quantum potuerit humoris effluxerit, poſca (exiguo ſale addito) os paucis diebus colluere, donec nihil amplius humoris in tumore reliquum ſit. Poteſt tamen & alia ratione humor in hoc tumore contentus educi, vulnere enim ſub mento facto, mox effluit: ſed tutiſſimum eſt intra os tumorem aperire. Si quid vero impedit, quo minus in ore cõmode fieri queat, tunc, vt ſub mento fiat, proximum eſt, veluti cui vna cum Ranunculo vtriuſque tonſillæ inflammatio ſuperuenit. Hic vulnere, quo diximus loco, facto, adhibitis deinde tonſillarum remediis, ab vtroque liber euaſit. *Dodonæus obſeruatione medicinal. cap. decimotertio.* Pauci ex poſterioris ætatis Medicis, qui de meden. morb. ſcripſerunt, Ranunculi curationem attigerunt: qui vero eius meminerunt, magna ex parte ex Albucaſi, aut Rhaſi ſua mutuati ſunt. Michael Sauanarolus ex Rhaſi ſimiliter curationem in ſuo opere aſſcripſit: ſed tamen eam quæ fit per ſcarificationem, magis cõmendat: quæ via eſt, inquit, expedita, & ad hanc ego quam citius poſſum peruenio, cum nõ videam periculum. *Idem in Scholiis.*

Amicus quidam medicus nobis retulit, viſum ſibi tuberculum ſub lingua cuiuſdam, latitudine duorum digitorum, quod ſermonem impedierit, cuti concolor reliquæ. Id curatum transfixa acu per totum tuberculum, & cum ſcalpello poſtea auctum vulnus, vnde effluxerit materia lacti coagulato ſimilis (forte qualis atheromatis eſt) paulatim ea copia, vt duas fere volas impleret, qua inanita, iuſſus eſt aquam mulſam gargariſare: quæ etiam per ſiphonem in tuberculum transfixum immiſſa eſt, deinde purgato corpore, aſtringentibus vſum eſſe & conualuiſſe. *Geſnerus hiſt. animal. lib. 2. pag. 51.*

Tumor ſæpe ſub lingua exiſtit, qui prolationis ſeu loquelæ adimit libertatem, ex quo Batrachium Græcis dicitur, Latinis Ranula, quod hoc linguæ vitio correpti, coaxando magis quam eloquendo ſenſa mentis enunciare videantur. Fit ex frigide humide, craſſæ, lentæ & viſcidæ pituitoſæq; materiæ è

crebro

cerebro in linguam prolapſu, colore & conſiſtentia albumen oui referentis: etſi nonnunquam colore citreo conſpicitur. Curationem vt tuto perficias, eum tumorem ignito ferro potius, quam ſcalpello aperies, alias enim reuertitur. Ratio apertionis erit eiuſmodi. Laminam ferream incuruam, concameratam, & foramine in ſui medio peruiam comparabis, eamque diducto ægri ore tumori ita aptabis, vt eius ei parti qua aperiendus eſt, foramen reſpondeat. Hac candente ferro pertundes, ſic enim nullam oris partem quę ſana ſit, violabis: inuſturus vero, appreſſo ſub mento pollice, tumorem altius proferes, quo ſit certior ictus; apertione facta, contentam materiam effundes, os ęgro collues hordei decocto, melle & ſaccharo roſato: ſic enim tuto & cito vlcus ſanabitur. *Pareus lib.7.c.5.*

OBSERVATIO.

Verruca in lingua.

PVella quædam Nobilis multas verrucas in lingua habuit, & tamen ſine impedimento loqui & cibum deglutire potuit. Hanc ego vidi cum eſſet annorum quatuor: ſed poſt biennium mortua eſt. *De Obſ.Io.Franci Hildeſii.*

OBSERVATIO.

Verruca penſilis magna in lingua enata: qua ratione curata.

VERRVCÆ quæ tenui ac gracili ſunt radice, vinculo ſericeo ad radicem ſunt arcte vinciendæ, & quotidie vinculum arctius eſt conſtringendũ, donec illis nutrimentum pereat. Tunc enim tuto ſecabuntur: aut ex ſeſe cadent: & poſtea aliorum curationem ſubibunt. Vinculum autem ſericeum priuſquam applicetur aliquot horas in ſublimata maceretur & exſiccetur: atque ſic fiat viciſſim ter aut quater: hoc pacto verrucam penſilem magnam in linguæ extremitate curaui. *Chalmetaus Chirurgiæ lib. 1.c.13.*

OBSERVATIO.

Malignum & magnum vlcus linguæ curatum.

RVSTICVS quidam in Oberherrcken/ cum per multos dies vlcere permagno, cacoethe, & totam linguam penetrante, grauiter infeſtaretur: nec à Chirurgis noſtris curari potuiſſet, à me Dei Opt. Max. ope, ſolo & vnico oleo ſulphuris, octo dierum ſpacio, perfecte curatus fuit. *Weckerus de Obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

Lingua fiſſa vt reſtauranda.

LINGVA ita vulneratur, vt vel reſcindatur penitus, & portione aliqua ſuæ ſubſtantiæ mutiletur, vel findatur tantum ſeu in longum, ſeu in tranſuerſum. Subſtantiæ iactura reſarciri nequit, quia pars omnis à corpore viuente, à quo vitam ſpiritus ſanguinemque ducebat, diſtracta & reuulſa vitam ſtatim amittit. Philoſophorum vero ſententia, à priuatione ad habitum non eſt regreſſus. At fiſſa in longum aut latum ſeu tranſuerſum, facile futura reſtituitur, modo fiſſa pars ſuo corpori adhuc viuenti hæreat, à quo vitæ materiam & formam mutari queat. Ergo corpus linguæ, linteo molli & mundo, ne lubricitate ſua elabatur, miniſter ſedulus arcte tenebit, interim dum Chirurgus inferne ſuperneq; adactis punctibus conſuet, vbi quod ſatis eſt fuiſſe viſus fuerit, filum quam proxime nodum exſecabit, ne ſi longius ſit, in dentium interſtitiis inter mandendum implicetur: & conſutarum partium pernicialem dilacerationem inferat. Hordeatis interim amygdalatis, gelatina, collatitiis & expreſſis iuſculis, ouorumque vitellis ęger nutriendus erit: ore ſaccharum roſatum, ſyrupum cydoniorum, verſabit ſæpius: talia enim præterquam quod nutriunt detergentis medicamenti ac agglutinantis vicem ſubeunt. Hæc ego de linguæ vulnerum curatione neque ex magiſtris, quos audiui ſedulo, neque ex libris didici: ita tamen ſunt, vt à me proſpero ſucceſſu experientia fuerint comprobata. In multis quidem vt in Marigniani inquiſitionum præſidis filio, in Iohann. Piero lignario fabro, ad S. Germani ſuburbia commoranti. Luculentiſſime vero in Coeti cauſarum Patroni famatiſſimi trimo puerulo. Is in mentum ſuper ſaxum deciderat, ipſeque ſibi interiectam forte dentibus inſignem extremæ linguæ portionem exciderat, vix è tenui carnis fibra pendebat illa, ſic vt agglutinandæ & vniendæ ipſius exigua admodum ſpes eſſet, quæ me cogitatio fere impulit, vt ipſam penitus reuellerem: auertit me tamen ab iſto conſilio actionis nobiliſſimæ, loquendi ſcilicet inde conſecutura abolitio, & naturæ miranda ſæpe & quę Medicorum expectationem ſuperent in morbis patrantis expenſa prouidentia. Hoc inſuper cogitabam linguæ carnem mollem, laxam, fungoſam eſſe & ſpongioſam: nec præterea aeris externis iniuriis omnino obuiam, itaque cum ſemel atque iterum, ſurſum deorſumque acum, quæ filum trahebat, adegiſſem, atque de cætero puerum quo nuper dixi modo curari & nutriri iuſſiſſem, intra paucos dies conualuit, valetque adhuc diſerte & diſtincte loquens. *Pareus lib.9.c.27.*

Luneburgi infans natus eſt diſtorto ore, vnde lingua fiſſa, ſeu duplex exorta eſt. Simile monſtrum ibidem natum eſt Anno 1550. *Lycoſth.lib.Prodig.* Anno Dom. 1553.

OBSERVATIO.

De lingua abſumpta putredine in variolis, & renaſcente.

ANNO 1592. Menſe Februario, & Martio, ex Academia Iulia, vocatus in aulam Wolfferbytum ad curam valetudinis Illuſtrium Ducũ & Principiſſarum Brunſuicenſium & Lunaburgenſium, in abſentia aliorum Medicorum paulo ante diſceſſum à Secretario Cameræ Alberto Enerding inuitor ad conſilium dandum filiolo ſuo ſex annorum, laboranti variolis, ſed iam in declinatione putreſcentis adeo in ore, vt nec loqui, nec rurſus eſuriens aliud quicquam deglutire poſſit, niſi iuſcula, quæro, cuius medelam vſurparet? reſpondit chirurgi. Etſi ipſe accedere ad ægrum filiolum maluiſſem; tamẽ propter contagionẽ q̃ vel veſtib. Ducibus Illuſtribus afferre potuiſſẽ, & ꝓpter ſuſpicionẽ violatæ fidei nõ auſus ſum, & patri me excuſaui. Nihilominus cõſultũ duxi, vt pater cũ chirurgo in arcis arcã ad me quotidie venirent, & conſilio in abſentia fruerentur. Chirurgus cum patre reuerſo, dicit maximam putredinem

variolatum eſſe, & magna fruſta putrefactarum quotidie auferri, ipſam abſtergentia & conſolidantia in gargariſmis vſurpare, itaque moneo de Rob nucum gargariſmis ſuis diligenter admiſceret: imo etiam liquoris forma mixtum cum Rob Diamoron & Aq. Prunellæ illinerent palato & faucibus. Deinde cum puer obmuteſceret, me metuere ne Columella computruiſſet & ſimul afferretur. Altera die pater cum Chirurgo redeunt, Columellam prorſus abſumtam putredine eſſe dicunt, author fui, vt ſecundum Chirurgum ſimul coniungerent, tertia die ad me reuerſi pater cum duobus Chirurgis, dicunt linguam non amplius adeſſe, & putredine quoque abſumtam. Perterrefactus & commiſeratione commotus, promiſi me ipſum acceſſurum, ſed vbi dimiſſus eſſem ex Aula, quod tunc redierat alter medicorum aulicorum. Quarta die cum ab Illuſtriſſimo mihi venia redeundi domum data eſſet, recta ædes Secretarii ante dicti Alberti Euerdingi, viri ſane prudentis & magnæ exiſtimationis, adii puerum, cui variolæ plane fere deſiiſſent, vidi, ſed mutum & eſurientem quidem, nihil vero niſi iuſcula lambentem bibentemque ſatis difficulter, in præſentia patris & Chirurgorum os aperio: linguam vſque ad radicem eius adhuc ſatis putridam abſuratam prorſus cerno: Columellam tamen in faucibus ſaluam, licet aliter mihi antea dixerint, deprehendo. Quid multa? id conſilii cum Chirurgis ineo, vt gargariſmis ante dictis putredini reſiſterent, ſed in primis & quam ſæpiſſime hoc linimento ſequenti, interdiu & noctu, palatum totum & linguæ radicem poſt gargariſationem linirent vngerentque, addidi neſcire quantum in putredine & gingiuarum & palati & faucium ſi vel foramina buccæ putredo perforaſſet, poſſet & rationem ipſam ſuadere vt exſiccantibus magis, & ſimul leniter in leui carne vtendum ſit. Linimentum hoc eſt, quod ℞ florum Maluæ, arboreſcentis drach. iij. balauſtior. drach. j. s. aluminis drach. j. cum melle deſpum. q. ſ. f. linimentum molle. Aluminis ſæpe in minore quantitate vtor, ſi non tanta ſit putredo, & ſi infantes ſunt iuniores, ſemianno poſt intelligo renaſci, anno poſt aliis de cauſis in aulam abeo, ædes patris accedo, matrem cum puero domi inuenio, cum ipſo loquor, expedite dicentem & ſcholam frequentantem audio, os aperio: linguam omneq; palatum plane ſana pulchraque inuenio, niſi quod multo minor lingua renata appareret, quam puerorum, id ætatis eſſe ſolet. *De Obſ. Iacobi Horſtii, Medici.*

OBSERVATIO.

Lingua amputata vt arte ſermo procurandus.

CASVS huic remedio, vt multis aliis, locum in arte & authoritatem dedit. Cuidam in Iuoyo caſtro 24. à Biturigum vrbe milliaribus commoranti, linguæ inſignis portio reſecta fuerat, ex quo infans totum triennium manſit. Contigit aliquando, vt dum in agris cum falcariis in ſcutula lignea biberet ab aliquo circumſtantium titillaretur, titillatum non ferens, ſubito in voces articulatas & intelligibiles erumperet. Id ipſe miratus, & rei nouitate tanquam miraculo delectatus, eandem ſcutulam, eodem quo ante ſitu, in os indidit, planeque tum & articulate ſic loquebatur, vt ab omnibus intelligi poſſet. Itaq; diu poſtea in ſinu ſemper habuit ſcutulam ad ſenſa mentis proloquenda: quouſq; tandem artium magiſtra & ingenii largitrice neceſſitate ſuadente, excidi ſibi & affabre fieri inſtrumentum ligneum curauit, quod ſemper collo appenſum circumferebat, tanquam vnicum mentis interpretem, & loquelæ miniſtrum. Inſtrumentum eiuſmodi eſt: Pars ſuperior ſeſqui capitati argentei craſſitie eſſe debet, quam ſic ille inter inciſorios dentes continebat, vt ab ore haud promineret, imo nihil ore præter naturam habere videretur: inferior tenuior eſt, nempe capitati argentei craſſitie, quam reliquæ linguæ tenaci adhæſu componebat recta ad ligamentum membraneum, quod ſub lingua eſt. Interior inſtrumenti pars ſcalpta & nonnihil excauata erat. Reſte vero illud ceruice ſuſpenſum geſtabat. Cuius cum mihi Textor Medicus Biturix doctiſſimus copiam feciſſet, eius ipſe periculum feci certiſſimo & quali narratum eſt euentu, in adoleſcente cui lingua amputata fuerat. Idem in ſimili caſu reliquis chirurgis cenſeo faciendum *Pareus lib. 22. c. 5.*

DE GARGAREONE.

OBSERVATIO.

Columella inflammata, remedio ſecreto coempto, percurata.

DIVES quidam columella inflammata de ſuffocatione periclitabatur, & cum ei vena incideretur alius quidam incidit, qui ſe alias, ſi opus foret, ante inciſionem venæ vocari iuſſit, quo facto, ſtatim illito ſuo medicamento, hominem ſanauit, & in multis aliis idem præſtitit. Quod videns ille diues, mercede pactus eſt vt pharmacum ab ipſo doceretur. At ille ita demum vim ſuam medicamentum præſtare aiebat, ſi patiens quidnam eſſet, ignoraret, ideoque fideliſſimo cuipiam ex amicis id ſe oſtenſurum, ea conditione, vt alteri nemini, quam diu ipſe viueret, communicaret. Itaque ipſo mortuo, ego quoque ab amico diuitis illius vltro pharmaci deſcriptionem accepi. Id erat excrementum pueri aridum cum melle attico tritum, paſcebatur autem puer biduo lupinis, quibus in cibo communiter vtimur, cum optimo pane ſatis fermentato, & ſalito. Vinum bibebat vetus: omnia mediocriter, vt quam optime concoqueret. Tertio die ſumptum excrementum arefaciens vtebatur, ſicut de canino diximus. Lupinis autem veſcebatur ideo ſolum, vt minus fœtidum excrementum fieret: alias enim ſe gallinarum & perdicum carnem in iure elixam exhibuiſſe, & nihilominus effeciſſe pharmacum, aiebat. *Gal. lib. 10. ſimplicium.*

OBSERVATIO.

Gurgulionis adeo laxati vt ad dentes vſque anteriores propenderet curationis Hiſtoria.

AGITVR nunc annus quartus ex quo quendam mihi amicum inuiſi cui repente ex labore hæc particula adeo laxata fuerat, vt ad anteriores vſque dentes protenderetur traxerat enim illam patiens digitis cum linguæ ileam inſidere ſentiret, fre-

tus

tus pituitam vel aliud quippiam eſſe: parum ſane abfuit, quin illam trahendo ruperit, quod tenuis facta eſſet, & hebetiſſimo imo potius nullo tunc ſenſu prædita, eius radice excepta: nam & ſana hebetem ſenſum habet. Hic eodem die ſolo gargariſmate ex ſummitatibus vitium liberatus fuit. Nulla enim alia medicamenta in promptu habebamus, quod in paruo pago eſſemus: quanquam & data opera non multitudine medicamentorum innitamur, non ignaui paucis naturam eſſe contentam, ſi propria ac loco fuerint vſurpata. *Botallus libell. de Catarrho.*

OBSERVATIO.

Columellam, ſi neceſſitas exigat, caute & prudenter eſſe exſcindendam: ſiquidem per errorem inciſa, vocis detrimentum, & ſpiritalibus refrigeratis, phthiſim aut citam mortem minatur.

HVius partis (Columellæ) ad finem vſque ἀποκοπαὶ, id eſt, deciſiones extreme lædunt omnia thoracis loca, & mutos reddunt, vt *Galenus lib. de vſu part.* 11. admonet: Ibidem enim gurgulionis vſum eſſe tradit, vt aer ingrediens ab eo prius incidatur, impetuſq; ipſius violentia frangatur: ob idq; ipſum & frigiditas. Hinc nonnulli, qbus ille ad baſim vſq; eſſet amputatus, nō modo deterius perſpicue ſunt locuti, verum etiam refrigeratis pulmone & thorace perierunt. Proinde ea pars non eſt temere abſcindēda, ſed portio quædam baſis relinquenda eſt. *Ioubertus Tract. de affect. thoracis c.* 3.

Gurgulio funditus exectus vocem obturbat, pulmones ac pectus refrigerat, *lib. de differ. m. & 11. de vſu part.* Cor infirmat, vt ait *Zoar.* Tabe conſumuntur quibus gargar abſciſſum eſt. *Aphro.* hoc non perpetuo verum, plures enim vidi obeſulos, quibus gurgulio penitus erat præciſus. *Montuus lib. 6. c. 10. Anaſc. morb. Tom. 1.*

OBSERVATIO.

Vvula imprudenter reſecta mortis cauſa.

FVi vocatus ad presbyterum habentem apoſtema in vvula: quo viſo, volui procedere ex arte, & quærendo barbitonſorem & alia neceſſaria. In mei abſentia interim alius acceſſit Presbyter, & abſcidit vvulam totam cum forpice. Qua abſciſſa, corpore patientis multum plethorico exiſtente ſanguis & humores in tanta quantitate ad pectus defluxerunt: & ſecuta eſt tanta pectoris & pulmonis ſtrictura, quod patiens vix poterat anhelare: & finaliter non potuit ſpuere nec pectus purgare: & tertia die ſuffocatus mortuus eſt. *Valeſcus capit. quinto, libro tertio, Philonii.*

DE MAXILLIS.

OBSERVATIO.

Maxillam inferiorem in adultis vnico oſſe conſtare, pueris autem biſoſſem eſſe.

INferior maxilla duriſſimo oſſe, magnaque ex parte pene ſolido conſtare debuit, vt validior eſſet, ac variis, fortiſſimiſq; motib. in mandendo, mordendoque ſufficeret: & in arcum veluti obducta amplum ſinum reliquit, vt leuior fieret, minuſque incommodi mouentib. muſculis præberet. In hominibus ſimplex, atque ex vnico oſſe conſtructa, quamuis duplicem eſſe Galen. ſcripſerit, eamque in ſummo mento laxari. Talem ſane reperias in canibus, equis, bobus, atque id genus animalibus, quando longo ductu adhærere poſſunt. Hominis vero maxillam bipartitam eſſe nuſquam reperias. At Gal. hoc vt alia etiam multa, ex ſimiæ ſimulachro in hominem non tranſtulit. Etenim nullum inuenias diſcrimen inter humanam ſimiæque maxillam inferiorem. Verum ſane oportet in pueris lineam à ſummo mento protendi, ac mediam quodammodo maxillam ſuperficietenus peruadere, quæ non multo poſt tempore cum prorſus aboleatur: ideo huic gemminum eſſe maxillæ os cōſici non poteſt. Hæc autem linea futuræ rationem interim habet, dum ex ea producuntur, atq; exeunt ligamenta, quæ muſc. ibi exiſtentes ingrediuntur. *Columb. lib. 1. c. 9. Anat.*

Inferior maxilla in duas partes eſt ſciſſa, vt harmonia, quæ poſt multos annos aboletur, demonſtrat *Coiter. De oſſib. infantium.*

D. Cyriacus Paſciouius, Medicus Ordinarius in hoſpitali S. Spiritus Romæ: dum lectionem de oſſibus faceret priuatam, cranium videndum exhibuit, in quo inferior maxilla, continuata oſſis ſubſtantia ſuperiori erat connata: ita vt vnum os continuum diceres, nullo vel minima commeſturæ notula vſpiam apparere. *A. P. Sphererio ex Italia acceptum.*

OBSERVATIO.

Maxilla inferior capiti ita connata, vt immobilis eſſet.

DE maxilla inferiore hoc in Summi Pont. penu videre eſt, caput Gigantis (maximum n. eſt omnium capitum, quæ hactenus viderim) in quo maxilla inferior capiti adeo connata & cōiuncta eſt, vt omni motu prorſus careat, atque in viuente non carere non potuerit. *Columb. li. 15. Anat.*

Monſpeſſuli ſua fide mihi affirmauit Rondeletius ſe vidiſſe cranium, cui connata erat maxilla inferior. *Coiter in libell. Obſ. Anat. & chirurg.*

Scio hic Romæ adulti hominis caluariam reperiri, cuius maxilla inferior omni penitus articulo & motu caret, in eamque ſuperni infernique dentes ſe tangunt. Vnde diſcere licet, per eiuſmodi ſpatia dentium liquidum cibum in ventrem aliquando immitti, quod in phreniticis, conuulſis, nonnulliſque aliis, ſchirrum articuli maxillæ inferioris patientibus, ſæpe obſeruaui. *Euſtachius capite 28. de dentibus.*

OBSERVATIO.

Puellæ inferior maxilla tota putrefacta exempta, in cuius locum callus enatus, dentium & maſticationis munus explens.

PVellam quandam, vix annum duodecimum egreſſam, vidi: cui Chirurgus quidam Euchſtadianus totam inferiorem maxillam putrefactam exemit. Huic in inferioris maxillæ locum caro quæ ſuccreuerat in neruoſam quandam duritiem coaluit, quæ dentium officio fungens, cibos communes ita comminuit, vt maſticationis neceſſitati nihil deeſſe videretur. *Ex Obſ. Oethei.*

OBSERVATIO.

Maxillarum alueolos in ſenibus præſertim poſt dentium iacturam coaleſcere.

MAxillarum alueolos cernimus aliquando in ſenioribus, pene deperditos: cùm ſcilicet erutis, aut delapſis dentibus maxilla ea parte comprimitur, vſque adeo vt os ipſum vndique cohæreat, conſtipetur, ac tandem vniatur. Id quod præter cæteræ mihi obſeruare contigit in vetulæ cuiuſdam caluaria, in cuius maxillis vix bini aut terni dentes prodiiſſe videbantur: adeo erant oppleta alueolorum veſtigia, & in vnum ſolide coiuerant. *Columbus lib.1.c.9. Anatom.*

OBSERVATIO.

Lapis in Maxilla dextra.

VIdua D.Bernhardi Paumgartneri, ſexagenaria, habuit apoſtema in maxilla dextra. Cumque illud tonſor aperiret in parte interiore qua parte ſuppurata conſpiciebatur (das ein äuglein hett) effluxit copioſa ſanies poſt duos aut tres dies: cum aliquando fortius comprimeret chirurgus apoſtema, proſiliit lapis magnitudine & forma grani tritici & curata eſt. *Camerarius de Obſeruat. Ioannis Heßi, mihi communicatis.*

OBSERVATIO.

Puero decem annos nato ex dextra maxilla tumor magnus, chœradicus, oblongus ad internam colli partem vſque propendens feliciter inciſus: ex quo extractæ ſcrofulæ plereque vitelli ouorum magnitudine, ſingulæ tunicis incluſæ, ſcutellam ſatis magnam replentes, numero 72. vna cum radice quæ fœturæ gallinarum reſpondebat, puero reconualeſcente.

SVPERIORE menſe vocatus ſum ad puerum in Hoſpitali noſtro degentem: cuius ſiniſtram maxillam vniuerſam tumor magnus & oblongus ambiebat, ac ad interioris colli partem vſque prominebat, qui ad manus contactum moderatam duritiem habebat, ſtupidum ſenſum referens. Chirurgus noſter ſane induſtrius & Lithotomus celebris ſectionem aggreſſurus, ſcalpello paruam ſectionem primo inſtituit, cutim incumbentem figura oblonga incidendo: atheroma enim eſſe opinabatur. Verum à cutis denudatione ſcrofulæ, ſeſe ſtatim conſpectui offerebant, eæque magnæ & oblongæ, partim rotundæ, vitellum oui gallinacei æquantes, partim maiores, & oblongæ, ſingulæ ſingulis membranulis ceu tunicis propriis veſtiebantur. Quas cum hamis transfixas excoriataſque reſcidiſſet, & ſcalpellum altius immiſiſſet, ſubinde aliæ poſt alias ſeſe oſtendebant, magnitudine & figura æque vt ſuperiores diuerſæ: quarum quædam venis & arteriis inſertæ & implicatæ pertinaciter adhærebant, vt ægre auelli potuerint citra venarum reſectionem. Ad ſanguinis eruptionis periculum, ſolerter funiculo ad id parato venarum ora confeſtim conſtringebat: aliquæ profundius ad venas iugulares penitus immerſas radices habebant, circa baſim ſecundum aſperam arteriam in membranula hinc inde inſertę erant complicatæ ac aſſociatæ complures exiguæ inſtar ſeminum ouorum gallinarum exenteratarum; quibus præciſis, curationi quæ ad integram horam durauit finem impoſuit, emplaſtro ad cruenta apto applicato. Scrofulæ quæ exemtæ erant ſcutellam ſatis magnam replerunt. Numero erant 72. iis demptis quæ fœturæ gallinarum inſtar conglobatæ poſtremo exemptæ erant. Puer is decem annos nondum compleuit; iam integre reſtitutus eſt. *Iohan. Stadlerus de Obſ.*

DE GINGIVIS.

OBSERVATIO.

Prodigioſum gingiuarum incrementum & hyperſarcoſis, tum de epulide, vt variis hæc modis ingenioſe percurata.

IDI hominem cui ex diutino vomitu acidi humoris tantum gingiuæ creuerant, vt totos dentes tegerent. *Cardanus libr.12. de Subtilit.*

Dum eſſem in Sabaudia cum Illuſt. Duce Carolo Secundo in loco Anneſiaci, fui locatus in domo Pacheleti apothecarii, qui habebat vxorem ſatis antiquam, quæ habebat gingiuas inferiores craſſiores digito: excreuerat enim carnoſitas multum deformis. Rogauit ſi quid haberē, vt ſanitati conſulerem, quia multi iam anni erant, quod ab illo morbo vexabatur. Cui dedi bonam ſpem ſalutis. Accepi aquā, qua vtuntur aurifabri, (vulgo *da partiere*) & aptaui duos baculos, in quorū vnius ſummitate ligaui cottum carminatum, in alterius ſummitate ligaui paruā petiam. Accepi poſtea aliam petiam duplicatam, & cum manu ſiniſtra poſui petiā ſuper inferiori labio, & traxi inferius, vt diſcooperirem totam illam carnoſitatem. Carne diſcooperta, accepi manu dextra baculum, in cuius ſummitate erat cottū, & immerſi in illam aquam fortem, & cum cotto fricaui dictam gingiuam ſuper incarnatam, vt ſupra: & effecta eſt alba perinde, ac ſi calce diſſoluta liniuiſſem: deinde infudi petiam, quæ erat ligata ſuper alio paruo baculo in aquam frigidam, & laui carnoſitatē illam, tegendo alias partes, ne tangerentur ab aqua forti. Iteraui modum prædictum per octo dies, & Deo fauente reſtituta fuit ſanitati priſtinæ, nulla remanente deformitate, perinde ac ſi nihil paſſa fuiſſet *Bayrus li.6.c.16.de medend.mal.*

Curaui quandam mulierem quæ erat de Epiſcopatu Placentiæ, de carne addita in gingiuis, in mandibula ſuperiori, cuius carnis quantitas erat multiplicata ſuper dentes & gingiuas ad modum oui anſeris & plus, remoui eam in quatuor vicibus cū ferris ignitis incidētibus, & in fine remoui dentes motos cum quibuſdam partibus oſſis mādibulæ, emittebat enim ſanguinem in multa quantitate, hora vſtionis, qui perfecte ſtringebatur cum vitriolo, de quo fit encauſtū & cotto vel bombace, comprimēdo cum iſtis fortiter & firmiter locum à quo emanabat ſanguis cum manu: Expectabam inter vnam inciſionem & aliam, quandoq; per dies octo, & plus, curata fuit per iſtum modum perfecte. Et fuit hæc cura facta in ciuitate Veronæ in domo Canonicorum M.CC.LXXIX de menſe Martij. Et nobiſcum in illa cura fuit Magiſter Bernhardus de Grondola, qui multum ſuis manibus in cura laborauit. Et habuimus ex ipſa cura 40. minalia frumenti, à quodam

Hoſtia-

Hoſtiario illius Eccleſiæ, qui erat ſuus Patruus & vocabatur Vbertinus de Placentia. *Placentinus Chirurg.li.1.c.20.*

Cuidam mulieri Aurelianæ excreuit caro à gingiuis parte interna durior,externa mollior, inſignis vtraque magnitudinis. Mulier erat ſterilis,male purgabatur,habitu melancholico. Adhibitū conſilium, monitumque iam ab annis tribus initium eſſe mali, creſcere indies cum dolore,ſed ſine putredine,odore graui,ſine dentium vicinorum corruptione. Vnicum in inciſione remedium. Sed ab inciſione metus hæmorrhagiæ, conuulſionis, irritationis partis, vnde cancer. Tandem viſum fuit exteriorem debere vel ferro incidi, vel filo præligatum tabefieri. Vt videretur num quid oſſis, quod erat ad pediculum, corruptum eſſet, vt inureretur radix, & ſi quid eſſet corrupti oſſis, igne corrigeretur. Quod vt ſuccederet,ad interiorem ſimili ratione veniendum eſſe,à qua periculum maius,quia durior,quia interior pars propter tunicam & neruos magis periculoſa:ac cauterium,quod induretur,deciſa carne immittendum per canaliculum. Hæc omnia poſt purgationes frequentes phlebotomiam, cucurbitulas, deriuationes,integram ſanitatem attulere. *Holler.libell.proprio.Obſ.16.*

Epulis carnea eſt excreſcentia gingiuarum inter dentes,quæ ſenſim ſæpe ad oui augetur magnitudinem, adeo vt & loquendi & mandendi adimat facultatem: ſaniem ſaliuoſam & fœtidam effundit,ac non raro in cancrum degenerat, quod caloris, doloris, & aliorum accidentium proprietate intelligere licebit:tum enim ipſam manu attingere nefas. At quæ ægrum dolore non excruciat reuelli poterit:reuulſionis is erit modus. Filo duplici vincietur, & vincta conſtringetur quouſque decidat:vbi deciderit,locus inurendus cauſtico fiſtula incluſo,vel aqua forti, vel oleo de vitriolo, ea induſtria, vt ne vicinæ partes ſanæ contingantur, alioqui ſi non inuſſeris reuerti ſolet. Eius generis tumores, ſæpe ea arte amputaui tam amplos,vt non contemnenda magnitudine ex ore prominerent, cum ingenti faciei turpitudine: hos cum nulli chirurgi auderent attingere, quod liuida carne apparerent, tentaui tamen quod indolentes eſſent,& reuulſione atq; vſtione ad perfectam ſanationem perduxi: non quidem ſimul & ſemel:nam etſi à ſectione locum inurerem, repullulabant nihilominus, quod oſſis alueoli portio quædam,in qua dentes defixi ſtant, carie correpta eſſet. Sæpe animaduerti eiuſmodi carnem in cartilagineam & oſſeam ſubſtantiam vetuſtate induruiſſe. Itaque quam celerrime fieri poterit aggredienda curatio:nam adhuc exilis,nec altis firmata radicibus, facilius reuellitur,humore viſcido tum ſolum referta, qui ſucceſſu induratur,&difficilem reddit reuulſionem. *Pareus lib.7.c.4.*

OBSERVATIO.

Sanguinis ex gingiuis profluxus periodicus, animaduerſus.

NON abs re eſt recenſere vnum vel alterum hominem, quibus ſingulis menſibus ex gingiuis ad radices dentium abſque dolore aliquo ſanguis exit, qui ſi tamen ad aliquot dies moratur, & ſoli-to non reſpondet modo, in capitis dolorem incurrunt,ac ſic eum ex gingiuis ipſis euocare neceſſe habent, ex iis autem ſtudioſus quidam eſt. *Luſitanus. Cent.5.curat.3.*

Socrui meæ, etſi non ſtatis ac certis temporibus, per interualla tamen quædam, fluebat è gingiuæ ſanguis, quaſi venula inibi aliqua ex anaſtomoſi adaperta. *Alex. Annot. ad cap.11. lib.7.Therapeut. Method. Galeni.*

Vidimus ex gingiuis ſanguinis,profluuia incredibilia,quæ ſupra modum in ſalſa profluebant, & vix ægra ſanitati reſtituta eſt. *A.Benedict.libr.5.cap.3.de curand.morb.*

Ipſe recordor dum primis annis medicinam facerem, me viſitaſſe fabrum quendam Ferrarium, Lienoſum hominē, cui ichoroſi ſanguinis ex venula gingiuæ, libræ amplius octo, per totum diem ac noctem extra fluxerunt. *Donat.Med.Mirab.lib.4.c.9.*

OBSERVATIO.

Sanguinis è gingiuis profluuium,quod nullis cederet medicamentis,ægrum è medio ſuſtulit.

NOS vidimus è loculo dentis longo tempore ſanguinem profluxiſſe, qui nullis remediis ceſſit,ægrumq; tandem ſuſtulit. *Holl.Com.2.ad Aph.18.lib.2.Sect.2. Coac. Hipp.pag.1108.*

DE DENTIBVS.

OBSERVATIO.

Dentes in matris aluo gigni,licet non prodeant.

PRIMI quidem dentes naſcuntur à victu in vtero, & poſtquam natus fuerit,puero lactenti à lacte. *Hipp.lib. de Carnib.*

Dentes in ipſo matris vtero efformari,certo comperi,ſicuti ego perſæpe oſtendi magna adſtantium admiratione, dum ex demortuorum infantium in matris aluo gingiuis ex ſuis alueolis perexiguos dentes eruerim. Idem in nuper natis, quod in extractis ex vtero,atque etiam in abortibus ſeptem & octo menſium explorare mihi licuit. Ea autem diligentia rem hanc perquiſiui, quod de his plerique ne verbum quidem, re nondum illis fortaſſe cognita, aut perquiſita. *Columbus lib.1. capit.10. Anatom.*

OBSERVATIO.

Quidam cum dentibus vel omnibus vel aliquibus nati.

HIſtoriæ ſcriptor ait, Arſamen Perſam natum eſſe dentatum. *Antigonus de Mirab.Narrat.*

M.Curius & N.Papyrius viri clariſſimi cum dentibus nati ſunt:eam ob cauſam Curius Dentati nomen meruit. *Plin.lib.7.c.16.N.H.*

Valeria Romæ cum dentibus nata Regum temporibus, Sueſſam Pometiam illa tempeſtate florentiſſimam vrbem deportata eſt, reſponſo aruſpicum vaticinante, exitio ciuitati, in quam delata eſſet futuram,veridico exitu conſecuta. *Idem libr. 7. cap.16.N.H.*

Oxini puella cum dentibus nata. *Liuius li.41.Hiſt. ab vrbe condita.*

In Piceno infans cum ſex dentibus ortus: tum Turcæ noſtra paſſim loca capere cœperunt. *Polidor. Virgil.lib.3.Prodig.*

Nec

Nos Anno 1572. in puellula magiſtri Matthęi Sutoris, vidimus inprimis ſui ortus diebus tres dentes, manifeſte emiſſos, quæ non vixit. *M. Donat. hiſt. Med. Mirab. lib. 6. c. 2.*

In Cypro inſula tempeſtate noſtra fœminā geminos peperiſſe accepimus, alterum octauo menſe: alterum decimo nono: macie confectum, vtrinque dentatum, qui capitis partem, quam ſinciput vocamus conſumpſerat: is ſtatim æditus omnium admiratione, per vmbilicum irrepſiſſe dicitur: tanquam monſtrificum animal, viuum ſepeliri iuſſerunt. *Benedict. de Curand. Morb. lib. 25. c. 23.*

OBSERVATIO.

Edentulus.

PHerecrates, à quo pherecraticum carmen, edentulus fuit, is namq; nullum prorſus dentem habuit. *Valla de corp. partib.*

OBSERVATIO.

Dentium numerum plærimum variare.

GEnuini pleſunque in cauſa ſunt, cur varius dentium numerus habeatur: modo enim vno ſuperaddito, triginta tres conſtituuntur: ſicuti mihi ſæpe videre contigit in viro quodam Nobiliſſimo: modo duobus detractis aut vno, numerum decreſcere: in aliquibus etiam 28. quod minimum eſt, inuenti ſunt. Licet ego obſeruauerim Nicolaum Ardinghellum Cardinalem, quem honoris cauſa nomino, in ore 6. tantum ſupra 20. dentes habere, neque tamen vllus deſiderabatur. *Columbus lib. 1. ca. 10. Anatom.*

Vidi virum qui natus eſt habens dentes additos: & cuius quædam membra magnificata ſunt. *Hali Rhodoham Comment. ad libr. tertium, Text. 177. Technes Galeni.*

OBSERVATIO.

Duplex, vel nonnunquam etiam triplex dentium ordo obſeruatus.

MIthridatis Regis filia Dripetine Laodice regina nata, duplici ordine dentium deformi admodum comes fugæ patris, à Pompeio deuicti fuit. *Val. Max. lib. 1. c. 6.*

Dentes humani ordinem vnicum ſeruant, etſi aliquando duplex inueniatur: licet raro in hominibus, triplex tamen in puero meo Phœbo conſpicuus, qui rarus eſt, quemadmodum & ipſe rarus eſt ordo. *Columbus lib. c. 10. Anatom.*

Timarchum Cyprium duplicem, Herculem triplicem dentium ordinem habuiſſe (*Plinius N. H. libro vndecimo, capite trigeſimo octauo, Cæl. libro quarto, capite tertio, L. A.*) ſcribunt, huncque Anatomici noſtri temporis, dum publicas ſectiones Romæ adminiſtrarent, in propriis filiis oſtendiſſe ferunt, quod tametſi vt in hominibus aſpicerem, nunquam mihi vſuuenit: tamen quia eximii Medici huius rei teſtimonium præbent, eis fidem habeo, etenim minime dici poteſt, huic iuueni, de quo loquuntur, antequam primi dentes excidiſſent, nouos per alios alueolos foras prodiiſſe. Siquidem hac ratione duplicem tantum, non triplicem ordinem, neq; omnium dentium, ſed illorum ſolum habuiſſet, qui circa ſeptennium cadunt & renaſcuntur: & præterea nō ad decimum octauum annum, quo tempore obiit, ſed breui, priorib. tandem excuſſis, perduraſſet. *Euſtach. libell. de Dentib. c. 29.*

Puer Lutetiæ duos alueolorum dentium ordines habuit, quod etiam in cane obſeruaui. Teſtem eius rei habeo Dominum Seuerinum Pineum, inſignem & Chirurgum, & Anatomicum Lutetianum. *G. Bauhinus de Obſ. propr.*

Anno 1560. Venetiis vidi monſtrum facie hominis, tribus dentium ordinibus: aliquo corpore leonis ſpecie. *Thomaſes Thomaius horto mundi c. 19.*

OBSERVATIO.

Dentium loco vnicum os in nonnullis annotatum.

PRVSIAS Pruſiæ Regis filius, pro ſuperiori ordine dentium vnum os æqualiter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, nec ad vſum vlla ex parte incommodum *Plin. lib. 7. c. 16. Sol. c. 9. Val. Max. lib. 1. c. 8.*

Pyrrhus Epirotarum Rex dentes non habuit diſcretos, ſed erat ſuperiore gingiua perpetuum os diſtinctum, quaſi lineis, quibus deſignabatur dētium interpunctio. *Plut. in Pyrrho.*

Poſt pugnam ad Plateas commiſſam, in qua Perſarum innumeri ceciderunt, cum mortuorum oſſa comportarent vnum in locum Platæenſes, inuenta eſt maxilla, cum eo quod ſuper maxillam eſt, habēs dentes etſi diſtinctos, tamen ex vno oſſe vniuerſos, tam molares, quam cæteros. *Herod. lib. 9.*

Euryphęus Cyrenæus habuit in ſuperiori maxilla vnicum os continuum vice dentium *Rauiſius.*

Euryptolemus Cypriorum Rex, dentium vice vnicum os obtinuit, vt annotauit *ex Iulio Polluce Fallopius Comm. ad lib. Gal. de Oſsib.*

Noſtra ætate in aula optimi Principis Erneſti, Ducis Lunebergenſis, fuit virgo nata in familia nobili, cui fuit os dentiū continuum. Et narrabat Dux Erneſtus, eximiam in ea virtutem & grauitatem fuiſſe. *Melanthon.*

Narrant qdam hiſtorici Pyrrhum Regē Epirotarū, Euryphœū Cyrenæū, & complures etiā alios os cōtinuum pro dentib. habuiſſe, atq; extenſum, ac lineis quibuſdam altis nō aliter diſtinctum, nec alio tenore, quam pleriq; maxillares caprarum conſpiciuntur. Hanc ego coniunctionem in omnib9 dentibus nunquam vidi. Sed tres aut quattuor molares, non aliter quam in pecudibus continuatos aliquādo obſeruaui. Et præterea in quodam ciue meo intuitus ſum in ſenectute iunctos dentes, dura ac pene lapidea materia vndiq; obductos, nullo diſtinctionis veſtigio retento, vnius tantum oſſis ſpeciem præ ſe ferre. *Euſt. lib. de Dentib.*

In nonnullis dentes maxillis adeo nixos obſeruaui, vt diuelli nullo modo poſſent, niſi maxillæ oſſis fruſtū inſigne vna abſtraheretur. *Columb. lib. 15. Anat.*

Quidā Lutetiæ dum dentē euellit, ſimul & partē maxillæ & vicinos dētes detrahit. Hæmorrhagia ſequitur periculoſa. Vocatus in ius chirurgus liberatur. Quia inuenti dentes non inſerti, ſed omnino maxillæ continuati. *Holler. lib. proprio Obſ. 31.*

OBSERVATIO.

Dentes in palato nati.

EST exemplum dentis homini & in palato nati. *Plin. lib. 11. c. 37.*

Geniti & in palato quibuſdam dentes cernuntur. *A. Benedict. lib. 3. cap. 22. Anatom.*

In palato quandoque generati dentes, Alexan. de Benedictis, & quidam alii teſtantur. Quod mihi etiam videre contigit in muliere Romana, cui nõ longe à palati foramine, inciſoribus proximo enatum dentem iuſſi ſcalpello incidi, & igne exuri. Eſt etiam Eugubii in monaſterio Sanctiſſimæ trinitatis eximii iuris vtriuſq; conſulti Hieronymi Gabrielis ex ſorore nepos, cui dens in medio palato, ætatis anno decimo octauo natus eſt, quem etiam nunc habet, & videre licet. *Euſtachius lib. de dentibus cap. 29.*

Dentem nobis quoq; videre cõtigit è mediis faucibus, qua parte linea quadam diſtinguuntur, Ioanni Kerckero, Collegii Baſilienſis apud nos Secretario & compatri meo chariſſimo, cum ætatis ſuæ annum circiter ſexageſimum ageret, enatum. Qui ea parte qua è faucibus prominebat, triquetri lapilli qui è cyprinorum capitibus eruitur, niſi quod durior eſſet, formam quoquo modo referebat. Hunc, quod non parum moleſtiæ ei adferret, ſæpius remediis mollientibus aliiſque, neque enim ferro faucescs irritare conſultum erat, tollere conatus eſt fruſtra, qui tamen poſtmodum ſua ſponte excidit, plurima digitorum vellicatione toties exagitatus. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Dens ſerratus.

SEruum Æthiopem infauſto veluti omine, quod omnes dentes ſerratos velut caninos haberet, olim emere noluimus. *A. Benedictus in Proœmio lib. 6. de Curand. morb.*

OBSERVATIO.

Dens fere aureus, in puero ſeptem annorum viuente conſpectus.

PAgus quidam eſt in Diocœſi Francoſteinenſi nomen Weigelſchdorff in quo puer quidã, ſeptem annos natus, molitoris cuiuſdam, ante quinq; annos mortui, filius, inuentus eſt, in cuius ore dens vere aureus, vt aurifabri, qui huius rei periculum fecerunt, referunt, in inferiori maxilla ſiniſtræ partis conſpicitur. Occupat autẽ iſte, extremum inter dentes molares locum. Puer iſte optime valet, cibumq; abſq; impedimento capit. Quidam dentem iſtum auro arabico ſimilem eſſe arbitrantur, amicus tamẽ quidam meus, qui rem diligẽtius perſcrutatꝰ eſt, potius auro, ex quo coronati cudũtur, poliriſſimo correſpondere affirmat. Sparſerunt nonnulli quoq; rumorem literas quaſdam in dente illo conſpici, vtpote, C. S. C. Verum idem amicus meus, refert ſe diligenter dentem hunc contemplatum eſſe, ac coram quoque ori immiſſam denti fortiter impreſſiſſe, ſed ne veſtigiũ quidem vllius Characteris ſeſe animaduertere potuiſſe. Quid inauditus ille caſus, cui naturalis cauſa vix aſſignari poteſt, portendat euẽtus docebit. *Laur. Scholzius ſuis ad me literis datis Vratisla. die. 3. Cal. Sept. Anno Salutiferi partus. 1593.*

Hiſtoriam hanc veriſſimã eſſe certo mihi credas. Vidi n. hunc hiſce meis oculis, atq; manib. meis, magna certe cum admiratione, contrectari, ac lapide quoq; lydio examinaui, teniq; reuera ita ſe habere cognoui, ante paucas ſeptimanas Schvvidnizii, ꝙ oppidum tribus miliaribus ab eo loco, in quo Puer iſte degit, abeſt; quo Puer ille interceſſione Nobilis & Magnif. Viri Dn. Ioan. à Schindell in Sefterhauſen & Raben, qui tum temporis ibidem erat, à Dn. Friderico Gelhorn in Rogavv, ſub cuius ditione puer iſte viuit, in curru miſſus fuit. Contemplati ſunt tum temporis puerum hũc alii quamplurimi, inter quos ſufficiat allegare tres p̃ſtantiſſimos Viros, DD. Ioan. Muſelinum, Med. Vratisl. Comitem meum, Dominum Danielem Schnepfium, Phyſicum Schvvidnizenſem ac Tobiam Fiſcherum, Med. Doctorẽ, Collegam ipſius. Res profecto mira eſt, ac meo iudicio captum humanũ ſuperans. Quid autem portendat. Soli DEO cognitum eſſe plane non dubito. *Idem ſuis ibidem ad me literis Vratisl. 10. Ianuarij die, Anno ſalutis 1595. datis.*

OBSERVATIO.

Dens ſuper dentem enatus.

IVuenis dentem vnum ſupra alterum enaſcentem habebat, alioqui facie honeſta: huic cõſului, vt is q eleuatus erat ſupra alterum à dentario medico vel tonſore extraheretur, idq; dextre, ne alius læderetur. *Foreſtus lib. 14. Obſ. 12.*

OBSERVATIO.

Admodum ſenibus dentes renati.

IAM quibuſdam mulieribus anno etiam octogeſimo maxillares illi nouiſſimi non ſine dolore exierunt: viris quoque idem eueniſſe accepimus: quod certe iis accidit, quibus in iuuentute ipſi genuini nati non fuerint. *Ariſt. lib. 2. cap. 4. de hiſt. animal.*

Zanctem Samothracem ciuem, cui renati eſſent dentes poſt 104. annos, Mutianus viſum à ſe prodidit. *Plin. lib. 11. cap. 17. H. N.*

Recitat Albertus ſe vidiſſe hominem, anno octogeſimo cui naſcebantur dentes: neque tamen hoc adeo mirum eſt, cum ſupra viginti octo omnibus communes quatuor ſint, qui ſapientiæ vocãtur, qui poſt trigeſimum annum oriuntur. *Cardanus libr. 8. cap. 43. de varietate.*

Dens mihi natus eſt 43. anno, & adhuc eſt mihi in ore robuſtus, & eſt ſuperioris mandibulæ: vltimus à latere dextro. *Idem Comment. in lib. Hipp. de Aliment. lect. 25. textu 26.*

Victoriæ Fabrianenſi cuidam fœminæ, octogenariæ, renati ſunt dentes, ac à defluuio capilli rurſus orti ſunt. *A. Benedictus cap. 1. lib. ſexto, de curand. morb.*

Baroni Zerotino 24. anno genuini dentes proruperunt. *Iordanus Reſp. ad Ioubertum.*

Niſi fuerint à Typographo tranſpoſiti numeri (vt 24. pro 42. is male ſcripſerit) res noua aut mira non eſt, dentes genuinos ea ætate prorupiſſe, quum terminus illorum eſſe ſoleat, finis adoleſcentiæ, vnde & ſapientiæ dentes (græce σωφρονιστῆρες) dici meruerũt. Vicina Pezenatio eſt Nobilis fœmina *Labaliers* cognomine, cui iam anui, prorſuſque edentulæ, circa ſeptuageſimum ætatis ſuæ annum, dentes plurimi ſunt renati, ſed ii perexigui tenueſque & imbecilles, & in prima ætate. *Ioubert. in Apolog. pro Paradox. 7. Decad. 2.*

OBSERVATIO.

Maxillares dentes renaſci.

OMne genus dentium & anteriorũ & poſteriorum renaſcitur, & etiã molares: quamuis *Ariſt. in 2. de hiſt. animal. cap. 1.* dicat quod molares in nullo genere animantium renaſcantur, nec cadant. Hoc tamen eſt falſiſſimũ, quia vidi, & auulſi dentes maxillares, qui renati ſunt, & vt dico non vnum aut al-

terum, vel tertium, ſed centeſimum: & proferam teſtimonium certiſſimum Eſt Piſis Simon Portius qui habet filium, cui ego auulſi tres vel quatuor dentes maxillares, & creuerunt alii eiuſdem roboris & fortitudinis: ideo raro quidem concidunt per ſe, & rarius quã anteriores: tamen decidunt & renaſcuntur, prę́ſertim intra ſeptimum & decimum quartum annum. *Fallopius Comment in lib. Gal. de Oßibus.*

Vidi ego militem fortem & carnoſum dicentem, quod in termino 43. anni natus ei fuit vnus ſapientiæ dentium, & in 44. alius & in 45. in quo erat tunc tertius, ſicut alium vel alios, qui amittentes omnes ante 60. annum dentes regenerati ſunt denuo, prioribus tamen minores & imbecilliores. *Aponenſis Conciliat. ſui Diff. 39.*

Observatio.

Duo inciſorij dentes poſt annum 40 enati.

VIdimus Theologiæ Doctorem, cui poſt annum 40. in maxilla inferiore duo anteriores inciſorii, intro proruperunt, exterioribus duobus fere abſumtis. *G. Bauhinus part. prima Anat. de ſimilar. cap. 7.*

Observatio.

Ex defluxionibus, dentium alueolos aliquando ita repleri gypſea pituita, vt dentes extrudantur.

DE defluxionibus, quibus obnoxii ſunt dentes, illud dicere non prætermittam, obſeruaſſe me non ſemel præſepiola tantam copiam gypſeæ materiæ coaceruaſſe, vt cõcauitate repleta, dentes omnes prorſus à vinculis ſoluti, ſenſim foras expellerentur, ac tandem ſponte caderent. *Euſtachius in libel. de Dentibus cap. vltimo.*

Observatio.

Lapides dentibus adnati.

FIunt dentifricia, quibus dentes leuiter confricamus ne doleant: quæ gingiuas adſtringendo iuuant, ac inhærentes eximant tophos, quos πώρους Græci vocant. Ii enim denſata colluuie circa dentes adnaſcuntur, vt in conchis marinis. *A. Benedict. lib. 6. cap. 2. de curand. morbis.*

In quodam ciue meo intuitus ſum in ſenectute iunctos dentes dura ac pene lapidea materia vndique obductos nullo diſtinctionis veſtigio retento, vnius tantum oſſis ſpeciem præ ſe ferente. *Euſtachi. cap. 29. de dentibus.*

Partes quæ à ſe inſitas facultates habent, nec aliunde ſuſcipiunt: raro pariunt calculos: in dentibus tamen, ſeu circa dentes, & circa caluariæ oſſa adnaſci, nemini dubium eſt. *Fonſeca cap. 5. lib. 1. de calculis.*

Mihi quoque, tum præſertim vbi liberalius caſeo, qui lentorem talem peropportune præſtare poteſt, veſcor, lapides dentibus adnaſcuntur, lenta nimirũ materia dentibus adhærente, & interna oris caliditate in lapideam duritiem coacta. Quos ego tophos cultro ſæpius dentibus auulſos lentis craſſitie, magnitudine vero dentis, cui innaſcuntur, oſtendere poſſum, qui vbi recens auelluntur, molliores ſunt inſtar calculorum, qui ex renibus iamiam prodeunt, aeri autem vel tantillum expoſiti, ſtatim, vt corallia mari exempta, lapideſcunt. *Schenckius.*

Observatio.

Vermes dentium.

VErmes aiunt (Auicenna, &c.) ſubnaſci dentibus, & hos arrodere, à quibus dolor non ita fortis, pruriginoſus, nulla aut pauca ſaliuatio, &c. Quod autem vulgus ſibi perſuadet, & ab antiquis medicis ſcriptum eſt, de ſuffumigio è ſemine hyoſcyami, videtur fabuloſum. Nam inde aiunt manifeſte vermes excidere. Reuera incenſo ſemine euolant tanquam vermiculi, etiamſi non attingat fumus vermiculoſum dentem. *Hollerius in Periocha ad libr. 5. Galen. de compoſit. medicament.*

In dentibus vermes reperiri, haud infrequens eſt. *Dodon. in ſcholijs ad cap. 100. Beniuenij de Abdit.*

In dentibus vermes innaſci non mirum eſt, quoniam & in ventre, inteſtinis, ſedisque partibus, auribusque oriri videmus. *A. Benedictus libr. 6. cap. 13. de curand. morb.*

Fiunt vermiculi etiam in dentibus, auribus, &c. *Rondeletius in hiſt. aquat. cap. de Cancro fluuiat.*

Viſuntur vermes frequentes in narib. dentib. &c. *Thom. à Veiga. Comment. ad libr. primum, cap. 5. de locis affectis Galeni.*

Observatio.

De dentibus plura alia rara.

HAli ſenibus omnes dentes iterum natos teſtatur. Quodque poſteriores medici, vel quaſi figmentum ſpernunt, vel ea ſaltem conditione concedunt, vt renati dentes, naturæ admodum diuerſę ſint. Quibuſdam mulieribus pro vno quoque filio, quem pariunt cadere fabuloſum eſſe arbitror. Si verum eſſet, eius ratio haud reddi facile poſſet. Illud conſideratione dignum videtur, quibuſdam non ſeptimo, ſed decimo tertio & decimo quarto anno conſuetos renouati dentes cecidiſſe, atque iterum natos fuiſſe. Alios, ſtatuto definitoq; annorum numero, nimirum ſemel poſt ſeptimum, iterum vero poſt decimumquartum annum eoſdem dentes bis amiſiſſe, & totidem denuo recepiſſe. Neque illud prætereundum eſt, nonnullis, vigeſimum ætatis annum agentibus, genuinũ erutum, eodem anno renatum eſſe. Multisq; demum iuuenibus bene temperatis ac fortibus, molarem, modo vnum modo alterum extractum, iterum creari. *Euſtachius libr. de dentibus. cap. 29.*

Observatio.

Dolores dentium plerumque à cauſa calida excitari.

REmedia dentium doloribus mitigandis deſtinata plæraq; calida exiſtũt. Sed vſus artis oſtendit plæroſq; tales dolores ex acri ſanguine aut deſtillatione calida proficiſci. Itaq; caute agant medicinę communi opinione decepti, colluuionibus ſuis calidiſſimis potius ægris maiorem moleſtiam creent, quam leuationem doloris efficiant. *Oethæus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Dentium dolor, qui genuinis prodeuntibus excitatur, non catapotijs, ſed ſcarificationibus tollendus.

GEnuini ſunt illi, qui primum pubertatem Venerisque vſum hominib. cũ maximis ſubinde cruciatibus prodeunt: Id quod medici parum obſeruantes, aut alios dentes euellunt, aut humorũ vitio eos infeſtari, ſibi perſuadentes, ægros catapotiis atq; id gen⁹ pharmacis obruũt. Cũ dolore affectis nullũ, leui gingiuarũ ad poſtremum dentem ſcarificatione

ac

ac interdum oſſis pertuſione, præſentius remedium adferri poſſit. Id quod ipſe etiã, modo experior, cui hæc ſcribenti trigeſimus ſecundus dens, ætatis meæ vigeſimo ſexto anno ſuccreſcit. Atq; id etiam arguũt permultæ caluariæ in cœmiteriis occurrentes, in quibus poſteriores illi dentes veluti in cauea quapiã adhuc reponuntur ac latitant, quibuſdam ſuæ baſis apicibus os tenuiſſimum perforantes. Cuiuſmodi caluariam nuper mihi exhibuit humanæ fabricæ q̃ ſtudioſiſſimus ac valde peritus Iuuenis Ioan. Paulus Guiducius Vrbinas, mihi amiciſſimus. *Veſal. lib. 1. cap. 11. de human. corp. fabrica.*

OBSERVATIO.

Dentitio puerorum ex gingiuarum duritie deſperata, vti ſcalpello ingenioſe adiuuanda.

NON rato fit, vt omnia remedia propter gingiuarum ex duritie contumaciam, aut naturę puerilis infirmitatem, nihil proficiant. Itaque in tali caſu antequam lethalia ſymptomata ſuperueniant, ſuaſerim chirurgo vt ſcalpello gingiuas qua ſe tumore produnt dentes, aperiat, rupto ſic & illis aperto vi & ferro via, vnaq; tenſione gingiuarum leni hęmorrhagia citata. Cuius ego remedii, periculum ſecundo & optato ſucceſſu ipſe feci in aliquot ex meis liberis, præſentib. Feureo, Altino, Cortino medicis & Guillemeau chirurgo regio. Id ſatius & expeditius etiam, quam quatundam nutricum naturæ ſolo inſtitutum edoctarum more, vnguibus & ſcalptu gingiuas pueriles laniare & atterere. Duci Niuernenſi mortuus eſt nuper octimeſtris puer, mortis cauſam cum anxie vna cum Medicis, qui illi ægro adfuerant exquireremus, nõ aliam inuenimus, quam gingiuarum ex duritie contumaciã maiorẽ quam quæ ætati illi cõueniret, ſie enim protumpere & viam ſibi moliri dentes ipſi per ſe non potuerant. Cuius ſententię id extitit argumentum, quod reſciſſis ſcalpello gingiuis, dentes omnes velut in procinctu ad egreſſum apparuerunt, ſi tantum illi viro hoc remedium & auxilium non defuiſſet. *Pareus lib. 23. cap. 67.*

OBSERVATIO.

Ad dentium dolorem remedia aliquot noua, de experimento comprobata.

MIra vi prædita eſt Nicociana, quam Herbam ſanctam vel Petum, aut Reginæ vocant; nuper huic orbi illata. Cum ego ipſe ante annũ vehementer ex dente laborarem, hanc decoxi ex aqua, adiectis chamæmeli floribus; tepidi huius decocti cochlear ore tenebam, expuebam, ac idem agebam, horis duabus: dolor miteſcebat: poſtridie cum ex more meo hortulum in ſuburbiis acceſſiſſem, inclinatoq; capite quid graminis euellerem, liquor croci flauedinem referens copioſe è naribus meis affluxit: Nicocianæ odorem referens: ac omnis dentium dolor euanuit. Mihi toto vitæ curriculo nec ſanguis, nec quid præter ſeroſam pituitam, è naribus fluxit vnquam; at nihil ego vidi hoc effluxo liquore flauedine altiore tinctum. *Heurnius Method. lib. 1. ad praxim.*

Optime probata per experientiam in Illuſtriſs. quadam principe ac Domina &c. quæ torquebatur infeſtiſſime, dentis cauernoſi dolore, & pellendo vſa fuit multis variiſq; medicamentis in tali caſu vt ipſa afferebat, expertis & probatis ſed hic nil quicquam profecerant. Ego vero præſens Celſ. ſuam interrogo, an adhibuiſſet quoque Oleum Camphoræ. Hoc enim affirmabam certo domare & abolere omnem dolorem: & vbi alia remedia in caſſum admouerentur, hoc dubio procul reſiſtere dolori atque iuuari. Tum mox reſpondit Celſ. ſua, ſibi tale oleum non eſſe: poſtulare autem à me, ſi habeam in promtu. Tum è veſtigio guttas aliquot iſtius olei goſſipio paruo excipio, ac dentis cauernæ applicare iubet, quo facto cruciatus illico præter omnem exſpectationem inhibitus, & ſuppreſſus ex toto fuit, necamplius rediit. Laus & gloria Medicinarũ Creatori. *Rulandus Cent. 2. Curat. 3.*

Experientia multorum communita inter quos eſt optimus vir, M. Sebaſtianus Coruinus Scholæ Laugingànæ profeſſor: qui dentis dolore acerbiſſimo cruciabatur. Ad quem accedens ſupra dolentem dentem eiuſque foramen admoueo Olei ligni Heraclei guttas aliquot goſſipino lino, vel linamento capro exceptas: & cum id remedii genus ter repeteret, intra dimidiam horam, dolor derepente ſedatur, & ex toto tollitur nec amplius reuertebatur. Eſt enim certum & optimum contra dentium cruciatus qualeſcunque remedium: quod vermiculos necat, humores affluentes per os copioſe educit. Quo ipſemet ego quoque ſæpenumero ſum vſus; eoq; omnis dolor, illico vincebatur, & euaneſcebat. *Idem Cent. 2. Curat. 99.*

Sulphuris oleo ac potius, aqua, vtimur egregie ad dentes cum dolent, præſertim vbi foramen habent, in quo putreſcunt humores, & quę extrinſecus accidunt, exiccat enim hæc aqua egregie. *Rubeus Sect. 2. cap. 24. de Deſtillat.*

Molybdæna ſiue plũbago Plinii Dentilaria Nutbonenſium & Rondeletii, Romæ herba S. Antonii vocatur. Italis cæteris crepanella in Illyria Cucurida Granatenſibus beleſa vulgo. Cauſtica eſt planta quę applicata carpo in doloribus dentium, admodum commendatur: quamuis alii etiam manu retentam efficacem eſſe exiſtiment. *Camerarius.*

Radices pruni ſylueſtris ablato nigro cortice decoctæ in vino, ſunt remedium ſingulare contra dolores dentium. *Idem.*

OBSERVATIO.

Dentes vacillantes aut mobiles non ſtatim eximendi, ſed firmandi potius.

SI lapſus aut ictus violentia dentes commodi labant, minime eximendi ſunt, ſed reſtituendi, & ad proximos qui bene hærent vinciendi, tempore enim in ſuis alueolis confirmantur, quemadmodum expertus ſum in Antonio *de la Rue* veſtiario: cui pugionis capulo cum maxilla fracta eſſet, & tres dentes concuſſi, ac fere ſuis alueolis excuſſi, reſtituta maxilla, redditi ſunt ſuo loco dentes & filo duplici ceratoq; proximis aduincti, de cætero expreſſis ac colatitiis ſimilibuſq; iuſculis hominem nutriui, adſtringentia gargariſmata ex nucibus cupreſſi, myrtill. & pauco alumine in oxicrato incoctis concinnaui, eaque ore verſare iuſſi: his artibus perfeci, vt mox illi æque facilis eſſet atq; antea in omnem dentium partem manſus. *Pareus loco citato.*

OBSERVATIO.

Ex dente putrido ſine vi euulſo, mira hæmorrhagia in annoſa muliere curata.

EX dente putrido ſine vlla vi ac ſine ferro euulſo ſed ſolo digito apprehenſo, & leniſſimo concuſſu emoto atque educto, ingens ſecuta hæmorrhagia ex arteria gingiuæ ſubdita, cui dens innitebatur, ſanguine vbertim fluente, vt riuulus è fonte manans videri poſſet, in vidua anu Docelina Voltana, honeſta muliere. Viſum Arelate anno reſtitutæ ſalutis ſeſquimilleſimo quinquageſimo nono, Iulii menſis viceſima nona: & quæ à me breui curata fuit, cum triduum totum perpetua in cruentatione non vocato medico conſtitiſſet. *Valleriola lib. 5. Obſeruat. 3.*

OBSERVATIO.

Vt dentes ſine dolore & ferro extrahantur.

MArinæ paſtinaceæ radius, qui eius cauda enatus, aduerſis ſquamis reflectitur, dentium dolorem mitigat, nam eos frangit & euocat. *Dioſc. lib. 2. cap. 19.* Paſtinacæ radio ſcarificare gingiuas, & in dentium dolore vtiliſſimum. Conteritur is, & cum helleboro albo illitus, dentes ſine vexatione extrahit, *Plin. lib. 32. cap. 4.* Quapropter mirari non licet, ſi quandoq; in plateis circulatores, dentium extractores cernimus, qui dentes abſq; ferreis inſtrumentis, nullo illato dolore, extrahunt. *Matthiolus Comm. ad præallegatum Dioſc. Locum.*

Dens putris eruitur citra dolorem, capſula ex gummi arboris mori impoſita. *Montuus Anaſc. morb. tom. 2. lib. 1. cap. 2.*

Vt dens ſponte decidat, impone oculum vitis albæ repurgatum, ceraque munito. *Idem ex Myrep. opere iam citato.*

Tradunt nõnulli radices aſparagi ſiccatas, & dentib. infixas, illos abſq; dolore eradicare. *Mizald.*

Colocynthidem ſylueſtrem coque, prius tamen tritam, & in aceto infuſam, donec mellis acquirat craſſitudinem, & ſcarifica gingiuas circa dentem, & iube claudere os per modicum temporis: poſtea accipe dentem cum digitis & ſequetur ſine dolore. *Bayrus lib. ſexto, cap. 14.*

Aqua extrahens dentes ſine dolore, accipe ſal armoniacum & deſtilla per alembicum, tange cum ea aqua dentem, & cadet ſine dolore. *Idem.*

Puluis coralli rubri, concauitati dentis immerſus, dentem eradicat. Diſſolue ammoniacum cum ſucco hyoſcyami, tange dentem & cadet. *Idem.*

Adeps ranæ viridis, quæ habitat in arboribus, denti appoſita, frangit ipſum. *Idem.*

Circunda & emplaſtra dentem cum fermento & dimitte per dimidiam horam, poſtea tange cum ſanguine lacertæ. *Idem.*

Aliud: circunda dentem fermento, per mediam horam relinquendo, prius tamen dentem circumcirca denudando: deinde accipe vermem dictum campe, qui adhæret foliis caulium, & appone denti caute, ne alios contingat, & cadet. Si dens eſt de ſuperioribus, accipe vermem in ſuperiore parte folii, ſi de inferioribus, in inferiore parte folii. *Idem.*

Nobilis à Rüſchach/ cum maſticatoriis vſus eſſet, aliquandiu inter expuendum dentem integrum atque illæſum ſine omni dolore expuit, quem vi medicamenti extractum eſſe ipſemet fatebatur: coniecturam ex eo, quod manifeſte ſuccionem, veluti à medicamento ſenſerit, ſenſimq; dens vaccillare cæperit, deſumens. *Platerus de Obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

Hominis ſani dens, in auulſi alterius locum ſuffectus, ſtabilitus.

AVditum habeo ab homine fide digno, viſam ſibi primæ nobilitatis mulierem, quæ in auulſi dentis locum alium ſibi ſanum, pediſſequæ cuidam ſuæ eodem tempore exemptum, extemplo ſubſtitui & inſeri iuſſit, qui temporis progreſſu ſeſe velut actis radicibus obfirmarit, ſic vt in ipſum indolenter, vt in reliquos ipſa manderet. Sed vt iam dixi, de hac re nihil præter auditum habeo. *Pareus lib. 16. cap. 26.*

OBSERVATIO.

Dentes fictitij, quibus ſenio aut aliter edentulis factis, non tam deformitas emendatur, quàm articulatæ vocis formandæ defectus reſarcitur.

NOn inutilis eſt ſimulata dentium ex ebore ſtructura exemtilis: etenim non tantum hęc ad ornatum facit, ſed etiam confert ad eloquutionem, & ad ciborum commanducatum. *Montuus lib. 2. cap. 10. Anaſc. morb.*

Quidam adalligarunt filo aureo aut pectine eburneo, ſimulata dentium ſtructura, ita vt cernentes fallant, ita apte collocant, vt cum comedendi hora fuerit, exemptiles habeant. *A. Benedictus in Proœmio lib. 6. de curand. morb.*

Dentes cum excidiſſent, Merulus Alexandrinus, noſter præceptor, aureo filo ad pronunciationem obligabat. *Idem lib. 3. cap. 22. Anatom.*

Non infrequens eſt, vt ab ictu aliquo graui dentes anteriores dimoueantur, frangantur, excutiantur. Qui caſus oris deformitatem infert, & expreſſius loquendi libertatem intercipit. Itaque reſtituta maxilla, & priſtinæ ſoliditati reſtitutis gingiuis, alii dentes in excuſſorum locum oſſei vel eburnei reponendi ſunt, & tum inter ſe, tum ad proximos ſanos & integros, præcipue quidem aureo aut argenteo filo, ſin minus etiam lineo alligandi & deuinciendi, quemadmodum ab Hippocrate proditur. *Pareus lib. 22. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Erutis dentibus mortui.

DVo eruto dente obierunt, ob multitudinem ſanguinis, ſed alter eorũ erat decrepitus, in reliquo fuit vas ſatis amplum in radice dentis, & laceratio magna. *Cardanus de Cauſis ſig. & morb. pag. 155.*

Bononiæ cõtigit eo tempore, quo ſtudiis ibidem in Italia impalleſcerem, quod Dentarius in foro publico, cum in ſene detraheret dentem, ſubito extinctus eſt. *Foreſtus lib. 14. Obſ. 4.*

OBSERVATIO.

Opiato oleo denti dolenti inuncto, perpetua indolentia, quam mors excepit, ſubſequuta.

IAcobus Iuſtinianus Patritius Venetus, in dentis dolore Pataui impoſito oleo opiato, ſopore perpetuo extinctus eſt. *A. Benedictus lib. 6. cap. 23. de curand. morb.*

DE

DE FAVCIBVS, PALATO ET RELIQVA INTERNA ORIS REGIONE.

Observatio.

Lapis in faucibus enatus.

QVIDAM dixerunt ſe vidiſſe Lapidem generatum in faucibus *Nicol. Serm. 5. tract. 9. cap. 12.*

Observatio.

Faucium inflammationis ex pulſu, oris inſpectione & idoneis medicamentis dignotio & curatio, contra Theſſalicos aſinos.

REdierat Commodus à lucta, cum ecce priuſquã cęnaret, hora octaua febris ſatis vehemens eum adorta eſt. Vt pulſum vero attigi, membrum quodpiam inflammari viſum eſt. Quod ſimul atq; Pitholaus audiuit, mirari ſe dixit, quomodo fauciũ inflãmatio, pueri pulſum, immutare poſſet: neq; n. eum alia vlla parte inflammationem habere. Atq; ita Cõmodi os adaperiẽs inſpicere me iubebat. Cum igitur fauces aſperas quidem & rubras admodũ eſſe, parũ tamẽ intumuiſſe vidiſſem, quis illi os colluiſſet, poſtulaui, medicamento plus, quã puero cõueniret adſtringente. Reſpondente a. Pitholao ſe eum fuiſſe, qui pueri fauces abluendas cenſuiſſet medicamẽto, quod ex melle & obſoniorum rhu compoſitum fuerat: id vt omitteret, iuſſi & aquã mulſam, in qua roſæ ferbuiſſent, admoneret, præcepi: eaq; ſola vteretur nocte illa, & ſubſecuturo die ſæpius, ac poſt eũ diem nocte ventura. Tertio autem die primo mane, cum inflammatio prorſus ſubſediſſet, & penè ſine febre puer eſſet, Pitholaum monui, paulo poſt alumnum in balneas, cubiculo vicinas ductum, aqua perfunderet, alueo cõtenta, ac reliquũ quidem corpus obrueret, caput autem ſolummodo mergeret. Quæ cũ peregiſſet, & large prandium exhibuiſſet, ſub horam tertiam Ania Fauſtina Imperatori matrimonio iuncta, perinde atq; ſe excuſatura, quod pridie Cõmodum non vidiſſet, acceſſit: eſt heri inquit, poſt prandium noui te fili ægrotare. iiſq; etiam addidit, Notũ puto debuiſſe vos octauam horam exceſſiſſe, qua febris inuadere ſolebat. Subriſit Pitholaus, & quomodo non expectaſſemus, inquit, Theſſali diatritem ꝑteriiſſe, niſi nos Galenus iſtè, vt hoc mane puerum inſpexit ſquallidum, ac modice febrientem, prohibuiſſet? quin & hoc veſpere lauet ſe rurſus, mandauit, ac cænet, quemadmodum ſanus facere conſueuerat. His auditis Fauſtina parumper ibi commorata, me manu appræhendens exiuit, ita in medicum quendam ex comitibus ſuis methodicum iocans: Galenum hunc vides non verbis, ſed rebus, vos methodicos expugnare. Multos enim quos incipere febrire exedebatis, lauit: multoties & vinum ipſis exhibuit, atq; alios primo, alios tertio die ad conſueta negotia dimiſit. Vos autẽ, quotquot eſtis, ſimul atq; duobus primis diebus ægrotantes ſine cibo, perſeuerare imperaſtis, ſuſpectas poſtmodum horas decumbendo tranſgrediantur, iubetis. Ac nunc quoq; ſubiunxit, ſcientiæ ſuæ certitudinem oſtendit in abſentis Imperatoris filio, quem duobus iam diebus, vt tum quoq; heri intellexiſti, vehementius febrientem, tertio die, quemadmodum vos oportere dicitis, octauam horam non expectare voluit, ſed cum ante & lauit & cibo recreauit. Ipſeque adoleſcentis altor Pitholaus, qui vſqueadeo diligens eſt, vt eius diligentiam formidinem exiſtimare poſſis, viri artem pridẽ expertus promte obtemperauit, eſt, prius, quam ſuſpecta inuaſionis hora exceſſerit, puerum vt vides, & lauit & cibauit. Hęc Fauſtina dicens ad currum peruenit, in quem cum aſcenſura foret, me ma- g· ·abiens, dixi quam antea, medicis reddidiſti. Digreſſus ad Pitholaum me contuli, cui & hoc idem expoſui, & ob huiuſcemodi medicorum inuidiam, me nuper libros tres compoſuiſſe, vnum de febrium differentiis, alterum de diebus decretoriis, tertium de criſi. In quibus omnibus Hippoc. monſtraui tradidiſſe artem præcognoſcẽdi, quid in ſingulis ægrotantibus euenturum ſit: ii vero hebetes vſqueadeo ſunt, vt neque meis expoſitionibus adiuti: ipſam ediſcere queant. *Galenus lib. de præcognit. ad Poſthumum, cap. 12.*

Observatio.

Ex acri defluxione palati pars ad linguæ baſim mollior exeſa.

CVidam è fluxione acri palati pars mollior ad radicem linguæ perforata eſt. Purgatum corpus, detractus ſanguis, imperatum gargariſma è decocto guaiaci, & lacte, contactus locus aqua alchymiſtarum cocta cum galla, malicorio & roſis. Acus imperata bene longa, poſtrema parte incurua, & ſub mucronem perforata, qua filum ſuendo loco traduceretur, è filo ſericio cerato: præterea vt primum coagmentum vulneris reſcinderetur, ac rurſus reſueretur. Ex quibus cum conſecuta non fuiſſet integra ſanitas, locus cera, vel ſpongia occluſus manſit, & poſtea bene habuit æger. *Hollerius libell. proprio Obſ. 4.*

Observatio.

Palati lacuna morbi gallici vitio aut aliter deperdita, vt replenda.

NOn raro fit vt bombardulæ igniuomæ miſſili globo oſſis palati portio fracta, vel virulentæ luis cariæ exeſa procidat, quo fit vt minus expreſſe loquantur ægri, ſed obſcurius, & turpidius: his etiam opis aliquid adferre arte noſtra operæpretium duximus. Id fiet repleta palati lacuna argentea vel aurea lamina paulo maiore quam ipſa lacuna ſit. Cæterum craſſitie quæ aurei nummi ſolati craſſitiem non excedat, figura teſtudinea ad eius exteriorem, quæ ſcilicet, cerebrum verſus ponenda eſt partem, religata hærebit ſpongiola, quæ mox humore à cerebro ſtillante vbi ſe ingurgitarit, ſic lacunam, tumidior facta, implebit, vt excidere lamina ipſa nequeat, ſed per ſe hæreat, ſtetque tanquam defixa. *Pareus lib. 22. cap. 3.*

Plura vide apud *Luſit. cent. 5. curat.* 14. Et *Traianum lib. 7. cap. 18. de morbo Gallico: Fallopium de eodem morbo cap. 79. Rennerum pag. 133.*

Observatio.

Caruncula in palato.

CAruncula in palato, iuxta poſteriorem dentium ſedem, radice anguſta, cuidam nata: multis iam annis citra impedimentum propendet: accidit tamen veſiculã oblongam ſanguine atro oppletam huic accreuiſſe, quæ dum in fauces dependens, moleſtiam aliquam exhiberet, caſu in cibi maſticatione confracta, euanuit. *Platerus de Obſeru. propriis.*

OBSERVATIO.

Cancer oris nuper natorum, cancer albus dictus.

ADhæreſcit nonnunquam recens editis puellis colore & cõſiſtentia cretaceum aliquod excrementum, ad oris internas partes, linguamq; totam. Id vitium ab oris intemperie natum, Cancrum album Gallorum vulgus nominat, & lactandi libertatem intercipit, in vlcera mox in fauces vſq; gulamq; ſerpentia, niſi detergeatur, degenerans, & mortis cauſas pleriſque inferens. Quod ne accidat medendum ipſi erit, deterſione procurata, ex linteolo bacillo alligato, immerſoque in medicamentum mediocris conſiſtentię ex oleo amygdalarum dulcium, melle & ſaccharo paratum. Hoc enim blande affricto madefactæ & deterſæ ſordes eluuntur. *Pareus lib.* 23. *cap.* 17.

OBSERVATIO.

De ſcirrho ingenti, in ore nato: à multis pro cancro habito.

CErdo qui ad diui Dominici Cęnobium habitat, ſcirrhum prædurum, ſed non omnino doloris expertem, in ore habet, qui ex maxilla ſiniſtra ſuperiori ad palatum, ab hinc duos annos ortum, traxerat, & ita ingentem magnitudinem occupauerat, vt ex dente inferiori, illi reſpondente, ex directo, ita fortiter comprimeretur, vt medici conſilio, dentem illum album ſolidum & apprime fixum, extrahere curaret. Cęterum, hic ad manus duodecim medicorum pro ſalute ſua, (vt aiebat) iam conuenerat, quorum nonnulli affirmabunt morbum huius generis eſſe, vt eo ſciſſo, aut perforato, illico vitam cum morte commutaturus eſſet æger, forte putantes, cerebri medullam ad eam partem deſcendiſſe, & ſimilem hunc eſſe caſum illi de quo alias, diximus, præcipue, de puero corniculũ capite habente, alii autem morbum hunc cancrũ eſſe ꝑdicebant, reliqui vero morbum nunquã antea ab eis viſum ac eà de cauſa nolle illius aggredi curationem, nec de eo periculum facere affirmabant. ad hunc igitur aduocatus ipſe, tumorem prædurum, ſolidum, decliuiori tamen in parte aliquantulum mollem, animaduerto, qua de re, purgato ex leui pharmaco, corpore, in mentem venit, ꝙ tumor hic pręedurus cum ſit, & locus minime idoneus, vt emollientib. medicamentis, & aliis ad curationẽ facientibus, vti libere poſſimus, candente vti ferramento, ſummum in hoc caſu eſſe remediũ duximus, eo n. humorem illum frigidum, ſaxi duritiem præ ſe ferẽtem, caliditate ignea emolliri, & ea ipſum ad optimam viam exteri credibile erat. proinde ore adaperto, inſtrumento vulgari, ad id adaptato, tumorẽ hunc ignito ferramẽto perforo, ex quo aquoſitas nulla tunc, ſed poſtea ſanguis ac aqua dilutus, exiuit, tunc tumor minor factus eſt, colore rubicundus, tactu mollis, & mitis, qui eo tempore vnguento à pinguedinibus variis parato, colluebatur, cęterum elapſis duobus diebus, hic febri pertentari cœpit, & de capitis dolore conqueri, ſed ſequenti die melius habuit, vlcus tamen ex ſe putorẽ quendam emittere cœpit, vt æger ipſe de eo conquereretur. Cæterum vlcere ſæpe colluto ex decocto parato, roſis & orobo, melius habuit, vt omnib. iam ſpes eſſet, hunc ad ſanitatem peruẽturum, ſemituberculi autem quantitas abſumpta erat, demum vt multa paucis contraham, his poſtea ter exuſtus fuit, & ad radices tuberculum extirpatum videbatur, ꝓ cuius ſeminariis eradicandis oleo vitriolæo vti opus erat, ſed interea, Raguſium, tunc dimiſſo Piſauro, me contuli. *Amat. Luſitanus. Cent.* 5. *Curat.* 99.

OBSERVATIO.

Alia ſcirrhoſi tumoris, ex ore excreſcentis hiſtoria & curatio.

NOn ita dudum in manus noſtras caſus nouus & admirandus incidit, & paucis vt eſt ſuſpicio, viſus, aut auditus. Mulier erat quinquagenaria maior, in ſiniſtra maxilla frequenter habens chœradas, verrucis non abſimiles. q̃ cum annos aliquot, fixæ ibidẽ hæſiſſent, atq; incrementũ facerent, accidit tandem, vt eo fere loci, vbi genuini dentes oriri ſolent, tuberculũ ſeſe inſinuaret, quod ſenſim augeſcens in tantam molem extuberauit, vt totam buccam prorſus diſtenderet, adeo vt miſeram, tynico ſpaſmo, aut oris tortura apprehenſam diceres. Et quum illa fruſtra, vel ab ipſis empeiricis opem imploraſſet, ita tãdem excreuit, & in eam duritiem degenerauit (erat enim cartilaginoſa ſubſtantia) vt depreſſis inferioribus dentibus, & loco ſuo quodammodo motis, occupata oris circumferentia extra os prominens, punitum malum magnitudine æquaret adeo vt iam viam ingerendo cibo & potui fere præcluſerit: quando nihil in buccam aſſumere potuerit, quod non citra maximos labores, auricularis digituli adminiculo ingereretur. Quum igitur eo, vt dixi res deueniſſet, aduocor cum cheirurgo. & pharmacopœo noſtro: admiramur protinus inſolitum paucis cognitũ, & periculi plenũ morbi genus, idq; eo potiſſimum, quod illa nobis recitaſſet, quod quum agyrta quidam, per ſectionem malo mederi ſtuduiſſet, minimum abfuerit, quin ex immodica ſanguinis profuſione animam exhalaſſet. Igitur dum hæſitabundi quodammodo inter nos conferimus, qua ratione commodiſſime præſenti ſymptomati ſuccurrendũ ſit, & dum ego idem ad aliquod ab Hipp. Galenove ſcriptorum fruſtra referre ſtudeo: venit tandem in mentem *curatio 99 centuriæ quintæ Amati Luſitani*, in qua agit de ſcirrho ingenti in ore nato, & tandem per vſtionem exemto: Prætetea ſuccurrebat nobis locus *Theophraſti Paracelſi libro de Apoſtematibus cap.* 15. vbi morbum quendam deſcribit (quem Alcola vocari dixit) cui omnia accidentia quæ accidiſſe huic mulieri diximus, accepta refert, tantum in natalibus nonnihil à noſtro, diſcrepare videtur, dicit enim. Alcola eſt carnis quędã ſuperfluitas, ex venis Iouialibus, per Martis Regiones tranſeuntibus & naſcitur ſolum in emũctorio Martis, id eſt, Oris labiis: Noſter autem hic morbus, vt iam memini, originem trahebat circa extremum maxillæ inferioris proceſſum, quem περιϐολὴν vocant. Perpenſis igitur ſingulis atq; animaduerſo ſitu, & quam non atra ſummum vitæ periculum cauteria hęic in vſum vocare poſſemus, quãuis Amatus Luſit. dicta curatione ea via ꝓceſſerit, & Paracelſus Alcolam ſuam cum realgare pręparato, & ſucco Chelidoniæ curandam dicat, tutiorem conſilio per deligaturam curationem aggredi viſum fuit. Filo igitur apprehenſa excreſcentia illa ex ore prominente, indies magis ac magis conſtrinximus, tantiſper dum deligata pars filo reſecata decideret, quod quum quater deligaturã ſemper altius figentes reiteraſſemus, totum malum tandem eruncauimus, niſi poſtea medicamentis, quæ ad abſtergẽdam

putri-

putrilaginem, quæ mortuæ illi excreſcentiæ adhæreſcere ſolet. Ita grauiſſimũ malum minimo tandem negotio ſuperauimus. Nam & ipſos dentes loco ſuo vt ſcripſi motos & vacillantes gargariſmate ex bis torta & aliis id genus cõcinnatis ſtabiliuimus, & ſuo loco reſtituimus. *Bald. Ronſeius. Epiſt. 7. Miſcell. Medicinal.*

Observatio.

Ab oſſe ethmoide caro aliquando producta, pondo librarum quinque.

AVicenna expreſſe vult quod quandoque de colatorio fuit extracta quantitas carnis, quæ peruenit ad libras quinque, tamen non fuit cancer. *Hugo Senenſis, conſil. 28.*

Observatio.

Admiranda mulieris cuiuſdam excreſcentia circa guttur nata: ſpiritum cibum atque potum intercipiens, cuius portiones reſectæ ſubinde renatæ, quæ non niſi cauterio cohiberi potuerunt.

MEdicatus ſum mulieris apoſtemati, quod natum erat intra guttur eius, quod apoſtema erat ſubnigri coloris, paucique ſenſus, iamq; antequã vocarer fere clauſerat guttur, & mulier reſpirabat difficulter meatu ſtricto, & iam prohibuerat ei comeſtionem & potum, & iam venerat ad mortem, & ſi tantum remanſiſſet vno die, aut duobus diebus & apoſtema iam aſcenderat, & emiſerat duos ramos ſuper duo foramina naſi, properaui ergo feſtinanter, & fixi in vnum eorum vncinum, deinde traxi ipſum, & tracta eſt ex ipſa portio magna, deinde abſcidi eam vbi comprehendi ex foramine naſi. Mox eodem modo egi cum eo quod præceſſit ex foramine naſi altero, deinde aperui os eius, & preſſi linguam eius, poſtea fixi vncinum in ipſum apoſtema, deinde abſcidi ex eo partem eius, & effluxit ex eo ſanguis paucus. Liberatum eſt ergo guttur mulieris, & incepit ſtatim bibere aquam, ſtatimque potuit etiam cibum deglutire. Non ergo ceſſaui incidere ex illo apoſtemate paulatim aliquandiu & apoſtema aliud ſuccedebat loco eius quod incidebam, & hoc pacto pugnaui diu cum malo, amputans hydræ caput, cum autem animaduerterem ſemper ſuccreſcere aliam materiam in locum amputatæ, cauterizaui apoſtema intra guttur, quare augeri amplius non potuit poſt cauterium. Iſthinc poſtea diſceſſi, & neſcio quidnam fecerit Deus cum ea, poſt meum diſceſſum. *Albucaſis chirurg. lib. 2. cap. 36.*

Observatio.

Verrucæ in Gutture.

IOannes Iacobus ciuis Mantuanus habitu corporis melancholico præditus verrucis quam pluribus gutture, faucibus & radicem linguæ occupantibus diu vexatus fuit, quæ præſertim maxime deglutioni officiebant, res ſane non frequenter obſeruata ſed raro admodum, nam & toto vitæ noſtræ curriculo ſemel tantum, & alteri Attilio Melagheno dicto eiuſmodi verrucis ſed longe minoribus vniuerſam linguam conſperſam videre licuit. Erant autem ex illis quas Myremetias appellant vulgo porri dicuntur huiuſmodi tubercula, eo quod fila quædam intra ſe contineant porrorum capillamentis radicalibus perſimilia. Latini vero verrucas vocant eo quod montium eminentiis conſimiles ſint. *M. Donat. Hiſtor. mirabil. libro tertio capite 5.*

Observatio.

Stomocatia.

ÆLius Gallus ſub Auguſto Imp. cum in Arabiam exercitum Rom. traduxiſſet, in Albo vico maximo Nabathæorum emporio per integrum annum exercitum relinquere fuit coactus, vti ægri milites reficerentur, qui ſceletyrbe ſiue ſtomocace a laborabant, hoc eſt, oris & gingiuarum putredine, & crurum maculis. *Strabo libro decimo ſexto, circa finem.*

CumGermanicus Cæſar in Germania trans Rhenum caſtra poſuiſſet, in maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compageſque in cruribus diſſoluerentur. Stomocacen medici vocabant, & ſceletyrben. Ei malo reperta auxilio eſt herba quæ vocatur Britannica, Friſiorum indicio. *Plin. lib. 25. c. 3.*

DE FACIE, FRONTE, GENIS, LABIIS ET ORE.

Facies.

Observatio.

De inſueta & admiranda rubedine faciei.

ALiquando accidit rubor in facie ex multitudine ſanguinis qui defertur per venam magnam, quæ in medio frontis & ſubito per interualla ſpargitur per totam faciem, & illinc paulatim recedit, ſtatim tamen redit. Hoc contigit illuſtriſſ Comitiſſæ Chialant, quæ erat in curia illuſtr. Dominæ Alanchæ duciſſæ Sabaudiæ. Ergo propter hanc cauſam me vocauit, & dum mecum loqueretur, ſtatim effuſus eſt ſanguis ex illa vena in totã faciem aſpiciens, venam illam magnam in fronte ſanguine plenam dixi. ſi vultis aliquantulum pati, cito liberabimini ab hac paſſione. Reſpondit, ſe omnia toleraturam modo ſanari poſſit. Feci ei radere capillos, ſuper commiſſura coronali, per latitudinẽ vnius ſcuti, ſuper ipſa vena dimittendo de capillis in parte ſuprema frontis & ſub loco raſo ne facies deformaretur, & in loco raſo, ſuper prædicta vena feci applicare ruptorium ſcriptum ſupra de Polypo & hæmorrhoidibus narium, & dixi chirurgo, vt ſolum per horam dimitteret qui (ea ſic volente) per duas horas dimiſit. Et cum amouiſſet dictum ruptorium, facta eſt ſanguis effuſio, vt totam chirurgi faciem fœdauerit: qui debebat comprimere venam à naſo, ad vulnus, vt ſanguis, qui erat in ea parte, euacuaretur, & ſuper eum locum defenſiuum apponeretur. Ipſe vero exterritus propter ſanguinis effuſionẽ ſtatim vulnus cõpreſſit, & ligauit, ac ſanguis qui erat in p̃dicto loco, in naſum deſcendit, qui excreuit multũ cũ quadã luciditate deformi: ſuper quem feci applicare infra ſcriptum emplaſtrum, & in craſtinũ, fuit pulchritudini priſtinæ reſtitutus. ℞. Caricarum pinguium num. vj ſem. fœnigræc. ℥. ij, aquæ ℔. j. coquantur ad cõſumtionem duarum partium: poſtea

colentur cum bona expreſſione, cui addatur farinæ ordei, flor. chamemæli & meliloti pulueriȥatorum ana ℥. ij. myrrhæ æſipi ana ℥. s. rad. ireos ſiccæ pulueriȥatæ ℥. iij. iterum ponantur ad ignem lentum, vt debite miſceantur, & de eo decenter calido applicetur ſupra naſum totum, dimittendo duo foramina in directo narium. Curato itaque vulnere, ſtante toto vena abſciſſa, ipſa remanſit libera neque vnquam ruborem aliquem deformem paſſa eſt: cum rubor ille eſſet inueteratus, plus quam viginti annorum, & multi medici circa hanc curam laboraſſent. *Bairus pract. lib. 8. c. 3.*

Obſervatio.

Sagitta faciei cuiuſdam inflicta, cuius ferrum conſolidato vulnere, relictum ſine incommodo.

Cvidam, ſpiculo faciei altius inſidente, vulnus perinde conglutinatum eſt, relicta intus ſagitta nec vllo fere hominem dolore affligente, *Albucaſis. lib. 2. c. 94. chirurg.*

Frons.

Obſervatio.

Natus diuiſo in fronte craneo, ſine labiis, oris loco paruo foramine, & pede vnico.

Anno 48. Calend. Maii, intra ſextam & ſeptimam Miſenæ natus infans, diuiſo in fronte craneo, vnico crure ſiniſtro, ſine labiis, oris loco exiguum habens foramen, reliquo trũcatus corpore. *Peucerus Teratoſcopiæ pag. 442.*

Obſervatio.

Infans ſine collo & fronte.

Infantem maculum monſtroſe natum cum audirem, clam è terra effoſſum ſecui: deſtituebatur is fronte & collo; atque in occipitio quod omnino compreſſum erat, vulnus rotundum, lacerum cruentumque obtinebat: qua parte ipſum inuolucris adnatum fuiſſe, atque in partu ab illis dilaniatum periiſſe iudicare potui. *Cl. V. Platerus de obſeruation. propriis.*

Obſervatio.

Duos eſſe frontis muſculos, quorum beneficio dimidiam frontem nonnulli mouere poſſunt.

Mvſculi, qui huic deſeruiunt parti, complures ſunt: primi duo ſunt, atque hi in fronte ſiti: exortus horum in ſuperiore parte exiſtit: in inferiore vero parte terminantur, in communi ſutura, quę dirimit oſſa capitis, ab oſſibus maxillæ ſuperioris: quãuis nerui huic parti ſubiiciantur. Horum muſculorum fibræ recte neutiquam ſunt, quemadmodum Veſalius aſſerit, ſed obliquæ à ſummo ſcilicet naſo tempora verſus: eorumque motus eſt, vt ſupercilia attollantur, quamuis neque Galenus ille, de re medica tantopere meritus, neque Veſalius noſtris temporibus magni vir nominis, in diſſectione corporum, neque alius ex his qui ante me ſcripſere agnouerint. Quod ſi maiorem diligentiam adhibuiſſent, inuenire facile poterant. Hi duo muſculi & vniuerſam frontem & temporalium muſculorum tantam partem occupant, quantum ipſi oblique aſcendunt, præterquam media fronte, vbi nos cutim contrahimus, corrugamuſque quoties vehementer commouemur, aut admiramur: adeo vt in multis ſeſe ſupercilia mutuo contingant. Quæ cutis frontis contractio, ſi vnus hic eſſet duntaxat muſculus, fieri nullo modo poſſet. Hæc res vt viros alios omittam minus notos, in fronte ampliſſimi Cardinalis Ardingelii, quem honoris cauſa nomino, perſpicue videri poterat: cui cum ſiniſter muſculus ex his conuulſus eſſet ob vulnus, dimidiam frontem mouebat: reliqua motus expers relicta erat. Sed mitto hoc, ſenſum ipſum ſitu quoque conſules, hoc haud dubie nullo negotio comperies: nam ſi vniuerſam frontis cutem detraxeris in media fronte nullum videbis muſculũ, niſi in ſummo naſo, vbi dexter muſculus cum ſiniſtro ita coniungitur, vt vnus hoc loco muſculus eſſe videatur & vbi carnoſiores, quam vſquam inueniuntur: & quo magis aſcendunt hi muſculi, eo tenuiores euadunt, ſuperciliaq; ſurſum trahuntur, non ab his duntaxat, ſed etiam duorum muſculorum præſidio, hactenus (vt opinor) anatomicis ignotos. *Columbus de re Anatom. lib. quinto, cap. 3.*

Obſervatio.

Carcinomate ſecundum læuam frontis partem excogitato, mors ſubſecuta.

Venit ad me Philippus quidam textor, cui in læua frontis parte tumor erat immobilis inæqualiſque, ac furunculo perſimilis, qui etiam tangenti renitebatur. Et venæ quæ circa locum erant, pallidæ quodammodo ac liuore quodam ſuffuſæ, vltra decorum intumuerant. Cumque noſtrum de hac re perquiſiuiſſet iudicium, conſulo ne id malum quoquo modo tollere præſumat, ſed leuioribus tantum medicamentis illi blandiatur. Diſceſſit, & cum in manus imperiti cuiuſdam Medici incidiſſet, tota iam intra menſem fronte & altero oculo eroſo, ad me reuertitur, ſciſcitanſque an aliqua ſalutis ſuperſit ſpes: vtinam, inquit, conſulenti tibi fidem habuiſſem. Moneo igitur hominem, ne vllis præterea vtatur medicamentis præterquam blandis & leuioribus. Quod ſi aſperis & erodentibus vteretur, fore vt breui reliquum etiam ipſius faciei eroderetur. Audiuit tandem homo, & cum his tantum, quæ nos illi ſecundum hanc intenſionem parauimus, medicamentis ſemper vſus fuiſſet, vt ad decimum vſque annum ſuperuixit, ita certe ſi id malum ex conſilio noſtro nunquam agitaſſet, ad vltimum ſenectutis perueniſſet. *Beniuenius c. 72. Abditor.*

Obſervatio.

Frontis dolor eiuſdem frictione, & vellicatione auriculæ laxioris partis apparente venula eaque ſiluce inciſa ſublatus.

Qvædam mulier paſſa dolores frontis & ſuperciliorum aliquot annos, tandem quidam fricuit & vellicauit laxiorem partem auriculæ, quod appareret venula, etiam particula ſilicis (lapidis quo excutitur ignis) inciſa, profudit ſanguinem nigerrimum, atque ab ea profuſione ſanguinis ſanata eſt. *R. Solenander ſect. 5. conſ. 15.*

Malae seu Genae.

Obſervatio.

Gena vulnerata curanda ratio hiſtoria verminoſi vulneris eiuſdem genæ demonſtrata.

Cum genæ vulnus magnum eſt & profundum, multumque à ſe diſtant vulneris labra; vtendũ eſt acubus quadrangularibus, vel triangularibus, quo in carnem promptius ſubeant, & facilius ceratum filum ducentibus, hiſque vulneris labra tranſuerberare, & acum in vulnere relinquere oportet, atque per illius duo extrema filum ſequens hinc inde ſurſum deorſumque, quinquies vel decies obducere, eo plane modo quo mulierculæ ſolent, cum acum quæ filum ducit ad manicæ brachiale, vel ſutores ad pileum adnectunt, ne excidat. Sic impacta acus relinquenda erit, quoad vulnus perfecte agglutinatum fuerit. Hoc ſuturæ genus locum habet in labiorum vulneribus, tum etiam in labris leporinis: ita enim vocat noſtrates, labra, à prima in vtero cõformatione vitio formatricis facultatis, fiſſa. Cæterum nullum agglutinationis fructum factura eſt eiuſmodi ſutura: ſi quid cutis interuulneris labra interiacuerit. Quare quicquid eius intererit, excindendum eſt: alias vnio non eſt ſperabilis. Alia ſuturæ genera in harum partium vulneribus non magnopere proſunt, nam propter mandendi & loquẽdi neceſſitatem, in perpetuo ſunt motu. Quare filum carnem reſcinderet: quo etiam nomine eiuſmodi acubus, in nouiſſime deſcripto ſuturæ genere, multum carnis eſt comprehendendum. Hac arte Vaſco, cui prœlio Laurentiano, Gallis funeſto, gena ſuperna enſe tranſuerſim inflicto ad os vſque reſciſſa fuerat curatus eſt. Illi in vulnere magna vis vermium cum ingenti fœtore ſuccreuerat, quod niſi triduo poſt acceptum vulnus, opportunitatem chirurgi nactus non erat. Quare decocto abſinthii, aloes & pauco ægyptiaco id laui, tum vt exciderent vermes, tum vt putrida omnis ſubſtantia inde elueretur, tumores fotu & cataplaſmate reſoluente diſcuſſi, vulneris labra nouiſſime deſcripta ſibi adiunxi. Toti vero parti ſequens medicamentum impoſui. ℞. terebinth. Venetę vnc. vj. gummi elemi vnc. ij. pulueris boli armeni, ſanguinis draconis, maſtiches, myrrhæ, aloes ana drach. s. incorporentur ſimul, fiat medicamentum. Intra paucos dies vulnus agglutinatum eſt, niſi quod ad genæ inferioris eum ſuperiore cõmiſſuram exiguum quoddam foramen reſtabat, quod vix aciculæ caput admitteret: ex quo nihilominus multa ſeroſa & tenuis humiditas, illi præſertim loquenti vel mandenti, manabat: quod ego & in multis aliis obſeruaui. Sed ſiſtendæ illius aquoſæ humiditatis ergo, aquam fortem chymiſtarum in vlceris profundum inſtillaui, aliquotiesque vitrioli combuſti puluiſculum immiſi. Hac cura Dei beneficio conualuit. *Pareus libr. 9. cap. 25.*

Observatio.

Cancer malæ dextræ, ſingulari remedio curatus, aliis nihil proficientibus.

Quondam quum militiæ eſſemus, accepimus cuius & fidem poſtea fecit Albertus Faber, ex Ruellio, perdocto Dioſcoridis interprete nepos: vt doctrina & arte præſtans, ſic fide doctor condignus. Hiſtoria vero eſt huiuſmodi. Nobili cuidam & electæ mulieri, prope Caſtellum Neuueum degenti, tota pars faciei dextra cancro eoq; vlceroſo obſeſſa fuit diutiſſime, & ſæuis exagitata cruciatibus: à Medicis fruſtra petitis auxiliis, tum Gallis, & Italis, tum etiam Germanis & Hiſpanis, & exterisq; aliis quibuſque; vulgaris cuiuſdam barbitonſoris remedio hoc ſequenti & euporiſto perſanata fuit. Pullos illa gallinaceos in partes tenues concidebat & latas, quas ſæpiuſcule commutando interdiu admouebat affectæ parti. Ab hoc vnico tandem eoq; præſtanti remedio, reliquis quibuslibet tentatis fruſtra, (vt diximus) curationem recipiens, priſtinam valetudinem recuperauit. *Cordaus commen. 7. ad Hippocr. lib. de muliebr.*

Labra.

Observatio.

Labio curto nata.

Familiariter mihi aliquandiu conuixit, apud Haganoenſes honeſta matrona, patritiæ gentis, cui à prima in vtero materno conformatione, labrum ſuperius tam breue & curtum fuerat, vt ſuperiorib. dentibus tegendis minime ſufficeret, non ſine deformi aſpectu. Cuius ipſamet probe gnara, inter cõfabulandum, mira induſtria & ciuilitate coram adſtantibus aut aſſidentibus, labium extẽdendo, dentibuſq; inducendo, vitium hoc naturę, tam pulchre tantaque arte tegebat, vt non niſi ſtudioſe obſeruãtes, facile falleret. *Schenckius.*

Observatio.

Labia ob incandeſcentiam, ſanguinolenta cuidam.

Ex animi feruore Scanderbecko iracundo contigiſſe, ſæpius ſua narrat hiſtoria: cui excandeſcenti labra intumeſcebant, & cruore protumpente tingebantur. *Cornax libr. 1. pagin. 27. Enchrid. conſul. med.*

Observatio.

Fiſſis labiis nati & de Labellis leporinis.

Aliquos vidimus non integris, ſed potius diſciſſis labiis natos, qui non parum in ſermone deficerent, *Trincauella lib. 5. c. 11. de cur. hum. corp. malis.* Cæterum huiuſmodi roſtra ſeu labia leporina, Germanis Haſen Scharten, ex argumento vocata, glutinandi ſuendique rationem paulo poſt, ex Pareo, de genæ vulneribus, huc refert *Schenckius.*

Pleræque mulieres grauidæ, ex leporis inſperato occurſu obtutuue, aut deſiderio pulpamenti eius infantes pariunt labello ſupremo bifido & bifurcatim ſecto. Id quod experientia quotidiana confirmat *Mizaldus memorabil cent. 3. Aphoriſ. 77.*

Vnam infelicitatem pleræque mulieres vterum gerendo incurrunt, vt vel eſu, vel ſaltu ſuper caput leporis facto, generent infantulos oris leporini, inter os & nares diuiſa labia perpetuo retinentes: niſi ſtatim à principio affuant particulam pectoris tenerrimi pulli ilico occiſi & ſanguinolenti. *Olaus Magnus Epit. Hiſtor. de Gent. Septentrion. lib. decimo octauo, cap. 8.*

Observatio.

Labella leporina & Colobomata Græcorum quomodo ab vtero matris è medio tollenda.

Labella leporina curari initio ſecundina mox oblita applicataque à partu conſtat. *Moccius Medicus.* Ad næuos natiuos idem eſt obſtetricum experimentum.

Obser-

Observatio.

Labro tremulo quidam.

LAbrum inferius ſæpe tremulum apparet, metũ vel ira interdum, Franciſco Viario noſtro Veneto Patritio dum loquitur ſemper tremit. In nauſea fere ſemper, vel ex humore mordaci, vel oris ſtomachi nimia agitatione, magna inter ſe communicatione tremit. Interdum ex cerebri aliquo ingenti affectu, illi vomitiones proſunt, huic quæ cerebro & occipitio imponuntur, omnino conferunt. *Alex. Benedict. lib. 5. c. 18. de curand. morbis.*

Observatio.

Mulier carbone teterrimo circa os & labra correpta, curatur: ſed tamen deformis manet.

MVlier quædam teterrimo carbone ſecundum os & labra correpta, in mortis diſcrimen incidit, cum crebris animi deliquiis, tumore ingenti vniuerſam faciem occupante curatur, ſed tamen ore deformis manſit. *Valeriola lib. 6. obſ. 3.*

Observatio.

Noua & notanda amputandi cancri, qui labra obſedit, ratio.

FElicius & mitius cancri vlcerati, qui labra occupauerit, curatio perfici poteſt, nullo adhibito cauſtico remedio poſt ſectionem, ſic etiam vt vix vlla deformitas, cicatrice obducta relinquatur. Quam ego viam nouam, & nunquam antea tentatam aut ſcriptam, ꝙ equidẽ ſciam, inueni & factitaui in homine quinquagenario, in conſilium aduocato Ioan. Altino Doctore medico doctiſſimo, pręſentibus Iacobo Guillemeau, & magiſtro Euſtachio chirurgis Regiis, & Ioanne *le Iaune* Ducis Guiſiani chirurgo meritiſſimo. Ratio eſt eiuſmodi. Cancer ſuis vtrinq; ſurſum ac deorſum labris acu filũ ducente, tranſadigendus eſt, vt cum fili beneficio, cancrum tanquam in manu ſiniſtrâ regere & tenere liceat (ne huius vlla portiũcula impune ferro illabatur) totum dextrâ manu vulſellis vnico ictu amputarẽ poſſis, ita tamẽ vt labri ipſius interior quædã, quæ dentes contingit, reſtet ſubſtantia (modo non ad intimã vſque cancer radices agat) quæ regenerandæ mox carni, & implẽdæ cauitati, pro fundamẽto & baſi eſſe queat. Hinc ſanguine ſufficienter effuſo, ſectionis ſeu vulneris oræ, dextra & ſiniſtra, interna & externa parte, ſcarificatu profundiore erũt nouacula pertundendę vt cum mox ſutura ex acu filum ducente, roſtris leporinis propria, in vnum nodo ducere vulneris oras ipſas & margines voluerimus, ipſam labri carnem magis ſequacem, & trahenti acui, filoq; obſequentiorem habeamus. Reliquum curationis eſt, eodem plane modo proſequendum, quo ſolemus in roſtris leporinis. *Pareus lib. 6. c. 29.*

O S.

Observatio.

Ore gemino, oculis quatuor, dentibus duobus auribus curtis & barbatus natus.

APud Daphnem amœnum illud & ambitioſum Antiochiæ ſuburbanum, viſu relatuq; horrendum, natum eſt Conſtantii Imperatoris temporibus monſtrum, infans ſcilicet, ore gemino, dentibus cũ binis, & barba, quatuor oculis, breuiſſimis duabus auriculis. *Lycoſthenes lib. Prodig. Anno Dom. 308.*

Mentum.

Observatio.

De nouo morbo mentagra ſeu Lichene dicto.

SEnſit & facies hominum nouos, omniq; æuo priore incognitos, non Italiæ modo verum etiam vniuerſæ prope Europæ morbos: tum quoq; nec tota Italia, nec per Illyricum Galliaſue aut Hiſpan. magnopere vagatos, aut alibi, quæ Romæ circaq;, ſine dolore quidem illos, ac ſine pernicie vitæ: ſed tanta fœditate, vt quæcunq; mors præferẽda eſſet. Grauiſſimum ex his lichenas appellauere, Græco nomine, Latine, quoniã à mento fere oriebatur, ioculari primum Laſciuia (vt eſt procax natura multorum in alienis miſeriis) mox & vſurpato vocabulo mentagrã, occupantem in multis vtiq; totos vultus, oculis tantum immunibus, deſcendentem vero & in colla pectuſq; ac manus, fœdo cutis furfure, non fuerat hæc lues apud maiores patreſq; noſtros. Et primum Tiberii Claudii Cæſaris principatu medio irrepſit in Italiam, quodam Peruſino equite Rom. Quæſtorio ſcriba, cũ in Aſia apparuiſſet, inde contagionẽ eius importare nec ſenſere id malũ fœminæ, aut ſeruitia, plebſq; humilis aut media, ſed proceres veloci trãſitu, oſculi maxime, fœdiore multorũ, qui perpeti medicinam tolerauerant, cicatrice, q̃ morbo. Cauſticis namq; curabatur, cum vſq; in oſſa corpus exuſtũ eſſet, rebellante tædio. Aduenerunt q; ex Ægypto genitrice talium vitiorum medici, hanc ſolam operam afferentes, magna ſua præda. Siquidẽm certum eſt, Manilium Cornutum, ex Prætoriis legatũ Aquitanicæ Prouinciæ, H.S.C C. elocaſſe in eo morbo curandum ſeſe. Acciditq; ſæpius, vt noua contra genera morborum gregatim ſentirẽtur. Quo mirabilius quid poteſt reperiri aliquã gigni repente vitia, terrarum in parte certa, membriſq; hominum certis, vel ætatibus, aut etiam fortũnis, tanquã malo eligente, hæc in pueris graſſari, illa in adultis: hæc proceres ſentire, illa pauperes. *Plin. lib. 26. c. 1. N. H.*

Observatio.

Vlcus menti dentis euulſione ſanatum.

IVuenis quidã Augenius nomine, annis iam tribus menti vlcere vexabatur qui licet opera complurium Medicorum vſus fuiſſet, tantum abfuit, vt non deprehendentibus illis morbi cauſam, ſanitatẽ conſequi potuerit, vt pene omnẽ recuperandæ valetudinis ſpem amiſerit: dum ſcilicet ex his nonnulli, ꝙ altum & calloſum vlcus viderent, citra vſtionem nequaquam tolli poſſe affirmarent: Atq; item alii, quia calloſa haberet ora, Chironium vlcus crederent, & ob id curatu difficillimum arbitrarentur. Nos vero vt primum hominem vidimus, & vlcus conſpicati ſumus, nullis id malum medicamentis vinci poſſe prædiximus: niſi eo prius eruto dente, ad cuius radicem vlcus ipſum aſcenderet. Id quod res plane indicauit: nam dente ipſo euulſo, eroſam eius radicem cernimus, vnde ſcilicet, malum illud fomentum ac pabulum capiebat. Quo ſublato, non multis poſt diebus, etiam domeſticis medicamentis, ſanatum eſt vlcus. *Beniuenius cap. 22. de Abditis.*

F I N I S.

OPERIS

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM TOMVS SECVNDVS:

qui agit

DE PARTIBVS VITALIBVS THORACE CONTENTIS.

PRÆFATIO.

INTER Principes corporis noſtri partes, COR, neceſſitatis iure Princeps quoque viſcus, Vitalis facultatis ζωτικῶν *&* θυμοειδὴς *ſiue iraſcibilis animæ domicilium: vitam homini ſuppeditans, & motionum vitalium cauſa exiſtens: in thorace velut munitiſſima Arce ſeu Regia quoq; ſua reſidet: Vitamq; calore & ſpiritu, per arterias, in omneis corporis partes diffundit. Facultateſque alias & functiones, non ſolum ad actionis opus concitat, ſed tuetur quoque & perficit. Nam & calorem fluentem, & vitam cerebro, iecori, ſanguini atque ſpiritui Animali impertit: quin facultates omnes perficit, & velut vinculo quodam connectit. Porro hanc facultatem luculenter demonſtrant Cordis ac arteriarum per diaſtolen & ſyſtolen motus, qui pulſu atque reſpiratione, adeoq; vita ipſa continentur: perficiunturque tracheæ arteriæ, pulmonum, muſculorum, cum intercoſtalium, tum thoracis atq; diaphragmatis ope. Vitalis itaq; officinæ huius œconomiæq; inſtrumentorũ commemoratorum plærorumq; omniũ conformationes monſtroſas, morboſq; raros atque inſolentes, tum de nouo, per recentes corporum diſſectiones, compertos, pro cæpto inſtitutoq; noſtro, ſecundo iſtoc Operis huius noſtri tomo, diuino nos adiuuante numine, proferre, & ad poſteritatis memoriam, non ſine artis, vt opinor, gloria, tranſmittere conſilium eſt. Sic quidem, vt Thoracis partes, tum contentæ, tum continentes, eodem abſoluantur.*

DE TONSILLARVM AFFECTIBVS.

FORAMINA.

OBSERVATIO.

Tonſillarum tunica, foraminibus peruia, imperitis aliquando, in earundem inflammatione, vlcerum faciem ementitur.

TONSILLARVM vlcerationes inſpectio deprehendit: in qua tamen obſeruare decet, quod monet Fallopius, amygdalas, præter aliarum glandularum conditionẽ, habere tunicam neruoſam, multis ampliſque foraminibus peruiam: quæ, dum illæ inflantur, magis dehiſcentia, rudioribus facile imponunt, vlcuſcula eſſe credentibus: detumeſcentibus enim tantum glandulis, illa mox obliterantur. *Ioubertus cap. 2. tract. de affect. thoracis.*

CALCVLI.

OBSERVATIO.

Calculorum in tonſillis genitorum, pertinacem tuſsim excitantium hiſtoria, & curatio.

NObilis vir Sparnegker, eccleſiæ Ratisponenſis Canonicus, ob lapidem in tonſillarum faucium abſceſſu concretum, continua affligebatur tuſſi. Eius fauces cum medici quidam ex balauſtiis, roſis, lauro, Alexandrina, ac aluminis decocto, & aliis ſiccantibus colluere iuſſiſſent, quibus humore abſceſſus tenuiori abſumto, ex groſſiori derelicto, lapis magis accreuerat, adeo vt laryngis muſculos tumor fere occupaſſet: alii vero medici bechica, tuſſis remedia, ad nauſeam vſque diu fruſtra exhibuiſſent, ego tandem accerſitus, ſuaſi vt non exſiccantibus, ſed mollificantibus & maturantibus, fauces affectas, crebro collueret, nempe tepido ex maluis, ficubus, radicis altheæ decocto elueret, in quo momentum diamori maturi diſſolueret: à colluuione vero de electuario ſtomatico, quod ex mellis deſpumati vnc. ij. butiri recentis inſulſi ℥ j. puluere ireos ℈. j. aut nucleorum tribuli marini, farina coadunata, triduum lamberet: quo tumore emollito, oborta ex deſtillatione valida tuſſi, calculum gypſeum excreauit, ſimillimum tophis, qui intra digitorum

rum articulos, chiragra laborantibus, accreſcere ex
pituita ſolent. *Langius epiſt.57.tom.2.*

Præterito menſe, in Vicino vrbi Pago, prædiues
quidam, vt vocant, Sculterus, ob tonſillarum tu-
morem, ægre ſpirabat, & deglutiebat; is barbari ton-
ſoris diuturna opera, qui dubio procul, Gargariſma-
tis è balauſtiis, roſis, aluminiſque decocto, & aliis id
genus ſiccantibus, & repellentibus, fauces colluit,
quibus tenuiori exſiccato & abſumpto tumoris hu-
more relicto terreo (quod in œdematoſis tumori-
bus vt plurimum vſu venit) in gypſum concreuit:
Cum autem indies, laryngis muſculis tenſis, reſpira-
tiò fieret moleſtior, me accerſit, cui maluarum, cari-
carum. & altheæ radicum decocto tepido, os crebro
colluere imperaui, à colluuione deſpumatum mel,
totidemq; recentis inſulſi butyri, iridis florentinæ
pulueris momento admiſto, lambendum præſcri-
pſi, vnde factum, vt emollito tumore, obortaque
deſtillatione, calculum gypſeum, validiſſima tuſſi
excerneret, quò factò, liberius duxit ſpiritus, cura-
toque vlcere, conualuit. *Ioan. Ieſſenius à Ieſſen, de obſer.
propr. per Cl. V. Laur. Scholzium ad nos miſſis.*

ABSCESSVS.

OBSERVATIO.

*Abſceſſus tonſillarum, tumoribus vtrinque ſub auri-
bus obortis, repurgatus.*

LAborabat inflammatione tonſillæ vtriuſque, fi-
liola quædam duorum annorum, qua idonea
remedia propter ætatem non admittente, natura
viam ſibi ad ſalutem quærens, morbum ad exterio-
ra conuertit. Nati ſunt itaque vtrinque in collo, in-
fra aures, ſinguli tumores: quibus ſcalpello apertis,
pus effluxit. Itaque ab abſceſſu tonſillarum liberata,
ſanitati reſtituta eſt. *Dodonæus Obſeruat. Medicinal.
cap.16.*

INFLAMMATIO.

OBSERVATIO.

*Hortulanus quidam, ab vua, & tonſillis, ac glandulis
inflammatis, prope ſuffocatus vt
curatus.*

EGo, quando primum ex Alexandria in patriam
redii, agrum pertranſiui, & inueni quendam
hortulanum, ab vua & tonſillis ac glandibus fere
ſuffocatum: vtebatur autem collutione aquæ mul-
ſæ, roſis in ipſa incoctis. Quum igitur vidiſſem fru-
ctum nucum in vigore eſſe, iuſſi detractum ab eis
externum corticem, quo etiam tinctores videram
vtentes, ſtatim in mortario contundi, & ſuccum e-
ius per linteum excolari, nondum ſciens, quomodo
iuxta craſſitiem aut tenuitatem haberet: quum ve-
ro repetiſſem aquoſum, & compage tenuem, garga-
riſſare eum iuſſi, ipſum hortulanum. Poſtquam vero
valde tenuis apparebat, præcoxi: & mel commenſu-
rate, velut in eo, quod ex moris fit, fieri ſciebam, ad-
miſcui: atque vbi iam ad compagem mellis reda-
ctum eſſet, hortulano vtēdum reliqui. Porro quum
viderem celerrimam vtilitatem ipſi inde oboriri,
præſtabile ratus ſum, in multis experiri, atq; ex hoc
ſufficiente experimento accepto de facultate eius
pharmaci, ſemper ipſo vtor, velut noſtris. Merito
itaque mirandum, nullum ex prioribus medicis ali-
quid de hoc pharmaco mente concepiſſe, vt tum
parabili, tum generoſo hoc ſucco vterentur, maxi-
me quum viderint, quomodo etiam manus inficiā-
tur eorum, qui virides nuces decorticant. Ex his e-
nim apparet, qualis ſit earum ſuccus, & quod ægre
elui poſſit ipſarum adſtringendi vis, adeo vt neque
per fortiſſima exterſoria elui queat. Amplius autem
adhuc miratus ſum de medicis, quod non cogitaue-
rint fortem eſſe ipſarum vim, quum etiam tinctores
videant eiuſmodi nucum corticib. vti. Niſi enim in
profundum manuum deſcenderet, & niſi per omnē
ſubſtantiam lanarum penetraret, non certe eluibi-
lis eſſet. Quum vero deſcendat, indicat plane ſub-
ſtantiam ſucci tenuium partium eſſe, rationi autem
conſentaneum eſt, adſtringendi vim maxime profi-
cere, vbi in eiuſmodi ſubſtātia contineatur. Etenim,
quæ ex adſtringentibus, craſſas partes habent, per
adſtrictionem cogunt, & condenſant ſuperficiem
corporum, quibus adhibentur, & à progreſſu in al-
tum ipſorum corporum ſeſe impediunt. Quibus e-
nim etiam alias, ob ſubſtantiæ craſſitudinem, im-
poſſibile erat progredi in altū, his ſane amplius im-
poſſibile fuerit, denſato corpore, iuuare id, quod
totum eſt inflammatum. Optimum itaque eſſe nu-
cum ſuccum perſuaſus, vt qui etiam coctum cum
melle guſtarim nihil inſuaue habentem, eum in
quatuor partes diuido, & ad primam, ſtatim ali-
quid ex adſtringentibus iniicio, ad ſecundam, ex
croco & mirrha; ad tertiam, ſulphuris quiddam ac
nitri addo: quartam vero ſolam ſinceram ſeruo, pu-
eris vtilem futuram, ob dulcorem. Imo etiam viris
ob delitias, mente fractis, & mulierculis. Ego quidē
igitur à ratione inductus, inueni, quemadmodum
neruorum ſauciatorum curationem, ita etiam hoc
pharmacum, quod omnibus prę́ſtat. Eſt equidem id
quod ex rubi moris conſtat, fortius eo, quod ex mo-
ris fit: quemadmodum hoc eo, quod ex muſto pa-
ratur. Omnibus autem his præſtat id, quod ex nu-
cum ſucco inuenimus in principiis quidem inflam-
mationum, cum his quæ fortiter adſtringunt confe-
ctum: in vigore vero croco & mirrha additis, quan-
quam etiam ſolum aliquando, moderatas inflam-
mationes ſanare queat. Quando vero humorem
qui inflammationem produxit impactum digerere,
ac diſcutere oportet, cum acrium mixtura commo-
dum exiſtit, *Galenus lib.6, cap.1. de compoſ. pharmac. ſe-
cundum Loc.*

TONSILLIS IMPACTA.

OBSERVATIO.

*De muliere, cui in tonſillis ſpina piſcium inhærebat,
pene ſuffocationem inferens.*

MVLIER Delphenſis vetula, cum ſpinam pi-
ſcis deuoraſſet, tonſillis inhærebat, vt pœne
ſuffocaretur: quæ neque vllo modo dimoueri po-
tuit, neque potu largiore, neque cibis mollibus aut
offis, aut magno panis bolo, cui aliquando inhære-
re ſolet. Quamobrem eclegmata emollientia, ex
muccagine ficuum. rad. atheæ, ſem. malua viſci, vuar.
paſſul. ſebeſten & iuiubarum, cum ſyrup. violaceo
confecta, vt continuo lamberet, imperaui. Deinde
Cataplaſmate toto gutturi circumducto, ſpinam
raſcatione tandem euulſam, reddidit.

*Petrus Foreſtus libr. 15. obſer-
uat. 27.*

DE

DE LARYNGE ET ASPERA ARTERIA,

AFFECTVS.

CARTILAGO TOTO OSSEA FACTA.

OBSERVATIO.

Laryngis & Aſperæ arteriæ cartilagines in ſenibus totoſſeas fieri.

CVm ex innumeris propemodum ſectionibus obſeruauerim, humanam laryngem in perfectioris ætatibus corporibus oſſeam eſſe, non cartilagineam: (quanquam à teneris annis, cum nondum ad ſuam duritiem ſoliditatemque redacta eſt, ex cartilaginea ſubſtantia conſtructa eſſe videatur) non poſſum non opinari, eam magis ex oſſea natura, quam ex cartilaginea conſtare. Hoc igitur in cauſa fuit, quamobrem in oſſium numero laryngem adiudicantes, de illa in oſſium tractatu agamus. *Columbus lib. 1. cap. 13. Anatom.* Quod autem oſſa hæc ſint, non diu anceps ille fuerit, qui eorum ipſorum colorem, duritiemque conſiderarit, ac præterea medulloſam ſubſtantiam conſpexerit, qualem ego ſæpe numero conſpexi, quo vno potiſſimum cartilagines ab oſſibus differunt. Siquidem cartilago omnis, ex omnium ſententia, medulla penitus caret, *Idem paulo poſt.*

Vidi laryngis & arteriæ cartilagines, in oſſa ſpongioſa mutatas. *Coiter lib. obſ. Anatom.*

Is qui diu ſuſpenſus Bononiæ iacuit, viuus inuentus eſt, quod aſperam arteriam non cartilagineam, ſed oſſeam haberet. Hoc nos & ab aliis accepimus. *Cardanus lib. 2. tract. 2. contradict. 7.*

Conſtat quendam bis ſuſpenſum, ſeruatum miraculi ſpecie: inde cum tertio, iudicis ſolertia, periiſſet inuentam oſſeam aſperam arteriam, *Idem libr. 14. de rerum varietate cap. 76.*

De laryngis cartilaginibus vtrum in omnibus vel pleriſque ſaltem oſſeæ fiant vehementer dubito: quamuis non negem, frequenter, vel aliquoties ſaltem hoc accidere. Obſeruaſſe tamen in ſenibus quibuſdam memini, ita attenuatam laryngem muſculis vt puto exſiccatis, & quaſi ex carnibus redditis, vt facillime inter comedendum aliquid aſperæ incidet arteriæ.

Nuper etiam ex aulico ſatellitio optimus quidam ſenex, ſexagenario maior, tale quid paſſus, potum admittere omnino nullũ potuit, quod mox illaberetur magna eius pars arteriæ aſperæ, cibum tamen propemodum ſine offenſa aſſumere potuit, præſertim qui non eſſet friabilis, ſed quaſi lentorem quendam haberet: atque ita paulatim contabuit & conſumtus eſt. *Cl. V. Oſvvaldus Gabelchouerus de obſeruat. ſuis.*

VLCERA.

OBSERVATIO.

De aſperæ arteriæ & Laryngis vlceribus ſuperficiariis, vnde per tuſſim cruſtulæ, quas ephelcidas vocant, eiectæ: vel etiam eorundem corpus eroſum, floridusque ſanguis excretus: tum de lactis, quod apud Tabias habetur, perfectione, hiſtoria.

VLcera, quæ in aſperæ arteriæ interiore ſunt tunica, & potiſſimum, quæ ſummæ eius parti (quã λαρύγγα vocant) ſunt vicina, aut etiam in ipſa, hæc & curationem recipiunt, & nos non paucos eorum, qui ita ſunt afflicti, ſanauimus. Sane curationem eorum hinc maxime inuenimus.

In grauis huius peſtilentiæ initio, (quæ vtinam aliquando ceſſet) iuueni cuidam, cum nouem iam dies ægrotaſſet, totum corpus vlceribus ſcatebat, velut omnibus fere qui euaſerant. Eo die etiam tuſſiebat paululum. Poſtridie autem, vbi ſe lauerat, illico & vehementius tuſſiuit, & tuſſi expulit cruſtulam, quam Græci ἐφελκίδα vocant. Eratque homini ſenſus manifeſtus vlceris, in aſpera, quæ in collo eſt, arteria, prope iugulum, nari. Quin aperto quoque hominis ore, fauces eius inſpeximus, num quid in iis alicubi vlcus eſſet, ſed nec ſic inſpectantib. apparuit vitium, & plane laboranti ſenſus eius aliquis manifeſtus, ex commeſtorum bibitorumque tranſitu, fuiſſet, ſi illic vlcus fuiſſet. Quin etiam ex aceto & ſinapi, certioris notitiæ cauſa, quædam ei deuoranda dedimus, ſed nec horum quicquam mormordit, & ſenſus doloris manifeſte in collo erat. Quo loco etiam adeo irritabatur, vt tuſſire impelleretur. Suaſimus itaque reniti quantum poſſet, nec tuſſire. Quod & fecit, eo certe facilius, quod exiguum erat quod proritabat, & nos omnibus modis operam dedimus, vt vlcus ad cicatricem perueniret, foris medicamentum aliquod quod ſiccaret imponentes: tum cubanti ſupino, humidum aliquod ex iis medicamentis, quæ ad eiuſmodi vlcus facerent, exhibentes: ac iubentes id in ore continere, paulatimque permittere in aſperam arteriam defluere. Sic igitur faciens, ſentire ſe manifeſte aiebat adſtringentis medicamenti circa vlcus vim: ſiue ea vis huc tranſmiſſa eſt, ſiue medicamen ipſum totis ſpecie, in arteriam ad vlcus defluxit, & tanquam percolatum eſt. Erat autem nec æger ipſe medicinæ imperitus, ſed ex iis quidam qui ex vſu & exercitatione, empirice medicabantur: Ergo ſentire ſe aiebat, tum medicamentum in arteriam defluere, tum tuſſim quoque aliquando mouere. Obluctabatur tamen plurimum ac tuſſim cohibuit. Igitur ipſe quoq; ſua ſponte Romæ quidem, vbi correptus fuerat, triduum etiamnum poſt nonum diem eſt moratus, poſt hoc conſcenſo nauigio, primum per flumen ad mare nauigauit, quarto die poſt, naui peruenit ad Tabias, vſuſque eſt lacte, quod & mirificam plane vim habet, nec ſine cauſa prædicatur. De cuius vſu aliquid dicere oblatum nunc tempus videtur, nec de eodem tantum, quod apud Tabias habetur, verum etiam alio omni. Neque enim iis modo, qui Italiam incolunt, eſt ſuccurrendum: ſed quoad fieri poteſt, qui vbiuis habitant gentium. Igitur ad lac, quod in Tabiis habetur, commendandum, multa concurrunt, & locus ipſe ſatis editus, & aer illi circumdatus ſiccus, & paſcuum pecoribus ſalubre. Atq; hoc quidem alibi quoque arte præparare licebit, ſi quis in colle modice edito, herbas fruticesq; ſerat, qui ſalubre ſimul adſtringens lac reddũt: quorum exempla paulo poſt dicentur. Cæterum, vt ambientem aera ſimilem reddas, fieri omnino nequit. Eligere tamen ſimillimum, ex ea, quæ datur, aerum copia, licet. Simillimus autem is fuerit cui eadem adſunt, quæ illi. Altitudo collis mediocris via à mari ad ipſum tri-

ginta ſtadia, ampliuſque aliquid, ſed non multo. Locus autem ipſe verſus mare. Nempe Tabiæ in imo maxime ſinu eſt, qui inter Surrentum & Neapolim conſpicitur: magis tamen in latere quod ad Surrentum pertinet. Porro totum id latus collis eſt ſatis magnus, longitudine ad Tyrrhenum mare porrectus. Inflectitur autem leuiter collis hic ad occaſum: nec in meridiem in totum plane procurrit. Ergo hic collis, a vẽtis iis, qui ab ortu flant, Euro, Subſolano, & Borea, tutum defendit ſinum. Coniunguntur illi in imo ſinu, alter collis non paruus, quem & veteres Romani in hiſtoriis, & qui nunc diligentiores ſunt, Veſuuium nominant. Celebre nunc nouumq; nomen Veſuuium eſt, omnibus hominibus notum propter ignẽ qui in eo ex terra ſummittitur. Quę res non parum mihi ad ambientis aeris ſiccitatem conducere videtur: & alioqui præter ipſum ignem, nec ſtagnum propinquum, nec palus, nec fluuius alicuius momenti vſquam in ſinu habetur. Omnibus vero ventis qui ab Arcto ad ęſtiuum occaſum perflant, Veſuuius collis obiicitur: multuſque cinis ab eo ad mare vſque peruenit, reliquæ videlicet materiæ, tum quæ in eo combuſta eſt, tum quæ nunc etiam vritur. Omnia hæc aerem efficiunt ſiccum. Licet porro, & alibi terrarum eligere collem ſimili modo, ſiccum ſcilicet, ne longe à mari, nec adeo magnum vt ventorum impetui ſit expoſitus: nec adeo magnũ & humilem, vt ſubiectorum camporum halitum prompte recipiat. Caueatur autem ne ad ſeptentrionem ſit verſus: ita enim eſſet auerſus à ſole. Quod ſi etiam intemperato orbis loco collis ſit, veluti is qui ad Tabias conſpicitur, longe magis ad rem pertineat. Hoc in colle ſunt herbæ quidem, agroſtis, & lotus & polygonon, & melyſſophillon. Frutices vero lentiſcus, & arbutus, & rubus, & hedera & cytiſus, aliique his ſimiles. Atque ita tibi collis præparetur. Pecora vero quæ in colle ad Tabias paſcuntur, boues ſunt. Eſtq; eius animalis lac ſpiſſum, ita vt aſinorũ tenue. Ego vero ne quod lactis genus vſui deſit, ex vaccis craſſum, ex aſinis tenue, ex capris medium: & boues, & aſinos, & capras, in paſcua depulerim. Veteres vero etiam mulierem lactantem, iis qui pthoe conſumerentur, adſtare voluerunt: quorum ſententiæ ipſe quoque accedo & quod familiare id ſit, & quod priuſquam ab ambiente refrigeretur, id ſumi voluerunt. Porro hoc tibi de lactis vſu pro maximo præcepto ſit, vt ii quibus eo eſt opus omnino id aſtante animali ſtatim mulctum bibant, etiam melle iniecto, ſi cui cogi in ventriculo ſolet: quod ſi ipſum deſcendere ad aluum citius cupis, etiam ſale. Atq; ille quidem adoleſcens, cum vlcus in arteria ex peſtilenti morbo haberet, ſanatus eſt: ac poſt eum ſimiliter alii.

Alter vero adoleſcens, annos natus circiter decem & octo, cum multis diebus ex deſtillatione laboraſſet, primum quidem ſanguinem floridum cũ tuſſi expuit, nõ ſane multum, poſtea vero etiam tunicæ ipſius partem, quæ tegens intrinſecus arteriam, in fauces & os per ipſum arteriæ caput (Larynga vocant) aſcendit. Videbatur autem mihi, tum ex craſſitudine eius coniectanti, tum ægri ſenſu, ipſius Laryngis eſſe internum corpus. Quinetiam læſa illi ex eo vox eſt. Atque hic quoq; longiore quidem tempore, ſed tamen ſanatus eſt. Cæterum, qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facile ſanati videntur, quod præſiccatum iis præpurgatumq; totum corpus fuerit. Quippe cum & vomuerint ex illis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Atque cum ita iam vacuati eſſent, iis qui euaſuri erant: puſtulæ, quas exanthemata vocant, nigræ, toto corpore confertim, multæ apparuerunt, vlceroſæ quidem plurimis, omnibus certe ſiccæ. Eratque intuenti perſpicuum reliquias eas eſſe ſanguinis, qui in febri putruerat, quas veluti cinerem quempiam, natura ad cutim truſiſſet: ſicuti alia ex ſuperuacuis nonnulla tradit. Verum medicamentis ad eiuſmodi exanthemata opus non fuit, cum ſiderent ſua ſponte, ad hunc modum aliis quidem, quibus videlicet exulcerata ſumma pars fuit, decidit ipſa vlceris cruſtula, quam epheltida nominant, deincepſq; quod reliquum fuit, propinquum ſanitati erat, ac poſt vnum duolue dies ad cicatricem peruenit, aliis quibus ſcilicet vlcerata ſummitas non eſt, exanthema quidem ipſum, & aſperum & ſcabioſum erat: decidit vero veluti ſquamma quædam, ac dehinc omnes fuere ſani. Nihil itaque miri, ſi etiam ii, quibus eiuſmodi exanthemata in pulmone ſunt orta, propter vlcerum ſiccitatem ſunt ſanati. Quod namque in cæteris vlceribus vniuerſis ſupra monſtrauimus curationis eſſe propoſitum, hoc iam iis quæ ex peſtilentia ſunt orta, præſto fuit. Omnia namque ſicca & aſpera fuere, plurima quidem ſcabiei, quædam vero etiam lepræ ſimilia. Ergo, cum experientia rationi atteſtetur, vlcerum curationem, hunc vnum habere finem, vt ſiccentur, poterit quiſpiam ex iis, qui ſanguinem ex pulmone reiiciunt, ſeruare permultos, ita vt nos fecimus. *Galen. de curand. Morb. lib. 5. cap. 12.*

VVLNERA.

OBSERVATIO.

In Laryngibus vulnerati, neruis vitiatis ſermonem & vocem amiſerunt.

CVM ex ceruice quidam chæradas, id eſt, ſtrumas, in profundo incumbentes, excideret, ac deinceps inter ſecandum quoddam vas membranaceum non ſpecillo ſecaret, ſed vnguibus euelleret, imprudens ob ignorantiam, ſimul recurrentes neruos diſtraxit, atque hoc pacto puerulum liberanit à ſtrumis, ſed mutum reddidit. Quidam alius, in alio puero ſectionem faciens, ipſum ſimiliter ſemimutum reddidit, læſo videlicet altero duntaxat neruo. Mirabantur vero omnes, quo pacto neque aſpera arteria, neque gutture quicquam affecto; vocem lædi contingeret, qui, cum vocales neruos (me oſtendente) conſpicerent, admirari deſierunt. *Galenus de loc. affect. lib. 1. c. 6.*

Ruſticus quidam, cum decliuiore capitis prora percuſſus cecidiſſet, & alteram capitis ipſius partem oppoſitam ad terram, vt par fuit, elideret, ſurrexit quidem, ſed mutus, id autẽ ſiue ex percuſſione neruorum qui regrediuntur ex pectore, ſiue ex defluẽte materia, quæ neruos illos oppleuerit, tam incertum, quam certiſſimum, ex hoc communicatam noxam neruis ipſis, qui vocem effingunt. Nam & *Galenus*, facile Medicorum princeps, *in libro* quem *de Interioribus* ſcribit, affirmat, fuiſſe hominem, qui dum glandula illi abſcinderetur in collo, & ſcalpellum neruos ipſos ipſos, quib. vox effingitur, incideret, ilico factus eſt mutus. *Beniuenius cap. 91. de Abditis.*

Mulier

Mulier Illyrica, quæ ad caput montis habitat, quum ſtrumam, à Gallica ſcabie originem ducentem, in collo haberet, quendam medici officio fungentem, pro ſui valetudine acceſſiuit, qui indiſcrete, quum pro ea propulſanda multis vſus eſſet medicamentis, ita ſublimatum, vt eius reſecaret, radices, loco indidit. A quo alter neruorum ex pectore recurrentium, qui vocem effingunt, inibi corroſus eſt. Vnde ipſa paulatim rauca facta, vocem ferè in totum amiſit. *Amat. Luſitanus centur. ſecunda, curat.70.*

Cur in laryngibus vulnerati ſæpe ſermonem, ſæpe quoque ſaporem amittunt? Equidem non ſine admiratione ſpectaui Wilhelmum Auraſiorum Principem accepto in collo vulnere ſenſum guſtus amiſiſſe, & militem Gallum conſimili vulnere mutum euaſiſſe. Eſt enim neruus duplex à tertia coniugatione manans, qui in laryngibus inſeritur: altero quidem ramo lingua ſermoni apta redditur, altero ſapores percipiuntur: hoc quidem reſecto guſtus, illo ſermonis vſus amittitur. Quod cum Ariſtoteles (*lib. de hiſt. anim. & lib. de anima. & lib. de ſenſu*) nō perſpiceret, pro decreto poſuit, nullum animal ſine guſtu viuere poſſe: At princeps Auraſius amiſſo guſtu, tam diu vixit, quod ad occideretur: ac tametſi cibos condimentis acribus, acidis, ſalſis parari iuberet, nihil tamen guſtu percipiebat, vt quidem ab illo accepimus: minus quidem mirum eſt guſtum amiſſe, ſed amitti ſermonem ab eo, qui audiat lingua integra, incredibile antea mihi videbatur, niſi experientia compertum haberemus. *Bodinus in Theatro Naturæ lib.4.pag.460.*

PHLEGMONE.

OBSERVATIO.

Quidam aſſiduè à Phlegmonibus ad guttur exiſtentibus, adeo vexabatur, vt ſuffocationis periculum ſubiret, qui remedio ſecreto curatus eſt.

ASſiduè quidam à phlegmonibus ad guttur exiſtentibus vexabatur, adeo vehementer, vt ſuffocationis ſubiret periculum: & ſanè ob hoc periculum ſanguinem mittere cogebatur. In hunc cū forte quis incidiſſet, pollicitus eſt, ſe præbiturum medicamenti experimentum: & ſe vocari, ſi quando rurſus aliqua in parte gutturis emicuiſſet phlegmone, ante ſanguinis miſſionem, præcepit. Itaq; vocatus, medicamento illito, ſtatim hominem curauit. Vt autem iterum profecit, non in ipſo tantum, ſed & in aliis, qui ſimiliter erat affecti: rogabat is, qui aſſiduo periclitabatur, data mercede, vt ſeſe medicamentum illud doceret, erat enim ille & locuples, & in pecuniæ ſumtu liberalis. Porro, vbi conuentum eſſet de pretio, is qui vendebat; Hoc medicamentum, inquit, per antipateian quandum vtilitatem obtinet. Eſſe autem eam antipateian, vt qui curatur, neſciat vnde conficiatur. Iuſſit ergo alium daret, qui pro ipſo diceret, quiq; iureiurando reciperet, ſe nulli eius facturum copiam, priuſquam ipſe, qui dediſſet, foret defunctus. Itaq; à morte eius qui indicarat, non tantum ille ſuum hominem, ſed & alios ſanabat, & mihi ne petenti quidem, medicamenti exemplum, volens ac lubens obtulit. Erat ſtercus pueri ſiccum, cū melle attico, ad læuorem tritum. Victitabat autem puer, cuius ſtercus acceperat erat, vt ipſe, qui medicamentum dederat, oſtēdit, lupinis, illis videlicet qui ex more edi ſolent, cūm pane benecocto in clibano, modicum ſalem & fermentum habente. Præbebat autem bibendum vinum vetus: atq; hæc omnia mediocri in quantitate, modo vt perfecte ea poſſet puer concoquere. Itaque cum primo die eo victu eſſet vſus, poſtero tamen die nondum ſtercus capiebat, ſed in eo quoq; die rurſum eodem alebat victu, ac tertio demum ſumebat, ac poſtea arefacto vtebatur. Dicebatur autē illū qui docuerat, fugitātem alios cibos, ob fœtorem, prætuliſſe lupinos: ſeſe vero experimenti gratia, carnes gallinaceas, aut perdicum ex aqua, aut tenui iure, bene coctas, perſæpè exhibuiſſe, & medicamentum nihilominus operatum. *Gal. lib.10.10. De ſimpl. med. facult. de ſtercore Hum.*

IMPACTA LARYNGI GVTTVRIQ.

OBSERVATIO.

Nucem ponticam, quadam dentibus confringens, incautè per aſperam arteriam ad vitalia pertrahit, vnde ſuffocationis periculum, & vitæ diſcrimen incurrit.

GVtturi epiglottis, ſub ipſis faucibus, quoddam operculum, linguæ poſtremæ annexum, accōmodauit, ne quid cibi potuſue in alienum dalabatur iter, quoniam ſpirandi meatus intercluduntur. Sicut Anacreonti poetæ accidit, qui vuæ paſſæ acino necatus eſt. Sicut & Fabius prætor, in lacte pilo hauſto, ſtrangulatus. Etſi ætate noſtra Venetiis anno 1483. Lucretiæ, per quam familiari noſtræ, ſimile contigerit. Ea cum nucem ponticam dente frangeret, oborto riſu, nux in ſpiritus meatum, protinus reſpirando, deuoluta eſt, moribunda ſtatim concidit, in eo ancipiti ſtrangulatu, ad interiores pulmonis partes impacta eſt: tum minus affligi cœpit, vnde nihilominus ſpiritus grauior, ſonatiorque, obſeſſo meatu, audiebatur: tum vitæ ſpem habere cœperit, quoniam confractis quibuſdam venulis, vomica in pectore exorta eſt, quæ tandem perſanata; obſeſſis meatibus reciprocantis animæ raucus ſonus etiamnum percipitur. *Alexand. Benedictus lib.3. cap.18. Anatom.*

OBSERVATIO.

Piſcis ariſta deuorata, & in gutture hærente, difficilia & periculoſa ſymptomata ſubſecuta, quibus tamen æger leuatus eſt.

CVidam deuorata piſcis ariſta, difficilis labor in gutture, abſceſſus, raucedo, difficultas ſpirādi. Ius vt ex longo traheret ſpiritum, facile trahebat: vt ſemel & confertim audiebatur ſtrepitus in gutture, aperto ore, nihil vitii apparebat. Collum anterius erat ſubtumidum. Viſum itaque vitium eſſe imbibitum muſculis laryngis & vicinis partibus. Inſtitutum pharmacum, quod vniuerſum purgaret corpus errhina, quæ caput: frictiones, quæ diuerterent: decoctum ficuum, in quo oxymel ſimplex, ſcyllitic. & ſimilia diſſoluta. Foris, quæ leuiter diſcuterent, cum lana ſordida. Iuſſus æger non bibere frigidum, tenuiter viuere, lacte amygdal. & ſimili victu detergente, incidente & tenuante vti: mox curatur. *Hollerius lib. propr. obſ.24.*

OBSERVATIO.

Sagitta cuidam ſecundum guttur infixa, & ingenioſe educta.

SAgittam Arabicam, ſpiculis armatam, Chriſtiano cuidam, ſecundum gutturis regionem profunde adactam: vnde quod aurita eſſet, citra ſectionem educi non poterat: ingenioſe & caute, inſtrumentis adhibitis, eduximus. Qui præter multorum, tũ meipſius quoque exſpectationem, reſtitutus eſt. *Albucaſis lib.2.c.94.chirurg.*

Observatio.

Glans plumbea per laryngem, aduſque primam ceruicis vertebram impulſa & hærens incolumi ægro.

IOANNES Papa, Sancti Albani in Delphinatu dominus in conflictu ad Caſenium tria manuario tormento in corpus penetrantia vulnera tulit, quorum vnum ſub larynge, qua parte velut nodo protuberat, iuxta pulmonis fiſtulam aduſq; vertebrarum ceruicis initia penetrabat, quo loco hæſit, adhucq; hæret glans plumbea. Hinc multa & horrenda hominem corripuere ſymptomata, vt febris, & ingens colli tumor: adeo vt totos decem dies, nihil niſi iuſcula & liquida deglutire potuerit. Conualuit tamen, hodieq; etiam valet, cura Iacobi Alanii chirurgi. *Pareus lib.24.c.19.*

DE SVFFOCATIONE.

A REBVS PER ERROREM INGEſtis impactiſque.

Observatio.

A rebus variis, velut ſpina, ficu, pyro, acinis, pilo, pilula, caruncula & piſciculo, ſuffocati.

TARQVINIVS Priſcus, cum ad menſam ſederet, os piſcis tranſuerſum adhæſit gutturi, vt nocte illa miſerabiliter exſpirauerit. *Id atteſtatur Hagiographia Guido Bitur.*

Matrona quædam Brixienſis, inuito filio, pilulam aſſumere neganti, digito imprudens in arteriam compulit: qui protinus exanimatus, in ſinu iacuit. *Alexand. Benedictus. in proœmio libr. 7. de curand. morb*

Sophoclem, Lucianus & Sotades apud Crinitum, contra Plinii ſententiam, dicunt acino vuæ periiſſe. Val. Maximus tamen & Volaterranus, fouent partes Plinii, quorum ſententiam ſequitur Politianus.

Quemq́ ſenem, merita, rapuerunt gaudia palmæ.
niſi fortaſſe de Philippide intelligi malis.

Anacreon Teius, poeta, 85. ætatis anno, dum paſſæ vuæ ſucco, tenues & exiles virium reliquias foueret, vnius acini, pertinacior in aridis faucibus humor, eum ſuffocauit. *Val. Maximus lib.9.c.12. & Plin. lib.7.c.7. & Volat. lib.13 & c.3. Anthrop.*

Terpander, citharœdus inſignis, Spartæ canens in Sciade, cum ore hiaret, quidam ficum temere iaciens, faucibus eius tanta vi impegit, vt ſtrangulatus fuerit: de quo *Triphon in 1. Græcorum Epigrammatum.* item *Varinus.*

Druſus Pompeius, Claudii Cæſaris, ex Herculanilla, filius, cui paucos ante dies, filia Seiani fuerat deſponſata, cum puer ludens, iactum in ſublime pyrum, ore excepiſſet, idque alte in guttur deſcendiſſet, præcluſa anima, mortem obiit. *Suetonius.*

Fabius ſenator prætorius, hauſto in lacte pilo, præcluſo ſpiritu, animam egit. Adeo parua re, hominis perſæpe mors conſtat, qui ſuperbe agendo, per amentiam, Deo ſe nonnunquam æquare contendit. *Fulgoſ. lib 9.c.12. ex Plin. lib.7.c.7.*

Iuuenis quidam pomum furtim ablatum deuoraturus, magnam eius partem morſu abſcidit. Interim à parente vocatus, venturum ſe reſpondet, ac ſimul in ipſum tracheæ aditum, attrahit demorſam à pomo partem: vnde ſuffocatio iamiam imminebat. Niſi collabanti quaſi natura particulam pomi illam ita ex ore perturbaſſet, ac ſi per tubulum, vehementi ſpiritus impetu propulſus fuiſſet globus. *Oſvaldus Gabelchouerus de obſeruationibus ſuis ad nos miſſis.*

Puer, annorum circiter quinque vel ſex, Arenbergæ quod eſt Epiſcopatus Aichſtadienſis oppidum, cum forte fortuna matri piſciculos ad cocturam præparanti adeſſet, & etiam vnum ex illis ori inſeruiſſet: factum vt ille fauces præcludendo, ſpiritum animæque meatum interciperet, ex quo miſellus puer ſuffocatione exanimatus, interiit: magno parentum & inopinato luctu. Accidit autem hoc ipſum circa annum milleſimum, quingenteſimum, ſeptuageſimum octauum. Cuius rei certiſſimam mihi fidem fecit, induſtrius & laudatiſſimus huius mei libri primæ editionis Typographus. *Schenckius.*

Filius cuiuſdam Manilii dicti, ex caſtro Bozoli, cum vuæ acerbæ grana auide ingurgitaret, ſuperueniente matre, & eum obiurgante, ex illius improuiſo & inexpectato aduentu, perculſus puer, granum, quod iam in os indiderat, dum feſtinanter deuorare ſatagit, forte in aſperam arteriam delabitur, ita cum nullo auxilio ſubleuari poſſet, miſellam animam exhalauit, ſuffocatus.

Puer alius Hebræus Beſeelel vocatus, dum ſiccam caſtaneam dentibus confringeret, quædam illius ramenta, in aſperam arteriam fuerunt iniecta, cui mulier ſubuenire ſtudẽs, dorſi percuſſione, corpuſcula caſtaneæ in pulmonis lobos delata fuere, ita quod minus anxie cor per patentiorem cannam tunc flabellati potuit, ſicque oregmone & leui ſuffocatione interim irritante, quatuor dierum ſpatio, miſerrimam calamitoſamque vitam duxit: verum quinto ſuperueniente, dum à medico, in Aromatarii officina, conſilium atque præſidium peteret, vnius tantum tuſſiculæ impulſu vniuerſali nigredine infectus, ac ſi fune ſuſpenſus fuiſſet, in patris complexu è vita migrauit. *Marcell Donat. hiſt. med. mirabil. lib.3.c.7.*

Ioannes poſthumus, Marci Perezii Antuerpienſis, qui Baſileam venerat, puellus, optime habitus, niſi quod motu vehementiore, puta riſu, vel eiulatu, ſæpe leui deliquio tentari videbatur, hilaris, lac nutricis ſugens, repente anhelitu intercepto, Baſileæ expirauit, anno Salutis. 1576. Adaperto cadauere, ipſi Laryngi adnata caruncula, nucis magnitudine reperta: quæ vbi ad iuſtam magnitudinem excreuit, puerum nouem menſium ſuffocauit. *Zuingerus Theat. vol.2. lib.7. pagin.515. edit. vltim. Hanc hiſtoriam CL. V. FOELIX PLATERVS, pro ſuo in nos ſtudio, & iuuandæ poſteritatis ſingulari affectu, vna cum aliis plurimis obſeruationibus ſuis, hiſce verbis nobis communicauit.*

Filius Marci Pereſii, quinque menſes natus, bene habitus,

habitus,nullo præcedente alio affectu, ſubito cum ſtridore & reſpirationis difficultate, è medio ſublatus eſt. Quo genere mortis quoq;, cum duos amiſiſſet filios,cauſam ſcire cupiens, ipſo rogante, pectus aperuimus: & in regione iuguli,glandulam illius loci,in ſtrumam quandam magnam,vnciam vnam cũ ſemiſſe pendentem,ſpongioſam, venisſque refertam & quæ beneficio membranarum dumtaxat, vaſis maximis illis,iuxta iugulum aſcendentibus,adhærebat,excreuiſſe deprehendimus: carniformi quadam materia & ſanguine oppleta: quo ſubito irruente, ſtrumamque illam dilatante,adeo,vt vaſa illius loci præmeret,ſuffocatum fuiſſe infantem iudicauimus; hæc ille.

Quum Neomagii apud Geldros quidam atrogantius deglutiret ouum gallinaceum integrum, quod naturalem æſophagi expanſionem ſuperaret, illud in eo coarctatũ,reſidere nequiuit: vnde quoq; compreſſa arteria,mox ſuffocabatur. *Vierus.*

Quidam piſcandi & natandi peritiſſimus, quum manu in quodam profundo gurgite percam cœpiſſet, oriq; mordicus inſeruiſſet, vt ad ſodales enataret: Perca in gulam illapſa miſerum in manibus ſodalium,nihil non tentantium,exanimauit. *Gilbertus Cognatus.*

Quidam præcipuę familiæ iuuenis egregius & magnæ expectationis mihi notiſſimus in Belgio à quadam fœmina philtro dementatus, incidit in mentis alienationem,à qua nullis remediis liberari potuit, ſed ſic illum in cuſtodia libera continuerunt. Interdum vero(vt fieri ſolet) delirium hoc ſua habuit interualla mitiora, vt in ædibus obambularet, nihilq; præter rationem adeo committeret. Is aliquando tum accedens ad fontem, in quo piſces aſſeruabantur,ſtatim arripuit percam minorem & capite ipſius in os intruſo,viuum illum deglutire voluit, ſed perca ſuis ſpinoſis pinnis in faucibus ſeſe exſerens, ita ſpiritum ſtatim in faucibus impediuit, vt intra ſemihoram mortuus concideret. Genus profecto mortis,rarum & admiratione ſingulari dignum. *Ioachimi Camerari Norimb. Med.exemplum.*

OBSERVATIO.

Nobilis Matronæ pilulas ſumtura, vnam per errorem,in aſperam arteriam pertrahens, vnde propemodum vitæ diſcrimen incurrit.

Nobilis vrbis noſtræ mulier, Paula Tridapalea, dum præſcriptas à Medico pilulas, ſatis iuſtæ craſſitudinis,deuoraret,neſcio quo pacto, vna ex illis per tracheæ os delabitur,quæ ibi fere per tres horas perſiſtens,mulierem male afficiebat, ſuffocationemque minabatur, nec vllo ingenio extrahi poterat,donec tandem liquata, ſenſim & ſenſim per tuſſim excreta,mulierem à maximo animi angore,corporiſque cruciatu, ab imminendi morte, quam ex paucis expectabat,liberauit. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab.lib.3.c.7.*

OBSERVATIO.

Strangulati quomodo ſuffocentur.

Qui ſeipſos ſuſpendio ſtrangulant, ſæpe terram pedibus tangentes,ſuffocati reperiũtur: putat vulgus à dæmone ſtrangulatos,quibus venæ adſtrictæ,pedibus manibuſq;,ſenſum,motum & pœnitentiam pariter auferũt,reſolutis mẽbris, in pedes proſilire nequeunt,quod in ſumma mentis deſperatione fieri contingit,aut animi triſtitia,melancholicaq; inſania. *Alex.Benedict.lib.1.c.34.de curand.morb.*

LAQVEO.

OBSERVATIO.

Laqueo ſtrangulati,reuiuiſcentes.

Quidam ſtrangulationem effugiunt, aut collo ſuſpenſi,aut aquæ immerſi,aut in loco intranſpirabili,prauo vapore, aut fumo pleno concluſi. Si igitur collo ſuſpenduntur, ſoluto laqueo, cogendi ſunt, vt acetum cum pipere deglutiant, aut pulegium tritum & læuigatum cum aceto mulſo, & penna oleo madefacta,procurandum vt vomant,& collum lana circumdandum, in oleo calenti infuſa: fit autem irinum.*Hipp.vero aph.43.ſect.2.* inquit; ſtrãgulati ac diſſoluti nondum mortui, non referuntur, quibus ſpuma circa os fuerit. Non tamen in vniuerſum verum habere ſententiam exiſtimandum, vt *Galenus in comm.*aſſerit; nam nonnulli viſi ſunt liberati: ac nos tres vidimus liberatos,qui cum ſtrangulationem paterentur,ſpumam ore mittebant. Vnus eorum ſe collo ſuſpendit,cui amici laqueum ſubito abſciderunt,& vixit, bibito aceto mulſo cum pipere, per hæc enim extinctus calor reſtituitur. Duo alii,ſentinas & cœnoſos puteos mundantes, præ fœtore ſtrangulati,ſpumam mittebant ab ore,quos ſocii,qui ei muneri miniſtrabant,extra puteos demortuos, & fere extinctos,eduxerunt.Erat ſane affectus hic apoplexia, facta corruptione ſpiritus animalis, impletis cerebri ventribus,fœtido vapore, ſpiritum corrumpente. Ego vero ambos ſanitati reſtitui, alterum bibito aceto,& pipere,alterum bibito aceto, & pulegii ſicci puluere, adhibitis quoque naribus bonis odoribus,ex ambra & moſcho, quæ ſi ad manum non fuerint,ſatisfaciet odor pulegi,aut thymi. *Chriſt.à Vega art.med.lib.3.ſect.5 c.8.*

Ego puellę aliquando,à laqueo,paulo poſtquam ſe aſtrinxiſſet (nimio mœrore, quod adoleſcens qui coniugium ei promiſerat negaret) ereptæ, caſtorei pollinem in calido iure per os infudi, vnde illa mox reuiuiſcere videbatur, viuitque etiamnum. *Geſnerus.*

Laqueo ſtrangulatos, quibus ſpuma circa os fuerit, non attingendos eſſe, Paulus, Hippocrati credens, hortatur.Nos poſt amotum laqueum,ſanguinis miſſione,& vini meracioris hauſtu,aliquot reſtituimus.*Ioubertus.cap.1. de affect. Thoracis.*

Sartorem noui Alcmarianum,qui quotidie cereuiſia ſe implebat,ebrioſus: cumque ob eam cauſam ab vxore obiurgaretur, neſcio qua furia exagitatus ſartor,miſer laqueo collo iniecto, ſeipſum ſuſpẽdit. Quod cũ videret vxor, conuocauit vicinos,qui præfecto fune, vix ſpirantem ſartorem à laqueo liberarunt: cumque illi extinctum eum putarent, ſartor adhuc ebrius,rauca voce inquiit: Nõ ſum mortuus: & ſic vitam ſpirans, præſentibus omnibus riſum concitauit.

Alterum noui, ſed Melancholicum, ex deſperatione; qui cubiculum in altiori loco poſitum, ſolus cum aſcendiſſet, cupam ceruiſiariam conſcendit, & funem trabi alligabat,colloque ſuo iniiciebat,deinde pedibus dimouens cupam, vitam ſuſpendio finire decreuerat. Verum mater, quæ tunc in inferiori loco domus erat, cupam cadentem cum audiret,ſubito cubiculum aſcendit, ſpectauitque miſera filium pendulum, mox conuocatis vicinis: qui &

præſecto fune,filium exceperunt, ſatis annoſum : & is inter remedia,(dum nucem muſcatam,cinnamomum,ore contrita,in os ſuffocati inſpirant) reuixit. *Petr.Foreſtus lib.15.obſ.25.*

Si quis laqueo ſuſpenſus fuerit, ita quod ex ore ſpuma exiuerit, vt inquit Hippocrat. ſalutis locus relictus non eſt, res in ancipiti habetur. Ætate noſtra, cuidam militi, inter hoſtiles incurſiones, id contingit, qui ligatis poſt terga manibus, à Duce Venetorum,Franciſco Sfortia, ramo arboris & collo deligato fune (à tergo enim dux ipſe militem, ad arborem ſuſpendio delectam, duxerat) concitato equo,ſuſpenſus pependerat.Diſcedente duce, milites præſecto fune,vix ſpirantem militem excepeṙut, qui inter remedia reuixit, & obtorto collo militiam ſemper exercuit.Iis gargariſſandum violaceum cum aqua tepente ſæpiſſime dari tradunt, ac ex ſimilagine liquidas potiones, aut ptiſana, & à multis abſtinere verbis ſuadent. *Alexander Benedictus. libr.7. cap.3.*

Mercator per multos annos militiam ſecutus,cui cognomen fuit Landthtäler.Is propter neſcio quas fraudes ab arbore ſuſpenſus pependit vltra horæ ſpacium, donec vexilla peditum tranſirent. Cum vero à ſubſequenti calonum turba reſtis diſſecaretur,& motus quidam in ipſo deprehenderetur,curtui impoſitus & liberatus eſt. Retulit is ſæpe nulla ex parte ſe plus moleſtiæ ſenſiſſe, quam in oculis & extremis pedum digitis. Cum tamen poſt 18.annos eaſdem imitari fraudes vellet à Carolo Arenbergico Principe ex patibulo ſuſpendi iuſſus expirauit. *Oſvaldus Gabelchouerus de obſ.ſuis.*

A Q V A.

OBSERVATIO.

Aqua ſuffocati & liberati.

SI quis aquæ immerſus, extinctæ animæ ſpeciem præberet,cruribus protinus ſuſpendi debet: animam ſciſcitari oportet, hyeme calido conclaui, ſuffitionibus beneolentibus, qualis eſt muſchus ac lignum aloes. *Alex.Bened.lib.7. c.3.de curand.morb.*

In vndis ſubmerſi, poſt octo & quadraginta hõras recreati, reuixere. *Idem libr.10. capit.9.eiuſdem operis.*

Qui immerſi in aqua, ſuffocationis periculum, poſt multam aquam bibitam, effugerunt, veluti ex naufragio, eam in primis vomere debent, ſurſum conuerſis pedibus, capite deorſum, ac cogendi ſunt,niſi ipſam ſponte vomant, pennæ aut digitorũ in os immiſſione, & venter manibus roborandus & comprimendus, & poſt vomitum, caro gallinæ, aut pulli, eſui paretur, cum melle & pipere:parum autem bibent,idq; vinum meracius. *Chriſt. à Vega de art.medend.lib.3.ſect.5.c.8.*

Infantula ſupra duos annos nata, nondum tertium annum attingens, apud cereuiſiariam Delphis habitans, pro cuius cupis claues pro inſigni erant; anno 1564. Martio menſe, in vaſculum aqua ſaponis plenum,in quo linteamina lota erant,cecidit: illaque aqua tota intus repleta, animam agere videbatur:alte dormiebat,ſtertebat, anhelitum vix trahens, ſuffocabatur, murmure quodam obrepente, oregmoni (vt vocant) ſimili, quale in morientibus apparere ſolet: adeo vt aſpera arteria oppleta,vix aerem admitteret,foraſque expelleret. Ad hunc caſum accitus, iubeo vt decoctum hordei non excorticati,glycyrrhizæ,& ficuum, adiecto exiguo butyro & zaccharo,continuo obtruderetur: idque tepide: & ita vomitu leui irritato, puella totam aquam ſaponicam cum euomuiſſet, illam paucis horis à ſuffocatione liberaui. Mater autem, niſi inhibuiſſem, vinum Rhenanum propinaſſet : quod equidem naturæ amicum, non ſolum materiam venenoſam,quæ ſaponi ineſt,ad cor facilius perduxiſſet: verum etiam facile inflammationem & febrem induxiſſet.

Pons ligneus, qui è regione domus ciuicæ conſtructus,carie quaſi conſumtus,anno 1577.cum miles quidam in aquam inciderat, multitudine hominum, tam puerorum quam puellarum, ſupra pontem irruentium, aduolante,vt ſpectarent quid ageretur,ſubito in aquam collapſus,infiniti aqua obruti,de vita periclitabantur, ad quos, cum vocatus eſſem,ſalui euadebant,ſumto decocto,ex noſtro conſilio. florum chamomillæ in cereuiſia decoctorum, quo ſudorem, in lecto poſitis, prouocauimus: inter quos erat filia Hugonis Iacobi, pharmacopæi noſtri,annos 20.nata,quæ etiam infantem, dum in aquis iaceret,in vlnis habebat, diu extra mentem ſine loquela perſiſtens: quam veſtibus abſciſſis, cum ob humiditatem exui non poſſent, in lectum collocauimus calidum,& iuſſimus vt puella nuda eam amplecteretur: etiam decocto florum camomillæ, cum ad ſe rediiſſet, ſumto;hoc modo ſudorem euocauimus,quod & aliis commode facimus, vt omnes ſanitatem recuperarint. *Petr. Foreſtus libr.15. obſeruat.26.*

Præ manibus habui puellam, ſupra nouendecim annos natam,quæ cum ex curru cecidiſſet in aquam putrem & cœnoſam, & eam non ſatis euomuiſſet, neque medicum adhibuiſſet,poſt duas ſeptimanas, doloré inſigni in lumpis & renib.& febre continua, quamuis lenta,ſine ordine augeſcẽte, correpta fuit: ſanguine ex vena baſilica detracto, & purgatione commoda adhibita,& ventriculo corroborato, etiam conualuit. *Idem in Scholio ad obſeruation.prædictam.*

F V M O V A P I D O.

OBSERVATIO.

Carbonum fumo vel in totum ſtrangulati: vel ad ſummum vitæ diſcrimen adacti.

NOs bis aut ter vidimus exolutos,ex carbonum accenſorum fumo: erant hi, qui carbones ſuccenderant,in loco anguſtiore, in quo nulla erat expiratio. Sunt autem carbones quodammodo vitiati,quia priuſquam perfecte vrantur, terra extinguũtur & fere ſuffocantur, ita vt humiditas quædam craſſa intus ſeruetur. Imo tres in cubiculo dormientes, vna nocte,ob hunc fumum ſuffocatos vidimus,& penitus extinctos, cum quibus erat & canis commortuus.*Braſſauolus, Comment. ad aph.41. libr. 2. Hippocr.*

Ad viam abſque exitu, Romanis fundulam dictam,in fornice,ſiue teſtudinea camera,tres viri nocte dormiebant:qui ſimul eadem nocte, ob ſemiaccenſos in prunario relictos carbones, omes mortui ſunt.*Luſitanus Cent.7.curat.33.*

Euenit

Euenit ſtrangulationis modus, non ventilato calore cordis, nec refecto animali ſpiritu. Vidi enim non paucos, qui in cubiculo concluſi, cum carbonibus nuper accenſis, cœnam vomuerunt, cum magna mentis turbatione & ſyncope: quorum quidam ſtatim obierunt, antequam aut ipſi, aut medici, mali conſcii fierent. Alios inueni, adhuc vomentes, qui apertis feneſtris & ianuis, ſolo aeris libero ingreſſu, & reſpiratione eius, fuere liberati: quibuſdam febris remanſit, ceſſante ſymtomate: quibuſdam vero capitis dolor, qui ſponte deinde ceſſauit, aut appoſito roſaceo. *Chriſt. à Vega de Art. Med. lib. 3. ſect. 5. cap. 8.*

Audiuiſti ſat ſcio quid acciderit ducali gynæceo in Boruſſiaca noſtra profectione, cum anno proxime exacto per Poloniam iter faceremus. Etenim cũ ibi non eſſet iſta, quæ apud nos eſt, cubiculorum elegantia, & in iis ſtruendi ignis commoditas; gynæceum autem ad veſpertinũ nocturnumq; frigus mitigandum, ignem in cubiculo ex carbonibus accenſum incautius foueret, parum abfuit, quin ad vnam omnes, etiam dormiẽtes, ſuffocatæ fuiſſent; niſi vna textrix, in tela abſoluenda, diutius ad candelam vigilias ꝑduxiſſet. Hæc n. cum ſpiritum ægrius ducere vertigineque iam rotari occiperet, excitato ſtrepitu excitauit pediſſequas, quæ de more in ꝓximis cubiculis erant, à quibus foribus iam & feneſtris apertis, liberioreque aere admiſſo, ſemianimes exportatæ Virgines, difficulter refectæ ſunt. Verum vt candelarum nidor cerebrũ & pulmones afficit & offendit; ſic iſta carbonũ graueolẽtia, non ſolum caput tentat, ſed & os ventriculi, & cor ipſum in pulmonibus oblædit; vnde non ſolum σκοτοδίνῳ, h.e. tenebricoſa vertigine iſti præhenduntur, verum etiã vomitu pleriq; exercentur, & in ſyncopen incidunt, noſtroq; tempore quoſdam eo modo peremtos conſtat.

Sic ſuffocatos nouimus in cellis cereuiſiariis, quãdo illa recens cocta ebullit & fermentatur; nam tum in iis aer tam craſſus eſt, taleq; vitiũ contraxit, vt non ſolum admiſſus cerebrum offendat, ſed cum ſpiritu noſtro in pectus & pulmones circum cor attractus, repentinus ſtrangulatus, paulo minus quam in Charonæis ſpecubus euenire videmus, inducat. Verum carbonum accenſſorum Memphitis & graueolentia in cellis cereuiſiariis ſubitam pernitiem inferre poteſt: ex candelis nidor paulatim, vitium & latenter inſinuat; atq; hoc magis aliis citiuſque afficit, prout corpus infirmius aut robuſtius, vel partes magis minuſve affectas, hi aut illi ſunt adepti. Ita noui quoſdam & inter illos fratrem meum Iohannem Solennandrum Medicum, qui cum in locis concluſis intenti ſtudiis ad candelas diu multumque vigilarint, ita infirmum cerebrum, pulmonesque reddiderint, vt poſtea deſtillationum ad pectus frequentium præberet occaſiones: ſcio quos in Apoplexiam coniectos, nidor iſte ſuffocarit. Sed ad tuum affectum reuertar, non ſolum eo modo labefactatum tibi cerebrum; ſed etiam pulmones ipſi incredibiliter, & cor affectum admiſſo attractoque impuro & nocente aere, fuligine nimirum reſumta, pro puriore aere, qui in exſpiratæ fuliginis locum ſuccedere debebat. Atque hæc graueolentia tanto plus tuæ valetudini nocere atque obeſſe potuit, quanto minus, vt fateris, ab ineunte ætate concluſum, craſſum, minuſq; depuratum aerem, qualis in hypocauſtis noſtris (niſi in eis ignis præterea in camino foueatur) vt plurimum conſueuit eſſe, perferre potueris: hic nidor ex omni pingui, cera, oleo, ſeuo eſt; ſed tamen non eodem modo; neque ex vna materia, ſpecie vnus, idemque & æque pernicioſus: ſed pro indiuiduorum qualitate magis minuſque nocens. Sic ex ſeuo molliore impurioreque, quod aut pinguedinem aliam admixtam habet: aut cum ſolueretur, aduſtionem recepit: aut ex male ſanis animalibus, aut iis, qui morbo interierunt, deſumtum eſt, candelæ factæ, nidorem graueolentiorem accenſæ ſpirant, quam ſi iſtis amotis, ex puro puto conformentur. *Reinerus Solenander opere ſuo conſilior. ſect. 5. conſ. 6.*

Qualia appareant circa eos, qui vapore accenſorum carbonum ſuffocantur, & qua arte de his renunciationem contexere te oporteat, ſequenti hiſtoria poteris intelligere. Anno Domini 1575. die decima Martii, vocatus fui cum Roberto Grealmo, Doctore Medico, à Domino Hamelio Patrono, in ſenatu Pariſienſi, qui inuiſerem, & renunciarem de duobus ſuis ſeruis, quorum vnus ſcripturis operam dabat, alter ſtabulo. Hos tota familia rebatur mortuos, quia ipſis arteriarum pulſus non percipiebatur, extrema totius corporis frigebant, vox & motus perierant, facies liuebat, nec pulſati, aut etiam violenta manu depilati excitabantur. Omnes igitur ipſos pro mortuis habebant, quæſtio tantum erat de mortis genere: herus enim eos ab aliquo ſtrangulatos ſuſpicabatur; alii ipſos mutuo ſibi animam manibus præcluſiſſe opinabantur: alii deniq; ſubita apoplexia prehenſos philoſophabantur. Ego vero extemplo quæro, num ignem ſuccenſis carbonibus excitaſſent. Ad quod verbum arrigens aures herus, dum anxie per omnes conclauis angulos veſtigat, (erat autem conclaue valde anguſtum & vndique clauſum) ſcaphium figulinum, ſemiuſtis carbonibus plenum, reperit. Quo viſo, omnium vna vox fuit, tantæ calamitatis cauſam extitiſſe malignum fumum, & vapores venenatos, qui ipſos, præcluſis velut animæ ductibus, ſuffocaſſent. Admota igitur manu cordis regioni, cum ex calore ſuperſtite & pulſatione, licet exigua, in ipſis adhuc animam reſidere animaduertiſſem, ſuccurrendum primo quoque tempore ſtatuimus. Inprimis igitur os, quod obſtinata dentium adhæſione obſeratum erat, arte diduximus, in idque tum cochleari, tum fiſtula argentea, aquam vitæ, pluries deſtillatam expreſſimus, cum diſſoluta hiera & theriaca: ad frequentes huius medicamenti in os gulamque expreſſiones, commoueri ac concuti cæperunt, mucoſos ac viſcidos humores, ore ac naribus reddere, vna pulmone ipſis tanquam in gutture feruente. Tum igitur vomitoria ex multo oxymelite propinata, dorſumque ad vltimam ſui vertebram, & primam lumborum, manu & genu crebro & violenter pulſatum (in hanc enim partem obuertitur orificium ventriculi) vt vomitorii ingeſti vi, ac ſtomachi concuſſione, cogerentur ad vomitum. Nec nos iſte conatus fefellit; mox enim phlegma viſcidum, ac flauum ſpumoſumque ſanguinem excluſerunt. Sed his minime contenti, canna anſerinæ pennæ, euphorbium in puluerem tritum, in nares inſufflauimus, vt cerebri excretrix

facultas,ad excluſionem eorum,quæ in ipſo oppreſſionem faciebant, proritaretur: ſtatim itaq; ſternutatione concuſſum cerebrum, inſuper oleo Chymiſtarum de menta,palato & faucibus affricto; ſtimulatum, mucoſa multa per nares depulit. De cætero illis conſultum eſt brachiorum, crurum ac ſpinæ frictionibus,clyſteribus acrioribus,quorum vi,exonerata aluo, copioſe mox loqui cæperunt, ad oblata conuenienter ſe habere, & ad ſe redire. Quibus in omnibus rebus perficiẽdis, ſtrenuam nobis operam nauarunt, Iacobus Guillemeau, Regius & Pariſienſis Chirurgus, & Ioannes à Sancto Germano, Pharmacopola fidus, diligens, & induſtrius. Poſt meridiem, quo res feliciter cœpta,feliciore exitu clauderetur, vocati ſunt, Ludouicus Theobaldus,& Ioannes Altinus, Doctores Medici doctiſſimi, & artis operibus clari, qui de cæteris, quæ agenda ſupereſſent, communi nobiſcum conſilio ſtatuerent. Hi, probatis omnibus quæ egiſſemus,cenſerunt ipſis dehinc conſulendum eſſe cardiacis, quæ laudabilium humorum generatione, non modo ſpiritus nouos ſufficerent,ſed etiam eos qui in corpore ſupereſſent, tenuarent, & ex caliginoſis illuſtriores redderent. Reliquum conſultationis conſultum eſt in tam calamitoſi affectus cauſa exquirenda. Carbonum enim accenſorum fumo,& nebuloſo vapore, homines ſuffocari, nouum non eſſe aiebant. Scriptum nanque legi apud Fulgoſium, Volaterranum & Egnatium, Iouinianum Imperatorem media hyeme Romam properantem, feſſum de via in pago Dadaſtanis, qui Bithynos à Galatis diuidit, decubuiſſetq; in cubiculo recens conſtructo,& calce incruſtato,in quo ob id calcis reſiccandæ gratia,magna vis carbonum accenſa fuerat:eam vero noctem illi in vita poſtremam fuiſſe: ſuffocato nempe ipſo de nocte media, tetro illo ignis carbonarii vapore, imperii ſui octauo menſe, ætatis vero anno trigeſimo, vigeſima die Auguſti. Quanquam quid eſt neceſſe veterum exempla ſectari; cum non ita à multis annis, in ædibus Ioannis Beninij aurificis,in flexu pontis Numulariorum commorantis, tres ſerui interierint, propter carbonarium ignem, in anguſto & ſine camino conclaui, in quo dormiebant, accenſum. Quod ad cauſas attinet, hæ in medium productæ fuere. Nonnulli in ea ſententia fuerunt, vt exiſtimarent, id ſolo carbonarii vaporis vitio contingere, q loco perſpiratione prohibito concluſus, ſimilia quæ muſti vapor ſymtomata inuehit, nempe capitis dolorem & & vertiginem. Vtrumq; eiuſmodi vaporum genus, præterquam quod crudum eſt, earum rerum inſtar, à quibus effertur, tum etiam citiſſime poteſt neruorum principium implere,adeoq; conuulſiones,ſubſtantiæ ſuæ craſſitie excitare. Sic enim Hippocrates de illis ſymtomatibus quæ vini vapore fiunt, locutus ſcripſit: Si ebrius quiſpiam derepente obmutuerit,conuulſus moritur, niſi febre corripiatur,aut niſi vocem recuperet, cum crapulæ ſoluuntur. Eodem plane modo vapor carbonarius, occupato cerebro, elingues illos,velut immobiles,& omni ſenſu orbatos reddiderat, breui morituros, niſi remediis calidis in os nareſq; ingeſtis, vaporis craſſities attenuata fuiſſet, & excitata facultas expultrix, ad omnia ea quæ moleſta erant excernenda: ac quamuis prima facie appareant præ cæteris partibus pulmones læſi, inſpiratione maligni vaporis; tamẽ propius intuentibus perſpicuum futurum; eos non laborare, niſi per cerebri,inſigniter & maxime hic affecti, ſympathiam. Argumento eſſe,quod ſtatim vocis, ſenſus & motus interceptio ſecuta eſt. Quæ ſymtomata non contingunt, niſi intercepto neruorum principio, materiæ alicuius præter naturam incurſu. Ac quemadmodum Apoplectici non moriuntur, niſi reſpirationis defectu, citra vllam pulmonum offenſam, ſic his iuuenibus mors in propinquo erat, propter interceptam reſpirationem, non vllo pulmonum vitio; ſed cerebri & neruorum, ſenſum & motum toti quidem corpori, maxime tamen inſtrumentis reſpirationi, impertientium. Alii contra cerebrum culpa vacare contendebant, atq; huius calamitatis culpam coniiciebant in ſpiritus vitalis interceptionem: is enim obſtructis pulmonum ductibus, ingreſſu à corde ad cerebrum prohibitus, materiam de ſe ſpiritui animali amplius ſuppeditare non poterat. Hinc eſt,quod iuuenes illi ſuffocati moriebantur, reſpirationis, ſine qua vita nulla eſt, defectu. Nam præterquam quod in tali caſu cor non poterat ſeſe expedire, circumfuſa fuligine pulmone obſtructo carbonarii huius vaporis craſſitie, inſpiratio inſuper commode fieri non poterat: hæc enim fit, aere ambiente in corpus allecto, aer vero ambiens, vt quod inſpiratione natura conatur, perficiat: nempe vt cordis ardorem temperet, debet quatuor conditionibus eſſe donatus. Prima, vt ſufficiente copia & quantitate in corpus trahatur. Secunda,vt qualitate ſit, egelidus vel temperatus. Tertia, vt conſiſtentiæ ſit tenuis & mediocris. Quarta, vt ſubſtantiæ ſit mitis & benignæ. At quatuor illæ conditiones aeri, quem tum in conclaui illo iacentes iuuenes ducebant, deficiebant. Primum enim quantitate paucus erat,quod tãtillum aeris, quod in tam anguſto conclaui erat, id magnam partem ab igne carbonario abſorbebatur, haud ſecus quam qui cucurbitula includitur aer, temporis momento ab accenſa flamma conſumitur. Deinde egelidus aut temperatus non erat, ſed ab igne accenſo quaſi flammatus. Tertio conſiſtentia craſſior erat, quam par eſt, admixtione ſcilicet craſſioris vaporis carbonarii: eſt enim hæc natura aeris, vt citiſſime alteretur, & prompte excipiat formas atq; impreſſiones circumfuſorum corporum. Denique ſubſtantia erat infenſus,& toto genere aereæ corporis noſtri ſubſtantiæ inimicus. Fit enim carbo ex lignis viridibus, in foſſa ſubterranea accenſus, moxque in proprio & ſuo fumo extinctis & ſuffocatis, quemadmodum norunt, qui rem carbonariam factitant. Hæ virorum doctiſſimorum opiniones, quanquam ſibi non omnino conſentientes videbantur, ſuis tamen ambæ rationibus nitebantur. Eſt enim id ſaltem manifeſtum, ductus illos, qui partibus thoracis & cerebro communes ſunt, vaporis carbonarii craſſitie, obſtructos tum fuiſſe: ex quo contingebat vt ambæ illæ partes in vitio eſſent, cum illarum, vt & reliquarum omnium corporis partium, tantus ſit conſenſus,& connexio mutua vt niſi mutuis auxiliis, ſaluæ & incolumes diu ſtare nequeant; propter amicam, quæ corpori ſecum & cum ſuis partibus eſt, conſpirationem. Quare cerebri ventriculis, pulmonum bronchiis, & carotidibus arteriis obſtructis, ſpiritus vitalis ingreſſu in cerebrum, & animalis inde in vniuerſum corpus exitu & digreſſu prohibeatur: vnde duarum facultatum,

cor-

corpori ad vitam neceſſariarum, interceptio. *Pareus Tractatu de Renunciationibus.*

Memini ſuffocatos in naui duos vel tres, in qua ceruiſia concluſa erat, cum exitum non haberet. Et ita iſtis diebus nautæ puerum habui, ex fumo pene præfocatum, qui ſubito extractus, quaſi mortuus in domum cereuiſiarii deportabatur: quem & nos bonis odoribus recreauimus & reſtituimus. Ex fumo aliquando ſuffocatio obrepit in iis ædibus, qui carbone pro igne vtuntur, admodum male olente, vel in loco concluſo, vt aer libere trahi nō poſſit: quemadmodum narrat Mathæus de Gradi, ſuo tempore Mediolani contigiſſe, in duobus famulis cuiuſdam pharmacopæi, qui hoc modo ſubito extincti fuere. Huius mortis cauſam Eraſiſtratus aſſignabat, quod non poſſent ſpiritum continere præ nimia ſubtilitate: contra Galenus, quod ſicuti cibi quidam, vt panis, oleum, & ſimilium, nobis familiares ſunt: quorundam vero, vt cantharidum, leporis marini, qualitas nobis extranea eſt: ita & is exiſtimat, aeris quandam nobis eſſe familiarem ac ſpiritui amicam qualitatem; aliam vero extraneam, & corrumpentem ſpiritus. Cæterum vt vt res ſe habet, poterit fortaſſe & ex alio fumo non corrumpente fieri præfocatio. Et ideo *Haly Practica ſua lib. 6. cap. 4.* inquit: Qui autem ex fumo fuerit ſuffocatus & diſſolutus, ſi ab eius ore ſpuma exierit, nulla via eſt ad eius ſalutem: cui autem non ſic, violarum gargariſet oleum, & aquam tepidam, ſorbitionem ex furfure: atq; à clamore arceatur, & verbis multis. Curabitur quoque calidorum & impinguantium correctione, id eſt, multum nutritiuorum, vt quidam interpretantur. Pinguia quidem, vt mihi videtur, ob fumi acredinem præſcribunt. Suffitus quoque ex aromate cordiali, frigidiſque admixtis, cōuenit: vt eſt nymphæa, papauer, ob qualitatem manifeſtam fumo reſiſtentem, quæ calida & ſicca eſt. Quidam & hic poſt duos dies ſectionem venæ imperant. Tales autem, & qui in aere fœtido concluſi ſunt, ſtatim ad aerem apertum deducere oportet, & odoribus bonis reſtituere & reficere. *Foreſtus lib. 15. Scholio ad Obſeru. 26.*

Plura huius generis cognoſcet æquus Lector ex *Tomo primo Operis huius, titulo de Apoplexia.*

OBESITATE ET ARVINA.

OBSERVATIO.

Nimia corporis obeſitate ſuffocati.

Dionyſius Heracleotes, Clearchi F. tyrannus, obeſitate nimia periit, teſte *Aeliano lib. 8. Varia Hiſt.* quod ipſum in primo græcorum Epigrammatum Palladas complexus eſt.

Erat Galeottus vſq; adeo tumenti abdomine, vt cum ſub vaſto obeſi corporis pondere, vel prægrandia iumenta fatiſcerent, rheda curuli veheretur: ac demum ſenex ad montem Annianum circa Ateſte, aruina ſuffocatus, interiret. *Iouius in vita Galeotti.*

CVRATIO SVFFOCATIONIS.

OBSERVATIO.

In quouis ſuffocationis periculo & metu: velut etiam in pertinaci capitis dolore, aliiſque nonnullis deſperatis morbis, venas iugulares, Guidez Arab. dictas, tuto ſecari poſſe, & quomodo.

ARabes venas Guidez appellant: de quibus ſic Auicenna. Venarum Guidez apertio fortaſſe neceſſaria eſt in vehementia raucedinis, præfocationiſq; timore. Porro pleriq; omnes abhorrent ab earum phlebotomia, & hanc maxime omnium damnant, quaſi idem ſit, quod hominem iugulare: Scilicet fieri poſſe non putant, vt ſanguis citra firmiorem ligaturam ſiſtatur, quæ in collo, metu ſuffocationis, valde eſt periculoſa. Eius opinionis non fuit Halyabbas: neque ſane verenda eſt harum venarum apertio, quum in his ſit longe facilimum vulneri ſtatim prouidere, vt hæmorrhagia cohibeatur etiam citra ligaturam, hoc modo: æger collum ad alterutrā partem quātum fieri poteſt diſtorqueat, erecta ceruice: tum vbi maxime conſpicua eſt vena poſt frictionem, & frontis compreſſionem, cum ligamento factam, phlebotomus adigatur. Quando ſufficiens quantitas ſanguinis hauſta fuerit, æger collum reddat priſtino ſitui atq; medio: hinc fiet, vt à cute, vbi minime eſt vulnerata, venæ vulnus cooperiatur occludaturq;, nec ſit opus ligatura ſanguinem compeſcente. *Iubert. Annot. ad Guid. tract. de lepra, pag. 567.*

Sæpe venis accidit coarctatoria oppilatio à plethora, à ſanguine cauſata, quæ ſi fiat in ramis venarū Guidez, ſemper ſequitur ſomni profunditas, apoplexia, & ſuffocatio extrema. Iſta vena Guidez interdum phlebotomatur. Raro tamen in regione & ætate natura, ſua inciſio, confert lepræ non confirmate, & in forti angina, in acuto aſthmatæ, in conſtrictione anhelitus, in raucedine vocis, ex ſuperabundanti ſanguine, in pulmonis apoſtemate, euacuationis & diuerſionis gratia, pro antecedente cauſa in principio & augmento: hæc tamen inciſio venarum Guidez, eſt fienda à docta manu, cum phlebotomo habente aliquod obſtaculum prope cuſpidem, ne profundentur omnia latera venæ, quia hæ venæ ſunt labentes in tactu earum, quia non ſunt annexæ carni, ſicut aliæ multæ, tum etiam propter glandulas molles & lubricas ſub eis exiſtentes, tum etiā ne phlebotomus pungat neruum, vel alia membra ibidem locata. Modus autem phlebotomandi has venas talis eſt, ſcilicet patientis primo ſtringatur venter inferior, inter ilia & hypochondria, cū zona decenter ſtringente, teneat etiam os ſuum clauſum in expellendo aerem à pectore, deinde patiens declinet caput ad partem contrariam partis phlebotomandæ, quia ſic faciendo intumeſcit vena vt corda extenſa, & cum inſtrumento apto tenendo venam firmam cum manu, vel alio ingenio debet perforari vena in loco eminentiori, Authores laudant ſectionem talem fieri debere ſecundum latum, ego tamen facerem ſecundum obliquum, & quantitas ſanguinis non ſit ſuperflua, neq; fiat ſecundatio. Et operator habeat ſecum pulueres ſanguinis conſtrictiuos, ſicut bolum armenum, ſanguinem draconis, pilos leporis, mumiam, alias piſſas phalthos, non carnem humanam ſiccam, qua vtuntur moderniores, cortices thuris, aloes, & ſimilia; & inter omnia habeat vitreolū ſeu colcotar, fuligo etiā laudatur, fabæ cōbuſtæ, & charta, & coria combuſta, & his ſimilia, ſuperpoſito ſemper oui albumine bene contuſo, & ſuper omnia decenti ligatura, & patiente iacēte capite eleuato, per octo dies cum leui ſomno, & decenti diæta, prout videbitur medico legitimo. *Iacob. Carpus in Iſagog. Anatomica.*

DE ANGINA.

DE SPECIEBVS, ET PROGNOSTICIS ANGINÆ.

SPECIES RARÆ.

OBSERVATIO.

Anginæ raræ ſpecies, ex primis vertebris natæ.

VBI primæ vertebræ afficiuntur, licet raro, euenire tamen interdum angina poteſt, idq; in pueris magis, quam adultis: de qua *Hippoc. lib. 2. de Morb.* populariter vagantibus, in hunc modum ſcripſit: erant anginoſorum affectiones huiuſmodi: ceruicis vertebrę ad interna conuerſæ ſunt, aliis quidem plus, aliis vero minus: atque in partibus exterioribus, manifeſta videbatur in ceruice concauitas: dolorem laborans, vbi illic tangebatur, ſentiebat.

Accidit angina cuidam, ſub ea vertebra, quam dentem nominant, verum non adeo acuta: quibuſdam vero ob rotunditatis magnitudinem, omnino conſpicua. Fauces autem, vt ea vertebra, quæ dens dicitur, inflammatione minime laborabãt, ſed moleſtia afficiebantur. Ea quæ ſub genis erant, tumebant quidem, ſed inflammatione laborantib. haud erant conſimilia. Inguina nullus dolor cruciabat, ſed naturali potius habitu permanebant. Lingua haud facile conuertebatur, atque aucta ipſis videbatur, atq; exerta. Venæ ſub lingua manifeſtæ. Deglutire, niſi magno cum labore, nequibant: at ſi vi quadam deuorare conarentur, per nares effluebat id, quod ingeſſerant. Ex naribus loquebantur. Spiritus ipſis non admodum elatus. Nonnullis capitis, temporum atque ceruicis venæ attollebantur. Atque horum quibuſdam, quibus dolores recrudeſcebant, tempora paululum calebant, quamuis alioqui non febricitarent. Plurimi non ſuffocabantur, niſi quum vel ſputum, vel aliud quippiam deglutire tentarent. Neque ſubſidebant oculi: Igitur quibus tumor non in alterutram partem deflexus, ſed rectus erat, nequaquam paralytici euadebant. Horum ſi quempiam periiſſe mihi conſtaret, id referre grauarer minime. Nam quotquot memoria nunc conſequi poſſum, omnes ſuperſtites permanſerunt. Atque alii quam celerrime ſanitati ſunt reſtituti: Alii non pauci quadrageſimum diem præterierunt. Inſuper nonnullos febris omnino non arripuit. *Galenus lib. 4. cap. 3. De Loc. Affect.*

OBSERVATIO.

De latente ac difficili angina.

NVlla inter anginæ ſpecies æque periculoſa eſt, ac ea, in quam nullus tumor in faucibus ac collo apparet: quam latentem hac de cauſa non inepte dixerimus. Talis autem quandoque, hominem paucis diebus conficit, ac è vita tollit: mente & ſenſibus integris. Quod & *Hippocrates prædictionum lib. 3. cap.* 8. ſcriptum reliquit. Angina inquit, grauiſſima eſt & celerrime interimit, quæ neque in ceruice (id eſt, collo, interprete Galeno) neque in faucibus; conſpicuum quid efficit. Hæc etenim eodem die, & ſecundo, & tertio, & quarto, ſtrangulat. Plurimum vero hanc quoq; dolorem inferre, & ſpirandi (addit) difficultatem. Adſunt vero non modo hęc, ſed & vehemens copioſaque humorum è capite deſtillatio, dolor autem circa Laryngem & aſperam arteriam talis, vt nec contingi, quantumcunq; leniter, citra grauiſſimum dolorem queant: ſed nec moueri ſurſumq; attolli. Quamobrem non ſpiritus tantum cum difficultate trahitur, ſed & cibus ac potus ægerrime, aut non demittuntur. Cum etenim per œſophagum deſcendunt, cedit, & ſurſum aſcendit larynx. Inflammari per huiuſmodi anginam, interiores ac latentes Laryngis muſculi exiſtimantur. Verũ nos nullam iuxta laryngem aut eius muſculos, vel circa aſperam arteriam, inflammationem aut abſceſſum cognouimus, ſed pulmonem male affectum obſeruauimus.

Lanio quidam meridie circa laryngem & fauces dolorem ſenſit: & quandam in deglutiendo cibo ac potu difficultatem. Adiit ſub veſperam pharmacopæum. Datur ex aquis plantaginis, lactucæ, & diamoron, addito aceto, gargariſmus, quo cũ ſubinde vteretur, doloribus intenſis, ſubito, nocte, mente conſtans, ſtrangulatus interiit. Huius corpore aperto, reperta eſt pulmonis ſubſtantia, ſiue παρέγχυμα in pus conuerſa, & ad vnum eius latus abſceſſus pure quoq; impletus. Nulla tuſſis huic antea fuerat moleſta: neq; ſanguinis vlla ſputatio præceſſerat; ſano validoq; corpore euſque viſus, eoque non gracili, ſed obeſo.

Eadem & ſuperioribus ſimilia, æſtate, anni 1565. diligenter annotauimus: quãdo multi angina, ac ſimul moleſta ex capite deſtillatione correpti fuere: præſertim ex his, qui pręcedente hyeme, vel tuſſi, vel raucedine laboraſſent, aut è peripneumonia euaſiſſent. Plurimis horum poſteaquam circa laryngem dolor remiſſior, tandem deſiiſſet, peripneumonia ſucceſſit, cum lateris dolore, non tamen pungente, aderant reſpirandi difficultas, & pulſus mollis. Horum non pauci intra non multos dies mortui, ſeniores euaſerunt, & natura frigidiores. Pulmones horum vel purulẽti fuere, vel abſceſſum habuere: iuxta vero Laryngem, aut eius muſculos nihil occurrit, quod vel adeſſe vel adfuiſſe inflammationem oſtenderet. Satis quidem apparuit, pulmones male quidẽ prius affectos, ſuperueniente ac accedente è capite deſtillatione, reliqua ſymptomata ſucceſſiſſe: Laryngem vero non primario, ſed per ſympatiam, ſiue conſenſum laboraſſe. Veriſimile vero etiam eſt, deſtillante humore, aſperam arteriam, eiuſq; ramos impleri atque diſtendi: deinde eodem ad alia vaſa tranſmiſſo à dolore liberari quidem aſperam arteriam, ac eius ſupremum finem ipſam laryngem: pulmonis autem male affectas partes è dolore occupari: atq; hoc modo ex angina in peripneumoniam permutationem fieri. Subuenit huic morbo mox, ſi vires ferant, venę ſectio, ita enim citiſſime impetus defluentis humoris & auertitur & compeſcitur: deinde quæ lenire aſperam arteriam & pulmonem queunt, ac ſputi facilem exitum procurare: cuiuſmodi ſunt dulcia, vt glycyrrhiza, eiuſque decoctum, vuæ paſſæ, vinum paſſum, aqua mulſa, vinum mulſum, dilutum, ſi febris adſit, & alia eius generis, quæ à Cælio Aureliano commendantur. Adſtringentium ac repercutientium in hoc morbo vſus, inutilis: aceti vero etiam pernicioſus. *Dodonæus cap. decimo octauo obſeruationum.*

Appel-

Appellat anginam *Hippocrates. Gal. teſte*, affectum circa fauces, qui ſpirationem quoquo modo reddit deteriorem. Huius genera quatuor *lib. de locis affectis 4. cap.* 5. enumerantur: alii deinde & affectus referuntur, per quos cibi potusque via impeditur, & cum difficultate cibum laborantes deglutiunt, potus vero etiam per nares reſilit. His annumerari æſophagi, ab inhærente oſſiculo, inflammatio poteſt. Per hos autem affectus, ſpirandi quoque difficultas quædam oboritur, ſed citra ſuffocationis periculum. Eſt autem ſuffocatio (nonnullis ſtrangulatio) non aliud, niſi interitus ſubitaneus, propter defectum inſpirationis, (*vt Gal. in comment. Aph.* 34. *libr.* 4.) qui fit ex anguſtia alicuius inſtrumenti, ex iis, quæ ſeruiunt reſpirationi: anguſtia vero fit, vel repleta media regione, quæ inter thoracem eſt atque pulmonem, aut pulmonum meatibus: vel aliqua inflammatione totum occupante viſcus: ad aſperam arteriam; vel etiam partem, quæ veluti caput eius eſt. Quæ etiam inflammatio aliquando fieri ſolet in præiacente ſpacio, quod fauces appellant. Atque vna harum cauſarum, eius de qua ſcripſimus anginæ occaſio fuit, pulmonis videlicet χώειον ſiue meatuũ atque ipſius aſperæ arteriæ ex affatim defluente humore repletio. Quæ, quomodo, ac qua via in peripneumoniam conuertatur, oſtendimus. Eſt autem hęc inter anginas, per quas nullus in faucibus tumor apparet, & quæ ſubitaneum periculum adferunt, frequentior. Quæ vero aſperæ arteriæ, vel muſculorum, qui gulam cum gutture iungunt, inflammationem conſequitur, omnino rariſſima. Contingere huiuſcemodi aliquando poſſe, negari nequit: extante præſertim exemplo apud *Ant. Beniuenium cap.* 38. Pus etenim loco circa collum, altioribus plagis inciſo, erumpens, inflammationem præceſſiſſe vicinorum muſculorum manifeſtum fecit. *Idem Scholio ad idem caput.*

Observatio.

In angina affluxum ſanguinis ſubinde recurrere.

VSu medendi obſeruaui in anginoſis affluxum ſanguinis ſubinde recurrere. Itaque ſi ita neceſſitas ſuadeat, repetenda erit per vices quaſdam ſanguinis reuulſio. Quinetiam in morbi progreſſu, diſcutientia minus vtilia animaduerti, quod irritent, ad defluxum humorum. Quare anodinis & lenientibus ſolis, tutius in hoc affectu proceditur. *Iacob. Oethaus lib. obſ. propriarum.*

PROGNOSIS.

Observatio.

In angina rubor & tumor ceruicis & pectoris, ſi intro conuertantur, mortis argumentum.

TAnto ſecurior angina eſt, quanto inflammatio magis ſecedit à partibus internis, & via reſpirationis. Talis eſt diſpoſitio, per quam inflammantur ceruix & pectus, vbi non recurrat inflammatio aut iacet ignis ad partes interiores. Sic enim dixit *Hipp. aph.* 50. 7. *ſect.* Ab angina habito, tumor & rubor in pectore ſuperuenientes, bonum: extra enim vertitur morbus vbi tamen contingat intro conuerti, malum erit. Quod contigit cuidam vetulæ ſexagenatiæ, quo tempore Illuſtriſſimi Ducis de Medina cœli, patroni mei curam gerebam, paſſa eſt anginam in tertia ſpecie, inflammatis faucibus & ceruice, ſine difficultate reſpirandi, & conuenientibus adhibitis remediis, rubor ad pectus deſcendit, plurimum demiſſa inflammatione faucium quinta die morbi, ſeptima die parum coctum ſpuebat in decenti copia: cæterum decima die recurrit rubor, ſubito namque ſpuere ceſſauit, febris aucta eſt, rubor pectoris euanuit, & vndecima die mortua eſt. *Chriſt. à Vega. Comment. ad lib. 3. Prognoſt.* 28. *Hippocratis.*

ANGINA LETHALIS.

Observatio.

Angina, quatuor phlebotomijs, cum ſcarificationibus, tribus ſanguinis libris eductis: ægrum intra octo horas necauit.

NOnnulli vocarunt me, vt curarem Dominum Collam Libum, vir erat hic curialis, & Illuſtriſſimo Alphonſo Duci Ferrariæ carus: cœpi illum interrogare, ſanus lectum ingreſſus erat veſperi; hora decima experrectus, perſenſit in gutture dolorem, nec poterat anhelare, nec deglutire: iuſſi vt aperiretur vena communis, & decem vnciæ ſanguinis extraherentur vel duodecim, promiſique me iterum acceſſurum, cum alios quoſdam ægros viſitaſſem, dum aberam, illum interim viſitauit Elleonorus Sanſeuerinus, expertiſſimus in re medica vir, qui iuſſit ex humerali libram aliam ſanguinis extrahi, poſtea diſceſſit: ſed & ab amicis fuit ad illum ductus excellentiſſimus Magiſter Sigiſmundus Nicriſolus, qui anhelitus difficultatem videns, ex alio brachio (nos primo à dextro, hic à ſiniſtro,) aliam ſanguinis libram educi iuſſit, illincque diſceſſit: nos ſtatuta hora Dominum Collam reuiſentes hiſtoria de aliis medicis enarrata eſt, erant tres ſanguinis libræ eductæ, iuſſimus vt ſub lingua venam ſecarent, itaq; factum eſt, additæ ſunt cucurbitulę, & omnia diuerſionum genera, tamen fieri non potuit, quin decima octaua hora obiret, & decima hora angina correptus erat. Cynanche erat. *Ant. Braſauola Comment. ad lib. quartum de Rat. Vict. Acut. Hipp.*

Observatio.

Angina octodecim, interdum duodecim, nonnunquam etiam decem horis interficiens.

OMnium periculoſiſſimam anginam cenſuit Hippocrates, vbi neque in faucibus, neque in ceruice quicquam apparet. Huius quippe inflammatio penitus abſtruſa, grauiora infligit ſymtomata, non ſine metu præſentis ſtrangulatus. Hac ſæpe vidimus ſublatum ægrotum horis octodecim, cõſtante mente, integriſque ſenſibus. *Fernelius libr. 5. cap. 9. Patholog.*

Proxeneta ille, qui circa oleum verſabatur, cum adueſperaſceret, quod de gutturæ, ſtrangulabantur, conqueri cœpit, pro qua abigenda mala affectione, remedia varia ſunt facta, vomitus namque euocatus fuit, & oxymelitis portiunculam per interualla lambebat, ex ſtomacho namq; malum hoc euenire credebatur, ſed poſtea ſcapulis & ceruici cucurbitulæ, ſecta cute, ſunt adfixæ. demũ morbo grauiori facto, intra duodecim horas miſer hic è viuis

ſterten-

ſtertendo deceſſit: intromiſſa autem cerea candela per æſophagum ſiue gulam, nihil impedimenti perceptum eſt. Fuit igitur ſæuus hic morbus angina, aſperam arteriam occludens, & reſpirationem impediens: cæterum hoc in caſu, ſanguinis per venæſectionem miſſio, & cætera remedia prætermiſſa ſunt, quia volucris occaſio. Porro vir ille ad quem vocati, diligenter venimus, angina ſtrangulabatur, per ſigna namque & notas loquebatur, qua de re illico: nulla interpoſita mora, aut vacuatione alia præhabita, ſub lingua venas ſecare fecimus, & ſanguinem ex eis conuenientem fluere; quo conſtricto, pauculo interpoſito tempore, & vt ita dixerim, refectis viribus, repente brachii cephalica vena ſecta fuit, & ex ea per interualla ſanguis miſſus, vnde breui vir hic melius habuit, & poſtea nonnullis aliis celebratis remediis, ſanitatem priſtinam adeptus eſt. *Luſitanus Centur.7. Curat.90.*

Synanche exacte peracuta eſt. Vidimus etenim ſynanchen, quæ in decem horis interfecit. *Braſauolus Comment. ad Aph. 10. lib. 5. Hippoc.*

Cuidam in muſculis dextræ partis laryngis, cum orta eſſet inflãmatio, neq; appareret, ſed tactu duntaxat externo dolorem præ ſe ferret, mors ſubita, tribus horis à miſſione ſanguinis, conſecuta eſt. *Scholiographi ad cap. 23. Holleriĳ de morb. int.*

OBSERVATIO.

Ex Angina ſtrangulante, & febre peracuta, æger in 4. obijt.

AMius Reynerus, qui in foro frumentario Delphis agebat, vir circiter annorum triginta, in anginam lethalem & febrem perperacutam incidit; ad quem Ericius Leydius Medicus, collega meus, prius vocatus fuit, ab iniecto clyſtere, ſanguinem ex cephalica detrahere iubet, ac gargariſmata, tum alia apta remedia præſcribit: tertio die cum in Hagham Comitis collega vocatus eſſet, cum ſuffocatio immineret, ad eum accitus ſum, cum nihil deglutire poſſet, libenter ſanguinem ex venis ſub lingua detraxiſſem, ſed os aperire non potuit; interea collega reuerſo: etiam Nieuenius Medicus Haghanus vna vocatur, verum cum nullum medicamentum per os ſumere poſſet, iterum clyſter iniectus eſt, vnde probe quidem aluum deponebat, ſed nihil ſuuaminis, neque ex emplaſtris, aliiſque remediis, exterius adhibitis, ſentiebat, ita vt angina ſtrangulante, tum febre perperacuta obierit quarto die, cum & angina per ſe malum acutiſſimum, ſine febre etiam aliquando ante quartum ſtangulet ac ſuffocet. *Foreſtus, Scholio ad obſeruat. 5. libr. Secundi. obſeruat. ſuarum.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria cuiuſdam mulierculæ, angina laborantis, quæ deuoratis bolis aliquot caſſiæ, & vomitu excitato, ſtatim ſtrangulata interijt.

QVod ſi in angina ex moleſtia medicamẽti concitetur vomitus, non ita velox ſtrangulationis imminet periculum, ſi liquidum fuerit medicamentum, veluti ſi ſolidum. Pilulæ enim & boli, dum vomitu alliduntur, confertim & valido impetu ad anguſtias oppreſſi ab inflammatione tranſitus, maius afferunt periculum. Vnde aliqui hac ratione, repente ſtrãgulati ſunt. Vt accidit hic Patauii cuidam mulierculæ, laboranti angina, quæ deuoratis bolis aliquot caſſiæ, & vomitu excitato à moleſtia medicamenti, ſtatim ſtangulata interiit. *Trincauella lib.5 cap. 7. de rat. curandi part. hum. corp. affect.*

ANGINOSI RESTITVTI INEDIA.

OBSERVATIO.

Ab Angina ſanguinea æger citra ſanguinis miſſionem ſanatus.

QVidam in angina ſanguinea ægro venam non ſecuit, quoniam, macer eſſet languidiſque venarum receptaculis: in cubiculo eum frigidiſſimo collocarunt, ne ſitiret eſuriretque, neq; vires reſoluerentur; tum enim ſynanchicus inedia plurium dierum ſanatus eſt, quoniam ſanguis alimentũ corpori ſubminiſtrauit. Indicio ſit, quod apoſtema non intumeſcit, neque diſtenditur. *Alexand. Benedict. de curand. morb. lib. 7. cap. 19.*

PHLEBOTOMIA.

OBSERVATIO.

Angina acutiſſima, per inciſionem linguæ, præter aliorum exſpectationem, curata.

PAtauii meis temporibus quidam ſcholaſticus Græcus, oriundus ex præcipua familia, ſanguineus, vnica nocte in Anginam acutiſſimam incidit, vna cum tumore linguæ maximo, vt ſtatim loquendi facultas illi adimeretur. Cumque tam celeriter Medicorum & Chirurgorum opera vti non poſſet, ipſe præſente animo, linguam acuto cultello decuſſatim incidit, ac ſatis multum ſanguinis effluere permiſit, quo facto, rurſum loqui cœpit. Medicus poſtea accerſitus, pauca vniuerſalia & totum corpus reſpicientia adhibuit, præſcripta recta victus ratione: linguæ vero vulneratæ, pulueres ex Thure, Bolo ac ſimilibus ſiccantibus, inſpergi iuſſit, & ita intra paucos dies conualuit. Sic interdum fortuita remedia, aliis ſunt efficaciora. *Ioach. Camerarius lib. Obſ. ſuarum.*

OBSERVATIO.

Senex annorum ſeptuaginta, ab angina præfocatiua, miſſo ſanguine, & alijs opportunis adhibitis auxilijs, integre curatur.

RIchardus Sabaterius, honoratus & ditiſſimus ciuis Arelatenſis, ſenex annorum ſeptuaginta, optimi habitus, & ſolidorum membrorum, angina præfocatiua corripitur: interna illa quidem, & à qua nihil foras apparebat, in diſcrimen vitæ incidit, prohibita voce, & pene, phlegmonoſo intus tumore in faucium radice conſiſtente, ſtrangulatus, ita vt exerta lingua & tumefacta, cum magno ſtertore ſpiritum duceret, inſtar eorum qui ſtrangulantur. Suppuratur angina, & auxiliis multis adhibitis, introrſum rumpitur, purgatur, & ſanatur ingenti cura & labore ſenex, qui iam ferme deploratus, moribundus iacebat, ſuperuixitque annos totos duodecim. *Valleriola lib. 6. Obſeruat. 10.*

EXPERIMENTIS.

OBSERVATIO.

Selecta aliquot, tum de experimento, tum de hiſtoria, ad Anginam remedia.

Aqua

A Qua ex floribus ac foliis Periclymeni, vulgò caprifolii, Anginæ præſtantiſſimum eſt remedium *Rob. Conſtantinus in ſupplement. ling. lat.*

In Angina caſſiæ Aegyptiacæ ſuccus extractus, cumq; aqua plantaginis miſtus, plurimũ conducit. *Camerarius in horto.*

Annoſæ arboris Sambuci, apud Boreales præſertim, tamis accreſcit excremẽtum corticoſum coriaceumve, multis dotibus cognitu digniſſimum, plebiq; Angliæ & Germaniæ, Iudæ aures vocatum, propter effigiem auris, quam cartilagineo concretu rugoſoque complexu multis plicis & mæandris æmulatur: ſed colore pullo, prædurum, aquis merſum molleſcens, ſpongiæq; ritu tumens: Anginis certiſſimo experimento vtiliſſimum, & tumoribus intus foriſque nunquam ſatis laudatum, guſtu pene inſipidum, cutis elixæ, aut corii. *Pæna & Lobelius in Aduerſ. ſtirp.*

Fungus Sambucinus in vino coctus & potatus, præſenti remedio eſt Anginoſis, præcedente & ſequente ſuffitu de olibano. *Leonellus in praxi.* Plura de hoc remedio, vide in *Iatreio VVirtenbergico. pag. 244.*

Lignum hederæ à proprietate valet ad apoſtemata gutturis: ideo comedens ex cochleari de hederæ ligno, vel bibens ex vaſe ligneo hederaceo, nunquã vel raro in apoſtema gutturis aut vuulæ incurrit. *Ioa. Marquardus in Practica. Cap. de Angina.*

Rubeta ſynanchicis cocta, & pro emplaſtro impoſita, adeo prodeſt, vt quendam hoc auxilio, cui iam tanquam morienti, de more candelæ accenſæ fuerant, liberauerim. Crediderim & filum, quo ſuſpenſa interierit, conferre. *Cardanus lib. 7. cap. 38. De Varietate rerum.*

℞. Gumi Sambuci drach. ij. ariſtol. rot. drach. j. aquæ caprifolii vnc. iij. bulliant ſimul & fiat gargariſmus. *Chalmeteus enchirid. chirurg. c. 30.*

Cinis hirundinum combuſtus, Melichio admodum probatus, antidotario ſuo.

Observatio.

Admirandum Galeni, ad Anginam Experimentum.

Memini me admirãdam canini ſtercoris experttum facultatem. Canino etenim ſtercore, vti aſſidue conſueuit præceptorum noſtrorum quidam, ſola oſſa cani edenda exhibens, duobus continuo diebus, ex quib. durum, candidum, ac minime fœtens ſtercus proueniebat. Hoc igitur acceptum, deſiccabat, vt cum poſtea vſus eſſet, facile ad læuorem poſſet redigi. Vtebatur eo ad Anginam & Dyſenteriam, & ſummæ inueterata vlcera. Ad anginam quidem, iis medicamentis admiſcens, quæ alioqui huic affectui congruebant, &c. *Galen. lib. 10. ſimpl.*

Observatio.

Angina cura, per guttur lupi.

Lupi guttur (aſperam arteriam) hoc loci commemorandum mihi viſum eſt, ob inſignem experientiam, cuius cum inſigni & docto Medico, Adolpho Occone, Auguſtanæ reipublicæ Phyſico officioſiſſimo, pauciſſimi medici hactenus conſcii fuere. Nam qui per hoc guttur bibit, in ſynanche, id eſt, angina, certiſſima ſalute euadit. *Ioann. Agricola lib. 2. Medicina Herbaria.*

Observatio.

Angina curatio mira & ſuperſtitioſa.

Mulier quædam ſuperſtitioſe butyrum menſe Maio aſſeruabat, & colligebat tribus duobus rogationum, viris, è lacte vaccæ, quæ marem pepeiſſet, mulieribus, quæ fœminam. Vrgente Angina, inungebat collo, ceruici partibus vicinis, carpo plurimum fricando. Atque hac ratione non paucos ſanitati reſtituit. *Scholiographi ad cap. 22. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

Ingenioſa tumoris cura.

Observatio.

Varia & ingenioſa, ſuppurati tumoris, in angina, aperiendi rationes.

Hiante ore, lingua deprimitur: culter ligneus acutus indagatur in guttur, vt tumor diſrumpatur. Tum prono capite ſanies repurgetur. Vbi in faucibus manifeſtus eſt tumor, vellicandus eſt vnguibus aut ferro aperiendus. Alii ſpongiæ partem ad magnitudinem auellanæ ſuſpendunt è filo, & ita ab ægro deuorari iubent, Intumeſcit ſpongia, atq; dum vi retrahitur, tumorem rumpit. Hoc alii bolo carnis ſalſæ ſemicoctæ, ita ſuſpenſo & deuorato, tum vi retracto, moliuntur. Alioqui ſcarificandus locus eſt, ſub maxillis, ſub mento, in collo, vitatis ſemper neruis & arteriis. Sic enim aliquando ſanies effluit. Alioqui cucurbitulæ (carificatis locis apponẽdæ ſunt. *Hollerius lib. 1. cap. 23. de Curand. morb. intern.*

Nonnulli etiam panis cruſtam deuorandam prębent. *Duretus, in aduerſariis ad eundem locum.*

Quidam optimo ſucceſſu, attingunt duntaxat oleo ex vitriolo, & mox rumpitur abſceſſus. Sunt qui ceream candelam impinguant & rumpant. Arculanus, cuſpide ferrea ligno infixa, ſic vt alias partes non vulneret, illud efficit. Neque ei placet, quod nonnulli volunt ſpongia ex filo pendente ac deuorata, & paulo poſt, dum humore turget, violenter euulſa, id tentare. Qui enim illam tranſglutient, cum vix liquidiſſima quæq; abſorbeant? Rogerius idem facit, ex fruſto bubulæ carnis ſemicoctæ: vtrumque probare videtur Guido, non abſq; ratione prorſus. Quando enim ſuppurauit materia, ſolito minor eſt tumor: cum per maturationem fiat quidam feruor, & per ebullitionem non parum humoris exhalet & abſumatur. Vnde Aetius quoque præcipit in tonſill. inflamm. fruſta panis in aqua macerata, quam maxima, & alios cibos, aceruatim ingerere. Vehementiore enim circa abſceſſus obuolutione facta, (inquit) eodem modo afficiuntur, ac ſi ſectionem ſuſtineant. *Ioubertus tractat. de thoracis partium affectibus. cap. 1.*

Si apoſtema venerit iam ad maturationem & non rumpatur, oportet ipſum aperire, vt exeat ſanguis. Inſpiciat ergo medicus in ore, & ſi appareat, hoc modo rumpatur. Accipiat vnum lignum ſubtile, rotundum, in cuius extremitate apponat ferrum acutum, cuius longitudo ſit tantæ quantitatis, quantæ eſt medietas digiti, in ore: deinde ore aperto, ponendo lignũ intra dentes ægroti, ac ſi eſſet frenum, deinde ponat cannulam illam cum ferro ad locum apoſtematis, ac ſcindat: aperto apoſtemate, pronus declinet caput inferius, ore aperto, vt exeat ſanies. Si autem non poteſt rumpi, quia non appareat viſui,

imponat digitum in os, & cum vnguibus rumpat, ſi poteſt. Rupto apoſtemate, mundificetur hoc modo. Accipiat aquam mellis ſecundum artem decoctam, & gargariſet. *Leonell. Practica cap.19.*

Observatio.

Anginæ ſuppuratio, ruptorio medicamento promota, exemplo memorabili.

ILLVSTRIS mulier, Gabriela Gouſier, Domina à Saultour, cum angina autumnali, omnium periculoſiſſima, detineretur, venit in mentem legiſſe me apud *Aetium lib. 15. cap. 6.* Agaricum occultos abſceſſus abſorbere, vel foras materiam euocare; ſtatim agaricum in taleolos cōſciſſum, in decocto rad. althææ, ficuum, cum momento zinzib. & quarta parte vini albi, maceraui, addidi ſyr. de althæa, potionem ægrotæ dedi, monuique ne illam ſtatim deglutiret, ſed aliquod tempus, in imis faucibus contineret, ſi hac potione vitā ſibi redimere vellet: obſequitur ægrota, interim dum cum illa ſermonem confero, ecce magna puris albi copia, tam putridi & graueolentis, ore reiicitur, vt filia quæ ad matrem cum pelui aſtabat, excipiendi puris ergo, necopinato, præ graui illius puris fœtore conciderit animo, reliqui cuſtodes magna corporis contentione foras proruperint, adcurrunt aliæ, purulenta detrahunt, detergent: feſtinant aliæ, vt intolerabilem grauis odoris fœditatem, ſuffitu quodam depellerent, qua ſublata, ad ægrotam tedii, quam plane & vocis vitio, & reſpiratione difficili, & graui deglutitione, & febre leuatam reperi, & ab omni vitæ periculo tutam, qua nunc fruitur incolumis. *Iacobus Douynetus Apolog. lib. 3. cap. 2.*

Observatio.

Anginæ tumor maturus, in muliere quinquaginta quinq; annorum, fœliciter ſectus.

QVoniam bona caſuum narratio, multum corroborat operantem, ponam in hoc loco quid mihi accidit in ciuitate Mediolani, de quadam domina quinquagenaria quinta: quæ habuit ſquinantiam phlegmaticam, quæ totam occupauit gulam, intus & extra: ita quod extra tumor maximus apparebat: & cum hoc nō loquebatur: nec poterat tranſglutire: hæc fuit in cura cuiuſdam iuuenis, mei ſcholaris, per plures dies: de malo in peius quotidie procedebat. Tunc quaſi in caſu deſperationis fui vocatus: & inueni eam in ſtatu peſſimo: quia pluribus non comederat diebus: nec audebat dormire: quia timebat ſubito ſuffocari: tūc tangens pulſum ipſum, in vltima inueni debilitate. Tangens locum corruptum, ſenſi materiam in profundo: quod cognoſcens, cognoui quod potius ſuffocaretur: quam exterius apoſtema vel interius rumperetur: Tunc mihi præparaui raſorium, & locum palpans cum digitis, inueni maturam materiam, inter mentum & epiglottum pluſquam in alio loco congregatam. Tunc locum palpans cum digito, vt poſſem neruos, venas, & arterias euitare: vulnus ibi feci profundum: per quod, de corrupta & male fœtente materia magnā partem extraxi: magnamque partem dimiſi: quam tunc euacuare poteram: ſecundum rationem nolui, quam ſciuiſti. Tunc ægra leuiorem habuit anhelitum: pulſuſque fuit fortificatus: timorque mortis ſubito diminutus: eo quod ad cor maior poterat aeris quantitas delegari. Tunc adminiſtrans ei brodium, per vulnus magna ipſius quantitas exibat, tūc ingeniaui vt cum argentea cannula, quæ poſita in ore, totum vulnus tranſibat, ſua cura reciperet ad ipſius neceſſaria nutrimenta: gulam totam & collū, cum medicinis mundificantibus, & reſiduum materiæ maturantibus, circumdabam, donec extraxi de vulnere fruſtum magnum viſcoſæ materię & fœtentis, quæ fuerat ſicut quoddam inteſtinum longum plus & groſſum, vnius maioris digiti quantitate: quę quidem materia calore fuerat extraneo condenſata, qua quidem remota, remanſit locus ſine fœtore, & ægra incœpit maxime confortari: tamen in ea continuaui mundificatiua, & incarnatiuis, & cicatrizatiuis vulnus optime ſigillaui, & ægra fuit ſaluti priſtinæ reſtituta. *Lanfrancus, Chirurgia maioris, doctrina. 2. tract. 3. cap. 5.*

Observatio.

De angina graui & præfocatiua, à qua conuerſo extrorſum tumore & ſuppurato, liberatus æger fuit.

IOannes Coblet Piſcator, angina graui laborans, & in præfocationis periculum adductus, craſſiore reddita lingua, vt præ tumore contineri intra os minime poſſet, exertaq; lingua, rubentibus & prominentibus oculis in horas præfocari videbatur, conuerſo extrorſum tumore & ſuppurato, liberatur integre. *Valleriola lib. 2. Obſeruat. 10.*

Observatio.

Apertis poſt aures tumoribus, euacuato pure, ſoluta Angina.

QVod Dodonæus in puella bimula ſe obſeruaſſe retulit. Idem ego in Viro 34. aut circiter annorum, ſed pauperculo videre me memini ante 10. circiter annos Backnangi. Cui itidem apertis tumorib. poſt aures ſatis magnis, cū pus copioſum effluxiſſet. Angina ſoluta eſt. *Oſvvaldus Gabelchoferus de Obſeruationibus ſuis.*

LARYNGOTOMIA.

Observatio.

In anginæ ſumma deſperatione, laryngotomia à Medicis noſtræ ætatis fœliciter adminiſtrata; & aſperæ arteriæ profunda vulnerata ſanata.

ANgina laborabat Nicolaus Rota, ſed nullus tamē rubor aut tumor vel intus in gula, vel extra videbatur. Et ipſe nihilominus vix ſpiritum trahens, quicquid præterea edendum ſumeret, per os ſtatim & nares reiiciebat. Quare, cum areſcente corpore, pallente iam facie, ac vertentibus oculis, ſpes omnis ſublata eſſet, & medici; quibus cura demandata fuerat, ægrum amplius non audirent; me, licet iuniorem, conuocant, ægrum oſtendunt, & quæcunque acta fuerant exponunt. At ego cum & ægrum ipſum ad mortem tendere, & Medicos quæcunque opportuna fuerant præſidia adhibuiſſe intelligerem, cœpi ipſe mecum cogitare, ſatiuſne eſſet ęgrum Deo & naturæ, vt cæteri Medici, incuratum dimittere; an aliquod; licet inſolitum, vtile tamen auxilium experiri: Verum adhortantibus his qui ægro aſſiſtebant, conſilium capio, & locum altioribus plagis ſub ipſis maxillis, ac etiam ſupra

collum

collum incido, ex quo cum ſanies multa protumperet, adeo morbus leuatus eſt, vt faucibus ipſis ſpiritum ſimul & cibum capientibus, facilis dein ad bonam valetudinem ægro ipſi daretur regreſſio. *Benivenius cap. 28. de Abditis.*

Vbi tantum inturgeſcere cœperit locus, vt tam cibus quam aer permeare nequeat: vniuerſalibus indicationibus ſatisfacito, ſcilicet venæſectionem & reuulſiuam & auerſiuam cum euacuatiua præmittendo. Deinde robore vitali perſeuerante, inter ſemicirculos cartilagineos & ſigmoeides, arteriæ aſperæ vulnuſculum ex tranſuerſo nonnulli medici incidunt. Per id enim cor pro ſui refrigeratione auram frigidam inſpirat, expulſis & emiſſis inde fuliginoſis halitibus & fumoſis. *Ioan. Agricola. lib. 2. Medicinæ Herbariæ.*

Quid in anginæ extrema deſperatione audendum ſit, ex optimis quibuſque autoribus monebimus. Celſus vltimum remedium eſſe ait, incidere ſatis altis plagis ſub ipſis maxillis, ſupra collum, & in palato circa vuam: vel eas venas quę ſub lingua ſunt, vt per ea vulnera morbus erumpat. His ſi non fuerit æger adiutus, ſcire licet morbo victum eſſe. Audacior Paulus Ægyneta, laryngotomiam ex chirurgorum præſtantiſſimorum autoritate commendat, maxime vero Anthylli, cuius ſententiam affert. Ea in codice Græco eſt deprauata, ſed à Dalechampio noſtro fideliter reſtitutam quiuis legere poteſt. Cœlius Aurelianus recitat, Aſclepiadem etiam eiuſmodi chirurgiam, à veteribus probatam, comprobaſſe: at ipſe fabuloſam eſſe, & à nullo antiquorum traditam, ſed caducam & temerariam Aſclepiadis inuentionem affirmat. Aretæus vero omnium antiquiſſimus autor: quicunque ſtrangulationem ab angina verentes, (inquit) arteriam ſecuerunt ad reſpirationem, non mihi videntur experientia rei fidem feciſſe. Etenim caliditas inflammationis maior ex vulnere gignitur, & magis cruciat ſuffocatione & tuſſi. Quod ſi alioquin periculum iſtud effugerint, non coaleſcunt vulneris labra: vtraque enim cartilaginea ſunt, & inglutinabilia. Recentiores tamen, vt *Auicenn. libr. tertio fen. 9. tract. 1. cap. 11.* remedii genus hoc in deplorato affectu non detrahunt. At ſi vnquam eſt aggrediendum, id conſtantibus ægri viribus, & ſola ſtrangulatione perituris fiat. Neque enim inſanabile eſt trachææ vulnus, vt Aretæus ſine experimento (quod ipſe aliis obiicit) exiſtimat. Albucaſis enim in ancilla, & Auenzoar in capra eiuſmodi vulnus curatum ſe vidiſſe, teſtantur: vt doceant id prorſus lethale non eſſe, quinimo, in angina alioqui deplorata, inſtitui poſſe, nempe extremi morbi, extremum remedium. Ego etiam vidi perſanatum vulnus ingens tracheæ, anno Domini 1567. *Ioubertus cap. 1. tract. de affectibus thoracis.*

Non poſſum ſilentio pręterire quod vidi. Ancilla accepit cultellum, & miſit eum in guttur ſuum, & incidit eo partem canalis pulmonis, & vocatus ſum ad curationem eius, & inueni eam mugire, ſicut eſt mugitus mortui; detexi ergo à vulnere, & inueni ſanguinem paucũ, qui egreſſus fuerat à vulnere. Colligere ergo potui, ꝙ ipſa non abſciderat venam, neq; quidegi, & ventus egrediebatur ex vulnere, ꝓperaui ergo & ſui vulnus, & curaui ipſum, donec ſanatũ eſt, & non accidit ancillæ aliud malum, quam raucedo in voce *Albucaſis lib. 2. cap. 43. methodi medendi.*

Nos his manibus inciſionem fecimus in vno qui iamiam expiraſſet, Magiſtro Sancto tonſore non audente, & ſanitati reſtitutus eſt. Alphonſo Illuſtriſſimo Duci Ferrariæ tertio, viſa eſt res hæc adeo ardua, vt dignatus ſit ægrum illum viſitare, & foramen videre. Videmus in ſuppuratis thoracem circa quartam & quintam coſtam aperiri, & aſcitem per inciſionem curari, & fiunt in vmbilico inciſiones, & in inguinibus, in his qui inteſtinalem herniam patiuntur, in perinæo in lapide veſicæ, neque prædictæ rationes contra hanc inciſionem valent: nam quod de veſica & inteſtinis adducitur, ſimile non eſt, quia veſica muſculos non habet, per quos conſolidari poſſit, quando inciſa eſt, neque inteſtina tenuia, de quibus loquitur Hippocrates, muſculos habent. In gutture vero inter annulum & annulum muſculus adiacet, per quem agglutinatio fieri poterit. Vidimus nos quendam, qui Illuſtriſſ. Ducis bubulos paſcebat, qui multos habebat perfractos gutturis annulos; hic ob quædam ſcelera torquebatur, & cum prætor illi comminaretur, niſi vera patefaceret, ſequenti die eſſe equuleo leuandum, deſperatus hic in carceribus, modum ſe necandi quærebat, inuenit forte fortuna cuiuſdã ferreæ loricæ partem, ab ea laminam abſtulit ferream, & propriis manibus guttur ſibi diſſecare cœpit, & magnam annulorum anteriorum partem diſſecuit ad numerum quinarium, & partem epiglotti, abſtulitque in latitudine portionem; tamen ſanitati reſtitutus eſt. In vltima deſperatione in angina, ſemper ſuaderem guttur ſecandum eſſe, tum ob prędicta, tum quia experientia hoc oſtendit in brutis animantibus, nam ſi collo ſuſpendantur obeunt, quia ſpiritus via occluditur: at dum ſuſpenſa antequam ſint penitus ſuffocata, ſi trachæa arteria aperiatur, non ſuffocantur, ſed ſanantur, ſi à colli ſuſpenſione liberentur. Ex hoc igitur experimento inferri poteſt, gutturis ſectionem tuto fieri poſſe in anginoſis: imo mirum quod hæc animalia viuant, nulla arte illis adhibita in hominibus vero ars plurimum facit. Adde nonnunquam contigiſſe aliquibus guttur fuiſſe vulneratum, & annulos inciſos, tamen ſanitati reſtituti ſunt. Cur igitur in tanto diſcrimine potius non eſt adhibenda huic operationi manus, quam ſinere ægrum ſuffocari? Petis, quo nam modo eiuſmodi gutturis inciſio fieri debeat, reſpondemus: recentiores dicere, iubendum eſſe anginam patientem, vt è regione chirurgi, in ſede, quæ poſteriori parte eleuata ſit, ſedeat, mox excoriandum in tertio aut quarto circulo ſub epiglotto, & poſtea inter cartilaginem vnam & aliã tres fiant aut quatuor ſciſſuræ rotundę, quarum duę ſint verſus dextram partem, & aliæ duæ verſus ſiniſtram, & ita relinquatur, quoad periculum tranſactum ſit, vel fiant duo ſolum foramina, vnum in dextra parte, aliud in ſiniſtra, deniq; vtantur incarnante medicamento, & ſanãtur. Nos talem excoriationem nõ facimus, ne dolor inferatur ægroto, qui iam ſatis doloris perpeſſus eſt: propterea iubemus vt extendatur pellis ſupra guttur, & quicquid ſupra poſitum eſt, poſtea è regione ſpacii inter annulum & annulum fiat ſectio vna per tranſuerſum, neq; fiant tot foramina. Nos etenim his manibus ita fecimus, & æger conualuit. Et Paulus Ægyneta ex Anthyllo pellem extendit, non excoriat, niſi illi ſint ignari qui incidunt, ne annulos inciderẽt: locus vero conueniens

diſtat ab epiglotto per tres aut quatuor annulos, ſecundum recentes. Sed cùm incertus ſit locus abſceſſus, opus eſt in inferiore parte magis aperire, vt ſimus ſub abſceſſu, quia cum oculis non videtur, eſt ſub quarto annulo, & tutius eſt inferius incidere, quia ſi ſuperius facta eſſet inciſio, iterum incidere oporteret, neq; mihi placet hos incidendos ſedere, nam facile ſedentes in ſyncopen tranſeunt, ſed iaceant vt ſunt, ſi contingat in illa parte eſſe abſceſſum, quandoque inciditur, & exit pus, vt mihi in incidendo euenit pus exiuit & ſanguis extra cannam collectus, & is qui per aliquot horas neq; voces effingere poterat, loqui cœpit. *Braſauolus Comm. in lib. 4. Sect. 35. Hipp. de rat. vict. in morbis acutis.*

Quidam iuſſit ſibi gurgulionis finem amputari, abſente Medico, cum inde ſuffocaretur, & ſeruatus eſt. *Scholiographi ad cap. 23. lib. 1. Hollerij de morb. int.*

Percuſſa aſpera arteria interdum certo mortem affert: interdum periculum ingens, ſine certa tamen deſperatione: nonnunquam etiam, ſi conuenienter vulnus tractetur, ſanari poteſt, vt veterum Laryngotomia probat. In Synanchicis enim, ore & gargareone inflammatione obſeſſis, aut etiam tonſillis aſperæ arteriæ os aperientibus, cum ſtrangulatus periculum imminet, cui alia ratione occurri non poteſt, infra arteriæ incolumis caput ſpatio trium ipſius quatuorve circulorũ, ſecant ſcalpello arteriæ membranoſa vincula intra duas cartilagines, donec ſpiritus per vulnus cum murmure quodam erumpat, & vox intercidatur, inprimis cauendo, ne vaſa & tunica cartilaginum exquiſitiſſimo ſenſu prædita diuidantur. Tum declinato ſtrangulatus periculo, ora vulneris renouant: mox ſuturis cutem citra cartilaginem committunt, & conuenientibus remediis glutinant. Simili curatione vtuntur, ſi quis mortis deſiderio, aut aliter iugulum ſibi inciderit. Idem confirmat. *Paulus 6. 33. ex Anthyllo. Auicenna fen. 9. 3. cap. 11.* præcipit. Albucaſis fœlici cum ſucceſſu ſe expertum ſcribit in ancilla. *Raſes 3. Continent. Auenzoar 10. tract. 14. Haly 5. Pract. 38.* idem docent. *Galenus 1. de loc. affect. 1. & 5. Method. 8.* bronchiorum in pulmone ligamenta diuidi ſępe teſtatur, vel à puris acrimonia exeſa, vel ab humiditatis copia, quorum abſciſſione bronchiorum, decidere & expui contingit, vnde nec neceſſario, nec niſi poſt longum interuallum, mors conſequitur. Quinetiam alio loco ſcribit, ſatius eſſe, vt ſimul cum vena vel arteria pulmonis rupta, ramus aſperæ ꝓximus diuidatur, quam ſi ſeruaretur integer, quia fluenti ſanguini exitus facilior eſt per aſperã, quo integra expurgatio ſperatur. Vbi enim bronchiorum vincula illæſa manent, per ſolas anaſtomaſes aſperæ, ſanguis tranſcolatus, retinetur, atque in grumum cõcreſcens, per moram putreſcit, pulmones vitiat, tandemque interficit. Ex his intelligitur aſperæ arteriæ vulnera neque neceſſario, neque ſemper eſſe lethalia, niſi, vt recte adiecit Hippocrates, magna admodum fuerint. *Iacotius Comm. ad Aph. 16. Lib. 1. Sect. 3. Coac. Hippoc.*

Ne quis in huiuſmodi vulneribus deſperet, aut intentatum relinquat chirurgus, placet aliquot exemplis, quam mira ſint naturæ arte adiutæ opera, patefacere. Seruo cuidam domini de Champagre, nobilis Andegauenſis, enſe vulnus ad iugulum inflictum eſt, ex quo iugularium venarum alterutra cum aſpera arteria exciſa erat. Sanguinis aderat ingens profluuium, & fandi impotentia, eáq; ſymptomata eouſq; perſeuerarunt, quoad conſutum vulnus eſſet, & medicamentis obductum. Medicamenta vero ſi quando liquidiora eſſent, ea per vulnus & ſuturæ interſtitia tanquam ſugebat, & ſucta allectaq; ore mox reddebat æger. Itaq; exactius mecum vulneris magnitudinem, partium affectarum, præſertim vero aſperæ arteriæ & iugularis venæ ſpermaticam, adeoque ſiccam & exanguem naturam agglutinationi rebellem expendens, tum etiam quod trachea arteria iis motibus, quos inter deglutiendum æſophagus obit, obnoxia ſit, propter tunicam internam, quæ æſophagi tunicæ continua eſt, cuius occaſione partes illæ, mutuo ſibi obſequioſe, motu reciproco inſeruiunt, quemadmodum ductarius funis, directis ductionibus per trochleæ orbiculos circumactis: præterea, arteriæ vſum, reſpirationi & cordis calori temperando, neceſſarium cogitans, quemadmodum venæ iugularis, ad nutritionem partium ſupernarum: expenſa porro apud me ſanguinis, in quo naturæ theſaurus eſt, magna vi, quæ ipſi profluxerat, propinquam & certam, apud aſtantes, illi inſtare mortem, præſagiebam. Et tamen præter expectationem, diuino potius fauore, quam noſtris artibus, ſuperſtes conualuit.

Æque admirabilis eſt quæ ſequitur hiſtoria. Angli duo ad Vincenarum ſyluam animi gratia obambulabant: Sed vnus, comitis ſui nummis, & torqui aureo, quem ponderoſum circumferebat, inhians, ipſum incautum oppreſſit, iugulatumque & ſpoliatum, in illis, quæ ob iter ſunt, vitibus, dimiſit, interfeciſſe ratus, trachea arteria & æſophago pugione confoſſis. Sicarius prædo in vrbem ſe recepit. Alter ſemianimis, cum vix tandem hinc in ruſtici cuiuſdam caſam ſe ſubſtraxiſſet, præſentibus & quæ ad manum erant remediis curatus, in vrbem perductus, mihi, qui curam eius agerem, à familiaribus ſuis traditus eſt. Ego primo quoq; tempore, exciſam penitus tracheam arteriã, ſutura quam ſedulo potui comprehẽdi, atq; vulneris labra ſibi quam proxime licuit admoui, ęſophagum comprehendere non potui, quod totus ſe in ſtomachum ſubduxerat: hinc totum vulnus medicamentis, diplomatis linteis, & faſciis idoneis obduxi. Sic curatus loqui cœpit, & ſicarium prædonem, facinoris authorem, nomine proprio exprimere, adeo vt ille deprehenſus, rotæq; affixus, confractis membris, miſerrimam pro innocentis anima, qui quarto à vulnere die obierat, reddiderit vitam.

Par vulneris caſus Germano cuidam contigit, qui in vico Nucum, apud Perotum Trapezitam commorabatur, ille diris furialibus percitus, de nocte gladio ipſe ſibi iugulum confodit, mane ab amicis qui ipſum inuiſebant vocatus, hominem, iiſdem prorſus, quibus Anglum, artibus curaui. Itaq; repente locutus, qui antea ne mutire quidem poterat, ſeruum qui in eodem cum ipſo in cubiculo dormiebat, tanquã ſceleris authorẽ, in vincula coniectũ, criminis ſuſpitione atq; carcere liberauit: remq; vt geſta erat, profeſſus, quatriduum, à vulnere ſuperuixit, iuſculorum per anum clyſteris inſtar infuſorum, & ſuccorũ alendo idoneorũ, vt panis recẽter à clibano extracti, & vino generoſo macerati, ſuaui vapore ſuſtẽtatus. Id ꝓfecto arte Chirurgica conſecutus, vt ex aphono loquẽs per quatriduũ fieret. *Pareus lib. 9. c. 29.*

Vidi

Vidi quendam Dominum Bonifacium, nepotem domini Oberti, Marchionis Pallauicini, qui vulneratus fuit cum quadam ſagitta paruiſſima, debili, per Guidez vel venam quæ eſt apud tracheam arteriam, in manifeſto gulæ. Et fuit illud vulnus in latere ſiniſtro tracheæ arteriæ, & ab illo vulnere non exiuit, niſi ſtillicidium ſanguinis, & non penetrauit ſagitta aliquid intra, nec applicata fuit in loco vt ſtaret aliquo modo, & mortuus fuit eadem hora coram me, & locus totus denigratus fuit: & habuit rugitum in canna, velut oregmon vel ſonitum vſque ad finem vitæ: conſiderans quod hoc eſſet propter venenum, inueni quod nihil fuit: ſed euenit hoc eidem manifeſte propter vulnus in vena, quæ portauit ſanguinem ad pulmonem & cor, propter eius affinitatem cum illis nobilibus membris, & ex hoc illa nobilia membra venæ compaſſa fuerunt, & mortuus fuit. Cogitaueram enim phlebotomare de ambobus brachiis, vt ſanguis ad aliam traheretur partem, & vt non tranſiret ad cor, vel deriuaretur; ſed tempus breue, opus præcogitatum impediuit.

Vidi quendam alium, qui vocabatur Fanſus, homo Curialis erat, & fuit percuſſus coram me à milite quodam, cum acie manus ludendo in trachea arteria: & circa venas guidez, & cecidit in terram quaſi mortuus, & ſtetit ſic per horam: & iudicaui ipſum mortuum, per ea quę apparebant: ſed in eo permanſit aliquid anhelitus quaſi inſenſibilis, & finaliter rediuit, nam & reuixit.

Vidi etiam quendam carceratum in ciuitate Cremone, qui per deſperationem ſecauit ſibi cannam pulmonis & ſtomachi, ita quod hora comeſtionis exibat cibus & potus & aer à vulnere manifeſte. Ego continuaui partes decenter, & confirmaui locum bene cum pulueribus, & bindis, & plumaceolis, & fuit curatus in vno menſe, & vixit: ſcio quod in ſecatione non læſit venas quæ appellantur Guidez.

Iterum vidi quendam militem de Pergamo, qui percuſſus fuit in quodam exercitu, in quo erat: cum ſagitta magna de turno, & intrauit ſagitta gulam ex parte dextra gulæ apud Guidez: & non læſit venam, & perforauit totam gulam vſque ad ſpatulam ſiniſtram. Et ego manibus meis extraxi ſagittam, cum obſeruatione ſolennitatis dictæ ſuperius, & curatus fuit perfecte, & vixit longo tempore, & habui bonum ſalariu m. *Guiliel. Placent. Chirurg. lib. 2. cap. 7.*

DE PVLMONIBVS.

Et primum

De Conformatione Pulmonum, tum naturali tum monſtroſa: item de Raris aliis Exemplis.

OBSERVATIO.

Hominem ſecundum naturam conſtitutum, quatuor tantum pulmonis lobos habere.

VTRÆQVE pulmonis partes in duos diſtinguuntur lobos, membraneis fibris in hominibus inuicem hærentes, neque ita inter reſecandum ſeparatu, ac in cane, promtos. Hoc loborum interſtitium obliqua perficitur linea, è regione propemodum quartæ thoracis vertebræ incipiente, & oblique deorſum in priora, quaſi ad pectoris oſſis mucronem protenſa: ſic vt humilior lobus ſuperiore exiſtat longior, neque etiam perpetuo in duos ſolum lobos pulmonis partes ſecantur, verum aliquãdo in tres, interdum in nullos, aut duos inuicem ita nexos, vt ſectionis potius nota, quam reuera diſtinctio in quibuſdam hominibus videatur. Locum autem, qui in canibus, ſimiiſque, cauæ venæ caudicem ſuffulcit, vti iam antea dixi, nunquam in homine obſeruaui, & hunc illo deſtitui certo certius ſcio. Quamuis interim *Caleni* locus, *in ſeptimo de adminiſtrandis diſſectionibus*, mihi memoria non exciderit, quo inquit: quintum hũc pulmonis lobum eos non latere, qui recte ſectionem adminiſtrant: innuens, Herophylo & Marino eiuſmodi lobum fuiſſe incognitum, vti ſane fuit, cum illi hominum cadauera, non autem cum ipſo, ſimiarum ac canum duntaxat, aggrederentur, in quibus præſenti lobo nihil eſt manifeſtius: quemadmodum hominem ſecanti pulchre etiam conſtat illum deeſſe, tum quod id ſenſus indicet, tum quod vena ſeptum permeans, ſimul cordis penetret inuolucrum, neque aliquod prorſus ſit interuallum ductus cauæ inter ſeptum & inuolucrum, quale in canibus longiſſimum viſitur: vnde etiam in illo, vena caua merito hoc quinto lobo, tanquam à manu quapiam ſuffulciri amplectique debuit. *Veſalius lib. 6. cap. 7. de corp. hum. fabrica.*

OBSERVATIO.

Non naturaliter & monſtroſe conſtitutum hominem, quinto pulmonis lobo aliquando obſeruatum.

PVlmo tam dexter quam ſiniſter, lobis duobus conſtat: ſuperiore vno, altero inferiore, ſæpe palam diſcretis, interdum obſcure. Præter hos tertius eſt dexter exiguus, vaſis perpaucis textus, media cauitate venam cauam, cor appetentem, ceu puluino molli excipiens ac firmans: in hominibus ſternon oſſibus ſeptem compoſitum ſortitis. Quales Galeno, & Mondino, & Nicolao Maſſæ Veneto, ſemper ſunt obſeruati, nobis aliquoties, ſemel Geruaſio Guetaldo Aureliæ medico longe prętantiſſimo, & aliis, ſcio certo, non paucis. *Syluius libr. 3. cap. 16. Iſagog. Anatom.*

In Carolo, Sabaudiæ Duce nono, (præter alia monſtroſa) quintum pulmonis lobum, omnes vidimus, tetigimus, incidimuſque, atque pluribus oſtendimus, quem vna cum aliis penulis vitiatum, putridumq; deprehendimus: ex quo iudicatũ eſt, ipſum cum aliis inopinatæ, & ſubitæ mortis Illuſtriſs. Principis fuiſſe cauſam. *Franciſc. Puteus lib. 5. Apolog. Anat. pro Galeno contra Veſalium.*

OBSERVATIO.

Tunica pulmonis foraminibus peruia.

ADmirari video Galenum, quod Ariſtoteles tunicam pulmonis viderit foraminolentam, ad aeris reſpirationem, quoniam in ea pori minutiſſimi viſum effugiant, in mortuo præſertim animali, vbi frigiditate magis contrahuntur. Deſinat mirari Galenus, ac tantum Philoſophum damnare, quoniam id in pulmone cati vel domeſtici ſæpe vidimus, qui ſi folle attollitur, foraminolentus videbitur, veriſſi-

mo exemplo in homine quoq; fungoſus, & leuibus foraminibus plenus, ſi areſit, cutis vniuerſa arefacta, patentibus poris cernitur. Nec mirandum eſt, ſi aliquando vidiſſet Ariſtoteles. *Alex. Benedictus lib. 8. cap. 6. de Curand. morb.*

OBSERVATIO.

In thorace pulmonis portio minima notata.

INueni partem thoracis pulmone deſtitui, hoc eſt, minimam pulmonis portionem adeſſe: quod vero reliquum erat humoris, ab aqueo humore occupabatur. *Columbus lib. 15. Anatom.*

OBSERVATIO.

Ingens purulentæ & fæculentæ materiæ copia in thoracis cauitate, exigua pulmonum portiuncula ſuperſtite, adinuenta in muliere, quæ aſthmate, & phthiſi laborauerat.

NOs Patauii in præſentia D. Phyaleti Præceptoris noſtri ac complurium aliorum candidatorum, Anno 88. abſoluto iam eius vitæ curſu, aperuimus Matronam quandam, diu tuſſi & anguſtia pectoris, vt & Phthiſi diuexatam, in cuius ſiniſtra thoracis capacitate, ingentem copiam purulentæ, nec non admodum fæculentæ materiæ, pultis inſtar liqueſcētis reperimus, exigua ſaltem pulmonum ſubſtantia ſuperſtite. *Georgius Graſeccius in Examine Theatri ſui microcoſmici, tractatione de pulmonum vitijs.*

OBSERVATIO.

Ad cruda tubercula, reſpirandi difficultas, ſuppuratio, cum ſanguinis ſputo, & exiguo pure conſecuta: Vni etiam hydrops obortus: aperti, inuenti pulmones corrupti, pleuræ cohærentes.

BInos ſecui his menſibus, quorũ vterq; reſpirandi difficultate ob cruda ab initio tubercula tentabatur vtriq; tamen ſuppuratio ſucceſſit, vni quidem poſt duos, alteri poſt tres ab initio affectus menſes. Vterq; ſanguinem, cum pauco pure, & fruſtulis pulmonum expuit. Secundus autem antequam obiret, & iecoris tumorem ſatis magnum incurrit: ex quo hydrops leucophlegmatia. Poſt ſectionē ambobus dexter pulmo interius prorſus corruptus, exterius iam pleuræ coaluerat. *De CL. V. Herculis Saxoniæ Patauini Obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Pulmo ſæpe pleuræ connexus: in quibuſdam etiam ſanioſus viſus.

PVlmonem in pluribus pleuræ connexum, nunc in altero latere, nunc in vtroq; vidimus: atq; hæc pulmonum in nonnullis cum pleura connexio in cauſa plerunq; eſt, vt Medici decipiantur, penetrantia thoracis vulnera nequaquam agnoſcentes, quippe, qui hoc chirurgorum axioma putent, omne thoracis vulnus penetrans extra ſpirare: at in illis, quibus hæc pulmonum connexio, cum membrana ſuccingente contingit, poſſunt vulnere thoracem perforante laborare, neq; tamen ſpirare vulnus cernitur. *Columbus lib. 15. Anat.*

OBSERVATIO.

Cuidam coſtarum tumore ſuborto, folliculus membranaceus circa iugulum aqua bullis nigris, & maſſa 3. lib. carnea, laminatim concreta, refertus, coſtisq; affixus deprehenſus: vna cum aqua in pectore, & ſanioſis pulmonibus viſis.

HIſtoriam hanc, niſi fallimur, Amicus quidam ad nos tranſcripſit: verum quod dimidia ſiue plæraq; eiuſdē pars nobis interciderit, tum multo magis quod nomen circa finem adſcriptũ ignoremus: neceſſe fuit nobis totam prætermittere. Per occaſionē, ſi liceat, reſtituemus. Lemmā loco hiſtoriæ interea eſto. Cuius erroris lectorem ſubmonere viſum fuit. *Schenckius Filius.*

OBSERVATIO.

Pulmones ſiniſtræ parti thoracis adhærentes, in abdomine ſerum copioſum, lien magnus, & lumbricus latus, viſa.

IN Noſodochio curaui aperiendum corpus puellæ, quæ per multos dies conqueſta erat de hypochondrio dextro, reiecerat teniæ vermis longas partes, ſæpius purgata, additis vermes expellentibus, vnde partes reiectæ fuerant. In corpore, pulmonis ſiniſtra pars extenuata, thoraci adhærens, in abdomine copioſum ſerum, renes ampliſſimi, magnitudine admodum excedentes. Hepar amplum, lien nimis magnus, & mali coloris, in inteſtinis copia vermis teniæ. *Ex obſeruat. Ioannis Bauhini.*

OBSERVATIO.

Arthriticus & Nephriticus creberrimis defluxionibus obnoxius, ſubito ſuffocatus: cuius corpore aperto, inter alia deprehenſi pulmones coſtis adnati, cruenta ſaniei, inſtar eorum qui pulmonis hydrope laborant, innatantes. In renibus vero lapis, amygdali cum cortice magnitudine.

VOcatus Chan ad Priorem, dominũ de Iaillon, laborantem defluxione in pulmonē, ſcapulas, & thoracem: tuſſi, tenſione ingenti ventriculi, ructibus, nauſea: præceſſit diarrhæa: à leni medicamēto excreuit magnam copiam humorum billioſorum & pituitoſorum fœtentium. Nephriticus ac lithiaſi nonnihil tum quoq; vexabatur, arthritidi obnoxius, April. 13. ſubito ſuffocatus. Adueni paulo ante mortem, cum eſſet in ſtertore. Aperui cadauer, pulmo dexter vndiq; coſtis adnatus cernebatur, tumebat, ac durus ab inflammatione. In ſiniſtro latere bene habebat; innatabat tamen copioſæ aquæ ſanguinolentæ, quod à me nunquam fuit viſum. In rene ſiniſtro, aliquot calculi, & vnus magnus, occupans vreteris principiũ, deprehenſi, magnitudinis amygdali cum cortice: dexter totus conſumtus: in abdomine aqua. *Idem de Obſ. propr.*

OSSA IN PVLMONIBVS VISA.

OBSERVATIO.

Oſſa in pulmonibus obſeruata.

VIdi in pulmonibus oſſa non parua, vt ſuperiore anno in Franciſco Capello, cuius ſectioni Iacobus Bonus interfuit. *Columbus lib. 15. Anat.*

CALCVLI SIVE TARTARVS.

OBSERVATIO.

Calculi, variæ formæ & coloris, in pulmonib. geniti, tuſſim, laterum dolores, ſanguinis ſputitionem, aſthma, phthiſin, atrophiam, & tandem etiam mortem, inferentes.

QVidam diuturna tuſſi vexatus, & exiguum lentumque pus expuens, fruſtum quoddam paruo grandinis grano haud abſimile excreauit, ac defe-

deferens illud mihi oſtendit, atque rurſus non ita multo poſt aliud quoque attulit. Vnde conieci, lentum illum humorem, quem antea expuere ſolebat, ſiccatum induratumque, ad huiuſmodi ſubſtantiam perueniſſe: quamobrem medicamentum ei in potu dedi, quod aſthmaticis auxiliatur, atque ita factum eſt, vt minorem expueret grandinem, atque longiori quam antea interuallo, neque pluribus deinceps annis adeo mitigari potuit affectus, quin tandem moreretur. Cæterum grandines ipſæ magna ex parte erui magnitudinem æquabant, quamuis interdum maiores, interdum minores eſſe viderentur. Atque alios quoque ſimiliter ſpuere, ſed nihilominus in multos annos vitam extendere vidimus. Quorum alii aliam ob cauſam, alii vero ob ſpiritalium inſtrumentorum affectum mortui ſunt, quamuis nihil cruoris excrearent. *Galen libr.4.cap.9. de loc.affect.*

Vir quidam calculum exquiſite figuratum expuit, non craſſum humorem & viſcoſum, ſed reuera calculum: non aſperum, ſed etiam valde leuem, durum & renitentem, vt in terram quoque proiectus, ſonum ederet. Hic vir longo tempore tuſſi vexatus, non potuit, ne valde tuſſiret, liberari, quouſque calculum expuiſſet. Vtebatur autem victu temperato, humectante & potius refrigerante mediocriter: erat enim & curis deditus, & habitu tenuis, vt hoc etiam tabidis reſponderet. Et niſi his vſus fuiſſem, puto illum ſimiliter iis, qui tabe laborarunt, interiturum fuiſſe. Meminit etiam cuiuſdam diuiniſſimus Galenus, qui non calculum, ſed grandinibus ſimilia expuerat: item aliorum quorundã, qui ſimilia bili dolore ſputa reiecerant. Ac miror quomodo ipſe nullo refrigerantium vti voluerit, ſed hæc quidem vitarit, eã id im autem potius curandi rationẽ adhibuerit. Nam & Mithridatium ipſis offerebam inquit, pariter & Athanaſiam, & quæ adhuc magis ſiccare poteſt, theriacam, omniaque alia antidota ad ſuſpirioſos inſcripta, quæ acribus quibuſdam & extenuantibus medicamentis conſtant. Atque ea ſe non ſolum in vno viro, ſed etiam compluribus vidiſſe dicit. Nullus autem eorum, quibus eiuſmodi acciderunt, mortem effugere potuit, ſed omnes cum paulo longiore tempore aut breuiore perduraſſent, interierunt. At re ipſa verum eſt hoc quod ille de Archigene prodidit: difficile enim eſt, homo cum ſit, non etiam in multis aberrare, qui nonnulla prorſus ignorauerit, nonnulla etiam negligentius conſcripſerit. Atque hoc dicere de tam ſapiente viro auſus non fuiſſem, niſi veritas confidenti me eſſe animo incitaſſet: atque ego rurſum impium eſſe ſilere cenſuiſſem. Nam medicus, quoniam id quod ſibi videtur arripit & non explicat, valde alios offendit, & impietatem exercet, magnoque errori imprudens ſeipſum ſponte implicat. Verum illud agendum eſt, quod (inquit) Ariſtoteles dixerit: amicus quidem Plato, amica etiam veritas: duobus autem propoſitis, veritas præferri debet. *Alexand.Trallianus lib 5 cap. 4.* Idipſum cuidam ciui Duisburgenſi quoque accidiſſe, meminit *Ioan.Wierus.*

Nos in ſanguinis excreatione calculos excerni vidimus. Notus certe quidam mihi eſt ex iis qui ſanguinem è pulmone reiiciunt, temporis proceſſu, maxima cum tuſſi & ſanguinis copia, calculos quatuor aut quinque expuiſſe, aſperos tribulorum modo, ad magnitudinem ſiliquarum trium aut quatuor, ac deinde dolore leuatus eſt. Paulo poſt tabe conſumptus, interiit. *Paulus AEgineta libro tertio, cap.31.*

Henricus quidam Alemanus, cum laterum doloribus triennio iam vexaretur, & ob id opera & conſilio multorum interim medicorum, ſed fruſtra vſus eſſet, ad nos tandem venit oratum, vt ſi quo modo poſſem, laboranti illi opem ferrem. Interrogo igitur hominem, an initium morbi cauſamve teneret, vtrum ſcilicet ex frigore, vel ictu aliquo, aut nimio curſu, vel deſtillatione à capite, ſiue etiam ex præcedente aliqua alia ægritudine. hoc illi contigerit. Reſpodit ſe nullam ſcire procatarcticam cauſam, ſed tantum ex occulto initio paulatim increuiſſe morbum illum, adeoque auctum, vt eum ad mortem duceret. Anxius igitur, & tanti doloris cauſam minime deprehẽdens, neſciebam quo me verterem. Neque enim vlla vel materiæ vel mali habitus erant indicia, cum tuſſicula quædam ſicca hominem vrgeret, neque item excrementa aliqua videbãtur. Et medicamenta etiam quibus curatus fuerat, intentiones fere omnes euacuauerant. Quare authorum tandem ſententiis nixus, quibus docetur medicus, cũ cauſæ morbi abditæ ſunt, his præſidiis vti, quæ conferre quidem poſſint, nocere non poſſint: cœpi primum lenire pectus, mollire guttur & aſperam arteriam, donec calculo ad auellanæ magnitudinem de pectore propulſo, & ſicca illa tuſſicula, & omnis præterea dolor amotus eſt. *Beniuen c.24.de Abditis.*

Aſthmate ingraueſcente, lentus humor in grandinem concreſcit, atque hæc tandem in veros calculos quibus interdum diſſectos pulmones confertos deprehendimus, gypſeæ pituitæ duritie: omnes quidem propria cyſti obductos. Sed etiam non ita pridem vir occurrit, qui quoties exercitatione incaleſcit, concitata tuſſi calculos è pulmonibus edit præduros, eoſque excreat, modo hordei, modo piſi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruitur præterquã quod paulo difficilius reſpirat, & in medio thorace grauitatis cuiuſdam pondus percipit. Atque hæc quidem aliis ſine diſpnœa, aliis cum ſuſpirioſa orthopnœa obtingunt, qua qui conflictantur, vehementi anguſtia preſſi, prope ſuffocantur, altoque & ſuſpirioſo ſpiritu multum & frigidum aerem ducere contendunt, quo plurimo cor ad refrigerium indiget. Omnes ita affectos fere aſthmaticos id eſt, anhelatores & ſuſpirioſos appellamus, qui ieiuni & in quiete, & ſereno cœlo facilius ſpirare ſolent: at quoties cauſa & materia intus condita frigido humidoue cœlo, aut etiam multa crapula humeſcens, & quaſi tum eſt diffunditur, noua diſpnœæ quaſi acceſſione conflictantur. Multoque magis, ſi forte recens quædam deſtillatio in arterias, veteri malo iam impeditas, ingruit. *Fernelius libro 5.cap.10. Pathol.*

Anno 1561. Gabriel Fallopius, vir præclare doctus, & Anatomes omnium, qui tum in Italia claruerũt, periтiſſimus quibuſdam amicis ſuis morem gerens, in celeberrima ſchola Patauina, iuuenis cuiuſdã viri corpus ſecuit: qui aduerſa valetudine diuturna vſus, tabe paulatim cõſumebatur, de anhelo pectore, & quotidiana tuſſi præcipue quærẽs, donec

tandem placide ex hac vita migrauit. In eius pulmone Fallopius quatuor lapides offendit, nullum faba maiuſcula minorem, latos nonnihil, & tuberoſos, cinereos & ſubdutos. *Kentmannus libell. de Calculis.*

Habet adhuc meus collega excellentiſſimus lapillum fabæ magnitudinis, anno 1553. à ſe exemptũ in Hoſpitali Piſano, ex ſiniſtris pulmonibus, cuiuſdam adoleſcentis phthiſi demortui: qui iam diu tuſſi vexatus, prope annos tres incœperat tabe marceſcere, qua tandem interiit. Lapillus eſt inæqualis, aſper non admodum grauis, palleſcens atq; oualis. *Wierus lib.3 c.2. de praſtig. dæmonum.*

Anno 1572. filius meus Galenus, medicinarum Doctor vidit Patauii Nobilem Germanum, qui ab exercitio, plures tuſſiendo reiiciebat calculos, inſtar piſi, molles adhuc & friabiles. *Idem in eodem opere, lib. 4. c.16. edit.6.*

Nuper amicus quidam meus, Medicus doctus, in Sueuia, his verbis ad me ſcripſit. Lapis quem mitto, proxime ex thorace cuiuſdam matronæ cum maxima tuſſi prodiit, per interualla, ſemel vel bis in anno, ſanguinis reiectione ex reſpiratoriis partibus cum tuſſi erumpente: laborat, ambulat hinc inde, & peregre proficiſcitur, colorata & elegans eſt, nec de vllis doloribus conqueritur, niſi quod anhelitus fœteat, & difficultatem ſpirandi ſentiat. Tuſſis rara, ſicca; phthiſin vix effugiet. Monſpeſſuli, in diſſectione iuuenis cuiuſdam, plurimos lapides pulmonum ſubſtantiæ infixos, animaduerſum eſt. *Geſnerus par.1. c.12. lib. de foßilibus.*

E pulmone lapidem vidi, magnitudine grani Maizi. *Cardanus comm. ad aph.79. lib.4 Hipp.*

In pulmonibus quæſtoris Albretici, lapides aliquot duriſſimos, & æquabili ſuperficie, argillaceo colore, deprehendimus. *Scaliger. Exercit.*108. *ad ſubtil. Card.*

Vidi ciuem Caſtrilericenſem, Prouſt cognomine plures lapillos, albos, duros expuiſſe, qui tandem atrophia periit. *Ferrandus Senior, lib. de Nephritide.*

In pulmonibus atque per os excretos vidimus lapides paruos, albicantes, duros ſupra modum. *Corn. Gemma libr.1. capit. 6. Coſmocrit. & libr. 2. Cyclognom. pag. 76.*

Generoſus ac illuſtris quidam Baro, calculum ſæpe cum ſputo excreuit, qui in extremis aſperæ arteriæ ramulis ac propaginibus natus, loci figuram referebat. forma oblongus, teres, tenuisq; ſubinde adnatis breuibus ramulis; colore candidus. Aderat tuſſis ſatis vehemens, abſque qua excerni non potuit & ſputum crudum. Vſus multis annis fœliciter ſerapio ex Adianto, quo & tuſſis minus moleſta reddebatur. Tandem tuſſi vehementiſſima ſuperueniente, vaſe magno pulmonis rupto, ſanguineque copioſiſſime profuſo, extinctus eſt. Serapium ex adiantho hunc in modum paratum fuit. Recip. Adianti legitimi, capill. Veneris, hoc eſt rutæ murariæ ana vnc.j.s. glyzyrrhizæ vnc.ij. radicum ruſci, aſparagi ana vnc j. ſeminis maluæ drach. ij. aquæ puræ ℔ iiij. Fiat omnium decoctio, vſque dum aquæ libræ duæ tantum ſuperſint. Colato addantur ſacchari vnc xij. mellis candidiſſimi vnc.iij. aquæ & hyſſopo deſtillatæ, vnc. iiij. Iterum coquantur ſimul, dum ad ſerapii conſiſtentiam perueniant. *Dodonæus obſer. Medicin. cap. 23.*

Fuit quidam Venetiis, vt retulere Medici qui interfuere, qui vehemẽti tuſſi lapillos ex pulmonibus eiecit. *Trincauella lib.10. cap.6. de rat. curand. part. hum. corp. affectus.* Calculos prætereа in pulmonibus naſci atteſtantur, *Gordonius, partic.5. cap.18. Lilii. Gilbertus Anglicus. lib.6. Compendii cap. de lapide renum & veſica. Arculanus, in comment. ad cap. de lapide veſicæ Raſis. Braſauolus, Comment. ad aph.79. lib.4. Hipp. Scholiographi Hollerii ad cap.48. lib.1 de morb. intern. Columbus, lib.15. Anatom. Scholiographus ad Galeni libellum de locis affectis, in 16. Lugduni excuſum, pag.39. Iacotius, comment. ad aph.67. ſect.2. lib.5. Coac. Hippoc.*

Vidi, & ſub mea curatione habui, qui per tuſſim plures excreuerit lapides. *Gerardus Bergenſis lib. de calculo & arthritide, pag.*90.

Rem incredibilem ſancta fide teſtamur, quam ægro adhuc viuo docebimus, interdum Orthopnœa, non raro interceptione ſenſus & motus, tota nocte afflicto, ante viginti annos à nobis Lipſiæ curato, calculos vltra centum, ex ſanguine pulmonis, in ſiliceam duriciem toſtos, partim tuſſi, non exiguos, per aſperam arteriam, partim deiectione per ventrẽ, eoſque minores, partim vrinæ profluuio, expurgatos, ſæpe veluti ramenta plurima lori, lotio & ventris deiectione, nonnunquam ſanguinis mictu, miſerabili cruciatu expulſa. *Sebaſtianus Roth, in diſputat. medica Lipſiæ olim edita.*

Virum Brielenſem tabe affectum, & tuſſi valida, in cura habuimus, qui calculos gypſeos (qui intra digitorum articulos, chiragra laborantibus, accreſcere ex pituita ſolent) reiecit: quamuis & hic tabe & pthiſi conſũmtus obierit. *Petrus Foreſtus lib.14. Scholio ad Obſeru.26.*

Ioannes Volkamer, qui primarius fuit huius ciuitatis, in ſua iuuentute laborauit continua tuſſi, nec tum quicquam eiecit: ita vt omnes exiſtimarent illum eſſe phtiſicum. Sed tandem cum nullum ſentiret vſum medicamentorum, quibus vſus erat pro curanda illa tuſſi; forte fortuna cum vehementius tuſſiret, eiecit duos lapillos, ciceris magnitudine, candicantes, & leues, ita vt plane referrent materiam ſui generis. Et ita ab illa tuſſicula, qua per longum tempus laborauerat, liberatus eſt. Lapillos illos vidi apud eius vxorẽ, quæ adhuc retinet. *De Ioan. Heßi obſeruation. CL. V. Ioach Camerario ad me tranſmißis.*

Exhibuit mihi D. Iacobus Gruberus, Phyſicus Elbacenſis, vir doctus & officioſus, lapidem rotundum, magnitudine nucem iuglandem æquantem, quem puella Elbacenſis, annorum quatuordecim, graui tuſſi eiecerat, abſque ſubſequenti aliqua euidenti læſione. Cæterum ſubſtantia & color eius lapidis fuit fere talis, qualis eorum eſſe ſolet, qui ex veſica à lithothomis excinduntur. *Iacob. Oethæus lib. obſeruat. propriar.*

Legens *cap.23. obſeruationum Dodonæi*, meæ recordatus ſum miſeriæ. Nam annum agens 21. biennio fere mihi non fuit infrequens calculos per tuſſim reiicere, non magnos quidem, ſed qui lenticulam tamen æquarent: colore candidiſſimos, ſubſtantia tophis, qui podagricorum articulis innaſci ſolent, perſimiles. Verum ſine vllo medicamẽtorum vſu, poſt peregrinationem in Italia, & ductam vxorem, nihil deinceps eiuſmodi, Dei bene-

ficia,

ficio,percepi. *Oſvvaldus Gabelchouer. ſuis ad nos tranſmiſſis obſeruat.*

Lapillos, in pulmonibus ſtudioſi cuiuſdam, rotundos,albos,tophaceos, vti & in teſtibus ſectione inueni. *Felix Platerus de obſ.propr.*

Ruſticus quidam in Sileſia diuturna tuſſi laborans ſæpe tuſſiendo calculos leues, inſtar pumicis, è pulmonibus eiecit,quos ipſe in manibus habui. Vixit autem diu ſine incommodo, & fuit egregius potator. *De obſ.Io.Franci Hildeſii Camic.*

PVLMONES IPSI LAPIDESCENTES.

OBSERVATIO.

Inappetentia,tuſſi ſicca,& ſpirandi difficultate affecta mulier nullis medicamentis proficientibus moritur:aperto corpore ventriculi fibræ nigræ, duri pulmones, lapideſcentes reperti.

MVlier Romana, 35. annorum,per plures annos inappetentiam paſſa cum tuſſi ſicca,& ſpirandi difficultate, cum fruſtra variorum Medicorum auxilia tentaſſet, moritur:diſſectoque eius cadauere ventriculi omnes fibræ nigræ duræque repertæ ſunt: tres vero pulmonum lobi adeo indurati, vt potius tophos lapideos, quam carnem, omnibus videntibus ementirentur. Lien ipſius, oui gallinacei magnitudine non excedebat. *A Petro Spebrerii Medico ex Italia acceptum.*

ANIMALCVLA.

OBSERVATIO.

In Aſpera arteria, pulmonibus; & vitalium inſtrumentorum regione, animalcula, muſcis, muſcilionibus, ſtrobylis nucleis, cimicibus, vermiculisque, ſimilia, generantur quæ pertinacem tuſſim excitant, & cum eadem reiiciuntur.

POteſt tuſſis euenire, ſicut aliqui ex antiquis prodiderunt medicis, cauſa vermium qui aſſimilantur muſcis, qui oriuntur in pulmone: & ex illis fit tuſſis valida atque fortis. *Auenzoar lib.1. Tractat. 11. cap.3.*

Excitatur aliquando tuſſis ex animalibus generatis in canna pulmonis,& locis vacuis, quæ minora ſunt muſcilionibus,& cum transferuntur de loco ſuæ originis, reſultat tuſſis & ipſorum motu, & quãdo quieſcunt in ſuo loco,quieſcit tuſſis. *Alſaharauius cap.1.tract.13.pract.*

Alſaharauius author eſt, vermes tuſſiendo è pulmone reiectos.& cum Alſaharauio Zoar,muſcarum ſimiles. Vlyſſiponæ vero nuper quædam poſt moleſtiſſimam, diuturnam rebellemque tuſſim per dies multos tuſſiens, excreuit ſtrobylis nucleis ſimillimos. *Thom. à Veiga. comment.ad cap. 5. lib. 1. Galen.de loc.affect.*

Quidam (*Galeno teſte, libr. 4. de loc. affect.*) expuit grandines, recentiores dicunt lapides. Si hoc ſit verum,nihil impediet aliquem per tracheam arteriam vermem tranſeuntem per pulmonem expuere. In hæc verba prorupi,quoniam heri vir quidam extuſſiens,ſimul cum excreatu vermiculũ expuit in medio excreatus,adeo compactum,vt à nulla alia parte prodire potuerit, quam ab ea, à qua prodiit excreatio. *Braſauolus comm.ad aph.97.lib.4.Hipp.*

Laborabat Antonius Siculus moleſta quadam tuſſicula, & cum diu, nihil conferentibus auxiliis, hoc malum toleraſſet,ad nos tandem venit: rem exponit,conſilium quærit.Nos vero,& quod morbus diutius inueteraſſet, & quod multos expertus Medicos, nihil omnino profeciſſet, putabamus hoc vitium ægre elidi poſſe. Verum ne quid intentatum relinqueretur, marrubii ſuccum ex melle ægrum deuorare iuſſimus,ſingulis diebus, tum & interiectis temporibus ſcyllam lambere, donec vermis ex eius pectore vna cum tuſſi propulſus, hominem ſanitati reſtituit. *Beniuenius, capite 77. de Abditis.*

Exiguos interdum (vermiculos) in renibus genitos vidi,cum vrina profuſos:Et in pulmonibus,& in auribus &c.*Fernel.Patholog.lib.6.c.10.*

Vermes in pulmone interdum genitos & excreando eiectos, nec nõ in nonnullis aliis corporis partibus & vlceribus etiam viſos, ſcio. *Aloyſ. Mundella Dialog. 4.num.4.2.*

Matrona quædam honeſtiſſima, per aliquot annos conquerebatur de dolore circa clauiculam, & difficultate deglutiendi, catarrhis tamen crebrioribus obnoxia.Hæc ſæpe expuit quædam grandinoſa, quorum facit mentionem *Galenus 4.de loc.affec.*cumque diligentius illam materiam inſpiceret atq; diſſolueret, reperit parua animalcula, inſtar minorum cimicum,in illa inuolura,duo vel tria, quæ viuebãt, & à me & aliis ſunt conſpecta. Viuit tamen adhuc ſatis commode,Dei benignitate, & curat valetudinem quanta poteſt diligentia *De CL. V. Ioach.Camerarii obſ.propr. ad nos miſſis.*

CARVNCVLAE ET VESICELLAE.

OBSERVATIO.

Varia veluti piſcium veſicellæ,& carunculæ,è pulmonibus reiecta.

VIdi Ruslandum de Ciconia, qui expuit fruſta carnis duræ,& ſtabat cum magna præfocatione antequam expueret, inter quæ fruſta fuit vnum ad quantitatem mediocris nucis, & regenerabantur in ea interpolatione,quaſi vnius anni,& tandem mortuus eſt de hac præfocatione. *Nicolaus Serm. 4. tract. 2.cap.6.*

Illud memoria dignum videtur:Mulier præfocata,cum ab aliis omnibus pro mortua haberetur, & de eius potius funere,quam de vita, cogitarent aſſiſtentes,paulatim quaſi grauiori ſomno excitata, in moleſtiſſimam incidit tuſſim: qua cum diu agitata eſſet,durioris tandem carnis fruſtulum eiecit, & ſanata eſt.*Beniuen.cap.88. de Abditis.*

Vidimus in Gulielmo de Cocq, inſigni aduocato,aſthmatico, exigua carnis fruſta, inſtar mori ſibi inuicem cohærentia,vehementi ſternutatione, tuſſi expectoraſſe: quæ vt viderem,per famulum ad me tranſmiſit.*Petr.Foreſtus libro 14. Scholio ad obſ 26.*

Quod multi præſtantes medici literis conſignarunt, videlicet ex pulmonibus varia, ſæpe eiici tuſſi, idem nobis etiam experientia ſuppeditauit. Cum enim adhuc verſarer in ditione Fuldana, ruſticum vidi, qui veſicas aqua refertas, veluti piſcium, extuſſiendo reiiceret. Ac in familia cuiuſdam nobilis Canonici Euchſtadiani vidi quendam miniſtrũ, iuuenem adhuc, qui cum ſubito in reſpirationis difficul-

difficultatem,& animi deliquia quædam incidiſſet; iamque ſuffocationi proximus putaretur, repente tuſſi eiecit veluti adnatæ carnis portioné reſectam, ac ſic à periculo grauiſſimo ſuffocationis liberatus eſt,& (vt puto) deinceps bene valuit. *Iacob Oethaus lib.obſ.propriarum.*

Anno.1569. Gorlitii tabidæ cuidam mulieri triennali tuſſi vexatæ,cum nullis medicamentis leuaretur, D. Franciſcus Kretſchmar, Sileſius, ſulphuris ſublimati vnciá exhibuit cum loch ſani,& eo quod de pulmone vulpis inſcribitur, cuiuſq; vncia remiſtá, qua miſcella frequenter vſa, tandem phlegmatica multa excreauit,& paulo poſt etiam veſicellam, colore, magnitudine, & forma, cyprini piſcis ſimilem, per ſcreatum reiecit, & conualuit. *Acroama Schenckii.*

PECTORIS ET PVLMONIS HYDROPS.

OBSERVATIO.

De pulmonis hydrope.

DE hoc *Hippocrates ſecundo de morbis.* Febris & tuſſis tenet,& aceruatim reſpirat, & pedes tumét: & vngues omnes contrahuntur; & patitur talia, qualia is,qui ſuppuratus ſit, ſed debilius ac diuturnius:Et ſi quid infundas, aut fotum aut ſuffitum adhibeas,pus non ſequitur: atque ex hoc ſane cognoueris non pus; ſed aquam intus eſſe. Et ſi multo tempore aure ad latera adhibita, audire tentaueris, ebullit intrinſecus velut acetum:Et hęc quidem aliquandiu patitur, poſteá erumpit ad aluum, & ſtatim quidem ſanus eſſe ſibi videtur,ac à morbo liberatus. Verum progreſſu temporis aluus incenditur, eademque illa patitur, & adhuc amplius. Aliqui etiam intumeſcunt ventre,ſcroto,ac facie.Et quidam ab inferna aluo eſſe putant, quum videant ventrem magnum, & pedes tumidos: Intumeſcunt enim hæc, ſi ſectionis tempus transgrediatis. Accidit hoc Ioan.Baptiſtæ Ramundino Bononienſi,Trapezitæ, viro ſexagenario, qui maximam in pulſu inæqualitatem patiebatur,& difficultatem ſpirandi, inde repente obiit;diſſecto, pulmo aquá plenus, inde thorax,inuenti ſunt. *Cardanus part.3.numero 68.de cauſ. ſign.ac loc.morbor.*

OBSERVATIO.

Hydropis pectoris & pulmonis hiſtoria.

SVppurationi affine interdum malum eſt, in quo magna thoracis capacitas,ſeroſo, pituitoſo, eoq; tenui humore ſcatet,qui aut è cerebro, per aſperam arteriam & pulmones, tenuitate ſua affatim irrués, aut è reliquo corpore,aut etiam ex abdominis capacitate,(q́ ſępe in hydropicis animaduerſum eſt) cæcis ductibus redundans,eo penetrauit. Tum ſuppurationis ſigna atque ſymptomata inſunt, niſi quod neque febris affligit, neque ſuppurationis efficientes cauſæ præceſſerunt. Ea proinde affectio, non ſuppuratio, ſed ſuppurationi finitima eſt. *Fernelius lib.5.c.11.Pathol.*

Vidimus duos laborantes hydrope thoracis & pulmonis: in altero aperta eſt via, obortaque tuſſi & vehemente ſiti, arefactis ſcilicet pulmonibus, mortuus eſt.Alter non fuit ſectus, ſed tandem interiit:& illi inuentus eſt pulmo omnino corruptus.Signa quibus cognoſcas an qui hoc morbo laborant, affecta habeant viſcera,& percurari poſſint, vide *lib. de loc.affectis.& lib.de prædictione. Hollerius Com.ad aph. 14.libr.6.Hipp.*

In cadauere adulti vidimus hydropem pulmonis, erat enim in ſiniſtra tantum thoracis cauitate collecta maxima copia aquæ limpidiſſimæ; ad menſuram ferme ſitulæ vnius,nec erat imbibita in aliquo membro,ſed continebatur in cauitate thoracis, & hunc morbum eruditiſſimus præceptor meus Fallopius,empyema, vel thoracis hydropem, dici poſſe aſſeruit, eratque in ea parte thoracis pleura admodum craſſa & calloſa, & ſimiliter pulmones, mediaſtinum, ſeptum tranſuerſum, & lien, erant calloſa fere. De qua quidem thoracis hydrope loquitur *Hippocrat. in 2. de morb. cap. proprio.* Et in *libro de internis affectionibus*, circa medium, vbi tractat de reliquis ſpeciebus aquæ intercutis, & hanc appellat pulmonis hydropem. *Franc. Michinus obſeruat.7. Append. ad Fallop. comment. in libr.Galeni de oſsibus.*

Multoties deprehendi, integris pulmonibus, vel vtramque pectoris cauitatem, vel alteram aqua plenam, interim pulmones corruptos in aqua natantes vidi, vnde cum Hippocrate aſſerere licet,in pectore hydropem fieri. huius rei duo inſignia adferam exempla. Anno 66.in Schola Bononienſi Medicinæ theoriæ profeſſor, nomine Ioannes Peregrinus,(ni fallor) quinquagenarius, corporis conſtitutione ad phtiſin procliuis, hydrope correptus fuit, à qua multo ac diuturno piperis vſu ſe ipſum liberauit: tandem in hecticam maraſmoden incidit, & animam dedit. Equidem ſingularis eruditionis viri,D.Hieronimi Cardani; Medicinæ facultatis profeſſoris,mei ſtudioſiſſimi,precibus adductus,eum ſecui: inuenimus dextram thoracis capacitatem aqua pleniſſimam ac turgidam, pulmonem illæſum, in inferiore ventre viſcera abſumpta, atque omni ſucco exhauſta, nihil aquæ in ventris capacitate contentum, at vbique meſenterio, peritoneo,inteſtinis,lieni, hepati,denique omnibus viſceribus, veſiculæ inæquali magnitudine, eæque aqua limpida plenæ adhærebant. In virgine etiam quadam,præter alia animaduerſione digniſſima & rariſſima, deprehendi thoracis partem dextram aqua ſubnigra & putrida plenam, continebatque eiuſdem aquæ cantharum & dimidium. Pulmonis etiam dextram partem, quæ in eá cauitate collocata erat, cum pleura corruptam ac nigram. *Coiter in obſ. Anatom.& chirurg.*

Vidimus in Doctore Arelatenſi vrinæ difficultatem,cum maximo renum dolore,& arenulis rubentibus. Cuius diſſecto cadauere,renes integri inuenti ſunt, ſed in thorace hydrops, & concretus in corde lapis, qua parte materiam in ſiniſtrum cordis ventriculum,& inde ad renes ferri ſolitam, probabile eſt, quæ eo itinere, præ calore in arenulas concreſcebat, ſed & ſeri ex pulmone ingens copia in abdominis capacitatem penetrauerat, haud ſecus, atque ſæpe cæcis ductibus, ex abdominis capacitate, in hydropicis redundat in thoracem. *Iacotius Comment. ad aphor. 4. Section. 2.lib.6. Coac. Hippocr.*

Eſt hic affectus ſuppurationi affinis, in quo magna thoracis cauitas ſeroſo humore ac tenui ſcatet, qui aut è cerebro per aſperã arteriam & pulmones

hæs tenuitate ſua affatim irruit, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis capacitate in hydropicis cœcis ductibus eo penetrauit. Tum enim ſuppurationis ſigna atq; ſymptomata inſunt, niſi quod neque febris affligit, aut non adeo acute, neque ſuppurationis efficientes cauſæ, vt rupta vomica, venæ eroſio, acris deſtillatio: neque ſigna antecedentia, vt purulentum ſputum aut cruentum, præceſſerunt. Sitis tamen interdum maior vrget, tuſſis & difficultas ſpirandi. Accedunt & deliquia animi, & corrupta ciborum appetentia, exauditurque ſtrepitus aquæ, & veluti fluctuatio, cum in alterum latus ſeſe vertunt. Vidimus ex his alios non aliter intumuiſſe in ventrem, quam qui hydropici appellantur: alios reuera hydropicos: omnes tamen mortuos cum orthopnœa. Occupato enim diaphragmate à ventris mole, & bronchiis pulmonis tum plenis, tum coanguſtatis à circumfuſo quodam ſero flauo, orthopnœa ſuperuenit cum ſuffocatione. Eſt autem morbus ſiccus, quia nihil tuſſi educitur, niſi quod in fauces è cerebro deſcendit. Nam nec facultas thoracis ſatis valida eſt vt aquam ſurſum compellere queat, nec quod tenue multum eſt & aquoſum, ſubleuari poteſt, quia circum ſpiritum diffluit. *Idem comment. 1. ad aph. 79. ſect. 2. lib. 5. Coac. Hipp.*

Nos binos tractauimus pulmonum hydrope laborantes, in quorum thoracis cauitate, dum ſe hinc inde mouerent, aqua commota ſonitū edebat, qualē in vtre agitata fieri quotidie obſeruamus, hæc quoque indies ſenſim & ſenſim per vniuerſum corpus diſſeminata eſt, ac diſperſa, ita vt primo abdomen & & facies, mox coxæ & crura pedeſque in magnam molem excreuerint. Altera mulier fuit Benedicti Lancini vxor; Alter vir, Federicus, del Reame appellatus, qui ambo, nullis proficientibus auxiliis, interiere. *Marcell. Donat. hiſtor. mirabil. libro 3. cap. 9.*

De Hydrope pulmonis & thoracis pauci tractant. Itaque quid nos de eo experti ſimus, etiam ſubiiciemus. Fuit Ingolſtadii vir doctus & celebris, qui quod incautior eſſet in victu, & ſtudiorum grauioſum occupationibus detineretur quotidie, raroque exerceretur, ſenſim in cachexiam inciderat, quæ hypoſarcam in propinquo eſſe denunciabat. Sollicitus igitur de ſalute, non ſolum Ingolſtadianos medicos, & viros doctos & expertos, ſed & me conſuluit. Itaque collatis ſententiis, nihil omittimus eorum, quæ curæ profuturæ videbantur. Etſi autem venter, qui prius ſubtumidior videbatur, factis purgationibus conuenientibus, humorum mole ſubleuaretur, tamen ſpiratio difficilis, tam non diminuta eſt, vt etiam ſenſim augeretur. Itaque cum diu hæc affectio protracta eſſet, tandem hic vir optimus ſuffocatione periit. Cuius demortui thoracem, cum præſentes Medici, Doctor Ioannes Boſcius, & D. Philippus Mentzelius aperuiſſent, animaduerterunt (quod & ante ſuſpicabamur) thoracem aqua ſanguinolenta eſſe omnino plenum, ita quidem, vt ea exempta, libras quatuordecim exæquaret. Ex quo frequentem apparere hanc hydropem, ſi modo aduertatur, coniici facile poteſt. *Ex obſeruationibus viri clariſſimi Iacobi Oethæi.*

Vir annos natus XLII, ab ineunte ætate parum firmæ valetudinis, decolor capitis in pulmonem defluxionibus, ſed iis nec ſalſis, nec acribus vehementer obnoxius: quum ad natiuam corporis imbecillitatem accederet ratio victus negligentior, & vita ſedentaria, lucubrationibus ac ſtudiis grauioribus occupata, menſe Septembri, Anno M. D. LXXXIII. primum in cachexiam cum œdemate pedum, & difficili reſpiratione, incidit: vrinæ quas prætenues, pallidas, & copioſiſſimas prius reddere ſolitus erat, paulatim imminutæ ſunt. Difficultas ſpiritus, cum ſenſu ponderis, vtrinque ad latera thoracis, ſupra coſtas ſpurias, ſic paulatim (præcipue ſi altior duceretur anhelitus) augeſcebat, vt ſub finem Decembris, iam decumbere neque ſupinus, neque in latera poſſet, ſi in lecto ſe conuerteret, humoris aliquid in thorace fluctuare percipiebatur: ac propius admota aure, rei cuiuſpiam leuiter bullientis ceu ſtridor aliquis inaudiebatur, qui nec ægrum ipſum latebat: eo plane modo, vt *Hippocrat. de hydrope pulmonis* prodidit. Itaque dies & noctes, tantum non reſidere ſurrecto thorace cogebatur. Tum ſenſim venter quoque in tumorem aſſurgebat: & tuſſis aſpera, eademq; ſine omni ſtertore, & prorſus ſicca, ſiue tenuantia, ſiue inſpiſſantia remedia tentarentur, infeſtabat. Porro ad quemuis corporis motum mire anhelitus creſcebat anguſtia, vt æger protinus ſuffocari atque animo linqui videretur. Sub his pulſus, præſertim veſperi, lentam quandam febriculam tum ſedimen puluereum albicans oſtenderent: neque appetentia cibi omnino deiecta erat: neque ſitis magna. A medicamentis purgantibus plus viſus eſt lædi, quam iuuari. Sectionem thoracis, in qua ſpes aliqua collocanda erat, magis fere quam mortem ipſam formidabat. Menſe Martio, poſtremis aliquot morbi diebus, cœpit ſubcruenta quædam extuſſire. Cæterum inciſo corpore nullum in pulmonibus vlcus deprehenſum eſt: thorax vero vniuerſus aqua cruenta quam quis haud inepte, loturæ carnium aſſimilaſſet repletus fuit: Venter inferior, (vt in Aſciticis ſolet) aqua flaueſcente ſuffundebatur: in dextro pulmone tres cernebantur lobi teretes, faſtigiati, craſſitie & longitudine digitum ſuperantes: hepar albicabat, & duriuſculum erat: reliqua viſcera nihil ad oculum vitii oſtendebant. *CL. V. Philippi Menzelii de eodem ægro obſeruatio.*

Vixit in Aula Imperatoris per multos annos exul Marchio de Finali, non adeo procul à Genua Galliam verſus commoratus. Is per omnem fere ætatem proſpera vſus valetudine, robuſto & procero corpore, circa extremum, vltra quinquageſimum annum multis & variis affectibus conflictatus fuit, nunc catarrhis, nunc ſcotomia, nunc melancholia, nunc pedum inflatione, cum hydropis ſuſpitione; poſtremo etiam dyſpnœa. Multa ſatis tentata ſunt remedia per medicos, ſed calor naturalis ob ætatem & anteacta imbecillior, actuare ea nequiuit, quare etiam effectum deſideratum non præſtiterunt. Ita reſpiratione intercepta, cum ne quidquam expueret, ſuffocatus obiit, cubans vt plurimum in ſiniſtro latere. Dum cadauer exenterabatur vt ad delectum ſepulturæ locum, familiæ mauſoleum transportaretur, in ventre inferiore nihil vitii conſpectum fuit, ſed pectoris ſiniſtra cauitas aqua purpurea referta fuit, lixiuio ſubſtantia & colore ſi-

mili,qua ſpongia exhauſta, adparuit in eo pulmone vlcus grande,cum cinericio ichore. Dextra pectoris cauitas,naturali formæ per omnia reſpondebat. Factum id Autumno Anno M.D.LXXXIII. Thoracis hic hydrops erat, non pulmonis, de quo apud *Hippocratem 2.de morbis*,legitur. Illi ſimilem etiam in Simia ſecta deprehendi,cuius ſceletum, propter oſſium elegantiam,adſeruo.Vnde adducor,vt ſimiles in pluribus aliis aſthmaticis exiſtere credam: quod inſpectio frequens,ſi opportune liceret, confirmare poſſet.*Ioan. Aicholzius,ſuis ad me anno* 1586. *traſmiſſis obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Latens pectoris hydrops, cum melancholia hypochondriaca febre acuta,leui animi deliquio,vrinæ ardore, & vehementi meiendi deſiderio.

HOneſtiſſimus quidam ciuis Monſpelienſis per triennium melancholia laborauerat hypochõdriaca,eaque ſæuiſſima,quæ tandem acuta febre ſuperueniente, hominem è viuis ſuſtulit. Priuſquam tamen vita fungeretur per menſem integrum bis in die leui & fugaci animi deliquio corripiebatur,cum modico vrinæ ardore, & incredibili meiendi deſiderio. Profuſa autem prærubra tenui & fœtida vrina ſtatim ad ſe redibat; diſſecto cadauere, totã fere thoracis cauitatẽ tenui p̃rubro & fœtidiſſimo humore oppletã inuenimus,nec non cordis ſiniſtrũ ſinũ eodẽ humore plenum.Quod non ſine admiratione contemplatus venit mihi in mentem ilico *Galeni de locis aff.cap.4.libr.6.* contextus, & magiſtris,chirurgis ac medicinæ ſtudioſis quam plurimis aſtantibus.Cauſam tam frequentis lypothimiæ & fugacis ſtranguriæ ad virulentæ materiæ per ſiniſtrum ſinũ & arterias transfuſionem referendam eſſe exiſtimaui.Quam meam opinionem omnes communi applauſu approbarint, quia humoris in thorace contenti & vrinarum, quæ in lypothimia profundebat, idem erat calor,eadem ſubſtantia, nec diſſimilis fœtor. *Andr.Laureuiius Anat. libro quinto,quæſtione* 13. circa finem.

OBSERVATIO.

Pectoris hydrops, cum cordis palpitatione, ad viginti annos: ex qua obiit Sacratiſsimus Cæſar Maximilianus II. ſancta memoriæ.

IN Cæſare noſtro (poſtquam cor ſupra viginti annos palpitare ſenſiſſet) ſancte demortuo, ſupra duas menſuras aquei humoris in cauitate pectoris relictas, cum quidem natura diu per vrinæ meatus plurimum auxilii ſibi tuliſſet,conſpeximus. Iſte vero naturæ motus,vt ad extremum impeditus fuerit, nequeo præ ſummo dolore cogitare, tantum abeſt vt eloqui queam. Eſt autem vſitatum, in noſtra ſcientia, hanc affectionem ſicut diuinus Hippocr. docuit,pulmonis hydropem appellare. In ventrem quoque aqueus humor (id quod ab Hippocr.monemur) iam confluebat, & ſæpe me monuiſſe, ſi longior morbus fieret,Cæſarem Hydropicum futurum.*Crato in orat.de obitu Maximilia II.*

OBSERVATIO.

Hydrops pectoris,cum ſuppuratione pulmonis vnius lateris, & hydrope vero complicatus.

SVtor noſtras, à me 25.Ianuarii, Anno 86. in præſentia collegii noſtri Medici,apertus fuit. Vir annorum 30. Corporis conſtitutione pituitoſa, hydrope ratione Aſthmatis cauſata periit:is antequã tumere venter inciperet, in regione dorſi, latere dextro, tumorem habuit carnoſum, non recedentem à colore cutis, cui tonſor quidam, cum emollientibus diu applicatis nihil proficeret,tandem cultello tumorem incidit, quo aperto, nihil niſi aqua effluxit per aliquot dies, poſtmodum vulnus curatum fuit.Sed cum tuſſi vehementi diuexaretur, pedes cum ventre tumere inciperent, difficultas ſpirandi adeſſet, medicorum conſilio vſus, tandem & meum expetiit,menſibus circiter duobus ante mortem.Exhibitis ergo iis quæ videbantur ad morbi curationem palleatiuam potius facere,per certa interualla melius habere cœpit, mox recidiuam paſſus, periit.Abdomine aperto, quatuor vaſa ænea, qualia tonſores habere ſolent (Scherbecken) aqua repleta citrina,effluxere. Viſcera omnia in abdomine contenta ſatis commode habebant, ſolo omento excepto. Diaphragma vero non ab hepate ſurſum comprimebatur, ſed à materia in thorace contenta præter modum deprimebatur. Thorace aperto,purulentæ materiæ vaſa tria ænea repleta effluxere ex latere dextro,cuius lateris pulmo totus in pus abierat,ſiniſtro integro perſiſtente & ſatis commode ſe habente.Hinc aſthma,hinc tuſſis,hinc hydrops, ex pulmonis vlcere dependentia omnia.*Gaſpar Bauhinus de obſ.prop.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria abſceſſus purulenti, ſeu vomicæ antiquæ in pectore diu citra manifeſtam læſionem geſtatæ, cum hydero thoracis: in duobus fratribus germanis, natione Italis, Alexandro & Octauio, Comitibus Blandiadis, intra paucos dies eodem malo iugulatis.

ILluſtres hi duo Comites,quorum alter 12.circiter, alter 9. & 10. fuit annorum, cum vltra annum in Germania Monachii ſatis commoda vſi eſſent valetudine. alacres & prompti corpore animoque, niſi quod alter fratrum Octauius, ſemeſtri ante mortem ex febre continua,ſed lenta, aliquot dies decubuit, ex ea tamen belle reſtitutus,Menſe Iunio,88. Octauius puer,qui prior,rurſus in febrem incidit continuam, lentam tamen & mitem, cum calore & dolore prope nullo. neq; aliis malis accidentibus, pro ratione tanti affectus, tunc adhuc latentis,ſtipatam, iunctus tantum erat febri difficilis ſpiritus,ſublimior quam pro caloris ratione,citra tuſſim, cum dolore lateris ad tactum, quem ferre non poterat, alias fere nullo; ventris quoque aderat aliqua inflatio cum torminibus, vrinæ turbidæ. Cum quotidie in peius omnia laberentur, decima die obiit. Diſſecto cadauere, præſentibus Clariſſimis Archiatris, D.D. Heinrico Munzingero, Thoma Mermanno, me Hieronymo Fabro, & Adamo Fabro; vitium incurabile, & forte à primordiis generationis illi, vt fratri, congenitum apparuit, cum enim abdominis viſcera ſana inuenta eſſent; reſerato Thorace, reperta vomica in dextro pulmone, vniuerſam ſimul dextræ partis thoracis pleuram occupans. Erat enim ſub tunica pulmonis dextri & pleuræ eiuſdem lateris coſtas inte-

integente plurimum ac craſſum pus. In cauitate vero thoracis dextri, plurima aqua citrina, altero pulmone illæſo exiſtente. Quia igitur abſceſſus hic erat in loco libero, laxe & libere, iamque paulatim familiaris illis partibus redditus, pus ſub tunica externa contentum, arterias pulmonis non irritauit ad tuſſim, neque ob interiectam aquam ex thorace per poros pulmonis quam craſſius etiam, tranſumi potuit. Sed febre tandem accenſa, à calore putredinali viribus cordis obtritis, mors ſecuta.

Alter vero frater Alexander, paucis poſt diebus eodem prope modo decumbere cœpit, ex feb. miti, continua, nullis comitata ſymptomatis prauis, præterquam vigiliis, ſiti aliquali; tuſſiebat interdum, dolorem nullum, quam ſub axilla dextra indicabat, ſed vinum deſiderabat valde, vt & frater, vrinæ tamen ſatis accenſæ erant, cum eneoremate nigricante, quæ ſtatim turbabantur. Noctu magis incaleſcebat, ſine tamen manifeſta Epiſemaſia, qui calor neque ita mordax fuit, vt in febribus eſſentialibus ex materia in venis putreſcente, & lentius illum conficiebat, paulatim enim vires concidebant, vt neque ſedere poſſet, extra lectum ſublimis fiebat ſpiratio, narium pinnæ mouebantur, dolebat in affecto latere ad leuem attactum. In ſomno conniuentibus erat oculis, capite ad pedes cœpit deuolui. Tuſſis erat irrita, cum qua nihil extundebatur. Dolor ſub axilla, & appetitus vini, augebantur. In 7 tuſſis crebrior, cum qua aliquid purulenti excernebat, ſed hærebat maior pars in Larynge, & ſtertorem inducebat. Ea nocte vermem ſeu Lumbricum rotundum aluo egeſſit. Reſpiratio tandem, cum tuſſi nihil effatu dignum educeretur, cœpit valde coanguſtari, vt eſſet plane Orthopnoicus puer. Aluus fuſa, fœtida excernebat liquamina, omnibus denique viribus intermorientibus, ceſſit & ipſe fato 10. morbi die. In reſecto cadauere, abſceſſus, ſeu vomica purulenta reperta, in ſiniſtro pulmone & ſiniſtra pleura, eratque pulmo ille intermedio pure coſtis & pleuræ agglutinatus, flaccidæ alias ſubſtantiæ, & repleticis veſicis quibuſdam aqua viſcida plenis. Reliqua thoracis cauitas in eo latere, aqua ſimiliter ſubviridi plena erat. Hepar etiam durum habuit, cum felle magno. Cur vero doluerit ſub axilla dextra, cum vitium in ſiniſtro pulmone fuerit, cauſam arbitror, quod maxima puris & vomicæ collectio erat retro iuxta ſpinam, vbi affixi ſunt pulmones: vnde facile affectus verſus dextram axillam communicari, doloremque aduehi potuit. *A Clariſſ. Viro Hieron. Fabro, Med. Bauarico primario nobis communicatum Anno 1594.*

OBSERVATIO.

Hydropis pulmonis deſcriptio & curatio plena, à Petro Salio exhibita.

PLVRIMA morborum genera pulmonem pati, nemo non aſſeuerat, de quibus praxim communiter docentes pertractant, vnus tamen ſupereſt, de quo ſolus Author *in libro de morbis.* Hippocratiaſcripto? (quo Auicenna, qui nihilominus poſtea huius affectus prætermiſit curationem, tranſcripſit) egit, qui licet rariſſime accidat, vt mihi, quiper plures annos artem hanc exercens, tot ægrotantes curauerim, bis tantum ſe obtulerit, à me tamen de eo etiam hic agendum eſt, cum & hic peririam Medici ſubterfugere non debeat. Morbus hic ab authore citati libri pulmonis hyderos ſeu hydrops appellatur, quoniam ſicuti in hydrope in imo ventre, ita in hoc affectu intra cauitates thoracis & pulmonis colligitur materia aquoſa & ichoroſa, quæ materia, quantitate abundans, & grauitatem copia, & difficultatem anhelitus obſtruendo, & tuſſim, ad excretionem proritando, excitat, nihil tamen expuitur, quoniam materia adeo eſt tenuis, vt à ſpiritu facile diſrupta, ad partes ſuperiores nequaquam attolli poſſit. Materia hæc, quoniam aquoſa eſt & ichoroſa, nullam admittit coctionem; quare nec fomentis, nec vnctionibus, nec perfuſionibus, nec alterius generis medicamento cedit, nec etiam diuturnitate temporis, cum moram longiorem traxerit in thorace, vel incraſſatur, vel in pus conuertitur, ſicuti in deſtillationibus contingit, ad ipſum thoracem decumbentibus, quæ, vt docebat *Hippocrates libro ſeptimo Aphoriſmorum, Aphoriſm.* 38. viginti diebus ſuppurare conſueuere, non deſcendit materia hæc à cerebro, nec per deſtillationem ab eo fluentem in thorace colligitur, ſed vbi congeſti fuerint Seroſi & ichoroſi humores in corpore, in eoque abundauerint, ſi pulmo imbecillitatem vel ab ortu conceperit, vel noua occaſione contraxerit, pronuſque ad fluxiones recipiendas, ob intempeperiem propriam, & præcipue frigidam, fuerit, ad eum ſuperabundantes aquoſi humores tranſmittuntur, qui replentes totius thoracis & pulmonis cauitates, poſtea morbum hunc generant. Humores hi tenues & ichoroſi aggregantur in his, quibus partes naturales frigida intemperie laborant, viſceraque vel obſtructa, vel ſcyrrhoſa ſint, & præcipue ſi otioſe, & in locis humidis, vel frigidis, & ſub cœlo conſimili viuentes, potui indulgeant, cibariiſque humidioribus largius vtantur. His oculi palpebra inferior, pedumque extremitates ſolent ſubtumeſcere, calorque faciei non viuidus, ſed ad pallorem tendens, conſpicitur: in his autem cum congeſti fuerint hi aquoſi humores, tranſmittuntur aliquando ad cauitatem thoracis, & ad pulmonem ipſum, indeque morbum, de quo nunc agimus, introducunt: qui morbus aliquando ſponte ſolui videtur erumpente ad aluum hac materia, recludente ſibi natura cœca & deliteſcentia ſpiracula, & abſconditas vias, ad hanc excretionem tamen poſtea iterum noua regenerata & aggregata materia, ad ipſumque thoracem & pulmonem denuo tranſmiſſa, cum iiſdem ſymptomatibus & deterioribus redit, vtpote qui magis ſuccumbentes, & debilitata natura, cuius ratione copioſiores regignuntur hi aquoſi ſucci, regrediatur. Vnde in his poſtea manifeſte & facies, & ſcrotum, & venter intumeſcit, non tantum in thoracem, ſed etiam in omnes has partes, effuſo, qui regeneratus ſuperabundat, aquoſo humore. Hæc de de eſſentia & cauſis præſentis morbi ſufficiunt. Signa hæc erunt, grauitas thoracis ob materiæ copiam, tuſſis ſicca, non potente natura nec materiam concoquere, nec eam ob ipſius tenuitatem extra ducere, difficultas anhelitus, qui frequens admodum & paruus erat, ob vias ſpiritus à plurima materia detentas, & propter diaphragma ab eadem compreſſum, & grauatum, ita vt hinc ægri ſuffocari con-

tinue fere videantur, & quietem raro inueniant, ſonitus in thorace obſtrepens ebullienti materiæ ſimilis, ab eadem cauſa deueniens, tumor pedum & palpebrarum huic connectitur non tanquam proprium huius morbi ſignum, ſed tanquam indicium abundantiæ aquoſi humoris. Febris additur ab authore libri de morbis, attamen in his, quos ego curaui, nec fuit febris, nec ratione materiæ, quæ frigida eſt, & non putreſcit, adeſſe debet. Porro verum eſt, quod aliquando ob diuturnam moram in thorace tractam hæc materia, ſicuti quæ in abdomine ex Hydrope collecta, diu ibi retenta, ſalſa & acris euadit, nonnullam acquirit acrimoniam, vt optime hic author adnotauit, extrinſecus latus acetum olet, cuiuſque ratione credo eam ſibi viam recludere, & parare, ad aluumque erumpere, credoque eandem tunc aliquam poſſe ex quadam leui acceſſione cauſare febrientem, tamen nunquam poteſt ratione materiæ dari, vt neceſſario febrem introducat, vtque febris ſit huius morbi proprium ſignum. Cuius morbi curationem author hic per ſectionem thoracis tentandam eſſe docet, quam tamen ego nec in his, quos curandos ſuſcepi, facere auſus ſum, nec etiam in aliis faciendam eſſe laudo, cum enim huius morbi ſanatio non tantum materiæ præſentis, pulmonemque obſtruentis, & repletis, remotionem, ſed etiam eiuſdem regenerationis prohibitionem indicet, cumque ſectio primæ tantum indicationi, non ſecundæ ſatisfacere poſſit, ſufficiens huius morbi remedium eſſe non poterit, quam eo magis excludendam eſſe affirmo, quo idem quod ſectione tentandum eſt, & poſſumus tutiori via efficere exhibendo ea medicamenta, quæ hanc materiam educere poſſint. Excluſa autem ſectione iſta, hanc ego curandi methodum & rationem propono. Materia aquoſa pulmonem replens & obſtruens indicat ſui euacuationem, & quoniam in ipſo thorace non gignitur, ſed aliunde tranſmittitur, indicatur, vt eiuſdem generatio prohibeatur, ſi quid vero huius genitum fuerit, educatur, & alio diuertatur. An his indicationibus poſſit Medicus ſatisfacere, vel non, dixerim ego difficillimum eſſe; quoniam corpora hæc, in quibus tales gignuntur morbi, huiuſcemodique aquoſi aggregantur humores, imbecillum calorem natiuum habent, virtuteſque naturales ſatis languidas, & viſcera admodum læſa poſſident, quarum omnium cauſarum ratione vix præſeruari poſſunt, quin non tantum in præſentem, ſed etiam in deteriorem incidant morbum, nam omnes hi in hydropem procliues ſunt, in quam tandem illos delapſuros eſſe credo, ſicuti eos vidi, quos curandos ſuſcepi, quos licet ab hoc thoracis affectu, per quædam interualla educta materia peccante, liberauerim, & per menſes & annos eos, maximo tamen cum labore, præſeruauerim, tamē tandem in hydropem lapſi ſunt, ex eaque extinctos fuiſſe animaduerti. Vt autem patientes à præſenti morbo vindicemus, pro prima intentione veniant nobis in vſum ea medicamenta, quæ aquoſos humores euacuare poſſint: qui aquoſi humores, cum tenues ſint euacuationique ſatis habiles, nullam requirunt coctionem, ſola autem viarum præparatione, ne moleſta fiat euacuatio, indigent, quare viæ communes primo expurgandæ erunt, fluidumque corpus reddi debet. Poſtea medicamentum aque-ſam materiam educens exhibeatur. Plura hæc ſunt, tamen duo tantum proponam, quæ mihi in fœliciſſimo vſu ſunt, alterum eſt elaterium, alterum eſt ſuccus radicum ſambuci: hic ad vnciam vnam & ſemis, vel circa, illud ad quatuor grana ad ſummum; ſi recte paratum fuerit exhibitum, poteſt hāc materiam ſeroſam educere, quæ tamen repetenda erunt, quoniam vnica euacuatione, vniuerſam materiam educere non potuerunt. Educta materia peccante, attendendum eſt cauſæ generationis materiæ: quæ cauſa, quoniam eſt viſcerum vel intemperies, vel obſtructio, vel ſcyrrus, per propria medicamenta vnicuiq; incumbatur, quod ſi hæc omnino tolli non poſſint, indeque neceſſario ſemper aliqua ſeroſi humoris quantitas regeneratur, vltra euacuationem faciendam per medicamenta propria, fiant cauteria in brachiis vel cruribus, quibus continuo regenita materia educatur, ſimulque in thorace reuellatur. Summa interim habeatur victus ratio, cuius merito, cum opportuna non ſeruetur, ſæpe maxima adaugetur hæc humorum ſeroſa aquoſitas. Vnde hi parce viuant, cibariis vtātur exſiccantibus, merum, & in minima quantitate bibant, quantum poſſint, non tamen vltra vires, exerceantur, loca ab omni humilitate immunia habitent, in aereque ſicciori omnia his oppoſita vitantes degant. *Petr. Salius cap. 5. pag. 242.*

DE ASTHMATE.

Et Primvm,

DE SPECIEBVS ASTHMATIS RARIS.

Observatio.

Aſthmatis admiranda ſpecies.

ASthmatis ſpecies quædam raro eueniens, interdum obſeruata, cuius cauſa in craſſos humores & viſcoſos, aſperas arterias, vel pulmonis cauitates occupātes, minime reiicienda; ſed aliam thoracis partem. Refert *Holler. de morb. internis libro ſecundo, capite vigeſimo tertio.* Anno 1549. quendam breui aſthmate periiſſe, & corpore diſſecto, abſceſſum repertum in vena arterioſa, & ſine pari, integris omnino pulmonibus. Meminit *Nicolus* Aſthmatis mirabilis periodici, *Sermo. 4 Tract. 2. capite vigeſimo quinto*, quod Nicolao de Podio omni ſeptimana ſemel tantum, & in die Veneris ſuperueniebat, cuius cauſam, etſi ipſe haud referat, nos reiiciendam putamus in humoris collectionem, quæ paulatim non niſi per ſeptimanam colligebatur, vel eiuſdem craſſitiem, ita, vt natura illius expulſionem, niſi per iam dictum temporis interuallum, aggredi nequiret. Non ſolum autem ex abſceſſu pulmonis, ſed & alterius præter naturam corporis in ipſo retenti, ſuperuenire poſſe aſthma cenſendum. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 3. c. 12.*

CAVSA.

Observatio.

Aſthmatis cauſam non ſemper in pulmonum cauitatibus conſiſtere.

Cauſam

CAVSAM huius ſymptomatis, ſiue morbum ipſum non ſemper in fiſtulis aut cauitatib⁹ pulmonum conſiſtere, experientia conſtat. Anno 1549. Menſe Septembri, quidam in Collegio d' Arras, breui aſthmate interiit. Corpore diſſecto, abſceſſus repertus eſt in vena arterioſa, & ſine pari, integris omnino pulmonibus. In quodam nomine Britio, aſthmate mortuo, in via Calendæ, pulmo tanquam ſpongia imbutus multo humore pituitoſo inuentus eſt. Fit & à reſiccatione, vt aurificibus, chymiſtis, fabris ferrariis, & ſimilibus. Quibus addi poſſunt inunctiones & remedia à morbo gallico. *Raſes libro quarto*, continentis, adiecit pectus ſtrictum, & paruum pulmonem. Qui naturalem conſtitutionem habet, iugiter (inquit) fit aſthmaticus. *Hippocrat. vero Aphoriſm. 49. libro ſexto*, fieri ſignificat aliquando à tuberculo nato in ſpina, vt in gibbis. Quod ſi magnum eſt, & durum, ſiue crudum, aſthma facit, ſi non ita durum, & aliquid deſudat in arteriam, tuſſim. Aliquando etiam ſuppuratur & interimit. Si fuerit in collo, aſperam arteriam contrahit: in dorſo, pulmonem & vicina corpora: ſub ſepto, renes & lumbos: vrinam quoque intercipit. Huiuſmodi tuberculorum materia poteſt cieri è cerebro in ſpinam per tuſſim. Vel cauſæ ſunt, ictus, caſus, non conueniens decubitus pueris, inconcinna deligatio, geſtus deformis. Moriuntur fere ſuffocati pure, vel, cum adoleſcunt, ad incrementum cordis & pulmonis non accreſcente thorace, iugulantur. Philotheus ab influente ſanguine, ſed contra rationem fieri ſcribit. Sunt igitur in vniuerſum aſthmatis cauſæ, craſſus humor, vel tuberculum in cauitatibus aſperæ arteriæ: bronchia intercepta multa & viſcida materia: reſiccatio vehemens: abſceſſus: ſtrictura pectoris, & pulmonis compreſſio: tubercula in ſpina, ſiue ſponte enata, ſiue à cauſa externa: flatus multi ſeptum tranſuerſum diſtendentes, ex quibus ſequitur viis interclusis, neque expirationem neque inſpirationem ſatis conuenientem fieri. Periculum autem maximum imminet, cum omnes muſculi intercoſtales, ſuperiores ſcapulæ, & omoplatæ trahuntur, virium imbecilliras, vehemens calor, anguſtia partium ſpiritalium conſpicitur. Vbi omnes aut plures concurrunt, æger morti proximus eſt: vbi duæ, non facile ſeruari poteſt. *Scholiographi ad c. 25. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

Dubitatur de vehementiſſimo aſthmate, quo prehenduntur laborantes ex vtero. Non enim humor aliquis in pulmonem incidit: tuſſiunt tuſſi leui, & nihil expuunt, & ſic ſedatur ſymptoma. Alii quoque ſunt, quos noui, qui ex pulueribus quibuſdam quaſi præfocantur. Et quoſdam noui, qui plumæ odore, ſtatim aſthma incidebant, non ergo ſemper ex humore. Sed nec generatim verum eſt, quod ex humore craſſo & viſcido. Sæpe enim vidimus à tenui deſtillatione fieri: & ratio dictat, quoniam omnia corpora quæ replent, ſpiritum impedire poſſunt. Sic fieri dixeris & his, qui metallica tractant, q etiam aliquando præfocantur, vt Galenus in Cypro accidere dicit circa chalcanti venas: ſic & carbonum fumus præfocat, *Iacchinus Com. in lib. 9. Raſis c. 35.*

OBSERVATIO.

Aſthma lethale, virulentia inunctionis hydrargyricæ contractum.

STrenuus Nobilis Caſparus à Sebottendorff, per plurimos annos fere ſemper decubuit, ſtatis horis omni carens ſpirandi facultate, nec vlla ratione conualeſcere potuit, licet innumeris vſus eſſet medicamentis: ſed tandem fato conceſſit. Viuus autem ſæpius me interpellauit, vt poſt mortem ſuam non grauarer, mali cauſam, inciſione facta, perſcrutari: idem placuit honeſtæ familiæ eius. Aggreſſus igitur cum huius oppidi barbitonſore quodã opus, inueni peritonæum & omentum ſatis putridũ; ventriculum pene inanem, omni chylo deſtitutum, nec vllam aliam humoroſam in ſe continentem materiam, & conſequenter occluſum quaſi, ac paruum, inteſtina nullo repleta excremento; hepar corruptũ, maxime in illa parte, vbi à coſtis tegitur. Splen in ſiniſtro latere ſuis ligamentis fuit ſolutus, duplicatus quaſi, ac ex omni parte ſemiputridus. Inciſo vel aperto diaphragmate, dum perueni ad pulmonem, cum magna aſtantium admiratione, maſſam admodum induratam, coadnatam eſſentiæ pulmonis, & ingenti copia lapillorum refertam, plenis manibus extraxi. Pulmoni adeo adnati fuerunt ſui lobi, vt nullum illi motum communicare potuerint. Tracheæ arteriæ & gulæ, tantum adipis (à pinguiſſimis haud dubie carnibus, ſæpiuſcule ingeſtis contracti) indurati adhæſit, vt non modo beneficium ſpirandi & reſpirandi, crebro deſiderauerit, ſed paucos quoque dies ante obitum aſſumere cibum nequiuerit, ſolo potu ſuſtentatus. Et facile credo, ſi diutius ſuperuixiſſet, illum inedia periturum fuiſſe. Cæterum externam & euidentem huius morbi cauſam, aliquoties mihi adhuc viuens, talem retulit: Italiam ingreſſus, Venetis contra Turcam militantibus opem præſtitit, vbi cum variis nationibus conuerſando, poſt victoriam rurſum in Auſtriam venit, cumque ibi aliqua ex parte ægrotare incœpiſſet, ad ſe adduci iuſſit, nihil quippiam mali ſuſpicans, imperitum ac inexercitatum chirurgum, qui poſt primum ſtatim intuitum audacter aſſeuerauerat, illum infectum eſſe morbo ſatis periculoſo, quo tamen per totum vitæ ſpacium haud quaquam laborauerat. Præparauit itaque ei vnguentum ex argento viuo, nunquam ſecundum artem extincto. Adhibita inunctione, indies magis ac magis, propter efficaciam penetrationis & reſolutionis, quæ eſt in hydrargyro, peius ſeſe habuit, quemadmodum ſupra dictum, vſque ad extremum vitæ terminum. Cauſam ergo nullam aliam extitiſſe iudico, quam quod argentum viuum in ipſam eſſentiam pulmonis, propter raritatem ac viſcoſitatem eius, inſederit, ac in minutiſſimas poſtea diſſolutum partes, quantitate ſit adauctum. *M. Ioan. Faber. de Obſ. propriis, per CL. V. Laur. Scholtzium ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Aſthma in iuuentute grauius & intenſius: in increſcente vero ætate mitius animaduerſum.

LECTIO *cap. 20. hiſtoriæ Obſeruat. Dodonæi* in memoriam mihi reuocauit caſum Clariſſimi Viri D.D. Adolphi Occonis, communis noſtri, vt ex proximis intellexi literis, amici: qui plurimis annis grauiſſimo & difficilimo aſthmate laborauit, quod tamen non continue affligebat, ſed paroxyſmos habebat frequentes, eoſque valde moleſtos. Is progreſſu ætatis poſt quinquageſimum, ſubinde rarius & minus difficulter corripi ſolitus, tandem circiter ſexageſimum propemodum ex toto liberatus eſt:

Quod Auguſtæ ex ipſo in comitiis Anno 1582. audire me memini. Reuocauit & caſum magni in Germania Principis, non ita pridem defuncti. Qui cum ætatis Anno 18. frigidam liberalius per æſtum potaſſet, difficilimo mox aſthmate correptus eſt, quo itidem, vt D. D. Adolph. per interualla corripiebatur. Sed huius paroxyſmi, vt qui craſſo & obeſo corpore eſſet, longe etiam grauiores erant Occonianis. Sellæ in id paratæ, vt integros dies atque noctes ſedens: etiam dormire poſſet, ſæpe per biduum, ſæpe etiā vltra, ita rectus inſidere ſolebat, vt vere orthopnoicus dici poſſet. Liberatus eſt tamen à difficili hoc malo, ætatis annum circiter quadrageſimum, cuique plurimum profuerunt Badenſes thermæ, quibus ſemel atque iterum vſus eſſet. Poſt mortem tamen, dum corpus aperiretur, inuenti pulmones magna ex parte nigri, & putridi, non ſine pure, ea præſertim parte, qua dorſum attingebant. *CL.V. Oſvvaldus Gabelchoferus, ſuis ad me tranſmiſſis Obſeruationibus.*

Observatio.

Puer decimum ſeptimum menſem agens, aſthmate detentus.

Filiolum noſtrum Hieronymum aſthmate detentum perſentimus, quem dum audimus, paterna miſericordia commouemur, & referentes horreſcimus: adde præter ſonum, quem ingentiſſimum edit, non potens, niſi recta ceruice ſpirare, Orthopnœa nuncupatur, & qui hanc affectionem patiuntur, orthopnoici nominari ſolent, primi illi qui Dispnœam, id eſt, difficultatem anhelitus patiuntur, diu viuere ſolent. Aſthmatici vero & orthopnoici breui intereunt, quod ego meo ingenti dolore, in prænominato Hieronymo, decimum ſeptimum menſem nondum agente, & hoc morbo læuiſſime deprehenſo, experiar. *Braſauolus Comm. ad Aph. 22. lib. 3. Hipp.*

Metastasis.

Observatio.

Aſthma in anginam verſum.

Cvm in initio praxeos Medicæ meæ Erphordiæ, quæ Thuringiæ metropolis eſt, verſarer, curaui quendam raucedine diuturna & aſthmate difficili correptum, ligni Guaiacini decocto vtens. Is cum in fine curæ mediocrem vtriuſque affectus leuationem ſentiret, tandem repente angina periculoſiſſima, cuius tamen tumor exterius protrudebatur, affligitur. Cum itaque exterius emplaſtra reſoluentia adhiberem, & interea gargariſmis lenientibus affluxum diſcutere molirer, breui anginæ tumore diſcuſſo, æger tum à prioribus morbis, tum etiam à præſenti anginæ periculo liberatus eſt, non abſque multorum admiratione. *Iacobus Oethæus libr. Obſ. propriarum.*

Curatio,

Experimenta.

Observatio.

Ad Aſthma remedia aliquot rara, ſelecta, & comprobati vſus.

Evporistvm eſt, & Græcæ plebeculæ, hac etiam tempeſtate vſitatum remedium, ad pulmones infarctu bus à craſſis humoribus liberandos: quod ipſe alias ab Angelo Vergerio natione Græco, Regio nuper ſcriptore, viro omnis cultioris literaturæ protomyſtæ & mihi ſtudioſa neceſſitudine coniunctiſſimo, accepi. Animalcula Millepedæ & Aſelli Latinis, Gallis Cloportes appellata, quæ ſub aquariis vaſis ſtabulantur, panno lineo inuoluta, in vino albo macerantur, hinc facta expreſſio, potui datur. Dictu mirum, quam breui ſuburratos pulmones depleat. Id quod obſeruare licuit in Ludouico Iouin, ſcriba & bibliopola in ædibus Dn. Ioan. Lateranens: è regione collegii Triquetici: qui tamen inueterato tandem aſthmate contabuit.

Probatum eſt ad iuuandum aſthma, quantumuis magnum, tabellam vnam diatragacanthi, guttulis aliquot olei ſaluiæ, aniſi, aut roſmarini, arte chymica extracti, irrigatam, præſentaneum afferre adiumentum. *Anton. Valet. Exercit. 25. Ad cap. 25. lib. 1. Hollerii de morb. Intern.*

Primatem quendam, qui ſæpius aſthmate laborabat, Tubulorum ad aſthma vſu, plurimum vtilitatis conſequutum obſeruaui: ſimile commodum ante ex Tabaci fumo percipere ſolebat: propterea aio Tabaci ſuccum admixtum eſſe oportere: vtrum autem vtriuſque eſſe vſum, ipſa experientia in multis docet. Nonnullos ægros & Aſthmate vexatos ex India redeuntes obſeruaui, Tabaci folia viridia mandentes, & ſuccum inde promanantem ſorbentes, ad purulentas materias expellendas, qui licet inebriarentur, plurimam tamen vtilitatem ſenſiſſe apparebat, cum ad pus, tum ad pituitam, pectori inhærentem, propellendam. *Nicol. Monardes, de noui orbis medicam. ſimpli. lib. 3.*

Ponam experta, quorum primum eſt. Recipe florum violarum, radicis dulcis electę, ſummitatum lupulorum, aniſi, an. m. s. foliorum ſenæ orientalis vncias x. ficus numero iij. fiat decoctio ſecundum artem: cui addantur, ſacchari candidi vnciæ ij. inde coletur, & de hoc capiat vnc. ij. pro vice. Hoc eſt ſecretum, cum quo vidi curatum quendam nobilem virum à conſanguineo noſtro, ego tamen nondum expertus ſum.

Aliud auxilium noſtrum, ex ſucco ozimi & croco, poſitu *in 18. libro de ſubtilitate*, quantitas eſt ab vncia s. vſque ad vncias ij. ſucci & à ſcrup. s. vſque ad drach. s. Croci.

Aliud quoque quod expertus ſum in meipſo bis, & inueni valde bonum: dum Anno milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo primo, laborarem difficultate ſpirandi, cum magna tuſſi. Et eſt vt capias pulmonem vnum vulpis, & abluatur cum vino ſtatim, & ſiccetur in furno, abſque eo quod comburatur, inde ſumatur drachma s. ex illo puluerato ſubtiliſſime, cum vitello oui, duabus vel tribus vicibus.

Crocus eſt anima pulmonis, & eo ſolo multos liberaui

liberaui anheloſos, inter quos ſocrum Cæſaris de Comitibus, quæ tantam paſſa erat per duos menſes ſpirandi difficultatem, vt intra paucas horas moritura videretur, igitur præter crocum aut Zinziber, ſolet addi vel oleum, vel butyrum, aut anſeris pinguedo, ſimiliter acetum & porrum. *Cardanus in Conſ. de ſpirandi difficultate.*

Crocus adeo eſt thoracis affectibus amicus, vt ſint qui ad ſcrupulum s. atque etiam vnum, cum dimidio moſci grano, & vino optimo calido propinando, aſthmaticos curauerint. *Ioachim Camerarius in Horto de Croco.*

Croci chyliſmata ſpagyricæ exactioris paraſceues præcipuam aſthmaticis laudem contulerint. *Schenckii Filius.*

Nominatiſſimum prohinc medicamentum ad pulmonum affectus eſt Balſamum Terræ, vel Sulphuris. *Idem.*

DE DISPNOEA.

CAVSÆ. SYMTOMATA. CVRATIO.

OBSERVATIO.

Deambulatione vnica atque altera in conclaui, quidam ſibi ex eadem periculoſam Diſpnœam conciliare ſolitus.

QVIDAM vna deambulatione ſui conclauis, aut altera facta, ſtatim prehendebatur ſpirandi inſigni difficultate. *Ex Obſeruat. cuiuſdam, ad Camerarium datis.*

OBSERVATIO.

Flatus nonnunquam Diſpnœas difficillimas gignere.

PERSÆPE flatus, diaphragma potiſſimum comprimentes, diſpnœam faciunt grauiſſimam, quali opinor laborauit, poſtremis ſuæ vitæ annis, piæ recentiſque memoriæ, D. Antonius Saporta, humaniſſimus præceptor noſter. *Ioubertus capit. 6. de Affect. Thoracis.*

OBSERVATIO.

Spirandi difficultas, cum ſuffocationis periculo.

ACRE erat gelu, Ianuarius Menſis, noctis initium tempus, cum Nobilis Vir, aſſidens foco, Bacchoque indulgens, veſicæ onere præmeretur, qui foras progreſſus, inſpirato aere frigido, moxque reuerſus, adeo vehementi reſpirandi difficultate correptus, vt ſuffocatus propemodum fuerit, & niſi mox præſto fuiſſem, periiſſet. Hominem reperi pedibus ſuis vix inſiſtentem: frontem tenſam: ſudores frigidos: aluus præ anguſtia excrementa depoſuerat: pulſus tam exiguus, vt pene nullus. Aſſumpto pulueris Croci ſcrupulo vno, cum vini Cretici (vulgo Maluatici) duobus cochlearibus, ſubito reſtitutus, libere reſpirauit, ab omni ſuffocatione liber: & potuiſſet in ſanitate permanſiſſe, niſi pulmo male affectus fuiſſet: ſed cum aſperæ arteriæ ramuli ſubinde obſtruerentur, quandoque etiam reſpirandi difficultas recurrit, minus tamẽ quã primo tempore vehemens, ſed diuturnior, vt quandoque duabus, tribus, vel etiam pluribus horis perſeuraret: Crocus, qui initio multum ac cito profuerat, poſtea exiguum; deinde nihil amplius cõtulit. Tentata ſunt & alia plura remedia, ſed fruſtra: nam reuoluto menſe defunctus eſt. In huius pulmonis inferiore ſede ec baſi, qua ſepto tranſuerſo incumbit, reperti ſunt abſceſſus duo: vnus in dextra, alter in ſiniſtra parte: per meatus pulmonis purulentus ferebatur humor, qui, inciſo pulmone, ex ipſis profluebat. *Dodonæus Obſ. Med. c. 19.*

OBSERVATIO.

Difficultate ſpirandi mortuus, cui atra bilis & ſanguis nigrior in corde concreuerat.

MVLTOS difficultate ſpirandi laboraſſe cognouimus: ſed inter cæteros quendam, qui non niſi recta ceruice ſpiritum trahens, paulatim ex anguſtia, deficiente virtute, toto corpore pallidus ac liuens efficiebatur: nullus tamen in pectore, nullus in præcordiis dolor erat: ſed nec ſibilus aliquis ob anguſtias, per quas ſpiritus euadit, percipiebatur: ex quo iudicare poſſes, ægritudinem in pectore concipi. Verum cum paucos poſt dies inualeſcente morbo ipſo, & nullis conferentibus præſidiis, æger è vita migraſſet, incidere mortuum decernimus, vt huius mali abditas ac latentes cauſas deprehenderemus. Quod vbi factum eſt, inuenimus non parum atræ bilis, & ſanguinis nigrioris, in eius corde coiſſe: vnde etiam per venas diffuſus, non eſt mirum, ſi corrumpente eo ſpiritum ipſum, hominem ad feſtinam mortem deduxerit, quod etiam auctore Galeno, alias contigiſſe cognouimus. *Beniuenius cap. 61. de Abditis.*

OBSERVATIO.

Spirandi difficultatis curationes & euentus admirabiles atque rari: de raro præſertim Cardani ad futuram coronalem pro aqua à capite euacuanda remedio.

AD temporis ordinem reuertor, cum in multos, ſola ſpirandi difficultate laborantes, incidiſſem, omnes quidem ſanaui, ſed pauciſſimi permanſerunt in ea ſanitate, verum vbi reciderunt, mortui ſunt. Inter quos fuere Iacobus Zampana, & Prothaſius Roellus: hi cum primum ex eo morbo eo perueniſſent, vt iam pollinctores & funus pararentur, reuixerunt, & plene curati ſunt. Sed Prothaſius Roellus, cum feſſus & inflãmatus ab exercitio, in templo Diuo Laurentio dicato, diu quieuiſſet (eſt autem frigidiſſimum, etiam æſtate media) correptus à febre, non potuit à me liberari: ſed pulmonibus totis putrefactis, & per ſputum reiectis, periit breui. Zampana prandebat hora decima octaua, & cum bene perpotaret, ante veſperam cœnabat, cum tamen ſexageſimum exceſſiſſet annum, ob id denuo reuertente morbo, non potuit amplius curari. Oportebat ergo per annum huiuſmodi homines à morbis adeo ſæuis liberatos, victu conualeſcentium regere, & ſub arcta regula continere, tum maxime, quod ſenes eſſent. Indicio eſt, quod Eliſabetha Pagnana patricia, ex diuturna ſpirãdi difficultate, à me ſanata, nunquam recidit. Curaui autem illos, victu tenui, vſu mellis, & decocto ligni, cum his quæ cum

lenitate quadam ſiccant: veluti hyſſopo, thymoque: nec braſſicam in cibis abhorrerem. Clauenzanus autem adoleſcens, nomine Iacobus, qui iam per ſeptem annos ſpirandi difficultate laborabat, frequentibus & longis ſæuiſque acceſſionibus, deſperatus ab aliis Medicis, à me in duobus menſibus plene ſanatus eſt, factuſque pinguis: ſed alia ratione. Dropace enim Pauli ad coxendicum dolores, addito melle anacardi, ſuper impoſito futuræ coronali, vna die ferme libras duas aquæ detraxi, inde ſequentibus diebus idem actum eſt, ſed non tanta defluxit aqua: ſicque liberatus eſt. Exiſtimo cantharidas idem poſſe, quod anacardi mel & euphorbium etiam. Miſcebam etiam elaterii granum vnum vnciis tribus lactis, iubebamque tanquam errhino vti: & conduxit multum, atque hæc omnia, prius præpurgato corpore, cum catapotiis: ſiccatoque victu tenui, ſed humido tamen, parumq; alente, tum decocto Indici ligni pro potu exhibito. Periit hic iuuenis aliquot poſt annis, licet ab eo morbo prorſus liber, ex acuta febre. Exiſtimo eum indiguiſſe victus ratione certa, & exercitatione diuturna in libero aere: quod cerebrum ab immodica intemperie liberatum, non bene ferret tantam mutationem: tum maxime, quod (vt dixi) iam diu ea detentus fuerat. Qua etiam ex cauſa Octauian. Robia, à ſenatus libellis, ab Indica lue ad mortem oppreſſus, cum ſumnis vigiliis, & tabe vltima maceratus, à cibis abhorrens, & febre putrida laborans, quamuis ſemel liberatus, quod à liberatione, immodice ſe fructib⁹ horariis repleuiſſet, quamuis ob iuuentutem non perierit, diu tamen conflictatus eſt: & recidit in eoſdem fere morbos, licet non adeo ſæuos. Alii vero qui à lue Indica à me liberati ſunt, ſine numero ſunt, & quotquot pene voluerunt liberari: quod illos diligentius monuiſſem, in ſanitate recuperata permanſerunt. *Cardanus De Curat. Admirand. n.* 13.

De remedio Cardani raro ſincipiti imponendo vide illuſtrẽ *Cardani* locum, *conſilio pro R. Archiepiſcopo, &c. conſcripto, lib. artis paruæ, pag.* 360. Poſt hæc *Varronem Tigurinum in epiſtolis, p.* 86. *verſa facie, ad Coſmam Holtzachium*. Plura è *tomis noſtris Exotericorum experimentorum vltimæ editionis recognitiſſimæ. Schenckius Filius.*

DE ORTHOPNOEA.

Observatio.

De Orthopnœa, acceſſionibus quibuſdam inuadente; hiſtoria.

ORthopnœa de qua ſcribimus, exacerbationes ſiue acceſſiones quaſdam habuit, quæ ſubinde ſingulis menſibus; quandoque rarius, & bis aut ter in anno inuadebant: & per humidam frequentius, quam per ſiccam aeris conſtitutionem. Qui laborabat, 36. (plus minus) ætatis annum agebat, cum hac corriperetur. In ipſis acceſſionibus admodum difficilis fuit reſpiratio: ſtabat toto tempore, menſæ aut tabulæ alicui manibus innitens: efferebatur ac profluebat ex ore humor lentus viſciduſque: cibum vix, potum ægre admittere potuit: ſæpe toto acceſſionis tempore ſtans, abſq; cibo & potu complures horas tranſigebat. Poſteaquam autem acceſſio conquieuiſſet, libere quidem reſpirare potuit, & quocunque libuit abire: quatuor aut quinque milliaria quandoque vno die pedes perfecit, ſed decumbere non valuit. Quotieſcunque enim iacere conabatur, mox omnia circa reſpirationem moleſta. Noctu ſedendum erat in ſedili aliquo, nec aliter ſomnum capere aut conquieſcere integrum erat. Agarico purgatus, viſus eſt melius habere, ſed ad exiguũ tempus. Profuit etiam ſubinde Diacyminum & Dioſpoliticon: verum nec ab iis, niſi pauco tempore, præſidium ſenſit. Vbi autem conſenuiſſet, ſponte & abſque vllis remediis à moleſta Orthopnœa liberatus hic eſt. Ceſſantibus multo tempore exacerbationibus, tamen periculum iacendi fecit: quod cum citra incommodum ſuccederet, relicto ſedili, in lecto per noctem decubuit.

Simili Orthopnœa & mercator quidam correptus, etiamnum iuuenis fuit. Nullum hic remedii genus intentatum reliquit: ſanguinis detractionem ſæpe admiſit: frequenter purgatus: aquam fontis in agro Leodinenſi bibit, ſed nullo ſuccedente fructu. Tandem calculi in renibus doloribus, ac podagra correptus, ab orthopnœa liber factus, decumbere potuit, qui antea quoque aliquot non paucis annis, in ſedili ſomnum capere debuerat. *Dodonæus Obſeru. Med. cap.* 20.

DE TVSSI.

Observatio.

Tuſſis noua Lutetia quinta dicta, pueros cumprimis infeſtans, eiuſque cauſa & curandi ratio.

TVssis, ſymptoma facult. animalis, propter motum voluntarium & coactum, quæ ſumit initium à naturali facultate expultrice reſpiratoriorum inſtrumentorũ, quæ vbi aliquid quantitate aut qualitate moleſtum perſentiſcit, id depellere conatur, quod cum non poſſit, animalem facultatem in ſubſidium conuocat, vt ea tuſſis materia, inſtrumenta reſpirationis infeſtans, explodatur, quomodo in ſternutamento ventres cerebri anteriores & nares repurgantur. A ſolutione continui partium thoracis tuſſis fit humida, cũ ſanguinis reiectione, ab intemperie vero ſola harum partium, tuſſis moleſtiſſima, in puerulis ſanatu difficilis, quam ob id Lutetiæ vocãt quintã, quod quemadmodum quinta eſſentia erutu difficilis eſt, ſic & hæc tuſſis ſanatu difficilima eſt. Ea autem fit ventriculi ore obſeſſo, & multa pituita grauato. Docuit me Illuſtris mulier, multos pueros ea tuſſi grauiter conflictatos, iuſculo ſequenti cõualuiſſe, Gallus viuus virgis cæditur, mortuus & exenteratus impletur iuiubis paſſulis, vngula caballina, hyſſopo, & dactylis, coquitur donec coctione cõtabuerit, præmitur, ius reconditur, eo vtendum mane, cum iuſculo braſſicarum ante ortum ſolis lectarum, inquit Arculanus, ſi deſit ius galli, miſcebitur decocto braſſicarum Zaccharum candi. Matthæus de Gradi præſcribit diacodion, hora ſomni, cum decoctione plantaginis: eo ſiſtitur deſtillatio, & ſedatur tuſſis. Exhibui ego fœliciter hora ſomni ſyrup. ſequentem. Recipe caput dimidium papaueris, dactylos duos, lactucæ, vngulæ caballinæ an. p. 1. ficus, numero ij. pro vna

& altera doſi, in qua diſſolue ſyr. Violacei vnciam vnam ſemis fiat potus. *Iacobus Douinetus Apolog. libr. 3. cap. 2.*

Observatio.

Moleſta tuſsis, ſola ſanguinis miſsione curata.

MOleſta tuſſi afficiebatur puella quędam 15. agens annum: quæ tametſi per ſe grauis & formidabilis eſſet, eo tamen ſeſe Medico formidabiliorem reddebat, quod vna ſæpius cum ea ſanguinem expuerat puella. Quamobrem cum Medici ipſi, quibus cura demandata erat, & hanc paulatim tabe conſumptam iri, & nullis ſe poſſe auxiliis huic malo ſuccurrere viderent, eam tandem Deo & naturæ dimittunt. Verum pater (vt eſt amor) ne quid omnino intentatum relinqueret, me aduocat, puellam oſtendit, & quæ hactenus facta ſunt, plurimo ſermone enarrat. At ego ſputum primo colligi iubeo, quod vbi nullum pus ſubſequi, & ſanguinem ipſum minime etiam purulentum inſpicerem, cœpi mecum cogitare, quænam huius vitii cauſa eſſet, & an ſanguis ipſe ex ore vel ex gingiuis, aut forte ex naribus efferreretur: ſed cum ex his locis abſque vlla profluat tuſſi. aliunde eum emanare arbitratus ſum. Quæro igitur ſi is ex gutture, aut ex arteriis vlceratis, vel ex pulmone potius, ſiue ex pectore, aut forte ex iecinore, prorumperet: ſed cum nulla eſſent certa indicia, puellam interrogo, an menſes illi profluant, (ſolent enim fœminæ, quibus ſanguis per menſtrua non reſpondet, ſæpe eum aut cum tuſſi expuere, aut vomitione propellere) ſed negante illa, ſanguinem mittendum cenſeo, ex venis quæ ſub talo ſunt: idque ſingulis menſibus faciendum, donec iſto, atque item aliis auxiliis, quæ ſanguinem promouere conſueuerunt, & menſes ipſi rite profluere cœperunt, & puella, quæ iam macie & tabe confecta videretur, ſex tantum menſium ſpatio, vires & corpus reſumens, ad priſtinam, adiuuante Deo, reuerſa eſt ſanitatem. *Beniuenius c. 60. de abditis.*

Observatio.

Tuſsis vniuerſalis Romæ ſæuientis, curatio.

TVſſis vniuerſalis Romæ erat & multi moriebantur. Quidam Medicus ſe & multos alios hoc medicamento curabat. Recip. Iuiub. num. 25. ficuum num. 10. paſſul. magn. ping. vnc. 15. liq. raſam drach. 3. rad. farfaræ Mj. aq. communis bocal. iij. bul. ad dimidium. Capiat omni mane cyathum j. & item hora ſomni. Abſtinebat à vino & vſu carnium. Vtebantur pane decocto paſſulis & butyro, aut butyro, pane & ſacch. aut pane decocto cum lacte & zaccharo. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

Observatio.

Tuſsis octodecim annorum, cum ſputo ex vlcere ſanioſo & cruento, percurata.

CVraui quendam dominum in Bononia qui vocabatur Bondedeus, de tuſſi cum vlcere & abſque febre, à quo vlcere emanabat vel ſanguis, vel ſanies continue cum tuſſi, verum tamen ſaniem raro & parum in quantitate: & ſuſtinuerat hanc paſſionem per 18. annos, vt dicebat, & iudicatus erat phthiſicus per omnes Medicos, & accepit vxorem his temporibus, & habuit filios & filias ex ea, & ego vidi eos. nam ſi fuiſſet phthiſicus, mortuus fuiſſet ante annum ſolummodo ex coitu, & præter hoc quia febris conſumpſiſſet eum ante tempus hoc, & deſtruxiſſet omnes virtutes naturales in breui tempore. Rexi eum, poſtquam ſuam infirmitatem cognoui, ſolum cum electuario: quod ſic fit. Recipe trochiſcos ſtellæ x11, Zuccari roſati veteris, libr. 1. & miſcebam ſimul, recipiebat omni mane, & ſero, de iſto electuario vnciam vnam, & bibebat poſt illud vncias quatuor aquæ frigidæ: & cum hoc regebam ipſum, cum bona diæta nutribili, & vino rubeo limphato, & curatus fuit perfecte, in vno anno, ſolum per iſtam viam abſque alia medicina omnino: verum eſt quoniam venter eius nimis exiccabatur, quia ſoluebam ipſum per mannam & reubarbaro, diſſolutis cum vnciis quatuor aquę feruentis decoctionis prunorum, & poſtea colabam, & dabam colaturam hanc ante diem. *Guliel. Placentinus pract. cap. 86.*

Observatio.

Fabarum eſu, pertinaci tuſsi, præter ſpem, liberatus quidam.

VIllicus fuit, tuſſi vehementiſſima corripi aliquandiu iam ſolitus: is dum integrę ita elixæ, oleoq; tantum & ſale conditæ fabę catinum, qui meſſorib. tribus erat appoſitus, quartus ipſe accedens, ſolus prope vniuerſum euacuaſſet: veſperi toto inferiore ventre ſic intumuit, vt diſrumpi medius velle videretur, vnaq; quam vnquam antea acrior inuaſit tuſſis, ceu impetus quidam, quo vniuerſum corpus agitatum, quateretur, donec vomitus quoq; acceſſit. Ibi vero tuſſis vna vomitioniſq; eius vehementia ingens pituitoſæ materiæ vis reiecta: poſtquam nullam amplius ille ſenſerit tuſſim, qua tantopere prius affligebatur. Id nos tunc coniectauimus, inſigni quadam edulii illius abſtergendi vi factum merito fuiſſe, veriſſimumq; ideo eſſe de hac Galeni dictum reperiatur, ἀναπτύσει μέντοι τοῖς ἐκθωρακόσι καὶ πνεύμονος ἐπιτηδείους, educendæ de pulmonib. per ſputū materiæ aptam eſſe, tametſi frequens hic, ad rem eam, commendari illius vſus videtur: ſemelque id tantum factum à villico fuerit: ideoque ratione inſuper alia quadam, quippe excuſſa, violent tuſſis commotione, illa materia, quam fabæ prius vſus deterſiſſet, id conſecutus videri poſſit. *Iul. Alexandrinus lib. 8. cap. 7. Salubr.*

Observatio.

Tuſsi diuturna vexatus, tuſsilaginis vſu liberatus.

QVidam erat qui tuſſi longa vexabatur. Nicolaum Leonicenum petiit, & qua re pro ſedanda tuſſi vteretur, interrogauit, reſpondit, Tuſſilagine vtaris. Hic tuſſilaginem edere cœpit, & per multos dies perſeuerauit, denique cum eadem met ipſa tuſſi ad Leonicenum rediit, inquiens, tuſſilaginem nihil auxilii attuliſſe: tunc Leonicenus interrogauit, quomodo illa vſus eſſet, hic reſpondit, in cibo. At, inquit Leonicenus, id non erat agendum, ſed fumus per infundibulum erat per os recipiendus, nam Dioſcorides de tuſſilaginis foliis dicit, ſanant eadem ſicca mox incenſa ſiccas tuſſes, & in ſpiritus difficultate, non niſi recta ceruice ſpirantes, in quem vſum aperto ore, exceptoq; & hauſto fumo, infumari oportet. Is vir iſtud fecit, & primo

hauſtu,tantam fumi copiam hauſit,vt in terram decideret,veluti ſuffocatus,(quippe opus eſt paulatim fumum illum atttrahere) domeſticæ illius mulieres illum fricare cœperunt, vt deniq; reuiuiſceret,& ex illo ſolum fumi hauſtu, à tuſſi liber fuit. *Braſauolus comment.ad lib.4.Hipp.de rat.victus in morb.acutis.*

OBSERVATIO.

Pernicioſa tuſſis theriaca noua coercita.

OLim inuiſi quandam mulierem, pernicioſa tuſſi fatigatam, adeo vt nec interdiu, nec noctu ſomnum admitteret. Huic poſtquàm omnium Medicorum ſuorum, medelas fruſtra tentaſſet, Theriacam nouam propinaui, ac mox fugata tuſſi, redintegrata fuit. *Heurnius de morb.capitis,c.29.pag.333.*

DE HÆMOPTYSI, ET SANGVINIS SPVItione.

CAVSSÆ.

OBSERVATIO.

Sanguinis ſputum hirudinis hauſtu contractum.

EX ſpiritualibus inſtrumẽtis nihil ſine tuſſi expui poteſt. Quod ſi pluribus deinceps diebus aliquis cruorem excreauerit & emunxerit: idque citra capitis vel dolorem vel grauitatem, ſiue præſentem, ſiue præteritam, neque is ex ictu procedat, huius & totum per nares meatum, atque eam oris partem, qua ad naris foramen tendit, acurate conſiderare oportet. Nam fieri poteſt huiuſmodi accidens, hirudine huic loco adhærente, quæ quidem indies augeri ſolet: quamuis enim primis diebus, vtpote exigua, ſenſum effugiat, tertio tamen quartove die, haud obſcure videri poteſt. Eadem ratione ex ventriculo quoque cruor, epota ſanguiſuga, euomitur:ſed eſt huiuſmodi cruor tenuis, ſanieique ſpeciem refert, ſiue is ex ventriculo, ſiue naribus, ſiue ex ore feratur. Igitur cum talem videris, ac hominis conſiderato habitu, ſuper præteritis eum interrogaueris, ex omnibus reipſius veritatem facile conijcies: Equidem cùm viderem hominem integra valetudine, interrogaui, qua victus ratione antea fuiſſet vſus: ille vero inter alia quæ narrauit, hoc quoque addidit, quod cum nocte quadam ſitiret, miſſo puero, qui aquam afferret, ex immundo fonte bibiſſet. Quibus auditis ſciſcitatus ſum, apparuiſſent ne aliquando ſanguiſugæ in fonte, qui cum id quoque fateretur, epoto ſubinde idoneo pharmaco, hirudinem vomitione reiecit: Porro, cùm alius quiſpiam huiuſmodi cruorem emungeret & expueret: ipſo narrante audiui, eum rure æſtatis tempore in ſtagno quodam, cum cæteris iuuenibus, iuuenili ludo, qualem adoleſcentes in aqua ludere ſolent, exercitatum: tum ego ſciens in eo ſtagno ſanguiſugas eſſe, duxi laborantem ad ſplendorem, conuerſoque directe ad ſolis radios narium foramine, in eo meatu vbi naſus ad oris regionem perforatur, hirudinis in meatu latentis caudam conſpexi. Has igitur hiſtorias, vobis narrare operæ pretium duxi. *Galen.lib.4.c.6.de loc.affect.*

OBSERVATIO.

Adoleſcens, refrigeratis vitalibus, tuſſim contraxit, quam ſanguinis ad dimidiam heminam ſputio inſecuta, & curata.

ADoleſcenti cuidam, ex refrigeratis ſpiritus inſtrumentis, orta tuſſis fuerat, cum ſanguinem ad dimidiam heminam reieciſſet, ſtatim venam incidi, ac bis eodem die ex ea ſanguinem detraxi: deinde rurſus proſtridie bis, ſed artuum frictione & vinctura priore die vſus, ad veſperam dedi pharmacum noſtrum, quod diaſpermaton dicitur. Secundo die poſt alteram detractionem impoſui toti pectori ceratum quod ex thapſia conficitur, mox veſperi, ne ſupra modum calefaceret, id auferens. Tertio die rurſus ad tres horas impoſito, hominem laui. Cibaui autem ſimiliter tribus his diebus: prioribus quidem duobus, ſorbitiunculis, tertio vero, ptiſanæ primum cremore, deinde piſce ſtatim aliquo, qui & facilis concoctu eſſet, & ſimplici ratione præparatus, adiecto. Dedi quoque medicamentum diaſpermaton & ſecundo & tertio die ſimiliter ad veſperam, quippe quod & ſomnum conciliat, & ſenſum doloris eleuat, & ſiccandi vim habet. Tum vero cum & ſpiritui delegatæ partes in naturali temperamento eſſent, & totum corpus vacuatum, ac nulla phlegmones ſuſpicio circa ruptum vas ſupereſſet, expurgare cœpimus. Mox bibito medicamento, quod viperas habet, ætatis iam vigentis, ad Tabias dimiſi. Sic ego omnes, qui primo ſe die mihi curandos permiſerunt, ſanaui. *Galen.loco citato.*

OBSERVATIO.

Ex Fratricidio in mœrorem actus, cruentum excreauit.

ARiſtobulus, perempto fratre, adeo perculſus mœrore fuit, vt ſputum reiiceret, mero dilutum ſanguine. *Salamon Albertus in oratione de ſudore cruento.*

OBSERVATIO.

Duæ ſanguinis heminæ, ex accepta plaga, per tuſſim reiectæ.

CVidam in paleſtra, accepta graui plaga, duę heminæ ſanguinis, ſtatim reiectæ tuſſi, qui adhibitis iuſtis auxiliis, ſecta protinus vena, conualuit, & poſtea ſanus ſuperuixit. *Hollerius comment. ad aphor.8. lib.6.ſect.2.Coac.Hippoc.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria cuiuſdam mulieris, quæ ſanguinem ex falſa diſtillatione expuerat curata.

QVi ex catarrho ſanguinem reiiciunt, quomodo commodiſſime tractentur, nunc dicemus, propoſita, claritatis cauſa, curatione, quam Romæ in ſplendida muliere peregimus. Hæc namque cum eiuſmodi ſermones audiſſet, quales nunc de iis, qui ſanguinem ex pulmone reiiciunt, habuimus, ſiue ex catarrho id, ſiue vehementi tuſſi, paululum quiddam per noctẽ expuerat, illico ad me miſit, ſe quicquid exigerem, præbituram promittens. Audiuerat vero ante id tempus, niſi quis illico præſidium ſtrenue afferret, priuſquam vlcus phlegmonem contraheret, eum operam amiſſurum: atque hanc eſſe præcipuam, eorum qui ſanguinem reiiciunt, interitus cauſam. Igitur incidere mulieri venam, quæ iam quatri-

quatriduum propter catarrhum propemodum ſine cibo egiſſet, non placuit: ſed iuſſi vt acri vteretur clyſtere, tum crura manusque calfacienti pharmaco plurimum fricaret & vinciret, mox caput raderet: cui deinde medicamen, quod ex palumbiũ ſtercore conſtat, impoſui: interpoſitisq; tribus horis, in balneum duxi ac laui, multo caput contingens pingui. Dein caput idoneo pileo contexi, & pro eo qui tum erat temporis ſtatu, nutriui ſola ſorbitione: poſtquam ſtatim fructum aliquem autumnalem auſterum dedi. Deinde cum dormitura eſſet, quod ex viperis conficitur medicamentum dedi (theriacem vocant) circiter quatuor menſes ante confectum. Habet enim id ætatis adhuc præualentem papaueris ſuccum, qui in antiquatis ignauus redditur: ideoq; & ſomniferum eſt, & fluxiones tum ſiccat, tum leuiter craſſat. Finito vero prorſus catarrho, liquido apparebat, tum ex reſpirandi ſpecie, tum ſonitu ſemel excitatæ tuſſis, pulmonem purgatione egere. Cæterum exhibere hanc non placuit ſecundo ſaltem die: ſed in omni taciturnitate & quiete muliere ſeruata, tum artubus eius perfricatis vinctisq;, iuſſi reliquas quoque omnes partes perfricari, excepto capite, quod adhuc ex medicamento incaleſcebat: rurſus autem veſperi, dedi theriaces ceu fabæ noſtratis magnitudinem. Erat vero quod pridie acceperat, hoc longe amplius. Poſtea quum hac quoque nocte probe dormiuiſſet, tertio die mane mel coctum copioſe exhibui, ac in quiete ſeruaui. Procedente vero die, totum corpus ſimiliter perfricui, ac ptiſanæ cremorem, cum pane exiguo, pro cibo ſumere iuſſi. Mox quarto die, mane quidem, dedi medicamentum, quod ex viperis fit, ſed quod iam in ætate vigoris eſſet, idque cum copioſo melle. Capiti vero mulieris eodem pharmaco (quod vehementer tum ſiccat, tum calefacit) impoſito, ac deinde ipſa lota, nutritaque modice, valentius iam pulmonem expurgare in quinto ſum aggreſſus. Ac dehinc rurſumque ex interuallo ad caput quidem conſueto cerato, quod thapſiam recipit, ſum vſus. Totam vero corporis curam, in geſtatione, frictione, ambulatione, lauandiq; abſtinentia, ac victu tum moderato, tum vero boni ſucci, ad reficiendum, direxi. Hæc itaq; mulier recte ſe habuit, minime lactis opem requirens. *Galenus lib. 5. method. med. cap. 13.*

Observatio.

Sputum ſanguinis, cum tuberculo circa furculam, in latere pectoris dextro.

D. Chriſtophorus Hallerus, homo proceræ ſtaturæ, agens annum ætatis ſuæ 45. & cholericus, laborabat deſtillatione tenui, aliquando ſalſa, ad pectus & ad fauces, ita vt cum fluxus ille inciperet, aliquando per os ad pondus dimidiæ libræ effluebat: tandem incidit in ſputum ſanguinis copioſum, cum tuſſi. Habebat etiam à multis annis tuberculum circa furculam, in latere dextro pectoris, quod aliquando creſcebat, aliquando decreſcebat, & mutabat interdum colorem, interdum enim album, interdum rubrum apparebat. Tandem tuſſiens, in momento aperta denuo vena vel potius rupta, ſuffocatus eſt. Secto eius corpore, inuenimus tuberculum crudum, ſpongiæ haud diſſimile, adnatum pulmoni circa furculam, in latere dextro, quod ex materia tam acri erat natum, vt fere adiacentis coſtæ mediam partem conſumpſerat. Omnis etiam ſanguis redibat, in pulmone collectus, cum cæteræ partes viderentur exangues.

Ex rupta etiam vena, fuit ſubito ſuffocatus Caſpar Vlrich, aurifaber, ſecto vero eius corpore, omnis ſanguis repertus eſt in pulmone. *Ioannis Heßi obſeruatio per CL. V. Ioach. Camerarium nobis communicata.*

Observatio.

Admirabilis morbus, cum ſanguinis ſputo, & narium hæmorrhagia.

SVNT morbi nonnulli admirabiles, cuiuſmodi fuit is, qui Danieli Bonricio contigit, qui cum duorum morborum effigiem præberet, neutrius ſigna ac vices implebat, fuit autem huiuſmodi: die Octaua Ianuarij, anni M. D. L I X. ſpuit ſanguinis veſtigium pituitæ admiſtum, ſequenti die ſanguinem miſimus, perſeuerauit tamen ſputum cruentum, indiesque augebatur: Difficultasque ſpirandi intendebatur adeo, vt aliquas noctes peruigil duceret, nõnunquã dormiebat, vt ea quæ decimæ diei ſucceſſit. Interim vero, cum hæc eſſent ſigna affecti pulmonis, ſanguis & merus & copioſus è narib. perpetuo fluxit nec tuſſis vlla infeſtabat, ſed excitata ſolum, cũ excreatione emittebatur: adeo vt defluxionem à capite eſſe exiſtimaremus: duodecima menſis, præter ſputum cruentum, pituitam etiam multam ſeorſum expuit, nigram, non profunde, & ſine ſanguinis veſtigio. Dubitabamus an è capite & illa deſcendiſſet, lucernæque fumo tincta eſſet. Ea die tuſſis leuis inuaſit, ſpirandi difficultas maior, auctumq; eſt ſputum, & magis cruentum euaſit. Recordabamur Pythionis, qui ſputa varia & ſubrubra expuit, ex defluxione coaceruata, vt Galen. exiſtimat: ſed res aliter ceſſit, nocte enim quæ decimæ ſeptimæ diei ſucceſſit, totus refrigeratus eſt, ſudauit, anhelitus & vox intercepta. Aſſumpto antidoto diamoſcho, incaluit, dormiuit, ſpirandi difficultas imminuta, atque ita per totam decimam nonam diem melius ſe habere viſus eſt, adeo vt bene ſperare cœperit, cum ab initio morbi animum deſpondiſſet ſemper, ſequenti nocte vigiliæ, ſpirãdi difficultas, & præter copioſum cruentum ſputum, nigram rurſus pituitam emiſit. Duobus ſequentibus diebus, omnia grauiora facta, non tamen ita vt deſperata ſalus videretur: die vigeſima ſecunda, quæ fuit finis quartæ decimæ morbi, circa meridiem defunctus eſt, nec antea refrigeratus eſt. Pulſus vt ante morbum ſecundæ pulſationis tempus ad dimidium contrahebat, ita tamen vt duarum pulſationum circuitu, naturalem quantitatem retineret. Verũ poſt decimam ſeptimam diem hoc magis frequentauit: nonnunquã etiam prope mortem, ſed paruo tempore perſeuerans, ad naturalem ſtatum redibat. Vrinæ ſemper vſq; ad vndecimam morbi bene coleratæ, & cum contentis mediocribus. An febriret difficile fuit perpendere, niſi poſt eam diem, ob acquiſitũ pulſus, vt alias dixi, habitum. In ſputis nullum pus, aut ſanies, ſed ſola pituita pura, aut nigra, aut cruenta apparuit. Mirabile igitur fuit, ſi à capite cruor emanabat, cur perierit? ſi à pulmone, cur ſine tuſſi? cur nulla ſanies? cur nigra pituita abſq; cruore? ſi ab vtriſque, quænã cauſa tam potens in duobus locis adeo diſtantib. venas ſimul aperire potuerit? cur etiam nec pus nec ſanies apparuerit? cur cum iacuiſſet decima ſeptima, die vt mortuus,

mortem

mortem ad vigeſimam ſecundam diſtulerit? volui diſſecare corpus, memineram enim duos alios ſimili morbo interiiſſe, ſed conſanguinei noluerunt. *Cardanus artis curandi paruæ propria, pag. 80. & ſequentibus.*

Observatio.

De ſpumoſo ſanguine cum tuſſi reiecto, & pulmonis ſphacelo.

CVM tuſſi ſanguinem excerni, modo pulchre rubentem, alias pituitę, ſputo aut puri permixtum haud infrequens eſt: Nigrum vero atque ſpumoſum eiici, vt concretus & vndequaque poroſus ſpongiam aut pumicem referre videatur, rariſſimum. Huiuſcemodi autem à nonnullis cum tuſſi reiectum, non ex vaſe aliquo rupto, aut ex pulmonis vlcere, ſed ab ipſa pulmonis ſubſtantia ac parenchymate profuſum ſuſpicati fuimus: nec fefellit nos coniectura. Nam pictoris cuiuſdam, qui cum valida tuſſi huiuſcemodi ſanguinem reiecerat, pulmonis pars quædam nigricans reperta, & ſphacelo correpta, in qua magnus & profundus ſinus: nulla interim ſanie, nullo pure, vel hanc vel reliquam partem occupante. Atque ex hoc ſinu ſanguis corruptus, nigricans, atque cum eo ſiderata parenchymatis pars cū tuſſi reiecta. Similem & Ichthyopola quidam ſanguinem expuit, cuius & pulmo eodem affectus modo fuit. Cereuiſiæ coctor, huiuſmodi ſanguinem cum valida tuſſi ter reddidit: in huius autem pulmone, plurima parte nigro, tres patuerunt ſinus. Semper autem talem affectum incurabilem iudicauimus, vitam tamen produci ad aliquod tempus poſſe, bona beneque inſtituta vitæ ratione, haud alienum eſt. Pictor plus quam menſem ſuperuixit: Cereuiſiæ coctor bis euaſerat, ſed in tertia expuitione ſubito periit: veluti & Ichthyopola, qui & in ſanguinis ſputo defecit. *Dodonæus obſeruat. medicinal. c. 24.* De huiuſcemodi ſanguinis ſputo, ſenſiſſe videtur *Hipp. aphor. 13. lib. 5.* Quicunque ait, ſpumoſum ſanguinem expuunt, iis è pulmone eductio fit. Nam qui ex vaſe diſrupto, aut vlcere profunditur, haudquaquam ſpumoſus apparet. Fatetur ipſe *Galenus in commentariis*, ſæpius ſe vidiſſe ſanguinem plurimum, bene coloratum expui, quem ratio, ait, dictat, ex aliquo pulmonis vaſe prodire, ſed hunc ſpumoſum fuiſſe non addit. Spumoſus ſanguis vel vt Hippocrates ἀφρῶδες αἷμα, naturam ac figuram eius retinet, vnde abſceſſit. Pulmonis ſubſtantia laxa, rara, & poroſa eſt: talis & ſanguis, quem cum tuſſi profuſum ſcripſimus; cui parenchymatis partem coniunctam & commixtam fuiſſe ſatis apparet. *Idem ſcholio ad cap. præcitatum.*

CVRATIO.

Observatio.

Sanguinis reiectio lapide hæmatite curata.

EGo ſane noui frequenter me ſine Theriaca aliisque pretioſis antidotis multos curaſſe, lenibus vſum medicamentis, & præſertim lapide hæmatite. Vſus autem eo ſum in his, qui largius ſanguinem reiiciebant, cum ſucco mali punici, & granis, vel cū ſucco polygonii. In quibus autem ſanguis non copioſe euacuabatur, etiam ex aqua ſola tepida. At læuigare ipſum curioſe oportet, vt in tenuiſſimum puluerem redigatur, ſitque aereus & vento perſimilis. Dedi ex eo ſcrupula quatuor, & paulo amplius minusve. Exhibui etiam iis, qui pus expuere incœperant, ac mirum eſt, quomodo vlcus exiccarit, ſanaueritque, vt non amplius pus generaretur, neque æger à tuſſi infeſtaretur. Spectaui autem & alium quendam ex his, quibus vas exeſum erat, non modo particulas quaſdam ex faucibus, ſed etiam aſperam arteriam expuentem: ac mirum quomodo in hoc quoque lapis hic maximam efficaciam indicauerit. Nam & hic curatus eſt, nobis non admodum etiam ſperantibus. Exhibui autem ægro potui medicamentum frequentius, vt commodius diſtribueretur. Quare cum crebro ipſum bibiſſet, tandem ſumere ipſum faſtidiuit. Excogitaui autem huiuſmodi rationem, redactum in tenuiſſimum puluerem panniculo lineo impoſui, & diligenter ipſum vndiquaque conſtrictum, colligatumque in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, ſuſpendere permiſi, idque per totam noctem iam inde ab ipſo veſpere: extraxi autem tenuem aereamque eius partem, vt ęger ſolam vini qualitatem perciperet. Ex hoc bibere, quantum mane libenter habebat, ei præcepi: atque hoc ſane agendo, bibendoque continue, ſanitatem recepit. Hoc autem morbo liberatus, idem præſeruationis cauſa facere pergebat, bibebatque donec etiam corpore probe refecto, conſueta agendo viribus ſe conſtare ſentiret. *Trallianus libr. 7. cap. 1.*

Observatio.

Copioſiſſima ſanguinis per os reiectio, cum omnium viſcerum obſtructione, ægrum in diſcrimen vitæ adducit, curatur tamen nutu Dei.

HOnoratus ab Aquæria, Meianæ Toparchus, patritius Arelatenſis, ſanguinis copioſiſſima è pulmonibus reiectione, affatim incidente, hyeme media, in graue diſcrimen incidit: cumque vna nocte ſanguinis heminas pluſquam quatuor ore reieciſſet, pallidus & prope ſine viribus redditus, pulſu exiguo & interſecto, voce tremula, deliquiis crebris, & inſomnio oppreſſus: magnaque cura viſcerum omnium duritie, atque obſtructione, hepatis, ventriculi, lienis, moriturus in horas ſperabatur. Liberatur tamen Dei ope, & magna mea cura, anno 1561. menſe Ianuario. *Valleriola lib. 2. obſeruat. 2.*

Observatio.

Puer intempeſtiua ſanguinis ſputi ſuppreſſione, prope ad tabem deductus, tandem legitime curatur.

DIxit nobis poſt collegium Montanus, Venetiis ſe incidiſſe in puerum cuiuſdam magiſtri, qui à ſputo ſanguinis curatus erat à medicis, adſtringentibus, ita vt ſanguis in pulmone retentus, iam inciperet putreſcere, quod dum animaduerteret, aperientia & reſoluentia adhibuit, ſubito per tuſſim eiectus ſanguis niger & putridus, quem niſi expuiſſet, ad tabem deduxiſſet puerum, poſtea de integro curauit eum mundificantibus, & inuiſcantibus ſeu alterantibus ſanguinem. Curatus eſt paucis diebus. *Hieremias Schvveickerus, circa finem conſil. Appendicis Montani pag. 59. Edit. Baſilienſ. Anno 1583.*

EXPERIMENTA.

OBSERVATIO.

Ad Hæmoptoicos deſperatos, remedia aliquot ſe- lecta.

NOui noſtratem quendam Lemouicum hęmoptoicum, qui cum alternis temporibus multum reiectaſſet ſanguinis, nec vllis potuiſſet ſaneſcere remediis, ad Iulium Cæſarem Scaligerum, medicorum ſuæ tempeſtatis principem, confugit: ex quo puluerem accepit, cuius vſu breui conualuit. Huius formulam quia mihi communicauit, libet hic aſcribere. ℞ ſpodij, ros. rub. bol. armen. terr. ſigil. hæmatitis, ana drach. v. corall. rub. carab. margaritar. non perforat. ana drach. ij s. gummi traganth. drach. ij. ſemi. papau. portulac ſem. maluæ, ſem. roſa. rub. ſem. arnogloſſæ, cornu cerui combuſti ana drach. iij. acaciæ, ſucci barbæ hirc. ſucci glycirrh. ana drach. ij. amili torrefacti drach. iij. terantur, miſceantur, f. puluis, cuius doſis drach. iij. Datur cũ aqua pluuiali. Hoc remedium tandem deſcriptum reperi apud *Serapionem cap. 25. tract. 2.* Dum vero iſta fiunt, ſi reſiſtit aluus, clyſtere ſubducetur, vel purganti medicamento, adſtrictionem aliquam relinquente. *Anton. Valer. exercit. ad c. 27. Holler. lib. 1. de morb. intern.*

En tibi Electuarium Helidæi ad hæmoptyſin, quod nuper ab Auguſtano quodam medico nactus ſum: qui bona fide affirmat, hoc ipſiſſimum eſſe, quo tanto ſucceſſu vtatur, illius electuarium: quod veluti ſecretiſſimum celare omnes ſoleat. Recipe Hyoſciami albi, ſem. papau. albi, ana drach. x. terræ ſigillatæ, corallorum rub. ana drach. v. Zaccari ros. q. ſ. antiquiſſimi, fiat Electuarium: cuius doſis drach. s. mane & veſperi, præmiſſis vniuerſalibus, &c. Hanc deſcriptionem cupio te tibi ſeruare, neque cuiquam (niſi intimo alicui & bono medico) communicare. *Geſnerus epiſt. ad Theodorum Zuingerum, lib. 3. pag. 106. facie auerſa.*

De hoc Electuario, quid vere ſentiendum, oſtendunt *Eraſtus epiſt. libr. 1. Cratonis & aliorum pag. 302.* Et *Crato* ipſemet, *libr. 5. epiſt. ſuarum pag. 377.* his verbis: Medicamentum (inquit) illud, non eſt Helidæi, ſed Nicoli Florentini, qui, ſi recte memini, ex Continente Rhaſis deſcripſit. Sanguinem ex illius vſu craſſiorem fieri conſtat. Sit ne autem hæc vera intentio in curatione ſputi ſanguinis, ſiue rupta, ſiue exeſa vena ſanguis reiiciatur, ipſe exiſtimare potes. Ego vſum diuturnum chamædryos longe huic Electuario præfero, & ipſum Helidæum timidius illud exhibere, etſi, vt ſua omnia ex Nicolo deſumpta magnifaceret & venditaret, animaduerti.

MORTVI.

OBSERVATIO.

Adſtringentium intempeſtiuo vſu, hæmoptoicus mortuus.

ANNO elapſo, à vi maxime adſtringentium, iuuenem præfocatum vidi: iam agebat animam, eum cum inſpexi. Huic Medicus quidam circumforaneus, emplaſtrum ex gypſo, bolo, acacia, ſanguine draconis, effecerat, toti pectori, adeo vt immobiles muſculi fierent, ne pectus expurgari poſſet. Erat autem ex cantu ruptio, cum alias eſſet adhuc paratiſſimus. *Iacchinus comment. ad c. 36. lib. 9. Raſis.*

DE PLEVRITIDE.

ET PRIMVM DE SYMTOMATIS PLEVRITICORUM.

OBSERVATIO.

In maligna pleuritide, aſphyxia triduana.

ÆGROTÆ, exhibitis omnibus quæ ad pleuritidem faciunt, intra biduum ceſſauit fere dolor, expuit aliquid ſanguinis, quarto non ſpuebat, quinto deterius incœpit habere, non ſpuebat, & nonnihil delirare, ſexta debilis admodum reddita, vt pulſum haberet formicantem, cum deliriis. Dalechampius & ego mane morituram iudicauimus, delirauit ad octauam, à prandio rediit ad mentem, veſperi nonnihil cœpit iterum delirare, circa principium nonæ diei mane mortua. Mirum, ſæpius per tres dies pulſum omnino intercidiſſe, modo rediiſſe, vt ſingulis noctibus morituram exiſtimaremus. Iuuenis erat, ad trigeſimum annum tendens. Omnia aſſumebat, quæ exhibebantur. *Ioan. Bauhinus in proprijs obſeruationib.*

OBSERVATIO.

De Fabro lignario ter in quatuor menſibus Pleuritide vera correpto, & curato.

AVguſto menſe, Anno 1545. Faber lignarius Pithuerienſis, annos natus triginta ſex, ſatis robuſtus, & mediocris habitudinis, cũ in Pleuritidẽ verã incidiſſet, & per duos dies aluum non depoſuiſſet, me vocauit. Statim cõmuni clyſtere iniecto, cum bis ex eo aluum depoſuiſſet, mox ſecta vena cubiti dextri è directo loci affecti, & ſanguine vtcunque copioſe circiter vncias decem extracto, deinde ſyrupis pectoralibus ebibitis, & leniente poſtea medicamento aſſumpto, ex Caſſia & Diacathol. an. vnc. s. cum ſero lactis ſoluta, paucis localibus remediis adiunctis, tum eclegmatibus aptis ad ſputum educendum, poſt ſeptimum diem egregie curatus fuit, ac ſanus vixit. Poſt menſem tamen denuo in Pleuritidem ſæuam & acutam cũ grauiorib. accidentib. prolapſus eſt: & quarto die ad eũ accitus, rurſum cum phlebotomiam inſtituiſſem, amici ægrotantis refragabantur, cum vix menſis præteriiſſet, quod ſanguis illi detractus eſſet: ratione tamen perſuaſi à me, venę ſectionem admiſerunt, ita denuo ſanguine detracto, ex vena baſilica eiuſdẽ lateris, ad vncias octo, mox rurſus conualeſcere cœpit, & ad conſueta munia demũ reuerſus, optime ſe habuit. Sed, quod miratu dignum videtur, poſt duos menſes iterum in Pleuritidem relapſus, denuo ſanguine demiſſo ex cubito lateri dolenti correſpondente, ilico & præter ſpẽ conualuit: ita vt hic æger inter quatuor menſes, ter legitime Pleuritide laborauerit, & ſemper ſanguis detractus fuerit, ex latere eodẽ: qui venę ſectionis beneficio, adiunctis & aliis præſidiis cõmodis, mox ſanitatẽ recepit. Quod quidẽ exemplo manifeſtũ euadit, auxilium citius, ſanguine ex latere eodẽ demiſſo, quam ex oppoſito, contingere. *Foreſtus obſeruat. 32. lib. 16.*

OBSERVATIO.

Puella verminoſa, pleuriticis ſymtomatibus affecta.

NOs puellam curauimus, in qua cuncta ſpectabantur ſymtomata, quæ pleuritide laborantibus ſolent obuenire: dolor inprimis aderat punctorius, in thoracis dextra parte tuſſicula quædam ſicca, vel leui quaque occaſione commota, pulſus arteriarum durus, ſerreque haud omnino diſſimilis, ac recurrens: ſpiritus offendens, continens febris. Huius cum interdum videremus totum corpus frigidum, nonnunquam calidum, cum malarum alterius rubedine, fieri: ſumto ad lumbricos necandos & educendos medicamento, ſtatim plures eduxit, atque incolumis euaſit. *Gabucinus cap.* 13. *libell. de lumbricis.*

OBSERVATIO.

Portentoſæ inſtrumentorum naturalium conſtitutiones, vel eorundem inflammationes, dolorem pleuriticis ſimilem nonnullis excitarunt.

QVibuſdam corporibus à natura datum eſt, vt hepar fibris quibuſdam coſtis inferioribus copuletur. Itaque laborante hepate, imago pleuritidis repræſentatur. Aliis materia quædam craſſa & viſcida in membranis pectoris colligitur, toto etiam thorace, vnde dolor grauis, dyſpnœa, & ficta pleuritis. Nam nec pungit dolor, nec febris incenditur, vt nec inflatus membranis aut intercoſtalibus muſculis impactus eſt. Aliquando etiam muſculi inflammantur, ſed pulſus hic alius, nempe mollis. Dolor grauis eſt, non pungens, & omnia fere leuiora ſunt. Membranæ quoque thoracem diſtinguentes, ſi inflammantur, par negotium vitæ faciunt, atque verus lateris dolor. Sæpe etiam inferioribus coſtis inflammatis, diaphragma, atque hinc ſtomachus grauiter laborat, magno periculo. Morbus hic proximo vere, anno 1551. ante paſcha, plurimos, & eos maxime, qui vel temere vel negligenter curati ſunt, ſuſtulit. *Hollerius lib.*1.*c.*26.*de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Pleuriticorum ſuccingens membrana, qualis animaduerſa.

PLeuriticorum duorum ſectioni adhibitorum, cum examinarem coſtas ſuccingentem membranam; maculam tantum liuidam in ea deprehendi, illiq; affixos pulmones, qui ægre ab ea, nonniſi lacerando, auellebantur: eosque potius, quam ſuccingentem membranam, affectos. *Felix Platerus, de obſeru. proprijs.*

OBSERVATIO.

Pleuritis ſpuria, ab externa membrana coſtas ſuccingente, tum muſculis intercoſtalibus exterioribus inflammatis.

VIr quidam apud Clariſſeas ſorores, pleuritide non exquiſita, ſed mendoſa & ſpuria dicta, corripiebatur: inflammatio coſtas ſuccingentem externam membranam, & intercoſtales muſculos exteriores infeſtabat, exterior pars thoracis dolebat, dolore extenſiuo & pulſatorio: aderatque tuſſis exigua vel nulla, nec reſpiratio admodum difficilis, quanquam in expiratione æger maius percipiebat nocumentum, quam in inſpiratione: pulſus non admodum durus erat, & ſupra idem latus affectum decubitus difficilis erat: continuo febricitabat. Venam ſtatim huic ſecui, ad vncias fere ſex, cum bonæ habitudinis eſſet, fotuque adhibito ex ol. violar. malu. florum chamomeli, flor. roſ. rub. & meliloti, oleoq; roſaceo, amygd. dulc. chamomill. & anethi, dolor ſedatus eſt, facta reſolutione, vt aliis remediis opus non fuerit. *Foreſtus lib.*16.*obſeru.*43.

Similem quoque curationem fere ponit *Amatus centur.*3.*curat.*67. in qua axillarem venam, dolentem locum reſpicientem, ſecare fecit, vncias ſanguinis octo extrahens: deinde ſecundo die filtro admouit fomentum ex roſ. maluæ, parietariæ, chamomillæ, anethi, ſem. lini, fœnugræci, decocto, in fine adiectis vnc. iij. ol. roſ. mox loco affecto inunctó hoc vnguento. Recipe Axungiæ gallinæ, butyri recent. an. vnc. j. pulu. chamomillæ vnc. s. olei roſacei, amygd. dulc. an. vnc. s. ceræ q. s. ad ignē miſceto, & fiat vng. molle. ijs cucurbitulis loco affecto affixis, ex toto intra octo dies inflammatio reſoluta fuit. Solet hæc inflammatio ad cutem aliquando deuenire, adeo, vt neceſſum ſit tumorem aperire, vt 5. *de locis affectis cap.* 3. *Galenus* refert: Id ſe ſemel obſeruaſſe in quodam Luſitano, idem Amatus ait, quem tumorem ſcalpello incidi fecit: Idem & *Zoar* glorioſus ſe feciſſe narrat, in muliere quadam, vt *lib.*1.*ſui Theiſir c.*4. *tract.*16. videre licet. Rondeletius omnia fieri in mēdoſa pleuritide vult, vt in vera. *Idem in Scholio ad obſeru. prædictam.*

OBSERVATIO.

Diarrhœa in Pleuritide, ſignificat natura munia, vt hepatis & ventriculi, collapſa eſſe.

CVidam pleuritico nihil excernenti per os, ſuperuenit diarrhœa & vomitus bilioſus: die 4. interiit. *Iac. Douinetus lib.*3.*c. vlt.*

DE CRISI ET EXPVRGATIONIbus Pleuriticorum per tumorem intercoſtalem.

OBSERVATIO.

Pleuritici non tantum per ſputum, verum etiam inter quintam & ſextam coſtam, deforis tumore excitato & ſuppurato, expurgati.

IN pleuritide, exemplo plane raro, nos hic Friburgi, in nobili fœmina ſexagenaria, cui aſſiſtebamus, ſuppurationem cum febre, lateris dolore, & punctione, ſputo cruento, vt in genuina pleuritide, proceſſiſſe vidimus; poſtmodum etiam intus foras, eandem erupiſſe, & ex morbo, conſolidato rite vlcere, quaſi miraculo quodam, anum euaſiſſe, bona fide affirmare audemus. Cuius præterea ampliſſimū ſimul ac certiſſimum teſtimonium ferre poteſt, nobiliſſimus idemque prudentiſſimus ſenex, Ioan. Vdalricus à Stadion, Prouinciæ Beffordenſis Præſes equiſſimus. *Schenckius.*

Vidimus Mag. Domini Romani Arſagi, amiciſſimi noſtri, nepotem, annum duodecimum natum, poſt diuturnam à capite ad pectus decumbentem fluxionem, ex qua in maciem vniuerſi corporis, febri indeficiente aſſociante, perductus fuit, derepente in ſæuam pleuritidem delapſum, quæ ſuppurata, per tuſſim ſanies plurima excreta, nihilominus eiuſdem effatu digna quantitas collecta inferiori thora-

thoracis cauitate, cuius expurgationem, dum omni ingenio tentaremus, ſubortus in eadem parte, inter quintam & ſextam coſtam, tumor inſignis, ab internis partibus ad externas protuberans, qui ſuppuratus, & apertus, non ſolum à tumore ipſo, ſed & ab interna cauitate fluere cognouimus, quare opportunis medicamentis applicitis, & ſyphone iniectis, liciniiſque, & turundis foramine ampliato, & adaperto ſeruato per multos dies, tandem argentea cannula impoſita, ſanies quotidie effluxit, quo ceſſante, cannulam denſimus; conſolidatum ſponte foramen; puer impinguatus, priſtinam ſanitatem non ſolum recepit, ſed & habitum meliorem adeptus eſt. *Marcell. Donat. hiſtor. mirab. libr. 3. cap. 9.*

PER SANGVINIS MICTVM.

OBSERVATIO.

Pleuritides quaſdam ante ſeptimam per ſanguinis mictum iudicatas & ſolutas fuiſſe.

CErte nõ minus admirandum, pleuritides quaſdam per vrinas aliquando integre iudicatas ac ſolutas; quod nos in olitore quodam obſeruauimus, cui ſanguis multus, ſeroſus, in ſeptima, per vrinæ vias effluens, illum à ſæua pleuritide, quæ iam miſerum hominem in orci fauces traxerat, liberauit.

Franciſcus Michinus de Sancto Archangelo, qui quaſdam anatomicas ſuas obſeruationes typis edidit, in quinta ſcribit, ſe hanc venam ſine pari, cum emulgente connexam, anno 1554. in binis cadaueribus, quæ ſecuit Fallopius publice & priuatim, manifeſte obſeruaſſe, ac vidiſſe inflata vena ſine pari fiſtula circa ipſius ortum, ſtatim per ramum prius dictum, emulgentem ſiniſtram & ipſam intumuiſſe, ſimulque & venam cauam, cum ramis ſuis maximis, qui ad femora veniunt, nec ſolum hæc ſcribit Michinus, ſed & figuram, à Moybano germano, condiſcipulo, delineatam, præ oculis ponit, ampliusque teſtatur, ſe geminos pleuriticos obſeruaſſe, ante ſeptimam, per ſanguinis mictum, ſtatim ab ea inflammatione liberatos. *Idem, ibidem.*

PER VRINAS.

OBSERVATIO.

Pus in Pleuritide ſæpius per vrinas: rarius per aluum expurgari.

IN Pleuritico morbo cruentum pus per vrinę meatum dare quandoque ſolet. Quod Helio Baſſo, Cymbriaci noſtri filio contigit, in maxima morbi deſperatione. Vel per aluum aliquando, vt ipſi vidimus. *Alex. Benedict. lib. 3. cap. 9. anat.*

Oritur ſæpe in lateribus morbus, qui Pleuriticos à Græcis nominatur: huic tuſſis & febris accedit, & excreatur cum pituita ſanguis, graue profecto, ac intolerabile malum. Hac cum affligeretur Antonius quidam, & morbus iam ad maturitatem perueniſſet, euacuato per vrinam pure, quod raro contingere ſolet, penitus ſanatus eſt æger. *Beniuenius de abditis cap. 43.*

Nepos Ebenportæ, & ſocrus Iacobi Nauarri, pleuritide grauiſſima Epidemiali laborarunt, quibus febres prius defecerunt, dolore adhuc manente perſeueranteve: aut forte quia craſſior ſpiritus locũ inflammationis debilem occupauit, vnde diſtenſio & continui ſolutio fit, & cõſequens dolor, breui tamẽ exoletus: cæterum huic mulieri ea, quæ per os reiicienda erant, per ſeceſſum eiecta ſunt, ſanguinolenta, viſcoſa, & nonnulla citrina, forte quia adiuta potu atramenti, Aegypticæ caſſiæ, natura ad inteſtina materiã deriuauit, vnde poſtea per ſeceſſum eiecta eſt, vnde factũ, vt mulier hæc, ſexaginta fere annos nata, quinto die, plus ſolito grauata, ſudare cœperit, & ſeptimo tandem per ſudorem copioſiſſimum ex toto liberata. *Amat. Luſitanus curat. 42. cent. 7.*

Quomodo ea quæ ſunt in thorace per ſeceſſum, & quæ in pulmonib. continentur, per lotiũ aliquando remitti contingat, breui ſed docte explicuit *Gal. cum alibi, tum libro de locis affect. 6. c 3.* prope finem, vt nos quoq; literis quandoq; mandauimus, porro febrem in pleuritide prius deficere, manente adhuc dolore, minus malum eſſe, quam ſi in contrario cõtingat, alias dixi, id quod & nunc ita rem haberi, experientia atteſtatur. *Idem in Schol. ad eandem.*

Cũ annis abhinc aliquot, D. D. Ioan. Viſcero medico ac Profeſſori Tubingenſi, & mihi, pharmacopolii principalis de more inſpiciendi, circa caniculã cura demandata fuiſſet, ſubito ex pago Munchingẽſi vno ab vrbe miliari, ruſticus aduolat, Sculteti hominis prouectæ ætatis, firmiſſimæ tamen corporis cõſtitutionis, pleuritide laborantis, vrinã adferens. Qua tũ medico pręſente inſpecta, pronunciaui cauſam iſtius mali, criticos per vrinã iudicatum iri, nihilq; ægro inſtare amplius periculi. Verum his non contentus nuntius, vel occupatiſſimum ſecum rus pertrahit, vt quod abſens prædixeram (maiorem ægro ſpem ac fidem facturus) coram inſpicerem. Nec mora, effectus prognoſticum confirmat, ac æger iſta via à pleuritide liberatur, minore mea, quam aliorum admiratione: quod ſimilem caſum, circa annũ 56. Patauii, ſub præceptore ac familiari meo D. D. Aloyſio Bellocato, annotaueram. *Ioan. Culmannus, ſuis ad me literis, Anno 1585. datis.*

Pus in thoracis ſpatio, aut in pulmone contentum, per veſicam quandoq; expurgari, non modo à recentiorib. obſeruatum, ſed à *Galeno* quoq; viſum; vt *lib. 6. de affect. locorum notitia* teſtatur: vbi viam oſtẽdit, per quam pus ad renes deferri queat. Recipi ſiquidẽ pus à leui arteria pulmonis, ait: deinde per ſiniſtrum cordis ſinum delatum, in magnam incidere arteriam, per quam ad renes, & illinc ad veſicam deſcendere. Nam vt à concaua vena, ita quoque à magna arteria ramos ad renes demitti. Nouimus vero & nos ruſticum, tantum in pectore puris habentem, vt capite cum pectore deorſum reclinante, ex ore illi efflueret, qui purulenta reddita vrina, ſanitatem mox conſecutus fuit. *Dodonæus annotat. ad c. 43. Beniuenij de abditis.*

Nuper quidam inter Palatinatus proceres, veteri mihi neceſſitudine coniunctus, lotium ſuum purulentum, tabellario ad me perferendũ dedit: ſimul quoq; totam morbi hiſtoriam, & illius accidentia pathognomonica, quæ Galen. eſſentialiter inhærentia appellat, literis declarauit. Nouerat enim, nulla habita morbi deſcriptione, me de illius ſubſtantia, diuinare vel nugari non ſolere. Ex quib. non obſcuris ſignis & indiciis intellexi, eum apoſtemate in membrana coſtas ſuccingente laborare, ac febre

continua macerari:& dum excreare vellet,punctura in latere dextro efflictim torqueri. Decimo vero quarto à morbi initio die, apoſtemate iam concocto & ſuppuratione maturo, ingentem puris copiam in pectoris cauitatem & pulmonis arterias erupiſſe: quam cum ob lateris puncturam, tum ob anhelitus difficultatem eructare non poſſet, vrinamque ſedimine purulento turbidam emingeret, haud obſcura coniectura intellexi, naturam meatus pleriſque medicis ignotos, ei vero optime notos, de pulmone per arteriam & venam cauam, epar, & venas emulgentes ad renes, ad vreteras & veſicam vſque patefeciſſe, per quos ſeſe à ſanie exoneraret, & hæc eſſe certa pulmonis ex pleuritide ſaniei defluxu onerati ſigna. *Langius epiſtola* 40. *tom*. 2.

Nos vidimus pleuritides graues diſſolutas vrinis multis craſſis & nigris, conuerſa, vt ſenex ſcripſit, deorſum materia: quod certe minus mirum videri debet, quam peripneumonias vrinis ſolui, quanto familiaritas lateribus cum magna vena maior, quam pulmoni. *Hollerius comment. ad aph.* 66. *ſect.* 5. *lib*. 3. *Coac. Hipp.*

Nos in Zacharia Caiano, viro cum primis docto, mihique amico, vidimus bis repurgatam pleuritidem per vrinam: quippe in qua, cum ſuccingentis ipſas coſtas membranæ, phlegmone, ſuppurationis materia, longius adhuc abſit à viis illis. Et fiunt tamen hæc omnia: ac quomodo fiant, viæque, quas ſibi in his ſagaciter inuenit natura, rimantibus diligenter videri atque inſpici potuerunt. *Iul. Alexandrin. comment. ad cap*. 4. *lib*. 5. *Gal. de loc. affect.*

Rigida hyeme anno 1543. ad fines Ianuarii, & initia Februarii, ſalutares pleuritides graſſatæ ſunt, quarum quidem aliquot per vrinas nigras, craſſas, in quibus ſupernatabat multa ſpuma, crocea, craſſa, glutinoſa, iudicatæ ſunt. *Hollerius inter rara num*. 4.

Quantum ſpectat ad vrinæ viam, etiam *Galen. lib.* 5. *de loc. aff.* obſeruauit, ea quæ in thorace continentur, per vrinam interdum euacuari: quod & ego ſæpe vidi in Pleuritide & peripneumonia. Putauit autem Galen. materiā primo tranſſumi in propagines venæ azygos dictæ: hinc in cauam venam ad dextrū cordis ventriculū; & è caua vena deorſum tranſeundo iecur, peruenire ad emulgentes. Nobis autē alia via innotuit, cuius primus fuit inuentor, Nicol. Nouocemenſis, Venetorū annis ſuperiorib. Medicus clariſſ. à vena n. ſine pari, prope diaphragma, porrigitur ductus recta per ſpinam, ad emulgentes. Fidem autem huic vacuationi, & hæc hiſtoria facere poteſt.

Quidam meus amicus aliquando in thorace vulnerabatur: vulnus tamen nō reperiebatur penetrans à medicis, qui ob foraminis anguſtiam, non multa ſtyli portio immittebatur; caro et occupauerat foramē, vt ſpiritus ſeu anhelitus non egrederetur: Ex accidentib. tamen ſuperuenientib. penetrans eſſe vulnus poſt cognitum eſt (ſuper diaphragma n. ſentitur pondus: exſpuitur ſanguis cū tuſſi, inualeſcit febris, accidunt vigilia, deiicitur appetitus, anguſtatur anhelitus, & aliquando liuor apparet extra coſtas, vbi continetur materia.) Et propterea Medici cum è foramine pæne occluſo, nihil poſſent euacuare, volebant thoracem aperire inter ſextam & ſeptimam coſtam. Cum autem poſtridie id eſſent facturi, interea accidit, vt æger cyathum cruoris plenum mingeret, è quo à dolore, febre, & omnibus ſymptomatis leuatus eſt *H. Fabricius lib*. 2. *c*. 22. *cheirurg.*

Per quos meatus in thoracis & pulmonum vitiis, velut, Peripneumonia, Empyemate, Pleuritide, aliiſq; vomicis, pus per vrinas aut aluum expurgetur: vide præterea, *Aretæum, lib. & cap.* 1. *& rurſus eod. lib. cap*. 9. *Barthol. Euſtachium, de renum ſtructura, cap.* 16. 39. *&* 41. *Fallopium lib. obſeruat. à ſe editarum de vena azygos. Franciſc. Michinum, in obſeruat. anatom. de ſententia Fallopij, Anno* 1554. *publicat. cum Moibani tabula appicta. Marcell. Donatum. libr*. 3. *cap*. 9. *de hiſt. mirab. med. Andream Laurentium lib*. 3. *quæſt*. 13. *anat.*

PER SPVTVM ET MENSES.

Observatio.

De Pleuritide ſanguinea per ſputum, & deinde per menſes, critica expurgatione finita.

PVELLA ſucci plena, annum 25. agens, ſanguinea, famula apud cereuiſiarium, cum eodem tempore hyeme aſperrima linteamina extra vrbem lota (vt fieri ſolet) abluiſſet, domum reuerſa, cum incaluiſſet, pleuritidem incurrebat, cum febre continua, & dolore ſiniſtri lateris ad iugulum tendente. Primo die nihil expuebat; ſecundo vero cruentum quid. Chyrurgi opera vſa eſt, is ſanguinem detraxit in brachio lateris oppoſiti, aluo plus æquo reſtricta, ita vt peſſime habuerit, & per totam noctem ſubſequentem dolor valde increuit. Lotium ad me mittit, quod rubicundum erat, & quæ acta eſſent narrantur: lenitiuum præſcribo, cum tribus diebus aluum non reddidiſſet, quamuis libenter prius illam inuiſiſſem: ex medicamento leniente quinquies aluum cum depoſuiſſet, me vocari iuſſit: in ſequentem diem venæ ſectionem in brachio è directo loci affecti diſtuli, ob medicamentum aſſumptum, ſecta vero vena baſilica ad vncias ſex, iterum in loco affectui correſpondente; qui cum in diuerſis vaſculis reſeruatus, primo niger & corruptus fluxiſſet, & poſtea rubicundior, manifeſte dolor lateris ſedatus eſt, adhibito quoq; linimento ex vnguento reſumptiuo, & bibens ptiſanam confectam ex hordeo mundato, vuis paſſulis ab arillis repurgatis, & Glycyrrhiza, & continuo ſumens ex hoc eclegmate. Recipe ſyr. iuiubini, viol. capil. ven. an. vnc. vnam, conſeruæ viol. vnc. ſemis, miſce: ita vt ſputa melius procederent. ſub noctem reuerſus, fatebatur dolorem lateris omnino remiſſum; ſed iā caput dolere & minus dormire poſſe: frontem inungo vng. popul. & ol. nymphææ, præſcribo ſimiliter diatrag. frig. in tabulis, & vt continuo eclegmate ſuperiori vteretur. Quarto die vrina melior, & ſputa concocta exibant, dolore circa imū ventrē apparente, & circa lumbos, ita vt mēſtruam purgationem expectaremus; veniſq; vteri apertis, menſes copioſe fluxere, dolore lateris amplius non apparente, & ſputo mediocriter exeunte. At quinto die, dum lectus cōponeretur, & diutius ſellæ ſine foco inſediſſet, rurſus horrere cœpit, & in lecto febris eam inuaſit: ad illam reuerſus, cū neglectim illam habuiſſent, calidis pannis vt regeretur mandaui, & euocato ſudore, ac latere rurſum parum dolente inuncto cum vng. reſumptiuo, dolor mitigatus eſt, & ex ſyr. capil. ven. denuo ſputum excreuit & menſibus ſatis fluentibus, in ſeptimo die decretorio hæc curata fuit, vt eam amplius non inuiſerem. *Foreſtus obſeruat*. 35. *lib*. 16.

FLVXV ALVI.

OBSERVATIO.

De pleuritide incocta, & ſine ſputo, ægro à medicis pro deplorato habito: ſanatur tamen fluxu alui oborto, præter omnium ſpem.

ARduinus ab Stagno, Patritius Arelatenſis, iuuenis annorum viginti, pleuritide incocta lateris ſiniſtri, Lutetiæ correptus, nullo procedente ſputo, & pro deplorato à Medicis habitus, grauiſſimis & prope lethalibus obortis ſymptomatibus, ſpirandi ſumma difficultate, cum ſublimi vocato ſpiritu, virium defectione, inappetentia ſumma, vigiliis, & animi deliquiis, ſuperueniente die decimoquarto copioſo alui fluxu, & multos dies perſeuerante, præter omnium ſpem atq; expectationem, Dei gratia ſeruatus fuit: vti ad me Lutetia Honoratus Caſtellanus, Regius Medicus, accurate ſcripſit, anno 1561. menſe Iunio, & æger ipſemet proprio poſtea retulit ore. *Valleriola lib.1. obſeru.4.*

PERSANATI PLEVRITICI ET DE venæ ſectione.

OBSERVATIO.

Rariſsima pleuritis, quæ vtrumq; latus obſidens, ſanguinis, vna vice, ſupra quatuor libras, detractione, diſpulſa eſt.

MAgnus affectus poſtulat, vt magna copia euacuetur, hic enim non tam intereſt, qualem detrahas, quam qua copia. Tractaui ægrum, qui ex Pleuritide vtriusque lateris acerbe laborabat: extraxi vna vice illi plus quam quatuor libras ſanguinis, euaſit S. Dei beneficio, hic Libitinæ ab omnibus ſacer habebatur. Auicenna aſſerit, corporis libras eſſe vigintiquinque ſanguinis, & ſeptendecim effundi poſſe vno die, citra perniciem. Galenus ſex libras eduxiſſe videtur, hæc, ſi plethora adſit, fœliciter: proptereа vires diximus obſeruandas, ad copiæ ambitum deprehendendum. *Ioan. Heurnius lib.12. de meth. med. inſtit. medicin.*

OBSERVATIO.

Matthæo Curtio pleuritico vena, contra placita, quæ ſcriptis ſuis multis acerrime tutatus eſt, ſecta: vita ſeruata.

MEmini, cum Bononiæ, proximis annis, ſtudiorum cauſa eſſem, Matthæum Curtium, præclarum noſtra ætate & nobilem medicum, cum ex pleuritide laboraret, cui morbo ſectione venæ ſuccurri ſolet, quærentibus ex eo medicis, qui ei aderant plurimi, vtrum ad commune præſcriptum ſecari venam, aut ad ſuum mallet? Nam eius argumenti librum, aduerſus receptam aliorum ſententiam ediderat, reſpondiſſe ægrotum, ſe tunc non medicum eſſe. Nec grauate paſſum, contra ſua placita, ſecari ſibi venam, qui aliud aliis erat daturus conſilium, & multi præterea ob illuſtris viri nomen, authoritatem eius ſequuti. Sed non poterat aliter medici ſeruari vita, niſi libri, quem ob ingenii famam compoſuerat, fide extincta. *Ex Petri Roizij I. C. Lituanicis deciſionib. Iac. Oethaus.*

OBSERVATIO.

Pleuriticis, pro locorum varietate, ſanguinis miſsionem, vel prodeſſe, vel noxiam eſſe.

EST etiam alia ſanguinis mittendi cautio animaduertenda, aeris ſcilicet conſtitutio, & loci, inquit *Hippocrates libro de aere, locis & aquis.* Romæ etiam & Athenis, pleuritico ſanguis non mittitur tuto, inquit Aſclepiades & Galenus, quod hæ ciuitates ſint Auſtris obuerſæ, eadem eſt ratio cur & Narbonæ tuto vena non tunditur eidem affectui. Vnde fit, vt medici Narbonenſes, medicos Pariſienſes inſectentur, quod nimis libere pleuriticis ſanguinem detrahant. In Paro vero & Helleſponto, atque etiam Lutetiæ & Tricaſſibus, tuto pleuriticis vena ſecatur. *Iac. Douinetus Apol. lib.3. cap.2.*

OBSERVATIO.

Petrus Caprarius, puer octennis, pleuritide laborans, ſanguine miſſo, curatus intra ſeptimum diem, Arelatæ: anno M.D.LX. menſe Auguſto.

QVum is Auguſto menſe in grauem Pleuritidem incidiſſet, eſſetq; carnoſo, & bene compacto corpore, ſolidis muſculis, viuido colore, grauiterq; conflictaretur acutiſſima febre, dolore ſiniſtri lateris punctorio, difficili ſpiratione, prædixi parentibus, non aliam eſſe curationi compendioſiorem viam, aut etiam tutiorem, quam ſi puero ex eodem latere, quo morbus infeſtabat, mitteretur ſanguis, alioqui periclitaturum ægrum. Quod cum mihi à parentibus aſſenſum eſſet, mox è brachii ſiniſtri interna vena ſanguinem detraho, ad vncias tantum quinque, ætatis ratione habita. Et iniecto poſt ad veſperam clyſtere, rogaui ecquidnam ſe leuatum puer ſentiret: (erat enim ſupra ætatem ſcitus & ſapiens puer) quumque ſe minus grauari reſpondiſſet, liberiusque ſpirare, & minus dolere; bono animo eſſe iuſſi, futurum enim, vt breui integra ſanitate frueretur, quod & Dei beneficio factum eſt. Nam quum ſecundo à morbi initio die miſſus illi fuiſſet ſanguis, tertio ſpuere copioſe cœpit, quarto ſudare, item & quinto; ſeptimo vero vna cum ſudore, è nare ſiniſtra manante ſanguine, decretorie liberatus eſt, paucis admodum adhibitis auxiliis, fotu inquam ad latus ægrum, & vnctione dolorem ſedante, eclegmate ſimplici, ad promouendum ſputum dato, & ſyrupo, ad eundem ſcopum accommodato: quæ, quoniam triuialia ſunt, nec digna quæ præſcribantur, ſilentio tranſibimus.

Quod huic puero ſalubriter eueniſſe, miſſo ſanguine, diximus, id ipſum quoq; Arduyno Marino, Antonii Marini filio, nouem annos nato; item & Iacobi Bonſoni filio decenni, ambobus pleuritide laborantibus, qui miſſo ſanguine, exigua copia, breui ſanati fuere, Dei ope adiuti. *Valleriola lib.5. obſeru.4.*

OBSERVATIO.

Alia ſimilis hiſtoria.

SÆpe lactantes infantes videmus, quibus ſanguis è naribus absque noxa vlla effluit, vt iure etiam pueris validiorib. aut febre laborantib. vel venam pertundere, aut ſaltem hirudinem apponere, impetremus. Sic & nos in pueris nouem annorũ, pleuritide laborantib. vel vndecim annorum, robuſtis, ſanguinem aliquando commode detraximus. *Pet. Foreſtus de febrib. lib.1. Scholio ad obſeru.21.*

OBSERVATIO.

Pleuritis pueri annorum octo, cum mirandis ſymptomatis coniuncta: qui miraculo potius, quam artis ope, curatur.

IOan. Valleriola filius meus, pleuritide graui cum febre acutiſſima laborans, annorum octo cum eſſet, hyeme ſumma ac frigidiſſima: ſine ſputo vllo procedente, tuſſi validiſſima infeſtante, difficili ac præfocatiuo ſpiritu, & cum ſtertore emiſſo, tum etiam delirio, & clamorib. horrendis: & conuulſione tandem ſecuta; ſummaque virium defectione, ſine voce, ſine ſenſibus factus, vt in ſingulas horas moriturus ſperaretur, & à pientiſſimo patre pro deplorato habitus: prorogato in vigeſimum diem morbo, profluuio alui circa id tempus oborto, eoq; copioſo, miraculo puerum præter ſpem & naturæ ordiné rediuiuum, & priſtinæ ſanitati reſtitutum, Dei ope, vidimus: ſed qui tamen per multos poſt menſes exanguis, tabidus, imbecillus manſerit, tandem vero ſumma Dei benignitate, & ſedula patris, filii amantiſſimi, cura, congrua victus ratione adhibita, & auxiliis opportunis, perfecte ſanatus, incolumis euaſit, ſuperſtesq; manſit. *Valleriola lib.1. obſeru.5.*

OBSERVATIO.

Laterali morbo ex pituita oborto, ſanatus illuſtris vir, qui tamen leuiſſima occaſione poſt, dolorem in loco affecto percipiebat.

ILluſtriſſimum Alphonſum, Ducem Ferrariæ tertium, curauimus, qui laterali morbo ex pituita correptus, ſpatio triginta quatuor dierum in ſanitatem reſtitutus eſt. Sed deinceps quoad ſuperuixit, in eodem loco, ex minima occaſione, dolorem ſentiebat. *Braſauolus, comment. ad aphor.33. lib.6. Hippoc.*

EXPERIMENTA.

OBSERVATIO.

De potioribus compertiſſimi vſus ad Pleuritidem medicinis.

PErnitioſæ pleuritidi dari video radices lappę purpureę aridæ drachmis duabus, ex aqua calida potis, nam ſudores euocat vberrimos, & dolorem ſanat ſaluberrimo medicinæ genere. Nam radice pota, ſtatim æger veſtimentis cooperiendus eſt. *Alex. Benedictus.* Experimento conſtat lappæ radicis peculiare remedium eſſe, aridæ radicis farina, duum drachmarum pondere, ex aqua tepente matutinis pota, ſudore euocato, dolorem protinus ſedare, & ægrum pariter liberare. *Idem Author.* Qui & ſumendi tempus hoc loco expreſſit: Cuius etiam alius extat, pondus ſeu doſim medicamenti, ad eum modum referens. Inuenio & lappæ purpureæ flores ex vino dari (colicis) certo experimento, & eius radicem aridam, digitali menſura, tritam, ex aqua potam, in laterum doloribus, ægros liberaſſe vidimus nam miro modo ſudores euocat, & protinus ſanat: Hactenus *Alexand. Benedictus.* Lappa illa purpurea, ab Ambroſio (lego Alexandro.) Benedicto, tantopere in pleuritide commendata, ea mihi procul dubio videtur, quam Græci Arcion Proſopida, vel Proſopion latini perſonatam, vulgares voce vt ſolent à latina deprauata, Sparpanaciam vocant. Radice enim eius in puluerem redacta, ſcio plebeium quendam hominem, non infælici plerumque ſucceſſu vſum. Scio etiam Dioſcoridem, eandem radicem in ſuppuratis, & ſanguinem excreantibus, commendare qui morbi à Pleuritide non admodum ſunt diſtantes: teſtimonio cuius Dioſcoridis ſcilicet, fretus, cum multoties in illis morbis vſus ſim, manifeſtum inde cognoui iuuamentum. *Manardus.* Radicis cappæ ſiccæ, quæ purpureum florem gerit, aut floris eius ʒ ij. è mulſa propinantur (pleuriticis.) *Hollerius.*

Sunt nonnulla medicamenta, quæ iſti ſecreta appellant, vel quod manifeſta vel latente proprietate credantur omnes pleuriticos iuuare, quale eſt puluis illius floris purpurei, qui paruæ roſæ formam repræſentat, ac ſua ſponte partim in ſegetibus naſcitur, & vulgo Gieton dicitur, quale eſt puluis dentis apri, vterque ad ʒ j exhibitus: quale demum *eſt Oleum de ſemine* Lori, quod ad ℥ iiij. ſimul cum raſura dentis apri calidum præbetur. Recipe oleum ſem. Lini ℥ iiij. dentis apri pulueriſati ʒ j. miſce, & calidum cohibeatur ſummo mane, à quo iubent abſtinendum eſſe à cibo ſaltem per ſex horas. *Maſſaria practicæ libro ſecundo, cap. tertio pag. 120.*

Pleuritidem ſanare relatum, Apri dentis ſcobem p. drach. j. cum oleo de ſemine lini vnc. iij. ebibitum, *Fumanellus.* Potus in pleuritide expertus. Exhibeatur ſemilibra, ſi grauior morbus eſt: ſin minus vncia duntaxat vna, aut altera, olei lini puri calidi, cum ſcobe dentis aprini, quanta ſuper marcellinum nummum exaggerari poteſt. *Geſnerus, ex Ioanne Kufnero.* *Manardus* pleuriticis tinctu, aut potu exhibebat, oleum lini quod magnopere probauit. *Geſnerus,* qui *in epiſtola quadam* ad me. Iam quater aut quinquies feliciter propinaui, primum bis ante ſeſquiannum in Pleuritide cruda & maligna, iam deſperatis fere virgini & mulieri, quarum vnaquęque mox magna admiratione mea reſtitui cœpit. Poſtea iuueni in morbo quodam interiore incognito fere, nec ſatis iam memini etſi annotaui. Quarto in tuſſi & diſpnæa ante paucos dies mulieri gutturoſæ, quæ heri ad me venit, & pro hoc conſilio gratias egit. Omnibus paulo poſt ſoluta eſt aluus ſatis copioſe. Tres aut quatuor vncias vna vice bibi iubeo. Odoris quidem eius grauitas, plerisque adeo moleſta & faſtidioſa eſt, vt ſecundo ſumere nollent, ſed nullum periculum, nullum incommodum ſequitur, & Medicus neceſſitatem in grauiſſimis morbis non voluptatem ſumentium ſpectare debet. Si pure riteque paretur, & Medicus domi haberet, confidentius dari poſſet, etſi Braſauolus non admodum laudat, ego pro cognita fæliciſſima & admiranda eius facultate Deo gratias ago. Hactenus Geſnerus, *Adolphus Occo.* Recipe raſuræ dentis apri ℈ j. plus minus, olei ex ſemine lini recens facti ℥ j. ſumat in potu. *Hieronym. Montuus.*

Dentis ſumme ſcobes, diram pleuritida ſoluent
Nec quatiet pectus tuſſis anhela tuum, *Ioannes Vrſinus.*

Habemus quædam arcana, quæ mirabilia putantur, vt bibere oleum amygdalarum dulcium. Sed vnum aliud eſt arcanum habitum à duce Vrbini ad concoquendum ſubito pleuritidem pertinaciſſimæ

crudi-

eruditatis, vt vncias quatuor accipere olei de ſemine lini, & raſuram dentis apri, & exhibere calidum in potu. Et ego vidi ſumme deſperatos à quodam monacho S. Benedicti de Mantua ſanari; valetque hoc remedium ſummopere in eo, vbi tuſſis ſicca eſt, ille tamen idem in omnibus ſemper operabatur, & admiranda ſequebantur: Faciebat emplaſtrum tale. Accipiebat cyminum pulueriżatum & ſuccum caulium, & pinguedinem porcinam; & hæc tria calida ponebat ſuper locum, & mira ſequebantur. *Montanus.* ℞ dentem Apri dextrum, ſi morbus in dextra parte fuerit, ſiniſtrum, ſi in ſiniſtra parte, verum experientia comprobatum eſt, tam dextrum quam ſiniſtrum ad hunc affectum eſſe bonos. Hunc dentem cultello radito, eiuſque ʒ. ß. vel ℥j. ſumito, & cum aqua hordei, vel cicerum rubrorum, vel pectorali, vel in vino albo diluto ęgroto ad bibendum dato. Hoc autem remedium ſemper verum fuiſſe compertum eſt, *Pedemontanus.* Dens apri in ſcobem comminuitur, dantur ℥ij. ex vino albo tenui, *Hollerius.* Valeat ineunte morbo, ad materiæ orgaſmum Palyndromen, aut fluxionem prohibendam. Habet enim dens apri, vim aſtringendi maximam, *Duretus.* Limatura ſeu puluis dentium maiorum apri detur in cochleari cum oleo lini. *Octauius Landus referente Weckero de ſecutis lib. 5. pag. 155.* Scobis vel raſuræ dentis apri ℥s. in pollinem redacta, & cum aq. hordei vel cicerum rubr. aut decocto pectorali hauſta, vero & comperto remedio illum ab imminẽte periculo liberat. *Mizaldus.* Remedium rarum, experientia demonſtrandum; Accipe dentem apri, quem lima põdere ſcriptulorũ duorum deterito, ſcobem ex aqua ſcabioſæ, vel fontana ſumito, poterit etiamnum huius quoque vſus eſſe, ex oleo amygdalarum dulcium vnciis duabus aut tribus. Siquidem amygdalarum oleum ad vncias quatuor vſq; Zaccharo Candi, vulgo dicto, ſubactum & calidum potum, ſaluberrimis atq; benedictis ob id medicamentis annumeratur. *Wirſungius.* Duo noui quæ efficaciſſima ſunt, ſi ſuo tempore exhibeantur, vt raſura dentis apri, & cinis priapi tauri exiccando, quod defluxum eſt, curant. Quare ſtatim in principio dari non debent, neque poſtquam eſt expectorandum. Illa enim nimium ſiccando ſputum retinerent. Poſt primum diem dari poſſunt cum vino, vt ad partem ducantur. Hæc in frigidis magis, quam calidis conueniunt, *Rondeletius.* Raſura dentis apri (exertum præferunt venatores) quam tamen Rondeletius ſcribit minus valere ab initio, quod nimis exiccando ſputum retineat. Veruntamen hoc tempore magis multo quam deinceps inſpiſſandum videtur: & quæ incraſſando proſunt, maxime ſunt danda in principio (vt noſtri loquuntur) principante, potius quam morbi incremento. Cum vino autem talia propinatũ concedo, vt ad ſedem affectam facilius penetrent, *Ioubertus.* Præbeatur ſcobis dentis Apri ʒj. cum aq. ſcabioſæ: licet quoq; ℥ij. vel ʒ. ol. amygd. dulc. ſumere. *Iatrion Wirt.*

Dico quod effectus (papaueris rubei) contra pleuriſim innumerabiles ſunt, ita apud multos iam ſatis eſt notum. Aliqui dant patienti pleuriſim ℈j. pulueris florum papaueris cum ℥iij. aquæ pimpinellæ vel ſcabioſæ, & reiterant de tribus in tribus horis, & euadunt. Aliqui accipiunt ʒij. iſtorum florum, & ligant in mane videlicet ℥iij. pro vice, & ſic faciunt ter, ſi non ſanantur in prima vel ſecunda vice, & hoc vidi pluries: Et ſcio mulierẽ, quæ omnes febres acutas hoc modo curabat; & etiam febres puerorum qui propter longam febrim hectici videbantur. Ego ſemel famulo illuſtr. Domini Gubernatoris de Claromonte, qui patiebatur magnam febrem, & ſuperuenerat ei dolor ſub coſtis, & dubitaui de pleuriſi, iſte vtebatur dieta groſſa more Gallorum, quare euomuit prandium cum magna copiá ſanguinis, ita quod omnes venæ fracturam indicabant, ſtatim ei exhibui decoctionem ſupraſcriptam, & ex illa hora nunquam paſſus fuit febrem; neq; dolorem coſtalem, neq; amplius euomuit ſanguinem, imo euaſit incolumis. *Bapt. Surdus.*

Qui putant pleuriticos ſanari floribus papaueris albi aridis cum vino ſiue aqua potis, flore rubro mali punici decepti ſunt, vnde plurimi interiere. *Alex. Benedict.* Experimentum pro curanda, Pleuritide, in morbi initio exhibitum. Coquantur papaueris folia in aqua cum hordeo: de qua patienti præbeto ſummo mane vnc. iij. quaque vice, diebus ſaltem tribus. Et ne quis hoc ſpernat remedium; præſtat legere quę ſcripſit *Auic. lib. 10. tract. 5. c. 2.* de papaueris ſemine in pleuritide: in quo hæc inſeruit: Et Galenus quidem præcipit in principio, vtendum eſſe ſpeciebus Diaturpeth. quoniam prohibent materiam; & maturant & confortant. Et dixerunt aliqui puluerem ex papauere rubeo trito, in morbi initio exhibitum, cochlearis menſura inhibere Pleuritidem. *Fumanellus.* Recip. pul. folio. papau. rubei ℈j. Aquę pimpinellæ vel ſcabioſæ ℥iij. datur de tribus in tribus horis vel elixentur flores ligati in linteo raro ex aqua ſcabioſæ, ad conſumptionem medietatis, vtatur hac colatura vt priori pleuritidem perſanat, ſi credimus *Sardo. Montuus.* Folia quæ Maio menſe ex papauere rubro decerpuntur in puluiſculum deterito, quem ægro pondere ʒj. vel ʒj.s. ex aqua bugloſſæ ſumendum offerto, ſed ea lege, vt tantiſper vino abſtineat, vſque dum nihil periculi amplius ſubſiſtit. Ex huius vſu paucos imo nullos fere videas, qui non euadant. *Fallopius.* Erratici papaueris flores, non deſunt qui affirment lateris doloribus, qui Græcis pleuritides dicuntur, mirifice mederi: in quem vſum eos ſiccatos in puluerem redigunt, & in potu exhibent. Ab hoc experimento nonnulli medicorum edocti, ex ipſorum florum recentium ſucco, ter aut quater iterato diluto, Serapium cõficiunt, quo poſtmodũ magno & proſpero ſucceſſu, in pleuriticis vtuntur. *Mathiolus.* Dantur aliqua ad curationem iſtius morbi (pleuritidis) quæ magis à tota ſubſtantia prodeſſe conſtat, quam ratione aliqua, vt decoctum papaueris rubei, in aqua ſcabioſæ, vel pimpinellæ, cineres priapi tauri cum vino, vel cum aqua hordei. Fit autem papa: decoctio hoc modo. ℞ florum papa: rubei Ms. aq. ſcabioſæ lib. s. aq. pimpinellæ q. j. concoquantur leuiter. adde ſacch. parum, fiat ad formam Iulep. dentur à principio bis vel ter in die ℥iij. Sequens dari poteſt omni tempore morbi. ℞ cineris priapi tauri ʒj. detur ſi remiſſa febris cum vino vel cum aqua hordei vel cum aqua capil. Veneris vel cum brodio. Aqua vel decoctum cardui benedicti, vel argentati mire confert, in vtraque pleuritide, verum an in peripneumonia etiam conferat, nondum compertum eſt: Et iſta ſunt experientia comperta & confirmata, nec dari poteſt ratio, *Rondeletius.*

Ex *Rondeletio* noſtro, flores papau. rub. cum capitibus contuſi menſura Mj. coquũtur leuiter in aqua pimpinellæ, vel æquis partibus huius & aquæ ſcabioſæ. Colatura dulcoratur ſaccharo ſolido. Dantur bibendæ ℥iiij. ter vel quater quotidie ab initio morbi fluente materia. Hanc enim ſiſtit, & quod iam fluxerat, abſumit, an potius iuuat, quia ſudorem mouet, materiam fluxionis auertit? In quem vſum nonnulli propinant floris huius diligenter reſiccati puluerem ad ʒij. cum aqua cardui benedicti, vel alterutrius rubiæ, &c. Priapus vero cerui aut tauri influentem materiam, qua pollet ſiccitate abſorbet. Similiter etiam raſura dentis apri (exertum præferunt venatores) quem tamen Rondeletius ſcribit minus valere ab initio, quod nimis exiccando ſputum retineat. Veruntamen hoc tempore magis multo quam deinceps inſpiſſandum videtur: & quæ incraſſando proſunt, maxime ſunt danda in principio (vt noſtri loquuntur) principante, potius quam morbi incremento. Cum vino autem talia propinari concedo, vt ad affectam ſedẽ facilius penetrent. Carduus vero benedictus, & argentatus, ſudores prouocando, reuellit à parte affecta: ſed talibus vti non eſt tutum, priuſquam magna ex parte fluxio conſtiterit, vt neq; illis, iam ceſſante fluxu, quia materiam eductioni rebellẽ & contumacem efficiunt, *Ioubertus*. Pleriq; fallacia experimenta magis quam rationẽ ducẽ ſequuti flores aduerſus pleuritide commendant: ſtatim accedente dolore, vel ſtillatitium ex ipſis liquorem, aut ſerapium ex frequenti foliorũ maceratione propinante: præſertim quib. non eſt robuſta corporis conſtitutio, valenteſq; vires. Erroris huius occaſionem præbuiſſe potuit. *Baptiſta Sardus*, qui flores huius papaueris aduerſus lateris dolores à pleriſq; fæliciter exhiberi: & aduerſus ſanguinis ſputationes vtiles, memoriæ prodidit. *Dodonæus*. Non modo incraſſandi vim (papau. Rhæas) & irruentis humoris inſultũ inflammationesve cõpeſcit; ſed ẽt quadam partium tenuitate, & digerente facultate pollet, non ſecus ac pleraq; agriora ſatiuis acriora: ꝙ manifeſto ex ſucci vel ſyrupi valido diutiſſime præſtante aut permanẽte odore diiudicatur; ideo collectiones thoracis diſcutit. Idq; efficacius vt præſtet, coagulũ ei permiſceatur aliave ꝓ morbi implicatione, & partis affectæ ratione, vt nouimus in fermenti panis mentione. Hoc ſane nõ carebat, & ſatiuo, periculo ſæpius facto, præferebat præceptor noſter magnæ eruditionis & experientiæ *Rondelet*. Eoq; retinendũ ſuademus, non vt empiricorũ more perperam abutamur. *Lobelius obſeru*. 143. Syrupi quib. vtebar (ad pleuritidem) erant violaceus, capillorũ veneris, de hyſſopo (eſt n. aggregator bonus, vt Serapio dixit) quos excipiebã decocto herbarũ capillarium, fumitatũ hyſſopi, fæniculi, vtriuſq; bugloſſi, & florũ communium, adiectos papaueris rubri floribus, qui in ſputo promouendo & pleuritide leuanda mirificam profecto, & multo experimento cõprobatam vim habere deprehenduntur, mihiq; familiare eſſe ſolet id remedij genus: quo ego innumeros ſanaſſe bona fide teſtari poſſum, & mira de eo experimenta *Baptiſta Sardus in ſuo de ſimplicium medicamentorũ virib*. refert. Quin & floris huius ſiccati drachmæ dimidiũ cum aqua decoctionis pimpinellæ & ſcabioſæ dare ſoleo, adiecto ſyrupo de hyſſopo, ſi febris magna nõ ſit, aut violaceo, ſi acutior ſit febris. *Valleriola*. Nullo alio magis auxilio leuata (à pleuritide) ægra eſt, quam decocto florum papaueris rubei, quo vtendum omni die cum ſyr. de hyſſopo, iubebamus, calida accepta potione. Mirabiliter enim flores huiuſmodi leuandis laterũ dolorib. valere quotidiana experientia docet, & mihi familiare, & expertum id remedii eſſe ſolet. Tantum vero hac vacuandi ratione profecimus, vt intra trigeſimum diem expectorata noxia omni materia integræ valetudini ægra ſit reſtituta. Dedimus item in potione, quum difficultate ſpirandi premeretur, puluerem diacamaron ex decocto florum papaueris rubri, & mire contulit, Idem. Adiicio teſtimonium *Portæ magiæ naturalis num*. 8. Et *Foreſti*.

Ex fermento medicamentum comprobatum & efficax ad pleuritidem, & empiema cui febris coniuncta. Recip. radic. gram. canini ℥iij acetoſæ cum radicibus Miij. medullæ cardui fullonum Mij. cardui benedicti ſcabioſæ, herbarum capillarium ana Mj. paſſularum mundatarum ℥j. glycirrhizæ ʒiiij. aniſi ʒij. ficuum num. iiij. quatuor ſem. frigid. maior. ana ʒij. florũ cordialium, hyperici ana Ms. fiat decoctio in aqua boraginis ad lib. j s. cui infunde fermenti panis cibarii ℥iij. coaguli ℥j. s. thamarindorum ℥j. Expreſſioni diſſolue ſyr. è ſucco vel infuſionibus papaueris Rhæadis ℥vj. pro quinque aut doſibus. Diſcutit, abſtergit, per vrinas & ſudores propellit, ab inflammatione tuetur, eademque mulcet, defluxionem cohibet, febrem delet, & collectiones arcet. Alia vero ratione papauer ſatiuum, quod incraſſat, defluxiones ſiſtit, & inflammationes mulcet, initio exhibetur. Rhæas enim vti omnia, magis eſt tenuiũ partium: neq; per ſe, ſed abſtergentibus, attenuantibus, & expectorantibus additur, ne ſit vlla ſuſpitio, & excretionis, & expectorationis, vt quidam verentur, difficultas. *Lobelius obſeru. pag*. 15. *hiſt. plant*. Ol. Lini. Febre peſtifera, tuſſi ſicca, nõ potente quicquam eiicere ægrotante, ordinata ſunt hæc à *Montano*. ℞ ol. ſem. lini ℥ij. detur per lambiliuo qualibet hora dilatabit mirũ in modum. Itẽ decoquatur carduus cũ aqua calida & bibat illã quantũ poteſt, pro dolore decoquatur braſſicæ plurimæ in aqua ad perfectam cõſumptionẽ, deinde piſtentur, cui adde pulu. ſem. cymini q. ſ. cũ butyro, farina ſem. lini & fœnugræci incorporentur optime & fiat emplaſtrum. Et quouis mane bibat ſuccum purum vineæ peruincæ loco ſyrupi; & curatus eſt. *Idem*. Ad pleuritidem compertũ eſt experiẽtia veluti diuinum quiddam omnẽ pleuritidẽ curare & ægrũ à morte releuare ſequens medicamentũ, ꝙ ægro applicari non debet, niſi in quarta vel trãſacta quarta. ℞ dialtheę ℥ij. ol. amygd. d. ℥s. miſc. cũ quo vnguento calido vngatur locus dolens deinde ſuper aſperſo loco dolenti ſic vncto ſequentem puluerẽ. ℞ cymini ℥s. fiat pulu. ſubtiliſ. & cribretur, quo pulu. ſuper aperſo ſume foliũ caulis ſuper cinerib. ignitis calefactũ, deinde foliũ ipſius caulis vnge cũ butyro antiquo nõ ſalito, & loco dolẽti ipſum calidũ applicato, & mirabilis effectus tibi apparebit in ſedatione doloris pleuritidis & in reſolutiõe materiæ apoſtematis, & hoc remediũ tibi honorẽ conducet, & ęgro vtilitatẽ maximã. Et ſcias ꝙ hoc remediũ valet in quolibet alio forti dolore exiſtẽte in toto corpore à capite infra. *Victorius*. Idem ẽt atteſtatur *Tabernæmontanus* qui *ex eod. Victorio* mutuatus eſt, ſed præter hæc addit. His omnib. peractis quã primũ ægro ſequentẽ potionẽ præbe, & intra quinq; vel ſex

horas

horas apoſtema rumpi, ægrumque liberari ſenties. Potio talis eſt. ℞ ol. ſem. lini recentis ℥ iij. ſyr. de liquiritia ℥j.s. Aquæ ſcabioſæ ℥j. miſc. tepidumque ſimul præbe aut ſaltem ℥ iiij. ſolius olei ſeminis lini, nam certiſſimum liberat, nec vllus, quãtumuis grauiſſima pleuritide laboret, morte abripietur. Eſtque hoc bis aut ter, prout neceſſitas poſtulat, repetendũ. Alia potio. ℞ ol. ſem. lini recentis ℥ ij amygd. d. ℥ j s. ol. amygd. am. ℥ s. ſyr. de iuiubis ℥ j. miſc. vterique modo dicto: infantibus tamen ℥ j. tantum vna vice danda eſt, quæ decimis ℥ ij. maioribus doſis dimidia, adultis vero tota doſis præbenda præmiſſa vnctione. Alia. ℞ ol. ſem. lini recent. ℥ ij. s. ol. amygd. am. ℥ ij. ſyr. de iuiubis ℥ j. miſc. f. potio. Alia pueris octo annorum. ℞ ol. ſem. lini rec. ʒ vj. ol. amygd. d. ℥ s. ſyr. violarum de iuiubis, liquiritiæ ana. ʒ ij. miſc. ſimulque tepidam præbeto. Alia pro pueris. ℞. ol. lini ol. amygd. d. an. ℥ s. ſacchari candi ʒ ij. aquæ violarũ ℥ ij. miſ. adultis doſis duplicatur Alia ℞ decocti rad. altheæ, pſylii, ſem. lini ℥ iij. ol. lini ℥ ij. ol. amygd. d. ℥ j. miſc. f. potio. Alia ℞ ol. lini ℥ iij. amygd. ℥ j. s. cũ decocto hordei f. potio, quam ſumes adhibito ſequẽti vnguẽto. ℞. ol. lini liliorum alborum, amygd. butyri non ſaliti ana. ℥. j. incorporetur ſimul & vtere cum puluere & folio caulis modo prædicto. Alia pueris 12. annorum ℞ ol. lini ℥ j. amygd. d. & am. ana. ℥ s. ſacchari candi albi triti ℥ j. cum aqua hordei f. Alia pro iiſdẽ. ℞. ol. lini rec. ʒ. x. amygd. d. ℥ j s. amyg. am. ℥ j. ſyr. viol. ℥ j. ſyr. de iuiubis ʒ vj. de praſſio de hyſſopo ana. ʒ. ij. aqua hyſſopi, ſcabioſæ ana. ℥ j. s. violariæ ℥ ij. miſc.

MORTVI PLEVRITICI.

Observatio.

Pleuritica, circa initia intempeſtiuo theriaces vſu, tandem vitam peripneumonia finiit.

MEmini fœminæ, quæ pleuritide corripi inciperet, à Medico exhibitam eſſe theriacam, cum aliis calorificis, & imperatum, vt poſt aſſumtionem ſudaret, inde omnia in deterius conuerſa, & tandem illa peripneumonia extincta eſt. *Bruno Seidelius lib. de morb. incurab, pag.* 50.

Observatio.

Vini ardentis temerario vſu, Pleuritici mortui.

CVm extra vrbem, in pago Diui Eligii dicto, colonum Pleuriticum præ manibus curandũ haberem, atq; eidem omnia vina interdixiſſem: cumque is noſtris præſidiis melius haberet, poſt noſtrum diſceſſum ſtupidi homines, etiam præter vinum, aquam vitæ ægroto propinarunt, vnde febre denuo accreſcente, & ſputo ob calorem retento, intra quatuor pluresve horas miſere extinctus eſt.

Ita ſartor quidam Delfenſis, prope Noſocomium decumbens ex Pleuritide grauiſſima, cum aquã vitæ ebibiſſet, etiam grauiſſimis ſymtomatibus obortis, & ventris proluuie, nono die ſua incuria obiit. *Foreſtus Obſ. 31. lib. 16.*

Observatio.

In pleuritide, per venæ ſectionem commiſſo errore lethali, mortua Regina.

IOanna Regina Nauarræ, Princeps genere; excepta à Regina matre cõuiuio, prima Iunii, (Anno 1572.) ſeptima eiuſdem in pleuritidem incidit. Vocati ergo qui venam baſilicam incidant, quod in eiuſmodi morbo præſentiſſimũ remediũ iudicatur, inſigni errore contrariã aperiunt, q̃ ilico mori iubet: vnde nona Iunii vitam finiit. *Simon Schardius Hiſt. to. 4. p.* 2517.

DE PERIPNEVMONIA.

Observatio.

Ad vehementem peripneumoniam brachiorum & manuum torpor ſubſecutus: qui, medicamento neruorum laborantium principio adhibito, ſublatus eſt.

QVi à vehementi peripneumonia infeſtabatur, brachii tam poſteriores, quã internæ partes, à cubito ad ſummos vſque digitos, ſenſus difficultate laborauerunt, atque motus quoque nonnihil læſus eſt. Huic preterea nerui, qui in primo atque ſecundo intercoſtali loco inueniũtur, noxam ſubierunt, quorum primus non contemnendæ magnitudinis, per intimas partes abditus defertur, ſed ei qui ipſum præcedit admixtus, atque multifariam diuiſus, vt in arte ſecandi corpora videre eſt, cuius etiam partes aliquæ per interiorem cubiti regionem, vſque ad digitorum extrema perueniunt. Alter vero neruus, tenuis quidem, nullique admixtus, per axillam ſub cute ad brachium defertur, diſperſus per cutis tam exteriores, quam internas partes. Huic homini celeriter ſanitas reddita eſt, adhibito medicamento ei loco, vnde nerui prodeunt, iuxta primum ac ſecundum intercoſtale ſpacium. *Galenus lib. 4. c. 5. de loc. affect.*

Observatio.

In Pulmonico, repentina morte ſublato, deprehenſa pulmonis pars ſuperior cancrenoſa, atque ad iugulum ſubtus alas retracta.

INterdum (quod nos eo ipſo die, quo hæc ſcribebamus, in pulmonico, repentina morte abrepto, vidimus) pars ſuperior in cancrum abit, atque ad iuguli ſuperiorem partẽ trahitur, vt ſub alis lateat, vnde compreſſa aſpera arteria, ſtertor quidam obauditur, non à puris multitudine, aut alterius humoris, ſed ab anguſtia & interceptione meatus, in quo refractus & agitatus humor aliquis in gutture feruet. *Iacotius Comm. 1. ad Aph. 67. ſect. 2. lib. 5. Coac. Hipp.*

Observatio.

In Pulmonia, ſæpe vnus aut alter tantum lobus pulmonis inflammatur.

IN Pulmonia non eſt neceſſe totum pulmonẽ inflammari: quin ſæpiſſime vnus aut alter lobus tãtum id patitur; vt infinitorum cadauerum apertio nos docuit. *Ioubertus c. 7. De affect. Thoracis.*

Observatio.

Ad pulmonis, cordis, & ventriculi inflammationem, & complures alios affectus, ex Stibio remedium, nobili hiſtoria demonſtratum.

ANdreas Gallus, medicus Tridentinus, qui iamdudum honoratiſſime Medicinam fecit Sereniſſimo Ferdinando Archiduci Auſtriæ, Dominus meus Clementiſſimus, ex multis vigiliis magnifique laboribus, quos in ſtudia & ſeruitium inſumſerat, inciderat in malam valetudinem, nempe in pulmonum, cordis, & ventriculi inflammatio-

niem: vnde vehemens admodum ſitis conſequebatur, quæ nullo quidem potu extingui poterat. Præterea epiglottidis tumore, & tanta palati ſiccitate vexabatur, vt vix loqui poſſet. Quinetiam cordis palpitationem patiebatur adeo magnam, vt nocte repente expergefactus, putaret per cubiculum aliquem obambulaſſe. His denique malis acceſſerat capitis deſtillatio, à qua ſæpius ſuffocari metuerat. Porro metum mortis augebant vires, quæ tot morbis, quaſi hoſtibus obſeſſæ, facile poterant deficere & opprimi, ex eo præſertim, quod nullus eſſet cibus, qui appetitum langueſcentem excitaret, atque ita vires inſtauraret, vel ſaltem conſeruaret. Addam quod os & guttur eius ſaporem tetrum, & carbonibus ſimilem reddebant, quæ ſane omnia, dictæ inflammationis erant indicium non obſcurum. Cum igitur res ſua per aliquot ita ſe haberet, atque in maximo verſaretur diſcrimine, neque vllum perciperet leuamentum ſuarum ægritudinum, ex multis medicinis factis, ad Stibium, quod Mauritani Antimonium vocant, me neſciente, confugit: quoniam ſæpe audiuerat, medicamentum hoc ſibi mirifice commendatum fuiſſe à Georgio Handſchio, Medico haud vulgari, qui illius experimentum fecerat in morbis difficillimis. Hac itaque ratione ductus, Stibii in tenuiſſimum puluerem redacti, & rhodo ſacchari exiguo admiſti, tria tantum grana ſumpſit, atque paruo poſt temporis ſpatio, ſenſit medicamentum illud ventriculi ſubuerſionem moliri, ac leuem quendam calorem excitare. Mox erupit vomitus, quo ſolum quaſdam cibi particulas reiecit, etſi ſuperiore die non cœnaſſet. Hunc paulo poſt alius ſecutus eſt vomitus ſimilis, cui ſucceſſit bilis flauæ reiectio, ad vnciarum fere quatuor pondus. Hæc autem omnia euenerunt horæ tantum dimidiæ ſpatio. Ex quibus nimirum illud cœpit iuuamenti, quod ſtatim omnis ventriculi labor ſedatus eſt. Ex eo vero, quod hora poſt, ter bilioſa excreuit inferne, in quibus craſſa quædam reſidebant, (hæc ſimul, duarum librarum pondus æquare poterant) factum eſt, vt ab illa cordis palpitatione, capitis fluxione, epiglottidis tumore, ſtatim ſit liberatus, qui præterea neque ſitim moleſtam habuit, neque cibi faſtidium perpeſſus eſt. Quamobrem is corporis ſalutem, ipſamque vitam, in tot morbis deploratam, Deo primo, deinde huic medicamento, acceptam retulit. *Mathiolus com. ad cap. 59. lib. 5. Dioſc.*

DE EMPYEMATE, SVPVRATIS, ET VOMICA.

ET PRIMVM DE EMPYEMATIS EXEMPLIS.

OBSERVATIO.

Interdum Empyema quoddam colligi ex phlegmate ſuppurato, & non ex pure.

IOHANNES Fernelius, Medicus non ſolum doctrinæ amplitudine, ſed experientia inſignis, in ſenibus pſertim pituitoſis, empyema quoddam ex ſuppurato in pulmonibus phlegmate colligi affirmat, empyematis ſpecie medicos ſæpe deludens. Idem à me in multis tum viris tum fœminis obſeruatum eſt, etiam menſes tres, quatuor, aut plures durans, quod tamen nulla tabis noxa ſequuta eſt. Cæterum cognoſcitur ex eo, quod ægri phthiſi minus apti ſint, ſed corpulenti, & quod corporis conſumtio tabida nulla animaduertitur. *Iac. Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

OBSERVATIO.

Ex Pleuritide in empyema verſa, ſiniſtri pulmones toti in ſaniem & pus conuerſi, dextris ſaluis perſtantibus.

PLeuritide quidam laborans, poſt 14. diem, cum expueret ſanguinem, in Xenodochium receptus eſt, ibi cum omnia incaſſum remedia tentarentur, vix poſt dies quadraginta, ſaniem ad dimidiã menſuram fere expuit. Cum ſecaretur, nullum apparuit veſtigium pulmonis in ſiniſtro latere, verum ad 20. pocalia ſaniei deprehenſa. Diaphragma totum conuerſum in illa parte in ſaniem, vna cum muſculis intercoſtalibus inuentum eſt: ſi tres adhuc ſuperuixiſſet dies, crepuiſſet per coſtas. Mediaſtinum vero non erat læſum, & alter dexter pulmo ſanus & integer, colore & ſubſtantia conſpectus eſt. Hanc hiſtoriam, ab Italo quodam annotauit. *Geſnerus. Caſpar. Wolphius, Amicus.*

OBSERVATIO.

Empyematis curatio expedita.

EX peſſimo empyemate, à Medicis egregiis derelictum iuuenem, Adrianum Belgam, optimorum morum, nam neminem illo gratiorem expertus ſum. Erat autem à libellis Don Alfonſi Pezoni, regii quæſtoris, hunc itaque febre, tuſſi aſſidua, ſputo ſaniei, difficultate ſpirandi laborantem, miris modis curare aggreſſus ſum anno abhinc quarto: coactuſq; ſum ſanguinem mittere, quod maius periculum, quam etiam morbum vereret: inde teſtudinum vſu, & ſyrupo etiam ex illis confecto, exquiſitaque victus ratione: in qua alii Medici non obſeruanda peccauerant, carnes & oua concedentes: tandem eum liberaui ſic vt vxorem duxerit, & nunc etiam ſanus, mei memor viuat. Vſus autem ſum in eo aquis deſtillatis, cuiuſmodi ſupra docui: tum decocto ligni Indi, cum humectantibus & expectorantibus, melle ſiquidẽ, altheæ & ſymphyti radice, ſcabioſa, glycyrrhiza, foliiſq; longæ ariſtolochiæ. *Cardanus Curat. admir. num. 9.*

OBSERVATIO.

De Vomica.

HVIVS meminere latini authores, vt Q. Serenus, & Scribonius Largus, & Cor. Celſus præter cæteros, dum inquit: dolor autem pulmonis, ſi neque per ſputa, neque per cucurbitulas, neque per ſanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus eſt; vomicas aliquas interdum excitat. Meminit & in tertio, cum dixit: ſuppuratione autẽ quæ in aliqua interiori parte oriuntur, vbi notæ fuerint, reprimendæ, ſi non digerendæ, ſine id licet matureſcant: omnis enim vomicæ finis eſt, vt rumpatur. Meminit & V. Maximus de quodam Iaſone Phæreo, cui caſu exciſa vomica, dum ille mortem ſatagit, ſalutem affert. Eam ego vidi: laborant febricula,

tuſſi

tuſſi aſſidua, tabeſcunt, pondus in imo thoracis ſentiunt, nihil expuunt ſanioſum, poſt tempus diſrupta vomica plurima expuunt, & moriuntur. *Card. part. 3. num. 64. de Cauſ. Sign. ac. loc. morb.*

Observatio.

Vomica quidam caſu & deſperatione liberatus.

PHALERÆVS (alii legunt Phareus) deploratus à Medicis, vomicæ morbo: cum mortem in acie quæreret, vulnerato pectore, medicinam inuenit ex hoſte. *Plin. libr. 7. cap. 50. Nat. Hiſt.* Diuinæ fortunæ vulnus, Phæreo Iaſoni, quidam exitii eius cupidus intulit. Nam cum inter inſidias gladio eum percuſſiſſet, vomicam, quæ à nullo Medicorum ſanari poterat, ita rupit, vt hominem peſtifero malo liberaret. *Valer. Max. lib. 1. c. 6.*

Observatio.

Vomica oui columbini magnitudine excluſa, ſeruati quidam, quidam periere.

ADoleſcens quidam à paulo vehementiore exercitatione, cũ acerba tuſsi, nullo puncto temporis intermiſſo, torqueretur, vomicam integram, columbini oui magnitudine, excreauit: in qua aperta, pus exquiſite album & æquale deprehenſum eſt: cruenta excreatio integrũ biduum perſtitit, magna febre, magnaque corporis perturbatione. At nihilominus ſeruatus is eſt, atque ſanitati reſtitutus. *Fern. lib. 5. c. 10. Patholog.*

Mirum eſt, quod quidam ſub mortem, ſuppurationem ad inſtar oui, membrana clauſam, per aſperam arteriam reiecit. *Scholiographus ad marg. libro quarto, de loc. affect. Galeni, editionis Lugdunenſis, in minima forma.*

Quidam Lutetiæ vomicam membrana tectam, ouo ſimilem, è pulmonibus expurgauit, cum ante fuiſſet aſthmaticus: & ita paulo poſt extinctus eſt. *Holler. inter rara num. 1.*

Observatio.

Pulmonis vomica rupta, & pure ad cor penetrante, eiuſdemque facultates opprimente, quidam intra horæ quadrantem, ex improuiſo, nullis antegreſſis ſymptomatibus, mortui.

NON pauci inopinato è viuis, horæ quadrante, erepti ſunt, in quibus diſſectis, non alia mortis cauſa comparuit, quam repentina vomicæ diſruptio in pulmonibus, è qua pus in cordis arcem penetrauerat, ipſius vim extinguens atque obruens. Cumque ex his duo Medici eſſent percelebres, attamen nec febre, nec inappetentia, nec alio vllo ſymptomate impendentem ſibi diem vitæ ſupremum præſenſerunt. Id mihi quidem perſæpe eius loci memoriam refricauit, quo inquit Hippocrates: Quibus ſuppuratio in corpore abdita non innoteſcit, ea ꝓpter craſſitudinem vel puris, vel loci deliteſcit. Etenim haud raro efficit obuoluentis membranæ denſitas, vt nihil tetrum à pure in cor, vitæ fontem, inſpiretur. Omnibus tamen ſic affectis, multo tempore antequam vomica rumperetur, cruenta excreatio proceſſit è pulmonibus, eaque cum tuſſi, adfuitque ſpiritus grauis ac fœtidus, corporis grauitas, pectoris leuis oppreſſio, & ſpiritus difficultas, quibus tabes raro comes. *Fern. lib. 5. c. 10. Patholog.*

Observatio.

Vomica Pulmonis.

VIR Nobilis Iohan. Alb. à Selſtrang è Morauia demum rediens, incidit in febrilem paroxyſmum, quo finito, in omnibus membris externis, præſertim vero in cruribus & genubus graue ſenſit dolorem, quod cũ paucis diebus per ſe euaneſceret, moleſta tuſſi deinde afficiebatur, & quoties tuſſiebat, adeo fœtidum exhalabat ſpiritum, vt nemo adſtantium niſi ianua & feneſtris apertis eum potuerit ferre. Quodam autem die, rupta (vt equidem opinor) in pulmone vomica, magnam grauiter olentis puris copiam reiecit, parumque abfuit, quin fuerit ſuffocatus. Tuſſis per aliquot dies ſequentes durauit, ſemperque fœtidi puris aliquid reiecit. In ſiniſtro latere verſus ſpinam dorſi obſcurum ſenſit dolorem. Ego etſi de vita hominis deſperaui: tamen aquam hordei cum paſſulis pro potu & potionem longam (vt vocant) pectus mundantem & abſtergentem ei præſcripſi, quo cum per dies aliquot vſus eſſet, melius habuit. Tandem vero poſt meum diſceſſum duas membranas veluti ex aluta madefacta, magnitudine Taleri, magno conatu cum Tuſſi reiecit & præter omnium exſpectationem conualuit. *CL. V. Io. Franci Hildeſii Med. Camicenſis exemplum.*

Observatio.

De Suppuratione ſeu Vomica totius pulmonis.

PVLMONEM exulcerari nouum non eſt; ſed totam eius ſubſtantiam in pus conuerti; & nihil aliud quam pus eſſe, & ſola membrana ſuccingente pulmonem cõtineri, vt in cauitatem ea minima rupta defluxerit, id rarum eſſe exiſtimo. Id equidem euenit Domino de Abbenbrouck, œconomo tunc exiſtenti Regis Hiſpaniæ ac Angliæ, qui cum longo tempore catarrho acri in pulmonem collapſo, tabe conſumptus, in domo Regia in Haga Comitis decubuiſſet, variis afflictus ſymptomatibus, potiſſimum arthritide & gonagra, renum calculo, & pulmonis vomica: varia ſunt præſcripta remedia per duos Medicos Haganos: atque iis nihil proficientibus, dum & Hectica febre conſumeretur, ego tunc Alckmariæ habitans, ad eundem accitus, primo Ianuarii die, Anno 1555. perueni, tunc nihil niſi oſſa pelle obducta reſtabant, cum nulla medicamenta iuuarent, dudum facto, prognoſtico quod moreretur, vltra menſem apud eum heſi. Cum alium medicum ablegaſſet, & alter ipſe morbo detentus, illum non amplius inuiſeret, ſolus in curatione permanſi. Sed paulo ante eius mortem lotium ad quendã medicum tranſmiſſum, cum ex hepatis debilitate potius, quam abſceſſu, per vnum aut alterum diem ſanguinem per aluum reddidiſſet, quod clam Medicus intellexerat, quare iudicabat apoſtema in hepate latere, ita vt Domina de Abbenbrouck, filia Dominæ de Bergen, me tum alios medicos, q paulo ante me ægrũ tractaſſent, ignauiæ accuſauerit, quod apoſtema illud in hepate minus agnouiſſemus. Ego vero inquiebam, (cum alii non amplius ægrum accederent) id autem poſt mortui inciſionem minime reperietur, ſed tantum malum in pulmone, & calculos aliquot nos inuenturos, renibus ipſis infarctos: quod & poſtea inciſio demonſtrauit. Nam 10. Februarii die mortuus eſt, agens 38. annum, & cum Domina de Bergen, & vxor Dn. de Abbenbrouck, filia eiuſdem Dominæ de Bergen, mihi cum Chi-

rurgo

rurgo iniunxiſſet, vt cadauer prius inciſum, à Balſamo (vt moris eſt) condiretur corpore diſſecto, inuenimus pulmonem nihil aliud quam vomicam eſſe, & renes calculo infarctos, hepar quidem integrum eſſe, ſed flaccidum, nullo abſceſſu corruptum, ita vt forte ante mortem organum ſanguinis ex debilitate ſanguinem retinere non potuerit: pulmo enim plane ſuppuratus & putrefactus, membrana integra exiſtente, maculis tamen plumbeis & ceruleis interſtincta, quam ipſemet digitis cum attingerem, perrupta membrana tanquam vomica magna, pus inſtar olei amurcæ erumpebat, valde fœtidum & corruptum: adeo vt totus pulmo nihil aliud quam purulentia eſſet: quæ & mortis cauſa cenſenda erat. *Foreſtus Obſ.51.lib.15.*

OBSERVATIO.

Thoracis cauitas pure pleniſſima, pulmonis exigua parte ſuperſtite.

A*Braham Wernerus, Med. D.D. Iohann. Hermanno Med. S.D.*

Magdeburgenſem illum ſtudioſum, quem poſt diſceſſum tuum curandum ſuſceperam, ex epatis tumore laborare exiſtimabam. Cumque dolor quotidie augeretur, & duraret longius, epar ipſum in pus conuerſum eſſe arbitrabar. Poſt cadaueris autem apertionem, inueni Epar pene illæſum. Totam vero thoracis cauitatem pure pleniſſimam, ita vt de pulmonibus vix exigua portiuncula conſpiceretur. Ex quo, ſymtomatum vtriuſq; affectionis tantam cognationem fuiſſe, ſatis mirari non potui. Vale Witebergæ Anno 1566. 24. Ian.

Laurentius Scholtzius, de ſuis nuper liberaliſſime mihi communicatis Obſeruat.

OBSERVATIO.

In ſuppuratis incredibilem puris copiam in thorace coaceruari, & ſæpius quotidie per os reiici: quod & in thoracem penetrantibus vulneribus deprehenſum eſt.

VT non paucos ſuppuratos perire, ita & alios complures ſeruari vidimus. Quorum, ſi quis per ſingulos dies reiecti puris quantitatem collegerit, interdum ſex aut octo heminas, interdum decem, atque interdum plures totam ſummam æquare inueniet. *Gal. li 5. c.2 de loc. affect.*

Mirum eſt quod de purulentiæ quantitate ſcripſerunt authores, & quæ ipſi vidimus, fidem ſuperant, ſupra octo heminas ſingulis diebus quidã excrearunt, ex qua vomicæ nomen contraxiſſe video. Græci, quod intus pus habeat, appellauere. *Alex. Benedict lib. 9. c.2. De medend. morb.*

Quæri poteſt, qua ratione etiam ab exiguo vlcere tam multa in thoracem confluant, vt & ſuppurati ægri euadant, & ingentem puris copiam indies expectorarent, quam nulla fere alleuiatio inſequatur. Cauſæ multæ ſunt. Primum locus ipſe vulneris depreſſus, ſi lateribus conferatur, ad quem humores ſuapte natura graues delabuntur, & ex circumpoſitis grauia omnia. Deinde infirma partis affectæ retentrix, tum propter fibrarum quæ in retentione contrahuntur ſolutionem: tum propter ambientis contactum, quo membri temperies euertitur. Quo fit, vt quæ humida vtrinque contineri non poſſunt, in locum medium defluant. Tertio concoctio ſolutionis vitio oblæſa, cum alimentum aſſimilare non poſſit, excrementi auget copiam. Poſtremo ad imbecillum ex ſolutione locum, tum ob dolorem, tum ob calorem, confluxio fit, & ex ipſa propter vacuum ab vniuerſo corpore colliquatio. Ea ratione accidit, vt ſi quis per ſingulos dies reiecti puris quantitatem in quibuſdam ſuppuratis collegerit, interdum ſex aut octo heminas, (ait Galenus) interdum decem, atque etiam plures, totam ſummam æquare inueniat. Cum ergo vncias decem hemina fere contineat, heminæ decem puris quod ſingulis diebus reiicitur, vncias centum perficient: ex quibus partium affectarum ſumma imbecillitas, & è toto corpore colliquatio arguitur. Refert quoque Nicolaus, vidiſſe ſuppuratam ex vlcere, quæ quotidie libras octo puris expueret, perſeueraſſeque in ea copia dies ſex. Cæterum tum in thorace, tum frequentius in pulmone areſcens ſanies, & calore in cruſtam verſa, cicatricis falſo creditæ imagine nobis imponit, donec ob thoracis motum & partis mollitiem, leuiſſima occaſione excuſſa cruſta, vlcus recrudeſcere animaduertimus, maiore quam ante periculo. Monet ergo Hippocrates, huic dubiæ & incertæ ſaniei nuſquam fidendum eſſe. *Iacotius Comm.1. ad Aphor.5. Sect.2. lib.6. Coac. Hipp.*

Nobilis iuuenis Cæſar à Sata, patritius Arelatenſis, optimæ ſpei adoleſcens, ab immorigero & ruſtico famulo domus ſuæ, quod male obitæ rei ruſticæ increparetur ab herili filio, quatuor acceptis ſecundum dorſum & latera vulneribus à ſicca inflictis, duobus intra peritonæum ſecundum thoracem penetrantibus vulneribus, poſt duos exactos menſes moritur, nullis proficientibus auxiliis, ſumma cura miſero ægrotanti adhibitis. Diſſecto parentum & magiſtratus iuſſu cadauere, vt de nece pro teſtimonio diceremus, admiranda & incredibilis puris copia, (vt quæ menſuram viginti ſextariorum æquaret) in thorace ſecundum ſiniſtram illius partem inuenta eſt, totam pene thoracis partem alteram implens, vt fere amphoræ tertiam partem, & eo amplius æquaret, vaſis multis & capacibus extracto pure impletis. Erat autem æger facie tabida, oculis cauis, decolor, emaciatus, perpetua tuſſi oppreſſus, nullo aut exiguo procedente ſputo, difficulter ſpirans, vt vix cum ſcalas aſcenderet, aut longius progrederetur, ſpiritum ducere poſſet, inappetens, & inſomnis. Ille vero tandem ad extremam virium deiectionem deductus, magno omnium luctu & dolore, infeliciter moritur. *Valleriola lib.4. Obſ.7.*

OBSERVATIO.

Apoſtemate oui magnitudine in pectore ſuborto, ſuppurato atque conſolidato, æger diſpnœam incidens, aliquot inde annis, cum corpus forte reclinaret, plurimum ſaniei & puris è pectore reiecit, atq; etiamnum indies contabeſcente corpore expectorat.

IN pectore apoſtema habuit vir quidam ouo maius, quo aperto, impoſitoque ſapone cum ſale, aceto, furfure, & cortice tiliæ interiore, multa ſanies effluxit, quæ compreſſo thorace copioſior effluebat, quod profundius nimirum vlcus eſſet. Hoc poſtea curato, aliquandiu mediocriter habuit, ſed in diſpnœam incidit: & aliquot annis poſt, cum ſe forte incuruaret, multam ſubito ſaniem è pulmonibus re-

busreiecit,& nunc ab eo tempore per aliquot menſes ſemper reiicitur ſanies & pus, eo tamen contabeſcente magis magiſque. Vbi notandum videtur, quod cum in latus ſiniſtrum, in quo primum apoſtema fuit, incumbit, nihil eiici poſſe: cum vero in dextrum, multum & facile. *Geſneri Obſeru. per D. Caſp. Wolphium communicata.*

OBSERVATIO.

Stertorem non ſemper ſuppuratum pulmonem conſequi: tum de ingentis vomicæ in pulmone ſymptomatibus, cum puris vomitu periodico.

STERTOR ſuppuratum pulmonem cum multitudine puris non ſemper ſequitur. Vidimus mulierem Arelatæ, quæ quibuſdam ante mortem annis vomitu ſolebat per interualla reiicere magnam puris copiam, cum defectione animi, vocis priuatione, & grauibus aliis ſymptomatis, quibus leuabatur à vomitu. Mortua & diſſecta, vomica ingens in pulmone reperta eſt, cum tamen ſtertor non apparuiſſet. Non enim fit, niſi in bronchiis, aeris conceptaculis, materia ferueat. *Iacotius Comm. 1. ad Aph. 18. li. 1. Coac. Hipp.*

OBSERVATIO.

Pulmonis abſceſſum per vrinam: thoracis autem per inteſtina & aluum expurgari.

PER vrinam expurgantur gibbæ hepatis partes, atque omnes quotquot ſunt his ſuperiores: per aluum vero pars iecinoris reſima, inteſtina, ventriculus, & lien. Præter has, aliæ quædam fiunt purgationes, ſed raro, vt cum thorax & pulmo per aluum purgatur: quæ infra ſeptum tranſuerſum poſitæ ſunt partes, per vrinas. Quorum cauſam cum nonnulli ignorent, neque id vnquam accidiſſe viderint, quod à multis viſum eſt, negant fieri poſſe, quod abſceſſu interim in pulmone orto, pus expurgari per renes poſſit. Nos vere pulmonis vomicam per vrinam, thoracis autem per inteſtina & aluum expurgari vidimus. Quanquam in primis ex pulmone per renes tranſitus, nullam reuera dubitationem excitare debet. Etenim vt à concaua vena, ita ex magna quoq; arteria rami deſcendunt ad renes. *Gal. cap. 4. lib. 6. de loc. affect.*

Matthiolus, vomicæ pulmonis expurgationem, ad vias vrinæ fieri, per venam ſine pari, contendit, contra *Galenum libro Epiſtolarum 1.* cuius ſententiam *Iul. Alexandrinus contraria Epiſt. eodem libro exhibita*, refellit.

Thoracis & pulmonis ſuppurationem, aut quamlibet aliam materiam, per aluum interdum expurgari conſtat, vti quæ in partibus infra ſeptum poſitis continentur per vrinas. Verum è pulmone ad vias vrinæ, & ex thoracis capacitate ad inteſtina, facilior eſt aditus, quoniam vt hic à vena caua, ita illinc è magna arteria rami deſcendunt ad renes. Leuis enim arteria (nam per venam dextri cordis ventriculi trahitur ad pulmonem ſanguis, per leuem pellitur à pulmone) quantum puris ex rupta vomica ſuſcipit, id in ſiniſtrum cordis ſinum deponit, quod inde in magnam arteriam incidens ad renes tranſit & veſicam. Ac certe vidimus in Doctore Arelatenſi vrinæ difficultatem, cum maximo renum dolore, & arenulis rubentibus: cuius diſſecto cadauere, renes integri inuenti ſunt, ſed in thorace hydrops, & concretus in corde lapis, qua parte materiam in ſiniſtrũ cordis ventriculum, & inde ad renes ferri ſolitam, probabile eſt, quæ eo itinere præ calore in arenulas concreſcebat Sed & ſeri ex pulmone ingens copia in abdominis capacitatem penetrauerat, haud ſecus, atque ſæpe cæcis ductibus ex abdominis capacitate in hydropicis redundat in thoracem. Suppuratio itaque è thorace in venam cauam recepta, per medium vas, quod in quibuſdam cauam coniungit cum porta, in aluum facile reiicitur: & attenuatum pus, non minus à caua in portam commigrare poſſe videtur, quam in diarrhœis & deſtillationibus è capite, præſertim cum craſſior chylus & crudior à porta ad cauam facile permeet. Verum à pulmone, vt dixi, facilior eſt ad venas tranſitus, quam ad aluum. Nam quod ex ipſo diſcedit, primum quidem in ventriculos cordis recipi neceſſe eſt, quoniã ex magna vena, quæ ſpinæ incumbit, nulla in pulmones deriuari videtur: deinde hinc abiens, alterã ex duabus viam progreditur. Nam aut per venam cauam ad iecoris gibba, & inde ad ſima, portas, & anfractus inteſtinorum, peruenit: aut primum quidem in magnam arteriam, deinde in eam quæ meſenterio intexitur penetrat. Ex quo fit, vt per vrinas pulmonis vomicæ critice expurgari poſſint: per aluum minime, niſi cum periculo mortis. Primum, quia illud iter naturæ peruium non eſt: deinde, quia aut confertim in cordis arcem repentina vomicæ diſruptio irruit: aut ſenſim per cœcos ductus delabitur in cor, iecur, ventriculum, & inteſtina. Priore modo inopinato ſyncope prehenduntur & intereunt ægri, puris copia vim cordis extinguente atq; obruente. Poſteriore vero, dum pus per partes nobiles vacuatur, eas vitiat, mordet & abradit. Itaque in corde leuia animi deliquia interdum excitat: in iecore ſanguinis generationem corrumpit, & vim trahendi chyli obruit: in ventriculo & inteſtinis tum concoctioni ac digeſtioni cibi detrimentum adfert: tum etiam ſæpe dyſenteriam concitat, aut lyenteriam, aut hydropem plane lethalem. *Iacotius Comm. ad Aph. 4. lib. 6. ſect. 2. Coac. Hipp. pag. 825.*

Plura vide, circa finem Obſeruationis, qua docetur, pus in pleuritide ſæpius per vrinas, rarius autem per aluum expurgari.

OBSERVATIO.

Pectore ſuppuratus, rupta vomica, liberatur.

QVod ab annis aliquot (Anno 1550.) Furnis ciuitate Flandriæ occiduæ videre mihi contigit, ſilentio nequaquam præterire poſſum, idque eo potiſſimum, vt videãt noſtræ profeſſionis viri aliquot, q̃ faciant parum Chriſtiane, qui deploratis, & quos prognoſticis relinquendos dicit Hippocrates, operam ſuam recuſant, quaſi id citra nominis periculum facere nequeant, quum videamus nonnunquã, naturã varios curationis ſcopos moliri, quod & hac noſtra hiſtoria clarum euadet. Erat Furnis vir non infimæ conditionis, Iohannes Taerſius, is apprehenſus angina, acciri iuſſit ſeplaſiarium quendã ouromantem, qui ne ſuo deeſſe officio videretur, ſtatim catapotia deglutienda afferebat: quæ vt nonnihil turbarunt aluum, ita parum admodum ad materiæ abolitionem faciebant; quinto etenim ab aſſumpto pharmaco

pharmaco die inuaſit cum continua febris, aluuſque iam prorſus induruerat, lotium paucum erat, facies admodum rubicunda, atque perturbata, in ſumma, omnia viro præſentem intentabant mortem. Ego interim tandem aduocatus, etſi præſentibus ſtatus anxietatem, & futuri duelli difficultatem, explicuiſſem, quod in me fuit, meo non defui officio, calorem illum febrilem compeſcens, & ne vlcerato pulmoni (quod ſumme metuebam) phthiſis ſubſequeretur, ſuppurationis maturationem ſtudeo promouere, fomentis ad id per ſpongias, emplaſtris atque cataplaſmatis adhibitis. Quod vbi decem, aut paulo amplius dies continuaſſem, thoracem contéplatus, video vtrinque paulo infra mammillas efflореſcentem quandam rubedinem, cum leui tumore: & quum interroganti mihi, num dolor aliquis pungens ibi eſſet? reſponderetque, dolorem quidem perſentiſcere ſe, verum totum corpus adeo excruciari, vt qua parte magis vrgeat dolor ignoret; iudico, quod res poſtea docuit, breui heic vomicam eruptum iri: nam vigeſima die, ſupra ſeptem tranſuerſum, in ſiniſteriore pectoris parte, primum facta continui ſolutione, maxima puris effluxit copia, ac deinde tertio poſt die, altero illo tumore, quem in dextro fuiſſe latere dictum eſt, rupto, puris ſic ſatis erupit, quod vbi peractum eſt, extemplo ſeipſo alacrior redditus patiens, remiſſus febricitauit, dormiuit ſuauius, reſpirauit facilius, & pro temporis ratione appetebat & concoquebat cibos. Nos interim veriti ne vlceris labra conglutinationem admitterent, aut coaleſcerent, propter continuum materiæ affluxum, qui nobis ſuſpectus erat, quod pulmonem purulentum prorſus eſſe animo concepiſſem, abſterſo ablutoque vulnere cum melicrato, ac pro artis ratione deligato, atque iis exhibitis quæ pus expurgant atque facilitant, præter opinionem hominem reſtituimus ac perſanauimus: quod ſummo illi Medico, qui omnia poteſt in omnibus, & qui per Samaritanum vulnera œnelæo perfudit, aſcriptum eſſe volumus, cum inter miracula non infimum cenſendum ſit: ſiquidem in pulmonia vehementi ac periculoſa, abſceſſus in cruribus erumpentes, Hippocrati boni ſunt ac vtiles, quod deorſum & quam longiſſime ab ægrotatione abſiſtant, optimi tamen ac omni periculo vacui non cenſentur qui citra concoctionis ſigna erumpunt: quod vt ait Galenus, & ſi hominem à periculo in pulmonia imminente liberent, articulus ipſe, in quem abſceſſus decumbit, difficilius ſanitati reſtituatur, adeo vt nonnunquam claudicet æger. Nobis certe metuendum erat, ne in loco vicino ac nobili orta vomica, tragœdiam aliquam excitaret, & ne puris putredine aut acrimonia corroſo diaphragmate, aut ſubſtantia pulmonis, aut venoſo genere, vt minimũ phthiſis ſubſequeretur, aut ſubita ex inſperato mors, p̃ſertim quando, vt iã diximus, omnia ſigna mala eſſent, & certã mortẽ prænunciarẽt, quãdo nec morbi ipſius magnitudo, vel ægri ipſi⁹ vires, vſtionẽ aut ſectionẽ, ad puris excretionẽ faciẽdam, admittere videbãtur, q̃ alioqui purulentis, vel Hippocrate ipſo teſte, quoties pus in pectus erumpit, nõ inutilia ſciebamus. Nã & Plinius ipſe memoriæ ꝓdidit, Phaleræum quendã vomicæ morbo à medicis deploratũ, quũ mortẽ in acie q̃reret, vulnerato pectore, medicinã inueniſſe. *Balduinus Ronſeius Epiſt.* 8.

Observatio.

Puris ex vomica è thorace, per vſtionem, ſectionem, & coſtarum perforationem, educendi ratio.

RVPTA vomica, pus effunditur in ſpatium thoracis, quod effuſum ac ibi collectum, vera ſuppuratio ceu empyema dicitur. Hoc, ſiue Anginæ, ſiue Pleuritidis, ſiue Peripneumoniæ, ſiue alterius vitioſi affectus ſit conſequens, niſi intra quadrageſimum diem à die ſuppurationis expurgetur, hoc eſt per ſputa, aut per vrinas, vel aluum, vel vterum in mulieribus, (quanquam raro excernatur) phthiſin aut ſuffocationem inuehit. Phthiſin quidem, corruptis pulmonibus, ob longiorem puris moram in thorace, ſuffocationem vero, ob puris copiam; febrem adurentem, & virium imbecillitatem, cum ſuppuratio morbo ſuccedat, cuius vi neceſſario ſunt vires labefactatæ. Etenim *Hippocrates libro de morbis*, ſuppurationis quatuor euentus facit, duos ad ſalutem: expectorationem puris, aut eiuſdem per aluum & vrinas excretionem: duos ad perniciem, phtoen, aut ſuffocationem; adde & quintum ſi vis, rarum licet, cum pus in thorace collectum diuturna ibi mora, aſſiduoque noui puris affluxu, auctaque febre, nouam acquirit putredinem, à qua circa coſtas abſceſſum excitat, ac velut per cuniculos quoſdam è thorace exitum ſibi molitur Si ergo nec per ſputa, nec per aluum aut vrinas, nec per abſceſſum in latere excitatum, pus illud in latere thoracis contentum, ob ſui craſſitiem & copiam, aut virium imbecillitatem, expurgari non poſſit, vnica reſtat ſalus, vt ſi virium robur adſit, per vſtionem aut ſectionem illi paretur emiſſarium. Sic enim ex conſilio Hippoc. quæ medicamenta non ſanant, ea ferro ſananda, quæ ferrum non ſanat, ea igne ſananda, quæ ignis non ſanat, ea incurabilia iudicanda ſunt. Ante ſectionem aut vſtionem, quo loco, quave lateris parte collectum ſit pus, diſquirendum. Quoniam enim internum thoracis ſpatium per mediaſtinũ in duos ſinus diuiditur, vt ex vno in alterum pus influere non poſſit, eo fit vt ſuppuratio alias alterutrum duntaxat latus, alias vtrunque occupet. Nam quæ in ſiniſtro latere continetur, in ſiniſtram capacitatem pus deponit: quæ in dextro, in dexteram: per pleuritidem, in alterutrum tantum latus: per anginam aut peripneumoniam, in vtrumque ſæpius: id diſcernitur tumore, dolore, calore, pondere, ſtrepitu fluctuante. Tumet enim & ſublimius quodammodo cernitur latus vbi collectum pus eſt, cum cutis exterioris liuore quodam & calore, quem corrupta inducit euaporatio, ſed & naturæ beneficio pus extrorſum interdum extruditur, atque in muſculos externos abſceſſus erumpit, quo vacuata materia, aliquantulum alleuiantur ægri, ſed manet vlcus paruum & ſinuoſum, cui vix adhiberi poteſt curatio: hoc autem ſignum non eſt neceſſarium. Calidius redditur etiam latus à putredine ſcilicet & halitu puris contenti: vnde *Hippocrat. libro tertio, de morbis*, terra Fretriade aut Creta liquida ac tepida linteum tenuem ablui iubet, eoque totum thoracem obtegi, vt quæ primum reſiccari cœperit, in ea ſectio aut vſtio fiat. Cum æger in oppoſitum ac ſanum latus decumbit, illi pondus aliquod è ſuperna parte pendere videtur, vnde interdum anguſtia premitur & tuſſi fatigatur.

fatigatur. Dolor quoque augetur ex decubitu in ſanum latus, quia pendens tumor magis grauat. Fluctuatio ac ſtrepitus manifeſtus puris auditur in affecto latere, dum æger conuoluitur, niſi forſan puris craſſities, aut copia, quæ omnem thoracis capacitatem implet, impediat fluctuationem illam exaudiri. Vbi his ſignis de loco vbi pus reſidet conſtiterit, non ſtatim tentanda ſectio aut vſtio lateris: ſed ex conſilio Hippocratis *in Coacis*, differenda in decimũ quintum diem à ruptione vomicæ, donec iterũ pus illud cõcoquatur, quod perpetuo poſt eruptionem craſſeſcere ac refrigerari ſoleat. Interea lacte, cibiſq; euchymis nutriendus æger, omnique remediorum genere iuuandus. Quo tempore dierum quindecim exacto, citiſſime ſecandum aut vrendum latus, antequam pus corrumpatur, viſcera vitium contrahãt, & vires collabãtur. Sectio fieri debet inter quartam & quintam coſtam, à nothis coſtis ſupputando, biſtorio vulgo dicto, quod non vtraque, ſed infima tantum parte ſecet, ſuperna vero obtuſum ſit: ſic enim nulla vis inferetur neruo, venæ, & arteriæ, quæ coſtæ quintæ ſubſunt, eique aſſident: ſectio quoque debet fieri non recta, ſed ſequendo fibras muſculorum intercoſtalium potius, quam externorũ, quod hæ facilius quam illæ reparari ac vniri poſſint ab admotis topicis: item verſus ſpinam, ac poſteriorem potius quam anteriorem thoracis partẽ, ꝙ diaphragma, in quod incumbit pus in thoracem collectum, parte thoracis poſteriore & verſus ſpinam ſit decliuius, quã anteriore. Vſtio vero lateris fieri debet eadem parte thoracis, nimirũ verſus ſpinam, eaq; cauſtico potentiali potius quam actuali. *Hipp. li. de intern. affect.* vbi agit de hydrope thoracis, terebello vult ꝑforandam eſſe coſtam tertiam ab vltima vſq; ad os, ad aquarum eductionẽ: quod genus remedii tutum quidem videri poteſt, quod ea coſtæ foratione, nerui, venæ, & arteriæ, quæ ſingulis coſtis aſſidẽt, à vulnere ſectionis immunes relinquantur: tutum quoq; Hippocratis tempore, quo procera erant hominum corpora, coſtis magnis robuſtis & amplis prædita, in quibus facile erat terebellũ imprimere: An vero tenellæ & paruæ, quæ modo ſunt noſtrorum corporũ coſtæ, citra perniciem terebellum (niſi tenue ac exile illud fuerit) tollerare poſſint, hoc experientiæ cõmittendum. Facto igitur emiſſario puri per vſtionẽ, ſectionem aut perforationem, ſitne aliqua ab vſtione, aut ſectione, aut perforatione ſperanda ſalus, ex puris erumpentis conditione potiſſimum coniiciẽdum. Spes ergo erit aliqua, eos euaſuros, ſi pus quod erumpit, purum ſit, id eſt, vnius formæ, nõ ex diuerſis naturis commixtum; album, ab ea albedine, quã fibrarum, membranarum, & corporum ſpermaticorum integritas inducit: æquale, ea æqualitate materiæ, q̃ eſt vniuſmodi in craſſitie, tenuitate, colore, coctione: lęue, eo lęuore, quem vis caloris natiui ſeſe in omnes partes æqualiter inſinuantis ꝓfert. Denique minime fœtidũ, id eſt, ingrati quodam modo odoris, qui è conditione materiæ puris optimi pendet, in qua ſit modica putredo à calore extraneo reſiſtẽte coctioni. Puris n. coctio ab vtroq; fit calore, natiuo & contra naturam, vel potius fit coctio ſecundũ naturam, ſed rei quæ præter naturã eſt. Hæ ſunt conditiones puris optimi, quę indicant naturam ſic ſuperiorem eſſe materiæ præter naturam, vt nõ ſolum ſuæ victoriæ characterem in eam imprimat penes colorem, æqualitatem & lęuorem ſubſtantiæ, ſed & eam corpori alendo ineptam & ſuperfluam, tandem expellat. Si vero pus, quod erumpit ſubcruentũ ſit, non album, ideoq; crudum: cœnoſum, ex corrupta carne pulmonũ, ſanguine putri & corruptione cartilaginum, membranarum & brõchiorum ipſorum pulmonũ: fœtidũ, particeps non ſolũ invictę putredinis, ſed & neſcio cuius malignitatis: moriuntur illi Empyici, puris huiuſmodi fœtore cordis vim obruente atq; extinguente. Addit *Hipp. in Coacis* vt plurimũ, quod vſtione aut ſectione quoſdã euadere cõpertum haberet in diuturnis etiam thoracis vlceribus. *Liebautius in Scholiis ad Aph. 44. lib. 7. Hipp.*

OBSERVATIO.

Noua, ingenioſa & admiranda, puris ſupra ſeptum tranſuerſum coaceruati & concluſi, per ſectionem comparato emiſſario, eductio; veriſſimis hiſtoriis demonſtrata: quo vnico remedio, ægri alias certo perituri, ſeruari poſſunt.

EGo ſane multoties eiuſmodi ſectione ſum vſus, illamq; alios multos opportune induxiſſę vidi, & (ita me Deus amet) nunquam illam incommodi quid, aut artis noſtræ methodo aduerſum aliquid ęgris attuliſſe animaduerti. Et licet omnes in quibus ſectio fuit attentata, nõ manſere ſuperſtites, ſed plerique cum multi ſanguinolenti ſucci per ſectionẽ & thoracis vulnus (cuius occaſione illa peragebatur) defluxu occubuerint: mali tamẽ cauſam, in pulmonis vulnus, ſanguine continuo manans, aut thoracis venam aliquam & arteriam, quæ ſubinde ſanguinẽ profundebat, non vero in nouam ſectionem reiiciendam fuiſſe, eſt longe certiſſimum. Quotieſcunq; igitur ſuperiori aliqua thoracis ſede vulnerati, ſecũdum ſepti tranſuerſi regionem ſupra infraq; grauiſſime dolent, & nõ niſi recta ceruice, & thoracis nulli parti incumbente, reſpirare valẽt, animamq; reddere videntur, quoniam nonnihil veluti decubituri inclinantes, ilico de opportuno, cõſiſtenti extra venas ſanguini, & deinceps generando puri, emiſſario faciẽdo, cogito, illamque, cuius nunc nobis eſt mẽtio, ſectionem aggredior. Hanc autem induco nouacula, ſecundum decimæ thoracis coſtæ in ea dorſi ſede inceſſum, qua illa maxime in poſteriora obliquatur & prominet, vbi nouacula verſus altiorẽ latitudinis coſtæ ſedem directa, ad coſtæ os vſq; tantã ſectionem fecit, vt ſiniſtræ manus indicis apicem commode recipiat, & ſuperior illa latitudinis coſtæ ſedes digito contingatur. Tunc ſecundum digiti tactum & indicium, nouaculam in thoracis vſque cauitatem diligenter cauteq; duco: & digito dein magis ac minus ſectioni impoſito, ſanguini in thorace collecto exitum nõnihil præbeo, & indito dein vulneri linimento, quo minus id ſuum ſanguinem reddat, infirmique vires hac ratione diminuantur, adnitor. Hoc breui & fideli profecto, & non admodũ doloroſo opere, nulla notatu digna pars vulneratur, & iam multo ante ſuperiora vulnera aeri in thoracem aditum dedere. Adeo vt ſectio hac ex parte parum etiam incommodet, vaſa ſecundum humiliorẽ nonæ coſtæ ſedem repentia, vti & pulmonem, & ſeptum tranſuerſum illæſa ſeruans. Ne huc afferam, pulmonem in hoc caſu veluti flaccidum ob priora vulnera dependere, & vacui fuga cum thorace non ſemper moueri, hacq; occaſione minus à nouacula

lædi poſſe. Imo indicis apice hic ideò diligenter vtor, ne nouacula profundius & vltra coſtæ oſſis veluti craſſitiem acta, illi homini forte obſim, cui pulmo natura ad ſuccingentem coſtas tunicam fibroſo nexo eſt connatus. In ſanis namque, & nullo etiam thoracis pulmoniſq; morbo extinctis, eiuſmodi adnexum me ſæpius in variis thoracis ſedibus obſeruaſſe, ſuo loco ſcripſi: indeque tradidi, non omnibus in thoracis vſque cauitatem vulneratis pulmonem quieſcere, & ſanguinem per thoracis cauum diffundi: itaque grauium illorum, quæ ſecundum ſeptum plerunque eueniunt ſymptomatum, illis nullum ſpecimen apparere. Quod ſi interim ad ſectionis finem, ipſamve coſtas inueſtientem tunicam pulmonis adhæſum in hoc opere aliquando obſeruo, digito per ſectionem penitius deorſum ad ſeptum vſque detenſo, compotem me voti reddò. Ne vero ſectionem hanc adeo timide abhorreas, quatuor ægrorum, quibus meam operam in hac vrbe proximis menſibus præſtiti, quique hic in medicorũ plurium ſint memoria, hiſtorias, obiter commemorare non grauabor, idque vel vnius ſane ægri occaſione, qui præſentis noſtri caſus imaginem quandã quodque veluti ſpecimen proxime oſtendit.

Miles Biſcainus duo vulnera ſibi ad duorum digitorum latitudinem contermina dextrã ſupra mãmillam arcto gladio recepit: hunc altera die cum aliis pluribus Medicis videns, ex febris præſentia & ſpirandi difficultate & doloribus circa dextram ſepti tranſuerſi ſedem obuerſantibus, quodque inſomnis prorſus eſſet, & non niſi recta thorace conſiſtere poſſet, apertione in inferiori thoracis ſede ipſum indigere cõcluſi: verum cum hac etiam facta, ob pulmonis quod adeſſe coniiciebam vulnus, & ſanguinis qui inſuper quoque ex dictis vulneribus accidere poſſet defluxum, adhuc ęgrum in graui periculo verſaturum adderem, is preculis inquam, & linteis quibuſdam crucibus inſignitis commendatus fuit. At cum vulnera extrorſum nihil redderent, ſymptomataque grauius cum vigiliis indies infeſtarent, ægerq; perpetuo expiraturus videretur, ad artem noſtram res rurſus quarta die rediit: & cum pulſus in tantis malis virium adhuc aliquid ſupereſſe oſtenderet, ipſe ſectionem in re tam deſperata feci, craſſo ſanguini multo exitum præbens. Mox æger melius multo ſpirauit, & in læſum latus decumbẽs, ſumptoque cibo, placide ſatis dormiuit. Dein quo putris ſanguinis plus per ſectionem ſenſim manabat, eo quoque melius alacriuſque æger habere videbatur. Imo cum non ſanguis amplius, ſed rubra aquoſaque ſanies, & ſuccedentibus diebus ſubcrudũ pus per tria ſimul iam vulnera proflueret, nõ leuem ſane ſalutis ſpem æger tantiſper dedit, donec viribus aliquantulum recreatis, & ſanguine (vti arbitror) in venis adaucto, vulnera rurſus ſanguinea vbertim redderet, argumentoque eſſent ex intimis venis nouum ſanguinem tam copioſe defluere, vt tandem æger ante ſecundæ ſeptimanæ finem ſuccumberet, nullo interim indicio oſtendens, illatam de nouo ſectionem quicquam alias incommodaſſe.

Regius Satelles quidam Flander, in pectore in ſecundæ & tertiæ coſtarum interuallo, per axillæ poſteriora gladio ita vulneratus fuit, vt vulnus duobus orificiis in thoracis cauitatem pertineret. Huic, cum dictis ſcilicet ante ſymptomatibus teneretur, ſectionem, cuius hic incidit mentio, induxi. Iſtique omnia tam feliciter ceſſerunt, vt breui conualuerit.

In ædibus Oratoris Galliæ, Gaſco quidam tenui pugione per ſcapulam in thoracis vſque cauitatem vulnus recepit, & cum ſanguinem in illam confluxiſſe dictis prius indiciis coniiciebam, neque vnquam ſic ſcapulam huc illuc reducere poſſem, vt duo foramina ſibi obuiam irent, nullaque ſpes eſſet thoracis ſanguinem aut pus per ſcapulæ os poſſe decumbere, noſtra hac ſectione mox inter initia ſum vſus. Quæ, etſi fuerit opportuna, magnumque auxilium attulerit; ſanguinis tamen quædam portio inter ſcapulam & coſtas accumulata, abſceſſum protulit. Cui parato iuxta humiliorem baſis ſcapulę angulum emiſſario, æger plane conualuit.

Nobilis quidam Marchio de Velena à ſecretis, cum in Shalona, domique morbo laterali diu laboraret, iuxta ſiniſtram papillam tumoris cuiuſdam parui habuit imaginem. Tumorem hunc Medicus quidam aperuit, purique in thorace iam menſibus aliquot latitanti exitum molitus eſt. Verum cum hæc ſedes ad opportunam puris euacuationem, ac totius loci quo pus contentum erat curationem, eſſet incommoda, Nobilis iſte fiſtulam inibi retinuit, ac cum per interualla in grauem incideret febrem, & magnis ſub ſcapula, & inferius ſub dorſo cruciatibus teneretur, multaque hac ex parte huic, cum Illuſtriſſ. Ducis vitiis eſſent communia, ſectionem noſtram faciendam ſuaſi, & illam huc producto ægro ſic perfeci, vt is apud ſuum Marchionem, obſignatis vlceribus omnibus, pulchre valeat. In ſcripto (ne hic forte plures quibus ſectio proſpere ceſſit, & quoſdam in quibus aſtantium aliorum Medicorum inutili timore ſectio male fuit prætermiſſa, commemorem) quo Nobilis huius iuſſu, ſententiam meam ipſi familiaribus, & conciuibus Medicis ante curationem complectebar, rationes mehercle commemoraui, quibus illum duabus obnoxium eſſe poſſe fiſtulis aliqua ex parte metuebam. At cum in omnem euentum ſatius erat fiſtulis pluribus moleſtari, quam continuo & ſucceſſiuis vicibus impenſius febrire, & tanti puris copia, & multis in dorſo cruciatibus vexari, & citra ſpem omnem longioris vitæ, veluti quotidie (vt ſemel dicam) mori, ſectionem certe tanta ſpe meo ſcripto prædicaui, vt noſtrorum Medicorum permulti Nobilem ad mihi obſequendum, tantumque (vt ipſis videbatur) remedium experiendum, felici omine fuerint adhortati, lætique mihi rem peragenti aſtiterint. *Veſalius in Conſil. pro Illuſt. Terra noua Duce, cum Ingraſſia opuſculis publicato.*

Observatio.

Puris, in quauis thoracis ſuppuratione, per ſectionem, eductio.

ALIQVANDO vbi magna copia eſt puris, inciſio eſt facienda ſecundum longitudinem coſtarum, inter quartam & quintam thoracis mendoſas, facta prius experientia fili actu humidi admoti ſupra locum, ſi exiccatur. Sed aduerte ne totum pus, vel illius magna quantitas extrahatur ſemel, ſed multis purgationibus, quamuis cito & caute, in habitatione calida, propter conſeruationem caloris innati & ſpiritus. Noſtris enim temporibus

poribus fuit integræ ſanitati reſtitutus hac curatione quidam, nomine Lupus, qui ex vulnere magno partis ſuperioris thoracis, in ſuppurationem peruenerat magnam, cum febre acuta, & maxima difficultate reſpirationis, educto pure per nouam inciſionem partis inferioris thoracis, non vno die, ſed multis, ne vires deficerent. *Paſchalius libr.1.cap.29. de curand.morb.*

DE PHTHISI, PHTOE, ET TABE.

CAVSA.

OBSERVATIO.

Phthiſis contagium cum ex parentibus, tum aliis contractum, admirabile.

QVÆ ſint Phthiſis illius cauſæ, quæ in nobis primo fit, ſatis eſſe notum medicis arbitror, quarum nulla neceſſe eſt in ea præcedere, quæ è contagione cōcipitur: poteſt enim eſſe, vt quis nec deſtillationibus detentus ſit, nec venam fractam gerat, neque vllo vlcere circa pectus affectus fuerit, nec pleuritidem paſſus, nec demum illo vitio tactus, ſed optime ſanus exiſtens, ex conſuetudine tamen & conuictu cum phthiſico, aut ex fomite labem illam contraxerit: nam mirum profecto eſt, quanta tenacitate, quanto tempore ſeruetur virus illud in fomite, ita vt veſtes quas phthiſici geſtauere, ſæpe viſæ ſint poſt biennium attuliſſe contagionem: quinimo tales etiamnum fiunt & cameræ, & lectuli, & tabulata, vbi phthiſici periere. In fomite igitur illo non aliud putandum eſt relinqui quam ſeminaria contagionis ex ea putrefactione euaporantia, quæ in phthiſi fit, quorum mira quædam analogia eſt, quando ea non ad oculos, non ad palatum, non ad aliud membrum cōtagioſa ſunt, quam ad pulmonem: cauſam in vniuerſum alibi monſtrauimus, neque enim omnia in omnia agunt, ſed ſolum quæ & agentis, & materiæ, & applicationis rationem certam habent, atque ob id analoga dicuntur. Signa autem iam tabefacti pulmonis ſæpe oculis patent, ſæpe enim fruſtula etiam ipſius per ſputum reiecta apparent, tabeſcentis & flaccidi iam nō ita manifeſta ſunt ſigna, ſed tamen cum prolongari morbum vides, ſputa horribilia aſpectu apparere, fœtere ac ſaniem repræſentare, cum & genæ roſeæ fiunt, tum certo ſcire potes tabeſcere iam pulmonē, præſertim ſi è contagione concepta fuerit phthiſis: conceptæ autem per contagionem indicium habere poteris, ſi cauſas diligenter inueſtigaueris. Similes autem contagioſis & illæ ſunt, quæ hæreditariæ à parentibus cōtrahuntur, mirum enim eſt quaſdam familias vſque in quintam & ſextam generationem omnes eadem tabis conditione perire, & quoſdam eadem ætate. *Fracaſtorius lib.2.ca.9.de morb. Contag.*

Eſt phthiſis non minus contagioſus quam ex ſemine profluens morbus, vt non in hac ſolum, ſed & in innumeris aliis experiri mihi licuit. Vidi ego Monſpelii, cum adhuc iuuenis Medicinæ operam darem, Franciſcum Fortianum, diuitem hominem, honoratumq; ciuem, multa familia onuſtū, phthiſicum multos annos miſeram vitam duxiſſe: tandemque eo morbo vita fructum, ſex illi ſuccedētes liberos in eundem quoque morbum in medio ætatis flore incidiſſe, eodemq; mortis genere, quo pater, deceſſiſſe. Annon prauam in ſemine & morbidam excretionē, qualitatemue occultam aliquam tabificam, ſemen inficientem, quæ in poſteros ſimilem labem intulerit, adfuiſſe merito credendū eſt? Sic eſt profecto: parentum vitia in filios vi ſeminis genitalis deriuari videmus: nec vitia ſolum, ſed & notas occultiores, ſi quę in membris quibuſdam inſint, quin & parentum geſtus, motus, formam fere ſemper filii referunt: tanta eſt genitura vis atque poteſtas. *Valleriola lib.3.Obſ.6.*

Vidimus aliquos ita affectum habere pulmonem, vt ne minima quidem pars eſſet ſana & immunis à putredine. Facta autem inſigni putredine in pulmone, per halitum concipiunt contagium: imo cum phthiſici expuunt, expuunt ſaniem illam putrefactam à pulmone, ita inſedit putredo in illo, vt ſi quis pedibus nudis ambulauerit ſuper ipſum, fiat phthiſicus, & aliqui voluerunt odorare ſputum talē, & ex halitu inciderunt in phthiſin. *Baptiſta Montanus Lectione 48.cap.7. Comm.ad lib.9.Raſis ad Almanſorem.*

Doctor quidam, vt narrat *Iacobus à Partibus, 2. primi*, ſputa tabidi cuiuſdam prunis iniecta ſubinde olfaciens, phthiſicus effectus eſt, ſicq; exitiali morbo lethalis præſagii notionem. 5. *Aph.* 11. proditam, miſer emit. *Hieron. Montuus de diſciplinis Medico neceſſariis.*

Plerique iam ab ipſo ortu & à parentibus latente pulmonum vitio tenentur, quo tandem omnes cōtabeſcunt, etiamſi nulla, aut certe minima deſtillatio è cerebro, aut aliunde decūbat. Qui tabida ſtirpe ſati ſunt, quaſi hæreditario iure omnes neceſſario tabe marceſcunt: hocque malum ſæpe vidimus in omnes eiuſdem familiæ ordinis graſſari. *Fern.lib.5.c.10.Patholog.*

OBSERVATIO.

Puella, menſium ad vitalia anadrome, Phthiſica facta, periit.

FRiderici Freii, Academiæ Syndici filia, annorum circiter viginti, tenella, ſtatura mediocri, corpore tenuato, forma liberali: è regione ædium mearum apud conſanguineum famulam agens, cum aliquoties primos menſium circuitus experta fuiſſet, nec tamen, vt par erat, expedite typum ſuum ſeruarent, ipſaque ob miniſterium præſtandum neglìgētius haberetur: & à parentibus quoque negligeretur. Factum tandem eſt, vt in totum ſuppreſſis menſium purgationibus, facie, adeoq; toto corpore palleret, ventriculus cibum auerſaretur, reſpiratio redderetur difficillior, atque ex leui occaſione cordis palpitatione premeretur, languerent membra. Natura itaque oppreſſa, ſeipſam exonerare contendēs, menſium materiam per anadromem ſurſum ad vitalia & pulmones regerens, puellā ad Phthiſin præcipitauit, cuius ſigna & ſymtomata, quum ſe indies in virgine iam aperte manifeſtarent, parētes ægram ex famulatu domum ad ſe reuocant, & filiæ tandem ſerio conſulere contendunt, nimis ſera pœnitudine ducti. Verum quum Phthiſis in tam tenella corporis conſtitutione plurimum inualuiſſet, ſiue menſiū virulentia ſingulari, ſiue curationis nimium procraſtinatæ negligentia; nullis poſtmodum remediis ad-

iuuari potuit, quin Tabe conſumpta, interiret. Obſeruandum hoc loco, primos puellarum menſes, natura maligniores eſſe: at exitiales magis fieri, vbi circa primos typos impediti, non expedite excernuntur. Argumento ſunt, Mœlitæi catelli, virginibus nonnullis in Gynæconitide, & alibi in deliciis habiti, qui iis deguſtatis, vt in exemplis eſt, ſæpe in rabiem aguntur. Proinde non mirum, ſi ſurſum reſtagnantes menſes, ſua virulentia pulmones erodāt, & corrumpant, & Phthiſin, alias δυσίατον morbum, ἀνίατον prorſus efficiant. *Schenckius.*

SYMTOMATA.

Observatio.

Pulmo conſumptus in phthiſicis.

PHTHISICIS non tantum pulmones ſuppurari, ſed penitus quoque in affecto latere abſumi, & in pus liquidum, ſubuiride, fœtidum aliquando in odorem conuerti, in omnibus quotquot ego ſecui deprehendi. In quorum numero, cum aliquibus viuentibus adhuc (quibus tuberculum in coſtarum interuallis prominens, indicium empyematis præbebat) pectus aperire curarem, puriſq; maxima copia effluerer, tandem illis è medio ſublatis, pectoreque patefacto, nihil penitus de pulmonibus illius loci ſupereſſe, ſed omnino deperditos, calloque aliquo vaſa cordis, quæ huc pertinebant, & arteriæ ramos obturata, ſuccingentemque illius lateris membranam tumidam, pureque craſſiore hincinde veluti pulte orizea ſubviridi conſperſam, inuenimus. Quod & in aliis multis poſt obitum exploratis, eodem modo ſe habere deprehendimus. In quo caſu, hoc præſertim admiratione dignum; multos q hoc affectu laborabant; præter marcorem corporis & tuſſim, nullis aliis grauioribus accidentibus diuexatos, nihilominus tamen, paulo etiam ante obitum tempore, libere adhuc reſpirare potuiſſe, nihilque ipſis in functionibus naturalibus atque animalibus edendis, niſi quod omnia imbecilliora erant, deceſſiſſe. *Felix Platerus de Obſ. propriis.*

Observatio.

De lateris dolore qui phthiſicis ſuperuenit.

PHTHISICOS diuturnitate mali etiam extenuatos, lateris dolore quandoq; corripi accidit: qui ſubinde valde moleſtus, & reſpirandi libertatem adimit; febrilem tamen non multum intendit calorem. His pulmo membranæ coſtas ſuccingenti ita firmiter agglutinatus adhæret, vt ſæpenumero non abſque violentia auelli queat. Concepto aliquo ſpiritu frigido, dolor ſuperuenit. Tollitur ac curatur calorificis, vt fomento ex floribus chamæmeli & cumino: quod multis bene fecit: ſacculo hæc inſuere oportet, qui deinde vino candido rigatus, calens dolenti loco imponitur. Venam ſecare qui temere audent, quantum ſanguinis demunt, tantum vitæ detrahunt. *Dodonæus Obſeruation. Medicinal. capite vigeſimo ſecundo.* Non modo autem iſtis ſanguis perperam detrahitur, verum & aliis ex craſſis viſcidiſque humoribus latere dolentibus: Ingerunt enim quandoque ſeſe craſſi, viſcidique, pituitoſi humores, in thoracis ſpatium, in ipſos pulmones, qui multitudine ſua ſuccingētem membranam diſtendentes, dolorem adferunt, & vias ſpirituum intercipientes, ſpirandi difficultatem inducunt. Nā & his ſanguinem, præſertim copioſum, detrahere, eſt mortis cauſam ægris præbere: vt *Aetius* ſcribit *Tetrab. 2. lib. 4. cap. vltimo. Idem in Scholiis ad cap. prædictum.*

Observatio.

Non omnes tabidos ſanguinem expuere: tum qui eum expu[illegible] non eundem ſemper cum tuſsi excernere.

QVI dicentur, non ita crebro nobis apparuerunt. Quidam humorem repente expuit, liquidæ bili in calore perquam ſimilem, medium videlicet inter flauum & pallidum, ac nulla acredine infectum: atque ita quotidie magnam eius quantitatē expuit, deinde leui ſuborta febricula, tabeſcere incœpit, adeo vt purulenta ſcrearet. Poſtea tractu temporis, quatuor videlicet menſium, exiguū cum pure cruorem reiecit, atque ſic aucta febre, magis conſumebatur: ac iterum atque iterum magis expuebat, adeo vt magnam ſputi quantitatem redderet, quocirca, magis increſcente febre, ac reſolutis viribus, eorum qui tabe marceſcunt exemplo, mortem obiit. Deinde alium vidi, eodem fere modo ſex menſibus: ac alium quoque diutius laborantem. Igitur qui primus nobis occurrit, initio quidem nihil mali habere, ſed tandem peſſime affici viſus eſt. Alterum vero cum conſpiceremus, ei ſtatim ab initio, cognito malo, præſenti medicamento ſuccurrere tentauimus: ac multo magis etiā tertio. At quamuis multo negotio vtrumque liberare conaremur, nihilominus neque horum vllus, neque alius poſt eos ſeruari potuit: cum enim morti iam proximi eſſent, pulmonis ipſius putres quaſdam partes expuebant. Proinde facile cognoui, haud abſimili eos affectu laborare, qualem in externis partibus videre ſolemus, cum à putrefaciente quopiam humore inficiuntur, verum has & abſcindere & vrere poſſumus: pulmoni vero horum auxiliorum neutrum adhibere licet. Quapropter omnes perire neceſſe eſt. At vero poſtremū cum viderem, ad viſceris fortē exiccationem ſolicito me animo conuerti, & quidē odoribus atque potionibus ad id efficacibus. Proinde medicamentum, quod hedychroum vocant, interdiu naribus ipſius iugiter adhibere iuſſi, ad ſomnum vero ſeſe conuertenti, præſcripſi vt narium foramina ex aliquo pretioſorum vnguentorum illinerentur, qualia videlicet Romæ præparari ſolent, vocant vero ea & foliata, & ſpicata. Atque dedi in potu medicamenta mithridaticam vocatam compoſitionem, ambroſiam, athanaſiam, theriacam. Itaque perpetuo anno ſic educatus, tandem ſimiliter vt reliqui tabidi vitam finiuit: quam fortaſſe ob iam dictam educationem lōgiori tempore protraxerat. *Gal. lib. 4. c. 9. de loc. affect.*

Galenus raros quoſdam caſus recenſet, in quibus phthiſici euaſerunt, nulla antecedente hæmoptoiſi aut ſuppuratione, aut acri deſtillatione, propter humiditatem cum aliquanto humore, quæ ſatis eſſe queat pulmoni putrefaciendo, viſceri molliſſimo, in quo pituita aſſatur, exulcerat, aut putrefacit per morā. Adiuuat quod effluxu & excrementorum

meatibus pulmo deſtituitur, habetque facultates naturales, poſt glandulas maxime imbecilles, & cor viciniū, quo exuritur & acuitur pituita. *Iacotius Com. ad Aph.13. Sect.2. lib.6. Coac. Hipp.*

Magna inter ſcriptores controuerſia eſt, poſſitne quis citra cruentam ſanguinis excreationē tabe reſolui? Nonnulli poſt ſolam ſcreationem humoris liquidi & ſubflaui, leui febricula correpti, tabeſcere cœperunt, ac multo poſt tempore cruoris exiguum quiddam cum pure reiecerunt. Sed non paucos etiam animaduerti tabe ſenſim ſublatos, in quibus nihil omnino cruoris toto morbi decurſu comparuit. *Fern. lib.5.c.10. Patholog.*

Quod ſcribit Galenus per tuſſim reiici, quæ in pulmone continentur, eget conſideratione: ſolet enim *Galenus* dicere *in libris de loc. affect.* & alibi paſſim, per os quædam eiici cum ſola expuitione, & hæc oris atque palatus affectus oſtendere: alia vero per excreationem, ſiue vt vulgus vocat raſcationem, & hæc faucium morbos patefacere: alia vero cum leui tuſſi, quæ ſunt indicia læſæ aſperæ arteriæ, q̄ in ceruice continetur: alia vero per tuſſim veram expui, & hæc ſigna eſſe pulmonis læſi: atque hoc indicio vlcera pulmonis à prædictis partibus vlceratis, aut ſanguinem effundentibus, per ſanguinis ſpumoſi ſputum diſtingui prædicat. Verum id magno meo malo didici, aliter aliquando fieri. Nam Franciſca Damiana vxor mea formoſiſſima, & honeſtiſſima mulier, annos viginti nata, cum Piſis vna cum illa degerem, ſpirante Auſtro, qui in eo loco frequentiſſimus & vehementiſſimus eſt, ex deſtillatione à capite, mane cum adhuc in lecto eſſet, ſanguinem expuere cœpit, & ex eo non leuiter terreri. Sed cum ego Galeni doctrina inſtructus, illam hortarer, vt nihil vereretur: propterea quod ſine tuſſi, cum leui ſolum raſcatione ſanguinem facillime emitteret: melius ſperare cœpit: nec poſtea vnquam ſanguinē expuit, ſed pituitoſum humorē primum, deinde pus, & hæc cum tuſſi & febre, quæ ſtatim ab initio inuaſit atque cum his malis, quæ orta ſunt in autumno, circa finem menſis Maii expirauit: nec paſſus ſum illam diſſecari. Perierunt eo nunc in eadem ciuitate duæ aliæ iuuenes fœminæ, eodem malo affectæ. Sed vxor Leonardi Piſienſis Medici, duos fere annos vixit, & poſteaquam mortua eſt, & diſſecta, inuenimus in ſuprema parte pulmonis, quæ primis coſtis ſubiicitur, vlcus, in quo vix caſtanea includi potuiſſet, hæc nunquam ſanguinem expuit, quod extra vaſa pulmonis vlcus conſiſteret. Ex quibus colligo, nō omnes qui tabe pereunt, ſemper ſanguinem expuere, & eos qui id faciunt, non ſemper cum tuſſi eum reiicere: ſed ſolum cum vlcus in profundioribus pulmonis partibus eſt, vbi maiora ſunt vaſa, quæ ſanguinem continent. *Ioan. Argenterius Commen.3. in Art. Med. Gal.*

DE TABE.

OBSERVATIO.

De tabe ſimplici.

E Tabe ſimplici innumeros ſanaui; atque inter reliquos filios duos fabri lignarii, qui apud portam Tonſam habitabat. Erat autem, præter victus moderatam rationem, ex pane cocto cum ſeminibus peponum contuſis ac colatis, aut ptiſana, cochleis, cancris, teſtudinibus, & potu vini albi, vnicum hoc præſidium: ſanguinem ſuillum & cochleas purgatas, & ranas cum germinibus rubi, in balneo Mariæ deſtillabam, & aquæ huius, pro ætate, quantitatem dabam, donec pingues efficerentur. Sic etiam ſanaui filium Iacobi Mariæ, Aſtolphi tabellionis ſummæ fidei, amicique noſtri. *Cardanus Curat. admirand. Num.4.*

OBSERVATIO.

De ſumma tabe, cum fluxu ventris.

QVÆ contigerint in hoc genere morbi in filiis Laurentii Gadii, tempus eſt vt exponam. Hic tabellio eſt. Contigit autem anno, ni fallor, 1546. vt duo filii morerentur ex ſimili fere morbo. Ad tertium autem adoleſcentulum vocatus, qui & ipſe eodem morbo laborare videbatur, iudicio parentum & domeſticorum, cum iam fluxu ventris, & tuſſi, & ſumma tabe detineretur, iudicaui celerrime moriturum. Itaque cum alii quatuor filii & ipſi eodem morbo detineri viderentur, territus pater, quaſi de veneno ſuſpicabatur. At ego verecūde petii, vt cum mortuus eſſet, qui iam grauiter laborabat, liceret corpus diſſecare, vt aliis proſpiceretur. Annuit pater, diſſecuimuſque. Sed hac in cura & actione aderat Franciſcus Peregus Medicus, peracta eſt res: inueni in iecore puſtulas ſicut ciceris grana, candida, rotunda: in pulmone quoque alias, & partem oblongam liuidam atque fuſcam. Ex quibus coniectura aſſecuti ſumus, non eſſe venenum: curæque modum. Itaque hac ratione ſeruati ſunt omnes qui ſuperſtites erant filii, & nunc etiam viuunt. Curatio autem fuit cum refrigerantibus & humectantibus, & vſu ſacchari roſacei aſſiduo. *Idem Curat. admirand. Num.10.*

OBSERVATIO.

Fratrum duorum prodigioſa & formidanda tabes.

ANNI iam tres abiere, ex quibus mirandum oculis noſtris ſpectaculum oblatum eſt. Acceſſitus enim fui à muliere quadam, in terræ Lotharingiæ oppidulum, nomine Luneuillam, à Nanceio Lotharingiæ primario oppido, milliaribus octo & quatuor à celebratiſſimo Diui Nicolai fano diſtantem, vt filium eius imbecillum prorſus, & morbi languore prope conſumptum inuiſerem. Quē cum viderem, plurimum equidem miratus ſum, & in magnum ſtuporem redactus, rei nouitate inuiſa, vt puto, atque inaudita. Quando erat hic adoleſcentulus decem annos natus, & mater dicebat, qui quadriennio lenta hac tabis conſumptione vſque adeo fuit extenuatus, arefactus atque maceratus, vt præfiſſā cutis oſſa denudaret, & ea videnda hominibus exponeret. Percontanti mihi morbi cauſam, mater nihil quicquam referre potuit. Enimuero ait huic adoleſcentulo eſſe fratrem, alia tamen ex matre, conſimili tabe conflictatum, quem mihi quoque oſtendi poſtulaui: hic decimum quartum annum attingebat. Itaque corpus habebat ea confœderatione cutem maritans oſſibus, vt oſſeus totus neruiſque tantum coalitus & compactus videretur, ipſam certe mortis effigiem illum iudicaſſes. Ambulabat ſatis

expedite: nam Simiam propemodum referebat. Inter ambulandum oſſa mutuo contactu concrepitare audiebantur, perinde vt aridæ nucum teſtulæ cum attractantur. Cogitaui apud me tacitus, hos non eadem quidem matre natos, ſed patre tamen eodem genitos, eumque eſſe fabrum, aſſiduo fornacis igne ſe concremantem, carbonumque fumo corporis humores exiccantem, quem infeſtum eſſe vel ex eo clariſſimum eſt, quod illo plerique ſuffumigati atque infeſtati, animam exhalaſſe comperti ſunt. *Symph. Campegius lib. 4. cap. 13. Enarrat. Hiſt. Galeni.*

DE PHTHOE.

OBSERVATIO.

De phthoe cum febre, tußi, ſputo puris, & ſpirandi difficultate.

SANAVI neptem adoleſcentulam à Pontificis libellis, Datarium vocant, Franciſci Alciati, poſtquam velut phthoe peſſima laborantem ipſe ego pro deplorata reliqueram, aderat febris vehemens, ſpirandi difficultas, maxima tuſſis, puris ſputum copioſum, itaque cum cætera præſidia non valerent, iuſſi vt ſola ptiſana pro cibo vteretur, aquaque cum ſaccharo confecta, acciperet autem ſingulo mane, vncias quatuor decocti caudarum & chelarum cancrorum, in aqua hordei, cum drachmis duabus ſacchari, conualuitque perfecte & ſanata eſt: hoc eodem auxilio multos admodum curaui, qui integræ ſanitati reſtituti ſunt: erat autem illa filia vnius, qui ex vera phthoe obierat. *Card. Curat. admirand. Numero 2.*

OBSERVATIO.

De phthoe exquiſita, & ſanguinis ſputo.

EX phthoe exquiſita non niſi vnum ſeruaſſe memini, Iulium Catium, inſtitutorem iunioris ætatis Principis Mantuæ, in humanioribus literis: is perfecte ſanatus eſt. Fuit autem cura longa & artificioſa. Et præter victus rationem humectantem & exquiſitam, lutique Samii (quod nunc vocant Armenum) vſum, aquæque deſtillatæ per balneum, ex foliis ariſtolochiæ & conſolidæ ſeu ſymphyti cum vinaciola & lichen, non ſatis memini num aliud addiderim, præter rubi roſarumque germina, aquas etiam calidas, Veronenſi ex agro Caldæræ vocatas exhibui. Ita ſeu diligẽtia, ſeu bona fortuna quadam & ſua & mea vſus, ſanatus eſt. Nec ignoro nunc multa poſſe addi, aloes ſuccum in deſtillatione, & galliopſis radices, & vulpis pulmones, & lutum armenum: quod & tunc addidimus.

Verum qui non curati ſunt, ſed diu protracta fuit vita, plures fuere: Donatus Lanſa, Hieronymus Tiboldus, & Franciſcus Sextius, aliique multi: ſed horum trium, quorum & miraculum & exitus idẽ ferme fuit, hiſtoriam narrare decreui. Donatus itaque Lanſa pharmacopola erat, è regione tẽpli Scalæ, vir probus & Muſicus: & ob id Leoni Ogiono Muſico, & qui me ea in arte inſtruxerat, maxime notus, cum hoc aliquando tranſibã ante tabernam Lanzæ: atq; ibidem paululum moratus cum Leone, verba forte fortuna de cura phthoes habebam: ille autem ex taberna cuncta (vt poſtmodum intellexi) obſeruabat, quæ dicebam: vbi ſermonem abſoluimus, rogat me vt paululum in taberna conquieſcerem, auditurus quæ narraret, ibi omnia aperuit, & ſanguinis ſputũ, & ſaniei, & febriculam, & extenuationem: rogat, vt ſi quid auxilii haberẽ, impertirer, haud ingratum futurum beneficii accepti. Itaq; copioſe de omnib. diſſerens, adeo illum iuui, vt ſe ſanum apud oẽs prædicaret: ſputum tamen ſanguinis non omnino ceſſauit Hieronymus vero Tiboldus mercator, ad tabem natus, macilentus & alatus iam pluribus menſib. iacuerat in lecto, & pro deplorato habebatur, quod ſaniem haud dubie multam quotidie expueret, & conſumptus eſſet totus, nec cartilagines integræ illi erant, ſed & hic reuixit, & impinguatus eſt, filiamq; ex vxore ſuſcepit. Sextius autẽ, cum illi iam duo fratres ex eodem morbo periiſſent, ad extremum conſumtionis deductus erat: ſed hunc non potui efficere vnquam, vt febris putrida relinqueret, quamobrẽ vix tribus annis ſuperuixit, & morbi vi abſumptus eſt demũ, reliqui longiori tempore & non ſine cauſa obiere. Lanza enim poſt quadriennium, dũ prætoris familiam effugit, è feneſtra ſaltu ſe deiecit, inde diu latuit in piſcina: vnde cum nec ſic, niſi iã diu à febre correptus, ſibi proſpexiſſet, quadriennio poſt obiit. Tiboldus autem totus è pluuia madidus, noctem in alea conſumſit, vnde cum febre correptus eſſet, nec ego adeſſem, diu atque diu conflictatus, ac fruſtra noſtrum implorans auxilium, qui tum Papiæ degebam, quinquennio poſtquam releuatus erat, periit. Verum dices: quibuſnã remediis leuati ſunt? Hiſdem quibus Catius ſanatus eſt. Sed à ſanguinis ſputo antequam prorſus tabeſcerent, multos curaui ac liberaui: Ambroſium Seronum, militem ſtrenuũ, cui haud dubie vas in pulmone ex deſtillatione iam quatriduo diſruptum erat. Aloyſium quoque Puſanium, tum adoleſcentem, qui etiam nunc viuit: & Cæſarem Bozium, cuius duo fratres proximis ante diebus, eodem morbo abſumpti fuerant. Cura fuit, qualis *à Galeno* deſcribitur *in quinto artis Curatiuæ*, hoc vno addito, quod ſuper renes lintea, madefacta in ſucco plantaginis, imponebam, quo etiam auxilio curaui Ambroſium Caſtanum, virum prope ſeptuagenarium, qui libras ſanguinis ſupra decem euomuerat: nuncque etiam, cum multi anni interiecti ſint, viuit. *Idem Cardanus Curationum admirandarum, Numero 5.6.7.*

OBSERVATIO.

Phthiſicos nonnullos, vitam ad multos annos produxiſſe.

QVandoque accidit phthiſico, vt protendatur cum eo phthiſis, producens cum ſpatio temporis & ſimiliter extenditur à iuuentute vſque ad ſenectutem. Et ego iam vidi mulierẽ vixiſſe in phthiſi circiter viginti tres annos, aut plus parum. *Auicenna lib. 3. Fen. 10. Tract. 5. c. 18.*

Vidi ego Mediolani mulierem: quæ non vtebatur regimine niſi communi: cum aſſiſtebat igni quaſi continue, vel in locis ſiccis multum, erat enim furnaria: fuit phthiſica plus viginti octo annis, & ambulabat per domum & laborabat: aſſiſtebat ad panem coquendum in clibano, vnde ſiccitas in indurando multum prolongat. *Matth. de Gradi, cap. 54. Comm. in 9. lib. Raſis ad Almanſorem.*

Aliquot

Aliquot ſcio, quos referre poſſem, nec dubito quin alii alios ſciant, qui poſt certa exulcerati pulmonis ſigna notasque omnes, annis deinde aliquot ſuperuixere, actionibus ſuis functi vtcunque, dubia tamen valetudine eorum plures & infirma, atque ad minima quæque errata detegente ſe noxa: quibus vulgo medicorum inducta vlceri cruſta protrahi vitam dicimus: ſane non abs ratione: melius tamen dicturi atq; exiſtimaturi, ſi Galeni hic more loquêtes, bene reſiccato & obdurato vlcere, callo fieri id diceremus. Mulieris quidem hiſtoria eſt furnariã exercentis, quam annis neſcio quot, ignis cui aſſiſtere perpetuo ex arte ſua cogeretur, egregie ſiccatis, beneficio vixiſſe referunt. Itaq; qui Tabias non habent, ad quas ſe conferant, habere correctum igne quoquo modo aerem poterunt: qui ſi ex reſinoſarum præterea arborum lignis ſuccendatur, vtiq; facturus melius ad rem hanc ſit, quando inter pinos quoque, piceasque, & abietes domicilia paraſſe ſic affectis vtiliſſimum eſſe prodiderint non poſtremi nominis Medici. *Iul. Alexand. annotat. ad cap. 14. lib. 5. Therapeut. method. Gal.*

Quod tabidus aut ſuperuenientibus hemorrhoidibus, vel ſimilibus auxiliis ſanari queat, aut obducta cruſta diu viuere, experimenta docent, & Auicenna refert duraſſe tabidam mulierem annos 23. Et Rhaſius quoque ex Hippocrate affirmat ſæpe phthiſin, epilepſiam, maniam reliquosque morbos grauiſſimos, ab eo tempore quo pueri ablactantur, ad pubertatem ſanari, quod eo tempore vires naturales ad coctionem diſſolutionemque praui excrementi maxime valeant, ſimul & corporis conſtitutiô mollis ac fluida ad expurgationem ſit paratiſſima. Vt enim ante ablactationem propter humidi copiam calor innatus, etiam multus, parum poteſt, ita vt debilis dicatur Galenô; ſic poſt pubertatem minor iam quodammodo langueſcit. Hæc autem intelligenda ſunt de tabidis, in quibus hectica nondum confirmata eſt, aut febris tantum vrget ex putreſcente pure. *Iacotius comment. ad aph. 12. ſect. 2. lib. 6. Coac. Hippoc.*

Mulierem Dodracenam noui, vxorem illius Petri Gualteri Cereuiſiarii Delfenſis, pro cuius ædibus ciuitas Dodracena pro inſigni erat, quæ octo annos phthiſica ſuperuixit, continuo quid pituitæ, aut purulenti quid excreans, licet tandem tabida obierit. *Foreſtus obſeruat. 55. lib. 16.*

CVRATIO PHTHISIS NOVA, RARA, abſoluta.

OBSERVATIO.

Phthiſim, contra receptam hactenus Medicorum & Scholarum opinionem, minime inter deſperatos morbos, ſed curabiles, habendam.

MEdici omnes, qui hucuſq; de tabe ſcripſerunt, curari illam non poſſe affirmant, quod autem aut nullo modo, aut difficillime curari poſſit, ex eo fieri affirmant, quia tabes fit ex acris & erodentis humoris in pulmonem defluxu, ex quo vlcera in pulmone fiunt: quæ quidem curari non poſſunt, quia pulmo propter reſpirationem in perpetuo motu eſt: vlcera vero ſi ſanari debent, quietem requirunt, neque quæ hucusq; ſcripta ſunt præſidia, profuiſſe viſa vnquam ſunt, neque Medicus, qui tabem curet, adhuc eſt inuentus, cum multos in pectore & dorſo vulneratos curauerim, quibus omnino tranſfoſſus fuerat pulmo: qui omnes meis remediis ſanati ſunt, neque vllus, quod Dei bonitati adſcribo vnquam periit. coniectura quadam ductus arbitrabar: ſi hi, quibus maxima ſunt in pulmone vulnera, & pulmo omnino transfoſſus eſt, & propter illius motum perpetuum tam copioſe ſanguis effluit, his remediis, Deo iuuante, ſanantur omnes: quare & tabidi non ſanabuntur, quorum vlcera in pulmone tam parua ſunt? Cum hæc animo reuoluerem, atque illos ſanari poſſe iudicarem, in vno curationem ſum expertus, qui ita conualuit, & ſanus euaſit, vt nullus vnquam melius: & tabidi febre continua laborantes, hoc remedio conualeſcunt, pingues fiunt, & boni habitus & bene colorati, vt nihil ſuperſit expetendum. *Arcæus cap. 8. de febribus.* Curandi rationem in reliqua libri parte require.

Mulier quædam, nomine Leonora à Riccio, annis abhinc decem, cum ex copioſo ſanguinis ſputo à pulmone (ſecundum omnium medicorum communem ſententiam) regurgitante, diutinsque affluente, tandem in phthiſin lapſa eſſet, pluribus inſequentibus menſibus, non contabuit modo, ſed continuo pus grauiter olens copioſum expuebat, cum ponderis cuiuſdam ſenſu in parte dextra, vſque adeo, vt nullo pacto ſuper ſiniſtro latere quieſcere potuerit. Id quod in dextra thoracis vomica pus aceruari ſignificabat, pulmonisque dextram partem affectam, vt cuius non fracta modo vena fuerit, ſed inflammationis deinceps concitatæ ſuppuratio facta ſit, ac tandem quædam in ſcirrhum conuerſio (vt ſæpe talem pulmonis, ob infarctum pus, duritiem, in Xenodochiis publicis, per anatomen obſeruauimus;) Ad vltimum igitur ſui fati terminum fere producta eſt, & à Medicis omnibus doctiſſimis, qui eam curabant, recta quidem ratione motis, tanquam deplorata relicta eſt, ac vt certo quodam termino moritura condemnata eſt, ſcilicet pro futuro menſe Septembris. Sed ecce quod à Neapoli nobis Panhormum aduenientibus, menſe Iulii ſtatim phthiſica hæc iamiam deplorata oblata eſt, noſtram opem efflagitans. Vt cuius alias à nobis plurimi morbi dextre ac ſalubriter curati (Deo Opt. Max. fauente) fuerint. Indeque non vigilans modo, ſed per ſomnia quoque è manibus noſtris ſalutem ſperabat. Sed parum abfuit quin à tota ſua ſpe fruſtraretur. Nos enim non in principio tantum, cum eam videremus, conformes aliis doctiſſimis Medicis exiſtentes, tanquam deploratam curandi munus inuiti aſſumpſimus: ſed multis quoque diebus atq; hebdomadis inſequentibus eam vt omnino morituram viſimus, omni prorſus ſalutis ſpe ablata: præſertim cum per interualla quædam, non maiora quidem duabus hebdomadis, maximam veri puris quantitatem in ſimul collectam (vt græce dicitur athroos) & ſæpe numero quatuor librarum, pauloque minus, ac nonnunquam plus, vel admiſto nonnunquam putri ſanguine, per ſputum eiiceret: quod deiectionis die vitam cum morte cõmutaturam timebamus. quotidie vero ſelibram fere puris, pituitæque, ac ſæpenumero ipſi etiam corrupto ſanguini admiſtam expuebat. Forte igitur fortuna cũ vix quamplurimis iam tenta-

tis, nouum aliud effatu dignum remedium admouere illi propinareue auderemus: Ecce quendam ignauum chirurgum illi quadam affinitate coniunctum, qui caſu potius, & naturali quodam inſtinctu motus, præter omnem rationem, quam exprimere ſciret, ſic dubitando ait: Mi domine excellens, an conferret ligni ſancti decoctum? Idipſum vero dixit ille, tanquam ſolos fere morbo gallico infectos curare ſolitus, huius præſertim decocti potu. Cui tanquam ab omni remediorum genere laſſi, & præter omnem ſpem exiſtentes, reſpondimus: quod melius eſt cum ſpe aliqua idipſum & alia cuncta tentare, quam omnino ſic deſperatam mulierẽ dimittere: Nobiſcum dicentes (quandoq; etiam ſtultus valde opportuna locutus) hac igitur monitione, tametſi dubitando facta, hortati, prætermiſſo quidem ruptorio, quod in dextro brachio iamiam feceramus, incepimus ſancti ligni decoctum propinare. Sic ergo tempore, quo eam morituram medici omnes me priores determinarunt, perpulchram interulam mihi propriis manibus, læta & incolumis iam reddita, ex albo ſerico ſatis appoſite contexuit, variisq; figuris acu depinxit, in victoriæ ſignum, & muneris oblationem, propter adeptam inſperatam ſalutem. cum tamen vix per menſem huiuſmodi decoctum abſorbuiſſet. Quæ cum virgo adhuc ſit, hodie iam coniugi tradenda, & ad nuptias parata eſt, iamque agitur fere decimus annus, quod ſalua eſt, nec amplius recidiuauit.

Deinde, vt ſecundam attingamus hiſtoriam, iam agitur ſextus annus, quod ſimiliter phthiſicus factus Magnificus Auguſtinus de Vrbina, Sanctiſſimæ inquiſitionis officii digniſſimus Capitaneus, à quibuſdam è primatibus quoque medicis deploratus, & tanquam omnino moriturus condemnatus eſt, è cuius ore non ſcreatus modo, ſed anhelitus etiam, ipſa videlicet expiratio vſque adeo fœtidiſſimi, grauiterque olentiſſimi erant, vt vix ad oſtium cameræ accedere potuiſſem, quin eo fœtore ſummopere læderer, & vſque adeo occuparer, vt omnino deliquiſſem, ni cito extra domum exirem, febrisque continua in hoc intenſior quam in illa, & vltra habitualem, quam & hic & prædicta mulier habebant, putrida etiam, & omnis ordinis expers febris coniuncta vtrique erat. Huic igitur capitaneo, exemplo ſumto à priore iam dicta muliere, ligni ſancti decoctum propinauimus. & quoniam cum phthiſi etiam lienem maximum habebat, ſummeque durum, qui lienis morbus antiquus ſibi erat: Idcirco etiam huic duo ruptoria fecimus, alterum ſcil. in ſiniſtro crure, alterum vero propter aſſiduas etiam deſtillationes in ſiniſtro brachio, addita interim aeris mutatione. Miſimus n. ad Montem Regalem, vbi tale decoctũ per menſem, paulove plus ebibit, tandemq; incolumis euaſit, cũ tamen talẽ aeris mutationem præcepimus, non tantũ quia ſalubrior aer ille eſſet, quãtum vt eius morti non adeſſemus, quemadmodum medicorum mos eſt, deſperatos ex morbis cronicis ad balnea, vel nouũ aerem trãſmittere, vt illius mortis crimen & infamiam effugerent. Sed neq; capitaneus hic, neque mulier illa vel per ſomnium quidem, gallici morbi ſuſpicionem in ſeſe vnquam habuerunt. Eſtq; Capitaneus nunc robuſtior & obeſior, quam antea vnquam fuit. *Ingraſſias in conſ. pro fiſtula pectoris Illuſtr. Ducis Terræ nouæ.*

Pulmo cum ſit viſcus ſpermaticum, perfectam regenerationem non facile admittit, ob ſeminalis portionis defectum, vnde callus generatur, qui tamen à cauſis morbificis facile viciſſim rumpitur, niſi exacta quadam diæta obſeruetur. Malo confirmatiore, etiam vehementer ſiccantia & adſtringentia non improbantur, vt Trochiſci ex ſpodio, Roſis, Myrto, Granatis, etiam magnæ antidoti.

Vnde recentiorum obſeruatione, decoctũ Guaiaci, extreme deſperatos phthiſicos reſtituiſſe conſtat: quemadmodum & paſtilli Andronici, fœliciter cum Trochiſcis de Camphora adhibentur.

Quo ad Cheirurgica, etſi Auicenna probet in valde fortibus venæ ſectionem, quia tamen hectica eſt coniuncta, robuſti adeo non facile fuerint: Vnde venæ ſectio tantum in præſeruatione locum habebit. Fonticuli vero commendantur, vbi cũ phthiſi deſtillatio in pulmones coniungitur, retrahitur enim beneficio horum fluxio, vt callus à materia deſtillante non diſſoluatur. *Ex diſputat. Ioan. Georgii Stabelii, Heidelbergæ Anno 83. publicata: Reſpondente M. Samuele Macrino Goſelarienſe Saxone.*

Observatio.

Phthiſicos reſtitutos, quibus dimidia pulmonum pars morbo amiſſa.

DIcam aliquid incredibile. Sanitatem reſtituit Deus aliquibus Phthiſicis, meo vtens miniſterio, quos abunde conſtat vix dimidios pulmones retinuiſſe. Niſi tales inæquali pulmonum affectu laborauiſſent, quis eos ſanari potuiſſe putet? *Eraſtus diſp. Paracelſicarum part. 4. pag. 210.*

Curaui Phthiſicos nonnullos plane deſperatos, & incipientes plurimos. Summa curationis hæc eſt. Exhibeo ipſis decoctum ligni Guaiacini, per duos treſve menſes, prius euacuato corpore, ſi ægroti ſint cacochymi, per mannam, ſyrupum roſatum ſolutiuum, per enemata, prout neceſſitas expoſtulare videtur. In decocto aliquando macerari iubeo, ſaniculam, pedem leonis, ſæpe pirolam, quinquefolium, & veronicam. Vini aliquid interdum concedo. Victus ratio eſt, vt caueant à ſalſis & acribus, cibi ſint lenti, quales ſunt neruoſæ carnium partes, pedes, aures, roſtra animalium bene cocta. Gelatinæ item ex his confectæ, ſed ſine aromatibus. Carnes comedent iuuenes, & cochleas bene coctas, teſtitudines nemorales, hordeum, oryzam, milium, in lacte chalibeato cocta. Ex fructibus proſunt, amygdalæ dulces, ficus, vuæ paſſæ, pineæ, piſtachia, pyra, cydonia. Expectorantia ſunto humida ex ſpeciebus diaireos ſimpl. ſacharo cando, & ſulphure ſublimato. Mane ſumant de Electuario iſto, paulo ante prandium, ſcilicet hora vna, vel altera: quod Recipit carnis perdicum coct. libr. s. limacum coctar. vnc. v. Amygdal. dulc. Pinear. Fiſticor. ana vnc. j. Paſſul enucleat. drach. x. Boli armen. oriental. Terræ ſigillat. Corall. rubr. vſtor. ana drach. j. Gummi arab. Tragacanth. ana drach. j. Semin. papau. alb. drach. vij. Quatuor ſem. frigid. maior. & minor. ana drach. ij. Conſer. conſolid. maior. vnciam j. s. Fl. hyperici M. j. In lapideo mortario & ſimili piſtillo contundantur, & miſtis add. hypociſtid. drach. v. Syrup. diathamaræ. Diarrhod. abb. ana ſcrup. iiij. Macis drach. j. Pul. fol. ſanguiſorbæ, Cornu cerui vſti ana ſcrup. ij.

Sachar,

Sachar.roſac.tabel. lib. s.cum ſyrup. de conſolida q. ſ.f.electuarium. Loco electuarii vel alternis diebus ſumat de ſequenti Pinocato, quod Recipit. Pulu. ſanguiſorbæſl. hyperici. Cornu cerui vſti, Corall. rub. vſt. ana drach. j s. Syrup. diathamar. Diarhod. abb.ana drach.j.Macis ſcrup.iij.s.Amygd.dulc.vnc. j. s. Piſtacior. drach. v. Pinear. vnc. ij. Tragacanth. Gummi arabic. ana q. ſ. Cum ſachar. q. ſ. f. pinocatum. Aliquando dentur loco electuarii & pinocati mane drach.ij. pulu. ſequentis ex ſyrup. de conſolida, vel veronica, aut tuſſilagine, qui Recipit ſem. papauer.alb.vnc.s. portulac. maluiæ ana drach.iij.s. Bombacis cidonior. mundat. 4. ſem. frigid. maior. ana drach. iij. Gummi arabic. Tragacanth. Amyli. ana drach. ij. Cornu cerui vſti. Eboris vſti. Cicer. rub. in aq. plantag. infuſ. & ſuper latere toſt. ana drach. ij. s. Hypociſtid. boli armen. oriental. ana drach. j. Sachar. roſac. lib. s. Penidiar. vnc. vij. Pul. miſce. De hoc ipſo puluere etiam vtiliter conſperguntur fercula omnia, ad miraculum vſque. Si placet bibant, de iſta aqua caponis, aliquando hauſtum vel mane, vel duabus horis ante cœnam. Recipe Carnem capi totius ex vino Cretico lotam, demta pinguedine, & inciſam, item carnem teſtudinis purgatam, & in auſtero vino, vel aqua burſæ paſtoris vel plantaginis coctam, & eius loco carnem xij. cochlearum, eodem modo præparatarum ac coctarum & contuſarum, his adde micæ panis pro duobus denariis in vino Cretico infuſæ, Pinear. Amygd. dulc. Fiſticor. ana vnc s. Boli armen. oriental. Terræ ſigillat. Roſar. rub. ana drach. iij. 4. ſem. frigid. maior & minor ana drach. ij. ſem. papauer. alb. drach. vij. Saniculæ, ſanguiſorbæ, Burſæ paſtoris. Fl. hyperici, ana M. j. Tragacan. Gummi arabic. ana drach. ij. Syrup. Diathamar. Diarhod. abb. Diatrion ſantal. s. camphora, Macis ana drach. j. Aquæ burſæ paſt. ſanguiſorbæ, Tuſſilag. ana lib. s. Decocti limaciar. vel teſtudin. lib. ij. Pulueriſanda pulueriſentur, contundenda contundantur, & in balneo Mariæ ſ.a. deſtillentur. Ego puluerem in ſimilibus affectibus ſemper expertus ſum plurimum profuiſſe, cum decocto ligni, & aliis pectus extergentibus ſyrupis, eclegmatis, admixtis ſimul conſolidantibus. *Thomas Eraſt. conſil. 8. libr. 3. conſil. & epiſt. medicinal. publicat. à Laurentio Scholzio.*

Observatio.

Ab Arabibus quoque, & ſuperioris ſæculi nonnullis, à Phthiſi liberatorum, hiſtoriæ & atteſtationes.

Ego vidi huiuſmodi vlcera pulmonis, nimis prędominari in peripneumonia, & curata fuerunt perfecta curatione; Et vidi naſcituram in pulmone coadunatam ſpuentem ſanguinem, & deinde ſaniem, & ſanata eſt tamen, in puero quinq; annorum: Et confirmatus eſt rumor, quod quidam ſpuebat ſaniem fœtentem poſt ſputum ſanguinis, & curatus eſt per lac caprinum, quidam vero per Aſininum. *Raſis 4. conti.*

Iam recordatus ſum quod pater meus dicebat mihi, quod pater ſuus habebat quendam Hiſpanum in cura, qui patiebatur vlcera pulmonis, & extenuatus fuit in tantum, quod tota caro eius conſumta fuerat, & Auus meus ipſum taliter curauit, ſcilicet quia cibabat cum pane bene fermentato cum oleo oliuarum, & taliter reſumtus fuit, & ſuam recuperauit humiditatem, nec ei ſuperuenit accidens malum, & vixit poſtea tam longum tempus, quod Medicus qui curabat eum, ſcil. Auus meus, obiit ante ipſum, & poſtea diu remanſit in manibus patris mei, & obiit ad vltimum alia ægritudine, & non ex iſta.

Et mihi ſimiliter, quando incepi practicare, ſuperuenit ad manus meas quidam, qui patiebatur talem ægritudinem, & iniunxi ei regimen dictum, & ſic receſſit tuſſis ab eo, & impinguatus fuit, & rediit ad operandam artem ſuam, & exercendum omnes operationes ſuas, & ſic vixit poſtea lōgo tempore, ita quod fuit Epidemia in illa regione, & ipſe mortuus fuit in ipſa febre acuta. *Abynzoar lib. 1. Theyſir. tract. 11. cap. 2.*

Puluis Hali de Regali Diſpoſitione, quæ prodeſt vlceri pulmonis, & tuſſi ſecundum ipſum; Recipit papaueris albi, drachmas decem, Gummi arab. Amili, tragaganti, ana drachmas tres, ſem. portulacæ, ſem. maluæ, ana drachmas quinque ſem. cucurb. & melon. ſem. cucum. & citrulli ſem. cidoniorum mundator. ana drachmas ſeptem ſpodii, ſucci liquiritiæ ana drachmas tres, Penidiorum ad pondus omnium, fiat puluis, dentur omni die mane drachmæ duæ, cum ſyr. de papauere, vel cum ſyr. iuiubarum. Sine dubio iſte puluis eſt expertus & probatus, viuit Deus.

Ego tenui phthiſicum verum: cuius ægritudo per annum durauerat, qui videbatur interdum partem pulmonis cum ſputo eiicere, & erat ei tantus fœtor: quod nullus, nec in refectorio nec in menſa, ei audebat approximari, perfecte ei erant omnia ſigna phthiſis: qui per me, & multos alios fuit iudicatus de proximo moriturus. Ego vero (quia amicus meus erat) poſui curam ſuper eum, cum diæta, & medicamentis, præcipue cum iſto puluere, & electuario ſupra ſcripto, qui iuſſu Dei curatus eſt. In multis vero aliis quorum ſputum ad fundum vaſis aquæ pleni deſcendebat & habebant febrem continuam phthiſicalem, & corporis macerationem, & alia ſigna phthiſis, iſtum puluerem continuaui, & frequenter me bene reperi cum eo: reuera dictus vir vtebatur in auenato & ordeato facto cum lacte amygdalar. & ſem. cucur. & ſuperſpergebat de iſto pul. & mixto cum multo Zacchario. *Valeſc. de Taranta lib. 3. cap. 2.*

Observatio.

Sacchari roſacei continuato vſu vindicati à Phthiſi.

Si non timerem dici mendax, narrarem in hac intentione mirabilia, & referrem ſummam, qua vſa eſt mulier phthiſica; peruenit res eius ad hoc, vt ægritudo cum ea prolongaretur adeo, donec perueniret ad mortem, & vocarentur ad ipſam qui præpararent ea, quæ morti ſunt neceſſaria, tunc quidem frater eius ſurrexit ad eam, & curauit hac cura longo tempore, & reuixit, & ſanata eſt, & impinguata eſt, & non eſt mihi poſſibile, vt dicam ſummam eius quod commedit de Zucharo roſaceo. *Auicenna lib. 3. fen. 10. tract. 5. cap. 5.*

Ex rebus mirabilis iuuamenti ad conſolidationes & ſanationes vlcerum pulmonis, eſt Zuccarum roſatum recens, ſuper quod non præteriit annus. Aggregatur enim eo virtus abſterſionis ex

succo

ſucco roſarum, & virtus conſolidationis ex parte ſubſtantiæ earum. Et noſti quod virtus abſterſionis ex roſis propter antiquitatem abſcinditur, quæ adhuc poſſidetur in recentibus. Et Galen. quidem præcepit dari Zuccarum roſatum, ſingulis diebus in quantitate plurima, etiam cum rebus medicinalibus cibalibus & potalibus, ſecundum omnem modum adminiſtrationis eius, ita quod cum pane etiam. Et vſi ſunt eo poſt ipſum plurimi, & non eſt comprehenſibilis ipſorum numerus, qui ſanati ſunt ex vſu eius, tamen prius mundificationibus præcedentibus. Falluntur enim vtentes eo à principio, dum mundificatio non præceſſerit. Coartat enim in pulmone materias. Nos autem dedimus cum lacte calido non febricitantibus. *Meſues c. de Phthiſi.*

Retulit Montanus, ſe quendam pro deſperato à Medicis Veronenſibus Venetias miſſum, phthiſicum iam, & qui quotidie duas ſcutellas puris expueret, curaſſe ſolo vſu Zuccari roſati: ſed id dediſſe in maiori copia, ita vt fere nihil aliud comederet, & pharmacopolæ Veneti illi Zuccarum roſatum vendere nollent, ſed cogeretur aliunde afferre. Vixit tribus annis poſt ſanus. Sed quia mulierem pulchram habebat, in eandem recidebat ægritudinem, ex qua mortuus eſt poſt triennium. *Crato in conſ.* 152. *Montani, edit. Baſil. Anno* 83.

A Tabis affectu leuando roſaceo ſaccharo ſum plurimum vſus, cuius miram vim in phthiſi leuanda eſſe, Auicenna, narrata tabidæ mulieris hiſtoria, plurimum docet. Quod & ego pluries felici ſucceſſu in multis expertus ſum: habet enim ſiccandi, & modice etiam detergendi vim, atq; etiam glutinandi, vnde mirifice pulmonum vlcera iuuat, & ex conſequenti natam inde tabem curat, qua cauſam tabis adimit. *Valleriola lib.5. obſeru.5.*

Quædam Phthiſica, pro deplorata à Medicis relicta, vt Romæ nobis relatum eſt, cum ibidem ageret, ſequente remedio intra duos menſes ſanitati reſtituta dicebatur: Pullum exenteratum capiebat, ac in ventre vnc. tres ſacchari roſati ponebat, ac demum aqua lento igne in olla cooperta coquebat, illoque decocto ſupra cineres per totam noctem ollam relinquebat, mane vero ex pullo contuſo cum ſuo iure, manens in lecto ſumebat, ſuperdormiens, quo quidem remedio ſana euaſit. *Pet. Foreſtus lib.16. obſeru.58.*

OBSERVATIO.

Remedia ad Phthiſim nobiliora, alia.

IN pectoris & pulmonum vitiis, poſt vniuerſalia, & aquas pectorales abſterſiuas, vlcus mundificantes, pro vltimo & ſecreto remedio habuit Ludouicus de Leonibus aquam deſtillationis hederæ terreſtris, per quatuordecim dies potam, cum ſacchari roſati veteris quotidiano vſu. *Langius lib.3. de aquis pectoral. pag.* 867. Syrupus de Hedera terreſtri ſimplex. Recipe aquæ vel ſucci depurati hederæ terreſtris, libram ſemis, ſacchari fini, vncias quatuor ſemis, decoquantur ad ſpiſſitudinem ſyrupi. Detur in exulceratione pulmonis, cum conſerua roſarum, vt noſti. *Idem lib.3. pag.* 892.

In Phthiſi præterea tanquam ſingulare medicamentum à recentiorib. vnice commendatur Veronica, quæ Germanis haud dubie ob mirificam ſanandi vlcera & vulnera facultatē Grundtheil nuncupatur. Vnde in febribus, potiſſimum vero in pulmonis exulcerationibus laudatur.

Hinc & alia adiicimus, quæ pulmonem quoque roborare dicuntur, qualia ſunt, pulmo Vulpinus arte præparatus, qui drachmarum duarum pondere, cum ſyr. myrtillorum, vel aq. Veronicæ, exhibetur. Bolus Armenus, quo in Phthiſi ſublimior ſeu excelſior medicina non eſt Serapioni, ſi indies cum vino ab ægro aſſumatur.

Recentiores Pulmonariam quandam non vulgarem deſcribunt, quam in vitiis pulmonum, potiſſimum autem eorundem exulcerationibus mirifice commendant. Et reſtantur ſeſe mirabili ſucceſſu, quemadmodum etiam in ſanguinis reiectione, eam exhibuiſſe. Decoquunt ad medias, decoctum, addito ſaccharo, potandum præbent. Vel ſuccus ex ea exprimitur, qui ſerapii modo cum ſaccharo paratur: præſtant hæc omnia, herba ipſa, flores, quoquomodo à tabe affectis ſummantur, decocta. *Georgius Hamberger in diſputat. de Phtoe. Theſ.* 73. 74. 75.

Botrys, Italis Patientia. In Miſnia vocant Lungenkraut. Nam ad pulmones male affectos mandunt herbam, & cum pauco vino deglutiunt. Cum melle inde fit Electuarium, ad vitia Pulmonum. *Ioach. Camer. in Horto.*

Ros ſolis, ad ſalſæ pituitæ decubitus in pulmones, (quorum vlcera & tabem ſanat) nulli ſecunda: tuſa vna cum ſalis nigri grumis, cutem rumpit admota. Fuluus aureusque limpidus ros, qui deſtillatus ex foliis & floſculis, bibitur ad eadem. *Petrus Pena.* Non poſſunt ſibi practici perſuadere, longa experientia & vſu edocti, vim cauſticam Roridæ ſolis, phthiſicis & tabidis eſſe nocuam, & certe non alia ratione in corpora agere putant, quam Scylla, Pancratium, Cæpæ, Allia, Ruta, Sinapi, Eruca, Dracunculi radix, & huiuſmodi acria, quæ extrinſecus admota, vrere, & exulcerare ſolent, aſſumta vero, interiora minime arrodunt, ſed ad viſcida, pituitoſa, putridaue excrementa, (quibus Phthiſici aliquando ſuffocantur) extenuanda, incidenda, à putredine arcenda, & exiccanda vlcera, caloremque natiuum, inde obrutum, & animi vigorem excitandum faciunt. Corrigunt enim prouentum & ſaburram craſſorum, viſcidorum, & putridorum humorum. Quamplurima hodie eſitantur, quæ admota, ex alto diuellunt, & trahunt, etiamque cruſtas inurunt. Sic Ros ſolis ſenum ſpiritus vegetat, craſſos & lentos humores concoquendo, incidendo, attenuando, atque abſtergendo educit. *Lobelius.*

Ros ſolis, plantula elegantiſſima, mercuriali æthereo fluore glutinoſo roſcida, tum alibi, cum vero in Hagenoenſi agro (cui R. P. pro tempore medicinam fecimus) haut procul vrbe, loco muſcoſo vliginoſo annuatim circa Iunium menſem prouenit: quæ ob ſal balſamiti cum vnice confert pulmonibus, contra Dodonæi Medici Cæſarei ſententiam. Deſtillatione ſal rubicundus acris volatilis prima ſtatim eleuatione in alembicum ſublimatur: in quo vis eſt potior. Aqua perinde viſu grata, colore fuluo aureoque (auri liquorem diſſolutum iurares) elicitur. *Filius Schenckij, huius operis recognitor.*

Quidam, cui oſſa præ macie crepitabant, vt poſtea le-

ea lecto, decumbere coactus fuerit, per ſingulos dies, is quoque à Medicis pro deplorato habitus, duo oua recentia igne aduerſo aſſabat in foco calido tantum, vt albumina vix caleſcerent, albuminibus reiectis, vitella in ſcutella ponens, addebat pulueris ſulphuris viui, ad fabæ quantitatem maiuſculæ, ſaccharo cando aſperſo eadem menſura, & ſalis momento: quæ ſimul mixta cum vitellis ouorum capiebat hora vna ante cibos alios, & deſuper bibebat vini optimi dulcis, cyathum vnum, modo ſumebat aquam roris ſolis, vna cum vitellis ouorum. Interim & pro tuſſi vtebatur ſyrup. de liq. viol. diatrag. frig. eclegmatis modo; interim & aliis confectionibus deſtillationem inhibentibus. Idem deſtillabat limaces teneros, ante ortum ſolis in vineis collectos, cuius & cochlear cum duobus vitellis ouorum ſubinde capiebat, ita vt macie conſumtus, pinguis paucis menſibus euaſerit, & præter ſpem quoque ſanus factus ſit. *Foreſtus obſer. 58. lib. 16.*

Oleum, ac potius aqua ſulphuris, confert vlceribus pulmonis, cum minus lædere videatur, ac potius magis iuuare, quam oleum Calcanthi, quod acerbi nonnihil habet. Itaque tabidis, qui pulmonis laborant vlcere, ad guttas decem, cum Zulapii violacei. vnc. j. aut alterius potulentæ rei, quæ pectori amica ſit, frigidiore cœlo præbetur, admirabili ſucceſſu, quod & plærique vetuſtiores tradiderunt, & nuper *Horatius Augenius*, Medicus ætatis noſtræ eruditiſſimus, libro ſuo ſane quam docto, *de modo præcauendæ peſtilentiæ*, teſtatur, quem mihi librum, Vincentius Carrarius Rauennas Iuriſconſultus, Tolentinatium Prætor, dono dedit. Ego quoq; vt nouiſſima referam, vidi anno 1579. menſe Martio, Rauennæ, in nobili iuuene, qui iam copioſa deſtillatione, & empyemate laborans, deploratus habebatur, ipſiusque pulmonis ſubſtantiæ nonnihil ſputo reiecerat, cuius teſtes adhuc multi ſuperſunt, vſu autem huius aquæ, ope Diuina conualuit, & nunc viuit incolumis & valida iuuentute. *Hier. Rubeus lib. de deſtillatione ſect. 2. cap. 24.*

Balſamum terræ vel ſulphuris, ſpagyrica enchyriſi exacta paratum, pulmonum deploratiſſimis morbis præcipuo auxilio eſt: nec habet pulmo hac medicina excellentiorem Mumiam. *Schenckii filius, Ioannes Georgius: Medicus.*

Coſtæ herbæ in Italia, alibi Ingraſſia di porci, ſingularis vſus in Phthiſi, vnde conſeruam, ſyrupum, puluerem ex illa exhibent, in Miſnia & alibi. Item quæ fercula inde parantur. Aliam hoc nomine in ſuo de ſtirpibus opere proponit Cæſalpinus, nimirum, quam Matthiolus Pſeudocoſtum vocat. *Ioach. Camerarius in Horto.*

OBSERVATIO.

Vlcere pulmonum phthiſicus effectus, curatur magna cura.

PRVDENTISSIMVS vir Ioannes Icardus, homo probitate ſingulari, ac claro ingenio, ſani diui Trophimi apud Arelaten Canonicus, in graue ſanguinis ſputum, rupto in pulmone vaſe, incidit, magna ſanguinis feruentiſſimi, acuti, & bilioſi eiecta per os copia, valida comitante tuſſi: à ſanguinis ſputo, exulcerato pulmone, phthiſicus fit, & ſuppuratus, cum febre moleſta, & corporis tabitudine. Curatur integre, ſumma ac diligenti adhibita cura. *Valleriola lib. 5. obſeru. 6.*

OBSERVATIO.

De pulmonum vlcere, præcedente ſanguinis ſputo, indeque tabe conſecuta, & purulento ſputo multo: à quo affectu nobilis mulier curata.

NOBILIS Gabriela Deleſſia, Ioannis Nicolai, Iuriſperiti, viri celeberrimi, vxor, ex pulmonum vlcere in tabem deducta, multo ſanguinis ſputo præcedente, ſubſequente vero puris ſputo, præter omnium expectationem, magna adhibita cura, integre liberatur, ſuperſtesque & incolumis nunc Dei gratia & viuit & valet. *Idem libr. 2. obſeruat. 3.*

OBSERVATIO.

Ex tabe ſanata, ſola ſanguinis miſſione.

ANNO integro remorantibus menſtruis, mulier ad ſummam deducta eſt maciem: & venæ eius ob nimiam plenitudinem nigriores factæ, admodum extendebantur. Cumque nullum cibi genus deſideraret, conſequens fuit, vt totum tabeſceret corpus. Quare præſentaneum auxilium iudicauimus ſanguinem mittere: qui cum primo die nigrior exiſſet, iubeo & altero idipſum fieri. Quo longe clariore emanante, factum eſt, vt profluentibus dein menſibus, mulier, quæ per annum macie & tabe afficiebatur, idoneis tandem medicamentis reſumptis, ad priſtinam facile redierit valetudinem. *Beniuenius cap. 44. de Abditis.* Non raro accidit virginibus viro maturis, vt ſuppreſſis aliquanto tempore menſium purgationibus, reſpiratio reddatur difficilior: cor ex leui occaſione palpitet: ventriculus cibum auerſetur: & facies corpusque albido colore palleat. Nam quod *Galenus libr. contra Eraſiſtratios Romæ agentes*, de muliercula ſcribit, cui purgatio menſtrua quatuor fuerit menſibus ſuppreſſa, quæ faciem habebat rubicundam, inter rariſſime contingentia numerari poteſt: frequentiſſime etenim pallentes ſunt. Hoc autem modo ſeſe habentibus virginibus, corpora earum non nutriri, ac contabeſcere, vt à ratione haud alienum, ſi ex hac occaſione extenuatas, ſanguinis miſſione reſtitui, rationi conſentaneum. Sanguinis enim detractioni, menſtrua ſuccedit purgatio: hanc vero ſanitas ſequitur. *Dodonæus annotat. ad cap. citatum.*

OBSERVATIO.

De phthiſi ad ſanguinis reiectionem è pulmonibus ſecuta, eademq; curata, cum ægra tota tabefacta, moritura ſperaretur.

NOBILIS Felicia Bauda, Nicolai ab Aqueria, Patritii Arelatenſis, generoſa vxor, phthiſi ad ſanguinis reiectionem ſubſecuta, pulmonibusq; vlcere affectis, tota tabefacta, maxima cura, ingentiq; labore, integre ſanitati, è mortis faucibus erepta, reſtituitur. *Valleriola lib. 3 obſeru. 6.*

OBSERVATIO.

Mulier ex pleuritide ſuppurata, tabida facta, lactis vſu potiſſimum curatur.

ANdrina, Antonii Boſſicaudii, ciuis Arelatenſis vxor, ex pleuritide ſuppurata, tabida effecta, lactis

lactis vſu potiſſimum curatur intra menſem, aut paulo amplius. *Idem lib. 5. obſeru. 5.*

OBSERVATIO.

A febre Phtiſi correptus, Diæta ex ouis & pullis columborum & cancrorum Peruanorum conſtituta, conualuit.

NOBILIS quidam vir ex Continenti rediens, mihi affirmauit, poſt diuturnas febres continuas iſtic in Phthiſim incidiſſe; ac poſtquam ex quorundam conſilio ad paruas quaſdam inter Diuitem Portum, & Margaretham, Inſulas, ablegatus fuiſſet, in quibus plurimi naſcantur, omnium optimi cancri, (ſolis enim ouis, quæ columbæ ponunt, & earum recens excluſis pullis veſcuntur) quos duntaxat coctos ederet, poſt aliquantulum temporis, quo iſta victus ratione vſus fuiſſet, optime conualuiſſe: tametſi ante nihil illi pſittacorum eſus, qui ad hunc morbum commendatur, profuiſſet. Cancros porro phthiſicis valde vtiles eſſe Auenzoar aſſerit, non manifeſta aliqua qualitate, ſed propria quadam & abdita cauſa. *Nicol. Monardis libr. 3. de medicamentis ex nouo orbe delatis, circa finem.*

OBSERVATIO.

Mulier ex cauſa in tabitudinem deducta, vſu lactis aſinini, & inunctione dorſum humectante, curatur.

MARIA, Ioannis Icardi vxor honeſtiſſima, continenti febre ardente correpta, cum grauiſſimis ſymtomatis, & delirio longo contabeſcens, ad extremam maciem deducta, & tota tabefacta, magno labore curatur poſt diutinum tempus. *Valleriola lib. 6. obſeru. 9.*

OBSERVATIO.

Cauterio, etiam actu Phthiſici, ſeruati plures.

REVELLATVR Catarrhus ad cutis capitis ſuperficiem, ſicut fecit *Galenus in illa nobili Romana 5. method.* hoc medicamento ſecuro & tuto. Cantharid. abſciſſis alis & capitibus drach. j. Caricar. pinguinum num j. Fermenti parum, cum aceto ſcillitico f. paſta. & mane, abraſo capite, ſuper ſutura coronali imponatur, dimittatur per horas octo, vbi excitauerit veſicam, acu rumpatur, & locus inungatur butyro, ſuperimpoſito folio caulis ſupra cineres calefacto, mane & veſperi, ne fiat vnio partium. Si hoc non ſuffecerit, fiat cauterium actuale, in ſutura coronali, circa initium Maij, capillis abraſis, & locus atramento notatus, candente ferro vratur vſque ad pericranicum, & ſtatim imponatur ſtuppa infuſa in albumine oui, cum aqua roſarum, & aceto. Deinde ad octo horas imponatur butyrum contuſum, cum folio caulis, & ſic mane & veſperi locus emplaſtretur, donec decidat Eſchara, quo facto, imponatur in foramen granum ciceris, & ſupra folium hederæ, ſicque diu detineatur locus apertus. Hoc enim remedio, multos actu phthiſicos, priſtinæ ſanitati reſtitui. Etſi autem videri poſſit abominandum medicamentum, tamen tutiſſimum eſt, & ſine aliqua noxa adhibetur, cum quo etiam plurimos catarrhos ad thoracem delabentes, compeſcui. *Helidæus de Paduanis, conſil. 7. lib. 3. conſ. & epiſt. per Laur. Scholzium publicatarum.*

OBSERVATIO.

De curatione phthoe falſa.

BArtholomæum Marcianum, cum falſo exiſtimaretur phthoe laborare, atque ob id pro deplorato relictum, in viginti diebus ſanaui, morbi intellecta ſede. *Cardanus Dignot. admirand. num. 3.*

DE ALIIS PVLMONVM MORBIS.

OBSERVATIO.

Pulmonis morbi rari alij.

SPVTVM medium inter flauum & pallidum: bilioſum nulla acredine infectum: inde auctum: Poſt febricula ſuperuenit, inde ſputum purulentum: demum etiam ſanguinem eiiciunt, & obeunt. Alii ex tuſſi, lentoq; ſputo, ac exiguo, fruſta grandini ſimilia expuunt, & tandem poſt aliquot annos moriuntur. Quibuſdam maxima diuerſitas in pulſu non ſolum ſyſtematica, ſed in vna pulſatione tantum & abſq; febre & ſpirandi difficultate oboritur: vt Antipatro Medico: durauitq; per ſex menſes: quod glutinoſo humore, aut tuberculo crudo leuis arteria magna occuparetur, poſt difficultas ſpirandi leuis inuaſit, accedente cordis palpitatione. Et poſt xv. dies, oborta maxima difficultate ſpirandi, obiit. Hæc *Galenus.*

At nobis contingit vt in filio Gadii diſſecto, cum vt phthiſicus haberetur: ſiquidem & tabidus & cum maxima tuſſi, & febre lenta obierat: in eo tamen nullum vlcus in pulmone fuit, ſed in eius ſuperficie tubercula quinque, ni fallor, ſanioſa, & portio liuida, fuſca, velut igne exuſta: & in iecore alia tubernacula illis ſimilia.

Alius puer ex Caſalium familia, cum ob opes magnas de veneno ſuſpicio eſſet, diſſectus, habuit pulmonem exeſum cum ſanie alba, cruda miſta, aquæ multæ, perierat in quatuordecim diebus ex febre. Symptomata non ſcio, quia non adfui curationi, conſtat tam longo morbo abſumptum, vt exiſtimaretur (ſed falſo) obiiſſe ex recidiua. *Card. part. 3. num. 67. lib. de cauſ. ſign. ac loc. morb.*

OBSERVATIO.

Pulmonum ex marcore ſenili tabes.

IOAN. Hartungus, vir Græcæ & Latinæ linguæ doctiſſimus, Philoſophiæ, Matheſeos, Hiſtoriarum Philologiæ, adeoque omnis elegantis doctrinæ callentiſſimus: Pietate, Sapientia, Prudentia, & Humanitate ſingulari clarus: circa annum Domini 1548. Præceptor meus obſeruantiſſimus, atque annis aliquot poſt, etiam amica, iucunda, eruditaque conuerſatione frequenti, mihi coniunctiſſimus. Cum ætatis ſuæ annum ſeptuageſimum quintum attigiſſet, ægrotare cœpit. Cæterum, cum Medicorum, qui tum ipſius valetudinis cauſa, in conſilium adhibiti fuerant, ſententiæ pro more plurimum variarent: ego quoq; iuſſus, meam hiſce verbis propoſui. Cum nulla obſtructionis, intéperiei, multo minus ſcyrrhi Epatis ſigna apparerent, œdematoſum ipſius crurum tumorem, non Epatis, ſed pulmonis potius occaſione, eueniſſe, quaſi certum me habere. Siquidem eruditis & exercitatis Medicis ſatis conſta-

conſtaret, pulmonum vitio Tabem accidere poſſe, quam nec præceſſerit, nec conſecutum ſit ſaguinis ſputum, aut purulenta excreatio, etiam extra omnẽ pulmonis exulcerationem. Pedes autem intumeſcere tabidis nonnullis, etiãſi vomica pulmones non afficiantur, vt rarum non eſſet, ita autorum obſeruatione conſtare; idque me in artis operibus non ſemel obſeruaſſe. Accidere vero cum primis his, quibus extra ſeptici aut catæretici veneni ſuſpicionem, pulmones natura infirmi, molles, tenelli, ætate etiam, & diuturna tuſſi, atque excreatione, vitiari ſolent. Atque hæc pulmonem, non Epar, in vitio eſſe, declarare. Etſi non negem, morbi progreſſu fieri poſſe, vt tandem Epar in conſenſum trahatur. Vitalia autem laborare citra febrem, & dolores ex Diaphragmatis & Abdominis muſculorum in elidendis craſſis excreationibus, munere & imbecillitate videri. *Hinc* neque ſitim ægrum infeſtare, neque tumores aut punctiones circa Epatis regionem obſeruari. Quin potius partes, quæ abdomine continerentur, & à coſtis ad pudenda vſque pertinerent, ita abſumtas concodiiſſe, vt ſpinæ affixæ viderentur. Apparere autem vniuerſum huncaffectum, marcori, qui ſenilem habitum inuadit, quam ſimilimum, ſi non ipſiſſimus eſſet. Quem conſumtio muſculoſarum partium, & virium exolutio excepiſſet. Pulmoni itaq; reſiccato, quoq; modo, non curationis perfectæ, cuius in anguſto ſpes eſſet, ſed vitæ prorogandæ cauſa, proſpiciendum: idque humectantibus pneumonicis, analepticis, tonoticiſque, partim occultis, partim manifeſtis viribus & qualitatibus, ſecundum gradum vix excedentibus, quæq; inter medicamenta & alimenta ambigerent, iuuare poſſint. Ab hac conſultatione, cum aliquot hebdomadibus inde ſuperuixiſſet, annorum & vitæ huius ſatur, fidei autem & ſpei æternæ gloriæ plenus; placide in Domino deceſſit, magno ſui apud viros doctos deſiderio relicto. Obiit anno 1579. Iunii 16. die. *Schenckius.*

TVMORES ET APOSTEMATA pulmonum.

OBSERVATIO.

Nouus morbus, quo pulmones ſanguine nigerrimo, & ſanie multa repleti: citra propriam eorundem ſuppurationem, animaduerſi.

NVper, cum in tertia die primum Comitem Aloiſium Gonzagam inuiſiſſem, ſtatim dixi aſtãtibus, cum ſuprema illi pararent, alios aduocarent, medicos, ante ſeptimum diem obiturum à morbi initio, laborare ſpecie quadam abſceſſus in pulmone. Tum mulier recte inquam in hoc vt reor, nam ſanguinem tuſſiendo expuit: compererat enim me ſolum pulſum exploraſſe. Dicam autem qua via id cognouerim. Erat ei pulſus omni inæqualitatis genere perturbatus, plurimumque in ſingulis differentiis variabat, ordo omnino nullus, nullus dolor in pectore præceſſerat, nulla difficultas ſpirandi aderat, vnde etiam ſi deliraſſet, non potuit abſceſſus eſſe in pectore, ob doloris defectum, nec in pulmone, quod ſpirandi difficultate caret. At in pulmone tamen morbus erat magnus, non enim ſine illius affectu & in compoſitione, tanta pulſus diuerſitas cõflari potuiſſet: aduocantur medici, ſtatuũt vt ſanguis mittatur, quod vt è re erat, ita ad accelerandum aliquanto plus mortem (quod & prædixi) faciebat. Periit igitur in medio quintæ diei, alioqui ad finem ſextæ ſuffectutis viribus. Hæc fuit p̃dictio ex prima viſitatione, & ſolius pulſus ratione turo euulgata: de qua omnes qui interfuerant admirati ſunt. Diſſecuimus etiam corpus, vt an recte de abſceſſu ſenſiſſem viderẽt. Inuentus eſt nouus morbus, pulmones ſanguine nigerrimo, liquido, tum exquiſita ſanie, ac multa, toti redundabant, citra tamen propriam aliquam ſuppurationem. *Cardanus Art. Curand. paruâ propriæ pag. 294. & ſequentibus.*

OBSERVATIO.

Pulmonum corruptorum & nigricantium, in quadragenario, ardentiſsima febre laborante, ſymptomata.

QVadragenarius febre ardentiſſima correptus, doluit etiam à latere. Detractus mediocriter ſanguis ad vaſcula duo. Perſeuerant omnia, neq; cedit dolor remediis. Sexto die detractus iterum ſanguis ad duo vaſcula, putris & corruptus. Sudor ſeptimo leuis, tenuis, & tantum in capite, & thorace. Nihilo melius habuit. Deliria nocturna, æſtus & inquietudo magna, vrinæ turbidæ, ſudauit nono & vndecimo, nihilo leuata febre. Decimo leuius habere viſus eſt, nocte eadem patitur. Vndecimo vrinę ſubſident, ſed diuulſo & nigro ſedimento. Sudat vt prius. Pulſus perpetuo frequens & magnus; cũ pauca inæqualitate. Iam tendines manuum, ſine manifeſto membri motu, reuelli ſentiuntur. Vrinæ bene coloratæ & corporatæ, cum ſedimento nigro. Decimotertio floccos colligit manibus, reuelluntur digiti, deliriũ fere perpetuum. Decimoquarto media nocte mortuus eſt. Pulmonibus corruptis & nigricantibus inuentus eſt. *Hollerius libell. proprio, obſ. 13.*

OBSERVATIO.

Pulmo aridus, ſcirrhis plenus, ſyderata pars membranæ ſuccingentis & coſtarum: nunquam pus expuerat, neque ſanguinem: ante triennium pleuriticus.

QVinquagenarius, longo corpore & collo, ſatis opportunus tabi, tuſſicula, flatibus, pituita, tres annos laborauit. Audiebatur quaſi aqua fluctuans ad diaphragma & ventrem. Alii vitium lienis cauſabantur. Purgationibus, decocto guaiaci, & aliis vexatus, nihilo melius habuit. Subtabidus, male coloratus. Tandem decretum eſt, deſperantibus medicis & ægro, vt aperiretur thorax, primum cauterio potentiali, deinde cultello. Nam propius admota aure, intelleximus materiam diaphragmati inſidere, non eſſe in ventre. Itaque inter quartam & quintam vertebram aperta via eſt, monitis ægri amicis, quantum periculi immineret, ægro quoque monito, & id poſtulante. Effluxit pus multum, crudum. Quinque poſt diebus mortuus eſt. Diſſecto ægro, inuentus pulmo aridus, ſcirrhis plenus, ſyderata pars membranæ ſuccingentis & coſtarum. Venter inferior integer. Nunquam pus expuerat, neque ſanguinem. Laborauerat longo ante tempore, vt fere triennio, pleuritide. *Hollerius libello proprio, obſeruat. 16.*

Observatio.

Steatomata & atheromata in pulmone.

TVm in pulmonibus, tum in iecore ipſo Steatomata comperi, nec non Atheromata. *Columbus lib.15. Anatom.*

Observatio.

Cancrenoſus pulmo.

INterdum, (quod nos eo ipſo die, quo hæc ſcribebamus, in pulmonico, repentina morte abrepto, vidimus) pars ſuperior in cancrum abit, atque ad iuguli ſuperiorem partem trahitur, vt ſub alis lateat, vnde compreſſa aſpera arteria, ſtertor quidam obauditur, non à puris multitudine, aut alterius humoris, ſed ab anguſtia & interceptione meatus, in quo refractus & agitatus humor aliquis, in gutture feruet. *Iacotinus Comment. 1.lib.5.ſect.2. Aph.67. Coac. Hippocr.*

Observatio.

Pulmo putridus & ſanioſus ſiniſtri lateris membranis valde adnatus, cum aliis ſymptomatis, in ſacratiß. Imper. Diuo Ferdinando viſus.

IN renibus Ferdinandi Imperatoris defuncti, calculos multos compererunt medici, ſicut & in veſica: & dum viueret, interdũ ſupra triginta, ſine dolore vllo cum ardore exiguo emingebat. Nõ tamen hoc morbo conſumtus obiit, ſed maioribus cauſis. nam dum medici poſtridie à morte, inteſtina atque viſcera eximerent, omentum aliqua ex parte corruptum, ac ſine omni adipe, ſicut & inteſtina & ſtomachum deprehenderunt: & pulmonem magna ex parte putridum, ac grauiter fœtentem, cum pituita & ſanie, ita membranis pectoris in ſiniſtro latere adhærente, vt difficulter auelli poſſent. *Geſnerus cap.12. Foßilium.*

Observatio.

Franciſci Galliarum Regis, huius nominis primi, cadaueris diſſectio: in quo præter multiplices nutritionis & generationis inſtrumentorum corruptiones: pulmo putris, dextra parte coſtis circa ſpinam pertinaciter adnatus viſus eſt, cuius ſectione viroſa ſanies effluxit.

ANno M.D.XLVI. Calend. April. mane ad ſeptimam, facta eſt diſſectio corporis Chriſtianiſ. Regis Franciſci, huius nominis primi. Præfuerunt medici, Ioannes Vatadeus, Natalis Ramololus, Ioannes Capella, Valeranus Eua, Laurentius Glabius, Ioannes Hordeius, Martinus Acakia: Adminiſtrarunt chirurgi: Ioannes Verreiet, Adrianus Rabellier, Nicolaus Lauetus, Ioannes Beſlatt. Secto abdomine, omentum ruptum ad pubem, & ad ventriculum ſeſe exhibuit: ſicut inteſtina ſua, veluti velamine ablato, nuda ſpectarentur. Sed qua parte duodeno & piloro incumbebat, nigroris ſpeciem & corruptelam referebat. Duodenum putre, purulentum. Ventriculus inferiore tunica, ruborem cum nigrore, mixtum repræſentans humorem atrum, maiore etiam, quam pro ratione adſumptorum copia, continebat. Gula vlcerata ſaniem ſubruffam eructans. Putris pulmo, dextra parte coſtis ad ſpinam ſic pertinaciter hærebat, vt inde ſine dilaceratione diuelli non potuerit. Qua parte ſectione facta, viroſa ſanies effluxit. Cor & iecur, ren ſiniſter, plane illæſa. Lien non admodũ inſigniter affectus. Ren dexter vltima parte pure ſcatens, à quo exortum vas ſeminarium exemtum, colluuiem in partes adiacentes effuderat, ſic vt illis omnibus inſignes corruptelæ apparerent. In collo veſicæ, vlcus latum, multo pure refertũ. Sub pube dextra, omnia purulenta, & ipſa ſubſtãtia gangrænoſa. Scrotum, paraſtatæ, & partes omnes teſtes ambientes, ſimile vitium contraxerãt. Animæ rationalis ſedes integerrima. Tam variorum affectuum, tam diuerſos locos obſidentium, certæ cum ſint cauſæ, nullam tamen ad generationis primordia referendam eſſe, aut in poſteros tranſire poſſe, affirmare non dubitamus. *Ex communicat. CL. V. Ioan. Coſma Hultzachii.*

VVLNERA PVLMONVM.

Observatio.

Pulmonum fibra, per abſceſſus & vulnera ablata.

ROlandus *Parmenſis lib.3. ſua pract. cap.25. ac Theodoricus lib. 2. cap.17.* affirmant, Vgonem Bononiæ pulmonis fibram vulneratã ſanitati reſtituiſſe, poſtquam exierit, & eam reſecaſſet. Hoc etiam feciſſe confitetur, egregius noſtræ ætatis, ac huius inclytæ ciuitatis Venetiarum Chirurgus, Franciſcus Strata de Burano, eius Socerum, nec mirum eſt: nam præclari medici antiqui, dum affecta membra, quæ mortis magnum afferunt periculum, enumeraſſent, nullum quidem verbum de pulmone fecerunt: aſſeuerant tamẽ, quod ſi pulmo medius fuerit ſectus, aut vulnus amplum, aut inflammatione affectum, qui ſic afflicti ſunt, de neceſſitate moriuntur. *Andr. à Cruce lib.4. chirurg. ſect.1.c.4.*

Vidi quibus pulmonum fibræ tum per abſceſſus, tum per vulnera ſint ablatę & tamen viuunt, vnamque in rebus deſperatiſſimis diuinę bonitatis & fortitudinis gloriam profitentur. *Gemma. lib. 1. Coſmocrit. cap.6.*

Observatio.

Pulmo ex vulnere putrefactus in tantum, vt cor nudum conſpiceretur.

IN vulnerato decumbente in Noſocomio, & in altero vulnerato antea in eodem Noſocomio, qui vltra annum cum dimidio ibidem decubuerat, in ſectione ipſa tota ſubſtantia pulmonis adeo cum pure longo tempore excreta videbatur, vt cor denudatum, ſine pulmone (dictu mirum) ſpectaretur. *Petrus Foreſtus, Scholio ad obſeruat.37. lib.2.*

Observatio.

Pulmones vulnerati, transfoßi, & præſecti, curati.

CLamauerunt & clamant medici, vulneratum pulmonem non poſſe curari. Motum enim cõtinuum cũ humoroſitate aſſidua curationi vulneris aſſerunt obuiare: ꝙ quidem verum eſt, vbi vulneris ſuperfluitas ſufficiẽter expelli nõ poteſt, aliter enim falſum eſt ꝙ dicunt. Nã ſi cum extrinſeco vulnere ipſum vulnerari contingat: ſic conuenienter pulmo mundatur, & optime cõſolidatur. Quod quidẽ ego

Rolan-

RolandusParmenſis gratiā fauente diuinā expertus ſum operando, vocatus enim ad quendam Bononienſem quinto vel ſexto die vulnerationis, inueni pulmonis partē exiuiſſe exterius inter coſtas: & nimio ſpirituum & humorum concurſu facta fuerat tanta partis illius inflatio, ꝙ intromitti nequibat; coſtarum etenim conſtrictione nutrimentum retinebatur interius, vnde exteriora mortificata fuerāt: & vermes etiam intra ſe continebant. Cōuocati ergo peritiores chirurgiciBononienſes, eum pro mortuo reliquerunt. Ego autem ipſius & amicorum ſuorum precibus condeſcendens: & ab Epiſcopo venia impetrata, & tam ab ipſo, quam à domino ſuo: & illorum amicioribus ſecuritate obtenta. xxx. fere rogantibus atque aſtantibus, cutim circa vulnus pro latitudine vnguis minoris digiti circumcidi: deinde prope circumciſionem totum exteriorem abſcidi pulmonem. Loco igitur abſciſſionis ſanguine circumciſæ cutis confortato: & tam puluere rubeo & aliis adiutoriis frequēter procurato, conſolidatum eſt Dei gratia vulnus: & ſanatus eſt ille poſt multum vero temporis cū domino ſuo GerardoRolandini Ieroſolimam adiuit. & inde iam dudum regreſſus, ſanus atq; incolumis viuit. Si autem quæſieris qualiter egiſſem ſi à principio vocatus fuiſſem: reſpondeo, quod elargato vulnere caute cum cuneo intromiſſo: & poſtea erecto, ſegregando coſtas ad inuicem: pulmonem prius calefactum cum gallo vel gallina ſciſſa à tergo intromiſiſſem: & vulnus tenuiſſem apertum vſque ad mundificationem perfectam. Sed obiicies, nōne melius erat vulnus tantummodo elargari & confortari nutrimento: & ab intrinſecis veniente: & ſic tandem ſine abſciſſione intromitti? Non: quia mortificato exterius membro, cum ſuā natura non, fieret nutrimenti attractio: nec per tertiam digeſtionem eius incorporatio. Amplius ſi interrogaueris, qualiter ille homo ſine pulmone viuere poſſit? Dico quod particula quæ remanſit interius augmentata eſt, ab ipſa natura totius mēbri accipiens nutrimētum, vel forſitan ipſa natura pennulas alias concreauit; quod in membro molli facile ſit: & propinquitate caloris cordis: cui neceſſarium erat membrum. *Rolandus chirurg. lib 3. c. 25.*

OBSERVATIO.

Pulmonibus inflatis ex vulnere, ſeruati.

PVlmonibus vidi inflatos ſanatos: inflatos etiam mortuos, quare vulnera pulmonis ex æquo ſe habent. *Fallop. de vulneribus, cap. 12.*

DE PERICARDIO ET CORDE.

OBSERVATIO.

Hiſtoria pueri perſanati, cui os pectoris exciſum, & cor aliquandiu nudum apparuit: nam inuolucrum eius computruerat.

ICtus puer (Maruli Mymographi) in pectore, in palæſtra, neglectus primum eſt, deinde parum probe curatus. Poſt menſes quatuor, pus in parte pec[illegible] apparuit, hoc auferre cogitans medicus, puerum incidit, & vt putabat, ſubito ad cicatricem vulnus perduxit, poſtea rurſus inflammatio oborta eſt, mox quoq; abſceſſus, iterum ſectus puer eſt, nec amplius cicatrix obduci potuit. Quapropter herus ipſius, pluribus medicis conuocatis, inter quos ego quoque eram, deliberare ſuper curatione pueri iuſſit. Cum autem ſideratio, quam Græci Sphacelon appellant, pectoris affectus videretur omnibus, apparet autem & cordis à ſiniſtra eius parte motus, nemo affectum os excindere audebat, quippe arbitrabantur thoracis perforationem neceſſario futuram. Ego autem citra perforationē, vt medici quoq; appellant, adhibitam, pollicitus ſum me exciſurum. De abſoluta vero curatione nihil promiſi; cum incertum eſſet, num aliquid ex iis, quæ pectori ſubiacent, fuerit affectum. Itaque regione detecta, amplius nihil in pectore læſum apparuit, quam quod ab initio ſtatim videbamus, quare etiam confidentius ad manus operationem venire ſum auſus. Cum iam fines, quibus arteriæ & venę ſubhæreſcūt, vtrinque illæſi occurriſſent, affectumque os ab eo potiſſimum loco excidiſſem, in quo talis pericardii vertex conſiſtit, cumq; nudum cor appareret, quippe inuolucrum eius computruerat, ob hoc quidem haud bonam ſtatim ſpem habebam. Attamen in totum breui temporis ſpacio perſanatus eſt. Quod nō accidiſſet, ſi nemo affectum os abſcindere auſus fuiſſet, nemo autem tentaſſet, niſi in adminiſtrationibus anatomicis præexercitatus. *Galenus lib. 7. c. 13. adminiſt. Anatom.* Eandem hiſtoriam *idem Galen.* videtur *lib. 1. cap. 5. de Plac. Hipp. & Plat.* repetere. *Rhaſes* itē *in continente, & ex eodem Auicenna lib. 4. fen. 4. tract. 3. cap. 4.*

OBSERVATIO.

Cordis parte patefacta, curatus.

INciſo abſceſſu, qui ſupra ſeptimam vertebram innatum longo temporis interuallo ſinum fecerat, intimamq; membranam ſuā ſanie prorſus eroſerat, minima ipſius cordis pars oculis cernentium patefacta eſt. Verum cum hominem ſumma & diligentia & ſollicitudine curaremus, in priſtinam redactus eſt ſanitatem. *Beniuenius c. 42. De abditis.*

OBSERVATIO.

Ictus in cordis tunica, conualuit.

EX nobili familia nati fratres, eadem etiam cohabitantes domo, atque eodem victu viuentes, dum inter cœnandum orta, vt fit, inter eos lite, alter alterum gladio, quo in menſa vtebatur, in ipſius cordis ſede percuſſiſſet, plurimuſq; ex vulnere ſanguis efferreretur, langueſcunt illico venæ, pallet facies, ſudor frigidus toto corpore manat, arteriæ non eleuantur, omniaque demum mortis ſigna apparent. Verum, ne nihil omnino agerem, iubeo hominem his rebus foueri, quibus cordis vires refici poſſint, cumq; æger vſque ad mediam noctem eodem ſeſe habitu haberet, & de eius potius funere, quam de vita cogitaretur, cœpit paulatim ſpiritus reuerti. Quare, ſumpta ſpe, curam proſequor, donec aliis atque item aliis præſidiis vſus hominem tandem, Deo adiuuante, ad priſtinam ſanitatem redtico: ex quo plane cognouimus, non ictum cor, vt putabamus, ſed eius tantum tunicam leuiter fuiſſe perſtrictam. *Idem cap. 65. De Abditis.*

OBSERVATIO.

Pericardii pars ablata.

IN Antonio Algiate ablatam partem pericardii vidimus: & ſanatus eſt, ſed ſuſpiria alta ducebat, nec

multis annis ſuperuixit:functio tamen cum ignobilis ſit, mortem non neceſſario infert. Quatuor enim modis membra ſauciata mortem inferunt, vel neceſſitate officii, vt pulmo: vel præſtantia naturæ, vt cor: vel ſanguinis profluuio, vt iecur, arteriæ magnæ, & venæ: vel ſymptomatum prauitate, vt neruoſa, ventriculus, veſica. Nam quod inſanabilia ſint, ridiculum eſt dicere lethalia: oſſa enim & cartilagines & ligamenta ſic vulnerata, mortem inferrent. Pericardium ergo non per ſe lethale eſt, ſed quia vulnerari non poteſt, quin multa alia membra nobilia lædantur. *Cardanus comment. ad aphor. 18. libr. 6. Aphoriſ. Hipp.*

Observatio.

Pericardio deſtitutus.

Diſcipulum in Romana Academia mortuum ſecui; (aderat excellens medicus Alexãder Traianus Petronius à ciuitate Caſtellana, acris iudicii vir) huic miſero iuueni pericardium deerat, itaque ſubinde in ſyncopen incidebat, ſubinde mortuo ſimilis conſpiciebatur, quo genere morbi exanimatus eſt. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Observatio.

De aqua intra pericardium contenta, recentiorum animaduerſiones.

An hominibus ſecundum naturam habentibus, inuolucrum cordis aquam contineat, quam ſeroſi humoris modo in ipſius cauitate inter diſſecandum repoſitam obſeruamus, mihi non admodum perſpectum eſt. Quamuis nullam ſane humani cordis ſectionem vnquam aggreſſus ſum, in qua non multam eiuſmodi aquæ quantitatẽ repererim: quocunque etiam mortis genere, ſiue paulo, ſiue multo ante homo interiiſſet. etiamſi adhuc maiorem copiã in mulieribus quã viris animaduerterim: niſi illi natura admodũ fuiſſent humida, vt alias ſeroſis abundaſſent ſuccis. Quin etiam minus fere aquæ in nuper mortuis adinueni, quam in his, à quorum ſectione diutius temperaſſem. Is cui Bononiæ cor viuo eximi ſpectauimus, aquam etiam in inuolucro continere videbatur: verum id non admodum commode, vtcunque etiam nos tragœdiæ adiungeremus, expendere licuit. Patauii huius aquæ intuendæ cupidi, pulſans adhuc cor cum pulmone reliquisq; viſceribus ilico, atq; ex his quos viuos in quatuor partes diſſecãt, exemptum erat, in proximam pharmacopolæ officinam interdum deferri curauimus, ac in inuolucro aquam nonnullã reperimus. Viui canes, inuolucri cauitatem & cordis ſuperficiẽ humectans habent, in hiſque nulla diffluentis aquæ obſeruatur quantitas: cũ tamen notatu digna (etiamſi fere ſemper mediocris) in aliquãdiu mortuis canibus occurrat. In porcis vero viuentibus plus aquæ quam in canibus ſpectatur: vti etiam porci iam diutius mortui, illam vtcunq; copioſam proponunt. Adeo vt de viuorum aqua nihil aſſerere velim: verum nullam penitus in illis contineri (vt hodie omnes ex ſpiritu in aquam poſt mortem conuerſo, hanc in mortuis reperiri contendentes affirmant) falſum eſſe noui. Quandoquidem membranę nullis partibus connatæ, neque inuicem hærentes, perpetuo madidæ ac lubricæ apparent, vt oculi palpebrarumque interior ſuperficies. Ad hunc quoq; modum membranæ cerebrum inueſtientes, vbi mutuo inſternuntur, & interne coſtas ſuccingentis membranæ, & peritonæi ſuperficies, & iecoris quoque & inteſtinorum, reliquarumque partium, inuicem tantum accumbentium, non vero connatarum ſuperficies madorem lubrici contactus gratia ſemper commonſtrat. *Veſalius lib. 6. c. 8. de corp. hum. fabric.*

Pericardium à Corde aliquantulum diſtat, quo loco aqueum quendam humorem natura collocauit, vt eo cor humectaretur: periculum etenim imminebat, ne abſque hoc præſidio, ob frequentes, ne perpetuos dicam, ipſius motus, qui etiã nobis fiunt inuitis, cor exiccaretur. Quem humorem non modo in viuentibus, ſed in mortuis quoque deprehendes, licet de hoc Curtius Papienſis dubitauerit: at ego hoc ita eſſe, non ſemel, ſed ſæpius, in publicis priuatiſque viui canis ſectionibus, aperte oſtendi, ita, vt nullus amplius dubitationi locus relinqueretur. *Columbus lib. 7. Anatom.*

Observatio.

De tabe ex affectu pericardii.

Admonitus à Galeno, analogia ab animalibus deſumpta, poſſe emaciari & tabeſcere corpus ex ſolo pericardio affecto, cum ipſe hoc in Simia animaduerterit, in qua cum eam ſecuerit, cæteris omnibus corporis partibus illæſis, inuenit in ambiẽte cor tunica tumorem præter naturam, qui humorem aquoſum in ſe continebat, qualem puſtulę, quas hydatidas vocant, emittere ſolent; diu hanc rem obſeruaui, conſiderauiq;, ac dubitaui, an hoc fieri poſſit, cum enim panniculus iſte inter partes ignobiles reputetur, vt idem Galenus teſtatur, ipſoque ſolo affecto, exemplo reliquarum partium omnium, quæ ad cuſtodiam & tegumentum cæterarum nobiliorum factæ ſunt, nullum inſequatur periculum.

Quod hiſtoria pueri *Marulli Mimographi* ab eo *in libris Anatomicarum adminiſtrationum* narrata, maxime confirmare poteſt, cum in eo ſphacelatum os pectoris, exciſo oſſe in loco, in quo pericardii vertex adnaſcitur, huius panniculi apex ſectus ita fuerit, vt cor nudum appareret, & tamen ſuperuixerit: hinc coniiciebam difficile eſſe iudicare, quod eo affecto, tabes vniuerſi corporis ſubſequi poſſit. Attamen, cum nonnullos emaciari viderim, nulla pręſenti deſtillatione, nec ſputo, vel cruento, vel purulento, nullaque naturalium partium ita læſa videretur, vt hinc macies, & atropia ſubſequi poſſit, in eam deueni ſuſpicionem, poſſe hoc aliquando contingere ex pericardio quomodolibet affecto, quod licet inter partes ignobiles adnumerandum cenſeatur, ideoque, ſi ſolum afficiatur, nullum poſſe periculum adferre: attamen cum aliquando ita affici poſſit, ſicuti apparet eo inflammato fieri poſſe, ideo poterit plura mala prodere lethalia, quæ hominem vel breuiori, vel longiori tempore, pro diuerſitate affectus, rapiant, & ita non erit impoſſibile, quod aliquando tabem inducat, cum ea ratione, vel conſimili, quæ à Galeno enarrata fuit, erit affectum. Si autem vulneratum, ſectum, & exciſum in puero Marulli mortem non tantum non induxit, ſed cito ſanatum fuit, hoc contigit, quia eo ſolo affecto, illa affectio cordi non communicata fuit: quæ ſi perſeueraſſet, potuiſſet diuturnitate temporis cor in conſenſum trahere, & inde mortem cauſare. Affectus autem hic pericar-

pericardii, ex quo aliqui emaciantur, & tabeſcunt, qualem ego in nonnullis factum fuiſſe, coniecturam feci, quo pacto curandus ſit, videant alii, & doceant. Ego enim, licet omni ingenio hos præſeruare tentauerim, nihil tamen profeci, omneſque hos vidi tandem tabe conſumptos, & emaciatos, vltimo loco quadam accedente leui febricula, cui ſyncopes ſæpius connectebantur, periiſſe. *Petrus Salius de curat. Morb. ab ordinariis practicis non exhibitorum, pag. 256. c. 7.*

OBSERVATIO.

In pericardio Simiæ & Galli tumores ſcirrhodes viſi, qui analogia quadam etiam ad homines transferri poſſunt.

SIMIA quædam, cum emaciari indies videretur, eam tamen, neceſſariis noſtris negotiis impediti, ſecare in tempore nō potuimus: poſt mortem vero, reliquis corporis partibus omnibus illæſis inuentus eſt in ambiente cor tunica tumor præter naturam, humorem in ſe continens, qualem puſtulæ (Græci hydatidas vocant) emittere ſolent. Atque in gallo quoque vidimus aliquando cordis tunicam huiuſmodi ſchirrhoſo tumore affectam, perinde, ac ſi plures craſſæ membranæ inuolutæ altera alteri fuiſſent: verum in eo nihil humoris continebatur. Vnde veriſimilis coniectura elicitur, homines etiam ſimilibus poſſe affectibus infeſtari. *Galenus lib. 5. cap. 1. de loc. affect.*

DE CORDE VITALI CENTRO.

ET PRIMVM; DE CONFORMATIONE CORDIS.

OBSERVATIO.

Bina nonnullis animantibus corda.

DVplicatum in quibuſdam animantibus dicitur reperiri cor, quod Plinius recenſuit. *Cælius Rhodiginus lib. 4. cap. 16. A. L.* In Paphlagonia bina Perdicibus corda. *Plin. lib. 11. c. 37. nat. hiſt.*

Gallum quiſpiam Diis ſacrificans, cor inuenit duos vertices habens. *Galenus libro 7. cap. 11. adminiſtr. Anatom.*

OBSERVATIO.

Animalia nonnulla, execto corde, reſpirare adhuc intente clamare, & fugere aliquouſque.

ADuertendum, ne ſimul cum cor nudamus, adigendo cultro alteram ex thoracis cauitatibus vulneremus: quod ſi ſatis præcauerimus, non tantum comprimere cor vel collidere, vel tale quid facere noſtro arbitratu licebit: verumetiam ſi totum auulſum extrahere voluerimus, non minore chirurgiæ felicitate id conſequemur. Conſpicitur quippe hoc in multis ſacrificiis, quæ de more ita peragi conſueuerunt, in quibus interdum victima, erepto corde, ariſque iam impoſito, cum reſpirare, & intente clamare, tum vero etiam fugere tantiſper, viſa eſt, quoad per ſanguinis profluuium conciderit, quamuis quatuor maximis vaſis diuulſis, cito fiat, vt ſanguine exinanita, intereat. Quam diu tamen vixerit, reſpirat, & vocem emittit, & currit. *Idem lib. 2. c. 7. de placit. Hipp. & Platonis.*

Nec minus certe erit, quod ipſi vidimus, huic nō diſſimile prorſus eſt, de lepore ſclopetti glande medio in corde perfoſſo, pene que eadem, qua ante ictū curſus velocitate ad teli iactum durante, priuſquam concideret: in quo tamen transfoſſa eodem ictu vtraque thoracis cauitas eſſet: quod minime mirandum, quoniam læſa ea traiectaque, non corporis ſtatim motum, ſed vocis impedire inprimis formationem queat. *Iul. Alexandrinus, annotat. ad c. 4. lib. 2. Galeni, de Placit. Hipp. & Plat.*

Quod ſi, lector optime, ſciēdi cupiditate flagras, canis in promptu ſit, vt rem mirabilem neque omnibus obuiam contempleris: thoracem cultro ocyus aperi, cor que apprehendito: miniſter vero tuus diligens atq; expertus, mira celeritate acu craſſa & contorta, quam manibus gerebat, in qua contortū filum immiſſum eſt, quatuor cordis vaſa arcte colliget; deinde cor abſcindat, eodemque tempore vincula abſcindantur, quibus crura quatuor vincta erant, & in pedes proiiciatur. Canem abſque corde vociferari audies, progredi videbis: qua re nihil magis admirabile conſpicari poteris: & hac re viſa, deſinas adeo obſtinate in omnia Ariſtotelis verba iurare qui licet magnus Philoſophus fuerit: ſcire tamen omnia ſolus nullo pacto potuit. *Columbus libr. 14. Anatom.*

OBSERVATIO.

Cor in nonnullis deſideratum omnino.

NImendum exemplarium eſt, hoc carens viſcere (puta corde) compertum quandoq; pronunciat Auicenna. *Cæl. Rhodiginus. lib. 4. c. 16. A. L.*

Cæſar Dictatori, quo die primum veſte purpurea proceſſit, atque in ſella aurea ſedit, ſacrificanti, bis in extis cor defuit; vnde quæſtio magna de diuinatione argumentantibus, potueritne ſine vllo viſcere hoſtia viuere, an ad tempus amiſerit. *Plinius libr. 11. c. 37. N. H.*

OBSERVATIO.

Cor hirſutum in nonnullis annotatum.

HIrſuto (alii hirto) corde gigni quoſdam homines proditur, neque alios fortioris eſſe induſtriæ, ſicut Ariſtomenem Meſſenium, qui 300. occidit Lacedæmonios. Ipſe cōuulneratus & captus, ſemel per cauernam latomiarū euaſit, anguſtos vulpium aditus ſecutus. Iterum captus, ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem aduolutus lora cum corpore exuſſit. Tertio capto, Lacedæmonii pectus diſſecuere viuenti, cauſa videndi, hirſutumq; cor repertum eſt, *Plin. lib. 11. c. 37. nat. hiſt.* Admirabile Ariſtomenis Meſſenii cor, q̀ Athenienſes, ob eximiam calliditatem exectum, pilis refertum inuenerunt, cum eum aliquoties captū, & aſtutia elapſum, cepiſſent, *Valer. Maxim. lib. 1. c. 6.* Ariſtomanes nomen Meſſenii viri, qui iuſtiſſimus fuit, vt ſcribit Hieronymus. Hic Lacedæmoniis quodam tempore nocturna ſacra celebrantibus, quæ vocabantur Hiacynthia, rapuit de choris ludentium virgines duodecim, & tota nocte gradu concitato fugiens, exceſſit de finibus Spartanorum: cumque eas comites eius vellent violare, monuit quantum potuit, ne hoc facerent: & ad extremum, quoſdam non parcentes interfecit, cæteris metu coercitis. Redemptæ poſtea à cognatis

puellæ,cum Ariſtomenem viderent cædis reum fie-
ri,tamdiu ad patrem non ſunt reuerſæ,quamdiu iu-
dicum aduolutæ genibus,defenſorem pudicitiæ ſuę
cernerent abſolutum.Hic dux tanta calliditate fuiſ-
ſe fertur,vt ſæpe Lacedæmonios deciperet:quorum
ſæpe vrbem ingreſſus eſt,& aliquando captus,atque
in vincula coniectus, calliditate ſua aufugit: quod
cum ſemel atque iterum & tertio feciſſet, tandem
occiſus eſt à Lacedæmoniis,& execto corpore,inuē-
tum eſt cor eius piloſum fuiſſe.

Scribunt Græci Hermogenem, cuius de Rheto-
rica libri extant, multum præferentes ingenii lumē,
cor habuiſſe hirſutie ac magnitudine extra mortali-
um reliquorum rationem inſigne: Idipſum fere dē
Leonida *in Parallelis Plutarchus* prodidit. *Cal.Rhodig.
lib.4.c.16. A.L.*

Ex hiſtoria in quibuſdam repertum eſt piloſum
cor,vt in Lyſandro,nec non in Alexandri cane. *Eu-
ſtathius:*

Iacobus Latro è patibulo, quo ſuſpenſus fuerat,
veluti iam mortuus, ſed qui tamen adhuc viueret,
depoſitus atque curatus conualuit. Verum vt erat
homo ingenio malo prauoq;, ad eadem ſtatim ſce-
lera reuolutus, quibus antea extremum promerue-
rat ſupplicium,iterum capitur atq; ſuſpēditur.Qua-
re hominis admirati nequitiam, mortui cadauer in-
cidendum curauimus: & inuentum eſt cor eius, ob
eximiam caliditatem,vndique pilis refertum. Hoc
idem inuentum eſt in corde Ariſtomenis Græci,qui
ſolus perhibetur integras acies pugnando in fugam
vertiſſe. Eſt ergo nō tantum ſceleſti ingenii ſignum,
ſed quandoque etiam raræ fortitudinis. *Beniuenius c.
83.de Abditis.*

Olim Ferrariæ experti ſumus in quodam à nobis
confecto, cuius cor pilis circumſeptum erat; auda-
ciſſimus tamen hic erat graſſator, & latro inſignis.
Luſitanus Cent.6. curat. 65.

Ipſe quoque memini cum Venetiis eſſem, ſum-
ptum capitis ſupplicium eſſe de nobili quodam la-
trone,qui cum à carnifice diſſecaretur,corde admo-
dum piloſo repertus eſt. *Anton. Muretus lib.12.cap.10.
variarum lect.*

Oʙsᴇʀᴠᴀᴛɪᴏ.

Septum cordis cartilagineum.

VIᴅɪ in nonnullis ſeptum quo cordis ventricu-
li diſtinguntur cartilagineum. *Columbus libr.15.
Anatom.*

Oʙsᴇʀᴠᴀᴛɪᴏ.

Siniſter cordis ventriculus deſideratus.

VIdi in quibus ſiniſter ventriculus cordis deeſſe
videbatur,tam exiguæ molis erat. *Idem loc.citat.*

Oʙsᴇʀᴠᴀᴛɪᴏ.

*De ſpatio humanæ vitæ, & de pondere humani cordis
quo modo creſcat, & decreſcat, ex anatomica
Ægyptiorum obſeruatione.*

DE vita hominis & qua fine annorumq; ſpatio
cenſeri debeat,permulti quidem apud veteres
tradiderunt: nec illi tantum qui natura vires, ac de-
creta,obſeruarunt. Qua in re,quum natura inter ſe
diſſentiant autores, plerique tamen centum anno-
rum Spatium vitæ hominum concedunt: idque i-
pſum vulgato magis qua intellecto nomine ſeculū
appellarunt:quod apud nos cum alii permulti, tum
ipſe Cenſorinus ad Q. Cerellium copioſe explicat.
Sed à Terentio Varrone traditum eſt, ex Dioſcori-
dis authoritate,qui ſiderum ſcientiam calluit. Ægy-
ptios quidem ipſos (quibus ſeruandi medicata ca-
dauera cura fuit) ſubtili admodum & arguta ratio-
ne deprehendiſſe: quo maxime vitæ ſpatio ætas ho-
minis æſtimari debeat, ſumpta ex pondere humani
cordis coniectura. Itaque affirmarunt iidem Ægy-
ptii,centum omnino annis hominum vitam defini-
ri:quod eorum cor,qui ſine vlla corporis tabe perie-
rint,hoc ipſum declaret:quoniam cum ætate (ſi ex-
pendatur) aucta atque damno referat. Anniculi e-
nim pondere duarum drachmarum bimi quatuor,
& ſic in ſingulis annis vſque ad quinquageſimum,
binas accedere, vt centum drachmis exiſtat quin-
quagenarii hominis cor. Ex eo deinde numero vno-
quoque anno binas detrahi ac minui: quo perſpi-
cuum eſt,ab anno centeſimo,ad primam ſui ponde-
ris,redire neque longius poſſe proferri. Quod ego
tamen acutius, quidem exiſtimo,quam verius:quā-
quam in his libris, qui τὰ ἀνατομικὰ proſecuti ſunt,
mira prorſus atque incredenda explicentur. Quod
alicubi & Claudius Galenus affirmat. Sed & C.
Plinius,id ipſum de hominis corde ad Veſpaſianum
Auguſtum recenſuit, & ſi breuiter quidem cum di-
xerit,creditum fere ab Ægyptiis ex defectu humani
corporis, non vltra centeſimum annum poſſe ho-
mines viuere. *Crinitus libro 7. cap.9. de honeſta diſci-
plina.*

Quid de hac Ægyptiorum ſententia Medici phi-
loſophi ſtatuant, extra controuerſiam Lectori po-
ſuerim. *Filius Schenckii.*

Oʙsᴇʀᴠᴀᴛɪᴏ.

*Ad hepatis inflammationem peripneumonia ſuccedente,
mortuus æger. Cuius corpore diſſecto, præter alia memo-
rabilia, pulmones ſemiputridi, & veſicula cordi
adhæreſcens, atro ſanguine referta,
viſa ſunt.*

PRæterito Martio, Nicolaus Gemminger, ciuis
Moguntinus diues,incidit in dolores capitis, in-
quietudinem, calores febriles, exiſtimans ipſe eſſe
reliquias vini fumantis,negligit opem medicam,in-
differenter vino vtens.Increſcēte morbo, nono die
conſuluerunt me,pedibus ægrum, vena ſecanda e-
rat,ſed ob vires debilitatas, alui fluxum multorum
dierum,cucurbiculas imperaui, delirabat, ſubſtite-
rat aluus.14. moritur. Hæſitātes de tam præcipiti ca-
ſu, cum iudicaſſem moriturum, defunctum enixe
pro affinitatis iure, vt aperirem rogarunt. Inueni
quod prædixi, inflammationem hepatis, cui peri-
pneumonia ſuperuenit. Epar ſubrubens interius
flaueſcens, totum dextrum hypochondrium occu-
pans, circa dorſum tumens, amplum ad ſtuporem,
innatans bili, quæ cauſa fuit doloris dextri lateris
paululū ſupra coſtas nothas, & inde liuiditas ab au-
re dextra ad infimas coſtas per medium dorſum ex-
terius, in ſiniſtro nulla comparente, animaduerſa
eſt. Cordis adhærebat dexto, veſicula iuſtæ ma-
gnitudinis,continens in ſe ſanguinem atrum. Pul-
mones parui,nigri, & ſemiputridi. Dum viueret, ta-
citurnus erat, frequentia hominum colloquia non
affectabat. Melancholicus, & per interualla vertigi-
nem mane ieiunus cum eſſet patiebatur, meo
iudicio,

iudicio, ſi Natura morbum protraxiſſet, vel repentina ſuffocatio, vel ex ſcirrhoſo epate hydrops illi contigiſſet: ob mitem naturã longiore vita dignus, quam vltra trigeſimum proferre haud potuit. *Ioan. Fridericus Traſſelmannus de obſeru. proprijs.*

Observatio.

Pinguedinem cordi vere connaſci, & eſſe: contra Ariſtotelem, Galenum, & Portium.

INter cor & pericardium non parua oritur pinguedo, quæ manifeſte conſpicitur, & cordi adhæret. Quamuis Ariſtoteles & Galenus aſſerant, neq; circa cor, neque circa aliam quamuis calidam particulam pinguedinem vllam naſci. Dicebat autem Portius Neapolitanus Phyſicus, qui in Ariſtotelis verba nimis iurauerat, hanc quam diximus pinguedinẽ circa cor, pinguedinem nullo pacto eſſe, huius rei teſtimonium locupletiſſimum eſſe, ꝙ ipſa nõ eliquatur. Ego vero in theatro, dum Piſis publice profiterer, nihil reſpondens, pinguedinem eandem candelæ, quę præſtabat, eliquaui, quo viſo, cum mutire amplius non auderet, tacitus abiit, ac pene exploſus. Erat autem ob continentẽ motum pinguedo ibi valde neceſſaria, itaq; pinguedinem in compluribus corpori noſtri partibus cernimus, præſertim circa oculos, temporalesque muſculos, ne partes exiccentur. *Columbus lib. 7. Anatom.*

Observatio.

De oſſe cordis recentiorum notationes.

GAlenus ab elephantis corde à quopiam ſuorum familiarium os eximiæ magnitudinis exectum prodidit: & grandium quidem animalium cordib. os, minorum vero cartilaginẽ adſcribit. Ego autem hactenus, vti in nullo corde, ita neque in humano (quod humida admodum, ſi reliquis animalibus conferatur, eſt conſtitutione) exquiſitum os reperi: eaq; ſede, qua Galenus cordis os conſtituit, ſubſtantiam obſeruo cartilagineam, quæ mea quidem ſententia nihil aliud eſt, quam magnæ arteriæ & venæ arterialis radices, à corde principium ducentis. Quippe radices hæ in quibus membranarum baſes cõſiſtunt, quæ materierũ è duob. illis vaſis in cor refluxui pſiciuntur, multo duriores ſunt, quã reliqua illorum vaſorum ſubſtantia, adeo vt radices cartilaginis naturam participare nonnihil videantur: quæ in bobus & magis adhuc in ceruis, ſicciſſima oſſeaq; temperie donatis, ita tempore indureſcit, vt quadrupedum coſtarum cartilagines in albũ & friabile os, extrinſecus cartilagine tanquam membrana obductum, degenerent. Hæ itaq; vaſorum radices perinde ad ſe mutuo ſunt conterminæ, ac ſi duos circulos in puncto inuicem committeres, cõtinuareſque, ita vt dexter circulus venæ arterialis eſſet radix, ſiniſter vero, qui amplior exiſteret, magnæ arteriæ. Vbi autẽ circuli mutuo committerentur, is locus eſſet, quo hęc vaſa ſuis orbibus ſimul connaſcuntur, vniuntur que, ac vbi præcipua oſſeæ cartilaginis conſiſteret portio quę oblonga & veluti teres eſſet; tota nimirum ſede, qua illæ radices inuicem committuntur, & reliquæ interim circulorũ portiones eſſent reſectæ. Ac proinde per me licebit radices has, pro animalis in quo incides temperamento, & magis adhuc ætate, aut cordis cartilaginem, aut os vocare, modo accurate ipſarum naturam quis intueatur, neque vna cum Galeni ſectatoribus, ipſius ſenſa admodum oſcitanter eruentibus, tam ſtolidus ſit, vt cordis os inſtar Λ aut υ efformatũ ſibi perſuadeat. Qui enim poſt Galenum humani corporis hiſtoriam ſcribere aggreſſi ſunt, in humani cordis baſi os quoddam exſtructum recenſent, quod laryngi præpoſito, & ab υ. imagine ὑοειδὲς nuncupato oſſi aſſimilant. Neque ſat fuit illis hominib. ad hunc modum os in baſi humani cordis cõfingere: quinimo ſermoni adiecere, cordis baſim atq; ideo etiam vniuerſum cor ab ipſo non ſecus firmari, quam linguæ radix illo oſſe ꝙ laryngi pręponitur. Arbitrantur namq; cor eiuſmodi oſſe firmatum, moueri: non expendentes, cor etiam tali oſſe donatum, ipſo non minus ſuffulciri poſſe, quam ferreus palus lectũ in aere ſuſtineret, quando is lecto alligatus, ſimul cum ipſo deorſum ex alto proiiceretur. Quamuis interim quatuor cordis vaſorũ ad conterminas ſedes connexum nonnihil cor ſuſtinere, haud inficiari poſſumus. vti etiam ex vniuerſa Galeni de cordis oſſe hiſtoria, in qua veteres, ſuiq; tẽporis medicos, q id in homine reperiri negabant, præter meritum arguit: nobis quoq; fatendum eſt, Galenum id quod pertractat os, in humano corde, prę cęteris, vti monuimus, humido & molli, nunquam eſſe aggreſſum. *Veſalius lib. 1. cap. 20. de corp. hum. fabr.*

Os cordis in duobus virorum cadaueribus deprehendi, ad radices arteriæ magnæ, & venæ arterialis. *Gemma lib. 2. Cyclognom. pag. 75.*

Oſſiculum deprehendi inſtar malleoli, inter cartilagineos circulos cordis, arteriæ aortæ, & venæ arterialis, ipſa ſpecie prorſus cum cordis ceruini oſſib. comparandum. *Idem lib. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

Observatio.

De cordis ſitu mutato.

FIlius parci typographi, adoleſcens, cum frequenter vtraq; manu terræ innix⁹, vti pueri luſus cauſa facere ſolent, corpus in altum erigendo rotaret, cœpit cordis palpitationem, pulſationem vehemẽtem in ſiniſtro latere, circa ventriculi fere regionem ſentire: quam à corde eo vſque propendente proficiſci, ſectio poſt mortẽ, ſed & quod in caput innixus, cor denuo ad ſuperiora ducebatur, ſatis declarabant. Nam Aſcyticus factus, cum mortuus aperiretur, pręter reliqua hepatis, lienis, renumque vitia, aſcyticis communia, & in medio illius os trib. amiculis concinnatum, cauumq;, & arenoſa quadam materia refertum inuenimus: cordis ſitũ naturalem, relaxatis inuolucris & vaſis, quibus cor adnectitur, immutatum, illudq; ſuo mucrone ſuccingenti tunicæ circa ſepti regionem affixum deprehendimus. *Felix Platerus de Obſeruat. proprijs.*

Observatio.

Cordis ſitum in viuentibus & demortuis plurimum differre.

VIdimus quendam pugionis ictu interemptum, diſſecto pectore, rurſusque per vulnus pugione adacto, mucronem neq; cordis neq; pulmonis vulneri reſpondiſſe, tanta eſt in cadauerib. cum viuentibus poſiturę differẽtia. *Alex. Benedictus l. 3. c. 12. Anat.*

TABES CORDIS.

Observatio.

Cordis phthiſis, eiuſdemq; remedium, à veterib. annotatum.

TRadunt præcordiis neceſſarium Raphani ſuccum: quando phthiſin cordi intus inhærentem, non alio potuiſſe depelli compertum ſit in Ægypto; regibus corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus. *Plinius lib. 19. cap. 5. Nat. Hiſt.*

Contra phthiſin (impreſſi codices male legunt phthiriaſin) ſuccus Raphani adhibetur, qui ſolus poteſt tenuitate ſubtili ad imi (ita enim diſtinctis vocibus, non adimi, vt corrupti codices habent, legendum) corporis lineamenta, cor penetrare. Ægyptii enim reges, quibus erat ſtudium ſcrutari corpora mortuorum, & cauſas valetudinum, occulta fide recognoſcere, in corde ipſo, naſci eiuſmodi vitium, prodiderunt. *Plinius Secundus alter. libr. 4. cap. 1. De re Medica.*

OBSERVATIO.

Cor Marchionis torrefactum & tabidum.

POſſe vniuerſam cordis ſubſtantiam aliquandiu pati, præter pueri Marulliani hiſtoriam 7. *de adminiſtr. anatom. Gal.* indubitatam nobis fidem facit *Melanthonis* autoritas & teſtimonium, qui *libro primo de anima* conſcripto teſtatur, Caſimiro Marchioni Brandenburgico, ob mœrores & vigilias, humore qui inuolucro cordis continetur exhauſto, & exiccato, cor exectum piri toſti faciem repræſentaſſe: vbi proculdubio perpeſſi fuere tres illi humores, (ſecundarii vulgo dicti) ſatis conſpicuam cladem: ſiquidem eas in anguſtias redactum eſt cor, non paruo temporis momento, quod ex aſſignata cauſa colligi poteſt, non adeo vehemente puta triſtitia. Sapiens, in ſacris voluminibus, etiam oſſa aſſeruit areſcere. Vnde non modo leuem, verumetiam inſignem cor poſſe ſuſtinere intemperiem, opinamur. *Iordanus lib. 1. cap. 16. de peſt. phænom.*

OBSERVATIO.

Diuturno morbo quidam deficiens, repertus eſt Corde in totum abſumto: ſola tunica ſuperſtite.

NVper in illuſtris Romani viri corpore, qui à diuturno morbo diuexatus, defecerat: nulla prorſus cordis portio, ſed eius tunica tãtum reperta fuit: quod nimirum ab immoderato calore, illud penitus iam abſumtum erat totum. *Bernhard. Teleſius, Rerum Nat. lib. 5. cap. 28.*

VERMES CORDIS.

OBSERVATIO.

In peſtiferis febribus vermes aliquando in corde genitos animaduerſos.

VErmes aliquando in peſtiferis febribus, in ventriculis cordis fuiſſe genitos audiuimus ab hominibus fide dignis; qui eiuſmodi ægrotantium cadauera ſecuere, quamuis veriſimile ſit raro admodum iſtud contingere: veluti & quod lapides in iiſdem ſinibus redundent. quos nunquam in corde fuiſſe genitos legimus aut audiuimus, licet in aliis viſceribus (præſertim brutorum animalium) frequenter obſeruentur. *Vidius Iunior lib. 7. cap. 1. de curatione membr.*

OBSERVATIO.

Vermes nonnunquam ad cor ipſum penetrare, & mortem inferre.

EXcitatur ſyncope nonnunquam à vermibus, non ſolum orificium ventriculi, ſed & cor ipſum vellicantibus, vt vult Meſueus (qui mortem inde inferri docet.) *Scholiographi ad cap. 29. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Vermium in corde natorum, eiusdemq; palpitationem, tremorem, lunaticam quoq; paſsionem, nonnũquam etiam mortem inferentium, hiſtoria admirabiles: tum quibus illi remedijs expelli aut necari poſsint.

PRinceps quidam valetudinarius, cum ex cordis cauſationib. multo tempore grauiſſime affligeretur, celeberrimis doctiſſimiſque quibuſuis medicis conuocatis, malo ſuo pertinaci remedium petit. Qui variis iiſdemque lectiſſimis medicamentis adminiſtratis fruſtra, nihil ſubſidii adferre poterant. Accidit autem vt & Medicinæ tyro quidã, qui principis medico familiarius innotuerat, eodem caſu cognito, inter alia quoque referret, compertiſſe ſeſe ſuperioris ætatis conſcriptorum conſiliorum medicinalium lectione, vermis quoddam genus cordi nõnunquam innaſci, quod nullis remediis, præterquam vnius allii, eiuſdemque mane ſumti, vſu cederet, atque necaretur. Verum non tam remedium ipſum, quia vulgare atque contemtibile, atque ob id Principi viro, cui pretioſa & exotica potius expetebantur, quam ob eiuſdem authorem, hominem iuuenem & inexpertum adhuc, neglectum & deſpicabile habitum eſt. Principe itaque morbi diuturnitate & ſæuitia tandem deuicto, & mortuo, patris iuſſu, morbi cauſa abdita inueſtigari præcipitur: diſſecto cadauere, deprehenſus eſt vermis albus, præacuto roſtello, eoque corneo præditus, cordi adhæreſcere. Quem Medici viuum in circulum ex allii ſucco in menſa figuratum coniiciunt. Fera circumquaque rependo mirifice ſe torquet, & ne circulum contingat cauet. Tandem vero allii vi & nidore victa, concidens, circulo adhuc concluſa, moritur: vnde non tam morbi cauſa legitima, quam certa & indubitata remedii vis & efficacia manifeſte innotuit. *Ioan. Hebenſtreit in libell. de Peſte.*

Ad Lunaticam (Italice, Mal della luna, fortaſſe conuulſionem intelligit) affectionem puerorum, ex qua tremunt & ſemimortui apparent, quod nulla alia de cauſa euenit, quam quod ſæpius in iis vermis quidam generatur, cor ipſum petens, tremorem inducens, atque etiam nonnunquam mortem. Tanaceti (Ital. Madrogui) ramuli teneri in vmbra ſiccentur, atque in puluerem redigantur, cribrenturque, deinde drachmæ duæ ſequentis pulueris addantur, qui huiuſmodi eſt. Recipe rad. gentianæ, pœoniæ longæ, ana drach. ij, myrrhæ drach. j. Miſceantur & terantur. Et cum vti voles, parum huius pulueris ſumito, ſcilicet quantum duobus digitis comprehendi poteſt, atque aquæ guttam addito, ita vt madefiat, deinde ore & labris infantis, ter aut quater inunctis, fieri nequit, quin vermes omnes vna cum reliquis excrementis excernantur. Eſt autem hoc expertum ſæpius: quoniam in plurimis, qui ob talem affectum interierunt, & poſtea diſſecti fuerunt, vermis ille inuentus, atque cordi appenſus fuit. *Pedemont. lib. 1. Secret.*

Scribit Alexius Pedemontanus in capſula cordis

reperiri

reperiri vermes cor inuadentes, qui creant Lunaticam paſſionem & pueros interficiunt. *Matth. Cornax. lib. 2. cap. 28. De Conſult. Med.*

Mirabile ſecretum, paucis cognitum: Quandoq; generantur vermes ſub corde, vel ſub capſula cordis, & faciunt punctúras & dolores, & medicamenta dantur cordialia, ſed nihil proficiunt, & æger moritur. Sed vera cura eſt talis: Recipe ſucci allii, raphani & naſturtii: detur, & ſtatim curabitur: crede experto, quia verum eſt. *Ex manuſcriptis Stockeri, illuſtris ſuo tempore medici, experimentis depromtum.*

In eodem ſubiicitur ſequens hiſtoria: Cognitum habemus Treueri virginem diu multumq; de cordis tum dolore, tum tremore conqueſtam & mirum in modum excruciatam & tortam fuiſſe, remediis quæ ad confirmationem & roborationem cordis ex vſu alias ſunt, fruſtra ſæpe attentatis, epithematibus & phlebotomia etiamnum illudentibus, tandem æger moribus. Secto ad veri indagationem corpore, vermiculi in corde, mali huius tam funeſti cauſæ deprehenſi ſunt. *Ex eodem codice, Schenckius Filius.*

Anno ſuperiori in Palatio magni Hetruriæ Ducis, ciuis Florentinus circumforaneum fabulantem audiens, morte ſubitanea correptus eſt; quæ mors cum & aſtantibus hominibus & familiaribus ipſius maxime ſuſpecta eſſet, diſſecari cadauer curant, in quo diſſecto, nihil mortis cauſam, quam vermem viuum in cordis capſula fuiſſe, à Medicis repertum eſt. *Petrus Sphererius, de Obſ. ad nos miſſis.*

CALCVLI CORDIS; SIVE TARTARVS.

OBSERVATIO.

In corde duo calculi cum multis abſceſſibus & vrinæ difficultatibus, ſaluis renibus & veſica deprehenſi: tum de aliis Cordis calculis, eorundemq; variis ſymptomatibus.

CVidam mulieri ſuppurata pulpa cordis, in multos dies vrina purulenta effluxit, eaque quarto menſe mortua, & diſſecta, inuenti duo calculi & abſceſſus diuiſi in corde. *Hollerius. Comm. 1. in lib. 6. Sect. 2. aphoriſ. 4. Coac. Hippocr.* Eandem hiſtoriam repetit *Comment. in aph. 75. lib. 4. Hipp.* his verbis. Contigit ſemel mulieri noſtræ ætatis, quę quatuor menſes integros minxit pus, & aliquando ꝓpter puris acrimoniam ſanguinem puri commixtum. Medici cōſulti, adhibuerunt remedia, ac ſi renes exulcerati fuiſſent, quod in eis per interualla magnum dolorem ſentiret mulier. Hæc moritur quarto menſe, diſſecta eſt, inuenti renes integri & veſica integra: at in corde inuenti ſunt duo calculi, & abſceſſus multi, qui expurgabantur per vrinas, atque in tranſitu pus dolorem infligebat renibus. Sic ſolus ſanguis poteſt à thorace demitti ad veſicam vt excernatur. Eiuſdem hiſtoriæ meminere *Scholiographi ad cap. 29. & 50. lib. 1. Hollerij De morb. intern.*

Vidimus in Doctore Arelatenſi vrinæ difficultatem, cum maximo renum dolore, & arenulis rubentibus, cuius diſſecto cadauere, renes integri inuenti ſunt, ſed in thorace hydrops, & concretus in corde lapis, qua parte materiam in ſiniſtrum cordis ventriculum, & inde ad renes ferri ſolitam; probabile eſt, quæ eo itinere, præ calore in arenulas concreſcebat. *Iacotius Comment. 1. lib. 6. Sect. 2. aphoriſ. 4. Coac. Hipp.* Meminit eiuſdem hiſtoriæ *idem autor Comment. 1. ad aph. 52. lib. 3. Sect. 2. Coac. Hipp.*

In Imperatoris Maximiliani ſecundi corde ſecto, inuenti ſunt tres lapilli, quantitate piſorum, vnus interim maior altero, colore rubigineo. Frequenter vero cordis palpitatione graui afficiebatur, dum viueret. *VVierus de præſtig. dæm. lib. 4. cap. 16. edit. 6.*

Nuper in Cæſaris corde, qui palpitatione cordis frequēter corripi ſolitus erat, veluti lapillus quidam niger repertus fuit. *Eraſtus in Conſil. quod num. 10. eſt, lib. 3. Conſil. & Epiſt. à Laur. Scholzio cum Cratonianis edito, pag. 83.*

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis, ſtomacho & corde, &c. *Gemma lib. 2. Artis Cyclognom. pag. 76.*

Reſpublica Norimbergenſis, Hieronymum Schreiberum, ob ingenii dexteritatem, in alumnum ſuum ſuſceperat, qui tēpore Ioannis Baptiſtæ Montani Veronenſis, Patauii aliquandiu auditor factus, relicta tandem Italia, ad nos Pariſiorum Lutetiam, Anno 1547. conceſſit, & ſub. D. D. Iacobo Syluio, D. D. Hollerio, D. D. Fernelio, profeſſoribus Regiis, Medicinæ operam dedit. Hic Martio menſe, præſcripti anni, in atrociſſimum & incognitum morbū incidit, cuius cauſam præceptores ex nimia choleræ & bilis ebullitione profectam, & in colicos dolores tranſiiſſe exiſtimabant. Cæterum cum Maio menſe vitam cum morte commutaſſet, nos Patriotæ Germani abditam morbi cauſam indagare conſtituentes, diſſectionem cadaueris aggreſſi ſumus. In qua, cum ſubſtantia cordis diſſecaretur, repertus & exciſus eſt lapillus nucis muſcatæ inſtar, durus, ſubnigricans, rotundus, & pondo drachmarum aliquot, quem præceptores & quamplurimi honeſti viri alii manibus attrectantes, non tam viderunt, quam ſingulari eius admiratione tenebantur. Itaque ſepultus eſt Noricus ille Schreiberus in Cœmiterio Maturinorum Lutetiæ, non adeo procul à ſepultura Io. de Sacrobuſto Mathematici. Collegerat ille de diebus criticis opuſculum, viris doctis cum primis laudatum, quod velut imperfectum relinquens, cum authore ſepultum creditur. *Abrahamus Murgelius, ſuis ad me literis, 12. Iulij Anno 85. Lindauio datis.*

OBSERVATIO.

Calli inſtar calculorum in corde, nonnullis etiam cum vlcere, inuenti.

INciſo cuiuſdam cadauere, & viſcera omnia vento plena conſpeximus, & in ſiniſtro cordis ventriculo obduratum callum inuenimus, qui nucis magnitudinem æquaret. Quare vt illum, hoc eſt ventum, mortis ipſius, ita hunc, ſcilicet callum, aduerſæ hominis valetudinis cauſam fuiſſe, arbitrati ſumus. *Beniuenius cap. 81. De Abdit.*

Obſeruauimus callum in corde durum inſtar calculi, & vlcus non exiguum. In duobus pulmonariis idem ſe obſeruaſſe præclari viri teſtantur. *Iacotius Comm. 1. ad aph. 15. lib. 1. ſect. 3. Coac. Hipp.*

PINGVEDO VENTRICVLORVM cordis.

OBSERVATIO.

Pinguedo in cordis ventriculo reperta.

PVella à me aperta 4. Aprilis, huius anni; in cuius cordis ventriculo pinguedinem reperi, cum inteſtino cœco & aliis à naturali ſtatu recedentibus. *Ex Gaſpari Bauhini, Obſeruationibus.*

CAR-

CARNOSA EXCRESCENTIA VENtric. cordis.

OBSERVATIO.

Tuberculum nigrioris carnis in ſiniſtro cordis ventriculo viſum, mortis cauſa.

MVlier, Clara nomine & genere, cordis dolore interdum vexabatur, quam Medici à malo ipſius cordis habitu fieri arbitrabãtur. Sed cum pluribus iam annis connubio iuncta non conciperet, & ſterilitatis cauſam quæreret, ac tollere conaretur multis præſidiis, ita demum dolor ille cordis increbeſcere occepit, vt perpetuus fieret. Ex quo ſæpius etiam mulier ipſa deficiens, recreari vix poterat, donec eo iam magis magiſque inualeſcente, è medio ſublata eſt. Cæterum, mortuæ corpore inciſo, & fruſtulum nigrioris carnis in ſiniſtro cordis ventriculo, ſupra arteriam, quod meſpilii formam haberet, & vuluã à medio infra verſus imam eius partem iunctis oris obcalluiſſe reperta eſt. Quare vt tuberculũ illud mortis, ita hoc ſterilitatis cauſam fuiſſe cognouimus. *Beniuenius cap. 35. De Abditis.*

OBSERVATIO.

In ſiniſtro cordis ventriculo, glanduloſæ carnis ſubnigricantis libræ duæ inuentæ.

NOn vulgariter nos mirari coegit, nobiliſſimi & vna doctiſſimi viri cor, in cuius ſiniſtro ventriculo, glanduloſæ (ſed ſubnigricantis interim) carnis libras duas reperimus, corde inſtar vteri, ad eius carnis molem extenſo, & homine ante mortem habitu vtcunque melancholico, & ad morbum vigili, & pulſu prædito miris ſane modis inæquali & vario, quiq; arteriæ contractionem manifeſte oſtendebat. Ita enim multis menſibus, ante mortem (cum tamen alioqui veluti ſanus obambularet) pulſus aut arteria potius contrahi viſa fuit, vt trium aut quatuor pulſationum ictuumque interuallo, contracta maneret, velutque expulſionem molıretur. Imo poſtremis vitæ ſeptimanis ex nouẽ ictuum interuallo, tres tantum aut duæ dilatationes arteriæ, tactui ſubinde occurrerunt. Deinde animalis facultas, cum principis animæ functionibus, ad mortem vſque ſatis conſtabat: quæ non tam ex cordis vitio proxime obuenit: atque ex ſiniſtri cruris gangræna, quæ ab impedito arteriæ pulſu, occaſionem perinde duxit; ac ſi intermiſſi illı ex cordis vitio pulſus, cruris illius natiuum calorem apte euētilaſſet. Potiſſimum cum ex ſclopeti ictu, ante annos aliquot, ipſi vitiata eſſet arteria, quæ fibulam petit. *Veſalius lib. 1. cap. 5. de hum. corp. fabric.*

OBSERVATIO.

Carnoſæ, albidæ & flaccidæ propagines, ex vtroq; cordis ventriculo enatæ.

SEcante Mathæo Grabiſgadio, vidi ego in dextro cordis ventriculo mulieris, quam peripneumonia ſuſtulerat, radicem enatam, carnoſam, albidam, flaccidam, quæ prodiens ex corde, & cauam venam ſubiens, propagabatur vſque ad caput & os ſacrum. Eadem carnea ſubſtantia ex ſiniſtro ventriculo prodibat: quod in quatuor cadauerib. peripneumonicis ſubinde obſeruauimus. *Obſeruatio CL. V. Nereti Neretij, Florentini Medici: tranſmittente nobis ex Italia Petro Spererio.*

PITVITACEA CONCRETIO VENtric. cordis.

OBSERVATIO.

Pituitea flaueſcens concretio, medullæ inſtar, minimi digiti craſſitie, &c. in duobus cordibus inuenta.

MEmini intra paucos annos aperta fuiſſe cadauera duo: alterum Comitis, alterum Principis. In quorum cordibus reperta eſt concretio quædam humoris pituitoſi, flaueſcentis, inſtar medullæ, quæ in oſſibus boum coctis inuenitur. Erat huius longitudo duorum digitorum tranſuerſorum, craſſitudo minor minimo digito meo. In vtroque (illo quidem cum febre & pleuritide, in hoc abſque febre) apparuit pulſus inæqualitatis genere maxime inæqualis. *Eraſtus Part. 5. Diſputat. de febr. putrid.*

TVMORES ET APOSTEMATA, cordis.

OBSERVATIO.

Vlceris ſeu apoſtematis in auricula & ſubſtantia cordis, magnitudine oui gallinacei, hiſtoria: Alia item, in qua plus quam media pars cordis ſanioſa inuenta demonſtratur.

COr ipſum & putredinem & apoſtemata perferre poſſe aliquandiu, teſtimonio magni viri, & excellentis anatomici, medici ac philoſophi inſignis, Doctoris *Nicolai Maſſæ Veneti*, præceptoris olim mei colendi, oſtendam. Qui *in anotomia ſua, in cap. de Corde*, ſe ſecaſſe mercatorem quendam Venetiis, ex vulnere capitis mortuum, teſtatur, in cuius corde, cum obiter thoracis partes perſcrutaretur, poſt vulnus, cuius gratia ſectionem inſtituerat, perluſtratum, reperit præter omnium opinionem, vlcus ſeu apoſtema in ipſa auricula & ſubſtãtia cordis, magnitudine oui gallinacei: quem tãdem certo comperit, habita diligenti inueſtigatione apud demortui familiares, quod in vita nunquam de corde fuerit cõqueſtus. Qui euentus, cum multa alia argumenta probare & ſecum trahere videtur: tum vero ſubſtantiam cordis exulcerationem non ita perſentiſcere: quæ tamen omnia hic neque proponere, neque diſputare volumus. Huius autem hiſtoriæ Maſſa multos egregios viros teſtes nominatim citat in libello præfato. Sed ne longius exempla petantur, habemus domeſtica non minus clara & certa multorum virorum bonorum teſtimonio, qui adhuc ſunt ſuperſtites, à quibus audiuimus quod interfuerint ſectioni Lucæ Alantſeæ, ciuis & bibliopolæ Viennenſis. Cũ enim is ſubito ex ſyncope Anno Domini 1522. 13. die Decembris hora 10. obiiſſet, ex voluntate & inſtinctu familiæ & amicorum pie defuncti, apertum eſt eius pectus, præſentibus Doctoribus Ioanne Heuman, Ioanne Enzianer, Martino Stainpeyſs, Wilhelmo Pilinger, Georgio Tanſtetter, Simone Lact, Leopaldo Iordan, Ioanne Gaſtgeb, Vdalrico Fabri, Ioanne Ham: chirurgis, Magiſtro Wolffgango, & Magiſtro Georgio. In hac ſectione inuenta eſt plus quã media pars cordis ſanioſa, & putredine abſumpta in hunc modũ: quæ certe putrefactio in exiguo tempore tam validum membrum conſumere adeo non potuit: ſed neceſſarium eſt diuturnã perſtitiſſe, priuſ-

priuſquam tam nobile membrum, fortiſſimis & duriſſimis villis conſtans, adeo euinceretur. Hic tamē, vt & hoc in diſciplinam multorum fateamur; multis ſuis familiaribus id adſerentibus, eo anno quo obiit, multa & crebra paſſus eſt animi deliquia: vt non inconcinne fortaſſis aliquis inferre poſſit, Venetum mercatorem immunem ab animi deliquiis fuiſſe: quoniam recentior lues, & non perinde magna putredo illius cor inualerat: hunc vero ciuem Vienenſem ideo crebras ſyncopes perpeſſum, & hiſce extinctum, magna putredine cor vrgente, & ad exitum vitæ impellente. Hæc omnia à me dicta ſunt, vt candidus lector agnoſcat, multa præter opinionem veterum contingere, multa naturam aliquando moliri, nobis (qui veterum tantum decreta ſectamur) incredibilia, ne dum incognita, vera tamen. *Matth. Cornax cap. vlt. Explicat. ſua Hiſt.*

OBSERVATIO.

In ſiniſtro cordis ventriculo tumor durus, oui magnitudine.

IN Cardinali Gambara Brixiano, tumorem prædurum, & ad oui magnitudinem, in ſiniſtro cordis ventriculo, Romæ vidi, vbi illū in affinium gratiam diſſecarem. *Columbus lib. 15. Anatom.*

OBSERVATIO.

Abſceſſus vel cor ipſum ambientes, vel in eiuſdem ſubſtantia aut ventriculis nati.

INnotuit mihi ex anatome abſceſſus, cor vndique circumplectens, & cor iam ferme putreſcens. Quārem excellēs Medicus, Marcus Appogius ab Oximo, magna admiratione intuebatur. *Idem libro citato.*

Archidiaconi cuiuſdam diſſecto cadauere, abſceſſus in ſubſtantia cordis inuentus. *Scholiographi ad cap. 29. lib. 1. Holler. de morb. intern.*

Non videtur ſilentio eſſe prætereundum, quod nuper in inciſo Iacobi cuiuſdam furis inſignis cadauere, præter alia monſtroſa annotauimus, ſcilicet abſceſſum in ſiniſtro cordis ventre, pituita redundantem. *Beniuenius cap. 89. De Abditis.*

Solutionem continui, non veram aut manifeſtam (ſed qualis eſſe dicitur per quemuis tumorem præter naturam, vt is ſit ex triplici morborum genere) patitur cor, etiam vita ſuperſtite, quum experientia Beniuenii & aliorum multorum, quibus noſtram adiungimus, conſtet, in apertis cadaueribus, fuiſſe aliquoties reperta cordis apoſtemata frigida, ſed quæ ſenſim tabem inuexerint. *Ioubertus Annotat. ad tractat. de Vulneribus Guidonis.*

OBSERVATIO.

In ſuppurato quodam pericardium totum fere corruptum, & cordis ipſius maior pars exeſa.

IN ſuppurato, qui poſt diuturnam affectionem obierat, quemq; ego in ſtudioſorum plurium, vel Theodoſii inprimis piæ memoriæ, & Lucatelli gratiam diſſecui, obſeruatum eſt, ferme pericardium totum corruptum fuiſſe, maioremque ipſius cordis, quod adhuc quidem, ob diutius ſcilicet putredinalem in eo adſeruatum calorem, palpitabat, partem exeſam extitiſſe, vt quidem vlcus diutius tuliſſe facile credi poſſit. *Franc. Rota. cap. 23. de tormentariorum vuln. curat.*

OBSERVATIO.

Cor extenuatum, cuius ſuperficies putredine conſumpta, intra pericardium menſura puris albi thoracis ſinus pure, ſanie & grumis refertus: pulmo conſumtus: Epar immenſa molis ad vmbilicum vſq; exporrectum. Ægro dum viueret, tuſſi, febricula, thoracis & ventris doloribus, cum reſpirandi difficultate, & paucis animi deliquijs, ante mortem infeſtato.

CAdauer diſſecuimus, in quo repertus pulmo conſumptus, thoracis cauitas plena ſanguine putrido & concreto, in pericardio plus quam menſura puris albi continebatur, tota cordis ſuperficies abſumta erat & putrida, extenuatumq; admodum cor: hepar vſq; adeo magnum habebat, vt infra vmbilicum deſcenderet, totam anteriorem partem hypogaſtrii occupans: ſymptomata quibus vexabatur erant, tuſſis, frebricula, dolor in thorace, & in anteriore ventris parte, difficultas reſpirandi, paucis diebus ante mortem, deliquia animi: mens conſtabat. Aperiendo adfuerunt Scotus, Guilldinus, Chirurgi. *Ioan. Bauhinus de Obſ. propr.*

VLCERA.

OBSERVATIO.

Vlcera ſordida in corde reperta.

IN quodam, qui ſenſim cōtabeſcens & liqueſcens de medio tandem ſublatus eſt, tria vlcera in corde reperi, non parum caua & ſordida, multo ante iam tempore contracta. *Fernelius lib. 5. cap. 12. Patholog.*

Venetiis, dum cadauer quoddam ſecaremus, ꝙ fuerat hominis, qui ex diuturno morbo tandem in quodam hoſpitali mortuus eſt, inuenimus paruum ſub altera auricula cordis vlcus, quod videbatur antiquum, aliquantulum profundum, purulentum & ſordidum: quodcunq; autem illud fuerit vlcus, ſiue ex aliqua vomica fuerit; ſiue ex eroſione, ſiue ex putredine: videtur rationi conſonum, quod ſi hæc pertulerit diu, poſſit etiam ſcirrhum aliquandiu ferre. *Trincauella lib. 6. c. 11. de rat. curand. part. hum. corp. affect.*

VVLNERA.

OBSERVATIO.

Vulnera cordis ſuperficiaria non ſtatim interimere hominem: quin animalia nonnulla, poſt notabiles læſiones ſuperuixiſſe.

SI ad ventrem cordis vulnus aliquando penetrauerit, protinus magno cum ſanguinis fluore hominem mori neceſſe eſt. Idque præcipue, ſi ſiniſtræ partis venter fuerit vulneratus. Si vero non ad ventrem vſq; pertingat, ſed in cordis ſubſtantia conſiſtat vulnus, ex ita affectis aliqui, nō ſolum ea die qua vulnerati ſunt, ſed ſequenti quoq; nocte viuere potuerunt, qui oborta deinde inflammatione extincti ſunt. Atq; etiam ij qui diu vixerunt, mentis compotes inuenti ſunt. *Galenus lib. 5. cap. 1. de loc. affect.*

Vulnera cordi inflicta, quæ non alte in ventriculos penetrant, non protinus interimunt. *Fernelius lib. 5. cap. 12. Pathol.*

Si nonnihil mucronis cordis abſciſſum ſit, animal per aliquod ſpatiū ſuperuiuere poteſt. Suem in cordis mucrone vulneratū vidimus, qui per horam fere ſuperuixit, & comedit, nec ita breui obiiſſet, niſi iterum vulneraretur. *Braſau. Comm. ad Aph. 18. l. 6. Hipp.*

Addunt

Addunt ceruam inuentam, quæ ſagittæ aculeum, ex longo tempore, cordi infixum gereret. *Iacotius Comm. ad Coac. Hipp. pag. 995.* Reperta eſt cerua, infixam gerens cordi antiquã ex venatione ſagittam. *Thom. à Veiga Comm. ad cap. 1. lib. 5. Galeni. de loc. affect.* Huc quoque referri meretur Iulii Alexandrini de lepore, ſclopeti glande per medium thoracem & cor traiecto, hiſtoria, cuius ſuprà meminimus.

OBSERVATIO.

Cordis vtroque ventriculo tranſuerberatus, atque inde per longam plateam diſcurrens, priuſquam concideret, ſenſibus integerrimis, ad horam vſq; ſuperuixit.

AD ſoluendam quæſtionem, de principalium virtutum ſedibus, & vaſorum exordiis, inter medicos, & Ariſtoteleos Phyſicos agitatam, non parum auxilii præſtat, quod Ingolſtadii quidã ſtudioſus, à typographo punctim læſus in ſiniſtra parte thoracis, vulnus ipſam cordis ſubſtantiam, vtrumq; ipſius ventriculum tranſuerſum penetrans, acceperit; plateæ tamen bene longæ ſpatium vulneratus curſu confecerit; mente porrò & ſenſibus integerrimis ferme per horam integram ita conſtiterit, vt loqui & Deo ſe cõmendare potuerit. Vulnus, adaperto poſt mortem corpore, medici profeſſores omnes, & alii ſpectatores non pauci viderunt, atque armorum genus ex vulneris forma dignoſcere, & in iudicio explicare potuerunt. *Cyriacus Lucius, de ſuis ad me tranſmiſſis obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Corde ſauciatus, eum qui vulnus intulit, ad ducentos paſſus, priuſquam concideret, proſecutus eſt.

VIdi, dum apud Taurinos agerẽ, nobilem quendam, qui ſingulari certamine cum alio decertans, accepto ſub ſiniſtra mamma vulnere in cordis ſubſtantiam penetrante, fibratis in aduerſarium aliquot enſe ictibus, ipſum fugitantem ad ducentos paſſus eſt proſecutus, donec in terram mortuus caderet: diſſecto cadauere, vulnus comperi in cordis ſubſtantia, amplitudine, quæ digitum capere poſſet: ingentem prætereà ſanguinis in diaphragma effuſi copiam. *Pareus lib. 9. cap. 30.*

DE PALPITATIONE CORDIS.

OBSERVATIO.

Cordis palpitationes raræ ac variæ.

EXcitari poteſt cordis palpitatio à tuberculo, abſceſſu, multo ſanguine obſtructionem faciente, intemperie calida, vermibus cor ipſum vexantibus, ſubita vacuatione, impręgnatione, inflammatione, aqua tunica incluſa, ac humore, putri ac male olente plena, lapillis, venenoſa qualitate, ſpirituoſo halitu, ſiue ab externis ſiue internis ventriculis cordis, ſiue in ſubſtantia, ſiue in pericardio, ſiue in arteriis, cauſa ſubſiſtat: ſiue accidat extrinſecus, vt vtero, liene, hepate, ventriculo; è quibus cauſis nonnullas in diſſectis corporibus hoc morbo peremptis exploratas habuimus: in cuiuſdam pericardio aqua viſa. In Britone quodam in Collegio Triquetico iacente inflammatio cordis. In alio abſceſſus in venã arterioſa: in aliis pericardiũ flatu diſtentum, qui tandem ſolet in aquam concreſcere, niſi cordis calore diſſoluatur. *Scholiographi ad cap. 29. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Palpitatio cordis memorabilis.

NOtatu digniſſima hiſtoria Præſidis primarii Rhotomagenſis, nomine Remon. Ab ineunte ætate, ad annum quinquageſimum quintũ, quo obiit, cordis palpitatione corripi ſolebat, præſertim à ſomno meridiano, & vbi arctius tibias conſtrictas habebat. Senſus quidam tremulus erat ad carotidas, hinc pulſus vel nullus, vel paruus, & ſine ordine. Soluebatur paroxyſmus edito crepitu, ructu, clyſtere, dolore in mediis clauiculis excitato, deinde in fronte, vel tuſſi ſatis violenta ſponte mota. Relictis tibiarum vinculis, & ſomno, melius habebat.

Eadem ſymtomata in muliere nobili apparuerũt. Vtriſq; hepar calidius, ventriculus frigidior. Hinc multa fuliginoſa excrementa, ſpirituoſuſque vapor & craſſus in arteriis interceptus continebatur, qui in cor exhalans, incutiebat tremorem & palpitationem, donec motu, attritu, aut calore (quod ad id non ſufficeret facultas vitalis) diſſolueretur, aut aliunde exitum haberet. *Scholiographi ad cap. 29. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

OBSERVATIO.

De cordis palpitatione, cui & difficilis reſpiratio, & alia grauiſſima acceſſerunt ſymptomata.

HOneſtus quidam vir, initio à cordis palpitatione male habuit, aduerſus quam vſus eſt frequenter (in exigua tamen quantitate) confectione Alkermes dicta, quæ cum lapide Cyaneo, vulgo Lazuli nuncupato, cõponitur: hanc ea de cauſa, quocunque proficiſcebatur, ſecum deferebat. Acceſſit tandem huic malo reſpirandi difficultas, quæ iacenti ac dormienti maxime fuit moleſta, ſic vt quamprimum dormire incepiſſet, aut exiguo tempore ſomnum accepiſſet, cito ſuperueniens reſpirandi difficultas, eum mox excitauerit, & erecta ceruice eſſe coegerit, cum quã adeo multi coniuncti erant flatus, vt ſtatim à ſomno, etiam cum ſtrepitu quodã per os erumperent. Vſus multis variorum medicorum conſiliis, nihil profecit, qui aduerſus humorum ex capite deſtillationem remedia adhibuerãt. Tandem à tragemate (vulgo dragea) quodam melius habuit. Quod ex roſis rub: cinnamomo, glycirrhiza, ſemine Coriandri, Aniſi, Carui, & Ammios erat compoſitum: quo à ſumto cibo vtebatur. Iacere & ſomnum capere tunc potuit, ſed non diuturnum fuit iuuamentum. Paulo ſiquidem poſt reſpirandi difficultas, cum orthopnœa, eodem quo antea ſeſe habuerunt modo. Succeſſit mox & circa ventriculi regionem durities, ſub vitæ finem etiam nigricans initio ſputum, deinde cruentum, poſtea veluti ſemiconcretus ſanguis, qualis etiam tribus à morte horis ex ore quaſi bulliendo effluxit. Rembert. *Dodonæus obſeruationum ſuarum cap. 54.*

Inter cauſas palpitationis cordis referuntur & flatuoſi ſpiritus, à crudis craſſiſque humoribus geniti; & ex hac cauſa exortas palpitationes, diſpnœa & orthopnœa frequenter comitantur. Idcirco & omnis

circa

circa reſpirationem in hoc viro offenſa, ad crudorum humorum copiam referenda videtur, à quibus flatuoſi ſpiritus proceſſerunt, per os cum ſtrepitu erumpentes. Sed ſputum illud cruentum, deinde ſanguis ſemi concretus poſt mortem ex ore ebulliēs, aliam videtur habuiſſe cauſam, ipſorum videlicet internorum viſcerum eroſionem ac corruptionem: & quidem ab importuno & nimis frequenti (vt videtur) vſu confectionis Alkermes. Hæc etenim, ſi in iuſta quantitate detur, melancholicos humores expurgat, infra autem exhibita, cum nullam expurgationem moliri queat, interiora viſcera ſi frequentius ſumatur vrit, exulcerat & putrefacit. Sunt etenim & tales ipſius Cyanei Lapidis (qui confectionis magna pars eſt) prauæ ac nocentes facultates: præſertim ſi non lotus, vel male lotus fuerit. Et vtcunque etiam ſæpius ac diligenter lauetur, omnem tamē ſuam prauitatem deponere non poteſt. Sicuti enim vis eius expurgatrix lotione non perit, ſic nec prauam ac exulcerantem eius facultatem lotione deleri poſſe exiſtimandum. Scriptum vero de hac confectione, *ſtirpium Hiſtoriæ noſtræ Pempt. ſexta, libr. 4. cap. 4.* Idem *Dodonæus, ſcholio ad citatum caput.*

Observatio.

De Cordis excreſcentia, qua ſacerdos quidam à pueritia perpetuo laborabat cordis palpitatione.

Reuerendus Ioannes Baptiſta Medenſis, ſacerdos, ex nobiliſſima Olgiatorum familia, iugi rerum cœleſtium cōtemplationi addictiſſimis, ſtatim à primis vnguiculis perpetua, ſed quæ indies, prout ætate proficiebat, creſceret, palpitationē laborat: cumq; quadraginta duos annos natus eſſet, multaq; medicamenta, fruſtra tamē admouiſſet, morbi longitudine & faſtidio, vel potius impatientia victus, ſe tandem cuidam veneficæ mulierculæ, ex iis vni, quę diabolica fraude decepta, aureos pollicentur montes, curandum vel potius enecandum tradidit: nam aſſumtis tribus aut quatuor potionibus, nihil tamen proficientibus, ad colocynthidos, ellebori nigri, caputiæ ſeminis decoctum deuenit, idque copioſe propinauit, quo exhauſto, ſubinde in tales conuulſiones incidit, quæ ad mortem vſque bonum ſacerdotem comitatæ ſint. Quo enecato, facta eſt mihi ipſum aperiendi omnimoda facultas, num ſcilicet medicamento, an vero veneno extinctus fuiſſet nec ne, vt amici reſcirent iniuriam hanc iudicaturi. Ego proinde corpore bene locato, & vt aperiri commode poſſet diſpoſito, à clauicula, per ſternon & abdomen, ad os pubis vſque ſectionem feci, & abdomine in crucis modum diuiſo, ſingula inteſtina intus & extra obſeruaui, maxime vero ipſum ventriculum valde magnum: namque in eo crudi humores, plurima & copioſiſſima pituita vitrea fuit reperta, & medicamento paulo ante aſſumto commixta & confuſa, quæq; calorem natiuum, vna cum medicamentorum tam vehementium deleteria & venefica qualitate, principalioribus membris, potiſſimū autem capiti cōmunicata, iugulauit, & ita, vt puto, ſuccubuit. Aperto autem thorace, pulmones turgidos & flatibus plenos offendi, quibus per mediam membranam ſeparatis, cor ipſum valde magnum, neq; naturaliter formatū apprehendi, atq; pericardio diſſecto, ecce inter magnæ arteriæ caudicem, & venæ arterialis radicem, in cordis baſi, talem carnis excreſcentiam reperi, quæ vnciam vnam cum ſex drachmis libraret, & aliud corculum repræſentaret, adeo vt vnica fuerit perpetuæ palpitationis cauſa, mortem tamen non intulit, ſed potius colocynthide, vehementiſſimisque, vt dictum eſt, medicamentis enecatus fuit. Hanc demum excreſcentiam, ſumma qua potui diligentia liberaui, atque cicatricem acu & filo optime reſui, & vino bis aut ter bene lotam & mundatam exiccaui, atque teſeruaui, quam memoriæ ergo paruī non facio. c l. v. *Georg. Garnerus de Obſeruat. ſuis.*

Observatio.

Cordis palpitatione nonnunquam coſtas effringi, vel ſede ſua emoueri, vel arterias foras in aneuriſma pugni inſtar dilatari aliquando.

Cordis palpitatio immoderata eſt concuſſio vehementi diaſtole atque ſyſtole moleſta. Cuius tanta vis, vt ſæpe ſit animaduerſa thoracis vicinas coſtas effregiſſe. Sæpe & eas quæ ſupra mammā ſunt de propria ſede depuliſſe: ſæpe etiam arteriam foras dilataſſe in aneuriſma, cōtracti pugni magnitudine, in quo & tactu & viſu conſpicua erat pulſatio. Ita quidem affecto corde, arteriæ omnes vehementius pulſant, ac interdum dilatantur, præcipue vero quæ ſupra iugulum ſunt. Nonnunquam, ac præſertim in quiete, intermittit hoc ſymptoma, ſed vehementer exaſperatur immodica exercitatione, æſtu, balneis, venere, crapula, meraciore vino, & incandeſcentia. Huius cauſam omnes veteres vel in ſanguinis exuperantiam retulerūt, vel in humorem copioſiorem, pericardio infixum. Cæterum in iis, quos modo exempli gratia recenſui, palpitationem peperit terrorrida bilis, quæ alias ſponte vacuari conſueuerat, in arterias effuſa. *Fernelius cap. 12. lib. 5. Patholog.*

CVRATIO.

Observatio.

Cordis palpitatio vehementiſſima curata.

Patiebatur Sanctius à Velaſco, filius Comitis Niuenſis, palpitationem cordis adeo validam, vt à me & reliquis præſentibus talis ſonitus audiretur, ac ſi lapillus in vas aquæ ſemiplenum proiiceretur. Cui nos ſacculū admoueri præcepimus; qui recipit pulueris aromatici roſati, & diambræ, vtriuſq; drach. ij. puluū. macis, caryophyllorum, folii, ſingulorū drach. j, florum bugloſſę & naſæ, vtriuſq; vnciam ſemis, fiat ſacculus, qui vino albo odorifero aſpergatur. Quo appoſito, factum eſt, vt intra horam palpitatio ceſſauerit, & ſacculo remoto rediret, donec victu decenti, & hoc ſacculo, ac odoratis medicamentis, tum cibis admixtis, tum per ſe adhibitis, fuerit ſanitati reſtitutus. *Chriſt. à Vega li. 3. ſect. 6. ca. 8. Art. Medend.*

EXPERIMENTA.

Observatio.

Nobilia aliquot & exoterica ad cordis palpitationem arcana.

Electuarium de Coagulis verū. ℞. Coaguli hœdini, vitulini, ceruini, an. vnc. ij. s. vini maluatici odorati vnc. ij. teſticulorum galli, coctorū in poſca, facta ex aceto, temperata aqua bugloſſæ, vnc. j. s. electuarii vel ſpecierum trium ſantalon, diarrhodon

ãbbatis,ana vnc.j.ſacchari roſacei vnc.vj. pulueris v-nionum, ſmaragdi,ana Chareth j. Miſce, & cum ſ.q. ſyrupi roſ. aut de ſucco Citri fiat Electuarium præparatum. Optimum eſt ad cordis tremorem & animi deliquia. Hanc deſcriptionem veram, ex archiuis noſtris ſelectam, & Fallopiana correctiorem, candide in vſus hominum publicauimus. *Ioannes Georgius Schenckius, Medicus, Filius.*

In Cordis palpitatione diuturna, Medici Itali, ſummo ſucceſſu tabula vtuntur ex CornuRhinocerotis (quod verum iam à nouis illis Inſulis aſportari cœpit) confecta, ac cordis regioni palpitanti ſuperpoſita. *Ex communicatione D. Petri Sphererij, Medici, idem Schenckius.*

Camphora ſola quidam à cordis palpitatione liberatus eſt, dum illam perpetuo ſuper cor geſtaret, aliis remediis fruſtra tentatis. *Andernacus.*

Ad cordis pulſum ſiue ſaliſſationem ſuccinū verum mittes in aquam feruētem, & illic eſſe patieris, atq; inde per triduum laboranti ſingulos cyathos tepefactos, ſi nimium erit frigus, dabis bibendos, hoc remedium & hominibus & animalib. prodeſt. *Marcellus cap. 21.* Succinum cordi perutile eſt, ac tremori ipſius inſigniter medetur. Propterea miſcuerunt id veteres electuario è gemmis. *Gœbelius.* Succini atque caphuræ chylimata auxilium præclarius contulerint, quod virtus & facultas rei in abſtracto quam concreto ſit poſterior. *Schenckius Filius.*

Linimentum Cratonis. ℞. ping. gallinæ rec. ex aq. roſ. lotæ vnc. j. olei cinnamomi ſcrup. j. moſch. ampari ſingul. gr. ʒ. miſc. hoc illinitur cor, ad eiuſdem corroborationem & palpitationem.

Obſeruatio.

Palpitatione cordis affectus quidam, annua venæ ſectione vitam ad multos annos produxit: ex qua tandem mortuus eſt.

Nouiquendam quotannis verno tempore huiuſmodi palpitationis accidente vexatum, qui cum per tres annos à ſanguinis detractione ſe adiutum intelligeret, anno quarto, anteaquam accidens ipſum inuaderet, ſanguinē miſit, idq; pluribus deinceps annis faciendo, idonea etiam poſt ſanguinis detractionem medicamenta adhibuit. At nihilominus hic quoque ante ſenectutem morte præuentus eſt. *Galenus lib. 5. cap. 1. de loc. affect.*

Palpitatio viſceris huius pluribus integra valetudine degentibus, cum adoleſcentibus, tum adultis ſubito ſine alio manifeſto accidēte, euenire viſa eſt. Atque omnes eos ſanguinis detractio iūuit. Atque hoc accidente plane liberati ſunt, qui poſt ſanguinis miſſionem vſi ſunt victu & medicamentis, quibus eſſet extenuandi facultas. Horum vero nonnulli, quos rurſus huiuſmodi accidens infeſtabat, ſimili curatione ſoſpites euaſerunt. *Idem Galenus lib. eodem cap. 2. de loc. affect.*

MORTVI.

Obſeruatio.

Hiſtoria cuiuſdam religioſæ mulieris, quæ ex palpitatione cordis mortua eſt.

Vidi ſacram & religioſam iuuenem, quæ cum vehementem & magnam pateretur cordis palpitationem interdum in ſyncopem, interdum vero, conſentiente cerebro cum corde, in morbum comitialem, & vehementem quidem cadebat: à qua palpitatione nunquam integre curari potuit, & in ætate iuuenili tandem mortua eſt, quemadmodum de aliis iuuenibus retulit Galenus. *Trincauella lib. 6. c. 12. de rat. curandi part. hum. corp. affectus.*

DE ANIMI DELIQVIO ET SYNCOPE.

Obſeruatio.

Frigidiſſimo vino, poſt longum ſub ardentiſſimo ſole luſum hauſto, defecit quidam.

Blasivs Senenſis, familiaris noſter & condiſcipulus, dum longiuſculo tempore ſub ardentiſſimo ſole pilæ luſu incaluiſſet, nec ſudore adhuc aut fatigatione remiſſis, in ſubterraneum locum, vbi vinaria erat cellula, deſcendiſſet, frigidiſſimi vini calicem hauſit: quo epoto, ſtatim defecit: indeque vt erat fere præmortuus ad cubile delatus, ac calidis vtcunq; fomentis, ſed non ſine graui noxa tandem, licet ægre, refocillatus, conualuit. Frigidiſſima enim potio altius cordi inſederat. *Beniuenius cap. 17. De Abditis.* Non modo ex frigidiſſimæ aquæ potu, aut frigidiſſimi vini hauſtu, periculum iis imminet, qui vehementer ſupercalefacti ſunt: ſed & ex frigidi lactis, cui ademptum eſt butyrum. *Dodonæus ad idem caput.*

Obſeruatio.

Animi deliquium ex pede aut digito colliſo.

Qvoſdam pede aut digito colliſo, animi deliquio procubuiſſe vidimus: tanta eſt in rebus humanis fragilitas. Affecto enim ſtomacho, per arteriam & venam magnam ad cordis vitalia malum perducitur. *Alex. Benedictus libr. 11. cap. 1. de Medend. morb.*

Obſeruatio.

Ex putri & fœtido humore intra pericardium contento, creberrima animi defectio.

SI ſine manifeſta cauſa exoluantur quidam, vel defectum animi patiantur, & frequenter & fortiter ſtatim moriuntur, quoniā & in his vitale robur valde imbecillum eſt. Ideo facile quibuſlibet de cauſis euoluuntur, & propterea derepente moriuntur. Impedit enim cordis actionem moles quædam ſparſa, id eſt, humidum vel ſiccum ipſi cordi incumbens. Cum autem quereretur cauſa, (vt teſtatur Galenus) in diſſectione corporis inuenta eſt tunica quædam, ſuperiacens ipſi cordi, plena humiditate quadam fœdi odoris, quę quidem humiditas vitioſa illa qualitate corrumpebat ſemper, & deſtruebat robur vitale, & hinc oriebatur affectus exolutionis. *Philotheus Comment. ad Aph. 41. lib. 2. Hipp.*

Obſeruatio.

Non omnes, qui animo linquuntur, moriuntur, præſertim ſi oris ventriculi vitio id accidat.

NOn omnes, qui animo deficiunt, repente moriuntur, niſi determinate ipſis tres conditiones addas, quarū vna, eademq; prima eſt, ſi ſæpe: altera ſi valenter; tertia ſi ſine cauſa manifeſta id patiantur: nam & cuidam mulieri, ſi diutius in balneo commorata fuiſſet, freque̅ter oriebatur animi defectus, tum ꝓpter temporis longinquitatē, tum quia malis plæ-

plærunque lignis balneum ſuccendebatur. Verum hoc non erat mortis ſignum, cum cauſam haberet manifeſtam. Idem quoque altera patiebatur vteri ſtrangulationibus obnoxia. Quidam etiam, ſi diutius cibo abſtinuiſſet, inter lauandum deficiebat. Alteri, ſi per horam lauabatur, idem vſu veniebat, niſi panis pauxillum ante ſumſiſſet. Quibus profecto omnib. erat os ventriculi vel imbecillius vel admodum ſenſile. *Galenus Comm. ad aph. 41. lib. 2. Hipp.*

Observatio.

Salubri vrina deceptus adoleſcens, ex atonia facultatum vitalium, mortuus.

IVdicandi ratio per vrinas eſt difficilis; interdum enim accidit colore & conſtitutione eſſe ſalubertimas vrinas, ſed mortem præ forib. imminere, quia non omnes affectus ex vrinis iudicantur, ſed hi maxime, qui in venis, veſica, renibus, & hepate ſubſiſtunt, quomodo contigit, haud ita dudũ 1581. adoleſcenti nato annos 24. vxori recens adiuncto. Cum enim illi vrina & colore & contentis ſimillima ſanis excideret, bene haberet ad cibum & potum, nec vllo dolore capitis, nec ſiti, nec vigiliis, nec corporis iactatione, nec mordacis cutis calore premeretur, & pulſus ipſe paruus, frequens, celer, inæqualis, languidus, neſcio quam febrem ementiretur, quæ quibuſdam periodis exacuebatur. Hinc iudicauimus facultatem vitalem ſenſim collabi, cuius neceſſitas in omnibus vitæ actionib. tanta ſtatuitur, vt non modo reliquis materia ſufficiat, ſed illas etiam ſuſcitet, perficiat, mutuoque complexu tueatur, & foueat, ita vt nulla pars corporis nutritionis commoda percipere poſſit, niſi ad eam ſpiritus & vis vitalis influat. Cum igitur hic adoleſcens eo ſpiritu priuaretur omnino: mirum non eſt, ſi gliſcente ſenſim natura & vino per aliquot dies medici cuiuſdam conſilio ſubtracto, die octauo ex hac mortali ſtatione in æterna cœli tẽpla, beatumq; bonorum domicilium ſubuolarit. *Iacob Deuynetus Apolog. lib. 1. cap. 8.*

Observatio.

Animi deliquium ob vitalis facultatis atoniam, & cordis palpitationem, & cardiacas ſyncopas paſſus quidam, ſubito mortuus.

QVi propter nullam eiuſmodi cauſam ſępe & vehementer exanimantur, ij propter imbecillitatem animalis (vitalem intelligit) virtutis id mali patiuntur, quomodo is cui vna cum animi deliquio cordis vehemens palpitatio acciderat, derepente de medio ſublatus eſt. Quod idem iis quoque euenire ſolet, qui acutiſſimis animi deliquiis, quas cardiacas ſyncopas appellant, corripiuntur. *Galenus, Comment. ad aph. 41. lib. 2. Hipp.*

Observatio.

Prognoſtica ſigna ſyncopes in vena ſectione incidentis.

IN venæ ſectionibus ſępe ſyncope incidit, non ſine aſtantium terrore. Itaque medicum cautum eſſe oportet, vt tuto ſymptomata præcaueat. Præcaueri vero poteſt, ſi non præſente acuta febre, inſeratur ori fruſtum panis vino aromatico, vel rubeo intinctum, vel prius iuſculum aliquod confortans præbeatur. Extant etiam prognoſtica ſyncopes, dum ſanguis effluit, ſi enim vel ſudor in facie exoritur, vel vertigo quædam incidat, vel circa extremam manum ſtupor quidã ſentitur, ſyncopes in propinquo eſſe exiſtimari poteſt. Quare tum medicus os venæ obſtruat, & viribus reficiendis diligenter incumbat. *C L. V. Iacob Oethaus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Syncope 24. horas aſphixiam inuehens, citra vitæ periculum.

SYncopem repentinam, aut periculoſam animi defectionem, interdum vidi ſupra horas 24. ſine vllo pulſu perſeuerare citra exitium. *Fernelius cap. 9. Meth. General. curand. Feb.*

Observatio.

Mulier quædam prægnans, ſyncope ſæpius corripi ſolita, vt releuata.

MEmini matrem meam chariſſimam, Margaretam Nanniam, ex familia Baierorũ, cum prægnans eſſet, facile ſyncope tentatam fuiſſe, ſi modo altius ſederet: ſed ſale ori impoſito, ad ſe redibat, quo mulieres noſtræ paſſim vtuntur, magno iuuamento, forte ideo, quod ſal diſſipat vapores tetros ex vtero eleuatos. *Foreſtus ſcholio ad Obſ. 6. lib. 17.*

Observatio.

De ſyncope cardiaca, qua concreto in venis ſanguine, ægri ſubito moriuntur.

A Venarum interceptione & occluſione, affectio deterrima, & quæ ſubitã mortem ſæpe inferre ſolita ſit, emanat. Euenit enim, vt ſanguinis copia nõ ad partes ſuperiores, nec ad cerebrũ, ſed ad vaſa interna, ſcilicet, ad venam cauam, & arteriam magnã, aliquando affatim irruat, eaſque opplendo ibi ſiſtatur, firmatusque exeuntibus, & fere extinctis ſpiritibus coaleſcat, cuius ratione natiua caliditas, q̃ ſuffocationis vim, nequeuntibus ſpiritibus per vaſa permeare, patitur, fere extinguatur. hincq; ſyncope cardiaca ex ea accedente, niſi præſto remedia adminiſtrentur, ſubita mors ſubſequatur. De hac ſyncope cardiaca genita ob extinctã fere natiuam caliditatẽ, ratione ſanguinis venas opplentis, & ibidem coaleſcentis meminit Galenus locis citatis quarto de ratione victus in acutis, quã tñ viri ij, qui ſingulorum morborum curationes tradere ꝓfitentur, adeo neglexerunt, vt de ea ne verbum quidem fecerint cum tamen & ratione periculi, & ratione affectionis hoc facere debuiſſent. rationi periculi quidem, quoniam hinc imminente ſubita morte, eam ante ſignificare, & anteuertere docere debebãt, ratione autem affectionis, quoniam tenebantur animaduertere inſolitum hunc caſum, & à nemine conſideratum, ſcilicet in venis viuentis hominis coaleſcere ſanguinem, qui in mortuis ſolet fluidus cõſeruari. Ego autem de hac ſyncope pertractans, & hęc duo conſiderans, ſcilicet & periculum & affectionem, quoad periculum dico Medicum futuram hanc ſyncopen, & imminentem ſubitam mortẽ, ex duob. pręcipue cognoſcere poſſe, quorum primũ erit, quod iſti patientes ante caſum ſyncopes perſentiunt nonnunquam pręfocationem quandam, non ad fauces, nec ad partes ſpirituales ſuperiores, ſed in partibus internis, ac ſi manu cor ipſum ſubito cõſtringatur, deficiuntque, ac mutato colore viuido in pallidum ſudant. cito autem reuocantur ab hoc defectu, ſed ſubſeqtur laſſitudo magna: alterũ eſt, quod in his pulſus quandoq; accedit

intermittens, qui ſi ſupra vnicam intermittat pulſationem, magnum periculum minatur, ſignificatque ſyncopem hanc inſtare; quæ intermiſſio, ſicuti & illa præfocatio, non aliunde generatur, quam ex illa ſanguinis coaleſcentis copia, obſtruentisque ac grauantis vaſa illa, & partes internas, hæc duo ſigna vidi ego in nonnullis, quibus cum prædixerim periculum impendens, ſectione venæ, aliisq; remediis opportunis ab imminēti diſcrimine præſeruati ſunt, nonnulli autem alii, qui cum iiſdem hoc ſignificauerim, remedia renuerunt; ſubito de medio ſublati ſunt. Quo ad affectionem, atteſtor & ego vltra Hippocratis, & Galeni teſtimonium, me obſeruaſſe in nonnullis ita ſanguinē in venis & arteriis coaluiſſe, vt inde & ſyncope, & mors ſubſequuta fuerit.

Præcipue autem hoc in puella quartum decimum annum agente perſpexi, quæ cum per diem capitis grauitatem, vertigines, & anxietatem paſſa eſſet, die ſequenti ſubito extincta eſt. Cum dubitaretur, quo morbo perierit, & an vitio cerebri, an huius ſyncopes merito hoc factum fuerit, ſecta fuit poſt mortem, in qua immune cerebrum ab omni affectione præter naturam inuenimus, ſed in arteria magna, & in vena caua ita totum ſanguinem coaleſcere vidimus, vt appræhenſo illius ſanguinis concreti altero principio, totus ſanguis coaleſcens ita integer ex vena, & arteria educebatur, perinde, ac gladius ex vagina extrahi ſolet. quare iudicatum fuit ſubitam hanc mortem à ſola interceptione, & occluſione venarum à ſanguine coaleſcente facta cauſatam fuiſſe.

Alteram vidi iuuenculam, cum per menſtruam fluxionem expurgaretur, mediaque die æſtiuo tempore in balneum aquæ frigidæ ingreſſa, & ibi morata fuiſſet, eadem die poſt cænam hilariter ſumtam ſubitam opetiiſſe mortem. hanc iudicaui ob repreſſam menſtruam purgationem ſanguinem, cuius maxime abundabat, ad vaſa interna recurriſſe, ibique coaleſcentem, ac venas, & arterias vna intercipientem, ſubitam etiam hanc mortem intuliſſe. in hac dubitatum fuit de veneno, tamen mea ſententia cauſa illa fuit procatarctica ſufficiens ad inferendam mortem, cum nouerim ſanguinem in venis coaleſcere poſſe, ad mortem cauſandam hoc ſolum aliquando ſufficere. Noui quidem à venenato pharmaco aliquando coaleſcere ſanguinem in venis, indeque mortem ſubſequi, ſed ab hac ſyncope differt veneni caſus. quoniam ſi tale venenum celeriter hominem de medio rapere debet, ante mortem, qui venenum aſſumpſit, in profundiſſimum incidit ſomnum. quo ingraueſcente nec excitatur patiens, nec releuatur, ſed ad mortem non tamen ſubitam properat. Si autem ad tempus hoc venenum ſuam promere debet violentiam, coaleſcet quidem ſanguis, ſed non affatim, nec tantum, vt omnia vaſa intercipiat, immo potius ea, quadam acrimonia acquiſita, apetit, & hinc è naribus hi emungunt ſæpe ſanguinem adeo concretum, vt digitis ſolum eum appræhenderent, & ad notabilem qualitatem ſimul vnitam extrahunt. talem etiam ſæpe ab inferioribus partibus excernunt. hi tamen liquato hoc ſanguine, à proprioque calore deſtituto vitam, cum morte commutant, exanimanturque à ſolo ſanguinis profluuio, quod vt plurimum è naribus prodire conſueuit. Vnde pateat veneni caſum non eſſe huic ſyncopi conſimilem, licet vtraque mors immineat, impendatq; pateatque in venis coaleſcere ſanguinem poſſe. quod qua ratione fieri poſſit, cum venæ ſanguinis proprium ſint conceptaculum, propriumque eis ſit ipſum fluidum conſeruare, non ita facile eſt explicare. Qui tamen nouerit, qua ratione ſanguis extra venas cōcreſcat, poterit eaſdem cauſas ad ſanguinem intra venas exiſtentem adaptando rē ipſam declarare. Sanguis è vena eiectus hac ratione concreſcit, quoniam quamprimū ex proprio conceptaculo eductus eſt, ſtatim euaneſcunt, & exhalant eius ſpiritus, moxque, & ſimul pars ichoroſa ſeparatur, quo facto reliquum refrigeratum concreſcit, & ita concreſcit, vt non tantum pura & ſyncera ſanguinis pars, ſed etiam cæteri ei admiſti humores, qui ex ſui natura non poſſunt cōcreſcere (hoc enim ſolius ſanguinis eſt proprium) vna cum ſanguine ipſo coaleſcunt. hinc videmus non ſolū vtramque bilem cum ſanguine è vena eiectam concreſcere, ſed etiam pituitam ipſam, quæ adeo in ſanguinis ſuperficie nonnunquam concreſcit, vt vix gladio incidi queat. niſiq; hæc limoſa pars ſanguinis ei admiſceatur, licet concreſcat ſanguis, quomodocunq; è vena eiectus, non tamen ita cito concreſcit, nec ita dure coaleſcit, ſicuti ei contingit, quando copioſe ei admiſti ſunt, & humores Melancholici, & pituitoſi. Sanguis igitur extra venas eductus, ſpiritibus exinanitis, & iiſdem euaporantibus, ac parte ichoroſa ſeparata, ob refrigerationem coaleſcit. coaleſcunt ſiquidem, & quæ ſiccantur, & quæ refrigerantur. hic autem non propter ſiccationem, vt patet cauſas conſideranti, ſed propter refrigerationem concreſcit, & eo velocius, & intenſius concreſcit, quo ei magis admiſti ſunt humores frigidiores, craſſiores, & viſcidiores, ſicuti pituita & melancholicus humor, quorum ratione intemperiem conſecutus frigidiorem, ad concreſcendum faciliorem habilitatem & promtitudinem recipit. Hæ autem eædem cauſæ, cum non tantum in ſanguine extra venas, ſed etiam in venis exiſtente, contingere poſſint, clarum erit, quare ſanguis aliquando in venis coaleſcere queat. Euenit enim quandoq; vt in ſanguine vel non genita, vel excreta ichoroſa parte, vitioſi defluant, & abundent ſucci, qui ſubſtantia craſſiores, & temperie frigidi, ſanguinem craſſiorem, & frigidiorem reddant. qui ſanguis venas internas, & maiores nonnūquam occupans, adeo replet, vt ſpiritus intercipiens, & penetrare non permittens, eos in extinctionem ducat. quibus ſpiritibus extinctis ſanguis refrigeratur, ac concreſcit, & vna cū ipſo vitioſi, qui in ipſo defluunt, & qui eum ad creſcendum habilitant & diſponunt, ſucci, nempe ſi hi non præſto eſſent, incorruptus, & naturaliter fuſus, liquidusque redderetur ſanguis; quoniā nec extinctionis ſpirituū cauſa potēs adeſſet, nec tantæ refrigerationis occaſio, vt ſanguis poſſit coaleſcere. at vbi hi maneant, ſiſtanturq;, cum natiuam caliditatem reſpuant, extinguantq; faciliter ac expedite ſanguis ob introductam refrigerationem concreſcere poteſt. Vnde in affectis hoc pacto corporibus, vt notabat Galenus, ſi ſanguis detrahatur, is frigidus (ꝙ vix vllus credere queat) craſſusq;, & vix effluens cōſpicitur, idq; ꝓpter huiuſmodi refrigerationē. Pateat igitur, qua ratione ſanguis in venis coaleſcere poſſit, cuius ratione ſyncopæ cardiacæ nonnunquam generantur, quæ tanti diſcriminis plenæ

ſunt,

ſunt, vt niſi opportunã ſtatim adhibeantur remedia, ſubita mors ſæpius ſuccedere conſueuerit. quam cum Medicus omni ingenio, & conatu, quantum arte fieri poſſit, inhibere debeat, maxime has ſyncopes & earum cauſas animaduertat. Præſente ſyncopa, reuocationi caloris, regenerationique ſpirituum attendens, & excitationem patientis his remediis, quæ in communi ſunt vſu, & ab omnibus ſcribentibus proponuntur, tentet. Sed præ omnibus cauſæ incumbere debet. quæ quomodo remouenda ſit, affectio ipſa indicat, & expreſſe docet Hippocrates & Galenus. Sanguis hic copia ſuperfluit, ſucciſque frigidis & craſſioribus abundat: quorum ratione ſi coaleſcat ſanguis, mors ſubſequitur; ideo antequam (vt ait Hippocr.) fixa ſint omnia, quæ contriſtant (ſcilicet tum ſpiritus, tum fluxiones) ſanguis minuendus, & expurgandus eſt. Minuatur autem per ſectionem venę internę brachii dextri. qui ſi effluat, copioſe educatur. ſi autem non ita facile effluat, inceperitque coaleſcere, in talibus, prius adhibitis fomentis ex laxantibus, fricari oportet cunctas corporis partes eodem tempore à multis hominibus, poſtea venam ſecare, & ſi ſanguis mediocriter fluxerit, rurſus fricare, & denuo ſanguinem auferre, & ita repetere, quoad debita ſanguinis quantitas extracta fuerit. hoc facto refici hominem, & reſtaurari conuenit, ſimulque de purgatione cogitandum eſt. ad quam intentionem aſſumantur ea, quę peccantes & ſuperabundantes humores prius cõcoquere, poſtea expurgare poſſint, ſemper admiſcendo quædã, quæ facultatem vitalem reſpiciant, & roborare queant. Qualia autem debeant eſſe iſta, non referam; quoniam peccans humor hęc indicare poteſt, plurimaq; horum eſt ſylua ab authoribus conſcripta. Hoc vnũ animaduertam, videlicet, quod cum in caſu iſto periculum ſit, ne concreſcat ſanguis, coaleſcatque in venis, veniant in vſum ea medicamẽta, quæ grumos diſſoluere poſſunt. quare ſecta vena, ſtatim exhibeatur aliquod coaguli genus, inter quæ præferatur leporinũ. ad idẽ faciet amaranti coma in mulſo epota, oxymel etiã ipſum proderit, & cętera attenuantia, & incidentia medicamenta, & quæ valde lotium prouocare poſſunt. Victus ſit attenuans. Vinum interdicatur, cæteraq; omnia, quæ ſanguinẽ augere poſſunt; niſi vires intercidant, parcus ſit cibus. quodſi hæ labant, alimentum ſit copioſius, vinumq; pauciferum & lymphatum exhibeatur. *Pet. Salius De Curat. Morb. ab Ordinarÿs practicis non exhibitorum, pag. 237. Cap. 4. De Affect. Particular.*

DE ARTERIIS.

OBSTRVCTIO.

OBSERVATIO.

De Obſtructionibus arteriarum leuium pulmonis.

QVEMADMODVM nerui, qui omnes à cerebro originem ducunt, aliquando male afficiuntur hincq; cum deterius habent, vt in conuulſiuo motu fieri dixi, cerebrum ipſum in conſenſum ducunt; pariter arteriæ, quæ à corde propagantur aliquo affectu præter naturam nonnunquam deprehenduntur, & per eundem propriam noxam cordi communicant. Ex quibus arteriis præcipue eas, quæ leues in pulmone exiſtunt, male affici animaduerti, dum obſtructione laborant, qui caſus maxime à medico conſiderandus eſt; quoniam per tales obſtructiones ſæpius homines in periculum vitæ manifeſtiſſimum ac in mortem ipſam deducuntur; cum tamen hoc abſq; inſigni noxa, quæ ab ipſo ægrotante ab initio percipiatur, fieri cõſueuerit, in talibus enim obſtructionibus nec patientes reſpirandi difficultatem, nec grauitatem, nec dolorem, nec aliud moleſtum ſymptoma incurrunt, & tamen, cum hæ acutæ fuerint, ac perſeuerauerint, niſi tollantur, tandem eoſdem perdunt. Obſtruuntur arteriæ iſtæ leues à duplici cauſa, nam, vel ex ſuccis frigidis, vel ex crudo tuberculo, in eiſdem genito, obſtructione laborant, vbi enim humores craſſi, & viſcoſi in ipſis arteriis infarcti fuerint: vel vbi phyma aliquod, ſeu tuberculũ crudum in eiſdem genitũ erit, arteriæ obſtruuntur. Quibus obſtructis, cordi tandem parua affectio cõmunicatur, hincq; patientes vel ſunt proni in ſyncopem, vel etiam in ſuffocationem. quoniã obſtructis iis arteriis, non ita facile recremẽta fuliginoſa expelli poſſunt, quibus retentis ſemper cor neceſſario patitur. Dum tamen iſtæ arteriæ leues in totum nõ ſunt obſtructæ, fit pugna, naturaque præpotenter reſiſtit morbificis cauſis, indeque per vim propriam, & innatam quærit difflationẽ, & tranſitum earũ viarum, vt inde fuliginoſa excrementa retrudat. quod vbi ſufficienter aſſequuta fuerit, nullũ adhuc nec ſyncopis, nec ſuffocationis periculũ inſtat. Vbi a. hoc nequaquam conſequatur vel facta omnimoda obſtructione, vel prope ad eam accedente retentis fuliginoſis excrementis, in periculum ſyncopis primo, poſt modum & ſuffocationis etiam ducitur homo. Deprehenduntur obſtructiones iſtæ à ſolo pulſu, nec vllũ aliud inditium habẽt. in his n. nec tenſio, nec grauitas, nec dolor, nec reſpirandi difficultas, nec quid aliud moleſtũ percipitur; quoniam affectio à materia pendet frigida, & in loco eſt nullã ſenſationem habente, pulſus autem immutatur ab hac neceſſario, quoniam organis, & inſtrumentis læſis, non poteſt non immutari pulſus, qui ex hac læſione omnem acquirit inæqualitatem, & non tantum illam, q̃ in vnica pulſatione reperiatur, ſed eam etiã, quam ſyſtimaticem ſeu collectiuã appellant. vnde in huiuſcemodi obſtructionib. magnæ & paruæ, celeres & tardæ, raræ & frequentes, validæ & imbecilles adſunt pulſationes: inter quas aliquæ decurtantur, aliquę nonnunquam intermittunt, aliquæ intercidunt: in eadẽ autẽ pulſatione ſæpe eſt inæqualitas, quo ad plures eius differentias. Vbi autem talis inæqualitas contigerit, & ex his pulſationib. plures erunt magnæ, vehementes, celeres, intercidentes, & æquales, minorẽ læſionem indicant, & minus periculum minantur: vbi autem plures erant languidæ, paruæ, decurtatæ, intermittentes, & crebriores, offenſam ingentem atteſtantur, & periculum præceps prænunciant. in aliquibus tamen patientibus, cum grauis non eſt affectio, ſolent etiam adeſſe pulſationes plures æquales, quas interpellant nonnullæ vel periodice, vel nulla ſeruata periodo decurtatę, aut intermittentes, quod in principio harum obſtructionum præcipue contingere ſolet. qua de re pulſuũ hæc æqualitas à pulſu vel intermittente, vel decurtato interpellata habeatur pro indicio incipientium, ac futurarum huiuſce-

modi obſtructionum. An autem hæ fiant, cum à duplici cauſa gignantur, vel à craſſis, & viſcidis humoribus, vel à tuberculo crudiori, hinc cognoſcatur. Vbi craſſi, & viſcidi humores fuerint obſtructionum cauſæ, tunc pulſus (quoniam in vtriſq; caſibus ſemper adeſt aliqua durities) erunt duri per tenſionem: vbi autem tuberculum ſit id, ꝙ obſtruat, erunt duri per tenſionẽ, & ſiccitatem: prętereà in obſtructione ab humorib. pulſus erunt magis inter ſe diuerſi, nec ſemper eodem modo ꝓcedent, ſed variabunt, prout humor obſtruens vel in hanc vel in illã partem magis impinget. At à tuberculo inæqualitas erit magis vniformis, cum à cauſa magis conſtanti, & fixa cauſetur. prætereà in humorum obſtructione æquales pulſus plures ſimul ac collectiue adeſſe poſſunt: at in tuberculo plures ſunt inęquales. vnde vbi aliquę intermittẽtes, aut decurtatæ pulſationes plures æquales interpellauerint, cenſeatur hanc obſtructionem ab humorib. factam eſſe. à tuberculo n. non poſſunt plures ad inuicem ſubſequentes æquales, ac ordinatæ fieri pulſationes, quoniam cauſa lędens ipſa organa immediate eadẽ lædit, ac in eis fixà eodem pacto ſemper permanet: quapropter hinc æqualitas naturalis pendere nõ poteſt, licet nõ naturalis ſeu præter naturam (i. e. quæ plures inæquales pariter habeat) hanc concomitari conſueuerit. In hac autẽ pulſuum inæqualitate hoc ſolet eſſe vtriſq; obſtructionibus cõmune, quæ ſi intermittentes pulſus cęteris pulſuũ differentiis admiſceantur, quando intermittit pulſus, percipiunt patientes motum quendam, tanquã ictum in regione cordis, perinde ac ſi quis ipſi cordi tunc manu obuiet, ac motũ impediat. ꝙ non cauſatur, niſi ab obſtructione tũc valenter irruente, ac cor cõprimente, indeq; pulſus motum impediẽte. quod idem fere cõtigit à pulſu decurtato. Sed cum decurtatum minor noxa inferat, quam intermittentem, minorem etiam percipiunt patientes motum, & iſtum ictum à decurtato pulſu, & minus ab eo læduntur, quam ab intermittente. Cum percipiunt ictum iſtum ægrotantes, ſi ab humoribus craſſis obſtruentibus hoc factum ſit, ſtatim reuocantur patientes. in iiſdemq; per quædam interualla, exiſtente agitata diuerſimode à naturali facultate materia, aliquandoq; verſus cor infarta, ac detruſa, & aliquando ab eodem tranſmiſſa, renouantur tales pulſationes. at vbi à tuberculo obſtruente fiat talis ictus, vereque intermiſerit pulſus, non ita reuocantur patientes, hocque erit indicium tuberculum augeri, properatequè ad omnimodam obſtructionem, niſi hoc à cauſa procatarctica ſicuti à copioſo vini vinoſi potu, ab ira, à vehementi motu, à deſtillatione ſuperueniente, & ſimilibus rebus exacerbatum, & concitatum fuerit. vbi enim hæc non profuerint, intermiſſio pulſus manifeſtiſſimum vitæ diſcrimen prognoſticatur: qui ſi ſupra vnam pulſationem intermittat, mortem inſtare prænunciat. Vtriſque his obſtructionibus, videlicet, & ei, quæ à craſſis humoribus, & ei, quæ à tuberculo cauſatur, hoc etiam cõmune eſt, quod vbi occupauerit arterias leues, ſi perſeuerauerint, augentur: vbi autem auctæ fuerint, etiã aſperis arteriis communicentur, & tunc, quæ prius non aderat, reſpirandi ſuperuenit difficultas, quæ ſemper pro ratione adauctæ obſtructionis increſcit; hac tamen differentia accedente, ꝙ in obturatione à craſſis ſuccis, difficultas reſpirandi non eſt ſemper vniformis, nec ſemper vniformiter adaugetur; quoniam aliquando intenſior, aliquando remiſſior eſſe poteſt, pro ratione materiæ, & loci obſtructi. at in obturatione à tuberculo ſemper eſt vniformis, & vniformiter, niſi à cauſa externa concitetur, vel magis anguſtetur, ſicuti à motu, à deſtillatione ſuperueniente, ab immoderata ira, à copioſo vini potu, à nimia ciborum ingurgitatione, & ſimilibus cauſis, adaugetur; quoniam cauſa hæc de ſe eſt ſtabilis, ac fixa, & vniformis exiſtit. Vbi autem hæ obſtructiones arteriis aſperis communicatæ fuerint, indeque acceſſerit reſpirandi difficultas, cum diutius hæ perſeuerauerint, calor innatus, quoniam hic vna cum corde ſufficienter non euentatur, langueſcit, ac imminuitur: cuius ratione in nonnullis ſæpe ſuccedere ſolet, hoc macreſcente, refrigeratio cæterorum membrorum, & præcipue ipſius hepatis, cuius merito his obſtructionibus cum diutius perſeuerauerint, hoc reddito imbecillo, ac debiliori, ſolet ſuccedere aliqua hydropis ſpecies. Vnde tales ægrotantes vel in anaſarcam, vel in aſcitem deducuntur, perindeq; ac ex difficili reſpiratione ex his morbis periclitãtur. Quibus etiã ſuccedere ſolet, communicata ingenter ipſi cordi affectione, ipſius cordis palpitatio, q̃ patientes angit, & eoſdem, cum deterius habent, in lypothymiam, ac ſyncopem deducunt. Quapropter maxime animaduertat Medicus haſce arteriarũ obſtructiones, tum ratione periculi; tum ratione difficultatis rei, cuius merito forſitan hæc tractatio ab ordinariis practicis neglecta fuit, quam tñ aduertere, & docere tenebantur; tum quia de his meminit *Gale. li. 4. de locis affectis ca. vltimo* in hiſtoria Antipatri, tum quia caſus iſte quandoq; accidat, ægrotanteſque, ac Medicos ſępe eludat, qui periculum non perpendunt, niſi cum ſymptomata, & morbi prædicti ſæuierint. Pro huius autẽ cognitione pro nunc ſufficiant ea, quæ à me ꝓpoſita ſunt, tum vt morbi eſſentia, tum vt eiuſdem cauſæ, differentiæ, ac ſigna omnibus pateant. His habitis, curationem aggredior. Præſentibus obſtructionib. in leuibus pulmonum arteriis, quid indicatur? duo indicantur; alterum, quod commune eſt vtriuſq; cauſis; alterum, quod ſingulis proprium eſt. Commune eſt, vt redundantia humoris affectionem generantis expendatur, & conſumatur. proprium autem eſt, vt affectio à craſſis, & viſcidis pendens humoribus, tollatur, per attenuantia, & extergentia medicamenta. quæ autem à crudo tuberculo genita eſt, per attenuantia, & reſiccantia curetur. An autem Medici his indicationib. plene ſatisfacere poſſint, iudicet ex propriis harum obſtructionum ſignis, & cauſis, ac ex his ſymptomatibus, vel morbis quæ his ſuccedent. Nouerint enim difficilimum eſſe obſtructiones à tuberculis genitas remouere; tum quia in his cruda admodũ, & digeſtioni rebellis adeſt materia; tum quia affectio eſt in loco, cui valida, & potentia remedia applicari nõ poſſunt. & hoc maxime, vbi progreſſa, & antiquata fuerint hęc tubercula: ſi autẽ à viro, qui in arte medica multũ polleat incipientia cognoſcantur, tectaq; curatione curentur, non ita difficile erit à principio ea ſoluere, quare eorũ ſolutionem tunc temporis ſperare poterit. hæc autem omnia de tuberculis intelligantur, quatenus cruda ſunt: quoniã ſi hæc aliquando ad ſuppurationem deueniẽt, vnde poſtea diſrumpantur, lethalem inferunt caſum: nam materia ſuppurata effunditur

ſupra

ſupra cor, & inde ſubito mortis periculum inſtat, vt ſæpius experientia teſtata eſt. Quæ autem à craſſis & viſcidis ſuccis ortæ ſunt obſtructiones, non ita difficile eſt remouere, quoniam ſimiles materiæ facilius medicamentis cedunt, quam tubercula illa cruda.& iſtę obſtructiones,ſiue incipientes,ſiue antiquatæ fuerint, poterunt ſolui facilius. hæcq; cum minori periculo ſemper,quam tubercula,antiquantur,& perſeuerant.Quoniam tamen ab his,vbi antiquatæ fuerint,cõmunicantur aliquando hæ obſtructiones arteriis aſperis, indeq; ſuccedit reſpirationis difficultas,ſi adhæc ſucceſſerit refrigeratio illa caloris innati,vnde vel hydrops ſit præſens, vel immineat,fere impoſſibilis erit earum curatio; ſicuti & illarum,quæ à progreſſo & antiquato tuberculo erunt cauſatæ,nullo pacto poſſibilis eſt ſolutio. in quibus omnibus ſemper conſiderentur ægrotantis pulſus: qui,vbi erunt valde inæquales,& plurimi ex his ſint imbecilles,praui,decurtati,vel intermittẽtes,maiorem noxã,ac periculũ ingens prognoſticantur:ſi autem plurimi ſint æquales,vehementes, magni & ordinem ſeruẽt,minus malum,ac minorẽ curandi difficultatem prænunciabũt. In eiſdẽ etiam conſideretur cordis ſtatus;ſi enim ratione conſenſus& cõmunicantiæ palpitationem incurrat, in hypothymiamque pronum ſit,res in deteriori eſt conditione, quã vbi ex eiſdem obſtructionibus nihil tale paſſum fuerit.His autem conſideratis, adeat Medicus curationem,cuius,quoniam ratione cauſarum bipartita eſt, ideo nõ vnicus,ſed duplex erit curandi modus. Vbi enim obſtructio pendeat à craſſis, & viſcidis humoribus attenuantia, & abſtergẽtia pharmaca adhibeat.& quoniam in his adminiſtrandis omnia ea, quæ ab aſthmate valida ſunt, cõueniunt: ideo ꝑ hac tollenda traducatur in hũc caſum tota, ac integra aſthmatis curatio,tũ quo ad vniuerſalia,tũ quo ad particularia peragenda. Vnum tamen moneo, quoniam locus affectus eſt in penetralibus magis internis,quã ſit in aſthmate, quod in hunc vſum vehementiora, & potentiora medicamenta, & quæ validius attenuare cum abſterſione poſſunt,aſſumuntur,quæ ad maiorem penetrationem vel liquida, vel cum liquoribus diluta præparentur. Vnde in tali caſu iubeo,ego vt multa medicamenta in aſthmate opportuna ſublimentur,vt hinc tenuiora reddita, facilius penetrare vſque ad locum affectum queant.Ex quibus præcipue elenii aquam modo ſimplicem, modo aliis validioribus admixtam, & per ſublimationem in duplici vaſe factam poſtea adminiſtro, eiuſque vſum plurimum,ac feliciſſimum habeo. Et præ cæteris, quoniam ſulphur eſt vnum ex his, quæ valde potentia ſunt in diſcutiendis, & conſumendis humoribus craſſioribus, eius aquam in difficilioribus,ac magis rebellibus obſtructionibus accipio, & commiſceo iuleb formatum ex melle ad eam quantitatem, vt facile à patiente aſſumi poſſit; hoc medicamentum exhibeo ad cochlearia duo,vel circa, ante cibum per duas horas, & potens hinc remedium habeo ad attenuandos, & diſperdendos tales humores obſtruentes. Ad idem electuaria, cuius baſis ſit chalybs præparatus, admixtis medicamentis incidentibus,& opportunis,quale eſt gentiana,elenium,ariſtolochia,thymus,pulegium,iua,origanum, & ſimilia, cum maxima vtilitate exhibeo. & vbi hæc non ſufficiunt, aſcendo ad medicamentum ex ſcylla, vel ſimplex, vel admixtum cæteris prædictis medicamentis. hæc & ſimilia formanda ſunt remedia: quibus adminiſtratis per interualla quædam, ac interpoſitis nonnullis paucis diebus, ſicuti vel vnoquoque die exhibeantur pharmaca ſoluentia, quæ apta ſint humores craſſiores educere, & à longinquis partibus euacuare; quæ potius in forma ſolida, quam liquida formata ſint, qualia ſunt pilulæ cochiæ, aggregatiuæ, de nitro, & omnes illæ,quę gummata recipiunt,quibus admiſceri poſſunt quandoque cortices radicum ellebori nigri,turbith, & ſimilia, quæ quantum poſſint in huiuſmodi affectibus,mirum eſt; quoniam tamen ſæpius hæc eadem pharmaca repetenda ſunt, non in ſumma doſi accipiantur. per exterius autem adminiſtrentur eæ inunctiones,quę cutem exaſperando, & lancinando ex alto materiam euocare poſſint; ſicuti quæ recipiunt nitrum,ſalem, pumicem,fœcem vini coctam, æruginis, & quæ huius ſunt ordinis. Quo ad victum, ſit valde attenuans, & in eo quæcunque repletio fugiatur; & omnia ea, quæ craſſos humores generare, & adaugere apta ſunt, vitentur. Vinum ſit antiquum,tenue, & nequaquam adſtringens,ſed maturum valde exiſtat; potusque nec parcus,nec immoderatus ſiat,ne illinc materia incraſſetur,ac ſiccetur; hinc autem nimium grauantur naturales facultates,quæ à nimia vini potentis quantitate ſæpius obſtruuntur, & languent. & hinc omnẽ (vt ſumma dicam) victus rationem, ac medicamenta quoque haud aliter, quam aſthmaticis iubeat Medicus, quia Galenus in Antipatro talem obſtructionem,patiente adhiberi iuſſit, licet aliter ſenſerit Aetius qui iudicauit in Antipatro obſtructionem non à craſſis humoribus, ſed à crudo tuberculo factam fuiſſe; cum tamen verba Galeni dicentis (At ego probabilia inquam, ipſum dicere,ſed à veritate aberrare, quippe cum huiuſmodi cauſa orthopnœa fiat,humore craſſo, & lento,non in leuibus arteriis, ſed aſpera arteria collecto) oppoſitum perinde, ac etiam eius curationis modus ab eodem propoſitus, euincant non enim coincidit curatio aſthmatis à craſſis ſuccis cum ea,quę debetur tuberculo obſtruente, vt docet *Galenus lib.7.de com.med.ſecundum loca cap.de orthopnœa.* & hæc de obſtructione arteriarum leuium intra pulmones exiſtentium à viſcidis, & lentis humoribus genitarum. Vbi autem hæ obſtruuntur à crudo tuberculo, per attenuantia, & reſiccantia,per quę idem tuberculum conſumi,& diſperdi queat,eſt procedendum.his tamen(quoniam vniuerſalia particularibus præcedere debent) præmittenda erit tum corporis vniuerſi purgatio, tum venæ ſectio,ſi in corpore pletorico, & quod humore copioſo abundet, ſit factũ hoc tuberculũ. quibus præmiſſis,eaq; ratione,quam in altera obſtructione adminiſtrandam eſſe monuimus, adhibitis, accedat Medicus ad vſum eorum medicamentorum, quæ attenuantia,& ſiccantia exiſtant. talia erunt aromata.quale eſt cinamomũ,piper, macis, ireos,nux moſcata,cardamomum,galanga, zingiber, cubebe,zedoaria,coſtus,& ſimilia; ex his pulueres, & electuaria Medicus formare poterit, q̃ in continuo ſint vſu. & quoniam ex his formata ſunt plura ſpecierum genera, ideo varia in hoc caſu vtilia poterunt eſſe, ſicuti ſpecies aromatici roſ. diagalangæ, diamoſchi amari, diacimini, diacalamenti, & conſimiles. his

autem omnibus Theriaca antiqua, & Mithridatum potentiora erunt. Vltra hęc iuueni proficuum vſum pulueris ex oſſibus formati, admixto cornu ceruino, & quibuſdam ex aromatibus prædictis. Valdeque potens etiam in hoc reperi vitrum combuſtum. quibus omnibus etiam ſulphur viuum, tanquam medicamentum valde potens in abſumendo, & dirigendo, commiſceatur: his tamen ſemper admiſcenda ſunt aliqua, quæ manu ducant medicamenta prædicta, ad locum affectum, ac ad thoracem ipſum, hæc autem continue adminiſtrentur, per interualla tamen, vt ſuperius notaui, exhibeantur medicamenta ſoluentia, quæ ſaltem materiam fluentem retrahere poterunt. Quoniam autem ſæpe prædicta non ſufficiunt ad tollendum vel ſaltem minuendum tuberculum, ego aliquando ad decoctum ſalſæ parilliæ tanquam ad medicamentum valde in diſcutiendo potens, deueni, & eo morbum leniui, quod idem tamen in antiquato exhibui, & nihil profeci. Inunctiones ſimiles prædictis etiam in hunc vſum aſſumantur. Victuſque ſimiliter attenuans præſcribatur, ſed parcus magis ſit, quam in obſtructione, à craſſis, & viſcidis humoribus genita. Parcior autem multo ſit potus; parum enim bibere debent omnes hi, in quibus abſceſſus internus reperiatur. & in his vinum exhibendum ſit tenue, & antiquum, & potius generoſum, quam aquoſum. Fiant communiter in ambobus hiſce caſibus omnia genera reuulſionum, & deriuationum, ad detrahendam materiam à loco affecto. degant in aere tenuiori, ſicciori, & validiori, exerceantur moderate. ſomnus longior, & diuturnus vitetur, & omnia ea, quæ deſtillationes vel inducere, vel augere poſſet, ac ea, quæ thoracem lædere apta ſunt, fugiantur. *Salius de affect, particular. cap.* 21.

TVBERCVLA, CALLI, CALCVLVS SIVE *Tartarus, atq; durities arteriarum.*

OBSERVATIO.

Crudi tuberculi, iuxta leues pulmonum arterias nati, & in abſceſſum verſi, cum pulſus inæqualitate, hiſtoria.

QVæ Antipatro Medico acciderunt, nemo eſt, qui neſciat, vtpote qui medicam artem publice apud Romanos profeſſus eſt. Agebat hic ætatem ſexaginta quidem annis minorem, ſed quinquaginta iam annos exceſſerat. Is correptus aliquando febre quadam ephemera, idque ab euidenti cauſa, declinãte iam febre, vt quid ſibi facto opus eſſet, intelligeret, pulſum ipſe ſuum tangere aggreſſus eſt. Quum igitur omne inæqualitatis genus in arteriarum motione inueniret, inprimis quidem territus eſt: deinde vero quum ſeſe non febrire plane ſentiret, illico balneum ſubiit, quippe laboribus & vigiliis corpus fatigauerat. Atque tenui quoque victu, donec diem tertiam præteriiſſet, vſus eſt: qua cum nulla appareret febris, ad ſolita negotia pertractanda prodiit: atque arteriam in extrema brachii ſui parte tangens, admiratus eſt perſeuerantem in pulſibus inæqualitatem. Occurrens itaque mihi, extendit manum, ridens, iuſſitque pulſum tangere. At ego ſubridens, quid inquam portendit hoc quod proponis ænigma? Ille iterum ridens obnixe orauit, vt tangerem. Igitur inter tangendum omnigenam in pulſu inueni inæqualitatem, non ſolum in multarum pulſationum cumulo, quam ſyſtematicen, id eſt, congregaticam, vocant, verum etiam in vna arteriæ diſtinctione: proinde miratus quomodo adhuc viueret, quum talem haberet pulſum, interrogaui num difficilis illi eſſet reſpiratio, illo vero nullã ſe ſentire reſpondente, obſeruaui equidem an aliquando mutaretur, quippe ſex menſium ſpacio aſſidue arteriam tangebam. Quumque ab initio interrogaret, quænam corporis diſpoſitio mihi videretur poſſe huiuſmodi pulſum efficere, atque per quem modum, idque citra febrim, ad eam quæſtionem reſpondi, in commentariis de pulſibus iam declaraſſe me huiuſmodi inæqualitatem. Namque ob magnarum in pulmone arteriarum anguſtiam id euenire putaui: anguſtiæ vero cauſam eſſe dixi, viſceris inflammationem. At tibi hanc ob cauſam id nũc accidiſſe impoſſibile eſt, quippe febre fuiſſes affectus: relinquitur igitur vel obſtructionem ex liquidis, & craſſis, & viſcoſis humoribus, vel crudi cuiuſpiam tuberculi ortum, in huiuſmodi te diſpoſitionẽ induxiſſe. Tum ille reſpondens, oportuiſſet (inquit) me ſuſpirioſa orthopnœa laborare. At ego probabilia (inquam) ipſum dicere, ſed à veritate aberrare: quippe fieri nonnunquam huiuſmodi orthopnœam ob eam quam diximus cauſam, id vero quum in aſperis non leuibus arteriis craſſus & lentus humor cumulatur. Proinde omnem ei victus rationem atque medicamenta quoque haud aliter quam aſthmaticis adhibere iuſſimus, deinde ſex vt dixi menſibus elapſis, leui quadam ſpirandi difficultate affectus eſt: accedente ſimul cordis palpitatione, inprimis quidem ſemel, deinde bis, atque ter, poſtea quater. ac ſæpius quoque, aucta ſimul ſpirandi difficultate ad quindecimum vſque diem, poſt quem difficilima derepente oborta ſpiratione, reſolutus ſtatim obiit, aliorum quorundam exemplo, qui cordis affectibus laborant. *Gal. n. de affect. locor. notitiis lib. 4. cap. 9.*

Obſeruaui idem cuidam accidiſſe anno 1549. quod Antipatro Medico. Huic enim mortuo, inuentus abſceſſus in vena arterioſa. Sectioni mecum interfuit Nicolaus Lambert. Chirurgus. *Scholiographi Hollerii ad cap. 30. de morb. intern. lib. 1.*

OBSERVATIO.

Arteria aorta totoſſea.

VIri fide digni mihi Bononiæ retulere, ſeſe Patauii in corpore à Fallopio diſſecto, vidiſſe arteriam aortam ſiue magnam, totam oſſeam. *Coiter in libello Obſeruat. Anat. & Chirurg.* Idem *in Lectionibus Fallopii de partibus ſimilaribus cap.* 7.

OBSERVATIO.

Callus in arteria magna obortus, cordis diuturnam palpitationem, & tandem etiam aſphyxiam, cum aliis in pectore raris pariens, viſus.

CAllum cuidam in arteria magna, loco cordi proximo natum obſeruauimus: multis hic annis cordis palpitationi obnoxius crebro fuerat: ſex vero ante mortem menſibus, in ſiniſtro carpo pulſum tam exiguum habuit, vt nullus frequenter apparuerit, ac ſæpe ſentiri non potuerit. Fuit quoque palpitante corde, difficile admodum huic potum

admittere, ſicut vix vnciam ſimul bibere potuerit; in pectoris huius ſpacio, ſublutei coloris humor col-lectus quoque fuerat. *Dodonæus Annotat. ad cap. 35. Beniuenii de abditis.*

Observatio.

De magna arteria quatuor digitos dura infra & ſupra renes.

Epiſcopus de Wettanon potuit recte ſtare, ſed ſemper coactus erat per aliquot annos incumbere alicui pulpito. Poſt mortem diſſecto corpore arteria magna infra & ſupra renes quatuor digitos dura erat, & vitri in modum frangibilis: omentum præberet adnatum erat ventri vmbilico excepto. *R. Solenander conſ. med. ſect. v. conſ. 16.*

Observatio.

Calculi ad baſin arteriæ magnæ nati. Ex retorrida bile in arterias effuſa, & in tophi nigri ſpeciem concreta, duo ex vehementi pilæ luſu, repentina morte ſublati.

Retorridam bilem, in duobus, qui à valida pilæ exercitatione, repentina morte ſublati ſunt, in arterias effuſam, illic deprehendimus in tophi nigri ſpeciem concreuiſſe. *Fernelius libr. 5. cap. 12. Patholog. 17.*

Semel cuidam ſeni à nobis diſſecto, præſentibus ſtudioſis, plurimi lapilli viſi ſunt accreuiſſe, circa baſim arteriæ magnæ. *Gemma c. 6. lib. 1. Coſmocrit.*

VVLNERA.

Observatio.

Arterias vulneratas, nonnunquam coaleſcere.

Vidimus in mulieribus & pueris tum conglutinatas arterias, tum carne vndiq; circumdatas, idque in fronte, malleolo & articulo brachii, ſummæq; manus medio. ſimile quiddam & aliquando agreſti contigit iuueni, dum ſanguinem ſibi mittendum veris tempore curaret, quod noſtratibus maxime eſt in vſu. Cum enim Medicus qui venam inciſurus erat, brachium hominis deligaſſet, cōtigit attolli velut in gibbum arteriam: itaque hanc pro vena medicus diuiſit. Exigua ſane inciſio erat, ſanguis autem flauus & tenuis & feruidus ſtatim eiaculabatur, idque cum quodam veluti ſaltu. Ac medicus quidem, vt erat admodum iuuenis, & operum artis parum peritus, venam ſe inciſiſſe putabat. Ego vero cum quodam alio ex iis qui aderant Medicis, vtique ſeniore, vbi quod acciderat aduerti, præparato ex emplaſtrorum genere quod ſanguinem ſupprimit medicamento, tum inciſionem curioſe coniunxi, tum ſuper medicamento illo impoſui, ac ſpongiam molliſſimam extrinſecus ſuper hoc deligaui. Mirante vero qui arteriam inciderat, inſolitam noſtram in hoc caſu prouidētiam, indicauimus homini rem factam. Sed poſteaquam inciſi hominis diuerſorium exiiſſemus, iuſſimusq; ne vel ſolueret nobis abſentibus vel ante quartum diem id aggrederetur: ſed ita vt erat, deligatum haberet, ſpongiam duntaxat deſuper madefaciens. Poſtea vero quum in quarto ſoluentes, plane conglutinatam inciſuram inuenimus, ruſus idem medicamen imponere iuſſimus, tū ſimili modo deligare, nec multis poſtea diebus ſoluere. Atq; ita percurata eſt huius hominis inciſa arteria, ſola omnium quas in cubito inciſas vidi. Nam reliquis omnibus aneuryſma, aliis maius, aliis minus ſuperuenit. *Gal. lib. 5. c. 7. Meth. Med.*

Observatio.

Inciſa arteria, fere mortuus quidem.

Orta, vt aſſolet, inter commenſales lite, cum quidam è conuiuis arreptum calicem in Alfonſi Hiſpani, familiaris noſtri, faciem proieciſſet, & inciſa arteria, ac cute dilacerata, ſanguis copioſior erūperet, multa quidem, ac fruſtra, adhibita ſunt medicamenta, cum ea ſit arteriæ ipſius conditio, vt inciſa coire aut ſaneſcere, citra vſtionem, non poſſit. Quare, cum ſanguis ipſe eo ſemper vehementius flueret, quo plura experirentur auxilia, & homo iam venis exhauſtis, prorſus deficeret, ad me tandem mittunt, rogantes vt fieri poſſit, amicum à morte præripiam. Venio igitur ad eum, vulnus inſpicio, virtutem probo, nullum ſupereſſe præſidium iudico, præter vſtionem ſolam. Quare, ea qua potui diligētia, inciſam arteriam candenti ferro inuro, & ſtatim ſuppreſſus eſt ſanguis, quo inhibito, reliquum curæ facilem ſatis & expeditum habuit ad ſanitatem regreſſum. *Beniuenius ca. 49. de abditis.*

DE PVLSV.

PVLSVVM VARIÆ ET RARÆ CONſtitutiones.

ET PRIMVM.

DE NATVRALI.

Observatio.

Cordis motus & quies, per diaſtolen & ſyſtolen, in viuo animali demonſtratio.

Ad cordis motum recte cernendum, ampliſſima ſunt animalia viuida, vt ſunt fere omnia amphiuia, feles, lacertæ, ſerpentes, & inter piſces anguillæ, lucius piſcis, & id genus alia. Equidem felis iuuenis viuentis pectus alterum aperui, & mediam vtroque perſciſſo, integram amiſit vocem. Pericardio ſecto, duplicem, atque contrariam in corde vidi motum, cordis nimirum ad eius auriculam. Dum enim cor pulſatione efferebatur, auriculæ ſubſidebant; ruſus ſubſidente corde, attollebantur, atque implebantur auriculæ, ita vt auricularum diaſtole, cordis ſyſtoli, auricularum ſyſtole, cordis diaſtoli, reſponderit. Auriculæ ſeſe hoc modo componebant ad diaſtolen, inſtar veſicæ viſæ ſunt inflari, & cum extenſæ erant, rubrum acquirebant colorem, & aliquantiſper morabantur antequam ad ſyſtolen contendebant, ſic ruſus per ſyſtolen ad diaſtolen properantes, etiam leuem moram trahunt. Vt auriculæ in diaſtole ob ſanguinis ſpirituſque repletionem rubeſcunt atque extenduntur, ſic in ſyſtole candeſcunt, flaccidæ rugoſæque factæ conſidunt, atque vi cordis in cordis baſim nonnihil rapiuntur. Cordis vero diaſtole hoc fit modo, baſis corrugata conſtringitur, deorſumque verſus conum rapitur, ac quod de latitudine amittit, in rotūditate recuperat: latera cordis vndequaque diſten-

duntur

duntur,conus ſurſum verſus baſim trahitur, leuiter ferit è regione pectus. In hac actione, nulla non pars vel fibra laborare & corrugari videtur, rapta baſi deorſum, tendente mucrone ſurſum ad cordis centrum, ventriculi expanduntur redditurque cor breuius & rotundius. abſoluta diaſtole, parum remoratur,priuſquam ad ſyſtolem ſeſe componit, facitque hoc tempus, quod Galenus vocat medium tempus inter diaſtolen & ſyſtolen, ſiue quietem vocat,& piç memoriæ primus p̄ceptor meus Regnerus Prædinius,qui fuit vir ſumma integritate, innocentia, ac eximia eruditione eloquentiaq;, διαλείμμα, tanquã intermiſſionem diceres,appellabat. Poſt hãc vix comprehenſibilem quietẽ rurſus ſubſidit, & tenuius,latius, lõgius, flaccidius ac pallidius redditur, facitq;ſyſtolen. Hæ cordis cordis compoſitiones in diaſtole & ſyſtole me haud dubie traherent in ſententiã Realdi Columbi,qui putat, in noſtra diaſtole ſanguinis ſpirituumq; fieri expulſionem, in ſyſtole horũ exceptionẽ & minime attractionem(ſponte enim vult flacceſcente corde, ſanguinem & ſpiritum in ventriculos cordis illabi(niſi auricularum motus, cordis motibus cõtrarius eſſet. Arteriæ videntur eodem tempore,quo cor, diaſtolen ac ſyſtolen facere, deinde ſimili modo cum corde in diaſtole contrahi & in contractione breuiari, dilatari ac ſubſalire. His ita animaduerſis, totum cor excidi, & cum diu eius pulſationem,maxima cum admiratione, cõtemplatus eſſem,lõga facta inciſione, ventriculum ſiniſtrũ, vt cognoſcerem num etiam vulnerato hoc ſinu, vel ventriculo,cordis ceſſaret pulſatio,aperui,at nõ ſtatim,ſed paulo poſt,dextro adhuc perſeuerante,pulſare deſiit:ſic & dexter perſciſſus.aperto vtroq; ventriculo, cordis mediaſtinum & latera palpitando perſeuerauere, præſertim ſeptum carneũ. vltimum pulſans erat cordis baſis, pulſatio in felis, viperæ & lacertæ cordibus,plus minus quartam horæ partem durauit. *Coiter in libell. obſeruat. Anatom. & Chirurg.* Vide præterea *Veſalium lib.7.cap.19.de corp.hum. fabr. & Columbum lib. 14. Anat.*

OBSERVATIO.

Pulſus cordis,quare in ſiniſtro latere deprehendatur.

QVod cordis pulſus ſiniſtro potius latere quam dextro deprehendatur, cum tamen ſinus illius ſiniſter in medio ſit corporis, non tam cordis cauſa, quam arteriç magnæ,in ſiniſtro latere è corde prodeuntis,proficiſci,obſeruatio oſtendit Anatomica; *Felix Platerus de obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

Cordium in dextro latere ſolum pulſantium, hiſtoria.

MEmini me vidiſſe tres, quibus cor ſolum in dextro latere pulſabat, quorum vnus eadem die, quod vehementius pulſaret, alius poſt aliquot dies,mortui ſunt:tertius erat infans,& ceciderat,ſuperuixit tamen. Cõſtat ſane priores, affectu peſſimo in ſiniſtra parte oborto,hoc ſymptoma contraxiſſe, dum cor naturali vi atque inſtinctu, quod noxium erat refugere nitebatur. Vnde tam graui morbo, malo prope cor contracto.neceſſe fuit mortem breui ſubſequi. De infantulo exiſtimatum vinculum peruerſum,à caſu enim grauiſſime ægrotauit. *Cardanus in arte curandi parua*, cuius ipſe author eſt, non Galenus.

ASPHYXIA.

OBSERVATIO.

Aſphyxia,ſiue deficientis pulſus,tum ſana, tum morboſa conſtitutione, obſeruationes variæ ac raræ.

MAgni refert habere amicum & familiarem prudentem medicum, qui naturam ægri percognoſat,& quali pulſu ſit, tũ integra valetudine perfruitur. Noui quibus ſanis & male valentibus pulſus deficit. Noui quibus intercidit, quibuſdam initio acceſſionis,& ea parte quæ ἀνωμαλία dicitur,pulſus admodum inæqualis & ſæpe præcipitans. In vigore æquabili curſu mouetur. Sunt quibus in carpo nullus percipiatur pulſus, aliis vtroque : aliis tantum altero, & qua parte captari ſolet, nullus anteriore parte ſupra pollicem percipitur. Aliis nulla parte carpi, ſed interiore pollice inter duos articulos. Aliis quoque ſic obſcurus eſt, vt ad arterias temporum & pedum ſit recurrendum. Ac ſecta vulnere arteria, quæ per brachium decurrit, pulſus in carpo multis abolетur. Aliis interno vitio, inflammatione,obſtructione,oppreſſione, imbecillitate cordis, arteriarum, & vicinarum partium, pulſus admodum euariat, paruus, languidus, intermittens,inæqualiter pulſans magno periculo. At inter inæquales motiones intermiſſio grauis eſt, & maxime in iuuenibus , & media ætate. Ac ſenes fere vidimus, quod & Galenus obſeruauit,ab eo pulſu in acuta febre conualuiſſe : & ſine morbo, & in morbo multis ſenibus præcipitat, offenſat, deficit, vt in ſenili corpore eiuſmodi pulſus inter ambigua ſigna numeretur, aliisq; ſignis confirmare præſagium oporteat. Pueris periculoſius quam ſenibus pulſus deficit. Iuuenibus (inquit Galenus) exitioſus eſt omnino, quanquam adoleſcentes aliquot vidimus in acutis febribus & delirio ab eo pulſu euaſiſſe. Neque certe raritas erat,quæ falleret, ſed vere intermittens pulſus. Quibuſdam ſanis id vitium pulſus familiare eſt, quod à nobis in aliquot ægris annotatum, minus formidabile fuit. Vidi aliis ſignis ſalutaribus,decũbentem adoleſcentem,cui pulſus intermitteret,itaque,cum eiuſmodi ſignum ſuſpectum eſſet, contigi ſororis pulſum, quæ tum ſana aderat ; atque idem pulſus inuentus fuit. Multis in parte acceſſionis,quę ἀνωμαλία vocatur, pulſus præcipitat, in altera motio alteram anteuertit. In vigore redit æquabilis motio & rythmus pulſus. Sed & animi affectio,& alia plurima pulſum immutant, quæ ſi quis diligenter ediſcat,ex comment. *Galen. de pulſibus*, facile intelliget, quam temere pronunciauerit Celſus, venis, fallaciſſimæ rei,credi *Hollerius Comment.2. ad aph. 19. libr.2. Coac. Hipp.*

Nouum & admiratione dignum eſt:quod tamen annis abhinc viginti,Furnis ciuitate Flãdriæ, in plus quam ſexagenario ſene, non ſemel mihi obſeruaſſe contigit : Is enim quum à retroactis annis aliquot frequenter variis, atque iis non infimi nominis medicis, carpum obtruſiſſet, vt experirentur ſi qua tandem ratione motum aliquem arteriarum percipere poſſent : ſingulis autem negantibus ſubſultationẽ aliquam ſentiri:tandem ætate prouectus iam,& ſexagena-

agenario, vt dixi, maior inter epulas manum mihi porrigit, ac rogat, vt ex arteriarū motu, aliquid quod ad præſentem corporis conſtitutionem pertineret, in medium afferrem, detrectanti primum mihi, ꝙ non eſſet eius temporis, atque loci, perſuaſit tamen ille, quum vrgeret vehementius. Indecens enim cenſebam, ſi eius caniciei tantulum non conceſſiſſem. Quum igitur diligentius pertento, nihil minùs, quam micationem aliquam, quæ tali conueniret corpori, percepi, (erat etenim pectore lato & vtcunque hirſuto, facie rubicunda, ad iram ſic ſatis procliui animo, corpore bene habito, & carnoſo, atque ad omnes actiones obeundas pro ætate ſatis prompto) imaginabar tamen leuem quandam diaſtolen, non ſecus ac ſi perreptantis arteriam vermis ſpecie repræſentaretur, cuiuſmodi pulſum vermicularem appellare conſueuerunt. Quum interim ille intentis in me oculis reſponſum expectaret, meque meditabundum conſpiceret, ſubridens; nihil, inquit, o Balduine eſt, quod hæſites, motum nullum percipis, atque id mihi à teneris vſque familiare, & quaſi annatum fuiſſe ſcias velim, quod & ante multi tuæ profeſſionis viri tecum experti ſunt. Hic ego magis mirabundus atque rei nouitate attonito ſimilis: atqui inquam o Iacobe, quando ſic eſſe aſſeris, id ſaltem mihi concedas quæſo, vt ſemel adhuc per occaſionem, idque ex improuiſo liceat carpum tuum tangere, ſiquidem niſi ætas tua, & veneratione digni cani tui obſtarent, putarem omnino te dolo meorum agere, & de induſtria, ante reuincto brachio arteriarum motum præpediuiſſe atque intercepiſſe neque enim veriſimile eſt, tibi viro bene valenti, & corporis conſtitutione calida prædito, atque virium robore pollenti, tam paruum debilemque eſſe pulſum: Siquidem Galenus noſter eos, qui virium robore excellunt, magnum habere pulſum, docet: & è diuerſo qui imbecillis ſunt viribus, paruum: adde quod quum magnam reſpirationem habeas, pulſus etiam neceſſario magnus eſſe debebat, ſolet nanque pulſuum ſimilitudo cùm reſpiratione ſeruari. Igitur quando ille conditionem admiſiſſet, liberumque feciſſet, quoties liberet periculum facere: nactus occaſionem, ipſum adeò, atque carpum, quemadmodum ante me feciſſe narraui, attrecto: verum, fruſtra ſubſultum arteriæ inueſtigo: nam neque hic, neque vſquam alibi pulſus vlla veſtigia apparebāt, ſed & vermiculationem illam, quām antea imaginatus fueram, nulla ratione percipere potui. Admiratus caſum, excutiendum cenſui, quomodo fieri poſſet, vt in tali, tam vegeto, beneque habito corpore, obſcurus vſque adeo eſſet pulſus: atque inter reliqua ea probabilior cauſa eſſe videbatur, quæ dictabat, arterias alte deliteſcentes adeo occultari, vt motum earundem, quantumuis exacto digitorum examine, percipere non liceret. Arteriarū etenim, quæ ex carnes corporis particulas perreptant, motum, promptius meliusque percipimus; quæque carnoſis ſubſunt obſcurius, ob quod medici inter omnes arterias, nullam aut commodiorem, aut congruentiorem conſueuerunt, quam quæ per brachiale excurrunt. *Balduinus Ronſſeus, miſcellaneorum epiſtol. 11.*

Pulſus in arteriis brachii in aliquibus nullus percipitur. Scribit *Ioann. Matth. de Grado prima parte prâctic. cap. 25.* Et ego vidi in quodam Doctore Neapolitano, qui me decepit, in præſentando brachio, quoniam in nullo percipiebatur pulſus. Hiſce tangendum explorandumque pulſum in arteria Tarſi, tradit *Galen. in calce 3. lib. Anatom. adminiſt.* quod ipſe faciebam, dum Medicinæ operam nauarem in vetula quadam in cuius brachio pulſus nullus percipi poterat. *Marcellus Donatus lib. 6. c. 2. Hiſtor. med. mirab.*

Observatio.

Pulſu & motu priuatus puer, in Febri.

Paulus Dioniſius, Clariſſimus Medicus Veronenſis, in actu Practico ſe vidiſſe mihi dixit quendam infantem, annorum duorum, filium cuiuſdam ſui vicini, oculis clauſis, pulſu & motu ex grauiſſima Febre deſtitutum: qui poſtea è morbo conualuit. *Omnibonus lib. 3. c. 1. de arte medica infantium.*

Intermittens.

Observatio.

Intermittens pulſus, ſæpe citra periculum animaduerſus.

Cvm ante triennium forte proprium pulſum attentius exploraſſem, animaduerti eum intermittentem eſſe. Nam interdum poſt quartum aut quintum, interdum poſt ſeptimum aut nonum, interdum poſt duodecimum, aut decimumtertium ictum, intermittebat. Quo ſymptomate cognito, vehementer equidem perturbabar. Non enim ignorabam, quæ Galenus & alii medici de pulſu intermittente, deque eius cauſis, ſenſerant. Recreabat tamen me, quod in actione nulla, vel vitali, vel naturali, euidentem læſionem perciperem, & quod iam ætas mea ad ſenium vergeret, in quo minus noxiam hanc pulſus intermiſſionem expertum eſſet. At vero, ne ſaluti meæ deeſſem, in victu aliquanto cautior eſſe cœpi, & ea fugi, quæ vel obſtructiones in venis cordi proximis efficere, vel robur cordis conuellere atque labefactare poſſent. Itaque temporis progreſſu, hæc pulſus immutatio, quæ fere integrum annum durarat, emendata & correcta eſt. Cæterum libet hic referre quod *Luſitanus in ſuis Centuriis* alibi refert, ſæpe abſque inſigni aliqua noxa tales pulſus percipi. maxime in ſenibus, & aliis, quibus hoc genus pulſus peculiare eſt. Ac *Argenterius, Medicus doctus & ingenioſus, in Commentariis in artem paruam Galeni*, in ſe ipſo quoque aliquando pulſum intermittentem ſe obſeruaſſe ſcribit, quem tamen nullum inſigne valetudinis periculum conſequutum ſit. Eius vero affectionis cauſam hanc fuiſſe putat, quod nimiis ſtudiorum laboribus, vitalem facultatem cordis afflixiſſet, qua tamen inſtaurata intermiſſione ſtudiorum intenſionis, & diæta conueniente, ad priſtinam ſanitatem ſe rediuiſſe narrat. *CL. V. Iacob. Oethaeus, lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Pulſus interceptus ex oppreſſione virium, ob præſentem plethoram.

Sæpe, ob oppreſſionem virium, ob plethoram ingentem, pulſum intercipi, vt vel difficulter, vel omnino non percipiatur, ab aliis quoq; eſt animaduerſum, & nos ſæpe obſeruauimus, maxime vero in quodam Reuerendiſſimi Eichſtadiani Camerario.

Qui,

Qui, cum ex plethora, quàm per crapulam contraxerat, in maniam inciderat, ac ei vena ſecanda eſſet, pulſum in eo ne quidem exiguum deprehendere potui, non tamen à ſectione venæ abſterrebar, ꝙ & vox, & actiones omnes, & venarũ repletio, virium robur ſufficiens oſtẽderet. Itaq; per ſectionem ſatis magnà eductà ſanguinis copia, cum denuo pulſum tangerem, eum euidenter, & quidem ſatis robuſtum deprehendi. Quod experimentum effecit, vt altero die adhuc ſemel ſanguinem mitterem. Qua ſarcina humorum depoſita, & capiti ſomniferis applicatis, ad ſanitatem reductus eſt. *Idem Oetheus, lib. obſeruat. propriarum.*

OBSERVATIO.

Pulſus intermittens, quatenus in febre peſtilenti, melancholia morbo, & palpitatione cardiaca, non arguat imminens mortis periculum.

SIbinam pulſationem exhibuerit tactus, bini numerabuntur gradus roboris: ſi vna intermiſſio, vnus gradus morbi. At vnus gradus minime exuperare poteſt duos, in actionis ordine. Vnde pulſus, licet tertia quaque motione intermittens, non arguit imminentis mortis certitudinem: atque multo ſane minus ille qui decem aut viginti dilatationum aut cõtractionum repetitiones tantùm ſequitur. Si quidem, vbi idipſum priuatur perniciei ſuę executione, quo tamen maior conſpirat efficientis potentia & vicinitas, qui nam declarabit operationis efficaciam aliquid puſillum, longeq; ab agendo remotum? Talis enim deprehenditur frequenter in febri peſtilenti, & ægritudine melancholica, frequẽtius adhuc in palpitatione cardiaca. Qua decepti Galliæ medici, Marino de Caballis, Reipub. Venetæ ad Francorũ Regem legato, interitum prædixere: ideoque ſuaſerunt, vt poſt impetratam diſceſſus licentiam, in Italiam confeſtim rediret: atque ibi condito teſtamento, diſpoſitisq; negotiis, tranquillior deinceps ſeſe armaret ad quodcunq; mortis momentum. Ille Venetias animo proſtrato reuerſus, cõſultationem inſtituit, accito medicorum collegio; ex quo erat Victor Trincauella, celeberrimus facultatis noſtræ in Patauino gymnaſio profeſſor: qui cum animaduerteret tremorem hunc proficiſci tum ex grauioribus curis, tum ex ſanguine melancholico ad cor affatim confluente: promittens amiſſæ ſanitatis recuperationem, crebram conſuluit inciſionem venæ, quam neceſſario poſtulabat plethorica corporis conſtitutio. Hinc accedente etiam cordialium remediorum vſu, rite curatus, in hodiernum diem adhuc ſuperſtes eſt, clariſſimus vir, omnium rerum gnarus, plurium idiomatum peritus, defunctus interea magnificentiſſime muniis legationis ad vtrumq; Imperatorem, Turcicum & Romanum, nec non Patauinæ vrbis præfectura. Ea mihi narrauit filius meus Henricus Wierus, philoſophiæ & medicinæ Doctor: qui propter aſſiduos ſtudiorum labores, Bononiæ, incidebat in ſimilem palpitationis cardiacæ affectũ, cum pulſu inordinate caprizante, & ſæpius intermittente: ſed venæ ſectione, victus lege rite obſeruata, aſſumtis quoq; iis, quæ ex artis noſtræ præceptis conducibilia iudicabat, integram ſanitatem, ex ſingulari Dei gratia eſt conſecutus. *Ioan. Wierus libr. obſer. rararum.* De pulſu deficiente, plura vide apud *Luſitanum, cent. 3, curat. 44. & cent. 6. curat. 72.*

PROGNOSIS.

OBSERVATIO.

Prædictiones ex pulſu admirandæ.

MEmini inter reliqua, quod cum laboraret Ludouicus Madius, puer, annum agens circiter vndecimum, aduocatuſq; eſſem cũ alio celebri Medico, nec videretur puer grauiter laborare, quod & febris remiſſa foret, & puer facile morbum ferret: dixi matri, futurum vt aliquando hic puer repente ex hoc morbo in grauiſſimũ affectum incideret, à quo vix euaderet. Cum illa cauſam ſciſcitaretur, reſpondi, me ex venarũ pulſu id intelligere. Nunciauit hoc illuſtris fœmina alteri medico: qui cum eadem hora quà ego ſolebam, ſcilicet ſub noctem, puerum non inuiſeret, dixit, quod & verum erat, hanc totam mutationem ſe non percipere. Nam aliis horis non tanta erat inæqualitas, quæ vel ab ipſo, vel à me, ſi tunc ſolum tetigiſſem, percipi potuiſſet. Cumq; ego hanc diuerſitatem augeri indies viderem, affirmaui ſemper hoc futurum: quod & contigit: namq; repente, poſt dies ferme viginti, cum grauiſſima ſpirandi difficultas inuaſiſſet, miſerunt ad me, & veniẽti occurrit mater, flens, ac dicẽs, Heu quàm verus vates magno meo malo fuiſti. Itaque obiit puer altera die. Ob id vero, tum etiam alia experimenta, cum toties abierim, nunquam me deſeruerunt. Quæris forſan, ꝙ genus pulſus tantum periculum ſignificare potuerit? Erat innuens, & miurus, & inæqualis etiam, atq; inordinatus: ſemper autem humilis nec ad cutem elatus, ſed profundus. quæ omnia indicabant cauſam opprimentem & firmam. Cum vero reuerſus eſſem in patriam, ægrotabat Ioan. Iacob. Reſta, duoq; aderant egregii medici. aduocor. dixi, laborare cerebri abſceſſu, ſenior contradicebat: alter nõ negabat, ſed poſſe adhuc ſanari ſperabat. Sequenti die, cum adhuc conueniſſemus. qui pridie negauerat laborare abſceſſu, credo immemor eorum quę dixerat, aſceſſu cerebri iam quatriduo laborare faſſus eſt, ob idq; mittendum ſanguinem. quod & alter medicus cenſebat. tum ego nihil obiiciens de priſtinæ diei contentione reſpondi, non laturam virtutem. cum vero ipſi concordes contradicerẽt, vt viderunt me dicentem ſtatim caſuras vires, etiam dum ſanguis mitteretur mirabãtur: neq; enim cauſam vllam adiiciebã, cur id ego expectarem. Quamobrem ſurrexerunt, diligentius pulſum exploraturi. Cumq; vna ad ægrũ iremus, tẽtatis venis, iam prorſus cecidiſſe vires cognouerunt, & admirantes abiere. At ille paulo poſt mortuus eſt. Tum iunior quẽdam ſubmiſit, qui me interrogaret: quà ego arte id deprehendiſſem? cum reſpondiſſem. ex pulſu: At & nos, inquit ille, pulſum percepimus. quaſi idem ſit pulſum ſentire, & omnes illius differentias exacte aſſequi. Erat enim pulſus ille humilis, inæqualis, inordinatus, nec tactui reſiſtebat. vnde non ſolũ oppreſſionẽ facultatis, ſed etiã reſolutionem ſignificabat. Declaratum enim eſt in medicis expoſitionibus, quatuor modis deprehendi facultatis imbecillitatem: quæ cum ſumma eſt, præſentem mortem nunciat. *Cardanus curat. & prædict. admirand. num. 4. & 5. circa finem.*

OBSERVATIO.

Admiranda alia, raraque & monſtroſa, pulſuum conſtitutiones.

Quum

QVum Patauii artem Medicam ſtipendio Senatus Veneti publice profiteret, forte incidit in febrem, Ioãnes Starchouius, ex flaua bile, continuã, ad quem frequens fuit ciuium & ſcholarium hominum concurſus, erat enim vir nobilis & inſignis, de multis optime meritus. Eius arterias, cum attingeret Medicus quidam, reperit hominem aſphictum, id eſt, pulſibus carentem, quare territus vehementer, cœpit male polliceri de ſalute ægroti, exiſtimabat enim cõcidiſſe vires eius vitales, ob malignam & peſtilentem morbi affectionem. Veni & ego, vt inuiſerem hominem, à medico iam morti deſtinatum: qui, vt me aſpexit, illico exporrecta manu, iubet attingere pulſum ſuum. Ego vero, qui antea vſus eram homine aliquot annos familiariter, noueram arterias ipſius exteriores, profundiſſime à natura immerſas fuiſſe, & multa carne & adipe veſtitas, ac propterea inſenſibiles ſemper extitiſſe, præcepi vrinas mihi prius commonſtrari, priuſquã pulſum attingerem. Dum vero ſigna coctionis manifeſta conſpexi in vrinis, (erat autem quarta dies ægritudinis) applicui carpo ipſius digitos meos, quaſi pulſum attrectaturus, & paululum ſubridens, dixi: bono eſto animo breue enim tempus ægrotabis. At ille, ſcio equidem hoc quod dicis, quid ſibi velit, nam breui tempore ex hac miſera Ægypto ad cœlum cõmigrabo. Quid ita? dixi ego: reſpondit, ita prædicit Medicus. Ego vero reſpondi: die craſtina, dum hic vna aderimus, meliora tibi vaticinabimur. Poſtera die, cum ſtata hora conueniſſemus, ediſſerui candide medico illi, arterias hominis iſtius ægroti natura ſemper fuiſſe occultas, meque, in integra eius valetudine, id certo explorauiſſe, quod dum ipſe ex me audiret, mutauit ſententiam, cœpitq; meliorá ſperare, ſepoſita febris venenoſæ ſuſpitione. Tandem communi noſtra opera & conſilio, die ſeptima, ſuperis fauentibus, æger noſter morbo eſt ſolutus.

Reperi & Budæ in Vngaria, dum eſſem apud Reginam Iſabellam, militem quendam ſtipendiarium, natione Italum, cui ſemper deficiens erat pulſus, ſine vlla reciprocatione: quod ipſi nõ natura obtigerat, ſed ex vulneribus: diſſectæ enim in vtraq; manu illi iam olim fuerant arteriæ, quarum cicatrices ſupererant, in medio cubito, à me non conſpectæ, donec ipſemet de illis me certiorẽ reddidit verbis ſuis, dum me attrectantem carpum ſuum, videret penſitare nonnihil, & hærere, ſuper ſua ægritudine.

Erat Poſnaniæ apud Andream Comitem de Gorca, virum inter omnes regni Poloniæ proceres primarium, Schaſcus etiam quidam hiſtrio, demens à natura, cui ad pulſum, omnium generum inæqualitates ſemper aderant, quantumuis ſanus eſſet. Et cũ interrogaret me quodam tempore Comes, herus ipſius, quid cenſerem de pulſu Schaſconis, quem me attingere tum videbat: reſpondi, talis eſt ipſius pulſus, quale & ingenium.

Fuit etiam Poſnaniæ vir profectæ iam ætatis, Iacob. Broſouius, de ordine Cruciferorum Beatæ virginis, qui intermittentem ſemper geſtauit pulſum, quoad vixit. Non diſſimilem nactus erat Galenus iuuenem, qui dum conualeſceret ex morbo, intermittente pulſu terruerat ſuos medicos, neſcientes à natura id ſibi eueniſſe: de quo *Galenus, in libello de præcognitione ad Poſthumum.*

Noui & Petrum Conarium, virum nobilem in Polonia, qui in altera manu pulſum ſemper habuit tenſum, nimirum tumor tophaceus ſub arteria illi ad os cubiti adcreuerat, qui vaſa tenebat.

Dum eſſem apud Imperatorem Turcarum, Soltanum Suleimannum Sachum; comperi militem quendam Turcicum, in acuta febri dicrotum ſemper obtinuiſſe pulſum: qui poſt elapſam ægritudinẽ, nihilo fuit immutatus, cum certis, vere conualeſcẽtis corporis, indiciis: vnde coniecturam accepi, natura inſitum fuiſſe ipſi huiuſmodi pulſum. Plurimũ igitur expedit, homines ſanos cum medicis ſæpe cõuerſari. quibus in morbo ſe ſint concredituri. Facile enim memoria retinere poteſt medicus familiaris, qualis in ſanitate fuerat pulſus heri, aut amici ſui, in morbo iam decumbentis, quem, quantum ſit mutatus, probe deprehendet. Quod ſi vero reperies pulſus malos & horrendos apud ægrotum quem non noueras, & cuius arteriam antea non tetigiſti priuſquam ægrotaret, memineris iſtius regulæ: ſi omnibus aliis indiciis, morbus appareat ſine periculo, pulſum terrificum ex natura adeſſe ſciendũ eſt, aut prorſus ante ægrotationem eum fuiſſe, propter aliquam cauſam euidentem. *Ioſephus Struthius Sphygmicæ art, lib. 2. cap. 4.*

DE RESPIRATIONE.

OBSERVATIO.

Reſpirationis, quam pulſus, maior neceßitas.

POſſet merito quæri, quandoquidem vitalis facultas à pulmone per reſpirationem ſuſtineatur: eius autem proprium munus ſit pulſus, quodnam horum magis ei neceſſarium? Nam videtur magis proprius pulſus: cum tamen ſine pulſu per tres dies viderimus ęgros viuere; ſine reſpiratione, ne per horam quidem. Sed non credendum eſt in illis ceſſaſſe pulſum cordis, vt corporeum: neque enim ſine pulſu cordis, vel tantillum viuere poſſunt. Propterea cũ carporum pulſus ceſſat, cordis regionem explorare oportet: nam ſi frequens ſentitur iam res in extremo eſt: ſi ſolum paruus, ſed velox aliqualiter, nec multũ tardus, nec frequens, viuere adhuc poteſt. Et licet cor poſſit pulſare, cum arteriæ ex toto ceſſant, ſi tamen per quædam interualla eſſet ſolum motus arteriarum, & non ſit vitio membri, tum neceſſe eſt eaſdem ſentiri differentias in motu cordis. *Card. Lect. 17. text. 17. ad lib. Hippocr. de alimento.* Plura vide apud *And. Laurent. lib. 3. quæſt. 20. anat.*

OBSERVATIO.

Reſpirationes raræ.

REſpiratio in me tripla eſt pulſationi, cum ſim naturæ ſanguineæ, ætatis annorum. 73. exactorum. Vidi & in puero boni habitus annorum circiter 13. qui etiam triplam ſeruauit hanc proportionẽ: & in quatuor reſpirationibus 12. pulſus eleuatus eſt. Et cum aſcendiſſet ſcalam, æqua ratione, cuncta facta ſunt maiora, celeria, & crebriora. Vidi & in bilioſo, & melancholico, & alio pituitoſo, ſanguineo, & in omnibus fuit par proportio. Si enim pectus anguſtum fuerit, & arteriæ magnæ, erit minor: ſi latum, & arteriæ anguſtæ, maior. *Card. lect. 70. ad text. 87. Hipp. de alimento.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria ſerui Barbari, qui cohibita tranſpiratione, mortuus eſt.

QVod totum opus reſpirationis, voluntate, & ſponte ab anima fiat, declarauit ſeruus Barbatus: qui cum vehementi ira concitatus, mortem ſibi conſciſcere decreuiſſet, proſtratus humi, reſpiratione que cohibita, longo quidem tempore immobilis erat: poſtea vero paululum volutatus, hoc pacto mortuus eſt *Galen. lib. 2. cap. 6. de Motu Muſcul.*

Valer. Max. lib. 9. duo affert exempla, eorum, qui reſpiratione cohibita interierint: quorum alter C. Licinius Macer, vir Prætorius fuit, alter vero Coma Diogenis Latronis frater. Verum quomodo reſpirationem cohibuerint, addit vt facilius videas, nō ſolo voluntatis imperio, vel iuſſu, compreſſam fuiſſe, ſed externis impedimentis atque obſtaculis, liberam illius reciprocationē interclusam. De priore enim ſic ſcribit: Conſimili impetu mortis. C. Licinius Macer vir Prætorius, Calui pater, repetundarum reus, dum ſententiæ dicerentur, in Mœnianum conſcēdit, ſiquidem cum Marcum Ciceronem, qui id iudicium cogebat, prætextam ponentem vidiſſet, miſit ad eū, qui diceret ſe non damnatum, ſed reum periiſſe, nec ſua bona haſtæ poſſe ſubiici. At protinus ſudario, quod forte in manu habebat, ore & faucibus coarctatis, incluſo ſpiritu pœnam morte præcurrit. Qua cognita re, Cic. de eo nihil pronunciauit. De altero vero ſic habet: Sunt & externæ mortes dignæ annotatu: qualis in primis Comæ, quem ferunt maximi Latronum Ducis Diogenis, fratrem fuiſſe. Is enim ad Rut. Conſulem, Enna, quam prædones tenuerant in poteſtatem noſtram redacta, productus, cū viribus & conatibus fugitiuorum interrogaretur, ſumpto tempore ad ſe colligendum, caput operuit, innixuſq; genibus, compreſſo ſpiritu, inter ipſas cuſtodum manus, inq; conſpectu ſummi imperii exoptata ſecuritate acquieuit. Hæc *Valerius*. Conſimili quoque modo Demoſthenem illum Græcorum oratorem eloquentiſſimum, vitam finiiſſe ferunt. Ad hunc etiam modum, ſeruum illum Barbatum, ſuam reſpirationem cohibuiſſe, humi proſtratum, ex Hiſtoria ſatis liquet. *Thaddæus Dunus lib. de reſp. c. 1.*

OBSERVATIO.

Spiratio læſa, ob calcitrationem equi in præcordiorum regione.

INſpirationis genus in quodam notaui, quem, cū aliquando equus in præcordiorum regione calcitraſſet adeo atrociter, vt oborta in ſepto tranſuerſo inflammatione, mortis periculum immineret. Is licet euaſerit à periculo tutus, ab imbecillitate tamen liberari nequiuit. *Galenus lib. 4. c. 5. de loc. affect.*

OBSERVATIO.

Cuiuſdam, compreſſo ſpiritu laborantis, hiſtoria.

SEcundus nomine, qui ſatis quid pateretur intelligebat, ſentire ſe manifeſte in ſepto tranſuerſo dixit, imbecillitatem. Atque idcirco cogebatur intercoſtales muſculos ſine intermiſſione mouere, atque nonnunquam ſuperiores quoq; interdum autē Zonam circundans præcordiorum partibus, ſola tranſuerſi ſepti motione, ſufficienter ſpirabat, quo tempore quieſcebat. Verum an ad ſepti tranſuerſi muſculum, an ad neruos, qui ad ipſum perueniunt, an ad aggregatum ex vtriſque pertineat huiuſmodi imbecillitas, mihi quidem explicatu perdifficile videtur. *Idem loco citato.*

DE THORACE.

OBSERVATIO.

Abſceſſus thoracis ſola theriaca apertus.

Verulus thoracis abſceſſu laborabat, & cum condita & matura iam ſuppuratio eſſet, timeretque ille vlcus mucrone diſcindi, theriacam ſuperpono: qua non ſecus, vnius tantum noctis ſpacio, abſceſſus ipſe apertus eſt, ac ſi ſcalpello fuiſſet inciſus: ex quo facile coniectari poteſt, quanta ſit huius compoſiti vis, quod & nos ſæpe alias experti ſumus. *Beniuen. cap. 70. Additor.*

DE MEDIASTINO.

OBSERVATIO.

De inflammatione membranarum interſepientium, & pericardii.

IN cauitate thoracis continetur pleura, arteria aſpera, arteriæ leues, pulmo, membranæ interſepientes, pericardium, & cor, de affectibus pleuræ, arteriarum pulmonis & cordis omnes Scribentes pertractarunt, ac de affectibus membranarum interſepientiū, & pericardii nemo nec morbum nec curationem expoſuit, quas tamen partes cum nihil prohibeat, ſicuti & cæteras, diuerſis apprehendi morbis, mirandum eſt, qua ratione praxim docentes eas ita neglexerint, vt ne harum quidem minimum fecerint verbum hanc rem diu ego animaduertens, cum cenſerem fieri non poſſe, quin hæ partes vel inflammatione, vel alio affectu aliquando laborarent, tandem experientia, & ratione ductus, cognoui has partes nonnunquam inflammari, alioſque ſimiles morbos pati, quorum ſæuitia ob cordis vicinitatem ſæpe ægrotantes in extremum vitæ diſcrimen incurrunt Quam rem cum hic explicare decreuerim, primo ante alia exponam methodum, qua in nonnullis ægrotantibus haſce partes inflammatorios pati affectus indagauerim, deinde qua ratione ipſi curandi ſint, & quomodo in illis me in adminiſtrandis remediis geſſerim, declarabo. Ad ægrotantes accedens vidi nonnullos febre acuta detineri, ad quam inquietudo magna, ingensque ſitis conſequebatur, & cætera, quæ febres ardentes concomitari ſolent. in his ſpiratio frequens admodum, & celeris erat, in thorace maximum aderat incendium, vnde & frigidum aerem inſpirare deſiderarent, & calidum ſpiritum reflarent. nullus in thorace affligebat dolor inſignis, præterquam ad ſternon, vbi anguſtiam & offendiculum quoddam inſpirando potius, quam dolorem, perſentiebāt. tuſſis in omnibus, fuit, at in aliquib. ſicca in principio, quæ poſtea ſubſequebatur humida. quæ per tuſſim excernebantur, erant colorata, vel rubra, vel flaua, plurimum tamen flaui coloris, pauciſſima rubei vidi, pulſus in cunctis erat, qualis pleuriticorum eſſe ſolet, vt ſi dolo-

dolorem lateris habuiſſent,certo pleuritide laborare iudicari potuiſſent. Hæc omnia conſiderans, videlicet,febrem acutam, incendium in thorace; ſpirationem frequentem; offendiculum illud ad ſternon, tuſſim cum ſputis coloratis, pulſus duritiem, non potui non induci, quin crederem hoſce ægrotantes inflammationem in partibus ſpiritualibus pati, quæ cùm non eſſet peripneumonia, quoniam nec aderat illa difficultas anguſtiaue anhelitus, quàm in peripneumonia adeſſe nouerâm, nec illa pulſus durities hoc confirmare poterit,& cum pleuritis ſimiliter eſſe non potuiſſet, cùm huic non aſſideret dolor lateris pungitiuus, nec etiam cor hoc pati iudicarem, vtpote quod fere incipiẽtes vix tollerare poſſit inflammationes.reliquum erat, vt cenſerem membranas interſepientes, pericardiumue hanc pati.quibus inflammatis neceſſario omnia ſuperius dicta conſequantur. febris quidem acuta, & vehemens accidit tum ratione affectus,tum quia ſedes affectâ parum diſtat à corde, quod cum ſupercalefiat admodum à proxima flamma, non mirum eſt,ſi etiam in thorace incendium perſentiant, inquietudoque ſuccedat maxima, & ſitis aliquando inexhauſta ſequatur,hocq; multo magis inflammato pericardio, quam membranis illis, quorũ membrorum inflammatio alterâ ſæpius ob viciniam alteri communicatur. Cæterum an magis afficiatur vel pericardium,vel membranæ,hoc ex ſubſequentibus habeatur; affecto enim magis pericardio vrgente morbo ſyncopę aliquæ nonnunquam contingunt,& æſtuationes ingentes accedunt;quoniam inflammatio cor ipſum fere contangit, omniaque ſymptomata in hac ſunt ſæuiora, quã affectis membranis.Iiſdem inflammatis,quoniam connectuntur & membranæ ſuccingenti, & thoraci, ſequitur anhelitus difficultas, ſpiratioque inde frequens, celer autem ratione neceſſitatis adauctæ,dolor vero,licet inflammatio ſit in parte membranoſa, non adeſt ita pungitiuus, ſicut in pleuritide; quoniam hæ membranæ,ſicut illa,non firmantur ad coſtam, vel ad os alterum, cuius merito compreſſa maiorem perſentiat ab eo punctionem,ſed eſt in parte laxa thoracis, nec hæ ſicut illa adeo ſenſatione vigent,ſed offendiculum illud ad ſternon tantum in his ſuccedit,quoniam hæ partes ibi colligantur,quare, & ibi inflammatio tanquam parti magis ſenſitiuæ quoquo pacto communicatur. tuſſis autem cum ſputis coloratis adiungitur,quoniam cum in omni inflammatione, quæ operculo duriore non tegatur, ſemper aliquid refudet,ideo his partibus affectis,materia peccans reſudando tuſſim excitare cogitur,pro rationeque materiæ diuerſi apparent colores, & inde ſputum coloratum. quod profecto fuit principale ſignum,quod me ad hoc iudicandum manuduxerit, cum viderim Galenum ſputa colorata in acutis paſſionibus adſcribere inflammationibus partium ſpiritalium,ſcilicet,vel pleuræ, vel pulmonis, quorum neutrum cum in prædicto caſu clara luce deprehenderem inflammatione affectum eſſe, conieci hâc in membranis illis adeſſe, communicata aliquando ipſi pericardio etiam hac affectione. pulſus omnino durus in hoc eodem caſu accedit; quoniam genita inflammatione in corpore membranoſo, cuiuſmodi hæc duo ſunt, neceſſario in arteriis talis durities imprimitur, qualis in pleuriticis videri ſolet. Cum omnia hæc,vt ex dictis clare liquet,ad inflammationem dictarum partium neceſſario conſequantur, non ſit mirum, ſi per hæc eadem, tanquam per propria huius affectionis ſigna,in cognitionem inflammationis harum partium deuenerim, quod eo mihi fortaſſe facilius, quam aliis contigit quoniam ductus exemplo,& analogia,ſemper hunc affectum omni diligentia in ægrotãtibus inueſtigauerim, nam cùm iunior eſſem, ſub præceptoribusque celeberrimis huic ſtudio operam darem:

Vidi Nobilem Ianuenſem ab iiſdem curatum, qui cum fere omnibus prædictis ſymptomatibus teneretur,& ad oblata, cæteraque omnia tamen belle ſe haberet, lotiaque admodum laudabilia eſſent, coctionemq; indicarent, quorum merito ab eis indicabatur hunc ex morbo conualiturum fore,ex inſperato præcedentibus nonnullis ſyncopis,nona die defunctus eſt. Cùm dubitaretur inter medicos de morbo, & eius amici ſuſpicarentur de veneno ob ſyncopes illas,ſectus eſt, in quo nulla alia re præter naturam præſente,inuentus eſt in membranis interſepientibus tumor inflammatorius, ſatis notabilis magnitudinis, qui etiam in parte communicabatur pericardio. Hoc cùm memoria ſemper conſeruaſſem,data occaſione,cõiecturam de eodem morbo, analogia ab enarrato deſumpta, feci, credoque me in pluribus verum huius morbi indicium cõſequutum fuiſſe.qui morbus cum ſub nomine inflammationis exponatur,per inflãmationem omne tumoris calidi genus à quacunq; gignatur materia, ſicuti in pleuritide declaratum eſt ab omnibus, intelligatur. Attamen,vt antea adnotaui,ego vidi hanc à duplici tantum materia cauſari, ſcilicet à ſanguine, & bile, raro à ſanguine, à bile autem frequentius, hancque ſæuiorem eſſe,quam illam, animaduerti. Auicennas quidem de pleuritide agens, viſus eſt de inflammatione membranarum interſepientium meminiſſe, dum inter veras pleuritidis ſpecies, velaminis diſtinguentis inflammationem recenſetet. Verum an nomine velaminis diſtinguentis intellexerit potius mediaſtinum,quam ſeptum trãſuerſum, plurimum difficultatis habet. Noui ſane quoſdam clariſſimos autores explicaſſe per hoc velamen mediaſtinum ipſum; quoniam ex ſuccingenti membrana, in qua vera ſit pleuritis, hoc formatur. nihilominus Auicennas ipſe,dum huius inflammationis ſigna exponit,potius diaphragma, quam mediaſtinum hoc eſſe demonſtrat, dum inquit rationis permiſtionem ac delirium conſequi hanc affectionem. quod eſt proprium ſignum ſepti tranſuerſi, non mediaſtini inflammati. Ad hoc enim neceſſario mens læditur, quod in illius inflammatione contingere non conſueuit.præterea addit,quod omnia accidentia in inflãmatione velaminis diſtinguẽtis vehemẽtiora ſiũt. & dolor & difficultas anhelitus. At in inflammatione membranarũ interſepientiũ, potius offendiculũ quoddam ad ſternon,quam dolor adeſt,& vbi adſit dolor,nõ eſt vehemẽs,ac difficultas anhelitus in eodẽ non eſt admodũ ingens,licet n. ſit frequẽs, & celer ob neceſſitatem adauctam, & aliquo modo difficilis,ob inſtrumentorum inobedientiam,attamen cum ei non ſit dolor ingens connexus, nec multum difficilis eſſe poteſt anhelitus. At in inflammatione diaphragmatis,& dolor eſt vehemens ratione partis affectæ, & ratione continui motus partem affe-

ctam lacerantis; & ſpiratio eſt admodum difficilis, cum ſit affectum inſtrumentum primo reſpirationi inſeruiens. Quapropter ex his cenſeo ego Auicennam non mediaſtinum per velamen diſtinguens, ſed ſeptum tranſuerſum potius intellexiſſe, & eo magis, cum teſtetur in tali affectu eam vehementiam, & velocitatem febris, quæ in pleuritide pura & vera, ex membranæ ſuccingentis inflammatione cauſatur, non adeſſe. Cum & ratio ob vicinitatem cordis dictet, & experientia ipſa teſtata ſit, mediaſtino affecto ſtatim hominem corripi acuta, & ingenti febre, quæ in inflammatione diaphragmatis raro eſt, quod à principio ſit ita acuta; cum in hoc ab initio omnia accidentia, quam in mediaſtini affectione, ſint leuiora. His addo, quod ſuppoſito etiam, quod potuiſſet Auicennas hoc loco intelligere membranas interſepientes, curationem huius affectus ab eo poſtea neglectam fuiſſe, qui ſolum diuerſarum pleuritidis ſpecierum in ſequentibus, non particularis huius caſus curandi rationem complexus eſt. Hunc autem ego explicaturus, cũ de eſſentia, cauſis, & ſignis præſentis morbi, quæ dicta ſunt, ſufficere debeant, ad curationem ipſam deſcendo, morbus hic eſt inflammatio, in qua eſt materia, ergo eiuſdem indicabitur euacuatio, euacuabitur autem ſi vel retrocadat vel ſi ſenſibiliter inſenſibiliterue educatur retrocedet, ſi vel reuellatur, vel repercutiatur: reducetur autem inſenſibiliter per diſcutientia; ſenſibiliter autem per ſputum prouocantia. At hæc poſtrema non ſunt admittenda pleno exiſtente corpore, igitur primo corpus eſt euacuandum. Quare quatuor erunt intentiones, totius vacuatio, reuulſio, repercuſſio, & materiei in loco affecto contentæ inſenſibiliter, vel per ſputum euacuatio. Quibus indicationibus an Medicus ſperare debeat plene ſatisfacere poſſe, dico hoc non ita facile eſſe, quoniam hic habemus morbum validiſſimum, & pleuritide vehementiorem, quam ſi Galenus aſſeuerat ingentem cauſare febrem, quia parum diſtat à corde, & quia cum pericardio ſuccingens membrana cogitationem habet; quid dicendum eſt fore eo inflammato, & membranis interſepientibus, quæ cordi proximiores ſunt, quam pleura? profecto in hoc morbo omnia validiora ſunt, præter dolorem, quam ſint in pleuritide. Vnde & in hac, ſicuti & in cæteris inflammationibus internis vnica erit ſalutis ſpes, ipſa virium fortitudo, quam cum præſentem habuerimus, omne remedii genus opportunum audacter tentabimus. Itaque à prima indicatione incipientes, pro totius euacuatione, lenita aluo clyſtere leni & refrigeranti ſecetur interna vena brachii dextri: viribus enim conſtantibus in morbo magno ſtatim ad ſectionem venæ properandum eſt. copioſe autem emittatur ſanguis, & præcipue vbi ſummum ſit incendium in thorace: nam venæ ſectio copioſe facta, non tantum euacuat, & reuellit à loco affecto, ſed etiam ſanguinem valde ref igerare poteſt, à venæ ſectione laudo, vt ſtatim adhibeatur, vbi plurimum fuerit incendii, & morbus à bile pendeat, aqua endiuiæ, vel acetoſæ, vel hordei, actu frigida ad libram, vel circa, repetatur venæ ſectio vel eodem die, vel potius ſequenti, ſi vires non admodum conſtarent, nec ſit habitus, qui facile omnem ferat euacuationem; rari autem ſunt caſus conſimiles, in quibus ego ad ſecundam, & aliquando ad tertiam ſectionem non deueniam. teſtorq; me ſemper per poſteriores venę ſectiones deteriorem ſanguinem, quã per primum eduxiſſe, & inde ſemper magis ſaluti ægrotantis conſultum fuiſſe. qui ſi ex repetita ſanguinis miſſione non releuetur, pauca de eo ſpes habenda erit. Euacuato toto corpore, reuulſaque per venæ ſectionem à loco materia thoraci applicētur ea, quæ inflammationem lenire, temperare, & aliquo modo reprimere poſſint, ad hanc intentionem ſumantur ea, quæ frigida quidem potentia ſint, ſed omni careant adſtrictione, cum medicamēta altius penetrare debeant; adſtringentia enim ſibi viam præcluderēt, & materiam magis in loco affecto conſtiparent. cuius ratione oleum violaceum omnibus pręfero, quo tepido inungatur ſæpe totus thorax. in quo ſi ſummum ſit incendium, inflammatioq; eryſipelatis naturam ſapiat, tempusq; æſtiuum fuerit, eo vtor actu frigido, & non tantum eo ad inungendum vtor, ſed etiam ad epithemandum, infuſis in eo pannis lineis, & poſtea eo madidis applicatis, & ſubinde mutatis, cui aliquando admiſcui lac recens nó coagulatum, & parum aquæ endiuiæ quibus eodem modo epithemaretur pectus, ad idem paretur emplaſtrum ex farina hordei cum ſucco endiuiæ vel lactucæ ex eodem oleo impinguatum. An autem iſta vel actu, vel potentia tantum frigida conueniant in hoc caſu, cũ frigidum thoraci ex Hippocrat. inimicum ſit, & talia etiam in pleuritide ſint nocua, quæ affectio huic ſimilis videtur, dico, cum inflammatio hæc ſit in penitioribus thoracis partibus, qua ratione nó occurrunt ſtatim medicamenta parti lęſæ, & ſit in loco, vbi plurimum calor viget, & abundat, quod iſta conuenient; quoniam hic in tanto incendio inflammatio hæc tolerat medicamenta frigida, quæ ex indicatione ei debentur, cum flamma ſit prope cor, & materia exiſtat admodum calida, nec affectus in exteriori thoracis parte poſitus ſit, quæ neruoſa exiſtens aeri frigidiori, & medicamentis expoſita, ab eis lædi poſſit. Hæ ſunt rationes, quibus ductus vrgente inflammatione, aut eryſipelate in tempore æſtiuo ad frigida deueni medicamenta: quod ſi hæ non probantur, dicam id quod Galenus, quando loquebatur de cauſis pulſuum intermittentium, hæc habens, hæ ſi tibi rationes probantur, vtaris licet; ſin ſecus, at vt docet experientia, rem ſcito, vt diximus. Si tamen non vrgeat, inflammatio, nec incendium ſummum ſit, nec ſub cœlo calidiori non decumbat æger, frigida actu prætermittens ad tepida medicamenta deſcendo; & ſi aeris-conſtitutio, vel hyemalis ſit, vel ad eius temperiem vergat, eadem actu calida adminiſtrare iubeo. Dum autem hæc frigida ex indicationibus narratis adminiſtro, cum ex prædictis medicamentis narratis remittatur incendium, iiſdem poſtea tepidis vtor, & admiſceo oleo violaceo parum olei camomelini d. mixto vſum aquæ endiuiæ, & lactis, quod ſi magis leniendum ſit, addo prædictis oleis mucilagines ſeminum maluarum, altheæ, fænugræci, & ſimilium, hæcque ſimiliter in his infuſis pannis, & ſubinde mutatis adminiſtrare iubeo: vt aliquando prædictis oleis & mucilaginibus, cum maiorem diſcuſſionem, & coctionem tento, addendo pinguedinem pulli recentem, & paucam quantitatem croci cum cera in modica portione linimenta paro.

Dum

Dum hæc fiunt, prouocetur ſputum, educaturque materia per lambitiua, & præcipue ſint ea, quæ non calefaciant, ſicuti ſyrupus violatus, addita potiuncula ſyrupi de iuiubis, vel de farfara, vel de liquiritia. Electuaria, cum plurimum recipiant ſacchari, non laudo, quoniam iſta facile bileſcunt, vbi ſit incendium internum, biliſque abundet. qua ratione ductus, & etiam Hippocratis pręcepto, qui in bilioſis & calidioribus morbis mulſam dilutam, meram, & non dilutam damnando, præferebat; conſueui ego vt decoctionibus pectoralibus ſumma cum ratione factis, ſemper à calidioribus abſtinendo, quibus admiſceo portiunculam prædictorum ſyruporum, & ita mulſam dilutam non ſpernendam in tali caſu habeo, qua facile ſputum prouocatur, & ex ea corpus non accenditur. Ad cuius rei ſimilitudinem dum materiæ præparationem, quæ interim potionibus conuenientibus eſt concoquenda, & coctionē tento, iubeo, vt potiones concoquentes plurimum *habeant* decoctionis, parum autem ex illis ſyrupis, *vt* meracitas mulſæ fugiatur, eademque diluta habeatur, decoctiones parentur ex hordeo, violis, endiuia, cap. Veneris, ſeminibus cidoniorum, paſſulis & ſimilibus. Syrupi ſint, Violatus præcipue, & de endiuia, addita portiuncula vel de iuiubis, vel de farfara, ve de liquiritia. hęc dum viget incēdium internum, exhibeantur actu non calida, nec frigida etiam, ſed ad teporem aquæ fontium conſimiliter temperata, quibus cum procurata fuerit coctio, materia peccans conueniēnti educatur pharmaco, quod opportunum erit, ſi nec validum ſit, nec malam qualitatem habuerit; thoracemque reſpexerit. quare non tranſcendantur pharmaca ex benedictis vocata, aſſumaturque, Manna, Rhabarbarum, ſyrupus violatus ſolutiuus, & ſimilia cum de coctionibus pectoralibus diſſoluta. Quod ſi in loco affecto remiſſa inflammatione, & ea cedente, quid remanſerit diſcutiendum, quod per ſuperius dicta nō potuerit reſolui, formetur emplaſtrum ex radicibus altheæ maluæ, foliis maluæ, & violarum, ex dactilis, caricis, & ſebeſten & paſſulis, quæ omnia coquātur, contundantur, & cribellentur, poſtea iiſdem cōmiſceantur farina ſeminum lini, ſeminum fænugræci, puluis florum camomeli, quibus oleum camomelinum, & amygdalarum dulcium ad impinguandum addatur, & ita emplaſtrum formetur, quod reſiduum inflammationis facile diſcutere poterit; quo tēpore etiam concoquentia ad aliquam caliditatem accedant, vt maturius rem perficere poſſint. Dum hæc omnia adminiſtrantur, optima habeatur victus ratio, qui cum ſimus in morbo acuto, & grauiſſimo valde tenuis eſſe debet, vnde ægrotantes contenti ſint ſola ptiſana, quæ non calida, ſed tepida actu exhibeatur. potus ſit mulſa dilutiſſima potius ex ſacchato quam ex melle confecta. In proceſſu autem pro ratione coctionis morbi poterit eadem priſana cum iure pulli, quod poterit eſſe poſt ſeptimā, quibus & addi poterit ſuccus ſeminum cōmūnium, ſeu amygdalarum dulcium, & oui luteum, & etiam in totum declinante morbo vinum ipſum, q̧ ſit dulce, tenue, oligophoron, & optime lymphatum. Hora cibandi obſeruetur ex acceſſionum temporibus, & ægri tollerantia. In qua re hoc vnum animaduerto, quod pręſentibus alui excrementis nunquam exhibeatur cibus. nam vt docebat *Hippoc. in lib. victus acutorum*, ſi his non eductis ſorbitionem quis dederit, dolorem, ſi adeſt, adaugebit; ſi non adeſt, protinus inducet, frequentiorq; ſpiritus reddetur, quod malum eſt; fæcum enim retentio mala eſt in omnibus thoracis affectibus, quoniam harum vapores, & exhalationes dolores vel augent, vel inducunt, & ſpirationem frequentiorem reddunt, & maxime, ſi his ſuperingeratur nouus cibus. quapropter ante cibū alui incrementa, vbi abundauerint, excludantur, ſępiusque ad euitanda prædicta mala clyſmate refrigerante, & molli, alui lenitio procuretur. *Petrus Salius de curat. Morb. ab ordinariis Practicis non exhibitorum pag. 246. cap. 6.*

Observatio.

Interſtitium in mediaſtino nonnunquam materiam coaceruare, & quomodo hæc euacuari poſsit.

PLeuræ reduplicatio, vt ita dicam, hoc loco mēdiaſtinum appellatur: quoniā thoracem mediat, & à ſummo thorace ad imum ducitur. Inter mediaſtinum, id eſt, hanc duplicem pleuram, thoracem in duo ſecantem, materia aliqua colligi poteſt, quæ perforato ſterno, tuto ſatis extrahi poteſt à diligenti chirurgo, reique anatomicæ peritiſſimo. *Columbus lib. 11. cap. 3. Anatom.*

Mediaſtinum vnicum eſt numero. Fit vero ex duabus membranis à ſubcoſtali ꝑductis: hæc enim, vtrinque ad ſternon per pectoris caua aſcendens, inde in angulos rectos, in vertebrarum corpora reflectitur: vnde ſubcoſtalis eſt origo. In illa reflexione inter vtramque membranam, tantum interiacet interuallum, quantum duobus digitis excipiendis ſit ſatis. Alias enim, cum per cor penetrare nō poſſent, oportuit vtrinque vtranq; ſubcoſtalem ad pericardium deflectere, quoad deſtinatum locum inoffenſo curſu perueniret. Nec tamen id interſtitium vacuum eſt, ſed multis implexis neruorum tenuiſſimis fibris contextum. Columbus addit, ſæpe humore quodam præter naturam, id repleri ſpatium, quem aperto ſterno licet educere. Scire tamen vellem ex Columbo, quibus ſignis eiuſmodi contentum humorem licet agnoſcere? *Pareus lib. 3. c. 7.*

DE DIAPHRAGMATE

TVMORES.

Observatio.

De Tumoribus Diaphragmatis.

DIaphragma membrum maxime reſpirationi deſeruiens, duplices patitur tumores, atque ab vtroque ægrotantes in extremum vitæ periculum deducuntur, quidam ſunt breues, quidam longi, hi à materia ſæpius frigida, illi à calida generantur. de vtriſque egit ſatis abunde Galenus pluribus in locis. quæ loca cum ad cognitionem eſſentiæ horum tumorum, & eorundem cauſarum, & differentiarum, & ſignorum plurimum faciant, rem ita ex Galeni locis declarando exponam, in mediumq; adducam. Diaphragma, cum tumore afficitur, dupliciter hoc pati ſolet. nam irruentibus excrementis ad ipſum, poteſt tumorē, & ſine febre, & cum febre

pati:ſi ſine febre afficiatur, à principio dolor, & reſpirandi difficultas continget. præterea pulſus paruus accedit & durus, quo autem ad crebritatẽ, quoniam in his neceſſitas non eſt adaucta, vel parum quid, vel nullo modo mutatur, vt docet *Galenus libr. 4. de præſagatione ex pulſibus cap. de ſepto tranſuerſo.* & hæc excrementa debemus iudicare eſſe cruda & tenuia; quoniam craſſa non poſſunt infigi in ſubſtantiam neruoſam diaphragmatis. quoniam autem hæc excrementa carent eximia caliditate, hi tumores eſſe poſſunt non tantum longi, ſed etiam diuturni, ſicuti experientia teſtari poſſum.

Vidi in Nobili ægrotante, cui ex crudiore & ſubtiliore ſanguine factus eſt tumor in ſepto tranſuerſo diuturnus. in quo cum dolor, & ſpirandi difficultas, pulſusq; duries, & paruitas adeſſent, ad eum tamen non ſubſequutũ eſt delirium, cum hoc videretur rationabile ex eo, quod hæc pars ad mentem, vnde phrenes appellata eſt, plurimum faciat, quaſi quod ad ſapientiam conferat; quoniam materia, & tumor erat frigidus, & crudus, ex quo tandem mortuus eſt, cum prius fere ad tabem deueniſſet, & in vltimo diſrupto abſceſſu expuiſſet cruenta, & cruda aliquo modo tenuia, & quæ nullam concoctionem indicarent. Ad hunc eundem tumorem ſequitur neceſſario tenſio præcordiorum ſubuacua, quoniam tenduntur muſculi ad diaphragma, nulla exiſtente in hypochondriis inflammatione, vel alio ſimili tumore. & vt paucis hanc partem concludam, tumores hi longi & diuturni generantur à materia tenui & frigida: quæ tamen temporis diuturnitate in loco affecto craſſeſcit, & ad hos requiritur dolor, difficultas reſpirandi, pulſus durus & paruus, qui ad crebritatem vel parum, vel nihil mutatur, & tenſio hypochondriorum, nullo apparente in his tumore ad tactum, & ſi his tumoribus aliquando adiungatur febris, vt experientia pluries adnotauimus, non eſt acuta, nec delirium neceſſario ſubſequitur, quod tamen aliquando in appropinquante morte vidi acceſſiſſe, & hi tumores, cum perſeuerant, & non ſoluuntur, patientes ad tabem deducunt. Quod licet non fuerit à Galeno notatum, tamen teſtor ego verum eſſe hoc accidere, & hæc de tumoribus longis ſine febre, cauſatis à materia frigida. Si autem tumor diaphragmatis cum febre acceſſerit, hoc inde euenit, quod putreſcentibus excrementis influxis, quæ neceſſario vel bilioſus humor, vel calidus, & tenuis ſanguis ſunt: quoniam craſſa materia, vt ſanguis craſſior, & pituita lenta, propter denſitatem diaphragmatis, in ipſum non poſſunt recipi, inflammatur ſeptum ipſum. Incipiente autem ſepti tranſuerſi inflammatione, neceſſario ſequitur febris, tum ratione affectionis, tum ratione loci affecti: ratione affectionis quidem, quoniam hic tumor eſt ex calidis: ratione autem loci affecti; quoniam propter viciniam, quam habet cum corde, & propter colligantiam cum eodem ob arteriam magnam, & cum cerebro per neruos, & cum iecore per venam cauam, trahit in conſenſum omnes partes principales, & præcipue cor ipſum cuius ratione etiam febris vt plurimum eſt acuta. Hac eadem incipiente inflammatione, à principio ſtatim, quemadmodum in altero iam declarato tumore, ſequitur dolor & difficultas reſpirandi; & ideo in his antequam delirent, ſpiratio eſt parua, & frequens, vt docet *Galenus libro quinto de loc. affect. cap. 3.* & ſimiliter præcordia intenduntur abſque vllo tumore in hypochondriis exiſtente, vt *ibidem* habet, & *libro primo Epid. Comment. 3. text. comm.* 18. Hi autem increſcente inflammatione, neceſſario delirabunt, vt habetur *libro 4. de præſagiis ex pulſ. cap. de ſepto tranſuerſo. & loco citato lib. 5. de loc. affectis.* tuncque ſpiratio erit inæqualis, modo parua, modo magna, & modo frequens, modo rara. Circa hypochondria etiam, vel vt magis proprie loquamur, ad ſitum diaphragmatis nonnunquam apparet palpitatio, vel ſaltus ſeu pulſus, vt docet *Hipp. libro 1. prognoſt. text. 31. & Galenus ibidem, & loco citato primo Epide. ſect. 3. Comment.* 18. Et ſicuti ſenſus huius motus indicat inflammatum eſſe diaphragma, ita etiam eſt indicium delirii ſuperuenturi. Inflammationibus etiam iſtis ſolent ſuperuenire aliquando conuulſiones nonnullæ. nam vt docet *Galenus libro quarto de pulſ. cauſ. cap. de pulſu inflammationis.* quibus inflammatum eſt ſeptum tranſuerſum, hi conuulſionibus ſunt opportuni. In quo caſu ſemper pulſus eſt durus ob communicatam arteriis affectionem: paruus, quoniam propter duritiem non poteſt attolli, & extendi; creber etiam ob neceſſitatem adauctam, pro cuius ratione ſemper frequentia adaugebitur. Quapropter ad hunc tumorem hæc conſequentur; febris acuta, dolor, ſpirandi difficultas, hypochondriorum tẽſio, pulſatio in præcordiis, ſpiratio parua, & frequens: increſcente autem inflammatione delirium continuum, ſpiratio inæqualis modo parua, & frequens, modo rara, & magna, pulſus paruus, durus, & pro ratione neceſſitatis creber, & hi conuulſionibus ſunt opportuni, & hæc omnia enarrata, & à Galeno tradita ſufficiant, pro cognitione horum tumorum, cum hinc corundem cauſæ, differentiæ, & ſigna pateant pro quorum curatione, quam praxim communiter docentes (cum ab iis ægri in perniciem & mortem ſæpe deducantur, cumque potiſſimum inflammatorii hi tumores, pleuritide ab iis ita exquiſite pertractata, ſint deteriores) immerito neglexerunt, ad ſingulorum indicationes deſumendas, vt recta horum curatio haberi poſſit deſcendamus. Incipiendo à primis, cum curandus proponitur diaphragmatis tumor, genitus à materia frigida, quid indicabitur? indicatur, vt materia in loco affecto contenta euacuetur; euacuabitur, ſi ſenſibiliter & inſenſibiliter educatur: quoniã autẽ hic morbus ex fluxione factus eſt, fluxio materiæ fluentis prohibenda eſt. hoc autem fiet, ſi genita materia, & quæ fluere poteſt, euacuetur, ſimulque prohibeatur, ne noua generetur. Quæ omnia an poſſit Medicus ægrotantibus polliceri, animaduertant, qui horum tumorum curationem ſuſcipiunt: quod ſi tumores hi ſint incipientes, & non diutius progreſſi, poterint ægrotantium ſalutem & tumoris reſolutionem ſperare; quoniam hi poſſunt, licet cum diſcrimine, ſaluari, cum adhuc omnes vires cõſtent, & remedia opportuna ferre poſſint. Quod ſi cõtigerit, vt hi tumores fuerint diuturniores, & confirmati ſciant, ꝙ curationem admittũt tum ratione affectionis, cum qua iam occalluerint, tum quia temporis diuturnitate patientes ad tabem deducunt, cuius merito labefactatis omnibus virib. languent, generoſaq; remedia nõ poſſunt tollerare quare in principiis horum. & quamprimum occaſio dabitur, curationem aggrediantur, rectaq; ratione agentes,

agentes ita prædictis indicationib. ſatisfaciant. Propoſito tumore diaphragmatis à materia frigida, debet medicus ad euacuationem materiæ in loco affecto contentæ accedere, vt eam vel ſenſibiliter educat, vel inſenſibiliter diſcutiat. Sed quoniam ſemper particularibus vniuerſalia pręmittenda ſunt, alias ad locum affectum maior materiæ copia attraheretur, ideo inprimis corpus expurgandum erit. Vnde ante alia aluo pharmaco leniente, & opportuno lenita, materia in corpore ſuperabundans, & qualitate peccans parando vias, & fluidũ corpus reddendo propriis potionibus concoquatur, demumque medicamento conuenienti euacuatur: quoniam autem cogitandum eſt talem materiã in corpore ſuperabundare, qualis ad locum affectum fluxit, cum hæc ſit tenuis, & cruda, cuius ratione ſanguis ſubtilior, & tenuior redditur, hæc vel erit pituita aquoſa, vel ſeroſa materia, quæ ſicuti adinuicem diſtincta ſunt, ita etiam diuerſa requiruntur medicamenta. Hæc enim elaterio, ſucco radicum ſambuci, & ſimilibus facile educetur, illa autem turbith, & huiuſcemodi, quæ pituitã ſubtiliorem & aquoſam educere poſſunt, euacuabitur; quare has optime diſcernat medicus, vt recte iudicare poſſit, quib. medicamentis agere debeat: quoniam autem talis materia nõ tantum, cum eſt præſens, eſt euacuanda, ſed etiam ad tollendam fluxionẽ prohibendũ eſt, ne noua generetur, huius cauſæ attendendum eſt: quæ quoniam vel ratione imbecillitatis viſcerum, vel quia eadem ſunt obſtructa, generatur, ideo viſcerib. attendendo per propria medicamenta, de quib. omnes ſcribẽtes diffuſe pertractant, eorum imbecillitas, vel obſtructiones tollantur eademq; roborentur. An autem, dum hæc purgatio adminiſtratur, ſit cogitandum de ſectione venæ, dico, cum hic habeamus morbum longum in quo vires ſunt manu tenendæ, cum materia peccans ſit frigida, & cum tales patientes vt plurimum ſint habitus frigidioris, nequaquam venæ ſectionem cõuenire, vt quæ magis corpus refrigerare, & vires labefactare poſſit, parumq; à loco patiente, cum iam materia ibi fixa ſit, educere & reuellere queat. Purgatione inita, ad localia deueniendum eſt, quæ materiam diſcutere poſſint. An his medicamenta repercutientia præmittenda ſint, dicam hoc, cum patientes Medicum ad hos tumores curandos aduocabunt, non erunt in illo primo morbi principio, in quo forſan quoquo facto reprimentia conuenirent. Vnde tum ratione primi principii tranſacti, tum ratione materiæ peccantis, quę eſt frigida, tum ratione ſubſtantiæ mẽbri, quæ eſt neruoſa, & dura, nõ credo poſſe repercutientia in vſum opportunum venire. quare his prętermiſſis ad diſcutientia deueniendum eſt. Diſcutientia ſunt duorum generũ, alia enim interius ſumuntur, alia exterius applicantur. Quæ exterius in hoc caſu applicanda ſunt, ſint ea, quæ diſcutiendo ſimul laxare, & emollire etiam poſſint, vnde butyrum, pinguedines animaliũ, adipes & medullæ, in hunc vſum venire poſſunt: in principio autem imbecilliora aſſumantur, in proceſſu autem ſint validiora. quare inprimis dieb. aſſumatur butyrum recens, pinguedo ſuilla, pinguedo pullorũ, pinguedo anſerina, medulla vitulina, & medulla ceruina, quæ omnia ſint recentia, in progreſſu autem morbi, hæc eadem antiquata ſumãtur & vbi validiori diſcuſſione egerimus, aſcendemus ad pinguedinẽ taurorum, vrſorum, leonum, quæ omnes prædictis ſunt magis diſcutientes. Quoniã autem pars affecta non ita facile expoſita eſt medicamentis, ſed intimas corporis partes permeat, ideo, vt profundius hæc medicamenta penetrare poſſint iubeo nonnunquam, vt lixiuio, & aceto ſimul lauentur, hinc enim maiorem partiũ ſubtilitatem adepta altius penetrare valent. cum his poſſunt commiſceri olea diſcutientia, ſicuti camomelinum, anethinum; poſſunt ex iiſdem formari emplaſtra additis radicibus altheæ, maluæ, liliorum alborum, ſeminibus lini, fœnugræci, & ſimilibus, commiſcendo aliquando ſtyracem, therebinthinam, ammoniacum, & cætera gummata, quæ emollire poſſunt. Nonnunquam vſus ſum cum felici ſucceſſu emplaſtro de meliloto, quod valde profuit. perfuſiones etiam ex oleis prædictis, & decoctionibus rerum enarratarum, quoniam altius penetrare poſſunt, maxime in hoc caſu conuenirent. quæ modo validiora, modo imbecilliora parẽtur, prout occaſio, & ſtatus morbi indicabit. & hæc de diſcutientibus exterius applicãdis. Interius autem ſumenda, ſunt ea, quæ ſimul partes naturales roborando poſſint diſcutere, in cuius vſum præcipue veniunt confectiones magnæ, ſicuti Theriaca, & Mithridatium, ſed ego aliquando ad aliud remedium nobile deueni, coniecturã faciẽs me ex hoc poſſe hoſce tumores diſcutere, analogia deſumta à cęteris tumorib. etiam præduris, quos aliquando experientia ab eo ſolutos vidi. Hoc fuit decoctũ ſalſæ pariliæ, quo nonnullos ab hoc morbo liberaui, prius tñ præmiſſis vniuerſalibus purgationib. exquiſitiſſime factis, nec dimiſſis etiam localibus, & particularib. iam enarratis remediis. In aliquibus tamen hoc idem decoctum exhibui, qui nullo pacto releuari potuerunt; vel quia in his iam tumor occalluiſſet, vel quia nimis tarde adminiſtratũ fuiſſet, hiq; tabe conſumti, anguſtiatique, tum à dolore illo continuo partem anteriorem thoracis affligente, tum à ſpiratione admodum parua, & denſa continue tandem cum maxima calamitate perierunt. De altera intentione, videl. de euacuatione materiei in loco affecto contentæ ſenſibiliter facta, hoc dicam, quod nullo modo expectanda eſt, cum diaphragma à parte ſuperiori membrana coſtas ſuccingente, à parte autem inferiori peritonæo veſtiatur, vnde ad extra nihil eius materiei reſudare poteſt, niſi forſan diſrupto abſceſſu, materia in cauitate thoracis deducta per tuſſim educatur, quem caſum aliquando vidi cum maximo laborantium diſcrimine acceſſiſſe, quo tempore medicus excretionem materiæ facilitet abſtergendo, & leniendo, ſiq; dabitur occaſio (hinc enim ego vidi mortem ſubſequi) diſcuſſo tumore ad conſolidantia deueniat. Victus in talibus tumoribus non tenuis, cum morbus futurus ſit longus, attenuans tamen, imperetur, cibariaque præter cætera non ſint excrementoſa, nec difficilis coctionis, abſtineatq; ab omnibus, q̃ aquoſos tenues, & ſeroſos humores abundare faciunt. Vnde multa etiam iura fugiantur, & potus ſit, quam maxime fieri poterit, parcus; omnis enim potus modicus ſit, dicebat Gal. dum de Orthopnœa ageret, in iis qui alicubi abſceſſum habent, & maxime in his, qui in profundo corporis exiſtunt. Abſtineant ante purgationem factam à vino; quoniam vinum omnes fluxiones proritat, adauget, & accelerat, tumque vtantur aliquo decocto parato cum ſaccharo,

vel melle admixtis aliquibus attenuantibus, ſicuti
vel ſeminib. odoratis, vel Iſſopo, vel origano, vel ſi-
milib. celebrata a. purgatione bibant vinum tenue;
album, oligophoron, & ad dulcedinem decliue. Ex-
crementorum alui maxima habeatur ratio; quoniã
in omni difficultate ſpirãdi fæcum retentio moleſta
eſt, hiſq; conueniunt clyſteria mollia quidem ꝑ ma-
iori parte, tamen per interualla poſſunt etiam venire
in vſum acria, quæ & reuellere, & calefacere, & eua-
cuare pro parte materias illas crudiores poſſunt. quę
eædem materię diureticis ad expulſionem protiten-
tur. q̀ facile fieri pro earum tenuitate poterit. Diure-
tica autem in hoc caſu nõ ſint illa aquoſa, & frigida,
ſicuti ſemina illa communia, ſed ſint vere diuretica,
quæ caliditate, & facultate propria lotium prouoca-
re poſſint. & hæc de tumoribus à frigida materia ge-
nitis dicta ſint.

Cum diaphragma tumorem à materia patitur ca-
lida, æger acuto detinetur morbo. hic enim eſt inflã-
matio, qua poſita communes omniũ inflammatio-
num indicationes deſumẽdæ ſunt, materia enim in-
flammationem faciens euacuanda eſt. euacuabitur
ſi retrocedet, vel diſcutietur. retrocedet autem, ſi re-
pellatur vel reuellatur, & euacuetur. quoniã autem
nec repelli, nec diſcuti poteſt pleno exiſtente corpo-
re, ideo totius euacuatio pręmittenda erit, poſtea re-
pellendum & diſcutiendum eſt. Has indicationes
cum maxima difficultate Medicus exequi poteſt;
quoniam, & ratione membri affecti, & ratione colli-
gantiæ, quam cum omnib. principalibus viſceribus
habet, cuius merito hæc acutiſſima eſt affectio, cito
deducitur æger in extremum vitæ periculum quod
eo promtius euenit, quoniam huiuſcemodi ægro-
tantes adeo deſipiunt, & delirant, vt nec ad oblata,
nec ad cętera, quæ opportuna fierent remedia, bene
ſe habeant. hincq; cum facile exoluantur vires, in vl-
timum vitæ diſcrimen incidunt. Quapropter pro-
poſito tali ægrotãte, pro prima intentione, dum ad-
huc vires conſtant, nec admodum delirant, ſtatim in
primo huius morbi principio, lenita aluo clyſtere
molli, & refrigerante (quoniam hic acria ratione af-
fectionis, & febris acutæ non conueniunt) ſecetur
vena interna brachii dextri, quantitas ſanguinis ea
ſit, quæ pro ratione habitus, tẽperaturæ, aeris, & po-
tius virium copioſa, quã mediocris iudicari debeat.
repetaturq;, ſi vires tollerabunt, morbusq; non ce-
dat. loco affecto applicentur, quæ partim potentia-
liter refrigerare, partim reprimere poſſint. ſint tamẽ
actu ſubcalida, non autem frigida, ratione partis, quę
& duræ eſt ſubſtantiæ, & in continuo perſiſtit motu.
à frigidis enim actu potius rigeret, indeq; ad motum
proprium difficilius ſe haberet. Vnde à principio in-
ungatur locus patiens oleo roſaceo cõpleto, vt minꝰ
adſtringat, ſubcalido. cui poſtea in proceſſu morbi
addatur parum camomelini. ad quam eandem in-
tentionem poſſunt parari perfuſiones ex decoctio-
nibus herbarum frigidarum, ſicuti ex endiuia, violis,
lactuca, ſemper viuo, & ſimilibus, quibus epithime-
tur etiã locus affectus. his autem, cum diſcutiendum
erit, addatur malua, althea, flores camomeli, meli-
loti, ſemina lini, fenugræci ex iiſdẽ herbis contuſis,
& earundẽ ſuccis, addita farina hordei: & oleis præ-
dictis poſſunt parari emplaſtra, quæ in principio ſint
potius refrigerãtia, in augmento autem admiſcean-
tur refrigerantibus aliqua diſcutientia, quorum ma-
ior copia iñ ſtatu eſſe debet. in declinatione autem
ſint fere ſimpliciter diſcutientia. ad quem vſum pin-
guedines, & cætera, q̃ propoſita ſunt in antecedenti
caſu ad diſcuſſionem, accedere, & adminiſtrari poſ-
ſunt. Cum autẽ morbus eſt in augmento, ſi ſympto-
mata validiora moleſtent, morbumq; non remitti
ſed grauiorẽ fore timeamus, laudo præcedente iam;
& facta ex interna vena ſanguinis miſſione, vt ſedi
admoueantur hirudines, à quibus maximam ab illis
internis partibus reuulſionem ſperare poſſumus. In-
terim dum hæc fiunt, commendo, vt extremis par-
tibus balnea, & lotiones adhibeantur, quę ſint para-
tæ ex herbis refrigerantibus admixtis nonnullis diſ-
cutientibus; ita enim actuali caliditate poterimus
reuellere à loco affecto, & potentiali frigiditate de-
mulcebimus affectum ipſum. Sique inſtet delirium,
cuius ratione ſubſequãtur vigiliæ immoderatæ, ſyn-
cipiti oxirrhodinum ad refrigerandum; temporib.
& naribus ad ſomnum prouocandum nonnulla le-
uia ſtupefacientia applicarem, eiuſque ordinis non-
nulla lotionibus prædictis adderem, & ne exacerbe-
tur in his delirium, multitudinem hominum, lumi-
num, imaginum, ſermonum, & huiuſcemodi inter-
dicemus. Quo ad victum ſola ptiſana exhibeatur.
Potus ſit aqua, alui excrementa quotidie excludan-
tur, ſi non ſponte, arte. Declinante autem morbo, vi-
ctus ſit plenior, augeaturq; pro ratione viriũ, & de-
clinationis morbi, tuncq; vinum exhiberi poteſt de-
bile, album, & tenue, & dilutum. *Pet. Salius De Curat. Morb. ab Ordin. Pract. non exhibitorum ca. 8. pag. 257.*

Observatio.

Diaphragmatis, Mediaſtini, & cordis tumore, mortuus.

ANnus Milleſimus, quingenteſimus, octuageſi-
mus nonus, dies mẽſis Martii ſeptimus, D. Tho-
mæ Aquinati ſanctus fatalis extitit, quem nominaſſe
ſat eſt, Hieronymo Capiuaccio: is moriturus, Han-
nibali Pimpiolo hæredi, & ex ſorore nepoti, ſectio-
nem ſui demandarat corporis. Ad quam conuocati
Gymnaſii Medici: inferioribus apertis ventribus:
quem ipſe phlegmone laborare crediderat (ſolo cõ-
tra naturam thorace conſtituto) naturaliter ſe habe-
bat. Diaphragma n. ad latitudinem pollicis elatum:
venæ aterrimo conſpicuę ſanguine: dexter pulmo li-
uidus: pericardiũ vſitato craſſius: cor ipſum tumen-
tius. Ibi varie de cauſis contrauertentibus; illius pla-
cuit ſententia, qui Hippoc. & Galeno pręſidibus, hę-
morrhoides à morbis pręſeruare, ſuperuenientes, ab
iiſdem liberare, impeditas, contrarium facere, deci-
debat. Per annos n. aliquot ſuppreſſas mariſcas non
excitarat: Vnde, qui cõtinuo motu calet thorax, im-
becillior, in ſui vt perniciem melancholicum attra-
heret humorem, effectum eſt. *Ioan. Ieſſenius à Ieſſen, de Obſ. proprijs, per* V. CL. *Laur. Scholzium mihi cõmunicatũ.*

VVLNERA.

Observatio.

Diaphragmatis vulnera conglutinata.

SEptum tranſuerſum vulneratum, in parte mem-
branacea, curari nõ poteſt: in carnoſa vero poteſt
facile. Alexander Benedictus meminit cuiuſdam
militis, qui fuit percuratus: nos ipſi obſeruauimus in
ſuſpenſo quodam, cuius ſectioni in Scholis Medicis
Pariſienſibus præfuimus, vulnus obductum cica-
trice,

trice, in parte carnoſa diaphragmatis. *Holler. Comm. ad aph. 18. lib. 6.*

Septum tranſuerſum muſculus eſt orbicularis, ad amplam latitudinem exactè membraneus, in medio ac tanquam centro caput ſuum principiumque habens, à quo ad partes thoracis inferiores exporrectus, paulatim in progreſſu denſior carnoſiorque redditur, donec infimæ pectoris oſſis, & ſpuriarum coſtarum cartilaginibus, vertebrisque lumborum ſuperioribus inſeratur. Quibus locis inuertitur, reflectiturque ſurſum vt ſupra quintam coſtam manifeſto aſcendat: nonnunquam etiam, vt in ſuffocatis, concidente pulmone ad ſuperiora attractum diſtentumque in thoracis amplitudinem iecur & ventriculum trahat. Ex hac ſubſtantiæ varietate efficitur, vt quo vulnera ad centrum & meditullium propius accedunt, eo mortifera magis habenda ſint: quo vero remotiora, minus. Ea autem *Galenus* ita diſtinguere videtur, vt alia foras non perueniant, cum videlicet vas aliquod in diaphragmate ruptum eſt ex caſu aut contuſione: Alia telo facta ſint, quibus non ſolum ſeptum, ſed etiam partes ventris aut thoracis externæ diuiduntur. Vtrobique carnoſæ partes ſauciatæ coaleſcere poſſunt, ſepti motu perpetuo agglutinationem non impediente, quanquã difficilis grauiſque curatio eſt, ſi has iam phlegmone occupauerit. Quæ vero in neruoſis eius hærent, inſanabilia eſſe conſtat, quoniam ad perpetuũ ſepti motum accedit ſubſtantia neruea, quæ coaleſcere non poteſt. In aphoriſmis tamen (5. *aphoriſ.* 18.) neruoſarum etiam partium vulnus, quod nec magnum ſit, nec profundum, interdum, quanquam raro, ſanari non negat. Scribit enim ſolam διακοπὴν, quæ eſt magna & profunda diuiſio, vt totius tunicæ, in veſica, inteſtinis tenuibus, & ſepti neruoſa parte, lethalem eſſe, quaſi exciperet leuiorem vulnerationem. Carnoſas autem partes perfectas curari, non ſolum ratio & authoritas, ſed etiam experimenta frequentia docent. Tribus abhinc annis iuuenem Arelatæ curauimus, viuum adhuc & valentem, cui vulnere inflicto in dorſum, circa medias vertebras thoracis non longe à ſpina totus thorax perforatus eſt, telo per dextrum hypochondrium exeunte: tametſi præter ingentem ſanguinis profuſionem, multus ſpiritus cum ſtrepitu per vulnus prodiret, nec dubitari poſſet ſeptum vtrinque confoſſum: de hepatis etiam læſione ſigna quædam apparent. *Iacotius Comm. ad aph. 15. lib. 1. Sect. 3. Coac. Hipp.*

OBSERVATIO.

Diaphragmate vulnerato, ventriculum aliquando aut inteſtina in thoracem per vulnus ſubtrahi.

CVm diaphragma vulneratum eſt, ponderis ſenſus eo loci moleſtus eſt, delirium inuadit, per neruorum qui à ſexta coniugatione in diaphragma effunduntur ſympathiam, dyſpnœa, tuſſis, & dolor acutus ægrum male habent, ſurſum ilia conuelluntur, adeo vt inſpirationis vehementia contingat aliquando ventriculum & inteſtina per vulnus in thoracis capacitatem pertrahi: quod ego in duobus obſeruaui. Horum vnus latomus mediũ diaphragma, qua parte neruoſum eſt, transfixus, triduo poſt interiit. Diſſecto ventre inferiore, ventriculum cum non reperirem, rem mõſtro ſimilem arbitrabar. Sed tandem anxie perquirens, raptum ipſum in thoracem animaduerti, etſi vulnus pollicem vix eſſet latum. Erat vero ventriculus flatu multo, pauco admodum humore diſtentus. Alter Franciſcus Dalon dicebatur, Capitaneus Santo. Huic ad Rupellam glans manuario tormẽto emiſſa, per ſterni fines iuxta xyphoidem cartilaginem ſubiens, diaphragmatis partem carneam transfodit: atq; per interſtitiũ quod quintę & ſextæ coſtæ nothis interiacet, exceſſit: vulnere parte externa cicatrice obducto, reſtabat ipſi nihilominus ventriculi debilitas, ex quo inteſtinorum dolor colico ſimilis ſub veſperum & de nocte præſertim exurgebat: qua de cauſa cœnare ipſe, niſi admodum parce, non audebat. Sed octauo demum menſe, acrius ſolito ſæuiente per imum ventrem dolore, è viuis exceſſit; etſi ad minuendam doloris acerbitatem nullum remedii genus à Simone Malmediano & Antonio Vallenſi Medicis, in omni Medicinæ parte verſatiſſimis, qui ipſi aderant, eſſet prætermiſſum. Mortui cadauer Iacobi Guillemau, Chirurgi peritiſſimi manu diſſectum eſt, animaduerſumque magnam coli inteſtini partẽ, flatu multo turgidam, ipſi per diaphragmatis vulnus in thoracem irrupiſſe, vulneris tamen amplitudo vix minimi digiti capax erat. *Pareus lib. 9. cap. 30.*

DE PLEVRA.

OBSERVATIO.

Subcoſtalem tunicam vbiq; duplicem eſſe, Galeno & experimento id addocente, contra Veſalij ſententiam.

MEmbrana pleura nequaquam ſimplex eſt, licet Veſalius ſimplicem eſſe ſcriptum reliquerit, qui in hoc Galenum iniuria accuſat, cum ipſe, vt parum diligens, non accuſari non poſſit: quod ſi adeo diligens in hac re fuiſſet, vt in aliis pleriſq;, comperiſſet pleuram duplicatã eſſe. Cum duplicem hanc ſuccingentem membranam dico, ne exiſtimes me dextram illam tantum & ſiniſtram appellare, ſed vbiq; pleuram duplicem eſſe aiô, duas ſcilicet eſſe membranas, quarum altera interna eſt, externa altera, inter quas venæ, arteriæ neruiq; præterlabuntur: quæ omnia inter coſtarum interualla ducuntur: atq; hic ſæpe fit pleuritis. Si cauſam quæris, quare duplicem hanc membranam natura genuerit, ob oſſium duritiem opinor, ne interna pleura, quæ adeo ſentit, vt nihil ſupra, ob pulmonis continentem motum læderetur. *Columbus lib. 11. cap. 3. Anatom.*

OBSERVATIO.

Subcoſtalis tunica in thoracis morbis craſſiſsima animaduerſa.

SVbcoſtalis tunica ampla eſt, thoracis cauitati reſpondens, tenuis, ſed robuſta, craſſior tamen circa dorſum. Atque in thoracis morbis quibuſdam ita ſæpe excreſcit tumetq; vt decuplo craſſior, quam cum ſana erat, ſicuti obſeruauimus, euadat. *Platerus lib. 2. de corporis humani ſtructura, pag. 168.*

MVSCVLI THORACIS.

Observatio.

Duos tantum intercoſtales muſculos eſſe, contra Veſalium, & alios.

FALLITVR Auicenna, quando cenſet quatuor eſſe muſculos in ſingulis coſtarum ſpaciis: quem Veſalius & pleriq; alii Anatomiæ proceres imitati, ſimili errore præoccupati fuerũt. Nam vt Fallopius (olim præceptor meus Patauii,) ſubtilius animaduertit, duo ſunt duntaxat muſculi reuera in quolibet intercoſtali ſpacio: quorum exterior incipit à poſtica parte, vbi coſta proceſſui tranſuerſo vertebræ articulatur: atq; inde antroſum oblique declinantibus fibris procedens, fere attingit cartilaginis initiũ. Interior vero priori ſubſtratus, incipit ab ea parte coſtæ, vbi ipſa curuatur: & fibris antroſum oblique aſcendentibus, progreditur vſq; ad os pectoris, ſpaciumque inter cartilagines à priore ſuperioreue, nulla ex parte occupatum, implet: haud aliter quam ſuperior, ille atque exterior occupat retro vniuerſum ſpacium inter coſtas, à vertebrarum tranſuerſis proceſſibus, vſque ad curuaturæ ſeu inflexionis coſtarum regionem. Quod vero, ablato muſculo intercartilagineum ſpaciũ implente, occurrat alterius generis fibrarum caro, id non facit eſſe alterum muſculum intercartilagineum, vt credidit Veſalius: quinimo eſt pars ſexti thoracis muſculi, pone ſternum latentis. Ergo intercoſtales muſculi omnes ſunt quadraginta & quatuor, non plures vel pauciores. *Ioubertus in Annotat. ad tractat. de Anatomia Guid. de Cauliaco, pag.* 437.

OSSA THORACIS.

Observatio.

Vertebrarum thoracis numerus varius.

VERTEBRAS thoracis tum vndecim, tum tredecim vidi aliquando. *Columbus lib.* 15. *Anat.*

Observatio.

Oßium ſterni ſeu pectoris mira varietas.

OS pectoris in hominibus latum eſt, ac breue, ex paucioribusque conſtructum, quam Galenus ſenſit: quando ille putauit, tot in eo oſſa eſſe oportere, quot eſſent legitimæ coſtæ, vt ſingulis eſſet, cui adhæreſcerent. Septem igitur ille ſanxit: cum tamen plurimum ſint quatuor, minimum vero tria: quod in ſimiis & canibus falſum non eſt. *Idem lib.* 1. *cap.* 20. *Anatom.*

Sternon, Galeni ſententia, ſeptem oſſibus conflatum eſt, credo propter inſignem hominum qui tum viuebant magnitudinem. Noſtris temporibus ſæpius id reperias, tribus, quatuor, aut quinque oſſibus compactum: quanquam negare nolumus nos id ſæpe animaduertiſſe (in iunioribus præſertim) ex ſeptem & octo oſſibus conſtare. Quare his, quibus in ſterno oſſa ſunt numero pauciora, iiſdem magnitudine ſunt latiora, vt excipiendis coſtis ſufficerent. Hæc communis opinio eſt de ſterni oſſibus. *Pareus lib.* 3. *cap.* 1. De ſterni oſſibus in infantibus, vide *cap.* 8. *Coiteri de Oßibus Infantium: & Syluium Comm. ad cap.* 12. *de Oßib. Galeni.*

Observatio.

Sterni cum coſtis ad interna reflexio natiua, ſpirandi difficultatis cauſa.

PAter meus oſtendit mihi puerum ſeptem annorum, apud Nobilem de Andlau, cui cartilago enſiformis, & ſterni pars aliqua cum coſtis ad internas partes admodum reflectebatur, ita, vt magna ibi cauitas appareret. Videtur diaphragma anguſtius eas cõtrahere partes. Ab ipſa natiuitate hoc vitio inſtrumentali laborauit, cũ difficultate ſpirãdi, obnoxius tuſſi eſt. Nunc grauiſſime laborat, ita vt videatur ſuffocationis periculum imminere, viſcida admodum ſpuit. Ait Domina de Andlau, ſe habere nepotem multo minorem ex eodem natum, eodem affectum vitio, *Ex obſeruat.* CL. V. *Ioan. Bauhini.*

Observatio.

Sterni fractura & depreßio vt emendata & reſtituta.

STernum aliquando frangitur, alias ſine fractura deorſum imprimitur tantum. Fracturam prodit inæqualitas tactu perceptibilis; ad digiti impulſum introceſſio, & crepitantium ſub digitis oſſium ſtrepitus. Depreſſionem vero manifeſta in parte cauitas, tuſſis, ſputum ſanguinis, atq; ex membranæ coſtas ſuccingẽtis ac pulmonum cõpreſſione diſpnœa, arguunt. Id os ſeu fractum ſeu depreſſum fuerit, vt priſtino ſtatui reſtituatur, ſubſtrato vertebris dorſi puluinari; tomento ac fœno infracto, æger eſt reſupinandus, quemadmodum in reſtituẽda iuguli fractura fit. Tum miniſter ambabus manibus, in eius humeros quaſi depreſſurus, magna vi innitetur, interim dum artifex coſtas vtrinq; comprimens, manu temperabit molieturq; reſtitutionem: inde prohibendæ inflãmationi & ſedando dolori remedia deſtinata apponentur, plagulæ aptabuntur, & decuſſatim ſupra humeros deligatio faſciis inſtituetur, haud illa quidẽ arctior, ne ſpirandi libertatẽ ægro adimat. His ego artibus iuſſu Antonii Borbonii Nauarrorũ regis, curaui & ſanaui Antonium Benandum, equitem torquatũ, cum ipſi globo ferreo campeſtri tormento emiſſo, lorica ita ſubſidens & intro cõpulſa, ſternum pariter depreſſiſſet, & ex ictu tãquam mortuus concidiſſet, is totum trimeſtre poſt procuratã à me oſſis reſtitutionem cruenta expuit, & nihilominus viuit etiam hodie feliciter. *Pareus lib.* 14. *cap.* 10.

Observatio.

Coſtarum numerum plurimum variare.

COmmunes partis ſuperioris inferiorisque coſtę octonæ. Nam de hominibus gentis Turdulorum, quos ſeptenis coſtis ferũt generari, nullius idonei autoris teſtimonio conſtat. *Ariſtoteles lib.* 1. *cap.* 15. *de Hiſt. animalium.*

Coſtæ viris ac mulieribus ab vtroque latere duodeno conſtant numero, à quo ſi quando variant, tredecim ſæpius quam vndecim ſolum ſeſe offerunt, quemadmodũ tredecim quoque thoracis vertebras ſæpius, quã vndecim tantum occurrunt. Singulis n. thoracis vertebris, ſingulæ in ambob. laterib. articulantur coſtæ. Quod a. viros coſta quapiam in altero latere deſtitutos, ac viros vnius coſtæ numero à muliere ſuperari, vulgus opinatur, ridiculum plane eſt: Etiamſi Euam ex Adæ coſtã à Deo procreatã, Moyſes prodiderit. Quamuis enim forſitan Adæ oſſa, ſi quis ea in ſceleton compegiſſet, ex altero latere vna caruiſſent coſta, non ob id tamen omnibus quoque

viri

viris vnam deficere neceſſe eſt. Ariſtoteles homini octo coſtas tantum tribuit, conceſſurus etiam, quaſdam gentes Turdulorũ ſeptenis coſtis creari, ſi modo id alicuius idonei authoris teſtimonio ipſi conſtitiſſet. Verum vt hic Ariſtoteles aliorum tantum ſuffragiis ſuum dogma firmaret, ita quoq; non diſſimile vero eſt, illic octo coſtas homini ex aliorum relatu eundẽ aſcripſiſſe, hacq; ratione rem ipſi non viſam, parum recte nobis tradidiſſe. Quanquam interim dum memoratũ iam Ariſtotelis locum aliquando Patauii enarrarem, ac ſummæ (propter ſingularẽ literarum, ac iuris ciuilis cognitionem) ſpei adoleſcentibus, Iacobo Nigro, & Ioanne Centurione, Patriciis Genuenſibus accepi, generoſiſſimos Ligures in veterum monumentis ἑπταπλεύρους fuiſſe appellatos. Cum tamen is populus, vt eſt nauali terreſtrique pugna ſtrenuus, optima quoque membrorum ſymmetria ac numero ſit ſpectatiſſimus. *Veſalius lib. 1. cap 19. de corp. hum. fabric.*

Coſtæ vigintiquatuor numerari ſolent, quando vtrumque latus duodecim admittit: qui tamen numerus nõ idem ſemper reperitur. In aliquibus enim aliquando tredecim, aliquando vndecim coſtæ inſunt, multo tamen rarius deeſſe videas quam ſupereſſe. Abundantem vna tantum coſtula, mulierem ſanctam nomine, à me publico Piſarum theatro diſſectam, ac demum ad ſceleti formam compoſitam, apud ſe detinet familiaris meus Bartholomęus Stratenſis, medicinæ Piſis publice profeſſor, quã aliquãdo expoſitam memini cernentes idiotas pene iureiurando affirmare ſolitos, illam ipſam coſtam eſſe, qua fœminæ viros ſuperant: cum tamen idem ſit numerus coſtarum in viris pariter & mulieribus. Quod ſi quandoq; aut in his aut in illis vel deficiunt vel ſuperant: id nimia materiæ copia vel eiuſdem inopia certum eſt prouenire: quemadmodum contingit cum natura aberrans, plures in manu paucioreſque quinq; digitis ꝓducit. Verum quod de thoracis vertebris dictum fuit, idem quoq; de coſtis affirmandũ eſt. Cum enim ſingulæ vertebræ geminas coſtas excipiant, & illę, ſi modo variare numerum contingat, rarius pauciores quam plures duodecim exiſtant, ita rarius minuitur coſtarum numerus, quę quidem varietas æque in marib. ac fœminis deprehendi ſolet. Quamobrem non poſſum ſatis mirari Ariſtotelem, alioqui præcipuũ naturæ filium, ſcribere auſum eſſe octo coſtis homines conſtare, atq; apud aliquas nationes ſeptem ſolummodo coſtis donatos eſſe. Vndecim mihi ſemel tantũ dinumerare licuit, cum primum Pataui Anatomicam adminiſtrationem publice profiteri cœpi. Etenim cum Veſalius abeſſet, ac diutius in Germania detineretur, vt opus ſuum de Humani corporis fabrica imprimendum curaret, me tum, Venetiis primario chirurgo ac præceptori meo Ioãni Antonio Leonico graui morbo laborãti, omni officio ac potius pietate aſſiſtentem, vniuerſa Schola Patauina dignum iudicauit, quem in Veſalii locum ſufficeret, ac non cõtemnendo pretio accerſiuit. In ea igitur diſſectione cadauer vnũ vndecim coſtis munitum forte fortuna obtigit. Cuius deinde oſſa decocta, & æneis vinculis compacta, ad præſtantem medicum Ioannem Baptiſtam Picinardum Cremonam miſi. *Columbus lib. 1. cap. 19. Anatom.*

Coſtas viginti duas, viginti quinq;, & viginti ſex aliquando obſeruaui. *Idem li. 15. Anat.*

Observatio.

Coſta vera gemina animaduerſa.

Anno 1523. In anatomia publica, vna coſta vera apparuit duplex, vbi oſſibus pectoris iungebatur. Sua figura eſt lunata, ſua ſubſtantia, & quantitas, & ſitus patent. *Iacob. Carpus in Iſagog. Anatom.*

Observatio.

Aliquando duas aut tres coſtas connexas coaluiſſe, vel in notabilem tumorem abiiſſe.

Quandoque duas ex coſtis, treſve admodum connexas: at in aliis, in notatu dignum tumorem excreuiſſe, animaduerti. *Columbus lib. 15. Anat.*

ICTVS ET VVLNERA THORACIS.

Observatio.

Pectoris vulnere accepto, ingens puris copia, cum pulmonum & aſperæ arteriæ portiunculis excreta, æger tandem conualuit.

Arcularius, ciuis noſter, Iſacus Alant, cum ante annos viginti à famulo in thoracis infima ſede vulnus profundum punctim cultro factum accepiſſet, fœtidiſſimum pus, cuius tetro odore tota vicinia inficiebatur, & pulmonũ portiunculas aliquot, in quibus aſperę arterię rami cartilaginei manifeſte patebant, per vulnus reddidit. Quibus diu perſeuerantibus, licet penitus contabeſceret, in fine tamen, puris effluxu remittente, vulnus occluſum eſt, ipſeq; ſanitati reſtitutus. Tabellarii munus deinceps multis annis obiens, adhuc viuit incolumis. CL. V. *Felix Platerus, de Obſ. propriis.*

Observatio.

Dexter pulmo vulneratus & abſcedens, reconualeſcente ægro.

Pataui Anno 1590. noctu à conuiuio comitatu domum contendentes germani noſtri, à Polonis quibuſdam armatis operiuntur, quorum impetum dum ſuſtinent, in conflictu aduerſariorum ferocior à noſtrate gladio pulmonem per dextrum icitur, qui domum delatus, à medicis Cheirurgis primariis acceſſus, pro deſperato habitus, curam tamẽ flagitanti, naturam præterea indies læſum pulmonem ſub curationem fruſtratim excernere ſpectantibus, naturæ manus & ipſi attulere iuuareq;, donec totus abſcederet: id enim loci interni cõſpicua vacuitas, & cum pure venarum & arteriarũ grandiora rudera euulſa, iniecta, vnaq; extracta, oſtendebãt. Vnde poſt menſes aliquot aſtringentibus & ſiccantibus introiectis mulſis, cõualuit. Huic ego, cũ vltimo Venetiis eſſem in Aquilæ diuerſorio, pallenti quidem, at ſpiranti facile, repetente patriam, fauſta præcatus ſum. *Ioann Ieſſenius à Ieſſen, de Obſeruation. propriis, per* CL. V. *Laur. Scholzium ad me miſſis.*

Observatio.

Thoracis ſinus apertus.

Milhuſii ciuis Arculari⁹ ab alta arbore delapſus, in palum acutum incidit, q in lumborũ regione muſculos perforans, ſurſum in pectoris cauitatẽ vſque penetrauit, & in regione dorſi rurſum erupit: extracto palo, nihil aliud poſt curationẽ mali paſſus eſt, niſi quod foramen fiſtuloſum in dorſi regione, thora-

thoracis cauitatem penetrans, apertum remanſit, per quod lumen admotum flatu erumpente in thoracis conſtrictione agitabatur, & nonnunquam extinguebatur. Sed & quod mirum fuit, petia induſii lanei rubri per idem foramen ſinuoſum multo poſt tempore erupit; quod cum à magicis artib. proficiſci multi crederet, tandem illius induſii, quo, cũ lapſum paſſus eſſet, indutus erat, portionem fuiſſe, vna cum palo intruſam, & eouſq; adactam, induſium ſciſſum aſſeruatum & exploratum patefaciebat. Et ſic diu poſtea ſuperuiuens, ſinu hoc thoracem patefactum, ſine alia aliqua noxa, vti ipſe vidi ſæpius, habuit. CL. V. *Felix Platerus de Obſeruat. proprijs.*

Obseruatio.

Sagitta circa præcordia vulneratus, relicto mucrone, vaticinatur multa, tandemq; miraculo liberatur.

Iuuenis, quidã Florentinus, nomine Gaſpar, dum, circa præcordia ſagitta vulneratus, ſpiculum educere nititur, relicto mucrone, arundinem tantum euellit. Quem cum Chirurgici, omni licet ingenio, omniq; prçſidio nixi, euellere minime potuerunt (in intima enim coſta adeo inſederat, vt reuelli nullo auxilio poſſet, niſi coſta ipſa perfracta, & vulnere ampliore facto) mortem potius quãlibet miſerabilem, quam tale genus curationis ſubire malebat. Quare tandem in deſperationẽ verſus, laqueo ſuſpendere ſe, aut profluenti Arno, vel alto puteo præcipitem dare cogitabat: quod & feciſſet niſi aſſiſtentes amici illum diligentiſſime cuſtodiſſent. Inter quos erat vir quidã Mariottus nomine, fide & probitate pollens: hic hominem iugiter deprecabatur, vt deſperatione reiecta, in manus potius Dei, à quo eſt omnis ſalus, tam grande malũ tradere conaretur. Huius tandem precibus flexus Gaſpar totus ad Deum conuertitur, non die, non nocte ab oratione ceſſans: donec in vaticinium prorumpens, nonnullos interim, q̃ ad eum viſendi gratiã accederent, dum adhuc procul eſſent, paulo poſt adfuturos prædiceret. Quinetiã & ignotum quemlibet proprio quoque nomine citans, admonebat adſtantes omnes vti Deum timerent, & de ſalute ſua confiderent. Se enim nõ modo de ea, deq; die & hora qua eam conſequi deberet, certiorem factum eſſe, ſed multa præter ea eodem lumine præuidiſſe aiebat: vt profectionem ſuam Romam & mortem, exilium Petri Medicis, & fugam, ciuitatis noſtrę Florentinæ anguſtias & calamitates, Italiæ ſubuerſionem, & alia quamplurima, quæ breuitatis cauſa ſilentio præterimus: quæque fere omnia magna ex parte impleta iam videmus. Nam & qua prædixerat die atq; hora, mucro ipſe ex vulnere ſponte ſua proſiliit: quo eiecto etiam vaticinari deſtitit, & Romam tandem peregre proficiſcens, mortuus eſt. *Beniuenius cap. 10. De Abditis.*

Obseruatio.

Ictus in cordis regione, vulnere ad thoracis cauitatem penetrante, & coſta diffracta, ſeruatus.

Claudius Chillacus, ſocer meus, confoſſus in cordis regione, adeo vt ictus in cauitatem thoracis penetraret: citra tamen partium internarum (ꝙ cognouerimus) læſionem. Cui coſta quoq; erat fracta, eius ſonitum ad cordis motum apertiſſime ob fracturam audiebamus. Quæ ſane res mihi curationem efficiebat dubiam: fieri enim poſſe non videbatur, vt coſta ob perpetuam cordis agitationem callo obduceretur, quæ ſic fracta, vlcus fouebat, vt putre quippiam ſemper appareret, magnum imminebat fiſtulæ periculum, ac deniq; interitus ægrotanti, qui tamen diuino ac ſingulari propemodum munere, noſtraq; opera & diligẽtia, contra omnium opinionem priſtinæ valetudini eſt reſtitutus. *Anton. Chalmeteus lib. 2. cap. 22. Enchirid. Chirurg.*

Obseruatio.

Aeneo tormento thoracem tranſuerberatus, conualuit.

Gaſpard Varederia, Patritius Arelatenſis, æneo tormento, (vulgo piſtole vocant) ſecundum thoracem tranſuerſim vulneratus, globulo vtrinq; à latere ad latus ſecundum muſculos externos permeante, curatur. *Valleriola lib. 5. Obſeru. 8.*

Obseruatio.

Ex vulnere ad ſcapulas deorſum tendente, puri exitus, ſectione inter quartam & quintam coſtam inſtituta, à diaphragmate procuratur, ægro, aperta plaga, ad annum vſq; ſuperſtite.

Cvidam ad ſcapulas inflictum pugione vulnus, deorſum inclinans. Apertum latus ad quartam & quintam vertebram, vt pus, quod in diaphragma decumbebat, hac efflueret. Vixit annum aperta plaga. Expuebat ſanguinem & pus. *Hollerius in libello proprio, Obſeruat. 18.*

Obseruatio.

Vulnera thoracis, ſi nihil aut parum ſanguinis in thoracis ſpatium penetrauerit, quamprimum eſſe conglutinanda: Si vero ſanguis in thoracem confluxerit, diu aperta eſſe debere.

Scriptis proditum apud Ioannẽ de Vigo legimus, controuerſum inter chirurgos eſſe de vulnerum in thoracis cauitatem ſubeuntium conſolidatione. Quibuſdam enim videri eiuſmodi vulnera quamprimũ claudenda, & cicatrice quã fieri poterit ocyſſime obducenda eſſe, ne frigidus aer in cor ſubeat, & vitales ſpiritus exiliant ac diſſipentur. Alii cõtra ſentiunt talia vulnera diutius aperta eſſe debere, imo ſi per ſe non ſatis pateant, chirurgia amplificanda, quo ſanguini in thoracis ſpacium effuſo, exitus pateat, alioqui cunctando putredinem contracturo, ex quo febris incrementum, ſinus fiſtuloſus & alia accidentia pernicialia. Prior quidem ſentẽtia, ratione & veritate nititur, modo nihil aut parum ſanguinis in illam capacitatem effuſum ſit: poſterior vero locum habet, cum magna vis ſanguinis in illa ſe effudit thoracis ſpacia. Quod ne temere ſtatuere videar, placet vtramque ſententiam conſentiente hiſtoria comprobare. Dum ego Taurini Domini Monteiani Proregis Gallorum chirurgus agerem, militem Lutetianum, cui nomen erat Leueſque, quique ſub Capitaneo Renouart ſtipendia merebat, curandum ſuſcepi. Tribus erat confoſſus vulneribus, ſed vnum reliquis grauius ſub dextra mãma, altius in thoracis ſpacium penetrabat, ex quo ingens ſanguinis in diaphragma effuſio facta eſt, q̃ dyſpnœam tantã inferebat, vt ẽt ſermonis libertatẽ interciperet. Hinc præterea febris vehemẽs, tuſſis cruenta, dolor in latere vulnerato acutus. Qui primo apparatu ipſum curauerat

chirur-

chirurgus, vulnus ſutura adeo arcta denſaq; ſtrinxerat, vt nihil inde dimanare poſſet. Ego vero ſequenti die vocatus, expenſis præſentibus ſymptomatis, quæ promptam mortem intentabant, ſoluendam quamprimum vulneris ſuturam cenſui, & certe ad eius orificium ſanguinis craſſior trhombus ſtatim apparuit: quæ me res admonuit, vt ægrum reliquo corpore ex lectulo pendulum pronum in caput eſſe iuberem, interimq; manu ex ſcabello, quod lecto eſſet depreſſius, inniti: hocq; in ſtatu exiſtentem os naresq; comprimere, quo pulmones intumeſcerent, diaphragma turrigeretur, intercoſtales atque abdominis muſculi comprimerentur, vt ſanguis in thoracem effuſus, per vulnus exprimeretur, quinetiam vt ea excretio felicius ſuccederet, digitum altiuſcule in vulnus immergebam, vt ſanguinis coagulati infarctu, vulneris orificium plenius liberarem, & certe eius iam fœtentis vncias ſeptem vel octo hac arte extraxi. Vbi lecto reſtitutus eſt iniectiones frequentius in vulnus, ex decocto hordei, melle roſaceo, & ſaccharo rubro, fieri procuraui, quibus exceptis, vt ſe modo in hoc, modo in illud latus obuerteret, ſuaſi: hinc ipſum ex lecto pendulum iterum ſtatui. Sic enim exiguos illos quidem, ſed multos ſanguinis thrombos vna cum facta paulo ante iniectione reddidit: quibus exactis, ſymptomata mitigauerunt, ſenſimque tandem dimiſerunt. Poſtera luce aliam iniectionem validius detergentem paraui, addito abſinthio, centaurio, aloe. Sed hinc tantus amaror in eius os ſurrexit, cum nauſea, vt diutius ſuſtinere non poſſet. Tum ſubiit in mentem, quod olim paris remedii parem fortunam in quodam cui fiſtuloſus erat ad thoracem ſinus, in Noſocomio Pariſienſi, obſeruaueram. Itaque cum animo repeterem res eiuſmodi amaras facile tranſmitti in pulmonem, indeque in aſperam arteriam, fauces atque os aſſurgere; profeſſus ſum me nunquam eiuſmodi amara ægris exhibiturum: hinc enim multo plus moleſtiarum accedit, quam fructus & emolumenti. Cæterum hac & ſimili arte tandem æger ille præter meam expectationem conualuit. At contra aliquando vocatus à nobili quodam Germano, cui enſe vulnus in thoracis capacitatem impactum fuerat, quod vicinus chirurgus primo apparatu craſſius peniculum in eiuſmodi vulnus immiſerat, detrahi iuſſi: cum certo intelligerem nihil ſanguinis in thoracis capacitatem effuſum eſſe, quod æger febris erat expers, quod pondus nullum diaphragma premeret, quod ſanguinem non expuiſſet. Itaque ſolo balſamo meo inſtillato, atque emplaſtro diachalciteos impoſito, intra paucos dies ſanatus eſt. Par mihi curatio in multis aliis feliciter ſucceſſit. *Pareus lib. 9. cap. 31.*

Observatio.

Noua & veteribus incognita thoracis vulnerum tractandi ratio, & puris ex eodem per medicamenta, citra vllam vſtionem, ſectionem, aut perforationem, euacuandi modus.

PEctoris vulnera ſi ad interiora membra penetrant, lethalia, vel nō ſine maximo mortis diſcrimine ſunt: quæ vero tantum extrinſeca membra lædunt, præterquam quod non ſine labore ſanantur, ſecum aliquando accidentia mala, vt eſt dolor, tuſſis, & febris, quæ accidentia ſæpe ex magnitudine vulneris fiunt, ſæpe etiam ex errore ægrotantis, vel Medici, aut aſtantium, & vt melius medelam præſtare poſſint huiuſcemodi vulneratis, operæ pretium eſt medentibus ponere diſcrimen inter vulnera penetrantia, ex propriis quibuſdam notis & ſignis: etenim ſi vulnus ad partem concauam pectoris penetrat, flatus & ſonitus ex vulnere egreditur, ita aliquando fortis, vt candelam accenſam extinguere poſſit, aliquando vero flatus, veluti parui crepitus ventris egrediuntur, ac præſertim ſi æger tuſſierit: quod ſi radium in vulnere ſine obſtaculo & vi vſque ad vacuitatem pectoris ingrediatur, non egent alio ſigno: ſunt quoque ſigna in vulneribus penetrantibus oſtendentia læſionem ſeu vulnerationem intrinſecarum partium. Etenim ſi ſanguis ſpumoſus & clarus egreditur, vulnus ad ſubſtantiam pulmonis penetrare denotat: ſi vero ſine ſpuma egrediatur pulmones non vulneratos eſſe declarat. At ſi vulnus vſque ad capſulam vel ad ſubſtantiam cordis penetrauerit, non plurimum poſt immutata facie membra omnia frigeſcunt, & vulneratus moritur. Omne igitur vulnus penetrans lethale eſt: non tamen omnes ſic vulnerati pereunt, quamuis difficillime ſanentur: plurimi enim mea opera & aliorum Medicorum ſanitati reſtituti ſunt, qui ex putrefacto ſanguine in concauo pectoris per plurimum temporis ſpacium detento, ad perpetuam tuſſim vna cum febri continua & vniuerſi corporis macie deuenerunt, vt Medici omnes illuſtres & ſeniores vltimam ſpeciem hecticæ febris pati aſſererent. Ego vero, præter localia auxilia, eos ſanaui decocto ſiue potione ex rebus diureticis, & pectus mundificantibus, per quadraginta dies exhibita, vt ſtatim poſt tibi dicam. Neque non poſſum non mirari, quod nec Diuinus Hippocrates, nec Galenus, nec Auicenna, nec aliquis antiquorum, particularem & diſtinctum, vt ita dixerim, modum procedendi in curandis huiuſcemodi vulneribus docuerint; quando non pauca, omni laude digna, de vulneribus, ac etiam de vlceribus, ſcripſerint. Ex quo non deſunt inter modernos difficultates de modo curationis vulnerum & vlcerum intra pectus penetrantium. Quicquid dicant, ego tamen enarrabo communem modum & rationem procedendi in curandis prædictis vulneribus atque vlceribus penetrantibus, vbi plurima ſanies in cauo pectoris cōtinetur. Primum igitur ſiue penetrans, ſiue non penetrans fuerit vulnus, ad fluxum ſanguinis ſiſtendum, & curſum humorum currentium ad locum, accedendum eſt, & ſuper vulnus ouum conquaſſatum vna cum puluere boli armenici madefacta in eo ſtupa, atque penicilla ſiue lychnia ſuper vulnus imponatur: quod ſi vulnus ad cauitatem non penetrat, & tamen magnum ſit, ſuunt ipſum modo, ſuperius dicto, & (ſi fieri poteſt) labiorum glutinationē ſine loci vulnerati ſanatione quærunt, mutatis ſcil. vnaquaque die ſtupis dictis infuſis in dicto ouo cōtuſo cum puluere boli armenici. quod ſi membrum magis roborare intendunt, madefaciunt ſtupam primo in vino ſtiptico, & addunt puluerem myrtillorum cum dicto bolo armenico, & ſic quærunt vulnus conſolidare: ſi vero ex curſu humorum ſanies generetur, tunc adminiſtrant & imponunt lychnos in terebinthina calida infuſos, & deſuper pannum lini in eadem terebinthina madefactum: quod ſi

crudum fuerit, ad eius digeſtionem faciunt ex terebinthina aut vitello oui ana parte æquali vnguentum, quod digeſtiuum vocant: deinde apparente digeſtione, addito melle roſaceo, & farina hordeacea, vnguentum cõponunt, quo cum vulnus mundificant: atque poſtremo apponunt vnguentum triapharmacum, vel vnguentum de palma, vſque ad perfectam vlceris ſigillationem, facta inprimis euacuatione vniuerſali inteſtinorum per clyſtere, vel cum caſſia: atque in magnis vulneribus miſſo ex dextro brachio ſanguine, & inſtitutó regimine cibi & potus ſubtili, cum abſtinentia à vino & carnibus ſaltem vſque ad ſeptimum, & plus etiam ſi febris ſuperuenerit, procedunt. Similiter inſtituto regimine aeris & reliquarum rerum nõ naturalium, quam victus rationem & regimen in penetrantibus ſemper obſeruare oportet, ſic procedunt. Etenim ſi vulnus, fuerit penetrans, nullo pacto ſuunt, hac ſcilicet ratione, vt ſi quæ pars ſanguinis ex vulnere ad cauum pectoris deſcenderit, à vulnere extrahi poſſit in prima illa die, vel poſtquam in ſaniem conuerſus eſt: & vt hoc facilius haberi poſſit, ponunt in vulnus tentam mollem penetrantem ad pectoris cauitatem, quam madefaciunt cum terebinthina calida, & deſuper pannum lini in dicta terebinthina madefactum, & circumcirca partes coſtales liniunt ad mitigandum dolorem cum oleo roſaceo, & amygdalarum dulcium calido, deinde procedunt cum digeſtiuo, non dimiſſa terebinthina. Prima autem die, miſſo clyſtere, aperiunt venam brachii oppoſiti vulneris, ſanguinemque euacuant, ad curſum humorum diuertendum, ne ad locum læſum fluant: poſtea ſecundo die ſtomachum & inteſtina à communibus ſuperfluitatibus mundificant. Etenim ex intentione *Diui Meſuæ capite de rhabarbaro*, accipiunt pulpam caſſiæ, vna cum rhabarbaro, & mumia, atque rubia tinctorum, quas res addunt cum ipſa caſſia, vt poſt euacuationem relinquatur vis dictarum, tam ad ventriculi, quam ad pectoris recreationem & robur: his præmiſſis, (vt dixi) in vulnere & ſuper vulnus ponunt terebinthinam ſiue glutinum albotim, quomodocunque dixerimus, non refert, & hoc quoniam huiuſcemodi vulnera inter neruorum vulnera collocari poſſunt, quem medendi modum docuit *Albucaſis in de vulneribus pectoris penetrantibus*, qui docuit prognoſticari in ſimilibus dicens: ſi non ſuperuenerint accidentia mala, vt eſt alienatio, inſomnietas, conuulſio, lipothymia, præfocatio, ante ſeptimum diem ſaluabitur æger: ſi vero ſuperuenerint, lethale erit: hæc ille.

Procedunt igitur medentes cum terebinthina, in qua madefaciunt tentas, & ponunt intra vulnus: quas tentas appendunt filo, ne forte intra vulnus in cauitate pectoris remaneant: & quoq; ponunt ſuper vulnus pannum lini in dicta terebinthina madefactum, & vt dixi inungunt pectus, & partes coſtales vicinas vulneri, primis diebus oleo roſaceo, & amygdalino ſimul miſtis, calidis: poſtea, quando ſanies generata eſt, & tuſſire incipit æger, liniunt partes vicinas vnguento pectorali deſcriptione Domini Meſuæ. Horum cibus eſt panatella ex aqua, & mica panis cum ſaccharo, vel ptiſſana hordeacea: potus iſtorum eſt aqua hordei cum ſuo cortice primis illis diebus cum ſaccharo vel Iulep violaceo: ſed in proceſſu, cum materia ſuppuratur, dant aquam mellis, deinde aſcendunt ad ſyrupum de liquiritia, præſertim ſi tuſſis fuerit moleſta: inſuper ꝓcurant præter priorem paulo ante dictã minorationẽ iterum corpus euacuare: ſed primo præparant ad euacuationem cũ ſyrupis pectori conuenientibus hoc modo, verbi gratia: ℞ ſyrupi de liquiritia vnciam vnam, de capillis veneris vnciam ſemis, aquarum ſcabioſæ, capillorum veneris, ana vnciam ſemis, miſce. Etenim hic ſyrupus vel alius ſimilis in virtute, præterquam quod humores digerit, prouocat etiam vrinam, ſicque materia quæ in pectore collecta eſt, ſic præparata, facilius per viam vrinæ educi poteſt: vt credidit *Gal. 6. de loc. affect.* poſt quã ſyruporũ exhibitionem, dant medicinã leuẽ ex caſſia & rhabarbaro, vt paulo ante dixi, & aliquando addunt agaricũ, quoniã educit à pectore: vulnerib. vero vſq; ad perfectam præparationẽ ſaniei medentur cum iam dicta terebinthina, & ad mundificandum miſcent cum ea dimidiam partem mellis roſacei, & parum farinæ hordei: & quoniam in huiuſmodi vulneribus ſæpe materia plurima putreſcit in cauitate pectoris ſupra ſeptum tranſuerſum, ideo quando tergunt vulnus, iubent vt æger inclinet in partem vulneris, & fortiter tuſſiat, ita vt materia egrediatur, iubent etiam vt ſuper latus vulneris iaceat. Verum ſi vulnus eſt in inferioribus coſtis, quæ ſunt propinquæ diaphragmati, vtputa circa quartam & quintam coſtam, incipiendo ab inferioribus, egreſſus ſaniei vel ſanguinis facilis eſt: quod ſi vulnus fuerit inter coſtas ſuperiores verſus furculã, difficile eſt ſaniẽ vel ſanguinem in pectore contentum per vulnus euacuare: in qua difficultate ſequitur ex retentione materiæ in pectore, tuſſis vehemens, & febris aſſidua: quæ cum ſit ex retentione iam dicta, ſolent expertiſſimi Medici eam euacuare incidendo vulneratos nouacula ſeu alio inſtrumento ad hoc apto, inter quartam & quintam coſtam, incipiendo enumerare inferius à prima ex ſpuriis coſtis: quod auxilium præſentaneum remedium eſt: tametſi quibuſdam horrendum videatur. Equidem non poſſum illud non plurimum laudare: verum ſunt qui candenti ferro incidente hoc faciunt: ſunt qui medicinam cauſticam ponunt inter iam dictam quartam & quintam coſtam: poſtea procurant caſum eſcharæ, ſeu carnis combuſtæ, applicando bis aut ter in die butyrum, ſicque mundificant pectus à ſanie contenta in ipſo, per foramen vt dixi factum: Et quoniam vtplurimum vulnera penetrantia intra pectus ſunt diuturna, quæ non niſi maximo labore ad ſanitatem reduci poſſunt: ideo omnem diligentiam & ſtudium adhibere oportet, vt diuerſis ingeniis medicinæ ſanies egrediatur, aut per ſputum tuſſiendo, aut per aliam viam. Nam ſæpe ſanies neque per vulnus, neque per ſputum tuſſiendo euacuari poteſt. quo in caſu Medici docti & moderni etiam inuenerunt potiones diuerſas ſanantes hos vulneratos, cum ſanies retinetur in pectore, quos ſuppuratos Latini vocant, & cum decoctionibus vrinam prouocantibus, atque pectoris partes roborantibus, ſanitatem procurant; & in primis eſt miſtura illa ad vulnera ſananda deſcripta à Diuo *Meſue* circa finem *vndecimæ diſtinctionis antidotarij*, quam exhibent bis in die, ſcil. mane & veſperi per quadraginta dies, ad pondus ſex vel octo vnciarum, iuxta ægri tolerantiam, & ſaniei quantitatem in pectore.

pectore. Etenim vbi plurima materia vel ſanies eſt, maiori eget æger virtute medicaminis, quæ nõ niſi in maiori quanto eſſe poteſt: ac ſi pauca fuerit, ſemel in die, & in minori quantitate accipiunt. Et quoniã medicinis vſu comprobatis medici magis cõfidunt: ideo vt nil in tam difficili vulnerum curatione deſit, quod ad perfectam ſanationem faciat, quaſdam deſcriptiones potionum, facientium ad ſuppuratos ex vulnere in pectore, à me ſæpiſſime probatas, addam, & primo potio mirabilis, qua quamplurimos ſanaui, qui ab omnibus Medicis phthiſici ex vlcere pulmonis credebantur, cum continue tuſſirent, & ſputum putridum eſſet, vna cum febri continua, & vniuerſi corporis macie. Recipe garyophillatæ, radicis arthemiſiæ, pimpinellæ, chamomillæ, pentaphyllonis, violarum, caulium rubearum, conſolidæ minoris, cannapis, cimarum rubi, centaureæ minoris, piloſellæ, fragariæ, conſolidæ maioris, foliorum oliuę, verbenæ, tormentillæ, millefolii, ana manipulum j. rubeæ tinctorum ad duplum aliarum rerum, videlicet, manipulos x x x v j. vini montani, ponderis ſexaginta librarum, bulliant omnia ad conſumptionẽ medietatis & colentur, deinde adde mellis libras duas, & iterum bulliant bullitione optima, poſtea tribus albuminibus ouorum optime contuſis impoſitis, ex arte clarificetur: deinde coletur per pannum & ſerua: ex quo decocto ita præparato, detur vt ſupra, mane & veſperi, vt dixi, calido, ad quantitatem ſupraſcriptam, plus minuſve, ſecundum magnitudinem morbi, & rei indigentiam, & deſuper ponatur vnguentũ noſtrum pro vulneribus penetrantibus: quod fit hoc modo. Recipe minij vncias xxiiij. picis naualis vncias iiij. olei roſati vncias xx. miſce, & bulliant omnia ſimul: donec per cocturam reddantur ad formam ceroti, deinde adde terebinthinæ vncias ij. & miſce, poſtea ſic calidum proijce eum in ſitulam aquæ frigidæ, & dimitte refrigerari, poſtea manibus ducatur ad optimam permiſtionem, & vſui ſeruetur. Hoc cerotarium non ſolum valet in vulneribus penetrantib. pectoris, ſed etiam in quamplurimis vlceribus difficilis conſolidationis & antiquis. Chirurgici vero quidam in tali caſu in fine vnguentum ſiue cerotum ponunt, quod gratia Dei vocant, alii vero alia, vt eſt vnguentum triapharmacum: ſed ſiue hoc ſiue illud ſupra ad tegendum vlcus ponatur cerotarium, non refert: quoniam fere tota vis curæ in exhibitione dictarum potionum, vel alicuius alterius æquiualentis medicaminis conſiſtit: ideo ſequar aliam potionem ſcribẽdo, quæ talis eſt: ℞ pimpinellæ, arthemiſiæ, caulium rubearum, chamomillæ, pentaphyllonis, cimarum rubi, garyophyllatæ, ſem. canapis, centaureę minoris ana M. j. rubeę tinctorum ad pondus omnium, bulliant in vino albo montano, ad conſumptionem medietatis, deinde cola, & colaturæ adde quartam partem mellis, & iterum bulliant bullitione optima, & da eam vt ſupra mane & veſperi calidam. Alia decoctio ſanans ſuppuratos ex vulnere thoracis penetrante. Recipe ſem. caulis rubeæ, herbæ tanaceti, ſiue danetæ, ſem. cannabis, rubeæ tinctorum, conſolidæ maioris, ana partes æquales, bulliant in vino montano albo, & cola, & in colatura pone quartam partem mellis, & iterum optime bulliant: de qua detur patienti, vt dictum eſt ſupra. Fieri etiam poſſunt trochiſci ex ſupra ſcriptis rebus, qui ſanant ſuppuratos ex dicta cauſa. Recipe ſem. caulis rubeæ, ſem. cannabis, tanaceti ſiue danetæ, rubiæ tinctorum. conſolidæ maioris, ana partes æquales, piſtentur omnia, & fiant ex eis trochiſci cum vino aromatico de menſe Augusti, de quibus exhibeatur mane & veſperi drachma vna vſque ad duas, & plus etiam in puluerem conuerſis, cum vino montano, vel fiant ex eis pilulæ, quæ exhibeantur, ad quantitatem dictam cum vino montano. Ego vero dictis potionibus & remediis intus exhibitis plures ſanaui: atque in tali caſu ſunt ita proficui, vt quidam practicantes intrepide & omni ingenio à principio ſtudeant vulneris cõſolidationi, quanto citius fieri poteſt, dantes huiuſmodi potiones mane & veſperi. Etenim cum ſint valentes in prouocatione vrinæ, per eam materiam in pectore euacuare ſperant, atq; ad vias vrinæ deducere per venas illas, de quibus *Galenus* meminit *in de loc. affect.* quæ conſolidatio vulneris à principio non ex omni parte tuta eſt: ſed dum iſta fiunt, ab illis nõ eſt deſiſtendum quæ ſputum facilitant, & tuſſim excitant, vt eſt ſaponea ex ſaccharo cum aqua capillorum veneris, vel ſcabioſæ, neq; à loch de pino, neq; à ſyrupo violaceo compoſito, vel de capillis veneris, & aliis facientibus ad facilitandum ſputum per tuſſim, abſtinendum eſt. Et quoniam ſæpiſſime vulneratis cum penetratione vſq; ad pectoris cauitatem accidunt à principio accidentia mala, ad quæ etiam ſuffocatio & mors ſequitur, vel in proceſſu vt dictũ eſt ſanguis in cauitate pectoris ſuppuratur, ita vt febris continua ſuperueniat, & tuſſis perpetua cum ſputaminibus purulentis & fœtidis, qui tametſi à medicis cum rebus facilitantibus ſputum tantum tractentur, non tamen liberari poſſunt: ideo neceſſum eſt aliam quoq; viam, vel remedia pectus mundificandi inuenire: de quibus moderni chirurgi rationales quædam in ſuis ſcriptis reliquerunt, quibus quamplurimos ſanaui, tum adoleſcentes, tum iuuenes, tum etiam ſenes: inter quos Demetrius Draco pelliparius cognominatus, præfectus nauis, ætatis quinquaginta ſex annorum, vulneratus in pectore cum penetratione vſq; ad cauitatem, Venetias venit poſt vigeſimum quintum diem, & aſſidua febre febriebat: Tuſſis erat vehemens, atq; cõtinua, purulentum expuebat, & tametſi alii medici ſeniores acerſiti eſſent: non poterant tamen hominem ſanare. Ego vero cum eſſem iuuenis, poſtquam cætera per eos exhibita non profuerãt, illis propoſui viam modernorum medentium in ſuppuratis, quæ eſt per ea quæ vrinam prouocant, & materiam contentam in pectore digerunt, ſubtiliant, & ad optimam puris conditionem reducunt, atq; ad vias vrinæ dirigunt, quem medendi modum, cum febris valida eſſet, noluerunt. ſ. vt exhiberentur huiuſmodi potiones. Ego vero inſtabam, dicebamque febrem non eſſe ex naturalium membrorum inflammatione, aut ex materia in eis contenta, & ex obſtructionibus in eis putreſcente, ſed ex ſuppurato ſanguine & aliis humoribus, cum aliquali materia à capite deſtillata permiſta, quæ putreſcebat, ita vt potius febris accidens dici poterat, quam per ſe, cum penderet à putrida illa materia in cauo pectoris exiſtente: quæ niſi amoueretur, tandem ad interitum hominem duceret: Cum tandem feſſi fuerunt ex plurimis adhibitis medicaminibus, & ſi ſine ſpe eſſent, permiſerunt atque cõtenti fuerunt, vt potio ei adhiberetur: ſicq;

exhibita fuit bis in die ex prima deſcriptione ſuperius adnotata, mane ſcilicet & veſperi ad quantitatem ſeptem vnciarum: ſicq; ante terminum quadraginta dierum ſanitati reſtitutus eſt præter illorum medicorum opinionem. Etenim ex tali potu tuſſis mitior facta fuit, & magis concoctam materiam expuebat, atque cœpit plurimam quantitatem vrinæ mingere, ex quo continue febris imminuebatur, minus tuſſiebat: atq; cum minori labore expuebat, & tandem cum à febri alleuiatus eſſet, plurimam vrinæ craſſæ quantitatem mingebat, & deniq; conſumpta materia, facta eſt vrina optima in ſubſtantia, colore, & contentis.

Non dimittam caſum Franciſci Saccomanni mercatoris, cum & ipſe ex vulnere caſſali cum penetratione ſc. intra pectus, tandem poſt plurimos menſes factus empyicus ſiue ſuppuratus, cum maxima tuſſi, & dolore ſub coſtis mendoſis lateris vulnerati, cum febri aſſidua, ac totius corporis macie, plurimam materiam ſanioſam tuſſiendo cum maximo labore, hic ex continua tuſſi nec dormire, nec quieſcere poterat: cumq; medici alii, qui illi medelam præſtiterant, ſine ſpe eũ naturæ dimiſiſſent, rogatus ab eius conſanguineis & carioribus. amicis ad eum acceſſi: & primo iniuncto regimine cibi, & potus, & aliarũ rerum neceſſarium videl. iuſſi vt cibaretur optimis carnibus, iuuenibus, elixis, in quorum iure iuſſi vt facerent pro ferculo ptiſſanam hordeaceam, quam mane & veſperi accipiebat: iuſſi etiam vt ouum ſorbile acciperet, & vinum album dilutum cũ aqua ex ſaccharo decocta biberet. Erat n. tempus æſtiuum, videlicet principium menſis Iunii: & iam per multos dies antea à primis illis Medicis derelictus, nihil medicinale faciens ad febrem, & alia accidentia, ſumpſerat. quare iuſſi vt drachmas decem floris caſſiæ vna cum drachma vna agarici præparati acciperet, & poſtea bis in die, videl. mane ante prandium, & veſperi ante cœnam, hunc ſyrupum aſſumeret. ℞ ſyrupi de liquiritia, de capillis veneris, violati compoſiti, ana vnciam ſemis: aquarum ſcabioſæ, rubiæ tinctorum, pimpinellæ, ana vnciam vnam, miſce: interim dum iſtos bibebat ſyrupos, præparata fuit potio in primo caſu deſcripta, qua præparata, ſingulo mane in aurora cyathũ vnum ſex vnciarũ accipiebat: & veſperi ſeptem horas poſt prandiũ, & ante cœnam quatuor horis accipiebat. Et quoniam venter nõ ſponte fluebat; poſt vnã vel alteram diẽ adminiſtrabat clyſterẽ cõmunem ante prandiũ. trãſacta quintadecima die, iterum hominẽ purgaui cũ drachmis decem floris caſſiæ, & drachma vna agarici pręparati: deinde ſequenti mane iterum bibere cœpit dictam decoctionem, & horis etiam veſpertinis. poſt quam euacuationem cœpit facilius, & cum minori tuſſi expuere: ſputumq; magis concoctum apparuit, cœpit etiam copioſius mingere, & minus febrire. Et quoniam per vulnus ſanies contenta in cauitate pectoris aliquando retinebatur, & febris, ac etiam tuſſis augebatur, ideo vt non retineretur, cannula argentea in vulnus impoſita fuit, vt libere pus egredi poſſit: ac etiam cerotarium ad vulnera penetrantia ſuperius deſcriptum poſui, equidem potuiſſem aliquo alio vti medicamine: ſed hoc mihi magis cæteris arridet: quoniam mirabilis eſt eius operatio in ſimilibus: deinde vt bibendo procederet intrepide iubeo. Exterius etiam vniuerſum pectus oleo amygdalarũ dulcium vna cum pinguedine gallinæ recenti, & mucilagine altheæ, & parum ceræ ſimul permiſtis, & facto vnguento calido, inungere cœpi, & ad ſputum facilitandum ſaponeam cum aqua ſcabioſæ accipere iuſſi, quo regimine cibi & potus atque medicinalis potionis bis in die ſumptæ & exteriorum medicaminum tandem duorum menſium ſpatio ſanitati reſtitutus eſt cum maxima omnium illorum medicorum admiratione, & ægrotantis ac ſuorum conſanguineorum gaudio. Quare Deo Opt. Max. ſit ſemper laus & honor: ſanaui etiam & alios quamplurimos ſuppuratos, qui ab alijs Medicis minime ſanari potuerunt ſuis ingenijs. Ego quidem inter cæteros duos nobiles adoleſcentes ex familia Maurocena, quorum alter nullum medicamen per os ſumere potuerat: quoniam in animi deliquiũ & in ingentem febrem poſt eorũ aſſumptionem ingrediebatur, ita vt parentes de eius ſalute deſperarent, tametſi à ſenioribus medicis huius illuſtriſſimæ ciuitatis rogabatur. Regula vero qua vſus ſum in hac cura, talis eſt. Primum cibi fuerunt ex optimis carnibus, auium videlicet, pullorum gallinaceorum, in quorum iure panatellam vel far, vel ouum cõtuſum pro ferculo parabatur: carnes etiam pullorum vel paruarum auium comedebat, & ouum etiam ſorbile, vinum album pauciferum medij ſaporis cum aqua capillorum veneris dilutum bibebat. vlceri impoſitum fuit vnguentum iam dictum ad vulnera penetrantia, & loco tentæ poſita fuit cannula argentea panno lineo veteri ſubtili munita, & dicto vnguẽto cũ oleo maſtichino mollito inuncta, ſicq; ſanitati reſtitutus fuit paruo labore, tametſi non crederent medici ex iam dictis illũ ſanari poſſe, quoniã medicinas per os ſumere non poterat. Cauſa vero cur in hanc Empyicã diſpoſitionẽ inciderit, vel vt Latini dicunt, ſuppuratus factus ſit, fuit, quoniã pleuriticus fuit, & nullo medicinali auxilio vti potuerit, neque per venæſectionẽ, neq; per medicinã euacuare medici ipſum potuerunt. Ruptus eſt abſceſſus intra cauum pectoris, & ſanies ibi diu permanens exulcerauit & eroſit muſculos intercoſtales, circa ſextam coſtam à mendoſis enumerare incipiendo, & factus eſt alter abſceſſus exterior exulceratus, ab ipſo autem vlcere plurima puris quantitas, quæ intus ſuper ſeptum tranſuerſum contenta erat, egrediebatur. Et tametſi medici vnguentis & tentis ex pannis lineis vſi ſint, tamen non potuit ſanari niſi cannula dicta appoſita, per quam continue pus egrediebatur: antea vero ex tenta illa ex panno lineo per plurimas horas reiterata tractabatur: ita vt non poſſit intus ex præſentia puris vlcus exiccari: Alter vero nobilis adoleſcens ſuppuratus & ipſe ex eadem inflammatione panniculi ſubcingentis coſtas intus erupta, ad talem diſpoſitionem deuenerat. Erant tam in vno quam in altero macies & excarnatio timoroſa, febris continua, tuſſis ſicca, & frequens: Neque alio ingenio in hoc vſus ſum, quam regimine dicto in cibo & potu, & cannula argentea in vlcere poſita, præterquam quod aliquando agaricum præparatum ad pondus vnius drachmæ in forma pillulari exhibebam ſemel in hebdomada, & aliquando ad decem dies, ſicque ſanitati & hic alter reſtitutus fuit, neque ex alia cauſa, niſi quoniam cannula argentea quæ in vlcus imponebatur, non permittebat pus coadunari & colligi in ca-

uo pe-

no pectoris, ſed totum euacuabatur. *Nic. Maſſa, epiſtolarum medicinalium tomo 2. epiſt. 11.*

OBSERVATIO.

Profunda pectoris & pulmonis vulnera curata.

MVltos perſæpe vidimus, qui penetrantia pectoris vulnera curantes, tamen aut nunquam ſanant, aut citiſſime lethum adferunt, etiamſi lethalia ſua natura non ſint: quod huiuſmodi curationis opus & rationem & peritis magiſtris minime acceperint. quod ſi nonnullos ex iis, qui huiuſmodi patiuntur, viuere contingat, tamen fiſtulis perpetuis laborare videmus. Hoc vbi diu fruſtra medici curauerũt, cauam ex plumbo aut argento indentes fiſtulam relinquunt, atq; huiuſmodi oratione ſolantur: ſe noluiſſe illis locum omnino claudere, quoniam pus intus concluſum, cum non habeat qua parte expurgetur, mortem certam afferret: expedire autem illis eam fiſtulam ſemper conſeruari qua ſordes vulnerisque excrementa expurgentur, atq; hoc modo vitam, quoad Deus conceſſerit, producent, atq; ita incuratos dimittunt. Cauſa autẽ eſt, quod recẽs adhuc vulnus curare neſciuerint: neq; aliud fieri poſſe in ea re putant, quam quod ab eis fit. Quam quidẽ ob rem, quam nos in huiuſmodi vulneribus rationem tenemus, deſcribere placuit, quaq; curamus omnia, quæ ad nos recentia deferuntur, modo neceſſario lethalia non ſint, qualia ab authoribus produntur, diaphragma & mediaſtinum penetrantia: hæc omnia manifeſti omnibus periculi ſunt, à doctoribus autem paſſim enumerantur: cętera vero omnia, quamuis corpus ipſum perforatum ſit, tamen diuina ope ſanantur, cuiuſmodi nobis innumera tam recentia, quàm ab aliis etiam derelicta, intra quadrageſimum diem, eiuſdem auxilio ſanare contigit. Idem autem cuilibet medico continget, qui rationem à nobis reddendam modumq; ſequi voluerit: ſiue recentia nouaq; vulnera, ſiue antiquiora, ab aliis derelicta fuerint, neq; manuum opera ad eam rem indigebit. Communis fere omnium ſcriptorum noſtrorum opinio eſt, vulnera profundo in pectore accepta, incurabilia vt plurimum eſſe, quorum periculum ſi quis forte euaſerit, tamen perpetua fiſtula aut phthiſi laboraturum eum affirmant. huius autem ſententiæ inprimis Vigo eſt, qui quanquam optime ea quæ ad curationem pertinent, docuerit, tamen experimentorum & practicæ defectu (cuius præcipua in chirurgia laus eſt) deſperatam promittit curationẽ. Nos autem, Deo opem ferente, certam promittimus in difficillimis etiam euentibus, etiam pulmone perforato.

Barriga ſatis apud Llerenenſes notus homo, vulnus longiori gladio (quem verdugũ, noſtri vocant) in pectore accepit, ſecundum ſiniſtram mammillam duorum digitorum ſpatio fere diſtans: prodiit autẽ gladius recta via iuxta ſpinam medullarem, quanta digiti vnius craſſitudo eſt, à ſpina deuians, paulum ſub tergi oſſe prominens, & pulmonis pinna ſiue ala ſiniſtra, non longe à corde, vt ſitus ipſe indicat, traiecta eſt. Curatus autem eſt ea ratione, quæ à nobis deſcripta eſt: dumque curatio procederet, decima poſtquam vulneratus eſt die, ſanguis ex pulmonis vulnere ſatis copioſus erupit, ob continuum pulmonis motum, qui intra pectus ipſum confluens concretus eſt. proxima autem curatione, magnæ concreti ſanguinis portiones, vna cum pure confecto ex vulnere prodierunt, non ſine adſtantium admiratione, quod maiores etiam viderentur partes, quam vt exitura capi & emitti poſſe crederentur. His animaduerſis accidentibus, cum nimiam quotidie puris copiam bis ſingulis diebus curatum effundere viderem, intentionem mutare decreui: atq; eo modo quo fiſtulas curari docuimus, experiri conſtitui, ſtatimq; incepi. Cum autem per duos dies eam, quæ illic deſcripta eſt, aquam bibendam exhibuiſſem, omnis ſanguis concretus vna cum pure tandem prodiit, duobus alteris diebus pus etiam defecit, ſtatimq; febri liberatus eſt: ac breuiſſime ſanus adeo atq; adeo pinguis euaſit, vt magna iis qui hominem viderint, diuinarum laudum materia oblata ſit, viuit ille, & optime habet.

D. Ludouici Zapatæ familiaris pugione lato quater petitus à tergo, & percuſſus eſt ſiniſtro latere: ſed ex illis vulneribus vnum ſex digitorum ſpatio ſub humero acceptum eſt, quod ſcapulare os cum tentaſſet, reſiliente ferro, inter os ipſum & carnẽ, quantum ſeptem tranſuerſis digitis menſus ſæpe ſum, deſcendit, quo ad ſcapulæ regione tranſmiſſa inter coſtarum ſpatia mucro obtruſus ad cauitatem ipſam corporis penetrauit. Ante autem quam ego accerſitus accederem, copioſum ſanguinem ex omnibus vulneris partibus diffuſum, in cauitatem ipſam promanaſſe, ex iis quæ poſtea acciderunt, coniecturam facio: ille vero ſanguis foras promanare non potuit, quod cute & carne obductum vulnus deorſum penetrabat, quo influxus incommodius tendere veroſimile eſt: nam prima mucronis apertio altior erat quam vt ſanguis commode erumperet. Ita ego cum primum curationem incepiſſem, neq; ingreſſum directum inuenirem, non magis quam cætera penetraſſe exiſtimaſſem, niſi diligentius etiam tacto loco & digito immiſſo, vulnus illud deorſum vlterius, quam ipſe digito perſequi poſſem, deſcendere cognouiſſem. Cum igitur ad cauitatem penetrare vulnus deprehẽdiſſem, locum è regione coſtarum, qua penetrare intellexi, aperui, inciſa ex directo cute & carne, ita vt immiſſus digitus ad interiora facile admitteretur, & pulmonem etiam, qui ſecundum ſpinam eſt, attingeret. Curatus autem eſt eo quem deſcripſimus modo in vulneribus pectoris penetrantibus. Ac primis quidem curationibus nullum pus confectum eſt, ſed quædam tantum humiditas exigua admodum affluebat. Quarta vero die aqua ſanguineo colore effluit, qualis ea eſt in qua carnes lauantur: indies autem conſequentibus curationibus, copioſius effluebat, adeo vt ſingulis curationibus, vas quod ſcutellam vocamus, impleret, vtque commode & cito efflueret, ægrum tuſſire aut reſpirationem continere iubebam: quater autem per ſingulos dies à me curabatur. præter id autem quod inter curandum effluxerat, noctu ac diu fluxus ipſe non ſiſtebatur, adeo vt tectus lacunæ inſtar haberet. Itaq; quarta die, cum huiuſmodi aquæ effluxum ſine vlla puris ſpecie perſeuerare adhuc cõſpexiſſem, aquam illam nobis proximo exemplo indicatam ægroto exhibere conſtitui: ſtatim autem ex quo bibere cœpit, per duodecim dies maior aquæ ſiue ſaniei copia, ſine vlla hominis noxa, aut graui aliquo ſenſu, prodiit: ſed ita adeo vt ſecundo die ſubalbida & liquida prodierit, tertio autem die multo etiam albior,

quoad ita alba & denſa prodiit, vaſe, in quo excipiebatur, tenacius hærens, vt vix etiam inclinata deflueret. parcius autẽ indies prodibat, vſq; ad duodecimam, qua tandem defecit, atque vulneris oſtium ſubito ab interiori parte occluſum eſt; quod quanquam ego ferramentis nonnunquam adaperirem, nihil tamen aut puris aut eiuſmodi humoris remittebat, neque ſpiritus ea ex parte vt antea, reddebatur: atque ita curatio proceſſit, ægroto adhuc continua febre correpto, quamobrem tribus diebus aquæ illi binos hordei integri pugillos, & paſſularum tuſarum cum ſuis acinis ternos: tamarindorum vero vncias binas addidi, atque hoc modo febris euanuit. Decima autem die poſt hæc graui pectoris difficultate & febri laborantem hominem offendi: cumque ex vulnere illius aquæ, ſiue ſaniei copiam prodiiſſe ſine pure deprehenſum eſt, tenta indita plus ſaniei defluxit. atque hoc modo per ſequentes ſex dies habuit, minus indies aquæ ex vulnere emittens. Poſt hæc & fluxus conſtitit, & vulnus ſanatum omnino eſt: atque homo ipſe egregie adhuc Dei ſalutaris ope valet. *Franciſcus Arcæus, libr. ſecundo, cap. primo, de curand. vulneribus. & cap. vltimo, eiuſdem libri.* Curandi rationem require *ex autore libr. 2. cap. 1. operis citati.*

Observatio.

Fiſtularum pectoris curatio, à nemine vnquam tradita.

FISTVLAS, quæ in pectoris male curati vulneribus perpetuo relinqui ſolent, à multis ex noſtratibus chirurgis ac exteris deſperatas, atque illarum ea, quæ apud authores leguntur remedia, imbecilla omnino eſſe deprehendimus: nullas tamen ad nos abhinc quadraginta annis allatas fuiſſe inuenimus, quas cum magna Dei ſalutaris laude facile non curauerimus. Nos enim huiuſmodi affecti, multi etiam ex Italia, & Gallia, atque ex omnibus Hiſpaniæ prouinciis, petiuerunt, quibus ex acceptis in prælis vulneribus, in hanc difficilem fiſtularum naturam occalluerant, ex quibus etiam copioſæ, atque perpetuæ puris promanant fluxiones, tum ex vulnere ipſo, tum ore etiam. Hos autem continuæ febres, perpetuaque macies comitatur: tota autem hæc affectio, nullo fere ægrotantis labore, atque exiguo Medici negotio, quadraginta diebus curatur, atque in bonam omnino valetudinem, fortemque habitus conſiſtentiam mutatur. Declarat autem & id oris color, & corporis obeſior etiam habitudo. Neque vero ea res non turbare poſſit, quod copioſo fluxu pene virtus exhauſta, aut quod os aliquod in coſtis corruptum eſſe, exploratum ſit; etenim ſi id commode extrahatur, facillime atque citiſſime vlcera ipſa carne inducta, reſtituentur. quod ſi nullum os corruptum ſit, nulla alia re opus eſt, niſi vt vlcus emplaſtro admoto curetur, nigro aut noſtro fuluo, ſiue leonini coloris, aut vtroque, vna commixto: id autem ægrotus ipſe ſibi ſæpius abſtergendum curabit. atque hoc modo vlcera ſanantur. interiorum autem locorum huiuſmodi curatio eſt. Purgando in primis nobis ægroto, ſyrupus ille tribus, aut quatuor diebus mane ebibatur. Recipe Syrup. roſarum ex infuſione & mellis roſati colati ana vnciam vnam, aquæ ſcabioſæ vncias tres, deinde huiuſmodi exhibeantur pilulæ. Recipe maſſæ pilularum aggregatiuarum, & de agarico, ana drachmam vnam, acuantur cum diagridii granis tribus & formentur v. Vbi iam vero purgatus fuerit, hoc apozema paretur. Recipe Polypodii quercini probe contuſi vncias duas vel tres, radicum helenij contuſarum Manip. duos, hyſſopi, capillorum veneris recentium, liquiritiæ ſecundo pulueriſatæ, ana Manip. duos, folliculorum ſenæ pugill. vnum, epithymi vnciam ſemis, paſſularum enucleatarum bene contuſarum pugill. quatuor, fiat decoctio ſecundum artem in libris duodecim aquæ, quoad remaneant libræ octo, deinde colentur forti expreſſione, colaturæ autem addatur ſacchari rubei libra ſemis, mellis communis libra vna, bulliat parum & ſpumetur: ex hoc autem tepido, ſingulis diebus mane vnciæ duodecim bibantur: veſperi etiam tantundem. vbi autem totum decoctum conſumpſerit, duabus illis, eiuſdem generis, pilulis, quod concoctum fuerit purgabitur: poſtera vero die ac deinceps eiuſmodi decocto vtetur, ex ligno ſancto, quod vulgo guajacum vocatur, fabrorum aſperiori lima probe deraſo, & in puluerem velut redacto, vncias octo ſumito ex eiuſdem ligni cortice, non eo quidem, qui ligno adhæret, (namque huius virtus à ligno ipſo exucta, atque exhauſta eſt) ſed ex eo, qui ſeorſum à ligno ſecretus, ex Oceani nouo orbe aſportatur, vncias x. probe contuſi, & cribro decuſſi rariore, addito etiam aniſi pugillo, alteroque, ſeminis lactucæ & liquiritiæ contuſæ vnc. ij. idque in ollam nitro interius obductam, dimidiæ arrobæ Hiſpanicæ (hoc eſt lib. xij. cum dimidio) capacem, iniiciatur, cum vini albi veteris ac generoſi poculis duobus, quæ veterum medicorum menſura lib. viij. ſunt, tantundem etiam aquæ vſualis addatur, & per diem integrum, hoc eſt horarum viginti quatuor, macerentur: deinde lento igne coquantur, quoad tertia pars fuerit abſumpta: in ipſo autem vltimi feruoris articulo, roſarum recentium vel exiccatarum pugillum coniicito, atque hermodactylorum in puluerem redactorum, atque in ipſo mortario eadem decoctione ſolutorum, vnc. j. in eandem ollam effundito, ſimulque ab igne remoueantur: vbi parum vna ebullitione ebullierint. operculo autem recte obducta omnia, quoad friguerint, ſinito: vbi frigida fuerint, colentur: id vero quod primum effuſum fuerit, purum atque defecatum, in puro etiam vaſe excipiatur, ex quo, quoties cibum ſumpſerit, pocula certa ebibet: reliquum vero in altero vaſe ſatis expreſſum reponatur: ex hac aut poſteriori, quæ paucior ac turbidior eſt, ſingulis diebus ægrotus duodenas vncias, ſenas mane, & totidem veſperi, bibat. idque ſi hyems ſit, calidum eſto: ſi vero æſtas, frigidum. Veſperi autem dicimus æſtate, ſecunda aut tertia poſt meridiem hora: hyeme vero noctu, tertia aut quarta hora à cœna: vas autem ſemper agitandum eſt, vt id quod deſederit turbetur ac miſceatur, atque ebibatur prorſus. Nam præcipua horum medicamentorum vis in hoc eſt: ex altera vero priore ac puriore aqua, ad prandium & cœnam quod ſatis eſt, bibito; nimium enim bibiſſe etiam nocet. Victus autem ratio huiuſmodi eſto, ſi nimirum debilitatus, bis per diem auium aſſas vel elixas carnes concedere, non nocebit, aut etiam arietinam, aut hœdinam, ſi par ſumptui non fuerit: ſin vero meliori conſiſtentia, minorique

imbe-

imbecillitate fuerit, ſemel tantum in die carne, nocte vero paſſulis, exiguoque pane vtatur: proderit etiam validioribus interdum paſſulis & amygdalis tota die vti, & à carnibus abſtinere Denique omnia hæc prudentis medici ſunto conſilium: tamen duodecim ſaltem dies temperantius ac parcius agere omnino curandum eſt; facile namq; perferri poterit triginta dierum abſtinentia; neq; ideo debilior euaſerit, namq; decoctum ſatis ipſum alere & nutrire, imo & pinguedinem inducere valet, quanquam ſolis paſſulis vtatur, quamuis etiam febre cõtinua aut hectica laboret: omnino autem alio potu interdicendum fuerit: neque vero ſi in primis diebus inſuauius videatur, moleſte id ferendum eſt: nam tertio, aut ad ſummum quarto die, id ſuauius iam experiri licet, & nulli alii quantumuis generoſo vino poſthabendum. Igitur omnem victus rationem Medici conſilio permittimus: dummodo illud animaduertatur, magnam ſcilicet in hac potione ad alendum ineſſe vim: etſi maximo alias faſtidio ægrotus teneatur, vehementer cibi excitari appetentiam. Peractis autem triginta diebus, bis per diem carne veſci, ad 40. vſque licebit. Opus etiam erit, vt triginta primis diebus continuis in lecto cubet, quod ſi tamdiu perferre non poſſit, ſerenis & calidis diebus, tertia ante meridiem hora ſurgat: veſperi autem ante cubet, quam potionem biberit, & veſtibus ſtragulis quam commodiſſimis frigus prorſus arceat: cubile autem clauſum ſemper eſſe oportet, lucernamque ardere, vt calidus locus conſeruetur, & velo ante cubilis oſtium extenſo, frigidus aer ſubire prohibeatur. Nullo autem alio cibo vti permittatur, ſi modo ſanari cupiat. Ipſius vero fiſtulæ curatio emplaſtro in lino, aut arietina pelle extenſo, atque impoſito, perficitur, quod tamen ſæpius per diem oporteat abſtergi, id enim antiquis vlceribus mirum in modum profeſt: id vero huiuſmodi eſt. Recipe ceruſſæ & Lithargyrii an. vnc. ij. olei communis antiqui & aceti fortiſſimi an. lib. ſemis, bulliant lento igne baculo interim agitata, quoad in punctum ceroti coaleſcat, huius ceroti vel tantilla portione in lino extenta, vlcus ſanabitur, quam ægrotus ipſe ſibi ſæpius per diem abſtergat. Hoc igitur modo curatus, qui huiuſmodi paſſus fuerit, ſanus optimeque affectus, & obeſior etiam euadet: quamuis diuturna tabe, quamuis & hectica febre aut phthiſi conſumptus fuerit, omnibus etiam membrorum omnium, organorumque nutritiuorum ſpiritualium & animalium facultatibus, rectiſſime ſi vnquam alias habebit. *Arcæus libro ſecundo, cap. ſecundo. De curan. Vulneribus.*

Thorax nunquam mortem infert, dummodo interiora non tangantur: vtplurimum tamen fiſtulæ eueniunt: multos ſanaui, ſed hoc rarum eſt, & Deo adiutore. *Falloppius de Vulneribus capite duodecimo.*

DE MAMMIL-LIS.

MONSTROSA CONSTITVTIO.

OBSERVATIO.

Mammæ monſtroſæ magnitudinis.

TESTICVLOS & mammas, aliis vtroſque, aliis alterum duntaxat immodice increuiſſe compertum habemus. *Gal. lib. 2. de diff. morb. c. 9.*

Mammas iuuenculæ virginis tam vaſtas vidimus, vt brachiorum latera & ventris ſuperiorem partem occuparent. *Scaliger Exercitatione 199. 2. ad Subtilit. Cardani.*

OBSERVATIO.

Mulier virilibus mammis prolifica.

MVLIER in Wormatia Vangionum vrbe fuit virilibus mammis: quæ tamen adeo prolifica erat, vt etiam quandoque vno partu gemminos ederet. Talia plura contingunt mira, ſed tamen vera & à ratione non aliena. *Cardanus lib. 8. cap. 43. de Varietate.*

OBSERVATIO.

Mammam Androgyni alteram virilem, & alteram muliebrem habent.

ANDROGYNOS eſſe vtriuſque naturæ, inter ſe vicibus coeuntes Calliphanes tradit. Ariſtoteles adiicit, dextram mammam iis virilem, leuam muliebrem eſſe. *Plinius libro ſeptimo, cap. vndecimo N.H.*

OBSERVATIO.

Puella nata pendulis mammillis, cum pilis ſub alis, & in pube, tum etiam menſtruis obnoxia.

MEIS temporibus præſentata fuit puella, quæ nata fuit dependentibus vberibus: & cum pilis inguinis, & aſcellarum, & fatebatur mater eius etiam quod patiebatur reſolutionem menſtruorum: quod abſque dubio accidit propter fortitudinem caloris formantis & maturantis. *Albertus Magnus Commentariorum ad librum ſecundum, Phyſicor. Ariſtotel. Iohannes Eckius Comment. ad eundem Ariſtotelis locum.*

OBSERVATIO.

Menſtruo profluuio inſtante, mammæ cuidam mulieri decreſcunt: eodem ceſſante, denuo intumeſcunt.

FOEMINAM noui, cui ſingulis menſibus vbera detumeſcunt, inſtante effluuio menſtruo: quæ poſtmodum in tumorem attolluntur Eurypi inſtar, decreſcentia & accreſcentia. *Moccius.*

OBSERVATIO.

Lac nonnunquam mulieribus per Veſicam & Vterum excluſum.

LAC mulieribus per Veſicam & Vterum expurgari, Clariſſ. Medicus Dominus Doctor Capellus, ſe obſeruaſſe, mihi communicauit, vt qui mulierem vidit, quæ dimidium cyathum lactis vna cum vrina eminxit. *CL. V. Caſp. Bauhinus de Obſeruationibus propriis.*

Vidi puerperas quamplurimas, per Vterum & Veſicam, maximam lactis copiam excreuiſſe. *Andr. Laurentius Anat. lib. 1. quæſt. 10.*

OBSERVATIO.

Viæ communionis mammarum & vteri, quarum nonnullæ recens compertæ.

CVM ſympathia ſimplex fere omnis per vaſorum communionem fiat, quomodo mammarum & vteri vaſa inter ſe communicent, paucis aperiamus. Volunt fere omnes Anatomici, epigaſtricæ aſcendentis ramulos, cum mammariæ deſcendentis riuulis coire, fierique harum venarum anaſtomaſes. Ego harum venarum coitum non nego, ſed patentiores & breuiores ductus communionis huius cauſas viaſque inuenio. Epigaſtrica enim vena, per vterum non ſpargitur, ſæpiuſque à ramulo crurali oritur. Mammaria item, quam vocant, per interiorem ſterni partem excurrit, triangularem muſculum alitura, neque ad mammas ramulos, niſi forte capillares, diffundit. Exiſtimo itaque per hypogaſtricam & ſpermaticam, quæ peculiares ſunt vteri venæ, refluere ad truncum cauæ ſanguinem, lac, cæteroſque humores: à trunco mox in axillarem, à qua thoracicæ duæ inſignes exortæ: pectorales muſculos, & glandoſum mammarum corpus irrigant. Contra à thoracis refluere lac ad axillarem, ab hac in cauæ trũcum, à quo per ſpermaticum ramum in vterum, per hypogaſtricum, nunc invterum nunc in veſicam feratur, vnde plerunque lacteæ feruntur vrinæ poſt partum. Eſt etiam lactis per vrinas expurgationi locus, breuiorque ductus per emulgentes ramos. *Idem eod. lib. & cap.* circa finem.

OBSERVATIO.

Viſa Mulier duplicem in Mamma papillam lac reddentem habens.

VISA mulier à nobis, quæ in altera mamma duplicem papillam lac reddentem haberet. *Hollerius inter rara numero 6.*

OBSERVATIO.

Mulier vtero gerens, cui circa finem noni menſis ſanguis per alteram papillam multus fluebat.

MVLIER in circulo Baſæ, ter iam peperit, & nunc vtero gerit, & prope partum agit, cui ex mamma dextra ſanguis multus fluit, reliqua læua lacte nouo, coloſtro dicto, plena. Cæterũ hæc puerum peperit, & valet, abſque furore vel inſania vlla. *Luſitanus. Curat. 48. Cent. 7.*

OBSERVATIO.

Lac in mammis virginum, aut menſtruis carentium mulierum.

VIDIMVS mulierem etiam cum virgo eſſet, cui quoniam infœcunda erat, menſes ſubſtiterant, lacte ſemper diffluxiſſe. *Alex. Benedictus lib. 3. c. 4. Anatom.*

Fit, quanquam raro, ſimili tamen ratione, menſibus ſuppreſſis ob cauſam præter naturam atque morboſam, vt ſanguis delatus ad mammas coquatur, & in lac tranſeat. In quibus vera eſt & experimento probata Hippoc. ſententia, non enim pepererunt, neque conceperunt, quoniam tamen lac habent, ſignificat quod eis menſes defecerunt: ob menſium igitur defectum ſiue ſuppreſſionem fit, citra conceptionem & partum, vt lac habeant. Vidimus puellam Brugenſem, cui menſibus ſuppreſſis lac mammis inerat. Medicus vero cui res fuit commiſſa (accuſabatur enim ab hero) conſtantiſſime affirmabat ipſam grauidam eſſe, quam ego coram hero & aliis defendi, fieri poſſe dicens, vt lac habeat mulier ex ſola menſium retentione, citra conceptionem. Tempore tamen nouem menſium tranſacto, manifeſtè conſtitit mulierem honeſtè vixiſſe, & virginem eſſe, cui aliquibus poſt dieb. menſes profluxerunt. Quin non tantùm in fœminis, quibus menſes defecerunt, lac generari videmus, ſine conceptione, ſed & in viris viſum eſt lac in mammis genitum, quod infans eius filius ſugebat orbatus matre. *Chriſt. à Vega. Comment ad aph. 39. lib. 5. Hipp.*

OBSERVATIO.

Lac in viris quibusdam effectum & productum.

IN maribus etiam lac fieri poteſt: verùm caro iis ſpiſſa, mulieribus fungoſa, foraminulentaque eſt. *Ariſtot. lib. 1. cap. 12. hiſt. animal.* Lac viris poſt pubem exiguum nonnullis exprimitur: verumtamen per ſuctum frequentiorem vel multum prodiiſſe aliquibus traditum eſt. *Idem lib. 3. c. 20. hiſt. anim.* Et nos quoque non ſemel id conſpeximus. *Veſalius lib. 5. cap. 18. de corp. hum. fabrica.*

M. Maripetrus ſacri ordinis equeſtris tradidit, Syrum quendam, cui filius infans mortua coniuge ſuperarat, vbera ſæpius admouiſſe, vt famẽ filii vagientis fruſtraret, continuatoque ſuctu lacte manaſſe papillam, quo exinde nutritus eſt, magnõ totius vrbis miraculo. *Alexand. Benedictus libro tertio, capit. 4. Anatom.*

Vidi Ianuæ Antonium Benzium ex oppido portus Mauritii, annum agẽtem trigeſimum quartum, pallidum, barba rara, pingui habitu, è cuius mammillis lactis tantum profluebat, vt infantem ferme lactare potuiſſet, nec ſolum effluebat, ſed impulſu ferebatur. *Card. lib. 12. de Subtilit.*

Ego quoq; vidi aliquando viros qui in vberibus habebant lac, quod exprimendo emittebatur, eſt autem notum in maſculis lac non fieri ex ſanguine menſtruo. *Hier. Eugubius libell. de lacte.*

Ipſe hominem vidiſſe recordor, qui ex mammis lac in manifeſta quãtitate emittebat, notum autem eſt in maſculis, ex menſtruo haud fieri poſſe. *Marcellus Donatus c. 8. de Variolis & Morbillis.*

Narrant qui nouum orbem luſtrarunt, viros pene omnes maximam lactis copiam habere. Si itaque viri lac generant, multo magis virgines & mulieres, quæ non conceperunt. Earum enim mammæ rariores, ſunt amplioreſque, & his copioſiſſimus ſanguis ſuperfluit. *Andr. Laurentius Anatom. libro ſecundo, cap. 2.*

Vt menſtrua ſingulis menſibus prodire ſolent mulieribus: ita viris quibuſdam redundantia ſanguinis, quæ nec per vrinam, nec ſudores, nec inſenſilem tranſpirationem diſcuti poteſt; ad teſtes confluit, & per lotii meatus excernitur. Hinc viri nõnulli effœminati, & lac gignunt, & purgationes, inſtar muliebrium, ordinatã vieiſſitudine patiuntur, in Germania, & Lotharingia. *Fabricius lib. 3. c. 13. Pentateuchii Chirurgici.*

Nouimus virum, Præfectum ſeniorem portę Cupreæ dictæ, Laurentium Wolff, ciuem Briſacẽſem, qui

quiab ipſa iuuentutis ætate, ad annum quinquageſimum quintum vſque, quem nunc agit, ambabus mammis, lacte tam copioſo abundat, vt per iocum in conuentubus ipſorum, ebrius iam factus, compreſſis mammis, lac in aſſidentium è regione faciem exſtringat, atque eiaculetur: quo nomine quibuſuis ſuis conciuibus innotuit, à quibus etiam ſæpius, vt aliis demonſtret, adhortatur. Neq; tamen inde dolorem, grauitatem, aut tenſionem vllam percipit. *Io. Conradus Schenckius, Filius.*

Apud Cumucaiaram Braſilianerum gentem viri tam amplis mammis lacte turgẽtibus præditi ſunt, vt infantibus lactandis alendiſque ſufficiant mulieribus eorum, paruis contra virilibuſque mammis donatis. *Renuardus Cyſatus de Inſ. Iaponiæ, &c. Germanicè.*

OBSERVATIO.

Vetula auia filia defuncta infantem lactauit.

INFANS, cum auiam vetulam ſicciſſimam, mortua matre, ſugeret, tandem lac mulſit, eoque nutritus eſt abunde in oppido Hami Veromanduorum. *Bodinus Theatri Nat. lib. 3 p. 429.*

OBSERVATIO.

Infans primo menſe lac è papillis reddit.

NVPER Martino Borglino amico noſtro, vxor iam quindecim annis ſterilis, filium enixa eſt, qui primo menſe & lac emiſit è papillis copioſum, & mammæ intumuerunt atque obduruerunt adeo, vt obſtetrices adhibitis repellentibus, vomitum lactis, non curato priore affectu, excitarint. *Cardanus lib. 12. de Subtilit.*

OBSERVATIO.

Trimeſtris puellula tumidis mammillis, lac aquoſum fundentibus.

INFANS ſiue puella quædam, filia mei affinis trimeſtris bene alioqui valens, inquieta tamẽ & clamoſa, à me diligenter inſpecta, in ea tandem deprehendi mammillas tumidiores, & nonnihil rubicundos, quæ ſi parum premerentur, lac quoddam aquoſum emittebant. Durauit hic affectus per aliquot menſes, & ab eo poſtea liberata recte ſe habuit. *De Illuſtribus Ioach. Camerarii Norimb. Med. Exemplis.*

MORBVS PILARIS.

OBSERVATIO.

Eruditorum de morbo pilari, in mammis oboriri ſolito, animaduerſiones.

VBERA tota fungoſa ita ſunt, vt ſi in poculo pilum forte hauſerit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malum pilare appellant, nec ſedatur donec pilus vel preſſus exeat ſponte, vel cum lacte exugatur. *Ariſt. lib. 7. c. 11. hiſt. anim.*

Cancri fluuiatiles illiti vel marini pilos in mamma, vel muricum carnes appoſitæ tollunt. *Plin. li. 32. c. 10. Nat. Hiſt.*

Pilus hominis bibitus à muliere cum aqua, vel ſumptus cum cibo: cuius ſignum eſt in mammilla rubedo, mammillæ fortis dolor, febris, & dolor capitis, quouſque egrediatur pilus, & quando egreſſus fuerit, ſtatim deſinunt omnia huiuſmodi accidentia, & mihi quidem iam viſum fuit hoc, & non fuit apud me dubium, fuiſſe pilum hominis, & hoc notum eſt apud mulieres. *Alſabarauius Tract. 14. cap. 2. Practica.*

Author eſt Ariſtoteles pilos in mammis mulierum inueniri, ſi forte in poculo pilum hauſerit, idque malum pilare tradit appellari, nec dolorem ſedari donec pilus preſſus exeat, vel ante lacte exugatur. Alii id negant, quoniam multa ſponte ſua gigni in corpore videantur, quæ plerunque malis medicamentis fieri arbitratur inſana vulgi credulitas, inueteratis enim (vt inquit Galenus) abſceſſibus ob varias humorum qualitates, materiam in calculum, harenam, ligna, carbones, amurcam, fecem, in ſetas porcinas, in aliaſq; iſtiuſmodi formas conuerti conſtat. *Alex. Benedict lib. 3. c. 4. Anat.*

Mulieres lactantes, & vltimis menſibus vterum gerentes, mammillarum venas lacte oppletas habent, & ipſa etiam glanduloſa ſubſtantia eo abundat, & ob id mollior & fungoſa admodum, neque ita denſa & continua redditur, ac tonum illum non amplius ſeruans & duriuſculo adipe haud magis illam ſuffulciente, ſenſim flacceſcit propendetque. Quanquam interim eo nunquam perueniat raritatis, vt deuoratum à muliere pilum in ſe (vti Ariſtotelis eſt ſententia) reciperet & pilari morbo, Græcis τριχίασει nuncupato, vexaretur: quandoquidem nulli dubium eſt, per tot angiportus tenueſque anfractus ab ore ad mammillas, pilum nequaquam duci poſſe: etiamſi mammillæ illum forte, cum in ipſarũ conſiſteret venis, amplexuræ eſſent. Non eſt tamen omni interim ex parte abſonum, quid pili ſimile in mammillis, quemadmodum in renibus, vrinariiſque meatibus, progigni poſſe. *Veſalius lib. 5. cap. 18. de corp. hum. fabrica.*

Ego malum ex pilo hauſto fieri nullo modo poſſe contendo, etenim plane repugnat anatome, nam pilus hauſtus per ventriculum in inteſtina delabitur, & inde per anum cum excrementis reliquis egeritur. Qui enim pilus per venas meſaraicas, & ex his per tot hepatis exiguos ductus & mœandros in cauam venam, à caua vena ad axillares venas, ab iis ad mammas penetrare poſſit? Vel ſi illuc permearit, cur non per venas in papillam deſinentes potius delabitur, vel ſuctu extrahitur, cum hæ multo latiores ſint mediis, idque ſine dolore. Quare cum huiuſmodi malum mammam infeſtat, id non ex pilo hauſto oriri puto: ſed ex vermiculo paruo capilli ſpecie, ex pituitoſioris & putreſcentis ſanguinis copia generato, qualem equidem aliquando vidi ex nobilis & ſpectatiſſimæ fœminæ mamma natum. *Rondeletius Hiſtor. Aquatil. capitul. de cancro fluuiatili.*

Iuxta partum ſæpe & non raro reliquis lactantibus inflammationes mammarum fiunt, ob lactis copiam & corruptionem, quas Hiſpanæ fœminæ appellant peto. Quam appellationem in hominum opinionem falſam ac ſuperſtitioſam traduxit Ariſtoteles. *Chriſt. à Vega. libro tertio, capit. decimo, Sect. 6. Art. Medend.*

Patrocinari Ariſtoteli non poſſum, cum *libr. 7. de Hiſt. animal. cap.* 11. ſcribit, tota vbera ita fungoſa eſſe, vt ſi in poculo forte mulier pilum hauſerit, dolor moueatur in mammis, &c. Quaſi pilus hauſtus ventriculum, meſaraicas, iecur, atque adeo venas ipſas non mutatus pertranſire, & ad mammarum cauernas per mille anfractus peruenire queat, quod plane puerile eſt cogitare. Sed *in Lectionibus noſtris de mulierum morbis*, & quid ſit

morbus pilaris, & plura alia medicinæ myſteria declarauimus. *Mercurialis libro quinto, cap. quarto Variarum Lectionum.*

Pili è mammis non prodeunt, quoniam nutrix talia deuorarit: ſed Rondeletius affirmat, vidiſſe vermiculos è mammis mulierum exeuntes: Non negarim tamen etiam veros pilos lactationis tempore ad mammas peruenire poſſe, quoniam attractrix virtus in eis tunc valida vigeat. *Cardanus lib. 8. ca. 44. de Varietate.*

Perſuaſum vulgo eſt, bibentium pilum inflammari vbera, & cum multo dolore febrire, petente pilo lactantium vberum laxitatem; quæ omnia exeunte cum lacte pilo quieſcunt & ceſſant. Nec vero inanis fabula eſt, credidit Ariſtoteles, vidit etiam & curauit Azarauius, vt minus concedamus negantibus iunioribus. Nec abſurdum eſt, vel epotum vel cum cibo ſumpto pilum ob ſanguinis ad vbera confluxum, & partis laxitaté eo fluere. *Tom. à Veiga. Com. ad lib. 6. c. 3. de loc. affect. Galeni.*

CANCER.

OBSERVATIO.

Mamma cancroſa quomodo incidenda, & quod eadem nonnunquam in totum præſecetur.

IN paruo & incipiente cancro, ſi locus exciſioni aptus fuerit, vt labra, mammæ, &c. exciſionem tutiſſime aggredimur, vti Auicenna recte ſuadet, & nos ſæpe factû vidimus, fieriq; iuſſimus. Et mamma quidem tota amputari poteſt nullo incommodo, niſi profundiorem partem occuparit, velut ſeſſilis cancer: cui fouendo venæ ſint ampliſſimæ, ab alto procedentes. *Ioubertus Tractat. de Apoſt. Guid. de Gauliaco.*

Vidimus nos, (carcinomata interim parua erant, quæ ſcyrrhi tunc dici merentur) mammis & aliis inſita membris, nouacula dextre extrahi, à quibus extractis, ſanguis ex ſubſiſtente loco multus fluebat: ac poſtea candente ferramento, ſi quæ vndique in loco manebant reliquiæ, cancrive ſemina, optime exurebantur: & proſpere ſemper ſubſequebatur, quod perinde nonnullis exulceratis corporis ſuperficiem occupantibus fieri obſeruauimus: imo ex integro mulieri cuidam Venetæ ob cancrum dextra mammilla inciſa & extracta fuit, & optime poſtea vixit, id quod ante nos quoque plures viderunt medici, & literis mandarunt. *Amat. Luſitanus Curatione 32. Cent. 3.*

OBSERVATIO.

Cancri in mammillis chirurgia vera, & à nemine hactenus tradita.

CANCRI fœminis maxime accidunt, iis præſertim quæ aut natura, aut electione ſteriles ſunt, cuiuſmodi ſunt moniales, aut alias continentes mulieres, quæ cœlibem vitam agunt, accidunt etiam & viris, ſed id rarius. Horum autem curatio digna nobis viſa eſt, quam ſcriberemus, quando iis qui recte nouerint, facilior multo eſt, quam antiqui authores credidere. Vnde illud omnibus fere noſtri temporis Medicis paſſim decantatur: cancrum occultum non curari omnino: quod ſi curandus ſit, palliatiua quam vocant, curatione vtendum cenſent: non autem abſcindendum eſſe, id quod ſi de cancro exulcerato præciperetur, recte quidem dictum fuiſſet, namque huiuſmodi cancris exulceratis, palliatiua tantum curatio confert. Namque aliter ſi curentur, maturius & certius omnino periculum timeri neceſſe eſt: adhibitis enim medicamentis, celerius multo corrodi abſumique ſolent, maxime ſi corroſiua adhibeantur remedia, aut quouis modo ſanguinem ex illis effundi contingat: cæteros vero qui vlcerati non ſunt, curare non ita difficile eſt, atque iſti opinantur, qui nullam cancrorum omnino curationem deſcribunt, aut præcipiunt; neque quomodo extrahi poſſint dicunt, cum tamen extrahi omnino integri ſine vllo periculo poſſint, quantumuis magnos eſſe contingat. Quæ autem ab auctoribus curatio cancrorum omnium precipitur, cuius circa reſolutionem intentio eſt, ea inefficax omnino eſt, quam nos ſæpiſſime vanam experti ſumus, quantumuis diligentes in ea paranda, variiſque reſolutiuis exercendo fuerimus, qualia remedia & à Vigone & à Celſo, Guidone, aliiſque authoribus præcipiuntur. Quamobrem, quemadmodum huiuſmodi cancri citra noxam & extrahi & curari omnino poſſint, communis vtilitatis cauſa ſcribere placuit. Ea autem breuiſſima agendi ratio eſt, quam docebimus: primum de curatione integra cancrorum, qui exulcerati non ſunt: deinde etiam eorum, qui exulcerati fuerint, optima palliatiua cura diſſeremus, qua nos plures viros & fœminas diu produximus, atque ne ea cauſa perirent, cauimus diligenter, in primiſque hominem quendam vltra vigeſimum etiam annum hoc curationis genere ita conſeruauimus, vt antequâ diem clauderet extremum, omnino ſanus eſſet: obiit autem annorum pluſquâ 80. Principio huius affectionis ſigna certiſſima ipſorum cancrorum incrementa ſunt: ea enim primum producta, ciceris magnitudinem non ſuperant: vno autem atque altero, & pluribus etiam annis grandiora & ad tactum duriora fiunt. Igitur cum cancrum excindere volumus, ipſum inprimis aſſectum corpus purgatione præparaſſe oportuerit ſyrupis per quatuor aut quinque dies exhibitis, quorum ad atram aut ad aduſtam bilem concoquêdam probata natura ſit (ex his enim humoribus malum hoc enaſcitur ac coaleſcit) deinde purgatio eſt adhibenda, quæ cum affectione & hominis natura optime conuenire iudicabitur. Tertia à purgatione die, ſecunda aut tertia horà à prandio, duorum ouorum vitelli vna cum albo probe agitata ſunto: addito ſi placuerit roſaceo modico. Præſto etiam erit magna lichinorum copia ex tenuiſſima lini ſtupa comparatorum: præterea & puluiſculi cum vitta, quinque digitos lata, & gauſapis quoque bona pars paretur, atque etiam acus femoribus conſuendis idonea, cum ſatis tenaci filo, eodemque duplo: ipſe vero homo aut in puluinis, aut in culcitra reſupinus collocetur: vtrinque autem duo alii homines ſint, qui illius brachia firmiter contineant: ne ipſe ſibi contra nitendo, impedimento eſſe poſſit, dum curatur. Chyrurgus vero immineat, hominiſque crura ſuis ipſe cruribus contineat, genibus ſupra culcitram ipſam flexis, & firmis: homo autem ſuperiori à cingulo parte nudus eſto: linteum autem vtrinque

ſit, quo

ſit, quo ſanguis defluat. Cancer autem ipſe manu apprehendatur, qui ſi contra ipſius mammæ papillam erit, ſapienter eſt diuertendus, ne ipſa pereat exciſa, quod ſi verſus axillam fuerit, diuertendus etiam eſt, ne quid ex iis muſculis, qui ex axilla oriuntur, lædatur: vbi vero ita recte conſtitutus fuerit, manuque ſiniſtra firmiter comprehenſus, tantum cutis acutiſſima nouacula aperiatur, quantus cancer ipſe ſit: apertio autem in longitudinem fiat, deinde ex altero cancri latere, caro commota abſcindatur & ſeparetur: ita tamen vt cancer non feriatur, quod ſi ſanguis erumpat, globulo ex bombyce facto locus opplendus eſt: quem, ſi id fieri conueniat, alter eorum qui brachia continent, digito comprimat, atque ex altero etiam latere carnem à cancro ſeparet, hæc autem operatio celerrimam Chyrurgi poſtulat expeditionem, cum ſumma tantum diligentia ac ſedulitate, atque maturitate coniunctam, ne quid temere peccatum ſit. Vbi autem vtrinque cancer detectus, à carneque ſeparatus ſit, acu, filoque medius transfigitur, filumque ipſum alteri filo innodatum, alicui eorum qui adſunt committatur: à quo contente ſublata manu tenendum eſt, atque hinc & hinc contra eam partem, qua Chyrurgus ſecat, diuertendum, vbi vero ex vtroque latere probe fuerit à cætera carne cancer ſeparatus, inferiori ex parte penitus eſt abſcindendum, idque quam fieri poſſit expeditiſſime, digitis admotis, vt totus cancer abſcindi ſentiatur, nihilque ex eo penitus relinqui: hoc vero commodiſſime fieri ſolet gladiolo illo, quo Italici Chyrurgi ad tumores aperiendos vtuntur, cuius figura ſacrificatorio gladiolo perſimilis eſt: aciem autem vtrinque acutam habet; vtendum autem curua acie, cuſpideque acutiſſima: namque illa pars commodius ea quæ inferiora ſunt reſecat, idque nullo erumpentis ſanguinis, aut alterius rei nocumento fit: adeo autem celerem operationem eſſe volumus, vt plus in traiiciendo cancro filoque colligando, quam in eodem penitus eruendo moræ ſit: namque huiuſmodi abſciſſiones fœminis plerunque contingunt, quibus natura debilior, animuſque magis deiectus quam viris eſt. Cum abſciſſum extractumque penitus fuerit, ne quid ex eo intus reliqui ſit, diligenter eſt peruidendum: adeo autem durum eſt, vt metuendum hoc raro ſit: Hæc vbi expedita fuerint, ſanguis omnis, qui ex vulnere fuit, diligenter abſtergatur, ac mox lichini ouo intincti indantur; ita tamen ne nimium compreſſi dolorem augeant: neque enim totus locus opplendus denſa nimis lichinorum inculcatione eſt, imponendæ autem ſtupæ eodem ouo intinctæ, puluillique & vitta ſunt adhibendæ. Poſtero vero die eadem hora digeſtiuo curabitur, aut balſamo illo noſtro, cuius magna ad concoquendum, mundandum carnemque inducendam, efficientia eſt; id pluma leuiter vngendo fit, additis etiam filis ſiccis, non tamen nimium compreſſis, vt caro ipſa paulatim coaleſcat & ſeſe committat: circa ipſum vero vulnus, ſuperque, atque circa mammam, defenſiuum addi oportuerit, ex roſaceo, cera, & bolo armenico confectum, eius autem quod diximus balſami vſu quam citiſſime emundabitur vulnus, caroque inducetur, atque ſanabitur. Super balſamum autem emplaſtrum baſilicon, lino extenſum imponimus, tandem vbi ſatis iam inductæ carnis erit, cicatrix filis ſiccis, impoſitoq; baſilico, aut leonato dicto emplaſtro procurabitur, aut ex gummi elemii emplaſtro compoſito: quodcunque autem ſit, ſæpius per diem abſtergendum, exulceratis autem cancris nulla alia præter palliatiuam curatio eſt: nam quicquid adhibueris, vehementer nocueris, noſtra autem in hoc genere huiuſmodi curandi ratio eſt, vt qui hoc malo infeſtatur certis quibus commodum videtur temporibus, in anno purgetur, deinde per ſingulos menſes binis aut ternis pilulis atram bilem purgantibus vtatur noctu ſub ipſum cubandi tempus: eæ autem aut ex fumaria cõmodiſſimæ ſunt, aut ex helleboro, aut lapide lazuli, aut epithimo, aut fœtidæ, aut eæ quæ ex nitro ab Alexandro Tralliano deſcriptæ ſunt: his enim corpus purum conſeruatur, humorq; ipſe minuitur potius quam augetur. In vulnere autem vnguẽtum pompholigos ponimus, aut illud quod à *Ioanne Vigone in antidotario* deſcribitur, hoc in lino extenſo ſine filis vtimur, namque fila etiam nocere deprehendimus: etenim ſi vulneri tenacius adhæreant, ſanguinem eliciunt, iſque ſanguis nocumentum adfert. Porro quod probatiſſimum in hoc vnguentum nobis ſemper fuit, illud inprimis eſt. Recipe olei roſati, olei omphacini an. lib. ſemis, ſepi hircini & vitulini, vnguenti roſati, vnguenti populeonis an vnc. ij. ſemis, ſucci ſolatri, & ſucci plantaginis, ſucci acetoſæ an. vnc. j. ſemis, vini granatorum vnc. ij. ſemis, bulliant omnia lento igne vſque ad conſumptionem ſuccorum & vini: poſtea colentur: addantur ceruſſæ vnc. ij. ſemis, lithargyrii vnc. v. plumbi vſti, antimoniæ an. drach. x. tutiæ Alexandrinæ vnc. j. ſemis, camphoræ ſecundum artem trituratæ drach. j. ceræ albæ q. ſ. fiat vnguentum molle, videlicet, liquefacta cera cum oleis, & in colatura ponantur reliqua mineralia, ducendo corpus ipſum vnguenti per duas horas cum piſtillo in mortario plumbeo, atque hoc optimum omnium in hoc genere medicamentorum eſt. *Arcæus lib. 2. cap. 3 de Curand. Vulnerib.*

Observatio.

De mamma cancroſa ementita.

Erat mihi frater Ioannes Pareus Chyrurgus, Vitrei in Britannia habitans. Is aliquando animaduertit mulierculam mendicantem, quæ mammam oſtentabat, velut cancroſo vlcere obſeſſam, aſpectu horribili, propter multum & ſordidum pus, quod in ſubiectum linteum manare videbatur. Mulierculæ faciem, viuidumque in facie & circumſtantibus vlcus locis colorem, totius denique corporis colori illi conſentientem euexiam, erat enim præpinguis & optimo corporis totius habitu, cum propius & diligentius eſſet contemplatus, facile adductus eſt in ſuſpicionem latentis doli. Coniecturam ſuam magiſtratui indicauit impetrauitque vt mendicam illam ſibi liceret in ſuas ædes deducere, quo certiore nota rem omnẽ exploraret. Renudato igitur eius pectore, cõperit ſub axilla ſpõgiam imbutã liquore ex brutino ſanguine & lacte cõmixto, ſambucino tubulo, per latentia ficti cancroſi vlceris foramina decurrente. Ergo calente aqua mammã fouit vdoq; fotu ſibi inuicẽ ſupertextas, & glutina ex bolo armeno, oui albumine & farina cohærentes, ranarum nigrarum, viridium, & citrinarum pelliculas reſoluit, hiſque reſolutis ſubiectam mammam integra ſanitate fluentem comperit. Coniectura

in car-

in carcerem eo nomine mendica faſſa eſt eas ſe fraudes coactam à mendico adultero, qui & ipſe circumpoſito tibiæ liene bubulo, certiſque locis quibus commoratus liquor ſtillaret perforato, monſtroſę magnitudinis & malignitatis vlcus, circumtectis vndique ſordidato linteolo lienis appoſiti marginibus effingebat. Quæſitus ſedulo mendicus adulter comperi non potuit, ipſa loris operta in exilium acta eſt. *Pareus lib.24.c.18.*

Observatio.

Tumor durus, craſſitie oui gallinacei in mammilla mulieris cuiuſdam repertus, cancrum ementiens.

EGo aliquando ad nobiliſſimæ mulieris diſſecandum cadauer vocatus, reperi in altera eius mamma corpus quod craſſitie gallinaceum ouum æquaret, durum & compactum aperiuſculi calculi ad inſtar: pro cancro & Medicis & Chyrurgis dum ipſa viueret, habebatur, quod illi hæc durities, dum vel leniter comprimeretur, eſſet valde dolorifica.

Sed & paucis ab hinc annis, vocatus ad curam honeſtiſſimæ mulieris quæ pari morbo laborabat, Medicis Chyrurgiſque cancrum ſubeſſe affirmantibus fortiter reſtiti: non enim profundius defixus hærebat tumor, non erat partis habitus à natiuo colore mutatus non venæ in ambitu tumentes, non vlla alia aderant cancri ſyllogiſtica ſigna. Nam & illi mulieri ſtata & ſua periodo fluebant menſes, facie, totoque corpore bene habita & colorata viſebatur, ab omni dolore immunis, niſi cum pars affecta comprimeretur. Sed nec ex eo tempore vel tantillum accreuit tumor, nullum aliud malignum accidens ſuperuenit: imo etiam nunc alacris viuit, corpore & mente bene compoſita. *Idem lib.6.*

Observatio.

Carnoſa, ſub dextra mammilla, ex vitioſa ſectione, excreſcentia, ſolo ſilo curata.

VIdva quædam annorum quinquaginta, pruritus impatientia, dextro ſub vbere cutim vnguium ſcalptu leuiter vulnerat, dolore eum ad locum ſanguinem prouocante, cum miti febre, oboritur phlegmone. Ad curam declamatiſſimum & noſtris hominibus miraculum Agirtam quendam Lithotomum aduocat. Is cancroſum eſſe ait vlcus, ſolo ferro paratam ſalutem, vtque credat & admittat, perſuadet aſtantibus, & vetulæ. Mox nouacula per tranſuerſum cutim muſculoſque penetrat, vulnus quatuor digitorum latitudine efficit. Huic cum ſaluam ſubeſſe carnem, rubentemque videt ſtillare ſanguinem, ægramque præ dolore ſibi fere eximi ſentit, nihil vltra patrat, ſed ſiſtit hæmorrhagiam, vulnus conſuit, quod poſt diſceſſum eius nondum conſolidatum, validiſſima ſternutatione ruptum, diſſectis muſculis inſtar labiorum, egreſſum indulſit. Aduocati barbitonſores, madentem & dolentem continue carnem exiccare, ignito etiam ferro, moliuntur, cutem tamen inducere nequeunt. Deſperata iam fere igitur, me fœmina aduocat, quam ſalutis prognoſtico recreatam, tenaciſſimo ſubtiliſſimoque filo, carnem circa ducto, indieſq; ſtrictius contracto, donec tota decideret excreſcentia, reſtitui. *Ioan. Ieſſenius, de ſuis mihi per Clariſſ. V. Laur. Scholzium communicatis Obſeru.*

Observatio.

Phlegmone mammillæ pro cancro habita, curata.

MAgivs ad nobilem quendam Bononienſem, qui tumorem in mammilla dextra habebat, quem quidam cancrum eſſe arbitrabantur, vocatus; hunc phlegmonem potius, cum diuturnus non fuiſſet, eſſe iudicauit. Prius ergo farina tritici, in aqua & oleo communi, vt Galenus docet, decocta, tumorem iſtum maturauit, poſtea cum ſigna maturationis apparerent, ferro aperuit. Quo facto, ſyncerum pus exire cœpit. Senſerat autem Nobilis iſte ante ſectionem, intus quaſi palpitationes quaſdam, quod itidem tumorem iſtum cancrum nō eſſe arguebat. Tandem digerentia adhibens, terebinthinam nimirum cum vitello oui mixtam, ægrū hunc priſtinæ ſanitati reſtituit. *Laur. Scholzius, de Obſ. prorius liberaliſſime ad me miſſis.*

Observatio.

Sanguinis è ſiniſtra mammilla ſtillatio periodica cohibita: lethalis cancri cauſa.

NObili cuidam fœminæ, ſtato temporis interuallo, memini ſanguinem è ſiniſtra mamma fluere guttatim ſolitum: & cum imprudenter Medicus aſtringentibus remediis inhibuiſſet, ac retinuiſſet, enatum cancrum: quo periit. *Dalechampius Annotation. ad capitulum decimum tertium, libr.26. Plinii, litera K.*

Observatio.

Mulier cancroſa mamma annua purgatione leuata.

MVlierem quandam, quæ cancroſum in mamma tumorem habebat, quotannis vere ineunte vacuans, ſanaui, ſubinde forti pharmaco melanagogo vſus, quam quidem purgationem ſi quando prætermiſerat, dolor ipſi profundus ſentiebatur, atq; ita ilico accerſitum me, purgare ſe iubebat. *Gal. Comm. ad Aph.47. lib.6.*

Observatio.

Mammillarum cancro, ſi materiam putrefactam continebit, bonis ægri rebus, facto per ſectionem emiſſario, conſules: ne materia regeſta intro ex intempeſtiuo refrigerantium, maxime per plumbi laminam, vſu lethali Aſthmati, & pectoris, ex ſero cruento & ſanioſo, hydropi, occaſionem præbeamus.

SI cancer mammarum eſt magnus, & materia iam collecta ſit & putrefacta, ſatius eſt materiæ exitum dare, quam materiam illam putrefactam relinquere: nam experientia didicimus, materiam illam grauiſſimos dolores inferre, qui poſt apertionem mitigantur. Adde quod ex diſſectione nouimus, thoracem repleri ſero ſanguineo, nimio vſu repellentium, quod ſuperiori Anno 1553. mercatori cuidam euenit, in (Montagnar) ciuitate Galliæ Narbonenſis, qui priuſquam moreretur laborauit

magna

magna anhelandi difficultate: Nihil aut parum expuebat, tandem vita deceſſit, & in thorace repertæ ſunt ſeri amphoræ quatuor. Quod accidiſſe puto, propter laminam illam plumbeam, quam ſemper geſtabat, & medicamenta fortiter refrigerantia & repellentia, quibus vſus eſt, etiam poſt ſuppurationem. Argumento eſt, ſanguinem refudaſſe in pectus, quia tumor maximus erat, qui detumuit, & longe minor factus eſt, poſt vſum illorum remediorum. Et priuſquam laboraret difficulter anhelauit, donec è vita exceſſerit. Serum illud erat ſanguineum, id eſt, videbatur ſanguis paucus, in ſero diſſolutus, nec tale eſſe, quale reperitur in peritonæo & pericardio. *Rondeletius Methodi Curandi libro ſecundo, capite vigeſimo quarto.*

OBSERVATIO.

Cancer mammæ medicationibus irritatus: cum iam pulchre curatus crederetur, recrudeſcens, mulierculam de medio ſuſtulit.

MATRONA quædam Haganoenſis, alias natura faceta ac hilaris: Cancro exulcerato ac fœtido, circa mammas oborto, profuſione ſanguinis ſingulis fere momentis tanta laborans, vt vix ſæpenumero ſiſti potuerit. Quæ mea & Antonii Chirurgi Noſodochii Argentinenſis conſtituti opera reſtituta fuit, vt ne minima quidem latentis alicuius mali ſuſpicio ſupereſſe putaretur. At bimeſtre in ea curatione conſiſtente, malum recrudeſcens, multo ſæuius quam antea, miſeram breui admodum tempore è medio ſuſtulit. *Melchior Sebizius, ſuis ad me datis Obſeru.*

OBSERVATIO.

Cancrorum in mammis cura palliatiua, tum de eorundem cum pepticis irritatione lethali, Hiſtoria.

NON contemnendum auxilium cancris non vlceratis venit ex lamina plumbea, argento viuo oblita: nam & teſtatur Galenus plumbum vlceribus malignis & inueteratis eſſe vtile remedium. Quin & eiuſmodi laminas plumbeas, hydrargiro oblitas, malignis vlceribus, quæ reliquorum remediorum vires eludunt, velut quoddam alexipharmacum eſſe, quo ipſorum cacoethia dometur & abſumatur, antiqua fide & doctrina teſtis eſt Cauliacenſis Guido. Id remedii genus cum Domino Hoſtürio, Medico nunquam ſatis laudato, imperante, & me probante, aliquando præſcriptum eſſet Dominæ de Montigni, Reginæ Matris aſſeclæ, cancro, quod nucis iuglandis magnitudinem æquabat, in mamma ſiniſtra obſeſſæ, non quidem perſanauit, ſed tamen incremento malum prohibuit. Itaque eius tandem pertæſa, cum ſe Medico cuidam promptam ſanitatem audacter promittenti, tradidiſſet, vitæ diſpendio experta eſt, quam eſſet damnoſa, quæ reliquorum vlcerum more cancri ſuſcipitur curatio: nam Medicus, cum procul abiecto noſtro illo remedio, remollientibus, calefacientibus, & attrahentibus mali curationem eſſet adortus, irritatis dolore, inflammatione, ſymptomatiſque omnibus, in tantam molem creuit tumor, vt cum attractus humor, parte ipſa non contineri poſſet, mammam ita diſtenderit, vt inſtar mali Granati maturitate exacta diſſilienſis mediam ſe ruperit: Vnde oborta hæmorrhagia effræni, ad eam compeſcendam coactus fuerit cauſticos pulueres inſpergere. Verum hinc ſæuius efferatis inflammatione, & dolore, oborta q; inſuper ſyncope, animam, pro ſanitate promiſſa, in Medici ſinum miſella depoſuit. *Pareus lib. 6. c. 30.*

OBSERVATIO.

Arrhenico & ſublimato temere cancroſæ mammæ inſperſis: horribilia atque formidanda ſymptomata, & mors ipſa inducta.

SEPTICA, non niſi repreſſa crebra lotione ex portulacæ ſucco, limonum, ſolatri, aut ſemperuiui, vlli vlceri adhibenda ſunt, debentque cerato leni permiſceri parua copia, & in parte quæ à principibus procul abſit. Maiore enim copia nec repreſſa in vlceribus cordi propinquis, vt in mammæ cancro; illa præſertim arrhenicum & ſublimatum, mulierem diebus ſex ſuſtuliſſe notaui, perinde ac ſi id hauſiſſet; horis circiter tribus ab inſperſo puluere, vehementi rigore concuſſa, vomitione mox tentari cœpit, & crebris animi defectionibus corripi, cum pulſu languido, quæ dein ſenſim aucta, oborto extremarum partium frigore, & facie reliquoque corpore ſupra modum intumeſcente, miſere illam iugularunt. *Fern. Meth. Med. lib. 6. c. 18.*

OBSERVATIO.

Cancros mammillarum nonnunquam proba victus ratione, ſine magno vitæ diſpendio, ad productam ætatem vſque foueri poſſe.

NOVI nonnullas mulieres, cancros in mammis habentes; ſolo bono vitæ ordine, abſque vllo medicamentorum topicorum irritamento, per longum viuere tempus, ita incolumiter, proſpere, & ſane ac ſi nullum paterentur morbum, ex iis vero vna ſuperſtes eſt Venetiis, nobilis vxor probi viri Alfonſi à Caualleria, quæ abhinc triginta & amplius annos, cancrum in mammilla habet, abſq; vlla tamen offenſa, cui tamen ipſa nunquam remedia admoueri conceſſit, ſterilis namque mulier hæc eſt, in primam ingreſſa ſenectutem. *Amat. Luſitanus Centur. 3. Curat. 32.*

OBSERVATIO.

Tumor mammillæ, mali magnitudine, cancri opinionem præbens.

MVLIER iuuenis, in Mache, cui ab anno cœpit creſcere tumor paruus nucis auellanæ magnitudine in mamma: nunc mali magnitudinem æquat, ac dolet, verendum ne in cancrum vertatur. *Io. Bauh. in Diario Obſ. ſuarum.*

STRVMÆ.

OBSERVATIO.

Strumæ in mammis vtriuſque ſexus.

CELSVS dicit, Megen Chyrurgicum referre, in mammis mulierum ſe ſtrumas reperiſſe, ac ſi magnum quid retulerit. Nos enim non ſolum in

mulierum, ſed & in virorum mammis ſtrumas vidimus: & nunc milleſimo, quingenteſimo, trigeſimo ſeptimo, in menſe Aprili, opem medicam exercemus in mulierem quandam, quæ omnem fere corporis partem, vſque ad inguina ſtrumis plenam habet. *Braſſauolus Commentar. ad Aphoriſm. 26. libr. 3. Hippoc.*

PVRIS EFFLVVIVM.

OBSERVATIO.

Puris ex Mammillis fluxus diuturnus.

VNI, ex Ancillis cœnobii, ſæpe fluit pus per mammillas, idque ab aliquot annis, fuerat etiam vteri fluoribus albis obnoxia *Io. Bauh. in Diario Obſeruationum ſuarum.*

VERMICVLI.

OBSERVATIO.

In Mammis Matronarum quarundam vermiculi nati.

ALiquando vermiculum vidi ex nobilis & ſpectatiſſimæ fœminæ mamma natum. *Rondeletius Hiſt. Aquatil. c. de Cancro fluuiatili.*

Mulierem ſcimus, quæ cum grauiſſimis vberum doloribus exagitaretur, non ante dolore deſierit, quam apertis vomicis vtrinque teres vermiculus proſilierit. *Balduinus Ronſſeius Miſcellaneorum Epiſtola* 10.

LAPIDES.

OBSERVATIO.

Lapides in Mammis mulierum obſeruati: ſed & cuidam mamma tota Lapideſacta.

LAc in mammillis lapideſcit, vbi non emungitur, atque in apoſtematum collectionibus lapidoſa quædam congeries ac concretio aliquando eximitur. *Leuin. Lemnius libr. 4. capit. 12. de Occult. nat. mirac.*

Certe illud affirmare poſſum, me Patauii vidiſſe muliebrem mammam in ſaxum euaſiſſe, quod, cum mortua iaceret, hæc fonte merſa fuiſſet. Magna ſine dubio vis, & fontium, & balneorum. *Heurnius libr. 1. Methodi ad praxim.*

OBSERVATIO.

Ad papillarum rimas, quæ puerperas mirum in modum excruciare ſolent, remedium præſeruatiuum, longa experientia comprobatum.

CVM aliquando apud honeſtam, & piam matronam Locarnenſem, conterraneam meam, de papillarum rimis, puerperas plurimum moleſtantibus, verba facerem, illa & mali magnitudinem, & remedium ad id præcauendum longe excellentiſſimum pluribus mihi exponere cœpit. Ac quod morbi magnitudinem attinet, conſtanter & ſancte aſſeuerabat, mulieres parturientes, aut parientes, aut poſtquam pepererint, non tam acutos & diros ſentire dolores, ſicut ſi à partu rimis illis papillarum laborent. Tam vehementes enim illas dum infantem lactant, (alias non dolent, aut parum admodum) dolores ſentire, vt vix effari poſſit: quanquam aliæ magis, aliæ minus doleant. Remedium autem tale eſt. E pura cera calyces duos, inſtar calycum glandium, aut digitalium (vt vocant) effingit, tantæ ſcilicet amplitudinis, vt papillas complecti poſſint. Poſtea in illos calyces guttulas reſinæ abietis infundit, & papillis admouet ſuum cuique, & ita eas tegit. Ne vero calyces decidant, thoracem lineum artificioſe ad id paratum, adhibet. Quod ſi quandoque decidant, & reſina effundatur, vel ſi reſina abſumatur, nouas guttas, vt prius infundit. Totis autem tribus vltimis geſtationis vteri menſibus, ſeptimo nimirum, octauo, & nono, calyces, vt dictum eſt, præparatos, die ſimul & nocte geſtandos dicit, atque ita fieri, vt neque mulieres illæ, quæ papillarum malum illud antea ſenſiſſent, ſenſuræ ſint in ſequenti puerperio: neque illæ, quæ prius non ſenſerant. Omnes enim præſeruare, ſiue antea laborauerint, ſiue non, tum in ſeipſa, tum in aliis multis ſe bene expertam eſſe. Hæc à matrona accepi. Fieri autem fortaſſe poterit, vt integrum vnum tantum menſem, nonum ſcilicet, calyces illos geſtaſſe ſufficiant, atque id experiri operæ pretium fuerit. Quod ideo dictum volo, quia pleræque mulieres, præſertim nobiles & delicatiores, moleſte fortaſſe tulerint, vel propter ſe, vel propter maritos ſuos, mammillas ita reſinoſas tam longo tempore geſtare. Quanquam ſi magnum illud malum quandoque fuerint expertæ, non reſinæ tantum, ſed aliis etiam quibuſcumque grauiter medicamentis, non papillas modo, ſed & totas etiam mammillas, obliniri ſuſtineant, *Thad. Dunus.*

Oleum de cera, ſanat crepaturas & fiſſuras labiorum, rimas & corroſiones papillarum, in mammillis mulierum, *ex libro quodam Italico manuſcripto.* ℞ olei de cera noua, deſtillati per alembicum vitreum eo penitus modo, quo thuris oleum deſtillatur, & hoc oleo rimas inungas labiorum & papillarum in mammillis, & ſubito ſanantur, & nihil impedit, etiam noctu puerum lactare, dolorem enim tollit, *Geſnerus.*

Ad fiſſuras labiorum, mammarum, manuum, pedum, &c ℞ lactis ſpumam, vbi lac reſederit, miſce cum adipe, ad modum vnguenti redigendo, quo vnge locum. Oleum ceræ nouæ deſtillatum per alembicum vitreum, quemadmodum fit oleum thuris, ad idem valet inungendo locum dicto oleo, & præſertim mammas (papillas) *Angelus Agathus.*

Ad mammillarum ægritudines doloreſque remedium optimum & probatum. ℞ vitellorum ouorum num. ij. ceræ nouæ, tritiæ præparatæ, olei roſacei, ſing. parum, miſceantur & liquefiant ad ignem & fiat vnguentum. Verum antequam hoc vnguento vtantur mulieres, oportet vt prius mammillarum capita, vino albo, in quo cocta fuerint roſarum folia, plantaginis, oliuarum, lauantria: deinde cum bene ſiccata ſint, ſuper linteum vnguentum expandantur, applicenturque & ſanabuntur, *Pedemontanus.*

OBSERVATIO.

Ad eundem affectum quædam alia.

VXOR mea, elapſo puerperii tempore, de papill, rimis grauiter conquerebatur. Infantem

enim

enim vberibus admouens, intolerabiles ſuſtinebat dolores, ita vt eum amplius lactare non poſſet. Cumque aliam nutricem non haberem, cœpi cogitare, qua ratione infans poſſit ali, donec nutrix mihi offerreretur. Ex ſpongia igitur noua particulam inſtar nucis auellanæ formatam, & veſica ſuilla (multis foraminibus acu grandiori in ea factis) obductam, extremitati canalis illius, per quem infantes potum ex ſuis cantharis attrahere ſolent, (noſtrates vocant ein Schnaußhänlein) fortiter alligaui, & cantharum lacte caprino tepido repletum, ori infantis admouere iuſſi, ex quo non aliter atque ex vberibus matris lac ſuxit, ſed oportet vt hæc ficta papilla ſingulis ſeptimanis ſemel aut bis renouetur, lac exprimatum: & linteo puro, ne à muſcis conſpurcetur, tegatur. Ad rimas autem papillarum ex cancris viuis contuſis, coag. vitulino, cum flore lactis, inuicem coctis, & fortiter expreſſis linim. fit præſtantiſſimum. Alio tempore cum papill. rimæ valde eſſent humidæ confeci tale vnguentum. ℞ rad. ſymphyti mai. torment. biſtortæ, ſiccar. an. drach. ij herb. millef. plantag. acuti an. M. j. auric. muris viridium m. s. contuſa coq. in butyrii maialis, ſole dealbati ſ. q. colat. fortiter expreſſæ adde, Boli arm. drach. iij. thuris albi drach. ij. ceræ albæ q. ſ. f. vnguentum, quod adhibeatur cum petiis. *De Clariſsimi Viri Iohann. Franci Hildeſii Medend. Cameniceni Obſeruationibus.*

F I N I S.

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM

TOMVS TERTIVS:

qui agit

DE PARTIBVS NATVRALIBVS NVTRITIONI SERVIENTIBVS, ET IMO ventre concluſis.

PRÆFATIO.

SVPERIORE Libro, Cor, Vitæ domicilium, quod neceſſitatis iure, Principatum obtinuit: & ſecundam Corporis regionem vna cum ſubſidiariis ſuis partibus occupauit, proſecuti ſumus. Tertio proinde hoc noſtro libro, Hepar, quod & ipſum, exortus ſui occaſione, inter reliquas Principis dignitatem meruit: in quo ἐπιθυμητικὴ *Facultas dominatur, ſuis quoque adminiſtrantibus nutritionis famulis ſtipata, pertractabimus: oſtendemuſque quam multiuariam & illa quoque, nouis ſæpe, raris, miris, inſuetiſque tum conformationibus, tum morbis & vitiis, à communi vulgoque incognita via ſeceſſionem faciant, adeoque cæteras omnes, ob creſcentem ſubinde, deteſtandam ingluuiem, ea in parte vincant. Situm porro Naturalis hæc Facultas, velut conuenientem locum, in ima & tertia corporis regione, quæ venter inferior ſeu* κοιλιν *perantonomaſiam dicitur, ſortita eſt. Superioreque parte Xiphoide & diaphragmate: inferiore oſſibus pubis, ilio, iſchio: poſteriore quinque lumborum vertebris, & oſſe ſacro: anteriore toto abdomine, quod quidam* ἐπιγάϛειον *vocant, circumſcribitur. Hac arce poſtrema, Hepar vnicus Princeps, cum ſtipatoribus ſuis concluſus, neceſſariis ſuis ſumptibus vniuerſi corporis familiam alit: fueritque ea, reliquarum Regiarum veluti Officina, ſeu potius culina, ſanguini elaborando, & corpori fulciendo deputata: quibus penum neceſſarium ſubminiſtret, iacturamque effluuii, à calore innato, aliiſque cauſis contractam, reparet. Et vero Principis huius miniſtri ad duo potiſſima officia deſtinati ſunt: Chyloſi æſophagus, ſtomachus, ventriculus, epiploon & inteſtina inſeruiunt. Hæmatoſi vero, meſenterii venæ, vena caua, veſicula fellis, lien, renes, vreteres & veſica vrinaria. Atque hic eſt partium nutritoriarum numerus, hic ordo œconomiaque, quam hoc Libro, DEO Opt. Max. proſperante, obſeruabimus.*

DE OESOPHAGO ET GVLA.

ET PRIMVM DE DEGLVTITIONE.

OBSERVATIO.

Citra deglutitionis ſenſum, & immoto gutture bibere nonnullos.

MVLTI ſunt qui abſque tranſglutitionis motu bibunt, ſed deſcendit quod bibunt, ac ſi in phialam tranſmitterent, vt nutrix Renati filii mei maioris natu facit, in hoc caſu non indigent membro mandente. Reſpondemus hoc eſſe rarum, & præter naturam, ſicuti præter naturam eſt, actionem aliquam habere vitiatam, nam id raris contingit hominibus. *Braſauola Comment. ad librum quartum, Hippocrat. de Rat. Vict. Morb. Acut.*

Vidiſſe, dum puer eſſem, me memini, Germanum quendam, tribunum militum, qui cum Gallis ſtipendia merebatur, ſolitum vinum haurire immoto gutture. *Cardanus libro octauo, capit.*40.*de Varietate.*

Observatio.

Quidam vel volentes, vel mercede incitati, varia; veluti Vrceos vitreos, vitra confracta, clauos ferreos, mucronem, coria, teſtas, lapides, ligna, piſces, aliquando aculeatos quoque, anguillam viuam porros octoginta, tres thaleros, cordam cum cruce, gemmis, & quadraginta vnionibus inſtructiſſimam, deglutiuerunt: quæ paulo poſt, ſine vitæ periculo, per annum egeſſerunt.

MEMINI quod hominem viderim, qui vrceos vitreos, clauos ferreos, aliaque multa deuorabat, modica ſtipe; inde paululum contrectatis præcordiis ſingula reddebat: idem aliquando ad octoginta porros magnos, crudos comedit. His igitur ventriculus eſt pro ſacculo, & mergos imitantur. *Cardanus de Varietate lib.*8.*c.*40.

Vidimus nos quendam apud Ferrarienſes, heluonem potius, quam hominem dicendum, qui coria, teſtas & fracta vitrea vaſa comedebat, concoquebat, & digerebat, vt eum omnes ſtruthiocamelum appellauerint, auem, cui concoquendi ſine delectu deuorata mira natura ineſt: vt experientia facta comprobatum apud Antuerpienſes habuimus. *Luſit.Schol.Cent.*2.*Curat.*69.

Caſtilionenſem quendam hominem me cognouiſſe recolo, qui mercede ductus, multa ſaxa deuorabat, quibus tamen nutriri proculdubio non poterat: ſed paulo poſt, cum alui excrementis, ſilices duros ingeſtos, egerebat. *Abraham è Porta Leonis, Dialogis de Auro.*

Circumibat hic ante annos aliquot, puer mendicans, quæſtum miſerum & horrendum ſimul obiens, quatuor obulorum pretio, lapides quamplurimos, quos paſſim obuiá colligebat, iuglandis quoq; nucis magnitudine, vna vice, quam citiſſime deglutiebat, adeoque ventriculum implebat, vt ex colliſione horum dum premebatur, ſtrepitus aperte audiretur. Hos deinde ſine labore excernens, ablutoſque rurſum, vel alios de nouo collectos, deuorabat. Quem poſt menſes aliquot eadem adhuc exercentem, denuo Friburgi inueni & vidi. Quam diu vero vixerit, aut quid tandem paſſus ſit, intelligere non potui. *CL.V.Felix Platerus de Obſeruationibus propriis.*

Ventriculi orificia non ſitu duntaxat inuicem variant, ſed inferius quoque ſuperiore arctius: quod rudes non tritas, duras magnaſque moles homo ſubinde deuoret, ad quarum ingreſſum amplam ventriculi viam eſſe oportuit. Per inferius è contrarius magnum, durum, non conuerſum in ſuccum crudumque tranſit: quanquam ſane non adeo anguſtum ſit, vt ſolum cremorem tranſmittere queat, quandoquidem non pauci quamplurima fructuum oſſa impenſe etiam magna, crebro deuorata, innoxie excernunt, & Galenus, à quodam annulum aureum, qui ore tenebatur, imprudenter deglutitum, eundemque prompte excretum, narrat. Neque orificii huius amplitudinem ſe ignoraſſe callidus ille Hiſpanus docuit, qui ſuperiori anno, Clinianæ cuidam Bacchidi, quadraginta vniones, ex illis, quas hic nobiles matronæ collo geſtant, vna cum aurea cruce, quinque gemmis inſtructiſſima, & fide pariter, qua hæc continebantur, ſuffuratus eſt. Illa namque, cum huic noctem ſe daturam, niſi prius numeratis quinquaginta aureis, negaret, atque is læte annuiſſet: ipſa à patritio Veneto pathico ſuo, vt comptior ornatiorque & placita magis eſſet, elegantiſſimum vxoris ſuæ monile obtinuit, cui Hiſpanus, quo meretriculæ vices reponeret, inhians, eam quam potuit ſalaciſſime, vt ſuauius tandem obdormiret, exercuit, ac poſtmodum ſoluto monili, ſingulos vniones & crucem, & poſtmodum fidem (ne quid ſuo furto obſtaret) deuorauit. *Veſalius libro quinto, capit.*3.*de hum. corp. fab.*

Admirandum, modo verum ſit, quod narratur, quendam acumen cultri prærupti deuoraſſe, ac idem per poſteriora reddidiſſe: quamuis exiſtimarem ferrum rubiginem poſſe contrahere, quæ & inteſtina oblædere poſſet, licet rurſus per fæces, quæ continuo per inteſtina exeunt, rubigo auferri poſſet. *Foreſtus libro decimo quinto, Scholio ad Obſeruation.*28.

Iuſſu Henrici Chriſtianiſſimi Regis liberauimus morionem, qui in ludo Gladiatorio coram Rege, & nobis videntibus, cuſpidem Enſis fracti acutiſſimam, & dodrantalem, arreptam, confeſtim deglutiuit. *Montuus libro primo, Tom.*3.*anaſc. morb.*

Principi Rohano erat morio, Guido nomine, deglutiuit ille aliquando Enſis mucronem, tres digitos longum, duodecimoque poſt die per anum, quanquam ægerrime, reddidit, viuunt adhuc multi nobiles, huius rei oculati teſtes. *Pareus lib.*24.*cap.*19.

Danda ſunt quæ lubricas vias reddunt: mox catarctica fortia, à potu multo decocti maluarum, altheæ, ſem. lini, acanthæ. Magnes, inquit Serapio, bonus eſt illi, qui tranſglutierit acum vel ferrum: illi quoque qui habet ventris fluxum ex aſſumptione ſcoriæ ferri. Hac methodo ſanauimus famulum Dominæ à Valle, qui clauem ferream, non paruam, deglutierat, & Guionem Regis morionem, qui cuſpidem Enſis fracti, dodrantalis longitudinis deuorauerat, Turoni. *Montuus Chyrurg. capit.*19.

Narratum eſt nobis aliquando, lignum ad digiti longioris craſſitudinem & longitudinem deuoratum fuiſſe, & per annum in corpore retentum, deinde ab eodem viro, qui illud deglutiuerat in templo ſedente, torminibus ventris correpto, & in domum eunte, aluumque tunc excurrente, per ſedem eiectum eſſe. *Foreſtus Obſ. Med.lib.*15. *Scholio ad Obſeruat.*28.

Memini fratrem meum Theodorum Foreſtum, tunc puerum exiſtentem, plumbum rotundum, ſed depreſſum, inter ludendum, cum in ore teneret, deglutiiſſe, tertio deinde die, abſque moleſtia denuo cum fæcibus per aluum reddidiſſe. *Idem citato loco.*

Eſt apud nos nauta, mihi notus, qui viuam aliquãdo anguillam deuorare auſus, integram viuamque aluo reddidit, *Geſnerus lib.*4. *Hiſt. Animal. de Anguilla pag.*53.

Alcmarianum noui,qui acanthios fluuiatiles coctos,pinnis ablatis,ſine noxa deglutierit. *Foreſtus lib.* 15.*Schol.ad Obſ.*28.

Baſſus apud Imperatorem Carolum,halecem,interaneis ablatis,aliquando cum Cereuiſia deglutiſſe fertur.*Idem.*

Quidam Alcmariæ, tres Daleros, cum Cereuiſia vnico hauſtu per gulam demiſit,& tertio die iterum per aluum reddidit.*Idem citato loco.*

OBSERVATIO.

Aliqui per imprudentiam fructuum oſſa, annulos, nummos, & id genus alia innoxie deuorarunt, & per aluum egeſſerunt.

NON pauci oſſa fructuum valde magna, ſæpe plurima deuorant. Iam annulum quidam aureum, quem ore tenebat, imprudens deglutiuit: alter vero nummum, alius aliud durum quoddam, & quod confici non poteſt. Attamen hi omnes facile excreuerunt ea quæ deuoraſſent, nullo his ſuperueniente ſymptomate. *Gal. libr.* 3. *de Facult. Naturalibus.*

OBSERVATIO.

Temere & incaute, vel auide quidam, poma S. Iohannis, Perſica; carnes induratas; inteſtina duriora; pulmones veruecinos; calculos aneos; & acus deglutientes; ſuffocationis periculum & tabem incurrerunt: tum quomodo & quibus remediis his ſuccurſum ſit.

CONCVBINA cuiuſdam nobilis, cum in vltimo menſe partus grauida foret, poma cruda immatura, quæ à Diuo Iohanne nomen habent, cum auidius ſine maſticatione deglutiiſſet, gulæ ita infarcta ſunt, vt noctu pene ſuffocata, voce quoque in totum ſuppreſſa, anhelitu impedito, animam agere videretur. Ad quam noctu euocatus, ſpeculo in os immiſſo, nihil quicquam in gutture inſpicere potui: permanſerat in tali anguſtia, & ſine voce per duas horas: ſed cum forte fortuna prope lectum animaduertiſſem poma illa cruda adeſſe, interrogaui numquid ex iis quædam deuoraſſet? annuit autem, cum eloqui non poſſet, digitoque monſtrabat in gutture hærere, cum neque per os cereuiſiam ſumere poſſet, ea ipſa ad nares regurgitante, oxymel continuo lambendum dedi: quo ructibus emiſſis, tandem per continuum vſum oxymelitis, pituita craſſa per os exeunte, mox poma inciſa per acetum, in ſtomachũ delapſa ſunt; & anhelitum ac vocem recuperauit, & præter omnium opinionem à præfocatione hoc præſidio liberata fuit.

Ruſtica mulier, quæ vltra Scedam fluuium commorabatur, annos ſupra quinquaginta nata, quæ & auidius fruſtum carnis fumo induratæ deuorauerat: quod cum non probe maſticaſſet, & ſubito inglutiiſſet, œſophagum tranſire non potuit, gulæque infarctum & fortiter hærens, ſuffocationem pene inferebat: adeo vt neque tuſſiendo, neque verberando dorſum (quod & vulgares recte in tali caſu facere conſueuerunt) neque exire, vel reſilire, aut deſcendere potuerit, via œſophagi etiam præcluſa per tres integros dies, nihil edulii aut potus ſumens, ex fame, ſana exiſtens, mortem expectabat. Verum hæc ipſa omnis conſilii expers me tandem acceſſit, & quæ contigerant apud eam enarrat, cum recte loqui poſſet, cum in partibus meri (vt vocant) paulo inferius, fruſtum impactum eſſet. Cum neque ſpecillo immiſſo, neque candela cerea attingi poſſet, iuſſi vt follicula caſſiæ lamberet, & lingua attereret, vt paulatim à folliculis caſſia ſoluta, leuiter in gulam dilaberetur: cumque à glande aluus ſoluta eſſet, & cataplaſmate collo iniecto, ex fol. mal. m. iiij. flor. chamomill. meliloti an. m. j. rad. altheo vnc. ij. decoctis in aqua ad mollitudinem & contuſis, adiectis farinæ ſem. lini, fænugræc. an. drach. iij. & medietate nidi hirundinis, & olei chamomill. amygdalar. dulc. & butyr. quarto die cum tentaret pitiſſando ſerum lactis, impetu quodam carneum fruſtum in ſtomachum dilapſum eſt: & ſupradictis præſidiis à dicto ſymptomate liberata, bene deinde habuit.

Retulit quidam, cum Perſicum malum auidius deuoraret, nucleum ſeu lapillum gulæ inhærentem eandem obſtruxiſſe; ſed cum mox copioſiore potu vnico hauſtu vteretur, vi quadam demiſſum eſſe in ventriculum. At poſtmodum in longanone circa anum hærens, cui ingenti ventris dolore, adeo vt tribus diebus aluum minime deponere poſſet, tandem impetu quodam, bombardæ inſtar, dum globuli emittuntur, per anum erupit ſimul cum excrementis: quanquam ab eo tempore, pluribus annis pus excernens, in perpetuas hæmorrhoides vel potius condilomata inciderit, ano ita per lapilli tranſitum læſo.

Memini puellam annos 28. natam 18. Septembris Anno 1582. particulam carnis duram & neruoſam ſubito inglutiiſſe, eamq; iiſdem præſidiis à præfocatione fuiſſe curatam, cum die ſequenti in ſtomachum delapſa eſſet.

Filiam vigeſimo tertio annorum Regneri miniſtri Delphenſis cognoui, quæ cum inteſtina bouilla dura & tenacia auide comediſſet, gulam obſtruxere, vt per tres dies nihil deglutire potuerit: ſed glande aluo irritata; & collo prius inuncto oleo liliorum, amygdalar. dulc. deinde cataplaſmate iniecto, ab eodem malo, cum mortem omnes aſtantes timerent, liberata fuit noſtra induſtria, Deo adiuuante. *Petrus Foreſtus libro decimo quinto, Obſeruation.*28.*eiuſque Obſeruationis Scholio.*

Rarum eſt, quod tamen poſt quartum menſem accidit. Puella quædam, deuorato multo pulmone veruecino, & inde grauato ventriculo, poſt nauſeam vomuit fruſtum pulmonis. In œſophago reſtitit parte ſuperiore, vnde grauiter conflictata & periclitata conualuit ſucceſſu, cucurbitulis affixis, & ferramentis in œſophagum inditis. Nihil deglutiebat intercepta via. Ex antecedente de malo coniectura facta eſt. Inflata eius pulmonis portio œſophagum obſederat. *Hollerius. Periocha.* 8. *ad librum octauum, Galeni comp. pharm. part.*

Anno 1547. iuxta ædem S. Stephani de Saxis, puella

xis, puella aſſidue ſingultiebat, nihil deglutiebat, dolore facto in œſophago. Antea pulmonibus bubulis largiter vſa fuerat. Huic grauitas in ſtomacho, nauſea, vomitus. Fruſtulum tamen pulmonis, quem ederat, in œſophago reſtiterat. Cucurbitulis & idoneis remediis tandem reiectum fruſtulum, ſicque liberata eſt. *Scholiographi ad cap. 33. libr. 1. de morb. intern.*

Deuorauit æneum quoddam numiſma, ex eius genere quo ſenes pro compotis ſuis obeundis vtuntur, puer octo natus annos, & filius illius qui ex oneraria & potenti naui in mare cecidit, cũ ex Syria Venetias nauigaret. Qui puer, nulla percepta noxa, gracilior redditus eſt, poſt annũ elapſum numiſma prędictum cũ excrementis egeſſit, exiguum tamen, & ita à calido naturali conſumtum, vt omnibus admirationi eſſet. *Luſitanus cent. 2. curat. 69.*

Proba quædam fœmina infantem curatura Duſeldorpii, in Martio, anni ſexageſimiquarti ſupra ſeſquimilleſimum, aciculas ore retentas duas, vnam magnam, alteram minorem, arrepto infante, quem inopinato in ignem caſurum verebatur, forte deglutiit. Hærebant autem primum aliquot horis in gula, circiter palmam latam ſub larynge, cum multo dolore & anguſtiis; Ad quam tandem accerſitus, vt nihil cibi vel potus prius exhiberetur, quam incurua forcipe exigua, mox adferri iuſſa, tentaſſem num illæ retrahi poſſent, vetui. Vix ad teli iactum digreſſus, ſorbitiunculam propinatam intelligo: qua in œſophagi partes inferiores, paululum ſupra ventriculi orificium, deprimuntur: vbi nouo cruciatu, pungitiuoque dolore excitato, reuocatus, iuſſi cereuiſiam cum butyro & pane ſecalino, noſtratibus conſueto, craſſiusque inciſo, hauriri affatim, atque eam decubitu erecto ſomnum capere: ſiquidem nox erat. Hoc modo aciculas ad ventriculum deturbatum iri ſperabam: quum eas infixas, vomitu has partes contrahente, firmiuſque eo niſu impingente, tuto per fauces reddi poſſe non viderem. Sic poſt noctis medium tertia hora, panis illius pondere depreſſæ, in ventriculum reſederunt. Inde eam ſecundo die iuſculis pinguibus cereuiſiaque cum butyro ali, & in dextra decumbere libero ventre, puluinaribus ſuppoſitis femori & brachio, vt minus impedite ex ſtomacho per pylorum in inteſtina deſcenderent acus, iuſſi. A meridie ſurgentem, hinc inde inflectere corpus nolui, ne inæquali motu in inteſtinis alicubi infigerentur aciculæ: ſed vt citra inflectionem erecta, moderate inambularet, quo cum excrementis procliuius ad inteſtina magna ſiderent acus, conſului: atque vt deinde exoneratæ primum fæces in vaſe conſeruarentur: quibus poſtero mane depoſitis, apparuerunt aciculæ, qua dixi forma: longior vero erat curuata nonnihil. Hæ eo quoque fuere gratiores, quod mulier hæc vel metus magnitudine, vel alia de cauſa, grauiter ægrotare videretur. Poſt dies vero non multos, omnino conualuit. *Vierus libr. obſeruat. Medicar. circa finem.*

OBSERVATIO.

Os acutum deuoratum, per cutem, eroſione facta, exemtum.

REfert Arculanus, ſe vidiſſe os acutum gutturi infixum, tandem in fine duorum menſium per cutem exiiſſe. *Foreſtus lib. 15. Scholio ad obſeru. 28.*

OBSERVATIO.

Graminis ramulus deglutitus, & integer per intercoſtale ſpatium redditus.

STudioſus adoleſcens, Chambellanus Biturix, in Præleo collegio, graminis ramulum deglutiuit, qui poſtea integer, per intercoſtale ſpatium, magno cum adoleſcentis vitæ periculo, erupit. Non potuit eo penetrare, niſi ante pulmonum, ſuccingentis membranæ, & intercoſtalium muſculorum pertuſa & perrupta ſubſtantia; ſuperſtes tamen euaſit adoleſceńs, medicinam ei Fernelio & Huguetio facientibus. *Pareus lib. 24. cap. 19.*

OBSERVATIO.

Gladius deuoratus, oborto ſub inguine abſceſſu, erupit.

CAbrolius Polemarchi Danuilani Chirurgus narrabat mihi nuper Frãciſcum Guillemetum Someriæ, octo à Monſpeſſulo miliaribus chirurgum, curaſſe & ſanaſſe paſtorem quendam, quem deglutire gladium ſemipedem longum, cum corneo manubrio, pollicari craſſitie, obuii prædones coegerant. Eum ſemeſtre integrum, magnis tamen doloribus, in diem macreſcens, ac tantum non tabeſcẽs, continuit, donec tandem abſceſſu, ſub inguine cum magna puris valde fœtidi copia oborto, præſentibus iuſtitiæ cuſtodibus erupit & extractus eſt, depoſitusque apud Hubertum Medicum Monſpeſſulanum. *Idem author citato loco.*

OBSERVATIO.

Aerea acus deglutita, poſt decem annos, perforato ſtomacho, extrinſecus truditur.

DEuorauerat mulier quædam æneam acum, & nulla inde noxa percepta, integrum annum, ita vt erat, ſana permanſit. Quo peracto, cœpit dolor ſatis acutus mulierem ipſam circa ventriculum vrgere: qui dum eam magis magisque indies affligeret, plures conſuluit Medicos: nihil tamen de deuorata acu, quam penitus obliuioni tradiderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde ſententiæ. Alii enim ab acutiore humore, alii à vento inter tunicas ſtomachi recluſo, cæteri vero ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Cumque omni quo poterat ſtudio & diligentia curata, ſanitatem nullo modo conſequi poſſet, medicæ artis ſpe depoſita, tolerare id malum ſatius duxit, quam perpetuis medicamentis inaniter vexari. Sicque annis iam decem, tali vrgente dolore, miſeram vitam trahebat; cum ecce acus illa terebrato ventriculo, è paruo demiſſa foramine, prodiit. Nos autem & acum vidimus, & mulierem curauimus: quæ paucis poſt diebus, vnitate vulneris facta, in priſtinam ſanitatem reſtituta eſt. *Beniuenius cap. 20. de abditis.*

OBSERVATIO.

Acuum vel ſingularum, vel plurium ſimul deglutitarum, & per vrinas excretarum hiſtoria admirandæ.

QVI venarum meſenteriacarum orificia inter inteſtina ampliora putant in viuente, quæ in cadauere deliteſcant, longe decipiuntur: arbitrantur enim ciborum fruſta, per eaſdem fibras tenuiſſimas attrahi poſſe: putantque virginem ætate noſtra Venetiis, dum hæc conderemus, quæ crinalem acum, quatuor digitorum longitudine, quam inter

dentes dormitura continebat, incauteq; in ſomno deglutierat, per vrinam poſt menſes decem, maximis emiſiſſe cruciatibus: quoniam in veſica collectis viſcoſis humoribus, lapis circum acum coaluerat, gallinacei oui magnitudine, & à venis meſentericis acum prius hauſtam fuiſſe contendunt. *Alex. Bened. lib.2.cap.9. Anat.*

Obiter hic adiiciam acus illius per vrinam redditæ exemplum plurimos diſſectionis ignaros commouiſſe, qui eam per venas meſaraicas, à ſtomacho ad iecur, ac per venam maiorem ad renum anguſtias, inde ad veſicam penetraſſe, falſo arbitrantur, ora fibrarum in viuentibus patentiora eſſe, ad acum ſuſcipiendam, putantes. acus enim ſua acie paulatim, multoque tempore per inteſtina penetrauit (ſiquidem viam ſibi facit, quod à natura propellitur) hinc per veſicam qua parte carnoſa eſt, inde per vrinarium meatum excerni potuit. *Idem lib. 5. cap. 13. eiuſdem Anat.*

Cum quædam in Principis cuiuſdam Germani gynæceo iuuencula ad ſpeculum ſeſe adornaret, detentis in ore acubus, quibus peplum affigeret, ab amaſio, à tergo clanculum adeunte, intra ſcapulas perculſa, ingemiſcens, acus deglutiuit, quas poſt biduum, illæſis vreteris, eminxit. *Langius.* Eandem hiſtoriam *idem author epiſt. 40. ſecundi Tomi*, his verbis recenſet. In Gynæceo Ducis Iuliacenſis, virgo, dum ſeſe adornaret, perterrita, ingemiſcens, acus quinq;, quas in ore mordicus tenuerat, deglutiuit, & per vrinam, illæſa, eaſdem reddidit.

Aciculam deglutitam à Virgine, & per vrinam redditam, Prælatus Hirſauuenſis mihi retulit. *CL. V. Eſaias Meichſnerus, de obſ. prop.*

OBSERVATIO.

Inſolentes nonnulli, alij per imprudentiam, neruoſæ carnis bolum: ouum integrum: ſquillas: acanthios piſciculos: acus: ſpecillum vulgo tentam dictam, deuorantes: mortui ſunt.

QVVM Neomagii quidam arroganter in Paſchę feriis deglutiret ouum gallinaceum integrum, quod naturalem œſophagi expanſionem ſuperaret, illud in eo coarctatū, reſidere nequiuit, vnde quoque compreſſa arteria mox ſuffocabatur. *Wierus de præſtig. dæmon. lib. 4. cap. 2.*

Bernardus de Nigris, vrbis noſtræ nobilis vir, habitu corporis gracili præditus, atque in ſexageſimo ſeptimo anno ætatis conſtitutus: dum integra frueretur valetudine, neruoſæ carnis bolum, improbe maſticatum, ingluuioſe deuorauit, qui gulæ orificio inhærens, viam deglutiendi ita occupauit, vt aquæ tenuiſſimiq; cuiuſque potus, tranſitus omnino interciperetur, ac reſpiratio maxime læderetur, quæ caro viſcida initium gulæ occupans, nunquam nec ferramentis attracta, nec cereis candelis impulſa: aliisque multis ingeniis tentata, inde amoueri potuit, donec ſeptimo tranſacto die, corrupta, in ventriculum delapſa, hominem ab anguſtia, ſed nō à morte, liberauit, ex dolore enim locique tractatione frequenti & vehementi, pars inflammata, accedente ex longa inedia, virtutum omnium proſtratione, decima quarta die vitam cum morte mutauit. *Marcell. Donat. hiſt. mir. lib. 3. cap. 8.*

Memini quendam tonſorem temerarium, cui ſpecillum (tentam vocant) immiſſum in guttur mulieris, è manu ſua elapſum, per gulam in ſtomachum decidit: quæ poſtea multis annis tabida facta, obijt. *Pet. Foreſt. lib. 15. Scholio ad obſeru. 23.*

Memini iuuenem quendam Harlemēſem, ſquillas viuas deglutiſſe (vulgares garnaten appellant) eaſque non ſolum in ſtomacho hæſiſſe & dolorem intuliſſe, ſed eandem tabem & mortem. *Idem libr. eodem Scholio ad obſ. 28.*

Noui aliquos, acanthios fluuiatiles (vulgo poſten dicuntur) duos deglutiſſe, viuos, tandem & tertium: ſed ſibi ipſi & præfocationem & mortem intuliſſe.

Mulier acum deuorauerat inſcia, quæ cum gulæ infixa diu hæreret, nullis remediis medicorum illuſtrium, neque noſtro conſilio poſtea vtens, curari potuit; vt tandem miſera tabe obierit. *Idem præcitato libro. Obſeru. 27.*

Carolus Soderinius, febricitabat interdum abſque cauſa manifeſta, annum agens XXXV. interiit febre. Acum ferream, in hepatis ſubſtantia infixam, Majus Bazantius, ipſe detraxit ſcabram, nec dum vetuſtate admodum corroſam, mihiq; commonſtrauit. Eam trimulus imprudenter Carolus deuorauerat. *Nereti Nerutij Med. Florentini Obſeruatio, ex Italia vna cum aliis eiuſdem accepta.*

Si quis res acutas deglutiat, vt acus (quod fœminæ cuidam Italicæ, dum ſeſe veſtit atq; exornat, cōtigiſſe ex Antonio Foranzano, Medico magni nominis, audiui) quis tales eximat? Si purgantia aut vomitoria aut diuretica des, metus erit, ne parte acutiore infixæ ſenſibilibus partibus, maius periculum creent. Non igitur curatio tum ſuſcipienda eſt, quæ fieri arte nulla poteſt, neque ſpe probabili aut bona, niſi Deus, aut caſus felicior aliquis ita euentum cum ſalute procuret, vt natura ipſa protrudat per regiones conuenientes abſque noxa acus æreas, vel ſimiles res alias: Vt quidem ſane interdum eiecit innoxie per abſceſſum foras apertum, aut per ſeceſſum, aut per vrinas admiranda profecto circumductione per ventriculum, inteſtina ſuperiora, venas meſaraicas, venam portæ, hepar, venam cauam, venas emulgentes, renes, vreteres, veſicam; idque exiguo temporis ſpatio, vt veriſimile non ſit, acus viam aliam perforando ſibi quæſiuiſſe. *Bruno Seidelius lib. de morb. incurab. pag. 20. & 21.*

OBSERVATIO.

Ad perpetuos capitis, maxime vero ventriculi dolores, atque quotidianas pituitæ vomitiones, quibus aliquando membranulæ fibroſæ excretæ, ardorem item oris ventriculi: inſignis deglutiendi difficultas in generoſo Barone conſecuta, adeo vt ingeſtus cibus in Oeſophago circa ventriculum hærens, non niſi potu dilutior ac liquidior redditus in cauitatem eius deſcendat, hiſtoria mira.

GEneroſus quidam Baro, poſt multa ac grauia in viuendi ratione errata, dolores ventriculi, ac quotidianas pituitæ vomitiones per plures annos paſſus, variisq;, tam in Italia, quam in Germania, remediis, atque inter alia Aponenſibus aquis, in potu, & embrocha, ad ventriculi regionem, ſine fructu manifeſto vſus, in inſignem difficultatem deglutiendi incidit, quam à multis iam annis in hodiernum diem experitur, dum nimirum cibus aſſumtus ac deglutitus

glutitus in œſophago, circa ventriculum hæret, ac non niſi potu dilutior ac liquidior redditus, in capacitatem eius deſcendit. Vtrum vero difficultas hęc flatibus attribuenda ſit, in œſophagi tunicis incluſis, in eo præſertim loco, vbi is in ventriculum inſeritur, qui ipſum ita anguſtum reddant, vt cibus ægre admodum detrudatur, an vero frigido alicui tumori, dolorisque experti, eo in loco exiſtenti, difficile eſt aſſeuerare: pro explorato interim habeo, nullum neque in œſophagi fibris, neque in laryngis ac faucium muſculis vitium ineſſe. Patiebatur olim ſæpius, nunc vero rarius ardorem quendam (ſic ipſe vocat) in ore ventriculi, dum cibi concoctio celebratur, quem ego nequaquam à cauſa valde calida procreari, neque affectum illum eſſe, cuius *Galenus 8. Catatopous* meminit, ſed cruditatis potius ſobolem, ex ſtomachi hiatu, & vini fluctuātis ac corrupti acore, progenitum, mihi plane perſuadeo: eamque moleſtiam illis familiarem eſſe, quotidiana experientia docet, qui & vini potu prandium claudunt, & mox à cibo vel equitant, vel alio validiore exercitii genere vtuntur. Ante quinquennium more ſuo vomens, ſine dolore membranas quaſdam ſubliuidas ac fibroſas excreuit, analogas plane veris tunicis, ex quibus internæ gulæ pars conſtat, à quibus tum temporis ac deinceps aliquoties reiectis, nihil dum neque leuaminis neque maioris incommodi eſt expertus. Dolores ac vomitus per aquæ thermalis de Tettuccio dictæ, ex Hetruria huc Monachium, integris fere viribus allatæ, potatione, factis factitandis, rite vſurpatam, conquieſcunt, perſeuerantibus deglutiendi difficultate eadem ac pituitæ vomitu, licet rariore. Interim munia obit ſanorum ferme omnia. Ambulat, venatur, itinera facit ad externas nationes, legationes obit, aliasque res ſerias tractat. *V. CL. & Magnifici Thomæ Mermanni Bauariæ Ducis Archiatri obſeruat. cum aliis nonnullis mihi communicata.*

OBSERVATIO.

Inſtrumentum ad faciliorem deglutitionem comparatum: quo multi fame alias perituri ſeruati ſunt.

QVOAD victum: Cum ægri deglutire nequeunt, cannula immittenda intra gulam, vt fiat ciboriorum deglutitio. Sed quando adeſt inflammatio in illa parte; nimis irritatur. Propterea conſulo, vt non, niſi maxima neceſſitas vrgeat, ad cannulā hanc confugiatis. Probo magis, vt paretur aliquod inſtrumentum, ad modum fiſtulæ, quod imponatur pro pe œſophagum: & præterea aſſit veſica munda, repleta potione nutriente, & hæc veſica ſit appoſita fiſtulæ, vt in clyſmis fieri ſolet: poſt impetu quodam veſica comprimatur, vt etiam cum impetu potio illa deducatur ad œſophagum. Quoſdam deſperatos ob famem, fiſtulæ huius beneficio reſtitutos vidi. *Hier. Capiuaccius Pract. lib. 1. cap. 53.*

OBSERVATIO.

Ob reſolutionem muſculorum deglutitioni inſeruientium, quidam mortui.

EX reſolutione muſculorum deglutitioni inſeruientium, integris aliis facultatibus, quendam repente ægrotaſſe, & periiſſe, teſtatum reliquit *Thomas à Vega in com. cap. 3. 6. lib. de locis affectis*, quod & nos in Olitore quodam vrbis noſtrę obſeruatum meminimus, & ita affectos ſe vidiſſe affirmat *Zerbus in ſua Anat. cap. de anat. Gulæ*, cuius morbi abunde meminere *Haly abbas 9. The. cap. 24. & Aetius lib. 6. c. 33. Marcell. Donat. hiſt. mirab. lib. 3. cap. 18.*

DE INTEMPERIE, TVMORIBVS, ET *vulneribus œſophagi.*

OBSERVATIO.

Inflammatio œſophagi ab impacto oſſe piſcis.

OESOPHAGVM, hoc eſt meatum illum, qua cibus & potus in ventriculum deſcendunt, multis affici modis poſſe, haud dubium eſt; ſed hoc loco de eo tantummodo affectu ſermonem inſtituimus, qui ab inhærente oſſiculo ſubinde gignitur. Contingit enim quandoque acutum piſcis oſſiculum, cum cibo imprudenter aſſumtum, huic impingi, ipſumq; deinde pungere ac vellicare, vnde dolore excitato, inflammatio ſuccedit: qua ſuperueniente, nec cibus, nec potus ad ventriculum deſcendere queunt: potu etiam per nares reſiliente. Sunt qui in eiuſcemodi caſu aſſidue oleum oliuarum in ore detinendum præcipiant: quod, vbi aſpera aliqua œſophago inhærent, haud inutiliter adhibetur. Nec ſolum oleum, ſed & quicquid lentore ſuo oblinire, & læuem lubricumque hunc meatum efficere poteſt, vtile ac commodum. Qualia ſunt pinguia ac lentorem habentia iura, lenti ſucci alimenta, vt animalium pedes & muſculoſæ partes, ceruiſiæ craſſæ, & quicquid muccaginem refert. Hæc etenim non modo aſpero aliquo œſophago inhærente, ſed & alio quouis aſſumto, quod vel ventriculo, vel inteſtinis ad exitum deſcendens moleſtum eſſe poſſet, ſummo cum fructu ac opportuniſſime aſſumuntur. Oblinunt enim meatus, quibus læuibus ac lubricis factis, facilius ac minori negotio cum aſpera tum alia quæcunque deſcendunt & excernuntur. Vbi autem oſſiculum impactum aut ſimile, iam inflammationem in œſophago excitauit, præſtantiora ſunt, quæ quam citiſſime inflammationis ſuppurationem procurent. Hac ſiquidem ad ſuppurationem perducta, abſceſſu dein de diſrupto, à dolore & anguſtia æger cito liberatur: vt non in vno, ſed in compluribus compertum habemus. Cito vero inflammationem ſuppurari facit, radicum altheæ, ficuum, ſeminis fœno græci ac lini decoctum, frequenter in ore detentum: cui non raro vna quoque incoquuntur & altheæ & ſcabioſæ folia, glycyrrhiza, & vuæ paſſæ. Quod ſi vero & nuclei aliquot pauci addantur radicum liliorum albo rum, potentius erit decoctum: & abſceſſus citius rumpetur. *Dodonæus cap. 17. obſeruat. medicinal.*

OBSERVATIO.

Moniales ſynanche ex gula laborantes, cum ciborum vſu fruſtrarentur, ſolis clyſteribus ſuſtentatæ & percuratæ ſunt.

IOANNES Tiengius, Medicus percelebris Amſtelrodamenſis, Monacham quandam habuit prę manibus, quæ apoſtema in meri ſeu gula habebat, quod 20. prius die perruptum fuit, vt demum cibum tunc deglutire potuerit, iniecerat ſubinde clyſterē ex lacte dulci, vitellis ouorū iniectis. Idē Amatus de Angina occupante Laryngem & œſophagum docet, quod per clyſteres iniecta iuſcula nutrire valeant. Idem etiam Cornelius Celſus affirmat, & Abinzoar

Medicus

Medicus illuſtris; tum Maurirani Medici id quoq; ſentiunt. *Petr.Foreſt.lib.15.Scholio ad obſeru.30.*

Nos religioſam in ſynanche per ſpatium nouem dierum clyſteriis ſolis viuam ſeruauimus,& ab ægritudine incolumis euaſit. cum vero & vinum in ſanguinem facile vertatur, iuſſimus (non enim vehementer febriebat) vt oua in optimo vino decoquerentur,& clyſter ex eo liquore apponeretur. Habemus ergo, cum gula eſt obturata, modum vt homo ſeruetur,etiamſi per aliquot dies deglutire non poſſit. *Braſauolus comm.ad ſect.35. lib. 4. Hipp.de morb. acut. pag.114.& comm.ad aph.15.lib. 2. Hipp.*

OBSERVATIO.

Ex abſceſſu gulæ homo pene iugulatus.

MOrbi genus circa fauces oriri conſueuit, interdum peſtiferum acutumque:quale in Alexandro Serratio nuper vidimus,cui neque rubor neque tumor vllus intus in gula aut extra oſtendebatur,ſed aridum corpus erat & ſqualidum. Cumque nihilominus alimenti demitteret, ſed quicquid abſumeret,ſtatim reiectans,vix ſpiritum traheret,& vox adeo faucibus hæreret,vt ne mutire quidem poſſet,iugulari prorſus hominem putares: nos tamen & vrgentis morbi & ægri virium ratione habita, vtile & præſentaneum remedium duximus,ſanguinem mittere: tunc & cucurbitulis naribus affixis, deducere humorem conati, frictionibus ſimul aliiſque præſidiis, quæcunque extrinſecus iuuare hominem poterant, tantiſper vtendum cenſuimus, donec ægri fauces detumeſcerent. Verum vbi malum his omnibus auxiliis non modo cedere aut leuari, ſed in horas vehementius ac contumacius fieri aduertimus, omni abiecta ſpe, ægrum tanquam proxima nocte moriturum, Deo & naturæ relinquimus. Huncautem cum aſſiſtentes,veluti iamiam ſpiritum exhalaturum,ſigno crucis ex more in aurotam vſq; ſingulis momentis conſignarent,ac munirent,ecce ſtatim à ſummis ægri faucibus,tam ingens, ex adaperto intus abſceſſu, purulentæ materiæ vis effertur, vt homine pene iugulato, catinulum, in quo recepta eſt, ad ſummum repleret labrum. Qua expulſa, ſtatim reſumtus eſt ſpiritus, & æger, qui iam pro mortuo lugebatur,veluti ab inferis remeans, paulatim conualeſcere cœpit,donec integram conſequutus eſt ſanitatem. *Beniuenius cap.104.de abditis.*

OBSERVATIO.

Duo apoſtemata,intrinſecus circa collum oborta, & deglutitionem impedientia, ægro per clyſteres aliquandiu ſuſtentato: tandem aqua Anagallidis vſu ſuppurata & rupta, pure per excreationem expulſo, conualuit.

QVidam cum duo apoſtemata, circa collum intrinſecus habebat,cibum deglutire non poſſet, aliquandiu per enemata nutritus fuit. Hic exhibita aqua Anagallidis, ruptoque vtroque abſceſſu, ac maxima puris ſordidi per ſcreatum reiecti copia, paulo poſt integre conualuit. *Cl. V.Laurentius Scholzius de ſuis liberaliſſime communicatis obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Apoſtema Gulæ inciſum & curatum.

EGo quidem iam medicatus ſum mulieris apoſtemati,quod natum erat intra guttur eius,quod apoſtema erat ſubnigri coloris, paucìq; ſenſus,iamque antequam vocarer,fere clauſerat guttur,& mulier reſpirabat difficulter,meatu ſtricto, & iam prohibuerat ei comeſtionem & potum, iamq; ad mortem venerat, & ſi tantum remanſiſſet vno die, aut duobus diebus,& apoſtema iam aſcenderat,& emiſerat duos ramos,ſuper duo foramina naſi,properaui ergo feſtinanter,& fixi in vnum eorum vncinum, deinde traxi ipſum, & tracta eſt ex ipſo portio magna, deinde abſcidi eam vbi comprehendi ex foramine naſi alterius,deinde aperui os eius,&preſſi linguam eius, poſtea fixi vncinum in ipſum apoſtema, deinde abſcidi ex eo partem eius, & effluxit ex eo ſanguis paucus. Liberatum eſt ergo guttur mulieris & incepit ſtatim bibere aquam, ſtatimq; potuit etiam cibum deglutire. Non ergo ceſſaui incidere ex illo apoſtemate paulatim aliquandiu, & apoſtema aliud ſuccedebat loco eius quod incidebam, & hoc pacto pugnaui diu cum malo, amputans hydræ caput:cum autem animaduerterem ſemper ſuccreſcere aliam materiam in locum amputatæ, cauterizaui apoſtema intra guttur, quare augeri amplius nō potuit poſt cauterium.Iſthinc poſtea diſceſſi, & neſcio quidnam fecerit Deus cum ea poſt meum diſceſſum. *Albucaſis lib.2.cap.36.chirurg.*

OBSERVATIO.

Gulæ vulnus reſtitutum.

BEnedictus Bonacurſius,Phyſicus &Cheirurgus, curauit quendam, carceribus detentum, qui ſibimet ipſi guttur, qua parte tracheam arteriam ſpectat,ferro vulnerauit,digitoque vulnus tantopere ampliauit, vt per ipſum alimenta & medicamenta ad os vſque tranſmitterentur, ſanatus tamen hic eſt paucis diebus.*Inter reliqua ex Italia,ſine expreſſo nomine mihi communicatum.*

DE ORE VENTRICVLI. ROSIO.

OBSERVATIO.

Hiſtoria cuiuſdam de roſione oris ventriculi conquerentis.

QVI ipſe quendam, qui de ore ventriculi querebatur: quod cum ab acerrata in eo pituita prouenire, ex ipſius ſermone coniectaſſem,conſuluiſſemque vt cum ſinapi betam & porrum ſumeret,eorum ope inciſam pituitam largiter per aluum excreuit, omnibusq; ſymptomatibus eſt liberatus. Idem poſtea, cum poſt eſum ciborum acrium non coxiſſet,& mordicationem in ventriculo ſentiret,ſumpto rurſus cum beta ſinapi, non modo à mordicatione non fuit ſanatus, verum etiam longe deterius habuit: tū protinus admiratus, quid eſſet, quod ab ijs, quæ ante ſummopere iuuiſſent, nunc grauiter læderetur,cauſam ſciſcitaturus ad me acceſſit. Eos porro, qui rei medicæ ſunt imperiti, in his falli non eſt abſurdum:verum medicos, qui pleraque & eadem vtiliſſima theoremata prætereunt indiſtincta, quis ferat? Non enim ipſos ſimpliciter pronunciare conuenit piſces ſaxatiles permultis quidem concoctu eſſe faciles, nonnullos tamen reperiri, qui bubulam facilius conficiant, ſed vtroſq; diſtinguere, quemadmodum de melle non ſimpliciter

citer pronunciare, ſed ſimul adiicere, quibuſnam ætatibus, naturis, anni temporibus, regionibus, ac vitæ rationibus vtile ſit, aut noxium: verbi gratia, quod calidis & ſiccis ſit aduerſiſſimum: frigidis vero ac humidis vtiliſſimum, ſiue ea temperies eis ſit naturalis, ſiue acceſſerit propter ætatem, ſiue propter regionem, aut anni tempus, aut vitæ conditionem. Itaque ad præſentem ſpeculationem ſumme neceſſarium eſſe videtur hominum pariter ac ciborum temperamenta conſideraſſe. *Galen. lib.1. c.1. de alīment. facult.*

RESOLVTIO.

OBSERVATIO.

Os ventriculi reſolutum ex ictu fulminis in capite, vnde cibi omnes ore tenus reiecti.

FILIA D. Guyrzemeti in Ducatu Iuliacenſi, cui os ventriculi reſolutum fuit ex ictu fulminis in capite, cui fulmē cutis in vertice cuticulam Epidermida vocamus, cum lapſu pilorum abſtulerat. Ita nullum cibum retinebat, ſed multa diligentia à me curata eſt. *R. Solenander in conſ. med. ſect. 5. conſ. 16.*

ARDOR ORIS VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

De ſtomachi ardore, veteribus nomine ſolo, nec plene cognito: noſtris vero admodum familiari.

Καρδίαν non tantum id viſcus appellari, quod pulſat, ſed & os ventriculi ſiniſtrum, in quod dehiſcens gula implantatur, vnum eſt τῶν ὁμολογουμένων. Cum enim & ſitus vicinitatem & commune quoddam vinculum habeant membra vtraque, poſſunt inter ſeſe mutuo alterum alteri ſua vitia tradere atque communicari. Hanc igitur ventriculi partem, cor appellatam veteribus, & abuſiue ſtomachum, infeſtat præter alia ſymtomata feruor quidam ſatis moroſus & δύσφορος quem Græci τοῦ στομάχου καῦσον, vel καύσονα, & ἔγκαυσιν, & πύρωσιν, Scribonius ἄτονον (pro quo Marcellus ἔκκαυσιν legit) Ab hoc diuexatos vero ἐγκαιομένους τὸν στόμαχον & καρδιακαιομένους aliquando ſimpliciter ſineque adiecto, καυσουμένους καὶ πυρουμένους nominare ſolent. Primordium ducit hoc mali genus fere à feruidis ac biliosis humoribus, alias flauis, alias porraceis, alias æruginoſis, ſiue de vitioſis malique ſucci eduliis, in ventriculo à praua eius temperie genitis, ſiue alicunde in ſpatium eius regurgitatis: qui quacunque de cauſa cohibiti diutius fuerint, caloris ſuperuentu velut excandeſcentes ebulliunt atque efferueſcunt. In ea ζέσει quod in humore tenuius eſt & magis aereum, ſui leuitate per œſophagum, tanquam viam prætoriam, in fauces hiante ore ventriculi ſublatum, eas exurit. craſſior pars peſſumit, ac pondere degrauata ſuo, ſidit præceps, flammaque quam concepit ſubteragens, ventriculi fundum, & ex hoc explanata mirabilique ſerie atque reuolutione detexta inteſtina plerumque vrget. Cum enim partes hæ continuæ ſint, vna eademque tunica interius ſuccinctæ: adhæc humor ipſe ἀνομοιομερὴς ac motu præditus diſſimili: quidem mirum non eſt ſi infra ſupraque partes ardore ſuo perſtrinxerit. Solet autem hic æſtus pro ſui fomitis, à quo ſuſtinetur conditione, alias durare diutius, alias citius reſtingui, & ignis more nutrimento defecti ſuo velut tabeſcere. Nam in ventriculo concepta materia modo parcior eſt, modo vberior, tenuior aut craſſior, alias plus, alias minus lentoris habens, ideoque in alueo ventriculi vel natans fluctuansque, vel parietibus eius hærens preſſius, ac plerunque pertinacius impacta. Produnt æſtum ſtomachi ſiccitas ingens, moleſta ſitis, ructus nidoroſi, veluti frictorum ouorum, dolor ἀσσώδης, id eſt inquietudo maxima, ventriculi ἀτονία, ἔκλυσις, deiecta appetentia, & mordicatio, (ſub qua, tanquam ſub genere, ἔγκαυσιν τοῦ στομάχου complectimur) non raro λειποθυμία accidit, præſertim ab eſu acrium eſculentorum vel aromatum, aut bilis in ventriculum ex partibus finitimis reſtagnatione. Ad horum ſignorum συμπλοκὴν ſiue συνδρομὴν παθογνωμονικὴν de Galeni conſilio confugimus, & multa arceſſimus, quotieſcunque vnum aliquod reperire non eſt, quod ἀχώριστον ſit, & τῷ εἴδει affectionis deſcribendo ſatis. Ad hoc malum procliues ſunt, & præ cæteris ἐπιτηδειότεροι quibus ſeu natura, ſeu ex antegreſſa febri, præcordia caluerint impenſius, quibus biliosa ſcatet illuuie ventriculus, ἢ κατὰ κρᾶσιν μοχθηρὰν, ἢ κατασκευῆς ἰδιότητα: & qui valde delectantur pinguibus & opimis, aut cum rancido lardo & butyro confectis, aut frictis in ſartagine, & ea in fine paſtus aſſumunt: denique qui cibi mole onuſto ventriculo, motibus inordinatis, atque intempeſtiuis exercitiis nimiopere fatigantur. Curatio conſiſtit in ἀφαιρέσει & extirpatione affectum fouentis cauſæ, quæ contrariis abſoluitur. Conferunt igitur χαλιναγωγοῦντα, hoc eſt, bilis ζέσιν & excandeſcentiam coercentia, acrimoniam obtundentia, craſſitiem attenuantia, lentorem incidentia & abſtergentia. In vitiati humoris eductione reſpiciendum eſt, cum ad materiæ peccantis inclinationem, tunc ad naturæ motum & impetum, pro humoris excrementitii conditione, modo ἀνάῤῥοπον modo κατάῤῥοπον. Cumque duo ſint oſtia ventriculi, vnum in gula ad ſiniſtram amplius, alterum vbi πυλωρὸς eſt, paululum in dexteriorem partem conuerſum, priore ſtrictius: ad vtrumuis eorum vergat id quod offendit, illo natura ad expulſionem vtitur. Conatum naturæ arte oportet iuuari, materiamque deduci per loca conferentia, hoc eſt per corporis emiſſaria & effluuia, repurgamentis vias idoneas habentia. Peracta humoris euacuatione emendanda eſt ventriculi intemperies refrigerantibus & humectantibus, ac ſimul communiendum oſculum eius ſiniſtrum iis, quæ δυνάμει ſunt στυπτικώτερα. Oportet enim Galeno teſte ἐπικρατεῖν τὴν στυπτικὴν ποιότητα ἐν τοῖς στομαχικοῖς φαρμάκοις, vt nouæ materiæ confluxus velut præcluſis ab aſtrictione viis intercipiatur. Inter εὐπόριστα numeratur Creta, res immenſi apud vulgus ſecreti, neſcio cuius ingenio inuenti, quoue caſu reperti: eam ſeu à nidore, ſeu ab vſu exterendi argentum Plinius nominare videtur argentariam: Dioſcorides inter alia Agallochum commendat. Foris τῷ στόματι τῆς κοιλίας, quod & προκάρδιον dicitur, vbi eſt depreſſior lacuna illa, cordis ſcrobiculus appellata, proxime ſubter mucronatam cartilaginem, ea Galenus applicat, quæ nonnulli è priſcis Medicis, haud ſcio quam recte, μαλάγματα nominarunt, in quibus locum habere debet ἡ τῶν στυφόντων παραπλοκή. Omnino horum externorum præſidiorum

rum ſumma cautio eſt atque vna prouiſio, vt ne nimis diu inſideant loco, cui ſunt impacta, ne forte ex tranſpiratione prohibita, calor auctior, malum foueat protrahatve. Expedit igitur, vt inducta ſemel atque iterum ac ſæpius, permutentur. *Ex diſputationibus Salamonis Alberti.*

Observatio.

Contra ardorem ſtomachi Remedia aliquot laudatiſſima.

NON raro quoque ardor ſiue æſtuatio ſtomachi proficiſcentes infeſtare ſolet. Operæpretium igitur viſum eſt, remedia huic morbo ſuccurrentia breuiter obſeruare.

Nonnulli contra hunc vtuntur glycyrrhiza, carpionum alii lapides in ore detinent, vel olibani grana deglutiunt. Nonnulli contra hanc affectionem aquam calidam bibunt, aut lac tepidum, vel ceraſorum nucleos, aut panem ex aceto comedunt. Ego autem maxima ex parte, hæc ſequentia duo medicamenta adhibere ſoleo, quorum hoc à Daniele Ranzouio, Sereniſſimi Daniæ Regis Friderici II. in bello contra Suecos primario duce, cognato meo, didici: illud vero alioqui vſu compertum habeo.

Medicamentum Danielis Ranzouii contra ardorem ſtomachi. ℞. Vetus Zaccharum roſarum & lapides cancrorum, quos cōtuſos, in puluerem redactos, ſaccharo roſarum inſperge, adde paululum de Bolo armeno. Miſce hæc omnia ſimul. Obſeruetur tamen vt lapides cancrorum dimidiā ſacchari partem quantitate ſua adæquent.

Aliud contra ardorem ſtomachi: ℞. Seſquiunciam cretæ, tres nuces moſchatas ſiue myriſticas, ſeſquiunciam Zacchari electiſſimi, quod ex Inſulis Canariis aduehitur. Fiat puluis. *Ranzouius lib. de conſeruanda valetudine cap. 45.*

Ad ſtomachi ardorem Puluiſculus candidus: Accipit cryſtalli albi præp. cretæ albiſſ. ſingul. drach. iij. vnionū præp. drach. j. ſacchari candi albi drach. viij. miſce in puluerem. *Manuſcriptus.*

DE CARDIALGIA.

Observatio.

Cardialgia ex compreſſione ventriculi, dum illi incumbit.

QVIVS veſiculæ bilis ſitus cauſa, & anguſtia quæ inter ventriculum & hepar, ea ſede, qua bilis illius cauæ ſedi innaſcitur, occurrit picrocholis, & iis quibus ampla plenaque hæc veſicula contingit, plerunque accidit, quod cum ventriculo pleno, & dum concoctio præſertim fit, ſcribentes, vel aliud quid hoc ſitu corporis agentes, incumbunt, biliſque veſiculam premunt, oris amaritudine & cordis roſione diuexentur. Quod malum peritiores vſu edocti, menſa in altum eleuata, ita vt ſtando res peragentes, minus corpus inclinent, corrigere ſtudent, qui mos ſtudendi nunc eruditis conſuetus eſſe ſolet. *D. D. Felix Platerus de obſeru. propriis.*

Observatio.

Cordis dolore ſenex ſæpius conſueſcens, poſt perſicorum largiorem eſum, repentina morte corruit.

SEptuagenario dolor cordis cœpit eſſe frequens, & familiaris, in quo ea anguſtia ſpiritus premebatur, vt ſæpe ſuffocationis periculum incurreret. Viuebat autem abſtemius: & crudis fructib. plurimum veſcebatur, tam integra ad eam ætatem valetudine, vt qua parte ventriculus eſſet, profiteretur ſe nunquam ſenſiſſe, donec conqueſtus didicit à Medicis, quos ad conſilium adhibuit. Itaque cum à nobis & aliis Medicis, quos adiunxerat, monitus eſſet, vt inita ratione ſenectutis crudos fructus relinqueret, tanta vis tamen fuit conſuetudinis, vt ne iis quidem abſtineret. Eo anno cum rus petiiſſet, & largius perſica inieciſſet, ex equo domum rediens concidit, ac derepente obiit. Id autem à perſicis celerius contigit, quod hic fructus non ſola frigiditate damnatus ſit, ſed à veteribus Medicis annotatus, qui ἀφωνίας morbos, καταλήψιν, lethargos, aliosque id genus inuehat: Dolorem autem cruditas, & inde flatus, mareſcente vi caloris & ſpiritus. *Hollerius comment. ad aphor. 17. ſect. 2. lib. 3. Coac. Hipp.*

Observatio.

De inexpugnabili dolore præcordiorum.

DOlorem diuturnum inexpugnabilē circa præcardium dextrum cum vomituললbilioſorum & crudorum à Cauenago & Candiano tum celebrib. Medicis fruſtra tentatum, in Octauiano Mariano patricio viro, redeuntemq; per circuitus, ego ſolus tandem curaui: ſed maxime prandii conſuetudine ſublata: inde miſſo ſanguine, purgato corpore, decoctoq; ligni ſancti exhibito, ſed vix intra duorum annorum, ni fallor, ſpacium, cum morbus ipſe perſæpe iam abiiſſe, & hominem reliquiſſe viſus, rediret: iniunxi & vt à crudis abſtineret, & puluinaribus ventriculum & præcordia foueret. *Cardanus curat. admirand. num. 26.*

DE BVLIMIA ET CANINA FAME.

Observatio.

Canina fames Epidemica facta.

VNVM in præſentia addemus, quod forte lectorib. mirum videbitur, & certe mirum eſt, hoc anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, caninam appetentiam Ferrariæ fuiſſe morbum Epidemicum, & potius fuiſſe ex atra bile, os ventriculi occupante, quam ex acida pituita. Omnes autem quos curaui (fuere autem non pauci) ex infuſione ſenæ ſanitati reſtituti ſunt, & adhuc religioſam quandam ex hac affectione nunc curo die ſexta Nouembris, quæ tamen ſanitati fere reſtituta eſt. Erat autem hæc appetentia potiſſimum in principiis acceſſionum: rarique ex his fuere, qui quartanam non inciderent, ſed breui terminum habebat. *Braſauolus comment ad aph. 21. lib. 2. Hipp.*

Observatio.

Lumbricus duodecim cubitorum, à muliere bulimia laborante, hieræ picræ beneficio, deiectus.

NOui mulierem quandam, quæ cum multa & immodica aſſumeret, omniaq; concoqueret, & nunquam ſaturari ſe diceret, roſionem vero in ſtomacho experiretur, & capite doleret, puluerem purgatorium accepit, erat autem is hiera. Facta igitur euacuatione, vermem proiecit, qui longitudine 12. cubitos

cubitos & plures habere putaretur. Atque tunc immoderata & furioſa appetentia conquieuit. Innotuit igitur non bulimum, ſed beſtiam fuiſſe, quæ ad cibum ſumendum compelleret, omniaque conſumeret. *Trallianus lib. 7. cap. 4.*

Scribit Nicolaus C. de Bulimia, quod nouit Florentiæ mulierem, quæ propter vermes plures, quos habebat congregatos in ventre, non ſtabat vna hora inter comeſtionem & comeſtionem, quæ ſi aliquando propter aliquam cauſam dimittebat cibum, vehementer cruciabatur. Idcirco pluribus vicibus ſurgebat ad ſumendum, & finaliter ſumptis pilulis de Coloquintida, multa phlegmata emiſit, & vermes vltra centum, longos ſatis, in pluribus diebus, & ceſſauit ab ea appetitus ille. *Marcellus Donat. hiſtor. mirab. med. lib. 4. cap. 2.*

Observatio.

Bulimia Pruthenorum ſtupenda.

IMmani comedendi appetitu laborarunt Pruthenia, anno Domini M.D.XXXV. qui febri correpti, octies cibum poſtularunt ſingulis diebus, & ne ſic quidem poterant exaturari. Hic morbus eſt potius pœnalis, quam naturalis. *Leonellus Fauentinus de meden. morb. cap. 34.*

Observatio.

Prodigioſa fœminæ ingluuies, ex qua diſſecta adipis lib. 20. & Epar impendio magnum repertum.

NOſtra ætate grandæuam fœminam vidit parens, quæ ne ad momentum quidem, abſq; ingeſtione ciborum & potuum viuere potuit, quin illicet anxia ſupra modum exiliret, & tanquã iniecto laqueo ſtrangulanda quamprimum videretur. Hoc illi vitium ferè à pueris cum ætate habuit incrementum. Creditum eſt multis, aut anguem, aut ſimile quippiam in corpore naſci. Tẽtatis variis, nihil omnes Medici profecere Sed vna duntaxat ratio fuit referenda in hepatis molem, vel vt verbo dicam, (quod prius natura fuit) monſtroſam ἰδιοσυγκρασίαν, nam aucta pinguedine ſupra modum & calore ſuffocato, apertus eſt venter, detractæque adipis libræ propemodũ viginti: inuentum eſt epar integrius, turgidum ſanguine ſpirituque, ſed impenſius rubens, ac mole ineffabili, vt ſola ſcilicet magnitudine, membra ſpiritalia, & conterminas partes, compreſſerit. Fit enim hoc ſæpius, cum ille formator ſpiritus, in ſeminis diſtribuenda materia, rhytmum non obſeruat: vnde & maior attractionis vis, & calor innatus non æqua membrorum portione in animantibus adoleſcens, quandam tyrannidis ſpeciem in repub. facit: ac illud ſequi neceſſe, dum vna pars amplius rapit, altera quæ debilior eſt vim fortioris minime ſuſtinente, paulatim opprimi paruas & magnas, donec & ipſum caput, diſſoluta œconomia totius, minorumque partium præſidio deſtitutum, contabeſcat. *Gemma lib. 1. cap. 6. coſmocrit.*

Observatio.

Vir prodigioſæ vaſtitatis & ingluuiei.

ANno 1511. Maximilianus Cæſar comitia indixit apud Auguſtam, vbi illi oblatus eſt vir quidam prodigioſæ vaſtitatis & craſſitudinis, atque incredibilis ingluuiei, ita vt integrum vitulum crudum, vel ouem incoctam vna vice deuoraret, & tamen nec dum famem expletã diceret. Ferunt hominem Borealibus regionib. ortum fuiſſe, vbi ob locorum frigora, ſolent eſſe homines edaciores: quanquam huius edacitas propemodum incredibilis videri poſſit. *Surius com. Rerum in orbe geſtarum.*

Plura huius generis exempla, *ex Bruyerino lib. 3. c. 5. de re cibaria: & Theatro D. Zuuingeri*, petere licebit.

Observatio.

Periodica à pubertate quinquagenarii voracitas.

CVm menſe Iunio anni præſentis Svvidnizij nuptiis agnati mei intereſſem, ac innoteſcerem Clariſſimo viro Thobiæ Fiſchero Medico, de variis ſermonem ineuntibus, quidam è conuiuis nobis recitabat, Noſſe virum quendam quinquagenarium à pubertatis tempore inaudita auiditate promiſcue omnis generis eſculentia ingerere, ingeſta citiſſime egerere, famemq; hunc circa Tropas inuadere, nec vltra vigeſimum diem appetitum vigere, totidem poſt dies faſtidire, reliquis anni temporibus parce comedere, ſanumq; degere. *V. CL. Ieſſenius à Ieſſen, de ſuis ad nos miſſis obſeruationibus.*

Observatio.

Poſt validam famem, pleniore victu vtentes, mortui.

CVm vniuerſam pene Italiam, anno ſalutis nonageſimo ſexto ſupra milleſimum quadringenteſimum, tam ingens ac valida fames affligeret, vt paſſim multi publicis in viis atq; plateis deficerẽt: multi etiam ex malis ac noxiis nutrimentis, in varias inciderent ægritudines: vidimus ex his quamplurimos qui ex diutina fame, eſcam abundantiorẽ nacti fuerant, dum pleniore vtuntur victu, paucis diebus vitam finiſſe: adeo noxia atque pernicioſa nimia ſatietas, quam multa præceſſit inedia. Mulieres quoque vidimus, quæ pueris quos lactarent infectis, & ſe & illos ad mortem deducerent. Plurimi tamen ex his qui ad valetudinarium deducebantur, medicorum cura & diligentia ad priſtinam reuertebantur ſanitatem. *Beniuenius cap. 57. de abditis.*

DE PICA.

Observatio.

Pica, in Viris, Virginibus & Vetulis animaduerſa.

TAnta malaciæ vis eſt, vt vir quidam nobilis edendæ calcis viuæ deſiderio iam diu preſſus, illam tandem pugni magnitudine vorauerit, ſitq; omnino recreatus nulla ventriculi, nulla viſcerum offenſione. *Fernel. lib. 6. c. 3. Patholog.*

Memini me viſitaſſe nobilem puellam, quæ fila ex veſtibus, quibus erant conſutæ, extrahebat ac comedebat.

Noui aliam, quæ calcem à parietibus deradebat, ac comedebat. *Trincauella lib. 7. c. 5. de rat. curandi part. hum. corp. affectus.*

Filia eius, qui cum loquitur, peſſime animi ſui cõceptus exprimit, annos nata duodecim, facie pallida, poſitione gracilis, cittam morbum patiebatur. Nam indiſcrete, lapillos, terram, calculos, cretam, goſſipium, lanam, & varia ſimilia comedebat: & ita eiſdem delectabatur vt inter ſuendum eius puluinaris, ſuper quo mulieres, ſuere ſolent, goſſipium ſuaui appetentia comederet, tametſi à matre & aſſiſtenti-

bus increpabatur. Nec enim prædictum tantum comedebat, ſed abſurdiſſimos alios cibos. Ob vitiatos autem humores ad ventriculi oſculum defluentes, non ſolum in prægnantibus, ſed puellis & viris vitium hoc fieri ſolet: vt refert Galenus libr. 4. de ſymt. cauſis. *Amatus Luſit. cent. 3. curat. 86.* vnde Curationem petes.

Puella annos nata 15. filia illius Theodori Cornelij mercatoris frumentarii Delphenſis ditiſſimi, habitantis in foro frumentario. Hæc quidem facie admodum pallida, ſtatura exigua, cittam ſeu malaciam patiebatur: frumentum enim & triticum crudum & cretam in maxima copia comedebat.

Vidimus infantes & pueros aliquos adultiores, carbones, cineres, & arenam, & cretam deuoraſſe, & calcem à lapidib. excuſſam. Contingit & puellis cachexia laborantibus, ob menſium retẽtionem & ſeminis; à vitiatis & corruptis humoribus in ventriculo collectis. *Foreſt. lib. 18. Schol. ad obſeru. 7.*

Mirum ſane quod Picæ vitio laborantes, nonnulla auidiſſime appetant, quæ alij ſano guſtu & ventriculo exiſtentes, aſpernari ſolent: imo ita abhorrere, vt ne tantillum, quamuis magno prætio pollicito, deguſtarent.

Vidimus nos puellam ita lacertarum deſiderio detentam, vt quoties illi liceret, arrepta fronde oblonga, per hortum currendo, venaretur, innoxieq; deuoraret. *Marcellus Donat. hiſt. mirab. lib. 4. cap. 1.*

Auctor Magnus Albertus eſt, in Colonia Agrippina, puellam ſe vidiſſe, quæ in trimatu parietibus arreperet, araneas venatura, quas voraret: eoq; cibi genere oblectata, inſigniter aleretur. *Cœlius Antiq. lect. lib. 11. c. 13.* de qua plura nos *lib. 7. noſtri operis.*

Vidi quandam quinquagenariam, quæ tantum comedit Tartari, quod eius quantitas eſſet incredibilis. *Nicol. ſerm. 5. tract. 4. c. 36.*

Eſt in Cœnobio Schœnfeldenſi, quod in Bauaria non procul à Reinio oppido ſitũ eſt, ædituus quidã, qui iam pluribus annis arenam auidiſſ. & appetit, & deuorat, ac inde ſe magnam valetudinis cõmoditatem percipere aſſerit. Simili genere appetitus vidi Monachum quendam in Diocœſi Fuldana, cretam quam ſecũ perpetuo gerebat magna voluptate comederet. *V. CL. Oethæus lib. obſ. prop.*

Ac viuit etiam nunc Oberndorfij qui eſt pagus comitatus Hirsbergenſis, & ditionis Eichſtadianæ ruſticus quidam annorum quadraginta, homo robuſtus, firmæ valetudinis, fortunæ ſatis commodæ, qui fruſta colliſarum ollarum, quocunque pergit, ſecum ferre ſolet, & dentibus non minori appetitu comminuere, ac ſi panem biſcoctum aut libum duriuſculum manderet. Idque adeo in deliciis habet, vt vxori ipſius neceſſe ollas & eiuſmodi fictilia ſumma cura recluſa præſeruare, ne culina ollis deſtituatur. *Idem.*

Noui puellam nobilẽ quæ ſtramen vbicunq; habere potuit, auide comedit. Cumq; ob eã rem à matre grauiter obiurgaretur, de nocte nemine aduertẽte, ſtramen è lecto, in quo cubuit, clam deuorauit. Semper fuit fere pallida, morbiſq; obnoxia. Nunc poſtquã viro nupſit, ab hiſce deliciis abſtinet. *V. CL. Io. Fr. Hildeſii obſeruatio.*

Nota mihi eſt mulier, quæ fila ſeu duplariũ maſticare & deuorare ſolebat, ſed ſuo malo iam prudẽtior facta vitioſo appetitui nunc reluctatur. *De eiuſdẽ obſ.*

Alia quædam puella nobilis, parentib. inſciis quotidie multum cinnamomi ingeſſit, vnde ſemper obſtructa fuit aluo. Subtracto hoc aromate iam melius habet. *Idem.*

Tres ſorores virgines nobiles, forma & opib. præſtantes, mihi notæ ſemina fagopyri decorticata (vulgus vocat Heidegrütze) ſemper ſecũ circũtulerunt, & comederunt. Natis inde obſtructionib. & aliis grauiſſimis morbis, duæ à Medicis præſtantiſſimis ſanari non potuerunt. Tertia nõ ſine magno labore Deo adiuuante à me ſanitati eſt reſtituta. *Eiuſdem exemplũ.*

Mulier haud longe ab vrbe noſtra habitans ætatis prouectæ, adeo vt amplius nõ pareret, quotidie ſolita fuit comedere bonam partem arenæ, tantoq; appetitu & delectatione veſcebatur, vt ea carere nunquam poſſet, vt etiam noctu vicinam lecto reponeret, vt præſto eſſet, arena erat non limoſa, ſed granuloſa, pro vice tantum capiebat quantum pugno cõprehendere poterat. Anno 1588. *De obſeruat. Gaſpari Wolphij.*

OBSERVATIO.

Citta vel Malacia laborantes, nonnulli grauiter periclitati ſunt.

Filius Hioſſeppi Chirurgici, annos natus octo, capillos & parietum cretam aſſuetus cum eſſet comedere, ſemel in calcem viuam incidit, ex qua cum abunde comederet, in grauia lapſus eſt ſymtomata: ex quibus tandem obiit. Hiſtoriam hanc integram inter venena require. *Amat. Luſit. cent. 3. curat. 91.*

Puella quædam apud nos, 4. annorum, proprios crines quoſcunque vel corripere, vel digitis inuoluens, euellere potuit, auidiſſime deuorauit: & quamuis parentes, & alii diligenter hoc præcauere ſtuduerint, tamen nunquam omnino à ſuo inſtituto penitus abduci potuit. Quapropter tandem in vehementem tuſſim, ac ἀτροφίαν totius corporis incidit, à qua difficulter potuit curari. De obſeruationib. *CL. V. Ioach. Camerarij.*

DE INAPPETENTIA.

OBSERVATIO.

Ex deſuetudine venerea & mœrore quidam cibi inappetentiam & vitiatam concoctionem incurrit.

QVidam vxoris mortem lugens, & à cõcubitu, quo antea creberrime fuerat vſus, abſtinens, cibi cupiditatẽ amiſit, atq; ne exiguum quidem cibum concoquere potuit: vbi vero ſeipſum cogendo plus cibi ingerebat, protinus ad vomitum excitabatur, mœſtus etiam apparebat, non ſolum has ob cauſas, ſed etiam (vt Melancholici ſolent) citra manifeſtam occaſionem. Verum his quam celerrime liberatus eſt, ad priſtinam conſuetudinem reuerſus. *Galen. lib. 6. c. 5. de locis affectis.*

OBSERVATIO.

A morbo vuluæ, cibum omnem faſtidiens, inedia liberata mulier.

VExari vuluæ morbis vt mulieribus commune, ita ſane inauditum, ſic vexari, vt patiẽs nullum cibi genus deuorare queat. In Cœnobio mõtis Cœlij monialẽ vidimus, quæ ex huiuſmodi vuluæ morbo grauiter affligaretur, ita prorſus quamcunque

illi

illi adminiſtraſſent eſcam faſtidiebat, vt quodam veluti impetu æſtuantis ſtomachi, eam ſtatim, vt acceperat vomitione propelleret: quod nos ab irreſolubili & craſſiore vento, qui à vulua ipſa verſus ſtomachum ferreretur, fieri putantes, multa pro re ac tempore adhibuimus auxilia: quæ cum nihil omnino proficerent, & ad decimum ipſa iam diem ſola panis buccella (quod mirum eſt) vitam traduxiſſet, vi tandé inediæ deuicto, ac penitus profligato morbo, ad priſtinam reuerſa eſt mulier ſanitatem. *Beniuenius cap.* 108. *de abditis.*

OBSERVATIO.

Nauſea ex ſemicrudo capite Vitulino, menſæ illato, correptus quidam: carnium inde faſtidium atque hæmorrhoides incurrit.

CÆmentarium nouimus, qui inter contribules ſuos ſympoſio adhibitus, cum caput vitulinum ſemicrudum, cruentans adhuc menſæ inferreretur, tanta nauſea & horrore correptus eſt, vt aliquot annor. ſpatio ab omni carnium eſu abhorreret prorſus. Et præterea per interualla hæmorrhoidibus, quibus ante nunquam obnoxius fuerat, vexari cœpit: huic Michaeli Vogler nomen eſt, qui vel hodie quoque viuit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Deplorato faſtidio & nauſea in morbis laborantes, interdum ad cibos cogendi.

ADhortandi ſunt (ciborum faſtidio laborantes) ad cibum, & interdum corripiendi à viris præſtantioribus & quos reuereantur: interdum incutiendus eſt timor, ne ſi puſillanimitate deſinant mandere, fortaſſe moriantur: narrabiſque illud *Galeni* 1. *Epid. parte* 3. *com.* 58. quo loco refert plurimos fame interemptos, ſolos que illos euaſiſſe, qui ſibi vim faciebant & mandebant. Demum cogendi ſunt violentia, vellicanda barba, capilli, fricanda ligandaque extrema, conſtringendi digiti, adeo vt frangi videantur: quo præ timore ad cibos capeſcendos incitentur. Quod certe non raro mihi profuit, vt ex hiſce duabus hiſtoriis, quas ex multis narrabo, cognoſces. Quidam Rezio nomine, ſolo faſtidio mori mihi videbatur, quod morbus eſſet exiguus, tametſi longus: is nullis precibus, nulliſq; vxoris & filiorum lachrymis, ad ciborum aſſumtionem commoueri poterat, quem cum ego (vt ex more habebam) inuiſerem, inueni profecto languidiſſimum, percontatuſque vnde tantus languor & virium proſtratio, reſpondetur non ſine luctu, non poſſe vlla via ægrũ cibos deglutire. Ego vero, vt qui magnopere ægre ferrem præ ignauia hominem mortem obire, ius gallinæ offerens illi maxime detrectanti, deprehendi digitum annularem, adeoque fortiter conſtringebam, vt ni cederet, fracturum interminarer: vixque fracto digito exorbuit, ſed deinceps præ timore me nunquam ieiunus ſpectauit.

Quædam alia fœmina ſexagenaria deſponderat iam animum præ languore & faſtidio, quibus vehementer premebatur, extremumque ſacramentum feſtinanter petierat, & cucullam monachalem ſancti Franciſci feſtinanter induerat, in qua religioſe moreretur: ad quam cum ego ingrederer, atque ſedentem in lecto & ita veſtitam offenderem, hinc & inde multis incenſis lucernis, & plurimis circumcirca poſitis ſanctorum imaginibus, dolui vehementer quod tam miſere periret, nolens ſibi vim inferre, & oblatos cibos ſumere: iratus inde aio, minime putet hac religione apertam ſibi eſſe cœlorum ianuam, quin potius habere iraſcentem Deum, propterea quod pauperi graui fame pereunti nollet ſubuenire, pauperrimumque ſuum eſſe corpus, cui non minus quam egenis quibuſque opitulari deberet. Quãobrem monebam, me rem magiſtratibus delaturum ipſiuſque deſperationem oſtenſurum, & ne vlla ratione in ſacram ædem admitteretur, impetraturum. His dictis, abii, iram ſimulans, & certe non mentior, duris illis minis vſque adeo commota fuit, vt oblatos cibos libenter aſſumeret: quo factum eſt, vt tertio die, ad domus ianuam ſedens, cum vicinis gauderet, præter plurimorum opinionem. *Ferdinandus Mena c.* 51. *de medend. febr.*

DE ASITIS.

OBSERVATIO.

Quoſdam ἀσίτους, hoc eſt, à cibo abſtinentes, per multos non ſolum dies, ſed & annos vixiſſe.

VITA hominis ſeptem dierum eſt. Primum etenim poſtquam genitura in vteros peruenit, in ſeptem diebus habet quæcunque corpus habere debet. Quod vero vita hominis ſeptem dierum ſit, etiam ex hoc manifeſtum redditur. Si quis in ſeptem diebus nihil edere aut bibere velit, plerique quidem in ipſis moriũtur. Sunt autem qui ipſos tranſmittunt, & tamen moriuntur. Sunt quidam qui perſuaſi ſunt, vt ne deſperarent, ſeipſos fame conficientes, ſed comederẽt ac biberent: verum venter non amplius ſuſcipit. Ieiunum enim inteſtinum in his diebus concreuit, moriunturq; etiam illi. *Hippocrates libro de carnibus.*

Homini non ante ſeptimum letalis inedia: duraſſe & vltra vndecimum pleroſq;, certum eſt. Mori eſuriendi ſemper inexplebili auiditate, animalium vni homini. *Plin. nat. hiſt. lib.* 11. *c.* 54.

Timonis Amita, quotannis in ſpelea, vrſarũ more, bimeſtre tempus abſq; vllo alimento delituit ſemianimis, vt ſola inſpiratione viueret, ac ægre dignoſceretur. *Athenæus lib.* 2. *Deipnoſophiſt.*

Quidam Romę vixit annos quadraginta, ſola aeris inſpiratione, vt ſcribit *Hermolaus Barbarus.*

Fuit fœmina quæ ſine cibo dies quandoq; viginti tranſmiſerit, ſæpe vero & triginta.

Virum quoque melancholicum ſe vidiſſe ait, qui abſque cibo perſeuerauit ſeptem hebdomadas, alternis tantum diebus aquam exſorbentem. *Albertus lib.* 7. *de animalibus.*

Normana quædam per decem & octo dies nil comedit, vt refert *Conciliator.*

Quidam mihi innotuit, qui per biennium vixit ἄσιτος, anno ſexto, Põtificatus Nicolai Papæ quinti. *Pogius Florentinus, inter elegantes ſuas facetias,* ſcripſit hoc ſerium.

Idem teſtatur ſe legiſſe de puella, quæ vixit ἄσιτος per duodecim annos, temporibus Lotarii Imperatoris, anno D. 1322.

Quidam non appetunt, quia membra non reſoluuntur: Sicuti in quadam, ætate noſtra, virgine ſacerdotali, quæ inediam pluribus menſibus ſuſtinebat.

bat. In miraculum Romæ Patribus venerat, vnde experimentum, pluribus cuſtodientibus dedit, Columba nomine.

Quidam etiam Venetiis 46. diebus continuis ieiunus fuit, habitudine membrorum frigida, craſſo phlegmate intus concocto, meatibus corporis adſtrictis. *Alex.Bened.Pract.lib.*12.*cap.*11.

Audio nunc Aueniorii eſſe hominem ſexagenarium, qui raro & per maxima interualla, quinque, ſex, decem & plurium dierum, comedat. *Syluius conſil.aduerſus famem.*

Viſa eſt in Hiſpania puella quæ comederet nihil, ac hauſtu ſolum aquæ vitam confoueret, & annum iam ageret ſecundum ac vigeſimum. *Idem loco iam citato.*

Viſa quoque in Gallia Narbonenſi puella, & altera in Germania, quarum vtraque tres annos, nullo, præter aerem, cibo potuque, vitam ſalubriter traduxit. *Idem loco iam citato.*

Hoc anno prodigia quædam extitiſſe narrantur, in quibus præcipua erant terræ motus in Aquenſi palatio. Et in territorio Tullenſi iuxta villam Commeriacam, puella quædam annorum circiter duodecim, poſt ſacram communionem, quam in Paſcha de manu ſacerdotis accepit, ſine omni victus deſiderio, plenum biennium vſque in tertium annum dimidium compleuit, nulla penitus corporis alimẽta percipiens. Cœpit autem ieiunare Anno Dominicæ incarnationis M.CCC.XXII. à Paſcha; & in M.CCC.XXV. circa initium Nouembris peracto ieiunio cibum ſumere, ac cæterorum hominum more manducando viuere cœpit. *Abbas Vrſpergenſis in Chron.*

Germana mulier, triginta annos omnimoda inedia vitam traduxit. *Ioan. Boccatius.*

Spirę in Germania quandam extitiſſe accepimus, doctorumque & bonorum virorum literis proditũ eſt, annis tribus, nullo præter aerem cibo potuque vitam ſalubriter traduxiſſe.

Aliam quoq; ſe vidiſſe teſtatur *Guliel.Rondelet.* eodem victus genere ad decimum ætatis annum perueniſſe, tandem grãdem factam nupſiſſe, & felicem prolem feciſſe. *Ioubertus Deca.*1.*paradox.*2.

In Palatinatu, pago qui Schmitvveiler appellatur; puella quædam, Vietoris filia, nomine Catharina, ſeptem annos ſine cibo & potu omni exegit: Cuius examen & vniuerſa hiſtoria, Magiſtratus decreto, An. 1556. germanico ſcripto ad plenum Heydelbergæ publicato, extat. *Schenckius.*

Hiſtoria admiranda de prodigioſa Apolloniæ Schreieræ, virginis in agro Bernenſi inedia, à *Paulo Lentulo conſcripta: additis conſimilibus narrationibus exc. Bernæ, ∞ IↃCIV. apud le preux, charta* 4.

OBSERVATIO.

Libra olei violacei hauſta, quidam per decendium famem ſuſtinuit.

QVidam retulerunt, quod vnus homo biberit libram vnam olei violacei, in quo cera diſſoluta fuit, donec in Emplaſtri ſimilitudinem conuerſa fuerit, decem diebus poſtea comedere non deſiderauit. *Auicenna lib.*1.*fen.*3.*doctrin.*5.*cap.*2.

OBSERVATIO.

Sanus quidam, ſeptem dierum inediam, vrina propria hauſta, ſubterraneo puteo concluſus, conſtanter ſuſtinuit.

VIuus humum ſubijt, qui foderat ante ſepulchrum
Ipſe ſibi, ingenti mole ſuperpoſita.
Viuus & ad manes deſcendit: vt Amphiaraus
Hicq; horas centum, & ſeptuaginta fuit.
Horas, quas potuit tantum numerare, dies non
Nullum namq; vident infera regna diem
Hebdomadem durauit, agens tellure ſub alta,
Lucis, ſomni expers, aeris, atq; cibi:
Ergo quid interea fecit? bibit. & bibit vndam,
Quare refluebat eo, fluxerat vnde prius.
At poſtquam ſuperis iam lux octaua refulſit:
Ac egeſta cauo chaſmate terra fuit:
Crediderant quem pridem homines periiſſe: repente
Alter vt Alcides, ad ſuperos rediit.
Viribus integris, ſenſu, & ſermone valenti,
Sanus ad extremos vixit & inde dies.
Quid mirum, infernis potuit ſi excedere regnis?
Vt iubet infera lex. ederat ore nihil.
Quam niſi dicta eſſet violaſſe Proſerpina legem:
Ad ſuperos ſalua lege reuerſa foret.
Porro ne quis & hoc fictum putet eſſe: ego vidi
Scriptor. Quid viſu certius eſſe poteſt:
Planius & geſtam quiuis intelligat vt rem:
Citra figmentum ſic habet Hiſtoria.

Anno Domini M.CCCCC.LII. ad Nonas Februarii, Franciſc. Peluſius Lugdunenſis φρεατορύκτης ſenex ſexagenarius, dum in colle D. Sebaſtiani, in villa Ludouici Dheiræi puteum foderet altum pedes 40. egeſta terra deſuper irruenti ad profunditatem triginta quinque pedum, oppreſſus eſt foſſor viuus, qui incumbenti periculo: quod forte præſens habuit tabulatũ oppoſuit: ſub quo reclinatus & à cadenti mole protectus, aeris, & ſpiritus aliquantum retinuit: quo ſeptem dies noctesque vixit, ſine cibo & ſomno, ſola vrina epota ſtomachum roborans, & omnis doloris expers, atque adeo mœſtitiæ: Quin etiam ſpei plenus (quam in ſolũ Deum collocarat) idemtidem auxilium ſibi ſaluo inclamans, ſed à nemine auditus. cum tamen ipſe ſuperiorum motus, ſtrepitus & verba audiret: horasque ſonantes numeraret. Poſt ſeptimum deinde diem, cum ipſi iam conclamato pararetur pheretrum: effoſusque eſſet magna ex parte puteus, repente audita eſt vox eius de profundis clamantis: quamprimum ſecutus eſt pauor, ac ſi ſpiritus exauditus eſſet ſubterraneꝰ mox clamore perſeuerante, iniecta ſpes, & accelerata effoſſio, donec viuus & valens hauſto prius vini calice, per funem euectus eſt, viribus adeo integris, vt ad ſe tollendum, neque ſe ligari paſſus ſit: neque aliena ope vti voluerit. Senſu vero adeo ſano, vt etiam iocabundus, crumenaque promta & pecunia numerata, diceret ſe cum benignis hoſpitibus diuerſatum: apud quos ne teruncium quidem ſeptem dies impendiſſet. Et mox ad opus eſt reuerſus ſuperſtes adhuc cum hæc ſcriberem. *Bartholomæus Anulus in Picta Poeſi circa finem.*

OBSERVATIO.

Puellæ hiſtoria mirabilis, quæ vndecim annis lecto decumbens, nullo alio victu: quam caſei Stolckii eſu, vitam ſuſtinebat.

ILLVD quod nunc referam, admiratu dignum eſſe exiſtimo: Puella erat annos 27. nata cũ dimidio, quam anno 1566. xj. die Maij vna cum chirurgo inuiſimus, ad partem orientalem ipſius vrbis Delphenſis de-

ſis decumbentem. Hæc autem ab anno 16. ætatis ſuæ perpetuo lecto decubuerat, atque iam vndecim annis nil aliud ſumpſerat, quam caſei momentum, vulgari lingua Stolckij dicti, muliere adſiſtente nobis narrante; nihil enim liquidi aut potus deglutierat, licet mediocriter mingeret; verum ſingulis octo diebus tantum ſemel aluum deponebat, inſuper cæca nata erat, quamuis mediocri valetudine frueretur ad annum decimum ſextum ætatis ſuæ. Ab eo autem tempore, terrore correpta, in hanc malam corporis diſpoſitionem lapſa fuit, ita vt vndecim deinde annis ſubſequentibus, nunquam lectum egreſſa, etiam nunc lecto decumbat, ac ſemper in deterius malum progreſſum fuerit; adeo vt anno ætatis ſuæ vigeſimo, venter in tumorem haud exiguum attolleretur, atque omnes eam eo tempore (vt aſſiſtens muliercula narrabat) pro hydropica haberent, ſed paulo poſt detumuit vēter, præter rationem, & ſubortus eſt rugitus in ventre vehementior, ac murmur quoddam, tanquam ranæ viuæ crocitantes in ventre latitaſſent, cum motu quodam ingenti, ac vehementi ſublatione, mox depreſſione, tum ventris, tum thoracis, inſtar fluctuum maris ſeſe commouentium: qui motus adeo validus erat, vt etiam nos manum admouentes, eundem cohibere minime potuerimus; ita vt is motus manum noſtram attolleret. Rogaui puellam nunquid dolorem ſentiret? imo maximum, reſpondit. Inſuper aiebat (quod valde admiratu dignum erat, etiam muliercula adſtante idem annuente) quod motus ille ad plenilunium augeretur; & ſimul cum affluxu maris in maiorem eleuationem totus vēter tum pectus mirum in modum attollerentur, & maris fluxu recedente, ſimul motus ille decreſceret. Hic autem motus ſeptem annis durauerat, mirum quod puella tota vitioſa ſuperuixerit. Rogabam quoq; numquid menſes tempore conſueto fluxiſſent. Sed pudica, ac mente conſtans rubore quodā ſuffuſa, non reſpondebat; mulierculatamen aſſiſtente annuente, ſingulis decē ſeptimanis certa quaſi periodo profluere: ſed admodum corruptas purgationes eſſe referebat. Cum autem animaduerterem portentoſum morbum eſſe, minimeque naturalem, licet aſtantes cauſam referrent in terrorem, à quo male habere prius cœperat; ideo habita huius puellæ genitura (quæ nata dicebatur anno 1538. & 25. Octobris die, circa quartam fere horam, poſt meridiem) iuxta aſtrologorum decreta perſcrutari volui, numquid ab aſtris aliqua cauſa probabili coniectura haberi poſſet. Erant autem tunc in medio cœli ſtellæ nebuloſæ, quæ ſunt cum oculo ſagittarii, & in occaſu nebuloſā, quæ eſt in aculeo Scorpionis; Luna in Octaua, & Sol in ſeptima, in loco oppoſito vitæ. Hæc cæcitatem decernebant, iuxta Ptolomæū. Sol quoq; cum cauda Draconis, & Saturnus in ſexta, & Luna in octaua, & Mars dominus aſcendentis, decumbens cū Venere, portentoſam & valde vitioſam genitură declarabāt, ſolus Iupiter in tertia domo in quadrato Saturni vix vitam ſuſtentabat, Ita vt hæc miſera videatur, & breuis vitæ, ac valde vitioſa; licet adhoc vſq; tempus vixerit, tamen morboſa. Sed hæc extra metam medicinæ, cum ad Aſtrologiam pertineant. coniecturalibus enim ſignis ac cauſis non ita inſiſtendum, vt iis quæ ad medicinam faciunt. Hoc tamen pro miraculo, & magis pro oſtento habetur, quod tam diu ſine potu vixerit, ſolo modico caſeo vtens. Ideo à curatione deſtitimus, cum & illa omnia remedia, tum medicos ipſos reſpueret. *Foreſtus Schol. ad obſeruat. 8. lib. 18.*

Observatio.

Ventriculi debilitate ob morbos laborans mulier, nullo alio victa quam ceruiſia cum ſaccharo, itemq; fœniculo cum aceto, ſe ſuſtentauit, tandem maraſmo conſumtà.

Apud nos honeſtiſſima Matrona vidua laborans hypochondriaca melancholia, & calculo renū, ob ventriculū nimis debilē & non ſolū omnia medicamenta, ſed ēt alimenta plane reſpuentē per multos annos obitū nulla planè alia re ſe ſuſtentauit, nec cibo alio vſa eſt, quā potu cereuiſiæ calefactæ, parum cū ſaccharo conditæ, & inſuper maximā die noctuq; feniculi vel crudi vel conditi cū aceto comedit: atq; ita quāuis valetudinaria diu vixit, & tandē ad Maraſmū perducta: Anno ætatis ſexageſimo ſexto. *De CL. V. Ioach. Camerarij hiſtorijs.*

DE SITI.

Observatio.

Siti enectorum hiſtoria.

Svnt, qui inexhauſta ſiti cruciātur: de quorum numero moti vidimus & eū qui viperam deuorauerat: (erat autē fortaſſe Dipſas) & meſſores, qui forte fortuna vinū biberant, in quo quædā fera fuerat extincta: & eum, qui ex vetere vino fuerat inebriatus: item eum qui ſitim tolerarë decreuerat: deniq; eos qui in naui, deficiente aqua, marinā aquam bibere auſi ſunt, quod ſiti immoderatiore, quā reliqui, cruciarentur. Etenim ſoluta aluo, ac torminib. vehementer cruciati, celerius quā reliqui interierunt. Noui ēt quendam ardente febre laborantē, qui increſcente ēt dum morbo, aquā frigidā liberalius bibens, ſatiari nō potuit, donec moreretur. Itaq; circa vētriculi appetentiā, huiuſcemodi euenire poſſunt errata. *Galen. lib. 4. cap. 7. de ſymtom. cauſis.*

Observatio.

Aquæ potu extincti.

Antonius Parmenſis, iuuenis admodum robuſtus, cū ſub feruentiſſimo ſole, & magni æſtus tempeſtate, plurib. dieb. in itinere eſſet, ardentiſſima tandē febre correptus eſt; quare, cū vehemens eum ſitis vrgeret, frigidiſſima aqua epota, intra paucas horas mortuus eſt. *Beniuenius c. 16. de Abditis.*

Elegans, & optimæ ſtaturæ Iuuenis Romanus, quum pila luderet, & ſudore reſperſus, ac totus madidus & fatigatus ad puteum, pro ſiti arcenda veniſſet, exhauſta frigida recens per caldarium extracta, ilico in terram cecidit, & obiit.

Alterum nouimus ex iis, qui in campo negotiantur, qui quum non minus corporis totius adapertis poris, madidus domum reuerteretur, cyathum frigidioris aquæ ebibit, & mortuus fuit.

Sed alterum vidimus, qui quum domum peruenit, vigente magno æſtu, cellam vinariam ingreſſus fuit, & calicem meratioris vini frigidi exhauſit, & exanimatus cecidit, & vitam cum morte commutauit. *Amat. Luſit. curat. med. cent. 2. curat. 62.*

Valerius Cordus iuuenis doctiſſimus, magnæ ſpei adoleſcens (vt eius ſcripta adhuc hodie demōſtrant)

ſodalis & familiaris amicus noſter, anno 1544. cum equo Romam iret, cum Cornelio Sittardo, amico etiã noſtro chariſſimo, quos & ego paulo poſt, Bononia diſcedens, ſequens, Romã veni pedeſtri itinere. Illi vero circa dies caniculares, tempore admodum feruido, in montib. Florentinis cum plurimas herbas collegiſſent: Valerius deinde ſiti valida cum premeretur, gelidamq; ſubinde bibiſſet aquam, qua cruditate oborta, & obſtructione, tandem Romam veniens, febre ardentiſſima correptus eſt, qua illuſtrium Medicorum ope, cum reſtitui non poſſet, ea nocte, cum illi aſſiſtens eram, vitam cum morte finiuit. *Petr. Foreſtus lib.1. Scholio ad obſeru.13.*

Meſſorem, à meridiana tritura, ſitibundum, primo ad fontem hauſtu vidimus extinctum. *Scalig. de ſubt. ad Card. exercit.33.*

Villanum quendam nobis familiarem nouimus, qui meſſis tempore Anno 1597. exhauſtus viribus & totus ſitibundus præ nimio ſolis ardore domum rediens, cum in magna quantitate ad ſitim explendam gelidam bibiſſet, exanimatus mox iuxta puteũ cecidit, ac intra tres horas animam expirauit. *Georg. Graſeccius in theatro anathomico.*

Author eſt *Quintus Curtius lib. 7.* Alexandri Magni exercitum Suſcitanorũ loca deſerta & inaquoſa, ex ſolis ardore æſtuantem, cum tandem ad flumen Oxum perueniſſet. plures ex frigidæ intemperato hauſtu intercluſo ſpiritu extinctos, quam vllo prælio amiſiſſet.

Alexander Gulielmus Tyrius lib.3. cap.16. ſcribit Chriſtianum agmen Piſidiam ingreſſum regionem, arentem, & inaquoſam, tandem inuento fluuio, quod quidam, qui largius aquam frigidam ingurgitauerunt, ſitis diſcrimen euadentes, mortem in aquarum opulentia reperiere.

Appianus Alexandrinus de bellis ciuil. libr. 5. tradidit, Cornificianos milites à Pompeianis pugna fatigatos, & æſtuantes, Fontanam aquam auide bibentes, ex iis plurimos emortuos. *Marcellus Donatus libr. 4. cap.6. hiſt. med. mirab.* qui cauſas huiuſmodi euentuum reddit.

OBSERVATIO.

Aeſtuans & ſitibundus, immodico potu ingurgitato, corporeque in gelidam aquam immerſo, incidit inſignem vrinæ fluxum: vnde virium reſolutio, & apoplexia lethalis inſecuta. Cadauere flatib. diſtentiſſimo, & tantopere intumeſcente, vt loculo vix includi potuerit.

VIR nobilis & literatus F. A. M. homo valde obeſus & ſanguine plenus, dieb. canicularib. ex itinere multo ſudore perfuſus, domũ rediens, corpꝰ nimio motu & ſolis ardore calefacto, nõ modo vini & cereuiſiæ potũ omnẽ aqua fontis refrigeratũ copioſe bibit, ſed ẽt brachia nuda & caput aquę gelidæ immerſit, & paulo poſt in copioſum vrinæ fluxũ incidit ita vt ſingulis fere horis bis terve vrinã aliquãdo naturalẽ, aliquando crudãredderet. Vnde vires corporis paucis dieb. ita fuerunt ꝓſtratæ, nõ aliter ac ſi medicamentũ toties per aluũ purgans hauſiſſet. Siti vrgente multũ quidẽ bibit, ſed tamen vrina aſſumto potu longe fuit copioſior. Ad hũc igitur vocatus acceſſi, & cũ de nulla alia re quã de magna viriũ imbecillitate ex nimio vrinæ fluxu proueniente cõquereretur, & ego alia medicamenta in promtu nõ haberẽ exhibui ei Conſ. Roſ. acetoſæ, addita Terra ſig. ſiles. & ſequenti nocte melius habuit. Sed deinde de leui quadã vertigine (qua antea ſæpius laborauit) cõquerebatur. Cumq; venæ ſectio ei aliquoties in hoc malo profuiſſet eũ vt venã aperiret, hortatus ſum, ſed propter viriũ imbecillitatẽ noluit conſentire. Inſtiti, & quid periculi in corpore plethorico imminere ꝑdixi, ac vt vnũ atq; alterũ ex amicis aut vicinis ad ſe vocaret rogaui. Tandẽ morẽ geſſit ſed antequam ſequenti die chirurgus & vicini accederent media nocte forti apopl. ſubito eſt extinctus. Mortui cadauere flatib. ventrem extendentib. poſtea in tantam molẽ excreuit, vt loculo ſatis capaci vix potuerit capi. *De obſeru. Ioan. Franci Hildeſij.*

OBSERVATIO.

Prodigioſi potatores.

DE quorundam prodigioſo vini potu, (Gal. autor eſt) ex earũ partiũ (renum) continuo ſeruore, integras vini amphoras, breui horarũ ſpatio, plures haurire, ad oſtentationem viſi ſunt, & pro potus portione, ſupra modũ vrinantes, velociſſimo tenum officio, qui ſubito & continuante motu, de humorib. diſcrimen agunt. Apud noſtros Tricongius Mediolanenſis (vt Plin. ſcribit) tribus congiis, vnde cognomen illi fuit, epotis, vno impetu, ſpectante, miraculi gratia, Tiberio principe. Ferunt, & L. Piſonem vrbis Romæ curatorẽ, biduo duabusq; noctib. per potationẽ continuaſſe apud ipſum iam principem: namq; eodẽ autore, & hæc neceſſitas viriũ comitatur, vt bibendi conſuetudo augeat auiditatẽ. Scitũque eſt Scytharũ legati, quanto plus biberint, tanto magis ſitire Parthos. *Alex. Bened. lib.22. c.4. cur. morb.*

De huiuſmodi Potatoribus plura vide in *Bruyerino lib.3. c. 6. & in Theatro D. Zuuingeri*, quæ huc tranſcribere non libet.

OBSERVATIO.

Nihil bibentes.

LAſyrtas Laſionius, æſtatis tempore, per triginta dierum ſpatium, a nulla re ſalſa abſtinens, non bibebat. & mingebat tamen, quod ſi liberet, & præſertim in ferculorum varietate etiam bibebat. *Athen. lib.2.*

Ariſtoteles in libro de Ebrietate: Andron inquit Argiuus, per omne vitæ ſuæ tempus, ſiti potuque caruit: quanquam multis cibis & ſalſis & ſiccis veſceretur. Idemque ad Ammonem profectus, per aquæ expertem viam, ſicca farina veſcens, nullum adhibuit humorem. *Apollonius de hiſtor. mirabilibus.* Idem de Magone Carthaginenſe refert *Athenæus libr. 2. cap. 2.* vbi Andronem vocat Archonidem, ex eodem Ariſtotele.

Iulius Viator, eques Rom. in pupillaribus annis, aquæ ſubter cutem fuſæ morbo, prohibitus humore à Medicis, naturam fecit conſuetudine, atq; in ſenecta potu omni abſtinuit. *Plin. lib.7. cap.18.*

Neapoli, quendam ex Tomacellorũ gente, nunquam bibiſſe, ſcribit *Cælius lib. 13. c. 24. A. L.*

DE RVCTV.

OBSERVATIO.

Aſſiduus ructus curatus.

HISPANO cuidam militi adeo moleſtus ac difficilis erat aſſiduus ructꝰ, vt in extremis verſari videretur, cũ ad eum vocarer. Vſus fuerat admodũ multis remediis: ſed fruſtra omnib. nec quicquã per hæc profecerat, niſi quod vires eius inſigni-

inſigniter forent deiectæ. Huic initio exhibuimus pilulam vnam Iliacam, quæ à *Raſi libr. 9. ad Almanſorem* deſcribuntur, decem granorum pondere, per quam vitioſis ac fœtidis humoribus nonnullis expurgatis, melius habere videbatur: poſtea paucis diebus interpoſitis, data grana quindecim, tertio vero ſcriptulus vnus: quo aſſumpto, & expurgatione prauorum humorum ſuccedente, qui antea lecto affixus veluti mocitur⁹ iacuerat, ſurrexit, & quocunque libuit ambulauit, & cibum potumque cum appetentia aſſumpſit. *Dodonæus capit. 36. Medicinal. Obſeruat.*

DE SINGVLTV.

CAVSÆ.

OBSERVATIO.

De Singultus cauſis diſcrepantes Medicorum ſententiæ.

SINGVLTVS eſt motus conuulſiuus ventriculi, vitium quod tunicis ſuis ineſt expellere tentantis. Hic motus quidem eſt facultatis expultricis, ſenſu tamen percipitur, & cum motu voluntario communicat, ideoque à Galeno inter ſymptomata facultatis, ſiue actionis animalis motricis numeratur. Ac quanquam ſit naturæ ſolius opus, hoc eſt, facultatis corpus regentis, vt hortor, ſternutamentum, tuſſis, oſcitatio, vomitus, & ructus; attamen quia cauſa aliqua præter naturam eſt, quæ naturam ad ſingultum excitat atque compellit, ob id ſymptomatis præter naturam annumeratur, vt & ea de quibus ſupra dictum eſt, quæ cauſam pariter aliquam habent morbiferam, per quam natura ad eiuſmodi motus cogitur. Cum autem alii ſint in ventriculo deprauati motus, vt ructus, nauſea, vomitus, ab his hoc vno maxime differt ſingultus, quod illa nihil conuulſioni ſimile habeant, hic vero conuulſioni perſimilis ſit. Vt enim pars quæ conuellitur ad principium ſuum contrahitur, idque duabus omnino de cauſis, inanitione, vel repletione patitur; ita ventriculus ſingultiendo contrahitur, & ab iiſdem, vt ſcripſit Hipp. cauſis, à quibus & conuulſio, excitatur. Verumtamen ſingultum conuulſionem dicere non licet, quoniam hæc ſolis accidit muſculis, (ventriculus autem nec ipſe muſculus eſt, nec os eius,) ſed veluti conuulſionem, aut verius motum conuulſiuum. Eſt autem, vt ſcribit Galenus, facultatis tum retentricis, tum expultricis commune ſymptoma: illius quidem quod ventriculus, dum ſingultit, praue & non naturaliter cibos complectitur: huius vero propterea, quod ad ipſam primum proprieq; pertinet motus ille prauus, dum cupit quod moleſtum eſt expellere. Ex quibus Galeni verbis intelligimus, ſingultum motum eſſe non ſimplicem, ſed ex duobus contrariis compoſitum, dilatatione ſcilicet, & conſtrictione. Sicut enim fieri aſſolet in omnibus functionibus corporis quæ magno conatu viribuſque egent, ita in ſingultu ventriculus, quo valentius poſſit vitium à ſe excutere, primum ſe dilatat, (quod dum agit, cibos deſerit, nec naturaliter complectitur) deinde velut collectis viribus ſeipſum adſtringit, magnaque totius ſui corporis compreſſione ſingultum edit. Ex quibus apparet, non eundum eſſe vomentibus & ſingultientibus motum, propterea quod nec idem ſit affectus. Quippe in vomitionibus ea quæ in ventriculi capacitate ſunt reiiciuntur, non magno adeo conatu: in ſingultu vero, quæ in ipſo ventriculi ſunt corpore, ſimili tum affectu, tum motu, qualem ii perpetiuntur, qui ex intemperie tuſſiunt, omnibus nimirum ventriculi partibus id quod ſe contriſtat expellentibus. Eſt enim ſingultus virtutis expultricis validus motus, ſicut & ſternutamentum, & tuſſis, vomituque multo validior, quod niſi magna vi eius cauſa, quæ penitus eius tunicis orique inſedit, excuti non poſſit, quemadmodum *Galen. in Comm. Aph. 9. lib. 5.* demonſtrauit, etiamſi contra viſum ſit Auicennæ. Cæterum, quum ſingultus affectio ventriculi eſſe dicitur, non eſt ita intelligendum, quaſi ad totum ventriculum ſemper pertineat, cum ſæpe os eius dũtaxat afficiatur, aut ſolus etiam Oeſophagus, qua proxime ſtomachum attingit. Siquidem, horum trium corporum affectione ſingultum excitari, proditum à Galeno fuiſſe video, ventriculi, ſtomachi & Oeſophagi, conante ſemper natura quod penitus iis in partibus impactum eſt, altiuſque in earum tunicis inſedit, exprimere atque abigere. Hæc quidem fuit Galeni de ſingultu ſententia, in quam omnes poſtea Medici deſcenderunt. An vero eadem Hipp. fuerit, equidem dubito. Ille namq; ſingultum non motum conuulſiuum, non veluti conuulſionem, ſed conuulſionem eſſe exiſtimauit, ſicut *Gal. Comm. in Aph. 4 libr. 5.* annotauit. Neque vero cauſa v[illegible] eſt, quæ nos ab ea opinione reuocare debeat. Cum enim ventriculus atque os eius maxime magnorum neruorum ſit particeps, non quo ille quidem moueatur, ſed exquiſitiſſime ſentiat, ſi in eos cauſa aliqua præter naturam inciderit, quæ in aliis partibus neruos ita offendit, vt ad ſuum principium ſeſe recipere cogantur, eadem in ſtomacho talem affectionem excitare poteſt, quæ & in aliis partibus excitatur. Eſt enim conuulſio omnium partium in quas nerui deſcẽdunt propria, quæ vt in quibuſdam partibus peculiaria ſortitur nomina; (in oculo enim Στραβισμὸς, in mandibula τρισμὸς, in ore κυνικὸς σπασμὸς, in pudendo σατυρίασις appellatur:) ſic in ventriculo λύγξ vocata fuit. Feruntur autem illi in ſtomachum atque ventriculum à ſexta coniugatione inſignes, & ſicut ſcripſit *Hip. li. 2. epidemion* breuiſſimi. Hi, quamuis ventriculum aut ſtomachũ non moueant, quia tamen à cerebro (ꝙ vt ſenſus, ſic etiam motus principiũ eſt,) oriuntur, à cauſa præter naturam offenſi, in principiũ ſuum recurrere reuertiq; poſſunt, & ſecum partẽ in quam inſerti ſunt conuellere. Neque n. ea coniugatio monitionis expers eſt, ſed multis diffuſis ramulis in aliquos colli, & laryngis, & ſterni, & coſtarũ muſculos, deinde in laryngẽ recurrẽs, iis partib. ſenſum motumq; conciliat. Quoties igitur tale iis neruis qui ad ſtomachum à cerebro recta feruntur vitiũ inſederit, quale in aliis partibus conuulſionis excitandæ vim habet, id in ſtomacho proculdubio conuulſionẽ pariter inducet, q̃ ꝓprio nomine ſingultum omnes appellarunt. Et reuera ſi omnes omnium tam particularium, quã vniuerſaliũ conuulſionum cauſas, ſiue generales, ſiue ſpeciales contemplemur, eædem ſingultus etiam cauſæ videbuntur. De illis quidẽ diſerte pronunciauit *Hip. Aph. 39. lib. 6.* conuulſionẽ ſcribens fieri ex repletione vel

inanitione, atque eodem modo ſingultum. Porro inanitionis nomine ſummam ſiccitatem denotari Galenus nos docuit, cuiuſmodi ea eſt, quam febres ardentes, purgationes, ſanguinis excretiones, vigiliæ immodicæ inuexerunt; quæque etiam chordas poteſt abrumpere. Repletionis autem nomine non aliud hic intelligendum puto, quam humiditatem quandam ſuperfluam atque à natura alienam. Ea namque ſiccitati ſiue inanitioni reuera oppoſita eſt. Quo fit vt eo Aphoriſm. non aliud velit Hippocrat. quam ſtatuere omnem conuulſionem fieri vel ab aliquo humore vitioſo, vel ab inanitione, ſummaque ſiccitate. Repletio autem gemina eſt, eodem Galeno authore, vna quidem ad vaſa, altera vero ad vires: illa quidem cum nerui adeo replentur, vt neceſſario contrahantur, breuioreſque fiant: hæc vero cum ipſi humore grauantur, non multo quidem, ſed vitioſa qualitate prædito, quem cum auerſentur, & excutere cupiant, ab eo demorſi, puncti & laceſſiti, in principium ſuum recurrunt. Itaque repletionis nomine non ſummam modo plenitudinem, quæ ad vaſa dicitur, Hippocrat. intellexit, verum acrem etiam, aut ſeroſum, aut medicatum humorem, neruos mordentem, à quo conuulſiones ſæpiſſime oriri, nemo eſt in arte medica vel tenuiter inſtitutus atque verſatus qui dubitet. Proinde miror quid Galeno venerit in mentem dum iſta ſcriberet *lib.8. τῶν κατὰ τόπȣς* his verbis. Hippoc. quidem conuulſionem fieri dixit ex repletione & euacuatione, & additum eſt ad Aph. ferme in omnibus exemplaribus, ſic autem & ſingultus. Ego vero in conuulſione (inquit idem) tertiam aliquam cauſam ſupra euacuationem & repletionem nondum reperi. Singultum etiam ſine his fieri video, acribus humoribus, aut ſeroſis & medicatis, ſtomachum mordentibus, quos vbi vomitu reiecerint, ſtatim ſingultu liberantur. Quin & multi deuorato pharmaco, ex tribus piperis generibus conſtante, ſi ſtatim vinum inſuper bibant, omnino ſingultiunt, ex quorum numero ego etiam ſum. Amplius autẽ & cibo in mordacem qualitatem corrupto aliqui ſingultiunt, & quod à vomitu ſtatim liberantur, omnibus notum eſt. Quidam etiam ex rigore oris ventris ſingultiunt. Verum pueros maxime frequenter ſingultire contigit, tum ob corruptionem alimenti in ventre, tum ob partis frigiditatem. An vero & ob nimiam euacuationem fiat ſingultus, veluti etiam conuulſio; dignum conſideratione eſt. Hæc quidem Galenus, parum memor eorum quæ locis prope infinitis docuit, vt conuulſiones interdum fieri demorſo ore ventriculi ab acri aliquo humore: grammaticum quendam conuelli ſolitum aura quadam tenui à crure ſurſum aſcendente: ab humore aut ſemine putri in vtero cum diſtentiones neruorum, tum conuulſiones oriri; & à veneno ſimiliter, mole quidem exiguo, ſed facultate maximo, quem venenata animalia morſu infuderint. Sunt autem hæ cauſæ proſus eædem cum tertiis illis cauſis, à quibus præter inanitionem atque repletionem ſingultum fieri Galenus paulo ſupra ſcripſit ſeſe obſeruaſſe. Sed ex frigore conuulſiones non minus quam ſingultus oriuntur. Id quod docet *Hippocrat. Aphoriſm. 17. libro quinto, & decimo octauo*, atque etiam ipſe *Galenus* prodidit *Commentar. 3. in prognoſtica*, agens de conuulſione, quam ſcribit etiam ſine febre in forti admodum frigore enaſci. Hæc quidem qui diligentius expenderit, certo intelliget, veriſſimam eſſe Hipp. ſententiam de cauſis conuulſionis atque ſingultus, & repletionem intelligendam non eam plenitudinem modo quæ ad vaſa eſt, ſed omnem vitioſi humoris affluxum à quo nerui offendi poſſunt. Iam quod pertinet ad alias cauſas, omnes quidem ſunt ſingultui atque conuulſioni communes, adeo vt quæcunq; de conuulſione dicta ſunt, etiam de ſingultu commode intelligantur. Cum enim ſingultus genere conuulſio ſit, eadem quam & illa habet tum cauſam, tum generationem, tum etiam ſignificationem. Itaque vt conuulſio ex Helleboro, ex vulnere, ex ſanguinis multo profluuio, ex ſuperflua purgatione, ex vomitu, ex ileo, & iecinoris inflammatione mala eſt, ita & ſingultus, qui talibus de cauſis ortus erit, quemadmodum ex Aphoriſ. Hipp. & Galeni in eos commentariis perſpicere licet. Siquidem ſymptomaticus eſt omnis eiuſmodi ſingultus, in aliis quidem ſummam ſiccitatem, in aliis vero humoris vitium, cum magna ſtomachi & neruorum qui ad ipſum pertinẽt imbecillitate. A quo quidem ſymptomate λυγγώδη πυρετὸν, hoc eſt, ſingultuoſam febrem, ab Hippoc. dictam fuiſſe legimus, ſicut ſupra à nobis oſtenſum eſt. Fit autem ſingultus alias per ventriculi ἰδιοπάθειαν, alias vero per συμπάθειαν, vt in meningibus inflammatione laborantibus, aut inteſtinis, aut vtero, aut aliis quę vſpiam ſint neruoſis partibus, aut hepate inflammato prouenit. Sed cum maxima ea parte ſingultus omnis præter naturam ſit, & malus aut lethalis, fieri tamen poteſt aliquando criticus, ſignis concoctionis manifeſto iam apparentibus criſimque vomitione mox futuram iudicare, quod ſtomacho offenſo, natura in ſuperiorem partem ducere videatur. *Io. Gorræus Definit. Med.* Voce Λύγξ.

Observatio.

Coſtarum ad ventriculum detorſio, trimeſtris ſingultus cauſa: quarum repoſitio eiuſdem curatio.

QVÆ extrinſecus os ventriculi premunt, ſingultum ingenerant. Quidam tres continuos menſes ſingultu vexatus, nullis conſuetis remediis ante potuit expediri, quam coſtæ extremum, quod tum primum deprehenſum eſt contorqueri, altiuſque in ventriculum, nullo ſenſu doloris infigi, blande ac molliter erectum ſit. Confeſtim namque ſingultus affligere deſiit: qui tamen repetebat, quoties coſtam denuo incurueſcere contigiſſet. *Fern. lib. 6. c. 3. Patholog.*

Observatio.

Singultus, largo ſanguine effuſo, ſedatus.

VIDISSE me memini, in nobili quodam quinquagenario, vel ſeniore, è familia D. D. Antragues, cuius ille erat œconomus: qui effuſa incredibili ſanguinis copia, euaſit à conuulſione, deliquiis animi, ſingultu, adhibita cucurbitula, & ſanus ſuperuixit. *Scholiographi ad cap. 33. libr. 1. Hollerii de Morb. intern.*

Observatio.

Plurium dierum ſingultus rariſſimi.

IVRIS Doctorem Papienſem, per duodecim dies ſingultu laboraſſe, ſcriptum reliquit Marcus Gatinaria, libro de curis ægritudinum particularium, cap. de Singultu; hoc nos tanquam raro contingens adnotare voluimus: tanquam hominem à Singultu capi familiariſſimum, ſicuti ita me hercle rariſſimum per plures dies eodem ſymptomate infeſtari, præmemorati effectus cauſam & ſi Gatinaria omiſerit, nos tamen, ne rem ita indiſcuſſam derelinquamus, quantum coniectura aſſequi licebit, in medium afferre minime pigebit. Singultum legitimum eſſe motum expultricis ventriculi facultatis, cum eiusdem noxa, minime ambigendum, quo ventriculus, quæ ſunt in ipſius ore penitiore, atque in ipſo ventris corpore infarcta, expellere tentat; quæ fuit *Gal.* doctiſſima ſententia 3. *de ſymp. cauſis* & *com. aphoriſmi* 39. 6. *lib.* quo loco Hipp. ſingultum ob geminam potiſſimum cauſam fieri decretum reliquit, inanitionem inquam, & repletionem, quanquam magna ex parte à plenitudine, raro autem ex inanitione. *Galenus* teſtimonio *Comment. Aphoriſm. decimo tertio, eiuſdem ſexti libri.* Tertiam inſuper addunt cauſam humores acres, & medicatos, ſtomachum mordentes, quinetiam ex deuorato pharmaco ex tribus piperibus, vel ipſomet pipere tenuiter cribrato, ſi vinum præſertim aqua calida temperatum ſtatim ſuperbibatur, ſingultus excitatur, quod ipſemet *Galenus* contingere conſueuiſſe ipſe tum *loco citato*, tum 8. *de compend. Medend.* ſecundum locos teſtatur, ita & ex cauſis immodice ventriculum ipſum infrigidantibus ex *Galeno* ſententia *Commentar. vndecimo, Aphoriſmor. quinto libro.* Hiſce itaque ſic ſeſe habentibus, crediderim in p. Iuriſperito diuturnum ſingultum perſeueraſſe, eo quod ortum duceret ab humorum craſſorum frigidorum copia in ventriculi tunicis & ore infarctorum & imbibitorum, quos calor naturalis ſuperare, non niſi longo temporis interuallo, nequiret, nec educi vomitu, vel deiectione poſſent, tum ratione ſuæ viſciditatis & craſſitiei, tum etiam ob imbibitionem, & infarctionem in parietibus ſtomachi. Sed profecto mirandum de *Ariſtotele* qui 33. *particula problem.* 1. *problem.* ſingultum pulmonum paſſionem fecerit, cum ventriculi eſſe omnes alii vnanimi conſenſu decretum reliquerint: poſſumus tamen pro Ariſtotelis defenſione dicere, per conſenſum à pulmonibus, non per ſe prouenire poſſe ſingultum: quemadmodum *Galenus* 2. *de ſympt. cauſis capite ſecundo*, aliquos ſcripſiſſe tradit, prouenire ſingultum ex conuulſione muſculorum, qui inſpiratum faciunt: ſic ſingultum ex hepate inflammato ſuperuenire propter neruorum communitatem docuit *Galenus Commentar.* 58. 5. *libr. aff.* & 7. *aff.* 17. *Commentar.* & oriri ex gulæ affectu ſingultum legimus *de fruc. Commentar.* 2. *de ſympt. cauſ.* 1. *capite ſexto.* Et niſi in hoc ſenſu ſcripſiſſe Ariſtotelem dixerimus, nullo pacto illum à manifeſto errore vindicare poterimus. Dominum Traianum Delphinum Legum Doctorem perplures dies ſingultu laboraſſe & interiiſſe ſcimus. Vrbis vero noſtræ Comitem quatuor aſſiduis diebus pariter affectum, ſanatum vel nullo negocio. *Marcellus Donatus libro quarto, capite quinto, Hiſtoriar. Mirab.*

Noui vetulam octuogenariam, matrem vxoris illius Ortelii, à Regina Angliæ miſſi ad comitia Batauorum: quæ per ſemiannum ſubinde ſingultiebat: remediis nihil iuuantibus, niſi deuorato loch ſano, quo ſe tantum iuuari aſſerebat, quæ vetula poſtea relicto ſingultu, etiam nunc, cum hæc adderem, viuebat; quanquam per duos annos lecto perpetuo incumbens, viribus exhauſtis, vitam finiuit. *Foreſtus libr.* 18. *Obſeruation.* 12.

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Ad ſingultum remedia aliquot laudata.

ILLE qui ſingultum habebat, ex ventoſitate, ſequenti remedio euaſit: ℞. Philonii ſcrupul. j. diagalangæ ſcrupul. ij. detur cum vino. Alteri & hoc ſequens profuit: ℞. Theriacæ optimæ drach. j. pulu. diptami drach. ß. exhibitum fuit cum vino exiguo.

Quemadmodum alteri cuidam Antvverpiano, qui per continuos x. dies ac noctes ſingultum habebat, frequenter adhibitum eſt cochlear vnum calide ex ſequenti decocto: ℞ rad. inulæ recentis vnc. ſs. coquatur in aqua fontis ad lib. j. dulcoretur zaccharo. Deinde ſub noctem vna vice accepit drach. ſs. Philonii Romani: & ſtatim ceſſauit ſingultus: quanquam & ſtomachus inunctus eſt oleo maſtich. cotoneor. & tereb. & abſinthii; corpore tamen prius repurgato cum elect. de Dactylis, & ſucco roſ. *Idem loco citato.*

Singultu vexante panis calidus linteo obuolutus, ventriculo adhibeatur. Hoc certe efficaciſſimum eſt in ſingultu remedium. *Henricus Stromerus Aurbachius.*

Singultus in febribus nonnunquam intemperatum ſequitur Zulapiorum refrigerantium vſum, quo modo affectos inconſulta temeritate Medicorum complures vidimus idque ſymptoma contra omnium opinionem vini potu ſuſtulimus. Iodoc. *Lomnius.*

2 Expertum & ſecretum eſt dare patienti quolibet mane per tres horas ante cibum radicem vnam Zingiberis viridis: & immediate ſuperbibat duos hauſtus vini maluatici, & videbis ægrum citiſſime curari. *Victorius.*

3. Pilularum Iliacarum Rhaſis in victu moleſtiſſimo ſingularem facultatem, valdeque mirificam compertam habemus. Hiſpano cuidam militi adeo moleſtus ac difficilis erat aſſiduus ructus, vt in extremis verſari videretur, cum ad eum vocarer. Vſus fuerat admodum multis remediis, ſed fruſtra omnibus: nec quicquam per hæc profecerat, niſi quod vires eius inſigniter forent deiectæ. Huic initio exhibuimus pilulam vnam decem granorum pondere, per quam vitioſis ac fœtidis humoribus nonnullis expurgatis, melius habere videbatur: poſtea paucis diebus interpoſitis data, ana. xv. tertio vero ℈ j. quo aſſumpto, & expurgatione prauorum humorum ſuccedente, qui antea lecto affixus veluti moriturus iacuerat, ſurrexit & quocunque libuit, ambulauit, & cibum potumque cum appetentia ſumpſit. *Rodoneus.*

DE NAVSEA ET VOMITV.

DE CIBORVM VOMITV.

OBSERVATIO.

Fœmina cuiuſdam prodigioſus aſſumptorum ciborum quotidianus vomitus, periculoſiſſima ſymptomata inuehens, qui ſingulis ſeptimanis, bipartita, ſupra ſex vncias ſanguinis euacuatione, leuatus; ad octo menſes, citra valetudinis ægræ primariam offenſam, etiam plurium dierum aſitia interueniente, perdurauit.

VIDI caſum mirabilem hic Papiæ in fœmina quadam, qui adeo mirabilis eſt caſus, vt vix audeam eum narrare, propter quaſi incredulitatem communis credulitatis: ſed quia ego ſolus non vidi, imo pars maior Doctorum collegii Papiæ ſæpius vidit, breuius narrabo Hiſtoriam. Durauit iſta mulier tribus annis, & iam adhuc viuit, quæ ſemper cum ſumebat cibum, etſi delectiſſimum cuiuſcunque ordinis cibi, infra octauam vnius horæ cum maxima anxietate ſtomachi euomebat cibum cum modica portione humorum aquoſorum, & totum: ita quod maior multo erat quantitas eius quod euomebatur ſemper, quam quod ſumebatur: poſtea ſtabat anxiata cū dolore clamoſo & æſtuoſo circa ſtomachum, ita vt eſſet expediens eam impetuoſe ſe mouere, quaſi vt furioſa vel phrenetica eſſet: & aliquoties ſyncopizabat, iacens vt mortua per mediam horam & vltra, neque aliunde diuerſiones factæ iuuabant ſufficienter, tandem poſt 4. vel 5. horas vltra alleuiabatur, ſed ordinata ſibi phlebotomia & facta de vnc. vj ſanguinis de communi dextri lateris, alleuiabatur quo ad hæc accidentia: ita (quod quantumque vomitus ſemper fieret poſt cibum vt dictum eſt: accidentia tamen de diſtortionibus ſtomachi & reliqua minuebantur, & quo ad intentionem eorum, & quo ad tempus durationis, vnde fuit expediens quod ſingula hebdomada phlebotomaretur, & non ſufficiebat phlebotomia ij. vel iij. vnciarum, ad iuuamentum inducendum: imo expediebat extrahi, vt dictum eſt vſque ad vj. vel vij. poſtea in tantum inualuit ægritudo, quod fuit expediens iudicio infirmæ & cuiuſdam Medici conſentientis, licet ego non ſenſerim, vt bis in hebdomade phlebotomaretur: & ita continuauit per ſex vel octo menſes tantam quantitatem ſanguinis extrahendo pro vice, & continue cibum euomendo: alias videbatur ſtare in continuis accidentibus poſt cibum, de quibus dictum eſt. Tandem quod amplius mihi narrauit Domina alia præſente infirma, & ita barbitonſor ſacro mihi fidem fecit: quod etiam per duos menſes continuos phlebotomauit eam tribus diebus in hebdomada, vt alternatim ſingulis diebus ſemper extrahendo ad quantitatem ſanguinis vij. vel viij. vnciarum pro ſingula vice, & quod amplius eſt, vixit xvij. diebus abſque omni cibo & potu, præterquam ſumendo modicum vini vernacini ſingula die: poſtea ſtetit per 2. futuras x. dies vſque ad xxvij. ſimpliciter ſine cibo aliquo: verum eſt quod nunc vt dixit barbitonſor phlebotomatur de octo diebus in octo diebus, & tardando procedit; verum hoc videtur de mirabilibus naturæ, & de extraneationibus quæ contingunt in natura: de quibus dicit *Auer. 7. colliget, capit. de cura cancri*, quod ſicut in natura fiunt monſtra, ita & in medicina monſtruoſitates apparent de quibus multa refert *Rabbi Moy. part. 24. ſuorum Aphoriſm.* Sed mirabiliſſimum mihi videtur, quod iſta domina ſemper viſa fuerit eiuſdem bonæ habitudinis, & læta & iucunda, cum tamen nihil de cibo retineret ſaltem ſenſibile: & timuiſſem dici mendacem, neque Hiſtoriam narraſſem, niſi interueniſſet authoritas & potentia multorum præſtantiſſimorum doctorum, qui hunc caſum frequentiſſime viderunt. Et ex iuuamento huius phlebotomiæ in caſu non poſſum arguere niſi cauſam vomitus pro parte & nocumentorum pro maxima parte habuiſſe dependentiam ab euaporatione facta à toto ad os ſtomachi propter commotionem contingentem in maſſa humorali ex nocumento primum concomitato ſtomacho ex vomitu. *Matth. de Gradi, c. 5. part. 2. Practica.*

Anno ſalutis poſt virginis partum 1511. ego Martinus Stainpeiſſ, artium & Medicinæ Profeſſor, in veritate quaſi conſimilem caſum habui, caſui ſupra dicto, etiam in quadam honeſtiſſima fœmina in Vienna ciuitate; tamen poſt multa remedia, nullum ita efficax fuit, ſicut balneum ſulphureum thermarum, quod huic adductum fuit, de thermis, in quo ſe dicta fœmina certis diebus ad 70. horas balneauit, & ſic releuata fuit, & ſi in balneo ſulphureo vero dicta fœmina ſtetiſſet, credo citius illi profuiſſet. *Martinus Stainpeiſſ, lib. 7. cauſa, 36. libri de modo ſtudendi in Medicina.*

Religioſæ Virgini, cum eſſem Patauii, Hercules Saxonia nauauit operam, quæ iam annis triginta vel quadraginta aſſidua vomendi violentia exagitata, nunquam deglutit tantillū panis, aliuſue cibi, quin mox idem prout aſſumpſit reiiciat: nullo corporis, aut faciei damno vt mirum ſit, vnde, cum nil retineat, ſibi victum paret. *A Clariſſ. Viro Iacobo Zvvingero communicatum.*

DE SANGVINIS VOMITV.

OBSERVATIO.

Sanguinis vomitus ex quibus venis proficiſcatur: tum quantum ſanguinis in corpore humano.

HIppocrates *libr. 5. Aphoriſm. 31.* author eſt, quibus cum vomitu ſanguis reiicitur, his ex ventriculo educitur: modum alias, vt ſuccurrebat, docui: ſed nunc diligentius. Quærere enim quis poſſet, quonam pacto, poſtquam in duodenum tranſierit, erumpat magis per ſuperiora, quam inferiora, cum grauis ſit? Et cur non potius etiam per alia inteſtina deſcendat, & præcipue cum videamus excedere quantitatem cc. vnciarum? vt in ſacra virgine quæ mortua eſt? & ccc. vt in principe muliere de qua Braſauolus? Dico ergo quod primum ex arteria magna, quæ gulæ incumbit, exeſa, id accidere poterit: Et tūc nulla quātitas admirationi eſſe poteſt. Quod ſi modo ex ventriculo prodeat, contingit iecore ad

ventri-

ventriculum per ſtelechiam tranſmittente, ſeu per duodenum, ſeu per venas, vt ſit compoſitionis ratione. Cum venæ quæ ex eo prodeunt in imum ventriculi penetrant in ſecundam tunicam, & tunc ex impetu ſanguinis excretio. *Cardanus De cauſ. ſing. ac loc. morb. num. 60.*

OBSERVATIO.

Sanguinis vomitus aliquibus ſtato tempore innoxius: ſenibus etiam aliquando ſalutaris.

SAnguinis profluuium per os ſtato tempore accidiſſe Macrino V·.co, viro prætorio, & omnibus annis Voluſio Saturnio vrbis præfecto, qui nonageſimum etiam exceſſit annum, tradit *Plin. lib. 11. ca. 38. Nat. Hiſt.*

Quod ſi ſanguinis vomitus accidat in corporibus ſenum vtriuſque ſexus, profecto admiratione non caret. Nam in monaſterio Noricorum, prope oppidum nouum, cui nomen ſeltge Pfort/ cum Abbatiſſa, quæ 58. annum exceſſerat, tuſſiret, & circa hypochondria quotannis dolore citra febrem corriperetur, ſpontaneo copioſo ſanguinis vomitu à morbo liberatur. Ciuis quoque Heidelbergenſis, pyrobolorum magiſter, fere ſeptuagenarius, cum magnis circa præcordia torminibus diuelleretur, en repente noctu ſanguinis plus quam libram euomuit, & conualuit. Niſi cauſam ſanguinis in corporibus ſenum redundantis in crapulam & otium referre licebit, cuius copiam, natura viribus effœta, in alimoniam corporis, cuius augmentum naturaliter deſiit, tranſmutare non poſſit; neceſſe eſt vt eam vomitu aut alia quauis ratione expellat. *Langius Epiſtola 40. Tom. 2.*

OBSERVATIO.

Vomitus ſanguineus periodicus per annos 20. in quadam nobili fœmina.

NObilis quædam fœmina ſanguinea, carnoſa, iam per 20. annos tam in coniugio, quam modo vidua, aliquoties in anno laborat ſine omni moleſtia vomitu copioſiſſimo ſanguinis, quamuis menſes quoque legitime procedant. Quamprimum vero vomitus iſte vel per ſe vel à medicamentis impediatur, male ſe habet, & magnam laſſitudinem totius corporis ſentit. Mirum quoque hoc eſt, quod ex venæ ſectione, qua interdum vtitur, vomitus iſte non fuerit reſtinctus. Monui itaque vt naturæ curſum non impediret, & inprimis rectæ rationi victus operam daret, aliis validioribus medicamentis omiſſis. Vnde iam in annum ætatis 48. ſatis commode, Dei beneficio, viuit.

Fœminam aliam ſe noſſe Excellentiſſimus Victor Trincauella, olim præceptor meus in Italia p. m. mihi retulit, quæ ſuppreſſis menſibus vomitum eorum loco ſanguineum ſemper habuerit, ſine omni moleſta. *Cardanus in Aphoriſm. 21. libro quarto,* dicit plures fœminas, paucos antem viros hoc pacto ſine periculo euaſiſſe. Ac refert ſe vidiſſe matrem cuiuſdam Florii in Saccenſi oppido, iam annis ab hinc 36. quæ huiuſmodi vtens vomitu, nonageſimum ſextum annum exceſſerit. *De Obſeruat. C L. V. Ioachimi Camerarii.*

OBSERVATIO.

Viginti ſex libras ſanguinis per diem naturalem vomens, quomodo percuratus.

QVIDAM profudit per os intra diem & noctem lib. 26. modo ſang. coag. liuidi, modo nigerrimi: q. curatus eſt, ſubducta ratione victus, quiete & ſolutis ouorum vitellis. Item cibis odoratis, ſine medicamentis ſolum clyſtere. *Solenander Sect. v. Conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Sanguinis vomitus, Iecinoris, Lienis, & Vteri vitio nati, Hiſtoriæ raræ.

GAlenus lib. 5. cap. 5. de loc. affect. ſanguinem è iecinore aut liene quandoque per ventriculum vomitione reiici teſtatur. Contingit autem non modo iecinore aut liene male affectis, ſed & menſibus ſuppreſſis ſæpenumero hoc modo expurgari. A quocunque autem viſcere, ſiue qua parte in ventriculum influat, ſemper cum moleſtia, violentia, magna virium proſtratione, ac λειποθυμίᾳ euacuatur: ſic vt nulla ſanguinis detrahendi (quod nonnulli præcipiunt) occaſio relinquatur. Diuerſiones, veluti brachiorum ac crurum frictiones adhiberi poſſunt; ſed vnice laborandum, vt vires conſeruentur, & lapſæ reparentur, nam frequenter in ipſa vomitione, & citiſſime quidem æger deficit: præſertim ſi ex iecinore efferatur: veluti cuidam accidit, qui poſtquã longo tempore ex iecinore male habuiſſet, ſanguinis violenta ſuperueniente vomitione, mox ſublatus eſt. Quibus vero ex Liene ſanguis funditur, raro in prima vomitione deficiunt; ſed vel recurrente, ac ſubinde ſæpius, vomitione: vel ex aſcite pereunt, qui huiuſcemodi ſanguinis vacuationem, præſertim frequentius ſuperuenientem, ſubſequitur. Ab hac autem neminem ſeruatum noui mus. Mulier quidem quædam, quæ poſt frequentes vomitiones in aſcytem inciderat, ſanitati reſtituta videbatur, & ab aquoſo humore liberata, ſed ſuperueniente paulo poſt denuo ſanguinis vomitione extincta eſt. Viro quoque cuidam, qui à frequenti vomitu ſanguinis Aſciticus factus fuerat, per prominentem vmbilicum laneo filo ſiue licio tranſmiſſo, aquoſus humor ſenſim effluxerat, ſed nihilominus non multo poſt mortuus eſt. Huius Lien ſanguini concreto ſimilis, ſubſtantiæ ſoliditatem haud retinens, facile in partes ſoluebatur. Quandoque ſiquidem cum venter amplius diſtendi nequit, vmbilicus foras erumpit, & in tumorem attollitur, aquoſo diſtentus ac repletus humore: quod Græci ὑδρόμφαλον appellant. Et tunc quidem per hunc laneo filo tranſmiſſo, vel etiam eodem ſcalpello aperto, humor effluit, nullo ſubſequente fructu alio, quam quod æger à diſtentione ventris pauco tempore liberetur. Prius enim quam vmbilicus erumpit, iam interna viſcera corrupta ac putrida ſunt: proinde ſanitas nec exſpectari nec ſperari poteſt. Nam vt *Hip. Prorrheticon. lib. 2.* Eum, qui ab hydrope, ſiue aqua intercutem correptus eſt, & ſuperſtes eſſe volet, bonis viſceribus præditum eſſe oportet. Mulieres autem & virgines quibus ſuppreſſi mẽſes, minus à ſanguinis vomitione periclitantur, neq; enim viſcera harum corrupta ſunt, & ſuperueniens menſtrua purgatio ab omni periculo eas vindicat. *Dodonæus c. 26. Obſ. Medicinal.*

Sangui-

Sanguinem vomitione ex tribus interioris corporis locis reiectum ſcripſimus: ex iecinore videlicet, liene, ac ex vtero. Perquam raro autem ex iecinore profundi contingit. Cui autem ex hoc profuſus fuit, vini potatione delectabatur: cito tamen & inde offendebatur. Crebro poſt largiorem vini potationem calorem per vniuerſum corpus ſentiebat veluti febrilem: aderat ſitis, linguæ ariditas, vrinæ rubedo, & ſubinde in dextro hypochondrio quidam dolor. Supercalefactus mox remediis quibuſdam ſibi familiaribus vtebatur, vt Zulapio ex aquis cichorii, intybi, acetoſæ, cum ſerapio ex cichorio, ex intybo: quo cum ſæpe reſtitutus ſibi videretur, tandem poſt languorem quendam, corporiſque deprauatum & ad citrinum luteum inclinantem colorem, ſanguinis vomitione copioſa correptus, deſecit.

Ex liene ſanguinem vomitione reiicientes, multos cognouimus: pallentes hi fuere, & ſæpenumero in ſiniſtro horum hypochôdrio tumidus ſplen manifeſte ſentiebatur, ſed ante vomitionem. Nam à vomitione exonerato iam ſplene ſubſederat tumor, nec deprehendi poterat. Plerique horum tertia aut quarta vomitione vel etiam frequentiore (multis inter ſingulas menſibus vt plurimum intermediis) perierunt: alii poſt crebras vomitiones in aſciten lapſi, tandem & mortui ſunt. Vnum aut alterum noſtro conſilio poſt vnicam vomitionem ſeruatû meminimus: & quidem frequenti abſynthii quoquo modo vſu, vt *in noſtris ſtirpium hiſtoriis cap. de abſynthio* videre eſt.

Ab vtero vero ſuppreſſis menſibus raro item ſanguinis vomitio ſuperuenit. Virgini vero cuidam accidiſſe mihi obſeruatum: quæ in ipſa vomitione grauiter laborauit: poſtea vero idoneis adhibitis remediis, & ſanguine ex interiore vena prope talum detracto; cum menſtrua purgatio ſucceſſiſſet, bene ſe habuit, quod & *Aphoriſ. 34. Sect. 5. Hippoc.* docet: Mulierem ſanguinem euomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio. *Idem in Scholiis ad cap. prædictum.*

Observatio.

Vomitu ſanguineo annuatim detenta matrona præſertim tempore menſium valide aſtringentibus vſa, arthritidem & grauem cephalalgia incurrit.

NObiliſſ. Fœmina plethorica & obeſa, ſæpe quotannis vomitu fuit correpta ſanguineo, copioſo, ſine virium debilitate, idque fere ſemper tempore menſium, qui vel parciſſ. tum fluxere vel plane ceſſarunt. Suaſi vt nonnunquam ſapphenam aperiret, & vteretur moderate ducentibus menſes. Sed ab aliis perſuaſa, omiſſis iam commemoratis remediis, validis aſtringentibus adhibitis, vomitum quidem iſtum compeſcuit, ſed paulo poſt in morbum arthriticum & graues dolores capitis incidit, vt nunc etiam annoſa ſemper lecto ſit affixa, & fruſtra ſæpe conqueratur, quod recte monenti non obtemperauerit. *De Ioachimi Camerarii Norimb. Med. Exemplis.*

Observatio.

Cuidam poſt ſanguinis vomitum & deiectionem crebram, tandem ventriculus & inteſtina ſanguine referta mortem attulerunt.

CARDINALI Cibo vena, quæ à liene ad os ventriculi tendit, inſignis erat magnitudinis: quæ cum primum ob anaſtomoſin vel fracturam reſerata eſt, ilico ventriculus ſanguine repletus fuit, & non modo ventriculus, ſed inteſtina omnia: licet dum adhuc viueret, in morbo ipſo libras aliquot, tum per vomitum reieciſſet, tum per ſeceſſum deieciſſet. Quam ſectionem dum ego ſumma diligentia peragerem, ob ſubiecti dignitatem, & ob morbi raritatem, aderat Excellétiſſimus Antonius Muſa Braſauolus Ferrarienſis, quem honoris gratia nomino. *Columb. lib. 15. Anat.*

Observatio.

Creberrimis vomitionibus, torminibus, ventriculi tumore, tabe totius corporis, & facie flaueſcente affectus quidam: tandem ſanguinis & materia nigerrimæ quotidie ad dimidiam menſuram vomitu correptus. Accedente vero Iſchuria, cum alui adſtrictione, & Leipothymia, ventris tumor ſubſecutus, quem mors excepit. Diſſecto corpore, in abdominis capacitate magna copia aquæ nigræ inuenta: hepar vtrinque ventriculo adnatum viſum. In pectoris cauitate plurimum aquæ rubentis deprehenſum.

SARTOR quidam noſtras, annorum circiter 30. cum ab anno ætatis ſuæ 12. ſemper fere valetudinarius fuiſſet, per certa interualla vomitionibus bilioſis diuexatus, torminibus, (ita vt colicum dolorem non ſolum ego, ſed & alii exiſtimarent,) conſtipatione alui ſumma, dolore ventriculi, præſertim poſt aſſumptum cibum, (valde enim vorax erat,) corpore macilento, facie vt plurimum flaueſcente. Plurimorum conſilio vſus, meo etiam per annos circiter tres, qui me monente Anno 83. ad thermas Plumbarias ſe contulit, poſt quarum vſum pene per annum commode habuit. Menſibus tribus ante mortem ſanguinem purum copioſiſſimum per vomitum reiecit: dein rurſus conſuetis torminib. correptus, accedente vomitu materiæ nigræ, vt qui per multos dies reiecit, ſingulo mane ad dimidiam menſuram, & tantundem veſperi aquæ nigerrimæ. Iſchuria etiam poſtremo morbo laborauit: aluus cum potenter eſſet conſtipata, clyſteriis ipſum vti volui, qui ſimilem materiam eduxere: frequentibus etiam Leipothymiis diuexabatur. Vomitu remittente, ſenſim venter intumeſcere cœpit, plus minus diebus octo ante mortem. Poſt mortem à me apertus fuit præſentibus aliquot Dominis Doctoribus Medicinæ ſtudioſis plurimis, pharmacopœo, aliiſque Senatorii Ordinis Viris. Inter quos fuere. D. D. Scherbius, & D. D. Hermannus Hagius. Abdomine ergo aperto, copioſa aqua nigra in ipſius capacitate reperta, ſimilis ei, quæ per vomitum fuerat reiecta. Hepatis maioris lobi dextri, forte ſexta pars, in ipſo erat ventriculo, ita vt ſuperior & exterior ventriculi pars, Hepati exrrinſecus eſſet adnata: ſic etiam inferior & poſterior ventriculi pars, quæ dorſum ſpectat, ipſi Hepati accreuerat; ita vt Hepatis ea pars ad latitudinem duorum circiter digitorum in ipſo ventriculo eſſet, & à duabus ventriculi partibus contineretur: ſuperior tamen ventriculi pars à naturali ſtatu nô receſſerat, nec adeo firmiter hepati adhærebat: ſed inferior ab ipſo hepatis parenchimate, abſq; hepatis dilaceratione ſeparari nô potuit.

Hepatis

Hepatis vero pars ea, quæ à ventriculo contineba-tur, foueam quandam acquiſiuerat, ita vt ſubſtantia ea hepatis cartilaginis inſtar dura fuerit. In ipſo autem ventriculo continebatur ad menſuram vnam materia nigerrima pultis inſtar Hepatis reliqua pars ſatis commode habebat, ſplen item, reliquaque viſcera in abdomine contenta ſana erant. In thorace ipſius magnam aquæ rubentis copiam reperi. Accidit Anno 1585. Nouemb. menſe. Credo ego naturalem fuiſſe illam accretionem, & in vtero materno acquiſitam. Mater enim ipſius, dum vtero geſtaret, corpore ſemper inclinato ſedit, netricis munere fungens. CL. V. *Gaſpar Bauhinus de obſeruationibus pro-prijs.*

HVMORVM VARIORVM VOMITVS.

OBSERVATIO.

Quidam ſingulis menſibus biduum bilem vtranque & pituitam vomere ſolitus, vitam ad multos annos pro-duxit.

Noui Antonium à Fonſeca Epiſcopum Pampinolenſem, virum virtute, ſapientia, & genere illuſtrem, qui ſingulis menſibus duobus fere diebus vomebat ſponte, primum bilem flauam, deinde pituitam, deinde bilem atram ſine mora, neque interdum quidpiam eſitabat aut bibebat: atque cum ipſe alias non integra ſanitate frueretur, liber à morborũ periculis longo tempore euaſit, nunc quoq; ſuperſtes manet, viginti quinq; annis iam elapſis. *Chriſt. à Vega Lib. 2. ſect. 5. cap. 3. De Arte Medendi.*

OBSERVATIO.

Menſtruus porracea bilis vomitus.

Vidimus mulierem, inter exempla, menſis vnius interuallo, ſingulis diebus mirã porraceæ choleræ quantitatem euomentem, & conualuiſſe. *Alex. Benedictus lib. 13. cap. 23. de medend. morb.*

OBSERVATIO.

Vomitionis porraceæ & æruginoſæ bilis pernicioſiſſimæ, hiſtoriæ duæ.

Nobilis Domina de Poſiaco in febre tertiana continua, à qua Dei auxilio, & operula noſtroque conſilio perſanata fuit, frequentes & copioſas humoris non modo porracei, ſed etiam æruginoſi vomitiones reiiciebat, adeo calidas & feruentes, vt illæ in lancibus receptæ ebullire viderentur.

Inſuper anno à Chriſto nato 1542. Henricus tunc Delphinus, qui nunc Auguſtus Galliarum Rex eſt, & totius orbis imperio digniſſimus, Lugduni cholera morbo correptus; æruginoſos humores tam acres erodenteſque euomuit ac deiecit, vt peluuia ac pelues argenteæ, quibus excipiebantur, variis coloribus, videlicet luteo, cyaneo, ſed præcipue floridiſſima ærugine apparerent infectæ: quos colores nulla potuit lotio delere, nec vlla fortis ceſſare fricatio. *Montuus lib. 4. cap. 7. Haloſ. febr.*

OBSERVATIO.

Vomitus mire bilioſus in acuta febre criticus.

Vidimus hiſce diebus nobilem, cui quinq; dieb. primum æruginoſæ bilis, deinde flauæ magna copia excreta eſt, tum per vomitũ, tum per deiectionem, cũ motu conuulſiuo & dentiũ ſtridore in acuta febre, q̃ tamen ſeptimo iudicatus eſt per ſudorem copioſum. *Iacotius Comm. ad Coac. Hip. pag. 28.*

OBSERVATIO.

Vehemens ſtomachi dolor vomitu liquoris acetoſi leuatus.

Quidam mane aſſumto cibo, poſt decimam horam, dolore ſtomachi vehementi cum cruciaretur, liquorem aceto ſimilem, tellure ebullientem ſpumantemq; euomebat, id enim ex frigore conſpicati ſunt Medici: meroq; Cretenſi, aut Rhetico Punicove hauſto, ſanatus eſt. Interea calida fomenta ſtomacho impoſita ſunt, ac theriaca languenti ſtomacho profuit, iis eſculẽta in patella, ſi frigus, aptiora morbo ſunt: fumida enim fiunt, ſed paulum acrimoniẹ addes, tum ſtomachum inualidum languentemq; firmabis *Benedict. lib. 12. c. 9. de medend. morb.*

OBSERVATIO.

Bilis atra & corrupta vltra duas menſuras (boccaliã vulgo dicta) vomitione reijciens, liberatur.

Qvos vomitu à materia atrã atque corrupta liberatos vidi, fuit mercator Bononienſis nomine Ludouicus della ratta, qui multoties omnium doctorum, inprimis vero Doctoris Camilli Franchini vel Montagnani, viri in re medica magni, maioris vero expectationis niſi immatura morte præuentus conceſſiſſet fatõ, admiratione, vltra duas vini menſuras, boccalia vocatas, bilis atræ ac acidæ, maximo ſanitatis emolumento euomuit, quæ, vt ex certis cõiecturis patuit, in ventriculo minime accumulata fuerat. *Coiter in Libell. Obſeruationibus Anatom. & Chirurg.*

OBSERVATIO.

Plagis & contuſione vxor à marito male mulctata, internam vaſorum diruptionem incurrit; vnde ſtata per ſingulas hebdomadas aterrimi ſanguinis vomitio conſecuta, mulierque ſibi bene habere, & cibum auerſari compertum.

Mulier in hoſpitali noſtro, circiter annos 35. nata quæ ciui cuidam Conſtantienſi nupta erat. Antequam nuptiæ celebrarentur, maritus eandem odio quodam (vt ita loquar) nouercali, neſcio ob quod delictum, proſequi cœpit, ita vt illam humi proſterneret, ac pedibus eam impeteret, & tandem quaſi ſemimortuam reliquit & aufugit. Ex eo tempore mulier iſta ſingulis octo diebus, velut certo & ſtato tempore, adeoque inſtar paroxyſmorum ſanguinem aterrimum ſummo cum dolore euomuit; poſtea itidem ſe bene habuit, cibum attamen non appetit. Quod in eiuſmodi vaſorum ruptione nec ſcriptum legi, necantea oculis vidi contigiſſe. *Geſneri obſeruatio per Caſparum Wolphium communicata.*

OBSERVATIO.

Moniali cuidam, quatuor annis continuis corruptorum humorum vomitus cum alui adſtrictione, nihil proficientibus remedijs, lethalis tandem fuit.

Hiſtoriam afferimus mulieris vrbis noſtræ nobilis Deo dicatæ, hæc in quinquageſimo & vltra ſuæ ætatis anno conſtituta, dum recte valeret, & monaſticæ obſeruantiæ rite incumberet, derepente à cibo quotidie horis ſex, vel ſeptem ſine moleſtia vo-

mitu corripiebatur, & alui adſtrictione ingenti pariter detinebatur: erant vero quæ per ſuperna excernebantur veluti corrupta, lenia, & ſeroſa, dupla quantitate potus & cibi antea ingeſti, nec vehementia, nec leuia medicamenta alui adſtrictionem adimere, vel tantillum ſucci aut ſtercoris educere poterant, nec epota aut deuorata medicamenta tormina, aut noxam aliquam viſceribus ſenſibilem inferebant, verum ſponte ſua aluus nonnunquam, vel clyſtere aliquando excitatus, & orbiculares fæces egerebat, & quatuor annis continuis, & vltra cum hac inſolita & verenda in diſpoſitione perſeuerauit. Illius curæ incubuit Antonius Capriana, aliique vrbis noſtræ ſeniores Medici, qui in caſſum variis excogitatis præſidiis, affectionem illam tollere tentarunt: ex quo tandem, febre corpore emaciato, ex hoc ſeculo migrauit. Verum, cum nos illam non tractauerimus, nec à Medicis qui illam inuiſere quicquam de cauſis acceperimus, quod dicamus non habemus. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 3.*

DIVTVRNAE VOMITIONES.

OBSERVATIO.

De diuturnis vomitionibus, obſeruationes vtiles.

QVia magis quidam fide videri poſſit hominem in continuis multorum annorum vomitionibus perdurare viuum poſſe, non abs re erit quædam de eo experimenta proponere, quæ rem alioquin non ſatis veriſimilem confirment. Ciuis quidam fuit Hamelburgi, quod ditionis Fuldanæ oppidum eſt, qui ipſe mihi retulit, ſe per totum ſeptennium nullo die à vomendi moleſtia vacuum fuiſſe.

Ac in alio oppido Heydecio, quod nunc ad Illuſtriſſimum Palatinum Neoburgenſem ſpectat, oblatus eſt mihi ante decem annos quidam eius loci Senator Engelbertus Ramsbeckius, qui conqueſtus eſt, ſe per integrum quadriennium vomitiones quotidianas ferme paſſum eſſe, ob quem affectum ad aridiorem corporis habitum deuenerat. Hanc igitur materiam in ſtomacho contentam, deorſum per clyſteres primo deriuando, deinde eiuſdē reliquias per purgationes ſuperius adhibitas, eaſque moderatiores, euacuando, ſtomachumque conuenientibus remediis confortãdo, mediocri ſanitati, qua & iamdudum fruitur, reſtituimus.

Aduectus etiam fuit non ita pridem ad me, à pago nobis proximo, ruſticus quidam, qui continuis decem ſeptimanis, durãte obſtructione alui, omnia ingeſta alimenta, tum etiam potum, humores, tandem etiam excrementa, ſuperius per os reiecerat. Quem tamen non ſine proteſtatione de cura ancipiti medicandum ſuſcepimus, cum domeſtici conſilium obnixe expeterent. Huic igitur cum clyſteres exhibuiſſem, reſtricta fuit vomitio, & multa putrida excrementoſa per eoſdem educta. Poſtea cum præbuiſſem potionem per os purgantem, fuit eo die ſatis bene inferius purgatus. Subſequenti vero die cum denuo ſimilem potionem ſumſiſſet, eandem tranſacta hora fere vomitu denuo reiecit. Poſtea repetito vomitu excrementa putrida eaque male olentia etiam expulit. Huic vomitui & alius ſucceſſit, quo aquæ impuræ circiter libras ſex eiectæ ſunt, magna adſtantium admiratione. Cum vero is pluribus auxiliis vſurpandis obſequium ſuum recuſaret, ac ad ſuos redire cuperet, nolui in re tam deſperata plura remedia fruſtra tentare, præſertim ipſo ægro repugnante. Itaque tantum confortantibus quibuſdam præſcriptis ipſum à me rurſum dimiſi.

Porro eodem fere tempore fæmina quædam ex Bilengriſio, oppido ditionis Eichſtadianæ, ad me etiam aduecta eſt. Quæ cum ſimili ratione per quinque integras ſeptimanas ne ſemel quidem excreuiſſet, & frequentes paſſa eſſet vomitiones, cum præſentibus torminibus ventris, iamque morbus ad paralyſin non obſcure tenderet, tamen clyſteribus primo, & poſtea conuenientibus purgationibus, cum moderatis aperientibus primarum venarum mixtis, ſanitati reſtituta eſt, & iamdum bene ſe habet. Sunt quidem hæc exempla rariora, cum plerique in tanta aſſiduitate vomitionum vel tabe pereant, vel ſyncope exoluantur, vel præſente magna alui obſtructione epilepſia aut paralyſi correpti, plerunq; pereant. CL. V. *Iacob Oethaus, lib. obſ. propriarum.*

VARIARVM MONSTROSARVMQVE *rerum vomitus.*

OBSERVATIO.

Clyſteres vomitione in Colicis reiecti.

REiectos Clyſteres vomitione fuiſſe interdum, ſcriptum à *Galeno* inuenitur *in libris de ſymtomatum cauſis*; vidique ipſe in Colicis doloribus, non quidem ex iniectionis vehementia, aut vi vlla protruſos eo, ſed excretrice facultate irritata, præter naturam, caſuque interdum aliquo, ab inferioribus ad ſuperiora inteſtinorum conuertente ſe, propellenteque ociſſime quandoque ſurſum verſus, quicquid noxii perſenſerit: vt ventris ſæpe flatum per crepitum non emiſſum: vt hos ipſos, de quibus nunc eſt ſermo, clyſteres non tam ſæpe, aliquando tamen. *Alexandrinus Annotat. ad cap. 17. libr. 13. Therapeut. meth. Gal.*

Mulier quædam nobilis colicis doloribus, & Ciuis cuiuſdam vxor laborans, & per interualla cum iucundo riſu delirans, duo Enemata per inferiora iniecta, vomitu, per ſuperiora me aſſiſtente reiecerunt. *De exemplis Viri Clariſſimi Ioann. Franci Hildeſii, Scholzio tranſmittente.*

Obſeruatum quoſdam clyſteria euomuiſſe per os. *Solenander in Conſ. Med. Sect. v. Conſ. 16.*

Vomitus ſtercoris exempla *titulus de Ano & Excrementis* alieno loco redditis referuntur.

OBSERVATIO.

Ex tenuioris inteſtini morbo puella clyſteres, glandes, alui excrementa, monſtroſa ventriculi vi attractrice, vomitu reijciens, miraculoſe curatur.

A *Ioanne Matthæo à Gradi in vaſtis illis ſuis ad Almanſorem commentarijs, cap. de vomitu* pro monſtroſo adducitur: Vidiſſe ſe puellam quandam, atque ſanaſſe, cui ex inteſtini tenuioris affectu & clyſteres omnes, & alui excrementa ſurſum vomitu educerentur. Quæ cum omnia iam pene ad deplorationem vrgerent, & curãdæ iuuenculæ, vel nulla omnino, vel exigua eſſet relicta ſpes, nihil nõ prçſidiorum

in

in eam rem non expertum atq; tentatum. Cumque in morbi leuationem glandes &acutę valde & bene magnæ ano ſubderentur, (quo ſcilicet vis illa attractrix retunderetur, & acri balani vi deorſum excrementa ferrerentur) mox impetu facto ſurſum & ferebantur, & vomitu pellebantur. Quæ cum medici maxime mirarentur, filis etiam fortiſſimis, præfatas glandes femori ægrotantis nectentes fore putabant, vt ſic melius cōtinerentur. Sed poſt paululum temporis abruptis filis, vique maxima facta ſurſum perlatæ ſunt. Tumque longiſſimam glandem parare iubentes, manu fortiſſima & bene valida contineri imperarunt: erat autem, quæ glandem continebat, puellæ mater: quæ cum & ipſa à medicis percuntaretur, ecquid ipſa in filia fieri ſenſiſſet, reſpondit, tantum, namque validum fieri glandis attractum, vt manu etiam, quę glandem continebat, vim inferri maximam perſentiſceret, talem certe vt niſi glandem propere ſummouiſſet, etiam ad ventriculum reliquarum more repſiſſet. Hunc vero monſtroſum rarumque euentu affectum, pinguibus & iurulentis curaſſe ſe idem author teſtatur, quod hiſce rebus ſoleat attractoria facultas obtundi prorſusque infirmari, quo maxime in præfato affectu curando opus erat. *Valleriola Comm. ad cap. 2. lib. 6. de cauſ. ſymt. Galeni.*

Observatio.

In teneſmo ſuppoſitorium vomitu reiectum.

Rem mirandam quæſo audi, quam mihi ille artium & medicinæ doctor ſubtiliſſimus, olim magiſter meus, Philippus Mediolanenſis narrauit: Suppoſitoriū opiatum his elapſis diebus cuidam teneſmonizanti imponi iuſſit: quæ poſtea per horas quatuor continue quieuit, quo in tempore ſuppoſitorium illud filo appenſum euanuit: hinc vero ad duos dies tam horribilem ſaporem patiens in ore percipiebat, vt aſſumere cibum non poſſet: propter quod ipſe magiſter Philippus vomitum prouocauit, & tunc patiens ſuppoſitorium illud filo appenſum euomuit. Certe niſi mihi vir tantus enarraſſet hoc, vix fidem dediſſem. *Guaynerius, cap. 2. Tract. 5. Practica.*

Observatio.

Inteſtinorum motus expulſiuus euerſus.

Tantas interdum incidere alui obſtructiones, vt inuerſo motu naturæ, nulla excrementa deorſum, ſed omnia ſurſum vergant, obſeruatum eſt à veteribus, & præſertim à Matthæo Gradio olim practico medico excellenti; cum ſcribit ſe quandam puellā vidiſſe, quæ potiones purgantes, item aſſumptos clyſteres, & glandes ſuppoſitos etiam filis femorib. alligatos, ſuperius per os reiiceret. Simile & nos obſeruauimus in quadam fœmina vxore cuiuſdam fabri ferrarii Fuldani, quæ in puerperio cum obſtructione alui vehementi laboraret, ex conſilio muliercularum portionem candelæ ſebaceæ ſatis longam ano ſuppoſuiſſet, eandē, poſtero die, nulla ſequente obſtructionis ſolutione, per vomitum reddidit, magna ex parte integram, & minime diſſolutam. CL. V. *Iacob. Oethaus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Fruſtum carneum, coloris albi, duriſſimum, laborioſiſſimo vomitu depulſum.

Delphis puellam monialem in curatione habui, quæ cum diris doloribus per integrum annum afficeretur, ſe tandē præ anguſtia circa ventriculum mori exclamabat, ac niſi in vomitum prorumpere poſſet, ſe morituram vociferabatur. quare medicamentum vomitorium cum adhibuiſſem, fruſtum carneum magnum albo colore, albuminis oui inſtar, magno conatu reiecit, ita congelatum ac induratum, vt cultello acutiſſimo vix diuidi poſſet; & ab omni dolore ſtatim liberata, deinde ſana vixit. *Foreſtus lib. 18. Schol. ad Obſeruat. 19.*

Observatio.

Fruſta carnea per vomitum & ſeceſſum expulſa.

Qvædam profluuia fruſtorum carneorum paſſæ ſunt, per vomitum vna, ſeceſſum altera, idque per multos dies: erant autem fibroſæ carnes, & quæ tranſuerſam & in longum ſectionē paterentur, conualuerun tque: ſed rara hęc faciliorem habent, quam cauſam, admirationem. *Thom. à Veiga ad cap. 5. libr. 1. Galen. de loc. affect.*

Observatio.

Coagulata carniformis ſubſtantia latitudinis duorum pollicum, & longitudinis duorum digitorum, vomitu reiecta.

Vidi portionem carnis, longitudine duorum digitorum, latitudine duorum pollicum, vomitu reiectam. Illud iam per puerum habere non potui. V. CL. *Ioan. Fridericus Trauelman. de obſeruat. prop.*

Observatio.

Quædam poſt diutinos ventriculi dolores, pullum diſcerptum vomitu eiecit.

Qvædam non ita pridem, monſtroſo euentu, pullum membratim diuiſum euomuit, poſtquam de ſalute eius deſperatum eſſet, propter diutinos moleſtiſſimosque ventriculi cruciatus. *Thom. à Veiga, Comm. ad lib. 1. de loc. affect.*

Observatio.

Ouiformis globus, ex concreta pituita denſatus, vomitu reiectus.

Illuſtriſſima matrona me pręſente euomuit multa pituitoſa, vna etiam globum quaſi phlegma congelatum, inſtar oui elixi validius vel duriuſcule, & putamine detracto, reiecit. Mirum videbatur, quo pacto abſque ſuffocationis diſcrimine gulam aſcendere & regurgitare potuerit. Eandem aſtante Regina Daniæ duabus tertianis in puerperio olim liberaui. CL. V. *Eſaias Meichſnerus de obſ. propriis.*

Observatio.

Globus pituitoſus, carniformis, in cuius centro, bruco ſimilis vermiculus deprehenſus, poſt ſæuiſſimos ventriculi cruciatus vomitu deturbatus.

Ivlianus Medicæ artis Profeſſor, dum grauiter ægrotaret, & aduenienti Medico, doloṙē, quo circa ventriculum miſerabiliter cruciabatur, exponeret, tangente illo (vt fit) ac manibus locum pertractante,

erupit in vomitum: quo & ipſe fruſtum carnis, ad paruæ pilæ magnitudinem, in quo vermis non ſecus ac brucus, in ſiliqua recludebatur, eiectans, ad priſtinam ſtatim reuerſus eſt valetudinem. *Beniuenius cap. 88. De Abditis.*

Nobilis quędam mulier Fanenſis, cum ſtomacho grauiſſime laboraret, plurimumque pituitæ eius ingeſſet, quam, quæ vitrea à Praxagora nūcupatur, euomuiſſet, veluti animo liqueretur, paulatim quaſi grauiore ſomno excitata, in moleſtiſſimum vomitum incidit. Quo cum diu agitaretur, durioris tandem pituitæ globum eiecit, quem aſſidentes quædam mulieres, cum veneficio affectam dicerent, ſuperueniens ipſe intueor omnia, fruſtumque veluti carnis aperio, in quo vermiculum brunco quā ſimilimum inuenio. Quo tandem eiecto, mulier conualuit. *Gabucinius Comm. de Lumbricis, cap. 13.*

OBSERVATIO.

Vermes per vomitum expulſi.

NOs lumbricum vidimus, qui palmi longitudinem nō excederet, rotundis in omnibus perſimilis, præterquam quod dorſum habebat lanuginoſum, ita vt pilos rubros imitaretur. Hic iuuenem quendam ad mortem vſque perduxerat: quem tamen pharmaco ad febrem tertianam notham, quà iuuenis corripiebatur, idoneò exhibito, vna cum pharmaco euomuit: atq; ita incolumis euaſit. *Idem citato loco.*

Anno 1553. in collegio D. Barbaræ, puer annos 12. natus interuallis vomere ſolebat longos vermes, albos, è ventriculo. Sentiebat motum, morſum & cōmotionem. Dum vrgebant, ſitiebat, angebatur. Nutritus fuerat lacte & fructibus. *Scholiographi ad cap. 54. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

Vermes in inteſtinis reperiri frequenter contingit, qui & quandoq; vomitu reiiciuntur: ſæpiſſime vero per inferiora deſcendunt. *Dodonæus in Annotat. ad cap. 77. Beniuenij, De Abditis.*

Cum anno 1557. relicto Monſpeſſulo Viganum me contuliſſem, eoque opera CL. V. D. Franc. Fontanoni ad illuſt. Dominum de Vileck, Baronem & agri Silenenſis gubernatorē eſſem promotus, vt quæ ieceram artis medicæ fundamenta, ad vſum accommodarem, vocatus ad ſartorem vicinum, caloribus febrilibus & inordinatis acceſſionibus mire æſtuantem, præſcripſi illi Syrup. de Limon. de Acetoſa, Citri, de Endiu. vt iis cum decocto hordei, vel ptiſana, tempore ſitis vteretur. Sub noctem deterius habuit, dolore ventriculi, caloribus, capitis grauedine, ſudoribus diaphoreticis, extremorum refrigeratione, ſyncope, & vomitu frequenti cholerico, nonnihil tamen non exſpirabat. Iniectus illi fuit clyſter quem diu quidem retinuit, ſed nihil profecit. Quia vero continuo Syrup. præſcriptis vtebatur frequenter (nihil enim per os admittebat) vomitu infeſtante per os reiecit tandem vermem viuum, rotundum, ſatis craſſum, tres vlnæ partes habentem longitudine, vna cum multa materia biliosa, nigra. Melius poſt corroborantium vſum habere & conualeſcere cœpit. V. CL. *Caſparus Wolphius de Obſeruationibus propijs.*

Menſe Februario, quidam ex oppido Tugio oriundus, vir robuſtus, cum circa præcordia, vti vulgo loquuntur, & orificium ventriculi, totiuſque ſtomachi regionem, morſum quendam anxium & triſtem ſentiret fere continue, atque aliquando in animi deliquium ſine alia tamen cauſa manifeſta incideret: recte tamen ſe habebat reliquo corpore, & cibum potumque ſecundum naturam appetebat. At certe ſibi cum perſuaderet, ſe viuum quoddam animal intra corpus habere, meque ſuper his ſymtomatis conſuleret; ex medicamento præſcripto, Eſula videlicet præparata, hermodact. pul gentianæ & ſpeciebus Cordialibus certa doſi cum aliis quibuſdam inuicem commixtis, vermium magnam copiam reiecit; quorum alii quidam tres, alii duos pedes longi erant. Poſt aliquot ſeptimanas ad me reuerſus eſt, & quæ eueniſſent nuntiauit, ſimulque me rogauit, vt eiuſdem medicamenti denuo copiam illi facerem: verebatur namque ne plures ſubeſſent; eodem medicamento dato à me dimiſſus, nec ab eo tempore reuerſus eſt. *Idem.*

OBSERVATIO.

De vomitu atra bilis, vna cum vermibus & ſcarabeis.

CVm Balduinum Kerckvveruium Brielenſem menſe Octobri, anno 1567. duplici tertiana correptum, curaſſem; deducor ad puellam annum 22. attingentem, quæ vomitu continuo longo quidem tempore laborauerat, & bilem tanquam picem valde atram, vna cum vermibus deiiciebat, quos tunc ſpectauimus ad palmam fere in longitudine, coloris cinerei: & paululum ante meum acceſſum nouem numero euomuerat, omnes fere mortuos. Atram vero bilem picis inſtar, quam ſpectabam, prima fronte ſanguinem concretum eſſe putabam, qui ab vtero in ſtomachum tranſmiſſus eſſet: ſed cum ſtatuto tempore menſes prodirent, atram bilem eſſe intellexi. Verum, cum eſſet bonæ conſtitutionis, neq; febricitaret, & circa ſtomachum doleret, nonnihil appetitu quoque deficiente, hoc ipſum ex humoribus corruptis fieri exiſtimabam; vnde & vermes generabantur, eo quod fructibus autumnalibus valde crudis antea vſa eſſet. Aluum non probe deiiciebat, niſi duob. diebus tantū ſemel, & ſtercora quidem dura, fæculenta, ſatis naturalia, & minime nigra. At vomitus admodum frequens erat. Medicus aſſiſtens dederat pilulas ex aloe: verum parum profecit. At Apozemate ſequente per me deſcripto, vomitus qui prius creber erat, nonnihil ceſſauit, poſtquam plurima nigra recrementa per inferna deieciſſet, vnde & melius habere videbatur. ℞. abſinthii communis, centaurii minoris, agrimoniæ, portulacæ an. m. j. ſem. aniſi, portulacæ an. drach. j fol. ſenæ vnc. ß rhabarb. ſelecti drach. j ß. ſchœnanti ſcrup. j glycirrh. raſæ vnc. ß. paſſul. enucleat. drach. vj. fiat decoctio pro vnc. viij. col. Zacchato parum dulcoretur. dimidium cum ſumſiſſet, bene excreuit: primo fæces, mox atram bilem copioſe: ac vomitus & ventriculi dolor nonnihil ceſſarunt. Die intermiſſo reliquum ſumpſit. Interim ad appetitum incitandum capiebat duo cochlearia ſubinde ex Syr. ſequentibus. ℞. Syr. de limonibus, Syr. abſinthii, de ſcolopend. Syr. capill. veneris, (quia parum tuſſiebat) ana vnc. ij. & ſtatim ſumebat drach. ij. ex tabulis hoc modo deſcriptis: ℞. Specier. diarrhod. abb. ſcrup. ij. ſpecier. diatrag. frig. ſcrup. j. ſem. Zedoariæ pul. ti, rad. tormentill. pulu. tæ, an. ſcrup. ß. diſſol. in

in aqua portulacæ & agrimoniæ, adiecto Zaccharo optimo q. ſ. f. confectio in tabulis. Et iſtis remediis vtcunque habuit. Verum anno 1568. x. Iulii die rurſum ad Cornelium Philippum Conſulem vrbis illius ex feb. continua acuta decumbentem euocatus, puellam denuo inuiſi: quæ licet vtcumque ſe haberet, tamen paulo ante ſcarabeos reiecerat vomitu (res portentoſa & incredibilis, niſi ipſe conſpexiſſem) quos mater nobis oſtendit, præſente PetroChirurgo Brielenſi, & viro conſulari, amico noſtro haud vulgari. Referebat & mater viuum ſcarabeum reiecisſe, qui per duos dies ſuperuixerat: Referebatur autem ad incantationem hoc malum. *Foreſtus lib. 18. Obſeruat. 19.*

Vermes reiectos ſæpe vidimus: ſed ſcarabeos niſi hoc tempore nunquam, quanquam alii quoque videntur vidiſſe, cum & *Gordonius* ſuo tempore medicus illuſtris, ſcribat *part. 5. cap. 20.* De vermibus: vermes, ſerpentes, ſcarabeos generari ex putredine in corpore humano: ſicuti extra in mundo vermes & muſcæ ac ſimilia generantur. *Idem Schol. ad Obſeruat. eandem.*

Observatio.

Vermes erucis ſimiles febrili paroxyſmo per vomitum expulſi.

ANno Domini 1578. Stephana Chartieria ſancti Mauri à foſſis incola, vidua quadragenaria, febre tertiana laborans, paroxyſmi initio magnâ vim euomuit humoris bilioſi, vnaque villoſos tres vermes, figura, colore & magnitudine erucis ſimiles, ſubatriores tamen, qui inde integros octo dies vixerunt ſine vllo alimento: hos pagi illius Chirurgus ad Milotum Doctorem Medicum detulit, qui ipſorum copiam Feureo, Craſſo, Mareſcotio, & Cortino Medicis mihiq; fecit. *Pareus lib. 24. cap. 19.*

Observatio.

Capillorum veluti glomi per vomitum redditi.

IOannis de Quintana duennas primarii ciuis famulus, vomitu reiecit me præſente magnum tenuium & ſpadiceorum capillorum glomum, adferuabatque in papyro inuolutos plures alios quos binis horis ante euomuerat: quibus reiectis, nulla amplius moleſtia torquebatur: præter eam quam vehemens vomitus induxerat. *Nicol. Monardes libr. tertio Hiſtoriæ ſimpl. medic. ex nouo orbe delatorum. cap. de Verbena.*

Simile quoddam nec minus mirum exemplum, mihi ante paucos dies retulit Franciſcus Zinnig, Sereniſſ. Principis Matthiæ Archiducis Auſtriæ, &c. pharmacopœus, cum in ſua arte peritiſſimus, tum diligentiſſimus. *Cluſius in Annotat. ad locum citatum.*

Simile etiam exemplum ante multos annos accidere memini Iureconſulto N. Vlierden, celebri, apud Antuerpianos cauſarum patrono, qui certis anni temporibus materiam in multos veluti muliebrium capillorum glomos congeſtam excernere ſolebat, qua reiecta melius habebat: nam alioqui macilentus pallenſque ſemper cum eſſet, aduerſa valetudine ante iſta ſymtomata plerunq; corripiebatur. *Idem Cluſius in Annotat. ad eundem locum.*

Filius cuiuſdam fabri laterarii, qui in cygno rubro Delphis habitabat, anno 1562. cum diu tonſillarum, gutturis, ac faucium inflammatione laboraſſet, multisque remediis vſus eſſet, & meam operam quoque fruſtra expertus eſſet, incidit in manus cuiuſdam empirici; & epoto medicaměto neſcio quo, enormi ſeceſſu, tum vomitu violento ſubſequente, crines conglomeratos magna vi euomuit, in tantam anguſtiam prius coniectus, vt ſe diſrumpi & in partes lacerari clamaret. Erant autem crines rubri tanquam à barba raſa prius expullulante, inciſi, valde curti, producti, mox in vnum conglomerati eiecti. & à vomitu amplius dolorem in gutture non ſentiebat; adeo vt nũc ſine dolore, quod prius facere non potuit, quæuis deuorare & deglutire potuerit; quamuis & raſcatione per aliquod tempus (vt vidimus) per ſputum eiuſmodi minutos pilos per tres ſcilicet cõtinuos dies expulerit, & nunc præter ſpem miraculoſe curatus: quanquam vulgares adoleſcentem 22. annorum veneficio ſeu incantatione affectum iudicarent: Quicquid ſit, eiectis crinibus præfocationem gutturis amplius non eſt perpeſſus, & poſtea vxorem ducens, recte habuit.

At aliam iuuenculã noui, quæ ſingulis fere menſibus crines conglobatos vomitu admodum moleſto deiiceret. *Foreſtus lib. 15. Obſeruat. 29.*

Observatio.

Pannos, clauos, ferramenta, lapillos, & oſſicula vomitione diſturbata.

VIdimus pannum, clauos, ferramenta, & neſcio quæ non vomitu reiecta.

Vidimus puellam Delphis in ventriculo dolentem, per inferiora modo excrementa picis inſtar nigra, vti ſaponem excreuiſſe, & lapillos & oſſium fruſta etiam per vomitum: quæ longo tempore laborans, & macilentior facta, tandem etiam interiit. *Idem lib. 18. Schol. ad Obſeruat. 26.*

Observatio.

Gallico morbo affectus, poſt alypticam hydragiricam, ventriculi anguſtia preſſus, argenti viui pateram vomitione reiecit.

MIrum eſt quendam, qui ter duntaxat ſecundum brachia vnctus fuerat, per aliquot dies pondus & anguſtiam in ventriculo ſenſiſſe, deinde cum latrinæ ſemel inſideret, argenti viui paterã fere vomuiſſe, vt multi adhuc teſtati ſunt, & literis prodiderunt. *Alex. Traianus Petronius cap. 1. lib. 5. de Morb. Gallico.*

Observatio.

Diluto vino hauſto, nonnunquam ſinceram aquam paulo poſt vomitu reiici.

VIdimus interdum epoto vino ex aqua temperato, aquam ſubinde puram ſine vino emitti, nec vllo vini odore: tanta eſt diſcretiuæ potentiæ vis. *Alex. Benedict. lib. 13. cap. 11.*

Observatio.

Euporiſta ad Vomitum & Nauſeam Remedia.

1. VVlgi experientia eſt, eboris tabella admota ventri, vomitus compeſci. *Iac. Hollerius.*

2. Cydoniorum ſuccus libræ pondere in quo corallorum rubeorum, ſem. roſarũ rub. & rhabarbari,

cuiuſq; ℥j. cũ hypociſtidis & acaciæ binis ſcrupulis, ad tertias bullierint, auxilium eſt magnum ad bilioſas vomitiones: quinetiam ad dyſenteriam: Datur is quotidie potandus mane & veſperi horis binis ante cibum. Verũ affectos purgatos eſſe oportet. *Matthiol.*

3. Emplaſtrum expertum contra vomitum, maxime etiam ſtomachum confortans, quando vomitus prouenit à materia calida. ℞. pulpę cydoniorum ſub cinerib. coctorum ℥. iiij. roſarum rubearum, coriandri præparati, ſem. acetoſæ an. ℨ. s. maſtiches, macis an ℈ ij. Pulueriſetur & omnia miſceãtur in mortario cum vino cydoniorum ad formam emplaſtri reducatur *Fauentin.*

4. Mirabile & ſecretum in ſedatione vomitus pituitoſi dare patienti infra ſcriptum condimentum quolibet mane ſtomacho ieiuno. ℞ vitelli oui cocti num. j. thuris maſtichis an. ℈ j. pulueriſetur pulueſanda & pulueres aſpergãtur ſuper ouum, quod patiens bibat. *Victorius.*

5. Mirabile eſt & ſecretum in frigido vomitu & in curatione ventoſitatum ſtomachi dare patienti mane & veſperi ante cibum tria cochlearia infra ſcripti condimenti. ℞. ſucci citoniorum ℔. s. maſticis, macis, garyophillorum, nucis moſcatæ an. ℨ ij. corall. rub. roſ. rub. an. ℨ j. bulliant in ſimul vſque ad conſumptionem tertiæ partis ſuccis, deinde colentur cum forti expreſſione & colaturam vſui reſerua modo dicto. *Alexius.*

6. Hepaticis & ſtomachicis, qui cibum ſumptum retinere non valent, gentianæ radicis puluis è vino potandus exhiberi debet, quod qui fecerit, auxiliũ præſens ſentiet. *Tragus.*

7. Inuenit ætas noſtra aurum ſæpius feruens extinctum vino, vomitionibus prodeſſe, vel idem tenuiſſimum efficaciter aſſumi, aquæ ad dimidium redacta iuuat ad potum temperandum. Paupertas, cui fortuna inuidit, chalybe eo modo vtatur. Quidam in aqua aurum conterunt & feruefaciunt ad dimidium minoris operæ, cui corallium & maſtichen & garyophyllum ad dunt, efficacius proficere tradunt. Et panis cruſta toſta, cretico vino infuſa, ſuper iniecto maſtiche garyophilloq; conferre haud dubium eſt. *Al. Benedictus.*

8. Alimenta in vomitione danda ſunt, quæ ſpiſſa ſint, & vtcunq; viſcida, vt ventriculo hæreant, minime pinguia, ori grata, & actu frigida. Id etiam obſeruandum in medicamentis. Nam tepida ſemper vomitum prouocant. Quare in cholera morbo, aut vomitu bilioſo, & aliis, niſi in quibus os ventriculi eſt nimis refrigeratum, præſentiſſimum remedium eſt aquam frigidam poſt cibum reſumptum bibere, vel cochlear vnum ſucci cytoniorum aut ſyr. cytoniorũ, aut fruſtum cyton. aut pyri acerbi deuorare, aut puluerem conſtringentem. *Rondelet.*

9. Rhaſis puero vomitu laboranti ante lactis adminiſtrationẽ iſtiuſmodi medicamentũ ſępiſſime ab eo expertum porrigendum eſſe admonet. Recepe- rat n. ligni aloes, maſticis an. ℨ s. gallę drachmę vnius partẽ ſextam, quib. tritis & cum ſyrupo roſarum cõfectis atq; cum modico galliæ muſcatæ demũ puero exhibuerat. Poſtea v. cataplaſma eiuſcemodi ventriculo pueri admouebat, recipiẽdo maſticis, aloes, acatiæ, gallæ, libani panis vſti, ſimul partes æquales cum oleo & ſyr. roſ. confectas. Ad puerorũ n. vomitum tũ ſaliuã eorũ coercendum efficax eſſe experimendum affirmat. *Seb. Auſtrius.*

10. Quodſi non ceſſat nauſea, arripiat mordicus Cæpam communem bis vel ter, & non mandat, ſed mordeat tantum ipſam primis dentibus, & videbit is ꝙ omnino quieſcet nauſea ſtatim, etiamſi ventriculus eſſet debillimus. Et ſciat is quod iſtud auxiliũ eſt ità præſtans, vt nullum ego inuenerim hac in re præſtantius. *Fallopius de med. purg. ſimpl. C. 28. p. 213.*

ORIS VENTRICVLI TVMORES.

OBSERVATIO.

Ex obturatione tuberculi ori ventriculi innati, grauida per bimeſtre cibo defraudata, fœtu vitali edito, expirat.

MVLIEREM vidi grauidam, cui tuberculo duro eoq; ingenti ità os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur, attacto ventriculi ore, mox remearet atq; redderetur. Sic adſtantiũ omnium iudicio, nihil cibi potuſve bimeſtri, vel conatu maximo ea vorauit. Tandem morbo, deſipientia, febreq; confecta diſceſſit, edito partu, quem vitę ſuperſtitem reliquit. *Fernel. cap. 1. lib. 6. Pathol.*

OBSERVATIO.

Scirrhus pugni magnitudine gulæ ſubſtantiæ, ad ventriculi orificium innatus, varia ſymtomata, & tandem etiam mortem inuehens.

ANno ſalutis 1570. Notinbergæ vocatus ſum ad quandam mulierem, quę longo decubuerat tẽpore, augebatur tranſglutiendi difficultate maxima, & tanto gulæ ardore, vt præ eo nec dormire, nec ſitim ſedare quiuerit. Aucta gulæ anguſtia, vix quid liquidi in ventriculum immiſit: ventriculus ad vomitum excitatus, egerebat interim cibũ, interim phlegma viſcoſum, ac craſſum, interim etiam pituitam cum bili craſſa permixtam. ægra ſciſcitata, num iuxta ingreſſum gulæ in ventriculum vel ventriculi orificium quid tanquam claui infixi vel globulum perſentiſceret, ſeſe toto octennio tale quid in ea regione percepiſſe, atq; tranſglutiendi magna difficultate laboraſſe, ſimiliq; morbo & patrẽ, ſorores, & alios ſuos amicos occubuiſſe affirmabat. Tandem nutrimento deſtituta, atq; ad extremam perducta maciem, extincta eſt. Mortuam aperui & inueni ad ventriculi orificium ſcirrhum pugni magnitudinem excedendem, ſubſtantiæ gulæ innatũ, qui craſſitie ac tumore ſuo anguſtarat, atq; obturarat œſophagi finem. Meſenteriũ viſum fuit ex multis iiſq; ſatis magnis ſcirrhis conflatum, ſic & pancreas, omentum contractum, craſſum, & ligno durius inuentum. Ventriculus inanis, hepar ſubalbidum, ſcirrhiſque refertum erat. Quamuis hæc mulier totum octennium hos ſcirrhos geſtarat, atq; tranſglutiendi difficultate indies magis ad finem vitæ vſque afflicta fuerit, nihilo ſecius (quod valde mirum eſt) vtcunq; commode, læte ac hilariter vixit, liberos procreauit, habuit tamen macilentum ſemper corpus. *Coiter lib. Obſeruat. Anat. & Chirurgic.*

OBSERVATIO.

Eleuatio ſtomachi curata.

ANnum 16. agenti Petri Guicciardini filio, ità ceruix vẽtriculi ſine vllo doloris ſenſu eleuabatur, vt

vt magnitudinem pomi cydonei æquaret; nec manifeſta cauſa oſtendebatur, cum omni nocumento careret. Quare rem admodum diligenter inueſtigare cœpi, admiratus quænam abditæ huius mali cauſæ eſſe poſſent. Sed cum nullam prorſus præter ventum inuenirem, à quo, ventriculi capite paulatim eleuato, ita eiuſmodi fieret tumor, vt & oſſa etiam talem ſitum adepta, nec vltra priſtinum ſtatum reuerſa, figuram iam illis impreſſam, tanquam naturalem cuſtodirent: ferrea demum lamina, quæ ex cingulo quoque ſurgebat ferreo, ſtomachum comprimi iubeo, quo paulatim ad ſedem ſuam retrocedere cogeretur: quod factum eſt. Nam haud multo poſt, hoc vno tantum præſidio, ita repreſſus eſt tumor ille, vt ad priſtinam ac naturalem formam ipſius ventriculi ceruix penitus reuerſa ſit. *Beniuenius cap. 40. de Abditis.*

In Iliaco dolore, cum excrementa per os redduntur, ventriculus quoque in tumorem quandoq; attollitur, partim quidem ex flatibus, ſed magna ex parte ab excrementis eo perlatis. Quandocunque autem tale aliquid contingit, non modo ſpes vitæ nulla ſupereſt, ſed mors fere imminet. *Dodonæus annotat. ad cap. citatum.*

DE VENTRICVLO.

SYMPATHIA.

OBSERVATIO.

Ventriculum cum capite conſentire, & coaffici aliquandò idq; præter experientiam etiam per anatomen demonſtrari.

CONSENTIT caput maximè ventriculo per inſignes neruos ſextæ coniugationis: & vtero per ſpinalem medullam, cui arctiſſime coniungitur: atq; dolores inde cõmunicati, ſeu per materiæ alicũius tranſmiſſionem, ſeu continuitatem ſolam, ſentiuntur, magis à ventriculo quidem in fronte, ab vtero autem in occipitio. Quod experiẽtia frequenti à nobis cognitum, facile eſt ex anatomia confirmare ſecus ac docuit Rondeletius, &c. *Ioubertus cap. 9. libr. de curand. morb.*

CONFORMATIO VENTRIculi varia.

OBSERVATIO.

Ventriculi deprauata conformatio.

VIdi, inquit *Galenus lib. 2. artis paruæ*, ventriculum cuiuſdam ita paruum, rotundum ac propenſum in Ilia, vt propria circumſcriptio perſpicue appareret ſpectanti & attrectãti. Ita & apud nos puella quædam Delphica perpetuo male habebat in ſtomacho: nam à natura anguſtior factus erat. quem his notis deprehendimus: nam plurimo cibo diſtentus ſtomachus lædebatur: ſed exhibito exiguo cibo, idque frequenter, minus offendebatur, & commodius tunc cibum concoquebat. Hoc autem innatum vitium iuxta Galenum immedicabile iudicauimus: & ideo eandem incuratam reliquimus. Tantum in mandatis dedimus, vt parum, & frequenter, cibum concoctu facilem ſumeret, vt minus dolore afficeretur. *Foreſtus lib. 18. obſer. 35.*

OBSERVATIO.

Ventriculi craſſitiem concoctionem iuuare.

QVo craſſius rugoſiusque ventriculi corpus, eo concoctionem felicius procedere tum ex eo patet, quod eorum qui nullam concoctionis debilitatem paſſi ſunt, ſed vel morbo aliquo repentino ſublati, vel ſupplicio affecti ſectioni adhibentur, vẽtriculi tales eſſe deprehendantur; tum quod illis animantibus, quæ duriſſima quæuis conficiunt, ſicuti cornutis, quæ fœno paſcuntur, auibusque præſertim legumina lapilloſque continuo deuorantibus, ventriculi craſſiſſimi, veluti tergora, & in auibus parenchymate conſtantes contigerint. *V. Cl. Felix Platerus de obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

Ventriculi nimia attenuatio cauſa imbecillitatis.

VEntriculi imbecillitatem à nimia illius tenuitate proficiſci, ad quam continua crapula ſupra modum ſæpiuſque diſtentus tandem reducitur, veſicę alicuius inſtar, quam pueri premendo inflandoque dilatant & attenuant, ſectione compertum eſt. Vnde malum ipſius organicum immedicabile, cum ſe recolligere, ciboſque exacte amplecti non amplius poſſit, naſcitur, perpetuæque fluctuationes ſequuntur. *Idem D. Platerus.*

OBSERVATIO.

Macula nigra ventriculi.

MAculam nigram admodum, in vẽtriculo furis capite truncati, tum in exteriore, tum interiore ipſius ſuperficie apparente ſpectaui. *Idem.*

OBSERVATIO.

Macula lutea ventriculi, illiuſque ardor.

VEntriculum à bile flaua, ea ſede, qua veſicula bilis ventriculo ſubſtrata illum attingit, tingi, macula lutea, ad interiora illius quoque penetrante, commaculari, aliquoties obſeruaui: illiſq; præſertim, quibus viuentibus perpetui ventriculi ardores moleſti erant, hoc accidiſſe notaui. *Idem.*

OBSERVATIO.

Maculæ rub. ventriculi, eiuſdem maximum ardorem inferentes.

POlonus qui ex vulnere capitis, adhibito empl. barbaro à Fallopio, diſſuadentibus Bellocato & Trincauella, mortuus eſt, ardorem maximum circa regionem oris ventriculi perpeſſus eſt. Secto corpore inuentę ſunt in ſuperficie exteriore oris ventriculi maculæ rubræ ac ſi morſus formicarum eſſent. *R. Solenander in conſ. Med. ſect. v. conſ. 16.*

SVBEVNTIA IN VENTRICVLVM per os.

OBSERVATIO.

Serpentes, Lacertas, aliaque animalia venenata aliquandò dormientibus per os in ventriculum irrepere, imbiq; grauiſſima ſymtomata excitare, & occidere ſæpe: tum quâ ratione propulſanda ſint.

Adoleſcens multo meraco epoto ſupinus in habitaculo quodam dormiebat. Huic ſerpens, Arges appellatus, in os ingreſſus eſt: & ſane cum ſenſiſſet, & loqui non poſſet, dentibus ſtridit, & ſerpẽtem deuorauit, & dolore magno tenebatur, & manus prætenſas adhibebat, velut qui ſtangularetur, & iactabat ſeipſum: & conuulſus mortuus eſt. *Hipp. lib. 5. de morb popular.*

In Anatomiis quandoque vermes in ſtomacho ſunt reperti, & ipſum iam perforarunt aliquando: Et quod maius: ſcitur ſerpentes, limacias, in ſtomachum intrare, & ibi foueri & creſcere, ranáſque interdum. *P. Aponenſis different. 101. Conciliatoris.*

Volateranus eſt autor, ſuo tempore inuentum eſſe ruſticum, qui cum per fœniſecia aperto ore in agris dormiret, & ſerpentem per fauces hiantes intra corpus admiſiſſet, ſe ſtatim aliis commanducatis ceu præſenti amuleto curauit. Virtus tamen vxori in coitu (res mira) inſtillauit, & morte comite transfudit. *Mizald. memorabil. centur. 8. aph. 76.*

Serpentes aliquando os dormientium ingredi dicuntur, vnde Poeta de tempore, quando ſerpentes conſpiciuntur:

Non mihi tunc libeat dorſo iacuiſſe per herbam,
Incertus ———

Interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis coniiciunt ſeſe, & in ſtomachum ſeſe conuoluunt, tunc miſer homo afflictiſſime viuit, nec eſt vllum mali leuamen, niſi vt lacte aliiſque gratiſſimis ſerpenti cibis alat hoſpitem: Remedium autem aduerſus tantum malum eſt comeſum affatim Allium. *Eraſmus dialog. de amicitia.*

In ſeptentrionalibus regionibus, compertum eſt multorum indelebili memoria, ſerpentes longitudine palmares ac bipalmares, rubeos, cœruleoſque, ſe faucibus imbecillium infantium humi dormientium immittere. *Olaus Magnus lib. 13. c. 9.*

Nonnulli referunt ſerpentem, cum puero cuidã in agro dormienti per os irrepſiſſet, aqua CarduiBenedicti deſtillata, per inferiora quàm primum ſeceſſiſſe, puerumque incolumem, omnique periculo liberum ſuperuixiſſe. *Tagus de Hiſtor. ſtirpium libr. 2. cap. 114.*

Mulieres capiunt ſotulares, & comburunt in igne, & ponunt in oleo de ſem. Lini, & recipiunt fumum, & iſtud eſt corii combuſti. fumus enim iſte fugat ſerpentes viuos, vt vidi in vno exiſtente in hoſpitali Papiæ, qui habebat viperam in ſtomacho, cui fecerunt multa remedia vt eam expellerent, ſcilicet ponendo lac ad os, & multa alia: veniebat enim ad os, & nolebat egredi. Tandem factis fiendis, æger fuit ſuffumigatus ex tali fumo, & ſtatim vipera viſa eſt egredi per anum. *Gattinaria comm. ad cap. de cura præfocat. matricis, lib. 9. Raſ. ad Almanſor.* Hanc hiſtoriã *Matthiolus* ſic expreſſit.

Veteramentis accenſis, ſerpentes efficaciter fugari compertum eſt, neque eos modo qui in domibus noſtris oberrant: ſed eos etiam qui in hominum corpora ingrediuntur, dum homines per æſtatem alto ſomno oppreſſi, ore aperto in campeſtribus obdormiũt. Quod ſcriptis tradidit Marcus Gattinaria, noſtræ ætatis Medicus non contemnendus, accidiſſe ſuo tempore cuidam homini; cui cum fruſtrà adhibita eſſent medicamenta, ipſaque alioquin efficaciſſima: illud tamen magnifice præſtitit veteramentorum fumus traiectorio in corpus hauſtus. Siquidem cum primum immanis fera (erat enim vipera non parua) fumi nidorem præſenſit; viſa eſt à circũſtantibus egredi per anum, non ſine omnium admiratione. *Matthiolus comment. ad cap. 42. lib. 2. Dioſcor. de Mat. Med.*

Natrices aliquando in dormientium ora irrepere feruntur: & homines illos, quos ſubierint, ſuauiter canere; elici autem ſerpentes, ſi ſupra lactis feruidi vaporem hiantes ſe contineant. *Geſnerus in Nomenclatore Icon. Aquat. pag. 362.*

Alexander Landus, Nobilis Veronenſis, vir Medicinæ arte clariſſimus, & omni doctrina & humanitate præſtantiſſimus, retulit mihi ſe vidiſſe quendam infantem, in cuius ſtomacho (dum in quodam prato dormiret) Lacertæ duæ tempore æſtatis ingreſſæ fuerant per os, adeo vt ipſe ſæpe veluti Epilepticus caderet in aromataria ad ſignum fontis, in ciuitate Veronenſi prope templum ſanctiVitalis, quo ab ignorantibus cauſam ad Medicum curationis gratiâ ductus erat ipſe puer. Et poſt ipſius in eodem loco caſum euomuiſſe in eius præſentia, cum magna omnium qui aderãt admiratione, duas ipſas Lacertas, qui poſtea ſtatim è morbo ſanus euaſit. *Omnibonus lib. 2. c. 9. de art. Medica Infant.*

Serpentis deuorati ſigna ſunt, ſi ſentiat magnam reuolutionem, & morſum ante cibum, & poſt ſubuerſionem, & faſtidium ingẽs. Et dormierit in campis, aſuetus dormire ore aperto, inde ſurrexit ex ſano cum his ſymptomatibus. *Cardanus de cauſ. ſign. ac loc. Morb. part. 3. n. 122.*

Meo tempore contigit, vt quidam Ruſticus bibendo aquam foſſæ, biberet vnum Cutubuth, ſiue capram aquæ, (tipulam) & ſtatim conſuluit Medicum potauit eum lacte copioſo, & ſtatim poſt vomitum fecit, & in vomitu egrediebatur animal. *Sauonarola tract. 6. c. 9. rubric. 4.*

Filio Pauli Frauz Germani, Maximiliani Imperatoris œconomi, muſca magna ore hiante ingreſſa, ad ventriculi cauitatem peruolauit, graui moleſtia eum per horæ tractum afficiens: & die ſequenti ab ingreſſu per vrinam mire certe extramiſſa. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 2. c. 12.*

Adoleſcens in Schola Goldtbergenſi literis operam dans, cuiuſdam Piſtoris filiam puellam pallidã, quæ ſemper quærebatur de ventris dolore, cumque die quadam ante menſam ſtans iuſculum inteſtinorum Veruecis cum aceto acri præparatum comederet. Serpens viuus è corpore puellæ per inferiora prorupit. Qui ab adſtantibus eſt occiſus, Sarmenta in ſuperiore parte cubiculi, in quo dormierat. poſita fuſces, è quibus ſerpens decidens de nocte in os dormientis irrepſerat. *Cl. V. Ioan. Franciſci Hildeſii obſeruatio.*

MONSTROSA IN VENTRICVLO genita.

OBSERVATIO.

Ranas, Gyrinos, Bufones, aliaq; animalcula ſimilia, vel ex hauſtis per imprudentiam eorundem ouis, ſeu ſeminibus: vel interna putredine maximè peſtilenti in ventriculo non tantum naſci, ſed in eodem quoque foueri atque adoleſcere, periculoſa, mortiferaq; ſymptomata excitare, & tantum non enecare: tum quibus illa quoque expellantur.

In ven-

IN ventriculis quorundam, aut inteſtinis bufones reperiri, reddi ratio poteſt: videtur enim fieri id aliquando poſſe genitura ipſorum, vno aut altero ouo ſcilicet, à continua illa ouorum ſerie ſeparato, cum potu aquæ hauſta. Quanquam enim in terra & aquis bufones ex putredine naſcantur; in corpore tamen humano id fieri poſſe non eſt veriſimile: nam lumbrici quidem intus ex putredine naſcuntur, ſed non tam corrupta & praua, qualem generandis bufonibus ſubiici oporteret: & lumbrici nihil fere quam carnei ſunt, vt facile ex putredine quauis generentur; bufonis vero corpus variis membris, organis & oſſibus conſtat, vt id, niſi hauſta genitura, in homine naſci non credam. Ea vero cum hauſta fuerit in potu, facile ventriculi villis adhæret, propter ſubſtantiam viſcoſam & tenacem, non coquitur vero neque vincitur à ventriculo, cum naturam noſtræ prorſus contrariam habeat, à qua tamen venenum forte in corpus non diſperditur, quoniam pellicula cõtinetur tum ouum, tum multo magis cum ex eo naſcitur animal, & in ventriculo manet, & meliore intus ſucco nutritur à prima ſtatim origine. Adde quod minus veneni in genitura, quæ in aqua fuerit, eſſe veriſimile ſit, vt in ipſius rubetis aquaticis minus quam in terreſtribus: & inſuper vicinitatis partui ratione: quo grandius enim animal quodque venenatum fit, eo magis ſicceſſit, & ſyncerius venenum habet. Itaque in regionibus calidis & ſiccis, non tam caliditatis puto quàm ſiccitatis ratione, aut certe vtriuſque pari, vehementiora animalium venena ſunt, quod ſi minora tenerioraque animalia, vtpote humidiora, minus noxia ſunt, genituram ipſam, quantum fieri in cuiuſque genere poteſt, minime noxiam eſſe oportet. Neque hoc tamen prohibet, quin animalium quorundam (in genere ſerpentium, lacertarum, & inſectorum) oua interimere poſſint, cum quorundam adeo intenſum ſit venenum, vt quamuis per gradus aliquot imminutum adhuc interimat, tardius tamen. Bufonum vero venenum, cum non ſit vehemens, in noſtris præſertim regionibus frigidis & humidis, minus mirum fuerit, veneni illius, quod genituræ ipſorum ineſt, vim tam debilem eſſe, vt multo tempore ſuperſtes homo poſſit durare, quod quidem in aliis quibuſdam venenis ſepticis, & plantis contingit, vt aconito: ſic enim temperari poſſunt à maleficis, authore Theophraſto, vt longo poſt tempore interimant. Etiamſi vero quod genituræ ineſt, venenum minus eſſe dixerim, grauida tamen animalia venenata, eo tempore, quo oua aut fœtum geſtant, nocentiora ſunt: non quod ab ouis fœtuve veneni aliquid accipiant matres, ſed quoniam ſi quid boni & dulcioris ſucci habent, alendo fœtui communicant, vnde corpus eorum ſiccius manet, & deterior tantum ſuccus eis relinquitur. Natos quidem in corpore bufones, hoc potius quam ranarum nomine dici puto, quod colore ſint lurido: & veriſimile eſt, à ſumpta etiam ranarum in potu genitura, ranas in corpore natas, & forma nonnihil, & colore præcipue, à ranis quæ in ſuis aquis naſcuntur differre, propter alienam nutrimenti, & quo cõtinentur loci naturam, aeriſq; & ſolis priuationem, itaque ranas etiam intus natas bufones appellari. Interim tamen non negarim, verorum etiam bufonum genituram aliquando hauriri, & veros inde bufones naſci. Non mirum autem poſſe eos intus ita viuere, cum alioqui etiam in cauis latere ſoleant, & hybernos menſes abditi exigere: & aliquando ſaxis etiam incluſi viui reperiantur. Raro enim pulmone genus omne ouiparum eſt, nec tantum reſpiratione indiget, quantum viuiparæ animantes. *Geſnerus hiſt. animal. lib. 2. de ranis rubetis litera G.*

Quidam eques apud nos venit ad Medicum Vlmenſem, Doctorem Stockerum (qui erat Medicus omnium Principum in noſtra vicinia, habebatque ſuam ſingularem fortunam curandi morbos) dicens Domine Doctor neſcio quem habeam morbum: mane ieiunus ventriculum meum magno cũ dolore arrodi ſentio. Tu nebulo, inquit Doctor (erat enim Medico familiaris) forte aliquid mali comediſti. & retinuit eum quatriduum, ac pauit eũ ordine, ſimulque à nimio cibo & potu abſtinere iuſſit. Poſtea vero poſt longam deliberationem (erat enim valde induſtrius, & artis ſuæ peritiſſimus) inquit: Tu nequam voraſti ſemina ſerpentum, ex quibus ſerpentes in tuo ventriculo procreatæ ſunt. Inſtituit vero curationem hoc modo: collocans eum in lectum, ac admouens eius ori lac valde calefactũ: ſerpentes poſtquam hoc olfecerunt, ſerpere cœperunt ex ventriculo in collum, quarum colla chirurgus iam pridem accerſitus, paratuſque cum ſuis inſtrumentis, ſtatim apprehendebat, ac extrahebat aliquot ſerpentes per interualla. Extractis iam omnibus ſerpentibus, Doctor indicauit vnde illud malum ipſi accidiſſet: Tu valde ſitiens, inquit, hauſiſti ſtrenue aquam ex aliqua lacuna vbi fuerunt ſemina ſerpentum. Ille faſſus eſt ſe bibiſſe in vere, & ita curatus eſt.

Dominus Stainslaus à Laſco, virtute & ſapientia præſtans vir, captus cum Rege Galliæ, etiam mortuus eſt, ſerpentibus in eius ventriculo innatis: cui nemo opitulari potuit. *Iacob. Manlius libel. experimentorũ variorum pag. 21.*

Obſeruatum eſt noſtra memoria, diſſecto mulieris cuiuſdam corpore, beſtiolas exemptas, ſoricibus, muribuſque non abſimiles, quas natura ex ſordido aliquo excremento, quo alimenta erant imbuta, produxiſſe videtur. Calor ſiquidem natiuus in materia illa elaboranda occupatus, non aliam ſpeciem, quam pro ſubiectæ materiæ ratione, effingere poteſt, itaque inſita vis naturę ſui generis animalculum efformat ac molitur: humida illa ſubſtantia opifici obſequente ac ſequaci. Et paulo poſt.

Quinetiam vermiculos caudatos, itaque inſolita forma beſtiolas vomitu eiectas nouimus; præſertim in his, qui morbis contagioſis oppreſſi erant. *Leuinus Lemnius, de Occult. Nat. Miracul. libro ſecundo cap. 40.*

In pleriſque, lacertas tres aut quatuor, à medicamento purgante deiectus, ſemel atque iterum vidi, *Gemma Coſmocrit. lib. 1. c. 6.*

Dictamni drachmam ex aqua Gentianæ ieiuno ſumptam efficaciſſimam comperi, præſertim ſi Zedoaria aut Citri ſemina puluerata ei addantur. Omne ſiquidem venenum exigit. Hunc puluerem ego anno 1560. quo poliatrum Cottingenſem agebam, adeoque Clementiſſimi domini mei Erici, Brunſuicenſis Ducis conſiliariis conuerſares, nõnullorumq; curam ſuſcepiſſem, Valentino Kurtz cognominato, Regenſpurgo nato, Eymboeci exhibui,

cuius

cuius efficacia complures lacertæ ab eo propulſæ ſunt; Quin etiam hunc, quibus lumbrici per os erepere ſolebant, ſumendum iniunxi. Cui rei certiſſimam fidem facit, Dominus Doctor *Ioannes Kentmānus Dreſdenſis*, qui *libello ſuo de peſte*, hoc ipſo puluere feliciſſime peſtis tempore anno quinquageſimo ſecundo ſe vſum fuiſſe profitetur, ſicut ſupra triginta Lacertas ex vno homine Fabiano Landts ab Oſtlitz expulerit. *Ioannes Hebenſtreit, libello de peſte anno* 1564. *publicato.*

Ruſtici Lutzingenſis filia nata annos 18. laborabat ventris tumore & inflatione cum murmure & coaxatione ranarum ſonora. Ieiuna puella ranas coaxantes omnes audiuerunt non obtuſe audientes. Originem mali ſe contraxiſſe aiebat fœmina ex potu aquæ paluſtris: cum verno tempore in ſolis intenſo æſtu ſitibunda pecoris curam haberet, nec ſuppeditaret alia aqua præter dictam. Et quia ab eo tempore indies deterius ſeſe habebat, ventre in tumorē ſublato, & menſis ſpacio ranarum clamore & vociferatione moleſta ſuborta: ſuſpicabatur ſe ſimul cū aqua iſta paluſtri Ranarum geniturā (vulgo Froſch Leuch vocatur) ebibiſſe. Confirmabat ſuſpicionem puellæ præter manifeſtam ranarum coaxationem tempus vernum, quo multa ex ſemine pleraque ſine paris complexu & adminiculo ex limoſo vdaque vligine ſolis tepore & interno participio ac λόγω πλαστκῶ mediante putredine naſcuntur. Beſtiolas autem & eiuſmodi animantia in corporibus noſtris progenerari poſſe anile deliramentum non eſt, nec phyſicis præceptis aduerſum. ſed ad curam. Vſa eſt hæc virgo ruſtica multorum multis remediis, citra tamen euidentem releuationem. Ad me deducta primum exhibeo vomitiuum hoc & catharticum: ℞. Aquæ terræ ſanctæ vnc. iiij. Inde citatus vomitus exhibeo hanc potionem, ℞. Extracti Colocinth. magnit. nucis. Aq. fontanæ vnc. v. facta ebullitione macer. per noctem: mane colaturam claram bibat. Hoc purgante tota radix & ſeminariū animalculorum iſtorum fuit exectum, excretis plurimis, ſordidis, tenacibus & phlegmaticis humoribus. Tranſacta purgatione & euacuatione, ægra ſanitati reſtituitur integræ: ita vt per victus rationem probam & exactam depulſa macie incrementum corporis cōſpicuum capiat: euaneſcente lurido colore, floreſcat eleganter, quaſi mangonio perpolita. Ranas autem viuas vel mortuas cum excrementis fœtidis etiam vltro citroque percunctati luſtrare non potuimus. An flatus ex colluuie iſta & impuritate in Epigaſtrio coercita à calore innato ſuſcitati coaxationem iſtā ranarum (quod veriſimile) fuerint ementiti, an vero ipſa ranarum certa & tenella corpuſcula vi medicamenti, anguſtia locorum, caloris innati virtute, ἀναστοιχειώσει diſſoluta verſus aqueam, ex qua ſunt conflata, naturam, docti iudicent. Et ego iudicarem ſi certo mihi conſtaret de antecedentibus. Probabilia vtrinque occurrunt. Hoc affirmo: ſonitum vel murmur, quod meis percepi auribus plane coaxationem ranarum expreſsiſſe. *Rulandus curat. Empt. & Hiſt. cent. 7. curat. 28.*

Haud procul à Dulenberg, Illuſtrium Naſſouienſium Comitum ciuitate, fuit ante biennium puer quidam, inflato ventre, continuis torminibus, fame ſitique intolerabilibus vexatus, cui apud multos, eoſdemque præſtantes Medicos remedia ſæpe erant quæſita, ſed fruſtra: adeo, vt iam ſalutis nulla ſpes ſupereſſe videretur. Accidit autem dum ille ita decūbit, vt chirurgus eius loci febri tertiana corriperetur: quam ſanaturus ipſe ſibi centaurium minus, cum pari portione cardui benedicti, in vino decoxit, atque haurire voluit. Deprehenſo autem amarore, reſpuit. Ne autem potio illa ſine vſu effunderetur, iubet etiam puero bibendam dari, non quidē quod quippiā profuturam exiſtimaret, ſed ne fruſtra periret. Quid fit? vt puer vel vnū poculum hauſit, intra horæ ſpatium vndecim ranas adhuc viuas per vomitum reiecit & conualuit, febre chirurgum, cui potio inprimis parata erat, in multas adhuc ſeptimanas affligente. *D. D. Ioann. Pincier de obſeru. propriis.*

Anno 1551. peruenit ad nos hiſtoria Viennæ impreſſa, huiuſmodi. Hac æſtate circa diem diuæ Margaritæ in Hungaria prope pagum Zicſam, iuxta Theyſam fluuium, accidit vt in multorum hominū corporibus ſerpentes & lacertæ naturalibus ſimiles naſcerentur: vnde ſæuiſſimi dolores oborti, tandem eos enecarunt, ita vt circiter tria hominum millia periiſſe feratur. Quibuſdam humi ad ſolem iacentibus, ſerpentes & lacertæ per os aliquatenus emerſerunt, ſed mox ſe iterum abdiderunt in ventrē. Nobili cuidam puellæ, diris cruciatibus mortuæ, cum venter incideretur, ſerpentes duo prodiuerūt. *Geſner. hiſt. animal. lib. 2. de Lacertis diuerſis.*

Hiſtoriam veram nuper ſtrenuus & nobilis vir, Ioannes Gaudentius à Reutenavv, Reipub. Auguſtanæ apud Vindelicos, conſtitutus militum dux, nobis talem narrauit. Fabariis inquit Thermis agri Curienſis cum Maio vterer, in Villicum quendam hominem annorum circiter triginta, ex pago Fleſch, nonnihil à Rhetorum Meienfeldt ſito, natum, incidi, qui mihi retulit, ſe, quum ſuperiore anno laboribus ruſticanis defatigatus, læuandæ ſitis gratia, forte aquam putridam auide hauſiſſet: ab eo tempore indies magis magiſque ventriculi doloribus, toſionibus & torminibus circa præcordia potiſſimum conflictatum; Ita quidem vt ventriculo repleto, ſymptomata hæc remitterent nonnihil, verum eo, à concoctione peracta, vacuo increſcerent, atq; adeo ſæuirent, vt ventriculum lancinando perforatura viderentur. Miſeriarum itaque dolorumque, quos per vnius anni decurſum pertuliſſet pertęſum, Theriacam tandem coemiſſe, eandemque vini ardentis quartario vulgaris mēſuræ temperatam, vnico hauſtu ebibiſſe. Cuius efficacia paulo poſt ſerpentem viuum, longitudinis vlnę vomitu in terram reieciſſe, qui aliquantulum vivus, mox extingueretur. Proinde ruſticum livida & pallente facie, defectisque viribus, Fabariarum vſu reconualeſcentiam ſperaſſe. *Cl. V. Abrahmus Murgelius de obſeru. propr.*

Deducta in Noſodochium publicum virgo circiter ſedecim annos nata mente capta & furibunda, adeo vt compedibus confringenda fuerit, Ad hanc ſumus vocati, qui publica authoritate Xenodoctio præfecti eramus medici & chirurgi, vt, ſi artis medicæ beneficio & opera, ſi fieri poſſet aliquid auxilii conferemus. Conquerebatur potiſſimum de præcordiorum cruciatibus miris, torquebatur lacinationibus doloribus, torminibus: laborabat aliquando nauſea & ructibus. Per interualla cæpit mente capi & maniacorum inſtar furere, vt compedibus coercita, tamen vix compeſci & teneri potuerit. Paro-

xyſmo

xyſmo tali aliquando diutius, & grauius, quandoq; breuiori tempore & leuius affligebatur: in remiſſione poterat omnium, quæ interea audiuiſſet atque ſenſiſſet in corpore, probe meminiſſe. Fuerunt ex nobis qui hypochondriacam melancholiam eam laborare crediderint, alii aliud ſentiebant. Ego neque hypochondriacis flatibus (quanquam multa eſſent in ea obſeruata, quæ videbātur indicium dare. Maniacam vere non fuiſſe, indicio eſſe poteſt, ꝙ medicamenta oblata admiſit, quæ bis vel tertio fuerunt repetita, quum leuioribus quæ primo exhibita eſſent, nihil perficerem: in hypochondriacis flatibus accidit quidē, vt ſolus nuper melancholicus, ꝙ etiam in phreniticis animaduertitur, ex præcordiis eleuatus ad cerebrum, melancholiam quandā generare poſſit, aliquando grauior, quandoq; mitior pro ratione cauſæ, à qua iſti vapores eleuātur: in quibus vētriculum manifeſte affectum eſſe & inteſtina intelligitur, præcedentibus ventris rugitibus, flatibus multis, ructibus craſſis, vomitibus, & ſaliuæ copia. Hinc veriſimile eſt non melancholiam ſolum, hoc eſt mœrorem & triſtitiam cauſari, ſed acerbius quiddam, & ipſam etiam maniam, ſi vapor ipſe malignior & venenoſior extiterit. Veruntamen à ſolis hypochondriacis flatibus tam ſęua ſymptomata, excitari poſſe, veriſimile nō eſt, nec à quoquam, quid nouiſſe ego potuerim, talia in hoc affectu obſeruata fuiſſe, legiſſe me memini. Proinde cum eius cura mihi demandata eſſet, eam ego meam intentionem, idque cum primis curandum & ſpectandum mihi propoſui, vt aduſtum & melanchol. humorem è ventriculo effumantem & meſenterio, quoquo modo expurgarem: potiſſimum ad id ſuſcipiendum permotus, propter nauſeam, ructus frequentes, & potiſſimum circa cor, vt ipſa loquebatur, quam maxime angeretur, & præterea etiam per interualla tā ſęuo paroxyſmo affligeretur: ratus humorem aliquē malignum in his partibus contineri, qui horum omnium, quæ pateretur, cauſa exiſteret. Obtuli itaq; primo aliquid extracti ellebori cum confectione hamech in forma boli: Verum quā parum profeciſſe mihi viderer, neq; n. vomitus ſequutus erat, neq; aluus ſatis, prout neceſſitas videbatur requirere, deiectiſſet, ſecūdo tentaui fortius. Exhibui itaq; antimonii grana aliquot, cū hiera legadii parte aliqua, quæ mania affectis alioquin cum vtilitate præſcribitur, & puluere cordiali. A cuius medicamenti aſſumptione, paulo poſt cæpit mirum in modū exagitari, ac in terram proſterni, adeoq; excruciari vt morti propinquior videretur, quam vt nunquam ad ſe redire aut conualeſcere poſſe ſperandum nobis fuiſſet. Tādem durantibus hiſce cruciatibus aliquādiu, accidit præter omnium ſpem & meam expectationē, vt per os, magno ſane conatu, & horrendo aſpectu varietatum animal viuū, quadrupes, & caudatum inſtar lacertæ euomeret, ꝙ in ſubiecto pelui ſubſaltabat, & mirifice agitaretur. Refecta mulier, poſtq̄ eieciſſet hoc monſtrum, cordialibus cibis & medicamentis per aliquot dies. Manſit in Xenodochio ab eo tempore vltra menſem, viribus paulatim reſumptis: nec quicquam hoc tempore toto incommodi ſenſit: iuſſa vero eſt, vt per interualla purgaretur, vt ſi quid vel excrementorum huius beſtiolæ, vel materiæ alienæ in corpore ſupereſſet, penitus tolleretur. Ex propriis obſeruationibus, ante annos 13. circiter obſeruatis, communicauit vir doctiſſ. *Gaſp. Wolph. Tigurin. Med.*

In pago Nouendorf, inferioris Luſatiæ, puella annum agens decimum octauum, cum diu dolores ventriculi & præcordiorum perpeſſa fuiſſet, ita vt pleriſq; ob ventris tumorem & faciei pallorem hydropi obnoxia futura cenſeretur: tandem laconico commiſſa, & lacte calente ori admoto, Lacerta viua erepens, puellam ab eiuſmodi ſymptomatibus liberauit. *D. D. Talentinus Hennerus de obſeru. ſuis.*

Ego in Anglia apud Norfolcios per Epicraſin educo ex fæminæ cuiuſdam ſtomacho multipedem beluam, nigram, agilem, longitudine minoris lacertæ, caudatam, & flaueſcentibus maculis variegatam. Inſita ſiquidem vis naturæ ſui generis animalculum efformat, ac moritur, humida illa ſubſtantia opifici obſequente ac ſequaci. Calor enim, vt dixi, natiuus non aliam ſpeciem, quam pro ſubiectæ materiæ ratione effingere poteſt. *Thomas Moreſinus lib. de Metallorum cauſis & tranſubſtantiatione.*

Mulier ruſtica annorum circiter 24. ex pago dicto Nunige, præfecturæ Gilgenpergenſis, ditionis Solothurenſium, cum iam ab anno ſe grauidam ſuſpicaretur, idq; partim ob ſuppreſſa mēſtrua, partim vero ob motum aliquem, quem in ſiniſtro latere diebus alternis prę̄ſentiebat, accedēte ventris quinetiam tumore. Et licet dolorem nullum perferret, perterrita tamen, eo quod ab anno ſe grauidam exiſtimaret, quis futurus eſſet euentus, dubitans, me conſuluit.

Signis ergo ipſum conceptum indicantibus, perpenſis & ſymptomatibus, quæ grauidis superuenire ſolent, perquiſitis: iudicaui tum, vteri ſolum flatus, vel ſaltem molam, ſi non ſanguineam, ac flatulentā eſſe. Cur vero Molā eſſe ſuſpicarer (cuius ſigna multa *Hippocrates* tradit *lib. de fœminarum morbis*, circa finem) hæc fuit ratio: ꝙ in multis iam mulieribus obſeruauerim, dum vero molam geſtant, vel vt noſtrates vocant, ein Froß/ toto vero geſtationis tempore punctiones in ſiniſtra abdominis parte prę̄ſentiunt: imo quando tempus excluſionis accidit, ſummū dicti lateris dolorem perferunt, non ſecus ac ſi animal quoddā ipſas morderet, imo etiā loco ſæpe nō mouetur: accedūt quinetiā animi deliquia, & aliquādo deliria, rarius tamen ante diem ſeptimū, ex quo fluere incipiunt menſes, ipſas reiicere obſeruaui.

Vteri flatus cur cenſerem, fuit: quod & prius in Nobili matrona quadam (cuius nomen nunc ſubiicere placuit) notaui: quæ cum grauidam ſe crederet, tempusque ipſius partus appropinquaret, rebus omnibus ad id neceſſariis diſpoſitis, nil niſi flatus per pudendum exſpirauit, & tumor ipſius ventris concidit: quemadmodum etiam adnotaui in quadam, aquam per os vteri ſenſim effluxiſſe, cum à ſeptem menſibus ſe grauidam ſuſpicaretur, ſuppreſſis menſtruis purgationibus, aucto ventre & mammis. Sed ad rem.

Huic ergo ruſticæ mulieri inter cætera Tragema præſcripſi ex iis, quæ in tali caſu conueniunt, habita potiſſimum ipſius vteri & ventriculi ratione. Cum vero iam ſecundo ſumpſiſſet de hoc Tragemate, altera die veſperi (quæ fuit 15. Iulii, anno 1583.) in lecto iacens, vomitu correpta, tria reiecit animalia, Ranā, Bufonem & Salamandram, quā Germani ein Mol appellant, ſicque ſenſim tumor ventris remiſit, & ſanata eſt. Cuius rei teſtes ſunt non ſolū illius pagi &

in

in vicinia ruſtici,ſed & arcis Præfectus. *Caſparus Bau-*
hinus in appendice ad Rouſſetum.

Adoleſcens quidam pellio, dum artis ſuæ rectius
perdiſcendæ & exercendæ cauſa peregrinans,pedes
iter faceret,primo vere,quotieſcunque defeſſus ſiti-
ret,præ incontinentia ex quauis oblata palude, ſitis
ſedandæ cauſa,pronus aquam ſubinde, vtut immũ-
dam,auide haurire non eſt veritus. Quo factum vt
vna de ranarum ſpermate aliquid (id quod euentus
poſtea docuit)deglutierit; quod apud ipſum in vi-
uum tandem animal abiiſſe deprehenſum eſt. Is ali-
quanto poſt domum ad ſuos Thoruniam ſcilicet re-
uerſus, male habere cœpit, de torminibus ventris
conquerens, quo longius eo maius, ita vt eouſque
tandem increſcerent dolores, vt quotieſcunpue per
interualla (non erant continui) inuaderent homi-
nem,eiulans,plorans, ſe volutare & contrahere co-
geretur. Peſſime ſemper habebat ieiuno vẽtre,quo-
ties paulo diutius cibi ſumptionem differret. Poſt-
quam vero comediſſet,ſeque & comeſſatorem ſuũ,
quem in ſinu fouebat, vna pauiſſet, leuius ei erat.
Quoties vero beſtia illa ventriculum aſcendebat,e-
iuſque os affligere,vt puto,aggrediebatur,tum æger
non modo cruciatus patiebatur intolerabiles,ſed &
per cerebri conſenſum diros inſultus incidebat Epi-
lepticos, idque aliquoties ei accidit. Quoties vero
rependo per inteſtinorum ductus hærebat in inte-
ſtino quodam,quod non adeo profunde remotum
erat ab abdominis muſculis,ſeu à peritonæo,tum &
à me & ab aſtantibus aliis moles eius & motus ocu-
lis notari ac deprehẽdi, vox vero, qualis eſt coaxan-
tis ranæ,vel potius obſcurum quiddam grunnientis
vt ita loquar,bufonis,manifeſte ſatis audiri poterat.
Miſer plorare & lamẽtari nunquam fere deſinebat,
parum dormiebat, facies decolor apparebat ſupra
modum.Rem autem,vocatus ad eum auxilii gratia,
ita aggreſſus ſum & perfeci: ſingulis pene diebus ab
initio clyſterem ex mero lacte ei iniici curabam, à
quo is multum ſe ſemper leuari prædicabat: Hoc v-
num erat genus auxiliorum quod adhibui: alterum
erat quotidianus vſus antidotorum theriacalium:
tertium frequens iteratio medicamentorum electi-
ue purgantium. His tribus totum negotium confe-
ctum eſt ſpacio vnius menſis. Et iam annos ab eo
tempore tres adoleſcens ille degit ſanus,vegetus,&
validus. Non autem integra ab eo diſceſſiſſe viſa eſt
beſtia, ſed credo primum confecta medicamentis,
deinde partim calore natiuo ipſius ægri, partim me-
dicaminum aſperitate colliquata; diſſoluta & con-
ſumpta,cum deiectionibus alui ſenſim ſeceſſit,nun-
quam in id hoſpitium reuerſura. *Franciſcus Tidicæus,*
ſuis mihi communicatis obſeruationibus per Cl.V. Lauren-
tium Scholzium.

Obſervatio.

De ſerpente artificioſe è ventriculo extracto.

TRidentina mulier nutriebat iam longo tempore viperam aut ſerpentem alium in ventriculo non ſine maximo cruciatu. Hic cum nulla medicamentorũ vi eiici aut expelli poſſet, tādem bidui inediam non ſine difficultate,ſuſtinuit, adeo vt & infectum fame premeretur. Parata eſt pilula ex farina & melle eique hamus paruus filo alligatus includebatur. Ad demiſſam pilulam beſtia nonnihil aſcendens, ab ea deuoratur, ſicque nullo quaſi negotio cum filo fuit extracta. *Ex collectaneis Patauii conſcriptis Gaſp. Wolphius Tigurinus Medicus* communicauit.

CALCVLVS ET TARTARVS.

Obſervatio.

Lapides in ventriculo geniti oui gallinæ magnitudine, intolerabiles dolores excitantes.

NOnnulla congelantur in ventriculo, & lapidis formam induunt: & duo meo tempore exciſi ſunt,quorum ventriculis inerat lapis oui ferme gallinæ magnitudine,quorum alterum vidi, defunctũ tamen,ac cum diuideretur. Hi ambo intolerabilibus ventriculi doloribus mortem obierant. *Cardanus contradict. 9. lib. 2. tract. 5.*

Cæſari Tabernæ patritio noſtro,cum diu cruciatus ventriculi doloribus diſſectus fuiſſet poſt mortem: inuentus Lapis in ventriculo oui magnitudine. *Idem lib. 2. de ſubtilit.*

Laudabilis vir Magiſter Ioannes Iuliani de Foroliuio miſit ad me lapidem, ad communis nucis quãtitatem, vomitu expulſum poſt ſtomachi dolorem, & erat illius lapidis durities gypſi poſiti in ædificiis, & lapidis forma inſtar oui erat oblonga & rotunda. *Gentilis in comment. ad cap. Auic. lib. 4. Fen. 1. tract. 2. de febre ſextana & ſeptena, &c.*

Non ſolum lapides generantur in renibus & veſica, imo etiam in ſtomacho: quos quidam per vomitum eiiciunt. *Gilbertus Anglicus lib. 6. Compendii, cap. de lapide renum & veſica.* Ex quo Nicolaus & Arculanus repetunt.

Vgo refert cuidam ex ventriculo euomitos (lapides) *Thom. à Veiga, Comment. ad lib. 1. de loc. affect. Galen.*

Conſtat inter exempla, quendam lapidem nucis iuglandis magnitudine euomuiſſe. *Alex. Benedictus lib. 13. c. 22. De curand. morb.*

In anatomia apud veteres in cuiuſdam ventriculo tres lapides inuenti ſunt. *Theophraſt. Paracelſus in interpret. c. 1. tract. 2. lib. 2. de tartaro.*

In ventriculo hominis calculos rotundos, duros & albos colore inuentos Norinbergæ amicus quidam meus anatomes peritus mihi retulit. *Geſnerus Part. 1. c. 12. lib. Foßilium.*

Vidua Tanneri,egregii & illuſtris illius tornatoris qui in Gallia veneno, vt fertur, extinctus occubuit: ſemper conqueſta eſt de dolore ſtomachi, & multa tentarunt, ſed fruſtra, tandem obiit. Franciſcus Chirurgus vocatus ſecuit cadauer, & inuenit in ventriculo nouem lapides, craſſiſſimæ pituitæ immerſos æquãtes pondus vnciarum iiij ß. fere, vt ipſe chirurgus mihi dixit. Cum ego viderem, habebat pondus vnciarum iij. & drachmæ. ij. Maximus habebat figuram trigonam, reliqui erant rotundi, accedentes ad figuram oualem. *Ex obſeruat. Ioannis Heſſi: per Ioachim. Camerar. mihi communicatis.*

Marcus Albertus Cretenſis, quinquaginta duos annos natus,olim miles ſtrenuiſſimus,qui multa fecit tulitque puer, dum in triremi triginta quatuor annos egiſſet; tandem ad ſummam pauperiem adactus,incidit etiam in crudeliſſimum ventriculi dolorem, ita vt nullo modo comedere, nec tantillum alimenti admittere poterat: nam vbi aliquid alimẽti in ventirculo habebat, quietem nullam habere poterat,

terat,ſed magnis comprehenſionibus perinde erat ac ſi ſuffocari vellet.Ita vt ſolo vini potu per biennium fere integrum ſuſtentatus fuerit,incredibiles ſuſtinens dolores.Demum quæ Dei erant Deo reddés & naturæ tributum ſoluens 14.Septemb.1574.diem obiit ſuum.Quo defuncto, Clariſſimi atq; Excelléτiſſimi Domini Nicolai Gomaſci,patroni mei,ſuaſu, cadauer aperui, viſiſque primo inteſtinis,& aliis naturalibus viſceribus omnibus ſecundum naturam ſe habentibus ; ventriculum valde paruum, rugoſum,extrinſece plicis refertum,atque veluti contractum diſſecui,in quo lapidem inſtar oui reperi,non rotundum, aliquomodo aſperum, duriſſimum tamen & cinericei coloris; quo mundato & diligenter exterſo,ipſum ponderaui, & quatuor vncias boni ponderis librauit. Vnde Clariſſimus Dominus Nicolaus Gomaſcus valde admiratus, diligenter & ad multos vſus (vt aſſerebat) ſibi reſeruat. *Georgius Garnerius de obſeruat.propriis.*

DOLOR VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

Ventriculi dolor immenſus ab hepatis anadoſi natus, & ſanguinis per vomitum & phlebotomiam excretione leuatus.

QVod ſi ab hepate ſanguis non tranſmittatur, eius copia diſtentum ventriculum comprimet; illique dolorem vel grauiſſimum dabit, & præſertim ſumpto cibo ita complicabitur, vt dolor, nec ſumptis intro,nec foris admotis præſidiis,leuari poſſit. Quemadmodum lectiſſimo & prudentiſſimo viro Iacobo de Pleurre Tricaſſino Conſuli contigiſſe vidi,qui ab eo tam importuno dolore prius nō quieuit,factis etiam faciendis, quam naturæ beneficio. Quoniam enim ſtatim ab epulis eo grauiter conflictaretur, ecce nec opinato magna ſanguinis per os reiectio,qua derepente dolor ereptus eſt:Cui vt in poſterum occurreret, quoties eo premebatur toties miſſo ſanguine,eo liberabatur. Non abſimilis eſt hiſt.apud *Hipp lib.5.Epidem.* de viro quodam, qui in vehementiſſimo dolore ventriculi nullis aliis remediis adiutus eſt,quam phlebotomia. *Iacob. Douinet.lib.3.cap.1.Apolog.de Arthritide.*

OBSERVATIO.

Ventriculi doloribus exagitata quædam,bilis in vniuerſum corpus ſuffuſione liberata eſt.

MAtrona quædam diuexata doloribus ventriculi inſignibus, cum leipothymia, bilis flauæ effuſione in totius corporis ambitum euaſit, & curata fuit: quod argumento erat; dolorem non quidem in ipſo ventriculo, ſed in folliculo bilis habuiſſe ſedem,de quo nos admonuit etiam doctiſſ. Anatomicus noſter *I.Camerarius. de obſeruationib.Patauio acceptis & ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Medici decepti, coli cruciatum pro ventriculi dolore curarunt.

LAborare viſus eſt Medicis dolore in ventriculo exiſtente:cui cum omnia fruſtra adhibita eſſent auxilia, Paternus vocatus iuſſit clyſteri fortialuum ciere,& ſic deprehenſis eſt dolor extitiſſe in colo inteſtino,ea in parte,qua ventriculo ſubiacet connexum.*Idem.*

INFLATIO VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

Inflatio ventriculi curata.

ANno 1565. hortulanum curaui, cui ventriculus ex vetoſitate prominebat, ita vt fere abſceſſum metuerem. cui cum medicamenta flatus diſcutientia propinaſſem, adiectis quibuſdam amaris & detergentibus præſidiis, idem per vomitum & ſeceſſum. poſt multos ructus, vermes plurimos reiecit, ventriculo mox ſubſidente.His Hortulanus iſte, dū maximo ventriculi dolore & diſtenſione torqueretur,egregie conualuit.*Foreſtus lib.18.obſ.40.*

INFLAMMATIO VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

Ventriculi inflammatio,cum variis ſymptomatibus,& complicatis aliis morbis.

D Saluatoris medici vxor 18.annorum,cui nunquam menſtrua effluxerant,quæ multis menſibus antea laborarat quartana, ſplenem magnum habebat.Illi venter nōnihil intumeſcebat,licet nulla de re conquereretur,ita vt dubium eſſet, an prægnans.die 25. Octobr. incidit in dolorē ingentē ſcapulę lateris ſiniſtri, vix poterat corp⁹ mouere,febricitabat, conquerebatur de hypochondriorum dolore,maxime de ſiniſtro,vomituriebat, & ructus emittebat,venter admodum intumit, & ſubito difficulter ſpirabat, dentibus interdum ſtridebat; dolebant lumbi, potum appetebat, quem raro reiiciebat. Vires ſtatim proſtratæ 29. mane circa 2.& 3.obiit,ſemper mente conſtans. Ea mortua apertus fuit venter, ex quo ingens copia flatus erupit, fœtidus admodum: inter inteſtina & peritonæum multus humor aderat, circa latus ſiniſtrū apparuit pinguedo innatans,quæ ſuſpicionem præbuit, eſſe vel ex enematis,vel ex iuſculis; rem inquiſiuimus,inuenimus foramen circa mediam ventriculi partem, ad fundum,vbi iungitur epiploon cum ventriculo colum verſus ſiniſtrum latus,magnitudinis digiti.Epiploum,ventriculi tunica tertia,hepatis tunica, & ligamentum ſuſpendens, omnia erant putrida. ventriculus adhuc bene habebat. Intus continebantur multa nigricantia, ita vt videretur humor melancholicus. Pridie diei ſanguinem concretum longitudine dotrantali excreuerat, præter eum grumum nullum. Quum quæſtio eſſet orta, quis morbus eſſet, concluſimus fuiſſe inflammationem ventriculi, quæ ſuppurata eſſet, cauſam ſuſpicabamur forte fuiſſe excretū ſanguinem, vel à venis in ſplenem tendentibus,vel regurgitantem à ſplene, qui circa ventriculi tunicas impactus inflammationem peperiſſet.Sanguinem autem excretum exiſtimaui fuiſſe ab aliqua venula aperta,dum tumor rumperetur,ſplen detumuerat.Hęc hiſtoria notatu digna,Anno 1566. Octobr.23.à *Cl. Ioan.Bauhino* obſeruata eſt.

RESOLVTIO VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

Vitium ſtomachi (reſolutio) curatum.

INter ſtomachi vitia vulgatiſſimum eſt reſolutio, quę vel calidiore, aut frigidiore, humidioreue, vel etiam ſicciore habitu plerunque ſolet accidere. Nobilis quidam vir, Ioannes nomine, ciuis Neapolitanus, cum diu eiuſcemodi vitio laboraſſet, & ex Medicis noſtri ſeculi plurimi hominem curandum ſuſcepiſſent, nullum tamen inuenire auxilium idoneũ potuit. Quare cum Florentiam demum veniens me conueniſſet, & quæ hactenus ex Medicorum conſilio huic vitio adhibuiſſet, ordine enarraſſet, ex his quibus vſus eſt præſidiis facile cognouimus exiſtimaſſe Medicos omnes eum malo habitu frigido laborare. Nos vero & præcedenti curatione & aliis haud ſane obſcuris indiciis, longe aliter ſentientes, calidiore habitu eius affici ventriculum arbitrati ſumus. Quare ad auxilia conuerſi, quæ aridum iam, ac tabe pene cõſumtum corpus deſiderare videbatur: primo die ſolas lactuculas ex aceto & oleo commãducare præcipimus: quas cum vtiles ſtomacho atq; idoneas percepiſſet, iubeo dimittat balneum, frictiões, exercitationes, præſertim ſuperiorum partium vnctiones omnes & cibos calidiores, quibus hactenus vſus fuerat, & ad frigidos potius ac difficilioris cõcoctionis ſeſe conuertat. Vnde & veruecẽ magis quam auem, aut venationem, aut piſcem, niſi ſit generis durioris, in hac ſua ægritudine conlaudo. Potui quoque aptiſſimum illi vinum frigidum & auſterum, ineptiſſimum calidum & craſſum eſſe pronuncio. Quibus cum ille auſcultaſſet, ac diligentiſſime ea executus fuiſſet, hoc tantum genere victus & frigidioribus medicamentis vſus, infra duos menſes priſtinam recuperauit ſanitatem. *Beniuenius cap. 66. De abditis.*

ADSTRICTIO VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

De Adſtrictione ventriculi.

AFFECTVS ventriculi plures ſunt à quibus diuerſimode affliguntur ægrotantes, de quibus omnibus ſcribentes ſatis cumulate agunt, vno excepto, cuius ſolus meminit Aetius, qui eſt ventriculi adſtrictio; licet non ſit perinde exitialis, ac ii affectus de quibus iam egimus: tamen quia moleſta eſt hæc affectio, ſæpe ſolet accidere, & inducere medicos in maximas hæſitationes: ideo quid ſit hæc ventriculi adſtrictio, & quæ ei debeatur curatio exponam. Cum ventriculus laborat in coctione, neceſſario plurimæ fiunt euaporationes, quòd ſi cõtingat ventriculum tum quoad meatum ſuperiorem, tum quo ad inferiorem ita adſtrictum eſſe, vt nec flatus nec vapores ad extra poſſint erumpere, nihilque extra corpus ob cutis adſtrictionem vel exſiccationem euaporare queat, tunc fit accẽſio horum vaporum, incaleſcuntq; hi adeo, vt vniuerſum corpus æſtuet, præcipue autem pedum, & manuum extremitates, vnde frigiditatem quærunt, & facies rubeſcit, pulſus mutatur in denſitatem, & vt vnico verbo rem expediam, præbent ſenſum febris, multique, qui hanc affectionem vel non animaduertunt, vel ignorant, patientes febricitare ſuſpicantur, hæc affectio vt plurimum gignitur in aridis naturis, & condenſatam carnem habentibus, ſoletque ſæpe conualeſcentibus accidere; quia in his ſolet eſſe exſiccatio cutis, vnde nihil poteſt euaporare. hoc Medici ſæpè affirmant ratione iecoris fieri: quod tamen non ſemper eſſet aſſeredum, cum, vt iam dictum eſt, hoc etiam fiat ratione ventriculi ſuperius enarrato modo affecti, quæ affectio, celebrata coctione, & deſcendente cibo, per ſe multoties ſolet quieſcere, cauſa huius affectionis primo eſt imbecillitas ventriculi; ſecundo eſt adſtrictio cutis: ventriculus debilis facit plurimas euaporationes, cutis autem nihil admittit exhalare, vnde detinentur ſpiritus, qui deinde accenduntur, & prędicta ſymptomata inducunt. His poſitis, clare patet quid à medico agendum ſit pro curatione huius affectus: nam cum huius duæ ſint cauſæ, ſcilicet ventriculi imbecillitas, & cutis adſtrictio, non exiſtente in hoc morbo vrgentia, cauſis attendendum eſt. qua de re debemus remouere ventriculi imbecillitatẽ, quæ vt plurimum fit ratione intemperiei frigidæ. præterea eſt laxanda & humectanda cutis: roborato, ventriculo, pauciſſimæ fient vaporationes, laxata autem & humectata cutis genitas vaporationes, admittere, eaſque facilè diſcutere poterit. Pro tollenda intemperie ventriculi, & pro eo roborando, adminiſtrentur ea quæ in intemperie ventriculi frigida agẽda eſſe omnes ſcribentes docent: pro laxanda autem, & humectanda cuti, præſtantiſſimum erit balneum æquæ dulcis. ad idem faciet frictiones mediocres, inunctiones ex oleo chamęmelino vel ex oleo amygdalarum dulciũ. victus non ſit excrementoſus, nec ex eduliis difficilis coctionis, nec plurimus vna vice exhibeatur, ne ab eo vlla ex occaſione grauetur, & inde laboret vẽtriculus. potus ſit mediocris tum quo ad quantitatem, tum quo ad vini generoſitatem. Hæc eſt vera huius affectus curatio, quæ ſatis diſtat à cura Aetii. Aetius enim quaſi in hoc affectu ſit magna vrgentia attendit ſymtomati, non cauſę: vnde in principio affectionis & conſtrictionibus, & ligaturis, & frictionibus, & compreſſionibus partium extremarum, tentat retractionem caloris ad exteriora, vt calor naturalis non agens in nutrimentum, non faciat tantas euaporationes. ante augmentum autem, habita totius corporis cura, tentat carnẽ mollem & humectam reddere, ad hocque vtitur frictione olei cum nitro: quod remedium apud me ſuſpectum eſt, cum nitrum oleo mixtum, exſiccationem, nõ humectationem inducat. Vigore autem præterito, & inclinante morbo, iubet infundi manus, & pedes in aqua, ad hoc, vt vaporationes ad cutim diſcutiantur. quo tempore laudat etiam balneum ante cibum, pluribuſque iuuamentum hoc præſtitiſſe teſtatur, quæ tota curatio, licet conferre poſſit, tamen cum in hoc morbo non tanta ſit vrgentia, vt medicum à recta curandi ratione diſtrahere debeat, dimittatur, cauſiſque incumbendo, vera methodo affectus hic tollatur. *Salius de affect. particular. cap. 12.*

ATTRITIO VENTRICVLI.

OBSERVATIO.

Ventriculi attritione laborantis, ab inuaſione febris, in Antonino Imperatore, dignotio & curatio.

ID quod nuper in ipſo contigit Imperatore procul dubio mirandum eſt. Arbitrabatur enim tam ipſe, quam medici omnes, qui cum eo peregrinati fueran

fuerant, febris initium extitiſſe, verum decipiebantur vniuerſi ſecundo etiam die, mane, & octaua hora. Acceperat enim primo die prima hora ex eo medicamento, q amatum & ſacrum appellant: deinde quemadmodum ipſi mos erat ſingulis diebus, eo quoque die theriacam aſſumpſerat hora ſexta fere: poſtea lotus circa ſolis occaſum cibi parum acceperat. Cum itaque tota nocte torminibus & ventris profluuio vexatus ideo febriret, à medicis inſpectus, quieſcere iuſſus eſt, atque nouem horis ab eiſdem ſorbitione ſuſtentatus. His ita peractis, accerſitum nos venit Imperatoris nomine, neſcio quis accenſis funalibus, vt ipſe in palatio cubarem. Quamobrem ante ſolis ortum, cum tres eſſemus, qui Imperatorē viſerent, & eius pulſum attingerent, cæteris febrilis cuiusdam annotationis principium adeſſe viſum eſt, mihi vero ſilentium ſeruare: atque ideo conuerſus ad me Imperator, quidnā eſſet, poſtulauit, quod cum reliqui pulſum attigiſſent, ſolus ego non attigerim: cui ego reſpondi, hoſce, te cum bis iam tetigerint, ac forſan alias ſæpe, dum tecum in exercitu eſſent, expertique ſint pulſus tui naturalem habitum, me melius præſentem affectum cognituros ſpero. His dictis iubente illo vt ſe tangerem, acceſſi: & perpenſo ad ætatis & naturæ menſuram pulſu, plurimū ab eo differre, qui febrilem annotationem ſignificet, reſpondi. Febris quidem inſultum eum mihi non videri, ſed eius ſtomachum atteri ab aſſumto cibo, antequam excernatur, æſtuante. Tum ille dignotionem noſtram laudans, ter hęc verba ſubiūxit: Hoc eſt, hoc ipſum eſt, quod dicit: ſentio enim me frigido cibo grauari. Quæ cum dixiſſet, quid opus eſſet factu, poſtulauit: cui ego, quæ nouerā, ſubieci in hunc modum: ſi quiſpiam alius eſſet, qui hoc morbo laboraret, bibendum ipſi dediſſem, quemadmodum ſolitus ſum, vinum pipere inſperſum. vobis autem regibus, quibus tutiſſima remedia medici admouere conſueuerunt, lanæ manipulum, nardino pigmento calido intinctum, oſtio ventriculi imponere ſufficiet. Tum ille, alias quoque, ſubiunxit, ſolitus ſum purpuream lanam, & nardinum pigmētum calefactum ſtomacho ſuperimmittere, quoties moleſtus mihi eſſe cæpiſſet. His dictis, Pitholaum facere imperauit quæ præceperam, & ſimul nos dimiſit. Poſtquam vero & vnguentum ventriculo impoſitum eſt, & pedes calidis manibus attrectati incaluere, vinum ſabinum popoſcit, atque pipere inſperſo bibit. Subindeque ad Pitholaum conuerſus, vnum inquit Medicum habemus, eumque ſane liberum. Vndeque alia de me dixit, quæ poſtea ſemper in ore habui, tibi non incognita, me principem locum inter Medicos tenere, & ſolum philoſophū eſſe. Expertus namque multos fuerat, non ſolum auidos pecuniæ, ſed & ambitioni & gloriæ deditos, & inuidos, & malignos. Quemadmodum enim dicebam, non eſt à me quicquam maiori dignum admiratione, quam hoc, animaduerſum. Cum enim ab omnibus, qui ſe ſtrenue in pulſibus tractandis exercuerant, quorum vnus & Archigenes fuit, quodnam eſſet febrilis inuaſionis peculiare ſignum quæreretur, atque alii ſecum deprehendere dicerent, quando contrahi arteria incipit, alii contra ne ſentiri quidem arteriæ contractionem affirmarent. *Galenus de præcognit. ad poſthum. cap.* 11.

Mihi, licet ſim nunc ſenio confectus, ſolum bis in vita mea caſus iſte innotuit. Primo fui vocatus ad caſtrū Burgari Maſini pro domino Stephano, ex nobilibus eiuſdem caſtri, qui ſtatim, cum acceſſi, dixit mihi: ego nō vos vocaui vt ſperem ſanitatem recuperare, ſed ne videar omnino vitam negligere: vnus enim auunculus meus ex tali ægritudine dies clauſit extremos. Ego dans ei bonam ſpem ſalutis, volui ſuæ cœnæ intereſſe, vt omnia accidētia poſſem perpendere. Statim cum cœnaſſet totus frigidus vt glacies factus eſt, pulſus omnino contractus, ita vt vix ſentiretur, cum tanta anguſtia, frequentia, & compreſſione anhelitus, vt ſtatim præfocari videretur: perſeuerauit in eiſdem ſymptomatibus ſpatio trium vel quatuor horarum, deinde paulatim remiſſa ſunt omnia. Ego vero memor loci allegati à Galeno dixi: Eſtote bono animo, ſpero enim Deo fauente vos liberare ab hoc morbo. Mane ſequenti feci pedes cū pannis calidis fricare, & fricationibus fortibus calefacere, deinde lanam ſuccidam carminatam, decenter in oleo nardino calido infundere, & ſuper ſtomachum applicare, ſuperponendo pannos calidos: deinde dedi ei drach. j. piperis puluerizati inuoluti in hoſtia vel nebula madefacta in vino: poſtea dedi eidem circa tres vncias boni vini calidi, feci voluere piper in hoſtiam vt euitaret ardorem eius quem feciſſet in gutture: & illinc ad horam feci eum cibare. Teſtis ſit mihi Deus, quod nunquam poſtea minimam partem ſenſit illius paſſionis, cum iam plus quam per menſem ea ordinarie poſt omnem cibationem infeſtaretur.

Secundo cum eſſem vocatus pro magnifica domina Collaterala ex comitiſſis Plotzaſchi, habebat pediſſequam ſimili paſſione laborantem, quæ eiſdem remediis fuit ſtatim ſanata. *P. Bayrus, pract. lib.* 11. *cap.* 9.

DE LIENTERIA ET COELIACA.

CAVSA.

OBSERVATIO.

DE *Lienteriæ cauſa noua & ſingulari*, ex ſententia Medicorum Hermeticorum, conſule locum & titulum *Dyſenteriæ*, circa eiuſdem cauſam. *Schenkius filius.*

OBSERVATIO.

Lienteria & vomitus, ac ſubuerſio ventriculi, vno ferme die naturali curata.

QVidam hic amicus meus, homo ingenioſus, cōſtitutione corporis gracili, ac ventriculo debili ex intemperantia nimirum, ac potiſſimum magna ingurgitatione carnis porcinæ, incidit in vehementiſſimam ἀνατροπὴν ventriculi, & lienteriam admodum moleſtam. Quarto die vocatus, exhibui illi oleum Menthæ ſtillatitium ad aliquot guttas cum ſucco Cydoniorum, & pauca aqua Cinamomi. Vētri vero apponi curaui cataplaſma ex fermento, maſtiche, mentha, cum aceto roſaceo & vino generoſo ſubactum, ac inunctio addita ex ol. Menthæ, Maſtich. & Abſynth. Quibus rite factis, poſtridie non ſine admiratione meliuſcule ſe habuit, & per Dei gratiam poſt paucos dies plane conualuit. *De obſeru. Cl. V. Ioach. Camerarii.*

OBSERVATIO.

Lientericorum memorabiles hiſtoriæ & rariores.

Fiunt nōnunquam fluxiones vitio alicuius viſceris,vt inflammatione hepatis, tumore lienis, & ſimilibus,quæ ad alia capita referri debent. Memini me fluxū quēdam diuturnum in multis obſeruaſſe, in quo varia opima, nigra cœrulea,viridia, ſatis corpulenta excernebantur.Ex quo alios euaſiſſe,vt Aduocatum De la Vergne Anglum, Pœdagogum filii legati Angliæ, & alios, vidimus; alios interiiſſe, vt Malicornium Ducem celebrem peditatus in exercitu,Haulemanum fabrum argentarium, & ſimiles. Omnibus fere vitium in viſceribus, & vlcus in poſtremo inteſtino. Dominus Datichii in vico Templi, poſt ſextum annum, quo eo morbo laborauerat,interiit,obſeſſo hepate multis vomicis, ſyderata parte meſenterii. Gorręus eo morbo in ſecundum annum functus conualuit. His,qui conualueru nt, interuallis idem morbus rediit, vel dyſenterica excremēta. Anno 1558. autumno dyſenteriæ ſalutares iiſdem excrementis. In fine purulenta egerebant. *Scholiographi ad cap.41.lib.1. Hollerii De morbis internis.*

OBSERVATIO.

A morbo cœliaco clyſtere lacteo curatus.

IN ipſius ventriculi porta morbus naſcitur, qui à Græcis κοιλιακὸς appellatur. Dureſcere ſub hoc venter ſolet & torminibus premi, aluuſque ipſa adeo nihil reddere,vt ne ſpiritus quidem infra, ſed nec ſupra erumpere poſſit. Paulus, pater meus, haud mediocris ingenii ac doctrinæ vir, hoc morbo male vexatus,cum diu multa ac varia auxilia, ſed fruſtra, expertus eſſet; Clyſtere ex ſolo lacte cōdito,in ventrem iniecto, ac multis ſubinde ſtrigmentis depoſitis,ad priſtinam reuerſus eſt ſanitatem. *Beneuenius c. 106. de Abditis.*

DE CHOLERA.

MORBI ET CAVSAE DESCRIPTIO.

OBSERVATIO.

Choleræ morbi variis cauſis & humoribus excitati, hiſtoria admiranda.

CVM eram puer, Cholera ruri affectus fui,ex nimio phaſeolorum eſu, cæparum,vuarum,& potus muſti,facta eſt mihi maxima in ventre perturbatio, cæpique euomere & excernere crudos cibos, & ſemicorruptos per ſpatium fere vnius horæ:cum maxima flatus copia,eram ſine febre,poſtea obdormiui & ſine morbo ſurrexi & ſymptomate aliquo. Vidimus nonnullos ex ſolo muſti potu choleram incidiſſe.

Cum ſint in humano corpore quatuor humores, ex vnoquoque horum choleram fieri poſſe fatemur ſed ex bile potiſſimum fit, & maior pars fit præcedente bile,& aliis conſequentibus humoribus, & ichoribus ac cruditatibus, & cibis ſemicrudis, cum vero fit ab vno humore puro,ſemper eſt periculoſiſſima, quoniam ſyncerum humorem exire,ab Hippocrat.& Galen.ſemper periculoſum iudicatur. Sed aliquis dicet,non videri fieri poſſe à ſanguine vel ab atra bile,imo nec à pituita, quia non ſtimulat, & atra bilis ſemper necabit, ſanguinem vero natura ſemper retinere conatur, dicimus ab omni humore & etiam à ſanguine fieri poſſe. Curauimus Magnificum Comitem Iulium Boiardum Scandiani Principem virum, in liberalitate nulli ſecundum, qui quotidie ſtatuta quadam hora, cum febris acceſſio ſuperueniret, copioſum ſanguinem & per os euomebat, & per inferna deiiciebat, cum maxima ventris perturbatione & dolore, & membrorum contractione,& caſu in ſyncopen,à qua cum liberabatur, referebat ſe perſentire miram ſuauitatem, ſanguis à iecore ad meſaraicas & ad inteſtina atque ventriculum regurgitabat, qui & vomitum faciebat,& deiiciebatur per inferna. Aliquis tamen dicere potuiſſet fuiſſe ſanguinem bilioſum, profecto erat bilioſus ſanguis & atrabilaris, Deo annuente conualuit, hunc motum quinquies habuit ſemper in acceſſionum initiis.

De atra bile quæ choleram induxerat curauimus Dominam Luciam Roncagallam magiſtri Toſini vxorem,quæ mira cum turbatione ac dolore atram bilem vel ſanguinis fæcem nigerrimam euomebat & excernebat, hoc ſex dierum ſpatio mira cum vehementia perpeſſa eſt, quam nos ex Hippocratis ſententia morituram iudicauimus, tamen adhuc viuit,& annus iam elapſus eſt quod vexabatur, tamen & adhuc dolore quodam in lienis parte vexabatur.

De ichoribus ſuperioribus diebus curauimus Dominam Philippam Zaninellam,quæ ex ichorum perturbatione & motu fere obiit, nam quatuor horarum ſpatio pulſum amiſerat, vt nihil ſentiretur arteriæ motus.

Quandoque facta ex frigidæ aquæ potu, vel ex balneo aquæ frigidæ ventriculo infrigidato, vel ex frigido epithemate ſupra ventriculum poſito, in hoc caſu natura læſionem ſentiens à frigore factam, corporis humores illuc tranſmittit,vt læſioni occurrat, qui cum à ventriculo ob frigiditatem, quam ex frigida contraxit,domari non poſſint, inordinate & ad vomitum & ad ſeceſſum mouentur.

Quendam vidimus qui in choleram incidit,cum aſſuetus erat diſcalceatus incedere,& nonnunquam nudis pedibus ſupra frigidos lapides & marmoreos ambulauit, vt ex frigiditatis pedum affectu ſimul compateretur ventriculus.

Alium vidimus choleram incidiſſe qui ſingulis diebus æſtiuo tempore pedes frigida aqua ſibi lauabat. Eſt enim maxima compaſſio illa quam os ventriculi cum pedibus habet.

Vxorem meam dilectiſſimam & fœcundiſſimam ex fungorum eſu incidiſſe choleram vidimus,& valde periculoſam, & ab eo tempore adeo affecta eſt, vt ſi fungorum odorem perſentiat, ad vomitum protitetur,Galenus iubet fructus omnes eſſe in prima menſa inſumendos, & omnia quæ ſunt concoctu faciliora, vnde qui fructus comedunt & copioſe in vltima menſa, vt ficus, mora,ceraſa, armeniaca, pepones, melopepones, hi facile choleram incidunt,& magnam nucleorum pineorum copiam. ex cucumerum eſu multos vidimus qui choleram incidere. fieri ſolet Ferrariæ acetarium ex porrulaca, cucumere, & cæpa, oleo, ſale, & aceto conditum,

ex ma-

ex magno & ſedulo huius acetarii eſu choleram incidiſſe vidimus, & curauimus, ſed cum ſemel tantū ederint, facilius curantur, quam cum copiam crudorum humorum ex multis vicibus aggregarunt. *Braſauolus, comment. in lib. 4. ſect. 103. Hipp. de rat. vict. in morb. acutis.*

Observatio.

Choleræ ex flatibus potiſſimum concitatæ & curatæ hiſtoria.

PEtronella vxor Sasboti Bokelli cereuiſiarii Delphenſis, anno 1560. 19. Martii die cum in cholera tam noctu vehementiorem incidiſſet, cum torminibus ventris, doloreque intolerabili, & maximo cruciatu & anguſtia, ita vt ſuræ ac crurum muſculi valde conuellerentur, frigidumq; exſudaret, ita vt me ex lecto tunc vocauerit; cùm animaduerterem, ſimul flatus adeſſe, ſtatim exhibui cimini parum pulueriſati cum cereuiſia, dum in officina decoctum hordei communis parabatur; cuius decoctionis dedi vncias iij. addendo pro maiori deterſione ſyrup. ex infuſ. roſ. vnciam j. mellis roſ. colati vnciam ß. miſc. & deinde totum ventrem inunximus cum oleo anethino, & chamæmelino ſimul mixtis, ob dolorem, quibus præſidiis ſtatim miraculi inſtar fuit curata; vt aliis remediis opus non fuerit. *Foreſtus libr.* 18. *Obſeruat.* 48.

Observatio.

De cholera ſicca.

CHolera eſt duplex, altera humida, cuius curationem ſatis diffuſe omnes ſcribentes docent; altera ſicca, de qua tantum *Hipp. lib. 4 reg. acut. à* 104. *tex. vſq, ad* 109. In vtriuſque eſt expulſio materierum per ſuperiora & per inferiora. ſed in humida educuntur humores, & liquidi ſucci: at in ſicca nihil humidi expellitur, ſed tantum ſpiritus flatuoſus, acris, tum per ventriculum, tum per inteſtina excernitur. illa eſt acuta, & periculoſiſſima affectio, hæc autem licet non ita diſcriminis ſit plena, tamen moleſtiſſima eſt, & valde ægrotantes angit. vnde, ſicuti illa nequaquam eſt ignoranda à medico, ſimiliter & hæc non eſt ignoranda. qua de re propoſita eſſentia, cauſis, & ſignis, huius curationem etiam explicabo. Arida cholera eſt affectio genita à ſpiritu flatuoſo, acri, qui & per ſuperiora, & per inferiora excernitur, quique, cùm acris ſit, & partes internas, in quibus genitus eſt, mordet, & eas, per quas in eductione pertranſit, exaſperat & affligit. Vnde ſequitur, quod in hoc affectu venter propter ſpiritum inflatur, & quod partes prope ventrem neruoſæ, ſicuti latera, & lumbi, ob acrimoniam mordeantur, à flatuque illo contento, ex quo aliquando diſcurrente fit ſtrepitus, intendantur, hincque dolorem patiantur. quod idem in excretione huius ſpiritus flatuoſi, & acris euenit: nam extra miſſus, & partes inferiores mordet ac exaſperat; & ſuperiores, cum præcipue os ventriculi ſit valde ſenſitiuum, admodum ob eius acrimoniam affligit, qua de re & ſi retinetur, ſiue educatur hic ſpiritus, valde moleſtus eſt, in hacque affectione aluus nihil deiicit liquidi, cum retineatur materia à qua illi ſpiritus acres eleuantur, ſed adſtringitur. quapropter concludens dico: aridam ſeu ſiccam choleram eſſe affectum, in quo, inflato ventre & obſtrepente cum dolore laterum & lumborum, nihilque aluo deiiciente, excernitur per ſuperiora, & per inferiora ſpiritus acris admodum moleſtus, huius ſpiritus acris cauſa quærenda eſt, quoniam hoc habito, cauſas ſiccæ choleræ habebimus. Acres vapores & ſpiritus in corpore humano duplici de cauſa generantur. ſ. vel ratione ventriculi, vel ratione aſſumtorum. ratione ventriculi fiunt, cum ventriculus cibaria, licet in his non ſit peccatum, corrumpit, & ita corrumpit, vt ea conuertat in acerrimos vapores, quod non alia fit ex cauſa, quam propter eiuſdem igneum calorem, quare igneus calor ventriculi erit altera cauſa choleræ ſiccæ. ratione autem aſſumtorum fiunt hi acres ſpiritus, cum in alimentum ſumuntur cibaria acria & flatuoſa, ſeu quæ nidorulentam & fumoſam habent qualitatem, qui nidor in materia ſemiuſta & acri fundatur, ſicuti ſunt cæpe, raphanus comeſtilis, & cæteræ radices acriores, eruca, caro nimium toſta & aſſata, oua, & cætera in ſartagine nimium frixa, & cætera quæ conſimilis ſunt qualitatis. Hæc autem ingeſta, vbi corrumpuntur, acerrimos procreant vapores, & ſunt in cauſa choleræ ſiccæ. cauſis habitis ad ſigna deueniendum. Signa præſentis choleræ de ſe patent, conſideratis his quæ pro eius eſſentia explicanda ſuperius declarata ſunt. ſigna autem differentiarum à cauſis (quoniam conſiderandum eſt an ſit vitio vel ventriculi, vel aſſumptorum) habebimus, ſi percunctabimur quali victus genere vſus ſit ægrotans. ſi enim optimo vſus eſt, iudicabimus hoc factum eſſe ratione ventriculi, in quo igneus vigeat calor. ſi autem cibaria praua aſſumpſerit, ratione aſſumptorum coniectare poterimus factam eſſe choleram: quod ſi ambæ concurrent cauſæ, vtrarumque etiam indicia aderunt. his præmiſſis, curationem aggredior. In hac Cholera quæ contriſtant ſunt flatus & vapores acres; ergo his incumbere debemus, vt affectionem hanc remoueamus: quæ remouebitur, ſi hi flatus vel educantur, vel temperentur, quod præcipue fiet educta, vel temperata materia à qua hi vapores eleuantur. temperabimus autem, ſi vel contemperantia adhibeamus, vel materiam, vnde generantur hi vapores, concoquamus, vel, ſi eandem temperare & concoquere non poſſumus, educamus. quare primo debemus tentare an hi flatus & hæc materia poſſit retundi & temperari. quod ſi non detur, ipſam debemus euacuare. Hoc non erit difficile Medico perficere, cum in hac cholera non ſit nec acuties, nec diſcrimen illud quod eſt in humida, & cum facile ſit hos flatus & has materias vel contemperare, vel à corpore educere, vbi recta methodo agatur, & non ea communi ratione, qua vtuntur vulgares Medici, qui in omni genere flatus ſemper eadem remedia calidiora adminiſtrare conſueuere. recta autem aget ratione Medicus, ſi ea quæ docet Hippocr. pro curatione huius affectus attendat. hic autem & pro diſcuſſione, & retuſione, & eductione tum flatuum, tum materierum acrium ita plura præcipiendo procedit. Primo quoniam ſupponit materiam inteſtinis contineri, parumque eius exiſtere in ventriculo, prohibet vomitum, & præcipue cum materia peccans ſit materia arida, & quæ facile non educitur per vomitum, & quæ, ſi educeretur, in tranſitu maxime mordere os ventriculi poſſet. Secundo iubet ſubduci ventrem oleo plurimo calido & pingui.

hinc duorum alterum habebimus; nam vel retundetur, & lenietur morſus & acrimonia, vel ſubducetur materia & flatus peccans. Tertio ordinat Hip. balneum & perfuſionem olei & aquæ dulcis: quod facit ad concoctionem, & contemperantiam, & diſcuſſionem vaporum acrium. Quarto imperat ſomnum, & dormiendum eſſe. quod maxime conferre poterit ad coctionem concentrato calore, & præcipue cum ſomnus omnibus cruditatibus maximo eſſe remedio conſueuerit. Quinto vinum tunc antiquum & meracius exhibendum eſſe proponit. quod vinum & ad diſcuſſionem flatuum, & ad materiæ coctionem facere poterit. Sexto præcipit, perſeuerante affectione, propinandum eſſe oleum per os: quod cum ſupponat dulce eſſe, & pingue, facit ad ſiccitatem emendandam, ad acrium retuſionem, & ad alui ſubductionem. Septimo, vt coctio facilius procuretur, iubet abſtinendum eſſe à cibo, & ab omni motu. nam cum coctionem deſideramus, cruda non ſunt ſuperingerenda. quieſcereq; debemus, cum quies, ſi quid aliud, ad coctionem faciat. Vltimo, aliis non conferentibus, euacuandam eſſe materiam peccantem docet; & ad hoc exhibet lac aſinæ quod omnibus cæteris medicamentis in caſu iſto præfert, quoniam ex lacte maiorem quam ex prædictis acrium temperantiam ſperat, cum hoc ſimul & euacuet, & refrigeret. hacque via; & propoſitis auxiliis credit Hipp. choleram ſiccam curari & tolli poſſe. In qua arida cholera nõnunquam corruptio materierum acrium talis eſt, vt febrem accendat; & tunc fit febris diaria ex cruditate nidoroſa. quam febrem curare docet: *Galen. lib. 8. Methodi cap.* 5. in quo loco ponit curationem febris ex ea cruditate, in qua cibi in nidorulentam qualitatem conuertuntur. Vbi diſtinguit, quod fit hęc febris ex tali cruditate, vel fluente aluo, vel non. poſita primo cura quando fluit, ſecũdo declarat quomodo ſit curanda ea in qua non fluit aluus. qui eſt caſus præſentis choleræ ſiccæ. Vnde ait primo conſiderandum eſſe an cibus in gracile inteſtinum, vel in colon deſcenderit: quod habebitur ex peractis præcordiis & ventre, & interrogato ægro, in qua parte morſum, vel grauitatem ſentiat, & quos habeat ructus. Si in inteſtina tenuia tantum deſcendiſſe deprehendatur alimentum; iubet diatrion piperion exhibendum eſſe, & præcordia ventremque perfundendum eſſe, quæ perfuſio & tempore diuturnior, & quantitate copioſior ſemper eſſe debet in his, in quibus alimentum corruptum eſt in ſuperioribus, quam in his, in quibus eſt in inferioribus inteſtinis. Ad quæ inferiora inteſtina ſi deſcendiſſe deprehendatur hæc materia corrupta, educenda erit vel glande ſuppoſita, vel clyſtere leui iniecto, hac habita diſtinctione, quod ratione morſus, mitigantia, ratione flatus; diſcutientia infundantur; ſi neutrum adſit, ſimplici & molli clyſmate agatur. Vacuata aluo; monet ſtatim nutriendum ægrum cibo contemperanti & leui, ſicuti ptiſana, alica, teſticulis pullorum gallinaceorum, piſcibus ſaxatilibus albo iure paratis, & ſimilibus. quibus peractis, ſi plane deſiit febris, balneum concedit: quod ſi ea in totum non quieſcat ſed quid febrile remanſerit, etiam vſque ad ſecundam, & tertiam diem eodem genere victus vti præcipit; poſt quas ſimiliter, ceſſante omnino febre, balneum admittit, & hæc eſt curandi ratio à Galeno tradita, quę non multum diſtat ab ea quam propoſuerat Hippocrat. Verum quoniam ex vtriſque credo ego perfectam aridæ choleræ curationem haberi poſſe, vt res integra habeatur, nonnullaque diſcrimina tollantur, rem ad actum practicum deducens, ita ego curationem explicabo. In caſu iſto intentio eſt contriſtantium euacuatio, quæ contriſtant, ſunt flatus & vapores acres, qui eleuantur à materia conſimili corrupta, & genita vel ratione aſſumptorum, vel ratione ventriculi; quorum euacuatio ſi haberi non poſſit, ſaltẽ per contemperantia eorum morſus & acrimonia retundatur; quare pro his intentionibus imponatur primo (ſuppoſito quod materia ad inferiora extra ventriculum deſcenderit) clyſtere ex puro oleo admodum dulci, vel ex oleo ſem. lini, vel ex camomelino, in quibus pro retundenda acrimonia aliquid pinguedinis anſerinæ vel pullinæ liquare poſſumus. quod ſi magis flatus extenſione & multitudine quam acrimonia infeſtent, in his oleis concoquantur ſemina odorata, & alia quæ poſſunt flatus diſcutere, vel ex eiſdem decoctiones parentur, quibus pro clyſmate addantur olea & pinguedines prædictæ. Inungatur etiam, & profundatur ventriculus, ac præcordia, & maxime vbi hæc affectio ratione aſſumptorum contigerit, oleo nardino, ſpicato, de abſynthio, maſtichino, & ſimilibus. quod ſi non ratione aſſumptorum, ſed ventriculi vitio hoc factum ſit, inungatis ventriculum & prædictas partes oleo mellino, vel roſaceo completo. quod ſi adſit incendium, in ventriculoque plurimum abundet ignei caloris, poſſumus eum perfundere omphacio, quod à *Galen. libro 4. de ſimpl. med. facult. cap. 3. & cap. 12.* ad æſtuantia hypochondria celebratur. poſſumus etiam ad idem parare emplaſtra ex pulpa thamarindorum, vel ex carne citoniorum, additis roſis rubeis, ſandalis, hypochiſtide, œnanthe, balauſtiis, farinaque hordei, quæ omnia miſceantur, & impinguentur oleo mellino, & roſaceo: quod ſi his actis dolor, & morſus perſeueret, cogitandum eſt de remedio quod ſimul poſſit euacuare & contemperare; tale poterit eſſe oleum dulciſſimum epotum, ab *Hippocrate libr. 4. reg. acut.* propoſitum, & à *Galeno libro 2. de ſimpl. med. facultat. cap. 13.* celebratum, ad cuius conformitatem oleum amygdalarum dulcium maxime probatur, & conſimiliter oleum ſem. lini recens, quod valentius omnibus poteſt & euacuare & diſcutere flatus. Quo oleo exhibito, ſi non cedat affectio, flatuſque abundet, ex Hippocrat. ad diſcuſſionem & coctionem vinum tenue, antiquum, & merum, ex Galeno autem diatrionpiperion exhibebimus: hocque intelligatur, niſi ſummum adſit incendium; & hæc eſt mens Galeni; qui ſemper æſtuante ventriculo & præcordiis, vt docet in curatione cruditatis nidoroſæ, in qua fluit aluus, calida abhorrens ad frigerantia recurrit. quare non eſt quod in hoc reprehendatur ab Alexandro, ſicuti & in perfuſione ventriculi; quoniam vbi ſit ventriculi intemperies calida, in eoque igneus abundet calor, refrigerantia adminiſtranda eſſe iubet: at vbi hoc non adſit, ſed facta fuerit corruptio iſta ratione aſſumtorum, calida exterius & interius, tum ad diſcuſſionem, tum ad coctionem procurandam cõueniunt, cuius ratione etiam Hipp. merum imperat, quod vbi adeſſet incendium omnino cauendum eſſet. His non

confe-

conferentibus, pharmaco hæc materia educenda erit. ad quam intentionem exhibet Hipp. lac aſininum, quod ſimul poteſt temperare & euacuare. ſed cum nos non habeamus in vſu tale medicamẽti genus, ſi in vſum idem reuocare non volumus, aliquid ſimile exhibeamus, quod vna euacuet & acrimoniam vaporum retundere poſſit; cuiuſcemodi erit caſſia, quæ in ſimili caſu mihi maxime probatur: verum ne ex hac lædatur ventriculus, flatuſve exacerbentur, admiſcerem parum hyeræ, & ad leniendas ſimul vias adderem nonnihil ſucci liquiritiæ. Vacuato autem corpore, nullaque præſente febrili acceſſione; ſi non quieſceret in totum affectio hæc, balneum valde probarem, & inunctionem totius corporis, per quæ contemperantiam acrium vaporum, & vna digeſtionem ſperarem. Interim victu cõtemperante vtantur, ſicuti ptiſana, lacte, chondro, ouis ſorbilibus, teſticulis pullorum, piſcibus ſaxatilibus, & quæ huiuſce ſunt ordinis. Vinum à principio vitent, quod poſtea conuenit in declinatione, & vrgentibus flatibus, vbi non ſit incendium. quieſcant ab omni motu, ſomnum quærant, & omnia acria, frixa, aſſata, & nidoroſa fugiant. *Salius de affect. part. cap. 13.*

TVMORES VENTRICVLI.

Observatio.

Tuberculum ventriculo innatum, ruptum, exolutionem, vomitionem, animi defectionem, & tandem mortem attulit.

NOs, Illuſtriſſimum Alphonſum Ferrariæ Ducem, in cura habuimus, in cuius ventriculo tuberculum diſruptum eſt, hic habuit copulatim hæc omnia ſymtomata, exolutionem, vomitionem, animi defectionẽ, imo & mentis alienationem, & alia multa ſymtomata, & ſecunda die à diſruptione mortem. *Braſauolus Comment. ad Aph. 8. lib. 8. Hippoc.*

Observatio.

Apoſtemate ventriculi laborans, regiæ curationis pertæſus, bellebori potione extinctus eſt.

QVidam cùm apoſtema in ventriculo haberet, ac legitimo curandi modo ſatis bene haberet, pertæſus longioris curę, hominis circumforanei ſuaſu, hellebori adulterini vulgaris decoctum ſumſit, & altera die ſubito concidit & expirauit. *Bruno Seidelius pag. 50. libri de Morb. incurabil.*

Observatio.

De Apoſtemate frigido ventriculi, ac diuturno, in abſceſſum & pus tranſmutato, atq; curato.

PVella paupercula, octodecim annos nata, in platea Diui Petri dicta Alcmariæ habitans, per integrum annum circa ſtomachum intolerabili dolorẽ cruciabatur: quæ cùm medicis nõ vteretur ob paupertatem, forte fortuna me tranſeuntem vicini ad puellam introduxerunt. Magnũ tunc tumorem circa mucronatam cartilaginem conſpeximus, valde eleuatum & duriorem, tactui reſiſtentem, quem locum cum leniter attingerem, ferre non poterat. Crura autem, tum reliqua membra, ſtomacho non concoquente, macie cõſumta videbãtur, nutritione minus accedente. Præ nimio dolore miſera exclamabat ſe apoſtema & abſceſſum in ſtomacho habere: quod & ſigna pręſentia indicabant. Aſtantes mulierculæ, neſcio quæ non adhibuerant ad dolorem tollendum; prius exiſtimantes, hunc dolorem tanquam ventoſum ſe poſſe auferre tegula calefacta appoſita; modo etiam tabula lignea, vt vulgares facere ſolent; eaque externa cauſa vel ſimili, ſua caliditate materiam ad ſtomachum conuertunt; eaq; attracta, cum non poſſit debite à natura regulari, poroſitates concauitateſq; medias ſtomachi ſubintrat, ac vnitatem ſoluit, ac apoſtema per ſe aliquando inducit; talis error plerunque ab aſtantib. imperitis inducitur, etiam ſubinde à Medicis indoctis, dum ventoſam magnam ventriculo, corpore impuro exiſtente, apponũt, vel pannos calidos, aut frictiones fortes ventriculo adhibent, idque in principio, exiſtimantes omnem dolorem ex ventoſitate oriri. Cum hæc itaq; integro anno dolore confecta, ad extremã maciem deueniſſet, facile ex ſignis præſentibus intelleximus ibi abſceſſum diuturnum frigidumque adeſſe, cum nulla ſiti premeretur, quanquam ſubinde leuiter febricitare videbatur. Et quum iam longo tempore aluum non depoſuiſſet, & libenter clyſterem iam emollientem prius inieciſſem, quem nullo modo admittere volebat, mandaui ob dolorem vt talis fotus fieret, prius epoto decocto ſequenti, parato ex foliis ſenæ, foliis caulium rubrorum, ſcabioſæ, (quæ omnia apoſtemata interiora reſoluit; vel maturat, vel rumpit; quod non ſolum in hac puella, ſed etiam in alio abſceſſu interno ſiue pectoris, ſeu alterius cuiuſcunque expertus ſum,) ficubus adiectis, & vuis paſſis abſq; atillis, dentis leonis, (ob febriculam) foliis maluæ, & rad. altheæ, decoctis in ſero lactis: qua bis in die, cum paupercula eſſet, vtebatur, ad aluum emolliendam: quæ licet in principio minus cõueniſſent; tamen hic, cum in declinatione diu malum extitiſſet, & maturatione opus eſſet, commode hoc decocto vſi ſumus; tum fotu ex decoct. folior. maluæ, rad. altheæ, flor. chamomill. menthæ & abſinthii vtriuſq;, tam ad dolorem ſedandum, quam ad maturationẽ; reliquiis contuſis, & butyro recenti mixtis, cataplaſmatis modo ſtomacho appoſitis. & præter ſpem intus ruptum eſt apoſtema; & abſceſſus ille annuus, vomicæ inſtar: & euomuit ſaniem ſanguinolentam: & per inferiora ſatis copioſe ſaniem excreuit; tumore detumeſcente, & dolore omnino conſopito. Quare ſtatim ad deterſionem puris, vſi ſumus decoctione hordei non excorticati, pauco melle roſato adiecto, ad detergendum vlcus: & egregie hæc ipſa conualuit, cum admiratione multorum. Quidam vulgares eo tempore, qui tunc aderant, huic puellæ dediſſent oleum oliuarum pro vomitorio, etiam poſt abſceſſum diſruptum, ad leniendum vlcus, vt illi adſerebant: quibus reſtiti, neq; admittebam; auctoritate *Galeni* edoctus; qui nos *lib. 5. meth. med.* ita admonuit: Cæterum (inquit) qui è ventriculo eluere pus volunt, non ſine periculo vomitũ prouocant; ſicuti ſi aliter infixam illi pituitã per oxymel & radiculam detergerent. Tutius itaq; eſt deiectione vti, quum vomenti periculum ſit, ne & quod vlceratum ſit, dilaceret, & ſuccum quempiam inutilem ex vicinis attrahat. Abſq; mora itaq; continuo decies in hora capiebat cochlear vnũ atq; alterũ, vel paulo plura ex decocto hordei, cũ pauco melle roſ.

cum ſubitanea eiuſmodi vlcera indigeant mundificatione,ne confundantur, aut tunicas ſtomachi penetrent. Hoc enim modo hanc miſeram paupereulam puellam, vlcere abſterſo, ſanitati priſtinæ reſtituimus, diuina gratia nobis aſſiſtente. *Foreſtus lib.18. Obſeruat.32.*

OBSERVATIO.

Abſceſſus circa fundum ventriculi,quo paulatim exitus omnis ad inteſtinum duodenum fuit prohibitus.

Qvidam annos natus 40. præcipuus hic ciuis, obſtructione alui ſæpe laborauit; cui per os medicamenta exhibita parum contulerunt, clyſteres vero profuerunt. Indies tamen & aluus minus ſatisfecit officio ſuo, ac vomitus nutrimenti ſemicocti in maxima copia aucti ſunt, donec tandem atrophia corpus omnino contabeſceret. Melius vero ſemper ſe habuit, quando ſolio aquæ dulcis tepido inſedit. Poſt mortem repertus ingens abſceſſus, ex eo genere, qui ſteatomatici dicuntur, ad magnitudinem anſerini oui, qui ſatis durus fuit redditus. *De obſeruat. Ioach. Camerarij.*

OBSERVATIO.

Vix vnquam alias animaduerſus morbus, quo deprehenſa in ventriculo Verruca pomi magnitudine; quæ ægrum cum virium imbecillitate, & alijs ſymtomatis eouſq; torſit, donec Verruca tota,cum fibrillis per aluum excreta, & larga atq, diuturna ſanguinis profuſione ad internecionem deduxit.

GEneratur quandoque in ſtomacho Verruca, ſicut in aliis membris. Et ego quidem vidi hanc paſſionem, cum eſſem in carceribus de Hali, in vno de familia ſua, & ipſe non digerebat cibum, & febricitabat febre inordinata, quæ aliquando fortiter inualeſcebat, & interdum debilitabatur. Et habebat ſolutionem non magnam,& illæ egeſtiones erãt varii coloris, & non bene cognoſcere poteram cauſam ſuæ ægritudinis. Cum tetigiſſem pulſum eius, inueni ipſum inordinatum &non magnum,cognoui ergo ex hoc, quod apoſtema erat in mẽbro multorum neruorum, & ſpecialiter, quia erat ſerotinus, & debilitas virtutis patientis obuiabat magnitudini ipſius pulſus. Quare iſta manifeſtabant Verrucam eſſe in ipſo ſtomacho, & quia non erat multæ velocitatis pulſus, ſignum erat manifeſtum, quod non erat de genere calidorum apoſtematum. Et paulatim quidem eius caro diminuebatur quotidie, & cũ poſuiſſem manum meam ſuper fundum ſtomachi, inueni duritiem ibidem ad quantitatẽ vnius pomi, abſque ſenſu alicuius doloris, & cum fortiter compreſſiſſem manum, tunc ſenſit modicum doloris, & quoties iterabam compreſſionem, fortius dolebat. Cognoui ergo certiſſime, quod eſſet moriturus, quotidie tamen ipſum confortabam,faciendo ei ea, quæ habent ægritudinem mitigare, quamuis eſſem de eius curatione deſperatus, eo quod virtus ipſius quotidie debilitabatur. Et quadam die cum aſſellaſſet, aſſellauit quiddam rotundum, quod habebat formam pomi, cum radice vna, & erat ſolidum, & quoties poſtea aſſellabat, egerebat ſanguinem in magna quantitate, & ſic perſeuerauit pluribus diebus. Et cognoſcebam certiſſime quod moriebatur, tamen verecundabar ſibi dicere. Quadam autem recte vocauerũt me, & inueni eum quaſi mortuum, & indignatus fuit cõtrà me, credens quod ego,quia eram in carceribus domini ſui, non curaſſem de eo diligenter, quamuis ſibi puriſſime & fideliter ſeruiuiſſem, Deus nouit. Sed debilitas virtutis eius, & prauitas & fortitudo ægritudinis, obuiauerunt curationi ſuæ,cum omnia in manibus Dei exiſtant. Et quamuis de domo mea & poſſeſſionibus meis me extraxiſſet,non fui culpabilis propter hoc,Deus nouit. Vnde dominus patientis præcepit, vt affligeret illa de cauſa, quare conuerſus ſum ad dominum, & dixi, fiat voluntas Dei. Et cum eſſem in introitu ianuæ carceris, dixi illi qui ducebat me, qui erat de maioribus ciuitatis, iſte Dominus intendit me moleſtare abſque cauſa,Deus nouit, & iam ſunt plures dies, quod propoſueram ei dicere veritatem, ſcilicet quod non poterat euadere ab ægritudine iſta vllo modo, ſed verecundabar contriſtare animam patientis. Nunc autem quia video quod intendit me pro nihilo aggrauare, dico vobis, quod non viuat vltra 12. dies. Ira autem & perturbatio animi quam habebam, me in tantum coegit, quod dicta verba taliter dixi, quod infirmus me intellexit, & ſerioſe illud feci, & ſic poſitus fui in carcere. A ſeptem autem diebus cecidit virtus eius manifeſtiſſime, ita q; miſit pro vxore ſua & filiis, & in nona die mortuus fuit. Et quod memoratus ſum de hoc caſu non fieri, niſi vt exemplum ſit vobis in aliis: tamen ſi virtus eius fortis extitiſſet, non erat impoſſibilis cura eius, niſi forſan alias multas Verrucas in ſtomacho habuiſſet. *Auenſoar lib.1.tract.15.cap.3.Theizir.*

OBSERVATIO.

In ſtomacho aliquando innaſcuntur caruncula hæmorrhoidibus ſimiles, ſanguinem nonnunquam fundentes.

INnaſcuntur interdum in ſtomacho carunculę hęmorrhoidibus ſimiles; ex quibus per interualla ſanguis vtiliter profluit: raro tamen id euenit. *Foreſtus lib.18. Schol. ad Obſeruat.18.*

OBSERVATIO.

Scirrhoſi tumores poſt diſſectionem in ſtomacho inuenti.

QVod ſcirrhoſi tumores fiant,nos,inquit Iacchinus, vidimus in diſſectis:vt Florentiæ in muliere è domo Puccina. *Idem eodem libro; Schol. ad Obſeruat.30.*

OBSERVATIO.

Duri tumores in parte externa ventriculi.

ALiquando in externa conſtitere: & memini(inquit Iacchinus) me ad tactum ſcirrhoſos tumores ſenſiſſe; duros inquam, ſine dolore. *Foreſtus libr. 18. Schol. ab Obſeruat.30.*

OBSERVATIO.

Tumor in ventriculo natus mali punici magnitudine,qui ægrum cum ſæuiſſimis ſymtomatibus è medio ſuſtulit.

PRocreatur aliquando in ſtomacho quædam ſpecies apoſtematis quæ Arabice dicitur Dubelati, & ego iam vidi tempore meo quendam qui patiebatur hanc ægritudinem, qui erat Iuuenis in fine ætatis illius, & communiter erat bonæ virtutis, cuius com-

complexio erat calida & ſicca, & erat multæ come-ſtionis & abſque cuſtodia aliqua. Cui ſuperuenit debilitas magna in ſuo corpore toto, cum multa macie & extenuatione, & cum hoc toto comedebat ea quę in ſua ſanitate comedere conſueuerat, & erat abſque febre, & bene cibum ſuum digerebat, neque Medicis obediebat in cuſtodiendo ſe à malis cibis. Et cum non potuiſſet ire, decubuit ad lectum, & tunc mihi facta ſua renunciauit. Et ego ſteti tempore bono quod nolui ei conſulere, demùm precibus ſuis coactus incepi eum regere & curare, & quamdiu in meo regimine permanebat, bene erat ei, & cum à regimine elongabatur, corrumpebantur facta ſua. Et tam diu ſic perſeuerauit, donec ad ſpeciem Ethice deuenit cum magno calore, & ad vltimum febris illa conuerſa fuit ad paroxiſmos manifeſtos, tamen inordinatos: & quando comedebat non morabatur diu, quod pulſus eius ad duritiem conuertebatur cum modica velocitate: & exinde cœpit apparere in fundo ſtomachi corpus apoſtematis, & ex ſua inordinatione cibi in breui apparuit apoſtema in groſſitudine pomi granati magni manifeſte; & cœpit habere fluxum ventris, & exinde cœpit habere ſtomachus malos motus, quoniam ſuperuenit ei ſpaſmus, & ſingultus, & mortuus fuit ille cum fortib. ac prauis accidentibus: ſcilicet cum diſſolutione virtutis, & ſyncope frequenti & ſucceſſiua, & nunquam illud apoſtema apertum fuit. Et miratus fui nō modicum quod ille infirmus potuit tantum durare, donec apoſtema dictum ad tantam magnitudinem habuit peruenire: ſed pro certo hoc non fuit niſi quia apoſtema ipſum erat ex humore proprio melancholico, aut ex phlegmate, quod erat in vltima groſſitudine, & ſignum huius erat, quod erat quaſi omnino abſq; dolore, nec vnquam putredo aliqua ab apoſtemate in ſtomacho reſoluebatur. Et hoc ideo, quia aliqua res non mouet aliquid nec mutationem facit, niſi quoniã mouetur, & pro maiore parte hęc ægritudo incurabilis eſt propter groſſitiem humoris & ipſius malitiam, & hac de cauſa reſolui nō poteſt. *Auenſoar Tractatu 15. cap. 4. lib. 1. Theizir.*

VVLNERA VENTRICVLI.

Observatio.

Vulnus ſtomachi admirabile.

AVDI indiuidui conſeruati, mirum naturæ artificium & artis adminiculum. Ante annos decem & octo in Bohemia ruſticus quidã à venatione ictus eſt venabulo lato in ſtomachum, ſub καρδίᾳ ſeu eius orificio. Vulnus hoc lethale & amplum, nulla arte vel conſilio ſolidari potuit: paulatim vero labia vulneris tractu temporis occalluere, ita quod vulneratus ſuperuixerit per annos cõplures. Hic vero tandem ſecundum artem inſtrumentum quoddam vulneri applicauit, interdum trapis & panniculis lineis hiatum vulneris infarſit, & obturauit ita affabre, vt cum vellet, ſtomachum per ſuperna elueret, & cibos potusq; ingurgitatos ex ſtomacho per vulnus emitteret, quando liberet. Huius rei teſtis abundantiſſimus eſſe poteſt, vel ſola Cæſarea Maieſtas, quæ vt ex illius ore audiui, vulnus hoc inſpexit. *Math. Cornax in Epiſtol. Reſponſoria ad D. Aegidium Hertoghe, Medicum.* Eandem hiſtoriam *Iul. Alexandrinus in Annot. cap. 4. lib. 6. Therapeut. Med. Galen.* quibuſdam additis in hanc ſententiam recenſet. Bohemus vir quidam fuit, ex oppido Puggebrott; huic cum inflictum in ventriculo vulnus eſſet, cœpit ea ex parte reiectare cibum, quo tempore religaretur vulnus: hocque mirum cum omnibus viſum fuiſſet, nec victurum quiſquã crederet; negligentiusq; deinde magis ſemper haberetur, accedente inſuper medicorum imperitia, occalluere tandem vulneris labia, exeunte inde ſemper eius, quem caperet, cibi parte, modo impuri prorſus, modo chyloſi etiam neſcio quid referentis. Atque ita vitæ conditione huic relictus, vulnuſq; tantum lineis pannis tegens, ac faſciis circumligans, aliquot deinceps annorum ſpatio vitam produxit. Cui ſi inter vulneris initia nihil eorũ defuiſſet, quæ ad curationẽ factura fuiſſe videri merito poterant, neq; tam neglectui habitus fuiſſet æger; agglutinari potuiſſe vulnus, & vniri, valde veriſimile mihi fuit; argumēto quod nec lethale vulnus fuerit, ſuperuiuente tam diu ægroto, & coaleſcere potuerit, in carnoſa parte acceptum, calloſis præſertim factis labiis, quod in tenui nimis parte nō fieret. Nam quod ad *Hipp. Aph. 18. lib. 6.* attinet, id vero in ſuperiore ventriculi parte intelligi veriſſime pronunciatum debebit.

Observatio.

Ventriculi vulnera conglutinata.

QVoſdam qui in ventriculo vulnerati fuiſſent, aiunt aliquando, ſed raro fuiſſe perſanatos. *Galenus Com. ad Aph. 18. lib. 6. Hipp.*

Chirurgus quidam fide dignus, iurabat ſe curaſſe hominem, qui ſauciato ventriculo, non longe à cibo aſſumto, per vulnus chylum reiecit. *Chriſt. à Vega, Comment. ad Aph. 18. lib. 6. Hipp.*

De ventriculo habeo ꝙ dicam: nam ſanaui mulierem, & hominem, à quibus egrediebatur chylus, & cibus. Sanaui mulierem, glande percuſſam plumbea ab anteriori & poſteriori parte. Et hanc Deus ſanauit: quia meretrix quondam fuit, iam caſte & ſancte viuit. Si autẽ fuerit in ore ventriculi inſigne vulnus, tunc ſuccedit mors, ob præſtantiã partis, ob nexum quem habet cũ corde, & omni genere neruoſo. Succedit poſt vulnus ſyncope, cordis, & totius corporis defectus. Sanatur tamen ventriculus; quoniam exhibemus glutinantia per os. *Fallopius De Vulneribus capitis, cap. 12.*

In ditione Fuldana duos chirurgos induſtrios, Dauidem & Ioannem Schenckelios, familiares habui, qui cõſtanter affirmarunt, ſe quendam militem robuſtiſſimum & magni animi hominem, qui à ruſtico quodam in pago Marpach, ditionis Fuldanæ, venabulo circa hypochondrium dextrum perfoſſus erat, curandum ſuſcepiſſe. Cuius vulnus cum acuratius eſſent contemplati, eiuſq; profunditatem diligentius inquiſiſſent, animaduertiſſe ſtomachum à dextro latere perforatũ eſſe, quod & potus & iuſcula per os ſumta, per vulnus acceptũ denuo reiicerentur, & ſtomachi apertio, etiã digitis inſertis, perciperetur euidenter. Quare ægro & aſſiſtentibus mali euentus explicato prognoſtico, id ſe operam dediſſe, vt adducta ad exteriorẽ cutem parte ſtomachi vulnerata, vna eademq; ſutura & ſtomachi pars cõciſſa & cutis colligarentur, fortiter ægro perferente illam chirurgorũ operationem, doloris & periculi plenã. Sed euentum illũ fuiſſe ſequutũ, vt ſenſim vulnere illo

illo conglutinato nullum periculum valetudinis non modo ſequeretur,ſed & vulneratus ad priorem ſanitatis firmitatem rediret. Ac eam rem ſe ita habere ruſtici dicti pagi, qui præſentes curæ adfuerunt, ſuo quoque teſtimonio comprobarũt.*Iacob. Oethæus lib. obſeruat. propriarum.*

Ruſtico cuidam in vicino pago Kunerßdorff ventriculus cultro ita eſt vulnerat⁹, vt cibus etiam nonnunquam per vulnus non ſatis munitum exierit, ꝙ diu nõ potuit curari. Tandem cum miſer ille neſcio quas herbas conquaſſatas applicuiſſet, conſolidatum eſt, ſed ita vt tumorem inſtar pugni eo in loco iam geſtare, quem ego vidi & contrectaui, debeat. Sæpe autem tumor ille grauiſſimos dolores excitat, de quibus aliquando apud me conqueſtum eſt.*Ioan. Francus Hildeſius Med. Camenicenus ſuis ad nos tranſmiſſis Exemplis.*

Obſervatio.

Ventriculus & ſeptum perforata.

VEntriculum in puero quodam phthiſico,quem ſecabam, tribus foraminibus exeſum, ſeptumque illius foramine amplo perforatum à puris copia atque acrimonia, quod à thorace in abdomen defluens, has partes & muſculos quoque abdominis ad ſuperficiem cutis vſque eroſerat, vbi veſica ſubliuida circa vmbilicum, ea regione, qua pus ſibi viam ad exitum facere nitebatur, apparebat, multis fide dignis teſtibus deprehendimus. Quam rem admiratione dignam magis ſtupendam reddebat, quod puer ante obitum non contabuerit, ſed bene habitus adhuc exiſtens, nulla alia horum affectuum indicia externa,quam quod ventre erat inflato & ſubliuido, in quo veſica ſubnigricans circa vmbilicum, ea regione, qua pus ſibi viam ad exitum facere nitebatur, eminebat, oſtenderit. Quæ vero alia paſſus ſit ſymtomata, ſciſcitari minime licebat, cum corpus inſciis parentibus, in villæ cuiuſdam cæmiterii ſepulchro,media nocte ſolus exiſtens,manibus ſcalpendo,nec labore nec terrore deterritus (tanto cognoſcendi ardore tenebar) eruerim. CL. V. *Felix Platerus de Obſeruationibus proprijs.*

Obſervatio.

Ventriculus porci bacillo perforatus.

CVm porcus mactaretur, ſanus alioquin & bene ſaginatus, bacillus acutum digiti craſſitie ventriculi ipſius ſubſtãtiam penetrantem atq; intus foriſq; callo in ambitu bacilli circumducto adeo firmiter innatum, vt nonniſi ſectione eximi poſſet, lanio mihi oſtendit. *Idem Platerus de Obſ. proprijs.*

Hoc exemplum, veluti bruti animalis, analogice tantum huc referendum putauimus.

VLCERA VENTRICVLI.

Obſervatio.

Villica grauida,nono menſe ventriculi exulceratione laborans,moritur:fœtu vtero exciſo & baptiſato.

VIDI ego anno preterito villicam quandam euſarcam & optimi habitus, nono menſe laborantem graui morbo, ventriculi ſcilicet exulceratione, quæ diebus viginti ſine cibo potuque permanſit,cum quicquid deuorabat ſtatim vomitu eiiciebat, affectuſque ſæuitia tandem mortua: diſſecto vtero, puerum extraximus viuum, qui Fortunatus, ad fontem ſancti baptiſmatis,vocatus,me conſultore fuit. adhucque vitali fruitur aura. *Horat. Augenius lib. 5. Epiſt. 1. cap. 11.*

Obſervatio.

Vlcus ventriculi ſpiritus graueolentiam, & tandem etiam mortem inducens.

EXulcerari ventriculum non minus quam alias corporis partes à ratione haud alienum eſt. Honeſta quædam matrona, annos (plus minus) 60. nata, ex ore ſpiritum fœtentem multis emiſerat annis: è naribus graueolens quoque mucus concretus ſubinde extrahebatur, virens, aut omnino varii coloris: dolor circa ventriculi regionem aſſiduus, non tamen valde moleſtus; vt quem lenire poterat ſacculus, in quo herbæ, ſemina & aromata quædam, ventriculo commoda, vna cum goſſipio conſuta erant. Mens & ſenſus ad extremum cõſtiterunt: longo morbo confecta è vita diſceſſit. Ventriculus huius exterius ab omni parte ſuperficientenus exulceratus extitit, & quæ ipſum contingebant vniuerſa, non tamen alia, quam qua ventriculo contigua erãt, parte. Cerebri ſubſtantia integra, ſed copioſo admodum humori veluti innatans: qui fomes eſſe potuit mucci, qui ſæpe in naribus concreuerat.*Dodonæus ca. 25. Obſeru. Medicinal.*

Graueolentia ex ore variis de cauſis effertur:quãdoque in ore, faucibus, aut iuxta nares, vel in ipſis vitium conſiſtit:ſubinde in pulmone latet:quandoque vero ex ventriculo odor procedit. Tradunt recentiores ſcriptores vitio ventriculi graueolentiam fieri: maiorem eſſe corpore ieiuno, minorem vero ab aſſumto cibo. Verum huius matronæ ex ore fœtor ſemper ſimilis fuit, neque vnquam ſiue poſt cibum, ſiue ante cibum remiſſior. Vlcera tamen ventriculi cauſam fuiſſe graueolentiæ; ſatis apparuit. *Idem in Scholijs ad cap. citatum.*

Obſervatio.

De ventriculi vlcere.

PVella quindecim annorum, per biennium fere cum de dolore ventriculi conquereretur, anno tertio tumorem manifeſte viderunt parentes in eo loco: neq; tunc quicquam conſilii aut remedii tentatum. Hinc ruptionem animaduerterunt: excreuitque puella materiam bilioſam, pituitoſam ac ſanioſam per aluum. ex his apoſtema apparuit. Hæc cum Bononiæ in Italia decumberet, tunc prius vocatus eſt Elideus, medicus hoſpitalis Bononienſis Vitæ dictæ, præceptor meus. Is indicatione ſumta ab ætate, virtute,temperamento,loco male affecto, (quoniam locus vehementer ſenſibilis exiſtit) continuique ſolutione, iudicauit neceſſarium exiccantibus abſtergentibuſq; vtendum eſſe,ac magna opus fore diligentia,tum quia locus eſt principalibus mẽbris ſubminiſtrans;tum quia toti corpori nutrimentum præparans. Quare loco potus & digeſtionis, præſcripſit aquæ mellis vſum. Cibum vero facillimę coctionis, exiguæ quantitatis, ex hordei cremore, nonnunquã ex panata, exiguo cinamomo adiecto: & aliquando vinum in pauca quantitate admiſit. Pulſus huic erat creber, debilis, paruam habens inæqualitatem, vt fit in affectib. ventriculi: vrine albæ,

craſſæ,

craſſæ,non coctæ:Stomachum inunxit oleo maſtichino,cum lana ſuccida applicando.Tertia die vidit etiam lienteria laborare: & quemadmodum *Gal. 6. par.aph.1.* cauſam eius fore dicebat, vel imbecillitatem virtutis retentiuæ, vel vlcerationem ventriculi & inteſtinorũ; ſed præceptori certo perſuaſum fuit, hanc prouenire ab exulceratione ſtomachi ob loci dolorem,ruptionem,&ſanioſam materiam:non ab ipſius virtutis debilitate. Ideo adhibuit fomentum exiccatiuum & conſtrictiuum;nempe ex abſinthio, mentha.flor.roſ.malicorio,gallis, balauſtiis, myrtillis, maſtiche, olibano. exhibendo præterea miuam cotoneorum, cum quibuſdam adſtringẽtibus. Hinc tandem excrementa melius cocta viſa ſunt, & ſanata eſt. *Foreſtus, lib. 18. Obſeruat. 33.*

DE EXTERNIS VENTRICVLO LEthalibus.

Observatio.

Frigidiſſimo emplaſtro ſtomacho admoto, mors ſubſecuta.

NOui Medicum,qui vel incuria,vel magis, vt arbitror,inſcitia,emplaſtrum frigidiſſimum, ſtomacho cuiuſdam viri, dum illum ventriculi dolor ſatis mordax vrgeret,ſuperpoſuit.Putabat enim hoc auxilio dolorem ipſum tolli poſſe.Verum ille,dolore fere amoto,grauem tamen noxam percipiens,redeunti medico exponit dolorẽ quidem remiſſum, ſe tamen inſpirãdi difficultate vexari. Quod inſcius medicus paruiſaciens,iterum emplaſtrum admouit; & ne tollatur etiam iubet. At æger, dum aſſiſtentes imperata faciunt, paucis interim horis ſingultu premitur:quo grauius grauiuſq; hominem affligente, inhorreſcunt illi mẽbra: ex quo etiam paucis intercepits diebus mors ſubſecuta eſt:quã medici omnes ex incuſſo ſtomacho frigore proueniſſe iudicauerũt. Ignorabat enim bonus ille medicus, nullum princeps aut principi ſubſeruiens membrum ſolis frigidis eſſe curandum. *Beniuenius cap. 15. De Abditis.*

Observatio.

Quidam violentius pugno ad ſtomachum percuſſus, illico obijt.

NOuimus fullonem quendam,nomine Petrum, qui vnico pugno, ſtomacho cuiuſdam iuuenis violentius impetito , hominem interemit, *Idẽ c.110.*

REMEDIA RARA VENTRICVLO COMMODA.

Observatio.

Depelle ſeu plumoſo tegmine vulturis, quod mira vi pollet in corroborando ventriculo, atq; excitanda cibi auiditate, paulo efficacius quam Zinziber; cuius natura quoq; exprimitur non cuiuis obſeruata. Tum de analogis aliorum volatilium pellibus.

CVm multa ſint, quæ foris admota ventriculo robur adferant,& concoctioni adminiculentur, tamen nihil efficacius aut magis præſentaneum, quam vulturis tegmen, vel detracta pellis, cæterarum pellium modo ſubacta, ac conculſione complanata. Eſt autem hæc ales,vt Miluus, rapaciſſima atque inexplebilis edacitatis,ita vt hanc Belgæ ab inhiandis cadaueribus,& quod ſemper ſamelica prædam venetur, Ghier vocant, à cuius natura auaros, & qui habendi cupiditate ſunt inflammati, Ghierich nominant, latine vulturios. Quum autem eius ſit conditionis ac naturæ hæc auis, vt omnia auide appetat, & inoffenſe conſumat,tegmini eius ea vis infuſa eſt, vt ventriculum humanum fulciat, ac faſtidioſo nauſeantique ſtomacho vires appetendi & concoquendi cibi conferat, quin & alui profluuium cohibet,& vomitum compeſcit, ſed diuerſo modo ventriculo applicatum. Hoc enim experimento comprobatum habeo, vt ſi quis tegmen è corpore alitis exemtum ,arteq; pellicea concinne elaboratum ſubactumq; ,flaccido ac languenti ventriculo admoueat, fluxum ſiſtere, ac leuitati inteſtinorum auxiliari: præſertim ſi eo ſitu applicetur, vt plumoſa pilorum cõgeries deorſum ſpectet: quemadmodum in ſuffultis veſtibus, ſecundo, vt ita dicam, flumi: e pelles palma demulceri ſolent: confortat enim fouetque calorifica vi & adſtringendi ratione facultates ſeu potentias naturales; quibus alimenta attrahi contingit, retineri, concoqui, & expelli: tres quoque ventriculi tunicas neruoſas,& totidem fibras, Rectas, vt Galeno placet, quæ attrahendi munere funguntur: Obliquas, quæ repellendi vi pollent; Tranſuerſas, quæ concocta foras propellunt, corroborat, vtque ſuo officio perfungantur,efficit. Cæterum tegmen id contrario aduerſoq; ſitu collocatum, acumine piloſo ſurſum exporrecto atq; in ſublime nitente, vomitum compeſcit, deorſum detractis ſtomachi muſculis quibus cibum amplectitur & retinet. In huiuſmodi autem affectibus, quibus vel ſupernæ vel infernæ partes infeſtari ſolent, non diſſimile quiddam moliri ſoleo. Sic in vomitu os ventriculi inungi iubeo, deorſum producta manu verſus vmbilicum: In fluxu vero alui à pede ſurſum reducta palma: quod ipſum etiam factitare ſoleo, ſi quando mulier vteri affectibus eſt obnoxia. Sic in matricis, vt vocant,ſtrangulatione, qua ſuffocare videtur fæmina vaporibus ſurſum delatis, vel venam circa talos incidi iubeo, vel coxis cucurbitulas affigi,omniaque auerti,ac deorſum ferri curo,vel iniecto clyſtere,aut ano ſubditis balanis, ſeu, vt vulgo vocant, ſuppoſitoriis. In procidentia vero vteri, vbi omnia deorſum feruntur, tãquam reſoluta corporis compage, ſupernas partes ligamentis adſtringi, vberibus cucurbitulas affigi, vel venam humerariam pertundi iubeo, quo omnia in contrarium reuellantur. Intus quoq; in iam memoratis affectibus exhiberi poſſunt, quæ morbi conditio exigit. Sic flaccido & nauſeanti ventriculo, vel vbi minimum cibi appetit, aut ægre aſſumta alimenta concoquit, præter vina aliquot generoſa & calorifica, vt ſunt Hiſpanica & Cretica, Zinziberis radix ſuccoſa, melle condita, Groen gingiber ghecõfeytt/ Belgæ vocant, præclare concoctioni auxiliatur, ac flatus, ex cruditate & humoribus pituitoſis contractos,diſcutit. Quocirca & oculorum caligines, ex denſis craſſiſque humoribus, è ſtomacho ſurſum delatis, natas, diſpellit. Nonnullis hanc in obſoniis & condimentis præſcribo, præſertim vliginoſo vdoque ſtomacho obnoxiis; aliis qui ex Zythi vel cereuiſiæ immodica potione, dolore, vel grauitate ventriculi, crebriſque ructibus infeſtantur, aliquot ramenta cum momento ſalis deuoranda præcipio.

Dici

Dici enim vix queat quantopere inflationes & tormina mitiget, accendit quidem vtrq; primo guſtu hæc radix linguam, verum nullam ſitim excitat: ſed quum ſaliuam & pituitoſum vndiq; humorem è capite, faucibus, ſtomacho, eliceat, linguam vdam pręſtat, ac ſaliuali humore fluitantem, eoq; fit, vt nulla ſiti vel ſiccitate os afficiat. Quocirca magno cōmodo ſeptentrionales Belgę huius radicis vſu ventriculum fulciunt. *Lemnius, c.26. lib.4 de Occult. Nat. Mirac.*

Pellifices nonnulli pellem Scharbi auis præparant, vt pro tegumento imponatur ventriculo, tanquam vim concoquendi promoueat, nam auis ipſa validiſſ. ventriculo & alimentum omnem celeriter conſumente eſſe creditur, vnde vulgo dicunt, de homine vorace vel multi cibi, ſcharbi ventriculum ei eſſe. *Geſn. de auibus l.3. p.*133. Crediderunt forte aliqui Mergi ventriculum in cibo, quod ea auis voraciſſ. eſt, & plurimum concoquit, naturalem quoque concoctionem roborare poſſe: quemadmodum noſtro tempore multi putant pellem Mergi maioris nigri (ſcharbum vocant noſtri) vna cum plumis integri orib. paratam à pellifice, & ventriculo noſtro applicatam, vim concoctricem eius promouere, non calore tantum ſuo, ſed peculiari proprietate. *Idem de iiſd. lib. eod. p.*121.

Ventriculi, ſic barbare dictum ventriculi tegmen fouendo calori comparatum, ex Perdicum pluma lanoſa confectum, cheilticam dynamin adiuuat; & quod miror, aluum apertam conſeruat. Hoc Affinis meus Archiſcriba in Gebvviler, pro indubitato experimento mihi retulit. *Mocc. Medicus ad D. Schenck.*

Ad concoctionis caloriſq; promotionem, & ad tonum membris afferendum, commendat *Montanus*, ſi poſt frictiones & balnea, corpus totum illinatur ex oleo caryophillorum odorato; vel ex Reſina & gummi Nucis moſchatæ, quod iam deferri cepit à Luſitanis. Eſt enim, inquit, præſtantiſſimum Remedium, quod multa experientia comprobauimus, ad omnes artus corroborandos, contra podagram, & morbos articularios.

DE PYLORO.

OBSERVATIO.

Fœtor anhelitus ex laxitate pylori.

FOetorem anhelitus, ob nimiā pylori, ſeu dextri orificii ventriculi, quod inteſtinorum eſt principium, laxitatem; crapula ciborumque humidorum nimio vſu inductam, proficiſci, ex illius inſpectione colligere potui. Sic n. excrementorū fœtor, ab inteſtinis per ventriculū ad ſuperiora vſq; expirans, ieiuno pręſertim vētriculo, anhelitū inficit. Eſtq; malum immedicabile. CL. V. *Felix Platerus de Obſ. propriis.*

OBSERVATIO.

Pylorus cuidam occalluit.

ANtonius Bruñus, affinis meus, cum emanducatum cibum breuiore, quàm par erat, temporis ſpatio contineret, & ita vt erat incoctū reiiceret, omnibus medicamentis, quę ſtomachi vitiis adhiberi poſſunt, diligētiſſime fotus eſt. Verum cum ea nihil omnino proficerent; & corpore ob inopiā alimenti iam abſumto, vix pellis & oſſa ſupereſſent, gradatim tandem ad mortē deductus eſt. Quare defuncti cadauere, publicæ vtilitatis gratia, inciſo; inuentum eſt hominis ventriculum ita iunctis oris ad imam eius partem obcalluiſſe, vt cum nihil inde ad inferiora tranſmittere potuerit, neceſſario mors ſubſecuta eſt. *Beniuenius cap.*36. *De Abditis.*

OBSERVATIO.

Circulo pylori occaleſcente, & hectica tabeſcente, mortuus.

FEbri hectica, Lutetiæ vir quidam cum periiſſet, apertus fuit, in cuius corpore nihil obſeruatum, quam quod glandulæ illæ duæ, quæ pyloro à natura appoſitæ, (vel potius circulus qui eſt in pyloro) duritiem & ſcirrhum contraxerant, ratione cuius procul dubio alimentis non patebat tranſitus. Teſtis mihi Clariſſ. Medicus Dominus Guilielmus Capellus, præceptor meus. CL. V. *Gaſp. Bauhinus, de obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

In inferiore ventriculi ore, & duodeno apoſtema, ſanguis in ventriculo, & fellis folliculus pugni magnitudine animaduerſus.

APeruimus vxorem de Caphelier, ægrotabat per multos iam menſes, dolore ingenti circa ventriculi regionem & ventrem, & ſępius febri, Apoſtema in orificio inferiori ventriculi & duodeno inuenimus; partes circum iacentes induratæ erant, in ventriculi capacitate multum ſanguinis aderat: folliculus fellis vſq; adeo turgebat vt vix poſſet manu amplecti, maiorem nunquam vidi. Præſentes fuerunt Aubertus, Valerandus, &c. CL. V. *Ioannes Bauhinus de obſeruat. propriis.*

DE INTESTINIS.

Et primum

DE DIARRHOEA ET ALIIS ALVI PROFLVVIIS.

CAVSA.

OBSERVATIO.

De Cauſa Diarrhœæ ſingulari.

DE Diarrhœæ cauſa ſingulari & noua, conſule titulum De Dyſenteria: vbi ex Hermeticorum principiis eadem paucis pertractatur. *Schenckius Filius.*

OBSERVATIO.

Diarrhœa menſtrua & torminoſa declinante Luna, ægrum periculoſiſsimis ſymtomatis tandem conficit.

HOmini hirſuto, nigro, & habitu Melancholico, ſolennis erat ſingulis menſibus diarrhœa quædam torminoſa, declinante Luna. Defluxione in teſticulos facta, & ſarcocele exectus eſt. Nimis laborioſa vita, & itinere per æſtus & frigora, incommoda cœpit valetudine viuere, interuallis leuiter febricitare. Ceſſabat tardius diarrhœa. Correptus eſt febre lenta, q̄ noctu exacerbatur, & tumore duro dolenteq; in dextris ilibus. Dolor à rene dextro incepit, tū in dextrum ilium & ſiniſtrum progreſſus. Ad ſiniſtrū renem rugitus erat, & velut borborygmus exaudiebatur. Vomitus vna hora à cibo. Quæſitum vnde ea materia, num ab intemperie earum partium, aut alia parte. Alii ab hepate, quia ſolennis erat diarrhœa, os amarum, vomitus amarus aliquando. Mihi hoc placuit, partes exectas, in quibus obduruerat callus, natura frigidas, equitatione & venere feſſas & infirmas fuiſſe reſiſtentē diarrhœæ materiā, & aliam

co

eo confluxiſſe, intercepta via refluxiſſe, partim ad peritonæi partes, partim ad obliquos epigaſtrii muſculos,atq; ita tumorē ſucereuiſſe. Si vero ab hepate id eſſet,vel per venas,atq; ita potius ad inteſtina,vel per ſuperficiem, quia in membrana cingente hepar veſicæ quędam ὑδατώδεες excitatæ exudarent in epigaſtrii medium, inter peritonæum & omentum. Os vero amaricare, non à bile, quæ ab hepate refunderetur, ſed potius à putri humore & fumis, hydropicis id accidere, & aliis vomitiones in colica frigida, & ſitim,& amarorem,& cætera apparere. Materiam tumoris non eſſe bilem, ſed frigidam craſſamq; pituitam. Itaque videndum fuit vt refelleretur materia,quæ influeret, non per vrinas, quia partes genitales infirmæ exciperent,ſed per aluum. Æger enim clyſteribus plurimum leuabatur, tum medicamentis q̄ agaricum & alia phlegmagoga reciperēt. Quod ad tumorem, videndum eſſe, vt remolliretur & diſcuteretur: ſed metū eſſe ne ſuppuraret, quia à ventris dolore diuturno(ait *Hipp.aph. 22.lib.7.*) ſuppuratio expectāda eſt, niſi peccetur ab ægro aut medico, aut æger præripiatur. Id etiam *Aurelianus* annotauit *in Chron.* Et veteres cataplaſmatis vſi ſunt, & potionibus,quibus accelerabatur ſuppuratio, ſperantes vt ea materia tenuata in inteſtina transfunderetur. id quod ſæpe probarunt, vt aliquando per vrinas, aliquando per aluum purgaretur. Et Aniceti eſt medicamentum apud Galenū,quod hoc polliceatur efficere. Hoc tamen metui propter virium imbecillitatē.Crus oppoſitum deinde tumuit,& loco vno ventris perſiſtebat dolor. Tenſio aliquando ad teſticulos. Vtroq; crure intumeſcente, & ſurſum refluente materia,ad diem fere quadrageſimum mortuus eſt. Facto vlcere in crure quæ materia extra flueret, ſeruari fortaſſe potuit. *Hollerius Obſ.11.Libelli proprij.*

Observatio.

Diarrhœa ex diſrupto abſceſſu Lienis.

NAſcitur aliquando paruæ materiæ tranſmiſſio ab ipſo iecinore, in quo ob alicuius qualitatis immodicum exceſſum,& potiſſimum caloris,ac ſiccitatis,calidiores & acriores ſucci generantur, qui tanquam naturæ infeſti,à ꝓpria eiuſmodi viſceris facultate expultrice ad ipſum ventrem transfunduntur:ꝙ etiam ſuperiorib.annis Lugduni in Petro Robertio ſtrenuiſſimo militum Tribuno præſtatum vidimus ab ipſo liene, cuius inflāmatio fuerat ſuppurata,ac diſrupto abſceſſu purulenta materia in ventrem ſeceſſit,atq; æger poſt non multos dies (de cuius ſalute fere iam deſperabamus) penitus conualuit. *Vidus Vidius Iunior,lib. 9.c. 23.*

Observatio.

Diarrhœæ rara ſpecies & monſtroſa: qua oſſa ſæpius excreta viſa ſunt.

VLtra omnes diarrhœæ ſpecies ab autoribus enumeratas, vidi ego diarrhœæ ſpecialē cauſam, in qua ſimul cum excrementis educebantur continue quædam oſſicula,quorum aliqua confracta,aliqua integra erant,ſimilis in totum oſſib.auicularum paricarum,perinde ac ſi ęgrotans auiculas ipſas integras,quas tamen nunquam deguſtauit, in vſum alimenti aſſumeret; hęc ſemper cum ingenti dolore excernebantur, quantitas oſſiculorum erat pro ſingulo quoq; die ad menſuram non minus, quam vnius cochlearii aut ad ſummum duorum, fluxus hic per plures dies perſeuerauit,nec vllis vnquam potuit remediis aut leniri, aut firmari. Vnde emaciatus æger, dolorib. ſupra modum vrgentibus, tandem miſere vita functus eſt. Quidam cenſuere hanc diarrhœam ex maleficio inductam eſſe,oſſiculaq; illa ex Diaboli pſtigatione,nō ex naturali cauſa excerni. Attamen nouimus in abſceſſib. externis oſſium,pilorum,carbonum, lapillorum, vnguium, teſtarum ſimilia inuenta eſſe corpora ſolida. ſicuti & humida olei, cœni,luti,mellis,ſepi, fæcis,vini, & alia huiuſcemodi,q̄ omnia vere in abſceſſibus reperiri, vltra experientiā ipſam,teſtatus eſt Galenus,&alii celebres viri. Vnde iudicent alii, an ſicuti in externis ita in internis poſſint tales materiæ à naturali cauſa generari. *Salius Annotat.ad cap.7. Altomar.*

Observatio.

Fluxus ventris ſola oratione ſedatus.

ACcidit interdum ventrem fluere:& ſi diu negligas, difficilior plerunq; fit eius curatio, quin & nonnunquam impoſſibilis. Quod & nos nuper experti ſumus: Iohannina Bencia, affinis mea, mulier quidem & animo & genere nobilis, cum diu ventrē fluere permiſiſſet,eo tādem deuenit,vt nullis medicamentis,nullis auxiliis,nullis etiā balneis eiūſmodi fluxus ſiſti potuerit: augente igitur hoc malum iugi & inuincibili humore, q ex eius infirmo alioquin & imbecillo capite in ventriculum deſtillabat. Et licet interdum cōualeſcere videretur,haud multo tamen poſt reuertebatur id malum,& quidem priore deterius. Quare omni ſpe medicæ artis depoſita, fratrem DominicumPiſciēnſem,ordinis Prędicatorum adit; morbum quo tenetur exponit:ſe omni humano auxilio deſtitutam affirmat; lachrimis & precibus orat, vt laboranti ſibi ſuā & fide & oratione opem ferat. Quod cum ille ſe facturum pro viribus annuiſſet, admota manu,mulieris caput comprimit. Tum ſuā oratione,ac ſigno Crucis ibidem impreſſō, abire iubet. Reuerſa domum,cum eo ipſo, atq; etiam altero die venter nihil ex cōſuetudine præterquam ſanum redderet, me conuenit,rem ordine narrat,ſeque penitus liberatam affirmat. Quod etſi Deo, cui poſſibilia ſunt omnia, factu facillimum ſcirem, verebar tñ, ne ꝙ habebat in votis mulier, id iam ſe adeptam perſuaderet:cū nihilominus morbus ipſe paulo poſt vel etiam deterior reuerſurus eſſet. Sed cum ita tertius peragatur annus, ex quo fluxus ipſe ſuppreſſus eſt, nec vlla interim apparuerit, vel etiam appareat regreſſionis nota,ingenue & fatemur & prædicam⁹, hoc ſolo nutu Dei,per fidem & orationem ſanctiſſimi illius viri factum fuiſſe,ad laudem & gloriam nominis ſui,quod eſt benedictum in ſecula. *Beniuenius cap. 45. De Abditis.*

Observatio.

Ventris fluxum prædicentis hiſtoria Galeni.

PAucis diebus apud ægrotum quendam,cum hoc ipſo, tum aliis multis magni nominis medicis, cum de ſymtomatibus, quæ tenerent ægrotum, oēs attoniti eſſent,ventris fluxum prędiximus. Mox illi, vnde id prædiceremus,requirebant: quibus reſpondimus: vellus ad fullonem nemo portauit. Innuentes iis multum abeſſe ipſos, vt hoc intelligerent,qui leuiſſima quidem ſcirent.Paucis poſt diebus de ſini-

ſtra nare præſagiuimus ſanguinis profluuiũ, deinde etiam parotidas: poſtea alia atque alia tum prædiximus, tum curauimus, quorum illi erant imperiti: vbi cum illi inſtarent, vt ex qua re eas commentationes prænunciatis & obitis, aperirem: perpetuo ſilui, nec quicquam illis reſponſi dedi: ſed vobis ipſis dixi Comici illud:

Vt ligna tortuoſa nunquam corrigas,
Virides nec arbor vetus, alio ſi transferas,
Produxit ſtolones.

Galenus lib. 3. cap. 3. de Differ. pulſuum.

OBSERVATIO.

Ad profluuium alui venenoſum, aquæ ſmaragdi remedium.

NOſtris temporibus curatus fuit hoc lapide, illuſtris Ioannes de Mendoca, poſt multa alia auxilia. Quare hac in re non eſt audiendus Aloiſius Mundella, qui ſua prima epiſtola damnat vſum lapidis ſmaragdi cõtra Arabes, à quibus certe aliqua ſcripta ſunt, partim à græcis prætermiſſa, partim ignorata, vt docet Andreas Turinus, noſtræ ætatis doctiſſimus medicus. *Io. Mich. Paſchalius Meth. Curand. l. 1. c. 36.*

OBSERVATIO.

Ad diarrhœam & ſtomachi ſolutionem poſt longam inediam, Medicina.

IOannes Lerius Burgundus, *in Hiſtoria nauigationis in Braſiliam*, commemorat medicamenti genus, quo poſt lõgam inædiam, diarrhœa & ſtomachi ſolutione, ipſe & ſui comites conflictati, poſtquam vſi fuerunt, confeſtim ſani euaſerunt. Eſt autem eiuſmodi. Ius hœderæ terreſtris eſt accipiendum cum oryza probe cocta, in ipſa olla pannis veteribus reſtincta: quibus igni admotis, ouorũ vitelli ſunt permiſcendi. Confectionem illam cochlearibus admodum pultis ori, inquit, admouebamus. Ac ſane nos omnes morbo illis extinctos futuros fuiſſe, niſi medicamentum illud adhibitum fuiſſet facile credo. *Camerarius.*

OBSERVATIO.

Dyarrhœæ curatio familiaribus & probatis remedijs.

VAlet à proprietate & eſt laudatum ab omnibus. ℞. caſei ouini veteris & exiccati quantum vis: & ipſum ſcinde in fruſta parua, poſtea aliqualiter bulliat in aqua vt ſal & nitroſitas remoueatur, & in tali aqua poſtquam bullierit, plurib. vicibus lauetur, donec fiat totaliter dulcis, & quouſq; remoueatur totum ſal: deinde exiccetur & pulueriſetur, & de tali puluere exhibeatur ʒ j. s. cum vino rubeo ſteptico. *Fauentinus.*

Decoctum quercus libri qui cortici & ligno intercedit & tunicæ putamini glandis ſubiectæ quaſuis alui & vuluę fluxiones inhibet efficaciter, neque non Gonorrhæam, datur & ſanguinem excreantibus. *Tragus.*

Lycium optimum eſt medicamentum non modo ad confirmandas gingiuas & deſiccandũ & conſtringendum, verum etiam ad alui profluuia curanda, in quibus plerunque optimo cum ſucceſſu vſus ſum. *Garcias ab Horto.*

Ex Faufel viridi aquam ſtillatitiam vitreis organis elici iubeo, quam maximo cum ſucceſſu in bilioſis alui profluuiis vtor. Sed arcanum id mihi hactenus fuit. *Idem.*

Immaturorum myrobalanorum ſuccum in alui profluuiis apprime efficacem eſſe expertus ſum. *Idem.*

Mangas fructus oſſiculis aſſatis alui profluuia ſiſti aiunt, quod verum deprehendi. *Idem.*

Iacca arbor eſt in India prægrandis fructum in ſummo caudice, non in ramis ferens, prægrandem magni melonis effigie, interdum maiorem, foris virentem, intus vero fulueſcentem, multis ſpinulis inſtar erinacei ſed mollibus obſeptum. Continet autem hic fructus in ſe magnas quaſdam nuces duro putamine tectas & Expertus ſum tum in me tum in pleriſq; aliis haſce caſtaneas ſiue nuces alui profluuia mirum in modum ſiſtere. *Idem.*

Puluis expertus. ℞. panis infuſi in ſ. q. aceti, decoquatur, deinde extrahatur & exiccetur ſuper prunas, poſtea torrefac. & torrefactus pulueriſetur ſubtiliter, & exhibeatur cum vino rubro ſtiptico cochlear vnum. *Fauentinus.*

Quod ſequitur remedium didici ex Capellano Regis medico primario, qui id à patre acceptũ magni ſecreti loco habebat, & ægris felici admodũ ſucceſſum præſcribere ſolebat. ℞. bol. arm. terræ ſigill. lap. hęmat. an. ʒj. picis naualis ʒ j. s. corall. rubr. margarit. elect. cornu cerui vſti & loti in aqua plantaginis an. ℈ j. ſacch. roſ. ℥ ij. fiat puluiſculus de quo capiat æger cochlear vnum ante cibum vel cum oui vitello. *Chriſtoph. Andreas in Oecoiatria*, valde commendat ſtercus canis, qui ſolis oſſib. arroſis per triduum ante victitarit. *Pareus.*

Auellanarum putamina cruda in tenuem puluerem contrita, & vino auſtero hauſta drachmarum duarum pondere, diarrhœam cohibent, & alba fœminarum profluuia. Verum adhoc ac etiam menſes cohibendos ſunt qui magis præſtare affirment ſubrufeſcentem medullam quæ putamini intus inhærens nucleum circum ambit. *Matthiolus.*

Roſarum calyx quem caput etiam aliqui dicunt, cum reliqua parte baſis, alui fluores ſiſtit & cruentas excreationes. *Idem.* Tres etiamnum in fructum comperiuntur partes, vbi rubeſcit is & maturitatem ſenſit, videl. ſubſtantia carnis, ſemen & lanugo concluſa: quib. non obſcura ineſt adſtringendi vis. Idcirco & ipſæ remedio ſunt contra alui fluores & fæminarum abundantiam quamcunq;: item contra Gonorrhæam, in qua præcipue pollent. Et præſertim ſylueſtrium &c. *Idem.*

Lagopiucus creberrimus in diarrhœis eſt. *Wirſung. in indice praxeos.*

Ad profluuia, ſiue ſanguinolenta ſiue non: Grana circiter 10. vel 12. viol. ſeminis in puluerem terantur, de quibus ſi bina terna ve vice diebus aliquot deglutierit, aut ebiberit, tridui decurſu ſine vllo doloris veſtigio profluuium ſubſiſtet. Inuenitur a. hoc ſemẽ Ianuario & Decembri mẽſibus, in foliolo quodam, quod è terra exſilit & excreſcit. *Ex ſecretis Fallopio aſcriptis.*

OBSERVATIO.

Intempeſtiua diarrhœa compreſſio mortis cauſa.

PRæter inſtitutum non erit exemplũ memorabile hoc loco interſerere. Septennis puella diarrhœa correpta, cum per dies cõplures ſubalbidam ac putrem

trem olidámq; materiam indolenter aluo redderet, diuturnitatis fluoris eiuſmodi pertæſa eius auia, cõſilium de cohibendo cum aliis mulierculis cœpit. In eam rem cydoniato larga manu exhibito ſic eſt eius vſu aluus repreſſa, vt eo die & ſequenti nocte nil omnino reddiderit, ſed excitatis ſæuiſſimis vẽtris doloribus & torſionibus vſq; eo intumuerit, vt hydropica derepente euaſiſſe putaretur. Accitur medicus quid rei eſſet ſuſpicatus, clyſmatis primum lenibus, dein etiam acrioribus identidem iniectis, hęrentem aluo noxiam materiam foras euocare, fotu dolores lenire tentat: ſed id fruſtra. Inualeſcentibus quippe doloribus immanibus cum crebris animi deliquiis, tandemq; liquidioris ſtercoris vomitione, intra biduum miſerabiliter extincta eſt. Aperto corpore cęcum inteſtinum coanguſtatum conſtrictumq; adeo obhæreſcente interioremq; ductum obturante cydoniato deprehenſum eſt, vt illac nullo modo prorſus quicquam poſſet peruadere: vnde accidit vt acris illa & corrupta materia meatu ꝓhibita, obiectaque mora reſtagnans, inuſitatam ſibi viam in abdominis ſpatium patefecerit, paulo ſupra obſtructum locum pereſo perforatoq; inteſtino, quo velut emiſſario & cuniculo acto excidens, abdominis totam capacitatem repleuerat. Hinc acerbiſſimi dolorum morſus, hinc diſtẽtio, hinc animi defectiones, obortoq; fœdo vomitu crudeliſſima mors breui conſecuta. Hæc hiſtoria ad eos valebit, qui redundantẽ nocentemve humorem, vndecunq; is profluat, intempeſtiue ſiſtere atque coercere properant, maximo ægrotantium malo. *Fernelius, lib.6. cap.9. Pathol.*

OBSERVATIO.

Quinquennium ex fluxu hepatico laborans, ſeruatus à medico de ſecta empiricorum.

VIdimus epaticum fluxum, cum quo eſt maior neceſſario debilitas iecoris, & magna inteſtinorum, q durat per multos annos. Adeo vt Bernardus Caluſcus bibliopola, amicus meus, & qui cauſa fuit omnis noſtræ in edendis libris exiſtimationis, laborauerit per quinquenniũ fluxu epatico, & ſanatus eſt iam multis annis à Thoma Iſeo Brixiano medico, amico noſtro, tametſi ex ſecta eſſet empiricorũ. Imo dicebat *Raſis tertio decimo Continentium* Iudei auctoritate, quod fluxus melancholiæ non excoriat inteſtina, niſi poſt quadraginta dies, & ſępe multo ſerius. Deinde quæ ratio eſſe poteſt efficax, quę me doceat, quod poſt longam dyſenteriã, lienis cauſa factam, & etiam vbi æger ad ſummam peruenerit imbecillitatem, nõ poſſit finito morbo ſanari, cum illud videamus in febribus & omnibus aliis morbis. *Cardanus Comm. ad Aphor. 41. lib.6.*

DE DYSENTERIA,

CAVSA.

OBSERVATIO.

Breuis Dioriſmos ſecundum placita Recentiorum medicorum, de cauſa Dyſenteriæ.

NOVAM qui hodie, vt vocant, medicinam excolunt, ipſi priſcam & naturaliſſimam ex veris principiis rati Cauſam dyſenteriæ, vt & Lienteriæ, atq; Diarrhœæ, aſcribunt materiæ cuidam virulentæ, & veneni laxatiui participi. Ventriculum enim aſſerunt ex ſubtiliori exactioriq; elaboratione alimentorum in ſtomacho extrahere vim quãdam catharticam & emmeticam. Vnde ob tale quaſi ſemen genitũ formatumq; in corpore humano & ob proprietatẽ trium primorum hypoſtaticorum, ventriculus irritatur ad excludenda ἀνὰ καὶ κάτω, omnis generis contenta, vel aliunde etiam ex vicinis partib. eo corriuata. Aluminoſam vel helleboraticam vim denominant, ſi per ſuperiora reiiciãtur: Item Eſulatam & colocynthiacam facultatem attribuunt materiæ contentæ, ſi per anum deturbetur. Non tam ventriculo attribuunt, quam materiæ in eo contentæ; at ex vitio ventriculi ad illam virtutem Laxatiuã miro naturæ opificio & alchemia redactæ, ſymtωmatica potius quam critica motione. Vt n. aiunt antimonium, pręcipitatus, elleborus, colocynthis, agaricus foris vim nacta ſunt laxatiuam ex ſuis cauſis & principiis ſpecificis actiuis: Ita eadẽ, ex lege microcoſmi, intus & in homine vſu venire ſolent. Eadem ſcil. vbique Aſtronomia, Phyſica, & Alchemia ſpectatur: & homo eſt alter quaſi mundus; eadem ſunt rerum principia, cauſæ, effectus, & energiæ. Porro dyſenteria, diarrhœa &c. non tam in ventriculo quam hepate, quam veſica, matrice obſeruatur: quod ipſum viuis etiam exemplis atq; hiſtoriis huius operis Obſeruationum edocemus. ipſaq; rerũ autopſia luculẽter euincit. Similiter de plæriſq; aliis morbis cenſemus, vt de calculo, quem facile in tota humani corporis anatomia concreſcere, hoc opus docet: ſic de hydrope, catharro, febribus, lue venerea aliis. Differentia tantum animaduertitur, ob matrices, locellos, id eſt ſedis affectas. Quamobrem ad catholiciſmum morborum reſpiciunt illi, nõ ad ſedes affectas & hoſpitia: cenſentq; viam illam tritã morborũ capitis ad pedes paralogiſmis plenam. De vera & priſca medicina ſtatuunt, eum demum apodictice philoſophaturũ, qui veram lautamq; philoſophiæ, tum aſtronomiæ habuerit cognitionem: vt ex hypoſtaticis actiuis Principiis, per ſpargyriam chymicam (quæ ſit anatomia phyſicæ) in vniuerſitate rerũ phyſicarum viſibilibus, tum per analogiſmum microcoſmicum Iatronicen, Reginam artium in lumine naturæ exædificauerit. Non ingrati interim futuri magnis Principib. philoſophis: nihilominus veritatem rei ex centro eſſentiæ rei inquiſituri. *Hæc ex ſententia Hermeticorum, Schenckius Filius.*

ΣΥΜΤΩΜΑΤΑ.

OBSERVATIO.

Ex præcedentibus torminibus eroſi villi, quibus vis retinendi fulcitur.

INteſtinorum tormina, ꝙ Græci δυσεντερίαν vocãt, exulcerare inteſtina intus cõſueuerunt, indeq; deſcendunt cruenta & mucoſa excrementa: cumq; id malum diutius inueteraſcit, aut hominem tollit, aut (ꝙ forſitan deterius eſt) nunquam ſaneſcit. Nam & nos Iulianũ quendam nouimus, qui cum poſt quadraginta dies, quib. hoc morbo vexatus eſt, ſublatis iam dolorib. ac deiiciendi cupiditate, eius aluus impendio liquidior permanſiſſet, & ſæpius, quam par fuerat, ferreretur, nullis vnquã auxiliis curari potuit, quin ſemper quoad vixit, & impetũ ventris cohibere nequiret, & vbicunq; deiiciendi cupiditas hominem vrgeret, ibidẽ excrementa deponeret, eroſis ſcil. ex pręcedentib. torminibus, atq; conſumtis villis, quibus vis ipſa retinẽdi fulcitur. *Beniuen. c. 95. De Abditis.*

Observatio.

Ex iiſdem torminibus eroſa viſcera.

VIdimus & alium, natione Aretinum, qui cum iis item torminibus diutius vexatus fuiſſet, ex iiſdem deniq; in erodentia ipſorum inteſtinorũ vlcera, tum in tabem, poſtremo in mortem incidens, eroſa intus viſcera oſtendebat: è quibus dum ita affectus ſuperuixit, vt triennium non exceſſerit, continuo ſanies effundebatur. *Idem cap. 96. citati operis.*

Observatio.

Dyſentericorum hiſtoria, quibus oſtenditur, præter inteſtina etiam alias partes vitiari & exulcerari.

SÆpe latius peruagatur affectio, quam ad inteſtina. Adoleſcens annos 12. natus, bilioſo profluuio cum febre correptus, deiiciebat frequenter ſimilia dyſentericis, nigrum ſanguinem. Sitis, manus frigidæ, vigilia, vini magna appetentia. Nihil adiutus remediis obiit die 9. Apertus, œſophago interiore ad ventriculi os ſuperius & ad medium thoracem nigro, corrupto, epiploo ſimiliter corrupto, pulmonibus alteratis, recto inteſtino exulcerato. Dolor fuerat in ſiniſtro latere imo ventre & ſtomacho.

Alteri febris, vomitio, ventris dolor, deiectiones pici & nigro ſanguini ſimiles: 26. die mors. Secto corpore, inuentũ vlcus vſtulatum, in ambitu exeſis tunicis omnibus ventriculi, qua parte decliuis eſt ad pylorum. Huic procidit anus fere toto morbo. *Scholiographi ad c. 43. lib. 1. Holleri de morb. intern.*

Observatio.

Dyſenterici liquida pici ſimilia deiicientes.

VIdimus qui ſimile quid craſſiori pici nullo periculo & ſine febre deiicerent. Alios cum febre & periculo. Monachus quidam apud D. Genovefam, dyſenteria laborans, cum vi morbi frigeret extrema; nigra, liquidæ pici ſimilia deiiceret, ſpiraret difficulter, vt iam de funere diſputaretur, conualuit. *Idem iam citato lib. & cap.*

Observatio.

Dyſenteria intempeſtiue ſuppreſſa, multorum grauiſsimorum morborum cauſa eſt.

SAtis indicat *Galenus contra Herodotum*, quantum noceat intempeſtiuus adſtringẽtium vſus in Dyſenteriis, quæ exulcerationes ſunt inteſtini cum alui profluuio. Supprimuntur quidem declinante morbo, & ne materia in partem nobilem verſa iniuriam adferat, imperatur adſtringentia miſtis aromatibus, & iis quæ vrinas moueant. Sic enim diuerſo humore ad vrinas, vlcera poſſunt celerius ſaneſcere. Et quantũ licuit cognoſcere experientia, alios vidi ſuppreſſa intempeſtiue dyſenteria in epilepſiam incidiſſe, alios in pleuritidem. Cuidam quoq; conuerſa materia ad manus, fœdam denſamque ſcabiem lepræ perſimilem, puſtulis ſanioſis confertim inuexit. Nonnullis medicamentis adſtringentibus ſic adſtrictis, vt inde ſiccatis inteſtinis, vix quarto quoq; die poſtea deiecerint. *Hollerius Comment. 1. ad aph. 38. lib. 6. Sect. 2. Coac. Hipp. pag. 876.*

In huius morbi curatione duobus ſæpius modis peccatur vulgo: celerius ſuppreſſa aluo, & adſtringentium vſu impacto pure in inuolucris inteſtinorum. Suppreſſa intempeſtiue dyſenteria vidi inſanũ factum. Mulierem quoque, cui in perpetuã vitam ita conſtricta aluus, vt ſeptimo quoque die tantum excerneret, & inde ore & naribus grauiter oleret. *Galenus de vena ſectione contra Eraſiſtr.* non paucos vidiſſe ſcribit, qui dyſenteria, varicibus, hæmorrhoidibus ſuppreſſis, in inſaniã, apoplexiam, atram bilem, nephritidem, pleuritidẽ, hydropiſin, ſanguinis vomitionem, & hęmoptoicã paſſionem inciderint. Nobilis quidam pictor in ſcabiem fœdam. Corpore enim pleno, materia feruida ſurſum fertur. Alioqui ita reſiccatur inteſtinum, vt maneat perpetua alui adſtrictio. Si ſurſum & deorſum obſeruatur, in inuolucris inteſtinorum aceruatur magna puris quantitas, quæ tandem interficit. Quod nos, cuiuſdam corpore diſſecto, obſeruauimus. *Scholiographi ad cap. 43. lib. 1. Holleri de morb. intern.*

Observatio.

Dyſenterici inter dormiendum album oculi conſpiciendum proferentes, contra Hipp. Aph. 52. lib. 6. ſententiam, liberati.

HOc anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo octauo, plus quam ducentos Dyſentericos curauimus, in quibus nonnihil albi ſuſcipiebatur dum dormiebant, inter quos pauci obiere, & alii ſuperuixere. Propterea in omni genere profluuii, hoc ſignũ, tanquam certum, ſumi non poteſt. *Braſauolus Comm. ad Aph. 52. lib. 6. Hipp.*

Observatio.

Carunculis per dyſenteriam excretis, (contra Aph. 26. lib. 4.) ſanati.

SI bilis, aut atra bilis materiam ab inteſtinis abraſerit, initium dyſenteriæ eſt: ſi vero ſimul pelliculæ quædam cum ſanguine exeant, eſt prima inteſtinorũ tunica quæ exit. Ad hoc vſq; patientes ſanari poſſunt; & nos multos ſanauim[9], & indies ſanamus. Sed cum craſſities illa, quæ inter inteſtina cõtinetur, exit, tunc videntur quaſi carunculę exire: omnes tũc fere moriuntur. tamen quandoq; ſanari etiam vidimus; & nos ipſi curauimus, quibus carunculæ, aut veluti carunculæ exibant. Cum vero ſecunda inteſtinorum tunica exit, hæc dyſenteria inſanabilis penitus eſt. Rariſſimi etiam ſunt qui euadant, cum primam inteſtini pelliculam affectio tranſit. *Idem Comment. ad aph. 26. lib. 4. Hipp.*

Cvratio.

Observatio.

Dyſentericorum venæ ſectione curatorum, hiſtoria varia.

VAleant barbaram ſectãtes Medicinam, ac Theſſalici noſtri temporis medici, qui nunquam pro dyſenteriæ curatione venæ ſectionẽ admittunt, nec admittendam eſſe cenſent, nulla auctoritate aut ratione fulciti, niſi ꝙ ſic longo tempore in ægrorũ necem male obſeruarunt. Nam viribus, ætate, ac aliis conſentientibus, circa initia reuulſionis gratia, vbi magna adſit humorum copia potiſſimũ, aut ſanguinis impetus vehemẽter vrgeat, ſeu maxima adſit inflãmatio, aut dolor vehemẽs, ſiue iecur fuerit modo quo dixim[9] male affectũ, ſemper exordiẽda curatio

erit

erit à iam dictâ venæ ſectiône. Id quod longâ experientia & diebus non longe elapſis etiam comprobauimus. Nam cum duo Magnifici Ioannis Ferdinandi Rocchi filii Dyſenteria affecti eſſent eodem tempore,ac ex ſimili cauſa, quanquam vnus per tres aut quatuor dies prius in Dyſenteriam incidiſſet, is (quoniam à præcedenti morbo non fuit ſanguis ei miſſus, quàuis alia fuiſſent debitâ adhibitâ medicamenta)tandem interiit. Alteri vero ad quē nos fuimus accerſiti, licet grauior fuiſſet in eo orta Dyſenteria,vires,ac ætas,& habitus imbecilles,non tamen adeo vt ſanguinis miſſionē prohiberent, priori Medico inuito,me præcipiente fuit ſanguis miſſus: ſanguine miſſo,ſtatim melius ſe habuit,ac deinceps debitis aliis medicamentis adhibitis, liber euaſit, vixit & adhuc viuit.Ei tñ (quoniã ætas reluctabatur, cum nondum vndecimum ageret annum) non fuit vena ſecta,ſed hirudines in cubito adhibitæ,(id ꝙ ſeruandum eſſe cenſemus in cũctis infra decimũ quartum annum.)Nam licet eis ſanguis mittẽdus ſit, ſi eã adſint, quæ ſupra notauimus, tamen iis non per venæ ſectionem,ſed per hirudines aũt cucurbitulas extrahi debet.

Nonnullos etiã alios dyſentericos à venæ ſectione liberatos & nos vidimus, & qui mecum affuerũt aſſeclæ teſtes ſunt,quemadmodum etiam Deum teſtor me veritatem fateri,& firmiter tenere, quod liberatus fuiſſet quondã excellens Don Gutterius de Cardines filius Don Leonardi,ſi ei iterata fuiſſet venæ ſectio.Is namque ætate adoleſcens, cum ex male affecto iecinore,ex cõfluente bilioſo ſanguine ab eo ad inteſtina,in grauiſſimam incidiſſet dyſenteriam, cum vehementiſſimo inteſtinorũ dolore,ſeu potius inflammatione ac febre, fuit à me accerſito ei vena ſecta interna dextri cubiti,duæq; vel tres ad ſummũ extractæ ſanguinis vnciæ,ſecunda ægritudinis die,& cum adhuc dyſenteria perſeueraſſet, & dolor, & febris valida,iterum venam ſecare mihi viſum fuit, viribus iam conſentientibus:verũ altero ſuperueniente medico, barbaram ſectante medicinam, ac Eraſiſtrateo circa venæ ſectionē exiſtente, penitus aſſentiri noluit, quinimò nec aũctoritatib. nec rationib. conquieſcens,primam quoq; venæ ſectionem condemnauit,potiſſimum cum reliquis adhibitis medicamentis adſtringentibus,reſiccantibus, ac mordacitatem obtundentib. infra decimum quartum inualeſcẽte ſemper dyſenteria, dolore ac febre, morte præuentus fuerit. Hic ex numero fuit eorum, quià *Galeno* damnantur *li.4.de articul.*Nam neglecto iecinore, ſolãm inteſtinorum exulcerationē curare tentabat,& ꝓpterea cauſa fuit,vt æger moreretur, adeo vt de eius morte coram Deo rationem reddere debeat. Nuper quoq; dum hæc conſcriberem, excellẽs Aſcanius Caracciotus, cum Dyſenteria, teneſmo,ac febre laboraſſet,ex venæ ſectione internæ dextri cubiti, incunctanter abſque alio auxilio liberatus fuit. *Altomaris cap.74.De Medend hum.corp.malis.*

Observatio.

A deſperata Dyſenteria ſorborum eſu liberatus.

ANnum agens decimum quartum, dabam operam Grammaticis Aureliæ in via fabrorum,illic Autumno (vt fit ſæpenumero) Dyſenteria populariter graſſari cœpit:qua & nos grauiſſime tentati pene à Medicis deplorati iacebamus:exitium enim ſuperabat opem, nullaq; auxilia videbantur morbum lenire, nedum leuare. Tandem conſilio anus cuiuſdam ſorba cruda largiſſime vorans,poſtridie vim ꝓpemodum omnem torminalem ſenſi depulſam: indeque firmata àluo,ab orco(vt ita dixerim)reuocatus,& priſtinę valetudini reſtitutus,veriſſime expertus ſum Celſi Cornelii dictum, videlicet, temeritatem plerunque efficere in morbis, quod prudentia nequiuerit.*Bruyerinus lib.11.cap. 22.de re Cibaria.*

Observatio.

Trimeſtris infans à dyſenteria per clyſterem conualuit.

FLuxus etſi varius ſit: à variis etiã cauſis procedit. Quàre non erit vnica curãdi ratio, etiam ſi in infantibus minime apponi poſſunt, quæ & diligenter, & perfecte reſtituunt ſanitati priſtinæ. Curaui ego trimeſtrem infantē, menſe ſeptembri, à dyſenteria, clyſteribus partim illuentibus, & partim aſtringentibus,ſtomacho nõ neglecto,fomentis,quare ad alui profluuia,foueto ſtomachum,reiectis balneis,foueto vino auſtero,& oleo cytoneorum.*Petrus Toletus in appendice ad c.14. Pauli Bagellardi de morbis Puerorum.*

Observatio.

Ex lethali dyſenteria, qua Spithamæ longitudine ramenta membranarum inteſtinorum cum pure & ſanguine excreta fuere, quidam conualuit.

PFortzæ faber lignarius à me curatus, benignitate diuina adiuuante,qui ſæpe Spithamæ longitudine,ramenta & membranas inteſtinorum cum ſanguine & pure in dyſenteriã lethali excreuit. Vocatus fuit Conrad. von Franckfurt / per quartam partem anni fere decubuit,donec eſt reſtitutus. CL. V. *Eſaias Meichſnerus de obſeruat. propriis.*

Observatio.

Difficultate inteſtinorum laborantes, etiam putreſcentibus inteſtinis, beneficio exterioris eorundem tunicæ ſanati.

QVod ad ſecuritatem & ad dyſpathiam,difficultatemq; patiendi perfectiorem, continuationemque,non paruam inteſtinis commoditatem duę tunicæ præbeant, indicant vel maxime dyſentericæ paſſiones. Multis nanque & perſæpe vidimus, grauiter diuque ægrotantibus,magnam partem inteſtinorum putreſcere, vt multis partibus tota interna deperiret tunica.Attamen vixerunt ii, & euaſerũt: non tamen ſanati fuiſſent,niſi ſecunda quædam alia extrinſecus eſſet,ſuper corruptam tunicam.*Braſauolus Comm. ad aph. 26. Lib. 4. Hipp.*

Observatio.

Torminibus quadriennium infeſtata mulier, & oborto in ventre tumore, atq; ſuppurato, eadem paulo poſt medicamento validiore ſumto, expirat.

SVperiore proximo vere petiit à me conſilium plebani cuiuſdam vicini ruris coqua circiter 46. annos nata. Cuius vrina,ꝗ adferebatur à puella, tinctior erat ac turbidior,quàm conueniebat.Ipſa verò puella de morbo referre nihil poterat, niſi ꝙ illa cibum faſtidiret,nauſearet,& toſionē circa cauitatem pectoris ſentiret. Quærenti mihi an admodum eſſet languida, numque capite doleret, vtrumque nega-

 uit.

uit. Præſcripſi ergo hauſtum emeticum, & tabulas robur addentes ventriculo, iubens vt de effectu medicinarum certiorē breui me facerent. Aliquot diebus poſt, qua hauſtum accepit illa, venit ad me plebanus ipſe, referens eam vomitu magnam vim tenacis materiæ, quæ colore fel retuliſſet, potionis ope reieciſſe. Sed iam à longo tēpore per aluum deiicere nihil potuiſſe: rogat vt poſtridie (qui futur⁹ erat dies feſtus) pomeridiano tempore ad eos exirem. Exeo, & inuenio coquam prælanguidam, & Hippocratica facie, nēpe tabe prope confectā. Quæro ante omnia num deterius habeat à vomitu, quā antea, quo negato, ſciſcitor morbi primam originem. Audio illā torminibus quatuor annis ante laboraſſe cū bene prius valuiſſet: deinde tumorem ad imum ventrem in dextro eius latere ſeſe oſtendiſſe; qui temeritate vagi cuiuſdā medicaſtri maturatus & apertus fuerit. Per vlcus poſtmodum diebus compluribus alimentum nondum plene percoctum exiiſſe. Interea fœminā, neſcio quam coxiſſe vulgares quaſdam herbas (velut arthemiſiam, veronicam, & alias memoriam ipſorū fugientes) quarum vbi decoctū illa ſæpiuſcule hauſiſſet, cohibitum cibi per foramen vlceris egreſſum, eamq; paulatim cœpiſſe nutriri: ſed non niſi facilis concoctionis cibis. Ceterum ante proximos menſes plus minus ſex, recruduiſſe malū, ac ſenſim ita inualuiſſe, vt cum cibū ad mediocrē vſq; concoctionem illa non retineat, haud tñ inferius egerat, ſed per os. Rogat ecquid aduerſus tantam ægrotationem habeam conſilii. Nihilominus ait interim opus videri purgatione: ꝙ credibile eſſet, ob vitioſorum humorum copiam non poſſe cibum ab ea vel retineri, vel percoqui. Ego v. circumſtantiis expenſis, præ nimia virium illius imbecillitate, & quia metuebam ne inteſtinum, vbi perforatum fuerat, occluſum deiectionib. exitum nō prę̄beret, in purgationem non auſus fui conſentire: cumq; clyſterem tanquam rem perniciosam abhorrerent (quemadmodum vulgus hoc toto tractu ſolet) iuſſi vt præter vſum tabularum, apozematum & infuſionū confortantium, cibis ſorbilib. quib. ſuſtentabatur ſolis, modicum aceti roſacei ſubinde admiſcerent &c. Plebano etiam nō obſcure ſignificaui, morbum videri incurabilem, ceu nimium adauctū. Aliquot dieb. interpoſitis, de cōſilio cum aliorum, tum vel in primis cuiuſdam non infimæ autoritatis fœminæ (tum iratæ mihi) conſiliū à Medico quodam Tubingæ petitur (diſſimulatis vt arbitror circumſtantiis) qui purgantem præſcripſit ægræ hauſtum; quo illa ſumto, magnoq; impetu per os reddito, intra biduum exhalauit animam, quam paulo fortaſſe diutius retinere poterat, niſi diffidentia meiq; contemtu exilium acceleraſſent. *Iacob. Suterus Medicus de obſeruat. propriis.*

EXPERIMENTA.

OBSERVATIO.

Rariora ad dyſenteriam remedia.

VVa quercina ignota fuit veteribus, res magni momenti. Eſt a. vua quercina à me primum inuenta, forte fortuna tempore veris, cum ad quercus alias effoderem herbas, in ſiluula quercina, prope oſtium Tangere. Quā vt & tu candide lector noſcere diſcas, et deſcriptionē hic apponere volui. Eſtq; vua quercina concretitium quiddam, in forma vuæ, ad radices quercuum ſub terra tēpore veris ex humore radicum forſitan ſuperfluo, ſaporis omnino ſtiptici; colore foris purpureo, intrinſecus candido, & quaſi lactiffero. Es ſiehet wie ein roter Weintraub/von vielen Beeren zu hauffen getruckt/in æſtate, ꝙ obſeruaui vua perit illa & quaſi fit lignea. Tempore ergo veris colligi debet, ad radices quercuum, & debet ſiccari in vmbra & deinde pulueriſari, illo puluere nihil (expertus loquor) præſentius in Dyſenteria & in omni fluxu ſanguinis: Deſperatos aliquot dyſentericos ſeruaui illa vua quercina, merito ergo digna eſt omni laude. *Encelius.* Antiqui, cuiuſdam è quercu inſtar Ledi pullulantis, meminerunt excremēti: quod purgat, & adſtringit ſummopere. *Lobelius.*

Hypodris ſiue Vua quercina ad radices annoſarū quercuum prouenit, circa veris initia & Martii principia erui ſcimus. Experimentū omnib. hæmorrhagiis, cum primis alui ꝓfluuiis, etiam cruentis, ꝓpter venenum laxatiuum impendentibus, commodum. Ex quercinis Friburg. ſyluis, cæde arborū ad radices vſq; imas erutarum, id habuimus. *Schenckius Filius.*

Antihæmaton aliud ex Caſtrenſi noſtro Pharmacopolio Baſilico tranſcriptū: ℞. nucis moſch. torref. croci martis legitimi, ſingulorū ʒ. ij s. terræ ſigill. verę; boli arm. veri, maceris, ſingulorum ℥. ij. rad. torm. gladioli lutei, coralliorum rub. chymice reſolutorū, ſing. ſeſquidrachmam, Nepenthes ſemidrachmam. Diſſoluto Nepenthe ex aqua ſpecifica, reliquis ſimiliter immixtiſſimis, eſto Puluiſculus, ſingularis ad hypercatharſes aluiq; profluuia. *Idem.*

Kentmanni aliud ſecretum Remediū, ex medulla ſaxorū, carniolo, & florib. animæ, titulo libri Quarti de menſtrua mulierum purgatione exhibuimus, in hunc quoq; vſum commodum. *Idem.*

Alcea herba eſt, quam Germani Sigmarßkraut appellant, cuius dexterrimus eſt vſus in torminibus inteſtinorum, vt eſt apud *Dioſ. li. 3. c.* 155. Huius n. effectus experimento cōprobatus eſt, nuper in publicis, per Cæſ. Carol. V. habitis Ratiſponæ Bauarię Comitiis, An. Chriſti 31. ſupra ſeſquimilleſimum. Vbi cum Dyſenteria cōtagioſa & læthalis graſſaretur, hac radice vir Eruditus Wenceslaus Cubito, Regis Ferdināndi Medicus, plurimos qui iā inter perditos deſperatos habebātur liberauit & ſanauit. *Ammon. Agric.*

Omētum Veruecinum ſupra ventrē extendi & ſæpe iterari, optimum vos ēt ſcire velim, plures igitur Verueces aut arietes aut hircos, mactare & cōfeſtim exenterare iubete: eſt n. remediū hoc ſingulare. Puella ſex vel octo tantum natus menſes, & filius Benedicti Gondulæ iunioris, Patricii Raguſæi, cū dyſenteria laboraret, & multa viridia, lutea, & aliorū colorum egereret, & anxie ferret, ac doloríb. cruciaretur, ita vt lac ſugere nō valeret, in dubia ſpe erat, ad eum itaq; vocatus, adductū veruecē intra cubiculum vbi puer erat, mactari iuſſi ac diligēter exenterari, à quo calēs Omentū, Zirbum Arabes vocant, ſic extractū, ſupra ventrē pueri extēdendū curaui, & faſcia faſciari, hoc n. topico remedio intra 3. horas puer melius habuit: egeſtiones n. minui cœperunt, & dolores ex toto leuati ſunt, iuſſimus tamen vt nutrix pullo gallinaceo calybeata aqua incocto, adiecta oryza veſceretur & vini vice calybeatam pluuialē aquam biberet, ac à coitu abſtineret, & cornu rubro fructu tunc maxime abundante, ꝓ cibo vteretur, iuſſi. Ceterum poſt elapſas 4. horas, & è pueri ventre leuato omētō veruecino, cum vnguento è Comitiſſa dicto, inungi iuſſi-

ſuſſimus,& aqua ex pullo per campanã deſtillatitiã, adiectis Corallio, margaritis p̃paratis, ac Coroneorũ fruſtulis ſimul miſtis per os illi iniiciendum curaui, iis enim puer ſequenti nocte bene habuit, & quieuit, ac dormiuit & lac ſuxit, nec amplius torminibus tentatus fuit. *Am.Luſit.62.* Idem repetit *Centur.5.93.* Topicum remedium hoc ſecretum & optimum, vt ab hircis parari diximus, ita à veruecibus & aliis animantibus accipi poterit, vt in Curationibus videre licet. *Idem.*

Omenti veruecini fruſtum conciſum & cum hyperici oleo in ſartagine frictum, ac calens ſuper ventrem extenſum, dolores & tormina mitigat, Dyſentericumque fluxum aufert. Id quod vel ſolum hyperici oleum calide ventri inunctum faceret. *Victorinus Schonfeldt.*

DE HÆMORRHOIDIBVS.

OBSERVATIO.

Hæmorrhoides quibuſdam familiis propriæ.

QVIBVSDAM familiis conſuetæ ſunt hæmorrhoides, in quibus indiuidui ratio habenda. *Scholiographi ad cap. 55. lib. 1 Hollerii de morb. intern.*

Comites nouimus certæ familiæ, qui ex ordine hæmorrhoidibus laborant: & tamen læti viuunt, diſcurrunt, inquieteque ſe gerunt, quo citius tum ab iis liberentur, venis ad excretionem ſtimulatis irritatiſque. *Cl. V. Iacobus Moccius, Friburgenſium Medicus* à Comitiſſa à Solms & Furſtenberg inaudiit.

OBSERVATIO.

Hæmorrhoides, an à cauæ, an vero à porta venæ ramis melancholicum & fæculentum ſanguinem euacuent, eruditorum animaduerſiones.

RAmum portæ quem ſub recto inteſtino decliuem ac meſenterio ſuffultũ porrigi ſcripſimus, nonnunquam ad fæculenti ſanguinis per ani venulas, ſanguine interdum manantes, expurgationem, plurimum conducere arbitror. Quandoquidem dum aut ob lienis obſtructionem, aut aliud quodcunque ipſius vitium, fæculentus ſanguis non vniuerſus, vel nullus plane ad lienem abſumitur, vel lien eundem ad ventriculum eructare nequit, huius rami beneficio, certis quibuſdam interuallis, vti mulierum menſtruæ purgationes ſolent, per anum excerni credo. Rarius enim ex vniuerſo corpore, hæmorrhoidum vitio laborantibus, ad venæ cauæ ramulos, in ſedem pertinentes, lutoſum eiuſmodi ſanguinem regurgitare, veriſimile nobis videtur, dũ veram venæ portæ diſtributionem perſpectam habemus. Quippe ex hac coniecturari eſt promptiſſimum, qui is ſanguis à liene non attractus, aut ob meatuum obturationem non admiſſus, vnde fluebat, rurſus regurgitet, atque ſua grauitate per ramũ ad inteſtinum rectum pertinentem, deorſum procumbat: ibique tantiſper reſeruetur colligaturque, donec nimium turgentes venæ, oſculis reſeratis, per anum manare illum ſinant. Huic meæ ſententiæ magnum robur adiecit is, quem hoc ſanguinis defluxu per interualla laborantem, non ita pridem reſecuimus. Huic enim minor, ſed durior lien fuit: & vena ſub recto inteſtino excurrens, pollicis quaſi craſſitiem ſuperauit: eoque modo ſanguine turgebat, quo iam parturientium animalium venas vterum amplexantes, inſigniter amplas diſtentaſque cernimus. Verũ hæc paulo latius à nobis relata ſunt in epiſtola, qua dextram axillarem in laterali morbo (ſi modo dextram vel ſiniſtram ſeces, quicquam interſit) aperiendam docui. *Veſalius lib.3.cap.5. de corpor. hum. Fabrica.*

Deſcribendus eſt nobis ramus, qui inter venæ portæ ramos connumeratur, at ab eo originem ducit, qui lieni dicatur, qui parte læua per meſenterion deſcendens, extremum rectum inteſtinum petit, venaſque gignit hæmorrhoidales, quibus duntaxat poteſt à melancholico humore vindicari. *Columbus lib.6. Anatom.*

Videndum initio, vt fluxionis origo exacte intelligatur, vnde venæ illæ oriantur, qua progrediantur, & vbi terminentur. Vna eſt, quæ à ramo ſplenico venæ portæ, per meſaræum circa colum & inteſtinum rectum extenſa, terminatur in muſculis ani & inteſtino interiore, cui circa lumbos occurrit arteria in eundem locum, ſed vlterius ad cutim vſq; à vena caua, tres cum ſuis arteriis, à duabus iliis & ramulo venæ ſacræ dictæ Syluio. Si per has effluat ſanguis, quia exteriores ſunt, hæmorrhoides apertę dicuntur, ſiue externæ, in quibus neceſſe eſt hepar, renes, & totum illud venoſum genus à vena caua magis expurgari, proindeque ſanguinem magis coctũ eſſe, quam qui fluit à venis meſaraicis, in quibus adhuc rudis eſt & ſplendidus, licet ater ſit & craſſus, quem lien & meſaręum maxime hac via expurgant. Nam hepar ſanguinem coctum per venam cauam diſtribuit. Meſaraicæ vero ſugunt à ventriculo, & omnibus inteſtinis, atque ad hepar ſuccum mittunt, plurimumque ſeri continent. Lien autem ſanguinẽ fæculentum exonerat in ramum ſplenicum. A quo deſcendit per meſaraicum ramum, vnde primus ramus qui deſcendendo occurrit, hæmorrhoidalis: paulo infra, venæ meſaraicæ. Si igitur per venam à meſaraico ramo, qui à ſplenico oritur, fiat ille fluor, hæmorrhoides internæ erunt, quod intus lateant, nec oculis cerni poſſint, niſi deſcendente ano, aut immiſſo ſpeculo. Vtræque rurſus diuiduntur in cœcas & apertas. Cæcæ ſunt quæ tument cum maximo dolore nec ſanguinem reddunt. Quanquam non ignoro, cæcas etiam dici illas interiores, quia non videntur. Apertę vero in quibus eſt ſanguinis profuſio. *Scholiographi ad c.55. lib.1. Hollerii de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Hæmorrhoidibus periodicis, vt mulieres menſtruis, vexantur quidam, quibus per venæ portæ non cauæ ramum fæculentus ſanguis expurgatur.

QVIDAM inordinatis vicibus, vt mulieres ſuis menſibus, ſanguinis fluxu ex venis in anum pertinentibus vexari conſueuerat: & cum ex nigro arquato, iecorisque mira duritie periiſſet, num portæ rami, an cauæ hunc ſanguinem euacuarent, indagaturus, illum diſſecui: atq; venæ portæ ramum, ſub Coli inteſtini fine, & tota recti longitudine in meſenterio ductum, pollicis fere craſſitiem æquare, & ſanguine turgeri animaduerti, conterminis venę cauæ ramis nihil prorſus immutatis, *Veſalius. libr.5.c.15. de corp. hum fabrica.*

Noui quendam, qui ſingulis menſibus, ſanguinẽ

hæmorrhoidalem patiebatur, & erat iam octogenarius. *Anton. Zimara Comment. ad cap. 10. libr. de Somn. Ariſt.*

Observatio.

Menſtruo hæmorrhoidum fluxu quidam detentus, cum is ſubſiſteret, ſanguinem rubrum & ſubflauum per os citra febrim aut tuſsim affatim reddidit.

IOannes Baptiſta propola, vir annos natus quinque ſupra quadraginta, & qui iam olim morbo gallico correptus fuerat, tam diu per hæmorrhoides ſingulis menſibus, vt mulieribus menſtrua contingunt, ſanguinis euacuationem copioſam habebat, quæ nunc cum illi ad aliquos dies conſtringeretur, nec ſolito modo flueret, ecce per os ſanguinem abſque tuſſi & febri ſubflauum & rubrum multum coaceruatim emittit, perterritus igitur hic, cõſilium petit, quo tantum fugiat malum. Ego omnia vt decet perpendens, iubeo hominem bono eſſe animo, ac illico hæmorrhoidibus quatuor apponi iubeo hirudines, quæ ſanguinis vncias ſex ſugendo extrahant; poſtea præſcripta optima victus ratione, Syrupum ex Endiuia & Fumaria herba, ac Lupulis, earundem herbarum decocto dilutum, ad aliquot dies ebibit, hinc pharmacum ex manna, rhabarbaro, & portiuncula electuarii diaphœniconis conſtans, quibus optime habere dixit, ad plures tamen poſtea dies, cõditum ex floribus fumariæ, ſacchara, veluti floribus Cichorii concinnatum, jeiuno ſtomacho comedebat, ſuperbibita aqua Cichoriæ ſingulis vicibus pauxilla, hoc enim ordine ſanguis curſum ſuum conſuetum conſequebatur, cuius fluxu hic optime valet. *Amat. Luſitanus Curat. 3. Centur. 5.*

Observatio.

Hæmorrhoidibus menſtruis conſuetis & ſuppreßis, in menſtruum ſanguinis ſputum incidit quidam.

REtvlit mihi vir dignus fide, ſe vidiſſe virum quendam, qui cum ante hæmorrhoidalem fluxum habuiſſet, isque deinde obſtructus fuiſſet: tandem eundem per ſanguinis ſputum ſingulis menſibus à retentione hæmorrhoidalis fluxus ſe aſſeruaſſe. *Cl. V. Oethæus lib. obſ. propriar.*

Observatio.

Hæmorrhoidibus affectus quidam, per dies 45. ad libras duas ſanguinis excernens, curatus.

MOntanus ait, vidiſſe ſe iam Vrbino laborantem hæmorrhoidibus, cui quotidie effluerent duæ libræ (ſanguinis) & amplius, idque per 45. dies, nec vnquam conſtrinxiſſe, & curatum eſſe. *Hieremias Schvveukerus circa finem Conſil. Appendicis Montani pag. 59. Edit. Baſilienſ. Anno 1583.*

Observatio.

Sanguinem & pus mingenti, hæmorrhois aperta, ſaluti fuit.

QVidam nobili, in ædibus Ambroſii Parei Chirurgi decumbenti, qui me ad conſilium adhibuit, cum in grauiſſimo renum dolore emingeret pus, ſanguinem, & craſſam pituitam, natura remedium oſtendente, quia tumebat hęmorrhois, & aliis remediis non cedebat dolor, eo ſtatim tempore iuſſi aperiri hæmorrhoidem, vnde incredibili celeritate dolor conquieuit. *Scholiographi Com. ad cap. 55. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

Observatio.

Hæmorrhoidum cum vrinæ ſtillicidio curatio.

HÆmorrhoides venæ quandoque exterius prominent: non raro interius latent: fundunt ſanguinem quædam, aliæ non: ſanguinis excretionem præcedit aliquando dolor: ſæpe citra dolorem profluit: dolent vero etiam nullo ſanguine ſuccedente. Dolor autem tam magnus eſſe poteſt, vt per ſympathiam veſica laborante, vrinæ ſuccedat ſtillicidium. Viro cuidam cæcæ ac internæ hæmorrhoides moleſtæ erant. Medicus enemata adhibuerat, quibus ſalem & hieran picran admiſcuerat: hinc dolor & inflammatio adeo intenſa, vt non minus, quam hæmorrhoidum labor, vrinæ quoque moleſtum eſſet ſtillicidium, & cui prius remedium adhibendum foret, in deliberationem caderet. Huic autem mox olei violacei vncia in anum iniecta bene fecit, dolore primum hæmorrhoidum, deinde & veſicæ læuato. Eodem vero poſtea aliquoties impoſito, omnis dolor cito conquieuit. *Dodonæus, cap. 50. obſeruat. Medicinal.*

Observatio.

Hæmorrhoides fluentes menſium loco etiam in grauidis.

IN grauidis quoque notaui hæmorrhoides vtiliter fluere, in duabus mulieribus nobiliſſimis; iã quatuor menſes in vtero habentibus: in quibus partus tempeſtiuus conſecutus eſt, & ſaluberrime adoleuit. Erat autem frequens & multus fluxus, ſanguis fere dilutus, qui vbi ſubſiſtebat, grauius habebant. Ægre excluſo leuabantur. *Scholiographi ad cap. 55. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

Observatio.

Hæmorrhoidum apertio ſeu prouocatio per hirudines, nouum eſt iuniorum medicorum inuentum: nec eius vnquam facta mentio ab antiquis medicis.

VNum mihi animaduerſione dignum eſſe videtur, nempe quod ea conſuetudo, quæ frequens in præſentia eſt, tam Patauii, & Venetiis, quam in reliquis fere Italiæ ciuitatibus, nouum eſt iuniorum medicorum inuentum, nimirum quod ad aperiendas prouocandasve hæmorrhoides vtamur hirudinibus. Non enim memini eius eſſe mentionem factam ab aliquo Græcorum aut Arabum medicorum: immo ſi eorum inſtituta ſequamur, putarem potius illis non fuiſſe probatam eam rationem eas aperiendi. *Quarto* enim *Aph. Galen.* apertiſſime conſulit, non eſſe aſſueſcendum vacuationi, quæ fit per hæmorrhoidas: vtpote quoniam periculo ea conſuetudo non vacat, nam multis quidem ea eſt excretio, quando à natura fit exonerante copiam. Sed ſi alioquin clarior & tenuior excernatur, vtilis non eſt amplius ea vacuatio. vnde & Hippocr. dixit, ſanguinem fluentem per inferiora bono eſſe: addit tamen, nigra ſi fluant. Nos vero obſeruauimus quod ſanguis per hirudines detractus, præſertim quando hæmorrhoides prius ſponte non intumuerint, aut doluerint,

luerint, effluit clarus & non admodum craſſus: nam ſi ſponte intumeſcant, aut doleant, indicio id eſt, naturam incepiſſe iam vitioſum ſanguinem in eas venas propellere. vnde tunc medicus naturæ opem ferens, poterit magis prodeſſe. *Trincauella De Rat. curand. Partic. hum. corp. affect. lib. 9. cap. 14.*

Observatio.

Ad hæmorrhoidas ſuppreßas, fungos & thymos in ano, remedium.

SVccus atq; magma galiopſis herbæ quam etiam vrticam Labeonis nominant, hæmorrhoidibus impoſitus, ipſas tumentes aperit, & ſanguine congeſto manare facit. Eodem remedio fungus & thymus, affectus circa anum curantur. Si acrimonia ardore & dolore acerbius infeſtent ægrum, in ſemicupium deſcendere iubebimus: moxque vlceribus, ſi quæ adfuerint, quod ſequitur medicamentum imponemus. ℞. ol. roſ. ℥. iiij. ceruſſi ℥. j. litharg. ℥. s. ceræ nouæ ʒ. vj. opii ℈ j. fiat vnguentum ſecundum artem.

DE COLO INTESTINO.

Observatio.

Valuula in inteſtino Colo Anno 1579. reperta.

DVm Lutetiæ Pariſiorum, ſtudiorum gratia verſarer, & inter cætera ſtudia priuatim in Anatomico ſtudio cum Cl. Viro D. D. Thoma Coccio populari, me exercerem, contigit vt Anno 1579. dum inter ea, quæ à me diſſecabantur, curioſius inteſtinorum ſtructuram rimarer, ea penitus à Meſenterio liberarim, & ad eorũdem fibras & tunicas conſiderandas abluerem, aqua modo per Ieiunum, modo per Rectum inteſtinum infuſa. Quod cum factitarem, aquam per Ieiunum infuſam facile, & quàm citiſſime elabi obſeruaui: per Rectum autem infuſam Colon inteſtinum non pertranſire, etiamſi inteſtinum leuiter comprimeretur. Quare, quidnam eo loci occurreret obſtaculi, perquirere lubuit. Inueni ergo in Colo inteſtino, eo loci, vbi tenue inteſtinum, Ileon puta, finit & appendix lumbricum referens, Cæcum quibuſdam dictum inteſtinum, apponitur, ad Coli nimirum principium, inſignem VALVVAM, latitudine pene vnguem ipſius pollicis æquantem, craſſam, membranoſam &c. Quod tanquam nouum, à nemine hactenus literis traditum, tum temporis multis, præſertim vero Clar. viro D. D. Guilielmo Capello Profeſſori Medico & Præceptori meo humaniſſimo, oſtendi. Sed & hactenus in publicis Anatomiis Academiæ noſtræ, quibus in decimum nunc annum præſum, eius à me facta fuit mentio: vt & in binis iam intra quinque menſium ſpatium habitis hoc anno 1591. maxime vero in duabus Anatomiis, quas anno 1586. adminiſtraui (poſteaquam à Succenturiato meo Daniele Pyrnuſio mundata fuiſſent inteſtina, à quo etiam hæc Valuula eodem anno Anatomicis Patauinis clariſſimis fuit demonſtrata, vt & poſtmodum à D. D. Ioanne Sebaſtiano Fridio, Argent. Medico) toti ampliſſimo conſeſſui oculis ſubieci, aqua & per ſuperiora & per inferiora infuſa: eandem etiam palpandam exhibui. Eadem etiam inteſtina, quo rectius eorum longitudinem (quæ 24. erat noſtratium vlnarum) dimetirer, in iiſdem Anatomiis folle inſufflari curaui, tumque temporis, vt & ſequentibus habitis Anatomiis, ne quidem flatum Valuulam hanc pertranſire fuit obſeruatum. Cum vero dubius eſſem, anne in brutorum etiam inteſtinis talis reperiretur Valuula. hoc anno, nimirum 18. Iulii, dum hæc ſcriberem, in ſtudioſorum Medicinæ gratiam, Canem, aliasque aliorum animalium partes, in quintum ſecui diem: idque eius nomine, quo ea, quæ publice hactenus in Anatome, & quidem methodo ſecandi docuiſſem, ipſorum oculis ſubiicerem: eam etiam Valuulam in canis ſectione inquirere viſum fuit. Cum ergo inter plures doctiſſimos & ſtudioſiſſimos, qui ſectioni aſtabant ſpectatores, D. Antonius Boucardus Lotharingus, piæ memoriæ (poſtmodum Doctor à me deſignatus) huius ſtudii, vt & rei herbariæ curioſiſſ. mihiq; amiciſſ. hoc ſibi laboris ſumpſiſſet, vt Canis inteſtina mundaret, aqua tam per ſuperiora, quam inferiora infuſa, impleret, & inuerteret: eam etiam Valuulam ipſis oſtendi, quæ tamen non Valuulę humanæ, ſed circulo ſimilis erat. Et hæc eſt Valuulæ huius inuentio, & inueniendi modus, qua in re prolixior fui, non ſane eius nomine, vt me eſſe inuentorem iactitarem: ſed vt Lectori pateret, quando fuerit inuenta, & quomodo inuenienda ſit, cum ſciam etiamnum Clariſſimos viros eam & negare & inuenire non poſſe. Vſum huius Valuulæ quod attinet, eum eſſe arbitror, ne excrementa ex tenuibus inteſtinis ad craſſa delata, regurgitare poſſint: nec obſtat id, quod ſæpius mihi fuit obiectum, morbum nimirum Iliacum dictum, contrarium oſtendere: quo probare nituntur, Valuulam hanc non omnem penitus viam intercipere. Sed quid rationibus opus eſt, cum αὐτοψία obiectionem ſoluat? & quod nihilominus Iliacus poſſit fieri morbus, non negamus: tanta enim cum violentia morbus is accidit, vt non ſolum Valuula hæc cedere, ſed etiam facile frangi poſſit, cum ipſa excrementa etiam pylorum, cui natura Circulum appoſuit, referent. Sed de his & ſimilibus in noſtris libris Anatomicis partim egimus, partim vero, Deo iuuante, fuſius in ſequentibus libris Anatomicis ſumus acturi. *Caſpar. Bauhinus in appendice ad Franciſc. Rouſſetum de partu Cæſar.*

Observatio.

Ex colo inteſtino putrefacto mortui.

SVperiori anno fui vocatus ad vxorem D. Marci Tucheri, grauidam, & iam partui vicinam, quæ cum intemperantius vixiſſet, in villa comedendo fructus horarios & lac, rediit domum, & magnum hauſtum cereuiſiæ frigidæ bibit, & ſtatim incidit in dolorem ventris in latere dextro, ſub regione epatis, cum alui aſtrictione, adhibita ſunt clyſteria & varia fomenta, nihilominus quinto die periit. Secto corpore inuenimus in eo loco partem inteſtini coli putridam & denigratam.

Meichnerus etiam in foro habitans, cum intemperantius cœnaſſet incidit in dolorem ventris circa

puberẽ

pubem acerrimum, cum ſenſu doloris, & aſtrictio-ne alui: præſcripta ſunt varia clyſteria & fomenta; ſed fruſtra, quarto enim die periit. Secto eius corpore, inuenimus Colon circa illum locum plane putridum, ita vt etiam ad tactum leuem rumperetur. *De obſeru. D. Ioannis Heßi, à Camerario communicatis.*

Observatio.

Colon inteſtinum denigratum & putrefactum.

HOneſta quædam Matrona Norimbergenſis, à conceptionis periodo, Menſe quinto, male incæpit habere, & octauo menſe periit, conquerebatur de magno ſub hepate regione ardore inuentum eſt Colon inteſtinum hac in parte denigratum & putrefactum. Item hoc malum in duobus vel tribus aliis, eodem modo afflictis, deprehenſum fuit. *Coiter in obſeruationibus, Anatom. & Chirurg.*

DE COLI DOLORE.

Observatio.

Colicus morbus, quo tempore primum Italiæ innotuerit, & quis eo primus laborauerit.

IDipſum mirabile; alios deſinere in nobis, alios durare, ſicuti colum. Tiberii Cæſaris principatu irrepſit id malum. Nec quiſquã prior Imperatore ipſo ſenſit, magna ciuitatis ambage, cum edicto eius excuſantis valetudinem, legeret nomen incognitum. Quid hoc eſſe dicamus, aut quas Deorum iras? Parum enim erant homini certa morborum genera, cum ſupra 300. eſſent, niſi etiam noua timerentur? *Plinius lib. 26. c. 1. Nat. hiſt.*

Observatio.

Colicum morbum Hippocrati vel omninò incognitum, vel ilei nomine deſcriptum eſſe.

COlicum dolorem nec ab Hippocrat. nec ante Corn. Celſum ab vllo alio veterum Medicinæ ſcriptorum nominatum habemus: immo *Plinius lib. 26. cap.* 1. author eſt, Tyberium Imperatorem omnium, primum id genus morbi eſſe expertum. Vnde mirantur complures; quomodo Hippocratem vel vulgatiſſimus morbus latere, vel frequentiſſimus eius ætate non eſſe potuerit. Res autem mea ſententia ita ſeſe habet, morbum quidem colicum & fuiſſe & innotuiſſe antiquitus, ſed ilei nomine eſſe vocatum, Omnia enim inteſtinorum atq; ventris tormina vno fere ilei vocabulo ſignificata apud antiquos medicos intelligunt, qui in ipſorum monumentis voluendis diligenter ſunt verſati. Facit autem comprobatam magis hanc noſtram ſententiam grauiſſimi ſcriptoris *Cornelii Celſi* authoritas, qui *lib. 4. cap.* 13. ita ſcribit. Diocles Caryſthius tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν, nominauit. A pleriſque nunc video priorem illum εἰλεὸν, hunc κωλικὸν nominari. *Mercurialis lib. 5. cap. 11. Variarum lectionum.*

Observatio.

Colicis nonnullis inteſtina connexa mortem attuliſſe viſa.

ANte duos vel tres menſes obierat Catharina Sandra, vxoris ſoror: quod ægerrime tulit Rondeletius, tametſi nec inopinata, nec repentina, aut immatura mors accidiſſet. Ægrotarat enim ſenior iam per multos menſes, & tota contabuerat, colicis diſcrutiata doloribus. Verum eius, quam vnice amabat & venerabatur, & conſiliorum ſuorum magiſtram, & bonorum multorum authorum, obitum non potuit non valde lugere. Tunc hæreditatis ex teſtamento ſummam omnem ſortitus eſt. Michael Heroardus, inſignis Chirurgus, & Anatomiæ peritiſſimus, rogante Rondeletio, præſente me, cadauer ſecuit, vt cruciatuum cauſa certior deprehenderetur. Obſeruauimus inteſtina multis in locis mutuo connexa ſpatio fere duorum digitorum, ex tranſuerſo. Sterilitatis vero cauſam in ea fuiſſe ſuſpicati ſumus, carneum tuberculum, piſi magnitudine, quod in vteri collo interiore deprehenſum eſt. Id enim fuiſſe potuit obſtaculum ſemini in fundum penetraturo. *Ioubertus in vita Rondeletii.*

Observatio.

Colici doloris cauſa ſæpe inteſtinorum contortio & complicatio, fæcum etiam duriorum cohibitarum in eorundem nexibus implicatio.

DIuturnior fæcum in inteſtinis mora, ſeu proprio ægri calidioris & ſiccioris, ſeu diætæ vitio contigerit, id eſt, ciborum ſicciorum, exercitiorum & laborum ſole ſub ardenti, ſeu negotiorum magnitudine, alio verſa mente, colicam inuehit affectionem, cum capitis dolore & vaporum ſurſum elatorum copia. Memini à me olim diſſectum cadauer pueri duodecim annos nati, cui inteſtina multis velut cohibitarum duriorum & ſicciorum fæcum nexibus erant implicita, cum ipſas paulo ante mortem ore redderet, quæ interitus cauſa extitit, cum remediis opportune exhibitis prouiſum non fuiſſet. *Paraus. lib.* 16. *c.* 58.

Puer decem ſeptem annos natus hydropicus, cum quatuordecim dierum ſpatio excrementa alui per os euomeret, nec per ſeceſſum quicquam egereret, in hoſpitali expirauit. In hoc cum poſt mortem rugitus ventris & illius quædam palpitatio ſentirentur, eoque nomine de ſepeliendo corpore ambigeretur, accerſitus, cum ventrem aperirem, flatus tandem erumpebant. Verum inteſtina tantopere diſtenta erant, vt fœmoris craſſitiem certis in locis adæquare viderentur, atque ex compreſſione diſrumperentur, ſtercusque magno cum impetu profunderent: aliis vero locis adeo conuoluta, intorta, & implexa, vt nulla illic nec excrementis nec flatibus deorſum pateret via: ſed & vermibus viuis oblongis quamplurimis repleta erant, qui rurſum aliis minoribus referti, inæquales illos motus effecerant. Præter hæc hepar corruptum, arenulis & lapidibus infarctum, Lienem imminutum, pulmones vitiatos, coſtiſque affixos, (vt in aliis multis ſæpe accidere dixi) oſtendebat. *Felix Platerus de Obſeruation. propriis.*

Observatio.

Colici doloris ſpecies rara, ex nobili illa vitrea Praxagoræ pituita orta, perforantis doloris ſenſum inferens.

NOui mihi ipſi aliquando accidiſſe vehementiſſimum dolorem, vt viderer in profundo ventris terebro perforari, in eo potiſſimum ſpatio, per quod à renibus ad veſicam vreteras extendi ſcimus. Iniecto deinde rutaceo oleo, quum id paulo poſt excernere tentarem, excreui ſimul vehementiſſimo cum dolore humorem à Praxagorá vitreum nominatum, vt qui vitro fuſo tum colore, tum conſiſtentia, ſimilis ſit. Atque hoc ipſum aliis etiam accidere conſpexi. Quod vero hic humor ſit frigidiſſimus, certe à Praxagora quoque dictum eſt, qui vitrei nomen illi impoſuit. Manifeſte autem ſenſui tactus, tum ipſorum qui illum excernũt, tum illorum qui confeſtim ipſum tangere volunt, eſſe frigidus apparet. Sed admiratione dignum eſt, quomodo frigidus excidere poſſit, nihil ab excretionis violentia quum excidit calefactus. Ego igitur in altera vreterarum lapidem eſſe impactum putabam, adeo mihi doloris ipſius ſpecies perforanti ſimilis videbatur. Atqui excreto humore, ſedatoque dolore perſpicuum erat, neque lapidem fuiſſe cauſam, neque laborantem locum vreteras, aut tenes: ſed aliquod inteſtinum, & forte magis è craſſiorum numero. Neque enim veluti per tenue corpus exitus eius breuis temporis fuit: ſed tanquam à profundo quodam & per craſſius aliquod, quam per tenuium inteſtinorum tunicam, ferebatur. Huiusmodi dolores omnes propemodum medici colicos nominare mihi videntur, quanquam quod ad locum, in quo dolor ſentitur, pertinet, nullum adſit iudicium colon potius quam tenuium inteſtinorum aliquod dolore affici. Nam eiuſmodi dolores, tanquam à cerebro fieri apparent, iis qui laborant ita interpretantibus. *Galen. lib. 2. c. 1. de locis Affect.*

OBSERVATIO.

De colo flatu diſtento, ventriculique fundum comprimente: vnde cibi & potus ſubita ad os regurgitatio.

TOnſor quidam ex dextro hypochondrio efferri ſibi quiddam conquerebatur, quod in ſiniſtro conquieſceret, quo ſuper ventriculi fundo tráſeunte, cibi potusque portio regurgitans, ſubito per os exiliebat, veluti lagena aliqua coriacea compreſſa, eius quod in ea continetur, cùm impetu pars quædam reiicitur. Multorum imperitorum Medicorum opera vſus vehementia medicamenta, ac violentiſſimas purgationes ſuſtinuerat, ſed cum huiuſcemodi remediis malum non cederet, tandem defecit. Huius inteſtinum Colon, à dextro in ſiniſtrum, & qua parte ventriculi fundo iucumbit, flatu omnino diſtentum erat, & ab omnibus excremẽtis vacuum: reliqua inteſtina fæcibus plena, ex quorum ſuperioribus, dum fæces deſcenderent, impetu quodam violento per diſtentum Colon ferebantur, ventriculi fundo compreſſo. Vnde factum eſt, vt cibi potuſque portio ad os ſubito regurgitaret. *Dodonæus cap. 37. Obſeruat. Medicinal.*

OBSERVATIO.

Flatuum cohibitione colon nonnunquam brachii amplitudine extendi vel etiam pro crepitu ructus elidere.

COHIBENDI flatus conſuetudine non paucos diſſectione animaduertimus, quibus dilatatum colon inteſtinum brachii amplitudinem adæquabat: alios quibus ex imo ventre flatus toto anfractu in ventriculum reſiliens, ructu emittebatur, & quibus pro crepitu ructus erat: alios quoq; aliis ex cauſis hoc ſymptomate continenter affligi, vt his plures ructus quam verba eſſent. *Fernelius, Pathologiæ lib. 6. cap. 10.*

OBSERVATIO.

Colicæ paſſionis exempla rara & ſtupenda.

OBſeruatum eſt à nobis in D. Zolin Medico, & Aduocato Gilot, cui colum qua parte vicinum eſt reni ſiniſtro, collecta veluti cartilagine dura, in ſcirrhum obduruerat, interiore cauitate eo humore intercepta, vt nihil tranſcurreret. Itaq; neque clyſteribus neque medicamentis iuuabatur, etiam fortibus. Parte dextra colum ad inſtar magnæ veſicæ dilatatum & extenſum, medicamentis datis & potionibus plenum. Superiecti vicinique muſculi abdominis, & peritonæum, ſanioſa. Poſt longa & multorum annorum tormina, è quibus tamen nõ decumbebat, ſexto à quo decubuit die mortuus eſt, ſine febre, niſi quo die obiit 5. Martii 1555. Magiſter Hieronymus Germanus, interna inflammatione & putrilagine, colico morbum ſimilem paſſus eſt: 4. die obiit, extremis ante frigeſcentibus, langueſcente pulſu, & ſanguineis ſpectris ob oculos obverſantibus. *Scholiographi ad cap. 41. libr. 1. Hollerii de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Nothi colici dolores.

ALii inſuper cruciatus quadam ſimilitudine & vehementia colici nuncupantur, quibus tamen non in colo inteſtino ſedes eſt, ſed vel peritonęo, vel in membranis quæ abdomini ventriſque partibus obtenduntur. Hi ſane grauiſſimi ſunt & admodum diuturni, ac neque clyſteribus, neque medicamentis, neque fomentis, neque iis remediis, quibus qui vere ſunt colici dolores, deliniri ſolent. Eorum materia aut flatus eſt tenuis, aut humor acerrimus & æruginoſus, membranorum ſpatiis concluſus, è quibus detrahi vix poteſt. Succedunt diuturnis febribus aliiſque bilioſis morbis, quorum eſt difficilis ſolutio. Natura quippe criſim noxiique humoris depulſionem in aluum molita, cum nuſquam vacuandi viam promptam & expeditam nanciſcitur, illum è venis & viſceribus in membranas ſæpe auertit, vbi dolores exurgunt priore morbo grauiores. Obſeruaui & continuas & tertianas, ſæpius vero quartanas febres hiſce doloribus finiri, qui diu circuitu certo exacuebantur, paremque acceſſionum ordinẽ retinebant. *Fernelius Patholog. lib. 6. c. 10.*

OBSERVATIO.

A Coli dolore in Paralyſin incidens, menſtruam recidiuam patiebatur: qua tandem tempeſtiua menſtrua purgatione cathartica curata eſt.

ANNO 1559. quum ex Italia in patriam rediiſſem, incidi, primis practicæ meæ temporibus in patria, in deſperatam Colicam, quæ eiuſmodi fuerat.

Quidam

Quidam bilioſæ complexionis vir habitu gracili, & qui leuiſſima quaque de cauſa excandeſceret, in colicam incidit, qui à medicis, tum domeſticis, tum externis, prius fruſtra curabatur; adeoque morbus ingraueſcebat, vt ſubſequeretur tandem omnium membrorum reſolutio. Qui eum curabant, prius omnia tentarunt, vt etiam ex vino Cretico clyſteres iniecerint, & thermas noſtras ſulphureas conſuluerint; verum non modo hæc & alia nihil profuerint, ſed potius morbum grauiorem reddiderint. Cum ego, medicus quaſi nouus, vocarer, diſſuadentibus omnibus amicis, vix tandem curam eius ſuſcepi. Cum intellexiſſem quibus prius vſus fuiſſet fruſtra, nempe medicinis calidis, imo calidiſſimis, videbar paruam complexionis eos habuiſſe rationem, vt qui à pituitoſo potius humore morbum contractum putarint. Ego diuerſam rationem inſtitui, frigidis procedendo, vtpote non ſine ratione coniiciens, bilem potiſſimum vitium facere. Nec me fefellit opinio, dolor colicus deſiit, & paulatim membra paralytica reſtitui videbantur. Verum hic morbus hoc peculiare habuit, conſideratione non indignum, quod per tres ſeptimanas ab eo tempore quo purgatus eſſet, & dolor ſedatus, commode ſatis vixerit, & corpus refici cœperit: quarta vero ſeptimana ſuperueniente, nimirum quum intra paucos dies Luna capricorni ſignum ingreſſura eſſet, aliquot diebus ante per quatuor 5. 6. veluti ſeptem nimirum, cœpit vxor eius morbi recidiuationem præſentire, anhelitus nempe fœtore. Quo ſigno præſente, niſi denuo eſſet purgatus, dolores colici ſæuiſſimi redierunt. Si purgatus eſſet, quod tandem à nobis eſt obſeruatum, hominem ab iſtis doloribus præſeruauimus. Id quod per continuos aliquot menſes nobis fuit repetendum. Ego, qui in Gallia & Italia didiceram contemnere ſignorum obſeruationem, coactus fui nonnihil hiſce deinceps tribuere. *De Cl. V. Gaſpari Wolphii obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Colicus dolor in quadragenario, ex vitioſis humoribus, quomodo curatus.

DVos, tresve, qui haud pridem ſunt ſanati, referam. Vnus quadragenarius erat: qui cùm colo laborare putaretur, non modo nihil eſt à fomentis, tum humidis, tum ſiccis leuatus, ſed nec cataplaſmatis, nec clyſteribus, quibus ſcilicet publice vti in eiuſmodi affectibus ſolent, verùm etiam à plurimis eorum exacerbatus. Nám à rutaceo oleo, per ſedem infuſo, deterius habuit: itemque à Caſtoreo: quinetiam vbi mel coctum cum pipere aſſumpſit, extremis doloribus eſt afflictus. Iam cum cremorem cocti fœnugræci vnà cum melle accepiſſet, vehementer eſt irritatus. Ipſe igitur, vbi mordentes ſuccos in tunicis inteſtinorum immerſos conieci, qui ſcilicet ſecum vna corrumperent tum ea quæ per inferiora eſſent infuſa, tum ea, quæ per os ſumebat, exhibui homini nutrimentum quod non facile corrumperetur. Deinde, cum minus eum cruciatum intellexi, vitioſos humores purgandos iudicaui. Cum vero aptiſſimum ad eiuſmodi vitioſos humores eſſet medicamentum quod ex aloe componitur, quodque iam vulgo picran appellant, vtique (ἀδεῶς) ſemel hominem iuſte purgare non ſum auſus, quod doloribus & inedia duobus menſibus confectus eſſet. Verum ex quibuſdam interuallis moderate id faciens, quindecim circiter diebus hominem prorſus ſanaui, idque nullo præterea adhibito præſidio. Atque hic quidem illo primum tempore ſic eſt vexatus, nunquam prius inteſtini dolorem expertus. *Galen. lib. 12. cap. 7. Meth. Medend.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria cuiuſdam qui poſt aſſumptum ſcammoneum doloribus colicis tentatus fuit per quadam interualla.

QVidam ætate prope quadragenarius, colico dolore ſæpe ante affectus, accepto ſcammonię ſucco fuit purgatus. Cum autem bene largiter fuiſſet vacuatus, primo quidem die veſperi in balneo lotus, mox ptiſanæ cremorem ſumens poſt piſcem quoque comedens, nocte ea quæ cæperat euomuit. Secundo die itidem lauatus, comedit primum lactucam, mox auium carnis aliquid in albo iure elixæ: ab hac alicam ex aqua ſumſit, vino auſtero iniecto. Vbi vero ab iis mediocriter ſe habere eſt viſus, etiam tertio die nutritus ſimiliter eſt. Reddidit tamen per aluum plura quam pro ciborum portione: eaque cum morſu. Deinde quarto die etiam magis dolere ſibi ventrem ſenſit: & cum ſe in balneo alicubi frigus accepiſſe imprudentem putaſſet, rutaceum ſibi oleum per ſedem infunderis, non ſolum vehementiſſime eſt vexatus: ſed etiam liquidam deiectionem copioſiſſimam excreuit: quod facile declarauit aliquid à toto corpore ad loca ventris deferri. Poſt deinde per circuitus ſimilis redibat cruciatus. Audientes autem eius ſymptomata, intelleximus noxam ex ſcammonia in illis maxime inteſtinis procubuiſſe, quæ prius etiam fuerant imbecilla: ſic vt quaſi fluxionis quidam exortus eſſet affectus. Ergo quemadmodum hunc ſanauerim, ſcis. Abiicere enim iuſſi præſidia colica alicaque calente, quæ cocta in aqua eſſet nutriri, immiſſis ei mali punici granis. Cum autem tota nocte citra dolorem dormiuiſſet, miratus profecto eſt remedii nouitatem: rogauitque quid eſſet bibendum. Dedimus itaque bibendum dilutum rhois cremorem, quo videlicet, ſiue aliqua eſſet in ſummo inteſtino facta exulceratio, eam adſtringeret: ſiue etiam ex conſuetudine aliquid ex ſuperioribus locis in partem affectam conflueret, id reprimeret, prandioque eodem vti iuſſimus: deinde ad veſperam cœnare pane puro madefacto in vino aliquo naturaliter quidem auſtero, ſed veteri. Conceſſimus præterea, vt auſterum quemcunque vellet fructum ſumeret, ſiue malum, ſiue pyrum, ſiue punicum. Simili ratione etiam tertio die cibatus, in quarto theriacen bibit, ſatiuſque omnino eſt redditus, ac de cætero ad conſueta reuerſus, nullum ſenſit incommodum. Simili genere & alteri cuidam in ætate affecto, cum ſitibundus admodum eſſet, ſupra alia, quæ memoraui, etiam frigida potione vti permiſi. *Idem libro 12. cap. 7. Meth. Medendi.*

OBSERVATIO.

De ægreſti quodam homine, qui, vbi coli dolorem ſenſit, protinus ſe cinxit allium cum pane comedit, nec quicquam tota die bibit, ſed veſperi meracius, & liberatus eſt.

Vidimus

VIDIMVS ex agreſtibus operis quempiam, qui vbi coli dolorem ſenſit, protinus ſe cinxit: cum cingi ante non ſoleret, comedit autem cum pane allium, nullum dimittens conſuetum opus, nec toto die quicquam bibit, ſed veſperi meracius, ab his & tota nocte dormiuit, & mane ab omni dolore plane liber ſurrexit. Eſt enim profecto allium ex eorum ciborum genere, qui & flatum diſcutiant, & minime ſitim inferant. Sunt qui parum id experti exiſtiment maiorem quam cæpa ſitim excitare: ſed plane errore, cum non modo non maiorem, quam cæpæ, ſed nec omnino ſitim faciat. Idem omnium plane eduliorum maxime flatum diſcutit. Itaque ipſe certe agreſtium theriacem id appello. Ac ſi quis vel Thracas, vel Gallos, vel denique qui frigidam regionem incolunt, veſci alliis vetuerit, non leuiter iis hominibus nocuerit. Ac quos ex ſupradicta cauſa vehemens inteſtinorum dolor citra febrem exercet, iis & allium eſſe licet, & theriacem bibere: quippe quæ eiuſmodi affectibus magnopere ſubuenit. *Idem lib.12. Method. Med. c.8.*

OBSERVATIO.

Dolore plenioris inteſtini vexatus quidam, vmbilici vnitate ſoluta liberatur.

VIRVM nouimus, quem dolor in pleniore inteſtino exortus, adeo cruciaret, vt nullo interim ſpiritu erumpente, medium hominem diſſectum iri putares: cumque fruſtra multa auxilia adhiberentur, & non ſolum clyſteria, vt in aluum demittebantur, eadem prorſus eiicerentur, ſed & medicamenta quoque tam nihil ex ipſa aluo deponerent, vt iter hinc inde clauſum crederes. Tandem cucurbitula vmbilico affixa (ſolet enim huiuſmodi malum tali præſidio nonnunquam minui ac leuari) ſoluta eſt vmbilici ipſius vnitas, indeque ſpiritus craſſior erumpens, & cucurbitulam ipſam diſiecit, & hominem omni amoto dolore, priſtinæ ſanitati reſtituit. *Beniuenius c.39. de Abditis.*

OBSERVATIO.

Dolor & tormina inteſtinorum mirabili modo ſedata.

NOVI iuuenem viginti annorum, qui habuit torturam inteſtinorum, & in tempore æſtatis poſt labores itineris, tum vnus volens ipſum curare, applicuit ipſi ſuper ventrem filices madefactos in aqua frigida, & ligauit, & fecit quod ſtaret, vel iaceret ſuper ventrem, & infra quartam vnius horæ fuit curatus à tortura. Credo hoc fuiſſe ex caloris naturalis ad intra reuocatione, conſumentis ventoſitatem: vel ex alteratione malæ complexionis membri, vel humoris ibi miſſi. Et iſtam experientiam videtur confirmare Auicennæ conſilium; qui in cauſa calida iubet fieri emplaſtrum cum rebus frigidis, vt cum ſolatro, & pampinis vitium, & credo quod hoc iubet poſt vniuerſalia, vel vbi eſt mala complexio calida cum paucitate materiæ ad alterandum. *Valeſcus libro quarto, capite vigeſimo octauo.*

Scis vt arbitror remedium, quo etiam veteres vſos legimus, qui in grauiſſimis doloribus frigidam adhibebant. Memini cum quidam doloribus colicis oppreſſus iaceret, D. Iulium ad frigidam tanquam ſacram anchoram confugere. Linteamina triplicata madefaciebat frigidiſſima aqua, & ventri apponebat. Sedebantur dolores; ſed iſte poſtea paralyticus eſt factus. At paralyſis in puero facile poſſet curari. *Crato lib. quarto, Epiſt ad Thomam Iordanum pag.398.*

OBSERVATIO.

In deſperato coli dolore remedium ab argento viuo admirabile.

SI perſeueret obſtructio, adeo vt fæces per os redundent, Marianus Sanctus ſuadet (multorum conſilio qui ſic ſe à lethali vindicarunt ſymptomate) haurire cum ſola aqua argenti viui libras tres. Pondere enim hydrargyri explicatur duplicatum ac vinctum inteſtinum, deprimuntur ac detrudunturque fæces, necanturque vermes, qui illi reduplicationi cauſam præbuerunt. Narrauit mihi Iohannes à S. Germano Pharmacopola fideliſſimus, vidiſſe ſe nobilem quendam, qui cum nullis remediorum à doctis Medicis præſcriptorum machinis, doloris colici acerbitate liberari poſſet; tandem Germani cuiuſdam amici ſui conſilio, hauſtis olei amygdalarum dulcium ſine igne extracti vnciis iij. cum vino albo & aqua parietariæ mixtis, deinde deuorata glande plumbea argento viuo illita; eademque mox ano reddita, cruciatu colico plane ſit liberatus. *Pareus lib.16. c.58.*

OBSERVATIO.

De Colici doloris multis nouis Obſeruationibus.

INVALVIT memoria noſtra colici quoddam genus, veteribus (excepto Paulo Ægineta) ignotum, & à recentioribus etiam pleriſque non ſatis explicatum. Cuius quia varias obſeruationes propria experientia freti collegimus, non abs re erit eaſdem hoc in loco proponere. In hoc itaque genere mali illud primo notandum eſt, quod maxime graſſetur in iis locis, in quibus vel vina fortia, vel ſulphurea aut naſcuntur, aut in frequentiori vſu exiſtunt. Ac ob id Franconia, Burgonia, Auſtria, Rhetiæ quædam pars maxime huic malo obnoxiæ ſunt. Præterea hos etiam homines maxime occupat, qui vel in aulis viuunt, vel in cœnobiis, vel in Collegiis Sacerdotum, quod largiori potu ac victu plerunque vtantur, & exercitiis debitis aut opportunis ſæpe careant. Quanquam & alii qui etiam exercentur, ſi intemperantiores in vinorum vſu ſint, hoc affectu conflictari quoque poſſint. Cæterum, ſigna eum morbum antecedentia ſunt fere hæc. Sentitur in toto corpore Cacochymia quædam, & icterica veluti diſpoſitio. Nam oculorum albugines citrino colore fere inficiuntur, in facie color fœdus apparet, appetitio cibi perit, ſitis creſcit, grauitas circa hypochondria ſentitur, & alui deiectiones minuuntur, vrinæ plerunque rubicundiores apparent, laſſitudo totius corporis præſto eſt. Tādem cum morbus iam actu premit ægrum, excrementa & flatus omnino retinentur, dolor vehemens ventris, in vno loco conſiſtens & lumborum accedit. Sæpe etiam vomitus additur, tum pituitæ, tum bilis, æruginoſæ & porta-

cæ. Cũ præbentur ſuperius remedia, plerunq; euomuntur, Clyſteres ſubtus exhibiti, raro aliquid educunt, & ſi quid educunt, illud eſt coactum & ſiccum more ſtercoris ouilli, vel eſt leue, & flatibus plenum, veluti bubulum excrementum. Nec ob id ceſſant dolores, ſed obſtructio ſtatim redit, & dolores etiam perſeuerant. Itaque Clyſteribus pergendum eſt, qui tamen obſtructione exiſtente vi inuincibili interdum ſuperius attrahuntur, & ore euomuntur, ſicuti & glandes, vt ſæpe expertus ſum, & alii adnotarunt. Quod ſi diligentia Medici effectum ſit, vt & ſubtus adhibitis mollientibus, & ſuperius vſurpatis vacuantibus, aluus recludatur, ac excrementa etiam liquidiora eiiciantur, ceſſentque dolores, tamen non ita longe poſt & obſtructio redit, & dolores recrudeſcunt. Itaque ſi denuo clyſteres infundantur, ſæpe excrementa duriſſima, quæ prioribus purgantibus non ceſſerant, tandem eiiciuntur, aliqua euidenti quidem leuatione, ſed non diuturna. Nam redit malum ſemper nouis obſtructionibus ſuccedentibus, vt tandem ægri remediorum crebræ vſurpationis pertæſi, ea admittere amplius nolint, ac vires etiam repetitionem eorum aſſiduam vix ferant. Ergo cum obſtructiones nouæ aliquandiu perſiſtunt, fiunt tandem eæ tam pertinaces, vt nulla arte ſolui poſſe videantur, & tum Medicus, tum æger crebra eaque inutili repetitione ſoluentium defatigati, de profectu auxiliorum fere deſperent. Itaque diutius perſiſtente clauſa aluo, præter intolerabiles dolores, qui in omnibus ventris partibus ſentiuntur, alii etiam in totum dorſum extenduntur, & ad extremos artus, maxime vero ad humeri articulos, & ad pedes tranſeũt. In quibus primo ineſt laſſitudo quædam, poſtea dolores ſuccedunt pungentes, & tandem conuellentes, ac hos ſequuntur tremores, & poſtremo paralyſis cum tabe membrorum graui iuncta. Quinetiam ante paralyſin, & poſt eam Epilepſiæ ſæpe etiam apparent, eæque periculoſæ, vtpote quæ multos è medio tollunt, miſerabili ſpectaculo. Vidi etiam quoſdam, qui furore quodam Maniaco perciti, diffugere conarentur. Vidi alios ſpaſmis & Conuulſionibus acerbiſſimis ita exagitatos, vt ad ſummam impatientiam adigerentur, & mortem veluti finem tantorum cruciatuum expeterent. Vidi etiam quoſdam Melancholia affectos, qui omnia timerent, & mirificas metuendi cauſas ſibi fingerent. Vidi qui Catalepſi ſimilem affectum paterentur. Nam neque videbant, neque audiebant, ac nihilominus tamen progrediebantur, veluti ſtatuę locomotæ. Vidi etiam qui tandem repentina apoplexia perirent, aut diminuta apoplexia correpti, periculum vitæ quidem euadentes, paralytici poſtea fierent. Quinetiam quoſdam vtcunque à Colicis doloribus liberatos, tandem epaticos effectos, tabida lue ſenſim conſumptos periiſſe animaduerti. Cæterum hæc malorum ſymptomatum periodus nõ habet æqua temporum interualla, quod in multis curata iſta colica breui tempore recurrat, & ſæpius reuertatur, antequam vel paralyſis, vel tale aliquid ſuccedat. Interdum ſingulis tribus menſibus, interdum ſpatio dimidii anni, ob id fit, vt quidam antequam ad iſta periculoſa ſymptomata, quæ colicæ ſæpe ſuccedunt, perueniant, pluribus annis iſtis colicis doloribus, iiſque periodicis, conflictentur. Cæterum his omnibus malis interdum & calculi renalis dolor ſæpe coniungitur, præſertim in iis, qui & ſæpe, & diutius colicis doloribus vexati ſunt. Ac ob id accidit, vt eorum vrinæ rubeas arenulas plerunque ſecum deferant. Non pauci etiam exiſtunt, qui temporis progreſſu ictericam diſpoſitionem contrahunt, à qua vix liberētur. Cæterum quod ad prognoſin ſpectat, raro euadunt, quibus obſtructio tam pertinax accidit, vt inferius nihil, ſuperius vero per os & cibi, tum etiam humores phlegmatici, & æruginoſi, & tandem etiam ſtercora eiiciuntur, præſertim ſi exilitas vocis accedat, & ſpiratio difficilis, & epileptici paroxyſmi ſæpe repetiti vrgeant. Hæc enim omnia in ſummo diſcrimine ægrum eſſe oſtendunt. Ac hæc quidem ſunt, quæ euidentia circa naturam iſtius colici doloris mihi in vſu medendi occurrerunt. Nunc de iis, quæ vel iuuare, vel lædere viſa ſunt, quædam etiam ſubiiciam. Calidiora & acriora nunquam mihi egregie iuuare hoc malum viſa ſunt. Caſu vero obſeruaui, quoſdam his obſtructionibus detentos, ex magna copia prunorum recentium comeſtorum, recte ſolutos fuiſſe, cum antea multis etiam vehementibus purgantibus ſolui non potuiſſent. Memini etiam quendam in aula Eichſtadiana Sacerdotem, vuarum recentium larga comeſtione, aluum ſolutam adeptum eſſe, quæ prius multis adhibitis remediis expediri ab obſtructione non poterat. Obſeruaui præterea iſtis morbis plerunque obnoxios eos, qui ſolo vino eoque largiori in quotidiano victu vterentur, & deſidioſam vitam agerent. Sed progrediamur ad explicationem cauſarum huius morbi. Ex dictis autem liquet, colicæ hoc genus maxime graſſari in iis locis, vbi fortiora vina & creſcant, vel bibantur frequentius, item eos maxime obnoxios eſſe huic affectioni, qui immoderatius bibant vina præſertim meraciora. Item patet, ea indicia, quæ huius morbi ortum plerunque antecedunt, cacochymiam calidam & bilioſam oſtendere, præterea doloris genus acre, obſtructiones & ſiccitates alui pertinaces, excreta per vomitum æruginoſa, item vrinæ rubeæ, ſitis magna, potius ſiccitatem & caliditatem, quam frigiditatem præſentem monſtrant: poſtea ſymptomata ſequentia, maxime epilepſiam & conuulſiones membrorum acerrimæ, vt alias probaui, potius à calidis quam à frigidis humoribus excitantur. Vltimo ſi iuuantium & nocentium obſeruationes ſpectemus, calida & acria raro in hoc genere mali eximie contuliſſe intelligemus. Ex quibus illud tandem conſequetur, vt concludamus hunc morbum colicum non eſſe ex phlegmate aut pituitoſis humoribus, aut intemperie quadam frigida, ſed potius ex intemperie calida, & humoribus calidam & ſiccam, tum etiam acrem vim obtinentibus, profectum. Etenim cum vinorum fortium vſus immoderatus huic malo præcipue occaſionem præbeat, ſi eorum analyſin artificialem inſtituerimus, inueniemus plures & efficaciores partes exiſtere in vinis talibus, quæ & calefaciunt & ſiccent, quam quæ humectent & refrigerent. Nam eorum aqueum humorem ſuperant partes illæ acres & igneæ, quæ in aqua vitæ ſimplici, ſeu vino ardente, apparent, poſtea Tartari qualitas ad exiccandum inteſtina magnum etiam momentum habet.

Accedunt

Accedunt etiam qualitates aliæ vino ex ſoli in quo creſcit natura, item ex artificioſa conditura ſulphuris. Ex his itaque euidenter cernitur ex immoderato vini præſertim fortioris vſu corpus intemperiem calidam & ſiccam contrahere, quæ non tantum interioribus membris & venis, ſed & ſtomacho & inteſtinis imprimitur, ac inde fit, vt non ſolum icteriçæ obſtructiones tandem generentur in venis, meſaræo, & epati proximis, ſed & inteſtina exiccentur, quibus exiccatis, excrementa retineantur, & temporis progreſſu indurentur à calore omnem humiditatem ex iis extrahente: quibus induratis, dum flatus ab excrementis, longa mora putrefactis, & acredinem quandam adeptis, dolorem excitat, illud malum de quo agimus tandem excitatur. Ac hæc omnia peiora & grauiora fieri ſimile veri eſt, ſi & aliæ cauſæ accedant, quæ vel ad inflammandum corpus, vel ad aggreganda excrementa multa, eaque putrida, & mixta, bilioſaque facere poſſunt. Cuiuſmodi ſunt venus frequens, & importuna, item ira, vita curis & occupationibus mentis plena, item ſacietas cibi nimia, omiſſio exercitii commodi, humores bilioſi maligni ex aliis morbis relicti in corpore, vel ſenſim ob malam diætam aggregati. Cum itaque retentiones excrementorũ occaſionem præbeant, vt partim calor naturalis, partim accidentarius ex excrementis ipſis retentis, & reliquis humoribus flatus acres & prauos excitet, accidit vt ipſi flatus non ſolum dolores in inteſtinis excitent, ſed & ſtomachum vicinaſque partes naturalis facultatis actionibus deſtinatas, contaminet, & deinde ſurſum in caput, & in reliqua vicina membra ferantur, vbi maxime ſpiritus animales etiam vitient, quibus temporis progreſſu, & diuturna impreſſione prauæ qualitatis, vitiatis, tota facultas animalis etiam tandem languet. Sed neque ab excrementis ſtomachi & inteſtinorum flatus ſurſum repentes incommodo tãtum ſunt, verum etiam ex toto inferiore ventre & venis ipſis euaporationes ſuperius per vices elatæ, cerebrum & reliquas ſuperiores partes grauant, præſertim cum non ſolum illas mala qualitate afficiant, ſed & in capite colliquatæ, vel etiam vi naturæ ad exteriores corporis partes protruſæ, iiſdem materiam impuram & noxiam impertiunt. Ac inde accidit, vt pro diuerſa euaporationum harum conditione, diuerſis modis etiam caput & reliqua membra afficiant. Si enim euaporata materia acris ſit, conuulſiones in neruoſis partibus efficit. Qua eadem facultate cerebrum vellicante, & epilepſiam concitare etiam poteſt. Sin vero eliquata & liquidior reddita eſt, inſinuare ſe neruorum ſubſtantiæ ſolet, & tum paralyſin membrorum inducit. Omnes vero has noxas vehemens dolor qui in hoc morbo quaſi perpetuo adeſt, vehementer adauget, vtpote qui omnes vires diminuens, & infrigens, ac ſpiritus bonos abſumens, reliquarum cauſarum morbidarum impreſſionem maxime promouet. Quod ſi his omnibus accedit venarum plethora, vt plerunque in crapuloſis contingit, omnia fiunt grauiora, etiam ſanguine varie agitato, ſurſum vergente & capitis ſymptomata, tum etiam reliqua corporis mala, cum copia ſua, tum qualitate exacerbante. Vigiliæ etiam quæ ob dolorum magnitudinem, & continuitatem plerunque diuturnæ etiam ſunt in hoc affectu, & ſpiritus ipſos atterunt, & prouentum crudorum humorum in omnibus partibus adaugent. Vt minime mirum videri œconomiæ humani corporis perito poſſit, in hoc morbo tam varias & tam graues incidere noxas. Quod vero tabes totius corporis & membrorum exteriorum interdum, & mo plerunque etiam accedit ad iam dicta ſymptomata, hæc cauſa exiſtit, quod contaminatis iſta impuritate humorum & vaporum ſpiritibus, ac iiſdem etiam magnitudine ſymptomatum reliquorum diminutis, calor, nutritionis opifex, etiam minuatur, deinde quod cum temperamentum membrorum euidenter alteretur, & nutrimentum quod nutriendo corpori idoneum ſit, etiam deſit, nutritionem impediri neceſſum ſit. Sed hic obiiciat aliquis, crudas materias ſæpe ſuperius, ſæpe etiam inferius eiici cum magna leuatione ægrotũ; ac inde intelligi crudos & pituitoſos humores præcipuam huius affectus cauſam exiſtere. Cui obiectioni, vt ſatisfiat, reſpondemus, crudos & pituitoſos humores neceſſario vna adeſſe, tum quidem ob antecedentem crapulam ægrorum, tum ob coctionis facultatem in ſtomacho vi morbi diminutam. Sed eos horũ ſymptomatum potiſſimam cauſam non exiſtere, quod quæ apparent accidentia, potius calidos quam frigidos humores ſequantur. Deinde quod cauſæ ex quibus hic affectus oritur calfaciendi & non refrigerandi vim habeant, vt antea demonſtratum eſt. Plane etiam diſtincta eſt curandi ratio quæ frigidis colicis debetur, ab ea quæ in hoc affectu vtilis eſſe experitur, vt in iuuantium & nocentium obſeruatione oſtenſum eſt.

Reſtat vt ſententiam noſtram de curandi modo etiam proponamus. Quæ etſi per rationalem Medicum adhibita methodo artificioſa ex propoſita theoria deduci facile poſſit, tamen non deerimus etiam tyronibus artis, qui quadam inductione etiam indigent.

Ergo inchoatio curæ primo requirit fugam earum cauſarum, quibus hic morbus tum efficitur, tum fouetur: deinde quod ad curatiua inſtrumenta ſpectat, requiruntur initio obſtructionem alui ſoluentia, quod citra alui ſolutionem nihil in cæteris præſtari recte poſſit in hac medicatione. Ac quia in hoc morbo plerunque naturæ motus inuerſus eſt ita quidem, vt is omnia ſurſum propellat, initio fruſtra per os remedia adhibentur, quod ea violento vomitu eiici plerunque ſoleant, præſertim ventriculo alioquin faſtidii pleno exiſtente. Quapropter clyſterum vſus hic locum habebit. Sed ii quales eſſe debent? docebunt hoc inteſtinorum affectiones; quæ quia variæ, etiam variæ erunt indicationes. Supra vero oſtenſum eſt inteſtina hic intemperie calida & ſicca laborare, ergo requirentur humida, & moderate refrigerantia. Excrementa vero retenta; quia & exiccata ſunt, & plerunque viſcoſos humores adiunctos habent, quorum ratione tenacius adhærent inteſtinis, & ipſa emollitionem & inciſionem ac abſterſionem requirent. Quia etiam motus ad inferiora tendens hebetatus eſt, irritantia quædam requiruntur, quæ inteſtina ad expulſionem ſtimulent. Præterea cum dolor adſit, anodinia & leniëntia requiret, ac is maximus & intolerabilis, etiam ſtupefacientia, præſertim iam maiori ex parte euacuata materia. Sed inuentis intentionibus, auxilia ſpeciatim intentionibus accommodanda erunt. Ad

emollitionem, & moderatam refrigerationem ac mitigationem doloris nihil aptius eſt naturæ inteſtinorum lacte caprino, cui caſſia pro clyſteribus extracta adiungi poteſt, tum quod & ipſa molliat, & leniat, & refrigeret. Vt vero emollitio magis promoueatur, oleum commune vel butyrum etiam addi poteſt. Ad abſterſionem vero valet parum electuarii hieræ, item mel violaceum, quam vim augebit parum ſalis vel communis vel nitri additum. Quæ eadem etiam irritabunt vim expultricem ad expellenda excrementa. Cæterum hunc clyſterem non ſemel, ſed bis vel ter etiam infundendum eſſe ratio ſuadet, vt & naturę motus inuerſus corrigatur, & excrementa ac humores deorſum deriuentur atque eiiciantur.

Eiectis itaque excrementis induratis, & impetu fumorum ad partes ſuperiores hebetato, ſequatur purgatio medicamentis per os dandis molienda. Cuius ea ſit ordinatio, vt temperatioribus conſtituatur, & hæc non ſemel tantum fiat, ſed bis, aut etiam ter, pro ratione virium & operationis modo repetenda eſt. Quod ſi plethoram venis vna inſidere appareat, ea ſectione epaticæ adimenda eſt. Tum ſi vrinæ iam dum rubentes, aut cum hypoſtaſi rubea appareant: aut alia indicia primarum venarum obſtructiones, ac ictericam quandam diſpoſitionem, reliquas eſſe, coniectura artificioſa doceat, remediis temperatioribus obſtructionem ſoluētibus & moderate aluum laxantibus agendum eſt, vel ſubinde ad alui moderatiorem euacuationem reditus fiat. Quod ſi dolorum magnitudo vrgeat, tum iſti ſymptomati quoque tempore etiam incumbendum eſt, tum per externa, tum per interna anodina, prudenter, & cum cautione adhibita. Sin vero epilepſiæ, vel aliorum capitis malorum metus incidat, tum reuulſoria ſectio in cruribus inſtituta ex vſu erit, & ſcapulis vtiliter cucurbitulæ cum ſcarificatione imponi poſſunt, & ne aluus conſtipetur præcauendum. Sic enim ſanguinis & humorum ad ſuperiora impetus inhibebitur, & caput à dictis malis præſeruabitur. Ac eadem reuulſionis ratio locum habet etiam, cum iam dum actu in capite periculoſa ſymptomata ſe oſtendunt. Porro omni morbi tempore cauendum ne noua alui obſtructio noua pericula apportet. Hæc non ob id tradita à me ſunt, vt integram curandi rationem hic explicem, ſed vt præcipuas intentiones ex hypotheſibus theoriæ huius morbi deductas generatim proponam. Quod enim ad ſingulorum vberiorem explicationem & declarationem ſpectat, eam in alium locum reſeruabimus. *Iacob. Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

De Paralyſis ad Coli dolorem conſequentis cauſis, earumque Curationibus verioribus & certioribus, libr. 1. de Paralyſi, copioſe egimus; quem locum conſulere poteris, ne quid hoc loco deſideres. *Schenckius.*

DE ILEO.

OBSERVATIO.

De valua, ilei foribus ad introitum ad colum præfecta.

PRÆTER enumeratas, & iam demonſtratas valuas, aliam nobis ſecundum cadauer exhibuit, illic intra capacitatem inteſtini latitantem, vbi Ileon & colum ſunt contermina, ſatis craſſam illam ac firmam rigidamque, ſed quæ ita Ilei foribus obderetur, vt illabenti fæci, iam exſuctæ ab inteſtinis gracilibus cedere poſſet. Nam intro ſpectabat, margini coli, qua id dextro reni & femur mouenti muſculo obiacet, affirmata. Fortuito ea nobis inuenta eſt. Etenim cum ſtylum per apertum à nobis cœci inteſtini caput inſeruiſſemus, dein per capacitatem coli traiectum cuperemus intra Ileon adigere, ſemel atque iterum in obſtaculum incurrimus. Diſſecto poſtea colo, valuula conſpecta eſt, cuius obiectu conatus noſter fuerat eluſus. Hæc dum fęx ſordidior in colum detruditur cedere ſolet, poſteaquam incidit illico claudi, ne quid eius in Ileon remigret. Quod fieri equidem nonnunquam poſſet in vehementiore corporum è dextris in ſiniſtra verſatione. Surſum autem procuratam inteſtinorum inflationem valua ideo non impedit, quod turgidis ſpiritu inteſtinis capacitas reddita amplior nequeat ab ea obſeruari. Eadem valua non ita dudum in Caſtore ſeu Fibro reperta nobis eſt non in ipſo ſtatim confinio Ilei coli & cœci, ſed in interna cœci capacitate ita Ilei exitui præpoſita, vt cœco verſus ſiniſtrum admodum firmiter adhæreret, eſſetque carnoſior: dextrorſum vero, qua gemina coli tubera reſpiciebat, ἐπιγλωττίδος in modū à carnoſo illo principio velut graciliſcens incubaret, & viciſſim aperiri ac claudi verſus illam partem ingenue poſſet. *Salamon Albertus, in Appendice ad 3. Orationes à ſe editas*, circa finem.

OBSERVATIO.

De Ileo variantes eruditorum ſententiæ.

SCriptores non conueniunt de loco Ilei: neq; *Gal.* videtur in hac re ſibi conſtare. Nam *in Comm. Aph.* dicit Ileum eſſe in tenuibus inteſtinis, & 3. *Epid. in* hiſtoria mulieris voluuloſæ (vbi tamen loquitur ex aliorum ſententia, & ita ſibi repugnat) dicit voluulum fieri in tenuibus & in craſſis, ſæpius tamen in tenuibus. Celſus ponit in tenuibus & craſſis. Præterea *in lib. de glandulis & in lib. de loc.* in homine *Hipp.* facit in inferioribus inteſtinis. Ergo fit in tenuibus & in craſſis inteſtinis. Et tamen *Gal. in Commen.* (vbi ſuam ſententiam explicat, alibi vero aliorum) ait non fieri in craſſis: propterea quod non poteſt adduci vt propter materiam craſſam retentam in craſſis inteſtinis fiat Ileus. Iam quæritur an pituita craſſa & viſcida poſſit retineri in inteſtinis craſſioribus? poteſt (vt *in Com. Philo*) adeo vt iis ita obſtructis, neq; ſtercus neque flatus etiam poſſit excerni. *Hipp. li. de glandulis & de loc.* in homine ait quod vbi cerebrum ſua excrementa in ventrē, & inteſtina exonerat, fit aliquando alui profluuiū, vt in balbis antea. Aliquādo tamen pituita illa à cerebro delapſa retinetur in inferiorib. inteſtinis, & fit voluulus. In his a. morbis nō pōt induci clyſter, & ſi immitti poſſit ſanabitur æger. Quare vtēdū eſt fiſtula alligata veſicę, vt vbi ampliata fuerint inteſtina, tū immittamus clyſterē qui flat⁹ generet. Certū eſt veteres medicos dixiſſe fieri in vtriſque inteſtinis. Diſtinxerunt tamen. Nam vbi eſt in tenuibus, euomitur chylus: in craſſis vero ſtercus.

Si ponimus illum eſſe à tuberculo vel inflammatione quæ intercipiat tenue inteſtinum (vt ileum) quomodo poterit reuocari inde ſtercus & reuomi? At ſi ſit in craſſis inteſtinis inflammatio, aut pituita craſſa & viſcida, aut ſtercus durius, quod viam intercipit, poterit ſtercus euomi, quod efformatur in cœco & colo inteſtino. *Hollerius in Comm. ad Aph. 44. lib. 6. Hipp.*

Observatio.

De Ileo abſoluta tractatio qua pugnantes authorum ſententiæ examinantur, & veræ cauſæ atque curationes inſtituuntur.

Ileos eſt affectio, quæ ſæpiſſime vna cum ægrotantis vita terminari ſolet; de qua licet omnes ſcribentes tradiderint curationem, tamen quia indiſtincte, & confuſe, quæ ad eius cognitionem pertinent, tractant, in hacque nonnulla ſunt diſcriminis plena, ideo prædictis addam etiam caput hoc de Ileo, quod eo libentius agam, cum videam plures ægrotantes ex inflammationibus, & cæteris membrorum principalium morbis, quam ex Ileo, ſaluari: quod profecto non ex partis affectæ præſtantia, nec etiam ſæpe ex magnitudine affectus contingere potuit, ſed tantum, quia debito tempore, opportuna in hoc non adminiſtrantur remedia, hocque quia eius eſſentia, & cauſæ, quibus obuiandum eſt, non ita Medicis pateant, quas ego explicaturus ita exordiar. Ileos eſt ſuperfluitatum cibi, quæ per inferiorem aluum excernuntur, retentio, vt clare habet *Galenus libro tertio, Aphoriſm. Commentar.* 22. Cum retinentur: iſtæ ſuperfluitates in inteſtinis, vel vt ſi quid in eis boni chyli remanſerit, ad iecur per meſaræi venas attrahatur, vel vt ob maiorem hominis commoditatem ad debitum tempus excerni poſſint; ita retentio non dicitur Ileos, ſed tantum cum præter naturam, nec ad diſtributionem, nec ad commodiorem excretionem retinentur. Retentio autem hæc præter naturam à læſa virtute expultrice generatur, quæ dupliciter lædi ſolet, ſcilicet, vel abolita, vel impedita, aboletur ab exceſſu intemperiei frigidioris, ſicuti & cæteræ omnes facultates ab exceſſu ſimili abolentur, & tunc nihil ad infernas partes tranſmittit, vt habetur *libro tertio, de ſymt. cauſis capite ſecundo*, quod idem *Galenus libro primo, de locis affectis* in fine aſſerere & confirmare videtur impeditur, cum intercluduntur inteſtina; intercluduntur autem duplici ratione, ſcilicet, vel ratione tumorum præter naturam, vel ratione excrementorum obſtruentium, tumores hi poſſunt eſſe inflammatio, de qua *Galenus libro tertio Epid. Sect. 2. Commentar. 7. & libro ſexto, de locis aff. capite ſecundo, & libro tertio, Aphoriſmor. Commentar.* 22 *& libro ſexto, Aphoriſm. Commentar.* 44. vel abſceſſus in ſubſtantia inteſtinorum collecta materia, vel duri tumores, vt ſcyrrhus de quibus *Galenus hoc vltimo citato loco* meminit. Cancer etiam hoc idem cauſare poteſt, cuiuſcemodi vidi ego in Fabro ferrario, qui cum in colo per plures menſes cancrum paſſus fuiſſet, ex quo in tranſitu fæcum, quotidie vehementi cruciabatur dolore, maximas perſentiens punctiones, perinde, ac ſi acubus perforaretur, tandem aucto cancro, ab eodemque obſtructis inteſtinis, factus Iliacus, præcedentibus ſtercoris vomitibus, miſere vita functus eſt. Excrementa autem obſtruentia ſunt, vel fæces induratæ, vt habet *Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. 2. & lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 1. & lib. 6. Aphoriſm.* 44. vel pituitæ copia quam licet videatur ponere *Galenus hoc vltimo citato loco* ſub dubio: tamen eam in fine, ſi vna cum ingente frigiditate iuncta fuerit, admittit hancque cauſam veram eſſe teſtantur Hiſtoriæ à viris celeberrimis enarratæ, hæc de eſſentia & cauſis quibus ſigna ſubſcribo. Signa alia ſunt præſentis morbi, alia moris morbi, alia differentiarum morbi. Signa præſentis de ſe patent, quoniam cum à prædictis cauſis alui excrementa, quæ per ventrem inferiorem excerni deberent, retinentur, clare apparet factum eſſe Ileon. addebat *Gal. lib. 7. Aphoriſm. Commentar.* 10. huic proprium & inſeparabile eſſe, nihil inferius deſcendere, & *libr. 6. Aphoriſm. Commentar.* 44. ſubdebat, etiam ſi acerrimo vtaris clyſteri. Hoc Galenus dictum omnes ſcribentes acceptauerunt, tamen *Hippocrat.* contrarium teſtatur *lib. 3. Epid. Sect. 2. tex. 7.* in Hiſtoria mulieris voluoloſæ, quæ apud Tiſamenum decumbebat, dicens. Deiectiones tenues, crudæ, paucæ, quæ verba ſicuti Galenus in commento neglexit, ita poſteritas conniuentibus oculis pertranſiuit, & tamen hæc in Iliaca paſſione aliquid deſcendere affirmant. Ego diu locum hunc conſideraui, remque ipſam obſeruaui, tandem experientia & ratio me docuit, in Ileo aliquid deſcendere poſſe. Vidi enim plures Iliacos in quibus nonnulla, licet pauca, excernebantur, hocque tantum, dum generaretur morbus, animaduerti fieri; facto autem, & completo morbo, nihil poſtea deſcendiſſe vidi, hoc autem non ſine ratione factum iudicaui: quoniam dum fieret Ileos infra locum affectum deſcenderāt excrementa, quæ vel à natura, vel ab arte excludi poterant, antequam omnia inteſtina in conſenſum affecti ducta eſſent, propriamque naturam & facultatem omnem amiſiſſent. Hinc *Hippocrat. lib. de morb.* 3 in Ileo ex inflammatione genito, ad extrudendas fæces infra locum affectum contentas, ſuppoſitorium ex melle, taurino felle oblinitum, decem digitorum longitudine imperabat, quæ non poſt morbum factum, ſed antea in inferioribus inteſtinis congeſtæ erant. Cum autem oppoſitum Galen. ſcripſerit, intelligatur de morbo completo loquutum eſſe, & in eo caſu, in quo omnia inteſtina in conſenſum loci affecti deducta adeo aliquando anguſta redduntur, vt nec amplius flatum, nec ſtercus, nec podex etiam ſpecilli acumen admittant, hæc de ſignis præſentis morbi. Signa moris hæc erunt. Omnis Ileos licet periculoſus ſit, attamen non æque, cum hic non ita exitialis ſit, vt ille, nec ille perinde vt hic ſit mali moris; quare hi per hæc ſigna diſtinguantur ilei exitiales, & mali moris erunt omnes hi quibus vomitus ſuperueniunt, à principio quidem materierum bilioſarum & pituitoſarum, ſed poſtmodum, cum magis diſtorquentur ægri, ſtercoris ſuccedunt, vt habet *Galenus libro ſeptimo, Aphoriſ. Commentar.* & ab his vix vllus ſaluatur, vt docet *libro ſexto, de locis affect. capite ſecundo*, aliqui enim interdum huic vomitui ſuperuiuunt, ſicuti nos in aliquibus Iliacis ex fæcum retentione, & ſcroti delapſu contigiſſe vidimus, in quibus Ileis ſolent etiam adeſſe dolores vehementiſſimi, vt ibidem habetur. Quod ſi etiam in Ileo non ſit ſtercoris vomitus, ſed vel reſpiratio, vel ructus, vel flatus, vel totum corpus oleat, hi etiam (vt docet *tertio Comm. Proret. Com.* 63.)

erunt mali moris, & pernicioſi, licet non æque, vt ſuperiores. In quibus autem non erit vomitus, nec reſpiratio, vel ructus, vel flatus, vel corpus male oleat, nec vehementes erunt dolores, hi Ilei ex ſe nec mali moris, nec exitiales erunt, dixi, ex ſe, quoniam ſi cum tales ſunt, cito & recte non curentur, poſtea & in his omnia ſymptomata mala, occluſis inteſtinis, & nihil recipientibus, ſuperueniunt. Signa autem differentiarum, quæ maxime aduertenda ſunt, (quoniam hinc omnis recta curandi ratio auſpicari debet) hæc erunt. Cum fuerit Ileos ratione abolitæ virtutis expultricis, aderit retentio excrementorum alui, nullo præſente dolore, nec ad tactum tumor moleſtus perſentietur: nulli aderunt diſcurrentes per ſuperiora inteſtina flatus; quoniam hi à diminuto calore, non ab inſigni frigiditate generantur, his nec vomitus ſuperueniunt ſtercoris; quoniam virtus abolita nullum intentat motum, nec deprauate operari poteſt, ad ſuperiora id, quod inferne deſcendere deberet, detrudens, ſuperueniunt tamen, cum perſeuerant hi Ilei, malæ ventriculi affectiones, à prauis vaporibus materierum retentarum, & quia non fit diſtributio, cauſatæ. Vnde ſubſequuntur inappetentiæ, ſubuerſiones, nauſeæ, vomitus tum cibi, tum aliquarum ſeroſitatum, &, ſi diutius perduret morbus, reſpiratio & ructus male olent, quo ingraueſcente, totum etiam graue olet corpus, quod indicium eſt proximi exitii. In his præceſſere cauſæ refrigerantes, ſicuti victus, & potus refrigerans, & præcipue aquæ frigidæ potio, medicamenta, & venena eiuſdem ordinis, cruditates multæ; & diuturnæ, exercitium in aquis frigidis, deambulationes per niues, ſub dio, ſub cœlo hyberno, & gelido, pedum vehemens frigus; quod facillime inteſtinis communicatur, corporis hyemali tempore nuditas, ſeu indumentorum leuitas, vel quid ſimile, à quibus omnibus cauſis vidi tales Ileos generari. Cum autem cauſabitur Ileos ratione intercluſionis inteſtinorum, ſi hoc erit ratione tumoris ſcyrrhoſi, præceſſit diuturna inteſtini durities; quoniam à puro ſcyrrho non poteſt cito hoc fieri, quo ad tactum, & maxime ſi ſit in his quæ exterius locata ſunt, facile perſentire potuit. Si autem in his quæ interius diſtribuuntur factus fuerit, maiori compreſſione ad eam ſentiendam indiguit in his, licet non extiterit dolor, tamen ſemper adeſſe ſolet grauitas conſideratione digna, qua continue inteſtina, & abdomen ipſis inferius, potiſſimum cum ſtant, detrahi videtur, ad excernendaque, & detrudenda inferius excrementa non ita faciles ſunt, cum ab hoc ſemper in tranſitu anguſtientur. Si erit in cauſa Cancer (quemadmodum ego dixi alias factum fuiſſe) præceſſere ſigna cancri, videlicet, punctiones, ad compreſſionem durities, & inæqualitas ad tactum, dolor fere continuus, qui in tranſitu fæcum valde exacerbatur, & diuturna hæc fuit affectio, quæ tandem inteſtinum intercludens. Ileum cauſat. Si ſit abſceſſus, dolor in parte læſa aderit & febris quandoque huic, cum ad ſuppurationem declinauerit, connectitur, tumor ad tactum præſentietur, non ita cito ab hoc intercluduntur inteſtina, & præceſſere ea, ex quibus abſceſſus generari potuit. Si autem ab inflammatione (quod vt plurimum contingere conſueuit) generetur Ileos, acutiſſimus fit morbus, & qui velociter ad ſtatum properet, huic additur febris, & vna cum ea dolores qui in hoc ſunt vehementes, & qui multum ægros diſtorqueant, hinc facile ventriculus in conſenſum trahitur, vnde vomitus bilioſi, & pituitoſi citiſſime ſuccedunt, ſique non cædat morbus, & augeatur, cum id, quod phlegmone laborabat, inteſtinum, nec pondus, nec acrimoniam, vt habet *Galenus libro tertio, de natural. facultatibus capite decimo tertio*, tolleret excrementorum, eo excernere, expellereque ea quam longiſſime à ſe nititur, cumque hoc prohibitum ſit inferius ob phlegmonem occludentem perſequi, ad ſuprapoſita inteſtina, & ad ventriculum extrudit, hincque vomitus ſtercoris, ſignum admodum exitiale ſuccedit, tunc, quia nec cibum, nec potum continere poſſunt, ſingultiunt, ſudant, aliquando conuelluntur, extremaque, cum in deterius labuntur, refrigerantur, & omnes vires languent, in locoque dolente nonnunquam apparet tumor eminens, cuius ratione, vt docebat *Galenus libro ſexto, de loc. affect. capite ſecundo*, nonnulli hunc morbum chordapſum vocauere, quoniam in eo tumore apparet inteſtinum ad ſimilitudinem chordæ conuolutum. Præceſſere hunc morbum cauſæ calefacientes, ſicuti vſus aromatum, eduliorum acriorum, vini generoſi ingurgitatio, cruditates nidoroſæ, ciborum corruptiones & ſimilia, quæ etiam occaſione ſumpta à cauſa extrinſeca, & potiſſimum à frigiditate externa, & vehementi, potuere hanc inflammationem cauſare: quod idem, non præexiſtentibus his cauſis, plaga, medicamentum, venenum, & prolapſio inteſtini in ſcrotum, indeque violenter retruſum, cauſare potuit. At ſi fiat Ileos à ſtercore indurato obſtruente inteſtina, cuius ratione materierum ad infra deſcenſus prohibebatur, & per plures dies in his aluus nihil egeſſit, à principio non eſt dolor, qui poſtea accedit, cum diuturnitate temporis fæces retentæ mordacitatem inſignem acquiſierint, nam per plures dies hic pertrahitur morbus, nec adeo eſt acutus, vt qui ex inflammatione, nec dolor erit ita vehemens, & crucians, vt in priori, aderit grauitas ventris à copioſa materia, & ſæpius ipſis videtur diſtendi abdomen, ac ſi vi detrahatur, ad tactum perſentiuntur inteſtina, ſi corpus non fuerit admodum carnoſum, & obeſum, ſtercore duro turgida, his, cum pertrahitur morbus, inteſtinaque ſunt plena durioribus fæcibus, ſuccedunt vomitus bilis, & pituitæ, & ſi magis diſtorqueantur, ſtercoris etiam, nam ab inteſtinis, in quibus talis paſſio exiſtit, hic vomitus cauſatur, à ſe expellere ſtercus appetentibus, cum longitudine temporis moleſtare cœperit, & non potentibus ſe exonerare propter eam, quæ facta eſt in partibus inferioribus, obſtructionem, ſed coactis contra naturam violenter moueri, & ad loca ſuperiora materiam noxiam extrudere, vt habet *Galenus libro ſeptimo, Aphoriſmorum Commentariorum decimo*, hique ſimiliter, cum male habent, ſingultiunt, & aliquando conuelluntur, raro febricitant, & tandem refrigeratis partibus extremis, vita decedunt, hic morbus gigni conſueuit in his, qui à natura adſtrictioris ſunt alui, quique inteſtina parum ſenſitiua habeant, & præcipue ſi vſi fuerint cibariis craſſis,

excre-

excrementoſis, adſtringentibus, auſteris, ſi vixerint otioſe, cum gulæ indulſerint, ſi vel negotiis, vel curis impediti, & maxime cum equitauerint, fæcum excretionem vel neglexerint, vel neceſſitate coacti retinere voluerint, & in his facilius gignitur morbus, cum inteſtina ab intemperie frigida, quæ eis communicata fuerit, vel ratione frigoris externi, vel ratione interius ſumtorum labefactata fuerint. Si autem à pituitæ copia vna cum ingenti frigiditate (quod fieri poſſe experientia ipſa teſtata eſt) gignatur Ileos, nulla morbi ratione in hoc erit febris, hic erunt vehementiſſimi dolores, tum ratione intemperiei, tum ratione materiæ geniti, qui cum admodum vrgeant, ægrotantesque valde crucient, cito deducunt partes ſuperiores in conſenſum, hincque cito ſuperueniunt vomitus biliosi, & pituitoſi: quod ſi non cedat morbus, etiam his ſtercoris vomitus ſuccedunt, tentantibus inteſtinis hoc à ſe expellere, nec potentibus ad inferiores partes ob occluſam viam detrudere, vnde tandem, motu contra naturam concitato, ad ſuperiora ſtercus ipſum violenter tranſmittitur, in his ſemper corpus friget, nec admotis calefacientibus facile incaleſcit, & à dolore vexati loco ſtare nequeunt. murmurant partes ſuperiores, adſunt rugitus, & flatus aſcendentes, qui tamen dolorem leuiorem non faciunt. In his præceſſere, quæ pituitam aggregare, & crudos humores cumulare potuerunt, ſed præcipue ab externo frigore paſſi ſunt. Hæcque ſolet eſſe potentiſſima occaſio, qua & pituita in vno & eodem loco aggregatur, & qua inteſtina adſtringuntur, & magis conniuent; frigidi enim eſt conſtipare. hæc de ſignis differentiarum Ilei. Qui ſicut à diuerſis prædictis cauſis generatur, ita an in diuerſis fieri poſſit inteſtinis, conſiderandum eſt. Omnes ſcribentes ex *Galeno libr. 6. de loc. affect. & libr. 6. aphor.* & aliis locis, habent hanc affectionem inteſtinis tenuibus, ex quibus præcipue in hoc morbo inteſtinum Ileon patitur, propriam eſſe: cuius ratione hic morbus à læſa parte nomen deſumens, vt habetur *libr. 2. Meth. cap. primo*, dictus eſt Ileos. Huic ſententiæ non acquieſco, quoniam video omnes prædictas cauſas, quæ in inteſtinis tenuibus, Ileum, & ſuperfluitatum cibi retentionem facere poſſunt, eandem in craſſis etiam producere poſſe, nam in his & virtus ex intemperie aboleri poteſt, & tanta gigni inflammatio, ſeu aliud tumoris genus, quod totum eius ſpatium intercludat poteſt etiam in his tantum ſtercoris, quod proprie in craſſis aggregatur, vel pituitæ cumulari, vt ex toto obſtruantur, imo vomitus fæcum in omni Ileo exitiali ſuperueniens potius atteſtatur craſſa inteſtina in eo affici quam tenuia, in tenuibus enim materia ſuccoſa, & coctioni, & diſtributioni, & alimoniæ apta in cuius gratiam hæc condita ſunt, continetur: at in craſſis materia vere ſtercoroſa coadunatur, in hisque alui fæces ſpeciem primum, & nomen habent; ſiquidem ab alimentis, dum per tenuia inteſtina ferebantur, ſucta puriori, & vtiliori ſubſtantia, horum reſiduum ſunt fæces, quæ hoc nomen aſſumunt, cum ad craſſum inteſtinum peruenerint. huic ſententiæ adſtipulatur *Galenus lib. 3. de facult. natur. cap. 13.* vbi docebat in Ileo ſtercus, à loco infra Ileon inteſtinum exiſtente, quod erit craſſum, aſcendere ad partes ſuperiores, & hinc vomitum cauſare, per hæc verba. Quanquam niſi pertranſito tum tenui inteſtino toto, tum ieiuno, tum pyloro, ventriculoq; ac gula omnino nequeat per illius os eiici tale vllum excrementum. craſſa etiam inteſtina pati in Ileo, locus dolens ſignificare poteſt, in his autem vt plurimum dolor eſt ad præcordia, vt plures teſtantur, & præcipue *Hippoc. libr. de morb. 3.* quod idem aſſerit in hiſtoria mulieris iliacæ *libr. 3. Epidemior.* dum dicebat, præcordia dolebant, circa præcordia autem eſt colon inteſtinum. quod per caua iecoris permeat folliculum bilis attingens, fundoq; ventriculi adhærens lieni in ſiniſtro hypochondrio accumbit, hincq; ad renes deuergens, eos contangit, quapropter ad omnia præcordia inſternitur, quod inteſtinis tenuioribus non eſt datum, vnde ſumi poteſt, inteſtina craſſa affecta fuiſſe. Quod idem mihi perſuadent verba illa Hipp. & intra ſecundum ventriculũ tormina perpetua, per ſecundum n. ventriculum intelligo inteſtina tenuia, cum craſſa nõnulli, vt habet *Gal. lib. 4. de vſu partium c 18. & Oribaſius in collect. med. c. 19. lib. 24.* inferiorē vētrem nuncupent; quare primus ventriculus erit ille, in quo deuoratum alimentum ſtatim ingeritur, in chylumq; mutatur. Secundus tenuia erunt inteſtina ad diſtributionē & coctionem eiuſdem parata. Tertius & inferior erunt craſſa ad excipiendas fæces formata. Quare per ea verba, intra ſecundum ventrem, innuit Hipp. tormina, & dolorum exacerbationes fuiſſe in inteſtinis craſſis. Hanc ſententiam acceptarunt *Alexand Trallianus lib. 10.* vbi agens de dolore colico ab inflammatione genito, & repræhendens eos, qui à principio pharmacum exhibent, dicebat in his exacerbari adeo ex pharmaco inflammationem, vt ægri in Ileum morbum incidant; non enim (ſubiungebat) aliud eſt Ileos, quam colici affectus intenſio, ac incrementum; cum autem in colico dolore craſſa inteſtina afficiantur, etiam in Ileo eadem affecta erunt. Galenus etiam in commento hiſtoriæ mulieris voluuloſæ, non negat fieri Ileum ex affectione inteſtinorum craſſiorum, imo ſupponens fieri & in tenuibus, & in craſſis inteſtinis, ad inuicem ea comparans, cenſet eum, qui in craſſis fit inteſtinis, illo q in tenuib. generatur, hac ratione deteriorē eſſe, quia hic contagio afficit & iecur & lienē. hocq; facile facere poteſt; quoniā vt dixi, vtrunq; hoc mēbrū cōtangit colon inteſtinū craſſum, quod tenuib. non eſt datū, indeq; non ita facile membra hæc in conſenſum trahere poſſunt, & hic locus Galeni animaduertatur, quoniam à multis perperam, & in contrario ſenſu intelligitur. Cum autem ſubiungit Galenus. Qui ſtercus ſi vomant (aduertitur etiam hoc fieri) clariſſimum ſit ſignum tibi eſſe ſubtilia inteſtina affecta: ſi intelligit hoc ſemper euenire ipſis inteſtinis tenuioribus primario affectis, ex prædictis indicetur, an ſibi conſtet, & recte ſenſerit. ſi autem intelligat in vomitu ſtercoris ſemper affecta eſſe tenuiora inteſtina, vel primario, vel ſecundario tracta in conſenſum ab inferioribus inteſtinis; experientiæ, & veritati, & ſibi ipſi conſonus erit. Vidimus enim nos Iliacos, qui laborantes hoc morbo propter fæces obſtruentes vltra vigeſimam ſecundam diem tantum euomuerunt fæces, quod fieri non potuiſſet, ſi hæc affectio fuiſſet in tenuibus, quoniam tenuia non poſſunt tantam ſtercoris copiam continere per tot dies, & citius trahunt ventriculum in conſenſum, vnde fiunt poſtea vomitus cibi, potus, & aliarum rerum aſſumtarum, verum

cum talis affectio fuerit ob retentionem fæcum in craſſis, potuit tardari vomitus per tantum temporis, cum craſſa inteſtina magnam habeant capacitatem, & multam poſſint continere materiam, quibus etiam ad maiorem capacitatem coniunguntur tenuia, quæ ſimul per aliquod temporis ſpatium aliqualem materiæ copiam continere poſſunt, cuius ratione poteſt his vomitus per tantum temporis protrahi, quod fieri non potuiſſet, ſi in tenuioribus fuiſſet affectio. Quare ſi aliquando in Ileo, vt communis omnium eſt ſententia, inteſtina tenuia ſunt affecta, non eſt, quod craſſa etiam aliquando non afficiantur. Et ſi *Gal. hoc in 6. aph. & 6. de locis affect.* ſemper tribuit inteſtinis tenuibus, hoc non ex propria, ſed antiquorum medicorum ſententia, & opinione, vt optime conſideranti patere poteſt, affirmauit. quam poſtea *lib. 3. Epid. ſect. 2. com.* 7. non acceptauit, clare aſſerens, Ileum etiam in craſſis fieri inteſtinis, cui etiam opinioni vltra ea, quæ nos vidimus, & notauimus, adſtipulatur hiſtoria à Ioanne Fernelio, quem ætas noſtra, & venerari, & admirari debet, enarrata de eo, cui inteſtina ex copia pituitæ obſtructa ileon, & omnimodam fæcum retentionem induxerunt. hoc enim ſecto, inuentum eſt colon ipſum, non inteſtina tenuia, hac materia oppletum, & obſtructũ. Quapropter concludo in Ileo poſſe & tenuia, & craſſa inteſtina affici, præcipueque ex tenuioribus inteſtinum Ileum, ex craſſis colon voluulum cauſare aſſero. Quibus autem ſignis ad inuicem hi duo affectus diſtinguantur, docet *Galen. loco citato*, dicens, hoc ex vomitionum aſſiduitate, & vehementia, & quod potum continere non poſſunt, ſed reddant, diſcerni: nam vbi inteſtina tenuia affli ctantur, vomitus crebriores & vehementiores ſunt, & potum cõtinere non poſſunt. quoniam ab his facillime ventriculus in conſenſum traducitur, citoque materia ad locum affectum permeat. quem pertingens, & moleſtans violento motu præter naturam concitato à virtute expultrice, ſtatim ad partes ſuperiores retruditur. cum autem craſſa inteſtina magis à ventriculo diſtent, longiorique ductu aſſumta ad locũ affectum permeare, & ab eo remeare debeant, hinc vomitus in his nec ſunt ita aſſidui, & frequentes, nec ita vehementes ſunt, & potum aliquo modo continere poſſunt. Cum autem addit Galenus adhuc magis ex eo, quod nihil per aluum deiicitur, animaduertatur, quod affectis inteſtinis ſuperioribus, infra locum affectum ſolent ſubſidere fæces, quæ in principio morbi ſponte educi poſſunt, & ſi non ſponte, arte ſaltem. at affectis craſſioribus, parum quid ſubeſt, & inferiora magis cum loco affecto conſentiunt. vnde quo ad excretionem alui conſequitur hoc, quod affectis craſſioribus inteſtinis, omnibus excrementis citius, & validius, quam affectis tenuibus, via præcluditur, in hisque Ileis minus aluus, quam in cæteris, deiicit. his habitis curationem aggredior. Si curandus proponatur Ileos ratione virtutis expultricis abolitæ ex intemperie frigida genitus, hic indicatur, vt omni ingenio calefaciamus, excretionemq; excrementorum retentorum prouocemus. quod licet difficile ſit, cum hæc affectio ſit tanquam inteſtinorum paralyſis, tamen ſi cito & recte pertractetur, poterit Medicus ſanationem ſperare. Calefacimus dupliciter, vel per interius aſſumta, vel per exterius applicata. per exterius hoc tentabimus cũ inunctionibus ex oleo Anethino, camomelino, rutaceo, laurino, coſtino, de piperibus, de caſtoreo, & ſimilibus cum fomentis factis in vino, ex floribus camomeli, anethi, ex herbis & ſeminibus odoratis, ex baccis lauri, addita galanga, Zedoria, Ariſtolochia, pyretro, & huiuſcemodi, cum balneis ex prædictis, & ſimilib. decoctionibus paratis, vel ex oleo calido, in quibus patiens infundatur, cum emplaſtris ex herbis, radicibus, ſeminibus, oleis & pinguedinibus calidioribus confectis, additis aromatibus, & ſi hæc non ſufficiat, cum ſinapiſmatibus, & dropacibus quos maxime in tali caſu commendo. & præcipuo vbi his admixta fuerit piper, ſulphur, pyretrum, & ſimilia, in ea tamen moderatione, qua cutis non exuratur, & tale medicamenti genus tollerare poſſit. Interius exhibeantur ea, quæ vel per os aſſumuntur, vel per inferius infunduntur, & imponuntur; per os exhibeantur vina generoſa, aromata, ſpecies ex his paratæ, cõfectiones magnæ, aqua ardens vitæ dicta, vel ſimplex, vel in aqua aliqua admixta, ſeu infuſa fuerint, caſtoreum, olea calidiora, & præcipue aromatica, ſi ea ventriculus ferre poſſit. his omnibus addo, vt præcipuum remedium, vel decoctionem, vel infuſionem in vino potenti factam, vel aquam in duplici vaſe paratam ex radicibus Rhaphani, quæ optime poteſt calefacere & penetrare, per inferius imponantur ſuppoſitoria notabilis longitudinis ex melle, addita galanga, caſtoreo, nigella, & ſimilibus parata, infundantur etiam clyſteria, quæ componantur ex decoctionibus herbarum, florum, ſeminum calidiorum, vna cum oleis calefacientibus, quæ ſola aliquando infundi poſſunt, admixto vel diaphœnicone, vel Benedicta, vel aliquo eiuſdem ordinis medicamento, quod ſimul poſſit educere, & calefacere & hæc ſæpius iterentur: quibus peractis, & pro maiori parte adminiſtratis, poterit Medicus aliquod medicamentum ſoluens exhibere, ad tentandam excrementorum alui euacuationem, quod, antequã calefaciat, non ita tutum eſt propinare. Ad quam eandem intentionem exhibeat etiam Medicus aquas thermales calidas, quæ ſulphureæ & ſalſæ ſunt, his enim non tantum inteſtina calefacere, ſed & expurgare poteſt, & non tantum in potu conueniunt, ſed etiam infuſa maxime prodeſſe valent, quod cum ratio me docuerit, dum plurima antea in caſſum adminiſtrata forent, in nonnullis vſus ſum Iliacis, felici cum ſucceſſu, aqua noſtri balnei diui Chriſtophori, ex qua priſtinam ſanitatem recuperarunt, dum eiſdem per potum exhibita, & per ſedem infuſa fuiſſet. Vbi autem fuerit Ileos ex interclusione inteſtinorum, ſi ex ſcirrho, cancro, vel conſimili tumore euenerit, non recipit curationem: quoniam res eo ducta eſt ex his, vt ars medica nihil polleat, hi enim affectus, dum ad omnimodam occluſionem inteſtinorum deueniunt, vel ex ſe curationem non admittunt, vel ſi admitterent, hoc diuturno tempore eſſet peragendum, at morbus hic celeri indiget medicatione. Si vero ex inflammatione inteſtinorum fuerit Ileos, hic habebimus morbum magnum & acutiſſimum, quare ſtantibus viribus, ſtatim ſecanda eſt interna brachii dextri vena, ſanguisque copioſe pro ratione habitus, temperaturæ, & cœli ſtatus educatur; repetaturque venæ ſectio, ſi morbus vrgeat, hoc facto, ſtatim ad remittendam inflammationem deueniendum eſt, quare adhibeantur expellentia, re-

frige-

frigerantia,& quæ mitigare poſſunt, vnde inunctiones ex oleo roſaceo completo fiant continue in eo infuſis pannis, & adhibitis: vel applicetur lana ſuccida vino adſtringenti & debiliori, præcipue autem nigro,ac oleo roſaceo imbuta, quibus etiam parum quid aceti addi poteſt, formentur etiam emplaſtra ex plantagine,ſolatro,endiuia, portulaca, & ſimilibus coctis:quibus contuſis, earundem ſucci, & oleum roſaceum,& ouorum recentium lutea cruda admiſceantur:aut mala cidonia, in poſca dilutiore cocta,oleoque mellino, vel roſaceo commixta applicentur, his tepidioribus vtimur, quoniam inflammatio calidiora non tolerat, frigida autem actu inteſtina lædunt, niſi fuerit inflammatio eryſipelatis particeps,quo caſu omnia ſubfrigida apponantur in principio morbi. In augmento autem addantur nõnulla,quæ aliquam vim diſcuſſoriam,& lenientẽ habent,vnde inunctionib.addatur oleum camomelinum:emplaſtris,ſemina lini,fœnugræci,& camomelum ipſum,& farina fabarum. Vnde remedium Alexandri maxime prodeſſe poteſt, quod recipit ceræ vncias quinq;, olei camomelini,vncias ij.& s. farinæ fabaceæ,olei roſacei,ſingulorũ vncias ij.& s.lutea ouorum quinq; aut ſex, mucilaginis ſeminum lini, quod ſatis eſt ad formandum emplaſtrum; hoc ita paratur. Oua & farina leuigantur,atq; tunc ceratum refrigeratum iniicitur, & omnia ad inuicem ſubigũtur, quouſq; mixta omnia adinuicem fuerint, & in vnam formam coiiſſe videantur, hoc potuit inflammationem remittere, aliqualiter diſcutere, & ſimul lenire. Interim per ſedẽm in morbi principio, infundantur clyſmata ex cremore ptiſanæ, oleo roſaceo, ſucco plantaginis,luteis ouorum recentium,& ſimilibus admixtis, quibus in progreſſu addatur oleum camomelinũ,ſuccus ſeminum lini,camomelę decoctum,fœnugræci, & huiuſmodi, hæcq; ſæpius repetantur,tum ad remittendã inflammationẽ in inteſtinis exiſtentẽ, tũ ad tentandã excrementorũ euacuationẽ, & hoc præcipue vbi inflãmata erant inteſtina inferiora,quo caſu clyſteria & ſuppoſitoria acria damnanda ſunt, quoniã augere inflammationem poſſunt. Quod ſi non admodũ acria fuerint, inflammatis inteſtinis ſuperiorib.& maxime in progreſſu morbi,ad excludenda excrementa in inferiorib. inteſtinis contenta,conuenire poſſunt. Victus in his ſit tenuis & refrigerans, quare ſola ptiſana contenti ſint, tũ vt victu refrigeranti agamus, tum ẽt ne copia alimenti, & excrementorũ inde gignendorum grauetur,& exaſperetur inflammatio, cui admiſceri nonnunquam poterit pauca quantitas vini granatorum, abſtineant à vino, & ab omnibus calefacientibus, præcipue autem pharmaca ſoluentia,quorum vſum nonnulli in tali caſu admittunt, omnia vitanda ſunt,dum inflammatio viget. Vltra enim,quod locum exaſperare poſſunt pharmaca, & per eundemmet materias peccantes educant, (quæ duo mala in omni inflammatione vitanda ſunt) hoc admonet Alexander in cura doloris colici ex inflammatione non eſſe agendum, quod item præmonuerat *Hippoc. lib. 4. reg. acut. text.* 22. in quacunque inflammatione cauendum eſſe: & licet ſint vrgentia ratione retentionis excrementorum, pondere & acrimonia partem læſam irritantium, tamen maius nocumentum ex violenta inflammatione à pharmaco illata ſuccedet, quam iuuamentum ex irritatione eiuſdem pharmaci, quod in caſſum, renitente inflammatione, tentabitur, quod tamen eadem declinante cõmendo: cũ eo tẽpore & excrementa excludere,& inflammationem aliquo modo ſoluere poſſit, tuncque omnia exteriora diſcutientia, lenientia tamen ſint,& clyſteria acriuſcula imponantur; perfuſionesque,& infuſiones, & inſeſſus in decoctis, quæ eiuſdem inflammationis reſolutionem præſtare poſſint adminiſtrentur,victusq; tunc augeatur,& vinum debile, & tenue exhibeatur. Fiant,dum viget morb⁹ omnia reuulſionum generã, ad reuocandam materiam ab internis partibus,ſicuti frictiones, ligaturæ doloroſæ, cucurbitulæ ſcarificatæ, & non ſcarificatæ artubus, non autem abdomini (vt nonnulli male ſenſere,quoniam hinc attrahitur materia ad læſum membrum) applicitę,balnea ex rebus potentialiter refrigerantib.admixtis nonnullis diſcutientibus, actualiter autem calidis, ad partes extremas fiant, & huiuſcemodi omnia, quæ à membro læſo materiam traducere & remouere queant. Quoniam autẽ hic dolores aliquando ſunt vehementiſſimi, ſi ea, quæ exterius applicantur, non proderunt, aliqua dolorem lenientia conuenient,ſicuti nõnulla leuiter ſtupefacientia,quale erit lac ſeminũ papaueris albi,diacodion,& ad ſummũ philonium,quod vbi vires languidę forent, non admittatur; quoniam in periculum extinctionis caloris innati deducens ægrotantum mortem acceleraret. Hæc autem curandi ratio integre in omni inteſtinorum inflammatione ſeruetur, præterquam vbi venenum huius cauſa extiterit,quo caſu venæ ſectio omittatur,medicamentisq; exterius applicandis nonnulla quæ vim veneno aduerſantem habeant,admiſceantur. interius autem alexipharmaca,& ea, quæ venenoſam qualitatem propulſare ac ſuperare valeant,exhibeantur. Vbi vero contuſio (ſicuti ex prolapſione inteſtini in ſcrotũ ſuccedere conſueuit) fuerit inflãmationis cauſa,ceteris integre ſeruatis,hoc additur, ꝙ in remediis localib.ſemper nonnulla lenientia & aliqualiter cõcoquentia cõmiſceantur. Si autem ileos ex duro ſtercore inteſtina obſtruente genitus ſit, in hoc ſtercus emollire,& humectare debemus, vt poſtea medicamentis excrementa excludentibus cedere poſſit; vnde exterius perfuſiones,irrigationes, fomenta,cataplaſmata,inſeſſus,balnea, ex rebus emollientib. parabim⁹,inter quæ præcipuũ habeat locũ olei balneũ, ita ab omnib. antiquis celebratum. Interius conueniunt iura pinguia,oleum dulce, oleum amygdalarum dulcium,butyrum,mucilagines altheæ.maluarum,ſeminum lini, fœnugræci; ex quib. iiſdem clyſteria primo ad emolliendum parentur, quibus adhibitis,poſtea ſuccedant acria, & fæces diſſoluentia, & euacuantia, in quorum catalogo iterum enumerabo ea,quæ ex aquis naturalib. parantur; quoniam ex his ego præcipuum vidi ſemper iuuamẽtum, impoſitisq; clyſteribus,ſicuti & non impoſitis,ſemper foueatur ſedes per ſpongias calidas, aliquo ex prædictis liquore prius imbutas, poſtea quoquo pacto expreſſas. Quod ſi his non cedat morbus, propono remedium *Hipp.* ab eo enarratũ,& *lib. 3. de morb. & lib. de Paſsion. ſeu affectionib. inſcripto.* hoc ſit follis, per quẽ ad intra ſedẽ immiſſum adeo inflẽtur inteſtina, vt à ſtercore ea diſparẽtur. quo facto, ſtatim iubet imponendũ eſſe clyſtere ad diſſoluẽdas & excludẽdas fęces,ſimulq; ſpõgia ſedem obturandam,& ægrum in balneo

balneo locandum eſſe, hanc eandem curandi rationem admittit Alexand. in cura doloris colici ex ſtercoris duri obſtructione, vbi non adſit inflammatio, quam tamen ego nec expertus ſum, nec alios expertos fuiſſe audiui, præter Amatum Luſitanum, qui, ſi ei credendum eſt, ſemel hac curandi ratione, felici cum ſucceſſu, vſus eſt, hoc autem ego propoſuiſſe volui, vt remedia antiqua conſiderarentur, ſique placeant, in vſum reuocentur. Cum vero Ileos à pituità craſſà, & viſcida obſtruente inteſtina, curandus erit, in hoc calefacere, attenuare, incidere, abſtergere, & ad excretionem materiam proritare debemus, quapropter veniant in hunc vſum, quæ iam dicta ſunt in Ileo ab intemperie frigida. Sed præcipue hic laudo Raphani decoctum, vel infuſionem, vel aquam, laudo vinum potens, in quo aromata, & herbæ incidentes atque attenuantes, vel ebullierint, vel infuſę ſteterint. præcipue autem commendo vſum vini potentis, admixta aqua ardenti & melle roſaceo, quod ſi hæc non ſufficiant, exhibeantur medicamenta magna, quæ pituitam diſſecare & attenuare poſſint, ſicuti oleum vitrioli Romani optime parati, ad drachmam ſemis, cum vino generoſo, quale eſt Cretenſe, exhibitum, vel ex eis compoſitionibus (quæ Elyxir vitæ ab his modernis nuncupantur) drachma vna, cum eodem vini genere imperetur. Clyſteria ſint calefacientia, & eiuſdem ordinis, qualia ſubſcripta pharmaca, quibus admiſceatur in decoctionibus faciendis pulpa colochyntidis, agaricus, centaurium minus, & cætera omnia quæ pituitam calefacere, & trahere poſſunt, ſicuti Benedicta, & Diaphœnicon, laudo autem præcipue in hoc caſu clyſma ex vino potenti, cui prædicta pharmaca incocta vel admixta fuerint, addita aqua ardenti ad vncias duas vel parum plus. Et in hoc conueniunt etiam irrigationes, inſeſſiones, & balnea ex rebus calefacientibus, & diſcutientibus, & emollientibus, inter quæ ſemper ſummopere extollendum venit balneum olei. Quibus factis, ex iiſdemque tentata materiæ pręparatione, ſi natura ſponte obſtructionem euacuando non tollat, deueniendum eſt ad pharmacum ſoluens, materiam peccantem reſpiciens, hocque ſit validũ; quoniam leuia à propria operatione vi obſtructionis fruſtrarentur. Quod idem animaduerto agendum eſſe in Ileo ex duro ſtercore inteſtina occludẽte genito, vbi enim emollitæ fuerint fæces, paratæq; ad excretionem, ſi clyſteria non ſufficiant, medicamentum validum exhibeatur, quod ſimul fæces excludere, & obſtructione inteſtina liberare poterit. In hoc vltimo Ileo victus ſit attenuans, & parcus, & bibant ægrotantes vinum potens, clarum, & ſubtilium partium. *Petr. Salius de affectib. particularib. ab aliis ordinariis practicis non exhibitis cap.* 11.

Observatio.

Contagione Ileum aliquando ſerpere.

ILEOS veluti peſtis contagione alios corripit, prouincias occupat. *Alex. Benedict. lib.* 19. *cap.* 8.

Observatio.

Voluuli lethalis ſigna & hiſtoria.

SI intendatur affectio, omnia ſurſum feruntur, ob idque & vomitus pitutæ ac bilis accedit, frigiditas totius corporis, dolorque, plurimis etiam ſpirandi difficultas. Morituris autem præter hæc omnia ſudor frigidus ſuperuenit, vrinæ difficultas, podex ita adſtrictus, vt nè ſpecilli quidem extremum ingredi queat, ſtercoris vomitus. Ergo huius acutiſſimi morbi proprium eſt & inſeparabile, nihil infra deſcendere niſi forte liquida quædam, pauca & ſeroſa, cum torminibus ventris & ructu inani, vt in ileoſa muliere *Epid.* 3. ἐπιγινόμενα vero ſunt, id eſt ingraueſcente malo ſuperuenientia, vomitus & ſingultus. Lethalia cum ſtercus in os vſq; aſcendit, & frigidum ſudant. Mortis iamiam imminentis propria, cum voluulus graueolet, id eſt, vt interpretatur Galenus, non ſolum ſtercus vomitione redditur, ſed etiam aſpiratio, ructus, flatus ventris, & vniuerſum corpus grauiter fætent. Qualem voluulum ſe vidiſſe teſtatur, & nos his diebus Arelatæ obſeruauimus in iuuene nobiliſſimo ac ditiſſimo domino du Baron, in quo ſecundo die vocati (mortuus autem eſt ſeptimo) mortis modum ac tempus prædiximus, quæque diſſecto corpore inuenta ſunt, ſigillatim omnia alibi monſtrauimus. *Iacotius comment.* 1. *ad aphor.* 23. *libr.* 3. *ſect.* 2. *Coac. Hippoc.*

Observatio.

Inteſtinorum tenuiorum mutuus ingreſſus digitalis longitudinis in Ileo præcipue morbo animaduerſus.

ANimaduerti inteſtinorum tenuium mutuum ingreſſum, ſpatio ampliore, quàm ſit digiti longitudo, præſertim in nonnullis, quos dolor iliacus enecauerat. *Columb. lib.* 5. *anat.*

Observatio.

Ex tenuioris inteſtini morbo ſanatus.

IN tenuiore inteſtino acutus interdum & peſtifer oritur morbus, ex quo etiam ſupra vmbilicum intolerabiles excitantur dolores, nec ſpiritus vllus tranſmittitur: & non ſolum cibus ipſe, ſed ſtercus ipſum per os plerunque redditur. Vomitus autem varius, aut niger exiſtens, grauioris etiam odoris eſt. Tali igitur morbo adeo Laurentius amantiſſimus frater affectus eſt, vt cum neque miſſio ſanguinis, neque alui ductio, neque aliud quoduis idoneum auxilium hoc malum frangere poſſet, materia tandem ad neruos prolapſà, in morbum incidit comitialem. Quo breui & in mortis diſcrimen adductus, cum triduo hoc habitu iacuiſſet, nihil omnino deguſtans à Medicis derelictus eſt. Verum die quarta, vbi paululum reuiuiſcens vinum lambere occepit, reſumitur ſpiritus, & morbus paulatim vi naturæ propulſus, præſidiis cedit, donec tandem per Dei gratiam penitus ſublatus, hominem ſanum reliquit: quod non prius tamen effecit, quam exactis quatuor menſibus à die quo primum ille huiuſcemodi affectus eſt morbo. *Beniuenius c.* 107. *de abditis.*

Observatio.

De Ilei dolore curato.

PHarmacopœus maximo Ilei, tertio quoque die, dolore torquebatur. quo ſæuiente febris aderat ſatis vehemens, & vmbilicus vna cum circumuicinis partibus in tumorem attollebatur. Iniecto autem in ipſis doloribus enemate ſatis acuto, expurgatisq; vitioſis admodum viſcidis, craſſis, fœtidisque fæcibus, dolor conquieuit, febrisq; ceſſauit. Quod cum ſæpius contingeret, & nec deſinerent huiuſcemodi

tertianæ exacerbationes, nec enemata, niſi cum adhiberentur, prodeſſent, de aliis remediis deliberatum. Tentata quædam ſunt, ſed cum nec his dolores integre ſedarentur, pilulæ Iliacæ occurrerunt, quæ à *Raſi lib. 9. ad Almanſorem* deſcribuntur. Harum ſcriptulus in die quietis exhibitus, admodum prauos & vehementer fœtentes humores eduxit: quibus expurgatis, Ilei dolor multum ſopitus. cum autem in vniuerſum non ceſſaret, eædem in paulo maiore doſi exhibitæ: quibus reliquis humoribus eductis, Ilei dolor omnino conquieuit. *Dodonæus cap. 36. obſeruat. medicinal.*

OBSERVATIO.

Colicæ & Iliacæ paſſionis deſperata remedia rara.

NArrat Martianus Sanctus Baralitanus, multos ſe nouiſſe, qui in Ileo deſperato (quem miſerere mei nuncupant) imminente morte liberati ſint, hauſtis argenti viui cum aqua ſola libris tribus. Pondere enim ſuo inteſtinum velut vinctum expedit & euoluit, præduraſq; & obſtruentes fæces deorſum deturbat: addit & valuiſſe in Colico affectu apud alios id medicamentum, trium vnciarum pondere hauſtum *Pareus lib. 20. c. 38.*

Quidam Iliôſum conclamatum & à ſumma deſperatione liberauit, gallinaceo fimo duntaxat albo arido ex vino, vel ſyrupo vna poto. *Alex. Benedict. lib. 19. cap. 13.*

Vbi fœda excrementorum vomitio affuerit, aqua gelida vberius data in potu ſitim ſedat, & fœditatem retro agit. Eo remedio quidam Medicus Iliôſus à Medicis deſtitutus, ſaluti reſtitutus eſt. *Idem citato loco.*

DE LVMBRICIS.

NVMERVS PRODIGIOSVS.

OBSERVATIO.

Vermium copia in inteſtinis ſanorum.

VErmibus inteſtina ſcatere frequenter non tantum in ægris, verum etiam in ſanis, ſupplicio affectis, ſæpius deprehendi. Inter quos mendicus quidam, qui tamen, dum viueret, diſcoloratus erat, ſupra viginti lumbricos, inteſtinis incluſos, gerebat. Quod & in porcis, dum mactantur, frequenter inuenitur. *Felix Platerus de obſeru. propriis.*

OBSERVATIO.

Stupendus vermium numerus & copia.

LAVRENTII Lanij filium vidimus, qui ſeptimum agens annum, triduo ex nimia lumbricorum vi fere mortuus iacuit, ſolo potu ex gramine, aceto, & ſaccharo viuens. Quarto autem die eum medicamentum ex aloe, myrrha, & croco ei propinaretur, duodequinquaginta ſupra centum vermibus alueo depoſitis, ſtatim conualuit. *Beniuenius cap. 85. de abditis.*

Nota, & mihi mulier fuit, ſupra quadraginta annos nata, quæ grauiſſimis ventriculi doloribus & nauſea ſubinde correpta, ab aſſumta hiera picra, quadraginta (plus minus) vermes excreuit. *Dodonæus in annotat. ad cap. præcitatum.*

Capularem ſenem in cura habui, qui duos ſupra octoginta annos natus, compoſitionem noſtram accipiens ex ſcordio, corallina, bryo thalaſſio factam, plures quingentis vermes excreuit, & illico ex mortuo ſanatus eſt. Et hæc fuit caſualis cura: nunquam enim arbitratus eſſem, ſenem adeo Acherontium vermes incidiſſe: præſertim in tanta copia, vt puerorum ſymtomata inciderit. Hic forte fortuna in me inſpirauit, odorem fœtidum perſenſi, qualem in puerulis vermes patientibus alias odoraueram, tunc ipſum curare cœpi, ac ſi vermibus correptus eſſet, & illico in priſtinam ſanitatem reuocatus eſt. Nam magnificus & generoſus comes Alphonſus Trottus, generalis illuſtriſſimi Ducis Ferrariæ architriclinus, omnia quæ ad exequias exiguntur, parari iuſſerat. *Braſſauolus comment. ad aph. 26. lib. 3. Hipp.*

Ex inteſtinorum & ventris animalibus plurimi obmuteſcunt, exemplo cuiuſdam puellæ in Corneliæ familia in Creta, quæ octo diebus muta fuit, rigentibus oculis, quam emiſſis quadraginta duobus vermibus, ſine ſordibus vna conuolutis, liberatam vidimus. *Alex. Benedict.*

Ego Anno 1545. vidi puellam nobilem expuliſſe mille ferme vermes paucis diebus: & ſpatio quatuor horarum quadringentos, quorum aliqui etiam viui, & alii mortui, & vixit, viuitque nunc incolumis, Deo fauente. *Petr. Paulus Pereda, de curand. morb. libr. 1. cap. 5.*

Mirum, ac vix credi dignum Vermium numerum per ſedem deiectum vidimus, qui ſeptuaginta ac ſeptem ſupra centum numerum compleuerunt. *Gabucinus com. de lumb. c. 13.*

OBSERVATIO.

Lumbrici pedales ſupra centum per medicamentum expulſi.

DOctiſſimi viri D. M. Emanuelis Betulei filiolus Xyſtus, annos quatuor natus, ante dies circiter decem in febrem incidit grauem & inordinatam, cum capitis dolore, tuſſi, ſiti, tremore in ſomno, & vociferatione, ex quibus verminationi eum obnoxium eſſe coniecimus. Qua de cauſa Tanaceti ſemen cum ſyrupo violaceo tribus matutinis exhibuimus: vnde plures quam centum, pedalis longitudinis, lumbricos excreuit, & ſubito à febre, tuſſi, reliquiſque ſymtomatis, fuit liberatus. Sed hæc propter Tanaceti dotes. *D. Ioan. Iacob. Weckerus de obſeruationibus proprijs.*

OBSERVATIO.

Emplaſtrum ventri verminoſi pueri inductum, per aluum vermium copiam, aqua vero & ſaniei magnam vim per vmbilicum exegit.

CYminum cum felle tauri recenti miſtum, ventri, emplaſtri modo, applicaui. Quo ego medicamento puerum curaui lumbricoſum, ex cuius adpoſitu, & vermes ab inteſtinis proliciebantur, & per vmbilicum incomparabilis multitudinis, aqua, ſanieſque profluebat. *Sebaſt. Auſtrius, libell. de morb. infant. morb. 42.*

FOETI EXCLVSI.

OBSERVATIO.

Lumbricos aliquando fœtos excluſos eſſe.

PVeri ab Alba vermibus vexabantur. Cæterum, cum febrirent, & electarium ex myxariis, ſebeſtis dictis, cui admiſtum erat parum boli armeniaci

pallidi

pallidi comederent, ſani ſunt facti. porro puella ſcarintii cum vermibus quoque laboraret, & illi tarde medicamentum datum eſſet, vnum permagnum egeſſit vermem rotundum, cuius cum pater pede caput calcaſſet, ex eo alii prodiere vermes, puella tamen breui mortua eſt. *Amatus Luſitanus centur. 5. curat. 46.*

VESICVLA CONCLVSI.

Obſeruatio.

Veſicula concluſi lumbrici excreti.

CVm puer quatuor natus annos lumbricis affligeretur, totus nauſeabundus, cum appetitus proſtratione incedebat, nec in vno loco permanebat, ſed hinc inde tanquam inſanus mouebatur. Cui pulſus inæqualis erat, obſcurus: deficiens, & recurrens, vt omnes ipſum moriturum prædicerent. Imo nos tentatis omnibus præſidiis ad morbum facientibus, ipſum tanquam deploratum reliquimus. At cum ſic in agone eſſet, aluus illi citata fuit, & veſiculam pilæ modo rotudam egeſſit. Quam cum mater coram multis aſſiſtentibus aperiret, vermium paruorum myriades, non ſine admiratione viderunt, ad quos viſendos ipſe quoque vocatus, puerum poſtea paucis vires reficientibus, ad ſanitatem reduxi. *Luſitanus cent. 2. curat. 40.*

Huic ſimilem veſiculam vermibus refertam, viderunt plures alii, qui vermes omnes concatenati erant, & pro vno à multis iudicabantur. *Idem in Scholiis.*

Obſeruatio.

Veſiculæ aqua flaua & vermibus referta, vomitorio ex colocynthide vna cum pituitoſis & porraceis humoribus excreta, vnde diuturnus ventriculi dolor leuatus.

RVſtica male diu habens ex ventriculo, à circumforaneo edocta ex colocynthide biberat, quo facto, multa pituitoſa & porracea cum veſicula, cui incluſa fuit aqua flaueſcens, euomuit.

Altera ex eodem potu veſiculam plenam vermibus reiecit. Sic aliquando pernicioſa medicamenta vſui ſunt; nec omnium ſunt omnia. Quod iſte non fert, alter facile tolerat. Et delicatæ medicinæ plus nonnunquam obſunt quam proſunt. *Ex obſeruationibus CL. V. Eſaiæ Meichſneri.*

RARA ET VARIA VERMIVM SYMTOMATA.

Obſeruatio.

Quidam ob vermes Germanica lingua loquebatur, cum nunquam eam didiciſſet.

MAgnum eſt quod *Eraſmus Roterodamus in oratione, quam pro laude Medicinæ* conſcripſit, recitat: nam vidiſſe ſe ait virum, nomine Phliarium Spoletanum, qui cum Italus eſſet, nec in Germania verſatus vnquam, pulchre tamen Germanorum lingua loquebatur, quaſi dæmone detentus: quamobrem curabatur à Panaceo Medico celebri: isque medicamento exhibito, magnum vermium numerum eduxit, ſoluitque hominem morbo, & linguæ Germanicæ vſu atque ſcientia priuauit. *Cardanus lib. 8. c. 43. de rerum varietate.*

Obſeruatio.

Verminoſi quidam, ventris inferioris, & ventriculi ſubſultationibus, atq; palpitationibus inuoluntariis affecti.

NOn vulgare ſymt. excitant quandoque vermes & ſunt ventris inferioris, & ventriculi ſaltus, & palpitationes inuoluntariæ, quod nos bis in duobus nobiliſſ. infantibus obſeruauimus; quorum alter diem vltimum obiit, alter vero non niſi magna difficultate euaſit: huius quoque ſymt. meminit *Duretus in Scholiis Hollerii*, tradens, Ruſticæ cuidam mulieri plures prodiiſſe, cum antea incredibili palpitatione & fluctuatione ventris laboraſſet. *Marcel. Donat. hiſt. mirab. lib. 4. cap. 26.*

Obſeruatio.

A lumbricis vexatus puer quieſcere non potuit.

PVerum vidimus & curauimus, qui cum nullo modo quieſcere poſſet, ſed ita ſemper hinc inde temerario quodam impetu & inordinato motu ferreretur, vt etiam ſtare volens, iterum titubaret & caderet, quæſitum eſt à Medicis, quænam eſſet abdita cauſa huius mali: quod illi diſtentionem cum ſaltu putabant. Sed cum nullam prorſus aliam inuenirêt quam timorem, in quem paucis ante diebus puer ipſe, neſcio quam ob rem, incidiſſe dicebatur, idoneis ſecundum hanc rationem medicamentis puerum curare cœperunt: quæ cum nihil omnino proficerêt, & in noſtras tandem deueniſſet manus, deprehenſa ſtatim morbi cauſa, quam ſolos lumbricos eſſe perſenſimus, vſq; adeo ad hoc malum propulſandum facilem & expeditum aditum habuimus, vt hac ſola intentione curatus puer, ad priſtinam breui reuerſus ſit valetudinem. *Beniuenius cap. 92. de abditis.*

Obſeruatio.

Opiſthotono ex vermibus affecti, quibus capita calcaneis connecterentur.

VIdi pueros, qui à vermibus adeo male affecti ſunt, vt opiſthotono, à græcis dicto, correpti, retrorſum adeo conuellerentur, vt pene calcaneis caput contigerent. *Trincauella libr. 9. cap. 11. de rat. curand. part. hum. corp affectus.*

Obſeruatio.

Lumbricos nonnunquam ventriculum, inteſtina, vmbilicum, & ventrem, hypochondria, atq; inguina perforare, & foras erepere.

MAgnam curam habere conuenit circa lumbricorum curationem, præſertim teretum, nam multi, nulla lumbricorum cura habita, exeſi ab ipſis ſunt, & conuulſi interierunt: alii dicunt ſe lumbricos vidiſſe, qui ex inguinibus ægri eruperint. Et alii etiam, prout Ioannes Baptiſta Caballaria, vir doctus & in arte Medica clarus, honorifico ſtipendio publice à communi Meduli in Agro Mantuano conductus, qui aſſeruit mihi, ſe lumbricos vidiſſe, qui ex vmbilico eruperint cuiuſdam infantis annorum trium plus minus. *Omnibonus lib. 4. cap. 13. art. med. infantium.*

Magiſter Petrus Barque, & Claudius Magnus, Chirurgi Vertoduniani, nuper mihi affirmarunt, curaſſe ſe vxorem cuiuſdam ciuis Vertodunenſis: qua ex abſceſſu in ventre rupto cum pure magnam vermium copiam reddidit digitali craſſitie, capite acuto, qui

to, qui ipſi inteſtina ſic arroſerant, vt diu fæces per vlcus reddiderit, nunc vero plane conualuerit. *Pareus lib. 19. cap. 3.*

Mirandum quod vermes per vmbilicum excernantur. Id quidem nos vna cum Hartochio Chirurgo Delphenſi ſpectauimus, in muliere prægnante, annorum quadraginta: hæc nunquam antea grauida fuerat, ſed in ſeptimo menſe cum in febrem & ſymtomata grauiſſima incidiſſet, & ventris dolorem ingentem perpeſſa eſſet, vt mulierculæ partum inſtare putarent, cum vmbilicum vlceratum ac ruptũ haberet, & ſimul febricitaret, & in eiuſmodi dolore eſſet, vt materiã flauam, putridam, & quaſi fæces per vmbilicum egurgitaret, 19. Septemb. die, an. 1579. vermis ingens, ſeſquipedalis fere magnitudinis, per vmbilicum erupit, ſed, quod dictu mirum eſt, die intermiſſionis, nempe 21. eiuſdem menſis, alterum quoq; eiecit, magnitudine primum excedentem; vtrum ex inteſtinis per vmbilicum elapſi ſint diu hæſimus, ſed cum per vmbilicum erumpentes vidimus, plurimum mirati ſumus. Primo die Octobris febris increbuit, vt de abortu metueremus. Tertio die Octobris tertium vermem, eumque viuum, ſed multo minorem præcedentibus, per vmbilicum exulceratum excreuit. Febris autem eo tempore ſine ordine & per breuia interualla ſæuiebat; ventrem ſatis deiiciebat, vt non opus eſſet purgatione. Vlcus vmbilici videbatur euomere excrementa, ſed in exigua quantitate. Poſtea adhibitis aptis remediis recte habere cœpit, vt quaſi ſine febre videretur: & nocte 14. diem Octobris ſequente feliciter præter omnium hominum opinionem peperit filium, & ab omnibus doloribus & febre euaſit, ac in partu optime purgata fuit, licet in puerperio 22. Octob. die iterum quartum vermem per vmbilicum eructauerit, paulo minorem tertio, & rurſus 24. Octob. quintum magnitudinis ſeſquipedalis. Hæc autem mulier paupercula erat, quæ oluſcula vendebat, prope mœnia ciuitatis decumbens, quæ poſt 14. diem à partu per cubiculum obambulauit, vt deinde ad conſueta munia prodiret, quamuis eadem mulier die 22. Ianuar. Anno 1579. per vmbilicum excreuerit oſſiculum tenue, oblongum, ad latitudinem duorum fere digitorum. *Petr. Foreſtus in ſcholiis ad obſer. 35. lib. 7.*

Dinii puerulo in Abderis, vulnerato mediocriter vmbilico, exigua fiſtula relicta eſt, & aliquando per eundem locum venit lumbricus magnus, & dicebat cum febricitaret,illioſa ipſa per hanc partem exire, Prociderat etiam inteſtinum, & corroſum erat vt ipſa fiſtula, & rumpebatur, & tuſſiculæ prohibebant permanere. *Hippocrat. libr. 7. Epidemiorum text. 105.*

Sæpe obſeruatum eſt, ea (animalia) ob alimenti inopiam ita inteſtina laceraſſe, vt per cutim ipſam egredi viſa ſint. *Trallianus in Epiſtola ad Theod. de lumb.*

Aliqui produnt ſe lumbricos vidiſſe qui ex inguinibus ægri eruperint. *Aegineta lib. 4. cap. 57.*

Retulerunt quidam, quod viderint eos (lumbricos) perforaſſe ventrem, & exiuiſſe ex eo & illud apud me maximum eſt. *Auicenna lib 3. Fen. 16. tract. 5. c. 1. Canon.* In Anatomiis quandoque vermes in ſtomacho ſunt reperti, & ipſum iam perforarunt aliquando. *Petr. Aponens. Differ. 101 conciliat.*

Mihi quidem relatum fuit à fide digna perſona, quod à quodam noſtro comitatiuo, vermes plures ex vmbilico egreſſi ſunt, & vixit. *Nicol. Florent. ſerm. 5. tract. 8. cap. 54.*

Mirum eſt quod contigit aliquando, vermes per inguina & vmbilicum prorupiſſe, via exedendo facta. *Hollerius lib. 1. cap. 54. de morb. int.*

Duo lumbricis laborantes per inguina repente emergentes, conſpexerunt, perforatis & inteſtinis & incumbentibus membranis: & alteri quidẽ vulnus occluſum eſt, alter tota vita per occalleſcens foramen ſtercus deiiciebat. *Thom. à Veiga. com. ad c. 5. lib. 1. de loc. aff. Gal.*

Vermes ventrem mordent & pungunt interdum adeo acerbe & pertinaciter, vt (quemadmodum & ab antiquis Medicis narratur, & nos etiam noſtris oculis vidimus) ventrem & inteſtina perforauerint. Ego etenim vidi puerum quinquennem, in quo vermes hi rotundi, perforato ventre, per vmbilicum exiere. Paulus vero & per bubones, vel inguina. *Trincauella lib. 9. cap. 11. de ratione cur. partic. hum. corp. affectus.*

Vidi ego Duſſeldorpii ruſticam, quæ non longe à Geralzhaim oppidulo morabatur, cui poſt longos dolores ventris ſuper inguen foramine eruperunt lumbrici, qui primum prodierant facto foramine luridi erant & ſubliueſcentes. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

Quidam cum vmbilico doleret, ex melle vnguento appoſito, per medium vmbilici quatuor lumbricos teretes diuerſis diebus eiecit, quos vidi, dum vero egrederentur, caput apparebat, & ægrotus vnguibus lumbricum attrahebat, qui inde conualuit.

Mulieri cuidam aliud contigit, tumore in inguinibus laborem maximum ferente, cui vnguento appoſito, plures per tumorem lumbricos eiecit. *De CL. V. D. Claudii à S. Mauritio obſeruationibus.*

Ruſticus quidam robuſtus annor. fere 70. in vicino pago Prilichen ante annos 8. non procul ab ilibus apoſtema magnum habuit, quod cum à balneatore aperiretur, primo pus, deinde aliquot lumbrici, tandem etiam excrementa, ſæpe quoque panis aut caſeus (mirum dictu) aliuſque cibus indigeſtus exiuerunt. Vlcus illud diu fuit apertum, igitur balneator diſceſſit, ruſticum tanquam deſperatum relinquens. Tandem mulier quædam ruſtica, dedit ei potionem ex herbis decoctam, de qua eum aliquoties bibiſſet, conſolidatum eſt ulcus. Viuit etiam adhuc hodie ruſticus ille, qui ipſe hunc caſum mihi recitauit, quemadmodum etiam balneator, qui per aliquot ſeptimanas eius curam egit. Et hanc rem ita ſe habere viri nobiles, & alii fide digni, qui adfuerunt & inſpexerunt, teſtes eſſe poſſunt.

Eodem fere tempore Sartoris cuiuſdam filius in hoc oppido, annorum 10. vlcus etiam habuit non procul ab ilibus, ex quo egreſſi ſunt quinque lumbrici, & tandem ſtercora etiam ſubſecuta ſunt. Sed iſte puer aperto vlcere tantum per quatriduum vixit.

Adde quod & vxor cuiuſdam Piſtoris in hoc oppido eodem in loco vlcus habuit, quod pudore deterrita Chirurgo noluit oſtendere. Cum autem adhibito emplaſtro aperiretur, lumbricum la-

tum longitudine fere 2. ſpithamorum manu extraxit, ac poſtea conſolidatum eſt vlcus. Hunc lumbricum pharmacopœus noſter & alii multi viderunt. *De CL. V. Ioan. Franci Hildeſii Cameniceni Obſeruationibus.*

Caſparo Gebhardo Blanckenburgico, agricolæ annorum quadraginta, tumor circa inguina intra ſex dies oboritur, qui ſua ſponte apertus, ex quo plurimum eluuiei profluxit, non ita multo poſt ex eodem tres lumbriei magni prodeunt: qui octiduum à balneatoribus eius villæ tractatus, tandem in xenodochium gallicanum Fuggerianum recipitur. Conuocatis autem aliis Medicis, omnibusque diligenter inueſtigatis, deprehenſa ſunt inteſtina non tantum perforata & adeo lacerata, vt etiam cibus ſubcrudus abſque excrementis per vlcus excluderetur, quin & venulæ quædam putredine vitiatæ, quarum occaſione hæmorrhagia ſubſecuta eſt. Tandem intumeſcente corpore domum reductus & velut hydropicus habitus ſed neglectus, diem ſuum in hac miſeria clauſit. Acciderunt hæc anno 1592. *D. Thob. Cneulinus de ſuis obſeruationibus.*

Aurifabri Auguſtani filia, annorum 12. parentum indulgentia, praua victus ratione vtens, tumore vmbilici corripitur, qui indies circumcirca auctus, opinionem hydropis præbuit. Adhibitis autem fruſtra remediis, tumor in ruborem abiit, & pugni magnitudine excreuit, ita vt rumpendus videretur. Itaque chyrurgo impero, vt emplaſtrum ex oxy croc. Nic. de meliloto & dyach. ana part. æqual. contemperatum, tumori inducat: vnde factum, vt intra triduum, tumore remollito & aperto, pariis varii colotis, menſuræ Auguſtanæ octo, fœtidiſſimi profluxerint. Conuenientibus itaque deligationibus & perpurgato vlcere, atque indies decreſcente tumore, tandem tres lumbrici longi per vmbilicum, non ſine multorum admiratione, eruperunt. Quibuſdam ex putrilagine ad cauitatem iecoris conſiſtente natos opinantibus. Tandem decoctum zarſæ parigliæ, cum ſanicula & alchimilla præſcripſi, cuius vſu intra quadrimeſtre conualuit, chyrurgo ventrem, fotibus & deligationibus ex emplaſtro fuſco curante. Morbi autem diuturnitate tabeſcente puella, poſtmodum victu analeptico, & ſolio aquæ dulcis reſtauraui, vnde plene conualuit, niſi quod maiore vmbilico, ſed indolente notaretur. *Idem Thob. Cneulinus de obſeru. propriis.*

Scoonhouiæ Anno 1584. in Muliere ex grauiſſimo ſiniſtri hypochondrii dolore laborante vſu venit. Hæc enim quum diu multumque ſummis diſcruciaretur doloribus, fruſtra adhibitis quibuſuis remediis, ſenſit tandem circa locum affectum tumorem, viuido quodam colore effloreſcentem, abſceſſusque ſpeciem præ ſe ferentem: accerſit igitur Chirurgum, qui motum nætura promouens, quam ocyſſime ad maturitatem vlcus perduxit, quo rupto ſtatim prodierunt tres vermes magnitudine digiti, quibus exonerata natura, ſtatim coaluit, idq; opinione citius, continui ſolutio. *Bald. Ronſeius Epiſt. 10. pag. 31.*

Observatio.

Vermium eroſione inteſtini ramentum ſeſqui vlnarum longitudinis foraminulentum excretum.

Ecce dum hæc ſcribo, ruſticus mihi offert vrinam ex puella octo annorum, è villa Gaugen Waldt, & vna elapſum ramentum, quaſi integrum inteſtinum, longitudine noſtratis vlnæ cum dimidia habuit autem iuuencula vermes longos per ſedem & os exeuntes, & inteſtini craſſi ſpecimen hinc inde eroſi & perforati fuit. Ordinaui aliquot medicamẽta, an ſit ſuperſtes manſura, penes Dei miſericordiam eſt. Tam innumeris malis obnoxia eſt humana vita propter vnius vetiti pomi buccellam. *CL. V. Eſaias Meichſnerus de obſeruationib. propriis.*

Observatio.

Præſagium ex vermibus.

Visum eſt nonnullis prodigii quiddam ſimile, lumbricos, præſertim longos, & teretes, ſurſum eniti, ac per os nareſque erepere, cum id inſito quodam naturæ motu facere ſoleant, ſi quando homo diutius ieiunus perſtiterit. Tunc enim ſtomacho morſus inferunt, ciboque expleri cupiunt: quibus cum nihil obiiciatur, quod ali, vitamque tueri poſſint, in ſublime feruntur, cibumq; ad gulæ vſq; meatum venantur. Sentiunt enim ſagacitate quadam naturæ per illas partes in ventriculum delabi alimenta, & cum nares peruiæ ſint, atq; ad gulæ tramitem ſpectent, eo quoque ſe conferunt, factaq; titillatione vel ſternutamento eiiciuntur, vel primoribus digitis præhenſi eximuntur. Hæc in ſanis multoties à me ſunt obſeruata, quibus cum facti cauſam explicaſſem, hac in re illos ſecuros præſtiti. In ægrotantibus vero hoc ipſum aliquando eueniſſe conſpexi, ſed non abſq; imminentis mali præſagio. Tanta eſt enim in huiuſmodi corporibus contagio, eaque putredo, atque humorum inflammatio, vt exitialem vim morbi perferre nequeant. Itaque erumpunt quidam foras, ſed morbi ſæuitia, non critice, nec naturæ vi incitati. Cum autem deſinente morbi violentia inferne cum reliquis excrementis illos prolui contingat, ſalutare id eſſe Hippocrates ſtatuit: ſponte vero, nulloque naturalis facultatis impulſu egredi quod in moribundis perſpicitur, decumbenti noxium. Subodorantur enim naturæ quadam ſagacitate corpus defecturum, ſeque deſtitutum alimento, eoque ſtationem ſuam deſerunt. *Lemnius lib. 1. cap. 22. de mirac. occult. nat.*

LATI ET CVCVRBITINI.

Observatio.

De raro & prodigioſæ longitudinis lumbrico lato & cucurbitino dicto, veterum & recentiorum ſententia atq; hiſtoria admirandæ.

Assero (lumbricos latos) in puero, dum adhuc in vtero eſt, naſci. Poſtquam enim ſemel ex vtero egreſſus eſt, non tanto tempore ſtercus in aluo manet, vt ex eius diuturnitate ac putrefactione, tantæ magnitudinis animal generari poſſit. Excernit enim ſemper heſternũ ſtercus per omnes dies, ſi ſanus homo eſſe debet. Tale vero animal naſci non poſſet, etiamſi multis diebus homo ſtercus non egereret. Multa enim naſcuntur, dum puer in vtero eſt hoc modo. Vbi ex lacte & ſanguine computreſcente ac redundante, vtpote quod dulce eſt, pus factum fuerit feruidũ, animal iſthic generatur. Naſcuntur autem & rotundi lumbrici iſthic eodẽ modo. Signũ

vero, quod hæc res ita ſe habet, hoc eſt. Poſtquam in lucem editi ſunt pueri, mulieres ipſis in cibo afferunt medicamenta, quo ſtercus ex inteſtino exeat, & non comburatur, & ſimul vt inteſtinum dilatetur. Vbi vero cibum obtulerunt, multi ſane pueri & rotundos & latos lumbricos vna cum primo ſtercore excernunt. Si vero non excreuerint, fiunt etiam inſuperque naſcuntur in ventribus. Et rotũdi quidem pariunt, lati vero non amplius, etiamſi quidam ipſos parere dicant. Nam homo qui latum lumbricum habet, velut cucumeris ſemen excernit alias atque alias, vna cum ſtercore ipſo, & ſunt homines qui hoc lumbrici partus eſſe dicant. Mihi vero non recte dicere videntur, qui talia dicunt. Neque enim ab vno animali tot pulli generari poſſunt: ne ea eſt loci in inteſtino capacitas, vt partus educare queant. Augeſcente autem puero, augeſcit etiam lumbricus in inteſtino, ab his quæ in ventriculum ingeſta ſunt, & æqualis fit in inteſtino, quibuſdam in pubertate, quibuſdam poſterius, quibuſdam paulo prius. Et poſtquam inteſtino adæquatus eſt, ſimiliter augeſcit, & quanto maior factus fuerit, vna cum ſtercore excernitur de inteſtino recto, & excidit velut cucumeris ſemen, ſæpe vero etiam maior. Quibuſdam vero iter facientib. aut laborantib. & ventriculo caleſcente deorſum deſcendit, ipſisque prominet ex podice inflatus, hocque facit, & de podice reſecatur, aut retrocedit. Signa vero quod non pariat, ſed ita habeat, velut ego dico, hæc ſunt. Si quis curet hominem latum lumbricum habentem, & medicamentum dederit, aut potionem, ſiquidem fuerit homo bene præparatus, totus rotundus factus, ad pilæ figuram exit, & homo ſanus euadit. Si vero ad medicinam horreat, reiecta pars de lumbrico abrumpitur, longitudine duorum aut triũ cubitorum, aut etiam longe amplior, & vbi abruptus fuerit, per multum temporis ſigna cum ſtercore non prodeunt. Poſtea vero augeſcunt. Atque hæc argumenta ſunt, quod lumbricus latus non parit, ſed abrumpitur. Eſt autem ſpecies ipſius qualis alba inteſtini raſura. Signa habet hæc. Cacat alias atque alias velut cucumeris ſemen; & vbi ieiunus eſt homo, exilit ad hepar alias atque alias, & dolorem inducit; & quandoque ſputa ori influunt, vbi ad hepar aſſilit; quandoque non. Quibuſdam etiam vocem intercipit, ſi fortiter ad hepar irruat, & valde multa ſputa ex ore fluunt, paulo autem poſt ſedantur, & tormen multum in ventriculo alias atque alias oboritur. Quandoque etiam ad dorſum dolor incidit: nam & hic aliquando firmatus innititur. Hæc lumbrici lati ſigna ſunt. Contigit & hoc. Qui animalculum habet, in toto quidem tempore valde debilis fieri non poterit. Vbi vero debilis factus fuerit, vix reualeſcit. Latus enim lumbricus partis alicuius particeps fit ex his quæ in ventriculum ingeſta ſunt. Siquidem igitur curatus fuerit iuſto modo, ſanus fieri poterit. Si vero non curetur, ſua ſponte non exit. Mortem tamen non inducit, ſed conſeneſcit. Atque hæc à me dicta ſunt de lumbrico lato, vnde naſcitur, & quæ morbi ipſius ſigna ſunt. *Hippo. lib. 4. de morbis.*

Lumbricus qui latus appellatur, in his qui febre carent abundat, & in longis ac diuturnis enaſcitur morbis. Eſt autem latus lumbricus, ſi ita dicere libeat, permutatio pelliculæ intrinſecus tenuia inteſtina ambientis, in corpus quoddam viuum, quod continuos ſtomachi morſus infert, & ad cibos incorrigibilem appetitum: cæterum ea quæ accipiuntur non ſuccenturiata digeruntur, ſed cito excernuntur. Cõſequitur affectos corporis gracilitas, & imbecillitas cum tarditate, aſſiduuſq; famis ſenſus. Quod enim viuificatum eſt in inteſtinis, vbi recens exhibitum cibum conſumſit, poſtea ipſa ſolida corpora arrodit. Minime vero fallax ſignum erit, ſi cum recrementis quædam cucurbitæ ſemini ſimilia excernantur. *Aetius Tetrabib. 3. ſerm. 1. cap. 40.*

Latus lumbricus mutatio eſt (vt ita dicam) adnatæ interiori inteſtino membranæ in materiam animalis modo mobilem, quæ ſæpe tota redditur longitudine incredibili, &c. *Aegineta lib. 4. c. 57.* Cuius reliqua parum ab Aetio differunt.

Lati vermes interdum ad tantam magnitudinem accedunt, vt vniuerſo inteſtino coextendantur. Cõſtat quandoque excretos eſſe, qui ſexdecim pedum longitudinem prope æquarent. *Alex. Trallianus in Epiſtola de lumbricis.* Eiuſdem Hiſtor. de lumbrico duodecim cubitorum à muliere bulimia laborante, hiera picrá deiecto, vide paulo ante. *pag 348. obſ. med. hoc lib.*

Naſcuntur intra hominem tæniæ tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine. *Plin. lib. 11. cap. 33. nat. hiſt.*

Lumbrici lati à græcis Medicis *κειρίαι* appellantur, hoc eſt, inſtitæ, à ſimilitudine quã ad inſtitas habent, qua ratione etiam *ταινίαι* ab iiſdem vocantur, quod inſtar faſciarum ſint lati ac longi. Cuius generis nuper vnum à quodam Northuſenſi ciue exegi, longitudinis cubitorum decem, quæ pars ſaltem fuit dimidiata vnius antea ab eodem progreſſi. Nam aut integri, inquit Aetius, excernuntur, vt incredibilem magnitudinis de ſe præbeant adſpectum, aut etiam prodeunt in partes conciſi. Et ſemel ſane exoluti, non amplius ſecundario congregantur, id quod & ab *Hippoc.* indicatum eſt *libr. 4. de morbis*, quum ait. καὶ αἱ μὲν στρογγύλαι τίκτουσιν αἱ δὲ πλατεῖαι οὐκ ἔτι, vt non mirum videri poſſit proditum eſſe à *Plinio libr. 11. cap. 33.* intra hominem tænias tricenum pedum, aliquando & plurium longitudine naſci. Illud potius mirum videri debet, eo Plinii loco, & multis aliis vbi de tæniis mentionem facit, neminem hactenus, ex tot doctis viris, quibus Plinius familiariſſimus fuit, animaduertiſſe, tineas falſo pro tæniis irrepſiſſe. Neque enim tineæ legendę ſunt apud Plinium, quoties de vermibus & lumbricis intra hominem dicit, ſed tæniæ, voce græca, quam de lato lumbrico græcos medicos vſurpare dixi, atq; adeo etiam reliquos ſcriptores. Sic *Conſtant. Cæſar lib. 12. agricult. cap. 27.* de naſturtij ſemine μετὰ δὲ ἡδιόσμου καὶ οἴνου πινόμενον ἕλμινθας καὶ ταινίας ἐξάγει, id eſt, lumbricos & tænias exigit. ita *Plin.* quoque *lib. 27. cap. 9.* de duobus felicis generibus: pellunt interaneorum animalia, ex his tænias cum melle, & paulo poſt. Melius tænias cum ſcammonii pari pondere. Longe enim diuerſa res eſt tinea veſtium à tæniis alui. de qua re obiter ſtudioſos admonere volui. *Cornarius commen. c. 2. lib. 2. Galeni de comp. med. ſecundum locos.*

Sunt longitudine maxima quandoque colligati (cucurbitini.) Ita quod retulit mihi quidam ſe copulam quindecim pedum emiſiſſe. *Petr. Aponens. concil. diff. 101.*

Cucurbitini lati, à ſeminis Cucurbitæ ſimilitudine dicti, in plenioribus inteſtinis procreantur, qui quandoque inuicem compacti, incredibilem longitudinem 15. pedum complent, vt vidimus, atque ita in vnum metiuntur animal. *Alexand. Benedictus, in procemio lib. 21. pract.*

In Auimonis balneis, quæ ſunt in agro Senenſi, mulierem vidimus, quæ continuis, ſeptem diebus aqua epota, quamplurimos tandem ex iis, quos Medici propterea quod cucurbitæ ſemina imitantur Cucurbitinos vocant, vermes eiecit. Qui ita interſeſe (dum ſcilicet alter alteri mordicus inhæreret) iungebantur, vt cum ſua ipſi ſerie quatuor cubitorum longitudinem excederent, vnum tantum corpus, vnum duntaxat vermem putares. *Beniuenius c. 87. de abditis.*

Vidi & curaui olim honeſtum virum ab huiuſcemodi verme male habentem, qui quandoque ab aſſumta potione purgante ex ano ſuo lati lumbrici vlnas duas aut tres extraxit, & poſt aliquanto tempore melius habere ſibi videbatur. Pallidus autem hic erat, & cibum quandoque vehementer appetebat, alio tempore faſtidiebat. *Dodonæus in annotat. ad c. prædictum Beniuenii.*

Latos ego Lumbricos bis terve in tota vita, ſed præcipue magnitudinis Mirandulæ, conſpexi, nec ſine magna ſpectantium admiratione. *Manardus epiſt. 1. lib. 3.*

Exeunt aliquando, maxime ablutis clyſmate inteſtinis, membranoſa quædam corpora, valde lata, colore exalbida, conſiſtentia inæqualia, interaneam inteſtinorum ſuperficiem repræſentantia: quæ dicere aſſolent Medici, eſſe mucos intra inteſtina repertos, vel mucoſam pituitam, frigiditate inteſtinorum addenſatam. Mulierculæ lectulos vermium vocant. Hæc crediderim ego portiunculas latorum vermium, quando (vt inquit Paulus) per partes excernuntur. Nec eſſe puto Medicum vel mediocriter exercitatum, qui hæc aliquando inter alui excreméta non fuerit intuitus, nec cum magna admiratione. Sed cũ toti ſimul excernuntur, & præſertim adhuc palpitantes (quod ego bis terve in tota vita conſpexi) incredibili illa (vt idem ait Paulus) magnitudine, in magnam nos trahunt admirationem. Quod tamen raro contingit: tum quia (vt inquit Galenus) rarior eſt lumbrici lati generatio: tum quia (vt ait Paul.) dimiſſi non conſiſtunt. Et hinc fieri puto, vt aſſidentes plerunq; inter excrementa, neſcio quid Medico oſtenſuri, fruſtra perquirant, quod tamen ſe prius vidiſſe teſtantur. Hæc eſt lati vermis effigies, latius Medicis hactenus incognita. Neminem enim adhuc lego, qui hunc vermem plene cognouerit. Arnoldus tamen & Beniuenius veritatem, conniuentibus oculis, procul aſpexerunt. Sed & Plinius per illam tricenum pedum tæniam hunc ipſum latum vermem intellexit. *Idem Manardus epiſtola 1. lib. 4.*

Ego nil aliud latum lumbricum eſſe exiſtimo, quam, vt inquit Hippocrates, abraſioné veluti inteſtinorum albam, tota complectentem inteſtina, intra quam cucurbitæ ſemini ſimiles animantes procreantur: & quidem vitam ſenſilem viuentes: quæ tunc excerni videatur, cum inteſtinorum illa veluti abraſio alba non tota ſimul excernitur, ſed eius tantummodo portio: id quod ſæpe licet videre: rariſſime vero tota ſimul excernitur: frequenter per partes educitur, quæ ſi in excretione frangatur, tunc lice intueri lumbricos illos cucumeris ſemini ſimillimo ſeorſum excretos, interdum plures ſimul complicatos, interdum pauciores, ſi quis vero totam illam abraſionem animatam viderit, ſciat non abraſionem illam, id eſt, latum vocatum lumbricum, ſed cucumeris ſimiles animantes intra ipſum viuere, hunc ego lumbricum miræ olim longitudinis palpitantem conſpexi, & motu ſeſe locali commouentem: quem mulier quædam in febre quotidiana egeſſit, cumque illum ſummopere ſuſpicerem, eiuſque motus cauſam veſtigarem: ecce tibi alter paucis ab illis diebus, qui lati lumbrici portionem eſſatu dignam excreuiſſe dixit: quam veluti mirum quid nobis oſtenſurus, incredibili ſui cum deſiderio monſtrauit, hæc autem portio ſeſe commouebat: quo factum eſt, vt auidius motus ipſius cauſam veſtigarem, diligentiſſime tandem perquirens, per eius totam cauitatem cucumeris ſimilium animantium ſeriem ſeſe mouentium ipſi motam præſtare conſpexi: quæ ex ea veluti ex quodam lectulo prodibant: interdum vnum, duo ſimul interdum complicata, plerunque quatuor, plurave: atque eam abraſionis portionem, quæ vacua ab huiuſcemodi cucurbitinis ſegmentis animatis erat, nullo pacto moueri, imo ſubſidere: quo factum eſt, vt latum lumbricum nihil aliud eſſe exiſtimem, quam mucos intra inteſtina congenitos, vel mucoſam pituitam inteſtinorum frigiditate addenſatam, loricæ modo inteſtina introrſum ambientem: quam mulieres aſſidentes lectulos vermium vocant. Ex qua mucoſa materia, cucurbitæ ſimiles animantes, conceptus more, producuntur: qui à ſecunda nata membrana intra vterum primum è ſemine genita vndiquaqùe contegitur. Huic ſententiæ ſuffragatur Auicennas his verbis: & lati & rotundi ſunt, ac ſi progignantur ex ipſis viſcoſitatibus fixis in ſuperficie inteſtinorum, quas comprehendit panniculus mucoſus, velans eas, quas ipſi generentur ex eo, & in ipſo putrefiant. Idem & clarius Antonius Beniuenius Florentinus teſtatur. *Gabucinus c. 3. de lumbricis.*

Viſa eſt ſuperioribus annis (anno à Chriſti Domini ortu 1538.) Recinæ Picentum ciuitati, lata tænia integra, miræ plane longitudinis, roſtro veluti quodam acuto: acus piſcis more prædita: quæ mouebatur ac ſeſe contrahebat lumbricorum terreſtrium more. Hæc ſuperuixit in æreo vaſe aqua repleto per diem fere, non ſine aſſidentium incredibili ac totius Recinenſium ciuitatis admiratione. Hanc egeſſit puellus, ætatis ſuæ annum agens ſecundum, ac menſes quatuor. *Idem c. 13. com. de lumbr.*

Mulier Illyrica, cum recte valeret, vermé latum longitudinis quatuor cubitorum, per os, præcedente tuſſicula, viuum eiecit, quem vermem ad me videndum chirurgici attulerunt, ſed emortuum iam. Erat autem vermis is admirandus, nunquam antea ſimilis à me viſus, longitudinis, vt dixi, quatuor cubitorũ, latitudinis paruæ, & forte ſemiunguis exigui, coloris albiſſimi, ſubſtantiæ inteſtinorum, & neſcio quid ſpolii colubrini præ ſe ferentis. Nam huius caput verrucoſum erat & album, ex quo corpus latum procedebat, & quo magis ad caudam accedebat, eo ſtrictius euadebat; erat autem vermis hic vnum tantum corpus, diuiſiones tamen plures habens, huius namque lati lumbrici portiunculæ ſemina cu-

curbitæ præ ſe ferunt, qui intra ſe nihil continere, ob corporis ſui lati compreſſionem, videtur. Cæterum mulier hæc, vt nobis retulit, non integrum extraxit per os lumbricum hunc, ſed magis abruptum infima in parte, &c. *Luſitan.cent.6.curat.* 74.

Vidi ego, à Ludouico Collado præceptore accerſitus, faſciam adeo magnam, vt fere vlnæ longitudinem attingeret, & adeo cauam, vt totam manum includeret. *Petr. Paul. Pereda, Schol.ad meth. curand.Ioan. Mich.Paſchal.lib.1.cap.15.*

Nonnullis quoq; contigit, vt multitudo vermium tunicam ſibi contexerit extenſam toto inteſtino, & omnino ſimilem veri inteſtini. *Holler. de morb. intern.lib.1.cap.54.*

Cuidam potionem ex gratiola præſcripſi, vna cũ aquis, protruſit latum lumbricum, qui vlnę fere longitudinem æquabat. *Heurnius methodi ad praxim lib. 2. pag.289.* quo loco potionem exhibet.

In agro Tigurino, Concionatoris cuiuſdam vxor, iuuenis adhuc, ſed fœcunda interim, ex lumbrico lato annos circiter tres laborauit, quæ mihi mõſtroſi illius vermis fruſtum aliquando miſit, (quod gratiſſimum fuit prius enim non videram) vt & inſpicerem, & quid illi malo depellendo idoneum eſſet indicarem. Fruſtum hoc vlnas minimum quinque lõgum erat. Caput, vel cauda in eo nulla, vermis totus ſui ſimillimus, ſquamoſus inſtar ſerpentis, niſi rectius geniculatus dicatur. Latitudinem habuit minimi digiti, colorem cinereum. Anno 1571. (quo etiam mortua eſt) incredibilis longitudinis vnum deiecit, nam vlnas viginti ſuperauit. Huius ſatis magnam partem exſiccatam (in furno enim vt ſeruari poſſet, torruerant,) vidi: quod ne fabuloſum putetur, veterum teſtimonia afferam, quomodo & ipſi magnæ longitudinis lumbricos tales quandoque viderint. *Galenus lib.3.aphor.26.* Rarior autem eſt, inquit, lumbrici lati generatio, qui & longiſſimus eſt, & ſæpe per tota extenditur inteſtina. *Paul. Ægineta, lib. 4. cap. 57.* ſcribit: Latus lumbricus eſt intraneæ ſuccingentis inteſtina membranæ in corpus quoddam inſtar animalis mobile (vt ita dicã) permutatio: quod per partes interdum redditur, plerunq; totũ ſimul excernitur, incredibilem longitudinis ſpeciem exhibens. Matrona hæc bis concepit, & peperit, dum hoc morbo laborauit. Ieiuna, ventris morſus moleſtiſſimos ſentiebat: ſumto cibo mitius quidem, non tamen omnino bene habebat, atq; rurſus cum morbi ſymtoma recrudeſcebat, multo opus habebat cibo. Miſera diu fuit, & miſere mortua, aliis diris & grauib. morbis, priorẽ illum, ſatis grauẽ & ipſum, excipientibus. Inteſtinorum enim difficultate, mox etiam hydrope correpta, interiit. Præter conuenientẽ victus rationem, in qua ſpei multum poſitum erat, tum ad curationem, tum ad præſeruationem, ab initio Rufi catapotia, quib. in peſte quoq; vtimur, & theriacam per interualla ei laudaueram: aliquando pharmacũ quod inteſtina expurgaret. Verũ nihil illam iuuit, ſed morbus ſubinde grauior factus eſt, ita vt quemadmodum dixi, aliis peſſimis & lethalibus morbis accedentibus, mortua ſit. Si quod Paul. Aegineta ſcribit, verum ſit, interiorem inteſtinorum tunicam in hoc animal permutari, mirum non eſt dyſenteriam inde ſubſequi. *Thadd.Dunus, c. 15. miſcel.med.*

Vt inter reliqua lumbricorum genera latus rarius obſeruatur: ita etiam rariſſimum omnium eundem non per aluũ, ſed, magna pectoris coanguſtatione, nec niſi ſummo ſuffocationis periculo, prius in glomum cõuolutũ oui magnitudine, vomitu per os excludi. Id quod mihi ſemel atq; iterum videre contigit in Cœmentarii cuiuſdam vxorcula, formoſa quidem, ſed proſtitutæ libidinis: quæ eundẽ recens excluſum, & in glomum adhuc conuolutum, palpitãtemq; ad me detulit, qui me præſente explicatus tres vlnas æquabat longitudine, forma alias, qualem exacte Thaddæus Dunus, paulo ante, illuſtri exemplo deſcripſit. Conſilium dedi, quandoquidem aliquoties huic periculo & fœditati obnoxia fuiſſet, cum primum circa os ventriculi eroſiones & anguſtias ſentiret, continuo Theriacam aceto remiſtam biberet, cuius vi eodem à ventriculo ad inteſtina propulſo minori cum periculo & fœditate, ſuperdato ex Filicis radice puluiſculo, per aluum propelleretur, euentu conſilium meum approbante.

Latum quinetiam lumbricum, temerarius meus Pharmacopœus, exhibita arcis vicinæ excubitori vitrioli drachma, immenſæ quidem longitudinis expulit; at ſæuiſſimis ſymtomatis & torminib. tortum, quæ eundem ad mortem prope adegerunt.

In conſanguinea mea Catharina, annorum circiter viginti duorum, menſibus non ſatis reſpondentibus, & Bulimia laborante, lati lumbrici fruſta per aluum aliquoties excreta notaui. Vnde illa nonnunquam aliquouſque ex ano propendentia manu propria euellere coacta eſt, donec medicamentis adiuta, ab hoc malo liberaretur; & menſes promouerentur.

Quidam alius, Senatorii ordinis, vir robuſtus & voraciſſimus, mea opera, vſu Diuturbith cum Rhabar. vſitato, & Catapotiis ad id à me præſcriptis, continuato horum omnium vſu, tandem à lumbrico lato conualuit. *Schenckius.*

Tinea, vermis, duorum cubitorum, per ſedem & os reiicitur. Eſt autem albus, multis ſuis partibus veluti ſeminibus cucurbitæ comparatus, in lateribus ſerratus capite paruo & longo, & cauda breui. Illa, quæ reiiciuntur, vt ſemina cucurbitæ, ſunt partes huius. Cum eſſem in caſtris Parpinianis vxor alicuius militis poſt vſum aliorum reiecit vnum duorum cubitorum, quem ſiccatum ſeruaui: ſcolopendram in corporis ſciſſuris refert, ſine oculis, haud aliquibus partibus diſtinctus erat. Appellatur Tinea, quod veluti Tinea marina albus eſt, & longus, & latus à latitudine dicitur, omnes alii rotundi ſunt, hic latus & tenuis. *Rondeletius libr. de dignoſc. morb.*

Mirabile viſum Arelatæ an. 1561. menſis Februarij die decima ſexta: Petrus Ratonus vinitor, ad Diui Luciani fanum inhabitans, cum febri continenti laboraret, eſſetq; illi miſſus inter initia ſanguis: cum vehementi pondere in ventre percepto grauari ſe ſupra modum affirmaret, duritiesq; aliquanta in ventre ad tactum perciperetur, egoq; ad curam illius eſſem vocatus: quo die illi à me deiectorium pharmacum datum fuit, membranam eiecit quandam, tenuem, valde longam, palmorum viginti longitudinis: & paulo poſt alteram palmorum octo longitudinis, quæ ambæ inciſuris & ſectionibus laciniatis, certis interuallis proportione ac menſura ſeruatis, conſtabant. Erant reuera membranoſæ ſubſtantiæ quædam tenues, ſtriatæ, colore ex albo in luteum

inclinantes, molles, & tractabiles: quibus eiectis, manſit æger ſine ſenſu, pulſibus, ac viribus deſtitutus: tandem congruis præſidiis adiutus, curatur integre nutu Dei. Viſum à me & Ludouico Laurentio Medico, à bona fide Bruneto, & Ioanne Gerardo, pharmacopœis, quos in hoc de induſtria aſciueram, vt rem miram & euentu raram perſpicerent, teſteſq; oculati eſſe poſſent. *Valleriola lib. 1. obſeru. 9.*

Vermes excreti pluribus tæniæ ſimilitudine, qualem & nos ſtudioſis oſtendimus, ad 12. aut 13. pedum longitudinem. *Gemma.*

Memini me non ſemel lumbricos tredecim cubitorum expuliſſe. *Geſnerus lib. 3. Epiſtola ad Fabricium, pag. 90. b.*

Nobilis quædam matrona ex Peru rediens mihi aſſeruit, ſe nobili cuidam viro in Peru, qui continue ægrotabat, ſingulis diebus mane verbenæ ſuccum ſaccharo permiſtum, vt ſumeret, perſuaſiſſe, illum deinde plurimos lumbricos reieciſſe longos, tenues, atq; inter cæteros vnum albi cinguli inſtar longiſſimum, & tum demum integram valetudinem recepiſſe. *Nicol. Monardes libr. 3. ſimpl. medicam. ex nouo orbe delatorum, c. de verbena.*

Lucas Farel. Sereniſ. Principis Matthiæ Archiducis Auſtriæ, &c. coquus, qui primũ apud D. Mariam Hungariæ reginam, deinde apud Margarethã Parmenſem ducem in ſimili miniſterio fuerat: ſingulis interdũ annis, nonnunquã ſemeſtrib. vel trimeſtrib. interuallis p annũ eiecit tenuẽ quandã lẽtamq; materiã, anguſti cinguli inſtar oblongã, candidã & criſpam, non eam quidẽ continuã & integrã, ſed quam per fragmenta ſex, duodecim, atq; etiam quindecim vlnas longã exjmere cogitur: ſolet vero ante ea ſymptomata plerunq; grauem in pectore ſub dextra mamilla dolorem perpeti, quem vt leuet, aggregatiuis catapotiis corpus purgat, eamq; quam dixi, materiã excernit, tum demum morbo liberatur. Is vero quoniam plerunque tanta capitis grauedine afficitur, vt domo egredi, aut quoquam prodire nequeat, ex quorundam conſilio verbenæ radicem collo appenſam geſtat. *Cluſius in ſcholijs ad c. citatum.*

Viſus eſt mihi, qui è muliere prodierat ſerpenti ſimilis hexapedem longus, quod mirum videri non debet, cum à veterib. notatum ſit, viſos ſibi vermes tam longos, quanta eſt omnium inteſtinorum longitudo, id eſt, quanta eſt humani corporis longitudo ſepties ſumta. *Pareus lib. 19. cap. 4.*

Vermis genus eſt exitioſum, à bile natum, vulgaria lumbricos necantia medicamenta non tantum eludens, verum etiam in nutrimentum ſuum conuertens. Cuius magnitudo & longitudo nouendecim circiter pedum Tiguri in curia expreſſa conſpicitur per Thomam Gibſum, ab eius ciuitatis eccleſiaſta depulſum. Qui huic obnoxii ſunt, ſubinde lactis & papaueris eſu afficiuntur, alias minime quieti futuri. *Barthol. Carrichterus.*

De teniarũ eiectarum longitudine, quæ à quibuſdam ſcriptorib. narrata ſunt, quibuſdã vix credibilia videntur. Itaq; quæ nos in his obſeruauimus, haud grauatim aliis et communicabimus. Ter contigit vt purgantib. remediis tænias ex fœminarum inteſtinis educeremus, ac cũ forte harum vnam, eo tempore, quo tenia educta eſſet, accepiſſem, metiendam eius eductæ longitudinem eſſe exiſtimaui. Itaq; maritus eius fœminæ me præſente, cum eum lumbricum in longitudinem extendiſſet, adæquauit vlnas Eichſtadianas octodecim, quarum ſingulæ duos pedes & dimidium cõſtituunt. Reliquæ duæ alias eiectæ eam longitudinem non attigerunt. Cæterum has tænias præceſſiſſe diuturnos ventris dolores animaduerti, qui ſubinde in lumbos, & ad Iſchiadis os decumbebant. Ad expellendum vero hoc genus lumbricorũ, radicem eſulæ efficacẽ eſſe, ſiquidem cum aliis purgantibus miſceatur, eſt expertum. *D. D. Iacobus Oetheus lib. obſ. propriarum.*

Nos in puella quatuor annorum tænias viuas aliquot vicibus reiectas conſpeximus, quæ ſi cõmenſuratæ fuiſſent, viginti vlnarum longitudinem facile exuperaſſent, ac ſemper reiecta quadam de hoc lumbrico lato portione, veluti arena à magno calculo abrupta, pondere quaſi releuata, alacrior facta, melius habuit. *Alexander Camerarius, theſi trigeſima diſputationis, cui præſuit Georgius Hamberger Tubingæ, anno 1574.*

Ante triennium, pluſve, ſeruiuit apud primarium ruſticum Berbergæ (vico quodam qui Badenſium Hochbergenſium, Badenvilanorum atque Rotelanorum, &c. Marchionum imperio patet) Maternũ Karrer, quem vulgo Meier vocant, &c. ancilla tredecim vel quatuordecim annorum (quæ, vt audio, adhuc hodie ſuperſtes eidem conſtanter famulatur) illa nulla aduerſa valetudine vtens, & vocationis labores faciens, lumbricum quatuordecim circiter pedes longum egeſſit. Res videbatur mira, adeo, vt nobiliſſima fœmina Claudina ab Habſperg, &c. Habſpurgi Archipræfecti Badenuilani coniunx, medicinæ ſtudioſiſſima matrona, nouitate rei adducta, & virginem ruſticam ſibi ſiſti, & lumbricum coram aſpectandum oſtendi curauerit. *Ioan. Iacob. Weckerus de obſeru. proprijs.*

Mulier quædam 35. annorum, in valle Gregoriana præterita æſtate grauibus vexabatur torminibus, cũ nauſea, vomitu, appetitus proſtratione, inquietudine, ſiti, & aliis id genus ſymptomatibus. Qua de cauſa ſuum ad me miſit maritum, vna cum Lotio, vt ſaluti ſuæ conſulerem. Ego vero cum partim ex vrinæ inſpectione, partim ex mariti relatione, eam colica paſſione laborare conijcerem, pulueris radicis mechoacæ drachmam ynam præbui: quem cum vino abſyntiaco ſumeret: quo ſumto, per aluum aquoſa ſaltem quædam defecit, verum incommodum nullum ſenſit. Redit ad me maritus, aliud petens remedium. Fortiori opus eſſe dixi. Quod cum peteret diaſtibii noſtri tabulati drachmam vnam ſemis exhibui: cuius aſſumtione lumbricum 18. pedes longum, vna cum multis & fœdiſſimis excrementis excreuit, & ſtatim à torminibus fuit liberata. Erat autem vermis (ſicut ipſe mihi oſtenderat) tenuis valde inanis, non ad amuſſim teres, craſſitudinis lumbrici terreſtris, coloris albi. Hunc in tenuibus inteſtinis generatum fuiſſe exiſtimarim. Sed hæc propter raram lumbrici longitudinem. *Idem Weckerus de obſeru. proprijs.*

In Noſodochio curaui aperiendum corpus puellæ, quæ per multos dies conqueſta erat de hypochondrio dextro, reiecerat tæniæ vermis longas partes, ſæpius purgata, additis vermes expellentibus, vnde partes reiectæ fuerant. In corpore, pulmonis ſiniſtra pars extenuata, thoraci adhærens, in abdomine copioſum ſerum, renes ampliſſimi, magnitudinẽ

tudine admodum excedentes. Hepar amplum, lien nimis magnus & mali coloris, in inteſtinis copia vermis tæniæ deprehenſa. *CL.V.Ioan.Bauh.de Obſeru. propriis.*

Ante annos 12. conuenit me paupercula mulier ex pago Zollicken / Tiguro diſtante horæ vnius itinere, ad lacum, petebat conſilium pro puella, quam adhuc lactabat, doloribus ventris, vti ipſa coniiciebat, ex continuo eiulatu, vexata, quæ & atrophia laborabat, licet auide & lac ſugeret, & cibum ingereret. Ex quibus circumſtantiis & aliis, vermes eam habere deprehendi: proinde quia paupercula erat, pro re nata folia ſennæ aceto macerata & puluerizata adhibenda eſſe conſului, poſtridie rediens, attulit in pelue vermem latum; album, cucurbitinum, trium vlnarum, cum octaua eius parte, longum, internodiis certis, & nigris maculis diſtinctum. Et licet nihil nouum mihi videretur cucurbitinos vermes generari poſſe in hominibus, tamen, quia à me prius non eſſent conſpecti, ſum delectatus. Die ab eo tertio poſtea alium attulit, cuius longitudo erat vlna vna & paulo minus dimidia, eiuſdem figuræ & latitudinis, quæ nimirum pars fuit prioris, melius inde puella habere & nutriri cœpit. *Caſparus Wolphius de Obſ. propriis.*

Lumbricos latos quos vocant, quadraginta pedes plus minuſve longos, reiectos tanto impetu, vt inteſtina omnia ſimul profundere ſe crederent patientes, aliquoties vidi. Hi nullam in ſe cauitatem habent, ſed ex vna tantum craſſa, alba, mucoſaque membrana conſtantes, nigris maculis tranſuerſim diſtinguuntur, nec motum vllum edunt. Ex quibus non viua eſſe hæc animalia, præſertim cum non, teretium lumbricorum modo, titillationes roſioneſve moueant, ſed ligulas faſciaſve membraneas ex chylo genitas, cum multa eiuſmodi corpora quæ nutriuntur & creſcunt, tum hac tum alia forma non ſolum in hominis inteſtinis, ſed aliis quoque locis, vti & in reliquis quoque animalibus nata, quæ tamen animalia non ſunt, ſæpe inueniantur, primum coniecturari & aſſeuerare cœpi. *V.CL.Felix Platerus, de Obſeruationibus propriis.*

Iohannes Barbitonſor Platauinus, qui artem Mantuæ exercet, inteſtina aureo pepone inſignita, Anno 1556. circa primam autumni partem, duabus tertianis nothis correptus eſt, vt cum inter alia ſymptom. maxime ſtomachi ſupinitate vexaretur, aluus ſponte ſoluta eſt, & præter multa liquida, & corrupta, longam ſeriem vermium cucurbitinorum inuicem cohærentium egeſſit, putarant vero aſtantes, ipſeque met vittam eſſe quandam, ſiue ex illis digitalibus, & ſericis faſciolis aliquam quibus noſtrates mulieres crines ſubnectunt & circumligant, ac variis nodis exornant, neque ſane illis erat abſimilis, namque longitudine ſeptem cubitos æquabat, figura depreſſa, & digitali latitudine, colore albo, vt facile quiuis cum illis errare potuiſſet, niſi quod quibuſdam lineis, quæ ſeſquidigitum diſtabant, erat notata, & circa lineas parum ſe colligebat, erant tot cucurbitini vermes, qui ſe inuicem excipiebant, quot lineæ conſpiciebantur. *Marcell. Donat. Hiſtoriar. Mirab. libro quarto, capite vigeſimo ſexto.*

Ex literis *Clariſſ. Vir. & Medici præſtantiſſ. D. Iohannis Rubingeri πολιατρου Egræ in Nariſcis ad Clariſſimum Vir. Ioan. Camerarium Medicum.*

Ἕλμινθα πλατίαν longitudine nouem pedum, quales Hollerius Valeriola Arelatæ vidiſſe aſſerit, per me à quodam expulſum malim te ex literis adiunctis fide digni viri cognoſcere, quam ex meipſo narrante. *Plinius libro vndecimo, capite trigeſimo tertio, ſcribit*: viſos eſſe interdum huiuſmodi lumbricis latos longitudinis tricenorum pedum, atque etiam plurium. Ex recẽtioribus præceptor noſter *Hieronymus Mercurialis de morbis puero. libro octauo, capite quinto*, cui facile crediderim, refert, latum lumbricum interdum longiſſ. eſſe, ita vt duodecim pedum menſuram excedat, nec propter colorum diuerſitatem, quæ in hoc genere hominum fieri poteſt, & propter diuerſitatem ciborum corruptorum, quibus veſcũtur & propter cruditates perpetuas: Verũ, quod mihi mirum contigit, propter ſubſtantiæ totius & cauſæ diuerſitatem, quæ Aetii & Pauli opinionem reuellere videtur, quorum vtriq; ſtatuunt, huiuſmodi latum lumbricum nihil aliud eſſe, niſi membranam inteſtinorum interiorũ, conuerſam in figuram animalis, ob cuius ex ſubſtantia eroſionẽ hactenus vix ſuperſtes manſiſſet æger, ſed hunc non modo viuere & ſua curare, ſed ſalubriter agere meis oculis nuper ipſemet perſpexi, imo quod inſtar cæciliæ, nouum quoddam ſerpentis corpus in ore geſtare viſus fuerit, ipſe lumbricus aluo eiectus, id nondum legere apud quemuis memini, quamuis *Manardus libr. 4. Epiſt. Med.* referat ſe audiuiſſe à quadam muliere, quæ dicebat ſe lumbricum latum eieciſſe, in quo alii vermes inerant. Hæc *ille.*

Literæ vero ad D. Rubingerum ſcriptæ, & è Germanico translatæ, ſic habent:

Spectabilis & Doctiſſime Vir. ſcripſi ante annos 7. tuæ excellentiæ de Parochiali quodam meo ſubdito, viro ęgroto & paſtore bubulo miſello: tuumq; ſup illius morbo requiſiui conſiliũ. Commodũ v. & p̃ter ſpẽ omniũ, Deo fortunante, accidit, vt de cõſilio tuo adminiſtratis medicamẽtis, vermis horrẽdus & teter p inferiora ſit eiectus: q, vt ex referentiũ fide habeo, pedes nouẽ viriles vſq; longus, cauda aſpera, ore cæciliã referẽs, cætera fuſcus, viſus eſt. Hũc vero, priuſq̃ à domeſticis inſpiceretur, cõfeſtim igni concremauerat: cui eqdẽ hominis facto nõ parũ ſuccẽſui, ꝙ nihil æque optauerim, q̃ vt tuæ Excell. fuiſſet oblatus. Datum in Wurz, 6. Nouembr. 1596.

Michael Schifferdecker, Parochus ibidem.

Ante paucos dies in Endigen, oppidulo nõ longe à Friburgo diſtãte, vir qdã p aluũ excreuit tæniã vel lumbricũ latũ, longitudinis ſex vel ſeptem dodrantum, eumque adhuc viuere obſeruatum eſt. A ciue eiuſdem oppiduli; *Moccius Medicus Amicus.*

Affinis meus, D. Martinus Gottrauu, vir prudentiſſimus, & Quæſtor noſter integerrimus, is cũ à me p̃cautionis gratia, in podagra, cui obnoxius eſt, corriperetur, autumni & veris tẽpore purgabatur: vermẽ ſeu lumbricũ ſex vlnarũ, vel octo cubitorũ lõgitudine excreuit: quo viſo, mirabar valde, ꝙ multi recentiores Medici, in Plinio reprehendẽdo, tã leues & temerarii fuerint, quod & ipſe de lumbrico inſignis longitudinis, quaſi inauditæ, quædã cõmemorauerit. *V.CL. Petrus Quentzius de Obſeru. ſuis.*

Quidam ex pilulis aſſumptis, vermem longitudinis quatuor pedum per inferiora eiecit: magnum elmynthem Galeni, hunc dum vidi exiſtimaui. *De Clariſſimi Medici Claudii à S. Mauritio Obſeruationibus.*

ASCARIDES.

OBSERVATIO.

Aſcarides cuidam non tantum rectum inteſtinum & anum, verum etiam nates & femora fœdarunt.

Animaduerti interdum Aſcarides ab ano pruritu quodam emergere, hincque in femora nateſque quoquo verſum ſerpere. *Fernelius, lib. 6. cap. 10. Patholog.*

OBSERVATIO.

Aſcaridibus in ano latentibus frequenti roſione vlcus inibi excitatum, creſcente malo Epilepſia prouocata, quæ vlceris conſolidatione diſpulſa eſt.

CVM Anno milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo primo Italia egreſſus, Pragæ, Rudolpho II. Imperatori Auguſtiſſimo, primos ingenii fœtus, duce ac luce Clariſſimo Chriſtophoro Cuaringnonio, Cæſaris protomedico, litarem; dies aliquot poſt cum reliquis ad aulici primarii filium aduocor: Reliqui bis hunc ante acceſſum meum conuelli ſpectarunt, adeo breui & frequenti conuulſione, nobis præſentibus, corripiebatur, vt per conſenſum id fieri, & vel lumbricos os ſtomachi impetere, vel chylo corrupto, malignum in cerebrum vaporem exſpirari, omnes conſentiremus. At quicquid moliebamur, circa vermes expellendos & enecandos, omnia fruſtra. Iubeo tandem, rogata ab aliis venia, infantem faſciis ſolui, intueor anum; is nutricum incuria non bene ab excrementis expurgatus, & vrinæ acrimonia irritatus, vlcus aſcaridibus plenum contraxerat, vnde nil mirum ſi cor putrido vapore læſum, aſſidueque Sphyncterem lancinantibus vermibus ſenſus conſortio in conſenſum conuocaretur cerebrum. Deliberatione itaque habita, & reliquis ſic annuentibus ignito ferro caute vlcus cum animalculis exuro, exſpectatoque eſcharæ caſu, carne cauum repleo, ſuperficiem cute claudo, atque ſic Epilepſia puerum libero. *De Obſeruat. CL. V. Ioannis Ieſſenii à Ieſſen.*

DE MONSTROSIS ET A COMMVNI FORMA PRORſus euariantibus.

OBSERVATIO.

Vermis longitudinis octo pedum cornutus, anatis roſtro, poſt ſæuiſſimos ventris dolores, pharmaco expulſus.

CONTIGIT ante annos quinque, vt retulerunt fide digni in Inſula prope Maſecum, ruſticum quendam poſt continuum ventris dolorem, & ſumtam aliquando aduerſus id mali theriacam, vermem excreuiſſe octo pedum longitudine, & digiti vnius, quaſi cornuto ore, non admodum diſſimili anatis roſtro. Sæpius item viſuntur variæ formæ lumbrici ore reiici. *Wierus, lib. 4. capit. 16. De Preſtig. Dæmonum.*

OBSERVATIO.

Fera, lacerti forma, hirſuta, quadrupes, viridis, viua è corpore propulſa.

SVNT vermes figura inter ſe admodum differentes, vt ille quem à potione hieræ pieræ deiecit Canonicus Antonianus, qui colico dolore torquebatur. Erat viridis, figura lacerti, ſed craſſior, hirſutuſque, & pedibus quatuor innixus, breui tempore à propulſa fera obit Canonicus: Contra illa menſes aliquot vixit in vitrea phiala, aquæ plena. *Montuus, lib. 4. c. 19. Anaſc. morb.*

OBSERVATIO.

Non abſimilis Hiſtoria alia.

NVPER viduæ, cui nomen eſt Seyßen Ratiſponenſi pauperculæ homini, anorexia perdiu, tuſſi item & aſthmate, cardialgia & dolore capitis laboranti, me aliiſq; Medicis incaſſum curantibus, tandem extractum Turbith exhibeo, quod deiectis aliquot vitioſis excrementis, Lacertum viuum, ægra nihil huiuſmodi ſuſpicante, aluo expulit; deſinentibus iam commemoratis ſymptomatis, & ægrotante DEI benedictione ſingulari, vſuque vini ſubl. abſynthiaci poſt lacerti excretionem ſorbillandi, priſtinæ ſanitati reſtituta.

Prætermittam iam ranarum colluuiem menſe Maio ex Paulo Fiſchero, celebris Cœnobii Emeramini ſcholas frequentante expurgatam, qui cruciatu maximorum ventriculi dolorum pene confectus, DEI ſingulari clementia & gratia reſtitutus iam belle viuit. *Mart. Ruland. Fil. in demonſtr. Iudicii de dente aureo, aduerſus Reſp. Ioan. Ingolſtetteri Norimb.*

OBSERVATIO.

Senex quidam lumbricum excluſit nigrum, piloſum, quinquepedalem, craſſitie harundinis.

IN Vrbe Roma præterito anno quidam ætate iam ingraueſcente conſtitutus, cum multis diebus maximis torminibus diſcruciaretur, lumbricum tandē aluo depoſuit, nigrum, piliſque refertum, longitudine pedum quinque, magnitudine qualis eſt harundo. *Gabucinius, Commen. de Lumbricis, capite decimo tertio.*

OBSERVATIO.

Serpens aluo expulſus.

MVLIERCVLA circa Kilchoſium vicinum Friburgo Briſgoiæ pagum, diris ſæpe ventris torminibus torta medicamentis adhibitis nihil proficientibus, Iudæi plebei conſilio, Loxiæ auis, vulgo Curuiroſtri, & Germanis Creutzvogel dicti, ſtercus ſumpſit; factum vt ab eadem ſerpentem, (fortaſſis Lumbricum latum) aluo expulerit. *Ex Acroamate, Schenckius Filius.*

OBSERVATIO.

Anguilla in colo genita, atque per ſedem excreta.

VNVM præ cæteris nunc in mentem venit, quod in puella quadam nobis vicina, ætatis annorum 14. ſedulo eſt animaduerſum. Ea hoc Anno 1571. in Ianuario, poſt inexplicabiles, vētris cruciatus & tormina ſub hypochondrio dextro, viuam anguillam, cubiti longitudine, inter alui excrementa deiecit.

Geſtarat illam velut fœtum per nouem menſes, ſuis incluſum propriis inuolucris, vt ex ſequentibus ſatis apparuit. Nam & membranas formæ prodigioſæ poſt excreuit, & liquores diuerſiſſimos, quantitatis incredibilis, omne miraculum ſuperantes, imo & lapides, & lingua, & oſſa, & pilos omnis generis. *Gemma lib. 2. c. 2. Coſmocrit.*

Observatio.

Lumbricus hirſutus, pedialis, craſſus, cauda bifurcata, Indi Medici conſilio, verbenæ ſumto ſucco, deiectus; ex quo nobilis matrona, poſt multorum annorum aduerſam valetudinem, reſtituta.

NOBILIS quædam Matrona ex Peru rediens, mihi aſſeruit, ſe multis annis ęgram fuiſſe, cumque plurimorum Medicorum opera vſa fuiſſet, Indum tandem quendam acceſſiſſe, qui in plantarum ſcientia celebris habebatur, quique inter Indos medicum agebat, verbenæ ſuccum depuratum illi propinaſſe, à cuius vſu poſt paucos dies lumbricum eieciſſet (colubrum ipſa nuncupabat) hirſutum, pede longiorem, cauda bifida, deinde omnino cõualuiſſe. *Nic Monardes, li. 3. de Simpl. medicam: ex nouo orbe delatorum Cap. de Verbena.*

Observatio.

Cardialgia annis aliquot vexatus quidam; per vomitum proiecto vna cum pituita lumbrico palmari, capite rubro, leui, piſiformi, lanuginoſo, cauda lunata, quadrupede, liberatus.

IOhannes quidam Faber Lignarius annum agens quadrageſimum, cum à cordis dolore fere perpetuo duobus iam annis grauiter vrgeretur, ac propterea quod eo ſæpius in mortis diſcrimen adductus fuerat, peritiſſimos quoſque noſtri ſeculi Medicos, ſed fruſtra conſuluiſſet: tandem ad nos venit oratum, vt ſi quomodo poſſem tanto malo ſuccurrerem. Mouit me, fateor, cum res ipſa, quæ ſatis per ſe miranda videbatur: tum vel maxime viri lachrymæ, ac nimium miſerabilis obſecratio. Cœpi itaque mecum cogitare, an id forte ex malo habitu ventriculi, ſeu cordis, ſiue ille calidus frigiduſve eſſet, an ſiccus, ſimplex aut mixtus. Sed horum nullus certis indiciis oſtendebatur. Cordis enim natura nobilis præſtanſque tanto tempore huiuſcemodi iniuriam non toleraſſet. Cum nullum ægritudinis genus imprimi in corde poſſit, quin hominem ad feſtinam mortem deducat. Opinanti igitur mihi malignam aliquam & noxiam materiam in ventriculo detineri: quæ, quod vicinus locus ſit cordi, ad eius ceruicem aſcendens hominem afflictaret, viſum eſt eam quoquo modo propellere. Quare medicaméto vomitionem fieri iubeo. Eo etſi corrupta & putrẽs materia expellitur, non tamen dolore remittitur. Conſulo igitur vt iterum vomitum experiatur, quem nihiloſecius vna intermiſſa diecula validiorem exhibeo. Expulſaque eo eſt craſſior pituita, & cũ ea vermis longitudinis digitorum quatuor, ſatis plenior, capite rubro, læui, rotundo, quod piſi magnitudinẽ non excederet: cætero corpore lanugine quadã cõtecto, cauda furcata ad ſimilitudinem nouæ lunæ: pedibus nixus quatuor, duobus in dexteriorem, totidem in ſiniſteriorem partem coaptatis. Admiratus vermis formam, Medicis eruditioribus oſtẽdo. Nullum inuenio qui mõſtrum ſimile vidiſſe ſe vnquam fateretur. Aderat tamen ſenior quidam, ſed medicæ artis imperitus; qui teſtatus eſt ſimilem ſe vidiſſe vermem vomitu quoque propulſum ab Alexandro quodam cœnobita: qui ſtatim vt ille aiebat, proiecto eo mortuus eſt. Vocitabat autem hoc mõſtrum cordis vermem at contra æger ille noſter vt primum vermem ipſum euomuit, ad priſtinam reuerſus eſt ſanitatem *Beniuenius de Abditis cap. 2.*

Observatio.

In febre bilioſa cum Cardiaca patricius quidam vermem euomuit palmaris longitudinis, corniculatum, centipedem.

TEſtatus eſt pluries Antonius Capriana, Vrbis noſtræ Medicus, Laurentium Zaffardum, Patricium Mantuanũ febre biloſa valde moleſta, nauſea, & ex oris ventriculi conſenſu Cardiaca clamoſa laborãtem, euomuiſſe vermem, qui per ſeptem horas ſuperuixit, longitudinis vnius palmi, bina cornua flexibilia habentem, & centum pedes vtrinque, quibus miro ordine progrediebatur, erat autem coloris ſubrubri, non corporis teretis, ſed inferius depreſſi. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. c. 26.*

Observatio.

Intra horæ ſpatium quadraginta vermes excreti, ex quibus vnus niger, piloſus, biceps, dodrantalis eiectus.

GABRIEL Falloppius, medicamento quodam celebri à ſe recenſito, Paduæ Bonifacii Coci filiolum, ſex prope horis veluti mortuum decumbẽtem, & vita (vti putabatur) omni prope exutum, reſtituit. Etenim ex quo puellus medicamenti ope reuocatus fuit, intra horæ ſpatium quadraginta vermes excreuit. Inter quos vnus niger, piloſus, biceps, dodrantalis longitudinis propulſus eſt, qui triduum ſuperuixit. *Ex libro Secretorum Falloppio aſcripto.*

Observatio.

Inter alios, Nouempedalis vermis vnus per inferiora eiectus.

MVLIERI conquerenti de dolore ventris maximo, infuſionem Zedoariæ in vinum album præbui ad ſcrup. iiij. quæ ex eo potu multos vermes eiecit, & inter cæteros vnum, qui nouem pedibus gradiebatur, qui per inferiora eiectus è pelui proſiliit, humi ſaltans, metum mulieri incutiens. *De Clariſſ. Vir. Claudii à S. Mauritio Obſeruat.*

Observatio.

Scarabei genus cornutum per aluum excretum.

NVPER dum remedia quædam darem pleuriticæ anui, decoctionem fœnigræci meam, & parum oxymelitis, &c. ea melius habere cœpit, & per aluum deiecit ſcarabei genus nigrum, longis pedibus & cornibus quoque longis ac flexibilibus, articulatis, vndique plenum pure, viuum, longitudine duorum articulorum digiti: prius autem aliquandiu in ventre neſcio quid inquietum & vellicans ſentire ſe querebatur. *Geſnerus libro tertio, Epiſtol. pag. 94. Et eiuſdem operis lib. 1. pag. 22.*

Observatio.

Vermes erucis ſimiles, breuiores, multipedes, viui excreti.

MEMINI puellam 9. annorum ab aſſumpto vermes pellente medicamento, non lumbricis, ſed erucis ſimiles vermes reieciſſe, aliquanto tamen breuiores, multipedes, & quidem adhuc viuentes. *Dodonæus in Annotat. ad capit. 58. Beniuenii De Abditis.*

REMEDIA NOVA ET RARA.

Observatio.

Ad Lumbricos præclarum & nouum remedium veteribus incognitum, at de experimento certiſſimum.

CORALLINAM (muſcum marinum pleriſque creditum) circumforanei in puluerem contritam, in plateis venditant ad puerorum vermes necandos, mirifque laudibus efferunt. Qua in re nimirum cæteris præſtat medicamentis, ſiquidem non modo interficit lumbricos, ſed eos quoque eadem die expellit, magna ſæpe cum aſtantium admiratione, quod quandoque viſus ſit puer, qui ex aſſumta huius pulueris drachma centum vermes excreuerit. *Pet. And. Matthiolus.*

Quam Corallinam vocamus, & in frequenti vſu pro puerorum vermibus eſt, à Dioſcoride, Galeno, & aliis muſcus marinus nuncupatur, ſed hanc vim ignorarunt antiquiores, quod vermes interficiat; quam poſteriores ita eſſe comprobarunt, & amara eſt, nunc tota Græcia eo pro vermibus vtitur. Imo qui per plateas & vicos contritam Corallinam vendant: ita fere clamantes; σχολιτοβότανον σχολιτοβὸ ανῶν, ac ſi dixerint, vermes interficiens, quamuis de vulgari ſuo idiomate verba in i potius finiant, dicentes σχολιτοβότανοι, mulieres pro vermibus puerorum vili pretio emunt. *Ant. Muſa Braſauola in examine Simpl.*

Idem Muſa ſcribit ſenem annorum octuaginta duo, in extremis poſitum accidentibus quæ verminoſis pueris accidunt, & cum graui halitu, qualis pueris eſſe ſolet, 500. excreuiſſe medicamento è Scordio & Corallina.

Muſcus maris qui à Dioſcoride deſcribitur, ea herba cenſeri debet, aut fruticoſa concretio, ac villoſa congeries, tenuibus feſtucis, cauliculis exilibus, ima parte lignoſis folliculis capillaceis, criſpis ac cirratis, dolore incano ac cinericeo, vetuſtate rubeſcundo, odore vt abrotono, aut abſynthio marino, cum grauitate iucundo, verminoſis, & qui lumbricis infeſtantur, efficax & præſentanea, redacta in puluerem herba, eaque denarii aut drachmæ vnius pondere ex vino exhibita: eſt enim pari effectu cum abſynthio ſeriphio ſeu marino, illique affinis & cognata, vbi primum emergit & emicat, ſi numeroſa folia, ac fruticantes cauliculos, ſi cincinatas cirrataſq; fimbrias ſpectes Corallinam circumforanei vocant, quoniam Corallio, qui in mari Liguſtico aliiſque littoribus retibus ſubducitur, adhæreſcat atque implicata ſit. *Leuin. Lemnius.*

Nullam eſſe Medicinam quæ communiter omnibus lumbricis enecandis conueniat, nullumque eſſe magis præſentaneum remedium, quam Corallina vocata, vt eſt Muſcus marinus: hac enim in puluere vtuntur Medici iſti foranei, & miracula faciunt: adeo vt viderim incredibilem copiam lumbricorum interdum deiectam hoc ſolo medicamento. *Mercurialis, De Morb. puer. libro tertio, capite decimo.*

Observatio.

Ad puerorum vermes remedium aliud rarum.

CVM Argentum viuum nulla alia lethifera facultate (vt Dioſcorides inquit) interimat, quam quod ſuo ingenti pondere inteſtina laceret, nihil ſane verendum videtur minimam eius quantitatem id moliri poſſe vnquam, præſertim, cum ſua grauedine ac ſphærica forma facile è corpore per inferiora lababatur. Idcirco mirari nō debem⁹, ſi Braſauolus tam clarus ætatis noſtræ Medicus, ad necandos interaneorum vermes, dari pueris argentum viuum nullo incommodo ſcriptum reliquit, & eo tam feliciter vſus ſit alter quidam Clariſſimus Medicus Patauinus, quanquam parandi, dandique rationem neminem vnquam docere voluit. Atqui ego etſi hoc medicamento nunquam ſum vſus, vidi tamen dari ſæpe illud ſcrupuli vel ſeſquidrachmæ pondere à goritienſibus obſtetricibus ægre parturientibus mulieribus, nullo prorſus incommodo, ſed felici ſemper euentu. Datur viuum, non extinctum, vt quidam putant. Quod enim extinctum eſt, ventriculo hæret, & inteſtinis, & ſæua excitat ſymtomata. Lauandum tamen prius eſt acerrimo aceto cum ſale miſto mox tenui, corio excipiendum, manibuſque tam diu premendum, quouſque per corii meatus excidat. Sic enim purgant qui eo vti volunt. *Matthiolus Epiſtolarum lib. 4. in Epiſtola ad Stephanum Laureum, Medicum Cæſareum: Et Braſauolus in Exam. Simplicium.*

DE INTESTINO RECTO.

Observatio.

Recti inteſtini ob calculum relaxatio, cum vrina impedita.

PVELLA quinque annorum relaxatione inteſtini recti, ob nixum in vrinando, laborauit, qui depēdere videbatur à calculo, fuerat n. ſæpi⁹ obnoxia vrinæ ſtillicidio & ſuppreſſioni, doloribus perinæi accedentibus. Die 3. Februarii calculum excidit Pier. Franc. Lithotomus, magnitudinis erat articuli pollicis, aſper. *Ioan. Bauh. de Obſ. propriis.*

Observatio.

Abſceſſus in recto inteſtino natus interdum in fiſtulam abit, quæ ſi callum contraxerit, nonnunquam pus tranſmittit & in veſicam penetrat, ex qua, dictu mirum, crepitus è pudendo non minus quam alias è podice mictionis tempore redduntur, ſæpe etiam facis aliquid vrinæ permiſtum excernitur.

ABSCESSVS ani è Phlegmone relinquitur, qui in recti inteſtini cauum ſæpius quam cutem erumpit: quādoquidem parte molliore execens, pus ſibi promtius viam parat. Rupto abſceſſu, vlcus manet purulentum ac ſordidū, quale & nonnunquam

exitis

exiſtit ex neglecto tenaſmo. Id autem in fiſtulã breui degenerat, vix enim parte humida & excrementis peruia coaleſcit, ſordiumq; copia calloſum diutiſſime manat, etiam dolore ſedato. In hoc pus vel ſeorſum vel deiectionis initio exit, multo ſecus quã è meſenterii aut ſuperiorum partium vlcere. Sed & id viſum eſt interdum in veſicam penetrare: actum micturo crepitus è pudendo perinde atque è podice, deinde putis atque etiam fæcis nonnihil miſtum vrinæ prorumpebat. *Fern lib. 6 c. 11. Path.*

Mirabile eſt hoc: Quidam cum laboraſſet vlcere fiſtuloſo ani, eoque admodum calloſo, ita vt non cederet acerrimis erodentibus cuius varios ductus cœcos eſſe perhibebant, & vlcere penis ſanioſo ſimul tenebatur, & ex eodem pene crepitum veluti ventris cum fœtore emittebat. Cauſam huius rei alii afferebant, quod in veſica materia ob imbecillitatem collecta tranſiret in flatum, qui ex compreſſũ vicinarum partium, & imprimis abdominis muſculorum & veſicæ ipſius protruſus, hunc ſtrepitum excitaret. Fœtorem autem ex eo prouenire aiebat Mercurialis, quod affectus inteſtinorum ſæpe communicarentur veſicæ. Si quid enim colorati & fœtidi in clyſterem iniiceretur, vtinam prodeũtem poſtea ſæpe de his indicia præbere eo ipſo colore & fœtore. Sed an valeat, tua prudentia diiudicare poterit. *V. CL. Camerarius de Obſeruationib. Patauio acceptis & ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Fiſtulæ ani quindecim annorum, aut ſupra.

MVltos vidimus, qui fiſtulas habuere anum per 15. aut plures annos, & ſalubertime vixerunt. *Hier. Fabr. lib. 3. c. 11. Pentateuchi Chyrurgici.*

OBSERVATIO.

Ex procidentia inteſtini recti globus inſigni craſſitie in ano citra notabilem offenſam viſus.

VIDI Lutetiæ in templorum porticu mendicantes mulieres, quibus ex inteſtinorum prolapſu tumor id genus inſigni craſſitie globum æquabat: quibus nihilominus licebat progredi, & omnia ſanorum munera exequi: credo quod fæces per tumoris amplitudinem, & delapſi inteſtini capacitatem, ingreſſum egreſſumque haberent liberum. *Pareus lib. 23. c. 65.*

OBSERVATIO.

Inter rectum inteſtinum & collum veſica lapis natus, & per ſectionem deprehenſus.

QVanquam calculi fere proueniant vel in renibus, vel veſica; nihilominus alio quoque loco eos generari non eſt negandum: vidi enim quẽdam dominum huius ciuitatis Antuerpienſis, in quo poſt diſſectionem factam inuentus fuit magnus calculus intra rectum inteſtinum & collum veſicæ. *Gerhardus Bergenſis libro de Calculo & Arthritide pagina nonageſima.*

OBSERVATIO.

Ano clauſo, vel nati: vel ex vlcere aut vulnere aliterve per errorem concreto, vt nonnulli ex his reſtituti.

SERVIO Flacco Q. Calpurnio Coſſ. Romæ puer ſolidus poſteriore naturæ parte genitus. *Iul. Obſequens.*

Sergio Galba, M. Scauro Coſſ. Nurſiæ gemini ex muliere ingenua nati. Puella integris omnib⁹ membris, puerá parte priore aluo aperto, ita vt nudũ inteſtinum conſpiceretur. Idem poſteriore parte naturæ ſolidus natus, qui voce miſſa exſpirauit. *Idem lib. prodig.*

Ano haud perforato naſci magnum, & tamen naſcuntur quidam, & abſque miraculo: ſed tempus facit. *Cardanus de Variet. lib. 8. c. 43.*

Nouimus quendam ſine ano, id eſt, abſque meatu & orificio in inferna inteſtinorum parte natum: cui malo ſimile eſt vitium, quod de mulieribus imperforatis, vt vulgus dicere ſolet, à celeberrimis etiam authoribus refertur. *Argenterius lib. 2. c. 10. de cauſis morb.*

Puellam vidimus, quæ clauſo ani meatu nata, octauo quoque die recrementa ex naturalibus deiiciebat. *Beniuenius Abdit. c. 86.*

Pueris recens natis anus ex natura aliquando imperforatus reperitur, eo quod membrana eſt obſtructa. Si igitur hoc fieri poterit, ipſis digitis membrana diſtringatur: Sin minus, ſcalpelli acie illa exciſa, vino curabimus. Quandoquidem vero etiam perfectis ſæpe propter vlcus non probe curatum, concretio in ano contingit, etiam hanc inſtrumento commodo diſtringere oportet, & curationẽ accommodatam facere, fiſtula plumbea, aut cuneolo quodam in anum indito, vſque ad perfectam curationem, vt ne rurſus concreſcat. Eſt autem cuneolus is aliquo ad cicatricem perducente medicamento illinendus. *Paul. Ægyneta lib. 6. c. 81.*

Eadem habent *Albucaſes Chyrurg. lib. 2. cap. 79. Haliabbas Practica lib. 9. cap. 63. Nicol. Florent. Ser. 7. Tract. 2. cap. 37.*

Vidimus duos pueros ab vtero matris natos naturalibus clauſis: horum alteri caro quædam in ano altius increuerat, adeo vt inteſtini exitus percipi nullo modo poſſet: quo factum vt paucis diebus vitam finierit. Alteri vero membrana quædam ipſius tantum ani ori opponebatur: ſed ea acutiore ſcalpro præciſa, ſtatim ſanatus eſt puer. *Beniuenius cap. 30 de Abdit.*

Puerum eiuſmodi natum in patria mea Iohanni Ludouico Stellæ vidimus, qui diſſecta parte obducta, etiamnum ſuperſtes eſt. *Cœlius libro quarto, capite nono, A. L.*

Anum concreuiſſe infanti recenter nato memini: veſtigio tamen exiguæ fiſſuræ liquori tranſmittendo idoneæ relicto. Hoc ſepimentum ad iuſtam naturalis hiatus diuiſionem diſſecabatur forficula: cuius inferiorem cuſpidem per dictum foramen immittendum prius abrumpi, obtundique, ne læderet acies, oportuit: deinde interpoſitis exiccantibus (velut puluiſculo roſarum, bedegaris, boli, cum aluminis vſti momento) facile abſolui potuit curatio. *Wierus libro Obſeruationum Medicinalium ſub finem.*

Quãdoque pueri vel meatus vrinæ, vel fæcum ita habent clauſos, vt nequaquam excrementa reddere poſſint, aut ſi reddunt, vel debiliter, vel per alienas vias id fit: ſicut hoc tempore in hac Vrbe reperitur puella Hebræi, Teutonici dicti, quæ fæces per vuluam emittit. Laborantes hæc ægritudine appellat. *Ariſtoteles quarto de generatione animal. 4.*

animal.4. ἐπιτόμενες, ideſt orbatos, atq; inter monſtra recenſet. Medici appellant attritos, id eſt, imperforatos, Michael Epheſius, vt narrat Sueſſanus: in prædicto loco Ariſtot. tradidit hanc affectionem dici à Medicis marmoream. Dubitatur hic quomodo fieri poſſit, vt qui hos meatus habent clauſos ſuperuiuere poſſint; nam certum eſt naturam Salutis noſtræ ſolicitam neceſſario has vias fabricaſſe, vt poſſint excrementa quotidie excerni; quare ſi hæc non excernuntur, qui fieri poteſt, vt reperiantur aliqui vixiſſe imperforati? reſpondeo hoc veriſſimum eſſe, quod & exemplum hoc hodiernum puellæ Hebrææ demonſtrat; præterquam quod Albertus Magnus, & Sueſſanus narrant ſe huiuſmodi homines vidiſſe. Imo *Ariſtoteles quarto de generatione animalium quarto*, refert vaccam, fuiſſe Perinthii, quæ non ſolum vixit cum hac imperforatione, verum etiam quoties ope Medici aperiebatur, toties iterum claudebatur. Cauſa vero, propter quam poteſt in hoc infortunio vita protrahi, poteſt eadem eſſe, quam aſſignat *Ariſtoteles loco citato*, quia ſcilicet natura excrementa ſicca extenuans, euacuat ea per veſicam; addo ego etiam euacuari per ſudorem, ac inſenſibilem tranſpirationem. Sic vbi clauſa eſt via excrementi humidi, poteſt natura ea conuertere ad inteſtina, ſicut conuertit ſicca ad loca veſicæ. Eſt autem hic affectus morbus inſtrumentarius, & in via; quia quæ deberent eſſe apertæ viæ, clauſæ ſunt, actio vero quæ offenditur in hoc morbo, eſt facultatis expultricis, quæ fruſtratur à ſuo fine, quia impeditur, non autem eſſentialiter læditur. Cauſa nulla alia eſt, niſi error facultatis formatricis, qui contigit ab aliqua materiæ turpitudine, vel propter motum, vel propter alium caſum. Neque adeo arduum eſt hoc malum cognoſcere, vt valde difficile eſt illud curare: primum quidem, quia nulla alia curationis detur via, niſi per nouam perforationem, & inciſionem; inciſio vero periculoſa eſt, quoniam periculum imminet, ne dum perforatur anus, lædatur muſculus Sphincter, atque ita nouum malum oriatur. Præterea etſi abſque læſione muſculi fiat perforatio, adhuc tamen periculum imminet, ne iterum coaleſcat, atque vanus ſit omnis labor, & hoc eſt, quod dicit *Ariſtoteles loco citato*, periculum maximum imminere, vbi virgines non perforatæ curantur. Curandi ratio in hoc ſolum poſita eſt, vt quia impedita eſt facultas expultrix à ſuo munere, ex toto huiuſmodi impedimentum auferatur, quod quidem non medicamentis fieri poteſt, ſed ſolum operatione Chyrurgica, quæ nequaquam timenda eſt, propterea quod ſit citra periculum, cum magna pars orbis circumcidat puellos teneros. Quod ad curationem attinet, primo diligenter notandum, numquid poſſit anus perforari citra periculũ Sphincteris, quia ſi forte fortuna coaluerit totus muſculus, atque facta ſit via à natura ad ipſam vuluam, vt in puella prædicta vidimus, non eſt tentanda perforatio, quoniam certiſſime muſculus læderetur, & ex vno malo aliud deterius ſequeretur. Sed ſi appareat aliqua ratione tantum pellem ſupra muſculum eſſe obductam, tunc ſignato loco diligentiſſime, eſt ferrum rotundum immittendum: &, vt in aliis dixi, ſic etiam hic agendum eſt medicamentis, & canulis. *Mercurialis libro primo, capite nono, de morbis puerorum.*

Sichardi pharmacopolæ noſtri, viri eximii, nuper defuncti, vxor, ante ſexennium puellam enixa eſt maximo ventris tumore & ano clauſo natam. Ad cuius curationem ſex Medicos accerſiuit, atq; ex his Achillem Gaſſarum primarium, tum & Stromaierum quoque non tam Medicina quam Lithotomia clarum, ſed qui nuper in aula Imperatoria peſte ſublatus receſſit. Qui ſcalpello cutis ſectionem aggreſſus nihil effecit, recto inteſtino minime inuento. A ſectione puella vomere cœpit. Cathetere veſicæ collo immiſſo, aqua omnis educta quidem, ſubſidente in totum ventris tumore: Cæterum paucis ab eo horis extincta eſt. *Tobias Cneulinus de Obſeruationibus ſuis.*

Vxor noſtratis cuiuſdam lapicidæ puellum eſt enixa, qui alui excrementa per lotium tranſmiſit, in ſatis magna copia: quod cum obſtetrix, ſatis alioqui perita & pia mulier, ad me hortatu parentum veniſſet, idque ſignificaſſet, ego haud poſſe id fieri, cum nullus nimirum ex inteſtinis ad veſicam pateat exitus, conſtanter abnegaui. Illa poſtridie ad me reuerſa, rem certo ita ſeſe habere inſtat. Hoc enim & colorem exeuntium, & fœtorem clariſſime atteſtari. Ego tandem vna cum Clariſſimo Viro D.D. Burgoniuo collega mea amiciſſimo, & quodam ex tonſoribus noſtris ad puerum accitus, percepimus obſtetricem recte ſenſiſſe. Nam inſpecta regione ani, deprehendimus eo puerum carere, quod ſumme fuimus admirati, tanquam rem nunquam antea à nobis nec viſam, neque apud vllum lectam authorem: & quid in hac re conſilii daremus plane hæſimus. Tonſor autem, qui nobis quoque adfuit, homo ſatis alioqui temerarius & prǫſumtuoſus (vt fere ſunt) caſum huiuſmodi ſæpius à ſe viſum aſſerebat, nec quicquam præter tenuiſſimam, qua anus integatur, contendens eſſe membranam, nec dubitandum, quin ea inciſa anum fore conſpicuum, aluique excrementa per conſuetum & naturalem egreſſura locum. Nos illi tandem aſſentientes, permiſimus, vt locus incidatur, quo facto, ſanguis ſatis copioſe effluxit, ſed fruſtra id genus auxilii tentatum: & poſt vnum vel alterum diem miſellus puer obiit. Nos vt cadauer, mater inſcia, quæ adhuc in puerperio detinebatur, nobis ante ſepulturam liceret diſſecare, & cauſam eius vitii indagare, patrem obnixe orauimus: qui quidem id horrendum atque abominandum cenſuit, nec mirum, cum id apud nos Germanos plane inſolens atque inuſitatum, nihilominus nobis ſtrenue inſtantibus, tandem annuit, ea tamen conditione, vt negotium iſtud ſecrete peragatur. Nos igitur facta diſſectione ſtatim abdominis, cum ad veſicam, ex qua prodire ſtercus conſtabat, peruentum, euidenter perſpeximus extremitatem recti inteſtini, qua conſtare debuiſſet anus, corpori veſicæ, inſtar Vreterum, inſertam: non autem per obliquum vti vreteres, ſed recta; qua re comperta, mirari deſtitimus, cur fæces vna cum vrina in puello iſto egeſta; & rem inſolentem ac plane præter naturam agnouimus. *Coſmas Holtzachius, de Obſeruationibus propr.*

Anno 1580. Cum anatome publica Lutetiæ haberetur abortiuum puerulum habuimus, cui colon & rectum inteſtinum fæcibus erat repletum, ano non perforato, in cuius abdominis capacitate maximam aquæ copiam obſeruauimus, qui eo allatus erat,

erat, vt obſeruaremus, an ne dentes in matris vtero, licet non appareant, inueniantur, quod fieri obſeruauimus. *Caſpar Bauhinus de Obſ. propr.*

Puellam Piſani Hebræi natam ſcimus, membrana inteſtinum circa finem obductum habentem, ita vt per anum excernere non poſſet, ſecta, fuit curata, & vixit. *Marcell. Donat. Hiſtor. Mirab. Med. libro ſexto, cap. 3.*

Cum puer adhuc in Thuringia verſarer, Franckenhuſii, quod oppidum ad Comites Schvvartzenburgicos pertinet, natus eſt infans, cuius os ani ita clauſum erat, vt Cheirurgi opera, in eo per ſectionem aperiendo neceſſaria fuerit. Cæterum hic infans poſtea bene valuit, & ad maturam ætatẽ peruenit. *Iac. Oethæus lib. Obſ. propriarum.*

Tertio, Iulii Anni 1577. Clodiæ natus puerulus cuidam cæmentario, ex familia Samborum, cui quidem puero natura anum ita denegauit, vt nullum foris appareret veſtigium, cumque iam per decem dies vixiſſet, nihilque excerneret, neque per anum, neque per virgam, haberetque abdomen valde inflatum, tenſum, perinde ac ſi breui circa medium rupturam minaretur. Tandem duodecimo ſuæ natiuitatis die vocatus, cum ageret fere animam, ratus pelliculam & cutim ſupernatam eſſe, proinde vel cauſtico, vel actuali inſtrumento auferendam, ſi puer victurus eſſet: ſuaſu & precibus vtriuſque parentis vtrumque cauſticum & ferrum fruſtra admoui. Nam ſequenti die per os omnia quæ aſſumpſerat alimenta, multaque excrementa corrupta & putrida excreuit, & ſuffocatus ſic obiit. Ego interea maxime veritatem rei ſcire cupiens, coram parentibus & Clariſſimo Viro Marco de Nigris, collega meo, mox aperui, & facta omnium diligentiſſima diſſectione & inquiſitione, tandem reperi inteſtina omnia fuiſſe integra, nullum finem eorum reperiens: ſed ita cum veſica & eius collo confuſa & annexa, vt vix diuelli & ſeparari ab inuicem potuerint. Muſculus interea recti inteſtini totam implebat cauitatem, collum veſicæ comprimens & contundens, quod valde calloſum reperi, ita vt nihil mingere potuerit. *Georgius Garnerius, de Obſeruat. ſuis mihi communicatis.*

Cum poſt dies aliquot ex Italia reuerſus, Vratiſlauiam patriam appuliſſem, ad natæ ante triduum filiolæ Caſpari Ion, cauſarum Patroni, obſtructam ciendam aluum aduocor, nil præter fæcum ſiccitatem ſubeſſe autumans, lenientẽ ac ſtimulantẽ iniicere nodulum molior, impulſui ſolidi quid reſiſtere ſentio, mox ſtylum lenticularem, atidorum fæcum extractioni aptum, indo, impello vehementius, & ecce ſphincter, cui rectum inſeritur, & vicina natium cutis conniuet, extractus ſtylus, nec odoris nec excrementi quicquam ſecum auehit. Mox fœminas aſtantes, de membrana aut grumo inteſtinum interſepiente, aut laterum concretione, reddo certiores. Illæ re inaudita, & iuuene diuinante Medico, in riſum ſoluuntur. Ego cõſentiente genitore, dubium potius, quam nullum experiri ſtatuo auxilium, & cum ſoluendum continuum, ſecante num, an vrente rectius id fiat ferro, delibero, (potẽtiale in omnibus horreo) ſtat tandem diſtentis quouſq; licet natibus, ferro teliformi rem aggredior, ſuccedit, ſoliorem membranam abſque hæmorrhagia, tranſuerbero, mox clyſtere iniicio, cuius maior pars regurgitans, plura ibi latitare ſimilia ſepta argumento fuerat. Vnde fatum tertio à ſectionis die ſuperuenit. Licet ægre permitteret, perſuaſi tamen ſectionem puerperæ. Aperto itaque Epigaſtrio, iecur grandius, totum pallidum, ſcyrrho vicinum, cyſtique deſtitutum reperi. Ventriculus flaccidus, coacti lactis momentum continebat. Inteſtina inania prorſus, flatibus tantum turgida, vulnerata ſubſedere: quod excrementa vehit rectum, bis lateribus concreuerat, bis orbiculari interſepiebatur membrana. Quo in caſu natura formatrix non extreme arguenda mihi videtur: vt enim aliquandiu ſaltem ſeruaret, flatibus, qui tum ſoli alimenti fuere materies, tot parietibus exitum prohibuit, qui vt exturbarentur, bilis irritatione optime caruere. *Vir Clariſſimus Ioan. Ieſſenius à Ieſſen, de Obſ. propr. per Vir. Clar. Laur. Scholtzium ad me miſſis.*

Ano clauſo atque imperforato, imo ſolido in lucem venit Puellula IacobiZeckii, Haganoenſis ſcribæ & ciuis, cuius hiſtoriam integram caſus memorabilis, *libro quarto operis huius* plenius pertractauimus. *Ioannes Georgius Schenckius, Medicus, Filius.*

INTESTINORVM VVLNERA.

Observatio.

Vulnerato inteſtino mulieris, & conſuto abdomine, retentum ſtercus inteſtinum & abdomen perforando, ægram in vitæ diſcrimen coniecit; quæ non niſi noua ſectione, & magnis cruciatibus reſtitui tandem potuit.

Idi mulierem, quæ cum paſſa eſſet vulnus in inteſtinis, conſuto abdomine, retentum eſt ſtercus, quod perforauit inteſtinum & abdomen in alia parte, ex hoc ipſa deterius ſe habuit, vt opus fuerit ſecare rurſum & aperire, atque adeo excruciata eſt illa miſera mulier & in maximum diſcrimen redacta, quare non ſunt omnia relinquenda calori naturali. *Falloppius libell. de Vulneribus cap. quinquageſimo ſeptimo.*

Observatio.

Inteſtina ex vulnere ventris 24. horis propendentia, repoſita, & vulnus curatum.

EGo ipſe cenſui vulnus quod acciderat viro in ventre, qui fuerat vulneratus cultello, & erat vulnus maius palmo vno, & exierat in inteſtinis circiter duos palmos ex inteſtino medio & erat diſruptio in medio ventris. Reduxi ergo illud poſtquam ſtetit inteſtinum extra vulnus viginti quatuor horis, cõſolidatum eſt ergo vulnus ſpatio quindecim dierum. Et quanquam plerique etiam artis medicæ periti iudicarunt eſſe vulnus lethale, nec eſſe moliendam curationem eius; tamen auxilio Dei perſanatus eſt, & vixit homo poſt in multos annos, non curaui ipſum vnguento, quoniam fuit in loco in quo non inueniebatur vnguẽtum, neque aliquid ex medicinis, poſui ergo ſuper vulnus cotum vetuſtum bis in die, & vſus ſum aſſidua ablutione eius cum aqua mellis, donec ſanatum eſt. *Albucaſis lib. 2. cap. 58. Meth. Medend.*

OBSERVATIO.

Inteſtinis vulneratis, ſicut flatus & alui excrementa tranſmitterent, fiſtula inde nata & curata.

VIDI qui fuit in ventre vulneratus percuſſione lanceæ,& erat vulnus à dextra ſtomachi, & inueteratum eſt vulnus, & facta eſt fiſtula, exiuitque egeſtio & ventoſitas. Quanquam non ſperarem ſanari poſſe; tamen conatus ſum mederi, vbi primo præter ſpem omnia melius habere incipiebant, non ceſſaui,donec ſanatus eſt, & conſolidatus eſt locus, poſtquam ergo vidi locum iam conſolidatum, tamen non mediocriter timui, ne mala aliqua in ventre eius ſymptomata acciderent. Sed nihil mali eſt conſecutum,quin bene habuit,omnes ſuas functiones obiuit naturales, cibo, potu, exercitatione, ſomno,venere,balneo vſus eſt ſecundum naturam. *Idem citato loco.*

OBSERVATIO.

Per medium corpus transfoßi, atque inteſtinis vulneratis breui conualuere quidam.

MVltos curaui, qui ex vulneribus medium corpus tranſuerberantibus, Dei beneficio conualuerunt. Teſtem proferre poſſum legati Portugalenſis diſpenſatorem, quem ego Meloduni curaui ex vulnere enſe inflicto, & totum corpus ſic transfodiente, vt vulneratis inteſtinis magna fæcum copia,dum curaretur, per vulnus erumperet, conualuit tamen. Non ita pridem Ægidio le Maiſtri Nobili Lutetiano enſe medium corpus transfixum fuerat,ſicut per multos dies ſanguis multus ei per os & anum manaret,ex quo erat intelligere vulnerata eſſe inteſtina, & tamen intra viginti dies ſanatus eſt. *Pareus lib 9. cap.33.*

OBSERVATIO.

Inteſtinorum vulnera à grumis perpurgata,& citra alia remedia appoſita,externo tantum vlcere conglutinato, natura opera conualuere.

QVIDAM fuit confoſſus in inteſtinis, ablatis grumis & reliquis,quæ poterant impedire glutinationem vulneri,adhibita ſunt remedia, enæma, hoc eſt, medicamenta adſtringentia quæ vulneribus cruentis induntur,idque parte externa,interiore neglecta. Itaque conglutinato vlcere exteriore, quæ erant confoſſa in profundo prouidentia naturæ glutinata ſunt & percurata. *Vide 6. Epid.* hodie etiam id tentatur à multis,nec temere. *Holler. Comm. ad Aph.18.lib.6. Hipp.*

OBSERVATIO.

Vulneratis pueri inteſtinis, iiſdemque male curatis atque ob id occalleſcentibus, & fæces tranſmittentibus, abdomine conſuto, inteſtina ſua ſponte coaluerunt.

IVuenis tribus ab hinc annis in abdomine vulnus accepit,ita,vt telum à priori parte ad poſteriorem in altero ilium penetraret, vulnuſque peruium eſſet,is cum minus recte curatus fuiſſet,& plaga iã vetuſta,atque oris obcalleſcentibus, deiectionem alui per plagam magna ex parte redderet.nos accerſiuit, cumque vereremur,ne(quod ratio dictabat) ſi plagam aperiremus,& vlcerati inteſtini oras,quas veri-ſimile erat iam callum contraxiſſe,ſcalpro exaſperaremus,vt vna poſtea glutinarentur,hominem ad interitum præcipitaremus,ſatius iudicauimus,plagam exaſperare, vt cruor inde effunderetur, tum carnem producentibus ipſam nutrire, & poſtremo cicatricẽ inducere,atq; ita naturæ inteſtinũ apertũ dimittere, res aũt adeo recte proceſſit,vt ille pręter omniũ opinionẽ ex toto liberaretur,& nunc bene valeat. *Vidus Vidius Com.in lib.Hipp de vuln.Cap.*

OBSERVATIO.

Inteſtinorum tenuium portiones, per vlcera, aut abſceſſus,ablatæ, ſuperſtitibus ægris.

VIDI quibus inteſtinorum tenuium portiones, ſatis eſſatu dignæ,tum per abſceſſus,tũ per vulnera ſint ablatæ:&tamen viuunt,vnamque in rebus deſperatiſſimis diuinæ bonitatis & fortitudinis gratiam profitentur. *Gemma.lib.1.c.6.Coſmocr.*

OBSERVATIO.

Inteſtina tenuia & craſſa vulnerata curata.

CVidam perforatus venter acuto enſe, inteſtina tenuia vulnerata, & pars craſſorum.Exierũt inteſtina per vulnus, & ſtercus. Deſperatus erat à Medicis,ſed longa cura conualuit. *Holler.Obſer.17.libell. proprio.*

OBSERVATIO.

Solutionis continui in tenuiore inteſtino ſanatæ Hiſtoria alia.

PErtuſo perſectoue tenui quopiam inteſtino lethale eſt,inquit *Hipp.Aph.18.* ſectionis ſextæ. Huic Aphoriſmo plane aduerſum ac repugnãtem caſum, paucis ante annis obſeruaui in ciue quodã Gryphswvaldenſi ſexagenario: cui cum diebus tribus continuis aluus obſtructa eſſet, & vehementiſſimis circa vmbilicum doloribus infeſtaretur, potionem purgantem exhibui, qua prima vice nec aluum depoſuit,nec dolores quicquam remiſerunt. Eadem vero, tribus diebus exactis, repetita, & aluus laxata eſt,& dolore ſublato, tumor quidam in Epigaſtrio, circa inguem dextrum erupit. Tonſor ad eum vocatus,tumorem conuenıẽtibus remediis maturatum ſcalpello aperuit, ex quo pus ſanguini permixtum effluxit. Octauo die poſt apertionem tumoris, cum vlceri medicamenta mundificantia & detergentia, linamẽto excepta admoueret,potus vna hora, poſtquam ab ægro aſſumptus eſſet, per vulnus emanare cœpit tanto impetu,vt ſimul linamentum è vulnere propelleret.Sequentibus diebus etiam panis,caro& reliqui ſolidiores cibi,aliquo modo alterati, per idẽ vulnus effluxerunt. Hac re territus æger, iam plane de ſalute ſua actum eſſe cenſuit. Cum vero aliquot diebus potione ex radicibus & herbis quibuſdã cõſtringentibus ac conſolidantibus præparata vteretur,& vulneri exterius ſarcotica adhiberentur, primo cibus, deinde etiam potus paulatim ſubſtitit, ac vulnus intra ſex ſeptimanas integre ac perfecte ſanatum eſt. *De Iacobi Seidelii per Clariſſimum Virum Laurentium Scholtzium communicatis Obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Ieiunum inteſtinorum omnium tenuium maxime inſanabile, ſanari tamen aliquando viſum.

Ieiunum

IEIVNVM inteſtinum omnium maxime inter te-nuia inſanabile eſſe traditur propter vaſorum magnitudinem, tunicæ tenuitatem, nerueam naturam, iecoris viciniam, bilis ſuſceptionem, & curandi difficultatem: aliquando tamen ſanari viſum eſt, vulnere, præſertim ſumma parte; accepto. Reliquorum vero leuior vulneratio agglutinatur, quia pluri-mum carnoſæ ſubſtantiæ habent, nec ad mortem perducit, niſi phlegmone & Ileus ſuperuenerint. *Iacotius Comm.2.ad Aphoriſm.17.lib.1.Sect.3.Coac. Hippoc. pag.1002.*

OBSERVATIO.

Abdomine cum tribus inteſtinis, iuguloque vulneratus, ad quartum vſque diem præter omnium opinionem vixit.

MILES quidam de Bernenſium exercitu febre continua corripitur in tranſitu, qui ex vehementia febris ad tantam inſaniam deuenit, vt ſibimet cultro iuguli pluſquam mediam partem abſciderit, abdomenque ſiniſtrum cum inteſtinis tribus in locis perfoderit, ex pago ductus in noſtrum Xenodochium cathenis alligatur: Chirurgus vocatur, ſed quæ hic admouet, furibundus ille à collo ſtatim deiicit. Cum ego eum inuiſerem ſedentem in lecto reperi, ad interrogata quiete, ſed parum articulate reſpondit. Vulnus ita ſemper apertum manſit, vt cuilibet interiora tracheæ arteriæ late paterent, neque difficile fuiſſet, nucæ moſch. intromittere. Ad 4. vſq; diem præter omnium opinionem vixit. *De Obſ. Petri Quentzii, Protomed. Frib. Helu.*]

OBSERVATIO.

Quidam duobus vulneribus cæſim, altero quidem in maxilla, altero vero in manu, acceptis, & conglutinatis: tertio vero, quo punctim gladio ventre perfoſſo, Colon inteſtinum prociderat, cum nulla id arte reſtitui poſſet: tandem oris vulneribus propendens, conglutinatum, biennium citra putrefactionem nulla externa aeris corruptione, eo modo, ſalua hominis vita, perſtitit, etiamſi per interualla per oſcilla meſaraicarum ſanguinem, aliquando etiam alui excrementorum ſubcrudorum quippiam remitteret.

ANNO 1549. Menſe Februario, vidimus in Monte Peſſulano Narbonenſi Gallia, caſum mirabilem. Quidam fuſor ſtanni, cum ad nundinas profectus eſſet, & bene nummatus domum rediret: à graſſatoribus & latronibus in via circumuentus, non tantum omnibus ſuis pecuniis ſpoliatus, ſed etiam ad mortem mulctatus & vulneratus eſt. Tria autem vulnera accepit, vnum in ſiniſtra manu, ſatis magnum, videbantur enim tendines quorundam digitorum læſi & præciſi, ita vt manu & omnibus digitis non prorſus vteretur. Secundum in ſiniſtra maxilla, ab aure, verſus labia ſuperiora ducebatur, ac licet quoque curatum eſſet, tamen cicatricem hiantem, & ſatis indecoram monſtrabat. Tertium omnium periculoſiſſimum, non vt duo priora cæſim, ſed punctim illatum. Impulerant autem illi latrones gladium in ſiniſtrum latus ventris inferioris, ad duos fortaſſe digitos ſupra vmbilicum. Et quoniam muſculi epigaſtrii cum peritonæo rupti & perforati erant, vulnuſque diductum, ſtatim portio magna inteſtini coli per vulnus prolapſa eſt. Miſer tot vulneribus acceptis, tandem Auenionem peruenit, ac decem menſibus integris Chirurgorum opera vſus eſt. Duo priora vulnera, capitis ſcilicet & manus, curata ſunt: tertium vero nequaquam. Inteſtinum namque colon à Chirurgis in ſtatum & locum naturalem reduci neutiquam potuit. Manſit igitur extra ventrem, ac cuti conglutinatum per tranſuerſum ventris quaſi prominebat, ac toto iam biennio extra peritonæum conſtitutum, aerique expoſitum, nulla tamen interea temporis putrefactione tentatum fuerat. Sanguinem largiſſimum, per orificia venularum meſaraicarum quæ inteſtino inſeruntur, refudare, & permanare conſpeximus, ita vel vulneratus ſaccum pannis, & linteolis refertum, ſecum circumferre cogeretur, quibus ad tergendum ſanguinem ſubinde vteretur. Addebat præterea vulneratus, ſe interdum per inteſtinum hoc aliquid excrementorum alui deponere, non tamen ita perfecte coctorum: & ſi id contingeret, ſe per anum ſæpe ſpatio quindecim dierum nihil egerere. D. Rondeletius, Saporta, Honorat⁹, & multi clari viri admirati ſunt, vulneratum tam diu viuere poſſe. *D. D. Abrahamus Murgelius de Obſ. propr.*

OBSERVATIO.

Inteſtinum citra mortem vulneratum.

CVM *in præfatione editionis primæ, libri noſtræ Anatomes*, qui eſt *de totius corporis humani partibus* externis, polliciti ſimus, nos exhibituros inteſtini ſecti hiſtoriam, eam nunc ſubiungamus: hæc enim ſimul probabit, Peritonæum læſum ſpaſinum non inducere: vulnera item muſculorum abdominis non eſſe lethalia. Res ergo ita ſe habet. Adamus Brantz Ruſticus pagi Riehani, ditionis, Baſilienſis cum diu ἐντεροκήλῃ laboraſſet, tandem ſectionem pertulit, proſbeque curatus fuit. Verum biennio poſt (annos circiter triginta natus) in eundem pene morbum incidit: ita tamen, vt non ſolum inteſtina, ſed & omentum delaberetur; idque non vt prius, in ſcrotum, ſed & latus inguinis ſiniſtri, tumor ex Peritonæo rupto obortus: quo cum morbo diu fuit conflictatus. Cum autem malum ingraueſceret, ab omni opere abſtinere fuit coactus: quare quo ſe ſuſtentaret, ſtipem quærere eum oportuit. Dum ergo Anno 1586. intenſiſſimo exiſtente frigore oſtiatim ſtipem peteret, factum vt ex femoralium attritu, non ſolum cutis, ſed omnia cuti ſubiecta vſque ad omentum atterer entur: hinc cum malum iam ſphacelum minaretur, lecto ſe continere fuit coactus. Cum ergo lecto iam affixus eſſet, per patrem ſuum, pagique Præfectum, & conſilium meum, & Lithotomi Baſilienſis operam implorauit: & licet in Anatome publica (quæ in decimum tertium diem à me fuit producta) tum eſſem, vt qui & ſectoris & præſidiis munere fungi ſoleam, occupatiſſimus: diem tamen illum, frigore ita concedente, ægroto, & miſero, & pauperrimo tribuere volui. Deductis ergo mecum in pagum ſtudioſis aliquot Medicinæ (inter quos fuere D. Iacob. Gregorii Pannonius, nunc Medicinæ Doctor, & Daniel Pyrnuſius Polonus, feliciſſ. memoriæ iuuenis, vt totius Medicinæ auidiſſimus, maxime vero in ſtudio tam Anatomico, quam Botanico diligentiſſimus, ideoque mihi familiariſſimus, qui & poſtmodum Doctoris titulo, me promotore, fuit donatus) vna cum Lithotomo, eiuſque comitibus, ægrotum eiuſque caſum inſpeximus, cuius tumoris

facies talis erat. Detecto abdomine, in ſiniſtro Hypogaſtrii latere, tumor infantis caput pene æquans, apparuit, cute vna cum ſubiectis partibus exulcerata. Quare ſtylo profunditatem explorauimus, qui ſine vlla moleſtia in ipſam abdominis cauitatem intrudebatur, & quidem pene abſq; omni ægroti dolore, vt qui vix ſtylum perſentiret: quod ſane argumento erat & ipſum Peritonæum læſum eſſe. Sed & pinguedo ſupra tumorem conſpiciebatur, quæ facile & ſine vllo ægroti dolore ſtylo amouebatur, quod ipſum fuiſſe omentum firmiter credo. Tumore ergo diligenter inſpecto, quid facto eſſet opus conſilium iniimus, multiſque hinc inde agitatis, conſultius quidem fore duximus, tanquam caſum pene deploratum intactum relinquere, & ab omni ſectione abſtinere. Verum ægroti precibus victi, melius eſſe anceps experiri remedium, quam nullum, cum Celſo arbitrati ſumus. Sed & altera quoque à *Galeno* profecta admonitione adiuuabar, qui *libro tertio de criſibus capite* 2. generoſi eſſe Medici vult, difficilimis caſibus & euentis, qui ſæpe accidunt, nō terreri: ſed conſtanter aduerſus morbos ire, naturæque motus ſolerti indagatione perſpicere, remediiſque paratos diritati malorum arte niti: Thucydidiſque tum conſilium ſequi (vt *Galenus* 10. *Method. Medend.* monet) qui in re dubia agere aliquid vel periclitantes etiam iubet. Quare rei difficultate, quæ cum ſummo iuncta eſſet periculo, & ægro & aſtantibus expoſita, ſectionem ipſam, præmiſſa tamen diuini numinis (vti in talibus fieri & debet & conſueuit) inuocatione, Lithotomus aggreſſus eſt. Primum quidem ægrotus eo modo, quo ſolent ii, qui Herniæ cauſa inciduntur, in lauacrum conſidere ad tempus aliquod iuſſus, mox tabulæ ſuperimponitur faſciis ligatus: inque abdomen magnum vulnus infligitur. Quo facto inteſtina dudum prolapſa, irrito tamen conatu Chirurgus reponere tentat: adeo enim flatibus erant diſtenta, & omento adnata, vt ne vix quidem manibus ab ipſo omento ſeparari poſſent. Cum ergo inteſtina quaſi capta continerentur (eo modo quo ſolet fieri in iis, qui ruptura Peritonæi ſupra vmbilicum laborant, quibuſque voluulus ſuperuenit, cuius rei apud nos etiam ante paucos annos habuimus exemplum: qui tamen magna Peritonæi adhibitam ſectione, probe curatus, in hodiernum adhuc diem viuit) mihi Galeni authoritas & magna illa Peritonæi ſectio ab antiquis vſurpata, in mentem venit. Galeni quidem authoritas, qui, magnitudinem vulneris muſculorum abdominis periculoſam non eſſe, ſatis oſtendit, dum præcipit eiuſmodi vulnera in toto abdomine eſſe dilatanda, ſi minora videantur, quam ſufficiant repoſitioni inteſtinorum, aut omenti, ſi ſint prolapſa, nec reponi poſſint. Magna vero Peritonæi ſectio, cuius Galenus, Cornelius Celſus, & Paulus Ægyneta, dum de Gaſtroraphia agunt, meminere: vbi monent, Peritonæi vulnus, ſi anguſtius ſit, quam reponendis iis, quæ extra abdomen prolapſa ſunt, conueniat, ampliandum eſſe. Quare ſubito, vt Muſculorum abdominis vulnus, & Peritonæi ruptura dilataretur, ne inteſtina diutius foris propendentia refrigerarentur, conſultum viſum fuit. Dilatato ergo vulnere (ſine tamen magna hæmorrhagia) nec dum inteſtina reponere potuit, quare cultello ab omenti, & ad latera à Peritonæi membrana, cui erant adnata, ea ſeparare oportuit; quod tamen ſine læſione fieri non potuit: hinc factum, vt ex tenuibus inteſtinis vnum leuiter læderetur. Hoc peracto, cum inteſtina ab omni fere omenti parte eſſent ſoluta, inteſtinumque læſum foret conſutum, omnia in abdominis capacitatem fuere repoſita, tum leui gaſtroraphia vulnus conſutum: totaque hæc operatio abſque vlla lipothymia fuit abſoluta. Cum poſtmodum excrementa non per aluum, ſed per vulnus reiiceret, aliquoties clyſmata ad aluum ſollicitandam fuere iniecta: nunquam tamen clyſma, licet larga manu decoctum fuiſſet adminiſtratum, ad vulnus peruenit, ſed vt iniecta, ita etiam fuere reiecta. Vultus autem abdomini inflictum coaluit, relicto ſolum tantum ſpatii, quantum eſt ipſius inteſtini vulnus, quod ne in hodiernum quidem diem coaluit: per hoc enim vulnus, quod circa vmbilici latus ſiniſtrum remanſit, fæces reiicit, per anum vero nihilominus excernit. Verum dolorem nullum perfert, nec quando excrementa effluxura ſunt, perſentit: forti tamen ligatura vtitur, & difficilioribus Ruſticis operibus præeſſe non poteſt. Cauſam querentibus ſtudioſis, cur, cum excrementa per vulnus reiiciantur, clyſmata non etiam eo pertingant. Ad hoc reſponſum fuit, clyſmatum materiam ad inteſtina tenuia, meo quidem iudicio, naturaliter non peruenire, quod & authoritate & ratione probamus. Clara eſt authoritas *Galeni* 5. *Method. Medend.* 11. quæ habet: *Superioribus inteſtinis vlceratis, vtendum eſſe medicamentis per os aſſumptis. Quod enim per ſedem iniicitur*, inquit Galenus, *ad ea quæ ſunt vicina ventriculo, ſubire nequit.* Non minus perſpicua eiuſdem altera 13. *Meth. Med.* 17. ſententia, vbi inquit: *Quæ per ſedem infuſa ſunt, ea omnino ad ieiunum vſque aſcendere nequeunt, imo ſi admodum nitaris, fortaſſe tenue tantum inteſtinum contingent.* Ratio vero à VALVVLA COLI INTESTINI deſumpta eſt, quæ id impedire poteſt. *Caſparus Bauhinus in Apend. ad Rouſſetum de Partu Cæſareo.*

OBSERVATIO.

Sciſſo inteſtino graciliore vita amittitur.

TENVIORIS inteſtini morbo, quem Græci εἰλεὸν vocant, vrgeri, commune eſt: ſed vrgeri, vt ſic vitam tollat, inauditum. Corpulenta quædam mulier, cum modo ſupra, modo infra vmbilicum, intolerabili premeretur dolore, nec vllus hinc inde ſpiritus erumperet, adeo agitata eſt, vt ſciſſo tandem inteſtino vitam finierit. Quod niſi inciſa mortua, pluribus innotuiſſet, * neſcio an citra mendacii ſuſpicionem à me ſcribi potuiſſet. Sed & Ruſticum nouimus, qui cum poſt longiores torſiones, & ventris diuturnas inflammationes diem obiiſſet, & mortui incideretur corpus, longior in inteſtino fiſſura inuenta eſt: ex qua etiam recentes vuas, quas paulo ante comederat, prorupiſſe conſpeximus. *Beniuenius capit. ſeptuageſimo ſexto. De Abditis.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Cuidam venter transfoſſus totus, colo, renibus, & ſpina vulneratis, qui cum bilioſis ſaliuationibus intra 12. horas expirauit.

VIDI, cui transfoſſus venter totus, & vulnus in colum, renem, & ſpinam penetraret, cum multa quidem ſaliuatione, ſiue bilis vomitione intra horas 12. *Hollerius Commen. ad Aphoriſm. 13. lib. 1. Sect. 3. Coac. Hipp. pag. 986.*

DE INTESTINIS IN GENERE VARIA ALIA.

OBSERVATIO.

Inteſtina ad hypochondria redacta.

IN Cardinali Campegio inteſtina omnia ad hypochondria redacta erant, propterea cauitas inferior abdominis inteſtinis deſtituta erat, & ſpina detecta. Quamobrem Medico licebat abdomen Cardinalis attrectanti magnæ arteriæ motum perſentire, & vna cum illa durities perſentiebatur. Illa vero durities nihil aliud erat, quam vertebrarum corpora, cuius rei nouitatem non poterat ſatis mirari excellens Auguſtinus Riccus Lucenſis. *Columbus lib. 15. Anatom.*

OBSERVATIO.

Callo in inteſtinis oborto, qui excrementa alui ægre tranſmitteret, monialis quadam mortua.

IN cœnobio Diui Donati, quod in agro Puluero-ſæ eſt, religioſa mulier & eius cœnobii profeſſa fuit: quæ inteſtinorum doloribus multis iam menſibus vrgebatur, & aluus nil niſi ægre & durum, idque tantum decimo quoque die reddebat. Cumque nullis conferentibus auxiliis diu multumque hoc malo vexata, tandem naturæ conceſſerit, mortuæ corpus incidendum curauimus, & inuenta ſunt inteſtina altiore callo conſtricta: adeoque iter anguſtum relinquebatur, vt deiectiones ægre tranſmitti poſſent. Hoc tamen nos malum, propterea quod aluum prementi neſcio quid durum renitebatur, etiam ea viuente præſenſeramus. *Beniuenius, cap. 34. Abditor.*

INTESTINORVM LAPIS SIVE TARTARVS.

OBSERVATIO.

Stupendæ lapidum & tophorum in inteſtinis genitorum formæ: ſubſtantia, magnitudine, pondere & colore mire variantes: colicos cruciatus, teneſmum, inteſtinorum obſtructiones, aluum adſtrictiorem, ſtomachi & inteſtinorum diuturnos & perpetuos atque adeo ſæpe implacabiles dolores, pleriſque etiam mortem inferentes: tum quibus remediis ægri leuati ſint, Hiſtoriæ & atteſtationes admirabiles omnino.

SCribunt nonnulli, quod à forti excernendi conatu, præcedente dolore vehementi, aliqui lapides calloſos deiecerunt, iis qui in veſica naſcuntur haud abſimiles: id quod ego neque vidi, neque audiui qui viderit, vnquam audiui. *Gal. lib. 6. capit. 2. de locis affectis.*

Galenus teſtatur, quendam teneſmo, id eſt, crebro & inani egerendi per inteſtinum rectum appetitu laborantem, lapidem excreuiſſe. *Paulus Ægyneta libro tertio, capit. quadrageſimo primo.* Qui tamen in hoc fallitur, quod Galenus viderit, cum tantum de ſcripto cognouerit.

A locis ipſis morborũ indicia ſumuntur: eo quod quibuſdam ſolis morbus hic accidat: quibuſdam vero ſolis nunquam eueniat. Quippe ſoli oculi ſuffuſione laborant: lapis in renibus, & veſica duntaxat naſcitur, atq; vt nonnullis placet, etiam in colo. *Gal. lib. 12. c. 5. de loc. aff.*

Lapides erunt aut in renibus, aut in veſica, aut in inteſtino appellato colo, aut in articulis. *Raſis ex Gal. lib. 10. c. 2.* litera x Continentis, ex quo eadem repetit *Rabi Moyſes.*

Accidit lapis in ano pinguium, inquiſiui & inueni hoc fieri in maiore parte: & in macilentis fit lapis in veſica. *Idem Raſis, loco prædicto.*

Erat quidam amicus meus pinguis valde, & egrediebatur de eo lapis in vrina ſemper, deinde emiſſus eſt ab eo lapis in egeſtione abundanter. *Idem loco præcitato.*

In inteſtinis aliquando retinentur fæces omnino propter craſſitiem & duritiem ſuæ ſubſtantiæ, in tãtum quod efficiuntur quaſi lapides. *Abynzoar, citante Geſnero, lib. foſſilium, pag. 146. b.*

Galenus ſuo tempore non vidit lapidem ab inteſtinis egredientem: ſicut ipſe recitat in libro de interioribus, & tamen nos vidimus tempore noſtro bis, tamen non fuiſſet conueniens Galenum negare hoc. *Gentilis, Comm. ad cap. Auicennæ lib. 4. Fen. 1. Tract. de febre ſextana & ſeptena.*

Colica paſſio bene poteſt cauſari ex lapide in inteſtinis, ſed & hoc eſt de raro contingentibus, ideo authores non faciunt mentionem, quod raro ibidem generantur propter latitudinem meatuum, & quia calor eſt debilis, cum ſint membra panniculoſa, ideo non indurat materiam, vt inde lapis generetur. In renibus autem, veſica, & pulmone frequentius generantur, &c. in inteſtinis raro propter cauſas dictas, aliquando tamen eſt poſſibile, & quia materia eſt multum viſcoſa, & ratione alicuius particularis calor poteſt eſſe fortis, calor autem fortis agens in materiam viſcoſam, reſoluit quod eſt ſubtilius, & reliquum indurat, & ita generat lapidem, lapis igitur cauſatus in inteſtinis poteſt eſſe cauſa colicæ paſſionis, ſed hoc eſt de raro contingentibus. *Gordonius Partic. 5. cap. 18. Pract.*

Lapis quandoque generatur in inteſtinis, qui fit cauſa colicæ, oppilando & adducendo dolorem, vel ſe extendendo & ſoluendo continuum, vel prohibendo exitum ventoſitatis, &c. Et ego caſum vidi mirabilem in hoc, in vxore Domini Antonii de Canobiis Papiæ, in colica clamoſa, quæ non poterat aliquo ingenio curari: & tandem natura cum lenitiuis, per ſurſum & deorſum immiſſis, emiſit tres lapides magnos duriſſimos: quorum quilibet fuit quantitatis vnius oui gallinæ: & videbatur quod eſſent fæces ita induratæ, ſed erant cinericei coloris. *Iohan. Matthæus de Gradibus Comm. ad cap. de colica Iliaca in nono Raſis.*

Non ſolum lapides generantur in renibus & ve-

ſica, imo etiam in ſtomacho, quos quidam per vomitum eiiciunt. Et quibuſdam accidunt in inteſtinis, & eiiciunt eos per ſeceſſum, & fit plurimum ex eadem cauſa, ex qua fit colica & Iliaca. *Gilb. Anglicus lib.6.cap.de lapide renum & veſicæ.*

Poteſt in pluribus partibus noſtri corporis fieri lapis, veluti in pulmone, ſtomacho, & in inteſtinis, &c. Et ego heri in quodam ruſtico, qui per quindenam aſſellam ſæpius non habebat, ad nucis magnitudinem non vnum, ſed plures lapides in inteſtinis generatos, (& excretos) vidi. *Ant. Guaynerius, capit.1. Tract. de calculoſa paßione.*

Lapis in multis partibus corporis humani poteſt generari, ſcilicet in inteſtinis groſſis infra contentis, maxime in colo, vt vidi Ferrariæ 1547. & erant quantitatis auellanæ magnæ, & multum duri, emiſſi per anum, à quadam muliere in multis vicibus, numero circa quinquaginta, cuius rei teſtis eſt excellens Medicus Bartholomæus Falconetus. *Ioa. Arculanus Com. in 9. lib. Raſis ad Almans. c. de lapide.*

Vidimus nos quendam puerum emittentem plures lapides groſſos, ſicut nux, per anum, & non tam groſſos per virgam. *Sauonarola Tractat.6.capit.6. rubrica 19.*

Vidimus nos quendam puerum emittentem plures lapides, groſſos ſicut nux, & plus per anum, non tam magnos per virgam, cui contulerunt valde melones, & mirum quod ſine dolore, licet in lapide inteſtinorum minor dolor ſit, ſicut etiam generatio minor, & illud propter complexionem, amplitudinem membri & vacuitatis eius. *Io. Franciſc. Pedemontanus cap.1. ſummæ 1. part.4. Addit. ad Meſuen.*

In colo inteſtino generantur lapides, & coria, à pituita exiccata. *Iacob. Carpus in Iſagog. Anatom. de Colo Inteſtino.*

Quandoque eſt (alui fluxus) ex lapidibus, licet raro. Et viſum eſt à pluribus in vno cholerico Neapolitano, cuius cognomen erat Medicus, & ſeruaui duos ex lapidibus quos emiſit cõtinue per menſem, per virgam & anum, & erant plures & magni: ſed emiſſus per anum ſicut ouum, per virgam ſicut nucleus, & cum melonum comeſtione liberatus finaliter extitit. *Franciſ. Pedemontanus c.3. ſummæ 1. Part. 4. Addit. ad Meſuen.*

Franciſcus de Pedemontio incredibili & numero & magnitudine (lapides) conſpexit, per menſem enim durauit lapideus fluxus. Erat autem quorundam lapidum oui magnitudo. *Tom. à Veiga. Comm. ad lib.1.c.5. de loc. aff. Galeni.*

Lapillum progeneratum in pulmonibus fidem facit Galenus, alii in inteſtinis, &c. *Alexander Benedictus.*

Mariottus Palla Pharmacopola, cum inteſtinorum dolore vexaretur, eiuſque venter nihil fere, & id quidem ægre atque liquatum, redderet, pluribuſque hominem medicamentis aluum ducentibus & clyſteribus curaſſent Medici & morbus nihilominus inualeſceret, ad aliud auxilii genus conuerſi, totam ipſius aluum humidis fomentis emolliunt: nec prius ab incepto deſiſtunt, quam ille ſic fotus lapidem inſtar columbini oui aluo proiicit. Qui quidem lapis inteſtino ſubſiſtens, & iter magna ex parte obſtruens: licet adeo deduci non poſſet, quod inteſtino, tunicisque eius deligatus eſſet, vel quòd ipſius craſſioris inteſtini aliqua forte inhæreſceret cellula, medicamentorum tamen præſidiis, & expultrice adiuuante virtute, tandem propulſus eſt. *Beniuenius c.19. de Abditis.*

Nos vidimus mulierem Gallam hic Ferrariæ, quæ lapides quinque ex ano egeſſit, quos malleo ferreo contundens in puluerem redigebam, ac ſi eſſent percocti lateres, tamen parui erant: nam & colore & magnitudine & forma meſpilorum ſeminibus aſſimilabantur. *Braſauolus Comm. ad Aphoriſ. 79. lib.4. Hipp.*

Muſa mulierem refert ex ano quinque lapides reddidiſſe. Quod veriſimile eſt. Nam pituita ſæpe lentiſſima inteſtino hæret, quæ poteſt concreſcere, dum ſatis non dirigitur. *Scholiographi ad c.48. li.1. Hollerii de morb. intern.*

Vbi ex ſtomacho ſulphur, id eſt, ſtercus expellitur, ſi in eo eſt ſalis vis, tunc lapides generat, & fit inde conſtipatio, vt excrementa eiici nequeant, ſicut Duci à Landshruot euenit, habebat in inteſtinis lapidem, &c. vt materia neque ſurſum neque deorſum ire potuit, ſed ſimilis erat lapidi ſciſſili. Dicebant ex auro comeſto eſſe, ſed nihil eſt, quia nullum metallum adhæret, non vadit in ſubſtantiam aut digeritur, præter ferrum: quod cum bibitur, limaturæ ſcilicet ferri bibitæ coagulantur, & faciunt dolores inteſtinorum, &c. ideo quando in inteſtinis fit lapis, non generatur ex oſſibus aut carnibus, aut aliis cibis, ſed debet ſingulare quoddam eſſe, ſcilicet, ſi quis multum vtatur medicina, vt eſt aurum potabile, luna ſoluta, limatura Martis, dulcedo Saturni, extractio cupri, Iupiter calcinatus, ſic chimolea, aſphalatum, marcaſita, antimonium, &c. Illa ſi dantur in Medicinis coagulantur in inteſtinis: nam non manent in ſtomacho, neque ad hepar tranſire poſſunt, ideo ad inteſtina vadunt. *Theoph. Paracelſus, Commentar. ad capit. quartum, Tractat.4. De Tartaro.*

Ex inteſtinis eiectum lapidem non vidit Galenus, ipſe vidi calculum inſtar oui columbini, per aluum excretum Lugduni à muliere, quæ dolore coli conflictabatur. *Hieron. Montuus libro quarto, ca.1. Anaſc. morb.*

Pituita lenta ſecundum naturam gignitur concreſcitque in inteſtinis, è quibus cernitur alias ſponte fæcibus circumiecta deſcendere, alias clyſtere manifeſte deduci, alias dyſenteriæ vi corradi. Cum autem parcius ea vacuatur, ſenſim aucta caloris vi ſic tandem craſſeſcit, vt prorſus obſtruens inteſtina quaſi infarciat, fiatque latentium difficiliumque morborum cauſa. Caroli Quinti Imperatoris legatus quidam dolore torquebatur, nec non tumore à dextro hypochondrio per ima ventriculi, in ſiniſtrum exporrecto. Huic cum ſexennio toto, remedii genus omne, tanquam emolliendo ſcyrrho adhibitum fuiſſet, iniecto tandem acriore clyſtere, durum, ac firmum quippiam, medio ductu pertuſum, pedis longitudine detractum eſt, quod ille inteſtini portionem eſſe metuebat. Sed cum repente leuatus videretur, adhibito conſilio iterum ac tertio clyſtere prolutus eſt, rurſuſque ſimili euulſa materia, continuo priſtinæ eſt valetudini reſtitutus.

Alteri cuidã ſimilis ſed grauior affectus aluũ prorſus cohibuit, q tandẽ vẽtre ſupra modũ intumeſcẽte deceſſit è viuis, inuentumq; eſt colũ inteſtinũ vſq;

adeo

adeò infarctum pituita concreta, vt ſolidum prorſus cenſeretur, nihilque omnino fæcis in aluum delabi ſineret. Vera hæc eſſe teſtamur, quæ tamen Galeno non admodum probabilia videntur. Craſſior porro hæc pituita in cæci aut coli inteſtini cellulis diutius coercita, nonnunquam concreſcit in calculos: quales ſæpe vidimus inſtar nucis iuglādis, & in quodam, magnitudine caſtaneæ, quarto aut ſexto quoque die, dolore nullo exturbari, &c. *Fernelius lib. 6. c. 9. Patholog.*

Deſperata ab omnibus valetudine ſenem, ſummo dolore inteſtinorum, cum videremus carere febre, neque tumorem extare quempiam, quotidianis deiectionibus aluum exonerare: pondus in ipſis inteſtinis ſentire, fatali quadam coniectura lapidem ſubeſſe rati, enemata ex bdellio, & oleo noſtro telino, croceo malagmate, butyro; certo decocto infundi iuſſimus, tertio clyſmate magna vis lapidum educta eſt. *Iul. Cæſ. Scaliger exercit.* 108. *num.* 3. *ad ſubt. Cardan.*

Quod calculi inter inteſtina quoq; humana parui & magni fiant, exemplis affirmare poſſum. Sed multi homines iam concretos in viſceribus ſuis, ne ſenſu quidem percipiunt, nec doloribus infeſtantur, niſi cum anguloſi & aſperi per ſedes eiiciuntur. Alii maximis vellicationibus torquentur, tantiſper dum lapides immorantur, & cum exitum denique petunt.

Eſt inter alios in hac noſtra diœceſi vir nobilis, Mauritium à Thimen vocant, proceritate & robore corporis conſpicuus πληθωρικὸς etiam & bene coloratus. Eius prædium non plus vno miliari Vitebergaabeſt. Huius inteſtina multos per annum calculos faciunt: quorum ſingulis menſibus, vltimo quadrante, aliquos abſque moleſtia eiicit, niſi cum teneſmo laborat, & lapilli aſperitate ἀπευθυσμένον ἔντερον (rectum inteſtinum) penetrando rodunt, alias maiores, alias minores piſis, partim rotundi, partim oblongi & aſperitatis aliquid habentes. Nonnunquam ex arenulis conglobati conglutinatique cernuntur velut Ammonites, coloribus fului, mediocris duritiæ, ſed leuiores: quod indicium eſt magna ex parte ex flaua bile, phlegmate admixto, coaluiſſe. *Kentmannus lib. de calculis.*

Sed & Torgæ vbi ego nunc vitam ago, & Medici officio fungor, eſt vir pius & doctus, ætate grandis (iam enim duodecimum climacterem agit) cui nomē Magiſtro Balthaſari Arnoldo, qui in hoc oppido annos continuos 42. munus docendi in eccleſia ſuſtinuit: quo præterito primum anno ſe abdicauit. Hic inde vſque à pueris colicas paſſiones tolerauit ita magnas, vt vita ipſius non ſemel in perditis & deſperatis fuerit habita. Anno demum Milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octauo, grandē lapidem per longanonem eliſit. Eſt figura quaſi tereti, duobus articulis anterioribus pollicaribus coniunctis magnitudine non abſimilis, baſi vtraque nonnihil ſinuoſa aut concaua, ad modum cotylarum aut ſinuum in oſſibus, quibus capita aliorum oſſium inferuntur, venulis albis & luteis in colore ſpadiceo diſcurrentibus, foris læuis ſeu glaber, vetuſti alicuius lati ſpecie. Sinus autem iſti, ſummus & imus, non aliter apparent ac ſi alii eiuſdem formæ lapides illis inſerti contiguique fuiſſent, ſicut bonus ſenex ipſe ait, credere ſe, ſi obſeruatum fuiſſet, pro magnitudine dolorum, quos inter ſedes ſubinde pertuliſſet, plures eiuſmodi calculos cum excrementis egeſtos fuiſſet: ac ne hunc quidem agnitum fuiſſe, niſi tranſuerſus per rectum inteſtinum deſidendo tantos cruciatus peperiſſet, vt hærens difficulter extrahi potuiſſet. Fractus, per medium pallido eſt colore, & mollior tactu quam foris: plenus circulorum, è quibus videre eſt, vt indies ex adhæreſcente materia concreuerit. Sed & foramen triquetrum, hoc modo diſſectus, oſtendit, non penetrans, ſed fiſſuræ ſpeciem habet. Porro hoc liberatus pondere pius & emaciatus ſenex, nullis hucuſq; colicis torminibus cruciatus fuit. *Idem loco citato.*

Similiter quoq; (vt à viro docto & perito Medico D. Doctore Ioanne Brābachio Dreſdenſi, affini meo, cognoui, quē ego fraterno amore amplector) poſt meum ex Italia reditum in Germaniam, lapis egeſtus fuit per ſeceſſum magnitudine oui, à præſtantiſſimo Medico D. Frizemelica: quo nos præceptore Paduæ, vt aliis clariſſimis viris Io. Bapt. Montano, D. Francazano, D. Bellocato, D. Lando, biennio vtebamur. Is quoque magnis cruciatibus colicis aſſidue diſcruciabatur. *Idem iiſdem locis.*

Calculus rato generatur in inteſtinis: vnde id Galenus nec vidit, nec audiuit, *cap. 2. libr. 6. loc. affect.* Ego tamen teſtor me vidiſſe calculum ad magnitudinem oui gallinacei, excretum à patiente obnoxio dolori colico, & qui ſolum aquam potauerat; fuitque hic Excellentiſſimus Friſimelica, qui aliquando grauiſſime afflictus, excreuit hunc calculum. Generatur autem calculus è craſſa, & viſcida materia, à calore vel intenſiori, & celeriter agente, vel remiſſiori & longiori tempore operante. Cum igitur in inteſtinis vigere poſſit materia, quæ diutius detineatur; ea in hac mora verti poteſt in lapidem; præſertim, ſi inteſtinorum calor intendatur, vel obſtructionis, vel inflammationis vi, vel denique medicamenti calidioris. *Hier. Capiuaccius Pract. lib 3. cap. 13.*

Cum Piſis experientiſſimum Medicum & chirurgum D. Gabrielem Falloppium præceptorem ſectaretur collega meus Raynerus Solenander, ſimul atque acceſſiſſent quendam mercatorum internuncium, natione Lucenſem, cuius vxor valetudinaria, colicis ſubinde doloribus laborabat, tum vero iiſdem torquebatur grauiſſimis, poſt alterum aut tertium curationis diem, à multis remediis ex arte adhibitis, tandem præter omnium expectationem deiecit pilam ſeu tophum potius non admodum grauem, magnitudine maiorem paulo columbæ ouo, à cuius reiectione paulatim deſiit dolor, priſtinaque rediit valetudo. Hæc reliquis demirantibus affirmabat Falloppius. Idem alias nobiliſſimo Medico Friſimelicæ doloribus colicis vexato, & cuidam tertio, accidiſſe affirmabat. *Wierus lib. 4. cap. 16. de præſtig. dæm. edit. 6.*

Friſimelica, qui olim in Gymnaſij Patauini Theatro magna cum laude medicinam docuit, excreuit aliquando lapidem ad magnitudinem oui vna cum ſtercoribus. *Mercurialis libr. 2. cap. 4. de excrementis.*

Memini, quod Venetiis ingenuus quidam vir, dū iuuenis eſſem, poſt multos ventris inferioris dolores & cruciatus, cum ad deiiciēdum aſſurrexiſſet, excreto lapide inſignis etiā magnitudinis, ab omni dolo-

æ liber euaſit. Sed illi, qui cum excellenti Friſimelica verſati ſunt familiariter, norunt ab eo ſuperioribus annis poſt vehementes dolores in ventre inferiori lapillum fuiſſe cum reliquis excrementis excretum per inferiorem aluum. *Trincauella lib.10.cap. 6.de rat.curandi partic.hum.corp.affectus.*

Lapides innumerabiles pene hiſce manibus extraxi, inuentos in renibus, colore vario, in pulmonibus, &c. in inteſtino colo, in venis hæmorrhoidalibus. *Columbus lib.15.anatom.*

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis, ſtomacho, inteſtino cæco, &c. *Gemma lib. 2. Cyclogno. pag.76.*

Mulier quædam poſt diuturnos ſtomachi dolores lapidem excreuit per inteſtina triangularem, caſtaneæ nucis quantitate, credo in pyloro per annum integrum latuiſſe, vt antecedentium ſymtomatum ſeries ac natura monſtrauit. *Idem lib.2. cap.6. Coſmocrit.*

Mirabilius multo, quod per ſedem exciderit fœminæ vetulæ, ſed prægrandior lapis omnino rotundus, ſaltem ouali ſpecie, foris partim fuſcus, partim ater, ac veluti ambuſtus, quem cum perforare paululum attentaſſem, diſſiliens in duas partes, intus ſubſtantiam inſtar vitri purioris, aut cryſtalli pellucidam, multis ſtyriis atq; radiis in vnum centrum cōfluentibus, oſtendebat. Hoc in cæco inteſtino per aliquot menſes concretum latuiſſe non dubitabam ex doloris loco, quem ante perceperat, partisque laborantis tenſione, & grauitate in dextro ilio, ſub coſtis ſpuriis, vbi cæcum illud inteſtinum fibris mēbraneis tum peritonæo, & hepati, tum meſenterio alligatur. *Idem loco citato.*

Ex recto inteſtino magnum lapidem ſe extraxiſſe mihi quidam narrauit. *Valleſius comment.ad hiſt. 25. lib. 5.Epidemiorum Hippoc.*

Generoſa Domina de Morthemar, vnum grandem & duriſſimum lapidem deiecit cum ſummo conatu. Quæ Domina quamplurima antea patiebatur tormina, & ipſo lapide eiecto liberata eſt. *Ferrandus, lib.de nephrit.& lithiaſi.*

Quod *Galenus in 1. & 6. de loc. affect.* negauit ſe vidiſſe, vt etiam in inteſtinis hominum, perinde ac in veſicis lapides gignantur, id minime mirandum putari debet: quando & nos & alij tophaceas materias ex inteſtinis atque aliis corporis partibus, non ſine ſtupore extractas inſpeximus, &c. Quod neque admiratione vlla dignum videbitur, ſi quibus cauſis renes & veſica humores in lapideam cōpagem vertunt, alunt & augent, iiſdem alias quoque partes illud efficere poſſe conſideremus. *Mercurialis lib. 2.cap. 20.variarum lectionum.*

Rarum eſt lapides gigni in colo, pulmonibus, &c. *Scholiographus ad lib. Gal.de locis affectis in minima forma excuſum.*

Mulieri diris torminum & dolorum alui & ani cruciatibus exercitatæ Ioannes Magnus Medicus Regius doctiſſimus & experientiſſimus medicinam cum faceret, accerſiuit me, vt indito in anum ſpeculo, ſpecularetur num quæ tanti, tamque pertinacis doloris cauſa ſubeſſet aſpectabilis. Cum nihil intuitus eſſet oculis, vnde in cauſæ dolorificæ cognitionem duceretur, rationem ducem ſequutus, cerebro clyſtere indito, & catharticis propinatis ita egit, vt tandem calculum ægra excerneret pilæ palmariæ craſſitie: quo excreto, dolores omnes quieuere. *Pareus lib.24.cap.19.*

Lapidem ad oui gallinacei magnitudinem illuſtris Comitis Marci Taurelli ſcribam in Colico dolore excreuiſſe teſtatur *Marcellus Donatus lib. 4.cap.30.*

Ante plus minus viginti annos mulierem ex pago Gretzingen, prope Durlacū, vbi nunc Marchionum Frater ſenior reſidet, purgaui, quæ 8. vel 10. lapillos excreuit inſtar ſilicum, quantitate auellanarum maiorum: habebant maculas nigricantes, maiori ex parte flaui exiſtebant. Senſit autem dolores ſtomachi & ventris, poſt factam illam excretionem melius habuit corroborantibus & ſtomachicis medicamentis, amicis pro miraculo oſtendit, & ad me aſportari curauit. *Ex obſeruationibus Eſaiæ Meichſneri.*

Non improbauerim in calculo medicamenta fortiora, quæ laxando purgant. Vidi enim quandam mulierem, quæ quum ex ſumtione medicamenti pituitam purgantis parte oneris fuiſſet leuata, excreuit tres calculos albos, adhuc molles, magnitudinis amygdali, & in poſterum bene ſeſe habuit. *Gerhardus Bergenſis lib.de calculo & arthritide pag.118.*

Me docuit experientia (quod aſſerit Aetius) colicum dolorem cauſari à lapide in inteſtinis genito, à quo noui hominem adeo excruciatum, cum nullo remediorum genere leniretur dolor, vt prope mortem expiraturus eſſet, niſi ſponte excretus lapis morbum ſoluiſſet. *Salius annotat. cap. 79. Altomar.*

In Mexico nouæ Hiſpaniæ Metropoli, mulierem noſtris temporibus extitiſſe narrant mihi viri integræ & incorruptæ fidei, quæ per interualla lapides aluo deiiciebat. Cuius rei Medicus Hiſpanus valde admiratus, ad Hiſpanienſes Medicos, quaſi miraculum, ſcripſit. *Fonſeca lib.1.cap.5.de calculis.*

Domicella quædam Vanderana, longo tempore Dordraci ſtomachi & ventris dolore, poſt pilulas Maſtichinas, & Alephanginas exhibitas, tum alia pharmaca vtilia, per me adminiſtrata, lapillum rotundum, paulo maiorem columbino ouo, reiecit, quem nos vidimus longo tempore durum permanentem, quamuis poſtea vetuſtate cinericei coloris ad lutum induratum accedere videretur. *Petr. Foreſt. ſcholio ad obſ.26.lib.14.*

Vidi à Canonico quodam Vratislauienſi per aluum eiectos plurimos calculos, inſtar caſtanearum, nucum: verum ſymtomata habebat alia quam Colica & Iliaca, & multis deinceps annis vixit. *Crato in epiſt.ad Thom.Iordanum lib.4.conſil.& epiſt. Cratonis, per Laur.Scholzium publicat. pag.381.*

Cyriacus Paſcionius, nuper quendam, Colica inueterata laborantem, curauit: qui poſt acrium clyſterium vſum, lapides, ſilicum inſtar, duos, per aluū deiecit, quos etiamnum in Muſæolo ſuo retinet. *A. D.Petr.Spererio ex Italia acceptum.*

Obſervatio.

Ad colicam tartaream & calculoſam, ſiue inteſtinorum tartarum remedium Telini olei ſingulare: tum de analogis experimentis.

Fœnigræci libræ quinq;, calami lib.j. cyperi libræ duæ, olei libris 9. ſeptenis diebus macerantur, quotidie ter mouetur, poſtea premuntur & reponuntur. Aliqui pro calamo cardamomū ſubſtituunt, & cy-

& cypiri loco xylobalſamum macerant. Alii oleo ante his odoribus ſpiſſato fœnugræcũ macerantes reprimunt. Hoc Telinũ abſceſſus emollit, & concoquit, omnibus vuluarum duritiis magnopere conuenit, fœminis difficile parientibus ſubiicitur, vbi præ excretis humoribus loci ſiccitatem contraxerunt, ſedis inflãmationẽ lenit, teneſmo ſubtitũ prodeſt, vlcera capitis manantia furfuresque expurgat, ambuſtis, & pernionibus addita cera proficit, vitia cutis in facie emendat, pigmentis ad conciliandum faciei nitorem inſeritur. Eligere oportet recẽs, quod non vehementer fœnigræci odorem præ ſe ferat, & manus abſtergat, ſapore ex dulci in amarum inclinato: tale enim optimum iudicatur. *Dioſcorides libr. 1. capit.* 58. Quo (è ſemine fœnigræci) paratur oleum, vi ribus quã quiſquam credat maioribus, ad inteſtinoru m latentes ſcirros diſſipandos, & ſtromis perutile. Lob. aduerſ. p. 387. Deſperata ab omnibus valetudine ſenem, ſummo dolore inteſtinorum, cum videremus carere febre, neq; tumorem extare quempiam: quotidianis deiectionib. aluum exonerare: pondus in ipſis inteſtinis ſentire, fatali quadam cõiectura lapidem ſubeſſe rati, enemata ex Bdellio, & oleo noſtro Telino, croceo malagmate, butyro, certo decocto infundi iuſſimus. Tertio clyſmate magna vis lapidum educta eſt. *Scaliger exercit.* 108. *ad ſubtil. card.* Telini olei ad ſcyrrhomata, preter Dioſcoridem, Lobelium, Scaligerum, &c. vſum nuper *in aduerſariis Birckmannicis* reperi, qui *Iſak Hollandum citat de tartaro lubricando*, in quo curando cum Raſcalone, cyclamino, tamo, bryonia, dracontio arone correctis, feliciter ſe vſum eſſe profitetur Birckmannus, & deſcriptionem communicauit. *Moccius.*

OBSERVATIO.

Inteſtino tenuiore clauſo vita finitur.

STomacho longa & plura vitia, cum ex aliis membris, tum humoribus ſibi innatis accidere conſueuerunt. Vnde & nos virum nouimus quinquagenarium, qui ex præterita ægritudine, quam χόλεραν Græci vocant, in qua ſimul & deiectio & vomitus accidunt, inteſtinaq; torquentur, & bilis atra ſupra inſraque erumpit, in perpetuum, & vt experientia docuit, penitus inſanabilem inciderat vomitum: inde & ſtomachus paucis admodum horis cibum continebat, & aluus præterea nihil reddebat, ſiue leuibus, ſiue actibus medicamentis vrgeretur. Aſſumebat enim cibos leuiores, & ad concoquendum faciles; quos vbi aliquot horas continuerat, quicquid ex his ſupererat, euomebat. Alebatur autem parte tenuiore, quam venæ à ventriculo attrahebant: ſicq; miſeram quidem, ſed tamen longiuſculam vitam duxit. Huius vero nos morbi cauſam indagantes, putauimus eam inteſtino tenuiore ſigi: eoq; adeo obcalluiſſe, vt cum incoctus cibus ad iecur totus penetrare non poſſet, retrocederet, & vomitu tandem expelleretur: id quod mortuo eo, experimento comprobare volentes, corpus incidere tentauimus. Sed neſcio qua ſuperſtitione negantibus cognatis, voti cõpotes fieri nequiuimus. *Beniuenius c.32. de abditis.*

OBSERVATIO.

Ex vento in inteſtinis viſcera diſtendente, mortuus quidam.

LVdouicum Nicolinum generoſi equitis Othonis filium vidimus, qui cum ſolo vento, viſcera & ſtomachum impetente, adeo in monocolo affligeretur, vt dum pars parte premitur, exitu hinc inde negato, non ſolum viſcera & pectus, ſed ſcapulæ etiam incredibili extenderentur dolore, & ſpiritus magna ac miſerabilis fieret anguſtia, tertio denique die, nihil conferentibus auxiliis, è vita migrauit. Inciſo autem eius cadauere, & viſcera omnia vento plena conſpeximus, & in ſiniſtro cordis ventriculo obduratum callum inuenimus, qui nucis magnitudinem æquaret. Quare vt illum, hoc eſt, ventũ mortis ipſius ita hunc, ſcilicet callum, aduerſæ hominis valetudinis cauſam fuiſſe arbitrati ſumus. *Idem c.81. abditorum.*

OBSERVATIO.

In abſceſſibus inteſtinorum lapides viſi.

LApides qui ab abceſſu redduntur oſſibus ſimiles eſſe ſolent, colore fuſco. Tales ab abſceſſu inteſtinorum redditos vidimus mulieris Montisbani, quæ poſt varios dolores tabida erat, quanquam mẽſtrua nunquam paſſa fuerat, cuius alias quoque meminimus. *Rondeletius methodo curand. morbos, libr. 3. cap. 44.*

OBSERVATIO.

Ex abſceſſu in ventre rupto & pure ad inteſtina confluente, eademq; vitiante aut ſphacelo corrumpente, ſubitanea mors.

SVperiori æſtate oſtendimus in puellæ diſſecto cadauere, quæ, cum optime habita omnibus videretur, in leuem quandam febrem incidit, tertianæ intermittenti haud diſſimilem, ſine dolore in ventre. Ad eam circa mediam noctem vocati, quod leui animi deliquio laboraſſet, cum rigore quodam, quem paroxyſmi initium eſſe putabant, prædiximus abſceſſum in ventre ruptum, ex quo breui interitura eſſet. Id cum alteri Medico abſurdum videretur, ac breui illa obiiſſet, diſſecto corpore, magna puris quãtitas, circa vterum, inuenta eſt, quæ ad ſuperiores vſque partes redundabat, cum inteſtinorum colore ſubnigro. *Iacotius com. ad aph. 9. lib. 3. ſect. 2. coac. Hippoc. pag.* 583.

Ac nos quidem ter ſuperiore anno obſeruauimus in febre tertiana cum rigore non ita ordinato, exortam ſuppurationem in imo ventre, cuius nullum ſignum memoratu dignum præceſſerat: vnde ſubito effuſo pure ſupra inteſtina, aut inteſtinis ipſis ad ſphaceliſmum perductis, improuiſa mors ſecuta eſt, cum rigore, ſudore frigido, animi deliquio, dolore ventris, & inflatione. *Idem com. ad aph. 76. lib. 5. ſect. 2. Coac. Hipp. pag.* 811.

OBSERVATIO.

Gummi ſagapenum, ammoniacum, & id genus alia clyſteribus iniecta, pernicioſa & lethalia.

LAchrymæ periculoſæ ob lentorem, quod aliquando adhærent, & non poſſunt repelli, & occidunt, vt ex morte nobilis viri Gubernatoris Mõſpeſſuli D. Gaudeti; id nobis fuit compertum. Nam Pharmacopola, cum Medici officio fungi vellet, inſciis Guilberto Griffio, & Falcone, qui illum curabant, iniecit Sagapenum, ammoniacum, & alia diſſoluta, quibus immiſſis, ſubito & repente mortuus eſt. *Rondelet. lib. de medicamen. intern.*

STER-

STERCORA ALIENO LOCO EXCRETA.

OBSERVATIO.

Stercus quidam toto vitæ ſuæ tempore ore reddere ſolitus: alii ſimiliter pluribus annis.

NARRANT Romæ fuiſſe quendam temporibus noſtris, qui toto fere vitæ ſuæ curriculo fæces alui per os expurgauit. *Mercurialis lib. 2. cap. 4. de excrementis.*

Conſtantiæ circa annum 1530. quidam Andreas nomine, ſi bene memini, officio mendicorum conſul, ſic enim vocabant Bettelburgenmeiſter / per viginti annos excrementa ſicca omnia euomuit, aluo nihil reddens: interim mediocriter ſanus, & ſuo officio fungens ad multam vſque ſenectam. Tandem cum aluus cieri ſponte inciperet, paulo poſt obiit. *Hæc ex relatione Archigrammatei Conſtantienſis Vogelii annotauit Geſnerus. V. CL. Caſp. Wolphius de ſuis Obſeruationib.*

Anno Domini 1579. Coloniæ puellam vidi viginti annorum, quæ fere tertio quoquo die alui excrementa per os reiicere ſolebat, idque iam tum vltra triennium continuaſſe dicebatur, & clyſteribus, & aliis medicamentis purgantibus fruſtra ſæpe adhibitis. Decumbebat autem perpetuo, quod crura haberet omnino contracta, interim ſatis bene colorata, ingenioſa admodum, & facunda. *V. CL. Ioan. Poſthius de obſeru. propriis.*

OSBERVATIO.

De vomitu ſtercoris, eiuſq; remedio.

AD vomitū ſtercoris, quidam capiebat omni die iuſc. Maluæ & conualuit, cum alia remedia, non iuuarent. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Cur ſedes Iliacis clauſa: hiſtoria item noua & rara de virgine, quæ per veſicam & aluum nihil prorſus excernens, ſed ob modicum quoq; alimentum crebro excrementa per os reiiciebat.

EXpultrix facultas noxam ſentiens, contractione multa conatur ad noxii excretionem. Et primum quidem obſeruato ordine à natura inſtituto. Orditur à ſuperiore parte contractionem, quo detrudat excrementum omne, ſiue ſiccum fuerit, ſiue humidum. Id ſemel & iterum fruſtra tentans, vniuerſo ordine ab infernis contractionem inchoat: idque tanta vi, vt anguſtet excrementorum exitus, & infuſa quæuis aut immiſſa conſtrictione abſorbeat. Et quod euenire videmus, dum ex arbitrio quiſquam propter præſentem occupationē excrementa cohibet, vt intercipiens ab infernis contractio multa vi ſurſum excrementa bilemq; eiaculetur, ita cephalalgia ſequatur: ſæpe colicus dolor, aut iſchuria, ex qua nonnulli periere. Et quod forte non vidit antiquitas: Honeſta quædam virgo ex ea retentione, ante annos viginti, incidit in integram perpetuamque omnis excrementi & humidi & ſicci retentionem, & cum viuat, ſed epilepticis conuulſionibus crebro correpta in totum mingendi & deiiciendi munere priuata eſt: Sed exiguum alimenti ſumens, per os crebro reiicit. *Thom. à Veiga. com. ad cap. 2. libr. 6. Gal. de loc. affect.*

OBSERVATIO.

Alui fæces cuidam per vmbilicum expurgatæ, qui prodigioſa cura conualuit.

CVM illud mecum repeto, quod filio Hieronymi Legnani in vrbe noſtra contigit, non poſſum non admirari. Laborabat me præſente abſceſſu inter pectinem & vmbilicum, qui cum eſſet maximus, vbi perueniſſet ad vlcus, ab omnibus egregiis Chirurgis deſperata ſalute, cum puer eſſet annorum octo, & vt dicebant etiam fæces per vmbilicum exire cœpiſſent, quod tamen ego non vidi, & ad ſummam deductus tabem, in manus incidit cuiuſdam Antonii ex oppido Gallarate, qui aqua putei cum quibuſdam verbis per os & ſuper vulnus exhibita, curauit illum: cumq; ego poſt aliquot menſes inuiſerem matrem ægrotantem, huncq; mortuum exiſtimarem, occurrit hic puer monſtro ſimilis, qui præ morbi magnitudine adeo curuus remanſit, vt pectus caputque ſolo æquidiſtent, formam nactus erecti gnomonis, viuitq; ſic miſer iſte puer, quamuis nobilis: nam pater tabellio eſt, & cauſſidicus egregius. *Cardanus lib. 18. de ſubtilitate.*

OBSERVATIO.

Stercora per vmbilicum excreta, poſt abſceſſum ad dyſenteriam conſecutum, qui inteſtina perforauerat.

DVM hæc conſcriberemus, ex patritia gente Veneta Condalmario cuidam puero, ſicuti vidimus ex inteſtino ventris abſceſſu cum febre acutiſſima, inteſtina perforata ſunt; vt per vmbilicum magnam excrementorum partem ſingulis diebus emitteret. Miramur febrem omnino deſiiſſe, & puerum ſano ſimilem per domum ambulare. *Alex. Benedict. Pract. lib. 20. cap. 34.*

OBSERVATIO.

Stercora nonnunquam perforatis inteſtinis, & excitatis fiſtulis, aut aliter multis annis emanaſſe, ſine vitæ periculo.

VIdi tempore meo hominem, à quo ſtercus per vulnus exibat, qui vixit ſic in iſta diſpoſitione mala longo tempore, faciendo facta ſua: & acquirebat vnde viuebat, quamuis male & difficulter. *Auenzoar. lib. 1. tract. 14. cap. 2.*

Inteſtinis perforatis ſuperuixiſſe homines non vulgatum eſt. Habet *Auicenna fen. 6. tract. 1. lib. 3. cap. 1.* & iam dixerunt quidam, quod perforata ſunt quædam inteſtina inferiora, deinde perforata ſunt Almirach, & venter, propter apoſtema accidens in eis in directo foraminis, & communicans illi putrefactione & nocumento, & perforatus etiam illic & egrediebatur ſtercus ex illo, & vixit homo.

Hoc idem affirmat *Raſis 13. cont.*

Ex recentioribus *Chriſtophorus de Barziziis Cap. de fluxu inteſtinali*, ita ſcribit: Vidi mulierem quandam nomine Antoniam, quæ fuit venenata in Prato Vallis, & ex veneno aſſumto perforata illi fuerunt inteſtina, vnde fæces inde exeuntes tandem mirach corrupto & aperto exitum ſibi parauerunt, & taliter affecta per plures annos vixit.

Io. Matth. de Gradi cap. de fluxu ventris idem confirmans inquit: Ego vidi in Papia vnum doctum Medicum, Magiſtrum Santinum de Filbertis, qui habe-

bat

bat inteſtinum perforatum & mirach, cum emiſſione fæcum per vlcus, tamen vixit viginti annis poſt.

Io. Bapſt. Theodoſius in compilatione com. Nicoli in aphoriſmos, ſic ſcribit: Et ego habui quondam Marinum Mirandulanum de anno 1520. qui ex caſu magno incurrit rupturam ſyphac ſupra inguina, & locus eſt apoſtematus, & cum apoſtema veniſſet ad exituram, quidam chirurgus, non credens ibi adeſſe rupturam mirach, ſagittella locum aperuit, & non multo poſt cœpit fax liquida exire, & curatum eſt apoſtema, & reſtauit vlcus à quo fæx & ventoſitas exit, in quo candela parua fere ingreditur tota, ſine dolore, & ipſa de cætero eſt in bona diſpoſitione, & annus eſt iam tranſactus, nec vlcus potuit conſolidari. *Marcellus Donatus libr. 5. cap. 4. hiſtor. med. mirab.*

Non præter inſtitutum ſit, eum virum producere, cui ex accepto ventris vulnere præciſum inteſtinum tenue prodit. è quo alui excrementum, nondum ſolidum aut cohærens, continenter emanat annos iam quindecim, ea via intercepta, quæ in anum ducebat. *Fernelius lib. 6. c. 4. Patholog.*

Vidi aliquos in inteſtinis vulneratos, & non potuimus ſuere, qui adhuc viuunt, ergo non neceſſario inferunt lethum; ſed vt plurimum. Et ego cum eſſem in patria mea mulierem vidi laborantem hernia, quidam ſecuit inteſtinum, & iam ex eo loco emittit fæces, & viuit adhuc: ſi ſuatur ergo inteſtinorum vulnus, eſt ad vtrumque, ad mortem, & ad vitam. *Fallopius de vulneribus capitis, cap. 12.*

Centurio quidam vulneratus in bello, ex altero latere circa ilia, adhibita patellula excrementa ſuſcepit, quem diu ſuperſtitem vidi, ante 40. annos. Ita natura varias excrementorum vias & emunctoria molitur. *V. CL. Eſaias Meichſnerus de obſeru. proprijs.*

Capitaneus quidam in ventre vulneratus, ſtercus per fiſtulam, quæ ſanato vulnere illic remanſerat, multis annis, incolumis alioquin, & ſuperſtes, excreuit. Cuius cauſam inueſtigando, ex anatomicis obſeruationibus certis argumentis colligo, inteſtinorum vulnera, ſi illis in locis, vbi carneæ muſculorum abdominis portiones exiſtunt, ventrem penetrent, agglutinatis tunc mutuo vtrinq; & inteſtinorum & muſculoſæ carnis vulnerum in ambitu labiis, viam fieri poſſe, per quam ſtercus extra corpus educatur, & in abdominis cauum excidere prohibeatur: eaque vulnera, licet conſolidari nequeant, minime tamen eſſe lethalia, quod licet rarum ſit, tamen & in aliis partibus, vt veſica, accidere, ſuo loco dictum eſt. *V. CL. Felix Platerus de obſeru. propriis.*

Observatio.

Alui feces cum vrina, res plane prodigioſa, per penem expulſæ.

SEcto cadauere Petri de Schardes, re medica illuſtris, præter lapides renum prodigioſos repertos, etiam in recto inteſtino, à regione colli veſicæ, inuêta eſt carnoſitas putris, quæ ſua putrilagine veſicam ita lacerauerat, vt inteſtinorum excrementa, ante obitum, vna cum vrina redderet ad miraculum vſq; & forſan antea non viſum. *Ferrandus Senior libello de Nephrit.*

Observatio.

Excrementa alui puellis & mulieribus quibuſdam ex naturalibus excerni ſolita.

PVellam vidimus, quæ clauſo ani meatu nata, octauo quoque die recrementa ex naturalibus deiiciebat. Cumque hoc implicita malo vſque ad ſextumdecimum annum vitam duxiſſet, vi tandem morbi, quod στρόφον Græci vocant (id autem fit cum inteſtina circa vmbilicum torquentur) miſerabili cruciatu deiecta è medio ſublata eſt. *Beniuenius c. 86. de abditis.*

Vxor nobilis viri Antonii Brindizes, cum per quatuor annos, cum lotio & ſtercore ſanguinem emitteret, ac parum de hac re ſollicita eſſet, quia nullum inde dolorem perſentiret, tandem corroſis inde inteſtinis ac perforatis, per vuluam ſtercore miſere emittere cœpit, quæ ſic, nullo præſidio conferente, logam vitam duxit, & tandem obiit. *Luſitanus cent. 2. curat. 10.*

Vuluam ſiue vterum, in quo fœtus concipitur ac geſtatur, corrumpi ac exulcerari quandoque contingit, ac deinde vicinas partes infici: veſicam quidem vt capite 54. exemplorum noſtrorum narratum eſt: nonnunquam vero & rectum inteſtinum. Atque tunc quidem excrementa alui per pudendum tandem excerni contigit. Quemadmodum mulieri cuidam accidit, quæ poſteaquam diutino tempore purulenta fœditaque manifeſtiſſima exulcerati vteri ſigna, per pudenda excreuiſſet, poſtremo & alui excrementa per eundem locum demiſit. *Dodonæus in annotat. ad c. 11. Beniuenii.*

Hoc tempore in hac vrbe reperitur puella Hebræi Theutonici dicti, quæ fæces per vuluam emittit. *Mercurialis lib 3. c. 9. de morb. puer.*

Mulier quædam grauida, & vicina partui, per 12. dies nihil excreuit per anum, tandem cum aliquando magno nixu cuperet eiicere excrementa, effluxit magna copia ſanguinis ex vtero, & ſubſecuta ſunt excrementa alui. Et ita per quinque ſeptimanas omnia excrementa egeſſerat per vterum, cum ego illam vidi. Tumor etiam in inguine ortus eſt ſubniger, labia etiam foraminis viſa ſunt denigrata aliquo modo, vt referebat obſtetrix, vt iam omnes prædicaremus cancrum. Acciderunt hæc Anno 1556. menſe Auguſto.

Vidi quandam puellam formoſam Tubinge, quę ſemper fæces ſuas deiiciebat per vterum. Quare Senatus illi interdixit ne nuberet. Sed illa deſeruit Tubingam, & profecta in villam (Vſingen) quæ diſtat tantum dimidio miliari à Tubinga: nupſit cuidam ſutori, cui poſtea pulcherrimum filium peperit, quē vidi. *De obſeruat. CL. V. Ioannis Heßi. per CL. V. Ioach. Camerar. ad me miſsis.*

Quandoque alui excrementa per vterum prodiiſſe vidimus. *Marſilius Cognatus lib. 1. cap. 1. variar. obſeruat.*

Observatio.

Ex inguine euacuatum ſtercus.

ORtum ſupra inguina panum ac ſuppuratum cum medicus incideret, ſtercus ſubſecutum in colo abſceſſum eſſe declarauit. *Galenus lib. 1. cap. 4. de loc. affect.*

Observatio.

Per vlcus veſicæ & recti inteſtini fæces & vrinas deflux iſſe.

VIſum eſt in multis (quod Hollerius quoq; annotauit) ex diſciſſione veſicæ exēto calculo, aut alio

alio modo vlcere contracto, læſo quoque inteſtino recto, fæces & vrinas per vlcus defluere. *Iacot. com. ad aph. 15. lib. 1. ſect. 3. Coac. Hippoc.*

OBSERVATIO.

Fæces egreſſæ per partem pedis ſuperiorem.

SAlome Sueua, ex malo ob inopiam victus regimine, incidit in colicam, cumque à mulierculis edocta applicaret multa calida, factus eſt abſceſſus in inteſtinis, quo rupto, materia defluxit ad partem femoris ſuperiorem pedis dextri per quatuor digitos à peritonæo infra, & ibi fecit ſaccum, quo aperto effluxit pauca ſanies, deinde per multos menſes quoties egerebat, fæces tenuiores per illum locum effluebant. Tandem prius euacuato corpore leuiter, à chirurgo Iacobo Heluetio exhibitis primo decoctis quæ ad vulnera conſolidanda propinantur, per multos dies, & impoſito emplaſtro ad rupturam ſuper locum affectum, coacta eſt iacere in lecto partibus poſterioribus eleuatis, & coaluit vulnus, vt ſaltem ichor quidam adhuc exudaret. Quare decoctum ligni illi propinauit, & ita ad perfectam ſanitatem fuit reſtituta. Quod ego teſtari poſſum qui ſingula oculis meis aſpexi. De obſeruat. *Ioan. Heſſi, per Ioach. Camerarium ad me miſſis.*

VARIA ET MONSTROSA PER ALVVM excreta.

OBSERVATIO.

Globuli membrana obducti, ex ventre egeſti.

EA eſt multarũ mulierculanum perſuaſio, vt exiſtiment, infantium morbis nullas medelas præſertim internas adhibendas eſſe. Quod fieri nõ poſſe cenſeant, vt tenella illa ætas remedia vlla perferat. Itaque earum calumnias pertimeſcens in primo praxeos meæ tempore, ab infantium medicationibus, quoad potui abſtinui, non tamen ſine domeſtica calamitate. Nam morbi quidam graues liberos omnes primi matrimonii, excepta vnica filia, mihi ademerunt. Cum vero in ſecundo matrimonio natus mihi eſſet filius, isque vltra tres menſes non fuiſſet progreſſus, incidit & hic in grauiſſimos eoſque continuos dolores, quibus ita conficiebatur, vt fere de ſalute eſſet deſperatum. Memor itaque priorum ærumnarum, non amplius ineptis quarundam mulierculanum opinionibus morem gerendum, ſed adhibitis neceſſariis remediis, fortunam experiendam cenſui. Itaque cum tribus diebus continuis caſſiam cum betonicæ ſyrupo miſtam ei præbuiſſem, tandem excreuit globulos plurimos, intus putrida & ſanioſa materia refertos, exterius vero membrana quadam obductos, ac ſic præter opinionem, Dei benignitate conatum noſtrum iuuante, ſanitati reſtitutus eſt. Cæterum cum hoc experimento confidentior factus eſſem, non dubitaui quibuſcunq; oblatis infantium aut puerorum affectib. qui medicationẽ admiſſuri viderentur, adhibere remedia conueniẽtia, ſumq; illud, Dei ſubſidio fretus, conſecutus, vt innumeris infantib. & pueris opem cõmodam adferrem. De qua experientia à nobis comparata, aliquando ad reip. vſum quædam fortaſſe publice proponemus. Etſi n. multi docti viri de puerorum auxiliis & remediis ſcripſerunt, tamen cum pleriq; aliorum potius ſententiam, quam propriam experientiam ſint ſecuti: multa reſtabunt in hoc genere à me dico experto magis expolienda, præſertim ea quæ ad commodum vſum purgantium in infantib. & pueris adhibendorum ſpectant. Etenim terebinthinam præbendam cenſent quidam veluti familiare infantibus & pueris remedium in exoluenda aluo, ſed quam prudenter id faciant, vel inde intelligi poteſt, quod ea tanta euaporandi, & cerebrum vellicandi vi polleat, vt ne quidem in adultis, qui vel ad epilepticas acceſſiones, vel ad alios cerebri graues morbos propenſi ſint, ſatis tuto adhibeatur. Sed de his alias. *V. CL. Iacob. Oethæus lib. obſeru. propriar.*

OBSERVATIO.

Pili veri per aluum excreti.

DEchtius vidit puerum Morſæ filium Ioannis Michelbach per aluum pilos veros excernere. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Maſſa, in inteſtinis, inſtar coni concreta, & per aluum expulſa.

E Puero quopiam in Baumgartten, qui ſemper decubuit, multisq; vſus eſt medicamentis, laxatiuo adhibito, maſſam ſatis magnam in inteſtinis inſtar coni concretam eduxi, quam mihi parentes cõmunicarunt, ac ad inſpiciendum ſecum portarunt, hic puer poſtea bene valuit. Laxatiuum porro fuit tale: Recipe pulueris radic. Mechoacæ drachmam vnam, Diathurb. cum rhabarb. ſcrupulum vnum: miſce, fiat puluis. *De M. Ioan. Fabri obſeruationib. ad me tranſmiſſis.*

OBSERVATIO.

Omenti fruſtum, menſtruo à ſumtione ſpatio, aluo deiectum.

CÆcum inteſtinum in concoquendo & alterando cibum longiori ſæpe mora cæteris validius inuenitur, ſicuti ſtomachus quam gracilia valentior eſt: euenit interdum, vt cæco alimento repleto, cætera alimenta in colon præterlabantur & aluum. Vidimus poſt quadrageſimum diem omenti fruſtum quod deuorauerat, per inferna demiſiſſe, hic enim latuerat, nam & vermes magna ex parte in eo ventre generantur. *Alexand. Benedictus lib. 19. cap. 5. de cur. morb.*

OBSERVATIO.

Rotundus tophaceus globus, tunicula inuolutus, ſuberis ſubſtantia, è cæco inteſtino, poſt alui adſtrictionem, & vehementes alui dolores deiectus.

MIrum eſt, quod nobili cuidam mulieri contigit anno 1559. Nihil excludebatur ſtercoris: dolor ingens in ano, qui nullis remediis cedebat. De cauſa diſputabatur. Nihil è ſpeculo immiſſo apparuit interiore recto inteſtinõ. Tandem ſumma vi, & eo dolore, qui in partu difficili excitatur, rotundũ globum tophaceum à cæco inteſtino deiecit. Hernia laborabat. Erat is globus tunica inuolutus, ſuberis ſubſtantia. *Scholiographi ad cap. 56. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Cathectica quædam, cum frequenti cardialgia & lipothymia, ſumtis alexipharmacis, grauiſſimis ventriculi & inteſtinorum, maxime vero recti, torta doloribus, tandem plura oſſicula & inſtar gallinaceorum calcaria per aluum egeſſit.

Anno

ANno 92. Tonſoris cuiuſdam vxorem, de ingentibus ventriculi doloribus compunctionibusq; conquerentem, faciem nobis pallidam, ſubliuidam, turgidulamque, totum denique corporis habitum cachecticum præ ſe ferentem, cum frequenti ex cardialgia lipothymia, non ſine veneni alicuius accepti ſuſpicione, curare tentauimus. Primum itaque ſyrupum de Cichor. cum Rhabarbaro, de Meliſſa compoſit. cum aqua Zedoar. vt aſſumeret aliquoties ſuaſimus: quo bis facto, magnas vētriculi punctiones, inteſtinorum tenuium craſſiorumque tormina, recti vero grauem moleſtumque teneſmum perpeſſa eſt: donec multa oſſicula, ſtimuloſque calcarium gallorum gallinaceorum inſtar, per aluum egereret, non ſine animi deliquio, quibus tamen excretis ab omnibus ſymtomatibus liberata fuit, atque etiamnum incolumis ſuperuiuit.

Quid, quod apud heredes Ioannis Woyſelii Medici Vratiſlau. vt nobiliſſimi, ita feliciſſimi, ſpinam pruni ſylueſtris vidimus? cum duobus vncis, dimidii fere digiti longam, quam vomitu à quadam Cerdonis vxore eiectam, paucis diebus poſt ipſam comitante vita annotauit. Hæc an ſuapte natura in ventribus generata, an faſcino intruſa, dubitamus. CL. V. *Chriſtoph. Rumbaum, de Obſ. propr. per* CL. V. *Laur. Scholzium ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Fracta coſta ſpuria, eiuſdem particula palmæ vnius longitudine, ſummo cruciatu, ſeptimo die per aluum egeſta eſt.

ANno 77. Anus quædam Lipſiæ, in ædib. Simonis Simonii Philoſophi & Medici Clariſſimi, cum funem laquearibus tecti transmitteret, ſubſultandoq; arripere & detrahere conaretur, neſcio qua ſuccuſſatione vel cubitum vel coxam lateri dextro alliſit, doloremque dextri hypochondrii non leuem excitauit. Quarto die, ſtimulante aliqua acuta re, teneſmum paſſa, cruenta excreuit purulentaque. Quę dum non remitterent, digito locum affectum ſæpe explorans, circa Sphyncterem oſſiculum acutum hærere affirmabat: tandem præ dolore & cohibita aluo & inceſſu, die ſeptimo, vrgente natura, duriuſcula alui excrementa ſummo cruciatu egeſſit, vnaq; particulam coſtæ ſpuriæ, palmæ vnius longitudine, ſatis acutam, protruſit. Quam contuſione ab integra effractam, per abdominis cauitatem, ad inteſtinum rectum delapſam, eoq; perforato eiectam, effectus oſtendit. Nam inteſtino breui conſolidato, loco coſtæ fractæ, à reliqua parte ad leuem quemuis corporis motum punctiones ſe ſentire conquerebatur. *Idem Rumbaum, de obſ. propr. per* V. CL. *Laur. Scholzium ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Aquæ frigidæ frequenti potione atq; oris collutione reſtinguendæ ſitis cauſa factum, vt aqua circa primas hepatis & ventriculi venas coacernaretur, & per ingens alui profluuium confertim fuerit excreta.

ADmirandum ſane, quod Dorotheæ Poianæ, ortu Vicentinæ, in colatu vero Mirandulenſi, accidit, hæc per ſeptembris initia, cum ad locum alui excretioni deſtinatum acceſſiſſet ventrem exoneratura, tantam aquæ claræ quantitatē excreuit, vt ſubiectum vas multæ capacitatis repleuerit, ſtatimque animo deliquerit, à quo releuata, ac panis offa maluatico madefacta, nullam aliā inde noxam perſenſit quin imo veluti onere quodā leuata, rectè ſe habuit. Admirante Ioanne Baptiſta Suſio Medico, qui id mihi retulit, quo pacto tantam aquæ congeriem vnica excretione expulſiſſet. Non enim id illi accidiſſe, quod aqua intercute laboraret dicendū, quēadmodum adnotauit Aretæus loco citato per hæc verba: Nonnunquā ex laxo inteſtino aqua multa dyſenteriæ modo profluit, idque plurimos ab hydropico morbo liberauit. Quamobrē alia à nobis cauſa eſt perquirenda. Sciendum itaque per totam præcedentem æſtatem mulierem P. ſiti excruciatam, quotidie frigida aqua os abluiſſe ſæpe, ſæpius eiuſdem hauſtus deglutiens; ex quo factum fuit, vt vniuerſum venoſum genus, eam amplexatum fuerit, præſertim vero moram traxerit in illis venis, quæ epati & ventriculo propinquiores ſunt: ſcatente ſiquidē obſtructionibus illius corpore, & aqua ex ſui natura difficillime permeante, dicente *Gal. & Hipp. ſect. 40. lib. de ratione in acutis*, tarde meare omnem aquam per corpus, atque ægre deſcendere, quanquam alioquin optima ſit, & omni culpa vacet, quo fit vt neq; vrinas mouere nata ſit, neque ſputum educere, imo neq; per totum corpus moliri tranſpirationes. Epota itaq; per vices aqua, cum longiorem moram in venis & hypochondriis traxiſſet, factum eſt ex *Gal.* ſententia. 7. *Meth.* vt aliqualem corruptelam nacta ſit, ſicque ſui qualitate & quantitate naturam onerans, ipſa ad pondus noxium abigendū inſurrexerit, præſertim bilioſa eiuſdem qualitate irritata. *Marcellus Donatus hiſt. Med. Mirab. lib. 4. cap. 20.*

OBSERVATIO.

Pus à læſis artubus in aluum confluere.

CLariſſimus & bellicoſiſſimus Comes Mansfeldiānus, Auguſtæ Romanduorum Prorex, Burgundiani ordinis eques torquatus, inter auxiliares copias Gallorum Regi ad Moncontortium præliū aderat. Ibi in conflictu manuario tormento cominus tam grande vulnus ad ſiniſtri cubiti articulum accepit, vt fractis inſigniter oſſibus, multa quaſi à malleo ſupra incudē contrita & cōminuta cernerentur. Hinc maligna pleraque ſymtomata emerſere, dolorum nempe acerbi & immanes cruciatus, inflāmatio, febris, brachii totius ad extremos vſque digitos tumor œdematoſus & flatulentus, ac quædam ad gangrenam diſpoſitio. Huic vt occurrerent Nicolaus Lambertus, & Richardus Hubertus, Regii chirurgi, multas & profundas ſcarificationes inflixerant. Ego vero ad eum, qui inuiſerem & curarem, Regis iuſſu cum veniſſem, ingentemque fœtorem & putredinem animaduerterem, ſuaſi vt lotiones ex ægyptiaco viribus aucto, & in aceto ac aqua vitę diſſoluto, inſtituerentur, aliaque quæ in gangrena requiruntur. Nā & diarrhœa ægro ſuperuenerat, quæ purulentam & fœtidam ſaniem à brachio & vulnere manantē reddebat. Quod quomodo fieret, abunde infra dicetur: permultis enim abſurdum id videbatur, quod vt è brachio purulentus ille humor In aluum deflueret, neceſſe haberet in venas remeare, ſanguini miſceri, ſuoq; perniciali & contagioſo per cor & hepar tranſitu peſſima omnium ſymtomata, tandemque mortem inferre. Certe crebræ no-

bilem ægrum ſyncopæ inuadebant, tetrorum vaporum, ab vlcerib. ſuſcitatorũ, ad partes nobiles tranſlatione: quibus vt occurrerem, deglutire ipſum iubebam aquæ vitę, in qua theriacæ parum diſſoluerã, cochlear vnum. Tumorẽ œdematoſum & flatulentum, brachium totũ occupantem, reprimere conabar ſpleniis oxycrato imbutis; cui ſalis momentum & aquæ vitæ parum affuſum eſſet. Eiuſmodi ſplenia duplatis linteis, quã arctiſſime poſſem conſutis, cõtinebam & ſtabiliebam. Talis compreſſio oſſa fracta ſua ſede continebat, ſaniem ab vlcerib. exprimebat, affluentes in partem humores retro in corporis centrum repellebat. Hanc compreſſionẽ ſi quando intermitterẽ, adeo augebatur tumor, vt non leuis me metus haberet, ne partis natiuus calor inde ſuffocaretur. Nec vero alia faſciandi erat commoditas aut facultas propter doloris acerbum cruciatum, quo habebatur æger, ſi quando vel leniter brachium cõmoueretur. Multi inſuper abſceſſus ad cubiti articulum, perque totum brachium paſſim eruperunt. Quorum materiebus vt exitũ aperirem, nouas molirı inciſiones coactus fui: quas ille vt omnia forti & intrepido animo tolerabat, detergendorum vlcerũ & putredinis corrigendæ ab ægyptiaco in vino vel melle roſato diſſoluto, & vlceribus infuſo, ſpongioſæ carnis luxuriantis caſtigandæ, à puluere aluminis; deſiccationis poſt deterſionem completam à linamentis, ſanitatis deniq; à potione vulneraria compendium illi comparaui. Vere hoc affirmare & profiteri poſſum, me pendente curatione, illi à brachio plus ſexaginta oſſiũ teſtulas exemiſſe, & eximere neceſſe habuiſſe, inter quas vna viſebatur digiti longitudine: Dei tñ fauore ſuperſtes & incolumis euaſit; cętera tamen ſanus, niſi quod contrahendi aut explicandi brachii nõ illi eſt libertas. *Pareus l.10 c.12.*

Naturæ prouidentiam, in his, quæ toto corpore inutilia ſunt, excernendis, ſequentibus hiſtoriis teſtatam eſſe volo. Dominus Sarreſtus Regi à ſecretis vulnus in brachio dextro, glande manuario tormento eliſa, acceperat, vulneri illi multa & maligna accidentia ſuperuenerunt, præſertim vero ingentes inflammationes, multa ſanie & pure fluentes: contigit aliquando vt præter rationem purulentus ille & ſanioſus in ipſa inflammatione fluxus ſiſteretur: cuius rei cauſam dum anxie quęreremus, animaduertimus fæces, vrinaſq; multa tum purulentia tum ſanie perfuſas, hocq; toto morbi decurſu, ex quo Dei beneficio conualuit, & valet adhuc: obſeruauimus, quod quandiu illi pure & ſanie brachium manabat, tandiu pura erant ſanioſis & purulentis ſordibus alui & veſicæ excrementa: quandiu contra ſicca erant brachii vlcera, tandiu ſanioſæ purulentæque fæces & vrinæ reddebantur.

Idem contigit nobili Domino à Cruce, cum enſe vulnus lethale in brachio ſiniſtro accepiſſet. Id ſibi perſuadere nõ poterant Germanus Cabaltus & Magiſter Raſſius Chirurgi expertiſſimi, aliique qui vna mecum ipſum curabant. Hoc argumento, quod tantum viæ in corpore pus illud obire non poſſet: nec ſi poſſet, poſſe id citra totius ſanguinariæ maſſæ, dum per venas ferretur, infectionem & corruptionẽ: itaq; probabilius eſſe puris illam fæcib. & vrinis permixti copiam à iecoris aut alterius viſceris vitio, quã à brachio vulnerato manare: ego contra id ſequentibus rationib. adſtruebam. Prima, ex his quæ in illo ægro manifeſte apparerent: quandiu enim pure & à purulenta eluuie ſynceræ eſſent fæces & vrinæ, tandiu multo illi pure brachium manare: hoc contra ſicco, multam purulentam ſaniem in fæcibus & vrinis cõſpici. Altera, quod vt totum corpus noſtrum eſt tranſpirabile, ſic totum eſt confluxile. Tertia, exemplo à vaſis vitreis ducto, quæ Gallorum vulgus vini ſcanſoria nominat: ei enim, quod aqua plenum eſt, ſi alterum vino refertum ſubiiciatur, cernere licet vinum ex inferiore vaſe ſurſum ad ſuperius per mediam aquam ſe traiicere & ſcandere, aquamque pariter per medium vinum ſic deſcendere, vt ſeſe interim non permiſceant, ſed alterum ſyncerum alterius impermixti locum occupet. Hoc arte in rebus ſola natura conſtantibus ſi fit, vt oculorũ fide conſequimur: in corporibus noſtris, in quibus propter nobilioris animæ præſentiam omnia naturæ opera longe perfectiora ſunt, quid fiet? quid eſt de quo fieri poſſe in pari caſu deſperes? nonne enim ad inteſtina, renes, lienem, veſicam felleam, vna cum excrementis naturæ impulſu laudabilis ſanguis confluit, quem mox partes ipſæ ad ſui nutritionem ſecernant? Nonne recenter puerperis lac è mammis per vterum diffluit? At eo deuolui id nequit, niſi venarum & arteriarum mamillarium ductibus, qui vteri vaſorum oſculis occurrũt in mediis muſculis rectis epigaſtrii. Nil igitur mirum, ſi ex Gal. ſententia pus ſanguini impermixtum à toto corpore per venas & arterias in renes & veſicam confluens, vna cum vrinis repurgatur. Hæc & ſimilia à natura fiunt non vllo conſilio aut ratione edocta, ſed tantum ſecretricis & excretricis facultatis virib. ſubnixa. Et profecto diſſecto illico cadauere animaduertimus id totum, viſceraque eius omnia omni phlegmones, omni concepti puris labe vacare. *Idem lib. 16. cap. 49.*

OBSERVATIO.

De nigris deiectionibus.

QVemadmodum ea, quæ leuiora apparent, diſcriminis autem plena ſunt, Medicus negligere non debet: ſimiliter nec ea debet, quæ aſpectu & fama grauiora videntur, cum tamen periculo vacent, formidare: Cuiuſmodi creberrime euenit ex deiectionib. nigris; quibus apparentibus, ægri, aſtanteſq; pariter à colore illo terrentur, & eo magis, cum communi omnium ſententia ab *Hipp. lib. 4. Aph.* 21. deſumta, deiectiones nigræ, ſiue febre præſente, ſiue eadem abſente eueniãt, ſemper peſſimæ ſint. Cuius oppoſitum cum ratio & experientia me docuerit, in hac re Medicos cõmonefieri velim, ne ſemper nigras deiectiones, cum ſępiſſime omni periculo vacent, timeant. Vbi enim excretiones iſtæ in morbis acutis non contingant, materiaq; educta non ſit bilis atra, ſed vere melancholic⁹ humor, qui eſt ſanguinis fæx, quandocunq; eueniunt, omni carent diſcrimine, ad bonumque terminantur, exonerata demum per has à graui materia natura ipſa. Cum enim ſplen ex propria naturali facultate humorẽ iſtum, qui eſt ſanguinis limoſa & fæcalis pars, ad ſe attrahat, eumq; ꝓ ſui nutrimento conficiat, vtaturque, ſi cõtingat vel ex intemperie imbecillum, vel à materia obſtructum ipſum lien eſſe, plurimumq; huius limoſæ ſuperfluitatis in ſanguine abundet, tũc materia hæc accumulatur circa viſcera, in veniſq; illis communibus, & ſi abundantior colligitur, etiam in meſenterio, & circa pan-

pancreas, quæ totius corporis veluti altera ſentina ſunt, copioſe aggregatur; qui tandem, cum grauis admodum naturæ fuerit, vel in ea copia, vt illis vaſis amplius contineri nequeat, inſurgente virtute expultrice, natura eius excretionem tentat, hincque deiectiones nigerrimæ, quibus aliquando & ſimul (ſicuti creberrime fieri animaduerti) connectuntur eiuſdem ſuperfluitatis vomitus, ita vt ſpecies choleræ videatur, ſupra enim & infra eandem nigram materiam, & per vomitum, & per ſedem excernunt patientes: quos aliquãdo vidi ex ſolo aſpectu huius limoſæ & nigræ ſuperfluitatis in maximum incurriſſe timorem, indeque in ſyncopem incidiſſe, fereq; exanimatos fuiſſe: qui tamen in meliorem ſpem, me commonefaciente, & certe affirmante nihil inde periculi imminere, ducti, non tantum laxatum à timore animum habuere, ſed etiam priſtinam ſalutem cito recuperauere. Vbi enim natura totam materiam eiecerit, licet corpus ex euacuatione quoquo pacto languidum reddatur, tamen patientes in meliorem ſtatum, quã fuerint, redacti ſunt. Quo tempore nihil aliud Medico agendum erit, quam conſiderare vt cauſis huius affectionis incumbit. nam terminata affectione, animaduertat Medicus, an hepatis vitio, vel alimentorum, huius limoſæ, & nigrę ſuperfluitatis copia in ſanguine cumuletur: & tunc ſi vitio hepatis hoc factum fuerit, huic ſuccurrat. ſi autem alimentorum cauſa, rectam & probam imperet victus rationem, circumſpiciatq;, cum hæc materia non attrahatur à ſplene, cuiꝰ merito impurus remanet ſanguis, an hoc factũ ſit ex ſplenis vel imbecillitate, vel obſtructione. imbecillitatem tollat, intemperiem, quæ imbecillitatis eſt cauſa, remouẽdo: obſtructionem autem, vias aperiendo, & materiam pręſentem excludendo, conſumabit. Quibus remediis hęc ſint peragenda non referam, cum à propriis fontibus hęc deſumenda ſint. hoc vnum tantum dicam, quod, ſi cauſæ huius affectus, iam terminata & perfecta euacuatione, non remoueantur, eiuſdem fiet recidiua, per interuallaque repetet, tandemque ægrotantes vel ad hydropem (vt in nonnullis cõtigiſſe vidi) deducet: vel aliquando ita ſæuiet hæc materia acredinem aſcita, ad naturamq; arte bilis conuerſa, vt vnica euacuatione demum ægrotãtes de medio tollat, ſicuti vidi factum in his, quibus me aduerſante vina generoſa, aromata, radices, & olera acriora erant in continuo vſu, quod ſi hæc materia acredinem non acquiſierit, nec ad naturam atræ bilis vergat, in ſuoque naturali ſtatu permanens ad ventriculum repat, per eumq; educi ſolita ſit, deducet patientes ad malas ventriculi affectiones, ſicuti præcipue ad famem caninam, in quam ex tali materia, per ventriculum ſæpius euacuata, eoque decumbere ſolita, nobilem Medicum deductum, & ex ea conſumtũ fuiſſe, noui. Hæc dicta ſint vt Medici huius affectus præſeruationem non negligant, circa huius curationem non ita laborabunt; quoniam tunc ſat erit munire inteſtina clyſteribus lenientibus, ne in tranſitu ab illa materia offendantur, & vomitum, ſi aderit, facilitare cum leuioribus, abſtinendo ab oxymelite, & cæteris omnibus quæ acetum recipiunt, cauentes ne ea quæ ventriculum roborant, præterquam in caſu vrgentiæ, adminiſtrentur, omniumque adſtringentium rerum vſum, tam exterius quam interius vitent, optimam opportunamque pro ratione morbi victus rationem interim ægrotantib. pręſcribant, certamq; ſalutem, ſi errata nulla admiſerint, polliceantur. *Petrus Salius de aff. Particular. cap. 15.*

Observatio.

Diuturno Aſthmate, & vini nauſea, cum deiectionibus nigris vexatus: tandem ſpontaneo ſanguinis fœtidiſsimi vomitu, vitam finijt.

MErcator quidam Auguſtanus, ſumma ſpirandi difficultate laborãs, incredibilem dolorem in potu vini, ſi vel vnum eius cochleare ſumeret, patiebatur. Multis fruſtra adhibitis remediis, nigricantia per aluum excernebat. Dubitabatur de iſtarum deiectionum cauſa, quam alii in lienem, à melancholico ſucco ſe exonerantem: ego vero in venarum eroſionem ac ſanguinis corruptelam referebam: idque verum fuiſſe, ſanguinis corrupti ac fœtidiſſimi vomitus, non longe ante mortem ſponte ſubſecutus, demonſtrauit. Vnde apparet, apertis vel exeſis venis, eiuſmodi deiectionibus prodeuntibus, medicos non ſatis exercitatos, ſpecie melancholici humoris interdum decipi. Iſti Fernelium, nigras haſcè diarrhœas clare diſtinguentem, recte conſuluerint. *Ampliſſ. Viri Thomæ Mermanni, Sereniſſ. Bauariæ Ducu Archiatri, liberalitate, cum alijs nonnullis communicatum.*

Observatio.

Icterica deiectionibus & vrinis nigris, paulo poſt ſemeſtre exhauſta, exſpirauit.

REligioſa quædam apud Diuam Barbaram Delphis, annos 56. nata, anno 1562. ictero morbo correpta, cui & fluxus ventris perpetuo aderat, inſtar ſaponis nigra deiiciebat, cui & vrina veneta, nigra, paſſea, copioſe profluebat, corpore ſqualido & exiccato, poſt ſex ſeptimanas plane exhauſta decubuit, nihilque bibit, aut edulii ſumſit, præter grana quædam mali citrini ſeu granatorũ, illa in ore detinendo, & exiguum ſuccum ſugendo, ad quam pater illius conuentus me deduxit, non ſanandi, ſed miraculi cauſa, quod iamdiu vixerat ſine potu ac cibo: quamuis altero die, quo ad illam me deduxerat pater, hæc obierit. *Foreſtus lib. 18. Schol. ad Obſ. 7.*

Observatio.

Sanguis nigerrimus, picis inſtar ἄνω καὶ κάτω liberaliter profuſus, ægro vitam finiente.

QVidam euomuit libras ſeptem ſanguinis nigerrimi: & per ſeceſſum deiecit multis vicibus ſanguinem nigrum, vt pix liquefacta, ad libras decem. Altera nocte per os rurſus libras quinque, nonnihil tamen plus colore accedentis ad ſanguinem, tamen liueſcens erat, odorem præ ſe ferens ſubacidum, & per anum profudit libras ſex ſanguinis coagulati nigerrimi, nullum habentis odorem. tertia die habebat nigras fæces mali olentes. quarta die nigerrima egeſſit excrementa, non tamen referentia colorem picis. Illo die ordinatus clyſter ex iuſculo pulli, vitellis ouorum, & ſaccharo. Aliis dieb. præteritis nutritus æger vitellis ouorum & pane loto, infuſo ante in vino odorato, contuſo; & factum etiã epithema cordiale & vnguentum cordiale; iuſſus quieſceret in lecto, & ab omnibus negotiis abſtineret. Qui poſtea aduocatis aliis, id eſt mutatis medicis, mortuus eſt. *Solenander operis conſil. ſect. 5. conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Sanguis ater pici ſimilis, cum valetudinis commodo per aluum nonnunquam exclu∫us.

SAnguinem atrum & pici ſimilem, per interualla à Reuerendiſſ. & Nobiliſſ. Viro Domino Wilhelmo Bœcklin, Præpoſito Magdeburgenſi &c. per aluum excretum, non ſemel vidimus, idq; ſine omni corporis moleſtia aut periculo, at ſingulari valetudinis ſuæ commodo. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Pure ſanguinis per anum profluuium largum.

QVædam paſſa per plures dies profluuium ſanguinis puri per anum, aliquando vnc. viij. aliquando 10. beneficio naturæ conualuit. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Excretiones per ventrem mirabiles.

IN pleriſque Lacertas tres aut quatuor à medicamento purgante deiectas, ſemel atq; iterum vidi. Semel & oliuaria quædam corpora plura 60. numero ex aluo pueri prodeuntia per dyſenteriam vidi. Semel conſimili morbo velut vitellos ouorum induratos: ſemel vt fæturas piſcium. *Gemma, lib. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

ALVVS PRODIGIOSE PIGRA AVT *diu ſuppreſſa.*

OBSERVATIO.

Aluus nonnullis, vel natura, vel morbo, prodigioſè pigra & iners.

VOluntario ſæpe aluus nihil reddit, aut ſponte naturæ difficulter excernit, tum non ſine vitæ periculo ventus, ſtercus ipſum, aut humor interdum ſupprimitur, ſurſum verſus ad ſuperiora repete materia, quæ ſtomachum & caput offendit, regeſta: vnde diutius quandoque venter ſubſiſtit. Exemplo cuiuſdam fœminæ, cuius ex paralyſi corporis dimidia pars reſoluta fuerat, triginta diebus cõtinuis venter nihil reddidit, qui ſupra modum intumuit.

Alterius vero à conceptu ad quadrageſimũquintum vſque diem aluus ſuppreſſa eſt magno naturæ incommodo.

Alba Caucha ex patricia Venetorũ gente, ad partum vſq; aluo adſtricta fuit, vt vix ſeptenis diebus omnibus, paulum excrementi aridi caprino ſimilis, emitteret. Poſt partum quatriduo centies aluus exonerata eſt excrementitio fluxũ. *Alex. Benedictus lib. 19. c. 36. de curand. morb.*

Quendam nouimus non niſi duodecimo quoq; die excrementa, fæcesq; deiicere, & aliquando citra manifeſtum corporis functionumq; detrimentum dies totos quadraginta nihil prorſus ab aluo reddidiſſe, cauſa quidem neque à conſuetudine, neque à natura, ſed ab obſtructionum vitiis petenda. Quinetiam tumor præter naturam in inteſtino genitus id in totum obſtruit, fæciſq; prolapſum prohibet. *Fernelius lib. 6. cap. 10. Pathol.*

Nonnulli reperiuntur, q per tres aut quatuor dies non excernunt. Cum eſſem iuuenis, nonnunquam per ſpatium nouem dierum, & nonnunquam per ſpatiũ duodecim non excreui, cum tamẽ iuxta conſuetudinẽ ederem: non ægrotabam, imo eram maxime ſanus, quotidieque equitabã, eram apud Diuam Virginem Lauretanam cum ſemel excreui, poſtea Romam verſus cum illuſtriſſ. Duce noſtro 1535. profectus ſum, duodecim dies in itinere conſumti ſunt, cum Romæ fuimus, iterum excreui, tamen ex vitæ muniis nullum habui vel in minimo deficiens, neq; minimum moleſtiæ in ventre perſenſi: alias Ferraria diſceſſi, & Venetias profectus ſum, in acceſſu, receſſu, & mora, quã Venetiis immoratus ſum, nouẽ dierum ſpatiũ interfuit, & à die qua receſſi ad eam, quã Ferrariam redii, nihil penitus excreui. Res mira videtur, cum quotidie ederẽ, & plene: mingebam vero ſupra modum, & ſudabam, ob hoc paucæ erant excretiones, & excrementa ipſa torrida erant, & talia in duritie, vt nihil penitus conſpurcare poſſent. *Braſauolus c. 6. Tract. de Medicinis purgantibus.*

Vidi quoſdam, qui eius (alui) deſiderio, in tertium, quartum, quintum diem, ventrem plerunq; ferrent. *Brachelius Comm. ad Aph. 20. lib. 2. Hipp.*

Noſter ægrotus melancholicus, licet à quartana continua reſtitutus, melancholia illi adhæſit. Poſtea à medicamentis abſtinens, tribus menſibus & tribus diebus ne tantillum per aluũ excreuit, per veſicam tamen pauca, craſſa, eaque nigra minxit. Eo autem tempore poma quidem aſſata, & pruna cocta comedit, alium cibum ſicciorem abhorrebat: poſtremo autem vix bibebat, niſi cereuiſiam conſuetam, metuebat ne famuli illum deciperent, cum prius clam, noſtro iuſſu, medicamenta laxantia in cereuiſia decocta forent.

Narrat Nicolaus Florentinus, ſe vidiſſe filiam M. Sacci de Scarperia, ab ipſa die, quã concepiſſet, vſq; ad 45. diem per aluum nihil excreuiſſe, neque medicamentis lenientibus, neq; violentis, neque clyſteribus, quamuis acutis; neq; emplaſtris, vnctionibus, neq; ſolutiuis, cum tamen multum comederit, biberit, & veluti ſana permanſerit, & tandem tempore debito pepererit filiam.

Rhaſes quoq; vidit mulierem quandam paralyticam, cuius venter conſtipatus erat per menſem vnũ: quamuis venter ſanorum non conſtipetur per quinque dies, ſed emittitur de eis ſubſtantia ſicca.

Medicus ſenior Delphius, qui ad templum nouũ habitabat, vt mihi retulit probus ſane, qui niſi octauo quoq; die, vel ſeptimo prius aluum deponebat, hic tamen ex leni apoplexia in paralyſim incidens, à qua mediocriter curatus, ſenex tamen poſtea ſubito obiit. Impoſſibile tamen eſt (teſte Auic.) ventrem diu conſtipari, quin infletur & magnificetur, & non diu poſt interficit. Hic tamen nobilis ex longa fæcũ retentione non habuit ventrẽ inflatum, nec ſubito mortuus eſt, ſed poſt tres menſes, & tres dies, cum fæces reſtrictæ ſponte exonerabantur: tunc prius mortuus eſt.

Cum hunc caſum Hughoni Nieuenio medico Haghano narrarem, referebat ſe ægrotum habuiſſe, qui per ſex menſes aluũ non depoſuerat, niſi globulo plumbeo rotundo deglutito ſuo pondere dilabente, tandem aluũ ſolutam eſſe, globulo vna cum fæcibus exeunte, & ita ægrum præter opinionẽ conualuiſſe, quod ego vix crediderim. *Foreſtus Scholio ad obſeru. 34. lib. 2. de Febribus.*

OBSERVATIO.

Melancholia correpta puella, tribus menſibus nihil aluo egeſſit.

Incre-

INcredibilem,at verum, dignumque admiratione caſum referam. Ædilium ſcribæ puella, decem & ſex annos nata, dum ſacro intereſt, falſo Eccleſiam ſpectris plenam imaginatur. A matrę domũ reducta mira fabulatur,ad imperata præter morẽ difficilem ſe præbet,faſtidit cibum,ad medicorum tantũ mentionem grauiter ringitur. Per dies aliquot in lecto detinetur;indies omnia ſæuiora. Ad hanc omnis generis fœminæ noſtræ concurrunt ꝓ more pharmaceutriæ, mire ratiocinantur: hæc aluum mouere,altera,quas nondum paſſa, mẽſes. Barbitonſor venam ſecat, nihil proficiunt. Siſtitur aluus vltra menſem. Ægra ſubinde redditur inquietior. Tandem ad Medicos cõfugiunt.fiunt quidẽ omnia recte: induntur glandes, præſcribunt clyſmata, exhibent lenientia, vngunt,omnia fruſtra. Nullus egerendi conatus adeſt. Interim pro libitu alitur ſtrenue, aliquando per biduum abſtinet. Medici Voluulũ aut ſubitam præfocationem prędicunt. Parẽtes accelerari filiæ mortem ineuitabilem precibus apud DEVM cõtendunt. Alter ſic abit menſis:tandem me adeunt, ac ad ægrã deducunt,q̃ blanda oratione ſolatus ſum. At illa ingemiſcens,anxia,mira geſtuum proteruitate,& vultus toruitate me repellit.Quæro ab aſtantibus, vtrũ lucida aliqua interualla in hac diſcernant? negant, hiſce moribus ſemper præditam affirmant. Inſto,laturam ne ægram,ſi quid vmbilico ſuperponatur, faſciaq; contineatur?id etiam negãt. Facio periculum, ne attactum quidem patitur. Et cum non ſufficiat Medicum tantum facere officium, niſi & æger opus adiuuet,parentibus (qui ſemper hauſtum purgantẽ vi infundendum flagitabant, quib. quo minus morem gererem, cauſis prohibebar) perituram reliqui filiam.Exacto menſe tertio (iam miſeræ oblitus fueram) aduolat mater, obſecrans, alterũ acceſſum impetrat. Tum ad meam præſentiam ægra modeſte decumbit,ſalutanti verecunde reſpondet. Iubeo ventrem patere:is duriſſimus ita increuerat, vt, in alterã partem prolapſus, ſine miniſterio reuolui non potuerit. Iubeo omnes eſſe bono animo, & diuinum ſperare auxilium.Fellis taurini, totidem recentis inſulſi butyri, hellebori nigri extracti tantundem, & diacolocynthidis, diagridii, totidemq; croci, in vnã redactis maſſam,igni ad mellis conſiſtentiam decoctis, Italicæ nucis teſtę indo, vmbilicoque impono: eamq; ne cedat, faſciis munio ligoq;. Binas diebus ſingulis,priorib. intus abſumtis, repletas admoueo. Primis dieb. nihil præter murmura & fluctuationes ſentit:tertia die doloribus parturientibus vſitatis inuaditur tantis, vt, ni ſæpe prohibita, ſibi ipſi manus intuliſſet. Superuenit paulo poſt ingens egerendi deſiderium: at, induratis in recto inteſtino fæcibus, excretio non ſucceſſit. Cum totam igitur domum, triſtiſſimis vocibus & lamentis, repleſſet, quibus & ſaxa in ſui commiſerationem mouiſſet, vituli mox abdomen recens cum oleo antiquo ad ignẽ crebrare impetro,atq; id calens ventri inducere,felle & butyro inunctis digitis anũ ſollicitare,atq; ſic, à frigore tutatam, ſedi imponere iubeo. Paulo poſt ingenti murmure aluus ſolui cœpit, copioſiſſimiſque excrementis ſeſe liberauit: quæ intus picem & carbones præ ſe ferebant. Poſtea, dies aliquot continuando, vnicã tantũ teſtam applicui,aluumq; patulã retinui. A quo tẽpore,imaginibus non amplius territa,lecto valedixit,nuncq; viuit & valet reſtituta rectiſſime.

Simili plane ſymtomate,eadem in vrbe,hoſpitio, eiuſdem ſexus,& fere ætatis, Vratislauienſis Senatus Præfecti filia,affecta:quæ cum menſe altero non excreuiſſet,ſibi adempta,ſimile remedium non experta,humanis exemta eſt. *De obſeruat.* CL. V. *Ieſſeny à Ieſſen, per Clar. V. Laurentium Scholzium mihi communicatis.*

OBSERVATIO.

Virgo quædam nobilis annis amplius octo, aluum, vrinam, menſes,& ſudores,cum periculoſiſſimis ſymtomatibus, ſuppreſſa habens,vitam,tertio quoquo die aluum clyſtere proluendo, ſuſtinuit.

NObilis virgo anno ætatis ſuæ duodecimo, febri tertiana ſpuria ad trimeſtre vſq; laborauit: deinde ſatis bene habuit,niſi quod ſanguinis profuſione ex naribus per interualla debilitaretur: vnde capitis dolor,& turbatio ſubſecuta eſt, quæ timores & falſas imaginationes adferret: quaſi ei homines triũ capitum,quæ ſibi inuicem eſſent ſuprapoſita, apparerent. Sexto decimo menſtruis purgari cœpit, ſed hęc poſtea nũquam ſtato tempore, neq; copia, neq; colore decenti, ſatis reſponderunt, vt quæ ſæpius in duos aut tres menſes vſq; ſubſtiterunt,& pauca albida ac ſeroſa prodierunt. Nõ multo poſt magni mœrores ob parentum & amicorum mortem ſubſecuti, animum ægræ, alias natura hilarem, triſtem & melancholicum effecerunt, & graues dolores mediam capitis, & ſiniſtram præcordiorum regionem mane & veſperi inuaſerunt,ijque iam in hyemem vſq; durarunt: atq; tunc ventris tormina, ſeu potius vterini affectus ad quatuor ſeptimanas illam afflixerunt: ijdemq; poſtea,cum remiſiſſent,iterum per interualla reuerſi ſunt. Paulo poſt aluus aſtrictior reddita eſt, quæ tamen ex medicamentorum vſu rurſus reſpondere cœpit: non longo temporis proceſſu in totum ſuppreſſa eſt,nec vllis remediorum generibus,quam clyſteribus iniectis, reſolui potuit. Inde inſignis tumor totum corpus occupauit, ſic tamen vt inferior ſub vmbilico regio in priore ſtatu laxa & molliuſcula maneret. Eodem tempore riſus immodicus ægræ ſuperuenit, cum homines aſſiſtentes inſpiceret, ſed hic,ſanguinis ex ſiniſtro brachio miſſione facta, remiſit.Hinc ſæpe viſa eſt quaſi demens futura,magnę inſecutæ vigiliæ, timores, & imagines illam ita perturbarunt, vt quid ageret ignoraret. Cum interrogaretur, reſpondendo interrogatis verba repeteret. Poſt acceſſionem reſpirare, & tacitam vocem emittere inciperet, quietiorque facta, potum poſtularet: quo aſſumto ad mentem rediret, & niſi quis ſtatim eam alloqueretur,diu affligeretur. Tuſſi vehementi poſthac infeſtata eſt, ita vt loqui non potuerit, quæ Zaccari candi, aniſi & fœniculi vſu diſcuſſa eſt. Inſecuto tempore ventriculus intumuit,& febris quotidiana per hyemem ſucceſſit,diuque ęgram detinuit: in qua cum aluus adſtricta, copioſo lactis ſero, cum herbis quibuſdã incoctis aliquandiu ſollicitaretur, non ſolum non ſoluta eſt, ſed etiam vrina impediri cœpit, vt febris acceſſio, quæ per initia ſimplex fuerat, poſtea duplex euaſerit: ſic vt tum mane,tum veſperi, maximo cum frigore, horis non minus duabus affligeret: deinde ingenti calore totum corpus & præſertim caput infeſtaret. Interea dum febris ægram ita teneret, vrina admodum tenuis, & clari fontis aquę modo perſpicua primũ apparuit:deinde

cum mucis quibuſdam albuminis ouorum inſtar
lentis & viſcoſis excreta eſt: poſtremo in totum ſup-
preſſa: & altera febris aceeſſio etiam remiſit. Pauco
tempore interpoſito, menſtrua quoq; fluere ex toto
deſierunt, & in hunc vſque diem ſubſiſtunt: ſicut
etiam aluus & vrina. Pręter horum excrementorum
obſtructiones, cerebrum quoque neque per nares,
neq; per aures purgatur, & nullus ſudor per totum
febris curriculum, vt neq; extra illud vnquam, eru-
pit: cum tamen alias ante morbum facile ſudauerit.
Poſtea tam ingens ſanguinis profuſio ex naribus ſu-
peruenit, quæ illam ad mortem vſque exanimaret.
Maximum hinc faſtidium cibi ſubſecutum eſt, diuq;
perſeuerauit: donec potu acidulæ Gœppingenſis a-
liquantulum minueretur, febrisq; ſolueretur, quan-
quam adhuc ab omni carnis eſu abhorreat, adeo vt
ſi vel paululum ex ea guſtet, ſanguinē vomere cum
cibo ſæpius interdiu & noctu cogatur. Non multo
poſt maximi dolores vteri coliciq; adeo ægram con-
tinue excruciarunt, vt nullum fere diem haberet in-
tegrum. Clyſteribus autem per interualla iniectis,
poſt dies aliquot conquieuerunt. At cum ſpes
ſanitatis data iam eſſet, continuus capitis dolor, ma-
gnæq; & crebrę conuulſiones quotidie inuadebant:
quæ mentem ægræ ſic debilitabant, vt ſæpius aliena
loqueretur: & affatim ſicut antea ridere incipiebat.
Proceſſu temporis, acceſſiones illarum & mitiores,
& pauciores factæ ſunt: ita vt duæ tantum quotidie
ægram moleſtent: quæ nunc quoq; ſic perſeuerant:
altera vero alterā, nunc quinq;, nunc ſex horis inter-
poſitis, ſequitur. Æſtate quidē interdiu, hyeme autē
noctu, quanquam in autumno iam prima circiter
quartam, & ſecunda ad decimam aut vndecimam
ante meridiem inuadat: atq; ſic ambæ pro anni tem-
poris ratione mutantur. Porro in hiſce duabus ac-
ceſſionibus nulla corporis commotio, ſed quaſi al-
tus ſomnus apparet, caput primum dolere incipit
(quamuis id dolore nunquam, præſertim in ſincipi-
te, vacet) frigidamque auram ex ſiniſtro latere ad
illud exhalantem percipit, quæ tranſeundo palatum
linguamq; valde refrigerat, & hanc nonnihil tumi-
dam reddit, vt vix attolli verbaq; exprimere poſſit:
deinde extrema frigeſcunt, facies interdum modice
rubeſcit: os & oculi clauduntur, palpebris paululum
nictantibus: ſummi tum manuum, tum pedū digiti
frigido humore madent: & per interualla diſten-
duntur rigidi: ſtatim autem remittunt: reliquæ cor-
poris partes immotæ iacent, mens & ratio euaneſcit.
Vbi iam morbi deceſſio futura eſt, corpus ad vomi-
tum incitari ſolet, ſic vt inferiora ventris ad ſuperio-
ra impellantur: nihil autem mentione dignum ex-
cernitur, niſi parum pituitæ, cum modico cruore al-
bido aut nigricante mixtum. Extra acceſſionem ſępe
accidit, vt cum crura ipſius paululū attolluntur, vel
extra lectum deorſum dependent, vel quouis alio
modo mouentur: tremunt admodum & trepidant.
Vnde etiam ægra pedibus inſiſtere nequit, ſed cum
illos paululum mouere cœpit, magis capite dolet, &
quaſi exanimatur. Tandem frictione leni, & fomen-
tis calidis adhibitis paulatim ad ſe redit, & meliuſcu-
le habet. Ita cogitur miſera noctes & dies in lecto de-
cumbere, & ſingulis duobus diebus interpoſitis, al-
uum clyſteris vſu deiicere. Cum quo excrementa in-
durata, & ſeroſi humores copioſe educūtur. His ex-
onerata liberius ſpirare, & quietius dormire poteſt:
quanquam vtraq; pręcordia non parum afficiantur:
magis autem dextra, ſic vt etiam crus huius lateris a-
liquando breuius ſit ſiniſtro. Quinetiam in femori-
bus à coxis vſq; non parum doloris experitur: ſicut
aliæ fœminæ, quæ renum & veſicæ affectibus labo-
rant. Quid nunc in tot ſymtomatum concurſu pri-
mum: quid ſecundo: quid tertio agendum ſit, à pro-
bis maxime piiſq; medicis audire deſiderat &c. Me-
minit hiſtoriæ huius *idem autor. dialogo* 8. *Comm.* 1. *de
vet. & nou. Medicina* his verbis.

Nobilis illa virgo, ad quam conſilii dandi gratia
fui accerſitus, non ſolum aluum, ſed etiam vrinam,
menſes, & ſudores, iam annis amplius octo ſuppreſ-
ſos habuit, neq; hactenus quicquam natura potuit
excernere. Res eſt omniū admiratione maior, qualē
nunquam me vſpiam legiſſe, vel audiuiſſe, vel con-
ſpexiſſe fateor: omnes ſcil. naturæ excretiones tam
diu eſſe quaſi abolitas in homine, quæ alias cibum
potumq; ſumere & captare ſomnū poteſt, niſi enim
excrementa nuper citata ex corpore expellantur, ca-
lor natiuus, qui vitæ fons eſt, extingui ſtrangulariq;
cogitur. Id vero illā in vita retinet, quod tertio quo-
que die clyſtere iniecto aluus ſubducitur: cum qua
videtur quidem aliquid etiam vrinæ excerni, ſed nō
per meatum vrinarium. Cur autem natura deiectio-
nem non molitur, in cauſa eſt, quia nerui huic operi
dicati ex morbo, vel comitiali, vel vterino, & ſimili,
reſolutionē ſunt experti. Quamdiu ergo nerui hiſce
vitiis laborant, actiones naturæ perfici nequeunt.
Hæc ille. Cæterum hanc ipſam tandem ita conualuiſ-
ſe certum habemus, vt poſtmodum nobili cuidam
nubens, inoffenſa valetudine, ſuſceptis etiam in ma-
trimonio liberis, perfunctam fuiſſe conſtet. *Ex obſer-
uationibus Ioan. Guintherij Andernaci, à Thobia Cneulino
mihi tranſmiſſis.*

Observatio.

*Tumor ventris inſignis cum retentione fæcum ingen-
ti, ac illius curatio.*

Virgo quædam hic præcipui nominis, ex aſſum-
tione medicamenti neſcio cuius, à ſua matre (vt
genus hoc muliebre in arte medica cum multorum
ſæpe detrimento multum ſibi tribuit) præparati, in-
cidit in tormina ventris. Mater exiſtimans eſſe dolo-
res ex vtero: nā menſes nonnihil tardius proceſſere
ex conſilio aliarum muliercularum adhibet fomen-
ta calida exterius, & per os dat menſes prouocantia,
corpore exiſtente impuro. Inde profluunt menſes,
& ſatis quidē copioſi, ſed paulo poſt vires concidūt,
corpus incaleſcit, vigiliæ illā affligunt, & appetitus
deiicitur. Febris acceſſit, vrina fuit turbida excremē-
ta alui diuulſa & snbilioſa, ſæpe egerebat, ſed parum.
Vnde aluus ſtatim fuit ſuppreſſa, nec glandib. quic-
quam effectum. Venter quoque euidenter cœpit
intumeſcere. Vſurpati clyſteres ex emollientibus,
ſed fruſtra. Manna exhibita, quam ſtatim euomuit,
& venter magis adhuc intumuit. Peruentum ad cly-
ſteres validiores, ſed ſine fructu rurſum prodibant.
Sicuti quoq; purgantia nihil pręſtiterunt, ſed ventris
tumor ita creuit, vt quoq; difficultatem ſpirandi in-
duceret. Medici extremo morbo extrema remedia
eſſe adhibēda cenſentes, cum viderent periculū eſſe
in mora, primum cataplaſmata ex emollientibus ap-
plicata. Deinde epomphalion ex ſcāmonea & buty-
ro; itemque fotus facti ex decocto Rapi & Verbaſci.

Ventos conati ſunt per ſyringam extrahere, & rurſum iniecti ſunt validi clyſteres, ſed parum hęc quoque profecerunt. Tandem aſſumpſit hoc medicamentum. Recipe ſucci rad. irid. recent. extracti vnciam vnam, Manus Chriſti perl. drach. tres, ol. Caryoph. gut. iij. Miſce. Quo ebibito poſt tres horas cœpit deiicere materiam albam, fœtidiſſimam, puri ſimilem, venterque rurſum minui paulatim viſus eſt. Hoc medicamentum vt validum, caute vſurpandum, cum ſit erodens, & ingratum. *De obſeru. D. D. Ioann. Heſſi, per D. D. Ioachim. Camerarium mihi communicatis.*

Observatio.

Alui aſtrictio ad tres ſeptimanas ob comeſta numeroſa ceraſa: quæ poſt id tempus rurſus aluum ſubierunt.

Cliuis quidam Dreſdenſis homo robuſtus & militaris, obſtructione alui per dies aliquot laborauit, integraque ceraſa vna cum nucleis copioſe deuorauit. Perſeuerante autem obſtructione immerſit corpus aliquoties aquæ tepidæ. Data etiam illi ſunt tria Enemata, & quinque potiones purgantes, quæ medicamenta omnia in corpore detinuit, ac in magnum vitæ diſcrimen incurrit. Cum loco ſuppoſitorii adhibuiſſet candelam, deprehendit aliquid duri in inteſtinis, idque lapidem eſſe putauit. Tandem elapſis tribus ſeptimanis exhibito pul. quodam purgante, ſoluta eſt aluus, & prodierunt primum excrementa dura, ſtercoris ouilli in globulos coacti inſtar, vna cum cruore: deinde vero nuclei ceraſ. conglomerati reiecti ſunt, & æger ſanitati eſt reſtitutus. *De clariſſimi V. Ioan. Franci Hildeſii obſeruationibus.*

Observatio.

Mira alui adſtrictio, qua recti inteſtini pars ſuperior adeo coaluit, vt neque oleum, aquas, aut flatus tranſmitteret, fæcibus in cæco cum pleriſque aliis coaceruatis, quæ poſt ſæuiſſima ſymptomata ægro lethalia fuere.

Nobilissimvs eques Carolus Nuuolonus iam in ſenio conſtitutus, alui ſuppreſſionem incurrit, anno 1559. 11. Febr. quam arcere tentarunt Medici medicamentis & clyſteriis, q̃ nihil per inferius educebant. exhibitum quoque oleum amygdalinum ad vnc. ſex pondus, quod tamen nec ipſum quicquam eduxit per inferius. Vltimo loco cercam candelam per anum indidere, cuius portio ad cubitalem longitudinem intromiſſa, nitida, nullisque fæcibus deturbata, extracta fuit, nulla tamen proindeexcretione ſubſecuta; Aquæ Thermales quoque ex Aquario propinatæ, quæ & ipſæ intra corpus detentæ nihil profecerunt. quare ab vndecimo decubitus die extinctus, eum febris valida, & indeficiens ſuperueniſſet. Vnde Medici morbi cauſam indagaturi, eum aſſentientibus propinquis iuſſu Principum diſſecare decreuerunt, quo facto inteſtinum rectum in parte ſuperiori ita per digiti tranſuerſi longitudinem coiuiſſe, ac coaluiſſe inuenerunt, vt vix tenuioris funiculi craſſitudinem æquaret, vtrinque in confinio inteſtini partibus in tumorem quendam veluti glanduloſum eleuatis, ex quo factum, quo minus fæces in ſuperioribus inteſtinis genitæ per conſuetam familiaremque regionem naturæ detruderentur: quinimo nec Thermalis aqua coanguſtatam partem potuit pertranſire, ſed in monoculo congregata reperta; Inteſtina quidem non ſolum ex flatuum repletione, ſed etiam ex acrium humorum frigidæque ac vitreæ pituitæ redundantia, atque etiam ex intemperie ſola, dolere poſſe omnibus receptum eſt; quinimo, & vlcera frequenter patiuntur, & apoſtemate corrumpuntur, atque etiam ſuppurantur, quemadmodum *Galenus comm. 87. libri aff.* docet. *Marcellus Donatus Hiſt. Mirab. Medic. lib. 4. cap. 10.*

Observatio.

De difficultate apertionis alui vehementer obſtructæ.

In magnis obſtructionib. alui, apertionem difficilem eſſe, in multis ægris obſeruauimus. Illud certe ſilentio minime prætereundum eſt, quod nobis aliquoties in praxi occurrit, vt cum aluus potionibus purgantibus probe vacuata videretur, & excrementa liquida egererentur, tamen excrementa alia & ſicca eáq; plurima in inteſtinis nihilominus ſubſiſterent, & nouam obſtructionem, repetitoſque dolores excitarent. De quo libet exempla quædam proponere. Fui aliquando, dum in aula Fuldana verſarer, ad quendam præfectum Marckenzellenſem ex colica laborantem vocatus, cui cum potionem purgantem dediſſem, ac ea purgatus multa liquida egeſſiſſet, tamen neq; ventris grauitas, neq; dolores ſunt remiſſi. Itaque clyſterem inicio, qui eduxit maximam copiam excrementorum exiccatorum & induratorum. Vnde conficere facile potui, potionem eduxiſſe quædam liquida excrementa, ſed molem induratorum excrementorum educere non potuiſſe.

Idem mihi aceidit, dum olim Reuerendiſſimo Abbati Fuldano Wilhelmo in ſimili affectione purgantia exhiberem, vt per clyſteres excrementa ſicciora denuo excludenda eſſent, quæ purgantibus per os datis educi non potuiſſent. Vtile vero eſt in eiuſmodi inteſtinorum affectione, primo aluum per clyſterem vnum atque alterum lenire, ac poſtea purgantem potionem præbere, quæ ſi vel operari tardius videatur, vel pauca educit, denuo clyſter infundi poteſt ad obſtructionem expeditius ſoluendam.

Hoc modo nos ante annos duodecim nobilem monialem in Cœnobio Schoenfeldenſi degentem, à maximo valetudinis periculo præſeruauimus. Ea enim cum per tres menſes colicis doloribus conflictata eſſet, neque profuiſſent ipſi varii curationis modi, qui à celebri medico Doctore Adamo Landauo medicinæ Profeſſore Ingolſtadienſi, olim collega meo, in Schola Ingolſtadieſi inſtituti eſſent; tandem ipſe Eichſtadio ab Abbatiſſa eius loci ad eam vocor, quod Doctor Adamus rerum domeſticarum cauſa in Thuringiam proficiſcens, vt ipſe, vt in eius abſentia potiſſimū vocarer, ſi neceſſitas quædam id requireret, ſuaſiſſet. Itaque eo veniens, cum cernerem rem non carere periculo (morbus diuturnus vires valde attriuerat, & decem dierum perſeuerans obſtructio ventrem tumidum ac diſtentum effecerat, totū vero reliquum corpus & membra extrema tabe quadā conſumta erât, & paralyſis

diminuta iam dum membrorum exteriorum motum quodammodo labefactarat) dixi ea me facturum, quæ diligentia mea & artis facultate conſequi mihi liceret, reliqua Dei prouidentiæ & benignitati committenda eſſe. Cæterum initio duos clyſteres, interiectis horarum quarundam interuallis, inieci, iis nihil effatu dignum eſt eductum, ſed materia in ventre detenta inferius deduci videbatur. Itaque ad potionem per os ſubſequenti mane dandam peruenimus. Cuius operatio, cum tranſactis horis ſex nondum apparet, denuo clyſterem lenem infundimus. Quo eiecto, cum iam dum differreretur operatio, excrementis tamen ad inferiorem ventris ſedem declinantibus magis, denuo potionem dedi circiter horam tertiam pomeridianam, auxilio acutioris pharmaci, nam prior potio ex foliis ſenæ, Rhabarbaro, & manna tantum cõfecta erat. Poſt ſecundam hanc potionem ſumptam, cum vix vna hora præteriiſſet, repente excrementa alui educuntur, eaque tam copioſa, vt plurimarum librarum capax vas facile replerent. Interea, dum hæc fiunt, in viribus recreandis omnis opera curaque poſita fuit, & tum epithematis cordialibus pulſibus & cordis regioni adhibitis, tum odoriferis naribus appoſitis, tum etiam vini aromatici, & aquæ cinamomi dilutæ cum caponum iuſculis pauculo ori indito & hauſto, inſtauratio virium fuit procurata. Ac cum perturbatio ventris paululum ſedaretur, etiam iuſcula caponum cum aromatibus condita exhibita fuerunt. Sequenti nocte ſatis belle quieuit, cum plures dies ante inſomnes egiſſet. Mane vero recuperatis viribus, omnia meliora reddita ſunt, & deinceps nulla alia re opus habuit, niſi vt ad reficientem victum alui laxationis conſeruatio accederet. Id quod conſecuti ſumus potione ſeri caprini, in qua folia ſenæ & Rhabarbarum macerata fuerunt, addito ſaccharo, mane calide per aliquot dies ſumpta. His itaque non ſolum tum ægra hæc ſanitatem adepta eſt, ſed in priorem affectionem ab eo tempore nunquam recidit, ac iam dum ſana & firma permanet. Ac hæc præcipua cauſa fuit, vt cum deinceps Doctor Adamus Landauus, vir longiori vita inprimis dignus, phthyſi conſumptus Ingolſtadi moreretur, eius Cœnobii moniales ſuæ valetudinis curam mihi vltra committerent. *D.D.Oethaus lib.obſ.propriarum.*

RARA ALVI DVCENDAE EXEMPLA.

Observatio.

Hiſtoria Protæ Rhetoris dicentis, ſibi ventrem poſt eſum pomorum ac pyrorum auſterorum deiici.

CVm quoſdam audiuiſſem, qui diceret, ventrem ſibi ab eſu aſtringentium ſubduci, ſatius eſſe putaui, quæ de eo ratione atque experientia ſæpe cognouiſſem, hoc loco ſemel fuſius explicare. Cum Protas Rhetor quidam, ciuis noſter, narraret, ventrem ſibi poſt eſum pomorum ac pyrorum auſterorum deiici, ne intellecta atque in ipſo per experientiam comprobata, audacius poſtea in aliis id ipſum ſum expertus. Rogaui enim hominem, vt mecum vel vnum diem viueret, vt ſcirem, quo tempore, & quam multis veſceretur adſtringentibus. Ac primum hominem ſtatim ſum hortatus, vt more ſuo viueret, neue vlla in re conſuetam ſibi victus rationem immutaret. Ipſe autem cum poſt balneum paucula aqua præbibita fœnugræcum, radiculam & id genus alia (quæ ante alios cibos omnes fere ſumere conſueuerunt) ſimiliter & ipſe ſumpſiſſet, vinumque dulce, quantitate mediocre adbibiſſet, comedit deinceps maluas cum oleo & garo, & pauco vini: & poſt illa piſcis quidpiam, ſuillæ, & auis deinde cum ſecundo bibiſſet, pauco tempore intermiſſo ſumpſit pyra auſtera: poſtea deambulatum progreſſi, non multum deambulauimus, cum venter illi maiorem in modum eſt ſolutus. Quæ cum eſſem conſpicatus, pactus ſum cum amico, vt poſtridie, quæ ad ſuam victus rationem pertinerent, mihi committeret: qui, cum mihi prompte eſſet alſenſus, primo omnium, poſt balneum, pyra exhibui: deinde alia deinceps, vt conſueuerat: quibus peractis, non modo non vehementer, ſed ne mediocriter quidem aluum deiecit. Mirabatur ſane (vt par eſt) rei euentum, cauſamque eius à me ſciſcitabatur: cui ego hæc, quæ nunc referam, expoſui. Nam cum garum (inquam) vna cum iis, quæ cum eo ſumpſeras, aluum ſuapte natura ſubducat, idque iam ante fecerit, adſtringentia poſtremo loco ſumpta, iis potiſſimum, qui ſtomachum habent imbecillum, deiectionis ſunt cauſa, ventriculum roborantia, & ad expellendum deorſum, quæ in ſe continet, incitantia. Quod magis, (inquam) fatebere ſi cras prima omnium adſtringentia ſumpſeris: ſecunda autem poſt illa carnoſa, omnium poſtrema quæ cum oleo & garo manduntur. Minime inquit: repente enim vomerem, ſi maluas vltimas cum oleo & garo manderem. Optime (inquam) reſpondiſti. Illa enim ventriculum ſubuertunt, & potiſſimum os ipſius, quod iam omnes ſtomachum vocare conſueuerunt: adſtringentia vero roborant, ac firmant. Quo fit, vt ſi quis alius ſuccus ventriculum ſubuerterit (quod ſolet bilis pallida efficere, in quibus copioſior eſt aceruata) qui ſic eſt affectus, ſi quod adſtringentium guſtarit, ſuccum infeſtantem repente deorſum excernet. *Galenus lib. 2. de alimentis. cap.22.*

Observatio.

Ouorum eſu quibuſdam aluus ſubducta.

SCio illuſtri mulieri, quotieſcunque oua recentia ſorbſerit, continuo aluum ſolui. *Marcellus Donatus libel.de Mechioaca.*

Sorbilia oua multis ventrem ſubducunt: Vidi excellentiſ. Ioannem Manardum, qui ouo ſorbili ſumto, quinquies & ſexies excernebat, multosque alios audiui, qui ex ſorbilibus ouis, molliorem ventrem habuere. *Braſauola lib.de medicam.purg.*

Vidimus Dionoram noſtram, ouo indurato commanducato, decies aluum citatam exoneraſſe, quod aliis ventrem adſtringit. Vnde hæc antipathia? *Alex. Benedictus lib.19.c.33.de curand.morb.*

Observatio.

Pilulis compreſſis, & altera parte ſaliua madefactis, atque ventriculo deforis applicatis, Abbatiſſa quadam ſufficienter purgari ſolita.

CVm eſſem Piſis, & profiterer in illo Gymnaſio, curabam moniales Cœnobii ſancti Pauli ad

ortum

ortum: dicitur ad ortum, ad differentiam alterius Cœnobii, quod ſitum eſt ad occaſum. In eo igitur Cœnobio erat Abbatiſſa, cui ego cum adhiberem catapotia deuoranda, ipſa non deuorabat, ſed digitis ea comprimebat, formabatque veluti placentulas, & ex vna parte madefaciebat ſaliua, atq; regioni ipſius ventriculi admouebat, & ſuperaddita faſcia ſtringebat, comprimebatque partem illam, & ſpatio quatuor aut quinque horarum ita quaſi copioſe ſoluebatur ſibi aluus, ac ſi pilulas illas deuoraſſet: & hoc duobus annis obſeruaui in illa Reuerenda Abbatiſſa, & videbatur mihi veluti miraculum. *Fallopius cap.2.tract.de purgant.*

OBSERVATIO.

Solo purgantium medicamentorum odore quidam plurimum purgabantur.

Inter exempla vidimus quendam ſummo mane Catharcticum prunæ vapore tepefactum, ægrotanti vni ex domeſticis non ſine magno tædio obtuliſſe; (nares enim vis medicamenti acrius inuaſerat) vnde ſtomacho nauſea correpto, corporiſque intus commotis humoribus, ſepties aluus ſoluta eſt: æger vero, qui medicamentum hauſerat, ſecurus, ter exoneratus eſt. *Alexand. Benedictus in præfat. ad librum de peſte.*

Multos reperiri conſtat, qui vix ſemel odorato pharmaco, non ſecus purgantur, ac ſi bibiſſent: Quin & alios, quibus medicamenti purgantis facta ſolum mentione, venter perturbatur. Quendam etiam noui, cui ex adſtringentibus ſimplicibus aluus mollior reddebatur, contra vero ex lenientibus ſupprimebatur. *Bar. Maranta. Method. cognoſc. ſimpl. lib.3.cap.13.*

Scripſit Guainerius, (ſi non me fallit memoria, iam diu enim non legi) Ducis Sabaudiæ medicum quendam catapotia ex pharmacopolio in manibus domum geſtauiſſe, & ab illis nihilominus ſtrenue perpurgatum fuiſſe, quàm ſi deglutiuiſſet. Quin teſtatum compertumque eſt etiam idiotis, nonnullos ad cætorum medicamentorum (aut etiam ciborum, quos faſtidiunt) vel odorem vel conſpectum, (apud ægros frequenter hoc fieri nemo neſcit) vel mentionem ſolam, ita permoueri, vt nauſeant, atque etiam vomant interdum, aliquando etiam per inferiora purgentur: prout expultrix ventriculi vis ſurſum aut deorſum incitata eſt. Etenim non aliter nec aliam ob cauſam iſta euenire certum eſt. Quoniam ab odore talium, dum ita commouentur, vt exhorreant, facile tunc irritatur facultas expultrix, vt exſurgat, & quæ noxia in corpore ſunt expellat. Quod ſi non ſemper id fit, in cauſa eſt quod non ſimiliter multi humores vitioſi in corpore collecti ſint. Quippe ne hauſta quidem medicamenta eodem ſemper modo corpus mouent. Quocirca non eſt mirum, hoc illi medico ſemel accidiſſe: quãtumuis puteretur huiuſmodi medicamenta perſæpe antea ſine perturbatione ventris odorauiſſe.

Non poſſum hoc loco non commemorare, quod amicus meus ſummus & collega chariſſimus, vir in omni doctrina præſtanti feliciſſime verſatus: D. Sigiſmundus Melanchon mihi narrauit de honeſtiſſima fœmina, mihi non ignota, affinitate ipſi iuncta. Hanc ita permoueri purgantium medicamẽtorum odore ſolo aſſeuerat; vt ſi proxime pharmacopolium tranſeat, odoremque talium percipiat, pulchre purgetur, & quidem magis quam vellet: medicamenta in ſuis ædibus talia minime ferre poſſe ait. Sane non eſt mirum, odorem viroſum iſtum pharmacorum eos, qui ab his tota natura abhorrent, ita percellere, vt toti concutiantur, & facultas expultrix excitata, facilem aluum turbet. *Eraſtus c.60.lib. De occult.pharm.poteſtat.*

Rondeletius in Gallia Epiſcopum quendam ſe nouiſſe dicebat, qui cum purgantia medicamenta aſſumere nullo modo poſſet, eadem, vbi opus eſſet, in magna quantitate ſibi præparari curans, calida in lotam peluim effuſa bacillo diu agitabat, & naribus interim & ore aperto eleuatum inde vaporem hauriebat, atque hac ratione per aluum purgabatur nõ minus, quam ſi purgans aliquot medicamentum ebibiſſet. *Cl. V. Ioan. Poſthius de obſeru. propriis.*

OBSERVATIO.

Aluus aſtricta, deambulatione nudis pedibus in pauimento, frigida prius aſperſo ſoluta.

Cvm Illuſtriſſ. Dux Borſius Ferratienſium habenas moderabatur, quandoque alui durities incidit, vt excernere non valeret, illi medebatur Michael Sauonarola, vir eo tempore inſignis. Dux apud illum conqueſtus eſt, quod per triduum non excreuerat, cum pro conſuetudine comediſſet: iuſſit Medicus imponi clyſma; renuit Dux, qui adhuc in lecto commorabatur. tunc Sauonarola iuſſit pueros pauimentum frigida aqua copioſiſſime aſpergere, & Ducem è lecto ſurgere, ac nudis pedibus ambulare; erat vero & pauimentum marmoreum: quinquaginta paſſus non pertexit dux, quod per ventrem dolorem ac voruorigmon ſentire cæpit, ſedem petiit, vt excerneret, & potentiſſime excreuit. iuſſit Sauonarola aqua calida, in qua calidæ herbæ odoratæ eſſent decoctæ, IlluſtriſſimiDucis pedes ac crura ablui, & ad ægros inuiſendos abiit. ab hoc Dux iuſſit Sauonarolam centum aureis donari. *Braſauolus c.6.tract.de medicinis purgantibus.*

Hoc iam dudum nouit ruſticorum experientia; qui nudis pedibus humi obambulant, vt ventrem pertinacem infirment. *Prachelius Comment. ad lib. 2. aphor.20. Hippocratis.*

ALVVS CITA NIMIVM.

OBSERVATIO.

Inuitæ alui excretionis exempla.

Pver annorum fere ſex, inuitus per aluum excrementa deiicere incœpit, reſoluto derepente circa ſedem muſculo.

Quin etiam ſeni quondam huiuſmodi euenit accidens.

Atq; rurſus alius puer ætatis fere annorum quatuordecim, excrementa inuitus per aluum deiecit, infeſtante ſimul veſicam dolore, atque alteri vrina quoque fuit ſuppreſſa.

Contra alius vrinam inuitus excreuit, atque alius non ſolum vrinam, ſed alui quoque excrementa inuitus deiecit. In iis omnibus ea quæ præceſſerunt ſcrutari oportet. Nam in totum aut refrigeratã aut ictam

ictam ipſorum ſpinam arbitrandum eſt. *Galenus de locis affectis lib.1.circa finem.*

DE MESENTERIO.

OBSERVATIO.

Meſenterium & pancreas perſæpe focum & ſeminarium eſſe latentium & diuturnorum morborum: in quo nonnunquam tumor durus, aliquando vera inflammatio & abſceſſus excitatur, vnde pus, ſi per aluum ſyncerum reddatur, ex meſenterio deriuari contingat.

TAnta plerunque ſuperuacuorum eſt humorum colluuies, vt deſtinatis à natura receptaculis tota excipi haud poſſit. At cum non parua ſuperfluentis portio in vicinas quoque ſedes illabitur, maxime quidem in pancreas & in meſenterium, quæ totius corporis veluti ſentina ſunt. Quibus ergo aſſidua ingluuie magnus fit vtriuſque bilis & pituitæ prouentus, eas tempeſtiue nō expurgatas natura valens ac robuſta plerunque in pancreas, & in meſenterium, ignobiles ſedes, deponit: idque fere è iecore & è liene per eos venæ portæ ramos, qui non in inteſtina, ſed in ipſum meſenterium & pancreas deſinunt & obliterantur. His locis & glandulis tempore exaggerantur varii humores, qui primum laxum mollemque tumorem, deinde ſiccescentes renitentem durum ac vere ſcirrhoſum ingenerant. Durus vſque adeo interdum deprehenſus eſt, vt penitioribus ſub vmbilico partibus vel os vel calculus concreuiſſe putaretur. Itaque ſi ampla & vaſta mole venter totus præter naturam prominet, idq; citra fluctuationem, citra alui ſuppreſſionem diutinam, citra hydropis ſuſpicionem, vnde & qua id ex cauſa obtigerit, tactu ita quidem diſcernendum. Cum adipis copia venter prominet, quoniam cuti ſummæ is inhæreſcit, manu totus comprehendi ſecernique poteſt à muſculis abdominis: ac præterea reliquus corporis habitus obeſior exiſtit. Cum tumor inſertus eſt muſculis abdominis, primo is contactui occurrit, & cum premitur, plerunque etiam citra preſſum dolore afficit, quod pars ea ſenſu prædita ſit: inteſtina non coarctat, neque alui deiectionem remoratur. Meſenterii vero tumor, quoniam alte ſepultus eſt, non niſi preſſu animaduertitur, nullo colore affligit, quod pars ipſa doloris ſit expers. Quin etiam ſua is mole inteſtina premens atque coarctans, ſæpe efficit, vt aluus pigrior ſit, tardiuſq; fæces deſcendant. Vtrum præterea tumor vniuerſum meſenterium, an partem duntaxat, & quam nam occupet, mollisne ſit an durus, tactu etiam internoſcendum. Cæterum quiſnam in meſenterio humor exuperet, iam non tactu, ſed iis ipſis notis, quibus in iecore, aut in liene proditum eſt, cognoſcitur, ſed quæ tamen tum obſcuriores tum leuiores exiſtunt. Hæc autem obſcuritas multis cauſa fuit ignorantiæ, & cur harum partium affectus prætermiſſi fuerint, nec veterum ſcriptis celebrati. Ego tamen hoc affirmo & profiteor, choleræ, melancholiæ, diarrhœæ, dyſenteriæ, cachexiæ, atrophiæ, languoris, lentarum errantiumque febrium latentium denique morborum cauſas me in his plerunque ſedibus animaduertiſſe, quorum depulſione deploratis ſalus redderetur. Vera quoque inflammatio in meſenterium incidit, cum ab exeſis aut ruptis illius venis ſanguis excidit, & in aliqua ſede præter naturam collectus putreſcit, tandemque ſuppurans abſceſſum facit. Ea inflammatio ſine manifeſto dolore eſt, ſolumque grauitatis ſenſum habet, niſi forte vehementius prematur, febris admodum leuis & lenta, ſine ſiti, ſine grauibus ſymptomatis, nec omnino ægrum proſternens, nec quotidianas functiones interpellans. Principio ſanies quædam rubra, facto deinde abſceſſu pus album defluit ab aluo, & vtrumque modo permiſtum alui fæcibus, modo ſeorſum & ſyncerum, vt cum inflammatio inteſtina deuergit. Tum quippe pus per venam proximam in recti aut coli inteſtini capacitatem influit, ſyncerumque magna interdum copia redditur nullo ſenſu doloris: quod aliquando celebres medicos magna admiratione & controuerſia torſit. Sed non aliunde id quam ab affecto meſenterio dimanare facile noſci poterat. Neque enim ab inflammatis inteſtinis, neque à ventriculo poteſt ſine vehementi dolore prodire. Ex iecoris vero aut ex lienis inflammatione, febris vehementior affligit, omniaque ſymptomata fiunt grauiſſima: neq; tam ſyncera ſanies ſeorſum ob longiorem viæ tractum exit. Renes etiam affecti non illac, ſed per vrinas repurgantur. Itaque vnum meſenterium reliquum eſt in abdominis capacitate, quod ſub illis notis inflammatione tentetur. *Fernelius lib.6.c.7.Patholo.*

Nouimus nos quandam, cui inflammatio in meſenterio nata fuit, & initio male habuit, ſed poſteaquam inflammatio ſuppurat, & in abſceſſum conuerſa, melius habens, ſana ibi viſa eſt. Interim ſingulis diebus per anum bis terve purulēta admodum fœtida, ſyncera, nulliſque excrementis permixta redduntur. Et quidem nunc quartus agitur annus à quo ſic ſeſe habet. *Dodonaus in Annotat. ad cap.33.Beniuenii de abditis.*

OBSERVATIO.

Ex abſceſſu meſenterii mortui.

ILLVSTRISSIMVS atque Reuerendiſſimus. F. R. Dominus, febri valida correptus cum vomitu, 14. tranſacta, in alui cruentam excretionem deuenit, ita vt ſanguinem nigerrimum, corruptum, peſſime olentem ad decimum quintum librarum pondus excreuit, vnde animi deliquio correptus, omnes eum proxime moriturum exiſtimauimus, nihilominus cibis per interualla optimis refectus, vires reſumpſit, ita vt etſi febri continua, licet non ita intenſa, & vniformi, continuo vexaretur, nihilominus ſuæ ſalutis ſpem nobis præberet: ſed tamen cum quotidie fæces conſperſas ſanguinolenta ſanioſaq; materia excerneret, indieſque magis ac magis emaciaretur, infinitis propemodum præſidiis adhibitis, nam ſeptem Medici illius curæ incumbebamus: die à decubitus die (proh dolor) occubuit, cum tamen poſtremis diebus ingens vrinæ profluuium ſuperueniſſet, ita vt quinque libras vrinæ, & amplius quotidie per plures dies extramitteret. Cadauer diſſectum fuit, vt tanti mali cauſa innoteſceret, atque in meſenterio, ea in parte ſuperiori, qua inteſtino recto annectitur, vlcus ſordidum, ad ſpitamæ longitudinem

tudinem,adinuentum: vnde ea inparte collectum abſceſſum coniecimus,illoque d:ſrupto, putridum ſanguinem ea in copia profluxiſſe non dubitauimus. ſed quod mirum eſt, nunquam antea per totum ægritudinis tractum, præterquam extrema die, qua illi venter intumuit,de illius partis dolore conqueſtus eſt.

Monialis etiam quædam, die 6. Ianuarii, anno 1558.febri ardenti correpta fuit, atque in 40. fluxus ſanguinis per aluum, coloris atri, ac copioſi, cum ventris indolentia ac fœtore intolerabili ſuperuenit, cum ſiti clamoſa & virium imbecillitate, & linguæ ariditate,& triſti quadam ventriculi ſenſatione & præter hæc ſymptomata, in ſingula alui cruentoſa excretione in animi deliquiũ incurrebat, tandem criſi, ſed mala per vrinã adueniẽte, aluus à fluxione cruẽtoſa ſuppreſſa, perſeuerãte tamẽ febre cõtinuo affligente ſine typo,extincta eſtu Monialis.Hãc nos eodem morbo pertentam procul dubio cenſemus, etſi diſſectione negata, præ oculis rem ponere nequiuerimus. Ex iis duobus exemplis facile erit in eiuſdem affectionis dignotionem, per enarrata ſigna percurrendo,deuenire,ſi quando alicui medicinam facienti conſimilis caſus occurrerit. *Marcellus Donatus lib.4.c.7.hiſt.med.mirab.*

Iulianus quidam, iuuenis alioquin optimus, alui torminibus vexabatur: inque dies magiſque dolor vim capiebat: tantumque aberat,vt huiuſcemodi doloris abditæ cauſæ comprehendi poſſent, vt nunquam vllis præſidiis tolli, aut ſaltem leuari hoc malum potuerit. Omnia enim viſcera ſana videbanur,iecur,lien, & inteſtina, omnia nullam doloris notam oſtendebant. Sed ille nihilominus magis magiſque indies, quam vt tolerari poſſet, vrgente dolore ipſo, tandem è vita diſceſſit. Quare mortui corpore inciſo,vt ſc.tãti mali cauſas dignoſceremus, & ſanis omnibus, vt putabamus,inuentis viſceribus iubeo inteſtina amoueri. Quæ dum gladio diſcindit miniſter, in acceſſum magnum incurrit. Quo præciſo,materia multa nigrior fœtẽnsque profluxit, encauſto ſutorio ſimilis. Ex quo manifeſtam eius mortis cauſam deprehendimus. Atra enim bilis,eo cõfluens huiuſmodi abſceſſum paulatim effecerat. *Beniuenius cap.33. de abditis.*

Observatio.

Apoſtema in meſenterio inuentum.

PAtricius quidam Noribergenſis, homo intemperantiſſimus, in affectionem hypochondriacæ nonadmodum ſua forma diſſimilem incidit,aderat & nauſea continua, creber vomitus & cogitationes melancholicæ. ſymptomata leuibus purgationibus & tempeſtiua ſanguinis miſſione aliquanto remiſſiora ſunt reddita,at nunquam malum fuit extirpatum. aliquot diebus poſt ſenſit horrorẽ, & ſuperuenit tumor & dolor dextro genui, itidem circa pubem tumor pronatus, qui veſicæ orificium ita compreſſit, vt difficulter vrinam reddiderit,hic tumor interim augebatur,interim minuebatur, vnde cauſa flatibus adſcripta eſt. quotidiano tamen incremento ita auctus eſt, vt ſeſe ad vmbilicum & latus ſiniſtrum extenderit, & reſpirandi difficultatem excitarit. fuit redditus cacochymicus & cachecticus,& poſtquam cruciatibus morboque totus contabuerat,ſeptimo à morbi principio menſe obiit diem. Apertum fuit corpus, & in eo inuenta collectio materiei purulentæ ac fœtidæ, nimirum inter duas meſenterii tunicas. Collectio hæc occupârat maiorem ventris inferioris partem, & hepar ſua putredine infecerat. hinc non mirum,ſi facta mala ſanguificatione,tumoribus inflammationibusque crura infeſtata (vt hydropicis contingit) fuerint. Opinandum ſane eſt multos ſimilem materiam, tanquam grauiſſimorum morborum fomitem, in hoc meſenterio coaceruare, à qua ſi non per vomitũ,vel per aluum liberantur,in tædioſos,longos, atque grauiſſimos morbos incidunt, & vltimo miſeriis conſumpti occumbunt. *Coiter in Libell. obſeruat. Anatom. & Chirurg.*

Observatio.

Totum Meſenterium pure refertum ac quaſi turgidum, cum grauißimis ſymptomatibus ægram affligentibus.

HOneſta virgo cum Sereniſſima quadam Ducliſſa peregre profecta, in dolores colicis ſimiles,ac pro talibus habitos incidit: contra quos cum nullum remedii genus valeret, miſella febre quotidie cum rigore inſigni repente, doloribus iam dictis aſſociata, poſt paucos menſes Maraſmo conſumpta eſt. Diſſecto ventre, ingens copia puris, quo tum Meſenterium refertũ, ac quaſi turgidum erat, erupit. Hoc natura per renes vacuare fruſtra tentauerat,vrinis valde purulẽtis profluentibus: cum renes interim intergi omnique labe carentes conſpicerentur, quos nonnulli vlceratos ſuſpicabantur, idque non immerito: cum puris mictus diuturnus, teſte *Galeno 4. Aphor.75.* renum aut veſicæ exulcerationem ſignificet. Verum doloris circa regionem renum abſentia ſuſpicioni huic non atteſtabatur. *De magnifici viri D. Thomæ Mermanni, Archiatri Bauarici,obſer.lectiſſimis.*

Observatio.

Abſceſſus in pancreate latens, perpetuas vigilias, lipothymiam, faciei frigidum ſudorem, & tandem mortem inferens: idque medicorum errore, qui malum id ex ſtomachi ore,vel cardiaca paßione natum putabant.

LVGDVNI diues mercator, ætate virili, & εὐσαρκος, cuius facultates naturales ſuo probe fungebantur officio,veluti ex cibi potioniſque mediocri appetentiã, atque etiam, ex alvi, hepatis & venarum excrementis iudicare tum licebat. Verum de ſomno apud medicos duntaxat ipſe conquerebatur. Cum enim dormire conabatur, tum in lipothymiam & totius faciei frigidum ſudorem incidebat. Propterea qui tum ipſi aderant medici, ob ſtomachum, quem male affectum eſſe opinabantur, hieram Galeni propinarunt, ſed fruſtra, & abſque vllo commodo. Imo vero aſſumpto pharmaco, ægrotus multo quam antea deterius ſe habuit. Quapropter medici ſuam mutarunt ſententiam (quia ex iuuantibus aut lædentibus non ſolum cognoſcuntur interni morbi, ſed curandi indicationes ſumuntur) & ad cardiaca intus & foris adhibenda, quæ tunc ipſi miſero ægrotanti conuenire putabant, mox confugerunt, ex quibus tamen nullum quoque commodum prorſus percepit. Quinimo iis potius, vt per hieram, commemorata

morata ſymptomata, cũ vitalis facultatis & animalis inſigni læſione, intendebantur. Itaque cum prorſus nihil dormire poſſet, tandem miſer ille interiit. Quandoquidem ad animalium vitam conſeruandam apprime vtilis eſt ſomnus. Poſt ſectum eſt cadauer, in quo pancreas, integro ſaluoque vitæ principio & ſtomacho, duntaxat repertum eſt abſceſſu putrefactum. Vnde per ſomnum ſpiritibus ab extremis partibus ad ſua reuocatis principia, tetros malignoſque vapores cor ferientes, & (forte) etiam ſtomachum, efferri excitarique medici poſthac coniectarunt. Vnde nam autem excrementitii humores, ex quibus illic excitatus fuerat abſceſſus, promanarent, ſcire haud arduum eſt. Nam pancreas corpus eſſe glanduloſum, primis lumborum vertebris inſidens, quod quidem venarum & arteriarum ramos neruumque ac vas bilem continens fulcit ac ſuſtinet, norunt ſatis anatomes periti Medici. Quapropter ab his locis, vnde illæ oriuntur partes, quæ ab ipſo ſuſtentatur, humores iſtos proueniſſe probabile eſt. Tanta plerunque eſt ſuperuacuorum humorum illuuies, vt deſtinatis à natura vaſis tota excipi haudquaquam poſſit. Propterea non parua ſuperfluentium portio in vicinas partes illabitur, & maxime in pancreas & meſenterium, quę partes admodum ſunt debiles, ac propterea eas totius corporis velut ſentinam eſſe, recte dixit Fernelius. Quibus igitur aſſidua ingluuie magnus fit vtriuſque bilis & pituitæ prouentus, eas ſuperfluitates, non tempeſtiue expurgatas, natura valens ac robuſta, plerunque in pancreas & in meſenterium deponit: idque ſere è iecore & à liene per eos venæ portæ ramos, qui in ipſum meſaræum & pancreas deſinunt & terminatur: vnde illic tumores fieri probabile eſt, qui nullis propriis ſignis innoteſcunt nobis. Propterea huiuſmodi affectus abditos recte dicere poſſumus. *Aubertus Progymn. Exercit. 44. ad lib. Abdit. Fernelii.*

Observatio.

Callus inter venas meſaraicas natus, iiſdem obſtructis, mortem attulit.

PEtrus Aldimarius filium habuit, qui cum octauum iam ageret annum, in corruptum incidit appetitum, quo calculos ruderaque comedens, in lentam tandem febriculam deuenit. Indeque procedente tempore, & ventriculus non continere, & venter fluere cœpit. Adeoque duobus his malis vexatus eſt puer, vt paucis etiam diebus è vita deceſſerit. Huius nos cum annuente patre emortuum corpus incidiſſemus, repertus callus inter venas Meſaraicas appellant, à quo cum venæ ipſæ adeo obſtruerentur omnes, vt ferri inde ſanguis vltra non poſſet, neceſſe fuit puerum è vita migrare. *Beniuenius cap. 37. De Abditis.*

Observatio.

Strumæ in meſenterio circiter ſeptuaginta, præter glandulas & tumores externæ inteſtinorum tunicæ adhærentes, animaduerſæ: quarum aliquæ ad oui magnitudinem excreuerant, gypſeam, glutinoſam, & liquidam materiam membranulis concluſam continentes.

ANno à noſtri Redemptoris aduentu, milleſimo quingenteſimo, trigeſimo nono, Panhormi, Spectabilis Dominus Caſtor à Portu dictus, Baron ſummatini, & vrbis tunc temporis meritiſſimus, iuſtiſſimusque præfectus, Capitaneusve, vt vulgo noſtri vocant: quem profecto vſq; adeo magiſtratus integerrimum virum oſtendit, vt rurſus anno 1546. & demum anno præſenti 1550. ad eandem gubernationem vel inuitus à proregibus adſtrictus ſit. Hic inquam in primo ſui magiſtratus anno quendam nigrum natum ſeruum, libertum tamen poſtea redditum, à ſe ob furta laqueo ſuſpenſum, atque à nobis ad Anatomicas adminiſtrationes petitum, quam libentiſſime, vt omnigenæ virtutis amantiſſimus, publice diſſecandum præbuit. In huius ergo meſenterio (quemadmodum ab omnibus, qui diſſectioni aſtiterunt, viſum fuit) ſtrumas circiter ſeptuaginta offendimus. præter quas in glandulis exiſtentes, totidem fere externæ inteſtinorum, præcipueque craſſorum, tunicæ adhærentes tumores, propria ſingulos membranula, cuiuſdam veſiculæ inſtar contentos, non ſine magna quidem adſtantium admiratione inuenimus. His porro, qui exteriori inteſtinorum tunicæ adnati fuerunt, ſtrumarum nomine, quia ſcilicet in glandulis non erant, minime dignati ſumus. Vtriuſque autem generis tumores, varia quantitate, & magni & parui erant. atque inter extremos, qui ad oui gallinacei magnitudinem perueniebant, & minimi ciceris paruitatem, quamplurimi intermediæ quantitatis gradatim viſi ſunt: Non ſecus hercule, ac infertilis gallinæ vtero ouorum gradata multitudo (quam vulgares noſtri Ouarolam vocant) inuenitur. Sed ne in hoc quidem ſolummodo aſtantium, noſtraque admiratio fuit: verum & ſingulis tumoribus diſſectis, quaſi ſtrepitus admirantium effectus eſt: Cum nonnulli lapideum gypſum, nõnulli vero glutinoſam mucoſamque & interea liquidam quandam ſubſtantiam ſub ea membranula continerent. Nonnulli autem per gradus quoque intermediam comprehenderent. Vt poſtremo ac nouiſſime genitum tumorem liquidior, antiquiorem vero ſolidior ſubſtantia præ ſe ferret. Ex mediis vero vnum & item alterum tumorem ſumpſimus, domique per diem ac noctem exiccari permittentes, tenuiſſimum deinceps quendam ab iis pollinem extraximus, quo multis quidem diebus, donec ſcilicet conſumptus totus ſit, arenæ vice ad exiccandas, ne delerentur, nuper iam ſcriptas literas, & quidem opportune, vſi ſumus: vt alios omiſiſſe pœnituerit. In reliquis vero corporis partibus, præſertimque in iecinore & ſplene, ſaluberrimum corpus videbatur, atque ab iis qui eum antea viuum cognouerant, relatum conformiter eſt, ſaniſſimum ſcilicet, donec ſuſpenderetur, extitiſſe. Vt nos coniectaremur naturam, ad eas partes vniuerſi corporis recrementa tranſmittendo, ſic ipſum expurgaſſe: vt in reliquis, maximeque naturalibus viſceribus ſanitatem conſeruaret. *Ioan. Phil. Ingraßias, tract. 1. c. 1. de tumoribus præter naturam.*

Observatio.

Meſenterium prodigioſe turgens, pondere librarum decem, ſcirrhoſum omnino, cum infinitis abſceßibus ſuis ſinguli tuniculis concluſis, oleoſis, melleis, ſebaceis, albugineis, aliiſque humoribus refertis.

ISabella Rolãdt, Ioannis Bonii vxor, Lutetiæ in vico Monceo ad D. Geruaſii ædem commorantis,

ſexage-

ſexagenaria, anno Domini 1578. die 22. Octobr. ex vita migrauit. Diſſectum eſt eius cadauer, diſſectioni præerat Milotius D. Medicus. Is in ſuas ædes auulſum meſenterium totum deferri iuſſit, vt ibi per otium Varadeo, Brœto, Capello Mareſcotio, Arragonio, Baillutio, Reburtio, & Riolano, Doctoribus Medicis, meque & Pineo chirurgis aduocatis, lethiferi morbi cauſam, quam ſemper in meſenterio deliteſcere ſuſpicatus erat, contemplari & rimari liceret. Ergo meſenterium totum, atque in meſenterio pancreas, tumore miro, propeque incredibili turgens animaduertimus, adeo vt libras decem & dimidiam penderet, ſcirrhoſum omnino extrinſecus, ſolisque poſtica parte lumborum vertebris adhæreſcens, antica autem peritonæo ſcirrhoſo pariter ac penitus cartilaginoſo. Suberant infiniti in eodem meſenterio abſceſſus ſua quiq; cyſti incluſi, alii quidem oleoſo, alii melleo, alii ſebaceo, alii albugineo, alii aquoſo humore & liquore differti erant, quorum concluſa materia pulticulæ ſimilis eſſet: denique quot ferme abſceſſus erant, tot erant materierum contentarum ſpecies & ideæ. Octauus iam annus agebatur, ex quo tumor ille incœperat ſenſim ac ſine ſenſu & dolore ad tantam magnitudinem progredi, quod meſenterium ipſum doloris fere ſit expers. Ægræ interim ipſi perinde fere ac ſane licebat naturæ, animæ ac vitæ munera omnia obire, niſi quod duobus antequam moreretur menſibus, coacta fuit lecto ſe tradere, quod febris continua quæ illi ad extremum vſque vitæ diem perpetua fuit, ſuperueniſſet: & quod præ tumoris pondere meſenterium ſuis velut radicibus & ſedibus diuulſum fluctuaret, non ſine moleſto oneris & doloris ſenſu: nam, vt prædiximus, lumbaribus modo vertebris ac peritonæo adhærebat, nullatenus autẽ inteſtinis & aliis partibus, quibus velut connatum alligatur. Itaque ſua id mole & corpore veſicam premens & coarctans, difficilem mictionem faciebat: inteſtinis vero incumbens, vt aluus pigrior eſſet, in cauſa erat: adeo vt niſi deuorato laxante aut purgante medicamento, fæces non deſcenderent: nam quod ad clyſteres ſpectat, ſubire illi in inteſtina tumoris vias coarctantis magnitudine prohibebantur, intruſæ vero glandes nihil proficiebant. Reſpiratio ob diaphragmatis à tumore compreſſionem difficilis erat: non deerant, qui molam ſubeſſe opinabantur: alii ab hydrope eum excitari tumorem. Certe malum id hydropis cõſecutionem attulit, nec obſcura cauſa eſt, fruſtrata functione hepatica, per interceptã, tumoris occaſione, chyli anadoſin, ſed & proprio vitio hepar tenebatur, ſcirrho nempe & crebris abſceſſibus, per intimam extimamque eius ſubſtantiam varie ſparſis. A putredinis labe lien haud immunis erat, denique in ventre inferiore nihil erat integrum. *Pareus lib. 23. c. 36.*

Observatio.

Calculi in meſenterio nati.

DVrus vſq; adeo interdum deprehenſus eſt (tumor meſenterii, & eius quod pancreas appellatur) vt penitioribus ſub vmbilico partibus vel os, vel calculus concreuiſſe putaretur. *Fernel. lib. 6. cap. 7. 7. Path.*

Andreas à Lacuna, quoſdã, cũ aliis noſtris anatomicis, lapides, intra meſenteriũ cõſpexit. *Tho. à Veiga.*

Puero cuiuſdam ſutoris in meſenterio inuenti calculi. *Scholiographi ad cap. lib. 1. Hollerii De morbis internis.*

Habemus domi lapides exciſos ex folliculo fellis &c. meſenterio &c. *Gemma.*

Rarum eſt lapides naſci in colo, pulmonibus, &c. Rarius fortaſſe, quod tamen ſæpe vidi, toto meſenterio. *Scholiographus ad lib. de loc. affect. Galeni.*

Observatio.

Meſaraon gangrena vitiatum.

ANno 1560. menſe Iulii, Ioanna Sandræ, vxor (Rondeletii) obiit intra paucos dies, ex hæmorrhoidum inflammatione, quam maritum celare voluit. Michael Heroardus, dum rogante Rondeletio affectam ſedem inueſtigat, extremam meſaræi partem à gangrena miſere occupatam offendit. *Ioubertus in vita Rondeletii.*

DE IECORE.

ET PRIMVM

VARIA CONFORMATIO ATQVE CONſtitutio Iecoris.

Observatio.

Iecur hominis ſecundum naturam conſtituti, contra Hippocr. Galen. & aliorum quorundam ſententiam, non vt brutorum in lobos ſeu fibras diuidi.

QVæ diſſectionum Profeſſores de iecoris forma ac penulis ſeu fibris (quas λόβους Græci vocant) commentantur, è canum potius & Simiarum ſectionibus, quam hominum, didicerunt. Humanum enim iecur in fibras porcini & multo adhuc minus canini iecoris modo non diſcinditur. Nam vnicum continuumque, præcipua ipſius ſubſtantia, corpus hominis (quemadmodum fere & bouis) iecur eſt: canis vero iecur in quinque, nonnunquam in ſex, aut quatuor tantum partes ſeu fibras, ſolarum venarum interuentu inuicem continuatas, diſiunctum occurrit. Porcis autem iecur in pauciores fibras, venis duntaxat hærentes, dirimitur: aut etiam in plures quatuor vel quinque, ſi ſectiones quoque impenſe altas fibrarum, vice numerare lubeat. Atque hinc natum eſt illud medicorum commentum quo ventriculum à iecore quinque fibris, manus apprehendentis modo, amplecti aſſerunt. Quin Græcorum nonnulli, neſcio à quibus vt teſtantur mathematicis medicis nomina mutuantes, illis fibris priuata (vti autem Theophilum illum, parum ſane anatomicum, videre eſt) imponunt nomina. Quatuor enim cum ſint, inquiunt, iecoris fibræ, prima focus dicitur: maxime namque ad ſucci concoctionem facit, quemadmodum concoquendis cibariis focus. Secunda menſæ nomen ſortitur, quod menſæ vices gerat: nam membrorum alimenta in ipſa apponuntur. Tertia culter nuncupatur, diuidit enim ſegregatque inter ſe humores: aut ſi quid craſſius diſtribuendum ſit, id ſecat atq; commutat. Quarta aurigæ nomine appellatur: nam naturales vires iam excoctos humores bene regunt, atque in melius recta ducunt. Huiuſmodi profecto eorum, qui humanam fabricam imaginationibus,

non ſectionibus, aut è brutorum potius quàm hominum corporibus diſcere conantur, nugæ figmentaque ſunt. Quantumuis interim haud ignorem, iecori in libro de natura oſſium ab Hippocrate quinque fibras, aut vt interpres habet, extremitates dari; quod ſane non leuiter mirarer, niſi vel perfunctorie in anatome verſato, & authorum gratia ſuis oculis fidem non deroganti, plus ſatis conſtaret, quã multa in eo libro, ipſique præſentis argumenti conterminis libris occurrant, ab hominis fabrica, omniq; prorſus veritate aliena, & indigna pariter, quæ ad Hippocratem referantur, quem nunquam in anatomicis lapſum fuiſſe *Galen. lib. 1. de vſu partium* audacter (at neſcio quam vere interim) atteſtatur. Nimio itaq; erga authores affectu nonnihil remiſſo, omnes qui mihi vnquam ſecanti aſtitere teſtor, me iecur in fibras aliquo pacto diuiſum nunquam inſpexiſſe. Neque eſt cur quiſpiam iecur duplici fibra conſtare aſtruat, propter ſciſſionem ſeu foramen potius, quo vena ex vmbilico proficiſcens excipitur: aut ob eius iecoris portiunculam ſub ortu venæ portæ extuberantem, id fibris aliquot conſtare affirmet: ſi modo vñquam vel per ſomnium animalia quibus iecur in fibras, vt cani, diuiſum eſt, contemplatus fuerit, nõ autem hæc ſolum leui negotio obſeruabit, ſed & animaduertet etiam; quotquot hactenus venæ cauæ exortum, & ad iecoris gibbum in duos truncos diſtributionem literis prodiderunt, ridiculæ nugaciterque admodum deliraſſe. *Veſalius lib. 5. c. 7. de corp. hum. fabrica.* Plura vide *in libell. authoris de Chyn. pagin. 42. & 69. edit. Veneta*: *Et Renat. Henneri Apologiam aduerſus depulſ. 26. Syluii.*

Si hepatis figuram quæris, tantum non exacte ſphærica eſt, & in homine integrum exiſtit, non in lobos diuiſum, vt Galeno placuit, licet illiuſmodi in quadrupedibus reperias. Cauſa vero, quamobrem in nobis integrum, in illis diuiſum ſit hepar, ea eſt, quod cum recta figura à Deo Opt. Max. donati ſimus, caua ſui parte ventriculum immediate tegit: nam à dextra in ſiniſtram tegens, vniuerſam anteriorem regionem occupauit, effecitque ne ventriculus algeret. *Columbus lib. 6. Anatom.*

Observatio.

Iecur humanum præter naturam, monſtroſe & rarenter admodum aliquando in duos, tres, quatuor, nonnunquam etiam in quinque lobos ſeu fibras diſtingui: aliquando etiam ad radicem vſque vt in ſuibus & canibus diuidi.

HEpar viſcerum natura primum, ſanguinis & venarum principium, lobis nunc nullis, nunc duobus aut tribus, nunc quatuor, etiam quinq; *Hippocrati lib. de oßibus.* præditum: nobis plurimum quatuor magnis duobus, totidem paruis. Horum ſinguli, præcipue magni, conſtant carne ſua ſanguinis effectrice, venæ portæ & cauæ ceu radicibus mutuo ſe oſculantibus, ſtomachis Cholidochis inter illas radices mediis, arteria partem eius ſimam difflante, membrana totum viſcus ambiente, neruulum tum à coſtali, tum à ſtomachico recipiente, hypochondrio dextro ſuppoſitum eſt. *Syluius lib. 3. cap. 6. Iſagog. Anatom.*

Idem in diſſectione Latomi deprehendit hepar magnum, pallens, quale eſt coctum tenerum & fragile, lobis tantum duobus, vno maximo dextro, minore ſiniſtro, id vincula habebat ad nothas, & ad vmbilicum vinculum omnibus commune ex vena vmbilica.

Idem in puella, propter glandulas in toto corpore ſcirrhodes, per atrophiam mortua, animaduertit lobos hepatis tres, maximus ſub hypochondrio, in quo folliculus fellis, alter anticus, inter has vena vmbilica, cum ligamento peritonei, tertius omniũ minimus, intimus ad portæ venæ exortum. *Author in append. Iſagog. anat.* in qua obſeruationes variorum corporum diſſectorum ſcripſit.

In Illuſtriſſimo noſtro patrono, Carolo Sabaudiæ Duce nono demortuo, præter alia, obſeruatum, hepar habuiſſe quatuor penulas &c. *Franciſc. Puteus lib. 5. Apolog. pro Galen. contra Veſal.*

A nobis inter Anatomes plurimas annotatum eſt, hepar, vt in ſuibus & canibus, diuiſum in plures fibras vſque ad radicem. *Gemm. lib. 1. c. 6. Coſmocrit.*

Observatio.

Hepar magnum & oblongum ad dextri renis, qui deſiderabatur, locum pertingens.

ANno 68. hepar magnum, oblongum, & ad dextri renis locum (deficiente illo rene) exporrectum, Patauii Ital. vidi. *Cl. V. Cyriacus Lucius de obſeru. propr.*

Observatio.

Viſum hepar extremas fibras cirrhis prominentibus hirſutum habens.

IOannes Coletus Decanus apud Diuum Paulum Londini, cum ante paucos annos correptus eſſet ſudore peſtilenti, & ab eodem tertio repetitus, vtcunque tamen reuixit, ſed ex morbi reliquiis contracta viſcerum tabes, qua periit. Medicus vnus hydropem eſſe iudicauit. Anatomia nihil indicauit noui: niſi quod hepar repertum eſt, extremas fibras cirrhis prominentibus hirſutum habens. *Eraſmus epiſtol. lib. 15. pag. 485. De D. Georgii Palmæ obſeruationibus per Cl. V. Ioach. Camerarium ad me mißis.*

Observatio.

Hepar globoſum iuſto minus cum diaphragmate ſurſum pectus retractum.

IN diſſecto aliquo hepar globoſum, iuſto minus, & vna cum diaphragmate in pectus & mamillam dextram vſque aſcendens, oſtendi. Is autem magno etiam ſplene præditus fuerat. *Cl. V. Cyriacus Lucius de obſeruat. propriis.*

Observatio.

Iecur peritonæo adnatum.

IEcur quandoq; mihi ſe obtulit inſpiciendum peritonæo adnexum. *Columbus lib. 15. anatom.*

Observatio.

Corpus ſine hepate & liene inuentum.

ANno à Chriſto 1564. die vero 11. Septembris, hanc vitam reliquit Dominus Matthias Ortelius, Mercator oppidi Antuerpienſis celebris: natione Germanus. Duodecima vero facta fuit eius corporis ſectio, à Chirurgis eius rei peritis, me præſente Medico, vt conſtitutionem partium nutritioni ſeruientium videremus, præcipue Hepatis & Lienis: nam aliquot annis antea Hydrope laborauerat, qui morbus, affectus Hepatis, vel primario, vel ſecundario neceſſario comitatur, cumque ſub ſepto tranſ-

tranſuerſo, ſeu diaphragmate, atque coſtis ſpuriis, Hepar & Lienem quæreremus, ne veſtigium quidẽ illarum partium inuenimus. Caſus profectò inauditus, & admirabilis: at ſubſtantia omnium inteſtinorum carnoſa prorſus erat, & multo ſolidior, quam ipſa muſculorum caro, vt ſoliditate Cordis carni fere reſponderet, & vena caua ex ipſis inteſtinis ſuam originem ſumebat, eo fere modo, quo vena porta in ipſis inteſtinis ſolet implantari. Hæc ſane cauſa fuit, quod toties inflammatione & abſceſſu inteſtinorum laborarit: facilius enim quod carnoſum, quam quod membranoſum eſt, inflammatur, & in abſceſſib. torquetur. Nam carnoſæ partes plus, membranoſæ vero minus ſanguinis & humoris participant.

LAMBERTVS TVLVTANVS MEDIcus, ciuibus Antuerpienſibus adiuratus, manu propria hanc hiſtoriam texuit.

EGo ThomasComaus, *Chirurgus & Tonſor Antuerpienſis, atteſtor, me Dominum Matthiam Ortel Auguſtanum, piæ memoriæ, poſt eius obitum, in præſentia Domini Lamberti Tulutani Medici, mea ipſius manu ſecuiſſe, & in eius corpore inueniſſe, ac vidiſſe, quemadmodum præfati Medici teſtimonium aſſerit, in cuius rei fidem manu propria me ſubſcripſi.*

THOMAS COMAVS

Hanc hiſtoriam primus nobis *Clariſſ. V. Cyriacus Lucius Medicinæ in celebri Ingolſtadienſi Academia Profeſſor* prodidit, & apud hæredes Bernardi Mulleri, ciuis Auguſtani, (fuit enim Ortelius, qui Antuerpiæ obiit, patria Auguſtanus) impetrandam ſignificauit, cuius occaſione literas ad D. Thobiam Cneulinum Auguſtanum Medicum dedi, qui eandem integram confecutus, mihi liberaliſſime, vt multa alia, communicauit. Eandem paulo poſt *Cl. V. Ioach. Camerarius* vna cum illuſtribus aliis exemplis ad me miſit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Hepar duplex.

SEmel hepar duplex vidi. *Gemma libr. 2. Art. Cyglognom.*

OBSERVATIO.

Hepar in ſiniſtris, & lien in dextris.

SEmel vidi hepar in ſiniſtris, lien in dextris collocari. *Idem Cyglognom. lib. 2. pag. 75. Et Coſmocrit. lib. 1. cap. 6.* Cur (inquit) ſtupeant homines, ſi quemadmodum à nobis inter annotationes plurimas annotatum eſt) in nonnullis occurrat ſitus partium peruerſus plane, vt hepar in ſiniſtro hypochondrio, lien in dextro collocetur.

Referebat excellentiſſimus Aquapendens, ſeſe corpus cuiuſdam molitoris Pataùii ſecuiſſe, in quo inuerſum à natura hepatis & lienis ſitum quodam quaſi miraculo obſeruaſſet, lienem ſcilicet in dextro hepar vero in ſiniſtro latere collocatum. *D. D. Petrus Spererius de obſeru. propriis.*

MORBI ET SYMPTOMATA IECORIS.

OBSERVATIO.

Periculoſæ iecoris obſtructiones ex craſſa bile.

NONNVNQVAM bilis flaua in iecore præter naturam diutius coercita, nec tempeſtiue expurgata, mire craſſeſcit, graueſq; & admodum periculoſas iecoris obſtructiones inducit, vt quæ interdum etiam in cyſti lapideſcat. *Fernelius lib. 6. cap. 4. Patholog.*

OBSERVATIO.

In meatibus iecoris, quibus eiuſdem obſtructiones excitantur, ſi caruncula aut verruca innaſcatur, deploratum malum eſt.

SI in viis (quibus obſtructio hepatis oboritur) innata intus caruncula fuerit, aut verruca, irremediabile malum eſt. *Alex. Benedictus lib. 14. cap. 38. de curand. morb.*

OBSERVATIO.

Febris, lateris dolor, ad hepatis obſtructionem conſecuta, & enemate ſublata.

ACceſſit puella ad Syluium, quæ nocte anteacta raphanidas multas deuorauerat, deinde quæ largo potu ſe iniurgitarat, repente poſt rigore, febre, doloreque lateris vehementiſſimo correpta eſt, quę omnia hepatis obſtructionem ſequebantur, conualuit enemate ſolo, & medicamento conuenienti. *Iacob. Douinetus Apologiæ lib. 3. cap. 2.*

OBSERVATIO.

Medicus quidam Siculus Pleuritide ſe affectum falſo credens, à Galeno iecoris vitio laborare conuictus eſt.

QVum primum Romam veniſſem, magnifice admiratus eſt me Glauco Philoſophus ob huiuſcemodi quandam dignotionem. Etenim per viam mihi occurrens, opportune (inquit) aduenisti, iungensque dextram dextræ, proximi ſumus (inquit) laboranti, quem nuper vidi: itaque oro, vt vna mecum ad ipſum venias: eſt autem Siculus medicus, quẽ non ita pridẽ mecum ambulantem vidiſti. Ego vero, quid, inquam, moleſtat ipſum? Tum ille & copioſe admodum & aperte id declarare aggreſſus eſt. Neq; enim adeo erat vafer, vt aliquid me celare poſſet. Quoniam heri (inquit) & Gorgias & Apelas mihi nunciauerunt. notiones præſagiaque edidiſſe te, quæ ad diuinationem potius, quam ad medicinam pertinere videbantur: cupio equidem periculum facere, non adeo vt tuam experiar doctrinam, quam vt ſciam, num tanta ſit in arte medica tum cognoſcendi, tum præſagiendi facultas. Interim cum hæc diceret, venimus ad laborantis hoſtium, vt neque verbo eius prouocationi reſpondere, neque etiam ea, quæ ſæpenumero me dicere audiuiſtis, effari poſſem: quod ſcilicet multa interdum nobis feliciter facileque appareant, interdum vero omnia ſunt ambigua: atque idcirco & alteram & tertiam quoque conſiderationem expectamus. Itaque in primo ſtatim aditu obuiam nobis venit quidam peluim à cubiculo efferens, continentem tenuem cruoris ſaniem, carnium nuper mactatarum ablutioni haud abſimilem, euidentiſſimum affecti iecinoris indicium, qua vix dum inſpecta, vna cum Glaucone ad medicum ingreſſus ſum. Apprehendi itaque manum in carpo, id eſt brachiali, quo intelligerem vtrum inflammatio, an ſola imbecillitas eſſet in viſcere. Quia vero medicus erat: nuper (inquit) à de-

iectione decubui, itaque perpende arterias ob id quod ſurrexeram crebrius pulſare. Hæc quidem ille dixit: ego autem deprehendi inflammationis indicium. Proſpicienſque ad feneſtram, hyſſopum ex aqua mulſa decoctum in olla conſideraui. proinde cogitaui medicum ſe pleuriticum eſſe putare, dolore videlicet nothas coſtas infeſtante, qualis iecinoris quoque inflammationibus aliquando accidere conſueuit. Hunc itaque cum ſentiret, eſſetque ſpiratio & parua & crebra, atque exigua tuſſi infeſtaretur, pleuriticum ſe eſſe exiſtimabat, quamobrem hyſſopum quoque ex aqua mulſa præparauerat. Intelligens itaque ego, quod fortuna viam mihi præberet, qua apud Glauconem clarum nomen adipiſci poſſem, manum eius ad nothas in dextro laborantis latere coſtas detuli, indicatoq; loco, dixi eum ibi dolere. Quod cum ipſe fateretur, Glauco ex ſolo arteriarum pulſu exiſtimans me ſedē affectam inueniſſe, plane admirari me cœpit. Verum vt vehementius ſtuperet, hæc quoque addidi: Quemadmodum in hoc loco dolere te confeſſus es, ita velim fatearis, etiam tuſſiendi cupiditate vexari te: etenim ex longis interuallis tuſſis exigua, arida, ex qua nihil expuis, moleſtare te ſolet: atque ita me dicente incœpit forte fortuna huiuſmodi quadam tuſſis ſpecie tuſſire. qua de re tanta admiratione Glauco commotus eſt, vt continere ſeſe non valens, magna voce exclamando in laudes meas prorumperet. Tum ego (non putetis (inquam) ſola ex arte poſſe præſagari.. Sunt enim alia quoque quæ nunc dicere aggredior. Quibus & laborans ipſe teſtimonium feret. Itaque rurſus incipiens dixi: cum magnam trahis ſpirationem, dolor ea parte, quam notaui, vehementius te cruciat, ſentiſque in dextra præcordiorum parte grauitatem. His auditis, ne infirmus quidem ſeſe potuit continere, quo minus præ vehementi admiratione, vna cum Glaucone exclamaret. Itaque ſentiens equidem arridentem mihi fortunam, de iugulo quoque, quod videlicet ad inferiora trahi videtur, aliquid afferre volebam: at quia magnas inflammationes, quemadmodum & ſcirrhum, id comitari ſolet, dicere non auſus ſum, veritus ne laudem, quam ante de me excitaueram, ſauciarem. Cumque animum induxiſſem, tuto me aliquid eloqui oportere, aſpiciens laborãtem, haud ita multo poſt (inquam) iugulum ad infernas partes detrahi ſenties, niſi fortaſſe id iam antea tibi euenerit. Atque cum hoc quoque fateretur, conuerſis equidem oculis ad ægrotantem mirifice attonitum, vna (inquam) addenda eſt prædictis diuinatio. Etenim dicam, quam de morbo ſuo laborans ipſe habuerit ſuſpicionem. Tum Glauco ne de hac quidem diuinatione deſperare ſe aiebat. Laborans autem incredibili hac pollicitatione in ſtuporem adductus, & acriter me intuens, quid eſſem dicturus attenta mente expectabat. Igitur dicente me, quod infeſtantem morbum pleuritidem eſſe putaſſet, ille ingenti cum admiratione huius quoq; rei ſe teſtem exhibuit: id quod etiam affirmabat ex aſtantibus vnus, qui paulo ante latus eius ex oleo fouerat. Atque ex eo tempore Glauco cum de me, tum de vniuerſa arte quam optimam concepit opinionem, cum antea nihil magni ab arte expectaret, vtpote qui nunquam cum conſummatis in arte viris verſari conueuiſſet. *Galen. lib. 5. de loc. affect. cap. 7.*

Observatio.

Hepatitis endemia ſeu vernacula noua.

QVendam affectum, medicis ſtudio ſingulari expendendum inuenio, qui hepatis quædam imbecillitas, cum calida & humida eius intemperie eſt. Hic ob hominum naturalem cõnatamve diſpoſitionem, viuendi conſuetudinem, atque externas, quibus exponuntur, cauſas alias, frequentius nationis huius, quam aliarum prouinciarum incolas, inuadere ſolet: mihique non immerito patrius hepatis affectus, ſiue hepatitis patria dicendus videtur: quem ſuo in loco, Deo id concedente, deſcribere conſtitui. Hunc ligni cotonei viribus conferens, clare ſatis & facile deprehendo, quod ad eius tam præſeuerationem, quam curationem emolumenti plurimum inde manare poſſit: Perpendens etiam quod idem hic morbus noſtrates perplures, & quidem multos, qui ſecurius vitam agunt, incautos ſæpe inuadat, ac iis id nondum aduertentibus radicem agat, atque quod medicis, qui ad ipſius initium rarius veniunt, & mira accidentium varietate in progreſſu apparente, facile diſtrahuntur, nec remedia illi appropriata ab authoribus aſſignata, ſicut nec ipſum morbum ſatis, vt neceſſitas præſens exigit, inter alias morborum ſpecies curandas, perſpicue ac fuſe deſcriptum reperiunt, perſæpe laboris plurimum pariat: Videns quinetiam, quod lignum hoc dicto morbo arcendo competens, his in regionibus colligi, pretio tolerabili cõparari, recens & minime adulterinum haberi, ſecure abſq; ſingulari alicuius periculi metu, & abſq; nauſea vſurpari poſſit, id quoque aliorum, ſi neceſſaria fuerit, admixtionem facile admittat, aliiſque commiſceri, aut eorum vſui coniungi queat; ac denique quod remedia multa alia, quæ etiam talem hepatis morbum reſpiciunt in eo ſuperet, quod conditionum requiſitarũ per plures ſimul iunctas obtineat: non tamen ſecundum ſuam naturam multa aut magna (ſi modo aliqua) incommoda vel ex accidente producat. Non vt opinor abſq; ratione eam in ſententiam deſcendo, vt coroneũ hoc lignum hominibus continuo ſeruandum dicam: atque inſuper vt peculiare domeſticum quoddam remedium, auertẽdo huic malo patrio idoneum, nobis ſingulari benignitate diuinitus conceſſum, ideoque magna animi gratitudine acceptandũ arbitrer, ac propterea ſtudio ſingulari frequentius vſurpandum, nec vllis quamuis laudatis, huiuſmodi remediis facile poſtponendum conſulam. *Cyriacus Lucius de Ligni Cotonei natura, viribus, & vſu.*

Observatio.

Iecinoris vitio laborans ſola ſanguinis miſsione ſanatur.

IEcinoris vitio afficiebatur Antonius Brunelleſcus, ex quo cum vehemens dolor à latere dextro in iugulum humerumque tranſmitteretur, & bilem quoq; euomentem ægrum ſingultus etiam pene ſtrangularet, ad hominem vocatus accedo. Verũ cum huiuſmodi vitii notæ eædem fere ſint, quæ & lateris abſceſſum indicant, Medicus, cui primum ægri cura demandata fuerat, medicamentis & cataplaſmatis eius pectori medebatur. Sed cum dolor & anguſtiæ magis magisq; hominem afflictarẽt, iubeo ſanguinẽ ex vena, quæ ad iecur dirigitur, ſtatim

diduci:

diduci:& quæ ille inſuper pectori adhibuerat medicamenta iecinori ipſi impono, donec æger ad ſanitatem reuertitur: quod paucis diebus factum eſt. Oportet igitur Medicum non ſolum morbum cognoſcere, ſed & locum etiam in quo fit diligentius perſcrutari. *Beniuenius c.75. de abditis.*

Observatio.

Hepatica puellæ, extenuatione & exſiccatione affecta curatio.

Exemplo nobis ſumamus puellam Lucenſem. In ea primum intemperies erat calida, cuius ratione hepatica dicebatur. Erat extenuatio, qua in tabem tendere videbatur. Aderat & ſiccitas ſolidorum, quę incrementum corporis tardabat. Cui tametſi ſuccurri non poſſet, attamen prohiberi eius augmentum opus erat, vnde minus incrementum corporis impediretur. Erat enim in media adoleſcentia. Neceſſe itaque erat vt in complicato affectu, ad id, quod cauſa erat, maxime ſpectaremus. Nam ſine eius ſanatione neque alterum ſanari poterat: id erat intemperies calida & ſicca. In cuius ſanatione, quoniam ex longitudine affectus veriſimile erat acervata eſſe excrementa bilioſa, & id omnia teſtabantur: ideo cœpi primo vacuationem moliri medicamento quod minime excalfaceret: cuiuſmodi fuit aqua Villica, quam ſepties propinaui ea ratione, qua docui aquas propinari ſolere. A purgatione ad alterationem tranſiui, quam ſuccis herbarum efficere nixus ſum. Accepi cichorium & ſonchum: priorem quidem plantam egregie laudat *Galenus* 8. *Catatopus*, tanquam viſceri gratiſſimam, non refrigeratione ſolum, ſed & abſterſione, quam facit in venis illius: & adſtrictione, quam requirit iecur infirmum. Sonchus earundem facultatum eſt, plus tamen refrigerat. Hæc ambo in ſuccum redacta, mane cum modico ſacchari exhibui: idque per dies decem, quando iam remitti caliditatis ſigna omnia viſa ſunt. Interim tamen victus ratione ſum vſus, adhibendo omnia quæ refrigerant, vt ex herbis oxalidam, lactucam, portulacam, intybum. Ex fructibus vero pruna, ceraſa, melopepones. Euitaui ſalſa, dulcia, pinguia omnia. Interim & extrinſecus adhibui cataplaſmata earundem virium: vt quod ex farina hordei & ſuccis ſupra dictis conſtat: vel etiam epithemata, quæ in uſu ad talem intemperiem eſſe ſolent: mox & ab his illitiones ex cerato ſantalino dicto, aut ex cerato ſimplici Galeni. Demum ad extenuationem curandam acceſſi, & lactis potione ſum vſus, ea ratione, qua ſupra docui. His adeo profecit, vt & non modice carne repleretur, & colorem, ſupra quam credi poteſt, mutaret ad melius. *Leonard. Iacchinus cap.50. ad 9. lib. Raſis.*

Observatio.

De ſphacelo iecinoris.

Nobilis quidam ac generoſus vir, nonnullarum rerum ſuarum iacturam paſſus, graui mœrore & animi dolore correptus, in melancholiam incidit, aſſidue triſtis, cogitabundus, ingemiſcens: parſimonia iacturam ſuam reparare laborabat: metuebat lemures & ſpiritus quoſdam. Cum autem malum intenderetur, nec ſpes aliqua ſupereſſe videretur, vt ad mentis ſanitatem redire poſſet; commiſſus eſt monachis quibuſdam, apud quos multis annis vixit, perpetuo ſui ſimilis, cogitabundus, ſuſpitia ducens, ſolitudinis amans, à riſu ac iocis omnino alienus. Poſtquam autem hoc modo annis (plus minus) 20. vixiſſet, tandem de virium ſuarum debilitate conqueri cœpit, & cibum ac potum auerſari: quæ tamen citra appetentiam admiſit, & admonitus aliquanto tempore ſumpſit. Nulla aderat febris: ſitis nulla, vniuerſum corpus frigere videbatur, pedes proceſſu temporis œdematoſi facti ſunt. Vrinæ autem rubicundæ erant, veluti ſi febris ardens, aut iecinoris inflammatio adfuiſſet, quæ quales reddebantur, permanebant, nec ab aere aut frigore perturbabantur. Malo autem ingraueſcente, ad alium cibum ſumendum, præter exiguam ſorbitionem, adduci haud potuit. Ita tandem deficiente naturali facultate, inedia quodammodo confectus, è vita migrauit. Huius hepar colore vndiquaque nigrius, quam ſecundum naturam apparuit: ſed tamen minus nigricans, quam pulmonis ſphacelo correpti ſubſtantia: impreſſorum digitorum, vel alterius cuiusq; rei veſtigia facile retinuit: nec minus facile ſoluta parenchymatis vnitate, rimas contrahebat. Manifeſtum hinc hepar huius ſphacelo quoque correptum, & vrinæ ruborem haud à calore iecinoris, ſed ex debilitate pene abolitæ facultatis naturalis, natum fuiſſe: vrinam eadem de cauſa talem permanſiſſe, qualis fuit reddita: quod crudiſſimis proprium eſt. *Dodonæus cap.30. obſeru. Medicinal.*

Observatio.

Mira affectionis hepaticæ cuiuſdam vis, qua laborantes domeſticos mures obſeruando proſequebantur.

IN Meloniis ſcriptum eſt, morbi iecinoris hoc eſſe indicium, quod eo laborans, mures domeſticos accurate obſeruet & conſectetur, id vero nunc fieri nuſquam videmus. *Plutarchus Sympos. lib.8. probl.9.*

TVMORES IECORIS.

Observatio.

De Apoſtematibus in iecinore inuentis.

Bononiæ in Xenochio, quod in hoſpitale della morte vocatur, ſecuti quendã diuturno morbo vndiq; abſumptum, cuius iecur ita putridum ac purulentum fuit, vt integræ hepatis ſubſtantiæ vix quadrans reſtiterit. Lien ſolito maior erat, forſan in iecinoris tanta corruptela conſummationeque (vt quidam anatomici volunt) iecinoris vicem geſſit, & totum corpus, quod ex cutis colore, aliisque humoris melancholici ſignis, coniicere licuit, melancholico ſanguine aliquandiu enutritum fuit.

Adiiciam hic hiſtoriam præcedenti non valde diſſimilem, notatu vero, apoſtematum iecinoris cognoſcendorum gratia, valde vtilem. Anno 1570. ciuis quidam Noribergenſis, natus annos 42. totus cholericus, leui tuſſi correptus, de moleſto quodam hypochondrii dextri dolore, edendi appetitus amiſſione, totius corporis languore, æſtu aſſatim & plerunque faciem manuumque palmas pedumque poſt cibum plantas inuadente, oris ariditate conqueri cœpit: vi morbi creſcente, viribus decreſcentibus, corpore extenuato, totius anni ſpatio poſt coactus fuit decumbere, ac Medicorum opem implorare,

plorare. vſus eſt multis ac diuerſis remediis, ac nullo cum fructu, tandem & me ſimul cum aliis accerſiri iuſſit. inuenimus inter cætera febrim quandam erraticam, atque tumorem durum tenſiuumque in hepatis regione, ad medium ventris & vmbilicum vſque protenſum, febris minime erat intenſa & periodica, ſed hecticæ ſimilis, quæ incerto tempore ſubinde tempore per totum corpus diffundebat æſtum ſolito maiorem, qui interim prius, interim tardius remiſit. magis potus quam cibi deſiderio moleſtabatur, vt fere ſemper hominibus, qui ſimilibus affectibus, vel etiam hepatis magnis obſtructionibus, ſcirrhis, quibus calida præter naturam intemperies accedit, vſu venire ſolet. Tumor erat durus cum magna tenſione & vehementi punctione, doloreque hulceroſo coniunctus: quamuis nulli lateri incumbere potuerit, tamen facilius dextro, atque ſiniſtro, ad quod quid ponderoſi in corporis commotione perlabi ſenſit: aluus erat difficilis, & cum clyſteriis vel lenientibus pharmacis commouebatur, exibant fæces bilioſæ, & pituitoſæ corruptæque, vrina fuit ſubflaua, tenuis, cum pauco ſedimento, eoque diuulſo. Punctio, quæ ægro omnium moleſtiſſima erat, nullis vnctionibus, emplaſtris cataplaſmatibusque remitti quiuit. tandem barbitonſor quidam doloris mitigationem pollicitus eſt, & impoſuit cataplaſma anodynum, emolliens & ſuppurans, vnde tumor creuit efferebaturque magis ad vmbilicum, & dilatabatur ita, vt quidam ſuſpicati ſint hunc morbum in hydropem terminaturum. aliquot diebus poſt in ilio dextro in conſpectum venit tuber, quod barbitonſor exiſtimauit, ab apoſtemate inter muſculos abdominis generato, prodiiſſe, quare apertionem ſuaſit ego cum nec vndationem, nec alia ſuppurationis ſigna manifeſta iſthic deprehendere potuerim, conatui barbitonſoris reſtiti. æger morbi moleſtia ac diuturnitate pertæſus, permiſit ſibi à barbitonſore lapidem cauſticum (ab inciſione enim abhorrebat) apponi. Hic lapis cauſticus triduo, maximo ægri dolore ac cruciatu, abdominis muſculos ad peritonæum fere vſque pertoſit, & antequam abdomen penetraret, pus in folliculo collectum intus folliculum rupit, atque per abdominis cauitatem, inter peritonæum & inteſtina diſperſum eſt, tumor deſiit, durities euanuit. eodem die aliquot animi deliquiis correptus, animam dedit. Aperto corpore, inuenimus vomicam ſimæ parti hepatis, cuius non parum putrefecerat, connatam, eamq; ſatis magnam atque apertam. reliqua fuere ſatis ſana. *Cotter in libello obſeruat. Anatom. Chirurg.*

Observatio.

Phlegmone hepatis lethalis.

Nobilis Antonius Porcellus, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Protonotarius, phlegmone hepatis diu vexatus, tandem moritur, multis ac grauiſſimis ſymptomatis conflictatus. *Valleriola lib 3. obſeru. 9.*

Observatio.

Abſceſſus in gibba hepatis obortus, ſectione apertus, immiſſa vlceri fiſtula: vnde æger intra annum conualuit.

Abſceſſum iecoris in parte gibba, collecta ſanie inter membranam & carnem omnino alba, læui & ęquali, ego ſanaui, imperata ſectione è regione illius partis, quo in loco tumor quidam inter coſtam & coſtam eminebat: ſectionem adminiſtrauit *Antonius Caſotus Patauinus*, qui quiduis aliud exiſtimans, impetum exilientis puris primus in ſeipſum ſuſcepit. Sanies educta, octo dierum ſpatio libras 12. exceſſit. Per annum integrum fiſtula plumbea in loco aperto geſtatâ: optime conualuit, etiamnum viuit, Pigozzo nomen eſt Nautæ Patauini. *Cl. V. Hercules Saxonia, in ſuis ad me tranſmiſſis obſeru.*

Patauii quidam deplorato iecoris vlcere laborauit, homo robuſtus alias, & nauticis laboribus addictus. Huic, medicus tum temporis Venetus Clariſſimus H.S. præter reliquorum medicorum conſilia curauit abdominis partem in regione iecoris nouacula aperiri, vt plurimum puris per vulnus efflueret. Vnde poſtmodum bene curato vulnere, homo ſuperſtes manſit: & triennio poſt ſaltauit ac laborauit, nihil ſentiens incommodi. *Hier. Capiuaccius pract. lib. 3. cap. 23.*

Observatio.

Tumor infra cartilaginem enſiformem ſubdurus, indolens, pugni magnitudine, viro nobili enatus: in quo, per ſectionem aperto, trecentum veſicæ, aqua pellucida refertæ, vna cum humore craſſo ſebaceo, & pure, comperta ſunt: ægro ad annum fere ſuperſtite, cuius cadauere diſſecto, obſeruatus abſceſſus in gibba hepatis. plenus veſicis & materia putrida: alius item maior in pulmonibus, vterque putrida materia ferme ſex librarum pondere repletus: tertius magnitudine oui anſerini, in ima hepatis, qua parte inteſtino erat connatum: quartus in exitu meatus fellei ad inteſtinum, magnitudine oui columbini.

Genere ac doctrina nobilis, & virtute præſtans vir, Dominus Ioannes Chriſtophorus à Gich, ante quinquennium, ex maxima refrigeratione crurum, totiusque corporis, & vehementi, ſubitaque animi conſternatione, tuſſi fuit correptus, & deſtillatione, quæ paulo infra cartilaginem enſiformem tumorem excitarũt: qui fuit ſubdurus, colore æqualis, & ſine dolore, ſenſimque, ægro vix percipiente, auctus eſt. Accedente vero ratione victus praua, cum inſuper curis & ſtudiis continuis obrueretur, & neceſſarius remediorum vſus negligeretur, ſuperuenit cachexia, appetitus deiectio, vomitus creber, à vehementiſſima tuſſi originem ſumens. Tandem tumore illo inſigniter aucto, & cute abdominis, ob illius incrementum, nimium extenſa, æger curuatus & in ſe quaſi retractus, cum ſumma moleſtia & dolore ingredi coactus, & ſe oleis ſtomachicis, ſatis calidis, ſæpius cum valentiore frictione inungere compulſus fuit. Sed tumore, tuſſi appetitus proſtratione, virium omnium debilitate, indies magis magiſque ingraueſcentibus, & ſuperuenientibus inſuper faciei & pedum tumoribus, ad Medicos & Chirurgos cõfugit, inter quos doctiſſimus Volckerus piæ memoriæ, tumorem iſtum iudicauit eſſe abſceſſum, & ſectione opus fore, quod cum æger concederet, & alii eius ſententiæ ſubſcriberent, hamato cultello, ad pugni magnitudinem elatum, mollem, & acuminatũ, aperit, quo facto, non ſine admiratione aſtantiũ, magno impetu eruperunt plurimæ veſicæ, partim diſruptæ, partim integrę, tenui & pellucida aqua refertæ: Harũ aliquot magnitudine erãt oui gallinacei,

gallinacei, vel oui columbarum, nonnulli minores, quæ inter tuſſiendum ſatis longe protrudebantur. Cum his veſicis ſimul emanabat humor quidam craſſus, viſco concreto, vel etiam ſeuo non diſſimilis, præterea aquæ puriſque non parum. Vnde triplicem materiam ad hunc tumorem, quem abſceſſum ſteatomaticum eſſe iudicarunt, concurriſſe exiſtimabant. Veſicarum ſecundum obſeruationem medicorum & aſtantium fuiſſe vltra trecentas compertum eſt, quæ quaternis vel quinis vicibus exierunt, & vix capaci ſatis vaſe, quæ quatuor libras continebat, excipi potuerunt. Deprehenſum eſt veſicas iſtas in abdomine (quod D. Volckerus ſæpius in Anatome corporum ſeſe animaduertiſſe perhibebat) primo fuiſſe generatas, deinde per violentiſſimam tuſſim in iſtum locum propulſas. Quia ab aliis muſculis eſt liber, & abdominis longi muſculi ſatis procul à ſeſe diſtant, & propterea facile abſceſſus admittunt. Eſtque veriſimile, à vehementiſſima iſta commotione, & tuſſi continua, veſicas fuiſſe liberatas, & ex colluuie prauorum humorum non exiguã eſſe generatam putredinem. Tertio die poſt apertionẽ, ita frequenter veſicæ exire ceſſauerunt, ac ſecutum eſt pus fœtidum, & viſcidus humor, non ita tamen copioſus vt antea, poſtea materia reddita eſt tenuior, liuida & fœtida admodum. Exhibita medicamenta tum purgantia, tum abſtergentia, itemque per vices corroborantia, & exiccantia, cum exiguo tamen fructu. Æger enim inde nõ quidem debilior factus, ſed non etiam ſenſit magnam leuationem. Manſit faſtidium cibi, præſertim carnium, tuſſis tamen remiſit, venter intumuit, reliquis mẽbris atrophia laborantibus, nec abfuit febris lenta. Bona tamen victus ratione & medicorum diligẽtia fere annum ſuperuixit, & tandem maraſmo obiit. Poſt obitum obſeruatum primo fuit epar ſolito grandius, & colore liuido. In ſuperiore parte verſus diaphragma abſceſſus ſeſe in eo obtulit plenus veſicis & materia putrida circundatus quaſi cartilaginoſa membrana, qui corrupit epar, & eroſit vſq; ad ciſtim felleam. Similiter in pulmonib. adhuc maior abſceſſus inuentus, fuitque putrida materia contenta in vtroq; abſceſſu ferme 6. librarum pondere. Tertius abſceſſus magnitudine oui anſerini, infra epar ad inteſtinum colon erat annexus, cuius membrana pariter denſa. Meatus iſte felleus in inteſtinum quoque fuit interceptus, & in eius exitu collecta materia puris albi, in peculiari abſceſſu magnitudine oui columbini. Cor ſatis naturaliter ſeſe habuit; attamen exangue, in quo loco ſanguinis fibræ nigræ, viſcidæ, ſunt repertæ. Ventriculus, lien, renes, inteſtina & veſica, omnia adhuc fuere integra. Huic curationi magna ex parte ipſemet interfui Anno 1574. 17. Aprilis. *Ioachimus Camerarius de Obſ. proprijs.*

Observatio.

Abſceſſus hepatis ſæpe per vomitum, aluum, aut vrinas expurgari, aut in abdominis capacitatem exonerari.

Cum exiguus eſt hepatis abſceſſus, ſi vires ſatis conſtent, pus nonnunquam vomitione prorumpit, aut per aluum, aut per vrinas profunditur. Sed & interdũ ſiſſa vel exeſa iecoris ſubſtantia id excidit in abdominis capacitatem, quo & hydropicorum aqua confluit. *Fernelius libro ſexto cap. 4. Pathologi.*

Observatio.

Latens hepatis abſceſſus, tumore in ventris parte muſculoſa ad ſternum regione ſuborto, manifeſte ſuppuratus.

Qua parte recti muſculi ad ſternum pertinent, puero cum abſceſſu in ventre tumor manifeſta digito cedens, obtigit. Vocati fere omnes iudicarunt abſceſſum in rectis muſculis: alii in ventre, qui attenuato vehementer puero, & conſumtis muſculis, facile emineret tumor. Pauciſſimi in hepate, quod quibuſdam hepar totum ventrem ad partes ſiniſtras pertendat. Aperto loco, exiit pus viroſum & grauiter fœtens, corrupto peritonæo. Abſceſſus ſedes in parte hepatis, quæ illic perueniebat. Quod magis apparuit mortuo & diſſecto puero. *Hollerius lib. proprio obſeruat. 30.*

Observatio.

Hepatis abſceſſus per tuſſim aut excreationem expurgatus.

Memini me cum præceptorib. meis (inter quos etiam fuit Benedictus Victorius) Bononiæ vidERE phlegmone heparis laborantem, qui abſceſſu rupto, magnam vim puris, cum ſanguine miſti, tuſſi reiiciebat. Cum de via, per quam ab hepate in pectus abſcenderet, quæreretur, alia inueniri non potuit, quam vena caua: ab hac in dextrum cordis ſinum effundi, & ex eo ad pulmones transferri dictabat ratio. *Eraſtus parte 4. Diſput. de putrid. Febr.*

Observatio.

Ex vomica hepar putrefactum, ad ſuras putrilaginem tranſmittit.

Mirum forte, quod nos bis terue obſeruauimus dolores ſuræ intolerabiles in febre, qui neque fotu, neque litu, neq; cataplaſmatis ceſſerunt. Mortuis ergo ægris, inſſimus crura & ſuras aperiri nouacula, inuentumque pus album, pallidum, læue, æquale, ſpatiis inanibus diffuſum, & maiore vena cõcluſum. Atq; vt notaretur locus, vnde pus eiuſmodi, aperto ventre vomicoſum hepar & putre inuentum eſt. Itaque veriſimile eſt loco ſanguinis, pus per maiorem venam in crura & ſuras, quæ admodum venoſæ ſunt, tranſmiſſum. *Iacotius Comm. ad Coac. Hipp. pag. 349.*

Hollerius ſcribit adoleſcenti ſexdecim annorum crus dextrum vehementer doluiſſe, nulliſque ceſſiſſe remediis. Acuta febris, vrinæ fæculentæ, ſitis parca, reliqua mediocria, niſi quod delirauit interuallis. Tribus ante mortem diebus obſcuratum lumen & ſplendor oculorum, palpebræ liuidæ: poſtea quoque cœpit & ſiniſtrum crus dolere. Decimo quarto obiit. In mortuo abſceſſus cum pure albo in apice gibbæ hepatis & muſculis obliquis. Diſſectione cruris anteriore parte facta, in mediis muſculis pus album & craſſum inuentum, quod & in aliis viſum fuerat. In corde ſanguis veluti muccoſa pituita. Eidem abſceſſus purulentus ſub ala dextra, & impotentia brachii dextri. Et certe ſpontanei longique dolores crurum & partium inferiorum, vt hoc obiter dicam, vlcera quoque & color malus viſcerum latens vitium oſtendunt. Hinc intelligitur pus intus ſuppreſſum, non ſolum locum in quo eſt, putredine cor-

corruptelaque deprauare, ſed etiam partium circumpoſitarum, & earum omnium, in quas ſeſe inſinuare poteſt, temperiem & naturam euertere. *Idem pag. 826.*

Vir quidam Lutetiæ anno 1587. cum hepatis abſceſſu diu laboraſſet, & puris magnam copiam reieciſſet, tandem extinctus. Cuius corpore aperto, repertæ fuere venæ vſque ad tibiam puræ refertæ, & ſiniſter teſticulus putridus. CL. V. *Caſp. Baubinus de obſeruat. propr.*

OBSERVATIO.

Hepatis corrupti, maleq; conſtituti Exemplum.

NOs vidimus Viri hepar vnà cū folliculo, reductę iecinoris regioni ſubnexo, corruptū, calloſum, ἄναγγειον, & ad generationem ſanguinis nauci: lienem vero magnitudine flore & colore cum hepate ſano certantem. *Hieron. Reuſn. lib. de ſcorbuto, Exercit. 4. pag. 199.*

OBSERVATIO.

De iecore in totum putrefacto & fœtidiſſimo.

CLodiæ in monaſterio diui Franciſci ordinis minorum qui Zocolanti nuncupantur, die 23. Octobris, hora ſecūda noctis, anni 1578. ego cum Clariſſ. viro Domino Marco de Nigris, collega meo ſemper colendo, necnon cum magiſtris Scipione, Iulio, Doſcolis, Antonio Piccolo, & aliis multis, cadauer cuiuſdam Cortigianæ Venetæ, & octo menſium grauidæ, à ſepultura, magiſtrat⁹ iuſſu & authoritate, extraximus, hac potiſſimum ratione, vt vere ſciretur, num veneno, aut alio morbo extincta fuerit: eius enim leno, fœtum iam à quatuor diebus in vtero mortuum matrem enecaſſe, certo affirmabat. Quare extracto magnis laborib. cadauere, & opportune commodeq; locato, ipſum vt decet diſſecui, & vterum plane à corpore liberaui, & ſuper aliā menſam, in loco minus fœtenti reportaui, ibidemque diſſecui, quo diſſecto fœtu mortuum omnibus ſuis inuolucris denudaui, & ſingula diligenter examinaui, nullam tamen in illo fœtu mortis cauſam reperi. Vnde ad reliquum cadaueris rediens, naribus aceto fortiſſimo & angelica bene munitis, propter incredibilem eius fœtorem, reliqua viſcera contemplari volui, & primo inteſtina, deinde ventriculum, mox iecur, quod plane putridum & fœtidiſſimum offendi, ita vt nullus aſſiſtentium ibi manere potuerit, & ſic feſtinanter, & quaſi per tranſennam corde viſo, reliquiſque naturalibus & vitalibus inſtrumentis, vnicum iecur mortem attuliſſe, certe & bona conſcientia pronunciauimus. CL. V. *Georg. Garnerus de obſeru. propriis.*

OBSERVATIO.

Hepatis ſubſtantia prope in totum abſumta, cuius loco putrilago ac purulentia tanquam marſupio concluſa animaduerſa.

VIr quidam Gallus natione, in capite grauiter cum oſſis depreſſione luculenta vulneratus, cū non ſine vitæ periculo euaſiſſet, poſt menſes aliquot in morbum incidit: vocatus ad eum, de affectus eſſentia ac ſymtomatis à Medico, qui curàm eius habebat, ac tum forte aberat, nihil intellexi: aſſiſtentes vero referebant medicum capitis vulneri dudum perſanato malum omne adſcribere. Ego hominem ictericum, cum lenta febre, delirio, & totius corporis atrophia conſpiciens, alibi morbi cauſam latere ſuſpicans, ac iecoris regionem manu tractās, duritiem cum dolore deprehendi, eamque ſedem male affectam, cerebrum vero illæſum eſſe pronūciaui. Obiit vero ille eodem die. In diſſecto capite nullum prorſus vitium apparuit. Abdomine aperto, hepatis ſubſtantia fere tota abſumta: ipſiusq; loco putrilago, ac purulentia, tanquam in ſacco incluſa, eſt inuenta. Vrina hominis, pro ratione lethalis morbi vſq; adeo vitioſa non erat: quæ hiſtoria, quam fallax ſit coniectura ex ſolis vrinis facta, declarat. *De* CL. V. *Thomæ Mermanni, Sereniſſ. Bauariæ Ducis Archiatri obſeruationibus lectiſſimis.*

OBSERVATIO.

In iecore tumores, maxime ſteatomata viſa.

IN cadauerū diſſectionibus, ſæpe in iecinoris ſubſtantia vidi tumores, maxime vero ſteatomata. *Trincauella lib. 3. cap. 27. De comp. medic.*

Sæpe iecur animaduertimus tuberculis & abſceſſibus inſtar furunculorum obſideri, nullo hypochondrii dolore, nullo tumore, nullo decubitu difficili. *Fernelius lib. 6. cap. 4. Patholog.*

OBSERVATIO.

Lapides in abceſſu hepatis notati.

LApides qui ab abſceſſu redduntur, oſſibus ſimiles eſſe ſolent colore fuſco: Tales ab abceſſu hepatis, matris doctiſſimi cuiuſdam Nemauſenſis, redditos vidimus. *Rondeletius cap. 44. Meth. curand morb.*

OBSERVATIO.

De ſcirrho hepatis, ad quem gangrena in crure dextro, & tandem mors ſubſecuta.

MArtha ab Stricto, mulier probatiſſima, Marini cauſidici præſtantiſſimi vxor, ſcirrho hepatis grauiſſimo male affecta, in aquam intercutem tandem incidit: qua diutiſſime laborans, & in deterius ſemper lapſa: gangrena & ſphacelo in crure dextro obortis, cum ſæuiſſimis ſymtomatis, febri acuta, animi deliquio, mentis alienatione, clamoribus validis, & doloribus contorta, miſere moritur. *Valleriola lib. 3. obſeruat. 10.*

OBSERVATIO.

De ſcirrho phlegmonode, cum hydrope ſequente ad ſcirrhum hepatis, cum moritura agra putaretur, ſanata eſt tandem magna cura.

DVlcis Gardiola vxor mea, ſcirrho hepatis phlegmonode cū ſumma duritie & dolore affecta, in ingētem ventris tumorē incidit: hydropica prorſus reddita, cum ſumma totius extenuatione annū totum perſtat, vt moribunda putaretur, præſertim quod hydropota eſſet, nec ſibi à potu admodum temperaret. Liberatur tamen integre congruis præſidiis, nutu Dei. *Idem lib. 1. obſeruat. 2.*

VERMES IN IECORE.

OBSERVATIO.

Vermes in hepate.

NAſcuntur & vermes in hepate atteſtante Albucaſi. *Hier. Montuus c. 19. Tom. 4. Anaſceu. Morb.*

Obſeruauit Monſpeſſuli an. 1572. filius meus Galenus Medicinarum Doctor, in cadauere puellæ cuiuſdam hydropicæ, quam ſecuit, duos ſpithamæ lōgitudinis vermes, quorum vnus meatum veſiculæ bilis

bilis duodeno inſertum occupabat, alter in ipſum-met hepar (ex defectu credo alimenti) progreſſus, gibbum iecoris obſidebat, capite ambientem viſcus illud membranam attingente. *Ioan.* Wierus *de præſtig. Dam. lib. 4. cap. 16.*

Anno 1578. Octob. menſe in Patauino Xenodochio à me obſeruati fuere, aſtantib. plurimis ſtudioſis, tam Germanis, quam Italis, inprimis vero Viro Excellentiſſimo D. Æmylio Campolongo, Profeſſore Patauino, obſeruati inquam fuere, in puero qui denos non excedebat annos, vermes in hepate. Res ita ſe habet. Puer hic cum morbillis laboraret, & ratione eorum vita functus eſſet, dubium erat inter nos, morbilli ne partes cum interiores, viſcera puta, affeciſſent & oblæſiſſent. Clariſſimus Campolongus voluit eius rei experientiam & quidem αὐτοψίαν habere, atque eundem puerum aperire iuſſit, vt viſcera ne aliquid paſſa eſſent cognoſceret. Eo ergo aperto, habita primum ratione hepatis, cum in ſanguine hic morbus ſedem habere cenſeatur, inuenimus vermes plurimos in ipſis venæ portæ ramis, & quidem in ipſis hepatis ramis, alii quidem viuentes adhuc, alii vero emortui, qui rubri, & pro ratione loci, in quo continebantur, oblongi erant, ſatis item magni, ſed molles ad tactum, gibboſi item quoad ſuperficiem ratione corporis concaui in quo geniti ſunt. Quare inter Clariſſimos medicos, preceptores meos, quos veneror, fuit diſceptatio nō leuis, quando nimirum, & quo in loco hi geniti fuerint vermes. Exiſtimauit enim ipſorum vnus, vermes dictos genitos eſſe in inteſtinis, & ex his per venas meſaraicas in portam, & de hac in alias venas hepatis diductos fuiſſe. Alter vero putauit genitos quidem eſſe in hepate, non tamen, viuo puero exiſtente, ſed in hepate pueri mortui. Tertius autem determinauit genitos eſſe in hepate pueri viuentis, atque genitos eſſe ex ſanguine pituitę permixto. Cuius ſane opinionis, & ego ſum cl. v. *Caſparus Bauhinus de obſeruationibus proprijs.*

VESICÆ IN IECORE.

OBSERVATIO.

In iecore veſica aqua plena, quæ rupta, aſcitem aliquando creant.

Vidimus ſæpe iecur, non in nobis tantum, ſed & in animalibus occiſis, plenum aqua, quoniam in membrana ipſum obuolente continetur, plures efficiens veſicas. Hæ quoq; rumpuntur, & aqua defluit intra peritonæum, cui omētum eſtadiunctum. Hac ratione aqua inter cutem, quæ aſcites dicitur, generatur. *Chriſt. à Vega Comm. ad aph. 55. lib. 7. aph. Hipp.*

OBSERVATIO.

Veſiculæ aqueæ in hepate, liene, bilis veſicula & meſenterio.

Veſicas tenuiſſimas, pellucidas, aqua diſtentas, pomi magnitudinem nonnunquam æquantes, hepatis ſubſtantiæ accreuiſſe, in cachecticis ſæpe inueni. Sed & ſimiles ex hepate, & liene ſimiæ, quamplurimas circa ſectionē expreſſi, integraſq; manibus excepi, ſeroſo humore ſubrubro refertas, aliaſque citrina aqua turgentes è bilis veſicula exemi. Quales quoque, ſed limpidiſſima aqua plenas, meſenteriis porcorum adnaſci, lanii aliquoties mihi oſtenderūt, idque ſæpius ſe obſeruaſſe prædicarunt, quod & in hominibus accidere poſſe, cum homo omnib. morbis, quibus & beſtiæ, longeq; pluribus obnoxius ſit, mihi dubium minime exiſtit. cl. v. *Felix Platerus de obſeruat. proprijs.*

LAPIDES SIVE TARTARVS IECORIS.

OBSERVATIO.

Varij generis formæq, calculi, vel in hepatis ſubſtantia, vel eiuſdem venis nati, & recentioribus obſeruati, qui difficillimos & immedicabiles morbos, ícteros, hydropem, cum grauiſſimis ſymtomatibus, & mortem denique attulerunt.

Mulier quædam nobilis, dolore exorto circa iecinoris partes, cum diu multumq; angeretur, ac propterea quamplurimos medicos conſuluiſſet, effugere tamen illud malum nullo præſidio poterat. Quare opem noſtram vna cum aliis experiri placuit. Conuenimus igitur plures Medici, & quęnam eſſent huius morbi abditæ cauſæ, hinc inde plurimo ſermone diſcuſſimus. Verùm vt cōtingere in rebus dubiis plerunq; ſolet, ſententia non cōuenimus. Cum pars iecinoris abſceſſum, pars malum habitum indicaſſet: nos vero vitium in mēbrana cōtegente ineſſe credebamus. At illa cum inualeſcente morbo paucis poſt diebus, vt nos etiam ex certis indiciis pari conſenſu prædixeramus, è vitâ migraſſet, mortuę corpus incidendum curauimus. Et inuentæ ſunt in iecinoris membranulæ parte decliuiori congeſti lapilli, figura & colore diuerſi. Alii enim rotundi, alii angulares, quadrati alii, prout poſitura & caſus effecerat, maculis etiam rubeis, cæruleis, albiſq; diſtincti. Hi ſua grauitate ex tunica ſacculum longitudine palmi, latitudine vero duorum digitorum effecerant. Hāc autem nos mortis cauſam arbitrati, diſputare de obſcuris vanum & inutile iudicauimus. *Beniuenius cap. 3. De Abditis.*

In veſica fellis ſubinde lapides reperiri contingit: verum laxiorem reddi membranam iecinoris, atque in ea calculos dependere, ex rariſſimis eſt. Iecur autem, vel vnam eius partem indurari, frequentius accidit. Memini ego nonnullorum, qui ab Ictero in Aſcitem delapſi erant, iecinora vidiſſe adeo dura, & lapillis vndequaque plena, vt nouacula præſcindi non potuerint. *Dodonæus in Annotat. ad citatum.*

Cuidam amico noſtro Pariſiis extincto, meminimus grandem, cum euiſceraretur, lapidem è iecinore exciſum, quem ex phlegmatis aliqua, & aliqua melancholici humoris parte coagulatum fuiſſe liuidus pallor indicabat. *Peucerus lib. de Præſtig. mediocr. pag. 310.*

Vt à Peucero, Philippi Melanthonis genero (viro illuſtri doctrina, perito rerum & exemplorū, omniſque vetuſtatis, quo cum mihi vetus & iucunda neceſſitudo intercedit) accipio, vtque item in cōmentario ſuo de diuinationum generibus memorat, tres lapides reperti fuerunt in hepate Hieronymi Scribæ iuuenis Norici, mire ſtudioſi, docti atque periti, quondam Valerii Cordi comitis per Germaniam & Italiam, amicorumq; ipſius, quos coluit, intimi, qui Cordum florente ætate Romæ extinctum, Pariſiis 1547. nō multo poſt morte ſubſecutus fuit. Vtriuſq;, proh dolor, immaturus interitus deplorandus eſt, propter

propter ſingularia ornamenta, quibus eminebant, vt qui patriæ vniuerſæ emolumento atq; gloriæ ſuperſtites futuri fuiſſent. Lapidum eorum vnus præcipuæ magnitudinis, dimidiatum fere columbæ ouum adæquauit, totus anguloſus, colore liuido, ex phlegmate & humore melancholico conglutinatus. Ita vero hepatis carni adhæſerunt; vt panniculæ iecur tegenti contigui eſſent, omnes modice ſolidi. *Kentmannus libell. de Calculis.*

Admirabile eſt quod referendum cenſuimus. Cũ Venetiis Auguſtini Ducis ex Barbadica gente diſſecaretur defuncti cadauer, vt eximerentur interanea, in hepate inuentus eſt lapis prope cyſtin fellis, magnitudine grandioris oliuæ, coloris ſerpentini in nigredinem tendentis. *Cælius Rhodiginus lib. 4. cap. 17. Ant. Lect.* Eandem hiſtoriam ex eodem, vt videtur, Cælio, explicatis nonnullis. *Cardanus* his verbis recenſet.

Apparent in quibuſdam hominibus res monſtrificæ, qualis in Auguſtino Barbadico, Patricio Veneto, qui cum diſſectus, quod ex incerto morbo obiiſſet, inuentus eſt lapis in iecore iuxta fellis veſicam; grandior oliuæ nucleo: & quod magis mirum eſt, viridis ad nigredinem declinans, qui color duriori-bus lapidibus ſolum ineſſe ſolet. *Cardanus lib. 8. cap. 44. De rer. Variet.*

In iecore & aliorum olim, & poſtremo Senatoris, inuentos lapides atros vidimus: qui in aquã iniecti intumuere. In remigis epate vnum duriſſimum, carnei coloris diluti. *Scaliger Exercit.* 108. *nu.* 3.

Lapidem amygdalæ nucis quantitate in Aureliæ Petruciæ iecinore, Pandulphi Tyranni coniugis Senis repertum ſcio, in quem interitus illius cauſam reiiciebant medici. *Matthiolus ad Iac. Camenicenum.*

Anno 1559. Gabriel Falloppius, dum Patauii in publico Gymnaſio Anatomen adminiſtraret, in iecore ſuſpenſi quinq; lapides, parum inter ſe diſtantes, magnitudinem ciceris æquantes, repetit; & omnibus qui ibi aderant Scolaribus oſtendit. *Dominicus Leonus de arte Medendi lib. 5. cap. 6.*

In hepate arenulas copioſas, & calculos tophosq; non ſolum in hominibus, ſed & beſtiis reliquis, precſertim cornutis, atq; iis quæ ſale admodũ delectantur, ſæpenumero naſci, & ſectio, & quotidiana docet experientia. Præter enim arenulas, nunc exacte rubras, nunc cinereas, nunc flauas, calculoſq; varie coloratos & effigiatos, tophum coralloidẽ ramoſum, album, cauum intrinſecus, & ſanguine atro refertũ, ex hepatis ſubſtantia ſecui. Quæ documento nobis ſunt, multis hepatis obſtructiones duritieſque, quas cachexia hydropſq; ſequuntur, nõ ſolum ab humoribus, ſed & huiuſmodi corporibus, quorum practici tamen non meminerunt, frequenter quoq; pficiſci: quæ tamen in molem aliquam adaucta, cum è corporibus viuentib. nec extrudi ſponte, nec eximi vlla arte poſſint, abſtruſa incognitaq; nobis manent, vna cum ægrotantibus ſepeliuntur, cauſaque ſic ignoratur. CL. V. *Felix Platerus de Obſeru. propriis.*

Nobilis à Remerſtal icteticus & cachecticus, dolorem in regione hepatis ex compreſſione ſentiens, cum copioſas arenulas adeo rubicũdas & cruentas, vt ex contactu res tingerent, per vrinas deieciſſet, tumore aliiſq; malis liberatus euaſit, cauſamque huius mali hepatis arenulas fuiſſe comprobauit. *Idem de ſuis obſeruationibus.*

Hepat viri ex hydrope mortui in Auſtriæ pago Biſemberg aperui, & illud arena copioſa refertum inueni CL. V. *Cyriacus Lucius de obſ. propriis.*

In Friderici Clegeri, prædiuitis Mercatoris, diuturnis doloribus circa dextram mammam vexati, hepate, viginti quinq; lapides deprehẽſi ſunt, quorum minimus æquabat fabam, pondus omniũ ℥. ij. & ʒ. iij. forma ſaxum cornutum ruffum (vulgo rohter Feurſtein) referebant, duritie vero Smiridem: obiit in vico Mediolanenſis ducatus, Boſchi dicto, dum Genuam concedere, atq; inde in Hiſpaniam ſoluere conſtituiſſet. *Turneiſerus.*

Cum aliquando ſectionibus corporum Venetiis operam daremus, in quibuſdam cadaueribus, quę in illis hoſpitalibus ſecuimus, reperiebamus interdum lapideas quaſdam durities; in iecinoris ſubſtantia concretas. *Trincauella cap. 6. lib. 10. De ratione curand. part. hum. corp. affect.*

In hepate perinde ſibi viſos calculos teſtantur *Scholiographi ad Hollerius, Falloppius, Gemma, & Columbus &c.*

PORVS SANGVINEVS.

OBSERVATIO.

Circa hepatis regionem latens porus ſanguinem per interualla fundens, annotatus, cuius, ſanguine ſua ſponte reſtitante, nullum poſtmodum veſtigium appareret.

NOui hominem robuſtum admodum, qui 36. agens annum, ſæpe mecum cõqueſtus eſt de certo ſanguinis fluxu, quo ſingulo quoque menſe grauiter afflictaretur. Interroganti mihi qua parte corporis flueret, id ſe neſcire reſpondit. Admiratus hominis verbum: detege, inquam, locum vnde fluat. Depoſito pallio, ilia dextra oſtentat, vbi ſubiacet iecoris pars ima. Diligenter locum oculis luſtro, ſi foramen aut cicatrix in parte ſit: omnia æquabiliter poſita, lenem & mollem carnem, nullam aſperitudinem cicatricilæ notam inſpicio. Ab homine decipi ſuſpicor. Quod ille aduertens, paucis, inquit, diebus hunc tibi ſcrupulum demam. Inſtat enim tempus quo ſanguis fluere conſueuit. Reuerſus pe-rendie vno ſuperpoſito digito locum fluxus contegebat: quo amoto, non ſecus emanauit ſanguis, ac ſi ex inciſa vena proflueret. Nec prius fluor ille ceſſabat, quam ſanguinis libra emitteretur. Quo euacuato, nullus diſcernere poterat, vnde euacuatio facta eſſet. Exiſtimabam venulam foraminibus cutis ſua ceruice inhæreſcere, indeque ſtato tempore ſanguinem euacuari. Curaui itaq; hominem ſola ſanguinis miſſione ex vena iecoris ſingulo quoq; menſe. Curioſoque victu iniuncto, protracto cura eſt ad ſextũ vſque menſem, & tandem conualuit. *Beniueni cap. 4. De Abditis.*

Nouimus quendam, cui è regione hepatis vena per interualla dehiſcebat, quæ ſanguinem funderet. Reſtitante ſanguine, veſtigium non apparebat. *Hollerius inter rara num.* 3.

VVLNERA IECORIS.

OBSERVATIO.

Non omnia hepatis vulnera lethalia eſſe, ſed abſciſſis etiam eiuſdem fibris quoſdam conualuiſſe.

Eſt-

Et quidam apud nos nobilis, qui poſt inflictum circa hepatis regionem vulnus, & portione ex eiuſdem ſubſtantia abſciſſa & extracta, nunc adhuc ſuperſtes & incolumis euaſit. *Bertinus lib. 13. cap. 7. Medicinæ.*

Galenus refert quoſdam dicere, in lobis extremis non ſolum vulnus profundum, ſed fibram etiam abſciſſam ſanatam fuiſſe: quanquam id Galenus veritati nequaquam conſentaneum eſſe putat. Celſus vero hepatis vulnera in portis tantum lethalia facit: tum ſubiicit, vix ad ſanitatem peruenire, quibus iecinoris craſſum vulneratum eſt. Cum tamen Hipp. ſit ſententia, per abſceſſus & vlcera hepatis, omnes ſeruari, quibus iecur aduritur, ſi illæſa ipſius ſubſtantia, pus intra tunicam tantum contineatur: interire vero quibus in carnem vſque iecoris corruptio penetrat: eadem ratione vulnerata quolibet modo hepatis ſubſtantia, affectus merito lethalis cenſebitur, præſertim cum inde viſcus inflammari, & abſceſſu facto, exulcerari neceſſe ſit. Proinde recte ſcriptum eſt, hoc loco ex vulneribus hepatis omnes interire, non tamen ſemper & neceſſario, nec eodem genere mortis. *Iacotius Comm. 1. ad lib. 1. ſect. 3. aph. 15. Coac. Hipp.*

Observatio.

Citra vitæ noxam aliquando iecoris fibram, omenti & peritonæi partem, vterum deniq; totum reſectum.

MVlti abſceſſu in aliqua vitæ neceſſaria parte oborto, preter opinionē conſanuerūt, cum & iecoris fibram, & omenti partem peritonæiq; , & totam vuluam, ſubinde ademta fuiſſe, nec mortē inde ſubſecutam, memoriæ prodatur. *Aegineta l. 6. c. 88.*

Observatio.

Hiſpanus, cui hepatis portiuncula per vulnus exudans perierat, miraculoſe ſeruatus.

HIſpano iuueni, magna hepatis portiuncula per Ilei dextri vulnus exudans, certū ex dicto Hippocratis exitium portendebat, præter tamen ſpem omnem, poſt aliquot menſes, decoctis vulnerariis, ac manuali induſtria, ſaluus euaſit. *Gemma lib. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

Observatio.

Hepar proprium à cane deuoratum: exemplum analogice tantum huc referendum.

CAnis venaticus Nobilis à Rotberg ab apro inter venādum ſaucius factus, cum è vulnere hepar ipſius emineret, magnam ipſius portionem dum vulnus (vt ſolent) lamberet, deuorauit & nihilominus ſanus euaſit. *Platerus de obſ. proprijs.*

Observatio.

Perfoſſo hepate reſtitutus.

PForzæ olim peregrinus quidam Norimbergenſis, vt ſeſe venditauit, à quodam laterano Principis perfoſſus per epar, illæſis forſitan maioribus venis, etſi magna copia ſanguinis effluxerit, exanimatus quaſi, tamen ſanitatem illęſam recuperauit. Senſibiliter deprehenſum eſt epar. Nos duo Aulici medici, cum chirurgo ad curam adhibiti ſumus. CL. V. *Eſaias Meichſnerus de obſeru. proprijs.*

Observatio.

Globulo plumbeo circa hepatis regionem transfoſſus, conualuit vulgaribus remedijs.

ETſi medicus iudicarit vulnus plane mortiferū; non tamen continuo æger pro perdito & deſperato habendus ac deſerendus eſt, verum ex contrario ſalutaribus remediis ei ſuccurrendum: quippe cum natura, præſertim arte adiuta, miracula interdū edat, quibus ex euentis empirici ſibi laudem & gloriam captant, magna cum medicinæ infamia & dedecore. Itaq; freti illo naturæ bono, interdum eorū curationem ſuſcipiunt, qui prope iam ſepulti videbantur, & à Medicis erant deplorati: vnde ad Medicos dedecus, ad illos ſummus honos, peruenit: quemadmodum biennio ante vſu veniſſe audio nobili cuidam prouinciali Vinſſio, qui cum in exercitu regio contra Rupellam eſſet, & globulo plumbeo transfoſſus, à Medicis deſertus, exiſtimantibus iecinoris ſubſtantiam eo icto læſam eſſe, tamen à nobilibus quibuſdam ipſius amicis curatus eſt, adhibitis medicamentis ſatis familiaribus. Quod egregium documentum eſſe poteſt mirificorum naturæ effectuum, quæ perſæpe doctiſſimorum quorumcunq; medicorum iudicium fallit: quos tamen nunquam oportet ſalutarib. & extremis remediis aduerſus extremos & peſtiferos morbos deſtitutos eſſe, quemadmodum Corn. Celſus præcipit, ſatius eſſe remedium aliquod adhibere, quam nullam omnino medendi rationem tentare: præſertim in morbis penitus deſperatis. *Quercetanus de vulner. Sclopet. cap. 2 circa finem.*

Observatio.

Vulnera & contuſiones hepatis lethales.

NOs ſuperiorib. diebus duos in cura habuimus, quibus iecur vulneratum fuerat (vt poſt eorum mortem videre licuit) hi quotidie bilem euomebāt, & intenſiſſima febre ardebant, tuſſique continua afficiebantur. Alterum & nuper curauimus, qui gibbam iecoris partem contuſam ex equi calce habebat, periit hic, & cum maxima ſiti atque æſtu bilem continuo vomebat, nec vllo pacto excernere poterat. Vno igitur verbo expediam, iecoris vlcera atque vulnera lethalia eſſe. *Braſauolus Comm. ad Aph. 18. lib. 6. Hipp.*

Observatio.

Iecore diſciſſo vel exeſo, pus in abdominis regionem decumbens.

INterdum fiſſa vel exeſa iecoris ſubſtantia pus excidit in abdominis capacitatem, quo & hydropicorum aqua confluit. *Iacotius Comment. in Coac. Hipp. pag. 854.*

VLCERA IECORIS.

Observatio.

De vlcere in gibba iecinoris parte.

MVlier quędam ex plebe dolore graui in dextro hypochondrio torquebatur: color eius quaſi ictero laborantis: corpus extenuabatur, tumor pedum aut ventris ſucceſſit nullus: vrina rubicunda iecinoris inflammationem præ ſe ferebat: nec deerat febris. Cum autem nullis remediis dolor cederet, tandem vitæ finē fecit. In iecinoris huius gibba ſiue conuexa parte magnum, amplum, & profundū vlcus in conſpectum venit, quod veriſimiliter inflammationi ſucceſſiit. Fuere huic viſcera, atq; ipſum iecur ſenſu prędita: cōtra plane quam illi, cui citra dolorem viſcera computruerant. *Dodonæus cap. 28. Obſeruat. Medicin.*

Observatio.

Ex vlcere hepatis quidam repentina morte concidit.

ILluſtriſſima Renata Ferrariæ Duciſſa, iuſſit vt famulum quendam Gallum repente mortuum aperiri facerem, vt qua morte obierit, decerni poſſet. In iecoris gibbo vlcus inuentum eſt, quod ad ſuppurationem peruenerat. *Braſauolus Comment. ad Aph. 18. lib. 6. Hipp.*

IECORIS PORTIVNCVLAE ALVO *eiectæ.*

Observatio.

Hepatis particulæ, fruſtillatim, aliquando per aluum, vel vrinam, redditæ.

VIdi ego in vno Scholari Alamanno, poſt vlcus hepatis, & eductionem multæ quantitatis carnoſitatis epatis, de qua fecimus experientiam manifeſtam multoties: quod cõcuſſione facta, de eadem ſubſtantia, in aqua calida cum virgula agitando remanebat vera carnoſitas epatis cum venulis diſperſis per eam: & tum in proceſſu liberatus eſt, & bonificatus, vel curatus eſt eius dolor propter ſpem meã & ſocii alterius medici. tales curationes ſunt monſtra in natura, quæ aliquoties fiunt in hominibus, vt docet. *Auer. 70. colliget. Ioan. Matth. de Gradi, Comm. ad cap. 7. partis 1. lib. 9. Raſis ad Almanſorem.*

Scribit *Nicolus Ser. 5. cap. 6.* Ego vidi in Andrea de Wechio de Mugello fruſta ad magnitudinem auellanæ circa centum numero carnoſa, in ſimilitudine carnis hepatis & quo ad viſum & quo ad tactum in fluxu ventris egreſſa, & mortu⁹ fuit ad tertiã diem à die ipſius fluxus. Cui⁹ rei cauſam arbitratur Nicolus fuiſſe vlcera corroſiua in hepate, in quib. aliquæ hepatis venæ eſſent corroſę, tunc enim per orificiũ venarũ corroſarum poteſt caro hepatis corroſa ingredi, & per modum dictum in ſeceſſu emitti. *Marcellus Donatus lib. 4. cap. 20. de Hiſt. med. mirabili.*

Teſtari poſſum viſas à nobis aliquando cum aliis medicis quibuſdam fruſtillatim deiectas per aluum minutiores particulas quaſdã, quæ eſſe alius, quam hepatis ipſius, non poterant. Papyro excepimus, inſpeximus, tractauimus, erant quales diximus. Tunc Galeno melius fidem adhibuimus, reliquas etiam poſſe. Quid ni autem, cum & molis totius colliquetur corpus, caroq; in febribus, ex argumento dictis, colliquãtibus? Tanto quidem magis hepatis parenchyma, corpuſq; ac caro, & minus dum, compactaq; minus. *Iul. Alexandrinus Annotat. ad cap. 6. lib. 8. Galeni De comp. medic. ſecundum loc.*

Quidam, vt narrat Agrado, ſanatus fuit à Dyſenteria, per quã portiuncula hepatis excreta apparuit in deiectionibus, quod non facile crederet Gordonius. *Montuus c. 20. Tom 3. lib. 1. Anaſceu. morborum.*

Vſu vitriolatorum, cuidam epar diſſolutum, fruſtulatim excretum putabatur. *Caſparus Hoffman lib. 5. Epiſtolar. Cratonis pag. 381.*

De Abſceſſu iecoris cum excretione carneæ ſubſtantiæ per inteſtina, duas habeo Obſeruationes.

Primam, Virginis annorũ 15. quæ inflammatione iecoris maxima vexata, ante 14. hydrope leucophlegmatia tentata, ac febre vehemẽtiſſima pridie quam obiret (fuit autem 13.) pus, ſanguinem, & iecoris fruſtulum eiecit, in ſequentem diem, in aqua calida à me ideo ſeruatum, vt ego, & auditores mecum accedentes videremus, nunquid illud fruſtulum ſanguis grumoſus, an iecur eſſet. eo diligenter inſpecto, nemine diſſentiente, iecoris ſubſtantiam fuiſſe decretum eſt.

Hanc ipſam in Tyberio Adriano adoleſcente nobili Patauino excretam ſimul cum ſanguine copioſiſſimo vidimus. Seruatus tamen eſt iſte nemine ex noſtris auditoribus id ſibi perſuadente, cum nec calor, nec pulſus, nec vlla denique vitalis, vel animalis, aut naturalis functio ſeruaretur. *De* CL. V. *Herculis Saxoniæ præclaris Exemplis, & Curationib. feliciſſimis.*

Ex iecore an vnquam oborto grauiori vlcere eiuſdem auulſæ portiones, via ſibi per meſenterica vaſa facta, nulla nullius læſione, ad inteſtina perreptare poſſint, ambigitur. Teſtor ego vna me cum aliis Saxoniam ſecutis, cuidam Hepatico (inflammatione exulcerata decumbenti) adfuiſſe, qui carneas portiunculas, cruentatis fæcibus mixtas aluo deiecit. Nec ſanguinis fuiſſe grumos, ex maſſa illa pertinaciter aqua iniecta ſibi cohærente, fibris quoque implicita, deprehendimus. Conualuit tamen æger, aluo Philonii beneficio coercita. Et quid exiguas carnis partes, diſtentis meſaraicis, nõ vt fingitur, ſenſui vix obuiis, ſed commodam ſui magnitudinem nactis, arceret tranſitu? Valere hic Columbi velim adiectas oſculis meſaraicarum introrſus verſas valuulas: nouas item quorundam argutias, qui exiles dictis venis obtenſas fabricant, qua in inteſtinorũ cauum ſe deriuant, tunicas. CL. V. *Iacobi Zuingeri Obſeru.*

Etiam hepatis ipſum parenchyma poſſe fruſtillatim aluo reddi vide *Mercurialis Epiſtolam lib. 2. Conſil. & Epiſt. Cratonis & aliorum à Laurent. Scholzio publicatar. p. 261.* Et *Scholas Hieron. Reuſneri ad cap. 19. Wilichij de vrinis pag. 195. & ſequentib. aliquot*, quo loco per vrinas quoq; excerni nonnunquam docet.

DE VENIS, ET SANGVINE.

Observatio.

In eodem latere duæ venæ iugulares.

IN eodem latere duas internas iugulares venas deprehendi. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Observatio.

Duplex aut triplex vena aiugæ ſocia animaduerſa.

SÆpe videre datum eſt nobis, duplicem, triplicem venam aiugæ ſociam à ſiniſtris. *Gemma lib 2. Cyclognom. pag. 75.*

Observatio.

Vena caua & Aorta rupta, & quæ inde orta ſint ſymtomata, hiſtoria noua.

LVgduni erat incola genere Prouincius, is cum in ætatis flore eſſet & crapulæ pręſertim vini generoſioris ſumme addict⁹, in acerbiſſimos continuoſq; lumborũ dolores tãdem incidit. Propterea eum accerſiuit medicum, cuius opera vti cõſueuerat. Cęterum Medicus ex antecedente victus ratione ægrotantis plus ſatis deprauata atq; etiam ex lotio & aſſidua febricula, affectum eſſe calidum coniecit. Quocirca ad mitigationem doloris, qui vires confeſtim

reſol-

reſoluit, lenientes clyſteres primum, deinde caſſiæ fiſtularis medullam, cui nonnihil electuarii dianiſu erat additum, flatuum diſſipandorum gratia: poſtea fotus & vnctiones ſedi affectę ac dolenti admouenda præſcripſit. Quibus tamen omnibus tum ſumtis, tum admotis nunquam ceſſit dolor. Quare prudens medicus alios ſibi in conſilium adiungi ægrotū admonuit. Ægrotus mortem metuens, ſuo paruit medico, & Ioannem Chanapæum, ac Iacobum Dalecampiū, celebres & eximios medicos, accerſiri iuſſit: qui veniunt & cum alio medico, qui prius aderat, conſulunt ac deliberant. Tandem omnibus diligenter accurateq; expenſis atque conſultis, magnam in renum ſubſtantia obſtructionem, cum intemperie calida, omnes ipſi vno eodemq; conſenſu concluſerunt. Etenim vrinæ admodum flammeæ erant, cum quadam continua febricula, ſicuti iam diximus, quę circa veſperam vna cum dolore magis magiſq; exacerbabatur. Quapropter ante iniecto eiectoq; enemate, venæ internæ ſectionem, primū è cubito, deinde è ſaphenis vtriuſque pedis, imperarunt. Poſtea corpus aliquando caſſiæ medulla, interdum diaſebeſten, ſiue ſcammoneæ præſcripſerunt. Tandē fotibus, balneis, linimentis, lenientibus, dolores demulcere conati ſunt. Sed ex his omnibus quantumuis fideliter adminiſtratis, nihilo magis ægrotus à ſuis cruciatibus fuit leuatus, quā à ſuperioribus. Propterea in poſterū nullis medicis amplius parere voluit, ſed vitæ ſuæ reliquum fortunæ commiſit, omni alimentorū genere, & perquam generoſo vino quotidie vtens. Tandem diuturnis continuiſq; doloribus, ipſum magis magiſq; excruciātibus, confectus, ac totus emaciatus, è domo ſua in viam ingrediens, præ nimia anxietate ac doloris acerbitate & contumacia, in teſtudinis limite cecidit, vbi derepente interiit. Poſt cadauer, à Simone Guidone celebri & experto Chirurgo, ſectū eſt: in quo illæſis renibus, duæ lumborum vertebræ corroſæ ſunt repertæ, vna cum aortæ & venæ cauæ, quæ ſuperpoſitæ erant, ruptura, vnde magna ex vtroq; vaſe facta fuerat ſanguinis effuſio. Morbus (meo iudicio) erat tabes ſpinea, de qua *Hipp. lib. de locis in homine*, hunc in modum ſcripſit. Porro (inquit) cum retro in ſpinam fluxio proceſſerit, hinc tabes fit eiuſmodi. Lumbos dolet æger, & anteriores capitis partes vacuæ videntur ipſi eſſe. Et mox medelam ſic tradit: Tabes ex fluxione retrorſum. Qui hac affectus eſt, ei caput eſt purgandū debili medicamento, donec fluxus auertatur. Diæta autem vtere velut in ſuperiore tabe, in qua cibi non multi ſimul ingerendi ſunt, & obſonia non plura, quam cibaria frumentacea, & vino, inter edendum, vtendum eſt aquoſo, vt ne calefaciat, & corpori debili exiſtenti caliditatem exhibeat; & ſimul ambo calefaciant in eodem tempore, & caliditate multum fluxum inducant. Medicamentum potandum præbe. Elaterium deorſum purgās, inferne aluum lacte infuſo elue. De cætero fomentis vtere. Hactenus *Hippocrates*, de ſpineæ tabis eſſentia, cauſis, & curatione. *Aubertus Exercit. 44. ad lib. Fernelij de Abditis.*

OBSERVATIO.

Vena porta diſrupta, & caua fiſſa, ventriculus ſanguine repletus, vnde æger poſt diuturnos Nephriticos & ventriculi dolores, & aſſiduas nigras deiectiones, oborta Syncope expirauit.

PRinceps quidam magni nominis, corpore obeſo, ætateque annorum (plus minus) 54. nephriticis ac ventriculi doloribus diū multumq; conflictatus, viribus iam debilitatis nigra deiiciebat per complures dies, ac tandem ſyncope oborta intra dimidiæ horæ ſpatium expirauit. Secto corpore, ventriculus ſanguine cōcreto ſemiplenus, & in cauo iecoris manifeſta continui ſolutio, venæq; portæ diſruptio eſt reperta. *De Magnifici viri D. Thomæ Mermanni Archiatri Bauarici Hiſt. ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Vermiculi in ſanguine nati.

NAſcuntur in ſanguine hominis animantia exeſura corpus. *Plinius Hiſt. Nat. lib. 26. c. 13.*

In venis naſci vermes, *libro de iuuamento anhelitus* doceri, teſtatur *Montuus Anaſceu. morb. tom. 4. c. 1.*

OBSERVATIO.

Pili in ſanguine & excrementis viſi.

NObilis Hiſpanis in omnibus excrementis & ſanguine pilos emiſit, & me cōſuluit, non paucis datis aureis coronatis. *Cardanus Comm. ad aph. 76. lib. 4. Hipp.*

OBSERVATIO.

Calculi in venis & ſanguine.

LApides hiſce manibus extraxi, inuentos in vena portæ, vt tu tuis oculis vidiſti Iacobe Bone, in Venerabili Ignatio generali Congregationis IESV. *Columbus lib. 15. Anat.* In inteſtino colo, & in venis hemorrhoidalibus. *Idem.*

In ſanguine craſſam deprehendimus ſaburram. *Iul. Cæſ. Scaliger. Exercit. 108. ad Subtil. Card.*

Si diffuſo ſanguine, grana quædam arenularum æmula offendantur, aiunt vel elephantiaſim, vel ρ-penſionem ad hanc notari: quanquam obſeruantibus raro tale quiddam deprehenſum eſt. *Fernelius.*

Iectigatio venarum eſt ex oppilatione tartari in venis, & ſic ſæpe fit quod vena inciſa non fluat, tunc dicunt noſtri, quod melancholicus ſanguis ſit, quod non eſt verum, ſed eſt tartarus, qui oppilat, ideo bis aut ter vena eſt ſecāda, magis verſus principium obſtructionis, donec fluat, vel imponendum quod tartarum internum reſoluat. Nam ſi ſanguis ille lauetur, inuenies lapillos, ideo non ſolum vena eſt hæc quæ per vrinam tranſit, ſed eā vbiq; eſt. *Paracelſus.*

OBSERVATIO.

Perennis dolor Iſchiadico ſimilis, ex lapillis in ſanguine genitis excitatus, & venæ ſectione ſublatus.

ANno 1572. Iacobus Heyliger, Parochus tū temporis in Bieſſen, vir pius & bonus, acerbiſſimis doloribus, annis ferme vndecim continuis circa coxendicem dextrā cruciatus: cum innumerabilia remedia à Medicis & empiricis, ad curationem tanti mali, Iſchiadē præferentis, adminiſtrata, fruſtra contuliſſet. Et ob perpetuos diuturnoſque dolores, qui implacabiles ardores & punctiones, nec nō conuulſificos motus neruoſarum muſculoſarumq; partium inuehebāt ſubinde, hominē ad vitæ prope deſperationem, omni auxilio reliquo deſtitutū, adegiſſent. Accidit vt non ita multa poſt dolore circa coxendicem ſoluto, materia morbifica, ad eiuſdē cruris genu decumbente, in eodē articulo, cruciatus priorib. vehementia & malignitate minime cedentes, excitarit. Caſu itaq; in Briſacēſem chirurgum magiſtrū Petrū incidens, eiuſdem conſilio externā maleoli venam aperit. Ex qua vna cum feruentiſſimo ſanguine, non

ſine magna vi & pruritu maximo proſiliente; lapilli quoq; figura & quantitate rapi ſeminis, quantumq; teſta iuglãtis nucis capere potuit, vnicâ hac venæ ſectione educti fuere. Vnde tot annorũ cruciat⁹ ſubitò, & quaſi miraculo quodam ꝓpulſus, conquieuit atq; euanuit. Qui vel hodie quoq; viuit: Sereniſſimi Principis noſtri liberalitate ob cæcitatẽ in Xenodochium Cęſareum Briſacenſe receptus; quique hiſtoriæ huic, adeoque de ſe ipſo, ampliſſimum teſtimonium ferre poteſt. *Schenckius.*

Observatio.

Mira ſanguinis efferueſcentia, qua cuidam rubræ papulæ toto corpore, maxime in brachijs & pedibus obortæ: per interualla in certis locis errantes, tenſo ardore vexantes, tandem ligaturis & venæ ſectionibus, tum etiam ſanguinis contemperatione curatæ ſunt.

ACcerſitus quondam Brugas Argonię oppidum, ad nobilem dominã, obſeruaui hunc mihi quidem tum admirabilem caſum. Matrona hęc laborabat doloribus & ardoribus extremarũ partium, non quidem ſimul & ſemel omnium, ſed per interualla modo huius modo illius. Si exempli gratia brachio ſiniſtro doleret, cum rubore intenſo quaſi eryſipelatede neq; vero vniuerſam cutim colorabat, ſed inſtar petechiarum aut morbillorũ maculis hinc inde rubris cutis diſtinguebatur & inficiebatur, cum intenſo quodam ardore non ſine doloris ſenſu. Perdurabat ſic in brachio iſto forte per quadrantem horę, tum retrocedebat & paulo poſt in dextro, vti prius in ſiniſtro, effloreſcebat. Mox relicto dextro latere, poſt aliquot horas etiam crura inuadebat, aut brachium paulo ante affectum. Matrona hæc erat temperamento bilioſo, hepate calido, corpore vtcumq; gracili. Quæ cum inſpexiſſem ſemel atq; iterũ, quia caſus mihi erat prius nunquã viſus, de modo ſuccurrendi cogitaui: Itaq; mihi id in mẽtem venit. Accerſiui chirurgum, vt præſto eſſet, ſi eius opera requiretur. Expectaui itaq; dum brachiũ dextrum pręd ícto modo inficeretur, cumq; exiſtimaſſem omnem aut ſaltem maximam partẽ huius ſanguinis aut peccantis in ſanguinea maſſa humoris, brachium hauſiſſe, mandaui, vt fieret ligatura fortis in ſuprema brachii parte prope axillam, tum aperiret baſilicam dextrã chirurgus, & ſanguinem ſatis copioſum emitteret. Quo facto ſoluta ligatura paulatim colore præter naturam cutis & maculæ euanuerunt, nec dum reliquas partes, quas prius ſolebat inuadere, niſi leuiſſime corripuit. Reliquias huius feruentis ſanguinis & nobilis, ſyrupis incraſſantibus & refrigerantibus extirpaui per Dei gratiam. *Ex propria obſeruatione, ante annos plus minus* 18. cl. *Wolphius.*

Observatio.

Terrore militum Monialis ex omnibus meatibus ſanguinem fudit.

SOror quædam Religioſa, cum incidiſſet in militum manus, & euaginatos gladios, ac macherulas vibratas mortem intentantes videret, adeo territa fuit & commota, vt ſanguis ab omnib. corporis partium meatibus manaret: Ita vt in oculis hoſtium exanguis effecta, vitam finiret mortalem. *Florentinus Leudanus in Martyrologio.*

Observatio.

Quidam, cui per omnes corporis meatus ſanguis erumpebat, reſtitutus.

DRondeletius curauit quẽdam, qui per omnes corporis meatus, per oculos, aures, nares, penem, ſudorem &c. ſanguinem emittebat, per anaſtomoſim puto, nullis topicis adhibitis, ſed ſola ſeri purgatione, idque cum vſu Braſſicæ Marinæ. cl. v. *Caſparus Wolphius de obſ. propr.*

Observatio.

Nonnullis in locis hæmorrhagiam omnem, ex quacunq; cauſa vel parte corporis obortam, lethalem eſſe.

VIdi in quibuſdam regionibus Caſale quoddam, dictum Alkiria, viros, qui narrauerunt mihi quoniam cum accidit in corporibus ipſorũ aliquod vulnus magnum, indeſinẽter ſanguis fluit ex vulnere, quouſq; moritur: & recitauerunt mihi ſuper hoc, quod quibuſdam ex pueris ſuis, cum fricaret manu gingiuas, cœpit ſanguis fluere ex illis, donec mortuus eſt. Alius vero phlebotomatus, à minutore, ſanguis non ceſſauit ex eo manare, donec periit. & vniuerſaliter eorũ mors in pluribus contingit in hũc modum. Hęc eſt res quam nunquã & nuſquam vidi, niſi in Caſali prædicto, nec reperi hoc accidens ab aliquo antiquorum memorantium, nec ſcio eius cauſam, & quod mihi videtur, de curatione eius eſt, ꝙ ille cui hoc accidit, celeriter cauterizet locũ, donec ſanguis reſtringatur & ego minime probaui hoc, & eſt apud me monſtrum. *Alſaharauius lib. pract. tract. 31. ſect. 1. cap. 15.*

Observatio.

Hiſtoria religioſæ cuiuſdam & nobilis mulieris, quæ aſueta quotannis ſanguinis miſſioni, eam conſuetudinem ad octogeſimum annum vſq; ſeruauit.

NOuimus religioſam & nobilem mulierem in quodam monaſterio, quæ adeo aſueuerat ſanguinis miſſioni, vt cogeretur quotannis in vere ſanguinem detrahere; alioquin non poterat ſana degere, atq; eam conſuetudinem ad octuageſimum vſq; annum ſeruauit, & facile pertulit: tales tamen rari admodum reperiuntur. *Trincauellius lib. 2. c. 10. de rat. curand. hum. corp. Affect.*

Observatio.

Qui ex nimia plenitudine mori viderentur ſola ſanguinis miſſione ſanantur.

PLurimum in morbis iudicandis tribuunt venarũ pulſui: qui ſi imbecilli exiguiq; fuerint, mortem plerunq; denunciant, ſin contra magni & pleniores, ſalutis ſpem adferunt. Nos tamen Philippum quendam vidimus, hominem ſane ebrioſum & corpulentum, cuius pulſus, dum languens in lecto iaceret, ita paruus & exilis erat, vt cũ è medico percipi vix poſſet, facile crederes mortẽ inſtare, ni facies rubicundior, oculi, dentes, & venæ pleniores, iudicio præſentis Medici obſtitiſſent. Quare tanti mali cauſam diligentius perquirẽs, iudico, id ob nimiã ſaturitatẽ, ſanguiniſq; abundantiã fieri, nullumq; oportunius adhiberi poſſe auxiliũ, ꝗ ſanguinis ipſius celerrimã miſſionem. Sed obſtabant cognati atq; amici, verentes ne huiuſcemodi præſidium hominẽ celerius occideret: inſtanti tñ mihi, ac certam ſi id fieri permitterent, ſalutẽ pollicenti, tandem acquieuerũt. Quare accerſito ſtatim miniſtro, ſanguis mittitur. Nec mora, pulſus ſimul & vires tam celeriter redeunt vt feſtinantior adfuerit ipſa ſanitas, quàm mors, quæ præ foribus excubare viſa eſt, adfutura crederetur. *Beniuenius Abditor. c. 69.*

Quan-

Quantum periculi, ex nimia plenitudine, immineat, *Hipp. aph. 3. lib. 1.* oſtendit: Habitus athletarum, &c. & *Galenus quoq; in eiuſdem aphor. Comm.* refert. Cū enim vaſa ſupra modum fuerint repleta, periculum eſt, ne dirumpantur, vel calor naturalis ſuffocetur. Sicuti nonnullis accidit, vt Galenus ait, qui cum ad immodicam veniſſent repletionem, ſubita morte interierunt. Quemadmodum & Philippo, de quo Beniuenius, accidiſſet, niſi tempeſtiue ſanguis detractus fuiſſet. Adfui & ego olim homini ebrioſo, qui cum ad tantam plenitudinem veniſſet, vt quodammodo ſtrangulari videretur, etiā mutus factus fuit. Huic vero & ſanguis largiter detractus è communi dextri brachii vena, mox loquelam & ſanitatem reſtituit. *Dodonæus Scholio ad ſupra citatum cap.*

OBSERVATIO.

Sanguis putridus graueolens extractus mortem præſagit.

SAnguis qui per febres detrahitur, in praxi quotidiana experientia ſæpe animaduertitur non ſolum fœtidus & graueolens, ſed & putridus, adeo, vt nec ſibi cohærere, nec concreſcere queat omnibus ſcilicet eius fibris conſumptis: qualem ſanguinem in Nacenburchio noſtro amico Dordraceno conſpeximus, acuta febre & continente decumbente, ex qua haud ita breui obiit. *Petrus Foreſtus. Schol. obſeru. 16. lib. 1. de Febribus.*

OBSERVATIO.

Flatus vena inciſa erumpens.

AVdiuimus non ſemel flatum erumpentem mox ab inciſa vena, quę pauco ſanguine detracto admodum detumuit. *Ioubertus Annot. ad Tract. de Phlebot. pag. 579.*

OBSERVATIO.

Sanguis in quadam poſt venæ ſectionem lacteus viſus eſt.

IOann. Bapt. Caballaria, Leonati Medicus ad nos tranſmiſit Hiſtoriam, quam hoc loco ſubnectere operæpretium duximus, & talis eſt. Nonis Iunii anni huius 1584. cum Leonati municeps quędam non vltimi ordinis ſpontanea laſſitudine præmeretur, alui lenitione præmiſſa, iecorariā dextram ſecui; Et mox collecti, ac concreti ſanguinis ſeroſitas vniuerſa (quę illi copioſe ſupernatabat) in lac abiit, illa inquam verum lac colore ac conſiſtentia (ſubliuidum tamē) plane referebat. Sanguinis globus in ſummo floridus, in imo nigrior extitit, nulla pituitoſa concretione ſuper extenſa. Poſtriduum experimenti gratia ſiniſtram itidem internā aperiri iuſſi. Ac ſanguis quidem & humor lactis ſpecie omnino priori reſpōdit. Nonnullos ad ſpectaculum admiſi. Miniſtro placuit intincto digito guttulam deguſtare: qui dulcedinis quippiam ineſſe teſtatus eſt. Fœmina hæc trigenaria, & bibacula eſt, viri appetens eſt, quem habet ignauiſſimum. Anno coniugii primo effecta eſt mater: ex illo eſt infœcunda. Et iam nonus agitur infœcunditatis annus. Statis temporibus per vterum purgatur, & quandoq; albo madet profluuio: cæterum inculpate degit. *Marcellus Donatus lib. 1. cap. 4. de Hiſt. med. mirabili.*

OBSERVATIO.

Secta Plethorici vena, lac, quod pridie aſſumſerat, vna cum ſanguine profuſum eſt.

ANno 91. Eliæ Geisleto, ciui Vratislauienſi, dum plethoram ſecta vena minueremus, congelatumque in vaſculo ſanguinem inſpiceremus, eidem lactei humoris non parum innatare admirati ſumus, donec nobis, ſe priore die lac frigidū auidius aſſumſiſſe, affirmaret: quod, dum ſanguinis naturæ proxime accedere ſciremus, in venas, etiam parum alteratum, rapi, vnaque cum ſanguine effluere poſſe, non dubitauimus.

Quid, quod potiones vulnetarias quaſdam per vulnera recentia aliquando exudare, excellētiſſimi etiam chirurgi affirmare non erubeſcent. *Chriſtoph. Rumbaum de Obſer. propr. per* CL. V. *Laur. Scholzium ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Sanguis in omnibus totius corporis partibus concretus.

EX rara quadam & abdita morbi cauſa, vidimus quempiam, poſt diuturnum languorem, de vita exiiſſe, cui ſanguis vniuerſus in venis concreuerat, addo vt demum coralli modo fruticās illinc eximeretur. *Fernelius lib. 6. cap. 7. Phyſiolog.*

OBSERVATIO.

Vena latens & abdita circa venæſectionem, quo ſigno manifeſta fiat.

VT vena in iis qui carnoſiores ſunt, ac latētes venas habent, & propterea non tam commode & certo pertunditur, commode ſemper diuidi poſſit, inſpargitur vtiliter vbi ſemel & primum pertuſa eſt, ac fere coaluit, abraſa cruſta, parum pulu. illius fuliginis, quem vulgo Scheinrot/ nominant, ac infricatur. Sic remanet lituta cærulea, eo in loco, in quo diuiſa fuit, quæ nunquam euaneſcit. Ea infrictione fit leuis morſus, quo tamē nihil præterea incōmodi cōciliatur. Hic modus in Liuonia obſeruatur à Cheirurgis: atque dextre vena, licet profunde in carnoſ. conſtitutione lateat, etiam ſi ante illud tempus difficulter & ægre tundi potuiſſet, facile ſecatur. *Solenander Sect. 5. conſ. 15.*

DE VESICA FELLEA.

Et primum

De conformatione eius.

OBSERVATIO.

Fel gemminum.

FOLLICVLVM gemminum repertū fuiſſe olim commemorant, eumq; magnæ fortunæ ſpem oſtendere aiunt, quemadmodum eo tēpore euenit, quo Auguſtus apud Accium promontorium deuicit fuditq; M. Antonium Baſſ. *Landus. lib. 2. Hum. Hiſtor. ex Plinio, vt apparet.*

OBSERVATIO.

Fellis duplex meatus.

DVplicem fellis meatum repetimus: vnū ex cyſti fellis, alterū ex epate prodeuntem, qui coeuntes vnum tantum meatum, ad ieiunum faciebant. *Ex aduerſariis Dryandri Anatomici communicauit* CL. V. *Iacobus Moccius, Medicus.*

OBSERVATIO.

Felle quidam carent, quibus vita longior.

QVædā animalia felle omnino carent, vt equus, mulus, aſinus, ceruus, dama, camelus nō diſcre-

tum, ſed venulis quibuſdam confuſum habent; vitulus etiã marinus caret,& inter piſces marinos delphinus. Sunt & quæ partim habeant, partim nõ habeant, eodem in genere, vt mures: quod idem homini etiam accidit: aliqui enim fel in iecore habere viſuntur,aliqui carent, itaq; de toto genere ambigitur. Et pauló poſt. Fel igitur non alicuius gratia, ſed purgamentum & inutilem eſſe materiam conſtat. Quamobrem pulchre à veteribus dicitur, illis, qui cauſam cur diutius viuatur, fellis vacationem eſſe aiunt,argumento ex ſolipedum ceruorumq; genere deducto,hęcenim & felle vacant & diu viuunt,&c. *Ariſt.lib.4.c.2.de Part.animal.& earum cauſis.*

Fel hominum paucis non eſt, quorum valetudo firmior & vita lõgior. *Plin. lib. 11.cap.37. Nat.Hiſt.*

DISRVPTIO ET EXHAVSTIO Foll. Fellis.

OBSERVATIO.

Veſicellæ bilis diſruptio mortis cauſa.

ACcidit aliquando ruptio veſicæ fellis, vt obſeruatum eſt hoc ſæculo in nobili quodã qui diuturno bilis vomitu vexatus eſt,cauſaque, nempe ruptio veſicæ fellis,poſt obitum, ſectione ſatis patuit. *Georg. Bertinus Med. lib. 12. cap. 14.*

OBSERVATIO.

Fellis folliculus bile exhauſtus mortis cauſa.

NOn pauci è viuis erepti ſunt, in quibus non alia interitus cauſa apparuit, quam quod folliculus bile omnino eſſet exhauſtus. *Fernelius lib.6. cap. 5. Pathol.*

LAPIDES SIVE TARTARVS.

OBSERVATIO.

Horribiles & ſtupendi lapides,in veſica fellea coagulati,forma, colore, numero, & effectibus admirandis: vomitum, nauſeam,moleſtiam,ſtomachi & hypochondriorum torſiones,atrophiam, tabem, viſcerum obſtructiones, & inflammationes, morbum regium immedicabilem, vigilias,laßitudines, mœrores, melancholicas affectiones, ad iram prôpenſiones,vrinæ difficultatem & ardorem, cutis lepram, febrem,nec non ſubitaneam mortem,occulto & vulgo incognito morborum & ſymtomatum eiuſmodi ſeminario & fomento inducentes.

NOn ſecus atq; in pulmonibus phlegma,ita quoque flaua bilis,prius hepatis calore aduſta, poſtea in lapidis formam in fellis folliculo concreſcit, vnde eos eximi experientia probauimus, ſed ex illis ipſis lapillis bilis receptaculo inhærentibus magnas obſtructiones in vaſis multaq; violenta ſymtomata conſequi non minus compertum eſt:in quibus periti ſſimi medici ætate prouecta hærere atq; impediri queant,ambigentes nimirum vnde tam ancipites ægrotationes & accidentia ita varia exiſtant. Atq; vſu attentioribus medicis inter ſecandum corpora humana veniſſe audiuimus, non duos ſolum aut tres, verum aliquando centenos quoq; in eodẽ receptaculo tales calculos vt reperterint. Vtinam ſæpe multumq; in dubiis præſertim ac periculoſis caſibus ſimiliter fieret, atq; ab extinctorum cognatis precib. obtineretur, ſecare corpora vt integrum eſſet, non dubito eiuſmodi ſæpe res oblatum iri,quę vſu notãtuq; vtiles atq; dignæ forent. Qui in fellis receptaculo fiunt lapilli,magnitudine lentes, piſa, fabas, auellanas, aut digitorũ articulos, vel iuglandes etiam adæquant: Forma partim rotundi, partim anguloſi: iiq; aut pentagoni aut heptagoni, aut octagoni, aut plurium etiã angulorum: quo enim plures ſimul reperiuntur, eò magis ſunt anguloſi: omnes vt tophi læues,colore ad flauum accedente,qui cum ipſis auгeſcentibus paulatim in croceum mutatur, modice ſolidi:fracti, intus ſubpunicei apparent, pleni anguſtis circulis ſe inuicem ambientibus, ità vt videre ſit cuiuis ſaltem obiter aduertenti, quomodo lenta & viſcoſa bilis à centro aduſq; ſuperficiem ſenſim adhæreſcens accreuerit, & hepatis feruore in eam ſoliditatem durata fuerit. *Kentmannus lib. De Calculis.*

Hiſtoriam lapidis in veſicula fellis Ducis Friderici Saxoniæ Electoris inuenti, ex *Peucero* tranſcriptam, *titulo De Renũ calculis*,inueſtigabis & requires. *Schenckius Filius.*

Eximii atq; clariſſimi viri D. Badehorni Iuriſconſulti,hodie cõſulis Lipſenſis frater(cui Materno nomẽ,quo ego familiariſſime vſus fui) ſummo ingenio adoleſcens(forma ac ſpecie liberali,animo læto atq; alacri,in omnib.rebus comis & perquam humanus, moribus quoq; compoſitis & temperatis)in Italiam ſtudiorũ cauſa proficiſcitur, indeq; domũ reuerſus, queri ſenſim de ſtomachi &hypochõdrii dextri torſionibus,nec non de nauſeæ moleſtia cœpit. Erat n. ἄτεργ@ & aluo ſemper ſtrictiore, quæ ſymtomata ſomno ipſum priuabant, vnde & membrorum corporis laſſitudinem, & mœrorem & melancholicas affectiones, tabem quoq; ſequi neceſſe fuit: quibus malis miſer tantiſper infeſtabatur, donec & dolore & mœſtitiã leniter emarceſceret. Multifaria remedia plurimorum doctorũ conſilio adhibuit, verum fruſtra, ꝙ ægritudinis rationẽ recte videret nemo. Pluresex medicis,quibus tum vtebatur,& cognatis ſuis arbitrabantur ipſum in Italia φίλτρον hauſiſſe. Cum igitur in vera inuocatione filii Dei deceſſiſſet, magnitudine dolorum fractus, quod factum fuit anno 1551. ætatis autem ſuæ 29. corpus defuncti permiſſu fratris ſectum, mẽbris intus ſaluis atq; integris, corde ſaltem modice tabido fuit. Vbi vero fellis veſica aperta,intus 22.calculi,quaſi ſublutei, magnitudine diſpares,reperti fuere, quorũ minimi piſis minutis, maximi modicis fabis reſponderunt. Omnes quinque, ſeptem, octo, aut plurium etiam angulorum. *Idem author citato loco.*

Paris formæ,ſed numero plures calculi è fellis veſica Chriſtiani regis Daniæ vita defuncti, exciſi dicuntur. Is diem ſuum obiit anno ſalutis reſtauratæ, milleſimo, quingenteſimo, & quinquageſimo nono. *Idem loco quo ſupra.*

Raræ magnitudinis lapis in eadẽ cyſti memorãdi principis Friderici tertii,cognomẽto Prudentis (cuius paulo poſt,vbi de veſicæ, quæ vrinæ receptaculũ eſt,lapillis egero,mentio fiet)perueſtigatus fuit, forma quadrãgula, articuli grãditate, ſed colore aliorũ diſſimilis, quaſi ad praſinum accedente. *Idẽ vbi ſupra.*

Hoc duplo maiorem nobiliſſimus Anatomicus Gabriel Fallopius in poſtrema ſua anatome, quam paulo ante obitum,an.1562.in celebri Academia Patauina abſoluit, è felle viri cuiuſdam, inter cæteros, quorũ centum & viginti tres numerati fuerunt,exemit,inſtar ſemioui gallinacei, grãndiuſculũ, latiorẽ quam rotundiorem, digitum vnũ craſſum, multiſq; tuber-

tuberculis aſperum, vt tophus leuem, & luteum, reliqui modicas fabas, minimi atq; plurimi ipſa quantitate retulerunt. *Idem locis hactenus allegatis.*

Calculus in cyſti fellis plerunq; concreſcit niger, ſed tamen leuis, & qui aquæ immerſus innatat, neq; vt qui è renibus aut veſicis euellitur, ſubſidet in imo. Origo illi eſt à flaua bile, quæ proprio receptaculo diutius coercita, nec tempeſtiue vacuata, nec nouæ influxu renouata, mirum in modum obdureſcit. Id autem in primis accidit, cum vterque cyſtis ductus obſtruitur. Huius quidem neq; manifeſtæ ſunt notæ, neque grauia ſymtomata, quibus certo ac facile detegi poſſit. At ſuſpectus iis eſſe debet, quibus grauis & diuturnus fuit icterus. Decrepitus quidam ſenex in iram mire propenſus poſt deceſſum ſine felle ac ſine cyſti inuentus eſt, in cuius ſede calculus ingens concreuerat. Quin etiam poſt diuturnum icterum, oborto alui profluuio, huius naturę innumeros calculos inſtar piſi aut hordei in plerisque exturbari deprehendimus. *Fernelius lib. 6. c. 5 Patholog.*

Veſiculam fellis nonnunquam deprehendimus ſubnigris calculis, iiſque duris ac ſolidis confertam. *Idem libr. 1. cap. 7. Phyſiolog.*

Neoburgi ad Danubium Virgo religioſa continuis ſub hypochondrio dextro torminib. affligebatur: cũ medici nec cauſam tam diuturni doloris redderе, nec opem ferre poſſent. Defunctæ corpus Illuſtriſſ. Princeps Otthenricus Comes Palatinus diſſecare iuſſit: in quo cętera viſcera, pręter epar illæſa reperta fuere, de quo folliculus fellis pondere lapidis incluſi pendulus, in ſubſtratum inteſtinum procubuerat: quod (mirum) inoffenſo fellis vtero, motu attriuerat. *Langius Epiſtola 57. Tom. 2.*

Ego diuerſis in locis calculos vidi, & in fellea veſica præcipue, quæ poſt renes veſicamque vrinariam frequentiſſime calculis infeſtatur. Adferam hic aliquot exempla, ex quibus & addiſcas ſymtomata hoc malum ſequentia Bononię praxeos Medicinę ordinarius Profeſſor quidã, nomine Beatus, habuit matrem ſexagenariã, quæ cum diutiſſime regio, ni fallor, morbo laboraſſet, & continuo ciborum vomitu excruciata fuiſſet, tandem mortua eſt. In eius veſicã fellea multi reperti ſunt calculi, & in meatu à veſica bilis ad duodenum inteſtinũ magnus, qui eum meatum vndequaq; obſtruxerat. Vnde hac via obturata, natura bilem in ventriculum exonerauit. ventriculus perpetua acrimonia ſtimulat⁹, omnia per vomitũ reiecit. Fuerunt medici q volebãt πικρόχολον fuiſſe, at cum non niſi in hoc tantum morbo vomitu infeſtata fuerit, exiſtimo proprium meatum minime à veſica fellea in ventriculũ immiſſum, ſed potius per inſcrutabiles vias (vt in his qui hepatis, veſicęq; fellis magna laborant obſtructione, quotidie) in ventriculum bilem flauam profundi. *Coiter in libell. Obſeru. Anatom. & Chirurg.*

Alias ſecui Iulii Cæſaris Bouii, Ioannis Bouii Iuris & Doctoris & Profeſſoris Bononiæ, Germanorum olim iſthic Mœcenatis filii famulam, ſenio & morbis confectam. Inueni in fellea veſica duos inſignes lapides cœruleos, quorum alter quaſi oui columbini magnitudinẽ adæquabat, laborabat diu regio morbo, ac vltimo febri correpta occubuit. *Idẽ citato loco.*

Prǽterea in Palatinatu ſuperiori quandã noui fœminam, moleſtiſſima ac admodũ diuturna icteritia, per calculi cum alui excrementis excretionem liberatam. *Idem Coiter vbi ſupra.*

Belloarmati Senenſis, ſummi Iuriſconſulti bilis veſicula præter modũ pallebat, illaq; decem & octo lapilli continebantur, perquã leues ac trianguli imagine, æquis vndique coſtis ac ſuperficiebus formati, colore virides & quaſi nigreſcentes, at cum exiccati eſſent, magis videbantur cinericei, mole cicera referentes. *Veſalius in Epiſtola de radice Chyna.*

Proſperum Marcellum Patritium Florentinum (qui multis annis regio morbo laborauerat, ac inſperata ſubitaq; morte, vt Belloarmatus interierat) etiam diſſecui, cum Florẽtia abiturus, ac in Franciſci Campani à Secretis Ducis Primarii comitatu, nobilis illius ædes prǽterequitans à Dominis quibuſdam coactus ſum cum aliquot Chirurgis, qui iam rem aggredi cœperant, mortis cauſam inquirere, quæ bilis in ventriculum iniectio erat præcipua, is enim ſola bile occurrit turgidus, vna cum iecoris ſcirrho & illius contractione, ſeu in vnum cõdenſatione, cum lien interim mollior & grandior naturali eſſet, ſanguinique parando ſubſeruiſſe videretur: bilis tamen veſicula duorum pugnorum magnitudinem facile adæquante, & exiguis lapillis quodammodo plena, qui inuicem connexis granis ſeminibuſve milii aut potius aſperæ ſuperficiei vulgaris officinarum tutiæ erant quam ſimillimi. Vbicunque venas aperirem, nihil prǽter denſiſſimam bilem inueni. Imo & in arteriis occurrens liquor manus non minus quam bilis ipſa tingebat. *Idem loco prædicto.*

Deceſſit his dieb. mulier nobilis Diamantes nomine, dolore proſtrata calculi, ſed cum nullũ antea ex eo percepiſſet nocumentum, viſum eſt medicis mortuæ cadauer incidere, & reperti ſunt lapides quamplurimi, non quidem vllus in veſica, vt putabatur, ſed prǽter vnum, qui in tunica fellis coloris atri & magnitudine caſtaneæ aridæ continebatur, cæteri omnes in panniculo, quo contegitur hepar, vnde etiam veluti in folliculo dependuli ſacculum effecerant. Hancautem nos mortis cauſam rati, ſapientis viri conſilium eſſe duximus, nihil omnino de incertis & occultis morbis ſtatuere. *Beniuenius cap. 94. De Abditis.*

In folliculo fellis natos quoq; calculos & nos obſeruauimus: Solent autem iſti ſubluteo colore pallere: nauſea & cibi faſtidio laborare: & diutine aduerſa valetudine frui. Colligi vero & in membrana iecinoris annotatum fuit. *Dodonæus Annotat. ad Beniuenii cap. 94. Abditor.*

Oriuntur lapides in animalibus duobus modis, altero quidem à frigore, vt in limace, &c. altero à calore, vt in taurorum veſica fellea ſæpe, & in hominum etiã aliquando: nam inuentus eſt annis abhinc paucis ante lapis in fellea veſica hominis, eo ſcabiei genere, quod lepra vocatur, laborantis. *Cardanus lib. 7. Subtil.*

In compoſitione accidunt vitia inſanabilia, quoniam dum curantur mortem afferunt, velut lapis in veſica fellis, & in renibus durus & magnus, & carnea obſtructio, quæ potiſſimum ex vlcere, in meatu vitę neceſſario, iam conſolidato oritur. *Idem lib. artis parua à ſe conſcripta.*

Vidi nobilem Bononienſem, de Bobiis, cuius veſica fellis adeo tumida erat, vt lapidi rotũdo in acutum, velut pyropendenti, aſſimilaretur. *Cardanus de cauſ. ſig. ac loc. Morb. part. 3. num. 100.*

Tecum diſputarem libenter de concretione la-

pidis copioſiſſimi atque maximi, quem ego ſæpe & ſæpius cum in ipſa (veſica fellea) tum in meatu ab hepate ad inteſtinum lato reperi, ſed locus hic minime iſtud concedit. *Fallopius in Obſeru. ad Petr. Mannam Med.*

Sub quarto genere dixi contineri lapides qui in animantibus generantur: & hi ſunt in duplici differentia: nam aliqui ſunt toto genere præter naturam, & dicuntur præter naturam reſpectu animalis, licet à natura fiant. Generantur autem lapides iſti vel in renibus, vel in hepate, vel in liene, vel in veſica vtraque, vel in articulis. Humor autem iſte habet ortum ex cibariis terreſtribus, quæ cum nō poſſunt concoqui & verti in ſanguinem, abeunt in humorem craſſum & lentum, qui deinde aſſatus lapideſcit. Sed dubitaret aliquis de lapide illo, qui generatur aliquando in veſica fellea, videtur enim quod in veſicula illa non poſſit gigni lapis, quoniam fel eſt amarū & incidit, imo factum eſt ad detergendū atq; ad exhibendum penetrationem humoribus per totum corpus, ergo incidendo materiam illam viſcidam non permittet lapideſcere. Dico, quod ex bile illa per ſe non fit lapis, ſed vtiq; per accidens, quia ſcilicet commiſcetur ſecum humor lentus, qui aſſatus à caliditate bilis lapideſcit, & ita bilis concurrit potius vt agens, quam vt materia. Igitur materia lapidum illorum, q̃ toto genere ſunt præter naturā, eſt humor viſcidus & craſſus. Alii generantur lapides in animalibus, qui ſunt ſecundum naturam, & ſemper in ipſis fiunt. *Idem c. 7. Tract. De foßilibus.*

In Hieronymi Schreiberi Norici, Pariſiis extincti, cyſti fellis, inſignis calculus, vt memorāte Ioan. Pontano, audiui, repertus eſt. *Crato in Epiſtola ad Geſnerum Cordi operibus præfixa.*

Anno 1567. ſecui illuſtrem Ioannem Chaſtaigner, Dominum à Rupe Poſerii, & ſeptem calculos inueni, quinq; ſcilicet in veſica, craſſitie ouorum palumbarum, vnum in fellis folliculo, & ſeptimum in rene dextro. Verum non conqueſtus, niſi circa ſuos vltimos dies, ſuper ardore & difficultate vrinæ. *Ferrandus in libell. De Nephritide.*

Die 2. Iunii 1567. in cadauere Caroli Tiercelin Dominia Rupe du Mayne, equitis magni ordinis Regii, nec nō caput 500. militum, repertus eſt in veſica ingens calculus circundatus ingenti humiditate putri, purum pus repræſentans, plures lapilli in renibus, vnus niger in folliculo fellis, oualis, ſubaſper & paruus. *Idem in eodem libello.*

In folliculo fellis per inflammationes proximorū viſcerum aut obſtructiones diuturnas lapides coaluiſſe deprehendimus: erant hi fere anguloſi, exterius nigri, intus ſubflaui, fuſci, ac ſæpe coloris varii. Exemi ab vno hydropico ſecto, ſolius fellis calculos 32. quorum minimus piſi communis magnitudini reſpondebat, maximus nucis auellanæ. *Gemma lib. 1. cap. 6. Coſmocrit.*

In nobiliſſima muliere quinquaginta tres repertos, ſecto folliculo, vidimus in Aruernia, quos adhuc habemus. *Scholiographi ad cap. 48. lib. 1. Hollerij de morb. internis.*

In illuſtriſſimi Principis Ioan. Marchionis Brandeburgici felle inuentus eſt lapis oblōgus, iuglandis nucis magnitudine, viridis, ad obſcuriorem Malachitem accedens. *Turneiſerus lib. de Vrinis.*

Idem approbant *Gentilis, Nicolaus, Arculanus, Alex. Benedictus, Montuus, Columbus, Thom. à Veiga, Scholiograph. ad libell. Gal. de loc. affectis, & Dodonæus, &c.*

Nos quoq; vidimus in corpore Pædagogi cuiuſdam, fellis folliculum vndiq; repletum rotundis lapillis ad magnitudinem nucis auellanæ, atros viriſcentes, ab vna parte nonnullos ex attritione parum depreſſos, aliquos inſtar lupinorum, quamuis ab altera parte rotunditatem ſeruarent. *Foreſt. Scholio ad obſ. 26. lib. 14.*

In Illuſtriſſ. Guil. Duce Cliuēſium &c. (cuius ego ex officio demortuū corpus aperui) in veſica fellea lapidem inueni, nigrum, durum, aſperum, inæqualem, angulorum, coſtaneæ mediocris magnitudine, duab. in partibus, vtrinq; quaſi digitis compreſſum, ſiis in partibus, vt cornu ſplendeſcentem. *Solenander in conſ. Medicis ſect. v. conſ. 16.*

In veſica fellea lapidem nucis moſchatæ figura & magnitudine in nobili Conr. à Steinberch, an. 1582. ipſo die Michaelis exemi.

Et Anno 68. ſi recte memini, extracti ſunt ad centum lapilli compacti, vt grana in pomo granato inueniri ſolent, aut vt ſemina in ſpica grani turcici, ex veſica fellea in Illuſtriſſ. Henrici Duc. Brunſuicenſis corpore. *Solenand. ſect. v. conſ. 15.*

In cuiuſdam magni nominis viro, poſt obitum aperto corpore, hæc fuere obſeruata. Scirrhi in dextra parte circa epar tres, quamuis ipſius tota ſubſtantia ſolito eſſet durior. In maximo ſinu dexter ren iacuit, in quo duo lapides extitere, oblongus vnus, alter rotundus. In ſiniſtro renis quoq; oblongus repertus. Lien æquauit Epar ſuo ambitu. Veſicula fellis 143. lapillos continuit, ex quib. duo fuere rotūdi, reliqui oualli figura, ſed minores, nōnulli adhuc multo minores. In pulmonum dextra parte magna putredo affuit. Præterea triplex hernia, omenti, inteſtini, & aquoſa, quæ caput humanum æquabat: ſemper fuit valetudinarius. *De Obſ.* CL. V. *Ioach. Camerarij.*

Coniunx cuiuſdam illuſtriſſimi viri, noſtris temporibus, cum ſtuderet variis remediis conſulere ſterilitati, nihil effecit, ſed potius valetudinem grauius afflixit, atq; in vomitū bilioſum, qui illi fuit permoleſtus, & quaſi continuus, incidit. Tandē in magnis frigoribus longinquum iter ſuſcipere coacta, pleuritide correpta, obiit. Aperto corpore demortuo, reperta veſicula fellis intus extenſa, plane obſtructa, propter lapides numero 10. ſatis grandes, referentes exacte figuram glandis faginæ. Apparet bilē in ventriculum regurgitaſſe, ac iſtius vomitus cauſam fuiſſe. *Idem de ſuis obſeruat.*

Cum Patauii Excellentiſſimus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Anatomicus & Chirurgus clariſſimus, anno nonageſimo ſupra milleſimū quingenteſimum, duorum menſium exactiſſimam anatomen adminiſtraret, inter alia in Theatrum fœminæ Ictero nigro extinctę cadauer delatum. Cuius iecur, vti & reliqua viſcera, nil cōſideratu dignū offerebat, ſola cyſtis vſitato grandior, aſpectu tetrior, è cinere concretos cōtinebat globulos, quibus & vena, q̃ à cyſti ad ieiunum proficiſcitur, infarcta, paruo & exiguo prorſus conſpecto liene. Qui in theatro frequentes tum aderant, medicę artis Doctores, de præſenti caſu philoſophabantur. Dicebat tandem ſententiā argutiſſimus anatomicus: Iecur liene cunctāte, ſanguinis fæcē per vas venoſum portę trahere, vtrumq; excrementū in vicinū receſſum amandaſſe,

qui

qui cùm per ordinatas ecphyſes exonerare ſeſe non poſſet, quod erat terreum, iecoris incubi calore vnitum, ac in lapillos coctum, reliquum à veſicula non captum cum ſanguine ad venas & corporis habitū latum, cutem fœdaſſe. *Cl. V. Ioannes Ieſſenius à Ieſſen de obſeruat. propr. per Cl. V. Larent. Scholzium ad me miſſis.*

Hic Vratiſlauiæ faber quidam ferrarius, qui per integrum fere annum dolore aggrauatiuo circa regionem Epatis, ac Ictericia tali, quæ totum corpus croceo colore infeecerat, laborauerat, lapillum ea forma, & magnitudine, qua in Charta tibi depictum mitto, per anum excreuit, ſicque ſanitati reſtitutus eſt. Lapis iſte ſi humectetur, chartas & linteola flauo colore inficit, quod indicium eſt, ipſum ex bile aduſtā genitum eſſe. Cumque forma ipſa veſicam fellis repræſentare videatur, inquiſitione dignum eſſet, per quaſnam vias lapillus iſte in inteſtina peruenerit. *De obſeruationibus Cl. V. Laur. Scholzii, liberaliſſime mihi communicatis.*

Brigida, Nicolai Hanullii, R. P. Florentinæ Senatoris Clariſſ. Vxor, nulla remediorum adiuta ope, ictiritia interiit. Huic diſſectæ, vt prædixerat, in veſica fellis inuenti ſunt lapides cærulæi, ſplendidi, plurimi, anguloſi, quorum ſuperficies ita inter ſe cohærebant, & conglobabantur, vt vnicus primum lapis viſentibus iudicatus fuerit. Veſicam fellis ii adeo opplebant, ac extenſam detinebant, vt bilis nec recipi in ea, nec permeare poſſet.

Similes, octodecim numero, nucis ponticæ magnitudine, in primariis fœminis Florentinis reperti, Conſtantia Acciarolia, & Eliſabetha Capponia, neutram tamen arquatus morbus infecerat. *D. D. Nereti Neruttii Med. Florentini obſeruatio ex Italia cum aliis eiuſdem accepta.*

Monſpelii in ſectione cadaueris cuiuſdam anus, vidi veſiculam fellis multis lapillis crocei coloris refertam. *De obſeruat. Cl. V. Ioann. Franci Hildeſii Cameniceni ad me miſſis.*

In Generoſi Comitis Philippi ab Hanau Dn. in Lichtenberg, Generoſi Dn. Comitis Ioan. Reinhardi, Domini mei Clementiſſimi, felicis recordationis Dn. Aui, folliculo fellis, ab Excellentiſſimo Domino Doctore Ioan. Fridio, cui tunc temporis fato iam diſceſſo, corpus condiendum committebatur, magnus numerus lapillorum, colore citrino nigricante, inuentus eſt, vltra mille, quem nobis cum nonnullis aliis conſpiciendum exhibuit. *Georgius Graſeccius opere ſuo anatomico.*

Observatio.

Folliculus fellis totus in lapidis ſubſtantiam conuerſus.

Galenus, quod meminerim, lapides in renibus & veſica tantum, interdùm vero etiam in inteſtinis generari credidit. Quod autem in iecinore generentur, id aut neſciuit, aut ſi ſciuit, certe ſcriptis non prodidit. E Georgio Boemiæ Rege, adhuc hodie folliculus fellis poſt mortem exemtus extat, in quo, loco bilis, lapis durus continetur, hæmatiti lapidi colore ſimilis, res miranda profectò, & digna, de qua te audiamus, &c. *Iacob. Camenicenus in Epiſtola ad Matthiolum.*

VARIA IN EODEM FOLLIC.

Observatio.

In fellis veſicula varia, in variis morborum & corporum conſtitutionibus, & prodigioſa animaduerſa.

Longum ſane eſſet, ea quæ in quibuſdam tertiana, & quartana laborantibus, & dein ſuſpendio aut capite plexis, in furiis & mania obſeſſis, & melancholia morbo affectis, ex variis febribus (quæ continuæ fuerunt, & rigorum, & ſudorum inordinatos circuitus faciebant) generibus extinctis, fœdo ictero, eoque vario vexatis, malo habitu diu preſſis, & dyſenteria cruciatis, ſubinde reperi, modo commemorare: ſiue ſcilicet hic inſignem bilis nunc flauæ, nunc atra menti quo ſcribimus in modum atræ, ſiue albicantis propemodum colorem (qui fere cōterminas partes infecit) ſiue fluidam aut luti modo aut vnguenti cuiuſdam ex farinis & melle & terebinthina apparati ritu conſiſtentis ſubſtantiam, ſiue varias calculorum effigies, ſiue bilis veſiculæ molem inſtar duorum pugnorum ob contenta tumidam, ſiue omnis bilis defectum recenſerem, quæ omnia me de huius veſiculæ natura adhuc magis quam antea habent ſolicitum. *Veſalius in Exam obſ. Fallopii.*

DE CHOLIDOCHO MEATV.

Observatio.

Meatum, per quem bilis in duodenum exoneratur, diuidi in geminum canalem ante inſertionem.

Bis aut ter ad ſummum obſeruaui meatum quo exoneratur bilis, cum prope duodenum eſt, diuidi in geminum canalem, & vtrumq; paruo interiecto ſpatio in idem inteſtinum inſeri, ſeruata in vtroque artificioſa illa inſertione. Nunquam autem vidi meatum aliquem ad ventriculum deferri, quamuis illud minime fieri poſſe negarim aduerſus teſtimonium grauiſſimum antiquorum, atque Diuini Veſalii, qui hoc vidit, hominemque in quo viderit atteſtatus eſt. *Gabriel. Fallopius in obſeruationibus ad Mannam.*

Observatio.

De meatu Cholidocho obſeruatio noua contra Fallopii ſententiam.

Miſſis rationum momentis, experientiam noſtram proferamus. Dico à iecore ad veſiculam ferri ductum conſpicuum, peruiumque canalem, non autem à iecore ad inteſtinum, à veſicula vero ad duodenum patet canaliculus alter; non à duodeno ad iecur: in vtroque ducto valuulæ adſunt, bilis refluxum impedientes. Id facile deprehendes ſi tubulum in hepatis ductus immittas, & infles, videbis ſtatim veſiculam inflari, non inteſtina: quia peruius eſt ab hepate ad veſiculam ductus: quod ſi in veſicula imponas tubulū, inflabitur inteſtini ductus, non iecinoris: fertur ergo bilis ab hepate primum ad veſiculam, à quo mox in duodenum extruditur. Ita corruit Fallopii dogma. Cæterū ne quid ad perfectam horum ductuum hiſtoriā deſiderari poſſit, animaduerſione dignū eſt, poſteriorem ductum, quo veſicula ſeſe exonerat, interdum duplicem eſ-

ſe,id eſt, duas eſſe illius propagines, quarum altera
ad ventriculi fundum, altera ad duodenum fertur.
Meminit horum ductuum *Galenus ſecundo De tempe-*
ramentis,& in arte parua: & Veſalius ſemel ſe obſer-
uaſſe affirmat.Interdum vnicus ſimplexque eſt ille
ductus,ſed male à natura conformatus, & quibuſ-
dam in ventriculi fundum,aliis infra duodenum in-
ſeritur,illi bilem vomunt continuo:hi liquida & bi-
lioſa deiiciunt perpetuò, illi appellantur πικρόχολοι
ἄνω,hi πικρόχολοι κάτω,vtroſque vocat Galnus bilio-
ſos ἕξει, habitu & confirmatione. Hæc vt illuſtriora
euadant,annotandum bilioſorum hominum apud
Hippocratem & Galenum duo eſſe genera. Sunt
quidam bilioſi τῇ φύσει, id eſt,natura: quidam ex e-
uentu natura bilioſi,vel tales ſunt κράσει, id eſt,tem-
peramento, vel ἕξει, id eſt habitu. Temperamento
quidem, qui hepate ſunt calidiſſimo, hepar enim
præcalidum bilem gignit copioſiſſimam:habitu ve-
ro dicuntur bilioſi,id eſt,conformatione,quorum i-
ta conformata eſt veſicula; vt ad ventriculum aut
ieiunum vſque excurrat canaliculus felleus; eos ap-
pellat.*Hippocrates libro de victus ratione in acutis* πικρο-
χόλους ἄνω καὶ κάτω, bilioſos ſupra & infra: illi bilem
vomunt, perpetuò refluente ſurſum bile; hi bilioſa
multa deiiciunt:ambo pituitoſi eſſe poſſunt tempe-
ramento. Extat elegans hiſtoria apud *Galenum com-*
mentario ad ſectionem ſecundam libri de victus ratione in
acutis, de Paulo Rhetore, & Eudemo Philoſopho;
ille toto temperamentò pituitoſus,crebris vomitio-
nibus torquebatur, erat autem ille aſtrictior aluus;
huic bilioſæ deiectiones,vomitio bilis nulla. Hi o-
mnes τῇ φύσει, id eſt, natura bilioſi dicuntur. Sunt
bilioſi quidam ex euentu, id eſt, aſcititio tempera-
mento,vt qui in labore irarum æſtu fluctuantes cor-
pus conficiunt,qui acribus veſcuntur, ſalſis,& pipe-
ratis, vino hippocratico fragrante generoſo libera-
lius ſeſe inuitant. *Andreas Laurentius,lib.1. quæſt.35. A-*
natomes ſuæ.

Obſeruatio.

In meatu fellis,duodeno inſerto, calculorum, forma nume-
ro,& ſymptomatibus ſtupendorum, & in principe
viro inuentorum hiſtoria.

ANno ſalutis CIↃ IↃ LXXXII.cum Reuerendiſ-
ſimus & Illuſtriſſimus Princeps Elector DANI-
EL, Archiepiſcopus Moguntinenſis,vigili Comate,
in Lethargum tranſeunte, corriperetur: adeoque
fatali quadam infelicitate, propriis viribus plus ſatis
confidens,me circa morbi vigorem primum accer-
ſiri curaret:accidit tandem vt mali violentiâ, non ſi-
ne ſumma Imperii iacturâ, vinceretur, & ex caduca
hac vita decederet. Cuius corpus cum mihi & D.D.
Henrico Garetio condiendum committeretur, na-
turalib. viſcerib. primũ inſpectis, dum inteſtinis exi-
mẽdis occupamur,neſcio quid durum occurrit;ſub-
ſtitimus igitur paululum, deprehendimuſq; mea-
tum bilis duodeno inſertum præpinguem admo-
dum, latum, & vtriculi inſtar inflatum: quem, rei
nouitate perciti, colligatum præcidimus, eumque
calculis vndiquaque refertum inuenimus. Ex qui-
bus maiores omnes colore & forma exactè nucem
moſchatam ita referebant, vt vel Apellis manum
vincerent:minores pleriq; omnes plumbeum ſplen-
dentemque colorem adeo repræſentabant, vt plum-
beos globulos(vulgo nobis Schrödt dictos) deuo-
ratos,ingeſtoſque diceres. Fracti non admodum re-
nitebantur,veluti etiam attriti:intrinſecus flaui,gu-
ſtu amari. Maiorem quem mitto raritatis viſendæ,
Dominus Ludouicus Backelius Sacellanus de So-
cietate IESV,nobis tum aſſiſtens, confregit. Integrũ
alium eiuſdem formæ ſed minorem D. D. Camera-
rio vna cum dimidia meatus parte dono miſi.Quod
retinui id omne tibi iam ea conditione offero,vti,ſi
tibi videatur,optimi pacificique Principis huius no-
ſtri, quem ob Heroicas virtutes ſuas, maxime ſi au-
thoritatem & tranquillitatem eius ſpectemus, pa-
triæ patrem iuſto ſuo merito appellare debemus,hi-
ſtoriam hanc operi tuo,pro acris ingenii tui iudicio
inſeras, adeoque poſteritatis memoriæ conſecres.
Perpetuo ille dum viueret incredibili ſiti torqueba-
tur,adeo quidem, vt ſubinde argenteum ſcyphum,
aqua plenum,ori proluendo, ſitique mitigandæ er-
go,ad manus haberet: quantumuis alias temperan-
tiſſimus,frugali & ad neceſſitatem tantum compa-
rato victu vteretur. *Ex obſeruationibus.Cl.V.Ioan.Frid.*
Traſſelmanni.

Obſeruatio.

Bilis veſiculæ meatus duodeno inſertus propaginem ventri-
culo tranſmittere viſus.

NVllam vel minimam bilis veſiculæ meatus por-
tionem in ventriculum porrigi animaduerti,
præterquam in vno Pontificis triremium remige.
Hic enim vt aliis quibuſdam organis, & præcipue
circa thoracis coſtas & muſculos, ab aliorum homi-
num fabrica variabat: ita & meatum hunc in duas
diſſectum propagines obtinuit, quarum minor gra-
ciliorve ventriculi fundo, qua primum vena dextrá
inferioris ipſius ſedis regionem ambiens ventriculo
committitur,inſerebatur. Vir iſte calidi quidem ſic-
cique temperamenti fuiſſe videbatur. Vt autem re-
ſciſcerem, num vomitu bilioſo, quem huiuſmodi
hominibus frequentem Galenus eſſe teſtatur, vexa-
ri conſueuiſſet, ab eius familiaribus diligentiſſime
quæſiui,ecquid eiuſmodi in ipſo obſeruaſſent. Aſſe-
rebant itaque ſe nunquam illum vomentem aut in
maximis etiam procellis nauſeabundum vidiſſe: ve-
rum vt erat robuſtiſſimus, ab omnibus eum prædi-
cari affirmabant, quod longiſſimo ſpiritu ſubinde
cornu inflaret, omneſque commilitones graui voce
& vno ſpiritu recenſendis numeris longe ſuperaret.
Veſalius lib.5.c.8.de corpor.hum.fabrica.

D.Iulius referebat,ſe in quodam cadauere, quod
pro Italis ſecabat,inueniſſe meatum fellis paulo ſu-
pra dextrum ventriculi orificium inſertum, defici-
ente illo ramo, qui ad duodenum ferri ſolet. D.D.
Petr.Sphererius de obſeruationib. Patauio ad me miſſu.

DE ICTERO.

Obſeruatio.

Prodigioſus icterus.

IN vna icteritia ſemel quadruplicem
coloris viciſſitudinem obſeruaui: ſic
tandem flaueſcente habitu corporis
vt vno temporis puncto & vngues,
& labia,& crines, cum vniuerſo ha-
bitu coloris extreme fului,atque aurei ſpectarentur.
hæc autem illi ab obſtructis menſibus contigerunt.
Cornelius Gemma Coſmocrit.lib.1.cap.7.

OBSER-

Obſervatio.

Prodigioſa aurigine & febre detentus quidam.

QVendam in cura habuimus, morbo regio & febre laborantem, cui iecorariam venam incidi iuſſimus, totus ſanguis erat luteus, excrementa lutea, & lutea ſputa, vrinæ luteæ, huius totum corpus bile plenum erat, & (vt arbitror) nihil boni habebat tamen ab hac febre liber effectus eſt: & nunc cum ſuo regio morbo ſuperuiuit, & eiſdem vrinis & excrementis, adeo, vt eius anima in bile viuat, vel potius in humore corrupto. At ne huius viri nomen deſideres, eſt Sulpitius Tombeſius. *Braſauolus Comment. ad Aph. 62. lib. 4. Hippoc.*

Obſervatio.

In pertinaci ictero, & difficili hepatis obſtructione, bilem aliquando per manifeſtos, ſæpe nobis ignotos meatus in ventriculum ferri, vnde ciborum nauſea, crebræ vomitiones, atq; oris amarities, cum aliis ſymptomatis excitantur.

VNum animaduertendum eſt, quod in icteritiis quaſi omnibus, vt & in his qui hepatis grauiore obſtructione laborant, veſica fellea fel in ventriculum, aliquando per manifeſtos ad viſum meatus, aliquando etiam per naturæ cognitas, nobis ignotas vias eructet. vnde ciborum, carnium vero præcipue ſequitur nauſea, multoties oris amaritudo variorum potuum & ciborum, quibus tamen ſtatim exſatiantur, appetentia. *Coiter in libell. obſeruat. Anatom. & Chirurg.*

Obſervatio.

Diuturno ictero laborans, ſubitaneo bilis in ventriculum confluxu, mortuus: cadauere diſſecto, iecur magnum, durum & viride, lien mollis & magnus viſus.

PRoſper Martellus, cum multis annis regio morbo laboraſſet, & ſubito ex bilis in ventriculum miro confluxu Florentiæ expiraſſet: iecur habuit magnum, & durum, & viride, cum molli ingentique liene. *Veſalius lib. 5. c. 9. de corp. hum. fabric.*

Obſervatio.

Tempore Hippocratis nulli Auriginoſi πνευματώδεες erant.

APud nos auriginoſi euadũt πνευματώδεες, quod eius affectus origo ſit ab imbecillitate ventriculi, quæ cruditates parit, à quibus obſtructio & icterus, vt ab humore multo, craſſo, lento, qui procumbens è cerebro in ventriculum tenuis, iecoris venas ſenſim obſtruit, aut ab alimẽtis multis & craſſis, aut balneis, aut motu violento mox à cibo. Tempeſtate Hippocratis, qui in calida regione medicinã faciebat, non erant auriginoſi pneumatodees, quod is icterus naſceretur à bile in iecore calidiore redũdante, quæ quoquo verſum erumpens cum ſanguine ſummam corporis cutem inficit. *Iacob. Douynet. Apolog. lib. 3. c. 1.*

Obſervatio.

Ante ſeptimum aurigine correpti, liberati quidam.

ANte ſeptimum diem (ſic enim legi debet) in febre morbum regium mortiferum eſſe ſignũ, docuit Hippocrates. Nos ſcimus vixiſſe aliquos ab hac deſperatione. *Plinius lib. 26. cap. 14. Nat. Hiſtor.*

Quod dicit Hipp. Icterus veniẽs ante ſeptimum diem in acutis febribus, malum, reprobatum eſt experientia in omnibus noſtris terris, & ſi eueniat in quintum diem, laudabile multum eſt, viua ratione & maxime in temporibus calidis, & hæc eſt ſententia collegiorum Medicorum omnium Perſarum & Indiæ maioris, & pro maiori parte illorum de Vandaloſi, & poſſibile eſt, quod illud quod dixit, in Græcia locum habet. *Auerrhoes libro quarto collectionum, cap 43.*

Habemus locum *lib. 1. Epid. Hippocr.* de Heraclide, qui tertia die factus auriginoſus liberatus eſt, idque beneficio conſequentis vacuationis, vt per hæmorrhagias è naribus, ſudores, &c. *Hollerius Com. ad aph. 62. ſect. 4. Hipp.*

Plurimi apud *Hippoc. in Epid.* ante ſeptimum diem auriginoſi facti ſeruati ſunt, ſed non niſi quibus aut ſanguis è naribus profluxiſſet, aut vomitus, vel deiectio, vel vrina erupiſſet, idq; iuſta ac copioſa vacuatione, & cum virium robore. Vide *aph. 7. lib. 4. Coac.* vbi fuſiſſime hoc axioma explicatur. Vide item *Amatum Luſitanum Curat. 49. cent. 3. Liebautium Scholio ad aph. 62. lib. 4. Hippocr.*

Obſervatio.

Ex ictero acutis ſuperueniente præſagium fallax.

IN morbis acutis præſagium quam ſit fallax, ex ictero ſuperueniente, hiſtoriæ multæ in Epid. demonſtrant. Quibus adduntur quædam noſtræ obſeruationes. Inter cæteras, anno 1545. quidam ſexto factus ictericus, cõmota aluo, bilioſa deiecit, vrinis nigris & multo felle tinctis. Febris expers iam ambulabat, quaſi omnino liberatus, 14. recidiua, 17. obiit.

Aliis duobus idem accidit. Quidam admodum robuſtus ante 7. ictericus factus, ægerrime & cum recidiua euaſit.

Anno 1549. menſibus Aprili, & Maio, (quo fere tempore Lutetiæ febres tertianæ exoriuntur) multis aureæ vrinæ, & morbus regius primis diebus.

Cuidam nobili, ita affecto, detractus ſanguis tes ad octo fere vaſcula iteratis vicibus. Sanguis totus & ſpuma conſiſtentia flauus. Viſus eſt conualuiſſe. 17. recidiua, alui profluuium, bilis craſſa & meracior, ſingultus leuis. 21. obiit. Laborauerat aliquando lue venerea.

Multos in Epid. ante ſeptimum ictericos factos euaſiſſe legimus. In *Coacis Hippoc.* ἦ δὲ μὴ σκληρὸν ὑποχόνδειον, ſalutarem eſſe 7. 9. 11. 14. Si induretur, ambiguum, ἐνδίατον. *Galenus de rat. vict. in morbis acutis.* in bilioſa febre, ante 7. ictero, cum rigore & horrore morbum ſolui voluit. Si vero abſque rigore, ἔξω τῶν καίρων lethale. Vbi criticum icterum, ſine tumore, aut inflammatione hepatis, & excretionem conſequentem horroris vel rigoris nomine intellexiſſe videtur. *Scholigraph. ad cap. 37. libr. 1. Hollerii de morb. intern.*

EXPERIMENTA.

Obſervatio.

Ad viſcerum, hepatis præſertim obſtructiones, & ictericos, ſpiritus tartari, & chalybis elogium.

VIſcerum obſtructiones à viſcoſo pituitaceo & bolari infarctu, expedit ſpiritus tartari, chymice id

ce id eſt legitime paratus. Chalybis in hunc finem & vſum magna pariter dos eſt, quibus omnes reliquas viſcorum difficultates, cumprimis hepatis, auerruncare, ictericis vero primariam opem adferre licet. Ne autem in medico-hiſtorico hoc Paterno opere penitus chymicum pharmacopœum agam, differo in aliud inſtitutum, & ex recepta dogmaticorum ſententia chalybis illud electuarium, non chymice reſoluti, ſed ex limatura conſtituti, ſubiiciam. *Schenckius filius.*

Quamuis multa ſint preſtantiſſima, quibus vtor, pro cauſarum & corporum varietate, idonea, tamen præſtantiſſ. eſt in rem præſentem. Elect. ex chalybe, quo obſtructiones Hepatis & Ictericos fere omnes ſanari, iis præcedentibus, quæ artis vſus poſtulat: duxi ictericos omnes, non iam incipientes modo, ſed lõgitudine morbi, non mediocriter vexatos dum modo à ſcirrho non habuerint originem. *Horatius Augenius lib. 7. epiſt. 3.* Idem *ſequente epiſtola* ita ſcribit. Antidotum ad Hep. obſtructionem præſtantiſſ. de quo in alia epiſtola ſcripſi; eſt quod ab ipſo Caleſtrano, ſub nomine Electuarii de chalybe deſcribitur. Cuius facultas te nunquam decipiet: vtebatur hoc ſæpiſſ. Ludouicus Pater, & ego illius imitatione iuuaſſe complures cognoui: melius redditur quando ex chalybeata tum vinum temperatur, tum alimenta incoquuntur, præſtanſq; in caſu vinum ex chalybe. Ammoniaci ℨ. j. diſſoluta in ℥. ij. aut tribus aceti mulſi, decoct. agrimoniæ ad 4. dies data ante cibum horis quinq; ad miraculum vſq; ſubueniſſe Ictericis deprehendi. *Idem.* Compoſitio Electuarii è chalybe. Corollarii loco Elect. è chalybe mitto, quod in obſtruct. viſcerũ maximo vſui eſt & ſpertim in morbo virgineo, ab Hipp. vocato. Communicauit autem mihi illud Ducis Bauariæ Med. præſtantiſſ. & ſe multa centena eo lucrifeciſſe dicebat, & fere domi ſuæ, ne innoteſcat parare ſolere. Hæc autem eſt deſcriptio ex illius αὐτογράφῳ: ℞. Limaturę ferri electi ſeu chalybis ℥. viij. Molatur ſuper porphyrite, ſubtiliſſ. cum aceto, deinde ſiccetur ad ſolẽ aut ignem & ſic ſepties iteretur. ℞. Limat. ſic præparatæ ℥. ij. cinam. Nucis conditæ ana ℥ iij rhabarb. el ℥. ij. ſpec. aromatic. roſ. ℥. vj. mellis opt. ſacch. albiſſ. el. an. ℔ j. ℥ j. Miſce cum lento igne & f elect. qui hoc elect. aſſumit exercitio vtatur. Δόσις ſit inſtar caſtaneæ vel ℥ s. Præcedat autem purgatio vniuerſalis. Poteſt vti ad dies 30. vel 40. *Laur. Scholtzius epiſt. ad Pet. Monauiũ lib. 2. pag. 378. conſil. & epiſt. Cratonis per eundem Scholz. publicatarum.* Extant aliæ deſcript. paſſim in antidotariis, ſed hanc cæteris ſelectiorem eſſe apparet. In viſcerum, lienis maxime, obſtructionibus vim maximam poſſidet, Etiam fœminis & virginibus decoloribus recte datur. Feci ego in vna atque altera periculum. *Idem epiſtol. ſequenti ad eundem ſcripta.*

Electuarium Dia chalybis, ex *Barcinonenſium medicorum Pharmacopœa* tranſcriptum, paulo rarius. ℞. limaturæ chalybis præp. ℥. j. ſcobis eboris ℥. iij. croci ℨ. ij. rad. canaueræ ℥. j. rad. caſquæ, nucleorum malorum armeniacorum, cicerum rub. ſingul. ℥. viij. ſabinæ ℥. j. ſacch. auellanarum toſtarum, amygd. ſingul. ℥. iiij. mellis deſp. ℔ j. conficiatur ex artis preſcripto. Canauera, eſt illa planta, quã *Mathiolus* Dentariam nominat. Caſqua, eſt arbor granũ tinctoriũ ferens.

DE LIENE.

CONFORMATIO ET CONSTITVTIO *varia.*

OBSERVATIO.

Lienes nonnunquam duo, aliquando etiam tres viſi.

Inter anatomes plurimas, à nobis annotati ſunt gemini lienes. *Gemma lib. 1. c. 6. Coſmocrit.* Idem teſtatur *Ariſtot. lib. 4. c. 4. de generat. animal.*

Patauii publice cadauer ſecui, in quo triplicem lienem reperi, vnum iuſtæ magnitudinis, alterum dimidio minorem, tertium vero magnitudinis oui columbini, atque vnuſquiſq; ſuas venas & arterias & neruos poſſidebat, ſedeſq; omniũ ſiniſtrum hyochondrium, eadem omnium ſubſtantia, & eadem tunica, & ad ſummum, eadem erant omnia. *Fallopius in obſ. anat. ad Petr. Mannam Med.*

In cadauere, quod priuatim nobis ſecabat D. Iulius, duos obſeruauimus lienes, qui ita ſe habebant: Prior & ſuperior conſuetæ tum magnitudinis tum formæ erat, carebat autem illo metu alioqui ab ipſo ad ventriculum ferri ſolito. Huic ſubiectus erat lien paruus, forma rotunda, mali medici vel Arantii magnitudine, ſubſtantia laxa, & nigricante, ramum habebat proprium à vena porta ipſius ſubſtantię inſertum. *Petrus Spebr. de obſ. Patauio ad me miſſis.*

In monte Peſſulano miles quidam præſidiarius noctu interficiebatur, is deinceps Rondeletio præſide publice fuit diſſectus, atque in eo lien duplex, cum magna omniũ admiratione, inuentus. *Ioann. Poſthius de obſeru. propr.*

OBSERVATIO.

Liene deſtituta quædam.

APerta mulier à nobis in Scholis Medicorũ Lutetiæ lapidem habens in vtero, in cranio anteriore, & quæ ſine liene inuenta ſit. *Hollerius inter rarũ num. 5.*

OBSERVATIO.

Lien in dextris & hepar in ſiniſtris.

SEmel vidi in lienem in dextris & hepar in ſiniſtris collocari. *Gemma lib. 2. pag. 75. Cyclog.* Et *Coſmocrit. lib. 1. c. 6.* Cur (inquit) ſtupeant homines, ſi (quemadmodum à nobis inter anatomes plurimas annotatum eſt) in nonnullis occurrat ſitus partium peruerſus plane, vt lien in dextro, hepar in ſiniſtro hypochondrio collocetur, &c.

OBSERVATIO.

Lien peritonæo annexus.

ADnexum vidi peritonæo lienem. *Columbus libr. 15. Anatom.*

OBSERVATIO.

Lien cuiuſdam tam exiguus viſus, vt oui columbacei magnitudinem non excederet.

MAgnitudo lienis, quamuis raro minor fiat, quã ſecundum naturam requiritur, vnde eius actio manifeſte offendantur, poteſt tamen aliquando id accidere, præſertim vbi vniuerſum corpus cõtabeſcebat: ſed neq; tunc fere lienis paruitas attenditur, ſiue quod ita exiguus fuerit à natura lien effictus, quemadmodũ olim nos Barcinonię obſeruauimus in Iacobo Antonellio Pedemontano, admodum cachectico, quem cum repente ſyncopes rapuiſſet, & nobis præſentibus eius cadauer diſſecaretur à Chirurgo ſatis perito, quo eiuſmodi corporis internam

ternam conſtitutionem ſpeculaemur, obſeruaui-mus eius lienem columbacei oui magnitudinem non excedere, ſed adeo eſſe durum, ac compactum, vt fere lapidis duritiem imitaretur: cuiuſmodi viſcus credidimus nos nimis exiguum vel in prima corporis conſtitutione à natura fuiſſe effictum, & ex materia admodum denſa atque inepta ad extenſionem, ac procedente tempore à calore naturali eandem materiam paulatim fuiſſe exiccatam, & quaſi in lapideam naturam conuerſam. *Vidus Vidius Iunior lib. 10. c. 10. de curat. membr.*

OBSERVATIO.

Lienem Generoſi cuiuſdam viri exuccum, & pulpa carentem inanemq; deprehenſum.

Dominus à Rapoltſtein, vulgo, alias Spoletanus dictus, in Alſatia agens, cum per multos annos podagra dira vexatus eſſet, tãdem ſupremum diem clauſiſ; à morte, pro more magnatum, exenteratum quum fuiſſet corpus, conditura que mumiata curatum; lien inuentus fuit plane exuccus, & omni pulpa carens, marſupii in modum inanis, ſiniſtris hypochondriis affixus. *Cl. V. Iacobi Moccii Medici obſeruatio.*

OBSERVATIO.

Lien magnus inſtar iecoris, cuius anteriori parti accreuerat, obſeruatus.

Qui Montiſſelis ſuſpenſus, ad Patauinas Scholas in corporum penuria aduectus fuit, adeo grandem exhibuit lienem, vt modice admodum iecoris moli cederet, & anteriori iecoris parti adnatus, anteriori quoque ventriculi ſede exporrigeretur. Lienis eius ſubſtantia ſanorum viſceris ſubſtantiæ penitus reſpondebat. Adoleſcens hic erat candidiſſima & glabra cute, minimeq; natura melancholicus, aut aliquin valetudinarius. *Veſalius lib. 5. cap. 9. de corp. hum. fabric.*

Scimus nos Nobilem mulierem Eliſabetham, coniugem Mag. Patritii Mantuani, noſtrique amiciſſimi Caroli Luzzariæ, lienem adeo ingentem habuiſſe, vt vniuerſum abdominis ſpatium occuparet, quo tamen non obſtante, plures filios peperit, recte & exacte admodum formatos, non ſine omnium ingenti admiratione; qui adhuc viuunt. *Marcell. Donat. hiſt. mirab. lib. 6. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Lien 20. librarum, exterius cartilagine inductus.

Lienes adeo grandes vidi, vt viginti librarum pondus vnuſquiſque ex his longe excederet, quos cartilago exterius obuoluebat, *Columbus lib. 15. Anat.*

OBSERVATIO.

De liene viginti tres libras pendente, & iecore vndecim.

Dominicius Penſo, Patritius Clodienſis, triginta nouem annos natus, nauta inſignis, ſed qui multa errata in victus ratione à primis vnguiculis commiſerat, quorum occaſione iam ab hinc duodecim annis, magno abdominis tumore, & crurum, pedumque inflatione, ſumma cum anhelitus difficultate laborare cœpit: adeo vt ab omnibus medicis Venetis, & Clodienſi collega meo, pro vero hydropico, & perperam curatus fuerit. At ne tantillum quidem profuere tot tamque fortia medicamenta, ita vt viribus proſtatis, iugulato calore natiuo, tandem Calendis Ianuarii, anni vertentis 1578. ærumnoſo cruciatu vitam finiuit ſuam. Cuius cadauer à me diſſecandum duo barbitonſores, Chirurgiam me permittente Clodiæ exercentes, magiſter nimirum Illius, magiſter Scipio, ambo ex familia Boſcheletorum Clodienſium, affinesGermani, in ædes meas, ſecunda Ianuarii, dicti anni, valde læti & ouantes, ſummo mane attulerunt. A prandio itaque, diuino implorato auxilio, & rite corpore locato, omnibuſque diligenter præparatis, & facta, vt moris eſt, abdominis diſſectione, & apertione, omnia & ſingula diligentiſſime magna cum patientia Clariſſimo viro Domino Marco de Nigris, collegæ meo octogenario, ipſiſque barbitonſoribus operoſe demonſtraui, & inter notatu digniſſima, ablatis abdominis muſculis, diſſectoque peritonæo: ecce ſtatim procedit lien maximus, latiſſimus, ita vt totum impleret abdomen, ſuppreſſis & vẽtriculo & inteſtinis, quo viſo, omnes ſumma correpti ſumus admiratione, cum nihil aliud videretur quã iſte lien, ſiue ſplen tam ſtupendus, quem manibus apprehendens, pro vt potui, ab omnibus partibus liberaui, & ſuper viciniorem menſam librandum collocaui, & nobis data magna libra, ipſum ponderaui, qui bona fide 23. libras, boni ponderis, librauit, moxque in modũ crucis diuiſi, cuius ſubſtantia ſanorum viſceris ſubſtantiæ omnino reſpondebat, nihil quoad colorem mutatus, niſi quod ſanguis in eo contentus non ita ater fuerit, prout eſſe ſolet, ſed propter copioſiſſimũ potum, quo nutriebatur, ſubalbidus erat & valde denſus; παρέγχυμα ſimilimum habebat iecori; quod valde durum, obſtructum, & ſatis magnum reperi: nam libratum pendebat vndecim libras. Ventriculus vero tam paruus erat, vt vix veſiculæ effigiem referret. Reliqua naturalia naturaliter erant conſtituta. Quibus viſis, cadauer ſepeliendum reportarunt. *Georg. Garnerus de obſeru. propriis.*

VENA LIENIS.

OBSERVATIO.

Vena, quæ à liene bilem atram ad ventriculum defert, biſurcata deprehenſa.

Nuper in inciſo Iacobi cuiuſdã furis inſignis cadauere, venam, quæ à liene ad ventriculum atram defert bilem, biſurcatam annotauimus. *Beniuenius cap. 89. de abditis.*

ADEPS LIENIS.

OBSERVATIO.

Gibba lienis parti adeps inſtar candidiſſimi & duriſſimi lapidis adnatus.

In ciue Patauino, qui annis tribus carcere detentus, & tandem nigro arquato in Maximis mœroribus defunctus, publicæ ſectioni abhibitus fuit, lienem præter cætera minus craſſum latumque, & exiguum omnino reperimus, & gibbæ eius parti adipem adnatum, inſtar candidiſſimi duriſſimiq; lapidis concretum. Subſtantia viſceris huic erãt arida, & impenſe dura. *Veſalius lib. 5. cap. 9. de corp. hum. fabric.*

LAPIDES SIVE TARTARVS.

OBSERVATIO.

Lapides in liene viſi, triduanum ſiniſtri lateris dolorem menſtruum ante plenilunium excitantes.

LApidem in liene nobilis & generoſæ fœminæ
Chriſtianę Verin reperi, caſtaneę magnitudine,
ſubalbidum, alabaſtri mollitie, pondere vnciarum
duarum ſemis & drachmæ vnius, laminis, ouorum
putaminibus inuicem cruſtatim inuolutis, ſimilibus
concretum. Erat hæc fœmina iuuenis, formoſa, quæ
ſubinde plenilunii tēpore grauiſſime ex ſiniſtro la-
tere ad triduum vſque affligebatur: quo exacto, do-
lor eouſq; remittebat, donec nouū plenilunii pun-
ctum inſtaret. *Turneiſerus in Exam. vrinarum.*

Multis in articulis, iecore, liene, &c. nati calculi.
Scholiograph. ad c. 48. lib. 1. Hollerii de morb. intern.

Generantur lapides præter naturam, vel in reni-
bus, vel in hepate, vel in liene. *Falloppius in obſeru. A-
natom. ad Petr. Mannam Med.*

VESICA.

OBSERVATIO.

Veſica ſub liene aqua plena inuenta.

ANno Domini 1565. in ædibus excellentiſſimi
ac eximii Medici Doctoris Cæſaris Odonis, in
Schola Bononienſi practicæ ordinariæ profeſſoris
primarii (qui vt inſignis doctrinæ, artium virtutum-
que excellentium Profeſſor, ſic & ſtudioſorum & o-
mnium artificum mœcenas, per inſignem ſuam ergà
me beneuolentiam ac officiorum liberalitatem, mi-
hi ſplendidam aulam ad anatomiæ adminiſtrationē
conceſſit) multa ſecui corpora, & inter cætera ſuſpē-
ſum, in quo ſub liene deprehendi veſicam duorum
pugnorum magnitudine aqua pleniſſimam, & eam
à vicinis partibus abſq; læſione ſeparaui. nullam vn-
quam quiui inuenire membranam à iecinore ad lie-
nem ſub ventriculo tendentem, quàm *Gabriel Cune-
us Mediolanenſis in ſuà apologia* vult in mania & me-
lancholicis morbis afflictis, prauis ſuccis, qui poſt
diuturnos morbos ac dolores, interim per vomitū,
interim per ſedem expelluntur, repletam nonnunq̄
reperiri. *Coiter in libell. obſ. anatom. & chirurg.*

MEMBRANA.

OBSERVATIO.

Membrana à iecore ad lienem ſubtenſa reces animaduerſa, & quorum morborum fomentum.

DIcam quæ obſeruaui cuiuſmodi multis homi-
nibus in tota membrana colligantur reponan-
turue, quam à iecore ad lienem metimur, quamque
ventriculo ſubditam, colo hominis inteſtino omni
illo interuallo meſenterii vice eſſe dicimus, quæ ſe-
cundum ventriculum à dextro latere in ſiniſtrum
porrigitur. Sunt autem quæ hic coaceruantur, quæ
poſt longas variaſque, modo intermittentes, modo
continuatas febres, per multas inteſtinorum diffi-
cultates & tenaſmos excerni videmus, variorum-
que etiam vomituum, quando ſcilicet in ventricu-
lum feruntur, occaſiones exiſtunt. *Gabriel Cu-
neus in Apolog. pro Veſalio contra
Franciſcum Puteum,
pag. 102.*

SYMTOMATA.

OBSERVATIO.

Ingentes circa lienem dolores, ad imum ventrem ſpectantes, ſuffuſione atra bilis in vniuerſum corporis habitum ſublati.

MAtrona quædam nobilis 40. annorum circi-
ter, patiebatur ingentes dolores in imo ventre
in regione lienis, qui ad colicos accedebant. Pro
quibus cùm fruſtra auxilia adhibita eſſent, tandem
effuſo atro humore in totum habitum corporis, ipſa
à doloribus liberata fuit, & adhibitis iis, quæ ictero
nigro conueniunt, tandem perſanata. *Cl. V. Camera-
rius de obſeruationibus Patauio acceptis, & ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Sanguinis miri fluxus in lienoſis.

IN lienoſis quibuſdam obſeruauimus repentinos
ſanguinis fluxus, non ſolum per inteſtina, ſed &
per vomitum, ſemelque vna per vrinam profluente
copioſo ſanguine; cuius non vulgaris euentus ver-
ba facere hoc loco decreuimus.

Anno 1570. Nicolaus Ciherhardutius, vir, cuius
lien valde intumuerat, ſanguinis nigricantis, & gru-
moſi, libras amplius decem per ſeceſſum & vomi-
tum excreuit, vnde lienis tumor longe minor, quam
antea fuerat, redditus eſt; nihilominus, cum intem-
perantiſſimus eſſet, rurſus intumuit, & poſtmodum
per annum, à prima ſanguinis excretione in alteram
conſimilem incidit, ex qua in hydropem deuenit, &
obiit.

Patritio Cizyolio, in vrbe noſtra idem fere conti-
git; lienoſus vir hic erat, incidit in ſanguinis fluxum
per anum & vomitū, detumuit lien, ſanatus eſt, ſed
tertio poſt anno rurſus eadem ſanguinis reiectione
tentatus, vitam cum morte commutauit.

Conſimili morbo Reuerendiſſ. Marcus fidelis
Gontz, Epiſcopus Mantuanus, anno 1583. deceſſit.

Monachus quidam Carmelitanus, cum lienis tu-
more diu laboraſſet, repente in ſanguinis reiectio-
nem copioſi, craſſi & fæculenti, per vomitum extra-
miſſi, incidit, eadem die & per aluum eiuſdem ge-
neris ſanguinem extra miſit, & die ſequenti ſanguis
quoque per vias lotii exiuit, cumque interim nulli-
us doloris vlla in parte conquereretur, animam vna
cum ſanguine fudit. *Marcell. Donat. Hiſtor. Mirabil. lib.
4. cap. 9.*

OBSERVATIO.

Fluxus ex liene admirandi, quorum vnus per vmbilicum, alter per occultum porum ſcroti animaduerſus.

FLuxus ſanguinis in lienoſis admirandos duos
potiſſimum obſeruaui: vnum ex vmbilico, nem-
pe Hieronymo Lydio Patauino; alterum ex ſcroto,
nullo apparente foramine, in Bernardino Bonfilio.
Ambos mors iam ſuſtulit. *Cl. V. Herculis Saxonia ob-
ſeruatio.*

TVMORES LIENIS.

OBSERVATIO.

Lien ſcirrhoſus, veluti coctus.

LAtomum ſecui lapſum ex alto, aperto ventre
inferiore, præter alia rara, repertus eſt lien, cine-

riceo foris colore, cum ſcirrhis paruis duobus, lapidi ſimilibus, intus erat veluti coctus. *Syluius in Appen. Iſag. anat. de variis corp. diſſecandis.*

OBSERVATIO.

Lien albidus & exiguus in hydropico inuentus.

GAlli ſacerdotis, Bononiæ in xenodochio, aqua inter cutem mortui, lienem albidum, ſed exiguum, adinueni, perinde ac Auguſtæ in muliere textrice. *Veſalius lib.5.c.9. de corp. hum. fabric.*

OBSERVATIO.

A lienis tumore quidam annis continuis quindecim, annuatim bis aut ter, per vrinæ profluuium, atramento ſimile, liberatur.

NOui ego religioſum virum, quo cum quotidie familiariter verſor, cui ter aut quater in anno, maxime vere & Autumno ineuntibus, intumeſcit lien: ac dum prominulus tumor inſtat, dolore hypochondrii infeſtatur, ſubliuidus toto fit corpore, ſenſimque deterius habet; ſed tandem nigricantibus vrinis atramento ſimillimis erumpentibus, per quinque aut ſeptem dies priſtinam reſumit incolumitatem, tumore & grauitate hypochondrii vaneſcentibus. Iam à 12. aut quindecim annis repetito eiuſmodi per interualla vrinarum profluuio detinetur, cum ante turgidas, ſed minus apertas, habuiſſet hæmorrhoidas. *Valerius exercit. 40. ad Hollerium de morb. intern.*

VVLNERA LIENIS.

OBSERVATIO.

Lienis vulnera non ſemper lethalia eſſe, quin ipſum, in totum aliquando reſectum.

LIenis habenda eſt ratio, qui, ſi vulneretur, non neceſſario infert mortem. Quoniam præſtantia membri, & principalitas nō eſt in liene, nec eſt principium vllius facultatis: ſed ſi vulneretur lien circa vaſa magna, & in profunditate, tunc neceſſario infert mortem, propter ſanguinis copiam; non poſſumus enim imponere manum ad ſupprimendū. Scio aliquos fuiſſe huius ſententiæ, lienem integrum auferri poſſe, & ſub Imperatore Turcarum id fieri referunt Sed ego nō diſputo hoc; quoniam nunquam vidi. *Falloppius de vulner. cap. 12.*

Fertur in quibuſdam ſplenis parenchima adeo abſumtum repertum eſſe, vt ſola cutis remanſerit, quod ſæpius in renibus à calculo vlceratis obſeruatur, qui ſoli hinc inde verſantes, tanquam numi in crumena remanſerant. Duorum, D. Viardus Chirurgus inſignis, meminit, in quibus, plurimis præſentibus, cum in latere ſiniſtro vulnerati fuiſſent, reperecrit ſplenes ſauciatos, & eos partim alteratos, partim vero exſiccatos, quos ſectione ſe extirpaſſe refert. Simile etiam ex D. Petit, perdocto Medico, Giani habitante, cognoui, feliciter à Chirurgo eius loci idem in viro ſaucio, quem tractabat, factum, & tamen innumerabilis arteriarum plexus, quam neceſſaria ſit ipſi indiuiduo actio ipſius, ſatis oſtendit *Franciſc. Rouſſetus de part. Caſ. ſect. 4. c. 5.*

OBSERVATIO.

Lienem curſoribus ne obſit, vel inuri, vel excindi ſæpe.

PEculiare curſus impedimentum aliquando in liene: quamobrem inuritur curſorum laborantibus. Et per vulnus etiam exemto viuere animalia tradunt. *Plin. lib. 11. c. 37. N. H.*

Genua hunc curſorem deſerunt, perii, ſeditionem facit Lien, occupat præcordia. *Plautus in Mercatore.*

Non pauci veteres cenſuerunt, hominem poſt Lienem extractū, ad curſum magis aptum eſſe, vt Aretheus, Haliabbas, & Plautus approbare videntur. *Bertinus in Medicina ſua, lib. 18. cap. 1.*

OBSERVATIO.

Quibuſdam integræ lienis particulæ excretæ.

SI abſceſſus ruptus fuerit, pus vtiq; purum & concoctum nunquam excernitur; ſed ſubalbidum & cinereum, quandoque fæculentum, liuidum: quod ſi & profundior abſceſſus fuerit, nigra etiam fertur humiditas, quando & aliqua ſucci lienis, qui ſimul rubeſcit, particula exprimitur. Quibuſdam præterea & integræ lienis partes exierunt. *Aretæus lib. 3. c. 14. de cauſ & ſig. acut. morb.*

CVRATIO SIVE MEDICINA Lienis.

OBSERVATIO.

A vitio lienis capparis eſu, & potione aquæ, in qua candens ferrum extinctum, curatus.

LIenis vitio afficiuntur quamplurimi, horum ſiniſtra pars tumens ac durior prementi renititur. Quod ſi diu perſeuerat (nam interdum perpetuum id malum eſt) tumeſcunt crura: & ſi vlcera præterea innaſcuntur, vix ſaneſcunt. Multos nos tali vitio affectos curauimus: inter quos vnum, quem, cum ſeptennio hoc morbo vexatus fruſtra multa auxilia ac pene infinita præſidia expertus fuiſſet, ſolo tandem cappari, qui tali ægritudini aptiſſimus cibus eſt, ſolaque vi aquæ, in qua faber ferrarius ſæpe candens ferrum extinguit, annua potione liberauimus: tanta ſc. in eiuſmodi aqua contra hoc vitium ineſt vis atque virtus. Vnde & compertum eſt, animalia quæ apud fabros educantur, perquam exiguos habere lienes. *Beniuenius c. 105. de abditis.*

OBSERVATIO.

Splenis dolor medicamento paratu facili ſublatus.

CVm adoleſcens adhuc peregrinarer, viroſque in arte noſtra excellentes conſectarer, atq; aliquādo dolore ſplenis vehementer affligerer, hoſpita conſilii hoc mihi dedit, vt loco affecto ſummitates frondium Ebuli calefactas imponerem; quo facto, dolor omnis ceſſauit protinꝰ ita vt multis annis poſt non fuerit mihi moleſtus. *Georg. Melichius com. de med. comp. de vnguent. & cerat.*

OBSERVATIO.

Splenicorum curationes prodigioſa.

QVorundam corpore partes naſcuntur ad aliqua mirabiles: ſicut Pyrrho Regi pollex in dextro pede, cuius contactu lienoſis medebatur. Hunc cremari cum reliquo corpore non potuiſſe tradunt, cōditumq; loculo in templo. *Plin. lib. 7. c. 2.* Addit Plutarch. nec cuiquam hoc auxilii genus, quanquam pauperrimo, denegaſſe, &c.

Ex mirabilibus curationibus eſt, cum ſplen durus non diuiſa cute diuiditur, ſecuri è regione eius ſuper linteum poſita: inde claua ferrea ſecuris ſex aut ſe-

ptem ictibus percutitur, ſanantur autem ex hoc aliqu. *Cardanus arte curandi parua, cuius ipſe author eſt.*

Euidentioris ſuperſtitionis eſt cum ſpleni ſcirrhoſo lintea in crucem imponunt: his ſecurim, quam ligneo malleo percutiunt, ſcirrhusq; ſoluitur ſuccedentibus diebus. *Idem c.44. lib. 8. de varietate.*

Pecudis lien recens Magicis præceptis ſuper dolentem lienem extenditur, dicente eo qui medeatur, lieni ſe remedium facere. Poſt hæc iubent eum in pariete dormitorii eius tectove includi, & obſignari annulo, terque nouies carmen dici. Caninus ſi viuenti eximatur, & in cibo ſumatur, liberat eo vitio. Quidam recentem ſuperalligant, &c. *Plin. lib. 30. cap. 6. N. hiſt.*

OBSERVATIO.

Lienoſis ſaluatella tuſa proficit, ex inſomnio remedium Galeni.

TEſtatur Galenus ſe euidenti patris inſomnio admonitum, vt Medicinæ operam daret, certum habens, ſi id faceret, in magnum virum ſe euaſurum: & lienoſum quẽdam ſomniaſſe, ſe liberatum iri à morbo, ſi ſaluatella vocata (quæ inter annularẽ, & minimum digitum ſita eſt) illi ſecaretur: ſecuit, & morbo leuatus eſt. *Valleriola com. in libr. Gal. de conſtit. art. med. c. 18.*

OBSERVATIO.

Ad lienis obſtructiones & ſcyrrhos experimentum, vnum atq; alterum.

VRtica quæ in foliis maculam habet albicantem, quam Plinius, vt credimus Lamium vocat, Bononienſes Milzadellam, Piſani herbam do la Milza propter affectus nuncupant. Cuius virtus mihi in affectibus (obſtructione & ſcirrho lienis) probata alias primum doctus à monacho Hetruſco, qui ſingulis diebus huius herbę aliquot folia contrita, & ouo incocta exhibebat edenda, & permultos curabat. Ego poſtea ſolos ipſius pulueres, fæliciter in vino albo, in eodem affectu exhibui. Et alibi: ſoleo mane exhibere incoctam ouo in formam placentulæ. *Solenander*, Cuius hæc quoque ſunt: Recipe ſucci cyclaminis, ſucci cardamines (vocant creſſionem) quæ ℥iij. ol. comm. antiqui, Butyri veter. ol. deſpica. ol. chamæmelini, ammoniaci diſſoluti in aceto ana ℥ß. Miſce pro vnguento, quod expertus ſum efficaciſſimum. Item mihi placet ammoniacum diſſolutum aceto, addito amygdalarum amararum oleo, rutæq; ſucco. *Hactenus Solenander.*

Eſt & Archangelica, aliis vrtica iners, alba, & mortua, quoniam foliis vrticę candidioribus, aut verius lactea macula, in longum aſperſa, lienis longitudinẽ quadantenus referente, paſſim iuxta ſemitas ac ſepes ruralibus noſtris ideo herba milza vocata, vel quia eorum experimento, aut ſucco vel puluere ingeſta, ſiue ex aceto illita, ſpleni præſidio fuit. *Franc. Alexan. in Apolline ſuo pag. 162.*

Huc refer quæ de ſpiritu tartari, & Chalybe paulo ante diſſeruimus. Chalybis limaturâ vet. & neoterici ad lienis affectus, præſertim ſcyrrhos, commẽdant: Chymici qui rerum eſſentias & chyliſmata citra corpulentiam quærunt, ſpagyricè reſoluunt.

Oleum ſmaragdinum, i. ex ſilice albo paratum intus datur, foris illinitur, his qui ſcyrrhis viſcerum, lienis, cæterorumq; detinentur; cum Arthanitæ eſſentia. Oleum ceræ foris illinitur ad ſcyrrhos cum oleo ſmaragdino, & gummatibus paratis.

DE CACHEXIA.

OBSERVATIO.

Cachexia Criſis mirabilis.

FRidericus Heſſus, qui habitat in platea, quæ vulgo dicitur Lauffergaſſen, incidit in febrem ardentem, ex vſu importuno radicis Eſulæ; à qua per me curatus fuit, poſtea incidit in fluxum Epaticum, & tandem in ſcirrhum leuem, ex ſumma intemperantia. A quibus omnibus etiam mea ope liberatus eſt. Remanſit tamen ſemper quædam debilitas pedum, ita vt aliquantulum intumeſcerent ſi nimium ambularet. Et hæc omnia fuerunt facta menſibus Martio, Aprili, Majo. Iulio deinde menſe cum fuiſſet ruri, & ſe nimium exercuiſſet, rediit domum feſſus, & pedes viſi ſunt intumeſcere magis ſolito, ſumta cœna, contulit ſe in lectum, vbi aliquandiu moratus, ſenſit inſignem torſionem ventris, quantam nunquam antea ſenſerat, obdormiuit tum, ſed cum poſt duas horas euigilaſſet, videbatur ſibi quod ſtimularetur ad alui excretionem. Et excreuit magnam aquę copiam. Et vt ſummatim dicam, in tantum excreuit vltra triginta menſuras materiæ humidę primis duobus diebus egeſſit excrementa ſimilima ſero lactis in magna quantitate, & ſtatim omnis tumor pedum abiit. Deinde vnam aut alteram menſuram bilis vere porraceæ, poſtea multum materiæ nigræ & aduſtæ. Semper tamen conſtabant vires, nam vir eſt ſatis robuſtus. Et ita à morbo liberatus eſt, totum tamen corpus per illas nimias euacuationes videbatur aliquantulum attenuatum, & omnis illa ſimulata pinguedo, quæ nihil aliud fuit quam cachexia, abiit. *De obſeruat. Ioannis Heſſi per Ioach. Camerarium ad me miſſis.*

DE HYDROPE.

GENERA, SPECIES ET CAVSÆ.

OBSERVATIO.

Leucophlegmatia à cerebri fluxione orta, Hippocratis *ſententia,* lib. de locis in homine.

CVm retro ad vertebras, & in carnes defluxerit, hydrops fit: id quod ex hoc cognoſcere datur. Siccæ n. anteriores partes ſunt, caput videl. & nares, & oculi, oculis amplius hebetudo accẽdit, fiuntq; cum viro re pallidi, identidem & reliquum corpus: ac nihil expuit homo, etiamſi multum fluat. Fluxus enim per mediam carnem retro decumbens, & ab anteriore auerſus, anteriores partes ſiccas reddit: poſteriorum vero carnem irrigat, & magis eam quæ eſt intus ad ventrem, quam quæ foris eſt ad naſum, &c. & poſt: Intus vero foramina ampliora ſunt, & intermedia tenuiora habent, fluxus autem, vt pote ab altioribus procedens, & tenuia impedimenta contra ſe habens influit, & carnes humiditate implet. Sed & humiditas à cibis in idem procedens corrumpitur: corrupta autem ipſa præ admixtione, & ſimul cum ipſa ea quæ à capite defluit, corpus nutriunt. Carnes vero multo humore nutritæ, & morboſo augeſcentes hydrope pleræ fiunt.

OBSER-

Observatio.

Hydropem, præſertim Aſcitem & Tympanitem, à cauſa calida proficiſci, contra medicorum receptam ſententiam.

QVod magnam dedit anſam medicis aberrandi in curatione Hydropis, eſt id, de quo ſæpe dixi, quod omnis hydrops fit à cauſa calida, ſaltem aſcites & tympanites, omitto modo hypoſarcam, nam hoc apparet ex textu Hippocratis: ponit enim vtranque hydropem ſequi ad morbos acutos: ergo ad cauſam calidam & ſiccam. Iſtud argumentum demonſtrat de vniuerſali hydrope. Verum reſpondebunt, quod de aliis non ita eſt, quia poſſunt fieri à cauſa frigida, vt ex fluxu ventris diuturno, vel ex abundantia pituitæ, & humoris crudi: & quia dicerent, quod iam confiteor, quod morbus ſit frigidus, ergo non ſemper fiet à cauſa contraria, morbo ſcilicet à caliditate, præterea, quia fit à frigiditate caloris innati per ſe primo: ſed illa poteſt prouenire à cauſa frigida, vel ſaltem non calida, vt labore nimio, decubitu ſuper terram, potu aquæ frigidæ, multitudine pituitæ, & ſimilibus. Et dico adhæc, quod in hydrope videmus ſitim: & quod ſitis eſt indicium caloris vel ſiccitatis: & Medicus debet credere euidentibus ſignis potius, quam rationibus perſuaſiuis, vel à prioribus ergo debet credere, quod hydrops fit à caliditate, vel ſiccitate, vel vtroque, & ſi dicas, quod eſt alia hydrops, maxime tympanites, prorſus ſine ſiti, reſpondebo, quod de illa, ſi ita ſit, non litigabo: ſed hoc rariſſime accidit, ſecundo, quoniam in curatione illius ſitis dabo ne ego calida, & vinum, ſicut quidam ſtolidi Medici faciunt? ergo oportebat occurrere cum refrigerantibus & humectantibus: igitur cura fiet tanquam de morbo à cauſa calida. Quinimo cum animaduertiſſem caupones maxime hoc morbo corripi, ob vini meri, quem hauriunt, copiam, quod etiam teſtatur *Ariſtoteles* (*Ter. proble. 5.*) curam adhibui cum frigidis, & omnes, quos ſuſcepi curandos, curaui. & hoc argumentum, ſi quis non omnino impius eſt, & natus ad prodendum amicos & humanum genus, concludere debet, quoniam non certatur de ambitione, ſed hominum ſalute idq; præcipue, quoniam neque Græci referunt ſua cura ægros ſanari, quinimo vix vnum inter innumeros euaſiſſe teſtantur; neq; experimentum docet, quod aliqui illa ſua via ſanentur, nos autem frigidis aperientibus paucis, & coctis cibis diu, ſanamus omnes. Sed vt ad rem redeam, veſtiarij etiam plures, ob vigiliam, & quietẽ in hunc morbum incidunt: & quotquot ex his multa carne, & vino vtũtur. Tertio, quia videmus, quod in magna frigiditate iecoris homo non peruenit ad hydropem, ſed ad fluxum vrinæ, ad inappetentiã, & malũ colorẽ, & morbos frigidos alios: ergo hydrops non fit ſimpliciter à frigiditate iecoris: & ſimiliter in maximis effuſionibus ſanguinis, quæ contingunt per vulnera, nemo fit hydropicus, cum ſit ibi ſumma perfrigeratio iecoris: ſed ſolum in fluxu hæmorrhoidarum, vel menſium ob corruptionem ſanguinis, præterea imbecillitas caloris naturalis iam non eſt cauſa per ſe primo ſola hydropis, vt demonſtratum eſt: ergo oportet, vt cõiungatur ei alia cauſa. ſed cum illa iam ex conceſſis ſit aliquando intemperies calida præter naturam: ergo non poterit eſſe intemperies frigida, quia ab eodem principio, & diuerſis inſtrumentis, nunquam poteſt prouenire eadem actio, & idem effectus, nam diuerſitas inſtrumenti comparata ad idem agens eſt cauſa propria diuerſitatis effectuum. Propterea ex imbecillitate renum contingit hydrops: ſed hæc fit corrupto ſanguine, non refrigerato, quia vrina eſt potius calida, quam frigida, aut ſaltem non eſt frigida pure, ſicut apparet ex affectibus: nam reſoluit flatus, & eſt ſalſa & acuta, ergo cauſa hydropis eſt potius putredo quædam, & caliditas, quam intemperies frigida, diſſecta etiam corpora hydropicorum habent pinguedinem iecoris non plumbei coloris, ſed crocei potius, & flaui, & ferruginei, qui atteſtantur ſuper caliditatem potius, quam frigiditatem, & ſi frigiditas eſſet cauſa huius, magis iuuarẽtur à cibis calidis ſaltem leuibus, quam paucis, & incorruptis. Sed experimentum, & authoritates docent oppoſitum: nam ab aromatibus omnes per ſe læduntur, quamuis aliqui prouocata vrina iuuentur, & à malis punicis, & lacte camelarum quoniam refrigerant, & corruptioni maxime reſiſtunt: tametſi non prouocent neque vrinas, neque aluum, tamen omnes iuuantur. Demum ſi vigeat ſola intemperies frigida generabitur ſanguinis minus, & plus aquæ: nam ſi totus ſanguis fieret aquoſus, non nutriretur corpus: ſed vbi multiplicatur aquea pars, illam trahunt venæ, & poſt renes, aut per ſudorem expellitur, & ideo ſumus in caſu de multitudine vrinæ, de quo nunquam dictum eſt à Principe, nec viſum eſt, quod conuertatur in hydropem: imo hydrops nunquam incipit ab vrinæ multitudine, ſed à paucitate potius ſemper, quare hydrops fiet vel à calida iecoris intemperie, vel ab impedimento in renibus, & nunquam à frigiditate. Ex quo patet, quod euacuatio aquæ per aluum, & magis etiam per emplaſtra, eſt fucata, & ad oſtentationem, cum aqua minuatur non cauſa hydropis, & coclearum, emplaſtrum minus malum: quod à *Paulo* laudatur, ſed non in loco proprio, verum in ſeptimo (*libr. 3. cap. 48.*) ſed ſolum in aſciti: ergo mala omnia emplaſtra ſi non reſoluant aquam, cum in cauſam addant: Peiora, quæ calida ſunt, & poteſtate, & actu: peſſima & omnino pernicioſa in Tympanite, quæ viſcera inflamment, etiam ſi frigida ſint: & frigida imponantur, & prohibeant flatus exitum, cum ventris ſubſtantiam cogant, & inſpiſſent. Neque cibi calidi conueniunt, niſi quoniam qui tales ſunt, medicamenta potius ſunt & tenuis ſubſtantiæ, & vrinam prolicientia. Sed ſi modo educentia per aluum conueniunt, optimum eſt ſaccharum haſer, id eſt, manna, cum decocto mirabol. citrin. dicit *Raſis*, (*19. conten. cap. 2. fol. 196. col. 4.*) at ego addidi emblicos, & ſyr. roſ. cum rore collectarum. Hæc volui adieciſſe opportuno loco, quia Medici omnes ſolent occidere noſtra ætate, cum tamen ab initio omnes ferme poſſent ſanari: nam curant ipſos calidis & ſiccis: deinde, quod deterius eſt, perueniunt ad latyrim ſeu Mezereon Arabum, quæ merito vocatur herba faciens viduas, & nutriunt carne contuſa, vt vere ſint interfectores eorum, nam primum auget cauſam morbi ſecundam, ſeu inſtrumentum: ſecundum eſt venenum, & debilitat membra naturalia proprie, cum cauſa huius morbi prima ſemper ſit imbecillitas membrorum naturalium: adeo vt qui ſemel aut bis ſumſerint catapotia illa poſtmodũ, etiam quod bene curentur, nõ poſſunt ſanari: tertium auget corruptionem, & eſt difficillimæ coctionis,

& obſtruit, ergo cura propria eſt potius in refrigerantibus iecur, & ipſum ac renes confirmantibus, & vrinam prouocantibus, & indicium rectę curationis eſt vrinæ attenuatio, multitudo, & coloris bonitas cum fame & diminutione ſitis: & notandum, quod raro aſcites fit abſque tympanite: quoniam ſi calor eſt validus, portio humoris tenuis, in flatum conuertitur, vt *Auerrhoes* 3.*collectaneorum* (*cap*.21.) inquit: vt contra ex tympani aere inſpiſſato colligitur aqua, vt *Aetius* (*lib*. 10: *cap*. 20.) Ideo rariſſime ſimplex earum genus inuenitur. *Cardan. com. ad Prognoſt*. 1. *lib*.2. *Hipp. Et in aph. pag*. 615.

De Hydrope ex cauſa calida, conſule *Alexan. Trallianum lib*. 9. *cap*. 3. *Auicennam Canon. lib*. 3. *Fen*. 14. *tract*. 4. *cap*. 13. *Auerrhoem Collect. lib*. 3. *cap*. 21. *Nicolaum ſerm*. 5. *tract*. 5. *cap*. 25. *Alexand. Benedictum, pract. libr*. 15 *cap*. 33. *Chriſtoph. à Vega, art. med. lib*. 3. *ſect*. 8. *cap*. 11. *Ioan. Argenterium art. med. comment*. 2. *pag*. 320. *edit. Mont. Regal*. Alii, vt *Iacchinus, Thomas à Vega, Marcellus Donatus*, deflectunt ab hac ſententia.

Observatio.

De hydrope ex colliquatione.

HYdropem refrigerato iecore, ab eiuſq; intemperie frigida generari, omnes ſcribentes docuerunt, eiuſq; curationem, hoc ſuppoſito fundamēto, tradiderunt, ſolus *Alexand. Trallianus*, locum *Gal*. poſitum *lib*. 3. *de ſymt. cauſ. cap*. 2. conſiderans, cenſet hydropem aliquando generari, ab intemperie calida: dicebat enim Gal. colliquari quandoque ſuccos in venis exiſtentes, qui, ſi non per renes ad veſicā transferantur, ſed ad ventrem, vel ad totum corpus tranſmittuntur, ſubitaneos hydropum ſtatus inducunt. Si autem vi colliquationis tales hydropum ſtatus introducuntur, ergo aliquando ab intemperie calida, cū ab hac ſola colliquatio fiat, generabitur hydrops, quare hinc duo habebimus, primo, quod aliqua ſpecies hydropis contra Gal. principia ab intemperie calida cauſabitur; ſecundo, quod aliquādo hydrops, quoniam omnis intemperies per contraria tollenda eſt, per refrigerantia curari debeat. Hanc difficultatem nonnulli tetigerunt, ſed rem ipſam non explicarunt, nec huius affectionis curationem tradere conati ſunt. Ego autem rem iſtam aggrediens, primo hanc veritatem ſuppono, quod aliquādo colliquato ſanguine, & ſuccis, qui in venis ſunt, non attrahentib. renibus, ſed à venis ad ventrem vel ambitum vniuerſi corporis hac colliquatione tranſmiſſa, ſerum hoc ſubitaneos hydropum ſtatus inducit, tumente ſtatim ex hoc vel ventre inferiori ſolo, vel etiam reliquo totius corporis, hoc ſuppono pro vero, quoniam hoc vidi aliquando factum in febrib. quæ naturam ardentium ſeruabant, in quibus vnica, vel altera die factos ex colliquatione vidi hos ſubitaneos hydropum ſtatus, hincque intumuiſſe adeo ventrem, ac ſi aſcite per menſes plures ægrotantes laboraſſent. His addo, hydropis tres ſpecies eſſe, quæ ratione materiæ principaliter diſtinguuntur, nam vel materia pituitoſa & cruda, vel flatus, vel aqua, quæ omnia frigida ſunt, vnde vel anaſarca, vel tympanites, vel aſcites fit, generatur, hæque ſpecies & materiæ peccantes genitæ ſemper vitio hepatis immediate ex intemperie frigida male affecti, vnde amplius perfectum ſanguinē gignere non poſſit, ſiue hoc ſit per propriam paſſionem, & primariam, ſiue per conſenſum, & ſecundario, generantur, hæcque non ſubito, ſed ſenſim fiunt. His ſuppoſitis, dico caſum illum Alexandri ex Galen. deſumtum non eſſe veram hydropis ſpeciem, primo, quia non magis generatur vitio hepatis, quam ex mala totius corporis intemperie; febris enim in qua vidi contigiſſe caſum hunc, totius corporis eſt paſſio, illaq; intēperies calida, cuius violentia ſucci, qui continentur in venis, colliquantur, non tantum eſt hepatis, ſed etiam omnium aliarum corporis partium. Secundo, quia in caſu iſto materia aquoſa, quæ vi colliquationis gignitur, potius eſt calida, quam frigida: at in hydrope omnis materia, quæ huius vitio gignitur, eſt frigida. Tertio, quia vera hydrops ſenſim generatur, tumorque in hac vel ventris inferioris, vel totius corporis ſenſim adaugetur: at hic caſus generatur ſubito, ita vt intra terminum morbi acuti patientes admodum intumeſcant. Cui conſimilis eſt caſus *Hippocrat*. poſitus *libr*. 7. *aphoriſmor*. 56. vbi habetur. Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, iis venter aqua repletur, & moriuntur. Quem affectum licet in eo ſit tumor ventris à materia aquoſa, ſicuti eſt in hydrope, tamen cum ſubito fiat, nec vitio intemperiei hepatis gignatur, Hipp. tamen hydropem non appellauit, & *Galen. in commento* cum à vera hydrope per ea verba. Si quando igitur contingat eas veſicas rumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris, parti ſupra ventrem poſitæ reſpondētem, in quo etiam aqua hydropicorum congregatur, clare diſtinguit, qui non à tumore ventris, & à materia contenta, ſed à modo generationis, & à cauſa, quia fiat vitio refrigerati iecoris, & ſenſim generetur, ſemper appellauit. Quare ſicuti in caſu iſto Hipp. ita & in eo Gal. non erit vera hydrops, ad quod alludens Gal. in explicanda ea ſententia vſus eſt his verbis, ſubitaneos hydropum ſtatus inducunt quaſi dicere voluiſſet, inducunt tumores vel ventris inferioris, vel totius corporis eo modo, quo in hydrope fiunt, addit ſubitaneos, vt clare ab hydrope eos diſtingueret. Si enim veram hydropem intellexiſſet, non vſus fuiſſet hoc verbo, ſtatus hydropum, ſed ſubitaneas hydropes abſolute dixiſſet. Quod non conſiderans Alexander credidit Galen. admiſiſſe veram hydropem ex colliquatione fieri, hincque contra propria principia cenſuit fieri aliquā hydropis ſpeciem ab intemperie calida, quæ poſtea per refrigerantia curari debuit. Quod nullatenus admittendum eſt, cum ex colliquatione vera hydropis ſpecies non generetur, nec vi calidioris hepatis, cui⁹ merito, cū refrigeratum fuerit, vera hydrops tantum generatur, gigni poſſit aqua. Vbi enim iecur ſupercalefactum eſt, bilis, non aqua, & ſi adhuc magis incaleſcat, retorridi, & aduſti, non aquoſi generantur humores. Quapropter concludo caſum hunc Galeni non eſſe caſum hydropis, licet eius verba hoc innuere videantur, nec ex hoc loco haberi poſſe, cum hic vi caloris colliquefacientis fiat, aliquam ſpeciem hydropis per refrigerantia curari poſſe, quem Galeni locum, ſicuti Alexander perfecte non intellexit, ita nec Arabes, qui hunc locum male interpretantes, alteram hydropis ſpeciem vitio renum non attrahentium genitam introducere conati ſunt, intellexerunt; cum loquatur Galenus in caſu colliquationis ſuccorum tantum quam renes, vbi validi ſunt, attrahunt & ad veſicam tranſmittunt; vbi

autem

autem non ita valeant, vt hanc colliquationem … here poſſint, tranſmiſſa hæc materia ad abdomen, vel ad cæteras corporis partes, ibi tumorem generat, qualem in hydrope fieri videmus. Excepto hoc colliquationis caſu, nunquam admiſit Galen. vitio renum fieri talem tumorem, nec fieri poteſt, vt eorundem renum vitio vnquam generetur hydrops, niſi cum iecori conſenſerint, cuius ratione virtus ſanguificandi labefactata, humores crudi & aquoſi generentur. Qua de re concludatur, cum vi colliquationis genita aquoſa materia ad ventrem inferiorem tranſmittitur, in eoque tumorem parit, non ab hoc fieri hydropem; ſicuti nec fit hydrops, cum ſimiliter intumeſcit abdomen, erumpente in idem materia aquoſa ex veſicis genitis in ea, quæ iecur ambit exterius, membrana. Cum igitur hic tumor non fit hydrops, non erit contra Galeni principia, qui in omni hydrope calefaciendum eſſe docebat, ſi in hac dabitur indicatio refrigerandi. In hoc enim caſu indicantur duo agenda eſſe; alterum, vt ratione cauſæ colliquefacientis, quæ eſt calor immodicus, & prauus, refrigeremus; alterum, vt ratione materiei iam genitæ, eam euacuemus, quibus indicationibus difficilimum erit ſatisfacere; quoniam cum vehemens eſt colliquatio, cuiuſcemodi eſt in caſu iſto, langueſcit corpus, vireſque omnes exoluuntur, quibus labantibus, quam ſit difficile ægrotantes morbis magnis laborare, omnibus eſt notum. Cum tamen dabitur occaſio, ſtatim Medicus cauſæ omni conatu incumbat, vt, ſi fieri poſſit, eam inhibeat, hoc pluribus ingeniis exequi poteſt, ſcilicet victu refrigerante, cataplaſmatibus, epithematibus, inunctionibus refrigerantibus, & conſimilibus rebus applicitis thoraci, & præcordiis, ſed præ cæteris maxime prodeſſe poterit potus aquæ frigidæ, quorum omnium in ſequentibus ex mente Galen. verba faciemus. Quo autem ad euacuationem materiæ, duplici via hanc tentabimus, ſcilicet vel eam inſenſibiliter diſcutiendo, vel ſenſibiliter, & hoc, per aluum eam excludendo, vel per viam lotii deriuando, quod eſt id quod dicebat *Galen. libr. 7. aphor. commen. 56.* cum hæc habebat. Sicuti in illis per medicamenta aquoſitates purgantia, & impoſitiones eorum, quæ vim habent ciendi vrinam, & in vapores ſoluendi humorem talem, ſic & in his fieri curationem. Quæ autem hæc debeant eſſe, ad propria capita recurratur, illincque omnia, quæ opportuna in hoc caſu erunt, deſumantur. In quo hoc vnum animaduertatur, quod iſta ante cauſæ abſciſſionem non adminiſtrentur, ne vires in totum reſoluantur, febrisque ex prædictis generis remediis augeatur, cauſa autem remota, vbi febris in totum quieuerit, tuto in vſum venire poſſunt. Si autem aliqua perſeueret febris, ceſſante tamen colliquatione, & febri ſimul cum his quæ materiam peccantem reſpiciant, attendendum erit. *Petr. Salius de affect. partic. c. 9.*

OBSERVATIO.

Hydropis ſpecies rara & admiranda, Græcis aliisq. omnium ætatum medicis, vno Aretæo excepto, incognita, at recentiorum quorundam obſeruationibus iam demum exactius perueſtigata: quam veſiculæ plures, aqua refertæ, in corporibus genitæ, ſymtomata & tumorem hydropicis ſimilem, ſine aqua alia aut flatibus, concitarunt: adeoq. mortem intulerunt.

HYdropici morbi ſpecies talis agnoſcitur: in cæna, in locu… quædam puſillæ, crebræ, humoris plenæ, rum quod humore … fieri ſolet, excitantur. Cæterum eſt, ſi abdomine perforato partæ ſint illud indicio effundes. Ab interiori ſane parte veſica … humoris altius inſtrumentum impuleris, iterum ſuccus … nabit. Hæc vtiq; aquæ intercutem ſpecies haud leuis eſt: vnde enim id genus veſiculæ eruperint, via haud facile reperitur. Alii namque affirmant huiuſmodi ampullas per inteſtina tranſiiſſe. Ego vero id nunquam vidi: idcirco neque ſcribendo affirmo, nam ſi ex inteſtino colo, ſiue ex ventre ferantur, qualis ſit ipſarum generationis modus, quid dicam nihil certi habeo, iter enim ad omnium excretionem per ſedē lubricum ac patens eſt, at ipſius humoris in ilibus collecti per inteſtinorum rupturam egreſſio credi non poteſt: neque enim innoxium, neque citra perniciem inteſtini vulnus eſt. *Aretæus lib. 4. c. 1. de ſignis & cauſis diuturnorum morborum.*

Anno Domini 1567. quum forte fortuna mulier quædam de hydrope (is enim morbus omnibus notis inſignitus tum fuit expreſſis ab Hippocrate) apud medicum quendam quæreretur, ei hypercatharſin ipſe procurauit, correcti ſtibij certo granorum numero. Vnde quum fructum mulier non tuliſſet, ad Nicolaum Picardum, alterum doctorem Pariſienſis Scholæ, nullis melioribus auſpiciis profecta, tandem octauo Martij è viuis diſceſſit Lutetię in vico, cui antiquitus a mortalitate nomen obtigit ſecundum Sequanam. Huius euiſcerato tantum cadauere, nulla capacitas, hoc eſt, nihil cauum in eo deprehenſum fuit, in quo veſica non pendebat ſecundum Geometricam omnium dimenſionem loco coæqualis ac conformis ei, qui ſuo ambitu ipſam contineret. Locos cauos dicimus non veſicam tantum, renes & vterum, ſed & ventriculum inteſtinaque, cor, pericardium, & id genus reliqua, è quibus, prout tam intus, quam foris natiuum cuique ſolum contigiſſet; cyſtes pendulæ conſpiciebantur aqua citrina opplete, & ſine omni fœtore, etiam poſt vigeſimum diem. Nullas partes ſupernas excipimus etiam ad iugulum vſque, inferiores quoque nullas ne quidem proximum ſedi locum; quæ haſce ſuo cauo non caperent veſiculas. Hepar quoq; intelligi volumus tectum iiſce oppreſſumque foris, adeoque lienem totum. Si quaſque vel minutulas in numerum quiſpiam retuliſſet, octingentas numerus ſuperaſſet facile. Calathos piſcarios omnis is nouit, qui Lutetiæ diuerſatur ex conſuetudine. Ex his ne quidem duo, maiores veſicas continuiſſent. Ad me bajulus quidam tot ſane detulit rogatus. Quas multi etiamque è ſenatoribus aliquot plures, haud ſine admiratione magna inuiſerunt, viderunt & expenderunt, addamus etiam, ſeduliſſime. Harum porro fabrica fuit huiuſmodi, vt binæ eas membranæ conficerent. Valde candicans interior, altera fuit tunicæ ventriculi ſimillima, tenuior aliquanto tamen; ſed ei quidem concolor. Diſſecabat autem hoc cadauer chirurgus diligens & induſtrius Magiſter Ioannes Giraldus, manu tam belle (ait audacter ille) eruditus quam quiuis recentioris ſectæ operatiorum (de iis vero ſolis dictum ſit, ſi qui ſint huiuſmodi) qui nunc togis ſuccincti & diffluentes imprudenter nimis audebunt in poſterum doctores medicos ementiri. Atq;

huic hiſtoriæ audeat (per nos licet) fidem adhibere. & ſimplicis veritatis amicus eſſe maxime ſeruiendū Qua quidem narratū huius immemor maneret cō-ſe iudicam ſeculorum poſteritas. Adeoque hæc more maiorum, hoc eſt, ſine fuco fallaciaque deſcripta eſſe credat firmiſſime. *Cordæus com.5.ad lib.priorem Hipp.de muliebrib.*

Anno LXXXI. fœmina quædam plebeia, annorum circiter quadraginta, humiliorem domus partem inhabitans, æſtate & autumno priore ventre tumere cœpit, abſq; moleſtia, vt grauidam ſe crederet: nupſerat n. ante biennium aulico cuidam miniſtro, bono viro. Hyeme ingruente, dolores eam grauatiui inuaſerunt, tenſiui, & lancinatiui, noctu vehementius, increſcente ſimul ventre, abſq; reliqui corporis inflatione vlla, imo demacratione potius. Tum impregnationis ſpe in hydropis metum mutata, perquiſiuit & admiſit vndiquaque auxilia, ſed fruſtra: quin dolores vna cum ventre ſubinde magis aucti fuerunt, vt noctu neque in lecto, neque extra quieſcere potuerit: ſed in ſummo gelu extra domum obambularit eiulabunda, donec tandem dolorum magnitudine exanimata vitæ conceſſit. Maritus defunctæ ventrem aperiri curauit, ipſa viua expetente. Præſentibus itaque medicis & chirurgicis aulicis, vna cum reliqua incolarum & vicinorum turba, facta ſectione ab vmbilico, Xyphoidem verſus, ad cauitatem vſque: aqua nulla comperta, neque intra ventrem collecta animaduerſa, vt nec flatus vllus: ſed inteſtina, vna cum reliquis viſceribus, anguſto ſpatio contenta apparebant. Ipſum vero abdomen à cute ad peritonæum quaſi alba pinguedine duntaxat contextum videbatur, nulla muſculorum carnea ſubſtantia interpoſita, ſed veſiculis crebribus maioribus minoribusque, aqua limpida refertis, inuicem cohærentibus: idque grandius ac tenſius multo, erat ab vmbilico infra pubem verſus; vt tota ventris protuberatio, viſu & contrectatione, verum hydropem referret. Cætera à naturali conſtitutione haud multum variabant. Omentum tamen perexiguum, vix inteſtina contegebat. Hepar albicans foriņſecus, magnitudine, forma, & mollitie competenti, ventriculus cum liene pariter, & renes: ſic vterus & veſica nihil vitii præferebant. Peracta omni inſpectione, venter conſutus, & humi cadauer conditum fuit. *CL. V. Ioan. Aicholtzius in ſuis ad me Anno M.D.XXCVI. tranſmiſſis obſeruationibus.*

Observatio.

Hydropes particulares.

NOnnunquam & exigua in parte homo aquam inter cutem patitur: vt ſecundum caput in eo morbo, qui hydrocephalus nuncupatur, aut in pulmone ſolo, aut iecinore, aut liene, aut in mulierum vtero: Et cæteris hæc ſpecies ſanabilior. Nam ſi eius oſtiolum à priori concluſione hiare cœperit: humorem quidem ſi habeat, effundit: ſi ſpiritum, efflat: quod ſi vterus anaſarca laborat, plurimum tota mulier aquam intercutem patitur. *Aretæus lib.4.c.1.*

Vniuerſalis non ſolum hic morbus exiſtit, ventrique imo proprius: ſed & particularis, particulas duntaxat aliquando inuadit. Nonnunquam enim Caput vel Pulmones, aliquando mulierum Vterum, ſæpe ſcrotum in pueris, dicente *Hippocrate in libr. de Aere & Aquis*, Pueris hydropes in teſticulis & oſheo fiunt, quamdiu parui fuerint, deinde in ætatis progreſſu euaneſcunt. *Marcell.Donat.hiſt.mirab.med.lib.4. cap.21.*

Vidi, qui in ponte riui alti elemoſynam petebat, mendicum hydropicum, tantum in brachio tumidum. Is adeo diſtentam habebat manum, vt facile æquaret manicas ad terram vſque demiſſas. Vidi etiam puellam hydropicam in gutture tantum, vt tumor longiſſime dependeret, quam curaui per inciſionem. Eſt ergo hydrops abſceſſus quidam, qui in qualibet parte corporis accidere poteſt, præcipue tamen in abdomine. Quanto deterius habent, tanto plus habent de aqua: & ſi melius, plus de vento. *Montanus conſil.263.edit.Baſil.1558.*

Observatio.

Vix vnquam alias animaduerſa hydropis ſpecies, quæ, hepate ſaluo, & aliis internis partibus, vitio teſticulorum muliebrium orta eſt.

DE hydrope, eiuſque cauſis, multi multa ſcripſerunt Medici. Plerique ad iecur affectum confugere ſolent. Quidam etiam aliorum viſcerum ratione progenitam fidem fecerunt. Nos, vero exemplo, etiam ex teſticulis vteri prouenıſſe, ſequenti hiſtoria teſtamur.

Vixerat Ancilla quædam, proceræ ſatis ſtaturæ, per plures annos in thermis Carolinis, loco ſatis celebri, negotia herilia non incommoda peragens valetudine, donec menſes fluerent. His vero, ob errores in diæta commiſſos, ſuppreſſis, paulatim male habuit, donec tandem ita intumeſceret venter, vt ratione molis male audiret, atq; hoſpitale ingredi cogeretur. Bene autem ſibi conſcia, cum pauca quædā pharmaca ſumſiſſet, ac de vita deſperaſſet, vt mortuum corpus ſecaretur pro innocentiæ teſtimonio petiit. Secto itaque 15. Maij, Anno 1592. cadauere, in præſentia Cl. V. D. D. Heinrici Ludouici, Medici tum temporis Viennenſis excellentiſſimi, iuuante etiam Cl. V. D. Mauritio Stromejero, Procerum Bohemiæ Chirurgo celeberrimo, atq; emiſſa plurima aquæ copia, viſcera omnia reperimus ſalua; iecur optime affectum, quantitate quinetiam maximum; lienem laudandum, eumq; rotundum; præter pulmones, quos ob aquam, quæ diaphragma penetrauerat, dimidia ex parte corruptos vidimus, itemq; omentum, vti ſolet, atq; teſtes. Hos n. ab vtraq; parte non ſolum tumidos, ad magnitudinem capituli recens nati puelli, ſed etiam liuidos, quaſi fungoſos, plenis veſicis aquoſis, quæ maiori ex parte ruptæ fuerant, tantamq; aquæ copiam effuderant, inque foramina atq; vlcera degenerauerant, ac plane putridos inuenimus. Vtero alias eiuſq; vaſis plane illæſis atq; incorruptis. Vt inde facile concluſum fuerit, ex fœminis copioſi (cum fuiſſet virago annoſa) detentione atque corruptione hoc malum prognatum: quodque etiam mulieres frequenter teſtium morbis affici ſoleant, eum non raro de tumoribus & moleſtiis internis ſuper inguina conqueri ſoleant. De quibus, & aliis, vt Medici docti cogitare latius poſſent, hac relatione occaſionem præbere voluimus. *CL. V. Ioan. Heintzij obſeru.*

Observatio.

De hydrope teſticulorum muliebrium, cum variis aliis grauiſſimis ſymptomatibus: alia hiſtoria.

Anno

ANNO 1588. Iunii 23. circa meridiem, Domina Sabina Schockin, vxor Clariſſimi Viri D. Hectoris Vogelmãni, fato feliciter functa: poſteaquam ſedecim annis grauiſſimis morbis fuiſſet conflictata, inter quos fuit ante aliquot annos Hemicrania, quæ aliquot annis ſingulo die ſeptimo moleſtabat: conuulſionibus quinetiam, vt & febribus tertianis, aliiſque morbis ſæpius diuexata, perpetuo tamen de dextri lateris dolore conquerens, & defluxionem exiſtimans. Ego vero renem corruptum cenſebam, eo quod vrinas cruentas aliquando ſe habuiſſe referret: quinetiam pus per anum, per collum matricis nonnunquam excreuerat: ſic & in vrinis pus interdum & arenas craſſiores conſpexi. A venere multis annis & abhorruit, & propter dolorem abſtinuit. Et à triennio cœpit omnino ſupra dorſum decumbere, à biennio nec ſtare, nec ambulare poterat, dolores ingentes perferens, tumores magni in latere dextro; fluor puris & ſanguinis copioſus per aluum: aiebat ſe reiicere arenas per aluum: à multis menſibus condyloma magnum in ano, quod multo, dolores pariebat, & enematum iniectionem quibus tamen ſubleuabatur, impediebat. Intumuit vẽter non parum in dextro latere alis quot ante mortem ſeptimanis: tibiæ quinetiam valde intumuerãt, præſertim dextra: tumebat etiam labrum dextrum pudendi. Pridie mortis difficultatem ſpirandi cum raucedine perſenſit: hora vna, aut altera antequam expiraret, mortem præſenſit, vt etiam pridie ſe ſuffocaturam dicebat: mens ſana remanſit, donec in Domino obdormiuit. Sequenti die ab obitu, cum Chirurgo Petro Borne, præſente marito, & D. Superintendente, hac ratione inſtitui ſectionem: Tumorem paracenteſis modo aperui, ex quo ſeroſi humoris menſuræ duæ aut tres Baſilienſes: hoc eſt, ad nouem libras, effluxere: educto humore, decuſſatim aperui abdomen: eo aperto, comperi tumorem adhuc inſignem in latere dextro, hærebam nonnihil dubius, qualis eſſet tumor. & qua in parte: quem non aperui, donec omnes partes diligenter inueſtigarim, incipiens ab inteſtino recto: attrectaui etiam inteſtina omnia, vſque ad duodenum & ventriculum, & rurſum à ventriculo ad inteſtinum rectum manum deduxi: in inteſtinis & circa illa nihil præter naturam animaduerti, præter appendicem (quæ cœci inteſtini loco) tumori adhærentem, ſine tamẽ vlla corruptione: omentum non habebat: in Meſenterio nullus ſcyrrhus aut tumor: Ramus portæ Hæmorrhoidalis ſatis magnus. Ligato inteſtino recto, ſeparaui omnia inteſtina vſque ad duodenum: deinde perueſtigaui Vaſa ſpermatica, vtramque arteriam reperi, & vtramque venam valde amplam. Perquiſiui teſticulos matricis, quorum dexter vix apparuit, quia ex eo prodibat tumor ingens, ex quo eduxeram per paracenteſin copiam ſeri prædictam: tumor ille conſtabat ex tunica craſſa, quæ externe adhærebat quibuſdam locis parti dextræ peritonæi, intus rugoſa erat, nullibi peruia: adhærebat ei verſus internam partem alter tumor inſignis (quem poſtremo loco adminiſtrationis aperui) interne etiam rugoſa tunica ſine exitu: circum circa multi parui tumores, ſiue hydatides: Vas eiaculatorium valde tenue. In latere ſiniſtro teſticulus erat, magnitudinis fere Cotonei, ſumme inæqualis, qui ſcatebat hydatidibus multis, magnis, & prolabebatur in capacitatem oſſis ſacri, relaxatis omnibus tunicis, videbatur comprimere & veſicam & inteſtinum rectum, fortaſſis ex eo erat dolor tantus, quem circa pubem ſentiebat: Vas eiaculatorium extenuatum apparebat: circa matricem & inteſtinum rectum, nullus alius tumor. His indagatis, catheterem per collum veſicæ immiſi, & ſtylum per vreteres. Tandem, aperto oſſe pubis, Veſicam aperui, in qua nihil & intus & exterius contra naturam reperi, præter ruborem circa orificium veſicæ, & in ea paucas arenas rubras craſſiores. Tandem intromiſi digitum in collum matricis, ad tactum nihil extranei ſenſi, eo aperto comperi fiſtulas duas (non calloſas) ad anum vergentes, ita vt excrementa tenuiora poſſent ad collum vteri peruenire, & in eis aliquid purulentum apparebat. In ſinubus matricis, nihil præter naturam: matrix etiam ſuam naturalem proportionem habebat. In inteſtino recto nullus tumor, dempto condylomate externo. Vterque ren cum vreteribus optime habebant, ſine vllis lapidibus, aut arenis, aut corruptione. Splen paruus, ſanus, non adhærens peritonæo: circa eius vaſa duo veluti lapilli, vel potius veluti duæ cochleæ calloſæ. Circa ventriculum nihil præter naturam. Hepar maximum albicans, non ſcyrrhoſum, nec putrefactum, adhærens quibuſdam locis Diaphragmati. Folliculus fellis paruus, totus repletus gypſea dura materia alba, ſine felle: porus ab Hepate ad duodenum ampliſſimus, ſine vlla obſtructione. Abdomine rite perueſtigato, eleuato deinde ſterno, pulmones conſideraui, & thoracem: in cuius vtroque latere multum ſeri. Pulmo ſiniſter ſanus, in cuius latere paruum lapillum reperi, qui aliquid inflammationis habere videbatur. Pulmo dexter quibuſdam in locis adhærebat tunicæ ſuccingenti, & diaphragmati, non tamen multum tumebat, & inflammationem patiebatur, nulla putrefactio, aut putredo. In cordis pericardio, nõ multum erat ichoris, nec in ipſo corde quicquam extranei animaduertimus. Verebamur in aperitione abdominis fœtorem & copiam puris, verum nullum præſenſimus, nec pus reperimus. Hanc Hiſtoriam IoannesBauhinus Illuſt. Principis Wirtenbergici Medicus Ordin. Frater meus Chariſſimus, mihi communicauit: verum & ego ſæpiſſime ægrotæ adſtiti, conſilioque adfui. *Caſparus Bauhinus in Appendice ad Franciſc. Rouſſetum de Partu Cæſareo.*

OBSERVATIO.

Hydrops poſt immodicum ſanguinis profluuium, & ruptam vomicam hepatis.

QVÆDAM mulier multis annis conqueſta fuit de tumore & dolore ſub hypochondrio dextro, tandem reiecit vomitu copioſiſſimum ſanguinem, & magnos grumos ſanguinis aſtatim ad libras aliquot, pariter etiam per deiectionem alui. Certa itaq; fuit coniectura vomicam ingentem fuiſſe in hepate, quæ diſrupta ſanguinem tranſmiſit ad inteſtina, qui ea copia profluens partim ſurſum ad ventriculum, partim deorſum compreſſus eſt, aſtrictoria expulſione villorum qui ſunt in inteſtinis tranſuerſorum. Ordinatum fuit apozema ex agrimonia, veronica, origano, abſinthio rom. ſem. dauci, carui, aniſi, &c. bibit mane & veſperi,

& plurima deiecit aquoſa& phlegmatica. Item ſpec. aromat. roſ. diacurcuma cum ſaccharo exhibitum fuit. Verum adhuc conqueſta eſt de dolore circa hypochondrium ſiniſtrum: ordinatum linimentum pro ſplene ex ol. capparor. ammoniaco, ſem. nigellæ & cera. At hæc mulier inopinato & ſubita morte poſt paucos menſes interiit, cum compta & ornata eſſet, vt pranderet foris. Conquerebatur autem de ſubito dolore hypochondrii dextri, protenſo dolore ad ſpinam dorſi, qui dolor cum ſubito aſcenderet ad ſtomachi regionem, extincta eſt ſubito. *Ex Obſeruationibus Medici inſignis communicauit Wolphius.*

OBSERVATIO.

Crebra, diuturna, & copioſa narium hæmorrhagia, hydropici facti: mortui.

DVOBVS ægris, frequenti & copioſa narium hæmorrhagia annis aliquot ante infeſtatis, hydropem, niſi ſingulari & exquiſita cum victus, tum medicamentorum ratione & mature cauerint, ſucceſſurum prædixi. Quorum primus Reuerendus Dominus Georgius Tennenbacenſis Abbas, vir alacris, acri ingenio & feſtiuis moribus præditus, corpore tenuatiore, venis amplioribus ſanguine abundantibus, & victui pleniori, velut etiam equitationibus frequentioribus deditus, nec ſine latentis veneni ſuſpicione, hæmorrhagiam illam incurrerat. Cui cumprimum corpus ſanguine abundans plethora grauabatur, natura confeſtim eundem ſurſum ad caput regerens, id repletum, vehemẽter grauans, acerbis doloribus percellebat. Qui non niſi venarum, ob copiam preſſarum, reſeratione, & depletione cedebat. Quo factum, cum indies tantam ſanguinis iacturam, & natiui caloris, ſpirituum, viriumque diſpendium faceret, ſæpius nihil, vel lectiſſimis medicamentis ſanguinem ſiſtentibus, proficeret, quin profluuium non prius cohiberetur, quam ſanguine eouſque exhauſto, donec nihil præter aquoſa quædam & ſeroſa naribus redderentur; ægro nonnunquam palleſcente, frigidumque circa faciẽ ſudante, atque, ex aſphyxia, proximam ſyncopem minitante. Hic, paulo antequam hepatis craſis in totum vitiaretur, cachecticam ex profeſſo conſtitutionem præferens, crudiſſimum ſimul & pituitoſiſſimum ſanguinem, natura nullo alio, quam per nares, ex conſuetudine comparato emiſſario, omnem inde venoſi generis eluuiem euacuare conſueuerat. Quæ res lethalem ei & immedicabilem hypoſarcam accerſiuit.

Alteri, Ioanni Frey, Iuris Doctori, natura bilioſo, & iam ad melancholicam conſtitutionem declinanti, non ob ſanguinis copiam, ſed eiuſdem tenuitatem, feruorem & acrimoniam, narium venas aperire ſolitam, per interualla ſanguis, non minori, quam ſuperiori, vitæ viriumque periculo, profluere conſueuerat; quem in eundem morbum, ſimilemque euentum præcipitauit: niſi quod hic intempeſtiuo præcalidorum medicamentorum, tum præparantium, tum euacuantium, eorumque quæ deforis applicabantur, vſu, hepatis calida intemperies exaucta & irritata, primum quidẽ tenuiorem, poſtmodum autem cogendo & incraſſando denſatam bilem maligniorem effecerit. Vnde mixtus hydrops ex bile craſſa, & flatibus ex liene quoque accedentibus creatus, tympanites conſtitutus. Qui hominem in medio vitæ ſuæ curſu, multo, quam alias fieri ſolet, hoc quoque errore accedente, citius necauit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Ex pertinaci lienis ſcyrrho Hydrops lethalis.

EX confirmato lienis ſcyrrho, non ſine ſummo amicorum dolore, Reuerendiſſimum & Nobiliſſimum Virum, Dominum Georgium ab Ampringen, Cathedralis Eccleſiæ Baſilienſis Decanum digniſſimum, compatrem noſtrum chariſſimum, poſt infelicem thermarum vſum Aſcite cum tympanite coniuncto, correptum vidimus. Hunc etſi multo labore & ſinguli artis noſtræ induſtria ſeruare contenderimus; fieri tamen, diſponente ſic Deo Opt. Max. non potuit, quin fatis eum permitteremus. Cui poſt multorum annorum cachexiam, atteſtantibus non ſolum vultus & faciei deprauato admodum colore, verum etiam crurum, ex frequentiſſimis carbunculis, vlceribus perpetuis, ob malum corporis habitum nunquam ſaneſcentibus, lien in tantum tumorem, & tam pertinacem ſcyrrhum abierat, vt Clariſſ. Vir Ioannes Bauhinus, Anatomes, adeoque omnium artis noſtræ operum peritiſſim⁹, qui paulo ante eius obitum, vna cum alio collega quodam meo quoque aſcitus fuerat, prodigioſe turgentem lienem, ſecundum ſiniſtrum hypochondrium circumſcriptione propria prominentem, manifeſte videndum & tangendum aſtantibus monſtrauerit; affligente ſubinde febre maligna. Conſtat autem hydropes ſummum periculum ſignificare, ſi is morbum calidum ſiccumque corpus, ac ſimile iecur prehendit; ſi durum iecinoris vel lienis ſecutus eſt tumorem; ſi tuſſis ſicca male habeat; ſi denique crebra ſanguinis è naribus defluxio, quæ ęgrum non leuet, acceſſerit; ſi poſt ſeroſorum humorum euacuationem ventris aliarumq; partium tumores ſubſidentes, paulo poſt etiam frequentius increſcant; ſi excreta aqua flaua putredinem arguat: indubitato corrupti interni viſceris alicuius argumẽto. Quibus cum ille malis omnibus, ſtatim atque hydrops ſe protulit, obnoxius fuerit, medicationis & reconualeſcentiæ ſpes omnis vna quoque præciſa fuit. *Idem Schenckius.*

OBSERVATIO.

A crurum ſcyrrhoſo tumore prouocatus hydrops lethalis.

RARISSIMAM hydropis ſpeciem, practicis Medicis vulgo indictam, mihique alias neque lectione, neque aliter cognitam, vnquam, obſeruaſſe me memini, Anno 1564 in nobiliſſimo adoleſcente, HugoneLancelotto à Blumeneck, in Dachſvvangen. Qui cum in Belgio annis aliquot in Aula Parmenſis Duciſſæ ageret, promiſcue iam fæculentam cereuiſiam, iam generoſa vina ingurgitaſſet, victuque reliquo, huic nationi proprio, vſus fuiſſet: primum quidem crurum, aliquot inde menſibus ſubſequentibus femorum etiam, & tandem ventris quoque tumore magno correptus eſt. Quem ille, pedum,

pedum vero potiſſimum, frigori acceptum ferebat. Siquidem Zetarum hypocauſtorumque in patria aſuetus, caminorum vſu, frigoris alias impatiens, nunquam ſatis incaluiſſe ſe, imo frigoris plurimum, quo tempore in eadem aula ageret, perpeſſum fuiſſe, profitebatur. Huic ego malo in conſilium adhibitus, primum quidem adoleſcentem intuitus, facie eum liberali, viuida, vegeta, viuacique, genis rubore ſuffuſis, cæterum reliquo corpore conſummato hydropico quam ſimillimum comperi. Quæ res me confeſtim in ſingularem admirationem adduxit: ſiquidem vniuerſi corporis ingens tumor conclamatum morbum præſe ferebat, viuidus autem faciei color euſplanchnum adoleſcenté argueret, id quod me ambiguum & anxium reddebat: nihilo tamen minus ex Celſi conſilio, in magno morbo, aliquid quam nihil auxilii adferre, conſultius viſum eſt, primariis viſceribus ægri firmioribus creditis, & ob id in ſententia mea me confirmantibus. Conſuetis igitur hydragogis, quibus alias feliciter ſæpe in anaſarca vſus fueram, curationem ſuſcepi: qua per vices id tandem præſtitum, vt non tantum ſeroſis humoribus, quam craſſa pituita, per aluum euacuatis, ventris tumor plurimum ſubſidens, ſpem optimam proſperioris ſucceſſus præberet: tamen poſt aliquot depletiones, ſubinde increſcens, reconualeſcentiæ ſpem omnem ſuſpectam mihi fecit. Cætero quin dubius atque anxius, adoleſcentis corpus denuo nudatum vndique contrecto, ventrem quidem tumidum, tenſumque, & in nullum latus propendentem, deprehendo: ita vt non tam ex tumore, quam flatu mixtum hydropem, quod alias in deiectionibus quoque annotaueram, comperi. Ad crura perueniens, eadem dura admodum, impreſſumque digitum haud admittentia, perexiguo ſenſu, rugoſa cute, ſubaſpera, inæquali, & ſordido colore prædita, deprehendi. Cumque tumidum ventrem, & femora, aliquoties purgationibus ſeroſorum humorum ſubſediſſe animaduertiſſem: crura vero ſemper in eadem craſſitie, duritie, & habitu conſiſtere, neque vnquam imminui viderem: crurum illam duritiem & aſperitatem de ſcyrrhoſo tumore ſuſpectam habere cœpi. Quare Aſclepiadis & Leonidis conſilium, non tam curandi, quam explorandi cauſa, proſequi in mentem mihi venit. Fiſſuras itaque circa internum talum, ea profunditate, qua in venæ ſectione vtimur, infligi iubeo. Quas alias in ſarcite, ſeu leucophlegmatia, ſæpe proſpere vſurpatã: quod diu noctuque, ex iis vulnuſculis, ingentem aquæ copiam, citra magnam virium læſionem, promanare ſtillatim, ægrumque, ſi nullum viſcus internum corruptum haberet, morti eripuiſſe viderim. Verum quod maxime mireris, in noſtro ægro, ex incuſſis vulnuſculis nihil prorſus, vel ſeroſi, aut aquei humoris, ſanguiniſve, neque aliud quicquam profluxit. Itaque longe profundiores, oblongioreſque fiſſuras, aliis crurum muſculoſis partibus, infligendas decerno. Sed neque ex illis quicquam profluxit, niſi exiguum quiddam, cruentę ſaniei ſimile, cuiuſmodi vlcera nonnunquam fundere ſolent: atque hæc exiguo ægri dolore adminiſtrata. Quibus velut certiſſimis indicibus, hydropem hunc, ex ſcyrrhoſo crurum tumore profectum, atque incurabilem, prognoſtico facto, ægrum deſerere, non ſine dolore meo, coactus ſum. Præſertim, cum poſt diuturnum morbum, & vſum medicamentorum, ægri facies ſenſim in pallorem tranſiret, & hepar internaque viſcera, quoque ex conſenſu contaminari atteſtarentur. Miſero etiamnum ad bimeſtre in ea miſeria perſeuerante, donec eiuſdem Anni decimo ſexto. Decembris animam Deo Creatori reddidit. Non ita multo poſt, in lectionem Commentariorum Hali Rhodohami, ad Technen Galeni, forte fortuna incidi: qua huic ſimilem Hiſtoriam, ſua ætate, ille ad poſteros tranſmiſit, quæ ſic habet.

Vidi virum, cuius ſenſus pedum omnino deſtructus fuit, à coxis vſque ad pedes, donec incideret aliquis aut ſecaret cum ſpata aliqua membra pedum eius, & non ſentiret illud: & motus eius fuerunt remanentes, & moratus eſt, donec factus eſt hydropicus, & mortuus eſt. Iudicaui ergo ſuper illum, quod euenit extremæ parti nuchæ nocumentum non completum, & non deſtructus eſt ſenſus pedum eius, & non deſtructus eſt motus eorum. Et ſi nocumentum eſſet completum, deſtrueretur etiam motus eorum. Et quia peruenit ex hoc nocumento vapor ad epar eius, & corrupit complexionem eius, ſecuta eſt hydropiſis. Hæc ille. *Idem Schenckius.*

OBSERVATIO.

Mictu ſanguinis diuturno, hydropici facti.

D. Chriſtophorus Furer, ex vectura per loca aſpera Menſe Iulio incidit in mictum ſanguinis copioſum, quem cum per multos menſes neglexiſſet, attenuatum eſt corpus mirum in modum, vt videretur tabidus. Tandem cœperunt diminui vrinæ, & intumeſcere corpus, ita vt fieret Aſciticus. Adhibita fuerunt multa & varia remedia, ſed fruſtra. Vltimo totalis vrinæ ſuppreſſio ſecuta eſt, nec tamen vnquam regio veſicæ intumuit. Exhibuimus quæ vrinam poſſunt prouocare, ſed leuia, vt oleum aniſi, nucis muſchatæ, & ſimilia: ſed fruſtra; non tamen auſi ſumus deſcendere ad fortiora, ob vitium cauſum, & metum ne rediret mictus ſanguinis. Mortuus eſt igitur Menſe Februario, cum per octo dies nihil vrinæ excreuiſſet. Nulla aderat ſitis, & aluus copioſe fluebat. Iudicauimus morbum eſſe in renibus, quod etiam exitus oſtendit. Nam inciſo cadauere, epar erat aliquo modo duriuſculum, ſed ſatis ſanum, niſi in parte qua tangebat dextrum renem, erat ſemiputridum. Dexter ren omnem amiſerat colorem, vt albam haberet carnem, & plane nihil cõtinebat vrinæ. Siniſter vero paulo erat melior, continebat aliquantulum vrinæ. Veſica plane nullam habebat vrinam. Vnde coniecimus totum illum morbum ortum eſſe ex renibus debilitatis ab illo ſanguinis fluxu, vt ſeroſa corporis excrementa ad ſe attrahere non potuerit. Inuenimus etiam omentum diſruptum, & in globulos arctiſſime contractum. Et hanc puto fuiſſe cauſam debilitatis concoctionis ſtomachi, de qua ſemper eſt conqueſtus, ſicut teſtatur *Galenus de vſu partium.* In folliculo fellis inuenimus bilem praſinam, craſſam, quæ quotidie ad ſtomachum defluebat, & nauſeam procurabat, vnde euomebat viridia. *De Obſeruat. Clariſſ. Vir. Iohan. Heßiper Clariſſimum Virum Ioachim. Camerarium ad me miſſis.*

SYMTO-

SYMTOMATA.

Observatio.

Hydropica admodum tumida, ſerpentem per anum excreuit.

IN quodam pago Franconiæ ſuperioris, Mulier quædam Ruſtica hydrope decubuit; cui tandem ita venter intumuit, vt amplius propter illius magnitudinem nec decumbere nec ſedere poſſet, ſed ſemper miſera erecta ſtare propter difficultatem ſpirandi coacta fuerit. Tandem vno die ante obitum per anum ſerpens exitum tentauit, qui tamen integer extrahi non potuit, ſed caput & cauda remanſit in ventre, quod vero extractum fuit longitudinem duorum cubitorum æquauit, & ſerpentis communis formam habuit, Mulier ob ruſticorum negligẽtiam poſt mortem non fuit ſecta, alioqui proculdubio multa notatu digna potuiſſent in ea obſeruari. Hoc factum eſt Anno Chriſti 1595. Menſe Martio. *Ex literis D. Sigiſmundi Schnizeri ad Clariſſ. Vir. Camerarium.*

Observatio.

Hydropem aliquando ad empyema, phthiſin, & ſanguinis ſputum, conſequi.

VIDI ipſe ex empyemate in Federico del Reame, Seren. D. Ducis noſtri oſtiario, hydropem ſubſecutam, ita vt vniuerſum corpus mirum in tumorem excreuerit, quod ex ſputo ſanguinis, & vlcere pulmonis, alteri ciui Mantuano, cui nomen Antonius Pallacina, eueniſſe recordor. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 21.*

Observatio.

Epilepſiam nonnunquam Hydropi ſuccedere.

HYdropico ſymtomati ſuperuenit Epilepſia, nõ minus quam ipſi cauſæ hydropificæ: quoniã in hydrope ſtabulũ eſt corruptionis, quæ facile cerebrũ laceſſendo conſecutionẽ adfert horrendæ illius epilepſiæ: idq; tum appulſu venenatæ cuiuſdam auræ, tũ translatione malignæ hydropis cacochymiæ: ſicut vidimus in Comitiſſa Grueriana. Ac talis Epilepſia mox vertitur in Apoplexiam mortiferam & inſanabilem. *Duretus Com. ad Coac. Hipp. p. 337.*

Observatio.

Aſcitici cuiuſdam admirandum ſymtoma, qui, cibum ſumpturus, aut dormiturus, difficilimam ſpirandi difficultatem cum ſuffocationis periculo patiebatur. Alius in femore ſæuiſſimis doloribus torquebatur, adeo vt horrendis clamoribus vrgeretur.

QVoniam Hydrops mira quædam ſecum plerunque trahit ſymptomata ſiue accidentia, præter vſitatiora illa, paucula hæc, quæ peculiariter obſeruare mihi contigit, cum frequens hic ſit morbus ille, annotare libuit. Vir fere ſexagenarius, ſatis alioqui corpulentus, tota ætate ſua largius ſemper, atque auidius comedens in prandio & cœna, aliquot menſes antequam ipſi per aquæ accumulationem in manifeſtum tumorem attolleretur venter, hoc ſymptomate infeſtabatur, quod quotieſcunque aſſidens menſæ, cibum ſumturus, & iam mandere cibum aggrederetur, tanta corripiebatur anhelãdi neceſſitate, vt præ ſpiritus denſitate, ſeu crebritate reſpirãdi ceu ſuffocationis periculum præ ſe ferret, vt ex eo cibum ſemimanſum ex ore reiicere ſubinde cogeretur: idem hoc ſymptoma incurrebat, quotieſcunque ſe ad ſomnum componens, iam obdormiſcere inciperet, qua anhelandi crebritate & difficultate è ſomno ſe rurſus corripere ac ſtatim erigere cogebatur, neque tamen ſemper, neque æque grauiter moleſtabatur: interdum enim vel nihil huius patiebatur, interdum exiguum quid. Ipſe vero affirmabat, ſe eo tempore percipere circa hypochondria palpitationem quandam, atque omnino tale quid, ac ſi præcordiis aliquid viui animalis ſubeſſet, cuius palpitatione hoc ſibi ſymptoma excitaretur. Hic vir tandem aſcite periit. Cuius Epar, cum aperiretur illi abdomen, quod ad externam eius faciem attinet, imo diſſectum, nihil fere à ſani Epatis conſtitutione differre videbatur, neque quicquam in eo vitii, ſicut nec in vllo alio viſcere oculis notari poterat. Quia vero conſtat ſine Epatis læſione hydropem eſſe non poſſe, ſiue iam primo, ſiue ſecundario & per conſenſum noxam contraxerit, ſequitur partis alicuius natiuam temperiem, adeoque Epatis virtutem ſanguinis procreatricem labefactatam eſſe, ac penitus deſtructam, etiamſi nihil vitii ſenſui ſeſe offerebat. Sicut ſæpe aroma quoddam integrum videtur, in quo tamẽ ſenſum odoratus & guſtus ſi conſulas, vis omnis exoleta eſt.

Frater huius hydropici, duobus vel tribus annis poſt, eiuſdem & ætatis, tum temporis, & corpulentiæ cum fratre adultiori mortuo, itidem aſciticus factus, idem prorſus patiebatur; anhelationem dictam quod attinet, quod frater de quo dixi, idque non tam inter comedendum, quam per ſomnum, vel dum obdormiſcere conaretur. Atqui is ſedari ſibi ſtatim ſymptoma hoc affirmabat, quamprimum crudi pomi fruſtulum vnum, atque alterum deuoraret. Is vero, ſicut & frater alter, aſcite ſublatus eſt. Huius vero rarioris, vt arbitror, adeoque miri ſymptomatis cauſam neſcio an alio, quam ad flatuum circa diaphragma concluſorum exagitationem, per calorem intro ſe colligentem in paſtu & ſomno, referre debeam. Quæ exagitatio alteri ſedata eſt, pomi, vtpote frigidiuſculi ſucci quod ſit, comeſtione. Duobus his tale quid eo facilius accidere, credo, potuit, propter anguſtiora præcordia ex carnoſæ molis & pinguedinis copia, vnde flatus in anguſtum acti, exciti tamen, palpitationis huiuſmodi cauſa extiterunt.

Alius aſciticus tantos interdum cruciatus in altero femore percipiebat, vt iis inuadentibus, alta voce exclamare cogeretur, ac ſi vel ſecaretur, vel vreretur, foris nullo prorſus tanti doloris indicio apparente.

Peculiare ac proprium hydropicis multorum exemplo eſſe didici, quod vitæ cupidiſſimi ſint præ aliis ægris, etſi peſſime affecti, & ſemper in bona ſpe conſtituti, fore vt conualeſcant, neque deſinant ſperare, etſi mors iam quaſi præ foribus ſit: id quod de ipſis ſcriptum reliquit *Aretæus Cappadox libro ſecundo, Chronicorum*, hunc in modum. In hydropicis circa minima quæque ſolicitudo, viuendi cupiditas, tolerantia non ex animi alacritate ac bona ſpe, vt in iis eſt, qui proſpera fortuna vtuntur, ſed ex ipſa morbi natura: neque cauſa dici poteſt, ſed mirari tantum id licet, quod me hercle magnũ eſt; namque

in aliis haud omnino perniciofis affectibus ægrotantes abiecto ſunt animo, triſtes, mortis amatores. In his vero & bene ſperant & vitæ cupidi ſunt. Hæc *Aretæus*. De *Obſeruationibus Clariſſ. Vir. Franciſci Tidicæi, per Clariſſimum Virum Laurentium Scholtzium communicatis.*

OBSERVATIO.

Hydropis ſpecies rara, qua ægri nullo ciborum faſtidio, vt nec ſiti quoque vehementi torquentur, quod aperientium, & Mechioacæ vſu leuarentur.

CVM commune ſit omnibus hydropicis ingenti cibi faſtidio laborare, ita vt ad mentionem pene cibi, vel ad eius ſaltem aſpectum toti exhorreſcant; non abs re videtur illud hic annotare. Degit hic etiamnum apud nos Thorunii ciuis quidam, qui iam annum integrum, & plus eo, imo vero ſeſquiannum, hydrope conflictatur aſcite, tumidum ſubinde gerens ventrem, pedes etiam habens ſatis turgidos, præ aqua inibi accumulata, à quo ſymptomate iam aliquoties liberatur aperientium vſu, maxime vero vſu radicis, Mechioaca quæ dicitur, à qua per interualla vſurpata, omnem aquam per ſedem excernit ſine moleſtia. Is toto tempore quo laborauit hoc affectu, præter omnium hydropicorum morem, quibus cibi appetitus in vniuerſum pene ſolet eſſe proſtratus, ſitis vero viget inſatiabilis, appetitum habuit integrum, & habet ad hunc vſque diem, ita vt nunquam fere hactenus abhorruerit ab vllo genere cibi, ne quidem à carnibus, ſed veſcitur iis & aſſis & elixis, quantum ſatis eſt: imo vero fames plerunq; illum viget in tantum, vt vix expectato prandio, ientaculo aliquo ſumto, prandii tempus edendo anteuertere cogatur. Atque hoc in ſe beneficii expertus eſt etiam eo tempore, cum maxime illi turgeret venter præ copia aquæ collectæ, cum etiam totum reliquum corpus ad extremum contabuiſſet, facies vero apparebat macilenta ac decolor, vt non poſſet magis, etiam tum, inquam, cum appetitu aſſumpſit cibos: ſitis quoque non adeo ipſum vnquam afflixit, neque adhuc affligit, contra quam alias ſolet hydropicos, vnde & ſatis ſibi parcit bibendo. Huius Viri caſus in mentem mihi vocat, & comprobat id quod *Aetius* ſcripſit, *tetrabib.3. ſerm.3.c.20.* His qui ex frigido potu aquam intercutem incurrerunt, vehementes ciborum appetitiones fiunt, propter oris ipſius ventris frigiditatem. Nam, quemadmodum audio, hic æger, de quo ago, hoc in more ſibi poſitum habuit, vt poſt longiorem deambulationem, vel aliud exercitiũ corporis, media æſtate, totus æſtuans, frigido potui nimium ſemper indulſerit. Eadem illa oris ventriculi frigiditas, de qua Aetius meminit, ea qua dixi ratione contracta, cauſa, abſque dubio, eſſe etiam poteſt, quod minus ſitiat, quam ſolent vulgo hydropici. *Idem Tidicæus de ſuis tranſmiſſis Obſeruationibus per Clariſſ. Vir. Laurentium Scholtzium.*

OBSERVATIO.

Tuſſis hydropi ſuccedens non ſemper mala.

SCribit *Oribaſius* tuſſim ſignum eſſe mortis in hydropicis. Et *Aphor.35. lib.6.* aqua intercutem laborantibus tuſſis ſuperueniens, malum. Sed hoc diſtinctione eget: ſi videlicet fiat ab aucto morbo, & aquæ ratione, quæ iam pulmonũm arterias aſperas occupet, vnde tuſſis. Nam ſi aliunde, non ita mala. *Scholiograph. ad capit. 39. libri primi, Hollerii de morb. intern.*

RECIDIVÆ.

OBSERVATIO.

Recidiuæ hydropicorum, poſt euacuationes inuadentes, plerunque lethales.

CVidam mors, cum multo alui profluuio tumor ſubſediſſet, redeunte morbo. *Scholiographi ad cap.39. lib.1. Hollerii de morb. inter.*

Eduxi omnem aliquando ex ventre & pedibus, mulieris Aſcite laborantis, aquam, non ſemel tantum, ſed bis. At ægra nihilominus, cum lienis obturatio ſolui nullis remediis poſſet, aqua ſimili tertio repleta, obiit. *Eraſtus part. 4. Diſp. aduerſ. Paracelſ.*

INSPERATO EVENTV LIBERATI HYDROPICI.

OBSERVATIO.

Aſſiduo labore, citra medicamentorum vſum, hydropicus quidam conualuit.

PIſcator quidam, cui nomen Mergone ex Caſtro Canneti diſtrictus Ducatus Mantuani, cum læſio hepatis non eſſet inſignis, tumore tamen ingenti venter intumeſceret, ex aſſiduo labore ſoluta hydrops & detumefactus venter, perfecteque ſanatus, nullis Medicis adhibitis auxiliis. *Marcell. Donat. lib. 4. c.21. Hiſt. Mirab. Med.*

OBSERVATIO.

Cauſa occulta & abdita quidam hydrope ſolutus.

CHriſtophorus Trutvvein, Patricius Haganoius, deſperato hydropi multo tempore obnoxius, domi deſidis vitæ pertæſus, & ſerena quadam die inuitatus, in vicinum hortum deduci à ſuis poſtulauit. Quo cum perueniſſet, feſſus admodum, ob languidas vires, humi ſe apricanti ſoli obuerſum proſtrauit. Laſſitudine proinde & grato ſolis calore illectus, profundo ſomno corripitur. Dormienti lacertus viridis, in laxatum eius ſinum irrepit, & toto eo tempore, quo ſtertit, per tumentem nudatumque ventrem oberrat. Poſt horam expergefactus, corpus humo erigit, & dum aſſurgere annititur, quidpiam in ſinu ſubſultare animaduertens, lacertum conſpicatur, quem, veluti homini amicum, & innoxium, ſaluum dimittit, quando pleriſque beſtiolas eiuſmodi offendiſſe religio ducitur. Huic ab eo tempore hydropicus tumor omnis, res mira, citra vlla alia remedia, intra paucos dies ſubſedit, & non ſine miraculi ſpecie diſparuit. Qui reconualeſcentiam inde ſuam omnem à lethali iſthoc morbo, animalculo huic, non ſine ſingulari fato, firmiſſima, atque adeo indubitata perſuaſione acceptam retulit. Quanquam autem difficilimum ſane fuerit oſtendere, euentum hunc lacerto attribuendum eſſe: in confeſſo tamen eſt, veteres non tantum beſtiolæ huic ectyloticam, cathereticam, ſepticam, & aliam quoque narcoticam facultatem aſcribere, qua callos, clauos, vetrucas omnis generis, & pilos

& pilos exterere atque euotare queat:verumetiam,
amuleti inſtar lacertum totum, vel cor eiuſdem, va-
ſculo ſeu lupino argenteo incluſum, & à collo ſu-
ſpenſum, aduerſus ſtrumas præclare auxiliari, lienis
doloribus mederi, quartanarum, tertianarumque
febrium typos arcere, quinetiam varias prohibere.
Quibus facultatibus ſi lacertum donatum recipi-
mus, fortaſſis non modo male quiſpiam analogia
quadam à ſtrumis ad tumorem hydropicum colla-
ta, eundem hoc ipſo remedio diſpulſum coniecerit.
Siue id latenti ἀπόῤῥοίᾳ quadam, ſiue euidenti viri-
um & facultatum potentia factum fuerit. Equidem
bufonem certæ parti impoſitum, hydropicos iuua-
re, præter experientiam etiam exemplis cõſtat. Qui
non minus cathæretica aut ſeptica vi atque lacerta
ipſa, quæ ſalamandræ prope ſuppar cenſetur, pollet.
At vero ſecundum longitudinem diuiſus, & vel
dorſo alligatus, vel incinerato puluere hauſtus, per
lotium ſeroſum humorem propellit. Sed & bufo-
nium lapidem tumores atque inflationes quaſuis,
crebro attritu, diſcutere expertum ſe multoties pro-
fitetur naturæ occultorum ſcientiſſimus, & cumpri-
mis elegans author Lemnius. Secreto remedio nõ-
nulli hydropicorum aquas colubri aquatici lapide,
ventri applicato, ſenſim abſumunt. Ebur ventri ap-
poſitum, aquas elicere intercutaneas, ſuperioris ſe-
culi prodidere quidam. Gagatem, Iaſpidem, ſi ex
collo ligatos circumferant ægri, ab hydrope vindi-
care authores non incelebres affirmant. Magni de-
nique Hermolai illius, minime Barbari, atteſtatio-
ne expertum: vituli marini pelle, aquam corpori
ſuffuſam tolli. Atqui hæc non affirmare aut conten-
dendi, ſed inquirendi ſtudio potius eruditioribus
proponere viſum eſt. Neque repugnauerim, ſi quis
euentum hunc ad fortuitum caſum referat. Nam
multa ſubinde in rebus humanis præter conſilium
eueniunt, veluti dum cœcus cornicẽ configit. Quin
euentus huiuſmodi alii, vt ſane fortunati & ſponta-
nei ſunt, ita vera artis opera cenſendi non fuerint.
Schenckius.

OBSERVATIO.

Hydropici humidorum vſu à Medicis interdicto ſibi tem-
perantes reſtituti, quorum quidam ab omni
potu reliquo vitæ ſuæ tempore
abſtinuit.

VOluntate ſcimus ſitim victam: Equitemq; Ro-
manum, Iulium Viatorem è Vocontiorum gẽ-
te fœderata in pupillaribus annis, aquæ ſubter cu-
tem fuſæ morbo, prohibitum humore à Medicis,
naturam feciſſe conſuetudine, atque in ſenecta ca-
ruiſſe potu. *Plin. lib. 7. c. 18. N. H.*

Ruſtico, quem aqua inter cutem male habebat,
opem noſtram expoſtulanti, ſanari illum, cum iam
morbus inueteraſſet, minime poſſe reſpondi. In-
ſtanti tamen vt aliquod ſaltem conſilium ei præbe-
remus ſubridens inquam, amice ſi curari deſideras,
opus eſt vt non vltra bibas, quam vt vitam ſuſtineas.
Diſceſſit: & anno peracto iterum interrogat an i-
pſum nouerim. Nego me hominem noſſe: At ille,
tua ope curatus, inquit, ad te reuertor, ſcire cupiens
an adhuc mihi liceat aliquid bibere: cum hactenus
per annũ nihil biberim. Admiratus interrogo qua-
re, & cuius conſilio. Cui ille, inquit, tuo: & rem o-
mnem ab initio narrat. Iuſſi igitur paulatim vino aſ-
ſueſcere: ſed mero potius quam lymphato, & eo i-
pſo auſtero ac tenuiſſimo. Diſceſſit & curioſa potio-
ne vſus, ad priſtinumq; reuerſus ſtatum, quam me-
cum familiaritatem primum contraxit, eam adhuc
in hanc vſque diem officioſiſſime ſeruat & colit. *Be-*
niuenius cap. 13. de Abditis.

Hydropis, hoc eſt, aquoſi humoris collectionis
duæ ſunt ſpecies: Hypoſarca & Aſcites: In Tympa-
nite ſiquidem flatus colligitur. In Hypoſarca per na-
turalis caloris debilitatem & impotentiam pituito-
ſior, hoc eſt, crudior ac frigidior ſanguis gignitur,
qui per venas in corpus diſtributus, ipſum tumidum
reddit, & albido pituitæque emortuo colore pal-
lens apparere efficit. In Aſcite vero intra peritonæ-
um, præcipue, humor colligitur, venterque diſten-
ditur. Hypoſarca ruſticum hunc laboraſſe, veriſimi-
le eſt, & crudis frigidiſque humoribus per potus ab-
ſtinentiam à natura concoctis, & in ſanguinem con-
uerſis, tum & vitam eum ſuſtinuiſſe, tum & ſa-
nitatem recepiſſe. *Dodonæus in Annotation. ad locum*
citatum.

OBSERVATIO.

Aqua inter cutem laborantes, liberaliore a-
quæ potu, liberati.

AQua inter cutem cum vehementius vrgeretur
puer, tantaque intus contracta eſſet, vt aluum
nullam in partem mouere poſſet, omni auxilio Me-
dicorum deſtitutus, temerariam ſibi libertatem vin-
dicauit. Quare aqua quantum poterat epota, in vl-
timum ſeſe mortis diſcrimen male ſanus præcipita-
uit. Verum ſiue id aquæ contractæ impulſu, ſiue ope
naturæ factum ſit, ſoluta eſt vmbilici vnitas, inde-
que tanto impetu aqua profluere cœpit, vt ſupra
ventrem cubitos tres aſcenderet. Quo ſane vitam
finiſſet, niſi circum aſſiſtentes, oppoſita manu, a-
quam fluere non permiſiſſent. Hinc Medico accer-
ſito, & aqua paulatim educta, ac curioſo victu, &
cæteris, quæ ad rem facerent, iniunctis, breui tem-
pore in priſtinam redactus eſt ſanitatem. *Beniuenius*
cap. 12. de Abditis.

Puer hic potuit Aſcite laboraſſe, non tamen ex
refrigeratione, ſed ex calida nimium & ſicca iecino-
ris intemperie, qua tam grauiter quandoque iecur
afficitur, vt probum ſanguinem non conficiat: vel-
ut in hydrope quæ acutos morbos ſubſequitur, teſte
Galen. libro ſexto, de locis affectis capite primo. Aduerſus
huiuſcemodi hydropem aquæ potio remedio eſſe
potuit, iecinore videlicet refrigerato & humectato,
ſi modo recens nata fuerit: nam diuturnæ hydropes
incurabiles habentur, diuturnitate mali iecinore
corrupto ac vitiato. Succedit autem non raro acutis
morbis Aſcites, & frequenter etiam Ictero Contin-
git autem non raro in hac Aſcite, diffuſis per vniuer-
ſum humoribus, calorem ſubinde tantum excitari,
vt quacunque corporis parte ſcalpta leuiterque cu-
te vulnerata mox calidus, niger, & quaſi aduſtus ſan-
guis effluat. Cæterum hydropis per aquæ potionem
curatæ erat exemplum *lib. 2. Epiſt. Langii. Dodonæus in*
Annot. ad cap. 13. Beniuen.

Vxor Barbitonſoris in Nouo foro Palatinorum
in Noricis oppido, plus ſibiipſi, quam marito aut
Medicis morigera, cuius venter hydrope in im-
menſum turgebat: hæc aquam de fonte ſcaturiente
magnopere ſitiebat. Progreſſa itaque marito inſcio

extra

extra vrbem ad fontem, in quo cum aquæ ſcaturigine ſimul arena ebulliebat, de qua, quantum manu caua apprehendere potuerat, ter aut quater deuorauit. Domum læta reuerſa, rem omnem nobis recenſuit: & intra biduum per fluxum ventris plurimum excreuit: apertis itaque ſua ſponte in ano mariſcis, vnde confertim ſanguis niger effluebat, ab hydrope conualuit: *Langius Epiſtola 12. Tom. 2.*

OBSERVATIO.

Ex vomitu in mari ab hydrope quidam curatus.

QVidam hydropicus inflato ventre, manibus pedibuſque & facie, à Medicis deſtitutus, & tanquam deſperatus, adiit littus marinum, & nauicula per aliquot milliaria aſcendit in altum maris: & prouocato vomitu, & poſt vomitum exercitio vtés, ſanitati reſtitutus eſt. *Petr. Foreſt. libr. 19. Schol. ad Obſ. 29. de Hepate & Liene.*

OBSERVATIO.

Adoleſcens Aſciticus, binis vomitionibus ſpontaneis magna aquæ vi profuſa, liberatus.

IN vrbe noſtra Franciſcus de Sauis iuuenis, hydrope aſcite laborans, ſponte naturæ binis vomitibus excitatis, ingentem aquæ copiam euomuit, quo facto, venter detumuit, & hydrope liberatus eſt. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. c. 21.*

OBSERVATIO.

Ex præciſis vnguibus effluens aqua, hydropicum liberauit.

CVidam ad viuum reſectis vnguibus pedum, exercitio & frictionibus, paulatim humor illuc defluxit, conualuit. *Scholiographus ad cap. 39. li. 1. Hollerii de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Aqua intercutem eliſo vtero pulſa.

ACcidit interdum caſu & fortuna ſanari nonnullos, quos medicina curare non poteſt. Mulierem ſcimus, quæ dum aqua intercutem adeo laboraret, vt nulla de ſalute eius ſupereſſet ſpes: neſcio quo ſpiritu impulſa, de eminente quodam loco ad terram deuoluitur, & vtero ad lapidem eliſo, diſſectoque ita prorſus omnis effuſus eſt humor, vt quæ puerum octimenſem geſtare videbatur, enixam crederes. Sed nec multo poſt aut tempore aut labore, ieiuneis ad hanc rem adhibitis præſidiis, penitus ſanata eſt mulier. *Beniu. Abdit. c. 109.*

OBSERVATIO.

Sudore ſpontaneo hydropicus exoneratus.

CVIDAM per ſudores ſponte excitatos, & quaſi deſtillantem aquam, curatio. *Scholiographus ad capit. trigeſimo nono, Hollerii de morbis Intern.*

OBSERVATIO.

Peregrinatione maritima quidam ab hydrope liberatus.

EX obſeruationibus noſtris hæc non videtur prætereunda. Iohanni Blanche negotiatori Pariſienſi in Angliam profecto, hyeme, tumor cum miraculo quodam ſubſedit, euanuitque morbus, nec rediit. An quod integro, aut non ita læſo viſcere, aqua, partim calore natiuo excitato, partim aere marino reſoluta fuerit? *Hollerii Scholiograph. ad cap. 39. de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Per pedes hydropicus exoneratus.

TENDIT hydrops interdum ad ſalutem, vbi per aluum, ſeu vrinam, cruda, aut aquoſa materia, quæ ventrem extendit, vniuerſa à natura detrudatur, ſiue tranſmittatur ad pedes, & ex ipſis deſtillet; quemadmodum dum ſectaremur Thomam Cornacchinium Medicum Clariſſimum, ac præceptorem noſtrum olim Piſis obſeruauimus in Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Cæſarienſi, qui per hanc viam ab hydrope aſcite (quam pluribus menſibus tolerauerat) fuit penitus liberatus. *Vidus Vidius li. 10. c. 5. de Curat. membratim.*

OBSERVATIO.

Per veſiculas in digitis pedum obortas magna vis aquæ profuſa, ægra reconualeſcente.

MEMINIMVS Caſſandram Tronam, Principis filiam, in crurum monſtrifico tumore, cum cauterium reſpuiſſet, excitatis ſponte naturæ in pedibus veſicis ſupra digitos, aqua miro modo fluente, ſanitati reſtitutam eſſe. *Alexan. Benedict. de Curand. morbis lib. 15. cap. 40.*

Non ſolum in pedibus, ſed & brachiis, manibus, & toto paſſim corpore obortis veſicis ſolutus eſt hydrops ille, qui à me diſpulſus eſt Friburgi Briſgauorum in homine vinitore, ex præſcripto decocto Hirundinariæ, cum ebulo, cuſcuta, aſaro, aliiſque, tamen is nondum confirmatus erat morbus, ſeu ἐν γένεσει, imo in primis principis. *Ioannes Georgius Schenckius, F. Medicus.*

OBSERVATIO.

Vſtione per errorem excitata veſica in crure, atque ex eadem copioſa aqua effluente, vindicatus ab Hydrope adoleſcens.

HELIDÆVS, iuueni cuidam Hydropico, ſæpius Soldanellam, cui multum tribuebat, tandem vna vinum in quo Rhaponticum & Abſinthium decocta fuerant, exhibuit. Mulier lectum calefactura, inſtrumento ferreo, cui carbones imponi ſolent, crus patientis iſtius combuſſit. Vnde veſica magna, aqua plena, erupit, qua parte inferiore aperta, & multum aquæ euacuata, æger conualuit. *D. D. Laurentius Scholtzius, de ſuis nuper liberaliſſime mihi communicatis Obſeruationibus.*

Quidam, cui per incuriam læſum erat crus ferreo quodam inſtrumento, conualuit. Veſica enim enata, effluxit deinde aqua. *Caſparus Hoffmannus libro tertio, conſilio trigeſimo, per Laurentium Scholtzium publicat.*

OBSERVATIO.

Hydropito marito mortem intentans venefica, euentu fruſtrata eundem à morbo liberat, ſeroſa materia per lotium excreta.

DOmino Iohanni Echtio, Medico Colonienſi Ornatiſſimo, narrauit D. Gilbertus Horſtius, Medicus experientiſſimus, Romæ quendam hydropicum diu decubuiſſe, cuius vxor tandem ſumptuum pertæſa, veneno illum tollere decreuerat: quare bufonis in olla vſti puluerem ægroto propinat, vnde ille copioſum reddit lotium: hinc denuo eundem puluerem exhibet, vt citius illi ærumnoſam ſumptuoſamque vitam cum præcipite commutaret morte, qui, multo vberiore exonerata per veſicam ſaburra aquea, conualuit præter coniugis expectationem. Nam bufo etiam diſciſſus, & renibus impoſitus, hydropicorum aquas per meatum vrinarium expellit. Eandem ipſe Gilbertus alias ſenſit calamitatem ab iis, à quibus minime decuit. *Wierus de Praſtig. Dæmon. lib. 3. capit. 35. Edition. ſexta Baſilienſ.*

Mulier quædam habens maritum hydropicum, quę expenderat in eo ſanãdo omnia fere ſua, nec profecit quicquam vt etiã mori ſtatuens quotidie mortem inclamaret: vxor eius ſperans eum moriturum, accepit bufonem & redactum in pulu. propinabat ei ex vino: quo facto ſtatim incepit profluere vrina & venter aquam reddere & ſic ſanitati præter ſpem, & quem moriturum ex veneno ſperabat conualuit. *Solenander Sect. v. Conſ. 5.*

OBSERVATIO.

Caſu lapidem impingens, & ventrem vulnerans, liberata mulier ſexennium aſcitica.

QVædam mulier quinquaginta annos nata, laborauit aſcite ſex annis; & ex caſu in lapidem fuit vulneratus venter eius, per quod vulnus ſubito omnis aquoſitas euacuata fuit, incidit illa quidem in animi deliquium, ſed poſt in Xenodochio Patauino bonis alimentis priſtinam recuperauit ſanitatem: quæ res digna eſt admiratione, *Iohan. Mich. Paſchalius Method. Curand. morb. libr. 1. capit. 44. Ex Sauonarola,* vt apparet.

OBSERVATIO.

Abdomine malitioſe perfoſſo, conualuit hydropicus.

MEmoria adhuc recolo, quod, dum Aureliæ in Scholis trinialibus eſſem, viderim craſſum quendam baiulum (nomine va ſi tu peux, id eſt, eas ſi tu poſſis) hydropicum iam pridem pro deſperato derelictum. Cui, cum iuxta S. Agnanii Fanum, nebulo quidam, magno ictu cultri, abdomen perforaſſet, & ſubito copioſiſſima aqua putrida, riuuli inſtar fuit effuſa, poſtmodum curatus, ſtatim, vt prius, abſque tamen recidiua, operari cœpit. *Franciſc. Rouſſetus de Part. Cæſ. Sect. 3. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Hydrops cauterio potentiali emendatus: æger vero recidiuam incurrens, inter deſperatos iam habitus, rurſus ſibi lacte ebutyrato, cum pane ſecundario intrito medetur.

VIR quidam artem exercens fabrilem; Ciuis Thorunicẽſis, natione autem Saxo, poſtquam ſatis diu conqueſtus eſſet de moleſtia in dextro hypochondrio percepta, tandem in id malum incidit, vt Epatis vitio ſatis ſuperque atteſtaretur tumor pedum atque abdominis, ibi cauterio potentiali in pedib. via aperta eſt, decurſuro humori ſeroſo in corpore collecto, id quod etiam euenit. Totus n. hac ratione à ſaburra collectæ aquæ liberatus eſt, neque tamẽ propterea ſanus factus. Paulo poſt enim idem ſymtoma rediit, atque rurſus tam venter, quam crura, aquæ copia diſtenta, plus ſatis tumuerunt. Tentata prior ratio detrahendi aquam, ſed fruſtra, neq; enim naturę tum per loca cauterizata morem illum excernere libebat. Ibi res apud omnes deſperata, æger multum languens decumbebat, magno cibi faſtidio laborans, ſitiens, in ſumma ita affectus, vt adſtantibus in ſingulas horas expiraturus videretur. At quid fit? dum æger hic in extręmis laborare putaretur, ecce illum inceſſit cupiditas lactis ebutyrati, cui infriata eſſet bona pars panis ſecundarii, vt cui ipſe adſuetus erat: mox parare ſibi iubet iſtud ferculum: paratur, apponitur eius patina ſic ſatis capax, is cum magno appetitu totum id exedit, poſt aliquot horas abſumit & alteram; poſtero die idem facit, idem repetens medicamentum. Inde vir iſte iſtud abſtulit commodi, vt copioſiſſime deinceps mingeret, ſingulis diebus multam reddens vrinam, idque crebris admodum vicibus, abſq; dubio propter ſerũ quod in lacte erat: ex quo à tam miſerando ſymtomate liber euaſit, præter ſpem fere omnium, & ſenſim recuperatis viribus totus à morbo conualuit, & valet in hunc vſq; diem, operas ſuas fabriles obiens vt decet. Erat autem & eſt vir hic natura non carnoſi ſed macilenti corporis, vaſa inſuper habẽs ampla & ſpatioſa, vt ſolent tales, quæ corporis cõſtitutio illi certe ad hunc euentum morbi eius cumprimis profuit. At quid fit? poſtquam ægroti huius hiſtoria emanauit in vulgus, mox inde, vt fieri ſolet, extrui cœpit iſta Maxima; quod nimirum lactis ebutyrati cũ pane ſecũdario tres vel quatuor patinæ, bene magnæ, comeſtæ, præſens ſint remedium cõtra hydropiſin. Inde mox alius quidam, qui aſcite iam aliquanto tempore laborauerat, vir literatus, vitam agens magis ſedentariam, quam vt corporis exercitio vacaret, habitu inſuper carnoſo, & pingui, fabri iſtius exemplũ ſequi cœpit, & dictam illam ex ebutyrato lacte medicinam vſurpare, ſed euentu impari. Paulo n. poſt aſciticus hic diem ſuum obiit, nihil commodi ex lacte illo ſentiens, neque enim de Maximæ iſtius limitatione cogitarat, quod ferculũ illud medeatur Hydropi, ſcilicet nonniſi in macilentis fabris, iiſdemq; Saxonibus. Sicuti edulium ex piſo febrim pellebat, non à quouis, ſed tantum à Polono, de quo vſitata narratio eſt. *D. D. Franciſcus Tidicæus de ſuis mihi communicatis exemplis, per Clariſſimum Virum D. D. Laurentium Scholtzium.*

OBSERVATIO.

Aſcite laborantes, perforato vi naturæ vmbilico, & foras prodeunte aqua, integre curati.

MVLIER ad maris portum habitans, anno nata triginta ſeptem, aſcite morbo laborabat.

Cæterum,elapſo nonnullo à morbo tempore, vmbilicus huic ex morbo ſimilis membro virili factus eſt,&in eo puſtula quędam ingenita fuit,quam mulier vngue cum ſcalperet, inde aquoſitas contenta profluebat: quod aduertentes nos, emiſſarium natura factum ſcalpello dilatauimus, vt humor ſiue aqua illa contenta liberalius emitteretur, viuit autem & hodie mulier hæc, & rectè ſe exercet, & ad functiones obeundas optime viriliterque ſe habet; à qua plus minus libræ viginti aquæ huius,intra menſes duos,effluxere,magnum tamen ſplenem(vt ſciatis)mulier hæc patitur. *Amat. Luſitanus Centur. 5. Curat. 37.*

Anno 1578. Ericipyrgi,arce Illuſtriſſimi Principis Erici Brunſuicenſium & Luneburgenſium, &c. Ducis,coquum vidi,qui annos duos aut tres ſumma anhelitus difficultate laboraret adeo, vt vix niſi erecta ceruice ſpirare poſſet,à conſueta viuendi ratione ne latum vnguem recedens, tandem in ſummam cruditatem ventriculi, cum hepatis & pulmonis obſtructione, incidit; ita vt indies magis ac magis intumeſcente ventre,vix ægra,præ pondere, trahere poſſet membra. Accidit autem vt cum nihil ſiniſtri ſuſpicaretur, ac more ſolito ſeſe in cubiculum quietis ergo ſubduceret, & duas aut tres, plus minus, horas, ſolito ſuauius dormiſſet, ſenſerit abdomen lento quodam humore perfuſum: attonitoque ſimilis obſtupuit, vna cum iis qui illi in eodem cubiculo condormierant,qui nouitate rei perculſi, me aduocandum curant. Ego igitur cum primum eo veni,ſublatis ſtragulis,affectum locum perquiro; atque indagine facta, ſub vmbilico comperio continui ſolutionem,cuius labra adhuc dehiſcebant: & cum ex pulſu viribus nihil deceſſiſſe animaduerterem, verum eaſdem ſolito vtcunque firmiores, iubeo præſenti ſit animo: ſperare enim me, ſi ex præſcripto noſtro velit viuere,morbi totius ſolutionem vomicæ iſtius eruptione nos conſequuturos:non enim tantum pus cõtentum expurgatum iri, verumetiam ſenſim aquam ipſam inter peritonæum & abdomen contentam.Purulenta igitur prius expurgata materia, atque turunda vlceri; dum mundatum omnino eſſet,indita,pedetentim aquam intercutem eduximus,ac tandem patientem accurata victus ratione ad priſtinum fere ſtatum reduximus; ita vt poſt biennium ex Italia cum Illuſtriſſ. Principe reuerſus, eundem bene valentem compererim, niſi quod ex obſtructione pulmonis adhuc ſuſpirioſus aliquantulum eſſet. *Balduinus Ronſeus in Appendice Epiſt. 2. ad D. Petreium Tyara.*

Antonius Creſtinus Arelatæ, manuariis operis victum parans, hydrope aſcite correptus, ita vt præ vaſto ventris tumore moriturus in momenta ſingula putaretur: cui cum ob extremam pauperiem victui neceſſaria deeſſent, nec quid ori porrigeret niſi mendicato haberet: perforato vi naturæ vmbilico, & ſenſim egreſſa per multos dies aqua, videntibus cunctis, meque ob rei miraculum accerſito, vt, ſi quid opis miſero homini adferre poſſem, incunctanter præſtarem;poſt pauca medicamenta,ſed efficacia,& è naturæ ſinu magis quam officinarum artè deprompta,integre curatur,ſuperuixitque annos totos quatuor: tandem vero inopia cogente, & rerum neceſſariarum defectu, quinto poſt anno tabe & ſqualore mortuus in Xenodochio eſt. *Valleriola lib. 4. Obſ. 3.*

Anno Salutis 1561. cum Reuerendiſſimi Principis Abbatis Murbacenſis & Ludrenſis Medicum Phyſicum ex conducto agerem, forte tum in vicinia habitantem Dominum Gallum Klett, Præpoſitum Lutebacenſem,virum pium, conſultiſſimum ſimul & humaniſſimum,deſperato hydrope laborantem inuiſere contigit. Hunc vbi ſexagenario maiorem, ſed corpore pro ætatis ratione firmiore, & viribus ſatis adhuc conſtantibus,abdomine vero ſupra modum vmbilicotenus tumeſcente, comperiſſem; de remediis in tam conclamato morbo & ætate ſenili adferendis dubitare & hærere cœpi. Quod dum æger animaduerteret, confirmato me animo eſſe iubet, quin præſentem ſibi mortem imminere cum certum habeat, ſe, ſiquidem ita Deo Opt. Max. viſum ſit,mori,quam tam miſeram vitam agere, malle,conſtanter mihi affirmabat. Senis itaque optimi precibus & miſericordia, qua Chriſtianos Medicos,etiam in dubiis morbis, ægros minime deſerere decet,victus,curationis qualiſcunque tandem munus,de dubio euentu prius libertime præfatus, ægerrime in me recepi: Ratus ex Celſi ſententia, ſatius eſſe anceps,quam nullum omnino remedium, vſurpare. Quare diæta primum indicta, medicamenta morbo huic conuenientia per menſem adminiſtrata ſunt.Quorum vſu etſi per interualla magna vis aquæ exigeretur, vnde æger plurimum ſibi alleuiari viſus eſt:nihil tamen, quod maxime mireris, tumor abdominis remittebat. Quin vmbilicus indies magis magiſque prominens, ita diduci & attenuari cœpit, vt membranæ inſtar tenuis, ob tenſionem ſplendens translucere,& ſubinde rupturam minari videretur. Hanc ego tanquam periculoſam ſæpe notatam,dum clyſteribus reuulſoriis,ex braſſica marina,Soldanella vulgo dicta, potiſſimum apparatis, anteuertere ſtudeo: ecce vmbilicus partim ſua ſponte,partim clyſteris vi ſolutus,aquam flauam & acrem tranſmittere cœpit. Hapſo itaque ex Bombace vmbilico peruio, ne confertim aqua efflueret, leniter illigato & inducto, & ne, quod alias fieri ſolet, locus ipſe eryſipelate facile tentaretur, roſaceo prius imbuto, feroſo illo humore ſenſim defluente ventris tumor omnis ſubſedit, atque vmbilicus ſua ſponte coaluit.Confirmatis proinde roboratiſq; internis viſceribus,quibus,ne recidiuam incurreret æger, ſumma animaduerſione proſpiciendum erat: Vir optimus complures ab eo morbo annos ſingulari Dei gratia ſuperuixit,ſic, vt ſeptuagenario ſuperato,nulla hydropis recidiua,ex aliis poſtmodũ cauſis ex hac vita deceſſerit, id quod ego plena fide teſtari poſſum. *Schenckius.*

Aquæ intercutem per vmbilicum euacuatæ hiſtoriam aliam require ſupra Obſer. Qui aquæ liberiore potu ab hoc morbo liberi euaſerunt.

Cæmentarius in Hoſpitali, Aſciticus, habebatur pro deſperato. Nam venter in tantam molem erat eleuatus, vt omnes illum morti adiudicarent. Sed natura viam inuenit, rupto vmbilico, vnde magna vis aquæ effluxit; tandem adhibitis corroborantibus epar,ſanus euaſit,& adhuc viuit. *Clariſſ. Vir. Ioachim. Camerarius de D. D. Ioannis Heſſi mihi communicatis Obſeruationibus.*

Ss 2 Nico-

Nicolaus Nouocomenſis, Venetiis Medicus primarius, Iohanni Antonio Sicco, Hieronymo Capouaccenſi, & Hieronymo Mercuriali, Cæſari Pendaſio, Medicis omnibus maximi nominis, mihique narrauit, ſe mane, quodam cum chirurgo, acceſſiſſe, vt puellam amici hydrope laborantem ſecaret, cum nulla alia ſanationis ſpes ſubeſſet, ac noctu aquam copioſam ex vmbilico ſponte natura prorupiſſe adinueniſſe, puellamq; ſemianimem, ouo, maluatico excepto, refecit: rectaq; adiuncta victus ratione, paucis diebus conualuiſſe. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 21.*

OBSERVATIO.

Aſcites, veſicula circa vmbilicum enata, & aqua profuſa, ſolutus.

DETRVDITVR interdum ſeroſa materia à natura per vmbilicum, quemadmodum ſuperioribus annis Florentiæ factum vidimus in vxore Simonis Blondii, cui poſt annum ab aſcitis principio, quæ ipſam valde infeſtauit, ſuperuenit exigua veſicula circa vmbilicum, paulatim ſeroſum humorem fundens, quæ non prius euanuit, quam vniuerſus eiuſmodi humor, qui plurimus in ventre ſuberat, inde intra menſis vnius ſpacium effluxit, & hac ratione priſtinam valetudinem talis matrona prorſus recuperauit. *Vidus Vidius Iunior, lib. 10. ca. 5. de Curat. membratim.*

OBSERVATIO.

In hydrope ſua ſponte natura fecit orificium intra peritonæum & muſculos ventris, vnde veſiculæ plures ducentis, aquoſæ, extractæ.

QVIDAM exiſtimabatur hydropicus, tandem natura fecit orificiũ in latere ſiniſtro ſub ſpleneintra peritonæum & muſculos ventris, ex quo extraximus veſiculas plures quam ducentas, quæ referebant oua gallinarum, ſed erant mollia aquæ putridæ plena. *Solenander Sect. v. Conſ. 15.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Hydropis curatio abſoluta.

QVONIAM hydropica affectio vix alibi frequentiori, magiſque populari impetu tyrannidem ſuam exercet, quam in hiſce Germaniæ inferioris partibus: volui hoc loco Obſeruationum quarundam mearum, profecto non inutilium, formas in huius morbi curatione adiungere: quas eo prócliuiori mentis ſtudio cuicunque beneuolenti gratis expono, ne pro meo qualicunque modulo poſteritati defuiſſe videar, eundem animi candorem ab aliis deſidero. Cuilibet interim ſuum non illibenter permitto iudicium. Cum vero pro diuerſa hydropis ſpecie poſtularetur diuerſa etiam medicatio, primum dicemus de Aſcite: in qua propter materiæ ventriculo & hepati propinquæ tenuitatem, promptitudinem & copiam non requiro longam multamve concoctionem, ſed ſtatim ad aquei humoris euacuationem feſtino. Et præter alia hic mihi in vſu eſt Gratiola herba: quam licet valde amaram, & propterea minus delicatam, in ſubſtantia exhibere queunt alii ad drachmas duas, cum pulueris cinnamomi & ſem. aniſi momento, ſaccharo, & vini hauſtu: ego tamen in vino decoquo manipulum eius paruum ſeu vnciam ſemiſſem, cum vuis paſſis, acinis exemptis: & à forti expreſſione, admixta canella, aniſo & ſaccharo, hora matutina propino. Vel hac ratione apparari poteſt. ℞. Gratiolæ vnciam ſemis, ſoldanellæ drachmam vnam, ſem. aniſi drachmas duas, paſſul. enucleat. vnciam ſemis, bulliant cũ vino ad remanentiam vnciarum quinque. Liquor expreſſus exhibeatur. Potens iſtud eſt pharmacum, quo ſeroſarum & aquearum ſuperfluitatum libræ non pauciores octo quandoque expurgantur. Proximum potentia ac bonitate καταρκτικόν ſuccedit, ſuccus radicum iridis ex loco ſicciore collectarum, mundatarum, contritarumque, reſidendo depuratus: qui cum oui gallinacei vitello diligenter commixtus, albumine prius effuſo, ex teſta tepide ſorbeatur. Vel paretur ſequens hauſtus. ℞. Succi viridis per reſidentiam parum defæcati drachmas tres vel vnciam ſemis, Syr. roſati ſolutiui vnciam vnam, cinnamomi electi ſcrupulum vnum; miſce. Electuarium item præſtans in pellenda aquæ ſaburra, cuius & Matthiolus meminit. In diebus canicularib. ſuccus ex cucumere aſinino expreſſus ſoli in vaſe exponatur donec ſicceſcat, humore ſupernatante ſubinde effuſo. Accipe ſucci hui⁹ ſiccati, bdellii an. drachmam vnam, maſtiches drachmam ſemis ſalis gemmæ ſcrupulos duos, incorporentur. Hinc fabæ inſtar pilula pro doſi conficiatur, deglutiaturque. Dantur item pilul. aggregat. ſcrupuli duo cum elaterii gra. ij. hinc cum hydromelitis guttis pauculis fiant pilulæ vij. ſuper pulu. ſem. aniſi. Succus item è radicis ſambuci vel ebuli cortice expreſſus, hic confert. Conficiuntur in eundem quoque vſum ex hoc ſucco paſtilli. Decoquitur item vtriuſq; radix in vino. Semen adhæc per diuturnas aquæ lotiones à baccarum ſucco nigro expurgatum, ſiccatum & in puluerem redactum ad drachmę vnius pondus plebeis propinatur cum vino, cui cinnamomi ſcrupulum vnum, & ſacchari quantum voles admiſce. Cortex etiam vtriuſque interior flaueſcens delibratur, vulgoque hic vſurpatur. Redigitur & ebuli cortex in puluerem, eiuſque drachma vna cũ aquæ linariæ vnciis quatuor propinatur: vnde vel per vrinam, vel etiam ſedem, aqua cutim ſubiens potenter expellitur. Frangulæ, à Clariſſimo Matthiolo deſcriptæ, vtilitas hic nõ vulgaris: cuius cortex interior decoquitur cum eupatorio, abſynthio rom. cuſcuta, veronica, rad. cichorii, ſem. apii & fœniculi, adiecto poſtea cinnamomo. Efficax item hic vitis ſylueſtris radix. Quem ſtibium artificioſe pręparatum delectat, hic eius tranſlucidi, ad modum lapidum granati vel hyacinthi, grana tria aut quatuor infundat noctem vnam in vini vncia, aut paulo amplius: deinde, per linteum colato vino, admiſce pulueris canellæ electæ pauxillum, atque bibatur. Sunt qui olei vitrioli guttam in vini cyatho hydropicis propinant, idque magni arcani loco habent, innoxium magis erit ſi vigilanti præparatione oleum dulce redditum fuerit. Porro hoc obſeruandum, ſingulis ſeptimanis ad minimum ſemel tentandam eſſe euacuationis repetitionem, ne venter mox denuo ſaburræ aqueæ affluxu exundet. Quando autem paulatim ventrem & hepar exonerari deſideramus, aut propter humoris delin-

delinquentis abundantiam, aut labefactatam viſcerum virtutem, aut plurium ſymptomatum concurſum: præſcribere tunc conſueui apozema magiſtrale in eiuſmodi prope formam. ℞. rad. valerianæ, pimpinellæ, helenii vel enulæ campanæ, ebuli ana vnciam ſemis, vitis ſylueſtris drachmas duas, medullæ ſem. carthami drachmas quinque ſem. aniſi vnciam ſemis, fœniculi drachmas tres, gratiolæ, eupatorii veri ana. manip. vnum, veronicæ, ſcabioſæ, betonicæ, card. bened. ana. manip. ſemis, florum geniſtæ, ſambuci ana. pugill. duos, paſſul. enucleat. vel Corinthiac. inciſ. vnciam vnam ſemis, ſennæ Alexandr. expurg. drachmas ſex, ſoldanellæ vnciam vnam, agarici in paſtillos redacti drachmas quinque. Decoquantur in libris quinque vini albi maturi ex artis præſcripto, ſi febris, vel cauſa calida abſit: alioqui in aqua, donec abſumatur medietas, in vaſe diligenter tecto, vel potius duplici: à forti expreſſione in decocto bulliat denuo ſaccharum ſufficiens ad potus conſeruationem, vel mel Hiſpanicum aut Liuonicum deſpumatum, ſuſpenſa in linteo rhabarb. electi vncia ſemis, inde admiſceantur pulueris cinnamomi electi drachmæ tres. Hinc quotidie vel alternis diebus, vel cum longiori interſtitio, pro operationis modo, hauriantur tres vel quatuor vnciæ. In eadem rem aliquot taleolæ radicis iridis macerantur in vino albo nocte: poſtridie vero huius vini hauſtus bibitur hora matutina calide, identidem reliquis diebus, non ſine magno ægroti commodo. Recentes item huius radices ſaccharo aut melle conditæ ad vnciam quoque exhibentur: Huc quoque facit tale ex ea conditum, ſi quotidie vel alternis diebus inde matutina hora voretur ſemiuncia. ℞. Succi rad. irios vnciam ſemis, canellæ, galangæ ana. drach. duas, garyophyll. maceris ana. drach. vnam, Zedoariæ ſcrup. duos, ſoldanellæ elect. vnciam ſemis, in puluerem tria, miſce cum melle deſpumato ad electuarii formam. E baccis quoque ſambuci & ebuli à ſemine expurgatis, & per colum traiectis, ſuccus cum pauco melle deſpumato vel ſaccharo coctione ſpiſſeſcit, hic vtilis. Stillatitia item vtriuſque radicum aqua artificioſe extracta, ad vncias ſex hauſta, commendatur. Prima adhæc arborum harum germina, vel folia adhuc tenella leuiter bullita, in acetariis hic cum ſucceſſu aſſumuntur: quæ in eundem vſum etiam olerum more coquuntur. Proſunt & vina ex chamelæa & thymelæa facta. In hunc finem præterea infunduntur quandoque à plebeis in vino taleolæ radicis brioniæ, ex quo hauſtum mane aſſumunt: cui ſi cinnamomi & maceris parum miſceatur, minus noxium erit. Apparantur item pro imbecillioribus olea, linimenta, emplaſtra & cataplaſmata, quæ admota ventrem ab aquæ ſaburra exonerant, quorum ſubſtantia eſt colocynthis interior, chamelæa mezereon nuncupata, thymelæa, eſula, & reliquæ tithymali ſpecies, ricinus, peplus, gratiola, veratrum nigrum, ſuccus cucumeris erratici, radicum iridis, brioniæ, vitis ſylueſtris, ſambuci, ebuli, ſcammonium, euphorbium, & aloe: quæ cum melle vel felle taurino aut oleo liliorum, aut laurino, ſiue rutaceo vel irino, aut alio liquore conuenienti ad quãcunque voles conſiſtentiam vel formam coquantur. Prodeſt hic quoque oleum de mezereo Meſues, & vnguentum ex arthanita recens. Sed pro materiæ applicatæ vehementia ea vel diutius vel breuius in ventre erit relinquenda, regione hepatis ſemper libera.

In Anaſarca vſurpamus fere eadem purgantia medicamenta: ſed in Tympanite talia exhibemus quæ vna cum moderatiori humoris aquei euacuatione flatus diſſipant, cuiuſmodi inter reliqua eſt Electuarium Indum maius: cuius drachmas ſex cum pulueris ſoldanellæ & vino, vel aqua rutacea, aut ex camomillæ floribus, vel alio liquore idoneo exhibentur non inutiliter. Si vero deprehendantur inteſtina affici lumbricorũ roſione, quod aliquando vſu venit, maxime in Anaſarca, ſemen Abſinthii Santonici non temere additur. Poſtridie cuiuslibet euacuationis aſſumi iubeo theriacæ veteris, vel mithridati drachmam vnam, vel drachmam vnam ſemis. Vretica inſuper hic vnice prodeſſe conſtat. Verum de iis quæ communiter nota ſunt, vt fere toto hoc opere, nihil dicam: raris ſolummodo obſeruationibus contentus. Efficax hic cumprimis eſt oleum è iuniperi baccis pure extractum, & cum vino ſumptum: item lixiuium è iuniperi cineribus & vino apparatum: conficitur & ex ſarmentorum ac geniſtæ cineribus, atque cum ſaccharo, & canella frequenter per manicam transfunditur. Datur à pleriſque etiam petroleum cum vino: quod vrinam, ſudorem & vomitum mouet. Memini adhæc, vbi Romæ marito Aſcite diutius excruciato, puluerem bufonis vſti, vt veneno tolleretur, ſumptuum pertæſa vxor exhibuerit, vnde copioſum hic lotium reddidit, hinc ipſa denuo eundem propinat puluerem, vt citius ærumnoſam ſumtuoſamque vitam cum ſubita commutaret morte: qui ab vberiore aqua confertim per veſicam exoneratus, præter cõiugis expectationem conualuit. Sunt item, qui propinant decoctionis radicum diureticarum vncias quatuor cui admixtæ fuerunt ſem. lini drachmæ tres, correctoriæ ſcilicet, & cantharides duæ ſimul decoctæ, ſed prius ſimul colantur. Medicamenta quibus viſcera robore, mihi præter electuaria nota in vſu ſunt in Aſcite & Anaſarca: Conſerua radicum helenii, ac radices eædem conditæ: conſer. abſinthii Rom. Zinziber Indicum conditum, radices pimpinellæ conditæ. Aut eiuſmodi præſcribo mixtionem, vt plures ſimul intentiones compleantur. ℞. Conſer. radicum enulæ vnciam vnam ſemis, abſinthii rom. vnciam vnam, ſpecierum diacinnamomi drachmam vnam ſemis, dialaccæ drachmam vnam, olei iuniperini ſcrupul. duos, cum ſyr. de eupatorio q. ſ. fiat conditum. Aliquoties vini ſublimati vſum permitto, maxime in Hypoſarca: cui canella inciſa, galanga. calamus odoratus, Zinziber, vel ſimile quiddam, imo & panis mica cum ſaccharo mixta, ſimul degluttiuntur. Si ex ſplenis conſenſu hydrops oboriatur, proderit ſequens medicamentum. ℞. Conſ. rad. enulæ vnciam vnam, chamedrytis drachmas ſex, ſpecierum diacapparon drachmas duas, dianiſi drach. vnam ſemis, dialaccæ ſcrup. duos, ſyrup. de radicibus quantum ſufficit miſce. ipſa lienis regio vnguento è brionia contra ſplenem, cui oleum rutaceum, & è capparibus admixtũ fuerit, linitur. Et ſi tenſa fuerit hæc pars, applicatur emplaſtrum diachylon cum gummis, commixta medietate emplaſtri è meliloto, affuſis pauculis olei ſpicæ guttis.

In Tympanite mihi commendatur electuarium è baccis lauri, quod flatus plurimum diſſipet. Vel

fiat eiuſmodi compoſitio. ℞. electuat. è baccis lauri vnciam vnam, conſer. rad. enulæ vnciam ſemis, ſpecierum dianiſi drachmas duas, diagalangæ, diacymini ana drachmam vnam, olei iuniperini drach. ſemis, Syrup. de eupatorio quantum ſufficit miſceantur. Vel olei ex ſem. aniſi aliquot guttæ, hauriantur cum vini momento. Vel electuarium apparetur tale. ℞. ſpecierum dianiſi, diacymini ana. drach vnam ſemis, diagalangæ drach. vnam, ſacchari puri vncias quatuor quod diſſoluatur cum aqua rutæ, & poſt iuſtam coctionem affunde olei aniſi guttas ſex, & miſce diligenter: deinde fundatur in marmore, fiat electuarium in rotulis. Proficit item ex fœniculi ſemine oleum: item maceris oleum. Commendatur & nucum oleum recens, cum generoſo vino vel ſumptum vel iniectum. Inunctiones mutantur pro viſceris affecti conſtitutione. Ventriculus enim ſtudioſe illinitur oleo abſynthite & maſtichino, quibus pro ditioribus admiſceto tertiam aut quartam partem olei maceris. Deinde huic feliciter applicantur ſacculi, ex abſinthio, menta, ſaluia, ruta, corticibus arantiorum malorum, ſem. fœniculi & cumini concinnati: qui prius valde incaleſcunt, ſi lapidi ignito ollæ impoſito tria aut quatuor vini cochlearia infundantur: & mox olla hoc ſacculo recta, ne vlla ex parte vapor expiret, tantum caloris hic concipit, vt ventriculo, aut vniuerſo etiam ventri impoſitus, ſuauiſſimum præbeat fotum. Suſpenduntur & ſcuta, quæ vocantur ſtomachalia, ſed vehementia ea eſſe oportet. Hepatis locus oleo abſynthite & nardino cum olei maceris pauxillo inungitur. In Tympanite vero totum ventrem primum quam diutiſſime, donec rubor excitetur, linteis calidis, vel manibus carnoſis calentibuſque fricuiſſe, vt, poris apertis, flatus tenuati exhalent, confert. Vtiles autem ſunt eiuſmodi frictiones in quacunque hydrope, quod aperiant, extenuent, diſcutiant & exiccent: deinde vel vino ſublimato, vel oleo laurino vel rutaceo cum calidiſſime, & perquam diu inungi oportet: poſtremo, ſacculi queunt applicari ratione paulo ante dicta, ex ruta, abſynthio, ſem. cumini, aniſi fœniculi, dauci, florib. chamomil. meliloti, ſambuci, anethi, roriſmarini, ſtœchados, conſuti: vel ſpongiæ amplæ, aut pannus lineus craſſus, prius in vinum aut lixiuium immerſus & expreſſus: cui præcedentes herbæ, ſemina & flores fuerint incocta, hoc autem ante inunctionem faciendum. Poſtremo adhibeantur emplaſtra, velut è baccis lauri. Affigitur etiam aliquoties vmbilico, ſine inciſione, cucurbitula magna, cum larga flamma.

Cæterum dum etiamnum reliqua ſunt præcipua totius curationis capita, quæ ſi rite obſeruentur, mire conducunt. Primum eſt intoleranda ſiti conſtantia, quam ſtricta adeo lege impero, vt ægris non vltra libram vnam cum dimidia vini in quemlibet diem permittam. Minori moleſtia hic obedire queunt, ſi ex anguſtiori oris vitro bibant, humectata etenim ſæpius vini ſtillantis momento lingua, promptius fallitur ſitis, nec eius copia grauatur ventriculus. Manduntur in hunc vſum & paſſulæ, diutiuſque in ore detinentur. Sic & glycyrrhiza exiſtit ἄδιψον, maxime recenter effoſſa: vti paſtilli quoque ex eius ſucco concreti, ſi ore retineantur, quouſque liqueſcant. Lapillis item ex vino aſſumptis, eandem ob rem lingua quandoque colludit. Vinum autem ſit album, maturum & potens. Confert plurimum quoque helenites, abſynthites, & aromaticum. Alterum & fere maximum erit ſudor: quem quomodocunque, quantum fieri poterit, extorquere oportet. Theriaca poſtridie purgationis cum vino calido propinata, vt dixi, huc facit. Quibuſdam etiam hic mire commendatur ſuccus è rapo rotundo, in pila contuſo & expreſſo, conditus ſaccharo & cinnamomo, vt aliud guſtanti quam rapum referat: hic mane ægro bene cooperto propinatur. Radix item hirundinariæ pondere ſemilibræ, per noctem in vino macerata, & deinde vſque ad tertias decocta, mane ieiuno ſtomacho pota calida, aquam intercutem ſudore copioſo mirifice expellit. Eodem modo vinum cum veronica apparatum valet. De chymici cuiuſdam pulueris ſudorifici potentia alias fortaſſe dicam. Extrinſecus inſuper ſudoris profluuium multipliciter molior: idque pro ægrotorum diuerſa conditione. Tenuioris ſiquidem fortunæ hominibus conſulo, vt menſæ incubans corpus vniuerſum in clibanum, recenti pane extracto etiamnum tepentem, immittatur, ſicvti caput extra præfurnium, puluinari innixum, libere reſpiret, ne calidiori aere ſuffocationis periculum ſubſequatur. Vtis quoque citius promoueatur, & tibiarum inflatio ſimul diſcutiatur, arenam in lebete vel cacabo calefactam, ſiue etiam cineres quercinos eodem modo calentes, in ſacculum infundo, cui colligato imponuntur crura tumida veſperi atque ſimiliter mane. Silices item calentes, inuolutoſque linteis in lixiuio quercino vel vino madefactis, vtriuſque axillæ ſinui & pedum plantis applicari, brachiis in thoracem remiſſis, tibiiſque ſibi mutuo incumbentibus, iubeo: atque ea ratione è corpore diligenter tecto promptius ſeroſa recrementa eliciuntur, vel potius extorquentur. Alius horum exprimendorum modus mire vtilis & certior exiſtit, ſi cupa idonea prius igne vaſi impoſito incaleſcat, tecta lodice aut panno denſo vel operculo ob tumidum corpus commodo. In hac, ſuper ſedecula inſideat æger, thorace & collo ita munito, ne quid vaporis exhalet: deinde ſequens decoctum in cacabo vel vaſculo aptiore feruidum intra tibias collocetur, in quod ſubinde igniti ſilices immittentur, vt nouus copioſiorque denuo excitetur halitus, qui ſemper in ventre tumido quam fieri poteſt calidiſſime excipiatur: ne tamen primi ſemper feruoris violentia vrat, cauendum ſedulo. Quo autem conſtantius diutiuſque hoc ſudoris effluuium tolerauerit ægrotus, eo ſuæ valetudini conſulet rectius. Poſtea hic linteo calido coopertus, in contiguum lectum calentem deponetur, ne præpediatur ſudoris fluxus. Interim quod roboret, vel vires reficiat, ſiue ſit conſerua, ſeu Zingiber Indicum conditum, vel confectio in rotulis, aut aqua cinnamomi, vel aromaticum vinum, exhibeatur. Decocti iam dicti materia eſto: radices & folia ſambuci atque ebuli, raphanus, abſynthium, pulegium, ruta, abrotanum, marrubium, hedera, roriſmarinus, maiorana, origanum, ſaluia, calamentum, lauri folia, thymus, hyſſopus, centaurium minus, naſtyrtii ſpecies, baccæ iuniperi, anethum, chamæmelum:

quæ

quæ admixtis ſulphure potiſſimum & ſale in lixiuio & vino, aut in lixiuio ſolo bulliant. Vel ſuffitus hic ita excitetur, ſolo acri lixiuio ex ſarmentorum cineribus vel quercinis parato. In Hypoſarca vero cum multa vtilitate etiam in ignitos lapides maxime pyrites infundi acetum obſeruaui, cuius vapor feruidus eodem modo in cupa excipitur. Vbi balneorum natura calidorum fuerit copia, licet quædam vtilia ſunt, velut ſalſum, nitroſum, atque etiam aluminoſum: ſulphureum tamen præferendum. Iuuabit etiam ſudoris expulſionem ſi dictarum herbarum & radicum pars in iiſdem liquoribus ferueat, additis ariſtolochia rotunda, baccis lauri, iuniperi, radice iridis: atque immerſis in decocto ampliſſimis ſpongiis, vel pluribus ſimul conſutis & expreſſis, aut panno denſo duplicato ſimiliter imbuto extortoque, aliquoties calidiſſime & diutiſſime foueatur fatigeturque totus venter, demta hepatis regione. Inde adhiberi queunt partim liquores & olea ante dicta, partim etiam alia, item vnguenta, emplaſtra & cataplaſmata: cuiuſmodi ſunt, oleum iuniperinum, irinum, è lateribus: vnguenta, Martiatum, Agrippæ, Aragonis: emplaſtrum ſemel dictum de baccis lauri: cataplaſmata ex farina fabacea, lupinorum, ſtercoribus caprinis, columbinis, vaccinis recentibus & calidis, caricis, baccis lauri, ariſtolochia rotunda, ſtaphide agria, pyrethro, cardamomo, radice iridis & ſulphure adornata. Vel ſi poſt inunctionem gratiores fuerint ſacculi ex lino raro, tenui, trito, & materia bis ſeorſum enarrata compoſiti: deinde ſcripti proxime decocti, vel lixiuii, aut vini halitu (vt dixi) irrigati, calefactique, non debent non eſſe admodum vtiles. Tumores inſuper tibiarum diſcutit pulmentum ex medulla panis, cum muria aut lixiuio coctum: admixto poſtea oleo irino, ſiue alio ſimili.

Porro quia extremi morbi extrema plerunque remedia poſtulant: quæ hic quoque in actionibus chirurgicis obſeruaſſe me memini, colophonis vice ſubiungam. Præter communem vero aquæ extractionem in Aſcite, paracēteſi vel pertuſione ad muſculum obliquum aſcendentem, eam feliciter, quanquam rariſſime, educi per vmbilicum vidi: natura hic detrahendum commonſtrante, ob ſingularem & nobilem vmbilici tumorem. Curæ autem cum primis ſit, vt exiguo admodum foramine is aperiatur, ne profluuium cōfertim ſubſequatur copioſum nimis: quotidie enim circiter libras duas effluxiſſe ſatis eſt, quare illud tenaci emplaſtro mox occludendum erit, ne ex præcipiti & nimia humoris ſimul & ſpiritus effuſione, effluat quoque vita. Vbi etiam remoratur, ſubſiſtit, impediturque intus liquor ſeroſus, ſiphone leuiter altiuſque immiſſo facile fluet. Cæterum toto huius curationis tempore, quanto poteris ſtudio, viſcerum robori conſulendum medicamentis victu delecto, & condituris analepticis. Ea enim niſi reſtaurentur, quacunque ſymtomatum ablatione operam ludes: rarus ſiquidem eiuſmodi curationum eſt ſucceſſus felix, etiamſi nulla in re deliqueris, quod eæ nec admittantur nec tenentur, niſi quando extreme deſperatum eſt. Suum hic meretur locum elegans Hippocratis ſententia; Vbi, inquit, æger ex iis quæ aquam purgant non leuior fiat, inurendæ ſunt cruſtæ quam tenuiſſimæ, & quam maxime in ſuperficie, quo aquam continere poſſis circumcirca vmbilicum, & vna in vmbilico, & emittere ſingulis diebus. Cum enim morbus ſit periculoſiſſimus, in his periclitari oportet. Si enim ſucceſſerit, ſanum facies: ſin minus, quod etiam alias futurum erat, idipſum perpetitur.

Felicem præterea curationem in aquæ cutem ſubeuntis eductione non ſemel vidi, maxime in hypoſarca, vbi ſuper vtroque pede tumido inſtar inciſæ venæ, vel paulo altius, fiſſuræ ſcalpello vel lanceola infligerentur. Enimuero die noctuque ex iis vulnuſculis ingens aquæ copia, citra virium læſionem, indeſinenter extillat, quod parum ſimul ſpiritus pereat, verum ex continuo ſalſi humoris ad exigua vulnuſcula decubitu quandoque ſuboritur eryſipelas: quo tamen victo, rurſus nonnunquam eodem modo idem pedum tumor finditur. Proinde non immerito omnibus prædictis efficacius auxilium in Anaſarca, vel Hypoſarca, ſiue Sarcite, aut Leucophlegmatia chirurgiam præſtare, aſſerit Aſclepiades. Fiſſuras autem circa internum talum infligi vult, in loco quatuor digitorum ſpatio ſupra talum eminente, ea profunditate, qua in venæ ſectione quis vtitur. Noui qui ex inflatis tibiis aquifolia cœſis, aqua continuo emanante liberarentur. Leonides etiam alias corporis partes ſcalpello incidi vult, ſi tardius ſupra talos extillet aqua: veluti ſcrotum tumefactum, pudenda, femora, vulnuſculis ſolum lancinat, eaque ſale confricat: cuius ſubſidium hic poſtea oſtendit vſus. Scrotum in eiuſmodi caſu quandoque ſubtus ac vulnuſculis duobus factis pertunditur, filoque ſimul traiecto & relicto, ſtillat ſedulo hic humor. Refert Antonius Beniuenius mulierem hydropicam ex alto loco in terram decidiſſe caſu, cum nulla vitæ ſpes ſupereſſet, vteroque ad lapidem eliſo & diſiecto, omnem effluxiſſe aquam, & pauco poſt tempore idoneis præſidiis fuiſſe valetudini priſtinæ reſtitutam. Siccantem, calefacientem, & facilis concoctionis victum eſſe oportet. Alii vſus eſto frequēs, maxime tenuioris fortunæ hominibus. *Wierus libr. obſeruationum.*

Observatio.

Curatorum Hydropicorum atteſtationes & Hiſtoria memorabiles.

HOc Regimine curaui quendam in ætate perfecta conſiſtentem, dādo ei in potu ſemel in quatriduo de aqua cuculæ recentis rot. I. cum drach. decem Zucari elhaſar, & dādo ei interim de croci berberis, Laccæ & Ari, & emplaſtrando epar cum glutinatiuis, & faciendo eum vti exercitio & pauco potu vini. Quod niſi inueneris cuculæ recentis, vtendum eſt cucule ſumto cum fumoterræ, & modico foliorum laureolæ. *Raſis 7. continent. c. 2. p.* 158. facie auerſa.

Curaui quendam ſenem, in quo erat aqua, de qua nunquam cogitaui quod aliquo modo cōualeret, in quo non erat caliditas: & dando ei de laureola in potu ceſſauit inde per dies, deinde reuertendo dedi ſibi de laureola ſecunda vice & conualuit, ſed loculus teſticulorū eius ita repletus erat aqua, vltra quam exiſtimari poterat. *Idem lib. & cap. ſupra dicto pag.* 159. facie auerſa.

Vidi hydropicum Aſciticum quadragenarium curatum ſolum cum hoc Regimine. De mane comedebat ſolum Alaudas (alii Alacedas) quoties inuenire poterat, quas exuentratas replebat petroſelino mi-

nutim inciſo, & decoquebat eas elixando vel aſſan-
do,& comedebat eas ſine pane. Et in fine comeſtio-
nis accipiebat vncias duas panis biſcocti. Et cum
non poterat habere alaudas,ſumebat alias auiculas,
ſimiliter cum petroſelino,& bibebat in fine cibatio-
nis medium cyathum vini albi ſubtilis & potentis,&
poſtea tota die ſtabat ſine potu, colluendo os & gar-
gariſando cum vino parum limphato. Et de ſero co-
medebat quartam partem vnius panis communis à
corticibus mundi calefacti & infuſi in vino malua-
ſiæ vel alio ſimili, & vnicuique bolo panis ſupera-
ſpergebat abundanter de puluere qui ſic fit. Recipe
Cinamomi electi vnciam ſemis, Caryoph. Galangæ,
Macis, Aniſi, Amomi, lancellotæ ana drach. ſemis.
Poſtea tota nocte ſtabat ſine potu, donec de mane
in aurora bibebat de ſyrupo, quem ex authoris libro
petes. *Nic. Nicol. ſerm. 5. tract. 5 cap. 25.*

Curaui duas hydropicas à cauſa frigida cum tuſſi
quarum ventres magnificati erant,& crura,& coxæ:
Exhibui autem eis in potu omni die in ieiunio vnci-
as quatuor aquæ praſſij, & drach. duas eiuſdem a-
quæ de ſero ante cœnam per duas horas: & purgaui
eas de quarto in quartum diem, vel per amplius tē-
pus cum ſucco ireos, & ſanatæ ſunt perfecte in ſatis
breui tempore. *Idem loco quo ſupra.*

Vtantur Aſcitici ſyr. meo, quo curaui nepotem
Abbatis Clareuallenſis. ℞. ſucci ſcariolæ lib. 2. ſucci
apii, ſucci petroſelini ana lib. ij. Eſulæ in tali propor-
tione quod in lib. 1. ſyrupi decocti, non dico crudi, ſit
vncia vna eſulæ. Eſula in prædictis ſuccis bulliat. Ad-
ditis maſticæ, ſe. apii & fœniculi, coletur. Colaturæ
addatur Zucca. in fine decoctionis addatur Rha-
barbarum, detur in mane in aqua decoct. ſem. fœni-
culi & maſticis bis vel ter in hebdomada, ſecundum
vires patientis, quia aliquantulum laxat. *Platearius
pract. c. 3. de ægritud. hepatis.*

Ego Ioan. Matth. ex Ferrariis de Gradi Mediola-
nenſ. Cum eſſem ad curam Illuſtriſſimi quondam
Ducis Mediolani Quarti Franciſci Sfortiæ hydropi-
ci, & fuiſſet diſputatum inter Medicos tunc Duca-
les, de ſibi exhibendo Electuario Meſ. de Mezereon,
&c. Laudaui ſtandum eſſe in Medicinis ſatis com-
munibus, vt ſunt trochiſci de Rhabarbaro cum qui-
bus dando drach. ij. pro vice bis in hebdomada, qua-
ſi fuit tota cura in illo inuictiſſimo & excellentiſſi-
mo Principe. *Autor comment. ad cap. 9. lib. 9. Raſis ad Al-
mans.*

Plateatius narrat quod quædam Vetula coxit in
olla ſuccum plantaginis ad medietatem,& dedit hy-
dropico de cauſa calida ad bibendum quotidie, &
ſic curatus fuit. *Guil. Varignana tract. 12. cap. 4. in Ad-
didit.*

Ego mirabilem in hoc caſu experientiam habui,
& eſt vt tollatur bufo ſylueſtris quæ in nemoribus
inuenitur, & ſcindatur totus per ventrem. & ſuper
renes ligetur, educit enim mirabiliter aquoſitatem
per vias vrinæ: & cum volumus amplius ipſum edu-
cere renouamus, & hoc multoties ſum expertus. I-
dem *Varignana, loco quo ſupra.* Idem confirmat *Wie-
rus memorabili hiſtoria venefica ab Echtio nobili Medico
accepta, & paulo ante exhibita.*

Curauimus quendam aſciticum, qui vocabatur
Azo de Guidis bonis de ciuitate Parmæ, ſolum cum
trochiſco qui ſic fit, ex continuo vſu diacurcumæ
maioris. ℞. turbith. drach. vnam, Zinziberis, Zuccari
ana ſcrup. duos, ſcammoneæ electę grana ordei duo
terantur & incorporentur cum vino: hunc trochiſ-
cum recipiebat ſemel in hebdomada in matutinis,
& aſſellabat quater vel quinquies omni die, ante
prandium & cœnam ſumebat ad modum nucis de
diacurcuma, & poſt illud bibebat aliquid optimi vi-
ni albi ordoriferi: & ſic cum emplaſtris dictis ſuperi-
us & diæta bona liberatus fuit per curam noſtram
perfecte intra ſex menſes, & vixit in bona ſanitate
longo tempore: & erat eius ætas tempore infirmita-
tis plus annis LX. Erat in infirmitate ſua ſatis bonæ
virtutis: & eius appetitus ſatis bonus, & erat abſque
febre, & abſque fluxu ventris, ſed eius venter & te-
ſticuli erant immenſæ inflationis, & eius vrina erat
bene rubea,& ſemper bonæ quantitatis. Diæta eius
fuit talis, multum ſitiebat, & tunc abluebat os ſuum
& gargarizabat acetum mediæ fortitudinis, & ali-
quando miſcebat cum illo aceto de vino, aliquando
non. *Guil. Placent. pract. cap.* 120.

Aſciticam Aquenſibus aquis balneari iuſſi, hæc
etiam mane pintam vnam illius aquæ bibebat, &
die alia in veſperis ſolum balneum intrabat: aliquā-
do tres aquæ pintas mane bibebat, & per dies 40.
hoc continuans, & ſe interdum balneando, liberata
eſt. *Guainerius lib. de baln. aquenſib. cap. 3.*

Dixit Albertus, quod quidam hydropicus deſpe-
ratus curatus fuit ſolum cum vino de Maluaſia, i-
pſum continuo bibendo,& in ipſo carnes, & ſua ci-
baria decoquendo. *Nicolaus ſerm. 5. tract. 5. c. 25.*

Medicamentum bene paratum ex cantharidibus,
in maxima hydrope, tam Aſcite, quam Anaſarca, ex
Galeno, purgat per vrinam valenter aquoſum hu-
morem, ſed iis non vtendum, niſi alia non contule-
rint. Valeſcus tamen de Taranta, vir doctiſſ. & ma-
gnæ experientiæ, hoc medicamento multos labo-
rantes & Anaſarca & Aſcite reſtituit. Caſtigantur
Cantharides abſciſſis capitibus & pedibus, non alis,
(vt quidam male docent, contra Hippocratem &
Plinium, & veritatem) Accipe ergo vnam canthari-
dem abſque capite & pedibus, quatuor ſeminū fri-
gidorum maiorum mundatorum ana vnciam ſemis,
ſacchari candi violati vncias duas, gummi ceraſi, aut
dragacanthi drach. ſex, miſce & fiat ad modum pul-
ueris. Doſis eſt, vncia vna ſummo mane: ſed defen-
de veſicam admouendo ei lac caprinum, vel oleum
roſatum tepidum. *Michael Ioan. Paſchalius c. 44. libr. 1.
methodi curandi.*

Cum ex diuturna febre, & malo quoque regimi-
ne tam diætatiuo, quam medicinali, in aquam inter-
cutem deueniſſes,& hoc ex maxima iecinoris imbe-
cillitate, ita vt non tantum venter inferior, ex mul-
titudine materiæ aquoſæ (cum qua & ventris pluri-
mus erat) verumetiam & vniuerſum corpus intu-
muerat: videlicet crura, brachia, caput, facies ſcili-
cet,& pectorales partes: ita vt in tumorem omnia
membra eleuata ſint, ex quo neque deambulare, ne-
que pedibus conſiſtere, neque in lectulo iacere po-
teras, ſed ſedens tantum, & ille ſitus non ſine maxi-
mo incommodo erat, quoniam nec dormire, nec
ſpirare, nec comedere, aut alia facere ſine maxima
anguſtia permittebantur,& ad illum vltimum Chri-
ſtiani hominis remedium deueneras, vt poſt aſſum-
tam Euchariſtiam extremam etiam vnctionem ha-
bere volueras. Vnde etſi plures ſeniores Medici ad-
eſſent, ego accerſitus videns omnes, tam medicos,
quam

quam affines, … ſpe aliqua ſalutis eſſe, iuſſi in primis vt cutis crurum & … ſcarificaretur, non ſolum in tibiis … cum ſagitella ſca- in partibus coxarum, ſcarificatione tame… verum & parua, ita vt cutis prior illa perforaretur ſola, ex quo factum fuit, vt tota illa materia aquoſa, quæ in ventre inferiore, & ambitu totius corporis erat, ſenſim egreſſa ſit, & hoc ſpacio diei naturalis, ſicque viſus es è manu mortis euaſiſſe, cum maxima omnium Medicorum illorum, & cæterorum adſtantium admiratione, & ſtupore, ita vt me hominem à mortuis ſuſcitaſſe dicerent, cum paucis poſt horis tu, qui nec loqui, nec comedere, vel aliqua alia operatione naturali vti poteras, expedite loqui cœpiſti, & cibum petiiſti, quo ingeſto, in lectulo te decumbens collocare voluiſti, & dormire cœpiſti, poſt ſomnum deambulare potuiſti, quæ omnia certe ſunt digna vt literis mandentur, vt ſciant homines quantum ingenia medicinalia, in morbis etiam ſine ſpe, aliquando poſſint & valeant. *Nicol. Maſſa epiſt. 21. Tom. 1. ad Ioan. Mariam Arquæ Policinii*, ex qua Apotherapian quoque huc refer.

Scio Auguſtinum Tornarum, virum nobilem, aliquando curatũ ab hydrope, ſolo potu decoctionis radicum geniſtæ, vel aqua deſtillata ex illa, ſumebatque eam ante cibũ, cum cibo, & poſt cibũ, & ſanatus eſt perfecte. Morbi n. validi nõ curantur caſſia nigra aut rhabarbari exigua ſumtione in quindecim dieb⁹ ſemel. Vt n. temerarii medici eſt in morbis tutis validioribus vti præſidiis, atq; periculoſis; ita imperitiſſimi eſt, quos alia via ſanare poſſe non ſperamus, non audere quod præceptum Galeni eſt decimo artis curatiuæ, dum de tabificis loquitur: & dictum Hipp. Extremis morbis extrema exquiſite remedia optima ſunt, intelligitur non ſolum de morbis extremis in magnitudine, ſed in genere, cuiuſmodi eſt hydrops. *Cardanus in conſilio pro difficultate ſpirandi pag. 566.*

Vidi Venetiis religioſum quendam ordinis Prædicatorii, in Hoſpitali Sancti Ioannis & Pauli, hydropicum ex aſcite & tympanite, qui fuit curatus. Adfuerunt mecum excellentiſſimi Medici plurimi, ſcilicet Papienſis, Eugubinus, Trincauella, & alij: habebat is, vt dixi, aſcitem cum tympanite, & tabem cum febre hectica: oportebat tum exiccare & humectare: quare eramus in maxima diſcordia. Ego volebam vt multum biberet, ſed quæ apperirent, quia haberet plurimas obſtructiones. Præterea vt humectaretur, quia ad tabem peruenerat. Ordinabam ego ſyrupum acetoſum, cum omnib. quæ prouocant vrinam. Eugubinus nolebat quicquam eſſe bibendum, & narrabat de quodam hiſtoriam, qui per ſicca fuit curatus. Papienſis, vt litem dirimeret, concluſit neq; liberaliter, neq; omnino nihil eſſe bibendum. Res extrahebatur vſq; ad noctem, deducebant nobiles vnumquemq; Medicum ad ſuam cimbam. Ibi cum Papienſis, quod antea diſſimulauerat, conuerſus ad magnificum quendam, dixit, ſi vultis curare hunc Dominum, profecto non aliud erit faciẽdum, quam quod conſuluit Baptiſta Montanus. *Io. Bapt. Montan. conſil. 263. Edit. Baſil. Anni 1583.*

Pilularum noſtrarum ſæpius experientiam habuimus, & citra noxam pluries ſingulis ſeptem vel decem diebus exhiberi poterunt; mirabiliter enim ſeroſos purgant humores citra aliquod nocumentum notatu dignum. Conficiuntur autem hoc modo. Recipe foliorum plantæ, quam communiter ſeplaſiarij mezereon appellant, & proprie eius quam nuncupat Dioſcorides chamælæam vnc. ij. vel iij. infundantur per viginti quatuor horas in ſufficiẽte quantitate aceti vini albi, in quo prius mala cydonia fuerint … prius parato decocto, in vmbra exiccentur, & iterum in eodem aceto vini albi præ… ibus & acetoſis, vt ſupra, ac exſiccentur: contundantur, … adiice hieræ picræ ſimplicis tantundem, & cum ſucco radicis iridis fiant paſtilli, & ſeruentur: quorum doſis eſt drach. j. vel ſcrup. ij. pro qualibet vice. Interim vero drach. ſemis, agarici trochiſcati, aut rhabarbari vigorati, & tantundem trochiſcorum ex myrobalanis chebulis adiicere poteris, eiſdem nanque catapotiis (Deum teſtor) me nonnullos hac ſpecie aquæ inter cutem laborantes ſæpius, per interualla eis exhibitis, perfecte curaſſe. Nec etiam parum conferunt pro curatione aliarum aquæ inter cutem ſpecierum, vbi eadem purgatione indigeant, quemadmodum hoc in anno 1557. obſeruauimus, in illuſtriſſimo Petro Antonio Sanſeuerino Beſignani Principe, qui cum aſcite ſimulatque anaſarca laboraret, adeo vt ferè à cunctis pro deplorato haberetur, vbi ter aut quater dicta catapotia per interualla deuorauit liber euaſit, teſtes ſunt nonnulli cum Medici, tum magnates, qui ipſum aqua inter cutem laborantem ac demum ab ea ſolutum & liberatum inſpexerunt, quanquam non exiguam etiam huic opem tulerit ſudatorium Trituli hodie vocatum. *Donat. Anton. ab Altomari de Medend. Human. corp. malis cap. 91.*

Frictiones vtiliſſimæ ſunt leucophlegmatia laborantibus, ſi fiunt cum oleo irino & ſale, aut oleo laurino, aut anethino, cum pauco aceto & ſale, aut ſulphure tenuiſſime trito: hæc frictio vniuerſo corpori adhibetur, & ventri. Simili frictione & validis exercitationib. vti præcepi ſub æſtiuo ſole, in calida arena Adoleſcenti, quem ex magna leucophlegmatia ad ſanitatem reſtitui, quinq; dierum ſpatio, prebe iam purgato corpore. Is ſane ſe ſoli æſtiuo exponebat, tecto capite, quatuor horarum ſpatio, iuxta meridiem, quas frictione & exercitatione inſumebat. Frictio autem cum oleo irino & ſale fiebat.

Fœminis crura ſcarificare præcepimus, cui nullum auxilium conferetur. Hydropicis talos ſcarificare *Gal.* ex Archigene præcipit *lib. 9. compoſ. med.* per locos: & *Celſus idem lib. 3. c. 21.* Hoc remedio malum corporis habitum ſæpius curauimus. *Chriſtoph. à Vega art. med. lib. 3. ſect. 8. cap. 13.*

Aſciticos quoſdam paracenteſi, hoc eſt, punctura ventris in quinq; partibus facta, non penetrante, ſanaſſe: eis partibus purgata aqua. *Idem cap. 11.*

Tympanitẽ vidimus à calida iecoris intemperie natum, quem refrigerantib. curauimus: iecori ſuperponentes ſuccum endiuiæ & cichorii cum pauco aceto, & vnguento roſato linientes, ſuperponimus aquam inſtillatitiam endiuiæ cum aceto, & cichoriũ edendum damus, atq; endiuiam. *Idem cap. 12.*

Quidam Medicus doctus & ſenex curauit pilulis Mezereon Sacerdotem quendam ſenem tympanite laborantem.

Syrupus ex decocto radicis cucumeris agreſtis eſt efficax in curatione hydropis & Aſcitæ. Et Eruditiſſimus Doctor meus Iacob. de Leon. Compluti

Archi-

Architriclinum illuſtris Comitis de Salinas, hydro-
picum confirmatum curauit. ℞.rad.cucumeris ſyl-
ueſt.vnc. quatuor, decoquatur in lib. 2. aquæ ad di-
midium, deinde accipe mellis lib. 2. aquæ lib. 8. bul-
liant per ſe ad dimidii vſq; conſumtionem, cui vas
colato adde libram vnam decocti radicis, addendo
ſylueſtris percolati quo... vnciam vnam. Doſis
in fine pul... cochlearium vnum.

...uæ per vrinam clementer purgant & corrobo-
rant iecur, ſunt diacurcuma, dialacca, & trochiſci de Rhabarbaro, hi enim obtinent principatum in hoc morbo. Quibus curatus fuit Excellentiſſ. Dux Mediolanenſis Franciſcus. Doſis à drach. vna ad drachmas duas. Propter illorum amaritudinem fiant Pilulæ cum aqua abſynthii. Iiſdem trochiſcis curaui ego Magnificam vxorem, Magnifici Franciſci Marci, quæ laborauit principio Aſcite cum febre ferme habitudinali: Cui dedit præter hos trochiſcos multis diebus lac Aſinæ quæ paſceretur herbis diureticis: Lac enim non nocet hydropi, vt multis grauiſſimis medicis placet, præſertim ſi ab ea animante emulgeatur, quæ paſcatur herbis diureticis: ideoque à quibuſdam laudatur lac caprarum arabicarum propter paſtum.

Cauteria multa ventri ſæpe admota non profunda purgant hanc materiam. Et his curauit quidam Agarenus duos Valentinos nobiles. Idem præſtant cauteria tibiis infixa, vt per ea materia vacuetur, quia illarum vlcera in hydrope difficulter tollantur. *Ioan. Mich. Paſchalius lib.1.c 44. meth. curandi.*

Noui mulierem quæ curata eſt cauterio impreſſo pedi, egreſſa per cutem aqua. Sed propter appoſitionis diuturnitatem ipſa diuturno vlcere afflicta fuit. *Caſpar. Hoffmannus, lib.2. conſil. 30. per Laurent. Scholziũ publ.*

Antonius Martinus Aſcite laborans, ingenti ventris tumore adeo grauis, vt progredi non poſſet, inſtitisque ventrem præ grauitate attollere cogeretur, exanguis, attenuatus, vt plane moribundus in horas ſperaretur: vſu ligni ſancti & braſſicæ marinæ, præter omnium ſpem integre ſanatur, viuitque nunc incolumis, ac probe valens. *Valleriola libr. 2. obſeruat. 5.*

Fiunt linimenta & epithemata, quæ aquas mirum in modum pellunt, ex chamælea, thymelea, laureola, cucum. agreſti, apio, aſaro, cicadis, canthariḋ. & aliis. Imponuntur autem vmbilico, regioni veſicæ, renum, & perinæi, vt eorum vis ad meatus vrinarios citius perueniat, quibus vacuatis, ſeroſus humor attrahitur, fuga vacui, qui in venis erat reliquus. At iſtud à me præclare expertum eſt in admirabili affectu cuiuſdam, qui, cum ſe aliquando multa ingurgitaſſet aqua, ſic toto corpore intumuerat, vt non procul abeſſet à ſuffocationis periculo. Ipſe vero in ea opinione erat, vt crederet inutilem eſſe medicamentorum vſum, ſed tandem coactus eſt fateri eorum vires. Paraui enim linimentum ex aliquot ſuccis, mihi miſſis ex Gallia Narbonenſi, quo admoto cœpit vrinam reddere poſt ſex horas, & tantam copiam vno atque altero die reddidit, quantam capere vix potuerunt ſex magnæ matulæ, ſic ℞. ſucci thymeleæ, chameleæ, cyclaminis & braſſicæ marinæ ana vnc. duas, aſari, ſpicænardi, ſchoenant. ſeminis apii, petros, ruthæ, agni ana drach. vnam, farinæ lupin. &

cicer. rub. ana vnciam vnam ſemis, in...rp. ſimul
cum cera, fiat linimentum ... ...ugatur vmbilicus
regio veſicæ & pe... ...ondeletius cap. 36. lib. 3. de cu-
randis...

...ynthium Ponticum efficacem vim obtinet ad aquam inter cutem, vt mihi iam ſæpius experimento compertum eſt. Equidem quoſdam noui hydropicos quaſi deploratos, qui ex longo eſu comarum eius quæ ſaccharo aſſeruatæ fuerant, ſanitati reſtituti ſunt. Parandi ratio hæc eſt, ſumito comarum recentium Abſynthii Pontici libram vnam, ſacchari albiſſimi libras tres. Comas illas tundito in mortareo lapideo, deinde, eis optime tuſis, ſaccharum in puluerem tritum adiicito, rurſus omnia ſimul tantiſper tundito, donec in vnum corpus redigantur, mox ad vſum recondito. Ex abſynthio ita ſaccharato ſemiuncia quotidie aſſumitur, tribus horis ante cœnam. *Matthiolus com. ad c.24. lib.3. Dioſc.*

Lixiuium ex vino albo, & iuniperino cinere paratum, quatuor aut quinque vnciarum pondere potum, valentiſſime vrinam pellit, ita vt nonnullos viderim hydropicos hoc tantum auxilio ſanatos. *Idem com. ad c.87. lib.1. Dioſc.*

Curaui & perſanaui aliquando pauperem Aſciticum, incredibili ventris, pudendorum, ac pedum tumore deformatum, alterna ſucci iridis & abſynthii exhibitione, pedum ſcarificatione, & ſudorem prolicientibus balneis: præter meam atque aliorum expectationem. De Tympanite nihil admodum experientia confiſus dicere poſſum: vt qui duos duntaxat hac ſpecie hydropis affectos viderim: quorum alter (ſcil. eruditione & virtute præſtantiſſ. Imperii Comes à Reinſtein) percuratus eſt; alter Belga ſenex, diem ſuum obiit. Aſciticos plurimos Deus, ſeruitio meo vtens, ſanauit. Pauciores Anaſarca laborantes occurrerunt. *Eraſtus part.4. diſputat. aduerſ. Paracelſum.*

Lathyridis ſeminibus, ab Aſcite Magnificum Iulium Bojardum Scandiani Comitem, optimæ indolis iuuenem, liberaui. *Braſauolus in examine Simplicium.*

Si recens erit hydrops, & iuuenis adhuc ægrotus, & integris viſceribus; poterit iſthanc aquarum copiam in vapores etiamque ſudores fontis Puccenſis & Spadenſis potio diſſoluere & diſſipare. Cuidam iuueni bene nato vidimus hoc anno 1584. hinc tam fauſte & feliciter contigiſſe, vt perfectam ipſe curationem receperit, vt ex confirmato eo hydrope magis etiam in dies conualeſcat. Quod & communi omnium ſermone longe prius ad nos quidem de aliis perferebatur; nunc vero eiuſce teſtes oculati ſumus. Hoc ipſum ſymtoma in paroxyſmo tertianæ febris, ex potu liberaliore & nimio eueniſſe, ipſi nuper inquam vidimus, & ſæpenumero alias poſt annos viginti antea obſeruauimus. *Cordæus com.5. ad lib.1. Hipp. de muliebr.*

Gallum quendam nobilem Hydrope Anaſarca laborantem, Aquis Spadenſibus curatum vidi, quod poſtea ſæpius in aliis obſeruaui. *Philippus Gæringus de Fontibus acidis pagi Spa, cap.7.*

Recitat *Auic. cap. de cura Aſcitis* hiſtoriam mulieris cuiuſdam, quam hydrops attriuit, & magnificata eſt ſuper eam: & ipſa mulier comedit quantitatem malorum granatorum tam maximam, quod eius relatio eſt incredibilis, & ſanata eſt. Ex hac hiſtoria, & ex

Auic.

Auic. ibidem affirmante, hydropem aliquando ex intemperie calida hepatis prouenire, contendunt nonnulli falſum eſſe *Gal.* dictum, affirmantis 5. *de loc. affect.* in quauis hydrope frigidam hepatis intemperiem reperiri. Conciliamus nos, ad calidam intemperiem extraneam, excedentem, conſequi calidæ naturalis temperiei deſtructionẽ: & per conſequens, rigidam intemperiem. Mulieri autem, mala granata potius ex vſu fuiſſe, ſua adſtrictione, partes vniendo, ſicque Iecinori robur conciliando, quam illius caliditatem remittendo, exiſtimamus. Non ſolum autem hydrops ad cauſas longa verborum ſerie à Galeno & Auic. enarratas conſequi ſolet, ſed & aliquando, licet rarius, ad alias ægritudines. *Marcellus Donat. hiſt. mirab. lib. 4. c. 21.*

Colonus quidam, dum in Gallia praxim exercerem, hydrope diu laborans, cum nihil opis à Medicis aliis ſentiret, me conſilii cauſa acceſſit, cui imperaui, cum non febricitaret, vt continuo allium comederet, quo factum eſt vt multum aquoſitatis per vrinam profuderit, atque ex inſperato remedio ſanus euaſit.

Sed & alia mulier hydropica, cui venter & crura in maximam molem excreuerant, cum pro deplorata haberetur, ex alterius vetulæ conſilio capiebat allii capita viridia, & contundebat, ſuccumque per pannum cum iure veruecis aut pulli vel caponis (ſi aliud ad manum non eſſet) colabat: & portabat, & breui venter tum crura detumuere, & præter opinionem curata eſt: non ſolum illa, ſed alii plurimi. Hinc & hœdos, cuniculos, capreolos, lepores elixos, cum allii, porri & cæparum decocto, more ruſticorum, Gordonius in hydrope curando commendat. *Petr. Foreſtus lib. 19. obſeru. 27.*

Ruſtica quædam mulier, in ætate conſiſtente hydropica facta, per quatuordecim dies bibit decoctũ radicum Aſari vna cum herba in vino paratum, mane & veſperi. Ac deinceps diu nihil aliud bibit, quam aquam decoctam Cardui S. Mariæ vulgo Behedistel. Tandem venter & crura ad extremum intumuerũt, vt de illa omnes actum eſſe exiſtimarent. At tum ſubito in tribus locis dextri lateris natura quæſiuit exitum, & facta eſt copioſa effluxio ſanguinis plane ichoroſi. Vnde paulatim tumor decreuit: & paulo poſt pedes quoque ſimiliter aperti ſunt, cum multo aquoſi humoris effluxu. Foramina denique relicta, foliis tuſſilaginis & iuglandis rurſum conſolidauit. Et in poſterum ſæpe vſa eſt ſudorifero balneo, cum ſtramine piſorum parato. Et ſic Dei auxilio integre conualuit. *CL. V. Ioach. Camer. de ſuis mihi communicatis obſeruationib.*

Ciuis quidam Argentoratens. omnibus fere in vrbe notus, à multis annis podagra conflictatus, tandem hydrope aſcite periculoſiſſimo correptus: nec minis, nec precibus, nec difficilis morbi periculo induci potuit, vt quicquam remediorum ad tanti mali propulſionem admitteret. Tandem vero conſilio D. D. Dydimi Obrechti, & meo quoque ſuaſu, qui tum temporis vtriuſque noſtrum opera vtebatur, inductus: cum reliqua omnia auerſaretur, inunctionem ex ſambuci ſucco; & huiuſmodi Emplaſtrum admiſit: quod accipit lactis cataputiæ drach. duas ſemis, interioris colocynthidis, ſucci tithymali ana drach. duas, ſucci cucumeris aſinini ſcrup. vnum, baccarum laureolæ noſtratis, cocci gnidii ana ſcrup. quatuor, ſucci cyclaminis ſcrup. vnum, therebintinæ vnc. vnam, ſcammoniæ puluériſatæ drach. vnam, mellis vnc. ſemis, ceræ vnc. vnam ſemis, remiſtis ex arte fiat emplaſtrum. Quibus remediis cum per aliquot ſeptimanas vſus fuiſſet, diligenter ſane, intra paucos menſes ingens illa ventris moles detumuit, ſolisque his remediis reſtitutus fuit, qui alias inter deſperatos, vel hoc quoque nomine habebatur, quod validiſſimis epilepticis conuulſionibus tortus, omnes qui tum aderamus, ſpem vitæ poſueramus. Superſtes etiam nunc, ſed podagricus, à vino, cuius olim appetentiſſimus fuerat, abſtinens: Hoc vnico incommodo miſer, quod ingeſtos cibos tantiſper continens, paulo poſt vomitu reiiciat. *De obſeruat. D. Melchioris Sebitzij liberaliſſime ad communicationem, miſſis.*

Habeo ex Montano hydropicum quendã facie, ventre, pedibus, atq; adeo toto corpore intumuiſſe, atque in ſummo fuiſſe periculo, ita vt plerique de ipſius ſalute deſperarent: is fato neſcio quo monitus, cœpit vti rhabarbaro modice primum, ex quo ſubducebatur aluus & ſeroſitas ſine moleſtia, & optime habere cœpit, is augebat pondus quotidie, ita vt à drachmis ad vncias deueniret, atq; eas deuoraret, & tandem integras libras, contigit vt euacuarentur humores noxij, corroborarentur membra, & non tantum hydrope liberatus, atq; adeo omnibus pro miraculo habitus eſt, ſed membra quoq; robuſtiora exinde facta, color totius corporis optimus, & functiones ſeu operationes corporis omnes rediere, vixit ſanus & incolumis, citra vllam infirmitatem, vſq; ad primum ſenium: multas interim congeſſit pecunias, quas cũ vidiſſet aliquando ſeruus ſiccarius, ipſi⁹ vitæ inſidiari cœpit, & eum occidere decreuit, vt tuto pecunias ſurripere poſſet: ingreſſus aliquãdo thalamum, in quo decumbebat herus, acuto gladio, quem piſtaleſum vocant, ſub veſtib. celato, vno ictu caput amputare, decreuit, quod & tentauit: ſed res parum feliciter ſucceſſit, inflixit quidem lethale vulnus, ſed prorſus interimere non potuit, proſilijt enim ex lecto, & quanquam lethale vulnus accepiſſet tanto tamen robore præditus erat, vt & ſiccarium contineret & damnaret, donec opem illi ferrent vicini, & parricidam caperent. Acceſſerunt tandem Chirurgi, qui cum viderent vulnus lethale, cœperunt deſperare de ipſius ſalute, relinquebant eum prognoſticis, putabant fore vt quarto die moreretur: cum accederent circiter diem quartum, & vulnus aperirent (quemadmodum in talibus vulnerib. lethalibus fieri ſolet à peritis Chirurgis, vt ante quartum non detegantur) reperiebant in citra vllam inflammationem, purum & bonum. Illud tamen, quia lethale prorſus erat, putabant eum ſeptimo die (qui & criticus eſt, & vulneribus magnis periculoſus, ſiquidem ad melius, vel deterius tranſmutatio fit) eſſe moriturum. Superuixit tamen ſeptimum diem, indies magis ac magis conualuit, & ad extremum vulnus ex integro coaluit, magna omnium hominum admiratione, & præter exſpectationem vixit ad vltimum vſque ſenium; tandem interrogatus, quonam pacto tantum corporis robur ſibi conciliaſſet, vt à lethalibus ægritudinibus euaſerit? reſpõdit vſu Rhabarbari. *Adolphus Occo, lib. 2. conſil. & epiſtolar. per Laur. Scholzium publicat. pag. 269.*

Animaduerſione digniſſimũ iudicauimus, quod

nos

nos in vxore Iacobi Lanii Gemmarii Waldkilchenſis, nomine Margaretha obſeruauimus. Hæc per ſuppreſſionem menſtruorum, eorumq; palyndromen, tandem hydrope, ſumma cum ſpiritus difficultate correpta, plus minus bimeſtre in ea miſeria conſumſerat. Ventum ad me, & remedium ad menſes ducendos expetitur. Nam à vetulis perſuaſa, reconualeſcentiæ ſpem omnem in menſtrua purgatione ſitam eſſe credebat. Ego vero, eum certum haberem, in diuturnis morbis menſium materiam conſumi, omnemq; operam iis tum temporis proliciendis ludi, adeoque miſeras mulierculas, quod multi tamen non animaduertunt, fruſtra tum medicamentis vexari: neglecto periculoſiſſimo hydrope, difficillimo ſymtomati, reſpirationi prope interceptæ, aſthmati haud abſimili, ſuccurrendum cenſui: à quo niſi quāprimum leuaretur, ægram de vita proxime periclitaturam: nec minus perſpectum haberem, in officinis noſtris vix quicquam extare, quod tam periculoſum circa pectus & pulmonem infarctum liberandum, præſenti auxilio iuuare poſſet, morbi violentia, nullam ad materiæ peccantis præparationē tempus cōcedente, Vitri Antimonii hyacinthini, ab induſtrio Pharmacopœo præparati, granis quinque cum Zaccharo remiſtis, bolum ſumendum decerno. Cuius vſu muliercula, Deum immortalem, materiam craſſam, nigram picis inſtar, tenacem, vomitu potiſſimū, necnon per aluum quoque, cum valida contentione reiecit. Qua propulſa, recollectis viribus, non ſine ſumma admiratione, quæ prius animam proxime agere viſa fuerat, mox liberius reſpirare incipit, conſiſtente non minus hydropico tumore. Huic quoq; profligando decoctum Vincetoxici ſumendum pręſcribo, & tumentes ex hypoſarca partes, ex Martiato, Agrippæ, Populneoque vnguentis inuicem temperatis, inungendas præcipio. Hepatisque roborandi cauſa, Confectionem Diarrhodon Abbatis in puluere iuſta doſi ſumendam impero. Quorum accurato vſu intra trium menſium ſpacium, probe ſibi reſtituta, ita conualuit, vt obſtructionibus expeditis, tumore abacto, bonaque victus lege ſanguine regenerato reuocatisque natiuis viribus, ſua ſponte menſes legitimum typum obſeruantes reſponderent. Ipſaque decem integris annis, inoffenſa poſtmodum valetudine, per præpotentis Dei gratiam, operā noſtram dirigentem, perfuncta ſit. *Schenckius.*

Ante annos viginti, quo hæc ſcribimus, Virginem veſtalem, cui Walpurgæ nomen, ad Diuæ Claræ Phanum, nondum vigeſimum annum excedentem ex ardente febre, non tam à medico negligentius curatam, quam ex febrilibus ardoribus potui intempeſtiuius indulgentem, atque ob id in Anaſarcam ceſſantem, non ſine ſingulari Dei auxilio, & opera noſtra, liberauimus. Baſis curationis, præter alia, Catapotiis hydragogis, ab Andernaco traditis, potiſſimum conſtitit. Quibus puella magna animi conſtātia, & ſedulitate, in ſingulas ſeptimanas bis plerunq; ſumtis, per vices magnam aquæ per aluum copiam profudit. Accedentibus ſpontaneis ſudoribus, robuſta naturæ vi ſuſcitatis, habitum corporis turgidum, copioſiſſimis madoribus exinanientibus. Cæteroquin curatio ipſa vſque dum ægra plene conualeſceret, vix ſemeſtri abſolui potuit. Quæ vel hodie quoque viuit, & ab annis ſupra viginti continuis nihil vnquam præterea hydropicæ diſpoſitionis experitur hactenus. *Idem Schenckius.* Hodie quidam affirmant ex aqua ſtillatitia herbæ Peti ab Inſula Florida delatæ hydropiſin mirifice curari. *Leo Suauius.* Mirifica eſt ſane Nicotianæ herbæ ad hydropem percurandum facultas; vt exempla liberatorum euidentia atteſtantur. *Schenckius, Filius.*

OBSERVATIO.

Duobus hydropicis vniuſmodi medicamentum propinatum: contrarios euentus conſecutum eſt.

SOcrui M. Henrici Fiſchbachii, Logicæ in Archiducali Academia Profeſſoris hic, anui ſexagenariæ, cui vniuerſum corpus ex hypoſarca in immenſam molem extumuerat, conioſtagma noſtrum ex cineribus vitis ſylueſtris, cum Zaccharo, & pauxillo cinnamomo, vinoque generoſo, per colum Hippocrateum, vulgo dictum, tranſmiſſum, ter bibendum dum exhibuimus. Vnde paucis diebus, per cutis poros aquoſus humor omnis extillauit, totius corporis tumore ſubſidente. Sed quod vitiatum hepar in ſenili ætate, & fœmineo ſexu, natiuo calore partim abſumto, partim frigida intemperie oppreſſo, reſiſtere non ſufficeret, licet tonoticis multis ſuffulta: medicamenta quoque, pro more gentis noſtræ, ſerius poſtulata fuiſſent: intercutaneus etiam humor ſubruffus iam effectus, certas putredinis notas præferret: ægram paucis hebdomadibus è medio ſuſtulit.

Idem remedium ſuperioribus annis, Ruſtico cuidam in Kilchzarten, vicino nobis vico, non minoris ætatis, eidem morbo obnoxio, ſed firmioribus viribus & viſceribus prædito: cui ſcrotum præterea capitis humani inſtar intumuerat, ſumendum præſcripſi. Cuius vſu intra bimeſtre conualuit. Qui tertio demum anno poſthæc me, filiæ conſulendæ cauſa, conueniens: hiſtoriam omnem, in hanc ſententiam mihi recenſuit. Vnde illud appoſite à Galeno 10. Methodi pronuntiatum legimus: Robuſtas vires omnia ferre, imbecilles etiam à minimis offendi. *Schenckius.*

MORTVI HYDROPICI.

OBSERVATIO.

Cauterium tumori pedum in hydrope ſupra genu factum, ægrum gangræna & morte affecit.

EGo vidi tumore pedum præſente & aſcendente, ſupra genu factum eſſe cauterium, indeque obortam Gangrænam, & miſerum obiiſſe. *Capiuaccius practicæ ſuæ lib. 3. pag. 684.*

OBSERVATIO.

Tympanitici mortui.

TYmpaniten cum Aſcite in plerisque conuenire, & in paucis differre, multi ſentiunt: Nam in vtraque ſubeſſe aquoſum humorem & flatum, differre autem maioris minoriſq; ratione. In Aſcite plus eſſe aquæ, minus flatuum: in Tympanite è contra plures eſſe flatus; aquæ vero quantitatem minorem. Sunt autem & qui Tympaniten in Aſciten tranſire poſſe credant: flatu videlicet inſpiſſato, ac veluti nubilo reddito. Sed ſi Tympanites fuit, quem aliquando obſeruauimus, multum ab Aſcite differens eſt:

diffi-

difficillimus quoque ac acutiſſimus morbus, citoq; interimens.

Monachus quidam multo tempore, aliquot etiam annis circa vmbilicum torſiones cum ſonitu ac ſtrepitu admodum moleſtas ſenſerat, quæ nullis remediis ſuperari vnquam potuerunt. Tandem ſubito quodam tempore venter vniuerſus in tumorem prægrandem attollitur, vrina & aluus ſupprimuntur. Enemata & potiones nihil proficiunt, omnia fruſtra, nulla ſuccedente alui expurgatione: ſic magnis doloribus confectus, vitam cum morte commutauit.

Simile & accidit coriario, cui quoque venter cito, tympani in modum diſtentus, ſonitum pulſatus dedit. Nec hic vllis remediis reſtitui potuit: aluo quoq; & vrina ſuppreſſis. *Dodonæus obſeru.38.*

De hoc morbo ſcripſit *Hippocrates aph.* 11. *lib.*4. Quibus tormina, & circa vmbilicum labores, & lumborum dolor, qui neq; à medicamento, neq; aliter ſoluitur, in aquam inter cutem ſiccam firmatur. Hydrops autem ſicca à poſterioribus Medicis, vt Galenus ait, Tympanias dicitur: quoniam ſummus venter percuſſus talem ſonitum edit, qualem tympana. Non temere autem eſt quod Hippocrates ſcribat, ἰδρύεται, hoc eſt, firmatur: volens indicare, morbum hunc nullis remediis curari poſſe. Quod nec mirum. Si etenim quæ præceſſerunt à nullo ſolui potuerint medicamento: multo magis qui ſuccedit Tympanias incurabilis ac nulli medicamento cedens exiſtet. *Idem Scholio ad c. iam citatum.*

OBSERVATIO.

Hydrops ad diutinos ventriculi dolores, nauſeam, & vomitiones conſecutus, lethalis.

TEMPVS intra quod hydrops alterutrum exitum obtinet, plerunque ſatis diuturnum eſt, & ad multos dies producitur, niſi tamen ad grauiſſimum aliquem morbum, qui prope vires diſſipauerit, ſit conſequuta, vnde priori morbo adhuc perſeuerante, exitialis qui de nouo ad ipſum acceſſit, interitum quam maxime acceleret: quod ſuperioribus annis Lugduni factum obſeruauimus in Auguſtino Bernardio Ianuenſi, viro integerrimo, qui cum per multos menſes grauiſſimos ventriculi dolores per interualla, cum nauſeis & vomitibus expertus fuiſſet, vnde admodum gracilis, & imbecillus paulatim redditus fuerat, tandem in aſcitem, tympanitemque hydropem incidit (quod nos eius affinibus ac familiaribus euenturum fore longe antea prædixeramus) vnde adauctis doloribus, vigiliis, inappetentia, ac vomitu, ſeptimo die ab hydropis manifeſto initio deceſſit, cum per duos dies ante obitum protſus corrupta, ac ſummopere fœtida euomere cœpiſſet, totumque eius corpus vna cum anhelitu adeo fœteret vt vix ab eius amantiſſimis fratibus poſſet tam inſignis fœtor ſuſtineri. *Vidus Vidius Iunior lib.*10.*c.*5.*de curat. membratim.*

OBSERVATIO.

Poſt bene longam tabitudinem ſubito hydropicus factus, moritur.

OB immoderatum vſum Aquæ Tetucianæ, (licet nobis repugnantibus) ſæpius repetitum, Iulianus Vidius, Pater noſter, in Tabem prius ventriculi, dein totius corporis fuit compulſus, ac paulo poſt vna ſimul quaſi repente factus hydropicus, diem ſuum obiit. *Idem lib.*9.*c.*2.*de curat. membr.*

OBSERVATIO.

Hydropici, aqua per vmbilicum excreta, mortui.

APud Salmaticenſes, vigente Doctore Gondiſaluo, ac Doctore Apparra, medicis Clariſ. quidam hydrope aquoſa laborabat cui aluus ſua ſponte perforata fuit ad quem accerſiti prædicti Medici, in dubium verterunt num optima eſſet pertuſio illa ſpontanea: ſpontaneam, dico, abſq; exteriori auxilio factam, & an depoſita aqua illa æger ſanus euaderet, demum aſſentientib. aliis, aliis vero contradicentib. concluſum fuit, ægrum illum intra paucos dies moriturum, vt poſtea experientia viſum fuit: quia venter malignitate materiæ occluſæ corroſus, indicabat viſcera omnia & corroſa & putrefacta eſſe, nam de pertuſione ab artifice, vel caſu facta, longe aliud eſt, qua multos liberos & ſanos fieri, non ſolum nos, ſed alii multi viderunt. *Amat. Luſitanus in Scholio ad curat.*30.*cent.*1.

Anno Domini noſtri Seruatoris 1551. In Theſſaliam, noſtræ Hollandiæ inſulam, non autem Græciæ, forte fortuna ad quendam ægrotum accitus ſum, inter cæteras tunc vrinas, quæ mihi ibidem offerebantur, vt moris eſt, quædam muliercula lotium ſuum ſecum adferens me quoque acceſſit. Erat autem vrina alba, tenuis, diaphona, ac indigeſta, ſine hypoſtaſi: quæ cruditatem, malamque ventriculi concoctionem, tum hepatis obſtructionem optime indicabat. Cum enim venter extumeſceret in maximam molem, & prominetet, non difficile erat intuenti mulierem hydrope affectam eſſe cognoſcere. Vnde percontatus ſum diu ne hoc malo laboraſſet? reſpondit iam dudum in hydropem incidiſſe, qua etiā aliquot ante annos prius laborauerat, atq; tunc cuidam medico circumforaneo, admodum perito (vt aiebat) lotium ſuum inſpiciendum tradiderat: qui referebat (poſtquam de tumore ventris audierat) arborem quendam in ventre excreſcere, quæ ventrem ita extendebat, vt nunc vix progredi poſſet, ita vt metus eſſet ne venter rumperetur, arbore ita excreſcente: interea iactabat ſe medicamentum in promtu habere, quo ipſam ab arbore liberaret. & priſtinæ ſanitati reſtitueret; atq; dedit mulierculæ potionē, pro qua Empirico perſoluit quatuor florenos. Addebat inſuper ſycophanta, ſi nec illa potione abſumta, ac ebibita curaretur, nunquā eam à quouis medico exercitato poſſe curari. cū ex hoc poculo ventris tumor nihil ſeſe remitteret, poſt aliquot deinde menſes per ſe incœpit vmbilicus intumeſcere, ac foris propendere, qui tandem ſua ſponte diſruptus eſt ob molem, atq; vmbilicum extuberantem, & tandem diſrumpentem, quæ, vmbilico aperto, puriſſima fluxit ad quatuor pluresve congios. Mulier vero eorum tempore non animaduertens occaſionem, teſte Hippocrate, præcipitem eſſe, non adhibuit Medicum peritum, atque ea de cauſa vmbilico per ſe occluſo & conſolidato, quod mirum fuit, poſt aliquot annos deinde incepit venter non aliter quam antea intumeſcere, hydrope magis iam confirmata. Cæterum cum lotium tunc ſpectarem, conſulebam vt Alcmariam veniret, vt ſic periculum faceremus, nunquid eam denuo, optimis adhibitis remediis, curare poſſemus, Sed forte ad rem attentior, quæ tamen pro vnica po-

tione Empirico ſuo prius dederat quatuor florenos, hoc noſtro conſilio ſpreto, longo tempore miſeram protraxit vitam, ac tandem, vt mihi poſtea relatum eſt, hydrope obiit.

Delfenſis alia mulier, ſimili caſu laborans, nautæ vxor, cui vmbilicus diſruptus eſt, ſed aqua per vmbilicum paulatim effluente, hæc mea induſtria, ac alterius Medici, ac duorum chirurgorum, adhibitis quoque remediis ad hepatis correctionem facientib. curata fuit, quanquam non diu poſt facta recidiua, & aqua per vmbilicum effluente, tandem & hæc obiit. *Foreſtus lib. 2. de incert. vrin. iud.*

Memini perforatum eſſe quendam Hebræum, qui ſpatio 24. horarum obiit: quia nocte ſequenti (in die enim facta eſt perforatio) effluxit copioſiſſima aqua, ita vt pauimentum conclauis aquoſitate illa permadeſceret: quod factum eſt, quia noctu patiens decubuit ſuper latus perforatum: vnde tota nocte egreſſa eſt aqua, & tandem ſequenti die ipſa anima. Quare ſi tumor eſt in liene, perforandum latus dextrum: tunc enim patientes minori moleſtia decumbunt in latus ſiniſtrum, quia non ita ſuſpenſum eſt viſcus eo decubitu, ideoq; ſi tum etiã latus ſiniſtrũ eſſet perforatum, facile noctu aqua in maxima copia egrederetur: quod non fit ſi latus dextrum eſt perforatum. Si iecoris ſit tumor, pars ſiniſtra perforanda, ob dictam rationem. Si hydrops ſit citra tumorem iecoris, vel lienis; oportet ægros interrogare, in quo latere melius & frequentius dormire ſoleant: nam eius oppoſitum erit perforandum. *Capiuaccius lib. 3. c. 19. pract.*

Habemus à *Conciliatore diff.* 199. nonnullos hydropicos, quibus per vmbilicum vel per inguina, ſponte natura aqua ſibi exitum parante, extra fluxit, obiiſſe; ſicque etiam multos, quibus per ſectionem vel exuſtionem abdomine perforato, aqua extracta fuit, cum hepatis imbecillitas reparari nequiuerit, etſi ſanatos ſe exiſtimarent, tandem tamen redeunte morbo non conualuiſſe.

Belliſæ mulieri hebreæ hydropicæ, ſumma iam macie detentæ, ex vmbilico relaxato profluxit aqua ad pondus multarũ librarum: experimento namque compertum eſt, hydropicorum aquam mire corruptam eſſe; hæc erat viridis ac lutea; & quæ poſtremo emanauit, inſtar gelatæ coaluit. Sed cum iam nutritioni inſeruientia membra ſummam imbecillitatem contraxiſſent, iterum intumeſcente ventre, periit. *Marcell. Donat. hiſt. mirab. lib. 4. cap. 21.*

Nouum, quod nobis in arte noſtra videre contigit, tale eſt, quo docemur, Medicos curationis ſcopos à natura nonnunquã, tanquam per manus, accepiſſe, interdum ẽt à brutis animantib. Nam ſi Plinio habenda fides eſt, Hippopotamus, in quadã medẽdi parte, magiſter exiſtit, phlebotomiæ vſum oſtendẽs; ibis, auis Ægyptia, clyſterum vſum docuit; vomitionem canibus nonnulli acceptam tulerunt: eam autem, quæ per paracenteſin fit, euacuationem, ſoli naturæ tribuendam hoc meo exemplo demonſtrabo. Erat igitur hic homo quinquagenario maior, qui cum ab incunabulis vſq; ἐξομφάλῳ laboraſſet, aut victus incuria, aut intemperantia, aut alio quouis modo; tandem incidit in aſcitem, quæ iam dudum corpus afflixerat: & quum miſer (vt erat re nec ſordida prorſus, nec lauta) mallet inter ærumnas ac cruciatus conſeneſcere, quam periti medici opera vti, factum eſt, vt, morbo iuſta incrementa faciente, & magis ac magis intumeſcente vtero, moleque ſua graui, nocte intempeſta nihil tale opinanti, pellicula circa prociduum illum vmbilicum, quo à teneris, vt iam antea diximus, laborauerat, diſrumperetur, atq; ilico aquei humoris copia efflueret; quæ, ne quid ſupra veritatem dicam, excedebat quatuor vulgatas illas Amſtelrodamenſibus ſitulas, quarum ſingulæ non multo minus congii menſura recipiunt. Aduocor igitur ſummo diluculo, rem circumſpicio, ſingula perquiro, video adhuc ſatis conſtare vires; iubeo igitur præparari quod viribus conſeruandis conueniat, inſtituo victus rationem congruam; atque in mandatis do, vt tantum humoris effluere ſinant, quantum vires ferre poſſint: effluxit autem, quantum coniicere licuit, vltra ſeſquicongium. Quando igitur ad quatuordecim, aut eo amplius, dies, ex præſcripto noſtro faciunt, (iam enim manu me miſerant) ſuccedunt omnia ex voto: tandem nunciat mihi chirurgus, qui ad curandam continui ſolutionem frequens illi aderat, humorem, qui iam deſtillaret, eſſe loturæ carnium ſimilem, ac neſcio quid ſanguinis commixtum habere. Ibi ego veritus ne omni ſanguificationis ſpe deſtitutus, ex Scylla in Charibdim delaberetur, atque ex vno malo plura incurreret, iuſſi omnibus modis fluxum cohibere, præparatis adhoc quæ emplaſtica vi prædita eſſent, & quæ loco, quoad fieri poſſet, cicatricem obducerent; nam alioqui, quantum ego quidem coniicere potui, periculum erat ne aut viribus prorſus deſtitueretur æger, aut in atrophiam incideret. Re ex præſcripto peracta, omnia ex ſententia ceſſerunt; nam & ſeipſo vegetior, & coloratior, & fortior in dies reddebatur homo, & concoquebat melius, & appetebat, & venter (vti par erat) detumuerat. Ille interim ad priſtinam victus rationem, tanquam canis ad vomitum, reuerſus, mirum dictu, quam ſubito in eadem, & multo grauiora mala, inciderit, nã & perpetuis cruciatibus diſtorquebatur, & ex ventris tumore adeo diſtendebatur corpus, vt breui vitam cum morte cõmutaret; vel hoc ipſo teſtificante natura, viam curationis, natura duce, frequenter demonſtrari, ni nobis ipſi eandem præcludamus, atq; inſueta nonnunquam ratione humores expurgari. *Balduinus Ronſeius epiſt. 2. ad D. Petreium Tyara.*

Referam quod obſeruaui anno 1573. in Auguſtano ciue, fabro lignario. Huic miſello & inopi, cum (neſcio cuius iuſſu) diſtento ſeroſi humoris copia ventre, acidulis vteretur, & ſolio inſidens, manifeſte iuuare ſe diceret, eoque nomine totos dies propemodum immergeretur: accidit vt poſt octauum aut decimum lotionis diem, circa meridiem, dum reliqui omnes prandent, rumperetur vmbilicus, & quæ in ventre continebatur aqua omnis affatim effunderetur in aquam balnei, quæ ſpumoſa tota inde reddebatur, vt ſpeciem aquæ multo ſapone agitato referret. Tandem clamoribus ipſius exciti famuli, extrahunt ex aqua ſemimortuum, lectulo imponunt cadauer potius ſeu ſceleton, quam viuum hominem referentem. Is tum in decimum quartum vſque diem ſuperuixit. Vnde coniectura ducor, ſi paulatim educta fuiſſet aqua, & vt decet, futurum vt reſtitueretur in integrum. *CL. V. Oſuualdus Gabelchoucrus de Obſeruat. propriis.*

Obſer.

OBSERVATIO.

Medicorum errore, & Empiricorum inſcitia, hydropici quidam mortui.

POculum hydropi. Cantharides tres, abiectis ſingularum tum capite, tum pedib. tum alis, in cyathis aquæ tribus terantur, atq; cum bibens laborauerit, calido perfundatur, vngatur prius, ieiunus bibat, & panes calidos ex oleo vel pinguedine edat. *Hipp. circa finem lib. de vict. ratione in morb. acutis.*

Quidam dictionis huius mentem haud quaquam intelligens, audax Medicus, prædictas partes à cantharidibus abiecit, deditque hydropi, cui cum à primo die abſceſſus in ſura comparuiſſet, poſt tres alios dies ſectus eſt, effuſaque copioſa aqua, curatus eſſe viſus eſt, quod pars tumoris præter naturam plurima ſtatim ad moderationem redacta ſit: verum tamen non multis poſt diebus obiit. Quam ob cauſam medico quidam crimen ingeſſit, perperam data eſſe cantharidum corpora inquiens: Nempe propinando ablatis corporibus, tum caput, tum pedes, tum alas, idque eſſe quod in dictione enunciaretur. Quare non cunctatus audax ille medicus, hydropi alteri ita propinauit, moxque facto ſimiliter in femore abſceſſu, ſectoque atque effluxo ſimiliter humore non multis poſt diebus hominem mori contigit. Quanquam vrinarum prouocatorio medicamento ex cantharidibus confecto, quidam citra bibentium incommodum vſi ſint. *Galen. comment. 122. ad lib. 4. de rat. vict. acut.*

Muliercula quædam Tympanite miſere afflicta, curam ſuam Medico familiari commendauerat. Hic flatuum diſcuſſioni duntaxat attentus, ſine alterius medicamenti prægreſſu electuarium aliquod admodum calidum adminiſtrauit. Illa paulo poſt ſentit rugitum ſolito multo maiorem, torſionesque moleſtiores, difficilius ſpirat, & ventris tumore priſtino remanente, nouus accreſcit: qui à malo punico, vbi prior terminabatur, ſe eleuans totum pectus mirabiliter diſtendebat. Tumores verò à ſeſe mediante foſſula diſtinguebantur, ego ilico accerſitus, vaticinor mortem præ foribus eſſe, ac ob id temerarium eſſe de medicamentorum vlteriori exhibitione conſilium: nec fefellit opinio, tertio enim ab eo, quo vocatus eram, die obdormiuit in domino. Porro recentis tumoris cauſam fuiſſe iudico, calfacientem & extenuantem medicamenti vim, quę nebuloſum flatum extenuando, arcto, quo prius ſtringebatur, loco minime contentũ, ampliorem capeſſere coegit. Ea autē eſt caloris vis vt craſſa tenuando efficiat liquida, hæcq; deinceps in vaporem conuertat. Quippe craſſa anguſto loco contenta, ſi ignis ardore efferueſcant, ampliorem locum capeſſere, cum in multis aliis, tum vel maxime in lacte perſpicuum eſt, cui⁹ quidem tanta quantitas, quæ mediam lebetem nec dũ adimpleat, ignis feruore extenuata, vſque adeo excreſcit intumeſcitque, vt lebetis parietibus non amplius contenta effundatur. Simile profecto quiddam in tympaniticis accidit, dum multum calfacientibus medicamentis exagitantur. Quocirca moderate calida, quæ viſcera roborando natiuum calorem exuſcitant, tum intus, tum extra adminiſtranda, conducunt. *Fienus lib. de flatib. c. 23.*

Quædam è plebe muliercula Cydone cachecticum filium, temerario auſu, demto pane, ſubiectaq; tabula, in furnum coniecerat, inuitum atque reclamantem, vicinis ad eam medelam opem ferentibus, nam in caput puerum intulerant: qui vapore, occluſo ſpiritu, protinus ſuffocatus eſt: remedium conferre indicio matri fuit, quod protinus conticuiſſet. ſtabat ante furnum læta ſudoris deſiderio, paulo poſt puerum percunctari cœpit, nunquid calor prodeſſe videretur? Cum ille nihil reſponderet, ſuadentib. vicinis, vt puerum quieſcere pateretur, ad dicacitatem rediit, paulo poſt cum puerum extraxiſſet, exanimatum vidit: furni remedium, ſuamq; & vicinarum temeritatem execrando, damnauit. *Alex. Bened. de curand. morb. lib. 15. c. 25.*

Circulator quidam Villi, cum quendam Aſcite laborantem, ex ſola arena calida, atque clybano calido, poſt panis extractionem, ſæpius repetita impoſitione, ita exiccauit, vt omnes ignari, ſanitati reſtitutum exclamarent, atque admirarentur. Circulator gloriæ tumidus, atque mercede honeſtus abiit, cumque cauſa interna, mali fomes adhuc remãſiſſet, miſer ruſticus ſtatim returgidus effectus, non multum poſt animam expirauit. Ita enim vt plurimum accidere conſueuit iis, qui ſine vllo diſcrimine ſeſe in empiricorum manus committunt curandos. *Marcellus Donat. de hiſt. mirab. lib. 4. cap. 21.*

PARACENTESIS.

OBSERVATIO.

De Paracenteſi in hydrope adminiſtranda, variæ eruditorum ſententiæ: tum qua ratione hæc inſtituenda ſit.

DE Paracenteſi variæ veterum Medicorum fuere ſententię, quas in medium adducemus & explicabimus. Qui paracenteſin improbant, pernitioſam illam eſſe tribus rationib. concludunt. Prima eſt quod aquam cõcluſam effundendo vna & ſpirituũ adeoq; facultatum naturalium, vitalium, & animaliũ diſſipationem & exolutionem facit. Altera quod hepar ſubſtrato aquæ cui ante innatabat velut fulcro pendulum dehinc pondere ſuo diaphragma, totumque thoracem deprimit, & deorſum trahit, vnde tuſſis ſicca & dyſpnœa. Tertia quod peritonæi ſubſtantia, vtpote neruoſa, haud citra periculum pungi aut incidi poteſt, nec puncta aut inciſa facile agglutinari & vniri poſſit, ob ſpermaticam naturam & exanguem. His rationibus adductus Eraſiſtratus, paracẽteſim vt exitioſam damnabat: inutilem vero & ipſam eſſe, ſequentibus rationib. ſuadebat: nempe quod aqua effuſa non vna ſecum effundit & tollit hydropis cauſam, hepatis nempe intemperiẽ & duritiem, aliorumq; viſcerum, quo fit vt nouis aquis ſuſcitatis promtus ſit in hydropem relapſus. Deinde febris, ſitis, intemperiesq; viſceris calida & ſicca, quæ cõcluſæ aquæ contactu mitigabantur, eiuſdem effuſæ abſentia exaggerantur, quæ res Auicennam Gordoniumq; mouiſſe videtur, vt hic nullos, ille admodum paucos à paracenteſi ſuperſtites fuiſſe diceret: ſed facilis omniũ eiuſmodi rationum refutatio eſt. Quod enim ad primam attinet, Galen. diſſipatorum ſpirituum & exolutarũ facultatum noxam illam in paracenteſim minus diligenter & artificioſe celebratam confert, nempe qua confertim aqua effunditur: profecto ſi illa ratio ponderis aliquid obtinet, procul à ſalutarium remediorum numero remouenda vide-

ri debebit phlebotomia, vt qua ſanguis effundatur, cuius ſunt longe puriores & tenuiores ſpiritus, quam qui per hydropicorum aquas diffuſi & permixti dicuntur. Quod vero ſecunda ratio minatur periculum, facile vitabitur ægro reſupinato, & in lecto decumbere iuſſo: ſic enim minime pendebit hepar. At quod ad tertiam rationem attinet, puerilis ille timor eſt de punctura peritonæi: nam quæ mala ad neruoſarum partium vulnera ſequuntur, ea ob partis ſenſum exquiſitum contingunt, qui in peritonæo à ſero concluſo male affecto & alterato, aut nullus, aut exiguus ſupereſſe ſolet. Cæterum ratio & experientia docent, multas partes neruoſas, etiam ipſas per ſe membranas, proculà carnea ſubſtantia ſemotas, vulnere violatas, ſanationem admittere: multo certe magis peritonæum, vt quod muſculis abdominis ita arcte adhæret, vt niſi magno conatu ipſum à carne diuellere queant diſſectores. Quæ vero ratio paracenteſeos inutilitatem arguere videtur, Celſi authoritate refellitur: non ignoro, inquit, paracenteſim Eraſiſtrato diſplicuiſſe, morbum enim hunc iecinoris putauit, ideoque ita illum eſſe ſanandum, fruſtraque aquam emitti, quæ vitiato illo ſubinde naſcatur. Sed primum non huius viſceris vnius hoc vitium eſt: deinde vt inde cœperit, tamen aqua niſi emittitur, quæ contra naturam ibi ſubſiſtit, & iecinori & cæteris interioribus partibus nocet, dum ipſarum duritiem vel auget, vel ſaltem tuetur, conuenitque corpus nihilominus eſſe curandum. Atque etſi non ſemel emiſſus humor, medicinæ tamen locum facit, quam intus incluſus impedit. Tantum vero abeſt, vt ſeroſus ille ſalſus & corruptus humor, febrem, ſitimque lenire poſſet, vt contra augeat. Sed & vna intemperiem frigidam auget, dum calorem natiuum copia obruit & extinguit. Auicennæ vero & Gordonio ſatisfaciet Cœlii Aureliani Medici nobiliſſimi, etſi methodici, authoritas: Qui (inquit) proferre audent, omnes, quibus ventre ſecto aqua emiſſa eſt, mortuos, mentiuntur. Multos enim ipſi hoc remedii genere conualuiſſe vidimus: quod ſi qui perierunt, contigit id vel tardius, vel negligentius adminiſtratæ paracenteſeos culpa. Hoc vnum, quod controuerſiarum errores omnes tollat, addam, parum prudenter de remedio ambigi cum eo neceſſitatis æger redactus, vt eo ſolo ipſi ſuccurri poſſit. Nunc, quâ ratione incidi venter debeat, aperiendũ. Si iecoris vitio hydrops contingat, ſiniſtra in parte ſectio facienda eſt: ſi vero lienis, in dextra: nam ſi in latus ſectum decumberet æger, vulneris ipſum dolor continenter affligeret, aquamq; in eum locum deuoluta, qua ſectio eſt, continenter ſtillaret, vnde facultatum exolutio. Ternum digitorum infra vmbilicum ſpatio ſectio facienda eſt, ad latus nempe rectorum muſculorum, non autem ad lineam, quam vocant albam, neq; ad reliquorum epigaſtrii muſculorum aponeuroſes, vt dolori & vnionis difficultati obuiam eatur. Curandum igitur vt æger in dextrum latus iaceat, ſi in ſiniſtro latere inciſio facienda eſt: aut in ſiniſtrum, ſi in dextro: huic chirurgus tum ſua, tum adſtantis miniſtri manu, cutem abdominis cum ſubiecto panniculo carnoſo carpet, & ſeorſum abducet: ſeorſum abductam per tranſuerſum ad ſubiectã vſque carnem ſectione diuidet: quo perfecto cutem diuiſam ſurſum, ſtomachum verſus, quam maxima poterit contentione compellet, vt cum vulnus carni ſubiectæ mox infligendum conſolidandum erit, cutis ſuo in illud relapſu ei operi inſeruiat: tum ergo vulnere non ita magno carnem muſculoſam atque peritonęum diuidet, inuiolatis omento atq; inteſtinis. In vulnus tubulum peniculi forma, ſeu fiſtulam auream aut argenteam incuruam, tubuli pennæ anſerinæ craſſitie & ſemidigiti longitudine immittet. Quæ, ne in ventris excidat capacitatem, capite erit latiore: eodemq; duob. foraminulis peruio, per quæ traiecto funiculo ea arte ad medium corp⁹ religabitur, vt dimoueri niſi chirurgi arbitrio nequeat: in fiſtulam indetur ſpongia, quę ſtillantẽ excipiat humorem: eadem detrahetur dum erit effundenda aqua: effundetur autẽ non confertim, ſed paulatim metu diſſipationis ſpirituum & facultatum exolutionis, quod cuidam hydrope laboranti contigiſſe vidi. Hic cũ ob morbi & remediorum impatientiam ipſe ſibi ventrẽ adacto ſtylo pupugiſſet, atq; aquarũ effuſione tanquam humoris adeoq; morbi leuatione mirũ in modum geſtiret, intra paucas horas interiit, cum excurrentis aquę impetus nulla arte ſiſti poſſet, quod non eſſet arte facta inciſio. Nec vero ſat erit, ea qua diximus arte, humori viam aperuiſſe, ſed & duplicatis pannis ac ligatura forti externum fiſtulæ orificiũ obturandũ & obfirmandũ veniet, ne quicquã aquæ imprudentib. vel inuitis nobis effluat. Notandũ vero eſt non ante ex ipſo vulnere extrahendã fiſtulam, q̃ quantum volumus & tumoris ratio expoſcit aquæ effluxerit: ſemel n. extracta non facile poſtea reſtitui poteſt, ac citra vim doloremq; vulneris labris aptari, quod cutis & panniculus carnoſus, ſuo in carnis ſeu muſculorum vulnus relapſu ipſum operiant. Cęterũ interim dum effundetur aqua, cibando ægro & ipſius virib. diligenter erit prouidendum: nam ſi languere illæ & debilitari videantur, ſiſtenda erit ad aliquot dies aquarum effuſio, qua tandem ex voto perfecta, ita conſolidandum erit vulnus, vt caueat chirurgus ne in fiſtulam degeneret. Alii alia ratione aquę effluxum moliuntur. Nam inciſione facta vulneris labra acu filum ducente tranſadigunt. Multum autem carnoſæ ſubſtantiæ acu comprehendunt, ne contentionis in adducendis labris impetu dilaceretur, dilaniareturque quod eſt comprehenſum. Hinc filum ipſum ſurſum deorſumque per adactæ in tranſuerſum acus ambo extrema obuoluitur, quemadmodum in roſtro leporino fieri ſolet, quo ſic arctius vulneris labra cohæreant, nec aquæ vel guttula inuito chirurgo elabi poſſit. *Pareus lib.7.c.12.*

Aqua hydropicorum diutius retenta contrahit malignitatem quandam & putreſcit, & putrefacta corrumpit partes vicinas. Hinc fit, vt iis mortuis, reperias aquam lixiuio ſimilem, omentũ putre, viſcera veluti ſyderata & καρκινώδη. Ob id recte præcipit Hippoc. vbi agitur de vſtione & ſectione hydropicorum aut ſuppuratorum, animaduertendum eſſe, vt non confertim, ſed paulatim aquam vel pus vacuemus: hoc eſt, oportet primum facere viam aperta cute ſcalpello inciſorio, vel cauterio, præſertim potentiali, quod tutius eſt, & minorem infert dolorem: deinde habendum ſcalpellum aculeatum vt fiat via anguſtior materiæ, hoc eſt, puri aut aquæ: quo peracto inducatur pus aut aqua. Sed hodie rectius fit, & tutius. Habemus enim cannulas quaſdam, quas immittimus. Hisque apertis (vt in cantharis illis ſtaneis fit) tantum educitur aquæ, quantum volu-

mus

mus. Oportet autem ſemel in die detrahere aquam, quantum vires ſuſtinere poterunt, & ita ſingulis diebus faciemus vſque ad 12. diem. Exactis 12. diebus, die 13. ſi quid videbitur reliquum, totum ſimul poterit extrahi, aut certe, ſi viribus metuis, magna pars. Poſt 15. diem, ſi quid regenerabitur, eo modo oportebit extrahere paulatim. Sed interim vti ratione vitæ quæ ſiccet reliquum, & remediis quæ ſiccent, ſimulque erunt fouendæ vires ægri. Sed ſequitur ne, peractis his omnibus, quæ ex arte ſunt, ſeruari debere ægrum? minime vero, quia oportet ſecare aut vrere, nondum confectis viribus ægri: item ſine febre: aut, ſi ex febre laboret, id faciendum eſt in intermiſſione vel remiſſione. Deinde id fiat priuſquam aqua aut pus putreſcant & viſcera corrumpant. Præterea non eſt expectanda cachexia. Si quis igitur accerſatur ad ſuppuratos & hydropicos, oportet primum ſcire an ſit vrendum, an ſecandum, nec ne. Si hydropicus iam inciderit, in cachexiam aut tabem, ſi vires ſint languidiores, ſi febris adeſt, coniuncta præſertim cachexia vel infirmis viribus: ſi præterea humor iam eſt putrefactus vt affecta ſint viſcera, nihil eſt tentandum, ſed totum Deo committendum. Fingamus iſta non adeſſe, tum ſecabimus vti diximus. Sed ante ſectionem & vſturam Hippocrates inſtituit multum lac aut alimentum aliquod boni ſucci. Quæritur an in aqua intercutẽ ſeu leucophlegmatia proprie dicta ſit ſecandum, aut vſtulandum aliis locis quam in aſcite? In aqua inter cutem ſecare oportet, aut vrere in parte interiore tibiæ 4. digitis ſupra malleolos, ſecare oportet crura: aliquando in brachio ſupra manum, &c. In aſcite vero in ventre fere ſub vmbilico recta linea ducta, aut etiam ilibus (qua præſertim parte minus eſt carnis) fere inter vmbilicum & coxam loco decliui. *Hollerius comment. ad aphor. 27. lib. 6. Hippoc.*

OBSERVATIO.

Ad Paracenteſis in hydrope adminiſtrationem mortui quidam: vel quod Euſplanchni non fuerant, vel quod aqua confertim, emiſſa fuerat.

VIdi Chirurgum, qui vidit quendam Nobilem hydropicum: &, inquit, vultis quod cum curem? cui parentes dixerunt, volumus. & ſtatim incidit ipſum ſub vmbilico, & aqua citrina ſtatim incœpit exire, & ipſe tanquam fatuus, vnam lagenam ex ipſa aqua in prima vice extraxit, & euacuatus eſt venter, & ille ait parentibus; curatus eſt hydropicus & liberatus. In ſequenti vero nocte propter ſubitam euacuationem & multam, mortuus eſt, & ſic chirurgus fuit in mortis periculo. *Arnaldus Pract. Breuiarij, lib. 2. cap. 30.*

Mulierem quandam vidimus, cum adhuc eſſemus adoleſcentes, aquam inter cutem patientem, & quæ magnam aquæ copiam geſtabat, huic ſuis blandis & vanis promiſſionibus circumforaneus quidam ardelio ſuaſerat, quod ſanaretur, ſi inciſionem pati poſſet, hæc aqualiculi pondus ferre non potens, ſecari elegit; & hicmet circumforaneus hoc onus incidendi ſuſcepit. Aderam ego, & nonnulli alii probi ſcholaſtici, hic inſolentiſſimus vir, nulla præparatione facta, mulierem aperuit, & totam aquam eduxit, imo mihi admonenti, ne ſemel totam aquam auferret, reſpondebat, tu nihil ſcis, adhuc tua labia ſapiunt lac, tu mox videbis ipſam ſanam. Quod per oppoſitum euenit, nam cum primum tota aqua exiuit, ſtatim & anima ſimul cum aqua euolauit. At circumforaneus hic mulierem mortuam videns, ſumto pallio clanculum aufugit. *Anton. Muſa Braſauolus com. ad lib. 6. aph. 27. Hipp.*

Si æger fuerit iuuenis & ſatis robuſtus, inciſione extrahatur hæc aquoſitas, non vna eductione, ſed multis, & ſenſim ad vires conſeruandas: præcedente tamen mortis præſagio, ne nobis aſcribatur. Nam præſente Sauonarola, & aliis doctiſſimis Medicis, Patauii, Ioannes Ludouicus, V.I.D. eximius, ſexagenarius, ſubita facta inciſione, in manibus Chirurgorum interiit. *Mich. Ioan. Paſchalius lib. 1. cap. 44. meth. curand.*

Si quis ab hydrope ſe ſperat ſeruatum iri ac reſtitutum, εὐσπλαγχνον εἶναι, integris eſſe viſceribus oportet, 2. *prorheticῶn.* Qui autem paulatim ſenſimque fiet, fruſtra eum quiſquam, quia inconſulto, ſecabit & præcipitem dabit in exitium. Quum ſiquidem intus ſit immedicabile vulnus, eroſio. Contigit id autem (luctuoſum ſane & miſerabile conciuibus vniuerſis) anno 1583. Nicolao Magno Doctori, viro clariſſimo & de republ. & multorum priuata homini meritiſſimo. Cum is enim hydrope iam pridem teneretur, poſterioris formæ (καῦμα nempe dextri renis hepar inficiens & adurens huic malo primordia dedit) & per diſtentionem abdominis ſummam diſcruciaretur miſerrime, ſeſe perfodi ad vmbilicum maluit & exoptauit, (namq; migrandum è viuis is præſentiebat) ne execrari & male precari fere cogeretur ipſe ſibi, per anguſtias ſcilicet & acerbitatem doloris ſæuiſſimi. *Cordæus com. 5. ad lib. 1. Hipp. de muliebr.*

Mulierem quandam Aſcite laborantem Herbipoli mea manu viuam aperui, quæ, educta paulatim magna aquæ copia, ſe plurimum ſentiebat releuatam. Sed quia morbus iam ad ſummum peruenerat, & vires erant plane proſtratæ, interiectis paucis diebus; vitam cum morte placide commutauit. Eandem igitur mortuam, à cognatis & marito rogatus, cum diſſecaſſem. Epar inueni (vt in pluribus aliis qui eodem morbi genere perierant) omnino durum & colore ſubpallido, perinde ac ſi coctum fuiſſet. Ipſa vero epatis ſubſtantia (quod admiratione dignũ videtur) interius tota erat granuloſa, granis nimirum quantitate piſorum vbiq; apparentib. *CL. V. Ioan. Poſthius de ſuis mihi tranſmiſſis, & ad vſum publicum communicatis obſeruationib.*

OBSERVATIO.

Paracenteſis in hydrope vicaria ſectio.

VIcem paracenteſis ſubiiſſe vidimus in Græcia felici experimento, nouacula cõciſa vndequaque cute, apte reſudãte humore. Si in ſcrotum aqua pariter deſcenderit, cutis compungitur, tutoq; aqua demitur. Si eas punctiones dolor ſubſequitur: oleũ anethinum & chamæmelinum apte inungitur. *Alex. Benedict. lib. 15. c. 40. de curan. morb.*

OBSERVATIO.

Noua hydropicorum per vmbilicum compunctio.

QVoniam in vmbilici mentionem incidimus, nouam, quæ per vmbilicum tuto fieri poteſt, hydropicorum compunctionem hic attexere non erit ab inſtituto alienum. Veteres Medici omnem

hydropicorum apertionem παρακέντησιν appellarunt. De ea quatuor quæri ſolent. An fieri debeat, quando, vbi, & quomodo: fieri tuto poſſe & debere, grauiſſimorum virorum authoritas & ratio perſuadent. Eam primus *Hippocrates libr.* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν, *& 7. libr. 6. Epid. & in aphoriſmis* præſcripſit. *Galenus 14. Method.* Paulus Albucaſis, & Medici fere omnes eam commendant. Authoritati adſtipulatur ratio. Cum enim medicamentis internis externisq; ſtagnantes aquæ vacuari nequeant, cur non, vt in aliis tumoribus aqueis & pituitoſis, adminiſtrabitur ſectio, præſertim cum compunctæ & vulneratæ partes omnes ignobiles ſint? Tempus apertionis aperuit eleganter *Hippocrates ſect. 7. lib. 6. Epidem.* ὑδρωπιῶντας θᾶσσον τάμνειν, φθίνοντας αὐτίκα καίειν, id eſt, hydropicos ſtatim ſecare oportet, empyicos ſtatim vrere. Illud autem αὐτίκα, id eſt, ſtatim, interpretor, aut cum *Hippocrate libr. de internis affect.* initio morbi ταῦτα δὲ (inquit) κατ' ἀρχὰς ποιέειν τοῦ νοσήματος, id eſt, in principio morbi hæc ſunt adminiſtranda: aut cum Galeno, priuſquam corrupta ſint viſcera: fruſtra enim educuntur aquæ, quæ vitiatis iam & alienatis viſceribus enaſcuntur, vnde non leuiter errant, qui in deſperatis omnibus paracenteſim aggrediuntur. Tertium erat caput de loco apertionis. Paulus ex Ægina Medicus, & quotquot ad hæc vſque tempora fuerunt Medici, hydropicos paulo infra vmbilicum ſecant, & ad latera, ob muſculorum aponeuroſes, idq; ex oppoſita parte affecti viſceris. Ego ſectionem illam approbo quidem, ſed commodius per medium vmbilicum fieri poſſe exiſtimo. Ad cuius rei illuſtrationem obſeruationes raras, & rationes non inualidas, proferam.

Vidi Monſpelii hydropicam mulierem, cui nocte intempeſta, nihil tale opinanti, ſpõte ſolutus eſt vmbilicus, & maxima ſtatim effluxit aquarum copia. Accerſor ego ſummo diluculo cum Barth. Cabrolio, chirurgo & Anatomico peritiſſimo. Vires pene exolutas reperio, ob repentinam illam & immodicam vacuationem: iubeo ſtatim refici vires. Quibus collectis, perfecte per Dei gratiam conualuit, & nunc viuit valetque ſuperſtes.

Narrauit mihi Gratianopoli Ludouicus Villanouanus, Medicus doctiſſimus, ſe ruſticum vidiſſe, ea vmbilici compunctione, perfecte ſanatum.

Secuit importunum hydropicum, meo iuſſu, per vmbilicum, Balthaſ. Garielus, Mõſpelienſis chirurg⁹ doctiſſimus, & mihi amiciſſimus. Iam totus pene detumuerat venter, vt mortis periculo defunctus videbatur, cum decimo poſt ſectionẽ die, me inſcio, librã integram ceraſorum cœpit comedere: tunc ſuperueniente alui fluxu, labefactata naturali œconomia intra biduum extinctus eſt. Tuto igitur ſectionem etiam adminiſtrari poſſe experientia teſtatur: neque etiam id diſſuadet ratio. Nam quo natura vergit (inquit ſummus dictator) eo ducere oportet: at ſępe per vmbilicum vacuationem eam molitur natura. Præterea fit citra multarum partium ſolutionem hæc vmbilici compunctio, coeunt enim circa vmbilicum vaſa quatuor vmbilicalia, quæ ſi dehiſcant, vt ſolent in hydropicis aquarum eo confluentium vi & impetu, ſola cutis ſecanda erit. Dices ibi muſculorum omnium aponeuroſes terminari, vnde periculum conuulſionis: deſinunt quidem in lineã albam muſculorum omniũ extrema, ſed hæc circa vmbilicum, aut in hiſtoria noſtra docuimus, perforata ſunt, vt vaſis vmbilicalibus aditus pateat. Quinetiam Aſcite laborantes fere omnes exomphaloſi & tumore vmbilici, quem aquarũ concurſus parit, infeſtantur: adeo vt ſi ſola cutis acuto compungatur ferro ſtatim aquarũ fiat effuſio. Mitto quod ita compuncti in alterutrum latus citra dolorẽ decũbere poſſunt. Modus autem apertionis is eſto. Tota vmbilici circumferentia filo primum traiicienda eſt, vt arctari poſſit foramen, ſi maiori impetu erumperent aquæ, deinde acuto & pungente ferro ſecanda cutis qua parte vaſa dehiſcunt: mox ænea aut argentea fiſtula in vulnus immitti debet, per quam effluere poſſit aqua. Hanc non ἐξαπίνης κενοῦν, id eſt, confertim euacuare oportet, ſed καθ' ὀλίγον, ſenſim paulatimque. Extat hac de re ſolenne ſummi dictatoris edictum *aph. 27. ſect. 6. aphoriſmor.* ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ τέμνονται ἢ καίονται ἐκρυέντος τοῦ πύου ἢ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται. Quicunque empyi & hydropici dum vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim effluant, moriuntur. Plurimum enim & repente vacuare periculoſum *aphoriſmor. 51. ſect. 2. & libr.* περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. Hydropicos, inquit, per ferrum vrito, & aquas ſenſim ac paulatim educito. *Andreas Laurent. libr. 1. q. 16. oper. anatom.*

Caſus animaduerſus, annis ab hinc 14. in torneatore Geiſſingenſe, homine induſtrio, & qui ad eam tenuitatem ligneos ſcyphos deducebat, vt vix vnciarum duarum, pondus haberent octoni. Is torno aberrans, arteriam manus, quæ iuxta carpum eſt, magno vulnere aperuit. Laboratum eſt pluribus diebus in ſiſtendo ſanguine, neq; enim erant, qui primi conſulebantur, valde periti artifices. Verum cum ex tam copioſo ſpirituoſi ſanguinis profluuio vires valde proſternerentur, ſuperuenit tandem eius loci, tum temporis adhuc iuuenis, (quo nomine etiam negligebatur) Chirurgus. Is duobus ſuper vulnus digitis ſubtus arteriam tranſmiſſa cum filo acu, conſtrictaque arteria, fluxum cohibuit, ac interim vulnus conſolidauit. Verum non multo poſt intumeſcere miſer cœpit, & aſcitico ſimilis eſſe. Habitabat tum Geiſſingæ Gabriel Zuillingius, qui Vlmens. Noſodochij medicum per plures annos egerat, & quieti ſe dederat. Is conſultus, purgante medicamento omnem propemodum ventris molem exhauſit. Verum cum irritata medicamento natura purgandi finem non faceret, adeoque non ſaburra tantum ventris, ſed & vires ægri vehementer exhaurirentur, & opem ille Medici denuo imploraret; vt pyrorum aridorum (pauperculus nanque erat) ius biberet conſuluit, vnde profluuium quidem alui ceſſauit, tumor autem, quantus antea vnquam fuerat, rediit, ita vt vmbilicus ad iuglandis quantitatem, & amplius, emineret, veſicam referens hydatida. Hinc cũm purgantibus parum proficere me viderem, naturam autem per vmbilicum molitam eſſe viam, aperiendæ illius eminentiæ, quæ erat molliſſima, author fui. Ac quamuis Chirurgus illi negotio deſtinatus, præter conſilium meum, ad tres propemodum menſuras aquæ prima die emiſiſſet, ſequenti iterum duas, ita vt vehementer cum deiicerentur vires, (quas tamen roborantibus vtcunque reſtituere conatus ſum, ea de re certior factus) conualuit tamen Dei beneficio, & ſuperuixit annis ad minus 10. vel 12. Singulis tamen fere annis neceſſe fuit apertione collectam materiam,

quæ

quæ tamen vix decimam prioris ſaburræ partem æquabat, educere. *Clariſſ. Vir. Oſvvaldus Gabelchoferus de ſuis mihi adeoque poſteritati communicatis Obſeruationibus.*

ANATOME, HYDROPICORVM CADAVERVM.

Observatio.

Hydropicorum corporum quorundam diſſectione, rara & admirabilia quædam animaduerſa.

HISCE diebus ego & amici aliquot mei, ſecuimus cadauer hominis, qui diuturno morbo laborauerat. is autem & hydropicus poſtremo effectus erat. Reſecto autem ventre, cum tranſiiſſemus muſculos abdominis, inuenimus aquam illam, citrinam vocatam, intra peritonæum & inteſtina, de quo ab aliquibus dubitatũ tamen fuiſſe video. Mox inde reſpeximus ad hepar, tanq̃ in eo cauſam morbi manifeſtam viſuri, id reperimus grande, colore nigricante, & fere tali, qualem in ſplene alias conſpeximus. Folliculus fellis pleniſſimus erat bile. Hepatis venæ in parte eius caua, priuſquam in communẽ illum caudicem portæ deſinunt, omnes obſtructæ erant lapillis eas diſtendentibus, foris nigris, intus flauẽtibus. Porro & ille meatus, qui ex folliculo fellis in inteſtinum deſinebat, lapide eiuſmodi obſtructus erat. Hunc cum exemiſſemus, nihilo magis tamen bilis effluxit: coaluerat enim foramen illud deſuetudine bilem ad inteſtina mittendi. Hanc iſtius meatus obſtructionem ego cauſam fuiſſe video icteritiæ, cum qua hic homo ante hydropem longo tempore conflictatus fuerat, regurgitante ad totum ambitum venarum bile, quæ purgari per inteſtinum debuiſſet. Nam meatus ille, qui ex folliculo fellis in hepar eſt, liberrimus erat. Cæterum hepar ipſum tota ſua conuexa ſuperficie adnatum diaphragmati conſpiciebatur, interueniente membrana quadam craſſa & firmiſſima, nata fortaſſe ex calore aſſante in eiuſmodi quaſi cruſtam externam ſuperficie hepatis. Nam & idem ęger perpetuo de inſigni calore dextri hypochondrii queri ſolitus erat. *Iacobus Camenicenus in Epiſt. ad Matthiolum.*

Hoſpiti leonis argentei, in vico D. Iacobi, hydropico, inuẽta ſunt inteſtina ſyderata, & omnino corrupta, quaſi ſugillata, humor plurimus cruentus & & loturæ carnium ſaturatæ ſanguine ſimilis. *Scholiograph. ad cap. 39. lib. 1. Hollerii De morb. intern.*

Victor Schœffer, ſcriba Cameræ, & à ſecretis Reuerendiſſimo & Illuſtriſſimo Danieli Archiepiſcopo Moguntino pie defuncto, Anno 82. febribus tertianis & continuis, atq; eryſipelatibus ſæpe obnoxius, extremo quinquennio difficultate anhelitus, orthopnœa, diarrhœa, diuturna ſtranguria diuexatus, tandem tumore ventris, in tantam molem excreſcente, correptus eſt, vt etiam vmbilicum rumperet, ſalua tamen externa cuticula nullo effluente humore. Ex aperto à me cadauere, aſſiſtente D. D. Henrico Garetio, extractæ fuerunt menſuræ noſtrates 18. aquæ pallidioris citrinæ, vrinam repræſentantis. Epar inuentum album, durum: renes parui, pallidi, nulla pinguedine muniti: veſica anguſta: pulmones ampli: cor magnum: lien paruus, & albus. Mirum fuit, tantum in breuis ſtaturæ homine aquæ latere potuiſſe copiam. Ego amicus & familiaris ei Medicus, tandem, cum hydropis mentionem ſemper exhorreſceret, author ei fui, vt Medicos Norinbergenſes conſuleret; periit interim ſuffocatus, capite in ſinu meo reclinato. *CL. V. Ioan. Fridericus Traſelmannus de Obſ. propriis.*

Herbipoli Mulierem hydropicam quadragenaria maiorem, in Noſodochio Aulico aperui: quæ ab eo morbo plane liberata, per vrbem, omnibus (qui eam ante hydropicam viderant) plurimum admirantibus, ſæpe obambulabat. Verum ex praua victus ratione poſt aliquot menſes denuo hydropica facta, ſummis à me precibus contendebat, vt ſeſe rurſus aperirem: ibi tum me renuente, & vitæ producendæ ſpem eſſe nullam affirmante nihilominus ipſa in propoſito perſeuerabat, fore ſperans, vt aqua iterum educta, ſi non diu viuere, cito tamen & magis placide poſſet mori: quod ſane etiam euenit. Nam poſt alteram ſectionem, vltra ſex, vt opinor, dies non vixit. Voti tamen ſui compos facta, placide inſtar lucernæ deficiẽte oleo, eſt extincta. In ea epar quidem, vt in cæteris hydropicis, vterum vero plane putrefactum inueni. *CL. V. Io. Poſthius de ſuis ad me miſſis Obſeruationibus.*

DE DIABETE.

Observatio.

Diabete laborantium Hiſtoriæ variæ, raræ, & memorabiles.

AD renes pertinere is videtur affectus, quẽ alii hydropem matellæ, alii vrinæ profluuium, alii diabeten, alii dipſacon appellant, qui certe quam rariſſime euenire ſolet. Equidem eum antehac bis duntaxat videre potui; ſupra modum videlicet ſitientibus infirmis, atque ſubinde bibentibus: quapropter exuberanter quoque reddunt id quod biberunt, eo à ſua quantitate non mutato: atque hic renum veſicæque affectus ſimilis eſt ventriculi inteſtinorumque læuitati. *Galenus lib. 6. cap. 3. de loc. affect.*

Ego non vidi Diabetem contingere in occidente, neque audiui ab aliquo meorum Doctorum antiquorum quod eam viderit. Sed tamen hoc vidi in Ægypto aliquos patientes hanc ægritudinem infra decem annos pluſquã viginti, & forte accidit ex potu aquæ Nili ſaporoſæ, quam frequenter bibunt. *Rabi Moyſes Part. 8. Aph. ſuor.*

Rarus affectus & bis tantum à Galeno viſus, à nobis ſæpius. Anno 1558. Auguſti fine in vico vetere Templi Conſuli du Val, in febre continua non ita ardente ad ſenſum, lingua ſcabra, arida, nigra. Quotidie ſex pintas (quas vocant Lutetiæ) vrinæ mingebat, non ita ſiticuloſus, conſtabat mente. Sub ſeptimum diem obiit.

Conſuli Quelain nephritico, in febre profluuium vrinæ motum, in quo ſeroſa vrina ad duas quartas emingebatur, ex quo euaſit.

Eodem morbo paulo ante eius pater obierat.

Alter ab eodem profluuio obiit, in vico Sancti Ioannis Bellouacenſis.

Quibuſdam diutius vrina ſuppreſſa ſequitur vri-
næ profluuium, aut morbus aliquis acutus per cri-
ſin, qui malignitatem ſuam in renes deponit, vt ait
Aretæus. In ardente febre raro curatur, ſicut & in
colliquatione In aliis difficile, niſi ſtatim initio de-
prehenſo morbo occurratur. Secatur vena in cubi-
to, ſed moderate. Refrigerantur renes & confirmã-
tur. Alimenta craſſa, emplaſtica, minime calida,
vnguenta circa renes, inunctio ſpinæ, opiatæ, *Scho-
liograph. ad capit. 53. libro primo, Hollerii. De morbis
Internis.*

Iohan. Bapt. Theodoſ. Epiſt. 48. ſcribit, ſe in toto vitæ
ſuæ tempore veram Diabeticam affectionem vidiſ-
ſe tantum in duabus mulieribus.

Qui meracioris vini potu indulgebat Romanus,
& crethami, id eſt, fœniculi aut petroſelini marini
dicti, muria conditi, largiore victu vſus eſt, in diabe-
tem affectionem lapſus fuit. Nam quicquid bibe-
bat ſimul, & quale aſſumebat, per vrinam redde-
bar, & intenſiſſime ſitiebat. Ad quem cum conueni-
remus, & morbi cauſam perpendiſſemus, ea proca-
tarctica abnegata, quæ antecedentem mouet, ſalſu-
ginoſum humorem & mordacem euacuari & ob-
tundi curauimus. Euacuauimus autem eum ſyrupo
roſato ſolutiuo, de cichorea cum rhabarbaro, my-
robalanis citrinis, & pauco agarico: obtundimus
vero ipſum ptiſana, ouis ſorbilibus, halica, carne
hœdina, & vino paucifero. Sed vt retentrix renum
facultas, quæ omnino imbecillis erat, reſtauraretur,
ſingulis diebus in aurora potum ſequentem daba-
mus. ℞. Syrup. myrtillorum, roſati de roſis ſiccis a-
na vnciam ſemis, trochiſcorum de terra ſigillata, de
ſpodio Arab. ana ſcrupulum vnum, aquarum capi-
tum roſarum, plantaginis, corrigiolæ, ana vnciam v-
nam, miſce; quin & renum regioni exterius ceratum
ex acatia, hyppociſtide, maſtiche, thure, bolo arme-
no, ladano & reſina confectum, applicuimus: & in-
tra duodecim dies ſanitati fuit reſtitutus. *Luſitanus
Cent. 2. Curat. 94.*

Diabetes, tranſitus vrinæ continuus eſt, aut veri-
us potionis non mutatæ, vt lienteria cibi: à renum
intemperie calida cum ſiti inexpleta eueniens affe-
ctus: qui raro euenit, vt eum Galenus bis tantum vi-
diſſe teſtetur. Nos autem alterum nouimus in hanc
affectionem, ob largiorem farciminis piperati e-
ſum, incurriſſe: qui quoque facile fuit recuperatus
& ſanitati reſtitutus. Fit autem affectio hæc, vt dixi,
ex renum retentricis facultatis imbecillitate, attra-
ctricis autem tanto robore, vt totum corpus ob in-
gentem calorem exhauriat. Iuſte igitur renum paſ-
ſio, & affectus diabetes appellatur: quia ſic affecti
renes ad ſe corporis totum humorem attrahunt:
quem, ſua imbecilli reddita retentrice facultate, re-
tinere non valent, ſed tumultuatim in veſicam eum
exonerant, & conſequenter foras tranſmittunt. Vn-
de ab aliquibus paſſio hæc (*Galeno* teſte) *capit. vl-
tim. libro de ſymptomatum differentia*, aqua intercu-
tem ad matulam appellabatur: velut vrinæ fluor,
ſeu leuitas: aut, ob inexplebilem ſitim, dipſacos. *Idem
in Scholiis.*

Ego tres vidi eo tempore, quo Venetiis verſatus
ſum, qui hoc affectu cruciati ſunt: ſed ſatis erit, ſi
duorum meminero.

Prior fuit mulier Nobilis & Abbatiſſa cuiuſdam
monaſterii Muriani, quæ ex vehementibus animi
perturbationibus afflicta, ob ingentes perſecutio-
nes, quas paſſa erat, incidit in hunc morbum: affli-
gebatur autem ſiti inextinguibili, neque etiam per
potum leuabatur: linguam enim ſtatim etiam à po-
tu aridiſſimam habebat: æſtum ingentem in viſce-
ribus percipiebat, continenter febre detineba-
tur, inquieta plurimum erat, & tandem, cum
iam, anteaquam medico curãdam ſe traderet, mor-
bus plurimum inualuiſſet, & ipſa admodum eſſet e-
maciata, ex eo obiit, & procul omni dubio calidus
affectus fuit.

Alter vero vir erat, & ille quidem Nobiliſſimus
frater Reuerendiſſimi Cardinalis Piſani, hic cum fe-
bre laboraret, & ea ſatis maligna, atque ſitis, quæ
neque etiam multa erat, eſſet impatiens, bibere no-
lebat, niſi gelida fere eſſet aqua, & reliqua, quibus
in potu vtebatur: quæ quidem iubebat in puteis de-
miſſa vrceis perpetuo ſeruari, vnde ad eam imbecil-
litatem renes deuenere, vt potus omnino immuta-
tus redderetur, ſeruans eundem colorem, conſi-
ſtentiam, ſaporemque & odorem, vtebatur autem
primum propter febrem iuleb roſacco diluto ex a-
qua, & vrina quæ paulo poſt à potu mingebatur ea-
dem omnino videbatur quæ prius erat in cyatho
antequam biberetur, eundemque referebat colo-
rem aſpicientibus; & odorem olfacientibus: ſed &
quidam, qui illi miniſtrabant, guſtare voluere, qui
affirmarunt, neque in ſapore vllam factam immu-
tationem, neque hic vehementiſſima ſiti vrgeba-
tur, quamuis & ipſe ſitiret, neque oris tanta ardita-
te, ſicuti Abbatiſſa, neque in præcordiis vllum æ-
ſtum percipiebat, qui tamen & ipſe ex eo morbo in-
teriit, & procul dubio omnis iſtius morbi ratio ex
nimia inſtrumentorum vrinæ refrigeratione ortum
habuit. *Trincauella lib. 10. c. 11. De ratione curand. partic.
hum. corp. affectus.*

Nos ſex homines, Diabete correptos, hucuſque
tractauimus, & inter alios Octauianum Caraſtini-
um, Iuris vtriuſque Doctorem, ac Canonicum Flo-
rentinum, qui cum noſtra, peritiſſimi & Iacobi Sol-
danii opera à febre peſtilenti fuiſſet liberatus, per
quam & multis liuiduſque exanthematibus circa
pectus ac dorſum abundauerat, & ingentem nigri
fœtentis, ac coagulati ſanguinis copiam deiecerat,
dum is ex priori morbo conualeſceret, & ob recu-
perandas vires adhuc ſe domi contineret, in diabe-
tem incidit violentiſſimum, qui ipſum quatuorde-
cim dierum ſpatio penitus tabefecit atque abripuit;
quod adeo breui tempore ſucceſſit, quia is & ſua na-
tura erat ſatis gracilis, & à priori morbo fuerat maxi-
me extenuatus. *Vidus Vidius Iunior lib. 10. c. 26. de Cu-
rat. membratim,*

Honeſtus quidam ciuis vrinæ detinebatur pro-
fluuio: ſubinde vno die amplius quam vrnam
40. librarum reddebat. Bibebat non minus:
vt qui propter aſſiduam vrinæ profuſionem aſ-
ſidua quoque ſiti premeretur. Cum autem huic
nulla prodeſſent remedia, & vix vlla ſibi adhiberi
pateretur, paucis diebus deficiens, è vita commi-
grauit.

Alius quidam mercator vrinam quoque admo-
dum frequentem reddebat, ſed minus, nec adeo co-
pioſam, diuque hoc malo laborauerat. Albida au-
tem vrina erat, non tranſparens, & paulo, quam ſe-
rum lactis, tenuior: in qua quidem grumi ſubinde

permixti

permixti ferebantur. Superueniente vno tempore febri, vrinæ acceſſit incontinentia: ſic vt & dormienti proflueret. Poſteaquam autem ſanguinis miſſione & enematum vſu, pauciſque aliis remediis, febris ceſſaſſet, deſiit ignoranti in ſomno effluere; ſed tamen frequens, vt antea, & mediocriter multa: & qualis prius talis & in febri & poſtea perſtitit. Sitis vero & hunc premebat, propter vrinæ copiam, ſed multo quam alium minus. Morbus autem pertinax nullis remediis cedebat, interim vt non vehemens, ita neque negociis magno erat impedimento. Vſus fuerat aliquot annis æſtatis tempore aqua fontis Leodienſis: ſed nec ex hoc fructum retulit, citius ab eo malum auctum: nam aqua hæc diuretica, & vrinas vehementer mouet. *Dodonæus cap. 32. Obſeruat. Medicinal.*

Morbum hunc Diabetem fuiſſe apparet: præſertim ciuis, cuius vehementius fuit malum: nec tamen mercatoris affectus alio referendus videtur. Comparat hunc Galenus leuitati inteſtinorum; quemadmodum enim per hanc cibus aſſumptus cito deiicitur; ita & in Diabete potus velociſſime per vias vrinarias deſcendit. Proprius autem renum eſt affectus, qui ex retentricis facultatis debilitate oritur, accedente attractricis robore; vnde & ſitis neceſſario conſequitur. Potus autem qui aſſumitur, nō talis omnino redditur, qualis aſſumptus eſt. Nam in iecinore mutationem nonnullam accipit, licet exiguo hæreat tempore: in renibus vero nō permutatur. Idcirco & crudæ apparent vrinæ. *Idem in Scholiis ad cap. prædictum.*

Observatio.

Cotoneorum eſu in diabetem incidentes.

Cydonia vretica ſunt, & ex eorum eſu Sereniſſimus Rex Neapolitanus Alfonſus incidit in diabetem: vehementer enim nocent huic morbo calida vretica, & etiam animi corporis labores, & coitus. *Iohan. Mich. Paſchalius Method. Curand. morbos cap. 50.*

Observatio.

Ex nimio diureticorum & lithontribticorum vſu, quidam diabete correptus.

Monendi in ardore vrinæ tyrones in medica arte ſunt, ne conniuentibus, quod aiunt, oculis cauſas huius mali inſpiciant: decipiuntur enim paſſim, credentes ex veſicæ calculo oriri, vnde medicinas comminuendis calculis accommodatas miſeris ægrotantibus miniſtrant, quod in eorum perniciem vertitur: augetur enim per ea medicamenta, quæ calida facultate ſunt prædita, vrinæ acrimonia: vnde vlcus aut in renibus, aut in veſica generari neceſſum eſt, ideoque iugi cruciatu torqueri, qui in tam impias carnificum manus inciderunt, quemadmodum cuidam meo tempore contigit, qui intuto remedia neceſſaria fugiens, poſt empyricorum omnia remedia amplectens, in vrinæ multitudinem lapſus eſt, & eos morbos, à quibus deinde penitus Medici leuare minime potuerunt. *Idem libro primo, capite quadrageſimo octauo, Method. Curand.*

Observatio.

Tepentis aquæ medicatæ libras 16. intra horæ ſpatium bibens, eandem, qualem hauſerat, confeſtim eminxit.

Qvi largiſſime bibunt, copioſam quoque profundunt vrinam, vt is quem nouimus quotidie horæ ſpatio tepentis aquæ medicatæ libras ſexdecim exorbere: etenim qualem ſumpſerat, talem protinus emeiebat. *Fern. lib. 6. c. 13. Patholog.*

Observatio.

Vix quadrantem bibens quidam, quotidie ſupra quatuor cantharos meiebat.

Senę in Italia quidam ſingulis diebus quatuor vel quinq; cantharos vrinæ excernebat, qui vix quadrantem bibiſſet, *Guil. Adolph. Scribonius libell. de Vrinæ Inſpect.*

Observatio.

Puella plus vrinæ emittens quam ponderaret.

Contingvnt quandoque mirabiles morbi, & inter reliquos Anno Salutis 1481. Puella octodecim annorum, mingebat ſingulis diebus vrinæ libras circiter triginta ſex: aſſumebat autem ex potu ac cibo non plus ſeptem libris. Itaque factum eſt, vt ſingulis diebus emitteret circiter libras viginti nouem, cumque hoc ſexaginta diebus perſeuerauerat, conuenit, vt in his ſexaginta diebus emiſerit vltra cibi & potus ſubſtantiam libras, 1740. hoc autem eſt longe maius pondere puellæ, etiamſi tota in vrinam fuiſſet reſoluta. Nam puella non potuerat excedere ad ſummum pondus 250. librarum: cum neque attingeret 150. Itaque quæſitum fuit à Ioanne Marliano, vnde hoc contingere poſſet? Reſpondit aërem qui in arteriis vbique continetur in ſubſtantiam aqueam conuerti, eaque eiecta, alium ſuccedentem ſimiliter conuerti in aqueam, atque ita multiplicari. Quod vero omnium maximum fuit, puella hæc poſt duos illos menſes exactos ſanata eſt à Franciſco Buſto Medico. Exiſtimandumque eſt, cum illo tempore bonæ literæ adhuc laterent, & cum his Græci authores, curatam fuiſſe via & iuxta doctrinam *Raſis in nono ad Almanſorem, & Auicennæ.* Hoc autem alias à patre audieram, ſed non ſatis fidebam: inueni poſtmodum totam hiſtoriam deſcriptam. Quidam etiam retulit mihi vidiſſe impreſſam, ſed nomen libri referre neſciuit. Et quamuis Marlianus materiam vrinæ generandæ edocuerit, quod facillimum erat, quandoquidem nulla alia eſſe poſſet, nihilominus quod obſcurum fuit non declarauit, cauſam ſcilicet efficientem. Hæc fuit, vt veriſimilia referam, frigida & humida intemperies, cum leuitate ſuperficierum arteriarum & membrorum, per quæ vrina permeat, vreterarum ac veſicæ, propter quas cauſas vapores omnes, qui in aere humido continebantur, in aqueam ſubſtantiam vertebantur, & ob id credendum eſt tempus tunc fuiſſe humidum, nam & hoc in marmore templi anguſtioris Mediolani videmus. Et ita conſtitutione ceſſante, ſanata eſt potius, quam auxiliis, quamuis & illa nonnihil profuerint. *Cardanus libro octauo, capite quadrageſimo quarto, de Varietat.*

Meminis

Meminit Hiſtoriæ huius *Gattinaria Commentar.* *ad librum nonum, Almanſ. de cura inuoluntarii exitus vrinæ.*

Obſeruatio.

Obæſus quidam, crebra mictione, ſubito extenuatus.

OBÆSVM quendam & tumidulum vidi, ex
multa mictione, diebus circiter octo mirum in
modum extenuari &concidere. *Fernelius lib.6.cap.13.*
Patholog.

Nonnunquam humorum & corporis moles cō-
tabeſcens & liqueſcens in vrinas diffunditur, quod
bibulo cuidam optimo corporis habitu, intra octo
circiter dies,accidiſſe,narrat Fernelius. Sed,tam bre-
ui temporis curriculo, ex ingenti corporis mole in
magnam gracilitatem, citra vllam vim morbi eſſe
collapſum, vix credi poteſt. Veriſimilius eſt ex hy-
drope ἀνασάρκα fuiſſe eam molem, quæ tam repen-
te exhauſta eſt, idque maxime per vrinas. *Ioubertus*
cap.13.de Vrinis.

Obſeruatio.

Vndecim Medici Mediolanenſes vrina fluxu mortui.

MEDIOLANI vidi vndecim Medicos, perpe-
tuo curſu vrinæ morbo, vitam finiſſe, quidam
ardore,quidam fluxu, quidam retentione, quidam
lapillo renum, inde, coorto vrinæ profluuio, inte-
rierunt: nam aſſidua equitatio per ciuitatem inæ-
qualem, frequenſque aſcenſus & deſcenſus, huius
morbi cauſa erat. *Cardanus lib.1. capit.vigeſimo. De ſa-*
nit.tuenda.

Obſeruatio.

Vrina per ſemeſtre cohibita, quæ vbi rurſus effluere viſa eſt, aluus per 4.menſes ſubſtitit,tandem vtriſque compreſſis, vrina circa ventriculi regionem magna copia, odore & colore ſe prodente, exudauit:quibus alia non multum abſimiles adiiciuntur Hiſtoriæ.

DIABETICA paſſio in memoriam reuocauit
longe omnium admirandam hiſtoriam, quam
Patauii accidiſſe nobis teſtatus eſt Excellentiſſ. Ve-
netiis Medicus Nicolaus Nouocomenſis, qui cura-
tioni interfuit, vna cum Doctiſſ. tunc Medico Do-
mino Petro de Nouale. Teſtem autem adducimus
Excellentiſſ. D. Alexand.Panizzam Medicum,eiuſ-
dem Domini Nicolai Generum. Narrabat itaque
Nouocomenſis,indubiæ fidei Vir, quod ſuperiori-
bus annis Patauii iuuenis Monialis, habitu gracili,
& tenui victus ratione vtens, in æde Diuæ Agathæ
ſacra,dum ad pulſandas campanas noctu pergeret,
quibuſdam phantaſmatibus,quæ(vt ipſa paulo poſt
aſſeruit) intuita eſt, maxime exterrefacta, horrore
correpta,paulatim in melancholica incidit ſympto-
mata, quorum profligationi dum ſtudet Medicus,
ecce, mirabile dictu, vrina ſuppreſſa eſt, ita vt per
menſes ſex nihil vrinæ excreuerit, ſed demum vri-
nam emittere rurſus cœpit, ſuppreſſa omnifariam
aluo per 4.fere menſes,deinceps lotium cohibitum,
nec non etiam aluus ſuppreſſa,in regione ventriculi
reſudante humore ad pluriū librarum pondus, co-
lore & odore vrinam referente. Cuius vrinæ fluxus
multi cauſam reddentes, niſi in Dæmonem referre
voluerimus,medice loquentes dicere poſſumus, ex
multa eaque citiſſima alimenti diſtributione nihil
ad inteſtina delatum fuiſſe, tenuiori parte diſtribu-
tioni inſeruiente, nouo potu & cibo ſuccedente ad
renes, & inde ad veſicam detruſa, quod ex *Galeno*
colligere poſſumus, *6.de loc.affect.capite tertio*,ita ſcri-
bente: atque alius interdum affectus occurrit, Dia-
beti qui perquam ſimilis, & quidem à multis cibis,
qui nec crudi ſunt, neq; per aluum deiiciuntur, ne-
que plenitudinem efficiunt, neque etiam probe a-
lere poſſunt, ſed diſſipantur, diſcutiunturque cele-
riter,cuius,vti crebrior Dipſaci euentus, ita facilio-
rem admittit curationē, quippe quod prius ad ſum-
mum peruenerit cognitum, haud ita difficulter cu-
rabitur: nam vbi quis duplum alimentorum con-
ſuetorum aſſumpſerit, neque ali corpus videatur,
idque citra alui fluorem, hunc affectum non ſolum
priuati, verum etiam Medici parui pendunt, cum
vero triplum ingerit,idoneis auxiliis liberari poteſt,
priuſquam ſcilicet ad quadruplum aut quintuplum
proueniat. Cum itaque Monialis hæc caſu,vel adhi-
bitis præſidiis hoc vitio liberata eſſet, in oppoſitum
vitium incidit, vacans ab vrinæ excretione, fluente
tamen aluo,conſumpta ſeroſa alimenti parte à præ-
ternaturali membrorum calore, ſiquidem febrie-
bat,& in Maraſmum,vt audiui,tandem incidit, ve-
rum refrigerato in corpore,conſumto ſiquidem ca-
lore naturali à præternaturali, cum potiſſimū liqui-
dis cibariis,puta iuſculis & cōtuſis aleretur, virtutes
omnes nutritioni inſeruientes labefactatę ſunt,for-
teque abolitus tranſitus ad renes & veſicam, vnde
exſiccato vniuerſo habitu, ſeroſitas omnis facile à
ventriculi cauitate extra reſudarit, hæcque copioſa
&vrinam præ ſe ferens,ob diu retentam &abolitam
mictionem,ante vt diximus.

Quod confirmari poteſt ex alia Hiſtoria, cuius
teſtem adducimus Abraham de ſummis de Parta-
leone, Medicum Hebræum, Gentile de Franchetis
formoſiſſima puella Pleiadum ortu Tertiana du-
plici interpolata primo, demum continua correpta
fuit, quæ cum diu contabuiſſet, hectica febris eam
inuaſit,nulliſque remediis proficientibus,(mirabi-
le dictu)remotis nondum ab ore poculis, hauſtæ li-
quidiores potiones à præcordiis, hebdomadarum
duarum ſpatio, eadem copia, qua erant abſorptæ,
abſque alteratione vlla reſudabant, ita vt ex rubeo
lyeo, colore rubeo ab albo iuſculo, albo itidem tūc
inficiebantur ſubuculæ, ob quam calamitatem an-
xiam vitam ducendo tandem ex maraſmo periit. Ex
quo videre poſſumus affectionem Diabeticæ non
valde diſſimilem:nam præcordiis plus iuſto exſicca-
tis,auide potiones attrahentibus, eas tamen conti-
nere minime poterant, nec minus alterare,ſed qua-
les inditæ, tales per carnis poros extra reſudabant,
cum exſiccatę magis laxi efficiantur:exſiccato nam-
que humano corio, ſcribit *Luſit.Cent.Cur.*poros ra-
refactos admodum & patentes conſpici.

Meminit *Iohan. Bapt. Theodoſius Epiſt.* 32. frequen-
tis mixtionis admirandæ per hæc verba: Nicolaus
Leua Lucenſis omni ferme hora ad mictionem co-
gebatur, & vrinam ſubtilem, albam,& ſine ardore
mingebat,quod ſi aliquando eam retinere conaba-
tur,ſentiebat quoſdam flatus excrementoſos, fuli-
ginoſoſque,

liginoſoſque, à partibus veſicæ eleuari, ex quo ventriculus inflari videbatur,& magis aſcendentes Diaphragma comprimebant, tuſſim excitabant, & ad Cerebrum aſcendentes motus quoſdam vertiginoſos cauſare videbantur, cum Catarrhi defluxu, & deiectione crebriore: & vrina miſſa, omnia hæc ſymptomata ſtatim ceſſabant, quorum omnium cauſam ibidem ſtudioſus Lector legere poterit. *Marcell. Donat, libro quarto, capite vigeſimo ſeptimo, Hiſt. Med. Mirab.*

DE RENIBVS.

CONFORMATIO ET CONSTITVTIO.

Observatio.

Bubuli & Vrſini renes, quales Ariſtoteles humanos eſſe male decernit, etiam in quibuſdam humanis corporibus animaduerſi.

QVOD ad renum ſuperficiem attinet, ea in hominibus longe ſecus, quam in Vrſis ac Bobus, læuis eſt & lubrica: omnique ex parte equabilis, perinde ac gibba iecoris ſedes occurrit, quod quum ita ſit, miraɾi ſatis Ariſtotelem nõ poſſum, qui de eis ſic ſcripſerit: Hominum renes bubulis ſimiles ſunt, ꝗppe qui tanquam compoſiti ex renibus multis exiguis conſtent: neque æquabiles ſunt quomodo renes omnium quadrupedum habentur. Hoc autem adeo à veritate alienum eſt, vt nullum ferme defenſiori locum vir tantus reliquerit. Quamuis enim renes bubuli, ac multo etiam magis Vrſini, ex pluribus quaſi glandulis, paruas caſtaneas, aut ceraſa imitantibus, conflati eſſe cernantur, & hæ partes, præcipue in Vrſis, adeo inuicem & à ſubiecta membrana ſine vulnere ſeparentur, vt earum diuiſiones non mediocris copia pinguedinis repleat, & in altiori duntaxat renis ſede iungi videantur: tamen in hominum reprehenſionem iure incidiſſe Ariſtotelem credendum eſt: quod eiuſmodi renum ſpecies non niſi perquam raro in humanis cadaueribus obſeruetur. Ego enim poſt multas inſpectas diſſectiones in vno aut altero, ſi recte memini, illam vidi; Piſauri nimirum in puella vndecim annos nata, & Romæ in quodam viro, cuius renes magnitudine quoque valde inſigni, alios longe ſuperabant. *Barthol. Euſtachius lib. de ren. ſtruct. cap. 3.*

Illam, quam Ariſtoteles deſcribit, renum ſuperficiem in duobus fœtibus cernere contigit, eamque ob cauſam ſuſpicati ſumus in puerulis potius, quam in adultis eſſe inquirendam. *Petr. Matth. Pinus, in Annot. ad iam citatum caput.*

Observatio.

Renum alterum deficere nonnunquam.

COrde carens nullum vnquam animal ortũ eſt, quanquam liene carens, & duplicem habens lienem, & altero vacans rene, viſum eſt. *Ariſtot. lib. 4. c. 4. de generat. animal.*

Meminimus nos aliquando vidiſſe in quodam cadauere (cui diſſecando Ioannes Vaſſeus eruditiſſimus Medicinæ Profeſſor apud nos præeſſet, vt partes corporis humani in ſcholis publicis de more interpretaretur) vnum tantum renem, in medio ſpinæ exacte ſitum, eumque maximum, vt lienis fere magnitudinem excederet. Nimirum id in natura mõſtrum quoddam eſſe iudicauimus, quemadmodum in pleriſque aliis partibus ſæpe ludere ſolet. *Car. Stephanus libro ſecundo, capite decimo quinto, De diſſect. corp. hum.*

Nonnunquam vnus tantum ren mediæ ſpinæ innexus apparuit. *Andernacus lib. 1. Inſtit. Anat.*

Viſus eſt cui ſecundum naturam vnicus eſſet, ſed qui, quod numero diminutum fuerat, mira magnitudinis mole exæquaret compenſaretque: gemini autem cum habentur, minores eos eſſe optima ratio eſt. *Fern. lib. 1. c. 7. Phyſiolog.*

Naturam interdum in habentibus ventrem impenſe prominulum & vitiatum coſtarum ductum vnum & maximum renem moliri vidimus. *Veſalius lib. 5. c. 10. De corp. hum. fabrica.*

Renem alterum deficere obſeruauit Ariſtoteles; & ſe idem vidiſſe recentiores quidam ſcribunt, mihi ſemel hoc portentum videre licuit: ſed quænam eſſet conſtructionis ratio, & quomodo vaſa ab eo progrederentur, memoria excidit illud recte memini, quod mediæ ſpinæ innixus hærebat, & magnitudinis mole numerum ſupplebat. Verum cur vnicum tantum renem illis natura præcipue tribuerit, qui & ventrem habent eminentiorem, & vitiatum coſtarum ductum, fateor me ignorare: hortorque Anatomiæ ſtudioſos vt diligenter obſeruent, num verum ſit, an ſecus. *Euſtachius capit. 10. libell. de Renum ſtructura.*

Vidi renem vnum duntaxat, eumque maximum. *Columb. lib. 15. Anat.*

Renem olim Rondeletius in corpore humano vnum conſpexit, qui forma lunari erat, ambo nimirũ ſimul coniuncti. Ex publica Anatome obſeruauit *V. Cl. Caſparus Wolphius.*

Renem & ego vnum tantum in ſectione filiæ 20. annos natæ vidi Monſpelii: præſide D. Laurentio Iouberto. 1583. *Idem D. Wolphius de Obſeruation. propriis.*

Diſſecta muliere à Cl. Paulo Galeoto, vnicum tantum, eumque prægrandem habebat renem in ſiniſtro latere. In eadem muliere venam azygos dictam, vna cum altero pari omnibus nobis videndum exhibuit. *Ex priuata anatome ab eod. Galeoto adminiſtrata, Petrus Speherius communicauit.*

Observatio.

Diſſecto legum Doctoris cadauere, præter alia, viſus ſiniſtro Rene caruiſſe.

SCribit ad me Matth. Stoicus excellens Med. de Hermanno Cruſerio communi amico noſtro, Legum Doctore: Is 23 Dec. placidiſſ. exſpirans mortuus eſt. Cum 16. eiuſdem menſis die antea rectiſſ. valere viſus ſubito in ἀκπασμὸν & λογμὸν ventriculi incidiſſet, quæ ad extremum vitæ articulum nullis medicamentis curari vel ſaltem mitigari potuerunt: erupit illi quarta die morbi ſanguis ex naribus concretus: in vrina eiuſdem grumi quidam obſeruabãtur, cum toto triduo præcedenti eiuſdem ſuppreſſione laboraſſet. Sentit initio quoq; circa hepar vehemẽtes dolores, ꝑpetuo nigra deiecit. Cũ ſectum eſſet poſt obitũ cadauer, nihil fere aliud memorabile inuentũ eſt, & mirãdũ q̃ ꝙ ſiniſtro rene careret, cũ dexter magnitudine binos explere videretur. Hepar circa λόβυς extremos valde nigricãs videbatur, itidẽ

& ren

& ren dexter. Spl en quoque paruus vehementer ea parte qua alligatur nigricabat. Inteſtina prorſus erāt liuida propter contenta ſimilia illis quæ per totum morbum deiecit. Ventriculus prorſus erat inanis. Cor flaccidiſſimum. In veſica lapillus fabæ magnitudine, vel pene forma & magnitudine lupini inuentus. Vſus eſt ante hac opera Med.Gall.qui ſe Palæologum nominat, & qui nobis in curatione Principis adiunctus eſt. *Solenander in Conſ. Med. Sect.v. Conſ.16.*

Obſervatio.

Renes nonnunquam tres aut quatuor viſi.

SEmel vidi quadruplices renes. *Gemma libr. 2. pag. 75. Artis Cyclognom.*

A nobis inter anatomes plurimas annotatum eſt, inter alia, nunc velut quatuor renes. *Idem lib.1.cap.6. Coſmocrit.*

Prætermitti nequaquam poteſt, naturam ſcilicet, in fingendis renibus augere quandoque numerum, atque inſtitutum non retinere: ſiquidem tres ego renes ſemel vidi, quorum dexter ſecundum naturæ legem formatus erat: ſiniſter renem ſola ſubſtantia referebat: quippe qui eſſet figuræ triangulæ, eiuſque ſatis depreſſæ, admodum paruus, & vrinario vaſe deſtitutus, tertius in ſiniſtro erat latere ſpinæ poſitus, eiuſque elatior pars quarta lumborum vertebræ ſummitatem attingebat: humilior in principio oſſis ſacri terminabatur, videbatur figura pene quadrangula, altera tamen parte, nimirum eminentiori, anguſtior: ab eo autem vrinarius meatus in veſicam ferebatur. *Euſtachius capit. decimo, libell. De renum ſtructura.*

Obſervatio.

Quatuor renes in vna mole coniuncti.

QVatuor renes in vna mole coniunctos obſeruauimus, finibus tamen atque vaſis inter ſe diuiſos. *Botallus De monſtroſo Rene pag. 137.*

Obſervatio.

Nonnunquam vtrumque renem, vel alterum ſaltem, duas habere cauitates, & binos meatus vrinarios, qui prope veſicam coeunt.

HOc nobis, haud ita pridem, magna admiratione dignũ eſt viſum, in cadauere, ex iis, quæ nobis priuatim diſſecanda proponebantur: vtrumque renem non iam amplius ſeruaſſe mandragoræ ſeminis figuram, ſed duas habuiſſe cauitates, veluti crenas quaſdam in ſui parte interiore, quæ ad cauam eſt venam: quarum vtraque crena porum vnum vreticum emitteret, quaſi vero duplicem renem in vna & altera corporis parte iudicare poſſes: ab vtroque enim rene duo admodum conſpicui vreteres prodibant: neq; ii quidem minores aut tenuiores, quā qui ſoli in aliis corporibus conſpici ſolent, qui tamē circa os pubis, antequam veſicam ingrederentur, in vnum coire conſpiciebantur. Vt mirum naturæ artificium (non enim iam appellare ludum licet) in cuiuſque corporis conſtitutione facile admirari oporteat: quæ cum nihil ab re faciat, tamē illud inprimis nobis tanquam arcanũ relinquit contemplandum, cuius ratio ſibi tantum eſſet comperta. *Car. Stephanus lib.2. c.15. De diſſect. corp. human.*

Anno 1503. vidi monſtrum habens duos poros vreteres in ſiniſtro, & vnum tantum in dextro. *Alex. Achillinus in Annot. Anat.*

Deprehendi in quodam vreteres quatuor. *Columbus lib.15. Anat.*

Obſervatio.

Renes iecori affixi.

RENES ambos iecori affixos vidi, & manu abſtraxi mea Auguſtæ Vindel. Anno 1593. in Hieronymo N. qui tum Viniſcribam agebat apud Eſaiam Mayer, hoſpitem publicum ad inſigne Cerui deaurati. Hieronymus ille Anno 1590. circa feſtum Pentecoſtes in magno æſtu, valde ſitiens, exhauſerat in frigida quadam cella (vt ſæpius ipſe mihi retulit) vno ſpiritu prægrande poculum, vino albo, frigidiore, plenum. Mox ab eo hauſtu ſenſit præcordia ſibi quaſi collabi: incipiens tuſſire tuſſicula inani, difficili, inſueta, quam nec libera, nec liberalis, imo nulla fere ſequebatur exſpuitio: corpus ſenſim marceſcebat: pectoris angorem & ſpiritus impeditionem ac cohibitionem ſubinde conquerebatur. Cœpit conſulere Medicos, nunc hos, nunc illos; quorum aliqui (vt erat illorum non vna intentio) poſt corporis euacuationem præſcribebant lenientia, dilatantia, & expectorantia: quidam incidentia, extenuantia, & detergentia; nonnulli arreſtantia, ad catharrhos ſiſtendos. Nihil autem proficientibus omnibus quæ adhibebantur, tandem (tranſactis interim duobus annis & aliquot menſibus) moritur æger: ad cuius corporis apertionem D. D. Laub, & ego, cum tribus Chirurgis, Andrea Walckmüller, Martino N. & Iohanne Stabelin vocabamur: inſpectis, thorace, pulmonibus, & corde, nihil monſtroſi, nihil fere vitii deprehendimus: ſub diaphragmate vero, cum renes inueſtigaremus, inuenimus eos (præſertim dextrum) iecori per membranulas peculiares, quibus veſtiebantur quaſi adnatos, & ita affixos, vt vi quadam fuerint manu auellendi. Quæ res nobis omnibus rara & mira videbatur. Vtrum vero ſurſum tracti renes, an deorſum prolapſum fuerit Diaphragma? diſputatum inter nos fuit. Equidem in ea eram & ſum adhuc opinione: ob nimium relaxatum & quodammodo reſolutum (ex frigido illo magno hauſtu prædicto) diaphragma propendiſſe omnia quæ ab eo pendent viſcera; vt ſic iecur renibus quaſi incumberet (à quo tamen vi caloris hos etiam nonnihil attrahi forte potuiſſe non negauerim) & ſucceſſu temporis naturam (quæ nũquam ociatur) genuiſſe membranulas illas, quibus veſtiti renes iecori adglutinabatur. *Clariſſ. Vir. Martini Holtzapffelii Reipubub. Auguſt. Phyſici iurati Obſeruatio.*

MORBOSA RENVM CONSTITVTIO.

Obſervatio.

Renes, pro varia morborum diſpoſitione, multifariam, tum colore, tum forma & ſubſtantia, immutari.

IN cadaueribus illorum, qui vi morbi interierunt, pro varia eius ſpecie, renũ quoq; color mihi varius occurrit; nempe quia ſecus atque vt aliis viſceribus eueniat

eueniat, leui perſæpe de cauſa immutatur. Idcirco ruber frequentiſſime clarus atque ſplendens apparet; interdum obſcurus & ſubniger, non raro ſubalbidus. Subſtantia vero cernitur, modo laxa, fragilis & quaſi putris, modo denſa, dura & arida. Superficiem varicoſam, & innumeris tuberculis ſcatentem perſæpe vidi. *Euſtachius capit. 45. libell. de Renibus.*

OBSERVATIO.

Ex violento partu, & copioſa ſanguinis excretione mortua muliere, inuenti renes albi, fragiles, putres: quorum membrana flatibus in magnum tumorem extenſa viſa eſt.

IN Cæcilia, nobiliſſima Romana Tiberii Alberini vxore, quæ propter violentum nec naturalem partum, poſt copioſum ſanguinē excretum, obierat renes albi, fragiles ac putres inuenti ſunt, ſub quorum propria membrana tantum flatus collectum erat, vt videretur à ſubiectâ carne prorſus ſeparata, adeoque turgida & diſtenta, vt magni tumoris ſpeciem, primo intuitu, referret, *Idem author vbi ſupra.*

OBSERVATIO.

Imminuti, exiccati, obſcuri, & tuberculis pleni renes.

MAxime imminutos, exiccatos, obſcuros, & vndiquaque tuberculis plenos renes conſpexi in Marco Vigerio, viro clariſſimo, Epiſcopo Senogalienſi, ex Ruueria familia illuſtriſſima orto, qui propter calculum retentum vrina periit: quamuis, non ſine magna admiratione medicorum, nullo fuiſſet, quam diu ægrotauerat, dolore affectus. *Idē capite ſuperius annotato.*

OBSERVATIO.

Sereniſſimi Erneſti Archiducis Auſtriæ, Proregis Belgii, &c. morbi & ſymtomata: quæque ipſius cadauere diſſecto inuenta fuerint rara.

ANno 1595. circa 15. Ianuarii, cum Sereniſſ. Archidux domum reuerteretur (erat autem vehementer frigida aëris conſtitutio) in arthrididem, vt ſæpe ſolebat, incidit, pedum videlicet, deinde brachiorum: qua cum per aliquot dies detineretur, acceſſit capitis dolor, deſtillatio in pectus, mox febricula, cum nauſea, vomitu, cibi faſtidio, ac dolore ad vreteres, cum mictu laborioſo & ſtranguriofo. Viſum fuit Medicis tum ratione dolorum, tum febris tum nephritidis, cuius non obſcura ſigna aderant, non aliud commodius, ac præſentaneum remedium, nec citius ac ſecurius eſſe venæſectione, quæ adhibita fuit, præmiſſo, vti ſolet, clyſtere. A qua venæ ſectione, leuius viſus eſt habere, quanquam id ſine ratione Medicis viſum fuerit, cum vrinæ albæ, perſpicuæ & tenuiſſimæ forent, ac omni ſui ratione calculus eſſe videretur. Itaque cum perſeuerarent vreterum dolores, vomitus, ac meiendi difficultas, propinatum eſt à medicis oxymel cum contemperante ſyrupo, quo hauſto per aliquot dies, calculum exclu ſit album, rotūdum, eruilæ in modum; à quo dolor abfuit, & meiendi difficultas, ſed nō vomitus. Cum vero ex eo Medici & alios lapillos eſſe ſuſpicarētur, Caſſiam dedere cum ſpeciebus hieræ, à qua bis, terue, ſine vllo incommodo, multa pituita tenaci leuatus eſt: ſed perſtitit vomitus cum nauſea, ac vrinæ omnino limpidæ: nocte non bene dormire, non quieſcere poterat, anxius ac circum præcordia oppreſſus: fluxit prætere a ſanguis ex naribus, non multus, albidus & ſeroſus. Ex quo medici, qui periculoſum morbum conſpexerāt, deſperare cœperunt. Conſilium tamen fuit, clyſterib. ac leuibus vomitoriis ſurſum deorſumq; humorē peccantē ducere, reuellere, retrahere: ſed omnia fruſtra tentata ſunt; creſcēte anxietate & acūta pulſus imbecillitate; ita vt interfectus videretur, poſtea myurus, mox capillaris, tādem ſine pulſu; quo cū per biduūSereniſſ. Archidux vixiſſet, eſſe deſiit, 20. Febr. hora noctis media duodecima. Quo iā vita defuncto, cū corpus diſſecaretur, in conſpectum venere, pulmo, cor, pleura, ac ſeptum trāſuerſum vi retracta, ac in anguſtum coacta hepatis mole & ventriculi ſeptum quaſi ſuperantia: pulmones nigricantes, ſine vlcere quidem, ſed digitis compreſſi tabum quendam reddidere: cor integrum, ſed inæquali figura præditum. Hæc in ſuperiore ventre. Inferior talis erat. Meſenterium valde pingue hepar multo maximum in vno lobo liueſcebat: Renes vero vterque magnus, durus, colore liuido. In dextro puſtulæ, phlictenas eſſe diceres: ſiniſter, præter dicta, in altera cuſpide vlcus habebat cauum, nigrum, & cum ἐσχαρωτικὸν eſſe videretur, non immerito cancer eſſe videbatur. Aderant in cauitate fragmenta calculi, & maiores arenulæ multæ, vt videretur aliquis calculus egreſſus in vreteres delituiſſe. Et veſica putrida, fœtens, liuida, &c. Balſamum quo inunctum cadauer S. Ser. ℞. mirrhæ, aloes, maſtic. thuris an. ℔. ij alum. ℔. x. gran. Iunip. ℔. iiij. abſynth. calamenthi, cumini ana ℔. ij. Rediguntur in pul. ſubt. & cum aq. vitæ q. ſ. f. Balſamum. Medici fuerunt Coriolanus Becaria, Italus; Aluarus Nonius, medicus Antuerpienſis, & alii. *A Clariſſ. Viro D. Ioann. Iacobo Beurero Caſ. Mai. Hiſtorico & interprete Græco, amico noſtro, ad publicationem liberaliſſ. communicata.*

Non dubito quin Sereniſſimi Archiducis morbi atque anatomes hiſtorica relatio hæcce, exacta adeoque plena fide vel ab ipſis Medicis deſcripta, inde profecta ſit: tamen quia in Mercurio gallo-belgico paullo aliter tractata legitur, inibique vermis in renibus deprehenſi mentio incidat, vtcumque authentica ſit, viſum eſt eandem ſubiicere.

Anno 1595. Erneſtus Archidux. Belgicarum prouinciarum Gubernator generalis, nocte inter 20. & 21. Februar. diem, anno ætatis 42. placide in Chriſto Bruxellis obdormiuit. Cum mortuum eius corpus, more Principibus vſitato, aperiretur, cor, pulmo & iecur, ſana & integra reperta ſunt: in lumbis tantum calculus mediocris magnitudinis, & in renibus vermis oblongus & viuus inuentus eſt, qui interiora Principis eum in modum corroſerat, vt breui tempore marcuerit, corporeque toto extenuatus, ſupereſſe diutius non potuerit. *D. M. Ianſonius tom. 2. Mercurii Gallob.*

EMVLGENTES VENAE.

OBSERVATIO.

Emulgentes venæ & arteriæ tres; venâ Azygos ad ſecundam coſtam pertingens.

DIſſecui puerum, cui præciſa fuerat in totum larynx, & totus fere œſophagus, excepta parua

parte. Vixit per ſeptem dies ſine cibo, quicquid ſumebat, effluebat per vulnus, per quod etiam reſpirabat. Is habuit venam emulgentem in ſiniſtro rene diuiſam in tres magnas partes priuſquam ingrederetur renem, arterias eiuſdem lateris emulgētes tres. Vena azygos manifeſte vſque ad ſecundam coſtam ramos mittebat. Lugduni anno 1563. mēſe Nouembri. *D. D. Ioan. Bauhinus de Obſer. propr.*

Obſervatio.

Duæ, tres, quatuorue emulgentes venæ in eodem latere animaduerſæ.

IN eodem latere duas, tres, quatuorque, & plures emulgentes deprehendi. *Columbus libro 15. Anatom.*

Geminas inſignes emulgentes venas, & geminas arterias ad vnumquemque renem ferri vidi. *Fallopius lib. 4. c. 9. de viſceribus.*

Venam emulgentem vtrinque duplicem aut triplicem ſæpe obſeruauimus. *Andr. Laurentius cap. 19. Oper. Anatom.*

Obſervatio.

Septem emulgentes venæ notatæ in calculoſo.

NOtandum nos multoties in celebrandis diſſectionibus, in calculoſo ſeptem compeiiſſe emulgentes venas, totidemque arterias, quatuor à latere ſiniſtro, diuerſis locis prodeuntes, quarum vltima ab Iliaca manabat, tres à dextro; diuerſis pariter locis, *Pareus lib. 2. c. 25. Anatom.*

Obſervatio.

Arteriarum & venarum emulgentium, velut etiam Renum atq; Vreterum monſtroſa conſtitutio.

VIdi anno 1541. in ſtudio noſtro Bononienſi, in anatomizato publice arteriam vnam ex emulgentibus facere vnum porum in parte dextra extra renem, qui in notabili diſtantia infra renem ingrediebatur porum vreterem à prædicto rene ortum, & ambo per vnum canale tendebant ad veſicam; hæc tamen etiam arteria emulgens ingrediebatur renē in loco ſolito, & in iſto indiuiduo renes erant continui ac ſi eſſet vnus ren, & habebat duas arterias & duas venas emulgentes, & duos poros vreteres, cum vno ſolo panniculo inuoluente, qui occupabat loca ſolita renum, & etiam medium dorſi, quod eſt in loco inter Splenem & Epar parum infra. *Iacobus Carpus in Iſagog. Anatom.*

RENVM IMBECILLITAS.

Obſervatio.

Vrina rubens propter renum imbecillitatem.

NEc rarum quoque ſanguine permixto vrinam reddi rubicundam: ſed cum magna parte vel craſſus, vel grumoſus ſit, facilis eius dignotio. Sed adeo tenuem vrinæ permiſceri, vt ſubſtātia eius nullo modo permutata colorem tantummodo intendat, admodum rarum eſt. Sic autem iuueni 28. (plus minus) annorum contigit. Reddiderat hic vrinam aliquot menſibus perpetuo rubentem, confiſtentia ſatis tenuem, & fere perſimilem acute febricitantiū lotio. Conſuluerat ſeniores Medicos, qui remedia veluti ſupercalfacto iecinori adhibuerant. Tandem ad me, tum etiamnum iuuenem, venit: lotium inſpexi rubicundum quidem; cum autem nō appareret iuuenis (qui præſens aderat) febricitare, percontatus num aliquando febricitaret? negabat, ſed, ſe continuo quaſi frigere iam ab aliquot menſibus, reſpondit, corpusq; ſuum extenuari, ſenſimq; macrius reddi, vireſque infirmiores, & reſpirationem difficiliorem: & ea, quibus eouſque vſus eſſet, nihil profuiſſe. Quibus intellectis, placuit in alterum diem lotium relinqui, atq; tunc ſedimentum eius conſiderandum; quod quidem ſanguinis inſtar (vt quod non niſi ſanguis eſſet) rubebat, reliqua ac ſuperiore vrinæ parte exiguum colorata, & pallide lutea, nullam febris notam referente. Proinde nullum in iecinore calorem ſubeſſe collegi, ſed renes debiliores factos, venarūmque ora rariora ſanguinem tenuem dimittere. Idcirco mutata curandi ratione, iis vſus, quæ renes roborare, venaſque adſtringere potuerūt adhibita victus proba ratione, & ſimul lacte caprino: ac ſi vrina rubere deſiit, & corpus nutriri, vireſque reparari contigit: atque ita iuuenis ſanitati tandem reſtitutus eſt. *Dodonæus cap. 52. obſeruat. Medicinal.*

Huiuſcemodi ſanguinis profuſionem, quæ accidit propter oſcula venarum rariora facta, vel ipſum ſanguinem attenuatum, διαπήδησιν, quaſi tranſcolationem vocant. Contingit vero & aliis modis ſanguinem cūm vrina excerni. Quandoq; etenim calculo aliquo maiuſculo par vreteres deſcendēte, ſanguis vna comitat, ſed qui nigricās & grumoſus redditur. Calculus vero etiam in veſica exiſtens profuſi ſanguinis quandoque cauſa eſt, quando laborans equitatione vel alias vehementius ſeſe exercuerit. Menſtrua quoque quandoq; cum vrina permiſcentur. Iam repreſſus de gingiuis profluens ſanguis ad veſicam deſcenderat. Vulneratis renibus vrinæ initio ſanguinem, deinde pus admixtum habent: velu ti mulieri contigit, quæ pugione vulnus in lumbis acceperat: mox enim ſanguineam, deinde purulentam vrinam reddidit, donec & vulnus & ren curatus eſſet; quem vulneratum fuiſſe, particula eius è vulnere exemta oſtendit. Exulceratos renes comitatur & ſanguis cum vrina, pus deinde ſequitur, niſi prius renes curentur. Iam & à magnæ ætatis ſenibus craſſa & ſanguine permixto in rubore nigricans quandoque vrina redditur, quæ pene abolitam renum facultatem oſtendit, & parum vitæ ſupeſſe præſagit. *Idem in Scholiis.*

RENVM INFLAMMATIO.

Obſervatio.

Ex calculis in veſica conſiſtentibus renum inflammatio: cui abſceſſus & puris mixtio ſuccedit.

COntingit non raro, vt, calculo in veſica conſiſtente, renes inflāmatione corripiantur, ex magnitudine videlicet & diuturnitate doloris per conſenſum affecti. Inflammationi ſuccedit abſceſſus, hinc vero puris mictio. Subinde vnum tantum inflammari accidit, aliquando & alterius inflammatio ſuccedit, vt nonnullis accidiſſe meminimus. *Dodonæus in Scholiis ad cap. 44. obſeruat. ſuarum Medicinal.*

OBSERVATIO.

Vrina rubens in morbis frigidis & ex cruditate natis.

RVbet vrina non modo ſphacelo correpto iecinore, vel in morbis calidis, vt in febribus ardẽtibus ac tertianis, partiumque internarum inflammationibus: ſed & non raro iecinore ac ventriculo per diuturnos & longos morbos cum refrigeratione debilitatis. Tingitur quoque, & non raro, vrgentibus coli doloribus, quando videlicet crudi humores inteſtina occupant, & excrementorum exitum remorantur.

Honeſtus ciuis quinquagenarius liberatus à quartana, quæ menſes quatuor aut quinque eum detinuerat, in lienteriam incidit. alui excrementa liquida erant & cruda admodum: nullus febrilis calor reſtabat: extremæ partes crebro frigebant: vrinæ autem admodum rubentes, vt in febribus ardentiſſimis ac viſcerum inflammationibus apparent. Verum nos harum nullam rationem habentes, ſed ad alia & cruditatem reſpicientes, conſulendum putauimus ventriculo: deinde & iecinori per præcedentem quartanam debilitatis: proinde victus rationem calfacientem & reſiccantem inſtituimus, vinumque exhibuimus generoſiſſimum ac potens, quale Hiſpanum eſt. Medicamenta fuere Diagalanga, Diatrionpipereon, & eius generis ſimilia. Quibus tantum promouimus ac profecimus, vt concocta apparerent excrementa, & vrinæ color remitteretur, ac ſimilis ſanorum redderetur. Quibus ſic ſe habentibus, eum ſe ſanitati reſtitutum æger exiſtimaret, ſecreto cereuiſiam bibit: mox autem vrinæ color iterum in rubore multum intenſus, manifeſte oſtendit, ex ventriculi cruditate ac refrigeratione vrinam quandoque tingi, ac valde rubicundam reddi. Deinceps itaque à cereuiſia abſtinuit; vrinæ vero & mox iterum ſanorum ſimiles. Nec prius cereuiſia vſus eſt, quam integre ſanitati reſtitutus foret.

Alteri, viro quidem generoſo, vrina quoque admodum rubens, abſque febri tamen, fuit, qui coli doloribus vna cum alui obſtructione torquebatur. Profuit enema anodynon, à quo mox leuato dolore ſtatim ſimiliter vrinæ color valde remiſſus, & ſanorum ſimilis redditus: eum vero ab enemate ceſſaretur, recurrente dolore, iterum vrina in rubore tingebatur, donec ſæpius repetito enemate, coli dolor omnino conquieuiſſet, aluuſque ſponte ſua ſuccederet, tũc enim vrinæ colores, quales ſanorum, perſtiterunt. *Dodonæus cap. trigeſimo primo, obſeruat. Medicinal.*

Hæc autem propterea referimus, quod plerique perſuaſum habeant, non aliunde, quam à calore, vrinas tingi poſſe, qui, tali in colicis doloribus appa rente, temere ad febris curationem confugiunt, neglecto coli dolore, quem etiã augent. Quod ſi autem iſti legiſſent, quæ *Galenus* ſcribit *libro primo ad Glauconem*, non potuiſſent ignorare, vrinas etiam à cruditate, & in frigidis morbis rubicundas quandoque eſſe. Nam vbi de quotidiana febri agit, quæ crudorum humorum ſoboles eſt, ſic ſcribit: In quotidianis aut albæ, aut tenues, vel craſſæ & turbulentæ, aut rubræ vrinæ apparent. Addit *in commentariis Martinus Akakia*, rubras fieri, vbi, per imbecillitatem iecoris aut venarum, ſerum aut rubra ſanies vna cum vrina emittitur. *Idem in Scholiis.*

RENVM DOLOR.

OBSERVATIO.

Nonnulli, integris & ſaluis renibus, pertinaci eorundem dolore affecti.

IN multis diſſectis renes integri à nobis obſeruati ſunt, qui tamen, dum in viuis eſſent, de renum dolore pertinaci querebantur, vel ex venis, aut pulmonibus eo confluente acri ſanie, vel ſero renum vaſa diſtendente. *Iacotius Comment. ad aph. 47. libr. 6. ſect. 2. Coac. Hippoc.*

OBSERVATIO.

Conclamatus renum dolor, omnia medicamenta reſpuens, hæmorrhoidum vſu ſubleuatus.

VIdimus quendam, qui intolerabili cruciatu renum affligebatur: is nulla phlebotomia, nulla purgatione, nullis remediis topicis potuit leuari, niſi hæmorrhoide aperta. Quod enim materiæ reſtitabat in renibus, id vrgebat. Simul atque aperta eſt via, quieuit morbus. Nec tamen ſequitur, quod hæmorrhoides ſtatim mouere oporteat, ſi quis ita affligetur. Verum ſi intumuerint, audacius aperiemus. *Hollerius comm. ad aph. 11. lib. 6. Hipp.*

RENVM PINGVEDO.

OBSERVATIO.

Pinguedo, lapidis duritie renibus adnata.

PInguedinem adeo cõcretam ac duram aliquando inueni, vt lapidis duritiem fere æquaret, qua pinguedine renes obſtrui & conſtringi, ac plurimũ imminui, ſicut non ſemel vidi, ita plane ignoto, num in Apoplecticorum cadaueribus conſtipari ad ſummum, & omni prorſus concauitate deſtituti reperiantur. quod ſi hoc vſuueniat, conſiderate expedit, cur non potius laxentur, quam contrahantur, cum in Apoplecticis cæteræ partes reſolutæ ſint, & renes ipſi quorũndam iudicio carneas fibras habeant. *Euſtachius lib. de renibus. c. 45.*

RENVM CARVNCVLAE.

OBSERVATIO.

Caruncula, in renibus ſecundum naturam conſtitutis, obſeruatæ.

ANimaduerſione & hoc dignum eſt, quod renes à caua parte ſecundum longitudinem diſſecti, carunculas intus habent oblongas, & admodum elegantes, plures numero, quas proceſſus mamillares Guiliel. Rondeletius p. m. Præceptor meus obſ. vocare ſolebat, affirmans ſuum hoc eſſe inuentum. *V. Cl. Ioan. Poſthius de obſeru. propr.*

OBSERVATIO.

Exigua caruncula è renibus per vrinam expulſa.

QVibus cum vrina craſſa, carunculæ paruæ, ac veluti capilli exeunt, iis à renibus excernitur. *Hipp. lib. 4. aph. 76.*

Exiguæ carunculæ vlceratorum omnino renũ ſubſtantiæ exiſtunt. Et paulo poſt. Quanquam ipſe

nunq̃ ſpectaui talem renũ affectionem, tamẽ veluti carunculæ mihi ſæpius in iis febrib. viſæ ſunt, in quibus etiam oroboides hypoſtaſis appellatæ Græcis, id eſt, erui ſpecie ſedimẽta ſpectantur in vrina, ex craſſo ſanguine in renibus aut iecore aſſato & torrefacto. Perfectas autem & exactas carunculas nunquam in tenui vrina exire vidi *Galen. Comm. in prædictum aphoriſmum.*

Carunculas appellat Hippocrates veras quidem carnes, ſed exiguas: ac quod veræ carunculæ cum vrina nuſquam aliunde decedere poſſunt, quam ex renibus, eſt certum. Affectio nobis ſemel viſa Niuellæ in quadam muliere, ætatis vtcunque prouectæ: traxit autem ſatis diu malum, verum tandem immortua eſt. *Hierem. Thriuer. Brachelius Comment. ad eundem Aphor.*

Exeunt nonnunquam carunculæ, veræ renum partes, licet in Aphoriſmis *Galenus* id ſe vidiſſe neget. *Sexto* tamen *de locis affectis*, & initio primi videtur agnoſcere, vbi iam vlceris acrimonia eroſit particulas renum: quomodo & in pulmonariis tabidis cõtingit particulas pulmonis expui, & in dyſenteria partes inteſtini.

In aduocato Perrot vidimus minimas carunculas, vt non ab re σαρκία μικρὰ dici deberent, quas ſæpe emingebat, neque reuera erat grumus. Has carunculas præcedit dolor pulſatilis, qui ad lumbos & nothas coſtas extenditur, & ſingula vlcerati renis. *Scholiograph. ad cap. 52. libri primi Hollerii de morbis internis.*

Obſeruatio.

Vniuerſa renis ſubſtantia in carunculas reſoluta, iiſdemque ad veſicam delatis, & ſubſiſtentibus, vrinæ ſuppreſſionem lethalem induxerunt.

VNiuerſam renis dextri carnem ex propria membrana in veſicam ſeceſſiſſe ipſamet ſectio, præſentibus quinquaginta, & pluribus ex noſtris auditoribus, facta oſtendit. Mihi autem (dum patiens in viuis eſſet) aſſerenti, in vrina fruſtula quædam rubra craſſiora carneam eſſe renum ſubſtantiam, nulla fides data eſt, donec, vt dixi, ſectio ipſa veritatẽ oſtẽdit: inuẽta renis membrana alba & illæſa, omni carne prorſus vacua, veſica vero ſanguine & carunculis referta, ex quibus vrinæ ſuppreſſio facta vitam ſeni ſuſtulit. *Cl. V. Herculis Saxoniæ obſeruatio.*

RENVM TRICHIASIS.

Obſeruatio.

Trichiaſis renum, quæ cum vrina capilli excernuntur.

QVibus cum vrina craſſa exiguæ carunculæ, aut veluti pili exeunt, his à renibus excernitur. *Hippocr. aphoriſ. 76 lib. 4.*

Rei veritas ita ſe habet, quemadmodum nobis ſorte quadam ſæpius videre contigit: & alii etiam nonnulli medici experientiſſimi, ſæpe ſe tales vrinas vidiſſe dicunt; quam quidem affectionem medici recentiores τριχίασιν vocant, quaſi pili mictionem dicas, quod villis, ea quæ per vrinam feruntur, ſimilia appareant. Sed nuper etiam quidam corpora eiuſmodi tam longa meiebat, vt incredibili longitudine viſerentur. Siquidem ex ipſis nonnulla dimidium æquabãt cubitum. Is toto fere anno prætergreſſo, frequentiſſime fabam freſam & caſeum tenerum & ſiccum comederat Et alii denique omnes quibus talia meiere contigit pachychymis & craſſis cibariis veſcebantur. Hic igitur craſſus humor in renibus ad aliquem vſque modum ſiccatus & torrefactus, pili ſimilem nanciſcitur concretionem. Quin etiam ipſa curandi ratio inueniendæ cauſæ viam demonſtrat. Nam qui ita ægrotarent, omnes medicamentorum tenuantium & incidentium vſu ſimul cum reliqua victus ratione humectante perſanati ſunt. *Galen. in comm. ad prædictum aphoriſmum.*

Ea quę pilis ſimilia ſunt, Hippocratres quoq; cum vrinis egredi vidit, quemadmodum ipſe in aphoriſmis ſcripſit, atq; nos etiam vidimus aliquando quæ palmæ longitudinem æquarent, interdum vero lõgiora, nonnunquam etiam admodum exigua, vt mirarer, quomodo in renum cauitate talia conſiſtere poſſent. Proinde probabilius mihi videbatur ipſorum procreationem in venis fieri, &c. *Idem libr. 6. De locis affectis.*

Quæ ſimilia ſunt capillis, in iis vaſis, quæ à renibus ad veſicam deſcendunt, generantur. Atq; quanta eſt longitudo vaſorum internorum, tanta generatur humoris compactio & aſſatio, atque illa veluti capilli ſimiliter extenduntur. Proinde cum ſæpius hæc ſpectauerim in aliquorum vrinis, nec quicquã aberraui à iudicio & præuidentia, dicens illos male habere ex renibus. Et illi veluti conuicti confeſſi ſunt paſſionem: atque confidentes, curationem mihi crediderunt. *Actuarius libr. 1. cap. 21. De cauſis vrinarum.*

Nos craſſiores vidimus quam ſunt capilli, & qui ita affecti erant, ſanitati reſtituti ſunt, illa propinando quæ vrinam prouocant, quod indicio eſt non eſſe renum exulcerationem, quia renum exulceratio, ex his quæ vrinam proritant, augetur. Ille autem, quem nos viſitauimus, per totam hyemem legumina comederat, tamen neque dolorem ex his capillis habebat, neque aliud nocumentum perſentiebat, ſed quandoque hoc videns exterritus, ad me acceſſit putans ipſe eſſe lũbricos, non erant multum craſſiores capillis, & erant albi, vt ex pituitoſa materia facti viderentur. Imo & nunc reuerendiſſimam virginem & principiſſam Elleonoram Eſtenſem (cuius nomen nunquam ſine digna præfatione nominandum eſt) curamus, & in vrinis veluti capilli videntur quandoque ad ſpithamæ longitudinem extenſi, ſed in huius virginis vrinæ cyatho potius inhærent & ſchaphio; quàm ſint per vrinæ ſubſtantiam ſparſi; ipſaque indies aperientibus potionibus ſumtis, & ex febre, & ex horum capillorum generatione liberatur. *Braſſauolus Comm. ad ſupra dictum Aphoriſmum.*

Capillos primum flauos, ad palmi maioris longitudinem, vidimus, & aliorum colorum, velut etiam arenulas, lapillos, quandoq; cum doloribus renum vehementiſſimis, & ſuppreſſione vrinę, quandoque abſque morbo vidimus, & aliorum colorum, velut etiam arenulas & lapillos. *Cardanus Comment. ad eundem Aphoriſmum.*

Cum ſit τριχίασις, id eſt, capillitium illud de quo agit Galenus, id eſt, pituita, quæ in longum diducta à calore exurente, capillos repræſentant, aliquando ad dimidium cubitum ex vſu craſſioris alimenti

genita, quæ cum vrina craſſa excernitur. Viſcidior enim fit,& reficcatur nō omnino quidem, ſed vt in longitudinem produci poſſit. Aliquando animatur vt cætera animalia, quæ ex putredine ortum habēt. Archigenes fieri putauit à fluxione mucoſa, vnde & foliacea & veluti pili,aliquādo implexi,breues,longi & materia quædam è venis ad renes, vbi cogatur. Galenus ſcribit in quibus talia exeunt, ſemper vrinam eſſe craſſam. Contrarium experientia docuit. Quidam annos plusquam viginti tales vrinas cum capillitio emiſit ruffas, mediocri conſiſtentia, non craſſas. Temperamentum illi erat biliofum, ſatis tamen quadratum & carnoſum corpus. Multis idem contigit cum vrina craſſa. *Scholiograph. ad cap. 50. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

Filamenta albis capillis ſimilia à renibus reddi, author eſt Hippocrates. At ipſi animaduertimus ea ſæpius ex iis vaſis ſpermaticis deriuari, quæ paraſtatæ dicuntur. In quibus teretem figuram ſortiuntur ex ſeminis materia, quæ vi morbi lenſim defluens, calore craſſeſcit. Apparent autem in iis plurima, qui fœda exulcerataque gonorrhœa correpti non ita pridem fuerunt, & iis mulieribus, quibus albicantes menſes profluunt, aut vterus fœda colluuie turget. Nonnunquam & vrina, quæ prima fit à concubitu, tale quiddam refert, aut aliquantum filamento craſſius. Iam vero ſanguis purus, aut in grumum concretus, recens vlcus; pus vero, inueteratum ac ſordidum oſtendit, idque aut in rene, aut in veſicæ ceruice. Diſcernitur autem quod à ceruice ingenti partis dolore manet; à rene nullo fere ſenſu doloris: quandoque à pene,aut veſicę ceruice omnia vel ſeorſum ſine vrina, vel emictionis initio profluunt: renibus vero, vel cum vrina diligenter permiſta, vel ſub emictionis finem, ſed quæ mox in quiete ſubſideant. *Fernel. lib. 3. c. 16. Patholog.*

Viſa etiam ſunt in vrina filamenta quædam alba, quædam craſſa, quædam tenuia, & quædam aliis longiora, quæ indicant nocturnam præceſſiſſe pollutionem, aut adeſſe ſeminis profluuium. Fit quoque vt ſanguine concreto in grumos, quod ſanguini è vena in aquā miſſo, is enim magna ſui parte tranſit in filamenta quæ viſcidam quandam referunt pituitam. Talia quoque filamenta è ſanguinis concretione in veſica fiunt, qua parte in aquam calidam ſiue vrinam calidam ſanguis effunditur. Mingun-tur quoque per id tempus ſanguinis grumi, qui interim, dum retinentur, pernitioſa & lethalia efficiunt ſymptomata. *Chriſt. à Veiga, cap. 4. Comment. De Vrinis.*

Narratum mihi eſt Biterris, ruſticum quendam illius regionis hominem craſſiora eiuſmodi filamenta circiter 25. intra paucos dies minxiſſe, quorum nonnulla palmi longitudinem æquabant, & vermes à ſpectatoribus iudicabantur. *Ioubertus cap. 20. de Vrinis.*

Observatio.

Nobilis matrona lanam, filamenta longa, nonnunquam velut ochra tincta, membranacea, pilos, atque huius generis prodigioſa alia multa cum lotio reddidit.

Qviddam ſe vidiſſe in nobili quadam Domina adhuc ſuperſtite indicauit excellentiſſimus medicus Ioannes Evvichius, quæ cum longo tempore renum calculo afflicta fuiſſet (nulla enim quãtumuis eruditorum medicorum ope iuuari potuit) poſt aliquos annos primum quidem aliquandiu lanam tenuem, nonnunquam inuolutam, interdum fila longa, alba duplicata, inſtar eorum quibus vtuntur veſtiarii, & quod fidem ſuperat, ſæpe cum nodo, ac ſi ad vſum confuendi aptata fuiſſent, per vrinam excreuit. Deinde vero, quæ res etiam aliquantulum temporis durauit, arctius compactam, velut ochra commixtam non tā lanam, quam membranam lanoſam, quali integunt ſeſe illi vermiculi qui ex Seribus inſulis ad nos afferuntur, cum lotio reddidit. Poſtremo non raro præter reliqua pilos longitudine vnius digiti, partim vtrinque albos, in medio nigros: partim contra principio nigros, cæterā albos: præterea acutos in vna parte tanquam extremitate, obtuſiores in altera quaſi profunditate ac radice (etſi radice carere oportuit) fortiuſculos, durabiles. Atque eiuſmodi materiæ tantum non miraculoſæ ipſa ſecum plenam portauit arculam, & pluribus videndam exhibuit, eiuſque partem Evvichio donauit. *Ioann. Wierus lib. 3. cap. 15. de præſtigiis dæmonum.*

RENVM VERMES.

Observatio.

Vermes in renibus geniti, eorundem, vt & lumborum, dolores excitantes, aliquando ad febrescon-ſequentes.

Vidi nobilem Peruſinum, nomine Guidarolum de Ballionibus, qui paſſus eſt quotidianam, cum dolore renum, per octo menſes: & in conualeſcentia emiſit cum vrina vermes paruos & latos, & ceſſauit dolor. *Gentilis Comm. ad lib. 3. fen. 1. Tract. 2. c. 3. Canon. Auicennæ.*

Exiguos interdum vermes, in renibus genitos, vidi cum vrina profuſos. *Fernelius Patholog. lib. 6. cap. 10.*

Memini me vidiſſe duos, quibus pituita putreſcens in vermes vertebatur, quos emingebant. Beaucler Aduocatus, poſt dolores renum, magnum vermem eminxit. *Scholiograph. ad lib. 1. cap. 50. Hollerii de morb. intern.*

In quodam è renibus longi vermes, præcedente magno dolore lumborum, per vrinam reiecti ſunt: in aliis duobus parui. *Idem ad cap. 54. libr. 1. Hollerii de morb. intern.*

Quod ad vermem ſeu lumbricum pertinet qui in renibus redundat, vix certa de eo opinio haberi poteſt, antequam is in conſpectum prodeat, niſi eius faciat aliquam coniecturam aſſiduus diuturnusque renum dolor cum eroſione & vellicatione, quem cum Nephriticus quidam olim Lugduni diu fuiſſet perpeſſus, nihilque ei contuliſſent varia præſidia, ex doctiſſimi Iacobi Dalechampii conſilio adhibita, tandem poſt aliquot dies exiguum vermem cum vrina excreuit, præditum capite acuto, corniculato, ventre & dorſo latiore, teſtulaque ſubdura induto inſtar Teſtudinis, nigrum ac rubētem duntaxat circa ventrem, quem idem Dalechamphius exſiccatū nobis Lugduni oſtendit, tanquam rem admodum nouam, & procul dubio prodigioſam. *Vidus Vidius Iunior lib. 10. c. 14. de Curat. membratim.*

In renibus Sereniſſimi Erneſti Auſtriaci, poſt alia vermem viuum oblongum, qui interiora Principis corroſerit,& mortis cauſa fuerit,deprehenſum pro-didit *Ianſonius Doceomenſis in mercurio gallo-belgico*:cu-ius verba integra ſuperius titulo *De morboſa renum conſtitutione*,retulimus.Cæterum Ianſonius Doceo-menſis in Sereniſſimi Principis huius anatome non correſpondet illi hiſtoriæ,quam ibidem ad plenum & exacte deſcriptam primo loco recenſuimus. *Schenckius filius.*

ISCHOVRIA FALSA VITIO RENVM eorumque Vaſorum

OBSERVATIO.

Emulgentium & renum imbecillitate ſeroſa materia in ſanguine coaceruata,atque aditu ad veſicam fruſtrata, & ad ſuperna delata,ægrum ſuffocatione & Angina ſuſtulit.

VEnis emulgentibus euenire poteſt, inter ali-quos morbos,debilitas attractionis ſoliti ſan-guinis aquoſi:ſicut etiam renibus; quare aut non at-trahunt,aut debiliter,& inde euenit difficultas, vel totalis vrinæ ablatio, etiam non exiſtēte vrina in ve-ſica:in quo caſu errant rudes medici, tentantes ex-trahere vrinam cum ſyringa,vel alia operatione ma-nus de veſica,& iſte eſt caſus ſingularis,vtplurimum inferens mortem.Quem ego vidi pluries,& inter a-lios cum multis aliis honoratis Medicis fui in cura Magnifici ac Illuſtr. D. Domini Galearii, de nobili familia Palauicinorum; qui ab vrinali aquoſitate in venis totius agregata ſuffocatus eſt,& hæc aquoſitas induxit ei Anginam, pro qua applicauimus vento-ſas ſine ſcarificatione,diuertēdi cauſa,& ventoſę per poros cutis implebantur purà aquoſitate. *Iacob.Car-pus in Iſagoge anatomica.c.de magna vena chyli & aorta.*

OBSERVATIO.

Vrina pluribus diebus ſuppreſſa, cum aditus ad vreteres & veſicam interciperetur,per vaſa ad iecur regeſta,ſanguini q; permiſta eundem refrigerans,cerebri & ſpirituum cra-ſim labefactauit,vnde lethalis tor-por obortus.

PArticulatim ſuppreſſa pluribus diebus vrina, ſe-rum quod in vreteras, aut veſicam permeare nō poteſt,per vaſa refluit ad ſuperiora, iecur opprimit, ſanguinem inficit, & refrigerat, tandemque tracto in conſortium mali Cerebro, & Spiritibus tum re-frigeratis, tum interceptis, torporem lethalem in-uehit.Quomodo paucis ab hinc diebus,ſenem Are-lateñſem moriturum prædiximus, qui paulo poſt ſomnolentus factus, &, vt aſſidentibus videbatur, ſuauiter quieſcēs,interiit. Torpor enim huiuſmodi tum in his, tum in phreniticis quibuſdam ſomni ſpecie imperitis imponit,quod dolores, vigiliæ,in-quietatio, ſimiliaque ſymtomata conquieſcere vi-deantur.Somnus tamen nōn eſt, ſed νάρκη, & inde νέκρωσις,in quâ caloris natiui diſſipatio,quæ ſumma refrigeratio eſt, non ſolum animi functiones tollit, ſed etiam ſtatim ab initio prohibet, ne ſpectra Ce-rebri ad imaginationem moueantur, quia calore ea motio perficitur, *Iacotius Comment.1.ad lib.7.ſect.2.aph.16,Coac. Hippoc.*

OBSERVATIO.

Emulgentium venarum renumque deperdita actione, in-ducta Iſchuria, qua vrina non in veſicam delata, ſed ſur-ſum regeſta,non tam per vomitum, paulo ante mortem, e-iecta, quam in vniuerſum corporis habitum propulſa fuit, Illuſtriſsimumque Seuerinum, Illuſtriſsimi Henrici Saxoniæ Ducis filium, duodecim an-nos natum,è medio ſu-ſtulit.

QVandoquidem Illuſtriſſimum Saxoniæ Prin-cipem Seuerinum, annum vix duodecimum egreſſum,(proh rerum humanarum inconſtantem viciſſitudinem!) vita defungi contigit,ne quiſquam forte crudelis morbi ſui ſpeciem, quæ Principem o-ptimum nobis,in primo flore conſtitutum, è viuis ſuſtulit, deſideret; viſum eſt, primum morbi origi-nem, deinde eiuſdem progreſſus & ſymtomata,po-ſtremo interitus ſui rationem vniuerſam propone-re.Conſtat autem eundem ſupra trimeſtre firma ſa-tis valetudine vſum, deque nullis offenſis conque-ſtum,imo partium corporis pleraruмque omnium muniis,citra noxam,ad quartum vſq; Octobris per-functum fuiſſe. Quo die cum inculpata ſanitate perfrueretur, atque ſummo mane è lecto ſe recipe-ret,& cibum circa ſeptimam moderato appetitu ſu-meret,paulo poſt, intra horam,inſcio medico, bal-neum,quod in Regii caſtri horto conſtructum fue-rat,ingreſſus eſt.De mora vero,cæteriſq; quæ in bal-neo acciderint,equidem nihil mihi conſtat. Egreſ-ſum vero Ducem, minus bene habentem animad-uerſum,& ad prandium, quod vndecima hora pa-rabatur,viſus tum primum eſt cibum faſtidire, eun-demque perpaucum admiſiſſe. Ego circiter horam ſecundam promeridianam vocatus,de ſingulis dili-genter inquirens, debilem certe, at febricula nulla correptum, Ducem deprehendi. Denique preſſius omnia perpendens, ſignorum ſyndrome tandem perſuaſus,Principem, affectu aliquo meatus vrina-rios occupante, correptum, conieci; argumento, quod frequentiore vomitu exerceretur, doloremq; vreteris ſiniſtri hypochondrii perſentiſceret; arenu-las præterea, quibus iam olim quoq; obnoxius fue-rat,excerneret,atque vrinæ pauciores ſubinde pro-dirent: quæ haud exiguam mihi affectorum vrina-riorum meatuum coniecturam præbuerunt. Bidu-um poſt aluo ſua ſponte, nulloque medicamento prouocata,reſpondente, ſubſequentes duas noctes ſuaui ſomno exegit. Porro octauo menſis huius die, concubia nocte,ſubtus vmbilicum ad dextram ver-ſus pectinen plurimū dolore cœpit, vomitiones et-iam eundem denuo grauiter vrgebant,detento vna lotio,quod non niſi admonitus,idq; mira paucitate adeo quidem, vt vix vltra ſex octoue guttulas, citra vllam naturalem extimulationem, reddebat, ſic-que grauiſſimam moleſtiſſimamque noctem ab-ſoluit. Poſtridie vomitionbus nihil dum remit-tentibus de præcordiorum quoque dolore quære-batur, quo lumbricum trium palmarum longitu-dine vomitu reiecit. Ea res magnam aſſiſtentibus nobis opinionē fecerat, vniuerſam mali huius cau-ſam ad verminationem referre.Quanquam autem, eodem lumbrico expulſo, pluſculum alleuiari ſibi videretur, perſtitere tamen nihilominus ſymtoma-ta. Itaque omnis generis localibus, anodynis, a-liiſq;,quibus dolor diſcuti,aut ſaltē leniri potuiſſet, adhibi-

adhibitis, tonoticiſque, de vario confectionum, electuariorumq; apparatu concinnatis; quorum vſu vel vrinæ prouocari, vel vermes necari, atque educi quiuiſſent, exhibitis, non minus ea, atque cibos ſumtos ſtatim euomuit, vrina nimirum ſurſum regeſta, aluoque indurata, lotio ſuperiora verſus regurgitante; ſiquidem ſex aut octo horis, priuſquam animam ageret, vrinam meram, colore & odore cuiusaſtanti facile agnitam, quo etiam tempore primum delirare cœpit, euomuit. Inter ſextam vero & ſeptimam eiuſdem diei, quæ decima menſis huius, morbi vero ſeptima fuerat, innocentiſſimus Princeps humanas naturæ leges ſoluens, animam Deo omnium conditori reddit. Poſtridie Sereniſſimæ Regiæ maieſtatis conſiliarii, & ſummus Curiæ Magiſter, aſcito alio quoque medico, chirurgiſque aliquot, corpuſculi Ducis ſectionem inſtituunt, quo latentes morbi huius cauſæ inueſtigarentur. Aperto itaque abdomine, cum aſtantes plerique de cohibito lotio eſſent ſolliciti, diligenter meatibus vrinariis perueſtigatis, nihil, quod eoſdem obſtrueret, compertum, adeo vt nec lapilli, nec grumi, nec caruncula, neque phlegmone, vlcuſve, aut conſimilium quicquam animaduerteretur. Ad veſicam vbi peruentum, eandem vacuam, corrugatam, exſuccam, omniſque aquei humoris expertem obſeruauimus; ſic vt chirurgi cathetere egerrime inueniri potuerit, quanquam & viuo illo, vel immiſſo in veſicam cathetere, vel etiam mulieris, quæ ſuctu lotium prolicere nitebatur, opera, fruſtra omnia tentata tum fuerant. Cauſam igitur retenti lotii ex ſuperioribus membris, feroſo humori excipiendo deſeruientibus, adſcribendam eſſe, vel hoc vnico eodemque validiſſimo argumento conuincitur, quod corporis cutis quaqua verſum diſſectio è veſtigio aqueum humorem, odore & colore exactiſſime vrinam velut in hydropicis repræſentantem, ex ſe remitteret. Gibba denique hepatis pars, à natiuo colore ad pallidum declinans, aſſiſtentibus omnibus manifeſte viſa eſt. Sed mihi vniuerſa Illuſtriſſimi Ducis corpuſculi conſtitutio talis omnino apparuit, quæ abſolutam ſanitatem promitteret. Etenim quo tempore etiam inculpata ſanitate vti videbatur, perpetuo pallente facie omnibus innotuit. Reliqua inteſtina omnia, vtcunque diligenter diſſecta, & exanimata, nihil lumbricorum aut putrilaginis, quod eorundem fomitem argueret, viſum eſt.

Proinde Generoſiſſimi huius Principis nulla alia, quam hactenus à nobis enumerata, mortis cauſa ſtatuenda eſt: imbecillis nimirum & deprauata temperies venarum emulgentium atque renum, qua attractrix vis labefactata, legitimum munus, feroſum humorem ex reliquo ſanguine in ſe recipiendo, corrupit; nam iſthæc vaſa viſceraque nobis medicis, ceteriſque aſtantibus, minota omnia, natiuoque colore deſtituta conſpecta ſunt. Vnde factum, vt nihil aquei humoris ad veſicam trâſmitteretur, eiuſdemque pars ſurſum ad ventriculum regeſta vomitiones crearet, pars etiam in habitum totius corporis diſpergeretur. Hæc ſunt, Doctiſſime Aurbachii, quæ Sereniſſimæ Regiæ maieſtatis, ſummique Curiæ magiſtri iuſſu, de Illuſtriſſimi Saxoniæ Ducis Seuerini lamentabili morbo & obitu, cum ſumma animi mei perturbatione ad te perſcribere debui. Ex Oeniponte 11. Octobris, Anno ſalutis M.D.XXXVIII. *Georgij Tanſtetteri Medici Regij, Epiſtol. ad Aurbachium data.*

Observatio.

Aliæ illuſtres hiſtoriæ, quibus, nihil vrinæ ad veſicam deferri, oſtenditur.

De quodam genere retentionis vrinæ, in quo vrina ne quidem in veſicam delabitur, vt, quid obſeruauerim, explicem, facit eius inſolentia & raritas. Etenim ab eo tempore, quo medicinam factitaui, quater tantum hoc genus affectus mihi occurrit.

Semel quidem in Ditione Fuldana, vbi ruſticus quidam vehementem in lumbis dolorem patiens, eo malo periit, non ſine ſuſpicione phlegmones internæ renum.

Secundo vidi illud malum in familia Reuerendi & Nobilis Viri Ambroſii Gompenbergii olim Præpoſiti Eichſtadiani, & Baſilienſis. qui famulum habebat, qui ex contuſione lumborum in eorundem internam inflammationem vehementem, febrem acutam excitantem, inciderat. Quo vita defuncto, cum adhibitis Chirurgis venter aperiretur, ac inteſtina remouerentur, animaduerti in internis muſculis abſceſſum, à renum regione ad veſicę fundum exporrectum, deliteſcere, ex quo aperto magna puris copia exiliit.

Tertio oblatus mihi eſt puer, cuiuſdam honeſtæ Viduæ Aichſtadianæ Filius, annos duodecim natus, qui multis præſentibus doloribus, vel in veſicæ regione, vel in lumbis, aut renum regione, vſque ad decimum quartum diem vrinam retinuit. Cui, poſt multa tentata remedia, cum tandem aluum purgantem potionem, per os datam, præbuiſſem, & vmbilici regio ſeuo Ceruino illita fuiſſet, vrina tandem excreta fuit, non ſolum multas arenoſas materias, ſed & viſcidas alias continens. Ac hæc arenarum, tum etiam craſſæ ac viſcidæ materiæ excretio per octo fere dies durauit. A quo tempore deinceps bene valuit, & adhuc valet.

Quarto eadem affectio etiam occurrit in quodam Aichſtadiano Senatore, Viro alioquin robuſto & craſſo, ſed perpetuis commeſſationibus indulgenti, quod hoſpes eſſet. Is igitur cum poſt diuturnam crapulam in lumborum dolores incideret, & tum per aluum, tum etiam per veſicam ſanguinem effunderet, lenientibus clyſteribus à me aluus abſterſa eſt; & conſtituta diæta conueniens. Ceſſantibus itaque dictis ſymtomatibus, & doloribus magna ex parte diminutis, cum denuo ad priorem diætam rediret, ac vina largius etiam biberet, ſenſim dolores redierunt, & febres lentæ ſequutæ, non abſque pulſu febrili. Itaque cum ad decimum diem vſque in hoc ſtatu valetudinis procederet, neque me de recrudeſcentibus doloribus illis certiorem faceret, tandem admonitus à domeſticis ipſum acceſſi: ac vt auxilia & remedia idonea admitteret eum monui. Differt tamen ea, donec omnia ad ſummum vigorem peruenirent. Vbi cum vena ſecta eſſet in crure, & clyſteribus lenientibus, aliiſque neceſſariis præſidiis agere porro conſtituiſſem, is vſum illorum repudians, clam me, quibuſdam diureticis potionibus, à quibuſdam ſuppeditatis, vſus eſt. Interim vrina plane cohibetur, quam cum poſt

longum retentionis tempus, cathetere veſicæ immiſſo, educere tentamus, experimur nullam quidam vrinam in veſicæ capacitate contineri, neq; aliqua diſtentio circa veſicæ regionem aduertebatur. Cum vero neque tum obedientem ſe ſatis ad neceſſaria auxilia præſtaret, malum peius redditum eſt, & regurgitante ſero ad venas, hydropica diſtentio circa pectus ſequuta eſt, ac æger ſuffocatione periit. Ex quibus facile cerni poteſt, obſtructionem in renibus vehementem adfuiſſe, non ſolum ex calculis ortam; quibus obnoxius erat, ſed internis etiam tumoribus, & ſanguinis affluxu auctam, quæ opem nullam admiſerit. CL. V. *Iacobus Oethæus libr. Obſeruat. propriarum.*

Prior Cœnobii Diuæ Agnetis Mantuę vrinę ſuppreſſione tentatus eſt, annum quinquageſimum agebat, corporis habitu pituitoſo præditus, nullaque præcedente manifeſta cauſa, vrina paulatim, ſenſim ac ſenſim imminui cœpit, ita vt ſemel duntaxat diminuteq; admodum in die meieret, donec omnino cohibita eſt, nullo tamen ſenſibili ſaltem nocumento in renum, vreterum vaſorum, vel veſicæ regione percepto; quo pacto per plures dies perſiſtens, corpus vniuerſum intumeſcere cœpit, atq; in longe maiorem conſueto molem attolli per omnem dimenſionem, eute perlucida apparente, mollique, ita vt ſub ea vrinam contineri facile diiudicaret Medicus qui ipſius curam ſuſceperat, necnon & Excellent. fęlicis recordationis, Præceptor meus, Franciſcus Ducalis Medicus, qui aduocatus fuerat, aderat pariter leuis continuaque febricula, affligens ægrotantem, ſicque in caſſum præſidiis omnibus tentatis, vitam cum morte commutauit, cuius ſymtomatis cauſam indagare operæpretium erit.

Cum ex ventre in venas, atque in vniuerſum tandem corpus meare chymum eum, qui ex cibis eſt, in ſanguinem hepatis virtute mutatum oporteat, craſſiorque ac compactior natura ſanguis exiſtat, quam vt facile venas, quæ ſunt in hepate multę & anguſtę, pertranſire poſſit, neceſſe fuit, vt illi comes eſſet, atq; permiſceretur tenuis quæpiam & ſeroſa humiditas, quæ facile per anguſta loca permeare poſſet, hunc ſane humorem Hipp. ὄχημα τροφῆς, id eſt, vehiculum nutrimenti appellauit, tenuis hic humor vna cum ſanguine aliquandiu immixtus ad id, quod diximus, opus perficiendum derelinquitur, quod vbi expleuit munus, onus, alienumque fit venis, à quibus ipſe venarum emulgentium, renum, vreterum, & veſicæ beneficio expurgatur, quod excrementum communi appellatione vrina vocatur, nihilq; aliud eſt *Gal.* ſententia, *com. 1. ad 3. lib. de morb. vulg. tex. 6.* quam ſetum humorum in venis contentorum, vel ſanguinis colatura ex *Actuario lib. 1. de vrin. cap. 4.* Hæcà venis ad renes deriuari, mediante propria renum naturali facultate attractrice, nec alio modo id fieri poſſe antiquorum quorundam confutans ſententias, *Gal. lib. 1. de natur. facult.* abunde docet. qua de re, ſi hæcà renibus tollatur & deficiat, vrinam ad ipſos minime deriuari poſſe, nec per conſequens per veſicam excerni, non eſt ambigendum, ſicq; vrinæ ſuppreſſionem ſubſequi. Etſi enim lotii ſuppreſſio, *Gal.* teſte *6. de loc. aff.* veſicæ ſymtoma proprium ſit, ſupprimi nihilominus vrina poteſt veſica ipſa haudquaquam affecta, ſed renibus vel vreteris, vel vrinæ fiſtula, quemadmodum ipſe Gal. primo eiuſdem docet.

Qua de re, cum ægrotus prædictus nullo vitio circa veſicam, vreteres, & canalem virgæ, vt coniectura aſſequi poterat, detineretur, renes male affectos fuiſſe videbatur dicēdum: hos autem, cum tumore, obſtructione, aliove conſimili morbo, detineri nullo indicio depræhenderentur, conſequens erat, affectionis cauſam reiicere in eorum facultatem attractricem, per initia quidem diminutam, procedente vero morbo penitus abolitam: ex quo, cum ſanguis in venis contentus à ſeroſo excremento expurgari non poſſit, id tandem per partem poſt partem per vniuerſum corporis ambitum diſſeminatum fuiſſe. q: vero, perdita renum actione, vrina in veſicam omnino non veniat, *Gal.* clariſſime 3. *de ſimpl. cau. c. 2.* docet, vbi inquit, ſymtoma id à vulgo medicorū Iſchuriam vocari, licet Iſchuria proprie ſit veſicæ tantum ſymtoma, permittendos tamen eſſe ita nominare, cum propriam appellationem non habeant. *Marcellus Donat. lib. 4. cap. 28. Med. hiſt. mirab.*

OBSERVATIO.

De lotij ſuppreſſione in qua non deſcendit vrina in veſicam.

SVpprimitur duplici ratione lotium, alias plena, alias vacua exiſtente veſica: cum plena eſt, appellatur hic affectus à Græcis proprio nomine Iſchuria. cuius cauſas & curationes diffuſiſſime omnes ſcribentes explicarunt; cum autem eſt vacua, ſuppreſſio quidem eſt dicenda, non tamen Iſchuria, cum in hac veſica non ſit affecta. cuius ſuppreſſionis tractationem omnes fere authores intactam reliquerunt, pauciſſimi autem vix attigerunt, quę tamen affectio à medico nequaquam negligenda, nec ignoranda eſt, cum hinc plurima mala ſymtomata, & ſæpenumero mors ineuitabiliter ſuccedere conſueuerit. Hanc ego explicaturus, & eius cauſas primo exponam, deinceps harum cauſarum ſignis enarratis, ad curationem deſcendam. Suppreſſio hæc vel pororum vitio vreterum vel renum, vel venarum emulgentium cauſari poteſt. Ratione pororum vreterū, hoc contingit, ipſis vel conniuentibus, vel obſtructis: conniuent propter aliquam collectionē in ipſis factam, ſicuti vel propter inflammationem, vel ſcirrhum, vel quempiam ſimilem tumorem. obſtruuntur autem vel à calculo, vel à ſanguinis grumo, vel à craſſiori pure, vel à viſcida & craſſa pituita. Ratione renum hoc euenit, vel deperdita renum actione. cuius merito à venis emulgentibus attrahere non poſſunt, quod erit ratione intemperiei ipſorum renum valide, quę intemperies ſolet eſſe frigida. ab hac pręcipue enim omnes virtutes labefactantur, & deperduntur vel ipſis obſtructis. obſtruuntur autem potiſſimum à calculo in ventriculis earum exiſtente, vel à copia arenularum mixtarum cum mucoſa & viſcida pituita; Ratione venarum emulgentium, hoc contingere vt plurimum conſueuit, cum obſtruuntur; obſtruuntur autem præcipue à pituita craſſiori & viſcida ac tenaci, credo etiam poſſe obſtrui à pure craſſo, quemadmodum & ab eodem ſæpe obſtruitur veſicæ collum, hoc tamen ita frequenter apparet. poſſumus etiam imaginari ipſis conniuentibus ob aliquam collectionem hunc eundem affectum gigni poſſe: tamē cum non ita experimento hoc compertum ſit, non ita hoc pro confeſſo aſſeto, cuiuſcemodi certe affirmo hoc ſæpe contingere

obſtru-

obſtructionis eorũ merito. Hæc de cauſis, ſigna hæc erunt. Si ſuppreſſio fiat conniuentibus meatibus vrinariis ob inflammationem vel aliquam aliam ſimilem phlegmonoſam diſpoſitionem, aderit dolor in partibus illis. qui dolor cauſatur quidem principaliter ab affectu ipſo, ſed exacerbatur etiam ab acrimonia vrinæ eo permeantis. etſi patiens lotium habuerit calidius, & acrius, dolores erunt, ex eiuſdem lotii acrimonia, locos inflammatos mordicante, ſæuiores, aderit & febris ſimul, & cum his erit grauitas circa lumborum, & renum regionem, his lotio quod permeare ad partes non poteſt inferiores, repletis exiſtentibus. hicque affectus ſolet vtplurimum habere cauſas præcedentes, & cito generatur. ſi autem hoc fuerit ratione ſcirrhi, præceſſit alter affectus in partibus illis, à quo potuit ſuccedere ſcirrhus ille: vel ſi ex materia eo collabente & collecta factus eſt, paulatim generatus erit, nec dolor, aut febris eum concomitabitur; ſuperueniet tamen & grauitas in renum regione, & circa lumbos ob retentum, & grauans in illis locis lotium. Si autem hi meatus obſtructi fuerint, ſi à calculo, calculi aderunt propria ſigna, & dolor aderit ſæuiſſimus, & hoc maxime, vbi calculi non læues, ſed aſperi exiſtent vna cum grauitate prædictarum partium: nec in hoc ratione affectus vlla aderit febris, quæ tamen ratione exacerbationis dolorum, alteratis ſpiritibus ac humoribus ipſis, ſæpe in his caſibus ſuccedere ſolet. Si à ſanguinis grumo, lotium omnino præceſſit ſanguinolentum, hocque factum erit vel ratione caſus, vel longæ, ſeu validæ equitationis ac agitationis, vel percuſſionis, vel vulneris: aut his non præexiſtentibus, ratione vel plenitudinis, vel acrimoniæ, vel tenuitatis, & ſuperfluæ caliditatis, ſanguinis aperientis ſuperiora vaſa. Si à pure, præceſſit abſceſſus, vel in renibus, vel in hepate, vel in aliis partibus ſuperioribus, quo diſrupto, lotium purulentum apparuit, fluente autem craſſiori, facta eſt obſtructio. Si à pituita craſſa, & viſcida, non eſt dolor in parte læſa, non adeſt febris, apparent indicia abundantis pituitæ, & confeſtim facta eſt iſta ſuppreſſio, quam ſemper concomitatur grauitas in renibus & lumbis. Si vero fuerit hæc ſuppreſſio vitio renum, vbi earum actio fuerit deperdita, apparebunt ſigna intemperiei frigidæ ipſorum renum, quæ per plures dies (nam intemperies ſubito introduci non poteſt) præceſſit, cuius ſigna erunt, vrinæ albedo præcedens, paucitas deſiderii Veneris, languiditas earum partium, læſio à refrigerantibus, & infrigidantium forſan præceſſit occaſio, ſicuti aquæ frigidæ potus, eiuſdem balneum, infrigidantia his partibus intempeſtiue, & ſine ratione adhibita, & quæ huius ſunt qualitatis, & ſimilia, & ab hac cauſa non affatim, nec ſubito ſupprimitur lotium; quoniam intemperies ſubito introduci non poteſt, ſed paulatim aucta eſt in cauſa, vt paulatim etiam earum actio deperdatur, cuius merito fit, vt lotium continue in quantitate imminuatur, nõ valide attrahentibus à venis, & vaſis lotium deferentibus, renibus ipſis. cum autem ad ſummum peruenerit, tunc omnino deperdita actione, nihil attrahitur, & inde ſeroſa ſanguinis pars ſupra renes ipſos retinetur. Vbi autem fuerint obſtructi renes. ſi à calculo, ſigna calculi præceſſere, & in his eſt ſenſus grauitatis, nullus tamen eſt dolor, dum enim lapides in ventriculis renum continentur, nec inde exturbantur, nullum inferunt, vt experientia compertum eſt, dolorem. Si autem ab arenoſa, & mucoſa materia ſimul mixta fiat hic affectus, earundem præceſſere indicia, & aderit grauitas notabilis, & aliqui ſuccedent dolores, conuerſa aliquando in flatus portione materiei viſcidæ, & mucoſæ, ſed dolores hi non erunt, nec graues, nec ſæui, nec continui. Si fiat autem ſuppreſſio ratione venarum emulgentiũ, vbi fuerit ab obſtructione: Si à pituita, obſtructio hæc confeſtim eſt facta, adſunt ſigna abundantis pituitæ, nullus eſt dolor, nec vlla adeſt grauitas in renibus. & hoc eſt ſignum peculiare & certiſſimũ, quod retineatur ſanguinis ſeroſitas ſupra renes. Vbi enim vel ratione renum, vel pororum vreterum fiat confeſtim hęc ſuppreſſio, ſemper circa renes, & lumbos eſt grauitas; cum autem vitio venarum emulgentium hoc contigerit, nullus grauitatis ſenſus nec minimus quidẽ apparet. Quod idem verificatur, ſi à pure obſtruantur, cuius eadem aderunt ſigna, quæ in ſignis obſtructionis pororum vreterum à pure factæ relata ſunt, ſi autem conniueant propter aliquem tumorem, ꝙ experimento non ita liquet, aderunt, excepta grauitate renũ, eadem ſigna, quæ dicta ſunt in ſuppreſſione ex conniuentia pororum vreterum cauſata. His omnibus autem commune eſt, vt vtraque vaſa, ſcilicet & dextra, & ſiniſtra pariter afficiantur. Vbi enim altera pars illæſa eſſet, nunquam lotium in totum retineretur, altero fungente munere ſuo, per ꝙ ad veſicam deſcendere vrina poſſet. Vbi autem vrina ad veſicam non deſcendat, rationeque prædictarum cauſarum retineatur, Medicus omni vtatur diligentia, ſolicituſque admodum ſit in remouenda cauſa, hinc enim celeri indigent ægrotantes auxilio; quoniam ſi per plures dies retineatur lotium, ineuitabiliter pereunt, & hoc quoniam retenta illa ſeroſitate ad intra venas, & cõmixta ſanguini, totalis humorum moles putreſcit, & febres continuas & prauas generat. hunc autem terminum obſeruaui, vt, ſi ante ſeptimam mingant, ſaluentur. ſi vltra, licet deinde remoueatur cauſa, & lotium prouocetur, tamẽ, accenſa febre vtplurimũ poſtea eos periiſſe, animaduerti: quare non negligat hoc ſymtoma Medicus: licet nec vllo dolore, nec vlla moleſtia hinc aliquãdo affligantur patiẽtes, ſed ſit ſolicitus, & ſagax, omniq; induſtria vtens, cito, & quamprimum vocatus fuerit, cauſis intendens, vrinæ retentionem hac deſcribenda methodo inhibeat. Si fuerit ſuppreſſio ratione conniuentiæ pororum vreterũ ob aliquam phlegmonoſam diſpoſitionem, lenita aluo per caſſiam, quæ pręcipue in vſum veniat in affectibus membrorum vrinæ deſeruientium, ſtatim ſecetur vena. ſanguinis quantitas ſit pro ratione habitus, & plenitudinis. poſtea loci patientes inungantur oleis refrigerantibus, & laxantibus, quale præcipue eſt violaceũ, & iiſdem ſæpius perfundantur. epithementur etiam ex aquis refrigerantibus, addita portiuncula aceti ad penetrationem, & quibuſdam ſpeciebus eadem facultate donatis, quales ſunt illæ quæ parantur pro vnguento ſantalino. poſſunt formari emplaſtra ex herbis eiuſdẽ facultatis, ſicuti endiuia, ſonco, plantagine, ſolatro, lactuca, ſemperuiuo, & huiuſcemodi, additis earundẽ ſuccis, & farinis cõſimilibus,

quæ

quæ impinguentur oleis prædictis. & niſi ex his cedat inflammatio, laudo, vt etiam lecentur, his præmiſſis, venæ inferiores vitentur interim omnia diuretica & præcipue in morbi principio: quorum tamen poſteà erit vſus; lenita inflammatione; & ex diureticis aſſumantur ea quæ humiditate addita, & frigida exiſtentia poſſunt & demulcere, & prouocare lotium, qualia erunt ſemina communia; ſæpiuſque infundantur clyſmata refrigerantia, & lenientia, vel ex ptiſana, vel ex lacte, vel ex decocto herbarum refrigerantium, quibus earundem ſucci; oleà refrigerantia, & quæ huiuſce ſunt facultatis, commiſceantur; miteſcente autem inflammatione, admiſceantur refrigerantibus aliqua leniter diſcutientia & laxantia, ſicuti inunctioni oleum camomelinum, & oleum de ſcorpionibus. epitemati aquæ aliquæ leniter calefacientes, additis ſpeciebus diarrhodon, quæ minus, quam prædictæ, refrigerare poſſunt & ſpica, & ſquinanto, & ſimilibus: emplaſtro autem flores camomeli; farina ſeminum lini, & quæ huiuſce ſunt claſſis; in declinatione autem ſint pure diſcutientia. Reuulſiones continuæ interim fiant ad corporis extremas partes, cum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis ſcarificatis & non ſcarificatis: quę nunquam circa patientes locos applicentur niſi in manifeſta inflammationis declinatione, quo tempore ſupra locum affectū appoſitæ, affectum ipſum diſcutiendo, multum prodeſſe poterunt. Victus ſit eius qualitatis, qua in internis inflammationibus indigemus. Si autem conniueant ratione ſcirrhi, purgando corpus, emollientibus agendum erit, & curatione ſcirrhi tractandi ſunt, cuius tamen, ſi vnquam fiat, ſanatio erit impoſſibilis, cum vrgentia excernendi lotii valde inſtet indutiaſque non ſit datura, ſcirrhi autem curatio ſit admodum longa, in quà tamen ad laxandum non prætermittatur balneum olei dulcis. Si autem hi meatus à calculo fuerint obſtructi, hic veniant in vſu omnia, quę ad curationem calculi à ſcriptoribus referuntur, præcipue autem laxantia adminiſtrentur; quale eſt olei dulcis balneum, vel ex decoctionibus herbarum idem præſtantium præparatum. Si autem hoc ſit vitio grumorum, firmetur ſanguis, & ea, quæ grumos diſſoluere apta ſunt, adminiſtrentur. Si vero hoc ſit factum à pure craſſiori, abſtergentia exhibeantur vnà cum incidentibus, exterius autem laxantia adminiſtrentur. Si hoc fuerit factum à pituitâ viſcida, & craſſa, hic aſſumantur ea, quæ dicam agenda eſſe in obſtructione venarum emulgentium, ab eadem materia genita. At cum cauſabitur hæc ſuppreſſio ex deperdita renum actione, hic earum frigida intemperies tollenda erit, quam difficillimum erit remoueri; quoniam ad hunc gradum producta eſt tanquam intemperies in habitu redacta. Hæc autem præcipue clyſteribus ex calefacientibus medicamētis paratis; erit remouenda, ad quam eandem intentionem exhiberi poſſunt aromata, pulueres, ex his paratæ ſpecies compoſitę, confectiones aromaticæ, & etiam aliquando confectiones magnæ, quibus ſemper admiſceantur nonnulla, quæ hæc medicamēta ad vias lotii deducere queant. exterius autem adminiſtrentur epithemata, inunctiones, linimenta & emplaſtra calefacientia, & vbi res vrgeat, etiam ad ſinapiſmata & dropaces aſcenderem. in his enim omnia tentanda ſunt, quoniam hic eſt caſus paralyſi ſimilis. Vbi autem vel à calculo, vel ab arenis ſint obſtructi renes, in hunc caſum & curatio calculi & arenularum traducatur, quærendo ſimul harū partium laxationem, & exhibendo ea, quæ renes mundificare & abſtergere, & exobſtruere, & ad expulſionem proritare poſſunt, inter quæ pro tollenda horum renum obſtructione non dimittantur plantaginis radices, nec eius ſemina, quæ ad hoc efficaciora ſunt, ſicuti & aſparagus, & pœonia, & alia huiuſce qualitatis. Cum vero ratione venarum emulgentium non deſcenderit lotium ad partes inferiores, nec ſeroſa ſanguinis pars ad renes attrahatur; ex earum impedimento; & læſione; ſi fuerit ratione conniuentiæ harum venarum, fiant ea, quæ dicta ſunt in conniuentia pororum vreterum. Si vero fuerit ratione obſtructionis, vbi hoc contigerit à materia frigida, & craſſa obſtruente, ſtatim, nihil contra indicante, exhibeatur medicamentum, quod pituitam purgare queat: quo exhibito, & minorata materia, ſtatim accedat medicus ad ea quæ valide incidere poſſunt. quorum licet plurima ſit ſylua, tamen non omnia hæc, cum quibuſcunque ex antiquorum monumentis patere poſſint, recenſebo, ſed tantum ea, quæ mihi, & vſu, & experientia comprobata ſunt. Hæc autem erunt iſta. iubeo ego aquas ſtillatitias, vt ſubtiliorum partium ſit medicamentum, per Balneum Mariæ factas, parari, quæ quinquies, & ſexies ſuper eaſdem fæces deſtillentur, & vltima vice adeo violenter educatur, vt fæces, quantum fieri poterit, ſiccatæ remaneant. fæcum habeo vſum aliquando in puluere, ſed aquam in potu exhibeo, cum feliciſſimo ſucceſſu. in hunc vſum aſſumo parietariam, ononidem, aſparagum, ſolatrum, alchencheri, adiantum, elenium, pulegium, rutam, & alia ſimilia; & ſi timeam hæc debilia eſſe, aſcendo ad aquam Raphani eodem modo paratam, à qua nunquam fruſtratus ſum ſpe concepta, ſi cito & continue adminiſtretur. In huius defectu, neceſſitate vrgente, veniant in vſum cantharides integræ ad granum vnū, vel ad ſummum duo, exhibitę vna cum ſcrupulo dimidio ſemin. ammeos; quod ſolet eſſe antidotus propria, & remedium potens ad defendendam veſicam à læſione cantharidum. Et quamuis ex hoc medicamento periclitemur de lædenda veſica, non tamen ab hoc remedio abſtinendum; cum in caſu deſperato omnia temere ſint agenda, & ea maxime, quæ cum ratione adminiſtranda veniūt, quales ſunt cantharides in caſu iſto, quæ, vt docebat *Gal. lib. 4. de ſimp. Med. facult. cap.* 19. commixtæ medicamentis vrinam cientibus, ex veneno tranſeunt in antidoti naturam, vbi parce, & in minima quantitate exhibeantur.

Ad idem facere poſſet ius galli antiqui cum diureticis, & calidioribus, valde tamen incidentibus medicamentis, præparatum, ſed præſtantiora ſunt prædicta: quæ ſi etiam non proficiant, exhibeatur ſcrupulus olei ex calchanto per ſublimationem parati, ſummaque cum ratione confecti: ſeu aliquod generis elyxir cum vino vel iure ad eandem quantitatem propinetur. Dum hæc fiunt, optima habeatur victus ratio, quæ ſit attenuans, & incidens, ab ſtinendo à potu quantum fieri poterit, ne ex multo potu, plures aggregentur ſeroſitates; interim clyſteria ex calefacientibus medicamentis infundantur, & exterius, qualia in deperdita renum actione

agen-

agenda enumeraui, adminiſtrentur. ſi fiat autem obſtructio hic à pure, conuenire poterunt ea, quæ ſuperius inter leuiora exhibenda per os enumeraui, quæ ſi non conferant, ad vehementiora aſcendat. Medicus, laxando ſimul vias, tum per interius infundenda, tum per exterius applicanda, cauendo in hoc ſemper ab omnibus calidioribus & acrioribus medicamentis, quoniam hæc potius incraſſarent quam attenuarent, & ſummam habendo loci affecti rationem. Victus autem pro vnaquaque cauſarum differentia conueniens & opportunus imperetur; quoniam, abſque recta victus ratione, medicamenta parum proficere poſſunt. *Salius de affect. Part. cap. 14.*

Observatio.

Renum alter petrefactus.

Viennæ Fœmina quædam, cum aliquandiu diros cruciatus perpeſſa eſſet ſecundum ſiniſtrã ilia ſubter hypochondria, multis tum fruſtra adhibitis, quum exſpiraſſet, à ſectione deprehenſus fuit Ren iſtius regionis in lapideam ſubſtantiam degeneraſſe. Hoc exemplum ex ore Michaelis Textoris, Legum Doctoris apud Friburgenſes, excepit. *Iacobus Moccius, Friburgenſium Medicus.*

Obſignatis meis literis, ſuggerit mihi hiſtoria, quæ apud nos percrebuit de Electoriſſa Palatina Heydelbergæ ante aliquot annos defuncta; cuius corpore diſſecto, inuentus eſt Ren ſaltem velamine circumdatus, fere in lapidem concretus, atque alia. *De obſeruationibus proprijs Viri* cl. *Eſaiæ Meuchſneri Medici.*

De Lithiasi Renum ſiue tartaro.

Causa.

Observatio.

Cauſa calculi verior & rarior, ex bolari & viſcoſo tartaro, per ſpiritum ſalis coagulato: tum obiter de Catholiciſmo Morborum.

Recentiores medici diligentiores, qui ex veris principiis hypoſtaticis hypotheſes Artis medicæ, cum Demonſtrationibus extendunt, atque illuſtrant præſertim qui ad analogicum catholiciſmum Morborum reſpiciunt, curioſiores circa Calculum & Tartarum malunt de illius cauſa κατ᾽ ὅλȣ loqui ex veris principiis: certi ex hiſtoriis & obſeruationibus, calculum facile in tota humani corporis anatomia gigni poſſe. ob id ſtatuunt paralogiſmos committi, ſicubi ad hoſpitia potius particularia, agros ſiue κοιλίας, & ventriculos reſpiciamus, quam veram vniuerſalem catholicam cauſam, totam in Toto, & in qualibet parte talem, eamque ex veris hypoſtaticis principiis exſtructam cum vero ex macrocoſmo per totam, conſtituerimus. Sic enim ad vnam familiam non ſolum hic morbus, ſed alii inſuper reduci poſſunt ſi ad proprietates vniuerſales reſpiciamus; ſimileſque morbi diuerſis & plurimis nominibus inſigniti à multitudine ad vnitatem reuocari queunt, ob radices & proprietatum ſimilitudines. Omnia enim morborum genera omnibus partibus accidere poſſunt, & nulla particula eſt, quin omnes fere admittat: vt de calculo conſtat omnes enim particulæ inde debilitantur, deprauantur, & auxiliis ſuis appropriatis ſpecificis reſtituuntur. Proprium vero nomen habent, qui maioris ſunt momenti, & frequentius accidunt, vt Podagra, ſyncope. Ex hac hypotheſi & morborum generationes & tranſplantationes per Metarriſin, Metaptoſin, Metaſtaſin, facile morbi quidam intelliguntur, quos nonnulli pro raris & inuiſis habent. Quare morborum omnium modus eſt idem, ſecundum Hippocratem: qui tantum variant ob matrices & affectas ſedes vel locos. Sic enim de calculo, de vermibus: ſic de hydrope, qui eſt æque thoracis, vteri, capitis, teſtium, abdominis, cordis: ita febres ventriculi, renum, hepatis, vteri. Item Dyarrhœa renum eſſe poteſt, vulgo Harn-Ruhr.

Viam proinde hanc à capite ad pedes paralogiſmis plenam cenſent illi: topica ab adiunctis ad ſubiecta. De calculi & tophaceæ gypſeæ concretionis cauſa iidem differentes, materiam ſtatuunt viſcoſam & bolarem, in anatomia humani corporis, vbiubi per matrices veluti minetas à chylificatione & ſingulis concoctionib. per vias viarum diſſeminatam: hanc aiunt per ſpiritum ſalis coagulari. Hinc Panſpermiam morborum luxurioſiſſimam veluti ex Lithogeneſiis ſecundum matrices & locellos propagari per innumera ſymtωmata decernunt. Denique ſententiã ſuam exemplis magni mundi confirmant, præſertim quod homo ſit microcoſmus & paruus mundus. Macrocoſmus enim eſt μεγάνϑρωπος ſiue magnus homo. Sic de magno mundo ratiocinantes, cauſam generationis & concretionis Lapidum vniuerſalem ex eodem inueſtigant: & de tot aquis tartareis craſſis lapidoſis analogice & eleganter loquuntur. Quare ex naturæ lumine & veris principiis inuentam cauſam, eandemque exemplis ampliſſimis & viuis hiſtoriis ſtabilitam, vniuerſalem & Gneſiam critice, libere, & philoſophice in vſus hominum conferunt: huic demum certiora, veriora auxilia, pari cum morbo gradu decertantia, per chymicam echyloſin & ſpargyricam analyſin atque paraſceuen, accommodant. Hanc eſſe Artis noſtræ omnium ſacerrimæ veram priſcam Methodum decernuit. *Ioannes Georgius Schenckius, Medicus, Filius.*

Observatio.

Noua calculi renum cauſa.

Efficientem cauſam omnes quidem profitentur immoderatum eſſe renum calorem, qui humores perurens, ſiccans & obdurans cogit in lapidem: At certe alia ſtatuenda cauſa efficacior longeque crebrior, inſita renum arenoſa calculoſaque conſtitutio. Hanc quiſquis à parentibus contraxit, vix vlla ratione calculi tormenta effugiet: quandoquidem hoc vitium omnium eſt maxime hereditarium, vt non paucis pariter cum renibus calculus procreetur. Adiuuantium porro cauſarum præcipua eſt otium, ſomnuſque diuturnus decubitu ſupino. *Fernelius lib. 6. ca. 52. Pathol.*

Obser-

OBSERVATIO.

Calculo renum vexatus, viuus inciſus à Medicis, vt cauſas & naturam tantorum cruciatuum & partium rimarentur: ab iiſdem denuo reſtitutus & ſeruatus.

QVod ſequitur ex Monſtreleti Chronicis omnē ſuperat admirationem. Immunis quidam ſagittarius, ex Medonio, quatuor à Lutetia miliaribus, propter latrocinia damnatus erat rei capitalis. Interim à medicis Regi nunciatum eſt, multos ea tempeſtate calculoſis torminibus Lutetiæ diuexari, & præ cæteris Boſci Dominum: è re & ſalute multorum futurum, ſi partes ipſas, in quibus tam dirum morbi genus concreſceret, oculis luſtrare & contemplari daretur. Longe id melius in viuo homine, quam in mortui cadauere conſpici. Experiri id licere in ſagittarii immunis, morti addicti, & olim his malis diſcruciari ſoliti, corpore. Imperatum à Rege eſt. Itaque recluſo corpore, ſpirantes partes contemplati, & ex voto rimati ſunt medici, hiſque diligenter, & exacte cōſultis, ac ſuo loco reſtitutis: iuſſu Regis conſutum corpus eſt, qua recluſum fuerat, & ſummo ſtudio adhibito curatum. Ita factum eſt, vt ſagittarius ille, intra paucos dies conualuerit: culpæque venia impetrata, grandi inſuper pecunia donatus. *Pareus lib. 24. cap. 19.*

GENERA. SPECIES.

OBSERVATIO.

De diuerſis calculi generibus.

CAlculos diuerſorum generum concreſcere in renibus & veſica poſſe, & veteres adnotarunt, & recentiorum aliqui obſeruarunt. Præter vero cōmuniora genera duo obſeruaui non ita frequenter incidentia: alterum quod pumicem referebat ac colore nigrum eſſet: alterum referebat & colore, & ſubſtantia calcem aqua ſubactam, arenaq; miſtam. Hoc egerebat aliquoties piſtoris Eichſtadiani cuiuſdam filius; illud vero vicinus lintearius. CL. V. *Iacob. Oethaeus lib. obſ. propriarum.*

SYMTOMATA.

OBSERVATIO.

Acris ex lapillo renum doloris ratio, qui partus dolores ſuperet.

DVbitare expedit primum, quomodo acerrimus ex lapillo contingere ſoleat dolor renibus, cum ipſi non excipiant ramos neruorum niſi paucos & exiguos, vtpote ex fine ſextæ & ſeptimę coniugationis cerebri, & in membrana ambiente, non intus: velut & iecur, & pulmo, quæ membra obtuſo ſenſu prædita ſunt: præſertim cum etiam de abſceſſu fateatur Galenus non ſolum in illis, ſed etiam renibus eſſe exiguum ex inflammatione dolorem, ac ferme ſolum grauitatem quandam, in lapillo tamen acerbiſſimi ſunt adeo, vt nobilis mulier de Raudis Hyppolita faſſa ſit, extremos eſſe qui partus cruciatum ſuperarent. *Cardanus de cauſ. ſig. ac loc. Morb. part. 3. pag. 106.*

OBSERVATIO.

Ex calculi difficultatibus aliquando ægros ſyncopas, deliria, & vitæ diſcrimen incurrere.

CAlculus inter alia ſyncopas, & inprimis deliria concitat, vt nonnunquam, inter mortem & vitam conſtituti, in ſummo diſcrimine verſetur, quod Antuerpiæ in Domina de Straden obſeruaui. *Gerhardus Bergenſis libr. de calculo & arthritide pag. 111.*

OBSERVATIO.

A calculo in cauitatibus renum genito vrina ſine dolore cohibita.

COnſtat experientia vrinam ſupprimi à calculo in ventriculo renum ſine dolore. Sed vbi incidit in vreteras, acerbiſſimus dolor excitatur. *Scholiographi ad cap. 47. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Aliquibus renum alter ſuppuratione colliquatur, altero calculo obſeſſo.

PLeriſque ſuppurantur renes calculoſi, & colliquantur, vt tantum maneat pellicula, ſicuti D. de Mancii, cui ren dexter colliquatus ſiniſter calculum habebat, vreter & partes reliquæ ſiccatæ. *Scholiograph. ad cap. 47. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

Bonifacius Corneus, nobilis Peruſinus, diuturno renum dolore & calculo interiit. erat ei ex renibus alter magnus, tumidus, putris, calculiſque ac materia viſcida & ſanioſa refertus: alter vero, quamuis nihil huiuſmodi pateretur, adeo imminutus, vt magnitudine paruam caſtaneam vix æquaret: cuius rei, vt arbitror, cauſa erat, quia hic iam diu ſuo munere penitus fruſtrabatur; quippe qui reuulſioni obſiſtere nequiret, quam aſſuetus & copioſus fluxus excrementorum, ad alium male affectum renem aſſidue procurabat. imminui vero particulas quaſdam, vbi à ſua actione prorſus vacant, vt de aliis nunc taceam, vterus ipſe aperte declarat. *Euſtachius, cap. 45. Libell. de Renibus.*

OBSERVATIO.

Arenulas nonnunquam citra lithiaſin, præſertim in febribus, excerni: neque ſemper neceſſe eſſe renes calculoſos arenulas reddere.

CVr multi arenas mingunt, neq; calculoſi ſunt? Cauſa in promtu eſt. Non enim coguntur, niſi viſcido aliquo & crudo humore, tanquam glutine. Opus eſt tempore. Vbi igitur obſtructio à craſſis & viſcidis humoribus, & acrior vrina ac magis fæculenta, anguſtiores meatus, calore ſuperueniente à quacunque parte, vt hepate, corde, renibus, quod diu impactum fuit in meatu induratur & lapideſcit, figuramq; accipit à ſinu in quo eſt. Neque impedimento eſt, quod nonnulli reſpondent, ex calculo arenulas fieri, non contra. Cur enim, qui generantur in veſica, in arenulas raro diſſoluuntur? Neque etiam ob id neceſſe eſt in calculo renum ſemper excerni arenulas cum vrina. Nam in multis diſſectis probatum contrarium, qui calculoſi ſunt inuenti, cum neq; arenas meierent, neque laborarent vrinæ difficultate, infoſſo calculo in ſubſtantia renum. Archigenes & Philagrius arenas reddi volunt, cum iam calculus è rene in veſicam deſcendit. *Scholiographi ad cap. 48. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

Annotatione hic dignum videtur, aſſumtionem, quæ vſtione fit, non eo vſque duntaxat progredi, vt craſſamentum relinquat, quin etiam non raro in ci-

neres

neres prorſus humoris magnam quandam portionem redigat. Atque id ſunt arenulæ quæ à febricitantibus non paucis (maxime morbo iam defunctis) copioſe cum vrina minguntur, nulla vel præſente, vel præterita etiam nephritide: ſero à venis omnibus, aut certe maioribus (vbi exuſtio humorum viguit) ſabulum hoc rapientes. Quod minus mirum videbitur iis, qui bilem totam intra veſiculam propriam in lapides, alias numero paucos, alias numeroſiſſimos, induratam aliquando viderint apertis eorum corporibus, quos febris ardens aut etiam diuturna rapuerat: ego pluries iſtud obſeruaui. *Ioubertus in Prouocat. à ſententia Brun. Seidelij de Paradox. 3. Dec. 2. litera Y.*

Observatio.

Noua & vera ſtuporis crurum & vomitus in nephritico dolore cauſa & ſententia.

NEphriticos duo hæc ſymtomata infeſtare ſolēt, ſtupor in crure Κατ' ἴξιν, è directo renis affecti, & vomitus. Stuporis cauſam referunt doctiſſimus *Langius in epiſtolis ſuis, & Iacotius commentarijs in Coacas prænotiones*, ad venarum repletionem. Vaſa (inquiunt) inſignia, cauæ & aortæ, deſcendentium ſpinæ ſubſtrata ſunt, ab his rami inſignes ad renes & ad crura diuaricantur, quorum repletione, quæ obſtructis renibus, vreteribus, venis emulgentibus contingit, nerui & muſculi coarctantur; vnde ſtupor. Sed parum anatomica mihi videtur hæc ratio: neque enim à renum calculo ita implentur venæ, vt muſculos premant, cum & rabidi quamplurimi, quorum venæ exhauſtæ ſunt, calculo renum laborant & nihilominus ſtuporem in crure perſentiant. Adde quod plethorici, quorum venæ apparent turgidulæ, ſtupore crurum & brachiorum non laborent. Alia igitur ſtuporis inquirenda eſt cauſa. Ego duplicem agnoſco, prima eſt compreſſio muſculi ψοὰς dicti, cui renes ambo incubant, at hunc muſculum cruri flectendo dicatū eſſe, & in cruris interiorem partem inſeri, norunt Anatomici omnes. Altera eſt cōpreſſio nerui qui in cruris muſculos omnes expanditur: fit autem compreſſio à duritie & pondere calculi: nam incipiens lapillus ſtuporem non parit. Cur autem in Nephritide tanta ſit vētriculi ſubuerſio & ἀνατροπὴ, vt omnem faſtidiant cibum & iniectum ſtatim eructent, cauſa eſt renum & ventriculi ſympathia. Sympathiæ huius, quę ſimplex eſt cauſu, non ad viciniam referenda: diſtant enim aliquantulum à ventriculo renes non ad generis ſimilitudinem, quia ventriculus membranoſus, renes carnoſi, nō ad ſocietatem operis, in vnum ſiquidem idemq; non conſpirant opus: ergo ad communionē & continuitatem vaſorum ac membranarum. Neruuli à ſtomachico ad renem feruntur, & exterior tunica renes inueſtiens, quam faſciam vulgus vocat, à peritonæo ortum ducit, quem ventriculi fundo continuari norunt omnes. *Andreas Laurentius lib. 1. Anatomes quæſt.* 30.

Observatio.

Nephriticus pro colico tractatus à medicis occiſus.

NOui quandam matronā Antuerpienſem, quam plures medici colico dolore laborare confirmabant. Ego autem prima viſitatione (quia pes ſtupebat, & alia ſigna calculi erant) calculum eſſe indidicaui, quod tamen alii multis argumentis falſum eſſe dicebant, atque ita ego ablegatus fui, ipſi vero in curatione permanſerunt, continueque calida & ſicca adminiſtrarunt, donec vitam cum morte permutaret. Diſſecto corpore, magnus lapis in rene fuit inuentus, atque ego meo honori reſtitutus. *Gerardus Bergenſis lib. de articulorum & renum morb. curat.*

Observatio.

Lapides in renibus naſcentes, & in vreteribus interdum aliquandiu ſubſiſtentes, numero, loco, forma, & tempore, plane monſtroſi: qui inflammationes, abſceſſus, vlcera, vomicas, vrinæ ſuppreßiones, cruentas mictiones, habitus leucophlegmaticos, & tandem etiam renum in vniuerſum exeſionem & conſumtionem, nec non vitæ diſcrimen præſentaneo malo inducunt.

SÆpe vidimus tota renis carne ac ſubſtantia pereſa, ambiente tanquam marſupio membrana pus calculoſque multos obuolui. Vlcus ab his cauſis ortum habuiſſe argumento eſt, quod vrina, antequam purulenta eſſet, ſæpe cruenta fuerit, præſertim ab exercitatione & labore, quod febris nulla aut perobſcura fatiget. Si quando autem obſtructo vreteris capite pus cohibetur, id ſenſim, vel per emulgentem in maiores redundans venas, ſanguinem, habitumque corporis inquinabit, (qua ex cauſa quaſi ex leucophlegmatia calculoſos tumere ac palleſcere ſæpe animaduerti) vel ea ſede congeſtum ilia lumboſq; copia diſtendet, è quibus etiā aperta cute diu multumq; manat. Nonnunquam & illinc calculus ingens cum pure alias exceſſit, alias euulſus eſt. Hæc cum accidunt, tota iam pene renis ſubſtantia putredine cōſumta eſt, illincq; pus redundans inter peritonæi membranas fluctuat. Huius copia interdum vidimus totam ventris lumborumq; regionem diſtendi, & pus hinc tum deiectione, tum vomitione reddi ſincerum, *Fernelius lib. 6. cap. 12. Patholog.*

Licet non modo vſitatum, ſed & quotidianū ſit, arenulas & calculos intra renes reperire, ibidem natos & adauctos, magnos & paruos, duros & leues, forma diuerſos, oblongos, acuminatos, latos, anguloſos, rotundos, planos, coloribus albos, pullos, flauos, fuluos, ſpadiceos, & nigros, vt depingi nullo modo poſſint: tamen duos lapides ob ſingularem quandam granditatem & formam adiicere volui. Alter, & maior quidem, (vt deinceps in deſcriptione lapidum veſicæ dicetur) è dextro rene laudatiſſimi & pientiſſimi Principis Friderici tertii, Saxoniæ electoris, aperto poſt obitum eius cadauere, exciſus fuit. Alterum cuiuſdam pauperis, pannicularii vxorem, viginti annos natam, Miſenæ excreuiſſe conſtat, poſt innumera medicamēta, tanta difficultate, vt in diſcrimen vitæ veniret. Equidem ſimiles dolores, quod fateor, antea non vidi, nam ſex totos dies cruciatus enitendo perpeſſa fuit adeo ſæuos, vt ei crus dextrum ſtupore penitus rigeſceret, & denigraretur, donec lapidem peperiſſet magnitudine, forma, atq; colore amygdalæ ita ſimilem, vt amygdalis permixtus ab iiſdem internoſci repentino aſpectu vix poſſit. *Kentmannus in libell. de Calculis.*

Vidimus lapides duos Duci Friderico Saxoniæ Electori poſt mortem exectos, quorum vnus magnitudine duorum digiti articulorum in Rene dex-

tro, colore ſubrutilo, circumcirca vno in loco circu-
lari ambitu, medicamentorum λιθοτριπτικῶν acredi-
ne attritus eroſuſque, quà perfluxit vrina. Alter por-
raceo colore, quantitate vnius articuli, in veſicula
fellis latuerat. *Peucerus de præſtig. Medicorum pag.*
310.

Lapides non ſolum in renum ſinu contineri, ve-
rum etiam in ipſorum ſubſtantia reperiri, comper-
tum habeo. hincque expelli poſſe non dubito, vaſe
etiam, quod ſinum efficit, non rupto nec diuiſo.
nam, vt iam monui, variis ampliſque foraminibus
eſt peruium, per quæ calculi à ſubſtantia renum in
ipſorum cauum facile expelli poſſunt. hæc autem
foramina, quamuis admodum pateant, tamen prio-
res anatomicos latuerunt, idcirco plurimis, nec
vulgaris doctrinæ, medicis errandi occaſionem
præbuerunt: qui alterutrum neceſſario conceden-
dum eſſe non ſemel mecum acriter contenderunt,
nimirum calculum vel in renum ſubſtantia non gi-
gni, vel ſinu membraneo eorum illæſo cum vrinis
excerni non poſſe. Neque vero prætermittendum
eſt, vreterem ſtatim ab egreſſu è renibus latiorem
redditum, inſtarque ventriculi ſeu peræ paſtoralis
recuruatum, frequenter magnam lapillorum co-
piam congregare: quos poſtea natura ſagax ſenſim
inde cum vrinis expellit, quibus inter ob vaſis cur-
uitatem interceptum non eſt, quamuis calculis ſit
refertiſſimum. Hoc ſane naturæ diligentiam ſum-
mopere commendat: ſed magis illud, quod lapides
inſignis magnitudinis in renum ſinu contentos,
quaſi coronarum orbes medios forat. Superiori-
bus annis iuuenis quidam altero rene doluit, cru-
ciatuſque adeo auctus eſt, vt miſellus breui vitam
cum morte commutarit. hunc calculo minime la-
borare conſtanter affirmabant medici, quia neque
vrina ſuppreſſa vnquam fuerat, neque tenuis, aut
turbida ſeu ſabuloſa apparuerat. His omnibus
(multi ſane erant) ſolus ego repugnabam, arbitra-
tus alterum renem officio ſuo probe fungi, alterum
prorſus obſtructum nihil lotii excernere. conten-
tionem diremit ſectio, quæ aliter ſe habere, quam
nos opinaremur, patefecit: lapidem nimirum ma-
gnum & oblongum cruciatus & interitus cauſam
fuiſſe, qui, cum eſſet medius perforatus, quo minus
vrina exirent, impedire non poterat. Renum præ-
terea lapides ab iis qui in veſica generantur ſolo co-
lore à medico diſtingui poſſe, fere ab omnibus rece-
ptum eſt. ſed hoc plerunq; fallere ex diſſectione in-
telligimus: quandoquidem renum lapides rubei vel
crocei perpetuo non occurrunt, ſed non raro albi &
cinericei conſpiciuntur: cuius rei exempla multa af-
ferre poſſem, ſed vno contentus, affirmo vidiſſe me
in Epiſcopo Senogalienſi, lapidem album inſignis
magnitudinis principium vaſis vrinarii occupare,
reliquum vero cauitatis renum innumeris fere la-
pillis eiuſdem coloris repletum eſſe. *Euſtachius cap.*
45. de Renib.

Calottus, è nobili ſene mortuo lapidem, cunicu-
lis actis, rene iam conſumto, corallo nec dum leui-
gato, tam ſoliditate quam ramulis ſimilem, omni-
bus, quos vnquam vidi, veſicæ calculis compactio-
rem, execuit, quem ab eo, ſi in viuis eſt, adhuc ad-
ſeruari arbitror. *Iordan. in Reſponſ. ad Paradox. Iouber-*
ti, 7. Decad. 2.

Admirabile naturæ miraculum ſilentio minime
prætereundum, in cadauere Venerabilis generalis
Carmelitarum inuentum nobis videre obtigit. Cu-
ius alter renis lapidem inſignis magnitudinis conti-
nebat: qui ab amplo caudice principium ſumens, in
octo ramos, iuxta canaliculorum vaſis vrinarii for-
mam atq; numerum diuiſus, coralli truncum & fur-
culos elegantiſſime æmularetur, ac præterea renis
caro valde contracta & imminuta ita firmiter huic
lapidi vndique adhærebat, vt depoſita propria figu-
ra quaſi craſſa quædã cutis ei obduceretur. *Euſtachius*
in Annot. Pini ad c. 44. libri ſui de Renibus.

Vxor Eckeberti in Rotenhauß nephritica à mul-
tis annis, ſemper abortiens, nunc prægnans facta,
diuexabatur ingenti hæmorrhoidarum fluxu, ali-
quot menſibus me abſente mortua poſt partũ aper-
ta, inuenitur magnus lapis in renibus, varia habens
brachia, quo à teneris annis diuexata fuerat vti &
mater eius, quæ mortua erat ſimili affectu. CL. V. *Ioa.*
Bauhinus de obſeru. propriis.

Quo anno (1558) hæc ſcriberemus mortuus eſt
quidam, cui in altero rene erat lapillus tot particu-
lis conſtans, quot in rene venularum erant ramuli,
quarum particularum lapilli, extremum veluti ca-
put marmoris rotundi & candidi fruſtulum refere-
bat, vel margaritæ maiuſculæ figuram & ſplendo-
rem, id ex pituita vitrea concretum fuiſſe exiſtimo.
Geſnerus lib. de Aquatil. pag. 219. de concha matre vnionũ.

Anno 1566. ſecto cadauere mei generis (familiæ)
Petri de Schartes, re medica illuſtris, excluſi è ſub-
ſtantia vtriuſq; renis duos lapides, ab vtroque vnum
inſignis magnitudinis & craſſitiei multis alis ſeu
cornibus aut radicibus in dicta renum ſubſtantia &
ſtomachis ſeu ventriculis adhærentibus, cum multis
lapillis piſorum magnitudinis repletis, vreteribus
quamplurimis arenulis refertis. Et in recto inteſtino
è regione colli veſicæ inuenta eſt carnoſitas putris,
quæ ſua putrilagine veſicam ita lacerauerat, vt inte-
ſtinorum excrementa ante obitum vna cum vrina
redderet, ad miraculum vſque, & forſitan antea non
viſum. *Ferrand. Senior in libell. de Nephritide.*

Inter alia plura & admiranda quæ ſuperioribus
annis ex renum calculis perpeſſus ſum, vnum in-
primis animaduerſione dignum iudicaui, quod ad
poſteritatis memoriam tranſmitteretur. Calculos
nimirum forma, longitudine & craſſitie piperis lon-
gi aut corylorum iulis ſimiles, colore ſubrubentes,
& cum recenter excernuntur, nonnihil molles ad-
huc, verum aere ſtatim velut corallia mari exemta
indureſcentes, non tantum in renibus naſci poſſe,
ſed &, quod fidem prope omnem ſuperat, ex iiſdem
per vreteres in veſicam vſque integros deuolui, &
in penis canali primum in partes aliquot inter vali-
dos enixus diffringi aliquando. Id quod mihi anno
1576. in profeſto diui Nicolai, cum pridie validiſſi-
mis lumborũ cruciatibus exercerer, euenit. Ex quo
enim in prandio Æginetæ lepidium embammatis
loco cum carnibus paulo liberius deuoraſſem, cal-
culus ille primum è renibus emotus, & ad vreteris
caput detruſus, vna quoque ſincerum ſanguinem
per veſicam vrinæ loco ad quatuor vncias vſque
exegit, certiſſimo reſtitantis & ſubſiſtentis adhuc
difficillimi calculi argumento. Poſtmodum do-
loribus immenſis & incredilibus diem integrum,
vſque dum per vreteres ad veſicam promoueretur,
tortus, tandẽ collo veſicæ impactus, noctem totam

& ſub-

& ſubſequentem diem ibi hærens, omnem excernendæ vrinæ vſum mihi ademit, vnde coaceruata in veſica vrina, tumeſcente vehementer pube, veſica mirum in modum diſtenta, cum vel inter intolerabiles dolores, deiectis iam ex ea carnificina viribus, vel rupta veſica moriendum mihi viderem: ardentiſſimis prius ad Deum precibus fuſis, & potione ex Philonio cum vino & æthere iuniperorum temperatis hauſta, ad bihorium in ea vitæ deſperatione conſtiti. Cumque ſumma virium & ſpiritus contentione ad vrinam excernendam erecto & diſtento corpore, compreſſoque ventre validiſſimo enixu calculi & vrinæ excretionem vrgerem: ecce ex inſperato calculum ex collo veſicæ in vrethram pro pelli, & in eadem diſtringi perſentio, vnde mox indicibili violentia tres oblongi lapides ad duos paſſus proſilientes cum magna vrinę copia, non ſine vitæ meæ per Dei gratiam mihi propagatæ ſpe, expulſi ſunt. Ex hoc difficili partu cum me nonnihil recollegiſſem, mihi pernecinum prope fœtum, tres illos calculos excretos, afferri iubeo, quos vbi diligenter inſpexi, euidentiſſimas notas, qua parte, priuſquam diuellerentur, cohæſiſſent, deprehendo & fruſtula ita coniungo, vt plane piperis longi formam coniuncti referrent. Paulo poſt vrinæ pluſquam tres libræ denuo per veſicam excernuntur. Quæ indubie repleta prius veſica per vreteres ſurſum ad renes regeſtæ latuerant. Depleta itaque & exonerata veſica, vrina cõſuetos meatus repetens rurſus in veſicam deuoluta, ſecundarum loco, ne quid parienti mihi ſupereſſet, prodiit. *Schenckius.*

Vidimus Dominum Petrum Argentam ex renibus pluſquam quadraginta calculos emiſiſſe. *Braſauolus Com. ad aph. 79. lib. 4. Hipp.*

Domino Charon Abbati ſancti Petri, cum anteà de renibus non conquereretur, febricula, infirmitas virium, inclinante ad exitum morbo venter vtrinq; inflatus, dolens obtigit. Vrina duos ante mortem dies ſupprimitur. Diſſecto cadauere, ren ſiniſter totus abſumtus repertus eſt, vomica plenus, q̃ cruentam ſaniem reddidit. Dexter vero ren calculo vreterem obſtruente obſeſſus. *Scholiograph. ad c. 39. l. 1. Holleriȷ de morb. intern.*

Vidi lapillos in vreterib. *Columb. l. 15. Ana.*

Nobilis matrona multis annis grauiſſimis renum doloribus, ſiniſtro præſertim in latere, ab initio diuexabatur, & quatuordecies vterum geſtans, totius octauo vel nono ſemper menſe abortiuit. Tandem vna cum ætate doloribus inualeſcentibus, de dextri præſertim lateris dolore, ita vt nec contactum, aut decubitum in illam partem ferre poſſet, conquerebatur, reiectis interim toto morbi tempore multis calculis, & puris & ſanguinis copia per vrinas: accedente inſuper grauiſſimo ſtomachi & gutturis ardore. Eam tandem mortuam cum ſecarem, renem ſiniſtrum penitus conſumtum, & marſupii inſtar cuiuſdam membranoſum ſinubus amplis ſcirrhoſis tuberculis refertum vreteremque illius admodum dilatatum inteſtini cuiuſdam inſtar, deprehendimus. Dextrum vero renem tumidum in immenſum increuiſſe, in quo, per medium diſſecto, calculus iuſtę magnitudinis excreuerat, ſinum ſecundum omnino adimplens, illiuſque ductus ramis vndique comitans, obturans, vreterum principium obſtruens, qui forma ſua ceruinum caput cum cornubus & collo appoſite exprimebat, illiſque locis, vbi ſubſtantiæ renum minime adnatus erat, incruſtatus ſplendebat ex contactu bilis flaueſcente. E quibus facile dolorum cauſam & abortus, vtriuſque renis calculos, qui in ſiniſtro rene illius ſubſtantiam contriuerat atque confractus comminutuſque ſucceſſiue per mictionem redditus fuerat, in dextro vero rene ſubſiſtebat, fuiſſe coniectari licebat. Sed & ardoris illius ventriculi cauſa, in bilis veſicula admodum bile referta, & ventriculo & duodeno inteſtino, (quod & alias ſæpe vidimus) deprehenſa fuit. Hæreditarium autem malum hoc illi fuiſſe oſtendit, quod à matre illius, iiſdem affectibus mortuâ, calculus ex vtroque rene quoque exectus fuerit. CL. V. *Felix Platerus de obſeruat. propriȷs.*

Apriolus concionator Milhauſanus, calculos bis mille & plures mingendo paucorum annorum ſpatio, reddidit: quos ſingulos ſeparatim in carta inuolutos, dierum numero adſcripto mihi multiſque aliis oſtendit. Huic cum plures calculi maiores à renibus deſcendentes, in veſica ſubſiſtentes lythotomia extracti eſſent, poſtquam ſemel ſanatus rurſum idem pateretur, ſectione facta obdormiuit. *Idem de obſeruat. propriȷs.*

Anno Domini 1573. menſe Nouemb. moriebātur Reuerendiſſ. Epiſcopus Wirtzeburgenſis, Fridericus nomine ex Nobili & Antiqua Familia à Wirſburgo oriundus, quem ego more ſolito euiſcerans, in ſiniſtro rene inueni calculum pendentem drachmam vnam & dimidiam CL. V. *Ioan. Poſthius de Obſeruat. propriȷs.*

CVRATIO NEPHRITICORVM.

OBSERVATIO.

Ingenioſa Calculorum ex renibus per vreteres in veſicam deductio, cucurbitulis ſecundum vreteris ductum admotis.

CVcurbitula renibus admota mouet lapidem, & poſtea admota per vreteres verſus veſicam, ducit ipſum ad eam. *Ioann. Mich. Paſchalius De Curand. Morb. lib. 1. cap. 47.*

Ne poſteritatem, quod in Germania inferiore à quodam Hiſpano factitari nuper ipſi vidimus, inter medendum, prætereat, (quando ex vſu noſtris, vt leuamento ægrotis eſſe poteſt) auditore, ſi placet, quæ hac de re ſcripto mandata eſſe voluimus, quanquam extra rem fortaſſe de induſtria. Quod ſuo ſane loco dixiſſemus lubentes, tempeſtiue tamen nunc, quando eſt incertum quam longa noſtrum vita cuiuſque futura ſit. Latet per multos, an vis quędam trahendi venis ineſt & arteriis, & in aquæ ductibus, per quos penetrat vrina ad veſicam. Tacite enim Hippocrates etiam poſſit videri hic cenſuiſſe aquam ſuo pondere eo viam parare per tubos. In iis ineſt tamen & pellendi vis omnibus, & trahendi in veſica, quanquã forte exigua, vt continendi magna. Medico igitur illi Hiſpano valde frequens ex renum calculo, & grauis quidem dolor fuit. Quo quoties vrgebatur, cucurbitulas admoueri ſecundum vreteris ductum imperabat ipſe ſibi, ducto primum à parte doloris proxima exordio, deinde iiſdẽ remotis, identidemq; deorſum gradatim toties repoſitis; vt tandem longe diuturniorem trahendi morã ferret, ipſe ad imum ventrem, in quo veſica iacet, quam

vbiuis. In ſemetipſo ex illis mirificos perſentiebat (ſi eſt adhibenda ei fides) fructus. Et in aliis periculum idem ipſe fecerat (ſi etiam credimus) frequentiſſimum. Etenim ſumma iſthac induſtria conatuq; calculum ex vretere præcipitem in cauũ veſicæ exturbabat ſæpenumero. Votoq; reſpondiſſe alias id ſane nobis viſum etiam fuit. Cuius & periculum facere ſine periculo cuiq; licet. *Cordæus Comment. 5. ad lib. 1. de Muliebr. Hipp.*

OBSERVATIO.

Renum calculo laborantium curationes admirandæ.

DOnato Lanzæ, erat patruelis Simon Lanza, qui cum iam duob. pene menſibus renum calculo laboraret, irritis auxiliis, iuſſi, vt inuncta manu cum oleo liliaceo, quis ſecundum vreteres eam deduceret, appoſitis etiam cucurbitulis ſupra natem lateris doloris: intraq; tres horas lapidem ſatis magnum, vt poſtmodum apparuit, detruſit in veſicam. Sequenti die, vino è radice graminis epoto, (quod etiam in antiſtite Phratrium canonicorum, & Hieron. Gorla mercatore pannorum profuit) lapidem eiecit, & liberatus eſt. Idem, anno ſequenti, frigidus totus cum eſſet, & ſine pulſu, & aſſumtione catapotiorum, perperam à Medico magni tum nominis, ſed ſatis imperito, aſſumtorum, rurſus ad vitam reſtitutus eſt iuribus pullorum, abſtinentia ab omni cibo, clyſteriis leuib. pinguibuſque, & calefactione extremitatum. *Cardanus Curat. admirand. num. 14.*

OBSERVATIO.

Ad calculum & ſuppreſſam vrinam remedium rarum.

QVidam nobilis Lutetiæ lapidem habuit mollem, laxum, efformatum ad inſtar mortarii, per quem tranſcolata aqua & epota, mirum in modum iuuabat calculoſos, & vrinam ſuppreſſam. *Scholiograph. ad cap. 48. lib. 1. Holleri De morb. intern.*

OBSERVATIO.

Remedium nouum & admirabile quod calculum in lutum diſſoluit, excretumq; denuo in duritiem conuertit.

CAchos apud Indos magnæ eſt æſtimationis, ob inſignes eius facultates. Nam vrinas ciet, arenulas & calculum in renibus pellit, quodque præſtantius eſt, illius vſu calculum in veſica communi ferunt, ſi mollis adhuc ſit, vlliſq; medicamentis comminui queat: eiuſq; rei tam multa proferunt exempla, vt admirationem mihi pariat: nam ea eſt mea opinio, veſicæ calculum haudquaquam expelli poſſe, ſolamq; exemtionem illius remedium eſſe, nullum autem medicamentum adeo efficax eſſe, vt eum cõfringere valeat: aiunt tamen illius ſemen tritum ex aqua aliqua ad eam rem vtili ſumtum, calculum in lutum diſſoluere, quod excretum denuo cõcreſcat, & in lapideam duritiem conuertatur.

Adoleſcentem vidi, cui hoc obtigiſſe ſcio. Is cum veſicæ calculo torqueretur, idque à lithotomis, qui calculum deprehenderant, intellexiſſem, & ex ſymtomatis quæ patiebatur agnoſcerem: hominem veris initio ad fontem, qui de petra cognominatur, ablegaui, vbi cum duos menſes hæſiſſet, à calculo liber rediit, & omne lutum, quod paulatim eiecerat, denuo in lapidea fragmenta concretum ſecum in charta detulit. *Monardes, cap. De Cachos, lib. 3. Simplicium medic. ex nouo orbe delatorum.*

OBSERVATIO.

Cibus rarus lapides frangens.

QVidam medicus eruditus laudat non parum, ad lapides frangendos, cibum qui fit ex hepate, pulmone, renibus & teſticulis, cum priapo hirci, cum croco, cinamomo, & melle, & imple poſtea inteſtina hirci hac mixtura. Doſis ſunt duæ aut tres bucellæ. Habet tantam vim hoc medicamentum ad lapides expellendos, vt non ſolum à renibus & veſica, ſed & ab annulo comedentis fracti omnes excutiantur. Res eſt monſtroſa, ſi vera eſt. *Ioan. Mich. Paſchalius Meth. Curandi Morb. lib. 1. cap. 47.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria memorabiles, aut confractorum, aut integrorum calculorum per medicamenta, tum ex renibus, tum veſica expulſorum.

NOn inueni aliquid quod tam cito frangeret lapidem: ſicut hoc quod portauit pater meus ex oriente: & vocatur oleum alquilcemi. Et confert etiam mirabiliter paralyſi: ita quod ſanat eam eadẽ die. Et color huius olei eſt viridis: & eſt ſubtile in ſubſtantia, & clarum ſicut aqua, aromatici odoris acuti & fortis. Et ego vidi plures homines, qui curati fuerunt à lapide in XXIV. horis, ſcilicet quod iſtud oleum frangit lapidem in eis, in illo ſpatio. Et nunquam vidi talem medicinam tempore meo tam velocis operationis, & tam miraculoſæ, ſicut iſta eſt, & doſis iſtius olei eſt quarta pars aurei vnius. Et ſi ſentit infirmus mordicationem in vrinando, miſceatur cum eo bis tantum de oleo amygdalarum dulcium: & propinetur ad potandum. Quod ſi non inueneris de iſto, dabis ei de dianiſo & adriano tantum de vno quantum de reliquo ſimul: quoniam confert multum. Et ſi haberes de optimo & puro Balſamo, & dabis ei ad bibendum, franges lapidem. Et iam recordor, cum eſſem in carceribus hali, quod ipſe miſit mihi ſcriptorem vnum ſuum, qui erat in conditione mortis à lapide, & præcepi ei vt biberet tertiam partem vnciæ de optimo balſamo: & eiecit lapidem cum ipſa vrina ipſo die. Et de hoc ſui Medici mirati fuerunt valde: quærentes à me, ſi hoc haberem ab aliquo authore. Quibus dixi, quod ſic. *Auenzoar lib. 2. Tract. 2. cap. 7.*

Calculo in veſica concreto hæc infra ſcripta compoſitio vtilis, quoniam ad comminuendum lapidem etiam vetuſtiorem mirifice efficax eſt. Et ego quoque eius vſu magnum lapidem, minori quadraginta dierum ſpatio, confregi. Habet autem ea ſe in hunc modum. Fructus balſami, ſeminis raphani, dauci, ſeminis oluſatri, corticum radicum, oppopanacis, corticum radicum capparis, amygdalarum amararum, baccarum lauri, florum iunci rotundi, cyperi, ſpicæ Indicæ, caſſiæ ligneæ, ſcolopendrii, ſeminis rutæ ſylueſtris, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, aſari, cardamomi, ammoniaci, ſagapeni, bdellii, piperis, acori, omniũ aquas portiones. gummi, in balſami oleo ſufficienti diſſoluti, ſubagitentur: deinde reliqua ex his cõficiantur, finganturq; globuli, quorum ſingulis dieb. drachma, ſeminum incidentium decocto ſoluta, ꝓpinetur. *Rhaſis l. 9. c. 73. ad Almanſorẽ.*

De

De virga aurea vidi experimentum in quodam, qui habuit lapidem in veſica, & comedit dictā herbam cum ouis omni mane per 9. dies, & fractus eſt lapis, & cum doleret circa veſicam propter rupturam lapidis prędicti, vnctiones feci fieri ex oleo laurino, & agrippa, circa loca, & liberatus eſt. *Arnold. de Villanoua in Additione ad cap. 32. lib. 2. breuiarij practicæ edit. Baſilienſ. vlt.*

Habui calculoſum quem non potui ſanare per longum tempus, tandem feci colligi ſcarabeos multos qui inueniuntur in ſtercoribus boum in æſtate, & cicadas quæ cantant in campis, & ablatis capitibus & alis de cicadis, poſui illas cum ſcarabeis in oleo communi in olla. tunc obturata olla poſui hanc in furno, in quo fuit tarde panis, & dimiſi ibi per diem & noctem, & extracta tunc olla, ad ignem calefeci modicum, & totum ſimul contriui, & renes, & pecten inunxi, & infra triduum ceſſauit dolor, & lapis comminutus & fractus exiuit. Tunc dedi patienti continue mane & ſero in magna quantitate fiſticadam & fiſticos ſicut ſi eſſet panis, quia habent virtutem comminuēdi lapidem. Nota tamen, quod cicadæ loco cantaridarum, & ſcarabei loco ſcorpionum poſſunt poni in omni loco. *Ioan. Anglicus Pract. cap. 21.*

Caſum hoc anno vidimus in hac præſenti ciuitate Rothomagenſi, in quodam viro ſexagenario: qui dolores intolerabiles circa partes inferiores per octo dies, & vltra ſuſtinuit, abſque egeſtione, & ſine aliqua vrinæ emiſſione, tenaſmone continuante. Omnibus autem remediis canonice appoſitis, fine finali ad clyſtere ſatis forte aſcendimus, cum quo euacuauit tres magnos lapides per ſeceſſum, & tres per virgam, quos adhuc pro præſenti habemus, & in illa hora ſufficienter vrinauit, & alleuiatus fuit. *Thomas Forſterius cap. octauo libr. de Peſte & Tenaſmo.*

Petrolei vnciæ quatuor, lapidis lincis vncia vna ſemis, bulliant ſimul, & de colatura fiat collyrium, lapidem confirmatum frangit iniectum, poſt fotum pudendi ex decocto maluæ. *Hier. Montuus Anaſceues morbor. lib. 4. cap. 1.*

Etſi Meſpilorum fructus adſtringat, ſeminum tamen puluis lapillos vehementer ex renibus eiicit, vrinam cit, & veſicæ lapidem minuit. Cuius rei nuperrime experimentum ſumſi in Domino Petro de argenta, qui plures quam ſexaginta è renibus lapides minxit, ſolo huius pulueris auxilio. In Domino autem Andrea Rodo, viro ſolertiſſimo, adeo lapides renum comminuerat, vt in puluerem redacti ſine dolore exirent. *Anton. Muſa Braſauola, in Examine ſimplicum.*

Quæ iam genitum lapidem frangunt, hæc ſunt balſami veri ſuccus inter cætera Parietariæ ignis, ſanguis etiam hircinus cum myrrha. Aliud valde bonum, radices graminis in vino albo potenti infuſæ, debent autem prius tundi. Aliud à me expertum, quo confregimus lapidem magnum, nec auellana minorem, in Bernardo Gemmario. Primum miſimus ſanguinem ſemel è cubito, inde è talo, aderat enim febris, & plenitudo, inde cum Hiera & Caſſia nigra eum purgauimus, ſæpius etiam adhibitis enematibus, à ſecunda die exhibui hoc medicamentum in aurora, vel paulo ſerius, repetentes in ſingulos dies, ℞. Succum duorum limoniorum ter colatorum, oxymellis ſcillitici vnciam vnam, vinaciollæ vncias duas, vel tres, radicum carduifullonum, aut vulgaris in clibano ſiccatarum, & in pollinem redactarum drachmas duas. Miſce, & calidum propina. Multa quoque alia à nobis commemorantur remedia in libro de Experimentis, nec non & in noſtro promtuario, quæ genitum in renibus lapidem frangunt, quæ nos experti ſumus. Qui vero in veſica genitus eſt, ac exiſtit, quamprimum medicamētis non cedit, euellere oportet: nam indies augetur, & veſica magis læditur, & infirmior redditur, & vires imbecilliores. propterea læues deteriores, quod & tardius innoteſcant, & cogniti ad extremam vſque magnitudinem deuenire ſoleant, antequam extrahantur, cum parum moleſti ſint: at alioquin aſperi longe deteriores, & non detracti, & cum detrahuntur. Modum vero detrahendi in libris de Experimentis, ad vnguem edocuimus, vbi etiam deſcribemus præſtans medicamen, quali vſus eſt, Mich. Angelus Florentinus ſummus pictor, ac ſculptor, ex quo ſanatus eſt, reſoluto lapide oualis magnitudinis in arenam. Multa auxilia ſunt in vſu, epota, appoſita, atque impoſita, velut vrtica, ſaxifragia, caprifolii oleum, vt dicitur mirabile lauri, cyperi, radices Raphani ſatiui, limonii ſuccus, vitri & ſcorpionum cinis, apri vrina, vermes contriti. Troglodytes, id eſt, cauernas ingrediens, aut forſan auis peculiaris ei regioni, atq; multa alia huiuſmodi, de quib. in Promtuario capite proprio. *Cardanus de Sanitate tuenda lib. 4. cap. 31.*

Contigit ſacerdoti ex ordine B. Auguſtini, quos vocant Canonicos, erat autem, vt dicunt, Prior, id eſt, Præfectus illi congregationi: & Hieronymo Gorlæ mercatori pannorum, hi enim cum aliquandiu renum dolore diſcrutiati eſſent, ſacerdoti vinum gramineū, mercatori Alexandri medicamentum, è ſanguine hircino ac myrrha dedi: ambobusque ſtatim quieuit dolor, ita vt ſurgerent. Veruntamen moleſtiam quandam patiebantur, vt nec ſani eſſent, nec ægri dici poſſent, nam, quid ſentirent, neſcire ſe affirmabant. Tertio poſt die ſacerdos lapillum oſſi dactyli ſimilem, ſed breuiorem, eiecit, ſanuſque in poſterum manſit: mercator autem non niſi poſt dies quindecim, eiecit autem forma & magnitudine dimidiæ fabæ. Auguſto tum ſtatuario, cum per medici incuriam manſiſſet in veſica, in tantum auctus eſt, vt eo morbo cum maximis cruciatibus, vt hi ſolent, obierit. *Idem Comment. ad Aphoriſmum 79. lib. 4. Hipp.*

Hircinum ſanguinem frangere in renibus atque in veſica lapidem, tam verum eſt, quam meridie lucere. Quamplurimos enim eius vi comminuimus: ſed & leporino fit hoc idem. *Iul. Cæſar Scaliger, Exercitat,* CCCXLIV. *num.* 8.

Ex Bouillis oppidanus, noſtris adiutus medicamentis, eminxit vitreum, ſane ex illa nobili Praxagoræ pituita. Dum mingeretur, albuminis mollitie emiſſum vitri duritia, ac ſplendore. *Idem Exercitat.* CVIII. *num.* 3.

Rhaphani in ſalis cumulos & ſalinas proiecti, vel conſepulti, in aquam ſalſuginem maſſam totam deliqueſcere ac reſolui cogunt. Ex quo multi aduerſus calculum & tophos arenaceos in corpore raphanorum expreſſa, cum vino albo, & puluere terebinthinæ ex aduſtione; vel reſiccatione ad ſolem

ſalubriter & ſucceſſu admodum felici exhibent. Res probata & nullo auro æquiparanda. *Ant. Mizaldus.* Corticis raphani acerrimi ℥. vj. in vini albi tenuis ℥. viij. horis 12. madeant. colatura duabus doſibus ſumitur. *Hollerius.*

Quod ego, cum à forma, tum ab effectu, ſaxifragum maius appello, mihi miſſum eſt Verona à Franciſco Calzolario Pharmacopœo, & rei herbariæ ſtudioſiſſimo. Id in monte quem Baldam vocant naſci, & ex viuo, ac duriſſimo lapide prodire ſcribit. Miris laudibus hanc plantam mihi commendauit Calzolarius ad calculos renum educendos, & , vt re ipſa id mihi quoque conſtaret, miſit is ad me numeroſos calculos, quorum plures fabæ magnitudinem ſuperabant, qui huiuſce plantæ potu eiecti ſunt ex vno tantum ciue Veronenſi Hieronymo de Tortis nomine, quos adhuc apud me ad ſpectaculum ſeruo. Cæterum id magis me in admirationem ducit, quod aliquot inter hos ſpectentur, qui è veſica potiùs, quam è renibus, expulſi videantur. Herba ipſa iam apud me copioſa eſt. *Matthiolus Comment. ad lib. 4. Dioſcoridis cap. 15.*

Mentaſtri tres aut duo contriti caules recentes in vino albo, & mox hauſti, ad calculum renum conterendum, infringendum & deturbandum, magnum momentum habent.

Vidi ſemen, qui dum prima luce menthæ illius caules tres cum foliis in vino contritis hauſiſſet, & in prandio iuſculum eadem mentha conditum; veſperi, quod omnibus tanquam miraculo fuit, lapillum vnum albicantem, nucleo dactyli magnitudine ſimilem, & alios duos rubeos, non abſimiles nucleo ceraſi, excreuiſſe. Idem accidit diluere vinum decoctionis eringii.

Sabaudiæ Princeps ſingulis quadraturis lunæ, ad præcautionem calculi, & curationem ſimul vncias tres ſequentis potionis, cum ſyrupo capill. ſumit radic. eringii in taleolos conſciſſæ vnc. j. macera 24. horas in lib. duabus aquæ fluuialis; coquantur lento igne ad tertiæ partis conſumptionem. His omnibus non cedit hydromel factum cum ſucco limonum, & iuſcula comparata ex limonibus in taleolas conſciſſis. Iſta enim non ſolum calculum renum minuunt, & deturbant, ſed & veſicæ ita atterunt, vt tandem facile tollatur, ſiue conſcenderit æquum æger, ſiue currum; modo ſit ille recens in veſica concretus, & vinum diluerit decoctione graminis, quod ipſa experientia in ſene comprobatum eſt, dum iſta quorundam medicorum theoremata videret; diureticis ſcilicet abſtinendum, quibus eſt lapillus in veſica illis etiam abſtinendum, quæ detergent, minuunt, & excernunt, vt noſtro hydromelite, & iuſculis, ea ductus authoritate;

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Et alia vulgaris parœmia;

Lapillus natalis canitiem non ducit.

Iacobus Douynetus Apolog. lib. 1. cap. 7.

Tacitus prætermittere non poſſum quod obſeruaui Romæ in filio cuiuſdam Veneti, qui Typographus erat Pontificius, calculum in veſica patiebatur, & ab omnibus deploratus de ſectione cogitabatur, & iam pater cum Nurſino artifice conuenerat: quando Reuerendus quidam Vir propoſito medicamento quodam inſperato, adoleſcentem ſanauit: fuit illud ex aquæ vitæ vnciis quinque, ex iure cicerum rubrorum vnciis duabus, ex mille pedibus pondo drachmar. quinque, ad multos vſus fuit dies, teſtis huius rei eſt Iuuenalis Ancinas Foſſanenſis, medicus clariſſimus, & ob egregias animi ſui dotes, maximamq; in artis operibus doctrinam, & vſum, omnibus clariſſimus, alias poſtea feci remedii periculum atque veriſſimum eſſe obſeruaui. *Horat. Augenius lib. 4. Epiſt. 2.*

Iulius Cinus Medicus tradit, teſtimonio ſeplaſiariorum, qui iureiurando affirmarunt, lactis Aſinini vſu, libras viginti quinque calculorum perfractas ex veſica cum vrina prorupiſſe. *Idem lib. 2. Epiſt. 1. cap. 8. Et lib. 9. Epiſt. 1.*

Remedium ſpecificum & experientia ſæpius comprobatum ad calculum renum, quod paratur hoc modo. Menſe Martio lapilli quidam in bouis ventriculo inueniuntur, qui ſi aſſumantur cum vino albo, calculum ſoluunt. Menſe etiam Maio in veſica fellis tauri lapillus reperitur, qui ſi vino imponatur, colorem croceum, mutato paululum ſapore, contrahit. De hoc vino quotidie recenti affuſo ſingulis diebus ægri bibant, donec lapis vino impoſitus omnino conſumtus ſit. Hac ratione calculum comminui & tandem conſumi experientia multis conſtat. *Ioſephus Quercetanus, de ſpagyrica medicament. præparat. cap. 6.*

Sanguinem vulpinum calidum è vena ſecta potum, calculum frangere audio. *Syluius.*

Remedium nephriticum: Accipe vulpem viuam, & macta, confeſtimq; præbeto ſanguinem laboranti bibendum feruidum, & colem eius ac pudendum ſanguine illo inunge. *Nicol. Myreps. Antid. 199.*

Item *Antid. 59.* quæ inſcribitur *Antidotus nobilis ad calculoſos.* Accipe (inquit) vulpem viuam, eamque mactato, atq; de recenti eius ſanguine, quantum dimidium exigui poculi capere poteſt, bibendum præbeto, efficiet autem vt æger eadem horà per vrinam lapidem eiiciat.

Vulpinus ſanguis aridus tritus cum ſacharo ex vino bibitur contra calculum. *Obſcurus.*

Aiunt balneum eſſe in terra laboris dicta in Neapolitana regione, quod mirabiliter calculos frangit per ingreſſum. *Fonſeca lib. 2. c. 8. de calculis.*

℞. Sanguinem de vinis vulpibus in ollam vitreatam, vinum æquo pondere adiicito, lento igne ad prunas decoquito ad formam pultis, de qua bene percocta exhibeto ægro nouem continuis diebus, vncias quinque mane calefactas in lecto, abſtineat ab omni cibo horis ſex. Vidit egregius Medicus, hac ſumta medicina, multos reiicere quinq; vncias calculi cum lotio. *Ioann. Iacob. Weckerus part. 2. lib. 2. Syntax. Medicinæ, pag. 568.*

Non defuere, qui negauerint lapides renum & veſicę poſſe vlla ratione diſſolui, ſed his contraria eſt antiquorum autoritas, nec non experientia. Verum equidem eſt, veſicæ calculos magna cum difficultate ſolui poſſe, at renales, vtpote molliores, minoreſque, atque calidiori loco contenti, facile & à natura, & medicamentorum ope diſſoluuntur. Aſcribemus igitur inprimis remedia ab iis ſumta quæ deuotantur, Medicorum experientia comprobata: quorum quædam à propria ſubſtantia, nonnulla vero partium tenuitate lapides atterunt, abraduntque impactos. Sunt autem

hæc

hæc medicamenta non ſemel, aut bis, ſed pluries aſſumenda: ſic enim præſtabunt, quod promittunt. Interim autem dum exhibentur renes & veſica fouendi ſunt, balneis, fomentis, vnctionibus, quò faciliori negotio operentur, nec non liquore aliquo tenuium partium, quale eſt vinum album vinoſum, propinanda ſunt. Hoc enim vinum (ait Hippocrates) ad veſicam magis penetrat, quam alterum, & cum vrinam moueat, maxime in iis morbis proderit. Si quis vero experiri velit remedium lapidem frägens, illos in vinum infundat, in quo diſſolutum fuerit medicamentum. Si enim diſſoluantur, ſperandum eſt, id quoque in corpore euenturum. *Fonſeca lib. 2. cap. 8. de Calculis.*

Conſtat aquam fieri poſſe (inquit Cardanus) quæ lapidem veſicæ, per catheterem immiſſa, illico confringat. Nam cum duo ſint, neceſſaria, & quod lapidem atterat, & quod veſicæ ſit innoxia: primū præſtabit modus & materia: nam extremos vapores è ſcorpionum cinere, vel macedonici petroſelini, vel recolito, aut lapidibus cancrorum excipiemus. Sic enim aqua fiet, quæ etiam porphyritem comminuat. Porro innocentiam præſtat, ſi materia, ex qua aqua excipitur, omnis ſalſedinis expers fuerit. Non igitur è ſalis genere, aut alumine, vel chalchanto, aut vini fæce, ſed ex aliquo eorum, quę nuper retulimus aquam excipere oportebit. Opus autem ſemper eſt diligenti experientia in confirmanda ſubtili ratione, vt ea quæ adeo ſubtiliter explorauimus ſecure, per experientiam confirmata, in vſum hominum poſſimus deducere. Equidem ſcio ſtercus columbinum, ac parietariam hoc vel illud hac arte in aquam deductum lapides veſicæ duriſſimos frangere poſſe. Quod nam autem illud ſit quod id facturum ſit, & abſque noxa, experientia declarari oportet. Nam & hircinus ſanguis, & leporis pellis, & vitrum multum probantur ratione. Sed tamen nihil horum forſitan ſeorſum, ſed ex his aliqua ſimul iuncta atque certa menſura. Metallicum certe ſit tale oportet, aut ad metalli naturam mutatum. Audiui quondam inuētam à quodam Ianuenſe, ſed denuo amiſſam morte illius, qui eam notam nemini facere voluit. Hoc certum eſt ſane inueniri poſſe, atq; hāc eſſe illius artem: hucuſque *Cardanus*. Iuuaret fortaſſis ad hanc artem chryſocolla quoq; arte facta nimirum, & acrimonia carēs, qualis etiam ab aurifabris laudatur, quamobrem ad boracem faciendum aqua pluuiali deſtillata quidam vtuntur, & lacte deſtillato, aliqui etiā melle, medullis, &c. Ego nuper audiui empiricum quēdam calculos veſicæ in quibuſdam curaſſe cum borace mixta aqua ardente, ad ſpiſſitudinem fere mellis, admixto etiam trito tartaro, aut calculo ab homine exciſo, aut fæce vrinæ è matula. Iubebat per quatuordecim dies hoc medicamēto vti, ita vt ſemper parum eius vino bibendo etiam in prandio & cœna admiſceretur. Memini legere de liquoribus quibuſdam, in quibus lapis aut ſilex poſitus reſoluatur. Chymiſtæ ad reſoluenda metalla aceto deſtillato vtuntur, & vrina deſtillata. Diſſoluuntur aceto forti, præſertim deſtillato, vel ſucco limonum, margaritæ, teſtæ ouorum lapides renum, veſicæ, coralli-um vtrumque, eaque poſt ſiccata promte friantur. *Syluius citante Geſnero circa principium theſauri euphonimi.*

De ſemine, quo D. Abrahamus in retentione vrinæ à calculo vti ſolet, ad me ſcripſit ipſe his verbis: Subſequens emulſio in ſuppreſſione vrinæ vltra ſeptimum diem ad miraculum vſque exeruit ſuas vires in coniuge Ioachimi Panvvitz: & eſt ſecretum Dńi Maximiliani. Excreuit calculos vltra mille & quingentos, & aliquot menſuras vrinæ. ℞. ſem. violar. purpur. vnciam ſemis, cum aquæ verònicæ ſufficienti quantitate fiat emulſio. *Paulus Cloſius libr. 3. epiſtolar. & conſilior. per Laurent. Scholtzium publicatorum, 436.*

Observatio.

De cura calculi obſeruatione.

IN calculi cura magna opus eſſe cautione, exempla plurima monent. Nam fortia diuretica ſæpe non tantum dolorem magis augent, violenter moto calculo, & non promoto, ſed ſanguinis etiam mictum excitant, meatus vrinarios excoriant, interdum etiam calculos anguſtis meatibus impingunt, magno ægri periculo. Quinetiam cōuulſiones & epilepſias excitant, violenter calculo impulſo & nō expulſo, vt à me obſeruatū eſt. Itaq; nos etiam eos, qui grandes calculos in veſica habuerunt, ſolis lenientib. & mollientibus clyſteribus à doloribus liberauimus, vt permultos annos abſque euidenti moleſtia acceſſionum calculi dolorum degerent. Nec hoc mirum alicui videri debet, cum mollientes & abſtergentes clyſteres mucoſos humores, qui calculis coniuncti ferè ſunt, abſtergant, & ſenſim educant, & meatus vrinarios ab obſtructione liberent. Arenulas etiam vna educant, ac vrinæ apertas vias præbeant. Eandē efficacitatem clyſterum eiuſmodi in me ipſo expertus ſum. Cum enim ante annos aliquot dolorem in dextris iliis vehementem incurriſſem, ſolis clyſteribus mollientibus, ter vno die ſumtis, eum diſcuſſi, ſolutis arenulis, & materia viſcoſa craſſa coniunctā etiam abſterſa, ac cum vrina per dies aliquot continuos educta. Ac tantum iis lenibus auxiliis in mundificandis vrinariis meatibus effectum tum eſt, vt ab eo tempore nunquam in talem dolorem incideri m. *Cl. V. Iacob. Oethæus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Renum calculos, viſos aliquando, natura in lumbis exulceratione aut apoſtemate excitato, propulſos: vel inciſione exemtos.

MIrabile eſt mulieris exemplum, quam diu moleſtum vexarat onus ſpondylorum ac renum. Ea cum ſcabendo, pruritu titillante, cutem lancinaſſet, lapilli exciderunt numero decem & octo, magnitudine quanta in teſſeris viſitur, colore plane gypſeo. *Cœlius lib. 3. c. 12. A. L.*

Albertus refert vidiſſe mulierem, quæ cum diu conflictata eſſet dolore renum graui, diſſecto loco, decem octo lapides emiſit, magnitudine (teſſeræ) aleæ. *Cardanus lib. 8. c. 44. de Variet.*

Nonnunquam (circa ilia lumboſque) calculus ingens cum pure alias exceſſit, alias euulſus eſt. *Fernelius Patholog. lib. 6. c. 12.*

Narrat Dalechampius, viſum ſibi hominem, qui per lumborum abſceſſum, qui in fiſtulam degenerauerat, multos è renibus calculos excerneret, nihiloque minus in equo & curru vehi facile ferret. *Pareus lib. 24. cap. 18.*

Cl. Vir, & Medicus doctiſſimus. Eraſm. Reinholdus, Archiater Salfeldenſis, in Thuringia, ſtudiorum meorum olim in Italia ſocius amantiſſimus, aliquãdo mihi expoſuit quendam robuſtum Colonum nephriticum, incidiſſe in cruciatus propter impactũ calculum in vretere ingentes, quos cum tandem ſuperaſſet, ne calculus exiret, vel illi amplius eſſet moleſtus, vſitatis laboribus rurſum operam dãs in lumbis, vbi dolor antea extitit, indies maiorem pruritum ſenſit, cumque locum iſtum continuo fricaret, tandem facto abſceſſu, aliquid puris vna cum calculo ſubito inde prorupit: fuitq; vlcus ſua ſpõte poſtea conſolidatum. Variæ de caſu plane inaudito inter nos fuere diſputationes, quod niſi plane velimus hoc accidiſſe ὑπὲρ τὴν φύσιν ac miraculoſum fuiſſe, veriſimile eſt lapidem perforaſſe, ad expulſionem, atque eo rurſum conſolidato, vt hoc genus hominũ facile curatur, per cutim exulceratione facta eiectum eſſe.

Memini alium præſtantiſſimum Medicum affirmaſſe ſe aliquando fuiſſe apud Nobilem quendam virum, eiuſmodi doloribus miſere excruciatum, qui non ſolum ſectionem, ſed mortem inſuper expetẽs, tandem Chirurgo perſuaſit, vt lapidem ob magnitudinem vreteri impactum excinderet, quod ille ſatis audacter, attamen feliciter aggreſſus eſt, lapidem enim non ſolum exemit, ſed & locum ſine omni noxa conſolidauit. *De obſeruationibus Cl. V. Ioachim. Camerarii.*

Puella nata parentibus calculoſis, cum omnimoda vrinæ ſuppreſſione laboraret, tumor in lumbis obortus eſt. chirurgus ergo, cum exiſtimaret abſceſſum futurum, per duos menſes, irrito tamen conatu, medicamenta tam maturantia, quam alia, adhibuit: tandem vero duritiem eo loci perſentiens, locum affectum incidit, duoſq; calculos extraxit. puella poſtmodum non ſecus quam prius meiere potuit, ſanitatique fuit reſtituta. Hiſtoriam hanc Clariſſimus Medicus Dominus Guilielmus Capellus, præceptor meus dum Lutetiæ eſſem, mihi communicauit. Vnde liquet veram eſſe. Hipp. ſententiam, quæ habetur *lib. de morb. intern.* calculos nimirum à lateribus extrahi poſſe. *V. Cl. D. Caſparus Bauhinus, De obſer. propr.*

CALCVLI RENVM CHEIRVRGIA.

OBSERVATIO.

Lithotomiam renum veterum, artem arduam, & ſæpe neceſſariam, ob difficultatem, imperitiam, & mollitiem, à noſtris neglectam, atque amiſſam, non tam formidandam impoßibilemque eſſe, quam vulgo creditur: rationibus & exemplis illuſtribus comprobatur.

QVatuor morbi à renibus fiunt: à primo hæc patitur: Dolor acutus incidit in renem, & in lumbos, & inteſtem ſecundum renem ſitum. Et frequẽter mingit, & aſtringit paulatim ac ſupprimitur vrina, & cum vrina procedit arena. Et vbi per vrinæ meatum exit arena, dolorem fortem in meatu exhibet. Quum autem ipſam per vrinam eiecerit, dolor remittit. Poſtea vero rurſus in iiſdem doloribus iacet. Quum autem mingit, etiam colem præ dolore fricat. Vulgus autem medicorum, quod non intelligit morbum, vbi videt arenam, putat veſicam è calculo laborare. At non veſica, ſed ren lapide laborat. Hic morbus fit à pituita, quum ren ſuſceptam in ſe ipſum pituitam non rurſus dimiſerit, ſed in ipſo in tophum cõcalluerit, & fiunt ex ea tenues lapilli, vel ut arena. Huic quum ſic habuerit, cum ſcammoniæ ſucco aut ipſa radice, tomẽto prius adhibito, totum corpus purgato. Poſtera vero die duobus congiis ſucci circeris albi ſubpurgato, quem ſale iniecto bibendum dabis. Poſt hæc potibus, & cibis, & balneis curato: & eadem quæ in vrinæ ſtillicidio exhibentur pharmaca dato. Quum autem dolor preſſerit, multa calida lauato, & tepefactoria qua parte maxime dolet adhibeto. Quum autem intumuerit & eleuatus fuerit, ſub id tempus iuxta renem ſecato, & extracto pure, arenam per vrinam cientia ſanato. Si enim ſectus fuerit, fugæ ſpes eſt: ſin minus, morbus homini commoritur. Secundus renum morb. dolores fortiter premunt, velut in priore: fit autem morbus à labore, quum ruptæ fuerint venulæ ad renem tendentes, & poſtea ren ſanguine repletus fuerit, Hic, vbi hęc patitur, cum vrina ſanguinem mingit in principio morbi, deinde progreſſu temporis pus. Hic, ſi quietem corpore habuerit, celerrime ſanus erit. Si enim quid laborarit, dolores multo magis obtinebunt. Quum itaque ſuppuratus fuerit ren, circa ſpinam intumeſcit. Hunc, vbi ſic habuerit, circa tumentem partem ſecato, profunda maxime ſectione iuxta renem. Et ſiquidem ſucceſſerit ſectio, è veſtigio ſanum facies: ſi vero aberraueris, periculum eſt ne vlcus linamentis curandum fiat. Si autem concreuerit vlcus, venter intrinſecus à rene ſuppuratur: & ſiquidẽ pus intus rumpatur, & ad inteſtinum rectum procedat, fugæ ſpes eſt: ſi vero contigerit alterum renem, periculum eſt ne pereat. Curetur autem pharmacis, & iiſdem omnibus, quibus, & prior, & diætam eandem habeat. Hic morbus grauis eſt, & multi ex ipſo ad tabem renalem deuenerũt. *Hippocrates lib. de intern. affectionibus.*

Scias quod quando lapis generatur, vbicunque generetur, extractio eius cũ ferro eſt timor magnus perueniens ad vehementiam. Veruntamen illum qui fit in rebus quidam antiquorum ſapiẽtum præceperunt extrahere cum ferro ex perforatione incidente retro ſuper latus duorum iliorum, in loco renum. Ego autem video, quod hæc audacia difficilis, vehemens, ſublimis, ſuper mortem propter illam rem, per adminiſtrationem huius curationis. *Serapio pract. tract. 4. cap. 22.*

Sunt quidam qui laborant extrahere calculum renum per inciſionem ilii, & per dorſum, ſed eſt magnus timor in eo, & operatio eius, qui rationem non habet. *Auicenna Canonum libr. 3. Fen. 18. tract. 2. cap. 18.*

Quoniam oportet penetrare per muſculos, per dorſum, per oſſa magna, per neruos, & arterias, & venas magnas, in quo caſu accidit ſyncopis, & mors, & ſic cura eſt potius impoſſibilis quã fieri poſſe putetur. *Ioan. Bacchanellus de Conſenſ. medicor. in curand. morb. lib. 3. de renum & veſicæ calculo.*

Quot amiſſa ſunt circa artem curandi, quæ nota erant tempore Hippocratis? hæc fuit præclara illa doctrina Galeni, quæ nõ ſolum bene inuentis quicquam non addidit, ſed multa ac maxime neceſſaria inuenta ab Hipp. prætermiſit, quemadmodum diſſectionem in empyemate, exuſtionem in iecoris tumoribus, perforationem cranei in aqua cerebri ex-

tractionem lapidis renum per ſectionem, extractionem aquæ intercutis, (quam licet exerceant hodie, non tamē ea eſt, quæ Hippocratis tempore habebatur, cum omnes pereant, olim multi ſeruarentur) ſectionem ſupra oculum in ſuffuſionem: multaq; alia pulcerrima, at maxime neceſſaria. At noſtri temporis viri ex eodem in idem ſe reuoluentes, gloriantur de prudentia & ſapientia, qua miſeros ægros, qui ſe ſuæ fidei committunt, perimunt, atq; adeo turpiter vt vix è pluribus vnus aut alter, excarnificatus etiam euadat. *Hier. Cardan. de lib. propriis circa finem.*

Huc etiam referri poteſt hiſtoria ipſius nobilis ſagittarii Modunenſis calculoſi, quæ à Monſtreleto deſcripta, cum iam morti adiudicatus eſſet, concedente tamen Magiſtratu, ob inſtantem petitionem Medicorum Lutetianorum, vēter apertus fuit, quo lapis perquireretur, & locus lapidis obſeruaretur, repoſitis deinde inteſtinis, vulnus conſutum fuit, ipſe vero ſanitatem priſtinam adeptus eſt: ſententia etiam, qua morti erat adiudicatus, remiſſa, propter dolores, inuite tum ab ipſo perpeſſos. Dominus *Pareus* (qui tanquam monſtrum quoddam *lib. 24. cap.* 16. hiſtoriam hanc citat) duo in chirurgia apprime notatu digna, quod tamē facile ab ipſo præſtari potuiſſet, non exponit. Primum eſt, calculus ne in ipſo rene, aut in veſica ab ipſis quæſitus fuerit. Alterum, quo in loco exteriori ſectio hæc cæpta fuerit, an videlicet in lumbis, aut alia in parte ipſius epigaſtrii, verſus ilia. Quoad primū, veriſimilius eſt in rene potius, quam in veſica, quæſitū fuiſſe, idq; non ſolum idcirco, quod mentio fiat doloris nephritici & lateris, (quæ non ratione calculi in veſica contenti, ſed calculi renalis accidunt) ab ipſo perpeſſi: verū etiam, cum hæc perquiſitio ideo fuerit, inſtituta, vt rei alicius nouæ notatu dignæ, anteaq; non viſæ, fieret experientia: vt eſt inueſtigatio calculi in renib. hominis viuentis, & eiuſdem non conſuetæ ſectionis curatio. Veſicæ n. calculum à tantis viris nō fuiſſe quæſitum facile credi poteſt, vt qui de loco & curatione talis calculi non ambigerent, præſertim cum iam pridem ſectio Celſiana & Guidoniana foret vſitata, in qua in viuentibus perinæum inciditur, & in mortuorum calculoſorum veſicis calculos reperire conſuetum ſit. Quo ad alterum, coniectari licet ſectionem hanc externam, non per lumbos, ſed per alium factum eſſe locum, cum multa ſint quæ ſectionem per lumbos impedire poſſint. Primum quidem loci craſſities, vbi cum magno periculo plurimi muſculi tam interiores, quam exteriores, iuxta ipſorū principium inciderentur. Dein etiam nō ſolum vertebrę ſpinæ & ipſarum appohyſes proxime adiacentes, ſed etiam vena caua & arteria aorta, cum manifeſtis ipſarum ramis, meſenterio item & pancreate, tali ſectioni impedimento eſſe potuere. Quare vt ad latus ipſius abdominis ſectio hæc facta ſit oportet, eo nimirum loci, quem Græci κενεῶνα, Latini ilia vocant. inter lumbos & locum eum, vbi Cæſarea fit ſectio, altiori paulo loco, quam is ſit, per quem in Epigaſtrio, vti propoſuimus, calculus veſicę extrahi debet. Quod ex inde ſatis colligere licet, cū dictum ſit, inteſtina fuiſſe repoſita, & vulnus conſutum, quod in lumbis in regione regis affecti fieri nō potuiſſet. Sed vt de ſectione renis agamus, etſi demus, nunquam hanc ſectionem attentandam eſſe, attamen probabiliter de ea rationibus medicis & analogice diſputare licet, poſſe eam malo vrgente, abſq; tamē mortis neceſſitate, perfici. Verum (præter obiectiones, quæ circa hæmorrhagiam renis inciſi fieri poſſent, & circa periculoſam Puris, quod in abdomen illabi poſſet, retentionem iam ſolutas) alia inſtantia vti licet, propter periculum quod immineret duab. partibus hac ſectione læſis, iliis puta ſectis, & rene vulnerato. Quoad ilia, ex prædictis rationibus liquet, eorum ſectionem non eſſe neceſſario lethalem. Pręter allatas rationes analogice adhuc argumentari licet, quod aliquando in parte æque periculoſa, imo periculoſiore, quam ſint ilia, ſæpius fiat (& quidem beneficio naturæ) amplum ſatis vulnus pro lapidis exitu, non ſolum calculi veſicæ (quod in perinæo fit) aut calculi in vretere contenti (quod per hypogaſtrium iuxta inguina fit) ſed etiam renalis (quod caſu per lumbos fit) quæ tamen omnia abſque morte patientis contingunt. Quę ſingula oſtendunt, idē quoque circa ilia (loco ad calculi renalis extractionem commodiori) maiori ſecuritate fieri poſſe. Res enim hæc dubio non caret, non ſolum ob id, quod plures hac de re ſcripſerint, & inter cæteros D. Dalechampius: ſed id etiam plurimorum medicorum & chirurgorum fide dignorum teſtimoniis patet, viſos eſſe in nephriticis per lumbos (loco valde incommodo) magnos calculos è renibus reiectos, per apoſtema iis in locis periculoſiſſimis genitum, quod aliquando à chirurgis apertum, aliquādo beneficio naturæ eo loci ruptū. Qua in re neceſſum fuit, vt vna cum rene plurimæ partes tam externæ, quā internæ corporis grauiter fuerint oblæſæ, quæ æque, imo multo magis periculo ſubiectæ ſunt, quam ipſa ilia, imo quam ipſum epigaſtrium incidere, non ſolum in extrahendo fœtu ſectione Cæſareæ, quam ſectione calculi veſicæ eo modo quo proponimus, in Hypogaſtrio ſcilicet. Sed & in aliis periculoſis epigaſtrii partibus, non minus periculoſa ſuperueniunt ſymtomata, quæ tamen lethalia non ſunt.

Tale eſt id, quod accidit Anno 1557. in pago Han cognominato, in Algia Normandiæ, vbi quidam Carolus Trahardi nomine, à lōgo tempore nephriticus, cuius dolores cum relicto loco conſueto anteriora petiiſſent, regionem nimirum vreterum, tanquam dolore Colico laborans frequētibus clyſmatibus tractatus, quorum aliquot ob mali vehementiā euomuit, tandem inter inguina & ilia tumor inſignis obſeruatus, quem Iacobus Dux chirurgus exercitatiſſimus aperuit. vnde lapidem fabæ magnitudine vna cum pure vrinæ permixto extraxit. Ex ſitu anteriora verſus vergente, facile fuit colligere, non ex rene, vt qui in poſteriore parte eſt, calculum prodiiſſe. quare oportet (ſiquidem vrina per locum ſectum ſemper deſtillarit) fuiſſe ex vretere circa eum locum, vbi veſicæ iungitur: non enim veriſimile fuiſſe calculum veſicæ, partim cum alio in loco ſedem habeat (in medio nimirum hypogaſtrii) partim quod vrina, quæ per alterum vreterem in veſicam deferebatur, per membrum virile, pro voluntate ęgri reddebatur: nihilominus tamen per locum etiam inciſum ſemper vrina mingebatur: quare ad eam excipiendam chirurgus (vt artis eſt) ſpongiam ipſi præparauit. Excepto perpetuo vrinæ ſtillicidio, alias bene valens, adhuc per annos quatuor vixit, tandem vero angina periit.

Simile etiā à D. Bellangerio Medico Regio Lute-

tiæ

tiæ in hoſpita ad caniſtrum iuxta templum S.Pauli
viſum,quæ & calculum ſimilem, & per ſimile apo-
ſtema,pari in loco ortum,reiecit: partibus quinetiã
ſymtomatibus relictis, ita vt vrinam per annos vi-
ginti,& plures,per vulnus reddiderit.

Quoad renem(alteram partem,quæ abſque ma-
gno periculo ſecari non poſſe cenſetur) videtur,ſal-
uo tamen meliori iudicio,vulnus non neceſſario eſ-
ſe lethale:ſiue ſpectemus actionem & vſum propriũ
(modo alter ren ſanus & integer ſit, ſuoque ſatisfa-
ciat officio) ſiue ſpectemus ipſius ſubſtantiam, cum
per ſe ſatis ſit oblæſus, imo ſæpius maxima ex parte
putridus,& per conſequens ex parte, vel ex toto in-
utilis:ita vt à bono exercitatiſſimo Anatomico, qui
ſolerti ſit manu, & in ſimilibus caſibus exercitatus,
poſſit facile & cum honore hæc ſectio adminiſtrari,
ſed in corpore robuſto, & cum iudicio ſolum diſſe-
cans eum locum vbi calculum perſentit, cauendo
quoad fieri poteſt,ne inſertionem venæ emulgentis
vel vreteris exitum lædat:poſtmodum vero conſo-
lidationem naturæ committens,quod à natura præ-
ſtari id poſſit,præter rationem non eſt.

Illuſtr. Duciſſa Ferrarienſ. felicis memoriæ, cum
doloribus nephriticis per certa interualla eſſet ob-
noxia,grauiſſimo item ſanguinis & vrinarum puru-
lentarum mictu, exercitii loco deambulationibus
vtebatur:à quo exercitio,cum abſtinuiſſet,&corpus
quieti dediſſet,curationem malo contrariam quæ-
rens,& ſic aliquando leuibus quibuſdã mediis con-
tra calculum vſa eſſet,tandem hæ excretiones deſie-
re. Quare cũ alio morbo interiiſſet,corpuſq; ipſius
fuiſſet apertum in rene ipſius paruus calculus reper-
tus fuit,circa quem cicatrix pulchra:ſana & munda,
dimidii digiti longitudine erat, quod fidem facie-
bat, cum tam excretiones, quæ per vrinas fiebant,
ceſſaſſent, quã quod conſueti dolores nephritici re-
miſiſſent, calculum hũc multo maiorem fuiſſe, qui
etiam vlcus cauſaſſet, ex quo prius ſanguis, dein &
pus manarit,quod cicatrice erat cõſolidatum:quod
etiam hepati,pulmonibus, aliiſque partibus princi-
pibus accidit.

Sed cur quæſo, ſimplex inciſio corporis renalis
tuto fieri non poſſet,diligenti ad calculum extrahẽ-
dum adhibito artificio, quandoquidem ipſo valde
ſaucio,purulento, & fere ex toto putrido exiſtente,
beneficio tamen naturæ, hos calculos per maiorem
continui ſolutionem,quàm ſimplex hæc ſit inciſio,
eiici videmus, & quidem tanta cum interioris ſub-
ſtantiæ ſuæ deperditione, vt ſæpe ſola ipſius mem-
brana integra remaneat, quæ magnum, aut plures
mediocres calculos, inſtar pecuniæ in crumena ſo-
num edentes continet. Quandoquidem ergo, ex
rene adeo affecto, aliquando calculus per lumbos
exitum quærat, (vti ſuperius dictum) quemadmo-
dum etiam in aliquibus,is qui in vretere continetur
per latus hypogaſtrii & veſicæ, ſimiliter calculus per
perinæum:quare non commodior aliqua via quæri-
tur,malo huic adeo deſperato ſuccurrendi? Per hæc
& ſimilia loca diuerſa, fit in aliquibus calculorum
expulſio, ſed longe ſæpius veſicæ calculus per peri-
næum expellitur, propter locum magis decliuem,
quo omne corpus graue natura ſua tendit. Et hæc
meo quidem iudicio, potior eſt cauſa, quàm ſit vlla
alia,quæ primos lythotomos, &c, ad ipſorum exem-
plum, eorum ſequaces adegit,vt calculum in veſica
contentum per perinæum potius, quam per hypo-
gaſtrium extraherent: hac ratione ſe motum natu-
ræ imitari, quod ipſius artis eſt, ſibi imaginantes:
quamuis(verum modo ſi dicere velimus) hic natu-
ræ motus ſymtomaticus potius ſit, & via huic malo
non conueniens, quam quod per legitimam veſicæ
excretionem fiat,quæ naturaliter per perinæum nil
euacuat. Verum incredibilia hæc cenſeri non de-
bent ab eo qui non vidit,nec legit vnquam, per lũ-
bos, apoſtemate affectos, calculum renalem egredi
poſſe, quemadmodum is qui in vretere conſiſtit,
per imam partem iliorum, vti dictum: ſiquidem
ren, licet calculoſus non ſit,ſed ſolum vlceratus, &
ipſi detur via per vreterem naturaliter ſe euacuandi,
materiam tamen purulentam in eo contentam ſæ-
pius per lumbos excernit. Id quod, poſt diuturnos
dolores nephriticos & vrinas purulentas,ſæpius vſu
venire ſolet, quæ etiam iis in locis fiſtulas incurabi-
les, ſed tamen tolerabiles, imo ad euitandum ma-
ius malum exoptatas cauſant:quod duobus in ægris
inter cæteros, quam diligentiſſime animaduerti.

Caſtellione enim ad Lænum,mulieri cuidam cor-
pulentæ, poſt diuturnos dolores nephriticos, circa
exteriorem regionem renum, abſceſſus magnos or-
tus,qui à Magiſtro Gerardo ChirurgoRegis Henri-
ci,me præſente, cauterio actuali fuit apertus, vnde
pus ſolum abſque calculo effluxit: ipſam vero fiſtu-
lam cannula argentea concaua, & candela quinque
aut ſex digitorum longa,per annos 26. & plures, a-
pertam reſeruauit: hac ratione ab vrinarum purulẽ-
tarum excretione, & renum dolore liberata: quæ
duo ſymptomata, quando emiſſarium hoc occludi
volebat,ſtatim recurrebant.

Similis morbus, cum in abſceſſum eſſet verſus,
meoque conſilio apertus,ſimulq; diu apertus reſer-
uatus,iuuenem quẽdam Paillet nomine, viginti aut
viginti vnius annorum Guignouille Belſiæ à talibus
nephriticis doloribus &vrinis ante valde purulentis
liberauit,ita vt poſtmodum bene valuerit,vſque dũ
vxorem ducturus eſſet,tum ſubitanea morte periit,
cum tempore meſſis ex curru margitibus onuſto
delapſus eſſet.

Quare vt tandem huic propoſito finem impona-
mus, vnum propter rationes allatas explicandum
ſupereſt,quod nimirum in nobili illo ſagittario,cal-
culus non per lumbos,ſed per ilia aperta,& quidem
in ipſo rene affecto, non autem in veſica fuerit per-
quiſitus: quod nihilominus tamen pro tuenda ſen-
tentia noſtra facit, ſiue pro comprobatione opinio-
nis noſtræ de extractione calculi veſicæ per ilia, ad
modum Franconis:ſiue ad ſectionis noſtræ Cæſareæ
confirmationem. Verum quod ad exempli huius i-
mitationem attinet,nolo quis ſibi perſuadeat, velle
me ex rationibus allatis ſtatuere, vel conſulere, vtà
quopiam temerarie talis ſectio renis vſurpetur, niſi
prius ſimili ſectione aliquoties fuerit vſus. Quem-
admodum enim vna hirundo Ver non facit,nec vna
ſola ſerena dies æſtatem pollicetur,ſic vnica experi-
entia non potis eſt has difficultates reſoluere. Præ-
terea lythotomus talem ſectionem nũquam tenta-
rit,quin prius conuenienti inſtrumento,quo in loco
calculus latitet, tentarit, licet plura & quidem vni-
uoca quæ id atteſtentur ſigna habeat, ꝙ tamen in
rene fieri non poteſt, licet in veſica hoc fiat. Et de-
mus, de calculo renali certo nobis conſtare, attamẽ
calculi

calculi huius extractio, maiori ex parte aut ſuperflua, aut ſuſpecta, aut ſaltem raro neceſſaria eſt. Superfluam dico, ſi nimirum alter ren ſit ſanus, adeo ſuo ſatisfaciens officio, vt quaſi vtriuſque munere fungatur, quod ſæpius accidiſſe manifeſtum, dum nimirum vnus illarum diu fuit putridus (cui rei teſtimonio eſſe poteſt, puris cum vrina copioſa excretio) nihilo ſecus tamen alter attraxit, tranſcolauit, & ſufficienter vrinam euacuauit. Suſpectam dico, ſi nimirum ambo renes pariter ſint affecti, tum enim ſi alter eorum ſecaretur, parum fructus inde perciperetur, niſi pari pacto & alter incideretur, quod tamen præſentaneam mortem oſtēderet. Parum neceſſariam dico, nam ob alterum ſolum renem vlcere, aut alio morbo affectum, nihilominus tamen viuere licet, ſi alter ſanus ſit, vitioque careat. Verum quod hic quidem eſt, ſi ambo ſimul omnimoda obſtructione laborent, calculis adeo magnis, vt in vreteres deuolui, aut ex vreteribus veſicam ingredi nō poſſint (quod ex veſicæ vacuitate tū patet) tamen hoc remedium, cum alia deſint, non abſque ratione proponi poteſt, ita vt renum alteruter ſecetur: cuius gratia etiam ſectionem noſtram Cæſaream, ſi alio modo partus promoueri non poſſit, proponimus. Quod non adeo difficulter ab ęgrotis, tantis tum ob calculum doloribus diſcruciatis, impetrari poteſt, cum ipſimet, vel cum periculo, hanc ſectionem expetant.

In huius tractationis, in qua prolixior fui quam animus fuit, fine, negligentiæ mihi accuſandi venere ii, qui cum Lutetiæ adeo feliciter rem tam periculoſam, tanta etiam cum vtilitate coniunctam, tentaſſent, ꝙ id literis nōn conſignarint, imo tabulis æneis inſculpſerint, poſteritati eas conſecrantes, &, vt rē admiratione, imo ſæpius imitatione dignā, eas in ipſorum ſcholis erigentes. Res ſane hæc tabulas illas metuiſſet, quæ in Germania eſſe dicuntur magna quædam Paracelſi miracula atteſtantes: qui tamen maiorem partem ſuarum receptarum, & ſecretorum ſecum abſtulit, ex ſuis ignibus, ſectatoribus ſuis parum aliud, quam frigidos cineres, relinquens. *Rouſſetus de Part. Caſ. ſect. 3. cap. 7.*

RENVM TVMORES.

OBSERVATIO.

Renum calculis obnoxius falſo creditus, intēpeſtiuis medicamentis vſus, renum ſuppuratione corripitur, vnde & dyſuriam, Iſchuriam incidit, ex qua mortuus: diſſecto corpore, renum alter purulentus totus, alba membrana tectus. In veſica fellis lapilli conſpecti.

NObilis Heinricus à Selbolt vicedominus Moguntinus, vir proceræ & ventricoſæ conſtitutionis, vltimus familiæ ſuæ: auidus conſequendæ prolis maſculæ, ob propagationem ſtirpis: Iudæi vetuli, ei familiaris, ad hoc medica ope iuuādum vſus: cum frequenter dyſuria. renumque doloribus torqueretur, pro calculoſo ab eodem & mulierculis habitus fuit, calidiſſimis itaque remedijs, vt comperitum, vtens, tandem in grauiſſimam dyſuriam & vrinæ odioſam ſuppreſſionem incidit. Proinde multis adhibitis fruſtra, diem claudit extremum. Sectus, me tamen diem ante ad aulam aduocato, à Raſcalonio, inuentus fuit renum ſiniſter albus, omnino inuolutus membranæ cuidam albæ, intus ſemiputridus, materiam purulentam continens, veſica vrinaria exigua. In veſica fellis lapis durus, flauus, auellanæ magnitudine. Hic anguſtiabatur, ſitiebat, febriebat. Quæ Raſcalonius retulit à reuerſione, à quo, ſi veram hiſtoriam ſcire deſideras, expetes. vix poterat Icterum & Hydropem effugere. *Cl. V. Ioann. Fridericus Traſſelmannus de obſ. propriis.*

OBSERVATIO.

Ex renum abſceſſu nonnunquam per certa interualla pus per vrinam expurgari.

MVlti renum abſceſſus reperiuntur, in quibus pus ſolum, certis interuallis, cum vrina excernitur; vt in duabus mulieribus: altera vxore Senatorii Conſulis Claudii Fabri: altera vxore Vincenti Fabri negotiatoris. in aliis quoque, qui inde tabidi mortui ſunt. Sanguinolentum aliquando. Vtrumque exacte vrinæ permixtum, aut reſidens, ſed poſt longum tempus, vrina etiam inde craſſiore reddita, è renibus eſt, præſertim ſi dolor fixus in lumbis præceſſerit; aut calculus reiectus fuerit, aut ex vreteribus vlceratis tranſitu calculi, vel in illorum cauitate orta poſt vlcus caruncula. Sed copioſius è renibus, quam vreteribus. *Scholiograph. ad cap. 50. lib. 1. Hollerii de Morb. intern.*

OBSERVATIO.

Ren totus conſumtus, & in pus reſolutus, quod renis tunica concludebatur.

APeruimus corpus cuiuſdam, qui nouem circiter menſes laborabat affectu renis ſiniſtri, extenuatus omnino, renem inuenimus totum conſumtum & plenum pure, magna quantitate, ita vt leui attactu diſruptæ fuerint omnes tunicæ, *V. Cl. Ioan. Bauhinus de obſeruat. propriis.*

OBSERVATIO.

Apoſtemata renum, cum prodigioſa veſicæ conſtitutione.

QVEMADMODVM hepar, ita & renes apoſtematibus diuturnis infeſtari videmus, cuius rei exemplum adferam. Nobilis quidam Bononienſis nomine Camillus della volta, ſexagenarius, cum multis annis nephritico dolore, ardore vrinę, & meiendi difficultate, quæ omnia à renum calculo prodire exiſtimarunt, lancinatus, tandem occubuit. Secto cadauere, inueni renis dextri ſubſtantiam totam in pus craſſum & fœtidum conuerſam, idque membrana concluſum: ſimiliter & in aliis permultis tum calculoſis, tum nephritico dolori ſubiectis, vlcera renum magna deprehendi, dextrum vero renem, ob iecinoris incumbentis forſan caliditatem, magis atque ſiniſtrum exulcerationi obnoxium vidi. Huius Camilli veſica ob inſignem inflammationem atque exulcerationem ita fuit contracta, anguſtata & tumida, vt vix digitum admiſerit, capacitas inueniebatur craſſo pure plena. *Coiter in libell. obſeruationum Anatom. & Chirurg.*

OBSERVATIO.

Apoſtemate & vlcere renis dextri curatus.

Ioannes

IOannes Baſtonius Patritius Arelatenſis,& generis nobilitate & moribus inſignis, cum & nephritidi obnoxius, ſæpe in grauem renum dolorem incurreret: & arthriticis doloribus ſæpe afflictus, tum & cruditatibus plurimis,& ventriculi flatuoſis doloribus male torqueretur: tandem glutinoſis & multis in rene dextro impactis humoribus,in eoque retentis, & à calore immodico quaſi efferueſcentibus in phlegmonem eius partis incidit,graui comitante febre, doloribus grauatiuis & extenſiuis. Fit inde abſceſſus atque vlcus:pus multum poſt eruptionem apoſtematis mingitur multos dies. Sanatur magna adhibita cura, ſed multo tempore,nec ſine ſumma difficultate. *Valleriola lib.6.obſ.1.*

OBSERVATIO.

E directo renis apoſtema ſuppuratum,inciſum, & curatum.

OCcurrit mihi caſus memoratu dignus. Fui vocatus pro paupercula muliere, quæ iam diu in directo vnius renis graui dolore torquebatur. Accedens ad eam, quæ iam multo tempore manebat in lecto, feci illam ſuper eius ventrem iacere:tetigi locum dolentem, & comprimens cum extremitatibus digitorum ambarum manuum, reperi tumorẽ magnum: & diligentius intuens, ſenſi manifeſtam inundationem in profundo, & dolebat grauius, quando ſuper oppoſitum latus iacebat. Dixi eſſe apoſtema frigidum ſuppuratum. Feci vocari chirurgum doctorem & doctum, qui in ſtudio Taurinenſi publice legebat, cui dixi,vt cum raſorio ſtricto in ſummitate illam exituram aperiret. Qui reſpondit, oportere applicare maturantia, donec in cupum eleuaretur. Cui dixi,ipſa longe citius morietur,quam in cupum hoc apoſtema poſſit eleuari, quia amplam habet in interioribus capacitatem vt dilatetur. Tandem fecit inciſionem, ſicut dixeram, profundans raſorium,incidendo totum mirach. Tandem inciſo panniculo reperta eſt magna quantitas materiæ,quam paulatim exire permittens, cura diligenti adhibita,gratia Dei ſanitati eſt reſtituta,cum magna chirurgi admiratione.

Ego,dum eſſem iuuenis, vidi nonnullos ex conſimili caſu mori in manibus excellentiorum medicorum totius patriæ, qui apertionem ipſorum apoſtematum facere non audebant: vnde patientes tabe conſumpti peribant. *Bayrus Practica lib.vigeſimo, cap. 4.*

RENVM VVLNERA.

OBSERVATIO.

Ren ſiniſter vulneratus & curatus.

VIdi renem ſiniſtrum pugione vulneratum ſanari: quia parenchima, ſcilicet ſanguis ille craſſus concreuit in carnem. *Fallopius lib. de Vulneribus capitis,cap.12.*

OBSERVATIO.

Renum portiones per abſceſſus & vulnera ablata.

VIdi quibus renum portiones ſatis effatu dignæ, tum per abſceſſus,tum per vulnera ſint ablatæ. *Gemma lib.1.cap.6.Coſmocrit.*

Vulneratis renibus, vrinæ initio ſanguinem, deinde pus admixtum habent;veluti mulieri contigit, quæ pugione vulnus in lumbis acceperat:mox enim ſanguineam, deinde purulentam vrinam reddidit, donec & vulnus,& ren curatus eſſet:quem vulneratum fuiſſe,particula eius è vulnere exemta oſtendit. *Dodonæus in Scholiis ad cap.32. obſeruation. ſuarum Medicinal.*

DE VRETERIBVS.

OBSERVATIO.

Duo Vreteres.

VIDI puellam diſſecari quæ habuit duos vreteres in dextro latere,orietes ex longi renis parte ſuperiore & inferiore,Lugduni 1563. Menſe Nouembri. *V.Cl.Ioan. Bauhinus de obſ.propriis.*

OBSERVATIO.

Vreteres & emulgentes craſſa pituita obſtructi: vnde aquoſitatis renum attractio intercepta.

EXperimento noui conſimili morbo affectos plures,qui morbi cauſam arbitrabantur humores extitiſſe craſſos in veſicæ oſculo congeſtos,per lapidis tamen eductionem conualuiſſe. Alium prætereа,quem medici curari intendentes, indiciis ſuffulti variis, & diuerſa opinantes, variaque vtentes medela ipſius tandem præmortui membra ſecantes vrinaria, vreteres craſſa inuenere repletas pituita: quod & alteri contigit,ob emulgentes, renelque, ipſam non attrahentes aquoſitatem: de quibus *Galenus* diſſeruit *comment.de naturalibus facultatib.* Duos prætereа alios comperi in vrinario meatu haud varia perpeſſos ſymptomata, chirurgi tamen officio vnum lapide coanguſtari, alterum vero vrinæ acrimonia. *Fumanellus cap.4.tract.de vrina difficultate.*

OBSERVATIO.

Frequenti calculorum ex renibus excretione, vreterem in tantum ampliari, vt maiorem digitum recipere,aut peræ inſtar ſabulum & calculos coaceruare poſſit.

IIs, qui iam pridem nephriticis doloribus erant aſſueti, vſque adeo dilatatum vreterem aliquando comperimus, vt in eum maior digitus immitti poſſet. Per hunc mediocres calculi excidebant, qui olim,non niſi ſummo cruciatu,procidiſſent. Qui vero aut nondum,aut certe raro & leuiter, nephritico dolore tentati ſunt,minimo calculo diſtorquentur. *Fernelius lib.6. cap.12.Patholog.*

Non prætermittendum eſt, vreterem ſtatim ab egreſſu è renibus latiorem redditum,inſtarque ventriculi, ſeu peræ paſtoralis recuruatum, frequenter magnam lapillorum copiam congregare: quos poſtea natura ſagax ſenſim inde cum vrinis expellit, quibus iter ob vaſis curuitatem interceptum non eſt, quamuis ſit calculis refertiſſimum. Hoc ſane naturæ diligentiam ſummopere commendat. *Euſtachius cap.45.libell.de Renibus.*

DE

DE VESICA VRINARIA.

CONFORTATIO ET CONSTITVtio varia.

Obſervatio.

Duæ veſicæ vrinariæ, cum aliis animaduerſione digniſſimis.

Virgo quædam 35. annorum, integro biennio ante mortem laborauit copioſiſſima narium hæmorrhagia, quę non niſi venæ ſectione ſiſti potuit, paulo poſt incidit in cachexiam & hydropis initium, tumeſcentibus pedibus & ventre inferiore, remanente cachexia. menſes fuere inordinati, aliquando non fluebant penitus; aliquando nimis erant copioſi, perdurauit tamen hæmorrhagia, quæ alternis diebus increſcebat. Decimaquarta vel quinta die ante interitũ corripiebatur tuſſi moleſtiſſima & ſicca, nonnunquam quid fœtidi expuebat: ſentiit punctiones & dolores in regione epatis, euomebat bilem corruptã, praſiam, ac cum ea vermem oblongum, alioſque ſimul vermiculos. Ego, ad eam vocatus, deprehendi febrem malignam, quã comitabantur ſubſequentia ſymtomata, delirium, vigiliæ, inquietudo, ſitis inextinguibilis, vomitus materiei corruptæ, dextræ partis faciei reſolutio leuis; hypochondrii ſiniſtri ac lateris pectoris ſiniſtri maximus dolor, ac æſtus, nulli lateri incumbere potuit, color faciei flauus ac ſubniger. vrinæ erant ſubnigræ, ex dextra nare frequenter per interualla aliquot ſanguinis guttulæ promanabant. Hæc virgo poſt multos perpeſſos cruciatus morte occubuit. mortuam ſecui, atq; primo occurrit vena vmbilicalis (quę in omnibus adultis munus ligamenti obtinet) ſanguinis copia turgida atq; extenſa in quibuſdam locis, vbi hęc vena contorquebatur, inſtar varicum tuberoſa. Hepar iuſtam habuit magnitudinem ſed erat album, tuberoſum, inæquale, durum, & exangue, vt vix ſanguinis guttula ex diſſecto hepate exierit, ex gibbo nihil, ex ſima parum. Thoracis capacitas dextra erat aqua ſubnigra & putrida plena, continebatq; eiuſdem aquæ cantharum & dimidium. Pulmonis dextra pars in ea cauitate collocata cum pleura corrupta, ac nigra fuit. Ventriculus mirum in modum copia tum fæcum tum flatuum inflatus ac tumidus reperiebatur. Inueni & duas veſicas vrinarias. alteram naturalẽ & in ſua ſede collocatam; alteram ex matricis colli dextro latere prognatam; naturali veſica duplo quaſi maiorem; lotio pleniſſimam, & duabus tunicis vt naturalis veſica, pditam. hic nullus meatus aquã vel immittẽs vel emittens cõſpiciebatur. vteri corpus erat ſcirrhoſum calloſumq; , reliquæ partes ſatis integræ apparuere. caput non aperui. Equidem ad fructum aliquẽ ex hoc caſu depromendum, enarrata ſymtomata (vt plerunq; in ſimilibus ſectionibus facio) diligenter examinaui; quæ nam obſeruanda forent, ad certum numerum redegi, eorumq; rationes atq; cauſas pro viribus expendi. Hæc iuniorũ ac rudiorũ cauſa hic exempli loco enarrare placuit. Numero eſſe ſex, in ſuperiori hiſtoria, diſcuſſione digna, iudico; & primo, poſtquam hepar ſanguinis officina, & primarium ſanguificandi inſtrumentum in hac virgine tam exangue extiterit, tantis obſtructionibus laborarit, tot ac tantis ſcirrhis tuberibuſque refertum fuerit, & ex conſequenti ad ſanguinis generationem ineptum redditum erat, quomodo contigerit, quod hæc virgo tanta αἱμοῤῥαγίᾳ tam longo tempore laborarit, atque ea quantitate venæ poſt mortem repletæ inuentæ ſint. Secundo, quomodo ſanguis in tanta hepatis obſtructione duritieque potuerit ad cauam venam, & vrina ad renes veſicamque peruenire. Tertio, quomodo generata hæc veſica non naturalis, ac per quas vias vrina ingreſſa ſit in veſicam adnatam. Quarto, cur fiat, quod, obſtructio hepate, ſanguis per dextram narem, & non per aliam corporis partẽ, expurgatus ſit. Quinto, quomodo ac quibus viis aqua in pectore colligatur. Sexto, vnde febris malignitas, & pulmonis corruptio enata ſit. Primum quæſitum, ob ſcriptorum diuerſas de hac re ſententias, ſolutu nõ admodum facile eſt, imo quoquo modo diſputabile relinqui poteſt. etenim cum Anatomici, & diligentes rerum ſcrutatores (vt de corrupto & putrefacto hepate dictum eſt) animaduerterint totam hepatis ſubſtantiam adeo à naturali conſtitutione recedere, vt vix credi poſſit, per vim αἱματώσεως hepatis, ſanguinem in animalis corpore generari poſſe, & tamen in totius corporis venis multum laudati ſanguinis deprehendant, alii lieni, alii aliis partibus, alii venarum generi, ſanguificandi munus aſcribunt. Lienem hepatis vicem gerere, tanquam quid naturæ legem excedens, multorum aures offendit. Plauſibilis & rationi magis conſentanea eſt *Galeni* ſententia, 4. *de vſu part. cap.* 17. & multis aliis in locis, vbi docet, vti inteſtinis χυλώσεως à à ventriculo, arteriis pulſandi vim à corde, ſic & venarum generi ab hepate αἱματώσεως facultatem impartiri, horum partibus ſuis fontibus vicinioribus maiorem, remotioribus minorem vim communicari. Ex hoc præſenti caſu non ſolum Galeni ſententiam ſtabiliri, verum etiam Veſalii aliorumque refutationem reiici poſſe, eximius quidã Philoſophus ac Medicus mei ſtudioſiſſimus in reſponſione ſua ad meas literas, quas huius virginis amicorum rogatu de hoc caſu, atque hic quæſitis ad eum ſcripſi, docte ac eleganter ſequentibus verbis demonſtrat. Certe hic tecum vix habeo quod reſpondeam, niſi cum *Galeno in 4. de vſu part.* dicam, venæ portæ ramos modicam quandam generandi ſanguinis facultatem habere, non ſecus quam inteſtinis ſuperioribus ineſt quædam ciborum concoctrix facultas. Et licet hic peritiſſimus Anatomicus D. Veſalius, & alii plures cum eo docti viri Galeno reclament, propterea, ꝙ vnum quodq; membrum generet naturæ ſuæ ſimilem humorem, & quod neceſſe ſit vt alteratum in nutritione inalterantis particulę colorem ac ſubſtantiam abeat ſicuti commune ἀξίωμα eſt omnium Medicorum; at in propoſito noſtro caſu, in quo hepar in tantum à naturali ſua conſtitutione receſſit, vt prorſus exangue, calloſum, obſtructum, durum, & inæquale inuentum eſt, quæſo an non cum Galeno ſentire cogimur venam portæ in noſtra virgine rudem quandam facultatem generandi ſanguinis habere debuiſſe? Hactenus Doctiſſ. ille Doctor: nos vero, cum minime prolixas diſputationes huc afferre conſtituimus, hac ſolutione acquieſcemus, atque hoc quæſitum aliis magis excutiendum relinquemus. De ligamento vmbilicali in venam conuerſo neſcio quid ſcribam, forſan natura eius vſum hac de

cauſa commutauit, vt venis portæ in ſanguinis elaboratione ac generatione adiumenti parum adferret. non puto hanc venam vmbilicalem, vt quidam Anatomici, qui eadem in hac vena obſeruarunt, annotant, iecinoris vicem gerere. Secundum problema nos docet in gubernandis ac conſeruandis noſtris corporibus inſignem admirandamque ſagacitatem, benignitatem ac prudentiam naturæ, quæ conſuetis purgationum meatibus obſtructis, alios nobis minime perſcrutabiles parare nouit, vt ex illis, qui thoracis, hepatis, meſenterii, aliorumque viſcerum ſuppurationibus per veſicam liberantur, apparet. In præſenti tamen caſu opinor hepar minime ad tam exquiſitam obſtructionem, vt ſanguinē tenuem tranſmittere nequierit, perueniſſe: immo frequentes αἱμοῤῥαγίαι narium (vt in omnibus quaſi qui hepatis magna laborant obſtructione, præcipue qui ex hac in hydropē incidunt, contingit) demonſtrant, per hepar tenuem ac crudum tantum ſanguinem ad ſolidarum partium nutritionem inutilem (parum enim vel nihil nutriuntur) tranſudare. etenim ſanguinis tenuitas atque acrimonia à ſero & bili exquiſita, hanc haud dubie narium hæmorrhagiā excitat. Vnde fruſtra medici multi, hepatis obſtructione atq; debilitate relictà, per incraſſationē ſanguinis hæmorrhagiam auferre conantur. Ad tertiū reſpondere licet, naturam non ſolum in rerum procreatione, vt ex rerum diuerſa conſtitutione ac formatione, præcipue vero in corporibus mōſtroſis apparet, verum etiam in morborum depulſione, frequenter ludere ac luxuriari: huius rei exempla conſpiciuntur in herniis aquoſis, & in hiſtoriis ante enarratis, nulla enim animalis corporis pars eſt, quæ non tam aliarum partium, quam ſua propria, inſcrutabili modo, colligat recrementa, vnde varias congeſtiones varioſq; affectus in corpore humano procreari cernimus. quid itaq; mirum, in hac virgine, vtero male affecto, & menſibus male atq; inordinate expurgatis, inter membranas, quæ in ventre inferiori multæ reperiuntur, aquam hanc tenuem lucidamq; collectam, atq; membranis expanſis, vt in aliis locis factum eſt, hanc veſicam ſibi formaſſe. In quarto agitur de obſtructi hepatis pathagnomonico & quaſi indubitato ſigno, nimirum dextræ naris hæmorrhagia, cuius cauſam nulli aliæ rei, quam rectitudini & ſocietati, quam dextræ nares cum hepate κατὰ ἴξιν habent, aſcribere quimus. At in controuerſiam venit, an hic ſanguis tanquam ſuperfluus & malus à iecinore ad nares expurgandi gratia propellant, an ob tenuitatem acrimoniamq; ſponte per tunicas venarum tenuiſſimas, anaſtomoſi facta, primo tranſudet: ſecundo an, poris venarum à diuturna tranſudatione dilatatis, copioſius emanet, & vltimo num petroſa vena quam abundanter effluat. In hac noſtra virgine cum hepar inuenerit vias ad vterum tendentes, per quas ſeſe expurgare ſolet, admodum obſtructas mali ſanguinis ſuperfluum ad nares protruſiſſe opinandum eſt. In viris vero, & aliis mulieribus recte expurgatis, ſanguinis acrimoniam tenuitatemq; hanc hæmorrhagiam excitare puto. In hydropicis enim, quibus artus extenuati omnino erāt, non tantum ex naribus, verum etiam ex ventriculo per vomitum vidi ſanguinem eiici. Quintum quęſitum ſolutu non admodum facile eſt, ſunt enim diuerſi morbi quos pectoris hydrops comitatur, vt potte catarrhi, peripneumonię, pleuritides, tabes, & hydropes, quapropter huius aquæ collectionis in pectore, non vna ſemper eſt cauſa, ſed multæ variæque eſſe videntur: vt ex ſequentibus intelliges. Anno ſalutis 1563. autumno, cum per totā fere Italiam tuſſes, peripneumoniæ, & malignæ pleuritides epidemialium morborum inſtar graſſabantur, atque multos occidebāt, inueni in omnibus, quos ſecui, quaſi totos pulmones ſanguine media ex parte putrido repletos turgidos, atque mirum in modum induratos id ſpatii, quod pulmones non replerant, aqua loturę ſanguinis non diſſimilis plenum fuit. Capita etiam magna aquæ limpidæ copia referta erant. Alio tempore deprehēdi in phthiſicorum thoracis capacitate dextra, quæ maiori ex parte his malis obnoxia eſt; pulmonem vel corruptum, vel abſumtum, eumque in ea capacitate aqua plena natantem. Haud dubie in his enarratis caſibus partim humiditas ex cerebro defluxa thoracem replet; partim per ſubſtātiam vaſaque pulmonum tenuior in pulmonibus collecta, tranſudat, atque hanc hydropis ſpeciem excitat. ad huius ſententiæ confirmationem & cauſarum meliorem explicationem *Fernelii in lib. ſymtom* 5. verba huc adferam: inquit hoc modo. Suppurationi affine interdum malum eſt, in quo magna thoracis capacitas ſeroſo, eoq; tenui humore ſcatet, qui aut è cerebro per aſperam arteriam & pulmones tenuitate ſua affatim irruens, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis capacitate (quod ſæpe in hydropicis animaduerſum eſt) cæcis ductibus redundans, eo penetrauit. tum ſuppurationis ſigna atq; ſymtomata inſunt, niſi quod neq; febris affligit, neq; ſuppurationis efficiētes cauſæ præceſſerunt. Ea proinde affectio, non ſuppuratio; ſed ſuppurationi finitima eſt. Hæc de quinto ſufficiunt. Sextum & vltimum nullam difficultatem habere videtur: ſatis enim notum eſt malos humores ad putredinem aptos facile putreſcere, ſi viſceri alicui calido impacti, atq; infarcti, euentatione deſtituātur: porro acrimoniam putredinemq; acquirerere, qua continentia atq; proxima quæque corrodunt putrefaciuntq;, quæ multo magis faciliuſq; contingunt, ſi hi humores ab initio acres fuerint. Idcirco nemo, de huius pulmonis corruptelæ, & malignæ febris, quæ ex corruptorum humorum malignis vaporibus procreata eſt, cauſis, ambigere poterit. *Cotter in libell. obſer. Anatom. & Chirurg.*

OBSERVATIO.

Extremum colli veſicæ in mulieribus plurimum variare.

IN meis obſeruationibus, propter argumenti affinitatem, medicos obiter volui admonitos, extremitatem colli veſicæ exteriorem nō eodem in cunctis fœminis loco apparere. Enimuero pluribus ea ſupra ceruicis vteri anguſtias exteriores, ſub nympha conſpicitur: paucis introrſum in ſuperiori parte pudendi latet: quare huius dilatatione opus eſt, ſi quid in eam immittendum quacunque occaſione fuerit. Eius vero meatum collumq; integrum vſq; in veſicam eatenus organo dilatante commode extendi poſſe, vt magnum digitum non difficulter intro admittat, meminiſſe operæ pretium eſt: ſi fortaſſis huc calculum impingere, vel alius neceſſitatis occaſione requirere tantam dilatationem cōtingat. *Wierus lib. obſ pag. 95.*

VESI-

VESICAE RESOLVTIO.

OBSERVATIO.

Veſicæ reſolutio ſubitanea ex intenſo oßis ſacri & coccygis dolore, cum ſtranguria tußiculoſa, & recti inteſtini reſolutione coniuncta.

SVbitanea reſolutione veſicæ cuidam cum ſubitus dolor motus eſſet in oſſe ſacro & coccyge, vrinæ ſuppreſſio ſequuta eſt, quam tamen reddebat tuſſiens & ſeſe comprimens manu admota pubi. Senſus amiſſus recto inteſtino, vt neque clyſterem iniectum ſentiret, neque cum redderetur. Admotis fomentis & emplaſtris oſſi ſacro contra paralyſin, rediit ſenſus, & conualuit. *Scholiograph. ad cap.* 47. *lib.*1. *Hollerii de morb. intern.*

DE DYSVRIA.

OBSERVATIO.

Dyſuria.

ANNO 1561. Sebaldus Tucher, ſexagenarius, homo obeſus, multos annos vehemẽti dyſuria laborauit. Variæ fuerunt medicorum ſententiæ de cauſa morbi, quam alii in veſica, alii in renibus collocabant. Sed exitus tandem oſtendit illos omnes eſſe deceptos: cum enim Apoplexia mortuus eſſet. Secto corpore nihil inuenimus vitii, nec in veſica, nec in renibus: ſed epar duriuſculum. Ita vt manifeſte conſtaret, illam vrinæ difficultatem tantum ortam eſſe ex nimia acredine humorum defluentiũ ad veſicam vrinæ eius erant ſatis tinctæ & puræ.

Paulus Beham, dum etiam laboraret hoc morbo tandem periit. Vrinæ eius erant albæ & impuræ. Secto corpore, inuenimus lapidem in veſica pendentem vncias duas & ſemis, & magnam renum putredinem, præſertim ſiniſtri: Fuit admodum venereus. *De obſeruat. D. Ioannis Heßi, per Cl. V. Ioach. Camerarium ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Dyſuria, emiſſo humore albumineo, curata.

IN curandis ſenibus dyſuria aut ſtranguria laborantibus, videndum vt in illis excrementa fuliginoſa ac ſeroſa perſpirent. Videndum quoque num catarrhus aliquis à cerebro per ſpinam in veſicam decumbat: hic enim diuertendus eſſet. Vidi quendam, qui, cum dyſuria laboraret, tandem excreto per vrinam humore albumineo, dyſuria liberat⁹ eſt. Hic erat declinantis ætatis: quanto ergo magis fieri poſſit dyſuria in ſenibus ab illo humore? *Hollerius comment. ad aph.* 31. *lib.* 3. *Hipp.*

OBSERVATIO.

Vrinæ vrigo ex defluxione purulenta à paraſtatibus.

DOctor Stephanus, & ego conſultationem habuimus pro Graſero Diacono D. Brandtmileri, laborante ardore vrinæ huic tota die fluit materia purulenta, à paraſtatibus procul dubio: occaſionem tamen manifeſtam reſcire non potuimus. Homo ſatis vorax, vt aiunt multis pituitoſis humoribus redundare videtur. *Ex Diariis Ioannis Bauhini, nobis communicatis.*

DE STRANGVRIA.

OBSERVATIO.

Stillicidium vrinæ ex vſu vini Rhenani.

VIR ſenex, 82. annorum, cum iuuenis eſſet, ac in vigente florenteque ætate, nec non poſt, vini potatione delectabatur, ſed haud alterius quam Rhenani: cui⁹ ſubinde multas amphoras bibere poterat citra ebrietatem, aut cerebri vllam offenſam. Hic poſt ſexageſimum ętatis annum temperantius vixit: præteritis vero 80. vitæ annis etiam quam antea parcius multo: & raro admodum vino Rhenano vſus: tandem vero nec bibere citra offenſam potuit. Si quando etenim Rhenanum eum bibere contingebat, etiam in exigua quantitate, nec copioſe, mox illi vrinæ ſtillicidium valde moleſtum fuit. Ab aliis vinis, vt Gallico, Hiſpanico, aut rubro, non offendebatur. Repertum fuit remedium, ſed quod non niſi præſenti malo ſuccurreret. Quotieſcunque enim ad Rhenani vini potum reuertebatur mox iterum vrinæ ſtillicidium accedebat. Profuit tandem ex ouorum teſtis, in cinerem redactis, & vino Rhenano permixtis, lixiuium: quo vel ſemel abſumto, deinceps vino Rhenano ad extremum vitæ vſque diem, innoxie vti potuit. Superuixit autem, poſtquam liberatus à ſtillicidio vrinæ eſſet, annos duos aut tres. *Dodonæus cap.* 48. *obſeruat. Medicin.*

Albidum fuit Rhenanum, quo ſenex iſte in iuuentute ac conſiſtente ętate delectatus fuit, & à quo in ſenectute extrema offendebatur. Admodum autem tenuium partium illud vinum eſt, citiſſime ad veſicam deſcendit, & facile crudos viſcidoſque humores ſecum ducit: quales in viis vrinariis hærentes ſtillicidii vrinę cauſæ eſſe potuerunt, quibus deinde per lixiuium inciſis & expurgatis, liberior factus eſt vrinæ deſcenſus. *Idem in Scholiis.*

DE ISCHVRIA.

OBSERVATIO.

Iſchuria propter calculum.

ISchuria, id eſt, vrinæ ſuppreſſio, accidit, viis, per quas deſcendit, obſtructis aut impeditis: Rarius tamen vreteres aut renes omnino obſtrui contingit. Quod ſi aliquando accidat, lumbos grauitas tenet, partibus circa veſicam liberis. Mulier quædam diuturno lumborum dolore detinebatur, aderãt manifeſta calculi in renibus, hærentis ſigna. Nullum hæc remedii genus prætermiſerat, quod calculi cõminutionem polliceretur. Vſa quoque conſilio cuiuſdam qui ligni Guaiaci cum omnis generis fortiſſimis diureticis decoctum ei exhibuit. A quo in vrinæ ſuppreſſionem incidit, abſoluto ac firmato in renibus calculo. In ſingulis huius renibus ſinguli reperti ſunt calculi, totidem radios habentes, quot in renum ſubſtantia meatus. *Dodonæus cap.* 46. *obſ. Medicinal.*

Quam periculoſus autem ſit intempeſtiuus, & nimis frequens diureticorum vſus, vel hoc vno exemplo ſatis manifeſtum eſt. *Galenus libr.* 1. *de ſimpl. medic. facult.* hoc quoque ſatis innuit, vbi fortia diu-

retica iis comparat quæ lac coagulant. Veluti enim hæc ſeroſam lactis partem ſeparant, reliquum indurant: ſic quod in ſanguine tenue, ac ſeroſum, per vrinas fortia diuretica expellunt, craſſius inſpiſſant, ac vt in lapidem aut calculos conuertatur efficiunt. *Idem in Scholiis.*

Memini me tres, in variis temporibus, Venetiis vidiſſe, viros ſane non obſcuros, ſed nobiles duos Venetos, tertium peregrinum, qui cum obiiſſet ex ſuppreſſo lotio, quod nullis vnquam remediis potuit euocari: poſt obitum ſecti fuere, & reperti ſunt duo pręgrandes lapides in renibus, qui impulſi fuerant verſus originem vreterum, & erant duri admodum, colore mixto & nigro & viridi: præceſſerant autem renales dolores. Alium etiam vidi, qui diu ægrotauerat in quodam hoſpitali, in cuius cadauere, cum illud ſecaremus, inueni prægrandem lapidem triangularem, ſimilem fructui, quem tribulum appellant: qui à natura impulſus fuerat verſus vreteres, illoſque perforauerat, imo dilacerauerat. *Trincauella libr. 10. cap. 9. de rat. curand. part. corp. human. affectus.*

Erat puerulus vnius anni, qui per plures dies non minxerat, nec conatum ſeu voluntatem mingendi habuit: ſed eiulando ſe intorquebat contrahendo crura & extendendo. Cibum faſtidiuit, aliquando etiam reuomuit. Emollita fuit aluus ſuperne & inferne, impoſitus cereus & ſyringa, factæ item inſeſſiones in aqua dulci, exhibitis ſimul pulueribus & iuſculis diureticis pro ea ætate. Fuit ſic prolecta vrina per vnum diem & noctem, mox iterum ſuppreſſa, cum maiori quam antea corporis imbecillitate, vt inſeſſiones parentes admittere noluerint, deliquiorum metu, quę oboriri cæperunt. Adhibitis interea fomentationibus & vnctionibus, puer defecit. Parentes vt cauſam retentionis hujus ſcirent, atque in cæteris liberis cauere noſſent, aperiri voluerunt: quod factum patre præſente, & mulieribus obſtetricantibus atque curantibus. Primum inſpecta veſica, inanis prorſus omni re, vt ne guttula inesſet: perquiſiti vreteres, dexter paulo ab egreſſu diſtendebatur admodum, vt rumpendus quaſi eſſet, à duobus calculis gypſeis & duris perſtridente in exciſione nouacula. Ren idem vti & alter mutata naturali phaſeolorum figura, in rotundum vergebant tuberoſi, ſicut Vitulorum renes ſunt: apertus plures exhibuit calculos minores prioribus, imo tota eius ſubſtantia interna conſperſà erat lapillis mihi inſtar gypſeis. Vreter ſiniſter pariter obſtructus fuit à ſimili calculo in ipſo egreſſu, interni itē ſinus omnes referti fuerant maioribus & minoribus gypſeis calculis, non ſabuloſis nec rubeis, vt magna eorum copia exemta, & à parentibus adſeruata fuerit. Nihil quidem hic miraculi nec monſtri eſt, præterquam quod calculi maiores quam pro ętate fuerint: & gypſei candidi, cum his locis rubentes, friabiles, plerunque gignantur: quod forte ex continuo pultium farinaceorum vſu, noſtratibus conſueto, fieri quis dixerit: at id in aliis ſimiliter fieri deberet. Cæterum curationis talis retētionis mihi maior occurrit ſcrupulus. In Prophilactica procul dubio abſtinendum ab omnibus ſuccum viſcoſum generantibus: & iis vniuerſus infantium victus conſtat. In Therapeutica concretæ huiuſcemodi materiæ tenaces & duræ, attenuantibus & incidentibus etiam validioribus egent, ea vero niſi alentia ſint, ætas talis non admittit. Sit ergo vnicuique viro perito conſilium liberum, quid tali in caſu agendum ſuſcipiant: mihi res grauis ac ſatis dubia videtur, atque inter infelices talis infans connumerandus. *Cl. V. Ioannes Aicholzius de obſeruat. propriis.*

Abbas quidam, non procul Bononia, bis laborauit vrinæ retentione omnimoda, & curatus eſt prima vice: poſtea vero iterum in eandem incidit: nec curari potuit. In veſica nulla penitus vrina fuit reperta, obſtructis vreteribus. Poſt mortem de more ſectus, deprehenſum eſt in ſiniſtro rene fuiſſe lapidem magnitudine oui gallinæ, & maiorem, cuius altera eius extremitas magnitudine digiti auricularis vreterem ingreſſa, in totum prohibuit ex rene vrinæ deſcenſum. Cæterum in tota ſubſtantia renis cellulæ erant impletæ lapidibus paruis maiuſculisque, velut Gemmariorum thecis concluſi. Dexter quoque ren ſimiliter ſcatebat lapillis. *Ex Obſeruationibus cuiuſdam Itali, Cl. V. Caſparo Wolphio communicante.*

Bellocatus medicus practicus Pataui excellens, nobis, eum ſequentibus, referebat, quendam vrinam reddere non potiſſe, Medici præſentes, nullo tumore circa veſicam apparente, coniecerunt vreterum obſtructionem tranſitum vrinæ impedire, vnde cantharidum aliquid ei exhibuerūt, quo ſumto minxit, & liberatus eſt. *Ex propria annotatione Pataui, Cl. Caſpari Wolphii.*

Observatio.

Vreterum altero reſiccato, altero calculo obſeſſo ita vt nihil vrinæ ad veſicam tranſmitteretur, ægri duo mortui.

INter cæteras morbi ſpecies, canalium anguſtia, quæ dum ad vtrumque vas pertinet, tanta fit, vt omnimodam inducat vrinæ ſuppreſſionem. quam potiſſimum excitauerit vel grandior calculus, vel ſumma ſiccitas, vel quæuis alia pertinax vna ſimul in vtroque ſuborta affectio, fere exitialis eſt: namque vbi ſerum, quod à renibus ad vretera vaſa defertur, transfundi nō poſſit in ipſam veſicam, & inde extra corpus detrudi, regurgitat in venas, atque arterias, corrumpit ſanguinis œconomiam, febres putres excitat, vires diſſoluit, natiuum calorē ſuffocat, ac propemodum malorum omnium valde deteſtabilium occaſionem præbet, quemadmodum ſuperioribus annis Florentiæ accidit Raffaello Turiſiano, mercatori ditiſſimo, qui cum alias pluribus menſibus anteactis nephritico dolore laboraſſet, indeque eueniſſet, (vt poſtmodum patuit) quod alterum ex eius vaſibus vreteribus fuiſſet penitus obſtructum, ſocio interim bene valente, atque incolumi: accidit tandem poſt multos ab eo inuictus ratione cōmiſſos errores, ignaro eius mali, quod illi imminebat, vt alterum quoque vas vreter à grandiori calculo in illud ex ſuperiecto rene compulſo, poſt nouum dolorem nephriticum penitus fuerit obſtructum, atque adeo excretio vrinæ ſuppreſſa, vt ne guttulam quidem eius detrudere potuerit, eo quod nulla penitus in veſicam, alioquin bene valentē, deſtillaret. Quod pariter poſtmodum Lugduni obſeruauimus in Ioanne Iacobo à Verina, Senatore Pariſienſi, viro doctiſſimo atque integerrimo: quibus duobus iam

claris

claris ægrotantibus, quamuis varia præſidiorum genera fuerint ex arte adhibita, Turriſianus tamen inſtante duodecima ſuæ ægritudinis die, Iacobus autem iam accedente nona, cum interim nullam vrinã reddere potuiſſent, febre aſſidua correpti, aliiſq; grauiſſimis ſymtomatibus detenti, periere. Quorum cadaueribus diſſectis, in vtriuſque dextro latere antiquata anguſtia, ac quaſi canalis vreteris exſiccatio apparuit, in ſiniſtro autem vtriuſque eorum vretere calculus repertus eſt admodum inſignis, nuclei pinei figuram ſeruans, qui licet extra ſuperiectũ renem potuerit compelli à facultate expultrice in ſubiectum, ac ſibi continuum vas vreter, alioquin in parte ſuperiori aliquanto patentius, reſtitit tamen in medio itineris, vbi cauitas ſuapte natura eſt magis anguſta, & propterea non potuit ad veſicam tranſfundi, licet vtrique dum vixit, valdiſſima ac plurima præſidia fuerint adhibita. *Vidus Vidius Iunior, lib. 10.c.17. de curat. membratim.*

Obſervatio.

Iſchuria octo dierum, cum raris ſymptomatibus; qua ſedecim librarum vrinæ excretione diſpulſa eſt.

VRina Monſpeſſuli cuidam retenta fuit per octo dies ita, vt palpebræ, aures, manus omnes corporis partes humidæ eſſent, tãdem poſt varia medicamenta, clyſteres, potus diureticos, emplaſtra, balnea, &c. ſedecim libras vrinæ excreuit. *Ex ſchedis Geſneri. Cl. V. Wolphio communicante.*

Obſervatio.

Vrinæ ſuppreſſione ſedecim diebus laborans, tandem aquoſa ventris ſolutione & lapillo cum mucore per vrinam excluſo, liberatus eſt.

GAbrieli Coquo, Cauponi, cui à Porco nomen inditum eſt, ſedecim dies vrina ſuppreſſa eſt, menſe Auguſto, Anno ſalutis 1584. in Noſocomio D. Mariæ Novæ. Tamdiu neminen vidi, nec accepi ſuperſtitem, non emittentem lotium. Venter huic poſt nonum diem aquoſa deiiciebat. Vrinam reddidit cum mucore & lapillo ciceris magnitudine, & conualuit. *Nereti Neretii Med. Florentini obſeru. ex Italia, vna cum aliis eiuſdem accepta.*

Obſervatio.

Vrina voluntatis arbitrio diutius cohibita, Iſchuriam periculoſiſſimam inuexit.

NVper iuueni cuidam equo vecto, & dominam à tergo habenti, eaque occaſione, vrinam, in ſumma meiendi neceſſitate, reddere non audenti, ita ſuppreſſa eſt, vt ab itinere domum in vrbem relatus, ipſam nullo conatu reddere potuerit: interim quia ingentes dolorum cruciatus, per totum hypogaſtrium & perinæum, ipſum exercebant, cum torminibus & ſudore vniuerſali, adeo vt ferme animo linqueretur, vocatus ego, cum immiſſo fiſtuloſo cathetere, & compreſſo hypogaſtrio, vrinæ profluuiũ procuraſſem, eiuſq; ille ex tempore libras duas reddidiſſet, docui à calculo non contigiſſe, quod tamen adſtantes putabãt, illam vrinæ ſuppreſſionem. Nam ab eo tempore nulla in illo iuuene apparuerunt calculi ſigna, nec illa rediit vrinæ ſuppreſſio. *Pareus Operum ſuorum libro 16. cap. 48.*

Obſervatio.

Iſchuria medicamentis haud cedens, perforata cathetere caruncula, ſublata.

QVod ſi nullo ſecuro auxilio iſchuria ſedatur, ſit autem propria, id eſt, non facta ſuppreſſio ſupra veſicam, oriri quæſtio ſolet, an cathetera potius per vim ſit immittenda, an ſectio, in loco vbi lapis extrahi ſolet adminiſtranda, an eſcharoticum medicamentum ſuperponendum, inde locus perforãdus? ſemper enim in deploratis caſibus quamlibet rationem, quamuis non tutam, modo in ea ſpes aliqua ſit, tentandam eſſe, quam certæ morti ægrum deſtinare, præſtat. Itaque ex cathetera per vim immiſſa dolores, vlcera, phlegmoneſque excitari ſolent: eſcharoticum medicamentum ſetius agit quã occaſio poſtulet: ſectio incerta eſt: ob id plurimum refert, quam præſtans ſit lithurgicus, quam mundum ſit corpus, quam ſanguine plenum, in omnibus ratio exceſſus habenda eſt. Nos tamen vidimus perforatam cathetera carnem, in Franciſco Lanzauerta patricio, optime ceſſiſſe, tametſi ſanguinis & ſaniei multum profluxerit. Sed ſi callus ſit, ſectio expeditior, in imperitis artificibus tutius eſt eſcharoticum. *Cardanus comment. ad aph. 43. lib. 7. Hipp.*

Obſervatio.

Cuiuſdam, in perinæo percuſſi, vnde ſuppreſſa vrina, eiuſdemque curationis hiſtoria.

PErcuſſus valide quidam in ea parte, quæ fæmen appellatur, (Græci perinæon dicunt) inflammatione ſuborta in vulnere, vrinam reddere non potuit, ac veſicã ipſa, vtpote plena, manifeſte ſecundum circumſcriptionem intenta videbatur. Huic nẽ irritaretur inflammatio, æneam fiſtulam adhibere noluimus, ſed aqua calida adfuſa, oleum perungere ſatius eſſe putauimus, quumq; tribus horis ſic eum tractaſſemus, tumore non parum relaxato, ac dolore, vt ipſemet fatebatur, non ita grauiter infeſtante iuſſimus vt vrinam reddere tentaret: interim quũ nos veſicæ tumorem, ad inferiores partes impellendo, ſenſim premeremus, iuuenis vrinam reddidit. Atque in his, qui ſic afficiuntur, cauſa ſuppreſſæ vrinæ facile deprehenditur, quamuis in aliis quibuſdam non adeo manifeſte dignoſcitur. In quibus artificioſa coniectura ab omnibus vocata, nobis per quam vtilis eſt, vtpote quæ inter exactam notitiam & omnifariam ignorantiam media quodammodo putatur. *Galen. lib. 6. de loc. affect.*

Obſervatio.

Vrinæ retentio propter fæces in recto inteſtino hærentes.

REtinetur quoque vrina duris fæcibus in inteſtino ſubſiſtentibus, comprimitur enim ab his veſicæ ceruix, qua compreſſa vrina retinetur. Atq; idcirco, dum exoneratur aluus, vrina tum demum procedit, cum rectum inteſtinum liberum eſt. Nobilis vir 60. annos compleuerat, cum triduo vrinæ illi via præcluderetur, nullo lotio ſuccedente; huic balneum, mox enema profuit. Emollitis ſiquidem & expurgatis alui excrementis, mox vrina ſucceſſit. Atque ita paucis horis liberatus, cui vrinæ ſuppreſſio totum triduum fuerat moleſtiſſima. *Dodonæus cap. 47. obſeru. Medicinal.*

Quando vrina ſupprimitur, & reddi nequit, ſæpe non expedit diuretica medicaméta propinare. Nam quo plures humores ad veſicã perueniunt, hoc amplius diſtenditur, & minus exonerare ſeſe poteſt. Laxiores & patétiores veſicæ meatus reddi præſtat: quod & fomentis, & inſeſſibus, ſiue balneis efficitur. Quod ſi vero & fæces in inteſtino recto hæreát, has vel maxime educi enemate refert: quod non ſolum fæces educit, ſed & fomenti loco eſſe poteſt. Incumbit veſicæ colli ſuperior pars recto inteſtino: proinde & hoc fæcibus grauato, vrinæ via præcluditur. Si vero fæces adeo duræ fuerint, vt enema immitti nequeat, primum balneo vtendum, deinde, nonnihil emollitis fæcibus, enema adhibendum, veluti huic ſeni contigit, cuius fæces adeo duræ in recto inteſtino hærebãt, vt canaliculus clyſteris immitti, priuſquam balneo vſus eſſet, nequiuerit. *Idem in ſcholiis ad prædictum caput.*

Idem eueniſſe comperimus D. D. Andreæ Moll, I. C. & eiuſdem in Archiducali Gymnaſio Friburg. Profeſſori, cum ante annos circiter quatuordecim, non ita multo poſt contractas nuptias, nouus maritus in difficilem & pene lethalem morbum incidiſſet: atque inter aliam, vrinæ retentionem ex alui inſeſtatione duratis ſtercoribus incurriſſet. Cui clyſterem, vt ſi quod aliud remedium, ſumme profuturum, conſulueram. Verum, cum alius quidam medicus, ſynergós tum meus, Paracelſitis, tum temporis, magis fauens, id aſpernaretur, dictitans, vrinam impeditam, parum eo, aut nihil promoueri poſſe: res ipſa, non ſine periculo, in alterum vſque diem protracta eſt. Tandem cum extrema imminerent; in meam itum eſt ſententiam. Clyſmate itaque aluo emollita, vrina vna cum induratis fæcibus, aſtantibus plurimum admirantibus, educta fuerat expedite. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Aliquibus vrina viginti diebus ſuppreſſa: quibus nihil ſeri in abdominis capacitatem decubuit.

Viſi ſunt quibus per viginti dies vrina ſuppreſſa fuerit, quibus aquæ nihil quicquam deprehenſum eſt in abdominis ſpatium refluxiſſe. Redundat enim ſerum in partes ſuperiores, quæ per ſympathiam cum veſica afficiuntur. *Iacotius comment. in Coac. Hippoc. pag. 891.*

OBSERVATIO.

Vrina nunc ſuppreſſa, nunc præter voluntatem excreta, hiſtoria varia.

Accidit interdum propter obtuſum veſicæ ſenſum, vt non reddatur vrina citra expultricis facultatis læſionem, ſi proprii veſicæ nerui afficiantur, neruis muſculi, ceruicem eius ſtringentis, munere ſuo fungentibus, ipſorum ſcilicet facultate ſeruata. Nam ſi reſoluantur, proprium indicium, quod muſculus hic reſolutus ſit, eſt vrinæ præter voluntatem excretio. At huiuſmodi eueniente affectu, cum meatus ipſius fuerit obſtructus, vtraque diſpoſitio cognitu difficilis erit. Proinde, vt exquiſite dignoſcantur, non ſolum ii, ſed reliqui quoque omnes veſicæ affectus, perquam neceſſarium eſt præſcire euidentes cauſas extrinſecus euenientes, quas proprie procatarcticas (id eſt, initiatrices) medici vocant. Sed multo etiam accuratiori inueſtigatione eos, qui præceſſerunt in animantis corpore, affectus inquirere oportet. Igitur cuidam cum cecidiſſet ſpina ſinuata eſt, quapropter vrinam reddere non potuit. Nam & id aliquando fieri ſolet, quemadmodum ab Hippocrate dictum eſt: verum non ilico ſuppreſſa fuit vrina, ſed perendie, ob afflictarum vertebrarum ad interna luxationem inflammata veſica. Itaque dolebat in ea parte vel nemine tangente, ſed multo magis ſi quis manu eum tangeret. Atque hunc curauimus inflammationi remedia adhibentes.

Rurſus alter luxatis ad externas partes vertebris vrinam inuitus profudit, multo infeſtante veſicam dolore: in hoc coniecimus eius muſculi neruum, qui veſicam claudit, fuiſſe affectum: proinde ſpinalem medullam curare voluimus.

Atque in alio ſimiliter affecto ſuppreſſa fuit vrina, torpente, ob affectos neruos, veſicæ ſenſu. Cum itaque inter dormiendum non ſentiret homo veſicam impleri, ipſa extẽſa nihil excernere potuit: Etenim accidit interdum, vt hoc modo vrina ſupprimatur. Quemadmodum etiam ſanis quibuſdam aut vrgentibus negotiis, vel in concionibus, vel ſenatu, vel foro, vel conuiuio; tum enim retenta longo tempore vrina extenditur veſica, atq; vrina ſupprimitur contractrice facultate læſa propter immoderatam tenſionem.

Quidam etiam cum cecidiſſet, manente ſpina illæſa, inprimis quidem magnam ſanguinis copiam cum vrina emiſit, poſtea vero omnino ſuppreſſa eſt vrina. cuius rei cauſam eſſe coniecimus, quod concreti ſanguinis grumus intus ſe oppoſuit: quocirca demiſſa per colem fiſtula, paulum vrinæ reddidit, extracta deinde fiſtula, apparuit in ipſius ore grumi indicium.

Præterea, cum alios quoſdam diuturni dolores vna cum abſceſſuum notis infeſtaſſent, finitis abſceſſibus, tenue pus cum vrina profluere viſum eſt; deinde ſubſequens vrinæ retentio coniecturæ occaſionem dedit, quod à craſſo pure meatus obſtrueretur. Atque in pueris etiam, quos lapis in veſica cruciabat, vidimus ſæpe numero vrinam retineri. Eos itaque, reſupino figurato corpore, concuſſimus, vt ita à meatu lapis dimoueretur. *Galenus libr. 6. cap. 4. de loc. affect.*

OBSERVATIO.

Vrinæ ſuppreſſionis curatio, hiſtoria mira.

Fvit tempore meo, Cardinalis quidam, qui iam per quatriduum vrinæ difficultatem paſſus erat turgidus, &c, vt dicitur, deſperatus, nullis aliis proficientibus medicinis: is, de conſilio medici, per potum vini Alkekengi liberatus eſt, & ſoluta eſt vrina in quantitate, vt impleretur quaſi concha vna: ex quo ſolo experimento, medicus ille cum parua ſcientia, & pauper, factus eſt magnus, & diues: ita multis dat Deus gratiam magnam. & affert vtilitates; & è contra. Et totum eſt, quia iudicia Dei abyſſus multa. *Villanouanus libell. de vino.*

OBSERVATIO.

Ad remoratam puerorum vrinam remedium.

SOleo ego accipere cucurbitam, in qua diu conſeruatum fuerit oleum, & eam curo poni in aqua feruen-

feruente,ac deinceps virgam pueri iubeo coniici in os cucurbitulæ, & huiuſmodi remedium efficaciſſimum eſſe expertus ſum ad prouocandam vrinam puerorum. *Mercurialis de Morb. Puer. lib. 2. c. 20.*

OBSERVATIO.

Ad iſchouriam experimenta.

VRinam retentam prouocās à frigiditate & ventoſitate & ingurgitatione. Quod eſt ol. prætioſiſſimum, quam nunquam in iuuentute illud manifeſtare volui, niſi cuidam amico meo, fratri Neapolitano. Nunc a. ſeneſcens illud ad vtilitatem generis hum. prouulgabo, ꝙ ſic fit. ℞. acori, cyperi, tamariſci, ſcolop. ſem. agni coſt. an ℥iiij. Cort. cappar. ℥ij s. rutæ ℥ij. baccar. ʒj. s. ol. ſeſam ℔ij. aceti alb. fortiſs. ℥iiij. s. Contundantur contundenda, & ſimul miſc. & bulliant in calciola ænea, vſq; ad aceti conſumtionem. Signũ eſt a. eius conſumtionis, ꝙ ſi cum oleo ignem aſperſeris, non ſtridet, ꝙ ſignũ eſt decoctionis. Tunc auferatur ab igne, & decoletur & exprimatur, ſeruetur in phiala, bene obturata, ne euaporet. Et cum eo vti volueris facias ſic ℞. de eo, q. vis, cum quo calido vnge pecten, & partes circumiacẽtes priapum, prius tamen bene calfactas & fricatas cum panno calido, & ſtatim, mirabile dictu, minget. *Marianus ſanctus Barolitanus.*

Herba à te miſſa ἡ ἄθικτος χυδαικῶς λεγομένη, mirã habet vim in cienda vrina, aqua deſtill. præſertim: q̃ ſi copioſius hauriatur vel diabetẽ inducit. Folia qnq; in poculum vini nuper impoſuit mulier στραγγουροῦσα, & vino epoto melius habuit. Cani cum dediſſem iuſculum, in quo manipulus eius decoctus erat, p ſeſquihorã poſtea copioſiſſimã vrinam reddidit, pluribus v. horis poſt etiam aluus bis copioſe mota eſt. *Geſner. lib. epiſtol epiſt. ad Zuing. p. 109.* Vocatur autem hæc herba Impatiens & Noli me tangere.

DE VRINÆ INCONTINENTIA.

OBSERVATIO.

Mulier, quæ ex lapſu vrinam continere non poterat, curata.

VENIT ad me mulier quædam, quę vrinam continere non poterat: cumq; aliquod à nobis præſidium, plurimis iam defatigatis Medicis, expoſceret, interrogo an aliquam huius mali cauſam teneat. Negante illa, iterum quæro, cõciderit ne, ex quo forte ani ſedes eliſa fuerit: cumque & ipſa fateretur, olim ſe de ficu ꝓlapſam, vltimã ſpinæ vertebram eliſiſſe, nullo tamẽ inde ſenſibili percepto nocumento: & nos non fugeret oriri ex ea ipſa vertebra neruum, qui conſtringendi veſicã vim habet, huius ſtatim ęgritudinis cauſam deprehẽdimus. Attrito n. ex eius lapſu neruo ipſo, conſequens fuit, vt, relaxata veſica, vrinam continere nõ poſſet: quod & ſæpe alias ex eadem cauſa accidiſſe cognouimus. Hoc igitur nos malo idoneis eliſo præſidiis, mulierem ipſam per Dei gratiam, priſtinę ſanitati reddidimus. *Beniuenius cap. 93. de Abditis.*

OBSERVATIO.

Vrinæ incontinentia ab exciſo veſicæ calculo.

VIdi mulierem fere 50. annorum, quę vrinam retinere non poterat, ideo ſicut continue vrina ad veſicam per poros vretides delegatur, ſic etiam per collũ eius exterius emittebatur. Et hoc accidit, quod indoctus chirurgus abſtraxerat vi duos lapides à veſica, incidendo in collo veſicæ: in qua inciſione incidit lacertum dictũ, collum veſicæ conſtringentem, & erant illi lapides ad albedinem trahentes, & quantitas vnius erat ſicut ouum columbinũ, alterius autem ſicut ouum carduelis. *Valeſius lib. 5. c. 18. pract.*

Obſeruauimus interdum vitio muſculi factam eſſe vrinę incontinentiam, & id quando muſculus is tranſuerſus aut reciſus, aut dilaceratus eſt: quod aliquando in iis fit, quibus lapis veſicæ extrahitur, cum prægrandis eſt, vel operator imprudens. Fit enim inciſio in perinæo, inter teſtes & anum. Nam ceruix veſicæ inciditur. Et ſi, qui incidit, magnam fecerit inciſionem, vt vniuerſus reſcindatur muſculus, vel ſi aliquando inciſio quidem non fuerit iuſto maior, fuerit autem lapis inſignis magnitudinis, dum vi ab operatore euellitur & extrahitur, propter vulnus dilaceratur: quo deinde fit, vt, quamuis vulnus curetur, & ad conſolidationem ducatur, ſemper tamen illi hoc incommodum patiantur, vt continere vrinam nequeant; ſed effluat ipſis nolentibus. *Trincauella lib. 10. cap. 2. Practicæ.*

OBSERVATIO.

Alui excrementa & vrina quibuſdam inuitis fluebant.

PIſcator quidam, cum in fluuio piſces venãs adeo circa ſedem & veſicam infrigidatus fuiſſet, vt ipſo inuito effluerent & alui excrementa, & vrina: per calida remedia affectis muſculis adhibita, celeriter ſanus euaſit.

Item alius eiſdem moleſtatus accidentibus, ſine tamen manifeſta cauſa, læſis circa os ſacrum neruis, multo tempore per multa præſidia vix ſanatus eſt. *Galenus lib. 4. cap. 5. de loc. affectis.*

DE SANGVINIS MICTV.

OBSERVATIO.

Sanguinis mictus periodicus.

NOnnulli ſunt, qui per quoſdam circuitus ſanguinem meiũt, huiuſmodi affectus hæmorrhoidorum profluuiũ ſimilis eſt. Similis eſt quoque corporis conſtitutio, nam valde palleſcunt, torpent, ignaui ſunt, cibum faſtidiunt, cruditate laborant, &, cum excretus eſt ſanguis, languidi fiunt, membra reſoluuntur, caput vero leuius & agilius redditur. At ſi per circuitum nihil ſanguinis effluxerit, capitis dolore vexantur, oculorum acies hebet, tenebræ eis obuerſantur, vertiginem patiuntur. Inde alii infiniti in comitialem morbum incidunt, tumidi veluti caligine perfuſi, aquam intercutem patientibus ſimiles, alii morbo atræ bilis aut neruorum reſolutione tentantur. Nam ex conſueti profluuii ſanguinis retentione huiuſmodi mala proueniunt. *Aretæus libr. quarto cap. tertio diuturnorum morborum.*

OBSERVATIO.

De vrinæ profluuio & ſanguinis mictu.

EX vrinæ profluuio primum me ipſum, & filiam Paluicinæ adoleſcẽtem, & quotquot in manus venerunt, curaui, cum in aliorum manibus omnes perierint, quãuis primarii medici illi exiſtimarentur.

Cum vero quendam coram aliquib. illorum ferme die ſanaſſem, qui iam pene per menſem curatus, non ſolum nihil profecerat, ſed pene interierat, admirabantur: cùm tamen res non eſſet admiratione digna. Abſtinebā à purgantibus medicamentis, illi dabant: abſtinebam à pinguibus, illi ad eorum vſum hortabantur: dabam vuas paſſas, ad mittebant: lentes non admittebāt, niſi inuiti: calidis vtebar: illi frigidis: renibus aſtringentia imponebam, illi verebantur ne cōcluſa vi aqua redundaret in viſcera principaliora. Plumam detrahebam, huius non meminerant: ſæpe pedes lauabam, & hoc negligebant. Vinum dabam album: id iure non conuenire dicunt: prohibebam à cibo exercitationem, ſomnum iniungebam. Hæc duo ſolum cum illis fuere communia præcepta. Cæterum, poſt hęc inueni ad huiuſmodi affectum auxilium præſtantiſſimum, quod in librum de Secretis retuli. Liberaui & Antonium de Caio, in domo Io. Antonii Maioragii, laborātem ex caſu ab equo ſanguinis mictu. hoc non inter admiranda recenſeo, cum morbus etiam ab alio ſanari forſan potuiſſet, quamuis magnus, ſed ob auxilii vtilitatem: ſucco enim radicis eius quem rauanellum vocant, illum paucis admodum diebus curaui. *Cardanus, Curat. admirand. numer. 27.*

Obſeruatio.

Sanguinis mictus ab hepate dimanans venæ ſectione ſublatus.

F*Ernelius lib. 3. Patholog. cap. 13.* ſcribit in errore verſari eos, qui vrinam cruentam, ſiue vinleam, quæ recentis carnis loturām repręſentat, iecoris imbecillitati tribuunt: vix enim intelligi poſſe, ſanguinem alicunde cùm vrina preterlabi, citrā renum affectionem: ſed reuera (quod pace tanti viri dictū ſit) multa ſunt, quæ ipſius opinioni obſtant. Nam videmus ſæpiſſime iuuenes plethoricos, neque vlli manifeſto morbo obnoxios, quibus nec attagen famoſa, nec conchylia, nec vina deſunt falerna per διαπήδησιν emingere vrinam cruentam, qui ſola phlebotomia, & applicatis emplaſticis regioni hepatis, (circa quam ſe quoq; molem quandam, & diſtenſionem ad clauiculam vſque ſentire dicunt) curantur. Quis renes hic accuſabit, cum præſertim nulla mingendi difficultas adſit. *Hier. Reuſnerus in ſcholis ad cap. 22. Iodoc. Willichij de probat. vrin.*

Obſeruatio.

Sanguinis mictus frequenti equitatione aut renum ex venere imbecillitate contractus.

VIdimus adoleſcentes duos, qui propter immoderatam venerem ſanguinem purum meiebāt. In his veriſimile eſt fuiſſe vaſorum ſpermaticorum imbecillitatē. Sunt & nonnulli, qui, ſi durius equitent, aut ſeſe exerceant immoderatius, excalfactis renibus ſanguinem meiant. *Hollerius Comm. ad aph. 78. ſect. 4.*

A ſanguinis mictu Paulum Schnepffium I. C. & Conſiliarium Marchionum Hochburgenſium, ex iiſdem cauſis huic malo obnoxium, Deo adiuuante, liberauimus: nam cùm occupatiſſimus eſſet, & frequentiſſimis eam ob cauſam equitationibus vteretur, domi præterea pallidam, ſterilem, atq; ſalaciſſimam vxorculam aleret, in difficillimū illud renum vitiū incidit, à quo non, niſi efficaciſſimis remediis, liberari potuit. Baſis curationis fuit Millefolium albis floribus præditum, & trochiſci Gordonii, ſingulari prærogatiua huic malo dicati. Idem paulo poſt thermarum Cellenſium vſu renū atoniam correxit, eoſdemque relaxatos, ob aluminoſam balnearum vim, firmauit. *Schenckius.*

Obſeruatio.

Sanguinis aterrimi mictu ſubitaneo, arquato morbo liberatus eſt.

SCimus nos Donatum Arrigonium, Vrbis noſtræ Mercatorem, dum ad nundinas, quę, in Emporio Bahano, quotannis quater celebrantur, proficiſceretur, derepente morbo regio correptū fuiſſe: dumqueMantuam reuerteretur, in diuerſorio cum ſocio in lectulo cubans ac dormiens, ſponte ex virga maximi ſanguinis nigri copia emanauit, ita vt eū ſocius ſemi mortuum, illius ſanguine madens, expergefecerit, Mantuamque, non ſine labore & periculo reduxerit, ab arquato tamen eo ſanguinis fluxu liberatum. *Marcellus Donatus l. 4. c. 29. hiſt. mirab. med.*

Obſeruatio.

Sanguinis mictus allij eſu contractus.

QVidam iuuenis, comedendo allia plura, minxit ſanguinem cum ardore vehemēti valde, poſtea apparuerunt in eo accidentia apoſtematis renum, ſcilicet rupti, puta ſanies: vnde conieci quod humor acutus excoriauit ipſa loca, & aperuit venam. *Matth. de Gradi comment. ad cap. 18. Part. 2. lib. 9. Raſis ad Almanſorem.*

Obſeruatio.

Sanguinis mictus ex caſu contractus, vt expedite percuratus.

VIdimus Methonæ hominem, lapſu ſcalarum ad dimidium matulæ ſanguinem minxiſſe, qui aſſumta protinus rubrica lemnia miro conualuiſſet remedio: ſine enim vrina cruorem emiſerat, qui forte ex colis propinquā parte eruptione contigerat. *Benedictus lib. 21. cap. 26. Pract.*

Obſeruatio.

Ex vomitu vrina cruenta.

QVædam nobilis mulier, alioqui valetudinaria, & ob ventriculum debilem ſæpe cruditatibus obnoxia, aliquādo poſt vomitum vehementiorem ſubito incidit in vrinæ cruentæ copioſam excretionem, ſine omni dolore renum vel vicinarum partiū, quæ poſtea fuit curata. *De obſeruat. V. CL. Ioach. Camerarij.*

Obſeruatio.

Sanguinis mictus, cum profluuio ſanguineo, ſine inteſtinorum exulceratione in quodam viſus.

SAnguinis mictus vnà cum fluxu ſanguineo inteſtinorum non dyſenterico, ex magna plethora ꝓfectus, in ciue Eichſtadiano à me notatus eſt. *V. CL. Iacobus Oethaus, lib. obſ. propriar.*

Obſeruatio.

Varia ſanguinis mictus hiſtoria.

ESt quidam mictus ſanguinis criticus, & interuallis quibuſdam motus, qualis fuit in Moniali muliere, cuius meminit Muſa, quæ ſingulis menſibus, ſuppreſſis menſtruis, multum ſanguinem emingebat.

Archem-

Archembault Aduocatus, per aluum, vrina, inteꝛuallis ſanguinem reddebat, ætate virili.

Quibuſdam, inclinante Vere, multis emingitur. Id ab Archigene ſcriptum reperio: quibuſdam per circuitus, vt in hæmorrhoidibus, ſanguinẽ multum collectum renibus emingi, vnde ſubleuentur, idque accidere iuuenibus qui maiori licentia Veneri indulgent.

Mileſius quidam apud *Aurel. 5. χρονιῶν* ſanguinem emictum affirmabat eſſe ex infirmitate ſeminalium vaſorum. Ab Aureliano reprehenditur, ſed cum experientia doceat, è renibus per vaſa ſpermatica defluere, & ab his, & à renibus exire certum eſt.

Vidimus qui à coitu multum ſanguinem effunderent, quiq; non facile reprimeretur, laxatis nimiũ vaſis, & imbecillioribus redditis, profuſo omni ſemine. *Scholiograph. ad c. 52. l. 1. Holleri de Morb. intern.*

Observatio.

Gonorrhœa aliquando obnoxius, vſu thermarum Badenſium in ſanguinis mictum incidit: vnde grumos ſanguineos, forma acicularum, excreuit.

Sexagenarius quidam ex Vrania Heluetiæ, cum in thermis Badenſibus noſtris lauaret, cœpit Hæmaturia laborare, qui prius aliquando affectu illo ſimili gonorrhœæ (qui terebinthina ſumta curabatur) laborarat. Emittebat grumos ſanguinis oblongos, acicularum maiuſcularum, vel ligularum præpilationibus longitudine & craſſitie ſimiles; dolor in ima pube & circa virgam erat: vnde coniiciebam in collo veſicæ morbum eſſe per anaſtomoſin velut anabroſin venarum, & propter loci anguſtiam grumos oblonga hac forma excerni. Conſului ſpongias madidas aceto calido imæ pubi & genitalib. apponi ex Alex. Benedict. Cucurbitulas imo dorſo velut natibus, inſidenti in decoctione adſtringentium: & ſi non prodeſſent, etiam aperiri venam illam in ſuperficie dorſi, quam tonſores earum thermarum ſecare in vſu habẽt. Trochiſcos fieri ex Karabe, terra Lemnia, thure, gummi arabico, vna cum trochiſcis alkekengi, &c. vtatur his cum aqua hordei. vtatur decocto burſæ paſtoris interdum &c. V. CL. *Caſpari Wolphij Obſeruatio.*

Observatio.

Grumi ſanguinis in vrina; ſubſequente ſanie cruenta, hepatis exulcerati argumentum.

Grumos ſæpius nos obſeruauimus, in quibus exulcerati hepatis notæ erant in lotio infecto poſtea cruenta ſanie: quos grumos à ſanguine fieri facile coniectebam. Nam ſanguis, cum extra propria vaſa emittitur, concreſcit, & grumi fiunt ſeu trumbi, qui nihil aliud ſunt quam concretus ſanguis. Effundi autem ſanguinem tunc ratiocinabar vel aperto, vel rupto, vel exeſo aliquo vaſe, vel ob reſudationẽ ſanguinis, quæ à vaſis ſit, edoctus à *Gal. l. 4. de locis affectis*, vaſe, inquam, hic non ad vrinam deſtinato, ſed excreto inde ſanguine ac expulſo ad vrinæ vias. Qui poſtea cum vrina mixtus, & in ea ſubſidens, quoniã grauis res eſt & craſſa, opacam etiam vrinam deinceps reddebat. *Ioannes à Belloforti, comment. ad Gal. aſcriptum lib. de Vrinis 116.* facie auerſa.

Observatio.

A ſanguinis mictu vrinæ difficultas: qua Chirurgi errore, cathetere veſicæ collum exulcerante, inflammationem & febrem continuam prouocauit: vnde æger, non ſine periculo, ſeruatus eſt.

Vir quidam, ætatis conſiſtentis, ſanguinis mictu laborauit, is primo vlcera in tibiis habuit, ſed iis ſanatis ſcabie prehenſus, quam iniectione quadam curauit quidem, ſed materiam illam acrem, quum illi præcluſus eſſet exitus per cutim, in venas regurgitare fecit, & ſanguinis mictum peperit, cum ſomno fœtore ac grumis: à quibus cum difficultas meiendi orta eſſet, chirurgus ex mala immiſſione catheteris (vt ſunt rei anatomicæ imperiti fere omnes) ipſum veſicæ collum inſuper exulcerauit, vnde & inflammatio eius partis ſubſequuta eſt, & febris cõtinua, vt etiam de vita periclitaretur, ſed intra paucos dies ſanitati eſt reſtitutus. *De* CL. V. *Gaſpari Wolphij obſeruationibus.*

DE CALCVLIS VESICÆ.

Observatio.

Calculi veſicæ cauſa, & ſententia noua.

De cauſa Calculi & Tartari In Genere bolari & viſcoſa, per ſalis ſpiritum coagulata: vide *de Lithiaſi Renum. Schenckius Filius.*

Veſicæ calculi cauſam pleriq; omnes tradunt craſſum eſſe crudumq; ſuccum, qui per venas cum vrina in veſicæ capacitatem influat, in quã tandem fæx ſubſidẽs, loci calore exarefactus ſenſim lapideſcat. At vero quid limum iſtum (niſi forte admodum anguſta aut obſtructa ſit veſicæ ceruix) tandiu poſſit illic remorari non video, cum & ſanguinis grumus, & pus, & mucoſa lentaque pituita, aliaque multo craſſiora facile illinc profluant cum vrina. His argumentis adductus, aliam cœpi cauſam inueſtigare, ac tandem comperi, omnem calculum in veſica concluſum rudimentũ quoddam è renibus traxiſſe, è quibus per nephriticum dolorẽ excidens, ſi grandiuſculus eſt in veſica aliquandiu hæret, ac plerunq; perſiſtit, illicq; allatarum ſordium adheſũ coagmentatur, dum verus confirmatuſq; lapis fiat. Ita quidẽ neminem hactenus offendi in veſica calculum habere, qui nephriticis doloribus diuexatus ante non fuiſſet. Et quoſcunq; exemtos veſicæ calculos obtriui (obtriui autem experiundi gratia permultos) in eorum medio quaſi nucleum reperi, verum rudimentum è renibus exturbatum, diuerſi, quam reliquum integumentum ac volucrum, & coloris & ſubſtantiæ. *Fernelius lib. 6. cap. 13. Patholog.*

Fernelii ſententiæ *Rondeletius*, *Iul. Alexandrinus*, *Ant. Valetius*, & *alij nonnulli* contradicunt.

De materia, cauſa efficiẽte, & generationis modo lapidis in veſica & renibus, non eadem omniũ ſententia. Alii aiunt multam materiam cauſam ac terream primum cogi in vnum in veſica, cuius pars intima concreſcit, tandemque, ſi nõ eiiciantur, calore & frigore parte tenui cõſumta, in lapillum coaleſcere. Hinc voluitur ab vrina & ſemper ſibi adiungit, atque ſic augetur. Cauſam autem efficientem eſſe tum calorem, tum frigus, vnde in ſenibus & pueris gene-

generantur, non in iuuenibus. Alii ex Hipp. mate-
teriam faciunt vrinam aduſtam à feruore & ardore.
Quorum enim aluus fluida eſt, ac ſana, & veſica aut
veſicæ os non ardet, his facile vrinam effluere, & in
veſica nihil congregari. Quorum vero aluus ardens
& feruida fuerit, in his etiam neceſſe eſt veſicā idem
perpeti. Cum enim magis, quam pro natura, fuerit
calefacta, ſtomachus eius inflāmatur. Vbi vero hæc
perpetitur, vrinam non demittit, ſed in ſe ipſa con-
coquit & adurit: & quod quidem tenuiſſimū in ipſa
eſt, cernitur: quod puriſſimum, tranſit ac emingitur.
Indicio eſſe vrinam ſplendidiſſimam excerni inſtar
ſeri. Braſauolus tertium modum affert ex eodem
Hipp. 4. de morbis. Fieri n. ex arenis, ſedimento, velut
glutine, copulante. Hoc quibuſdam non placet, quia
natura, vt ſtatim arenam ſenſerit, protinus eiicit. Et
cum renum calculus nudus ſit, adeo veſicam vexat,
vt diu non poſſit retineri; quare nec augeri. Contra
nonnulli nullum in veſica lapidem generari aiunt,
quin in renibus acceperit principium & rudimentū.
Indicio eſſe nephriticos dolores, qui in omnib. præ-
cedunt, & in omnibus calculis medium quaſi nu-
cleum reperiri, verum rudimentum à renibus extur-
batum. Philot. contra, ſæpius in veſica propter capa-
citatem calculos generari. Reſpondent capacitatem
iuſtum argumentum non eſſe, & experientia doceri
contrarium. Tantam controuerſiam neq; noſtrum
eſt conciliare, neque breuibus ſcholiis id poteſt prę-
ſtari. Si tamen licet ex iis, quæ apparent, quicquam
efficere, cum lapides renum & veſicæ neque eodem
colore, neque eadem figura, neq; eadem ſubſtantia,
nec in eodem ſexu aut ætate ſimiliter concreſcere
ſenſus doceat, omnibus eandem cauſam aut genera-
tionis modum tribuere, aut locum, non minus ab-
ſurdū videtur, quam ſi in metallis & lapidibus terre-
nis idē fieret. Veſicæ n. calculi fere maiores, raro alio
colore, quam albo, aut cinereo, in pueris frequētius
ob edacitatem, vt ait Galenus, vnde crudi humores
generantur, qui calore cōcreſcunt. Sed fuſam craſſi-
tiem, exceptā ob robur natiui caloris & virtutis na-
turalis in veſicam renes excernunt. Adde, ſi vis, mol-
lia & humida corpora puerorum & fluxilia, quod pluri-
mum facit ad excretionē materiæ craſſæ. Quæ, quia
in ſenſibus & adultis non adſunt, in illis frequentius
generantur in renibus. In mulieribus rarius propter
menſtrua, & laxitatem mollitiemque viarum. Acer-
uantur lactis, caſei, vinorum craſſiorum vſu, vt Fer-
rariæ: aquarum limoſarum, vt Lutetiæ: alimentorum
craſſi ſucci, vbicunque ſit. Vrinæ quandoque areno-
ſæ ex veſica, aliquando contra. Ex his omnib. in ve-
ſica, & ab arenulis & à materia terrea atq; aduſta ſed
multo frequētius ex crudo ſucco, limoſo ac viſcido,
quo etiam coguntur arenulæ, calculos oriri conſen-
taneum eſt, aliquandoque arenulas ex renib. in veſi-
cam labi, ſed etiam ex ipſius vrinæ fæce reſoluto hu-
more poſſe fieri, à calore ſtomachi ipſius, vt ait Hipp.
quales in matulæ fundo apparent. Craſſities materię
intelligitur ex corticibus veluti cœparū, quibus lapi-
des veſicæ integuntur, & ex compacta ſubſtantia &
duritie. A viſcido humore frigus, à ſuperueniente ca-
lore induratio, coctio, & quaſi aſſatio, vt in lateribus
ex luto: vnde neq; calore liquantur, neq; frigore. In
renibus vero fere tinguntur rubro; vt rubrum intel-
ligas & flauum & ruffum iuſta ratione, quod & in a-
renis videre licet. Nam à ſanguine, calore loci, & par-
tis colore tingi ſolent. Minus duri, aſperi, & magis
friabiles, quam in veſicā. Ergo magis ex arenulis co-
aleſcunt. *Scholiograph. ad cap. 48. lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Lapides in veſica nati inſigniores, qui vel numero, vel magnitudine, vel ſubſtantia, vel deniq; forma, & formidandis accidentibus ægros miſere excruciarunt & plerunque necarunt.

NOn ſecus, atq; de renum lapillis dictum eſt, in
veſica, quæ vrinam excipit, lapilli concreſcunt,
nec minus varii forma, quantitate atque colore: niſi
quod veſicæ calculi apud quoſdam præcipue cuiuſ-
dam magnitudinis & duritiei eſſe ſolent, vel tantæ,
vt nec medicamentis atteri, expellique, nec inſtru-
mentorum vſu frangi eximique iam cæſis (inciſis ve-
ſicis) queant: ſed neceſſe ſit, qui ſic infeſtantur, quod
ipſe perturbato animo non ſemel expertus fui, mole
dolorum ſuperatos oppreſſoſq; inter infandos cru-
ciatus miſere oppetere. Equidem, quæ mea eſt opi-
nio, nullam acerbiorem homini mortem accidere
poſſe puto, ea ipſa, quam calculi inferunt tormenta,
vbi quis membris omnibus ſaluis viribuſq; integris
violento impetu adigitur, vt animam indigne exha-
let: id quod Friderico III. Saxoniæ electori primo,
pietate, ſtudio pacis, multiſq; virtutibus memoran-
do euenit. Ab huius principis occaſu, qui incidit in
annum 1525. diem Maii quintum, cum eius corpus
ſectū, exemtis inteſtinis aromatis ad ſepulturā inter
principes more vſitato condiretur, quidam Ioannes
Trautemannus, quo Princeps chirurgo fuerat vſus,
veſicam incidens, in eius orificio lapidem offendit
grandē, cuſpide in ceruicē, qua vrinæ meatus patet,
porrecta, latiore parte in veſica hęrente. Eum lapidē
ab hæredib. Trautemanni, quorum ſuperſtites ſunt
quatuor, viri boni, precario accepit, data fide de re-
ſtituendo. Sed & idem chirurgus fellis receptaculo
alium calculum exemit, vt vir clariſſimus Dominus
Peucerus mihi ſignificauit, quem manibus ſuis ſeſe
contrectaſſe aiebat, praſino colore, forma quadran-
gulum, magnitudinis vnius articuli. Inde & renes ſe-
cti fuere, atq; è dextri lacuna alius quidam lapillus
euulſus fuit, duorum articulorū magnitudine, ſub-
rutilo colore, circum circa vno in loco circulari am-
bitu medicamentorum λιθονθρυπτικῶν acredine at-
tritus, eroſuſque, qua vrina profluxit. *Kentmannus libell. de Calculis.*

Multos è veſica lapides exemimus cœparum mo-
re lamellis incruſtatos, inferiore ſubinde coloris di-
uerſi. Duo præter hoſce genera: Vtrunque apud me
eſt. Ex bouillis oppidanus noſtris adiutus medica-
mentis eminxit vitreum ſane ex illa nobili Praxago-
ræ pituita. Dum mingeretur albuminis mollitie, e-
miſſum vitri duritie ac ſplendore. Senatoris filius e-
iecit pultis modo multos ac maximos, qui aeris con-
tactu poſtea in gypſeam tum ſpeciem tum firmitatē
concreuere. Hic quoq; nunc recte valet. *Scaliger Exercitat. 108. num. 3. ad ſubtil. Cardani.*

Vidimus lapides ex veſica eiectos, magnitudine
oui gallinacei, quos paulatim viſcoſa materia obdu-
cta veluti in cruſtas, varii interdū coloris, igneus ca-
lor indurūit, atq; ita creſcere ſenſim traduntur. Mar-
garitæ enim in conchis fieri eo modo cernuntur,
gemmariis varios veluti in cœpis cortices torno de-
tegen-

tegentibus. Ob eam cauſam corpora phlegmatica ac Melancholica puerilia vel ſenectute confecta, calculorum cruciatus ſentiunt. *Alex. Benedict. lib. 22. cap. 35. de medend. morb.*

Defunctis nihil humoris in veſicam tranſmittitur. At viuis non ſolum humor, ſed etiam ſiccā quædam concrementa deſcendunt; ex quibus calculi conficiantur. Iam nonnullis talia in veſica conſtiterunt, quæ nihilo differre à conchyliis viderentur. *Ariſt. de animal. lib. 3. cap. 15.*

Eadem ratione, qua pueri periclitantur, calculus in veſica gignitur, qui dyſuria aut ſtranguria laborant, quod ſcilicet debiliter mingant. Quod Ferdinando à Mena, præceptori meo, qui etiam ante me fuit Philippi ſecundi Medicus cubicularius, poſtquā & ipſe Compluti primariam Cathedram multos annos feliciſſime rexerat, contigit. Cui poſt mortem exciſo, ſolidiſſimus lapis, plus quam ſeptem vncias pendens, extractus à veſica eſt. Hic, multos ante annos, renū calculo laborauerat, vt ſit veriſimile inde detruſum eſſe lapidem, qui veſicæ hærens, ſtranguriam fecerit, ac per eam ſeipſum in tantum auxerit incrementum: quod & in ſenibus omnibus cenſeri debet, qui cum antea laborauerint morbo renum, nunc laborant veſica. *Franciſcus Valleſius, Comment. ad ſect. 3. lib. 6. Epidem Hipp.*

Iuſſimus nos excellentiſſimum Albertum Sauonarolam D. Hieronymi Sauonarolæ fratrem poſt obitum aperiri, (ita n. placuit illuſtriſſimo Alphonſo Dvci Ferrariæ) hic doctiſſimus vir Albertus in veſica decem lapides habebat magnitudine oui columbæ, immo & maiores, qui eandem præciſe formam ſeruant, ac ſi arte facti fuiſſent, omnium pondus eſt ſex vnciæ & ſemis: quiſque lapis ſemiunciæ pondus excedit. Nos ſeruamus hos lapides auro colligatos, tanquam perpetuum monumentum, & illius viri, & ipſorum lapidum, qui eadem præciſe forma in tantam multitudinem excreuerint, vt vnus ſolus lapis effectus non ſit. Hi decem lapides excellentiſſimi Alberti Sauonarolæ ſi in terram proiiciantur, veluti trigonalis pila reſiliunt. *Braſau. comm. ad aph. 79. l. 4.*

In menſe Iunii illuſtris Dominus de Montpipeau cognominis de Rochechouart, eques magni ordinis Regis, poſt obitū ſectus, tres lapides fuerunt reperti in veſica, magnitudinis nucis integræ cum ſuis velaminibus, plani, albi, inſigni duritie, vt ſilices fluuiatiles potius dicerentur, quā veſicales, aut ab humano corpore excretos fuiſſe. *Ferrandus in libell. de Calculis.*

Idem, in cadauere Domini de Montigne, cognomine Lucas apud Pictauos, extraxit è veſicæ ſtomacho ſeu ventre lapidē ingentis magnitudinis & ponderoſitatis, vt vix credibile ſit talem lapidē potuiſſe in dicto ventriculo contineri &c. pendebat vncias tredecim. *Idem citato loco.*

Iuris peritus quidam, ſuprà quinquaginta annos natus, diu moleſtiſſimo vrinæ ſtillicidio, accedentibus plurimis calculi in veſica latentis indiciis, laborauerat, cum ad ſe ſectionis peritum vocat. Hic facto experimento, nullum in veſica calculum eſſe iudicauit. Profectus igitur ad fontē q in agro Leodienſi eſt. Illinc reuerſus, non melius, ſed peius habuit: vrina albida, fœtida ac purulēta facta. In veſica huius duodecim reperti ſunt calculi, quotum, qui maior, nucis myriſticæ nucleū æquabat: ac ren ſiniſter purulentus, ac fere conſumtus, exiguo admodum parenchymatis reliquo. *Dodonæus cap. 44. Obſeruat. Medicinal.*

Anno Domini 1570. Duciſſa Ferrarienſis Lutetiæ montem-argiuum acciuit Ioannem Collo, qui calculum è veſicā piſtori dulciario extraheret. Calculus ille, etſi pugni craſſitiē haberet, nouemq; vncias penderet, feliciſſime tū egro reuulſus fuit. Franciſco Roſſeto & Ioſepho Iauello Duciſſæ medicis experientiſſimis & doctiſſimis præſentibus. Non multum tamen tēporis poſt piſtor ille interiit ex vrinæ ſuppreſſione, per obſtructionem ab exiguis duob. aliis calculis, qui, è renibus in veſicam deſcenſuri, in media vreterum via ſubſtiterant. *Pareus lib. 24. c. 19.*

Anno Domini 1566. Laurentius Collo filius, cuidam, Martium commoranti, mentulæ tractor ex eo cognominato; quod ab ætatis ſuæ anno decimo, calculo iam obnoxius, pudendum aſſidue ſcalperet, calculos tres è veſica extraxit, ſingulos oui gallinacei craſſitie, omnes colore albos, & ſimul duodecim vncias pendentes, Regi Carolo tum ad ſancti Mauri à foſſis fanum degenti, cum oblati eſſent, vnum malleolo confregit, in eoq; medio alius inuentus eſt, colore caſtaneo, cæteraq; nuci mali perſici ſimilis. Tres illi calculi mihi à chirurgis illis fratribus dono dati ſunt. *Idem eodem loco.*

Lapidem vnum ex veſica hominis extractum, qualis & quantus fere apparet, (caſtaneæ magnitudinem pictura refert) aſperum, racemi quadam ſpecie. Alterum itidem è veſica, minorem leuem. *Geſnerus lib. Foſsilium pag. 146.* facie auerſâ, picturam quoque expreſſit.

In Hieronymo Vetio Piſtorienſi Medico egregio, & in Piſano Gymnaſio Theorices Medicē artis Profeſſore, collegaq; noſtro, cum non ſine magno illius Academiæ detrimento diem ſuum hoc anno ex calculo obiiſſet, plus quam quinquaginta auellanarum magnitudine in illius veſica ſunt reperti. res certe mira, & quæ à calumnia Medicos non parum defendit, ſi quādo in huiuſmodi monſtra incidentes, oleū (vt aiunt) & operam perdant. erāt autem omnes illi calculi coloris ſubflaui, bilis meræ ſoboles. *Fonſeca li. 1. cap. 4. de Calculis.*

In veſica plerunq; vnus duntaxat lapis gigni ſolet, eo, quod craſſa, quæ aſſidue ſuppeditatur, materia, facile circa eum, qui iam genitus eſt, accredundat, concreſcit & ipſum potius augeat, quam nouū proferat; quamuis etiam in hac interdum plures lapides redundent, qui plerunque aliquod in renibus rudimentum obtinuere: vnde ſuperiorib. annis Lugduni duodecim extractos vidimus calculos ex veſicā cuiuſdā militis Eluetii, nuper vita functi, qui omnes oui columbacei magnitudinem æquabant; quibus à nobis cōminutis, comperimus in cuiuſq; eorū medio incluſum exiguū calculū ſubflauum, orobi granum referentē; quos credidimus olim ex ipſis renib. eſſe delapſos in veſicam, & in eā poſtmodū, ob viſcidę materię circa ipſos concretionē, ad eiuſmodi magnitudinem, quam diximus, ſingulos excreuiſſe. *Vidus Vidius Iunior lib. 10. cap. 20. de Curat. membratim.*


Apud Ioannis Volckameri vxorem vidi lapidem exciſum ex veſica cuiuſdam Leonhardi Volckameri anno 1479. die 9. Februarii qui habebat pondus vnciarum octo, qui paulo poſt mortuus eſt.

Anno 1561. Menſe Auguſto, Froſchelius lithotomus Auguſtanus execuit è veſicā cuiuſdam Panniſicis ſexagenarii, habitantis extra portam ab hoſpitali deno-

denominatam, duos lapides, quorum alter pendit vncias quatuor cum ſemiſſe & drachmas tres. Alter vncias duas cum ſemiſſe & drachmam vnam, & eua-ſit. Sed vulnus non potuit conſolidari, ita vt ſemper vrina ſtillaret per vulnus.

Idem mihi retulit Patrem ſuum detraxiſſe lapidem ex veſica cuiuſdam Æditui ex villa Langenneiffen, non procul ab Auguſta, pendentem vncias quatuordecim; illum tamen tertio à ſectione die mortuum eſſe. *De Obſeruat. D. Ioannis Heßi per* CL. V. *D.D. Ioach. Camerarium liberaliß. mihi communicatis.*

Philippus Engelbrechtus Engentinus, Poeta ſui temporis celeberrimus: veſicæ calculo obnoxius, Argentorati, anno 1528. ſectioni ſe commiſit, quá inſtitutá, inuentus in veſicá lapis ſtupendæ formæ, glaber, politus, durus atque grauis, pendens ſupra quatuor vncias. Qui, vt ex ſubiecto Sapidi carmine apparet, vel quod veſicæ agnatus hęſerit, vel ob magnitudinem, aut enormem eiuſdem formam, cum poſt ſectionẽ detrahi haud potuiſſet, tertio ſeptembris die, vitæ finem ei attulit, cuius deformationem ad viuum expreſſam ſubiecimus.



Philippi Engentini, Poetæ celeberrimi, veſicæ lapidis effigies.

Longitudo.

Latitudo.

Craſſities.

EPITAPHIVM

PHILIPPI ENGELBRECHTI ENGENTINI.

Ioanne Sapido Authore.

Phœbi deliciæ, patriæ ſpes, rebus & aptum
Omnibus, hac Vatem terra Philippon habet.
Quem lotij, mala, Parca Virum, veſica peremit
Dum renuit lapidem reddere ſecta trucem.
Hic quoq; ſi veterum memores ſint iure nepotes,
Aeternum claro nomine notus erit.

IN EIVSDEM MORTEM

SEBAST. AVSTRIVS.

Scripſit vbi proprijs manibus ſua carmina Vates
Iratum metuens itq; , reditq; IOVEM.
Quem mare nec tellus, ignis nec peſtifer Aer
Suſtulit, at talis, quem tibi pingo, lapis.

Hæc ex tabula, quæ memoriæ ergo, & Anathematis inſtar, ingredientibus ad oppoſitum latus dextræ parti Chori, Templi quod D. Virgini Mariæ in Kilchofen ſacrum eſt, affixa, vel hodie quoq; cernitur, bona fide tranſtulimus. Quo Lectorem, diffidentem nobis, ablegamus. *Schenckius.*

Nicolaus Tabermon, Medicus Burgũdus excellens, cum præterito anno, ex magnis cruciatibus, morboque incurabili, ex hac vita deceſſiſſet; atque à Medicis eius oppidi (quod Wiſu vocant) diſſectus eſſet: in veſica eius lapis inſtar oui anſerini magni fuit inuentus. Nec nõ in veſicula fellis lapides quinquaginta tres ad magnitudinem fabarum, cũ maxima omnium admiratione. Quod ipſum hiſce dieb. Burgundus quidam, fide dignus, eiuſdemq; loci ciuis honeſtus, mihi ꝑ certo retulit. *Ioan. Iacob. Weckerus, de ſuis ad me miſsis obſeruat.*

Anno M. D. LXXXIV. XXII. Iunii: è Veſica Nobilis & Reuerendi viri Domini PHILIPPI à FREIBERG, Decani & Proepiſcopi Conſtantienſis: Chriſtophorus Groſs Lithotomus Campidonenſis lapidem ſectione detraxit, pendentem vncias duas cum ſemiſſe. Hoc ſolum ab ea curatione incommodo relicto; quod perpetuam inde vrinæ incontinentiam incurrerit, quæ lapidis magnitudini aſcribenda. Cuius iconem ad viuum etiam colorib. expreſſam vná cum hiſtoria, idem Dominus Decanus, non tam ad vrinæ incontinentiam, quam ad inſequutam etiam quartanam febrem, expetendi conſilii ad eoſdem affectus cauſa, ad me miſit. Forma & magnitudo lapidis eſt oui gallinacei; color quam ochræ intenſior paulo: pũctis crebrioribus, ſubluteolis, vndiq; velut verruculis, notatus. Quem lithotomus ab anno vndeuigeſimo aut vigeſimo cœpiſſe, & ad eam magnitudinem vſq; excreuiſſe, argumentis neſcio quibus perſuaſus, ſtatuit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Lapides veſicæ nonnunquam, nouo exemplo, cutaneo inuolucro concludi, qui ob id cathetere explorari minime poſſunt.

QVidam de Dominis Cardinalibus, q erat multum calculoſus in renibus, & pluries in anno habebat paroxyſmũ, dum fuit poſt mortem euiſceratus, vt moris eſt: habebat quatuordecim lapillos in veſica, qui omnes erant rubicundi in centro: & omnes venerant de renibus: quorum quidam erant in forma propria, quidam fecerant vnam tunicam, (cruſtam ſeu laminam) quidam duas; Et qui vidit teſtimonium perhibuit. *Tornamira Comment. ad ca. 75. 9. Raſis ad Almans.*

Mercatori cuidam omnia calculi veſicæ ſigna aderant. Cathetere probari non potuit. Mortuo; duo magni calculi inuenti ſunt, ſinguli vnciarũ duarum ſemis, membrana incluſi vtiq; ſua. *Scholiograph. ad c. 49. lib. 1. Holl. de morb. intern.*

Inflammatio & gangræna laniatæ veſicæ ſæpe conſequens, mortẽ infert ineuitabilem. Par ægrum manet fortuna, ſi oblongus calculus tranſuerſim ferramento vellatur: vel ſi membrana incluſus ſit; quod genus calculi vix cathetere probari poteſt. *Pareus lib. 16. cap. 39.*

Vidi quendam à quo duarum vnciarum lapis fuit extractus, cyſti obductus, quod admodum infrequenter contingit. *Horatius Augenius lib. 4. Epiſt. 2.*

Certus ſum, lapidem circum ſeſe interdum veſicam contrahere, ac propterea abſcondi, ſicque tentantium manus fallere. *Mercurialis Conſ. 36.*

Cum anno 82. Lutetia reuerſus, per mẽſem octobrem Oeniponti verſarer. Nobilis & clariſſ. Vir D.D. Fridericus Alſtetter, Sereniſſ. Arch. Auſtr. FERDINANDI à Conſiliis & Regimine, Vir antiquæ virtutis ac fidei &c. fautor & patronus meus ſingularis, mihi retulit de Lithotomia in Domino ſocero ſuo, Nobili & Magnifico olim viro, Dn. Rocho Caſtnero, eiuſ-

eiuſdem Sereniſſimi Archiducis noſtri Conſiliario intimo, tum viuo, tum extincto tentata atque adminiſtrata. Is, cum per dies vitæ ſuæ ſolo aquæ potu vteretur, plurimiſque laboribus ac peregrinationibus occuparetur, dolorem grauem ac permoleſtum, in abdominis inferiori ſede, poſterioribus aliquot annis ſuſtinuit. Quo ſubinde magis exaſperato: in conſilium adhibuit tum Medicos; tum Chirurgos. Et licet multum profecta iam præmeretur ætate, tamen (ingentibus cruciatibus impulſus) ſectionis periculum ſubire voluit. Anno igitur 1580. ætatis vero ſuæ cum Nobiliſſ. & Clariſſ. Vir D.D. Iohan. Villebrochius Illuſtriſſ. Serenit. Archiater, &c. ſuam de præſentia lapidis in veſica ſuſpicionem, conſtanti aſſeueratione firmaret: licet duo Chirurgi & lithotomi celebres id negabant (vt qui immiſſo cathetere, nullum tinnitu, vel attactu calculum ſe deprehendere profitebantur) ſectus tamen eſt. At ne tum quidem lapis vllus manu Chirurgi deprehenſus aut exemptus eſt. Octauo poſt ſectionem die Vir ille Magnificus moritur: cum prius petiiſſet, vt poſt obitum ſuum, tum veſica, tum circumiacentia membra, pro inuenienda tanti doloris cauſa, penitius introſpicerentur. Exempta itaque veſica lapides continuit triginta duos, omnes in propriis tunicis incluſos, & inuicem ita contiguos, vt haud ſecus quam apes in ſuis cauernulis fauum, ſic iſti calculi in ſuis quique alueolis, totam veſicæ capacitatem replerent; exiguo tantum meatu, vrinæ retentioni (quæ perbreuis eſſe ſolebat) emiſſionique relicto. Admirantibus hanc naturæ machinationem, tum Medico, tum multo magis Chirurgis, veſica ſic integra cum lapidibus & eorum alueolis allata eſt aſpectui Sereniſſ. Ducis. Hos ipſos triginta duos lapides, & præterea vnum in veſica fellis, eodem tempore, in prædicti viri cadauere inuentum, mihi ſuperiore Anno 84. Italia redeunti, & Suuatziæ diuertenti, Nobiliſſ. & Eximius Vir, Dominus Wolffgangus Caſtnerus in Singendorsluſt: Domini Rochi præfati filius, Suuacenſis & Freundſpergenſis Præfectus coram exhibuit contemplandos. Priores illi 32. erant ſubſtantia duriſſimi ſolidiſſimique, figura partim oblonga & ouali, partim rotunda, colore albo, magnitudine & pondere inæquales, ex iis enim ſedecim rotundiores, nucem moſchatam ſua quique mole referebant: reliqui paulo minores erant, minimus fabæ magnitudinem adæquauit, aut ſuperauit: maximus ſemiunciam (ſi bene recordor) ponderabat. Vnicus vero ille in veſica fellis inuentus, minus durus, minuſque ſolidus erat in ſubſtantia, colore ſubliuidus, magnitudine paruam referens caſtaneam. *Hanc Hiſtoriam nobis Doctiſſ. Philoſophus & Medicus Clariſſ. Vir Martinus Holtzapffel, pro ſuo cum in nos, tum erga rem Medicam ſtudio, liberaliſſimè communicauit.*

Nobiliſſimus Annibal Conſtantius, leuis armaturæ equitum tum Illuſtriſſimi Ducis Præfectus, cum ipſum lapidem in veſica habere omnium ſignorum conſenſu Medici arbitrarentur, vt certior efficeretur, chatetere rem tentari voluit. Quare acceſiti peritiores Chirurgi, impoſita ſyringa argentea, ſe nullum lapidem perſentire, conſtanter vnanimi conſenſu affirmarunt. Verum nullis eſt præſidiis conferentibus, à Fallopio tunc Excellentiſſimo Medicinam Patauii faciente, vt curaretur, Patauium ſe contulit. Qui omnia lapidem atteſtantia ſigna conſpicatus, lapidem in veſica adeſſe teſtatus eſt, at cathetere impoſito, ſe calculum perſentire non poſſe pluries miratus. Quare negotio infecto Mantuam reuerſus; poſt multos, longoſque cruciatus, è viuis deceſſit. Diſſecto cadauere, lapis inſignis magnitudinis in veſica adinuentus, vndique tamen humore multo ac craſſo circumueſtitus, inſtar anguiliæ pellis inuolucro circumambiente, quem calor imbecillior, (erat enim ſeptuagenarius) quo minus lapideſceret, effecerat, ſicut anteactis annis, calore vegetiore exiſtente, eiuſdem ſobolis humor, ſenſim & ſenſim in lapidem degenerans, concreuerat. Quo minus itaque ex ſyringæ contactu lapidis ictus perciperetur à Chirurgorum tactu, integumentum illud fuit in cauſa. Quod nunquam ab alio authore obſeruatum legere contigit, ſiue antiquos Græcos, Latinos & Arabes, ſiue recentiores ſpectes, vno excepto Iacobo Hollerio. *Marcell. Donat. lib. 4. cap. 30. Hiſt. Mirab. Med.*

Calculos in veſica membrana aliquando peculiari inuolui, nonnunquam etiam veſicæ adnaſci; multis ſed parum firmis argumentis *Rouſſetus Libello ſuo de partu Cæſareo* inficiatur. Nam quod primum tunicatos aut agnatos calculos moleſtiam aut dolorem nullum inferre, ac ob id quoque fruſtra ſic affectos ſectionem expetere affirmat, vaniſſimum illud quidem fuerit, ſi abſolute & indefinite aſtruat; quum illi ipſi calculi cæteris non minus, proque magnitudinis ratione, pondere, tenſioneque, ægros grauent & vexent. At qui tunica propria veſtiuntur non perinde veſicam atterere atque exulcerare poſſunt: proinde multo tempore minus moleſtos eſſe certum eſt. Preterquam quod renum veſicæque calculi, qui liberi vndique ſunt, à nonnullis quoque diu ſine inſigni, imo perexigua moleſtia ſæpe perferantur. Iam illud quoque in confeſſo eſt, ſiue nudos, ſiue tunicis inuolutos, ſi ceruici veſicæ adnaſcatur, non minus quam alios vulgares, ſtranguria & vrigine laborantes torquere. Qua vel ſola ratione ad ſectionem confugere opus haberent. Venio ad alterum huius viri argumentum, quo prætendit, ſi exiguo etiamnum calculo cutaneus cucullus increuerit, qui idem augeri potuerit: ſi adulto, vnde creſcendi initium duxerit? Ego vero curioſo illi viciſſim oppoſuero, num ouo minore adhuc, an vero ad iuſtam magnitudinem iam perducto, cutaneum inuolucrum, quod tandem in cruſtam abit, inducatur? & vnde creſcendo, antequam in teſtam indureſcat, principium ſumpſerit? Aliam vero cutis, quæ ouis, aliam quæ calculis inducitur rationem eſſe obiicies forte non ſine dioriſmo. Ouis enim naturaliter cutis ex qua teſta producitur innaſcitur; eaque ad ouorum conſtitutionem ſemper, ſi recte habeat, requiritur. Contra vero calculorum multo maxima pars eiuſmodi cutaneo inuolucro caret, nec niſi rariſſime in eis obſeruatur, adeoque ad calculi conſtitutionem non facere creditur. At falleris mi Rouſſete, falleris, id quod ipſemet teſtaberis, ſi ad calculi, maxime vero veſicæ, generationem reſpexeris. Eamque quam de ouis ad calculos analogiam produxi, minime reiicies. Proinde in his locum habet ratio & experientia, Fernelii doctiſſimi Viri ſententia, qua ſuſtinet, veſicæ calculos προυπάρχον habere in renibus, quod quoſcunque perfregeris plurimos,

nucleos rubeos deprehenderit, qui ad veſicam delati, corticatim increſcant. Quem tamen in eo deceptum eſſe apparet, quod catholicum omnino id theorema fecerit, licet vt plurimum euentus reſpondeat. Quare ſi ex corticibus nucleus in veſica incrementum capeſſit, dicriſmo Philoſophico & Medico inueſtigandum qua ratione fiat, vt in veſica tenax materia non ſemper in durum corticem, ſed eadem in cutaneam membranaceamque ſolum ſubſtantiam conuertatur. Accidit vero potiſſimum id, imbecilliore, remiſſioreque calore, quo minus lapideſcat. Quemadmodum enim gallinas aliquando oua, cutanea ſolum membrana, non item dura teſta concluſa, parere conſtat: ita ſane lamellas, deficiente videlicet opifice calore, pituiteas veſicæ lapidibus inductas in membraneum tegumentum tantum commutatas, non in cruſtas, obſeruamus. Vnde noſtra de ouo ad eoſdem analogia facile perſtare, ſed in veſicæ lapidibus ſolum, poterit. At ne ſine teſte quid affirmem, Albertum audi: Inueniuntur (inquit) oua quæ non habent teſtam exteriorem, ſed membranam tantum quæ teſtæ ſubiici ſolet, quod fit, quoniam talia oua humida ſunt & aquoſa, & non habent calorem ſatis validum, præſertim ſi cibo humido, ſperma gignente, alantur gallinæ. Hucuſque Albertus. *Schenckius.*

Observatio.

Calculos aliquando veſicæ adnaſci, & adhærere.

SI veſicæ inhæſerit calculus, ex contriſtationibus patefiet: ſed neque dolorum neque grauitatis expertes ſunt, licet vrinam expedite reddant: ſin minus, & vrinæ difficultas accedet. *Aretæus lib. quarto capit. quarto.*

Nonnunquam ſummæ veſicæ adhæreſcens calculus, & quaſi ex illa propendens, vix vllum ex calculi ſignis manifeſte exhibet: & viſi ſunt qui, nullo dolore, diu illum geſtauerint. *Fernelius libr. 6 cap. 13. Patholog.*

Aliquando liber eſt, interdum hæret veſicæ, nec niſi vi extrahitur. Nam vt matula excrementa hærentia contrahit, ita veſica imbecillior. Deinde imbecillitate veſicæ, & anguſtiis viarum impeditur exclufio. Hinc mors: quia febris & inflammatio ſequuntur. *Scholiograph. ad capit. 49. libro primo, Holler. de morb intern.*

Si adhæret lapis ceruici veſicæ affixus, inutilis eſt, (per reſupinationem vt excutiatur) medendi ratio: vt annis præteritis in Reuerendiſſimo Bernhardo Bonjohanni Epiſcopo Camertium obſeruauimus. Extirpantur facilius qui non inhærent ceruici: inhærentes fixique vix auelluntur conatu maximo, quo muſculus dilaceratur, conuellitur, inflammatur. Atque idcirco mirum non eſt ſi maior pars horum moritur. *Horatius Augenius Epiſtola 1. lib. 4.*

Quod ſi lapis ex veſica propendeat, erit (vrina) alba, craſſa, turbida, mucoſa: materia enim craſſa vacuatur, & in lapidem non abit. *Alemannus Commentarior. ad lib. Hippocrat. de Aere A quis, Loc. pag. 123.*

Dico tales lapides connexi (cum veſica) tardius augentur, quia maior pars materiæ craſſæ effluit per vrinam, hæc fuit ſententia illius. *Cardanus Comm. proprio ad eundem Hipp. Locum de Alemanni interpretatione differens, p. 115.*

Mortem infert ineuitabilem, ſi membranæ incluſus, (calculus) quæ veſicæ adiuncta ſit. Aut alioqui ipſe calculus in veſicæ ſubſtantiam defixus ſit, aut deniq; caſu aliquo, Chirurgus calculum reuulſurus, ipſum veſicæ corpus ferramentis laniauerit. *Pareus lib. 16. cap. 36.*

Facile extrahitur lapis, ſi veſicæ membranæ non adhæret impactus: periculum vero imminet non paruum, ſi agglutinatus hæret: nam dum trahitur, lacerationis timor eſt: vnde mors ſequi ſolet. *Fonſec. lib. 2. c. 15 de calculis.*

Ego in ſectione per induſtrium & exercitatum artificem nullum video maius periculum, quàm ne vulnere facto lapis à veſica auelli nequeat. Atque hoc illud caput eſt, cuius ſæpe ac diligenter admoneri artificem velim antequam manum admoueret. Summa eſt me nihil prorſus dubitare quin calculo veſicæ labores. Puto autem eum veluti adnatum eſſe dextro eius lateri. Comminui medicamentis poſſe vix mihi perſuadeo. Vtendum tamen eis cenſeo quæ ſeparare poſſint, corpore prius toto diligenter vacuato, & pituita ab inteſtinis & ventriculo ſubinde abſterſa: quæ res in primis calculi incrementum prohibet, atque curationem non parum adiuuat. Demum ad ſectionem veniendum, ſi nihil obſtet, atq; periti artificis detur poteſtas. Præmonendum autem reor, adhærere calculum veſicæ tunicæ, ſicut paulo ante dicebam, ne forte ſectio fruſtra fiat. *Eraſt. conſ. 26. p. 243.*

Observatio.

Calculus infantium recens natorum.

VXor cuiuſdam Nobilis in hac vicinia puerum peperit, qui cum dies noctesque, elapſo puerperii tempore ploraret & eiularet, animaduertimus eum vrinæ ſuppreſſione laborare. Adhibitis igitur meatus dilatantibus & vrinam promouentibus medicamentis, vna cum lotio infans multas arenulas creuit, quas in faſciis, quoties vrinam reddidit, deprehendimus. Vnde apparet infantes etiam in vtero materno calculo affici. *De Obſ. V. CL. Franci. Hildeſii Camicenſis Medici.*

Ciuis quidam huius oppidi, natione Sileſius, ſæpe mihi cōmemorauit, ſe cum puer eſſet retentione vrinæ propter calculum penis meatui impactum grauiter laboraſſe, qui cum nulla arte expelli poſſet, Chirurgum penem in ſuperiore parte nouacula aperuiſſe, calculum extraxiſſe & vulnus conſolidaſſe. Si pars inferior incideretur, propter vrinæ tranſitum conſolidari vix poſſet. *Eiuſdem Franci. Hildeſii Exemplum.*

Observatio.

Mulieres calculo veſica laborantes.

VIdi duas mulieres viduatas habere lapides. Nã ponendo digitum in orificio vuluæ, ſentiebant lapillum infra medium digitum, in parte inferiori. Vna illarum fuit ſciſſa infra collum matricis, & lapis magnus fuit expulſus: fuit curata *Tornamira Com. ad cap. 75. lib. 9. ad Almanſ.*

Si lapis fuerit in veſica mulieris, facili negotio extrahi poterit etiam ſi ſit inſignis magnitudinis: quia breuem

breuem & amplum habent vrinæ meatum. Trahitur autem immiſſo ferreo inſtrumēto per ſyringam. Quo ingenio extractus eſt nuper calculus in muliere, hoc hoſpitali iacentis, oui columbacei magnitudinis. *Fonſeca lib. 2. c. 10. de calculis.*

Observatio.

Calculorum è veſicis mulierum euulſiones ingenioſæ: tum quibus ſua ſponte prope exciderint.

Calculum non in viris tantum, ſed etiam in fœminis concreſcere, certum eſt. Monialis quædam duodecimo iam die vrinam nō reddebat, propterea, quod ipſius vrinæ iter calculo obſtrueretur, quo etiam materia multa confluxerat. Quare, cum neque ænea fiſtula, neque medicamentis aliis vinci hoc malum poſſet: inſolitum alioqui, ſed tamen opportunum conſilium capiens, vnum calculo inſicio, ne ſcilicet concuſſus iterum in veſicam reuolueretur. Tum ferramento, priore parte retuſo, calculum ipſum percutio, donec ſæpius ictus in fruſta comminuitur: & tunc omni qua potui diligentia, ne quid intus omnino læderetur, vncum ipſum pariter ac ferramentum reduco: ex quo ſimul vrina atque calculis remiſſis, ſtatim ſanata eſt mulier. *Beniu. cap. 80. de Abditis.*

Veſicæ calculus non viros tantum excruciat, ſed & mulieribus quandoque grauiſſimas moleſtias adfert, continuoſque cum vrinæ ſtillicidio dolores. Sed è virili corpore non niſi ſectione eximitur: Mulieribus vero quandoque ſua mole ac pondere, veſicæ ceruice extenſa, in vteri meatum deſcendit, è tenui membrana dependens. Sic contigiſſe cuidam ſeni & ſupra 75. annos natæ Matronæ, in nonnullorum adhuc memoria reſtat. Diutine hæc ex calculo veſicæ laborauerat, & maximos perpeſſa dolores, multas noctes inſomnes tranſegerat. Cum autem nullum horum finem ſperaret, tandem ancipitem curationem ſubire, & ſectionis periculo ſeſe exponere maluit, quam diutius tantis doloribus ſupereſſe. Nec generi ſui Medici doctiſſimi, neque aliorum Medicorum tantum potuerunt in contrarium admonitiones aut rationes, vt à ſententia dimouere- tur. Inuentus eſt itaque temerarius & audax λιθοτόμ@-, qui tantæ ætatis mulieri, diutinis tam nocturnis, quam diurnis doloribus exhauſtæ ac fere confectæ, ſectionem ſe aggreſſurum reciperet, & feliciter perfecturum polliceretur. Fauet temerario homini fortuna. Dum tentat aggredi curationem, magnum ac inſignem calculum, iam extra veſicam delapſum, offendit, in tenui membrana pudendo inhærētem. Secat membranam, calculus excidit. Atque ita citra omne periculum à calculo Matrona hæc liberatur. Et qui alias ſponte (vt videbatur) caſurus erat calculus, ope atque auxilio ſectoris prius cadit. Superuixit hæc pluribus deinde annis: ſed vrinam continere non potuit. Hoc vnicum ex prioribus doloribus reliquum tantummodo fuit. *Dodonæus cap. 45. Obſeruat. Medicinal.*

Nos lapidem, quem in collo veſicæ continebat fœmina quædam religioſa, qui etiam vrinam omnino cohibebat, cum vehementi dolore, admoto ſpeculo matricis patefecimus, & vulſella eduximus: erat ſane magnitudinis fere nucis regalis. Sed vidi lapidem, quem obſtetrix à collo veſicæ, fœminæ cuiuſdam vtero gerentis, iam prope partum, manibus eduxit, magnitudinis parui oui gallinæ. *Chriſt. à Vega lib. 3. Sect. 9. c. 6. de Art. medendi.*

Observatio.

Noua exſecandi muliebris calculi ratio.

Aliter Laurentius Collo, Chirurgius Regius, aliter eius ambo filii, quibus haud ſcio an vnquam lithotomi extiterint præſtantiores, mulie- bres calculos extrahunt: non enim in anum aut vuluam digitos immittunt, ſed ductores in vrinæ meatum demiſiſſe contenti mox ſupra inciſionem rectam moliuntur ad perpendiculum oſculi ceruicis veſicæ, & non ad latus, vt in maſculis fieri ſolet. Inde forcipes, facie externa cauos, blande eadem vi inferunt, ipſis ductoribus tantum dilatantes laniando, quantum opus erit extrahendo è veſica calculo. Reliqua curatio eadem eſt quæ in maſculis: hoc tātum addendum, quod ſi laniatus occaſione vlcus in vteri ceruice ſubnaſcatur, licebit ſpeculo matricis immiſſo ipſius ceruicem dilatare, vt idonea remedia facilius applicentur. *Pareus lib. 16. c. 47.*

Observatio.

Setarum velut capillamenta cum calculis in veſica nata.

In veſica præter calculos ſetarum veluti quædam capillamenta, non ſine diro cruciatu, innaſcuntur ex mucoſa equidem materia. *Alex. Benedictus lib. 2. cap. 22. Anatom.*

Observatio.

Acus in calculis è veſica extractis depacta.

Virgo illa quæ acum crinalem deuorauerat, oui magnitudine gallinacei lapidem in veſica humoris mucidi circa acum ſenſim accretione ad vltimam fere tabem redacta, patefacta ceruice, magno impetu, lapides ingens pondus in ſellam demiſit. *Alexand. Benedictus libro vigeſimo ſecundo, cap. 36. de medend. morb.*

Anno Domini 1566. Laurentii Collo duo liberi calculorum extrahendorum artifices experientiſſimi calculum extraxerant, nucis iuglandis craſſitie, in quo medio acus ei plane, quo ſutores ſuere ſolent, ſimilis depacta viſebatur. Calculoſo nomen erat Petrus Coquinus via Galandea ad plateam Malbertinam, puto illum adhuc ſuperſtitem viuere. Carolo nono Regi propter rei monſtrificæ nouitatem calculus ille me præſente oblatus eſt, quem mihi à Chirurgis illis dono datum diligenter in ſecretioribus capſulis aſſeruo. *Pareus libr. vigeſimo quarto, cap. 19.*

Observatio.

Mucum calculoſorum non à renibus, ſed veſica deſluere, contra Fernelii obſeruationem.

Mucus in veſica cumulatus à calculi mole fouetur, vt inquit Fernelius: qui tamen parum

ſibi conueniens, paulo poſt ſcribit, talem mucum è renibus profluere, & circum calculum concreſcere vitio veſicæ & imbecillitate: eo argumento (ait) quod talis etiamnum plerunque maneat ac perſiſtat exempto calculo. Sit penes authorem ſuum fides. Ego enim non in paucis obſeruaui, circa 24. annos medicinam faciens, & de hoc affectu (mihi hæreditario futuro, niſi ſtudioſe præcauerim) apprime ſollicitus, præſente calculo, frequenter mucum reijci, qui mox à lithotomia profluere deſinat. Quod minime accideret, ſi is à partibus veſica ſuperioribus manaret. *Ioubertus c.21. de Vrinis.*

CVRATIO CALCVLI SIVE TARTARI IN VESICA.

Obseruatio.

Vrinam calculoſorum ad minus quatriduum adſeruandam, antequam Medicus iudicium de ea ferat.

ILLVD obſeruandum eſſe moneo calculoſis, vt ſuam ipſorum vrinam, quam per noctem, aut ieiunis exiſtentibus, fecerũt, per quatuor, aut ſeptem dies adſeruent, inde poſt prædictum tempus conſiderent id quod ſubſidet in prædicta vrina. Nam in hoc totum id, quod terreum eſt, in vrina ſeparari ſolet, vnde quantitas, & materiei qualitas dignoſcitur: necnon & morbi tempus, num augeatur affectio, aut declinet. Quam rem pluries cum ego in mea ipſius vrina obſeruaſſem, ob ſuſpicionem, quam de veſicæ calculo habeo, inuenio poſt aliquot dies arenulas rubras ſubſidere in fundo, cum prius vrina pura emicta eſſet, argumentum certum harum arenularum materiam in venis habere originem, conſpicio & muccum quendam album, quaſi lacteum quiddam eſſet. Vrina tamen naturalis mihi eſt tum ſubſtantia, tum colore, tum etiam contentis, & ſtranguria laboro iam per decem annos. Arenulaſq; per interualla, & rubeas & albas, facio, nullus tamẽ dolor vnquam me infeſtauit, nec vero colligere oportet lapidem adeſſe, ſi vrina ſtatim poſt mictum concreſcat. Refert enim Cardanus Leonem quendam Monachum octuageſimum annum agentem, ſæpe tantum pituitæ concretæ in matula illi oſtendiſſe, vt ouum anſeris magnitudine ſuperaret, qui tamen lapidem nunquam genuit. Atque ipſe de ſeipſo hæc. Mihi (inquit) iam ab annis hinc triginta ruffæ prodeunt arenæ, & nunc etiam albæ, & quotidie copioſæ, atque omnino citra vllam calculi ſuſpicionem, tam renum quam veſicæ. Quinetiam quod longe maius eſt, iam toto decennio exacto tantum albæ arenæ adhæret matulæ parietibus adeoque concretæ, vt intra quindecim dies, ſi non abluatur, tota lapideſcat. Quare dubitat? cur in veſica non concreſcat, ratio (ait) quia vrina vt ſal in matula concreſcit, in veſica vero nequaquam ob calorem, qui vrinam diſſoluens, impedit, quo minus concreſcat, extra veſicam refrigeratur, corrumpitur, & diſſoluitur, quare concreſcit. *Fonſeca libro primo, capite decimo quarto, de Calculis.*

* *
*

Obseruatio.

De Calculo veſicæ & vlcere curato: relapſu tamen poſt diros cruciatus, cum æger ſe in manus empyrici cuiuſdam nebulonis dediſſet, miſere mortem obiit.

IOhannes Vitus, cauſarum Patronus, vlcere veſicæ grauiſſimo affectus, & calculo in veſica, vna cum ſæuiſſimis ſymptomatis, cum in vitæ diſcrimen eſſet perductus, moriturusque ſperaretur: liberatur præter ſpem nutu DEI, multis adhibitis auxiliis: poſtea tamen relapſus, miſere vitam ducit, calculo in veſica noxam inferente, *Valleriola li.3. Obſeruat.5.*

Obseruatio.

Balneorum & thermarum viribus à Calculis liberati.

ALbertus à Sale, miles Ferrarienſis, cum calculoſus eſſet, & pluribus in horis à calculo vexaretur: meo conſilio balneum olei temperatum ingreſſus; ſic viis mollificatis, & calore naturali confortato, ilico à dolore & calculo euaſit.

Ambroſius miles Piſaurinus, cum lapidem grandem in media virga magno cum dolore teneret: me conſulente virga ſic in balneo olei detenta; & via mollificata, ſpatio horarum quatuor exiuit; nam de inciſione virgæ apud Medicos ſuos ſpe deſtitutos mentio fiebat. *Sauonarola lib.1. capit.4. de Baln. Oleagin.*

Calculoſus quidam de aqua illa copioſe bibens, arenularum copiam emiſit.

Alius, defectu lapidis mingere non valens, ad tertium vſque cœlum lamentabiles voces mittebat, is ex aqua copiam bibens, die eadem lapidem ad extra in fruſta emiſit. *Guainerius de balneis Aquenſibus.*

Quod ex potu aquarum mineralium ſanantur calculoſi; locupletiſſimus teſtis eſt Speronus Speronius Nobilis Patauinus, qui ex potu aquarum Aponenſium ex toto liber remanſit à calculoſa affectione. *Ludouicus Paſinus de aquis Aponenſibus.*

Hoc bene conteſtor; quidam, cum mingere vellet, euomuit lapides, virga coacta, duos. *Alcadinus de balneo S. Georgii.*

In balneis Ferinæ calculos præ cæteris eiici- unt, quod ſæpe vidimus tum in aliis, tum in muliere quadam profectæ ætatis, quæ lapidem oui columbini inſtar, inſidens aquæ, ad extremam vſque veſicæ ceruicem excernebat, cui ille adeo impactus erat, vt ſine auxilio Chirurgi exire non poſſet. *Andernacus Comment. de Balneis Dialogo 1. pag.83.*

In Ferinis thermis, necnon Zellenſibus, grandes renum lapides elicitos experti ſumus. Renum quoque calculos certa compoſita aqua perfregimus. *CL. V. Eſaias Meichſnerus de Obſ. propriis.*

Obseruatio.

Calculus in veſica ſponte ruptus.

VIRO annos nato (plus minus) 30. ſi quando recenter coctam, aut nondum plane defæcatam biberet cereuiſiam; aut etiam paulo acidiorem, vel

etiam vinum muſtum, vrinæ ſtillicidium mox moleſtum erat. Calculi in veſica nulla alia ſigna aderāt. Quodam tempore, cum liberalius bibiſſet, & quidem Rhenanum vinum, magno cum dolore, ſanguinem mingere cœpit; atq; ſimul exigua quædam calculi fragmenta excernere: quæ acutiſſimos angulos habentia, particulis illis minutis, à ſilicibus, dum franguntur ac rumpuntur, diſſilientibus, erant ſimilia. Intumuit mox præ doloris magnitudine penis ac totum ſcrotum. Tertio autem die, in dextro inguine, prope penem gangræna nata apparuit: qua ſcalpello aperta, copioſum fœtidiſſimumque pus effluxit. Sequuta deinde per vulnus vrina & calculi intra veſicam diſrupti ac fracti acuta fragmēta multa: quæ & aliquot poſt diebus per hunc locum excreta fuere: cathetere interim aliquando in penem immiſſo, ne quid in eo hæreret, poſtea moleſtias allaturum. Nullis fragmentis amplius prodeuntibus, aut cum vrina exeuntibus, procuratum eſt, vt quam citiſſime vulnus coaleſceret. Hoc conſolidato, humor quidam craſſus, lentus, viſcoſus, albicans, maculis adhæreſcens, vrinæ permiſcebatur: qualis ſæpenumero calculo in veſica exiſtente cum vrina excernitur. Cum autem nullis remediis hic ſupprimi aut reſiccari ſe pateretur, ad fontem in agro Leodienſi male habens profectus eſt. Illic vero vbi dies quadraginta vixiſſet, abſq; tamen vllo fructu, à Medicis præſentibus admonitus, aliis quadraginta manſit. Reuerſus ſanitatem ſuam homini concredidit indocto, qui ex vino Cretico, additis radicibus, herbis ac ſeminibus, omnibus fortibus diureticis, ſtillatitium ei liquorem præbebat, quo omnia ſymptomata plurimum exacerbata fuere. Andreas Veſalius id temporis Bruxellæ erat, huius hortatu ac conſilio ſectionem admiſit. Calculi exempti ſunt quinque, quorum duo veſicæ adhærentes, difficulter admodum & cum labore auulſi ſunt. Tres reliqui vnius fuere in veſica cōfracti partes: vt his ſimul iunctis mox manifeſtum erat. Huius fragmenta fuerant, quæ primo tempore moleſtiam fecere, & difficilium ſymtomatum cauſæ extitere.

Erant autem calculi iſti quadrangulares & ſuperficiebus plani; contra plane quam veſicæ calculi eſſe ſolēt, qui vel rotundam vel oualem figuram, pluſrima parte, referunt. Cauſa, cur intra veſicam calculus ruptus ac fractus fuerit, incognita: niſi fortaſſe vnius cum altero colliſio fuerit. Naturæ opera admirari poſſumus, cauſas cognoſcere ſæpe non contingit. *Dodonæus capite quadrageſimo tertio, Obſeruat. Medicinal.*

OBSERVATIO.

Calculi vi ſua deciſi.

NICOLAVS Ruſticus calculo vexabatur, figura, vt poſtea conſpeximus, longiore. Hic, cum ab ima parte acutior & aſperior eſſet, veſicam ipſam incidit: tum & reſticulorum tunica perfracta, poſt multos ac pene intolerabiles dolores, tandem in conſpectum venit: quo haud magna poſtmodum difficultate deducto, cum multi hominem moriturum, & quidem recte, iudicarent (neque enim veſica, cum inciſa fuerit, præſertim inferiore parte, cohæret) ille tamen præter omnium opinionem conualuit: hoc ſolum ex tanto malo homini incommodo relicto, quod inde ſemper, quoad vixit, vrinam reddidit. *Beniuenius capite ſeptuageſimo octauo, de Abditis.*

Ratum eſt, & miraculo plenum, naturæ opus; quæ nonnunquam viam ſibi molitur per quam calculum excludat. Id mihi alias, dum Burdegalæ agerem, videre datum eſt, vna cum Emanuele Phauorino Medico & Philoſopho eminentiſſimo, Præceptore meo mihi multis nominibus ſemper obſeruando, colendo & memorando. Erat in ſuburbiis Diui Seuerini lignarius faber, qui calculo vexabatur, figura, vt poſtea ex conſpectu conſtitit, longiore. Hic cum ab ima parte acutior & aſperior eſſet, veſicam prærupit: tum & teſticulorum tunica præfracta, poſt multos ac pene intolerabiles dolores, tādem in conſpectum venit: quo facile deducto, cum multi hominem moriturum iudicarent, ille tamen præter opinionē conualuit: hoc ſolum ex tanto malo homini incommodo relicto, quod inde ſemper vrinam reddit. *Anton. Valetius Exerc. 49. ad cap. 49. lib. 1. de morb. intern. Hollerii.*

Quid coriario cuidam noſtrati paucos ante dies acciderit, facere non poſſum, quin paucis tibi narrem. Is ob calculum veſicæ ter ſectus fuit, extractis calculis ſingulis ſectionibus. In poſtrema vero ſectione lithotomum calculus in collo veſicæ ſubterfugit, quem poſt ſectionem ibi adhuc manifeſte percepit, nec tamen abſterritus ſectionum cruciatibus, cuidam aperuit. Ille calculus annis circiter 12. geſtatus & ſubinde auctus tandem ipſe ſibi viam parauit, & rupto collo veſicæ & cute paulo infra ſectionis locum ſponte excidit; nulla vi externa accedente, ingentes vero cruciatus ſuſtinuit, adeo vt decreuiſſet, remiſſo æſtu canicularium, ſe quarto ſectioni ſubmittere. Nec mirum ſane, cum calculus fuerit prægrandis, & niſi vidiſſem calculum & vulnus, & ex ipſomet patiente audiuiſſem, nunquam potuiſſem ad credendum adduci, tantum lapidem in illo meatu & quidem ſine vrinæ interceptione tamdiu contineri potuiſſe. Erat is medium meum digitum longus, minimum craſſus, & quam latiſſimus (non enim parem omnibus ſui partibus latitudinem obtinebat) duorum digitorum meorum latitudinem æquabat. Figura erat ex latiore in anguſtiorem paulatim abeunte: pendebat vnciam circiter vnam. Poſt excretum lapidem moderate habet: vulnus Chirurgus noſtras obligat. Hunc caſum, mihi antehac inauditum, ad te ſcribere volui, vt vna mecum miranda opera naturæ vel potius authoris naturæ mireris. *Ex literis D. Iohan. Funccii ad Clariſſimum Virum Adolphum Occonem datis, atque ab eodem mihi tranſmiſſis.*

CHEIRVRGIA, INGENIOSA.

OBSERVATIO.

Lithotomia veſicæ ex ſententia veterum Græcorum, Latinorum, Arabum, Latinobarbarorum, quæ vulgo Celſica, Guidonica, & minor apparatus, appellatur.

SEQVITVR lithotomia, quæ, quatenus ad Chirurgum pertinet, calculi è veſica, facta iuxta perinæum ſectione, extractio eſt, ad quam feſtinare, cum præceps ſit, nullo modo conuenit: ob id enim vere-

res neque omni tempore, neque in omni ætate, neque in omni vitio, id experiendum eſſe cenſuerunt, quod tamen hodie non obſeruatur, ſed ſolo Vere, vt notauit Celſus, in eoque corpore, quod iam nouem annos, nondũ quatuordecim exceſſiſſet, quod ſcirent ea ætate in veſica calculos frequentius innaſci, & ſi tantum mali ſubeſſet, vt neque medicamentis vinci poſſet, neque iam trahi poſſe videretur: quo minus interpoſito ſpatio aliquo interimeret. Non quo non interdum etiam temeraria medicina proficeret, ſed quo ſæpius vtique in hoc falleret, in quo plura & genera & tempora periculi eſſent. Ob id enim Hipp. calculoſos ſecare nolens, expertis in hac Chirurgia operariis cedebat. Si igitur, cum aliis ſignis, tum etiam demiſſo cathetere, ſiue alio ſpecillo, in viris quidem incuruo, in mulieribus vero recto lapidem in veſica ſubeſſe fuerit nobis exploratum: vltimaque experiri ſtatutum fuerit; diebus aliquot ante purgandum corpus, ſi cacochymum ſit, & victu interim præparandum eſt, ſumptis ſalubribus cibis, & minime viſcidis. Pridie vero fæces clyſtere erunt educendæ, & æger modico cibo alendus, aut in ieiunio continendus, vt veteres voluerunt, & tum loco calido curatio adhibenda, quæ duobus modis fieri poteſt; vno quidem modo, minori, vt vocant, apparatu, alio vero maiori; ita enim Chirurgi nunc loquuntur. Minor apparatus, veteribus familiaris, nunc etiam à recentioribus pleriſque non ſolũm in pueris, qui fere ſolum ab antiquis ſecabantur, ſed etiam in viris vſurpatus, hoc modo fit. Æger, ſiue puer ſit, ſiue puero maior, in cuius veſica calculus includitur, & cuius corpus aliquot diebus ante, modicis, ſalubribus & minime glutinoſis cibis, nec non aquæ potu, præparatum eſt, ſoluta pridie clyſtere vel bolo caſſiæ aluo, deambulabit, aut à loco ſuperiore leuiter deſiliet, quo magis calculus ad veſicæ ceruicem deſcendat. Quod, an inciderit, digitis in anum demiſſis, cognoſcetur. Vbi eius rei fides eſt, tum loco calido adhibenda eſt curatio ad hunc modum. Si vel adoleſcens, vel adoleſcente maiore ægrotat, in ſedili, aut ſuper menſam ſtabilem ſupinatus debet fere ſemirectus collocari, manibus ſubter diducta femora porrectis, quo in anguſtum veſica compellatur. Si vero puer laborat, homo præualens & peritus, in ſedili alto conſidit, ſupremumque puerum & auerſum, ſuper genua ſua coxis eius collocatis, comprehendit, ductiſque eius cruribus, ipſum quoque iubet manibus ad ſuos poplites datis eos quam maxime poſſit attrahere, ſimulque ipſe ſic eos continet, ſuper pueri humeros ſub pectore incumbens. Præter hæc, etiam à lateribus duo valentes miniſtri obiiciuntur, qui ægrum continebunt, eumque leuare non ſinent. Chirurgus deinde, vnguibus circumciſis, ſiniſtræ manus indicem oleo vnctum leuiter prius, deinde etiam & medium, ſi id cõmode fieri poſſit, in ægri anum demittit, dextræq; digitos, ſuper imum abdomen leuiter, ne veſicam lędat, imponit, non quidem feſtinanter, ſed ita, vt quam maxime id tuto fiat, primumque ſupremis digitis, circa ceruicem veſicæ calculũ quærit: ibi enim repertus, minore negotio extrahitur. Si aut ibi non fuit, aut receſſit retro, digiti ad vltimam veſicam dantur, paulatimque dextera quoque manus eius vltra tranſlata ſubſequitur.

Atque vbi repertus eſt calculus, qui neceſſe eſt in manus incidat, eo curioſius deducitur, quo minor leuiorque eſt, ne effugiat, id eſt, ne ſæpius agitanda veſica ſit. Ergo, vltra calculũ, dextra ſemper manus eius opponitur, ſiniſtræ digiti deorſum eum cõpellunt, donec ad ceruicem peruenitur, in quam calculus compellendus eſt quam commodiſſime fieri poterit.

Tum Chirurgus alteri miniſtrorum ad ſiniſtrum ægri latus ſtanti, dextram manum ſuper eius abdomẽ leuiter imponere iubebit: alteri autem, eiuſdem teſticulos, & penem ſurſum attollere: ipſe vero aſſũmpto dextra ſcalpello ad calculos apto: nam ſiniſtræ digitis, quos in ægri anum demiſit, calculum in veſicæ ceruice continet: inter anum & teſticulos, non quidem per medium colem, ſed in ſiniſteriorẽ eius partem ſuper lapidem qui in veſicæ collo eſt, & ſecandæ parti ſupponitur, ſecabit, cutim quidem latiori plaga, intus autem non amplius quam vt calculus per eam facile poſſit expelli. Nam qui parum patefaciũt, cum maiore periculo eodem reuoluuntur, quia calculus, iter, cum vi premitur, facit, niſi accipit. Idque pernicioſus eſt, ſi figura quoque calculi, vel aſperitas, aliquid eo contulit. Ex quo & ſanguinis profuſio, & diſtẽtio neruorum fieri poteſt. Quæ ſi quis euaſit, multo tamen patentiorem plagam habiturus eſt, inquit Celſus: rupta ceruice veſicæ, quã habuiſſet inciſa. Cum vero facto vulnere in conſpectum calculus venit, ſi exiguus eſt, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi poteſt: ſi maior, vel forcipe, huic rei accommoda, eximendus eſt, vel iniiciendus à ſuperiore ei parte vncus eſt, eius rei cauſa factus. Is eſt ad extremum tenuis, in ſemicirculi ſpeciem, retuſæ latitudinis, ab exteriori parte læuis, qua corpori iungitur, ab interiori aſper, qua calculum attingit. Iſque longior potius eſſe debet, vt maiorem attrahendi vim habeat: vbi vncus iniectus eſt, in vtrumque latus inclinandus eſt, vt appareat calculus & teneatur, cauendo, ne, cum adduci vncus cœperit, calculus intus effugiat, hic in oram vulneris incidat, eamque conuulneret. Vbi ſatis teneri calculum patet, eodem pene momento triplex motus adhibendus eſt, in vtrumque latus, deinde extra, ſic tamen, vt leuiter id fiat. Quo facto, attollendus vncus extremus eſt, vti intus magis maneat, faciliuſque calculum producat. Quod ſi aliquando à ſuperiori parte calculus parum commode comprehendatur, à latere erit apprehendendus. Calculo iam ablato, medicamenta ſanguinis profuſionem ſiſtentia, mundato vulneri (in quod aliquando canalicum immittũt, quo ſanguis concretus è veſica vacuetur) adhibent, qualia ſunt, quæ ex manna thuris, aloe ſymphyto, maſtiche, roſarum puluere, cum oui albumine, vel vitello excepta conſtant, & lanam, aut linamenta œnelæo madentia; imponunt, decenterque vinciunt, & deinde conuenientibus remediis aduerſus ſuperuenientia ſymptomata pugnant. Hoc ſimplici modo veteres calculo laborantes ſecare ſolebant. In qua curatione Celſus, non vna, ſed duplici ſectione vtebatur, prima quidem, cutem iuxta anum, plaga lunata vſque ad ceruicem veſicæ, cornibus ad coxas paulum ſpectantibus ſecabat, deinde ea parte, qua ſtrictior ima plaga erat, etiamnum ſub cute, alteram tranſuerſam plagam faciebat,

qua cer-

qua ceruix veſicæ aperiebatur, donec vrinæ iter patuiſſet, ſic vt plaga paulo maior, quam calculus, eſſet, deinde calculum, quemadmodum dictum eſt, extrahebat.

Meges autem Sidonius, quando calculus, vel aſper, vel ſpinoſus erat, quod demiſſis in anum digitis experiebatur, non ſcalpello ſecabat (quoniam is infirmior erat, poteratq; in aliqua prominentia incidere, inciſoque ſuper illam, corpore, qua cauum ſubeſt, non ſecare, ſed relinquere, quod iterum incidi neceſſe fuiſſet.) Sed ferramentum fecit rectum, in ſumma parte labroſum, in ima ſemicirculatum, acutumq;. Id receptum inter duos digitos, indicem ac medium ſuper pollice impoſito ſic deprimebat, vt ſimul cum carne, ſi quid promineret ex calculo, incideret. Quo cum ſequebatur, vt ſemel quantum ſatis eſſet aperiret. Quocunque autem modo ceruix veſicæ ea parte ſecta eſt, leuiter extrahi, quod aſperum eſt, debet, nulla propter feſtinationem vi admota. *Steph. Gourmelenus art. chirurg. lib. 2.*

Observatio.

Lithotomiæ veſicæ ratio alia recentior, Ioannis de Romanis, quæ ab eiuſdem diſcipulo Mariano, qui eam primus in literas referens, ad poſteritatem tranſmiſit, Mariana, & Maior apparatus nominatur.

ALIVS calculoſos ſecandi modus, magnus apparatus nunc à chirurgis appellatur, quod magno variorum inſtrumentorum apparatu adminiſtretur. Hunc Ioan. Romanis Cremonenſis Medicus, qui circa annum Domini 1520. Romæ floruit, primum excogitauit, ſæpeque feliciter vſurpauit. Huius diſcipulus, Marianus Sanctus Barolitanus, tam nouam hanc ſecandi rationem, quam inſtrumenta ad eam adminiſtrãdam neceſſaria, illo adhuc viuente, ſingulari libello artificioſe deſcripſit, cuius ratio eiuſmodi eſt.

Æger, eodem quidem modo, quo ſupra ſcriptum eſt præparatur: deinde ſuper mẽſam ſtabilem, diductis, & cõplicatis eius genubus, fere ſupinus ita collocabitur, vt eiuſdem calcanea pene nates attingant, manuſque poplitibus extrinſecus ſubiiciantur: tum vero habena duplici, à ceruice dependente, crura, tibiæ, & pedes firmiter vincientur, ſicque laqueo conſtrictus à valentibus miniſtris vtrinque comprehenſus immobilis continebitur. Ita enim fiet, vt in anguſtum compulſa veſica facilius calculus capi poſſit. Tum catheter, à ſummo leuiter incuruus & exteriore curuaturæ parte, in longum, paulo latiore rima, fiſſus, oleo vnctus, in veſicam demittitur. Dein, alter miniſtrorum, qui ægri dextrum genu tenet, dextra manu ſcrotum paululum in dextram partem ita attollit, vt chirurgus, ſine vllo impedimento, inter anum & teſticulos, non quidem per medium περίνεον, ſed ſiniſtrorſum, qua parte catheteris fiſſura conuertitur, ſcalpellum ad calculos aptum adigere poſſit, eiuſque aciem in catheteris (qui in collo veſicæ eſt) rimam tuto demittere. Facta iam ſectione, cuius interna longitudo tranſuerſi digiti menſuram non multum excedet, quæque duobus fere tranſuerſis digitis ab ano diſtabit; ferramenta duo exigua, longa, teretia in extremo leuiter incurua, quorum alterum, in extremitate obtuſum & leue eſt alterum leuiter cauatum & bifurcatum, per vulnus in catheteris rimam primum immittuntur: dein retracto cathetere, in ipſam etiam veſicam demittuntur, vt ipſorum ductu & auxilio (vnde & ductores vulgo appellantur) forcipes & alia ferramenta, eo poſtea introducantur. Tum chirurgus, inter hæc duo, quæ firmiter ſiniſtra tenet, forcipem quam à ſua figura anatis roſtrum appellant, altera manu in veſicam etiam violenter immittit, qua, ſi calculus exiguꝰ eſt, nulla facta laceratione, facile extrahetur. Quod ſi fuerit maior calculus, quã vt ſic per vulnus extrahi poſſit, plaga amplianda erit, non quidem ſcalpello, ſed demiſſo in eo alio ferramento, quod aperitur, dum comprimitur, vulgo dilatatoriũ vocant. Dein rurſus forceps, vel recta, vel incurua in veſicam demittitur, qua calculus comprehenditur: cumq; ſatis firmiter calculũ ipſum teneri patet, eodẽ pene momento triplex motus adhibendus eſt, in vtrumque latus, & extra, ſic tamen, vt leuiter id fiat, & paulatim quoniam feſtinanter in hác re, vt in pleriſque, agendum non eſt, ſed ita, vt quam maxime id tuto fiat. Si dilatata (vt ſupra dictum eſt) plaga, difficulter adhuc lapis extrahitur, chirurgus (vnguibus prius circumciſis) ſiniſtræ manus vnctos digitos, indicẽ & mediũ, leuiter prius vnum, deinde alterum, in ægri anum demittet, quibus calculum ad veſicæ ceruicẽ retro compellet, dum ipſum dextra manu apprehenſum forcipe attrahit. Sunt qui vtrinq; alia ferramenta, quæ alæ, & à nonnullis latera dicuntur, à forcipis lateribus ita adaptant, vt ipſis, veluti alia forcipe, lapidem etiam comprehendant. Sic enim calculũ forcipe & alis ſimul cõprehenſum tutius & facilius educunt. Si quando autẽ calculus maior nõ videtur, niſi rupta ceruice veſicæ, extrahi poſſe, findẽdus eſt. Findetur autem forcipe per mediũ dentata tutius quam vnco, & cuneolo Ammonij, lithotomi cognominati, huius rei, vt ait Celſus, repertoris. Extracto calculo, videndum, ne alius calculus, aut aliqua extracti calculi fragmenta intus remaneant: quæ poſtmodũ curationis difficultatem augeant: ob id & ſpecillum in veſicam per plagam demittere oportet, & aliud ferramentum oblongum altero extremo teres, læue, leuiter incuruum: altero autem, ad coclearis ſimilitudinem excauatum, quo & arenulas, & lapillos, & concretum ſanguinẽ ex ipſa veſica detrahunt. Tandem plaga, ſi latior videtur, ſuitur, relicto in vulnere vna vel altera die tubulo, quo concretus ſanguis, ſi quis in veſica hæſerit, vacuetur: admoto etiã medicamẽto & vulneri, & vicinis partib. ex maſtiche, ſanguine draconis, bolo armeniæ, ouorum albuminib. oleo roſ. pilis leporis & ſimilib. parato. Deinde, linteo ſciſſo atq; Zona, plaga deligatur, & tandẽ vt reliqua vulnera curatur. Et quoniam varia ſuperuenire poſſunt ſymtomata, quæ difficiliorẽ efficiant curationẽ, ideo eorũ ratio perpetuo habenda erit, & admotis conuenientib. remediis tẽpeſtiue occurrendũ.

In fœminis quoq; ratio, extrahendi calculi, ſimilis pene eſt. In hoc tamen differt, quod fiſſus catheter, qui in veſicam per meatũ vrinæ demittitur, & ſuper quem veſicæ ceruix ſecatur, in fœminis non incuruus, vt in viris, ſed potius rectus eſt.

Ad hæc, ſi quando, propter calculi extractionis difficultatem, digiti ſubijciendi ſint, quibus lapis ad veſicæ ceruicem retro compellatur, mulieri per naturalia ſubiici debent: virgini tamen, nunquam per naturalia, ſed per anum, vt mari, ſubdentur.

Calculus etiam,in vrinæ fiſtulam prolapſus, ſi ibi ita inhereſcit,vt neque auriculario ſpecillo,neque a- lio ferramento velli poſſit,hoc modo trahitur. Cu- tis extrema quamplurimum attrahenda eſt, & con- dita glande, lino vincienda, deinde, à latere, recta plaga coles incidendus & calculus eximendus eſt. Sunt qui etiam colem ipſum,verſus veſicam, alio li- no vinciunt, & tum facta ſuper lapidem (vt dictum eſt) ſectione, colem, vt calculus exiliat, inflectunt: tum admoto medicamento, quod cruentis plagis conuenit, ſolutiſque vinculis, cutis remittenda eſt, vt integra eius pars inciſum colem contegat, & vri- na naturaliter profluat. Prodeſt etiam, ad vulneris conglutinationem cereolus terebinthina reſina il- litus,& in vrinæ fiſtulam demiſſus. *Idem citato loco.*

OBSERVATIO.

Lithotomiæ tertia ſpecies admodum recens inuenta, qua con- tra veterum ſententiam, non per perinæum, ſed per hypoga- ſtrium, & membranoſam veſicæ partem ſectio inſtitui- tur, & ab authore Franconiana dicitur.

SI Cæſaream ſectionem, quæ in Epigaſtrio fit, tan- ta ipſius aut facilitas aut vtilitas, nobis eam com- mendare debet: certe longe magis difficilia & ineui- tabilia ſymtomata, quæ ex ſectione calculi ſuperue- nire ſolent, nos à ſectione veſicæ, quæ in perinæo fit, abſterrere debent. Aut certe, vt quid melius in hu- manum genus conferamus, nobis hæc res ſtimulum addere debet, vt modum aliquem meliorem & cō- modiorem, ad extractionem calculi, inueniamus, qualis erit, ſi non in perinæo amplius, ſed in Epiga- ſtrio ſecto (vt in ſectione Cæſarea) fiat. Quod cum facile à quolibet vero chirurgo præſtari poterit, cum prius ipſi ab Hippocrate, & quidem in iuramento, foret interdictum, cum more antiquitus recepto, tantoque, vti oſtenſum, periculo, in perinæo ſolum ſectio fieret. Hac ratione innumeris modis melius, doctiſſimorum ſimul & exercitatiſſimorum chirur- gorum opera ægrotis ſuccurretur, quod hactenus à paucis ſolum circumforaneis impudentiſſimis, te- merariis, & ignaris factitatum fuit, qui (excipe bo- nos & doctos) monopolio inhumano crudeliter & corpus & crumenam, tam diuitū, quam pauperum hactenus tractarunt & adhuc exercent, dum ipſo- rum opera vti oportet, quocunque ab ipſis expetito præmio, numerataque prius pecunia. Quod eorum negligentia fit, qui melius, quam ab his indoctis fiat, hoc præſtare poſſent & deberent, de aliis nō loquor. Verum noua hæc ſectionis permutatio, quam pro- pono, non abſque plurimis rationibus fieret, ſed & ad exemplum noſtrorum anteceſſorum neoterico- rum, cum antiquorum ſectio, quæ Celſiſtica nomi- nari poteſt, iam permutata ſit in Marianam. Celſus enim non ante nonum annum, neque poſt decimū quartum, ſectionem admittit: Mariana vero ſectio, beneficio nouorum inſtrumentorum, omnes ætates admittit. Sunt tamen aliqui qui certis rationib. freti hanc Celſi ſententiam adeo anguſtis terminis inclu- ſam, hoc pacto interpretentur: impoſſibile eſſe, vt in adeo tenella ætate in anum infantis ipſius lithotomi duo digiti abſque noxa indi poſſint, ad calculum ad perinæum adducendum. Poſt annū vero decimum quartum, cum iam calculoſi magni & pingues red- diti ſint, digiti ipſius lithotomi ad calculum pertin- gere non poſſunt, vt eum adducant, dirigant & fir- miter in perinæo retineant, ad ſectionem ſupra cal- culum faciendam. Quæ Celſi operatio vulgariter Guidonica vocatur, quoniam inſtrumentis à Guido- ne propoſitis perficitur, cui aliæ etiam ætates, cum ſint ſuſpectæ, ad annum etiam decimum quartū ſe- ctionem concedit, ſecutus auctoritatem Brunonis, cui (quemadmodum huius artis circumforaneis) in totum fidit, quemadmodum & Hipp. ſuo tempore fecit. Attamen fieri non poteſt vt tempore Guido- nis, more Celſi, non in omnibus ætatibus ſectionem vſurparint, cum non ſolum patrum memoria ſed et- iam noſtro æuo, infinitis in locis, tam in ſenibus, quā iuuenibus vſurpetur, idque non minori ſucceſſu in villis & pagis, quam in magnis vrbibus, Mariana ſe- ctio adminiſtratur. Hinc factum, vt aliquando eius ſententiæ, primo characteres numerorum duarum ætatum à Celſo expreſſarum, in exemplaribus ex primo autographo tranſcriptis, fuiſſe mutatos: cu- ius æque facilis fuit typographis lapſus, ac facile ab ipſis Lectoribus perpeſſum. Dum enim Medici & chirurgi docti locum hunc Celſi legerent, ſicco pe- de tranſierunt, tanquam ſectionem hanc non cu- rantes, cum ipſorum non eſſet ex conceſſione, aut potius defenſione Hippocratis hanc tractare. Sed quod maius eſt, is qui viginti, triginta, aut quadra- ginta aſſecutus eſt annos, minus pinguis eſt quam is qui quatuordecim ſolum eſt annorum, & per conſe- quens facilius calculus in perinæo per anum retine- ri poteſt. Verum ſiue res ita ſe habeat, ſiue contra, certum tamen eſt, quod quocunque modo ſectio adhibeatur, quemadmodum infantes valde iuue- nes propter teneram ætatem & mollitiem, abſque magno periculo, ſectionem hanc veſicæ perferre non poſſunt: ſic etiam nec ij, qui ſenio iam ſunt con- fecti, propter virium imbecillitatem ſuſtinere que- unt. Et hæ ſunt meo iudicio duæ rationes, quæ Cel- ſum mouere, vt tempus ſectioni commodum limi- taret. Hoc poſito ſcribendum erat, ab anno nono aut decimo vſque ad annum quinquageſimum, aut ſe- xageſimum: idem iudicium eſſe debet de Mariana & aliis, quæ inueniri poſſunt, ſectionibus. Quam enim facilis & communis ſit error, in ſubſtitutione nume- rorum, ex varietate doſium, quæ obſeruantur, tam in celeberrimis veterum Antidotis, quam in ipſa theriaca adeo celebri & vſitata colligere licet. Ve- rum vtcunque res ſe habeat, ex his ſatis manifeſtum fit, quantum periculi ſit in hac operatione, idque o- mnino, vel ſaltem ex parte, propter partem quæ in- ciditur. Hinc factum, vt minoris periculi gratia, & quo maior poſſet ſectio fieri, faciliusq; multo ijs, qui in prædicta ætate ſunt conſtituti, ſuccurratur, ſe- ctio Mariana fuerit inuenta: quæ tamen non mi- nus periculoſa, quam Celſi, imo ſæpius periculo- ſior, idque ob difficultatem inueniendi lapides in veſica iam ſecta, lacerata & dilatata. Qui ſecandi modus omnium maxime ad Celſi aut Guidonis ſe- ctionem accedere cenſetur, in qua etiam metus non eſt, veſicam cum calculo arripiendi, quod in altera metuendum.

Cum iam pridem, ſumma cum diligentia perpen- diſſem, id quod hoc loco proponitur, antequam ea de re quidquam vel audiuiſſem, vel legiſſem: de- nuo mihi viſum fuit, fore conſultum, ſi res apprime vtilis, adeoq; nunc, quam fuerit vnquam, neceſſaria, propo-

proponatur. Præſertim vero cum huius operatiõnis feliciter peractæ exempla occurrant, vbi prius varia & diuerſa remedia fruſtra adhibita forent. Verum modus hic extrahendi calculum primo vſurpatus fuit, ſalute iam ægri deſperata, partim temeritate quadam, partim vero artificio, à Francone, qui inter Chirurgos præſtantiſſimos noſtri temporis habetur, idque in puerulo, parentis precibus (qui id ſumme efflagitabat, vt ipſemet ſcribit) victus: ne tamen quis poſthac hac ſectione vtatur (quod valde miror) prohibet. Metuens forte ne collegas offenderet, neue temerarius poſtmodum cenſeretur, ſi forte ſecto puero, in ſectione hac adeo noua & inuſitata ob hanc vel aliam aliquam cauſam, malum aliquod accidiſſet.

Non me latet, quin primo intuitu valde mirum videatur concedi, veſicam abſque vitæ periculo in parte membranoſa incidi poſſe, quod tamen neceſſario fieri debere videtur, ſi modo hoc quod proponimus verum eſſet, & in hypogaſtrio accidiſſe autoritatibus comprobamus. Hæc enim recepta eſt opinio ad tutandam ſententiam *Hippocratis, qui 7. aph. 18.* ſine vlla diſtinctione ſtatuit (quod & omnes ipſius interpretes, ipſi aſſentiri volentes, faciunt) veſicæ læſionem & incurabilem & lethalẽ eſſe. Quod tamen intellexiſſe debuiſſet, cum non ignorauerit ſuo etiam tempore, in extractione calculi, ipſam fuiſſe ſectam, quam ſectionem in iuramento ſuo concedit, non tamen manum operi adhibet. Fit ergo in parte membranoſa, licet non ſit vere & ſimpliciter membrana, dum in corpore ſita eſt: nec etiam vere talis eſt, vt eſſe apparet, quando à longo tempore fuit exſiccata, extenſa & inflata, ſed potius ad aliquam carnis ſpeciem referri poteſt, cuius carnis *Galenus* diuerſas facit ſpecies. Nam vt in *comment. 6. in ſextum Epidemiorum* refert, Hippocrat. carnem appellat non ſolum eam, quæ muſculorum eſt, ſed etiam inteſtinorum & veſicæ. Quem etiam ipſe ſecutus eſt ſeptimo de Anatomica adminiſtratione, dum inquit: Carnis non eadem vbique forma: quæ enim muſculorum eſt, magis rubet & mollior eſt, quam ſit ipſius ventriculi, veſicæ, vteri & omnium inteſtinorum caro.

Detur veſicam ipſam valde membranoſam eſſe, imo membranam & vere ſpermaticam, eiuſmodi tamen eſt & peritonæum & perioſtium, cornea ipſius oculi tunica & meninges cerebri, quæ tamen rurſus conſolidantur, imo & ipſum cerebrum conſolidatur, quod tamen tempore Hipp. non fuerat obſeruatum, vti poſterioribus temporibus factum.

Verum veſicam facile in parte membranoſa conſolidari, exempla multorum vulnerum abdomini inflictorum curatio, per quæ vrina pura permanabat, atteſtantur. Et quare hoc veſicæ non vſu veniret, quod tamen in ipſis inteſtinis tam tenuibus quã craſſis obſeruatur, imo in ipſomet ventriculo, quod ſæpe atteſtatur non ſolum Chylus, ſed etiam cibus recens aſſumtus, ſubito è vulnere inconcoctus prodiens, & tamen hi non moriuntur. Hippocrates tamen, omnia hæc magna vulnera non ſecus pro deploratis habuit, quam ipſius veſicæ vulnera. Quare Hippocratis ſententiam tueri ſi velimus, neceſſario Galeni dicto ἐπὶ τὸ πλεῖστον, nobis vtendum eſt.

Ea, quæ hactenus dicta fuere, præterquam quod Franconis exemplo comprobentur, aliter adhuc confirmantur, exemplo nimirum ipſius Cueur de Chelne hoſpitis Aurelianenſis, ad inſigne floris Lilij qui cum 4. Id. Februar. an. 1560. pugione vulneratus fuiſſet, & iam per dies nouemdecim vrinam per vulnus ſolum reddidiſſet (ſignum manifeſtum partis ſuperioris & membranoſæ ipſius veſicæ læſæ) & à Florentino Philippo catheter per penem veſicæ inditus, & in eo per paucos dies detentus fuiſſet, ſubito perfecte curatus fuit: cuius rei teſtes eſſe poſſunt D.D. Raſſius & Ambr. Pareus: quæ curationes adeo ſunt frequentes, vt de eo dubitare non oporteat. *Rouſſetus de part. Cæſ. ſect. 3. c. 6. 7. 8. & 9.*

Veſicæ ſectionem non eſſe lethalem, autor ſtatuit, ijs qui in verba Hipp. iurarunt, abſonum & abſurdum videbitur: verum & id exemplis à me obſeruatis comprobari poſſet. *Caſp. Bauhinus in præfatione ſua ad Hyſterotomotokian Rouſſeti.* Plura exempla veſicæ citra vitæ periculum ſectæ, require infra *hoc lib. obſeruationum Obſ. vnica* tit. *de vulnerib. veſicæ*

Observatio.

Ob calculum cæſus puer, cum vulnus glutinari haud potuiſſet, margines eiuſdem calculo occalluerunt, vrina ſcilicet ſemper inde excreta: Vnde factum, vt chirurgi alterius induſtria, labiis cruſtaceis vulneris recruentatis, reſectiſque calculis, idem rite poſtmodum coaluerit, atque vrina per legitimum meatum profluxit, ægro in totum reſtituto.

Qvemadmodum exemplis oſtendi lapides in hominum σπλάγχνοισι (interraneis, ſeu viſcerib.) generari, ita externis quoque membris corporis humani ſauciatis exulceratiſve calculos innaſci compertum habeo: cuius experientiæ exemplũ ſubiicio. Cervvici, quod oppidum eſt ditionis Ducũ Anhaltinorum magna laude pietatis illuſtrium, puer quidã lithiaſi affectus, tredecim annorum, ab ignaro quodam atque imperito lithotomo cæſus fuit, cui poſtea, incuria atq; negligentia artificis, meatus in veſicæ inciſura remanſit, qua vrina ſine intermiſſione ſtillauit, deſerto canali quem natura deſtinauit. Hoc cum ad longum tempus duraret, circa eum meatum glutinoſus quidam coaceruatur humor, qui paulatim in lapidis cinerii duritiem coaleſcit, & nouas, imo maiores veſicæ diſtenſiones, & cruciatus acerbiores, ratione obſtructi foraminis, qua vrina ante percolabatur, affert, quam ex priore calculo perceperat. Nec remoueri hoc malum aliter potuit, quam noua veſicæ inciſione. Iam enim calculus magnitudinem contraxerat. Quod cum factum per peritum quendam & exercitatum artificem, & lapis denuo exemtus eſſet, plaga recte coaluit, puer ipſe alacer, & ad quæuis expeditus, nulla amplius moleſtia, nulla difficultate premitur aut infeſtatur. *Kentmannus cap. 11. libelli de calc. in corp. hum.*

Observatio.

Quoſdam bis aut ter ſectioni calculoſæ ſe feliciter committere.

Fvit qui per annorum interualla ter ſectus fuit, mortuus eſt tamẽ tertia ſectione, euaſurus etiam tunc, niſi veſica vlcerata & imbecillis iam admodũ extitiſſet. *Fonſ. l. 2. c. 12. de calc.*

Observatio.

Calculi in vrethra per annum ſubſiſtentes.

M. Bern-

M. Bernhart, miniſter Montbelgardenſis, ab an-
no habuit aliquot calculos, in medio vrethræ
hærentes, mobiles, magnitudinis nucleorum ceraſo-
rum, vnum eiecit oblongum, alter, qui ſubſiſtit, di-
rectam vrinæ eiaculationem impedit: cathetere la-
pidum aſperitatem ſenſit. Mirabilis affectus, ante
non viſus. Dolor nullus inſignis. *D. D. Io. Bauhinus de*
obſeru. prop.

Obſervatio.

Lapidis in virgæ meatu hærentis extractio, caute, & ſine magna violentia, perſicienda.

DIfficilius in viris quam mulieribus, ſi paruus
fuerit, attrahi poteſt. Nulla tamen vis eſt facien-
da, quia veſica membrum eſt ſenſibile, atq; puden-
dum. Quæ vbi multum agitantur, neruorum diſten-
tiones, & mortales excitant inflammationes. Vt cō-
tigit Vetio, qui cum lapidem in virgæ meatu habe-
ret impactum, magna vi & labore extrahendum cu-
raret, laceratum membrum concepit inflammatio-
nem, ſiderationem: vnde mortuus eſt. Tentanda e-
nim huiuſmodi operatio eſt, vbi lapis paruus admo-
dum eſt, quique facile permeet. Quod ſi nec per hoc
ingenium calculus extrahi poſſit, ad ſectionem veni-
endum. *Fonſeca lib. 2. c. 10. de calculis.*

Obſervatio.

Lapidis in virga hærentis chirurgiæ ratio.

NOui, inquit Philagrius, quendam in quo qui-
dem alias lapis fuit progreſſus, non penitius au-
tem quam in ſummo pudendo, fortiter obturatus,
& parum abfuit quin homo periret, propter vrinæ
ſuppreſſionem, & maximum dolorem. Anguſta igi-
tur volſella ipſum lapidem extrahere non potuimus
quare ſenſim & quiete agitauimus perquam tenui
auriculario ſpecillo, quum vero neq; hoc modo e-
um extrahere poſſemus, ſecare ſtatuimus, vulnuſcu-
lo ſuperne iuxta glandis magnitudinem incuſſo. In-
ferne enim ſecare non expedit, quandoquidem fere
ſemper in fiſtulam proficit, ac poſtea per ipſam fiſſu-
ram vrina excernitur. Porro, vbi per vrinam prodie-
rit lapis, lac aſininum melle modico mixtū præbea-
tur, & reliqua etiam diæta commodior, veluti ad vl-
cera fieri conſueuit, conſtituatur, ob vexationem vi-
delicet in locis ex lapide factam. Inde vero præſer-
uare hominem oportet, ne rurſus renes lapide infe-
ſtentur. *Aetius Tetrabib. 3. ſerm. 3. cap. 5.*

Calculus in vrinæ fiſtulam prolapſus, ſi ibi ita in-
hæreſcit, vt neque auriculario ſpecillo, neque alio
ferramento velli poſſit, hoc modo trahitur. Cutis
extrema quamplurimum attrahenda eſt, & condita
glande, lino vincienda: deinde, à latere, recta plaga
coles incidendus, & calculus eximendus eſt, ſunt
qui etiam colem ipſum verſus veſicam alio lino vin-
ciunt, & tum facta ſuper lapidem (vt dictum eſt)
ſectione, colem, vt calculus exiliat, inflectunt: tum
admoto medicamento, quod cruentis plagis conue-
nit, ſolutisque vinculis, cutis remittenda eſt, vt inte-
gra eius pars inciſum colem contegat, & vrina natu-
raliter profluat. Prodeſt etiam, ad vulneris congluti-
nationem, cereolus terebinthina reſina illitus, & in
vrinæ fiſtulam demiſſus. *Steph. Gurmelenus chirurg. lib.*
2. pag. 149.

Obſervatio.

Calculus è veſica expreſſus in ceruicem illius.

PVERO Danielis Pereri mercatoris, annorum ſe-
ptem, calculo veſicæ laboranti, lithotomus Ita-
lus, ſine ſectione lapidem eximere volens, digitum
ſiniſtræ manus medium, butyro inunctum in podi-
cem immiſit (quæ ratio calculum inueniendi omni-
um eſt optima & tutiſſima) ac dextra manu ventrem
inferiorem in regione pectinis premens, digitoque
podici intruſo calculum propellens, vi illum ex ve-
ſica in ceruicem illius impulit: vbi cum ob magnitu-
dinem ſubſiſteret, ac tactu ſupra podicem deprehen-
deretur, illic ſectione facta ſupra lapidem, cochleari
ferreo mox exemit, qui ſi minor fuiſſet, per meatum
penis facile exprimi vel exugi potuiſſet. *Cl. V. Felix*
Platerus de obſeru. proprijs.

Obſervatio.

Tonſor, lapidē Cathetere inquiſiturus, vrinarium meatum perrupit, cuius error ægro exitium tulit.

CVM in meatu vrinario cuidam tuberculum e-
naſceretur, tonſor quidam ineptiſſimus (vt fere
fit) pro chirurgo ſeſe venditabat, cathetere adacto,
meatum vrinarium perrupit, exiſtimans lapidem in
veſica eſſe: quo factum eſt, vt, ſuborto fluxu ſangui-
nis, inflammatione & febre ſuperueniēte, ex incuria
eiuſdem tonſoris mortuus ſit æger. Huius autem v-
rinam, cum in primoribus labris mors illi eſſet, (nam
tum demum vulgares medicum conſulunt) ad me
miſerunt. Erat autem vrina tenuis, clara, hypoſtaſi
admodum exigua, (nam tunc deſierat dudum ſan-
guinis fluxus) ſubaurei coloris, parum tendentis ad
croceum: ita vt talem inflammationem neq; febrem
acutam ex ea quis percipere poſſet, licet aliquo mo-
do tincta eſſet. Cum autem ex famulo, qui vrinam
adferebat, audiſſem, teſtes ægrotantis ſupra fidem in-
flatos, quod ex vrina nemo vnquam intellexiſſet, eū
adii, offendique pudenda mirum in modum tume-
ſcentia, & teſtes, vt maiora antea non viderim: &
tandem ſupprimebatur vrina, vt ne gutta effluere
poſſet. Aderat & tunc tonſor ille eximius, qui ægrū
calculo laborare dicebat, iamque illi certum erat
ferro lapidem, ſeu calculum quem vocant, in mori-
bundo eruere, niſi diſſuaſiſſem. Exhibuerat & illi
medicamenta, valde acria & calida, ad lapidem con-
terendum, quæ & febrem & inflammationem auxe-
runt, deinde ægrum viribus exhauſtum, dolore con-
fecerunt, adeo vt antequam vix de remediis cogita-
remus, hic ſtatim vita functus ſit. Eo vero mortuo,
explorarunt propinqui an lapide laboraſſet; & inci-
ſione peracta, nec in veſica, nec in vreteribus, nec in
renibus lapillum inuenere, ita vt tunc prius progno-
ſtico meo, ſcilicet quod calculo non laboraret, fi-
dem habuerint. *Foreſtus lib. 3. de incert. vrin. iud.*

Obſervatio.

Lithotomorum circumforaneorum fraus, lapides veſicæ ſubeſſe mentientium.

SVccurrit mihi in mentem hiſtoria de muliere,
quæ, cum pateretur vriginem in mejendo, aduo-
cato circumforaneo ſpoletino, dixit, lapidem adeſſe:
illa, verbis eius non credens, voluit me adeſſe, cum
iterum tangeretur: illo tangente, audiebatur lapidis
cum ferro ſtrepitus: ſed cum ego vellem tangere, di-
xit lapidem ſubterfugiſſe: tandem, cum non inueni-
retur, abiit: ego autem intelligens fraudem illius bre-
ui tamen curaui. *Cardanus com. ad lib. Hippoc. de aere, a-*
quis, & locis, text. 28. lib. 2.

VER-

VERMES VESICÆ.

OBSERVATIO.

Vermes in veſica geniti, longitudinis ſex digitorum, craßitie elychnii, vrinæ difficultatem per interualla inferentes, & cum vrina ſæpius viui quoq; emicti, hiſtoria & exemplo nouo.

CVm à quadam ægrotante accerſitus fuiſſem, quæ interdum maximam vrinæ difficultatem patiebatur, & dolorem dum mingeret vehemētem, nullo alio morbo aut ſymtomate affecta, illico exiſtimaui ab aliqua trium cauſarum, vrinæ meatum ſtipante prouenire; aut ſcilicet ab aliquo tumore corpus ipſius meatus attollente, vt inflammatione, ſcirrho, abſceſſu: aut cum callus, aut caruncula ei innaſcitur: aut à re quapiam obſtruitur, ſeu lapide, ſeu craſſo lentoue humore, & ſimilibus: aut cum in partibus ſupernis aliquod ſimile eſt impedimentum. Sed cum de omnibus illam non ſolum præſentibus, ſed præteritis ſymtomatis interrogaſſem, nihil ſane aliud inuenire potui, quod difficultatis huius vrinæ cauſa eſſet, niſi vita deſes, ac cibi multi, craſſi, & lenti, quibus continue fere illa vtebatur: quare, vt affectus huius cauſa certius mihi innoteſceret, vrinam ſeruari mandaui, quam cū reuerſus inſpexiſſem, animaduerti in matulæ fundo rem quandam ſubſidere, ad ſimilitudinem elychnij cuiuſdam, ſex digitos protenſi; vnde cum videndi ſtudioſus, quid nam vere illud eſſet, aliam mihi matellam afferri peterem, fœmina tandem præ nimio rubore affecta, confeſſa eſt, iam pluribus diebus ſæpenumero vna cum vrina vermes nonnullos antedictæ longitudinis, ac craſſitudinis eoſque viuos & rubentes, minxiſſe, quales interdum in excrementis cernuntur: & is, dixit, quem nunc in imo vaſis vides, ex illis vnus eſt. Quod cum accuratius conſideraſſem certe cognoui, quæ illa mihi narrauit, veriſſima eſſe. Quare magna ſane admiratione detentus fui, ac cauſam horum vermium generationis inueſtigans, tandem exiſtimaui eos non aliunde prouenire nec generari poſſe, quam à pituitoſo humore in veſica exiſtente, licet poſtea diligentius perpendenti videbatur veſicam locum eſſe ad generationem vermium ineptum, cum ea ſit humoris ſalſi receptaculum, ex quo nec generari, nec nutriri illi probabiliter poſſe videbantur. Etſi quandoque in ea & pituitæ humorem reperiri non ignorem. Tandem omnibus à me ſtudioſe conſideratis in hanc opinionem perueni, hos à lento potiſſimum ac viſcoſo humore generari, calore quidem natiuo ac vitali illum informante: quemadmodum etiam videmus multa procreari à ſole animalia, cum nimirum materia apta eſt ad illius vim ſuſcipiendam: niſi enim hæc ambo primum conueniant, vt horum generatio fiat, haudquaquam fieri poteſt: quare neque in quocunque loco, neque in quocunque homine eiuſmodi generantur animantia, cum altera præcipue harum cauſarum deeſt, aut ea imbecillis eſt, qui poſtea vermes hoc modo geniti, & aucti, & ab illo humore amplius nutriri nequeuntes, foras illos natura expellēte, egrediuntur. Cum amplius eo pabulo commode ali non poſſint, & tanquam extra propriam ſedem collocati ſint. *Aloiſius Mundella, dialogo 4. pag. 43.*

OBSERVATIO.

Vermis in veſica natus, dolorem & cruentam mictionem excitans, per penem excluditur, ægrumque liberat.

ADmirandum eſt in veſica naſci vermem: quod tamen cuidam viro accidit, cui, in veſica exiſtens multis modis moleſtus fuit, quandoque etiam ſanguinis mictu prouocato, donec tandem, per penis meatum ſponte egreſſus, finem doloribus imponeret. *Dodonæus in Annotat. ad cap. 77. Beniuenij de Abditis.*

OBSERVATIO.

Illuſtre exemplum aliud vermis poſt vrinæ difficultatem inter dormiendum cum ſanguine reiecti: vna cum vermis viua deſcriptione.

ERat in Haga Comitum capularij ſenex 17. Cal Octob. anno à redemto mundo 1564. annos natus ni fallor octoginta quatuor: is ſedentariæ vitæ & otio aſſuetus, craſſioribus delectabatur cereuiſiis, atque ijſdem nonnunquam patrio more ſemet ad ſatietatem vſq; reficiebat; verum vt delicatulus, ſi quādo aduerſi quid obueniret, afficiebatur illico; quo factū eſt, vt quotieſcunq; apud ſuos de ſiniſtra quereretur valetudine, affines parui penderent, exiſtimantes leuiuſculū aut nullius momēti eſſe quod offenderet. Accidit autē vt ſolito grauius ex vrinæ difficultate laboraret, continuiſq; circa pubē diſcruciaretur dolorib. adeo vt quum diutius protraheretur malum, neq; quicquam remitteret, propter ætatem omnes de ſalute deſperaſſent, niſi ex inſperato ſanitatis affulſiſſet ſpes; ſub veſperum in profundiſſimū ac ſuauiſſimum incidens ſomnum, totam edormiuit noctem, atq; inter dormiendum inſcius per vrinariū meatum maximā ſanguinis copiam vna cum verme reiecit: quo expulſo ab omni dolore ac ſtranguria, quam lotij ſubſtillum vocat Cato, liber euaſit: Erat autē vermis hic erucæ in modum biceps: qui ſi quando contraheretur, longitudine pollicē aut hirudinē æquabat, ita vt niſi biceps fuiſſet, nonnulli ſanguiſugam eſſe exiſtimaſſent: cæterū quoties ſeſe explicabat, pedem, & quatuor vncias cōpræhendebat, (lubet n. hic Pliniano more pedē in duodecim vncias diuidere) præterea maculoſus prorſus erat, punctis quibuſdam ſtriatus, ventre fului colore, candicante interſtincto linea, ſuperuixit autē ab eo, quo protectus eſt, die, ad longum vſq; tempus; ſiquidem nos eundem ſeptimo demū menſe viuentem conſpexim⁹ ſola nutritum aqua, quam amphisbenæ in morem, tepidam, nec frigore rigidam (offendebatur enim frigore plurimum) alternatim vtroq; ſugebat ore. Cæterum vermis hic, quamuis in veſicæ cauitate cōtinebatur, continua ſuctione punctiones, & dolores circa collum eiuſdem concitabat, & vrinæ præcludebat iter. *Balduinus Ronſeius in epiſtolis*: quo loco plura leges.

OBSERVATIO.

Poſt diuturnum ſiniſtri hypochondrij dolorem, & ſanguinis mictum, quidam vermem calami ſcriptorii craßitie & digiti longitudine, viuum cum lotio excreuit, vnde ſanguinis mictus cohibitus, & dolor conquieuit, qui paulo poſt hydrope correptus interiit.

HIſtoriam hanc ſi lectu dignam iudicabis, de veritate nō erit quod dubites; nam curationi ipſe præfui; Ante quadrienniū, ciuis quidam conſularis,

quin-

quinquagenarius, in vicino nobis oppido Rotenburgo, diu de dolorib. hypochondrii ſiniſtri cōqueſtus eſt, tandē aliquoties ſanguinem merum & quidem copioſum minxit: mox cum lotio non cruento, eiecit vermem viuum adhuc, digiti minimi fere magnitudine, pennæ ſcriptoriæ craſſitie in medio, capite & cauda in faſtigium acuminatis, colore fuſco, quo excreto, & dolor hypochondrij, & mictus ſanguinis deſiit: ſequenti menſe hydrope correptus eſt, è quo tandem mortuus eſt, poſt menſes duos. *Ex Obſeruat. CL. V. Ioan. Viſceri.*

OBSERVATIO.

Vermes per vrinam reiecti.

CL. V. D. D. Thomas Mermannus, Sereniſſ. Ducis Bauariç, &c. Archiater peritiſſimus, aliquando per literas mihi ſignificauit mulierem quandam vehementi δυσουρίᾳ laborantem, tandem per vrinam excreuiſſe vermem longitudine Spithamæ, quo facto, ſatis commode poſtea valuiſſe, adhibitis medicamentis euacuantibus & vias vrinarias abſtergentibus.

Memini me quoq; in nobili virgine, cui menſes ſuppreſſi fuere, cacochymica, & inordinate viuente, ferme per integrum annum, quibuſdam interuallis interpoſitis, per vrinam vermiculos, minores cimicibus, fuiſſe ſatis multos eiectos.

Idem in quodam viro obſeruaui, qui phthiſi mortuus eſt. *Obſeru. CL. V. Ioach. Camer.*

Vermes in veſica generari aliquis non poſſe ratione contendit, quod ſi qui generantur, ad eorū formationem quietem requirunt, ſimulq; neceſſe eſt materiā putreſcere, at in veſica materia diu quieſcere non poteſt, quum tam frequenter vrina ſit recipienda intus, & reddenda contracta veſica, vel etiam vrinæ acrimonia eorū generationem impedire poteſt. At ſi ſenſus mihi contrarium non oſtendiſſet, in horum ſententiam etiam deſcendiſſem. Vermes in vrina primo mihi, iuuene exiſtente, oſtendit D. Gilbertus Gryphius, qui me ad hoc ſtudium compulit: mouebantur autem immota vrina.

Anno 1556. menſe Auguſto, Monſpeſſuli iuuenis quidam reddidit vermes cum vrina.

Anno 1557. vidi literas ad D. Franciſcum Fōtanoum ſcriptas, vbi etiam de quodam ægro commemorabatur, quod multos vermes per vrinam excreuiſſet. *Ex manuſcripto Rondeletij de vrinis communicabat CL. Caſp. Wolph.*

VESICÆ TVMORES PRÆTER NATVRAM.

OBSERVATIO.

Senex quidam ex caſu pubem ad truncum allidens, concreto ſanguine in veſica ſuppurato, abſceſſus in inguine ſuſcitatus, qui capitali Chirurgi errore moritur.

Sexagenarius quidam Sulcenſis, ſuperioris Alſatię oppiduli ciuis diues, in profeſto Paſchatis poſt peractum ſacrum publicum à templo domū reuerſus, ante prandiū ex ædib. ſuis in adiectū hortū deambulandi cauſa progreditur. Quo cum veniſſet, pedes forte ad lapidem offendit, vnde ſenili & ceſpitante gradu pronus ad terram prouolutus, ſucciſæ arboris trunco, palmi altitudine terra extantis, & femoris craſſitie, eam imi ventris regionem, quæ pectine & veſica deſcribitur, valide alliſit. Senſim autem & ægerrime ſe, cum ſolus eſſet, in pedes erigens ſenex, ædes repetit, chirurgum oppiduli ad prandium vocat, caſum ſuum ei recenſet, additq; non admodum ſe ex pube, quam trunco alliſerat, dolere. Stolidus chirurgus & imperitus, de nullo vaſe rupto aut profuſo ſanguine ſollicitus, præterita reuulſoria venæ ſectione, & medicamentis grumos ſanguinis diſſoluentibus, rerum omnium probe ſecurus, animum dudum in oppiparo prandio occupatum habens, ſenem bene ſperare iubet, & ſicubi res expoſcat, promtam & certam ei operam ſuā pollicetur. Conuiuantur itaq; inter ſe liberalius vterq;. Ea nocte cum ſenex vrinam reddere vellet, nonnihil doloris inter meiēdum perſentit: mane experrectus cruentam vrinam animaduertit. Quando autem ne tum quidem impendio doleret, cōtemtim & neglectim habuit. Poſtridie vrina in totum ſuppreſſa dolores acerbos ei mouet, & ſimul febricula cum rigoribus ſenem fatigat. Accerſitur denuo chirurgus; affectus de nouo explicatur. Ille nulla mora officioſiſſime fotum ex diureticis, dolorem mitigantibus, & emollientib. medicamentis congeſtum cōcinnat, ægrum in clauſa ſella collocat, cui fotū in cacabo ſubijcit, ſimulq; ſerio ei indicit, vt quotidie, vbi refrixerit, calfaciendo ter repetat, gnauiterq; ſudet, fore, vt prolecta vrina, ſi diis placet, quamprimum liberetur. Hæc curandi ratio ad vnius diei & noctis ſpatium continuatur. Interea graues lancinationes & punctiones in veſica excitantur, pubes intumeſcit, febris increſcit, vigiliæ, deliria, & animi defectiones per interualla inuadunt, & cum ſellæ fotum paulo ante ob collapſas vires perferre amplius non poſſet, in lectum deductus ſimilibus cataplaſmatibus pubi & ſcroto tumore iam indurato impoſitis, ſtrenue pugnatur. Tandem vbi omnia in peius abire videt, ipſe quoque Gebvvilerio ex Aula clementiſſimi & pientiſſimi Principis mei Murbacenſis & Ludrenſis Antiſtitis accerſor, hominem iam vehementer ex febre æſtuantem, pulſu concitato & veloci præditum, & periculoſiſſimis ſymtomatibus concertantem inuenio: caſum & curationis peractæ modum accipio; cataplaſma detraho, pubem in ſiniſtro inguine Ioachimici nummi magnitudine liuidam ex inflammatione animaduerto. Proinde ſanguinem in veſica concretum, & veſicam ipſam notata parte inſeſſu illo & cataplaſmatibus in pus conuerſam eſſe, & abſceſſum paulo poſt erupturum animaduerto: ægrum proinde certo moriturum prædico: præfataque venia, ad Aulam me recipio, quem altera à diſceſſu meo die, magna prius puris eluuie, ex abſceſſu ſua ſponte erumpente, ſublatum audio. Hunc, cum ars citra omnem dubitationem ſeruare potuiſſet, impuriſſimi & indoctiſſimi nebulonis chirurgi capitalis inſcitia & temeritas è medio ſuſtulit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Abſceſſus & gangræna veſicæ.

VIro nobili, in pueritia ſecto, aderant ſigna omnia calculi, niſi quod cathetere non inueniebatur. Mortuo à male curata cicatrice, abſceſſus & gangræna in veſica & vicinia inuenta eſt. *Scholiographi ad c. 47. Hollerii de morb. intern.*

CARO,

CARO, EXCRESCENTIA, ET TVBERCVLum in collo veſicæ.

OBSERVATIO.

Caro in collo veſicæ nata & inuenta calculum ementiens.

SÆPE decipimur ſpecie calculi, vt in nobiliſſimo viro poſt vrinæ cruciatum in octauum menſem ambigentibus Medicis & Chirurgis de calculo, adhibitis fruſtra remedijs, tandem apertio facta, vt ſolent lithotomi, liberatus omnino dolore, nō inuento calculo, ſed carne in collo veſicæ, quæ paulatim conſumta eſt conuenientibus remediis. *Scholiographi ad c.50. lib.1. Holl. de morb. intern.*

OBSERVATIO.

Tuberculum in meatu vrinario natum & percuratum.

NVper illuſtrem Guronum Eſtenſem curauimus cui ob tuberculum in meatu vrinario vrina ſuppreſſa erat, & adeo veſica extendebatur, vt dolores intenſiſſimos pateretur: tumore, vi ſyringæ, erupto, illico ceſſauit dolor, & tuberculum ad cicatricem peruenit. *Braſſauolus commentar. ad aphoriſm. 82. lib. 4. Hippoc.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria quorundam empiricorum qui vtuntur candelis cereis ad aperiendum pudendi meatum, & per eas medicamentum quoddam intromittunt, quo carnis excreſcentias abſumunt.

REperitur quidam empiricus natione Gallus Venetijs, qui candelis cereis & meatum aperit ſine multa moleſtia, vel noxa, atq; per eas candelas intromittit, quoddam medicamentum cōfectum ad formam mollis cuiuſdam vnguenti, quo conſumit excreſcentes has carnes, & in multis res illi feliciter ſucceſſit. *Victor Trincauella de ratione curandi particularium corp. affectus lib. 19. c. 9.*

Si ſuppreſſio vrinæ à callo genito in vijs vrinarijs oriatur, curatur per reciſionem calli, per medicamenta tēperate corrodentia impoſita callo, ſeu carni additæ, candela cerea, vel tenui ligno petroſelini: hęc tamen à prudente chirurgo ſunt experta, eligendaq; ne vlcus fiat in viis vrinariis. Quidam Luſitanus Romæ noſtris temporibus multos curauit laborantes hac vrinæ difficultate: & inter alios Valentiæ curati ſunt perfecte, nobilis Gaſpar Aguilar, & filius magnifici Ximen Peres de Pertuſa. *Ioan. Mich. Paſchalius lib. 1. cap. 46.*

VVLNERA VESICÆ.

OBSERVATIO.

Veſicæ ſectionem non eſſe lethalem, hiſtoriis quinque comprobatur.

CVM Medicinæ parens, *Hippocrates lib. aph. 6. aph. 18.* dixerit, *Veſicæ diſciſſionem lethalem eſſe*, factum vt non ſolum apud doctos, qui ſententias Hippocrateas pro oraculis (& recte quidem, modo dextre intelligantur) habent: ſed etiam apud idiotas pro confeſſo fuerit habitum, veſicæ, inteſtinorum, ventriculi, &c. vulnera eſſe lethalia. Verum cum exemplis comprobari poſſit, veſicam diſſectam coaleſcere poſſe, ſane vt Præceptorem tueamur, non abſurdum fuerit, ſi cum interprete Galeno, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον id fieri, Præceptorem voluiſſe, dixerimus. Non enim hoc loco de collo veſicæ, quod carnoſum, & quotidie ſanari, cum lapis fuerit extractus, videmus: ſed de fundo ipſius loquimur, quod propter ſubſtantiā ſuam neruеam, tenuem & exſanguem coaleſcere non poſſe volunt. Verum veſicæ ſubſtantiam non totam nerueam, ſed partim carnoſam, partim neruoſam eſſe dicimus. Licet enim tunica interior tenuis quidem, neruea, & candidiſſima, omniq; ſtaminum fibrarū-ve genere intertexta ſit: altera tamen, quæ exterior, carnoſa eſt: non autem ſimilis carni muſculorum (nō enim eadem vbiq; carnis forma: quæ enim Muſculorum eſt, magis rubet, & mollior eſt, quam ſit ipſius ventriculi, veſicæ, vteri, & omnium inteſtinorū caro, vt *Galenus 7. de admin. anat. & comment. 6. in ſextum Epidem.* ex ſententia Hippocratis loquitur) ſed qualis eſt ventriculi & inteſtinorum ſubalbida, ratione cuius vulnus coaleſcere poſſe dicimus. Et licet *Fallopius tract. de vuln. abdominis, cap.* 20. teſtetur ſe veſicam, quæ pillula plumbea erat perforata, ſanatam vidiſſe: tamen hiſtoriis id comprobemus, quod propoſitum noſtrum exiſtit.

Anno 1558. cum Hiſpaniarum Rex Philippus Regi Galliæ bellum intuliſſet, duo nobiles ex Marchia, qui eius militiæ ſocij erant, & ſtipendia ſub Rege Philippo merebantur, cum iam in itinere cum alijs compluribus eſſent, forte fortuna coorta inter ipſos diſſenſione congrediuntur. In quo certamine is, cui à Kalckreut nomen eſt, alterum Conradum à Bernheim infeſtiſſime adoriens, bombardæ ictu petit. Verum globus crumenæ lamina ex chalybe obductæ, in qua ictus pulueris & pilarum gerebat, caſu illiſus à latere eius reſilijt, & palmi infra vmbilicum ſpatio intra corpus penetrans, veſicam homini traijcit, in eadem ſubſidens, impetu eius ex primo afflictu fracto. Hoc accepto ictu, equo decidit, & à Satellitibus ſubleuatus, Lipſiam ad Chirurgos exanimis reducitur: qui dum vulnus ei obligant, animaduertunt veſicam ſphærula ſauciatam eſſe. Ibi deſperantes, obligato valedicunt, omni curationis ſtudio abiecto: nemo enim tantum ſibi ſumere voluit, vt plagam veſicę inflictam ſanaret, quam ex *Hippocratis aphor. lib. 6. aphoriſ.* 18. inſanabilem & mortiferam didicerant: cui tamen *Galenus in commentario ſupra eundem* aduerſatur. Sic igitur derelictus, omnique cura deſtitutus ſaucius, accitis Miniſtris ſuis, domum ſe reportari expetit, aut viuum, aut mortuum. Quod cum facerent Satellites, & iam Torgam Lipſia aduexiſſent, æger cupidus vitæ, Chirurgum oppidi peritiſſimum Leonhardum Vuolcium, & me quoque precibus accerſit. At primum rem omnem vt accidiſſet, prolixe nobis recenſet: deinde gemebundus opem noſtram implorans, obſecrare ſe ait, vt deſertum ab omnibus noſtra beneuolentia complecteremur, & curandum ſuſciperemus. Chirurgus itaque laxatis ligamentis, & cognito vulneris periculo, mox vitam ſimul atque curationem denegat deſperato. Tandem mea interceſſione motus, cum pollicerer meam quoque operam, ac fidem coniuncturum, ſuſcipit, & religat ſummo ſtudio. Ibi tum hebdomadas vndecim vrina non canalem perfluxit ordinatum, ſed per plagam manauit: per eam

autem omnis ſubſtantia cutis carniſque vſtulata ab ictu erat, eique materies quædam glutinoſa ex acredine lotii, ſanieque circumcirca adhæreſcens, in lapidis ſoliditatem obduruerat: ita tamen vt vrinæ meatus de die in diem exiguus pateret, qua ſtillaret, donec elapſis quinque ab ictu ſeptimanis, ſubſtantia ea vſtulata, putredine ſenſim laxata, vna cum calculo accreto, à Chirurgo inſtrumento extracta fuit, & vrina iam immediate vulnus permanauit. Porro ſubſtantia ſoluta & exemta, ambuſtæ & lentæ admodum cuti perſimilis erat, duarum ſtipularum craſſitie, digiti tranſuerſi latitudine, lapidoſam eam materiam ambiens, qua vrina exitum habuerat: quæ quidem tophos, qui in thermis congelantur, fere ſuperabat firmitate, colore cinereo, tactu aſpera, vt è groſſis arenulis conglutinata. Sic igitur ampliato meatu, & purgata veſica, liberataque à reliquis ſordibus, calculis, viſcoſitate, ſanie, & aliis, quæ de globo bombardico, lotii acrimonia conſumto ſuperérant, & orificium veſicæ obſtruxerant, vulnus ſanari rite (Deo auxiliante) cœpit: idque tam breui tempore penitus adeo coaluit, vt nec ambulandi, nec equitanti, nec curru vecto, impedimento moleſtiæve eſſet. Poſt hæc vxorem duxit nobilis, & in hunc vſque diem valetudine eſt commoda & firma.

Hiſtoriam hanc habet *Ioan. Kentmannus libello de Calculis in corpore humano repertis, cap.* 11. quam Conradus Geſnerus (cui hiſtoriam hanc annis ſex poſt curationem communicauit) edidit.

In Gallia Narbonenſi cum eſſem, circa annum 1555. accidit, dum ſpectacula ederentur, atque inter reliqua Taurus cum Leone certaret, vt cum Tauro fugienti Heluetius Tigurinus Regis Nauarræi Satelles ſe opponeret, ab eo cornibus petitus, altero in pectine circa regionem veſicæ intruſo, penitus tranſuerſim perfoderetur, atque vrina in lumborum regione emanaret: qui tamen Chirurgi Monſpeſſulenſis opera ſanatus, ſine omni incommodo diu poſtea ſuperuixit. Quo exemplo, vti & aliis edocti, ea veſicæ vulnera, quæ in carnoſa illius parte accidunt, vel alia quoque, vbi caro illi contigua eſt, qua acreſcente occludi & callo obduci poſſunt, eadem ratione ſanari poſſe nonnunquam ſtatuimus. *Hiſtoria hæc à CL. viro D. Felice Platero Archiatro mihi communicata fuit.*

Anno 1581. Septembri menſe, nautæ Griphsvvaldenſi in Pomerania, cui Ioanni Iacobo nomen erat, culter in dextrum abdominis latus, quatuor tranſuerſis digitis ſupra pudenda defixus fuit, ita vt toto triduo vrina non per vrethram, ſed per vulnus effluxerit, qui tamen hoc pacto probe fuit percuratus. Primo ergo Enhæmata applicita, dein vulnus, nullis tamen turundis propter veſicæ metum inditis, ſed linimento conſolidante impoſito, obligatum fuit, tum emplaſtrum conueniens ex gummatibus & magnete confectum, ſuper impoſitum. Intrinſecus vero, quotidie bis hauſtus decoctionis Fabariæ, quæ apprime his vulneribus vtilis, propinatus. A calidis cibis abſtinere, pauco potu contentum eſſe, & in lecto ſupinum ſe continere oportuit. Hac cura vſus, triduo poſt vrina rurſus per vrethram effluxit, & ſucceſſiue penitus curatus, ita vt nec ſtillicidium vrinæ, aliudve ſymtoma moleſtum ſuperueniret. *A Felice Wirtzio, nunc noſtrate Chirurgo.*

Petrus Haſe, poſteaquam carunculis in medio Pene conſtitutis laboraſſet, tandem in ſcirrhum abiere: varia, irrito tamen conatu, attentata fuere, vt partes induratæ conſumerentur: tandem adeo ſcirrhus excreuit: vt omnimoda vrinæ ſuppreſſio fuerit ſubſecuta, quæ per aliquot dies perſtitit, donec tumor cum inflammatione in inferiore inguinis parte obortus, eo ad ſuppurationem accedente, aperiendum curaui. Apoſtemate aperto, puris parum effluxit, & ſtatim vrina ſubſecuta, quæ deinceps voluntarie per vlcus, & non amplius per Penem reddebatur. Hic vltra anni ſpatium vixit, de nulla vrinæ retentione conquerens, ſed tandem alio ſuperueniente morbo interiit. *Ex Epiſtola Ioannis Bauhini, Illuſt. Principis Friderici Comitis Wirtembergici, & Montembelgardenſis, &c. Archiatri, Fratris chariſſ. ad me 5. Ianuarij 1587. data.*

Piſcatori Baſilienſi, Gyſi nominato, ſarcite laboranti in teſte dextro, cum ſubito vrina penitus ſuppreſſa eſſet, nec vllis remedijs, vel immiſſo quoque cathetere promoueretur, adeoque ventris diſtenſione conatuque mingendi aſſiduo angeretur, & ad extremum vſque periculum perueniſſet, conſilio noſtro ad ſectionem ſarcitis, quam aliqua ratione cauſam huius ſuppreſſionis eſſe, certis coniecturis ſtatueramus, & quæ alioquin, cum mole nimia in immenſum excreuiſſet, auferenda erat, deuentum fuit. Ibi cum ſectio in inguine (vt moris eſt) primum fieret, Lithotomuſque in ſeparanda carnoſitate, quæ eo vſque protenſa erat, laboraret, caſu veſicam illuc quoque nimia diſtenſione ampliatam, productamque vulnerauit, atque vrina maximo impetu in altum proſiliit, ſubitoque æger omni moleſtia liberatus eſt. Poſtea vero teſte illius lateris execto, ſarcitim ſucceſſiue menſis fere ſpatio amputauit: vrina interim continuo, vna cum frequenti arenularum copia per vulnus emanante, nec per penem niſi guttatim extillante. Tandem vulnere ſanato, fiſtula in inguinis regione remanſit, per quam immiſſo cathetere breui, quem continuo geſtat, vrinam iam toto biennio, incolumis alioquin, reddit, neque per Penem amplius emingit. Huic ſectioni Clariſſimus vir Felix Platerus, vt & ego inter cæteros interfuere. *Caſparus Bauhinus in Append. ad Rouſſetum de partu Cæſareo.*

VESICÆ VLCERA.

OBSERVATIO.

Veſica vlcere cum febre lenta vexatus: foliaceis vrinæ ſedimentis ceſſantibus, accedente inflammatione, intra triduum moritur.

NOn raro obſeruauimus, præſertim in quodam Idiota Bertrando de Greus: qui lenta febre detentus ob veſicæ hulcus, poſtquam nulla amplius profudit ſedimenta foliacea, quæ duodecim fere annis, vt dicebat, multa excreuerat, tandem ab inflammatione ſuborta, tertio die miſere periit. Tantæque rei triſte miniſterium ex diſſectæ illius veſicæ inſpectione ſubire nobis poſtea licuit. *Ioannes à Belloforti comment. ad libr. Galeni de vrinis pag.* 83. *facie* auerſa.

MONSTROSA ET VARIA CVM VRINA EMICTA.

OBSERVATIO.

Calculoſo cuidam vermiculi duo oxycephali,cornicu-lati, & teſtulis intecti cum vrina & ſabuloſa materia emicti.

QVidam literas ad Hiſpanum ſcriptas oſtendit, quibus conſilium petebatur pro calculoſo, cui eiectis calculis aliquot & arenulis prodierant duo vermiculi,acuto capite,corniculato, ventre & dorſo teſtula inductis inſtar teſtudinis nigri, niſi quod ru-bebant ventre. In quo videtur generatio quædam eſſe à putredine pituitæ, calore multo totius venoſi generis eam pituitam ita confirmante. *Scholiographi ad c.50.lib.1.Holl.de morb.intern.*

OBSERVATIO.

Plures vermiculi albi, breues, tenuiſſimi, per lotium excreti.

IN nobis admirandum fuit, mictus vermiculo-rum plurium alborum, breuium, tenuiſſimorum, qui nec pediculi dimidium æquabant diuque viue-bant. *Card com.ad aph.76.lib. 4. Hipp.*

OBSERVATIO.

Capillares vermiculi per lotium excluſi.

CApillares vermiculos aliquando mihi in vrina oſtendit illuſtriſſimus Medicus Præceptor o-lim meus Gilbertus Griffius, qui facile parum ad-uertentes latuiſſent. *Rondeletius hiſtor. Aquatil.de cancro fluuiatili.*

OBSERVATIO.

Cucurbitini vermes emicti.

IPſe vidi cucurbitinos mictos & viuos in lotio. *Mo-tuus lib.4.c.19. Anaſc.morborum.*

OBSERVATIO.

Draco alatus cum vrina expulſus.

ARgenterius Medicus doctiſſimus aſſeruit ſe vi-diſſe cum vrina reiectum Draconem cum alis. *Rondeletius lib.de dignoſcendis morb.*

OBSERVATIO.

Picæ prope ſimile animalculum per vrinam e-mictum.

COmes Carolus de Mansfeld, æſtate ſuperiore graui & continua febre vexatus,in baſilica Gui-ſiana, illuiem excreuit per vrinarium ductum: ani-malis effigies (quoniam author deſcriptionem non adiecit) picæ aui haud abſimilis eſt. *Pareus libr. 19. cap.3.*

OBSERVATIO.

Pediculi dietim emicti.

VXor cuiuſdam Sutoris in vrbe Serueſtenſi, quo-tidie vna cum vrina aliquot pediculos minxit, quod malum cum aliquandiu duraſſet, corpore be-ne purgato,& aliis medicamentis exhibitis, receſſit. *CL.V. D.Io. Franci Hildeſii Cameniceni exemplum.*

OBSERVATIO.

Vermis millepedi ſimilis per vrinam excretus.

NArrauit mihi Ludouicus Duretus, vir doctri-næ & fidei pleniſſimus, excretum ſibi per vre-thram cum vrina, poſt longum & difficilem mor-bum,animal viuum,colore rubrum,cætera millepe-di ſimile. *Idem loco dicto.*

OBSERVATIO.

In lotiis eorum, qui lue venerea infecti ſunt, multoties innatare animalcula formicis ſimilia & polymor-pha.

VErmiculos caudatos, atque inſolita forma be-ſtiolas vomitu eiectas nouimus, præſertim in his, qui morbis contagioſis infecti erant. In quo-rum lotijs multoties innatare conſpexi minuta ani-malia formicis affinia, aut ijs præſertim quæ æſtiuis menſibus in aqua cœleſti volutari conſpiciuntur, quorum nemo non morbo Neapolitano, lueque venerea fœde erat contaminatus. *Lemnius lib. 2.c.40. de occult. nat. mirac.* Et ex eodem forte *Wierus lib.3.c. 15.de præſtig. dæmon.*

OBSERVATIO.

Scorpio emictus, ægrum à difficultate vrinæ le-uauit.

EX vrinæ difficultate quum diu quidam labora-ret,factum eſt aliquando, vt viuum ſcorpionem mictione redderet,à quo ſecluſo, meliuſcule habere cœpit. *Iacobi Maccii ex Comitiſſa à Solms Acroama.*

OBSERVATIO.

Quædam veluti conchileaceæ in veſica nata.

ALiquibus quædam in veſica concreſcunt, quæ nihil à conchilijs ſpecie differunt. *Alexand.Bene-dict.lib.2.cap.22. Anatom. Ex Ariſtotelis hiſtor. animal.lib. 3.cap.15.*

OBSERVATIO.

Ab vrinæ detentione membranulæ emictæ, neruea, multiformes, cum ſanie, ſine fœtore & febre.

COnſpeximus quandoque inopinabile quod-dam ſpectaculum:Res enim ita ſe habet. Miles conqueſtus de vrinæ detentione, ebibita minerali-um aqua, membranulas minxit quamplures nerue-as,ſubductu difficiles, vt quaſdam cerneres teretes, præruptas ouorum inſtar, & ſphæricæ figuræ: quaſ-dam planas depreſſaſque exeuntes cum ſanie, abſ-que tamen fœtore & abſque febre: quas necinter-nas extitiſſe veſicæ fibras credere fas eſt, cum non ſaniei profluuium,nec membranarum figura hoc at-teſtari valeant: ſed tubercula quamplurima in veſi-cæ ambitu lapidum more: Aſſerit namque *Galenus commentario de bile atra*, particularum in corporis profundo latentium affectus ſimiles ijs oriri,qui cu-tem infeſtant.Non tamen defuere ex primarijs, qui ex ſplene hæc decidiſſe arbitrarentur, in quo dolor prius conſtiterat, adeo vt adhuc ſub iudice lis tor-pens iaceat. Arduum tamen eſt arbitrari veſiculas has venas tam arcte permeaſſe renes, vreteraſque in veſicam, abſque vllo in ipſis percepto dolore, non tamen & abſque penis anguſtia per ipſum exeundi data occaſione. Adde quod nulla eſt in ſplene vacui-tas. *Fumanellus c.4.tract.de morb.in viis vrinæ.*

OBSERVATIO.

Balnearum ferinarum vſu quidam materiam adeo viſco-ſam & longam per veſicæ canalem excluſit, vt inteſti-num eſſe putaretur.

 Con-

COncionator quidam, pituitæ quandam materiam adeo viſcoſam & longam, vt inteſtinum quoddam videretur, per veſicæ canalem reddidit, antea miris doloribus excruciatus. *Andernacus dialog. 1. de baln. & aquis medicat.*

Observatio.

Incredibilis quantitas pituitæ lentæ, corruptæ, per aliquot menſes purgante medicamento cum vrina lutea expulſa.

PRæſes Longuel pituitam lentam, corruptam, incredibili quantitate multis menſibus eminxit, & deiecit, quoties ſumſit medicamentum, cum vrina tenui, ſeroſa, ſimili ſero lactis. Opportunus erat arthritidi & calculo. Sed vtroque affectu liberatus, vigiliis, frequenti mictu dolorifico torquebatur. Malum modo remiſſius, modo acerbius per frigora & humidum cœlum. Modo ſtillicidium, mictus exiguus, & frequens, modo vrina largior. Remittebatur dolor, tum acerbior redibat. Penis & crura condolebant, vrina modo mordax, modo contra. Eadem omnino apparuerunt in procuratore ad paruum pontem. Vtrique ætas annorum circiter 52. hepar calidius, ſitis multa ſed Præſes naribus nihil expurgabat, alter contra. *Scholiograph. ad c. 50. lib. Hollerij de morb. intern.*

Observatio.

Fœminæ curatio, quæ mingebat vrinam turbidam, cum craſſo ſedimento & ramentis liuidis.

MVlier quædam quadragenaria laborabat nocte dieque doloribus veſicæ & vrinam mingebat turbidam, in qua reſidebat craſſum ſedimentũ, cum ramentis liuidi coloris. Suaſum erat ei, vt abſtineret à carnibus & vino, & vteretur paſſulis pineis, amygd. & ouis rec. & biberet decoct. graminis, polip. ana vnc. ij. s. rad. maluæ M. j. Liquir. vnc. s mellis lib. s. aquæ bocalia vj. bull. in ea aqua, agarici puluerati & petiæ illigati drach. j. troch. alkak. & bibat calide. Et hanc potionem ſumſit de tertio in tertium in principio. Continuauit per duos dies, ſed quia venter primo die incepit quater fluere, & in ſecundo quinquies, ceſſauit à potione per 2. dies, ſed interea ſeruabat concinnam diætam. *Solenander ſect. v. conſil. 15.*

Observatio.

Pituitam cum vrina anſeris oui magnitudine excernens, calculi tamen expers viſus.

NOn ſolum in nobis, ſed in multis alijs animaduertimus. Leo Monachus B. Auguſtini qui annum excedit LXXX. ſæpe mihi oſtendit tantũ pituitæ lentæ, in matula ſimul concretæ, vt ouum anſeris magnitudine ſuperaret: & tamẽ lapidem nunquam genuit. *Cardanus. com. ad aph. 79. lib. 4.*

Observatio.

Piſcium veſicellis ſimilia corpuſcula per vrinam excreta.

EXcellent. Dominus Raphael Copinus, & D. Auguſtinus Valla. ipſeq; Sereniſſ. Ducis noſtri iuſſu, Reuer. Ioſeph de Clericis, Diuæ Barbaræ Templo presbyteri ac cantoris curam ſuſcepimus: hic iam per plures annos per interualla magnis dolorib. renalib⁹ ſpecie & loco ſimilib. præcedẽtibus corpuſcula quædam per vrinam emittit, piſcium veſiculis colore, figuraq; perſimilia, craſſiſſima ſubſtantia, eaq; pellucida conſtantia, modo maiora, modo minora, modo vnica, modo plura, & modo pauciora, parietes ſeu tunicæ ſi diſſecentur craſſæ ſint, atq; ſi adſeruentur, paulatim maiori ex parte diſſoluuntur, derelicta dũtaxat craſſiori parte, quæ exſiccatur ac dureſcit. Hæc generari in renum cauitatibus arbitrati ſumus ab humore craſſo vrinæ permixto, ſenſim & ſenſim cauitatum parietibus hærente, cumque calor non adſit exurens, quo lapideſcant, incraſſantur duntaxat, moxque ab expultrice facultate naturæ cum negotium faciunt extruduntur. *Marcellus Donatus lib. 4. cap. 29. med. hiſt. mirab.*

Osbervatio.

Quidam multa liquidis margaritis ſimilia, pellucida; alia craßiora, cocto oui albumini ſimilia eminxit.

QVidam eminxit multa quidem ſimilia liquidis margaritis, admodum pellucida, alia craſſiora, mediocriter cocto oui albumini ſimilia. *Hollerius inter rara num. 2.*

Observatio.

Globuli Cryſtalliformes, aut gelatinæ ſimiles, cum magno dolore emicti.

VIdi intolerabili cruciatu aliquot diebus affectũ, qui pituitæ partes, veluti cryſtalli, aut concocti ſucci, quem gelatinam vocant, globulos, colore aqueo, pellucidos eminxit. *Scholiograph. ad c. 50. lib. 1. de Hollerii de morb. intern.*

Observatio.

In affectu diabetæ proximo, fruſtula apii radicum iuſculis incocta, per vrinam excreta.

VIſa mihi aliquando, duobuſque medicis aliis in Nobiliſſimi viri curatione affectu diabetæ ſimillimo laborante, reiecta cum vrina apij radicum fruſtula, numuli quadrantis magnitudine nonnulla, quas ille radices nobis inſcijs incoquendas iuſculis curauerat. Atq; cum primum innatare eas vrinæ videremus, nec fieri id poſſe arbitraremur, iuſſimus præſentibus nobis eodem in cubiculo, deterſa bene matula, vt vrina exciperetur: idemq; quod antea ſpectauimus, diſcurſantes per vrinæ ſubſtantiam radicum particulas, ea qua diximus magnitudine: mirati hoc, interdictoq; earum in poſterum vſu, ne videl. ad vrinæ profluuium hoc etiam accederet: non aliud eſſe cauſæ iudicauimus poſſe, quã idipſum, quod hic dicitur, viuentis hominis longe patentiores atq; ampliores quam defuncti meatus, per quos exitus illis patuiſſet, per anguſtiſſimas in demortuorum corporibus, adeoque viſum fugientes, iecoris renumque vias, ad vreteres & veſicam tranſeuntibus: locique huius admoniti Galeni dictum experimento, atque exemplo hoc confirmatum vidimus, eique fidem adhibemus iam maiorem de hoc. *Iul. Alexand. annota. ad c. 14 libell. de ſubſt facult. natur.*

Observatio.

Culmus hordeaceus cum vrina expulſus.

QVidam, cum diu laboraſſet vrinæ difficultate, tandem culmum hordeaceum geniculatum excreuit. *Plutarch. lib. 8. Sympos. problem. 9.*

Observatio.

Fungi fruſtillum per veſicam emictum.

Quidam

QVidam; qui inter magnos medicos habitus eſt, fungi fruſtum per veſicam emiſſum ſe vidiſſe prædicabat. *Alex. Benedict. lib. 5. c. 13. anat.*

Vidi in magiſtro Guctio de Scarperia, medicinæ Doctore, ex comeſtione fungorum, ſtomachum ſuum vehementer læſum. Et in vrina eius egredi particulas fungorum notabiles ſatis quantitate: ſic in imperfecta maſticatione degluriuntur. Et color earum erat color ipſorum fungorum: & color aquoſitatis vrinæ eius erat color liuidus, & vidit hoc Magiſter Franciſcus de Aliorentis de Burgo, omnium ſanctorum de Florentia. qui medicatus eſt eum. *Nic. Florent. ſerm. 4. tract. 4. cap. 29.*

OBSERVATIO.

Pili, longitudinis dimidii palmi, craßitie, parui digiti puerorum, cum corpuſculis ranunculorum effigie, ſanguine turgidis, emicti.

VIdi in Petro Chellini emitti pilos, longitudinis quaſi medij palmi, groſſitudinis parui digiti infantis, & vltra, declinantes ad rubedinem. Et cum eis aliquando emittebantur aliæ materiæ ignotæ, quæ aliquando habebant formas ſanguiſugarum, & aliquando ranarum cum in principio generantur in aquis ſolidiores valde pilis: in quibus cum aperuiſſem quaſdam earum, continebatur ſanguis, quas tamen cum emittebat dolorem in pectine quaſi intolerabilem, qui tandem perduxerunt eum ad mortem. *Nic. Florent. ſerm. 5. tract. 10. c. 21.*

OBSERVATIO.

Noua & inaudita trichiaſis, non in renibus, ſed veſica oborta, ex qua mulier per interualla integros pilorum faſciculos, cum diris cruciatibus, quibus tandem immortua eſt, excreuit.

DOmi meæ inter reliqua κειμήλια mea aſſeruo faſciculum verorum pilorum, ſubflauorum, tenerrimorum, digiti longitudine, quibus hinc inde accreuit calculoſa materia, qualis matulis vrinariis alias adhæreſcere ſolet, colore & odore propemodũ ſulphuris, in veſica cuiuſdam mulieris Argentinæ in noſocomio menſibus aliquot decumbentis natos, & cum vrina excretos. Quos ab eiuſdem noſocomij Medico induſtrio, Thobia Cneulino, conſilium ad rarum huncaffectum à me petenti, tranſmiſſos accepi. Ex quo enim illa anno 1573. in xenodochium recepta fuit, primis duobus menſibus tanta vrinæ reddendæ difficultate, cum tam intenſiſſimis & implacabilibus doloribus coniuncta, vrgeri cœpit, vt non niſi præſentiſſimis remedijs adiuta, diu duratura ſuffecturaque haud videretur. Itaque fabarum aqua cum aliis exhibita, vrina quidem propulſa, ſed vna quoque pilorum faſciculus collo veſicæ iam infarctus & bona ſui parte propendens à Medico forficula præſectus eſt. Faſciculum hunc pilorum celeberrimis eius Reipub. Medicis oſtendit, rẽ vt accidit recenſet & cum illis communicat. Qui in commune conſultantes, rarum & inauditum affectum admirantur, quibuſdam ad renum τειχίασιν referentibus; alij veros pilos eſſe animaduertentes ad incantationem potius & magicas præſtigias retulerunt. Profertur interea morbus ad plures menſes, quibus miſera mulier nihil dum remiſſis cruciatibus, licet non admodum tabeſcente corpore, per interualla plures huiuſmodi glomos, iam vi quadam è collo veſicæ extractos, iam ſuâ ſponte cedentes, excludit ſæpe. Tentantur multa & varia remedia, quibus leuari quidem ſibi aliquando viſa: ſed quæ affectum tollerent omnino, comperta nulla. Acceſſit tandem ventris quoque tumor, ſed qui inſeſſuum & inunctionum vſu ſubſideret. Non ita multo poſt tenui linteolo aut membranulæ quiddam ſimile cum pilis excernitur. Porro morbi vi & diuturnitate fractis iam viribus; cum nullis amplius medicamentis locus eſſet, toto corpore conſumitur, inualeſcenteque putrilagine, præcedente paulo ante vrinæ incõtinentia, colli veſicæ ardore intolerabili excitato, tandem extinguitur. E cuius corpore, etiam aliquot hebdomadibus antequam moreretur, tam teter & viroſus odor exhaluit, vt ab eius morte nemo cadaueris ſectionem citra valetudinis diſpendium aggredi auſus fuerit. Creditumque veſicam vicinaſq; partes vt plurimum computruiſſe. Pilos ego igni admotos, verorum modo flagrantes, & nidorem ex ſe remittentes, multis alijs videntibus, conſpexi. Cuius rei αὐτοπτικὸς teſtis ipſe eſſe poſſum, & petentibus vel hodie periculo facto oſtendere queo. Quare nullus dubitauerit, quin veri pili ſint, & plurimum à Galenicorum & Scholarum renum trichiaſi affectus hic diſtet. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Vrina vitrea emicta.

NObilis Hungarus ex proſapia Monachi in Tranſyluania interfecti ciuis Caſſouienſis 50. annorum, temperaturæ calidæ & humidæ, ex articulorum doloribus, in vrinæ viſcidæ vitreæ mictionem, cum magno dolore incidit. Cui ab Auſtriacis diuretica magna copia exhibita, nihil contulere. Ad magnum ergo aliquod remedium, & aquas ſulphureas, & nitroſas, confugimus, vt ſunt Apponi & Porrettæ: Verum quis effectus ſecutus ſit neſcio. *CL. V. Ioan: Culmannus de obſeru. in Italia annotatis.*

OBSERVATIO.

Vrinam quidam craſſam, & glutinis inſtar lentam, citra valetudinis noxam, mingere ſolitus ſemper.

NObilem nouimus, ſuperioribus annis vita functum, Vdalricum Georgij, Ioannitarum ordinis in Germania Principis Fratrem, ex præclara Hohenheimiorum, qui Bombaſt cognominantur, familia natum, qui citra valetudinis ſuæ offenſam, ſubinde, imo potiore vitæ ſuæ tempore, vrinam craſſam, turbidam, & vſque adeo lentam meiere ſolitus eſt, vt glutinis ſeu taurocollæ liquatæ inſtar, aut ſyrupi ad iuſtam conſiſtentiam vſque percocti, vel denique vini fugitiui, penduli vulgo dicti, modo, ad vlnæ longitudinem diduci & extendi ſe ſuſtinuerit, idque nulla ægri ex calculo cauſatione. Quam ipſemet nobilis mihi viſendam & examinandam obtulit. *Schenckius.*

OSBERVATIO.

Sanus quidam, vrinam multam cum ſedimento lactis coagulati inſtar, dimidii vrinalis quantitate, ſine incommodo excernere ſolitus.

VIdi in caſtro Itri, Comitatus Sundorum, iuuenem trigenarium, qui omni die mingebat vrinam multam, in qua reſidebat ſicut lac coagulatum, album, ad quantitatem medij vrinalis, præter ſubſtã-

tiam vrinæ, quæ ſupereminebat illi qui inde nullum percipiebat nocumentum, ſed ſanus degebat. *Nicol. Florent. ſerm. 5. tract. 10. c. 21.*

OBSERVATIO.

In renis exulceratione vrina lactea ac craſſa animaduerſa.

POlonus quidam exulceratione renum laborans, in Noſocomio S. Spiritus, ſubinde vrinam lactis inſtar albam ac craſſam reddidit, quam ſæpius ego contemplatus ſum. *A Petr. Spehrerio animaduerſum.*

OBSERVATIO.

Vrina nigra in ſanis quibuſdam viſa.

IN ſana diſpoſitione nigram mingi vrinam, impoſſibile omnino Chriſtophorus à Vega reputat: quod non accreſcat vnquam in ſanorum venis niger humor ea copia vt vrinas tingere poſſit, non facile admitto. Quantumuis enim is ſecundum naturam, parcior alijs humoribus habetur in venis; tamen in ſicco frigido temperamento exuperare humorem nigrum certum eſt, quum ab ipſo temperamentum ſiccum & frigidum appellationem ſortiatur.

Sic nos in Carmelita quodam Monacho, Hiſpano natione, & quo frigidiorem ac ſicciorem inuenerim neminem, ſpatio ſex annorum, quo incolumis apud nos vixit, nigram vrinam profudit, & talem mejere ſolitum, toto ſuo æuo, interrogatus, certo reſpondebat. Et quid? Num vices gerens hæmorrhoidum ſanguis melancholicus cum vrina profuſus ipſam nigram reddi: ita vt in ſana cuiuſdam Tardanelli Itali diſpoſitione, talis vrina toto vitæ ſuæ curriculo, vt dicebat, micta ſit. Et conuenit manifeſta ratione, humoris detrimentum perpetuo repurgari, quo temperies corporis, quam talis humor conſtituit ac fouet, ſalubris permaneat. *Ioan. Bellfortis comm. ad lib. Galeno attributum de vrinis p. 72.*

Vidi ego aliquando equitis cuiuſdam lotium nigrum, qui tamen nondum ægrotus decumberet, ne dum extremum diem obiret. Et paulo poſt.

Fuit & puer quidam Scholaſticus, qui nullo morbo correptus, vrinam minxit tam nigram, vt qui viderent, atramentum eſſe putarent. *Guil. Adolph. Scribonius libel. de vrinarum Inſpect.*

OBSERVATIO.

Vrinæ nigræ in morbis nonnullis non ſolum non lethales, verum etiam ſalubriter velut criticæ excretæ.

NON temere recipienda eſt Galeni de vrinæ nigro liquore condemnatio. Sed quaſi ipſe non viderit ſeruatum, viderunt poſteriores & multi celebres, quare in vniuerſum tantopere damnanda non eſt, ne ſi in acutis morbis addas, ne ſi iungas etiam prauorum ſignorum ſocietatem. Nam præter Raſium, Auicennam, Actuarium, etiam in Epidemiis vidit nonnullos ſeruatos Hippocrates. Poteſt ergo incolumis apparere: ſumpto nigro edulio, aut potione diuretica, nigrum humorem per veſicam expurgante, de quo eſt pulchra apud Actuarium hiſtoria. Item cretica eſt expulſio in quartana, ſplene, retentis aut menſibus aut hæmorrhoidibus; quin & dicente Auicenna, ſanat nonnunquam prolixas febres, quas vocant nocturnas aut diurnas. Præterea affectis vel renibus, vel veſica lapidis concretione nigreſcit vrina, demum præſagit nonnunquam febrem hæmorrhagia narium aut ſudore terminandam, cum ergo ſit nonnunquam plane exitialis vbi ab extremo naſcitur, aut frigore, aut calore, nonnunquam innoxia: diſterminant vtrunque indicium, Raſius, & Auicenna: ſi multa eſt, & tenuis, ſequiturque ad aquoſam, & antecedit leuitatem, bona: citra dictas occaſiones valde mala eſt nigra itaque in ſuppreſſione menſium familiare indiciū eſt: non perpetuum. *Thomas à Veiga comment. ad lib. 6. Gal. de loc. affect. pag. 342.*

Venit coram me mulier quædam, vrinans vrinam nigrā, ſicut muri, & conquerebatur de dolore lumborum, & cum incipiebat vrinare talem vrinam, ceſſabat dolor; & poſt incidit in febrem nocturnam, cum rigore, & erat complexionis melancholicæ, & curaui ipſam cum rebus prouocantibus vrinam, & liberata eſt. *Raſis lib. 18. c. 4. exemplo 24.*

Filius Angeli Anconitani, natus annos quinque, obeſulus, cum bene recteque, vt parentibus videbatur, gubernatus eſſet, circa præcipue ſex res non naturales, in capite & collo multam ſcabiē cruſtoſam, vlceroſamve paſſus eſt, ex qua ichores & ſanies multis diebus fluebant. Cæterum, elapſo menſe, puer hic lotium multum nigrum, ad tres dies, non ſine acrimonia, & virgæ dolore, mejebat, abſque tamen febre, potto recte gubernato puero, & abſtemio facto, mannæ vncias duas iure pulli incocti lactuca, exceptas, bibit; quas illico vomuit. Sed poſtea ex caſſia ægyptiaca atramentum manibus ſuis exemtū comedit, quo aluus optime reſpondit, & melius habuit, ad ſequentes vero octo dies, ſingulis aurotis, ſingulas gabatas plenas iuſculo pulli incocti malua, & paucis folijs ſenæ, bibebat; & tandem ſanus eſt factus: nec enim ad capitis ſcabiem quicquam admouendū permiſi, ex ſe enim poſtea ſanata eſt. Cæterum lotium nigrum quod puer hic miſit, criſis & terminus fere huius morbi fuit. *Amat. Luſit. cent. 5. cura. 54.*

Etſi vrinæ nigræ lethales Hippocrati iudicentur, præſertim in acutis; ſalutares tamen quandoque habentur, vt in lienis inflammationibus & magnis obſtructionibus, ſæpe decretorio per vrinas facto, eſt experiri: Vt à me in Antonio Ruffo, Ioannis Ruffi pharmacopœi filio adoleſcente viſum, qui quum lienis apoſtemate laboraret, planeque moribundus haberetur, decretorio, ſub vigeſimum diem facto, admiranda vrinarum nigrarum, atramenti inſtar, copia excreta eſt, ad libras XII. & eo amplius, quod & iterum in quartana pluries à me obſeruatum fuit. *Valleriola commentar. ad libr. Gal. de conſtitut. artis med. pag. 355.*

Noui ego religioſum virum, quo cum quotidie familiariter verſor, cui ter aut quater in anno, maxime Vere & Autumno ineuntibus, intumeſcit lien, ac dum prominulus tumor inſtat, dolore hypochondrij infeſtatur, ſubliuidus toto fit corpore, ſenſimq; deterius habet. Sed tandem nigricantibus vrinis atramento ſimillimis erumpentibus, per 5, aut 7, dies priſtinam reſumit incolumitatem, tumore & grauitate hypochondrij vaneſcentibus. Iam à 11, aut 15, annis repetito iſtiuſmodi per interualla vrinarum profluuio detinetur, cum ante turgidas, ſed minus apertas habuiſſet hæmorrhoides *Anton. Valetius exercit. ad c. 40. de morb. intern. Hollerii.*

Obſeruauimus ipſi lienoſos quāplurimos vrinarum

rum nigrarum liberali profuſione ſanatos. Erant autem vrinæ nigræ, non liquore, non γενέσει, id eſt, generatione; quia tales in Prognoſt. Prohret. Aphoriſm. perpetuo ſunt lethales: aut enim maximum incendium torrefaciens denotant, aut natiui caloris extinctionem & νέκρωσιν, id eſt, morticinium. Sed nigræ erant permixtione humoris atri, quem lien expurgabat & deponebat in renes. *Andreas Laurentius Anat. lib. 1. quæſt. 38.*

Dedi laboranti ictericia nigra lapidem Bezoar, & minxiſſe vidi tam nigra, quam atramentum eſt, meliuſque ſe habuiſſe. *Crato Epiſt. lib. 2. pag. 92. à Laur. Scholtzio publicatarum.*

Observatio.

Vrinas, pro varietate aſſumptorum, multifariam tingi.

Accessi ad quendam curatione indigentem, ſecutuſque me eſt ſeruus meus, ea pharmaca deferens, quæ collatura exiſtimaueram ægroto, atque inibi manu capiens pharmacum (erat enim trochiſcus amarus) miſcui cum eo tantum oxymellis, quantum ſatis eſſe putaui, atque infudi de feruente aqua, vt liquidius & facilius ad bibēdum eſſet pharmacum, idque ægroto præbui. Ille vero calicem labris admouens, poſtquam ſenſit medicamenti inſuauitatem atque adeo amarus ipſe factus, & cætera ſuperbus & moroſus, quique ad medicamenta capienda non facile Medico obſequeretur: volui etiam ipſe ludere atque redarguere abominationem Medicinæ, quæ ingenita ei erat ab animæ mollitie. Itaque vbi dixiſſem moleſti nihil tolerare debere virum quenquam, niſi ad vtilitatem comparandam, dedi ſeruo pharmacum ad bibendum, dixique id non mediocriter collaturum eſſe corpori. Seruus acceptum calicem, manuque labris appoſitum, euacuatum oſtendit, vbi ſane quam libenter ebibiſſet medicamentum. Quo facto, illinc diſceſſimus. Ipſe profectus quo decreueram: ſeruum vero miſi ad amicum quendam ob rem aliquam neceſſariam, iuſſique vt celerrime reuerteretur. Erat iter eo (vt arbitror) triginta ſtadiorum. Obedientem reperi, atque celeriter reuerſum. Sed vbi ad meiendum coactus eſſet, ei viſum eſt nigrum meiere: mihique retulit idipſum malum, atque cauſam neſciens, magnopere contriſtatus eſt. Iuſſi itaque vt poſtera die in matula oſtenderet vrinam. Sic itaque egit, etiam euentum diſcere expectans, verebaturque ne forte, ignorata cauſa, repente moreretur. Ego quoque inſpecta vrina nigra, primo miratus ſum, oblitus pharmaci quod nuper dederam, neque quartanam in eo fuiſſe conſiderans, neque Melancholiam: ſolummodo videbam temperaturam eius vergentem ad quendam purum humorem nigrum: Sed hanc ſolam non credidi fuiſſe cauſam facti, nulla altera reddita cauſa. Poſtquam vero recordatus fui Medicinam, quam exhibueram, intellexi rem, atque riſi: iuſſique puerum confidere, ita vt ei nihil mali expectandum eſſet. Vrina autem plurimum tincta erat nigrore: quoniam, vt puto, non ſæpius vſus eſt ea Medicina. Poſtera vero die apparuit vrina veneta; & die quæ hanc ſequuta eſt mutata eſt ita vrina, vt ad eam, quæ ſecundum naturam eſt, conceſſiſſe ſpectaretur. Fortaſſe à principio non fuiſſet vrina tincta tam facile ab ebibito pharmaco: niſi etiam labor maximopere adiuuiſſet, quod ita facile medicamentum diſtributum fuiſſet, & ingentem materiam atque abundantem attraxiſſet. Horum ergo vniuſcuiuſque meminiſſe oportet, atque accidentia conſiderare, ſiue à pharmacis oriantur, præſertim quæ humores eiuſmodi commouent, ſiue à cibis & potibus ſimili colore affectis. Verumtamen hæc ipſa in corporibus ſanis contingentia, aut parum aut nihil mali ſignificant. In ægrotantibus vero longo tempore, maxime ab humoribus Melancholicis ſalutaria & ægritudines ſoluentia exiſtunt. Sed in iis, qui febribus acutis laborant, ſemper praua ſunt, atque fere mortis nuncia. *Actuarius libro ſecundo, capite vigeſimo, de iudiciis vrinarum.*

Multa ſunt quæ, vel manu retenta, vrinæ colorem alterare queant; vtpote Cantharides, quæ ſanguinolentam reddunt vrinam. Item Callais Indiæ lapis, qui ſi diutius aliquando attingatur, craſſam turbidamque & cruentam reddit vrinam. Similiter rubea tinctorum manu geſtata, rubeam & tenuem gignit, præterea quia alimenta aſſumta, id quod ante etiam à nobis oſtenſum fuit, ſimili modo lotium tingunt. *Adolphus Scribonius de inſpectione vrinarum, pagina 51.*

VRINA ALIENIS LOCIS EXCRETA.

Observatio.

Paulo infra glandem vrina emiſſa.

Pauli Bonini filiū nouimus, qui glande colis clauſa natus, paulo infra eam itinere patefacto, vrinam reddebat. *Beniu. c. 7. De Abditis.*

Contrahitur etiam ex matricis vtero circa naturalia vitium, vt obſtructio meatus ex quo fluere vrina ſolet. Vidimus enim & nos puerum quendam, qui, cum adeo meatus ipſe clauſus obſtructuſque eſſet, vt meiere inde non poſſet, ex anguſto admodum foramine, quod paulum infra glandem vrina ipſa vi ſua effecerat, emingebat, ſed non abſque ingenti eiulatu, & genitalis membri tumore. *Idem cap. 90. de Abditis.*

Apud Haganoenſes, ex Patriciis familiam celebrem agnouimus, ex qua maſculi plerique omnes pronati, vrinam ex foramine ſeu meatu proprio, ſubtus penis glandem, ſic à natura, non vitio aliquo conſtituto, qua parte vinculum canis ſeu frenum dictum exiſtit, vrinam ſemper excernunt nullo valetudinis aut ſterilitatis incommodo. *Schenckius.*

Observatio.

Vrina & ſemen per foramen ſub glande reddita, cum ſterilitatis nota.

Nobilem Francum noui, qui vrinam & ſemen emiſit per foramen infra penem vbi præputium adnatum eſt, naturali foramine concreto. Habuit vxorem, ſed ex ea non concepit. *Clar. Vir Eſaias Meichſnerus de Obſeru. propriis.*

Observatio.

Puellus bimulus vrinam emingens retro verſus interiora, glande & præputio intortis.

BIMVLVS puellus in vicinia noſtra vrinam cogitur reddere retro verſus interiora, glande pręputioque nonnihil intortis deflexiſque. Mater eius rei nullam aliam cauſam poteſt adferre, niſi forte quum grauida eſſet & in publicis balneis Laconicis ex virorum obtuitu per imaginationem id fœtui communicarit impreſſeritue. Ego aſtrictu frenum, quod canem vocant, in cauſa eſſe iudicaui. *M. ccius, de Obſeruationibus propriis inter multa nobis communicatis.*

Observatio.

Vrina, nullo glandis foraminis veſtigio apparente, per foramen circa radicem virgæ ſupra teſticulos excreta.

INfans natus annos duos ab ortu ſuo glans illi perforata non fuit, nec veſtigium aliquod in ea, vbi foramen eſſe debuerat, apparebat; ad radicem tamẽ eius prope teſticulos foramen erat, per quod lotium non guttatim fluebat, ſed directe emanabat, eſſeque ex hermophroditorũ genere, vt facile quis diceret, naturam & maſculum & fœminam producere in lucem tentaſſe. *Amat. Luſitanus, Cent. 1. Cur. 23.*

Observatio.

Vrina ex vmbilico ſoluta.

CVidam annum agenti trigeſimum, obſtructa veſicę ceruice, vrina affatim tanquam emictione ex vmbilico in mul.os menſes profluit, idq; citra tumorem, citra vllã aquæ in abdomine collectionẽ, & citra valetudinis offenſam. Cum hinc multi admiratione tenerentur, auditem vero recens in lucem edito male vinctum vmbilicum nũquam coaluiſſe, ex hincque ſemper nonnihil ſtillaſſe, cenſui nondum inaruiſſe vrachum, & nunc illi perinde atque dum vtero gereretur, vrinam è veſica in vmbilicum refluere *Fern. lib. 6. c. 13. Patholog.*

Puella quædam, cui cum ſuppreſſa per multos dies fuiſſet vrina, tandem per vmbilicum vrinam profudit. Narrauit id ſæpius in ſcholis noſtris, Bartholomæus Caproleus Chirurgus expertiſſimus, mihi amiciſſimus, & Academiæ noſtræ diſſector Ordinarius. *Andreas Laurentius libro ſecundo, quæſt. 28. Anatomes.*

Observatio.

Vrina infra pectinem paululum ſupra vuluam profluere ſolita.

PVELLA ex loco qui eſt infra pectinem, paululum ſupra vuluam vrinam reddebat, nullis interim apparentibus ſignis atque indiciis, vnde ipſa naturaliter profluere debuerit. Hanc autem nos cum parentum rogatu curare tentauerimus, & nullum huic malo idoneum inueniretur præſidium, ita vt erat incurata ad vltimum vitæ ſuæ terminum permanſit. *Beniu. c. 9. de abditis.*

Observatio.

Vrina per ſiniſtræ natis vlcus tranſudans.

IN iis, quæ interea, dum hic ſum, praxi obſeruaui, vnum eſt, quod ad te perſcribendum duxi, non diſſimile illi quod *Beniuenius* militi accidiſſe *octauo capite* refert. Senex quidam hic eſt, vinitor ſeptuagenarius, qui ſuperiori proxima hyeme primum magna cum difficultate reddidit vrinam: deinde, interpoſitis aliquot diebus tumorem in ſiniſtra nate non procul ab inteſtini recti exitu, ſenſit erigi: qui ope Chirurgi ad ſuppurationem deductus eſt, ita tamen vt deinde in vlcus malignum degenerauerit, ex quo ſubinde putridæ carnis nonnihil exciſum eſt. Cœpit id interea humore aqueo manare, quem indies copioſiorem per interualla (vrgente nempe vrina, à ſuo naturali & conſueto exitu reiecta) emiſit: atque ita paulatim vrina non aliunde, quam illac reddi conſueuit. Venit ad me coniunx eius, pro auerſione mali conſilium petitum. Nihil autem prius de morbo referre volebat, quam ego diuinaſſem. Cum viderem ergo vrinam quam ſecum attulerat, & mariti eſſe didiceram, limoſam & arenulas ad fundum demittentem: dico mihi videri veſicam mariti laborare, quæroq; num vrinam reddere queat Tum illa non conſueto more reddere dicens, incipit paulatim ea quæ poſtea vidi narrare, inſuperque ea quæ anteceſſerunt. Hoc totum inquam, ex vrina colligere neque ego potui, neque alius quiſquam poſſet. Rogo, quandoquidem de paupertate querebatur, vt etiam ſine precii ſolutione poſt meridiem me illum accedere permitteret: cum annuiſſet, conſtituto tempore de omnibus ipſum maritum coram percontatus ſum, & ea, quæ ſcripſi, audiui, præterea etiam vrinam (quæ tum forte vrgebat) reddentem conſpexi: quæ affatim quidem, ſed propter exulcerationem illius noui meatus, & quia acris videbatur, non ſine magno reddebatur cruciatu. Eo modo ſe iam inde à feſto Paſchatis reddidiſſe confirmabat. Exterius erat locus vlceratus, vicinis partibus paulo profundior, nec introrſum patebat vllum ſenſui foramen, niſi cum effluebat vrina. Tonſor, impoſitis emplaſtris, obſtruere meatum conabatur: nec laborabat, vt naturalis ille canalis aperiretur, imo ne quidem intrudere artificioſe norat ſpecillum. Suaſi vt locum relinquerent apertum: nec quicquam tentarent, donec aduenisſet lithotomus Rotenburgenſis. Interea poſſe ſenem iis vti rebus, quæ vrinæ obtundant acrimoniam, quæ illi enumeraui. Audio in hanc vſque diem miſere cruciari hominem. Referendam tibi Hiſtoriã putaui, quia diligenter tales notare ſoles, multaſque ſimiles abs te conſcriptas ante meum diſceſſum mihi recitaſti. *D. Iac. Suterus, ſuis ad me literis 7. Id. Nouem. Anno 1583. Horba datis.*

Observatio.

Per femur mingens miles.

VESICÆ vulnera, maxime in parte neruoſa, lethalia ſunt, dummodo adſint aliæ conditiones: vidi enim vulneratum ſclopeto: tertium igitur addo, quod vulnus non ſit in parte illa, in qua veſica ligatur à lateribus, nam per ligamentum illud concreſcit caro, & fit ſanitas, vt in milite, qui mingebat ex femore, quia veſica erat perforata in ea parte. *Fallopius de Vulneribus capitis capite duodecimo.*

Observatio.

Vrina circa coxam euacuata.

NOuimus miranda naturæ opera: nam & purulentum quid etiam oſſi ſubſidens extrinſecus trudit, & hominem certis indiciis moriturum ſæpius liberat. Vnde & militem vidimus, cui illatum vulnus in coxam veſicæ ceruicem inciderit: ac ſubinde incuria Medici adeo conglutinatu obcalluit, vt penitus iter vrinæ obſtruxerit: ſed ea nihiloſeci⁹ carne paulatim eroſa, coxa altera extrinſecus erupit. Indeque quoad vir ille vixit, rite profluens reddita eſt. *Beniu. c. 7. de Abditis.*

Observatio.

Vrina per perinæum ex vlcere delata.

NObili cuidam Veronenſi, viro probati ingenii, vrina ſua acredine perinæon perforauit, & ad mortem eum perduxit. *Ant. Fumanellus, operum ſuorum p. 535. edit. Tigurinæ.*

Memini me quandoque videre in perinæo, non ex calculo, ſed ab vlcere ceruicis veſicæ natum foramen: vlcere enim veſicæ ceruix ſi aliquando afficitur, non raro eo vſque hoc ipſum progreditur, vt tandem exeſa cute perinei, foras erumpat. Atq; tunc quidem per foramen aſſidue vrina profluit, vlcere curationem non admittente. Quod in pluribus obſeruatum. *Dodonæus in Annotat. ad capit. 78. Beniuenii de Abditis.*

Viſus & veſicæ abſceſſus per perinæum erumpere, è quo vrina reddebatur. *Fernelius libro ſexto, cap. 13. Patholog.*

Observatio.

Apoſtematis in perinæo & fiſtulæ Hiſtoria & curatio perfecta.

NON raro, Georgi conſobrine, vtriuſque ſexus hominibus ab epate & cerebro, per vertebras dorſi, alioſque ad emunctoria internos meatus, perinde ac in altera Gonorrhœæ vulgaris ſpecie pituitæ marceſcentis ad penem aut veſicam defluxio in perinæo ſubſiſtere ſolet & in apoſtema coaleſcere. Hoc niſi tempeſtiue cataplaſmatis maturatum fuerit, & facta ſuppuratione ſaniei exitus pateat, tunc illius acredo in podice ani muſculum ſphinctira aut veſicæ collum exedit, vt tandem ex illius fiſtula circa penis radicem lotium non ſine ardore excernatur, & per ani ſyringam interna penetrantem ſtercoris liquor emanet. Cauſa morbi antecedens interna ſui ablationem indicans, phlegmatis ſalſi, aut putreſcentis purgationem exigit, & ſobriam victus rationem, quæ eſculentis ſale nimio conditis aut eo maceratis careat, nec ſint penitus inſulſa, aut ſalis expertia, vinum album calore ſolis bene coctum & defæcatum bibat: à cereuiſia ratione lupuli qui dyſuriam aut vrinæ ſtillicidium irritare ſolet abſtineat. Et eo quoque nomine ſibi temperet ab omnibus medicamentis exquiſita virtute diuretica præditis, quæ lotii ſordes ad locum affectum plus ſatis præcipitant, de quorum numero ſunt raphanus vterque, ſiſeleos, lapis iudaicus, cyperi & cardamomum, & id genus diureticorum calidorum. Sed ad ſolidationem vlceris præcipue in veſicæ collo impenſe proderunt ea, quæ lotii acrimoniam obtundunt, de quorum cenſu eſt radix gliceriſæ, gummi dragaganthi, ceraſorum, ſuccinum, ac ſemina melonum, cucurbitæ, papaueris, nec pinearum nuclei oberint. Huius abſceſſus ſymptoma eſt ante maturationẽ in loco affectus neruoſo, dolor pungitiuus, & poſt factam ſuppurationem in oſculo vlceris aut fiſtulæ ardor vrinæ extinguibilis. Accerſitus igitur Ratisbonam, vt Epiſcopi huius generis apoſtema in perinæo curarem, cum lotium bene coctum viderem, primo corpus & interna præcordiorum viſcera ſubſcripto leni pharmaco, affectus loco accommodato purgaui, quod conſtat, medulla caſſiæ catharticæ, ſtillaticii maluarum liquoris vapore per cribrum expreſſa pondo vnciæ ſemis, diaphiniconis ſcrupulis quinque, rhabarbari ſcrupulo ſeminis, cinamomi interioris granis quinque mixta collocentur ſupra ſacrificii ex adore placentulam & aſpergantur momento ſeminis aniſi confecti, vt flatus caſſiæ diſſipentur, & id totum tempore antelucano, aut poſtquam dies illuxerit edat: tandem elapſis quinque horis prandeat iuſculum pilorum, aut duos ouorum ſorbilium vitellos. Cæterum cum circa generationem ſaniei, vt Hippocrates ait, febris & dolor incrudeſcere ſoleat, qui cucurbitæ inſtar, humores ad locum affectum allicit, vt dolor mitigaretur emplaſtrum quod partim humores affluxos reſolueret, partim maturaret tale applicui, quod ex duobus aliis coadunatum, nempe ex diachylone cum gumis vnciis duabus ſemis, diachylonis mollis vncia vna, croci ſcrupulo vno, diachylonis ex gumis aceto diſſolutis, ac mucillaginibus compoſitio paſſim in Chirurgorum antidotariis habetur, quo ignis tepor diſſoluto, aliud diachylon molle & poſtremo croc⁹ in lebete additur, & in vnã maſſam cõflantur. Molle vero diachylon cõſtat ex ſeui cerui vncia vna, medullæ oſſiũ cerui vncia vna ſemis, reſinæ abietis vnciis duab⁹ drachmis ſeptẽ, butyri recẽtis vncia ſemis, olei liliorum vncia ſemis, terebinthinæ drachmis ſex, ceræ albæ vncia vna ſemis, his vna induſtria Seplaſiarii lento ignis calore in ſartagine liquefactis frigore coaleſcant, ſi ad maturationem efficaciora deſideras, talia ex ſeminum lentore & gumis quoque additis in noſtro & Montagnani antidotario abunde deſcripta inuenies. Sed incredibile dictu quam cito diachylon, ſic cum altero coadunatum, apoſtema ad ſuppurationem deduxerit & maturauerit, id quod non erat obſcurum ex cholera & pituita apoſtematis indicium. Atqui cum durities, abſceſſus, dolor pulſatilis miteſceret ac collecta ſanie in apicem protuberaret apoſtema ſuppuratione maturum coniiciebam. Proinde quandoquidem anus ac membra genitalia, ob humorum affluxum ſint putredini obnoxia, ne ſanies ſua acredine finitima perinæo membra, anum, & veſicæ ceruicem depaſceret, aut vltra per ſinus veluti cuniculos ſerperet, apertionem apoſtematis in loco decliuiori κατὰ ἴξιν maturauimus, & ne ſaniei exitus obſtrueretur, & id quod præter naturam in loco affectus coarctaretur, quod primaria ac communis eſt omnium præter naturam tumorum indicatio efflueret, in vulnus licinium ex μότοις id eſt, filamentis contortum, ac ex oui albumine & vitello oleoque roſarum mixtura delibutum inſeruimus,

ne labra vulneris conglutinarentur, & aliquatenus
ad ichoris effluuium paterent, quam othoniis exce-
ptam ad doloris ex inciſione mitigationem vulneri
applicuimus, & emplaſtrum noſtrum ex diachylo-
ne, aut ex farinis & ſeminum viſcedine ſuppurati-
uū apoſtemati obduximus, cuius & naturalis mem-
bri caloris fotu, altero die ſanies alba æqualis &
denſa fœtoris expers, id eſt, ad vnguem cocta vber-
tim emanauit, omniſque dolor euanuit, quo ſubla-
to, ſolus ex omnibus ſymptomatis vrinæ ardor reli-
quus erat, quem ex phlegmatis ſalſedine putridi,
partim à cerebro, partim ab epate per renes ac lum-
bos in veſicam defluxu oriri, ex totius corporis ac
præcipue dorſi pruritu coniecimus. Verum cum in
lotio ſquamulæ furfuribus ſimiles natarent, veſicam
quoque ſcabie ex lotii acredine laborare, vnde vri-
næ ſtillicidium quoque non raro patientem infeſta-
bat, non temere ſuſpicabar. Quare piſcium ſalſamē-
torumque eſum, & vini potum patienti interdixi-
mus, & vt abſtemius ſubſcripto decocto ſitim leua-
ret ediximus, quod ex hordei integri manipulis
duobus ſemis, gliceriſæ abraſæ drachma, vna ſemi-
num aniſi drachmis duabus ſemis, dactilis inciſis
numero quinque, ſebeſten pellicula inciſa numero
quindecim, in olla vitreata cum menſuris aquę fon-
tis libris duodecim, donec hordeum intumeſceret,
decoqueretur. Nec id lotii acredinem obtundere
poſſe, niſi terque quaterque quouis triduo reſinæ
terebinthinæ ex Cipro allatæ ſcrupulos quinque a-
qua maluarum lotæ ac ex adore placentulis inuolu-
tos mane cum illuxerit dies deglutiret, horis quin-
que nullo eſculento veſceretur, tertia tamen ab ab-
ſumpto medicamento hora, cyathum decocti cice-
rum modice ſalſam abſorberet, quo quinquies al-
uum exonerauerat. Succedenti triduo edixi vt pa-
tiens veſperi iturus cubitum ac mane experrectus
ſeſquicochlear ſyruporum de capillis Veneris vn-
cias tres ſemis, de gliceriſa vnciam vnam ſemis, v-
na mixtis deglutiret. Quod ſi quam ob cauſam no-
ctes duceret inſomnes, pro ſyrupo de gliceriſa tan-
tundem illius de papaueris cremore ſubſtituere poſ-
ſet. Quarto die ad therebinthinæ vſus rediit, cuius
ſalutaris operationis ſucceſſu effectum, vt ægrotus
non amplius ardorem iuxta penis glandem, ſed ti-
tulationem verius perciperet. Verum cum illius v-
ſus omni ætati ſenili ſit, vt Galenus refert, innoxius,
abſorptis triduo vt antea ſyrupis, qui non modo v-
rinæ acrimoniam obtunderent, corpus quoque lu-
bricum & fluidum, ſed humores quoque ad excre-
tionem præpararent virium robore illæſo, quarto
die tantundem terebinthinæ ex adore ſacrificulo-
rum placentulis vino madidis, inuolutæ deglutiuit,
cuius operatione humorum ad perinæum & veſi-
cam aluuies per ſeceſſum expurgata, ex apoſtemate
vlcus ſolo ex lithargirio diachylone ſua ſponte fere
conſolidatum, & omnis vrinæ ardor ſublatus fue-
rit. Sed ſi ægri vires non ſubſiſterent, ac tam crebras
alui deiectiones ferre non poſſent, eas ſeptem die-
rum interuallo prorogare poteris. Conſolidato fe-
lici artis ſucceſſu apoſtematis vlcere, en fama quo-
uis præpeti auium volatu velocior, cum paſſim ali-
bi tum Ambergæ in Palatinatus Metropoli incre-
buit, me quibuſuis etiam chironiis vlceribus mede-
ri poſſe, tum à ciue ordinis ſenatorii Ambergam ac-
cerſitus, qui ex ſuppurato in perinæo abſceſſu nimis
ſero aperto donec purulenta ichoris colluuies quæ
ſua acredine veſicæ collum arroſerat, & in ſinuoſis
apoſtematis anfractus illatebrauerat ſua ſponte e-
rumperet, vnde tandem vlcus cauernoſum in fiſtu-
lam occalluit, per quam lotium acre, conſolidatio-
nem impediens deſtillabat, non raro quoque impe-
tu erumpens vlceris labra diſtendebat. Methodum
igitur curæ à ſalubri victus ratione, cauſis fiſtulæ &
vlceris conſolidationem remorantibus contraria
auſpicabar, & corpus vniuerſum à noxiis humori-
bus ad expulſionem reſeratis obſtructis meatibus
præparatis, quos cum oxymelle & ſyrupo ex rha-
barbaro de cichoria in aqua maluarum, capillorum
Veneris & cuſcutæ diſſolutis, digreſſi quatriduum,
ac tandem quinto die ſubſcripto pharmaco expur-
gaui. ℞. Caſſiæ vnciam ſemis, electuarii de dactilis
drachmam vnam ſemis, Hamech ſcrupulos duos,
diſſoluantur in decocti florum & fructuum clarifi-
cati vnciis quatuor ſemis, cum modico Suchari ro-
ſarum, ne plus æquo ſit amarulentum, peracta par-
tim ſeroſi & acris humoris excretione vt lotii acri-
monia miteſceret & id medicatis viribus imbuere-
tur, de ſubſcriptis paſtillis quouis die binos, alte-
rum mane, alterum ad primam facem noctis eden-
dos exhibui, qui conficiuntur ex pineis ſtillatitio
roſarum liquore præparatis pondo drachmarum
duarum, ſeminum melonum ſcrupulis quatuor, gu-
mi tragaganthi, arabici ſingulorum ſcrupulo vno,
gumi ceraſorum, radicum gliceriſæ ſingulorum
drachma ſemis, cinamoni drachma vna, penidia-
rum vncia, ſacchari in aqua roſarum & maluæ ſin-
gulorum quantum ſufficit vnciis quatuor ſemis diſ-
ſoluto fiat confectio ad formam rombi quadrati
pondo drachmæ vnius & ſemis, quæ veſicæ & mea-
tuum vrinæ aſperitatem lenit & curat. Dum his ve-
ſceretur quouis quarto die quia ſymptoma nullum
obſtitit, hauſtum decocti ligni Guaiaci vnciarum
quinque ſudoriferum decumbenti in lecto, ſtragu-
lis bene cooperto calidum dedi, ad proliciendum
ſudorem, quo acre ſanguinis ſerum expurgaretur.
Aut ſi quis decoctum ligni ex India faſtidit, is oxy-
mellis ſquillitici vnciam vnam ſemis diſſoluat in a-
quæ fumiterræ & agrimoniæ ſingulorum vncia vna
ſemis tempore antelucano in aqua feruenti calefa-
ctum ebibat in lecto, & eo ſudorem affatim eliciet.
His igitur quæ ſanguinem reddunt impurum ſalſe-
dineque acrem, & eo nomine ad conſolidandum
vlcera infœcundum ſublatis, reliquum erat vt tan-
dem medicamentis topicis, cauſticis, aut ſectione,
fiſtulæ callum quo vlceris aut fiſtulæ partim agglu-
tinatio impeditur quamprimum extirparem. Pro-
inde ſurculos radicis veratri nigri fiſtulæ inſerui, qui
tertio die fiſtulæ callum extererent. Poſt triduum
extracta ellebori radice cum interna fiſtulæ pellicu-
la attractioni contumax non obſequeretur, Pauli
Æginetæ ac Cornelii Celſi ex præcepto Megetis
conſilio fretus ex æruginis drachmis duodecim, ar-
moniaci tribus aceto acri exceptis, oblonga peni-
cilla fiximus, quæ Medici ſpecilla, ac turundas, &
vulgus Chirurgorum tentas quoque appellat, quæ
citra ſuppurationem callum arrodebant. Vt ſuppu-
ratione colliqueſceret, ex terebinthina, ac piſcium
glutino, addito ex hydrargirio puluere præcipitato,
pro modulo fiſtulæ turundas formabam, quibus
infixis fiſtulæ concauitati, & applicato ne elaberen-
tur te-

ſur tenaci diachylonis emplaſtro, facta ſuppuratione in viginti quatuor horis callus liqueſcebat, & cum ſanie fruſtillatim profluxit. Verum ne oſculum fiſtulæ ante exactam mundificationem conniueret fruſtula ſpongiæ oblonga & madida fili ligatura coarctata filo depoſito cauitate fiſtulæ impoſui, & ſinus vlceris non altiores quam ſubtercutaneos forcipe incidi, vt ſaniei effluuium vbique & vndique pateret liberum, ne intra ſinuoſos vlceris cuniculos deliteſcens, inteſtinum rectum & neruos teſtium chremaſteras arroderet. His peractis, quæ vlceris cauernoſi & ſinus callo obducti indicationes exigebant, reliquum erat vt à ſordibus purulentis abſtergeretur. Proinde ſubſcriptum vnguentum othoniis, id eſt, linamentis diſcerptis exceptum mane & in crepuſculo quoque abſterſa diligenter ſanie indidi, quod Seplaſiarius ex his conficiebat, Melle roſato vncia vna, terebinthinæ drachmis quinque, radicis ariſtologiæ rotundæ ſcrupulo vno, ireos, myrrhæ rubeæ ſingulorum drachma ſemis, æruginis ſcrupulo vno, granis quinque, ſeui hircini drachmis tribus. His in mortario calido piſtello exacte coadunatis vnguentum conficiebat, quod ſi defuiſſet, vnguentum Apoſtolorum eius loco ſubſtituiſſem. Verum cum ſub ſordium lentore caro mollis viſcidaque ſuccreuiſſet, quam vnguentum prædictum abolere non potuit, & vlcus verius ichore quam ſanie cocta madui, pul‑uere ex hydrargirio cum aqu[illegible]rifabrorum chryſulca per alembicum præcipitato totum vlcus conſperſi, & emplaſtro diachylone molli coope-rui, poſt quadraginta horas emplaſtro ſublato vlcus à ſordibus & carne molli ac ſpuria pulueris leui roſione doloris experte inſumpta purum reperi, ac ſublata hydrargirii puluere vlceris virulentia, id bonæ carnis grandine rubra pullularet, nil ſarcoticis quæ cauitatem vlceris explerent, ſed emplaſtris epuloticis cicatricem obducentibus opus fore arbitrabar. Eam ob rem Pharmacopœum ſubſcriptum emplaſtrum quod ad omnes curationes vlceris caui ac ſordidi ſcopos colliniat conficere iuſſi, ea decoctionis induſtria ne digitos adhæſu coinquinaret, quod Langii epuloticum nominare conſueui. Accipe terebinthinæ, ceruſæ, Lithargirii, lapidis calaminaris præparati, olei maſticini ſingulorum vnciam vnam, picis colophoniæ, ceræ ſingulorum drachmam ſemis, decoquantur lento ignis calore ad viſcedinis lentorem, dein inſpergantur maſticis, olibani ſingulorum ſcrupuli quatuor, corallorum albõrum drachma vna ſemis, thuris drachma vna, camphoræ ſcrupuli duo ſemis, cum piſtello calido exacte coadunentur & fiat emplaſtrum tam ſarcoticum, quam epuloticum, quo vlcus conſolidatum fuit. Hæc Georgi Conſobrine te, quem nunc poſt diſceſſum Caroli Quinti, Cæſaris ex Belgico in Hiſpanias, apud Philippum Hiſpaniarum Regem in Belgico eadem ſtipe Medicinam facere intelligo, celare nolui. *Langius libro tertio, Epiſtola quinta.*

Obſervatio.

Vrina per vulnus circa ſedem inflictum excreta.

Mytilenis iuuenis quidam, iuxta ſedem ſatis profunde vulneratus, tribus primis diebus neque cibum neque potum ingeſſit, quarto vero die, adhibitis prius remediis, cibum ſumſit ac bibit. Deinde, occidente ſole, iterum curatione adhibita, vrinæ circiter cotylas quatuor per vulnus excreuit, cum antea ab eo tempore quo vulneratus erat nihil omnino minxiſſet. Et tum ſane à pondere, quo prius circa pubem grauabatur, ſe perfecte liberatum dixit. Manifeſtum igitur hinc erat, veſicam fuiſſe vulneratam. *Galenus libro primo, De locis affectis.*

Obſervatio.

Vrina per aluum deiecta.

Praxagoras refert quendam ſe vidiſſe, cui vrina per ſedem excernebatur per duodecim annos. *Ruffus De veſicæ renumque morbis.*

Quis miretur ſi audierit, quod & nos vidimus, puerum ſcilicet duodecimum annum agentem, cum vrinam ſeptimo iam die non redderet, propterea quod concretum quid ex pituita & ſanguine vrinæ ipſius canaliculos obſtruxerat, eam tandem ex ano euacuaſſe? Præſertim ſi nouerit & veſicam ipſam ceruicemque eius minime foraminulentam aut fungoſam exiſtere, & inteſtinum quod penetrari debuit, ſolidæ ac concretæ eſſe naturæ, vt decet tunicas omnes quæ neruoſæ ſunt. Oportuit enim aut inciſam veſicam inteſtinumque, quod citra mortem fieri nequit, aut naturam, cui impoſſibile nihil eſt, huiuſcemodi aperuiſſe vias, vt inde vrinam redderet, puerumque ſeruaret. *Beniuenius capit. 7. De Abditis.*

Viſus eſt veſicæ ſphincteris muſculi abſceſſus in anum penetrare, illacque vrina omnis defluere. *Fernelius lib. 6. c. 13. Patholog.*

Aliquando naturali vitio meatus clauduntur, vt in virgine quadam animaduerſum, cui vrina per ſedem reddebatur. *Scholiographus ad librum primum, Galeni de locis affectis Lugduni in minima forma excuſum.*

Vidimus puerum qui totam vrinam reddebat per aluum. *Cardanus Comment. ad lib. Hipp. de Aliment. lect. 42. Text. 43.*

Obſervatio.

Vrina ſuppreſſa viſa aliquando exudare per anum, perinæum, ſcrotum, penem, & inguina.

Aliquando plane vrina ſupprimitur, vnde veſicæ tanta diſtentio, vt inde data inflammatio vrinaque retro in corpus refluа ægrum ad exitium præcipitarint: viſa vero eſt nonnunquam vrina ſic expreſſa, multis locis præter naturam quaquauerſum diffluere, & exudare per anum, perinæum, ſcrotum, penem, inguina. *Pareus operum ſuorum lib. 18. cap. 22. De lue Venerea.*

Obſervatio.

Natura aggrauata admiranda excretiones.

Quanta

QVANTA prudentia Deus naturæ facultates
in corpore humano diſpoſuerit, vel inde intel-
ligi poteſt, quod ea non ſolum neceſſaria appetat &
concoquat, corporique aſſimilet, ſed & aliena &
noxia expellat. Ac huius quidem expulſionis tanta
eſt neceſſitas, vt niſi naturæ vis eam ſæpe moliretur,
facile noxiorum prauitati ſuccumberet. Neque ve-
ro dicam in hoc loco de expulſionibus, qua prauos
humores è corpore ea eiicit, vnde & alii fluores &
catarrhi, & ſudationes non raro proficiſcuntur; ſed
de ſanguinis etiam, qui alioquin naturæ Theſaurus
cenſetur, deiectione. Etenim tam tenax eſt naturæ
illa moderatrix facultas iuſtitiæ, vt ſuperflua etiam
violenter à ſe reiiciat, & debita ſanguinis portione
facile ſit contenta. Quo magis culpanda eſt homi-
num immoderata ingluuies, quæ neque modum,
neque finem nouit in ingerendis etiam non neceſ-
ſariis. Itaque cogitur natura ſua virtute à periculo
oppreſſionis ſeipſam aſſerere. Quod quidē fit mul-
tis modis. Nam vel per Hæmorrhoides, vel per al-
ui fluxum ſanguineum eumque dyſentericum, aut
non dyſentericum, vel per ſanguinis mictum, vel
per narium hæmorrhagiam, vel per vomitum ſan-
guineum, vel per ſputum cruentum, vel per aurium
fluxum cruentum, vel per ſanguinolentas gingiuas,
vel per menſes, ea redundantiam ſanguinis deponit
atque excernit. De Hæmorrhoidum fluxu paſſim
extant exempla, ſicut & de dyſenterico, & men-
ſtruali in fœminis. Qui vero dyſentericus minime
eſt, hic vel epaticus eſt, vel aliunde ex venis inteſti-
norum apertis ſine dolore ſanguinem effundit, ac
eiuſmodi quidem violentia frequenter ſe oſtendit,
vt & ſuperius per os vomitu, & inferius per aluum
ſanguis copioſiſſimus excernatur, alias quidem ſyn-
cerus & rubeus alius vero ater, & pici ſimilis, idque
ſine vitæ periculo. Quamuis enim deliquia animi in
hoc caſu incidere ſoleant, vt obſeruaui in Nobili
quodam à Neineck olim Canonico Eiſtadiano, &
alio quodam Nobili aulico Neoburgenſi, tamen
ſenſim viribus inſtauratis ſanitas eſt recuperata. San-
guinis vero mictus vna cum fluxu ſanguineo inte-
ſtinorum non dyſenterico ex magna plethora pro-
fectus in ciue Eiſtadiano à me notatus eſt. Hæmor-
rhagia narium cuidam Canonico Nobili Eiſtadia-
no, iuueni quidem adhuc, ſed largiori vtenti diæta,
& abhorrenti à venæ ſectionibus, tam familiaris eſt,
vt ſingulis ſeptimanis recurrat, & iam quaſi ordina-
ria, ac naturæ conſueta eſſe videatur. Eadem ſingu-
lis menſibus recurrit in quadam honeſta Matrona,
quæ iam per viginti annos menſibus carens, hoc ge-
nere vacuationis purgatur, non tamen abſque ma-
gna moleſtia, & ſæpe ſuffocationis periculo non
leui, quod ſanguinolenta materia, vel in naribus
concreta, vel ad tracheam arteriam deorſum lata,
omnem fere ſpirandi facultatem tollat. Per ſputum
cruentum idque copioſum præſertim fœminas vi-
di ſine noxa vacuari, ac earum quædam loco men-
ſtruæ purgationis ita vacuabantur, menſtruis tem-
poribus. Quinetiam retulit mihi vir dignus fide, ſe
vidiſſe virum quendam qui cum ante Hæmorrhoi-
dalem fluxum habuiſſet, iſque deinde obſtructus
fuiſſet, tandem eundem per ſanguinis ſputum ſin-
gulis menſibus à retentione Hæmorrhoidalis flu-
xus ſe aſſeruiſſe. Ex quibus apparet naturam copia
ſanguinis aggrauatam moliri ſuæ leuationis vias ſæ-
pe inſuetiſſimas. *Vir Clariſſ. Iacobus Oethæus lib. Obſeruat. propriarum.*

DE OMENTO.

OBSERVATIO.

Omentum peritonæo & abdominis muſculis connexum.

COnſpicatus ſum omentum peritonæo, necnon abdominis muſculis adnexum. *Columbus lib. 15. Anatom.*

OBSERVATIO.

Omentum in laterali morbo cuidam in teſtis ſeminaliumque vaſorum tunicam delapſum, & ad quinque librarum pondus adauctum, mortem attulit.

NON ſemel ſane omentum in teſtis ſeminaliumque ipſius vaſorum tunicam (cui peritonæum originem præbet) deuolutum, ac miris modis extra mediocrem alias omenti cōſtitutionem, adauctum deprehendi. Nam cum tota omenti pars alioquin inteſtinis incumbens, in mediocriter pingui homine, vix libræ aut ſeſquilibræ pondus excederet: vidi tamen omentum ita præter naturam in ea teſtis tunica auctum, vt quatuor aut quinq; librarum pondus penderet, & ventriculum ex ſua ſede ita deorſum diſtraheret, vt ventriculi deficiente munere, variiſque obortis ſingultibus, id pondus mortis occaſionem fuiſſe, inter ſecandum collegerim: cum in morbo quodam laterali, qui alioquin bene expurgatus fuerat, ſcrotum ex more ab ægro aſtātibuſque ſubligari neglectum fuiſſet. *Veſalius lib. 5. c. 4. De corp. hum. fabrica.*

OBSERVATIO.

In ſcroto omenti libra viſa.

IN Scroto omenti libram & amplius conſpicatus ſum. *Columb. lib. 15. Anat.*

OBSERVATIO.

Omenti ſelibra extra vmbilicum.

PRæterea omenti ſelibram extra vmbilicum. *Idem dicto loco.*

OBSERVATIO.

In rupturis inguinis ſæpe omentum excidere.

QVidam ex noſtris ciuibus, vir integer, & bonus, cum rupturam inguinalē antea paſſus eſſet, ac inteſtina in rupturam excidentia aliquoties faciliter reducta fuiſſent, forte ſenſit aliquid denuo in eandē rupturam excidere. Dum vero illud reducere fruſtra conatur, à me & lithotomo Wiſſenburgēſi, viro experto, animaduertitur nullum inteſtinū, ſed omenti quandam partem exterius excidiſſe. Signa eius rei erant, quod neq; dolores colicos haberet, neq; motiones, neque febrem, neque alui obſtructionem. Itaque deprehenſo omenti egreſſu, à fomentis & emplaſtris deſtitimus, & iuſſimus eum ligaturam loco affecto adhibere, impoſito emplaſtro adſtringente, ac ita factum eſt, vt nihil incommodi ex ea re dein-

re deinceps ſentiret. *D.D. Iacobus Oethæus lib. Obſeruat. propriarum.*

Observatio.

Omento ex vulnere procidente, & abſciſſo, gladiator conualuit: tum quis eiuſdem vſus.

QVod omentum calefaciendi gratia factum ſit, euidenter diſcas, licet in illis, qui vulnus in abdomine acceperunt, in quibus per vulnus excidit omentum, deinde liuidum factum, cogit Medicos partem læſam adimere. Omnes enim hi frigidiorem ſentiunt ventriculum, minuſque concoquunt, ac pluribus operimentis extrinſecus egent, & maxime quando inſigni fuerit magnitudine quod abſciſſum eſt, quemadmodum certe & nos aliquando fere totum ipſum abſcidimus cuidam gladiatori ita vulnerato: homo autem ſanatus quidem confeſtim eſt, ſed tamen adeo facile & patiebatur, & lædebatur à frigiditate externa, vt non ſuſtineret nudum habere ventrem, ſed lanis aſſidue eſſet obuolutus. Gracilior autem fuerat à principio hic gladiator, cũ aliis partibus, tum ventre, ob idque celeriter, opinor, refrigerabatur. *Gal. de vſu partium lib. 4. c. 9.*

Observatio.

Omento ex ſaltu rupto, & tumore ad ſtomachi regionem cum dolore oborto, æger ſectione, & conſuto omento ſanatus.

NObilis Schlet ex ſaltu equi, & illiſu ephippii omentum rupit, & tumorem ſupra ſtomachum ſenſit, & peius habuit & concoxit. Facta inciſione M. Conradus Lithotomus, qui & tibi, vt opinor, notus fuit, reſidens in Schönbach olim, conſuit omentum: ſanato vulnere, nobilis melius in poſterum habuit. Tantum emolumenti accidit ventriculo ex omento. *Clariſſ. Vir Eſaias Meichſnerus de Obſeruat. propriis.*

DE PERITONÆO.

Observatio.

De vrina intra peritonæum collecta.

ASciticis aquoſos humores in cauitate ea cõtineri, quæ inter peritonæũ & inteſtina, in confeſſo eſt: colligi vero & illic vrinam poſſe præciſis vreteris, *Gal. lib. 1. de nat. facult.* prolixe docet: accidit vero & idem veſica læſa ac exulcerata: Monialis quædam virgo, quinquaginta quinq; aut ſex annorum, multo tempore circa inguina & pubem doluit: nullis interim ex vtero prodeuntibus excrementis: ſuperuenit tandem ventris tumor, quo indies maiore facto, neque vllis cedente remediis, mors tandem ſubſecuta eſt. Toto autem quo laborauit tempore, facies perpetuo elegantis & viuidi, vt in ſanitate, perſtitit coloris: ſiniſtri tantummodo cruris ſupra talos dolor moleſtus erat, cum tamen nihil illic mali appareret. Huius venter non aquoſo humore alio ſed vrina plenus extitit, quæ ex læſa & pertuſa veſica in hunc influxerat. Vterus ſiquidem omnino exulceratus fuit, ac ita quidem, vt ne figuram ſuam retinuerit: veſica quoque, qua parte ipſum contingebat, ſimiliter & aliquot foraminibus hians: per quæ vrina in ventris cauitatem delata fuerat. Reliqua viſcera, hepar, ac lien, omni labe ac vitio carebant: atque idcirco color faciei, vt diximus, haud fuit permutatus. Quod autem ex vtero excrementa nulla deſcenderint, hymen obſtiterit, quod natura virginibus concreſcit. Nam hoc integro, nihil ex vtero deſcendere aut deferri poſſe, vel hinc apparere poteſt. *Dodonæus cap. 34. Obſeruationum Medicinalium.*

Observatio.

De alui excrementis intra peritonæum collectis.

VRinam, veſica perforata, in ventris cauitatem profluere ſuperiore capite oſtenſum eſt: ſed & alui excrementa, vulneratis inteſtinis, eo quoque deferri poſſunt. Vxor fuit Medici formoſa & viuido colore prædita, carnoſa quoque & ſatis pinguis. Hæc poſteaquam nupſiſſet, concepit, ac dein peperit, ſed fœtum nec plene geſtatum nec vitalem. Poſt partum venter nõ modo ſubſedit, ſed & paulo poſt auctior factus eſt, ampliuſque quam prius intumuit. Suſpicio nata eſt collectos eſſe in ventre aquoſos humores, tametſi faciei color non mutatus, ſanitatem viſcerum prę ſe ferret: nec pedes (quod ſępe hydropicis accidit) tumerent: & vrinæ ſanorum ſimiles. Exhibita quandoque initio hydragoga medicamenta, verùm ab his nulla aquoſi humoris ſucceſſit purgatio, ſed torſiones admodum moleſtæ, vt non temere ab vſu medicamentorum omnium abhorruerit, & Medici abſtinuerunt. Ceſſatum itaque eſt ab omnibus purgantibus medicamentis.

In hac autem tanta miſeria annos (plus minus) duos vixit: ventre interea in tantam molem & altitudinem diſtento, vt vix genitales ſuas partes manu propria contingere quiuerit. Admirabantur Medici, quotquot eam ſubinde viſebant, ventris tantum tumorem, facie optime colorata, & nullis morbi notis in vrina apparentibus. Acceſſit ſucceſſu tẽporis reſpirandi difficultas, quæ indies increſcens, ac moleſtior facta, nec vllis cedens eclegmatis, tandem vitæ impoſuit finem. Diſſecto ventre, non aquoſus humor, ſed ſordes nigræ, quales in cloacis, effluxerunt craſſæ, fœtidæ, quibus fruſtillatim omentum permixtum, quod ſolum à tantis ſordibus computruerat. Sordium autem tanta fuit quantitas vt quatuor vrnas vel amplius implere potuiſſent, quarum ſingulæ quadraginta libras menſurales cõtinent. Diſtenſio autem ventris tam quoque magna, vt peritonæum, cum amplius diſtendi non potuerit, aliquot locis à ſuperioribus partibus ad inferiores vſque fiſſum fuerit, & iecur cum liene ac ventriculo, relicta propria ſede, cedente ſepto tranſuerſo, intra pectoris ſpatium aſcenderit: pulmone cum corde ſurſum collum verſus in anguſtias coacto. Quæ viſcera integra nec vlla parte vitiata fuere. Non libuit in tantis ſordibus inteſtina eximere, & diligentius perquirere: ſed dubium non eſt, ſordes iſtas non aliunde quam ex inteſtinis vulneratis ac læſis profluxiſſe. Nec etenim alia via aut modo in hunc locum peruenire potuerunt. *Idem cap. 35. Obſeruationum Medicinalium.*

* * *

DE VMBILICO.

Observatio.

Vmbilicus penis inſtar prominens curatus.

COMMVNE omnibus, vmbilicum ad decorem prominere. Monſtroſum ſi promineat, vltra quam decens ſit. Iohannes Binus, filium habuit octimeſtrem, cuius vmbilicus digitis quatuor excreuerat ad penis ſimilitudinem. Coles enim teſticulorum tunica iunctus videbatur: à quo etiam ſpiritus erumpebat interdum. Hunc cum plures Medici inuiſiſſent, & ex his alii inteſtinum eo erupiſſe iudicarent, alii omentum, alii humorem, nos carnem in loco increuiſſe dicebamus. Cui ſententiæ cum pater inhæſiſſet, puerum curare cœpi. Sed quod authoritate eorum mouebar, qui propter ſpiritum, quem inde erumpere interdum diximus, inteſtinum illud eſſe dicebant, reſecanda ne mihi eſſet caro illa, & id ipſum ferrone an igne potius faciendum, plurimum addubitabam. Verum certa tandem ratione ſubnixus, vincire carnem decerno; ſingulisque diebus arctius deligans, non prius deſiſto, quam ea ipſa præmortua penitus exciderit, ac puer ſubinde integram valetudinem recuperauerit. *Beniu.cap.6. de Abditis.*

Observatio.

Hernia Omphalocele immenſa.

IN oppidulo Than mulierem inſpexi, cui ex hernia Omphalocele vniuerſa pene inteſtinorum mole à peritonæi cauitate procidente, tumor immenſus, ac veluti nouus venter à vero ventre, flaccido & depreſſo, & in hunc tanquam ſaccum illi appenſum inanito propendebat, quem & faſcia circumducta, vt onus hoc ſubleuaret, collo ſuſpenſum geſtabat. *Clariſſ. Vir Felix Platerus de Obſeruat. propriis.*

Observatio.

Omphalocele ex laborioſo partu orta & neglecta, illuſtris fœmina præter alia periculoſa ſymptomat. crebras vomitiones & tabem incurit, quibus tandem extincta eſt.

PERILLVSTRIS mulier Victoria Gonzaga Martinenga, cum diſrupto peritonæo ſupra vmbilicum in violento partu enixa, & per multos annos nulla deligatione aliove præſidio adhibito, rupturam tuliſſet, indies ita dilata fuit, vt inde inteſtina præſertim gracilia laberentur, ita vt cibariorum in ventriculo confectorum diſtributio per illa minime fieri poſſet: ſed natura grauata, ſingulo tertio vel quarto, vel quinto die, prout magis vel minus cibum ingerebat, per vomitum eſculenta & poculenta ſemicocta, plurima pituita permixta, reiiceret, noctu tamen cum cubaret, vt plurimum ex ſitu adiuta inteſtina retro cedebant: obeſo erat corpore, ſed cum per ſex menſes huiuſmodi vomitionibus vexaretur, quotidie magis ac magis emaciebatur corpus, tandem ſubortis doloribus, & materia plurima, flatibuſque tumentibus inteſtinis per rupturam elapſis, ſuborta inflammatione, diſruptaque tunica inteſtinali, necnon & ventris cute, prolabente pure biduo, vitam cum morte commutauit, ſui vniuerſali deſiderio totæ ciuitati derelicto. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. c. 3.*

Observatio.

De vmbilici relaxati tumore puerili.

NONNVNQVAM recens natis pueris, oui magnitudine vmbilicus intumeſcit, quod perperam ſectus aut vinctus fuerit, vel quod humores ſeroſi eo cōfluxerint, vel quod eiulatu ex torminum puerilium doloribus ea pars ſe amplius æquo dilatauerit, nonnunquam ab vtero eum tumorem cum abſceſſu coniunctum ſecum efferunt. Sed abſceſſum illum nequaquam tentabit aperire Chirurgus. Facta enim apertione inteſtina prodeunt, & effundūtur, quemadmodum in multis, maxime vero in puerulo Domini de Martingues obſeruaui. Eiuſmodi enim abſceſſum cum Petrus à Rupe Chirurgus aperuiſſet, effundentibus mox ſe per plagam inteſtinis, mortuo Nobili puerulo, parum abfuit quin ſatellitum domeſticorum manibus ſtrangularetur. Itaque cum Ioannes Gromontius ſculptor nuper me rogaret, vt tale quid tentarem in filio ſuo, negaui me facturum, quod ex præſenti illo infortunio ſatis ad mortem ipſi eſſet: certe triduo poſt rupit ſe abſceſſus, & proruentibus inteſtinis mortuus eſt. *Pareus lib. 23. cap. 66.*

Observatio.

Tumor vmbilici curatus.

SOLI tumores etiam in vmbilico generantur, & plerunque nimis dilatati cernuntur, vt in Illuſtriſſima Anna Eſtenſe in hac ætate, quæ tamen breui ſanitati reſtituta eſt. *Braſauolus Comm. ad Aphor. 22. lib. 3. Hipp.*

Observatio.

Ex vena vmbilici inteſtina prolapſa.

MVLIEREM vidimus, ſexagenariam, cuius inteſtina ex vena vmbilici ſubito prolapſa ſunt, nullo præſidio conferente, tertia die vitam finiiſſe. *Beniu. cap. 5. de Abdit.*

Observatio.

Circa vmbilici regionem apertum apoſtema curatur.

APOSTEMA magnum in exituram conuerſum, quod habebat magnifica Domina de la Chau, lateraliter ab vmbilico in ventrem profundum aperire feci, dum eſſem Cameraci exul propter prælia. Apertum fuit totum mirach, ſicut in alia muliere, & reperta eſt magna copia ſaniei: & quamuis ipſa domina eſſet ſenio confecta, diligenti tamen cura Chirurgi, & gratia Dei curata eſt. *Petr. Bayrus Pract. lib. 20. cap. 4.*

Observatio.

Vlcus in vmbilico ex putrefactis inteſtinis natum.

ANNO 1564. Menſe Martio, vxor D. Sigiſmundi Holdſchuchers, cachectica, & mirum in modum ab vſu remediorum abhorrens, cœpit per aliquot ſeptimanas conqueri de dolore in vmbilico, qui ſenſim creuit, vt tandem eſſet acerrimus, cum adſtrictione alui. Mulieres exiſtimarunt eſſe ſuffocationem vteri, & varia applicauerunt, vocatus Wolffius idem credens, fomentu m pro vtero præſcripſit, & cucurbitam vmbilico impoſuit aliquoties, tandem etiam ventrem clyſtere lenitiuo aperiẽs, ex lacte caprino, quod tamen nihil aut parum eſt operatum. Sequenti die cum videretur augeri dolor vmbilici, apparuit tumor circa vmbilicum, ita vt vmbilicus videretur egredi, & manifeſta ſigna ſuppurationis. Cumque vocaretur Chirurgus qui contrectabat locum, & emplaſtrum maturatiuum volebat imponere, ſponte ſua ruptum eſt apoſtema, & egreſſæ ſunt tres libræ puris mixti cum ſtercoribus, cum maximo fœtore, & ita miſera mortua eſt. Secto corpore, tenuia inteſtina fuerunt à putredine corroſa. *De Obſ. CL. V. Ioan. Heßi per CL. V. D. Ioach. Camerarium ad me mißis.*

OBSERVATIO.

Lapides in vmbilico.

TOphos in vmbilico generari, & huiuſmodi affectionem poromphalon appellari, teſtatur *lib. Definitionum author.*

Lapidoſam materiam gypſeam ſub vmbilico extractam, *Carpus in Comm. ad Anatomen Mundini* atteſtatur ſe comperiſſe, citante *Marcello Donato Hiſt. Mirab. Med. lib. 4. cap. 30.*

Vidi lapides in Vreteris, in Veſica, &c. atque in Vmbilico. *Columb. lib. 15. Anat.*

OBSERVATIO.

Vulnus cuidam inter vmbilicum & os ventriculi inflictum mortem attulit.

ARCHITECTVS Pauli III. Summi Pontificis: Vir qui ob raras eius dotes ab omnibus in pręcio habebatur: cum apud Anconam ageret, enſe perfoſſus fuit inter vmbilicum & os ventriculi tranſuerſaliter, hoc eſt, ab vno latere ad aliud, adeo vt ab vtroque latere vulneris oſcula magna apparerent: ad quem, cum Chirurgi acceſſerunt, intus inteſtina reduxere, quę illæſa eſſe dicebant: quia nullum inde ſtercus exierat: ac ſic cutis vulnera conſuerunt, ab vtraque parte orificium dimittentes: in ſingulo quorum linamentum immittebant. Sequenti vero die obiit, cuius cadauer diſſecare fecimus, & ſtomachi infimam partem inciſam conſpeximus. *Luſitanus Cent. 1. Curat. 67.*

OBSERVATIO.

Vmbilici vis ad vitam.

APVD Ægyptios hodie graſſatores & rebelles pro ſupplicio viuos exui corio. Eos ita demum diu magno cum cruciatu viuere, ſi carnifex vmbilicum ferro non attingat. *Scaliger Exercit. 246. ad ſubtil. Cardan. Et Cardan. libro duodecimo, de Subtilit. circa finem.*

Infans quandiu geſtatur vtero per venam vmbilicalem ad ſe trahit alimentum. Nato puero vena illa (ne penitus ſit inutilis,) ſenſim indureſcit in ligamentum, cuius beneficio hepar vmbilico alligatur. Ligamento autem abſceſſo hepar ſurſum retrahitur & diaphragma adeo comprimit, vt homo neque inſpirare neque reſpirare poſſit, imo ſuffocetur ilico. *G. Fabritius in Chirurgia.*

DE ABDOMINE ET VICINIS EIVS PARTIBVS.

OBSERVATIO.

Abſceſſuum muſculorum epigaſtrii profundorum, Hiſtoriæ.

STESIANVS, quum Medicorum iudicium ſubiiſſet, neſcio quo pacto eorum non pauci abſceſſum in ipſius hepate conſiſtere crediderint. Sed poſtea quum longo temporis ſpatio nihil ſe in melius proficere ſentiret, me quoque vocauit. Igitur ſimul atque domum, vbi iacebat, fuiſſem ingreſſus, aſpiciens eum, hoc inquam ſcias velim, nullum tibi eſſe in viſcere vitium: ſed quid aliud te moleſtet, nudatis præcordiis declarare conabor. Inueni ergo in profundis muſculis abſceſſum, contracto iam pure, in medio ſpatio eorum muſculorum, qui per tranſuerſum incedunt, atq; illorum qui oblique ab infernis ſurſum tendunt, qui medii ſunt inter eos qui tranſuerſi peritonæo incumbunt, & eos qui ſub externa cute obliqui deorſum feruntur. *Gal. lib. 5. de loc. affect. cap. 7.*

Dominus Ambroſius Pareus, & alii, (vt & ego) viderunt abſceſſum ſimili in loco, miræ magnitudinis, & ſummi periculi, ex ſententia præſtantiſſimorum, tam Medicorum quam Chirurgorum Galliæ, qui eo erant vocati. Fuerunt autem D.D. Hollerius, Gorræus, Duretus, Budæus, Aurelianus, Antonius, Franciſcus Stampenſis, Flexolius, Medici: Chirurgi vero Nemuſanus, Pareus, Gerardus le Brue. Tramot, præſentes in conſilium etiam adhibiti fuere, licet abſentes D.D. Mocellus, Fernelius, Rapius ſenior, & alii. Abſceſſus hic ortum ducebat iuxta principium muſculi recti, & quidem lateris dextri, ſupra vmbilicum digitis tribus, loco fundi ventriculi vicino, & iuxta hepatis regionem, quem locum profundum, &, ob materiam craſſam ibi contentam, valde diſtentum, præter alia ſigna ſatis oſtendebat dolor, qui eo loci augebatur, dum venter extenderetur & pectus dilataretur, quando muſculus oblæſus ad actiones has peragendas extendebatur: malum hoc inſtar alicuius inflammationis œdematoſæ, poſt multos diuerſos & Chronicos ſibi inuicem ſuccedentes morbos ortum eſt, qui tandem morbi poſtquam natura tam copioſos humores heterogeneos ſymptomatice in locum non naturalem repoſuiſſet, deſiere. Et hæc in illuſtri Ludoica Humierea, Antracis Domina ad Malherbam ſyluam, viſa fuere. Abſceſſu hoc aperto (cum tandem ad maturitatem tantam, quæ vix ſperabatur, perueniſſet) incredibilis & tanta puris copia ſummo cum impetu prodiit, vt vſque ad pedes lecti proflueret, & quidem vltra ſeſquimenſis ſpatium copioſiſſime effluxit, per vulnus

amplum, cauterio actuali inflictum, quod ſemidigiti craſſum, duorum vero latum erat, & vltra tres digitos in altum deſcendebat, antequam ad locum, in quo tanta puris collectio fœtoris intolerabilis continebatur, perueniretur, ita vt ſolum peritonæum vulnerandum reſtaret: vt hac ratione materia, quæ longo tempore copioſe inter ipſum peritonæum & pene omnes abdominis muſculos profuſa erat, facile in abdominis capacitatem inter inteſtina defluxiſſet, quod ex profunditate aperti abſceſſus, turundis, ſpecillis, & canulis, quæ indebantur, facile cognoſci potuerit. Malum certe hoc deterius multo erat (quoad muſculos epigaſtrii) quam hæc noſtra ſectio, à quo tamen, laus Deo, intra paucos dies fuit liberata & ſanitati reſtituta. *Rouſſetus de part. Cæſ. Sect. 3. cap. 2.*

Observatio.

De inflammatione muſculorum abdominis.

INFLAMMATIO muſculorum abdominis ex iis eſt quæ rariſſime contingunt: Idcirco & Medicum iudicio falli facile contingit. Scriba quidam, cum ruri haud procul Antuerpia eſſet, dextri lateris cum febri dolore correptus, ſed iuxta, ac paulo infra nothas coſtas. Medicum accerſiuit, qui venæ ſectione imperata, eclegmata linimentaque præſcripſit, qualia pleuritide laborantibus adhiberi ſolent. (Pleuritim morbum eſſe exiſtimabat.) Ab his vero cum male æger haberet, febriſque intenderetur, domum vehi poſtulauit, ad quem deinde vocatus, hominem offendi febricitantem quidem, ſed debilem & viribus parum valentem, dextrum hypochondrium nonnihil dolentem, ventre vero vehementer diſtento, ac velut hydropici alicuius tumente. Exhibui mox purgans medicamentum, ſed in exigua quantitate, quod cum feliciter ceſſiſſet, poſtridie idem, ſed in maiore quantitate propinaui, quo expurgatis multis vitioſis humoribus, ſiniſtra ventris pars tota ſubſedit: dextræ vero tumor permanſit. Et cum non modo tumida hæc pars relicta eſſet, ſed & durior ac digitis renitens, cataplaſma admoui, quo tumore intra paucos dies emollito, nuſquam vero apparente loco, per quem pus eruptutum ſperari poterat, ſectionem adhibuimus, adhibita diligentia, ne peritonæos membra vulneraretur: qua circa interiorem ventris partem facta, mox copioſum effluxit pus: quo deinde expurgato, vulnereque ſolidato, æger ſanitati reſtitutus eſt: adhibita interim bona victus ratione & paucis remediis. *Dodonæus capite vigeſimo nono, Obſeruationum Medicinalium.*

Muſculorum autem hanc abdominis, ac eius, qui ex dextro oritur hypochondrio, fuiſſe inflammationem, ipſa curatio oſtendit. Vnde etenim pus, niſi ab huius inflammatione? Non eſt ſiquidem veriſimile, iecinoris fuiſſe inflammationem, & ab hac pus intra peritonæum & abdominis muſculos abſceſſiſſe. Cum autem iſte muſculus ex ſexta, ſeptima, & octaua, coſtis, originem ducat, haud mirum, ſi lege conſortii dolor ad coſtas initio peruenerit, & lateralis inflammationis ſpeciem exhibuerit: præſertim in profundo latitans, & nullam ſui notam foris oſtendens. *Idem in Scholiis.*

Observatio.

Pro quodam, cui, in ſpheriſterio nimio & inordinato corporis conatu, fibræ muſculorum rectorum Epigaſtrii fracta erant.

RECIPE roſarum rubr. pugillos duos, coquantur in vino auſtero, & foueatur pars, facta prius molli frictione, poſt fotum ſiccetur linteo parum calido, dein applicetur ceratum ſequens bis in die, veſperi & mane, donec curetur, & ſit aluus libera. Recipe ceræ nouæ vncias tres, olei amygdalar. dulc. chamomelini, ana vnciam ſemis, farinæ lupinorum, ſeminis cumini, ana drachmas duas, fiat ceratum, extendatur ſuper alutam, tegatur lineo tenui, & parti admoueatur: quibus ſi nihil iuuetur, adhibe quod ſequitur. Recipe flor. chamomillæ, meliloti, ana pugillos tres, folior. parietariæ, maluæ, ana manipulos duos: concidantur herbæ, & cum furfuris pugillis tribus fiant ſacculi duo pro parte. Hæc admota ſunt ſub vmbilico, vbi fibræ ruptæ erant, & curatus eſt. Erat autem Prunſuicenſis. Cura fuit Syluii Pariſiis. *De CL. V. Caſpari Wolphii Obſeruationibus practicis.*

Observatio.

Hernia abdominis ſanata.

MERCATORI Ciſero, cui taurus, impetu in eum facto, cornibus abdomen in latere vmbilici perfoderat, poſt conualeſcentiam exiguus tumor, rupto ſcilicet illic peritonæo, remanſit: quem cum negligeret, tandem ſenſim è peritonæi cauitate emergentibus inteſtinis, tumor in immenſum excreuit, ipſeque & febre acuta, & ſtercoris euomitione adeo periculoſe & extreme laborare cœpit, vt de illius ſalute pene deſperantes, ad ſectionem, reponendaque inteſtina, tanquam extremum remedium confugeremus. Qua in cute illius loci tentata, licet difficulter foramen peritonæi rupti digito inueſtigaretur, eo tamen inuento, ſenſimque intruſis inteſtinis, mox ſanitati reſtitutus: tumorem nunc vinculis coercet. *Clariſſ. Vir Felix Platerus de Obſeruat. propriis.*

Observatio.

Abdomen pure repletum, illiuſque viſcera infecta.

ALTER quoque diuturno morbo è medio ſublatus, cuius venter in immenſum excreuerat, cum aperiretur, pure cadaueroſi odoris in altum proſiliente, aliquot pelues æneas, quibus Chirurgi vtuntur, impleuit, quod & non minori copia impetuque è thorace diſſecto promanauit: in quo pulmones vnius lateris, vt in aliis phthiſicis fere ſemper accidere explicatum fuit, penitus abſumpti & in pus conuerſi, non ſolum thoracem, ſed & vniuerſum abdomen repleuerunt. Quod ex thorace eo profluxiſſe illud maxime, quod nulla viſcerum corruptio in ventre inferiore deprehendebatur, ſed lobi hepatis, inteſtina muſculique epigaſtrii cum meſenterio & omento duntaxat denigrata nonnihil infectaque cernerentur, ſufficienter comprobat. *Idem Platerus de ſuis Obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Abſceſſus in ventre obortus, paulatim exeſis membranis & peritonæo in abdominis cauitatem penetrans, putrefactis inteſtinis, diarrhœa vitæ finem facit.

IN mentem venit, quod per frequentes Anatomes in Xenodochio ſum aſſecutus. Naſci interdum abſceſſus nobis reconditos, quorum materies diutiſſime velut incluſa membranulis teneretur. Quos ipſa humorum copia, vel edax malignitas ſibi eſtormat inter diploides pleuræ, peritonæi, aut cuiuſcunque meningis alterius: vt euidenti exemplo patuit in diſſecto cadauere Domini de Schœnhoue: cui ex percuſſione, dum iuuenis eſſet, equinæ calcis in ventrem, locus factus eſt imbecillior; ſenectutis tempore fluxio nata, in diuturni abſceſſus ſpeciem tranſiit, ac ſuppurata demum eroſis membranullis, è peritonæi in abdominis cauitatem decidit: vnde paulatim putrefactis inteſtinis, ac diarrhœa ſuperueniente, deceſſit. *Gemma in caſu mirabili de puella Louanienſi.*

OBSERVATIO.

De tumore inſigni & circumſcripto hypochondrii dextri, cum dolore, ventris tumore & ſpirandi difficultate in Nobili muliere ſanato.

LEODVNA Nobilis mulier, ingenti hypochondrii dextri dolore, cum tumore inſigni & circumſcripto affecta, cum magna ſpirandi difficultate & ventris tumore, diu ægrotans, tandem integre ſanatur, Medicis quibuſdam ſubeſſe in hepate apoſtema aſſerentibus, cum nullum tamen eſſet. Hæc multis auxiliis curatur, ſanguinis miſſione, purgatione, fotibus, vnctionibus, & aliis. *Valleriola, libr. 4. Obſeruat. 5.*

OBSERVATIO.

De vulnere in ventre accepto ſub ſiniſtro hypochondrio, adusque renum ſubſtantiam & inteſtinorum penetrante, ex quo magnis & lethalibus ſubſecutis ſymptomatis, mors vndecimo ſecuta eſt.

ANTONIVS Boche Patricius Arelatenſis, filius Domini à Vers, adoleſcens decem & octo annorum, vulnere in ventre accepto ſub ſiniſtro hypochondrio penetrante vſque ad renum ſubſtantiam, rene ſiniſtro, inteſtiniſque tum tenuibus, tum craſſis vulneratis, magnis ſubſecutis torminibus, ſingultu, animi defectionibus, tandem vndecimo die moritur. *Idem libro ſecundo, Obſeruat. 8.*

OBSERVATIO.

De vulnere in ventre accepto ad inteſtina vſque penetrante, ex quo quinta die mors inſecuta eſt.

IACOBVS ab Aqueria Patricius Arelatenſis, ſecundum ventrem vulneratus, vulnere ad inteſtina penetrante, quinto die moritur. *Idem eodem libro, Obſeruat. 9.*

OBSERVATIO.

Globulus, è pubis regione ſupra aqualiculum, totum ventrem transfodiendo, iuxta ſpinam, nullo læſo viſcere, traiectus.

SI vulnus aut thoracem, aut abdomen ſolum, illæſis vtique viſceribus, oſtenderit, (quod in Senenſi obſidione contigiſſe vidimus Herculi Nouolarenſi, cui globulus è pubis regione ſupra aqualiculum totum ventrem transfodiendo, iuxta ſpinam, nullo læſo viſcere, exierat) ſingulis diebus noſtri olei aliquid guttatim iniicies, moxque ſi vulnus ſit in ventre cannulatum cuneolum, ſi in pectore, tortile linamentum quopiam concoquente medicamento, quale id eſt, quod ex therebinthina & vitello oui conficitur, illitum impones, atque ſedem totam roſaceo perfundes, ac denique linteum eodem medicamento incruſtatum ſuperdabis. Cumque apparuerit coctio, oriculario ſpecillo ſedem abſtergente quapiam lotione lauabis, huiuſce generis ea eſt, quæ recipit mellis roſati vncias tres, myrrhæ, fœnugræci, farinæ lupinorum ſingulorum vnciam dimidiam, vini albi dulcis libr. vnam, aquæ hordei libras duas: omnibus mixtis, ad tertiaſque conſumptis. Vel alia, quæ habet roſarum rubrarum, hordei, thuris, myrrhæ aloes, Zuccari, omnibus in aquæ vinique æqualibus portionibus ad tertias ebullitis. *Iohann. Franc. Rota de Sclopet. vulneribus cap. 23.*

OBSERVATIO.

Tumor flatulentus circa pubem ſua ſponte enatus, qui diſcutientibus adhibitis diſparuit.

NOS in Mapheo quodam Tragnolo pannorum textore ſene, tumorem indolentem ad tactum, ſupra penem in pube ſponte enatum vidimus, panis craſſitiem æquantem, nullo alio modo patientem afficientem, quam quod per initia ægre vrinam reddebat, quæ, progrediente morbo, & augeſcente tumore, quoque ſuppreſſa eſt: ſed diſcutientibus medicamentis ventoſo tumore reſoluto, vrinam libere excreuit, & ſanitati momentaneo auxilio ſtatim redditus, qui proxime animam emiſſurus crederetur. *Marcellus Donat. Hiſt. Mirab. lib. primo, cap. 6.*

OBSERVATIO.

Calculus in Inguine.

LApides generantur in Inguinibus, vt vidi Veronæ vna cum eximio Medico M. Benedicto de Leonibus. *Arculanus Commentarior. ad capit. de Calculo lib. 9. Raſis.*

OBSERVATIO.

Abſceſſus non procul ab Inguine, è quo veſiculæ aquoſæ prodierunt.

QVædam mulier cum grauiter diu laboraſſet, tandem abſceſſus prorupit, non procul ab inguine in crure in anteriori parte: ex quo prodierunt multæ veſiculæ aqua plenæ. *Solenander Sect. v. Conſ. 15.*

PLERISQVE INTERNIS CORPORIS PARTIBVS VITIATI.

OBSERVATIO.

De omnium internorum viſcerum, citra doloris ſenſum, corruptione.

VLCERE ventriculi viſus fuit quidam ceruiſiæ coctor laborare, non tamen exterioris, ſed interioris partis: huic non modo ventriculus male affectus erat, ſed omnia interiora viſcera corrupta ac fœtidiſſima. Multo tempore hic pallidus admodum fuerat,& mali in facie coloris: circa digitorum articulos tumores habebat: delectabatur ceruiſia forti & medicata, quæ ſcilicet præter fruges & alia quædam admittebat, quæ ebrietatem faciunt: inter quæ & chamæleagni fructus ſunt. Contigit autem huic anno quodam, Martio Menſe, vt ventriculo pure ac crudis quoque humoribus repleto, cibum potumque non ſolum auerſaretur, ſed conatus ne tranſmittere quidem potuerit. Profuit ſerapium acetoſum, cuius vno aut altero cochleari aſſumpto mox pituitam crudam, copioſo pure permixtam, vomuit: quod cum aliquotiens deinde faceret,& vomitus tandem non amplius ſuccederet, ad ſanitatem ſe rediiſſe ſibi perſuadens, alia ac plura remedia admittere recuſauit. Superuenit paulo poſt digiti vnius ſiniſtri pedis ſphacelus: qui cum arte ac diligentia experti Chirurgi conſtitiſſet, mox dextrum pedem gangræna occupauit, & velociter progrediens, breui ſupra talos peruenit. Hoc tempore cum de vitæ periculo admoneretur, reſpondit ſe nulla corporis parte dolere, neque vnquam antea doluiſſe, ita abſque dolore, pauciſſimis poſt diebus, ſub initium Menſis Iunii, è vita migrauit: tertio videlicet Menſe, ex quo pus vomuiſſet. Huius omnia viſcera, quæ aperto corpore in conſpectum venere, corruptiſſima fuere, multo pone conſiſtente pure: quorum tantus fœtor, adeoque grauis ac moleſtus, vt diutius hærere non fuerit poſſibile; multo minus ſingulas partes luſtrare: & tam fœtidum corpus neceſſum fuerit mox ſepulturæ committere, alioqui vniuerſæ familiæ grauem moleſtiam allaturum. Videtur hic interna viſcera ſenſu deſtituta habuiſſe: contra plane quam nonnulli alii, quibus ſenſu prædita ſunt. *Dodonæus Obſ. 27.*

OBSERVATIO.

Puellæ ſex annorum poſt diſſectionem multifariam morboſa deprehenſa, ſic, vt fere nulla corporis particula ſalua perſtiterit.

PVELLA annorum circiter ſex, lapicidæ noſtratis 4. Aprilis Anno 86. præſentibus aliquot ſtudioſis, ſecta fuit. Cum enim toto fere vitæ tempore morbis fuiſſet obnoxia, præſertim vero tumoribus œdematoſis, circa articulos manuum, quibus apertis, oſſa corrupta inueni, nulla tamen fere materia aderat: dein palpitatione cordis & aſthmate diuexata, tandem atrophia periit. Abdomine aperto, omenti pinguedo abſumpta erat, inteſtinum cœcum non lumbrici inſtar, ſed craſſum, ex meris glandulis rubētibus compoſitum, duorum ſcilicet digitorum latum, in quo nihil niſi muci aliquid. Meſenterii glandulæ ſcirrhoſæ Hepar à naturali magnitudine recedebat, vt quod plus iuſto magnum eſſet. Ren ſiniſter dextro multo maior & durior. Ventriculus chylo vacuus, ſed flatibus diſtentus. In thorace vero pulmones à conuenienti colore recedebant. Pericardium diſtentum aqua refertum. Cordis auricula dextra prætumida, cui inerat materia quædam alba membranoſa, craſſa, oblonga: in ipſo autem dextro cordis ventriculo, materia pinguedini ſimilis. Hinc forte anniculæ dicunt, dum palpitatione quis laborat, Er hat ein Hertzwurm. *CL.V. Caſparus Bauhinus de Obſeruationibus propriis.*

OBSERVATIO.

Diuturno morbo contabeſcens diſſectus, ſolo Corde ſaluo repertus, reliquis omnibus putrefactis.

IN hoc oppido noſtro ciuis quidam Georgius Gebhardus, variis morbis & longo cruciatu detentus, per 13. annos, vix ægra trahens membra, vehementer contabeſcente vniuerſo corpore, quum fruſtra hinc inde conſultis Medicis quæuis adhiberentur, tandem vitam morte commutauit. Cuius diſſecto corpore ſolum cor illæſum reperi. Cæteræ partes erant fœtidæ & putrefactæ. Ventriculus, mirum dictu, inanis prorſus erat, omni chylo deſtitutus, nec vllam aliam humoroſam in ſe continens materiam, & conſequenter occluſus quaſi ac paruus. In veſicula fellis, & meatu eius choleram ad inteſtina deducente, obtulit ſeſe maſſa quæpiam nigra, ſpecie vitreorum lapillorum qui pileis & eorum faſciis ſeu redimiculis, ornatus gratia, annecti ſolent, adeo quidem vt bilis reciproco gradu, propter obſtructionem, ſpinam dorſi perforando, ad pedes defluxerit, vbi concitauit ampullas aut veſicas oui columbacei magnitudine, vel etiam maiores, tantum ardorem ac dolorem mouentes, vt mirum ſit, quod non ſingulis horis æger in ſyncopen inciderit; quibus apertis, nil niſi cholera ichori commixta exiuit. Meſenterium à tinctura iſtius choleræ vndiquaque putridum erat. In renibus deprehendi materiam calculoſam ſatis multam; præcipue autem in ſiniſtro, vbi apparuit lapis haud exiguus, ita vreteri acuta ſua cuſpide inſertus, vt omnis vrinæ ad veſicam tranſitus ſit interceptus. Pedes illius magis, quam in leproſo, ſquallidi erant. *Clariſſ. Vir M. Iohann. Fabri Obſeruatio.*

OBSERVATIO.

Diſſecto Nobilis Domicellæ cadauere, pleraque corrupta & male conſtituta deprehenſa.

NObilis Matrona Maria Salome, ex præclara Nobilium de Gemmingen familia oriūda, nupta ætatis anno decimo ſeptimo Nob. Viro Reich à Reichenſtein, cum forte fortuna ſordes abluendi ergo balneum eſſet ingreſſa, neſcio quid in cupa apprehendere annitens, ſiniſtra mammilla læſa eſt, verum quia parum aut nihil inde doloris ſenſit, tanquam leuius vulnus contempſit & neglexit.

Subſe-

Subſequentib. inde diebus loco affecto tumor quidam, indolens fere, ſuccreuit, qui tamen citra negotium Cheirurgi induſtria ſublatus eſt. Enatæ ſucceſſu temporis complures puſtulæ ſunt, quæ in vlcera tandem terminarunt. Sollicita interea Nob. Matrona de canceri ſucceſſione, Clariſſ. Medicorum, potiſſ. vero Auguſtæ Vind. conſilia audiit, verum neſcio quo fato ſe Medico cuidam Paracelſitico, ſed parum feliciter curandam ab eo tempore concredidit, qui Paracelſi indubie deleteriis pharmacis potionatam necauit. Vocatus itaque ad conditam & ſectionẽ defunctæ Matronæ, à Nob. Io. Georgio à Landſperg ſectionem ab enſifoide ad os vſque pubis molitus ſum: hinc ſeſe primum aqua intra peritoneum copioſe collecta obtulit, cuius flaueſcentis chirurgi aſſiſtentis peluim bis complere licuiſſet. Stomachus & Inteſtina portenſe inflata & aqua turgida erant. Iecur durum, lapideum, & integre labefactatum. Lienis veſtigia nulla, præterquam putrida & fœtentia. Pulmones, dextri præſertim lateris, putridi ac nigricantes, Cor exiguum admodum, cuiuſmodi antea videre nunquam contigit, in ſe contractum & corrugatum, huic Pericardium ita agnatum videbatur, vt vnguibus auellere opus habuerim. In diſſecto vtero materiam, albam, lapide factam adeoque duriſſimam, vt vix cultro diſcindere licuerit, inuenimus. Mammas crucis in modum diuiſi, quarum caro dura admodum, nigreſcens, ſed non omnia putrida conſpiciebatur. Atq; hæc ſunt quæ diſſecto cadauere Nob. Matronæ, obſeruare contigit.

De obſeru. Georgij Garneri, Medici, ad nos miſſis.

F I N I S.

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM

TOMVS QVARTVS:

qui agit

DE GENITALIBVS PARTIBVS VTRIuſque ſexus.

PRÆFATIO.

AD Dei Opt. Max. imaginem creatus Homo, diuinorum atq; caducorum particeps: Anima immortali, tanquam hoſpite: Corpore vero caduco atq; mortali, velut hoſpitio conſtitutus eſt. Proinde cum materiæ occaſione hominem immortalem producere haut licuiſſet, ad ſobolis certè procreationem, generisq; humani propagationem, ſummus rerum Opifex, admirandum illud generationis atq; educationis ſobolis opus, marem & fœminam, pro ſua immenſa ſapientia copulari voluit. Atque in vtroq; ſexu genitales partes de quarto loco, ob ſpeciei conſeruationem Principes ea ſolertia effinxit atq; conſtituit: vt ad ſeminis ſuſceptionem, & concepti fœtus perfectionem, partumq; felicem, nulla excogitari aptior poſſet. At cum poſt triſtem primorum parentum lapſum, diuinum hoc generationis opus fœde adeo contaminari & prophanari indies, proch dolor, magis magisq; contingat: vix vt verecunde quis de partibus generationi ſeruientibus, miſereq; morbis afflictis, loqui poſſit. Nos proinde, pro Operis noſtri inſtituti ratione, præter eos, quos pleriq; alii ſuperiorum ætatum Medici, morbos, de vulgo cognitos, has partes affligentes, annotarunt: vel eam ob cauſam, raros, nouos, ἀπίστους alios, & rationem ſæpe omnem excedentes, de recenti obſeruatione exhibemus. Idq; eo magis, quo execrabilioribus, adeoque nobis, qui CHRISTVM profeſſi ſumus, indigniſſimis, deteſtabilioribuſque, vagarum, horrendarumque libidinum generibus, inquinati: anguſta illa generationis organa, per quæ æternitas quædam humano generi quaſi per ſucceſſionem parta eſt, conſpurcantes; longe in eo belluinam rabiem ſuperantes, in impuriſſimum, omniſq; ſentinæ & cœni atq; corruptionis putrefactionisq; ſtabulum quoddam, inexpiabili ſcelere conuertimus, inſatiabili quidem inſania, at longa ſæpe nonnunquam cita, certaq; noſtra pernicie. Vnde fit, vt per penem & vterum, honos auribus eſto, aliquando per anum, aliasque alienas partes mingere, & nonnunquam hæc ipſa membra vel tota vel per partes reſecare, mutilareq;, cum extrema miſeria contingat. Hinc illa noua morborum, maxime vero gallici, ſoboles: carunculæ in meatu vrinario: ſtranguriæ atq; gonorrhϾ fœdiſſimæ, aliiq; innumerabiles, condigni eiuſmodi libidinum fructus. Quæ nobis pleraq; omnia, hoc libro, velut in ſpeculo quodam, DEO duce, proponere viſum eſt: vt tandem in nos ipſos deſcendentes, homines nos non beſtias eſſe, cognoſcamus: auguſtumque illud hominis domicilium opificiumque pie & reuerenter, ad Corporis Animæque ſalutem habere & tractare diſcamus.

DE PARTIBVS GENITALIBVS VTRIVSQVE SEXVS.

IN GENERE.

OBSERVATIO.

Monſtrum bicorpor pubetenus, cætera ſimplex: Genitalia Genitalibus inſerta habens.

INFANS natus in Britãnia, cuius genitalia genitalibus inſerta erant, crura commixta vt in duo redirent: cætera duorum: caput, brachia, venter, atq; ex aduerſo poſiti, &c. *Cardanus li. 14. c. 77. de varietate.* *De hoc plura alia infra lib. 5.*

OBSERVATIO.

Genitalibus vtriuſque ſexus carens, natus quidam.

Vidi

Vidi qui natus eſt, & non habebat neq; vuluam, neque priapum, neque teſticulos: & erat in forma ſua, & in ſuis moribus ſecundum aſſimilationem caſtrati, & erat ei foramen minimum, ex quo mingebat tantum. *Hali Rhodoham comment. ad lib. 3. Galeni art. medicinalis, text. 77.*

OBSERVATIO.

Hermaphroditi, qui olim Androgyni.

QVIBVS gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminę, iis ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum ſubinde deliteſcat: quoniam præter naturam eſt: agnatum enim eſt modo abſceſſus, nam & abſceſſus abſumunt aliquid nutrimenti, quamuis poſt geniti ſint, & præter naturam. *Ariſtoteles lib. 4. cap. 4. de generat. animal.*

Gignuntur & vtriuſque ſexus quos, Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis. *Plinius lib. 7. cap. 3. nat. hiſt.*

Supra Naſamonas confineſque illis Machlyas, Androgynos eſſe vtriuſque naturæ, inter ſe vicibus coeuntes, Calliphanes tradit. Ariſtoteles adiicit, dextram mammam iis virilem, læuam muliebrem eſſe. *Idem lib. 7. cap. 2.*

Mulierum paucis prodigioſa aſſimilatio; ſicut hermaphroditis vtriuſque ſexus: quod etiam quadrupedum generi accidiſſe Neronis principatu primum arbitror. Oſtentabat certe hermaphroditas ſubiunctas carpento ſuo equas, in Treuerico Galliæ agro repertas: ceu plane viſenda res eſſet, principem terrarum inſidere portentis. *Idem lib. 11. cap. 49.*

De Equo & Cane hermaphroditis vide *Cardanũ lib. 30. cap. 33. de varietate* De Ceruis Androgynis *Langius epiſt. 70. tom. 1.* Hermaphroditos ſeu Androgynos vocant etiam διφυεῖς & Ἀνδροθήλυας & Ἀρσενοθήλυας. In marib. id fit tribus modis, cum in perinæo ſiue inter fœmineo muliebre pudendum exiguum videtur, cum itidem in ſcroto, ſed nullo excrementi profluuio: cum ibidem exeunte lotio. In Fœminis vnico cum penis ſupra genitalis faſtigium, in clitorio & ima pube prominet. Addunt quidam in maribus, cum ſupra colis radicem muliebris natura extat: in fœminis, cum penis ad inguina vel in perinæo profertur. *Rhodig. c. 10. 15. & 12. 19.* Androgynos vocauit & Pollux concubinos. *Dalechampius annot. ad c. 3. lib. 7. Plinii N. H. litera. d.*

M. Meſſala. C. Liuio Coſſ. In vmbria ſemimas duodecim ferme annorum natus, aruſpicumq; iuſſu necatus. *Iul. Obſequens l. prodigiorum.*

L. Metello. Q. Fabio Maximo Coſſ. Lunæ Androgynus natus, præcepto aruſpicum in mare deportatus. *Idem.*

P. Africano. C. Fuluio Coſſ. In Agro Ferentino Androgynus natus & in Flumen deportatus. *Idem.*

Gn. Domitio. C. Fannio Coſſ. In foro Veſſano Androgynus natus, in mare delatus eſt. *Idem.*

L. Aurelio. & L. Cæcilio Coſſ. In agro Romano Androgyn⁹ annorum octo inuentus, & in mare deportatus. *Idem.*

L. Cæcilio. L. Aurelio Coſſ. Saturniæ Androgynus annorum decem inuentus, & mari demerſus. *Idem.*

Q. Metello. Tullio Didio Coſſ. Romæ Androgynus in mare deportatus. *Idem.*

Cneo Cornelio Lentulo. P. Licinio Coſſ. Androgynus inuentus, & in mare deportatus erat. *Idem.*

Sinueſſe natus infans ambiguo inter marem ac fœminam ſexu. *Lycoſth. lib. prodig. & oſtent. p. 125.*

In Sabinis incertus infans natus maſculus an fœmina eſſet: Alter ſexdecim annorum, iam item ambiguo ſexu inuentus. *Idem pag. 136.*

Vidi virum qui habebat veretrum & teſticulos & vuluam mulieris ſimul. *Haly Rhodoham com. ad libr. 3. Tech. Gal. text. 38.*

Inter tot admirabilia & rara, quæ in humani corporis fabrica diuerſis temporibus obſeruaui, nihil admirabilius, nihil rarius cenſeo, quam quod de neutra natura diligẽter inueſtigaui. Propoſito enim mihi androgyno, ſeu hermaphrodito, ſubiecto inquam eodem mare & fœmina, ſuperioribus etenim annis fœminam mihi videre cõtigit, quæ præter vuluam membro quoq; virili prædita erat, quod tamen non erat admodum craſſum. Quamobrem in eius anatome generationis vaſa accurate admodum perueſtigaui: vaſa ſeminaria teſteſque conſiderans, nunquid vlla inter hæc communio & conſenſus adeſſet: tandem hoc comperi, vaſa quidem præparantia ab aliarum fœminarum præparantibus vaſis non differre: ſed deferentia differre, nam bipartita erant, & ex binis quaterna natura genuerat, ex quibus duo, quæ etiam maiora erant, ad matricis concauum deſtinabantur, reliqua duo ad penis radicẽ, qui glandularũ paraſtatum expers erat. Hoc tam admirabile viſu & ſpeculatu erat, quam quod maxime: quo pacto natura prudens ſagaxque locum ſatis tutum ſelegerat, per quod vaſa hæc ad penem deferri poſſent: & quemadmodum meatum, qui in ipſo eſt pene, perforarent, qui meatus in aliis tum ſemini, tum lotio communis exiſtit, hic vero vrinæ nihil quicquam opis afferebat: nam inſtar aliarum mulierum vrina exibat. Vterus autem, nec non vteri ceruix à cæterarum fœminarum matrice colloque nihil diſtabat: ſed in teſtibus diſcrimen afferebat: nam teſtes in hac craſſiores erant, quam in reliquis mulieribus: ſed quoad ſitum ipſorum nullum diſcrimen deprehendi. Peni ſcrotum contiguum non erat, imo vero ſcroto prorſus carebat, & duobus muſculis præditus erat huius fœminæ penis, non quatuor, vt in maribus perfectis. Præterea penis huius hermaphroditi tenui pelle integebatur, nullum aderat præputium, ſed duo ſpongioſa corpora, per quæ duæ arteriæ ferebantur, ab illis ortæ, quæ ad veſicam tendebant. Atque hæc ſint ſatis de hermaphrodito, quem mortuum diſſecui.

Duos deinde hermaphroditos viuentes conſideraui, in quibus alter mas, fœmina altera erat (dicuntur autem à ſuperabundanti vel mares vel fœminæ, vt vel plantandis hominibus, vel homini ſuſcipiẽdo ſunt aptiores, vel aptiores creduntur.) Fœmina erat æthiopica mulier earum, quas Cingaras appellant Longobardi, hæc neq; agere neque pati commode poterat, nam vterque ſexus imperfectus illi contigerat ſuo magno malo: penis namque minimi digiti longitudinem, craſſitiemq; non excedebat: vuluæ autem foramen adeo anguſtum erat, vt mini mi digiti apicem vix intromitteret, optabat miſera, vt hunc illi penem euellerem, quippe qui ſibi impedimento eſſe diceret, dum cũ viro coire exoptabat, optabat etiam vt vuluæ foramen illi amplificarem,

vt viro

vt viro ferendo idonea eſſet. Ego vero, qui horum vaſorum diſcrimen intueri ſæpius cupiebam, verbis detinui. Non enim ſum auſus aggredi illius cupiditati ſatisfacere, quoniam id abſque vitæ diſcrimine fieri non poſſe exiſtimabamus.

Hermaphroditus vir, quem viuum ſumma diligentia inſpexi, hoc modo habebat, penis aderat cum ſcroto, teſtibuſque, ſub quibus in perinæo ſeu tauro, quo loco (inter anum ſcilicet & teſtes) fit ſectio pro extrahendo veſicæ lapide: foramen quidem perſtabat in vuluæ morem, ſed non penetrabat, atque hi ſunt, quos vidi, Hermaphroditi. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Vidi corpus puellæ annorum circiter octodecim, omnibus, veſtitu nimirum, capillis, & habitu vniuerſo, puellam præferentem, cum puellis cubantem, & perpetuo, vt ancillam, elocatam. Quæ peſte mortua, cum ectimatibus multis & magnis atque liuidis, inter alia, reperta eſt habere duos teſticulos amplos, membrum virile amplum: pubeſcebat pubes pilis nigricantibus: exiſtimabatur puella, quia per paruum foramen ſubcole, qua parte adhærebat pubi, mingebat. Aperto corpore, nulla matrix viſa eſt, ſimilis aliis maſculis. Videbatur etiam rem cum puellis habuiſſe, præputium enim facilime detegebatur, nulla ſordities circa balanum, mammæ nullæ: diſſecto cole, nerui duo ampli poroſi, vrinarius ductus nullus. Huius affectus meminit *Paulus Aegineta* inter Hermaphroditos *lib. 6. cap. 69.* & ſimilis fere affectus hypoſpadiæorum *libr. 6. c. 54. CL. V. Io. Bauhinus de obſeru. propriis.*

Contingit generari quoſdam & aliquouſq; adoleſcere, de quibus inſpicienti non conſtet cuiuſnam ſexus ſint. Imperitiores illos vtriuſque ſexus eſſe autumant, ſed longe falluntur. Fit enim caſu aliquo, vt ex terroribus ſubitis etiam circa hæc membra ſemen aliquid vitii contrahat. Exempli gratia. Contigit nobis talem offerri infantem, de quo non ſatis conſtaret cuiuſnam ſexus eſſet. Prominebant quidem teſticuli, membrum præterea nullum. Infra teſticulos ruptura erat, vnde vrina efflueret. Sed quia propter virgæ prominentis defectum (nec enim tota aberat, ſed intro conuerſa ad modo dictam rupturam deflectebat) hanc natura vrinæ viam dediſſet, non pro fœmella, nec andriogyno, ſed pro maſculo hunc haberi & baptizari placuit. Fatebatur autem mater ſe ex viſo quodam adeo territam, vt hinc infanti hoc contractum eſſe coniiceret. *Iac. Rueff. lib. 5. c. 3. de conceptu & generat. hominis.*

Agendum hic de hermaphroditis ſeu Androgynis, quoniam à ſeminalis materiæ vbertate monſtroſi hi fœtus cauſam ſuæ generationis & conformationis obtinent. Ita vocantur, qui vtroq; gignuntur ſexu: matre ſcilicet tantum ſeminalis materiæ quantum vir effundente. Hinc enim fit, vt dum formatrix facultas, quæ ſimile ſemper ſibi aliquid fingere conatur, in vtramque materiam paribus ferme viribus incumbit, faciat vt in eodem corpore vterque viſatur ſexus. Quanquam ſunt qui hermaphroditorum quatuor conſtituunt differentias. Prima eſt hermaphroditus mas: qui ſcilicet virilem ſexũ perfectum & potentem habet, in perinæo autem exciſam tantum in vuluæ formam rimam, minime tamẽ peruiam, vt à qua nihil neque vrinarii, neque ſeminalis humoris prodeat. Secunda eſt hermaphroditus fœmina: quæ ſcilicet præter vuluam naturaliter conſtitutam, ſeminali nempe & menſtruo fluxu manantem, ſupra ad os pectinis mẽbri virilis carneam & rutaceam quandam ſimilitudinem habet, arrectionis & profuſionis ſeminis impotentem, ſcroto & teſtibus carentẽ. Tertia eſt eorum Hermaphroditorum, qui, etſi vtriuſq; ſexus expreſſam habeant imaginem, ſæpius aduerſo ſibi ſitu reſpondentem, ineſſicacem tamen ad generationem & ſeminis profuſionem experiuntur, alterutra ad mictionem tantum conferente. Quarta eorum, qui vtroque ſexu valent mariſq; & fœminæ munera potenter obeunt, quod vtriuſque genitalia omnibus numeris ad generationem neceſſariis completa & perfecta, imo mammam dextram mari, ſiniſtram fœminæ ſimilem habent. Hos Leges ſexum quo vti & in quo manere ac viuere velint, eligere iubent, capitali pœna addita, ſi ab electo ſemel ſexu diſceſſiſſe deprehendantur, quidam enim vtroque abuſi creduntur, & promiſcue cum viris & fœminis voluptuati. Signa ſunt quibus virilis ne an fœminei ſexus potentes ſint androgyni, an vero vtriuſque impotentes dignoſcere Medici valent. Apparent hæc in genitalibus præſertim & facie. Nam ſi vulua ſic ad amuſſim omnibus ſuis dimenſionibus exacta & perula ſit, vt virile membrum admittere poſſit, ſi menſes illac profluant ſi promiſſi ſint & tenues ac molles capilli, ſi denique ad illam totius corporis effœminati mollitiem, animi quoque fracti & timidi parem conditionem additam habeant, fœminei ſexus potentiores, & plane fœminæ iudicantur. At ſi pilis obſitum perinæum & anum habent, quæ fere loca mulieribus glabra ſunt, ſi penem conuenienti magnitudine cõpoſitum habent, ſi valide & alacriter arrigentem, ſi ſemine manantem, virilis ſexus potentiores & plane viri pronunciantur. Si par ſit vtriuſque genitalis in figura, mole, & efficacia conformatio, vtriuſque ſexus potens, hermaphroditus cenſetur. Quanquam Ariſtotelis ſententia, hi quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminæ, ijs ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum ſubinde deliteſcat, quoniam præter naturam eſt: agnatum eſt enim modo abſceſſus. Nam & abſceſſus abſumunt aliquid nutrimenti, quamuis poſt geniti ſint, & præter naturam. *Pareus lib. 24. c. 4.*

Anno 1519. Tiguri Hermaphroditus vel Androgynos natus eſt, ſupra vmbilicum egregie formatus: ſed circa vmbilicum rubeam carnis maſſam habens: ſub qua membrum muliebre, & infra hoc loco conuenienti virile quoque. *Ruef. lib. 5 c. 3. de concept. & generatione hominis.*

Anno Domini 1486. ad Heidelbergam in agri Palatini pago, Rorbachio, gemelli duo nati ſunt, dorſibus cohærentes & hermaphroditi ambo. *Lycoſthenes lib. prodigiorum Anno Domini 1486.*

Androgyni ſiue Hermaphroditi, quibus ex Mercurio ac Venere nomen eſt inditum opinione Aſtrologorum ortus cauſam debent aſtris, illis præſertim ſigna bicorpora occupantibus. Porro aliud ſentit Auicenna, dum ſcribit in hanc ſententiam, poſt menſium profluuium ex Venere, die primo ad quintum generatur maſculus, deinde ad octauum fœmella, ac ad duodecimum quoque maſculus: verum iſtis nec ratio nec experientia ſuffragatur. Nam fœtus maſcu-

maſculus vel fœmellus ex dominante naſcitur ſemine maſculo vel fœmineo, dierum nullo diſcrimine, ac eodem die, ac momento quocunque maſculi & fœmella naſcuntur. Si naſcerentur Hermaphroditi poſt duodecimum fluoris menſium diem, copioſior eorum reperiretur numerus. Quare ortus eorum æquipollentibus marium ac fœminarum ſeminibus adſcribendi ſunt. *Boſcius, Theſi 53 54.55.56.57. Concordia medicorum & phyſ. de hum. conceptu.*

Observatio.

Verus Hermaphroditus, qui ancillas comprimere, & in his generare: idemq; filios & filias ex ſe parere ſolebat.

Ipſe noui hermaphroditum, qui ſequioris ſexus ſeu muliebris putabatur, viroque nupſerat; cui filios aliquot & filias peperit: nihilominus ancillulas comprimere & in his generare ſolebat. *Montuus de med. Theoreſi lib.1.cap.6.*

Observatio.

Ancilla androgyna filiam herilem grauidam fecit.

Memorabile hoc: an. 1461. in Scotiæ vrbe quadam Androgynam ancillam herilem filiam in eodem lecto cubantem feciſſe grauidam, accuſatam facti apud Iudices, & viuam ſub terram defoſſam periiſſe. *Veinrichius com. de monſtris pag.7.* facie auerſa.

Observatio.

Naturales ſexus humani mutatio: qua, mulieres in viros: rarius vero viros in mulieres conuerſos eſſe, viſum eſt.

Antiochiæ, quæ eſt ad Mæandrum ſita, homo mixto ſexu, quem Androgynum appellant, fuit: Præſidente Athenis Antipatro, Romæ, M. Vinicio & T. Statilio Tauro, cui Corbilij cognomentum fuit, Coſſ. Etenim virgo quædam parentibus nata illuſtribus, cum annorum eſſet tredecim, multis procis petita ob pulchritudinem: Poſt quam de parentũ ſententia deſponſata eſt, nuptiarum die appetente domo progreſſura, ſubito dolore vehementiſſimo correpta, exclamauit. Domeſtici eam reductam in ædes ita curauerunt, vt quæ doloribus ventris & cõuerſionibus inteſtinorum laboraret. Verum dolore per triduum continuum permanente, cum omnes eius Vrbis medici nullam affectus cauſam inuenirent: quarta die ſub auroram, intendentibus ſe acrius doloribus, puellaq; magno cum eiulatu exclamante, ſubito virilia prodierunt, ac è virgine vir eſt factus. Qui aliquanto poſt Romam fuit ad Claudium Cæſarem adductus: atq; hic prodigij iſtius cauſa in Capitolio Ioui Auerrunco aram poſuit.

Alius fuit Androgynus Meuaniæ, quæ eſt vrbs Italiæ, in diuerſorio Agrippinæ Auguſtæ, præſide Athenis Dionyſodoro, Romæ D. Iunio Syllano Torquato, & Q. Aſterio Antonino Coſſ. Nam virgo quędam Smyrnæ nata, philotis nomine, cum matura viro nuptum tradita eſſet à parentibus, maſculino e-nato membro in virum abiit.

Eodemq; tempore Epidauri alius fuit Androgynus, natus inopibus parentib. cui nomen prius erat Sympheruſa, in virum autem mutatus, Sympheron cœpit vocari, vitamq; colendis hortis triuit.

Quin & Laodiceæ, quæ eſt in Syria, mulier Æteta nomine, etiamnum cum marito degens, è fœmina vir extitit, cui nomen Æretus, præſide Athenis Marino: Romæ Conſulatum gerentibus. L. Lamia & Æliano vetere. Hunc ipſe quoque Phlegon *Trallianus Adriatij Libertus, lib. de mirab. & Longæuis* ſe vidiſſe ſcribit.

Ex fœminis mutari in mares, non eſt fabuloſum. Inuenimus in annalibus, P. Licinio Craſſo, C. Caſſio Longino Conſ. Caſſini puerum factum ex virgine ſub parentibus, iuſſuq; aruſpicum deportatum in inſulam deſertam. *Plin. lib.7.c.4. nat. hiſt.*

Licinius Mutianus prodidit, viſum à ſe Argis Areſcontem, cui nomen Areſcuſę fuiſſet, nupſiſſe etiam, mox barbam & virilitatem proueniſſe, vxoremque duxiſſe. *Idem loco citato.*

Eiuſdem ſortis & Smyrnæ puerum à ſe viſum. *Idẽ Plinius.*

Ipſe in Affrica vidi mutatum in marem nuptiarum die, L. Coſſicium ciuem Tiſdritanum. *Idem ſæpius annotato loco.*

Q. Fabio Maximo, & M. Claudio Marcello Coſſ. vir ex muliere Spoleti factus. *Liuius libr. 4. ſecundo bell. Punici.*

Tempore Imperatoris Conſtantini, manifeſtum eſt, Puellam in parte Campaniæ, in maſculum fuiſſe mutatam, & Romam ductum. D. Auguſtinus de Coniugiis veteris ac nouæ legis.

In quodam noſtri temporis nato, teſticuli infra pellem contenti erant ſuperius, ita quod prominentiæ eorum repræſentabant duo labia vuluæ, & fiſſura videbatur eſſe in medio clauſa per pellem, vt habilitaretur ad coitum. Inciſione facta proſilierunt teſticuli & virga, & poſtea duxit vxorem, ex qua plures genuit filios. *Albertus lib.18. de animal. tract.2. c.3.*

Anno ſalutis 1478. regnante Ludouico vndecimo apud Aruernos, quidam, cum hermaphrodita eſſet, grauidus eſt effectus, aſſeruatuſque ſumma diligentia, donec parturiuit. *Rupertus Gaguinus libr. 10. Annalium Gallicarum: citante Marcello Donato hiſt. med. mirab. lib.6. cap.2.*

Romæ Alexandri temporibus virgo quædam nuptiarum die ſubito erupto genitali vir marito apparuit. *Raph. Volaterranus libr. 24. commentar. Vrbanorum.*

Cajetana muliercula viro piſcatori nupta, cum quo annos multos rem veneream miſcuerat, vt Antonius Panthormita piſcatoris amicus nobis adoleſcentibus referre ſolitus eſt, poſt quartum decimum annum è muliere in virum tranſiit, exorto repente in muliebris naturæ loco virili pene. Quo facto, quod conditionis perpuderet ſuæ, vt qui à viris pariter, mulieribuſque rideretur, è ciuili vita ad vitę genus religioſum tranſiit, vixitque in monaſterio, in quo ipſi eum nouimus, vitæ ſuæ reliquum, ſepultuſque eſt Romæ in templo Mariæ ad Mineruam. *Iou. Pontanus lib. 10. de reb. cœleſtib.*

Alterius quoque fœminæ meminit Æmilæ nomine, quæ Antonio ſponſæ ciui Ebulano matrimonio iuncta, poſt duodecimum matrimonij annum maſculinum ſexum induta fuit, ac vxorem duxit: ortaque cum primo marito lite, de reſtituenda dote, Maſius Aquoſa, iuſſu Regis Ferdinandi reſtitutioni proſpexit ſoluta controuerſia.

Idem Autor teſtatur (quod fidem omnem ſuperat) aliam mulierem, cum prius filium peperiſſet, virilem ſexum adeptam fuiſſe: quod etiam teſtimonio

Antonij

Antonij Colotij Vmbri confirmat. *Marcellus Donatus hiſt.mirab.lib.6.cap.2. Alanus Copus dialog. 1. c. 8. ex Gaudentii Merula lib.1.memorab. cap. 3.* Accidit hoc circiter annum Chriſti 1496. vt apparet ex continuatione temporum, *addita ad Chronicon Euſebius.*

Vide proxime præcedens Lemma cum quo conuenit.

Vt autem huic naturæ miraculo firmior detur fides, quid ætate noſtra contigerit Neapoli regnante Ferdinãdo primo, audi. Ludouicus Gnarna Salernitanus ciuis, quinq; habuit filias, quarum natu maioribus duabus, alteri Franciſcæ, alteri Carolæ nomen erat: quibus poſteaquam ad quintum decimum peruenerunt annum, in marium morem virilia erupe-runt membra, mutatoq; habitu pro maribus habiti ſunt, Franciſc. & Carolus nuncupati *Fulgoſ.lib.1.c.6.*

In oppido Eſgueria nouem leucis à Conymbrica, nobili apud Luſitanos ciuitate, puella quædam genere nobilis erat, cui nomen (ſi rectè teneo) Maria Pacheca erat, quæ cum ad ætatem perueniſſet, in qua mulieres menſtrua primum emittere ſolent, vice menſium Priapum vſque ad id tempus intus latitantem extra eiecit. Et ſic ex fœmina factus eſt maſculus, & virili toga indutus, ac ſacra aqua reſperſus, Manuel fuit vocatus. Qui ad Indos perueniens, & diues & clarus factus. Poſtea ad ſuos rediit, & vxorẽ duxit, ſed an liberos genuit non ſatis compertum habeo. Conſcii tamen ſumus, imberbem hunc ſemper manſiſſe. *Luſitanus cent.2.curat.39.*

Nonnunquam ex fœmina virum à natura factum non ſolum ex authorum fide multis ante ſeculis ſcribẽtium, ſed etiam noſtra hac tempeſtate auditu certo percepimus. Patrum quidem noſtrorum memoria, in Hiſpaniæ parte quadam id contigiſſe, certo certius, deſueto quidem, ſed non inaudito tamen prorſus exemplo, habetur, neque non vel cum rationis alicuius perſuaſione poſſibili. Quandoquidem imperfecto aliquando operi, quod fœmina eſt, ſed neceſſarium ad propagationem tamen, vt quamuis id primitus non intendiſſet, perfectionem quandoque addat natura deinde, aut caloris noui alicuius acceſſione, aut ſpiritibus ſuperuenientibus nouis, calorificiſque magis, non fieri prorſus non poſſit. Quod, cui notæ probe fuerint genitales ſexus vtriuſque partes omnes, non perinde miraturus ſit, ſi propulſis tantum foras, quæ prius intus latebant in fœmina membris, ac veluti euerſis, vir fiat. *Alexandrinus lib.22.cap.14. ſalubrium.*

Antonius Loqueneus Indictionũ ad ſancti Quintini apud Veromanduos fanum Regius quæſtor, nuper affirmauit mihi, vidiſſe ſe virum Rhemis in hoſpitio cui Cygnus pro inſigni eſt, anno Domini 1560. qui pro fœmina ad annũ vſq; ætatis decimumquartum habitus fuerat. Tum enim contigiſſe, vt cum ludibundus cum ancilla, cui eodem in lecto accubabat, laſciuiret, virilia ipſi huc vſque implicita ſe explicarent & erumperent. Quod cum parentes reſciuiſſent, interueniente eccleſiaſtica poteſtate, ipſum nomine mutato Ioannem pro Ioanna nominarunt, & virili habitu induerunt. *Pareus lib. 24. c.5.*

Superioribus annis cum eſſem in Caroli noni Regis comitatu, in Vitriaco Francico oſtenſus eſt mihi vir Germanus Garnierus, quibuſdam Germanus Maria dictus, quod olim fœmina Maria vocaretur, ſtatura mediocri, quadrato corporis habitu, barba denſa & ruffa. Is ad quintum vſq; & decimum ætatis annum pro virgine habitus fuerat, quod virilitatis in eius corpore nulla veſtigia apparerent, & quod fœmineo veſtitu indutus inter fœminas muliebria obeundo aſſidue verſaretur. Decimoquinto igitur ætatis anno dum in agro porcos ſuæ curæ demandatos, & in meſſem irruentes acrius perſequeretur, foſſam obuiam magno impetu tranſiliuit: quo facto ruptis velut inuolucris & vinculis, addita virilia derepente & haud ſine dolore emergerent. In caſam regreſſus apud matrem eiulans conqueſtus eſt ſibi ab aluo inteſtina proſilire. Quo ſpectaculo attonita mater, Medicis Chirurgiſque, in conſilium adhibitis, audit eum in virum euaſiſſe. Itaque re to-ta ad Cardinalem Lenuncunium Epiſcopum delata, conuocata concione, viri nomen habitumque recepit. *Idem loco annotato.* Eiuſdem hiſt. meminit *Georg. Bertinus Medicinæ ſuæ lib.4.cap.10.*

Ex fœminis mutari in mares non eſt fabuloſum. Nam virgo quædam vt teſtatur Volateranus nuptiarum die, ſubito erupto genitali vir marito apparuit. Idem contigiſſe in Altera Virgine, à Sereniſſima Regina Eleonora Caroli V. Imperatoris germana audi-tione accepi, ſed in his, ſexus potius detectus, quam mutatus fuit. *Montuus lib.1.c.6.Theor.*

Anno 1574. dum hæc ſcribimus in vrbe Spoleti, in Vmbria poſita, vulgo Spoletto vocant: Puella octodecim annorum, filia cuiuſdam vocati Totaccia & Soror Ioannis Franciſci d'Anguilo, de Norcia in virum euaſit, prodeunte membro virili, quemadmodum à pluribus illius loci affirmatum fuit. *Marcellus Donatus hiſt.mirab.lib.6.cap.2.*

Meo tempore in Galliis prope oppidum Corbeil ad Sequanam, puella in cœtu mulierum ad quatuordecim annos habita & educata, ac pudendo muliebri nata. Quæ tandem, erumpente illi circa pubertatis annos membro virili, in cœtu virorum, mutato nomine ac habitu, adſcripta fuit. Referente nobis medico N. ad Plateam Moberti, Anatomen priuatim docẽte, præſente D.D. Georgio Cellario, & Caſparo Wolphio Tigurino, medicis, amicis, & commilitonibus noſtris. *V. CL. Ioan. Cuelmannus de obſeru. propriis.*

Empedocles Agrigentinus Pythagoricæ Philoſophiæ aſſecla inquit, & puer ipſe fui, nec non quandoque puella. De Empedocle hæc *Philoſtrat. lib.1.*

Auſonius Beneuenti puerum quempiam repente virginem factum, his verbis refert:

Nec ſatis antiquum, quod Campano in Beneuento
Vnus Ephebórum virgo repente fuit.

Cauſas & modum huiuſmodi mutationum require apud *Galeottum Narnienſem cap.18.* De doctrina promiſcua: *Cardanum lib.8.cap.43. de varietate. Vierum lib.4.cap.24 de præſtig.dæm. edit. 6. Gemmam lib.1.c. 7. Coſmocrit. Marcell. Donatum hiſt.mirab.lib.6.c.2.* Vide præterea *Anatomen Conſtantii Varolii.*

OBSERVATIO.

Mulieres quædam, ob maritorum deſuetudinem & menſium defectum, mutata voce, barbatæ factæ, in virilem habitum tranſiere, non ſine valetudinis & vitæ periculo.

PHaëthuſa Pythei coniunx in Abderis, olim, dum iuuenis eſſet, fœcunda fuit. Cum vero maritus eius in exilium fugiſſet, menſes illi multo defecerunt tempore. Quo facto, dolores & labores deincep' in arti

in articulis acciderunt. His autem factis, corpus viri-le, & in vniuerſum hirſutum & piloſum redditum eſt; barbamq; emiſit, & vox ipſa aſpera effecta eſt. Cũ autem omnia, quæcunq; ad menſes protitandos neceſſaria eſſent, tentaremus, non profluxerunt, ſed cum haud multo tempore poſt vixiſſet, mortua eſt. *Hipp. part 8. l. 6. Epidem aph. 45.*

Idem hoc Namyſiæ Corrippi vxori in Thanſo contigit. Medicis enim omnibus, quibus cum & ego verſatus ſum, vnica eſſe ſpes videbatur, vt effœminaretur, quo menſes naturaliter promanarent. Verum cum multa tentaſſemus, huic non profluxerunt, ſed paulo poſt mortua eſt. *Idem aph. proxime ſequenti.*

Id exemplum afferre liquido poſſumus, cum in Græcia eſſemus, viduæ cuidã, quæ prius ſæpius conceperat, ex abſtinentia purgationib. menſtruis ſublatis, barba exorta eſt, ac vox corporiſque habitus in virilem mutatus eſt. *Alex. Benedictus lib. 26. cap. 4. de Curand. morb.*

OBSERVATIO.

Scytharum morbus effœminatus.

HErodotus *in Clio* author eſt, Scythas prælio fuſis Medis vniuerſa Aſia potitos, iamque vt in Ægyptum contenderent, Syriam & Paleſtinam ingreſſos, à Pſammiticho rege precibus & munerib. fuiſſe perſuaſos, vt ea regione intacta relicta in loca ſua reuerterentur: cumque in Aſcalonem Paleſtinæ vrbem perueniſſent, multos ipſorum vetuſtiſſimum Vraniȩ Veneris templum depeculatos eſſe, ob quod facinus Deam illam templi ſpoliatoribus, eorumq; poſteris omnibus morbum fœmineum immiſiſſe, quo quicunq; laborabant, à reliquis Scythis ἐνάρεες ſiue ἐνάειες, hoc eſt, euirati vocabantur. Cæterum qui nam fuerit is morbus cum Herodotus non docuerit, Hippocratem qui & morbum & originem veram, eiuſque nominis rationem explanat, in medium adducemus, cum vt Herodoti hiſtoriæ maior claritas addatur, tum maxime, vt per Herodotum Hippocratis verba & ſententias facilius intelligamus. Sic ergo *in lib. de aere, aquis & locis ſcribit.* Plurimi Scytharum eunuchi fiunt, & muliebria officia obeunt, inſtarque fœminarum omnia faciunt & loquuntur, vocanturque hi Effœminati. Et regionis quidem incolæ cauſam ad Deum referunt, coluntque hos ipſos homines & adorant, ſibiipſis timentes, ne quid tale accidat. Mihi vero hi affectus diuini quidem eſſe videntur, ſicut & reliqui omnes: neque vllum aliquem alio eſſe diuiniorem aut humaniorem, ſed diuinos omnes: verum vnuſquiſque eorum ſuam propriam habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videtur, narrabo. Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiũt articulorum dolores, nimirum propendentibus ſemper ex equis eorum cruribus, deinde claudi fiunt, contrahunturque coxendices, cum inualuerit morbus. Medicantur autem ſibi ipſis hoc modo. A principio morbi vtramque venam retro aures incidunt: quo facto, ſanguine multo promanante, ſomnus eos corripit præ imbecillitate, ſicque obdormiſcunt: quorum quidem aliqui depulſo ſomno ſani exurgunt, aliqui vero minime. Atque mihi ſane videntur ea medicatione ſeipſos perdere. Sunt enim venæ poſt aures, quas ſi quis ſecet, ſteriles fiunt ii quibus ſecantur. Quare id etiam ipſis ex earum inciſione accidere certum eſt. Quando igitur poſtea vxores adeunt, impotenteſque ſe factos vident, cum illis coire, primum quidem nihil moleſtius cogitãtes, quieſcunt: cum autem bis aut ter aut amplius fruſtra opus tentarunt neque quicquam proficiunt, mox putant ſe Deum offendiſſe: in quem culpam reiiciunt, induuntque veſte muliebri, palam ſe euiratos eſſe confitentes, ad mulierumque contubernia tranſeunt, earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditiſſimi Scytharum afficiuntur, minime vero infimi, immo qui maxime & genere & potentia præualent, ex nulla alia quam continuæ equitationis cauſa hoc perpetiuntur: pauperes vero minus, cum non multum equitent. Atqui oportebat, ſiquidem is morbus aliis diuinior eſt, vt non nobiliſſimis neq; ditiſſimis Scytharum fere ſolis accideret, ſed eſſet omnibus æqualiter peculiaris, immo magis inuaderet pauperes, circa cultum deorum negligentiores: ſi gaudent dii etiam in hominum admiratione conſtitui, & pro hoc beneficia hominibus retribuunt. Diuites enim ſæpius diis ſac a faciunt, victimas offerunt, ſtatuas erigunt coluntque, cum pecuniis abundent: pauperes autem minus id faciunt, cum non habeant: quin etiam aliquando deos deteſtantur, qui eis opes non ſuppeditent: vt veriſimilius eſſet pauperes ac parum abundantes hoc malo propter crimina ſua puniri, quam diuites & qui opibus abundãt. Verum (ſicut & prius dixi) diuinus quidem hic affectus eſt, ſimiliter atque alii omnes, ſinguli autem ſecundum naturam fiunt. Atque eiuſmodi morbus ex ea, quam diximus, occaſione Scythis contingit. Hactenus Hippocrates: à quo facile vnuſquiſque comprehendere poteſt, Scytharum morbum ab Herodoto nominatum eundem eſſe quem ipſe refert: & quando hic eos ἀνανδριέες vocat, vel ἐνάριες, vt apud Herodotum, corrigi debet, vel vtramque dictionem idem ſignificare putãdum: nimirum euiratos ſeu effœminatos: ſicuti quoq; Scytharum vates, vtpote caſtratos, appellatos in Melpomene meminit. *Mercurialis lib. 3. cap. 7. Variarum Lectionum.*

DE PARTIBVS GENITALIBVS, IN SPECIE.

DE

MVSCVLORVM GENITALIBVS.

Et primum

DE PENE ET PRÆPVTIO.

OBSERVATIO.

Pene gemino viſus quidam.

VIdimvs Bononiæ in publicis diſſectionibus cadauer viri qui duplicem habuit penem. CL. V. *Ioannes Iacobus Weckerus in ſuis mihi communicatis Obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Sine mentula natus infans, ſed cum ſcroto & teſticulis.

ANte paucos dies miſellus infans natus apud nos eſt, cui membrana circa vmbilicum reſoluta

herniam præferebat: carebat membro virili: cuius loco foramen, quo vrinam profundebat, conſpiciebatur, ſcrotum ambobus teſticulis, vt in aliis conformatum viſebatur. Parentes Chirurgi opera vtuntur: at vix ſuperuicturum opinor. CL. V. *Thobias Cneulinus de ſuis mihi tranſmiſſis Obſeruat.*

OBSERVATIO.

Glans imperforata & quanam eiuſdem perforandi rationes.

PVeris quibuſdam genitalis poſtremum & meatus qua excrementum veſicæ tranſit, non eodem tetenderunt, ſed infra meatus ille tranſegit, quamobrem demiſſis clunibus mingunt, qui teſtibus paulo in ſuperiorem partem retractis, videntur à longe ſimul & maris habere genitale & fœminæ. *Ariſtoteles lib. 4. c. 4. de gen. animal.*

C. Claudio M. Perpenna Coſſ. Puer ex Ancilla natus ſine foramine naturæ qua humor emittitur. *Iul. Obſequens.*

Pauli Bonini filium nouimus, qui glande colis clauſa natus, paulo infra eam itinere patefacto vrinam reddebat. *Beniuenius cap. 7. de Abditis.*

Ad clauſarum partium tractationē pertinet glandis maſculæ occluſus anterior meatus, quem in nobili adoleſcente Wueſtphalo conſpexi: qui lotium redditurus, acu longa & craſſiuſcula meatum aperiebat, coaleſcentem rurſus paulatim exonerata vrina. Huic affectui ſecure me deberis, altiori inciſione ab ora loci naturalis & conſueti, vſque ad apertum virgæ canalem: inde turundulam rotundam, cauam, tenuem, ex plumbo vel argento concinnatam inſeres, prius tamen oleo roſaceo illitam: & poſtea linimento cicatricem inducente, vti diapompholigo cum paucillo roſacei diſſoluto, vel ſimili. In turundæ autem vſu perdurabis, donec cuticula munitam eſſe vrinæ viam ſenſeris. Ea vero interim quandoq; mouebitur, ne in ſanatione connaſcatur impedimentum. Si pellicula durior poſtea videbitur, oleo amygdalarum dulcium vel butyro inſulſo tepido introrſum illinatur aliquoties. *Vterus lib. Obſeruationum.*

Infans natus annos duos, ab ortu ſuo glans illi perforata non fuit, nec veſtigium aliquod in ea vbi foramen eſſe debuerat apparebat: ad radicem tamen eius prope teſticulos foramen erat, per quod lotium non guttatim fluebat, ſed directe emanabat, vt facile quis diceret, naturam & maſculum & fœminam producere in lucem tentaſſe, eſſeq; ex Hermaphroditorum genere. An vero glans huic perforari debeat, iñ dubium traximus: nam & Antonius Muſa Braſauola & Franciſcus Chirurgus, nullatenus contendebant: nos vero cum Ioanne Baptiſta Canono anatomico inſigni oppoſitum cōtendebamus: quia ſi glans non perforaretur, non poſſet liberis operam dare. Sed quoniam modo perforari debeat, aut quo inſtrumento? Cananus ſic machinatus eſt: nam cannulam argēteam fabrefieri curauit, admodum ſubtilem, intra quam acus argentea continebatur, quæ cannula per foramē prope teſticulos, vt dixi, exiſtēs, verſus glandem immitti deberet, quo ad illa penetrare poſſet: quum vero vltra ire non poſſet, grandis reſiduum cum acu intra cannulam contenta perforandū erat: tunc vero ſolena ibi, quoad ex toto meatus vrinarius fabrefactus maneret, dimittenda erat. Sed quum controuerſia iuſtam ignorantiæ ſuſpicionem oſtendit, atq; auditores incredulos reddat; factum eſt, vt parentes pueri nolint filium in vitæ diſcrimen trahere: & ſic ab opere deſtitimus. *Amat. Luſitan. Cent. 1. Curat. Medic. 23.*

Curandi ratio in hoc ſolum poſita eſt, vt quia impedita eſt facultas expultrix à ſuo munere, ex toto huiuſmodi impedimētum auferatur, quod quidem non medicamentis fieri poteſt, ſed ſolum operatione chirurgica, quæ nequaquā timenda eſt, propterea, quod ſit citra periculum: cum magna pars orbis circumcidat puellos teneros. Sed dicet aliquis: cur ergo Galenus, nono ſecundum loca ſexto, proponit remedia ad eos qui non ſunt perforati? Si enim ſolo opere chirurgico hoc fieri poteſt, cur hæc proponit? Dico perforationem, ad quam ꝓponit medicamenta Galen. non eſſe hanc naturalem, de qua agimus, ſed eſſe adſcititiam, & phimoſin, quæ ſicuti facta eſt caſu, & morbo; ita medicamentis tolli poteſt. Vt autem modicum huius curationis tradamus, primum de meatu primario clauſo loquemur, qui in viris duplicitet contingere poteſt: vel quia præputium coaluerit, vel quia glandis foramen ſit occluſum. Vbi morb. fit propter præputium, ante cætera purgandū eſt corpus blandiſſime, & præ cæteris, dicit Celſus, abſtinendū ab ambulatione. & hoc ſit perpetuū, ne videamur medici circūforanei, vt ſemper ante quācunque operationem chirurgicam corpus purgetur; & ſi opus eſt, ſanguis mittatur. nam ad euitandam inflammationem nihil magis neceſſarium eſt, quam purgatio, vel ſanguinis miſſio. Vbi autem purgatum eſt corpus, primo tentanda eſt facilior curatio, vt ſcilicet præputium ferro perforetur. Circa quam perforationem debent duo notari. Primum, vt ferrum ſit rotundum: ſecundum, vt ſit ignitum, quia ferrum rotundum facit vulnus rotundum, atque vulnera rotunda, vt dicit *Caſſius medicus & Alexander 1. Problem.* difficilime coaleſcunt, quod aptatur in hoc caſu. Præterea vbi ferro ignito fit vulnus, duo bona fiunt. Primo fluxio ſanguinis inhibetur: Secundo, vulnus dum ſanatur duriorem callum contrahit, vt non facile iterum coaleſcat, & hæc albo lapillo ſunt notanda, quia non ſunt vulgaria. Vbi ſic facta fuerit perforatio, habenda eſt cannula plumbea, quę in foramine tam diu eſt detinenda, donec ſanatum ſit vulnus, & callum contraxerit. Sed ſi hæc ars non iuuat, vt mihi Romæ non profuit in nobili iuuene; quid agendum eſt? nihil aliud, niſi vt incidatur prēputium ferro ignito, vt fit in verpis, & in circumciſis. Vbi autem error eſt in ipſa glande, ſimiliter glans ipſa perforanda ferro ignito, atque detinenda eſt ibi cannula vel argentea, vel plumbea, quæ extrahatur vbi mingendum eſt, & iterum reponatur vbi nulla fit mictio. Atque hæc eſt ratio, quæ ab Albucaſi chirurgo data fuit. Cæterum *Celſus lib. 7. cap. 25.* præter hanc rationem demonſtrauit & aliam, ſed potius conuenietem phymoſi, quam imperforationi. *Mercurialis lib. 1. cap. 9. de morb. pueror.*

OBSERVATIO.

In glande virili cuiuſdam duo meatus diſtincti animaduerſi, quorum vnus vrinæ, alter ſeminis excretioni ſeruiebat.

HIc Patauii Adoleſcens Iuris Studioſus, ac è Nobili Symionum apud Foroiulienſes familia natus,

natus, mihi familiaris eſt. Qui in glandis apice duos obtinet meatus: vnum ſemini, alterum vrinæ paratum. *Veſalius lib. 5. cap. 14. de Corp. hum. fabrica.*

OBSERVATIO.

Breuiore pene quidam; Et alius ob cancrum eo inciſo, genuit.

QVendam cui penis rigidus infra tres digitos erat; Et alium cui ex cancro inciſus erat breuiſſimus, genuiſſe ſcribit Sauonarola, ob valentem vteri attractionem, & reliqui penis iaculationem. *Syluius in Comm. de menſib. mulierum.*

OBSERVATIO.

Contorti & ad procreationem inutilis virilis Colis, ad fœcunditatem correctio.

VIdimus qui membro ita obtorto non poterat gignere: quod ſemen ſemper reſtitaret in ceruice vteri. Huic paratus eſt canaliculus plumbeus, vel argenteus accommodatus craſſitudini ipſius penis. In quem immiſſo pene, circumpoſitę & alligatę ſunt ciſtellæ, ita vt tandem figuram membri rectam ac naturalem recuperarit, & genuerit. *Hollerius Comm. ad aph. 63. lib. 5. Hipp.*

OBSERVATIO.

De noua pudendi diſtortione.

VEneri nimium addictis, rarũ affectionis genus, antiquis ignotum, quod ſpeciei propagandæ aduerſatur, interdũ accidit; etenim genitale diſtentum, ac ſpiritu turgens triſti cum doloris ſenſu diſtorquetur, quo fit vt ſemen in vterum recta eiaculari nequeat. De hoc morbi genere neminem repe-rio qui ita pertractarit vt veram effectus cauſam nouiſſe videatur: appellant tamen nodum penis; nam etſi demiſſo & flaccido genitali nihil percipiatur incommodi, particulam tamen pertractanti paruulus quidam tumor fabæ vel glandulæ ſpeciem referens percipitur. Huic affectui pleroſque vidi, cauſæ ignaros, emollientia adhibuiſſe quod arbitrarentur, ſe duriuſculam illam ſubſtantiã, quaſi humore affluxo imbutam, diſcutere poſſe: ſed tantum abfuit vt id præſtarent, quod etiam quotidie in deterius lapſi fuerint: nam arietini cornu in modum, in illud latus quo tuberculum eſt, mentula reflectitur. Sed age cauſam patefaciamus: primum tamen in memoriam reuocare oportet genitale viri nihil aliud eſſe; quam duo ligamenta à pubis oſſe exorta, rotunda, atque intus arundinis in modum caua; fungoſa tamen, & rara ſubſtantia prędita, quæ ſpiritu influente turgent. Qui vero Veneri nimis indulgent, frequenterque & diu, vt mulierculis placeant, diſtento ſunt genitali, in hoc malum incidunt; etenim ſpiritus ille incluſus in aliquam alterius ligamenti concaui partem impetum faciens, eius particulam ita impellit, vt eam relaxet ac protuberare faciat, quo fit vt quantum latitudini affectæ particulæ adiicitur, tantum longitudini detrahatur. Quod vero protuberat mentulæ, id ex propria natura ligamentali, non autem ob noui humoris affluxum accidit, vt morbus in figura, non in magnitudine cenſendus ſit. Satis igitur ex iam dictis conſtare videtur, quod emollientia adhibentes à ratione recedant, & affectum quotidie augeant, cum laxatum compingi, & roborari poſtulet: conueniunt igitur quæ procidenti vmbilico, atque herniis deſcripta ſunt; fotus præterea ex vino auſtero, nigro, in quo gallæ, abſynthium, myrtilli, balauſtia. ſ. ſumachii & eius generis efferbuerint. Commonefaciendi ſunt interim ægri vt à venereis abſtineant, vel parce vtantur, vſque quo affecta particula confirmetur. Sed hæc ad noui affectus cognitionem & curationem dicta ſint ſatis, ſi mihi ad hunc vſum probata medicamenta adiecero. Recipe aquæ nucum pini, aquæ nucum cupreſſi, omphacii, aquæ myrtil. lanæ vncias tres m. & ex his tepidis lintea madefiant, genitaleque obuoluatur. Aliud, Recipe cort. myrobalanorum citrinor. cort. myrobalanorum chebulor. anà vnciam ſemis, nucum cupreſſi numero quindecim, nucũ pini numero quatuor, roſar. rub. pugillum vnum, abſynthii pontici. m. j. gallarum, granorum myrti, ſem. ſumach. anà vnciam vnam; contundantur, incidantur, macerenturque omnia in vino nigro auſtero & aqua nucum pini; ac deſtillerentur per balneum, egredietur enim aqua magnæ virtutis ad conſtringendum. Hac decoctione tepida madentia lintea adhibete; prædicto enim affectui curando aptiſſima eſt, admirabilique ad præcauẽdum ab infect. venerea, facultate pollet; ſi quis infuſa lintea, inter glandem, & præputium contineat, & eadem aqua interdum mentulam lauerit, eſt enim quaſi antidotũs, qua prohibetur ne ob infectę mulieris congreſſum, quod longo vſu cõpertum eſt, venenoſã morbi malitia concipiatur. *Arantius, de tumor. præter nat. cap. 50.*

OBSERVATIO.

De Phymo ſeu Phymoſi præputij cum carnea ἐκφύσει.

DVorum annorum puerulus præputium habebat à natiuitate prægrande, & carnea mole ſeu tubere turgidum, id quia incrementum ſumebat indies magis atq; magis, anxia & ſolicita deliberatione diu agitatũ fuerat, quo pacto hoc malũ tolli poſſet. Erat enim iam turgidum inſtar tuberis ſiue rad. cyclamini, aut inſtar ficus: Quin & ῥαφὴν quoq; turgebat. Indolens quidem malum erat, ſed incommodũ; præſertim ætatis progreſſu: nam præterquam quod glans detegi non poſſet, verendum erat, ne in nimiã molem excreſcens, faſcia circumferendum eſſet. Accitus itaque chirurgus Hebræus, itemque alius circumciſor, qui adiuncto ſibi filio ſuo, ſoletti cura abſcidit prępuitium illud, non ſine ſolicitudine: nam glans penis admodum exigua & puſilla erat, neque retrorſum deduci poterat, quia adnata erat ad præputium ea parte qua ῥαφὴν præcedit, quod prioribus aliquot diebus ante explorauerant chirurgi, cum emolliendi gratia applicarent circa illud, emplaſtrum ex contuſis herbis chamomill. melilot. malua, &c. Apparatis itaq; ſingulis, & ligatis faſciâ manib. pueri, tenente famulã, diſtentis cruribus, chirurgus manibus compreſſit præputiũ, quia putabat, glandem ſubtus eſſe, alter gladiolo abſcidit phymoſin, & eã diſſectione facta vnguibus prælongis (quos fouent Hebræi circumciſores) auulſit glandem à præputio, quod puerulo valde dolorificum erat. Et quia glandi paululum de præpũtio adhærebat, illud forficulâ reſcindebatur. Factâ itaq; auulſione, & reductione præputii, mittebant glandem per tria quatuorve linteola, oleo balſamino intincta, in quibus ſingulis exiguum erat foramen vt vix tranſmitti glans

 poſſet;

poſſet, vt diſtingueret glandem à præputio, ne amplius coaleſceret ad præputium, & ſuperne adhuc applicabatur aliud linteolum non perforatū eodem oleo intinctum. Porro glans erat admodum exigua pro ætate eius pueruli, vt credas nutritionem eius partis in ecphyſim illam phymiſeos tranſmiſſam & tranſumtam eſſe. Hoc continuabant ad dies 4. vel quinque, ligatis tamen pueri pedibus primis tribus diebus, ne linteola illa decuterentur. Ad pubē vero & circa pubem applicabant defenſiuum repercuſſorium ob metum inflammationis. Hæc ſane Curandi ratio expeditior multo & certior mihi videtur eſſe, quam illa quæ traditur *ab Aegineta lib. 6. c. 51.* Hæc ex manuſcripto inſignis cuiuſdā medici, cuius nomen ignotum, communicabat V. CL. *Caſparus Wolphius.*

OBSERVATIO.

Ingenioſa curatio eorum quibus glans præputio nudari non poteſt, & propemodum occalleſcit, graui ſterilitatis noxa.

AFfectus quibus glans præputio anguſtiore non detegitur, extrema namque præputii anterior pars vel ſecundum naturam, vel ex accidenti exiguo adeo foramine prædita eſt, vt non ſolum glandem detegi prohibeat, verum & vrinæ interdum excretionem, ſeminiſque eiaculationē remoretur: ex conſequenti ſteriles, atq; infœcundos viros efficiat, vbi præſertim præputium, glandis foramine anguſtius fuerit. Idem & in mentulæ accidit freno, ſi inferiori glandis parti iuxta foramen arte connectatur: eo enim adhuc integro, in primiſque congreſſibus minime diuulſo, non ſolum fit, vt in venere exercenda moleſtiam adferat, ſed quod maius habet momentum, ſpeciei propagandæ maxime aduerſetur; nam præter id quod erecto genitali eius diſtorquetur extremitas vt recta ſemen eiaculari nequeat, anguſtius etiam ex eius attractione fit foramen, per quod ſemen in vterum affatim eiaculari debet. Duo iſti affectus quamuis ad propoſitum negotium ſpectare minime videantur, cum tamen ad ſpeciei propagationem pertineant, paucis eorum curationem perſtringere placuit; contigit enim mihi aliquando, vt anguſtiore præputio, ac pudendi pano ſecto, ex improlificis fœcūdos effectos viderim: opportuno igitur anni tempore, victus proba ratione, & purgatione præmiſſis, linea recta per ſuperiorem mediamq; præputii ſedem atramēto ita notanda eſt, vt vaſa grandiora vitemus: curuo deinde, & quod ꝓportione reſpondeat inſtrumento, inter præputium & glandem inſinuato, perforata cutis ſecundum rectam lineam, vno ictu ſectio abſoluenda eſt, animaduerſione habita, vt interna & externa cutis ſibi mutuo ita reſpōdeant, vt par ſit vtriuſque ſectio, neque minor quam ex vſu ſit, etenim diminutam plerunque fuiſſe euentus docet: ſectione adhibita, ſiccis linamentis, probe compreſſis ſanguinis fluxus cōpeſcatur: deinde oui albo, & roſacea per lintea curetur: nam adeo conducit, vt cicatricem etiā obducat, animaduerſione habita, ne ſicca filamenta plagæ adhærentia auferantur, donec per ſe decidant, vel roſaceæ perfuſione mollia reddātur, nam ſanguis copioſe manare ſolet. Itaque per triduum poſt ſectionem, quieſcant, & per noctem aſſiſtat, qui madentia lintea admoueat, eo quod per ſomnum diſtento genitali cruor effundatur. *Iul. Caſ. Arantius de Tum. præter Nat. c. 54.*

Aliquando ita calloſum fit præputium vt non amplius poſſit detegi glans, in eo caſu noſtri chirurgi, & bene, ſecant præputium, & videtur colis, veluti præſectis naribus, & omnes hucuſq; illud fecerunt, præterea dum intumeſcit glans, dolet: idcireo vos ego docebo à me inuentam nouam rationē curandi. omnes ego ſano plumbo, verbi gratia, habebo præputium ita anguſtum, vt non poſſit ingredi ſpecillum, in eo caſu accipio fiſtulā paruam ex plumbo, & ita impono in foramine, & volo vt æger per illam mingat, interim ego oleo amygdalarum dulcium inungo, vel pinguedine gallinę, vel pomata. ſecunda die ego impono parum maiorem fiſtulam, tertia adhuc maiorem: & hoc modo procedo deinceps, ita vt ſpatio octo dierum poſſit detegi glans. & ſic emollitus remanet callus, & præputium dilatatum. Ego non ſolum in cariebus Gallicis vtor, ſed etiam quando eſt hoc à natura factum. *Fallopius de morbo Gallico cap. 84.*

OBSERVATIO.

Præputij reſectionis ratio noua.

ASſyrii panis parem ſtrangulatus effectum ſæpe inducunt, cum grandiuſculis adoleſcentibus, aut viris præputia demetere volunt ne ſentiant: tum in balneo ſupinis venas, quæ circa guttur ſunt, comprehendunt, quibus & ſenſus & motus protinus ſtupēt, illi cultello pudenda, corporis partes veluti apoplecticas amputant. *Alexand. Benedict. lib. 1. cap. 34. de Curand. morb.*

OBSERVATIO.

Virulento ſcorti cuiuſdam congreſſu, omnibus illico puſtula in glande excitabatur, qua penis, cum vitæ periculo, paucis horis arrodebatur, niſi vel ſectione, vel vſtione, etſi dubio ſæpe euentu, ſuccurreretur.

INter Bononię proſtibula erat quędam inſigni forma, cum qua ſi qui rem habuiſſent, liuente puſtula ſtatim glans illorum corripiebatur, qua paucis horis pudendum totum ita arrodebatur, vt amputatione tantum veretri & vſtione ex multis pauci curarentur. Sic Zachæus Cæſarino Cardinali à Secretis cauda plus quam media multatus à Iacobo Peruſino Chirurgo Pontificio feliciſſime euaſit. Romanis Medicis mulieris inſpiciundæ negotium datum. Cumque ii nihil in formoſiſſimo corpore labis deprehendiſſent, natiua quadam intemperie id accidere argumentati, quod ſimile quid de puella napello nutrita Arabum commentariis referrent. *Andreæ Petri Peruſini, Iacobi diſcipuli, hypomnema.*

OBSERVATIO.

Puer quidam medium colem lino arcte conſtringens, eundem vſque ad vrethram diſcidit: vnde per calloſa vulnera perpetua vrinæ excretio conſecuta.

MEdium ſibi colem lino & quidem arcte deligauerat puer inſciis parentibus, eoq; tam diu vinctus fuit, donec plagæ altitudo ad iter vrinæ aſcenderet duobus locis: quibus, & quod vrina ipſa inde mitteretur, & quod vtrinque ora occalluerint, coire vlcus atque conglutinari nullis vnquam remediis potuit. *Beniuenius cap. 68. de Abditis.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Ob caſtitatis Zelum, Zelotypiam & inſanum Amorem, ſibimetipſis quidam vel colem vel teſticulos amputantes, ſeruati ſunt.

MOnachum vidimus atque curauimus, qui ob Zelum caſtitatis,ſed indiſcretum tamē, ac minime ſecundum Dei rationabile obſequium, colem ſibi, & quidē pubetenus prorſus abſciderat: ex quo cum ſanguis copioſus efflueret, ac propterea medicamenta omnia vinceret & exuperaret, arduum ſane ac laborioſum fuit eiuſmodi profluuium ſiſtere atque inhibere. Oportuit enim ſingulas venas, quæ ſanguinem fundebant, apprehendere. atque ita deligare, vt ora præcluſa coirent. Quo facto, reliquum curę genus haud admodum difficile fuit, donec vulnus rite curatum, penitus ſaneſceret. *Beniuenius cap. 68. de Abditis.*

Piſtor quidam (vt mihi retulerunt) cum ſuſpectā de adulterio vxorē ſuam haberet, tametſi pudicam & probam, nec eam in ſtupro deprehendere poſſet, teſtes ſibi amputauit, ratus, ſi illa forte vterum gereret, non ex ſe, vt qui ob ademta genitalia generando ineptus eſſet, ſed ex altero concepiſſe, certo ſciret, nulla enim hac dementia maior eſſe poteſt. *Acakia Comm. ad art. paruam Galeni.*

Vidimus plures Maniacos, Melancholicos & inſanos, qui ſibimetipſis tam teſticulos, quam virgam præſecuerunt. Quod à me Aureliæ obſeruatum eſt in Epiſcopi Nannetani Architriclino, qui ex rabie amoris in profundum puteum præcipitem ſe dederat, quo loci omnia ea quæ amoris morbum cauſabant, exſciderat, tāta cūm hæmorrhagia, vt facile eſt colligere, cum ea perſeuerarit donec exinde extrahi poſſet, tamen mortuus non eſt. *Rouſſettus de Partu Cæſareo cap. 6. Sect. 4.*

OBSERVATIO.

Eunuchiſmus Turcarum.

NOn intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro Eccleſiam Domini. *Deuteronomij cap. 32.*

Eunuchos poſſe etiam, non velle ſolum, vt ait Terentius, iam compertum eſt magno malo puberum apud Turcas. Qui non ſolos, vt olim, teſtes, ſed penem quoq; abſcindunt. *Scaliger Exercit. 104. numer. 8. ad Subtilit. Cardani.*

In Turcia, Eunuchis, quos Imperatoris cubicularios eſſe volunt, non ſolum, vt olim fiebat, teſticuli vel atteruntur, vel excinduntur: ſed cum teſticulis tam membrum, quam ſcrotum adimuntur. *Rouſſet. de Partu Cæſareo ſect. 6. cap. 6. hiſt. 2.*

Solent nunc Turcæ tota virilia præcidere, & euadunt multi, quoniam copioſo opio in profundum ſomnum ducuntur. *Cardanus Comment. in Hipp. lib. de Aere, Aquis & locis, lect. 62. Text. 19.*

Quod Gallo cuidam nobili ex Narbonenſi prouincia oriundo accidit, mirum eſt, eo q; & riſu ſimul & deploratione dignū videatur. Is ex itinere captus à Turcis, & in Thraciam abductus Dynaſtæ cuidam donabatur, &c, (vt opinor) Bellerbeco, qui cis Boſphorum Thraciam per Macedoniam præfectus militum dicitur. Ab hoc ille non aſpere cœpit tractari more Barbaro, ſed perhumaniter, eo quod gyneceo deſtinatus eſſet ob formam ac ætatem. Itaq; tandem die quodam, cibi ac potionis tum varietate, tum copia fuit effectum, vt in ſomnum triduanum incideret. Quo finito, quum experrectus mingere vellet, exectos ſibi teſtes animaduertit, tum demum attonitus cognouit, quā diu dormiiſſet, & cur tam laute ſemper ac affluenter tractaretur, atque ex quo cibi genere tam alto correptus fuerat ſomno. Rediit tandem ad ſuos, & hanc attulit cauſam, cur nuptiis facile carere poſſet. *VVierus.*

Poſſunt quidem homines mandragora & narcoticis potionibus ſoporari, ita vt mortui eſſe videantur: ſed horum alii ita ſoporantur, vt nunquam euigilent: alii epotis eis, ad triduum, quatriduumve indeſinenter dormiunt: prout iis faciunt Turcæ, quos caſtraturi ſunt. Et Vaſconi cuidam ex inferiori Occitania captiuo, qui poſt fuit redemtus, accidit. *Bodin.*

OBSERVATIO.

Res mira, per penem pedere; exemplo quorundam, qui micturi per penem non minus atq; anum olidos ventris crepitus emittere ſoliti ſunt.

ABſceſſum ani viſum eſt interdum in veſicam penetrare, actum micturo crepitus è pudendo; perinde atq; è podice, deinde puris, atq; etiam fæcis nonnihil miſtum vrinæ prorumpebat. *Fernelius Patholog. lib. 6. cap. 11.*

Mirabile eſt hoc. Quidam cum laboraſſet vlcere fiſtuloſo ani, eoq; admodum calloſo, ita vt non cederet acerrimis erodentibus, cuius varios ductus cæcos eſſe perhibebant, & vlcere penis ſanioſo ſimul tenebatur, & ex eodem pene crepitum velut ventris cum fœtore emittebat. Cauſam huius rei alii afferebant, quod à veſica materia, ob imbecillitatem collecta, tranſiret in flatum, qui ex compreſſu vicinarū partium, & in primis abdominis muſculorum, & veſicæ ipſius protruſus hunc ſtrepitum excitaret. Fœtorē autē ex eo prouenire aiebat Mercurialis, quod affectus inteſtinorum ſæpe communicarentur veſicæ. Si quid enim colorati & fœtidi in Clyſterem iniiceretur, vrinam prodeuntem poſtea ſæpe de his indicia pbere, eo ipſo colore & fœtore. Sed an valeat; tua prudentia diiudicare poterit. *De CL. V. Ioachimi Camerarij Obſeruat. Patauio acceptis & mihi communicatis.*

Petrus Spehr, ammanuenſis olim noſter, qui hoc tempore Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Principis Electoris Archiepiſcopi Moguntini liberalitate Patauii Medicinæ ſtrenuam operam nauat, mihi ſanctè affirmauit, obſeruaſſe ſe in Aula Principis ſui Tubicinem, cui ob virulentam ex lue venerea ſtranguriam intempeſtiue ſuppreſſam exulceratio ſuborta, & eouſque progreſſa eſt, vt viriatis circumſitis partibus, tandem etiam anum & veſicam eroſerit; quo factū, vt ſpectante & aſſiſtente illo ventris crepitus per penem non ſemel excreuerit: qui eidem malo vel in hodiernum vſque diem obnoxius, multiſque experimentis factis, etiam per luſum apud familiares huiuſmodi ſpectaculum edere ſoleat. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Aliæ non minus admiratione quam commiſeratione dignæ hiſtoriæ, quib. oſtenditur, nonnullos vel naturæ errore, vel morbi occaſione per mentulam ſtercora excluſiſſe.

LApicidæ cuiuſdam Scaphuſiani filiolus clauſo ano natus eſt, qui diebus aliquot paucis, quibus ſuperuixit, vna cum vrina ſtercus per penem excernebat. Puelli cadauere diſſecto, deprehenſum fuit rectum inteſtinum non ad nates ferri, ſed veſicę implantatum: quæ cauſa fuit, cur cum vrina alui fæces excerneret. Cuius Hiſtoriam integram *libri tertij, ſectione prima, Obſ. inter eos qui ano clauſo nati ſunt* requires, à CL. V. *Coſma Holtzachio Poliatro Scaphuſiano mihi liberaliſs. communicatam. Schenckius.*

Huc etiã pertinet quod anno Domini 1583. menſe Aprili videre contigit. Erat in Bercau pago, à ciuitate Goudana miliari diſſito, mulier, quæ prolem maſculini ſexus cætera perfectum & omnibus modis abſolutum enixa eſt: anum tamẽ imperforatum habebat, atque ita imperforatum, vt non ſimplex pellicula aut caro eidem obducta videretur, quo excrementa per inſolitum meatũ, hoc eſt, per penem, aut ſola per ſe, aut vna cum lotio excernerentur, totoſq; dies vndecim, hoc eſt, tantiſper dum infans animam exhalaret, ita continuaret: Neque hic veriſimile fuit, manuali actione aliquid promotum iri, quando via inſolita, & inuſitato canale ſeſe excrementis exonerarit natura. *Balduinus Ronſſeus Epiſt. 14. Miſcellan.*

Secto cadauere Petri de Schartes, in recto inteſtino è regione colli veſicæ inuenta eſt carnoſitas putris, quæ ſua putrilagine veſicam ita lacerauerat, vt inteſtinorum excrementa, ante obitum, vna cum vrina redderet, ad miraculum vſque: & forſam antea non viſum. *Ferrandus Senior Libello de Nephrit.*

OBSERVATIO.

Calamum cum ſpica quidam per propriæ virgæ meatum adegit, qui ſeſquennium poſt ex apoſtemate in ſiniſtro crure oborto, & ſuppurato, prodijt.

QVædam res digna nobis viſa eſt, quam ſilentio minime præteriremus. Namq; ad diuinam ſapientiam & miſericordiam laudandam argumentũ & materiam ſuppeditare etiã, vt alia omnia, poteſt, qui tantam naturæ vim, tãtam rebus efficaciam eſſe vult. Res Guadatupe me præſente accidit anno à Chriſto nato milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, ea huiuſmodi eſt. Homini cuidam, ex cœnobii famulis, cui paſcendarum caprarũ cura erat, dum in agro eſſet ſtulta quædam libido inceſſit, calamũ ſpicæ cum ſpica ipſa per propriæ virgæ meatum intrudendi: ſpica a. ârida iam, graniſque omnibus decuſſa erat. Narrabat autẽ ille nihil ſe doloris percepiſſe dũ intruderet. Vbi vero educere vellet, non potuiſſe, ꝙ ſpicæ ariſtis in carnem fixis vehementi dolore teneretur. Tandem ſe ſatius eſſe duxiſſe totam penitus protrudere, quam eam partem quæ intruſa erat extrahere, atq; intra paucos dies ad veſicam vſque ſibi eſſe tranſmiſſam. Cum autem per totum annum & dimidium mali nihil ſenſiſſet, in vrinam conuerſam à ſe mictam fuiſſe putauerat. Poſt hoc vero tempus in ſiniſtro crure apoſtemate laborare cœpit, cuius curandi cauſa ad eius monaſterii hoſpitium, quod pauperibus curandis dedicatũ eſt, venit: quo in loco dum curaretur, dumq; tumor iam maturus apertuſque à nobis eſſet, accidit vt quadam die mane cum vlcus abſterſiſſemus, paruam paleam in ipſo vlcere forte videremus. Eam vero ratus ego cum filis pridie mixtam carni inhæſiſſe, forpiculis tollendam curabam, & demum calamus cum ſpica facilime trahentem ſecuta ſunt. Attoniti autem rei miraculo nos omnes medici atque alii qui adſtabant, quid illud rei eſſet diuinare non poteramus, donec ſenex ille noſtro rumore excitatus caput attollens, & ſpicã mihi in forpiculis hærentem videns, ait. Egomet mihi ab hinc anno & dimidio per virgæ meatum intruſi. Atque ita rem omnem quomodo facta fuerat, & dies quibus penitus à ſe protruſa fuerat, narrauit. Quo in loco ſumma nobis admiratio, ſumma diuinæ prouidentiæ laudandæ occaſio orta eſt. Namq; ita DEVS homini conſuluit, vt veſicæ pellis paulatim rumperetur, atq; ex rupta ſpicam ad proximam carnem expelleret; deinde rurſus veſicæ pellis coiret, atq; caro tumeſcens matureſceret, & maturo tumore, atque curato ſpica prodiret. Et tandem ſenex ille intra paucisſimos dies liberaretur, nam penitus ſanatus eſt. *Arcæus lib. 2. cap. 4. De curand. vuln.*

OBSERVATIO.

Capitis cum pene indicibilis prope conſenſus, varijs & fere incredibilibus hiſtorijs atq; ſymtomatibus confirmatus.

NOn leuis conſenſus inter Caput & Penem (vt experientia docet) inuenitur. Superiorib. namque annis, noſtra etiamnum ætate, quodam magni nominis chirurgo, rem quandam, quæ veluti filum album, in penis vlcere dextrum verſus hærere videbatur volſella rapiente, ſtatim caput & collum ægri in dextram partem, qua filum erat, reclinatum eſt, atq; ita octo vel nouem menſes permanſit.

Ad hæc chirurgus alter ægri cuiuſdam præputiũ gallicis vlcuſculis inquinatum, vngento ex hydrargyro ſemel tantum, & id ſolum veſpere inungens, mane faciem illius totam, caputque totum, reliquis partibus integris, excepto pene, inflatum reperit.

Præterea lanio cuidam vrinæ ſuppreſſionem patienti, argentea fiſtula in virgam violenter immiſſa, tum ſanguine prodeunte ſtatim ceruix ingenti cum dolore conuulſa eſt, aures obtuſæ, temporaq; velut re aliqua inſigniter comprimente, depreſſa.

Atq; hodie hic Romæ vir quidam nomine Baſſaninus apud officinam veterem, vbi nummi ſignabantur, vrinæ difficultati ob carnem in virgæ canali natam obnoxius, quando vrina forte ſupprimitur, ſtatim vehementiſſimo frontis dolore afficitur; quando autem illa ſubinde ſoluitur, ſtatim ab eo vindicatur.

Huic ſimile Illuſtriſſimo Euandro ex nobiliſſima comitum familia nuper accidit, per hyemem enim ſcabie quadam laborabat: circa præputium ingenti pruritu afficiebatur, id ſæpe apud ignem ambabus manibus vehemẽter fricabat, ſed cum huius immoderatæ frictionis cauſa id ſolum, neque ſane totum, ſed ſumma ejus pars, & non alia in gangrænam, deinde in ſphacelon intra breue ſpacium incidiſſet ſtatim ſurdus effectus eſt, faucibus velut aculeos ſenſit, deuorare non potuit.

Huc pertinet ꝙ caput ex coitu maxime omnium imbecillum redditur, quod item & capaciſſimum & veluti cucurbita medica, (vt enim inquit Hipp.) vniuerſo corpori ſuperſtat ita, vt quæ infra ſunt, facile ad ſe trahat. *Alexand. Traian. Petron. lib. 2. cap. 17. de morbo Gallico.*

DE TESTICVLIS, VASIS SPERMATICIS VARIIS ET Scroto.

MONSTROSA CONSTITVTIO teſticulorum.

OBSERVATIO.

Teſticuli & mammæ prodigioſæ magnitudinis.

TESTICVLOS & mammas, aliis vtroſque, aliis alterum duntaxat immodice increuiſſe compertum habemus. *Galenus c. 9. lib. de diff morb.*

OBSERVATIO.

Sine teſticulis nati, qui natura eunuchi ſunt: vel vnico ſolum.

Εὐνοῦχοι qui ab ortu, *βάκηλοι* qui aliquando viri fuerunt, iidemque forte Spadones, *ἀπὸ τῦ σπάδε*. Item ἀπόκοπτι & ἐκτομίαι. *Lucianus in Eunucho.*

Sunt Eunuchi, de de matris Vtero ſic nati ſunt: Et ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. *D. Matth. cap.* 19.

Arrianus Iureconſ. ſcribit *ff de re militari.* Sillam & Cottam vno tantum fuiſſe teſticulo inſignes. Autor item *Vlpianus* eſt, *ff. de ædilicio edicto.* ſanum videri, qui vnum teſticulum habeat, quoniam poſſet generare. *Cælius Rhod. lib. 4. cap. 7. A. L.*

Dorotheus Præſul Antiochenus, vir eruditiſſimus, Græce & Hebraice doctus, Eunuchus ab ipſa geneſi fuit: quo magnopere Aurelianum Principem delectatum fuiſſe teſtatur *Euſebius.*

Sunt Eunuchi qui de vtero matris ita nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui ab hominibus eunuchizati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui ſe caſtrauerunt propter regnũ cœlorum. *D. Hieronymus contra Iouin.*

Dicuntur Eunuchi qui nati ſunt ſine teſticulis, vel quibus ante pubertatem teſticuli ſunt exſecti, & aliquando totus coles. *Hollerius ad aphor. 28. libr. 6. Hippocrat.*

Sunt duorum generum, aliqui ſic nati, alii præciſione facti: quidam à pueritia ſtatim, alii iam grandiores natu: & quibus præciſis genitalibus totis: vt nunc apud Turcas: quidam ſolum exemtis teſticulis, vt apud nos curandæ herniæ cauſa. *Cardanus. ad eundem aph. Hipp.*

Qui cum vno teſticulo natus eſt, quiue amiſit, iure militabit, ſecundum dictum Traiani reſcriptum, nam & duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe naturæ. Locus eſt *lib. 49. Pandect. iuris, titul. 17.* qui eſt *de re militari.* Aliſius ait ſe vidiſſe hominem cui teſtes fuerint exigui, fabarum inſtar, illum non generaſſe, barbam & aſpectum non virilem habuiſſe, & alium ſcroto prorſus vacuo, ſed aſpectu ſatis virili, barbatumque. *Arrius Menander lib. de re militari:* Annotante *Cl. V. Geſnero*, & communicante *D. Caſparo* Wolphio

Vidi qui natus eſt cum vno teſticulo tantum. *Hali comm. ad lib. 3. techn. Gal. text. 177.*

Vidi canem, qui cum vno tantum teſte fuit genitus, ita & ſine oculis. *Trincauella de ration. curand. particulares humani corporis morbos, lib. 11. c. 25.*

OBSERVATIO.

Aliquando etiam tres teſtes viſos in quibuſdam, id quod familiis nonnullis proprium & ſingularis libidinis argumentum exiſtit: quin etiam tuberculum tertium teſticulum ementiens animaduerſum.

AGathocles Siciliæ Tyrannus à Timæo *τειόρχεις* dictus eſt, ſiue quod aui Triorchi, quem Buteonem vocant Latini ſimilis eſſet rapinis, ſiue ab efferata libidine. Nam ingreſſus pubertatis annos, libidinem à viris tranſtulit ad fœminas. Traditur item cum eſſet perfunctus fato: vxorem querulam flebilibus modis illud ſubinde ingeſſiſſe *τί δ' οὐκ ἐγώ σε, τί δ' οὐκ ἐμὲ σύ.* Quid non ego tibi, quid tu non præſtitiſti mihi. *Cæl. Rhod. lib. 24. c. 4. A. L.*

Bergomi familia Coleonum illuſtris (Bartholomæo Coleono & fortitudine & fide apud Venetos clariſſimo inſignis, cuius equeſtrem ſtatuam Venetiis in area D. D. Ioannis & Pauli videre licet) hoc peculiare habere fertur, vt multi ex ea familia mares tres habeant teſticulos. Cui rei atteſtatur, vel ſaltem ſuſpicioni occaſionem dedit gentilitium familiæ ſymbolum, tres nigros continens teſticulos. Hinc prouerbium Italis vſitatiſſimum, *Coglioni da Bergamo* de re monſtroſa & inaudita, non autem vt vulgus autumat, de homine ſtupido & obſcœno. *Idem loco citato.*

Franciſco Philelpho tres fuiſſe teſticulos proditum ſcio. *Idem lib. 17. c. 12. A. L.*

Illi quos *τειόρχεις* vocant, eſſe ſolent libidinis indomitæ, quod verum eſſe ſcimus in quodam viro. *Montuus cap. 37. com. 4. Anaſceu. morb.*

Tertium teſticulum omnibus cuiuſdam familiæ ſuperare nouimus. *Fernel. lib. 1. c. 8. Patholog.*

Obſeruauimus in Anatome viri cuiuſdam, tres teſticulos. *V. Clariſſ. Iacobus Moccius ex aduerſ. Ioannis Dryandri.*

Δίδυμοι (dicuntur) quod ſingulis hominibus bini vt plurimum ſoleant eſſe teſticuli. Etiamſi *τειόρχεις* quoſdam, ſicut inter accipitris genera Buteonem legimus. *Iod. Willichius lib. 1. cap. 19. Anatom.*

Videre nobis contigit in puero typographi filio tertium teſticulum. Nec deſunt qui aſſerant quibuſdam familiis peculiare eſſe, vt tertium habeant teſticulum. *Scholiographi ad cap. 62. lib. 1. de morb. intern. Hollerii.*

Teſtium in viris ſitus nulli non eſt conſpicuus, & vt binarius ipſorum numerus, vnde etiam *δίδυμοι* & gemini appellantur: quamuis interdum vnus tantum, & interdum tres ſimul reperiantur: at id rarius quam nonnulli exiſtimant, tertium teſtium tuberculum aliquod præter naturam, in ſcroto reconditum enumerantes. *Veſalius lib. 5. cap. 13 de corp. hum. fabrica.*

AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Vlcus latens in peritonæo, ex quo altero teſtium intenſo dolore intumeſcente mors conſecuta eſt.

VIdimus aliquando Adoleſcentem, cui teſtis cum vehemẽti dolore intumuerat. Is nullis auxiliis adiutus, tandem obiit. Inuentum eſt vlcus exiguũ circa peritonæũ, è quo perennis ſaniei defluxio

in teſtes tumoris cauſa fuit & mortis. *Iacotius Comm. ad Coaca Hipp.pag.826.*

OBSERVATIO.

Ob caſtitatis votum inuiolatum cuidam teſtes cum vaſis ſpermaticis mire contabuerunt.

NOs olim in Agro Barchinonienſi obſeruauimus in cadauere Religioſiſſimi Monachi à pleuritide & peſtilenti febre abrepti, cuius teſtes in adoleſcentia (vt ipſe adhuc viuens tanquam inauditum quippiam nobis retulit) licet moderatam magnitudinem à natura fuiſſent adepti nihilo minus proceſſu temporis, ob votum caſtitatis inuiolabiliter ab eo per multos annos obſeruatum , fere penitus contabuere, vaſaque ſpermatica eiuſdem Monachi, vna cum ſemine eius redundante adeo aruere, vt cũ eius cadauer ſecaretur, exſiccatorum neruorum, ſeu duriorum ligamentorum potius imaginem præ ſe ferrent. *Vidus Vidius Iunior, de Curat.memb.libro* 11. *cap.*2.

OBSERVATIO.

Affectus puerorum, quo teſticulus vnus magnus ſpectatur & durus, inſtar oui gallinæ: vulgo der Keil.

IN pueris aliquoties vidi teſticulum vnum magnum, durum, inſtar oui Gallinæ, quod malum à vulgò vocatur der Keil. Non eſt hernia carnoſa, ſed alia ſpecies à medicis non deſcripto. Mulierculæ cõtra hoc malum variis vtuntur remediis, quæ, cum magna ex parte ſint ſuperſtitioſa, ſilentio inuoluam. *Cl.V. Ioan. Franci Hildeſii* Cameniceni *Obſeruatio nobis communicata.*

OBSERVATIO.

Siniſtri cremaſteris muſculi reſolutio.

ORnatiſſ. Vir annorum circiter 34. aut 35. qui ante hac ex febribus diuerſis curatus eſt, rara affectione iam quadriennium, hac nimirum torquetur, ſcilicet perſentiebat ante hoc tempus ſiniſtrum teſticulum intro retractum, quem tum magno niſu & labore manuum frictionibus exercuit, vt excluſum dimitteret. Inde ea in parte graues dolores excitati ſunt. tãdem diebus circiter duodecim, viſus eſt priſtino loco reſtitutus, ſecundum naturam habere. Suadente tum quodam vt terebinthino oleo iſtum perungeret. Itaque biduum integrum cum illud faceret, tantus calor & dolor in ea parte excitatus, vt ab incepta illitione deſiſtere cogeretur. Ab eo tempore ſiniſtrum illum teſticulum, dextro longiorem magisque propendentem percepit, multoq; etiam debiliorem, ita vt in virgæ erectione & coitu nihil ab eo natura iuuetur, quando is plane flacceſcit, quaſi paralyſi ſit affectus. *Solenander opere conſ.ſect.*4. *conſil.*18.

OBSERVATIO.

Generoſus quidam Baro cum magnis itineribus per diſpoſitos equos ad comitia contenderet, teſticulorum alterum in ephippio contorquens ità preſſit, vt curſum ad infimos abdominis muſculos in inguen adigeret, vnde nulla arte reduci potuit, qui tandem febre & dolo ſæuitia extinctus eſt.

VIdi anno 1562. cum Illuſtriſſ. meum Principem Francofurtum ad comitia ſecutus eſſem, nobiliſſ. quendam ex Comitibus Oetingenſibus Virum, qui iſto potiſſ. affectu interiit. Is cum magnis itineribus per diſpoſitos equos Auguſtam contenderet, in via, vt fit ex duriore ſucceſſu equi, cum illideretur in ephippii anteriorem partem, teſticulum alterum contorquens ita preſſit, vt ſiniſtrum inter infimas abdominis muſculorum extremitates in inguen intruderet, quo poſtea reduci nullo modo modo poſſet: tumore ibidem & dolore excitato, affluente aliunde humore, grauiter aliquot ſeptimanas generoſus vir ita afflictus eſt, delatus inde Francofurtum huic malo Medicum quæſiuit, inuentus qui ſectione, vt in inguinis hernia βουβωνοκήλη adminiſtratur, ſanationem promitteret. Verum augeſcente febre priuſquam Chirurgus manum admoueret, extinctus eſt. Cum cadauer ſecaretur, inuentus eſt teſticulus ſub peritonęũ inter abdominis extremos muſculos, ita inhæreſcens, vt quaſi conatus iſtis videretur, neque vt ego aperti abdominis obſeruaui conſtitutionem, potuiſſet integra valetudine ſectione inde auferri. *Idem ſect.*4. *conſ.*18.

OBSERVATIO.

De carcinomate ſiniſtri teſticuli ob emollientiũ & reſoluentium medicamentorum vſum exulcerato, ac in cancrum immedicabilem conuerſo.

NObiliſſimus & magnificus vir N. annos 28. natus, conſtitutione gracilis, temperamento bilioſus, ſtatim à duodecimo ætatis ſuæ anno, & frequenti Veneris conſuetudine vtebatur, & inordinato aſſiduæ æquitationis exercitio corpus exagitabat: quæ duo tũ meatuum relaxione, tum debilitationis interuentu diſpoſuere membra genitalia ad ſuſcipiendos defluxioũm impetus à partium ſuperiorum concitatione: veluti etiam capitis quod acuminati verticis reſpectu continuæ deſtillationi adeo erat obnoxium, vt præter ingruentes quaſdam arthritidis minitationes, vereretur, ne materiæ ad pulmones delapſus, aliquando tandem induceret inſanabilem tabidæ luis contagionem. Huic vero apparatui materiam ſuppeditat praua victus obſeruatio, quæ maxime propter patrium (hoc eſt Germanicum) compotationum morem ſanguineæ moli communicauit ſummam humorum corruptionem & adaſſationem, quam forſitan auxerunt reliquiæ labis Neapolitatæ male curatæ, cuius inſigniis alias quoq; ornabatur ad laſciuæ iuuentutis imitationem. Ex eo occaſionum confluxu incurrit progreſſu temporis, intercedente tamen hernia varicoſa, in ſiniſtri ſeroti tumorem, quem primum quidem vulgaris chirurgi ſtudio cataplaſmatibus diſcuſſum iri ſperabat: at indies malo ingraueſcente, me citari iuſſit. qui præuio loci affecti intuitu, ilico meam de Sarcoceles præſentia ſententiam, adſtante chirurgo pronunciaui: & hanc eo vſque progreſſam, vt nulla rerum applicatione reſolui aut diſcuti poſſet: atq; operam luſuros quotquot in eum finem aliquid tentarẽt. Hoc tamẽ ſuaſi, vt contentus ad ſeptimanas aliquot ſola incrementi eius mali prohibitione, per applicationem illorum, quæ leuiter refrigerando exiccarent, aquæ plantaginis incocta, & victus legis ſtudioſa obſeruatione: vt nimirum à vehementiori equitatione, inſoleſcentium incuſſantiumque equorum vſu, continua veneris exercitatione, & poculorum certamine deſiſteret. ſi tamen

interea

interea temporis tumorem increſcere animaduerteretur, poſſe tuta illius tumidi teſtis ablatione malũ prorſus tolli, maxime ſi victus & reliquarum neceſſariarum obſeruatione comitaretur obedientia. Ille neglecto conſilio in rerum non naturalium delicto & naturalium tranſgreſſione perſiſtens, ferocemque equeſtris concuſſionis tumultationem commodæ ſeſſioni curruli præponens, in conſueta vitæ libertate perſeuerabat. Pertæſus tamen valetudinariç conditionis, tradit ſeſe in poteſtatem chirurgi, cuius mira in ſimilis caſus profligatione felicitas prædicabatur: qui præſtita operæ pollicitatione applicuit cataplaſma ſibi πολύχρηστον, ex multa emollientium & reſoluentium farragine cõgeſtum: quod haud obſcure oſtentauit ignorationem ſuam circa & medicamentorum vſum & ægritudinis eſſentiam. Hinc variorum hominum conſilia ſecutus æger, topica experitur multiplicia, partim emollientia, partim diſcutientia & reſoluentia pulmenta, cataplaſmata, vnguenta, linimenta cerata. Hac ratione eo promotum eſt poſt paucorum menſium curriculum, vt ſupra teſtem leue tuberculum rubore aliquo tinctum apparere cæperit, quod à chirurgo pertundebatur: immiſſoque ſpecillo, ad ſcrotum vſque, id identidẽ aperiebatur: nihilque effluxit, ac tentæ immiſſæ extractæque nullum latentis in eo tumore humoris indicium commonſtrabant. Quare iis quę mollirẽt, putrefacerent, ac pus generarent perſeueratum eſt, donec proſerperet, ſeque oſtentaret; latens cancer, rerum dictarum applicatione permotus, irritatuſq; qui deinde eo loco putredini vſque adeo obnoxio, furore tanto breui efferbuit, vt ater, teterrimo cum fœtore, & frequenti ſanguinis fluxu tumoris multã partem depaſceretur, excederetque miſerabilem in modum. Sic tandem cruciatus incredibilis continuatione, & fœtida putredinis exhalatione victus, animam cum magna ſui ipſius abnegatione libenter Deo reddidit; commendauitque in Ianuario, anni ſexageſimi quinti ſupra ſeſquimilleſimũ. Ante mortem, cum ex Illuſtriſſimi Principis noſtri miniſterio ad meam familiam reuerſus, ab ęgroto vocaretur, mox cum multo luctu exclamabat: Vtinã tuo obſecutus fuiſſem conſilio. Nec alio huius narrationis inſtitutum quis torqueat, quam vt in ſimilis vitii ambiguitate, prouide magis conſilii ratio perpendatur. Nam ab emollientibus cancrum mire exaſperari, diligenter præmonuit *Galenus lib.5. ſimplic.* quod ratio etiam dictat, cum putredinis parens & auctrix ſit mollificatio. *Wierus lib. obſeruat.*

OBSERVATIO.

Lapilli in teſticulis geniti.

Tophi & in teſticulo & in membrana erythroide occalleſcũt, tenixu multo duritie & inęqualitate à carnoſo ramice & aquoſo diſcreti. *Paulus AEgineta lib.6. cap.63.*

Monſpelii in cadaueris cuiuſdam diſſectione, teſticuli lapillis pleni inuenti ſunt. *Geſnerus lib. de Foſſilib. cap.11.*

Lapillos in pulmonibus ſtudioſi cuiuſdam rotundos, albos tophaceos, vti & in teſtibus ſectione deprehendi. *Cl. V. Felix Platerus in obſeruat. ſuis.*

Inter varia quæ de calculorum generatione ſcribuntur, etiam notandum videtur: quod, cum Anatomiam facerem, in ſiniſtro teſticulo, lapillum albicantem, & nonnihil gemmæ modo nitentem, lenticulæ fere figura, ſed maiorem, eſſe generantum, inuenerim. Quod cum clariſſ. D.D. Philipp. Mentzelius collega meus obſeruandus, tunc etiam præſens, vidiſſet: Lapidem illum orchiten eſſe appellandum ſcite dixit: Vbi & illud notandum, quod hoc in eodem corpore contigerit, in quo ſplen adeo magnus fuit viſus, idque in ſplenis latere ſiniſtro. *V. Cl. Cyriacus Lucius in obſeruat. ſuis.*

Anno Domini M. D. L X IX. in dextro teſticulo, decollati cuiuſdam hominis, lapillum ſubalbidum, lentis magnitudine inueni; quem, ob rei raritatem, in hunc vſque diem aſſeruo. *D. D. Ioan. Knoblochius.*

OBSERVATIO.

Monſtroſæ Venarum & Arteriarum ſeminalium conformationes: quarum nonnullæ vel θηλυγονίας, vel indomitæ veneris cauſa videntur.

Binas in eodem latere ſeminarias venas animaduerti. *Columbus lib.15. Anat.*

Sæpe videre datum eſt nobis tres, quatuor arterias ſeminales. *Corn. Gemma. Art. Cyclognom. libro ſecundo pag.75.*

Infima trium emulgentium ad confinium, cauæ, vnde fuerat explanata, proferebat de ſe venam σπερματικὴν; (quod alias tantum, & perpetuo quidem, in ſiniſtris vſu venire ſolet) cuius caput ſupra in modum infundibuli dilatabatur, partibus inferioribus ſeſe in canalem arctiorem coanguſtantibus, quo ſeminis materia profundi affluentius, ac ceu prodigi potuit. Nõ enim aliunde, quam hinc peti poſſe cauſæ videntur non ſolum vberioris in iſto homine ſeminis prouentus, & auiditatis exercendi venerem prope inexhauſtæ, quæque vix ſatiari poſſet, ſuper qua paulo ante ſupplicium queſtus fuerat, ingenuè pernegans vllo vnquã præter hunc in vita ſeſe morbo diuexatum fuiſſe: ſed & θηλυγονίας perpetuæ, cuĩ ſolum habilis à natura eſſet. Nunquam enim marẽ procreauit, neque in coniugio, neque in adulterio atque ſtupris, quibus creberrime ſe polluerat, ob aſſiduos ſtimulos impetuſque veneris, quos inhibere omnino ipſe nequiit. Eſt autem hoc ſatis notum iam atque teſtatum, ductus, quibus in corpore prouincia aliquo deferendi materiam data eſt, tanto promtius & liberalius ſibi concreditos humores diſtribuere, quanto ſunt decliuiores. Rurſum quo σύστασις ſeminis liquidior eſt magiſque fluxa, hoc effœminatius fere id eſſe, quippe quod negligentius elaboretur, & caloris, qui eius quaſi anima eſt, minus poſſideat. Denique quanto ſemen de copioſioris ſeri ammiſtione acrius redditur, tanto ad veneris vſum incitare ac laceſſere vehementius. Hinc nimirum neque modum Veneris ſibi facere, neque marem procreare potuit. Iam vero etiam σπερματικὰς arterias è caudice aortæ vidiſſes emergere, non ſimiliter aliis, ſed prægrandem ramum ac ſingularem recta aliquouſque inde progredi, poſtea infra exortum pollicis latitudine in alios duos dirimi, directos in inuolucra teſtium, ad vitalem iis ſpiritum afferẽdum. In corporibus animantium nuſquam perinde ludit diuina potentia & ſapientia, vt in renibus & ſtomachis eorum emulgentibus. *Salamon Albertus in ſtructura Vreterum Renis dextri mirifica.*

In anatome Baſileæ Anno 1571. cum D.D. Felice Platero adminiſtrata deprehendimus ſeminalem

arteriam

arteriam ſuper emulgētem venam in latere ſiniſtro: à ſeminali vena infra renem aſcendebat vena ad tunicam renis adipoſum. In renibus vtriſq; inuenimus pus, ſine manifeſtis vlceribus. In thorace, pulmones adhærebant coſtis, at incorrupti circa thymum inueni lapides obuolutos ſanguine nigro, vt in pulmone quoq; : vena azygæ ramus pertingebat ad ſecundam coſtam. *Ex obſ. Io. Bauhini tranſmiſſis.*

Observatio.

Vaſis ſemen in penem deferentis cauitas exemplo demonſtrata.

VAſis huius in penem inſertio conſpectum, quodammodo fugit, & coitus, aut alias excretionis ſeminis tantum tempore aperitur, quod quidam Patauii diſſectus, facile edocuit. qui ante ſuſpendium inuoluntario ſeminis fluxu laborans, hos meatus omnes apertos, laxoſque habuit, eos potiſſimum, qui ex teſtibus in deferentis ſemen vaſis reuolutiones gyroſue pertingunt, & quibus dextrum & ſiniſtrum deferentia ſemen vaſa in veſicę ceruicem terminantur. *Veſalius lib. 5. c. 13. de corp. hum. fabrica.*

Observatio.

Glandoſum corpus collo veſicæ adnatum, gonorrhœa laborantis, ſemine non minus quam teſtes refertum viſum.

IN inuoluntario ſeminis fluxu laborante, quem Patauii diſſecuimus, corpus glandoſum cum diuideretur, non minus quam teſtes ipſos ſemine oppletum conſpeximus: & ſi verum fatendum eſt, inter diſſecandū in nulla penitus corporis parte tāta ſeminis vis vſquā atq; in hoc glandoſo corpore adinuenitur, quantumuis id à teſtium ſubſtantia, mollitie, æquabilitate, multum variet. *Idem Veſalius, libro & cap. ſupra ſcripto.*

Observatio.

Glandoſo corpore, quod collo veſicæ adhæret, nimium reſiccato: vrinæ difficultas inducta: atque curata.

NVper quidam difficulter vrinam mittebat, iis ex arefactis adenis, quæ paraſtatæ vocantur, variciformes ſeu adeniformes, & ſunt partes additæ inter teſtes & ſeminaria vaſa, quales in facibus reperiuntur, nec niſi ingenti vrinæ pondere exonerabatur veſica: ſicque perfundi eas partes vnctionibus, atq; vniuerſum corpus inſtaurare iuſſi, & ita libero vrinę meatu ſanitati reſtitutus fuit. Suſpicienda me hercle hiſtoria rarius contingens, cuius meminit *Iul. Pollux* referente *Alexandro Benedict. libro 24. cap. 3. de curand. morb.*

Observatio.

Lapides in glandoſo corpore, quod collo veſicæ adhæret, animaduerſi.

NOs in D. Friderico Triuiolo diſpoſitorum equorum Mantuæ Magiſtro in glanduloſo corpore illo, quod veſicæ collo adnaſcitur, & in quod deferentia vaſa, poſtquam coiere, inſeruntur: ſeminis elaborationi, præter alios, inſeruienti, quemadmodum probat *Veſalius* aduerſus *Galenum lib. 5. cap. 13.* obſeruauimus lapidem infixum. non poterat hic vir ſemen, niſi paucum admodum aquoſumque valde, in coitu excernere, diſſectuſque pro lapidis veſicæ extractione ab empirico occubuit.

Et in Ioanne Maria Facino medico Mantuano, in eodem corpore glandoſo, vt mihi retulit Cornelius Manilius Chirurgus, in diſſectione lapillum puſillum inuenit. Quare text. *Raſis 10. cap. 2.* cum ait, Et non vidimus lapidem in glandulis, exiſtimo mendoſum eſſe: & potius legendum, Nos vidimus lapidem in glandulis: ita vt impreſſoris vitio litera S. fuerit conuerſa in L. & N. *Marcell. Donat. Hiſtor. Med. Mirabil. lib. 4. cap. 30.*

Observatio.

In ſcroto lapis viſus qui ex eiuſdem exulceratione procidit.

MOnſpelii ſcrotum quidam prętumidum habebat, quum vero medici dubii eſſent, tandem ex putredine ruptum apertumque fuit: vnde lapis excidit in quinque partes diffractus. Saporta aliiſq; velut rarum & ſingulare quidpiam admirantibus. Nec forte vnquam alias in oſcheo lapides viſos. Id quod ego à Præceptoribus Monſpelii annotaui. *Iacobus Moccius, amicus noſter.*

Observatio.

Lapilli ex collo veſicæ & ſcroto per ſectionem exemti circiter 178.

ANno Chriſti 1581. Menſe Februario, in Noſocomio publico, quidam iuuenis, annorum 28. ante aliquot annos in calculo veſicæ fuerat ſectus, ac lapis ſatis magnus, integer exemtus. Lithotomus autem minus peritus, aut diligens, tantum reſpexit ad externum vulnus, quod alioqui facile conſolidatur, neglecto altero ad collum veſicæ, quare hoc tādem in fiſtulam degenerauit. Ex ſordibus itaque & ſanie circa collum veſicæ, & in ipſo ſcroto, purulenta & ſabuloſa materia paulatim fuit collecta, quæ tandem in lapillos plurimos concreuit, ac ſcrotum intumuit, vt pro hernioſo illum omnes haberent. Perpeſſus vero eſt longo tempore ingentes cruciatus, & ardorem vrinæ vehementiſſimum. At natura tandem exitum quærens, fiſtula ſuppurata fuit aperta, & lapides paulatim protruſi ad 23. circiter. At cum tumor & dolor non decreſcerent, ſed inſuper grandior lapis, (qui, vt poſtea apparuit, formā & magnitudinem lupini omnino repræſentabat) ἰσχυρείαν periculoſiſſimam inferret, lubens ſe rurſum ſectioni ſubiecit. Quę fuit adminiſtrata à lithotomo Reipublicæ noſtræ exercitatiſſimo, Balthaſaro Gros, atque exemti lapilli 152. quorum duo grandiores lupinos referebant magnitudine & figura. Cæteri vero omnes quadrangulares, ſed multo minores fuere. Fiſtula deinde mundata, & topicis conuenientibus magna diligentia adhibitis, ſpatio vnius menſis miſellus iſte valetudinem ſatis tolerabilem Diuina benignitate, eſt rurſum conſecutus. Huic Curationi poſteaquam videret me lithotomus, meus amicus, cum ſumma admiratione intereſſe, in rei, alioqui vix credendæ, teſtimonium lapillos iſtos mihi donauit, quos adhuc inter rariora nonnulla aſſeruo, & aliis Doctiſſimis Medicis oſtendere ſoleo.

De obſeruat. Cl. V. Ioachimi Camerarii.

* * *

DE

DE COITV.

OBSERVATIO.

Effreni coitu ſanguis purus emiſſus.

AB Archigene ſcriptum reperio quibuſdã per circuitus, vt in hæmorrhoidibus, ſanguinem multum collectum renibus emingi, vnde ſubleuentur; idque accidere iuuenibus qui maiori licentia Veneri indulgent. Mileſius quidam *apud Aurelianum* 5. χρονιῶν, ſanguinem emictum affirmabat eſſe ex infirmitate ſeminalium vaſorum. Ab Aureliano reprehenditur. Sed cum experientia doceat è renibus per vaſa ſpermatica defluere, & ab his & à renibus exire certum eſt. Vidimus qui à coitu multum ſanguinem effunderent, quique non facile reprimeretur, laxatis nimium vaſis, & imbecillioribus redditis, profuſo omni ſemine. *Scholiograph. ad c. 52. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

Nos ipſi vidimus adoleſcentes duos, qui propter immoderatam venerem ſanguinem purum meiebant. In his veriſimile eſt fuiſſe vaſorum ſpermaticorum imbecillitatem. *Hollerius Comment. ad Aph. 78. lib. 4. Hipp.*

Meminit Theophraſtus radicis cuiuſdam, ab Indo allatæ, qua non edentibus ſolum, ſed etiam tangentibus genitalibus, coitus vel ſeptuageſies pronocabatur. Verum emiſſionem ſeminis guttatim tantum proceſſiſſe, demumque in ſanguinem deueniſſe, *Vide Lemma Aphrodiſiaſtica prodigioſa.*

Quod attinet ad Patauinum illum (qui pedellus erat vniuerſitatis) hæmorrhagia per penem laborantem, retulit eam mihi hiſtoriam. Nob. Dn. Volcardus Mulſteterà Mauren, Tyrolenſis, Anno 81. cũ vna degeremus Lutetiæ fuiſſe nimirum vxoratum, qui (vt Medico confeſſus erat) intemperantius vxori gratificari voluerit, & in hæmorrhagiam copioſam per penem inciderit, adeo vt in tribus diebus vltra menſuram noſtratem ſanguinis puri, floridi, & non grumoſi emiſerit, eundem curatum eſſe refrigerantium & conſolidantium internorum & externorum medicamẽtorum vſu, præmiſſa venæ ſectione. *V. Cl. Martinus Holtzapfelius. de obſ. ſuis.*

OBSERVATIO.

Coitus deſiderio flagrantes nonnulli, ſeminis loco crepitus per aluum elidere ſoliti.

ADoleſcens quidam nos acceſſit, & ſe vehementer coitum appetere confeſſus eſt: verum vbi commiſceretur ſemen emittere non poſſe, ſed flatus plurimos ſibi per ſedem erumpere. In hoc itaq; coniecturam feci, vaſorum ſeminariorum ſiccitatẽ adeſſe: quod ipſum etiam adepta ſanitas demonſtrauit. Nam poſtquam humida & boni ſucci diæta eſſet vſus, ſemen emiſit. *Aetius Tetrabib. 3. ſerm. 3. c. 35.*

Iuuenis Dalmata, forma eleganti præditus, mœſtus & triſtis ad me venit, ſe malle mori inquiens, q̃ ſimile vitium pati, hic namque, cum coibat cum muliere, nullum emittebat ſemen, ſed potius ventris crepitus pedebat, qua de re, cum à tanto dedecore, & vitio liberem, me rogat. Ego vero huius vitii cauſam inquirens, multam pituitam craſſam, inferiore inteſtino hærentem, conieci. Cuius præſentia, vaſa ſeminaria frigida & coarctata erant, vnde ſemen genitale deficiebat, pituita vero, motu & caliditate diſſoluta, in flatus vertebatur, quam primo depellere ſtatui, id quod aſſecutus ſum, propoſito primo victu calido, qui ex cibariis optimis & multi ſucci conſtabat, veluti potu vini vermiculi & odori, dein vero præparato per oxymelitis aſſiduum potum corpore & recte purgato, ac iniectis infuſis pituitam quoque hanc minuentibus, imum ventrẽ & inguina ac inter anum & pudendum hoc vnguẽto illini faciebam quod habet, Piperis albi & nigri ac longi an. drach. vnam ſemis, ſeminis erucæ, ſeminis vrticæ, nigellæ an. drach. ſemis. pyrethri ſcrup. vnum, ol. lilini, in quo iniectæ ſunt erucæ herbarum, aut pinus animalia tria vel quatuor, & per aliquot dies inſolata vnciæ duæ, de caſtorio vncia ſ mis, ceræ q. ſufficit miſce fac vnguentum, & eo vt dixi partes inungantur, præcipue in aurora, & ea nocte in qua non coibat, nam hora coitus vino calido ſe lauabat, ſed in aurora etiam, & hora coitus, vnciam mediam ad drachmas ſex huius electuarii deglutiebat, & ſuper parum vini maluatici pitiſabat, habet autem ſic. ℞. diaſatirionis vncias duas, diagalangæ drach. duas ſpecierum diambræ, diamoſchi an. ſcrup. duos, ramenti pudendi ceruini aridi drachmam ſemis, nucũ pinearum, piſtaceorum, amygdalarum dulcium mundatarum an. vnciam ſemis, carnis ſcinci drach. duas, ſeminis erucæ, vrticæ, naſturtii an. ſcrup. vnum pectuſculi capi cocti vncias tres. terenda terantur & melle optimo fac Electuarium liquidum ſecundum artis ordinem, iis enim hic intra menſem voti compos fuit factus, & artis laudum maximus euaſit buccinator. *Amat. Luſitan. Cent. 6. curat. 95.*

OBSERVATIO.

Coeuntibus nonnullis etiam ventris crepitus elidi: vel alui excrementa, magna fœditate profluere.

SVnt qui in Coitu ventris crepitum emittant, vt Arceſilaus. Nonnullis vero horror fit. Quibuſdã autem ſicut Demagoræ, vbi cum mulieribus congreſſi fuerint, venter inflatur. *Hippocr. Aphor. 20. Partic. 3. lib. 6. Epidem.*

Senibus cumplurimum in venere excrementa fluunt: reſoluto nimirum ani muſculo, ex naturali imbecillitate, vel frigida pituita reſoluẽte: vis enim illa omnis ad genitalia in venere tranſmittitur; ſubducto à ſede ſpiritu. Id eueniſſe cuidã Andreæ Tragurienſi tantum nouimus, ex vehementi enim voluptate id accidere ſcribunt authores *Alexand. Benedict. lib. 24. c. 36. de curand. morb.*

Ani muſculi iuuant paraſtatas in emiſſione ſpermatis in coitu: cuius ſignum eſt, quod ſunt aliqui coeuntes ſimul & egerentes. *Carpus in Iſagoga Anatomica de recto inteſtino.*

Cacando quidam ſemen emittebat Paduæ homo quadraginta annorum. *Acroama Iacobi Moccii Medici, V. Cl.*

OBSERVATIO.

Beſtiolam exiguam, piloſam, polypodem, cum multo ſemine eiectam.

EPhebus Athenis ſerpentem puſillum, piloſum, & plurimis pedibus ſtatim ambulantem, multo cum ſemine eiecit. *Plutarchus lib. 8. Sympoſ. problem. 9.*

OBSER-

OBSERVATIO.

In Coitu ſemine deſtituti ob Gonorrhaam in ſomno.

ADoleſcens domeſticus miniſter, confeſſus eſt ſe, quando cum muliere rem haberet, ſemen effundere non poſſe: quum vero dormiret, plurimũ ei ſemen prodire. Viſum itaque mihi eſt, vaſa eius ſeminaria, propter multam vna cum frigiditate humiditatem, calfieri nõ poſſe, propterea quod caliditas in coeundo ad corporis ſuperficiem diffunderetur. In ſomnis vero amplius calefieret, propterea quod ſomni interna calefaciunt, & refrigerant exteriora. Quare hunc ipſum infernas partes exercere iuſſi, atque id maxime per equitationem. Caſtoreum etiam bibendum præbui, & diætam omnem calidam & ſiccam conſtitui. *Aetius Tetrabib.3. Sermon.3. cap.vltimo.*

Dum ipſe medicinam facerem excellentiſ. Medicus, doctiſſimusq; philoſophus, felicis recordationis, Franciſcus Valerius, qui peſte anno 1576. vrbem noſtram vaſtante, dum magis alienæ quam ſuæ vitæ curam gereret, extinctus eſt: me conſuluit, vt ſentẽtiam meam ipſi aperire vellem in caſu illuſtris iuuenis, qui in venereo congreſſu cum muliere ſemen emittere nequibat: quamuis in ſomno atq; manibus perfricata mentula, vel nullo negotio excerneret. Quod pariter & alteri M. viro vrbi noſtræ accidiſſe teſtari poſſumus, licet eorum nomina cum adhuc viuant, ſilenda eſſe decere arbitremur. *Marcell. Don. hiſt.Med.mirab.lib.4.cap.18.*

OBSERVATIO.

De ijs, qui ſemen non excernunt.

AVdiui ab Helideo, ſe quendam nouiſſe, qui propter teſtium duritiem, ſemen nunquam excreuiſſet. & tales ſteriles eſſe. Similis caſus etiam mihi oblatus eſt, quum anno 57. in Montibus Sebenenſibus Galliæ, non procul Monſpeſſulo medicinam facerem. Huic tendebatur quidem membrum, & actu venereo vtebatur quidem, ſed non abſoluebat tamen, quia ne tantillum quidem ſeminis eiaculabatur. Præſcripſeram tum ei quæ ſemen generarent, & vias aperirent, verum vtrum profuerint, quum nõ ad me rediiſſet poſtea, ignoro. Helideus dixerat tum quoque nonnullos ſteriles naſci propter conſtellationem, Saturni & Martis in quinta, idque in quodam ab eo fuiſſe obſeruatum. *Ex annotatis Bononia, & propria praxi D. Caſp. Wolph.*

OBSERVATIO.

Quidam coeundo, præpropere nimis ſemen profundunt, cum ſterilitatis noxa.

MVltos noui, qui procreare liberos minime cũ vxoribus ſuis poterant hac præſertim ratione, quia non poterant tantiſper in effundendo ſemine morari, donec & mulier moueretur & reſolueretur vt coitus vtriuſque ſeminis fieret. *Trincauella lib. 11. c. 17. de rat.curand.part.hum.corp.affect.*

OBSERVATIO.

Caſtratos coiuiſſe, & ſemen excluſiſſe.

EXectum virum etiam coiiſſe, ſcribit *Albertus*, ac genitalem profudiſſe vrinam, ſicut taurum *Ariſtoteles*. Et *Varro*. Admirandum, inquit, accepi, exemtis teſticulis, ſi ſtatim vaccas admiſeris, concipere. Confirmat *Columella*, ratione non omiſſa: necnon *Palladius*: ſed ſanguinis fluore vitulum interire opinatur, etiãſi generet certiſſime. *Cœlius lib.4.c.4.A.L.*

Si à natiuitate, vel paulo poſt, exſecti ſint teſtes, maneant tamen virga & ſcrotum, Venere vti poterit, ſed non generare. Vt apud Martialem.

Cur tantum eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

Cardanus comment.ad Aphoriſ.27.Hipp.

Ariſtoteles ait eſſe animalia quædam quæ generent abſque teſticulis. Et apud *Vitruuium* fit mentio tauri, qui exectis teſticulis ſtatim coiit & generauit, & ſpadones generant, modo relicta ſit pars ſuperior teſticuli. Eunuchi emittunt ſemen, ſed non generant. *Hollerius Commentar.ad Aphoriſm. 63. lib.5. Hippocrat.*

OBSERVATIO.

In venere mortui.

COrnelius Gallus Prætorius, & Titus Ætherius eques Romanus inter vſum (quidam addunt Puerilis) veneris abſumti ſunt. *Val.lib.9. cap.12. Plin. lib.7.cap.53.*

Beltrandus Ferrerius in Hiſpania Barcellone in venere expirauit. *Pontanus lib.de Obedientia cap.10.*

Diximus ex *Ariſtotelis Quæſtionibus* venere hominem plurimum inter cætera animalia diſſolui: quod plurimum genituræ ſpiritalis vno initu diffundat, atque ita ſalaciores laxari, breuioriſque vitæ fieri, paſſerum natura, quibus vita breuiſſima eſt. Ex nimia (vt conſtat) veneris voluptate, quidam interiere. Exemplo cuiuſdam Viturii Senatorii Ordinis, qui admodum ſenex, in venere obiit. *Alexand.Benedict.de curand.morb.lib.24.cap, 22.*

Giachetus Geneua Salutianus inter Salucianos clarus homo, ætate iam ingraueſcente, per poſticam puellam admittere conſueuerat, prætextu vtenſilium curandorum, veſtiumque curandarum. Quodam die cum puella diutius, quam conſueuerat, recipere ſe ad vxorem ac liberos tardaret, ſeriorque hora vxorem ac liberos in ſuſpicionem adduceret, ne quid marito aduerſi contigiſſet, quia ſtrepitum nullum, in muſæo, euoluendorum librorum, (vt ei mos erat) exaudiebant: poſteaquam vocando pulſandoque non profecerunt, effracto loci oſtio, cum lumen intuliſſent, inuenerunt, in puellæ cõplexu eum illius ventri, eo modo, quo venus exercetur, incumbere, atque vtrumque exanimem, ſine vllo violentæ mortis ſigno, eſſe. *Fulg.lib.9.c.12.*

Nouimus mulierem, ſcortum inſigne, Lucretiam vocatam, quæ in coitu aliquando animo linquebatur. *Marcell. Don.Hiſt.med.mirab.lib. 4.cap.17.* Quo loco cauſas huius euentus, vti in pleriſque aliis, efficaces & eruditas deducit.

OBSERVATIO.

Exemplum ignotum cuiuſdam, qui plagis feruentior coorïebatur in concubitum.

HOminum naturam extra reliquorum modum admirantibus ſuccurrit exemplum raro alias auditi euentus. Siquidem non multis ab hinc annis vixiſſe quendam in Venereis, non gallinaceæ ſalacitatis, verum ingenii ſtupendi maxime, quodque vix impetret fidem, ex adiuratiſſimis compertum eſt:

qui

qui quo plurib. affectus fuiſſet plagis, eo impetuoſiusq; ardētiuſq; in concubitū ferebatur prçceps. Fuit omnino mira res; neſcires, vtrum affectaret auidius verbera, an coitum, niſi quod illorum menſu libidinis voluptas conſtabat. Proinde extentis ſe precibus difflagellari expoſcebat, pridie quam id pateretur flagello aceti aſperitate obdurato: quod ſi conuerberator lentius agere foret viſus, velut extimulante rabie conuitiis inteſſebat: nec factum ſibi ſatis arbitrabatur, ni inter cædendum ſanguis ſeſe oſtendiſſet. Vnus opinor, mortalium inuentus, qui eodem impetu in ſupplicium ferretur, ac delitias: quippe inter tormenta ſenſuum titillationes ac æſtuantem pruritum, vel expleret, vel incenderet. Quodque nec mirum minus eſt, non latebat hominem flagitii inuſitata ſpecies, ſeque in eo execrabatur, ac ſibi ipſi erat infeſtus. Cçterum conſuetudine deprauata amplius præualente, vtebatur vitio, & improbabat. Irroborarat vero ea, radiceſque egerat altius, quod ita foret aſſuetus puer, communicata ſtupri fœditate, inter æquales plagarum collectatione. Documento inde præſigni, quantum moribus inoleſcendis, educationis poſſit ratio. *Cœlius lib. 11. cap. 15. Antiq. Lect.*

IMPOTENTIA VENEREA.

Observatio.

Impotentia Venereorum cum hernia.

IVvenis quidam 25. annorum conquerebatur ſe ab anno & dimidio venere vti non poſſe, dubitabat an faſcino eluderetur forſan ſæpius fluit ſemen, ſed caudam exigere non poteſt. Pallidus eſt, vrinæ eius ſatis crudæ, aitque ſe difficilius interdum reſpirare, laborabat præterea hernia inteſtinorum vnius lateris facileque reponit inteſtina, nec decidunt niſi magno labore. Fuit Badenæ ſed non profuerat, ſperma ſuum admodum humidum. *De obſeru. Ioan. Bauhini.*

Observatio.

Virilitas ademta & reſtituta.

CVm nobilis quidam adoleſcens, in pudendis pediculorum quodā genere, quod ea loca maxime vexat atq; infeſtat, conflictaretur, à Chirurgo quodam petiit, vt ſibi vnguētum aliquod ad depellendos illos ſubminiſtraret. Chirurgus exhibet illi quoddam ex argento viuo confectum, quod ille dū aliquoties illeuiſſet, ſenſit membrum virile plane frigidum, ac torpidum, & ad venerem plane ineptū. Quo damno vehementer perculſus, cum mihi noxam hanc apperuiſſet, dixi bono animo eſſet, fore vt naturalem vim genitalium breui reciperet. Itaq; vt vna illa animalcula depellerem, & illum torpem genitalium corrigerem, dedi ipſi oleum ſpicæ ſubinde illinendum. Quo cum vſus eſſet, & illos pediculos fugauit, & genitalem vim breui tempore recepit. Caueant vero Chirurgi ne vnguento illo mercuriali, magno ægrotorum incommodo, abutantur. *V. Cl. Iacob. Oethæus lib. obſer. propriarum.*

Observatio.

Iuuenis veneficio mutone ſpoliatus, quomodo reſtitutus fuerit.

NOnnulli reperti ſunt ex veneficio mutone priuati, vt ex multis hiſtoriis patet. Quorum vnā duntaxat hoc loco referre liceat. Iuuenis, obſcuro loco natus, diu quadam iuuencula potitus, nolens deſerere, reperit ſe genitalibus priuatum. Cum vero triſtis cellarium vinum emturus adiuiſſet, superuenienti cuidā mulieri cauſam triſtitiæ aperit, & effectum ipſi inquirenti monſtrauit, quamque maleficam in hoc negotio ſuſpectam haberet, dixit. Cui mulier, vel blandiſſimis verbis ac pollicitationibus, vel minis & vi opus eſt, vt eam ad priſtinum ſtatum reſtituendum cogas & impellas. Qui monitis parēs, obſeruato tempore in noctis crepuſculo, opportuno loco eam comprehendens vbi preces eam flectere non potuiſſent, iniecto collo panniculo lineo & clamare mulierem prohibitam pene ad mortem compreſſit, donec ea ſanitatem promittēte, laxauit. Quæ tactu manus inter femora præſtigium omne abſtulit. Quærunt modo Doctores, an dæmon vere, ac re ipſa pudendum virile poſſit auferre. Et quamuis nonnullis argumentis id eſſe poſſe probabile videatur, nihilo minus, in eam probabiliorem ſententiam veniunt, id potius fieri præſtigioſa ac illuſoria dæmonum arte, quā multis modis exercere poteſt, vt apud ipſos legere eſt. *Baptiſta Codronichius, lib. 3. c. 6. de morbis veneficis ac veneficiis.*

Observatio.

Virilitas carmine ademta.

SI virilitas carmine (quod ſæpe fieri ſolet) aut veneficiorum iniuria intercepta fuerit, ſine vlla corporis iniuria, aut membrorum vitio, primitiuave cauſa euenire haud dubitamus. *Alexand. Benedict. lib. 24. cap. 14. De medend. morb.*

Extinguitur virilitas ex ſenio, ex morbo, ex cauſis omnibus quæ inſitum ſpiritum roburq; diſſoluunt, ex incantamentorum (neque enim fabula eſt) maleficiis & medicamentis quæ genitale ſemen aut proprietate aut qualitate manifeſta perimunt. *Fernelius lib. 6. cap. 13. Patholog.*

Quod incantamentis quidam vinciri putentur vt concubitus omnino impotentes, quaſi euirati reddantur: hoc naturali occaſione variis de cauſis vſu venire poteſt, vitiatis impeditiſue vel natura vel ex accidente congreſſus organis, quæ etiam propinato pharmaco labefactari queunt. Vnde legem de frigidis & maleficiatis & ad libidinis vſum ineptis, tulerunt theologi. (*Decretal. Greg. 9. tit. 15.* Propterea non ſemper erit incantationi imputandum illud vitium, nec ſtatim ſuſpitione aggrauandus inſons. A dæmone tamen vt quidem genituræ inſtrumenta poſſe concubitui inidonea reddi fateor, ita quoque ſpurciſſimæ anus maligna voluntate & inſulſa imprecatione id effici, conſtanter nego: quanquam illa, iniqua à dæmone perſuaſione inducta, ſecus aliquando credat. Eodem authore, alias cum certa fœmina congreſſus, ſæpe eidem homini permitti, relictis eius organis liberis, poteſt: alias cum altera viciſſim præpeditis venereæ actionis inſtrumentis inhiberi, vbi nullo alterius adminiculo illi opus eſt. Sic in Italia viros ſe quoque impotentes reddere arbitrantur nobiliſſima ac eadem putidiſſima ſcorta, ſi anterius ſubligaculi ligamen furtiue alicui ſubtractum colligent: eo etiam reddito, ab ea impotentia ſe rurſus eundem liberare autumant. Idem de lupi

virga in alicuius nomine ligata vel ſoluta credatur. Si quis item maleuolus cubiculi in quo ſponſus cũ ſua ſponſa decumbit, oſtium ſolum pulſet, inclamet que infigens ianuæ cultrum cuſpide, atque in ligno relicta, is qui adornat maleficium, diſcedat tacitus, ſpõſum ea nocte nihil poſſe in re venerea fertur. At nugæ ſunt. Quidam narrat, quendam conterraneũ ſuum, virum nobilem, iuraſſe, ligatum ſe feciſſe, ne cum mulieribus congrederetur: ac reſtitutum dexteritate quadam, qua hic alterius perſuaſionem cõfirmabat, adducens ei librum Cleopatræ, quem de fœminarum informãda ſpecioſitate fecerat: legenſque locum, vbi eo modo ligati corpus totum inungi iubet coruino felle, mixto cum ſeſamelæo, & ita iuuari. Hoc audito confiſus ille libri verbis, id fecit, citoque augmentato libidinis æſtu reſtitutus eſt. Quemadmodum impia credulitate quis læditur, ſic & leuari eadem, credibile eſt, vſuque obſeruatur. *Wierus lib. 3. cap. 18. de præſtigiis.*

Observatio.

Ad Faſcinum ex amore inductum ſingulare experimentum vnum atque alterum.

Recipe, Vnionum, Hyperici, cuiuſq; drachmam: confice in puluerem, & cum ſtalactico Meliſſæ liquore, probe inuicẽ remiſta, potui præbe. Magnetẽ præterea à collo ſuſpende amuleti inſtar, vt nudam cutem contingat. Remedium ſingulare & rarum.

Ad eundem affectum, Diahæmatou. Bibat anatis maris cruorem, exceptum infra alam ſiniſtram: paulo ſcilicet minus, quam vulgaris vſus dimidium ſcyphum.

Sic tamen cum plæriſque aliis cenſeo, ad hyperphyſicum eiuſmodi malum ENTIS VENENI MAGICI vix certi aliquid ex phyſicis auxiliis ſtatui poſſe: quãdoquidem diuerſiſſimis inſtitutis ad hoc negotium Lamiæ cum mille artifice ſuo vtantur. Quemadmodum proinde cum alibi, tum vero maxime hoc loco DIVINVM illud in MORBIS, ſuſpiciendum: & poſt SPIRITVALEM medicinam, VERVM eiuſdem AMVLETVM & PERIAPTON cognoſcendum: vnde CENTRVM vitæ (cui magicus character primario inſidiatur) animetur atque perpetuet. *Schenkius filius.*

Amentiæ, vel veneficio morbo, aut aliter: Ex herbę Paridis acino ſemine colligitur, cui non modo vlla deleteria vis ineſt, ſed etiam qua veneficia præſtãtiſ. eſt medicamẽtum. Noui enim ego quoſdam, inquit ille, qui Pandectas auctas edidit, quorũ aliqui morborũ diuturnitate, alii vero veneficii ſemiſtulti facti erant, hoc tamen Paridis herbæ ſemine ad 20. vſque diem in pulu. hauſto ℥ j. fudere, priſtinæ ſanitati omnino reſtitutos eſſe: id quod ego fateri poſſum. *Mathiolus.*

Si quis ad mulierem non poterit affectari obligatus. Herbæ priamis ei radicem, id eſt, teſticulũ dextrum, qui maior eſt, teres cum piperis albi granis 47. vt in ſe habeat ſemunciã cum herba ſupraſcripta, & mellis ℥. iiij. & in vino opt. medicamentum ſolues, & pondo ſcrupulorum 9. per triduum ſumes. Ad mulierem affectaberis continuo. *Lobelius p. 87.*

Observatio.

Impotentia laborans deſperata curatus.

Hiſpanus nobilis, qui ſeruiebat Duci Albano, quo tempore Carolus Quintus cogitabat bellum contra Germanos, anno 1545 Lutetiam venit, fruſtra petitis auxiliis in Italia, Hiſpania, Germania, remediis ſequentibus curatus eſt. Ad venerem ineptus erat, quod flaccido eſſet pene, quiq; erigi non poſſet. In quam rem cũ ad me veniſſet, vocatis è ſenioribus & celebrioribus Medicis Pariſienſibus ad conſilium, viſum imprimis malum ab vlcere eſſe, & læſis neruis atque arteriis, quæ impletæ flatu penem erigunt, partes ita lædi, vt ſpirituoſum ſanguinẽ non exciperent. Curãdum fuit vlcus, inſtituenda omnia quæ calidos flatus gignerẽt, & partes genitales corroborarent. Atque habita primum ratione corporis totius per medicamenta, leuem phlebotomiam & decoctum guaiaci, hæc compoſitio ſingularis & diuina erigendo peni & excitandæ veneri inſtituta, qua cum, remediis aliis fruſtra tentatis, cõualuit. ℞. vitell. ouorum vnciam vnam ſemis, butyr. recent. pudend. tauri, cice. galang. ſatyrion. zedoariæ, zinziberis conditi, ment. teſticulor. galli. teſticul. vulpis ana vnciam vnam, cerebellor. columb. & paſſer. bene coctorum & aſſorum ana libram vnam, medull. auellanæ Indicæ, pineolorum mundatorum, fiſticor. iugubar, amygdal dulc. mundat. ſemin. maluæ, ſem. mercurialis auellan. excorticatarum, dactylorum ana vnciam vnam, ſemin. dauc. caryophyl. piperis trium generum, linguæ auis, ſem. cæpæ, porri & ſcariol. cinam. ana vnciam vnam, coquantur ſimul omnia in lacte ouino: poſtea fortiter terantur. Omnia conficiantur cum melle roſaceo & ſaccharo albiſſimo: coquantur lento igne, bene miſceantur. Poterunt aromata poſt coctionem aliorum inſpergi quomodo fit in conſeruis, conditis. ℞. diaſatyrionis ex 2. deſcriptione Meſuæj vncias duas, vtriuſq; diamargariti, aromat. roſ. ana ſcrup. vnum, cinam. ſcrup. ſemis pudend. cerui ſcrup. vnum cum melle anthoſato & radic. vna zinziberis viridis miſce omnia. Detur mane & hora ſomni ad modum maioris auellanæ cum vino albo. Item. ℞. ol. de ſpica, lilior & maſtichini ana vnciam vnam ſemis, adip. paſſerculorum farctorum radice ſatyrion & modico zedoariæ, adip. columb. ana drach. ſex. ſem. eruc. raphan. cœpæ puluerat. zedoariæ ana drach. ſemis, croci grana ſex. fiat linimẽtum pro lumbis pectine & perinæo. His ſanatus remediis, abiit. *Hollerius libell. proprio obſeru. 22.*

Observatio.

Ab impotentia venerea quidam commoda victus ratione inſtituta liberatus.

Nos ſequenti victu quendam validum fecimus. Præcipimus ei vt ſex integris diebus ab vxore extra vrbem ſecederet, deinde nocte poſtrema accedens, iter equeſtre trium horarum perageret, & cum vxore cœnaret capum aſſum, & carnis veruecis elixæ partem cum eruca, vinum autem nigrum biberet, ad finẽ vero vinum mulſum, hoc autem peracto, vt ſe ad ſomnum reciperent, atque vxor marito lumbis hæreret, ad mediam vſque noctem, & interpellaret, ea hora ſomnum, & rurſus media hora tranſacta aut paulo plus ad ſomnum rediret, mane vero cum vxore congrederetur, Qui mihi retulit omnibus his peractis, valuiſſe ſatis non tantum ea, ſed pluribus aliis noctibus, quibus id remedium tentauit. Quamobrem placuit idem in aliis experii, qui etiam voti compotes euaſerunt. *Chriſt. à Vega lib. 3. ſect. 10. cap. 5. De arte medendi.*

Obser-

OBSERVATIO.

Aphrodiaſtica prodigioſa pleraque noua & rara.

AD rem veneream mirum in modum herba pollebat, quam Indus attulerat. Non enim ſolum edentibus, ſed etiam tangentibus tantum genitalibus vim dixere vehementem adeo fieri, vt quoties vellent, coire valerent. Et quidem qui vſi fuerunt, duodecies egiſſe dixerunt. Indum autem ipſum, qui vel magno atque robuſto corpore erat, ſeptuageſies aliquando coiuiſſe fatentem licuit audire: verum emiſſionem ſeminis guttatim fuiſſe, demumque in ſanguinem deueniſſe. Mulieris vero vehementer etiam citari libidinem, cum eo medicamine vſæ fuerint, dicebatur. Hæc igitur vis, ſi vere narratur, mirifice omnes excedit naturas. *Theophraſtus lib.9.cap.20. de hiſt. Plantar.*

Eſt in Atlantis iugis Occidentalibus, quæ pars Surnag ab incolis nuncupatur, radix quædam, cuius eſu ad venerem augendam continuandamque mirifice corroborentur. Quin aiunt, ſuper eam ſi quis vrinam reddiderit, illico turgere libidinibus. Virgines, quæ præſunt paſcuis, ſi ſuper ea ſedeant, aut vrinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranã, atque ſi à viro fuerint vitiatæ.

In ea Indiæ prouincia, quæ ſub terra laboratoris eſt, verſus Iſthmum Dariem, arbor eſt Pyri facie & magnitudine, perpetuo folio viridiſſima, nitidiſſimaque ſuperficie. Fructus quoque Pyri ſpecie, ſed colore viridi, etiam cum maturus eſt. Medulla intus concolor, dulcis, pinguis, butyri ſapore. Quæ adeo validos efficit ad coitum, vt propius ſit miraculo eius efficacia, Agnacat illi nomen eſt. *Scaliger Exercit. 175. ad ſubtilit. Cardani.*

Colocaſiæ (culcas appellatæ Ægyptiis) radicem tum crudam tum coctãm libẽtiſſime veneri indulgentes mandunt, tum quia putant ſemen multum gignere, tum libidinem prævalide mouere. *Proſper Alpinus de plantis Ægypti cap.33.*

Alexandriæ Vrtica prima quam Ægyptii vocant angiar, prouenit copioſiſſime, & proinde eius ſemina multos vſus, ibi quoque habent, maximumq; ad venerem excitandam, præſertim in frigidis corporibus, ſi cum vino dulci bibantur. Nonnulli ad idem ex ſeminibus iis, radiceq; buzeidam, ac melle componunt electuarium, cuius ſemunciam quotidie ſumunt. *Proſper Alpinus de plant. Aegypt. cap.42.*

Indi Bangue ſemen & folia edunt, vt fiant in Venerem procliuiores. *Gartias ab orto lib.2.c.22.*

Si vero hilares eſſe volunt, & præſertim in venerem procliuiores, ambaro & moſcho, compoſitioni cuidam ſuæ additis ſacharo excipiunt. *Chriſt. à Coſta* qui compoſitionem quoque exhibet.

Hoc Bangue plurimam affinitatem habere videtur cum Turcorum Conſtantinopoli degentium Maſlach, quo ad varios effectus vtuntur: nonnulli etiam veſcuntur excitandæ veneris gratia. *Cluſius in notis ad eundem à Coſta locum.*

Nuper ex Alexandria ſemen allatum eſt, ſimile ſemini goſſipii, ſed lanugine nulla obuoluẽte: quo ad venerem impellendam vti tradunt: Bamiam Alexandrinam vocant. *And. Cæſalpinus lib.15.c.4. de plantis.*

Satyrii erithronii radix, venerem, vt prodũt, ſi omnino manu teneatur, ſtimulat, eoque magis ſi bibatur in vino. Satyrii trifolii radice vtendum dum concũbendi incumbit neceſſitas: ſiquidem ea promiores ad venerem fieri affirmant. Teſticuli illius quem Græci cynoſorchin vocant radicem mollem aiunt in Theſſalica mulieres in lacte caprino bibere, ad ſtimulandos coitus: aridam vero, ad inhibendos, & alterum alterius potu reſolui. *Dioſc. lib.3. cap.126. 127.124.*

Eruca concitatrix eſt veneris, genituramque parit, hanc maritis in venerem pigris excolendam tradimus, vel hoc nomine, quod venerem dormiẽtem & ſepultam excitet & inflammat, teſte ipſo *Columella. Bruyerinus lib.8.c.22. de re cibaria.* Marohem Hiſpanicam erucam ad hunc vſum mirifice commendat *Penna & Lobelius in Aduerſariis.*

Fungus Ceruinus in ciborum vſum hactenus nõ venit, nec eo veſcuntur Boemi, ſed eo iis in medicamentis vtuntur, quæ venerem mouent. Siquidem ad hoc plurimum illum valere putant, & præſertim qui humani genitalis ſpeciem refert. In quem vſum ſuũm puluerem ex dulci vino propinant, drachmæ vel ſeſquidrachmæ pondere. *Matthiolus Epiſto. vltima lib.3.*

Apud Indos magnus Cubebarum in vino maceratum vſus eſt ad excitandam venerem, tum etiam in Iaoa ad excalfaciendum ventriculum. *Gartias lib.1. cap.23. Aromat. hiſt.*

Caryophylli quatuor drachmarum pondere, ex bubulo caprilloue lacte hauſtu, venerem excitant. *Matthiol. comment. ad cap.153. lib.2. Dioſc.*

Tamo(vulgo ſigillo Mariæ) vim præſtãtiſſimam ineſſe ad cõciliandam venerem, ſi ſub cineribus feruentibus decocta deuoretur: imo hanc cætera ſuperare auxilia, quæ libidinis flammas accendunt, ſcripſit Martinus Guidotinus Tridentinus Myropola. *Idem Comm. ad c.177. lib.4. Dioſc.*

Oua cyprinorum frixa ſola, & ſic comeſta, venerẽ mirum in modum, etiam in decrepitis excitant, & ad generationem faciunt propter naturam animalis, plurimum enim generat. *Cardanus de ſanit. tuenda lib.3. cap.68.*

Polypos aiunt, ſi concoquantur probe, eos valẽter alere & venerem vehementer ciere. Acetabula atque extremitates, cirrorum ſale Venetias ex Illyrico & Dalmatia inueterata adferuntur, à ſenibus expetuntur ad parandam ſobolem. Eſt polypus qui moſchum odore repræſentat, quem magis aiunt venerem proritare, quam alios ὀσμύλος Græcis dicitur *Bruyerinus de re Cib. lib.21.c.14. Ex Diocle. Aetio, AEgineta, Iouio & Rondeletio.*

Ad venerem ciendam Oribaſii apud *Aetium*: Stellionem vſtum quam tenuiſſime conterito, deinde oleum affundito, atque ex eo magnum dextri pedis digitum inungito, & coito, vbi vero à coitu ceſſare velis digitum ipſum abluito.

Mitum de ſtellionis cinere ſi verum eſt, linamento inuolutum in ſiniſtra manu venerem ſtimulare: ſi transferatur in dextram, inhibere. *Plinius.*

Oleum formicarũ volantium plurimum facit ad coitum incitandum. Sic autem fit: Formicæ alatæ cũ oleo in vaſe vitreo, ſedulo occluſo, inſolantur dies quadraginta. *Melichius in Antidotario.*

Gallinaceum pinguem verno tempore, demta cute & interaneis, ſale fartum in vmbra ſuſpendito, donec areſcat: mox illum exoſſato, atque vna cum ſale conterito. in vitrea, hamula ad vſus ſeruato, e-

bolis duobus ſi bibitur mire venerem concitare dicitur. *Alexand.Bened.*

Ceruinum penem ex beſtia vbi libidine efferatur capta detractum, probe exiccato, & in puluiſculum deterito. Cuius drachmas duas cum drachma piperis nigri remiſta ex vino maluatico mane continuis aliquot diebus hauriendum præbeto iis qui pigritāte & propemodum emortua venere laborant, quos miraculo quodam reſtitues. *Encelius Matthiol.& alii.*

Quum nobilis quædam mulier gallos exemtis teſticulis eunuchos redderet: teſticulos, vt optimi ſucci nutrimentum pro marito in edulium, adiecto melle & aromatibus, redigit. quo cum maritus in cœna veſceretur, ita vt priapiſmum deuenit: vt poſt longum cum vxore concubitum, ipſa iam laſſa viribus, nec amplius laborem ferre valens, à cubiculo vtrique communi fugam fecit. At maritus furibundus, pruriente adhuc materia, quum vxorem perſequeretur, nec ipſam aſſequi valeret, quum alteri cubiculo occluderetur, ad ancillas tres vel quatuor domeſticas ſe direxit, quibus omnibus apprime ſatisfecit. In aurora vero medico accerſito, (nam etiamnū humor titillabat) res in iocum trahitur, & ſemine viticis cum camphora ebibito, ac ex populneo linimento ſupra renes facto: aut furore illo & veneris irritamentis liber factus eſt. *Anatom. Luſitan.ſcholio ad cent.2.curat.*81.

Sepiis, nucibus & allio paratis, quidam veſcuntur, vt ſalaciores in venerem prorumpant. *Matthiol: comment.ad lib.2.c.27.Dioſc.*

Scincorum partes circa renes tanquam naturalibus erigendis efficaces bibuntur, *Trallianus* 99. Aiunt carnes quæ renes amplectūtur, (Marcellus vertit laterum carnes, & Plinius quoq; latera ſcinci nominat, alii lumbos, ſed videtur quicquid circa renes eſt vndiquaque accipi poſſe, cum alioquin totum corpus ſimpliciter, præter caput & pedes, in remediis detur) id ſibi vitium vendicaſſe, vt ſi drachmæ pondere bibantur, cum vino, venerem accendat. *Geſnerus lib.2.hiſt.Animal.de Scincis.*

Genus quoddam reſinæ à Perſa mercatore capturā viua cognominatum ob id Dominus Orator quātumuis magno emendum putauit, quod illius nullam adhuc apud quenquam, niſi ſub alio fortaſſis nomine mentionem factam intelligeret. Venerem inprimis ſtimulare, cōtraria virtute ab Arabibus attributa Caphuræ idē mercator referebat. *Guil. Quacelbenius Epiſt.1.lib.3.ad Matthiolnm.*

Indi veſtros Luſitanos docuerunt, chryſocollam, boracen officinis dictam, ciceris magnitudine in ouo ſorbili ebibitam, hominem in priapiſmū trahere, & tentiginem ciere. *Amat. Luſitan.cent.2.curat.*18.

Ad ignauiam genitalium expertus ſum boracem officinis vocatū ciceris magnitudine in ouo ſorbili mane crebro acceptum, erectionem & coeundi poteſtatem facere. *Mercurial.conſ.*48.*edit.Baſil.*

Aqua ex Ononide mire ꝑdicatur, vt aliquot ex locis annotaui, ad impotentiam reſtituendā; & ſemen augendum: melius ſi Eryngium cœruleo flore addatur. *Moccius, ad D.Schenckium ſeniorem.*

DE GONORRHOEA.

Obſervatio.

Syſimbrio comeſto quidam gonorrhœam prouocabat.

Novi ego quendam, non ignobilem, qui cum ſyſimbrio liberaliter veſceretur, genituram per ſomnos effunderet. *Bruyerinus lib.8.cap.43.de re Cibaria.*

Obſervatio.

Nonnullos mentulam non modo non arrigere, ſed eadem flaccida quoque, aliquando genitura diffluere.

Dicam quod vidi, iuuenem quidem 24. annorum ętate, ſanguineum cōplexione, cum phlegmatis participatione, qui deuenit ad impotentiam ſolitam erectionis virgæ & mecum conqueſtus, dicebat ſe ſentire quandoq, notabilem cordis frigiditatem, quandoq; nocumentum aliud, & adhibito remedio ad cor conualuit. *Sauonarola tract:6.cap.20. rubr.1.*

Congenerem hiſtoriam tradit *Matth.de Gradis cōſ.* 3. de quodam qui cum volebat coire, non erigebatur illi membrum, ſed ſemen emittebat, cuius euentus cauſam copioſe *Marcell.Donat. hiſt.med.mirab.lib.4.cap.18.proponit.*

Obſervatio.

Gonorrhœa ſpecies rara & admiranda.

Sed & gonorrhœæ quędam ſpecies eſt, cum occaſione minima ſemen emittitur, vt in eo qui ſola clyſteris perfuſione ſemen eiaculari conſueuit. Sed & quendam vidi qui longa gonorrhœæ conſuetudine, per inſomnia atque etiam cogitatione ſola purum ſanguinem, non minori voluptate quam ſemē effunderet. Malum quidem eſt gonorrhœa mulieribus perinde atque viris commune. Eſt autem in hac ſemen crudum, aquoſum, liquidum ac tenue, nec prorſus album. Effluuii cauſa eſt ſpermaticarum partium infirmitas, qua vel non concoqui, vel non retineri ſemen poteſt tantiſper dum concoquatur atque craſſeſcat. Quamobrem frequens iis eſſe ſolet qui impuberes nec dum matura ætate veneri petulantius ſeſe addixerunt. Nam imbecillæ partes euadunt, in quas longa conſuetudine humores abundantius confluunt. Cum per inſomnia libidinis, aut in attenta rei venereæ cogitatione ſemen affatim procidit, non vt in vera gonorrhœa crudum id & aquoſum ac ſine ſenſu, ſed magna vtique voluptatē exit, ſed in mulieribus cum partim obſcœnarum odaxiſmo quodam, pruritu atque titillatione. Effluētis huius cauſa eſt ſeminis vel exuperantia, vel calor & acrimonia naturam proritās, vel ingens ſpermaticarum partium robur: hoc argumento, quod voluptate iucunda id ſemper emanat. *Fernelius lib.6.c.14. Patholog.*

Obſervatio.

Gonorrhœa noua virulenta ex lue venerea.

Inuaſit hoc ſeculo in humanum genus ex lue venerea quoddam vitium gonorrhœæ finitimū, quod idcirco & fœdam virulētamq; gonorrhœā appellamus. Principio virus album aut ſubcitrinum è vaſis ſpermaticis ſine ſenſu excidit vigilanti pariter atque dormienti. Eius cauſa eſt ſpermaticorū valorum atq; teſtium imbecillitas, non illa quidem ſimplex, ſed ex venenata lue contracta: hæc enim efficit vt quicquid in his colligitur in tetrum fœdumque virus faceſſat:

faceſſat:quod dein contagione alium quemuis contaminat. Tempore virus hoc putret & acrimoniam adſciſcit,ductum penis in tranſitu exedit & exulcerat. Factum vero iam vlcus eſſe oſtendit dolor exortus,qui & in tentigine quaſi funem peni ſubtendit, & in emictione tãquam in dyſuria acrius ſtimulat, vt idcirco multi in calculi veſicæ ſuſpicionem venerint. Sed hæc propriis affectuum ſignis haud difficile fit internoſcere. Tam alte interdum exca-uatur vlcus, vt foras emergat in penis ſummam cutem.Hoc virulento fluore præter rationem ſuppreſſo,intus plerunque colligitur abſceſſus, alias quidẽ circa teſticulũ in epididymide,alias in perinæo, qui rupta apertaque cute materiam fundit. *Fernelius lib.6. cap.13.Patholog.*

Multum intereſt inter veram gonorrhœam, id eſt,ſeminis profluuium, & alteram improprie dictã gonorrhœam, quæ ex concubitu cum lue venerea infectis contrahitur.Diuerſæ ſunt cauſæ: differentia ſymtomata:curandi ratio diſſimilis. Sẽd de ea, quæ proprie dicitur, nihil hic adferẽdum: de altera vero quædam ſcribenda: Quæ eſt purulenti, corrupti, ac fœtidi humoris per penem defluxus, quem interni meatus exulceratio cõcomitatur. Carunculæ etiam quædam circa vlcerum labia quandoque ſuboriuntur, quæ liberum vrinæ tranſitum ſubinde remorantur. malum ſi diutius conſtiterit, vlterius ſerpit, veſicam, vreteras, & tandem ipſos etiam renes inficit. Generoſus vir ex familia Franciſci & Henrici Franciæ Regum, cum decem & octo annis huiuſcemodi profluuio laboraſſet,increſcente indies malo; atq; vna ſymptomatum ſæuitia, nec vllum ex medicamentorum præſcriptorum vſu fructum cõſequeretur,ad fontem proficiſcitur, haud procul Leodio; qui creditur eſſe,quem *Plinius Nat.Hiſt.lib.31. cap.11.* in Tongris eſſe ſcribit. Hoc vbi aliquod diebus vſus eſſet, dolores valde remiſſi ſunt, ita vt ſuauius illic quam alibi multis annis vixerit. Foris ſiquidem huius ea propria ac ſingularis eſt facultas, vt veſicæ renumque dolores ſopiat ac leniat:morbos tamen haium partium raro perſanet: ventriculum debilem idem roborat: ciborum languentem appetentiam excitat, hydropicis,ſpetcim leucophlegmatia laborantibus, ſubinde ſanitatẽ reuocat. Poſſemus nonnullos adferre grauiſſimis ex veſicæ aut renum doloribus miſere afflictos, qui interea dum hunc biberent a doloribus liberi viſi fuerint:non tamen idcirco ſanitati reſtituti.Prætermiſſa ſiquidem huius potione, recurrentibus etiam acetbius quandoq; doloribus,peius habuerunt.Veluti huic generoſo contigit viro. qui interea, dum aquam fontis biberet, melius habere videbatur,ſed illinc reuerſus, mox omnino peius. Ita vt Mechliniæ ſubſiſtere eum ſymtomatum vehementia coegerit: vbi ingrauescenti-bus omnibus doloribus, viribuſque deficientibus, vitam cum morte commutauit. Diſſecto ac aperto huius corpore,repertũs eſt ren vterque maior quam ſecundum naturam, durus, concreti ac indurati puris colorem ac ſimilitudinem referens: vreteræ ambæ interius exulceratæ: veſica plane rigida nec extendi nec contrahi potuit.Huius vna membrana ab altera diuulſa, copioſo intermedio pure. In exteriore tubercula quædam liuida apparebant: interior multis foraminibus pertuſa.Colis ſiue penis meatus in totum exulceratus & ſanguine concreto plenus: Candelis frequẽnter vſus fuerat ex cãdida cera, quæ ſæpius impoſitæ & exemtæ irritatis vlceribus, profuſi ſanguinis cauſa fuere. Talis igitur generoſi huius viri conſtitutio fuit, quem tot annis, tantis doloribus ſupereſſe potuiſſe non citra admirationem fuit. *Dodonæus cap.41.obſ. Medicinal.*

Eſt & alia gonorrhœa, quæ ex lue venerea contrahitur: ſi quis commercium habuerit cum mulieribus immundis & ſordidis: cuius mentionem faciunt Guilielmus Salicetus, qui claruit anno 1270. & poſt ipſum Bernardus Gordonius:quem anno 1418. ſecutus eſt Valeſcus Tharantanus.In hac lue eſt corrupti ac fœtidi humoris defluxus: quem interioris meatus in pene exulceratio comitatur. Vnde & pudendagræ nomen accepit. Quandoque etiam circa vlcerum labia carunculæ ſuboriuntur, quæ liberum vrinæ trãſitum impediunt ac remorantur. Si longius ſerpat malum, veſicam, vreteres, & ipſos renes ſignificat: vt renes concreti ac indurati, puris colorem referant; vreteres exulcerentur, & veſica rigida nec extendi,nec contrahi poſſit. Si itaque in vrina apparuerit ſemen cùm fœtore:gonorrhœæ ex luẽ venerea contractæ,& in poſterum, niſi ſibi ipſi mox proſpexit æger,morbi gallici euidens eſt teſtimonium. *Hieron Reuſnerus in ſcholiis ad cap.30.Iod.* Willichii *de vrinarum probationibus*,*ex Dodonæo*,vt apparet.

Observatio.

Ad Gonorrhœam virulentam remedium.

Gonorrhœam virulentam multi curarunt vſu caulium fabarum in cinerem redactarum. Caules deuruntur, cinis in aqua fluuiali 24. horas maceratur, colatur per inclinationem, doſis eſt ad vncias quatuor per ſe, ſingulis diebus noua maceratio facienda eſt:vſus erit trium dierum tantum.*Iacob.Douynetus Apolog.lib.1.c.7.*

PRIAPISMVS.

Observatio.

Ex priapiſmo veretrum ſenex quidam cornu inſtar intenſum aliquot menſibus ſuſtinuit,nihil proficientibus medicamentis.

Ivs memor eſt *in libro ſignorum Demetrius Attaleus*, dicens, quod hoc in quodam videret ſene,atque in ſeipſum manu operante (maſtuprante) nec quicquam tamen potuiſſe peragere; tenſionem autem fuiſſe veretri nimiam; cum paruo dolore, vt cornu putaretur,& ita perſeueraſſe multis menſibus, nulli quoq; adiutorio medicinali ceſſiſſe,ſed tardo atque longo tempore requieuiſſe.*Cæl. Aurelianus lib.3. cap.18.acut. morb.*

Observatio.

Quidam penem vna cum ſcroto tam rigida & ſurſum tenſã habebat,vt mingendo,tabula qua ſe tueretur, ne faciem vrina conſpergeret, opus haberet.

Pomponius Lætus *in compendio hiſtor. Rom.* tradit Heraclitum Imperatorem, nouo cladis genere peremtum: teſtium nempe folliculo ſurſum verſo, ſimul cũ virili membro,& ſemper tenſo,adeo vt quoties

ties meieret, niſi tabula vmbilico admota prohibēte, vultum lotio ſparſiſſet. Hoc tamen morbi genus priapiſmum fuiſſe ſuſpicamur. *Marcell. Don. Hiſt. med. mirab. lib. 6. c. 4.*

OBSERVATIO.

Ex priapiſmo mortuus, biduo rigido pene viſus.

HOc mali genus inſolens admodum eſt, quo tamen narrant iugulatum quendam, biduo ab exceſſu è vita intentum rigidumque exhibuiſſe penem. *Fernel. lib. 6. c. 13. Patholog.*

OBSERVATIO.

Rigidus cuidam penis ob Veneris deſuetudinem.

FVit mihi amicus quidam, cui præter eam quam antea habuerat conſuetudinem, omnino à concubitu abſtinenti, adeo rigidus tumidusque factus eſt penis, vt mihi acidēs ipſum declarare cogeretur. Miror, inquit, quod huic (athletam indicans) ob cōtinentiam rugoſus, collapſusque penis euaſerit: mihi vero ex quo continentiam ſeruare ſtudui, euenerit contrarium. Tum equidem illi conſului, vt collectum iam genitale ſemen excerneret: poſtea vero, & à narrationibus, & ſpectaculis & meditationibus libidinem ſuſcitare potentibus, ſummopere caueret. At cantores & athletæ, qui iam inde ab initio nullam vitæ partem venereis illecebris contaminauerunt, nullam admittentes huiuſmodi vel cogitationem vel imaginationem, iis pudenda exilia, & rugoſa, veluti ſenibus, fieri conſueuerunt. Nam præter ea quæ accidere ſolent iis, qui protinus à prima iuuentute immodicæ libidini ſeſe permiſerunt, id etiam euenit, vt horum locorum vaſa amplius patentia maiorem ad ſe ſanguinis copiam alliciant: & coeundi cupiditas increſcat, ea videlicet ratione, quam in cæteris quoque facultatibus videre eſt, & quæ à Platone etiam notata eſt, cùm, inquit, Ignauia quidam exoluit, proprii autem officii exercitatio robur augere ſolet. Sic mammæ quoque in iis, quæ nondum imprægnatæ fuerunt, contractæ permanent, in aliis vero à partu infantulos lactantibus, vaſtiſſimæ redduntur, atque ita magnæ permanent lac emittentes, donec puer fuerit ablactatus: tunc enim haud ita multo poſt à lactis generatione quieſcunt. *Galen. lib. 6. de locis affectis circa finem.*

OBSERVATIO.

Cadauerum in caſtris inguina magna & intenta viſa, altera à pugna commiſſa die.

MIrum eſt, quod in caſtris vidimus ad Tarum, in Parmenſi agro, in pugna aduerſus Gallos, nuda erant cadauera paſſim, per ripas fluminis iacentia quorum inguina ſupra modum magnitudinis intēta erant; ſolis (vt puta) vapore, ac heſterno imbre, quò corpora perfuſa fuerant. *Alexand. Benedict. lib. 24. cap. 19. de morb. curand.*

DE HERNIIS.

OBSERVATIO.

Tuſsi, ſciſſa tunica inteſtinorum, Herniam incidit.

TVssi valida vrgebatur puer ſextum annum agens, dumque vehementius tuſſiret, ſciſſa eſt tunica quę deducere ab inferioribus partibus inteſtina debet, & in ſcrotum, Græci ὄσχεον vocant, inteſtina deuoluta, Herniam fecerunt; qua & in hunc vſque diem laborat. Tanta enim fuit ſciſſura, vt nec coire hactenus vllis potuerit medicamentis, nec etiam in futurum, niſi ſola vſtione coibit. *Beniuenius cap. 64. Abditorum.*

Si peritonæi vel vnitas ſoluatur, aut laxiora fiant eius foramina per quæ vaſa ad teſtes deferuntur, cito vel inteſtina, vel omentum extra locum decidit, affectuſque fit, qui Græcis κοιλὴ Latinis Ramex dicitur: qui quandoque circa inguina conſiſtit. & Bubonocele appellatur: alias in ſcroto, quo ſi inteſtina deſcenderint ἐντερικοίλη, ſi vero omentum ἐπιπλοοκοίλη nominatur. Curatio autem horum non niſi per ſectionem perficitur: quod artis huius peritis relinquendum. *Dodonæus Annotat. ad idem caput.*

OBSERVATIO.

Hernioſus quidam, cui inteſtina ad ſcrotum delapſa grauiſſima ſymtomata excitarunt, reſtitutus: qui neglectis faſciis ex recidiua mortuus eſt: cuius inteſtina deprehenſa ſunt cum epiploo liuida, & adeo in ſcroto complicata, vt minime explicari & reponi potuerint.

ECce forte in mentem nunc venit, cum olim iuuenis in Delphinatu Galliæ primo medicinam facerem, accerſitum me ad ſenem quendam hernioſum, nobiliſſimæ familiæ, cui inteſtina in ſcrotum prolapſa erant, & qui variis, iiſque grauibus, ob id, moleſtabatur ſymtomatibus, apud quem Chirurgum, reperi illa in ſuum redigere locum annitētem, applicatione fotuum & vnctionum, ex rebus magna parte cōſtringentibus apparatarum. Ego animaduertēs eorum vſu impediri potius quā promoueri curationem; confeſtim ex emollientibus & relaxantibus, quæ mecum aſportarā, curaui concinnanda remedia, quorum vſu intra paucas horas ſuo loco fuerunt reſtituta inteſtina, & dolores quibus acriter infeſtabatur ſublati: quæ curatio non parum famæ & nominis eo loci tunc mihi πρωτοπείρῳ, pepererat. Poſt aliquod autem temporis ſpatium, quia faſcię vſum auerſabatur, relapſa, denuo ad illum ſum vocatus ac eadem quæ antea per aliquot dies vſurpās remedia, nihil profeci, nec vllo modo inteſtina potuerūt reſtitui: & ſic me pſente bonus ſenex exſpirauit. Ego hærens, qua ratione id potuerit accidere quod vſu conuenientiū remediorum morbus, queadmodum antea, nō ceſſerit, petii ex vxore defuncti, vt liceret, diſſecto cadauere eius, contumaciæ inueſtigare cauſam. Illa non refragante, ego & chirurgus, tum etiam præſens, opus anatomicum mox aggredimur, & reperimus inteſtina vna cum epiploo Zirbo vulgo dicto admodum liuente, in ſcrotum decubuiſſe, & eo inteſtina adeo intricata, vt ob id impoſſibilis omnino fuerit eorum reductio Et ſic αὐτοψίᾳ in veram eius contumaciæ peruenimus notitiam. *V. Cl. Ioan. Coſmas Holtzachius de obſ. propr.*

OBSERVATIO.

Enterocele in conſtante ætate citra ſectionem curata.

IN hoc morbo nihil deſperandum eſſe, poſſeque etiam curationem conſtantis ætatis hominibus, vt

vt quadragenariis, qui tres corporis dimenſiones impleuerint, feliciter procedere; ſequens teſtatur hiſtoria. Erat quidam in ſancti Andreæ parœcia, Ioannes Moretus nomine, cui ex officio incumbebat epiſtolam, quoties rei & diei celebritas poſcebat, alta voce decantare. Cum igitur enterocele laboraret, acceſſit ad me opem efflagitans, graui enim ſe dolore premi tum præſertim cum epiſtolam contentius declamaret: Enteroceles animaduerſa magnitudine, ſuaſi vt alium in ſuum locum ſufficeret. Itaque impetrata à Curione Domino Clerico facultatis Theologicæ Decano, cauſaria miſſione, ſe mihi cõmiſit, hominem ex arte tractaui, atque vt nunquam ſine ſubligaculo eſſet imperaui: paruit meis conſiliis. Cum quinquennio vel ſexennio poſt obuium ipſum habuiſſem, rogaui qui haberet, perbelle reſpondit: immunem enim ſe penitus ab eo quo ante vexabatur morbo eſſe. Quod ego mihi ante perſuadere non potui, quam diligenti genitalium ipſius obſeruatione, rei veritatem, vt ipſe narrauerat, oculis fidelibus ſum aſſecutus. Sed cum ſemeſtri ſpatio poſt ex pleuritide interiiſſet, Curionis domum in qua cõmorabatur adii: cadaueris copiam mihi fieri impetraui, vt ego animaduerterem ecquid rei natura in via illa, qua inteſtina deuoluebantur, eſſet cõmolita. Teſtem Deum appello, me circum foramen proceſſus peritonæi ſubſtantiam comperiſſe adipoſam, non minoris magnitudine, eo loci ſic tenaciter adhærentem, vt vix ipſam ſine vicinarum partium diuulſione inde diſtrahere potuerim. Atque hoc illi ad ſanitatem compendium extiterat: admiratione vero & obſeruatione digniſſimum eſt, quod natura vel paulum arte adiuta morbos ſanat, qui cenſentur immedicabiles. *Pareus lib. 7. cap. 15.*

OBSERVATIO.

Herniaria vſu quidam, maxime vero pueri, ab enterocela percurati.

PRobata multis herbula eſt, (Herniaria dicta, ab aliis herba Hollerii, Duretus) in ſabuloſis naſcẽs, ramulos multos in terram ſpargit, foliis minimis & rotundis & foliatis, ex viridi flaueſcentibus, per ramulos ſparſis, aſtringente guſtu, ex qua ſuccus expreſſus, ſubinde affuſo vino albo, certiſſimum & aliquoties probatum remedium contra deſcenſum inteſtini. Nam nouem diebus ita percurat, vt poſtea non redeat malum, facilis inuentu autumno. *Hollerius cap. 62. Lib. 1. de morb. intern.* Addit *Duretus*, puerorum pulticulæ ex pane albiſſimo, in tenuiſſimum pulverem redacto, & lacte conficiantur, quibus me ilis nonnihil addi poterit, vt aluus fluat liberius. Hæc ille.

Polygonum minus, ſunt qui ab effectu ipſam herniolam vocãt quod ad enterocelas præſtantiſſimum remedium ſit, in potionibus ſumta. Audio à viris fide dignis, cum hac tantum herbula à Gabriele Fallopio Mutinenſe, plures inteſtinorum ramice laborantes eſſe ſanatos. *Matthiolus cap. 4. Comment. ad 4. libr. Dioſc.*

Mirabilis eſt Hollerianæ herbæ, herniariam propterea appellant, ad hunc affectum profligandum efficacia. Eius aquæ ſtillatitiæ arte Chymica extractæ, vnico hauſtu, cum tentata alia remedia non reſponderent, paucis ab hinc diebus curatus adoleſcens in Gymnaſio Haricuriano, cui citatior ſaltus inſignem herniam conciliarat. Admotum autem emplaſtrum huiuſmodi. ℞. Emplaſt. contra rupt. & de gratia Dei ana vnciam vnam, Sangu. drach. pulu. rad. oſmundanæ regalis, olibani puluerat. an. drach. duas, cum modico ol. myrtill. molliantur in igne, & fiat emplaſtr. ſuper alutam. *Valetius Exercit. 62. ad cap. 62. Hollerij de morb. intern.* Plura de herniaria & eius virtute contra rupturam vide apud *Chalmetheum & Piſonem, capitibus de Hernia.*

OBSERVATIO.

Rupturarum vnius Indicæ herbæ & ligaturæ vſu curatio.

PAululum cuiuſdam plantæ mihi miſſum fuit, cuius formam, quod ob ſiccitatem omnino confracta & comminuta eſſet, obſeruare non potui. Hanc ſcribunt miram habere facultatem in rupturis cum puerorum tum adultorum, & rem ita ſe habere aſſerunt. Ea vtitur Indus quidam recenti contuſa & rupturę impoſita, adhibito deinde miro quodam ligaturæ genere, quoniam etiam ſine braccis non minus firmiter ligati incedunt, quam ſi braccati eſſent, vt mihi retulit quidam qui ſimili morbo liberatus erat eius plantæ & ligaturæ vſu. Talem ligaturam (ſi adeo firma ſit vt ille referebat) ſolam ſufficere poſſe exiſtimo, nulla herba aliave re impoſita: quoniam hic quendam Cordubenſem conſpexi, qui omnes hernioſos ſola ligatura curabat, nullis adhibitis braccis: quod veriſſimum eſt, & hic adhuc viuunt, qui ab eo curari fuere. *Nic. Monardes lib. 3. ſimpl. Medicam. ex nouo orbe delatorum.*

OBSERVATIO.

Nouum genus curationis ad enterocelas ab authore primum prodi-tum.

EST & alius ſanandi ſine ferramento modus etſi manum omniũ deſiderare videatur, vnica enim punctione conſtat. Corpus quidem ſanguine prius vel deiectione leuandum, vel abſtinentia, ſi opus eſt. In hac curatione triduo aquam bibere, vel pridie à cibo abſtinere neceſſe eſt. Interea acus firmior paranda, in qua filum ex ſerico crudo validiſſimo inſerendum eſt pedalis longitudinis, ac teſſella eburnea vel cornea ſub hac figura paranda eſt □ pollicis latitudine, cataplaſmata item, reliquaque cerotaria. Ipſo mane ægrum ſupinum collocant ſubductis inteſtinis, locus prius ante radendus eſt. Et tum extento ſcroto, vt cutis inguinis intenta ſit, æger ſpiritum leuiter contineat ſine clamore. Medicus manu ſiniſtra ſummiſſo inteſtino tunicam arcte contineat, ne id deorſum deuoluatur, dextra manu vena ſeminaria ad teſticulum perquirenda eſt, præter hanc vniuerſa tunica apprehendi cum cute debet, atque iuxta venam acus dimittenda eſt audacter oleo tincta, filumque deducendum extracta acu, miniſter filum comprehendat, & teſſella intra filum poſita firmo nodo includenda eſt, ita vt cutim plano contingat, alterutra ſcroti parte illæſa, & geminis teſtibus modo excluſis. tum ſemel aut bis teſſella intra filum poſita ſingulis diebus torquenda eſt, tum paulatim filum arctius vndique ſummam cutim & tunicam adſtringendo erodit, foramenque verſus teſticulum non ſine pure dilatat, atq; vna pariter laxatũ vulnus ſuperdato medicamine ſolideſcit, ita vt paulatim plaga aperiatur, & ſimul ore vtrinque cohæreant.

hæreant. Nam filum circumquaque arctius datum decimo die, vel quinto decimo, cum plurimum partem quam comprehendit, penitus abſcindit, tum cicatrix coalenda eſt, ac callo firmanda, & maior cuſtodia adhibenda eſt, ne pars recenter violata laxetur, & inteſtinum ruat. Hac ratione venarum profluuium nō timemus, neq; vllam inflammationem. Sed ſtatim vinum à punctione cum roſaceo pro cataplaſmate infundimus. Mox lenticulam cum melle, vel vino mixto, in quo malicorium incoctum ſit. Deinde ſedata inflammatione triticeam farinam, pinea reſina adiecta, imponimus, pus paulatim abſtergimus, & cerato impoſito ad cicatricem vulnus deducimus. Et in hac curatione victus is neceſſarius eſt qui in alio vulnerum genere præcipitur. Tota igitur pars illa, quæ comprehenditur, præciditur ac pariter perſanatur, ſuborto enim callo (vt voluimus) foramine peritonæi obſtructo deſcendenti vel inteſtino vel omento exitus præcluditur. Vidimus plures eo modo ſanatos à quodam Hiſpano, q immani precio curationis lenitaté; vt vnica punctione ſanarentur, atq; firmitudinem pariter ꝓmittebat, & plures mortalium in ſeſe circumagebat. Alii medici magna plagà nouacula aperiunt, nec id ſine ſummo vitæ periculo fieri poteſt: nam dolores ingentes mouent, ac inflammationes, non ſine venarum profluuio. *Alex. Benedictus lib.24.c.36.de curand. morb.*

Observatio.

Herniarum curatio chirurgica noua per varios puncti aurei dicti modos.

SI omnibus modis ſanationem Hernia non admiſerit, propter laxati aut rupti peritonæi ingentem continui ſolutionem, atq; æger aſſidentium amicorum conſenſu paratus ſit ſanitatis ſpe aleam omnem ſubire, tentabitur curatio puncto, quod vocant Aureum: ad quam rem, ſolerti & ſtrenua manu chirurgus aduocabitur. Faciet is inciſionē ſupra os pubis, in quam ſpecillum immittet cannulæ ſimile, illudq; ſub peritonæi proceſſu ſecundum ipſius longitudinem impellet, atque ſurrigendo à vicinis fibroſis & neruoſis corporib. quibus adhæreſcit diuellet, mox & vaſa ſpermatica cum cremaſtere teſticuli muſculo abſtrahet, quib. perfectis ipſum proceſſum ſeorſum abducet, eiuſque quantum laxius eſt exiguis & laxis forcipibus, foraminibus in medio peruiis, comprehendet, atq; acu quinque vel ſex fila ducente tranſadiget quam proxime vaſa ſpermatica & cremaſterem muſculum. Sed & iterum ducenda erit acus in eius quod ex proceſſu reſtat medium, vna comprehenſis vulneris labris: tum arcto modo filum conſtringendum, & à ſectione tantum eius relinquendum, quantum ſatis ſit, vt extrorſum è vulnere pendeat. Id filum putredine ſenſim diſſoluetur ex ſeſe: nec vero ante abſtrahendum quam natura in ligaturę locum carnem regenerauerit & repoſuerit, alias fruſtra omnis conſumtus fuerit labor. Denique vulnus detergetur, carne implebitur, & cicatrice obducetur; cuius calloſa durities, delapſuro iterum inteſtino vel omento obſtabit.

Viſi ſunt alii chirurgi, qui alia arte punctum eiuſmodi aureum perficerent. Cutem ſupra os pubis incidunt, quà parte delapſus fieri ſolet ad peritonæi vſque proceſſum, ſubque ipſum retectum tenuem virgulam auream ſemel atq; iterum ducunt, ipſamq; ductam tantum conſtringunt, quantum proceſſus eiuſmodi laxitati corrigēdæ ſufficiat, liberis interim ab adſtrictione vaſis ſpermaticis. Hinc extrema virgulæ capita, bis & tertio exiguis forcipibus, ſibi mutuo intorquent & implicant, quod ſupereſt eius reſecant: quod à ſectione reliquum extat, id intortum obuoluunt, ne ſuperinductam carnem acumine ſuo pungat: mox relicta illic aurea virgula vulnus ad inſtar vulnerum ſimplicium curant: ægrum in lecto cruribus altioribus & capite depreſſiore per quindecim & viginti dies continent. Hac arte multi ſanati ſunt: alii in morbum relapſi ſunt, virgulæ male complicatæ occaſione.

Eſt & alia puncti aurei ratio, quam ego expeditiorem & tutiorē iudico, vel hoc nomine, quod nihil heterogeneum in parte poſt ſanationem relinquit. Ergo virgulæ aureæ loco plumbeam inducunt, quæ vno tantum circumactu proceſſum peritonæi complectatur, hinc quantum opus eſt conſtringitur, non ſcilicet laxius, ne lapſuro corpori vitam relinquat, neq; arctius, ne intercluſo ſpiritib. & nutritioni ingreſſu gangræna inuadat: reliqua eius extrema extrorſum ꝓminere & pendere ſinuntur: cum temporis mora callū contraxiſſe peritonæi illa contractura videtur, tum inducta euoluitur & molliter ſubducitur virgula, reliqua inde vulneris curatio arte perficitur. *Pareus lib.7.cap.16.*

Quidam modum cum filo aureo omnium pulcherrimum atq; tutiſſimum eſſe affirmant. Eo ſiquidem teſticulus non perit, nec vllatenus impeditur. Nam filum ex auro tracto tranſmiſſum & intortum, conſtringit, tantū erythroidem, nō vaſa ſpermatica. Itaq; filum id ſtringitur varie pro ætatis ratione. Siquidem in adultis, quia non augebantur partes, id filum magis ſtringitur quam pueris, quos ſperamus creſcituros. Satis eſt canalem reddere ſic anguſtum, vt non tranſmittat inteſtinum, vaſa in eo ſint libera. Modus eſt, ſecatur cutis in pube, acus curua ſub erythroede tranſmittitur cum filo auri. Id filum ſupra erythroedem breue contorquetur forfice, ita vt non pungat ſuis extremis. Vulnus carnis ſuitur, & ſic cōſolidatur. Filum id nunquam decidit, nec putreſ. *Ioubertus Annot. ad tract. de Gutta Guid. Cauliaci.*

Observatio.

Securior, ſed longior curandæ herniæ modus.

MOdus eſt, quem docet Nicolus, quo circulatores vtuntur in hernia inteſtinali, aut teſticulorum, & trahunt teſticulum ſupra, & cum vaſis ſeminis extrahunt ſupra inguem, quæ operatio periculoſiſſima eſt ac violentiſſima. Cum tamen Raſis vigeſimo quarto continentium doceat curare herniam inteſtinalem ſine exectione teſticuli & vaſorum ſeminis: ſolum compreſſis inteſtinis, duro puluinari cum vinculis ferreis in modum freni adurere ſuper inguen locum, per quem deſcendere ſolebant inteſtina, atq; conſolidare, ita vt interim per quadraginta dies ſupinus maneat, nec moueatur, nec inteſtina deſcendere permittantur: & vſtio fiat cum candenti ferro, & vſq; ad os pubis, vt docet idem Nicolus. Et eſt longior cura, ſed longe ſecurior & melior. Et poteſt, vt dicit, fieri in timidis cum medicamento adurente: ſed non eſt adeo tutum ob longitudinē. vnde patet quod medici noſtræ ætatis nihil ſciunt rerum nobiliorum. *Cardan. comm. ad aph.27.l.6. Hip.*

Obser-

Observatio.

Alia inteſtini, omentiq́; reſtituendi facilior & tutior curatio.

ALiam operationis huius perficiendæ rationem Theodoricus, Guido adinuenere. Inteſtinum omentumque delapſa, ſic collocato ægro vt ſublatis cruribus capite ſit depreſſiore, in ſuam abdominis ſedem regerunt: inde laxiorem productionis peritonæi portionem vnaque ſpermatica vaſa, & cremaſterem muſculum ad iſchium adducunt: tum reliquam apophyſeos eius partem, conuenienti pro ætate & morbo pyrotico inurunt recta ad oſſis perpendiculum, qua deuoluebatur inteſtinum, appreſſo. Hac obductam arte eſcharam, ſcalpello ad viuum vſque diuellunt, hinc alterum, quod ad os vſq; peruadat, pyronicum eodem loco apprimunt: tum eſcharæ ex apophyſi commemorata concretę lapſum procurant. Relictum inde vlcus ad cicatricem perducunt, quæ mox contracto denſiore callo ſic inteſtinis omentoque obſtruat, vt omnem ipſis ad ſcrotum aditum deſcenſumque intercludat. Hæc reſtituendi inteſtini omentique via, quamuis tutior & facilior ſit, nequaquam tamen ſibi tentandam putabit chirurgus, ſi ipſa ſic apophyſi peritonæi velut agglutinata adhæreſcant, vt diuelli inde & in ſuum locum compelli nequeant: (ab inuſtis enim ſic & violatis inteſtinis grauiorum malorum fieret acceſſio) ſi rupta aut amplius dilatata apophyſi, vegrandem tumorem coercita peritonæo corpora prolapſu ſuo faciãt: ſi teſtis adhuc pendulus ea in media velut Bubonochia, enteroceles ſpecie, reſtitutus, nondum in ſcrotum deſcenderit: ſi ægri nondum ea ſint ætate, qua ſe, cum ſit operatio, vel immoti, vel excrementa ad arbitrium retinere poſſint. *Pareus lib. 7. c. 16.*

Observatio.

Monſtroſæ magnitudinis, ſine periculo, herniæ.

NOtandum quod per peritonæi magnas ruptiones, inteſtina ad capitis humani craſſitiem in ſcrotum dilabi poſſunt ſine magno dolore & vitæ periculo, quod per loci & rupturæ amplitudinem fæces, vt facile ſubire, ſic facile regredi poſſint. *Idem lib. 7. cap. 14.*

Observatio.

Herniæ triplicis ingens pondus ad libras 60. deueniens: poſt cuius ſectionem mors ſecuta.

IN quodam magni nominis viro vitã ſedentariam agente, temperie humida prædito, & diu in viduitate vitam tranſigente, hernia tum aquoſa, tum carnoſa, ac inteſtinalis (de qua vltima tamẽ ſemper fuit dubium, cum nullos dolores ſentiret vehementes) excreſcente in tantam magnitudinem, vt vltra 60. libras penderet: & ipſe amplius hoc propemodum ferre non poſſet, propter difficultatem ſpirandi, cum omnia magna vi deorſum traherentur. Semperque lecto affixus decumbere coactus fuit. Tandem cum nullo amplius remedio locus relictus eſſet, & mors illi breui, ex ipſius quoque prædicatione, immineret: De conſilo Medicorum & chirurgorum, prius tamen prognoſtico indicato: cum omnibus copia aquæ adeſſe videretur: Sectio fuit adhibita, in loco inferiore, vbi vndans aqua percipiebatur. Qua adhibita, ſine magno dolore, effluxit cum impetu illius, ad libram 1. ſed foramine obſtructo, tum medici noluerunt plus excerni. Sequentibus diebus tribus, pus illius euacuatum eſt: & æger nõ male ſe habuit. Verum quarto die ſuperuenit febris, cum eryſipelate, quod alioqui illi fuit ſæpiſſime moleſtum, præſertim in pede altero, qui ob ſcirrhum œdematoſum inuſitatæ quoque fuit magnitudinis; paulatim vires decreuerunt, vt cum magno multorum dolore & detrimento, paucos poſt dies placidiſſime in Chriſto obierit. Apertum ſcrotum, quod ex ſectione alioqui ſatis detumuerat, & ſpem aliquam conualeſcentiæ præbuerat: reperta inteſtina putreſcentia, quæ procul dubio mortem accelerarunt. *De obſeruat.* CL. V. *Ioach. Cameræ.*

Observatio.

Herniæ opinionem nonnunquam teſticulus in inguine latens facit, tum quæ huic animaduerſio debeatur.

OBſeruaui aliquoties pueros quoſdam teſtes retractos habere in interiori parte pubis, quæ ad coxendicis articulum vergit, ac ſi qui minus periti ſunt, Herniam ei parti ſubeſſe opinantur, ſed Herniã non eſſe, ex eo cognoſcitur, quod locus ille non doleat: deinde, quod ab ea parte ſcroti deſit teſtis CL. V. *Iacob. Oethæus lib. obſ. propriarum.*

Fit non raro, vt naturæ ignauia etiam in adultis nondum in ſcrotum propulſi ſint teſticuli ſed diu ſegniter in inguinibus tumorẽ excitantes cum dolore, quæ res chirurgo minime malo enteroceles opinionem facit: itaque dum repellentibus & ſubligaculis tumorem illum compellere nititur, doloris incrementum facit, & deſcenſum teſticuli in ſcrotum remoratur. Id ego non ita pridem in puero, quem chirurgus imperitus diu tanquam hernioſum fruſtra & miſere curauerat, animaduerti: nam cum vnicum in ſcroto ſubeſſe teſtem animaduertiſſem, ac nunquã caſtratum puerum reſciuiſſem, procul dehinc ab ipſo emplaſtra & ſubligacula remoueri iuſſi, parentibuſque edixi vt ipſum curſare & ſaltare permitterent, quo otioſe ceſſans promoueretur in ſcrotum teſticulus, quæ res euentum, vt prædixeram, ſenſim & ſine dolore habuit. Affectionis eiuſmodi ratio vt intelligatur, ſciendum eſt marem à fœmina caloris tantum efficacia differre. Efficacis autem caloris eſt foras propellere, vt frigoris intro cohibere. Hinc fit vt teſtes maribus foras ex ſcroto pendeant, fœminis autem in imo ventre concluſi lateãt. Contingit igitur vt in marib. quibuſdam natura frigidioribus teſtes aliquandiu occluſi contineantur, donec iuuenili tandem ardore deorſum in ſcrotum propellantur. *Pareus lib. 7. cap. 16.*

Observatio.

Enteroceles ſpecies quædam ſua ſponte conſaneſcens.

HYdrops proprie fit, cum inter membranam peritonæum appellatam & inteſtina, plurimus aquoſus humor coaceruatur. huc tamen hydropis nomẽ extenditur ad aquam quæ intra tunicam erythroidẽ, vel exterius inter ipſam & adiacentes tunicas cõprehenditur. Colligitur autẽ cum colliſis aut fractis vaſis in puerperio ſanguis ſubinde alimẽti ratione defluens, in aquoſam ſeroſamq; ſubſtantiam muta-

mutatur: quæ tandem diſcutitur; ob ætatem ad ſicciorem & robuſtiorem naturam tranſmutatam. id quod experti ſumus in Adriano noſtro: quem cum enterocele laborare non ſine triſtitia putaremus, ætatis progreſſu multis non ita ſperantibus, liberatum videmus. *Adrianus Allemannus Comment. ad lib. Hip. de Aere aquis &c. pag. 72.*

Observatio.

Caſtratores ectomi vel mortis aut ſterilitatis perpetuæ authores.

ETſi ea curandarum herniarum via, quæ aureo puncto fit, dolore ac periculo non vacet, tutior tamen eſt quam illa quæ fit per caſtrationem; quæ ægros remedii crudelitate euectos, manifeſto mortis periculo exponit. Caſtratores enim dum timent ne curatione abſoluta ſuperſtes ſit relaxatio, violento tractu peritonæi proceſſum à partibus quibus adhæret, diuellunt, vnaque neruum à ſexta coniugatione qui ad teſtem pergit, eandem vim vaſis ſpermaticis inferunt: quibus ex rebus dolor excitatur ingens, conuulſio, hæmorrhagia, inflammatio, putredo, ac denique mors, vt ego in multis obſeruaui, quos paucis poſt diebus, quam execti fuerant, mortuos diſſecui. Hæc pericula & damna etſi nonnulli euadant, illi tamen generandi facultate per omnem dehinc victam priuantur, cuius gratia teſtes natura largita eſt, tanquam partes humanæ ſpeciei conſeruandæ in primis neceſſarias. Quo nomine Galenus ipſos præferre cordi non eſt veritus, quod cor vitæ principium ſit, at teſtes melioris vitæ: longe autem nobilius eſt bene viuere, quam ſimpliciter & abſolute viuere: itaque caſtrati in fœmineam naturam degenerant, nam glabreſcunt, vox eneruatur, animus deficit, timidi euadunt, cumque inhabiles ſint ad omnes fere humanas actiones non poteſt ipſis vita non eſſe miſera. Quare nunquam exectioni teſtium ſubſcribam, niſi forte ſarcocele, aut gangræna ipſos eualerit. *Pareus lib. 7. cap. 16.*

Observatio.

A ramice curatus interijt.

RAmice vexabatur Michelotius noſter: cumque cuidam, qui hanc artem profiteretur, ſeſe curandum tradidiſſet, duplici ſtatim ille faſcia inguen deuinxit, non repulſo in ſuperiores partes inteſtino. Dumq; membrum ipſum ita vt erat arctius obligatum in octauũ vſq; diem detinuiſſet, eſſetq; interim ingens exorta inflammatio, quæ hominem ea parte, qua faſcia deligabatur, miſerabiliter cruciaret, repente omnis amotus eſt dolor, & ipſe delirare cœpit. Quare cum ad ægrum ſero quidem, ſed tamen vocatus, accederem, primo arteriam tango, cumque pulſum vix eleuari perciperem, & faciem inſpectãs, eam nimio pallore ſuffuſam atq; ipſos etiam oculos cauos effectos animaduerterem, iubeo vt ſacerdotẽ accerſant: tum faſcia illa ſoluta, locum vndiq; nigreſcentem cerno, cumq; ſpecillum vlceri imponerem, omnia circumiacentia inteſtina iam putruiſſe cognoſco. Ex quo paucis dein horis è vita diſcedens, vtile nobis documentum ſua morte reliquit. *Beniuenius cap. 73. de Abditis.*

Non omnes qui à ramice aut veſicæ calculo per ſectionem curantur, in vita ſeruãtur. Pleriq; etenim eorum moriuntur: quibus videlicet per diuturnitatem mali ac dolorum vires debilitatæ ſunt, aut aliquod ex internis viſceribus corruptum. Quod calculo in veſica conſiſtente facile fit. Tandem enim renes inflammantur, ac deinde ſuppurantur: & tunc quidem artifex culpandus non eſt. Sed ſi ſiniſtra adhibeatur curatio, culpa in artificem cadit. veluti in hunc, qui inteſtino non ſurſum repulſo, curationem ramicis temere aggreſſus fuit. *Dodonæ. in Annotat. ad c. prædictum.*

Observatio.

Ileo epigenomeno herniæ ſymtomati, vti chirurgica ratione ſuccurrendum.

SÆpe contingit vt inteſtina reſtitui non poſſint, quod peritonæi proceſſus non ſatis pateant, nam delapſæ vna cum inteſtino ſenſim in ſcrotum fæces ibi partim indurantur, partim flatuum acceſſione per reſolutionem auctæ tantum tumorem excitant, vt remeare per id cauum nequeant, per quod paulo ante ſubiuerunt. Quo fit, vt à putredine concluſæ eluuiei, ſuccedat inflammatio, & noua ſubinde doloris acceſſio: tandemque fæcum egreſſu deorſum per anum prohibitarum ſurſum per os regreſſus & vomitus. Affectionem hanc vulgo Miſerere mei nominant. Huic vt occurratur ſymtomati, tentanda potius extrema remedia ſunt, quam vt ſinamus ægrum tam turpi & fœdo genere mortis è vita emigrare. Occurremus autem Chirurgia, hoc q̃ ſequitur modo. Ægrum ſupinum in menſa vel ſcamno religabimus, mox in ſuperiore ſcroti parte inciſionem faciemus intacta inteſtinorũ ſubſtantia, habenda deinde cannula argentea craſſitie pennæ anſerinæ, vna ſui parte rotunda & gibba, altera autem caua. Illam in inciſionis locum indemus, & peritonæi vna cum ſcroto inciſi, productioni quam longa producitur adactam ſubiiciemus, vt ſecundum eam cauitatem, peritonæi proceſſum, inſertæ cannulæ beneficio à contentis inteſtinis diuulſum, recto ductu illæſis inteſtinis, nouacula diuidere poſſimus. Inciſione mediocri facta, ſenſim digitis in aluum compellentur inteſtina: hincque ſutura, tantum inciſi peritonæi comprehendetur, quantum ſatis eſſe videbitur, vt p̃ ipſum anguſtiorem redditum, nihil dehinc cicatrice obducta in ſcrotum elabatur. Quod ſi induratarum, vel mora, vel inflammationis ardore, fæcum tanta ſubſit copia, vt inciſio illa non ſit ſufficiens compellendis in ſuum locum inteſtinis, longior inciſio impulſa ſurſum ventrem verſus cannula, facienda eſt: adeo vt libero regreſſui inteſtinorum in aluum ſatis eſſe poſſit, tum Gaſtroraphia vt decet celebrabitur, vt ſutura anguſtiore reddito peritonæi proceſſu, lapſuris inteſtinis vel omento via intercludetur, de cętero vulnus vt artis eſt curabitur. Sed priuſquam te ad id opus accingas, expendendum diligenter, num ægro adſit, & valeant vires, nec niſi prognoſi inſtituta, & amicis ægri enunciata, tentandum quicquam. *Pareus lib. 7. cap. 15.*

Peritonæi magna illa ſectio, ab antiquis vſurpata & nuper reuocata, in præſens vero ob Chirurgorum ignorantiam rara (quod multis exitio eſt) nimirum dum in Hernia inteſtinali inteſtinum aliquod quaſi captiuum continetur, ita vt iam Voluulo laborent, & morti proximi ſint, niſi cum ſubita dilatatione rupti peritonæi ſecentur. Qua ſectione, non ita pridem

dem Vallees pater & filius & Martinus Montargiſſienſis Botliuet dictus, piæ memoriæ, vſi ſunt. Qua ratione etiam apud Blæſenſes, quidam ex amicis D. Gaudin, felicis memoriæ (in ſua præſentia, vt mihi atteſtatus eſt) per Maupas celebrem Chirurgum ſectus fuit, poſtquam vnanimi conſenſu, aliis auxiliis deficientibus, hoc inter ipſos eſſet concluſum. Tali enim neceſſitate fit, vt docti, induſtrii, & prudentes, eiuſmodi difficilia & grauia auxilia inueniant, benedictione diuina in tanto charitatis opere adiuti. *Rouſſetus de Partu Caſ. Sect.3.cap.3.*

Observatio.

Omenti in teſtis ſeminaliumq; vaſorum decubitum, mollium ramicum, quos vulgus carnoſos vocat, autorem eſſe.

Ego non ſemel ſane omẽtum in eam teſtis ſeminaliumque ipſius vaſorum tunicam (cui peritonæum originem præbet) deuolutum, ac miris modis mediocrem omenti alias conſtitutionem adauctum deprehendi. Nã cum tota omenti pars alioquin inteſtinis incũbens, in mediocriter pingui homine, vix libræ aut ſeſquilibræ pondus excederet: vidi tamen omentum ita præter naturam in ea teſtis tunica auctum, vt quatuor aut quinq; librarũ pondus penderet, & ventriculũ ex ſua ſede ita deorſum diſtraheret, vt ventriculi deficiente munere, variiſq; obortis ſingultibus, id pondus mortis occaſionem fuiſſe inter ſecandum collegerim: cum in morbo quodã laterali, qui alioquin bene expurgatus fuerat, ſcrotum ex more ab ægro adſtantibuſque ſubligari neglectum fuiſſet. Quinetiam quo exactius ramicũ herniarumve, vti vocamus, rationem perquiro, eo etiam magis omnes illos molles ramices, quos carnoſos vulgus appellitat, ac merito à varicoſis affectib. diſtinguit, ex omenti prolapſu, incrementoque progigni, mihi perſuadeo. *Veſal.lib.5. cap.4. De corp.hum.fabr.*

HYDROCELE.

Observatio.

De Hydrocele.

Hydrocele alias vniuerſum ſcrotum, modo vnam eius partem, ſiniſtram videlicet, aut dextram, occupat. Impletur totũ ſcrotum hydrope vel etiam cachexia laborantibus. Quæ vero vnã tantum partem afficit, aliam occaſionem habet, nec hydropicos comitatur, ſed omnino aliter affectos. Non colligitur quoq; humor in ſcroto, ſed in membrana erythroide teſtem continente. ſuperuenit quandoq; ex cauſa aliqua externa & manifeſta, vt à caſu, aut percuſſione: crebro vero etiam ex latente & non manifeſta cauſa. Quę autem ab externa cauſa acceſſit, aut dextrum aut ſiniſtrũ teſtem indifferenter affligit, & in tumore ſanguis ſæpenumero concretus ac corruptus continetur. A latente vero ac non manifeſta cauſa originem ducens, nunquam alium quam ſiniſtrum teſtem occupaſſe diligenter nobis inquirentibus obſeruatum. In hac humor influit tenuis, & vrinæ conſiſtentia ſimilis, erythroidem diſtendens membranã: qui ſubinde tam copioſus in hanc fertur, vt tumor quandoq; ad humani capitis magnitudinẽ perueniat. Teſtis autem ſubſtantia ab acrimonia humoris ſucceſſu temporis, non tamen mox, corrumpitur. Veteres, inter quos apud Aetium Leonidas, Hydrocelen tumorem eſſe laxum, & citra dolorem, tradunt, & talem quidem ſæpiſſime contingit reperiri: ſecus tamen in Anglo quodam euenit. Inciderat hic in grauiſſimum ſiniſtri teſtis cum tenſione dolorem: qui nullis cataplaſmatis, fomentis, emplaſtris, multo minus inunctionibus placari aut leniri potuit. Vnicum videbatur remedium ſectio, & teſtis ablatio. Antuerpiæ illo tempore multi erant celebres & magni nominis Medici: plerique horum curationem tentarunt. cum autem ſeſe nihil proficere experirentur, in eandem nobiſcum ſententiam deuenere, in ſola ſectione vnicam & ſolam ſpem reponentes: interim tamen nemine de hydrocele opinionem habente, ſed omnino alium circa teſtem affectum conſiſtere ſuſpicante. Sectus igitur tandem eſt æger, & ſiniſter teſtis ademtus. In ipſa autem ſectione demum cognitum hydrocelen fuiſſe affectum, copioſa in ſecantis faciem aqua exiliente. Teſtis integer & haud quaquam corruptus extitit (nuper enim natus erat dolor) quem cum etiamnum calentem chirurgus medium diuideret, ex ipſius centro ſemen erupit quod annotatione dignum. Curatus ac ſanatus à vulnere, paulo poſt de lumborum dolore ac grauitate conquerebatur: apparebant in lotio arenulæ quædam, de latente aliquo in renibus calculo ſuſpicio erat. In pube deinde circa cicatricẽ dolor cum tumore ſucceſſit: accedentibus vero & aliis ſymtomatis, mors tandem ſubſecuta eſt. Scarificato autem circa pubem ac cicatricem loco, aquoſus effluxit humor, & quidem copioſus. ren vero ſiniſter durus admodum erat, ac iuſta quantitate maior, & ſubſtãtia interiore haud parenchymatis colorem referens, ſed candidior, concreto ac indurato puri (quod ſubinde in affectibus varias formas accipit) ſimilis. Hinc apparet, & abunde manifeſtum eſt, quamobrẽ hydrocele ſiue aquoſus ramex, haud ab externa, ſed à latente cauſa procedens, non niſi in ſiniſtram membranam incidat, atq; huius teſtem affligat. Nam huius partis ſeminalis vena non ex caua, veluti dextra oritur, ſed ab emulgente ſiniſtri renis procedit ac originem ſumit. Rene vero hoc male affecto, nec officio ſuo probe fungente, vrinæ pars, quam emulgens hæc ad ſe pertraxit, cum ad veſicam per male affectum renem non poteſt deſcendere, per ſeminalẽ in erythroiden delabitur, hydrocelen eo modo ingenerans. Sublato autem teſte vna cum ſua membrana non amplius illic decumbere humor poteſt. Quod ſi aliquis eo poſtea deſcendat, hunc in pube hærere neceſſe eſt: veluti Anglo contigit, cui paulo ante mortẽ humor, qui defluxerat, hoc loco ſubſtiterat, tumoremq; cũ dolore. vt diximus, excitauerat. *Dodonæus.cap.39.obſeruat. Medicinal.*

Observatio.

Scroti in hydrocele periculoſa ſectio.

In generoſo quodam viro, quam omnis periculi plena ſit ſcroti & erythroidis mẽbranæ in hydrocele per ſcalpellum apertio, teſte non ſublato, compertum eſt. Ab aliquot annis ſiniſtra parte hydrocele huic moleſta fuerat, fruſtra cataplaſmatis, ac aliis remediis crebro vſus, tandẽ temerarii Chirurgi conſilio acquieſcens aperiri ſibi ſcalpello tumorem permiſit. Effluxit cito omnis humor, tumor quoque ſubſedit: ſed cum teſtis ipſe omnino eſſet corruptus,

vicinas

vicinas partes facile infecit. Subſecuta mox ſcroti vniuerſi, ac etiam penis cum tumore & ingenti dolore gangręna. Delirium cum vehementi febri propter doloris magnitudinem ſuperuenit: ac non ita multo poſt mors ſucceſſit. Ren huius ſiniſter corruptus fuit & ſeminalis in erythroiden deſcendens, valde ampla & multum patens. *Idem cap. 40. Obſeruation. Medicinal.*

Observatio.

Hernia aquoſa aperta, nobilis quidam præter ſpem ſeruatus.

ANno 1555. Menſe Martio in ſuburbio ſancti Germani nobili cuidã cultello aperta hernia aquoſa, vnde in Gangrænam, dolorem intollerabilem, febrim, & delirium incidit, vnde mors ab omnibus exſpectabatur. Excluſa multa aqua per vrethram, conciſa magna parte gangrænæ, conualuit præter expectationem. *Scholiograph. ad cap. 62. Lib. 1. Hollerij de morb. intern.*

DE MVLIEBRIVM GENITALIVM PARTIBVS.

Et primum

DE EXTERNIS IN GENERE.

Observatio.

Ex inguinibus & alis vuluæ mulierum & virginum quarundam, monſtroſæ carneæ excreſcentiæ, ſtrumarum inſtar, ponderis librarum 18. 25. 34. ad genua & crura vſq; à tenuiore baſi propendentes, enatæ: vberum vaccinorum ſubſtantia, glandulis & pinguedine refertæ; quarum nonnullæ ſine vitæ periculo per chirurgiam liberatæ: aliæ vero mortuæ.

MVlier in hoſpitali Piſaurenſi nata annos quadraginta quinque carnoſam quandam excreſcentiam ab inguinibus naſcentem, pondere fere viginti quinq; librarum patiebatur, quæ non minus illi inter crura pendebat, ac ramex inteſtinalis, qui viris ſæpe euenire contingit, & ſacci inſtar inter crura pendet. hæc cum à me viſa eſſet, paucis interiectis diebus diem ſuum obiit; quam illico, conuocatis vndiq; medicis & chirurgis, diſſecuimus, & prominentem carnoſitatem dictam per mediũ ſcindimus, in qua nec inteſtina aſſeruabãtur, vt nonnulli putabant, nec intus vterus continebatur, vt alii credebant, ſed nec in ea aquoſitas aliqua erat, ſed tota ipſa pendula caro erat, alba, pituitoſa, vberis carnem præ ſe ferens, nam vuluæ os, in parte huius pendulæ alta continebatur. cæterum hac deformi carnoſitate inciſa, & recte viſa, ad membrorum naturalium cõtemplationem nos diuertimus; nam huius iecur ita magnum & craſſum videbatur, vt ſex æquaret libras nulla in eo diuiſione conſpecta; proinde deſinat Syluius in Veſaliũ maledicta profundere, doctus namque eſt Syluius Pariſienſis, & cuius doctrinæ ego multum tribuo. At cum veritas ipſa ante omnia ſit præferenda, iubente ſic Platone, vel meliori authori ea de cauſa Veſalio quam Syluio adhęrendum putarim. Sed & lien in hoc corpore craſſitie lentore & magnitudine non recte valere indicabat, vnde mẽbra hæc naturalia cum infecta eſſent, & male haberent, vice ſanguinis pituitoſum excremẽtum gignebant, quod ad locum decliuem illum tranſmiſſum, deformem hanc carnoſitatem genuit, intra annum autem pendula hæc admirandam magnitudinem accepit, cæterum, huius mulieris vterus ita intra inteſtinum rectum & veſicam contractus locabatur, vt altera veſica ab imperitis & parũ in anatomia exercitatis crederetur, ſolet autẽ huiuſcemodi vterus in nonnullis mulieribus non raro conſpici, pręcipue ſterilibus & quę nunquam pepererunt, ſed iis quoq; mamillæ paruę & contractę ſunt, vt ex illis vteri paruitas & exiguitas etiam arguatur. *Luſitanus Curat. 88. Cent. 5.*

In Xenodochio noſtro, ruſticæ Virgini ademta fuit carnea moles, in interiore parte, vbera vaccina, quo ad ſubſtantiam, referens, glandulis & pinguedine referta, quæ enata fuit ex cute pudendi, ita vt vuluæ os ad latus fuerit retractum dextrum, baſis huius molis vix quatuor vel quinque tranſuerſos digitos æquauit prope pudẽdum, ſed inde ſenſim initium ſumens, inter crura lata admodum circumferentia ꝓpendit. Hæc pependit libras ciuiles 18. Poſtquam ſectione fuit ablata & curata, bene valuit. *Doctiſsimi Viri Georgij Palmæ Medici Obſeruatio, per* CL. V. *Ioach. Camerarium liberaliſsime cum alijs communicata.*

Virgini viginti annorũ, in noſtro Ptochodochio, cum ex ſuppreſſis menſibus venter intumeſceret, hydropis ſuſpicio fuit oborta ad hunc depellendum variis incaſſum vſa: tandem cum per quadriennium indies ventris moles augeretur, ita vt vix ferendo oneri par eſſet, nihilominus faciei color viuidus, & labia rubicunda apparebant. Poſt paracentheſin adminiſtratam, vnde parum quidem aquæ effluxit, ex longo cruciatu pie deceſſit. Venter apertus, iecur optime conſtitutum ſeſe obtulit, reperta vero rotunda carnea moles eiuſdem, cum præſcripta ſubſtantia, ex vteri externa ſuperficie, duobus craſſis proceſſibus enata, pendens libras ciuiles 34. *Idem.*

Observatio.

Criſtæ in pudendo muliebri cheirurgia & medicinis ſublatæ.

MVlier quædam habens criſtas in vulua vt coire non poſſet, abſtinentia cibi potuſq;, præmiſſis etiam debitis purgationibus, forcipe & inſtr. caput gruis dicto, aquis quibuſdam fortibus & Vng. Ægyptiaco tuto ſanata eſt. *Solenander ſect. v. Conſ. 15.*

Observatio.

Caro ſpongioſa in pudendo muliebri.

IN Pudendo muliebri ſæpe caro ſpongioſa naſcitur, quæ à mulierculis vocatur die Schwämme. In hoc affectum imperiti Cheirurgi vtuntur Vnguento Ægyptiaco, Oleo Vitrioli, Mercurio præcipitato, & aliis, quibus ſæpe malum malo addunt, & mulieres in vitæ diſcrimen præcipitant Curatur accommode hoc modo. Locus affectus bis terve in die lauatur decoctione Rapatum torridarum (welck Rüben Suppe) poſtea illinatur tali Vnguento. ℞. Fungorum paruore in fimo arido prouenientiũ, adde ſebi capr. q. ſ. miſce ſuper prunas, poſtea fortiter exprime & ſerua ad vſum. vel ℞. bliti rubri, fungore prædict. an. M. j. ſebi Capr. vnc. iij. miſce ſuper prunas, poſtea fortiter exprime & adde Farinæ Zupulorum vnc. ß. vel q. ſ. f. Vnguentum. *A* CL. V. *Franco Hildeſio obſeruatum.*

Obser-

OBSERVATIO.

Caro ex naturalibus prolapſa.

RAtius, ſed aliquando tamen morbus quoq; ipſe nouus eſt, quod non incidere, manifeſte falſum eſt. Cum ætate noſtra quædam ex naturalibus partibus carne prolapſa & hærente intra paucas horas expirauerit, ſic vt nobiliſſimi medici, neque genus mali, neque remedium inuenerint. Quos ego nihil ideo tentaſſe iudico, quia nemo in ſplendida perſona periclitari coniectura ſua voluerit: ne occidiſſe, niſi ſeruauerit, videretur. *Celſus in præfat. operis de re medica.*

OBSERVATIO.

Vena digiti indicis longitudine & craßitie ex vulua propendens, Hæmorrhoidum inſtar, enata.

VIdi mulierem quæ eſt vſq; hodie in vita: & nata erat intra vuluã ſuam emorrois longitudinem digiti indicis, & eius groſſitudinem habens, donec prohibuit virum poſſe coire cum ea: & rogauit me incidere eam, & curare ipſam: & non fuit mihi conueniens facere illud, quoniam ipſa habebat principatum in mundo, & cenſum multum, & vir eius eſt vnus Rex hodie. *Hali Rodoham comment. ad lib. 3. Galeni Artis Medicinalis Text. 177.*

Mercurialis hiſtoriã hanc interpretatur de mentula muliebri de qua ſubſequente ꝓximo Lemmate.

OBSERVATIO.

Mentula muliebris, Hippocrati Κίων, id eſt, columella, aliјs Cletoris, quibuſdam Nympha dicta: recens ex veterum ſcriptis & neotericorum obſeruatione inuenta & deſcripta.

AVicenna 3. *lib. fen.* 21. circa finem meminit cuiuſdam partis in pudendo muliebri ſitam, quam virgam vel albathara vocat. Hanc *Albucaſis lib. 2. c. 71.* tentiginem appellat, quę ſolet aliquando ad tantum incrementum peruenire, vt mulieres hanc habentes coëant cum aliis, veluti ſi viri eſſent. Partem hanc Græci κλητοειδὲ vocarunt, vnde verbum κλητορίζειν obſcœnum deductum eſt. Anatomici vero noſtri penitus neglexerunt, neque verbum quidem de ipſa faciunt. Particula hæc eadem virili peni reſpondet, & ex duplici neruo conſtat intus ſpongioſo atque atriori craſſiorique ſanguine referto, vti in viris. Oritur bifurcato principio ab oſſe vtroque pubis, atque in vtroque principio dicto muſculum ſatis manifeſtum paruum tamen pro magnitudine partis habet, vaſa per dorſum currentia adſunt quemadmodum in virili membro, deſinitque in quoddam extremum, quod ceu glans videtur contenta quadam pelle veluti præputio, quæ pellis iungit pudendi exterioris gemina illa corpora, quæ à Græcis, præcipue à Sorano πτερυγώματα vocantur. Totum hoc pudendum quia paruum eſt, & latitat in pinguiori pubis parte, ideo anatomicos etiam latuit, atque ita latuit, vt ego primus fuerim, qui ſuperioribus annis idem patefecerim, & ſi qui alii de hac re locuti ſunt, aut ſcripſerunt, ſcias quod ipſam aut à me, aut à meis auditoribus accepere, neq; tamen ob id rem ipſam bene norunt. Extremam glandem iſtius penis ſtatim reperies in parte ſuperiori ipſius pudendi exterioris vbi iunguntur, vel vnde incipiũt dicta πτερυγώματα. *Fallopius in Obſeru. Anatom. ad Petr. Mannam.*

In elatiore muliebris pudendi ſede, quæ anteriori pubis oſſium regioni innititur, inter pudẽdi labra alaſve duas lingularum fere in modum prominulas eminere ſcripſi cuticulares carunculas, quæ non omnibus vel eiuſdem regionis mulieribus æque ſunt magnæ ac proceræ: vti etiam eidem quoque mulieri ambæ non pari ſemper modo eminent. Quibus vero carunculæ hę ad ſuauiorem indubie affrictum, ac veluti titillationem, & illecebram procreatæ, & in ſeptentrionalibus mulierib. & pudicis, longe, quam in cæteris humiliores, & dimiſſæ, donentur nominibus (inter quæ κλητόρις etiam occurrit) & qui apud Ægyptios iam nupturis virginibus (vti etiam omnibus puellis adhuc hodie apud Abdaritas ſeu vocati nobis Presbyteri Ioannis gentem, perinde ac maſculorum præputium, religionis ergo) præſcindi ſoleant. dein qui ſubinde veſtium attritu veluti in tentiginem actæ tumeant inſurguntque, & interdum viro in venere moleſtius obſiſtunt magna ex parte, ſuo loco à me eſt deſcriptum. Iam ſi varios hermaphroditos (quos ego in meis anatomicis ſcriptis, quoad illa ad morbos & monſtra nõ pertinent, haud prætermiſi) perinde atq; ego vidiſſes, aut tum Patauii fuiſſes, cum vni, qui iam precio ſeſe aliquando ſpectandum denudauerat, Pauanellus Chirurgus per parui cuiuſdam in lingularum loco conſiſtentis penis paruorumq; illi accumbentium teſticulorum reſectionem ſuccurreret, iſque plane ab ipſo mulier diuulſo vna vtcunque craſſo hymene, reddebatur, fortaſſis inquam propter quendam naturæ luſum in quapiam muliere abs te obſeruatum, alios menſes inſcitiæ modo præter rationẽ, nõ argueres, nouamque & interim inutilem prorſus partem, ac veluti membrum aliquod, integris alioquin mulieb. haud aſcriberes. Exiſtimo namque ſatis propendentem, & in tentiginem aliquando ſeſe educentem in hermaphroditis (qui alioquin muliebria habuerunt perfectiora, & qui apud Æginetam aperte deſcribuntur) non ſemel mihi viſum penem, & illum Auicennæ albatharam, Græcorum nimis excedentem, & in morborum claſſe habitam nympham, mulieris cuipiam ita prouenisſe, vt penis ille extra cutem non eſſet exortus, rudimentaque tantum quædam puſillæ mentulæ haberet. Quæ cum forte fortuna tibi inter ſecandum occurrit, illa huius tuæ obſeruationis cauſam dedit. Nihil namque certius eſt, quam in omnibus mulieribus, in ſuperiori pudendi ſede, in qua à me deſcriptæ, & adhuc in naturæ metis comprehendendæ eminent carunculæ, penem, vel minimum haud reperiri, qui à pubis oſſibus pronatus, & muſculis aliquot præditus, ſub cute dictaue pudendi ſede latitat, tentiginemque experitur, & illum in naturalem, quem fere ex Albucaſi (qui alias de morbis hic loquitur) ipſi aſſignas vſum, præſtat. *Veſalius in Exam. Obſeruat. Anatom. Fallopij.*

Virga muliebris, à piæ memoriæ præceptore meo Fallopio ex antiquorum Arabum ſcriptis eruta, virorum peni ſimilis, ſed multo minor, & magis occultata, à Sorano & Ruffo κλητόρις, ab Arab. albathar, ab Albucaſi tentigo dicitur: habet ſuam glandem & præputium virili proportione reſpondens: lingua Samior. νυμφὴ. *Coiter in Tab. Externarum hum. corp. partium.*

Proceſſus paruus Clitoris dictus ſeu Tentigo,

ela-

elatiori ſede, in medio vbi carunculæ conueniunt, in pinguiore pubis parte occultatus, leuiter tantum prominet. Hic peni paruo, qualem cuniculi habent (licet interdum valde excreſcat) admodum ſimilis, tum exortu à pubis oſſe, tum corpore, quod duplex quoque, neruoſum, fungoſum, ſanguine plenum, vt penis habet, muſculoſque & venas illi adhærentes: forma etiam, quod in glandem quoq; deſinat, pellicula, ſeu præputio obtectam. Pruritum in his locis eximium efficit, & forte carunculas quibus pellicula vtrinque iungitur, ne dependeat, ſuſtentat. *Platerus de Corp. hum. ſtructura & vſu pag. 169.*

Intra pterigomata ſeu alas vuluæ conſpeximus (monſtratore Domino Aquenſi) excelſiorem illam particulam, fere acuminatã, in apice vuluæ circumuolutam ſupra lotii foramen, ſedem libidinis, quàm dixit Anatomicus in quibuſdam adeo excreſcere, vt eadem particula inſtar virorum coeant mulieres. Vidit ille aliquando excreuiſſe ad minoris digiti magnitudinem, & ſecundum hanc mulieres fieri hermaphroditas: eadem particula ſuum habet præputium inſtar membri virilis. CL. V. *Martinus Holtzapfel de Obſeruat. Patauinis.*

Ante annos viginti tres aut circiter, quo tempore *Reipub. Haganoenſis Medicum agerem, cùm honeſtam quandam & pudicam matronã Patritię gentis, cuius nomini & familiæ, ob eam, quæ in Medico fidem & ſilentium requiritur, parco, vlcuſculis ſerpentibus, dyſiatis, cum forma tum natura, aphtis malignioribus haud abſimilibus, eius ſinum muliebrem infeſtantibus, percurarem: & dioptra, ſpeculo matricis vulgo dicto, tum ad explorandum affectum, tum remedia adminiſtranda neceſſum haberem: talem ſiue nympham, ſiue Cletoriden primum mihi ex eiuſdem pubis oſſis regione pronatam, & per pudendi rimam, minoris digiti mei dimidii longitudine, & eiuſdem circa baſim craſſitie, ſed apicem verſus tenuatiore videre contigit. Nupſerat hæc quinto marito, nondum triceſimum quintum annum egreſſa, tribus quidem ſenibus & vetulis, vni vero iuueni, qui ex diuturno morbo ex venere, vt credebatur, contracto, contabuit, quinto tum temporis adhuc ſuperſtite. Quæ diligẽtius & ſerius percunctanti mihi, fidemque meam, ne proderetur, interponenti, liberrime confeſſa eſt: Carunculã hanc etiam flaccidam & corrugatam, citra libidinis imaginationem vllam, ea qua dixi quantitate extra pudendum prominere ſubinde. Atqui in congreſſu cum marito, aut aliis venereis conceptibus, imo vero ſolo veſtium contactu mentulæ inſtar ſæpe inflari, turgere atque erigi, & ad venerem irritare. Fuiſſe autem ei à primis pueritiæ annis familiare digitis hanc carunculam ſubinde verſare, ex quo cum ſuauem in ea ætate titillationem perſenſiſſet, ex cõſuetudine poſtmodum factum fuiſſe, vt vel dormiens quoq; manuum alteram ad pubem compoſitã contineret. Atq; huius occaſione nympham ex frequẽti nimirum tractatione ad turpem hanc formam excreuiſſe arbitrabatur. Veſalius prominulas ſub labiis vtrinq; conſtitutas carunculas, veras veteribus celebratas nymphas & cletoridas eſſe decernit, quibus etiam tentiginis incrementũ & affectum, tum etiam eorundem præſectionem attribuit: Fallopii de muliebri mentula recens ex veterum exacta lectione ex corporum reſectione reiicit, & ad hermaphroditos monſtroſaq; corpora refert. Ego etſi inter tantos arbitrari difficillimum putem, nihilo tamen minus in Fallopii potius, quam Veſalii ſententiam authoritate & rationibus innixus inclino. Coiterus Fallopii mentulam plane recepiſſe viſus eſt, vtcunq; alias Veſalii maximus preco. Platerus vero dũ cuniculi mentulæ eandem confert breuiterq; ſimul & exacte deſcribit, eidem de ſectionibus innotuiſſe apparet. Accedit conformatio, quæ mentulam muliebrẽ ex tot prope partibus, quot virilẽ conſtare docet, id quod de carunculis ſub labiis nemo puto tentabit. Præterea nemo facile duas nymphas & cletoridas in vno pudendo muliebri vel de ſcripto à quoquam aut reſectionibus animaduerſum oſtendet. Manifeſte interim Græcis & Arabibus, nymphotomiam, vbi caruncula hæc ex incremento vitium fecerit, de vnica ſaltem non de duabus præſcribentibus. Quod ſi nõ in omnibus mulieribus, ſiquidem venere potiſſimũ exercitatas ad notionem huius requirimus, ſecundum naturam conſtitutis, mentula illa in conſpectũ veniat, meminerint illi velim, id verius ob exiguitatem euenire, quo minus cernatur, maxime ſi ex cadaueribus, vbi tã exilis huiuſmodi particula vt plurimum conciderit inſpectio petatur. In viuis vero cum omnia calore ſpiritu & ſanguine turgent, etiam extra monſtroſam conſtitutionem inuentu faciliorem hanc muliebrẽ virgam iudicauerim. Quæ cauſa eſt, cur meam quoq; obſeruationem ſubiicere placuerit. Cuticularium caruncularum ſub alis ſitarũ, veluti Hæbreorum aliarumque ex lege & religione præciſio, veræ mentulæ nihil derogabit. Cuiuis interea ſuum cum experiundi tum iudicãdi iudicium ſaluum permitto. *Schenckius.*

De Nympha eiuſdemque vſu vide *Varolium lib. 4. cap. 4. Anatomes.*

OBSERVATIO.

Sedes oblectationis in congreſſu venereo.

A matricis lateribus (mirum audies) bini proceſſus conſtituuntur, qui duo oblonga ligamenta videntur eſſe, neruea cauaque, ligamenti etiam munere fungi creduntur: vt ad ſummum os pubis minime perueniunt, vt Veſalius exiſtimauit, ſed per ea foramina tranſeunt, quæ in neruoſis tenuitatibus muſculorum obliquorum deſcendentiũ, aſcendentium & tranſuerſorum ſita ſunt, quemadmodum in viris, per quæ vaſis ſeminariis aditus patet. etenim fœminis hi tendines perforati cernuntur: quamuis Veſalius id inficietur. Proceſſus igitur hi ab vtero exorti, prope id foramen, quod os matricis vocatur, extra abdomen exeunt, ſupra pubem aſcendunt: deſinunt autem in particulam quandam excelſam, in vuluę apice circumuolutam, ſupra id foramen, vnde lotiũ exit: Et hæc Lector candidiſſime illa, illa præcipue ſedes eſt delectationis mulierum, dum venerem exercent, quam non modo ſi mentula confricabis, ſed vel minimo digito attrectabis, ocius aura ſemen hac atque illac præ voluptate vel illis inuitis profluet. Hanc eandem vteri partem dum venerem appetunt mulieres, & tanquam œſtro, percitę virum appetunt, ad libidinem concitatæ: ſi attinges, duriuſculam & oblongam redditam eſſe comperies: adeo vt neſcio quam virilis mentulæ ſpeciem præ ſe ferat. Hos igitur proceſſus, atque eorundem vſum, cum nemo hactenus animaduerterit, ſi nomina reb. à me inuentis imponere licet, amor Veneris, vel dulcedo

appel-

appelletur. Non dici poteſt quantopere admiror tot præclaros anatomicos,tam pulchram rem,tanta arte effectam, tantæ vtilitatis gratia, ne olfecerint quidem. Vos autem, qui in has meas lucubrationes Anatomicas legendas incideritis, ſcitote abſq; proceſſibus,quos ego vobis paulo antea fideliter deſcripſi, neque mulierem aliquam in Veneris amplexib. delectationē percepturam fuiſſe, nullos fœtus concepturam, non enim abſq; mutua maris & fœminæ voluptate concipi poſſe crediderim. *Columbus Anatom. lib. 11. cap. 15.*

Cumq; deſiderat & affectat(coitum) permiſceatur ei; fricando de ea, quod eſt inter labia deſuper, ille enim locus eſt locus delectationis eius. *Auicenna lib. 3. Can. fen. 21. Tract. 1. cap. 10.* Fallitur igitur Columbus qui ſibi,velut nouum inuentum, tot parangeliis notionem huius attribuit.

Observatio.

Carnea excreſcentia iuglandis magnitudine ex elatiore vuluæ parte enata: feliciter execta.

VIduæ ex ſuperiori vuluæ parte carnis excreſcentia,cute tecta, adæquans magnitudinem nucis iuglandis, pediculo adnata,ſectione fuit ablata:quę adhuc bona fruitur valetudine. *De* V. CL. *Georgij Palma Obſeruat. per Ioach. Camerarium ad me miſſis.*

Observatio.

Clethoris ſeu mentula muliebris Matronæ cuidam ad eam deformitatem excreuit, vt collum anſerinum,craßitie & longitudine, æquaret.

IN Matrona quadam Clethoris in ſummitate pudendi,breui tempore adeo excreuit,& in carnoſitatem ſpongioſam, cutē intectam, venisq; obſitam, degenerauit: vt collum anſerinū, & craſſitie, & longitudine adæquet, quod circa radicem in pudendo attenuatum, indeque ampliatum, dependet. Hoc auferre ſtudentes, cum filo in materia erodente imbuto circumdaremus, tanta ſuborta eſt inflammatio,vt ab incepto deſiſtendum fuerit, ipſaq; dolore permota,iam multis annis manualem operationem detrectet. V. CL. *Felix Platerus de obſ. propr.*

Observatio.

Mentula muliebris vbi ad deformem magnitudinem excreuerit:velut & Cercoſis ex veterum præſcripto præſectio.

NYmpha ſubſtantia quædam eſt muſculoſa, aut pelliculoſa, ſupra alarum pudendi commiſſuram ſita, quo loco vrinarius eſt meatus. Hæc in aliquibus mulieribus ad tantam magnitudinem augetur, vt deformitatem ac pudorem inducat. Quin & à veſtimentorū contactu aſſiduo arrigitur, & ad venerem ac coitum proritat.Quapropter Ægyptiis viſum eſt,vt antequā exuberet,amputetur,tunc præcipue cum nubiles virgines ſunt elocandæ. Amputandi vero modum hunc tradunt. Virgini in ſella locatę retro aſſideat adoleſcens robuſtus, qui brachia ſua poplitibus virginis ſubiiciat,cruraque eius ac totum corpus regat. Et tum chirurgus ante ipſam ſtans,forcipe amplioris nympham corripiat, & per ſiniſtram manum diſtendat, per dextram vero prope forcipis dentes reſecet. Menſurā autem reſectionis ean de m quam in columellæ ſectione obſeruare oportet, vt ne ſubditus ipſam reſecemus, ſed ſuperuacua tantum pars amputetur, proinde prope dentes forcipis nympham reſecandam eſſe diximus, quoniam cum pelliculoſa ſit, plurimum extenditur, & niſi quis diligenter obſeruet, facile vltra quam oportet amputationem faciet, atque hinc carunculæ decrementum,thæada Gręci vocant,conſequitur,peracta chirurgia, ſpongia ex vino adſtringente aut aqua frigida expreſſa vulnus detergeatur, & manna thuris inſpergatur, & linamentum poſca madefactum indatur.Et ſpōgia ex poſca expreſſa ſuper deligetur. Poſt ſeptimam vero,cadmiam minutiſſime tritam per ſe, aut cum roſarum floribus inſperge. Aut ſiccum ex lapide phrygio paratum, & ad pudendorum fiſſuras deſcriptum. Aut cinerem oſſium palmularum inſperge. *Aetius Tetrabib. 4. ſer. 4. c. 103.*

In quibuſdam mulieribus carnoſa quædam ſubſtantia ab vteri oſculo oritur &muliebre pudendum replet. Aliquando etiam extra progreditur inſtar caudæ, vnde etiam nomen habet. Mulier itaque, velut in nymphæ amputatione dictum eſt, locetur, & prominens caruncula forcipe extendatur, & tota ex baſi reſecetur, poſt chirurgiam curatio velut in nympha peragatur. *Idem c. proxime ſequenti.*

Observatio.

De Hymene animaduerſiones recentiorum.

A Tergo colli veſicę inſertionis,paulo vero interius, carnea occurrit membrana, quæ hymen & eugion appellata, virginibus eſt peculiaris. In cæteris namque mulieribus coitu, aut alioquin petulanti quopiam attritu diuulſa,lacerataue aboletur,neque inter ſecandum, aliasue liquido ſeſe offert: cum interim vel citra diſſectionem in puellulis, diductis nimirum illarum, perinde ac ſi emicturæ eſſent,cruribus,perſępe viſitur.Perinde enim vt ſeptum tranſuerſum in homine reponitur, aut potius, vt vaſis alicuius fundus tranſuerſum ipſi innexus commiſſus ve eſt: ita quoque membrana hæc tranſuerſim in ceruice vteri ea qua diximus ſede conſiſtit, & ceruicis ſubſtantiæ eum in modum continuatur, ac ſi ex ipſa non aliter enaſceretur,quam caniculares carunculæ ex illa prodeunt. Carnea hæc membrana,tota ſede qua è ceruicis vteri lateribus enaſcitur, modice craſſior eſt, quam reliqua ipſius amplitudine:quę alioquin inſigniter tenuis, & non ſecus quam carnea quæpiam mēbrana mollis exiſtit,longa ſectione inſtar rimæ cuiuſdam peruia. adeo vt, huius ſectionis occaſione, hymen ſanguinis menſtrui purgationem in virginibus neutiquam impediat,&albi illius crudique humoris fluxum quoq; promte tranſmittat:quem etiā admodum puellis nonnunquam accidere, Ariſtot. recte prodidit. Quod vero Arabes alicubi quinq; venulas in ceruicis vteri medium pertinere,ac dextrarum venularū ora, ſiniſtri lateris venularum oris committi,ex hiſque Centonem ipſorū interpretibus vocatum,adeoq;hymenem efformati ſcripſerint, cōiectura magis quam ſedula reſectione factum mihi perſuadeo:cum ſcilicet membranę huius noſtræ Arabes haudquaquā meminerint,ſed cōmiſſas inuicem ſuis oſculis quaſdam in vteri ceruice reperiri venulas ex ſanguinis fluxu imaginati fuerint,

rint, qui ſane in prima coitione, quam Terentius acertimam dixit, copioſiſſime profluit, modo tunc puella integrum alias & prius quauis tandem cauſa non vitiatum hymenem habeat. Quanquam enim nullæ venulæ ab Arabibus traditæ ſuis finibus conniueant, connatæve ſint: nihilominus tamen rationibus aſſequi eſt promtiſſimum, qui membrana hęc, impetu rupta vel lacerata, & dein continuo affrictu diuulſa excalefactaq; ſanguinem promanare ſinat: non aliter quam in coitu ruptum præputii vinculum, quod plus æquo excedens, glandis apicem deorſum præter modum intorquet. *Veſalius lib. 5. ca. 15. De corp. hum. fabrica.*

Ob oſtii matricis affectus, meam de hymene ſententiam paucis annectere placuit, aduerſus multorum etiam inſignium medicorum conceptam ſemel opinionē, quaſi eo non omnes muniantur virgines. Diuerſum autem à me aſſeritur, eo nimirum vniuerſum puellarum genus ab initio dotatum eſſe, nulla excepta: atque hunc virginitatis exiſtere cuſtodem, clauſtrum & munimentum. Eum Arabes nouere, vt *Auicenna lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 1. item Almanſor.* Habuiſſe item eius notitiam Cornelium Celſum, inde colligo, quod in calculi fœminarum exectione, virgini digitos ſubiici vult tanquam maſculo (hoc eſt, ꝑ anum, ob hymenis videl. interpoſitum, & pudendi oſtium contractius) mulieri vero per naturalia. Ex neotericis hunc admiſere Alexander Benedictus, & cum eo alii numero pauci *Andreas Veſalius*, qui principem facile locum in diſſectionnis exercitio obtinet, etſi in doctiſſimis ſuis *De Humani corporis fabrica commentariis*, hymenis leuiter ex Arabum ſententia in priori editione meminiſſet ſolum, quod nullas aut raras admodum ſecuiſſet virgines: tamen poſtea *in libello de radicis Chynæ vſu* hunc ex frequentiori obſeruatione diligenter deſcribit, iis verbis: In vteri ceruice puellis, mox poſt ingreſſum colli veſicæ, in ſuperiorem muliebris ſinus partem, ſeptum quoddam occurrit tranſuerſum, carnea cuticulariq; conſtans ſubſtantia: illi prorſus ſimili, qua nympham efformari cernimus. Septum hoc ceruicis vteri lateribus ſua craſſitudine eſt adnatum, paulo in connexu quā reliqua amplitudine craſſius, quamuis interim membranæ craſſitiem non multum ſuperet. In medio ſepti foramen occurrit longa ſectione pudendi modo diſſectum, adeo vt menſtruas purgationes in virginibus non retineat: neque opus ſit confingere venas aliquas hoc ſepto ſeu hymenæo inferiores, è quibus menſtruus ſanguis virginibus promanaret: aut quæ ab illis diſtingui debeant, quæ mulierum menſes alioquin dimittunt, diſcrimine inter prægnantes & vtero gerentes ſubaudito. In ſecunda autem editione ſuorum Anatomicorum librorum copioſius de hymene diſſerit. Nec minus exacte in ſuis obſeruationibus Anatomicis hanc virginitatis zonā depingit celeberrimus in hoc artificio, Gabriel Fallopius, ad hunc modum: Aliud etiam notandum in hoc ſinu mulierum eſt, quod Anatomici aliquot reperiuntur, illos deridentes, qui hymena ibi collocant. Verum mea ſententia non ſunt ita deridendi: quoniam reuera tu videre poteris in virginibus mēbranam quandam neruеam, non autem carneam, quæ immediate poſt ὄρηθραν (ita enim Græci vocant) canalem, per quē mingunt fœminæ, vel rectius collum ipſius veſicæ) adeſt, & claudit ſinum per tranſuerſum. Attamen non eſt integra hæc membrana: ſed in medio perforata, vt minimus digitus manus ſuo apice in adultis facile ingredi poſſit: hocq; virginale clauſtrum eſt, ac per foramen ipſius facillime egrediuntur menſes. Hoc noluit Soranus eſſe membraneum: ſed potius eſſe ipſius ſinus muliebris anguſtias, factas ex quibuſdā rugis collectis, quæ à vaſis ex vtero illuc prodeuntib. contrahuntur: cumq; hæ dictæ rugæ extenduntur in ſtupratis virginibus, atq; dum vaſa dicta diſrumpuntur, dolorem pariunt, & ſanguinē (veluti ſi mactata eſſet victima) effundunt. Pace tamē ego tanti viri dixerim, quod mihi potius videtur membrana non admodum craſſa, atque in medio annuli modo perforata, quæ poſtea lacerata in ſtupro, ac præter modum diſtenta, dolorem incutit, & tandem (veluti in viris fit, dum laceratur glandis frenum) euaneſcit. Hactenus ille. Hiſce Carpi & quorundam Anatomicorum ſententia ſtabilitur. Clauſtū id cognouit & author carminis vulgo triti.

Eſt magnum crimen, perrumpere virginis hymen.

Exiſtit autem in aliis membrana hæc tenuior fragiliorque: in pleriſq; tam ſolida, craſſa & firma, vt ſectione opus ſit. Ea tamen interdum à mariti validi inſultu frequēti, etiam poſt menſes aliquot pertunditur: qui ſi quandoque ſegnior aut impotentior fuerit, chirurgi adminiculo erit iuuandus. Dum vero ea tenacior ſeduli initus violentia impetitur fatigaturque, intumeſcit plerunque vſq; adeo cum annexis particulis, vt penem amplius non admittat, præcludatq; viro acceſſum omnem, niſi inciſa. Hęc exemplis mihi notiſſimis facile demonſtrauero. Hymena præterea nouit diuinus ille legislator Moſes promulgato ex Dei voluntate eiuſmodi edicto, *Deuteron. 22.* vbi iudiciorum virginalium meminit: Si duxerit vir vxorem, acceſſeritque ad eam, & odiſſe eam cœperit, quæſieritque diuortii occaſiones, nomen peſſimum ei obiiciens, & dixerit: Vxorē hanc duxi, & ingreſſus ad eam, non inueni virginem, vel virginitatis ſigna: tollent eam pater & mater eius, & proferent ſigna virginitatis puellæ ad ſeniores ciuitatis, qui ſunt in porta. dicetque pater: Filiam meam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen peſſimum, vt dicat, Non inueni tuam filiam virginem: & ecce hæc ſunt ſigna virginitatis filiæ meæ. Expendent veſtimentum coram ſenioribus ciuitatis, apprehendentque ſenes vrbis illius virum, &c. Quod ſi verum eſt verbum illud, & ſigna virginitatis in puella non fuerint inuenta, ducent puellā ad oſtium domus patris ſui, obruentque eam ciues illius ciuitatis lapidibus, vt moriatur. Hucuſq; Moſes. Ex hymene eiuſque vſu intellecto, non difficulter hic locus explicabitur. Enimuero in matrimonium traditis virginibus, in primo congreſſu ex huius membranæ violenter ruptæ venulis profluit ſanguis: cuius lituris, vti virginitatis ad virginalium notarum argumentis teſtibusque tincta quibus hæ teguntur vel incumbunt linteamina, coram magiſtratu, ſuſpicioſis, coniugesque violatæ antea pudoris zonæ falſo in ſimulantibus maritis expandi, palamque oſtendi iubet Moſes. Ex hiſtoria item memorabili à me conſcripta *libr. 2. de Præſtigiis dæmonum*, è Suida in explicatione nominis I E S V, de perpetua virginitate diuæ Virginis, hoc caſtitatis munimento quaſcunque vere puellas eſſe donatas euidentiſſimum eſt. Quemadmodum & ex Cypriani

epiſt.

epiſt.11.vbi agit de virginibus, Deo dicatis, quæ cum viris congreſſę fuerint, ſcribit ſexum fœmineum eſſe infirmum: hinc ſubiungit. Inſpiciantur virgines ab obſtetricibus diligenter: & ſi virgines inuentæ fuerint, accepta communicatione, ad eccleſiam admittantur, &c. Si autem de iis aliquæ corruptæ fuerint inuentæ, agant pœnitentiam plenā. Africanis & Barbaris hoc quoq; virginalium ornamentum tam innotuit, vt in nuptiarum ſolennibus certis de cauſis ſolenne habeatur. Cæterū, Nigrorū viri huic fragili ſepimento minus fiſi, validiorib. certioribuſq; præſidiis filiarum virginalia muniunt. Hi enim (authore *Petro Bembo lib. 6. hiſtoriæ Venetæ*, vbi de Luſitanorum nauigatione loquitur) & boni homines & ſtrenui bellatores filiabus ſuis, vbi primū natæ ſunt, pudenda conſuunt, ſic tamen vt vrinæ meatus non impediatur. Illæ autem vbi adoleuerint, ſic conſutæ nuptum dantur: ſed primum ea ſponſo relinquitur incumbitque cura, vt ferro conglutinata ceruicis vteri labra ſecet, diuidatque. Tanto eſt in honore apud homines illos barbariſſimos, in coniuge ducenda, virginitatis certitudo. Illis ſi īnotuiſſet illud linamētum Paracelſi, quod oris hiatui illitum, momento id (ſi diis placet) contrahere conglutinareque poſſet (quemadmodum ex eius aſſeclis quidam non indoctus nuper, lingua nimis petulāti, ne dicam mendāci, effutire iactareq; ſuo more eſt auſus, ita à ſuis doctus magiſtris) acu, filo, & dolorificis punctutis in cōſuendo hoc meatu, opus fuiſſet minime. *Vier. l. obſ.*

In tua de hymene obſeruatione prorſus meę inſiſtis hiſtoriæ, præterquam quod illū neruea, non vero (vti ego trado) carnea membrana extructum adnotas. Verum perinde profecto, atq; pręputii, & linguæ ligamentum, non nerueum, ſed veluti carneum eſſe aſſero. hacq; quaſi diſtinctione, ab oſſium ligamētis, id differre innuo, ſic pariter mollē carneamq; hymenis ſubſtantiā expendens, illum carneam eſſe membranam diffinio, quę à peritonæi veterumque alias membranarū, alba & duriori ſubſtantia non leuiter variat. At miror, ſi modo hunc (cui carnei ligamenti nomen aptius, quā membranæ inderemus) aliquando videris, te non obſeruaſſe, me illum nonnihil altius penitiuſve in totius vteri collo, q̃ veſicę ceruicis in illud pertinens per foramen conſiſtit, parum recte, vti & te modo, deſcripſiſſe. Nō enim tam profunde in cunno pudendove latitat: egoque in ipſius hiſtoriā luſus ſum anfractu quodam, & veluti cæco foramine, in pudendo illic vt plurimum apparēte, vbi inferiori pubis oſſium cōmiſſuræ ſedi id eſt proximum. Anfractus namq; ille ad opportunā frictionem, hic vnā cum cōterminis ipſi ſcribendis anteriori palati ſedi correſpondentib. extructus, mihi, cum hymenem primū expenderem, pro dicto colli veſicæ orificio, altius nonnihil recondito, cernebatur. Præterea hymen pudendi inferiorem poſteriorem've, quæ anum ſpectat, ſedem, & huius ſedis laterum iniam tantum regionem occupat, adeo vt in ſui medio illum eſſe perforatum haud vere aſſeramus. Atq; ita vt menſtruis purgationibus, vnde nam illæ tandem defluant, non obſtat, ſic quoq; vrinæ egreſſum neutiquam impedit: nihilque ſane eſt aliud, quam ſi præputii ad penē vinculum plus iuſto contendere fingeremus. Vnde etiam haud mirum eſt, ſi multæ matres, & harum iuſſu obſtetrices, hymenem tanquam laterum hic pudendi tenue ſubmembraneumque, & præter rationem vſumque fere aliquem occurrens ligamentum, adhuc admodū puellis acicula quapiam, aut numo haud ſecus diuellunt, quam præputii & linguæ excedens ligamentum ab illis frequenter diſrumpi nouimus. Vtque linguæ præputiique vinculi non idem ſemper eſt modus, ita quoq; hymen non æque perpetuo craſſus, meatumque colli vteri eadem formula occludens, aut virginitatem pariter commendans, repetitur. *Veſal. in Exam. Obſeru. Anat. Fallopij.*

Nunc, de membrana hymene quid obſeruauerim, dicam tibi: licet vulgus hominum putet, nullam eſſe virginem, quæ hymena non habeat. Ter duntaxat illam inueni, bis in duab. paruulis puellis, ſemel in natu maiore, quam cum diſſecarem intererat excellētiſſimus Anton. Fracanzanus Vicentius & Paulus Craſſus Patauinus, & vna cum his Ioannes Caius Anglus. Eſt hymen membrana quædam ſub nymphis ante ceruicē vteri vnico foramine pręditа ſuperiore parte, vt menſes effluere poſſent. atque hæc eſt illa eadem membrana, quę ingreſſum penis, quamuis membroſi hominis, prohibet. *Columb. l. 15. Anat.*

Quibuſdam virginibus in ceruicis vteri orificio membrana reperitur, Hymen veteribus dicta, quæ, quia viri congreſſum arcet, ſterilitatis cauſam mulieri affert. Hanc plerique non vulgares modo, ſed & docti medici virginibus omnibus tanquam virginitatis clauſtrum ineſſe credunt. Sed illam ego cum in pleriſq; virgunculis omnis fere ætatis à trimatu ad duodecimum fere annum, quarum mihi ex Noſocomio Pariſienſi plena copia erat, ſtudioſe exquirerem, dum rem anatomicam commentarer, non potui reperire. Ipſam ſemel tantum licuit mihi obſeruare in virgine ſeptendecim annos nata, quam cum mater viro deſpondiſſet, ſciretque nihilominus ipſi in pudendis ſubeſſe aliquid, quod, quo minus mater & fœcunda eſſe poſſet, impediret, rogauit me vt ipſam inuiſerem. Reperi igitur membranam quandam neruoſam, tenuiſſimam, ſub nymphis, proxime id foramen, per quod mulieribus vrina effluit, pro foribus (vt ſic loquar) orificii ceruicis vteri, medio ſed exiguo foramine membranula illa peruia erat, qua menſes diffluere poſſent. Contemplatus ergo membranulæ illius tenuitatem, ipſam adactis volſellis reſcidi, quidque ad reliquam curationem facto eſſet opus matrem admonui: certe nupſit illa paulo poſt, & prolem peperit. *Pareus lib. 23. c. 42.*

Oſtendit Aquapendens anatomicus vbi hymen in Nympha obnaſcatur, & non eſſe nugas de hymenē dixit id reuera membranulam venoſam, quæ in quibuſdam (non omnibus) reperiatur virginibus ob hanc quaſdam eſſe non perforatas: ob eandem Terentio prima coitio acerrima eſt, per hymenis foramen virgines meiere & menſes emittere. V. CL. *Martinus Holtzapfelius de obſ. Patauinis.*

Anno 1556. cum ſupra modum ſtudioſus eſſem & curioſus rei anatomicæ inſpector, cum nonnullis aliis Germanis, noctu è ſepulchro ſubtraximus puellam, eo die ſepultam, annorum circiter 18. Et cum ad matricis Anatomen acceſſimus, veni ego, cum aliis quos nominare poſſem, oſtendi Germanis tenuiſſimam membranam, fortem tamen & renitentem nonnihil ad inſtrumenti craſſioris impulſionem, quæ prætenſa erat orificio vteri. Hæc in medio ſui (reliquo enim corpori adhære-

bat vndequaq; parietibus, vt diaphragma coſtis & dorſo) foramen patuũ oblongũ, vt felium pupillã plane aut viperæ os referre dixiſſes, per ꝙ nimirum & vrina & menſes effluere dabatur. Habebat qua parte tenſa erat mẽbrana venulas exiguas ſparſas. V. CL. *Caſparus Wolphius de Obſ. proprijs.* ¶ In virginibus hymen membrána occupat imam tantũ vteri oſtii qua anũ ſpectat ſedem, adeo, vt nõ aliis purgationib. obſtet, cum ſuperiori loco ac ſi pforata eſſet, pateat: Vteri oſtii amplitudinẽ, ante congreſſum inutilem, nonnihil occludit, & ſimul pudẽdi latera, ligamẽti linguæ & pręputii inſtar, colligit. *Platerus pag. 160. De corp. hum. ſtructura & vſu.*

Mẽbrana ſub nymphis annuli modo pforata Gręc. ὑμὴν. Lat. hymen & virginale clauſtrũ dicta eſt: hanc Ægyptii ante coitum virginibus excindere ſolebant. *Coiterus tab. Anatomic. pag. 10.*

De Hymene plura *Varolius Anat. lib. 4. c. 4.*

Observatio.

De Atretis ſeu Imperforatis, quarũ genitalia vel natura, vel aliter concreta ſunt, tum quomodo hæc ipſa Chirurgia aperiantur.

Fœminis nõnullis os vteri compreſſum cõcorporatũmq; ab ineunte ætate ad tempus vſq; menſtruorum perſeuerauit, mox vrgentib. menſtruis, doloreq; infeſtante, aliis ſponte diſruptum eſt, aliis diſſectum à medicis, nõnullę interierũt, cũ aut per vim diſrumperetur, aut diſrumpi nõ poſſet. *Ariſt. l. 4. c. 4. de gen. anim.*

Quaſdam concreto genitáli gigni, infauſto omine, Cornelia Gracchorũ mater indicio eſt. *Plin. l. 7. c. 16.*

Sunt nonnullæ fœminæ, quib. à principio ſui ortus matricis orę modo quodã coaluere. Alias ꝓpter cuiuſpiam morbi vim ita euenit. Qui morb. in nonnullis ſane medicabilis eſt, in aliis non itẽ. Deprehendes a. hoc incommodum ex his notis facile. Neq; n. aut recipere matrix, aut ꝓiicere eorum poteſt quicquam, quę opus habet. Quod ſi & recipit, & emittit, argumento erit, ipſam eo vitio carere. *Ariſt. l. 10. Animal. Hiſt. Text. 35.*

Nobis nota quædã mulier eſt, ex inceſto nata concubitu: quæ aditu careat ad coitũ accõmodato. Nam perpuſillo perq; anguſto foramine ad vrinæ vix vſum peruiũ habet inguen. Occludi autem ait Philoſophus, aut naturæ principiis euerſis, aut euẽtu morbi. Occluſionem illam declarauit per verbum συμφύεθαι: quoniam cohæreant natura. verum non eſt plena vox cohærere, ſed coaleſcere. *Scaliger, ad eund. Text.*

Cognoui puellam quindecim annorum, aſpectu pulchram, cuius foramen vuluæ erat in quantitate vnius parui denarii. *Nic. Flor. ſerm. 7. tract. 3. c. 35.*

Morbo matricis labia coaleſcere vix puto poſſe. *Scaliger loco ſupra citato.*

Nicol. refert ſe vidiſſe mulierem, q̃ poſt partum, cũ obſtetrices adhibuiſſent medicamenta valde adſtringentia, ita clauſa reddita fuit, vt non potuerit coitum exercere. *Mercur. l. 4. de morb. Muliebr. c. 14.*

Mulierem vidimus, cui morbus, quẽ vulgo Gallicũ appellant, totã vuluã eroſerat, & incuria medici quicquid eroſum fuerat, oris inuicem iunctis obcalluit. Indeq; ſola vrina & ea ex paruo quidẽ foramine reddebatur. Huic nos (ꝓpterea ꝙ callus ipſe altior eſſet, quã vt citra mortis diſcrimen incidi poſſe exiſtimaremus) conſulimus vt incurata potius viuere, quam tanto periculo ſe exponere vellet. *Beniuenius ca. 31. Abdit.*

Naturalia fœminarũ interdũ claudi certum eſt. Id a. aut ꝓrimus in vtero matris fit, aut vlceratione illarum partium: dum ſcil. ex incuria medici ſaneſcẽdo oris inter ſeſe conglutinatis iunguntur. Incidit in manus noſtras puella quędã iam matura viro, iam plenis nubilis annis, cui naturalia ipſa clauderentur. Quæ cũ ego huiuſcemodi malũ curaturus inſpicio, video mẽbranulã quandam, quæ ipſius vuluæ ori opponeretur. Quare duab. lineis inter ſeſe tranſuerſis eam incido: ſtatimq; tãta ac tam ingenti impetu nigrior materia profluxit, vt grande lumẽ, ꝙ tunc miniſter admouerat, extinxerit. Mẽnſes n. pręteriti intus tenebantur: q & dolores ſingulis menſib. excitarẽt. Inciſa itaq; mẽbranula ipſa, quicquid ex ea intus ſupetfuit, hamo apprehẽdo amputoq;. Tum reliquũ curæ ex aliorum vlcerum more proſequutus, haud multis poſt dieb. puellam ipſam ſanam, ac cõiugio aptam relinquo. *Beniu. c. 28. De Abditis.*

Quæ à me in pudendi clauſi curatione aliquoties diligẽti animaduerſione obſeruata ſunt, paucis explicare ſtatui: ne & hoc arcanũ, mortaliũ vtilitati ſubtraxiſſe, mihiq; peculiariter reſeruaſſe, ſepeliſſeque videar. Hic primũ ſupino fere decubitu ſoli vel aeri lucido exponatur virgo, in mẽſę ſublimitatẽ erecta, collocataq;, retractis diductiſq; cruribus: inde, in qua ceruicis vteri parte connatum ſit impedimẽtum, & quale id exiſtat, ſolerti ſtudio pquirendum. Quibuſdã etenim obſepta eſt pars anterior ſublimiorq;: aliis media: nonnullis os vteri profundius: fitq; id vel mẽbrana neruoſa craſſa, dura, vel innata carne pauca vel multa. Differentia vel oculi inſpectione ex mẽbranę candore & carnis rubore, quemadmodũ & indicis digiti extremitate & renitentię modo diiudicatur, potiſſimũ partib. his ſpeculo incuruo ad trianguli formã adornato, artificióſe dilatatis, quandoq; ẽt anhelitu fortiter retento. Vt a. in operis inſtituti executione min⁹ impediaris, tibiis ita ad coxas reflexis diſtenſiſq; manus inuerſas vtrinq; p poſteriorẽ partẽ introrſum alligabis: hoc modo ſectionẽ citra vllius ẽt adminiculũ pficere poteris. Apud cordatiores tñ, neq; vſq; adeo puſillanimes, citra ligaturę verſum retẽtis genub⁹ à cõfirmatioris animi matronis, id opis felici ſucceſſu p diuini fauoris gratiã abſolui. Sed nouacula opus eſt acuta, & circumquaq; linteolo obligata, debita cuſpidis parte libera, ne altius q̃ poſtulet neceſſitas, penetres. maxime ſi ꝓfundius ſecandũ ſit. Ea vſus ſum quãdoq; ancipiti, ſed cũ maiori cautione: plerunq; ſuperiori eius latere obtuſo, ꝓpter maiorem ſecuritatem, ne veſicę collũ læderetur. Minori etenim piculo aberratur deorſum ad inteſtini recti craſſitiem, q̃ ad colli veſicæ tenuiorẽ cõſiſtentiam: vtrobiq; tamẽ noxã facile pronida animaduerſione declinabit is, q in hoc negotio fuerit excruciat⁹. Lancętã quoq; vulgarẽ hic minime admitto, potiſſimũ in duris neruoſæ craſſitiei (quales fere ſunt oẽs) mẽbranis, quarum ſectione ob duritiẽ reiterata, mihi aures ex ſono nonnihil crepitante radi meminerim. Harũ tñ inciſio, quam carnis innatæ, facilior eſt, maxime ſi eæ ſublimius affigantur: & promtior multo, ſi in iis ſanguinis mẽſtrui quãdoq; introrſum erumpentis eaſq; diſtẽdentis, colluuies decumbat. Siquidem in hoc affectu nunq̃ medici opera prius reqritur, quam cum vel hui⁹ ſanguinis extra venas reſidentis effluxio ab hoc ſepimento impeditur: vel vbi in congreſſu meatus viro fuerit præcluſus. Vtriuſq; caſus fœminas à me fideliter curatas, etiamnum ſupſtites eſſe arbitror. In operis huius adminiſtratione nouaculã imprimes, ſecabiſq; figura ad naturalis hiat⁹ dimenſione ducta à veſicę collo deorsũ, iuſto vtrinq; interſtitio relicto, ꝙ leuius ſecuriuſq; in operiente mẽbrana, & potiſſimũ humoris affluxu tenſa effeceris. In

adnatæ

adnatæ v. carnis inciſione, repetēda aliquoties ſectio, ob ſanguinis ꝓfuſionē: quē immiſſa ſpōgiola, prius in aquā tepidā incincta expreſſaq; elues. Curandū autem ſummopere, vt nō oblique collimes, ſed rectitudinem in diuidēdis huius carnei iſthmi anguſtiis ſerues, maxime ſi altius ſecandū ſit. Ab ea minus aberrabis, ſi tridens illud ſpeculū incuruū altius immiſeris: ꝙ etiā cōmodius inſeret decūbens virgo vel matrona, verſatili per ſpiras aciculo ſupra ventrē ſurſum innixo: q̃ eidē quoq; , ſi volet, vertere ad iuſtā expanſionē licebit: ſic veſicę ceruicē reprimet dēs ſpeculi ſuperior, vt à ſectione tutior ea maneat, dū dentes reliqui latera diſtendēt, inter diſtortos hos tu opus ꝓſequeris. Si v. ſuſpecta tibi fuerit carnis iñatę ꝓfunditas, per vulnus aliquatenꝰ ſectū violēter intrudito recta ſpecillū tenue, ꝙ nodulū in extremitate rotundū habet: eoq; totā carnem perrumpe, donec penetraueris, ſi poſſis: nā ob ſpecilli rotundā extremitatē, vbi ad ſinū perueneris, vel in matricis oſculū impegeris violēta perruptione, nō delinquens: ꝙ ſpecilli haſtati imp̃ſſione non tā ſecure feceris. Carnis totius ꝓfunditatē hoc modo ſemel pertuſam, ſpecilli immiſſi ſubſidio deinde facilꝰ ſecare poteris. Ego tamē anguſtū foramē ſpecillo obtuſo factū, aliis ſimilib. inſtrumentis craſſioribus ꝓſecutus, eatenus perrupi, donec forcipē antrorſum oblongā validamq; per eandē hanc fiſſurā tranſmittere valerē: inde manubriolū vtrinq; rotundū manib. violentis ſimul ſurſū ac deorſū vno tractu diſtrahebā donec dilaceraretur innata caro vniuerſa. Inciſio etenim & laceratio artificioſa hic ſuū habēt locū. Proinde & digiti indicis extremitatē in diſtractionē quādoq; adhibemꝰ, maxime vbi ob loci apiēdi anguſtiā vel ꝓfūditatē, errorē in ter ſecandū veremur. Sectio itē oblique vel trāſuerſe, vel ad crucis formā duab. lineis inter ſeſe trāſuerſis adminiſtrari poterit. Mēbranas & coñatā carnē ſi qs volſella apprehēdere reſecareq; volet, id quoq; tuto fecerit, quanq̃ vtriuſq; curationē etiā ſine multa earū exciſione abſoluerim, potiſſimū ſi poſt inciſionē fiſſura indicis, vel ferrei inſtrumēti adminiculo aliquoties dilatetur. Poſtea n. vſq; adeo cōtrahunt corrugāturq; mēbranoſę vel carneę partes relictę vt nec cōcubitū nec partū remorētur. In cōiugatis v. ſi mēbrana fuerit inciſa, nec ſecuta inſignis hęmorrhagia ex vteri venis mēſtruis, q̃ alioq in claudentē mēbranā quandoq; decūbens, ſectioni anſā ſubminiſtrare aſſolet: Venꝰ moderata, lētaq; nec violēta aut vehemēs poſt triduū cōcedetur. In diſſectę a. carne ꝓfunda ceruicis vteri, nocte 8. poſt inciſionē, eiuſmodi actionē permiſiſſe me ſucceſſu lęto hora matutina, ſilētio ſepeliendū nō putaui. Cęterū anteq̃ hoc opus in findēda carne aggrediaris, puluere ſanguinis ꝓfluuiū inhibēte ex bolo armeno, ſanguine draconis, & oui albumine, vel id genus aliis reſtringētib. te inſtructū eſſe oportet: licet iis nunq̃ vſus fuerim, nec leuē cōpeſcuerim fluxionē, quāq̃ altero etiā die adhuc ſanguinis ſatis ꝓflueret, eo ꝙ conſtatent vires: decubitū tñ & quietē, donec is ꝓrſus conſiſteret imperabā. In ſanguiuis etenim defluuio habēda viriū ſingularis ratio, ne vel labefactetur cordis robur: vel ſyncope, aut ſpaſmus, aut aliud ſymtoma grauius cōſequatur. Ex mēbranę v. exanguis ꝑtuſione nihil de ſanguinis fluxu timendū, quē connatæ carnis venę vel ſtillāt vel fundūt. Ab inciſione ſi q̃ fuerit obuia ſanguinis ex vteri venis antea expulſi, velut menſtrui vel cuiuſuis alterius humoris colluuies, ea ſtatim prius aqua hordei tepida ſyringe iniecta, deinde cū hydromelite identidē ſæpius eluenda. Quicq̃d a. iniicitur, infunditur vel inſeritur, tepidū eſſe oportet. Interim inſpiciēda eſt aliquoties fiſſura, ſiue ſpeculo, ſiue forcipe dilatāda, vel gentianę radicis immiſſione: vel certius ſpōgię, q̃ cerā liquefactā imbiberit, & mox, ne cōburatur, extracta fuerit, ꝓloq; valide expreſſa, vnde turūda lōga craſſaq; ꝓ rei p̃ſentis neceſſitate excidetur, illinēda aut abſtergente, aut exiccāte, reprimēte, & cicatricem inducente medicamento, ꝓ vulneris cōſtitutione. Enimuero huc ſtudiū omne cōuerti oportet, vt à carnis nō itē mēbranæ inciſione cōglutinationē qbuſcunq; valueris modis impedias: tā hęc pars rursū ꝓmte coaleſcit, atq; huc omnino ꝓpendit natura. Quapropter vbi cutē obduci voles, poſt dies pauculos, tubulus argentēꝰ vel plūbeus, cauus, læuis, oblōgus, cū foramine vnico maiore antrorsū cū multis v. minorib. in circūferētia, ne ſaniei effluxio impediatur, ab aurifabro cōfectus, inſeretur, maxime vbi ꝓfundius fuerit vulnus: tubuli a. pars poſterior nōnihil inclinabit cum obtuſa extremitate, vtrinq; duob. locis ꝑtundenda: vnde fila duo fortia dependebūt, vt cū in ſectā rimā tubulus fuerit intruſus, anterioris pudendi anguſtiis & oſſe ſacro intercludatur, retineaturq;, nec mulieris inceſſum aut deambulationē impediat: & quādo voles aut poſtulet neceſſitas, filis extra pēdulis hic cōfeſtim retrahi queat. Tubulorū forma eſto diuerſa, ꝓ fiſſurę modo & altitudine. Nupta maritiq; cōgreſſum iñoxiū experta in frequētiori huius repetitione moderata, eidē morem gerat. Porro quoſcunq; cordatos hic p̃monitos volo, nō quēuis ad huius curationis adminiſtrationē temere admittendū eſſe: ſed quacunq; diligentia prius inquirēdū, quoad fieri poteſt, huius ſectionis peritū vel medicū, vel chirurgū, vel obſtetricem: vt q̃ ex ſiniſtræ curationis errore cōſequūtur, ꝑnitioſa ſymtomata, ꝓuidentiæ ſubſidio declinētur. Hoc ceruicis vteri vitiū *Albucaſ.* inter Arabes chirurgus minime pœnitēdus *lib. 7. c. 72.* Alraticā nūcupat: Clauſura apud *Auic, lib. 3. fen. 21. tr. 4. c. 1. lib. 7. c. 28.* redditur. Malo hoc affectæ, Gręcis dicūtur ἀτρήτας, i.e. impforatæ. *Wier. lib. obſ.* ¶ Ἄτρητος quędā mulier in Gallia (hęc neſciens) nupſit: dein re cognita ſcalpello locus decuſſatim eſt ſectꝰ & apertus X ipſa curata, exibat a. à ſectione multa ſanies liuida, q̃ & antea in femora decubuerat, & varices quaſi & liuores genuerat, q̃dā ἄτρητοι, menſib. tñ purgātur, ſed modice *V. Cl. Caſp. Wolphii obſ.* Hymenem ab Atretis diſtinguit *Balduin. Ronſſeus miſcellaneorum ſuorum epiſt. 49.*

OBSERVATIO.

Mēbrana ſinui muliebri obtenſa, vt veterū cōſilio cōſumenda.

CVm mulier geniturā ſuſcipere nō poterit, neceſſe eſt membanā ſupexcreuiſſe in oſculo vterorū. Oportet igitur æruginē ęris & fel tauri & ſerpentis adipē ſimul miſcere: deinde pharmaco hoc lanā imbuere, & in byſſinū linteū inuoluere, linteo melle ſublito, & facere ſubdititiū magnitudine maximæ oliuæ, & apponere ad pudendū per totā noctē. Supina a. iaceat, & in die auferat, & calida aqua lauetur q̃plurima ex myrti decocto. Apponat autē & poſtea ſingulis noctibus: & deinde cū viro coeat. Alia curatio. Marrubii foliorum manus plenæ menſuram in vas Atticū iniicito, & aquę potabilis heminas Atticas quatuor affundito: & vbi p noue dies p̃macerauit, p alios nouem dies ieiuna, lota, duos cyathos de hoc bibat, pari menſura paſſi albi admixta. Cū a. tertiā diem potando trāſegerit, fomentū adhibeatur, cicutæ foliis in ignem miſſis, per nouem dies, poſt fomentum lauetur. Atq; ſic rurſus de hoc bi-

bat. Cum vero per triduum fomentum adhibuerit,
marrubium ipſum tritũ in die apponat per triduum:
& mercurialem tritam in melle Attico bis in die: præ-
maceretur autem in vini albi congio Hippomarathri
& fœniculi radix, & tædæ pinguiſſimæ ramuli, & ru-
biæ quartæ pars, & fœniculi ſemen, & verbenacæ ra-
dices multæ. Præmacerenturque diebus non minus
quam nouem: & poſtea loto capite in balneo, hemi-
nam per diem de meri cremore bibat: & poſtea recli-
nata ſeipſam concalefaciat. Atque hinc poſt potum
alternis diebus, id quod ex felle paratur, per diem ad
dies ſex apponat. Cum autem iam virum accedere
vult probe purgata, hyoſciami folia ac radices in aqua
feruefaciat, & ex his quam calidiſſimis per triduum
ad noctem fomentum adhibeat, & lota virum acce-
dat. Poſt hoc vero fomentum, etiam cerui pudendũ
ſiccum ſuffito: & de hoc in vinum album dilutum
deradens, per triduum bibendum, & cum partus do-
lor inſtiterit, bibendum dato. Nam hoc partum ac-
celerat, &c. *Hippocr. lib. de Sterilibus, num.* 15.

Quibuſdam membrana quædã naſcitur & obten-
ditur orificio vteri. Eius meminit *Hipp. lib. de Sterilib.* &
conſumenda eſt & liquãda. *Holler. com. ad aph. 62. lib. 5.
Hippoc.*

Observatio.

*Aliquot puellarum hiſtoriæ memorabiles, quarum pudoris ſi-
nui membrana validior obnata, menſes reſiſtãtes coacerua-
bat: harum nonnullæ chirurgia percuratæ ſunt:
aliquæ vero mortuæ.*

QVæ rara memoratuque digna in pleriſque puel-
lis à me ſunt obſeruata, ob argumenti commu-
nionem hic obiter adhuc ſubiungere viſum eſt: vt et-
iam aliis idem paſſis vitium, ſi quando poſtulet ne-
ceſſitas, promtius ſuccurri queat. Priori circiter octo-
decim annos natæ, in ciuitate Grauiẽſi, cara mihi pa-
tria, valida mẽbranula in vteri oſtio ſanguinis ſaburra
diſtendebatur, tumebatq; cum ingenti dolore: quam
cum ex litura à viuo colore aliena, vno in loco putre-
re iudicarem, vellicãs leuiter, aperire fruſtra nitebar:
ea tamen poſtea perrupta ſponte, copioſus profun-
debatur ſanguis, vnde paulatim conualuit.

Ad alteram puellam extreme Graneburgi decum-
bentem: matronæ vicinæ cum obſtetrice accurentes,
eam geſtare vterum vno ore, fœtus patrem quoq; de-
nominantes, occlamabant (illa licet interpoſito etiã
iuramento contradicente, ac ſe virum nunquam ad-
miſiſſe liberius affirmante) vſq; adeo huic vterus, po-
tiſſimum in dextro ventris inferioris latere protube-
rabat. Ad hãc quoq; vocatus, re apud mulieres & ob-
ſtetricem deſperata, eius ſcilicet partus doloribus in-
tolerabilibus in tertiam ſeptimanã nocte diuq; per-
durantibus, cum aliqua vrinæ ſuppreſſione, vigiliis
continuis, & appetitus, deiectione, partẽ affectam ſe-
cundum artis legẽ & poſtulantem neceſſitatẽ tracto.
vbi tam valide obfirmatum membrana illud pudẽdi
os comperi, vt ne ſubtiliſſimi etiam ſpecilli cuſpidem
vſquam, præterquã in oris veſicæ extremitatem huic
annexa, admiſerit (quemadmodũ in ſuperiore quoq;
contigit) tametſi diligenti indagine circumquaq; tẽ-
taretur. Re autem penitius introſpecta, penſiculataq;
cum puellam hanc annũ agentem vigeſimum primũ
forma venuſta, florida, viuidaq;, conſtitutionis pror-
ſus ſanguineæ, antea expurgationes menſtruas nunq̃
ſenſiſſe, præter leue paucarum ſtillarum indiciũ, qua-
tuor ante annis matre defuncta, intelligerem: earum
partium venarum orificia magis hic introrſum inſer-
ta, confertim in ea ætate, tẽperamento, vitæ otio (ſar-
tricula n. erat) & anni verno tempore, efferueſcentẽ
profudiſſe ſanguinem, apud me coniectura collegi. I-
taq; anhelitũ puellę ſupinæ cõprimere iubeo, retra-
ctis, diductiſque crurib. quo magis tenax pellicula re-
mitteretur: atq; veſtigio impreſſo in eius medio à pe-
rinęo verſus veſicę collum, & iuſto vtrinq; relicto in-
terſtitio, chirurgum ob caſus illi inauditi raritatẽ tre-
mebundum, vt raſorium mei nominis naufragio im-
primeret, adhortor: ac reiterata ob neruoſam craſſitiẽ
bis ſectione, ſupra octo ſanguinis atri libras paulatim
profluxiſſe, teſtabuntur plures matronæ. In eo decu-
bitu eam ad tertiam permanere diẽ propter hæmor-
rhagiam iubeo, licet ſe mox ab inciſione maximoperẽ
leuatam ſentiret: de nulla debilitate ob largiſſimam
ſanguinis tanto tempore extra venas in iis partib. re-
tenti effluxionem, conqueſta. Elotis inde huius elu-
uiei reliquiis, aqua hordei cum melle roſaceo ſyringe
iniecta, poſt tertium diem ſuę reſtituebatur libertati,
valetudinem pedetentim conſecuta inculpatam, vt
viceſimo ſecundo die poſt inciſionem legitime cœ-
perint fluere menſes, ſuum deinde ſeruantes naturæ
tenorem. *Wierus lib. 2. c. 38. de præſtigiis Dæmonum.*

Similem caſum recenſet *Ant. Beniuen. c. 28. de abditis.*
Vide ſupra paulo ante *obſ.* incip. *de artretis ſeu imperfo-
ratis, &c.*

Alias duas iam nuptui collocatas, ab obſtetrice pe-
rita ſectas etiam noui.

Proxima adhæc hyeme quum puellæ octo circiter
mẽſes natæ vrina impeditius flueret, viſuq; membra-
nula promineret, vteri orificio filiolam carere ſuſpi-
cata mater indocta eam mihi offert inſpiciẽdam: ego
aciculæ capitello membrana hac circumſcripta, & ve-
ſicæ colli extremitate oſtẽſa, matrẽ rectius inſtitui: &
quid ad eliciendum liberius lotium faceret, edocui.
Huc facit *Ariſtotelis* ſententia, qui (*lib. 4. c. 4. de gener. a-
nimal.*) inter conceptionis impedimenta, & mõſtro-
ſarum naturarum procreationem morbum iſtũ con-
numerat, ſic verborũ ſerie: Iam fœminis nonnullis os
vteri compreſſum concorporatumq; ab ineunte æta-
te ad tempus vſq; menſtruorũ perſeuerauit: mox vr-
gentibus menſtruis, doloreq; inſtãte; aliis ſponte diſ-
ruptum eſt, aliis diſſectum à medicis: nonnullæ inte-
rierunt, quũ aut per vim diſrumperetur aut diſrumpi
non poſſet. *Wierus lib. 2. c. 38. edit. 1566. in 8.*

Virgo Margurgi annorũ 25. vrinam Dryandro vi-
ſendam detulit, Dryander nullum defectum in vrina
vidẽs, ſuſpicabatur eã eſſe imprægnatã: facies n. palle-
bat, & venter tumeſcebat. Quærit igitur quando mẽ-
ſes habuerit? reſpondit nunq̃. Hinc Dryander ſuſpi-
cans, non bene agi cum virgine, eius muliebria inſpi-
ciens nihil reperit prçter integrã cutim, in cuius me-
dio erat foramen calami amplitudine, vnde vrinam
emittere ſolebat. Dryander virginis parentibus con-
ſuluit, vt per ſectionem ei ſuccurrerent, ſed ipſi negli-
gentibus, altero anno filia obiit.

Similis caſus quoq; cõtigit in Haſſia. Mulier quæ-
dam nulla habuit muliebria, excepto anguſto calami
inſtar foramine, nupſit autẽ viro, cui annos octo cõ-
uixit: Vir videns vxorem non aptam rei venereæ, cũ
ea diuortium facit. Res delata eſt ad Principẽ Landt-
grauium Haſſiæ, qui conſilio Meges & Dryandri mu-
lieris foramen muliebre ad iuſtam magnitudinẽ ſcin-
di mandauit. Fœminę vir interim moritur, ipſa autem

curata alteri nupſit viro, ex quo peperit puerũ, quẽ Landtgrauia ex fonte ſacro ſuſtulit. *Ex aduerſariis Cl. Dryandri, communicauit Moccius.*

OBSERVATIO.

Colli matricis phyma, eiuſque curatio.

IN hoc affectuum colli matricis catalogo, recẽſebitur quoq; phyma, ſiue tuberculum quoddã oblongum in iis anguſtiis enatum: quo cum nobilis & generoſa Domina vſq; adeo afficeretur, vt eius impedimento difficilor redderetur marito initus; malo hoc clam detecto, conſilium ob cõiugis moleſtiã cum pudore rogat. Ego auferendum cenſui, at ad eius inſpectionem non admiſſus, ſciſcitatus vero nũ digitis id cõprehendi poſſet: illa annuit: Vt itaq; fili ſericei duplicati, ceraq; firmati vinculo ad radicem id conſtringeret, indieſq; arctius cõtraheret, donec tandem filo prorſus conſtricto abſciſſum decideret, ſuaſi. Hæc dicto audiẽs, conſiliumq; felici ſucceſſu ſecuta, indicauit poſtea, ſe phyma illud eo modo ablatum ſecuiſſe: & lacteum quiddã emanaſſe. Poteſt vinculum hoc ſericeum etiam efficacius reddi, ſi requirat neceſſitas, vt nimirum antea horas aliquot in aqua ſublimata vel forti, ter aut quater maceretur & exiccetur. *Wier. lib. obſ.*

OBSERVATIO.

Os fœminis eroſum, & circa matricis os quatuor lutei tuberculi pilæ inſtar viſi.

VRgebatur Rogerii Corbinelli filia in ilib: dextris dolore ferè perpetuo. Quare multis diuerſo tempore vocatis medicis, cum vnuſquiſq; pro ingenio ſuo (diuerſi n. diuerſa ſentiebant) puellam curaſſent, & ſtũdia nihil omnino profeciſſent, ẽ medio tandem ſublata eſt. Quare conſilium fuit incidere corpus mortuæ, & inuentum eſt os fœminis eroſum maximamq; oſſis partem in puluerẽ redactam: nec non & circa matricis os quatuor quaſi lutei tuberculi inſtar pilæ, quorũ tres aqua opplebantur, quartus paululum prẽ cæteris eleuabatur, vndiq; dentatus, & ſuperficie inæqualis atque durior, vtpote qui ex carne atraque bile genitus eſſet. Nõ igitur admodum mirandum eſt, ſi in eiuſmodi morbis, quorum cauſæ incertæ abditæq; ſunt, diuerſi medici diuerſa ſentiant & loquantur. *Beniuen. c. 79. de abditis.*

OBSERVATIO.

Vteri pruritus curatus.

MVlieribus præſertim annoſis pruritus ſæpe in vteri ceruice oboritur, qui eas cruciatu & ſcalpendi neceſſitate adeo fatigat, vt ſomnum adimat. Paucis ab hinc diebus conſuluit me mulier quędam hoc mali genere adeo diuexata, vt prurientem genitalium vredinem aſperſa, & aſperius affricta parti fauilla reſtinguere neceſſe haberet. Me conſultore Ægyptiacum, in aqua marina aut lixiuio diſſolutum, ſibi exprimi & iniici curauit, eodemque medicamento imbutos peſſos ex ſtupis canabinis in vterum demitti, & ſanata eſt. *Pareus libro vigeſimo tertio cap. 64.*

OBSERVATIO.

Phlegmones eryſipelatodis vteri curatio, & de eo, quod poſt feruoris mitigationem accidit in corporis totius ſuperficie.

ANte annos aliquot curanda mihi fuit mulier, q̃ de pruritu, ardore atque dolore circa vterum vehementer conquerebatur. Huius atque aliorum quæ patiebatur ſymtomatum cauſam, ego conieci in phlegmonem eryſipelatodem ex bilioſo, feruenti & acri ſanguine, cuius euidentiſſima ſigna apparebant: erat autem, quantum coniicere potui, cum ego vocarer, morbi incrementum. Sanguinis miſſio repetita omnium medicamentorum vſum anteceſſit. Poſtea adhibita ſunt refrigerantia & repellentia non tam intro aſſumta quam foris admota, & iniecta. Defluxio feruidi humoris conſtitit ac repulſa nõ pauca quãtitas ſanguinis eo vnde fluxerat in magnas ſcilicet, vt mihi perſuaſeram, venas. Interea vſa eſt tenui victu in cibo & potu. Potus erat aqua hordei & prunorum Damaſcenorum, vel aliorum noſtratium ſcilicet electorum. Appetitus tamen erat deiectus, vt libens abſtinuerit. Quibus ſic adminiſtratis ſuperuenit, vt vniuerſa corporis ſuperficies dolore moleſtiſſimo infeſtaretur, vlceroſam laſſitudinem dixiſſes. Affirmabat mulier, ſe non aliter dolore affligi, quam ſi per vniuerſam corporis ſuperficiem ſcarificaretur, ac vlculſcula deinceps aceto acerrimo perfunderentur. Induſii etiam molliſſimi tactum vix ferebat. Huius ſymtomatis cauſam dum conor inueſtigare, nullam aliam inuenire potui, præterquam ſanguinem feruidum vi medicamentorum repulſum à loco affecto, tandem à carnoſis partibus nutrimento indigentibus, propter tenuem admodum victum, attractum, & in ambitum delatum, huis doloris quaſi mordicantis cauſam extitiſſe. Cui ſenſui dolorifico tollendo, neque enim vnctiones, neque frictiones, nec alia admiſit, tam erat ſenſibilis tota cutis, iuſſit intrepide ſudatorium parare ex aquæ dulcis vapore nullis herbis iniectis, ſuauiterque ſudorem elici: poſtea mello linteolo leuiter detergi. Quo facto, mirum dictu, in corporis ſuperficie cœpit efflorefcere quid ſimile puſtulis exiguis, quæ numeroſæ per totum corpus conſpiciebantur, quæ tamen continuo, poſt balneum & ſudoris deterſionem euaneſcebant. A balneo paulo deterius habuiſſe viſa eſt, ob vires, vt putabam, deiectas; intra biduum vero cibo paulo pleniore refecta, & potu pleniore vtens, priſus conualuit. Interea dum ſingula hæc adminiſtrantur, totius morbi decurſu, ad ſomnum cõciliandum, doloriſq; ſedationem, & nonnihil etiam bilis feruorem contemperãdum, exhibui forte decies hoc opiatum, quod alias in promtu habebam pro aliis caſibus paratum. ℞. ſpec. aromat. roſ. & diagalangæ ana drach. vnam, opii diligentiſſ. contuſi, & in vino maluatico diſſoluti ſcrup. vnum ſemis; karabe pult. ſubtiliſſ. drach. vnã, croci ſcrup. ſemis cum eodem vino fiat maſſa. Exhibui globulos piſi magnitudine præmolles, quos auide deuorabat. Hanc hiſtoriam ante annos aliquot geſtam, ruſus in memoriam reuocaui quam potui meminiſſe diligentiſſime, vt tibi gratificarer. *Cl. V. Caſp. Wolph. de obſeru. propr.*

OBSERVATIO.

Gangrænæ in vteri oſtio grauiſſimæ curatio.

GAngrænam in vteri oſtio grauiſſimam fœtidiſſimamq;, in nobili matrona iuuene annorũ viginti quinq; ſuperiori anno curaui. Æſtuante canicula tuberculum quoddã in eo ſinu forte ex vehe-

mentio-

mentiori inſultu mariti exortum ; imperitus rerum
chirurgus inidoneo cataplaſmate , & neſcio quibus
aliis admotis vincere conatus eſt : vnde intra dies
non multos tanta ſæuitia efferbuit,vt è veſtigio pars
eâ vniuerſa putreſceret,nigricaret , & intermorere-
tur:peſtiſque hæc celeritate incredibili anum verſus
ſæuiret,&ſic ſimul partes anteriores cum poſticis le-
thali clade perderet. Accedebat calor,febris , extre-
ma virium debilitas,ſumma cordis anguſtia , & reli-
qua ſymtomatum malignorum congeries:quæ pro-
fecto ex putidiſſimæ cloacæ halitu vix ferendo au-
geri oportuit.Horrenda erat cladis huius facies.Ac-
citus ego in extrema rei deſperatione, haud mora v-
berrimum ſolani & plantaginis ſuccum primum ſy-
ringe in vtrumque meatum ter vel quater interdiu
iniicio , deinde horis illis intermediis lini hapſum
iis ſuccis admixto aceto imbutum applicui:qui ex-
ſuccus,eodem rurſus permaduit liquore:ac eiuſmo-
di repetita aliquoties applicatione perſeueratum eſt
donec reſtingueretur feruor , & deſineret putrefa-
ctio. Aſſumebat interim quoque potionem ſingulis
diebus ter ex decocto acetoſæ,ſcabioſæ,pampinulæ
prunorum Damaſcenorum , ſummitatum borragi-
nis,bugloſſæ,florum calendulæ cum aqua ſaccharo
& aceto ad ſyrupi acidi longi formam apparata. Vi-
ctus erat paucus,ſed refrigerans & acidus , putredi-
nis occaſionem præſcindens. Tertio die reuerſus,in-
cendii furiam,ſæuitiamque putredinis remiſiſſe cō-
peri.Quare carnem nigram mortuamq; exiguo for-
cipe attrahi, & circumquaque à viuo firme, ſine do-
loris ſenſū ſeparari reſecariq; iubeo. Inde reliquum
ad viuum vſq; Ægyptiaco vnguento abſumebatur:
eodemque modo ad cicatricis inductionem,vti in
aliis vlceribus,progrediebamur. Atqui inter curan-
dum erant aliquoties enemata ex hordei & aliorum
aluum mollientium decocto infundenda. Nec quæ
cordi & viſceribus reliquis robur conciliarent , ne-
gligebantur:cuiuſmodi ſunt,roſatum , florum bor-
raginis,bugloſſæ,calthæ conſeruæ , idque genus re-
liqua,atque ea ratione conualuit breui. *Wierus libr.*
obſeruat.

DE MVLIEBRIBVS PARTIBVS GENITALIBVS internis.

ET PRIMVM DE VTERO.

CONFORMATIO NATVRALIS & monſtroſa.

OBSERVATIO.

Vteri ſubſtantia cuiuſmodi vere ſit , de recentiorum obſeruatione.

MVliebris vteri , vel matricis propria
ſubſtantia quamuis in non prægnan-
te alba, & membranea videatur:in v-
tero tamen habentibus plurimum à
membranea natura differre conſpi-
citur,cui ſimilem in toto corpore ſubſtantiam repe-
rire minime liceat,eſt enim fungoſa,ſpongiæq; ma-
xime ſimilis,non tamen ſimplex, ſed in multos cor-
tices , fungorum quorunda m modo, qui in arbori-
bus naſcuntur,facile diuiſibilis,& foraminibus,ſpō-
giarum,vel pumicis more peruia, impropriam tamē
extrinſecus obuoluentem tunicam, peritonæi ſobo-
lem excipio. Huiuſmodi autem ſubſtantiam à ſapi-
entiſſima natura vtero tributam fuiſſe arbitror, vt
ſanguinis,& ſpirituū copiam, pro fœtus vita , & nu-
tritione, facile contineret:adnatæque vero fungoſę
carni,rotis in modum ſuggereret,ac ſubminiſtraret.
Tantumque abeſt vt tenuiori ſubſtantia præditus
ſit,vt etiam multo craſſior ob humorem imbibitum
conſpiciatur. Qui enim omnibus numeris abſolutū
fœtum intus habet vterus,(plus tamē, & minus,pro
mulieris ætate, & temperatura) duorum pene digi-
torum craſſitiem æquat,& præcipue circa elatiorem
fundi ipſius partem,in quam vterina vaſa coeunt,v-
terinumque iecur adnaſcitur , ac cohæret , quod ad
ſubſtantiam eius attinet ſic habet. *Arantius libello de*
humano fœtu.cap.1.

Subſtantia Vteri neruea, denſa, & compacta eſt.
Quæ tamen,eo tempore,quo mulier ad conceptio-
nem habilis & apta ſit, calore inſito adauctam , car-
nea,venoſa,molliſq; admodum euadit,& non ſecus
ac vt canibus fœminis , nouem fere dierum ſpatio
conceptum appetentibus,vterū & pudendum quo-
que intumeſcere videmus,excreſcit,totoq; tempo-
re quo mulier vterum geſtat adaugetur , & poſt par-
tum rurſum ad priſtinam neruoſitatem ſoliditateq;.
redit. Quæ tamen, ſi vel natura,vel ætate,adeo præ-
ualeant,vterusq; ſic induratus ſit, vt eam quam di-
ximus mollitiem & carnoſitatem adipiſci nequeat,
ſterilitati huic,in qua mulier ſana alioquin ,vel mul-
torum annorum interpoſito ſpatio , vel nullo etiam
tempore concipit & parit, præcipuam occaſionem
præbere,obſeruatio hæc pulcherrima oſtendit. *Pla-*
terus de corp.hum.ſtruct.pag.1.

OBSERVATIO.

Vteri humani cauitatem internam minime in cellulas ſe-
ptem, vti hactenus pleriſque creditum, diſtingui.

HVmanus vterus,vt virorum ſcrotum , leuem &
perquam modice extuberantem futuram , ſeu
tenuiſſimæ lineæ inſtar prominens: tuberculum ha-
bet , ſecundum vniuerſæ ſuperficiei longitudinem
& anterius & poſterius exporrectum ; quaſi quoddā
ſiniſtræ à dextra ſuperficiei interſtitium cenſendum
eſſet. Superficies hæc fundi vteri ſinus eſt,ſemen ge-
nitale ſuſcipiens,fœtumq; continens,quem Mundi-
nus , & alii quidam Iuriſconſulti, huius ſomnia ſe-
quentes,non vnum enumerant, ſed ſeptenario nu-
mero eum complectentes , ſeptem matricis cellulas
recenſent,tres quidem in dextra vteri ſede,maſculis
ſuſcipiendis aptas,tres vero in ſiniſtra fœminis dica-
tas: ſeptimam autem in vteri medio ſtatuunt , illam
ni fallor,hermaphroditis conſecrantes, vt copioſius
*lib.3.paradox.cap.9.*demonſtrauimus. Vnica itaque
duntaxat in vteri fundo cauitas eſt,latior quidem &
altior,quam profundior. Vnica,quod vnicum fœtū
complecti debeat,attamen latior quam ſpiſſior eſt,
quod interdum & gemellos concipiat. Non enim
geminus cernitur , & inteſtini inſtar oblongus,qua-
lis cani & ſui , ac illis denique animantibus obtigit,
quæ plures ſimul fœtus ſemper propemodum eni-
tuntur. Hæc ſane cauitas,ſiue ſinus in humillima ſe-
de iuxta fundi foramen, pro illius foraminis ampli-
tudine,anguſtior eſt, deinde ſecundum vteri formā
ſurſum dilatatus , in elatiori ſua ſede velut in duos

cessat

ceſſat angulos, ad elatioris vteri partis latera cōſcendentes. Media enim ſedes elatioris ſinus partis non tam alte atque latera ipſius conſcendunt, vteri ſubſtantia deorſum hic, quaſi ſeptum aliquod in ſuam amplitudinem ſpectante. Hic ſinus, in non prægnātibus plurimum viſcido quodam & ſubalbo muco illitus, & læuis ac extuberantiori linea interſtinctus. In angulis illis, aut in ſuperioribus ipſis apicibus, rugoſiorem, ac omnino illi cauitati ſimilis, in quam deferentia ſemen vaſa in viris inſeruntur. Hæc quidem internæ fundi ſuperficiei ſinusue vteri eſt deſcriptio. *Fuchſius lib. 4. de Hum. corp. fabric. c. 3.*

OBSERVATIO.

Vterum humanum ſecundum naturam conſtitutum minime vt brutorum, in vaccina, caprina aliaue cornua excreſcere, ſed quaſi obtuſo angulo deſignari.

AD vteri formam ipſius cornua ſpectant, quæ Diocles in mulieribus opportuniſſime iam enaſcentibus boum cornibus aſſimulauit. Quemadmodum enim vitulorum capita vtrinque qua pronaſcentur cornua extuberant: ita etiam ſuperior vteri pars, vtrobique veluti in duos obtuſos definit angulos, qui reuera veteribus Anatomicis hominū cadauera ſecantibus cornuum vice habebantur, vaſorumque ſemen muliebre deferentium inſertionem excipiunt. Hęc itaque muliebris vteri ſunt cornua, à caprinis, & vaccinis, & ouillis, quæ arietum cornibus vndecunque ſimillima exiſtunt, plurimū diſtant. Id quod de canum & ſuum vtero rectius dicitur, qui vterum ſtatim à fundi ipſius orificio in duas partes ita diremtum gerunt, ac ſi indicem à medio maxime diduceres, illosque digitos vteri partes eſſe fingeres, quæ in nō prægnantibus recta quodāmodo ducuntur, & in apicem mucronemue ſenſim non ſecus definunt, quam ſi recta non obliqua eſſent cornua: in vtero autem gerentibus arietis cornuum modo & hæc quoque inflectuntur. Et de his quidem animantibus ex quorundam veterum ſententia rectè à *Galeno in libello de vteri ſectione* prolatum eſt, in cornibus complecti fœtus. *Idem De human. corp. fabric. lib. 4. c. 3.*

Vterus partes binas prominentes inſtar vituli cornuum nuper erumpentium profert, quæ forte illa ſunt ab antiquis dicta matricis cornua: veram enim cornuum veruecis ſpeciem in vaccæ, capræ, canis, ouis, ſuis, & id genus animalium vtero videbis, nam in his mire incuruantur, & concaua ſunt, & in his fœtus gignuntur. At mulieris vterus longe ab his diſtat, vt tu quoque, niſi conferre pigeat, facile experiri poteris. *Columbus de re anat. lib. 11. cap. 16.*

OBSERVATIO.

Vterum humanum aliquando, ſed rariſſime & monſtroſe, bicornem vt brutorum animalium obſeruari.

PVellę propter glandulas in toto corpore ſcirrhodes per atrophiam mortuæ vterus in ea velut bicornis vt in multiparis apparuit, verum id efficit eius breuitas & teſtium vaſorum ſpermaticorum diſtantia longiore. Nam vbi peperit mulier, quantum vteri fundum ſuperne fertur, tantum deſcendere videntur teſtes, cornua, & vaſa: ita vt prope in medium incidant vterum, cum puellis abſint hæc longiſſime ab vtero, vt fingere poſſis vterum eſſe mulieri vt polytocis animalibus bicornem. *Syluius in Appendice Iſag. Anat. Varior. corp. diſſect.*

OBSERVATIO.

Vterus bipartitus.

ANne mulieres eæ, quæ ſuperfœtare ſolent, aut plures fœtus, quam duos generant, bipartitum vterum habeant, quemadmodum canes, lepores, & ſimilia animalia, quæ multos generant fœtus: mihi dubium mouit Fratris mei clariſſ. Iohann. Bauhini obſeruatio, qui circa annum 1565. dum ordinarius eſſet Lugdunenſium Medicus, & Chirurgus Anatomen demonſtraret, in quadam puella vterum bipartitum, qualem canes habent, adnotauit: quod vt rem valde raram, doctiſſimis Medicis Lugdunenſibus, ac multis aliis demonſtrauit. Ea erga de re Anatomici, ſi mulierum corpora talia occurrant, cogitabunt: cuius nomine hoc proponere libuit. *Cl. V. Caſparus Bauhinus.*

OBSERVATIO.

Fœminei ſexus, gemina fœminea natura nati.

C. Lælio. L. Domitio Coſſ. Puella biceps, quadrupes, quadrimana, gemina fœminea natura, mortua nata, *Iul. Obſequens.*

C. Claudio. M. Perpenna Coſſ. Mulier duplici natura inuenta. *Idem.*

OBSERVATIO.

Mulieris cuiuſdam vulua monſtroſa conformatio, qua Vterus deſiderabatur.

FOEmina erat, cuius vulua ab aliarum fœminarum vuluis nihil peculiare & diuerſum habebat: & matricis colli portio prominebat, vel matricis collo ſimile: matrix autem nulla aderat, in abdomine, neque vaſa ſeminaria, neque teſtes, & quoties cum viro coibat (coibat autem ſæpe) mirandum in modum conquerebatur. *Columbus Anatom. libro decimoquinto.*

OBSERVATIO.

De vtero ob partus difficultatem rupto: Itemque de fœtuum demortuorum ac difficilis partus cauſa.

ANno 1594. 8. Decembris, Haganoæ Alſatiæ, mulier 40. annorum molitoris vxor, cum iam ſepties fœtus alioquin integre efformatos, ſed mortuos peperiſſet: vltimo partu octauo ſcilicet, ipſa quoque vna cum fœtu, non tamen edito ſuccubuit, poſtridie nimirum quam fœtus in aluo materna extinctus animaduerteretur. Inſtātibus autem partus doloribus, iisque vehementiſſimis (valide quippe puer mouebatur) atque ſæpius toto triduo recurrētibus, quibus prægnans miſere ſed fruſtra excruciabatur: dolorum tādem ſeuitia, potiſſ. tamen vltima nocte illis exaſperatis, viriumque reſolutione proſtrata interiit. Multa quidem à mulieribus aſtantibus commiſeratione quadam adductis, tentata fuere, aſt ſine vllo parturientis leuamine. Huius igitur demortuæ abdomen cum aperiendum eſſet, aduocatur Cl. D. D. Heliſæus Röslin, phyſicus Hagenoenſis, & ego, qui tum temporis in patria agebam. Itaq; leuiter vix impreſſa nouacula, muſculos Epigaſtrii, cum peritonæo diuidere voluimus, quo vteris ſitum prius cum fœtu contemplaremur: at vix inquam immiſſa acie, & abdomine pa-

rum

rum diſſecto, dorſum pueri vulneratur. nos nil tale ſuſpicantes, primo vterū tactum fuiſſe credidimus. Ideoq; cautius ſectionem abdominis inſtituendam putamus; quā peracta, integer ſtatim fœtus, omnib. numeris abſolutus (licet iam inflatus, & cuticula abſcedente, ob incipientem putredinem) occurrit: atque immediate peritonæum ſuperne cōtingens, inferni inteſtino recto incumbens, liber in ventris inferioris capacitate, nullo neque velamine aut membrana, neque vtero cinctus: ſitu alioquin ad faciliorem partum accommodato, capite deorſum, facie ad poſteriora reclinata, corporis trunco in longitudine extenſo: omnibus reliquis partibus, tam earum quæ ab vtero, quam quæ ad vterū, vt & quæ in vtero (vna ruptione excepta) nihil præternaturale oſtendentibus: nullibi apparente neque contuſione, neq; vulneratione, vlcere, aut apoſtemate conſpiciendus offertur. Vbi etſi nos ob rei nouitatem admitaremur, non tam fœtus ſitum & figuram rectam, licet extra vterum, in abdominis capacitate factam, quā fœtum ipſum integrum & iuſtæ magnitudinis ac cōformationis, citra vterum atque extra matricem viſui obiectum, tamen lacero, rupto ſeu potius abrupto vtero conſpecto, mirari aliqua ex parte deſinimus, cauſas vero huius ruptionis indagandi, haud ſine maiore admiratione anſam datam animaduertimus. Porro alligatus adhuc fœtus erat vaſis vmbilicalibus ſuis ſecundinis: quæ ſurſum ad ſiniſtram, lienem verſus, ad inteſtina & lumbos retractæ, & tanquam per conuulſionem & abbreuiationem vinculorum, firmiter cōnexæ iſtis partibus cernebatur, vt eaſdem inde abſtrahere difficile fuerit. De vteri vero ſubſtantia, quæ quidem tenuior ſolito apparebat quantum equidem conſpici potuit; illud ſecundinis, ac potiſſimum placentæ ſeu chorio aut vterino iecori (velut id *Arantius* appellat) tanquam concretum, rurſusque in minorem magnitudinem (vt alias poſt naturalem partum contingere ſolet) contractum fuerat, atque adeo ſecundinas nequaquam amplitudine excedere videbatur vterus, vt propterea eundem quia conciderat, ratione potius, quam ſenſibus agnoſcere, neceſſe habuerimus. Cæterum iuxta ceruicem vteri ad os pectinis, intrinſecus ſub veſica, membranæ portio, vſitati cultri craſſitiem nō excedens, latitudinem dimidiæ palmæ propendebat, quæ vteri abrupti particula fuit: reliquum autem, vna cum proprio vteri orificio ipſiſque ſecundinis, omne ad inteſtina (vt dictum eſt) ſurſum raptum, alieno loco detinebatur. Vnde penitus à ceruice ſeu ſinu muliebri, omnibusq; vicinis partibus, quibus adnaſci ſolet, auulſum, atq; ex parte dilaceratum fuiſſe vterum patuit.

Ex his illud maxime ſuſpiciendum & quærendum videtur: cuius vi vterus abruptus fuerit: cum neque cauſam in fœtum imbellem & debilem, organis ad tantam vehementiam nondum præditum (qui ſolum pondere & motu locali, cum leui calcitratione exitum quærit) neque in parientem referre liceat: mulier enim plus non confert ad partum quam vt muſculos abdominis comprimendo, actionem vteri iuuet. Opus namque ipſum quod à ſe-ipſis parturientes præſtant, non vteri eſt, ſed muſculorum abdominis, vt *Galenus 3. facult. natural.* aſſerit. nulla enim vi alia ad partum, excitare, mulieres vterum poſſunt: Multo minus in vterum, quia etſi partus proprie eſt opus vteri parientis & expellentis: tamen is conſtrictione, atque fibrarum contractione, non dilatatione operatur, vt hic minus rupturæ metus ſit. An vero vi alicui externæ, maxime iam ob hæmorrhagias & dolores extenuato vtero (qui quo vicinior partui eſt, eo tenuior euadere ſolet, teſte *Galeno lib. de diſſectione vteri*) idque obſtetricis manui acceptum ferendum ſit, aliis affirmandum relinquo. Non minus tamen ſitus pueri, alioquin optimus admirationem augere videtur, an ſcilicet manu obſtetricis perfracto iam vtero, an vero integro adhuc vtero, intus figuratus puer fuerit. ſiue enim ante ruptionem ſtatuatur ſitus factus, ſiue poſt, ruptionis difficultas oſtenditur. Neque etiam totum fuerit affirmare, fœtum quia inflatus & ſatis tumidus, reperiebatur, poſt mortem vtriuſque incipiente putredine, ob inflationem & magnitudinem auctam, vtero dudum attenuato abrupiſſe, velut à muſto ebulliente dolii fundum, cum id fiſuram potius intuliſſet quam abruptionem. Verum tot fœtuum in partu interemptorum cauſam depræhendimus oſſis pectinis malam conformationē nimis ſcilicet depreſſi, quod in gibbum ſuperne, inferne autem in arcum excauatum eſſe oportuiſſet. Cum alias depreſſio iſta frequentiſſima (iuxta *Arantii peculiarem obſeruationē*) & quidē incurabilis partus difficultatis cauſa exiſtere ſoleat; ob quam infantes iuſtam magnitudinem adepti, ſine principum partium conquaſſatione, hanc lucem aſpicere nequeunt. Hæc quidem locorum anguſtia, an concurrentibus cauſis ſuperius attactis aliquid etiam ad ruptionem contulerit, ego vt neque infirmare, nec tamen ex his vnam aliquam huius effectus principaliorem cauſam producere queo: qui potius hoc vna cum Galeno (*15. vſu part. 7. tum de naturali partu*, ſcribit, mirari nos poſſe, intelligere autem non poſſe) inter naturæ rara miranda repono.

Hinc tamen confirmatur aliquando neceſſitas partus Cæſarei quem docte deſcribit. *F. Rouſſetus libello à Cl. D. Caſpare Bauhino edito*, niſi timiditas muliercularum hoc opus abhorreret.

Sectioni huius interfuere præcipuæ fœminæ, & obſtetrices ſeptem atque etiam alii.

Hanc hiſtoriam vir clariſſimus *Leonardus Doldius, Noribergenſis Medicus* conſcripſit: tranſmittente ad nos Doctiſſimo *Camerario*.

Obſeruatio.

Vteri mulieris, ex puerperio mortua, conſtitutio.

Os vteri ita extenſum & lacerum erat, vt vix appareret. Vterus magnitudine capitis erat adhuc, & craſſitie pollicari. Intus ſanguinis reliquiæ, & ora vaſorum craſſo & nigro ſanguine adhuc ſudantia. Vincula vteri cum oſſibus ilium, facto & lumborum, & inteſtino recto firmiſſima, parte anteriori nulla, præterquam cum veſica admodum exigua. *Sylvius in Append. Iſagog. Anat. De Variorum corporum ſectione.*

Obſeruatio.

Vterus ſpiſſus à partu.

Vterum ſpiſſum & craſſum à partu per octiduum manere, atque inde ad priſtinam rurſum

tedire

redire formam, in quinque mulieribus, quas mox poſt partum ſupplicio affectas, vel in partu mortuas diſſecui, obſeruaui. *CL. V. Felix Platerus de ſuis liberaliſſ. mihi communicatis obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

Calli in vtero nati ſterilitatem inducentes.

MVlier Clara nomine & genere, cordis dolore interdum vexabatur. Cuius mortuæ corpore inciſo, & fruſtulum nigrioris carnis in ſiniſtro cordis ventriculo ſupra arteriam, quod meſpilii formã haberet; & vulua à medio infra verſus imam eius partẽ iunctis oris obcalluiſſe reperta eſt. Quare vt tuberculum illud mortis, ita hoc ſterilitatis cauſam fuiſſe cognouimus. *Beniuenius Abditorum c.35.*

Sterilitatis Catharinæ Sandræ vxoris ſororis Rondeletii cauſam fuiſſe, ſuſpicati ſumus, carneum tuberculum piſi magnitudine, quod in vteri collo interiore deprehenſum eſt. Id enim fuiſſe potuit obſtaculum ſemini in fundum penetraturo. *Ioubertus in vita Rondeletii.*

OBSERVATIO.

Vteri humani ſubſtantia in ſcirrhum magnitudine capitis humani indurata, molæ opinionem imperitis exhibens.

PRopriæ vteri ſubſtantiæ ſcirrhus à mola diſtinguendus eſt: extiterunt enim mulieres, quarum cadaueribus diſſectis, viſus eſt vterus ſcirrhoſo tumore, caput humanum æquante, obſeſſus, in quibus curandis omnem Medici luſerant operam, quod nõ in vteri corpore ſubeſſe vitium, ſed in vteri capacitate concluſam latere molam perſuaſum haberent. *Pareus lib.23.c.36.*

OBSERVATIO.

Vterum aliquando fungoſum, mollem, ſpongiformem: ipſiuſque ceruicem totoſſeam viſam.

CVr non ſtupeant homines, ſi quemadmodum à nobis inter anatomes annotatum eſt, vterum in fœminis inſtar ſpongiæ raræ & mollis, aliquando & pure oſſeam ceruicem videant. *Gemma lib.1. cap.6. Coſmocrit.*

DE MVLIERVM VASIS SPERMATICIS ET TEſticulis.

OBSERVATIO.

Vermes in vaſis ſpermaticis.

MIhi conſentaneum videtur, gigni in vtero & eo magis, quod memini me alias docuiſſe, vt dicit Ariſt. Albertus, & alij, vermes fieri in cerebro & vaſis ſpermaticis, vt non ſit adeo durum quod etiam fiant in vtero. *Mercurialis de morb. muliebr. lib.4. c.1.*

OBSERVATIO.

In dextro mulieris cuiuſdam, repentina morte ſublatæ, teſticulo, tumor magnus, pilis, ſeuo & pure infarctus animaduerſus.

LVgduni Anno M. D. LXXVIII. Aprilis 13. quum ſubito mortua eſſet mulier quædam ſola, & ſuſpicio eſſet de vi aliqua illata, ego, imperante magiſtratu, adiuncto alio Medico & Chirurgo corpore externe & interne prius diligenter inſpecto, nullam cauſam ſubitaneæ mortis inuenire potuimus, præter eam quam magiſtratui retulimus, nempe tumorem magnum teſticuli dextri, ob copiam pilorum & materiei ſimilis ſeuo cum pure, vnde matricis præfocationem violentiſſimam & lethalem excitatam fuiſſe veriſimile eſt. *De obſeruat. CL. V. Ioan. Bauhini.*

DE CONCEPTIONE.

OBSERVATIO.

Mulieres quaſdam menſium profluuio deſtitutas, non tam inculpata ſanitate vſas, quam concepiſſe & peperiſſe ſæpe.

SOlvit Ariſtoteles mulieres quaſdam eſſe quæ concipiant, etiamſi non fluant menſes, quibus non plus ſanguinis eſt, quam alius reſtat à purgatione. Sed haud ſcio an id ex principiis Galeni admitti queat. Conſtat tamen multas concepiſſe antequam paſſæ eſſent menſtrua. *Scholiograph. ad c.58. lib.1. Hollerii de curand. morb.*

Recitauit Gentilis ſe vidiſſe mulierem, quæ nunquam habuit menſtrua, & peperit multos filios. *Nicolus ſerm.6. tract.3. c.4.*

Verus ille medicinæ interpres magiſter meus Iacobus de Forliuio ſuper prima primi mulierem carentem menſtruis, poſſe concipere monſtrauit aperte. Et, adoleſcentulam prægnantem, quæ nunquam menſtruauerat mea in cura habui. Aliam quoque quæ partus plures edidit: nec menſtrua niſi tempore partus videbat vnquam. *Guainerius tractat. de ægritudinibus matricis cap.2.*

Nos cognouimus & nunc cognoſcimus ruſticas quaſdam in quibus menſes nunquam profluxere, tamen ſaniſſimæ ſunt & robuſtiſſimæ: quod ob motum continuum, & ingentem laborem factum eſſe arbitror. Et quod in his mirum videtur, progignunt. *Braſſauolus comment. ad aphoriſmor.36. lib.5. aph. Hipp.*

Naturalis conformationis vitio, mulierem vidi, cui nunquam vel menſes vel aliud quicquam fluxit ab vtero, ac nihilominus bene habita, prorſusque incolumis annos vixit circiter ſexaginta. *Fernelius lib.6. cap.16. Patholog.*

Mulier quædam Montisbani, nunquam mẽſtrua paſſa fuit, & tamen peperit duodecies, & liberorum adhuc noſtro tempore multi ſuperſtites ſunt. *Rondeletius c.24. meth. curand. morb.*

Pro miraculo & inaudito adfero, cuius ego teſtis ſum oculatus, infantes ſcilicet cuiuſdam mulieris, quæ neque in partu, neque ſana viſa eſt vnquam fluxiones illas communes, & purgationes (quæ menſtrua dicuntur) pati, Achoribus ſeu ſaphati ſæpiſſime corripi. *Petrus Toletus in Appendice ad c.1. Pauli Bagellardi, de morbis puerorum.*

Vnam noui, quæ robuſtiſſima erat mulier Illyrica, & habitu, figuraque corporis ſimillima viro agili & expedito, colore ſubobſcuro, quæ nunquam per menſes purgabatur, ac ſemel tantum, cum tamen ad ſenectutem vſque cum viro vixerit, in vtero habuit, reliquo autem tempore fuit infœcunda. *Trincauella lib.10. cap.3 de ratione curand. partic. human. corp. affect.*

Venit ad me, & Conradum Bauſchium inſignem

Chirurgum, ante annos plus minus ſeptem, mulier ruſticana ex hercinia ſylua noſtra oriunda, ſubnigra, robuſto ac ſubacto laboribus corpore, de morphæa (qua tum laborabat) conſultura. Quæ nobis de vitæ genere percunctantibus, ſanctiſſime iurauit, productis etiam fide dignis teſtibus, ſe ternos quidem ac integræ ſanitatis fœtus edidiſſe: cum per omnem ætatem menſtruis purgationibus caruiſſet. Parciores autem eiuſmodi corpora menſes habere rarum non eſt. Sed eorum omnino expertes, at fœcundas eſſe, id vero rariſſimum ac annotatu digniſſimum mihi viſum eſt. *CL. V. Ioan. Culmannus illuſtr. Wirtemb. Princip. Med. in ſuis ad me literis, die* 8. *Iul. Anno* 85. *datis.*

Accepi Tholoſanam quandam fœminam conſtitutionis ſanguineæ, vegetiq; omnino habitus, vtriuſq; ſexus fœtus enixam eſſe feliciter, ad octodecim vſq; num. citraq; aliquod tum ſui ipſius, tũ prolium incommodum vitiumq; aliquod. Ex quibus filium vnum ſibi adoptauit Marchianellis Monlucẽſis patria quædam Domicella. Quare mulier concipere & parere poteſt citra menſium efflorefcentiam, intellige externam & manifeſtam, non vero ſine omnimoda horum apparitione vel alluuione aliqua, ſaltem interna, ad locellos muliebres, &c. *Ioubertus popular. errorum lib. 2. cap.* 1. quo loco diſputationem hanc ad plenum requires.

Scimus nos in vrbe noſtra mulierem fuiſſe fortem & audacem, manu promtam & iracundam, petulanti lingua, ad contumelias mox pronam, quæ iure optimo virago erat appellata, hæc nunquam menſtruas purgationes habuit, & tamen bis vtero geſtauit, ac bis peperit primo maſculum, ſecundo fœmellam, ambos optime conformatos, & plurima carne præditos, in partu excrementi menſtrui vix tantillum exiuit, at in puerperio nihil penitus effluxit.

Atq; nos, dum hæc ſcribimus, tractauimus mulierem ruſticam, quæ cum vtero gereret, ſe morbo aliquo detineri arbitrabatur, eo quod iam per multos menſes minime conſuetas menſtruas purgationes paſſa, haud fieri poſſe cenſebat, ſe concepiſſe, ac in vtero habere, tamẽ nono menſe optime conformatũ fœtum edidit, ventriſq; tumore, morbo, graui cura qua premebatur, liberata fuit.

Quod & alteri Nobiliſſimæ mulieri, contigiſſe certo ſcimus: quæ non fluentibus menſibus concepit, & quarto impræguationis menſe paſſa eſt aborſum. *Marcell. Donat. hiſt. mirab. med. lib.* 4. *cap.* 23. quo loco cauſas horum require.

Non deſunt quidam veteres & recentiores, inter quos cenſetur Aetius, qui contendit mulieres abſq; menſium profluuio concipere nõ poſſe. At vſu quotidiano experimur, mulieres lactantes, abſq; aliquo menſiũ profluuio concipere, non paucasq; ſine eodem menſium ſtatorum fluxu concepiſſe: quod his tantum humoris collecti, quantũ his, quæ purgantur reſtare ſolet. Sanguis qui effunditur per ſe conceptũ non efficit, ſed per accidens: quandoquidem teſtimonio *Hippoc. lib. de nat. fœtus*, cum vterus atque venæ ſanguine vacuæ fuerint, mulieres fœtus concipiunt. Non enim à ratione alienum videtur, mulieres quaſdam ſanas & corpulentas, ſanguinem menſtruũ poſtea effluxurum, in totius corporis alimentum conuertere, potiſſimum ſi frugalius viuant, & multum ſe exerceant. *Bertinus medicinæ lib.* 4. *cap.* 4.

Mulierem abſq; menſtruis concepiſſe hoc anno noui, ad quandam vocatus pleuritide laborantem, quæ quarto menſe vtero gerebat, cum tamen per integrum annum, ante conceptum, abſq; menſibus & lacte fuiſſet. *V. CL. Hercules Saxonia, ſuis à me Patauio liberaliſſime miſſis obſeruationibus.*

Nouimus non vnam, ſed plures, è plebe & fæce vulgi, mulieres robuſtas, vegetas; quas ſine menſtruis purgationibus ſemel iterumque bene feliciterq; peperiſſe vſu practico obſeruauimus. Rectiſſime & commodiſſime interim valent, domeſticis officijs probe defunguntur. *Ioannes Georgius Schenckius, Filius, Hagenoenſis Poliater.*

Observatio.

Honeſta quadã matrona tanto coitus deſiderio eo interuallo, quo nec vterum geſtabat nec lactabat, tenebatur: vt cum ſæuiſſimis tremoribus, aliisq; ſymtomatibus, dierum aliquot inſaniam incurreret, quæ poſt conceptum ceſſabant.

QVædam Nobilis mulier, ætatis mediocris, bonæ habitudinis, ſanguinea, alba, carnoſa & facie rubea, elegãtis corporis, cum proprio marito per longa tempora pudiciſſime vixit. Quæ nunc per aliquot annos, interpolatis temporibus in mentis permixtionem incidit, & quaſi furioſa fuit, cum non eſt prægnans, quod accidens & cum contingit, totum corpus eius tremit, & partes membrorum quaſi ſingulæ tremendo, mouentur: etſi immobiliter detineantur: & durat hoc accidẽs per aliquos dies. Sic cum incipit hæc diſpoſitio, ſentitur in ventre eius ſonitus manifeſtus, ita vt vir eius cum ea iacens, audiat ſonum dictum in ventre eius, & tunc ſupra modum, & præter ſolitum fuit cupida libidinis. Et cum vir in totum huic immoderato appetitui ſatisfacere non ſtudeat, ſiue non poſſit, tunc redditur vigilans: & tunc incipit inſanire. Sed poſtquam à viro concepit, ſemper libera eſt ab omnibus his accidentibus, vſq; ad finem partus: & poſt niſi infra annum concipiat, aut duos, ſolet in priſtinam furiam incurrere. *Matthæus de Grado conſil.* 80. quo loco enarrat. & Curationẽ require.

Observatio.

Rara aliquot & noua ad conceptum remedia, de Hiſtoria & Experimento cognita.

VMbilicus infantis, qui ſponte cadit, quoquo modo in cibo ſumtus, ſi ignorauerit mulier, ad conceptum facit, ſi vero in brachialibus geſtauerit, conceptum inhibere dicitur. *Alexand. Bened. lib.* 30. *de curand. morb.*

Conceptus iuuant ſecundæ arefactæ & contritæ, ſi bibuntur. Vmbilico quoque puerperij eo modo ſumto, fœcunditatem facere promittunt. *Idem li.* 30. *eiuſdem operis.*

Dedere aliqui Ceruinum penem conciſum in potu, alii infantis vmbilicum arefactum nouo experimento. Ceruinum penem aridum in farinam redactum oboli pondere à coitu fœminis dandum cenſent *Idem lib.* 30. *&* 25. *c.* 18.

Lacte meo curo (ſi quid medicamina poſſunt.)
Coniugii vt fructum fœmina geſtet onus.

Vrſinus in Proſopopeia Animal. de Equa. Expertiſſimum multi teſtantur. *Oliuerius in Annotat. ad eundem.*

Coagu-

Coagulum leporinum poſt menſtruas purgationes, vuluæ appoſitum cum butyro, præſtat mulieribus vt concipiant. *Dioſc. lib. 2. c. 68.*

Vterum ceruinum ſingulari dote ad conceptum prædicat *Bauerius conſil.* 50. quo loco præparandi rationem & Electuarij ex eodem compoſitionem cõpetiſſimam exhibet.

Mulieres foliorum Negundo decocto, omni tempore vniuerſum corpus lauant, tantaque inuaſit perſuaſio apud illas, Negundo folia, flores & fructus vtilia eſſe ad iuuandum conceptum, vt eum qui contrarium perſuadere conetur, lapidibus obruturæ ſint. *Chriſtophorus à Coſta in hiſtor. aromat. Indiæ Orient.*

Maioranæ tenuioris delicatioris, odoratioris, gentilis, & minutæ vocatæ, oleum ſtillatitium, coagulo leporino remiſtum, & moſchi tantillo: arcanum conceptui fœlicitando nulli referandum. *Pena & Lobelius de Maiorana.*

Agrippa inquit, Saluiam herbam ſacram leænæ prægnantes vocant. Nam vitalem conceptum continet. Quare ſi ſucci eius heminam vnam cum modico ſale mulier bibat, quarta à puerperij purgamentis die, & viro condormiat, infallibiliter concipiet. Aiunt enim, quum in Copto Ægypti peſtis graſſaretur, eos qui ſuperfuerunt in ea regione coëgiſſe mulieres & vxores ſuas ad huius ſucci potentem adeo vſum, & ad plurimam ſobolem perueniſſe. *Aetius tetrabib. ſerm. 1. de Saluia.*

Ammi legitimi ſemen, quod ex Alexandria affertur, mirifice præſtat ad mulierum ſterilitatem, nam compertum eſt, huius tantum ſeminis auxilio plures prolificas effectas, ſiquidem ſi propinetur, mane, drachmæ pondere ex vino, in tenuem puluerem cõtritum, alternis diebus, tribus horis ante cibum, futuram pollicetur prolem: ſed oportet maritum cum vxore rem habere ijs tantum diebus, in quibus illa ſemen non ebiberit, quod tamen diutius ſumi non debet, quam quatuor aut quinque diebus, eſt enim ad ſterilitatem præſtantiſſimum auxilium & pluries expertum. *Matthiolus lib. 3. c. 16.*

Balſaminæ fructus exemto ſemine macerantur oleo amygdalino dulci, ante è ſemine lini expreſſo, addita ad vnamquamque olei libram, liquidæ vernicis vncia, in balneo calentis aquæ, aut equino calente fimo, ſitq; inde oleum: quo ſteriles mulieres fœcundas fieri ſcribunt recentiorum quidam, ſi à balneo medicamentis vtero conferentibus parato, eo vteri oſculum ſibi perunxerint, ac demum ſuis ſeiunxerint viris. *Idem lib. 4. c. 177.*

Alchimillæ aridæ puluis datur ex vino aut iure cochlearis menſura, quindecim aut viginti diebus, mulieribus, quibus ademta ſit concipiendi facultas à nimia vteri humiditate, quæ iniectum ſemen contineri prohibet. *Idem lib. 4. c. 115.*

Sterilitati à frigidis humoribus ortæ, hac compoſitione mederi ſoleo, quæ recipit Ambari partes duas, raſuræ eboris tenuiſſime tritæ, vnam, pulueris ligni aloes, partem dimidiam, cum algaliæ momento, fiunt catapotia, quorum tria pendentia drach. vnam, ſingulis triduis dabuntur, & emplaſtrum vmbilico, peſſum vteri collo imponetur, purgatis tamen prius, vti decet. *Nicol. Monardis de Simpl. medicament. occident. Indiæ lib. 1.*

Noſtri eum peſſum imponunt, ſeptimo die à purgatione menſtrua, atq; colluto naturalium ore, componuntur gentiana, crocum, myrti folia, aloe trita ex oleo ſeſamino coacta, imponuntur poſt quatuor horas, conceptum promittunt certiſſimum. *Alex. Benedi. lib. 25. c. 18. de curand. morb.*

Peſſus ad ſterilitatem alius, Croci ſcrup. vnum, moſchi, ſuccini odorati, Xyloaloes, ana grana tria, ſeminis fraxini in modum linguæ auiculæ, grana ſex, coaguli Leporini quantum ſatis ſit ad peſſum conficiendum: is naturalibus inditur ante coitum. *Idem lib. 30.*

Inſidentibus ſuffitu prodeſt, Ladani cretici vncia ſemis, Galliæ muſch. drach. duæ, muſchi, ſuccini odorati, ſiue ambræ, ana grana tria, Xyloaloes, Opopanacis ana drach. vna. *Idem lib. eodem.*

Rachel venuſta ſed ſterilis Iacobi vxor, quamuis fœcunditatem à Deo precario obtinuerat, non prius tamen concipere potuit, quam poma Mandragoræ à ſorore Lya accepta deguſtaſſet, quorum fœcundas vires pleræque Bononienſium vxores, me conſule expertæ, & illorum ex vino decoctum, ac paſſim illa decantata, mulierum medicina tryphera magna, opere teſtatur. *Langius Medico de republ. ſympoſio.*

OBSERVATIO.

Ad maris vel fœmellæ conceptionem facientia.

CRatæogonum, ſi mulier bibat (traditum eſt à quibuſdam) ieiuno ore, ter die poſt menſes purgatos tribus obolis in duobus cyathis aquæ, ante conceptum quadraginta diebus, & vir cõſimili modo totidem diebus ante coitum hauriat, virilis ſexus partum futurum. *Dioſc. lib. 3. c. 122.*

Mercurialem marem facere, vt mares gignantur, conſtat, vt fœminæ vero, mercurialem fœminam, ſi à purgatione bibantur, & trita folia genitalibus admoueantur. *Idem lib. 4. c. 183.*

Teſticulus ſecundus, qui alio nomine Serapias vocatur, eandem proditur vim habere. *Idem libr. 3. cap. 125.*

Si Leporum vuluæ in cibis ſumantur, mares cõcipi putant, hoc & teſticulis eorum & coagulo profici. Atq; ſi vituli carnem cum Ariſtolochia in aſſatam circa conceptum manderint, Mares parituros promittunt. *Bonaciolus Ennead. mulieb. cap. 2.*

Ad impregnationem, ſecundum Liliaſorem. 2. teſticulum dextrũ porci, ſi vis habere maſculum, vel ſiniſtrum, ſi vis habere fœminam, & deſiccetur in vmbra, & poſtea pulueriſetur. Deinde recip. Limat eboris, ſe. ſiſeleos, matricis leporis aut coaguli eius, aut vtriuſque ana partem vnam, & f. pulu. & vtatur iſto pulu. mane & ſero cum brodio cicerum, aut carnium, aut cũ vino montano &c. *Galeatius de S. Sophia ſuper 9. Raſis: editus per D. Krautt.*

OBSERVATIO.

Quaſdam ſolas puellas peperiſſe.

PAduæ mulier meras puellas peperit: poſt mortem viſum dextrum vas ſpermatium, quaſi ſiniſtrum, ab emulgente vel rene oriri. *Moccius Medicus.* Adde *Salamonem Albertum.*

OBSERVATIO.

Mancus quidam non niſi mancos & alius ſolum monſtroſos generabat.

AFFIRMAT *Nyphus*, ſe audiuiſſe de viro, qui non niſi mancos generaret: alium non niſi monſtra. *Eckius ad cap.5.lib.2.phyſicor.Ariſt.* Vide *Marcellum Donatum.*

ÆTAS CONCIPIENDI ET GENERANDI.

OBSERVATIO.

Vetulas admodum concepiſſe & peperiſſe.

CORNELIA inter mulieres è Scipionum gente Voluſium Saturninum poſt ſexageſimum ſecundum annum genuit, autore *Plinio nat. hiſtor. lib.7. cap.14.*

Valeſcus à Taranta Medicus haud ignobilis, vidiſſe ſe puerperam mulierem quæ 67. ſuæ ætatis peperiſſet anno (cum alios anno ſexageſimo & ſexageſimo primo peperiſſet) teſtatur. *Valleriola lib.1. cap. 18. loc. commun.* Valeſci verba hæc ſunt, *lib. 6.capit.12. Philonii dicti Operis ſui.* Vidi mulierem bonæ habitudinis quæ poſt ſexageſimum annum habens menſtrua concepit, & peperit filium, & continenter habuit duos filios. Et erat in ſexageſimo ſeptimo anno, quando habuit vltimum filium. Erat autem fœmina carnoſa & muſculoſa & fortis.

Albertus vidiſſe ſe refert mulierem in Germania, cuius primogenitus vltimum quadraginta annis ſuperabat. Fieri poteſt, quandoquidem ad ſexageſimum vſque parere poſſit mulier. *Cardanus de variet. lib.8.cap. 43.*

Septuageſimum Damiſellæ cuidam annum agenti, ex rapida & concitatiore rheda, proindeque quæ nimis eam ſuccuteret, non ita pridem noſmetipſi vidimus abortum contigiſſe. *Cordæus comment. 6. ad lib. 1. Hipp. de morbis mulieb.*

OBSERVATIO.

Mulier ſexagenaria ex ſeptuagenario ſene concepit, & decimoquinto menſe puellam peperit oculis & manibus priuatam, quinq; menſibus vitalem.

VIdi ego in nobiliſſima hac (Veneta) vrbe, dum eſſem iuuenis, nobiliſſimam matronam ſexaginta fere annos natam, cum eius clariſſimo viro cõiuge, qui & ipſe ſenex fere ſeptuaginta annorum erat. Cui clariſſimæ mulieri ipſe medelam præſtabam, iudicaueramque eam aqua intercutem, ſeu hydrope aſcite laborare. Iacebat quidem in lectulo, tumido admodum ventre, cum deiectione appetitus, ſiti, & aliis ſtomachi accidentibus, cumque ita in ſecundo ſenio eſſet, nemo ex conſanguineis eius, nec ego ſuſpicabar ipſam concepiſſe. Tandem quintodecimo menſe puellam peperit, orbatam oculis, & truncam manibus, quæ vixit quinque menſibus: & quoniam res mirabilis erat, quæſitum fuit de tempore, quo ſimul in amplexu & coitu fuerant, erantque quindecim menſes. Quare cæteri ſeniores Medici & ego, illam per totum illud tempus geſtaſſe in vtero diximus. Quia virtus ſeminum in ſenibus, cum ſint ipſi frigidi, imbecillis exiſtit: itemque vterus ex ſenio refrigeratus, non potuiſſet in minori tempore conceptum perficere, & perfectum ſeu completum edere, imo nec materiæ membrorum quantitatem ſubminiſtrare. Quippe, cum (vt dixi) orbata erat oculis, & manibus trunca. *Maſſa epiſt. 29. tom.2.*

OBSERVATIO.

Anus reiuueneſcens.

DIgnum eſt quod illa quæ in medicina raro accidunt in voluminibus ſcribantur. Retulit mihi mulier in aliis miles, quod in quodam monaſterio, in loco qui dicitur Monuetus fuit quædam Prioriſſa, cui per multum tempus propter ſenectutem defecerunt menſtrua, & tempeſtiui venerunt in vertice cani, & omnes fere excidere molares: vberum vero parum, aut nullum apparebat veſtigium, & rugæ in facie profundiſſimæ apparebant. Factum eſt itaque, vt quicquid de capillis & pilis oriebatur & creſcebat, totum nigrum pululabat, & exibant dentes & molares, ſicut mos eſt in infantibus fieri; ſic etiam oriebantur menſtrua, ac vt in iuuenculis abundanter fluebant. Mamillæ vero velut in virginibus eleuatæ fuerunt, montuoſæ: rugæ euanuerunt, & facies pulchra in tantum, quod illa honeſta & religioſa monialis Prioriſſa verecundabatur: & vixit per multum tempus in religioſa vita, & hoc fuit quaſi myſterium raro contingens. *Valeſcus de Tharanta lib.6.cap.12. de curand. morb.*

OBSERVATIO.

Quoſdam viros poſt octogeſimum ſextum, nonnullos octogeſimo completo, & ad centeſimum vſq; liberos procreaſſe.

ABrahamus iam octogenarius ex Agare ancilla Ægyptii generis, filium genuit Iſmaëlem: vnde Iſmaëlitarum genus, qui demum Agareni dicti ſunt, vt Euſebio placet, ad poſtremum Saraceni. Centum natus annos, ex Sara nonagenaria coniuge, quæ prius fuerat ſterilis, Iſacum ſuſtulit. *Guido Bituricenſis.*

M. Cato Cenſorius octogenarius, tam viuida ſenecta, vt ne conſenuiſſe quidem videretur, filium genuit, è filia Salonii clientis ſui. Qua de cauſa aliorum eius liberorum propago Liciniani ſunt cognominati, hi Saloniani, ex quibus Vticenſis fuit. *Plin. lib.7.c.14.*

Sexaginta regnauit annos Maſiniſſa Rex, Populi Romani amiciſſimus: nonagenarius, ſine ephibiis equum aſcendit, nudo capite pedibusque iter fecit. Roboris eius maximum hoc argumentum eſt, cum multi ei filii & naſcerentur & morerentur, quod nũquam pauciores decem habuit, & puerum quadrimum nonagenarius reliquit. *Diod. lib. 22. Val. lib. 4. cap. 14* filium vocat Methymatum, Suidas vero Stembam. *Solinus c.4 Plin. lib. 7. c. 14.*

Ariſtoteles dicit, quod à ſeptuaginta annis, ſupra nullus poteſt maſculum generare, ſed experimentum nobis certificat, & manifeſtat, quod non ſic eſt: quia multos vidimus octuagenarios, & ſupra maſculos generaſſe. Et quamuis ſint pauci, etiam centum, & ſupra, maſculos generauerunt. Et laus ſit, & gloria ipſi, qui hoc fecit, & diſpoſuit. *Auenzoar Theiſir libr. 2. tract. 3. cap. 1.* Ex eodem repetit Matth. de Gradi comment. ad cap. 29. lib. 9. Raſis ad Almans.

Nicolaus de Palauicinis habuit filium à ſe generatum in centeſimo anno. *Sauonarola tract. 6. cap. 21. rub. 21.*

Tempeſtate noſtra quidam germanus nonagenarius prolem ſuſcepit ex caſtiſſima coniuge, quem vidimus. *Alexand. Benedict. de curandis morbis, libr. 25. cap. 11.*

Sigiſmun-

Sigiſmundus Polcaſtrus Medicus & Philoſophus Patauinus, qui ſuper L. annos docuit, in ſenectute quatuor filiis breui tempore orbatus, ſeptuagenarius, ad ſuſcitandam ſibi prolem, vxorem ſecundam duxit, ex qua ei tres filii nati ſunt: quorum primogenitum Antonium, doctrinæ infulis vtriuſque iuris cenſuræ vidit de more ab eius præceptoribus decorari. Hieronymum vero ipſemet philoſophica laurea, cum ſummo gaudio, tremulis præ ſenectute manibus exornauit: & obortis præ lætitia lacrymis tenerrime exoſculatus eſt. Poſthæc autem non diu ſuperuixit, annos natus nonaginta quatuor. *Bern. Scard. lib. 2. claſſe 9. hiſt. pat.*

Sunt nonnulli robuſti validique ſenes, quibus adoleſcentia continenter atque moderate tranſacta eſt, qui ad ſeptuageſimum annum fœcundi ſunt, & in peragendo concubitu viriliter ſubſiſtunt, quorum multa exempla Brabanti, Gothi, & Sueci ſuppeditant. Sic enarrantem audiuimus Nauclerum quendam fide dignum, dum Stockholmiæ negociaretur, imperante Guſtauo patre inuictiſſimi Regis Sueciæ Erici, qui nunc rerum potitur, ſe accitu Regis interfuiſſe nuptiis viri cuiuſdam, annorum centum, qui in matrimonium aſciuerat triginta annorum ſponſam, ex qua complures illum ſuſtuliſſe liberos indubitata fide memorabat, erat enim vir, (vt ſunt in ea regione plurimi,) adeo cruda viridique ſenecta, vt vix impleuiſſe annum quinquageſimum videretur. Apud Tongros quoque, & in Campania Brabantica, vbi mira aeris clementia, & gens temperans, & frugalis, inauditum non eſt, ſed propemodum vulgare, octoaginta annorum viros, virgines, nō admodum annoſas, in coniugii ſocietatem aſciſcere, atq; ex his proles excitare. *Lemnius lib. 4. c. 24. de occult. nat. mirac. edit. auctioris.*

OBSERVATIO.

Filii ingenio & forma à ſenibus monſtroſi ac ſtolidi nati.

VIdimus in Saxonia è patre ſene admodum natum filium capite, & toto corpore ſatis monſtroſo, centipellium, fatuū cum pater eſſet in Theologia doctiſſimus, & loquebatur pauca & abſurda atque incōgrua, plura nutibus & riſu, vt non multū à brutis diſtaret. Hunc aiebant eſſe ab excrementis ſenectutis genitum, principiis autem generationis conceptus reſpondent. *M. Weinrichius com. de monſtris c. 14. pag.* 131. facie auerſa.

Aliud non abſimile exemplum require infra, titulo de fœta tempore diuturno, præſertim triennio, vtero geſtato. *Schenckius Filius.*

OBSERVATIO.

Pueros ſeptem, nouem, aut decem annorum progeneraſſe: Et puellas octo aut nouem annorum vtero geſtaſſe, & peperiſſe.

CRaterus Antigoni regis frater, nouiſſe ſe ſcribit quendam hominem, qui ſpatio ſeptennij & puer fuerit, & adoleſcens, & vir, & ſenex, & vxorem duxerit, & progenerata prole mortuus. *Phlegon de mirabilibus.*

Audiui (inquit D. Hieronymus) Domino teſte, non mentior: quædam muliercula, quum infantem nutriret expoſitum, & ſtillaret cibos ac nutricis fungeretur officio, cubaretque cum ea paruulus, qui vſque ad decimum annum iam peruenerat, accidit vt plus, quam pudicitia pateretur, ſe mero ingurgitauerit, accenſaque libidine, obſcœnis motibus, infantem ad libidinem duxit. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps conſuetudinem fecit nec dum menſes duo erant euoluti. Et ecce fœminæ intumuit vterus. Mira itaque iſta ſunt, & quæ vix fidem impetrent, ni à Sanctiſſimo tradita viro, puderet non credere. *Cælius A. L. lib. 14. c.* 8. Nonnulli ad D. Gregorium referunt.

Foroliuienſis ſuper primam partem de membris generationis ſcripſit authoritate fide digni puellā octauum agentem annum fuiſſe imprægnatam.

Abbas ſuper Decret. Gloſſa in ſumma 20. q. dicit authoritate *Alberti ſuper 4. ſent.* quod puella nouem annorum conceperit & pepererit in 10. anno.

Hoſtienſis Iuriſperitus, in ſumma de pœnitētiis & remiſſionib. refert, Salomonem propagaſſe filium in 11. an. *Marcell. Donat. hiſt. med. mirab. lib. 4. c.* 14.

Puellam nouem annorum peperiſſe Tornaci, vidit *Iacobus à Partibus* vt ipſe teſtis eſt *com. in Auicennam fen. 20. tract. 1. cap. 12.*

Marſilius Patauus vidit puellam Papiæ annorum nouem imprægnatam, ſed hæc raro. *Sauonarola tract. 6. c. 21. rubrica 6.*

Puellam nouem annorum vtero geſtaſſe viſam ſcribit *Sauonarola*: Et à ſe viſam aliam Ioannes Capella ſenior Medicus Franciſci Regis, vndiquaque doctiſſimus, mihi coram affirmauit. *Syluius comment. de menſ. mulier.*

A Ioanne Fochſio puellam nouem annorum peperiſſe? & puerum nouem annorum nutricem impregnaſſe, iam pridem ſcriptum eſt. *Lamb. Danæus lib. 2. c. 14. Ethices.*

Scriptum prodidit Iobertus, Lectoriæ in Vaſconia fœminam anno ætatis nono peperiſſe, quæ adhuc ſuperſtes viuat, nomine, Ioanna de Perie, nupta Vvidio Beche mulctarum Regis Nauarræ municipij collectori. Quod argumentum eſt euidentiſſimum exiſtere fœminas nonnullas viripotentiores anno ætatis nono, quam aliæ permultæ anno decimoquinto, propter vuluæ & ceruicis eius capacitatem ampliorem: ſed & pleriſq; caſu aliquo amplior fit via illa, nempe intruſo validius ob aliquem pruritum proprio digito, vel immiſſo nodulo, vt peſſo magnitudinis membri virilis ciendis menſib. comparato. *Pareus operum ſuorum, tractatu de renunciationib.*

SVPERFOETATIO.

OBSERVATIO.

Superfœtationis exempla & rationes.

QVM ſuperfœtarit mulier, ſi primum puerum in medio vteri habuerit, ſuperfœtatio elabitur, à primo ac veteri expulſa: ſi vero in altero cornu ſuperfœtationem habuerit, poſterius ipſum inſuper parit non vitalem, nimirum vitalitate, vbi vterus laxatus & humectus fuerit, exſoluta. Si vero non ſtatim ſecedat ſuperfœtatio, dolores exhibet, & fluxum fœtidum ac febrem: & facies intumeſcit, tibiæque ac pedes: & ſi pereat, cibum auerſatur donec exciderit. *Hippoc. lib. de ſuperfœtatione.*

Quæ ex animalibus magnitudine prædita ſunt, vt ho-

vt homo, ſi alter coitus proxime ab altero acceſſit, enutriri, quod ſuperfœtatum eſt, poſſunt. Iam enim id eueniſſe viſum eſt, cuius rei cauſa id quod diximus eſt, eodẽ enim coitu plus ſeminis mittitur quod partitum multiplicare conceptum poteſt, ſi alterum poſt alterum accidit, ſed ſi iam aucto conceptu coitus adhibetur, ſuperfœtari quidem poteſt, ſed raro, quoniam vterus magna ex parte ad patum vſque ſe comprimat. Si tamen aliquando accidit vt ſuperfœtetur (iam enim id eueniſſe conſtat,) perfici non poteſt. Sed conceptus abiguntur ſimiles iis, quos abortus vocamus , vt enim in vniparo genere omne excrementum abſumitur in id quod præceſſerit, ob corporis magnitudinem , ſic in iis fieri ſolet. Sed in illis ſtatim, in his cum iam fœtus accreuerit, tunc enim ſimilem vniparis conditionem recipiunt, pari ratione ſola animalium mulier, & equa grauida coitum patiuntur, homo enim ſua natura præfœcundum animal eſt. *Ariſtotel. libr. 4. de Gen. animal. cap. 5.*

In muliere raro euenit, vt ſuperfœtet, ſed factum tamen aliquando eſt. Qui itaq; longo poſt tempore ſint concepti, nihilo perfici poſſunt: ſed præmaturius dolorem, quo ipſi, & primus fœtus intereat, mouent. Iam incidit, vt facta corruptione duodecim ſuperfœtata puerperia egererentur. At vero ſi proxime à primo conceptu ſecundus ſit factus, abſolui edique poteſt, quod ſuperfœtarit vt quaſi gemini naſci videantur: quomodo Herculem & Iphiclem procreatos eſſe fabulantur. Nam id etiam conſtitit adultera quadam, quæ alterum ſuo marito, alterum adultero ſimilem peperit. Iam & cum geminos quædam ferret, tertium ſuperfœtauit: & cum tempus pariendi iuſtum iam eſſet, primos vitales peperit, ſecundum quinto menſe eliſit, qui ſtatim mortuus eſt. Altera cum primum ſeptimo peperiſſet, qui mortuus eſt: mox duos iuſto menſium numero edidit, qui vixerunt, quædam etiam ſub abortu conceperant, atque alterum abegerunt, alterum continuerunt pertuleruntq; ad partum, plurimis, ſi cõcubuerint, infans mucore oppletus exit, eſculentorum etiam, quæ mater comederit ſæpe gerulus venit in lucem, & ſi ſale immodice vſa eſt, ipſe ſine vnguibus naſcitur. *Ariſt. de animalib. lib. 7. c. 4.*

Extat in monumentis medicorum, & quibus talia conſectari curæ fuit, vno abortu XII. puerperia egeſta, ſed vbi paululum temporis inter duos conceptus interceſſit, vterq; perfertur. Vt in Hercule, Et Iphiclo Fratre eius apparuit, & in Ea, quæ gemino partu, Alterum marito ſimilem, Alterum adultero genuit. Item in Proconneſia ancilla, quæ eiuſdem diei coitu, alterum domino ſimilem, alterum Procuratori eius: Et in Alia, quæ Vnũ iuſto partu, quinque menſium Alterum edidit. Rurſus in Alia, quæ ſeptem menſium edito puerperio inſecutis menſibus geminos enixa eſt. *Plin. lib. 7. c. 11. N. H.*

Noui vxorem Zachariæ de Scarparia, quæ peperit maſculum: & hinc ad tres menſes peperit alium maſculum, & bene vixerunt ambo, & vnus fuit: ſpeciarius Florentiæ in Burgo S. Laurentij. *Nicol. ſerm. 6, tract. 1 c. 22.*

Hæc profecto hiſtoria admirabilis eſt, cum *Ariſt. 4. de gener. animal. 5. & 7. de hiſt. animal. cap. 4.* ſcripſerit, quod ſi alter coitus proxime ab altero acceſſerit, enutrire quod ſuperfœtatum eſt vtero gerens poteſt; ſed ſi iam aucto conceptu coitus adhibeatur, ſuperfœtare quidem poteſt, perfici tamen conceptus ambo non poſſunt. *Marcell. Donat. hiſt. mirab. med. lib. 4. cap 16.*

Accidit quod quædam mulier peperit vnum filium pulchrũ, qui aſſimilabatur viro ſuo: & poſt paucos dies, peperit vnũ turpem, qui aſſimilabatur amaſio ſuo turpi: & hoc non fuiſſet, niſi matrix poſt coitum fuiſſet aperta & dilatata: Appetunt igitur auide mulieres poſt coitum. *Gordonius in lilio, particula 7. cap. 2.*

Superfœtatio res eſt rara, viſa tamen Mediolani noſtris temporibus. *Cardanus comment. ad aph. 36. lib. 5. Hippoc.*

Monſtroſos naſci tametſi rarum ſit: rarior tamen ſuperfœtatio eſt, & adeo quidem rara, vt nonnullis impoſſibilis habeatur, cuius tamen manifeſtum in honeſti ciuis vxore exemplum apparuit. Peperit hæc filium plene geſtatum Anno M. D. L X X. Decemb. die 7. hora 10. veſpertina, ſuccedentibus omnibus, quæ ad felicem partum requiri ſolent. Poſtridie vero, qui erat octauus, eadem hora præter expectationem obſtetricis, ac ſui ipſius, peperit eadem fœtum alterum, ſed nondum quadrimeſtrem, vtpote cui neque oculi, neque nares, neque os paterent, quem idcirco poſt conceptum fuiſſe ſatis manifeſtum. *Dodonæus in annot. ad c. 111. Beniuenij.*

Superfœtatio non ſolum in primo menſe, ſed & in quarto, & quinto contingit, vt enim multa taceã exempla, Vxor cuiuſdam Doctoris, qui hic Valentiæ Regiæ Cancellariæ præſidebat , Gallart appellati, poſt quatuor menſes ab obitu viri filium peperit, & deinde nono menſe alterum. Neque enim cauſa ſuperfœtationis conſiſtit in eo quod orificium vteri ſit apertum aliquantulum (vt ſimul etiam voluit *Valleſius lib. 5. Epid. comment. 11.*) quæ ſemper euenit orificio ita clauſo, vt ne ſpecilli cuſpidem admittat: ſed in vteri attractione, quæ tunc contingit, quia dilatatur in coitu in fricatione & calore orificium vteri, & ita ſemen attractum poteſt vteri cauitatem ſubire. *Petr. Paul. Peræda ſchol. ad c. 55. Ioan. Mich. Paſchalij lib. 1. de curand. morb.*

Si duos pluresve fœtus vtero geſtet mulier, eoſq; ſuis ſingulos ſecundis inuolutos, ea fit quæ ſuperfœtatio dici ſolet. At qui iiſdem ſecundis inuoluuntur, vno eodemq; concubitu ex multo & copioſo ſemine concepti creduntur, nullo nec concipiendi, nec pariendi dierum interiecto numero, vt cum ſtatim à paſtu ventriculus bene & ſecundum naturam habens, ſic circum cibos contrahitur, vt ipſos, quamuis pauci ſint, geminis velut manibus vndique comprehendat, adeo vt neque in hanc, neque in illam partem fluctuare queant, quo concoquere & in chylum vertere ipſos poſſit: ſic vterus circum duo ſemina ſimul atque in ipſius capacitatem effuſa fuerit, ad cõceptionem cogitur: & ita cogitur vt ſuis vndique lateribus conſtricta ipſa in vnum confundat, neq; earum vnam portionem in hoc, aliam in illud vteri latus & regionem deerrare permittat, adeo vt vno cõcubitu ex eodem ſemine plures edi fœtus nequeant, ſuis quique Secundis diſcreti. Adde quod nullæ ſint eiuſmodi in mulierum vtero cellæ, quales in brutorum vteris eſſe memorantur: quæ ob id plures vno conceptu & partu fœtus edere ſolent. Iam vero ſi qua ſui regione vterus muliebris ſe exceptis ſemini-

minibus ad conceptionem non appreſſerit, & proxime admouerit; aerem ipſa contineri, ne quid in rerum natura vacui detur, neceſſe fuerit, ab eoque mox ſemina illa alterari & corrumpi. Ergo plurium fœtuum ſecundis diſcretorum, id eſt, minime gemellorum generatio eſt eiuſmodi. Mulier ſi ex hodierno cum viro concubitu conceperit, ſed ipſi aliquot mox à conceptu diebus vteri orificium exacte non claudatur, imo etiam dehiſcat nonnihil, ſi tum illa rurſum cum viro coierit, & ita coeat vt ab vtroque ſeminis fœcundi in vterum fiat effuſio, noua ſequetur conceptio, ſeu ſuperfœtatio. Eſt enim ſuperfœtatio nihil aliud quam ſecunda quædam conceptio, cum ſcilicet grauida iam mulier iterum viri concubitu vſa concipit, Hipp. ſententia. Cur vero poſt primam conceptionem vterus qui conniuebat reſeretur, & dehiſcat, multiplex cauſa profertur. Sunt enim qui putent vterum poſt conceptionem certis temporum interuallis aperiri, vt excrementitiis quibuſdam materiebus, quæ in ipſo congeri ſolent, exitus pateat: itaque grauida, quæ tum in viri amplexus venerit, concipere. Alii autem vterum vel ex ſeſe & natura ſua ſeminis & veneris auidiorem, vel iucunda quæ à viro fit titillatione, præ feruida libidine efferatum & incitatum, denuo dehiſcere ad ſeminis virilis exceptionem. Sic enim nec admodum raro ventriculi orificium à paſtu clauſum mox reſeratur, oblatis cibis nouis: quanquam non quibuſuis, ſed delicatioribus, & velut cupediis, nec quibuſuis hominibus ſed edacioribus. Dehiſcere autem ſic vterus certis temporum interuallis pluries poteſt, inde multiplex naſci ſoboles, cuius vt concipiendi ſic & pariendi tempus ſit varium. Nam, vt ſcribit Plinius, vbi paululum temporis inter duos conceptus interceſſit, vterque perfertur, vt in Hercule & Iphiclo fratre eius apparuit: & in ea quæ gemino partu alterum marito ſimilem, alterum adultero genuit. Item in Proconneſia ancilla, quæ eiuſdem diei coitu, alterum Domino ſimilem, alterum procuratori eius: & in alia quæ vnum iuſto partu, quinque menſium alterum edidit. Rurſus in alia quæ ſeptem menſium edito puerperio, inſequutis menſibus geminos enixa eſt. Superfœtationis id etiam argumentum eſt, quod quot ſunt in vtero fœtus (niſi forte gemini ſint eiuſdem ſexus) tot erunt ſecundæ, quemadmodum mihi ſæpe videre contigit: veriſſime vero eſt, quod ſi eodem conciperentur temporis articulo, vna etiam eſſet qua inuoluerentur ſecundina. Cæterum numeroſior quam duorum fœtuum in muliere ſoboles monſtroſa ex eo videri poſſit, quod duæ tantum mammæ ſint à natura mulieri tributæ: quanquam numeroſæ ſobolis exempla referre poſſemus. *Pareus operum ſuorum lib.23.cap.32.*

Poteritne, poſt primum aut ſecundum tertiumve primi conceptus menſem, fieri ſuperfœtatio, vt plerique & ſcriptis & exemplis illuſtrarunt? Poterit, meo quidem iudicio, ſed raro. Vterus enim præ feruida libidine efferatus denuo aperiri poteſt, vt ſemen excipiat; non tamen propterea prior conceptus iam conformatus & grandior excluditur, ſi ſana ſit mulier, & fœtus validus, tum quia vtero firmiter alligatur per ora vaſorum, tum quia exitum nondum ſibi parat. Hoc in gemellis aliquando ſumus experti. Vidi Nobilem quandam mulierem, gemellos geſtantem, quæ puellum edidit primo noni Menſis die mortuum, & ſeptimo poſt eum partum die alterum vitalem enixa eſt. Poteſt ergo aperiri interius oſculum, fœtu non excidente. Extat ad huius ſententiæ confirmationem *Hippocratis Aphoriſmor. trigeſimo octauo, libri quinti*: Mulieri gemellos gerenti, ſi alterutra gracileſcat mamma, alterutrum abortit: ſi quidem dextra gracilis fiat, marem; ſi ſiniſtra, fœminam. Retinetur itaque fœtus in vtero, etiamſi multum hiarit os vteri. Et licet tertio aut quarto Menſe ſecundus fiat conceptus, non propterea primum excidere neceſſarium eſt. Raro autem vitales ſunt ſecundi conceptus, præſertim ſi poſt multos dies fiant: quia prior fœtus iam grandior, ſanguinem totum exhaurit, vnde fit, vt nouus hic, ſuo genio defraudatus, intereat, & ante tempus excernatur. *Andreas Laurentius Anat. lib.2 quæſt.32.*

Quod ad naturales ſuperfœtationes, hoc verum eſſe, quod duo infantes, dierum aliquot interiecto numero, vnus poſt alterum conceptus ſit, ſufficienter oſtendunt, quod iam pridem Pithuueris ſemel obſeruaui, in muliere quadam, quæ tribus ſeptimanis poſt priorem partum (è cuius puerperio iam erat egreſſa) ſecundum infantem enixa eſt. Hanc rem, Hiſtoria Dominæ de Malorthye, quæ omnibus nota eſt, comprobat, quæ ita ſe habet.

Domina Maria è nouo caſtro, cum ex Barone Cremallienſi nouem liberos ſuſcepiſſet, ſecundo contracto matrimonio cum D. de Malorthye, ex quo grauida reddita, tres filios vna vtero geſtauit: hinc factum (vt cum paruæ ſit ſtaturæ, ſed tamen fertilis) vt adeo fuerit grauata, quod circiter quintum Menſem ex filiis vnum tantum ſit enixa. Quare cum exiſtimaret D. Theobaldus (vt & ipſa) celebris Medicus ad Caſtrum Theodorici in Campania, alios duos filios, nihil aliud quam lochia retenta eſſe, aut molas, irritoſve conceptus, ipſi poſt octauum ab abortu diem, forte medicamentum, ad hæc expurganda aptum exhibuit, quod ſane abortum ſecundum duorum aliorum filiorum cauſauit: qui adeo integri & viuaces fuere, vt ipſemet Medicus, quem conſilii ſui pœnitebat, teſtaretur, niſi medicamentum purgans vim ipſis intuliſſet, licet prius abortum fuiſſet paſſa, quod tamen abſque dubio ad rectam perueniſſent maturitatem. Ab illo tempore ſæpius grauida facta, & fere ſemper gemellos tulit, modo puellos, modo puellas. Verum dum ſemel vtero geſtaret, à cuiuſdam canis vehementi impulſu adeo læſa fuit, vt ſtatim male habens non dubitarit quin apud eam fœtus eſſet mortuus: quare quindecim dierum ſpatio poſt, duos infantes peperit, quorum alter mortuus erat: quem diu ante mortuum fuiſſe manifeſte erat colligere: alter vero viuebat, ſed adeo debilis, propter malum à fratre gemello communicatum, ita vt triduo integro ſugere non potuerit: diligenti tamen cura factum, vt indies melius ſe haberet, qui nunc annorum eſt octodecim, & Regis Galliarum aſſecla. Quas Hiſtorias, ex epiſtola quadam, quam habeo, à D. de Malorthye, ad Dominam Bellouocam Nangienſem ſcripta deſumpſi, in qua omnia in ſpecie deducit, quamque manu pro-

propria ſubſignauit, poſtquam à D. Seureo docto & exercitato Medico Melodunenſi diu precibus ſollicitatus fuiſſet: eum enim rogaram, vt hoc officii amico, idque in bonum publicum, præſtaret. Infantium hoc modo naſcentium, poſtremum natu Romani, vt monet Plinius, Vopiſcum cognominem fecerunt: quam vocem ex Græco ortam interpretor, quaſi ὑὸς ὀπισϑογενόμενος, *infans poſt natus. Franciſc. Rouſſet. Sect. 6. c. 7 de Partu Cæſareo.*

Summus Medicinæ dictator 5. *Aphoriſ. 51. Quæ vtero gerunt, iis os vteri comprimi*, dixit: & *Galenus in Com. Si os vteri claudatur, conceptionis indicium ſtatuit.* Hinc factum, vt pro confeſſo fuerit habitum, os vteri in prægnantibus non reſerari, cum 14 *de Vſu part. 3. Galenus* dicat, à conceptu vſque ad tempus ipſius partus ita occluſum eſſe os vteri, vt ne quidem apex alicuius acus indi poſſit. Verum rationibus, quæ in hanc rem adduci poſſent, in præſens relictis, dicimus os vteri etiam in prægnantibus reſerari: id ex eo liquet, quod mulieres etiam grauidæ ſperma reiiciant: probatur quinetiam exemplis ſuperfœtationis & molarum, quæ poſt fœtus conceptionem generantur: nec huic rei aduerſatur Anatome, facile enim id fieri poſſe, ea nobis oſtendit: ſecundina enim dicta tunica, vni tantum vteri parti adhæret, vt recte nobis Valuerda in ſua proponit Anatome. Sed ſuperfœtationum aliquot exempla proponamus, quæ rationes contrarium ſentientium ſatis infringent.

Ante annos circiter triginta, Iohannes Pflieges, Ruſtici vxor, in Rixheim, Suntgauiæ pago, duobus Baſilea milliaribus, gemellos vtero geſtauit, quorum primus iuſtum poſt partum annum vnum ſuperuixit: alter vero ſex ſeptimanis poſt fratrem ſuauiſſimam hanc primum aſpexit lucem, qui non ita pridem adhuc (octo habens liberos) in viuis fuit.

Chriſtiana Schlechtin, Michaelis Vogel, Prætoris pagi Bollickheimenſis (duobus cum dimidio Baſilea milliaribus) vxor priori marito, cum quo decem habuerat liberos, defuncto; alterum cum prædicto Prætore matrimonium contraxit, & circa quinquageſimum circiter ætatis annum grauida facta eſt (poſtquam in matrimonio annis fuiſſet triginta.) Geſtationis tempore completo, Anno 1575. Aprili Menſe, & quidem die Dominica, circa diem S. Georgio ſacrum, doloribus partus corripitur, puellam feliciter, quæ poſtmodum Maria nominata, enititur, quæ dies ſolum quindecim ſuperuixit. Finito puerperio, cum ad conſueta properaret munia, ſeptimanis quinque, & totidem diebus poſt primum partum, dum in vineis eſſet, nihil minus quam de altero partu cogitans, nouis doloribus partus corripitur: quare domum reuerſa, filium, qui patri factus eſt cognominis, enixa eſt, qui in hodiernum diem adhuc viuit. Poſt hunc partum amplius vtero non geſtauit: verum vt parentes, ſic & filius, in hodiernum adhuc diem viuit.

Anno Chriſti 1584. poſteaquam vir Nobilis, D. Philippus Ludouicus ab Hirshorn (cuius ſedes fuit in Palatinatu, tribus ab Heydelberga milliaribus: in oppidulo, quod eiuſdem Nobilis viri nomen ſibi vendicat) rebus humanis exemptus eſſet, neque vllum poſt ſe hæredem reliquiſſet: vidua interim ipſius vterum ferrente: ſtatim ipſius defuncti agnati, & feudorum ſucceſſores (vt qui vehementer dubitarent, ferretne maſculum grauida vidua, an potius fœmellam) non ſolum omne ius ſucceſſionis feudorum, in omnem euentum, à feudorum dominis obtinuerant: verum etiam quia libenter plenam & fundamentalem notitiam omnium feudorum & redituum habuiſſent: ideo ſtatim a morte prædicti Nobilis, ſuperſtitem ipſius viduam, adhuc immaturam defuncti mariti mortem lugentem ſua in domo operuerunt: eique claues ad cryptas & cellas è lumbis, non ſine vi & vehementia detraxerunt. Quæ res adeo miſeram & triſtem viduam affecit, vt coniectis in verticem ſuum manibus, vociferari, & eiulare magis cœperit: vt quæ grauiter moleſteque huiuſmodi ſæuitiam & agendi modum ferret. Quin etiam paucis interiectis diebus, tandem peperit, & quidem egregium puellum, ſed mortuum, & caluaria carentem Cæterum cum agnati & hæredes defuncti Nobilis, ea de re certiores facti eſſent, perſuaſerunt ſibi, ſuam ipſorum ſpem iam expletam, & ipſos ſui compotes voti factos fuiſſe. Quare ius ſuum in vtenda, fruenda hæreditate feudorum perſecuti ſunt. Sed Deus Opt. Max. velut è ſaxo alium partum maſculum, & paternorum bonorum hæredem viduæ illi mœſtæ & deſolatæ ſuſcitauit, atque donauit. Etſi enim non ita pridem puellam enixa eſſet, tamen ſubtumida à partu remanſit: nihil aliud ſuſpicata, quam vel tumorem præter naturam, vel aliquem morbum in ſuo reſidere corpore. Id quod etiam aliquibus Medicis (quorum conſilium ſeparatim requiſitum & auditum eſt) viſum. Cauſam enim morbi quiduis aliud exiſtimarunt, quam quod ipſam grauidam adhuc eſſe, ſuſpicarentur. Quare conſilium ei dederunt, vt ad Thermas fontis acidi ad Rhenum (Bey Eiſal am Rhein) ſeſe conferret. Ad quas illa Thermas, ſecuta ea in re Medicorum conſilium, vt vidua mœſta & orba, vnica ancilla comitata, profecta eſt. Verum enimuero vt tandem Menſe Iulio 1584. eo loci venit, ob Thermas: accidit, vt ibi inueniret Electorem Saxoniæ Auguſtum (qui paulo poſt in fata conceſſit) cum coniuge: nec non alios, aliaſque Principes: qui ita loca præoccuparant, vt ipſamet in diuerſorio locum manendi non inueniret: præſertim cum nemini notum eſſet, quæ, qualiſve Matrona foret, quæ vnica tantum ancilla comitata veniſſet. Porro tandem eius loci Præfecto, quænam eſſet, ſignificans: & ſuum ei caſum, qui non ita pridem acciderat, commemorans: ægre ab ipſo hoſpitium ad ſequentem noctem obtinuit. At vero ea ipſa in nocte, cum iam decima ageretur hebdomada, à priori & proximo partu, Deus Opt. Max. ipſam & mœſtam atque adflictam, & apud peregrinos, pulcherrima prole maſcula, eaque viua, ditauit. Id quod ſtatim fando peruenit ad aures Illuſtriſſ. Principum. Et quidem ei Elector Moguntinus lautum ac Nobile puerperium inſtituit: Elector vero Auguſtus, eidē mille Thaleros dono dedit. Quin etiam omne ius hæreditariæ ſucceſſionis & feudorum ab aliis repetitum, & huic ipſius filiolo, hæredi videlicet legitimo, reſtitutum eſt, qui adhuc in præſens in viuis eſt.

Anna Cancerina, Chriſt. Schollers, ſutoris noſtratis vxor, cum iam annis aliquot fuiſſet in matrimonio, aliquoties grauida facta, feliciter enixa eſt: dein cum rurſus vtero geſtaret, accedente debito

partus tempore, poſteaquam toto triduo leuibus doloribus partus fuiſſet diuexata, Anno 1587. Ianuarii 25. hora ſexta matutina, caſu Embryonem è corpore elabi ſenſit, qui digiti vnius longitudinem æquabat: verum eadem die veſperi ad horam ſextam maximis conatibus partus diuexata, alterum iuſto partu fœtum perfectum & viuentem excluſit. Ambo autem, vt narrauit Obſtetrix, vna continebantur ſecundina. *Caſparus Bauh. in Appendice ad Partum Cæſareum Rouſſeti.*

Ciuis quædam in Oppidulo Holſatiæ, Apenradio, quinq; dierum interſtitio, geminos, Anno 1588. Menſe Februario peperit. *D. M. Ianſonius lib. Mercurii Gallobelgici, pag. 81.*

Ruſtica quædam mulier in vicino pago Smerka peperit filiam. Deinde elapſis octo diebus, cum grauiſſima ventris tormina ſentiret, & viciſſim è vicino oppido obſtetricem accerſeret, denuo peperit filiam. *De Clariſſ. Vir. Iohan. Franci Hildeſii Medici Cameniceni, Exemplis mihi per Clariſſimum Laurent. Scholtzium tranſmiſſis.*

OBSERVATIO.

Superfœtatio Epidemica aliquando animaduerſa.

NOS vidimus ſuperfœtationem quandoque fuiſſe Epidemicam, *Braſauolus Commentar. ad Aphoriſmor. trigeſimo octauo, libro quinto.* Quod verum eſſe ratio ſuadet. Cum enim ſit res quaſi præter naturam, indiget vt foueatur à cauſis communibus & potentibus: quare ab his prodeunt plures conſimiles effectus, illud idem de monſtris: ideo legitur apud Liuium; Cum vnum apparebat monſtrũ, ſemper plura fuiſſe: & hæc cauſa eſt. *Cardanus Com. ad prædictum Aphoriſmum.*

OBSERVATIO.

Superfœtatio monſtroſa.

IN Cypro Inſula, tempeſtate noſtra, fœminam geminos peperiſſe accepimus. Alterum octauo Menſe: Alterum decimo nono, macie confectum, vtrinque dentatum, qui capitis partem, quam ſyncipur vocamus, conſumpſerat. Is ſtatim editus, omnium admiratione, per vmbilicum irrepſiſſe dicitur. Quem, tanquam monſtrificum animal, viuum ſepeliri iuſſerunt. *Alexan. Benedict. de Curand. morb. lib. 25. cap. 23.*

DE GRAVIDIS.

OBSERVATIO.

Grauidarum imaginationis in corpora & humores vis ſtupenda.

PRODITVM ab Heliodoro legimus, Perſinam Æthiopiæ Reginam ex Hiduſtæ marito pariter Æthiope, filiam ſuſcepiſſe albo colore inſigné, quod cum in viri amplexibus, ex quibus grauida euaſit, eſſet, fixis oculis intentoque animo, in oppoſitam pulchræ Andromedæ imaginem ſe conuertiſſet. *Pareus lib. 24. cap. 7.*

Narrant Hippocratem hac cauſarum explicatione, principem quandam mulierem, quę alba ex marito pariter albo prolem Æthiopis inſtar nigram ob id ſuſceperat, quod concumbens, oculis obuerſantem Æthiopis imaginem fortiter & aſſidue animo comprehendiſſet, adulterii ſuſpicione explicuiſſe. *Idem loco prædicto.*

Veterum libris celebratur, quendam, qui opibus florebat, in corporis maxima deformitate, cum vellet procreare prolem formoſam, depinxiſſe in tabella elegantem puſionem, & quoties cum vxore congrederetur iuſſiſſe, vt illam aſpiceret, & eam ſibi proponeret exemplar. In quam cum oculos ſuos defigeret, & in tabellam animum intenderet, non patris, ſed puſionis depicti, qui naſcebatur infans, lineamenta retulit. Natura enim ex viſu puſionis imaginem hauſit, citra indiuiduorum corporum adminiculum. *Galenus cap. vndecimo, libell. De theriaca ad Piſonem.*

Teſtatur Damaſcenus viſam ſibi puellam vrſi inſtar villoſam, quæ non aliunde eam deformitatem contraxiſſet, quam ex eo, quod mater in ipſo excepti & concepti ſeminis articulo, in Diui Ioannis camelina, vt ſolet, pelle tecti imaginem, ex lecti oppoſitis fulcris pendentem, acrius intuita eſſet. *Pareus lib. 24. cap. 7.*

Non ſolum in conceptu, ſed etiam cum proles iam formata in vtero geſtatur vim ſuam imaginatio exercet, quum concupiti, ſi eo priuentur, grauidæ mulieres maculam genitiuis notis corpori infantis imprimant, tantum valet deſiderium & fortior imaginatio. Hoc modo Laodice Antiochi vxor prægnans, per quietem annulum ab Apolline anchora inſignitum accepiſſe ſibi viſa, Seleucum multis poſtea clare geſtis, celebrem cum iiſdem in femore inſigniis eſt enixa: ac deinceps filii, nepoteſque eius, anchoram in femore, velut notam generis, habuere. *Sebaſt. Varro Phyſ. lib. 9. c. 5.*

In Martini Quarti Papæ Pontificatu ex Illuſtri quadam fœmina natus eſt puer villoſus, & in ſpeciem vrſi vnguiculis armatus, quo monſtrifico partu permotus Pontifex omnes vrſorum imagines, quæ forte in eius domo fuerunt, iuſſit deleri, manifeſto argumento, receptæ ab ea imaginationis in conceptu. *Lycoſthenes Libr. Prodig. & Oſtent. Anni Domini 1282.*

Imaginationis tanta vis eſt, tamque efficax, vt quæ ſub ipſo conceptus momento animo mentique obuerſantur, in fœtum elaborentur. Cum enim is ſexus laſciuus ſit & ludibundus, atque oculos in obuia quæque continenter defigat, fit vt naturalis facultas, quæ operi formando perficiendoque inſiſtit, eo cogitationes mentiſque conceptus dirigat, atque aſcititiam formam infanti inducat, à parentum natura ac conditione prorſus alienam. Sic obſeruatum eſt noſtra & auorum memoria, cum Imperator Carolus eius nominis Quintus, ex Hiſpaniis in Belgicam inſtructiſſima claſſe eſſet delatus, ac numeroſa clientela, amploque procerum ac ſtipatorum apparatu has oras impleuiſſet, mulieres quæ paſſim geſtabant vterum, ex crebro Hiſpanorum contuitu, exactis nouem Menſibus decurſoque Anni dodrante infantes ediddiſſe,

ſuper-

ſuperciliis capilliſque nigris ac criſpis, tum colore illi nationi vndique aſſimili, non quidem triobolares ac meritorias, quas genti feruidæ ac ſalaci ſe ſubiecisse credi par eſt: ſed ſpectatæ probitatiſque atq; incorruptæ pudicitiæ Matronas huiuſmodi affectus in ſe ſuosque concepiſſe. Simili ratione cum Belgis imperaret Maximilianus Cæſar ex Pannoniis, hoc eſt, Auſtriaca gente oriundus, fœminæ ob Germanorum conſuetud nem ac conſpectum, flauis rutiliſque crinibus infantes ediderunt, ac Germanis prorſus affines. *Lemnius libro primo, capite ſeptimo. De Complexione.*

Anno Domini 1517. in Boſci Regis Paroecia, in Biera ſylua, via ad fontem Bellæ aquæ, natum eſt monſtrum facie ranali, viſum Iohanni Bellangerio, Machinariæ Regiæ Chirurgo, coram Harmoii oppidi iuſtitiæ cuſtodibus, inprimis Ioanne Bribono eius loci Procuratore Regio. Pater vocabatur Amadæus Paruus, Mater Magdalena Sarbucata. Hæc febre diuexata mulierculæ cuiuſdam conſilio ranam viuam manus palmæ affixerat, tamdiu detinendam quoad immoreretur parti, eo habitu in viri amplexus venerat de nocte & conceperat, eam Bellangerius, perſpicaci ingenio vir, monſtroſæ deformitatis fœtus cauſam eſſe arbitrabatur. *Pareus lib. 24. capite ſeptimo.*

Pleni ſunt Philoſophorum libri, viſa per conceptum magnam in partu vim habere. Vnde coniugibus præcipitur, vt elegantes habeant circa lectum genialem imagines. Vrbs eſt in Brabantia Buſcunducis, in qua vt in aliis eiuſdem terræ ſtato anni die, quo ferunt maximum vrbis templum dedicatum, publice ſupplicatur, ludique variis diuis exhibentur. Sunt qui tunc perſonas diuorum induant, ſunt qui dæmonum. Ex his vnum cum viſa puella exarſiſſet, domum ſaltitando ſe recepiſſe, & correptam, vt erat perſonatus, vxorem ſuam in lectum coniicit, ſe ex ea dæmonium velle gignere dicens, concubuit, concepit mulier, & infans quem peperit, ſimul ac primum editus eſt, ſaltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur. Hæc Margarita Auguſta Maximiliani filia, Caroli amita narrauit, Iohanni Lamuzæ, homini prudentia incredibili, qui tum erat hic legatus à Ferdinando Rege: nunc eſt huius Cæſaris Præfectus in Aragonia, vir qui non modo præfecti nomen & perſonam, ſed Regis quoque poſſet ſuſtinere. *Viues ad cap. vigeſimum quintum, libr. 12. Auguſtini De Ciuitate Dei.*

Mulier prægrandi vtero tumens, cum partus tempora non procul ab Epiphaniæ feſto, ſeu trium Regum vulgari calculo conieciſſet, aliis alludentibus, ac ſi Reges tres vtero ferret, quod felix fauſtumque ſit illa reſpondit: neque fefellit euentus rei: nam Regum profeſto enixa eſt proles maſculos tres, quarum vna colore bituminis Regem Æthiopem præ ſe ferebat, etſi eadem non ſuperuixerit diu. Hæc quia conſpecta Louanii, patris ac aliorum plurium teſtimonio confirmata, protulimus. *Gemma libr. 1. cap. 6. Coſmocr.*

OBSERVATIO.

Subitanei & improuiſi terroris grauidis incuſſi, effectus prodigioſi.

IN Moguntio noſtris temporibus accidiſſe refert Sebaſtianus Munſterus, vt duæ mulieres, quarum altera prægnans eſſet inuicem colloquerentur: currens alia ſuperuenit, quæ loquentium capita inuicem colliſit: quæ grauida erat, dum pareret, ſigna timoris in infantibus expreſſit: ſiquidem duas puellas peperit à ſumma fronte vſque ad naſum iunctas è facie, ſic vt non niſi oblique ſpectare, poſſent. Superuixit hoc monſtrum tamen vſque ad annum decimum. Altera mortua, atque ab alia viuente exciſa, quæ ſupererat & ipſa mortua eſt: ſeu timore, ſeu pedore, ſeu animi moleſtia, quam miſera dum altera ægrotaret contabeſcens ſuſceperat, extincta ſit, incertum eſt. Certius illud eſt, quod à multis quæſitum eſt ſæpius, prægnantium affectus fœtus, qui in vtero ſunt, poſſe vitiare: vnde tot maculæ infantibus vini, ſuillæ cutis, punicorum malorum, ac talium. Nam cum mater harum puellarum concuſſa timore imaginem colliſi capitis retineret, capita puellarum in vnum coierunt. Neque enim id concuſſione ſola factum crediderim, quanquam non parum ad hoc contulerit: quoniam ſæpius mulieres maiore impetu collidunt ventrem, quam tunc cum caput illa colliſit, nec tamen gemini vna coeunt. Nam ſi modo concuſſio cauſa huius fuit, non iam capitis, ſed dum caput alliditur, dorſi, vel ventris. *Cardanus libr. duodecimo, De ſubtilitate, Munſterus, Gemma, Ronſſeus, & alii.*

Sane duobus annis poſtquam hæc commentatus eſſem, D. Barandus Medicus noſtras longe doctiſſ. abortum mihi conſpiciendum exhibuit. Exciderat autem, vt ille mihi affirmabat, ante dies plus minus viginti, abruptis ex ictu tenuibus quibus inuoluebatur membranis, hac cauſa. Mulier grauida, proba alioqui & integræ pudicitiæ, ſola domi oſtiis apertis ante focum in humili ſella ſedens, hoſtio auerſa attentius acum tractabat: quo tempore ſuperuenit tacite, vt fit, vel maritus, vel familiaris alius & domeſticus, qui ſellam imprudenti & nec opinanti mulieri per iocum ſubtraxit, quo factum vt mulier ſella auulſa non ſine metu & natibus ſolum ferierit, & tandem abortu fœtum, qualem dixi, eiecerit. Ex hoc diſcere licet periculoſum eſſe admodum grauidas durius tractare, aut cum ipſis petulantius aut ineptius vel rixari, vel iocari. Lalamantius *Scholiograph. 9. ad Hipp. de hominis ætate.*

Lugdunenſi mulieri, cum partus non procul abeſſet, hoſtili vultu & ſupra modum terribili maritus imminens, cum præ iracundia ſtrinxiſſet gladium velut in cranium impacturus, hoc effecit, vt quanquam fuga ſalutem mulier repeiiſſet, infanti tamen eadem caluariæ parte, cui acies minitabatur, magnum continuitatis diuortium appareret, ſtatim ab enixu ſic effluente ſanguine, vt nullo conatu vel arte tempeſtiue reprimi poſſet, atque infans protinus expiraret; quo ſane exemplo nihil vnquam miſerabilius viſum eſt, cum iam grandior fœtus vix vllam impreſſionem à ſpiritu tam potentem potuiſſe recipere putaretur. *Gemma libro primo, capite ſexto, Coſmocrit.*

Anno, quo opus hoc Paternum per tertiationem retractamus, Hagenoenſi R. P. Medicinam facientes, vocati ſumus à Conſule Vrbis, officio defungente ad ſectionem octiduanæ circiter puellæ, pro ſuſpectæ cauſæ inſpectione & inueſtigatione. Deprehendimus vel primo intuitu vmbilicotenus vulnus manifeſtum, patulum, veluti pugione confoſ-

ſum, à

ſum, à prima conformatione atque ab vtero matris congenitum; per quod vrina tranſudabat, cibus & excrementa tranſmittebantur & effluebant, dum pluſculos dies ſuperuiuens ageret in viuis. Explorato autem reliquo corpuſculo, ano præterea imperforato ſpectabatur, recto inteſtino plus ſatis curto & perbreui, ita vt ad legitimam ani terminum neutiquam exporrigeretur: veſica pariter deſiderata. Cauſam inquirentes inaudiuimus, maritum vxorem prægnantem circa initia geſtationis inter cæteros impetus, etiam gladio minaci ſtricto inſecutum; cuius ictum fœmina hauſta firmiter imagine apprehendens, embryoni eum quoque deinceps ictum, veluti manu ſicarii & ferro formatum, affinxit. Sed & quum ſe mariti ſubtrahere perſecutioni contenderet, latebras meticuloſa quærens, angulo tum abdita atque in ſemet contracta latitauit: vnde ex occaſione decubitus contractique & regeſti corporis, hic quoque fœtui error & turpe vitium dubio procul accidit. *Iohannes G. Schenckius, Medicus, Filius.*

Imagines hauſtæ à prægnantibus, animo altaque mente firmius repoſtæ atque impreſſæ, præſertim derepentino caſu & pauore obiectæ, illiſu ſpirituum animalium per neruos fœtui affinguntur, ad prototypum obiectæ rei. Conſanguineum nouimus, cuius mater prægnans gallinaceos in auiario curatura, derepentino muris maioris proſilientis occurſu perterrefacta, altera manu ad vnam natium velut exclamantis geſtu; alliſa fœtui eo ipſo loco muris icona impreſſit. *Idem.*

Iſenaci formoſa & pudica Matrona murem maiorem enixa eſt, quod eo accidit, quia ex vicinis aliquis muri maiori nolam ſuſpenderet, ad cuius ſonitum reliqui fugarentur, is mulieri grauidæ occurrens, quæ ignara rei, ſubito accurſu & aſpectu muris ita territa eſt, vt fœtus in vtero degeneraret, in formam beſtiolæ. *Ex M. Veinrichii Commentarior. de Monſtris capite decimo ſeptimo, pagin. 160. facie auerſa depromptum.*

Haud ita pridem circa initium Anni 1575. quidam non obſcuri nominis Regi Hiſpaniarum apud Geldros militans, quum è familia Nobili honeſtam duxiſſet coniugem (quam & durius tractabat) intelligeretque tandem ipſam vterum ferre, indignáter velut ſiniſtre precatus ait ille: Tu infernalem geſtas dæmonem, quem gladio confodiam. Non longe poſt filiolum genuit dimidia corporis inferioris parte bene formata; verum ſuperior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, vt ſatyrus, auribus longis velut canis venatorius, in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur ſanguinea. *Vierus de Preſtig. dæmonum libr. 4. cap. 18. edit. 1577.*

Plinius naturalis ſuæ Hiſtoriæ libro ſeptimo, hauſta, inquit, imago ſub ipſo conceptu ſimilitudinum reputatio eſt, cogitatio enim vtriuſque parentis animo ſubito tranſuolans, effingere ſimilitudinem exiſtimatur, hinc alios auis ſimiles, alios è patribus naſci videmus; nonnunquam etiam ex albis parentibus partum ipſum in Æthiopem degenerare. Huius autem euidentius argumentum eſt, ſi mulieri, quæ nuper vtero concepit, vel ceraſum vel fragum, vel vinum in ſinum aut faciem effuderis, animoque id grauiter ferens apprehendat, ibidem notam infantem referre. Cuius certe certiſſimum idque euidentiſſimum exemplum nobis dedit mulier quædam, dum hæc Goudæ recuderemus: hæc etenim forte fortuna, cum greges Indicorum gallinaceorum conſpicata eſſet, ac inter hos gallum quendam præ cæteris ſpectatæ formæ caudam criſtaſque erigentem, variaſque Protei in modum induentem formas, animo conſternata, monſtroſum eumque admodum laborioſum partum edidit: Infantis enim facies tota dehoneſtabatur enormi quadam, eaque carniformi excreſcentia, nam labrum inferius varicolori quadam cuticula circumtegebatur, quæ ſane, vt omnes variosque Indicorum gallinaceorum colores expreſſit: ita etiam eiuſdem dependentes malas quam appoſitiſſime delineauit. *Bald. Ronſſeius capite decimo, De primord. hominis.*

Nuper nebulo quidam oppidatim ſpectandum obtulit infantem inuſitatæ magnitudinis capite, reliquis membris non corrreſpondentibus vlla proportione. Quod vitium vbi ex morbo contrahitur, non arte aſcitum, vt hoc erat, hydrocephalon Medici vocant, ob caput ſcilicet aqueo humore turgidum. Huius cum picturam modo ſpectaſſet grauida quædam, tam inſolito ſpectaculo attonita exacto geſtationis tempore, non ſine vitæ diſcrimine infantem edidit fungoſo, ſtupendæque magnitudinis capite, cui hoc etiam acceſſit mali, quod inter nutricis amplexus magis magiſque extumeſceret, atque ad molem inſignem protuberaret. Quod mihi conqueſta eſt mulier oblato puero, cuius cum caput hinc inde prementibus digitis leniter contrectarem, puluini more ſubſidebat modo cutis, modo aſſurgebat. Huiuſmodi autem ſpectacula non prægnantibus modo ſunt euitanda, ſed omnibus etiam, quibus horum conſpectus & imaginatio nocturnam quietem poſſit vel intercipere, vel turbare, quod fere vſuuenire ſolet pueris, ægrotis, ſeniculis, Melancholicis, quibus tamen monſtrificus rerum aſpectus minus incommodat, quam mulierculis, quæ oblatis huiuſmodi ſimulachris ſimile quiddam in vtero effingunt ac moliuntur. Cum enim omnes vires ac naturales facultates totæ ſint in formando fingendoque fœtu, fit vt muliere aliquo malo perculſa, omnes humores ac ſpiritus ad ima ferantur, atque in vteri ſeceſſum confluant. Quibus cum accedit inhærens penituſque menti infixa conſpectæ rei imaginatio, vis ipſa quæ formationi inſiſtit, eam formam ac ſpeciem, quam animo concipit, effigiat, ipſique fœtui inducit. Neque enim temere eſt quod dicitur. Imaginatio facit caſum. Simili ratione ſi ſorex, ælurus, muſtela, aut tale quiddam inopinato corpori inſiliit, aut fraga, corna, ceraſa, baccæ, vuæque acinus vlli parti inciderit, confeſtim notam imprimi contingit, illique membro huiuſce rei inprimi veſtigia: niſi forte mulier in ipſo momento, quo hæc corpori ingruunt, ſubito abſterſo membro poſticę aut remotiori parti corporis manum admoueat: Quo facto confeſtim auertitur malum aut contactæ parti nota infigitur, tota imaginatione ac facultate naturali eo conuerſa. *Lemnius libr. 1. capit. 4. De occult. nat. mirac.*

* * *

Obser-

OBSERVATIO.

Picæ grauidarum exempla admiranda; quibus abſurdus prægnantium appetitus exprimitur: quo ſi fruſtrantur, eas vel periclitari contingit, vel notas maculaſve rerum deſideratarum fœtibus imprimunt.

MVLIERES prægnantes multarum rerum deſideriis tenentur: ſæpe carbones appetunt, aut cineres. Vidi, quæ morſum ceruicis iuuenis cuiuſdam, & correpta magnis doloribus aborſum feciſſet, ni momordiſſet, exanimato fere iuuene, tam auide infixis dentibus. De his tam abſurdis appetentiis ciborum Medici quidem plurima, ſed & apud Philoſophos nonnulla, velut *Ariſtot. in lib. de animal.* idque fieri dicunt ex humore in ſtomacho vitioſo: qui ſi viris quoque contingat, non diſſimile expetent. *Lud. Viues Comment. ad cap. 25. lib. 27. Auguſtini De Ciuitate Dei.*

Illud quamuis videtur memorabile, magis tamen commiſeratione quam admiratione dignum cenſeo. Mulier quædam vterum ferens, deſiderio humeri piſtoris denudati, & panem ad furnum deferentis, irretita, mœſta, omnem cibum, præter carnem de piſtoris humero, faſtidiebat. Maritus caræ miſertus vxoris certam pecuniam pro ſingulis de humero piſtoris morſibus cum eo paciſcebatur. Duos itaque dentium mulieris inſultus fertur ſuſtinuiſſe: tertium vero, doloris pertæſus, ferre noluit. Mirum quid accidit. Mulier ter geminos eſt enixa, duos viuos, tertium vero mortuum. Ita quoque naturæ vires re deſiderata crebro reficiuntur. *Langius Epiſt. 12. Tom. 2.*

Elapſis non plus duodecim annis, mulier in pago non longe ab Andernaco Epiſcopi Colonienſis oppido, in littore Rheni malacia laborans carne mariti veſci deſiderabat: quem ei percharum occidit, & dimidia fere carne coniugis dilecti ſaturata, reliquum ſale macerauit: vt ipſamet poſtea cum malaciæ furor deferbuiſſet, & eam facti iam pœniteret, ingenue maritum quærentibus amicis confeſſa fuiſſe fertur. *Idem loco citato.*

Lembergi in amæno Schleſiæ & regali oppido, in quo ego natus ſum, quendam lotis & nudis pedibus egreſſum balneo, inque plantis de more crepidas deferentem, mulier grauida ſubſecuta, pedum deſiderio capta, procidit à tergo in genua: ac ambabus manibus crure altero apprehenſo, de calce illius mordicus dentibus fruſtum euulſit, nihil illius clamorem expauefcens, quo deorum hominumque fidem & ſubſidium is implorabat. *Idem vbi ſupra.*

Illud de cuiuſdam viri Principis pellice obticere non poſſum, quæ mane integros lini aut ſtuppæ manipulos, vt in alpibus glis (non glis, ſed mus alpinus, ſeu mus montanus, vulgo Murmelthier) aut mus obeſus, plenis buccis deuorabat. Cum forte ex ſtomacho laboraret, ac anus eius vrinam ad me perferret, omniaque prius de eius pica conſtarent, conſultus ab anu, quid vrina indicaret, reſpondi: iuuenculam hanc plus lini de colo decerpere ore, quam fuſo quouis verſatili deduceret. Cum hoc anus garrula vaticinium ex lotii obſeruatione de me ciuibus prædicaſſet, vt vatem me omnes admirati ſunt. *Idem author vbi ſupra.*

Sub Annum Chriſti 1553. Mulier quædam grauida Prettenburgi, dum pica laboraret, proprium viri um infelix & crudelis deuorare ſibi in animum omnino induxit. Nocte igitur appetente, ecce acutum cultrum in chari mariti iugulum adigit ſtringitque infando auſu: quo necato & adhuc calente, brachium ſiniſtrum idemque latus, tracheam arteriam tenus, dentibus auidiſſime corrodit abſumitque, reliquam ſuperſtitem cadaueris partem, interaneis cum truncato capite abiectis, ſale conditum reponit aſſeruatque, ad aliud forte epulum. Interea tempus partitudinis inſtat, paritque Iunone Lucina propitia, ex ordine tres filios. Hoc vt læto nuncio dum obſtetricantes mulierculæ pro more feſtinant (nihil ecce quicquam mali ominantes) maritum afficere: à liberorum matre ſtatim reuocantur, quæ proprium ſeriumque delictum confeſſa, gemebundaque iis factum recitabat: atque ab exacto inſuper puerperii: tempore vltro de ſe ſupplicium ſumi apud Magiſtratum poſtulabat. Quare ad perpetuos carceres damnata eſt. Hiſtoria hæc tragica Norinbergæ & Francofurti ſeorſim excuſa typis proſtat. *Sebaſtianus Franck in Chronicis.* Eadem eſt Langii paulo ante enarrata. *Schenckius Filius.*

Mater mea camaros fluuiatiles, cum in vtero haberet, crudos comedit. *Trincauella lib. 7. c. 5. de rat. Curand. part. hum. corp. affectus.*

Euæ Sibyllæ vxori meæ ſoror erat nomine Geneſaſa, vxor quondam Petri Machæropœi Heydelbergenſis, quæ anno (ſi recte memini) 1562. grauida, non ita remoto pariendi tempore ibat obſonatum ad macellum, cumque temporis iam plus ſatis, vt ipſi videbatur, apud lanium, dum carnes pro ea penderentur, exſpectando tranſmiſiſſet, moræ tandem impatiens, fruſtum quoddam arripit, ac pendi iubet: id ei ex manibus ille pro ſua ferocia magno conatu denuo rapit, & appendens alii aſtanti fœminæ vendit: eam rem iniquo illa ferens animo intra ſe ita exæſtuat, vt è naribus cruorem emitteret, quem dum à ſupero labro abſtergit, ſimul, quem maſculum in vtero gerebat, abſtergit ſuperius labrum, velut euentus poſtmodum, non ita multis dierum interiectis hebdomadibus oſtendit. Vixit turpi hac nota ſignatus puer integrum annum, quo elapſo, peſte correptus, interiit. *D. Iacobus Suterus. De Obſeruation.*

Nouimus nos aliquas mulieres grauidas crudas anguillas deuoraſſe: & nuper iſtis diebus Delphis, pellem ouillam crudam vna cum lana, aliam comediſſe percepimus: altera verò Alcmariæ picem naualem cochlearibus excepiſſe, atque deglutiiſſe. Hæc non ſolum mulieres ſed & pueros & viros nonnunquam infeſtat. *Foreſtus lib. 18. Scholiograph. ad Obſeruat. 7.*

Maria Petri Saſboti filia, prægnans in maxima copia cretam vorabat. Eſt enim hoc ſymptoma & puellis & prægnantibus familiare aliquando. *Foreſt. lib. 8. Obſ. 7.*

Verum eſt imaginantibus permagnam vim eſſe, vt plerumque colorem huius rei, quam imaginatæ fuerunt, illi parti corporis, quam tunc manu digitiſque tangunt, inducat, nempe igneum ex ignis, fuſcum ex nigrorum ceraſorum, rubicantem ex fragorum rubeorum forti imaginatione. Et quod magis eſt, non raro ſubſtantiam ſimilem, vt memini carnea

fraga

& carnea ceraſa in genis, hac naturali virtute imaginatrice producta me vidiſſe. *Horſtius lib. de Dente Aureo pueri Sileſii pag. 48. & 49.*

Ciuis Hagenoenſis, opificio pellificis, vxor prægnans, porcinam appetebat: quare ad macellum ſe contulit, ſibique carnes elegit. Interuenit lanii cognata, cui has carnes lanio tradit. Mulier commota, macello abiēs, forte Naſum perfricat. Vnde factum, vt infantulus ſuis proboſcidem naſi loco retulerit: carnis etiam porcinæ fruſtum ore continuerit. *Schenckius Filius.*

Grauidis admiranda quædam accidere notum eſt. Inprimis vero obſeruatione dignum illud occurrit, quod illa quæ aliis fœminis exitioſa ſunt, grauidis non ſolum conferant, verum etiam ſi expetita, non in promptu ſint, ſui deſiderio noxam inſignem adferant. Eius rei exemplum ſingulare in Diocæſi Fuldana oblatum mihi eſt. Erat ruſtica quædam in pago quodam Schweden appellato, qui duobus milliaribus à Fuldano oppido diſtat. Hæc grauida exiſtens, cum forte obſeruaſſet piſcatorem quendam in fluuio pago illi vicino piſcari, rogat vt quos piſces ille cœpiſſet, venderet. Renuit ille. Inſtat grauida, ſed fruſtra. Itaque cum ſubtriſtior domum regreſſa eſſet, cœpit ſuam infelicitatem, quod re tantopere expetita priuaretur, deflere. Interea ſentit in ſe ipſa excitari magnam aquæ cupiditatem, quam, dum explere cupit, nullum bibendi finem ſibi viſa eſt facere. Nam vno die ad lib. triginta aquæ hauſit, quæ tamen vt hauſta eſt, ita per vrinam rurſum excreta eſt. Hanc bibendi auiditatem vſque ad partus tempus retinuit. In puerperio vero ad librarum viginti menſuram bibendo progreſſa eſt. Tandem vero tranſactis à puerperio menſibus ſex, cum iamdum ad minus libras quatuordecim ſingulis diebus hauriret, ad me venit, quid ſibi acciderit narrans, ac cōſilium expetens. Vt vero magis ei fides haberetur, adduxit vna ſecum notas quaſdam fœminas, quæ ipſæ quoque ſe rem ita habere conſtanter affirmarunt. *CL. V. Iac. Oethæus lib. Obſ. propr.*

OBSERVATIO.

Grauidarum Malacia aliquando noxia.

VIDI Vxorem Nicolai Domini Franciſci de Barbarino, quæ in quadam ſua prægnitie comedit circiter libras XX. piperis, & tamen non abortiuit, ſed poſt partum remanſit ei fluxus menſtruorum colericorum ſubtilium quo ad menſes, vlcerata eſt eius matrix, & mortua eſt. *Nicol. Florent. Serm. 5. Tract. 4. cap. 36.*

Nos ſuperioribus diebus mulierem vtero gerentem curauimus, quæ ob cittam, id eſt, malaciam, quam patiebatur, frequenter glaciem comederat, ex quo intenſiſſimam tuſſim incidit, & ventriculi dolorem, primamque coctionem ægerrime conficiebat, quæ quidem in ſanitatem reſtituta fuit, ſed tardiuſcule; huncque ordinem ſeruauit, primo à tuſſi liberata eſt, deinde à ventriculi dolore, denique à virtutis concoctricis imbecillitate: hoc autem fuit in ſpatio fere ſex menſium à partu. *Braſauolus Com. ad Aph. 24. lib. 5. Hipp.*

Ruſtica quædam vtero gerens, cum marito ex vrbe regreſſa domum eſt, marito ſubſiſtente: hic reuerſus deprehendit anguem ab ea deuoratum pro piſce: parcit vtero cum puerperæ, ſed cum poſtea narraſſet factum, ſtatim expirauit. *Veinrichius de monſtris pag. 161.*

OBSERVATIO.

Grauidis malaciam nonnunquam poſt partum aliquandiu extendi, & durare.

MEmini ego in muliere quadam hoc malum in grauiditate ortum, à partu etiam vltra annum duraſſe, nec ſcio quouſque. Pallida erat, phlegmatica, macra, menſes fere detinebantur, fluore albo infeſtabatur. Infans breui interiit. *Geſnerus Hiſt. Anim. lib. 3. de Pica. G.*

OBSERVATIO.

Grauida quædam aſſidue ſedendo & nendo mira alui aſtrictione correpta eſt, ex qua tandem in ſæuiſſimos Colicos dolores incidit, quæ eidem fœtum, immaturum quidem, ſed viuum extorſerunt. A partu ingenti ventris tumore adeo non ſubſidente, vt magis exauctus fuiſſe videretur: quæ paulo poſt vitam finiit. Aperto eiuſdem corpore, Colon inteſtinum ſua ſede pulſum & gangrænoſum, vna cum vicinis muſculis abdominis denigratum, & ad canthari amplitudinem fæcibus infarctum, deprehenſum fuit, reliquis inteſtinis vndique flatibus admodum prodigioſe diſtentis.

FOEMINA quædam vterum ferens, per omne geſtationis tempus, neque minus vltimo Menſe, totas dies indeſinenter à ſummo mane in multam noctem acu nebat, perpetuo ſedens, in ſeſe quaſi contracta & incuruata, prono capite, vt ſolent, acui intenta, in ventris tantam conſtipationem incidit, ita vt totis decem, quindecim, viginti etiam diebus ne ſemel quidem aluum deiiceret, id quod illa parui faciens neglexit, pergens quouſque poterat, tum ſedendo, tum nendo: donec præ incredibili ventris tumore & dolore, (quorum vtrumque ex alui fæcibus retentis contractum erat) ſedere vlterius ac nere non poſſet. At quid fit? Decumbit miſera, tormina ventris, eiuſdemque tumor, indeque orta anxietas creſcunt indies, ac in tantum augentur, vt res in extremo periculo videretur eſſe omnibus, quotquot illam adibant; ſuppoſitoriis, clyſteribus, ad aluum ciendam vel dolorem liniendum, proficiebatur ne tantillum quidem: clyſter enim qualiſcūque vel quantuſcunque iniiceretur, in recto nonnihil tantum hærebat (vt res tandem patuit) inteſtino, paulo poſt regreſſus, nihil prorſus fæcum ſecum educebat. Partus inſuper labor, durantibus his ventris torminibus illam occupat, accerſitaque obſtetrice fœtus, etſi immaturior, viuus tamen editur ſic recte. At etiamſi fœtus egreſſus eſſet, ne tantillum quidem detumuit venter, ſed idem, ne dicam maior, & tumor atque renitentia, & dolor permanebat, vt res aſpectu etiam terribilis eſſet aſtantibus, exiſtimantibus fore, vt iamiam præ nimia tenſione rumperetur venter. Quid multa? Diem ægra ſuum obit, ipſamet rogans, vt ſibi mortuæ aperiretur atque inſpiceretur venter; factum: ibi vero colon inteſtinum, ſecto peritonæo, & ſublato omento, primum omnium è ſede ſua emotum ſeſe oculis offerebat, totum gangrænoſum, color ex cæruleo nigricans, qui color etiam per abdominis muſculos

& cutim, nimia extenſione extenuata quidem illa, tranſparebat: ea vero inteſtinum illud apparebat magnitudine, diſtentum ſcilicet mero ſtercore, vt amplioris canthari, cui pueri etiam caput inſeri poſſet, capacitatem referret. Reliqua vero inteſtina ſuperiora omnia flatibus maxime turgebant ſupra modum. Hinc colon, ea parte qua in ſiniſtro latere à rene deſcendit (vrgentibus inde flatibus, inteſtina eleuantibus, hinc vero ſtercoris copia, extenſione inteſtini ſecundum craſſitiem ſeu profunditatem, illud breuius reddente quaſique contrahente illud ſecundum longitudinem) è loco ſuo diſceſſerat vſque ad vmbilici regionem, ſub eo namque iuxta ductum rectorum maſculorum abdominis ſitum conſpiciebatur, à ventriculo recta in medio deſcendens. Hinc abſque dubio ipſius coli, inferius, qua parte recto inteſtino continuatur, contorſione facta, tota via fæcibus & flatibus exituris, clyſteribus vero intraturis in vniuerſum præcluſa eſt. Tanta vero ex perforato colo ſordidiſſimarum fæcum illuuies effluebat, ac ſi iumentum aliquod mactaſſes. Atque hinc manifeſtum eſt, quid grauidis conferat multa vita ſedentaria, neglectaque alui deiectio, maxime vero ad vltimum vſque geſtationis Menſem producta. *Vir Clariſſimus Franciſcus Tidicæus, de ſuis mihi per Laurentium Scholtzium communicatis Obſeruationibus.*

OBSERVATIO.

De morbis acutis mulierum vtero gerentium.

EVENIT aliquando, vt mulieres, dum vel vtero gerunt, vel ſunt in puerperio, diuerſis conflictentur morbis: qui, ſi vel neglecti, vel male curati fuerint, eas in perniciem ducunt, quare hos duos fœminarum ſtatus conſiderantes, primo agemus de morbis acutis mulierum prægnantium, ſecundo de his, qui in puerperio ſuperuenire ſolent, quid enim in his agendum ſit, & quomodo Medici hos curare debeant, non liquet, nec qui ita artem hanc communiter faciunt, locum iſtum explicaſſe videntur. Primam autem partem aggrediens dico, quod tria habemus præcipua remedia, quibus potiſſimum in morbis vtimur acutis, ſcilicet rectam victus rationem, ſectionem venæ, & pharmacum: quæ omnia conſideranda ſunt an conueniant, & ſi conueniant, quo modo in vtero gerentibus adminiſtranda ſunt. Quo ad victum, nulli dubium, quod in morbis acutis victu tenui, imo aliquando tenuiſſimo vti debent ægrotantes, qui tamen in vtero gerentibus non ita tutus eſt. Vnde *Galenus libro quinto, Aphoriſmor. Commentar. Aphoriſm.* 30. exponens ſententiam Hippocrat. dicentis, Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſſe, dicebat ex morbis acutis vtero gerentibus, duplex imminere periculum; alterum ex magnitudine febris, quæ fœtum occidere poteſt; alterum ex tenui victu, qui morbis debetur acutis, cuius ratione ex alimenti defectu fœtum deſtruimus: quod alimentum, ſi, vt hunc ſeruemus, non verebimur craſſiorem exhibere, febres continuas victu intempeſtiuo augentes, matrem occidemus, quare hinc (quoniam & fœtum, & matrem ſimul, vt res proſpere ſuccedat, ſeruare tenemur) duo habemus; vnum quod ratione fœtus in his pro victu cibi aliquid adiicere, alterum autem, quod ratione acutiei morbi detrahere debemus, quibus duabus indicationibus, contrariis exiſtentibus, & vtriſque neglectis mortem minantibus, hinc Medicus non tenuem, nec plenum, ſed mediocrem imperet victum, ex quo nec fœtus decidere, nec morbus ingraueſcere poterit, nam ratione fœtus facile abſumetur talis ratio victus, quæ nec morbo poterit eſſe grauis, cum manu tenere & fœtus, & matris vires tantum, non autem eas grauare poſſit. Vnde in morbis acutis vtero gerentium poterit Medicus aſcendere ad iura tenuiorum pullorum, in quibus fercula parentur, vel ptiſana diſſoluatur; aliquando ad lutea ouorum recentium ſorbilia, abſtinendo tamen ſemper à vino, & carnibus, & omnibus his, quæ multum nutrire, & inde morbum augere poſſunt, hæc de genere victus, quo autem ad quantitatem, quantitas ſit maior, vel minor pro ratione maioris, vel minoris magnitudinis fœtus. Vnde maior ſit quantitas in vltimis Menſibus; quoniam tunc fœtus grandior, vberiori indiget alimento: in medio autem tempore ſit moderatus; in principio vero geſtationis vteri ſit minoris quantitatis, vel parum immutatus ab eo, quo vteretur ſi mulier non concepiſſet, hæc de primo auxilio.

Secundum auxilium erat ſectio venæ, quæ ex ſententia *Hippocratis libro quarto, Reg. acut. Text. decimo nono*, in omnibus acutis morbis florente ætate, & conſtantibus viribus adminiſtranda eſt, quod idem comprobans Galenus millies affirmauit. Hanc ſectionem venæ docet *Hippocrates libro quinto, Aphoriſmor. trigeſimo primo*, in vtero gerentibus abortum cauſare, & ideo cauenda erit, dum dicebat, (mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & magis, ſi fœtus ſit maior) quare dubitandum venit, an hoc ſecundo auxilio in mulieribus vtero gerentibus, dum acuto morbo detinentur, vti conueniat; quoniam ſi non ſecetur vena, morbus ſæuior redditus patientem necabit: ſi autem ſecetur, incurret mulier abortum, qui eſt caſus lethalis in acuto morbo, hæc difficultas ita explicanda venit. Mulier vtero gerens, miſſo ſanguine è vena, abortit; quia extracto ſanguine ſubtrahitur alimentum fœtui. Vnde ſi fœtui hoc non ſubtrahatur ex ſectione venæ, nec etiam abortum ex hoc incurrere debet, hoc fiet, ſi, dum fœtus eſt minor, ſicuti eſt in primis Menſibus, tunc mittatur ſanguis; cum enim his temporibus fœtus plurimo non indigeat ſanguine, pro ſui nutrimento, ſi ſecetur vena non erit periculum quod fœtui alimentum ſubtrahatur, & eo magis, ſi mulier patiens fuerit plethorica. Vnde à primo Menſe vſque ad quintum tuto venæ ſectio adminiſtrari poterit. Circa autem vltimos Menſes, magis rem circumſpiciat Medicus; quoniam cum fœtus maior hiſce diebus factus ſit, copioſiorique hinc indigeat alimento, non ita tutum erit ſecare venam. Si autem mulier ſanguine abundet, & copioſa admodum non fiat venæ ſectio, tuto mitti poteſt ſanguis; quoniã hinc ſedabitur morbus, nec tantum alimentum fœtui ſubtrahetur, vt hinc mulier abortum incurrat. Si autem

autem videatur aliter ſenſiſſe *Hippocrates loco citato libro quinto, Aphoriſm.* 31. clare docens ſanguine miſſo mulierem vtero gerentem abortum pati: Animaduertatur, quod longe aliter nos venam ſecamus, ac faciebant antiqui, illi enim ad libras, nos ad vncias ſanguinem mittimus, non minus enim quam ad Cotylam conſueuerant vtplurimum ſecare prima vice venam, cuius dimidiam quantitatem poſtea in ſequenti repetebant. Cotyla autem, vt habetur à Galen. in libr. de ponder. & menſur. habet vini vncias decem, mellis autem tredecim, cum vero ſanguis melle minus, vino autem magis ponderet, Cotyla habebit ſanguinis fere vncias duodecim. Nos autem ad tantam quantitatem, etiam in robuſtis viris, ne dixerim in mulieribus, non aſcendimus, niſi raro, & vbi plenitudo ingens exiſtat, & vrgentiſſimus ſit caſus, ſed ad vncias tantum ſanguinem mittimus, quam quantitatem in vtero gerentibus ſeruantes nunquam viribus conſtantibus abortum cauſabimus. Imo ad præſeruandas mulieres ab abortu, quæ in hunc incurrunt ob multitudinem & copiam (quę in multis generari, & abundare, & per plures dies, dum non concipiunt, copioſe menſtruis temporibus expurgari ſolet) ſanguinis fœtum ſuffocantis, & occidentis, nullum validius remedium excogitari poteſt ſectione venæ, qua teſtor ego me plurimas ab abortu, in quem frequenter inciderant, ex ſola ſanguinis miſſione, primis menſibus facta, præſeruaſſe. Non ita tamen cenſendum eſt de hac ſanguinis miſſione, vel moderata, vel parca in vtero gerentibus adminiſtranda, vt vnquam non veniat etiam in vſum, ſi copioſe fiat; interdum enim in vltimo Menſe copioſa ſanguinis miſſio facta non ſpernendum attulit iuuamentum. Et ego aliquando hanc venæ ſectionem copioſe factam in vltimo Menſe, inſtante partus tempore, dum vtero gerentes ardenti conflictarentur febre, plurimoque abundarent ſanguine, tentaui, & hinc remiſſionem febris, ac partus accelerationem ſperans, vtrumque ex ſanguinis miſſione conſequutus, ſumma cum vtilitate adminiſtraui, fœtumque & matrem vna periclitantem ex hoc ſolo remedio ſaluaui, quod remedium in aliquibus prætermiſſum, & à Medicis verba ſolum Hippocrat. & non ipſam rem ponderantibus neglectum, fuit in cauſa, vt conceptus ſæpe vna cum matre à plenitudine & feruore ſanguinis ſuffocatus miſerabiliter perierint. Quare commendo in ſimili caſu copioſam ſanguinis miſſionem, in cæteris autem moderatam, & ad vncias factam, quam ad præſeruationē ab abortu, vbi à plenitudine immineat, ſummopere probo, nec iſta contra Hippocratis Galenique ſententiam erunt, quia ſalutem ægrotantium, non vanas opiniones ſectati ſunt, & hæc de ſecundo auxilio.

Tertium auxilium erat pharmacum, quod an conueniat, & quando conueniat in vtero gerentibus, clariſſime docet *Hippocrates libro quarto, Aphoriſ. 1. & Galenus ibid.* quo loco habetur, in his mulieribus nunquam conuenire pharmacum, niſi materia turgente, nec turgente materia ſemper admittendum eſſe, ſed ſolum à quarto Menſe vſque ad ſeptimum. Hunc Aphoriſm. audiui nonnullos Medicos ad indicationem ſectionis venæ tranſtuliſſe. Sed longe alia eſt ratio ſectionis venæ, & alia pharmaci, ſectio enim venæ ſuſpecta eſt, quia per eam alimentum fœtui ſubtrahitur, at pharmacum non ratione ſubtractionis alimoniæ, ſed quia in vtero gerentibus maximam facit commotionem, vnde diruptio ligamentorum, & abortus impendet, periculi plenum eſt. Quod perpendens Hippocrates abſtinebat à pharmaco primis & vltimis Menſibus; in medio autem tempore non niſi turgente materia concedebat, hoc idem ponderans Galenus duo dicebat; alterum, quod cum primis & vltimis Menſibus facile ex validis motibus, in illis ex ligamentorum mollitie, in his autem præ grauitate fœtus, dirumpantur ligamenta, ideo nec primis, nec vltimis Menſibus vnquam pharmacum admittendum eſſe, in medio autem tempore, quo firmiorem habent conceptus coalitum, vnde tunc mulier poteſt fortiores ſuſtinere motus ſine fœtus offenſione, nonnunquam adminiſtrandum fore, alterum erat, quod in intermedio hoc tempore non indiſcriminatim conueniat pharmacum, ſed ſolum quando materia turget, ratio eſt, quoniam in materia turgente exhibito pharmaco, nec magna fit in corpore commotio; quia humores turgentes ſponte facile hinc inde defluũt, naturaque motum adiuuante facillime leni pharmaco educuntur, cuius merito dicebat Galenus. Cum natura ad hos expellendos humores incitatur, non vehementi pharmaco, ſed aliquo manum porrigente, & hunc humorum motum ad aluum deducente ſolum indigere, cuius ratione ſatis liquet minorem ex materiæ turgentis, quam fixæ purgatione in corpore commotionem fieri, & ideo nec hinc vtero gerentibus diſcrimen abortus in intermedio tempore præcipue cum in his menſibus fœtus externis cauſis, tum quia coalitum firmiorem habent, tum quia grauitatem non ponderant, non ita facile cedunt, imminere poteſt, & ideo ſumma cum ratione ab Hippocrat. ſtatutum eſt, à quarto Menſe vſque ad ſeptimum, ſi materia turgeat, has medicandas eſſe. Quam *Hippocrat. ſententiam Galenus libro primo, Epidem. Sect. 3. Commentar.* 29. amplificat etiam vſque ad tertium Menſem, hæc verba habens. (Iam illud quoque meminiſſe par eſt, fœtum trimeſtrem, & quadrimeſtrem, præter cæteros iniuriis reſiſtere.) His igitur omnibus prædictis menſibus poterit Medicus, materia turgente pharmacum adminiſtrare, at quæ erunt pharmaca hæc? non profecto electiua illa & vehementiora Medicamenta; tum quoniam hæc maximam in corpore commotionem faciunt, tum etiam, quoniam in materia turgente iſta non conueniunt, quæ materia turgens manum porrigente pharmaco & ideo leni tantum indiget, tale erit ſyrupus roſatus ſolutiuus, Manna, Caſſia fiſtula, Rhabarbarum, & huiuſcemodi lenia, & benedicta pharmaca, quibus vrgente neceſſitate parum quid vel diaphæniconis, vel electuarii de ſucco roſarum addere poterit Medicus, nunquam tamen iſta tranſcendens. At his eiſdem medicamentis auſi ſunt nonnulli vti etiam in vtero gerentibus, non turgente, ſed firmata materia, confiſi benignitate eorundem medicamentorum, ac opinantes ideo pharmaca in infirmata materia Hippocrat. & Galenus ſuſpecta fuiſſe; quoniam ætas illa tali genere medicamentorum caruerit. Sed animaduertant hi ex Galeno, quod talia medicamenta ſunt ea, quæ adminiſtranda ipſe docet turgente tantum, & non firmata materia, quam firmatam nullo pacto mo-

uere pharmaco præcipit. Vnde cum vehementiora pharmaca nullo conueniant tempore geſtationis vteri, & lenia tantum conueniant turgente materia, nec etiam iſta vnquam conuenient; vbi materia non turgeat, ſed firmata ſit, hæc enim medicamenta, quæ turgente materia, quoniam commotionem & agitationem eadem turgente in corpore non faciunt, conceduntur, ſi firmata fuerit materia, cum ad motum, naturam adiuuantem & incitatam non habeant, materiaque de ſe ſit ſegnis, vt ex immobilitate apparet, magnam erunt apta inducere commotionem, valdeque agitare poterunt vtero gerentes, & fœtus, cuius validi, & importuni motus ratione diſrumpi facile ligamenta, & abortus ſubſequi poterit, quare ſemper in tali caſu hæc eadem medicamenta valde ſuſpecta erunt, & ideo nunquam in vſum recipienda ſunt, niſi materia turgeat. Quod ſi interdum proficue, nulloque ſubſequente incommodo, hæc à quibuſdam Medicis adminiſtrata fuerint, vt in nonnullis contigiſſe vidi, hoc robori mulierum, & fœtus firmitudini, quorum ratione vidi etiam tolerata medicamenta abortiua in aliis, quæ ſponte abortum procurabant, non rationi, quæ in hoc nuſquam eſt, adſcribant, regulamque ex his, quæ præter rationem & artem fiunt, non condant. At dices, quid igitur excluſo pharmaco agendum erit? alia habemus ingenia, quibus poſſumus ſuperare morbos, ſicuti victus rectam rationem, præparantia humores, concoquentia, clyſteria lenia, ea, quæ poſſunt materias ad vias ductuum deducere, & alia ſimilia, quæ tentanda ſunt relicto pharmaco, & hoc præcipue in febribus ipſis, cuius pharmaci ne meminit quidem *Galenus in libro Methodi*, in quibus perfectiſſimam omnium febrium curationem & curandi & methodum docuit, innuens non ſummam curationis febrium in ſolo conſiſtere pharmaco. Sed contra hanc ſententiam videtur eſſe *Galeni* locus *libro quinto, Aphoriſmor. in Commentar. Aphoriſm.* 55. vbi reddens rationem, quare vtero gerentes febre detentæ vel abortiunt, vel cum periculo pariunt, inquit, quod hæ mulieres aliquando corripiuntur febribus adeo vehementibus, vt ex neceſſitate abortiant, aliquando autem corripiuntur quidem febribus non vehementibus, ſed mediocribus, in quibus cum à Medicis non ſufficienter purgentur, vtpote qui valida medicamenta exhibere mulieri grauidæ non poſſint, aliquid ſupereſt reliquiarum humorum vitioſorum in corpore, ex quibus poſtea frequenter fiunt recidiuæ, & diu laborant, vnde tandem vel abortiunt, vel difficulter pariunt. Ex quibus verbis patere videtur, Galenum concedere purgantia medicamenta in vtero gerentibus, etiam in quibus materia non turgeat, vbi enim febres ſunt mediocres, non turget materia, cum turgere, vt vbique habet Hippocrates ſit proprium acuti morbi, in quo non mediocres, ſed vehementes fiunt febres: & ſi valde purgantia medicamenta non concedit, innuit tamen lenia exhiberi poſſe, dum habet hæc verba (ſed cum non purgentur ſufficienter, aliquid ſupereſt reliquiarum in corpore vitioſorum humorum) quibus paulo poſt ſubdit (non potentibus Medicis mulieri grauidæ aliquod validum auxilium adhibere) & ideo purgationem, licet non à valido pharmaco factam, concedit, quare ad mentem Galeni lenientia, & benedicta pharmaca conuenire videbuntur. At res longe aliter ſe habet; quoniam Galenus clariſſime pharmacum excludit per ea verba, dum habet mulieri grauidæ nullum validum auxilium adhiberi poſſe, validum enim auxilium eſt pharmacia, vt vbique ipſemet docuit, cum autem inquit, quod mulieres vtero gerentes, in febribus mediocribus non ſufficienter purgantur, confirmat in his excludendum eſſe pharmacum, non purgantur enim ſufficienter; quoniam in eis illa tantum purgatio adhiberi poteſt, quam docuit *libro ſecundo, Method. capite nono*, in febribus putridis adminiſtrandam eſſe, vbi monuit expellenda eſſe ea quæ putruerunt, per vrinas, & aluum, & ſudorem, & quandoque per vomitum, ſi materia ſua ſponte eo impetum capiat, ad quam intentionem ptiſanam proponit, & aquam mulſam, & oximele, & apomele, & decoctum radicis apii: quod ſi venter ſponte nihil reddat, aquam mulſam cum oleo iniiciendam per clyſteré iubet; talem purgationem, quæ imminuere materiam poteſt, in vtero gerentibus adminiſtrare poſſumus: at eam, quæ eradicare materiam peccantem poteſt, vt quæ pharmaco electiuo tentatur, non vtique debemus, cum in his valida præſidia adhibere nequeamus; & ideo iure dicebat Galenus, quod cum hæ ſufficienter non expurgentur, quoniam integro pharmaco expurgari non poſſunt, ſupereſt in his aliquid vitioſorum humorum, cuius merito febres vel protrahuntur, vel recidiuæ fiunt. Qua de re concludatur, pharmacum in vtero gerente nunquam, niſi turgente materia, adminiſtrandum eſſe.

Qui priſcam hanc Medicorum antiquorum ſententiam non animaduerterunt, vel neglexerunt, non tantum ad expurgandas mulieres vtero gerentes, ſed etiam ad prouocandum abortum pharmacum exhibere auſi ſunt; Hi conſpicientes mulierem grauidam pleuritide, peripneumonia, angina, febre ardenti, & ſimili alio acuto detineri morbo, aiunt caſum eſſe fere impoſſibilem curatu, quoniam ratione geſtationis vteri mulier debita & opportuna his morbis non poteſt ferre remedia, vnde neceſſarium eſt, vt vel mater vel fœtus pereat, iudicant autem, vt ſaluent matrem, fœtum excludendum, & abortum procurandum eſſe, vt mater à ſtatu hoc naturali liberata tutius poſſit omne remedii genus admittere; & ideo ad hanc intentionem nonnulli auſi ſunt exhibere pharmacum ſoluens; & alia abortiua medicamenta, dicentes, ſatius eſſe fœtum interfici, vt ſaluetur mater, quam eundem vna cum matre periclitantem ex prætermiſſo pharmaco conſeruare velle, quod poſtea in vtriuſque perniciem ceſſurum eſſe affirmant. Hæc ſententia nequaquam admittenda eſt, vtpote quæ nec monumentis antiquorum, nec rationi conſona ſit. Hippocrates in iuſiurando ſuo promittit, ſe nulli fœminæ, quo partum abigat, pertit, ſe nulli fœminæ, quo partum abigat, per datve, medicamentum nunquam daturum eſſe, monetque in libro de natura muliebri, vbi mulier conceperit & prægnans ſit, ſi eryſipelas in vtero fiat, cum tamen eam perituram cenſeat, non vtendum eſſe his cibis, ac potibus, à quibus fœtus corrũpatur.

Galenus

Galenus nunquam docuit abortum procurandum eſſe,fœtuſque ita ſemper curam habuit, perinde ac viuentis hominis, & in morbis acutis mulierum prægnantium monuit lethale eſſe abortum cauſari. Vnde *lib.5. Aphoriſm.Comment.30*.explicans Hippoc. ſententiam dicentis, Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale eſſe, huius rationem aſſignabat,imminentem abortum,qui ex duobus pendere poteſt, primo, ex magnitudine febris fœtum occidentis, ſecundo, ob tenuem victum in morbis acutis neceſſarium, qui obſeruatus, ex alimenti defectu, conceptum deſtruit: quare cum lethale ſit mulieri prægnanti capi morbo acuto ex parte fœtus,quia eius imminet abortus, hinc clare liqueat in morbis grauibus nunquam abortum procurandum eſſe,cum enim hic caſus per ſe ſemper ſit diſcrimine plenus, ſi in morbo grauiori contingat, cum malum malo addatur, res in extremum vitæ periculum deducetur: quare nunquam nec pharmacum, nec abortiuum medicamentum, ad hanc intentionem exhibeatur,ſed ſemper incumbat Medicus conſeruationi fœtus, quantum in eius poteſtate erit,omnia recte circumſpiciens & menſurans, fœtuſque & matris ſimul ſummam habens rationem,ne partu interfecto vna & matrem interficiat, vt ſæpe factum eſſe ab his Medicis apparet, quod ſi oppoſitum nonnunquam viſum ſit, vt ſuperius dixi,hoc non rationi,ſed robori mulierum, per quod errata Medicorum tolerare potuerunt, adſcribant, & hæc de vſu horum trium auxiliorum in mulieribus,dum vtero gerentes morbo acuto laborant,adminiſtrandorum. *Salius, capite vigeſimo ſecundo, de aff. Partic.*

OBSERVATIO.

Grauida, acutis morbis correpta, ſeruata.

MVLIEREM grauidam, morbo quopiam acuto corripi pernicioſum *Hipp. Aphoriſm. Sectio 5.ad Aphoriſm.31.* teſtatur, θανάσιμον intelligimus lethale non quod ſit neceſſe, mulierem correptam morbo acuto,interire: ſed quia magna ex parte. *Hippoc.lib.de morb. mul.* circa initia commemorat, morbos acutos,quibus mulieres grauidæ magna ex parte intereunt,cuiuſmodi ſunt pleuritis,peripneumonia, eryſipelas vteri, angina, febris ardens, phrenitis,epilepſia,apoplexia, conuulſio, tetanus, &c. Idque maxime, ſi hi morbi ſint magni,& vehementes. Multæ tamen ex his morbis euaſerunt, vt quædam mulier laborans febre ardenti, cuius meminit *Hipp. lib.1.Epid.* Præterea multas videmus hodie ex noſtris conualeſcere: fortaſſe quia fortiores ſunt, quam tempore Hippocratis, vel quia noſtris auxiliis iuuantur:vt phlebotomia, quæ, Hippocratis tempore probabatur. Itaque ſententia hæc non eſt vniuerſalis, quia magna pars noſtratium euadunt: & contra moriuntur multæ, præſertim ſi vehemens fuerit morbus.Quod autem hic dicit in genere, particulatim explicat *libro primo, de Morb.Mulierum*, circa initia.*Hollerius Comment.ad Aphoriſm.30.lib. quinto, Hippocratis.*

Nos profecto plurimas vidimus, multas quoque vidère amici,vel pleuriti vel pulmonia, vel angina, alioue quopiam acuto morbo correptus non modo abortum perpeſſas non eſſe, ſed euidentiſſimam vtilitatem ex vena ſecta ſenſiſſe, non ſolum in mediis menſibus, in quibus Hippocrates fieri ſuadet, verumetiam in primis & vltimis.

Sic mulieri Alcmarianæ cui nomen Remula erat, annorum 24.cum ſanguinea & robuſta eſſet, Anno 1549.Menſe Octobri, cum ſæuiſſima pleuritide laboraret in vltimo Menſe partus, hoc eſt, in principio noni Menſis ſanguinem ad vncias quatuor ex baſilica vena eiuſdem lateris,detrahere iuſſimus, & conualuit *Foreſt.Scholio ad Obſ.27.li.2.de feb.* quo plures conſimiles hiſt.recenſet.

OBSERVATIO.

Mulieres prægnantes nonnunquam Diarrhœas innoxie vſque ad tempus partus ferre.

HOc admonitum volo, vt vbi videris fluorem adſiſtendum inobedientem futurum, ne multum vrgeas. Ferunt enim nonnunquam prægnantes eiuſmodi Diarrhœas vſque ad partum citra noxam, vt contigit in vxore fratris mei, quæ prægnans, per quatuor Menſes ſanguinolentas deiectiones, etiam cum raſura inteſtinorum, paſſa eſt, nec vllo medicamento ſiſti poterant, tandem excluſo fœtu ſano & incolumi, ſponte ſua intermiſerunt. *Iohann. Neſius conſilio 32. libro ſecundo, per Laurentium Scholtzium publicat.*

OBSERVATIO.

De vtero gerente muliere Dyſenteria laborante.

PRÆGNANS mulier quum geſtationis nonum Menſem aggrederetur, dyſenteria lethali corripi cœpit, quæ nullis præſidiis domabatur. At quum pareret, illico dyſenteria reſtricta eſt, & illa paulatim ſanitatem conſecuta fuit. Alteram nouimus prægnantem ſex menſium, quæ, quum dyſenteriam patiebatur, abortiuit, & ſana facta eſt. *Amat. Luſitanus Cent.2.Cur.41.*

OBSERVATIO.

Grauida, febri continua & cum tertiana intermittente & periculoſiſſimis ſymtomatis correpta liberatur.

IPſe nuper excubui triginta fere noctibus, cum aliis duobus Medicis, vt morbi ſæuitiam contunderem, quo conflictabatur.M.Comitiſſ.à Tor, quæ vtero gerebat cum his ſymptomatibus, diarrhœa bilioſa, cum torminibus, & periculo dyſenteriæ, dolor capitis, difficultas ſpirandi, cordis palpitatio, animi frequens exolutio, vteri præfocatio,anorexia. Quæ omnia caſus erant febris continuæ, cui tertiana intermittens complicabatur, à quibus ſanata eſt auxilio Dei Opt. Max. *Montuus in Epiſt. dedicat. ad Ludouicum Burgenſem, Theoreſi Medicæ Autoris præfixa.*

OBSERVATIO.

Mulier in ſeptimo geſtationis Menſe graui pleuritide correpta, ſine ſanguinis miſſione, ſudore & ſputo copioſo manante, ſub vigeſimum diem integre curata fuit, fœtu ſaluo.

FILIA Trophimi Icardi viro nupta, vterum ge-
ſtans, in ſeptimo geſtationis Menſe in pleuriti-
dem grauem incidit cum oregmone, id eſt, ſterten-
te ſpiritu in aſpera arteria inter reſpirandum perce-
pto: difficilimaque ſpiratione comitante, cum fe-
bre acutiſſima, delirio, atque vigiliis. Sibi ſangui-
nem mitti non paſſa eſt, ob impręgnationem &
matris ac aſſidentium repugnantiam. Tandem in
ſeptimo naturæ vi ac ductu ſcreare cœpit, remediis
tamen adiuta multis, eclegmatis, potionibus expe-
ctorantibus, fotibus, ſyrupis, vnguinibus. Remitti
febris vndecimo die incipit, procedit ſputum colo-
ratum, coctum, ſine magna difficultate emiſſum vi-
geſimo integre decreuit & liberata eſt, ſudore co-
pioſo manante filiam poſtea peperit vitalem & in-
columem ſuo tempore, nempe nono exacto men-
ſe. Vt videre ſit Deum Opt. Max. quos vult ſua mi-
ſericordia ſeruare eos pręter ſpem omnem & homi-
num opinionem ſeruari artis etiam curatiuæ negle-
ctis canonibus: & ſeruari interdum eos de quibus
Medicus deſperaret, quod eſt à noſtris proditum.
Valleriola lib.6.Obſ.6.

OBSERVATIO.

De pleuritide ſiniſtri lateris graui in muliere prægnante, ſine vllis prope medicamentis, ſed ſolo natura ductu infra quartam diem ſanata.

MARGARETA, vxor Bonæfidei Bruneti
Pharmacopæi Arelatenſis, iuuencula, optimo
corporis habitu prædita, vtero grauis in octauo ge-
ſtationis menſe conſtituta, pleuritide acuta in ſini-
ſtro latere cum febri graui, tuſſi moleſta, & ſpirandi
difficultate corripitur. Vno die miraculo curata,
non miſſo ſanguine, non cucurbitulis adhibitis, vl-
lave purgatione, duobus tantum illi præſcriptis cly-
ſteribus emollientibus, ſputo eodem die cruento
plurimo & cum facilitate emanante: ſudore interim
copioſo ſub noctem ſecuto, poſtridie ſana euaſit,
abſque dolore, abſque febri, (quæ tamen vehemẽ-
tiſſima in ea erat,) & abſque vllis ſymtomatis relictis,
à morbo integre curata remanſit: tantum natura in
bene habito corpore & florenti ætate poteſt. Obſer-
uatum Arelatæ Anno M.D.LXI. ſub finem Menſis
Aprilis. *Idem lib.4. Obſ.1.*

OBSERVATIO.

Deplorata Angina in prægnante curata.

NOVIMVS mulierem, quæ annum trigeſimum
ſextum agebat, in ſexto Menſe prægnantem:
ad quam Anno 1562. in pago cui ſylua nomen erat,
prope Delphos, decumbentem ex grauiſſima angi-
na, in qua muſculi gutturis interiores & exteriores
inflammati erant, adeo vt pene ſuffocaretur, acciti
fuimus cum iam ſecundus dies ageretur, quo fauces
præoccluderentur ob inſignem tumorem, qui in
parte colli dextra durus hærebat, ſuperius etiã fau-
ces occupans, & intus tum guttur, tum fauces ſimul
comprehendens cum febre continua & capitis inſi-
gni dolore vix ſpiritum trahens, gulamque præoc-
cludens, vt neque potum neque cibum, quantum-
uis molliſſimum deglutire poſſet. Cum nocte præ-
cedente aluum per ſe deieciſſet & vena ſecta eſſet,
quatuor vnciis ſanguinis emiſſis, ne animi deliquiũ
ſequeretur in prægnante: deinde gargariſmis aptis,
prout tempus morbi ſuadebat, adhibitis; & inun-
ctionibus in collo peractis, tum emplaſtris commo-
de impoſitis, & cataplaſmate conuenienti collo ad-
moto, & venis etiam ſub lingua ſectis, tertio die tu-
mor, qui intus latebat, parum detumuit, vt degluti-
re potum potuerit. Rurſus cataplaſmate diſcutiente
& parum emolliente, etiam adiuncto nido hirundi-
nis, poſt meridiem ſpectauimus tumorem magis ad
exteriora vergere, & cum iterum admoto empla-
ſtro conueniente, (cum melius tranſglutire poſſet)
Mannę vnciam vnam ſemis, cum aquæ ſcabioſæ vn-
ciis duabus, in nocte ſumſiſſet, tum per aluum de-
poſuit: & quarto die poſt alui ſubductionem meli-
us alimenta liquidiora ſumere poterat. Et cum ali-
quo modo tuſſiret Syrup. Viol. & liquiritiæ, adiecto
zach. penid. lambebat; etiam cataplaſmate adhibi-
to, per reſolutionem curata fuit in ſeptimo; febre
quoq; eam relinquente, cum ab aſtantibus pro de-
plorata habita fuiſſet. *Foreſt. lib.15. Obſ.22.*

OBSERVATIO.

Grauida Hydropica.

HIppocrates *1. de morbis* ſcribit, quod ſi mulier in v-
tero habeat, & fiat hydrops, corrumpitur fœ-
tus. Vnde etiam in hydropico vtero poſſe fieri con-
ceptum, quotidiana etiã experientia probatur: mu-
lierem videlicet non ſolum conceptum & hydropẽ
ſimul habere in vtero, ſed etiam cum hydrope par-
tum ad maturitatem perducere. Nam *Hipp. lib. de Ae-
re, Aquis & locis* dicit, apud Scythas mulieres ſæpe de-
cipi, quod exiſtimant ſe in vtero habere fœtum, &
hydropicæ ſunt. Imo anno elapſo Venetiis fuere
Nobiles mulieres, quas Medici putarunt ſolum hy-
dropicas eſſe, & tamen inuentæ ſunt, vna cum aqua
conceptum habuiſſe. *Mercurialis de Morb. Mulierum
lib.1. cap.2.*

Herbypoli Aulici cuiuſdam vxorem hydropicam
aperui, præſente CL. V. D. Ioanne Eraſmo Flôſſero
Compatre & Collega tum meo Chariſſimo. Quæ
per annos quindecim in coniugio ſterilis vixerat. Ea
poſt triduum enixa eſt infantem mortuum flaccidũ
omnino, colore liuido perfuſum, & quantum con-
iectura aſſequi potuimus, vix quadrimeſtrem, quem
proculdubio tempore morbi ſui conceperat. Paucis
poſt diebus, ipſa quoque diem ſuum obiit. De hac
Hiſtoria extat ſequens Epigramma meum ad eun-
dem Flôſſerum conſcriptum.

Paucos ante dies ſtupefacti inſpeximus ambo,
Quam longo afflixit tempore dirus hydrops.
Vidiſti tumidum cui me pertundere ventrem,
E cuius tantum abdomine fluxit aquæ:
Illa eadem, Flôſſere, hac nocte puerpera facta eſt,
Quæ ſterili vixit hactenus in thalamo.
An non miraclis res annumeranda videtur,
Cui ſit poſteritas vix habitura fidem?
Quod prius incolumi natura negauerat, illud
Oppreſſæ morbo poſt tria luſtra dedit.

De *CL. V. Ioannis Poſthii Obſeruationibus liberaliſſ. mihi communicatis.*

Mulier Alcmariana, quæ in Platea Cæltunia di-
cta, ex hydrope decumbebat: hæc ipſa grauida ac
ſimul hydrope laborãs, poſtquam peperiſſet, quin-
que deinde diebus à partu mortua eſt, ventre æque
diſtento

diſtento permanente, hinc ſuborta opinio eorum qui artis medicæ ignari ſunt, qui dicerent arborem in corpore adhuc permanſiſſe, quæ multo ante increuerat: alii vero, vt & obſtetrix, ſecundum partum adhuc in corpore ſubeſſe, conſtanter pronunciabunt: aliæ vero mulierculæ molam eſſe ſuſpicabantur: aderat etiam empiricus, qui veſiculas hepati adhærere ſomniabat, ex quibus aqua in ventrem deſtillauerat. Ego vero cum ſuſtinerem neque ſecundum partum eſſe, neque molam, ſed ventrem diſtẽtum eſſe hydrope: & cum precibus quibuſdam diuitis matronæ, vir eo perductus eſt, vt in vxore mortua fieret inciſio: quam cum admiſiſſet, effluxit è ventre tanta aquæ copia, vt octo congios Hollandicos pluresve vas cadaueri ſuppoſitum receperit. Erant autem interna viſcera præſertim inteſtina fere omnia præter vterum ac renes corrupta & liuida, neque alius fœtus in vtero inuentus eſt, neque mola reperta: peritonæum vero vndique diruptum erat, ex aquæ mole, vt arbitror: omentum plane conſumtum, vt eius partes putridæ & diſruptæ cernerentur, hepar vero in ſcirrhum erat mutatum, ac lienẽ quaſi lapidoſum conſpeximus. Sed arborem, (vt ſycophãtæ delirauerant) nullam inuenire potuimus. *Foreſtus lib. 2. de incerto vrinarum iudicio.*

Anna Iacobi Ribes, ruſtici in vico ſiue oppidulo Hohenſteig appellati, ventris inferioris tumore inſigni ac pene incredibili totis ac integris fere ſeptem annis ſine vllo tamen domeſticorum officiorum ac rei familiaris ſuæ impedimento laborans: tandem eo ipſo anno, quo obiit mente capta, puerulum perelegantem ac perfectum, omnibusque corporis partibus efformatum, ac vitalem peperit, permanente nihilominus illo inſigni ventris tumore. Magna fuit inter Medicos quorum opem implorabat, diſſenſio, aliis molam, aliis hydropem, aliis vero aliud quidpiam à natura prorſus alienum, vtero geſtari, iudicantibus. Eo ipſo autem anno, quo obiit diebus circiter quatuordecim ante obitum, mente priſtinæ reſtituta, tandem interiit relicto poſt ſe puerulo, quem paulo ante, quemadmodum diximus, peperit. Nomen infanti à Thobia Rencero paſtore illius datum fuit Benjamin: eo quod mater prægnans ignorauerit, vtrum infantem, an vero quidpiam aliud vtero geſtaret. Aperto à me ipſo ex conſilio magiſtratus, poſt obitum, ipſius ventre, tantam copiam aquæ putridiſſimæ ac fœtidæ in ipſa capacitate abdominis inueni, vt integras duas omas noſtratis menſuræ, facile adæquare ſi non ſuperare potuiſſet. Conſideratis itaque ſummo cum ſtudio ac diligentia interni corporis viſceribus, nihil aliud obſeruare potui, quam hepatis gibbam partem, liuido plane & nigro quodam colore infectam. Lienis viſcus, per medium diſſectum, grumoſi ac putrefacti ſanguinis inſtar comparuit: ſolidiore ipſius ſubſtantia quaſi colliquefacta. Cùm enim ipſum leuiter & molliter quidem cultro tractarem, adeo totus diffluxit, ac ſi ſolummodo congelatus ſanguis fuiſſet, & niſi membranula ipſum circumcingens illæſa ac integra permanſiſſet, proculdubio totus per ſe ipſum deſluxiſſet. Agatha, huius ægræ mater, fere ſimili tumore ventris quodam tempore quoque laborans cum æſtate ceraſis ad nauſeam vſque veſceretur, tantam ſubito copiam aquarum per aluum deiecit, vt ea ipſa die tota illa ingens ventris moles, interea euanuerit, priſtinæ itaque valetudini reſtituta: iſta hanc ipſam, ſi recte memini, Annam poſtmodum peperit. *De obſeru. CL. V. Melchioris Sebitzij mihi communicatis.*

Nos quoque vicini noſtri Ioannis Demleri veſtiarij vxorem grauidam ſimul & hydropicam vidimus. Quæ fœtum non tantum ad iuſtum tempus pertulit, verum etiam eundem quoque vitalem enixa eſt: magna vi aquæ vna cum fœtu, & puerperii purgamentis, inter enitendum, profuſa: ventre æque diſtento permanente. Pullus bimeſtris vita exceſſit, quem mater paulo poſt ſubſecuta eſt. *Schenckius.*

Observatio.

Embryo hydropicus.

Embryonis maſculi quatuor vel quinque menſium hydropici, cuius totius corporis cutis & capitis quoque piloſa, aqua ſubtercutem tumebat, cum interiora examinarem: vrachum non ad vmbilicum pertinere eumque peruadere, ſed in cauam venam ſub renibus deſinere, eamque vniuerſam ſeroſo ſanguine refertum eſſe deprehendi. *CL. V. Felix Platerus de ſuis ad me tranſmiſſis obſeruationibus.*

Observatio.

Grauidis nonnullis inſignis narium hæmorrhagia innoxia.

Sauanarola multæ experientiæ Medicus olim obſeruauit Neptem Domini Proſdocimi de Comitibus, prægnantem, à qua exiuerunt in duodecim diebus libræ vltra ſedecim per nares, fœtusque ſanus exiuit, mulierque à morbo euaſit, vixitque puer. *Hor. Augen. lib. 5 epiſt. 1. c. 6.*

Scribit Fernelius extitiſſe acute febricitantem grauidam, cui die ſeptimo tanta copia è naribus ſanguinis promanarat, vt peluim impleret, æquaretque libras paulo minus quatuor, ſuperſtite matre ſeruatoque fœtu in maturum pariendi tempus vegeto ac viuido. *Iodocus Lommius ſect. 1. de curandis febribus continu.*

Observatio.

Grauida ſanguinis vomitum ad ſeptem menſes perpeſſa, peperit feliciter.

Quædam mulier paſſa ſanguinis vomitumq; 7. menſes fuit grauida, & tamen peperit filium eleganten. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

Observatio.

De prægnantis Baroniſſæ N.N. infirmitate ex immodico fluxu menſium, eoque continuo ad quinque ſeptimanas, curata à Iacobo Horſtio.

Cvm vocationem ad Medicum Prouincialem ordinarium Archiducatus Auſtriæ ſuperioris, vix ingreſſus eſſem, Baroniſſa heroica & illuſtris, quã honoris cauſa nominare nolo, ex Vngaria ſuperiori & Sepuſio cum marito Barone iter ſat longinquum curru per alpes & montes facit, menſium profluuium ſatis magnum continuo ſentit, ventrem quoque ſubinde tumeſcentem, & imbecillitatem tantam, vt lecto decumberet. Etſi antea menſibus ceſſantibus ſeſe grauidam putaret: tamen, fluentibus menſibus vltra quinque ſeptimanas, ab hac ſententia diſcedit, & Viennæ duobus Medicis doctiſſ. ſane & exper-

expertiſſ. ac inſuper etiam tertio Italo Lyncio euocato vtitur, qui vel vteri hydropem, vel vniuerſalem totius corporis ſtatuunt, omnem diligentiam adhibent in curanda ea. Sed & ventris tumore creſcẽte, & imbecillitate aucta, ſeſe deportari in arcem ſuam diſtanti duobus miliaribus à Cremſa, mea vtitur opera & conſilio. Ego re diligentius conſiderata, præſertim cum nihil niſi venter & mamillæ tumeſcerent, ac mane magis quam alias vomeret, prægnantem eſſe conſtanter moneo, nec mihi tantum profluuium menſium obſtare in ea, quæ erat & ſanguinea, & plethorica, videbatur, qui id quod res erat ex motu nimio apertas venas menſium in ceruicem tendentibus eſſe ſtatuebam, infirmitatem autẽ merito accidere maiorem, quia ſanguinis nimium excretum, & hepar vireſque naturales debilitatę adeo eſſent, vt appetitu omni deſtitueretur, & præ inopia caloris natiui pituitam, quam ſæpius vomebat, collegiſſet, conſilium meum addo, vt veluti prægnantes curetur, & præſeruaretur, ne hydropica pręgnans ſimul foret. Vſa eſt meis medicamentis, triduum adhibui intus corroborantia, Morſulas nulli prægnanti noxias quæ cor & ventriculum & hepar corroborarent, præſertim cum nimio defluxu eſſet refrigerata nimis. ℞. marg præp. corall. præp. alb. an. ſcrup. s. zinzib. drach. j. s. cinam. drach. ij. caryoph. macis, nucis moſch. an. ſcrup. ij. cardamomi vtriuſq; an. ſcrup. j. ſacch. lib. j. cum aq. roſ. & cinam. diſſoluti; & fiant morſulæ aromatibus groſſis manentib. Externis cũ maluatico, pane, & puluere, qui ℞. Menthæ drach. ij. caryophil. ſcrup. iiij. nucis moſch. drach. j. roſ. rub. drach. j. s. miſce & f. puluis. Emplaſtrum ventriculo adhibui. quarta die leniter purgaui hac potione. ℞. rad. liquirit. cichorei an. drach. j. polipod. drach. iij. s. aniſi. drach. j. s. melonum excort. drach. j. herb. agrimoniæ M. j. acetoſæ. endiuiæ an. M. s. flor. borrag. roſ. rub an. p. ij. fol ſennæ ſelect. drach. vj. maſtich. in petia ligati drach. j. paſſul. maiorum enucl. vnc. j. Coquantur in s. q. aquæ, & vini, poſt colentur vnciæ vij. & in colatura infundantur rhabarbari electi ſcrup. ij cinamomi ſcrup. s. agarici trochiſc. in petia ligati drach. j. mane colentur ſine expreſſione vnc. iij. & adde mannæ vnc. s. ſyr. de ſucco granator. vnc. j. Miſce & f. potio. Purgatio bene ſucceſſit, ſine torminibus venter quinquies ſoluitur, quinta die ad vſum morſularum & emplaſtri redit, & ſic deinceps. Redeo domum Reuocor poſt 7. dies iterum, dicit in pręſentia mariti, meliuſcule habeo, iterum cum appetitu edo, ambulo firmius, & mihi ambulationem de conclaui in alterum oſtendit, ſed addit, tumor ventris creſcit. Non hic eſt hydropis, ſed gerentis vtero. Concludo ipſi poſtea nihil niſi morſulis vtendum, quas à me quater repetiit, & quinque menſibus poſt circiter peperit filiam ſanam ipſa ſana. *De CL. V. Iac. Horſtii Exemplis raris, per CL. Laurent. Scholzium ad me datis.*

Observatio.

Menſes fluere nonnullis grauidis aliquandiu, vel etiam toto vteri geſtationis tempore, idq; citra offenſam matris & fœtus.

PLurimis nutricibus etiam ordinatas purgationes fluxiſſe vidimus, & multis vtero gerentibus: ambabus tamen multi ſanguinis & natura, & ex victu pleniore. Quid, quod mihi viſæ quæ ad iuſtum tempus fœtum non ferebant, niſi præter has purgationes, vena quoque cubiti ſecta, ſanguinem minuerent, à cuius copia animo linqui, & ſuffocari ſe pronunciarent? Abſurdum igitur mihi eſt à conceptu, menſtrua effluere. (Nam etiam poſt conceptum aliquandiu prodeunt, quanquam parce nec ſemper) ſed morbidum id eſt, quamobrem paucis & raro accidit. *Syluius com. de menſib. mulier.*

Quidam dicunt, quod ab experientia videmus, mulieres & vſq; ad quinque & ſex menſes purgari (grauidas) & non offenduntur pueri (hoc eſt, fœtus in vtero) ad hæc dicimus quod purgantur quidem, ſi contingat ipſas humoribus plenas eſſe, & non offenduntur, quoniam parum purgantur. *Braſſauolus com. ad aph. 60. lib. 5. aph. Hipp.*

Nonnullis grauidis etiam toto geſtationis tempore fluunt menſes, ex venis ſcilicet, quæ in collo vteri ſunt. Ab anterioribus enim quæ deſinunt in vteri capacitatem ſecundinæ pendent, vt nihil per eas reiiciatur, vel auctore Galeno. *Ioubert. com. ad c. 3. lib. 2. Gal. de nat. facult.*

Complures noui quibus vtero gerentibus ſingulis menſibus menſes profluebant, quod ob magnam ſanguinis copiam in illis mulieribus euenire certum eſt. *Columbus lib. 12. anatom.*

Prægnantibus aliquibus ſingulis menſibus prodire purgationes, ſed paucas, animaduertere licet, ſed eaſdem paucas, quia ex ſolo collo vteri. *Cardanus de cauſ. ſig. ac loc. morb.*

Ego ſane multas in hanc vſque diem cognoui fœtus validos emittentes, quæ ſingulis menſibus ex vtero purgamenta emittebant. *Horat. Augen. lib. 5. epiſt. 1. cap. 10.*

Quædam grauida patiebatur profluuium menſtruorum in maiori quantitate, quam aliis temporibus & ſanitatem non obnubilauit.

Similem ego noui & curæ interfui prope Grevenbruigum, quæ iam vicina partui, patiebatur grauiſſimum profluuium menſtruum, vt magna concreti nigrique ſanguinis fruſta excernerentur, & tandem conualuit. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

Observatio.

Menſtrua purgatio in grauidis quibus modis fiat.

NOn ignoramus veram purgationem menſtruã in grauidis fieri poſſe, ſed diuerſo modo eoque duplici. Vno, primo menſe per vteri capacitatem, quia adhuc os illius non ita conſtrictum eſt, cum etiam fiat ſuperfœtatio. Altero, per alterum ramum ſpermaticæ iuxta hæderiformem, quæ ad latera vteri deſcendit & hypogaſtriæ occurrit.

Sed vnicuique liberum ſit vocare vt libuerit: curationem tamen eandem non habere perſpicuum eſt. Curatur enim fluxus huiuſmodi eadem ratione, qua hæmorrhoides, præſertim quod attinet venæ ſectionem. Nam retentis menſtruis vena cruris ſecatur, hæmorrhoidibus ſuppreſſis interdum vena cubiti. Quod hic quoque obſeruandum eſt; Proinde hi affectus diſtinctione opus habent: λόχια quoque diſtinguenda, tum quod edito fœtu tantum prodeant, tum quod comprehendant quicquid poſt fœtum & ſecundas exit à puerperio. *Scholiograph. ad cap. 58. lib. 1. de morb. intern. Hollerii.*

Locus per quem ſanguis menſtruus excernitur vterus eſt, ad ipſum enim perueniunt venæ magnæ & arteriæ

arteriæ ex vaſis, quæ ſunt iuxta os ſacrum. Ex quibus quædam inſeruntur in vterum, per quarum orificia in eius cauitatem patentia (cotylidonas Græci, & Latini acetabula appellant, quibus venæ & arteriæ vmbilicales dictæ adhæreſcunt) ſanguis excerni ſolet in virginibus & mulieribus quæ nō conceperunt. Quædam vero in collum vteri & pudendum diſſeminantur per quas, tempore conceptus, ſolet fieri in aliquibus grauidis menſtrua euacuatio. Non ab interioribus quæ ſunt in cauitate vteri, quia ab his ſecundæ pendent, & ideo nil poſſunt in vteri ſinum immittere, vt autor eſt *Galenus libr. 5. aphoriſmor. com. 60.* Ex his intelligemus, an, quæ *Iacotius in ſuo Scholio* ſcribit, vera ſint: duo enim perſuadere conatur. Primum eſt, in grauidis fluere aliquando ſanguinem menſtruum non per collum vteri, ſed per eius cauitatem: in primo tamen menſe, in quo os vteri multum non eſt conſtrictum, vt oſtendit ſuperfœtatio, quæ eo tempore fieri ſolet. Secundum eſt, euacuationem ſanguinis factam per venas, quæ ſunt in collo vteri, non eſſe menſtruam, ſed hæmorrhoidalem, quia ſanguis ille craſſus eſt, & venæ ſunt iuxta anum, & habent orificia in cauitatem patentia. Ex curatione hoc ipſum probat, quia ſi hæc euacuatio per vteri collum facta ſupprimatur, curatur ſanguine miſſo non ex pede, vt in ſuppreſſis menſibus: ſed ex brachio, ea ratione, qua in hæmorrhoidibus ſuppreſſis facere ſolemus. Hæc Iacotius, qui maxime & craſſe decipitur. Primo, quia ſi orificia venarum in cauitatem vteri patentia, tempore conceptus, adhærent orificiis vaſorum quæ per chorion diſſeminantur, non poterit, vt recte docuit Galenus, ſanguis per illas in cauitatem vteri excerni. Neque id recte ex ſuperfœtatione probat, quia hæc non ſolum in primo menſe, ſed & in quarto & quinto contingit: vt enim multa taceam exempla; Vxor cuiuſdam doctoris, qui hic Valentiæ Regiæ cancellariæ præſidebat, Gallart appellati, poſt quatuor menſes ab obitu viri filium peperit, & deinde nono menſe alterum. Neque enim cauſa ſuperfœtationis conſiſtit in eo quod orificium vteri ſit apertum aliquantulum (vt ſimul etiam voluit *Valeſius libr. 1. epidem. comment. 11.*) quæ ſemper euenit orificio ita clauſo, vt ne ſpecilli cuſpidem admittat: ſed in vteri attractione, quæ tunc contingit, quia dilatatur in coitu à fricatione & calore orificium vteri, & ita ſemen attractum poteſt vteri cauitatem ſubire. Altera Iacotij ſententia manifeſtam habet redargutionem; quia ſi ſanguis per collum vteri euacuatus ſemper ex vena caua fluit, & euacuatur non per venas in ani cauitatem patentes, quomodo erit hæmorrhoidalis? Præſertim cum non ſit ſanguis craſſus (vt ipſe ſentit) ſed optimus, venas quantitate grauans. Ratio ex curatione deſumta nil concludit; quia ſi ſupprimatur illa euacuatio, quæ in grauidis per collum vteri contingit, ſi lædit, nōn mouemus eam, ſecantes venam pedis, ne multo ſanguine euacuato, qui inferne habet impetum, fœtus moriatur, ſed ex brachio vt euacuemus redundantiam. *Micha' Ioan. Paſchalius Scholio ad c. 55. lib. 1. de curand. morb. Pet. Paul. Perede.*

OBSERVATIO.

Grauidis plethoricis ad præcauendum aborſum, ne fœtus ſanguine ſuffocetur, venæ ſectionem profuiſſe, imo ſæpe neceſſariam eſſe.

RECORDOR, quod dum Auximi, omnium totius Picem ciuitatis antiquiſſimæ, medicinam facerem, Nobilem quandam mulierem ſingulis annis aborſum in tertio menſe fuiſſe perpeſſam: Alteram etiam noui, quæ parum ſupergreſſa quartum, mortuum puerum ſingulis annis emittebat. Dum pro meo munere inueſtigare cauſas conor: inuenio aliam non adeſſe cauſam, quam plenitudinem ſanguinis puerum ſuffocantem: in quam ſane opinionem veni, quoniam ex cauſis, aborſum facientibus, nulla quidem aderat, multitudine demta, cuius manifeſtum apparebat indicium ex plethorico illius habitu, & victus ratione euſarca. Itaq; conſtitui primis menſibus copiam ſanguinis, vena ſecta in gibbero, diminuere, atq; etiam iterationem adhibere. Reclamabat Anxymanus Medicus, huic ego parui pendens, ſtatuta deliberatione, accedo ad auxilium. Mirum eſt dictu, quanta fuerit felicitate excogitatum: nam quæ ante noſtrum aduentum quater abortiuit, nunquam poſtea id perpeſſa eſt periculum, & adhuc viuit cum ſobole numeroſa. Hoc igitur auxilium præſente neceſſitate non eſt prætermittendum. *Horat. Augen. lib. 5. epiſt 1. cap. 7.*

Quemadmodum ſanguinis inopia poteſt fœtum citra controuerſiam perdere, ſic arbitror copiam repente irruentem ſuffocare. Neque multum eſt infrequens caſus, vt aliquis fortaſſe putaret, quando poſſum teſtari me, in hanc vſque ætatem, obſeruaſſe quatuor hoc periculum ſubiiſſe. *Idem citato loco.*

Anno ſuperiori Illuſtriſſimæ Principi Ebulenſi Dominæ Annæ à Mendoza, octauo geſtationis menſe, bis ſanguinem miſi, & anno præſenti octauo quoque geſtationis menſe ad decem vnciarum quantitatem, cum magno eius, & fœtus commodo, ſanguinem detraxi. Non tamen vult Hippoc. eſſe exercendam ſanguinis miſſionem in vtero gerentibus, niſi magno vrgente vſu, præſertim vbi fœtus eſt maior. *Chriſtoph. à Vega com. ad lib. 5. aph. 31.*

Illuſtriſſ. Principi Dn. Catharinæ Cleuenſi Duci Guiſianæ prægnanti vena celeber. Med. conſilio ſæpius ſecta eſt, ne nimia ſanguinis vbertate fœtus quē vtero gereret obrueretur, ipſaque ab imminenti abortu vindicaretur. *Nic. Frambes. Veromanduus in medic. Canon. lib. 1. pag. 37.* facie auerſa.

Diligenter conſiderandum eſt, plurimas inueniri mulieres, in quibus ſanguis tantum ſuperabundat, vt tempore etiam quo grauidæ ſunt menſes ab eis prodeant, abſque aliquo embrionis (fœtus) nocumento, imo vidi aliquas quæ ex nimia ſanguinis abundantia fœtum ſuffocabant, & eis phlebotomatis ſeruatus eſt fœtus. Et ego olim duas curaui mulieres prægnantes, in altera quarum ſuffocati fuerant quatuor filij in octauo menſe, in altera vero duo in ſexto, quibus, dum interim grauidæ eſſent, iuſſi ſecari venam baſilicam dextri brachii in 5. menſe, & copioſe ſanguinem educi, & in ambabus ſeruatus eſt fœtus, non ſolum ſemel, ſed etiam pluries, cum grauidæ factæ fuerunt, & inciſa itidem in eis vena. *Hieron. Accoronbon. Eugubius circa finem part. 1. tract. de nat. & vſu Lactis.*

Phlebotomia parua in prægnante nō eſt cauſa abortus: quinimo, vt ſæpe experientia noui, in pluribus talem phlebotomiam feliciſſime ſuccedere reperi, vt in magna ſanguinis repletione, ex qua contigit aliquando

aliquando mulierem aborſum incurrere, potiſſimũ in principio, in quo non indiget embrio multa ſanguinis quantitate, in quo caſu vtiliter, imo neceſſario conuenit phlebotomia ad prohibendum aborſum, vt in Illuſtri comitiſſa Argentina Vxore Illuſtris Comitis Guidonis de Ragonibus apparuit: cui in principio imprægnationis opus fuit, ad minuendum ſanguinem & prohibendum aborſum, mittere ſanguinem. Quod etiam manifeſte apparuit in quãpluribus mulieribus temperatura ſanguineis, in quibus contingit in primis menſibus menſes fluere fœtu reſeruato. *Ant. Maria Betta comment. ad 4. Fen. 1. Can. Auic. cap. 20.*

OSBERVATIO.

Grauidis nonnullis, vel per errorem, vel certo conſilio. etiam fortiſſima non tantum catarctica, ſed & menſes ducentia, ſudorifica, idq; genus alia medicamenta exhibita & adminiſtrata, nullo vel fœtus vel matris incommodo, imo aliquando magna cum vtilitate.

VOlo dicere in hoc loco, quod mihi ſucceſſit cũ eſſem in carceribus de Haly. Vxor mea erat prægnans, & hoc ignorabam, & ipſa infirmata fuit tali paſſione, quod neceſſe fuit mihi dare ei medicinam laxatiuam, quæ fuit talis, quod nullus poſſet æſtimare quod aliqua prægnans, etiam ex aſſumtione modicæ quantitatis, fœtus in ea poſſet remanere: & poſtea declarata fuit imprægnatio eius, & me pœnituit valde de errore quem feceram: quare miſericordiam quæſiui ab altiſſimo creatore de eodem, & peperit filium maſculum, quem hodie mecum habeo. *Auenzoar Theiſir lib. 2. tract. 3. c. 1.*

Sartoris cuiuſdam vxor, in vrbe Serueſtenſi (nam pro tempore Serueſtæ commorabar) ſerpigines in ſiniſtra manu diu habuit, quæ linimentis & vnguentis adhibitis nonnunquam receſſerunt, ſed paulo poſt rurſus eruperunt. Tandem, neſcio quo vnguento curatæ ſunt. Sed ex illo tempore fluxu albo laborauit, cuius malignitate & acrimonia loci muliebres fuerunt exulcerati, & cum ingenti dolore, vires labefactante & ſomnum adimente, vna pudendi ala (referente chirurgo) non modo corrupta, ſed fere penitus abſumta eſt, neque dolor ille vllis medicamentis à chirurgo adhibitis potuit placari. Multis igitur precibus à marito, vt auxilium ferrem, rogatus, dico quod res eſt, aut matri vna cum fœtu pereundum (vterum namque geſſit, & fuit ſextus poſt conceptionem menſis) aut fœtum, vt mater ſeruetur, negligendum eſſe. Me tamen ſumma diligentia operam daturum, vt, ſi fieri poſſit, mater ita curetur, ne fœtus in vtero detrimento afficiatur. In primis igitur præſcribo medicamenta leniter purgantia, quæ cum nihil prodeſſent, & malum indies augeretur, exhibeo inter alia etiam confectionem hamech, corpuſque, neceſſitate ſic poſtulante, probe purgo, quibus medicamentis ſine aliquo incommodo vſa eſt. Tandem decoctum Sarſæ parillæ, additis rad. garyophillatæ, glycirrhizæ, & paſſulis, propino, pro viribus ſudare iubeo, ſingulis ſeptimanis corpus conuenientibus medicamentis purgo, & petias in potione ſudorifera loco affecto applicare mando. Et cum vlcera illa putrida conſolidari nollent, coactus ſum etiam adhibere fumum è cinnabrio, thure, & aliis. Atque ita tandem miſera illa muliercula, Deo medicamentis benedicẽte, ſanitati reſtituta, poſt duos menſes puerum bene carnoſum enixa eſt, nec vllum incommodum à medicamentis vehementioribus ſenſit.

Noui etiam mulierem nobilem, quæ nuper ſecundo poſt conceptionem menſe, hauſit medicamentum fortiter purgans, è quo triginta habuit ſedes, vt etiam viribus poſtratis in animi deliquium incideret, & tamen fœtus non eſt expulſus.

Alia etiam nobilis Matrona, tertio poſt conceptionem menſe per quatriduum potiones fortiter purgantes, ſine noxa ebibit. Hæc autem non ideo recito, quod author eſſe velim, vt mulieribus prægnantibus medicamenta fortiter purgantia dentur; ſed tantum volo, ſi neceſſitas ſumma poſtulet, potius cum periculo miſeris prægnantibus prudenter ſuccurrendum, quam eas vna cum fœtu negligendas eſſe, Deumq; ſemper & matris & fœtus curam agere non dubitandum.

Fuit Virgo in hoc oppido, quæ de grauiſſimis doloribus ventris à menſium obſtructione prouenientibus, conquerebatur: cui initio lenia quædam medicamenta (neſcio quid ſuſpicans) propinaui. Cõfirmatus autem ab obſtetrice (quæ eam nudam cõſpexerat & contrectauerat, ac ventrem eius nonnunquam in magnum tumorem attolli, paulo poſt iterum tumorem euaneſcere, mihi perſuadebat) præſcripſi ei medicamenta aperientia, flatus diſcutientia, & etiam fortiter purgãtia, atque inter alia etiam pilulas de Sagapeno. Sed cum ſemper quereretur medicamenta eſſe imbecilliora, & fortiora expeteret: dolum ſubeſſe non dubitaui. Interea fama ſparſa eſt eam eſſe grauidam, & paulo poſt peperit Lepuſculum, nam parens eius infantis, qui ſe ſubduxerat, vocabatur Lepus. *Cl. Ioan. Francus Hildeſius Medicus Camenicenus, de ſuis nuper communicatis obſeruationibus.*

Honeſtam matronam nouimus, nondum quadraginta annos excedentem, quæ quinto marito nupta, ſterilis permanſerat: reſpondentibus nihilominus menſibus. At illis ipſis tandem tertium deſideratis, cum ventrem ob muliebrem purgationem detentam diſtendi putaret, nihil de conceptu ſollicita, vtpote conclamatæ ſterilitatis perſuaſa, imminentes inde morbos præuentura, validum omnino, nam clementioribus nihil profecerat, ad exigendos menſes, à medico depoſcit & impetrat medicamentum. Qui trochiſcos de myrrha, in catapotia conformatos, cum ſerapio de arthemiſia ſumenda decernit. Quorum vſu adeo non fuit commota ſeu perturbata mulier, aut offenſa; vt de cætero, vna cum fœtu recte valens, partum ad iuſtum tempus vſque pertulerit: & tandem filium, qui vel hodie in viuis eſt, feliciter peperit. *Schenckius.*

DE PARTV.

ET PRIMVM,

DE TEMPORE PRÆCOCE ABORTIVO.

ABORTVS.

OBSERVATIO.

Abortuum aliquot deſcriptiones.

QVomodo genituram ſex dierum viderim, narrabo. Mulier nobis familiaris fidicinam habebat elegantem, virorum conſuetudine vtentem, quam

tamen

tamen ventre cõcipere non conueniebat: vti ne minori in præcio haberetur. Audierat autem pſaltria illa mulieres narrantes, ſi mulier conceptura ſit, genituram non egredi, ſed intus manere. Quibus auditis & intellectis, hoc deinceps obſeruauit: & quum quandoque ſentiret genituram non exeuntem, dominæ expoſuit, & ſermo ſtatim ad me peruenit. Ego vero quum id audiuiſſem, iuſſi vt in terram deſiliret. Quod cum ſepties feciſſet, genitura in terram profluxit, cum ſonitu. Illa videns, mirari cœpit. Nunc qualis fuerit ego referam. Velut ſi quis ouo crudo externam teſtam circumcirca adimat, & per internam pelliculam incluſus humor transpareat, talis erat genitura illa, vt vno verbo dicam: rubra quinetiam & rotunda. In membrana vero fibræ quædam albæ ac craſſæ apparebant, cruore craſſo & rubro obuolutæ: eidemque membranæ foris cruenta inerant veſtigia: iuxta medium vero tenue quid eminebat, quod mihi vmbilicus eſſe, eoque primum tum expiraſſe videbatur: quin & membrana, geniturram complectens, tota ex illo tendebatur. Talem ſane ego genituram ſex dierum exiſtentem vidi. *Hipp. lib. de natura Pueri.*

Primum cum genitura in vteros peruenerit ſeptem diebus habet quæcunque corpus habere debet, quomodo id ſciam. Atq; multa talia ego vidi hac occaſione. Meretrices publicæ, quæ ſæpius huius rei periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, ſciunt, quando in ventre conceperint, & mox conceptum intra ſe perimunt. Poſteaquam autem peremtus eſt, elabitur veluti caro. Hanc ſi in aquam coniectam accuratius inſpexeris, omnia membra habere comperies, & oculorum regiones, & aures, & brachia, & manuum digiti, & crura, & pedes, & pedum digiti & pudendum, & reliquum totum corpus cõſpicuum erit. *Hipp. lib. de ætate.*

Pudendum non ita cito formari teſtatur Galenus his verbis: neque enim, ipquit, ſtatim vt ſemen in vterum coniectum eſt, neque diutiſſime poſt (quod ex anatomicis didiceris) alterutrum adhuc pudendum formatur. Ignorabiſque ſit ne mas an fœmina, quod conceptum eſt, poſtea vero tandem deprehẽditur, fitque conſpicuum, & cæt. vt merito dubites pluriumne, quam ſeptem dierum, eſſent ij abortus, quos Hippocrates hoc loco à meretricibus publicis enectos tum deinde eiectos foras ſeptimo ſe die vidiſſe teſtatur. Nam, quod ad me attinet, adduci non poſſum vt credam tam breui tempore, intra dies dico ſeptem, genituram etiam in frigidam coniectam expreſſa quam voles leuiter & obſcure ea oculis ſubiicere, quæ Hippoc. hoc loco eam ipſam habere ſcribit. *Lalamantius Schol. ad lib. Hippoc. de hominis ætate pag. 52.*

Idem ſentit *Marſil. Cognatus*: de quo paulo poſt.

Effluxiones vocantur, quæ intra ſeptimum diem corruptiones incidunt. Abortiones autem, quæ intra quadrageſimum. Et quidem plurimi fœtus intra tot numero dies deprauantur. Mas qui quadrageſimo die exierit, ſi in quoduis aliud mittatur, diffunditur atque aboletur: ſed ſi in aquam frigidam, cogitur conſiſtitque veluti in membranula, qua rupta, fœtus ipſe apparet magnitudine formicæ maiuſculæ, & membra iam inde diſcreta, tum cætera omnia, tum genitalia conſtant: & oculi quemadmodum in cæteris animantibus prægrandes. Sed fœmina, quæ intra tertium menſem eruperit, indiſtincta eſt: quæ autem quartum adepta eſt menſem, finditur, & reliquam diſtinctionis effigiem breui tempore accipit. Cum itaq; fœtus in vtero formatur, fœmina tardius quam mas perfectionem quarumq; partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quam mas protrahitur. Sed cum in lucem prodierit, fœmina ocyus, quam mas accreſcit, & ætate floret, & ſenectute maceratur, & magis quæ plures pariunt. *Ariſtot. lib. 7. c. 3. de natura animal.*

Sæpe obſeruauimus die quadrageſimo eiectum fœtum, ſemidigiti, aut, vt ait Ariſtoteles, formicæ maiuſculæ magnitudine vere ac prorſus conformatum, & cuius partes omnes, excepto iecore, albæ ac ſpermaticæ cernebantur. Caput pars erat auellanæ, & maius quam pro reliqui corporis ratione: oculi vt canceris exerti: naſus, auriculæ, brachia, manus, crura, pedes, hiſque ſecreti digiti: penis conſpicuus, ſub quo ſcrotum milij magnitudine, ſuperiora autem inferioribus maiora, nullo oſſium robore, ſed flexibilia quocunque ducerentur. Omnia contecta cute tenuiſſima & pellucida, per quam interiora cernebantur, alba quidem omnia, fibroſa, & ſeminis æmula, nullo carnis aut ſanguinis rubore perfuſa, vnum tamen iecur rubrum inerat, amplum, & recens concreto ſanguini perſimile: in quod ex ſecundis per vmbilicum venæ ferebantur ſanguine confertæ, fœtum poſthac nutrituræ. *Fernelius lib. 7. c. 10. Phyſiolog.*

Viuimus prius vitam plantæ, deinde brutorũ vita in vtero matris, hoc peracto cerebrum generatur, vt nerui ab eo profecti ſenſum primo, deinde motum ad vniuerſum fœtum deferre poſſint. Interim enim alia fiunt membra, quæ delineata primo, deinde aucta, & robuſtiora reddita mouentur. Sileant hic obſecro Ariſtotelici vna cum principe peripateticorum Ariſtotele, qui (in hoc mire deceptus) cor primo gigni voluit, & ſi Deo placet, ſanguinis fontem eſſe, & ſenſuum omnium: qui niſi obſtinate Ariſtotelem tueri volent, quieſcent veritate iubente, deſinentque tam falſa proferre, & mordicus tueri, fatebunturq; non cor, ſed iecur primo fingi. Cerebrum item corde nobilius eſſe, non fateri non poterunt, quippe quod ex ipſo ſemine fiat, non ab vtero, vt de corde audiſtis. Non equidem negauerim in ijs animalibus, quæ in ouis naſcuntur, primum quod oritur eſſe cor ipſum. At in homine iecur prius quam cor generatur: quemadmodum mihi non ſemel, ſed ſæpius intueri & animaduertere contigit. Inter oſſa ſi quæras quid primo generetur, vertebras reſpondebo: Spinam ſcilicet, vt Ariſtoteles eleganter ſcripſit, & vere. Hanc veritatem corona illuſtrium virorum, & perexcellentium magna cum voluptate vidit in Romano theatro, cum Hieronymus Pontanus ſummus Philoſophus embryonem menſtruum mihi publice diſſecandum tradidiſſet, ob communem Romanæ Academiæ vtilitatem: reliquorum autem membrorum quod primo fiat, quod poſterius, nondum mihi licuit obſeruare: cum abortuum non ea ſit copia, quæ in tanta re neceſſaria eſſet. *Realdus Columbus pag. 456.*

Conſpectus eſt mihi ſuperioribus annis Brugis ciuitate Flandrorum abortus gemellorum trimeſtris, ſexus maſculini, qui, negata re quapiã cui grauida auide inhiabat, excuſſus eſt. Erat autẽ digitali aut paulo plus

lo plus longitudine,pariq; craſſitudine,membris omnibus exacte elaboratis, nec vlla ſui parte mutilis, adeo vt ſe oculorum orbes nigricante pupillæ puncto inſigniti,nares, aures, digiti diſcreti, vmbilicus, mentula,femora,ſuræ,tibiæ,tali,& quibus forma pedis diſtinguitur,digitorum articuli, perſpicue ſe ſpectanda exhiberent. Cum autem infantium vterque palpitaret, atq; indubitata certæq; vitæ argumenta præberet, ad ſacrum baptiſma concurſum eſt, quo peracto , nullum amplius vitæ indicium præferebant. *Lemnius lib. 4.cap. 23. occult. nat. mirac. edit. locuplet.*

D.Barandus Medicus noſtras longe doctiſſ.abortum mihi conſpiciendum exhibuit. Erat ille pollicis humani tantum magnitudine, ſed diſcreta in eo ita membra erant,vt caput,oculos,nares,aures,brachia manus, digitos, colem denique ipſum ſine aqua facile cernere eſſet, quadraginta dierum fœtum eſſe iudicabam,ſed pro certo iunior eſſet, an ſenior, nec tum affirmare audebam, nec iam affirmare audeo. *Lalamantius Scholio.ad libel.Hipp.de hominis ætate.*

De hoc abortu plura require ſupra ſub Lemmate, *Subitanei & improuiſi terroris,&c.*

Hippocrates de natura pueri inquit, maſculi 30. diebus, femellæ 42. diebus primam coagmentationem & coarticulationem accipiunt, & vtplurimum hoc tempore,aut paulo breuiori, aut paulo longiore. Fernelius die 27. partes omnes diſpoſitæ & conformatæ quodamodo apparent, ſed perfecte in maribus die 30. in fœminis 36. Ita ſeſe obſeruaſſe dicit die 40.eiectum fœtum,ſemidigiti,aut,vt Ariſtot.inquit,formicæ maiuſculæ magnitudine vere ac prorſus conformatum , & cuius partes omnes albæ ac ſpermaticæ cernebantur.

Talem & ego Bononiæ in ædibus Doctoris Arantij vidi:porro Fernelius , caput par erat auellanæ , & maius quam pro reliqui corporis ratione: oculi vt cancris exerti:naſus,auriculæ,brachia,manus,crura, pedesque ſecreti digiti: penis conſpicuus, ſub quo ſcrotum milij magnitudine, ſuperiora inferioribus maiora nullo oſſium robore,ſed flexibilia quacunq; ducerentur. Hipp. inquit poſtquam articulatus fuerit puer ſpeciebus membrorum augeſcentibus, tunc oſſa duriora fiunt, & cauantur, atque hæc à ſpiritu fiunt.

Porro equidem in meis ædibus Bononiæ demõſtraui abortum, qui digiti longitudinem habebat, hominisque integri figuram vndequaque exprimebat,deprehendi conſpicue admodum oſſa bregmatis, oſſa ſyncipitis & occipitis pro temporis ratione admodum mollia. Oſſa bregmatis valde à ſe mutuo dehiſcebant.Omnes artus erant ſuis figuris expreſſi, ſic & penis,aurium,manuum pedumq; digiti. In abortu recentiori vidi primo ſpinæ dorſi obſcurum veſtigium à qua coſtarum paruæ delineationes prodibant, artus vero tanquam informes fibræ à trunco dependere viſi ſunt,caput pro ratione corporis, valde magnum, eratque ſublonga figura, ſimiæ capiti non diſſimile. *Coiterus libello de fœtus hum. & infant.oſſibus.*

In grandioribus,capitis,artuum,ſcapularum,iliorum & ſacri oſſa in media ſecundum longitudinem regione,& non ab extremitatibus generationis, ſiue ortus principium ducunt,inde vero vtrinque verſus principiorum extremitatumque fines , creſcendo prolongantur, dilatanturque donec ad iuſtam magnitudinem longitudinemque peruenerint. Quædam oſſa non ab vno tantum loco,ſed à diuerſis partibus inchoantur,ita vt ante eorum perfectionem in plurima diuiſa appareant, huius generis eſt os occipitis,ſyncipitis,os ilii,os ſacrum, vertebræ omnes:in primis prima & ſecunda colli vertebra,nonnulla oſſa vt pedis,calcis, tali, carpi & ſterni primo ligamentoſa, deinde cartilaginoſa informataq; ac nulla figura diſcreta exſiſtũt.Proceſſus in principio nulli, nullæ appendices,fœtu creſcente fiunt cartilaginoſæ hæ extremitates oſſium, magisq; efformantur, deinde certo tempore poſt procreationem in oſſa conuertuntur. Commutatio ſiue conuerſio hæc proceſſuum appendicumque non incipit ab oſſe,cui connectuntur,ſed à centro,vbi primo oſſeam & ſpongioſam acquirunt ſubſtantiam : hæc ſubſtantia creſcendo augetur, incrementumque ſumit ab interiori parte ad exteriorem,ſiue à centro ad circumferentiam, vnde contingit, quod ob cartilaginem, qua vndequaque tecta ac inuoluta ſunt,difficulter cernantur: eodem modo etiam negotium in oſſibus carpi & pedum ſe habet. Notandum, quod omnes appendices per ſynchondroſin oſſibus in adultis conglutinatæ primo cartilagines fuerunt. *Idem loco citato.*

Olim occurrit nobis, vt fœminæ abortum videremus,quæ iam octo vel decem dies ſe concepiſſe opinabatur,in quo nulla erat membrorum ſpecies, neque carnis: ſed erat folliculus ex alba membrana, in qua liquor albus inerat,inſtar liquoris albi, quem ouum continet , in cuius medio carneum quid ex tenui filo quodam pendebat , quod nobis videbatur eſſe fœtus informe rudimentum ex vmbilico pendens, quæ res cum ad memoriam ea nobis reduceret, quæ libro primo de natura pueri ab Hippocrate ſcribuntur,veriſimilem magis hanc narrationem eſſe perſuaſit, quam illam, quæ libro de carnibus habetur. Huc accedit, quod libro de octimeſtri partu traditũ eſt:poſt dies quadraginta membrorum diſcretionem fieri in maribus quidem valde conſpicuam, in fœminis vero carnem apparere exortus ac proceſſus ſolum habentem, vt omnino videatur non poſſe in genitura ſeptem dierum carnis ſpeciem comparere, cum illa membrorum delineatione,quæ libro de carnibus explicatur. *Marſilius cognat.variar.obſeruat.libr. 4. cap. 13.* Idem ſentit *Lalamantius* cuius ſententiam circa initium huius Lemmatis inuenies.

Diſſecui puerum ſex fere menſium:In quo omnes partes videbantur diſcretæ: teſticuli hærebant circa os ſacrum, nondum deſcenderant in ſcrotum, vaſa ſpermatica omnia manifeſte apparebant, vretheres magni, vrachus manifeſtus, veſica in longitudinem protenſa,renes ex pluribus partibus conſtantes magni, inteſtina plena excremento nigro, inteſtinum cæcum longum,proportione. *V. CL.Ioan.Bauhinus de diario obſeru.ſuarum opere.*

PARTVS VITALIS PRÆCOX ET SErotinus

MENSE QVINTO.

OBSERVATIO.

Quinto menſe nati vitales.

Nouẽ

NOui Pincernam Chriſtianiſſimi Regis Henrici, qui menſe quinto natus erat: qui etiamnum viuit in ætate conſiſtentiæ. Fœtus vt fortior fuerit, & mater debilior, celerius perficitur. *Montuus Anaſc. Morborum lib.4.cap. 41.*

Vxor M.Petri Sormani, venditoris Maluatici (vt ſic Creticum vinum appellare liceat) in via vexillorum Mediolani oſtendit mihi filiam nomine Claram, quam diebus CLXVIII. poſt abortum maſculi fœtus quadrimeſtris Venetiis peperit: & in puerperio lac apparuit. Ipſa autem Puella, exilis, pallida & macilenta eſt: annos agens XVIII. *Cardanus contradict.8.tract.3.lib.1.*

Eufragia virgo Deo dicata, in æde B. Rodogondæ, cum mater eius abortiſſet puerum V. nonas Iulij: profecta vero ad coniugem X. calendas Auguſti, ipſam Eufragiam peperit VII. Idus Ianuarij ſequentis anni, quare CLXX. die nata eſt morbo perpetuo natalium iacturam atteſtante ne quis ad ſuperfœtationem refugiat: quanquam nec hæc minus intempeſtiuo partu miraculum afferat. *Idem loco iam citato.*

Comitiſſa etiam de Triultiis iuuenculam retulit eſſe in domo Comitis Sancti Secundi, capite admodum paruo, inſanamque, natam, vt palam fertur, quinto menſe. *Idem loco ſupra citato.*

Haud abſurdum videri debet, ſi quinquemeſtris partus vitalis editus ſit apud Valentinos, feruentem ſane plagam: ſicut & apud Madriti incolas nonnullos obſeruatum ſentio: ex pudica matre, honeſtiſſimamque viuendi rationem nacta, natum eſſe quinquemeſtrem, *Ferdinand. Mena com.ad c.4.de ſeptimeſt. partu Hipp.*

Adeo minus certi quicquam eſt in his rebus, quam veteres putarunt, vt noſtro ſeculo nata ſit puella, hauddubie quinquemeſtris, quæ adhuc viuit, plus quam duodecim iam annos nata, cuius gracilitas ac tenuitas maior quam mulieribus eſſe conſueuit, indicat certam eſſe de eius ortu fidem, præterquam quod multis domeſticis, neq; ineuidentibus argumentis conſtitit. *Vallesius de Philoſophia ſacra c.18.*

MENSE SEXTO.

OBSERVATIO.

Sexto menſe nati vitales.

PVer ſexto menſe natus bene vixit. *Auicenna lib.9. de nat.animal.c. vltimo.*

Mater Auguſtini Abduæ patritij inclyti, narrauit vidiſſe puerum natum 6. menſe Thoſmæ Suighi, qui ſupetuixit, cum primis diebus lac non ſugeret ſed immitteretur infundibulo: & tamen peruenit ad ætatem perfectam, cum nec digiti manuum, nec palpebræ eſſent ſeparatæ dum natus eſt: hic puellus nepos erat mulieris famoſæ de via lata, medicam artem exercentis. *Cardanus contradict. 8. tract.3.c.1.*

Claudius Giardinus ſcripſit librum *de partu dierum 171.exc. Anconæ apud Aſtulphum de Grandis* 1573. *in* 4.

MENSE SEPTIMO.

OBSERVATIO.

Septimo menſe nati vitales.

PVer ſeptimo menſe natus pro ratione natus eſt: & viuit, habetque rationem ac numerum ad hebdomadas vere & exacte reſpondentem. Menſe autem octauo natus nullus vnquam vixit. Nouem vero menſium & decem dierum partus fit & viuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum. *Hipp. lib.de carnibus ad finem.*

Cæterū inexpertus quiſpiam mirari queat quod ſeptimeſtris puer naſcatur. Ego quidem igitur hoc ipſum vidi, & quidem frequenter. Si quis autem hæc deprehendere vult, facile eſt obſtetrices adire, quæ parientibus adſunt, & ex his percunctari. *Idem loco citato.*

Tempus vteri ferendi enorme vnum hoc animal ſortitum eſt. Cæteris enim vnum eſt tempus, homini vero plura ſunt, quippe qui & ſeptimo menſe & decimo naſcatur, &c. *Ariſtot. de Gen. anim. libr.4. cap.4.*

Sane *Galenus* etiam *in Hippocr. libellum de ſeptimeſtri partu* teſtatur ſe deprehendiſſe pleraſque mulieres fœtum quidem vitalem edidiſſe medio inter centeſimum nonageſimum diem, & inter ducenteſimum termino: celerius aut tardius, paucas. Ante centeſimum & octogeſimum ſecundum diem, & quindecim horas: vel poſt quartum ſupra ducenteſimum nullas: vt ſeptimeſtris fœtus editionis in lucem primus terminus eſſe dimidij anni tempus reperiatur. Inter centeſimum & nonageſimum, & inter ducenteſimum quartum diem dicit, id eſt, inter decimum diem ſeptimi menſis tricenarij & viceſimum quartum eiuſdem: quo ſcilicet tempore ſeptimeſtres vitales edi ſolent vt eodem etiam loco teſtatur Gale. ſe vnam ſolum nouiſſe mulierem quæ centeſimo octogeſimo quarto die exacto atque expleto partum (vitalem) edidit. *Lalamantius Scholio 26. ad libell. de hominis ætate Hipp.*

Ante ſeptimum mēſem haud vnquam vitalis eſt. Septimo non niſi pridie poſterove plenilunii die, aut interlunio concepti naſcuntur. Veſtilia C. Herditii, ac poſtea Pomponij atq; Orfiti Clariſſimorum ciuium coniunx ex his quatuor partus enixa, Semproniū ſeptimo menſe genuit, Suillum Rufum vndecimo: Corbulonem ſeptimo; vtrumq; Conſulem, &c. *Plin.nat.hiſt.lib.7.c.5.*

De ſeptimeſtrib. Alexand. Aphrodiſæus agit eo problemate quo quærit cur ſeptimeſtres ſimulatque editi ſunt non emittant vocem, nonimeſtres vero emittant. Et alio item quo quærit, cur ſeptimeſtres viuant, octimeſtres nequaquam.

Ariſtoteles, Hippocratesq; putant ſi vulua menſibus expleatur ſeptem, tum denique erumpere infantes, vitalesque naſci. *Plutarchus de Placit. Philoſophor.*

Cecilium *Gellius lib. 3. cap.10. ex Menandro* his verbis citat.

Inſoletne mulier decimo menſe parere?
Pol nono quoq;, ſeptimo, atq; octauo.

Galliæ locis ſeptimeſtres ætate iam profecta quātum & ex illis ipſis & illorum etiam matribus accipiebam vidiſſe: talesq; frequenter naſci & viuere, cū ex obſtetricibus, tum ab aliis, quas ſæpe interrogaui, matronis, ſæpe audiui.

Habeo vero Heduæ etiamnum ſuperſtites ſeptimeſtres gemellos nepotes Ioannem & Lazarum Lalamanticos, annum agentes hodie decimum octauum: Ioannem quidem ſanum, ſed puſillum: Lazarum vero poſt primum fere ætatis menſem toto cor-

pore ita conuulſum vt neq; vnquam loqui, neq; loco ſeſe mouere de ſe in hunc vſq; diem potuerunt. *Lalamantius loco proxime citato.*

Quod me in admirationem traxit, duo fratres hebræi fuere, Hamiſii nomine, ſeptimeſtres, & eodem partu ambo editi: qui ita inter ſe ſimiles erant, vt ipſe familiariter etiam illis vſus, alterum ab altero nunquam diſcernere potuerim. *Amat. Luſit. Scholio ad Curat. 15. cent. 5.*

Non ſolum ratione ſed & experimento diſcere poſſumus vt quos ſeptimo menſe natos nouerimus, eos cæteris infirmiores eſſe, & inconſtantis valetudinis cernamus. Quod teſtatiſſima ipſe fide confirmare omnib. poſſum, qui in educando ſeptimeſtri filio meo Ioāne nullos nō ſim perpeſſus labores, omneſq; ſenſerim moleſtias eas, quæ percipi ab indulgentiſſimo patre & filii amantiſſimo poſſunt, adeo & puſillo corpore, & exilibus membris, & virtute infirma prodiit, vt Dei Opt. Max. ſingulari beneficio atq; ope potius, quam humana, ſeruatus & altus videri poſſit. In quo tamen tantum valuit & matris in alēdo proprio fœtu plena amoris charitas, diligentia atque induſtria, & lactis materni probitas, & ſedula educandi cura, vt puerum (etſi imbecilla natura) produxerimus tamen, præter omnium, noſtramque ſpem, in firmiorem ætatem, vt iam annum agens quartum vegetior fieri & habitior Dei munere incipiat. *Valleriola lib. 3. Enarrat.* 7.

Cum (vxor) vtero grauis ſeptimeſtremq; geſtans fœtum in nonum menſem pro cætero ſuo more vētrem ſe geſtaturam arbitraretur, (etſi ſemel antea vitalem partum ſeptimo menſe edidiſſet) opinione ſua falſa iliorum ac renum doloribus derepente correpta, aquoſis fluentibus ichoribus adapertoque vteri oſtio, parturire cœpit, moxque ſcitum forma puellum peperit, qui biduo poſt, ſtillatione in fauces pectusque irruente, ac ſpiritus viam intercludente, Deo ſic diſponente, ſublatus eſt. *Idem loco citato.*

Quod ad ſeptimum menſem attinet, noui complures apud Belgas maritimos, etiam gemellos, qui ad extremam deuexamque ætatem, crudo ac viridi corpore, menteq; vegeta deuenerunt. Quocirca futilis eſt, nulliusq; momenti illorum perſuaſio, qui ſeptimi menſis partum inabſolutum minusq; vitalem ſtatuunt & non niſi exactis nouem menſibus infantem omnibus membrorum numeris conſummatum in lucem producendum. Sic exorta nuper eſt apud nos non leuis ſane velitatio, ſed atrox & cruentum certamen, funeſtaq; ac luctuoſa dimicatio, ob expugnatam pudicitiam cuiuſdam virgunculæ, non ambiguæ quidem famæ aut nominis, ſed cerebri imbecillis aut vaccillantis, quæque mentis iudicio minus polleret: quarum plereque omnium citiſſime labaſcunt, minusq; fortiter aut animoſe vel minus vel inſidioſis blandimentis obſiſtunt, aut obluctantur: ſecus quam feroculæ quædam puellæ & clamoſæ, quæ ſe vnguibus & dentibus vlciſcuntur ac ſtrepitu inſidiatorem integritatis abigunt. Acrius autem maiusque acerbe in hac tragœdia incruduit diſceptatio: quod pater, qui ex ea prolem ſuſtuliſſe vel concubitum extorſiſſe ferebatur, (nam id aduerſarij ſunt criminati, tanta acerbitate, vt illum ad cruciatus expoſcerent, & tormentis explorandam rei veritatem contenderent) conſtanter factum pernegaret atque nec vteri veſtibula, primosque aditus ingreſſum aut perfregiſſe hymena, integritatis velamen, nec prorſus intimos vteri receſſus penetraſſe per ſacra (qui iudiciis præeſſe ac ſacra tractare ſit ſolitus) deierare ſe paratum confidenter pronuit: nec prolem ſibi addici paſſus eſt, inter alia eo quoque innixus argumento, in ſui innocentiam, quod infans vix in ſeptimo menſe, eoque inchoato potius, quam expleto, in vitam productus ſit: membris omnibus exacte elaboratis, præter vnguium appendices, quos obſeruamus in noni etiam menſis partu nonnunquam deeſſe ac deſiderari, præſertim vbi grauidæ immoderatius ſalſamentis vtuntur, aut ſalem liguriunt, vt eſt is ſexus in appetendis ſalſis & acidis maxime procliuis. Itaque non ſeptimi menſis partum euincere contendit, ſed noni; eoque ſupputato menſium decurſu, atque obſeruata temporis ratione, alium inquirendum patrem, qui paulo ante cum illa congreſſum iniuerit, eiuſque conſuetudine ſit vſus. Quū vero ex ſententia Iudicum infans conſpiciendus explorandusque medicis exhiberetur, accita obſtetrice, atque honeſtis aliquot matronis, quarum vna patricia vndeuiginti liberorum parens erat, & cui non ſemel ſeptimeſtris partus editus nec prorſus expletum ſeptimi menſis curriculum. Pronunciatum eſt ab ijs non excuſſa facti cauſa nec vlla habita ratione patris, hunc ne an quæ alium deputent ſeptimi menſis partum eſſe qui ſeptem & viginti ſeptimanis in vtero ſit geſtatus. Quod ſi in nonum menſem proferre potuiſſet futurus erat infans magis ſolidis firmisque membris, atque ipſa compages ſeu ſtructura corporis magis compacta ac coagmentata, minusque diſſoluta; erat enim os pectoris, quod velut ſcutum ac munimentum cordi incumbit, Belgæ Borſtplate vocant, denique enſiformis cartilago, quæ ſtomacho imminet eminentior quam natura fert, nec in planum reducta, ſed incurua ac turbinato mucrone, vt conſpici ſolet pullorum gallinaceorum thorax, quæ ineunte ac preſertim menſe Martio excluduntur. Vngues quoq; huic infanti, qui ſexus fœminei erat, in manibus deerant, atq; extremi digitorum articuli, in quibus ex cutis muſculoſa, vel cartilaginoſa materia vngues læuore perpoliti indureſcunt vix tenues quaſdam notas, & exigua veſtigia exhibebant, nō cornea duritie, ſed molliſſimæ membranæ tenuitate. In pedum vero articulis nulla ſe proferebant vnguium indicia, quod illæ partes non tanto calore imbutæ eſſent, quanto manus, atque à corde caloris fonte remotiores: quum manuum articuli per brachia pectori annexa beneficio caloris, qui à corde diffunditur, omnia conſpectiora in digitis exhiberent. Itaque Medici obſeruatis multis naturalibus cauſis, ſolidisque rationibus fulti, nullius partis vel fauore, vel iniuria, ita vt patiantur reo, ſi actori viſum ſit, conſtare ſuam innocentiam, vitæque & morum integritatem, pronunciauerunt adſtantibus Iudicibus, quibus ea res demandata erat, ab ijs qui apud Belgas in Aula Bruxellana Regis Hiſpaniarum vices obeunt, non noni, ſed ſeptimi menſis partum ſtatuendum, producto geſtationis tempore per ſeptem & viginti hebdomadas, qui partus etiam ſeptimeſtris cenſeri debet, tametſi non prorſus expletus ſit, atque vna aut altera ſeptimana deſideretur, atque aliquot adhuc dies ad complementum reſtent. *Lemnius lib. 4. c. 22. de occult. nat. mirac. edit. locupletata.*

MENSE OCTAVO.

OBSERVATIO.

Octauo menſe nati vitales.

MEnſe octauo natus nullus vnquam vixit. *Hipp. lib. de carnib. ad finem.*

Tranſlatitium in Ægypto eſt & octauo gigni: Iam quidem & in Italia tales partus eſſe vitales contra Priſcorum opiniones. Veſtilia C. Herditi, ac poſtea Pomponij atq; Orfiti clariſſimorum ciuium cõiunx ex his quatuor partus enixa Sempronium ſeptimo menſe genuit, Suillium Rufum vndecimo, Corbulonem ſeptimo, vtrumque conſulem: poſtea Cæſoniam, Caij Principis coniugem, octauo. *Plin. nat. hiſt. lib. 7. cap. 5.*

M. Varro menſe nonnunquam octauo editum eſſe partum in libro 14. rerum diuinarum ſcriptum reliquit. *Gellius lib. 3. c. 16. N. A.*

In Cypro inſula tempeſtate noſtra fœminam geminos peperiſſe accepimus: alterum octauo menſe: alterum decimo nono, &c. *Alexand. Bened. de curand. morb. lib. 25. c. 23.*

Quidam Nobilis habens duos filios eos habet ambos octimeſtres: & ambo in infantia vſque ad extremum vitæ peruenere. *Cardanus lib. 1. tract. 3. contradict. 8.*

Infans octauo à conceptione menſe natus Florentiæ, menſe Martio nocte aſcendente Saturno retrogrado ſemiuiuus eiuſmodi diligentia à nobis, imo à Deo quaſi vitæ redditus potius, quam ſeruatus eſt, trienniumq; validius ferme impleuit. *Marſil. Ficinus in exhortatione ad lib. 3. de vita cœlitus comparanda.*

Liquet quod multi poſſunt ſuperuiuere qui non ægrotant, ſi eo tempore naſcantur. Nam duo filij Cardinalis Sfondrati & ipſe Cardinalis Sfondrati, omnes nati ſunt octauo menſe, & ſuperuixere. Et in Ægypto nati octauo menſe generaliter viuunt: quia aër & aqua, & cœlum, & corpora & alimenta ſunt viuaciſſima. *Cardanus com. ad lib. Hipp. de ſept. partu.*

Quod alicubi fit non tantum poſſibile eſt, ſed etiam naturale. Atqui Naxius partus pro octimeſtri prouerbio celebratur, quod in Naxo Inſula octauo menſe feliciſſime procedat. Idemque Ariſtoteles in Ægypto; Auicenna in Hiſpania accidere affirmant. Nec deſunt hiſtoriæ quæ apud Græcos & Romanos octimeſtrem partum eſſe vitalem. Cum ergo ſtultum ſit ratione pugnare contra ſenſum & experientiam, pro antiquitatis reuerentia quid reſpondendum. Neque enim conſentaneum eſt, tot tantosque viros temere in Hippocratis opinionem cõceſſiſſe. Reſpondendum: Quod aliquando & alicubi fit, non eſſe naturale, ſed quod fit ſemper & vt plurimum; Vix enim quicquam dari poteſt in natura tam certum & conſtans, quod contrario aliquo exemplo reuelli non poſſit. Quia naturæ opera, materiæ, motus, loci & temporis circumſtantiis ſunt obnoxia: quorum cauſa innumerabiles mutationes accidunt. *Riolanus c. 11. ad lib. Fernelij de hominis procreatione.*

Quemadmodum in genere tritici eſt quoddam ſemen, quod tribus menſib. generat, vnde & trimeſtre vocant, alii ſetanium appellant, quoddam vero quod menſibus nouem, ita & in genere humani ſeminis quoddam eſt, quod ſeptem menſibus parit, quoddam quod nouem. Partus igitur qui editur octauo menſe, eſſe quidem non poteſt ex eo ſemine, quod ſeptem menſib. gignit: quare ex eo erit, quod nouem menſibus ſolet maturum producere: igitur quum ante nonum menſem editus ſit, indicat immaturum eſſe, & vi aliqua eiectum: talis autem vtpote immaturus & præcox, moriturus enatus eſt: cuius ſignum eſt, quod certis regionibus, vt in Ægypto octimeſtres partus etiam viuere ferunt, quod bonitate regionis defectui immaturitatis ſatisfiat. Cur autem duo tantum ſint humani ſeminis genera & alterum ſeptem, alterum nouem menſibus partum edat, eandem habet quæſtionem cur & in genere tritici duo ſimiliter ſeminis genera ſint. Cauſa in vniuerſum eſt analogia talis agentis ad talem materiam nam quis quærat cur tanta flamma tantum roboris abſumat in hora vna. *Eracaſtorius.*

MENSE DECIMO ET VNDECIMO.

OBSERVATIO.

Decimo & vndecimo menſe nati vitales.

DEcimo vndecimoque in lucem venire & multorum teſtimoniis, & ſpectatiſſima experientię fide probatur.

Nam & *Hippocrates libro de Octimeſtri partu*, decimeſtres vndecimeſtresque naſci conceptis verbis teſtatur. Cæterum (inquit) decimeſtres & vndecimeſtres partus ex ſeptem quadragenariis eodem modo fiunt, velut ex dimidio anno ſeptimeſtres. Et rurſus ad finem libri: Ex his igitur omnibus neceſſarium eſt pleraſque mulieres circa plenilunium, & vltra in ventre concipere, vt ducenti & octoginta dies: ſæpe vndecimum menſem apprehendere videantur: tot enim dies ſeptem quadragenarios conſtituunt. Nam cum vltra plenilunium mulier concipit, neceſſe eſt eum conceptum vndecimum menſem attingere & apprehendere qui ad vltimum circuitum perueniat.

Et Ariſtoteles pleraſq; decimo parere, nonnullas vndecimum tangere menſem teſtatur.

Et ex latinis Comicis in præcipuis habitus *Plautus in Ciſtellaria.*

Tunc illa quam compreſſerat.
Decimo poſt menſe exacto hic peperit filiam.

Plinius quoque id ipſum affirmat, Veſtiliam C. Herditii ac poſtea Pomponii atq; Orfiti clariſſimorum virorum coniugem, ex iis quatuor partus enixam, Sempronium ſeptimo menſe genuiſſe, Suillum Rufum vndecimo, Corbulonem ſeptimo, vtrumq; conſulem; & poſtea Cæſoniam, Caii Principis cõiugem, octauo. Conſtat itaq; vſq; ad vndecimi menſis initia ventrem geſtari poſſe. Quæ ego ad propoſitæ rei explicationem ſatisfacere poſſe ſum arbitratus: ſi id tantum addidero, aliam etiam, quam hactenus tradita ſit, varii hominum partus cauſam aſſignari poſſe: nempe genitalis ſeminis naturam aliam atque aliam. Nam vt in ſemine quod terræ iacitur, eſt aliquod quod trimatu proueniat (vnde trimeſtre triticum rei Ruſticę ſcriptores vocant) aliud quod in annum fructum maturitatemq; ſuam proferat: ſic eſſe inter hominũ ſemina aliud quod ſerius, aliud quod temporius proueniat: vnde aliquos ſeptimo menſe, alios octauo, pleroſq; nono atq; decimo prouenire cernas, quod Plinius in Veſtiliæ Herditii Pomponii, ac po-

ac poſtremo Orfiti coniuge ſpectaſſe videtur: quum ex tam multis viris fœtum alium vndecimo menſe genuiſſe teſtetur. Nec dubito quin pro ratione temperamenti hominis, ætatis, victus, educationis, cœli, ac regionis, ipſaque mulierum ſemen excipientium, locellorumque varietate, alio atque alio tempore tum fœtum in vtero formari, tum geſtari, tum in lucem edi contingat. Quod luculentiſſime Diuinus *Hippocrates in Epidemiis libr.6.* ita expreſſit. Labores in circuitibus, quicquid in ſeptuaginta mouetur, in triplicitate perficitur: & quicquid in nonaginta mouetur, in triplicitate perficitur. Quam ſeriem & Galenus, & poſt eum Fuchſius doctiſſime explicarunt. *Valleriola lib.3. Enarrat.7.*

Aulus Gellius luculentiſſimus ſcriptor *de Varronis ſententia* ſcribit, vndecimo menſe aliquando naſci hominem poſſe, idque à *Varrone libr.14.* rerum diuinarum proditum eſſe. *Idem Locor. Com. lib. 1. cap.18.*

Ego de partu humano, præterquam quę ſcripta in libris legi, hoc quoq; veniſſe in vſu Romæ comperi bonis atq; honeſtis moribus non ambigua pudicitia in vndecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe, factumque eſſe negotium propter rationem temporis, quaſi mortuo marito poſtea concepiſſet, quoniam Decemviri in decem menſibus gigni hominē, nec in vndecimo ſcripſiſſent: ſed Diuum Adrianum, cauſa cognita, decreuiſſe, in vndecimo partum edi poſſe: idque ipſum eius rei decretum nos legimus. In eo Decreto id Adrianus ſtatuere ſe dicit, requiſitis veterum philoſophorum & Medicorum ſententiis. Ex quibus omnibus conſtat, vndecimo menſe iuſtum partum naſti poſſe. *Gellius libr.3. cap.16.N. A.*

Conciliator Petrus Aponus affirmat ſe fuiſſe vndecimeſtrem. *Cardanus lib.1.tract.3.contradict.8.*

Anna Conſanguinea Stephani Pyrrhi vxor, quum exactæ conceptionis tempus obſeruaret, poſt decem menſes, & vndecimi tres exactos dies puerum optime peperit. Vtero enim geſſit decem menſibus, & vndecimi tribus diebus, vnde *Plinium* verum dixiſſe *libro ſeptimo Naturalis hiſtoriæ capite quinto* deprehendi, vbi præter Lucij Papyrij prætoris opinionem affirmantis homini nullum eſſe pariendi ſtatutum tempus, inquit: Homo vſque ad initia vndecimi gignitur menſis: veluti in caſu noſtro contigit: decimo vero menſe, Salamon Hebræorum ſapientiſſimus, ab hora conceptionis in lucem prodiuit, vt ipſemet teſtatur *libro de Sapientia capite ſeptimo:* primogenitus quoque Diui Herculis Ferrariæ Illuſtriſſimi Ducis decimeſtris eſt, vt omnes ibidem norunt, & Braſauola ſcribit, quem terminum *Hippocrates* tantum *libro de Natura pueri* prope finem ſignare videtur: ſed de iis & eorum cauſis, Leonardum Fuchſium Germanum legere eſt, qui mea ſententia præ cæteris melius & accuratius *libro ſexto Epidemiorum* ea diſſeruit. *Amatus Luſitanus curat. 27. cent.1.*

Igneus præſes Curiæ Rhothomagenſis in acta publica conſcribi mandauit, mulierem cum eniti conaretur nono menſe, nec potuiſſet, decimo & octauo menſe peperiſſe fœtum vitalem, obſtetricum ac Medicorum fide conquiſita. *Bodinus Theatri nat.lib.3. pag.391.*

MENSE TERTIODECIMO.

OBSERVATIO.

Decimo tertio menſe natus vitalis.

Pater meus decimotertio menſe ſe natum prædicabat. *Cardanus lib. 1. tractat.3. contradict.8.*

MENSE QVARTO QVINTOQVE DEcimo.

OBSERVATIO.

Decimoquarto & decimoquinto nati vitales.

PVeri naſcuntur nono, & decimo, & vndecimo menſe: quidam etiam decimo quarto. *Ariſtot. hiſt. animal.lib.7.cap.5.*

Maſſurius author eſt, Lucium Papyrium prætorem ſecundo hærede lege agente bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe cum mater menſibus quatuordecim partum diceretur tuliſſe: quoniam nullum certum tempus pariendi videretur. *Plin.nat. hiſt.lib.7.c.5.*

Fidelis quidam mihi retulit mulierem poſt decimū quartum menſem peperiſſe, cui dentes ſubnaſci cœperint, & bene vixerit. *Auicenna lib. 9. de animalib.*

Accepimus quandam quatuordecim menſibus partum tuliſſe, quibus animandi mouendique ſpacia imbecillitas quædam diſtulerit. *Alex. Bened. c.23. lib.25.curand.morb.*

Mulier ſexagenaria ex ſeptuagenario ſene concepit, & decimoquinto menſe puellam peperit: oculis & manibus priuatam, quinq; menſibus vitalem. Vide *obſeruationem huius libri.pag.616.* Vetulas admodum concepiſſe.

TEMPORE DIVTVRNO VTERO GEſtati

MENSIBVS VIGINTI TRIBVS.

OBSERVATIO.

Viginti tribus menſibus in vtero geſtatus.

REnatus Thioneau M. D. edidit miraculoſam hiſtoriam fœtus in vtero viginti tres menſes geſtati, apud Turonenſes, vt teſtatur *Paſchalis Gallus,* amicus noſter, *in Bibliotheca ſua medica.*

BIENNIO.

OBSERVATIO.

Biennium in vtero geſtatus infans, ſtatim atq; in lucem editus fuit, & loqui, & incedere potuit.

EX Duce Baruch Vandale Vxor concepit, & biennio prægnans fuit, & parturiuit infantem gradientem, & loquentem. *Albert. Krantzius.*

Fœmina biennio vterum ferens, marem loquentem enixa eſt. *Auentinus lib.5.annal. Boiorum.*

TRIENNIO.

OBSERVATIO.

Triennium vtero geſtatus, monſtroſus & ridiculus in lucem natus.

EX magnorum familia aliquot hinc annis vixit hic quidam Vir nobiliſſimus, prudentiæ non contemnendæ. Is iam ſexagenarius ex nobili à Gutenberg matrona quadragenaria filium ſuſcepit, (vt fide viri digniſſimi teſtati ſunt) per triennium vtero geſtarat, antea cum ex his ſecundis nuptiis puellam, tum

tũ ex prioribus plures & ſanos enixa liberos. Eſt vero hic ſtaturæ admodum exiguæ, craſſus, digitis breuioribus: fari ad intelligentiam neſcit, niſi quibus quid velit, ex quotidiana conuerſatione conſtat. Annum iam agit 24. Caluus eſt ob ſinapiſmos in pueritia tineæ ergo vſurpatos, relicta capillorum q. corona monachali. Cæcus etiam: corpore alioquin ſuis membris integro. Pſalmos canit plurimos, numeros tamen blæſo ore potius ſonando, quam verba exprimendo, idque nonniſi de concentore ſuo famulo certus, ipſemet præcentorem agens. Si forte fortuna canis ipſi aſſiderit, continuo cantilenas germanicas pſallere incipit. Vt cibos edendo non aduertit: ita vinum haud grauatim exhaurit, aquam, ſi forte ſubſtituatur reſpuens. Verum cætera quid attinet? Hoc mirum eſt & inauditum, cuius gratia hoc potiſſ. recitaui, fœtum tres annos vtero geſtari. Auicenna equidem 14. menſium partum ſe vidiſſe narrat. *Cl. V. Sigiſmundus Schnizerus ſuis ad me literis 16. Aprilis, Anni* 1596. *Bamberga datis.*

QVADRIENNIO.
OBSERVATIO.

Alius infans, bene habita matre, quadriennium in vtero geſtatus.

NVnquam aut viſum aut ſcriptum eſt, quantum ipſe recordor, mulierem vllam fœtum viuum quatuor annis ventre geſtaſſe, quemadmodum hæc à te mihi propoſita mulier. Quam ſcribũt anno XV. enixam marem, mox primo cõiunge orbatam, cum ſecundo atque tertio XVI. annis ſterilem manſiſſe, donec tandem quarto nupta, concepit fœtum. Quẽ ipſa omnino affirmat, ſe iam quarto anno exacto viuum geſtare, non modo abſque vlla inſigni moleſtia, verumetiam cum ſummo valetudinis lucro, nempe quæ prius innumeris pene malis tentaretur, nunc vero à cunctis libera ſit. *Mercurialis conſilio* 85. *edit. Baſil. ad Illuſt. & Generoſum D. Chriſtoph. à Wolckenſtein.*

PARTVS FOECVNDVS.
OBSERVATIO.

Fœcunditatis illuſtria exempla.

PRiamus ex Hecuba coniuge habuit XIX. liberos: ex aliis pellicibus 31. Hinc *Maro.*

Quinquaginta illi thalami, ſpes magna nepotum.

Artaxerxes Xerxis filius, Perſarum Rex, habuit ex pellicibus CX. liberos, ex iuſto matrimonio III.

Scylurum Cherſoneſi dominum ac Scylluri liberos in captiuis habuit Mithridates Eupator. Eos quinquaginta fuiſſe, *Poſidonius* ſcribit, cum Apollonides octoginta affirmet *Strabo lib.* 5.

Arabum rex Herotimus, ob fœcundam ſobolem memorabilis. Trogus Pompeius author eſt, ſexcentos ei ex numeroſo pellicatu filios fuiſſe, per quos varie bella adminiſtrabantur. Huiuſmodi præſidio fretus Herotimus, Syriæ fuit & Ægypto infeſtus, Syllanis temporibus. *Sabellicus lib. En.* 6.

Maſiniſſa rex Numidiæ, XLIV. filios habuit, authore Eutropio.

Atila Hunnorum Rex, LX. liberis inſignis.

Sylnius Rex Scytarum, genuit LXXX. filios. *Plutarch. in lib. de Garrulitate.*

Conſtat noſtra ætate cuidam Regi Moluchiarum fuiſſe de filiis, fœminis tamen computatis, ſed veriſimile eſt maſculos ipſos fuiſſe, longe plures LXXX. *Cardanus comment. ad lib. Hipp. de aere aquis & locis lectione* 91. *ſuper tex.* 15.

Lycaon Pelaſgi F. Arcadiæ Rex, antequam in Lupum verteretur, ex Atlantis filia legitima vxore, & nonnullis aliis ſupra quinquaginta liberos ſuſcepit. *Natalis Comes libr.* 9. *c.* 9. *Mithologiæ.*

Theſpis Athenienſis Erichthei Regis filius, è pluribus fœminis filias L. genuit; cum quibus vocatis ad epulas Hercules ſingulatim vna nocte concubuit: ſuſcepitque totidem liberos mares, qui Theſpiadi dicti ſunt. *Diod. lib.* 5 *& Suidas.*

Hercules inter LXII. liberos vnicam tantum filiã habuit. *Antigonus in mirac. nar. ex Ariſt.*

Carolus Magnus Imperat. ex multis coniugibus & cõcubinis multos etiam liberos habuit: nimirum ex Hildegarda Sueva Carolum, Pipinum, Lotharium, & Ludouicum: filias autem Ruthridem, Bertam, Gislam, Hildengardam, Adelheydam, Bellixandam, Immam, Gertrudim. Tum ex concubinis, Gerſuinda, Adeltrudem, Reginam, Drogonem, & Hugonem, Adelinda, Theodoricum, Himmeltrude, Pipinum in patrem ſeditioſum, Rothilde, Adelroden, Roynam, Adelindam. Tres filias ex Faſtrada Franca ſuſcepit. Theodoretam, Hiltrudim, & Rothaidem. Et ita viginti tres liberos genuit. *Hedio in Chron. German. & Bruſchius in German. monaſteriis.*

Habebat Babo illuſtris Comes de Ror, & Baro de Abenſperg ex legitimo thoro triginta duos filios & duas filias ſuperſtites, ſicut in faſtis monaſterii Vueltẽburg annotatum eſt: cum itaq; prius pater ſollicitus eſſet qua nam ratione numeroſæ ſoboli proſpiceret, atque omnes in eo ſtatu, quem ipſe à maioribus illuſtrem acceperat, conſeruare poſſet, nulla via commodior viſa quam vt eos S. Henrico Cæſari cõmendaret, ad id etiam commoda ei oblata occaſio. Contigit enim vt Cæſar Ratisbonæ ſuorum procerum conuentum habiturus, & ſeſe poſtea cũ illis in venatione oblectatur⁹, omnes admonuiſſet, ne quis procerum aut nobilium plures comites adiungeret, verum vno tantum ſeruo comitatus cõpareret, quo locus hoſpites capere, atq; annona ſufficere poſſet. Itaq; Babo filios ſuos iuuenes egregie ornatos, ſplẽdide inſtruit, & vnicuiq; ſeruum adiungit, atq; hac ratione ſexaginta ſex equis magna ſolennitate vrbem ingreditur. Cæſar viſa tanta comitum multitudine miratur, atque Babonem ad ſe vocatum interrogat, qui auſus fuerit mandatum ſuum ſerio propoſitum, violare, aut quid pacis hoc tempore eo equitum numero prępararet. Tum Babo, reuerentia Cæſari exhibita, inquit: Sereniſſime Cæſar, hactenus tuis mandatis diligenter obediui, porro facturus Dei auxilio. Nunc etiam ad conuentum hunc vno tantum famulo comitatus compareo. Henricus Auguſtus infert: Qui igitur alii ſunt. Inquit Babo: ſunt mei legitimi filii, tui famuli, quorum ſinguli vno ſeruo comitati, præſto adſunt, vt tuæ Maieſtatis voluntate audita, diligenter pareant. Eos, vt ingenuam decet ſobolem, hactenus maxima cura educaui: nunc vero eos tuæ celſitudini offero, dono & commendo. Tum Imperator ſubridens, ſingulos appellat, atque dextra & oſculo excipit, eoſque ordine

ſuos filios vocat, atque ſecum in aula permanere iubet. Hos quoque omnes & ſingulos Cæſar paulatim prædiis, ſtipendiis, caſtellis, & vicis locupletauit. *Auentinus lib 5.*

Rudolphus Habſpurgenſis Imp. ex Anna Comitiſſa de Hohenburg in Suevia, ſuſcepit ſeptem filios, totidemq; filias. Ex quibus poſtea innumeri Principes, Reges, & Imperatores prodiere *Cuſpinianus.*

Albertus I. Rodolphi Imp. F. primus Auſtrię Dux & cæſo Adolpho Imperatore, ex Elizabeta F. Meinardi Comitis Tyrolenſis viginti & vnum liberos ſuſcepit: quibus vti proſpiceret ad regionem ampliandam in Heluetia præſertim animum adiecit. Horum vndecim iuſtam aſſequuti ſunt ætatem: cęteri in pueritia mortui. *Stumpſius & Cuſpinianus.*

Barrabas Vice Comes in Italia 39. liberos ſuſcepit.

Conradus Muſcouiæ Dux, XXC. liberos habuit: ex quibus quatuor tantum legitimi fuerunt.

Ὥσπερ χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνή, id eſt: *Tanquam Chalcide peperit nobis vxor.* De ea dicebatur, quæ liberos quamplurimos peperiſſet. Tradunt Heroinam quampiam fuiſſe, nomine Comben, cui cognomen fuerit Chalcidi quod prima arma ærea cõfecerit. Ea viro coniuncta centum liberos enixa dicitur. Sicuti proditum eſt *in Euboicis annalibus*, & atteſtatur *Ariſtius Salminus Eraſmus.*

Victoria mater Æneæ Syluij, qui poſtea ad Pontificatum euectus Pij II. nomen obtinuit, fœcunditatis eximiæ fœmina duodeviginti, & ex his gemellos aliquot puerperiis edidit. *Ioannes Antonius Campanus in vita Pij.*

Mulier quædam quæ habitat in Orientali porta, Vxor artificis cannarum, viginti quinque filios enixa eſt, atque ea fœcunditas mira fuit. *Cardanus lib. 8. c. 44. de varietate.*

Iodoca Teylingia matrona prudentiſſima, valde prolifica, ex marito ſuo Auguſto Teylingio viginti proles ſuſcepit, vetula ſeptuagenaria, mater Vxoris meæ. *Foreſt. obſeru. 34. lib. 11.*

Antonia Mutinenſis, quadrageſimum ætatis ſuæ annum non prætergreſſa, quadraginta tres filios habuit. *Caſpar. Bugatus lib. 4. ſuarum hiſt.*

PARTVS NVMEROSVS.

OBSERVATIO.

Mulieres quæ vno partu numeroſam ſobolem enixæ ſunt.

MVltiplex perficiendi tempus, pariendiq; diuerſum homini datum eſt. Et cum alia ſingulos pariant alia plures, genus humanum in ancipiti eſt. Nã quod plurimũ & locis plurimis agitur, mulieres ſingulos ſingulæ pariunt. Sed ſæpe & locis pleriſq; geminos etiam, vt in terra quoq; Ægypto fieri certum eſt, pariunt etiam tres & quatuor, & locis nonnullis valde ita fit, quod dictum iam eſt, ſed quinq; cõplurimum naſcuntur. Iam n. hoc eueniſſe pluribus conſpectum eſt, & quædam viginti partubus quatuor edidit: quinos enim ſingulis partubus enixa eſt, maiorq; eorum pars enutriri & adoleſcere potuit. Et cũ in cæteris animalib. gemini nati, etiamſi mas & fœmina ſint, nihilominus enutriantur ſeruenturque, quam ſi mares ambo, aut fœminæ ſint, in genere certe humano pauci gemini ſeruantur, ſi alter mas ſit, alter fœmina. *Ariſt. lib. 7. de hiſt. animal. c. 4.*

Iam incidit vt facta corruptione duodecim ſuperfœtata puerperia egererentur. *Idem loco citato.*

Ægyptia quædam vno partu quinq; pueros enixa eſt, *teſte Ariſtotele. Gellius lib. 10. c. 2.*

Mulierem non vltra quinq; vno partu edere tradit *Ariſtoteles*, memoriæque fuiſſe proditum *Antigonus in mir. nar.* ſcribit Alexandriæ mulierem quandã quatuor partubus XX. fœtus edidiſſe, quorum maior pars enutrita ſit. Eademque, in alia vrbe, mulier quinq; infantes vna peperit, tres maſculos, duas fœminas, quos ſuis ſumtib. ali iuſſit Traianus Imp. Eademq; mulier, circumacto exinde anno, tres infantes peperit. *Phlegon. de mirab. & longæuis.*

Tergeminos naſci certum eſt Horatiorum Curatiorumque exemplo: inter oſtenta ducitur, præterquam in Ægypto, vbi fœtifer potu Nilus. Annis proximis ſupremis Diui Auguſti, Fauſta quædam è plebe Oſtiæ duos mares totidem fœminas enixa, famẽ, quæ conſecuta eſt, portendit haud dubie. Reperitur & in Peloponeſo quinos quater enixa, maioremque partem ex omni eius vixiſſe partu. Et in Ægypto ſeptenos vno vtero ſimul gigni Author eſt *Trogus. Plinius lib. 7. c. 3. N. H.*

Ancilla quædã Auguſti Imp. in agro Laurente, vno partu quinq; enixa eſt filios. Eam Auguſtus in via Laurentina honorifice ſepeliri curauit cũ ipſis pueris, & ſepulcri inſcriptione. *Gellius lib. 10. Noct. Att.*

Proconneſia è duplici adulterio geminos edidiſſe fertur, vtrumque patri ſuo ſimilem. *Solinus libr. Polyhiſt. cap. 4.*

Serapiam Alexandrinam, ſcribit *Caius libr. 1 fideicom.* vt videre eſt *in l. 7. Vtrum. D. de rebus dubiis. & Capitolinus in Antonino*, quinq; liberos vno enixam partu. *Cælius lib. 4. c. 23. A. L.*

Inuenitur in Iure Ciuili Græca quædam quinionem enixa filiorum. Semel omnium mater, vnici fœtus parens multiplex, vnici vteri puerpera numeroſa: quæ tot ſtipata corporibus pene dixerim populo ſextum ipſa corpus fuit. *Tertul. de anima titulo de ſubſtantia Animæ, & an corporalis.*

Lampridius ſcribit Fauſtinam Pij F. M. Philoſophi vxorem, vno partu enixam geminos, Commodum ſcilicet, & Antonium, qui quadrinus elatus eſt, quem parem aſtrorum curſu Commodo Mathematici promittebant. Cum Fauſtina eſſet prægnans, viſa eſt in ſomnis ſerpentes parere, ſed ex his vnum ferociorem. *Cuſpin.*

Mulier quædam abortiuit XXXIII. (*Petrus Aponenſis* legit LXXVIII.) formatos vti à fide dignis accepi. *Auicenna. lib. 9. de animalibus.*

Quandoque formantur in matrice multi fœtus, etiam quatuor, & quinque, & ſex, & ſeptem, & plures decem. Compertum habeo quandam mulierem abortiendo emiſiſſe ſeptem, & aliam quindecim, omnes formatos. Adeo mirabilia ſunt opificis rerum opera, cuius ſapientiæ & potentiæ non eſt finis; hic ergo totum oportet vt ſit in ſcientia obſtetricis, vt cũ vſus venerit perita ſciat quid agendum ſit. *Albucaſis Chirurgiæ lib. 2. c. 76.*

Lamiſij Longobardorum Regis Mater ſeptẽ vno partu edens filios, eos in piſcinam quandã proiecit. Quos cũ Agelmundus primus Longobardorũ Rex, poſt Ibor & Agion, iter faciens haſta reuolueret, Lamiſſius haſtã eius firmiter tenuit. Ab eo igitur nutritus poſtmodum, & regni hæres factus eſt. *Sigebert. in Chronica.*

Anno 396. Algemundi primi Longobardorum Regis temporibus, meretrix quædam vnico partu ſeptem puerulos enixa eſt, & in piſcinam proiecit necandos: quos Algemundus Rex dum forte fortuna inueniſſet, vnum ex illis haſta detractum ſeruauit, nutricique omni ſtudio alendum tradidit: qui cum adoleuiſſet, ob ingenii magnitudinem poſt Algemundi mortem ſucceſſor factus eſt. Author *Paulus Diaconus*: Ex quo *Textor & Lycoſthenes.*

Sub Zenone Imperat. Mulier quædam ſeptem liberos vno enixa eſt partu, quos in piſcinam crudelis abiecit. *Sigebertus*, matrem eam fuiſſe indicat Algelmundi Regis Longobardorum. *Paulus Diaconus* vero *lib. de geſtis Longobardorum primo capit. decimo*, meretricem.

Eo anno quo Henricus II. Rom. Imp. mortuus eſt Altaichii inferiore Boiariæ Monaſterio Mulier quędam quinque filios ſimul eſt enixa *Auentinus li. 5. Annalium Boiorum.*

Comitiſſa quædam Querfurtenſis vno partu fertur edidiſſe nouem infantulos, quos omnes ad vnũ vſque voluit interimere: ſed patre forte fortuna aduentante conſeruati ſunt. *Botruffus lib. 4. c. 4. Anhaltinenſium Principum.*

Prodigioſa ſunt, nec ſine cunctatione proferenda, quæ Magnus Albertus cenſuit prodenda, vt præteream quæ ſcribit *Iulianus Iureconſultus*, atque idem *Paulus Digeſtis*. S. pars hæreditatis petatur, vbi & ſuperfœtationem admittere videtur: Scribit, inquam, Albertus mulierem quandam in Germania configuratis conformatiſque iam in vtero duorum & viginti infantium corpuſculis aborſum feciſſe: aliam vero etiam ſeptuaginta: imo, vt amplius creſcat admiratio, aliam etiamnum eieciſſe in peluim embryunculorum auricularis digiti magnitudine corpuſcula centum & quinquaginta. Cuius rei facta fides eſt tuniculis, quibus obuoluebantur, conciſſis. Addit quoque pluribus eorum affuiſſe dilatationis & conſtrictionis motum, & ſigna alia vitæ complura, oculis tamen imperfectioribus: manuum vero & pedum digitos fuiſſe veluti capillares. *Cælius libr. 4. cap. 25. A. L.*

Iſenbertus Comes de Altorf vxorem habuit Irmentrudim. Hæc cum pauperculam fœminam eodem partu tres liberos mares enixam vidiſſet, & tanquam impudicam reprehendiſſet, quod ex eodem viro tres ſimul filios ſuſcipere impoſſibile videretur: ipſa poſt annum (Deo ſic eius ſuperbum iudicium confutante) abſente viro XII. mares enixa eſt. Perterrita eo caſu, quod iam de ſua quoque pudicitia dubitari poſſe arbitraretur, obſtetrici vndecim in proximo torrente Schercio mergendos committit, vnicum illa ſeruat. Paret obſtetrix. Obuius fit illi Comes, & quid velatum geſtet interrogat. Illa Vuelfos (ſic enim lingua ſua catulos vocabant) deformes ſubmerſuram ſeſe aſſerit. Mox ille: At permitte, inquit, vt videam, ſint ne aliqui qui venationi nobis inſeruire poſſint. Repugnat illa. Tandem coacta infantes vndecim oſtendit, & negotium Comiti ita, vt geſtum erat, narrat. Imperat ergo Comes, vt factum apud vxorem ſuam diſſimulet, & filios educari præcipit. Exacto iam ſexennio, cum omnes viuerent, in arcem adduci iubet, atq; illic coram omnibus amicis imprudentia vxoris detecta, veniam illi dedit, & filios porro duodecim æquali iure ſuos eſſe voluit, ſtatuitque vt non Comites de Altorf, ſed ex vetulæ obſtetricis ominoſa voce, quę vitam illis XI. dederat, Vuelfi vocarentur: & gratitudinis ergo, pro diuinitus ſeruata tã numeroſa prole, in ipſo Altorfenſi oppidulo cœnobiũ monialium conſtruxit. Hanc iſtius monaſtici loci originem eſſe ex multorum ſenum, qui eadem ſeſe à ſuis parentibus & maioribus audiuiſſe narrabant, teſtimonio ſcribit *Bruſchius de monaſterio Vinearum.*

Helionora Saluiata Bartholomęi Friſcobaldi Florentini ciuis vxor; duos & quinquaginta liberos enixa eſt, nunquam pauciores tribus vno partu, *Iacobus Capellus in Fragmentis.*

Matthias Golanceuius Epiſcopus Vladislauienſis in Polonia fuit ſub Vladislao Loctitio Rege. Eius matrem ferunt duodecim filios vno partu edidiſſe: verum ex iis vnum illum vixiſſe, reliquis mox, vt nati erant, mortuis. *Gromerus lib. 11.*

Anno 1270. in Cracouienſi regione honeſta quædam matrona Margarita, Virboslai Comitis vxor, triginta ſex pueros viuos vno partu edidit, viceſima die menſis Ianuarii. *Idem lib. 9.*

Margarita Florentii Comitis Hollandiæ filia, mulierculam ſtipem petentem, gemellos in vlnis geſtãtem, acerbe increpauit, neque eam vno partu duos ꝓducere potuiſſe, niſi duorum quoque virorum vſa eſſet cõmercio affirmauit. Mendica precibus à Deo contendit, vti in ſignũ pudicitiæ ſuæ Comitiſſa grauida tot pareret infantes, quot eſſent in anno dies. Preces fuere exauditæ, exacto geſtationis tempore Anno M.CC.LXXVI. ætatis ſuæ 42. ipſo die Paraſceues peperit Margarita CCCLXIV. Infantes, partim mares, partim fœmellas. Eos ſimul in pelui baptizatos, maribus Ioannis, fœmellis Eliſabethæ nomine impoſito, & cum matre paulo poſt morte Epitaphio hiſtorico. Cuius *Ludouicus Viues, Eraſmus Roterodamus, & Ludouicus Guicciardinꝰ in Topographia Flandriæ* meminere. Anno Chriſti 1313. Margarita Comitiſſa Holſteinii imperante Henrico VII vno partu tot edidit infantulos, quot anni ſunt dies, trecentos ſexaginta quatuor, omnes maturæ ætatis, & humanæ formæ: omnes etiam viui baptizati ſunt. *Annales Brunſuicenſium Albertus Crantzius in Vandalia, Erneſtus Brotuffus lib. 4. ca. 4. Hiſtoriæ Principum Anhaltinenſium. Fulg. lib. 1. ca. 6.* Anno 1322. (vt *Maffæus* meminit) quo leproſi p Italiã fontes infecerunt, Margarita Comes Hollandiæ eas ꝓ adulteris fœminis arbitrata, q̃ gemellos parerent, imprecatione cuiuſdã pauperculę, q̃ forte eandẽ ob cauſam acerbius increpaſſet, vno peperit partu 365. omnes vitales, pollicis magnitudine, quos ſacro fonte candidatos continuo mors excepit. *Gemma li. 1. c. 6. Coſ.* Oſtenti loco haberi poteſt, ꝙ accidit ab Anno à Virginis partu 1310. cum Henricus Luxenburgenſis in Germania imperaret. Quo tẽpore Margarita Olandæ Comes trecentos & ſexaginta filios viuos vno partu edidit: qui oẽs baptiſmi charactere illuſtrati fuerũt. Author *Baptiſta Fulgoſus. Mizaldus Cent. 8. Mem.* Margarita Holſtenia Comitiſſa dierũ anni numerũ fœtibus vnius partus adæquauit. *Zvvingerus Comm. Tabula ad lib. Hipp. de nat. pueri.* Hiſtoria Chronica & ſepulchrũ vna cum epitaphio in Hollandia teſtantur Margaretæ, illuſtris Florentii Comitis Hollandiæ filiæ puerperium trecentorum ſexaginta quatuor puerorum viuorum, & ab Epiſcopo Guidone baptizatorum. *Ioan. Boſcius theſi 109.*

Concordiæ Medicorum & Phyſicorum de humano conceptu,&c.

In Hollandia, non procul Lugduno Batauorum, Pagus eſt Lauſdun: in quo memorabilis Hollandiæ Comitiſſæ Hiſtoria ex marmore deſcripta ſpectatur: Quæ ſic habet.

In fronte Epitaphii ſcriptum eſt maiuſculis litteris:

EN TIBI MONSTROSVM NIMIS ET MEMORABILE FACTVM, QVALE NEC A MVNDI CONDITIONE DATVM.

Margareta Hermanni, Comitis Hennebergiæ vxor, Quarti Florentii Comitis Hollandiæ & Selandiæ filia, Gulielmi Regis Romanorum, ac poſtea Cæſaris ſeu Gubernatoris Imperii, atque Alitheiæ Comitis Hannoniæ ſoror; cuius patruus Epiſcopus Traiectenſis, auunculi autem filius Dux Brabantiæ, & Comes Thuringiæ, &c. Hæc autem Illuſtriſſima Comitiſſa annos XL. circiter nata, ipſo die Paraſceues, nonam circiter horam, Anno Milleſimo Ducenteſimo LXXVI. trecentos & LXV. enixa eſt liberos, qui prius à Guidone ſuffraganeo Traiectenſi, omnes in duabus ex ære peluibus baptizati ſunt, quorum maſculi quotquot erant, Ioannes, puellæ autem omnes, Eliſabethæ vocatæ ſunt, qui ſimul omnes cum matre, vno eodemque die fatis conceſſerunt, atque in hoc Lauſdunenſi Templo ſepulti iacent. Quod quidem accidit ob pauperculam quandam fœminam, quæ ex vno partu gemellos in vlnis geſtabat pueros, quam rem admirata Comitiſſa dicebat, id per vnum virum fieri non poſſe, ipſamque contumelioſe reiecit. Vnde hæc paupercula animo perturbata ac perculſa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex vno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem præter naturæ curſum obſtupenda quadam ratione ita eſt factum, ſicut in hac tabula in perpetuam huius rei memoriam, ex vetuſtis, tam manuſcriptis, quam typis excuſis Chronicis, breuiter poſitum & enarratum eſt. Deus ille ter Maximus, hac de re ſuſpiciendus, honorandus, ac laudibus extollendus in ſempiterna ſæcula. Amen.

In calce Tabulæ ſequitur:

HÆC LEGE, MOX ANIMO LECTOR STVPEFACTVS ABIBIS.

ATque hæc eſt illa Memorabilis & Miraculoſa Hollandiæ Comitiſſę hiſtoria, *ex Archetypo marmoreo Lauſdunenſi* velut ex viuiradice ad plenum deſcripta. Lector candidus cum hac ipſa pugnantes auctorum, qui Chronica ſcripſere, ſententias, circa annum, numerum prolium, nomen Matris & Epiſcopi, conciliabit. *Io. G. Schenckius, Med. Fil.*

Machtildis Comitiſſa ab Hennenberg, filia Florentii IV. Bathauini Comitis ſoror Gulielmi Regis Rom. ſub Friderico II. Imperatore mille quingentos quatuordecim pueros ſimul genuit: qui in malluuio ab Othone Traiectenſi Epiſcopo auunculo eius ſacra aqua luſtrati ſunt; & poſt mortui. *Auentinus libro ſeptimo, Annalium Cuſpinianus* CCCL. pueros habet.

In Sileſiæ annalibus ſcriptum eſt, peperiſſe mulierem fœtus 36. *Veinrichius de Monſtris pag.* 219. facie auerſa.

Igneus præſes Curiæ Rothomagenſis in acta publica conſcribi mandauit, non modo tergeminos, ſed etiam ſeptem geminos fœtus, imo etiam plures, ſed inutiles, editos. *Bodinus Theatri naturæ lib.* 3.

Mulierem quandam Germanam, Dorotheam homine, in Italia gemino partu viginti filios edidiſſe memoriæ traditum eſt, altero quidem nouem, vndecim altero. Quæ, dum hanc prolem geſtaret vtero, ob ingens pondus ſolita eſt cum faſcia collo & humeris appenſa, tumidam aluum, & aduſque genua prolabentem, ſubleuare, vt Ioannes Franciſcus Mirandulanus Princeps in Commentariis ſuis in hymnum ſecundum author eſt, qui octo infantes ſimul Ægyptias fœminas etiam peperiſſe, & earum vnam quatuor partubus triginta filios protuliſſe, ex antiquorum monumentis hauſit. Atq; in agro Mutinenſi Antonia quædam, quadraginta filios edidiſſe, dum ipſa annum ageret quadrageſimum, ac ſæpe vno partu ternos atque quaternos, ex hiſtoria eiuſdem Epiſcopi Nouocomenſis recitat. *Lycoſtenes libro prodigiorum Anni Domini* 1499.

Ruſtica in pago Keſtwil prope Acronium lacum, An. Dom. 1535. quatuor pueros mares vno partu incolumes edidit, non diu tamen ſuperſtites. Stumpfius. Keſvvilæ in Turgauia mulier vno partu quatuor filios enixa eſt, qui in Chriſtianorum numerum à ſacerdote ſolenni more recepti ſunt. *Idem lib. de Prodig. & Oſtent.*

Iohannis Giſſingeri Tigurini, vxor, circa annum Sal. 1553. cum gemellos edidiſſet, anno nondum elapſo, quinque ſimul peperit, tres filios, & duas filias. *Idem de Prodigiis.*

In Brachbanto villa, alia mulier enixa eſt 4. maſculos vno partu. *Idem opere citato.*

Quinos vno partu edi poſſe Herophylus ſcribit. Vidimus vno partu tres fœmellas mulierem peperiſſe ad Triniacum oppidum in Veronenſi agro, quæ feliciter vixere. *Alexand. Benedict. lib. 25. cap. 20. de Curand. morb.*

Paulus I. C. cenſuit *libro quinto*, dum de Iudiciis agit, tantum tres naſci poſſe qui ſuperſint, quod nos aliquando vidimus. *Cardanus de Varietate libro octauo, cap.* 40.

Conciliator noſter dixit in villa ſua de Abando ſex embriones ab vna muliere emiſſos, quorum quilibet motum habebat: res quippe ſtupenda multum. *Sauonarola Tract. 6. cap. 21. rubr. 25.*

Pamica Agrigentina mulier, ætate mea Bernardo Belluardo Agrigentino nupta, tantæ fuit fœcunditatis, vt tricies circiter enixa, tres ſupra ſeptuaginta ediderit liberos.

Et paulo infra, Anno Sal. 1430. Meſſanæ mulier quædam, annos viginti quatuor nata, nouem infantes vno ſemel partu edidit: quæ, poſtquam peperit, vna cum filiis extincta eſt. *Thomas Fazelus de rebus Siculis, lib. 6. prioris decadis.*

Hic eſt Bononiæ quidam Iulius Scatinarius adhuc viuens, & fœcundus Bononiæ Ciuis: qui venit in lucem cum ſex aliis fœtibus, & ipſe fuit ſeptimus: & mater eius erat ſoror D. Floriani de Dulphis mihi affinis.

Et ego

Et ego Carpi vidi vnam mulierem parere quinque filios in vno partu.

Et dixit mihi fide digniſſ. Dominus Alexander de Campo Fregoſo Epiſcopus Ventimillienſis, & iurauit ſupra pectus ſuum fide Epiſcopali; quod vna mulier lamiæ de egregia familia de Buccanigris peperit ſexdecim fœtus humanos magnitudine palmi, qui omnes habebant motum, & vltra iſtos ſexdecim fœtus, qui habebant formam humanam, peperit etiam vnum animal habens formam equinam, & etiam habebat motum, & omnes 17. tam habentes formam humanam, quam illud animal, quod formam equinam, erant inuoluti in vna ſecundina, hoc tamen eſt monſtroſum. *Carpus in Anatome.*

Auguſtinus tamen Iuſtinianus Nebii Epiſcopus, *in Annalium Ianuenſium libro quinto*, aliter hanc Hiſtoriam memorat. Ait namque Anno 1485. Bartholomeam Vxorem Ioannis Antonii Buccæ nigræ vnico partu decem & ſeptem ediſiſſe filios informes quidem, motum tamen habentes; dactili oſſis formam præ ſe ferentes.

In Italiam ſeptem, & aliam tres, (quod aſſidue accidit) quam etiamnum nos ipſi nouimus, abegiſſe certum eſt. *Bonaciolus c. 6. Enneadis muliebris.*

Beauforti in Valle Andium agro, iuuencula mulier, filia Macei Cannerii, vnum fœtum iuſto partu cum ediſiſſet, decimo poſt die alterũ enixa eſt, qui, niſi vi auulſus ab vtero, edi non potuit: marique lethifer extitit. *Pareus lib. 24. c. 3.*

Ob fœtuum numerum partus difficultas nonnunquam oboritur, vni etenim ſunt quinque & ſeptem. Retulit mihi quoque vir fide dignus, ſe vidiſſe Valentiæ fœminam quæ vno partu peperit duodecim. *Chriſtoph. à Vega, Artis Medend. lib. 5. Sect. 10. capit. 23.*

Illud annotandum eſt, quamuis vnica adſit in vtero cauitas, tamen plures fœtus in eo concipi poſſe, ſi apta adſit tot conceptibus materia, ſemen, inquam, id eſt: dum vero fœtus delineantur, niſi ſuis ſinguli membranis diſtinguantur, ſimul cohærent, monſtraque hominum ſeſe attingentium fiunt. *Columb. lib. 12. de re Anat.*

Aliquæ adeo fœcundæ ſunt, vt non modo geminos vno conceptu generẽnt, ſed & ter geminos, & plures etiam. [illegible]uidem enim aliquas noui genuiſſe tres: vnam vero Bononiæ, quæ vxor erat ferrarii fabri, quæque primum geminos: altero partu tres: tertio vero quatuor peperit: ex quatuor nullus vitalis fuit, è tribus vnus. *Trincauella libro vndecimo, capite decimo ſeptimo. De Rat. Curand. Part. Hum. Corp. Affectus.*

Sub Maximiliano I. Imperatore quædam tres puellas vno partu enixa eſt, quæ omnes ad iuſtos peruenere annos. *Iacob. Rieff. lib. 5. cap. 4. de Concept. & Generat. hominis.*

Bonauenturæ Sauelli, Nobilis Senenſis mancipium, vno partu ſeptenos edidit fœtus, quorũ quatuor Baptiſmo donati fuerunt. *Dalechampius cap. 3. citante Pareo lib. 24. c. 3.*

Noſtra ætate inter Sartam & Mœnum in parœcia Sigillorum ad Cambellayum familia eſt domus nobilis, dicta Maldemera. Domini Maldemeræ vxor, primo quo nupſit anno, gemellos peperit. Secundo ternos. Tertio quaternos. Quarto quinos. Quinto ſenos fœtus, ex eoque partu mortua eſt. Ex ſenis his vnus adhuc ſuperſtes viuit Maldemeræ Dominus. *Pareus lib. 24. cap. 3.*

Viuit adhuc hoc anno, qui eſt 1579. Mulier Saluſtra nomine, obeſa, & ſtaturæ humilis, quæ nouem vno partu enixa eſt, quod non ſemel, ſed bis ei eueniſſe, certiſſime ſcio. *Mich. Io. Paſchalius Schol. ad c. 59. Pet. Paul. Peredæ lib. 1. de Cur. Morb.*

Tres fœtus in vtero generari poſſe mirarer niſi hoc anno in noſtra Lutetia paſſim eueniſſe conſpexiſſemus. *Carol. Stephanus de diſſect. part. corp. hum. lib. 3. cap. 5.*

Annis ſuperioribus Brandimarti cuiuſdam è plebe vxor; 26. annum agens, 8. Menſe graui vtero cum premeretur, quatuor filios viuos peperit, duos maſculos, & duas fœminas omni ex parte formatos, qui tamen baptiſmate recepto non multo poſt ab vteri egreſſu obiere, matre ſuperſtite. Quæ res totius vrbis noſtræ populum ad illos inuiſendos, magno omnium confluxu attraxit. Ita vt Sereniſſima Duciſſa Leonora, Domina noſtra, pauperculæ domum adire non fuerit dedignata, ac puerperam filioſq; inuiſere, multaque elemoſina donare. *Marcell. Donat Hiſt. Med. Mirab. lib. 4. c. 24.*

Noui quandam Bononienſem, quæ adhuc viuit, tres fœtus peperiſſe. *Dominic. Leonus lib. 6. cap. 15. ſect. 3. Art. Medend.*

Homines ſæpe geminos pariunt, tres nonnunquã: & ego tres vidi viros ſimul vno partu natos, legiturque de Horatiis, ac Curiatiis, qui inuicem pugnauerunt. *Cardanus in libro de Vno pag. 249.*

PARTVS FACILIS.

OBSERVATIO.

Stupenda mulierum quarundam exempla, quæ ſtatim atque pepererunt, nulla puerperii ratione habita, ad conſueta opera reuertuntur.

PECVLIARE eſt Lygiſtorum genti, quod mulieres opus facientes pariunt, lotoque infante, ad ſarculum mox, foſſionemque redeunt, ac alia obeunt munia, puerperis minime vſitata. *Ariſtoteles lib. de Mirab. Auſcult.*

In Lyguria & Illyrico mulieres tam parentes laborum ſunt, vt poſt puerperium minime decumbãt; prægnanteſq; inter opus enixos pueros domum referre tradunt, quos non peperiſſe, ſed inueniſſe credas. *Alex. lib. 2. c. 25.*

Idem de Thracibus, Scythis, Cantabris, & Celtiberis legimus: apud quos puerperæ, adeo dolore nõ mouentur, vt viris, loco illarum decumbentibus, miniſtrent & famulentur. *Idem.*

Tempore quodam, cum vir quidam Maſſilienſis mercede conduxiſſet viros & mulieres, qui agrũ ſuũ foderẽt, cœpit vna ex conductis fœminis ſentire dolores partus: relicto ergo opere abiit pauliſper extra agrũ: emiſſoque fœtu, rediit ad laborẽ, ne mercedi quid decerperetur: & cum Dominus agri videret, quod penſum difficulter ſolueret laboris, neſciens quid ei accidiſſet, interrogauit quid illi eſſet; cognita cauſa numerauit illi precium, iuſſitque abire. Illa autem ſumpto puero, lauit ipſum aqua fontis & inuolutum panniculis, incolumem domũ portauit.

Poſido

Poſidonius. Eadem *Cœlius lib. 18. cap. 22.* qui teſtem Varronem adducit.

Alemanus Exemplum adducit ex Poſidonio de muliere, quæ, cum peperiſſet, à labore infantem in agro, ſtatim reuerſa eſt ad fodiendum. Atque hoc ad vſum referri debet. Quod non ſolum, tum Hiſpana Ruſtica: ſed in Nobili iuuencula, in Italia, regione Patauina contigit: dum furtiuum concubitum, quæ pro Virgine habebatur, tegere conata eſt. *Cardanus lectione 99. Text. 7. ad lib. Hipp. de Aere, Aquis & Locis.*

Grauidis Braſilianis, haud ita multus in partu dolor, à puerperio facto confeſtim exſurgit, ac domeſtica obit impigre miniſteria. Eius loco (quod vix credat quiſquam) in aliquot dies, velut æger, decumbit maritus, hic officii cauſa ab amicis & propinquis inuiſitur, huic ſorbitiunculæ dantur ad refouendas vires, huic de gentis more, bellaria & delicata munuſcula deferuntur. *Maffeus Hiſt. Indicæ lib. 2.*

PARTVS DIFFICILIS.

OBSERVATIO.

Partus difficultas, ob vaſa vmbilicalia fœtui collo inuoluta.

VXOR circa vndecimam cœpit ſentire partus dolores: circa tertiam peperit cum ſatis magna difficultate. Puer fere ſuffocatus eſt ob vaſa vmbilici, duabus vel tribus circumuolutionibus ambientibus collum, ſicut natus clamare non poterat. Secundinam vidi integram, non corruptam, eo modo, quo in Realdo deſcribitur. *Cl. Ioan. Bauh. in locupletiſſimo Obſeruationum ſuarum Diario, candidiſſime mihi communicato.*

Inteſtinum Vmbilicale fertur circa ſuperiorem pueri frontem: ideo caput deorſum inclinat, plerumque inteſtinum extra remanet, eo motu, quo Monachi caput ſibi ipſis detegere ſolent. Quod ſi aliquando in deſcenſu capitis, ad poſteriora minime feratur, ſuper faciem ad iugulum vſque deſcendit, & circa collum obuoluitur, eodemque pacto cincti pueri naſcuntur, ſtolidis mulieribus vanæ prædictionis occaſionem præbent. *Varolius Anatom. lib. 4. cap. 5.*

OBSERVATIO.

Triduum fœtus caput extra naturalia in partu propendens: tandem vi extractus eſt, ſalua matris & infantis vita.

TRiduo mater mea laborauit in partu, capite prominente: cum ipſa iam diuturnos ferre dolores non poſſet: per vim tandem extractus, vt meo ſupplicio matrem liberatem à morte. *Cardanus li. 3. de Vtilitate ex aduerſis capienda. Titulo de Paupertate.*

OBSERVATIO.

Grauidæ cuidam fœtus manus per vmbilicum exerta eſt, & quindecim dies ad partum ſic ſtetit, ſalua matre, viuo & vitali fœtu.

LVtetiæ cuidam mulieri grauidæ fœtus exerta manus eſt per vmbilicum, & quindecim dies ad partum ſic ſtetit, ſaluaque matre euaſit viuus & vitalis. *Hollerius inter rara num. 8.*

Doctiſſimus *Hollerius* præceptor meus, ſub finem *primi libri de morbis internis* refert Mulierem quandam Lutetiæ, cum vtero geſtaret, fœtû diebus quindecim, antequam in lucem ederetur, brachium per vmbilicum matris extenſum habuiſſe, & tamen nihilominus ipſam cum fœtu ſuperſtitem remanſiſſe. Quomodo autem enixa ſit, aut per quam viam, & an poſtmodum vtero rurſus geſtarit, ſpeciatim non exponit, quod tamen & inueſtigatione & cognitione dignum erat: id quod facile ab ipſo fieri poterat, cum præ foribus exemplum haberet, magna huius rei vtilitate, tam quod theoricam, quam praxim perpenſa. Sed quomodocunque ſe res habeat, hoc abſque magno vteri vlcere fieri non potuit, licet fœtus dein in locum naturalem rurſus redierit. Verum ex altera parte res ſumma admiratione digna eſt, infantem tam diu ſuperſtitem, hoc pacto viuere potuiſſe, non ſolum vtero, ſed & tunicis ipſum inuoluentibus ruptis, ipſius vteri fundo brachio perforato, alia enim ratione fieri non poterat. *Rouſſetus de partu Caſ. Sect. 4. Hiſt. 5.*

OBSERVATIO.

Partus difficultas ob Omphalocelen in qua fœtus inter enitendum ſurſum in vmbilicum manifeſte etiam ad tactum regeſtus: non niſi ſingulari induſtria ad felicem partum dirigi potuit.

AVguſtani Tinctoris vxor, ante aliquot annos Omphalocelen ex partu contraxit, & cum ab hinc annis 8. denuo vtero gereret, duodecim liberorum mater facta, ſatiſque commode haberet, niſi quod faſcia ad ruptionem idonea vteretur. At vero partus tempore inſtante, cum pleraque felicem partum pollicerentur, aquis pro more profluentibus, ecce fœtus ſubito ſurſum ad Omphalocelen abripitur, ibique hærens, turgente & expanſo in tantum Vmbilico, vt ad tactum fœtus membra exacte dignoſci poſſent, non ſine matris & fœtus vitæ periculo. Factum autem tandem vt peritiſſ. fœminæ manu in vterum immiſſa fœtus ſingulari dexteritate ab Vmbilico ad locellos reuocatus, ægra filiolum legitimo partu vel hodie ſuperſtitem enixa ſit feliciter. *D. Tob. Cneulinus, de Obſ. prop.*

OBSERVATIO.

A deſperato partu mulier cum fœtu liberatur.

VOcatus ego ad mulierem ciuem Taurinenſem dictam Caſtilinam, omnibus ciuibus notam, imo notiſſimam, quæ cum eſſet in partu, iam loquelam amiſerat, & operationem intellectus, veluti mortua reſupina iacebat, oculis apertis, ſine ſenſu & motu. Tetigi & inueni pulſum magnum, plenum & fortem. Habebat penes ſe Chirurgum, qui expectabat, vt arte embrionem extraheret. Iuſſi eam ſedere in decoctione pulegii regalis decenter calida, & dari per os, dum in ea ſederet drachm. vnam dictamni cum vino cocto. Dixi chirurgo vt in eius aurem diceret, ſu, ca. midur, & ſtatim peperit filium ſanum. Et ipſa, Deo fauente, ſana facta eſt. Sunt autem modo pluſquam triginta anni, & adhuc viuunt mater & filius: qui eſt bonus mercator. *Bayrus Pract. lib. 15. capite nono.*

OBSERVATIO.

De fœtu mortuo in partu, & ſemihorulæ ſpatio poſt reuiuiſcente.

VXOR mea prior, filia Adolphi Gruben I.V.D. olim Syndici Vratislauienſis, Conſiliarii Cæſaris Ferdinandi, quæ feliciter & facile alias pariebat, cum nouam prolem paritura eſſet, Cremſæ, quod obſtetrix in ipſo partu alio ad Senatoris vxorem acuocabatur, nec redibat, ab opere feriari aliquot horas cœpit, & conuocatis aliis duabus obſtetricibus, vix agones parturiendi redibant, multoque difficilius pariebat mortuam filiolam, ad quam viſendam me mulieres per aream ad Muſæum remotius accedentes vocant, ego ſaluam puerperam cum gaudio, miſeram infantem filiolam mortuam hinc & inde liuidam triſtis intueor, & me colligens dico, maluaticum quod habetis calfacite, & ſeorſim tum hoc, tum aquam calidam adferte, addam aliquid quo forte vita & calor natiuus refocilletur, atque ad Muſæum remotius, & ad ſcrinium in eo quam celerrime propero, inde aufero mecum puluerem cordialem qui ℞. ſp. cord. temperat. diamarg. frigidi an. ſcrup. ij. diamoſch. d. diambræ ana. ſcrupul. j. diacinam. drach. ſ. El. reſumptiui, Arom. roſ. ana. ſcrup. ſ. miſce, & f. pul. Reuerſus ad infantem mortuum (ſemihorula ſane à partu eſſe elapſa tunc dicitur) iubeo illum in lauacrum partim ex aqua, partim ex maluatico mixtum immitti, lauari ſenſim, & puluerem in cochleari maluat. pleno diſſolutum iubeo in os ſumere obſtetricem & vehementi ac propriori afflatu in faciem infantis mortui inſpuere. Factum, & ſtatim clamat, reuiuiſcit, & hodie viuit, annos 9. nata, dicta Anna Maria. *De CL. V. Iacobi Horſtii Obſeruationum libr. qui Clariſſ. Laurentii Scholtzii opera ad me transmiſſus eſt.*

OBSERVATIO.

Circa difficilem partu exanimato prope infantulo, qua ratione refocillandus & reuocandus.

IN difficili partu caſus obſeru. dignus. Sæpe infans veluti mortuus enaſcitur, qui priuſquam deligatur vmbilicus, compreſſo intus ſanguine, tanquam recepto alimento vitæ reſtituitur, qui alias mortuus fuiſſet, teſte *Alex. Benedict. lib. 26. cap. 25.* D. Gieb. Horſtius, excellens Medicus Romæ retulit, ſe adfuiſſe cum fœtus eſſet in manibus obſtetricis, ſecundina vero adhuc hæreret in vtero matris, hancque in grauiſſimum deliquium animi incidiſſe. Ita etiam vt nunc expiraſſe videretur, & ſtatim fœtum etiam quaſi commortuum. Cum illico obſtetrix inclamaret, vinum vinum: allatum vinum græcum, paululũ igni admouit, & ligno aperto ore puerperæ cyathũ infudit in os, ita puerpera ſtatim ad ſe rediit, & quaſi reuixit, & eodem momento cæpit fœtus pulchre ſe mouere, ita vt vterque ſuperſtes maneret, & res bene ſuccederet. Propterea in omni animi deliquio, non aceto, aut aqua Lauendulæ, vt fit, ſed vino optimo aromatico vtendum. Quod & Senior D. Sittardus Noueſienſis cum viueret, iudicabat faciendum, niſi ſit deliquium animi cum vomitu, tunc enim cũ vino, aceto ex pane toſto naribus admouere non eſt inutile. Hæc D. Giebertus. *Solenander in Conſil. opere Sect. 5. Conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Aetite lapidis, in continendo & propellendo fœtu, vis, veterum & recentiorum experimen- to confirmata.

IAcobus Syluius in Gallia in vſu quotidiano Ætite lapidis vim probatam ait, vt, ſupra quidem alligatus, fœtum contineat, ad femina vero, attrahat. Ætites lapis in aquilæ nido repertus, reſonantibus intus minutis lapillis, fœminis lubricis concipiendi vim confert, alligatus pectori, aut ſiniſtro brachio, per quod à corde verſus digitum annularem minimo proximum arteria decurrit. Quibus partibus ſi toto geſtationis tempore gemma incumbat fœtum fulcit, nec vllus eſt abortus, aut excutiendi fœtus formido, aut trepidatio. E diuerſo parturientis femori admotus, expeditum facilemque partum procurat, nulla propemodum enitendi difficultate, aut in anguſtia, qua res mihi experimento probata eſt. Cum enim Heroina quædam, toto geſtandi vteri decurſu, hoc à collo geſtamine commoda valetudine vſa eſſet, partuq; inſtante, gemmam adimere atque à pectore amouere neglexiſſet: ſenſit ilico pariendi difficultatem, infantemque tardius deſilire, ita detracta de collo Aetite gemma, eaque admota femori interna parte, non procul à pube, leuem placidumque partum conſequuta eſt. Itaque Matronis ſalutarem eius gemmæ vſum iudicaui, & quando vel pectori, vel fœminibus applicare conuenit. Qua autem vi iſta perficiat, ſi forte requirit, diſcendique eſt auidus, ego attrahendi facultate tale quicquam præſtare cenſeo, eadem qua magnes ferrum, Gagates & ſuccinum feſtucas, ac paleas allicit: quod nemini abſurdum videri debet, quum vterus exquiſita ſentiendi vi polleat, atque rebus odoriferis afficiatur: &c. *Lemnius, libr. 4. cap. 12. de Occult. Nat. Mirac. Idem ex eodem authore aliquoties repetit Mizaldus.*

Lapis Ætites vel Aquilinus habet à Lucina, id eſt, Venere atque Luna, vt admotus vuluæ, partum mox & facillime citet. Quod Raſis, confirmante Serapione, frequenter ſe dicit expertum. Forſan & à Phœbo, qui transfixit Pythonem. *Marſilius Ficinus.*

Lapidem aquilæ geſtare brachio ligatum (ad vitandum abortum) conuenit. Experimento tamen noui, valere lapidem (Ætitem) cunei modo inſertum illici vbi collo appenſus geſtaretur. *Chriſtoph. de Vega, Libro tertio, Sect. 10. Capite vigeſimo primo, Art. Medendi.*

Nec ſolum iis, quæ à facultate Elementari facilitandi partus vim habent vſus ſum, ſed & iis quæ à tota ſubſtantia operari dicuntur. Lapidem namque Ætitem ſiniſtræ coxæ alligari iuſſi, & poſt paululum moræ prodiit maxima cum anguſtia membrana monſtroſa illa, qua de nunc agimus. Sed mox illa eiecta, lapidem amoueri iuſſi, ſi namque diutius perſtaret, vi potente ſua matricem attraheret: vt in Poſoni Ioberti ciuis Valentini, & Valentiæ Allobrogum Vrbani prætoris vxore perſpexi: cui difficili partu laboranti, cum mulierculæ lapidem Ætitem magnum cruri adligaſſent, & edito partu, per imprudentiam & obliuionem lapidem à crure non amouiſſent, poſt paucas horas prodeunte matrice,

matrice, mortem miſeræ laboranti attulit. *Valleriola lib.1.Obſ.10.*

Aetitem, non ob elementarem craſin partum facilitare, probo equidem: minus illud, quod à tota ſubſtantia, quam alii occultam proprietatem indigitant. Quæ enim eſt illa indigna Philoſopho cœca facultas? Quare ſi quid hic confert Aetites, vt confert maxime, id omne atque totum non elementis paſſiuis, ſed principiis hypoſtaticis actiuis internis debetur. Nec eſt vlla conſtans vel facultas vel proprietas, virtus & dynamis, quæ non in principiis actiuis deprehendatur. Principia vero, ætherea ſunt. Elementa, ſublunaria. Faceſſant hinc, qui in elementis, atomis, ſpiritibus harmoniacis, occulta cœca proprietate, ſimilibuſque præclaras Rerum ab indito per λόγον ſpermaticum, virtutes & facultates, inueſtigant. Cæterum quod hic locus non patitur, alibi ſingulari opera luculentius illuſtrabimus. *Iohann. G. Schenckius, Filius.*

Eandem vim huic lapidi veteres claſſici autores, *Dioſcorides, Plinius, Galenus, Ælianus, Aetius, Conſtantinus, Raſes & plerique alii attribuunt.*

OBSERVATIO.

Ad partus difficultatem remedia aliquot rara noua aut vulgo incognita.

℞. Cinnamomi optimi, trochiſc. de myrrha, croci optimi ana drachmam mediam, omnia optime & ſubtiliter triturentur: & generoſo vino excepta bibenda propinentur, hoc enim epoto, & repetito medicamento, duas peperit puellas omnino luteas, ob quem colorem aſſiſtentes mulieres admirabantur. Cæterum nos colorem hunc à croco ebibito contractum eſſe docuimus, itaque lauatæ puellæ albæ ſunt effectæ. *Amat. Luſit. Cent.5. Curat.34.*

Ariſtolochia cum myrrha & pipere pota ſecūdas & fœtus pellit: addo crocum, quod raptim vterum petit, adeo vt cum quædam excludere fœtum non poſſet, dato croco, prodierit fœtus croco tinctus. *Heurnius lib.2. Meth. ad prax. pag.184.*

Croci extractum rite præparatum, in minima copia datum per os, difficilem partum promouet, corroborando imprimis vires grauidæ & fœtus. *Camerarius in Horto.*

Cinnamomi aqua ad parturientes vtuntur obſtetrices ac mulierculæ, ſummo cum ſucceſſu, in accelerando iuuandoque partu præſentiſſimum eſt remedium. *Geſnerus.*

Olei Cinnamomi guttæ duæ per ſe ori inditæ in animi parturientis deliquiis, præſentiſſimum ſunt remedium, ſicut etiam in accelerando partu, &c. *Andernacus.*

Ad difficultatem pariendi ſuccino mulieres vix quicquam fatentur eſſe præſtantius. *Gæbelius.*

℞. Succini albi ſcrup. duos, vel drach. vnam, ſumatur ex vncia vna atque altera aquæ Liliorum alborum, cuius beneficio puerperii purgamēta & fœtum exigi obſeruatum eſt. Sunt qui hoc remedium *ad Venerandum Gablerum ſeniorem, doctrina & experientia CL. Medicum,* referant.

Puluis experientia confirmatus ad partus difficultatē & ſecundas proliciendas. ℞. Dictamni albi, ſuccini ana drac. vnam ſemis, commiſtis fiat puluis, cuius dimidium ex vino calido, vſus tempore ſumatur. *Ex amici communicatione.*

Succinum parturientibus drachmæ ſemis pondere ex vino albo potui datur, ad fœtum maturādum, partum quoque accelerandum vtile, quod ſæpe experientia didicimus. *Andernacus.*

Fœtum euocat oleum ſuccini, partumq; facilem reddit, ſi gutta eius ex aqua verbenæ parturienti propinetur. *Idem.*

Oleum ſuccini vmbilico inunctum, partum & ſecundinam promouet. *Manuſcriptus.*

De oleo carabino tum vmbilico indito, tum è vino ebibito, & partum difficilem ſtatim felicitante, inſpicienda eſt *Empiricarum Rulandi Curationum, 71.*

Vt mulier pareat & ſine dolore expertum. ℞. Gallitrichi q. ſ. eſt, contundatur bene, & exprimatur ſuccus, de quo accipito poculum dimidium, & cum vino mulieri parturiēti ad bibendum dato: Mox herbam expreſſam calidam ſupra vmbilicum ligato. *Alexius Pedemont.*

Puluis ad facilitandum partum, eiuſque dolores, arcanum, è ſemine Lauendulæ Rondoletii præſtantiſſimum, minime fallax. ℞. Sem. Lauendulæ drachmam ſemis, ſeminis plantaginis & endiuiæ an. ſcrupulos duos, piperis ſcrupulum vnum, fiat pul. capiat cum aquis ſequentibus. ℞. Aquarum Caprifolii & Endiuiæ an. vncias tres.

Alius efficacior puluis: Ourachus cum duobus vaſis coniunctis abluitur vino albo, in fictili nouo vritur in clibano; denuo aqua Endiuiæ & vino abluitur, ſeruetur vſui. ℞. Cineris vrachi drach. duas, Cinnamomi drach. ſemis, piperis longi & galangæ an drach. vnam, ſeminis plantag. & Endiuiæ an drac. vnam ſemis, ſeminis Lauendulæ ſcrup. quatuor, fiat puluis, c. cum aquis prædictis, & vino albo ſi febris deſit.

Fortiſſimus ad ſecundinas & fœtus mortuos. ℞. Conf. Alkermes & pul. præſcripti, an. ſcrup. duos, Boracis, Trochiſ. è myrrha ſcrup. vnum ſemis, Caſtorei ſcrup. vnum, cum aqua Bugloſſi, Artemiſiæ, & vino albo ſumatur. *Lobelius in Aduerſ. ſtirpium.*

Ad Lobelii de Ouracho locum adſcribam Acroama meum: Oleo chymica arte elicito quendam ſemel iterumque partum difficilem ex tempore promouiſſe. *Schenckius, Filius.*

Certo mihi ſuperiore anno confirmauit Nobilis Matrona Ioāna, relicta Nobilis viri Georgii à Neunneck vidua, ex familia Bubenhoferorum orta: ſe multis in partu difficili, fœtu iam ad exitum recte conuerſo, exhibuiſſe cum aquis ſtillatitiis Lilii conuallii & Lilii albi partibus æqualibus acceptis, pilos albos muſtelæ ſylueſtris magnitudine (non denſe conuolutos, extremi articuli medii digiti ſic enim deſcribebat doſin) ſtatimque excluſum fœtum: & quod mirum ſit, pilos ſemper inſtar fungi, prodeuntis fœtus capiti adhæſiſſe. Hoc ſe maximum ſecretum habere. Feciſſem & ipſe interea temporis experimentum, niſi pili defuiſſent. *Vir Clariſſimus Iacobus Suterus.*

Velim vt notetis vnum de borace officinarum, & eſt quod vidi aliquando quendam Medicum Hetruſcum, qui exhibebat vnum ſcrupulum puluetis ipſius in decocto alicuius rei calefacientis, vt matricari e, vel Sabinæ, vel alterius, exhibebat inquam, mulieri.

mulieribus illis quæ non poterant parere, & medicus ille mira faciebat hoc medicamento, ita vt breui temporis ſpatio fœtus egrederetur, vel viuus vel mortuus, & ille medicus tenebat admodum ſecretum tale remedium. Tamen neſcio quomodo poſtea detectum fuerit. Itaq; propono & ego vobis medicamentum præſtantiſſimum ad deiiciendum fœtum. *Falloprus.*

Idem remedium commendatur, & nonnullis additis & detractis celebratur *Occoni, Victorio, Montuo, Wirſungio, Conradino, & aliis*, quos conſulere poteris.

Observatio.

Ancillæ puellæ Eſtymargei hiſtoria & curatio, cui à puerperio ſecunda retenta fuit.

Qui viribus humorum copia grauatis tremunt, his vacuationes remedio ſunt: quemadmodũ & Hippocrates alibi docet his verbis: Eſtymargei ancillę, cui neque ſanguis fluxerat, poſtquam filium peperiſſet: os autem vuluæ auerſum erat, ac dolor in coxam & crus pertingebat, ex talo ſanguis detractus profuit, & ſi tremores totum corpus occuparent. Sed ad cauſam veniendum & cauſæ occaſioné. Mulieris meminit; quod à partu celebri illa ſecundarum puerperii purgatione vacuata non eſſet: deinde tremor oboriretur. Hanc, inquit, ſanaui ſanguine ex talo detracto: etſi tremores totum corpus occuparent. *Galenus lib. de Tremor. palp. conulſ. & rig. cap. 5.*

Observatio.

Ad ſecundinas à partu hærentes: de hiſtoria & experimento ſelecta & noua aliquot remedia.

Præcipua dictamno vis eſt, vt etiam tranſuerſos (non modo emortuos) partus & ſecundas eiiciat, & ne in prægnantium quidem cubiculum inferendum, quippe quod abortum cieat: bibitur ex aqua foliorum obulus. Nec potũ tantum, ſed & illitũ & ſuffitu valet. Quo præcipuo, dum hæc ederemus, cuiuſdam mulieris ſecundam tribus diebus poſt abortum moratam, tandem, diuino annuẽnte numine, pepulimus. *Bonaciolus, Enneadis muliebris cap. 8.*

Ventriculus Quappæ piſcis (qui vulgo dicitur ein Treuſch oder Rufolck) cum ſuis appendicibus miras habet vires. Inueteratus n. vt fit in Saxonia à matronis, trahit mirifice ſecundas hærentes aut relictas in partu, in potu datus. Et magni momenti eſt ad omnia vitia matricis. *Encelius lib. 3. cap. 52. de Metallicis.*

Equi caſtrati teſticulorum fruſtillatim conciſorum & in furno ſiccatorum pollen, ad ſecundas pellendas è iure bibendus datur; quantum tribus digitis capitur, idque, ſi opus ſit, bis aut ter repetitur. Præſentiſſimum eſt remedium, & plurimis iam deploratis profuit. Accepi hoc anno primum è Rhetia Alpina noſtra: vbi ruſticus quidam plus quam in quinquaginta puerperis feliciter ſemper vſus eſt. Communicauit mihi illic miniſter Eccleſiæ Vir doctus & Philiatros, qui & ipſe experimẽtum in vxore Cõſulis Curiæ iá deplorata vidit; Et ego his diebus Vxori D. Wolphii Medici apud nos dedi; quæ ſtatim, vt ſemel accepit, ſecundas enixa eſt. An in ipſo etiam fœtu promouendo idem poſſit, nondum expertus ſum. Hoc tanquam myſterium habendum. *Geſner. in Epiſt. ad Gaſſerum pag. 27.*

Remedium illud ad ſecundas pellendas ἐξ ὄρχεων ἱππείων iam aliquoties nobis mire ſucceſſit. *Idem Geſnerus, epiſt. ad Bauhinum.*

Mitto patris mei ſingulariſſimum illud ſecretum ad ſecundas pellendas, quo liberare ſolebat omnes certiſſimo & admirabili euentu. ne vero deſideres quicquam à me, quod non conſequeris, ſcias puluerem hũc eſſe teſticulorum equi exiccatorum in furno, vbi prius fuerint in minutiſſimas partes redacti, daro quantum tribus digitis capi poteſt, ſic ille præcipiebat: meo iudicio eſt drachma vna. *Horat. Augen. lib. 7. epiſt. 4. ad Iulium Pichium.*

Vt mulier fœtum, ſiue viuus is ſit, ſiue mortuus, enitatur: ſuccini albi, & fimi accipitris albi, ana drac. ſemis, ex vino hauriendam præbe, & indubie prodibit. *Nicol. de Metri.*

Si retineantur ſecundæ, fimi accipitris ſcrup. vnũ propina. Aut drach. eiuſdem j. (in peſſi forma) ſuppone. *Sym. Campegius.* Fimus eius cum vino dulci potus, partus accelerat, *Kiranides.*

Observatio.

De mortuo fœtu medicamentorum vi ex vtero pulſo, hiſtoria.

Anno Domini M.D.XC. menſe Ianuario: Tigurini hoſpitis publici vxor parturiebat, fœtus autem in vtero iam mortuus erat. Altero die ad eam vocatus, muteſcentem reperi, vt verbulum eloqui non poſſet, manu tamen ſignificabat (intelligebat enim quæ dicebantur) præcordia valde affici, quaſi præfocaretur, quanquam reſpiratio ſatis bona eſſet, & pulſus quoque Cibi nihil admittebat, iuſculum ſi in os ſumſiſſet, mox reiiciebat. Morituram omnes arbitrabamur. Leuiora quædam remedia eo die adhibui, verum ſine ſucceſſu. Reſpuebat alioqui medicamenta per os ſumta. Ob periculi tamen magnitudinem longioriſque vitæ cupiditatem, aliquid ſe admiſſuram nutu ſignificauit. Dedi itaq; caſtorei drachmam ex aqua Meliſſæ, ſi hoc forte mortuum fœtum extruſiſſet. ſumſit, retinuit, ſed nihil inde ſequutũ. Tertio tamen die loquendi facultas rediit, cibũ accepit, continuit. Rogaui an vellet aliquanti-ſper in balneo ex herbis parato ſedere (cum medicamenta ægre aſſumeret balneum autem mulieribus his ſit longe gratiſſimum) feſtinandum enim eſſe, curandumque vt fœtus aliqua ratione educatur, alioqui vitæ periculum eſſe præſentiſſimum. Matronæ quidem aſſiſtentes liberer diſſuaſiſſent. ſed qui i morituram omnino ſibi perſuaſerant, non ſunt reluctatæ: ægrota vero ipſa illico reſpondit ſe libenter facturam. Paraui itaque mox balneum ex radicibus & herbis, quæ ad expellendos mortuos fœtus, menſes & ſecundas faciunt, alia quidem aſſumta; alia appoſita, alia in deſeſſionibus, alia aliter: his vero vſus ſum. Radicum Ariſtolochiæ rotundæ, Cyclamini, Hellebori albi, ana vnciam vnam. Arthemiſiæ, Pulegii, Calaminthæ, Altheæ, Sabinæ, Chamæmeli, Maluæ, ana manipulũ vnum. Trita omnia & mixta in ſacculum conieci, & in aquæ ſ.q. decoxi. Ingreſſa eſt in balneum ſtatim, moderate calidum, manſit breui temporis ſpatio, diutius non poterat, ob viriũ imbecillitatem, & ſedendi impotentiam, quia ventre ante & retro tumebant. Vbi egreſſa eſt, me-

liuſcule ſe habere confeſſa eſt. Non multo poſt ingreſſa eſt ſecundo, & multo adhuc melius habuit, & à præcordiorum affectu liberata eſt. Venter erat durus, rotundus, abſque dolore. Ad veſperam ad illam reuerſus, & de his omnibus certior factus, ægrotam ſum adhortatus vt tertio ingrederetur, & dum in balneo ſederet, ſumeret aliquid, quod daturus eſſem, parum quid & non ingratum, me enim ſpei multum concipiſſe. Obtemperauit, dedique in balneo ſedenti pulueris foliorum Dictamni Cretici obolum ex aqua fontis, ſcrupuli ſcilicet dimidium, quod remedium ad mortuos tranſuerſosque fœtus expellendos *Plinius lib. 26. cap. vltim.* efficax eſſe ſcribit. Quibus peractis ſperauit illa rem ex voto ſucceſſuram, omnia enim ad imum ventrem vergere videbantur. Ea nocte ſatis commode habuit, ſed nō dormiuit: Ante diluculum mortuum fœtum feliciter expulit, vt ſi naturaliter viuum pepeiſſet, cum ſecundis & copioſo fluxu. Mirati ſumus omnes vehementer, cum nemo illam victuram ſperaſſet. Hæc quia raro contingunt & diligentem curationē poſtulant, annotare hic libuit, vt in ſimilibus caſibus iiſdem remediis medici vti poſſent, qui præſertim nihil vnquam tale ſunt experti. Sunt quidem alia plurima quæ fœtus mortuos expellunt, vt in noſtro de morbis muliebribus libro habetur, ſed hæc & commode, & felici cum euentu adminiſtrata fuere. Dictamnum facile ſumitur, ægre vero Ariſtolochia Gentiana & ſimilia, quę vel minus amara, vel fœtentia, vel nimis acria, vel ſtomacho inimica ſunt & aliquo modo nocere poſſunt. Caſtorium quidem ſumſit, ſed ſemimortua, & infuſum potius quam hauſtum. *Thaddæ. Dunus lib. Miſcellaneorum cap. vigeſimoprimo.*

Obſervatio.

Ad fœtum demortuum vtero eiiciendum experimenta.

PRæcipua dictamno vis eſt, vt etiam tranſuerſos (non modo emortuos) partus & ſecundas eiiciat, & ne in prægnantium quidem cubiculum inferendum, quippe quod abortum cieat, bibitur ex aqua foliorum obulus. Nec potu tantum, ſed & illitu, & ſuffitu valet. Quo præcipuo, dum hæc ederemus, cuiuſdā mulieris ſecundam tribus diebus poſt abortum moratam, tādem diuino annuente numine expellimus. *Bonaciolus.* Eius ſuffitus fœtum mortuum extrahit. *Camerarii Hortus p. 55.*

Fœtum demortuum potenter eiiciens corticum caſiæ ligneæ, cinamomi, vtriuſque vnciam vnam, fœnigræci, cardamomi, capillorum Veneris, pulegii, rutæ, ſing. drachmæ duæ, boracis ex minera. drach. ſemis. Ar tutior eſt arte confectus, ex puerorum vrina Fumanellus, cui alias diſplicet.

Vulgare eſt ad fœtum mortuum excutiendum. Chryſocollæ drachma, & ſemiſſis, cinamomi, croci cuiuſque ſcrupulus, omnia puluerata ex vino dulci aut aqua arthemiſiæ exhibe. Etenim partum accelerat quoque. *Wirſungius.* Adde *Aldroandum & alios.*

Obſervatio.

Sterilis quædam mulier, medicamentis fœcunda & grauida facta, tribus tumoribus in ventre ſubortis, tandem partus difficultate vna cum fœtu moritur, à cuius morte poſt exauditum crepitum fœtus dentatus in lucem exiuit. Alia laborioſo partu mortua, perinde fœtum mortuum vna cum vtero & inteſtinis excuſſit.

MVlier quædam nobis in ſterili coniugio viuēs, & prolem magnopere expetens, adhibitis balneis, & variis medicamentis, ſibi à mulieribus arte medica abutentibus, præſcriptis: tandem facta eſt grauida, ſed eodem tempore tres tumores, vnus ſub vmbilico, alii duo in vtroque hypochondrio eius deprehenſi ſunt. Poſt partum tumores non modo euanuerunt, ſed & incrementum ſumſerunt. Cumque grauiſſimos ſæpe dolores excitarent, vſa eſt Medicorum conſiliis, & dolores quidem aliquando mitigati, ſed tumores non ſublati ſunt. Tandem cū ſecundo vtero gereret, & difficili partu diu laboraret, viribus, proſtratis & doloribus victa, vna cum infante è vita exceſſit, circa horam quintam veſpertinam. Remota igitur è lecto, & in aliud conclaue translata, adhibitis cuſtodibus iacuit per noctem, vſque ad horam tertiam matutinam. Tunc audito magno crepitu infans mortuus, duos dentes anteriores in ore habens, ex vtero matris mortuæ prodiit.

Simili fato alia quædam nobilis fœmina difficili partu per biduum laborans, vna cum fœtu periit, & poſt aliquot horas infans, vna cum vtero & inteſtinis erupit. Huic mulieri, cum adhuc eſſet virgo, fere quotie plurimum ſanguinis è naribus effluxit, ob id etiam ſemper fuit pallida. Cumque aliquando nares comprimeret; prope tempora, non procul à dextro oculo, ſanguis per porum, tanquam per foramen acu factum, penetrauit. *Clariſſ. V. Iohan. Franco Hildeſio Cameniceno obſeruata exempla.*

DE FOETIBVS IN VTERO PVTREFACTIS, MATRIBVS SÆPE PERNITIOSIS: ALIQVANDO VERO SALuis: Iiſdemque aut per tumores ventris excretis: aut colliquatione cum oſſiculis per aluum aut vuluam expulſis: vel recentibus adhuc, alterutro ſeruato, per Chirurgiam aut manuum ſolertiam liberatis: vel denique vtroque per nouam Hyſterotomotokian eductis ſeruatisque: hiſtoriæ ſtupendæ & admirationem omnem, præter eam quæ inde ad humanum Genus redundat vtilitatem ſummam, vincentes: Antiquitatem etiam in hoc argumento longe poſt ſe relinquentes, illuſtranteſque nonnunquam.

Obſervatio.

Hiſtoria mulieris, quæ cum partum retineret, ipſamet capite gruis dicto inſtr. extraxit.

MVlier quædam retinuit partum intra corpus & à putrefactis membris vexata, medicamentis non poterant oſſa extrahi: Tandem ipſamet

ipſamet inſtrumento, capite gruis dicto, extraxit & lotionibus ex vino editis roſis conualuit. *Solenander ſect.5.conſ.15.*

OBSERVATIO.

Hiſtoriæ mulierum, quæ ſeipſis ignorantibus vtero geſtârunt, in quibus fœtus mortuus & putridus cauſa fuit vt & vterus in corpore putreſceret, ita vt temporis progreſſu interierint.

LVdouica Pouppard, Nicolai Seuin Campi vaſtatori dicti Aurelianenſis vxor, cum propter febrem quartanam, qua detinebatur, Menſtrua ſuppreſſa eſſe (quod plerunque vſuuenite ſolet) exiſtimaret: tamen conceperat. Verum cum ſe grauidã non ſuſpicaretur, vſa medicamentis, venæ ſectione, remediiſq; topicis, quibus tã in febri quartana, q in hepatis & ſplenis duritie (quæ huius morbi ſunt ſymtomata) Medici vti conſueuere. Durities autem hæc, licet eſſet propter fœtum in vtero contentum, (quod non agnoſcebatur) tamen Scirrhus cenſebatur, aut alia colluuies, quæ ex putata Symtomatica Menſtruorum ſuppreſſione eſſet orta. Tandem fœtu mortuo, molliotibusque ipſius partibus putrefactis, nec vllis ipſius partus ſignis conſpicuis, oſſa tractu temporis denudata fuere, & Vterum poſteriora verſus circa regionem recti inteſtini perforarunt, ita vt ſenſim per alũum, vna cum excrementis oſſa fuerint excreta, & inter cætera, os tibiæ integrũ fuit reiectum. Cum ita diu cum morbo fuiſſet conflictata, interiit: cuius corpus 8. Idus Februar. Anni 1565 per Florentium Philippum & Michaelem Pichardum apertum fuit: à quibus nil niſi oſſa putrida, & præcipue capitis oſſa fuere inuenta, idque magna cum admiratione, quomodo in hoc cœno Vteri putrefacti ſubſiſtere potuerint. Videtur ſane mulierem, quo ad hunc affectum, gaſtrotomia curari potuiſſe, ſi tempeſtiue malum cognitum fuiſſet, hocque auxilium foret vſitatum, & cum iudicio adhibitum.

Catharina de Fiefs, domina de Onci prope Millyum, cum ſecundas contraxiſſet nuptias, eodem tempore & in morbum incidit, & grauida reddita: non tamen ſe Vtero geſtare ſuſpicans: quare non ſecus, quam in prædicta Aureliæ factum erat, ita & ipſa Lutetiæ infinitis remediis & quidem Diæta ſudorifica (auxilium aduerſus morbum quærens) vſa eſt: etſi non deeſſent ex Obſtetricibus Reginæ aliquæ, quæ grauidam ipſam pronunciarent, eo quod ſymtomata ea, quæ vtero gerentibus accidere ſolẽt, in ipſa obſeruarẽt, idq; à tempore ſuppreſſorũ menſtruorum, donec etiam Lac mammis obſeruatur, & vſque ad nonum menſem: quo tempore omnia illa Symtomata deſiere, vna cum motu ipſius: dein dolores partus irriti tum ſuperuenere, & ſtatim poſt omnia ſigna fœtus emortui obſeruare licuit, attamen horum omnium ſignorum ratio non habebatur. Quare cum Lutetia domum rediiſſet, adhuc fœtum mortuum Vtero geſtauit, idque quindecim menſium ſpatio à die ipſius interitus ſupputatione facta, præter anteactos nouem menſes, quibus in vtero materno vixerat. Sic partes molliores putrefactæ per inferiora eiiciebantur, quæ (non abſque ratione aliqua) per Dominum Ponetum Medicum Melodunenſium doctiſſimum, pro ſanie ex Vteri vlcere promanante habebatur: quemadmodum oſſa quæ remanſerant Scirrhum Lienis eſſe cenſebat. Tandem extincta cum eſſet, 5. Non. Octobr. Anni 1570. à Luca Campano & Iacobo Dazier Tonſoribus Millyenſibus, præſentibus Dominis de Vertau, & la Gainiere, plurimisque aliis aperta fuit. Quare copioſa adhuc ſanies in abdomine reperta; abſq; vtero, & fœtus oſſa aliqua iam putrida; aliqua vero integra erant: & inter hæc oſſa vnum ex oſſibus clauiculæ iam liuidum, Peritonæum & abdominis Muſculos iam perforarat, ita vt ſola cutis integra remanſerit, qui in latere ſiniſtro forinſecus conſpiciebatur, quod iam pridem pro ſplenis ſcirrho habebatur. *Franciſc. Ronſſet. de partu Cæſ. ſect. 4. c. 2.*

Sartoris Baſilienſis vxoris, Catharina Frechin, annorum circiter triginta, quæ quater prius pepererat, quinto grauida facta, cum iam pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore fœtus quandam conuolutionem, leuesque aliquot pariendi conatus ſentiret, tandem iis omnibus ceſſantibus, rurſum ad ſe rediit, ita vt licet plerunque ſe in lecto & hypocauſto ob imbecillitatem quandam contineret, nullis tamen agitaretur doloribus, idque menſium decem ſpacio. Quo tempore intermedio, cum an grauida eſſet, ex eo quod ſupra vteri geſtationis tempus tamdiu ſuperſtes maneret mulier, nec grauiora pateretur accidentia, in quæſtionem veniret. & de mola, aliòue aliquo tumore inter Obſtetrices conſultaretur, tandem conſilio meo habito (licet eam viuam non viderim) de fœtu mortuo pronunciaui exhibitisque medicamentis fœtum propellentibus, menſes primum promoui: quibus fluentibus, adeo leuata fuit, vt tribus inde ſeptimanis cibum ſine faſtidio ſumeret, ambularet, & in publicum quoque ſine moleſtia prodiret: poſtmodum denuo rogatus, peſſaria ſubieci, vnde mox chorda vmbilicalis propendere cœpit: quæ tamen cum putris eſſet, tandem amiſſa fuit. Verum cum nullus ſequeretur abortus, nullusque eſſet omnino fœtum excludendi conatus, vt is promoueretur, mulier quædam ventrem illi variis modis aliquoties compreſſit, deorſumque impulit. Quo facto, fluor vterinus, in quo putris, alba, fœtidiſſimaque materia ex vtero profluebat, ſubortus eſt, quo octo ſeptimanarum ſpatio perſeuerante, accedente interim febre, corpus adeo contabuit, vt nihil, præter duriſſimum tumorem è tranſuerſo vmbilici in ventre amplius emineret, ac demum viginti ſeptimanarum ſpatio ſupra decimum menſem, quo vterum geſtarat, tempore exacto, exſpiraret. Rogatus vt corpus aperirem, primo ventris intuitu, veſicas geminas liuidas in latere vmbilici, vbi tumor durus, inæqualis adhuc tranſuerſim eminebat, deprehendi: quibus leui negotio, cum tenuiſſimæ eſſent, diſruptis, ſtatim vertebræ ipſius fœtus, vna cum ſcapulis & coſtis obuiæ erat. Tranſuerſim enim collocatus & ſupinus, dorſo inflexo, vti in orbem conuolutus iacebat, verſus exteriora prominebat. Qui exemtus dictuſque adeo putris erat, vt præter cutem & oſſa, quæ tamen leui negotio diſſoluebantur, & quod fœmella erat, nihil alias liceret, vel fœtor immenſus fineret cognoſcere. Hoc ſaltem manifeſtum erat, tranſuerſum illius ſitum, atque eximiam magnitudinem, quam longitudo illius, & capitis amplitudo, prolixis admodum capillis iam ornata, declarabant, impedimento fuiſſe, quo minus in partu prodire potuerit.

Sicque retentum viginti ſeptimanarum ſpatio, cõputruiſſe, & ſimul vicinas partes vndique infeciſſe. Cum vniuerſus vterus vna cum inuolucris & omẽti portione aliqua, muſculiſq; epigaſtrii illius loci deſiderarentur, totaque illa regio pure, fœtore & nigredine infecta eſſent, & ad extimam vſque cutem, vbi veſicæ apparuerãt liueſcentes, corrupta. Quo in loco, ſi ſectio ante extremam illam viſcerum corruptionem facta fuiſſet, fœtus eximi, matre fortaſſis ſuperſtite manente, potuiſſet.

Hiſtoriam hanc communicauit *Cl. Felix. Platerus:* ſed & egomet oſſa cranii capillis ornata, poſt aliquot dies adhuc ſumme fœtentia, licet diligenter abluta forent, vidi. *Caſparus Bauhinus in appendice ad Part. Cæſar. Rouſſeti.*

Observatio.

Mulieres, quarum aliquæ puerperæ fuere, aliquæ vero non, quæ apoſtematibus vteri laborantes apertæ fuere cauterio actuali abdomini impreſſo, quæ tamen non modo non mortuæ, verumetiam nec facultate concipiendi priuatæ fuere.

Ioan. Albosivs, Rovsseto S.

NOn minus admiratione dignus eſt, quam tua ſit Cæſarea ſectio, caſus ille, qui iuxta ædes meas accidit: Mulier vtero gerens, cum aut propter grãdiorem ætatem, aut aliam ob cauſam parere aliter nõ potuiſſet, niſi fruſtatim partibus ipſius fœtus exclusis: vtraque latera ipſius infimi ventris valde tumida habuit, propter vim ferreis inſtrumentis illatã, præſentibus etiam omnibus ſignis, apoſtema oſtendentibus, quod etiam cum ductibus naturæ communionem habebat. Quare cum ipſius infimi ventris pars affecta, cauterio, & quidem amplo facto vulnere, aperta fuiſſet, magna puris quantitas effluxit, ſed non minor puris quantitas, quæ eiuſdem & ſubſtantiæ & coloris fuit, per vterum profluxit. Verum pati noluit, vt ſpeculo matrici indito; quantus eſſet ipſius ſinus, experirer: nihilominus tamen ſatis conſpicuum erat, & apoſtema & vulnus cauterio inflictum ad vterum vſq; vergere, quod ex ſymtomatibus, quæ ſucceſſiue accidebant, & etiam excremẽtis ſimilibus, colligi potuit: dein etiam ex eo, quod pari pacto, eodemque tempore vtraque pars affecta fuerit percurata. Quare cum ita ſe res habeat, vti vidi, mirum non eſt, quod in tua gaſtrotomia tradis, cum longe difficilius ſit, tale vlcus, quam ſimplex eiuſdem partis vulnus: curari. Vale.

Cum cuidam Nicolaæ, Simonis Piſtoris Senonenſis vxori infans mortuus, inſtrumẽtis ferreis violenter foret extractus; abſq; lochiorum fluxu & ſecundinæ extractione: tum intra dies quinq; ex vtraque parte infimi Ventris, magnus tumor obortus cũ Apoſtematis ſignis euidẽtiſſimis. Quare cauterio actuali, vni ex lateribus profundiſſime impreſſo, ex Apoſtemate aperto, Chirurgus copioſum ſanguinẽ grumoſum, putridum & fœtidum manu extraxit: ita tamen vt alterius lateris tumor non conſideret, nec etiam ſecundinam educere poſſet: quare & alterum latus ipſum aperire oportuit, vnde ſecundinam extraxit. Hoc tamen non ſine extremis doloribus, in tam ancipiti & deſperato caſu euenit ſemianimis enim remanſit, triennio ſe lecto continuit: biẽnio vero poſt, fulcris innixa, obambulabat: poſtmodum ſcipioni ſolum innitebatur, & ſic tandẽ ſucceſſiue ſanitatem priſtinam adepta eſt, ita vt ab eo poſtmodum tempore plures habuerit infantes, inter quos vnus Sebaſtianus nomine, qui adhuc & in viuis eſt, & in hac vrbe habitat. Vale.

Nicolaus Villanouanus, Rouſſeto ſalutem. Mirũ in modum, &c. Sed vt ad rem veniam, fateor me tãto, ex quo vixi tempore, nũquam vidiſſem mulierẽ, quæ per latus enixa ſit, & ſuperſtes remanſerit, vt ad me ſcribis. Memoria quidem recolo, quod cum Dominæ de Piles moniali; infimus Venter mirum in modum intumuiſſet, iuſſu meo Mauricium Valdreaci Chirurgum, Abdomen cauterio actuali ad Vteri fundum adacto, aperuiſſe; vnde tam per vulnus, quam partes inferiores, vltra ſeptem libras puris, quod ſemper ſimile fuit, emanauit: & vt de loco affecto certiores eſſemus, ſpecillo partem inferiorẽ dilatauimus, ita vt facile magnitudinem ipſius vlceris Vterini conſpexerimus, quod ſex menſium ſpacio percurauimus: ab illo tempore filiam exixa, quæ adhuc ſuperſtes eſt. Anno 1532. hoc accidit.

Simile accidiſſe vxori Pharmacopœi de Briſſet nomine Montelimarti habitantis, & etiam curatã fuiſſe atteſtor: cui contra duorum Medicorum conſilium, qui eam tractabant, cõſentiente tamen marito, ſimili cauterio vſque ad interiorem Vteri partem adacto, Hypogaſtrium aperiri curaui: vnde pus vſque ad ſpondæ pedes exiliit, & eodem tempore admiranda ſaniei copia inferne profluxit. Hęc trimeſtri ſpatio curata, ſtatim poſt concepit: nam exinde tres filios, vnamque filiam enixa eſt: accidit anno 1558. *Franciſcus Rouſſet. ſection. 4. cap. 3. de Partu Cæſar.*

Observatio.

Hiſtoria Grauidarum quibus vel ob partus difficultatem, vel caſum aliquem, fœtus mortuus & putridus, aliquandiu geſtatus, etiam putreſcente vtero, circa vmbilicum, abdomen, imum ventrem & inguina tumores, aut veſicas excitarunt: ex quibus, vel ſponte, vel arte ſuppuratis apertiſque, putridi fœtus cum oſſibus exemti: conſolidatiſque vlceribus, matres, abſque ſterilitatis noxa conualuere.

VIDI mulierem fœtum mortuum vtero etiamnum gerentem, nihilominus denuo imprægnatam: eundemque fœtum ex ſecundo conceptu genitum mortuum: huic multo tempore poſt apoſtema in vmbilico obortum & inflatum ſuppuratum eſt. Vocatus itaque ad curationem diu eiuſdem medicationi inſtiti, neque tamen ad conſolidationem vlcus deduci potuit. Itaque emplaſtra vehementer attrahentia adhibui, quorum beneficio paucis poſt diebus oſſicula prodierunt. Admiratione igitur ductus, cum ventrem oſſibus carere ſcirem, rem diligentius & multifariam expendi, deprehendique oſſicula illa non niſi ex fœtuum mortuorum cadauerulis proueniſſe. Cauſa itaque morbi certo cognita, medendique ratione inuenta, oſſicula plurima per interualla ex apoſtemate eduxi: muliere indies melius habente, quæ poſtmodum diu adhuc ſuperuixit: vlcus vero ſubinde nonnihil putrilaginis ex ſeſe remiſit. *Albucaſis libr. 2. cap. 76. Chirurgiæ.*

Mirum naturæ exemplum referam, cuidam Venetæ Matronæ, quæ cum partum legitimum excluſiſſet, alter incluſus intra vterum manſit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus fluore quodam profluxit ex naturalib. oris, demum ortis in ventre tribus fiſtulis, ex vna, quæ omnium maxima erat, integra infantis caluaria extracta eſt, cunctis mirantibus, deinde ſingulis diebus reliqua oſſa demta ſunt. vnde mirabili naturæ opere ſanitati reſtituta eſt. *Alexander Benedictus lib. 25. c. 33. De Curand. morb.*

Non abſimilis tuæ Viennenſis illius hiſtoriæ, ante annos plus minus viginti ſex, apud nos quoque contigit in Comitatu Feldkirchenſi, qui immediate Sereniſſimo noſtro D. Regi, attinet. Nam muliercula quædam, cui à mariti familia Pflegerin cognomen erat, quæque in pago Gettzig ſub arce Montis fortis tum habitabat, vere imprægnata ad decimum vſque manſem, ſatis incolumis pro ſua conditione ſibi viſa eſt. Ac inſtante tandem partus tempore, iuſti dolores, nec non humorum excretiones conſuetæ, præſentibus & agnatis & obſtetrice, nulla aborſus ſuſpicione innata, per aliquot horas illam debito exagitarunt modo. Cum autem incaſſum diutius laborare videretur, aſtantes vicinæ ad fortius enitẽdum ſubinde illam adhortatæ ſunt: imo pro ſua ruditate, tam inceſſanter ęgram ad cogendum accelerandumque partum impulerunt, ac miſeram mulierculam ad eiuſmodi animi diliquia, tamq; crebras ſyncopas ſua iſta importunitate adegerunt, vt nõ ſolum fœtus inſciis illis ſuffocatus ſit, ſed & mater etiam euidenter de vita periclitaretur: idque defectu Medicorum omnium, in tertium, aut forte plures vſque dies factitatum eſt, donec commiſerantibus cunctis, ægra illa ſoli Naturæ & Diuinæ clementiæ, tanquam omnino deſperata, relinqueretur: ac veluti omni momento moribunda, offulis ac gallinarũ iuſculis per interualla refocillata ſolum ſit. Et ſic miſera illa per reliquum puerperii ſpacium vtcunque curata, paulatim dolores remittere, menſtruorum tamen fluxum perſeuerare ſenſit: & quæ eſt omnipotentis ineffabilis bonitas, nullius Medicinæ beneficio poſt aliquot ſeptimanas, indies magis ac magis, habere melius cœpit: donec & muliebre profluuium ceſſarit, & dolores magna ex parte euanuerint quoque: adeò vt illa domeſticis negotiis iterũ qualicunque valetudine præeſſe ſategerit; ac decreſcente inſuper nonnihil vteri mole, cuncta ſibi proſpera ad integrum fere annum repromiſerit. Quo tamen non plene euoluto, tumor quidam particularum in ſiniſtra inferioris ventris parte, paulo ſupra inguina apparere de nouo cœpit: qui dum quotidie augeri, & demum etiam dolorem apoſtematoſum cum cutis liuore ſuperinducere pergeret: ibi mulier illa de fœtu nihil amplius ſollicita, chirurgi auxiliũ inuocauit primum. Is fuit magiſter Nicolaus Clœſi, ciuis Feldkirchenſis, ſuæ artis peritiſſimus: qui ſæpiſſime quoque ſtrenuiſſimi quondam militis Marci Pſittaci ab Emſs caſtra, tam in Vngariam quã in Italiam, non infeliciter ſecutus eſt. Is, inquam, vigentibus tum accidentibus, quæ generationem puris concomitari ſolent, tum ingenti neceſſitate abſceſſum illum iam ad humani capitis magnitudinẽ excreſcentem, omnino detumefacta aluo, decuſſatim nouacula, vt in fungorũ apertione vſus obtinet, diſcidit: quo facto, tantæ fœtidiſſimæ virulentiæ copia effluxiſſe fertur, vt præſentium nullus, nedum ęgrota mulier, aut ipſemet Chirurgus facile ſufferre potuerit. Nihilominus tamen vlcus illud ſordidiſſimum, præfatus chirurgus mundificare & abſtergere pro more non deſtitit; quouſque intra pauculos dies ſemiputrida quoque ac corroſa officula, vna cum pure exire cœperunt. Quæ cum is, remittentibus indies cum dolore tum fœtore, vnde nam in ventrem, concauitatem nimirum exoſſem perueniſſent, ſtupidus miraretur: en tandem erumpentibus integris tibiarum oſſibus, poſterioribusque caluariæ fragmentis, manifeſte deprehẽdit, ea ipſa reliquias eſſe fœtus illius, quem mulier ea ante annum peperiſſe debebat. Vnde vehemẽtiore admiratione captus, decoctiones, loturas, & vnguenta, qua potuit ſolertia, pro vlceris profundiſſimi mundificatione exſiccationeque ſemper adhibuit, donec illud, fœmina nihil vltra conquerente, per ſeſe ad conſolidationẽ properare animaduertit. Ibi cicatriſationi, quã vocant, inuigilans, mulierem eam omnino perſanauit. Quæ poſthac plures ſuperſtes fuit annos ac redeuntibus in ordinem naturalem menſtruis purgationibus, ni fallor, feliciter poſtea quoque viuum adhuc enixa puerum eſt. Hæc, Matthia doctiſſime, non relatione tantum aliorum recito, ſed prænominatam mulierculam viuam & valẽtem, vna cum particulis officulorum prioris illius infantis ſui coram vidi, & allocutus ſum. Factaq; ſuper prædicto negotio ſufficienti inquiſitione, non modo quæ iam ab aliis fide dignis hominibus perceperam, credere didici: verumetiam veriſſima eſſe, oculari demõſtratione aſſerere poſſum. Nec dubito, quin tota ea regio, ſi opus ſit, teſtimonium abunde narrationi huic perhibitura ſit. *Achilles P. Gaſſarus, ad D. Matthiam Cornacẽ.*

In ſuburbiis Sullianis ad Ligerim Margarita Preuoſt, Petri Doreti molitoris vxor, cũ manifeſto grauida eſſet, & tamen tempore partus eniti non potuiſſet, quomodocunq; à mulieribus ipſi ſuccurreretur, ſenſim in grauiſſimum incidit morbum, vt tãdem venter adeo extenderetur, propter fœtum & ipſius tunicas putreſcentes, ita vt præter totius Abdominis tumorẽ, octauo, nonoue mẽſe circa regionem vmbilici, peculiaris tumor, valde elatus, obortus ſit, ſimilis abſceſſui molli rubro, vt iam ad apertionẽ maturus videretur. Quare abſceſſus hic anno 1550. die natiuitatis Chriſti ab Ithierio Gallometo, eius loci Chirurgo cauterio actuali apertus fuit, qui puris incredibilem quantitatem, ſcutellis exemit: altera vero die, cum vulneris rationem eſſet habiturus, qualesnam eſſent pili, qui circa vulnus conſpiciebantur, inquirere voluit, quare fœtus caput iam putreſcens eſſe reperit, quod tum per vulnus dilatatum extraxit, cũm reliqua cadaueris parte, quod filiam fuiſſe agnitam, attamen breui temporis ſpatio conualuit. Hæc poſt mortem Doreti mariti, rurſus alteri nupſit, & circiter annos adhuc viginti ſeptem corpore ſano ſuperuixit, quæ modo nuper nimirum anno Chriſti 1577. diarrhœa periit. Verum ipſa vt nec prius, ita nec poſtmodum vtero geſtauit. Cuius rei teſtes plures fide digni eo loci habentur, & præſertim Gratiana Theobalda, prædicti Gallometi Chirurgi vxor. Verum ſi quis ſit, qui Chirurgi ſibi incogniti teſtimonium contemnat, (licet eo loci celebris fuerit) acquieſcendum tamen ipſi erit, ei,

quod ſuccinctè ſuo more, doctiſſimus Hollerius præceptor meus, *ſub finem lib. 1. de morbis internis* ſcriptum reliquit. Refert mulierem quandam Lutetiæ cum vtero geſtaret, fœtum diebus quindecim antequam in lucem ederetur, brachium per vmbilicum matris extenſum habuiſſe, & tamen nihilominus ipſam vna cum fœtu ſuperſtitem remanſiſſe. Quomodo autem enixa ſit, aut per quam viam, & an poſtmodum rurſus vtero geſtarit, ſpeciatim non exponit, quod tamen & inueſtigatione & conſignatione dignum erat: id quod facile ab ipſo fieri poterat, cum præ foribus exemplum haberet: magna huius rei vtilitate, tam quo ad theoriam, quam praxin perpenſa. Sed quomodocunque ſe res habeat, hoc abſque magno vteri vlcere fieri non potuit: licet fœtus dein in locum naturalem rurſus redierit. Verum ex altera parte res ſumma admiratione digna eſt, infantem tam diu ſuperſtitem, hoc pacto viuere potuiſſe, non ſolum vtero, ſed & tunicis ipſum inuoluentibus ruptis, ipſius vteri fundo brachio perforato: alia enim ratione fieri non poterat.

Referam adhuc hiſtoriam ſimilem, abſq; contradictione veram, ex relatione Illuſtriſſimæ & heroicæ Principiſſæ, quæ ex Illuſtri Bourbonia ſtirpe eſt, Guyſiana vſufructuaria (quæ licet ætate ſit grandæua, ſano tamen corpore & animo eſt, quod admiratione dignum & heroicis huius ſeculi perſonis exempli loco eſſe debet) quam ex doctiſſimo ipſius Medico D. Bunoto cognoui, qui ad vrbem id quod ex ipſa ſpeciatim cognouerat, & quod etiam nuper denuo ab illa narratum & affirmatum ipſi fuit, ad me tranſcripſit. Hiſtoria ſic habet.

Cum ſua Celſitudo ante matrimonium, annorũ iam eſſet viginti, & apud matrem adhuc educaretur, Pheræ vrbi Picardiæ, & in templo eſſet, vidit matri ſuę adduci iuuencam ęgrotam, pallidam, proſtratis viribus, tumentem, tantiſque doloribus diuexatam, ita vt nec quis morbus eſſet noſceretur, nec ſpes vlla ſalutis ſupereſſet. Quare Princeps miſericordia mota, eam Obſtetricibus inſpiciendam tradidit, quæ rem vti ſe habebat, patefecere: ægrotã nimirum, quæ virgo cenſebatur, fœtum adultum, & à longo tempore mortuum & putridum vtero geſtare, ita vt oſſa vtero perforato, ad latus vmbilici conſpicerentur: ex quo loco ipſa Princeps oſſa aliquot extrahi, & copioſiſſimum pus fœtidiſſimum emanare vidit: quo tamen affectu, breui temporis ſpatio percurata fuit: quam etiam diu prædicta Domina ſanam obſeruauit: ſed quid tandem ei acciderit, ignorat: nec etiam an fuerit poſtmodum maritata, aut denuo grauida facta, aut contra. Cum enim paulo poſt Illuſtriſſimo Principi felicis memoriæ nupſiſſet, ſedem mutauit, nec quod poſtmodum ipſi acciderit, perquiſiuit. *Rouſſetus 21. part. Cæſ. ſect. 4. cap. 4. hiſt. 6.*

De vulnere vteri, ne id nobis effluat, literis (ſi placet) & poſteritati quàm primum tradatur, quod accepimus quidem ab alio, ſed fide ſumma (quam tamen alioqui ſuperare videatur) condigno Pariſienſi Doctore. Albertus Faber ex Ruellio nepos perdoctus & coæqualis noſter, quum maximis Reipublicæ temporibus & valde iniquis, lares patrios deſeruiſſet, cum multis eiuſdem ſuæ ſortis anno 1569. externos ſecutus exercitus, Sacrumcæſarem tandem aliquando appulit, qui totam hanc morbi calamitatem ſuis (vt dicitur) oculis vidit. Eo namque cum venimus, iam perfecta morbi curatio fuit. Simplex veraque morbi narratio erat huiuſmodi.

Mulier quædam ruſtica fœtum octimeſtrem gerens, dum ad forum vrbis Sacricæſaris mandaſſet ſe viæ, è ferocienti equo excuſſa, in ſaxum prægrande, hoc eſt, eius angulum, ad vmbilici regionem impegit. Ea integrum à caſu diem obmutuit, ſenſu motuque priuata. Perendie prehendit acuta febris eam, & comitata quidem ſæuioribus ſymtomatibus. Nãque animo liquit, vomuit, delirauit. Repurgatur interim Medicorum præſcripto aliquoties, ac iterato ſanguis detrahitur. Imperata ſunt deniq;, quæ ſumta admotaque æſtum febrilem infringerent, & ſanguinis intus latentis vim retunderent pernicioſam. Trigeſimo poſtea die, remiſſioribus ſymtomatis quibuſque, ſecundum vmbilicum quidam tumor, magnitudinis vt minimum manus concluſæ, ſeſe prodidit. Eoque rupto, fœda ſanies, virulentaque, vna cum tabo primum exiit, quam purulentæ particulæ carnis ſequebantur, poſtremoque fœtus ipſius oſſa fruſtillatim effluxerunt. Decimo tandem ab hinc menſe, vlcere concluſo, perductoque ad cicatricem, mulier conualuit. Attamen deinceps non potuit concipere, nec vtero ferre: nec illi, vt prius tam larga manu mēſes profluxere. Cui aliæ per plures aliquot hiſtoriæ conſentiunt, quas partim accidiſſe ipſi vidimus, tanquam oculati teſtes modo loquuti: partim etiam aliis dignis fide omnibus accepimus. *Maur. Cordæus comment. 1. ad Lib. 1. Hippocrat. de morb. mul. text. 11.*

Concubina cuiuſdam in Zupfingen Heluetiæ pago Bremgattenſis ditionis, Barbara Fhirera nominata, tertio grauida, cum partui vicina eſſet, per octiduum pariendi conatus cum maximis vteri cruciatibus perſenſit, neque tamen peperit, ſed exacto illo tempore, ceſſantibus conatibus, quam diu poſtea ægra permaneret, tandem in ventre illius, paulo ſupra vmbilicum veſica quædam nucis iuglandis magnitudine erupit, quæ cum illi maximos dolores per triduum cauſaret, tandem ipſa admodũ rogante, à muliere quadam ſubula pertuſa, & diſrupta fuit. Qua adaperta, admodumq; propter ventris tumorem dilatata, mox faſciculus fœtum continẽs apparuit, qui poſtquam à Chirurgo Ioanne Burgiſio Bremgartenſi, deliberatione primum diligenti cum Obſtetricibus habita, approbantibus ſingulis, parte aliqua diſſectus eſſet, fœtus cubitus prominens, in conſpectum ſe dedit, quem cum forfice ad id parata arripuiſſet, integrum fœtum, ſed ſemiputridum artificioſe per foramen illud extraxit, nihil tunc grauius paſſa matre, niſi quod animo, dum fœtus extraheretur, parumper defecerat. Dein alio adhibito chirurgo Brugenſi, candela cerea accenſa, & foramini nonnihil indita, poſtea etiam manibus in abdominis cauitatem immiſſis, anne quid reſtaret, diligenter explorarunt: & cum nihil ſupereſſe deprehendiſſent, vulnus emplaſtris ligaturiſque curando, trium ſeptimanarum ſpacio integre conſolidarunt. Mulierque à partu rectè & decenter, vti alias fieri ſolet, purgata, ab Anno 1581. quo hæc facta ſunt, ad anni 1584. diem 24. Auguſti, quo extincta primum eſt, adhuc vixit, miſere tamen

adflicta,

adflicta, quod ventrem faſciis inuolutum & ſuſpenſum ab eo tempore, quo hæc paſſa fuit, geſtare deinceps coacta fuerit.

Hiſtoriam hanc à Clariſſimo Viro D. Felice Platero Archiatro, Collega meo honorando, accepi. *Caſpar. Bauhinus in Append. ad Ruſſet.*

Michaela Bacella, annorum 28. ex pago de Corſio, quinq; ſtadiis à Lacu Lemanno, & parum à meis Vineis diſtante, anno 1593. in feſto S. Stephani, poſt quam extremis & irritis conatibus partus miſere diſcruciata eſſet, fœtu iam mortuo, mulieris cuiuſdam Catholicæ ſuaſu, mittit ſequenti Dominica ad proximam Friburgenſium Eccleſiam. eo ipſo momēto, quo Salutatio Angelica à presbytero canitur, brachium dextrum erupit, quod obſtetrix inepte trahens abrumpit, reliquum trium menſium ſpatio putreſcit, deinde ſub vmbilico, parte ſiniſtra, eminet abſceſſus, quo aperto ipſamet ſibi paulatim oſſa extrahit, & ruſtico quodam vnguento ex reſina, cera, oleo, conſolidarum ſucco, &c. vlcus curat, vt modo exiguæ fiſtulæ formam obtineat. Redit ad priſtina negotia, & Vineas colit, eſt enim coniunx vinitoris noſtrorum Franciſcanorum. Habet alias liberos ſatis robuſtos, mox ad vites expurgādas idoneos. *Clariſs. Viri, Archiatri & Senatoris Friburgi Heluet. Petri Quenzij Obſeruatio.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria Grauidarum, quibus ob partus difficultatem fœtus mortuus aliquandiu geſtatus, tandem tabido profluuio excitato, marcidus vel per vuluam, vel anum, vel vtraq; vna cum oſsiculis excretus fuit: ſaluis matribus, & fœcunditate integra.

ADiit me conſulturus ciuis, ex oppido Eberbach, in littore Neccaris fluuii ſito, cui nomen Andreas Seidlen. Huius vxor fœtum viuentem aliquot menſes in vtero geſtauerat, & cum iam tempus enixus appeteret, vbera eius, prius turgida, lactis aquoſi rore madebant ac decreſcebant, nec puer in vtero ſubſiliit, quæ ſigna fœtum mortuum teſtabantur. Tandem fœtus in matrice computruit. Cuius de cruribus & cerebello oſſa denigrata & carie obſita, incredibile dictu, ſed verum: cū mulier ob inteſtini exulcerationem alui profluuio laboraret, tandem anno decimo, non per vuluæ oſtiola, ſed per anum oſſa excreuit. Non ſunt enim hæc viſcera tam longe diſſita, cum illius ceruix inteſtino recto incumbat. Et quamuis Aretæus Cappadox, vetus ille medicus pereruditus morborum acutorum ſcriptor, dicat: Humoris in iliis hydropicorum collecti, per inteſtinorum rupturam egreſſio, credi non poteſt: multo minus fœtus: neque enim innoxium, neq; citra perniciem inteſtini vlcus exiſtit. Mulier tamen illa vel hodie adhuc eſt ſuperſtes. *Langius Epiſt. 39. Tom. 2.*

Magnæ in hoc genere felicitatis exemplum eſt, ꝙ Romæ contigit, Anno Domini M. D. Lxxi. & à precipuis aliquot & nobilioribus vrbis medicis viſum eſt, cum & ego adhuc inter tyrones intereſſem.

Plebeia diu quædam ægrotauerat fœmina febre perpetua ac debili, duoque imi ventris tumore. Febrem hecticam vocabant, vnde ille eſſet tumor non facile inueniebatur, quando eam vtero gerere, nihil amplius ſuadebat, deſperata res dicebatur, tamen ſic inſperanti ſalus aduenit, poſtquam via, qua venter deiicitur, fœtus humani carnes in fruſta diuiſæ & oſſa ſeparata, (quæ tumoris illius materia fuit) ſponte naturæ exiuerunt. Sepulcrum diu fuerat vterus fœtui, priuſquam naſceretur, defuncto, nec poterat cadauer reiici, qua naturaliter debebat, aliam vel cum periculo viam natura aggreſſa eſt. Coaluit recto vterus inteſtino, vlcus commune ac peruium ſponte factum aditum ad inteſtinum carnibus putridis, atque oſſibus præbuit, quæ per auerſa corporis egreſſa ſunt. Vtero igitur hunc in modum purgato, mulier priſtinæ valetudini reſtituta, diu vixit, & adhuc fortaſſe viuit. Alioqui quotquot nouimus vlceribus huiuſmodi intra corpus exortis, vel alui excrementa per vterum, aut per iter vrinæ reddidiſſe; vel coalito veſicæ vtero, pus & cruorem ab vtero exulcerato venientem, per vrinæ iter emiſiſſe, morbi eius violentia perierunt. *Marſil. Cognatus Variar. Obſeruat. lib. 4. cap. 9.*

Paula vxor Dominici Naſonis: qui in vico pontis Merlani hoſpitium exercet, cum fœtum quinque menſium mortuum diutius in vtero geſtaſſet, profluente quotidie ex vtero colluuie quandam ſanioſa, non ſine febre, indieſque corpore marceſcente, extenuatiſſimo habitu iam effecta, per ſeceſſum excernere cœpit oſſicula quædam, quæ in exitu dolorem inferētia ab ipſa deprehenſa, ac ſtercore emundata, Hippolito Geniferto adſeruata oſtendit: qui ea intuitus, puelluli oſſicula eſſe deprehendit quod mihi aliiſque medicis complutibus relatum, haud verum ipſe cenſui, donec mulier ipſa interrogata præſens diligentiſſime id iureiurando affirmaſſet in medium allatis oſſiculis pluribus, quæ roſeis floribus permixta, ad ſtercoris fœtorem, quem præ ſe ferebant adhuc, tollendum, obſeruabat. nec deſtitit ab huiuſmodi excretione per menſes & annos, donec per multa oſſicula huius generis extramiſit. Res ſane mira, quomodo ſcilicet natura vtero perforato, nec non & inteſtino recto perforato, oſſicula huiuſmodi ſenſim & ſenſim extramiſerit, quod tamen ipſam nonnunquam perpetrare, vel nullo negotio ex hiſtoriis exiſtimare poſſumus: cuius teſtes locupletiſſimos adducere poſſumus inter cæteros plures vrbis noſtræ Hippolitum Geniſortum Chirurgum, & Excellentis. Ioſephum Araneum medicum. *Marcellus Donatus Hiſt. Mirab. Med. lib. 4. cap. 22.*

Nos mulierem nouimus, quæ totum annum fœtum vtero geſtaret citra vitæ diſcrimen. Id autem quoniam rarum eſt, & ſupra communem hominum fidem, tibi ſignificandum cenſui. Erat hic mulier Maria nomine, filia Gulielmi de Vrie, annos nata plus minus quadraginta duos, cui cum ſoliti hactenus fluere menſes interciperentur, prorſus, neq; ſpes vlla propter ætatem, reſiduæ fœcunditatis eſſet (deſierat enim iam dudum parere) ſenſit tamen ventrē ſuſtolli atque impregnationem (vt erat) ſuſpicata, parturitionis momēta expendebat. Embryo interim imbecillior (vt verbis vtar Hippocratis) iam non calcitrabat, ſed vix mouebatur, ita vt miſera, quæ iam aliquando felicem ſperabat parturiginem, de conceptu addubitare inciperet, ac neſcio aliud quid in vtero enorme eſſe, animo conciperet. Interim dum illa inter ſpem & metum animi anceps hæret, imminet parturiginis tēpus, & labores ingraueſcētes partutitionem præſagiunt: ferens illa omnia vt ferebat occaſio, animo pręſenti iubet ex tēpore accerſiri ob-

ſtetricem, atque vt quam ocyſſime aduolet, in mandatis dat; ac ne forte in pauimentum procidat fœtus, vterum vt poteſt leuiſſime comprimit. Superueniens tandem obſtetrix, ſingula ordine perquirit, locos attractat, vteri os omnino clauſum comperit; parturientem bono eſſe animo iubet; non eſſe veram hanc parturitionem; cæterum aliud quid, quod dolores parturigini non abſimiles procreat. Confirmat igitur ſeſe miſera, quiduis etiam perpeti parata. Verum cum nihil prorſus promoueretur, accerſor tandem & ego, vna cum D. Balthazaro Bleyenpyrgio medico Traiectino, qui tūc tēporis caſu Goudiæ erat. Vbi ſingula attente diſcutimus: tum obſtetricē quid actum, & quo nunc ſit loco negotium, inquirimus: deinde vtrum certa aliqua ſigna habeat, molane ſit quod vrget: an in vtero emortuus fœtus. Illa nihil minus quā fœtum in vtero eſſe aſſerit; ſed nec veram parturiginem, quum nec madeant loci, nec fœtida colluuies (ſicuti in mortuis partubus accidere ſolet) effluat: ſibi tum propter pigritiam motus; tum ob alias cauſas, contentam potius in vtero molam videri. Nos igitur his intellectis quoniam nec parturiens motum aliquem perſentiſceret embryonis, nec aliud ſignum eſſet viuidi fœtus; in rem patientis eſſe iudicabamus, reſtauratis viribus partum promouere, atque quæ fœtum mortuum deiiciunt, propinare: cauentes interim à valentioribus; quod perſpectum nobis eſſet, quæ mortuum partum educunt, eadem etiam molas propellere. Sed fruſtra omnia; nihil enim promouimus: id tātum effecimus, vt miſera ſolito paulo robuſtior, ferendis doloribus aliquomodo par eſſet, neque amplius medici opera opus eſſe ſuſpicaretur. Præſcripta igitur ratione victus conueniente, manumittor. Sed ecce reuoluto iam anno, illa vna cum lotio, primum digitorum articulos excreuit: ac ſenſim alia maiora oſſa, tibiam, radium, coſtas & id genus alia per poſticum cum excrementis emiſit: tandemque ſecundo à parturitione anno, maximos ante perpeſſa labores, caluariam totā cum cubito, coſtis, & aliis aliquot oſſibus, eiecit: cum interim illa totum illud biennium ſanioſo profluuio conſumeretur, & putridiſſimis vaporibus diſcruciaretur, adeo vt & præſentes, ſi diutius adeſſent, odor offenderet. Liberata tamen à cadauere, conualuit, atq; ab omni accidente libera euaſit. Veriſimile tamen eſt, matricem ſanioſo illo & putri humore attritam & conſumtam fuiſſe, præſertim quando per poſticum etiam oſſa reiecta ſint.

Fuit præter hanc alia in hac ciuitate, quæ, quum totum annum fœtum in vtero geſtaſſet, conſumta tandem carne, oſſeam illam compagem excreuerit. *Balduinus Ronſeus Miſcellan. Epiſt.* 1.

Observatio.

Matthiæ Cornacis Philoſophi & Medici, Romanorum Regis Phyſici, hiſtoria geſtationis fœtus mortui per annos plus quatuor: qui tandem opera & conſilio Medicorum ex vtero ita per aluum, Deo adiuuante, exſectus eſt, & membratim exemptus, vt mater viua permanens integræ reſtitueretur ſanitati: atq; poſt biennium denuo conciperet, vt ſecunda teſtatur Hiſtoria.

ANno Domini 1545. quædam conciuis Viennenſis, nomine Margaretha; filia Wolfgangi Karlinger ciuis Viennenſis: vxor vero Georgii Woltzer hoſpitis eo tempore ad ædes Rubri cancri appellatas Viennæ: poſtquam antea etiā enixa eſſet aliquot liberos, cōcepit anno ætatis ſuæ 25. omnia denique habuit ſigna felicis imprægnationis: fœtū inſuper tēporis progreſſu ſenſit, ante feſtum D. Bartholomæi, eodem anno valentem, & ſtrenue ſeſe mouentem, vſq; ad feſtum D. Lucæ ſacrum. Quo ſane illi tempore ſuperuenerunt partus dolores, adeo vehementes, vt antea experta iam ſæpius ipſa, iamiam ſe crederet enixuram. Statim igitur aduocari iuſſit matrē, & vnā ex ſuis ſororibus: acciri etiam obſtetricē confeſtim præcepit. Quæ cum aduenisſent, ſtatim re animaduerſa, iuſſit omnia ad manus eſſe parturienti neceſſaria, hæc verba adiiciens. Statim, Deo volente, puellum natum habebimus: & quemadmodum poſtea euentus comprobauit, vera vates extitit. Interea prægnans in ſedem parturientium conſedit: & cum inſtanter admodum à circumſtantibus mulieribus admoneretur, vrgeretur etiā ab obſtetrice, omnibus niſibus elaborauit ad pariendū in quib. heu nimium vehementibus conatibus, fragor quidam increpuit ſatis ſonorus: quique nō temere argueret, magnam vim vel fœtui, vel matri illatam fuiſſe, vel certe conquaſſatū infantis caput in partes diſceſſiſſe. Ab eo fragore, viuacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit. Grauida inde maiorem in modum cœpit ægrotare: ac propterea in lectulum ſuum reducta & repoſita eſt. Interim lac acurrens, q̃ parturientib. vſuuenit, vbertim vbera repleuit, adeo vt ſtillatim etiam à papillis gliſcentibus coloſtra deflueret, ſpectantibus multis & iis honeſtis ac prudētibus mulieribus, quæ dies noctesq; aſſiſtentes præſtolabantur felicē partum. Dum vero res ita protraheretur, ſemperq; maior difficultas, minor vero ſpes eluceſceret, deliberatū eſt ab omnib. quæ tum præſto erāt, & itum in eam ſententiā, vt plures obſtetrices accerſerentur in rem præſentem, aliquod forte ſalubrius allaturæ conſilium. Sed ex harum etiā aduentu nil miſeræ adminiculi acceſſit: neq; quicquā ab his in medium dici potuit, vel conſuli ſalutare, præterquam quod vna ex iis iudicatum habebat (& fortaſſe non male) rem nimis feſtinatam fuiſſe, os ſacrum nondum ſatis hiaſſe. Nihil itaque etiam tum effectum datum eſt, geſtanſque vterum, mulier tandem per multas ſeptimanas grauiſſime decubuit, ventris tumore, duritie, fluxu qui ſuperuenerat, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia continuæ denique corporis graues afflictiones, animi perculſiones, ad ſummam deſperationem miſeram videbantur compellere: effeceruntque, vt ad tentanda omnia omnium conſilia animum aduerteret, ad vſurpandas omnium medelas, doctorum & indoctorum, Chriſtianorum & Iudæorum. Quæ tamen nequicquam adhibita, auxilii nihil, plurimum mœroris & deſperationis (cum res difficilis ad impoſſibilitatem videretur vergere) attulere. Hiſce periculorum & ærumnarum aceruis circumuenta, atroci inſuper vētris ac ineuitabili onere ſumme implicita mulier, per quadriennium, vſque ad annum Domini 1549. ſemiuiua perdurauit. Sed quod prætereundū hoc loco non eſt, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates, miſella inſuper adflicta eſt defluxu continue putrilaginoſo, qui per locū muliebrem perumpens, totū hoc quadrienne tempus durauit, ita tñ, vt aliquando parcius aliquando

copio-

copioſius profluens, diſpari ratione mulierem affligeret, ceſſaret tamen nunquam. Cruciatibus igitur hiſce ac grauedinibus diu perſtantibus, tandem natura (quæ ſemper indiuiduum conſeruare contendit) acore & copia putridi humoris non euicta, ſed compulſa (vtpote cui inferna humoris ſubductio non ſufficeret) ad vmbilicum, matricem ipſam, totum denique abdomen, multis alioquin partibus munitum, perfodit. Foramen igitur factum eſt primo, anno Domini 1548. in loco prædicto, ex quo multum ſanioſi fœtidique mucoris profluxit: Succeſſu deinde temporis, poſt aliquot menſes, adhibitis externis emplaſtrorum adminiculis, apertio coaluit, poſteaquam (vt videtur) colluuies humorum nociuorum abunde excreta eſſet, vel aliquantiſper pro neceſſitate euacuationis diminuta. Sed quod efflictim obſeruandum eſt, paulo poſt anno Domini 1549. menſe Iunio, cum ſcilicet multa putrida ſuperfluitas omni conatu mox per naturam expellenda, iterum collecta eſſet, natura denuo eodem conſilio & via, proximo in loco, non ita procul à priore apertione diſtante, per ventrem iterum perrupit, & affatim eduxit neceſſario euacuandam purulentiam. In hoc foraminulo exhibeatur omnium conſpectui & tactui, os quoddam, quod euentus poſtea (reſecta aluo & matrice) comprobauit, infantis fibulam ſiniſtri brachii fuiſſe. Durauit iterum hæc apertio, eodem ſtatu & effluxu, cum magna fœminæ in vtero habentis virium proſtratione, ad menſes aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum fœtorisque intollerantia indies magis ac magis ingraueſcerent, viderenturque omnia ad interitum ſpectare: ipſaque miſerrima præ cruciatibus immenſis, animi crebris deliquiis iam iam crederet ſibi exitum imminere, denuo iniit conſilium aſciſcendi Medicos: ſi fortaſſe ex ſingulari Dei miſericordia, felix horula ſalubris conſilii eluceſceret: ſi denique forte fortuna, Deo ita diſponente, in hora contingeret, quod non contigiſſet in annis.

Vocati igitur ſunt Chirurgi tres: aulæ Regiæ chirurgus, Sixtus Wirt: Paulus Dirlewang, vrbis Viennenſis ordinarius chirurgus: & Petrus Winckler: q cum aduenisſent, rem omnem intuiti, atrox periculum præ oculis eſſe animaduerterũt: ſimulq; moderate omnes vnamines reſponderunt, maius eſſe negotium hoc, quam vt ipſi quippiam certi in hoc caſu ſtatuere vel debeãt, vel poſſint. accerſendos eſſe Medicinæ aliquot doctores, quorum conſilia merito accedere debeant: & ſi quid in re tam ardua faciendum ſupereſſet, ſibi cõſultum videri, vt id ex eorum matura deliberatione proficiſcatur.

Acciti igitur ſunt Doctores duo, Ioannes Enzianer, & Matthias Cornax: alter vir ſenex, & reuera miles (vt dicitur) emeritus: hic publicus Medicinæ in Viennenſi Gymnaſio ordinarius Profeſſor. Qui cum veniſſent, aliquoties poſt crebram inſpectionem, ægræ virium explorationem, circumſtantiarũ diligentem inquiſitionem, nihil aliud videbant ſupereſſe conſilii, quam vt ad ſententiam Hippocratis, extremis morbis extrema adhiberentur remedia, quantumuis periculoſa.

Decretum itaque ab iis eſt, de aluo aperienda: à Chirurgis etiam in eandem itum ſententiam. Quod cum certo conſtitutum eſſet, fœminæ, eiuſque marito & propinquis, Medicorum conſultum indicatum eſt, à quibus omnib. aſſenſum. Statuta tandem dies eſt, decima menſis Nouembris, anni 1549. hora duodecima pomeridiana. Chriſti igitur Domini auſpiciis, cum tempus ſtatutum aduenisſet, rebus rite auxiliaribus, denique paratis & diſpoſitis præſidiis, ſi quid forte grauius contingeret præſentibus Doctoribus nominatis, & chirurgis ſectio cum ſumma diligentia peracta eſt.

Linea autem ſectionis ex mea deſignatione ducta eſt, ab apertione ea inchoata (quæ paulo ſupra vmbilicum à natura, vt diximus, facta erat in latere dextro) recta deorſum per tractum muſculi recti, abdomini incumbentis, longitudine plus minus octo vnciarum: hoc eſt ſemipedis antiqui & duorum pollicum. Qua facta inciſione, propter neceſſitatem & intollerabilem fœtorem, ſubito contentum in vtero à Chirurgis vndique liberatum eſt, & exemtus fruſtulatim fœtus maſculus emortuus & ſemiputridus. Secutus eſt hanc extractionem fœtor incredibilis: adeo enim putredo inualuerat, vt bona pars membrorum pueri conſumta appareret: caput vero totum confractum, & oſſa cranei diſperſa extraherentur: cerebri vero videretur nihil, nimirum quod totum putredine diuturna conſumtum eſſet.

Abſoluta hac ſectione, ex ſumma Dei Opt. Max. miſericordia feliciter mulier debita ratione, infractis laceris & rugoſis vteri cauitatibus ligata & curata eſt: illique de rebus neceſſariis quam optime proſpectum à Medicis & Chirurgis. In omni autem iſta adminiſtratione miſella quę reſecabatur, nullum eſt paſſa animi deliquium, ſed forti & ſedato animo omnia pertulit: adeo vt Deus & Natura ipſa, in conſeruanda hac inopi & ignobili fœmina, contendiſſe videantur.

Succeſſu deinde temporis, cum omnia ex ſingulari Dei nutu feliciter procederent, ſine vlla ſutura; rugis (detumeſcente ventre ob exinanitum vterum) coeuntibus; poſtliminio venter ab onere putrido liberatus peroptime coaluit, & fœmina præter omnem exſpectationem curata eſt, & vterus ipſe vna cum abdomine & eius partibus plane conſolidatus: quinetiam ita matrice probe reſtituta, menſes bono ordine & modo rediere, vt quem aliquam conceperimus, membro quantumuis ſenſibili & ſpermatico ita perſanato, mulierem denuo concepturam, & fortaſſe fœtus editurã. Quod tamen poſtremum, vt valde ex multis rationibus eſt ambiguum, ita incertum Diuinæ Omnipotentiæ relinquimus determinandum. *Cornax.*

OBSERVATIO.

Quod eadem fœmina denuo conceperit, & geſtauerit fœtum viuum, perfectum maſculum, ad legitimum pariendi tempus: quodque ex poſthabita ſectione mater vna cum puello interierit.

POſteaquam ſuperne à nobis deſcripta Margaretha, ex ſanctiſſimi opificis Dei voluntate conualuiſſet, conuixiſſet denique ſana marito anno plus minus integrum, ſatis frugaliter, denuo concepit, & geſtauit puerum bene valentem, & rite ſucceſcentem vſque ad ſecundum diem menſis Iunii, Anno Domini 1551. quod erat legitimum tempus pariendi. Ea dies cum mane illuxiſſet, & belle ſe haberent omnia, infans robuſtus ſtrenue palpitauit,

&

& elaborauit ad egreſſum vteri: mater mœſta omnibus neruis ad expellendum fœtum incubuit, præſentibus multis mulieribus, ſed incaſſum omnes conatus ceſſere. Quapropter vocatus eſt Paulus Dirlewang, chirurgus Viennenſis, qui antea illam ſecauerat, vt in medium conſuleret: ille vero præ oculis cernens graue diſcrimen, conſuluit me etiam eſſe vocandum. Adueniens itaque & ego, cum perluſtraſſem ventrem enitentis, vidiſſemque fœtum validum, matrem autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, deſtitutam: cicatricem præterea veterem quaſi per rimam longam hiſcere, omninoque impoſſibile eſſe vt conatus fœminæ tam lacero vtero, inciſis per longum muſculis & abdomine, tanti eſſe poſſent, qui in vtero contentum quantumuis viribus præſtans, & ſeſe adiutans, per os ſacrum poſſent expellere: ſuaſi eueſtigio, ventrem ferro, vt prius, reſecandum eſſe. Firmauit meam opinionem & hoc, quod rimula ſectionis priſtinæ laxata, pellucens madebat, & per ſe diſceſſionem parietum cicatricis minitabatur. Hiſce perurgentibus rationibus, nos vterque compulſi, & commemoratione prioris felicis euentus animati, ſectionem iterum inſtituendam cenſuimus: acquieſcebat conſiliis noſtris, alioquin moritura puerpera. Verum enimuero mater eius, & reliquę aliquot pręſentes fœminæ, aſſentiri nullo pacto voluerunt: interim ego ordinatis quibuſdam pręſidiis confortantibus, conſolatus afflictam, diſceſſi: & paulo poſt reuerſus, acriter inſtiti iterum peragendæ cæſuræ. Sed perperam tum obtinuit matris affectus, quæ cum cæteris fœminis in ea perſeuerabat ſententia, vt Deo omnia committerentur, reiecta periculoſa ſectione: quæ tum etiam ſatis tempeſtiue adhiberi poſſet, cum extremum anhelitum mater ſpiraret. Expectatum igitur vſq; ad horam decimam noctis, eo tempore infelix, cum fruſtra diu & ſtrenue luctata eſſet, viribus omnibus exhauſtis, cruciatibus oppreſſa animam exhalauit. Quod cum factum eſſet, ſubito Chirurgus prædictus vocatus eſt, & citiſſime ventrem aperuit: ſtatimque infantem perfectum, maſculum, omnibus numeris abſolutum, exemit. Ibi videre erat (ſuperueneram enim & ego) certamen adnitentium puello vitam, quæ paulo ante abierat, reuocare & ſufflando omnia tentare ſpiracula, ſed perperam & fruſtra omnia fiebant. In promtu cauſa eſt eruditis & Anatomiæ peritis: ſiquidem in confeſſo eſt, vitam & motum cordis in infante à duabus arteriis vitalibus matris per vmbilicū fœtui, ſeu per inſitionem inſertis dependere, quæ vaſa natura fabricauit pro cordis refrigeratione. Quare cum arteriarū motus in matre ceſſet, earundem etiam motum eueſtigio in infante ceſſare neceſſum eſt: ſiquidem fieri minime poteſt, vt puer ante præciſionem vmbilici, in ipſo denique vtero inuolutus tunicis, ſpiritū per os attrahat. Pręterea eſto quod continuatio vmbilici fœtus à matrice ſit libera, ruptis cotyledonibus partus tempore: tamen nihilominus vmbilicus ſecundinæ adhæret, neceſſario ab obſtetrice præcidendus: vel etiamſi à ſecundina, in vtero exiſtente puello, vmbilicus ſolutus eſſet, tamen reſpirare per os non poſſet infans, peniculis inuolutus: vteri præterea parietibus incluſus, mucoribus denique & aquoſitatibus circumfuſus: quæ certe res ſæpe ſolutos infantes, hærentes tamen diutius in anguſtiis faucibus oſſis ſacri, enecat ſuffocando. Cum ex prædictis itaque neceſſarium ſit, vita & motu puerperarum ceſſante, ceſſare etiam infantis in vtero contenti vitam & motum: impoſſibile eſt, tam immediate excindi infantem poſſe in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat: quæ ſi ſemel euolauerit, certe reuocari humanis præſidiis nullo modo poteſt. Si autem forte fortuna exemtio infantis contigerit in agone puerperæ, aut in animi deliquiis, præſentibus adhuc ſpiritibus vitalibus, tum cenſemus omnino ſuperuiuere infantem poſſe: quemadmodum ſine dubio de Iulio Cæſare contigit. *Idem Cornax.*

Obſervatio.

Memorabilis hiſtoria de Muliebre quæ iam annis tredecim vtero geſtauit ſceletum fœtus mortui, quod tactu tum ab ipſa matre tum ab omnibus illi præſentibus percipitur. Alia item huic non multum abſimilis.

CAtharina quædam, vxor Michaelis de Menne, viri ruralis & pauperis, annis duodecim vtero gerit fœtum mortuum, vel potius Sceletum fœtus emortui, res penitus monſtroſa, ac miraculo digna dici poteſt. Ita tamen ſe res habet, ſic vt ipſo tactu vnicuiq; fuerit manifeſtiſſima. Mulieris enim ventrē inferiorē propriis manibus attrectaui, non bis terve, ſed pluries: idem quoque mecum egere cum viri, tum mulieres illuſtriſſimæ, non ſine omnium admiratione maxima, quos omnes honoris gratia prætereimus. At vel vnius Viri hac in re teſtimonium oculare ſufficere poterit, puta excellentiſſimi D. Henrici Cornelii Mathiſii, qui quondam CAROLO eius nominis Quinto Auguſto Medicus fuit domeſticus. Hic, inquam, cum ſtantem & ſupine decumbentem dictam mulierem crebrius attrectaſſet, omniaque oſſa fœtus mortui ipſo tactu optime deprehēdiſſet, præ ſtupore nimio, tum admiratione ſumma dicebat: Deo & Naturæ nihil impoſſibile. Anno igitur Domini 1549 eadē Catharina, poſteaquā antea enixa eſſet duos liberos, concepit menſe Martio, omnia ſigna habens felicis imprægnationis: fœtum inſuper temporis progreſſu à quarto menſe conceptus ſenſit valentem & ſtrenue ſe mouentem, vſque ad feſtum Diuo Andreæ ſacrum, eodem anno: quo ſane illi ſuperuenere dolores partus adeo vehementes, vt iam iam crederet ſe enixuram. Vterus quoque mirum in modum prominebat, vberaque lacte copioſiſſime turgebant: idque magis inſtante iam partu, quam multis diebus antea. At cum ad parturiendum nulla amplius mora exſpectaretur, accidit vt vetula quędā malefica & præſtigiatrix ventrem huic vtero gerenti attigerit, in aures ſuſurrarit, & in faciem ſufflarit, aliaque peregerit: quæ quoniam parum ad rem noſtram facere exiſtimo, pluribus non perſequor: illius tamen meminiſſe placuit, nam in vetulam mulier culpam omnem reiicere videtur, quod illi res tam infeliciter ſucceſſerit. Vt autem parturientium dolores cum in ventre inferiore, tum in lumbis ſenſit, ſtatim acciri obſtetricem & mulieres vicinas iubet, quę dies noctesque aliquot partum præſtolabantur: nullum tamen partus breui futuri ſignum obſeruat obſtetrix, præter illos dolores, qui toto biduo increbeſcebant. Quare diſcēdit, reuerſura, ſi ita res poſtularit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur,

tuntur, ſed diebus totis quadraginta & die & nocte illam ſæuiſſime affligere non deſinunt, vt totum id temporis miſella iſta inſomnis egerit. Ab vtero quippiam interea effluxiſſe, nunquam animaduerſum fuit.

Fœtus vehementiſſime ſemper mouebatur ac calcitrabat, ita vt manifeſte illius motus ab adſtantibus obſeruari poſſet: toto iſto dolorum tempore, ſudoribus quoq; copioſiſſimis madebat. Lac præterea è mammillis vberibus fluebat: quod quia acrius, tum plus iuſto bilioſum erat, omnes fere partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabātur. Quadrageſimo demum ſecundo & quarto dolorum die fœtus tam valide amplius moueri deſtitit. Dictu profecto mirum, quod tanto tempore ſubſiſtere potuerit incolumis: tandē conatu vehementiſſimo ita fœtus mouebatur, vt inde tranſuerſim in vtero reuolutū, mater narraret. Dolores ab illo impetu fœtus multo mitiores euaſere, & paulo poſt plane receſſerunt. Poſt vero dies quatuor vel ſex, cruenta quædam ac nigra per aluū deiicere cœpit, illis ſimilia (vt illa inquit) excrementis, quæ pueruli iam in lucē editi primum excernere ſolent, cuiuſmodi excrementa egerebat diebus ſingulis ad ſex libras. Cumq; antea nullus in vtero colliſionis oſſium ſenſus volūtarius perciperetur: hic tandem putans miſella ſe ab omnibus ærumnis liberam, vnicuiq; tangenti vterum ſeſe ꝑdere cœpit: vt etiam illam non lateat oſſium fœtus mortui ſitus, quippe cum digito mōſtret, hic caput, illic coſtas: hic humeros, illic femora cōtineri. Quod ego & alii complures, me monitore, deprehenderūt. Cadauer iſtud, ſeu Sceletum in vtero matris iacet tranſuerſim, capite & cruribus introrſum, dorſo verſo extrorſum prominente. Sub ilio dextro caput reconditur, quod cum profundius, quam matris ſpinam dorſi reſpiciat, nō ſine ratione tactus noſtri iudicium refugit: ibi tamē oſſis humeri caput ſuperius contineri manifeſto cōſtat. Sub ilio ſiniſtro ſunt crura & pedes: ſed introrſum reflexi, vt attingi minime poſſint. Coniectura tamen artificiali & Anatomica ita eſſe, iudicare non eſt difficile: tum ex ſitu reliquo corporis, tum quia ibi os femoris apertiſſime deprehendatur. In medio ventre dorſum euidentiſſime cognoſcitur, vertebræque omnes facillime diſtinguuntur: coſtæ quoq; maiori ex parte, tam ſuperiores quam inferiores dinumerātur: vrget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum deſinit: eleuat totam iſtam molem ſurſum, eandemque pro animi arbitrio deprimit, non ſine aſſiſtentium ſumma admiratione. Oſſa vero ſic ſatis induruiſſe ſentiuntur, ita vt validiori compreſſioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur, niſi id plus quā par eſt, fiat diutius. Valet ſic ſatis illa mulier, omniaque ſua munia tam domi quam in agris vna cum marito ſuo optime peragit: hilaris eſt, prudens materfamilias, & vtcunque faceta, annū nunc temporis agens quadrageſimum quintum. Corpore gracili, nec habitu illaudabili. Menſes, cū annis quatuor eſſent detenti, potiunculis nonnullis illos promouentibus vſa, rurſum manare cœperunt in hunc vſque diem. At menſibus ſingulis, cum eorum terminus inſtat, venter inferior intumeſcit, illamque dolores inuadunt vehementiſſimi, haud aliter quam ſi nunc eſſet enixura: nec antea ceſſant, ni mēſes omnino eruperint. Quod ſi mulierem aliquo malo laborare contingat, iiſdem plane dolorib. ad integrum morbi terminum corripitur. Aliud præterea notatu dignū refert, quintum nunc eſſe annū, ex quo natura quodammodo iſtius Sceleti expulſionem tentarit. Vteri enim oſculum hiaſſe, & inde aliquot oſſicula fuiſſe egreſſa: qua de cauſa eueſtigio accerſitur obſtetrix, ac cum ſatis imperita, vel potius rei nouitate perculſa, nullum remedium ferre ſe poſſe indicaret, omni ope humana hanc multis modis longe infeliciſſimam deſtituens, receſſit. Ipſa vero interim nihilominus intrepido fortiq; animo, oſſicula illa vt in proprium locum retrocederent, propriis manibus allaborauit, ſic vt in priſtinum redierint. Ab iſto vero, vti nec antea, huiuſmodi quid ſiniſtri illi accidit. Mirum denique, quantopere ruſtica illa flagitet, ſummiſque precibus contendat, vt abdomen ei manu medica aperiatur, Sceletumq; ab vtero eximatur. Sic enim ſeipſam ſanitati priſtinæ reſtitui poſſe confidit optime. At quo minus id tentatum hactenus ſit, adhuc ſub iudice lis eſt. *Aegidius de Hertoghe Epiſt. ad Matthiam Cotnacem.*

Similis & æque lugubris caſus, mulieri cuiuſdam Chirurgi Monſpelienſis Auſme vocati, accidit, qui celeberrimis Medicis ampliſſimi Collegii Monſpelienſis (vti credibile eſt) pergratus erat: quæ (vti Dominus *Rondeletius ſua Methodi curandi, c.* 65. meminit) cum in Vtero geſtaret, puerum putrefactum, illius aliquot partes fruſtulatim reiiciebat, ſolum maioribus oſſibus in Vtero relictis, ita vt longo tempore poſt ipſi fuerit moriendū. Quamuis cauſæ, cur huic moriendum fuerit, debuiſſent fuiſſe notiſſimę, propter ipſius fœtus manifeſta fruſta, quæ reiecta erant, & ipſius reliquum, quod ibi tanquam in luto hærebat: recte tamen à marito factum, qui maioris certitudinis cauſa ipſius corpus aperiri voluerit. Verum vtilius multo fuiſſet, affectu iam ſatis cognito, vt per orificium Vteri fuiſſent oſſa extracta, ſi modo fieri potuiſſet: aut ſi hoc non licuiſſet, certe ſectione hac noſtra Cæſarea liberanda fuiſſet, ſi (cum viribus valentibus) hoc remedium tum temporis fuiſſet vſurpatum, quod in talibus caſibus vſurpari debet, modo nil vel impediat, vel aliud non habeatur remedium. *Franciſcus Ruſſetus de Partu Cæſareo Sect.4.c.2.*

Fieri poteſt vt in vtero (fœtus) putreſcat, vt vidimus puerum putrefactum, & fruſtillatim reiectum, relictis magnis oſſibus in vtero per longum tempus, quæ poſt in vtero matris mortuæ reperta ſunt. Vxor fuit Chirurgi Monſpelienſis, vocati (Auſme) qui poſt mortem, vt cauſam alicuius affectus interni cognoſceret, paſſus eſt illam diſſecari. *Rondeletius Method. Curand. Morb. cap. 65.*

OBSERVATIO.

Grauida partui propinqua poſt caſum fœtum vitalem amplius non ſentiens, ab eo tempore bis concepit, & feliciter enixa eſt, reſtitante nihilominus adhuc ſemper priore fœtu cum ventris tumore, citra vllas eiuſdem putrefactionis aut excretionis notas.

IN oppido Sindelfingen, trium circiter horarum itinere hinc diſſito, mirabile quid animaduerti. Viuit ibi fœmina 30. annorum, vel minor, vel non multo maior: ea cum partui propinqua, 6. nimirum vel 7. ſeptimanis ante exſpectatam partus horam, fallēte glacie, ſupina dorſum muro illiſiſſet, nihil

nihil amplius ſenſit vitale in fœtu, quem geſtabat vtero, neque tunc neq; deinceps. Ventris moles eadem, niſi quod aliquandiu poſt lapſum iucreuit, ac deinceps iterum decreuit, ſed non ex toto. Sed neq; mortuum edidit fœtum; nec menſes, vel qualia in puerperio expurgari ſolent, ex eo tempore vidit. Interim tamen (nam Anno 1590. lapſa eſt) bis vel ter concepit, toties vitales edidit fœtus; poſt partum tamen adhuc ſemper diſtentio ventris manet: ita vt in ea ſit omnino ſententia, habere ſe adhuc in vtero fœtum illum mortuum. Quod quamuis contrarium ex toto ſit, fœtum in vtero mortuum non putreſcere; Fœtu in vtero hærente mortuo, alterum concipi, ac tandem in vtero foueri, donec iuſto tempore in lucem edi poſſit: Quia tamen poſt lapſum illum aduſque primi infantis à lapſu partum nihil ex vtero neque humoris, neque ſolidæ ſubſtantiæ, vel oſſeæ, vel carneæ excluſum ſit; fit propemodum, vt credam, non computruiſſe quidem, ſed in ſcirrhoſam quaſi abiiſſe ſubſtantiam infantem illum, & quaſi contabuiſſe. Verum lubens aliorum de hoc caſu iudicium audiam, tuum præſertim, Vir Clariſſime. *Hæc Oſwaldus Gabelchouerus de Obſeruationibus ſuis.*

Observatio.

Hiſtoria vituli vna cum alterius Sceleto excluſi, analogice huc referenda.

VAcca partus difficultates impedita, cum fœtum conceptum parere minime poſſet, nihil grauius paſſa, poſt tempus aliquod rurſum concepit, & exacto tempore, vitulum viuum & Sceleton prioris vituli, edidit. Mirum ſane potuiſſe eiuſmodi corruptionem vaccam perferre, & rurſum, oſſibus prioris vituli retentis, concipere nihilominus. Hæc oſſa vidi apud Generoſam Dominam de Rappoltzſtein, in cuius oppido hæc acciderunt. Hanc Hiſtoriam à Clariſſimo Viro D. D. Felice Platero mihi communicatam, ſubiicere placuit. *Bauhinus in Append. ad Rouſſetum.*

Observatio.

Mulier Sceleton mortui fœtus vtero ferens denuo concipit: accedentibus vero magnis doloribus & periculo vitæ; Sceleton per ſectionem eximitur, vterus expurgatur & conſolidatur, relicto altero conceptu: qui poſtmodum viuus & validus in lucem prodiit in tantum non offenſa fertilitate, vt etiam quater ab hac curatione pepererit.

ANno Domini 1540. menſe Martio, in Caſtro Pomponii ſeu Pomponiſchi vulgo dicti, ditionis Dominorum de Gonzaga, non longe à Pado flumine ſito, erat mulier cui nomen Lodouica, vocabatur tamen communiter, eo q̄ vaſti eſſet corporis, La Caualla. Hæc cum antea vtero demortuum fœtum geſtaſſet, iamq; per vuluam corporis molliores partes putrefactæ profluxiſſent, intro oſſiculis corpuſculi derelictis, cum recte tamen valeret, iterum concepit, at cum male admodum ſe haberet, iamq; in vitæ diſcrimen manifeſtiſſimum traheretur; Forte aduenit chirurgus quidam, ex iis qui per villas percurrentes peregrinantur, cui nomen Chriſtophorus Bainus, qui mulieris caſu audito, reque peroptime ab aſtantibus explicata: mulierem ſanitati reſtituere tentaturum, dum modo illam ac mortuam manibus ipſius ſubiicerent, numoſque decem aureos, ſi ſanaret, perſoluerent. Pactum recipiunt cognati pauperes, opem ferentibus & ſpondentibus diuitioribus illius loci quibuſdam. Homo literarum imperitus, audax tamen, deligata muliere, opus aggreditur: diſſectiſque per longum longitudinalibus abdominis muſculis, peritonæo, vtero demum ipſo: ſceleton mortui pueri extrahit, ablutoque vtero vino calente aromatibus quibuſdam permixto, ſutura vulneris labia conglutinat; candentique ferro partem inconſutam inurit. Mirandum dictu, ſanata mulier, ſtato tempore alterum fœtum peperit, non ſolum viuum, ſed nulla ex parte labefactatum, & poſtmodum non ſemel, ſed quater concepit, vtero geſſit, & feliciter enixa eſt: rem mirabilem narro, cuius tamen teſtes affero, D. Ioannem Baptiſtam Zorzonum: & Alexandrum Begher. D. Fridericum de Felinis: & D. Leonellum Zorzonum: & Antonium Maiochum ſeu Mazzuchinum, alioſque complures qui interfuere omni operationi. *Marcel. Donat. Hiſt. Med. Mirab. lib. 4. c. 22.*

Observatio.

Extrahendi fœtus mortui, ferramentis chirurgicis, viua adhuc matre, recentiorum modi varij.

MAturo partu intus emortuo periclitabatur vxor piſtoris mei, quare euocatum me rogat, vt deficienti illi quoquo modo opem feram. Ego vero reputans huiuſmodi curationem inter difficillimas adnumerari, & ſummam prudentiam ac moderationem deſiderare (præſertim & quod fœtus tranſuerſus iaceret, vt ne manu quidem intra vuluam iniecta, dirigi in caput aut pedes poſſet; & quod imus venter iam frigeſceret) de ſalute eius dubitare cœpi. Verum hortante me coniuge ac cæteris aſſiſtentibus, vt nullum intentatum relinquerem auxilium, vncum vertebris dorſi infantis iniiciens, paulatim extrahere nitor. Sed obſtabat oris vuluæ compreſſio, & ceruix toto corpore replicata augebat extractionis difficultatem. Quare calido oleo naturalia foueo, quo paulatim hiante vulua fœtum educo. Mulieremque fere mortuam molli cubili recreo, & opportunis demum præſidiis curatam priſtinæ ſanitati reſtituo. *Beniuenius cap. 29. de Abdit.*

De infelici ac miſerando mortui partus extrahendi modo ac ratione dicturus; à deploratione humanæ calamitatis congrue incepiſſe videbor. Miſeret profecto atque pudet æſtimantem, vt cum Plinio dicam, quam friuola ſit animalium ſuperbiſſimi origo, cum plerunque abortus cauſa fiat odor è lucernarum extinctu: & qui viribus fidit ſuis, qui fortunæ munera amplexatur, & ſe quidem non alumnum tantum eius, ſed partum exiſtimat, tanti tamen perire poteſt. Is demum profecto vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit. Nam quæ fragilitas, quæ miſeria maior, quam à viua matre enectum infantem vi illata è intimis viſceribus fruſtillatim extraxiſſe? Sed hæc eſt muliebris naturæ conditio, vt in dolore pariat, & in partu de vita ſæpe periclitetur: quod iis maxime euenit, quibus eſt ferramentis chirurgica manu educendus fœtus: rem ſane atrocem & ſpectatu grauem. Sed ad id tamen ſæpe vel inuiti cogimur, vt ſeruetur ma

ter, vi partum educere: quod in ægre parturienti-bus, vel ob fœtus magnitudinem, vel ob virium matris infirmitatem ſæpe eſt experiri. Quo ſane miſerando affectu pleræque Arelatenſes mulieres laborare ſolent, vt præ partus difficultate mortuo intus fœtu, extrahi eum oporteat. Quædam namque prægnantes ſunt (ait Hippocrates) quæ non rite pariūt, ſed intus fœtum perdunt: quem vel conciſum, vel integrum, ſi fieri poſſit, educere oportet. Eductionis porro modum tum ipſemet Hippocrates, tum Paulus Ægineta, tum & Auicenna doctiſſime tradiderunt. Sed antequam ad tantum opus progrediamur, ſpectandum id primū eſt, ſuperſtes ne mulier futura ſit, an minus, vt Paulus ſcitiſſime annotauit: & ſi quidem ſeruari mulier poteſt, tunc manum admoliri oportet: ſin contra, attingi non debet. Quæ ſeruari nō poteſt, his ſignis deprehenditur, diu in partu multumque laborauit, defecta virtute eſt, pulſu paruo, languido, inordinato, inexpugnabili dormiendi neceſſitate conſopitur, deiecta & reſoluta decumbit, vix excitari poteſt: & ſi excitetur clamoribus, vix reſpondet, rurſusque ſoporatur. His ſignis morituræ deprehenduntur, à quibus manum abſtinere oportet, nec eas attingere. Quæ vero ſeruari queunt, horum quæ diximus nihil patiuntur, ſed conſtantes & forti animo degunt, bono pulſu præditæ, viuaces & robore plenæ: his admouenda ſalutaris manus eſt in hunc modum. Reſupinam in lecto mulierē collocare oportet decliui poſitu, cruribus valde elatis atque diſiunctis, quæ mulieres fortiter vtrinq; contineant, aut mulieris pectus vinculis lineis mollibus lectulo firmare oportet, vt ne corpus, attrahētis chirurgi manum ſequens, vim tractionis diſſoluat. Hippocrates linteo caput tegere, ne videns mulier quæ fiunt, neve ferramenta & vncinos ſpectans terreatur, iubet: ſed præſtat inſtita oculos claudere, quàm caput & os integere, ne in reſpirando vim patiatur. Tum vero chirurgus denudatis & liberis brachiis, manibuſque multo oleo illitis atq; perunctis, molliter vuluæ alas diducat, & in vteri oſtium leni motu & blando ſenſim manus inferat, pertentans ac diſquirens pueri ſitum ac formam, atq; vbi nam vncum quo fœtus extrahetur, defigi conueniat. Nam non omnes loci idonei ſunt in quib. infixi vncini detrahere fœtum poſſint: præcipui habentur ſi in caput infans prolabatur, occiput, oculi, ſed minus id tutū eſt, clauiculæ & ſub coſtis regiones tutiores ſunt, nempe quæ græci hypochondria vocant quemadmodū ſi in pedes deſcendat, ad oſſa ſuper pubem infigere vncinum oportet, vel in coſtis nothis, hoc eſt, intercoſtalib. muſculis: beneq; firmato vncino ſenſim trahere non confertim oportet, ne diſrumpatur, quo vncino arreptum eſt. Noſtri vero chirurgi Arelatenſes, qui in extrahendis fœtibus experitiſſimi ſunt, & longo vſu periti, manibus in pudendum mulieris iniectis puerum circumuoluunt, & in oſtium vſque pudendi demittunt, ambabus manibus: niſi vehementer in alto impactus ſit infans. quod ſi ſit, tum vncinis detrahunt. Si ſecundū dorſum aut latera cōſiſtat fœtus, ambabus manibus dirigunt, quoad in caput fœtum conuertant: quod magna certe dexteritate faciunt: quo perfecto, vncinis ad clauiculas affixis vi tota enixi fœtum integrum extrahunt.

Sic hoſpitæ diuerſorii diui Sebaſtiani extractus fuit infans, quem mater ſanguicula & bene habita, tum ob locellorū anguſtiam, tum ob fœtus magnitudinem & capitis molem eniti non potuit, integerque hac ratione à Iohanne Chapaſio chirurgo bene docto euulſus fuit, ſalua & incolumi matre.

Sic honoratæ mulieri & prudentiſſimæ Iohannæ Camaretæ, Franciſci Rodolphi coniugi eductus pariter fuit.

Sic perinde Claudiæ Alberti textoris vxori.

Item hoſpitæ diuerſorii trium columborum. Et Delphinæ pauperculæ mulieri. Tum vero & multis aliis, quibus in tanto diſcrimine poſitis ſubleuandis non ſolum interfui, ſed & ſalutaris præfui. Quoniā vero ab eo opere valde deiectæ viribus & proſtratæ mulieres remanere ſolent, ſolemne mihi eſt vt potionibus & iuſculis optimis, vinoque odorato & potenti vires reficere tentem, tum vero & locos fouere & roborare fotibus congruis & vnguentis, iubeoque diutiſſime in lecto conſiſtere, ne motu partes affectę oblædantur & doloribus ægræ torqueantur. Quin & in totum à frigore cauere eas omni ſtudio iubeo, quo nihil nocentius in eo caſu mulieri puerperæ, à qua exectus ſit infans, accidere poteſt. Itaq; poſt eductum infantem mox calidis pannis lineis fouere locos ſoleo: & ſi hæmorrhagia ſubſequatur (vt fere ſemper ſubſequi ſolet) decocto roſarum, abſinthii, foliorum myrti, & artemiſiæ (quæ mirifice locis mulieribus confert) incoctis in vino omnibus, fouere locos ſoleo, additis in decocto caryophyllis, & vnguine comitiſſæ vocato locos illinire. Potionem ex puluere diamargariti frigidi & diambræ (qui puluis matricis affectibus magno vſui eſt) ex aqua bugloſſi & vino albo tenui deuorandam propino. Quod ſi vlcuſcula aut rhagadiæ ex vtillata eooriantur, ex vino decoctionis equiſeti & centinodiæ cum pauco melle roſato ablui iubeo, mox vnguēto ex pompholyge illiniri. Mulieri textoris ſtillicidium vrinæ poſt eductum infantem accidit, ob reſolutū veſicæ colli muſculum: q tamen ego longo temporis tractu feliciter perſanaui, demiſſa in oleum calens muliere, in quo folia lauri, betonicæ, ſaluię, libanotidis, origani, pulegii, cum floribus chamæmeli, roriſmarini & ſtæchados præbullierant: moxque ab inſeſſu ex oleo lumbricorum, liliaceo & vulpino, in quo catelli pingues ad diſſolutionem oſſium in carnibus deferbuerant, & expreſſione facta indebam ſtyracis calamitidis, benioni, oppoponacis, olibani, macis, nucis myriſticæ, ſingulorum drachmam, addita aqua vitæ ter deſtillata, & anſeris adipe atq; cera, mirificum parabui vnguentum: à quo, cum totos menſes duos vſa eſſet, integre leuata eſt, & denuo pluries concepit, & feliciter geſtauit atq; peperit quos conceperat: & in præſens vegeta & incolumis degit, ad laudem DEI glorioſi & excelſi. *Valleriola lib.5. Obſeru. 2.* Vide præterea *Pareum lib. 23. cap. 26.*

OBSERVATIO.

Fœtus mortui, viua matre, ſola manuum ſolertia & induſtria, ſine inſtrumentis Chirurgicis, eductio.

SI aliquando contingat fœtum emortuum in vtero eſſe, viuente adhuc matre, docebimus quà deinceps ratione ſit etiam eximendus, vtero minime vitiato, & qui ſemen poſtea admittere poſſit: quod non ſemel aut iterū, ſed multoties nos expertos putes. Quo pacto autem adminiſtrauerimus, audies.

Re iam prope deſperata, & omni obſtetricum ope prorſus vana atq; inani conuocati, primum interrogauimus ab iis qui laboranti præfuerãt, ſigna omnia quæ fœtum emortuum indicarent: nempe immaturum eſſet pariendi tempus an non: nunquid violentum accidiſſet matri circa vterum, an vero id factum fuiſſet alia quauis cauſa externa aut interna, interimente fœtum. Vbi neutrum horũ accidiſſe cognouimus, non etiam primum partum, non ætatem imbecillem, non vteri à precedenti fœtu dilaceratione: tum quidem petimus, vtrum excrementa aquoſa omnino defluxerint, & quam pridem, cruenta etiam apparuerint, nec ne: deinde frequentes ne præceſſerint, an interpolatæ dolorũ acceſſiones: an iam præterierint omnino: & quanto antea tempore, an etiã cum extremis doloribus aqua proſilierit. Ea omnia poſtquã cognouimus, tum ad alia ſigna diuertimus, quę nobis magis peculiaria eſſent: quorum omnium certiſſimum eſt (ne hic omnia temere enumeremus) fœdus & corruptus vapor, aſſidentium nares præter ſolitum, & plus æquo vehementer afficiens: ipſam etiam matrem plurimum torquens, & ex ructu foras exiliens. Itaque iam his ſignis diligentiſſime excuſſis, vbi compertiſſimum nobis fuit fœtum non amplius viuere: tum cogitamus de poſitione optima mulieris. eaque ita deliganda & conſtringenda, vt inter operandum nihil periculi ſubiret, nobis quoq; nihil obſtare poſſet, quo minus fœtum diligenter extraheremus. Adducimus ſedentem matrem fere vſq; ad imam lecti ſpondam: tibias eius aliquantulum incuruamus, crura diducimus: faſciam latam, eamque longam ac validam, minime duram, à medio comprehendentes, ſub planta media medis parturientis componimus: deinde efficimus vt alia faſciæ pars in dextrum tibiæ latus, alia in ſiniſtrum per pedion ex oppoſito inclinet, atque ita tandem vincula ſub poplite deuoluimus: illic crucem rurſus aliam efficimus, cuius extremitates adhuc ſibi inuicem ſuperuectæ per cruris medium, rurſus tertiam crucem efficerent: tum ipſa extrema ſimul ad ceruicem per pectus ita deducimus, vt leuiter crus & tibiam inflexam continerent: à ceruice ad aliam corporis partem extrema prædicti vinculi pede deflectentes, atque ad crus alterius lateris exporrigentes: in eo ligaméta ducimus ex oppoſito in crucẽ, veluti in altero crure factum fuerat, deinde ad poplitem iterum aliam crucem imponimus, & rurſum tertiam circa pedion: quomodo in alio latere iam feceramus: quodque extremum vinculi ad internam tibiam ſpectabat, id ſub planta ſic inflectimus vt ad extremum eiuſdem tibiæ latus deuolutũ, cum alio extremo conſtringeretur, ne vel inter operandum diſſolui poſſet, vel ipſam mulierem in motibus incompoſitis aliquo pacto offenderet. Id vbi factum fuit, reclinamus mulierem ſupinam: ſtatuimus adiutores duos, qui crura diducta & firma continerent: præter alios tamen qui corpus mulieris reclinatum ita cohiberent, ne præ dolore vehementius ſubſultaret. Miniſtros autem huiuſmodi delegimus, ex iis quos facile agnoſcebamus infracto & audaci eſſe animo, quique ab opere haud ita cito ceſſarent, non etiam lachrymis, aut vocum pietate, aut rei ipſius crudelitate præter æquum mouerentur. Linteo calido, in multos ſinus conduplicato vtramque crurum mulieris regionem operimus, ne ſpectantibus dolor aut pietas concitaretur ex opere: ſub eo etiam linteo, manus vſque ad mediam fere vlnam occuluimus, ne res ex ſe plane impia, aſtantium affectus plus æquo concitaret, animoſque percuteret. Siniſtram manum per pudendũ intro demittimus, digitis ſibi inuicem incubantibus, & ad internam manum arctiſſime compreſſis. Sentimus per collum vteri fœtum in caput deuolutum: vix autem exilire potuiſſe, propter anguſtiam, quæ eſſet in collo matricis infimo, iuxta pudenda: tum aliam manum ſecundum palmam ſiniſtræ concauam ſenſim intro dimittimus: cumque iam ſe inuicem conſtringerent manus, fœtuique proximæ eſſent: tum vtramque in pugnum claudimus, quo robuſtior fieret totius brachii vis in diducenda parte, & præmunienda fœtui via. Pugnis factis, totis viribus ad diductionem nitimur, mediis digitorum vtriuſque manus articulis ſibi inuicem concurrentibus inter diducendum: vt noſtra brachia in eiuſmodi motu plus viderétur foras operari, quàm intus manus. Vbi ſentimus iuſtam viam præparatam, tum nos dextram manum leuiter extrahimus, ſiniſtra partem fœtus, quæ magis ſeſe offerrebat (ſiquidem iuſtà nobis viſà fuit) comprehendentes: erat autem caput. Nam ſi ex pedibus alterum ſenſiſſemus, nunquam is corripiendus erat, vt à pede totum corpus extraheretur: ſi manum, intro etiam erat propellenda, donec caput ſeſe offerret: nunquam enim tuta eſſet fœtus extractio à primis manibus aut pedibus: ſi duplicatus ſeſe obtuliſſet fœtus, hoc eſt, ventre, vel natibus, vel humeris ad exitum præparatis: cõmodius fuiſſet leuiter partem prominentem intro repuliſſe, fœtumque ad caput, quantum fieri potuiſſet, deuoluiſſe, quam ita extraxiſſe: nunquam enim ſine maxima parturientis noxa fieri id poteſt, quanquam aliquando fiat. Sed ad rem. Caput ſubtus corripimus, manu ſemper infra reſidente nunquam autem ſupra: leuiter id extrahimus, donec altera manus adiutrix priori data eſſet. Sed & ſiniſtram, quæ intus erat, vſque ad vmbilicum fœtus, iterũ ſurſum duximus: eum enim inculpatum inprimis obſeruare neceſſum fuit, propter ſecundinam: quam intus reliquiſſe lethale foret. Ipſum itaque inter duos digitos aut continuimus, aut molliter iis circumuoluimus. Eoque pacto puer extinctus vna cum ſuo chorio, nullo negotio tandem extractus eſt, tam ſi viſus nobis fuiſſet fœtus maior aut tumidior, quam qui maxima difficultate foras exiret, neque viuentem matrem poſſe permittere: cum præcipua diligentia ſit in vmbilico adhibenda, tum vmbilicum excepiſſe, ac deiunxiſſe tutius fuiſſet, filiumque extra vterum depuliſſe, ne ſecundina intro concluderetur: deinde vero per ventrem & pectus incidendus erat fœtus, viſcera eius eximenda, quo gracilior fieret: poſtea autem vmbilico partes ad extractionem faciliores excipiendæ, atque ita altero genu noſtro ad lecti ſpondam inclinato, diligenter extrahendus, quando id ſola manus præſtare non potuiſſet. Fœtu quo vis depulſo, nunq̃ vmbilicus eſt relinquendus, donec integra ſecundina ſubſequatur. Talis eſt extrahendi fœtus demortui ratio, ſi quando matrem viuam & integrum vterum obſeruare cupias. *Carolus Stephanus, lib. 3. cap. 2. de diſſect. part. corp. hum.*

Anno 1587. Octob. 26. cum eſſem in Illuſtriſſimi Principis mei arce Horburg, quæ iuxta Colmariam

eſt,

eſt, vocatus fui à cœna, poſt horam ſeptimam, ad iunioris mei Principis Ludouici, prius nutricem, Barbaram nomine, quæ doloribus partus diuexabatur. Hæc enim cum partui foret proxima, ſupputationumque dies præteriiſſent, 23. huius menſis per ſcalas ſupra dorſum delapſa, vt fere in lipothymiam inciderit: die vigeſimaquinta ante prandium, partus dolores perſentire cœpit: 26. vero auctis doloribus & ruptis inuolucris, aquæ effuſæ, quo tempore vixiſſe adhuc fœtum, mulieres adſtantes aſſerebant, quod ex motu apparente collegerint. Dum vero adfui, licet à 7. vſque ad 12. noctis adſtiterim, nullum motum ſentire potui: dolores tamen & conatus crebros non fortes & irritos pertulit. Sacculos ex lino in aqua coctos applicari iuſſi, & continuo pubi admoueri, idque ad partes emolliendas & tumorem impediendum: ipſa vero aliquando ſellæ inſidebat, interdum ſtabat. Obſtetrices bonum fœtus ſitum aſſerebant, caput & capillos ſe ſentire, ſæpius à me interrogatæ, aſſerebant. Ego tandem videns illam fruſtra eniti & torqueri, iubeo in lectum recumbere, diſcedo, rediturus cum vocarent. Vocor poſt quartam, dolores non aderant magni: de dolore tantum lumborum conquerebatur, ex dolore delirabat. Obſtetrici iniungo, vt humectatam manum in decocto lini & inunctam butyro, putēdo inſerat, & ſcrutetur, quo in ſtatu ſit fœtus, & an aliquid mutatum: reſpondet, eſſe in eodem, quo præcedente fuerat die, ſtatu: ego tandē præparata manu, vti obſtetrix, eam admoui, comperio tumorem fere extra collum vteri, qui tangendo reſtitit, digitos molliter ſupra tumorem ducendo, nullos ſentio pilos. hinc malū coniicio ſitum fœtus, intrudo manum vt perquiram: cōperio partē mobilem in tumore, dubius hæreo, quæ ſit pars: paulo penitius perquirens, rumpitur ex improuiſo tunica amnios, & ꝓfluit aliquid liquoris: ad tactum apparet manus & vaſa vmbilicalia: indico obſtetricibus eas deceptas eo tumore, & vt iterum admoueāt manum: ſed nihil trahant educantve, mihi alia ratione procedendum. Quare iubeo ipſam ſupra marginem lecti ſedere, & dein per tranſuerſum in dorſum recūbere: pedes ſupra ſcamnum lecto admotū, firmaret, qui per duos tenerentur: ſupra corpus relinquo culcitram, ſuperinduco linteum, vt nullæ partes apparerent, nec etiam quæ ego manibus, vel obſtetrix ageremus, quo honeſtius omnia tractarentur. His ita peractis, profunde in vterum protruſa manu ad mediā fere vlnam, perquiſiui pedes alternatim, modo dextra modo ſiniſtra manu vtens: ſatis commode pedem vnum reperio, paulatim attraho, alterum perquiro, non poſſum inuenire, tandem faſcia ligo pedem in ipſo collo vteri: iubeo obſtetricē paulatim trahere, dum iterum intrudam manum, & perquiram alterum pedem, ducens manum ſecundum crus. fœtus: peruenio ad podicem fœtus, intruſo digito in podicem, traho paulatim, iterum perquiro pedem, ſed fruſtra: tandem, paulo fortius podicem dextra manu traho, & ſiniſtra ligamentum pedi annexum: res nonnihil ſuccedit, poſtea inuenio pedem, quo reperto, victoriā cano, attraho paulatim, eo educto, vtrumq; pedem obſtetrici trado: iubeo vt lente trahat, ego manu dextra vterum dilato, & ſurſum rugas repello: tandem ſequitur abdomen cum dorſo, hæret deinde circa humeros, alterum brachium perquiro & educo: iubeo obſtetricem continuo modeſte trahere, manu impedio ne vterus ad collum pueri claudatur, (q fieret, niſi manus impediret) manum in os pueri intrudo, & paulatim caput attraho. Extracto toto fœtu, ſubito ne claudatur vterus, (quod in momento fit, magno cum periculo) intromiſſa manu ad medium fere cubitum, paulatim ſecundinam perquiro, ac ſine vi (ne inuertatur vterus, vt eueniſſe opera malarum Obſtetricum vidi) eam leuiter integram educo, ſanguinem etiam grumoſum, manu ducta per totam vteri capacitatem, extraho: ſubito retraho manum, & vt comprimat crura iubeo, paulatim ſupra lectum retrahendam curo: pudendis & abdomini cum ſacculis appono panem coctum in vino & aqua, à ſomno impedio, & à vini potu, ac quietem iniungo, paulo poſt aliquid iuſculi curo exhibendum, interdico ne nimium calefaciant hypocauſtum. Operatio hæc feliciter fuit peracta intra horæ ſemis ſpacium: Deo Opt. Max. ſit laus. Hactenus Hiſtoria, quam mihi Iohan. Bauhinus, frater chariſſimus communicauit. *Caſpar. Bauhinus.*

Observatio.

Extrahendi fœtus viui ratio, matre mortua.

Si fœtum nondum emortuum ex pulſu & ſubſultationibus coniicies, matre adhuc in extremis laborante: debes (antequam ea vltimum ſpiritum emiſerit) virgula in triangulum inflexa & à ſuperiori dentium ordine ad inferiorem collocata, apertum morientis os continere, ne præcludatur fœtui ſpiritus atq; is ſuffocetur. Æquum etiam fuerit, obſtetricem nunquam ab oſtio vuluæ manum dimouiſſe, & incurua ac diducta mulieris femora, quanta poterit diligentia continere, donec extremo ſpiritu exhalato, chirurgica manu fœtus exectus fuerit. Viuum autem eripies, ſi ſtatim emiſſo vltimo ſpiritu, ore etiam demortuæ mulieris aperto, & vuluæ oſtio aut pudendo minime præcluſo, cōfeſtim ad lateris partem, ita in trāſuerſum ſectionem aggrediare. Sic nos aliquādo feliciſſime adminiſtrauimus haud ſine adſtantium omnium applauſu. Quo pacto autem deinceps in extractione viui fœtus perſecuti ſimus, mox audies: Lineam cultro raſorio leuiter duximus per ſiniſtrum mulieris hypochondrium, circa vteri extuberationem: haud ita profunde tamen, ſed tantum vſq; ad peritonæum: cauendum enim erat, ne quid inteſtinorum aut attactum, aut vitiatum eſſet, ſi forte vna peritonæum incīſum fuiſſet. Rurſus ita admouemus nouaculam, vt ſumma tantum cuſpide peritonæum incidatur, ad digitos ſiniſtræ manus intromittendos. Eo facto digitos per rimam peritonęi intro demiſimus, iiſque incuruatis peritonæum ſurſum aliquantulum ereximus: altera deinde manu (nempe dextera) nouaculā admouimus in eam peritonæi portionē, q̄ digitis intermediis continebatur, leuiterq; confecuimus id à peritonæo elatum, quod inter digitos comprehenſum fuerat, ſecundū vulneris longitudinem. Iam tum libere totam manum intro deuoluimus vſq; ad matricē, inteſtina paulatim ſurſum attollētes, ne quando delaberentur: eademque manu vulneris labrum ſuperius diducētes, quo facilius veniret in conſpectum vteri tumor. Hic non ſegnes fuimus, ſed ſiniſtra manu intus relicta, & vulneris labrum apertum continente, dextram ad

conſectionem aptauimus ; ad vnius tantum digiti ſpiſſitudinem imprimentes nouaculam in tumorem vteri, eumque pro vulneris longitudine quanta fieri potuit diligentia conſecantes: haud tamen ita temere vt prima ſectione matrix ad integrum conſecta videretur: incerta eſt enim & varia matricum ſpiſſitudo, quemadmodum Galenus optime cenſuit. Itaque ſenſim iterum atque iterum demiſſa nouacula, leuiſſime tandem diſſecuimus vterum, quouſq; ad ſecundinam ventum eſſet: eam vero facile cognouimus ex venarum confuſa multitudine, ſanguinem veluti expreſſum eructante: quod agnoſcendi chorii indicium tibi ſit omnium certiſſimum. Tum demum nouaculam reliquimus: iam ab obſtetrice certiores facti, defluxiſſe aquoſa excrementa, quibus innatare ſoleret fœtus: muliere nondum extincta. Alioqui niſi id & ſignis & verbis compertum nobis fideliter fuiſſet, tum excrementa defluxiſſe, tum matrem iam pridem è dolore laboraſſe: nondum quidem nouaculam reliquiſſemus, ſed etiam ſecundinam penetrare tutius fuiſſet, & ſumma nouaculæ cuſpide ipſam incidere, ad excrementorum effuſionem: retenta enim huiuſmodi excrementa, integram adhuc ſecundinam eſſe indicant, quod pręcipue fieri ſolet, immaturo adhuc partu. Itaq; poſt factum in ſecundina foramen nouaculæ cuſpide, tum vtriuſque manus digiti intromittendi ſunt ad eam lacerandam. Nos autem & ſignis ipſis, & verbis agnoſcentes effluxiſſe excrementa, & ſecundinam diſruptam, tum quidem dextram manum ſecundum vteri altitudinem in profundum ſenſim demerſimus, vt extenſis digitis, integrũ fœtum comprehenderemus: ſiniſtra matricis conſectæ labia ſurſum attollendo, ne forte impediretur ab inteſtinis, atq; in ſeſe cõcideret. Vbi fœtum ſub manu ſenſimus, tum ita leuiter ipſum conuertimus, vt eius ſpina toti palmę noſtrę incumberet, atq; extenſæ manui & brachiali inſideret: nam plurimum cauẽdum eſſe duximus, ne vel à thorace, vel à ventre, aut pede, aut brachio, aut etiam capite comprehenderemus: id enim ſine periculo vix fieri potuiſſe credidimus. Sed quando caput infra deuolutum ſenſimus, tum manu ſecundum ſpinam protenſa, curauim⁹, extremos digitos ad humeros paululum incuruare, quo facilior fieret apprehenſio. At ſi ſurſum caput reperiſſemus, tum quidem extremi digiti ſub naribus & oſſe ſacro confirmandi fuiſſent. Itaq; manum paulatim ſurſum attulimus; ita vt totum brachium in mulieris ventrem extremum leuiter incumberet, eumq; modice comprimeret: Eum quando conſpeximus, ſiniſtram manum dextræ adiutricem dedimus: & altera fœtum oſtendente atque erigente, altera ſenſim extrahente, fecimus vt in ventrem mulieris ſupinus fœtus depelleretur. Voluimus autem confeſtim experiri viueret nec ne; cum propter imbecillitatem ac laborem nullum artuum promoueret, neq; ſpiritum. Id vero facile cognouimus, primis digitis fœtus vmbilicum prominentem iuxta ventrem molliſſime attrectantes: & modice per aliquod ſpatium comprimentes, ſenſimus pulſantem arteriam in vmbilico, etſi circa parietalium oſſium fines, in eo quem vocant fonticulum, nihil attolli aut moueri videretur: nec digito ori admoto lingua calorem aliquem præ ſe ferret. Cum primum percepimus arteriæ pulſum, in vmbilico cõfeſtim filo cerato quod nobis erat in promtu, primum ſtricte ligauimus ad trium digitorum latitudinem ab ipſo ventre, dein iterum atque iterum aliis locis etiam cõſtrinximus, extremos nodos ſemper ſtrictiores efficientes. Scies quid poſtea acciderit: vix conſummata hora integra, cœpit puer oculos aperire, os diducere, de fonticulo pulſare, artus etiã leuiter extendere: denique vocem atque eiulatum emittere. Idem autem perſæpe accidiſſe comperimus in partu difficili. *Carol. Stephan. lib. 3. cap. 1. De diſſect. part. corp. human.*

OBSERVATIO.

Exempla exſectorum ex vtero matrum mortuarum, qui Veteribus Cæſares & Cæſones dicebantur.

P. Scipio Africanus prior, defuncta parente, exciſus vtero in diem venit. Ideoq; etiã primus apud Romanos Cæſaris nomine ſalutatus eſt. Simili modo natus eſt Manlius qui Carthaginẽ cum exercitu intrauit. *Solinus in Polyhiſt. & Silius Italicus lib. 13. Plin. lib. 7. cap. 9.* Forte hic eſt. M. Manlius Torquatus, qui cum L. Martio Cenſorino conſul fuit.

Gebhardus, Vthonis Comitis de Bregentz F. ex matris vtero exectus, Conſtantienſis Epiſcopus factus eſt anno 1001. & monaſterium Petershuſium, item templum Circiacenſe (in emporio nobili Heluetiæ Zurzach dicto) extruxit. *Bruſchius.*

Anno 959 Burcardus Comes de Lintzgow Buchorn & Monteforti liberalitate in pauperes præſtans, poſt Cralonis obitum Abbas Sangallenſis deſignatus eſt, confirmatione ab Othone Magno, per bactlum & ferulam accepta. Dictus vulgo Ingenitus, eo quod ex mortuæ matris aluo exectus eſſet. *Idem.*

Vidi anno præterito Villicam quandã, euſarcam & optimi habitus, nono menſe laborantem graui morbo, ventriculi ſcilicet exulceratione: quę diebus viginti ſine cibo potuque permanſit, nam quicquid deuorabat ſtatim vomitu eiiciebat: affectuſque ſæuitia tandem mortua; diſſecto vtero puerum extraximus viuum, qui Fortunatus ad fontem ſancti Baptiſmatis vocatus, me conſultore, fuit, adhucque vitali fruitur aura. *Horatius Augenius libr. 5. epiſt. 2. cap. 11.*

Cotytiledonum ſpecies, non niſi in grauidis, recenter diſſectis vteris oſtenduntur: vt mihi ipſi iam ſexto fœtum vitalem execanti coram contigit his meis oculis intueri. *Cornelius Gemma Cyclognomica lib. 2. cap. 6. pag. 74.*

OBSERVATIO.

Si duos fœtus gerat mater, quorum alter viuus alter ſit demortuus; vterq; autem ad exitum feſtinet, quid agendum.

INterdum geminos geſtat mater in vtero, quorum alter extinctus eſt (atque is ſemper emergit prior) alter viuus ſubito conſequitur. Huiuſmodi quiddam ſubit hic tibi paucis recenſere, quod fortaſſe mirum videbitur, vt inde ſcias quo pacto te gerere oporteat in gemini fœtus extractione. Nam factum aliquando fuit, nobis pręſentibus, vt ipſa mater cum obſtetrice de fœtu viuo, quem ſe perſentire aiebat, vehementer diſceptaret: obſtetrix autem cõtra plurimũ inſtaret ſignis exterioribus. fœtum demortuum indicantibus. Tandem autem accidit, fœtu iam extracto (qui etiam in vtero mortuus iudicabatur) &

eo pacto quo iam ſuperius dictum eſt, cum ſecundina foras exemto, vt alter fœtus ſubito ſua ſponte viuus proſiliret cum altera ſecundina, etſi nihil prius à nobis ſimile per ſigna exteriora perſentiretur. Itaq; vtraque eorum verax facta eſt: mater enim cum viuum fœtum ſe ſentire aſſereret, non putabat duos in vtero geſſiſſe: obſtetrix autem dum contenderet mortuum eſſe fœtum, minime exiſtimabat alterum conſequi debere. Vide quæſo quam varie interdum res accidant. Atq; hoc ſit tibi maximum argumentum, non eſſe (vt quibuſdam placuit) ferro tractandos fœtus in extractione: nihil enim manibus certius, nihil ſecurius ac leuius. Redeo ad ſuperiorem ſermonem. Solo atque integro fœtu mortuo libere foras extracto, petitū eſt à nobis, num ſignis aliquibus comperire poſſemus, quænā fuiſſet interimendi fœtus cauſa: an id matris vitio, an aliquo impetu externo accidiſſe iudicaremus. Ibi nos ſecundinam etiam integram correptam, manibus extendimus, vt eam vndecunq; circumſpiceremus luci expoſitam. Viſum eſt nobis in parte chorii dextra liuidum ac cōcuſſum quiddam, quale accidere ſolet ex inflicto ictu: vt venulæ eius partis omnino corruptæ & confractæ apparerent: tumorque circa liuidam partem promineret. Tum rem omnem ob oculos circumſtantium proponimus: id aſſerentes, fœtum ex inflicto ictu circa vterum matris fuiſſe extinctum, etſi nihil tale per corpus fœtus appareret: imo conſpiceretur probe enutritus, nulloque alimēto indiguiſſe. Gracilem autem fœtum aliquando extraximus, & qui nutrimenti penuria laborauerat in vtero: huius ſecundina putrida omnino & corrupta viſa eſt: foris confracta, fœtidiſſimumq; odorem referens: valetudinarius poſtea fuit fœtus. Quaſdā ſecundinas vidimus aridas, & ſua humiditate ac ſanguine deſtitutas, alias multis partibus confractas, ſed id fœtus efficere potuit. *Carolus Stephanus lib. 3. cap. 2. De diſſect. part. corp. human.*

OBSERVATIO.

Muliercula ob partus difficultatem, vteri os exulceratum neglectumq;, adeo coaluit, vt exiguo foramine peruium relinqueretur. Eidem rurſus grauidæ, ob locorum anguſtiam, fœtus denuo ſuffocatus & per chirurgiam fruſtillatim extractus eſt, in collo vteri vlcere excitato, & recto inteſtino communicato, vnde miſera fæces per vlcus deiecit: quæ tandem, inteſtino conſolidato, conualuit, atq; de cætero excrementa per anum reddidit.

NObilis quædā mulier, cum ante aliquot annos vterum geſtaſſet, ob difficultatem maximam partus, vi ille fuit extractus; vnde ex violēta concuſſione & commotione os vteri fuit exulceratum. Cū vero nollet admittere Chirurgos, vlcus ſatis negligenter fuit curatum, vt non ſolum hoc coaluerit, ſed os ferme vteri vniuerſum vix minimo foramine relicto. Facta tamen tandem rurſum grauida, cumque tempus pariendi adeſſet, conſuluit Helidæus vt linimenta, & peſſi adhiberentur, ad dilatationem, quib. in aliis quoq; vti ſolebat. ſed nihil inde vtilitatis percœpit. Fœtus autem vi propulſus ex vtero, ꝓpter anguſtiam loci ibidem fuit ſuffocatus. Iuſſit Helidæus vt ſectio fieret, & fruſtatim fœtus mortuus extraheretur, ꝙ factum fuit. Neſcio autem quo pacto vel ex contuſione in violenta fœtus extractione, vel ex putredine vlcus in collo vteri rurſum fuerit exortum, idque recto inteſtino quoq; cōmunicatum, vt illius aliquot fruſta extraherentur, ac fæces per vlcus exirent. Infuſa aqua hordei in qua Roſæ & ſemina melonum decocta eſſent, cui vnguentum Ægyptiacum fuit admiſtum. Et poſt iſtam hæc decoctio. ℞. Roſar. myrtillorum, balauſtiorū, malicorii ana, decoquantur in aqua & infundantur peſſi vnguento digeſtiuo illiti. His tandem remediis inteſtinum conſolidatū fuit, & excrementa per anū rurſum exiere: vnde chirurgi ſatis valide ſiccātia admouebant, ſicuti eſt vnguentum de Calce, & Diapompholygos. *De obſeruat. CL.V. Ioach. Camerarij.*

OBSERVATIO.

Cæſareum partum, quo inciſa matris aluo, fœtus, ſalua vtriuſq; vita educitur, non omnino nouum, ſed vetus inuentum eſſe.

ERrant, inquit Ioachimus Fortius, qui putāt, Iulium fuiſſe Cęſarem nuncupatum à cæſo matris vtero dum naſceretur. Nam quo tempore ſubiugaret Gallias, matrem nomine Aureliam amiſit. Quæ ſuperuiuere nequiuiſſet, ſi cæſo eius vtero natus ille fuiſſet. At in his audiendus non eſt Ioachimus: nam plures mulieres vixiſſe annos multos conſtat, imo vero cōcepiſſe ac peperiſſe, cæſo illarū vtero: quemadmodum hiſtoriis aliquot alibi etiam oſtendimus. *Mizaldus Memorabil. Cent. 1. Aph. 100.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria noua, ſtupenda, atq; incredibiles prope, & à Iulij Cæſaris tempore, ad noſtram vſq; ætatem inaudita, quibus oſtenditur fœtus ex vtero materno abdomine & vtero per latus inciſo, citra vtriuſq; vitæ periculum, adeoq; ſine conceptionis & fœcunditatis iactura fuiſſe eductos, qui alias in lucem produci haud potuiſſent.

NOn ita pridem ex quibuſdā ſenibus fide dignis prope Millyum Vaſtineti cognoui verum eſſe, (de quo etiam apud ipſos dubium non eſt) cuiuſdam Gothardi, habitantis Meſnilii, quæ Millyi parochia eſt, coniugem, ante aliquot annos, ſexies, cum alio modo parere non poſſet, ſectione eiuſmodi fœtus ſemper viuētes eſſe enixam. Poſtquam vero Nicolaus Guillet tonſor Millyenſis, qui ſectoris munus obierat, mortuus eſſet, cum ſeptimo grauida, nec alia ratione fœtum excludere poſſet, nec eſſet qui huiuſmodi ſectione conſueta ipſi ſubuenire noſſet, ipſam mori oportuiſſe; quod ſane argumento eſt, magnam phimoſin vel naturalem anguſtiam fuiſſe, quæ quidem recipiendo ſemini, non autem fœtui excludendo ſufficeret.

Certo cognoui ex Ambroſ. Nigro Chirurgo Pithwerræ expertiſſimo & Ægidio Bruno ipſos vna mulieri pauperculæ iuxta Merinuillam Belſiæ, tres infantes viuos è latere extraxiſſe, quam cum inviſere eſſet animus, vt locum vulneratum inſpicerem, relatum fuit ipſam paulo ante peſte, quæ tum vehementer ſæuiebat, periiſſe.

Eſt mihi ad manus D. Alboſii Medici Senonenſis perdocta epiſtola, in qua fuſe, ſummo tamen cum ordine exponitur, qua ratione Ioannes Maræſius (id eſt, Paludanus) Chirurgus apud Chatras Biturigum, Ludouici Maræſii Archiepiſcopi Senonenſis Salazaris, Chirurgi ordinarii filius, è propriæ coniugis latere inciſo, filium Simonem Maræſium nomine extraxerit, qui poſtmodum etiam Chirurgus, & Reginæ matris cubicularius factus. Nihilo ſecus tamen

men mater huius naturali modo poſtmodum filiam Renatam nomine eſt enixa, quæ dein præfecto ſalinario nupſit. Hic Simon (q ſine marte cognominabatur) ex Roſa Callardet vxore, binas filias ſuſcepit; alterã Claudiam quæ poſtea Franciſco Artus Yxilodunienſi fuit deſponſata: alterã vero Franciſcam, Oliuario Gannier nuptam. Hæ abunde ſatis atteſtari poterunt, ea quæ de paterna natiuitate dicta fuere; cum hæc partim ex vulgi fama, maxime vero ex frequenti parentis relatu, cognoſcere potuerint.

Dominus Pelion, celebris Medicus Andegauenſis, cum pridẽ Laurentio Collot Chirurgo Cyſthotomo Lutetiano ſimilẽ caſum, qui in Andium ducatu contigerat, narraſſet, idem tamen nuper epiſtola ad ipſum data, (quam mihi tradidit) confirmauit. Opus autem hoc peractum eſſe à quodam Maturino Debonnaire Chirurgo ſolum monet, nec ſigillatim reliqua pertractat.

Ante exortum bellum ciuile D. Dionyſius Armenautius Medicus Genabi & ego vna, vidimus in Xenodochio Caſtellionenſi, mulierem febri continua laborantem, quæ in inguine ſiniſtro rupturam habebat, cum cicatrice & factæ ſuturæ conſpicuis punctis, quæ poſt apertionem ipſius Abdominis remanſerat. Teſtabatur ipſa cũ marito, ante aliquot annos, filium qui tum ſeptennis erat (quẽ nobis oſtendit) cũ aliter excludi non potuiſſet, extractũ eſſe. Quod inciſio per ſenem tonſorem eius pagi in Burgundiá, in talibus (vt ipſi narrabant) exercitato, peracta fuit: cuius nomen conſignatã, quo cum ex ipſomet, tam per literas, quam per amicos, eius rei veritatem indagarem: tum etiam vt ex eodem operationem ipſi familiarem addiſcerem. Sed eorum temporum iniuria fecit, vt & loci & perſonæ conſignationem amitterem, & hac ratione contigit, vt id quod expetebam non cognouerim. Verũ ab inciſione facta, licet adhuc ambo iuuenes eſſent, vtero non geſtarat. Et hoc proculdubio ab Armenautio, ipſius familiares ſępius narrari audiuere, quod quidẽ cum ipſe, vti & alii quam plures, cum initio vt crederet adduci non poſſet, pro indubitato poſtmodum habuit, ita vt animum induxiſſet, ſi forte neceſſitas id requireret, ſectione hac vti.

Cum quatriduum extremis & irritis conatibus partus, diuexata eſſet Bernhardina Arnolda, Stephani Maſſicault è Nangeuillo pago vxor, q inter Stampas, Puiſſethum & Pithweras ſitus eſt, atque in extremis conſtituta, implorato meo per maritum auxilio, cum de ſectione conſiliũ audiiſſet, vel reclamante marito animo confirmato hanc in ſe experiri auide cupiit, idque ita ſubito poſt intellectum conſilium meum, vt nollet Ambroſii Nigri aduentum expectare, quem tanquam in hac arte exercitatum, miſſurum me eram pollicitus, cum ob grauiſſimum morbum, quo tum detinebar, mihi adeſſe non liceret. Sed opera Iohannis Lucæ iuuenis tonſoris vſa, qui tum vt etiam num Bunonii, in paruo pago vicino habitabat, qui dextre inciſionem hanc ſibi, licet notam, anno 1556. die ipſius Paſchatis in multorum præſentia peregit, cuius rei aliqui, inprimis vero ipſe, teſtimonium perhibere poſſunt. Inciſio (exemplum enim præcepti loco habeatur) à dextra Abdominis parte, tranſuerſo digito infra vmbilicum, & vltra quatuor digitos, ad latus ipſius incipiebat, inde recta ad pudenda vſque progrediebatur, abſque tamen rectorum Abdominis muſculorum læſione: tribus enim digitis ſuperne à recto muſculo diſtabat, inferne vero paulo minus. Muſculorum, vti & Peritonæi facta inciſione, abſque tamen magna hæmorrhagia vterus conſpectui ſe obtulit, quem etiam ſeparatim incidit, facto ſatis magno vulnere, quo fœtui viuenti vti & ſecundinæ, facilis per vulnus pateret exitus. Poſtmodum labia vulneris non gaſtroraphi, ſed communi vulnerum ſutura quinque punctis conſuit, non quidem vterum ſed muſculos & peritonæum, vti ipſemet obſeruaui, dum eius ſolum rei gratia, cum conualuiſſem, ipſam inuiſiſſem. Sed & poſthac ſæpius in ipſa id commode obſeruaui, dum Herniam percurare conarer, quam deinceps ſemper habuit, vel ob ſuturam minus recte adhibitam, vel quod minus diu quam par erat, in puerperio remanſiſſet, quadraginta enim ſolum diebus lecto ſe continuerat. Seſquianno autem poſt, priori marito defuncto, cum Petro Chamclau nupſiſſet, qui etiamnum ſuperſtes, rurſus concepit, & feliciter naturali modo, filiam enixa, quæ etiam ſecundas nuptias contraxit, & Nangeuillæ habitat, quo loci, plures adhuc hodierna die, fide dignos huius rei teſtes eſt repetire.

Nicolaa Beranger, Simonis de la Garde coniunx, quæ Altii Briæ prope Fontembellaqueum, loco duobus miliaribus ab vrbe Nemorſo diſtante, habitabat, cum menſes decem & quidẽ iampridem fœtum mortuum vtero geſtaret, orificio vteri ſe non recludente, tandem Vincentium Valleau Chirurgũ Nemorſenſem veteri mihi familiaritate iunctum, ad ſe vocauit: qui cum aliud auxilium, quo ipſi ſuccurrere poſſet, non videret, circa Ianuarii finem, anni 1542. inciſione lateris, non quidem vti prior dextri, ſed ſiniſtri vſus, loco tamen paulo altiori quã ipſius Nangeuillanæ erat: diſſecto prius abdomine, dein ipſo vtero, ex quo fœtum mortuum, inflatum & fœtentem vna cum ſecundina putrida extraxit. Hoc facto (cum de ſalute apud ipſum exigua eſſet ſpes) cutem vna cum portione exigua Muſculorum, relicto tamen vtero, quinque punctis conſuit, quod adhuc conſpicuũ, cum ſola ipſius cutis cicatrix, ſuper ipſa inteſtina conſpiciatur, hanc enim vt viderẽ inciſionẽ cum Pauie Chirurgo Nemorſenſi (prædicti Valleau famulo) eo abieram: quare locum cicatrice obductum & vidi, & manibus, abſque tamen dolore, tractaui: ſed eam ſubligaculo vti oportuit: & licet magna foret hernia, nihilo tamen minus victum, vti licebat, manibus laborando quęrebat: Quare ſtudioſe hoc obſeruandũ erit, quo omnes intelligant perfectam gaſtroraphiam eo loci non neceſſario requiri, ne dum laboramus ex arte perfectam futurã (quãuis non neceſſariam) efficere, totũ opus perdamus. Menſe ſeſquialtero lecto ſe continuit, dein biennio poſt filiolam commode enixa, & alterum poſtmodum biennio, filiũ, cui nomen erat Petro de la Garde, peperit, qui nunc faber ferrarius eſt. Ipſa vero adhuc ſuperuiuit in pago Vry dicto obſtetricis munere fungens.

Agueta Boyer Ioannis Campain ruſtici vxor, quę Villerelli prope Neoburgum Belſiæ commorabatur, poſtquam integro quatriduo miſere, & quidem fruſtra diſcruciata eſſet, tandẽ vt & prædictis, latus dextrum à Philippo Mignea tonſore Neoburgi habitante, ſectione apertũ fuit, q anno 1544. contigit,

dein

dein prout licuit, Muſculi vna cum cute fuere conſuti. Vulnus quidem hoc in Abdomine breui temporis ſpatio fuit conſolidatum, ſed partes genitales attritæ, Chirurgum ab omnimoda prorſus vulneris curatione vltra mēſium ſeptem ſpatium impediere. Filiam tum habuit, quæ vltra mēſes ſeptem ſana ſuperuixit, octauo dein menſe, dum eodem in pago apud nutricem eſſet, in morbum, qui ipſi fuit exitio, incidit. Paulo poſt denuo grauida facta fœtū geſtabat, ad rupturam (quæ vti & aliis inciſis, abſque tamen dolore remanſerat) declinantem: verum quēadmodum nec prius, ita neq; tum parere potuit, ob aliquas cauſas & obſtacula (vti cõiectari licet) ſuperius enarrata. Quare vltro ſectionem, quã prius vſa erat, expetiit, quod tamen precibus qualibuſcunq; à duobus iunioribus Chirurgis, hanc ob cauſam Neoburgo eo vocatus (qui poſt Philippum peſte extinctum eo loci habitabant) imperrare nõ potuit. Quo factum, vt propter horum puſillanimitatem (cum tamen neque virium proſtratio, aliudue difficilius ſymtoma ab inciſione facienda, ipſos impediret) mater vna cum prole miſere perierit.

Pari pacto Antonia Andrea, Ludouici Garnier Operarii vxor, Anno 1576. Iulii 22. per Adamum Alberium Pithvverenſem Chirurgum Obenignii habitantem, Ambedoæ prope Briſſonii fanum diœceſis Genabienſis, fuit inciſa: quod ab ipſomet Chirurgo fuſiſſime vna cum felici ſucceſſu, mihi fuit expoſitum, propterea quod ſæpius cum ipſo, huius ſectionis gratia contuliſſem. Cui (cum ipſius mihi perſpecta eſſet in operando dexteritas, atque felicitas) ſuaſor eram, vt ſectione hac, ſi alia deeſſent auxilia, abſque metu vteretur, licet forent Medici, & alii, qui contradicerent, modo id fiat cum iudicio & explicata rei difficultate, in primis vero diuino auxilio implorato. Non enim hæc res inducias dat, nec etiam conſilium longe peritum expectare licet, quod fieri ſolet in pagis, locíſque campeſtribus: præſertim cum ipſorum nullus nec velit, nec audiat, huic conſilio aſſentiri, eo quod horum aliqui huic rei fidem non adhibeant: alii vero calumniam metuentes, ne ſi forte etiam ob aliam cauſam, ſiniſtri quid contingeret, autores mali haberentur. Poſtmodum rurſus grauida reddita, naturali modo fœtum enixa eſt, ſed paulo poſt ob ſummam annonæ caritatem, alibi victum vt quæreret, maritum ſequi coacta.

Hiſtoria habetur alia, quæ non ita pridem contigit: anno nimirum 1578. Calend. Februarii Iohanna Michel, Argent. oriunda, Georgii Renaldi, habitantis in ſuburbio Obenigniano, vxor, cum iam vltra menſem decimum grauida, diu fœtum mortuū vtero geſtaſſet, nihilo tamē ſecus munia obibat domeſtica, donec lecto ſe continere coacta: quæ cum diu ab obſtetricibus fruſtra eſſet miſere tractata, tādem Adamum Alberium & Guilielmum Collas, inſignes Chirurgos ad ſe vocauit: hi poſtquam infanti brachium diu ex vtero materno propendens, iam emortuum & liuidum abſcidiſſent, nec tamen reliquum corpus extrahere poſſent, latus dextrum incidere, vulnere orbiculari & anguſto ſatis (quo matri parcerent) facto. Hinc factum, vt dum in fœtu extrahendo laborarent, magnos dolores matri intulerint. Vterus enim ob vulnus anguſtius, fœtum cum dimittere non poſſet, eundem comitabatur, ac ſi vna extrahendus eſſet. Verum dolores hi, poſt fœtum vna cum ſecundina exemtum, ſedati fuere. Et ſic paulo poſt fluxum lochiorum, (quæ non ſecus fluxere, ac ſi naturali modo fuiſſet enixa) conualuit, & ſeptimanis quinque elapſis, rurſus menſtruas purgationes habuit, ſtatimq; poſt cõcepit, in fine nimirum menſis Maii, anxia iam (rei anteactæ recentem colens memoriam) quid tempore partus futurum eſſet. Verum finito geſtationis tempore, conueniēti modo fœtum excluſit, & licet infans vnam ſolum tibiam exereret, (quod ſane periculo non caret) tamen cum ab obſtetrice eſſet denuo indita, feliciter omnia ſucceſſere. Ab eo tempore cum rurſus grauida facta, non tamē ſecus quam antea felicem à Deo ſucceſſum expectabat: quare nunc ſecundo feliciter peperit, muniiſque domeſticis vt prius, ita etiam nū commode præeſt. *Franciſcus Rouſſetus de parta Cæſar. ſect. 1. c. 5. & 6.*

Cum circa annum ſalutis 1500. Eliſabetha Aleſpachin, Iacobi Nufer ὀρχοτόμου, in pago Sigershauſen (præfecturæ Gottliebanæ in Turgauia, parochiæ Altishvvilanæ) vxor, primo vtero geſtaret, & iam doloribus partus per aliquot dies diuexaretur, ad ſe Obſtetrices tredecim, & aliquot lithotomos vocauit à quibus, fruſtra tamen, opem ſperabat, cum neq fœtus excludi, nec etiam dolores mitigari poſſent. Quare iam deſperata ſalute, maritus vxori conſilium ſuum communicat: quod ſi conſentiret, velle ſe quo ſperaret, annuente Domino felicem ſucceſſum in ipſa ſuam experiri induſtriam. Annuente ergo ipſa ad Archipræſidem Fravvenfeldenſem abiit, rem vti ſe habebat, expoſuit, conatum aperuit, licentiamque ſibi dari rogauit. Re intellecta, Archipræſes primum quidem difficiliorem ſe exhibuit: dein vero fiduciæ mariti confidens, annuit. Quare licentia impetrata, domum rediit, Obſtetrices alloquitur, & hortatur, vt quæ cordatiores ſint, ſibi & vxori in Hypocauſto aſſiſtant: timidiores vero ex conclaui recedant: moliturum enim ſe aliquid, quo, benedicente Domino, ſalutem vxoris ſperaret. Obſtetrices ergo, conſilio magna cum admiratione intellecto, ex ipſis vndecim è conclaui receſſere: duæ cordatiores cum Lithotomo mulieri parturienti adſtitere. Quare Maritus implorato primū diuino auxilio, & ianua diligenter clauſa Vxorem menſæ imponit, abdomini vulnus (non ſecus quam porco) infligit. Verum primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, vt ſubito infans abſque vlla læſione extractus fuerit. Cum iam vndecim Obſtetrices, quæ præ foribus ſtabant, infantis vagitum audirent, intrare (ſed fruſtra) expetebant: non enim intromiſſæ fuere, antequam fœtus mundatus, vulnuſque Veterinario more conſutum foret, quod poſtmodum abſque alio ſuperueniente ſymtomate, feliciter coaluit. Eadem enim poſt hancce τομοτοκίαν, ſecundo gemellos enixa eſt: quorum vnus Ioannes Nufer nomine pagi Sigershauſen Præfectus, annum iam agens ſexageſimum, anno octuageſimo tertio adhuc in viuis fuit. Poſt hos gemellos, quatuor alios liberos enixa eſt. Exſectus vero infans, primum anno ſalutis ſeptuageſimo ſeptimo, diem ſuum clauſit. Huius etiam mulieris liberi atque nepotes adhuc viuunt ſuperſtites. *Caſp. Bauhinus in appendice ad partum Cæſareum Rouſſeti.*

Viuum valentemque educi fœtum poſſe, tum omnibus quidem integris ipſius rebus, tum etiam matris: vtero nimirum ad latus vmbilici alterutrum diſſecto prudenter. Cuius argumenti diſceptationem, quando rationibus multis & operibus, etiamque euentis nouiſſime confirmauit Doctor Franciſcus Rouſſetus, vir vitæ & artis clarus, integritate & vtilitatis publicæ amantiſſimus: rati deſiſtendum nobis ab hoc incæpto, cēſuimus indies rem noſtram hoc eſt, Hippocrateam eodem pacto vnuſcuiuſque Doctorum opera ſcriptoque amplificari oportere. Sed inter alia duo ſunt, quæ haud poſſumus ſatis demitari. In primis etenim Buneum Tonſorem iſthunc iuuenem & exercitatum diſſectorem aliquando rogabamus, anno nempe ſalutis 1571. quum ad medicinam faciendam vocati veniſſemus in Vinetum (quæ villa eſt ſui quondam poſſeſſore domino clariſſima, Regis Cancellario digniſſimo, bono viro, piiſſimoque Hoſpitali) quanam id arte præſtaret, induſtriaque. An cutim primum diuidere ſolitus eſſet: deinde an hos vel illos potius Epigaſtrii muſculos, poſtremoque, Peritonæum, ipſumque tandem Vterum: an quæque hæc ſeparatim ſcilicet, an vero ſimul vniuerſa. Quæ nobis percontantibus, nec ſine ſtudio & admiratione, totus ipſe obſtupuit, obmutuitque: cumque vrgeretur magis, faſſus eſt ingenue noſtras interrogatiunculas ænigmatum plenas ſibi videri. Se ſecurum tunc ab omni metu ventrem fœtus granditate diſtentum quā maxime non ſecus ſcalpro ſolitum diuidere, quam abſceſſum aliud omne genus. Partes diſſectas non re, nec verbo potuit vnquam rogatus diſcernere, & ne vllam quidem appellare. Alterum nos non diſſimiliter coniecit in admirationem, quod poſtquā vir eius mulierculæ (vtrumq; enim perplacuit conuenire) exceſſiſſet è viuis, cui nomen fuit Stephanus Maſſicault, & alteri ſe Petro Chanclou mulier iunxiſſet, non deſierit concipere, nec vtero geſtare, neque etiam legitimo tempore perfectum parere. Ergo quod tantopere viſum inſolens fuit ſummo artis dictatori, in vſum tandem trahetur, & conſuetudinem: longe melioribus mulierculaꝛum rebus vt & permagno poſteritatis comodo, hoc eſt, in ſecuriorem parentum valetudinem, & auctiorem generis humani propagationem. *Mauritius Cordæus Comment. 1, ad 1. libr. Hippocratis de Morbis mulieb. text.11.*

Quamuis hiſtoria hæc paulo ante à Rouſſeto proponatur, cum tamen quædam ſcitu non indigna apud Cordæum habeantur, addere eam placuit.

CASPARO BAVHINO D. MEDICO Ioan. Alboſius Medicus Gallus

S.

GRatiſſimæ mihi fuerunt tuæ literæ (Doctor eruditiſſime) tum quod in iſta ſolitudine (niſi ſpectatiſſimus tuus frater Ioannes Bauhinus, hiſce tenebris illuxiſſet) mihi vna cum patria noſtram artem abdicaſſe viderer: tum quod iſto veluti claſſico me adhuc noſtro fulmine tempeſtatis Gallicæ attonitum, ad duellum & ſcribendi viciſſitudinem prouocares. Quid vero mihi dulcius, quam veteris ſtudii memoriam repetere, mellitiſſimoque tuo colloquio noſtræ miſerrimæ ſortis ἀχϑάδας temperare, tædia demulcere, & temporis iniurias fallere? Agebam igitur animam, ſomno curiſque ſepultus, niſi tua Muſa, quæ tot tantoſque tibi libros parturit, ab iſto veterno excitaſſet. Quod autem aliorum ſtudia cum tuis coniugis, facis id quidem non indecore. Sed ſi noſtrum Lithopædion, quantulumcunq; ſit, in eam familiam adſcribi deſideras, propter ſpectaculi nouitatem, rogo vt nos admoneas primo quoque nuncio, vt, &c. Sed iam accipe (Doctor lectiſſime) quod excuſo iam illo opuſculo in noſtra vicinia acciderit, cuius hic etiam habemus teſtes locupletiſſimos. Agitur iam triennium, à quo Iohannes Iacotius, Chirurgus paganus, & ex media plebe in ora Altiſiodorenſi ad pagum D. Mauricio dicatum, vulgari nomine Tirouaille degens, me obuium & ad alia noſtra munia properantem inuitauit, vt parum à recta via deflectens, in proximum vicum (dictum Marry) diuerterem, vt miſerrimæ mulierculæ conſulerem, cui nuper fœtum diſſecto abdomine exenteraſſet. Ego vero plebei Chirurgunculi (vt hi ſæpe in artis operibus experimenta quærunt, quouis diſpendio) temeritate perterritus, in rem præſentem venio, accerſitis nobiſcum nobili viro Domino de Vaulx Præfecto Altiſiodorenſi (Balliuum vocant) eiuſque illuſtri vxore, noſtri amantiſſimis, cum paupercula prope ad eorum Caſtellum habitaret. Fætum tunc deprehendimus in cunis, alacriter ſe gerentem, ſed vagientem, famiſq; impatientiſſimum, cum matercula inedia exhauſta, dolore, febre, vigiliiſque confecta, peneque exanimis, nihil de partu cogitaret. Abdomen interea matris detegere voluimus, in cuius parte dextra vulnus conſpeximus, oblongum quidem, ſed cuius labia adhuc ſubcruenta nulla alia γαϛροῤῥαφίᾳ coaleſcerēt, quam decem aſſicularum nexu, quæ punctim cuti poſt ſectionem infixæ, adhuc hærerent. Tum vero & Matri & fœtui ita proſpectum, vt vterque ſit etiā hodie ſuperſtes, Numinis benignitate potius, quam Chirurgi conſilio & prudentia.

Paulo poſt id tempus noſter Rouſſetus à me admonitus, nos conuenit, vt acceptis à nobis literis Chirurgum ſalutaret, cum multa in idem opus haberet ex auditu, alia vero pauca. At vero

Segnius irritant animos, demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.—

Sic Iacotius (aberat autem à nobis tantum diei vnius itinere) Rouſſetum in proximam illam domunculam deducit, vbi vidit fœtum iam grandiorem matre ſoſpite, quorum vterque in hunc diem viuit, &

—veſcitur aura
Purpurea, nec adhuc crudelibus occupat vmbris.

Porro in commendationem huiuſce fortunati euentus potius, quam prudentis conſilii, ipſe Rouſſetus Chirurgum ſecum abducit, cuius opera, ad ſectionem quorundam ἐμπυῶν feliciter vſus eſt, ſed anno ſuperiore ex morbo interiit. Sic Rouſſetus deſiderium expleuit, teſtisque fuit oculatus eorum, quæ antea iam ſcripſerat. Quod ſi huius hiſtoriæ præcipua capita opuſculo tuo inſerere placuerit, facies id quidem pro tua prudentia. acceptis & datis à nobis in eam fidem mutis vadibus, quos hic habemus fortunarum comites. Mitto quoque Hexaſtichon, quod exarauimus in Autoris commendationem, quod ſi probaueris, adiungi curabis, &c. Datum Montembel. 20. Decemb. 1585.

CASPA-

CASPARO BAVHINO IATRO-PHYSICO *Fran. Saguyerius Medicus Gallus.* S.

TVas accepi literas, ſuauiſſimas, & mihi gratiſſimas duplici nomine. Primum quod per eas certior redditus de tua bona valetudinę: deinde quod ſcripto confirmaſti tuam erga me beneuolentiam, vtcunque prius viua voce declaratam, propter quã multum tibi debeo, nunquam, Deo iuuante, animũ mutaturus. Cæterum quantum ad rem, de qua ad me ſcribis, attinet, dicam paucis, &c. Exiſtimabam me reperturum inter alias hiſtorias Medicinales, quas apud me habeo, eam, quam tibi pollicitus ſum περὶ ὑστεροτομοτοκίας, ſed falſus ſum: relicta eſt inter alia aduerſaria, quæ domi meæ in Gallia omiſſa ſunt. Quamprimum autem ſeſe offeret occaſio, dabo operam, vt ad me integra deferatur, & tandem ad te. Memini quidem appellationis pagi, & Chirurgi, in quo & per quem aduenit ille partus Cęſareus: memini & anni & menſis quo id accidit, ſed nomen patris & matris memoria excidit. Pagus eſt in ducatu Burgundiæ, & vocatur Marſilli, non longe à Caſtro!, dicto, Mons D. Iohannis. Chirurgus erat patria Beluenſis, ſed domicilio Arnetenſis: Arnetum vero vrbs eſt diſtans ab Heduis decem miliaribus Italicis, nomẽ illius Antonius Robinus, ſua arte maxime dignus. Annus agebatur poſt milleſimũ quingenteſimum octuageſimum ſecundum, Aprili mẽſe. Mulier per biduum fuerat grauiter excruciata, cũ tamen iuuenis eſſet, & ruſtica forti animo, inciſionem, quæ feliciter ſucceſſit, paſſa eſt: fœtus non diu ab extractione vixit: mater manſit ſuperſtes. Nom amplius poſſum ad te de hoc negotio ſcribere: ſi aliquando licuerit, parentum nomina mittam. Verſionem tuam & menti Autoris, & rei geſtæ explicationi maxime conuenire, ſi quid valeo iudicio, autumo & tueor, atque propter eam multum tibi debere profiteor linguæ Gallicæ ignaros, quod ſit libri Rouſſeti argumentum, cognitione omnibus digniſſimum, ſed præcipue Medicis & Chirurgis. Plura cum non ſupperãt, quæ ad te ſcribam, finem faciam huic Epiſtolæ. Deum Opt. Max. humiliter & ex animo rogans, vt te diu arti Medicæ ꝓpagandæ & enucleandæ ſeruet incolumem. Vale vir clariſs. & tuum Saguyerium, qui te colit, diligit & obſeruat, amare perge. Monsbeligardi Nonis Nouembr. Anno Domini 1586. *Ex Appendice Caſpar. Bauhini ad part. Caſareum Rouſſeti.*

OBSERVATIO AD CHIRVRGOS.

Breuis exhortatio de deſectione Cæſarea, quomodo, quaue ratione adminiſtranda ſit: eiuſdem

FRANCISCI ROVSSETI.

CRedo ego promiſſis me ſtetiſſe, dum abunde ſatis teſtatum feci, ſectionem hanc tuto fieri poſſe, ita vt non ſit metuendum obiici poſſe, temerarie hanc ſectionem adhibitam fuiſſe, alterius vita in periculum coniecta, quo alterum à morte vindicaremus: licet ſecus ambo in ſummo nimis periculo verſaremur, cum ipſorum ſalus in anguſto eſſet poſita. Quare hic ſummam manum imponam, tibi (amice chirurge) & ſectionis huius adminiſtrationem & etiam præceptorum methodicam conſcriptionẽ cõmittens, vbi data occaſione rẽ feliciter peregeris, cũ vtrumq; tanto magis tui ſit officii, quanto magis induſtrius es, & ſcientiam maiorẽ es adeptus: quantam ſcientiam, plures eorum, qui hanc ſectionem, vt potuerunt, adminiſtrarunt, non habuere, quibus tamen feliciter ſucceſſit: quare ei, à quo ſolo omnis felicitas procedit, ſit laus. Sed tamen vt adhuc tibi gratificer, ſimq; auxilio iis, qui nõ adeo in arte ſunt exercitati, donec (hæc vbi ſæpius exercueris) ipſis meliorem inſtructionẽ proponas, quemadmodum tractatio hæc meretur: quædam vniuerſalia quaſi in genere deliberatiuo, nec tamen curioſius proponã, vt facit nimis phantaſticus Pictor, qui dum manum à tabula remouere non poteſt, exiſtimans magis affabre ſe picturum id quod ſatis cõmode erat delineatum, nil facit aliud, quam totum opus confundere & deuaſtare.

Primo tibi conſiderandum erit, aliquane ſit ſpes alio faciliori modo fœtum nanciſcendi. Dein, ſitne mulier robuſta, & an ſigna lethalia adſint: præcipue autem an non nimium ab Obſtetricibus, aut ob ſummos & violentos in partu conatus læſa fuerit: aut quorundã Tonſorũ carnificina crudeliter dilacerata, quod frequentius ab ipſis, quam à matronis fieri ſolet. Si enim eam tum mori contingeret, cauſa mortis ſectioni tuæ, non autem ipſorum erratis adſcriberetur. Sic, poſtquam (inuocato tamen prius numine Diuino) aliquis, qui tibi ad id commodus viſus fuerit, iuſſũ tuo, mulieri animum addiderit, & vt primo Deo bene confidat, dein etiam de tuo auxilio recte ſperet, admonuerit: conueniet te inſtrumenta hæc pauca habere, ad hoc opus peragendum neceſſaria: ita tamen vt hæc inſtrumenta ab ipſa nõ conſpiciantur. Nouaculam nimirum acutam, nouaculam rotundę aut globoſæ cuſpidis, acum cuſpide triangulari filo inſtructam: ſpongiam mollem: pannum lineum mollem, veterem, complicatum, conſutum & iam imbutum decocto calido, de quo in ſequenti agetur, vel alio ſimili decocto, quo dein bene expreſſo. melius quam ſpongia vteris, tam ad ſanguinem imbibendum & exſiccandum, quam ad labia ipſius vulneris fotu adſtringente, & calore ſuaui ac blando fouenda.

Præterea etiam linteamina ſint in promtu: quæ ipſi mulieri ſubſternantur, & circumponantur, quo ſanguis qui promanabit, tegatur, cuius etiam parua quantitas magnam profuſionem oſtentat, & tam mulieri patienti, quam aſtantibus terrorem incutit. Adſint etiam faſciæ, linamenta, ſplenia, ſtupæ bene pexæ, puluilli, vſitatis medicamentis adſtringentibus imbuti: quæ omnia in primo poſt ſectionem apparatu, ſeparatim habere oportet, aut eadem, ſi tibi ita videatur, coniunges. Poſtmodum vbi te monitore, vrinam, ſi fieri poterit, reddiderit, (quo veſica vacua deorſum concidat, & minus impediat, quam[illegible] is ea locum ſectionis non attingat) ſituanda eſt, ſi vires valeant, ſupra lecti extimam partem in dorſum vniuerſa & inflexa, ita vt tibiæ aliquantum propendeant, ſed firmiter coniunctæ ſeruentur, ipſa vero blande à familiaribus robuſtis & animoſis ſuſtineatur. Aut ſi vires ſint proſtratæ ſemidecumbens continenda (hic n. ſitus à Syncope præſeruat, quod in ſectione venæ eorum, qui hipothy-

lipothymiis obnoxii ſunt obſeruare ſolemus) ita tamen vt verſus pedes aliquantum propendeat, tibiæ vero æqualiter ſint extenſæ.

Tum vnum aut alterum quod voles latus eliges, hoc enim in idem recidit, vt ex ſupra citatis hiſtoriis colligere licuit. Attamen ſi hepatis aut ſplenis aliqua durities adſit, couſultius videtur fore, ſi oppoſitum latus incidatur, idque variis de cauſis, de quibus alibi acturi ſumus.

Si vero Hernia ſit, in latere eo, quod incidere eſt animus, & quod cenſeatur inteſtinum ibi, nimirum inter Peritonæum & Vterum non hærere (difficulter enim ibi eſſe poteſt, quia vterus in muliere valde grauida prius quam inteſtinum ſe offert) tum ibi ſectio fieri poterit, eo enim citius quam in oppoſitum latus Vterus decumbit. Hac ratione fiet, vt poſtmodum ægrota, non ex vtroque latere ſit Hernioſa. Et licet inteſtinum ſe ibi offerret (quod tamen fieri non poteſt) nil idcirco mali eſſet, modo in altum nouacula non adigatur, ne ipſum lædatur. Olim enim in curatione Herniæ, magna ſupra rupturam inciſio, abſque tamen noxa fiebat, vt Celſus & Ægineta teſtantur.

Hoc facto, optimo atramento locum incidendũ notabis, linea oblonga & recta per abdominis longitudinem ducta, cuius exſiccatio expectanda, ne rurſus deleatur, quo recto tramite abdomen ſecetur. Fiet autem ſectio inter vmbilicum & ilia, tribus vel quatuor digitis ab inguine pecten verſus, & id ſecundum recti Muſculi longitudinem, cauendo tamen ne vel caput, vel cauda ipſius Muſculi lædatur. Notandum autem hoc loco, quod ſi ſectio paulo altiori in loco potius, quam nimis inferne fiat, eam meliorem & tutiorem ratione hæmorrhagiæ fore: minus etiam moleſtam, ſi Hernia remaneat: adhæc minus etiam doloris cauſabit. Sed & eodem atramento, in quatuor aut quinque æqualiter diſtantibus locis, quatuor aut quinque paruas lineas tranſuerſales decuſſatas, ſuper lineam primam per abdominis longitudinem ductam, notare oportebit, & vt exſiccetur, curandum: ſupra quas puncta futuræ futuræ ſibi inuicem recte reſpondentia locãda, quo recta fiat Gaſtroraphia.

His peractis, ſectio ipſius cutis, ſupra lineam dextre adhibenda, ad pinguedinem vſque, ſed caute, nouaculam adigendo: cuius vulneris longitudo erit dimidii circiter pedis, plus minuſue, prout mulier magno paruove corpore fuerit, poſtea eodem prioris ſectionis tramite, prudenter & quidem ſecundum longitudinem Muſculi ipſius Epigaſtrii incidendi, & etiam peritonæum. Sed caute, inquam, peritonæum ſecundum erit: ſub eo enim ipſius vteri corpus tum prætumidum ſe offert, ipſis inteſtinis, quę abſcondita ſubiacent, incumbens. Tum implorato diuino auxilio, vterus incidendus erit, ita tamen vt alta nõ fiat ſectio, ne fœtus, ſi adhuc fruatur vita, lædatur: ſi enim mortuus ſit, tum citius omnia peragi poſſunt, cauendo ſolum ne nimiũ mater lædatur. Incipienda erit ſectio in ſummo ipſius vteri, & deorſum inter latus & anteriorem partem ducenda, quo iis locis, vbi ſunt Epididymi, vaſa ſpermatica, & teſticuli muliebres caueatur.

Quod vt tutius fiat, conſultum erit, tum ad manus habere nouaculam alteram dorſo craſſiore, acie acutiſſima: ita tamen vt ipſius acuminis principium globulo plumbeo aut buxeo muniatur (ad inſtar cultri eius, quo vtuntur ii, qui omaſa præparant, & inteſtina repurgant) ne acumine infans, dum ſe in vtero mouet, alioue pacto, lædatur.

Poſt fœtus & ſecundinæ extractionem, linteamine tenui, molli, blando & veteri, octies vel decies breuiuſcule complicato, & ſequenti decocto imbuto (quo loco ſpongia vti licebit) diligenter & blande is, qui aderit ſanguis, abſtergendus eſt: ita tamen vt blando calore foueatur, quo duabus ſatisfaciamus indicationibus, & quidem contrariis, idq; eodem tempore, habita ratione breuitatis temporis, quo id fieri debet. Decoctio ſit talis.

Recipe herbarum Artemiſię, Abſinthii, Agrimoniæ, Betonicæ, Althææ, florum Maluæ arboreſcentis (quam Roſam tranſmarinam aliqui vocant) ſi reperiatur, foliorum aut florum Granatorum, Roſarũ ſylueſtrium odoratarum, Roſarum rubr. exſiccatarum ana M. j. radic. Ariſtolochiæ longæ & rotundæ, Cyperi, Schœnanthi ana circiter vnciam ſemis. Fiat omnium decoctio vſq; ad tertiæ partis conſumtionem, in vini craſſi rubri & auſteri ℔. vj. (ſunt duæ pintæ Pariſienſes) dein coletur: colaturæ addatur Aquæ fabrorum hemina, id eſt, quartarii duo (eſt dimidia cheopina Pariſienſis) & rurſus vna bulliant. In hoc decocto temperati coloris, linteamen complicatum, eo modo, vt dictum fuit, intingatur & exprimatur: hoc eadem opera & ſaniem abſterget, & partem læſam fouebit, ſanguinis fluxum ſiſtet, partẽ defatigatam corroborabit, & lochia, quæ fluere debent, promouebit. Sed hoc loco ſtudioſe dictum illud, *Feſtina lente*, obſeruandum.

Hæc vbi ratione vteri peregeris, & eum blande in locum conuenientem, abſque tamen ſutura, repoſueris (Vteri enim in ſeipſum contractio, quam ſutura melior eſt) tum ſtatim Gaſtroraphia adhibẽda (id autem feſtinanter fieri non debet) vulneri ipſius abdominis, ne frigore interiora afficiãtur, obſeruantes, & apte vulneris labra committenda ſecundum lineas decuſſatas, vt iam dictum fuit. Quæ quidem res & ſecundi alicuius operam requirit, qui inteſtina, quæ tum iuxta vulnus, quod conſuitur, occurrunt, intro trudat, ne ipſa vel acu lædantur, aut inter puncta ſuturæ occludantur, dum locum eum, quem prius Vterus iam retractus obtinuerat, occupant.

Nec etiam nimis cunctanter res agenda, vti prædictum, vel in curioſa gaſtroraphia adminiſtranda, vel aliquid cum ægrotæ periculo experiundo, ne totum opus corrumpatur: ſiquidem experientia compertum, quod in iis, quæ inciſæ omnium optime conualuere, nil aliud quam cutis, & quidem paucis punctis conſuta fuit, nec tamen propter herniam, quamuis valde magna foret, aliquid moleſtiæ pertulerunt. Nam (vt eſt in prouerbio Gallico melius eſt infantem mucoſum relinquere, quam naſum omnino auellere.

Poſt ſuturam Abdominis, reliqua, quæ in aliis etiam recentibus vulneribus fieri ſolent, erunt adminiſtranda, vſque ad cicatricis generationem: frigus tamen ſumme cauendum: fiet autem id per vnguẽta, cataplaſmata, emplaſtra, fotus, puluillos, ſtupas bene pexas, pro ratione temporis, & indicationibus conuenientibus.

Ratione autem Vteri, duo potiſſimum conuenient:

nient: Peſſaria nimirum, & iniectiones in Vterum. Peſſaria erunt effigiata in formam penicilli, pollicis craſſitie, aut paulo minora, & ſatis longa, quo vſque in concauitatem vteri abſque offenſa indi poſſint. Parabitur autem ex linteo, aut ex candela cerea perforata in modum penicilli fiſtulati (quas Tentas cannuleas vocant) linteo, aut bombace obducto, butyro recenti, inguedine gallinæ, oleo roſato, vitello oui inuncto: quod ſæpius extrahendum, & rurſus intrudendum erit. Proderit tale peſſarium, tum ratione longitudinis, tum etiam ratione perforationis, quo ſaniei pateat tranſitus: dein etiam vt collum & os vteri muniat, ne ſaniei acrimonia afficiantur: Hippocratis conſilium imitantes, ſi modo communem interpretationem ſequi velimus: *Si vterus inter coxas iacens ſuppuretur, neceſſarium eſt emmotum fieri.* Quod ſi ſæpius id extrahamus, non impediet quo minus puri, humori pituitoſo, aut grumis ipſius ſanguinis detur exitus, ſed potius ea ſecum ducet.

In eundem vſum Clyſteres vterini conuenient, qui ipſum fouebunt, abluent, abſtergēt, roborabūt, & conſolidabunt: qui parabuntur ex decocto Artemiſiæ, agrimoniæ, abſinthii, althææ, plantaginis, roſarum rubrarum: floribus aut foliis maluæ arboreſcentis, nepetæ: radicum ariſtolochiæ, ſalſæ parillæ, cyperi, ſchœnanthi, quæ omnia decoquentur in aqua chalybeata, addendo parum vini craſſi auſteri, & optimi hydromelis aliquid. Horum nihil, aut parum, in ſupra citatis hiſtoriis obſeruatum fuit, quæ nihilominus tamen recte & cito curatæ fuere. Quare ſi prædicta omnia reperire nō liceat, non tamen ob abſentiā (vt eſt in vulgari prouerbio) vnius Monachi, Abbatis electio intermittenda.

Victus ratio ſit ex cibis euchymis, & ſit, quoad vires concedent, tenuis. Mulieres enim modo enixas, & tali pacto exercitatas corroborare conuenit: at in vulneribus & apoſtematibus interioribus, exquiſita victus ratio requiritur: quare medium ſeruare oportet.

Quod ſi aluus non reſpondeat, Clyſteribus ex ſaccharo rubro, diapruno ſimplici, butyro recēti oleo roſato, cum iure gallinæ pinguis, abſque herbis & ſale paratis vti oportet. Reliqua pro iudicio Chirurgi & prudentis Medici, qui forte aderit, fient.

Verum quemadmodum Varro doctiſſimus, ex numero primariorū Romanorum, de Philoſophia ſcribens, de ea non peculiariter tanquam dogma aliquod propoſiturus ſcripſit, ſed ſolum vt iuuentuti eius iuſtum aliquem proponeret. Sic etiam, candide Lector, me feciſſe cogitabis, non quod præcepta neceſſaria tradiderim, ſed ſolum vt te eius monerē, cuius partim ex inſpecto opere, partim vero ex dato aliis conſilio, quibus bene ſucceſſit, obſeruationem habeo, tibi id, ꝙ hactenus obſeruaui, digito oſtendens, quo hæc tanquam ex tua officina profectā agnoſcens, & etiam ſerio poſtmodum ei incumbens, id & intuearis, & proſequaris, ne præda, q̃ tuo labore eris aſſequutus, priueris. Ad quod præſtandum tibi Dominus ſucceſſum largiatur, quo feliciter ad humani generis vtilitatem, ipſiuſq; gloriā hæc præſtare & perficere poſſis. Cui vt & Spiritui ſancto, ſit honor & gratia per Iesvm Christvm Filium ſuum, Dominum noſtrum, in ſecula, Amen. *Rouſſetus de partu Cæſareo.*

Observatio.

Res plane ſtupenda, qua in muliere triginta ſeptem annorum viſus eſt vterus totus lapideus, ponderis ſeptem librarum, hepar vnico lobo & tunica cartilaginea conſtans, lien rotundus, veſica lapidea: peritonæum duriſſimum, & quod admirationem omnem ſuperat, viuens mulier-cula nullis manifeſtis morbis obnoxia.

Scripsit nuper ad me Medicus celebris, Claudius à ſancto Mauritio, Academiæ Dolanæ profeſſor, de Vtero lapideo, cuius obſeruationem, vt quam tibi maxime gratam fore iudicaui, tranſcribere libuit.

Admirandum, die 25. Ianuarii, hoc præſenti anno, nobis accidit, in ſectione cuiuſdam mulieris 37. annorum, cuius Vterum lapideum inuenimus, pōderis ſeptem librarum, hepar vno lobo tunica cartilaginoſa, liene ſphærico, veſica lapidea, peritonæo duriſſimo, quod vix cultro diuidi poterat. Quæ omnia nos in admirationem traxerunt, qua via ſpiritus deferrentur per vniuerſum corpus, & quomodo hæc tam diu vixerit, ſine vlla manifeſta ægritudine, quod animaduerti dum eſſet in viuis. Vterū curaui diuidi, in cuius apertione ſperabam fœtum lapideum inuenire (quoniam nupta erat viro medię ætatis) vt alias contigit cuidam Medico Senonenſi, circa Burgundiam, non longe à Lutetia, qui adhuc hodie curioſe reſeruat, iiſque oſtendit, qui naturæ ſtupenda mirantur; mulieris, inquam, fœtum lapideum, figura qua vtero geritur, qui ſpatio tredecim annorum in vtero remanſerat: ſpe fraudatus, totum vterum lapideum inueni, quod dignum tuis auribus eſſe iudicaui, vt nihil dignius in præſentiarum haberem. *Petrus Quentius Clariſſ. Friburgi Heluet. Archiater & Senator ſuis ad me literis* 11. *Calend. April. Anno* 1595. *datis.*

Observatio.

Lithopædii hiſtoria admirationem omnem ſuperans, quâ fœtus exacte conformatus, & viginti octo annis in vtero geſtatus, in marmoream duritiem conuerſus: atque à matris obitu per ſectionem exemtus, vel hodie quoque nullius putredinis aut teredinis notam præbens conſpicitur.

Mulier Senonenſis, nomine Columba Chatry, quæ Ludouico Carita homuncioni (quadrato tamen & bene habito) ex vulgari plebe & ſarctori veſtiario nupſerat, ab annis quadraginta octo, fracta ætate & valetudine, hic occubuit decimoſexto menſis Maii, annum ætatis agens ſexageſimum octauum.

Hæc, ante annos viginti octo, quæ nunquam antea vterum geſtarat, licet iampridem nupſiſſet (nihil de ſanitate prius admodum conqueſta) certiſſima habuit inchoati hominis indicia. Nam qui ſtatis periodis erumpere ſolebant menſes, illi ſtatim ſubſtiterunt. Pica primis menſibus laborauit, tempeſtiuum Embryonis motum & frequentem perſenſit, tumore lumborum & abdominis paulatim ſubcreſcente, mammiſque lacte turgentibus. Tandem autem decurſo pene veræ geſtationis curriculo, labores puerperii graues, & abdominis dolores experiri incœpit, vrina ad aliquot dies ſuppreſſa (Medicis tunc varia & dubia de illa κυοφορίᾳ ſentientibus) quæ poſtea currenti

veluti

veluti alueo & magna vi erupit, profuſo illo ichore, non tam ex veſicæ meatu, vt credibile eſt, ſcaturiente, quàm ex mulieris loculis, Amnio tunica diſrupta cum vna cum iſtis ſeroſis recrementis (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis concreti ſanguinis trumbus emerſerit. Inde autem & mammæ concidere viſæ ſunt, motus infantis aut ignauus, aut nullus, labores mulieris tolerabiliores. Quibus omnibus attonitæ fuerunt obſtetrices, quæ antea certiſſimum puerperium expectaſſent.

A ludibrio autem iſtius fœturæ, totum trienniū lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conqueſta, de tumore, de duritie, de torminibus alui, (quam obuiis quibuſque & Chirurgis & Medicis tractandam exhibebat) de inutili & graui illo pondere, quod pro vario geſtantis motu, modo in hanc, modo in illam partem procumbebat. Denique de languente & deprauata appetentia, quam ſubinde acetariis & abſorpto omphacio ſollicitabat, alioqui perpetuo ἄσιτ☉. Illamque ferunt viciniæ, inter ſuos ſales ſæpe dictitaſſe (vt erat genio ſatis lepido) ſe fœtum vtero gerere qui tandem parenti foret exitio & internecioni, quanquā cum ſerio loqueretur maleficium acceptum potius accuſaret.

Poſtquam autem fato eſſet functa, eius vir officioſus in vxoris manes (quam tandiu & tantopere excruciatam viderat) accerſiuit vnum atque alterum ex noſtris Chirurgis ambo valentes arte & artis vſu, quibus (licet de ſcirrhoſo tantum tumore cogitarent) diſſecto mulieris abdomine, & reiecto infra peritonæo, vterus ſe offert, aſpectu quidem rugoſus & verſicolor, vt criſta illa pendula, quæ Gallis Indicis ex ſummo capite prolabitur, vel potius, vt operimētum illud cutaneum, quod illorum collum ambit. Tactu autem durus, teſtaceus & craſſus inſtar τῶν ὀςρακοδέρμων. Tum nouam in portêtoſam illam molem & gypſeam iniiciunt, qua ad aciem cultelli renitente, ſcalprum altius adigunt. Eorum autem alter inflicto caſu in cranium vulnere, & in aliquot coſtas, tandem humerum dextrum impetit, à quo erumpens oſſis caput, certiſſimam fecit fidem oſſiū illic latitantium. Ex quo ſcalpellum alio transferunt & magna vi, ſenſim tamen & recta vterum ſecant, diductiſque duriſſimis vulneris labris, infantem in orbem implicitum, & ex tranſuerſo in vtero poſitum introſpiciunt in penitiſſimo ſinu, & altiſſimis latebris ſtabulantem, in ſuamque veluti Cyſtin, quā Allantoidem tunicam fuiſſe puto, calloſiſſimam reconditum.

Quo ſpectaculo inexſpectato obſtupefacti, Medicos conuocant, quos in re inaudita conſulant, adhibeantq; in teſtimoniū & iudicium rei huius, quæ pene fidem omnem ſuperet. Interea multis ad nouum prodigium accurrentibus, & opus Chirurgorū interturbantibus, venit iplis in mentem, totam iſtā molem ex illo veluti antro & manibus & vncis Chirurgicis, quà valerent, vi abſtrahere, vt arborem ex ſuo caudice, domumque comportare, vt priuatim & apud ſe accuratius corpuſculi anatomen ſectarētur, & cum peritis de portento nouo & inaudito, conſilia conferrent.

In præcipiti autem & violenta illa laniena non licuit opus feſtinantibus introſpicere, quod ſubſtratum eſſet infantulo Chorio, quæ vteri acetabula, qualia vmbilici vaſa, quis eſſet Allantoidis cum vtero & cum fœtu nexus, cum vterus ipſe præcipue ad coxam dextram, ad nates, & ad partem ſpinæ dorſi cum cute infantuli omnino coāluiſſet.

Situs infantis erat pene ſphæricus facie ad thoracem affixa, ſublatis ad nares genibus, vnde poſtea eæ patulæ ſetulæ & reſimæ conſpectæ ſūnt. Oſſa capitis tenuia quidem, ſed firma, & inſtar cornu nitētia, cute capitis multis in locis piloſa, caput in ſiniſtrum brachium ita procumbebat, vt à protuberante humero auris, & occipitis impellerentur, quod incauatum ea parte introceſſiſſe conſpiciebatur. Cubitus ad ſummum humerum reflectebatur porrecta ſola manu, quę in pugnum adeo firmiter contracta, & ſummi digiti ita palmæ hærebant, vt licet apparerent ſeriatim inter ſe diſtincti, ipſa tamē in vnum idemque vere lapideum corpus concreuiſſent. Dextrum autem brachium ad vmbilicum manum extendebat, quæ ad carpum inaduertenter abſtracta fuit, & in aluo matris relicta. Femur, genu, tibia ſiniſtra, dextris incumbebant: quibus tamen erant ita implicita, vt talus ſiniſter pediſque planta, in dextrum pedion implantarentur, quibus excauatum cederet, & pene indiſſolubili nexu colligarentur. Vtrumque crus in ventrem & pectus reflectebatur, certiſſimamque fœminei ſexus notulam tegebat, tibia vtraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita inter ſe compactis & lapidefactis, vt facto ex oculis & tactu iudicio, totum iſtud opus dixiſſes eſſe alicuius Phidiæ, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ætatis Embryi abſolutiſſimam Iconem expreſſiſſet, maxime cum in ea duritie corpuſculi moles non concidiſſet, imo cum cute nitida integram ſuam & συμμετρίαν & πολυσαρκίαν retinuiſſet.

Partes autem internæ, viſcera nempe omnia, Cor & Cerebrum habebant naturaliter, eo demto, quod vltra modum induruerant, minus tamen quam externæ, ita vt hodie quoq; exertum iſtud corpuſculum, neque putredinem minetur, neq; teredinem. Ex quo poſtea dentem exemit inopinanter quidam obuius, qui prodigium cōtrectabat, vt dentis ſedem in ipſo alueario adhuc conſpicere liceat. *Ioannes Albosius.*

Iam de iſtius indurationis naturalibus cauſis aliquid diſſeramus. Huius autem prodigioſi abortus, niſi ſenſus nobis faceret fidem, fruſtra quæreremus rationum momenta. Sed cum viſus & tactus certiſſimi inter ſenſus externos iudices, rem ipſam bis mille hominum oculis ſpectandam exhibeant, manibusque tractandam (vt hodie quoque idem inter nos & ſpectare & palpare ſubinde licet) tria videntur ſupereſſe liberalioribus ingeniis diſcutienda.

Vnum qui factum ſit vt corpuſculum iſtud, quod conſtituta & naturali puerperii periodo, & inter tā graues cruciatus extinctum fuiſſe conſtat, tandiu in iſtis latibulis aſſeruatum, non computruerit aliorū abortuum more, quos vel derepente Matricidas eſſe videmus, vel paulatim & ex longis interuallis excuſſos fuiſſe à grauibus authoribus accepimus: vel facta ſibi per ventrem inferiorem via, membratim excuſſos, cum hic tres putredinis cauſæ videantur concurriſſe: nempe corpuſculi temperies calida & humida qualis eſt puerorum. Loci natura, cum vterus

rus intertextus ſit multis venis & arteriis, & viſceribus (in quibus reſidet naturalis caloris fons) proximus ille ſit in mulieribus veluti ſentina, in quam totum corpus ſuorum excrementorum ſarcinam deponat, cum denique ſit pudendis proximus, quæ Galenus συνπεδονώδη pronunciat. Tertio impedita perſpiratio, cum in prægnantibus vteri os arctiſſime vſque ad excuſſionem fœtus coarctetur. Sic enim, vt fert illud inſigne Philoſophorum & Medicorum axioma, calida & humida, calido & vdo loco concluſa, & aere non perflata, citiſſime ſitum contrahunt, & putredinem.

Deide, naturali in viuentibus deperdito calore, extraneum ſuccedere neceſſe eſt; cuius eſt vrere, putrefacere, corrumpere, & tandem in cineres reſoluere, præcipue ſi ſubiectum nactus ſit calidum & humidum, quale eſt puerorum corpus, quod cum multo humore ſcateat, vere, vt loquitur Ariſtoteles ἔυφθαρτον dici poteſt.

Alterum quæſtionis caput poſitum eſt in inueſtiganda illa intemperie, ſiue ſimplici ſiue compoſita, quæ tantam duritiem peperit, & ab iiſdem fontibus emanat præcedentis dubitationis ſolutio, cum ea durities ſola, vel quæ eam attulit, cauſa (nihil enim eximie ſiccum putreſcit) corpuſculum iſtud à putredine vindicauerit.

Omne autem durum, inquit *Galen. 5. ſimpl. cap. 3.* fit vel plenitudine & retinentia, vel concretione, vel ſiccitate, hiſque vel ſolis vel inter ſe complicatis. Induruit ne vero iſte fœtus repletione, cum nihil in fœtu, neque in eius inuolucris turgeret largiori humore, vel naturali vel excrementitio. Imo illa eſſent omnia exſiccata, & arefacta? Concretionem accuſabimus, quam etiam congelationem appellat Galenus, qua metalla plurima in fodinarum penetralibus: ſaxea, in lapicidinis: Meteora in media aeris regione videmus congelari, & concreſcere? Sed quid externa exempla huius congelationis quærimus, cum domeſticum ſuppetat, & nobis ſit præ foribus.

Eſt enim in noſtra vicinia prope oppiduli Veronæi mœnia, fons perennis ſcaturiginis, aſpectu iucundiſſimus, lympha limpidiſſima, colore quidem & odore ἄποιος, ſed ſapore non ita commendabili, incolis tamen non ingrato: Erumpit autem ex altiſſimis ſubterraneis cuniculis, labroque, vel potius cratere excipitur ita affabre in orbem circumducto, vt neſcias illamne περιφέρειαν natura dederit, an vero ars Euclidis exquiſitiſſimum iſtum circulum elaborauerit. Sic autem ad labri margines exundat aqua, vt ſtatim & breuiſſimo ductu decurrat in rotam, quæ molam fumentariam circumagit, indeque cum glarea, quam currente alueo ſecum abradit, guttatim in ſubſtratum lutum & proximam vſnæam decidit, quæ omnia ſua frigiditate ita ſubigit, fermentat & cogit, vt tandem in lapides induret, leues quidem illos, & foraminulentos, & veluti pumiceos, quorumque vnam aliquando partem videas iam petrefactam: alteram vero adhuc agnoſcas muſco herbaceo virentem & cœnoſam, quæ tantum lapideſcere incipiat. Coguntur vero illi lapides tanto aggere, vt niſi ex interuallis molitor eos ferreo malleolo conterat & ſubtrahat, impedimento ſint ipſi moletrinæ, quo minus libere circumuoluatur. Iſta obiter dicta ſint, de λιθιάσει quæ eſt aquæ iſtius frigiditate, & fortaſſe natiuo ſolo procreari videtur.

Similis autem aut potentioris congelationis quis poteſt eſſe locus in internis receſſibus noſtri corporis, qui multi ſanguinis & venoſi & arterioſi affluxu, vicinorum viſcerum benigno tepore, & ea functione ad quam has partes natura finxit (cum in ipſas vt agrum fœcundum noſtræ generationis prolifica ſemina committat) minus algere debeant. Sic Hippocrates frigidos, ſiccos, denſoſque vteros, vt effœtos pronunciat. Quod vero Galenus de Anatomia viuorum adipem, frigiditate ſpermaticarum partium, & à cordis calore magis diſtantium concreſcere ſcribit: certe vt ex imbecillo frigore vliginoſa materia facile concreſcit, ita quoque leuiſſimo calore illa liquatur: hic vero de lapidoſa duritie agitur. Reſtat igitur argumento ab enumeratione partium petito corpuſculum occalluiſſe ſiccitate, ad quam nõ parum feciſſe videbuntur dolores aſſidui, quos geſtans ſuſtinuit. Item vigiliæ & inedia, quibus diu multumque vexata eſt, quæ omnia ad cauſas exſiccantes referunt Medici. Adiicere licet illum vteri κατακλυσμὸν, quo pro puerperio multus ichor è mulieris loculis effluxit, ſicque & vterus & fœtus, eiuſque inuolucra exaruerint, abſorpta omnis putredinis materia, quam in humido & naturali & excrementitio poſitam eſſe autumant Phyſici. Solane vero ſiccitas tantam duritiem peperit, cum qualitas ſit patiens, & ad agendum ignaua: Cauſæ autem ad ſuos effectus analogæ eſſe debent & viribus pares? Ex quo fit, vt ſit veriſimile, ſiccitatem ſolam non potuiſſe eo vſque indurare, ſed alterutri qualitatum πραγματικωτέρων frigiditati nempe, aut caliditati coniunctam. Frigiditati ne? vt ſiccitati congelatio acceſſerit mixtis his duabus inter ſe indurationis cauſis? Si enim quæ putrent, ſeipſis fiunt calidiora & humidiora, conſequi videtur (vt contrariorum contraria ſunt conſequentia) ea quæ non putrent cum putreſcere nata ſint, id habere à frigido & ſicco. Præterea promtius quæque alterantur à ſimilibus ſuæ intemperaturæ cauſis. At hic cutis natura frigida & ſicca potiſſimum laxeam eã duritiem induit (vt in ouo teſta ex molli tunica occalleſcit) ex quo fit, vt ſit veriſimilius iſtam duritiẽ à frigido & ſicco excitatam. At neque loci, in quo concreuit, temperies, neq; vlla humana ratio id patitur, vt dictum eſt cum de concretione ageretur. Iam videamus, an caliditate ſiccitati coniuncta iſtud corpuſculum induruerint, cum à tot tantiſque laboribus, tandem veluti febre hectica colliquata fuerit illa, & contabuerit? Cum præterea calidis & ſiccis medicamentis, tum intro ſumtis, tum foris admotis, aſſidua illa tormina ſedare, flatus diſcutere, & moleſtiſſimum illud vteri onus, & quod ſubinde exitium minari videbatur deturbare conabatur imperitiſſimum mulierculatum vulgus? A coniunctis hiſce cauſis, & ſalis glebæ, & alumina, & chryſocolla, & calchanti genera indurantur, quæ poſtea humore liquantur, cum ante calido & ſicco obduruerint.

Tertium huiuſce diſputationis caput poſitum eſt in harum intemperaturarum ſiue ſimplicium ſiue compoſitarum differentia: nempe, ſintne illæ externæ tantum & aduentitiæ, an vero aliquod ab ipſo corpuſculo ἐνδιάθετον innatum & latens acceperint

initium. Nam licet ea, quæ de cauſis propoſita ſunt, habeant quãdam ſpeciẽ adumbratæ veritatis, multũ tamen abſunt ab ordinatis naturæ legibus. Quid enim illas cauſas accuſamus, cum omnes ſint externæ, & huic corpuſculo aduentitiæ, quę ſine internarum aptitudine nihil videtur poſſe agere? Nõ enim omnis cauſa, quæ corpori aduenit, inquit *Auicenna* *Doct.2.Fen.* in ipſum operatur, ſed ad id requiritur & agentis fortitudo, & diſpoſitio patientis.

Hic igitur præter communem conſuetudinem (cum natura corpus hominis molle & tenerum finxerit, vt quod ad functiones animę magis aptum eſſet, quàm ſi induruiſſet) latuiſſe dicemus aliqua huiuſce indurationis ſeminaria, vt ortũ reſpondeant ſuis principiis & inſitam vim quandam peculiarem & abditam, quæ ab externis illis cauſis excitata, tandem in lucem emerſerit, vt ſingulorum quæ fiunt, interna quædam effectrix cauſa exiſtit. Phyſici enim rerum omniũ formas, excepta illa principe, quæ diuinioris eſt originis, ex materia educi putant. Item & Spagyrici, qui eas profitentur eſſe αὐτοφυεῖς, neq; extrinſecus accedere, ſed deliteſcere in ipſis ſeminibus, quæ (vt ſua arcana tegunt quibuſdam verborum inuolucris) ſuis matricibus conſentanea eſſe oportet.

Quod ſi demta illa ratiocinatrice, formæ quæ dant eſſe rei (vt Logici dicunt) educuntur à primarum qualitatum temperamento, illa etiam erunt ab eadem ſcaturigine, quæ neceſſario primam illã temperaturam ſequuntur, inter quę, non ſolum odores, ſapores & colores reponunt Medici, ſed etiam mollitiem & duritiem. Proinde præter externas caloris, frigoris & ſiccitatis cauſas, & aduentitias (quamuis varie ſentiant & Philoſophi & Chymiſtæ, de lapidũ & foſſilium, & efficientibus & materialibus cauſis) alii ſuccum, alii lixiuium, alii ſal, alii aquam congelatiuam, non ſolum vt materiam indurationis, ſed etiam vt quodãmodo effectricem, & in ipſis indurantibus inſitam, fixamq; deliteſcere proferunt. Sic Corallium, cui proprium eſt veluti quarto modo (vt Scholæ loquuntur) aeri expoſitum lapideſcere, ideoq; λιθόδενδρον Græcis appellari (cum mollis fuerit liquidis prius herba ſub vndis.) Non quidem ſolum ab ambiente frigore induratur, ſed quod abſcõditam habeat in ſe ſuæ duritiei energian, q̃ circumſtãte aere affecta, illam produxerit. Præterea matre ab illis cauſis colliquata, nihil fœtui deceſſit de pleno corporis habitu, quem alioqui abſumi & concidere neceſſe fuiſſet, ſi eaſdẽ cauſas fœtus ſuſtinuiſſet, humore tum fluente, tũ implantato, vi caloris extranei abſumto

Molas quidem in ſuis finibus ſæpe concreſcere, & in geſtãtibus conſeneſcere, imo iis commori certum eſt, vt multa ſcirrhoſa, tophacea, & lapidea in nobis generantur, aluntur, & augentur, cum excrementitia ſint corpora, imperfecta, & ſola viuant anima vegetabili, vt etiam in externis rebus ligna lapideſcere videmus, eorumq; cortices: item & plantas nonnullas. Sed quæ perfecta ſunt animalia, cum primordia ſuæ generationis habeant potentiſſima, eorum extincto innato calore, humiditatem putreſcere oportet (vt interitus proxima eſt via ad putredinem) concurrentibus præcipue aliis putrilaginis cauſis, vt dictum eſt antea.

Quod autem recenſeat nonnulli ex aliorum fide, & hominis pedem & caput, imo & totum corpus, viſa fuiſſe indurata, id multum abeſt ab eo de quo hic agitur, cum de induratione fœtus inſpirantis vtero diſſeratur: illa vero aſſeruata eſſe dicant, conditura & concretione cadauerum in ſale quodã terræ, vt inquiunt, vegetatiuo, quo omnia ferũt dealbari, indureſcere, & coaleſcere.

Iſtam pugnantiam argumentorum litẽ, quę vires eundo magis ac magis acquireret, dirimat æquus arbiter. Ego vero nouorum Academicorum more deſinam in ἐποχῶ, ſuſpenſamq; ſententiam, vt canant Cygni, ſicut eſt in prouerbio, tacẽtibus graculis, excitenturq; docta ingenia, ad ſcrutanda ſummi opificis naturæq; miracula, & ad eruendas eorum cauſas ex Philoſophorum Theſauris in eo pręcipue ſpectaculo, in quo à primo ortu, neq; in ſimilarium partũ temperie, neq; in inſtrumentalium figura, numero, ſitu aut connexione natura peccauerit. Ideoq; nihil hic ſit monſtrificum, cum nullam habeat iſtud corpus deformitatem notabilem, toti ſuę ſpeciei extraneam, qua à prima origine ſortitum ſit. *Plinio* autem *lib.7.c.18.Nat.hiſt.* ſi mirum fuit, quoſdam concretis oſſibus extitiſſe, & ſine medullis: quod portentum iſtud fuerit, fœtum extractum, imputrẽ, imo in ſuo veluti ergaſtulo lapidefactum, tot menſibus, & annis à matrice circumgeſtatum fuiſſe? *Idem Alboſius.*

De partu anatomico eius mulieris, quæ in Senonum vrbe vixit annos octo & ſexaginta, & cui extinctæ, eruta eſt puella iuſtæ molis, q̃ in vteri ſinu octauum & vigeſimũ annũ impleuerat, Gallice ſcripſi. Eundẽ partum, qui Latine & copioſe loqueretur, ad exteros relegare decreuerã, cui Phyſicas, ſed è re natas exercitationes meas adiungere operæpretium videbatur. Inter moras Alboſius Hæduus qui excudendam ſpectaculi effigiem curauerat, eius hiſtoriam latine exprimit. De qua ſcribẽda iam pridẽ amicorum, & maxime exterorum, ad quos vt nominis, ita eruditionis ſuæ fama peruenit, literis frequẽtibus vrgebatur. Hic oratione graui & veridica, flagitantium votis reſpondet, vt mollis in obſequium, faciliſq; rogantibus eſſet. Hiſtoriæ de induratione fœtus in vtero Phyſica & problematica inquiſitio acceſſit. Vtraq; mihi tantopere placuit, vt in ea vertenda Gallice meam operam requirere viſa ſit: nec eius autorem plenius commendabo, ne, quia viuit, & eiuſdem vrbis ſumus incolæ, in fœdam adulationẽ me demitti, in multorũ opinionẽ irrepãt. Et quia in dubia & ancipiti re ſic animus cõſiſtit, neminem mirari oportet, ſi in apertum campum deſcendã & vtraq; lingua mearum exercitationum breuiter ac ſummatim Epilogũ adiiciã. Ergo rẽ ipſam aggredior.

Vterus μήτρα Græcis, quem Deus ad concipiendum fœtum deſtinauit, craſſus & impactus carneũ quid refert: cæterum neruoſus & membranoſus eſt, vt geſtationis decurſu in amplitudinem poſſet extendi: ac ſemen, quod hominis abſtractum Zeno appellare non dubitauit, in vteri ſinum effunditur, idque vnicum propagationis perpetuæ ſubſidium comprehenſione firma concipitur. Ex quo primum omnium inuolucra geniture procreantur, mox reliqua membris & articulis diſtincta ſemine genitali opifice, nec non ſpiritu ſanguineque menſtruo adminiſtris inſtruuntur, vſque dum opus eſſet abſolutum. Cum igitur fœtus hic Senonenſis à conceptionis die, ad prima ſuæ ſpeciei lineamenta nouem

menſium

menſium proceſſu, iuſtam in vtero materno corporis organici molem addidiſſet, matri, quæ huic grãdiori alendo ſupereſſe non poterat initium partus induxit. Fit enim cum diruptis, calcitratu & motu valido, pueri membranis, ipſe à vinculis exolutus foras prodit, & ita perfectus eſt, vt per os nutriri poſſit.

Diuulſis porro inuolucris, ichores prodeunt multi, & membranoſum quid cruore tinctum, referente marito: tumque graues & iniqui dolores, qui confertorum ſpirituum vi accidunt matrem excruciant. Fruſtra hæc fiunt omnia: hæret infans vtero, quem neque proprii motus, neque matris impetus, poſſunt excludere: tandem alimenti penuria ob quam ſibi moliebatur viam & exitum, breuiſſimam vitam cum morte commutauit. Ex ſignificatione, huius noui partus, quæ in lucem edita menſe Maio ſuperiori, potuit intelligi, quod ſcriberẽ hunc fœtum ante indurationem vixiſſe, ac ſeruatum fuiſſe inſtar molæ. Non deerunt, qui ex eo loco capient opinionem me fœtui animalis vitam abnegare. Imo ratum habeo, intelligentem animam membris affabre concinnatis ſuæ ſpeciei conſentaneam affulſiſſe. Atqui hoc vnum cogitabam, vt indicarem tam fœtus quam molas poſſe vtero ad plures annos affigi: nam molæ vitium, & materiæ abſurditatem ſequuntur, quarum onus ægre natura ſuſtinet: fœtus vero, ſunt opus benignioris naturæ, ad quos concipiendos vterus comparatur. Adde quod irriti conceptus ad putredinem, ſi vitæ expertes inanimatis, & animati vitalibus conferantur, quam fœtus ſunt procliuiores: ſiquidem illi humida & lubrica conſtant materia, quæ facile putreſcit: fœtuum vero cõpacta, vt plurimum dura & ſicca eſt ſubſtãtia (vt qui ex neruis, venis, membranis, vinculis & oſſibus conſiſtunt) cuius ratio putredini reluctatur. Pars enim ſicca ægrius putredinem admittit. Poterat tamen hic fœtus Senonenſis ad putredinem progredi. Cur ergo ab extinctione caloris, illã effugit, & occaluit? Refrigeratur vterus præter naturæ ſuæ modum, fracti caloris imbecillitate per irritos labores partus, per eruptiones aquarum, per effuſa quædam cruenta, per concepti frigidi externam iniuriam. Frigus enim dehiſcente vtero & diductis cruribus, in expectatione puerperii, admittitur. Ex victoria frigoris, humores, qui venis mediisque ſpatiis vterinę molis, & conceptæ puellæ pertinacius impacti erant, concretione coguntur: perinde ac gelatis accidit: ſic enim affecti κατεψυγμένοι appellãtur, qui eam formam retinent in qua deprehenduntur. Fit autem id malum ab humore frigidiore & congelante. Etenim frigore humida concreſcunt, quod Galen. ex ſpontina ſcirrhorum generatione patefecit. Coeunt autem vſque adeo humores & in concretionem deducuntur, vt cum vtero fœtus ſcirrhoſam plane calloſamque duritiem contrahat. Nam & ex frigore duritiem fieri docuit Gal. Humores autem, qui demiſſi ſunt, in concretionem, craſſi erant & glutinoſi: alioqui nunquam fœtus vteruſque in calloſam duritiem eſſent progreſſi. Erant & frigidi: nam ſcirrhus vt Galeno placuit, omniſq; tumor ſcirrhoſus ex humore craſſo, viſcido ac frigido naſcitur, qui in parte frigida, ſiue ſit melancholicus, ſiue pituitoſus, ſiue ex vtriſq; mixtus, facile concreſcit. Frigus enim humores congelat, vt diximus, & maxime frigidos. Itaque hoc in agendo potentiſſimum ſimulatque fœtum cum vtero excepit, in vtroque efficiens indurationis cauſa extitit, quæ quidem corpuſculo, & vterinæ moli, ex materiæ & humoris ratione, impendebat.

His igitur ad abſolutam duritiem pergentibus, ſenſim humor per halitum reſolutus eſt: non enim craſſa, refrigerata, concretaque reſtitit, & in callum vteri perinde ac infantuli moles coaluit ante ſeroſi recrementi vaporationem. Nulla vero humiditas, poſt hanc coitionem per venas, quæ ſolæ fœtui alimentum conferebant, in media vteri ſpatia illapſa eſt, ac proinde facto ſeri & cruoris effluuio, quod ad puerperii tempus natura depoſuit, in loco frigido ſicco & ſaxeo, proles madere deſiit: imo duri occurſu induruit. Nam & humor qui circa articulos colligitur, ex oſſium natura, teſtante Hippocrate, duritiem induit. Dicet aliquis ex Phyſicorum & Medicorum ſententia, frigore concreta, calore liquari: cui ſatisfactum fuerit, ſi reſpondeam, alias indurationis cauſas à frigore indiſſolubilem vteri & genituræ concretionem reddidiſſe, idque ſcirrhoſi tumoris modo, qui ſiccitate & frigore concretus, nunquam emolliri poteſt. Igitur nihil aderat per ariditatem loci, quod fœtum faceret obnoxium putredini: exhauſta erat omnis humiditas innata, nulli aduentitiæ per vteri craſſitiem & duritiem aditus patebat ad induratum fœtum, quo ſeipſo redderetur humidior. Nam quæ putrent, ait Hippocrates, ſeipſis humidiora fiunt. Porro confirmata indies duritie, proles illa perinde ac ſcirrhus, vtero ſcirrhoſo affixa, potuit integra forma, in mortis maternæ tempus conſeruari, citra inſignem earum partium colliquationem, quæ natura ſua laxiores abſumi poterant, niſi concretio à frigore irrepſiſſet. Quod factum fuiſſe adeo mirum videri non debet, quum neque oſſa indurata, neque calli, potiue, qui generantur in nobis, procedente die minuantur. Hæc mea eſt compendiaria argumenti propoſiti diſceptatio, candide lector, ſi quid rectius illa noueris, imperti: ſi non, hac vtere mecum. *Simon Prouancherius.*

DE MOLIS IN GENERE.

CAVSA ET MODVS

OBSERVATIO.

Effluuiorum ſeu effluxionum molarumque tam vitalium, quam non vitalium cauſæ & modi.

Effluxiones ab vtero vitioſæ ſolius prope materiæ vitium, abſurditatemq; conſequi ſolent. Sunt harum genera duo, nam pleræque licet informes, attamen animantur: aliæ vitã non concipiunt. Inter non vitales prima ſpecies eſt concreti ſanguinis velut in carneam maſſam: in quã tamen neruoſi ductus ac venarum, arteriarumque linamenta appareant: ſæpe vero & ancipullæ tenues quarum aliæ candidæ, & piſcium oculis non abſimiles, aliæ vitellos ouorum aptiſſime præ ſe ferunt, vt ſæpiſſime à nobis eſt obſeruatum. Hoc genus nõ ita abſimile parenchymati fœtus, quod in inuoluẽtium membranarum vaſis affligitur, ad elaboratio-

nem ſanguinis meliorem, priuſquam per vmbilicū in corpus infantis diſtribuatur, Fallopius placentam vocat, pulmonis ſubſtantiæ figuræque proximam, vt nobis videre hactenus licuit. Eſt alius modus, vbi craſſum duntaxat atque membraneum corpus excernitur inſtar veſicæ denſioris: ꝙ fere ex amplo ventriculo in anguſtum verticem ſurgit, non male roſtro ſuillo vel animalis alterius comparandum: hoc enim ſolo agglutinatur cotyledonibus vteri, viuens duntaxat vti fungus aut planta terrarum viſceri radicitus adhæreſcens. Eadem ſpecies non ſemper vniformis exiſtit: ſed ſæpe & polypi more in ramos ac roſtra complurià, vel brachia prorogatur: ſæpe interiore ſinu (ſi adaperias) ſolam inuenies cōcreti ſanguinis maſſam: ſæpe & textū neruoſum, implicitum inſtar labyrinthi: ſæpe res maxime peregrinas, cuiuſmodi in abſceſſibus ſolent. Nam tales infinitæ ſpecies, etiam pro imaginationis varietate à matribus inducuntur, præſertim accedente ſeminis quantitate, & rerum conſenſibus externarum, Tertium genus effluxionis non vitalis, ad molæ appellationem non immerito relegamus; quando formationis exactius, quoddam eſt rudimentum in carnis confuſæ ſpeciem nunc penitus nudam, nunc inuolucro denſiuſculo circumtectam. tale etenim fere ob maſculi ſeminis penuriam cōcipi ſolet, ſi vicem iſtius fœmineum ſemen aggreditur: poſtquam non inepte & maſculum ſemen atque fœmineum ſcribat Hipp. ab vtriuſq; ſecerni, & ſecundum exuperantiam facultatis agentis atque paſſibilis mares aut fœminas naſci, nulla tantopere in quantitate ſeminis poſita ratione. Molæ interdum ſunt carneæ magis, interdum neruеæ. Figura quoque cunctis nō eſt eadem, ſed omnes vtero pertinacius hærent: ſæpe & annis pluribus, non ſine geſtantium ſummō diſcrimine, tumore, morſu, & atrophia. *Gemma. libr. 1. c. 6. Coſmocrit.* Et paulo poſt.

Iam vero ſi vitalium effluxionum ſpecies animo perluſtraris, totidem prorſus inuenies; quibus cum vita motus, ſed incompoſitus, aſpiratur, propter præſtantiam ſpiritus in rudi mole demerſi. Tales ſæpe cum fœtibus edi ſolent: tales mirandam eroſionis acerbitatem embryoni ac matribus ferunt. Excluſi in lucem inflantur varie, diſcurrunt, iniectiſq; per obſtetricem molibus, ſuffocantur. *Idem.*

Veterum diſcrepantes ſententias de Molarum Generibus, Differentiis, Cauſis & generationis modis inter alios *Iacchius, Hollerius, Trincauella, Mercurialis, L. Mercatus, Marcellus Donat. Thaddaeus Dunus, & Andreas Laurentius* explicant.

DE MOLIS IN SPECIE.

OBSERVATIO.

Molæ veræ, quæ vulgo carneæ appellantur.

DE eo quod mola vocatur, videndū, accidit hoc vitium mulieribus nonnullis grauidis, quanq̃ raro. pariunt enim quod molam vocant. Iam accidit enim mulieri cuidam, vt cum concubuiſſet, & ſe cōcepiſſe putaſſet, primū ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent. Sed cū tempus pariendi iam eſſet, nec pareret; neq; moles minueretur, ſed annos tres aut quatuor ita perſeueraret; quoad dyſenteriæ, id eſt, difficultati inteſtinorum implicata, eoq; modo periclitata, demum peperit carnem, quā molam vocant. Quin & tota vita edurat hoc vitiū, vt & conſeneſcat, & commoriatur. Quæ autem prodierit, adeo obdureſcit, vt vix ferro tranſigi poſſit. cauſam huius dixi in problematibus. *Ariſtot. de generat. animal. lib. 4. c. 7.*

Quidam tradunt in quibuſdam mulieribus caruncūlas ad iuglandis nucis magnitudinem per pudendum excretas eſſe, aliquando ſingulis menſibus aliquando bimeſtres aut trimeſtres. *Aetius Tetrabibl. 4. ſerm. 3. c. 8.*

Vidi in facto bis in vna muliere nobili, quæ viſa eſt prægnans vere, & in decimo menſe cū grauibus accidentibus partus, imo grauiſſimis intēſiue & extenſiue: q̃ eduxit fruſtum carnis magnum, durū, habens duo additamenta ſeparata in parte tenuiori: Poſtea in alia parte erant rotunda & groſſa, ad longitudinem duorū digitorum, & vltro mouebatur, non habens alias diſtinctiones. Et paulo poſt.

Vidi bis vel ter in facto fruſtum aliqualiter figuratum, quod mouebatur: & ita vixit per horas: cum tamen crediſſet mulier ſe eſſe prægnantem vere: quo emiſſo ceſſauit prægnatio, cum accidentibus eius. *I. Matth. de Gradi Comment. ad cap. de Mola lib. 9. ad Almanſ.*

Sicut generatur mola in matrice, ita etiam generantur aliæ res præter naturam. Vt teſtor me vidiſſe in quadam muliere Papienſe: quæ ſe prægnantem eſſe putabat. Poſt 12. menſes, emiſit fruſtum vnum carnis ſatis magnum, & multa alia parua: & ſimul cū illis peperit animal ad ſimilitudinem renconis piſcis &c (de quo circa finem huius argumenti plura) *Gattinaria Comment. ad caput de mola ad lib. 9. Raſis ad Almanſorem*

Vidimus Cydone mulierem, quæ octauum ante partum geſtauerat, & cum in ſequenti ſe etiam concepiſſe putaſſet, & iam decimum menſem attingeret, vna nocte, ſanguis, congii menſura effluxit. Vidimus mulierem quādo eo trepido profluuio omnes territi fuerant. Cuius labra animaduertimus tumētia, ac oculorum genas, faciem cętero palleſcentē, brachia præter conſuetudinem macilenta videbantur: ventrem deinde detumuiſſe: & in eo pondus moleſtum ſentire aiebat in vtero molam eſſe omnino adiudicauimus. Obſtetrix clauſam eſſe naturam nunciauit, cōiectis inuicem tribus peſſis, ex galbano, bdellio, opopanace compoſitis: iam naturalia ora patefacta ſunt, miro naturæ opere: molam ſubinde extraxit obſtetrix, in tria fruſtra diſcerptam, quæ ſubinde conſuta; molam integram rotundam conſtituere. Superſtitione quadam, ad auertendam talem molam, infumari camino iuſſere. Ea informis erat cute humana obducta, intus materia, ſine oſſibus, ſine corde, ſine iecore ac inteſtinis: ſed confuſa quædam caro erat mollis, venis conſperſa pluribus, cucumeris magni rotundi modo ea duritiem nullā adhuc contrahere poterat. *Alexad. Benedict. de curand. morb. lib. 25. c. 34.*

Peperit mulier geminos, maſculum & fœminam alterum viuum, alterum vero emortuum, inde mulier hæc male habere cœpit, & continuo febriebat, & ingentem ſanguinis fluorem patiebatur, adeo vt, de eo conſtringendo, medici valde ſolliciti eſſent. Cæterum, quo magis conſtringentia darent, admouerentve, eo magis hæc mulier in ſanguinis

riuulos

riuulos deueniebat, vt ad obitum prope iam deuenerit, & domeſtici de funere iam curarent, porro, cũ in hoc infortunio & agone eſſet, ecce molam quandam, carneum ſcilicet fruſtulum prædurum emiſit, & illico libera & ſana facta fuit. Conatur autem natura tantum malum in vtero contentum, hoc eſt, molam expellere, vnde non ceſſat expultrix facultas ſanguinem tranſmittere, quoad ſcopum deſideratum attingat, ſed id aliis mulieribus abortientibus & quæ pepererunt, eueniſſe, non raro obſeruatum habeo. *Luſitan.cent.7.curat.54.curat.Medicin.*

Observatio.

Molæ fœtibus ſæpe cum certo interitu alligatæ: matribus quoque periculoſiſſimæ.

VIdimus nobilem Venetam Dionoram Georgiam, ſeptimo menſe, quo partum geſtauerat, polypum peperiſſe monſtrificum: quem nos diſſecuimus: in medio maſculinus fœtus integer, palmi magnitudine repertus eſt, quem monſtrum illud in ſeſe genitum, inter eas anguſtias accreſcere non patiebatur. Annexus tamen erat vmbilicus polypo. *Alexand.Benedict.lib.25.c.29.de curand.morb.*

Dulcis Gardiola vxor mea prægnantem ſe eſſe exiſtimans, molam gerit in vtero menſes totos duodecim: ſubinde ea in geſtatione grauida fit: cumque iam fœtus quadrimeſtris eſſet, ingẽtibus doloribus, febri grauiſſima ſymtomatiſq; lethalibus correpta, animi deliquio, virium defectu atq; pulſuum, delirio, vigiliis, inedia, parturire cœpit tandem maximis conatibus: pari diſcrimine vitæ, opportunis adhibitis auxiliis, molam vna cum fœtu, ſimul illi alligato, eiicit, & priſtinæ incolumitati præter meam & omnium opinionem Dei voluntate & miſericordia reſtituitur. Sed antequam obſeruationi huic colophonem addam, quid è vulua eiectum ſit, miſerabili hoc partu, dicendum videtur.

Prodiit caro informis, craſſa, dura, ſemiputris, & multis partibus lacera & diuulſa: cui quatuor vinculis fortibus infans maſculus alligatus erat, quadrimeſtris ille quidem, aut eo amplius, ſuis omnibus membris conſtans atq; integer. Perinde autem molæ fœtus alligari videbatur, atq; fructus arboribus. Pediculo namq; medio contineri arboribus fructus experientiæ fide conſtat: fœtus autem in vtero per vaſa chorii, ſeu ſecundinæ membranæ (quæ quidem vaſa ex arteriis & venis vteri exiſtunt) alligantur: vt eſt *Galeni lib.de fœtuum formatione* ſententia. Ad vteros namq; fœtuum connexus eandem habent proportionem, quam fructus ad plantas. vt enim ibi capulis quibuſdam continetur, ſic & fœtus quoq; ipſi: vt *Galenus de fœtuum formatione lib.1. de ſemine cap.7. & l.4.aph.com.1.* affirmauit. Sed cur infanis hic, qui vna cum mola prodiit, vtero alligatus non eſſet, ſed molæ, in promtu cauſa eſt: ꝙ in ſuperfœtatione, cum conceptus in vtero infans eſt, mola iam vteri ſinum occupante, non patuit, fœtui radicationi locus. Itaque ſubſtrata fœtui mola (cũ carnea eſſet & ſanguinis plena, & in vteri ſinum immerſa) fœtui ipſi inſtar vteri, in quo radices ageret fœtus, fuit. Quæ res abortui anſam præbuit maximam, quod non pro naturæ lege ſuo in natiuo ſolo (nempe vtero) ſed in alieno (molæ, inquam, carneæ) ſubſediſſet fœtus.

Similem quendam affectum in Maria Trophimi Caroli, Arelatenſis ciuis, amici & compatris mei, vxore vidi: quæ octauo geſtationis menſe puerũ probe iam dearticulatum, & ſuis omnibus partibus cõſtantem, molæ quinq; vinculis alligatum eiecit, magno cum vitæ diſcrimine. Vtramq; autem Dei ope, & mea qualicunq; opera ſeruatam fuiſſe. Et adhuc Dei clementia ſuperſtites eſſe, & plures poſtea fœtus geſtaſſe, & feliciter peperiſſe, teſtari plena fide poſſum. *Valleriola lib.1.obſ.1.*

Vidimus mulierem cui carnea moles exiuit cum fœtu, veluti ſuperfœtationem quandam. *Scholiographi Holl.de morb.intern.ad c.de mola.*

Huic perſimilem (hiſtoriam) & nos ſemel vidimus, in Sigiſmũdi currus doctoris vxore anno 1574. menſe Septembri, quæ cum fœtum maſculum nulla affectũ iniuria peperiſſet, adhuc prætumido ventre exiſtente, ita vt obſtetrix de altero retento fœtu dubitaret, decimo ſeptimo die à partu, carneã molam, pueri decem annorum caput ſuperantem magnitudine, excreuit, cui pediculus inerat, quo fœtus legitimi ſecundis annexum cenſuimus, & poſt varios labores, recte auxiliis adminiſtratis, conualuit. *Marcell.Don.hiſt.med.mirab.lib.4.c.25.*

Observatio.

Mulier grauida maſſam molamve informem, anſatam vtrinque, palpitantem, cum monſtro Sanguiſuga dicto, & fœtu maſculino miſere à fera excarnificato non ſine vitæ diſcrimine parit.

MVlieres Belgicæ, potiſſimum quæ oras maritimas accolunt, cum tumultuoſæ ſint atque inquietæ in peragendo concubitu, alienas inſuetaſq; formas ſubinde embryoni inducũt, nec ſolum molem, hoc eſt, rudem informem, atque inelaboratam maſſam, quæ ferri aciem reſpuit, proferũt, ſed quiddam deformi ſpecie, quod palpitet, ac vitale exiſtat, formamq; inchoati operis obtineat, qualem artifices rudiori penicillo adumbrare ſolẽt. Nautæ ſiquidem, quibus fere ſunt addictæ, vbi ex longa, diutinaq; peregrinatione ouantes in portum ſunt delati, pleniſq; velis oſtia ſubeunt, nullo habita menſtrui decurſus ratione, nec obſeruato interlunio, Lunæq; coitu, quo tempore, ob menſium defluxum, cõgreſſus noxius eſſe ſolet ac pernitioſus, nequit enim ſemen coaleſcere, nec debite cum muliebri ſanguine vniri. Quo fit vt genitura vel effluat, vel ſi omnino cohærere contingat, non poſſit natura cõfuſam maleque cohærentem materiam elaborare. Nec ſolum virorum incontinentia culpanda eſt, verum & mulierum, quibus cum iam pridem non ſit rei venereæ facta copia, vltro ſe nonnunquam viris ſubiiciunt, atque auide ſemen rapiunt, vt famelici cibũ, vt Cerberus offam. Eoq; fit vt vteri facultas aut prorſus à ſpe generandi excidat, proliſque ſucceſſu fruſtretur, aut ſi quid efficere tentet, operiſq; manum admoliatur, monſtroſam quãdam formam ab hominis ſpecie prorſus alienã embryoni inducat. Nonnunquã poſt trimeſtre ſpatium fœda illa colluuies effluit, ac fruſtulatim, cõfertimq; erumpit indigeſta cõgeries, quaſi nauem ſentina exhauriri contingat. Huic affinis eſt effluxus quidam, multis torminibus preſſuriſque muliebribus infeſtus: noſtrates, quod quarta ſilentique luna, cuius vi menſes defluunt, cõceptus

inchoari cœperit, Lunarem partum, aut populari voce, Manekind (Monkindt) indigetant. Perficitur autem ſpurius hic conceptus nonnunquam citrà virilem operam ex imaginaria venere in iis, quæ admodum pruriunt, impenſeq; ſunt ſalaces, ac laſciuę, ſic vt ex crebro virorum intuitu contactuq; mulie-bre ſemen cum ſanguine menſtruo conglobari contingat ac coaleſcere, ipſamque facultatem vteri, atque inſitum calorem rudimẽtum aliquod animantis meditari.

Superioribus annis me vſa eſt medico mulier quædã inſularis, quæ cum ex nautici generis homine concepiſſet, in tantam tam.q; inuſitatam molem illi cœpit intumeſcere vterus, vt non videretur ſuffectura geſtando oneri: decurſo exactoque nouem menſium ſpatio, quod anni dodrantem conficit, accita obſtetrice, primum magno conatu ac molimine maſſam quãdam informem enixa eſt, quam ſuperfœtatam poſt legitimum conceptum iudico, cui vtrinque anſæ duæ connexæ erant in brachiorum lõgitudinem ac modum exporrectæ, palpitabat autem, illique vitale quiddam ineſſe viſum eſt, vt ſpõgiæ & vrticæ marinæ, quas noſtri Elſchouvve vocãt, quarum innumeræ æſtate in Oceano fluitãt, exemtæque mari diffluunt, ac diutius manibus contrectatæ liqueſcunt inducto pruritu ac mordaci vredine, vnde nomen id obtinuerunt. Poſtmodum monſtrum delapſum eſt ex vtero, adunco roſtro, longo teretique collo, oculis vibrantibus, cauda acuminata, eximia pedum agilitate. Id poſt primum lucis intuitum conclaue ſtridoribus implet, atque vltro citroque diſcurrens, latebras perſequitur: tandem mulieres puluinis impetunt, ac ſuffocando perimunt. Hoc monſtri genus, quoniam hirudinis more, ſugillando ſugendoque fœtui infeſtum eſt, ac ſanguinem adimit, ſanguiſugam nominant, vulgo Suygers. Poſtremo mulier hæc plus ſatis delaſſata, non ſine ſummo vitæ diſcrimine prolem maſculam edidit à monſtro ita excarnificatam, vt à ſacra lotione quam minimum vitæ ſupereſſet, mulier vero ægre refocillata, quas moleſtias ac torturas perpeſſa ſit, optima fide mihi enarrauit: illique præſcripſi ſaluberrimam vitæ rationem, tum quæ reſtaurandis firmandiſque viribus ſunt accommoda. Erat enim prorſus elumbis atque eneruata. Hæc & pleraque alia documento cuique eſſe debent, vt in congreſſu mutuo omnia decenter, debitoq; ordine peragantur, ne quid incommodi aut detrimenti naturæ cõtingat inferri. *Lemnius lib. 1. c. 8. de occult. nat. miracul.*

Observatio.

Mola quomodo intelligatur eſſe caro informis, tum variæ molarum ſpecies, & ex his vna omnium monſtroſiſſima, qua tres molæ, forma mentularum virilium excretæ.

CVum ex Galeno declaratur, molam eſſe carnẽ informem, quæ in vtero geſtatur, non intelligatur eam omni forma carere, ſed humanâ tantum. Quoniam ipſius molæ variæ & incertæ ſunt formæ & differentiæ. ego enim vidi alias molas obductas & intertextas multis fibroſiſſimis ligamentis, quæ duræ quidẽ erãt, ſed adeo viſcidæ & tenaces, vt nec gladio cederent. Alias vidi molliores, his ligamentis carentes, quæ tamen erant fibroſiſſimæ, & hæ omnes aliquando orbicularem, aliquando angularem, aliquando oblongam, aliquando romboidam & diuerſam habebant figuram. Alias inſpexi, quæ, præter velamenta exteriora, nullis fibris intertexta erant, hæque vere parenchyma dici potuiſſent, nec vllam propriam receperant figuram. Alias vidi, quæ quadam rudi ſimilitudine, nonnulla animalia bruta, ad quorum conformitatem formatæ videbantur repræſentabant, quæ tamen tantum vegetatiua anima donatæ erant. Alias autem ad ſimilitudinem alicuius humani mẽbri delineatas animaduerti, præcipue autem noui, honeſtam & nobilem mulierem, cum, doloribus inſtantibus, partus naturalis exſpectaretur, tres molas ad ſimilitudinem pudendi virilis formatas peperiſſe, quarum vna erat notabilis magnitudinis, naturalem quantitatem colis humani excedentis: reliquæ duæ erant minores, hæque nullis ad inuicem communicabant ligamentis. Vnde poterat, cum habet Galen. molam eſſe carnem informem, non de omni, ſed tantum humana intellexiſſe forma. *Salius in Annotat. ad cap. 112. Pract. Altomaris.*

Observatio.

Virgines etiam molas geſtare.

MOlæ nomen ab informi carnis facie. Itaque latini etiam molem ab eadem origine: quoniã græci μύλην. Obſeruanda autem duo ſunt: non ſolum è coitu prouenire, ſed etiam virginibus contigiſſe, quod non affirmat Ariſtot. ſed doctorum authoritate confirmabimus. Alterum eſt, quaſdam molam parere, quam conceperint, quaſdam nunquam. *Afranius poeta in fabula*, quam *virginem* inſcripſit, molam, molucrum: (quod vitium etiam virginibus euenire ſolitum ſit,) *Feſtus Pompeius* author eſt *in lib. 11.* Quoniam Græci quoque μύλικρον nominent. *Iul. Cæſ. Scaliger, Comment. ad text. 43. lib. 10. Ariſtot. de hiſt. animal.*

Quod nonnullis famelicis, qui nidore culinæ ſaturantur, atque alimentorum penuria odoribus reficiuntur: Id euenit puellæ nubili, cui dum amaſio frui negatum eſt, illum tacito fouet gremio, illum animo menteque etiam abſentem concipit, ita vt ex crebra imaginatione maſſam quandam informem concipiat, conglobatis collectiſque in iis partibus humoribus, qui conceptui inſeruiunt, quæ informis concretio imaginaria Venere perficitur, nullo conceptu, virique opera. *Lemnius lib. 4. cap. 19. de Occultis Nat. Mirac.*

Observatio.

Mulier annorum 56. & ſæpe ſine viri concubitu, molas plures cum ſanguinis excretione dolorifica parere ſolita: quæ aeri expoſita in aquam reſoluebantur.

NObilis vrbis noſtræ mulier, indubiæ honeſtatis Matrona, quinquageſimum ſextum annum nata, carnoſo corporis habitu donata, ac plurimo ſanguine redundante, cum iam per aliquot annos menſtruæ purgationes defeciſſent: annis 1573. & 74. molas plures carnoſas edidit, fluentibus veluti in naturali partu menſibus copioſe & maximis cum cruciatibus, interpoſito nonnunquam duorum, aliquando trium, vel vnius menſis ſpatio, diligenter percontata, ſe nullum ſeminis profluuium in ſomnis, nec vllam oblectationem perpeſſam

affirma-

affirmauit. Fluebant tamen interim,præſertim cum ſe plus iuſto exercebat, menſes albi. Erant autem carneæ molæ,nonnullę ad pugni craſſitudinem,alię minores,duriſſimæ nonnullæ, aliæ vero minus duræ,atque vt plurimum,poſtquam erant excretæ,ſub aere diutius detentæ, permanentes, in aqueam ſoluebantur ſubſtantiam liquefactæ. Mirum ſane videtur,mulierē hanc molas adeo frequenter generaſſe, abſque viri concubitu: cum id fieri poſſe Gal. neget, atteſtantib. *Hipp. & Ariſt. Marcell. Donat. Hiſt. med. mirab. lib. 4. c. 25.* quem conſulere poteris.

OBSERVATIO.

Molæ plures & difformes vno partu excluſæ.

Albertus *Mag. 18 de Animal. hiſt. 16.* narrat, ſe vidiſſe duas Molas excretas vno partu. *Mercurialis li. 1. cap. 3. de Morb. Muliebr.*

Vidi vxorem Iacobini Dini de pecoris, quæ emiſit nouem fruſta vna die, ſeparata & diſtincta, quorum vnumquodque erat figuræ enormis, nec figura erat ſimilis figuræ alterius, & ponderabat vnumquodque ab vnciis tribus vſque ad octo. *Nicol. Serm. 6. tractat. 3. cap. 20.*

OBSERVATIO.

Molas nonnunquam vſq; ad quartum, quintum, decimum quintum, decimum ſeptimum & vigeſimum annum à mulierculis geſtari, aliquando etiam toto vitæ ſuæ tempore circumferri.

Mola quandoq; extenditur ad annos quinque, vt vidi in Domina Fantina de Montebellone. *Sauonarola tract. 6. cap. 21. rubr. 27.*

Mola, de qua ſcribimus,carnea quędam & informis moles fuit, talem multo tempore,& aliquot etiam annis (plus minus quindecim) in vtero olim geſtauit honeſta quædam vidua. exiſtimabat vterum prolapſum, quod in vteri oſtio propendere aliquid ſentiret. Profluebant ſtatis temporibus menſes: & ſubinde copioſiores quam par erat. Tandem quodam tempore ſuperuenientibus nonnullis partus doloribus, rudem excreuit & informē carnem molem,pedem fere longam, latā ſemipedem, tres quatuorve digitos altam. *Dodonæus c. 49. Obſ. Medic.*

Molam, quæ Græcis μύλη dicitur,induratum eſſe vteri tumorem,qui modo in ipſius oſtiolo,modo in ipſo toto conſiſtat, Aetii & Pauli eſt ſententia. Sed *Galenus 14. Methodi*, Molam informem eſſe carnem, ait, & inutilem in vtero geſtatum conceptum; qualis illa viduæ carnea moles,quam aliquot annis in vtero geſtauerat. Et talis quidem proprie μύλη ac Mola dicitur. *Idem in Scholijs.*

Vidimus molam molis annorū quindecim. Erat autem rotunda pedes tres cum dodrāte. Eam geſtabat mulier abdomine vtriformi, quale eſt hydropicorum. Ea mortua & diſſecta, prodiit mola viuens & incorrupta cuius conceptæ & geſtatæ in vtero per quindecim annos, hoc argumento adducor; quod mulier eſſet vitæ integræ, & notæ cumprimis pudicitiæ. Exegerat autē quindecim annos vidua. Nam ſine coitu coagmētatio non eſt molæ, quicquid nugentur ſophiſtę linguarū & naturæ ignari. Hoc fuit iudiciū Præceptorum Hipp. Ariſt. & Galeni: quorū autoritas vna me frangeret, niſi eorū ratio plus valeret, ad comparandā docilitatē & fidem. Sic enim de mola cenſuerunt; ꝙ mola eſt rudis indigeſtaq; moles, quam cruditas edit ſeminis atq; corruptio, vnde eſt impedita corporis partiumque diſcretio & accretio. Nam ea moles in quam aſſurgit, quęque illi vulgo peperit nōmen molæ, accretio quædam eſt Phyſica, ſed informis. Viuit n. & creſcit more tuberū quę ὕδνα Græci vocant: non autem ſtirpium ſuis partibus conuenienter cuiuſq; natura diſcretis abſolutarum. *Duretus comm. ad Coaca pag. 478.*

Molam totos ſeptendecim annos vtero circum tulit vxor Guilelmi Rogerii vaſorum ſtanneorum figuli, in S. Victoris vico: quam quinquagenariam & mortuam cum diſſecuiſſem, vteri corpus comperi fere ſolutū, & nequaquam his quibus ſolet vinculis adſtrictum, tantum ceruice ſua vinctum & præterea proximo omento ſubhærentem, vnico teſticulo dextro præditum, eoque latiore & laxiore. Cornua nequaquam niſi forte parte illa conſpicua erant: vaſa ſola ceruice admittebat, eaque manifeſta & tumentia: caput humanum amplum totus æquabat. Hunc à reliquo cadauere reuulſum, in ædes meas detuli, vt per otium, quid concluſum totos iam ſeptendecim annos contineret, oculis, manibus & mente conſequerer, aduocatis præmariis in arte Medicis, Maſileo, Alexio, Vigoreo, à Sanctopōre, Feureo, Broëto, Violaneo, Grealmo, Rauinio, Mareſcotio, Miloto, Altino, Riolano, Luſſono: Chirurgis vero Bruno, Coniterello, Guillemeau. Talibus igitur & tot viris præſentibus, vterum diſſecui, reperique toto corpore ſuo, propriaq; tunica (altera quæ ipſi à peritonæo adeſt integra & ſana) ſcirrhoſum, durumque adeo, vt in ipſum ferri validis viribus adacti acumen vix ſubire poſſet: trium digitorum ſpiſſitudinem eius corpus habebat. In media capacitate carnea moles inuenta eſt, manus ambas in pugnū contractas craſſitie æquans, mammæ vaccinæ ſimilis, vteri parietibus niſi certis locis adhærēs, denſa valde & inæquali grumoſaque ſubſtantia, corporibus multis, qualia in atheromatibus reperiri ſolent, cartilaginibus præterea & tanquam oſſibus conſperſa. Vna omnium ſententia fuit eiuſmodi molem initio molam fuiſſe, quæ temporis ſucceſſu in ſcirrhoſum corpus vna cū vteri propria ſubſtantia degeneraſſet. In media inſuper vteri ceruice tumorem notauimus craſſitie & rotunditate meleagridis ouo ſimilem, ſubſtātia durum, cartilaginoſum, & oſſeum, totam ceruicem occupans: præſertim vero vteri interius orificiū, quod Gallorum vulgus Coronamentum nominat, adeo vt hac nihil in vterū ingredi aut egredi poſſet. Pendebat omnis illa moles libras nouem & vncias duas: quam ego, quod monſtri aliquid habere videatur, propter rei nouitatem & raritatem in conclaui meo & armamentario reponēdam & aſſeruandam duxi. *Pareus lib. 23. cap. 34.*

Vidi vxorem Franciſci Gabrielis paſſam molam pluſquam viginti annis. quandoq; enim protenditur ſic vſque ad finem vitæ & non recipit curationē: & quandoque deponit fruſtum carnis, cui eſt forma quædam, cuius ſpecies non comprehenditur, quia non ſunt dearticulatæ figuræ eius. *Nicolus ſerm. 6. tract. 3. cap. 20.*

Quin & tota vita edurat hoc vitiū vt & ſeneſcat & cōmoriatur. *Ariſt. l. 4. c. 7. de Generat. Animal.*

Vidimus Genuenſem mulierem ad vitæ vſque exitum geſtare. *Alexand. Benedict. lib. 25. cap. 34. de Curand. morbis.*

OBSERVATIO.

Molas mulieres quaſdam, ad quartum vel quintum annum vſq; ſine magna moleſtia, aut vitæ periculo circumtuliſſe.

PAriunt id quod molam vocant. Olim hoc euenit mulieri cuidam: quæ in concubitu cum viſa eſſet facta grauida, propterea quod tunc vterus intumuerat: tum cætera ſigna ſunt ſecuta. Elapſo autem iuſto tempore pariundi, neq; ipſa peperit, neq; venter detumuit: Sed tertium quartumve ſuperauit annum, donec non ſine periculo correpta eſt cruento alui profluuio, quam Græci δυσεντερίαν vocant. Atque ita grandem carnis molem peperit, quam molam appellant. Nonnullæ nam quę exoneratæ ſunt: Sed exacta ætate illius morbi, atque earum vitæ idem finis fuit. *Ariſt. lib. 10. Text. 43. de Hiſt. animal.*

Nonnullas vidi per plures annos molam geſtaſſe, quæ nihil ex ea paſſæ ſunt, præter moleſtiam & incommoditatem ex tumore ingenti cauſatam, nec ex ea perierunt, nec vllo morbo earum ratione laborauerunt: cum tamen & quintum annum eas ſuperuixiſſe nouerim. *Salius c. 112. Annot. ad lib. Altomaris.*

OBSERVATIO.

Molas nonnunquam fœtibus morbos ingenerare.

MAgna & miranda ſunt noſtræ naturæ arcana: mulier quædam quæ habitat in orientali porta, vxor artificis cannarũ, viginti quinq; filios enixa eſt: atq; ea fœcunditas primũ mira fuit. Ex his duos intra decem menſes, ambos mutos ſurdoſque, qui ambo ſuperuixerunt, viuuntque. Primũ cum tribus molis, ſecundum cum duabus, non ſolum mortuis, ſed putrefactis. Dum eos in vtero gereret, nõ quemadmodum in aliis ſe habuit, ſed in imo ventre pondus quaſi plumbi ſentiebat: veriſimile eſt, adnatas molas, ſua frigiditate (ſunt enim quaſi ſanguis congelatus) cerebrum læſiſſe: inde auditum & vim loquendi hebetatam, maxime cum cõputruerint: læſo autem cerebro fœtum deſcendiſſe aliquantulum, tum ea ratione, tum molarum pondere grauatam fuiſſe admodum. *Cardanus de Varietate lib. 8. c. 44.*

OBSERVATIO.

Mola, cum excludi non poſſet, putrefacta: eadem contagione vterum affecit, & mulierem perdidit.

MEmini diſſectum à me mulieris cadauer ex eo mortuæ, quod ipſi mola ouo anſerino magnitudine æqualis, quam natura expellere vanis conatibus tentauerat, ſubſtitiſſet & computruiſſet, atque in putredinis cõtagium totum vterum pertraxiſſet. *Pareus operum ſuorum lib. 23. cap. 34.*

OBSERVATIO.

Mola vtero adnata, & membranæ putridæ viſæ in fœmina quæ poſt laborioſum partum cum varijs ſimtomatis febre extincta mortua eſt.

MVlieri poſt quindecim annos à connubio parere contigit. Laborauit multum à partu. Secundæ ſubſtiterunt: euulſæ fruſtillatim. Obſtetrix aſſerebat ſupereſſe aliquid. Febris nata. Hinc nigra lingua, dentium interualla ſcrabritie nigricantia, facies νεκρώδης. Septimo die mortua. ſecta, inuenta caro oblonga adnata vtero, & membranarum pars, quæ computruerat. *Holler. lib. Obſeruationum propr. numero* 10.

OBSERVATIO.

Symtomata mulieris cuiuſdam, molam geſtantis, & parientis.

LA Beringnæ vxor de Iedian Beuchet, quum exiſtimaret ſe à quattuor fere menſibus grauidam, omnia ſigna prægnantis mulieris præferebat, vomitu crebro primis menſibus diuexata fuerat, appetituq; proſtrato, tertio & quarto menſe eodem reſtituto, trigeſimo octobris cœperunt ei effluere quædã pallida, anteà conquerebatur de dolore lumborum. Dubium erant an eſſent ſuppreſſa menſtrua, vel molane, an fœtus. Quietem iniunxi, nec vlla remedia exhibere volui, venter non tumebat. Die prima Nouemb. circa meridiem ſanguis concretus, admodum ruber & copioſus reiectus, tandem, quum videremus eundem copioſius effluere, ac laudabilem eſſe ſanguinem, habita ſola ratione virium, incœpimus exhibere, quæ ſupprimerent ſanguinem, quæ deliquio animi vehementi correpta, tandẽ circa veſperam molam reiecit. CL. V. *Ioannes Bauhinus de Obſeruat. propr.*

MOLAE CVRATIO.

OBSERVATIO.

De mola, quæ nouies in vxore Thobiæ Knott, ciuis Swidnicenſis in Sileſia, generabatur, & expellebatur quarto menſe, præſeruatiua vnico remedio.

VXor Thobiæ Knott, quæ hodie adhuc vidua viuit honeſta, ſed valde pauper, cum molã ſæpius atque nouem vicibus gigneret, & ſubinde quarto menſe eiiceret, poſt nonã molam excretam ad meũ conſilium confugit, qui tunc vocatus à nobilibus prouincialem Medicum ibi agebam; ſed conqueritur, non poſſe magnos ſumtus facere in pharmacopolio. Quid multa? iuſſi vt ſeſe diligenter cuſtodiret domi vnum adhuc mẽſem, ne matricem alias debilem in purgatione poſt molam læderet. Illa obtemperat, & reuerſa poſt 4. ſeptimanas vrinã ſecũ adfert, quæ non adeo humoralis erat coloris boni ſed ſemicocta: Ego cum paucis egenti mederi & deberem & perquam vellem: conditum alterans, corroboranſq; Matricem tantum illi præſcribo, quod ℞. Conſer. roſar. antiq. vnc. ij. meliſſæ, acetoſellæ vnc. j. anthos, diacydonii an. vnc. ſ. marg. præparat. corall. præparat. an. gr. iij. cinam ſcrup. j. macis ſcrup. ſ. ſp. diarrhod. ſcrup. j. cum Rob. de ribes q. ſ. f. conditum. Hoc vſa eſt 7. diebus cum hac cautela, ne coiret cum viro, poſt quouis triduo, etiamſi rem cum coniuge haberet, & nunquam iterum male laborauit, ſed feliciter cõcepit, atq; peperit ſalubres infantes, ad quorum primum in baptiſmo inuitatus fui. Non eſt dubium ſanguinem in mola præſeruanda hoc recte alterari & matricem corrigi, ſed tamen quia non in omnibus ſufficit, minima ex parte meũ medicamentum egiſſe, maxima ex parte ipſum DEVM immediate ſuo auxilio adfuiſſe fateor. Multas alias mulierculas præſeruaui à mola, ſed vnamquamque pro ſua complexione & digeſtiuis & purgantibus, ſæpe etiã venæſectione, & corroborantibus matricem, intus quidem ſemper cum hoc condito, paucis mutatis, exterius etiam emplaſtro. Prægnantes molam etiam geſtaſſe ſcio, & Francofordiæ ad Oderam vxorem

Pro-

Profeſſoris duas molas vſque ad partum, atq; tunc ſimul enixas eſſe. In Saxonia tres molas ſubinde ſeptem diebus poſt nobilis Matrona enixa eſt, triduo valde tormētis & excretione afflicta, poſtea ſine torminib. quieſcens: ſeptima ſemper die noua tormina, & tridui ſpatio noua mola rediit, quæ à me curata, iam vtero gerit, & cui iamiam nono menſe partus inſtat. Pro certo etiam mihi narratur à Nobiliſſ. Matrona, quod ſoror eius molam quarto menſe excreuerit, nihilominus ſimul prægnans manſerit, fœtum ſaluum retinuerit, & feliciter pepererit tempore cōſueto quinq; menſibus poſt. *De CL. V. Iacobi Horſtij Obſ. libro, per Doctiſſ. V. Laurentiū Scholzium ad me miſſo.*

OBSERVATIO.

Mola vt deijcienda, tum quæ eius chirurgica ratio.

PRæſcribenda, ingerenda, admouendaque omnia ſunt, quæ menſes cient, & ſecundas, fœtumque mortuum excludunt: cuiuſmodi ſunt trochiſci de myrrha, hermodactyli, & ſimilia, fotis ſemper ante locis rebus relaxantibus & remollientibus. His remediis, quemadmodum & phlebotomia, diæta tenui, & balneis, tum, & tam diu vtendum eſt, cum, & quamdiu Medico adſtanti videbitur. At ſi ab vtero diuelli & velut eradicari molam contigerit, neque hanc diuulſam natura expellere poſſit, mulierem eo ſitu locabit chirurgus, quo collocandum eſſe diximus in infantis ab vtero extractione. Tum diductis mulieris obſcœnis partibus, immiſſoque extractorio organo, cui, à ſimilitudine, pedis griphii nomen impoſitum eſt, & cum in vteri capacitatem peruenerit, reſerato ac dilatato, molam comprehendat. Neque aliter, ſi præſertim craſſior ſit, propter rotunditatem comprehēdi poteſt: anſam enim qua prehendatur non habet. Itaque cum ſola id tentatur manu, lubricitate ſua elabitur, & per vteri capacitatē globi inſtar diffluit. Facilius vero griphii pedis vnguibus comprehendetur, ſi aliùs mulieris hinc inde comprimatur, & tandem in anguſtum locum, vbi diffugium non ſit, compellatur, ſic enim demū comprehenſa facile extrahetur. Extracta mola, mulieri eadem, quæ & puerperæ, adhibenda eſt cura. *Pareus Operum ſuorum lib. 23. cap. 35.*

MOLÆ FALSÆ.

SANGVINEA.

OBSERVATIO.

Mola ſanguinea.

VIdimus retentis duntaxat menſibus: ad quintū decimum vterum geſtaſſe mulierem: quæ medicatis locis concipere ſperauerat, vno & continuato profluuio exonerata eſt, vnde molā ſanguineam vocāt. *Alex. Benedict. l. 25. c. 34. de Morb. Curand.*

Philoſophus detentis (inquit) vxoris amici cuiuſdam menſibus, arbitrabar primum ipſam cōcepiſſe. Poſtea aucto amplius tumore, hydropem ſuſpectū habui, quia totum corpus ac pedes tumeſcere videbam. At vbi tandem id affectionis eſſe deprehendi, quod alii laterem, alii molam vocant, rutam & anethum in vino veteri fuluo odorato coxi, & abiectis herbis, vinum calidum bibendum dedi, & ferme aquæ loco exhibui: ſtatimque mulier, excreta ſanguinis copia, ſalutem adepta eſt. *Aetius Tetrabib. 4. Serm. 4. cap. 80.*

PVLMENTARIA.

OBSERVATIO.

Pulmentaria Mola.

VIdi Molam ab humore phlegmatico, groſſo, ad ſimilitudinem pultis factę per ſuperfluam milii decoctionem in aqua: quæ tamen excreuit, vt poſt mortē patientis facta Anatomia eſſet maioris quantitatis & ponderis, quam reſiduum corporis ipſius. *Ioan. Arculanus Com. ad cap. de Mola lib. 9. ad Almanſ.*

FLATVLENTA.

OBSERVATIO.

Empneumatoſis, ſeu Inflatio vteri, quam vulgo flatuoſam vel ventoſam molam vocant.

EGo tempore pueritiæ meæ, dum addiſcerem artes liberales Vliſſiponæ, vidi quod quædam Iudæa credidit ſe prægnantem, cui fuerunt præparata omnia, quæ ſunt neceſſaria, & dum obſtetrices matricem tractarent, tanta ventoſitas ſine vllo alio liquore exiuit à matrice, ꝙ fuit mirum: & hoc per totā ciuitatem Vliſſiponæ, & per totum ſtudium fuit euulgatum. *Saleſcus de Taranta lib. 6. c. 15. Philonij.*

Ab huius generis mola ſe deceptum fuiſſe in propria vxore fatetur *Ioan. Matheus de Grado in Com. ſuis ad caput de mola.* Namq; dum crederet vxorem in vtero habere, poſt decimum quartū menſem omnia imprægnationis ſigna & ventris tumor delituere ex vſu pil. alephanginarum.

Sunt quæ grauidas ſe exiſtimantes, nono demum aut decimo mēſe, nihil niſi ſonoros flatus excernūt: ex quo, ſubſidente inde vtero, bombum crepitumque peperiſſe per iocum dicuntur. *Pareus operum ſuorum lib. 25. cap. 34.*

Nobis obſeruatum huiuſcemodi inflationem efficaci remedio curatam, prodeuntibus per pudendum muliebre flatibus, veluti per anum excerni ſolent. *Dodonæus c. 49. Obſ. Medicinal.*

Hoc anno 1575. viderūt multi medici in vrbe noſtra non ſine magna omnium admiratione, Annam de fortis, mulierem hebręam ex caſtro Briſcello, quę iam tranſacto 15. menſe, in vtero habere videbatur, nam venter maxime intumuerat, vt iam noni menſis imprægnationis tumorem æquaret. dumque venter à nobis comprimeretur, manus retro pellebatur violentia quadam, atque per vniuerſum abdomen motus quidam palpitationis conſpiciebantur, ac veluti ſaltus per interualla inuoluntarios, ſatiſque validos: ita vt ab imo ventre vſque ad os ventriculi, motus hi excitarentur. quod ipſi à laborioſo partu ſuperueniſſe aiebant: menſes tamē prodibant ſtatis temporibus. Nos, omnibus rite conſideratis, in eam venimus ſententiam, quod os vteri ex callo, vel carne ſupercreſcente poſt partus labores penitius conniuiſſet, eo pacto quo caruncula in virgæ meatu poſt abraſionem excreſcere ſolet: vnde multi flatus craſſi in vtero collecti, exitum minime inuenientes, motus illos effecerant. nec obſtabat, quod menſes ſtatis temporibus fluerent, ex venis enim colli matricis prodire poſſe, alibi docuimus. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. Med. lib. 4. cap. 25.*

A ſene quodam ruſtico audiui vxorē ipſius, cum

toto

toto biennio, vel circiter, vterum tanquam prægnans geſtaſſet: tandem miro quodam ſonitu, vel potius tonitru in ventre & pudendis facto, magnam flatuum copiam peperiſſe. *Thaddæus Dunus lib. Miſcellaneorum cap. 8.*

Signa nonnunquam peritiores medicos fallunt, vtpote vterus quũ intumeſcit incluſo flatu, aut alia excrementorum colluuies (molas dicunt) ſe colligit ac condit intra matricem, indicia afferre ſolent qualia edunt nixurientes, quod Ioanni Matthæo noſtræ paleſtræ (vt ſunt nunc ſæcula) Anteſignano in ſua coniuge accidit, & *Campanus de Acciella* non inuenuſto carmine luſit.

Venter cum tumuiſſet Acciellæ
Septem menſibus & nouem diebus
Cæpiſſetq; lien parum dolere;
Acciri iubet illico obſtetricem,
Quæri faſciolas, & apparari
Sperato puerum editura partũ,
Mox inter medias manus miniſtræ
Laxo poplite, cruribus leuatis
Lucinam geminans, quater pepedit.

Iaſon libell. de Pariente & partu cap. 2.

AQVEA: SIVE HYDROPS VTErinus.

OBSERVATIO.

Hydrops vteri, qui vulgo Mola Aquea dicitur.

VXor ablutoris panniorum, pro cutis filii Seyt, filii Abdalla, habebat ſigna hydropiſis, & impoſſibile erat ſcire cauſas eius euentus: quia mulier non videbatur, & præcepi quod aliquo tẽpore vteretur diatrion pipereon, & aliquo diacurcumæ, & quodã die abluebat pannos extra clàm cũ viro ſuo, & cum inclinauerunt ſe, ſupra vas plenum aquà ad abluendum, defecit pes ſuus, & cecidit, & emiſit per vuluam quantitatem viginti rotularum aquæ croceæ, & alleuiata eſt, & vltimo conualuit; & poſt longum tempus incœpit inflari, & ego quæſiui de omnibus circumſtãtiis eius, & inueni, quod morbus eius erat in matrice, & ipſa opinabatur quod eſſet prægnans; & non fuit. Et tu debes ponere intentionem tuam ad ſciendum, quod in matrice accidunt morbi ſimiles hydropiſi. *Rhaſis in Continent. 15. c. 4.*

Noui quandam Dominam Generoſam, quæ ſe prægnantem eſſe credidit. Et ita Medici viſitantes eam exiſtimabant & iudicabant quod ipſa erat prægnans. Et dum venit pariendi tempus, & iam prouiſum erat de bona obſtetrice, & compatribus, & cõmatribus, multa aqua prodiit à matrice ipſius, per vuluam defluens, & illico venter penitus detumuit. Sic & ipſa & medici fuerunt illuſi. *Iacob. de part. Com. ad lib. 3. Fen. 21. Tract. 3. c. 25.*

Vulua cum matrice interdum taliter diſponitur, & ſic aperitur, quod ab ea ſubito prouocatur & exit aqua quamplurima. Vidi quandam quæ aquam tribus annis geſſerat in matrice ſua, quã ſubito eiecit, & hinc alleuiata, ſe ſanam eſſe credidit, ſed debilis effecta, poſt tres dies obiit. *Idem loco quo ſupra.*

Aquæ in vtero collectionem vidimus in vidua quadam, quæ defuncto marito, cum ſe grauidam relictam exiſtimaret, 9. menſibus adimpletis, ſuperuenientibus partus doloribus, non niſi aquoſos humores enixa eſt, à quibus liberata, lacte vbera repleta haud aliter, quam ſi fœtum pepeciſſet. *Dodonæus lib. Obſeru. Medicinal. c. 49.*

Vidimus nos vxorem cuiuſdam ſericorum pannorum textoris Felicitam appellatam, quæ cum vtero ſe gerere exiſtimaret, intumeſcente quotidie ventre, prægreſſo ſtatuto tempore partus, malo corporis habitu, febriculaque lenta correpta extincta eſt. Cumque ægritudinis tempore diſpar ſentẽtia inter Medicos prolata eſſet; quod nullus ipſorũ animaduerterat, diſſecto ventre vterum aqua plenum reperere. *Marcell. Donat. Hiſt. Med. Mirab. lib. 4. c. 25.*

Vidi, in Virgine iam adulta, ventris inſignem tumorem, hydropi Aſciti ſimillimum, in quo aquæ copia auditu & tactu percipiebatur, vt quæ in eam partem, in quam ſe vertebat, cum ſonitu collaberetur. Res deinde oſtendit in vtero ſine noxa hepatis aceruatam fuiſſe. Color, habitus corporis, operationum omnium integritas, venæ laudabili ſanguine diſtentæ, ſatis probabant, iecur minime affectum eſſe. *Eraſtus Part. 4. Diſputat. aduerſus Paracelſ.*

Sæpe accidere, vt ſigna morborum ita ambigua ſint, vt difficile ſit finitimos morbos ſecernere, ex hac hiſtoria cernitur. Cum Eichſtadiana quædã fœmina, leproſa, tumorem in ventre haberet, qui prægnationem oſtendere videretur, ac accederet facies minime decolorata, ac motus interior ventris talis, qualis in vera imprægnatione adeſſe ſolet, Embryone in vtero ſeſe primo mouente, iudicatum fuit grauidam eſſe hanc. Itaq; à remediis abſtinuimus. Tandem vero, cum tempus partus præteriret, neq; venter detumeſceret, adhibita quidem ſunt remedia, ſed fructu exiguo. Itaque tandem, aliis ſymtomatibus accedẽtibus, ea fœmina diem ſuum obiit. Quã cõcedente magiſtratu à Chirurgis ſecari iuſſi. Animaduerti vero epar & vicina membra integra. Sed vterus aqua plenus vehemẽter intumuit, quo diſſecto, aqua citrina & putrida copioſe effluxit, multorum admiratione, qui de Vteri hydrope nihil ſe audiuiſſe dicerent. V. CL. *Iacobus Oethæus Lib. Obſeru. propr.*

Signa aquæ intercus in vteris ponuntur primo de morbus mulierum: venter ſæpius intumeſcit, & mammæ molles ſunt, & lac malum. Et putat ſe in ventre habere, & os vteri ad tactum gracile & humidum. Et rigor ac febris corripit, & menſes parui, pauci, & ante tempus deficiunt, & in proceſſu temporis dolor augetur ad imum ventrem, lumbos, & ilia. Ita dignoui ſolus, inter duodecim medicos, vxorẽ Comitis Annibalis Vicecomitis, laborare vteri hydrope, cum ipſa, tum plerique ex medicis crederent ſe eſſe prægnantem. *Cardanus, part. 3. numero 113. de cauſ. ſig. ac loc. morb.*

OBSERVATIO.

Ex hydrope vterino per lunares purgationes magna vis aqua expurgata ſubinde.

MVlier quædam hydrope vteri correpta, quoties appetebat menſtrua purgatio, omnem aquarum colluuiem ex vtero per ceruicem profundebat peluesque ſex aut octo implebat aqua citrina feruentiſſima, dum venter totus ſubſideret. Mox dein menſes inſequebantur ex naturæ præſcripto. Collecta proximo menſe par colluuies, ſtato dein tem-

tempore profluebat. Hæc tandem perſanata vterum geſtauit, peperitque bene vitalem fœtum. *Fernel. lib. 6. cap. 15. Patholog.*

Observatio.

Diſſecto mulieris cuiuſdam vtero, aquæ menſura Auguſtana ſupra ſexaginta inuenta: & glandula dextri teſtis toroſa facta.

Auguſtæ in muliere textrice, in cuius vtero ſeroſæ aquæ ſupra ſexaginta Auguſtanas menſuras, quæ ſingulæ tres pendent libras, poſt mortem, vna cum multis medicis reperi, nullibi interim circum inteſtina præſente aqua, aut laxo in manib. aut pedibus tumore, aut etiã viſcerum aut alterius cuiuſdam organi ſeſe alioquin offerente vitio: præterquam ꝙ magnus ille vterus, cuius fundi os miris modis occalluerat, tota anteriori ſua ſede peritonæo erat connatus, & dextri teſtis glandulæ miris modis non ſecus excreuerant, quam ſi nouem decemve anſerum, aut ſtruthiocamelorũ potius oua vni ineſſent membranæ, ſingula humore ouorum albo non abſimili, aut paulo craſſiore oppleta. *Veſalius lib. 5. cap. 9. De corp. hum fabr.*

Observatio.

Hiſtoria diſſectionis, eiuſdem mulieris, ex vteri hydrope mortuæ, integra & abſoluta.

Helena Lobin, mulier annorum quinquaginta, Anno M.D.L. temperamento, quantum nobis ex certis ſignis & indiciis iudicare licuit, calido & ſicco mediocriter, ſanitatis tempore nec concepit vnquam, nec vtero geſtauit. Fluxu tamen menſium cõſuetis ſuis temporib. non deſtituebatur, ſingulis etenim menſibus profluebant vſque ad annum ætatis quadrageſimum nonum, nec niſi vno anno, priuſquam moreretur, huic deficiebant. Incurrit primum tumorem ventris hydropi & Aſciti. vel Tympaniti, vel ex vtriſq; compoſito ſimilem, ex quo per medicamenta diuretica & alia remedia, inter initia ſubleuata erat, vt prorſus ſubſideret tumor. Deinde rurſus hydropem vteri incidit, quemadmodum id ex ſectione liquido apparuit. Cum etenim incideretur, reliqua membra intra peritonæum contenta erant illæſa, vterus ſolus in tantam molem excreuiſſe, & dilatatus eſſe videbatur, vt omnẽ illam aquam, quæ in aliis hydericis inter inteſtina & peritonæum continetur, cauitate ſua includeret, & quod magis erat admirandum, vterus, qui alias liber eſſe ſolet circa fundũ, vt tempore cõceptionis extendi & in omnes dimenſiones ampliari poſſet, ita peritonæo coaluit, vt diuelli non poſſet, niſi magna difficultate, ſegregatæ tamẽ ſunt inuicem, & tota illa moles ſeu capacitas vteri, à reliquis membranis & peritonæo ſeparata, è corpore hoc exemta eſt. Cuius toto ambitu & membrana exterior, magis tamẽ in ſiniſtra parte veſiculæ erant maiores quædã, aliæ minores, humore viſcido pituitoſo & albicante plenæ, qui vitrum liquefactũ p̃ ſe ferebat. In mẽbrana vtero deſeruiente non procul ab vteri collo erat glandoſa quædam ſubſtantia inſignis duritiei, velut lapis, & magnitudinis oui anſerini, hanc primo intuitu vterum arbitrabamur. Poſtea ſingulis diligentius contemplantibus, adnatum aliquid nobis videbatur. Reliqua mẽbra interna ſatis bene ſe habebant, nullũ inteſtinum erat læſum, ventriculus bonus, epar parum vitiatum erat, ſplen durus, & quaſi arenulis refertus, ſubniger. Teſtis ſiniſter extenuatus erat ſupra modũ, & quaſi maraſmo cõſumtus, dexter ſolito maior. Veſica erat amplitudinis qualis in cæteris corporibus eſſe ſolet; vterus tamen adeo in immenſum excreuerat, vt totum abdomen æquaret, & vniuerſo peritonæo ſubſtratus eſſe videretur. Pulmones erant integri, in dextra parte aliquantulum vitiati, in eadem thoracis cauitate aqua erat copioſa, quæ potuit cauſa eſſe ſuffocationis, nam licet quatuor annis integris hanc corporis molẽ ſuſtineret, & interea corporis functiones mediocriter obiret, breui tamẽ ſpatio temporis exceſſit è viuis, & per ſuffocationem aqueoſę materię non paulatinam, reſolutionem virium, mortuã puto. Hęc poſtquam incideretur, effluxerunt aquæ circiter libræ ſeptuaginta aut plures, aqua primo effluens pallida erat ſeu citrina, tenuis, poſtea ſenſim craſſeſcere cœpit, ad extremum veluti amurca profluxit materia craſſa, terreſtris, ſubnigra, fœtida. Iſta aqua omnis in vteri cauitate continebatur, non in aliis membris, ſed in ſinu ipſius tantum, neque etiam reliquorum membrorum vitio ortum putamus hũc affectum, veluti ratione iecoris aut lienis male affecti, ſed in ipſo vtero originem traxiſſe arbitrabamur. Vnde hydrops vteri dicitur, qui omnibus medicis Claſſicis notus quoq; fuit, vt Hipp. Galen. & recentioribus quoque, veluti Aetio, cuius indicia & curationem enumerat *lib. 16. c. 81.* Sed quanam potiſſimũ de cauſa tanta moles aquæ in vtero fuerit collectã, iudicatu difficile eſt valde. An quia intemperie quadam vterus laborauerit: an frigida nimiũm, vt alimentum ſibi delegatum non conficeret, ſed illud crudum & aquoſum relinqueret: vel ſuprà modum humida, ratione cuius tanta humiditas colligi potuerit, & indies magis ac magis augeri. Intemperiem vteri vel frigidam, vel humidam ſuprà modũ fuiſſe, id vel in primis arguit, quod neq; concepit vnquam, nec peperit. Nam, ſi Hipp. credimus, mulieres quæ frigidos & denſos habent vteros, non concipiunt: quæ etiam præhumidos habent, haud concipiunt: extinguitur enim in iis genitura. Nec non quę ſiccos admodũ, & immodice calidos habent, inopia enim alimenti genitale ſemen corrumpitur: quæ vero in vtriſq; oppoſitionib. mediocriter temperatum habent vterum, hæ fœcundæ ſunt. Frigidam in hac fœmina intemperiẽ nõ tam putauerim, quã humidam fuiſſe; neq; enim menſtruæ purgationes ꝓfluxiſſent, vel non copioſe, vel enim nullo modo, vel omnino paucæ fiunt hiſce mulieribus purgationes. Calidam vero & ſiccam vteri intemperiẽ in cauſa huius morbi non fuiſſe, arguit tantæ materiæ humidæ collectio, & totius corporis temperies, ad ſiccum magis vergens. Reliquum igitur eſt, vteri intemperiem humidam ſolam in cauſa huius morbi eſſe potuiſſe, vel à primordio natiuitatis congenitam, vel aliunde acquiſitam. Niſi forte per vaſa ad vterum deriuata, venas nimirum & arterias, humor ille ſeroſus fuerit in vteri cauitatem tranſmiſſus, atq; indies magis exauctus, donec ad tantã peruenerit molem. Prior tamẽ ratio ꝓbabilior videtur, quæ ad vteri humiditatem, vel connatam, vel ſuperuenientem ſpectare videtur. Sed qualiſcunque tandem cauſa fuerit; quod ad curationem ipſam attinet, non videretur mihi magis conueniens in hoc affectu remedium, quam

punctiones καὶ παρακεντήσεις ὀνομαζόμεναι, μᾶλλον καρωσεων ἐν ἔθει τοῖς ἰατροῖς ἐστιν per quas ſectiones vel puncturas aqua tuto emittatur; cauendo tamen, ne aqua omnis in vniuerſum effluat Quicunque enim, Hippocratis teſtimonio, Empyci, ſuppuratiue, aut hydropici, vruntur vel ſecantur, ſi pus vel aqua confertim effluxerit, omnino moriuntur. *Hæc ego Adolph. Occo R. P. Auguſtanæ Medicus obſeruaui; cui etiam diſſectioni interfui, à Veſalio Med. Imp. Caroli V. adminiſtrata.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria hydropis vterini cum Molá vera.

FOemina quædam ante quatuor annos à partu fœtus viui retinuit ventris tumorem ita manum, vt putaretur alium adhuc fœtũ vtero continere, qui tumor, cum & Lochia male prodirent, quotidie ita increuit, vt venter in magnã diſtenderetur molem. Ipſa nihilominꝰ vixit ſine magnis querelis, & exacto vno vel altero anno, rurſus concepit ac peperit. Ab vltimo partu, biennio ante mortem, vẽter paulatim in tantam amplitudinem excreuit, vt tres vlnas Bauaricas in ambitu excederet. Variæ de morbo hoc Medicorum fuerunt opiniones. Mortua tandem hac miſella, quo conſtaret de affectu certius, præſentibus Clariſſimis viris D. D. Ioh. Heinrico Muntzingero, Hieronymo Fabro, & Adamo Fabro, ſectio ventris à Chirurgo inſtituta, fuit explorata, vbi ſtatim ſub muſculis abdominis occurrit vterus, in tantam molem extenſus, vt totum inferiorem ventrem ſolus occuparet, & omnia expleret abdominis ſpatia, inteſtinis ad muſculos abdominis, verſus ſiniſtrã corporis regionem protruſis, ibique adnatis vel agglutinatis, omentum enim vt reliquę peritonæi mẽbranæ computruerunt, & reliqua omnia viſcera, renes, hepar, ſplen, ventriculus, vt inteſtina ipſa plane demacerata, gracilia, & in anguſtum redacta locum apparuerunt.

Diſſecto vtero deinceps integro ſecundum ſuam ſubſtantiam, neque vllo affecto putredine, ſatiſque craſſo pro tanta diſtentione, incredibilis aquæ copia effluxit purpureæ, & quaſi cruentatæ, vltra cadum ſeu vrnam Monacenſem æſtimatæ. Cauitas enim vteri tantæ capacitatis fuit iudicata, vt puer 10. annorum facile in ea potuerit deliteſcere. Quo minus vero ab vtero exitum habere talis aqua potuerit, arcte ibi concluſa, in cauſa fuit mirabilis quidam tumor in interna parte orificii vteri, qua ſe in ceruicem recludit, in orbem adnatus, glanduloſus, & rotundus; ſed per zonas diſtinctus, ſimilis plane fructui qui malum aureum ſeu Tumatlæ Indorum appellatur, qui occluſit ita arcte os vteri, ne qua pateret aquæ effluxus. Apertus nouacula ille tumor, euomuit materiam albam, tenacem, & glutinis inſtar concretam, ex ſpermate forte eo loci attracto, coagulatoque genitus.

Hydrops igitur hic fuit vterinus, à mola aquoſa vteri paulatim factus: arbitror enim à principio, cum à partu diſtento eſſet vtero, molã fuiſſe inibi aquoſam propria membrana concluſam, quæ cauſa fuit, cur rurſus concipere & vterum geſtare potuerit, reliqua vteri ſubſtantia illęſa & ab aquæ conſortio immuni exiſtente; progreſſu vero temporis eroſa & putrefacta videtur, rupta propria molæ membrana, ac nimis refrigerata reliqua vteri ſubſtantia, degenerauit affectus in vetum vteri hydropem. Ex quo etiam tam diu, & fere citra inſignem vitium iacturam aut querelas viuere potuit, quod putrida hæc aquæ colluuies loco denſo, qualis eſt vterus, & membro conſeruationi indiuidui non ita neceſſario, coercita fuerit, vnde pauca euaporatio cordi & reliquis viſceribus moleſta potuit eſſe. *Hiſtoriam hanc hydropis vterini fœmine mortuæ 10. Febr. Anno 86. communicauit nobis Hier. Faber Sereniſſ. Bauaricæ Ducis Med. Clariſſ.*

OBSERVATIO.

Molæ flatuoſæ & aqueæ complicatæ animaduerſa.

VIdimus mulierem Molam geſtare ventoſam ac aquoſam ad quintum decimum menſem, cum omnia ex ratione conceptus veri veniſſent, præter ꝙ in ventre punctiones crebras ſubmordentes patiebatur. Nobilis Matrona Franciſca Calua ſoluto demum exiguo aquæ, cætera per ſe ſubſidere. *Alexand. Benedictus, l. 25 c. 32. de Curand. Morb.*

Flatum plurimum ab vtero excuſſum vidi, multo humore deinde ſecuto, in quem vſum galbanum liquatum in oleo laurino, & ſuſino, cum cumini puluere, aut illitum aut infuſum valuit, & medicamentum dianiſum, aut diacuminum, aut pliriſarchoticum cum vino ſumtum. *Chriſt. à Vega Art. med. lib. 3. ſect. 10. cap. 12.*

Hoc ante duos annos accidit nobili & honeſtiſſimæ mulieri conciui noſtræ, in qua, bene alioqui habente, ſed iam 20. annos ſterili, eiuſmodi collectio ſeri, ventre ſenſim plurimum intumeſcente, totos nouem menſes fouit inopinati conceptus falſam opinionem: ob cumulatam (videlicet) in locis muliebribus aquam. Enixa enim tandem eſt nihil, præter ſerum copioſum, cum multo flatu. *Iowbertus cap. 13. De Vrinis.*

Quæ ventoſæ & aquoſæ molæ cognominantur, à Græcis & veteribus medicis pro molis non agnoſcuntur. Flatuum in vtero collectionem, ἐμπνευματώσιν τῆς μήτρας, inflationem vteri: & poſteriores ventoſitatem matricis nominant. De aquoſi humoris in vtero collectione meminit *Hipp. in lib. de natura muliebri*: tum & Aetius, qui vteri hydropem appellat. Hippocrates aquæ in vteris collectionẽ grauidis ſuperuenire affirmare videtur; Aetius vero tum humoris copiam in vterum confluere, quando menſes ſuppreſſi, & imprægnatio impedita. Vtrumque nobis obſeruare cõtigit: memini enim nonnullis vna cum fœtu copioſum aquoſum humorem ex vtero proceſſiſſe, fœtu debili non vitali: Sed vidua altera, quæ exiſtimabat grauidam ſe relictam, ſolum aquoſum in vtero geſtauit humorem. *Dodonæus in Scholijs ad cap. 49. Obſeruationibus ſuarum medicinalium.*

OBSERVATIO.

Vteri hydropis ſpecies rara, veteribus, excepto Aetio, incognita: qua in vtero veſicæ fellis ſimilia corpuſcula, aqua referta, comperta ſunt.

QVum menſes longo tempore fuerint ſuppreſſi, & imprægnatio impedita, ſæpe humoris copia in vterum confluit, & aliquãdo corpuſcula quędam veſicæ fellis ſimilia in ipſo generantur, in quibus humor colligitur. Sequitur affectionem hanc tumor

circa

circa imum ventrem amplus, laxus, flatuoſus, & murmura velut in inteſtinis, in ambulando grauitas, & ſpirandi difficultas, alui recrementa graueolentia ſunt, & Menſes ac conceptus impediuntur, & quæ prodeunt nullo ordine ſeruato deferuntur. Vbi vero violenter excernuntur, ruptis aliquando paruis illis corpuſculis, quæ veſicis ſimilia diximus, viſcoſa quædam ac aquoſa erumpunt. In quibus itaque humorem in vtero collectum ex propriis ſignis cognoueris, decubitu quieto, mox vomitu ac validis elotionibus vtendum eſt. Proinde corticis radicis tithymali, myrtei ſicci drachm. ij. per ſe vel cum radicis panaceæ obolo propinabis. Et in vterum infundes quæ muſcoſos humores attrahunt, qualia ſunt, grani cnidii grana decem, cum oleo irino & modico melle. Aut veratri nigri drachm. duas cum irino, aut cyprino, aut narciſſino oleo, cum modico melle per vteri fuſorium clyſterem infundito. Verum ante has elotiones, cardamomum cum ſale, aceto mulſo, thymo, pulegio, calamintha, aut ſimili quopiam bibendum dabimus, deinde humorum copia per aluum excreta prædictæ elotiones fundantur. Aut peſſi eiuſdem facultatis ſubdantur. Et poſtea ſinus pudendi aqua marina proluatur, primum ſola, deinde addito aceto, & aliquo ex prædictis in ipſa cocto. Elotione peracta, ac locis probe deterſis, pudendo ac femoribus oleum cyprinum illinatur. *Aetius Tetrabib. 4. Serm. 4. capite ſeptuageſimo nono.*

Ad aquæ receptacula, eas videlicet veſicas, quæ in vtero generantur, fomentis vtemur ex aromatis quæ Menſes eliciunt, & peſſis ſanguinem trahentibus. Mitiſſimum vero omnium ad eiuſmodi pellicula, & aqua refertas veſiculas, eſt Mercurialis maſculæ, imo vero fœminæ, ſi quis ſuſpicioni locus eſt, ſemen cum modica myrrha, ſale ac melle, excepto lana, & pluribus diebus ſubditum. *Cordæus Com. 5. li. 1. Hipp. de morb. muliebr.*

OBSERVATIO.

Eadem vterini hydropis ſpecies à noſtra ætatis Medicis exactius obſeruata, & accuratius, etſi nonnihil euarians, deſcripta: cum membranaceis globis bullis, veſicis, aqua aut ſanie refertis.

EX humorum defluxu & ſeminis in vterum delapſu, veſicæ intra vterum generantur, quæ viſcido humore, aut aqua implentur: atque exiſtimant fœminæ eſſe conceptum, nam venter intumeſcit, & menſes retinentur. Accedit dolor murmurium, vigiliæ, & inſomnia terribilia, quandoque etiam febricula, corporis grauitas, & ſpirandi difficultas. Omnia ſane hæc ſymptomata patiebatur Leonora Sanctaren, quam vidiſtis ſex integris menſibus laboraſſe: atque conſtantiſſime contendebat ſe in vtero geſtare fœtum viuum quem moueri dicebat, at vero remediis adhibitis, ſexto Menſe excreuit ab vtero varia & admiratione digna, quæ in pelui magna ſuſcepit obſtetrix ſupra ſeptuaginta veſicas membranoſas ac membranis hærentes, aqua pallida plenas, caſtaneæ quantitatis: ſeptem vero fruſta membranis inuoluta coloris carnis lienis; quorum quædam mediatatem lienis humani æquabant, quædam paulo minora. Aqua vero multa erupit, & tota moles libras Romanas duodecim appendebat. *Chriſt. à Vega, lib. 3. Sect. 10. c. 13. Art. Med.*

Loyſona, Roueroini ciuis Arelatenſis filia, viro nupta florenti ætate, & optimo corporis habitu prædita, cum vterũ geſtare ſe exiſtimaret ſuppreſſis menſibus, nauſea, vomitu, anorexia, & cæteris accidentibus, quæ prægnantibus euenire ſolent, affecta, poſt ſex aut octo geſtationis Menſes magnis abortis doloribus, ingentem peperit membranaceum globum, totum aquoſis bullis, inſtar ouorum piſcium refertum. Erant autem bullæ rotundæ, tumidæ, pellucidæ, diluta ſanie plenæ, fœtidæ, atq; per omnem membranam, qua integebantur, diſſeminatæ, tanta quidem copia atque numero, vt comprehendi poſſe nullo pacto viderentur. Diſſectis ſtylo bullis, aquoſa & diluta ſanies fœtens emanabat, ad citrinum colorem inclinans. Membrana quidem tenuis, ſed robuſta tamen ac firma erat, tota in ſe conglobata, & innumeris bullis referta atque protuberans. Mulier vero grauibus cum ſymptomatis fruſtum id membranoſum eiecit, nempe vomitu, nauſea, crebris animi defectionibus, febre, delirio, conuulſiuiſque quibuſdam motibus, & vteri ſtrangulatu. Tandem vero congruis remediis adhibitis, plene, DEI beneficio, conualuit.

Idemque rurſum à me viſum in filia Conſtantiæ obſtetricis, vxore Georgii pannorum tonſoris, quæ & ipſa parem membranam bullis innumeris conferſiſſimam, poſt ſex geſtationis Menſes (& ipſa quoque decepta) eiecit: magnis etiam ac grauibus ſymptomatis conflictata, ſed & eadem quoque à me nutu DEI curata. Vniuerſa mulierum Arelatenſium turba & virorum quoque ad tale ſpectaculum viſendum cateruatim confluebant, vt rem euentu raram & plane admirabilem ſpectarent. *Valleriola lib. 1. Obſ. 10.*

Compertum eſt grauidationem degeneraſſe in membranaceam ſubſtantiam, globoſamque, totam aquoſis bullis, rotundis, tumidis pellucidis, & innumeris plenam, aliquando cum ſanie fœtida & diluta: quam ſane figuram iam comperimus in vxore bibliopolæ cuiuſdam: & ſe vidiſſe teſtantur ex neotericis plures. *Mercatus de mulier. affect. libro tertio, capite octauo.*

Vxor barbitonſoris cuiuſdam noſtratis ſtatim poſt congreſſum viri, conceperat, ſed tribus aut quatuor poſt menſibus puerperia paſſa eſt. Nam vna cum purgationibus, quas copioſas inſtar puerperæ habuit, parturiit membranulam interiori tunicæ ventriculi haud abſimilem, humore aqueo refertam: per octiduum poſt partum ſemper decubuit. Ab eo tempore, quo conceperat, Menſes illi ſiſtebantur: neque tamen venter accreſcebat: crus dextrum intumeſcebat. Molam eſſe quis dixiſſet. Hoc illi quinquies accidit. *Geſneri Obſeruatio per D. Caſparum Wolphium communicata.*

Comitis Monfortii vxor, cum multis annis non conciperet, conſilio meo vſa, poſt varia remedia tentata, cum peſſaria ſupponeret, membranoſum corpus craſſum, amplum, fiſtuloſum, multis appendicibus obnatum, per vterum eiecit, ab eoque tempore mox, concepit, peperitque. *CL. Felix Platerus de Obſeru. propriis.*

Scultheri Badenſis coniunx, ſterilis mulier, peſſa-

riis quoque, me iubente, immiſſis, ſimile corpus membraneum, ſed in medio orbiculare & in ambitu in radios craſſiores aliquot, ſtellæ alicuius inſtar, diuiſum, quorum ſinguli in multos ramos diſſeminabantur. Stellam arboreſcentem maritimam, qualem Rondeletius depingit, egoque ſæpe Monſpeſſuli vidi, ad amuſſim referens, ex vtero ſine omni dolore vno impetu deiecit. *Idem D. Platerus.*

Observatio.

In ſubſtantia vteri mulieris cuiuſdam per ſectionem deprehenſa monſtroſa plurima, velut humorum colluuies, carnoſa excreſcentia, membranarum, tendinum, oſſiculorum, gummatum, lupiarumque concretiones, quorum pondus librarum quadraginta.

MVLIEREM ante aliquot annos, vna cum aliis Medicis & vidi & ægrotam tractaui, quæ poſt mortem in præſentia teſtium fide dignorum aperta fuit: in cuius vteri carnoſa ſubſtantia (non in cauitate, neque ſuperficie gibboſitateve externa) collectionem adeo admirabilem, tam humorum, quam carnoſarum excreſcentiarum, membranarum, tendonum, oſſiculorum, item inſtar gummatum, lupidas, aliaque corpora diuerſæ ſubſtantiæ, coloris, odoris, aliarumque qualitatum habebat, vt pondus omnium eſſet librarum mercatoriarum quadraginta. Et tamen ab annis tribus, & longiore etiam, tempore quo temporis ſpatio materia eo loci erat contenta, nullum dolorem, qui alicuius eſſet momenti, perſenſerat, licet tantæ ſordes tantaque moles in vtero continerentur, tamen toto illo tempore, tam naturales & vitales, quam animales functiones perfectas & integras habuit. *Franciſc. Rouſſet. de Part. Caſ. Sect. 5. cap. 4.*

Observatio.

Mulier poſt abortum, & legitimum fœtum per interualla editos, tertio aliquid roſtro & criſtæ galli ſimile enixa eſt.

SVPERIORIBVS diebus mulier ad ſcalas S. Cyriaci habitans vterum ferebat, & quinto Menſe puellam abortiuit, poſt ſecundas non deiecit, non dolebat, non febricitabat, nec anxia erat, ſed venter vt primo tumebat, vnde alterum fœtum intus latitare dixi, vtcunque tamen aſſiſtentes mulieres de euocandis ſecundis maxime ſollicitabantur: ei trochiſcos ex myrrha cum croco in vino propinando, ac nonnulla ex ſabina, rubea tinctorum, pulegio, origano, calamentho, & ſimilibus confecta medicamenta: ſequenti tamen nocte alteram peperit puellam: poſtquam & ſecundæ prodiere, ſed tunc ægrius tulit, tandem ſequenti die fruſtum quoddam carnis galli criſtæ cum roſtro gallinaceo ſimilitudinem habens, eiecit & immunis euaſit. *Luſitanus Curat. 27. Centur. 1.*

Observatio.

Poſt fœlicem fœtus partum, quædam vna cum ſecundina os quadratum excluſit.

SVperioribus annis in ditione Furſtenbergenſi, mulier quædam vitalem abſolutumque fœtum maſculum enixa eſt. Et vna in ſecundina os quadratum vtrinque eminens & tuberoſum, palmaris longitudinis & latitudinis, vnciali fere craſſitie, excluſum fuit, quod cum oſſibus ſceleti nullis comparari potuit: aliis magica arte forte id accidiſſe credentibus. Nihil tamen damni vel vitii ea res vel matri vel proli attulit. *Ex Comitiſſa de Solms, CL. V. Iacobus Moccius Amicus.*

MOLÆ, EXTRA MATRICEM.

Observatio.

Molæ extra matricem genitæ: quarum vna inſtar fruſti carnis vtero adnata: altera humani capitis magnitudine ad vaſa ſeminaria ſiniſtri lateris deprehenſa.

D. D. Marquardus recitabat caſum de quodam ciue Viennenſi vxore N.N. quæ habuit molam extra matricem: erat illa albiſſima & mundiſſima circa vaſa ſeminaria, viuebatque cum viro annos XVI. quā Medicus, (vt mulier petebat) ante mortem diſſecuit, quo aliis mulieribus ſimili morbo laborantibus rectius conſuleretur. Inuenit autem duas molas extra matricem: vnam in quantitate fruſti carnis ſupra matricem, & ipſi fortiſſime adhærentem: alteram in latere ſiniſtro, circa vaſa ſeminaria, in quantitate capitis. Nupſit bona puella ſeni, & quum venerea eſſet, caſte & honeſte vixit, quum interim vir ſenex debitum præſtare non poſſet. Caueant igitur puellæ venereæ à ſenibus, & nubant ſimilibus. *Ioannes Marquardus Practica Theorica & Empirica cap. 5. de mola.*

Observatio.

Vtriculus ſubſtantia ſebacea, craſſitie cultri, aquam colore & conſiſtentia lixiuio perſimilem continens, inter colon, ex vteri fundo externo mulieri cuidam pronatus, eidem per ſexennium ventris tumorem grauidæ inſtar excitauit, à quo tandem ſuffocata periit.

FOEMINA Pragæ erat, Anno 1581. nupta virgo ante ſexennium miniſtro aulico, bene æſtimato, quæ integrum ſexennium ventrem tumidum geſſit inſtar prægnantis, abſque alia moleſtia & impedimento in ſuis functionibus animalibus & naturalibus, eundo, & laborando, dormiendo, & edendo: non menſtruabat vnquam, licet commode de marito conuixerit. Corpore bene habituata & muſculoſa, ſanguinea, facie rubicunda, hilari plerunque animo, ſtatura humiliori, ætate minor XXX. annorum. Ventris moles alias non premebat niſi ſcalas vel colles altiores conſcendendo. Perinde illi erat cereuiſiam ſeu vinum bibere, à neutro magis offendebatur. Conſuluerat ſæpe Medicos præclaros, quoſque ſumptis Medicinis ipſorum ſuaſu, quæ etiam eduxerunt, cum modo ventre nihilominus, imo magis etiam intumeſcente. Sic æſtatem illam Pragæ peregit. Autumno Viennam rediit cum marito, vbi paucis ſaltem hebdomadibus ſuperuixit, atque obiit

præfo-

præfocata breui tẽporis ſpatio, mole incluſa itineris cõcuſſione diſtenta, plus ſatis, & premente diaphragmate, vti reor. Poſtero die ſecta fuit, marito ex viuentis deſiderio iubente, adſiſtentibus cognatis & cohabitantibus. Aperto ventre à ſummo ad imum vſque, aqua nulla profluxit, nec flatus animaduerſus: ſed inteſtina à colo infra tecta & preſſa erant, ventriculo quodam præternaturali ventris capacitatem explente. Is exortum ab vteri fundo extimo ſumſerat, peritonæo firmiter adhærens, vt digitis auellendus fuerit: conſtabat tunica veluti lardea, aut ſebacea, cultri craſſitie: apertus effudit aquam lixiuii colore & conſiſtentia copioſam, nec quicquam aliud. Principium duxit à baſi vteri, ac ſurſum detendit, peritonæo contiguus & adnatus ſuperficie exteriore, interiore inteſtinis incubuit, nulli cohærens. Vterus ipſe exiguus erat & arctus quaſi puellæ 10. aut 12. annorum, quo nec ſperma nec menſtruum vnquam conceptum fuerit. Orificium proprium arctiſſimum & durum. Ceruix recte habuit. Hepar cum reliquis viſceribus & inteſtinis optime conformata erant, forma & colore debito. Sic & reliqua externa membra decenter conſtructa fuerunt, abſque vlla labe. Hic hydrops Aſcites quidem eſt, ſed vtero potius quam ventri attribuendus, eo quod vtriculus, ſeu ſaccus ille aquam continens, ab vtero pronatus erat: diuerſus ab illo, quo aquam in ipſo vtero collectam ſcribit Auguſtanus ille. *V. CL. Iohan. Aicholtzius de Obſeru. propr.*

OBSERVATIO.

Muliercula multis annis turgido ventre, cum tabe abſumpta, & inciſa; inuenta in abdomine aquæ amphora, cum tumore inſigni propria tunica concluſo, & variis appendicibus, partim pinguedine, partim glutino albo, & materia cruenta, fœtida, refertis.

CONiunx Pellionis, per multos annos, extreme turgidum geſtans ventrem, cum conſumtione totius corporis, fato cedens, fuit ſecta: In abdomine vltra amphoram menſuræ noſtratis aquam continens: qua exemta, inuentus eſt tumor inſignis & latus, cute valida circumdatus, & eminentiis plurimis præditus. Hæ ſectæ & apertæ, pinguedinis ſubſtantiam ementiebantur: dextra pars referta erat humore inſtar glutinis albi; ſiniſtra vero cruore lento, ſubnigro, fœtido. Hepar viſum exiguum, bene, quoad colorem, diſpoſitum, alioqui, ſicuti & Pulmones, Cor, & Lien. Verum ſanguinis laudabilis ne gutta quidem conſpecta. *De Georgii Palmæ doctiſſ. V. Obſ. per V. CL. Ioachimum Camerarium ad me miſſis.*

MOLÆ VITALES.

OBSERVATIO.

Molæ vt plurimum vitales, quas Cœlius Aurelianus & Marcellus, Pecus: Barbari feram Beluam, Aquilam, Accipitrem, Bubonem: Recentiores, Muſculos, Talpas, Ranas, Bufones, Echinos, lepuſculos, feles, aſtacos, tenchas, polypos, erucas, ſanguiſugas, lacertas, & ſerpentes nominarunt: Quas mulieres vel cum fœtu, vel ſine fœtu peperere. Harum nonnullæ leui ſaltem contractionis & explicationis ſenſu præditæ: aliquæ vero ſerpere, repere, diſcurrere, & volare quoque animaduerſæ ſunt.

INTELLIGENDVM quod vermes, reptilia, arpia, & frater Lumbardorum poſſunt generari in matrice, quia in inteſtinis generantur ex ſuperfluitate multum immunda, rariſſime autem in matrice. Sed aliquod enorme, quod poteſt appellari mola ſeu arpia bene poteſt generari ex ſemine mulieris corrupto, & ex carentia ſpermatis viri, & ex calore innaturali, naturali tamen corpori generato, & frequentius, vt dicitur, generatur in mulieribus Lumbardiæ, aut quia magis laborant, quia magis ſunt ſubiectæ, aut propter corruptionem nutrimenti, ſicut in Apulia, quia dicitur communiter, quod Italicæ peſſime viuunt, ſicut ex fructibus & herbis, ſed bene induunt; &c. *Gordonius Part. 8. capite decimo octauo, Lilii.*

Notandum quod ea, quæ valent ad menſtrua prouocanda, educunt & ſecundinam, & fœtum mortuum, & bufonem, fratrem Salernitorum. Notandum eſſet quod mulieres Salernitanæ in principio conceptionis, & maxime quando debet fœtus viuificari prædictum animal nituntur occidere, bibentes ſuccum apii & porrorum, *Platearius de Ægritudin. Matricis cap. 1.*

Propter virilis ſeminis debilitatem aut menſtrui rebellitatem, ſeu vtriuſque impotentiam, in humana ſpecie monſtroſa generantur ſæpe. Facit enim natura de poſſibilibus ſemper quod melius eſt, nonne etiam conſtellationis ac diſpoſitionis materiæ cum fœtu ſimul fruſtum carnis ſeu aliud quoddam in Apulia generari ab incolis narratum mihi fuit, vt bufo, vel conſimile aliud, nam tunc virile ſemen in puriorem menſtrui partem agens, in ea formam humanam inducit, & ſui in ſuperfluum materiæ corruptæ actionem continuans, perfectiori qua poteſt forma eam informat. Et hoc modo ex materia illa ad recipiendum humanam formam indiſpoſita, cum fœtu bufo aut conſimile venenoſum quoddam animal generatur: cuius venenoſitate fœtus ipſe in matrice inficitur ſæpe ac moritur. Frequentius tamen cum fœtu ipſo naſcitur ſimul, in cuius exitu ipſum mordet interdum: ex quo venenoſo morſu infelix fœtus moritur ſtatim. *Guainerius, de Ægritud. Matricis cap. 32.*

Aduerte quoddam verum mulieribus noſtris impoſſibile apparens: ſed certe ita eſt, & quandoque in noſtra euenit ciuitate, & mater noſtra vidit: à qua habui, & fuit domina fide digna mulieribus meridionalibus & auſtralis regionis, & mulieribus multi & praui ſanguinis ex malitia regiminis accidit quandoque, vt vltra conceptum verum pariant quoddam fruſtum carneum ſecum portans formam animalis, viuens: quod dominæ feram appellant, & cauſa huius non fuit virtus ſpermatis primi ipſius viri: quia ex eo iam conceptus eſt fœtus, ſed error ſecundi in ſecundo coitu emiſſi, cuius error ꝓcedit ab influentia conſtellationis ſeu virtutis cœleſtis, vt 18. *Animal. Ariſtot.* Vnde in quibuſdam partibus Apuliæ, vt vidit & pater noſter, cõmuniter mulieres ſic prægnantes pariunt cum fœtu feram: quia bubonem, accipitrem, aquilam, lacertam, & huiuſmodi: & aſſeruntillæ mulieres, quod quando cum illo fœtu oritur beſtia ſeu fera Nobilis, vt accipiter & huiuſmodi: quod tunc fœtus ille ex Nobili Viro conceptus fuit. Quia ſi fera fuerit ruſtica, vt bubo, lacerta, & huiuſcemodi, ex ruſtico & vili homine fa-

ctus eſt, & hæc fera quandoque fœtum perimit. Et dicitur, quod tanta eſt proprietas, quod ſi cadens in terram hora partus, mordeat eum, ſtatim moritur fœtus. Hæc ſunt vera, licet non appareant, quoniam talia hæc videre non ſumus conſueti, & ſicut in inteſtinis & alii vermes generantur, ita poſſunt & in matrice animalia generari, maxime exiſtẽte ibi materia apta. *Sauonarola Tract. 6. Rubr. 27.*

Phyſicorum quidam attrahunt ſermonem, quod in quibuſdam regionibus meridionalibus in quibuſdam mulieribus malo vtentibus regimine accidit ſuperimprægnatio mendoſa & monſtroſa, generatur enim in eis animal viuens, quod frequentius eſt, ſecundum formam auis, magis bubonis, vel arpiæ, & procedit vita eius virtute alicuius conſtellationis facientis hoc ſimul cum errore virtutis informatiuæ ſpermatis viri poſt veram imprægnationem in matrice recepti. Et dicunt, quod eſt tantæ malitiæ, quod in matrice aliquando in tantum comprimit embryonem, quod eſt cauſa mortis eius & aborſus: & quandoq; in partu exit ſimul cum embryone, & mordet eum, vnde moritur, & vocant incolæ regionum illarum hoc feram. Et ego audiui à fide dignis, quod Piſis hoc pluries contigit. *Nicolus, Serm. 6. Tract. 3. cap. 20.*

Contingit in meridionalibus & auſtralibus regionibus in mulieribus multi & praui ſanguinis ex malitia nutrimenti ſupra conceptum verum quoddam fruſtum carnis à prædicta materia generari, portans & habens ſpeciem animalis ſcilicet, bubonis, vel harpiæ, viuens: quod mulieres feram appellant, quæ quandoque cum eo in partu emittitur, &, vt aſſerunt, tantæ proprietatis exiſtit, & malitiæ, qui ſi cadens in terram hora partus, mordeat embryonem, ſtatim moritur fœtus. Cuius animalis forma & vita non exiſtit à virtute ſpermatis viri primi, ſed errore ipſius, cum iam animal & hominem informauerit: ſed ſecundi in coitu ſecundo emiſſi: cuius error procedit ab influentia conſtellationis ſeu virtutis cœleſtis: vt *Ariſtotel.* 18. *de animalibus* dixit: & quandoque accidit, quod illa caliditas illam materiam non condenſat in ſanguinem præ multitudine ſui, ſed illam natura cooperante digerendo diſſoluat: conuertat in aquoſitatem vel ventum, quod emiſſum cum egredietur erit ſicut aquoſitas ſanguinis mixta vel ventus vt dixit Auerr. *Franc. Pedemont. Summa 4. Particul. 4. Sect. 1. capite decimo quinto, in Addit. Meſue.*

Audiui mirabilia, ſed non vidi, de animali generato in matrice cum alis, quod cum exiuit matricem, volauit. *Matth. de Gradi, Part. 2. capit. vigeſimo nono, ad Almanſorem.*

Interdum in trumboſitate carnoſa introducitur forma enormis animalis: quod laici appellant arpa, quia habet arpas & roſtrum acutum ſicut mus. Et dicitur in Italia frater Lumbardorum: quia in eorum terra multum generantur, cauſſa multiplici: quia illæ mulieres abundant in ſpermate proprio, & comedunt fructus & herbas coctas in patella: tales mulieres incurrentes hoc, habent motus inanimatos, dolorem ventris propter punctionem illius animalis. *Tornamira Comm. ad cap. 89. lib. 9. Almanſ.*

Sicut generatur mola in matrice, ita etiam generantur aliæ res præter naturam. Vt teſtor me vidiſſe in quadam muliere Papienſe, quæ ſe prægnantem eſſe putabat. Poſt 12. Menſes emiſit fruſtum vnum carnis ſatis magnum, & multa alia parua, & ſimul cum illis peperit animal ad ſimilitudinem tenconis (tincæ) piſcis, & erat coloris viridis obſcuri ſupra tergum, infra erat rubei coloris, & habebat corium ita durum, quod vix cum gladio ſcindi poterat, habebat enim motum, & plicabat ſe ſicut ericius, (erinaceus.) *Gattinaria Comment. ad caput de Mola matricis Almanſoris.*

Vitium Apuliam infeſtat ac ora maritima Italiæ circa Piſanum agrum: plures enim molas ſimul parere viſuntur. Nam quibuſdam in locis ſuperfœtat bubonis ſimilitudinem & animal dirum pariter cum partu humano edunt: interdum harpiæ forma. Viuere ſubinde eas dicunt, ac per cubiculum volitare: quæ ſæpe in vtero partum necauere, aut roſtro infeſto, aut compreſſu. Eam vim aſtro attribuunt incolæ Philoſophantes: præterea fere illa belua vocitatur. *Alexand. Benedict. lib. vigeſimo quinto, cap. 36. de Curand. Morb.*

Quaſdam, regionibus nonnullis Meridionalibus, animal viuens (quod feram cognominant, frequentiſſimum in Hiſpania vitium) genuiſſe mulieres, compertum habetur. Quod ſi, dum editur, terram parieteſve caſu aliquo inauſpicatum animal id tetigerit, puerperæ mortem, veridico auſpicio, auſpicari, extra omnem fortunæ aleam autumant. Quocirca priuſquam enitatur, loci illius, in quo prægnans parturire debet, parietes ornamentis protegunt, tapeta & id genus reliqua pedibus ſubſternunt. *Bonaciolus, capit. ſexto, libro primo, Muliebrium.*

Mulieres pro pueris edunt beluam non vnius formæ, quod frequens eſt Neapoli Italiæ, & in Flandria Belgica: in quarum mulierum locis gignuntur beluæ multiformes, ſæpe ſolæ, alias cum infante, interdum puero à belua vel ſemeſo vel exſucto. Craſſiſſimo videlicet, maximeque putri humore, eiuſmodi mulieres abundant ex alimentis braſſicarum, & ceruiſiarum potu, nec ſecus eiuſmodi procreantur in illis beluæ, quam lumbrici in vtero pueri ex crudis fructibus: prauitas enim receptaculi adfert vim facultati ſpecificæ ſeminis, & cogit vel non producere rem ſuæ ſpeciei, vel aliquid aliud cum ea, *Ludou. Viues lib. 1. de Anima.*

Scribunt nonnulli, Mulieres in Regionibus meridionalibus interdum animalia ſuper concipere monſtroſa, bubonis, vel harpiæ formam imitantia, tantæ prauitatis, vt in vtero verum embryonem interimant, quæ poſtea in aborſu cum embryone mortuo emittuntur. *Dominicus Leo, Art. Medend. libr. 6. capit. 12.*

Mulieres aliquando vna cum fœtu humano pecus etiam concipiunt: ſic enim Cœlius Aurelianus & Platearius nominant, & interdum ranas, ſeu bufones, & lacertos, aut ſimilia eis animalia, cuius quidem monſtroſæ conceptionis cauſam aliis inquirendam relinquo. Idem in Heluetia eueniſſe mulieribus quibuſdam audio, ſed rarius. *Geſn. Hiſt. Animal. lib 2. de rains.*

Inter viua animalia è corpore reiecta molam referũt, at falſo, informis maſſa ſanguinis veluti adnatũ, & falſum quod dicũt, ambulare & volare. Quod

ſi viuum aliquod reiiciatur, vt aliquibus in locis ſolent facere mulieres, quæ cum bibiſſent aquam, in qua erat ſemen Echini, Echinos pepererunt. Quare rogare oportet, quam figuram referant illa animalia. Audiui mulierem aliquid lepori ſimile reddidiſſe, ſed raro ea accidunt: ob id non poſſumus iudicare de illis niſi aſpectu. *Rondeletius de dignoſc. morb. lib. cap.17.*

In Villa quadam Thyringiaca ad Vnſtrum à muliere bufo natus eſt caudatus. *Lycoſthenes lib. Prodigiorum Anno 1553.*

Dum hanc Hiſtoriam ſcriberem, mulier bufonem ad Laodunum dicebatur peperiſſe: quod mirata obſtetrix, & quæ ipſi aderant, rem pro teſtimonio dixerunt, fuitque bufo aliis diſſimilis, quem viderunt multi, delatus in præfecti ædes. *Bodinus.*

Igneus præſes Curiæ Rhotomagenſis in acta publica publica conſcribi mandauit, pleraſque monſtra diuerſiſſima, ranas, ſerpentes, enixa fuiſſe. *Idem Theatri Nat. lib.3. pag.392.*

Mercatoris quoque qui ex Anglia venit vxor abortiuit, & ſecundo die poſt abortum ſimile quoque animal peperit, vt multis aliis eueniſſe vidimus, precipue Anconitanis: debet vero animal hoc inter molę genera adnumerari: de cuius conceptus cauſa *Hippocratem legito lib.1. de Morb. Muliebr. Amat. Luſit. Cur.27. Cent.1.*

Vidimus mulierem, quæ, cum nouem menſium ſpatio vterum geſtaſſet, omnibus, quæ in legitimo partu euenire ſolent, mirifice reſpondentibus, tandem nihil aliud, præter animalia, cum multis purgationibus cruentis & corruptis, ranis haud abſimilia, in lucem edidit. *Scholiograph. ad cap.61. lib.1. Holler. de Morb intern.*

Coloniæ contigit, ſartoris veſtium vxorem, magnam aſtacorum copiam enixam fuiſſe, loco fœtus humani, quum interea illa omnino ea ſpe duceretur, ſe aliud nihil parituram, quam hominis ſpeciem. Eamque in rem, eius maritus, cum partitudinis tempus inſtaret, mulieribus & obſtetricantibus preſcripſit, vt Comitem à Solms, Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Colonienſis, (quod Comes illo familiariter vteretur) adirent rogarentque, vt ex ſacro fonte leuare dignaretur, prolem iamiam edendam in lucem. *Ex Comitiſſa à Solms, D. Moccius Amicus.*

Narrat Ioubertus libr. errorum popularium duas mulieres Italas, ſingulas monſtroſum partum excluſiſſe: Quæ veſtium interpolatori nupſerat, adeo exiguum edidit, vt murem craſſiorem, cauda carentem, referret. At quæ Nobilis erat, maiorem, felis craſſitie: ambo inſuper colore atros: vt primum vtero prodierunt, in altum ſecundum parietem, vnguium velut nixu erupiſſe, & tenacius adhæſiſſe. *Pareus lib.19. cap.3.*

Expertus ſum autem non modo hanc fœminam, ſed & aliam apud nos, quæ prægnans erat habita, nouem ſemel edidiſſe mures viuos, quæ tamen plures deinde ſuperuixit annos. Referebat ſe tempore Menſium cum veteri putrido caſeo, quo veſcebatur, id virus in vtero collegiſſe. Quod rationi difficulter conſentaneum eſſe videtur, imo ex ſeminis corruptela factum, abs ratione dici poſſent. *Ex literis Clariſſimi Viris Ioannis Rubingeri πολιάτρε Egræ in Nariſcis, ad Ioachimum Camerarium Norimb. Med. Anno 1596. 13. Decembris datis: tranſmittente Camerario doctiſſimo.*

Aliud tibi rarum in artis vſum ſignificare volui. Sub mea Curatione medica nunc etiam habeo fœminam, in ſuperiori Palatinatu, ex vteri abſceſſu frigido laborantem. Incidit in id morbi genus dum vtero gerebat nouem Menſes, & dum partus inſtabat, enixa eſt non humanum fœtum, ſed Mures quinque viuos ex vtero grauidæ inter manus obſtetricis exilientes, in hypocauſto hinc inde, murium more, currentes. Ex iis quatuor ſunt interfecti à domeſticis, quintum felis, qui in angulo latitabat apprehenſum deuorauit, qui illico in rabiem agitatus, in lectum Puerperæ venit, nec ceſſauit eam infeſtare, donec interfectus fuerit. Hæc à natura aliena, nō vt plane noua, aut tibi forſitan minus nota, ſcribo: Sed vt conſtet, morbos occultos ex abditione cauſa & naturæ obſcura vi procedere. Poſtquam vero vterus de ſeipſo nihil concipiat, imo cum ſua vnumquodque tempore gignat, queri poteſt per quem congreſſum vterus mulieris ex murium ſemine prægnans fiat. Sed portentoſa hæc ſunt cum rerum Natura pugnantia. *Idem.*

Filia Ioannis Gualteruti, recens nupta, cum omnium opinione prægnās diceretur, loco fœtus quatuor animalia ranis ſimillima peperit, & optime valuit: ſed poſtea circa pectinem dolorem ſentiebat, quem paucis adhibitis remediis curauimus, & pulcherrime viuit.

Similiter mulier Dionyſii Pinti, cum puerum optime peperit, inter ſecundas animal ranæ ſimillimum eiecit, & puer pancratice habet.

Iam Maio Anni 1562. mulier iuuenis N. Coloniæ prope ædem D. Antonio ſacram, puellum ad ſextum Menſem lactans, enixa eſt animal fibroſum ad erucæ magnæ longitudinem, dum reptando ſeſe extenderet ductaretque, vnguiculiſque prominentibus, dorſo glabro, ventre albicante, capite corneo nigroque, oculis gagatæ lapidi ſimilibus, ore hiulco lampetræ modo aerem inſpirante. Sub initium ceruicis tres viſebantur aculei, aut verius vnci vtrinque aſperi, quibus, quæcunque vellet, amplectebatur, ſeſeque attollebat. Prodiit vero abſque humore, aut humidi alicuius mictura ex locis muliebribus ante ſeptimam matutinam, dum forte calceum prona indueret. Vixit autem hoc animal in tertium diem, lacte nutritum. Mortuum à Chirurgo inciditur, præſente D. Bernardo Gronenburgio Medico excellentiſſimo, qui ad huius miraculi inſpectionem vocarat D. Iohannem Echtium & Hubertum Fabrum Medicos, mihique poſtea ob caſus raritatem communicauit. *Vierus libro quarto, capite decimo ſexto, De Præſtig. dæmon.*

Nonnullas ſerpentes, talpas, aues, Mures enixas fuiſſe inter Hiſtorias relatum, & à compluribus viſum habetur, quas haud quaquam temporę fœtui humano conſtituto, huiuſmodi monſtra vtero geſtaſſe eſt neceſſe. *Mercurialis Conſil. 85. edit. Baſil.*

Gignuntur ſæpe in muliebri vtero monſtra & animalia, ſerpentes quippe, aut talpæ, quæ quia exanguia ſunt, parumque habent caloris, ſola tranſpiratione contenta in vteri latebris per multos annos deliteſcunt; nec ſponte vnquam foras prodirent,

niſi aut vteri vi aut arte Medica pellerentur. *Andreas Laur.lib.2.quæſt.*,8.

Inteſtinorum lumbricos, & omnis generis vermes Aqua Spadana necat & expellit, neque tantum inteſtinorum vermes deturbat, ſed & alia quauis corporis parte deliteſcentes, vti paucis ab hinc annis in honeſtiſſima quadam Matrona obſeruaui. Res dictu mira, Mulier erat annorum, quantum coniicere potui, plus minus quadraginta ſex, inciderat ea, ob diuturnam Menſium ſuppreſſionem, in hydropem aſcytem, à quo vt liberaretur, octo iam annis, peritiſſimorum Medicorum diligenti cura vſa fuerat, ſed cum optimis quibuſque remediis nihil proficeretur, me ſuaſore Aquas inuiſit Spadanas, quarum potu per aliquot ſeptimanas continuato, cœperunt fluere Menſes; & tandem aqua ſatis copioſe, ac tertio Vermis quidam, ſemicubiti longitudine, quadrupes, cauda oblonga, figura fere lacertæ, cineritii coloris extra aquam, in aqua vero ſubrubeus; Poſtremo octo aut nouem ſimilis figuræ & coloris vermiculi, ſed exigui prodierunt. In ſumma tantam illa ſaburram ſeroſorum excrementorum ex diuturna illa Menſium ſuppreſſione natorum copiam excreuit, vt illico venter, qui antea in maximam molem ſublatus fuerat, detumeſceret: ægraque ſtatim melius habere cœpit, & in præſentia ſatis commode habet. *Philippus Geringus Libello de Fontibus acidis cap.7.*

Prouocat illa igitur muliebria menſtrua pridem
Suppreſſa, & nimium ſiſtit vbi illa fluunt.
Ventricolaſq; necat vermes, pelliteq; per alui
Lubrica, deiectis qua via nota cibis.
Quin & paulatim putridis de menſibus ortas
Serpentes vteris proiicit illa ſinu.
Monſtra lacertarum fœdam referentia formam,
Longa (nefas) vnum, non minus atra pedem.

Dominicus Lampſonius in Carmine ad fontes Spadanos conſcripto.

Mulierem ſerpentem enixam Romæ teſtis eſt Appianus. *Alexandrinus de bellis ciuilibus libro primo.*

Inter initia Marſici belli, Ancilla ſerpentem peperit. *Plin.lib.7.cap.3.*

L.Scipione C.Norbano Coſſ. In Herruria Cluſii, materfamiliæ, viuum ſerpentem peperit: qui iuſſu aruſpicum in profluentem deiectus: auerſa aqua natauit. *Iul. Obſequens.*

Anno mundi 209. Mulier Viperam pro infante enixa eſt. *Lycoſth lib.de Prodigiis & Oſtentis.*

Anno 1491. Ianuæ Margarita Laurentii Valiſtari vxor, ſerpentem peperit, alas habentem, loco quo manus eſſe conſueuerunt. *Aug Iuſtin. Epiſc.libr.5.Annalium Ianuenſium.*

Cracouiæ, Menſe Septembri, mulier quædam in platea quæ à S. Spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cuius dorſo ſerpens viuus inhærebat, arrodens, ac depaſcens cadauer. *Lycoſthenes libro Prodigiorum & Oſtentorum Anno Domini* 1494. *pag.* 503.

Factum eſt ſingulare experimentum ad eductionem vermis vel ſerpẽtis à muliere: nam mulier quædam habens ſerpentem in matrice: poſita muliere ipſa ad radios ſolis, cum vaſe pleno lacte, ſtante ipſa muliere dilatatis cruribus ſupra vas, in quo radiabat ſol, & exiuit ſerpens. *Matth.de Gradi, Comm.ad cap.* 43. *lib.9.Rhaſis ad Almanſ.*

Mulier cuiuſdam baiuli, dicta Anna Tromperin, in Xenodochio noſtro inter pupillos educata, cum iam annorum eſſet circiter triginta, enixa eſt puerulum cum duobus ſerpentibus, Anno 1576. circa feſtum S.Iohannis. Sed paucis de geſtatione fœtus, de partu atque educatione, & etiam de ſerpentibus vna enixis: & prius de ſerpentibus tanquam primo in corpore natis. Narrauit mihi, fide data, ſe Anno 1575. circa feſtum Ioannis, cum eſſet meſſis, & ſumme caleret, bibiſſe ex ſcaturigine fontis in ſyluula Brunderholtz dicta, qui locus quarta parte milliaris Baſilea diſtat, vbi ſuſpicatur bibiſſe ſe ſperma ſerpẽtum: paruo enim tempore poſt potum aquæ cœpit venter augeri: tribus dein Menſibus poſt grauida reddita, vna cum fœtu aucti etiam ſerpentes: tantam vero in molem abdomen excreuit, vt faſcia vti cogeretur ad geſtationem ventris. Dum ieiuna eſſet, ſentiebat morſus & punctiones circa regionem ventriculi: cibo vero ſumpto melius habebat, munia etiam commode obibat; verum ſolo lactis deſiderio tenebatur, & etiam vtebatur. Cum vero iam tempus adeſſet partus, tribus diebus ante partum à cibo plane abhorruit, ita vt nec lac, nec minimum alterius alimenti aſſumeret. Monuit tum ipſa, vt quamprimum foret fœtus excluſus, ſupponeretur orca lacte repleta, de ſerpentibus, vel de vermibus enim apud ipſam eſſe ſuſpicionem: idque partim propter morſus, partim propter mirabilem motum, quem toto anno perſenſerat. Quare feliciter puerulum enixa, cum quo copioſiſſimi ichores, quos aquas vocant, effluxere: dein, cum ad ſecundinæ excluſionem ſe præpararet, orca tum cum lacte ſuppoſita, prodiit ſerpens: vnde mulieres parturienti aſtantes, perterritæ, arrepto puero ſeceſſere: quare & ipſa puerpera timore perculſa, eleuato capite, non ſolum ſerpentem vidit, ſed & alterum prodeuntem non ſolum perſenſit, ſed etiam obſeruauit. Puer paruulus erat, ita emaciatus, vt vix oſſibus hæreret: viuax tamen: foramen habebat in ceruice tantæ magnitudinis, vt facile nux indi potuiſſet, quod ſane factum puto tribus iis diebus, quibus mater lacte abſtinuerat, alias corpore toto abſque noxa, hic annum vnum & ſeptimanas duodecim ſuperuixit, tandem vero Anno 77. cum apud nos peſtis ſæuiret, ea lue correptus obiit. Serpentes vero erant longitudine vlnæ, qui craſſitie pene infantis brachium æquabant, maculis variegati: qui ita viui ab obſtetrice fuere in cœmeterio S. Eliſabethæ ſepulti. Iam ad matrem redeo, illa dimidio Anno à partu corpore incuruato inceſſit, ſe enim erigens dolores immenſos & in abdomine & in dorſo perferebat. Poſtmodum tamen ventrem ſemper habuit ſatis magnum, ac ſi vtero geſtaret: ſed & ab illo tempore quatuor habuit liberos. Ventriculo tamen hactenus imbecilli cum dolore vteri. Seſquiannus eſt, ex quo alio ſymptomate fuit correpta: cum enim per ſeptimanas 26. Menſtrua eſſent ſuppreſſa, venter indies augeretur, ſe tamen grauidam non eſſe certo ſciret: conſultis duobus, vti ipſa met mihi narrauit, grauidam eſſe pronunciarũt:

ipſa ergo cum à tanto tempore viro caruiſſet, & hoc à veritate alienum eſſe noſſet: proprium conſilium ſecuta ſtufam ingreſſa eſt, cucurbitulas ſedecim affigi curat & pedibus & fœminibus, aliiſque partibus corporis: ſequenti die binas incidi venas, & copioſe detrahi ſanguinem curat: tertia poſtmodum die Menſtrua copioſe cœpere fluere, ſique ventris tumor concidit. Verum dum hæc narraret, ſatis magnum habebat adhuc ventrem, qui aliquando augetur, aliquando concidit. Quam hiſtoriam Anno 85. 14. Auguſti rurſus mihi in præſentia matronæ nobilis à Weſthauſen recenſuit. Sed & teſtes eſſe poſſunt mulieres, quæ parienti adfuere, inprimis vero obſtetrix. *Caſparus Bauhinus in appendice ad part. Cæſareum Rouſſeti.*

Observatio.

Mulieres quaſdam Elephantos, Leones, Canes, Catos, & porcellos peperiſſe.

ARgon, alio nomine Meles tranſtulit Regni ſedem Sardis, & partu prodigioſo Leonem è pellice ſuſcepit. Quem cum è Telmiſſenſis oraculi reſponſo arci circumtuliſſet, inexpugnabilem eam vſque ad Cyri tempora feciſſe creditus eſt. *Reinerus Reineccius tom. 3. hiſtor. de Lydor. origine & imperio pagina* 81.

In Argoia Heluetiæ prouincia, nobilis quædam matrona Leonem crudeliſſimum animal peperit, quod quidem Ioannes Stumpfius in Heluetiorum Chronicis, Anno, qui à natiuitate Chriſti 1278. eſſe factum ſcribit, licet alij hiſtorici in aliud tempus reijciant. *Lycoſthenes prodig. lib. Anno* 1278.

In agro Cõſtantienſi, mulier humano capite Leonem peperit Rudolphus Imperator Comes Habſpurgenſis per ſuos milites arces Clanx & Wilberg in Abbacella Tubertal, atq; caſtrum Yberg in Turtal, contra abbatem Wilhelmum Sangallenſem occupat. *Idem in opere eodem Anno Domini* 1290.

Alcippe elephantum, quanquam id inter oſtenta eſt, enixa legitur. *Plin. nat. hiſt. lib. 7. c. 3.*

Mulier quædam Brixiæ canem, alia Papiæ catum peperere, & hoc ipſo anno & menſe in Brixiana ciuitate 15. Auguſti die, hora vigeſima ſecunda, magnꝰ terræ motus in ipſa vrbe fuit, & adeo grandis, vt ciues ædium & mœniorum ruinam extimuerint. *Lycoſth lib. prodigior. & oſtent. Anno* 1471.

Anno Domini 1571. Antuerpiæ vxor cuiuſdam, qui chalcographo operam locabat, commorantis apud Ioannem Mollinum ſculptorem ad inſigne pedis aurei, vico Cameriſtrato, die D. Thomæ ſacra, hora decima matutina monſtrũ peperit canis prorſum effigie, niſi quod ceruice eſſet breuiore, capite vero auis, ſed implumi. Vitæ exors fuit id monſtrum quod mater ante tempus peperiſſet. In ipſo partus articulo ipſa magnum clamorem dante, ædium caminus procidit, nemine læſo, ne quatuor quidem infantulorum vllo, qui ad focum ſedebant. *Pareus operum ſuorum lib. 24. c. 12.*

Auguſtæ Vindelicorum, mulier tria monſtra peperit, primo caput humanum, membranis inuolutum; ſecundo bipedem ſerpentem, cui Lucij caput, corpus Ranæ & pedes, cauda Lacertæ: tertio porcum, omnibus partibus integrum. *Lycoſthenes lib. prodig. Anno Domini* 1531.

DE PVERPERIS.

Observatio.

De morbis acutis puerperarum.

A Partu ſolent accidere puerperis plura incommoda eis tantum peculiaria, ſicuti ſecundæ retentio, dolores ad imum ventrẽ, & circa vterũ, menſium diminuta, vel ſuppreſſa, vel ſuperflua expurgatio, vel eorundẽ deprauatio, ex lactis generatione febres validæ, & quæ huiuſce ſunt claſſis, de quib. hic non agam, cũ ab omnib. in proprijs eorũ capitib. exquiſite pertractata ſint. His autem aliquãdo ſuperuenire ſolent acuti morbi, & apprehẽduntur, vel à pleuritide, vel à peripneumonia, vel ab angina, vel à phrenitide, vel à febre ardenti, vel ab aliquo ſimili, & graui morbo, quare perſcrutandum erit, cum hoc non ita liqueat, quomodo in his, ſicuti & in ſuperiorib. medicus gerere ſe debeat, & quo ad victum, & quo ad venæ ſectionem, & quo ad pharmacum. Quod ad victus rationem, ſciendũ eſt, communem eſſe fere omnium mulierum errorem, exiſtimantium à partu ſtatim optimis alimentis reficiendas, & nutriendas eſſe puerperas, vnde ad iura caponum, ad eorundem carnes, ad aromata, ad vina vinoſa ſtatim deueniendum opinantur; in qua occaſione, niſi prudens aſſiſtat mulier, vel diligens aduocetur Medicus, qui iuxta *Hippocr. & Galeni* ſententiam *lib. 2. Reg. acut.* 13. aſſerentium ab euacuatione ad pleniorem victum non properandum eſſe, hæc errata animaduertant, ſubſequi conſueuere grauiſſimi morbi. Caueant igitur puerperæ à tali genere victus, & vtantur ferculis tantum in iure primis diebus, abſtinentes à carnibus & vino, & aromatibus, & cæteris, quæ febrem vel inducere, vel augere apta ſint, ad quę omnia deuenient ſubſequenti tempore pro ratione & virium & ſtatus mulieris. Si autem hoc tempore contingat puerperam apprehendi acuto morbo, victus tenuis imperetur, & hoc maxime, ſi hoc primis diebus euenerit, quo tempore facilius, quam in proceſſu puerperii ſolent mulieres tenuem victum tolerare; tunc igitur exhibeatur ptiſana, quæ ſi optime parata & cocta fuerit, nullos poterit edere flatus, & hæc diluatur iure pulli tenuioris, quod idem pro potu commendo exhibendum eſſe, vinum enim omnino excludendum eſt, & potus aquæ etiam optime alteratæ in pluribus mulieribus ſolet ventriculi, vel vteri dolores, ob flatus indegenitos, inducere, conſueuitque puerperis mirum in modum aduerſari, ſi tamen habeamus patientem boni habitus, robuſti ventriculi, & quæ vterinis affectibus moleſtari non conſueuerit, in hac poterimus aquæ potum cum cinamomo, vel aliquo ſemine odorato alteratæ, admittere, vt interdum ego feci, qui puerperas tales cum potu huiuſce aquæ in acutis paſſionibus vſque ad ſeptimam & nonam diem ſæpe detinui. Lutea ouorum, & cætera, quæ pleniorem reddere victum ſolent, non admittantur niſi vires, quæ ſemper in quocunq; caſu manu tenendæ ſunt, hoc idẽ iudicent, à qbus ſemper iudicatio cibi reguletur, q & quo ad qualitatẽ & quo ad quantitatẽ ſemper ſit talis, vt nunquã hinc morbus ingraueſcat. Quo ad ſectionem venæ conſiderandum eſt, an morbus acutus, vel in principio puerperii, vel in medio tempore, vel in vltimis diebus partus

puerperam apprehenderit; ſi enim hoc à principio factum ſit, licet in morbis acutis, florente ætate, & conſtantibus viribus, ſemper ſit ſecanda vena; tamẽ cum à partu ſtatim, & per primos illos dies copioſe naturaliter expurgentur mulieres nulla alia tentanda ſanguinis euacuatio, quam quæ à natura rectè & naturaliter operante dirigitur: quæ tamen ſi ſupprimatur, vel imminuatur, tum ad tollendum morbum & affectum præter naturam, tum ad prouocandam naturalem euacuationem ſecentur venæ inferiores, & copioſe mittatur ſanguis; quoniam copioſa etiam eſſe debet ex præſcripto naturæ menſium tunc temporis purgatio. Si medio tempore acutus ſuperuenjat morbus, duo conſideranda erunt; primum, an morbus pendeat vel à materia in particulari loco cõculcata, vel à materia ſparſa; ſecundum, an mulier conuenienti expurgatur menſura, vel non; ſi à ſparſa generetur morbus materia, vt fit in febribus, mulierque non perfectè expurgata ſit, ſtatim ad ſectionem venarum inferiorum deſcendere debemus; quoniam hinc materiæ minorationem, & naturalis expurgationis prouocationem habebimus. Si autem mulier ſufficienter expurgetur, morbuſque inualeſcat, nec euacuatio naturalis morbo ſatisfaciat, venas inferiores ſecabis, tantumque detrahes, quod ex coiunctis ambobus proficiatur, quod poſtulat morbus, vt docuit *Galen. lib. 9. meth. cap. 5.* ſi tamen admodum intenſa, incendiumque magnum aderit, id fiat, quod nunc in morbo à materia in loco particulari conculcata, & putreſcente facto agendum eſſe declaro. Vbi particularis aderit acutus morbus, vt puta pleuritis, vel angina, vel ſimilis alius affectus, ſi grauis is ſit, valdeque inſtet, & indicet de ſectione venæ, ſiue expurgetur ſufficienter, ſiue non, ſtatim deueniendum eſt ad ſectionem venarum ſuperiorum è directo loci affecti exiſtentium, & ei proximiorum; quoniam ita à loco affecto euacuantes morbum facilius tollemus quam ſi inferiores ſecemus, quæ nec proximæ ſunt loco affecto, nec ab eo euacuari poſſunt; imo has ſecantes virtutem ex euacuatione labefactabimus, & materiam in loco peculiari conculcatam non minuemus, hoc pateat exemplo anginæ, qua inſtante ſecanda eſt ſtatim humeralis vena, vt à loco affecto, educatur, & reuellatur materia, ſi autem inferiores ſecuerit, vel totum fere ſanguinem educes ad reuellendam & euacuandam materiam ſuffocantem, vel ex ea ſectione adeo tarda ſuccedet vtilitas, vt prius mulier ex angina ea extincta fuerit, quam perſentiat reuulſam fuiſſe materiam à loco affecto. Hoc tamen cum hac conditione exequatur, quod, antequam miniſter ad ſecandam accedat venam, fiant frictiones ad coxas, & crura; quibus factis fiant ligaturæ doloroſæ in medio coxarum, ita quod detineantur quoad vena ſecta fuerit, à miſſo ſanguine paulo poſt ſoluantur, & tunc cucurbitulæ iiſdem ad coxas in parte interiori applicentur, vel ſaltem frictiones illæ repetantur, hinc habebimus materiei peccantis minorationem, loci affecti alleuiationem, & purgationum naturalium conſeruationem. Hoc idem cenſeo faciendum eſſe in febribus ardentibus, & vehementioribus, quoniam licet materia ſit ſparſa, tamen incendium tantum eſt circa cor, & viſcera, vt ex eorum longinquæ venæ ſectione non ita mitigari & extingui flamma poſſit, ſicuti ex proxima, & maiori, qualis eſt baſilica. Quem curandi modum, non ſolum prædictis rationibus perſuaſus, ſeruandum eſſe cenſeo, ſed etiam affirmo me hoc felici experientia confirmaſſe, quod idem non ſolum in puerperis, ſed etiam in cæteris mulieribus morbo acuto detentis, dum menſtrua purgatione naturaliter euacuantur, ſeruaui, hoc vnum tantum animaduertens, vt dum in principio copioſe purgantur, rem naturæ dimittam: poſt principium autem ſtatim ſupradictis conditionibus obſeruatis, ad ſuperiorum venarum ſectionem deuenio, indeq; vtilitatem ægrotantium ſalutari euentu conſequor. Si autem in vltimis diebus puerperæ morbo acuto laborauerint, iiſdem conditionibus habitis & obſeruatis, idem agatur, quod docui agendum eſſe in medio tempore, hoc animaduertens, quod ſemper, quo magis diſtamus à die partus, eo tutius poſſumus ad venarum ſuperiorum ſectionem aſcendere: quo autem magis illi appropinquamus, etiam in medio tempore, hoc idem maiori cum præmeditatione agendum erit, niſique inſtet morbus, vrgeatque eius acuties, ſique naturalis expurgatio copioſa fuerit, ab eis abſtinere poterimus, ſi autem non copioſe expurgentur, venas inferiores ad ſupplementum debitæ quantitatis ſecabimus, ſi tamen oppoſitum contigerit, ſeruatur id, quod vrgente & inſtante acuto morbo agendum eſſe declaraui, venæque ſuperiores in talibus caſibus, nulla cum hæſitatione tuto & cum ratione ſecentur.

De pharmaco hæc pauca notanda ſunt. Dum expurgabitur mulier, purgationeſque naturales fuerint, nullo pacto admittatur pharmacum; per hoc enim materia à proprio diuerteretur opere. Si tamen purgationes non naturales fuerint, fluxioque albida, vel alterius non naturalis coloris prodierit, cocta exiſtente materia, vltimo puerperii tempore, tuto adminiſtrari poterit, quod nunquam in primis diebus à partu exhibendum cenſeo: quoniam ex naturæ præſcripto moles ſanguinea, quæ à conceptu detenta & non purgata fuit, educenda eſt, quod ſola ſanguinis euacuatione, nõ pharmaco, peragendum venit. Vbi autem non expurgetur mulier, remediaq; ad hoc opportuna incaſſum tentata ſint, materiaq; morbi ſit cocta, tranſactis primis diebus à partu, leuiori pharmaco educi poterit, vehementiora enim in his caſibus vereri oportet, ſolaq; aſſumenda ſunt ea, quæ inter benedicta recenſentur, quæ eadem tutius, & abſq; vllo diſcrimine in vltimis diebus, cum non expurgabitur mulier, adminiſtrari poterunt, hæc de tribus his auxiliis vel in vtero gerentibus, vel in puerperio exiſtentibus, dum acuto morbo detinentur, adminiſtrandis ſufficiant. *Salius de affectib. particularib. cap. 23.*

OBSERVATIO.

Febris lactis puerperarum.

FEbrem lactis mulierculæ vocant eam febrem, quæ vtplurimum difficilem partum ſubſequi ſolet, & eam humorum agitationem, & commotionẽ, quæ fieri aſſolet, cum natura humores aliunde ad vbera tranſponit, vt ibi genito lacte excluſum infantem nutriat atq; ſuſtentet, eamq; febrem obſeruarunt, vt plurimum, ad nonum diem extendi. *Solenander conſil. 16.*

OBSERVATIO.

Puerpera miraculoſe lacte abundans.

Obſte

OBſtetricis in hac Rep. noſtra filiam vidimus puerperam, ita plenam lactis tumentibus mammis, vt paucis diebus collectum ſit, quod aquario vaſe ligneo capaciſſimo vix excipi potuit. Flos pinguiſſimus detractus, ex quo butyrum factum, & caſei, miro caſu & ſpectaculo: nec cibi vllo aliquandiu vſum aut auſam etiam attingere. *M. Wein. de monſtris commentario c.21.pag.*104. auerſa facie.

OBSERVATIO.

Vterum à partu mulieri cuidam, admiſſo per errorem flatu, adeo refrigeratum, vt in magnum tumorem abierit: qui idoneis medicamentis diſparuit.

QVod ſi recens enixæ vterus refrigeretur, aut in eum aliquis flatus appellat & intromittatur, huius vi ſæpenumero diſtenditur etiam tantopere, vt in maiorem lõge molem ipſe tunc aſſurgat, quam poſtremis etiam grauiditatis diebus. Quod cõſobrinæ cuidam ante annos viginti vidimus contigiſſe. Quum hæc enim horis tantummodo duabus à partu rixas apud ſe audiret, quas verbo & clamore non poſſet componere, confeſtim ſurrexit è lecto, & aliquantiſper ad cænaculi gradus conſiſtens & clamitans, quiddam frigoris in ſinum pudoris ſubire perſenſit & exhorruit. Hinc vterus quidem cœpit tumere, & ita diſtendi quidem, vt quęque obſtetricum & matronarum affirmarent ventrem ſuperiore multo grandiorem euaſiſſe. Illi medicinam fecerunt Ioannes Gorræus, & Nicolaus Magnus, Viri docti & percelebres, fotu hyſterico, & admota pelle recens mactatæ ouis, vnaque vino meraciori. Qua in re Hipp. conſilium ſunt ſecuti. *Cordæus comment. 3. ad lib. 1. de mulieb. Hipp.*

OBSERVATIO.

Puerpera intempeſtiuius egreſſa puerperium, cõtractis doloribus magnis, ſuffitu adhibito, eliſo interius velut pyrij pulueris crepitu, percurata.

MVlier quædam puerpera ſe tempeſtiuius ante tempus debitum ventis committens & aeri, incidit in intolerabiles dolores, neq; potuit reſtitui: tandem ſuperuenit obſtetrix vetula bene exercita iuſſit ſibi adferri nuces tres myriſticas groſſe contuſas, tum ſupponebat fictilem teſtam cum carbonib. ignitis ægræ mulieri, & ſtatim inſperſo nucum myriſticarum puluere iuſſit mulierem vt teſtam fictilem ſuppoſitam ita aptaret, vt inſperſi pulu. ſuffitũ aut nidorem pudendis exciperet, per canalem quendam, quod poſſet fieri per embotum dictum inuerſum, vt canalis ad genitales partes contingeret. Per ſuperiora eodem temporis momento eundem ſuffitum recepit, qui vbi penetraſſet mulieri ſtatim exclamat, neceſſario mihi reddenda aluus: qua voce vix edita, auditus eſt ſibilus & ſtrepitus, qualis eliditur cum puluis tormentarius alicui pixidi anguſtæ incluſus accenditur, qui ſpiritus vbi eliſus proruperat, in ipſo protinus momento mulier ſanitati reſtituta eſt. Iſta experientia monitus in ſimili caſu aliquoties poſtea idem remedii genus admodum vtile, & proficuum inueni ſæpenumero. *Solenander ſect. v. conſ.*15.

OBSERVATIO.

Puerpera atque primipara mulier iuuencula, ob frigus imprudenter admiſſum altero à partu dię in grauem pleuritidem incidit, vt præ ſpirandi difficultate præfocari ſibi videretur. Miſſo ſanguine contra ſuorum omnium vota, à nobis tamen Medicis perſuaſa, alijſq; opportunis auxiliis adhibitis, nutu Dei præpotentis curatur magna omnium admiratione.

HElena Senequeria, Iacobi Gondardi Pharmacopœi Arelatenſis vxor honeſtiſſima, ętate florens, primipara, dum poſt filiæ partum ſibi parũ cauet, frigore imprudenter admiſſo, altero à partu die pleuritide acutiſſima corripitur, cum intenſiſſima febre, tuſſi valida, & ſpirandi difficultate tanta, vt præfocari ſibi videretur, neq; n. niſi ſumma cũ anguſtia ſpiritum trahere poterat, lateris dolore premente adeo, vt in præfocationis periculum ægram induxerit. Miſſo ſanguine contra ſuorum omnium vota (quod enim puerpera eſſet, & adhuc à partu fatigata & ſat ſanguinis per purgationes muliebres exiiſſet, horrendã ducebant à medicis de mittendo ſanguine mentionem fieri) aliiſq; opportunis auxiliis adhibitis, integre & magna omnium admiratione curatur, quum moritura in horas ob ſpiritus interclusionem ſperaretur. *Valleriola lib. 5. obſeru.*10.

OBSERVATIO.

Puerpera pleuritica alia liberatur.

ANthonia de Hault, vxor lectiſſima ciuis prudẽtis & optimi Nicolai à Marguenat, hora matutina ſexta à partu difficili ſtatim pleuritide correpta accerſit me, quam vbi deprehendi pleuritide grauiter conflictari, etiamſi purgatione conuenienti recens puerperis conſueta vacuaretur, aduocatione facta medicorum conſilio ſanguis detractus eſt è baſilica lateris dolentis, interim ne iſta puerperiorum purgatio tarderetur, admotis ſacculis muliebribus ex arthemiſia, nepita, & flore chamæmeli, illam fouimus, hora ſecunda cibata eſt, hora quinta cum pleuritidis ſymtomata vehementius ingraueſcerent, hora ſexta venæ ſectio repetita eſt: hora octaua cibata eſt: ſub decimam noctis recrudeſcunt acrius omnia, accerſitus hora prima, ſanguis rurſus mittitur, ad vaſculum vnum tantum, vt prius, hora tertia cibatur, qua quieuit, hora ſeptima, Deo duce, ex pleuritide plane conualuit, & eo morbo euaſit. *Douynetus in apolog. de Podagra.*

OBSERVATIO.

Mulier grauida poſt partum mortua, vtero, hepate, atque pulmonibus vitiatis à ſectione deprehenſis.

MVlier honeſta, mollis & rara, annorum 30. febre, deſtillatione veteri in pulmones laborabat, fœtũ geſtãs octimeſtrem. Imperatæ ſunt aliquot purgationes. Phlebotomia iterata. Ratio vitæ ex expreſſis carnium ſuccis, iure crur. ariet. colatit. deſtillatis. Contra exulceratum guttur ſic pugnatum eſt. ℞. hord. mund. bene medulloſi vnc. iij. decoquantur in aquæ libr. 3. colatura traiiciatur per manicã Hippocratis, ſacch. candi, vel roſacei quarta parte & modico cinnamomo. Extrahatur ſuccus ex amygdal. dulcib. velut lac, ſine igne, & affuſa aqua illa hordei modica, deinde edulcetur cũ ſaccharo cando, roſaceo. Teneat alternatim ore ſaccharum candum roſaceũ. In difficultate anhelitus cucurbitula alternatim ſcapulæ affixa. In difficultate partus decoctum veteris galli cũ modico caſſiæ ligneæ & croci, & tantillo vini odoriferi. Vnctio pubis & ſub vmbilico cum ol.

lilior. mucag. ſem. alth. ana vncia j. ſemis, medullæ cerui vncia j. Appenſus Iaſpis, Ætites, radix ariſtolochiæ, cyclam. & ſimilia, coxæ. Vel admota trita radix cyclamini & ſimilium pudendi orificio. ♃. rad. gram. & petroſ. ana vnciam ſemis, arthemiſ. nepit. ana pug. s. ſeminis aniſ. & fœnicul. ana drach. ſemis, f. decoctio ad vnciam iij. Transfundatur colatura per manicam Hipp. cum cinam. elect. ſcrup. vno, caſſ. ligneæ ſcrup. duob. ſacch. vnc. vna, detur in labore partus. Item ℞. arthemiſ. nepith. ana. p. ij. f. decoct. in vna aquæ parte & tribus vini pro fotu. Obſtetrix intingat digitos in oleo nardino, vel coſtino, & molliter contingat ſinum pudoris. Si vomitus moueatur, iuuetur oxymelite, & aliis præſidiis. Peperit die 7. leuata febris, & omnia imperata, quæ inſtaurant: conſumtum è crure veruecino, capo, & thorace vitulino, dum omnia prope ad tres lances conſumta ſint, collatitia, expreſſa, vinum album tenue. Amygdalata ad leniendum, hord. decoctum vt prius, & lac expreſſum ex amygdalis. Contra tormina decoctum ſeminis fœnugr. bene loti in aqua calida, colatum per manicam Hipp. cum ſacchar. & modic. cinam. ſyrup. capill. ven. cum ſucco amygdal. Inunctio ex oleis, & litus, vt prius. Sacculi è milio. Prohibitus ſomnus in horam vnam, aut duas, propter multas vacuationes. Stomachus illitus maſtichino. Cōtra animi deliquia mica panis intincta vino. Mortua eſt decima hora à partu. Apertæ vterus grumis plenus inuentus eſt, totus venter flatibus tumens, ren dexter purulentus, hepar quantitate peccans, lobo vno nothis coſtis hærens, colore totum vitiatum, aridum ac veluti frixum, aliis partibus quaſi putredine mucoſum, ſimiliter & pulmones, in quorum ſummo ad arteriam vomica pure plena erupit. *Hollerius lib. obſeru. ſuarum num.* 8.

Obſeruatio.

De muliere, quæ, cum pariebat, inſana & melancholica fiebat.

CArcinatoris vxor venuſta, qui ad forum agit, quum optime ſemper valeat, poſt partum illico melancholia morbo afficitur, & per menſem inſana permanet. Sed poſtea paucis adhibitis præſidiis ad conſuetam ſanitatem reuertitur. Cuius affectionis cauſa humor melancholicus commotus parturitionis tempore eſſe videtur. *Amat. Luſit. cent. 2. curat.* 52.

Obſeruatio.

Ab inflammatione mammillæ puerpera melancholia correpta, reſtituta.

PVerpera quædam inflammatione mammillæ laborans, neſcio quid inſtinctu aliorum adhibuit, & poſtea in Melancholiam incidit, vt fingeret ſe eſſe mortuam. Nihilominus aliquando cibum ſumſit, & infantem etiam vberibus admouit. Admonita autem vt hoc vel illud faceret, ſemper reſpondit, ſe libenter facturam, modo non eſſet mortua. Sed paucis medicamentis adhibitis ad ſanam mentem rediJt. *Doctiſſ. Vir Ioan. Francus Hildeſius ſuis mihi per CL. V. Laurent. Scholzium communicatis obſeruationibus.*

Obſeruatio.

A partu muliercula nonnunquam Melancholia, & tandem confirmata Mania correpta eſt.

VXor D. Hieronymi Schnitteri, quarto anno, à celebratis nuptiis, peperit filiam, & quarto die à partu cœpit conqueri de vigiliis & Melancholicis inſomniis, paulo poſt facta eſt maniaca, ita vt vinculis oportuerit cohiberi, ſed tamen poſtea curata eſt. Sequenti anno geſſit vterum, nec quicquam poſt partum ſenſit, ſicut & tertio anno, quo etiam feliciter peperit. Quarto denique anno cum rurſus pareret, à primo partu, denuo incidit in eadem ſymtomata, & facta eſt plane Maniaca. *CL. Medici Ioannis Heſſi Norici Obſeruat. per CL. V. Ioach. Camerarium, vna cum ſuis ad me tranſmiſſa.*

Obſeruatio.

Puerperas nonnunquam phreniticas fieri: & ſi neglectim habeantur, ſibi ipſis vim inferre.

NOui mulierem pulcherrimam Delfenſem, prolificam, quæ in vnoquoque puerperio phreniticae, & poſtea furore afficeretur, adeo in inſaniam adacta, vt nuda aliquando per 24. horas continuo in lecto ſtaret; & cum neglectim haberetur, ſola è lecto ſurrexit, & per tabulam felis inſtar in ciſtam ſuperiorem aſcendit; & cum ibi ſeſe abſcondiſſet, & aſtantes cubiculum intrantes, eam non inuenientes, mœrore afficerentur, tandem exclamauit mulier ſe ſe in ciſtam abſcondiſſe, ita, vt non niſi magno periculo cum ſcala deſcendere potuerit, quo miraculi inſtar aſcenderat. Sed huic aliquando vulnus ex caſu inflictum erat ſupra capitis verticem: vnde cerebro debilitato, puerpera ſemper delirabat. *Foreſtus Scholio obſeru. 7. lib.* 10.

In Hagha Comitis, Matrona quædam puerpera phrenetica, cum ab obſtetrice, tum aliis minus cuſtodiretur, & ſola eſſet, è lecto ſurrexit, & per feneſtram ſaltans, miſere obiit. Quibus exemplis docemur, vt phrenitici nunquam ſoli abſq; diligenti cuſtodia manere debeant. *Idem obſeru. 1. eiuſdem libri.*

Obſeruatio.

Puerpera quadam, ex ſiniſtro inguine efflictim dolens, à puerperio dolore indies aucto, locus affectus poſt maturantium vſum ferro apertus, educta puris laudabilis copia ægra conualuit.

VXor cuiuſdam ciuis puerpera non procul ab inguine ſiniſtro ſenſit dolores, ſed abſque tumore & rubore loci affecti. Elapſo puerperii tempore magis magisque de doloribus eo in loco conqueſta eſt. Cumque tactu facile dolor exaſperaretur, delitelcere ibi materiam ſuſpicatus ſum, quæ ſi per interiores partes ſibi viam quæreret, id non ſine vitæ periculo fore, prædixi. Adhibitis igitur maturantibus, locum poſtea vbi maior erat dolor, ferro aperire iuſſi, quod à Chirurgo factum eſt, ſed primo nihil niſi aliquot ſanguinis guttæ effluxerunt, itaque turundam indidit, atque emplaſtrum impoſuit. Veſperi autem emplaſtro remoto, & turunda extracta, magna bene cocti puris copia erupit, cumque per dies aliquot ex eo loco exiiſſet, tandem vlcus conſolidauimus.

Eadem ratione alia quædam mulier in vicina vrbe, huiuſmodi affectione laborans curata eſt.

Sed Medicus quidam excellens, eodem in loco durum tumorem cum obſcuro dolore ſentiens, ſibique perſuadens, pituitam inteſtinis tenaciter adhærentem, huius mali cauſam eſſe, ideoque à prædicta

cura

cura abhorrens, extinctus eſt. Nam pus ex vlcere interno corroſis inteſtinis per ſedem exiit, & accedente etiam febrili calore, morbus iſte virum optimum è vita ſuſtulit. *De CL. V. Ioan. Franci Hildeſii Medici Camenicenſi obſeru. lectiſſimis.*

DE MENSTRVA PVRGATIONE.

PRÆCOX.

OBSERVATIO.

Puella recens nata menſtruis obnoxia, mamillis pendulis, & pilis aliarum atq; pubis ornata.

NOſtris temporibus præſentata fuit puella, quæ nata fuit dependentibus vberibus: & cum pilis inguinis & aſcellarum: & ſatebatur mater eius etiam, quod patiebatur reſolutionem menſtruorum: quod abſque dubio accidit propter fortitudinem caloris formantis & maturantis. *Albert. Magnus com. ad lib. 2. Phyſicor. Ariſtot.*

OBSERVATIO.

Quinquennes puellæ menſtruis affectæ, idq; ſine valetudinis incommodo.

PVellam noui Venetiis annum quintum agentem, ſingulis menſibus modice tamen expurgatam. *CL. V. Hercules Saxonia ſuis ad me Patauio liberaliſſime miſſis obſeruationibus.*

Vlricus Negelin, qui vietor eſt, & ciuis Friburgi Briſgoici, filiolam ſuſcepit ex Maria vxore, Annam nomine, quæ ſtatim atque quintum ætatis annum exegit, menſtruo fluxu laborare cœpit, quo iam inde ab eo tempore ſemper ſtatis diebus laborauit. Agit autem nunc ætatis vndecimum annum. *Doctiſſ. V. Iac. Suterus de obſ. prop.*

OBSERVATIO.

Fluori muliebri & menſibus rubris obnoxia puella octo annorum.

FLuor muliebris non tantum ætate maturas, verum etiam virgines, quas pallor decolorat, inuadit, quo & puellam octauo ætatis anno obſeſſam vidi, ac diu poſtea grauiterque afflictam. *Fernelius lib. 6. cap. 16. Patholog.*

Puellæ cuidam octauo anno menſes rubri ſuperuenerunt, cum ceſſaſſet ſanguis è naribus fluere, quod ei antea ſæpius contigerat. *D. Gaſp. Wolph. ex CL. V. Geſneri ſchedis.*

SEROTINA.

OBSERVATIO.

Admodum ſenibus menſtrua purgatio fluens.

NObilis fœmina Bungardica ex Desbeck nouit mulierem 103. annorum honeſtam, quæ cum eſſet annorum 101. recepit menſes ordine fluentes magna commoditate naturæ & valetudinis: Retinuit iſtum ordinarum fluxũ 101. 102. & 103. ſed hoc anno profluxib. eiſdem tentata occubuit. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

Mareſcalkia Pfettenburch ex Ketleris nata, nobilis fœmina, cum ageret an. 70. & amplius recepit ſuos menſes ordine, bene valens, & retinuit annos 4. Quatto tamen anno videbantur ab ordine diſcedere & inordinatius prodire, atq; ita adhuc valet hoc an. 84. quid ſecuturum ſit videndum. Obiit autem anno 90. *Idem ſect. v. conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Per quas venas menſtrua purgentur.

PEr eas venas quæ à cauæ diuiſione exoriuntur, quæq; in vteri ceruicem ad ipſius latera inſeruntur, menſtrua expurgantur: quemadmodũ ſæpenumero vidi hiſce oculis in aliquibus mulieribus quæ violenta morte periere dum adhuc illis menſes fluerent: neq; in his modo, ſed etiam in aliis quibuſdam quibus inſtabant, & mox fluxuri erant, idq; præſertim Piſis accidit, dum mulierem eiuſmodi in publico theatro ſecarem: aderat diſcipulorum ac Doctorum multus numerus: mulieri, cuius anatomen profitebar, Sanctæ nomen erat, quæ cum ante menſem geminos peperiſſet, eoſq; miſeros vix in lucem productos luce priuaſſet, ac ſuffocaſſet, eam iuſti iudices ſuffocandam iuſſerunt: nam vt inquit Poëta ille.

Non eſt lex iuſtior vlla,
Quam necis artifices arte perire ſua.

In hac igitur muliere Sancta nomine, reuera autem dæmoniaca potius & venefica, huiuſmodi venę, quę in aliis non admodum magnæ eſſe ſolent, inſignes erant & nigerrimæ, & propterea ſatis perſpicuæ. Quãobrem licuit ſpectatoribus per Sanctæ cadauer in animum inducere, per quas venas fluunt menſtrua, eas non tranſire per vterum. Sed ſi quis ita obſtinate oppoſitum ſentit, vt neq; ſi oculis cernat quod dixi illi ſuaderi veritas poſſit, ego nihil moror, ipſe viderit. *Columbus anat. lib. 6.*

Ex ramo ilio venæ cauæ duæ ſunt propagines, quarum vna Syluio epigaſtria dicta, ſurſum aſcendit per muſculos rectos, ac mammariæ occurrit. Paulo ſupra altera propago ceruici vuluæ & ori inſeritur, ſicuti & ſedi hæmorrhois, vnde fit conſenſus vteri cum mammis ob viciniam, ſurſum ac deorſum fluente ſanguine ex vtero in mammas, & contra. Ab hac propagine poſteriore interdum fluit craſſior ſanguis non aliter quam per hæmorrhoidas. Aiunt virgines & grauidas hac via aliquando purgari. Quod certe in grauidis magis neceſſarium videtur, poſt aliquod tempus, ob arctam illam colli vteri adſtrictionem, quaſi nodulis quibuſdam accurate & artificioſe à natura inſtructam, vt ne vi quidem ſpecillum emitti poſſit, & ob acetabula, è quibus ſanguis deſtinatur alendo fœtui. In virginibus non tanta adſtrictio. Quæ igitur fluxio fit ex iis venis, eam ad menſtruam purgationem vulgo referunt, cum tamen & partus, & vaſorum, & ſanguinis fluentis natura diligenter perſpecta, hæmorrhoidũ potius ſpecies quædam appellari debere videatur. Non enim niſi ſolo ſitu differunt, niſi dicas in grauidis veram eſſe purgationem menſtruam regurgitante illuc ſanguine, qui in capacitatem vteri per venas è ſeminariis vaſis expurgari debebat. Sed cum hoc non ſit omnino ſecundum naturam, & ex ijs quæ raro contingunt, id etiam cæteris, quæ vterum non gerunt, haudquaquã conueniat, nec ita certis & menſtruis interuallis fiat, minus id videtur conſentaneum rationi. *Scholiographi ad c. 58. lib. 1. de morb. intern. Hollerii.*

OBSERVATIO.

Lactantibus nonnullis menſes ſine valetudinis incommodo fluere, & quæ nam huius ratio.

PLurimis nutricibus etiam ordinatas purgationes fluxiſſe vidimus, & multis vtero gerentibus: ambabus tamen multi ſanguinis, & natura, & ex victu pleniore. *Syluius de menſib. mulier.*

Sub

Sub rectis muſculis abdominis in interna ſuperficie Aquenſis anatomicus Anno 83. monſtrabat propagationem duarum venarum ſatis inſignium, quarum vna ſurſum, altera deorſum vergebat: illius quæ ſurſum ortum monſtrabat ex trunco venæ magnæ, alterius vero (deorſum vergentis) ex ipſo pectore, quam ad vteri regionem cum aſcendente iungi oſtendebat: hasque duas illas venas eſſe dicebat, quarum beneficio maximus ſit conſenſus venis vteri cũ venis mamillarum, adeo vt minime ſit mirandum, menſes fluere etiam lacte in mammis exiſtente: Nam cum hæc inferior vena ortum habeat à magnæ trunco, à quo multæ venæ & deorſum ad vterum & ſurſum ad mammillas tendant, beneficio huius concurſus fieri poſſe, vt ſanguis alterius partis regurgitare ad alteram partem queat. Hinc fieri vt mulier, quæ non ſit grauida, ſæpe ſe grauidam exiſtimet, errore oborto ex eo, quod ſanguis qui ſingulis menſibus effluere debebat, aut qui alias copioſior ad mãmas fluat, per iſtam venam ſurſum regurgitet, & in lac mutetur in mamillis, dum non totus in nutritionem earum abſumitur. *CL.V. Martinus Holtzapfelius de obſeru. ſuis Patauij annotatis.*

SVPPRESSIO.

OBSERVATIO.

Menſtrua purgatio raro admodum per plures annos legitime fluens: tandem hypercatharſi ſuperueniente mulierem è medio ſuſtulit.

BVmgardica nouit fœminam 76. annorum, quæ ſtatis temporib. gaudebat ad paucos annos menſibus ordinariis, cum tandem copioſiore fluxu periclitata & exercitata vitam finiret. *Solenander ſect. v. curat. ſiue conſ.* 15.

OBSERVATIO.

Mulieres quaſdam triennium, quinquennium, & ſeptennium nonnunquam menſtruis carere ſolitas, tandem concepiſſe.

MVlieres nonnullæ triennium, quinquennium, ſeptenniumq; menſtruis carent, deinde concipiunt, ante vero quàm concipiant (ſi non ſæpe) ſaltem ſemel in menſtruis ſunt, vt obeſæ cuidam Romanæ nunc accidit. *Alex. Petronius Traianus lib. 1. cap. 9. de morb. Gall.*

OBSERVATIO.

Quinquennium menſtruis deſtituta, vnde ſterilitatem ſibi contraxerat mulier: reſtituta.

EGo lignum Indicum coxi, & adiunxi dictamnũ. Vnde mulieri, quæ iam per annos quinq; nihil purgabatur, & ſterilis erat, & purgationem euocaui, & partum. Aliis portionem Porretanæ aquæ: omnia methodo inuenta remedia, experientia comprobata. *Iacchinus com. ad c. 66. lib. 9. Raſis.*

OBSERVATIO.

Frigidiſſima ex niue hauſta, mulieres quædam menſium ſuppreſſione correpta: quibus venæ ſectione ſuccurſum.

QVvm noſtra hac tempeſtate mulieres quædam Romanæ frigidiſſimam ex niue potarent, ob idque aut nullo pacto purgarentur, aut diminute, eas tamen Medici ſectione venæ adeo incolumes ſeruauerunt, vt nec ſanguinem ſpuerent, nec pleuritide, peripneumonia, aut angina vnquam corriperentur. *Galen. lib. de venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria mulierculæ haud ignobilis, cui menſtrua ſuppreſſa, & venæ ſectione reſtituta fuerant.

EGo cuidam mulierculæ, iam octo menſes purgationis menſtruę ſuppreſſione laboranti, extenuatiſſima cum eſſet, haud exiguo detracto ſanguine breuiſſimo tempore, proprium habitum reſtitui, ſicut & alias non paucas eodem modo ad ſanitatem reduxi. Sed quod illi mulieri accidit (neq; enim erat ignobilis) fuit valde celebre, ipſi quidem reſciſſa vena, & medicis ex eo remedio futuram vtilitatem firmiter polliceri verentibus, quinetiam nonnulli mihi aduerſari audebant non ſolum propter mulieris maciem, ſed etiam propter inappetentiam ex venæ ſectione ſecuturam eſſe noxam affirmantes, profecto hæc melius eſt longiori ſermone perſequi, quam vtrius Prodici Hippocrates mentionem fecerit, diligenter inuenire conari. Verum recentiores Medici ad magis ſophiſticam doctrinæ ſpeciem deflexerunt, ægrotis euenientia diligenter obſeruare, & ipſorum affectus, cauſasq;, ex quibus curationis inuentio acquiritur, indagare negligentes quæ & ipſa per experientiam diiudicatur. In muliere ſane, quam memoraui, primo die ſanguinis ſeſquilibram detraxi rurſum poſtero die libram vnam, tertio vero non multo plus ſemilibra, erant enim vnciæ octo. *Idem com. 3. ad lib. 6. Hipp. de morb. vulgarib.*

OBSERVATIO.

Ob menſium ſuppreſſionem male curatam à medico, mulier paralyſim incurrit.

MEdicus quidam Venetus mulieri cuidam, quæ ex ſuppreſſis menſibus laborabat, non euacuata prius pituita venas obſtruẽte, apozema quoddam dedit, quo aſſumto paulo poſt illa in paralyſim incidit. *CL. V. Laurent. Scholzius de obſeru. ſuis liberaliſſime mecum communicatis.*

OBSERVATIO.

Vrinæ, defectu menſium laborantium, quales.

VRinæ menſium) ſuppreſſione laborantium nigricantes ſunt, cum rubra quadam ſanie, perinde ac ſi aquæ, ex qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerunt, fuliginem quis miſcuiſſet: quemadmodum in illuſtriſſima Domina Maria Sanſeuerina Comitiſſa Nolæ ſæpius talem vrinam inſpexi: quibuſdam etiã vrina aut difficulter redditur, aut omnino ſupprimitur. *Altomar. c. 107. de medendis hum. corp. malis.*

OBSERVATIO.

Muliercula deuoratis magna copia prunis, menſium ſuppreſſionem, & ventris tumorem grauidæ inſtar incurrit: quæ tandem exacto anno purgantis medicamenti vi incredibili oſſiculorum prunorum per aluum deiectione liberata eſt: tumore ſubſidente, & menſibus legitimum ſuum typum denuo ſeruantibus.

ACceſſit me ante ſeſquiannum mulier quæpiam, ſuo comitata marito, è pago Wertwaldt/ cuius venter adeo intumuerat, ac ſi geſtaret ſobolem, aut aliquam molam diutius retentam: fluxum etiam menſtruorum per anni ſpatium non viderat. Ego conſideratis omnibus accidentibus, illam prægnan-

tem

tem eſſe non reperi, neque molam geſtare vtero: verum potius craſſum, & compactum ſanguinem menſtruoſum eſſe in cauſa putaui. Adhibui ergo digeſtiuum, & pilulas purgantes tam inteſtina quam vterum. Hinc illa beneficio alui tantam copiam nucleorum de prunis domeſticis, quæ ante annum vna cum nucleis comederat, egeſſit, vt omnibus, qui audiuerunt hoc, impoſſibile viſum fuerit, quod tamdiu viuere potuiſſet. Semotis itaque nucleis, fluxus menſtruorum redijt, ac vteri tumor remiſit, tandemque bene valuit, cum antea ſemper cum morbo conflictaretur. *De obſeruat. CL. V. M. Ioan. Fabri mihi communicatis.*

Observatio.

De ſtillicidio menſtrui, veteribus, præter vnum Aetium, incognito: noſtris vero non infrequenti.

Meminit Aetius cuiuſdam affectus, quem ſtillicidium appellat, nomine à ſymtomate deſumto. Nam ſicuti vrinæ ſtillicidium, quem affectũ ſtranguriam græci vocant, appellamus, quando vrina nõ confertim ſed guttatim, & cum dolore & labore emittitur, cum plerunq; ex acri humore ſtimulante expultricem facultatem ortum habeat: ita etiam aliquando in mulieribus cõtingit, vt menſes perperã hac eadem ratione vacuentur, nempe quia non libere, & expedite effluant, ſed paulatim, & quaſi guttatim, cum multa mulieris moleſtia; quia lõgiori tempore eam occupat hæc purgatio, & cum multo (vt idem ait Aetius) dolore, nam (ait ille) ſymtomata, quæ vtero accidunt, illis fere ex proportione reſpõdent, quæ veſicam ſolent moleſtare, vt enim aliquãdo omnino ſupprimitur vrina, aliquando guttatim excernitur, & aliquando cum multo dolore, & difficultate: ita & menſes interdum omnino intercipiuntur, interdum paulatim, nonnunquam difficilis, & cum dolore fit eorum excretio. Huius tamen rei, quod meminerim, non legi ab aliquo antiquo medico factam mentionem, præterquam ab Aetio: neque tamen abſque ratione ab eo factam exiſtimo: nam ita fieri, ſicut ipſe dixit, obſeruando percipere poſſumus. Refert autem ipſe cauſas quoque cur fiat menſtrui ſtillicidium, quæ tamen poſſunt in tria illa communia capita referri: nempe in facultatis, in ſanguinis, in inſtrumentorum rationem: in facultatis quidem rationem, quia illa in expellendo ſit facta imbecillior, vt nequeat niſi paulatim materiam menſtruam mouere: in ſanguinem, quia ille craſſior ſit factus; & hoc, quia, aut nimis pituitoſus ſit, aut quia fæculentus: item etiam quia copioſior, vt ſua multitudine ita exitum impediat obſtruendo, vt non poſſit niſi paulatim exire. Mihi vero vnam rationem prætermiſiſſe videtur Aetius: ea vero eſt acrimonia: nam ſicut ſimilia ſunt ſymtomata, ita videtur, quod aliqua ſaltem ex parte ſit rationi conſonum, vt ſimiles cauſas habeant: & ſicut acrimonia in vrinis cauſa eſt, vt ſtillatim vrina excernatur, nempe cum ex ſtimulo nequeat natura tantiſper differre excretionem, donec multa colligatur vrina, ita etiam ex acrimonia menſtrui ſanguinis fieri poteſt, vt paulatim, ſicut ad vterum defertur, ita ab eo expellatur. Non eſt autem cur de cauſis, vel ſignis differentiarum iſtius affectus multa loquamur, cum ſatis poſſunt hæc ex illis, quæ hactenus fuere expoſita, facile percipi: quædam tamen de ratione ſymtomatum, quæ mulieres in illis ſolent opprimere, dicemus. Ait ergo idem Aetius, qui dolores vehementes ſolent excitari: varia autem cauſa eſt doloris pro varia etiam ratione affectus. Nam quando ratione acrimoniæ fit hoc ſtillicidium, in promtu eſt ratio cur doleant: acrimonia enim doloris cauſa eſt. In aliis vero differentiis cauſa eſt doloris diſtentio venarum & partium vteri ob repletionem à multa materia, quæ ad vterum ab vniuerſo corpore detruſa inde non poteſt expelli: cui & id accedit, quod ex loci caliditate poſſunt multi excitari flatus, præſertim ſi ſanguis fuerit pituitoſus, aut melancholicus, à quibus magis diſtenſus vterus maioribus doloribus fit obnoxius. At vero cum in hoc ſtillicidio vteri plerunque menſium, ſi non omnino, magna ſaltem ex parte ſit ſuppreſſio: ideo & reliqua ſymtomata, quæ illis ſolent accidere, quibus aut menſes ſupprimuntur, aut ſaltem modice fluunt, in hoc quoque affectu ſolent mulieres intercrucíare. Sed & ſicut ſimilis eſt ratio, qua hic affectus fit: ita etiam ſimilis curandi ratio, nam ab eiſdem omnino cauſis fit, à quibus & ſuppreſſio menſtruorum, & eodem etiam modo ſubinde eſt inſtituenda curatio: quare neque iterum ea repetemus. *Trincauella de rat. curand. partic. hum. corp. affect. libr. 11. cap. 7.*

Observatio.

Morbus virgineus: Febris alba vulgo dicta.

Conquereris mihi, vt tuo fido Achati, filiam tuam Annam primogenitam & iam nubilem, à multis procis, virtutum integritate ac ſtemmatis claritate, opumque facultatibus auito tuorum maiorum generi non imparibus, in coniugem deſiderari, quos tu, ob filiæ imbecillitatem, abdicare cogaris. Nec id adeo tibi eſſe moleſtum, quam quod hactenus nullus Medicorum internam morbi cauſam & eſſentiam explicare, ſimulque curam præſcribere potuerit. Nam vnus eſſe cardilagiam ait, alius cordis palmum, hic vero dyſpnœam, ille matricis ſuffocationem: nec defuiſſe, qui ex vitio epatis eſſe ventriculi faſtidium ſuſpicarentur, quorum diſcors de filiæ tuæ morbo iudicium effeciſſe ais, vt totus animi pendeas, nec quid facto opus ſit diſcernere poſſis. Ob id à me de morbo filiæ iudicium, ac de nuptiis conſilium fidele, pro veteri amicitia efflagitas: ſimulque quibus morbi ſymtomatis affligitur, recte primum declaras: cuius nempe faciei indoles, cum anno præterito roſeo genarum labiorumque rubore floruiſſet, ea modo velut exanguia palleſcere triſte, corad quemuis corporis motum contremiſcere, arteriasque temporum ſenſibiliter pulſare, & in choreis aſcenſuve ſcalarum dyſpnœa corripi, ſtomachum cibum, ac præcipue carnem faſtidire: & crura præcipue iuxta talos, ad noctem œdemate tumeſcere. Ex his ſane accidentibus & ſignis morbi pathognomicis, quæ morbi cauſam & ſubſtantiam prodũt, eiuſque curam deſignant, miror veſtrates Medicos morbi cauſas & naturam nõ agnouiſſe. Quod vero nomen illius non dixerint, id, cum ad morbi curam nihil conferat, nihil quoque refert. Multæ ſunt in morborum catalogo ægritudines, nomine & non cura carentes. Nec hic morbus propriam habet nomenclaturam, quam cum ſit virginibus pe-

culiaris, virgineus quoque indigitari poterit: quem B abantinorum matronæ febrem albam, ob faciei pallorem,& amatoriam appellare ſolent:cum paleat omnis amans,& color hic ſit aptus amanti,quamuis febris admodum raro coincidat. Sed hic morbus virgines frequenter infeſtat, cum viro iam maturæ, ex ephebis exceſſerint.Nam id temporis, natura duce, ſanguis menſtruus ad matricis loculos & venas ab epate defluit:qui cum ob illarum anguſta oſcula, quæ nondum patuerunt, viſcoſis quoque & crudis humoribus obſtructa,& denique ob ſanguinis groſſitiem erumpere non poſſit: tum rurſum per venæ cauæ maiorisque arteriæ propagines, ad cor, epar, diaphragma, & præcordiorum venas regurgitat:capiti quoque bona pars impartitur,& circa viſcera accidentia grauia parit, dyſpnœam, tremulum cordis palmum, epatis inflationem, ſtomachi faſtidium, cardialgiam: nec raro cum amentia epilepſiam & delirium. Quod *Hippocrates in libello de Virginum morbis*, his teſtatur verbis: Virgines, inquit, quibus nuptiarum tempus aduenit, maturæque iam viro ſunt, ſpectrorum imaginariis terroribus affliguntur, præſertim cum menſes deſcendunt, nam ante hoc non admodum male afficiuntur. Poſtea vero ſanguis in matricis locellos,tanquam effluxurus deſtillat & deſcendit, cum autem oſcula exitus obſtructa fuerint, ſanguiſque ob cibaria & corporis incrementum auctus,illic collectus ſubſiſtit plurimus,nec vbi effluat, exitus venarum pateant,præ copia cor,ſeptum tranſuerſum, præcordiaque petit, quibus repletis, cor ſibi non conſtat, & torpet, ex torpore vero deſipit & delirat. Nil certe mirum,cum epar à fœculento menſium ſanguine non expurgetur,& eo præcordiorum venæ infarctæ fuerint, hypochondriorum viſcera intumeſcere,& his diaphragma (vt in hydrope) coarctari, quod difficilem parit anhelitum,teſte *Galen. in fine tertij de Dyſpnœa libri*, vbi vniuerſaliter inquit: Si internus tumor aut dolor circa hypochondria conſtiterit, tum parua & crebra fit ſpiratio. Deinde cum cor,ſtomachus & epar, vtriuſque venæ chylis & arteriæ ramis, velut communi vinculo connectantur,his ſane ſanguine groſſo, flatuoſoque ſpiritu & vapore refertis & obſtructis, vt hos cor extrudat & deoppilet,ne ſuffocetur,frequenti arteriarum & ſyſtoles motu eluctatur, & palmo contremiſcit: quo defatigato, quid obſtat ἀσφυξίας, καὶ πνευμάτων ὑπολήψεις, καὶ ἀπνοίας, id eſt,pulſus & ſpirituum ac anhelitus interceptiones concidere? quibus æger obmuteſcat, & vt deploratus iaceat. Vnde me hercule *Galen. Acutorum diæta* ſcite ait, δύναται δὲ καὶ πλῆθός τε καὶ πάχος αἵματος, οὐ μόνον τὰς ἀρτηρίας πνευματῶσαι ποτὲ, καὶ διέξοδον οὐκ ἔχειν, ἀλλὰ καὶ αὐτὰς ἰδίως ὀνομαζομένας φλέβας, id eſt, Poteſt autem & multitudo & denſitas ſanguinis non modo arterias inflare, & exitum obſtruere,ſed & ipſas proprie nominatas venas. Poſtremo an filia tua hac affecta ægritudine, nubere debeat,& quæ ſit huius curatio,en fidum ex Hippocratis diuite medicinarum penu conſilium communicabo,qui *in libello de Morbis virginum* ait: Huius morbi liberatio eſt venæ ſectio,ſi nihil obſtiterit.Ego vero, inquit, præcipio, virgines hoc modo afflictas,vt quamprimum viris cohabitent, & copulentur: ſi conceperint,conualeſcent: ſi vero in pubertate hoc morbo non corripiuntur, tum paulo poſt eas inuadet,niſi viro nupſerint. At vero ex maritatis, ſteriles magis id patiuntur. Hoc ſaluberrimo diuini Hippocratis conſilio, ſi medicamenta menſes prouocantia,& obſtructionum aperitiua,ſanguinis groſſi ſubtiliatiua adiunxeris, nihil his præſentius reperire & excogitare poteris: quibus ego in huius virginei morbi cura nunquam falſus, aut ſpe fui fruſtratus. Quare bono ſis animo,filiam tuam elocato: nuptiis quoque ego libens intereo. Vale. *Langius Epiſt. 21. tom. 1.*

MENSES TVM SVPPRESSI, TVM LOco alieno fluentes.

OBSERVATIO.

Menſes reſtitantes ex oculis & auribus euacuati.

NOs religioſam vidimus, & nunc curamus, quæ menſes non habet, cum in ea ætate ſit, in qua habere deberet: at ſingulis menſibus ſanguinis copia ex oculis & auribus exit. *Braſauolus com. ad aph. 25. lib. 4. Hipp.*

Prouidæ ac ſeſe exonerantis naturæ exemplum,in virgine quadam,me obſeruare memini. Carnoſa hæc erat,calidoq; temperamento prædita, ſanguineque redundans. Cum autem ætas adeſſet, ad menſtruas purgationes idonea,vtpote 16. annorum,neq; menſes ſuccederent, natura per oculos ſuperfluentē ſanguinem expellere conata fuit: ſanguineis guttis lachrymarum inſtar frequenter ex oculis profluentib. bene fecit huic è vena talo proxima detractio, quam menſtrua purgatio,nō ita dudum, ſubſecuta eſt. *Dodonæus c. 15. obſeru. medicinal.*

Menſibus non procedentib. corpora fœminarum morboſa fiunt, inquit *Hippocr. libr. de Genitura*:quod quidem intelligendum venit,niſi aliunde ſanguis irrumpat.Nam vt idem *Hippocrates aph. 33. ſect. 5.* Menſtruis deficientibus,ſanguis ex naribus fluens, bonū. Huic autem virgini non ex naribus ſed ex vicinis oculis profluxit. *Idem in Scholijs.*

Cognouimus cui vnoquoq; menſe, ſanguis, licet modicus,per maiorem oculi ſiniſtri angulum, fluebat. *Lud. Mercatus lib 1. c. 7. de mulier. affect.*

In vicino oppido,quod Melanthoni noſtro Chalcis Saxonica nuncupatum eſt,puellæ cuipiam nubili menſibus cunctantibus, lacrymæ cruentæ, extillarunt. *Salomon Albert. in oratione de Sudore cruento.*

OBSERVATIO.

Menſes remorati per nares & os expulſi.

VXor hominis Germani qui ad tabernam habitat,vtero gerebat, ſeptimo menſe magno capitis dolore cruciabatur, pro quo leuando cucurbitulas ſcapulis cum ſcarificatione affigi fecimus. Sed veſperi puerum peperit, & febris ardens illam inuaſit. Nihil purgabatur,multum ſitiebat,anxie agebat, res in dubio erat.Sequenti vero die cum ſaphena pedis vena ſecta eſſet, & ſanguis exiret, interpoſitis paucis horis per os & nares ſanguis menſtruus illi copioſiſſime effluxit. Poſt cuius fluorem capitis dolor remitti cœpit, & ſymptomata omnia minui. Sequenti vero die cucurbitulis fœminibus admotis, & ſyr. de byſantiis ſine aceto ebibito, ac aliis retractionibus adhibitis, ſanguis diuerti ac retrahi cœpit, ac ſic rectam viam ſequutus fuit. Cum vero menſes fluerent, ſe ſanam dixit,& baſilice perſeuerauit. *Luſit. cent. 2. curat. 17.*

Quan-

Quandam curauimus & ſanitati reſtituimus, cui ſingulis menſib. ſanguis ex ore prodibat. Plures vero nouimus & nunc cognoſcimus, quibus ſingulis menſibus ſanguis per nares ſcaturit. *Braſſauolus comment.ad aphor. 25. libr. 4. Hippoc. Item ad aphor. 32. libr. 5. Hippoc.*

Pleriſque menſtrualis materia in vtero ſuppreſſa vomitu excluditur, vrinis, hæmorrhoidibus: aliis in varices abit. Vxori meæ dum virgo eſſet deriuabatur & purgabatur per nares menſtrualis materia. *Pareus lib. 23. cap. 52.*

Quædam patiebatur fluxum menſtruorum per nares omni menſe in magna quantitate per menſes 13. quam inciſa vena ſaplena & adhibita purgatione curata eſt. *Solenand. ſect. v. conſ. 15.*

Hæmorrhagia narium ſingulis menſibus recurrit in quadam honeſta Matrona, quæ iam per viginti annos, menſibus carens, hoc genere vacuationis purgatur, non tamen abſque magna moleſtia, & ſæpe ſuffocationis periculo non leui, quod ſanguinolenta materia, vel in naribus concreta, vel ad tracheam arteriam deorſum lata, omnem fere ſpirandi facultatem tollat. *V. CL. Iacobus Oethæus lib. obſeru. prop.*

Repentinus ſanguinis exitus, ex ore plerunque fœminis, quibus menſtrua non reſpondent, eueniire ſolet; idque ſingulis menſibus euenit, ijſdemque menſtruæ purgationis circuitibus apparet: nec non ijſdem ſtatis ceſſationis diebus ſupprimitur, ac niſi mulieri laboranti ſuccurratur, per multos circuitus ſanguinis emiſſio reuerteretur. *Aretæus libr. 2. cap. 2.*

Cum tuæ hiſtoriæ, de clauſo ano, & reiectis per alias vias recrementis, mihi hiſtoriam cuiuſdam puellæ Sturgardianæ (cui ex obſtructis vteri vaſis menſtruæ purgationes ſtatis temporibus, per os regurgitaſſent,) eius te ſimul admonendum duxi, vt & illius etiam Sturgardianæ, cui eædem purgationes, per inſuetas alioquin naturæ vias, ac vix credendas, ſuccederent. *CL. V. Ioan. Culmannus de obſeru. prop.*

OBSERVATIO.

Menſes dentis euulſione per vulnuſculum ſeu præſepiolum, expulſi.

NOs, quod ſupra communem hominum fidem eſt, Furnis municipio Flandriæ mulierem nouimus, cui forte fortuna, cum eliſus eſſet dens molaris, ſoliti alioqui menſes ſupprimerentur, natura noxium illum fæculentumque ſanguinem propellente, ſingulis menſibus ex eliſi dentis vulnuſculo, ſanguineus quidam gurges, purgationi proportione correſpondens, effluxeret. *Bald. Ronſſeus lib. de hominis primord. & hiſt. ericis affect.*

OBSERVATIO.

Menſes per ſputum extreati.

EX Inſula Chio ancilla, vt tradit Eraſiſtratus, qui diu fluxus menſium ſubſtiterat, ſtatis menſium periodis, ſanguinem abunde expuebat. Quod & Nurenbergæ, virgini de ſtemmate patritio, accidit. *Langius Epiſt. 10. tom. 2.*

Per ſputum cruentum, idque copioſum, præſertim fœminas, vidi ſine noxa vacuari, ac earum quædam, loco menſtruæ purgationis, ita vacuabantur, menſtruis temporibus. *CL. V. Oethæus lib. obſ. prop.*

OBSERVATIO.

Menſes vomitione proiecti.

QVibuſdam mulieribus accidit emiſſio menſtrui cum vomitu per os ſuum. *Rabi Moyſes. Partic. 24. Aphoriſ. ſuorum.*

Vrgebatur mulier acerbiſſimo capitis dolore, propterea quod menſtrua non prouenirent: verum his demum vomitione propulſis, ilico ſublatus eſt dolor. Sed cum id iterum iterumq; ac ſæpius factitaſſet abhorrens tandem mulier ab huiuſmodi vitio, auxilium noſtrum expoſcit: qui ſola ſanguinis miſſione, ex venula, quæ ſub talo eſt, & menſtrua ipſa ex naturali loco rite profluere coëgimus, & quod ſequens eſt, mulierem ipſam priſtinæ ſanitati reſtituimus. *Beniuenius c. 41. de Abditis.*

Mulieri ſanguinem vomenti, erumpentibus menſtruis, ſolutio. Vnde mulier Florentina, cum intolerabili capitis dolore, ex retentione menſium, affligeretur, his vomitu eiectis, conualuit: & ne morbus iterum incrudeſceret, ſaphenæ ſectione ſibi cauit. Huius euētus hæc eſt certa ratio: per quas venas & meatus epar chylū ſugit & attrahit, per eaſdem ſponte, aut virtute pharmaci, humores ad ventriculum quoque regurgitant, quando vero ſanguis in matricis loculos effluxurus deſcendit, & venarum oſcula obſtructa fuerint, tum ſanguis ibi collectus, per venas matricis ad epar, cor, & venæ chylis ramos regurgitat, & in ventriculum per venas, quæ eius orificium & fundum ambiunt, deſtillat, & vomitu expurgatur. Ob id *Hippocrates in prænotionibus* ait: Qui ſanguinem ſpuunt, dextrum dolentes hypochondrium, de epate ſpuunt, & ſterilibus ad conceptionem prodeſt. Atque *in Aphoriſmis*: Quicunque, ait, ſanguinem euomunt ſine febre, ſalutare: cum febre vero, malum, curare vero eos refrigerantibus & ſtipticis oportet. *Ioan. Langius Epiſt. 40. lib. 1.*

Venæ Vteri, cum venis Meſenterij ἀναστομώσει manifeſta committuntur, per quas in inteſtina trāſponitur ſanguis menſtruus, & ex his in ventriculum. Et hos eſſe ductus, per quos, magnos & patentes ſatis, ſanguis ab vtero in inteſtina & ventriculum refunditur, teſtatur copia ſanguinis, quæ à mulieribus, in tali affectu, vomitu redditur. Longior ſane & minus euidens eſt illorum via: qui volunt, venas matricis humorem in hepar, cor, & venæ cauæ ramos mittere, & inde in ventriculum, per venas, quæ eius orificium, ac fundum ambiunt, ac hinc deinde vomitu expurgari. Qua in ſententia vir quidam ſummus fuit. *Hieron. Reuſnerus ad cap. 31. Iod. Willichij de Vrinis.*

Illa Religioſa, de qua ſuperius mentionem feceram ſingulis menſibus imminente purgationum tempore, ſanguinem euomit. Nunc ſemel menſes prouocati ſunt, tamen ſanguinem euomuit, ſed in minori copia, quia etiam menſtruorū copia parua fuit, etenim ſanguinis pars ad vterum deſcendit, & pars ad ventriculum. *Braſſauolus com. ad aph. 31. lib. 5.*

Cum Patauij medicinæ operam darem, audiui ex hoſpitis mei vxore, quod in iuuentute ſua quandoque menſium ſuppreſſione laborare ſolita fuiſſet: & hanc ſemper præcedere ſitim ingentem, & præcordiorum (vt ipſa vocabat circa cor) grauitatem, ac quandam quaſi ſuffocationem. Accidit autem, cum aliquando febricitaret, ſitiretque vehementer præter ſolitum, quumque medico referret, quod ſitis

ſemper menſium fluxum præcedere ſoleret, atque etiam tum menſium tempus inſtaret: Medicus interdixit omnem tum vini tum aquæ vſum; vini quidem propter febrem, aquæ vero propter matricem, credens, eam hæc dicere vt potum concederet. Accidit itaque cum præter naturæ conſuetudinem abſtineret à potu, creſceretque dolor circa præcordia & anguſtia, in nocte cœperit bis aut ter ſanguinem vomere. Vnde in inſtanti Medicus vocatus, ſtatim iuſſit, interea dum ſe indueret, fieri ex quocunque obuio prodio clyſterem; deinde etiam ex ſaphena ſanguinis euacuationem, idque nulla interpoſita mora. Interea dum vena ſecatur, ſenſit manifeſte grauitatem præcordiorum remittere, ac quaſi deorſum trahi: & reſtituta eſt. Quinetiam, antequam ſecta vena eſſet, leuamen aliquod ſenſit ex frictione facta à ventriculo inferius. Id Patauij obſeruaui & adnotaui. *CL. V. Caſp. Wolphius.*

Hiſtoriam & Curationem vomitus ſanguinis mẽſtrui, vide *in Martini Ruolandi Curat. Empiric. cent. 3. curat. 4.*

OBSERVATIO.

In impeditis menſibus non naturaliter aliquando lunares purgationes mulierum per colli vteri venas profluere.

SAnguinem, per ceruicis vteri venas, quibuſvis tandem mulieribus, emanare interdum poſſe, collectu promtiſſimum eſt, vel ex ſanguinis è naribus, & ano, & faucibus, & ventriculi etiam ſubinde defluxu: quodque vterum quibuſdam mulieribus & virginibus, annis aliquot mira fuſcæ, craſſæque aquæ copia turgidum fuiſſe, iam ſectione non ſemel deprehendimus: quibus alioquin menſtruus ſanguis ſæpius, etſi non ordinatis omnino vicibus, certisque interuallis, eiuſdemque perpetuo quantitatis profluxit, non aliunde ſane, quam ex venis vteri ceruicem implicantibus. *Veſalius lib. 5. cap. 15. de corp. hum. fabrica.*

OBSERVATIO.

Menſes per ſanguinis periodicam emictionem expurgati.

REligioſam virginem curaui, quæ ſingulis menſibus ſanguinis mictum habebat, & illi menſes defecerant expurgabatur autem per vrinam, quia ſolum, dum mingebat, exibat ſanguis, aliter vero non exibat: quæ & nunc viuit & integra ſanitate fruitur. *Braſauola comment. ad aphor. 75. lib. 4. Hipp.* Hanc hiſtoriam ex eodem autore *Scholiograph. ad c. 52. libr. 1. Holl. de morb. intern.* repetunt.

OSBERVATIO.

Menſtruum ſanguinem nonnullis ex hæmorrhoidibus profluere.

REligioſam quandam curaui, quæ ſingulis menſibus per nares euacuabatur, ſed id ægre ferebat, cum tamen minus moleſtaretur, quam alia quædam cui ex hæmorrhoidibus ſanguis menſtruus fluebat. *Braſauolus com. ad aph. 33. lib. 5. Hipp.*

OBSERVATIO.

Menſes detentos, aliquando per ſedem excludi.

SI non conuerſum fuerit os vterorum ad pudendum, circa lateris mollitudinem ſuppuratur, & hac parte tranſitus fit menſibus: ſed eadem periculoſa ſunt, quæ prius ſunt relata. Sed & ad vomitum conuertitur, & quibuſdam in ſedem, velut in virginum morbis à me dictum eſt, & ſigna & dolores eoſdem oſtendit, quos iſthic retulimus. Ad hanc viã minus faciunt menſes mulieribus, quam virginibus. *Hipp. lib. 1. de morb. muliebr.*

Vbi menſes defecere non ſolam per nares vacuationem bonam eſſe (dixit *Hippoc. aph. 33. lib. 5.*) ſed eam ſimpliciter commendauit, nõ quod ea ſola ſit addito. Quod ſi quiſpiam vacuationem eam, quæ per ſedem fit, ita affectis mulieribus vtilem eſſe dixerit, id minime pugnat cum aphoriſmo. Siquidem Hippoc. aliquando vno quopiam velut exempli gratia, propoſito, de aliis ſimilibus omnibus pronunciare videtur. *Galen. com. 5. ad aph. 33. Hippoc.*

Quæ è ventriculo ad hepar venæ chylũ euehunt, eædem ſæpe mutatis velis ſanguinem reducunt eodem; quanquam id ſymtomatice faciant, & præter naturæ legem. Quæ iſthæc breuior lõge expeditiorque eſt via ad ſedem, quam per hæmorrhoidas. Quo ſanguis (quanquam hæc non valde alto interuallo diſtent ab hypogaſtrica pudendaq;) remeare nequit niſi ante relatus per hepar ad truncum venæ portæ regreſſus, inde tandem exportetur foras per ſedem. Quod non vſque adeo dictum videatur conuenienter. Euacuationis δι' ἕδρας meminit quoque *Galenus* in ſuppreſſione menſtruorum *lib. 5 aphor* Quanquam eueniat etiam nonnunquam vt abſceſſu rupto ex ſuppreſſione illorum, diuertat ſanguis periodice ad eam partem, ſicuti viſum fuit nobis non ita pridem. Hinc vero miſella interiit. *Cordæus comm. 1. ad libr. 1. de mulieb. Hipp.*

OBSERVATIO.

Sanguis menſtruus per mammas emiſſus.

MVlier nobilis, cum puerum lactaret, & vt fieri ſolet, menſes longo tempore ſuppreſſos haberet, ecce per mammas ſanguis illi efflui cœpit copioſiſſimus, à quo præter fluxionis tædium nullum capitis dolorem aut noxam percipiebat. Facta tandem ex ſaphena pedis vena ſanguinis copioſa extractione ex mammis ſanguis illico retractus fuit, & mulier ab hac fœda affectione libera, quæ medicorum iudicio in inſaniam ventura eſſet, iuxta *Hipp.* dictũ *li. 5. aph.* 40. quod habet: Quibuſcunq; mulieribus ad mammas ſanguis colligitur, furorẽ ſignificat. Tametſi vero Galen. hoc nunquam vidiſſe teſtatur, nos tamen cum Hippocrate, ſanguinem per mamillarum papillas effluere in duabus nobilibus, altera Luſitana, altera vero Itala, hucuſque ſeruatum habemus, quarum nulla in inſaniam aut furorem deuenit, ſed potius ſanguine ex ſaphena miſſo illico ſanitati reſtitutæ fuerunt. Cæterum Antonius Muſa Braſauola refert à ſe mulierẽ viſam, cui ſanguis per vbera fluebat, quia gemellos nutriebat: qui cum vehementer exugerent, ſanguinem in lac conuerti non ſinebant. Et ita huic contingebat, vt ijs qui nimio vtuntur coitu, quibus ſanguis exit, qui in ſemen conuerti nõ potuit, vt citato habetur aphoriſmo. *Luſit. cent. 2. cura. 21.*

Vxori Petri Fabri Caſtrodunenſis, menſium materia ſe per mammas ſingulis menſib. tanta copia exonerat, vt ei ebibendæ & exhauriendæ vix tria aut quatuor mantilia ſufficiant. *Pareus lib. 23 cap. 52.*

Quid quæſo maiorem faciat fidem communi

inte

inter vterum & mammas per vaſa, quam qui periodice cuidam lectiſſimæ mulieri aliquando ſanguis è mammâ excurrebat, quum ipſa deſiiſſet aliquando prius pro more (credimus) menſtrualis eſſe per loca ſcilicet ad id deſtinata & conferentia? Quod autem hic volumus, eſt huiuſmodi, & iam nunc referentia ea ipſa verba Doctoris Fabri, qui ex Ruellio nepos dictus à nobis fuit, & veritatis eſſe amantiſſimus; nec fraudem ſane faciemus vllam poſteritati. Viſa eſt (ait) & altera mulier 1569. (plures enim deſcriptas ab eo hiſtorias eadem demiſſa ad nos continebat ſchedula) Caſtelloduni ad ſuperiorem parte inhabitans, cui menſtrua per mammæ ſiniſtræ papillam menſibus ſingulis tanta copia profluebant, vt quatuor aut quinq; lintea, quæ vocat vulgus mantilia, imbubinaret inquinaretve ſordidiſſime. *Cordæus com. 6. lib. 1. de mulieb. morb. Hipp.*

Audiui mulieres quaſdam, ſuppreſſis menſtruis, ſanguinem ſtatis periodis, certiſque circuitibus per mammarum papillas profudiſſe. *Andreas Laurentius anat. lib. 1 quæſt. 10.*

Observatio.

Menſes menſtruo tempore cuidam per vmbilicum, vna cum vermibus euacuari ſoliti.

In quodam Comitatino, plures vermes ex vmbilico egreſſi ſunt, & vixit in vrbe Tridentina, quo tempore ibi Concilium celebrabatur. Aderat mulier quædam, quæ præterquam quod ſingulo menſe illi menſes ex vmbilico erumpebant, inde quoque viui lumbrici erumpebant. *Nicolus ſerm. 2. c. 8.*

Observatio.

Menſes aliquando per minimum manus digitum: & per annularem ſiniſtræ manus profundi.

Quod magnam infert admirationem, id ſane eſt, quod nos iam ter vidimus: videlicet, per minimum manus digitum, & per annularem ſiniſtræ manus, ſingulis menſibus ſanguinem profundi, non copioſum, in religioſa quadā fœmina, cui natura menſtruam purgationem denegauerat. *Lud. Mercatus lib. 1. c. 7. de mulier. affect.*

Observatio.

Menſes ex maligno pedis vlcere euacuati, abſciſſo eodem, legitimum curſum conſecuti ſunt.

Puella cacoeton experta eſt vlcus, preterito anno, in pede ſiniſtro, per quod ſtatis temporibus menſes effluxere, is quaſi emortuus meo ſuaſu abſciſſus eſt, me præſente, ſuper genua, tandem conualuit, & menſes recte eruperunt, poſt amputationem. *CL. V. Eſaias Meichſnerus de obſeru. propr.*

Observatio.

Sanguis menſtruus per vulnus effluere viſus.

Vidi cuidam vulneratæ ſanguinem menſtruum, non per conſueta loca, ſed per vulneris ſinum effluxiſſe. *Theophraſt. Paracelſ. part. 1. tract. 1. c. 11. chirurg. magnæ.*

HYPERCATHARSIS.

Observatio.

Menſium hæmorrhagia, nihil proficientibus aliis medicamentis, ſola venæ ſectione cohibita.

Multas vidimus, quæ detracto ſanguine multo è vena conualuerunt, cum nullis aliis remediis reprimi poſſet fluxus ſanguinis. *Holl. comment. ad aph. 50. lib. 5.*

Observatio.

Septem menſium fluore curata quadam remedio ſingulari.

Suffitus ranarum combuſtarum egregie retinet hunc defluxum ſanguinis, vt ego expertus ſum in excellentiſſima domina mea duce Cardonæ & Sugurbi anno 1544. hoc fluore affecta ſeptem fermè menſibus, quæ diuino fauore ad priſtinam reſtituta eſt valetudinem. Suffitum vngulæ mulæ ſiſtere mirifice hunc ſanguinem expertus ſum: quamuis ab eo fiat per menſem ſterilis fœmina, vt quibuſdam placet. Hoc medicamentum multas nobiles Catalanas laborantes hoc affectu ſatis antiquo curauit: ℞. corticum duorum ouorum recentium aduſtorum, thuris, maſtichis, ana vnciam ſemis, margaritarum electarum, coralli rubri præparati, karabæ, ana drach. duas, lapidis hæmatitæ, & ſmaragdi præparati ana ſcrup. ſemis, farinæ hordei ſine furfure, p. ij. albumina quatuor ouorum, &, ſi opus fuerit, adde parum aquæ calibeatæ, & fiant duo panes ſeu placentæ, & coquantur in furno vt poſſint in puluerem redigi: doſis huius pulueris eſt à drachma ſemis vſque ad drachmam vnam cum iure pedum arietinorum ſummo mane. *Ioan. Mich. Paſchalius de morb. curand. c. 55.*

Observatio.

Admiranda & vix à quoquam animaduerſa menſium & hæmorrhoidum continuata reciprocatio, mulieris cuiuſdam: à quibus malis remedio non minus raro quam certo vindicata eſt.

Erat hic (Torgæ) vxor Capitanei electoris Brandenburgici, quæ per quadrãtem anni quotidie infeſtabatur fluxu ſang. qui omnino non potuit vllis remediis ſiſti. Fluxus autem eiuſmodi erat. A nouilunio ad plenilunium habuit quotidie fluxum menſtruorum. A plenilunio ad nouilunium quotidie copioſe fluebant hæmorrhoides, quos fluxus cum ad me venit, vnico remedio compeſcui: poſt purgat. conuenientem etiam iuſſi vt membro imponeretur ſpongia aceto roſ. impleta. *Ex literis Clariſſimi Medici D. Kentmanni ad Geſnerum Varronum Tiguri-num datis, communicauit doctiſſimus Wolphius.* Cæterum occultum nobile remedium, cuius hic mentio fit, conſtat medullâ Saxorum Torgenſium vel Rochlicenſium (cuius loco bolus arm. verus poteſt ſubſtitui) ſeſquidrachmæ pondere, florum animæ binis ſcriptulis, & carneoli gemmæ ſcriptulo. Deteruntur in puluiſculum. Hæc ex Archiuis noſtris. *Schenckius Filius.*

Observatio.

Spontanea Saphenæ hæmorrhagia appreſſo filice cohibita.

Ante ædes CL. V. Iac. Iokiſci Præceptoris mei, mulieri cuidam Saphena in ſiniſtro pede ſua ſponte rumpebatur, plurimumque ſanguinis profundebat. Hæmorrhagia iſthæc ſubito eruto recens è terra filice & admoto vulneri compreſſa eſt. *A D. Valentino Hennero.*

Observatio.

Menſtruorum profluuio mortua.

SAnguis omni ſtudio refrigerandus & incraſſandus eſt, vti quiete animi, & corporis. Scimus enim Vicecomitem ipſam Caſtriboni periiſſe menſtruorum immodico fluore, cuius cauſa fuit magnus motus: confecit n iter trium leucarum, vt vocant, ad viſendam imaginem Mariæ de Serranca. Et aliis etiam omnibus internis, & externis ſtipticis, & refrigerantibus eſt incraſſandus, &c. *Ioan. Mich. Paſchalius c.55. de curand. morb.*

Observatio.

Iuſta Menſtruorum menſura.

IVſtam & naturalem eſſe mēſuram menſtruorum duas heminas Atticas, aut circiter, non olei, vt putauit Fuchſius, ſed vini, aut aquæ, vt redeant ad tres ſemiſextarios Pariſienſes: natura interim ætate & ſimilibus perpenſis. *Hollerius comment. ad aphor. 57 lib. 5. Hippoc.*

Iuſta menſtruorum menſura eſt duarum heminarum Atticarum, hoc eſt, à cheopina vſq; ad tres ſemiſextariolos Pariſienſes. Si quid excedat, ſi quid deficiat, vitioſum eſt. *Idem com ad aph. 36. lib. 5 Hipp.*

Observatio.

Mulieri cuidam intra triduum viginti quinq; libra ſanguinis per vterum excretæ ſalua vita.

MVlierem vidi euaſiſſe, poſteaquam ab ea egreſſæ XXV. libræ ſanguinis per matricem in tribus diebus. *Ioan. Arculanus comment. ad cap. 43. libr. 9. Raſis ad Almanſorem.*

FLVOR MVLIEBRIS.

Observatio.

Fluor vterinus vt à Gonorrhœa virulenta internoſcatur.

SVnt mulieres, quæ cum gonorrhœa virulenta laborent, honeſto nomine culpam prætexentes, fluore muliebri ſeu vterino ſe laborare mentiuntur: quod in vtroque affectu ingens profundatur eluuies. Sed ex purulentia facile affine id malum diſtinguet Chirurgus, ac niſi ſaliuatione, ſudoribusque citatis, ſanari id non poſſe ſibi perſuadebit. *Pareus lib. 23. c. 60.*

Observatio.

A deſperato vteri profluuio, mulier medici opera liberata: eundem quadringentis aureis donauit.

HOrum ego teſtem te habeo, mi Poſthume, quo tempore primum Romam venimus, quæ, puto vniuerſa intellexiſti ab ijs, qui à nobis ſanitati reſtituti fuerunt: inter quę & hoc fuit reuera admirabile factum: ob quod non ſolum mira loquentem, ſicuti prius me plures medici, ſed mira facientem appellarunt. Boethi vxor cum in muliebrem fluxum, quem vocāt, incidiſſet, celebres medicos verita, inter quos & ego tum ab omnibus habebar, obſtetricibus conſuetis, optimis ſane omnium, quæcunq; in vrbe forent, primum vtebar. Vir eius, vt ipſam nihil inde leuari vidit, præcipuos quoſq; medicos conuocat, & eos, quid opus ſit factu, conſiderare iubet: poſtquam in eam ſententiam ab omnibus itum eſt, vt ea remedia adhiberentur, quæ ab Hippoc. & aliis poſt Hipp. optimus quibuſque deſcripta fuiſſent, voluit Boethus, ſemper intereſſem mulieribus, quoties aliquid ægrotanti miniſtrarent vxori, probaremque ſingulas medicamentorum materias, quarum intentio ſummatim erat, non vterum modo, ſed vniuerſum corpus etiam ſiccare: vnguenta inſuper admouerem quæ muliebres locos ſupprimerent, morem Boetho gerebam. Sed, ita faciendo, cum deterius reddi morbus indies videretur, iure mecum & reliqui dubitare cœperunt: & quamuis omnes requireremus ad alium ſanandi modum tranſire, melius tamen quicquā aut ratione inuentum, aut experientia repertum non occurrebat, quam id, quod optimi quique Medici paulo ante conſenſerant. Interea vero tumor in ventre, qualis in prægnantibus ſuboriri conſueuit apparuit: quamobrem ex miniſtrantibus mulieribus nonnullæ re vera prægnantem eſſe ægrotantem crediderе: non tamen medicorum aliquis id verum eſſe arbitratus eſt: nam muliebris fluxus indicia, quæ ſingulis diebus excernebantur, earum opinioni refragabantur. Cum igitur ægrota mulier ab ancilla, quam fidam habebat, & alia ſibi fieri permitteret, quæ in prægnantibus fieri ſolent, & ſingulis diebus lauaretur, contigit, vt, in prima Thermarum cella vehementiſſimis doloribus correpta, quales parientibus aduenire ſolent, humoris aquei vſque adeo multum excerneret, vt animo defectam è thermis ipſam extulerit. Inclamantibus ergo & vociferantibus ancillis, verum neque pedes, neque manus, neque os ventriculi, quod vſitato nomine ſtomachus appellatur, fricantibus, ipſe, qui caſu ante fores balnei conſtiteram, audito clamore, intro me proripui: conſpicienſque frigentem, manu nardino vnguento admota, ſtomachum laborantis ex eo confricui, ancillaſq; iuſſi non fruſtra clamare, ſed vnam pedes calefacere, aliam manus fouere, reliquas odorandum aliquid naribus ſupponere: tunc itaque celeriter ipſam recuperauimus. Subſidente vero ob inanitionem ventre, ſummopere lætata eſt obſtetrix, non tam quia, vt opinabatur, prægnans non fuiſſet, quam vt ſummiſſo ventre, medicis, qui ſibi non crediderant, aperte contradiceret: eo quod vere intumuiſſe ventrem percepiſſet. Dubitantibus itaque ſingulis, quid factu opus eſſet, (nam nec ad priorem intentionem mulierem ſanare ſatis fidebant, nec ad aliud curationis genus tranſire audebant) noctu mihi de ea re cogitanti tale quiddam nouum occurrit. Nam, quando, vt dixi, mulier animo defecit, nihilq; adiumenti ancillis afferentib. ſed tantummodo clamantib. ipſe abrepto nardi vnguento præcordia cōfricui, recordatus ſum me tantā mollitudinem illic reperiſſe, vt cum animaduertiſſem poſtea me violentius à principio præcordia fricaſſe, timens, ne carnem liuidam redderem, à violenta confrictione deſtiterim: partes enim omnes circa præcordia, ſi quis exacte comparare velit, lacti, quod coagulatur, nondum tamen in caſeum obduruit, ſimiles fuerant. Prorſus itaque mihi viſum eſt inſiſtendum nimiæ humiditati exſiccandæ morbi, qui aquoſus eſſet: excogitandumque talem ſanandi modum, quo non ſolum humiditatem ſiccaremus, verum etiam ita calfaceremus, vt æſtatis præſertim tempore ęgrotantis corpus non liqueſceret, quod frigidæ & humidæ temperaturæ ſupra modum erat: huius tamen contrarium tunc faciebamus, cum ipſam in harena maris calida decumbere præciperemus. In aliud quoque erroris genus, qui pleriſque in morbis occurrit,

tum nos etiam incidere collegi: labuntur enim ſæpe Medici, dum id quidem, quod redundat, euacuant: ne autem illi ſimile aliud gignatur, non prohibent. Atque ideo mecum decreui, vt vniuerſa victus ratio ad duo inclinaret, potus paucitatem, & totius corporis frictionem, quam non ex pice & reſina ſubſequeretur inunctio, ſed ex melle ſolo, multum quidem cocto, tantum tamen refrigerato, vt hac in re fontanæ aquæ ſimilis æſtiuo tempore foret. Ac quemadmodum per cutem humorem redundantem euocare melius eſſe cognoui, ſic medicaminibus vrinam cientibus eundem per veſicam educerem deliberaui, dandamque operam cenſui, vt per aluum etiam detraheretur. His animo præſumptis, ſeptem ferme diebus qui ſubitam illam euacuationem ſubſecuti fuerant, Boethum, qui nos & ſeparatim ſingulos, & ſimul omnes aliquem ſanandi modum proſpicere hortabatur, ſeorſum ab amicis & domeſticis in aliam cellam abductum, ita ſum allocutus: Me, quem probe noſti vſque in hodiernum diem, ne in vna quidem re ad Medicinam ſpectante deliquiſſe, tecum ipſe conſidera, an totos hos decem dies circa vxorem tuam operam, quam velim, præſtare ſinas, ac, ſi melius interim ſe habere videbitur, totidem rurſus diebus aliquid denuo circa eandem agere iubebis: ſin nihil tibi profeciſſe viſus fuero, tum denique ab ea prorſus & ipſe recedam. Hoc mihi cum prompte Boethus conceſſiſſet, medicamento aqueum humorem per aluum educente primo vſus ſum. poſt aquam, in qua aſarum & apium ferbuerat, bibendam exhibui. Cum itaque duobus primis diebus bis remediis adhibitis, vterus minus fluere cœpiſſet, tertio die rurſus haud multum medicaminis illius exhibui, qui per aluum trahebat ea, quæ in vterum repebant, cum non ſolum per vrinam ſed per aluum etiam humorem deriuare vellem. Ab eo die poſtea quotidie & melle ipſam perunxi, & corpus confricui, molliſſimo primum, tum aſperrimo ſindone: montanarum inſuper auium carnes, & piſces ſaxatiles comedendos obtuli. Cum igitur diebus quindecim hiſce remediis vſus eſſem, nullum prorſus morbi veſtigium apparuit, quod cum animaduertiſſet Boethus, quia plus etiam quam promiſeram me præſtaſſe vidit, vt prorſus vxorem ſuam liberarem, poſtulauit: præceptaque exhiberem rogauit, quibus in poſterum amplius eo morbo non ægrotaret. Cum itaque Menſe tranſacto & bene colorata mulier adeo foret, vt ad naturalem habitum nihil penitus deſiderari poſſet, nec amplius fluxus indicium aliquod ſupereſſet, quadringentos aureos ad me Boethus miſit, & Nobilium Medicorum inuidiam auxit: nam me apud eos laudibus ſummis extollebat, affectabatque ſicut & Seuerus, mentionem de me facere apud Imperatorem Marcum Aurelium Antonium, qui Romæ tunc erat, nam Lucius iam ad Parthicum bellum à Vologeſo illatum vrbe exierat. *Galenus de Præcognit. ab Poſthumum capite octauo.*

* * *

VTERI SVFFOCATIO.

CAVSA.

OBSERVATIO.

Cauſa hyſtericæ acceſſionis vapor eſt ex vtero, non tam per venas & arterias, quam per ductus cæcos & latentes ſublatus, veneficus & malignus: neque à menſtruo, vel ſemine tantum, ſed & aliis venenatis & corruptis cauſis ſuſcitatur.

VARII ſunt ordines, variæque hyſtericarum acceſſionum formæ, quæ circuitu vt epilepſia repetunt, aliis quidem crebrius, aliis rarius, dum diſcuſſa ſit earum cauſa. Sub acceſſionis finem humor quidam ex muliebribus locis excurrit, inteſtina obmurmurans, deinde oculi attolluntur, malæ rubeſcunt, intellectus, ſenſus ac motus reſtituitur, & corpus firmari incipit. Sæpe tamen deprehenſum eſt frigus tum temporis è capite per ceruicem in ſcapulam & brachium illabi, quod ſtuporem, difficilemque motum redderet, exhiberetque ſpeciem quandam paralyſis, ſed quę nonmulto poſt diſcuteretur. Cauſa quidem acceſſionis hyſtericę eſt vapor ex vtero, non ſolum per venas aut arterias, ſed & per ſpiracula cœca & latentia ſublatus, atque is certe venenatus, tamque malignus ac pernicioſus, vt partium, quas attigerit, facultates offendat, earumque functiones intercipiat. Si vaporis naturam ſpectemus, plurimorum venenorum cōditione frigidus & melancholicus eſt. Huius focus eſt vterus, in quo vel menſtruus ſanguis, vel cōcluſum ſemen, vel alius quiuis humor in hanc venenatam malignitatem corrumpitur. Vt igitur ſæpe animaduerſum eſt comitialē morbum ab vtero vel in prægnante ſuſcitari, in quo venenatus humor tetrū vaporē in cerebrum expiraret, ipſumq; morbū cum partu finiri: ita & de hyſtericis ſymtomatibus credendum. Hæc autem vix putem duntaxat vel à menſtruo vel à ſemine ſuſcitari, cum & eas, quæ bene purgantur, & vterum geſtant, & viri conſuetudine fruuntur, plerumque fatigent: cumque ſupra quingentos eodem cœnobio degere videamus, quæ diu conſuetum veneris vſum intermiſerunt, nullo hyſterico ſymptomate. Quiuis autem humor in vtero hoc modo corruptus, eius generis vaporem ex loci natura venenatum expirat, & vnde vita, illinc & ſumma veneni pernicies exoritur. Hinc fit, vt tametſi viris diu hæmorrhoides ſuppreſſæ ſint, aut veneris vſus ſit intermiſſus, nulla tamē hyſtericis ſimilia ſymtomata cōtingant. Hæc quoties grauia incidunt, noſcūtur quidem facile, leuia difficile, quod melancholicis aut cardiacis non admodum ſint diſſimilia. Debent autem omnium affectarum partium obſeruatione, omniumque ſignorum conſenſione diſcerni. *Fern. lib. 6. cap. 16. Patholog.*

OBSERVATIO.

Ex retento ſemine vteri ſuffocatio & conuulſio oborta.

QVoddam accidens apparuit in muliere, ex longo iam tempore vidua: quæ præter cætera mala, neruorum quoque diſtentione vexabatur, ac, dicente obſtetrice, vterum eſſe retractum, remediis,

ad huiuſmodi affectus cōſuetis vti decreuit: quibus adhibitis, partim ob ipſorum calorem, partim etiam quod inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione, cum labore & voluptate, veluti per coitum vſu venire ſolet, excreuit craſſum plurimumque ſemen, atque ita à moleſtia ſua liberata eſt mulier. Proinde manifeſta coniecturа aſſecutus ſum, vitiato ſemini maiorem quam mēſtruis eſſe vim ad noxam vniuerſo corpori inferendam. Itaque licet hæc quidem aliquando profluant è viduis, ſuppreſſum nihilominus ſemen moleſtiam noxamque ipſis inferre poteſt. *Galenus libro ſexto, de locis affectis.*

In muliere, quæ vteralibus morbis vexabatur, in vuluam prius, deinde ex ea foras & copioſiſſimum & craſſiſſimum ſemen effluere viſum eſt: quod, quia diu vidua permanſerat, tam multum, atque huiuſmodi collectum fuiſſe manifeſtum eſt. Sed nunc ipſam lumborum, manuum & pedum diſtentiones quædam inuaſerant, vt conuulſa eſſe videretur, quo tempore excretum eſt ſemen: dicebatque ſe voluptate etiam ſimili affectam, qualis in coitu contingere conſueuit, atque hoc ſemen quidem & craſſum, & copioſum propterea fuit, quod multo iam tempore non fuerat euacuatum. *Gal. lib. 2. c. 1. de ſemine.*

Vidi aliquando in vrbe Papia, vbi arti operam dabam, viduam, quæ tamen iuuenis amplius non erat, tam diris vexatam conuulſionibus, vt immundo ſpiritu correpta videretur, epilepticis alioquin ſimillima facta.

Alia Matrona Ruſtica, cum à retento ſemine miris modis diuexaretur, adiit me, & ea narrauit, quæ pudor ſcribere non ſinit. Quieſcere non poſſunt, nec edere, nec dormire, animus mirum in modum illis perturbatur, & tandem ad ſuffocationem deueniunt, aut vitam cum morte commutant. *Thaddæus Dunus lib. Miſcell. de re Med. cap. 9.*

Obſervatio.

Vteri ſuffocatio ex hæmorrhagia ſaphiæ per imprudentiam & fortuito commiſſa.

QVEM ipſi accepimus oculis animoque ſenſum, hunc ſi apud vos tanto audacius exponimus, quanto propius & verius ad ſententiam accedit veteris magiſtri Hippocrat. In vetere vico templi domicilium habebat magnus, qui fuit Regis aliquando prætor. Cui tum in œconomia ſubſeruiebat vir ſane bonus, Thomas Duchemin εὔσαρκος, & eius vxor. Hæc vero quum aliquando veſperi exuiſſet ſeſe ineundi gratia ſomni, illi (vt aiunt) forte fortuna exciderat è vaginula cultellus acutior in ſuccinctum, aut potius implicitum illius amiculum. Nocte exacta nudum cultellum vna cum veſtimentis nihil cogitans mulier recepit die ſequenti. Deinde etiam mane egreditur, ac ſeſe in emporium confert pro more ſuo. Vnde quum redit, & ad patentes fores accedens, diffidenſque ne maturius illæ ſibi precludantur, dum vetat id, & eminus clamitat, ecce in foueolam imprudens impingit pauimenti, & haud auſpicato quidem delabitur in manus ſuas. Atque eo quoque caſu in ſapheiam ipſius cultelli acies adacta eſt, qui extremis oris veſtimenti defluentis circum pedem clam continebatur. E cuius vulnere per hæmorrhagiam tanta conſequuta eſt inanitio vaſorum, & vacuitas, maxime vero vteri, vt in diſcrimine ſummo vitæ ab vteri ſuffocatione verſari, imo & pene animam agere omnibus videretur. Verumtamen illi expedita per nos curatio opportune fuit atque perfecta: pleniore cibo nimirum, quiete, ſomno, atque iiſce quæ ſuo loco vterum quidem continerent: grati præterea odoris rerum ſuffitu, fotu, enemate hyſterico, cucurbitis ad crura interna admotis & ventrem imum. Quid vero hæc ad rem, niſi quod vterus effectus leuior, quia inanis, conſcendit ad hepar, qui per oppreſſionem periculum creabat tunc quoque ſuffocationis. *Cordæus Commentar. 2. ad lib. 1. de Morb. Muliebr. Hippocrat.*

Obſervatio.

Ex Zelotypia ſuffocatio ab vtero, velut ab aliis animi paßionibus.

PROVENIT quoque animi affectu: idque ego ſæpe vidi, cum aliqua mulier ex zelotypia viri iraſcetur, & animus valde afficeretur, tunc ſequuta illa ſuffocatio. Et ego noui quaſdam mulieres, quæ ita iraſcebantur & afficiebantur zelotypia, vt ſtatim caderent in hunc morbum, & perpeſſæ ſunt ſæuiſſima accidentia. *Iohan. Baptiſt. Montanus in Conſil de Suffoc. ab Vter.*

Obſervatio.

Muliebrium teſtium ſinus, & in illis contentus humor obſeruatus, qui in ſanis craßiuſculum lactis ſerum exprimit: in ægrotis vero croceus, fœtidus, venenoſuſque euadit: ex quo virgines nubiles, amantes, pallentes, menſtruis purgationibus deſtitutæ, & attenuato corporis habitu prædítæ, lethales plerunque vteri ſuffocationes incurrunt.

HABENT mulierum teſtes intus, præter vaſa, ſinus quoſdam tenui aqueoque humore plenos, qui prius non læſo teſte, ſed vi compreſſo, ac inflatæ veſicæ modo crepante in miram altitudinem inter diſſecandum, non ſecus quam ex ſcaturigine quadam exilire ſolet. Vt vero is humor velut craſſiuſculum lactis ſerum in ſanis mulieribus albus eſt, ita quoque illum mire luteum, croceumque & paulo craſſiorem deprehendi, in duabus non vulgariter nobilibus puellis, quæ ante mortem vteri ſtrangulatu vexabantur, quibuſque alterius teſtis ſinuum vnus duntaxat, inſtar maiuſculæ pilæ protuberabat, croceo humore illo infartus, & conterminas ſedes non ſecus tingens, quam in hominibus colon inteſtinum, qua ſub iecore fertur, à bilis veſicula luteum reddi cernimus. Vtque huius humoris liquoriſve rarus occurrit color, ita quoque grauiſſime olebat, venenoſumque quid & tetrum præ ſe ferebat: illorum cerebri ſymptomatum indubie author, quæ in vteri ſtrangulatu indies oboriuntur. Vna virgo annos nondum nata quatuordecim, ex pulmonum, vt videbatur inflammatione, & frequenti in eo morbo vteri ſtrangulatu periit, qui non ita pridem moleſtus eſſe cœperat. Altera annos iam attingens duos de viginti, poſteaquam vno aut altero anno inſigniter palluerat, illiſque ſymptomatibus ſubinde oppreſſa fuerat, quibus puellas modo fere teneri conſtat,

conſtat, quæ perdite amantes, menſtruas purgationes diu ſuppreſſas habent: aut quibus albus ille & crudus humor longo interuallo profluit ſuffocatione ita interiit, vt cum porrecti veneni parentibus incideret ſuſpicio, ea mihi Mediciſque aliquot ad expetitam ſectionem obtigerit: quam præter ingentem pulmonum albedinem mollitiemque, ac totius corporis exanguem habitum nihil vitioſum, vel circa vterum ipſum, deprehendi, præter luteum illud miris modis olens alterius teſtis tuberculum. *Veſalius li. 5. cap. 15. de corp. hum. fabrica.* Poſterioris puellæ multis aliis morboſis cauſationibus defunctæ meminit idem author *in Epiſtola de radice Chinæ pag. 73. edit. Venetæ.*

SYMTOMATA.

Observatio.

Vteri ſuffocationis ſymptomata varia & rara ex ſympathia partium, cum quibus conſentit, nata.

QVIA vterus maximum cum corde per arterias habet conſenſum, cum cerebro vero per ſpinæ membranas & neruos, horum membrorum actiones variæ læduntur, admirandaque ſubſequuntur ſymtomata, præſertim ſublato tetro vapore ſurſum ex cauſa coniuncta ipſius affectus. Cum acceſſio imminet torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, pallor quidam faciei. Hinc ſopor grauis, mẽtis deſipientia, ſenſuum interceptio, ἀφωνία, crurum contractio & ſimilia. Quibuſdam riſus, aliis lachrymæ, aliis vtrumque, vt D. de Rochepot: quæ cum varicoſa eſſet, eo affectu corripiebatur, cum delirio, riſu, lachrymis, contractione oculorum. Alteri riſus, deinde perturbatio mentis: hinc lachrymæ, à quibus etiam monitæ non ceſſant. Sed nihil admirabilius, quam quod duabus filiabus Præſidis Rhotomagenſis contingere ſolebat in motu ſurſum vteri, quo interuallis laborabant. Riſu enim longo ad horam, & horas duas imminente paroxyſmo capiebantur, quem neque metu iniecto, neque hortatu, neque aliis artibus poterant compeſcere. Parentibus interrogatæ & obiurgatæ reſpondebant ſe non poſſe continere riſum. Aliis prius lachrymæ, deinde riſus mouetur in eodem affectu. Sunt quæ magnam ducunt reſpirationem, in quibus neceſſe eſt nullam fieri compreſſionem ſtomachi & cordis, ſed materiã alio ferri. Inclinante acceſſione humiditas quędam è locis muliebribus prodit, ventris ſtrepitus, laxatio vteri. Circuitu quodam redit morbus, hyeme præſertim & autumno. Cauſæ ſunt refrigeratio vteri, ſpermatis corruptela, humor quidam craſſus, & veluti ſeminalis in vtero corruptus, grumus, Menſes ſuppreſſi, læuigatus & nimium vacuatus vterus. Sic enim ad loca humida ſeſe conuertit, & è capite ac reliquo corpore immodico labore ſiccatus trahit. Id quoque grauidis fieri poteſt inopia alimenti ſicciore facto vtero, & concalfacto labore. Eodem modo è defluxione pituitæ à capite in præcordia & impedita reſpiratione, vtero ad humiditatem concurrente. In remediis hæ omnes cauſæ diſtinguendæ Alii aiunt vacuato vtero, vt per immodicam menſium fluxionem, aere vterum repleri & ita inflari conniuente collo. Gratis etiam odoribus ad nares quibuſdam aſcendit. *Scholiograph. ad cap. 59. lib. 1. Hollerii de morb. intern.*

Observatio.

Ex ſuffocatione vterina voces horrendæ in paroxyſmis.

IN ſuffocationibus vterinis quam multa obueniunt, quæ ſæpe inexercitato Medico ſuſpicionem numinis præbuerunt? quando à venenato ſpiritu inflatæ arterię, diductęque in amplitudinem, ſecundum longitudinem contrahuntur, vnde neceſſe ſit aliquando mulierem ſtrangulari: vnde & voces mirandas ex imis viſceribus exaudiri, nunc velut ranarum coaxatus, nunc ſerpentium ſibilos, crocitus coruorum, gallorum cucurritus, latratus canum, &c. quæ tamen pro viarum & erumpentis ſpiritus proportione caſus effingit. *Corn. Gemma libro primo, cap. 7. Coſmocrit.*

CVRATIO.

Observatio.

Ad vteri ſuffocationem remedia rara, exemplis nobilibus demonſtrata.

ADfertur è noua Hiſpania lapis, quem vteri morbis adprime vtilem eſſe ferunt. Niger eſt, admodum politus, ponderoſus, maiore ex parte teres & rotundus. Mirum porro eſt quod de hoc lapide prędicant: nam mihi affirmauit nobilis quædam & magnæ authoritatis Matrona, quæ eo vſa eſt, & in vmbilico geſtauit adeo firmiter inhærentem, quaſi iſthic adglutinatus fuiſſet, ex quo præſens & certiſſimum ſenſit commodum: idem aliæ aſſerunt, quæ ſimili modo iſto lapide ſunt vſæ. Cum vteri ſuffocationem imminentem præſentiunt, adhibito lapide, ſubito leuantur: & ſi eum perpetuo geſtent, nunquã ſimili morbo corripiuntur. Exempla huiuſmodi faciunt vt his rebus fidem adhibeam. *Monardes libro 3. Simpl. Medicament.*

Contra matricis ſuffocationem vnguem Alcis præſentaneum eſſe remedium, & ab aliis audiuiſſe, & periculo facto me cognouiſſe fateor. Nam acceſſitus vt medicam manum adhiberem cuidam mulieri ſuffocatione oppreſſæ, data huius vnguis raſura cum radice zedoariæ, aliiſque auxiliis ex arte adhibitis, optatum finem cum honore ſum conſecutus. Cum præterea intelligerem, eandem ſæpenumero eo ipſo morbo tentari, vt partem huius vnguis collo appenſam iugiter portaret, iniunxi, quod cum ſedulo feciſſet, quamdiu ego interfui, tribus nempe Menſibus, ea ſemper moleſtia caruit. Vnde mihi multoties gratias egit. *Apollonius Menabenus capit. decimo. De Alce.*

Nicolaus Florentinus narrat, ſe plurib. experimentis probaſſe, ouum antiquum in nido conſeruatum, ſi conquaſſetur & ſupra paruum linteum apponatur vtero, miro quodam modo reſtituere vterum. *Mercurialis de morb. Muliebr. lib. 4. cap. 21.*

Inter cætera, quod omnium maxime ſolet mulieres præfocatas quaſi momento reuocare, eſt euaporatio facta ad nares, ex puluere verrucarum,

quæ ti-

quæ tibiis equorum adnaſcuntur, quæ ſi in calente furno exſiccentur, & in puluerem redigantur, & naribus ſuffumigium fiat, tanquam præſentaneo remedio, & magna adſtantium admiratione, ſolent mulieres quaſi à mortuis reuocari. *Albert. Bottonus de Morb. Muliebr. cap. 47.*

Bryonia mulieres vuluæ ſtrangulationibus obnoxias mirum in modum iuuat adeo vt eas à ſtrangulatu liberet & ſanet. Equidem noui mulierē quotidie fere per annos hoc morbo vexatam, quæ tandem à quodam vulgari herbario edocta, vt vinum album biberet, in quo vitis albæ radicis vncia efferbuiſſet, dormitum itura ſemel in hebdomada: cum hac medicina per annum vſa fuiſſet optime ex illo morbo conualuit. *Matthiolus Comment. ad libr. 4. capit. 176.*

In vteri ſtrangulatu, habeas ſingulare remedium: Iulos ſiue catulos iuglandis in puluerem exiccatos contunde: datur ad ſcrupul. duos, cum guttulis duabus olei ſuccini. in eo affectu nihil vnquam noui præſtantius. *Thomas Moufetus in Epiſt. ad Petrum Monauium, exhibita libro tertio, Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium Cratonis & aliorum per Laur. Scholtzium, pag. 354.*

Quod nuper in vxore mea experti ſumus, præfocatione matricis grauiter laborante; quæ vis in caſtoreo eſt, vt epotum repente cruciatus omnes tollat, iactationes reprimat, matricem in ſedem ſuam retrahat, ibique ſiſtat, morbum denique omnem, cum acerbis periculoſiſque ſymtomatibus propellat? *Andreas Dudith in Epiſt. ad Venceslaum Raphanum eodem opere & libro pag. 303.*

Excellentiſſ. D. Crato præceptor olim meus, omni laude & memoria perpetua digniſſ. inter alia ſua euporiſta commendabat in ſuffocationibus vteri & ſimilibus affectibus vnguentum ex Sclarea, cum butyro, coctum, cui adiicitur aliquid gummi iſtius exotici, Takamahacæ, quod etiam tum vmbilico imponendum. *Camerarius in horto.*

Angelica odorata quæ ſponte creſcit, in Noruegia, Pomerania, & alibi, præſtans medicamentum eſt contra ſuffocationem matricis cum zedoaria in vino calido exhibita. *Camerarius in horto.*

Radicis petaſitidis vulgaris puluis cum Zedoaria & Angelica præſtans eſt remedium in ſuffocatione matricis.

Peucedani radix in ore retenta, efficax eſt in ſuffocatione matricis. *Camerarius in horto.*

Ad ſtrangulatum vteri Accipe aſſæ fœtidæ ſcriptulum, fiant pillulæ tres, vel plures, inaurentur, deglutiat eas cum malo tentari incipit. *Heurnius lib. 2. Meth. ad Praxim.* 588.

Spiritus ſiue Chyliſma Caphuræ nobili experimento medetur ſuffocationi ab vtero. Caphura integra accenſa & ex ſtalactico meliſſophylli liquore pluries extinctam vtebatur Parens meus magno cum fructu. *Schenckius, Filius.*

Vnguentum Moſchatum noſtrum. ℞. ciuettæ gran. tria, Ambrpati, Moſchi, ſingulorum granum vnicum. Excipiantur oleo ſuccini, quantum ad leuigandum ſufficit. Huius ciceris inſtar vmbilico inferendum, quod calore reſolutum vagam reuocabit matricem.

Idem Schenckius.

OBSERVATIO.

Ab vtero ſuffocatæ, pro mortuis habitæ: & ſæpe quoque elatæ, atque tumulatæ, reuiuiſcentes.

FOEMINARVM ſexus videtur maxime opportunus conuerſioni vuluæ: quæ ſi corrigatur, ſpiritus reſtituitur. Huc pertinet Nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, ſeptem diebus fœminæ exanimis ad vitam reuocatæ. *Plinius Nat. Hiſt. libr. 7. capit. 52.*

Sic *Rabi Moſes ex libro Galeni quem Patriarcha tranſtulit,* mulieri accidiſſe ex matricis ſuffocatione ſcribit: nam ſex continuis diebus eam ſine ſenſu & motu, arteriis etiam induratis tumulandam iacuiſſe fatetur, & denuo reualuiſſe. *Georg. Pictorius Serm. Conuiuialium lib. 1. pag. 20.*

Fœminæ aliquando in Vuluæ cruciatu elatæ in ſepulchris ad vitam rediere: quæ pro alterius mortuæ ſepulturæ detectæ, locum mutauere, atque ita miſerrime mortuæ inuentæ ſunt: ſeptuaginta propterea & duas horas, antequam humentur decreuere. *Alexand. Benedict. Pract. libro decimo, capit. decimo.*

Nonne monſtri ſimile eſt, extitiſſe mulieres, quæ hyſterica ſuffocatione correptæ: triduum totum ſine motu, ſine reſpiratione, pulſuq;, quod equidem appareret, iacuerint, pro mortuis per errorem elatæ. *Pareus lib. 24. cap. 19.*

Dum in Galliis Praxim exercerem, in manibus habui mulierem ex Vteri ſuffocatione pro mortua habitam ex ſemine retento, in qua 24. horis integris vita adeo latebat, vt eam aſtantes mortuam putarent. Quamuis illa ipſa DEI omnipotentis auxilio, per me ſanitati reſtituta fuit magno cum meo honore, tempore iuuentutis, primo anno cum praxim ibidem exercerem. *Foreſtus Scholio ad Obſeruat. 79. libro decimo.*

Sæpe contigit præfocatam mulierem vitali omni functione ita fruſtrari, vt à mortua nullo modo diſtingui poſſe videatur, præſertim cum, ob refrigerationis intenſionem, calor imbecillis adeo reddi ſoleat, vt pulſatio, reſpiratio, ſenſus ac motus omnis ablatus ſæpe conſpiciatur, magnoque errore illam tanquam mortuam presbyteris aliquando committimus, ideo vt procul ab omni mendacio ſententiam noſtram proferre valeamus, cum Galen. inprimis tenuem lanæ floccum, vel plumam naribus perforatæ admouendam curabimus, quæ ſi pulſum aliquem patietur, non leue vitæ argumentum nobis erit. Ad cuius ſimilitudinem, vitrum quoq; aqua plenum, ſuper ventriculi regionem alii imponunt, diligenterque intuentur, ſi aqua illa quouis modo moueatur, tunc veſtigium aliquod vitę in eadem ſupereſſe ſignificabitur.

Et mihi ſemel in hac vrbe occurrit Nobilis Matrona, quæ hoc ſymptomate correpta, aſtantium omnium conſenſu mortua iudicabatur. Cuius rei vt certior ego quoque fierem, ſpecillum perpolitum accepi, orique & naribus eius appoſui, quo cum aliquo modo infectum & obſcuratum obſeruaſſem, ſpe aliqua de illius vita concepta, aſtantibus omnibus ſtatim ſignificaui in mortua muliere aliqua adhuc me experiri velle, cumque multa & varia fieri iuſſiſſem, tandem ſumma omnium admiratione, ſenſim

ſenſim reuiuiſcere cœpit, vt ad conſuetas functiones tandem reuerſa etiam fuerit. Quod cum præter omnium opinionem eueniſſet, Mulierem à mortuis reuocatam fuiſſe magno gaudio & mei applauſu clamabant omnes. Et de inſperato, felici tamen euentu, mutuo amplectebantur & toto corde mecum ſimul congratulabantur. Vbi autem perfrigeratio vſque adeo intenſa facta fuerit, internuſque calor ita exiguus redditus, vt externa omnis reſpiratio ſublata ſit, iam propoſita experimenta ad verum iudicium deferendum nihil nobis amplius cōferrent. Sed tenuis lanæ floccus, pluma, & vitrum aqua plenum immota manebunt, ſpeculique nitor integer ſeruabitur, non propterea mulier iſta neceſſario vita deſtituta erit, quia etiamſi omnis pulmonum motio, qua reſpiratio fit, auferatur; adhuc tamen interna caloris tranſpiratio ſeruari poteſt, quæ non pectoris, aut pulmonum motu editur, ſed cordis potius, internarumque arteriarum latenti quadam motione efficitur, cuius ſolius gratia vita ſeruari & ſupereſſe poteſt. Quemadmodum pleraque alia reſtari poſſunt, quæ tota hyeme frigida & immota in cauernis permanent, vt omnibus citra vllam controuerſiam mortua eſſe videantur, quia tamen interna illa tranſpiratio cordis & arteriarum, occultiori motu facta, adhuc permanet, hinc fit, vt æſtate ſuperueniente, internoque calore ad exteriora denuo reuocato, veluti à mortuis reſurgant. Quod ſane illis euenire minime poſſet, ſi cum externa illa reſpiratione, interna quoque caloris tranſpiratio ſublata eſſet, cum à priuatione ad habitum regreſſum fieri poſſe negent Philoſophi omnes. Tanta igitur eſt tranſpirationis caloris neceſſitas ad vitam, tantaque horum duorum vnio extat, vt quemadmodum vita ſine tranſpiratione, ita nec tranſpiratio ſine vita eſſe non poteſt. Cæterum quia interna hæc caloris tranſpiratio, nullo ſenſu, nulloque ſigno à nobis diſtingui poteſt, ac proinde ſimul etiam ignorare oportet, an præfocata mulier vitali omni calore deſtituta ſit, quid nobis agendum erit, ne in hoc ſymptomate mortis æmulo errorem committamus, in magnaque noſtra infamia, tanquam mortuam ſepeliendam amittamus? Conſultius fore ego exiſtimo, vt nobis deficientibus certis ſignis, vitam à morte diſtinguentibus, familiaribus ſaltem mandemus imperemuſque ne pro conſuetudine huiuſcemodi mulieres ſepeliri permittant, ſed propriæ domui longiori tempore illas detineant, per duos inquam aut tres dies, quo tempore, ſi nullum vitæ veſtigium apparuerit, ſed fœtorem potius emiſerint, mortis certiſſimum argumentum omnibus eſſe poterit. *Albertinus Bottonus lib. de Morb. Muliebr. capit. quadrageſimo quarto.*

OBSERVATIO.

Quæ ex vteri ſtrangulatu mortua credebatur, à Medico ad Anatomem adhibita, inexpiabili & famoſo errore occiſa eſt.

ANatomicæ commentationis iacentis & prope neglectæ parens ac reſtaurator in Hiſpania ad nobilem mulierem, quæ ex hyſterico ſtrangulatu mortua credebatur, diſſecandam vocatus, ecce ad ſecundam adactæ nouaculæ impreſſionem derepente ad ſe illa redire, & artuum corporiſque, quod pro cadauere habebatur, motu ac clamore, vitæ adhuc ſuperſtitis ſigna præbere cœpit. Quæ res circumſtantes amicos in tantam admirationem horroremque rapuit, ſic primæ & melioris notæ Medicum illum infamem, odioſum & deteſtabilem reddidit, vt parum abfuerit, quin vnguibus omnium è veſtigio diſcerperetur & laniaretur: nihilque prius ſibi eſſe duxerit, ſi ſaluus eſſe vellet, quam prouincia quam citiſſime excedere, ſeque fuga inuidiæ ſubtrahere. Sed ne ſic quidem inteſtinum tortorem ac carnificē, quo iudice nemo nocens abſoluitur, male nempe rei geſtæ conſcientiam fugere potuit. Itaque non ita multo poſt mœſtitia confectus, magno rei & publicæ, & Medicinæ detrimento interiit. *Pareus libr. 23. capit. 46.*

VTERI PROCIDENTIA.

OBSERVATIO.

Stupenda mulieris cuiuſdam vteri procidentia: cui illa humani capitis magnitudine annis aliquot ſalua vita foras propendit.

PAVLVS negat, totam vuluam poſſe procidere. At noſtris temporibus in vna & altera, totam procidere extra ſinum, vidimus, ex cornibus tantum, & quibuſdam adhuc ligamentis ſuſpenſam, cuius rei etiam hodie teſtimonium adferre poſſumus. *Andernacus Commentar. ad capit. 72. lib. 3. Paul. Æginetæ.*

Memini mulieri cuidam vterum prolapſum totum foras ad humani capitis magnitudinem pependiſſe, ac ſic hanc aliquot annis miſere vixiſſe. *Dodonæus Annot. ad cap. 11. Beniuenii de Abditis.*

OBSERVATIO.

Vteri puellæ procidentis, mira ſymptomata.

SI fundus procidat, ſublatis cruribus facile redit: ſi vincula, declinet in latus vnde dilabuntur. Puellæ cuidam (quod à nobis annotatum eſt) tremor ſiniſtra parte in facie & thorace, non inferioribus partibus. Decumbenti in ſiniſtram mouebatur: quieſcebat reuolutæ in dextram. Mane & veſpere mouebatur. Ardebat ſimiliter & frigebat. Suppreſſi Menſes annis fere tribus, facies ſaturato rubore, teneſmus, dolor ſtomachi, lien inflatus. *Scholiograph. ad cap. quinquageſimum ſeptimum, libro primo, Hollerii de Morb. Intern.*

OBSERVATIO.

Iſchias credita: cum eſſet vteri prolapſus, qui curatus eſt.

MVLIER non bene purgata poſt partum, & cum alii exiſtimarent Iſchiade laborare, Medicus iuſſit obſtetricem explorare num vterus ad coxam eſſet delapſus, quod accidiſſe deprehenſum eſt. Opus itaque fuit chirurgia. Recte collocata in ſella caua vel lecto, ſuffumigia rerum fœtidarum inferius

& nari-

& naribus odorata adhibita, poſtea digitis ol. Amygdal. dulc. vel amar. inunctis, vterum obſtetrix reuulſit à coxa, & recte direxit: iacuit aliquantiſper in latere ſano. *Lucillus Philalthæus Tom. 2. Curat. fol. 133.*

Observatio.

Vteri ex variis cauſſis procidentis Hiſtoria.

DVRLACI duas mulieres curaui, quibus magna parte vterus procidit, quem reſtitui. Calumtiæ ſymmiſtæ vxori, cui procidit: forſan propter conatum in pariendo fortiorem, adhibitis remediis, gratia Dei curaui.

Non abſimiliter & ſanata, & reſtituta eſt quædam in pago Wetteinſchvvan, quæ clandeſtine ſurripuit Schedulam vel receptam, contra morem, ex pharmacopolio, vt in conſimili caſu apud alias vteretur.

Paucis ab hinc annis maniaca ex Xenodochio, mihi curanda, oblata eſt, quæ continua ſucceſſione & pulſationibus inceſſabilibus, pedes & ventrem refrigerauit, carceri incluſa, adeo vt matrix facta ſit procidua. Eam annuente diuino numine liberaui ex his malis. Cum omnia recte ſe habere viderentur, peſte correpta eſt, & tamen euaſit. Ita mirabilia ſunt opera Domini, qui ſolus languorem & dolorem conſiderat. *Clariſſ. Vir Eſaias Meichſnerus de Obſeruat. propr.*

Observatio.

Procidentia vteri curata.

MEMINI curatum à me iuuenem mulierem, cui oui gallinacei magnitudine extra vuluam vterus propendebat, tantumq; curatione profeciſſe, vt poſtea pluries conceperit, pepererit, nec denuo vterus relapſus ſit. *Pareus libro vigeſimo tertio, capit. quadrageſimo.*

Observatio.

Puella, vteri procidentia laborans, mortua.

ILluſtri & generoſæ virgini, duodecim annorum, vterum nigricatum & putrefactum excidiſſe nouimus, & periit. Erat autem natura debilis conſtitutionis ex vtero materno. *CL. V. Eſaias Meichſnerus de Obſeruat. propr.*

Observatio.

Hiſtoria mulieris quæ cum vteri procidentia laborans concepiſſet, ex aborſu mox interiit.

OMNES Vteri affectus poſſunt ſterilitatem afferre, ſicuti procidentia vteri, quamuis viderim mulierem, cui vterus plurimum prociderat, gerentem in vtero, quæ ex abortu mox obiit. *Trincauella libro vndecimo, capit. decimo ſeptimo, de med. hum. corp. affect.*

Observatio.

A Diarrhœa in partu vterus cum ſecundina prolapſus, vnde mortua mulier.

FILIA hominis coqui, prægnans, ante partum mortem optabat, & euenturam prædicebat; pridie, aiunt, ingenti laboraſſe diarrhœa, noctu facile peperit, inter pariendum vterus cum ſecundina prodiit, qui reſtitutus eſt, quamuis ignorarent vterum eſſe. Mane vocatus, quum omnibus viribus deſtitueretur, & vix pulſus ſentiretur, vterus extra propendebat, turgens admodum, quem cum attingerem, effluebat liquor ſanguineus, & ſeroſus, ita vt exiſtimarem, quum nihil tale vidiſſem, eſſe molam aliquam quæ vtero firmiter adhæreret, mecum idem ſentiebant obſtetrix & Chirurgus. Ego ob rei nouitatem nihil tentare volui, curans vocari Ioannem de Argent. erant eius opinionis, futurum, vt præcideretur; id tamen noluerunt, abſente illo Chirurgo, tentare. Præſcripſi Cataplaſma remolliens & ſuppurans, cuius præparationem non expetebant, ſtatim enim moriebatur. Defuncta illa, tumore aperto, animaduertimus nihil aliud eſſe, quam vterum euerſum. Mirabar non à me agnitum, licet id primo ſuſpicarer. Verum id effecit ignorantia obſtetricum, deinde quod dicerent nullam vim fuiſſe in pariendo, & fluxus comprimendo, quum arteriis & venis alligaretur. *Clariſſ. Vir Iohan. Bauhinus de Obſeruat. propr.*

Observatio.

De vteri procidentiam ſimulante.

NON ita pridem proſtituti pudoris mendica Lutetianis pauperum curatoribus ſe obtulit, rogans vt in album pauperum ſtipendioſorum referreretur, ſibi enim ex laborioſo & difficili partu vterum procidiſſe, itaque non potis eſſe aliquid operæ facere, vnde victum compararet. Tum illi, eam de more à Chirurgis ei muneri deſtinatis probari & examinari iuſſerunt. Hi re tota eius luſtrata & cognita, fraudem ſubeſſe renunciarunt. Veſicam namque bubulam inſpirato flatu ſemiplenam, & turpi ſanguine oblitam, ceruicis extremo, ad quod ſpongiolam attexuerat, in vteri ſui ceruicem intruſerat, mox enim vteri ſolita & humida eluuie differta, & turgente ſpongiola, bubulam veſicam propendentē ſtabiliri ſic, vt ſine prolapſionis metu facilis mendicæ inceſſus eſſet, nec niſi ſumma vi reuelli poſſet. Ob hæc vaframenta in carcerem coniecta eſt, & locis ante à carnifice operta, in exilium relegata eſt. Haud huic abſimilis eſt eorum techna, qui ſcite appoſito inguini ventre ouillo hernioſos ſe ſimulant. *Pareus lib. 24. cap. 18.*

CVRATIO.

PESSARIA.

Observatio.

Ad vteri procidentiam remedium rarum, certum, & à veteribus non ſatis cognitum, at recentiorum vſu comprobatiſſimum.

PRIMO notare oportet, vterum modo magis, modo minus prolabi, tam propter cauſas externas & violentas, quam internas, & id vel ratione humorum, aut ſine humoribus; quæ vteri ligamenta labefactant, & reſoluunt, aut ipſius orificium & ceruicem dilatant. Hoc enim non ſolum ex ſolo aliquo tumore, aut ipſius ſolidi corporis plenitudine, quod potius vterum in corpore retineret, quam quod propelleret, accidere ſolet. Quod inde manifeſtum fit, cum minus prolabatur & relaxetur menſtruis inſtan-

inſtantibus (quo tamen tempore ſucculentus, plenus,& grauis eſt) aut tempore geſtationis, quam fiat poſt fluxum menſtruorum, aut poſt puerperium: propterea quod menſtruum, antequam profluat, tumidum reddit, aut infans, quia antequam in lucem edatur, vterum implet: hæc, nec procidat per orificium proprium & ceruicem tum nimis anguſtam, quam vt vterus adeo dilatatus prolabi poſſit, impediunt, ita vt tum temporis mulier quaſi curata videatur. Verum cum non diu in corpore vterus per ſe remaneat, Medicus arte auxilium fert, vt *Hippoc. libr. de Morb. mul.* docet. Sed & experientia noua oſtendit, præ cæteris remediis, conferre certi alicuius Peſſarii inſertionem, quod forte caſu inuentum, aut potius (meo quidem iudicio) ab induſtrio Medico, qui id quod natura tempore geſtationis facit, aut inſtantibus menſtruis imitaturus erat: & hoc quo impediatur, ne hæc domus, vterus nimirum (vt ſic loquar) per proprium oſtium egrediatur. Peſſarium vero hoc, non ſimile eſt iis, quæ ſolum in ceruicem vteri inferuntur, propter varios & diuerſos vteri morbos, quos aliquibus peculiari nomine Lemniſcos vocare placuit: ſed & commodum & idoneum eſt, ad indendum & retinendum in propria ipſius vteri concauitate. Peſſi, aut peſſarii, aut Emmoti nomen, aliunde mutuantes, ipſi tribuimus (aliis nominibus deficientibus) cum de eo in ſpecie ab antiquis nil fuerit traditum. Qui voluerit, Symphonem (Gallis ſoupompe dictum) nominare poterit, ad ſimilitudinem inſtrumentorum hydraulicorum, quæ à Gallis pompes nominantur, cum quibus in vſu ſimilitudinem aliquam habent. Illa enim vterum in corpore retinent, quemadmodum hic ipſam aquam in hydraulo.

Quod à veteribus de hoc peſſario nihil vnquam perfecte traditum fuerit, mirum non eſt, cum infinita ſint leuia & commoda auxilia, quæ à mulieribus experientia quotidiana inueniuntur: quæ non minus ingenioſæ ſunt in morborum propriorum auxiliis adinueniendis, quam natura verecundantur viris morbos ſuos exponere, qui inter ipſas ſecreti habentur, ita vt plerique ex ipſarum Medicis ignorent: credo ego, apud ipſas hoc Peſſarium diu loco ſecreti habitum fuiſſe. Verum hoc tempore Chirurgorum aliqui hac de re, ſed diuerſimode libros conſcribunt, & lectiones habent: nimirum quoad materiam, ex qua hæc Peſſaria facta ſunt, quoad figuram,& quoad vſum. Aliqui enim ex ſola cera, alii ex argento, aut auro excauato, alii ex ſubere cera tecto conficiunt. Præterea aliqui figura rotunda, alii ouali, alii triangulari, aut quadrangulari, inæqualibus tamen lateribus, aut in angulos obtuſos formant: alii forma cordis depreſſi, alii ex rotunditate oblonga & obtuſa figurant: alii denique rotundos in latitudinem, quæ in medio aliquando, aliquando vero non perforata ſint, parant. Sic etiam multi indentes, funiculum ad alterum extremum alligant, quo commodius quando voluerint extrahere poſſint: alii abſque funiculo indunt, ita tamen vt ſine magna moleſtia, quando viſum fuerit, extrahere poſſint, non ſecus quam ſi funiculus alligatus eſſet. Sunt vero alii, qui nunquam eximunt, quale hoc eſt peſſarium, de quo ſermo eſt quod quando in interiori vteri capacitate eſt, tamen nihilominus mulieres viris concumbere poſſunt, etiam maritis, ſi modo ipſæ velint, ignorantibus: ſiquidem non ſolum locus laxus & amplius eſt, in quo continetur, ſed etiam figura æqualis & polita eſt. Nec impedit etiam quo minus mulier concipiat, eundem conceptum retineat, vtero gerat, & pariat. Quod ſane admirandum auxilium, tutumque eſt, quo tanto malo præcipitationis vteri occurri poteſt, ita vt ſæpius malum omnimode curet, poſtquam aliquo temporis ſpatio in corpore geſtauere, ita vt eo opus poſtmodum non habeant. Imo etiamſi mulieres prius propter vteri præcipitationem concipere non potuere, vt concipiant auxilio eſt. Si enim Epiploon os vteri comprimens, vt 5. *Aphoriſm. 46. Hippocrates* habet, conceptum impedit, quanto magis tantus vteri prolapſus id impediet, qui in ſeipſum relaxatur, quaſi ſeipſum oppreſſurus, niſi hoc modo in his occurreretur: quemadmodum in aliis fit, corpus emaciando, quod ſæpius diæta conuenienti à nobis præſtatur. *Franciſcus Rouſſetus Sect. 6. capit. tertio & quarto, de Partu Cæſareo.*

Peſſariorum duo ſunt genera: alia enim in ceruicem ſolum vteri induntur, & quibuſdam Lemniſci dicuntur: alia in propriam vteri cauitatem intruduntur. Horum materia diuerſa eſt: aliqui enim ex ſola cera: alii ex ſubere, cera tecto: alii ex ferro albo, cera obducto: alii ex argento, aut auro excauato conficiunt. Horum etiam figura diuerſa exiſtit: alii enim ouali, alii rotunda, alii ex rotuuditate oblonga & obtuſa, alii inæqualibus lateribus aut in angulos obtuſos, alii forma cordis depreſſi efformant: ſic aliqui perforatos, aliqui non item, effingunt. Verum diuerſimode etiam induntur: alii enim ad alterum extremum funiculum alligant, quo cum lubet extrahere, poſſint: alii abſque funiculo intrudunt: ita tamen, vt cum volunt eximere poſſint: alii denique nunquam eximunt, vt ſunt illa, quæ ad vteri capacitatem intruduntur. Et licet Authores de his, dum de vteri agunt procidentia, quædam proponant, attamen placet Peſſaria, vel Circulos, quibus Peſſariorum loco in vteri procidentia noſtrates vtuntur, proponere.

PESSARIORVM FORMÆ.

NOſtrates filum ſumunt ſubtiliſſimum, quod delicate obuoluunt, globum ouali figura, ouo tamen paulo minorem, efformant, quem cera virginea obtegunt, ac in vteri collum indunt. Solet autem globus hic, dum menſtruis laborant, elabi.

Alter modus.

ALIÆ vero hoc pacto conficiunt: accipiunt nucem iuglandem excauatam, quam cera virginea afflabre obducunt, forma & magnitudine fere oui gallinacei, & in internam vteri concauitatem Obſtetricis opera ingeri patiuntur. Quod vt facilius fiat, fluxu menſtruorum fere deſinente, fotibus ac inſeſſibus malacticis ad oris vteri relaxationem vtuntur: dein, Peſſarium indunt: tum, locum aſtringentibus & corroborantibus fouent, & decubitum ſupinum atque tranquillum præcipiunt. Tale Peſſarium apud Nobiles Germaniæ matronas, ſi vteri procidentia laborent, in vſu eſſe conſueuit.

* *
*

CIRCVLI VTERINI.

PEſſariorum loco in vteri procidentia, circulis aliquæ vti ſolent matronæ: quare Circulorum formam à ſocru mea, P.M. (quæ in arte medica fuit verſatiſſima) mihi communicatam, quibus in multis vſa eſt matronis, proponam.

Accipe radicem Vitis ſylueſtris, & ex ea circulos rotundos, modo maiores, modo minores, pro ceruicis vteri magnitudine, paruitateve conficito: dein accipe Ceram virgineam q. ſ. cui adde Reſinæ albæ, aut Terebinthinæ parum, liquefiant ſimul: tum Circulos prædictos huic ceræ reſinæ mixtæ toties immergito, vſque dum craſſitiem debitam acquirant.

Circulus talis in vteri collum inditur, qui ſi minor ſit, quam oporteat, excidit: ſin vero iuſtam habeat magnitudinem, ſine vlla noxa remanet, nec facile elabitur: & melius eſt vt non eximatur, ſed vt vſque dum ſponte excidat, relinquatur: quod ſi vero excidat, nec dum curata ſit mulier, alius indendus erit.

Circulus alter.

IOannes Bauhinus, Illuſtriſſ. Principis Virtembergici, &c. Archiater, frater meus chariſſ. ad procidentiam vteri Circulos ex filo argenteo rotundo cum furca trifida ex eadem materia parata, confici curat. Hic ſine vi in collum vteri intruditur, qui interdum facile, niſi educatur, hæret; ſin vero à pondere vteri propellatur, faſcia retinendus erit. *Caſparus Bauhinus in Appendice ad Part. Cæſar. Rouſſeti.*

Peſſulus factus pro ratione ætatis immergendus eſt vino, in quo adſtringentia coxerint, & ita inſinuãdus pudendo, prius repoſito vtero. *Holl. de morb. intern. lib. 1. cap. 57.*

Vt repoſitus ſuo loco contineatur. Hinc ſemiſphæram figura ouali, cera obductam, filoque appenſam in muliebrem ſinum (ſi vſquequaque ſit prolapſus vterus) immittere & ſubligaculis retinere decuerit. *Duretus in aduerſariis ad cap. citat.*

In primis reſupinanda ægra eſt, ſic clunibus, femoribuſque ſublatis, & cruribus reductis, quaſi ipſi fœtus, aut ſecundæ extrahendæ eſſent, tum vteri ceruix, & quicquid ab vtero prominet & propendet, illinendum oleo liliaceo, butyro recenti, adipe gallinæ, & ſimilibus, inde ſenſim blande digitorum impulſu in ſuam ſedem compellendum, ægra interim ſpiritum quaſi reſorbente, & inſpiratu aeris operi fauente, quodque excidit velut reuocante: vterus poſtquam reſtitutus fuerit, quicquid vnguine delibutum eſt, abſtergendum molli linteo venit, ne per id lubricum iterum dilabatur vterus, genitalia vero decocto adſtringente fouenda, parato ex cortice granatorum, nucibus cupreſſi, gallarum, alumine rochæ, cauda equina, ſumachio, berber. in aqua fabrorum incoctis, ex iiſdem materialibus fiet puluis quo eadem loca conſpergentur, intrudetur in vteri ceruicem peſſus debitæ craſſitiei, longitudinis autem octo, vel nouem digitorum pro corporis ægri portione. His peractis continebit ſe in lecto quieta ægra octo vel decem dies, clunibus ſublatis, & cruribus decuſſatis: admotis interim cucurbitulis ſuo ſtatu & loco reſtitutus vterus continebitur, ac ſi quam ab aere frigido noxam contraxerit decocto calefaciente & flatus diſcutiente fouebitur ſic. ℞. fol. alth. ſaluiæ, lauend. roriſm. arthemiſ. flor. chamæmel. melilot. an. manip. ſemis, ſeminis aniſi, fœnugræc. an. vnciam vnam, coquantur omnia complete in aqua & vino, & fiat decoctio ad vſum. Iniiciantur clyſteres quo fæcibus vacuis inteſtinis in alui amplitudine vterus facilius admitti & contineri poſſit. Hoc eodem cõſilio veſica diligenter exoneretur, alias periculum eſt, ne inter vtrumque iacens vterus, illorum repletorum ſurſum, deorſumque compreſſione foras exprimatur & tanquam denuo explodatur. Vomitus quoque ſingulare putatur eſſe remedium ad prolapſum vterum reuocandum: præterea enim pituitam expurgat, quæ vteri ligamenta madefaciebat & relaxabat. Vt enim vterus in coitu prima conceptione deorſum ſemini obuius promouetur, ſic ventriculus ſua plane ſponte, ſiue arbitrio noſtro ſurrigitur ſurſum, cum rei alienæ iniuria laceſſitus, magno impetu hanc vomitione repellit, at cum eo ſic promoto, vna peritonæos tunica, vterus, ipſique connexa omnia corpora, conſequutione quadam ſurſum promouentur. *Pareus Operum ſuorum lib. 23. c. 41.*

Non dubito quin legeris, Franciſcum Rouſſetum de Partu Cæſareo, & multa quidem incredibilia videantur. De Peſſario tamen, ſeu cereo globo, quem *cap. 3. 4. 5.* deſcribit, bona fide teſtari poſſum me mulierculam vidiſſe, quæ octo vel decem annis cereum globum ſine vllo incommodo in vtero geſſit. Aliam vero, quæ nullo impedimento conceptionis, ſimiliter vnum geſtabat. CL. *V. Petrus Quentzius ſuis ad me literis 17. Iunii Anno 1587. datis.*

OBSERVATIO.

Qua oſtenditur etiamſi mulieres peſſarium tale in vteri corpore ferant, nihilominus tamen ipſas & concipere, & vtero ad præfinitum à natura tempus geſtare.

CVM iampridem mihi recitatum foret Puiſſaye mulierem quandam eſſe, quæ geſtando hoc Peſſarium, plures habuerit liberos: & poſtmodum etiã ab Obſtetrice Picarda, Preignon nomine, (quæ à magnatibus propter inſignem eius in arte & experientiam & dexteritatem ſumme expetebatur) eadem mihi eſſent narrata, nunquam tamen vt nec & alii, fidem adhibere volui. Interim tamen non deſii pluribus in locis ita diligenter hoc perquirere, donec tandem quod volui cognouerim, præſertim cum nuper etiam huius medicamenti effectum viderim, quod prius mihi non minus viſum, incredibile, quam olim fuit etiam doctiſſimis ſub zona torrida habitatio, quæ tamen non ita pridem opera quorundam Nautarum nobis expoſita & patefacta fuit, idque contra celeberrimorum, qui vnquam fuere, tam Mathematicorum, quam Coſmographorum ſcripta doctiſſima, quæ indubitanter pro veris habeantur. Quare vt etiam peſſarium hoc cognoſcerem, elapſis diebus Vernolii prope Senlicetum & in vicinia ANNO 1579. omnibus modis laboraui, ita vt &

viderim

viderim & allocutus fuerim, & familiariter etiam cum pluribus mulierculis contulerim, quæ tali peſſario vſæ fuere, & adhuc vtuntur, quarum pleræque nomen celari volunt: verum eæ, de quibus in ſequẽtibus erit ſermo, hoc tanquam omnibus vicinis notum non tegunt. Aliquæ etiam ipſarum ſunt, quarum ne quidem mariti ipſas peſſario vti ſciunt: propterea harum etiam nomen ſubticere oportet.

Clementia Heraudie, dicta Finet, Geruaſii du Mont Opificis vxor, (quæ iam olim Giſortio Normandiæ Vernolium conceſſit) Iohannis Herauldie Finet dicti, olim Giſortii Tonſoris filia, cum valde iuuenca nupta fuiſſet, ante decimum tertium ætatis annum prolem habuit, quæ res forte in cauſa fuit, cur vteri procidentia laborarit. Ex *Galeni* enim ſententia, *libro de Natural. facult.* ſæpius ob fortem conatum in partu vterus prolabitur. Quare cum ab ipſa vterus, etſi rurſus corpori inderetur, contineri non poſſet, pater ipſius, qui Chirurgus erat, peſſarium tale illi præparauit, qualia ipſa nunc parat, & aliis mulieribus, quæ eo opus habent, exhibet: cuius nomine ſæpius tam à vicinis, quam ab iis, quæ in locis remotis habitant, conſulitur. Hæc dum peſſarium tale ferret, tertio concepit, vtero geſtauit, & peperit: quamprimum enim eſſet enixa, rurſus vtero indebat, eo ſolum abſterſo, & butyro oblinito, nec alio nouo vtebatur. Ita vt iam ab annis quadraginta & vltra, vno eodemque peſſario ſolum vſa ſit, abſque vlla ipſius peſſarii corruptione, aut ipſius ſuberis putrefactione. Dein etiam eius loci, vicinæque Obſtetrices (præſertim vero la Mineuſe nomine) conſtanter mihi affirmarunt, ipſas iampridem plurimis mulieribus in partu adfuiſſe, quibus prædicta Clementia, peſſaria dederat: inter cæteras autem mihi nominabāt mulierem la Nurette dictam, quæ filium ante annos nouem erat enixa, qui mihi oſtenſus fuit: cui, cum ante excluſum fœtum, peſſarium procidiſſet, ipſa quarto à partu die, cum vterus rurſus prolapſus foret, denuo indidit, quod poſtmodum ſemper ad mortem vſque abſque moleſtia, in vtero reſeruauit. Præterea tale etiam Peſſarium ab eadem Vernolii Genevefæ Salantin nomine, adhibitum fuit, cui in primo matrimonio ob difficilem partum vterus prociderat. Quod cum per annos quatuor geſtaſſet, interim licet grauida facta, peſſarium tamen hoc toto geſtationis tempore etiam tulit, quod tribus ante partum ſeptimanis ſponte prolapſum (quod ſane propter eam quæ ſequitur de recluſione oris vteri in grauidis diſputationem, notatu digniſſimum eſt) ita tamen vt idcirco ante præfinitum à natura tempus, enixa nō fuerit. Infans trium nunc annorum eſt, nec hactenus ipſius mater peſſario opus habuit, cū ab vteri prolapſu recte fuerit curata: ita vt ab eo tempore rurſus filios gemellos adhuc viuentes pepererit, quod ſane multis de cauſis (quas breuitatis habita ratione omitto) memorabile eſt.

Cum ſcripſerim peſſarium hoc in interiorem vteri cauitatem inſerendum eſſe, doctorum aliqui ſunt, qui contrarium ſentiunt, ſentientes peſſarium in collum vteri ſolum inſeri, nec poſſe vlterius quam ad os vteri immitti. Verum ipſorum obiectionibus (quæ potius ab authoritatibus, vel præiudicio aliquo, quam ex rationibus ſolidis dependent) reſpondendum, quibus ſolutis clare oſtendemus, non ſolum poſſibile, ſed etiam neceſſarium eſſe, vt ad peſſarium hoc indendum os vteri recludatur: quod duabus rationibus abſoluere poſſemus. Primo quidem Problemate, iampridem à quibuſdam ſtudioſis doctiſſimis, primum quidem in fine cuiuſdam Anatomes, dein etiam Monſpeſſuli in diſputatione, vt vocant. Quodlibetaria, propoſito. Quod quidem tametſi rationibus haud euerti poſſit (remoto omni præiudicio) ne tamen aliquorum lectorum aures delicatas offendamus, in aliam diſputationem problema hoc reiiciam, quod in Scholis, potiſſimum vero Anatomicis, commodius exponi poterit, ſubiecti in termino-rum quibus vti oportet ratione habita. Quare ad alteram rationem, quæ magis ſeria eſt, deſcendam, quæ talis eſt.

Si totus vterus in modum ſacci inuerſus, (vt contra Græcos ex Arabibus probauimus) ex interiore corporis parte, extrorſum prolabi poteſt, imo ſæpius vltra medium femorum, & mole duos pugnos excedente, tum oportet neceſſario, vt hoc magnum, craſſum & oblongum vteri corpus, per ipſius os tranſierit, & rurſus etiam abſque magna difficultate pertranſeat, quando is in naturalem locum reponitur, & id antequam peſſarium, de quo agimus, indatur: quod tamen quam ſit ipſius vteri corpus, longe minus eſt. Quare ergo non ſubito & tum etiam quando recenter os vteri dilatatum eſt, facile peſſarium hoc inderetur? quod cum ſemel inditum eſt, in vtero ita ſe diſponit, vt nec ipſum, neque etiam vterus excidat, ſi modo peſſarium vt conuenit ſit paratum.

Quare amplius non miror, ſi mulieres iis peſſariis vtentes, quæ multi Chirurgi rem non intelligentes, ſuo more parata & effigiata adhibent, & in collum vteri, non autem in capacitatem indunt, parum, aut nihil omnino fructus perſentiant: ſed è contra ſæpius plus quam prius moleſtiæ perferunt, tam quoad dolorem, quam impedimenta in actionibus muniiſque domeſticis. Adde etiam, quod potius vteri prolapſum cauſant, quam quod retineant, cum vteri collum, per quod delabi debet, dilatatum retineant. *Rouſſet. de Partu Cæſareo Sect. 6. capite quinto & ſexto.*

OBSERVATIO.

Peſſuli ex ſubere ob vteri procidentiam ſubditi, atque intus remanentis Hiſtoria.

QVASDAM ipſi nouimus, in quibus quum ex ſubere peſſulum confectum, vt aduerſus vteri deſcenſum obniterentur, ſibi ſubieciſſent; qui hinc nulla arte euelli poſſet, quia nec apprehendi, circumpreſſus remanſit in locis. Quanquam ne obſtaculo quidem hoc fuiſſe quibuſdam mulierculis conceptioni, ſcripto proditum ſuſpicioſe legerimus apud Franciſcum Rouſſetum vt litteris politum hominem, ſic morum & vitæ integritate commendatum. *Cordæus Commentar. 7. ad librum primum, de Morb. Muliebr. Hippocrat.*

* * *

Observatio.

Peſſus 14. annis geſtatus, excitatis vehementiſſimis doloribus, cum educi non poſſet: quibus demum remediis fuerit exemtus.

AD vteri prolapſum peſſarium, globi inſtar, ex latere coctili & incerato confectum, Anna Grimin Phorzenſis, iuuencula viginti annorum, annis 14. in vtero geſtauit: ægra ab vteri quidem prolapſu tuta, verum cum nulla id arte eximi poſſet, & ſæuiſſimis doloribus torqueretur, graui paupertate preſſa, morbum gallicum ſimulans, in Xenodochium Generoſ. Dominor. Fuggarorum cui ego præſum, recipitur: in quo cum pro more aliquandiu ligni diætam ſudando, exiguo cum fructu, ſuſtineret, eandem autem ægerrime ſedere animaduerterem, ſciſcitatus ſum num ex pudendis male haberet: quæ confeſtim morbi ſui Hiſtoriam omnem libere prodidit. Itaque ſinu muliebri explorato, eundem inſigni putrilagine fœdatum comperi. Cui inſeſſum emollientem, abſtergentem, ac dolores ſedantem decerno, ex meliloto, malua, biſmalua, chamemælo, parietaria, mercuriali, & cæteris concinnatum: cuius quotidiano prope vſu pars affecta, ſublata putrilagine, probe mundata & expurgata reſtituitur. Et vero, quod ad ſubſiſtens peſſarium attinet, obſtetricem peritam & exercitatam accerſo, quæ manum muliebri ſinui immittens, ſingulari digitorum ſolertia ex vtero, inceratum lapidem, diuturni mali omnis authorem, educit: quem raritatis cauſa multis oſtendi. Verum ab eductione inſeſſum ad dies 14. repetendum imperaui: vnde citra vnguentum Mercuriale, aliaq; eius generis remedia probe conualuit, quæ vel hodie quoque viuit. *Doctiſſimi Viri Tobiæ Cneulini Obſeruatio.*

VTERI ECTOMIA.

Observatio.

Vteri vel ex procidentia, vel gangræna, aut aliter vitiati, totius, aut per partes, ſine vitæ periculo exſecti, hiſtoria admiranda.

MVLTI abſceſſu in aliqua vitæ neceſſaria parte oborto, præter opinionem conſanuerunt, cum & iecoris fibram, & omenti partem, peritonæique, & totam vuluam ſubinde ademptam fuiſſe, nec mortem inde ſubſecutam, memoriæ prodatur. *Ægineta lib. 6. cap.* 88.

Si proceſſu temporis id quod prolapſum eſt putredinem fuerit expertum, idipſum auferetur, nullius metu periculi. Etenim vulua vniuerſa ſublata, vbi computruerat, mulierem ſuperuixiſſe commemorant. *Idem lib. 3. cap. 72.*

Si pars prolapſa temporis progreſſu per negligentiam computruerit, & ex aſſidua vrinæ irrigatione, & adhærentibus ſordibus exulcerata fuerit, auferatur citra vllius periculi formidinem. Narrant enim, totum vterum putrefactum aliquando ablatum eſſe, & mulierem nihilominus ſuperuixiſſe. *Aetius Tetrab. 4. Serm. 4. cap. 76.*

Recordatus ſum quod vidi mulierem, cui matrix exiuerat extra vuluam, & videbatur quaſi eſſet Sardellus paruus: & remanſit ſic tempore longo: ſed finem ipſius ignoraui.

Recordati fuerunt quidam Medici, quod aliquando putrefiunt ligamenta matricis omnia, & exit matrix omnino, & permanet mulier abſque matrice, & viuit ſine diminutione aliquarum ſuarum operationum. Et dixit mihi quidam amicus meus, de quo & eius veritate multum confido, qui vidit mulierem, cui omnino matrix exiuerat, & remanſit viua, faciendo omnes ſuas operationes naturales integre & perfecte, & ſic eſſe debet abſque dubio, cum non ſit membrum principale, nec aliquibus membris aliquas præſtet vtilitates: nec præſtat aliquod iuuamentum in conſeruando vitam, nec inuentum fuit ad illud. *Auenzoar libro ſecundo, Tract. 5. cap. quarto.*

Vidi vnam Papiæ, de qua dicebatur, quod ab ea exierat tota matrix, ſecundum partes putrefactas in diuerſis temporibus, & ſuperuixit per aliquot annos poſt, & erat ex nobili genere. *Matth. de Gradibus Comm. ad cap. de Exitu & diſpoſitionibus matricis, libr. 9. Raſis ad Almanſorem.*

Vidi mulierem Andreæ Salſitiæ, cuius matrix corrupta tota emiſſa eſt, & vixit poſtea multis annis, exercens negotia familiaria. *Nicolaus Florentinus Serm. 6. Tract. 3. cap. 26.*

Vidi mulierem habentem matricem inter coxas pendentem & putrefactam, cui abſciſſa fuit. Et adhuc illa per plures annos vixit: præterea tempore peſtis Papiæ mortua eſt. *Marcus Gattinaria Commentarior. ad caput de exitu Matricis libro nono, Raſis ad Almanſ.*

Poteſt vterus pati omne genus morbi, ſæpe procidit, & totus poteſt extrahi à corpore, durante valetudine. Vnam matricem corruptam ego vidi extrahi integre in terra Carpi à Genitore meo, quæ ſanata eſt, & diu vixit. Ego etiam Bononiæ extraxi vnam aliam integre, quæ erat gangrænata, Anno 1507. Menſe Maio, quæ ſuperuixit ſana. Vnam aliam ſcilicet matricis receptaculum præcipitatum extra ventrem & corruptum, me præſente nepos meus ex fratre Damianus extraxit integre, & in cœtu Doctorum, & multorum Scholaſticorum, Anno 1520. die 5. Octob. Iſta vltima nomine Gentilis, erat vxor Chriſtophori Brianti Mediolanenſis, habitantis Bononiæ, quæ hora iſta 1523. 10. Iunii eſt ſana, & exercet negotia familiaria, & relatu ipſius & ſui mariti, in coitu emittit ſemen, & habet menſtrua temporibus debitis, res notatu digna. *Carpus in Iſagoge Anatomiæ.*

Vidi matricem mulieri Bononienſi, cum mola truſatili, hordeum & id genus frumenta degluberet, elapſam, & cucurbitæ inſtar inflatam, Carpum Chirurgum, me cooperante nouacula abſcindere: quam tandem toto biennio Bononiæ crebro mihi obuiam, & ſuperſtitem vidi, donec Bononia emigrarem. *Langius Epiſt. Tom. 2. Epiſt. 39.*

Ingenioſus noſtri ſeculi Medicus Vgolinus Piſanus me, licet iuniorem, aduocandum cenſuit: vt vna cum illo mulierem quandam curaremus, quæ vuluæ pernicioſo vlcere vexabatur. Huius nos malitiam, omni ſtudio & diligentia tollere, ſed fruſtra conati ſumus: nam corrupta interim vulua, & fruſtulis

commi-

comminuta deſcendens, non prius fluere deſtitit, quam tota putreſcens decideret:& ſic mulierem ingenti malo liberauit, quæ licet vulua carens, ſana tamen ſuperuixit annos decem. *Beniuenius de Abditis, capit.* 11.

Quantum vteri corpus putre iudicaris, exſcindendum eſt audenter, cum ſuperuixerit mulier, cui prope totus putris exciſus fuerat. *Syluius de Menſibus mulierum, cap. de vteri præcipitatione.*

Compluti mulierem vteri procidentia laborantem vidimus, cuius vterus extra computruit: Chirurgus tamen totum abſcidit ad collum vſque, & non paucis deinde annis vixit. Auicennas totum vterum abſciſſum refert, & iecoris partem, & vixiſſe. Et *Galenus libro quarto, de Vſu partium* refert ſe abſcidiſſe totum fere omentum: ſed hoc non adeo graue eſt. *Chriſt. à Vega, Comment. ad Aphoriſm.* 18. *libro octauo, Hippocratis.*

Nos cuidam fœminę ætatis annorum triginta quatuor, vterum putrefactum abſcindere præcepimus, decem ab hinc annis, quæ adhuc viuit. *Idem lib.* 3. *ſect.* 10. *cap.* 10. *Art. Med.*

Mulieri cuidam fere trigenariæ ſanæ, menſtruali, & bene famatæ cōceptionis ſigna paulo poſt ſecundas nuptias, quas Anno 1571. contraxit, cum ex priore matrimonio prolem nullam concepiſſet, apparuerunt. Progreſſu temporis obortus eſt ad partes imas & pudenda ponderis ſenſus, dolore & vrinæ retentione adeo moleſtus, vt Chriſtophoro Mombeo Chirurgo vicino ſuo, in ſuburbiis S. Germani commoranti, patefacere ſe infortuniumque ſuum, coacta fuerit. Is viſo tumore in perinæo, fotu & cataplaſmatibus anodynis & remollietibus, dolorem ſedauit: ſed mox ad pudendi labrum interius vomica, velut ab abſceſſu rupto apparuit, ſanie ſubrubra, citrina & pallida, multo tempore manans. Interim haud euaneſcebat ponderis ille ſenſus, quin potius augebatur indies, ita vt ab Anno 1573. ne ſe quidem in lecto in hoc illudve latus conuertere poſſet, niſi admota manu hypogaſtrio ad oneris leuamen: ſed & tum quidam veluti globus, toto corpore & pondere ſuo ſibi prouolui videbatur, in quodcunque latus decumberet, nec ſtans, nec ſedens alui excrementa reddere valebat, niſi pondere illo ſurſum manibus ad diaphragma ſublato. Inceſſura, vix crura promouere poterat, quaſi ſibi ſemper ex interfœmineo aliquid penderet, quod progreſſum remoraretur. Ex interuallis vomica illa recludebatur, ſanie ſolita manans: ſed tum capitis, membrorumque omnium dolor, animi deliquia, faſtidia, vomitus, ſuffocationes, miſeram vrgebant, adeo vt ab empirica muliere perſuaſa, facile adducta fuerit, vt antimonium hauriret: cuius tanta fuit & tam efflera vis, vt poſt multas cum multis torminibus vomitiones, & aquoſas per aluum deiectiones, viſus ſit ſibi anus procidere. Sed admonita à familiari quadam ſua, cui ſe videndam crediderat, haud ab ano id procidere, ſed à vulua. Anno Domini 1575. Chirurgos vocauit, me, Iacobum Guillemeau & Antonium de Vieux, qui ſibi auxilio afflictæ ſanitati eſſemus. Expenſa re tota, & diligenter animaduerſa, communi conſilio cenſuimus, id quod prociderat, extirpandum eſſe: quod atro colore, fœtore, & aliis eiuſmodi ſignis putridæ ac corruptæ rei argumenta manifeſta præberet. Ergo per duos dies ſenſim fruſtatim & ſine dolore corpus extraximus, quod aduocatis Medicis, Alexio, Gaudino, Feureo, Violaneo & nobis vteri corpus eſſe viſum eſt. Cuius rei fidem fecere, vnus ex teſticulis, qui integer extractus eſt, craſſiorque item membrana reliqua ex mola, quæ ſuppurata, rupto abſceſſu, ſenſim diffluxerat: reuulſo omni eiuſmodi corpore melius ægra habere cœpit: & tamen ante extirpationem nouem totos dies vrina ſuppreſſa fuerat. Dehinc omnia ſibi, naturæ ſuæ, & ſtato curſui reddita ſunt, totumque trimeſtre ſana, & egregie incolumis mulier ſuperuixit, donec ſuborta repente pleuritide, interiit. Diſſecta à me & ſedulo ſingula exquirenti, nuſquam comparuit vterus, ſed eius loco calloſum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquam in nobis oriatur, iacturam eius partis quaſi reparatura, vel lacunam potius alui repletura, ſubſtituerat. *Pareus libr. de Hominis gener. cap.* 41.

Exactis pluribus annis, accerſitus Chirurgus ad mulierem quandam in pago Grötzingen, non procul à Caluu, cui cum ex toto matrix procidua facta eſſet, nec Chirurgus, nec aſtantes mulierculæ, quæ alioquin fungebantur Obſtetricum munere, quid eſſet, ſciebant: ego vterum eſſe dicebam, qui inſtar inuerſi pilei decidiſſet, etiam refrigeratus aliquot diebus nigreſcere incepiſſet. Itaque ne fluxus ſanguinis incideret, Chirurgo author fui, vt vtrinque ligaturas inſtitueret, & poſtera die (erat enim infelix aſtrorum aſpectus) abſcinderet: id quod ob moleſtum onus mulier ipſamet ſerio expetebat. Reſecta procidua parte, mulier melius habere cœpit, & relicta portio momento ſe retraxit, nulla notabili hœmorrhagia ſuccedente. Quæ poſtmodum peſte quoque correpta, multis annis ſuperſtes remanſit. Tandem vir ſeceſſit in alium pagum Colmbach, ad ferinas thermas ſitum: ſaltuarium enim egit &c. Bellocatus Præceptor meus Italus, Paduæ ſublatum vterum duabus abſque diſpendio affirmauit. *Eſaias Meichſnerus de Obſ. propr.*

Etſi huiuſmodi vterini affectus in corpore adhuc latitantes, & etiam remedia horrenda, quibus vſæ, admiratione ſint digna, propter euentus adeo felices: alii tamen adhuc longe difficiliores caſus ſunt, ratione tamen quorum mulieribus neceſſario moriendum non eſt, licet poſtmodum ſteriles permaneant, cuiuſmodi eſt omnimoda ipſius vteri ablatio, poſtquam adeo prolapſus, vt extirpandus ſit: quod nihilominus tamen abſque grauiori morbo accidit.

Sunt tamen Medici aliqui & Chirurgi etiam doctiſſimi, qui omnimodam vteri procidentiam non concedunt, Æginetæ & Aetii auctoritatibus moti, qui videntur non concedere, niſi difficulter admodum fieri, vt vterus adeo loco prolabi poſſit, & tamen auxilia, remediorumque formulas ab antiquis traditas, pro ipſius vteri in locum naturalem reductione proponunt, ita vt tandem fateantur (quod ex relatione habent) aliquibus mulieribus, quæ tamen ſuperſtites remanſere, vterum penitus exemptum fuiſſe. Verum *Hippocratis* auctoritas, quæ *lib. de Morb. mul.* habetur, vt & experientia manifeſta, ipſis contraria eſſe videtur, Scribit enim Hippocrates, vterum ſæpius è corpore, & quidem ſæpius vſque ad femora prolabi, imo ex ſententia Aetii, magnitudine oui Struthionis; quod ſane ſolum vteri collum

eſſe non poteſt, abſque quo vteri corpus totum non ſit prolapſum. Præterea oculis obſeruari poteſt, ipſius interiorem partem exterius inuerſam, & ſuperiorem, quæ interna etiam erat, prolapſam, exteriorem partem conſtituere. Verum tria ſunt, quæ præter authoritatem *Auicennæ*, quæ habetur *libro tertio*, *Fen.* 21. *Tractat.* 4. *capit. quinto*, hoc atteſtantur. Primo quidem ipſius ſanguinis menſtrui ſenſibilis effluxus, leuiſque tranſudatio, ex tota ipſius vteri ſuperficie promanans, qui, dum fluere debent menſtrua, amplius non procidit, quod ſane certum argumentum eſt, ex ipſius vteri corpore & capacitate promanare, & non ſolum ex vteri collo, vti multi contra Galeni ſententiam ſomniarunt. Verum præter propoſitum non eſt, ſed notatu digniſſimum, quod ſi ſolum ipſius collum procidat, corpus vero ipſum nondum ſit prolapſum, tum conſpici in ipſius fundo (qui tum parum maior, quam forte ſit ouum gallinæ) foramen quod os ipſius vteri eſt, ad ipſum collum attractum, & ab ipſius vteri corpore depreſſum, per quod foramen in mulieribus iuuencis hoc malo diuexatis, ſanguinem menſtruum promanare obſeruatum fuit: & tamen facile prolapſus talis in priſtinum ſitum reduci poteſt. Sed ſi per foramen hoc pluribus de cauſis relaxatum ipſum corpus tanta mole procidat, quod quotidie accidere ſolet, tunc foramen id amplius non conſpicitur, ſed totum aſſimilari poteſt magno vini canthato, qui in ſuperiore parte oualem figuram habet, ſed inferne minorem: inferne vero alia eſt rotunditas, ſuperiore longe maior, abſque tamen foramine: in medio autem manifeſta conſpicitur coarctatio, binas has partes aliquo pacto ſeparans, quod nihil aliud eſt, quam os vteri dilatatum. Et tunc obſeruatum fuit, ex tota illa parte inferiore, in iuuencis (tanquam per reſudationem) ſanguinem menſtruum debito tempore profluxiſſe. Hic eſt intermedius anguſtior locus, cui ligatura iniici debet, quando animus eſt vterum prolapſum, & gangræna affectum auferre: rarius enim ſuperior pars putredine tentatur. Hac ratione minor illa & ſuperior rotunditas rurſus reponi poterit, ſi inferiore parte ablata illa huius pondere amplius non prematur vti ante prolapſum fiebat, nec etiam deorſum poſt omnimodam procidentiam trahatur. Si vero ſupra manifeſtam illam coarctationem, (vti aliquando factum) ligatura fiat, id cum dolore ſummo, & etiam cum periculo coniunctum erit. Dein exiguus, aut nullus dolor, quem maſſa illa carnea prolapſa (vteri fundum puta) tum perſentit, etiamſi duriter tractetur, dum reducere eſt animus, prædicta atteſtatur. Eſt enim, vt verum dicamus, os ipſius vteri vna cum ligamentis à quibus dependet, quæ exquiſito ſenſu prædita ſunt, non autem ipſius vteri corpus, de quo hic agimus, & quod in partu Cæſareo incidimus, quemadmodum alibi probamus. Tum remedia quæ vſurpantur, & inter cætera inſertio peſſarii in fundum vſque vteri ex ſubere cera obducto, aut alia materia parato, de quo, ne à propoſito recedamus, in ſequentibus agemus, id etiam comprobant. Verum, vt ad rem accedamus, breuiter binas Hiſtorias à me obſeruatas, referam.

Cum Lunelli Vaſtineti, cuidam mulieri è corpore vterus auferretur, præſens adſtiti, qui conſilio defunctorum D.D. Saportæ, hoſpitis & mecœnatis mei, & Rondeletii, præſidis mei, ab Anatomico publico Bartholomæo nomine, qui poſtmodum phthiſicus interiit, exſectus fuit, idque poſteaquam Monſpeſſuli omnia remedia, ſed irrito conatu attentata eſſent.

Ab eo tempore, conſilio meo nobili matronæ Vaſtineti, (cuius nomen ſubticere placet) Ambroſius Niger & Compagnonus à turre Chirurgi Pithvverenſes, vterum exſecuere, quod malum alias incurabile erat: iam enim gangrænam minabatur, & ſolum adhuc cuti parum adhærebat, cuius pars inferior propendẽs, magnitudinis duorum pugnorum, iam plane liuida erat.

Domini Villanouani (cuius ſupra facta fuit mentio) etiam conſilio, antequam ipſi familiaris eſſem, Petrus Mauritius Valdreacenſis, vterum vxori Petri Coſtei pannicidæ excidit: cui, ſtatim poſt abſolutum difficillimi partus puerperium, exciderat, nec reponi poterat, cum adeo in partu læſus foret. Quem cum ligaſſet, abſcidit, & cauterium adhibuit, idque inſcio marito, qui tum abſens erat, cum quo poſtmodum nihilominus concubuit, abſque tamen voluptate: quod denuo epiſtola ad me data, Anno 1533. atteſtatus eſt. *Franciſc. Rouſſet. De Partu Cæſareo Sect. 4. cap. 5.*

Vxor Cantoris Iaurauienſis (Sileſiæ vrbs eſt) gracili admodum corpore, naturæ bilioſæ, nonnihil ad melancholiam declinans, in partu ab obſtetrice quadam inclementius, quam par eſt, tractata, cum gravi & acuto uteri dolore, vinculorum eundem ſuſtinentium, vel ruptorum, vel luxatorum, ſaltem cauſa, ſtructuræ vitium paſſa eſt: ideoque poſt partum aliquoties uteri ſubſtantiam, in pudendi ſinum, non extra tamen eundem ſibi prolabi ſenſit, eoque plus, quo plus oneri alicui ſublevando eniteretur. Hoc malo per annos aliquot durante, neque in peius, nec melius vergente, bis prægnans facta, difficilius quam antea peperit Et paulo poſt domũ ſcopis mundans, menſa quadam onuſta ſublata, vteri corpus magna cum moleſtia extra ſinum ipſi prolapſum eſt: quod tamen fomentis decentibus calefaciendo, molliter loco ſuo ipſa reſtituit: licet poſtea leui momento rurſus exciderit. Hinc Menſes primum inordinate fluere, vterus male affici, nonnunquam ſuffocari, caput ſcotomiam pati cœpit. Subſequente aſſiduo fluxu albæ & acris materiæ, itemque ſanguinis interdum corrupti, & in grumos collecti. Et cum parum obtemperaret in mali principio Medicis, in peius omnia ruere, atque ex fœdi odoris materiæ effluxu, doloreque loci eiuſdem continui, vlceris maligni, vel apoſtematis ſuſpicio oriri, quod & euentus teſtatus eſt. Nam poſtquam vterus ſæpius hoc modo excideret, vt vrinæ vias aliquando omnino præcluderet, ægrotantique grauiſſima ſymptomata inueheret: quamuis manu prudentioris Obſtetricis aliquoties ſuo loco reſtitueretur: attamen perforatus tandem, atque inuerſus eſſe, ante pubis orificium dependens, & copia vrinæ impletus, deprehenſus eſt. Idcirco meo conſilio leuiter compreſſus, vrinam exceptam per foramen, proculdubio ex corroſione factum,

reuomuit,

reuomuit,adeo vt inuerti rurſus & ſubleuari melius, inque ſinum pudendi rurſus inſeri potuerit: quamuis priſtino ſuo loco reſtitui, ob dolorem nequiret. Spatio igitur vnius menſis malo hoc ter quaterve recurrente, dictoque modo vrina expreſſa, vniuerſus denique vteri interior venter, totus corruptus & lacer excidit, intolerabili fere fœtore dependens, quẽ nullo prorſus ſenſu præditum, vtpote partẽ emortuam,& gangrænoſam, Obſtetricem excindere vnde & vſquequaque iuſſi. Locum vero affectum, vapore odoratarum herbarum & ſeminum decoctorum foueri, à quo etiamſi meliuſcule habere cœperit, vrinamq; liberius emiſerit, quid tamen poſtea factum ſit, diſcedens non reſciui.

Hiſtoriam hanc D. Chriſtophorus Rumbaum Medicus Iauravienſis, mihi (cum apud nos ſummum in arte titulum aſſumeret) communicauit. *Caſpar. Bauhinus in appendice ad partum Cæſareum Franciſci Rouſſeti.*

Magius aliquando Bononiæ pro lectione probaturus, non omnia vulnera membrorum principaliũ eſſe lethalia, hiſtoriam retulit de Muliercula quadam iuuene, quæ cum parere deberet, nec poſſet, obſtetrices fœtum euulſuræ, matricem ſimul totam extraxêre,& euertentes eam, ex duobus foraminib. vnum effecere. Hanc, cum reſtitui non poſſet, Chirurgi totam exciderunt. Hæc poſtmodum à Magio ita curata fuit, vt loco vuluæ exiguum tantum foramen retinuerit. *CL.V. Laurent. Scholzius de ſuis ad me tranſmiſſis obſeruationibus.*

Romæ iuuenculæ primo & difficili partu, genitale & inteſtinum rectum, perinæo (quod tamen in ſexu hoc ſolidius ſemper ſenſi) rupto, iungebantur, nec longe poſt ruptis cornib.& ligamentis, ſcroto inuerſo ſimillima matrix excidit. Hanc, Medici, abſque vitæ diſpendio, cum ſpeciei tantum cauſa in fœminis vterus factus ſit, Paulo etiam, qui totam ſepe matricem reſectam, nec mortem ſuperueniſſe teſtatus, confirmante, candente forpice prociderunt. Quod tamen in alia (Bernardino Paterno contradicente) Patauij non auſum eſt. Priorem ſæpe poſt ipſe adij, quæ nil, præter ventris tormina, (liberius inteſtina ſubeunte frigore) conqueſta eſt. *De obſeru. CL. V. Ioan. Ieſſenij à Ieſſen, per D.Laurent. Scholzium ad me miſſis.*

Noui nobilem quandam matronam, cui vterus putri vlcere fuit corruptus, & conſilio Medici ante annos 8. ablatus, quæ adhuc bene viuit & valet. *De CL.V.Ioan.Franci Hildeſii obſeru.*

Observatio.

Vterum ex deſperata procidentia, ſiue qualicunque occaſione corruptum, non ſolum ſectione & vſtione, verum etiam ligaturis præſcindi & tolli poſſe.

NON ſolum ſectione & vſtione omnimoda vteri procidentia, poſtquam amplius reponi non poteſt, curatur: ſed etiam ligaturis, cuius rei hoc anno praxin vidimus, quod ſequens oſtendit hiſtoria.

Philiberta Louyſon Ioannis Baugin vinitoris vxor, Neoburgi inter Pithvveram & Puiſſellum habitantis, cum menſium octodecim ſpatio, ſanguineo vteri fluxu, eoque copioſo laboraſſet, adiuncto verſus collum vteri pondere: ſubito ſuis in ædibus perſenſit (res ſane mira) vterum vſq; ad interiorem femorum partem prolabi, tanta magnitudine, vt cum eum reponere nõ poſſet, triduo aut quatriduo poſt, Bonauenturæ à Turre & Blaſij Berte Chirurgorum Pithvverenſium, (quibus cum hac de re ſæpius contuli) opem implorarit, qui cum ſoli ſectionem adhibere non auderent, ligatura (meum aduentum expectantes) contenti fuere, quod anno 1580. 6. Kalend Martij factum. Ligaturam valde ſtrictam, cum eum reponere non licuiſſet, adhibuere, eamque non circa partem anguſtiorem, quæ eſt inter ceruicem & fundum vteri prolapſi, quo loci omnium tutiſſime ſectio fieri poteſt: ſed ligatura facta in ceruice vteri, quæ valde eminebat, ita vt ligatura vretræ aut ceruici veſicæ proxima foret. Priorem hanc ligaturam per dies octo non mutauere, ſed his finitis cum eo vna cum ipſis veniſſem, vt vterum ſecaremus, vreremus,& auferremus, videns ligaturã in altiori, quam par eſſet, loco, ita vt tuta ſectio fieri non poſſet, vſtio vero nulla, ratione etiam habita virium proſtratarum ipſius ægræ, conſului vt noua & arctior, quam prior fuiſſet, eodem in loco fieret ligatura: illa enim cum magnam partem ceruicis vteri ſecuiſſet, laxior erat reddita. Quo facto, non abſque dolore, altera hæc & fortior ligatura, magis adhuc partem incidit, & hæc ſectio fuit in anteriori parte, eo loci vbi nodus ipſius ligaturæ erat, vſque ad medium canalem, per quem vterus inuerſus prolapſus erat. Vnde magna copia puris effluxit: ex fundo nimirum vteri, qui iam niger & gangrænoſus, ad femora propendebat, promanans. Poſtmodum cum alternis diebus, noua & indies arctior ligatura fieret, vti inter nos concluſum erat, tandem poſt decimam ligaturam 13. Kalend. Aprilis vterus ſponte excidit: ipſa vero iam conualuit, munia domeſtica rectius quam antehac obiens. *Rouſſetus ſect. 4. cap. 5. de partu Cæſareo.*

Observatio.

Mulieribus nonnullis vterum corruptum citra vllam ſectionem, vſtionem, aut ligaturas, ſed ſua ſponte & in totum è corpore prolabi & ſeparari.

HIſtoriæ iam adductæ de exciſione prolapſi & putrefacti vteri, in mulieribus quæ ſuperſtites manſere, abſurdæ videri non debent: ſiquidem vterus cum rurſus in corpus retrudi non poteſt, ſponte & à corpore ſe ſeparet, & etiam excidat, (niſi arte Chirurgica ſuccurreretur) abſq; tamen vitæ periculo, imo etiam abſq; morbo, vt ex ſequentibus hiſtorijs colligere erit.

Cum Dominæ Blanchafortiæ ſeniori, piæ memoriæ, à longo tẽpore, ſed ſenſim vterus adeo eſſet prolapſus, vt tandem nec rurſus indere, nec etiam amplius ferre poſſet, vt qui iam putreſcere inciperet, Montargiſſium ad me ventura erat, vt ibi eam curarem, aut Lutetiã comitarer: verum dum in itinere eſſet, vterus ſponte excidit: nihilominus tamen iter abſoluit, nec etiam alijs vſa remediis, quam lotione ex vino & roſis à Felles Chirurgo adhibita, qui (vt narrat) eo loci, vbi vterus eſſe ſolebat, nil niſi ſpatiũ vacuum obſeruauit. Anno 1571. æſtatis tempore hoc accidit, à quo tempore, pro ratione ætatis grandęuæ, ſatis ſana ſuperuixit. Tandem ex caſu ſcalæ, ſubita morte perijt: nec tamen eius corpus apertum fuit, vt locus, vnde vterus prolapſus erat, inſpiceretur, vt in altera, de qua ſequens hiſtoria aget, factum fuit.

Cum ob plures difficiliores partus, Petrina Boucher Domini Franciſci Quarrei aduocati Montargiſſienſis, iam prouectæ ætatis ancilla, vteri prolapſu longo tempore laboraſſet, qui ſenſim adeo auctus, vt amplius in naturalem locum reponi non poſſet, tandem gangræna affectus, putruit: & ſponte anno 1574. dum vrinam eſſet reddit ura, excidit, nec tamen propterea lecto ſe continuit, cuius rei fide digni teſtes ſunt D. Contugonius Medicus, & Ioannes Bellouacus Chirurgus Montargiſſienſis. Vtero elapſo, toto adhuc triennio optime valens, ſuperuixit, niſi quod (vt ipſa narrabat) ab illo tempore cogebatur diligentius quam prius, partes inferiores à frigore externo cuſtodire, aut certe dolorib. colicis diuexari. Tandem (me abſente) cum febri cõtinuâ interiiſſet, & iam ſepulta eſſet, poſt reditum vnice me rogante factum, vt Magiſtratus permiſſu rurſus exhumata fuerit, & per Felles Chirurgum anno 1577. 10. Kalend Decemb. in præſentia D. Contugonij Medici, Obſtetricis & aliorum aperta fuit. Nec aliud inter veſicam & inteſtinum rectum eo loci, vbi vterus à natura poſitus fuerat, quam locus vacuus obſeruatus per quod foramen facile, & abſq; obſtaculo magnæ nouaculæ manubrium indi & eximi poterat: & per hoc reuera frigus externum ingrediebatur, & dolorem colicum cauſabat, reliquis vicinis partibus cicatrice obductis: nam ab elapſo & ablato vtero, neq; ſanies, neq; purulenta aliqua materia emanauerat. *Idem Rouſſetus eiuſdem operis ſect. 4. c. 5.*

CASTRATIO.

Observatio.

Caſtratarum mulierum cum veterum tum recentiorum atteſtationes & hiſtoriæ celebres.

X*Anthus lib. 2. Lydiorum* ait, Lydorum Regem Andramytin fœminas primum caſtrauiſſe, & eunuchorum loco illis vſum fuiſſe. *Athen. li. 12. Deipnoſoph.*

Caſtratas illas fœminas fuiſſe putant muliebrib. infibulatis, vt equarum, quas cõcipere & parere nolunt, ferreis circulis ordine traiectis quibus naturalia clauduntur. *Dalechampius annot. ad eund. locum.*

Fuit non incelebris rerum conditor Xanthus, patria Lydus, qui & voluminibus quatuor Lydiaca fertur complexus. In eorum ſecundo, id quod haud relatu indignum opinatus ſum, Gygen omnium Principem ſcribit, dum Lydis imperaret γυναῖκας ἐυνουχίσαι, id eſt, mulieres eunuchas feciſſe, ὅπως ἀυταῖς χρῷτο ἀεὶ νεαζούσαις, id eſt, vt illis perpetuo iuueniliter florentibus vti valeret. *Cælius lib. 19. c. 29. L. A.* At. *lib.* 20. *c.* 14. id tribuit Regi Andramyti.

Gyges à Suida & Heſychio, eius ſceleris à Xantho accuſatur, quod mulieres caſtrarit, vt ſemper eis iuuenculis vteretur. *Reiner. Reineccius tom. 3. hiſt. de Lydorum origine, & imperio pag.* 82.

Caſtrari fœminas, homines ſc. etiamſi nuſquam gentium receptum fuiſſe reperiam: caſtratas tamen fuiſſe indomitæ libidinis qualdã, autores habeo certos. *Iul. Alex. lib. 22. c. 14. ſalubrium. Idem in annot. ad Gal. pag.* 122.

Quidam Ioan. ab Eſſen, ab Illuſtr. Cliuenſi Duce numerata certa pecunia, caſtrandi iumenta & pecora in Marchiæ comitatu poteſtatem pro ſe ſolo impetrarat. Hic vbi quendam familiarius coniunctiuſque ſua frui filia animaduerteret, ita incitatus eam manu iniecta è veſtigio in cubiculum abripit, violenterq; vterum eidem, quemadmodum pecori ſolet, exſecat, conceptioniq; porro inidoneam ſanat. Huius facinoris ergo centenorum aliquot dalerorũ mulcta à Principe punitur, nec quidem immerito. *Vierus lib. 4. c. 20. de præſtig. dæm. edit. 6.*

Mulieres poſſunt caſtrari, ſed tamen maiori longe periculo: ſi tamen adſit ars, vſusque, prope nullo. Sunt tamen qui credant longo vſu viticis mares: & periclymeni fœminas eunuchas fieri. *Cardanus in Dialogo Tetim inſcripto.*

VTERI TVMORES ET VVLNERA.

Observatio.

Vteri abſceſſus multifariam expurgati.

SCIENDVM abſceſſum vteri quandoq; rumpi & purgari per vuluæ ipſius os, quandoq; per veſicam, ac ſæpe etiam in rectum inteſtinum abire. *Oribaſius ſynops. lib. 4. cap.* 51.

Observatio.

Abſceſſuum vteri circa Inguina ſuppuratorum & curatorum hiſtoriæ.

NOs Iudæam quãdam in eo affectu vſſimus Cydone, Nanæ Iudæi vxorem: ſupra enim Inguinem plurimum intumuit, imo ventre; nam diu locorum vitio laborauerat. Miro modo tumor ille dimota vulua interdum laceſcebat, interdum in mucronem conſpicuus cernebatur. Iam iam me & Chirurgum ſæpe deluſit, ferramentum & medicamina apparantem: ad maturitatem emplaſtris perduximus: mox manum deniq; non effugit, & ſanata eſt, ac exinde concepit.

Altera pariter Iudæa ex eodem vitio ſanata eſt, quã ſecari ex improuiſo iuſſimus tanta odoris grauiſſimi fœditate, vt medicos & neceſſarios omnes domo ꝓpelleret: is tumor immobilis erat, annexo peritoneo. Sicuti & Permarenæ nobili filiæ. Ex eo vitio pulſus ſupra modum exagitatur, ac anhelitus difficilis redditur. *Bened. lib. 27. c. 5. de curand. morb.*

Observatio.

Vteri portiones per abſceſſus & vulnera ablatæ.

VIdi quibus vteri portiones ſatis effatu dignæ, tũ per abſceſſus, tum per vulnera ſint ablatæ: & tamen viuunt, vnamq; in rebus deſperatiſſimis diuinæ bonitatis & fortitudinis gloriam profitentur. *Cornel. Gemma lib. 1. c. 6. Coſmocrit.*

VTERI VITIA ALIA PROMISCVE.

Observatio.

Vteri antiqui dolores curati.

EX vteri antiquis doloribus curaui vxorem Pharmacopolæ trium Regum: quæ poſtmodum erga me tanti beneficij memor ſemper grata fuit. Viuit adhuc, cũ iam à curatione anni circiter viginti quinque præterierint. Summa curæ fuit purgato corpore cum his catapotiis. ℞. cort. caſſiæ nigræ, cinnamomi, corticum citri, betonicæ, rad. pythiuſæ, zedoariæ, galangæ, & tripheræ magnæ appellatæ. Inungebam locum aſſidue ex oleo de lino, liliaceoque, atq; ita conualuit. *Cardanus curat. ſuarum admirand. nu.* 25.

TARTARVS.

OBSERVATIO.

Lapides in vtero nati.

FAmula Dyſeridis in Lariſſa, cùm iuuencula eſſet, vbi venere vteretur, fortiter circûcirca dolebat: alias autem ſine dolore erat. Concepit autem nunquam. Et cum ſexaginta eſſet annorû dolebat à meridie, veluti ex partu vehementer laboraret. Hæc cû ante meridiem porrum ediſſet multum, poſtquam dolor ipſam corripuit vehementiſſimus, & priores omnes excedens, exurgens aſperum quiddã in ore vteri deprehendit: Poſtea cum ipſa animi deliquium incideret, alia mulier immiſſa manu, expreſſit lapidem aſperum magnitudine verticilli fuſi. Et ſana tunc ſtatim & poſtea erat. *Hipp. lib. 5. de morb. popularib.*

Mihi quidem hoc non contigit videre, certior tamen factus ſum, non multis ante annis, idem duabus mulierib. accidiſſe. Altera erat virgo monachalis: Altera (vt accepi) vidua, quæ, quia venere non vtebantur, habebant antea ſolum dolorem grauantem, vt ex lapide in renib. Excreuerunt vero poſtea haud dubie ex vtero, ſi vera narrata ſunt, vt famula Dyſeridis. *Valleſius com. ad eundem Hipp. locum.*

Calculi aliquando tophacei in ipſo vtero generantur, quos ſi extrahere volueris, aluum prius per clyſterem ſtercoris eductorium euacuato. Deinde fœnigræci ac maluę decocto, roſaceo ammixto, vterum eluito, & muliere ſupina diſparatis cruribus locata duos longiores ſiniſtræ manus digitos in ani foramen immittito, dextra vero ſuperiorem ventrem comprimito, calculumque extrorſum cogito ac propellito, ſimul per digitos in anum miſſos deducens ac extrahens. At vero tophaceam ſubſtantiam extra in vteri collo, aut oſculo agnatam, muliere rite locata, & locis per dioptram dilatatis, ſcalpello reſecare oportet, & florido medicamento ſicco inſperſo curare. *Aetius Tetrabib. 4. ſerm. 4. c. 98.*

Habemus domi lapides excîſos follieulo fellis, ſtomacho, & c. vtero, &c. *Gemma Cyclognom. lib. 2. cap. 6. pag. 76.*

Andreas Lacuna cum alijs noſtratibus anatomicis intra caluariam & meſenterium & vterum conſpexerunt. *Thom. à Veiga comment. ad cap. 5. lib. 1. de locis affect. Galeni.*

Obſeruauimus concretos in capite, in vtero mulieris, cui diſſecandæ in ſcholis medicorû publice præfuimus. *Scholiograph. ad c. 48 Holl. der morb. intern.*

Rarum eſt lapides gigni in colo, pulmonibus, veſica fellis, rarius fortaſſe, quod tamen nos vidimus, in vtero interiore, & toto meſenterio. *Scholiographus ad lib. Gal. de loc. affect.*

Aperta mulier à nobis in ſcholis medicorum Lutetiæ lapidem habens in vtero, in cranio anteriore, & quæ ſine liene inuenta eſt. *Hollerius inter rara, num. 5. poſt obſeru. propr.*

Marſil. de Sancta Sophia in ſuis ad Auicen. comment. ſe lapidem vidiſſe genitum in matrice, & ab illa extractum teſtis eſt, citante *Marcell. Donato hiſt. mirab. med. lib. 4. cap. 30.*

Generantur etiam lapides in matrice, vt Marſilius dixit ſe vidiſſe. *Nicolus, ſerm. 5. tract. 9. cap. 12.*

In locis mulierum aliquando viſos (lapides) narrant. *Alexand. Benedict. libr. 22. cap. 34. de curandis morbis.*

Generatur in veſica fellis certe, atq; in ventriculo, rarius in vtero, ob pronum ſitum. *Cardanus.*

E matricis acetabulis duos calculos exciſos memini. *Vierus lib. 3. c. 15. de præſtigiis.*

Vltra molam, & alios conceptus non naturales in vtero factos, vidi etiam lapides genitos; præcipue autem noui Monialem non clauſtratam in primo ſenio conſtitutam, dum per plures menſes vterinis fuiſſet cruciata doloribus, qui nullo vnquam medicamento leniri potuerunt, tandem eieciſſe ſponte, nulloque adminiculante, per pudendum lapidem ſcabroſum, magnitudine & forma oui anatini, quo eiecto ceſſarunt dolores: attamen ſuperueniente ex vtero fluxione putrida, & corrupta, demum conſumta & emaciata, miſere vita functa eſt. *Salius ad c. 113 pract. Altom.*

Callæ, Sueſſionenſi villa, tribus hebdomadib. laborans mulier partu, perſuaſa à vicinis, voto ſe obſtrinxit: quod nudis pedib. ad S. Mariam itura eſſet, liberata fœtu, & ſtatim dolorib. leuata eſt. Primo autem peperit tres lapides, vnum magnitudine oui anſerini, alterum gallinacei, tertium nucis. Hos ſecutus eſt infans, qui baptiſmate tinctus, paucos vixit dies. *Chronicon Antonini, circa annum 1070.*

Extincta Hippolita Gata Corregienſe: doloribus vterinis diu vexata cum febre, lapis incredibilis magnitudinis, gipſeæ conſiſtentiæ, multo nigerrimo mucori innatans, diſſecto vtero, extractus fuit. Cuius rei nos multos habemus teſtes. *Marcell. Donat hiſt. med. mirab. lib. 4. c. 30.*

Inter multa alia rara quæ in diſſectione & conditura corporis Nobilis Matronæ Dominæ Mariæ Salomæ, Nobilis Viri Michaelis Reich à Reichenſtein coniugis: ex præclara Nobilium de Gemmingen familia oriundæ deprehendimus: Fundum ipſius vteri diſſecantes, inuenimus ibidem collectam materiam duriſſimam, albam, & lapideſactam, ita vt vix cultro diſcindere potuerim. *D. Georgius Garnerus libr. obſeru. ſuarum liberaliſſime mihi, adeoque poſteritati candidiſſ. communicato, cuius hiſt. integram ſuo loco diſpoſitam Lector deprehendet.*

VERMES.

OBSERVATIO.

Vermes in vtero nati.

IN pudendo mulieris aut inteſtino recto aſcarides naſcuntur. *Hippoc. lib. 2. de morb. mulieb.*

Si vuluæ brachia doluerint, ſcias hanc lumbricos rotundos habere, qui frequẽter in ipſa vulua per inteſtina decurrunt: harum ergo prurit natura, & venter & corpus, humor circa naturã, vt patent ſe rheumaticas factas, ſudor ſpiſſus eſt, & venter earum importunus. Iris illyricæ radices tere, & rubi radices tuſæ & cribellatæ, cum mali granati ſucco commixtæ, & ex eo maceratum peſſarium ſuppone, antea vero ex ipſo ſucco fomentabis. Aliud. De ſucco hederæ fomentetur, poſtquam vrinam fecerit. *Ex Priſc. & Cleop. 1. & 2. Harmonia Gynæciorum cap. 25.*

Intelligendum quod vermes poſſunt generari in matrice, ſed rariſſime. *Gordonius.*

Interdum generantur aſcarides in matrice ex melancholia phlegmatica, putrida, muccilaginoſa, vel acetoſa. Moleſtant & habent ibi pruritum intolerabilem. Vidi vnam, non poterat durare. Dedi ſibi

vnam

vnam iniectionem in matricem ad modum clyſteris, vbi poſui de hiera picra diſſoluta in decoctione abſinthij, fecit de vermibus paruulis in quantitate magna, quaſi media ſcutella, & fuit liberata. *Ioan. de Tornamira.*

Magis mihi conſentaneum eſt, gigni in vtero, & eo magis, quod memini me alias docuiſſe, vt dicit Ariſt. Albert. & alij, vermes fieri in cerebro & vaſis ſpermaticis, vt non ſit adeo durum, quod etiam fiant in vtero. *Mercurialis de mulieb. morb. lib. 4. c. 12.*

Nos, qui plurimum fidei in noſtra arte experimẽtis rationi accommodis tribuere ſolemus; per vteri collum Matronam quandam multitudinem aſcaridum magnam expulſiſſe vidimus: quæ poſtea dolore, quo vehementer cruciabatur, liberata eſt. *Gartias Lopius variæ rei medicæ lect. c. 13.*

OBSERVATIO.

Animalculum penitus monſtroſum ex locellis Iuuenculæ, lactantis puerum erepſit, citra incommodum.

ANno 62. die 5. Maij vidit D. Echtius cum D. Fabro & M. Coſma Cheirurgo animalculum erucæ magnitudine, maxime quãdo reptando ſe exereret, vnguiculis prominentibus. Fibroſum erat, dorſo glabro, ventre albicante, capite corneo nigroque, oculis gagatis lapidis ſimilitudine, ac ſpecie, ore hiulco lampretæ modo, aerem inſpirante; ſub initium ceruicis tres erant aculei ſicut vnci vtrinque aſperi, quibus apprehendebat, quæcunque vellet. Id animalculum abſque vllo liquore, mane ex locellis fœminæ iuuenis, puellum lactantis ad ſextum menſem erepſerat. Dum forte ſeſe inclinaret (nam hora ſeptima matutina erat) vt calceum indueret. Vixit autem lacte nutritum ad 3. dies. Mortuum per longum; inſcidimus nouacula iuxta dorſum à capite orſi. Effluxit cruor cholericus, venenoſus viridiſq;, præſertim circa caput. Mulier nihil incommodi ſenſit. *Solenander ſect. v. conſ. 15.*

OBSERVATIO.

Inteſtina ex vtero prolapſa.

VIdimus mulierem, de cuius vulua pariter diſrupta inteſtina omnia profluxerant, paucis diebus occubuiſſe.

Inſuper & aliam nouimus, cuius inteſtina, perfracta eorum tunica, à ſumma vmbilici cute tanquam in ſacculo dependebant in vuluam. Hæc autem miſeram quidem, ſed tamen longiorem vitam ducens, vna cum hoc malo conſenuit. *Beniuenius c. 5. de abdit.*

OBSERVATIO.

Puella neſcio quo genio ducta, caſtaneam intra vuluam recondens: cum repetere non poſſet, vetulæ conſilio, ſternutamento excuſſit.

QVædam puella in os vuluæ ei9 impoſuerat paruam caſtaneam: & cum manibus extrahi non poſſet, vetula quædam cum pipere fecit eam ſternutare: & ſubito egreſſa fuit. *Sauonarola tract. 6. cap. 5. rub. 11.*

FINIS.

OPERIS

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM TOMVS QVINTVS:

qui agit

DE PARTIBVS EXTERNIS.

PRÆFATIO.

VNIVERSVM Humanum corpus cum in quinque regiones diſtinxerimus, & de prioribus quatuor, velut principibus partibus, pro dignitate pertractaſſe videamur: reliquum nunc eſt, vt Quinto hoc noſtro Libro corporis Artus, Extrema, quæque Κῶλα *appellant, brachia quippe & crura, quæ velut rami trunco corporis agnaſcuntur, expendamus. Has autem partes, vt ignobiliores quidem, ita vſu & neceſſitate non multum inferiores, at principibus velut miniſtros ſeruientes, minime præterire decuit: quod in illis quoque cum natura ipſa, tum vero earundem partium morbi admirabili ſæpe cum varietate, raritate, atque nouitate ſeſe æque atque in cæteris prodant. Diſtinguuntur vero Artus in manum, & pedem maiorem. Manus maior ab Hippocrate in tres partes, in brachium, cubitum, & ſummam manum, ſecernitur. Summa manus in brachiale, poſtbrachiale, atque digitos. Pes maior in femur, tibiam, & pedem minorem. Pes minor in tarſum, metatarſum, & digitos pedum. Eſt etiam vbi inter extrema de Tergo, Spina, & Cute totius corporis, quædam inſeruimus, quod commodiore loco vix tradi poſſe cenſeremus. Hunc itaque Artuum ordinem hoc libro retinebimus, à manu* θαυμασίαν *hanc noſtram inchoantes.*

DE PARTIBVS EXTERNIS.

ET PRIMVM:

BRACHIVM.

MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Brachiis tribus vel pluribus, vt & pedibus aliqui nati.

T. Gracho & M. Iuuentio Coſs. pueri quadrupedes & quadrumanes nati. *Iul. Obſequens.*

P. Craſſo & Q. Scæuola Coſs. puer tribus manibus totidemq; pedibus natus. *Idem.*

M. Marcello. P. Sulpitio Coſſ. Theani (alii Theatri) Sidicini puer, cum quatuor manibus & totidem pedibus natus. *Idem.*

Venafri puer natus tribus manibus, totidemque pedibus. *Iac. Reiff. lib. 5. de concept. & Generatione hominis ex Romana, vt apparet, Hiſt.*

Prope Eſſelingam Nechari, monſtrum natum eſt, infans videlicet vnico capite: quatuor aures, quatuor brachia, & totidem pedes habens. *Lycoſth. lib. prodig. Anno* 1528.

Infans natus eſt crura brachiaque quaterna habens, vixitque quoad ex ſacro baptiſmi fonte leuatus eſt. *Idem eodem opere Anno Domini* 1389.

Refert Iouianus Pontanus Anno Domini 1529. die 9. Ianuarij, viſum in Germania Infantem maſculum, quaternis brachijs, & totidem cruribus. *Pareus operum ſuorum lib. 24. cap. 2.*

Quo die Veneti & Genuenſes fœdus inierunt, natum eſt in Italia monſtrum, quaternis brachiis & pedibus, vnico vero capite præditum. Id ſacra baptiſmatis aqua luſtratum, aliquandiu poſt vixit. Iacobus Ruefius Chirurgus Heluetius ſibi ſimile viſum narrat, ſed quod maris & fœminæ inſuper genitalia haberet. *Idem eodem libro cap. 4.*

OBSERVATIO.

Brachio vnico nati.

C. Valerio M. Herennio Coſs. ancilla puerum vnimanum peperit. *Iul. Obſequens.*

P. Africano. Lælio Coſs. Amiterni puer tribus pedibus, vna manu natus. *Idem.*

OBSERVATIO.

Sine brachiis, & ex his nonnulli ſine pedibus viſi.

T. Gracho.

T Gracho. M. Iuuentio Coſſ. Priueni puella ſine manu nata. *Idem.*

In Piceno infans abſque manibus & pedibus natus. *Lycoſth.lib.prodig.& oſtent.pag.*141.ex Romana Hiſtoria nimirum.

Ex diminutione vidi virum, qui vſque hodie viuus eſt, & non fuerunt ei neque manus, neque pedes. *Hali Rodoham commentar. ad libr.*3. *Tech. Galeni. Text.*177.

Anno 1591. 6. Febr. Strauſsbergæ fœmella nata, quæ digitis, tum manuum, tum pedum in vniuerſum carebat, & ad 9. Iulij eius anni diem viuebat. *Incertus auctor.*

OBSERVATIO.

Sine brachiis nati, qui vel ore, aut mento, vel pedibus, incredibili induſtria, quæuis ſubtiliſſima opera, manuum vice, efficere potuerunt.

NON eſt ab Dione prætermiſſum inter munera Auguſto miſſa ab Indis, fuiſſe tigres Romę tunc viſas primo: & adoleſcentulum ſine humeris, qui tamen pedibus manuum functionem obiret: namque arcum intendebat, ſagittas etiam excutiens. Quin & tubas, inquit inflabat, ὐκ οἶδ' ὅπως γεάφω γὰρ τὰ λεγόμενα. *Cal.antiq.lect.lib.*4.*c.*12.

Vidimus mulierem ſine brachijs enatam, pedes pro manibus, ad nendi ſuendiq; artem habuiſſe. *Alexand.Bened.lib.*1.*c.*2.*anatomes.*

Eandem nos quoque vidimus in caſtro Amandino Allifero, anno Chriſti 1540. nentem, ſuentem, pedibus (manuum vice) cyathum vini apprehendentem, & bellantium more pedibus arreptis baculis, tympanum belli manu pulſantem. *Rocheus de morb.curand.c.*32.

Sine brachiis enatum vidi Hiſpanum, certe monſtra, quæ in natura rerum eſſent, omnia excedentem: pedibus enim citus admodum erat, vt cum illis neret, ſeu acu expeditius pingeret, quam vel citiſſima mulier ambabus manibus, & arma bellica tam affabre tractaret, vt nemo miles agilitatem ipſius aſſequeretur, arcuque tam eſſet rectus, vt à ſcopo nunquam aberraret, & ſecuri quemuis vnico ictu infringeret, etiam craſſiuſculum truncum. *Georg. Pictorius ſerm.conuiuial.lib.*4.

Natus eſt infans, qui brachijs in vniuerſum careret, reliqua corporis forma rectiſſime habens. Pedes huius, cum ad vigeſimum annum ætatis perueniſſet, manuum officio fungi vidimus, accipiendo, ſecando, ori inſerendo, nec non etiam alea & chartis ludendo. Quod & alter quidam ore & mento præſtare potuit.

Eiuſdem agilitatis etiam mulier Francfordiæ ad Mœnum, anno Chriſti 1556. viſa eſt. Quæ manibus omnino carens, arrepto pede calamo, literas non tantum elegantiſſime pingere, ſed tractare colum, nere, numerare pecuniam, ac ſubtiliſſima quæque pedum digitis conficere potuit. *Lycoſthenes lib. de prodig. & oſtent. Anno Domini* 1528.

Vidiſſe quendam memini me, qui cum brachijs omnino careret, dextro pede haſtam vibrabat, collimabatque, ſuebat veſtem, edebat, ſcribebat, in acum filum immittebat. Nec tanti miraculi defuturos teſtes ſpero, cum res publice ageretur. *Cardanus lib.*17.*de ſubtilit.*

Mutili hominis hiſtoriam iucundam ſimul, atque admirabilem narras. Qui brachijs careret, dextro pede haſtam vibraſſe. Veſtem ſuere ſolitum, ſcribere, edere, bibere, in acum filum immittere. Cuius rei teſtem te habiturum ſperare ſcribis. Næ tu diuinus vir es. Ecce me ſodes habeto. In Allobrogum prouincia eum ſpectauimus. Arbitror amplius quinquaginta millia hominum ſupereſſe, quibus ille miraculo fuit. Plus quoque quod de eo dicam habeo. Clauum caligarium in aſſerem malleo penitus adigebat, cerdonum more, quem dicto celerius conuerſi mallei auriculis extrahebat. Antonius ei nomen fuit. Neapoli ſe ortum prædicabat. *Iul.Caſ.Scaliger exercit.*334.*ad ſubtilit.Card.*

Paucis ab hinc annis, viſus eſt Lutetiæ vir quadragenarius, quadrato corpore, qui, etſi brachijs careret, omnia tamen quæ manibus perfici ſolent munia, haud infeliciter obibat. Humeri enim trunco & capite, colloque vibrato, ſecurim in palum oppoſitum, tam certo & valido ictu, quam manu quiuis alius vir eiaculabatur: aurigæ flagellum tanta vi diſtringebat, vt aëre validius percuſſo, ſonaret. Cæterum pedibus edebat, bibebat. Tandem Latro & ſiccarius deprehenſus, ex cruce ſtrangulatus rotæ affixus eſt.

Viſa etiam non ita pridem mulier Lutetiæ eſt, ſine brachiis, quæ nihilominus ſecabat, & pleraque alia, quaſi manus adeſſent, perficiebat. *Pareus operum ſuorum lib.*24.*de monſtris c.*6.

Siue eundem ſiue alium, à Parei deſcriptione, at eiuſdem certe ætatis, atque corporis conſtitutionis, Hagano, quo tempore eius Reipubl. Medicum Phyſicum agebamus, videre nobis contigit. Qui præter alia à Pareo recitata, me & alijs multis ſpectantibus, frondis faginei ramum brachij craſſitie aquæ tum impoſitum, quo æſtatis tempore conclauia ſuo virore exornare in hoſpitijs ſolent, gladij heluetici capulo, mento humerorum vni appreſſo, comprehenſoque, vnico impulſu euaginato, & ſtringente, ictu etiam vno diſſecauit: miniſtro gladium, vagina adhuc, donec ab eodem educebatur, concluſum, continente. At quod de bipenni affirmat Pareus, eam ille noſter, ſimili modo quo gladium, apprehenſam, ad deſignatum & expetitum parieti tabulato ligneo locum & punctum, exacte impegit. Natione Heluetium eſſe prędicabant. *Schenckius.*

Anno quo hæc ſcribimus, 1586. Halæ Sueuorum, vir quidam nomine Thomas Schvveigker, annum ætatis ſuæ quadrageſimum primum agens, ſuper eſt, ſine brachijs natus. Qui, quæ alij manibus ingenioſiſſima opera, eadem ille pedibus incredibili prope ſolertia perficit. Cuius iconem ad viuum ectypum, in argento, taleri numi magnitudine, fuſam, digitoque pedis calamum ſcriptorium ſuſtinentem, exprimentemque, Ioannes Beringer, ſummi apud nos templi Architectus, viſendam mihi exhibuit: Et præterea eiuſdem ſcripturam oſtendit, pedibus tam eleganter delineatam, emblematibuſque varijs circa margines ornatam, vt vel peritiſſimos, qui in nobilioribus Ciuitatibus ſcribendi munus publicum, atque vna quoque Arithmeticam practicam, tum per numeros, tum per calculos, profitentur, prouocare, immo longe ſuperare queat. Idem quoque admirabili induſtria, eadem quæ Arcularij dedolando, ſculpendo, ſcindendo, forando, ſerrando, ingenioſiſſima efficere ſolent opera,

velut

velut columnulas, periſtylia; eiuſq; generis alia; pedibus felici imitatione præſtat: adeo quidem, vt in eo iure quiſpiam brachia & manus deſiderare, velut ſuperuacanea, debeat minime. *Idem Schenckius.*

Mira eſt prouidentia & ſolicitudo naturæ, quam Creator omnium rerum, ei tanquam optimæ matri attribuit. Ea enim in animalibus membris diſtortis, vel mutilatis, aut debilitatis, vel etiam omnino deficientibus, plerumque aliis membris, præter ſuum officium, ad quod deſtinata ſunt, tale robur & dexteritatem ex diuturna conſuetudine ſuppeditat, vt dicere aliquis poſſit, non in diſtinctione membrorum, ſed in continuo vſu perfectionem conſiſtere. Hac de re ſæpius cogitaui, cum eſſemus Comburgi, apud vere nobilem & præſtantiſſ. Virum Dn. Eraſmum Neyenſtetterum. Is enim cum nulla benignitatis erga nos prætermiſiſſet officia, iuſſit accerſi, ex vicinis Salinis Sueuicis Thomam Schweickerum, natum 31. annos, & quidem honeſtis parentibus. Quem licet mater ſua abſque brachiis enixa fuiſſet, in lucem, omnia tamen munia manuum, pedum ſubſidio, ita exequebatur, vt quod in vno deſideraret, in altero ſibi compenſatum eſſe affirmare non erubeſceret. Nam cum in æditiore loco, qui æquaret altitudinem tabulæ, in qua eſculenta appoſita erant, conſediſſet, apprahenſo pedibus cultro, ſcindebat panem & alios cibos, pedes ea poſtea, nec nõ & potum, veluti manus ori porrigebant. Peracto prandio pedibus pingebat, nobis omnibus videntibus, tam elegantes Latinas literas, ac Germanicas, vt exempla eorum, quaſi rem inſolitam nobiſcum ſumeremus. Poſtulantibus etiam nobis, cultello parabat calamos, ad ſcribendum aptiſſimos, quos poſtea nobis donabat. Cum etiam ita occupatus, diligenter inſpexi, formam pedum quorum digiti, ita erant, oblongi, & ad res tenendas apti, vt procul aſpicientibus, manus (pallio enim ſuo verecunde admodum crura tegebat) viderentur. Hoc ſpectaculum nobis ſane iucundum & antea non viſum. Iuſſus etiam fuerat paulo ante Cæſ. Maieſtati Diuo Maximil. II. cum Halam vrbem, ad comitia Spitenſia tranſiret, & Electoribus Palatinatus, atque Saxoniæ, Ludouico & Auguſto ſe exhibere, quorum Maieſtas & Celſitudo, hanc mirandam naturæ compenſationẽ, non abſque munificentia, & cum admiratione ſpectauit. Hoc ipſum illuſtrauit elegantiſſ. hoc Epigrammate. *D. Io. Poſthius, Med. & Poeta eximius.*

Mira fides, pedibus dextre facit omnia Thomas
Cui natura parens brachia nulla dedit.
Namq; bibit pedibus, pedibus ſua fercula ſumit,
Voluit & his libros, præparat his calamos.
Quin & literulas pede tam bene pingere nouit,
Artificis ſuperet grammata ducta manu.
Maximus hoc Cæſar ſtupuit quondam Aemilianus.
Donaq; ſcribenti largus honeſta dedit.
Omnia namq; poteſt vigilans induſtria, quodq;
Natura ipſa negat, perficit Ingenium.

Hæc ex Eicone in ære excuſa & Phil. Camerarii I V.D. & Reip. Norimb. Conſiliarii ad eandẽ Cenſura & Iudicio. *Ioan. G. Schenckius, Medicus, Filius.*

Deprehendimus alicubi Verſus elegantes, in eundem hominem ſcriptos, quos ſubiicere viſum fuit.

Thomas Schweickerus, *miſerandæ ſortis homullus,*
Quem ditem pietas, ingeniumq; facit.
Has ſine brachiolis vitales luminis auras
Adſpexit, Sueui ſub vada lenta Nicri.
Ne Natura tamen litem pateretur acerbam:
Robur ei tribuit fortibus in pedibus.
Quod dextris alij tractant, peraguntq; ſiniſtris:
Ille miniſterio perficit omne pedum.
Nam bibit & ſcribit pedibus, comeditq; facitq;
Singula. Mireris ſi videas hominem.
Optimus eſt calamus crena ſcriptorius vnca,
Quem mira adſtanti præparat arte tibi.
Hunc ſtupuit Cæſar Maxæmilianus, eiq;
Scribenti quondam largiter æra dedit.
Mirati comites, admiratiq; Barones
Mirandi nobis propoſuere modum.
Membro alij accedit, ſi quid deceſſerit vni.
Hac hoc exemplo eſt Maxima nacta fidem.
Quid non continuus Natura perficit vſus!
Vidi hominem. bene ſit, quippe meretur, ei.

At vero hominis pedes admirabili artificio conſtructi, manibus adeo ſimiles exiſtunt, vt comperti ſint nonnulli brachiis & manibus ablatis, qui pedibus, loco manuũ, in nendo, atque ſcribendo vterentur: vidimus namque hic Baſileæ quendam, ante annos circiter octodecim, qui non ſolum pedibus eleganter ſcribebat, ſed & pennas adaptabat. *Caſp. Bauhinus cap.3. part. altera de ſimular.*

AFFECTVS ET SYMTOMATA.

Observatio.

Gangrana brachij percurata poſt eryſipelas phlegmonodes ſuppuratum inciſumq; obortum.

AD Gangrænæ curationem, à me in Rolmanno Bilandio, viro certe præter inſignem eius nobilitatem optimo, peractam; tranſire, non videbitur abſonum. Huic propemodum ſeptuagenario, corpulento, cacohymicoque, à tertianæ febris afflictione, ſubito, quaſi per criſim exoritur eriſipelas phlegmonodes, in ſiniſtro brachio, ꝙ ab axilla ad carpum vſque, cum dolore, rubore, & dolore, plurimũ intumuit, ſuppuratumque breui, & à chirurgo ſectum, copiam ſaniei reddidit largam. Vbi deinde citra intermiſſionem, die noctuque, nihil coctæ ſaniei, ſed liquor ſeorſum proflueret, cataplaſma, ex farina hordeacea cum fabaceæ momento, in aqua decocta, vitellis ouorum, & olei roſacei quantitate debita admixtis, applicui, vnde mox aquei crudique humoris profluuio remittente, pus coctum promanauit. Quã re animaduerſa, chirurgus quo cũ mihi antea, ob crudi illius ſucci effluxum, ab eodem laudatum, controuerſia fuit, materia magis exiccante, dum abeſſem, conſilii mei ſucceſſum ſe ſperabat victurum, linteiſque madefactis in vino, cui incoctum fuerat cuminum, veſtit brachium vniuerſum. Eo tantum promouit, vt breui omnia vulnera, quæ ſupra viginti erant, in vno illo brachio, abſque vllius ſaniei guttula, liueſcerent, & brachium deinde totum nigricare occiperet.

Reuocatus excandui, conſpecta gangræna: Itaque haud mora, altioribus vulnuſculis brachium ſcarifico, foueoque ſpongiis vtrinque ſibi correſpondentibus, ex lixiuio decoctionis farinæ lupino-

rum: deinde cataplaſma ex farina hordeacea, fabacea, lupinorum & oxymelite apparatum, admoueo. Atque horum vſu continuo, ſanguis & ſpiritus reuocantur, pus redit coctum, naturalis reuiuiſcit color, vlceribuſque melle roſaceo (cui plerunque admiſcebatur vel puluis præcipitatus, vel Vnguentum Ægyptiacum) abſterſis, curatur æger, & ad ſolita reuertitur munia. *Vierus obſeruationib. rarar. libr. primo pag. 103.*

Observatio.

Neruus chirurgi errore venæ loco in brachijs punctus, Carolum nonum Gallorum Regem febricitantem, in graue diſcrimen adduxit, qui tandem opportunis adhibitis auxilijs conualuit.

CArolo nono Gallorum Regi febricitanti, Sanguinis detractio, de Domini Capellani, & Caſtellani Medicorum Regiorum ſententia preſcripta eſt: ad quam celebrandam, vocatus eſt chirurgus, eius operis gloria famatiſſimus: ſed is, cum forte fortuna neruum pro vena pupugiſſet, exclamauit Rex, dolorem ſe eo loci ingentem percipere. Tum ego edixi, vt extemplo vincula ſoluerentur, alias breui in altum tumorem actum iri brachium: Sed cum id ſegnius fieret, ecce tumor inuaſit brachium, cum contractione tanta, vt flectendi aut exporrigendi non eſſet libertas, dolor vero ſæuus, non punctam modo particulam, ſed & totum membrum habebat. Ego vero pro tempore & re nata, ſtatim vulneri emplaſtrum ex baſilicone, quod ipſius agglutinationem remoraretur, impoſui: hincque toti brachio, diplomata, oxycrato imbuta, inſuper inducta faſcia expulſiua; quæ à carpo initio ducto, in ſummum humeri articulum deſinens, ſanguinem, ſpiritusque fluxionis & inflammationis metu compelleret. His factis ſeceſſimus, prouiſuri quid facto eſſet opus, tum ad dolorem ſedandum, tum ad reliqua ſymtomata auertenda, quæ neruis punctis ſuperuenire ſolent. Rogatus, ſententiam dixi, meo iudicio nihil melius fieri poſſe, quam ſi illico Oleum de Terebinthina calens, cum aqua vitæ in vulnus affunderetur. Toti vero brachio emplaſtrum diachalciteos, in aceto & oleo roſaceo diſſolutum, induceretur, obuoluta inſuper faſcia, cuius iā meminimus, expulſiua. Oleo enim & aquæ vitæ vim ineſſe, in vulneris fundum penetrandi ſeroſique humoris ac virulenti, qui ex nerui puncti ſubſtantia exudabat, exhauriendi & reſiccanti: doloris prætereà ſedandi, calore illo qui ipſis actu inerat. Emplaſtro vero diachalciteos, facultatem adeſſe eius qui iam in brachium influxiſſet humoris reſoluendi, & noui ad venæ aditum & influxum prohibendi. Faſciam eiuſmodi eſſe, quæ roborandis moderata conſtrictione muſculis, exprimendiſque & repellendis, in partes ſupernas, qui iam influxerant humoribus, his vero qui influxuri erant aditu & ingreſſu arcendis, ſufficeret. Probato à Medicis verbo & opere, conſilio, dolor mitior factus eſt. Reſtabat in parte humor, cui reſoluendo & deſiccando adhibitum eſt ſequens remedium:

℞. far. hord. & orobi ana vnc. ij. flor. chamemeli & meliloti ana. pug. ij. butyri recentis, ſine ſale vnc. j. ſ. lixiuii barbitonſoris quod ſufficit, fiat cataplaſma ad formam pultis. His remediis generoſiſſimus Rex tandem poſt trimeſtre ſpatium ſanatus eſt, ſic vt vitiata actionis in parte læſa veſtigia nulla ſupereſſent. Ac ſi quando doloris tanta fuerit contumacia, vt ſic quidem miteſcat, imo etiam conuulſionis impendentis metus adſit, ſatius erit ſeu neruum, ſeu tendinem, ſeu membranam penitus reſcindere, quàm lethiferæ conuulſionis periculo ægrum exponere: ſic quidem parti actio propria deperit, at toti corpori vita conſeruatur: ita enim & communi conſilio ſtatueramus, ſi qui Regem affligebat dolor, præſcriptis remediis non cederet, vel oleum feruens affundere, vel neruum ipſum in totum reſcindere. Nomarchæ enim Cortinæ, in ſanctæ Crucis vico commorantis, recens adhuc & triſtis memoria verſabatur ante oculos, quæ ex male ſecta vena, in brachii gangrænam ſphacelumque incidit, vnde tandem è vita exceſſit, quod ſupraſcriptis illi prouiſum non eſſet. Abſtinendum tamen à validioribus illis remediis, quando punctus neruus nudus extiterit: hinc enim doloris incrementum, & grauiorum ſymptomatum acceſſio fieret. Quare, vt ante admonui, mitiora erunt admouenda, quæ humorem ſeroſum deſiccare poſſint, citra morſum, quorum hic refricare memoriam, propoſitis exemplis, non pigebit.

℞. Terebinth. venet. in aq. roſar. lotæ, vnc. ij. *boli* armeni, ſubtiliter pulueriżati, drach. ij. incorporentur ſimul. In hoc etiam caſu excellit balſamum noſtrum, & quod ſequitur Vigonii.

℞. Ol. roſarum omphacini vnc. j. ſ. ol. de terebinth. drach. iij. ſuc. Plantag. vnc. ſ. ſem. hypericonis, aliquantulum contriti, manip. ſ. tuthiæ præparatæ drach. iij. calcis decies lotæ cum aqua plantag. drach. ij. antimonii drach. j. ſeui hircini & vitulini ana drach. v. vermium terreſtrium cum vino lotorum vnc. j. ſ. bulliant omnia ſimul, dempta tuthia, in cyatho decoctionis hordei, ad conſumtionem aquæ & vini, colentur, rurſumque igni admoueantur, addendo tuthiam, & fiat linimentum, cum cera alba, & drach. ſ. croci. Hoc linimentum dolorem demulcet, nudatiſque neruis carnem inducit. Hæc punctorum neruorum curatio, cum delectu & iudicio, partium ſeruata proportione, ad tendines membranaſque compunctas transferri poteſt. Generale vero & commune omnibus erit, vt neruoſa omnia corpora, quacunq; ratione affliguntur, conſoleris litu ex oleis calidis, cuiuſmodi eſt laurinum, liliaceum, de vermibus, de ſaluia, aliove ſimili remedio admoto, ipſorū originibus & aditibus inſigniotibus, vt origini ſpinalis medullæ, alis & inguinibus. Nec vero prætereundum hoc loco arbitror eſſe affectum, qui in craſſum illum calcis tendinem, de quo ante diximus, cadere ſolet. Is enim leui ſæpe occaſione, vt leuiculo ſaltu, incerti & vacillantis pedis ingreſſu, aſcenſu in equum, vel fruſtrato, vel rapidiore, dilaniatur & dilaceratur, ſine iniuriæ vel ſolutionis continui vllo, in ſupertexta cute, iudicio. Cum is caſus contingit, ſtrepitus tanquam verberati flagello aeris exauditur, ſupra calcem, qua parte dilaceratus eſt tendo, depreſſa cauitas tactu percipitur, dolor in parte ingens diuexat, incedendi facultas adimitur. Sanatur id malum longa in lecto mora & quiete, repellentibus per morbi initia admotis parti affectæ, metu grauiorum ſym-

ſymptomatum. Hinc emplaſtro nigro, vel diachalciteos, vel alio ſimili, prout poſcet neceſſitas: nec tamen hinc certam ſalutem, vel ſanitatem perfectam, nobis vel ægris, polliceri debemus. Contra ab initio morbi prædicendum, nunquam futurũ, quin mali reliquiæ ſuperſint, nempe depreſſio partis affectæ, & actionis inceſſuſque deprauatio: non enim tendinis illius rupti vel laxati propter craſſitiem & contumaciam extrema facile ſibi adiungi, aut adiuncta vniri poſſunt. *Pareus operum ſuorum libr. 9. cap. 38.*

Observatio.

Mali aurantij particula in ſocium procurrentem iactu, os humeri vnius & brachij ſiniſtri perfractum.

VIncentius Morellus illuſtris Poetæ, nobiliſque patricii D. Dyoniſii de Pietis, auriga cum aliis conſeruis luſitans arrepta è menſa dimidii mali aurantii parte in ſocium antecurrentem proiecit, maius ſibi malum, quam alteri patans, eo namque in brachio valido motu os humeri dextri ita perfractum fuit, vt rupti oſſis capita inuicem diſiuncta manifeſte tacta deprehenderentur, at auditu mirum vix oſſe illo ferruminato cum priores operationes nondum obire poſſet, nocte media lectulo cubans expergefactus, brachium alterum demiſit, vt matulam ſuſciperet, qua in motione os brachii ſiniſtrum circa mediam ipſius partem diſruptum fuit, quod pariter ope medica occalluit. laborauerat Vir hic antea per plures annos Lue gallica ſæuiſſima, atque caput, crura, brachiaque Tophacei tumores occuparant, qui tandem ex illinitione ex Vnguento cum Hydrargyro delituiſſe videbãtur. quamobrem brachii oſſa carie exeſa, & vitiata, adeo facile admirandæque fractioni occaſionem præbuiſſe eſt cenſendum: ſicuti enim carni ſolutæ continuitates accidũt vulnus & vlcus, ita & oſſis fractura, quæ vulneri reſpondet, ac caries, quæ vlceri accidere poſſe teſtis eſt *Gal. lib. de morb. cauſ. cap. vlt. Marcellus Donatus lib. 4. cap. 5. Med. hiſt. Mirab.*

Observatio.

Quidam nucleum amygdalinum pauimento illidere volens: & alius malleo quippiam leuiter confringere attentans, brachia fregerunt.

ACapiuaccio commemoratum aliquãdo, quod quidam nucleum amygdalinum pauimento illidere volens, fregit brachium.

Quemadmodum & alius quidam, tundens aliquid non grauiter malleo itidem brachium fregit. CL. V. *Camerarius de obſeruationib. Patauio acceptis & ad me miſſis.*

Observatio.

Hiſtoria aciculæ de abſceſſu brachij poſt annorum aliquot dolorem exempta.

NArrabo cuius non ipſe ſolum, ſed etiam multi ſpectatores, vna fuimus. Laborauit iuuenis brachii dolore annos aliquot, qui ſecundum longum ſentiebatur, & tumorem excitauerat, factuſque eſt tandem abſceſſus, quo ſcalpello diuiſo, acicula ærugine obducta forficulis inde educta eſt, eam ex iis qui aderant nonnulli à puero vna cum cibis deuoratam fuiſſe credebant, tandemque illuc penetraſſe, quod fieri non potuiſſe arbitror. Ego in ea re aliud conicere non potui, quam puerum, dum petulantius laſciuiret, vel procatius colluderet, brachio in aciculam impegiſſe, idque ſine dolore, quemadmodum in ira, vel magna animi contentione, mente alio ſpectante, dolor ſtatim non ſentitur, tum quia æruginem acicula contraxiſſet, vi ſiccandi præditam: progreſſu tamen temporis dolor excitatus eſt, factuſque abſceſſus *Rondeletius Hiſt. Aquatil. cap. de Cancro fluuiatili.*

Observatio.

Struma inſignis magnitudinis ac molis Vetulæ è dextro brachio enata & Chirurgi opera exigua hæmorrhagia feliciter reſecta, quæ glandulis tunicis concluſis referta fuit.

VEtulæ cuidam tumore quodã duriuſculo, carnoſo tamen, qui veluti inſignis quædam moles ſiue ſaccus, è brachio dextro dependebat, ſine vllo inſigni ſanguinis profluuio, per Chirurgum domus Morbi Gallici, apud Argentinenſes, quem noſtri (Blaterſcherer) appellant, abſciſſo, nihil aliud in ea ipſa mole inuentum fuit, niſi innumeræ, eæque ſatis inſignis magnitudinis glandulæ omnes ac ſingulæ propriis membranis obuolutæ. Viuit hodierna quoque die ſaluis & illæſis plane ipſius partis actionibus. Quam autem multi graues & memorabiles morbi, in iam dicto Noſodochio, ab ipſo Chirurgo, qui hoc ipſo tempore ægris præeſt, felici ac pœne incredibili ſucceſſu curentur, experitur illud ipſum, ſumma cum admiratione, ordinarius Reipubl. Argentoratenſis Medicus, vocatus Matthæus Soltzer. *Melchior Sebizius, ſuis ad me datis obſeruationib.*

Observatio.

Brachium ab humero diductum.

COhærere interdum mẽbra exulcerata, vel protinus in vtero, aut etiam actione, conſueuerũt. Nos autem puellam vidimus & curauimus, cuius totum brachium, feruentiſſimæ aquę effuſione, humero cohæſerat. Cumque nemo ex prudentioribus medicis inueniretur, qui puellam curare auderet (periculum enim erat, ne dum membra ipſa ſcalpello diſcernerentur, neruus incideretur, & ſanguis immodicus proflueret) ego ſolus, vt eram iuuenis, hanc curam aggreſſus, paulatim cicatricem ipſam ſcalpello deſcindo, ſanguinem ſupprimens, donec ad cubiti iuncturam, vbi neruus eſt, deuenio: tum ſeparatim vtrumque molliore emplaſtro circundo: & quoniam extendere brachium non poterat, iubeo vt grauiore pondere ſumto, manu id perferat, donec paulatim extendatur. Quod cum ipſa diuturnioris temporis ſpatio obſeruaſſet, ad priſtinum tandem ſtatum reuerſum eſt brachium ipſum, ſola gratia & munere illius, qui eſt benedictus in ſecula. *Beniuenius cap. 82.*

Observatio.

Brachia & pedes, puellæ cuidam, vi morbi, à reliquo corporis trunco, qui ſaluus perſtitit, exciderunt.

VIdi puellam quæ non diu laborauit, cui brachia & pedes de corpore deciderunt, perinde

atque ſi ferro amputaſſes: truncus permanſit illæſus,
& cito conſolidatus eſt. Præterii ipſam ſæpe, elemo-
ſynam in viis emendicantem. CL. V. *Eſaias Meuchſne-*
rus de ſuis mihi communicatis obſeruationib.

OBSERVATIO.

*Eryſipelas phlegmonodes dextri brachij exulcera-
tum, cum copioſiſſimo ſaniei
effluxu.*

VIr quidam nobilis, annum agens 42. ſangui-
neus, & obeſus admodum, laute victitans, po-
tationibus indulgens, & ad iracundiam pronus, ſæ-
pius Eryſipelate corripiebatur. Idque aliquando
dextrum brachium vniuerſum corripuit phlegmo-
nodes, cum maximo dolore. Is edoctus fuit, à neſcio
quibus ſuperſtitioſis hominibus, vt conſecratos ra-
muſculos ſalicum, quibus loco palmarum in die S.
Paraſceues ſolent vti, prunis impoſitos accenderet,
& ſupra ipſos brachium quam calidiſſime foueret.
Quo facto, tanto calore & dolore brachium fuit af-
fectum, vt non exiguum eſſet periculum de gangræ-
na paulo poſt ſuperuentura. Sed adhibitis remediis
conuenientibus, tandem brachium fuit exulcera-
tum, & ſpatio trium dierum, ad duas vel tres libras
puris bene cocti effluxit, vnde ſtatim melius ſeſe ha-
buit. *De obſeru.* CL. V. *Ioach. Camerarij.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria adulterini brachij.

ANno Domini 1525. Cum eſſem Andegaui ſta-
bat pro templi foribus vafer medicus, qui pro-
prio brachio poſt terga reuincto & abdito, in eius
locum ex ſuſpendioſi cadauere reſectum, thoraci
adiunctum, furcula fulciente populo oſtentabat,
quaſi igne ſacro correptum, quo prætereuntes in ſui
commiſerationem magis incitaret. Latuitque fraus,
omnibus certatim ſtipem erogantibus, donec tan-
dem haud fideliter adnexum, ſolutis omnibus vin-
culis, in terram procidit, ſpectantibus & obſeruan-
tibus multis. Comprehenſus & in carcerem conie-
ctus, magiſtratus ſententia, alligato ex ceruice, &
in pectus propendente adulterino brachio, virgis
publice cæſus eſt, & in exilium eiectus. *Pareus operum
ſuorum lib. 24. c. 18. De monſtris.*

HVMERVS.

AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Humeri dolor acerbiſſimus.

IOAN. *Fernelius cap. de Arthrit.* ſcribit:
Humeri arthritidis dolore quidē inſi-
gnis, non tamen (vt neque Iſchias) tu-
more, rubore vel calore manifeſta.
Hoſce dolores ego ipſe iter faciens &
corpus frigore ſæuiente non ſatis muniens bis exper-
tus ſum, & in aliis quoque vidi. Eſt dolor atrox, bra-
chii motum impediens, illudque tanquam vinculo
corpori alligans. Vſus autem ſum tali Cataplaſmate
quod profuit. ℞. boli vulg. Cretæ albæ ana vnc. j. s.
ol. roſ. vnc. j. aceti roſ. drach. vj. floris Lactis q. ſ. mi-
ſce ſuper prunas viuas, adde croci pulu. drach. j. ap-
plicetur calide cum ſtupa cannabina bis terve in die.
Aliquādo addidi pulu. rad. conſolidæ mai. & oleum
chamomillæ. Animaduertendum autem dolore
ceſſante brachiū aliquando tabeſcere, id quod mihi
quoq; accidit, ideoque fomenta, vnguenta & Em-
plaſtra conuenientia adhibenda ſunt. In primis vero
membrum pelle Leporina aut vulpina probe muni-
endum & tegendum eſt. *De obſ. c. L. Medici Ioan. Fran-
ci Hildeſii.*

OBSERVATIO.

*Napta humeri, pondo ſeptem librarum, feliciter
exſecta.*

PLerunque accidit ſuperfluitas quædam in qui-
buſdam hominibus, quæ vulgo dicitur napta, eſt
apoſtema magnum, carnoſum, & molle, vt pluri-
mum ſicut fungus: & non eſt cum ea dolor, neque
calor, neque pulſatio, & fortaſſe ex eo eſt, quæ ma-
gnificatur adeo, vt ſuperet omnes alias ſuperfluita-
les corporis, & iam vidi quendam ſcriptorem, qui
habebat naptam in humero ſuo, & cū vidiſſem eum
habere puluinar in humero. Deinde detecto loco
vidi ægritudinem, & conſiderata ægritudine, fuit
conſilium meum, vt non tangeretur, ſed remaneret
cum domino ſuo, timui enim propter magnitudi-
nem eius, & moris mei ſemper eſt, conſilium in in-
ciſionibus nunquam dare, vbi poteſt aliquod peri-
culum in inciſionibus euenire. Vir autem contemto
conſilio meo, acceſſit ad quendam Chirurgum mihi
notum, & incidit eum, & peroptime liberauit. Ex-
traxit enim naptam ſeptem libras & amplius pon-
derantem. Verum ſcias quod eſt ex raro contingen-
tibus. Et modus curationis eius eſt, vt incidatur, &
excorietur ex omni parte cum facilitate, & extraha-
tur, deinde locus cauterizetur peroptime, propter
ſanguinis fluxum, qui multotiens apud inciſionem
accidere conſueuit, interdum etiam niſi fiat caute-
rizatio morbus redit. Si vero napta nimis groſſæ ra-
dicis, eius inciſio verenda eſt. Verum incide circa
medietatem eius, & cauteriza reſiduum. Et quando
radix eius eſt valde ſubtilis, & pendet ſicut teſticu-
lus, tunc nō oportet excoriare ipſam, ſed incidas eam
circa radicem, & cauteriza vel liga eam cum filo ſe-
rico vel ſimili ſtringendo, quamdiu penitus abſcin-
datur. Et caue ne incidas naptam quæ eſt fuſci colo-
ris & pauci ſenſus, quoniā eſt apoſtema cancroſum.
Theodoricus Chirurg. Lib. 3. cap. 31.

OBSERVATIO.

*Napta ſeu vlcere ſanioſo calloſoq; humeri inciſo: pure con-
fertim euacuato: æger Chirurgorum impe-
ritia occiſus.*

QVendam pauperculum vidimus, qui ampliſſi-
mum præter naturam tumorem ſupra hume-
ros geſtabat: erat autem vlcus cauum, & omnia vl-
ceris labra & latera lapidea effecta erant, nempe tar-
tari fruſta videbantur, quæ eximerentur, Chirurgici
naptā vocabant, qui illam extrahere tentarūt, Sexta-
rium vero noſtrate magnitudine æquabat. hic pau-
perculus nullo alio incommodo afficiebatur, quam
labore gerendi id pondus. At Chirurgici illi cum ſa-
nitatem ſpoſpondiſſent, & ſemel vniuerſum pus ex-
traxiſſent, illico is pauperculus morbo & anima or-
batus eſt. Interim hi Chirurgici iubebāt nonnihil in
huius pauperculi os imponi, vt reficeretur, at ille
obierat. Si tunc eo officio functus eſſem, quo nunc
fungor, nunquam hi tam publici atq; domeſtici car-
nifices impunes euaſiſſent. *Braſſauola Comment. ad
Aph. 27. lib. 6. Hipp.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Vulnus ſinuoſum ab humero ad nates vſq; extenſum, fruſtra tentatis alijs medicamentis, braſsica folio conſolidatum.

SCio in longum protenſum ſinuoſum vulnus, ab humero ad nates propemodum vſq; ipſas, qua in parte apertum: extremâ ea ora plurimum ſemper remittebant ſanioſæ materiæ cuiuſdam, nec profundam tamen, neque vltrà carnoſam membranã valde adactum, cum remediis aliis conſolidari non poſſet, ex foliorum braſſicæ, vino nigro, atque auſtero incoctarum applicatione, reſiccatum, coaluiſſe intra paucos dies. Factumque id eſt ex conſilio præſtantiſſimi medici, Maffœi Fracazini. *Alexandrinus. Annotat. ad cap. de Braſsica. Lib. 7. de ſimpl. Medic. Facult. Galeni.*

OBSERVATIO.

Humeri luxationem crebro & facile incurrebat quidam.

VIdi adoleſcentem iunctura humeri cuius lubricabat ſemper propter humorem vnctuoſum, qui aggregatus erat in pyxide eius: & conuerſabatur in occupatione ſua, cum ergo accidebat ei diſlocatio, tenebat brachium ſuum: & præcipiebat, quod reducerent eum in locum ſuum, deinde redibat ad occupationem ſuam. *Hali Rodoham Comm. ad Text. 68. lib. 3. Tech. Gal.*

OBSERVATIO.

Ex vulnere cum fractura oſsis ad cubitum, dieta carnium cum vini abſtinentia imperata: vnde æger narium hæmorrhagiam & magnam corporis imbecillitatem incurrit, à qua non niſi dieta prima reſumta, liberari potuit.

VIdi Peruſiæ iuuenem quẽdam nobilem, nomine Cæſarem Andrianæ, cum vulnere, & fractura oſſis ſupra cubitum, cui ſic ægrotanti peritus Chirurgus abſtinere à vino & à carnibus (vt decet) iniunxerat, obſeruantique ei hanc diætam, ſuperuenit poſt quartam diem fluxus ſanguinis colore & ſubſtantia laudabilis, cum magna virtutis proſtratione. Qua vrgente cauſa vocatus ego ad ipſum curandũ, cœpi in primis rem hanc admirari, iudicauique fluxum illum omnino eſſe cohibendum, tum quia (vt dixi) ſanguis laudabilis erat, tum vel maxime, quoniam virtus continuo deficiebat. Mihi autem talia cogitanti dixit ingenio ſuo infirmus: Magiſter rogo vt me audias: paſſus fui ego alias vulnus in capite, & cum medicorum præceptis à carnibus & à vino, ſicuti & nunc, abſtinerem, incurri identidem puri ſanguinis fluxum, à quo nullo quouis ingenio ſanari potui, niſi prius reſtitutis mihi carnibus & vino: ſuper quo parumper cogitans, dixi, & ego carnibus & vino nunc te reſtituo, cœpitque infirmus ipſa eadem die carnes comedere, vinumque potare, & in fine ſequentis diei (vera loquor) fluxus ſuppreſſus eſt. Hæc veriſſima & conſideratione digna placuit recenſere, vt cognoſcant qui legent quantum virtutis inſtauratio, cum rebus etiam ægritudini repugnantibus, admirabiles ſæpius produxerit effectus. *Hieronymus Acoromb. Eugub. Libel. de lacte.*

CVBITVS.

MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Cubito, manu, digitis & cruribus monſtroſus puer.

ANno domini 1573. vidi Lutetiæ ad D. Andreæ ædem, puerum nouem annos natum Parpauillæ pago, ſex à Guiſio oppido miliaribus, Petro Renardo, & Matre Margreta genitum. Huic tantum duo digiti in dextra manu erant, brachiũ haud inuenuſte à ſummo humero ad cubitum vſq; deformatum erat: at inde ad extremos digitos duos valde deforme viſebatur, cruribus carebat, quanquam à nate dextra, pedis imperfecta velut figura, quatuor tanquam digitis diſtincta, proferre ſe videbatur, à ſiniſtræ vero natis medio duo digiti profiliebant, quorum vnus genitali virili haud erat abſimilis. *Parens operum ſuorum libr. 24. cap. 6.* qui & iconem eius exhibet.

AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Ancyle in dextro cubito curata.

PRincipi Lotaringo, magno priori ordinis Rhodiorũ Equeſtris, ancyle in dextro cubito ſequentibus remediis curata. Poſthabitam totius corporis rationem victus & domicilii, hæc ordine ſunt inſtituta. Frictio partis è molli manu: ex quo vapor è decocto molliente: immerſio in idem decoctum partis ægræ: ſiccatio loci: inunctio ex axungia humana bene purgata, colata, lota in aqu. miſtura. Ceratum ex cera molli, pingui, mollita ad ignem, manibus intinctis butyro, deinde liquata cum butyr. recent. & axung. humanæ ſuprà dicta æqua quantitate. Ab vnctione ſuperdatum molle goſſipium.

Decoctum inſtitutum guaiaci ex vnguinoſa, odora, & media parte ligni, initio. Interuallis acetum album, aqua vitæ decocto vaporationis intermiſta. Ex quo ceratum œſipi deſcriptione Philagrii. Capiti tonſo goſſipium conſperſum puluere caryophillorum. Errhina, maſticatoria. Saluia in ſartagine concalfacta, & conſperſa aqua fœniculi, vel ſaluiæ, frictio capitis & ſpinæ. Immerſio totius brachii in animal recens mactatum. Exercitium molle partis. Effectum fotu & axung. vt octo diebus diſſoluto tumore, liberatis neruis omnino, ſanus euaſerit, liberis omnibus motionibus totius membri. *Hollerius Obſeruat. X V. Lib. proprio.*

OBSERVATIO.

Ex leuiſsimo cubiti vulnere quidam extinctus.

TRadunt Marcum Antonium de Luna Bononienſem, ex leuiſſimo vulnere cubiti periiſſe. *Horacius Augenius, Lib. 9. Epiſt. 2.*

CARPVS.

AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Supra carpum nodus vel natta ad lunæ tempora lotione ſolius aquæ frigidæ ſublata.

QVÆDAM Mulier Romana habebat nodum vel nattam ſupra carpum & vix vllis remediis ſanari poterat. Quidam conſuluit vt balnearet nodum aq. frigida tempore cõiunctionis Lunæ, ſcil. in illo puncto quando Luna ſoli iungitur. Ita fecit & in viginti quatuor diebus delituit nodus. Scitur autem punctus ex vaſe in quo lixiuium tenetur. *Solenander opere Conſ. Sect. v. Conſ. 15.*

MANVS.

MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Sine manibus nati.

NATOS infantes vidimus, defectu membrorum, mutilos, manibus inquam carentes. *Rüeff. libr. 5. de Comment. & generation. hominis.*

In Piceno abſque manibus & pedibus natos Romana tradit hiſtoria. *Peuterus teratoſcop. pag. 442. fac. verſa.*

OBSERVATIO.

Inuerſis manibus pedibus nati.

NAti ſunt quidam retrouerſis manibus, & in obliquum tranſuerſis pedibus. *Rueffius, vt ſupra.*

Infantis qui à prima in vteri conformatione, ſitus materni vitio, pedibus manibuſque diſtentis euaſit, iconem exhibet *Pareus operum ſuorum libr. 23. cap. 9.*

OBSERVATIO.

Puellæ cuiuſdam ſiniſtra manus enormis forma viſa.

VIdimus nos puellę cuiuſdam, annum decimum tertium agentis, manum ſiniſtram, non quidem natura, ſeu prima ex vteri conformatione talem, ſed poſt octauum ætatis ſuæ annum, à poſtbrachiali ad digitos & vngues vſque ſenſim in tantum auctam, tumidam, ſordidi luridique coloris, ſubalbidis etiam maculis reſperſam, adeoque fœdam euaſiſſe, vt primo cuiuſuis aſpectu, grãdis alicuius bufonis imaginem referret: nullo prorſus dolore aut manus vſus offenſa, ad tactum mollẽ, velut ſubſtrata cuti ſpongia, articulis digitorum ob laxam eleuatamque cutem minime conſpicuis. Quæ in eadem ſemper magnitudine & enormi figura conſiſtens, ad lunæ aut aeris mutationes nec increſcebat, nec imminuebatur. Mater puellæ, neſcio vnde perſuaſa, ſubſequentibus annis, vna cum menſium profluuio malum ſua ſponte ceſſurũ ſperabat. Ego anno 1555. 26. ſeptemb. quo hæc annotaui, accepta à Clariſſ. & celeberrimis Viris D. D. Leon. Fuchſio, Iacobo Schegkio, & Mich. Ruckero præceptoribus meis perpetua reuerentia colendis, Laurea medica, Tubinga diſceſſi, nec quis effectus ſubſecutus ſit, ſcire hactenus potui. Puella erat alias liberalis formæ, facie viuida, & florida, Ioa. Dotzingeri Chirurgi filia, apud quem aliquandiu vna cum aliquot nobilibus victum mihi tum parauer am. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Manus mulieris cuiuſdam altera duplo maior.

MAnum fœminæ duplo altera maiorem vidimus. *Scaliger Exercitat. 199. numero 2. ad Subtilitat. Cardani.*

OBSERVATIO.

Puellæ cuiuſdam manus à natiuitate trunca & tuberoſa.

PVellam vidi, non ignobilem, trunca ac tuberoſa manu, quam cum cõtrectandam mihi exhibuiſſent parentes, deprehendi digitorum contactu articulos, qui naturæ munere erupturi erant, intus conuolutos atque in ſe retortos, ita vt nullum digitorum effigiem exhiberent, ſiquidem omnes membri huius partes, tam oſſiculorum ſeries & connexus, quibus manus complicari vel expandi ſolet, intro delituiſſe comperti ſunt; Stompen, noſtri vocant. Ita errorem hunc, ac naturæ vitium inde cõtractum pronuntiari, quod ea vis, ac facultas, quæ formationi fœtus inſiſtit, omnibuſque ſuis partibus conſummare hominem nititur, aliquo impedimento prohibita ſit, quo minus articulos potuerit perficere, atque in ſpecioſam decentemque manus formam ꝓducere: cum enim mater ſplenis duritiei eſſet obnoxia, ac fœmellæ in id latus, nempe ſiniſtrum, declinent, ex affectu eius viſceris, cui partes illæ tanquam ſcopulo ac cautibus illiſæ incubuerunt, informem atque indecoram ſpeciem ſunt conſecuta. *Lemnius Lib. 4. c. 7. De occult. Nat. Mirac.*

OBSERVATIO.

Monſtrum manibus pedibuſq; anſerinis & capite enormi natum.

IN Germania prope Lauffenburgum oppidum, in finibus Heluetiorum ad Rhenum fluuium ſitum, natus eſt infans manibus ac pedibus anſerinis, horrendo capite *Lycoſth. Prodig. & Oſtent. lib. Anno Domini 1274.*

OBSERVATIO.

Monſtroſæ manus hamatæ ex imaginatione matris in fœtum, deſcriptio.

VIdimus Adoleſcentem Annorum 20. cuius manus ſiniſtra natura diſſecta & fiſſa apparuit: pars vna pollicem duobus articulis expreſſit, exteriore, in qua vnguis hærebat, in hamum prorſus recuruatũ. Tertium os, cui duo pollicis articuli innitebantur, vnico vſque ad vlnam oſſe conſtabat. Altera manus pars, tribus digitis, cum metacarpii oſſibus tribus conſtitit, ad eam partem, quá metacarpium brachio iungebatur, prorſus reflexum obliquum; & internã partem ſpectauit, ſic vt pollicis hamus recta extenſus, obuerſam reliquam trium digitorum manum, miſerabili ſpectaculo intro vergente, conſpiceretur. Erat autem omnibus tam pollicis, quam reliquæ manus obſcurus & arbitrarius motus. Natus hic Puer eſt in pago dicto vnſer Frauw im Holtz / ad montem Freyberg Delſpurgenſis ſito. Retulit ille,

iam à multis annis parentibus orbus, ſe fama incolarum accepiſſe, matrem grauidam, tum cittæ ſeu picæ obnoxiam tanto appetitu aſtacorum fluuiatilium noſtrorum arſiſſe, atque inde fœtui diuiſa manu atque hamatis digitis formam hanc enormem impreſſiſſe. Pars ea coniuncta ab vlna vſque ad diuiſuram pollicis & metacarpii lata, coniuncta, corpus aſtaci referebat: pollex vero prælongus, chelæ partem vnam; reliquum Metacarpium cum tribus digitis chelæ partem alteram exprimebat. Pars quoque manus tribus digitis ſubinde deorſum dependebat, pollice ſemper erecto & rigido, minimo etiam digito ſingulariter hamato. Et quod mirum, quatuor tantum digitis conſpicua manus erat; quinto deſiderato, cuius ne veſtigium quidem ſeſe viſibus obtulit. *Ioannes Georgius Schenckius Filius Medicus*, ex ſententia patris recenſuit.

Similem hiſtoriam de Chela cancri digitorum loco *ex Wolphio* tranſcriptam paulo infra titulo *de Digitis manuum* leges. *Idem Schenckius.*

AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Præciſa manus intra annum renata.

ANno Domini 937. Leone VI. Romanæ Eccleſiæ pontifice ſedente, hominis cuiuſdam ſiniſtra manus ferro amputata, poſt annum pene ad integrum ei dormienti reſtituta eſt, cui pro ſigno miraculi quaſi ſanguinea linea loco coniunctionis notabatur. *Con. Lycoſth. lib. de prodig. & oſtent. Anno Domini* 937.

OBSERVATIO.

Ex deſpicabili volæ manus vulnere mortuus quidam.

AB exiguo & plane deſpicabili vulnere, in vola ſiniſtræ manus accepto, quod vix ſubditam cuti carnem contingeret, Ludouicum Viues Senatorii ordinis hominem, ea in curia, quæ apud Monſpeſſulum eſt, quam vulgo generalium vocant, intra ſeptimum diem conuulſione derepente orta concidiſſe vidimus. *Valleriola lib. 3. Enarrat.* 8.

OBSERVATIO.

Brachialis oſſa de facili cariei obnoxia eſſe: exemplo memorabili.

BRachialis oſſa cariei maxime opportuna ſunt: & eroſis è putrente materia eorum vinculis, plerunque fiunt inutilia, excernendaque veniunt. Id nos primum docuit apertiſſime effectus plane admirandus, teſtante magiſtro Tannequino Guilhaumero, Nemauſenſi Chirurgo prudentiſſimo & peritiſſimo. Adoleſcens annos circiter quindecim natus, Dorilhac nuncupatus, Domini Vallebriſii filius cecidit in manum ſiniſtram. Tumor inde excitatus, per octo vel nouem menſes repellentibus & reſoluentibus, nec non malacticis fruſtra curatus eſt. Ille tandem cauterium adhibuit metacarpii dorſo, inter minimum digitum & annularem. Mox cum pure ipſo erupit vnum os carpi, ſua ſede motum: & deinceps reliqua omnia, tum carpi, tum metacarpii oſſa per vulnus reiecta ſunt ſponte, ligamentis ſuis plane ſoluta, & carioſa. Vlcus poſtremo ſanatum, cum nihil iam præter naturam corruptumve haberet. *Iubert. in annotat. ad tract. de Apoſtem. Guid. de Caulico.*

DIGITI MANVVM.

MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Monſtroſæ digitorum manus conformationes, & numerus & defectus.

IN Geth bellum accidit, in quo fuit homo longiſſimus, ſenos habens digitos, id eſt, ſimul viginti quatuor, qui & ipſe de Rapha fuerat ſtirpe generatus. *Paralipomenon lib. 1. c. 20.*

In numero partium ſimplicium, ex quibus ſingula inſtrumenta conſtituuntur, duplices inueniuntur, morborum differentiæ: aut enim deeſt, aut abundat pars aliqua. Atque in harum vtraque rurſus aliæ deprehenduntur differentiæ. Nam earum quæ abundant, aliæ iis quæ naturali ſunt habitu adnumerantur: vt ſi cuipiam ſextus expullulat digitus, aut in oculo πτερύγιον, id eſt, vnguis, aut in naribus corpulentum tuberculum, aut in alio quopiam meatu id genus aliud. Sed horum aliqua inter morbos reputantur, πτερύγιον: nam cum plurimum increuerit, & pupillam obſcurauerit, viſum impediet. Aliæ vero cauſæ morbourm ſunt, vt tubercula, quæ meatus obſtruunt. In primis enim obſtructio morbus eſt, quippe quæ primo functionem offendit. *Gal. lib. de diff morb. cap.* 8.

Si quippiam oriatur in corpore, quod numerum à natura inſtitutum excedat, id quoque ad morbum qui in numero partium conſiſtit referri debet. Quod ſi id quod ſupercreuit naturali ſit ſpecie, cauſam eius exiſtima fuiſſe materiæ vtilis multitudinē. Si vero à naturali ſpecie euariat, materiæ quoque qualitatem præter naturam fuiſſe, neceſſe eſt. Atqui vires vtrobique validas eſſe oportebat: alioqui neque conformari potuiſſet quod vtile, neque extrudi quod erat vitioſum. Igitur natura conformat quidem in fœtu, quum vel ſextum digitum, vel quippiam aliud huiuſmodi molitur. In his autem qui iam in lucem editi ſunt, ac perfecti videntur, cum ſupercreſcentem carnem in vlcerata parte producit aut pterygion, id eſt, vnguem, in oculis. Deponit vero id quod redundat in ganglio, melizeride, ſteatomate, atheromate, & reliquis huiuſmodi omnibus. *Idem lib de cauſ. morb. 2. cap* 8.

Digiti quibuſdam in manibus ſeni M. Curiatii ex patritia gente filias duas ob id ſedigitas appellatas accepimus, & Volcatium ſedigitum illuſtrem in poetica. *Plin. nat. hiſt. lib. 11. cap.* 43. Ex eodem repetit *Pet. Crinitus lib. 3. de poetis cap. 65.*

Vidi digitum additum multoties. *Haly. Rodohami com. ad lib. 3. Tech. Galeni, numero* 177.

Sunt in manibus pedibusque παραφύσεις, id eſt, agnationes, vbi ſuperueniens adnaſcitur digitus ratione materiæ exſuperantis. De qua re ſic Plinius: membra animalibus agnata inutilia ſunt, ſicut ſemper ſextus in homine digitus. Quod ex illo forſan Ariſtotelico videatur ſumtum, *libro de generatione*

 quarto.

quarto: Quibus autem habere gemina contingit genitalia, alterum maris alterum fœminæ, iis ſemper alterum ratum, alterum irritum redditur. Ipſe vidi Bononiæ quendam de plebe inopem, ſenis in manu vtraque digitis; imò in pedibus quoque ſuperfluens digitus inter auricularem annularemque interſitus agnoſcebatur, magnitudine ad reliquorum reſponſum, mobilis præterea & ad omnem vſum, vt aſſolet, accommodus. Manus inſigni e-rant latitudine: nihil præterea quod deceret mirans. Hoc eo adnotaſſe libentius volui, vt ſciremus, decretorium non eſſe, agnata membra inutilia haberi, & irrita. Alioqui apud Paulum Æginetam legimus, ex digitis qui παρεσφυόμενοι dicuntur, alios eſſe carnoſos omnino, alios oſſa habere & vngues quandoque. Horum autem alii ex articulis prodeunt, à ſcythale alii. Sed hi prorſum ἀκίνητοι, hoc eſt, immobiles ſunt: cæteris mobilibus quandoque. *Cælius Antiquar. lectur. 17. capit. duodecimo.*

Nati quidam abundantibus membrorum partibus, alter quidem ſingulis pedibus manibusque digitos habens duodecim. *Iacob. Rueff. de concep. generat. hom. lib. 5.*

Puer monſtroſus annorum circiter quindecim Arelatæ viſus anno 1561. menſe Iulio, cui in vtroque pede ſeptem inerant digiti (pollex namque pede in vtroque duplex erat) & in vtraque manu digiti ſex. In ſiniſtra vero manu annularis & medius coniuncti abſque vllo interſtitio erant. Pedes vero admodum latos perinde atque manus puer habebat. *Valleriola lib. 4. obſ. 2.*

Senos nonnulli digitos habent, quod etiam vidi alias copioſa nimium abundare materia. *Andr. Corui Mirandulanus, in compendio Chyromantiæ.*

Idem de ſenis digitis affirmat H. Vuolphius, exemplo paulo poſt ſequente, *De chela cancrina. Schenkius filius.*

In oppido quodam Franc. Orientalis, Kittinga dicto, honeſtam matronam vidi, quæ ſenos habebat in manibus & pedibus digitos, totidemque habentem digitos, filiolum pepererat. *Cl. V. Ioan. Poſthius, ſuis ad me datis obſer.*

Nonnulli quaternos tantum digitos habent in manu, qualem ego noui quempiam. Quod ex naturæ defectu poteſt euenire, & cœleſtium corporum opificio. *Andr. Corui Mirandulanus in compendio Chyromantiæ, Barth. Coclitis phyſiognomiæ addito.*

In pago Dirliſtorff, ſexto die Decembris, qui D. Nicolao Epiſcopo ſacratus eſt, natus eſt puellus, corpore quidem bene compacto, cui tamen brachia pedesque ob naturæ defectum non conueniebant. Dextra enim manus cum omnino deeſſet, eo loco, quo pollex eſſe ſolet, carnoſus tumor, inſtar verticuli aut nucis paruæ eminebat. Siniſtræ autem manus pars dimidia, in tres tantum digitos ſed plane coniunctos, vt quoque pedes in totidem digitos deſinebant. Educatus autem, non tantum cibum potumque monſtroſis manibus capere, ſed numerare pecuniam, ſubducere rationes, eaſdemque elegantiſſimis literarum caracteribus rationum libro aſſignare potuit, quemadmodum alia omnia, quæ alias manuum auxilio ab hominibus fieri ſolent. Viuit adhuc domini ſui liberalitate adiutus, anno 1557. quo hæc ſcribimus, iam natus 60. annos, vidimus adhuc ac obeſo corpore ſenex. *Con. Lycoſthen. libr. de prodigiis & oſtentis. Anno Domini 1497.*

M. Ioann. Helcher φιλίατρος heri retulit, hic ſtudioſum eſſe qui indicem digitum manus ſiniſtræ circumferat in tres acies quidem diſtinctum, & vngue præpilatum: Cæterum vntiali mole altero compari digito minorem. *Iacobi Moccii Medici Acroama.*

Obſervatio.

Chela cancri digitorum loco obſeruata.

VT ſi quis propterea in dubium vocet, An manus humanæ ac pedes quinis digitis conſtet: ꝙ vnus atq; alter ſedigitus reperiatur: aut qui loco digitorum chelam cancri habeat. Quale Melhuſæ Tyringicæ vidi nobilem virum Ioannem Ebelebium. *H. Wolphius. in 1. Tuſcul. ſententia 19.*

Similem de Manu hamata, chelis atque aſtaci corpore viſibili, nos ſuprà inter exempla Manus retulimus. *Schenckius filius.*

Obſervatio.

Monſtrum aliud vnguibus manuum atque pedum aquilinis, capite ſimiæ, barbatum.

SVb annum Domini 1593, Martio menſe Florentiæ monſtrum natum eſt, viſum horrendum, capite ſimiæ, barbam habens promiſſam, tam manuum, quam pedum vnguibus aquilianis. Statim vero cum in lucem prodiiſſet expirauit. *M. Ianſonius Doccom. Friſius in tomo 3. Mercurii Gallobelgici libro tertio, pag. 235.*

Affectvs.

Obſervatio.

Punctura acus inter vnguem & pollicis carnem quidam extinctus.

PEtrum quendam ſutorem, ex punctura acus inter vnguem & carnem pollicis dextræ manus inflicta, obiiſſe Ludouicus pater teſtatus eſt. *Horat. Augenius lib. 9. Epiſt. 2.*

Obſervatio.

Paronichia pollicis ſæuiſsima inciſa, conualuit.

FVi vocatus pro quadam muliere Taurini; quæ iam duodecim noctes cum clamoribus duxerat inſomnes, occaſione panaritii in pollice manus prope vnguem lateraliter, nullo tumore nullaque digiti inflatione exiſtente. Quidam chirurgus curam huius paſſionis penitus ignorans, bis fecerat quoſdam ſuperficiales inciſiones, in quibus caro exereuerat. Rogauit me inſtantiſſime, vt eius curam ſuſciperem. Craſtino die feci inciſionem cum raſorio lateraliter ab vngue vſque ad os, à ſummitate digiti ad iuncturam excluſiue: deinde applicaui album oui cum vitello ſimul agitatis, intus & extra vulnus. Statim cum receſſi, cæpit dormire, & dormiuit tota die vſque ad noctem, abſque vlla conteſtione: ceſſauit omnis dolor, neque vnquam poſtea doluit ea cauſa, breui temporis ſpatio, Deo fauente, fuit ſanitati reſtituta abſque

abſque digiti deformitate. Vera igitur curatio huius ægritudinis eſt, facere inciſionem ſecundum modum dictum, profundando vſque ad os incluſiue: quia ſtatim ceſſat omnis dolor, neque eſt aliud remedium, quin os & iunctura perdatur. *Bayrus pract. libro 20. cap. 9.*

Observatio.

Pollicis tendo præciſus vt arte ad vſum reſtauratus.

NERVO tendineue penitus reſectis, actio illa cuius in parte authores erant vna plane aboletur: itaque flecti intendiue membrum inhabile eſt, niſi ipſi opis aliquid arte chirurgica allatum fuerit. Id ego præſtiti nobili cuidam è familia Annæ Monmorentii Galliæ equitum magiſtri, cui in prælio ad Vrnidas commiſſo vulnus tantum gladio militari ad dextræ manus externa parte articulum inflictum erat, vt tendinibus, qui pollicem erigunt, plane reſectis, etiam conſolidata & perſanata plaga, pollex intro inflexus, & in manus volam demiſſus maneret, nec extendi & ſurrigi poſſet, niſi forte vi reuulſus ab altera manu, ſed tum etiam ſtatim reuoluebatur. Itaque nec enſem ipſe nec pugionem nec haſtam capere aut tractare poterat, armis omnino inutilis, ſine quibus vitam nullam putabat. Cum igitur de amputando inutili illo & comprehenſioni officiente pollice me conſuleret, negaui facturum: aliam enim rationem comprehenſam me animo habere qua pollici afflicto ſuccurrerem. Itaque thecam ex ferro albo ipſi deformandam curaui, in quam pollicem ipſum inderet; duobus loris ad armillas duas ſupra manus articulum ſic artificioſe theca illa vincta & colligata erat, vt intentus erectuſque pollex maneret, ideoque militarium armorum genus omne captare & tractare ille poſſet. *Pareus operum ſuorum libro vigeſimo ſecundo, cap. 10. de deficientium ſupplemento.*

Observatio.

In apoſtemate medii digiti manus, vermiculus albus ac piloſus natus & extractus, intenſiſſimum eiuſdem dolorem ſoluit.

RECordor, me dum Medicinam facerem inuiſiſſe Franciſci Burſari Iuris conſulti ſeruum, cui nomen erat Federicus: hic cum laboraret apoſtemate in capite medii manus digiti aſſociante dolore intenſiſſimo, tandem pure confecto, aperto apoſtemate, ex ſe ipſo exiuit vermiculus albus & piloſus, demto capite, quod nigerrimum erat, magnitudine perſimilis illis, qui in caſeo reperiri ſolent, quo excreto, omnis dolor penitus ademptus. Vnde non immerito legimus apud Erotim *de paßionibus mul. auxilia ad vermes manuum & pedum cap. 54. & cap. 61. Marcell. Donat. Hiſtor. Mirabil. lib. 4. cap. 26.*

Observatio.

Vulnere minimi digiti quidam mortuus.

OBſeruauimus Patauii ex vulnere minimi digiti Ioannem Baptiſtam Argentinum deceſſiſſe. *Horat. Augenius lib. 9. Epiſt. 2.*

CERVIX.

Agnata Ceruici.

Observatio.

Tuber rotundum capitis humani fere magnitudine ceruici cuiuſdem agnatum, imaginem bicipitis hominis præbuit.

BVBVLCVM Haganoæ annos ſupra triginta natum nouimus, parte capitis poſtica ad ceruicis vertebras tubere rotundo inſignitum magnitudine capitis, reliquæ cuti concolore, depili, poroſo, ſubſtantia ſupra flaccidam paulo duriore, atqui, vt ad compreſſum conniceret licebat, exoſſe: doloris quidem experte, cæterum ſenſus haud obſcuri. Vt qui cum armenta ad paſcua educeret & reduceret, hyemis in tempore, id aduerſus frigus, vel alias quoque aeris & cœli iniurias, non minus quam caput ipſum duplicata vitta alba, ad collum religata, contectum muniebat. Huic ſi oculi, aures, naſus, os & capillitium acceſſiſſent, hominem bicipitem affabre retuliſſet. Congenitum, an vero ex caſu vel ictu earum vertebrarum, aut ſua ſponte ei prouenerit, incertum habeo. Ego ſtrumis congenerem tumorem facerem, ſi ille ſubinde in maiorem amplitudinem excreuiſſet: Sed quia in eadem magnitudine ſubſtitit, ampliandum cenſeo. *Schenckius.*

Observatio.

Lupia ponderis octo librarum, capitis magnitudine, è ceruice enata & exſecta.

ALiquando in tantam molem creſcunt lupiæ, vt remediis deſcriptis ſanationem recipere nequeant, quare manu & ferro radicitus ſunt reuellendæ modo vicinis partibus non hæreant arctius, modo maioribus venis & arteriis nimium vicinæ non ſint; ſatius enim erit in tali caſu eas eſſe ſinere. Amputandarum vero & reuellendarum ipſarum hæc ars fuerit: Parua inciſio ad cyſtim vſque facienda eſt, qua ſpecillum demittatur dimidium digitum craſſum, in medio cauum, in extremo rotundum quantum res exiget longum: id inter cutem, cyſtimque ſæpius circumducere ad lupiæ vſque radicem oportet, quo ſic ſecundum ipſius longitudinem cutis diuidatur, iterum aliam inde inciſionem per tranſuerſum ſic facere oportet, vt decuſſatim ſe interſecent, mox à cyſti cutem diſtrahere ab angulis lupiæ radicem verſus conuenit, idque digitis tenui linteo inuolutis, vel etiam nouacula, ſi ſit opus. Notandum vero in lupiis, quædam ſemper ſubeſſe vaſa, quæ initio parua, mox progreſſu temporis aucta ſunt, ad lupiæ incrementum, cuius ſunt velut radices, quare inter ſecandum, ſi quæ laboriatur hæmorrhagia, ea ſiſtetur, vinctis ad ſua capita & radices vaſis, vel ſtricta ligatura ad radices lupiæ fiet cum funiculo torto vel filo pluries duplicato, cuius extrema & veluti capita extrorſum pendeant, quouſque nodus ſua ſponte decidat. Nec vero ſufficiet totum hunc tumorem amputaſſe, ſed & cutis

tis portionem, qua moles ipſius tegebatur, reſcindere oportebit, eiuſque tantum relinquere, quantum tegendæ parti ſat erit, hinc acu filum ducente inciſionis labra in vnum adducentur, interim vero ad perfectam vſque deterſionem linamenta in vlceris fundum demittentur, & reliquum curationis ad obductam vſque cicatricem complebitur. Hac chirurgus Collo & ego methodo vſi, præſente domino Violanio Doctore Medico, lupiam amputauimus, Martiali Colardo prætori Barbonenſi: pendebat illi ex ceruice, capitis humani magnitudine, ponderis octo librarum: Ex quo ſic ipſi oneroſa & moleſta erat, vt eam ex mantili tanquam pera reuinctam humeris geſtare cogeretur. Certe ſi huius generis tumores baſim habeant tenuem & latum faſtigium ligandi ſunt, & à radice amputandi. Omnino vero difficilis, & aleæ periculoſæ plena eſt lupiarum, quæ in iugulo iuxta iugulares venas, quæ in axillis, quæ in inguinibus, & quæ ſub poplite exurgunt, extirpatio, propter funeſtam eorum quæ inde emergere poſſunt accidentium vim. Coniicere tantum poſſumus, non certo prædicere, qualis ipſis contineatur materia. Scire tantum licet qualis ſit, vbi exciſione facta, oculis patet. *Pareus operum ſuorum libro 6. cap. 20. de tum. contra nat.*

OBSERVATIO.

Struma pediculis referta.

STRVMA in collo, ad oui magnitudinem caſu enſe (altercantibus militibus, cum vir ille qui ſtrumam haberet intercederet) vulnerata, patre meo Iordano Foreſto, viro nobili ſpectante, qui & caſum mihi narrauit, pediculis referta erat, iiſque viuentibus. Homo autem cum longo tempore ſtrumam in collo habuiſſet, neque Chirurgus aliquis huius curam aggredi auderet, caſu ſic vulneratus opera deinde Chirurgi indigens, & neceſſitate compulſus, fortuito à ſtruma curatus eſt, & euaſit. *Petrus Foreſtus.*

SCAPVLÆ.

OBSERVATIO.

In tumore ſiniſtra ſcapulæ, interna partis, lapis quadratus inuentus.

ANNO 1567. 2. Iunii Illuſtriſſimus vir Carolus Tirecelin, Dominus à Rupe cenomana, maioris ordinis Regii eques; cū diem extremū obiiſſet: corpore eius diſſecto, in ſcapula ſiniſtra tumorem inſignem habere repertus eſt partibus internis: qui nouacula apertus, lapidem quadratum duriſſimumque continebat, quia ſanguine coagulato ex lanceæ ictu genitus fuit. Chirurgus qui ſecuit dictum virum, vocatur vulgo le naure, apud Pictauos Chirurgiam faciens. Dictus dominus erat annorum 86. natus. *Ferrandus Senior lib. de Nephritide pagin. 8.*

OBSERVATIO.

De fractura Omoplatæ, qua docetur, naturam ſua ſponte viam ſibi moliri peregrina corpora & materias etiam ex conſanatis iam vulneribus propellendi.

SI ſcapulæ non cohærent, aut ſubtenſas carnes pungant, incidi contra caro debet, vt noſtro coruino eximantur, & inde auellātur. At quantumuis nutent, ſi tamen perioſtio & ligamentis adhuc cohæreant, modo ne pungendo muſculis moleſta ſint, eximenda non ſunt: nam non ſemel animaduerti ea aliquandiu poſt vicinis oſſibus coaleſcere. At ſi penitus ſecreta, ne perioſtio quidem adhæreant, neceſſario auellenda ſunt, alias non naturæ vi propellentur: quia communi cum toto vita amplius non fruuntur. Quod vero viuum eſt, ait Hippocrates mortuum procul à ſe mandare ſolet. Cuius rei patuit veritas in Marchione de Villars. Huic in conflictu ad Druidas ſclopeto manuario in ſcapula vulnerato, Fracti oſſis quædam ſchidiæ cum depreſſæ loricæ & intruſæ glandis plumbeæ fruſtis euulſæ ſunt, ac non multo tempore poſt vulnus ad cicatricem perductum, plane & perfecte coaluit. At pluſquam ſeptennio poſt ex labore in armis & loricæ grauitate ad pugnam Monconſortiam oborta ſecundum cicatricem fluxione & inflammatione, vulnus recruduit, adeo vt erupta & reſerata cicatrice, multæ oſſium teſtulæ & reliquiæ, ac reſides glandis portiones ſponte naturæ prodierint. At ſi fractura in omoplatæ ceruice, aut humeri de articulatione contigerit, vix inde datur conualeſcere, quemadmodum in Anton. Borbonio Nauarorum Rege: Franciſco Lotharingo duce Guiſio: Comite Ringrauio Philiberto, aliiſque permultis bellis hiſce ciuilibus ipſi vidimus. Nam circum hanc dearticulationem multa extant vaſa inſignia, nempe venæ & arteriæ axillares, nerui ex ceruicis vertebris orti, qui inde in omnes brachii muſculos diſſeminantur. Sed & ſuborta illic inflammatio atque putredo cordi, aliiſque principibus partibus viciniæ iure facile communicantur, vnde grauiſſimorum ſymptomatum, ac mortis ſæpe conſequutio infertur. *Pareus operum ſuorum lib. 14. cap. 9.*

DE DORSO ET SPINA.

AFFECTVS PRAETER NATVRAM DORSI & ſpinæ.

DOLOR DORSI.

OBSERVATIO.

De dorſi dolore hiſtoria.

MVLIER quædam vehementiſſimo dolore infimæ ſpinæ dorſi afflicta, neque tamen ibi vel rubor vel tumor aut calor in ea parte apparebat, nec etiam excrementa alui impediret, ſed tamen contractionem quandam & ſtupore dextri cruris ſentiebat. Iuſſi vt decoqueret vncias quatuor baccarum lauri in vini vna menſura, quæ eſt ℥. xxxij. & vna menſura aquæ ad mediæ partis conſumpt. De hoc iuſſi vt mane biberet ℥ iiij. & ſudaret veſperi tantundem duabus horis ante cœnam, atque continuaret hoc diebus 4. continuis, dum integrum abſumpſiſſet decoctum. Vix duos aut tres hauſtus

hauſtus ſumpſerat, cum dolor remiſit, qui antea ipſam per 12. vel. 14. dies tantopere excruciauerat vt totas noctes duceret inſomnes. Legeram hoc remedium in quodam lib. Germanico, decoctum baccarum lauri valere ad dolores podagricos, contractionem membrorum, & impotentiam ad motum. *Medicus quidam ad Geſnerum, cōmunicante Cl. Wolphio.*

VLCVS DORSI.

Observatio.

Sinuoſum vlcus dorſi.

IN nobili Borchtoldo Huglin, immenſos dorſi cruciatus longo tempore paſſo, abſceſſus in ſpinæ medio obortus eſt, qui in ſinuoſum vlcus, vniuerſam ſpinæ longitudinem excauans degenerauit, è quo vtrinque in ceruicis regione, tum iuxta os ſacrum foraminibus aperto, ſupra infraque pus maxima copia profluebat. Quo affectu, aliiſque multis, diu afflictus, expirauit. *Cl. V. Felix Platerus de obſeruat. propriis.*

RVPTVRA SPINÆ VERtebra.

Observatio.

Vertebra thoracis ſpina abrupta.

IN lanione quodam ſimiliter dorſi doloribus grauiſſimis diutiſſime afflicto, tandem abſceſſus in media dorſi regione prodiit, quo rupto pus aqueum adeo copioſe, vt totum ſæpe lectum commadefaceret, ipſeque ad extremum marcorem perueniret, multis ſeptimanis effluxit. Ac demum proceſſus ſpinæ thoracis vertebræ poſterior abruptus, illic quoque prodiit: quo ablato, præter omnem ſpem iterum conualuit. Cuius affectus diuturni non aliam cauſam, quam officulum hoc confractum, diuq; latens & abſtruſum, antequam cognoſceretur, fuiſſe ipſummet prodiens declarabat; tum vero id quoque quod poſt luctam cū ſuis coequalibus, in qua aliquoties in terram deiectus dolorem primum ſenſerit, manifeſtum certumque faciebat. *Idem de ſuis obſeruationibus.*

TRICHIASIS SPINÆ.

Observatio.

Trichiaſis ſpinæ lethalis morbus.

TRichiaſis dicitur rima circa ſpinam, in longum producta, ſed adeo exilis, vt viſum fugiat: quæ non raro mortem affert. *Calepinus.*

ABSCESSVS.

Observatio.

Abſceſſu in dorſo aperto quinquaginta oua, tenuiſsima membranula inducta, intus aqua limpidiſſima referta, inuenta fuerunt.

BOnoniæ Fabro cuidam lignario maximus in dorſo tumor, ita vt gibboſus videretur, exortus fuit. Cumque maturationis ſigna apparerent, Magius nouacula abſceſſum iſtum aperuit. Quo aperto quinquaginta oua, tenuiſſima mēbranula obducta, intus aqua limpidiſſima plena, inuenta fuerunt. *V. Cl. Laurent. Scholzius de obſeruat. propriis mihi communicatis.*

Observatio.

Abſceſſus in gibbo apertus, & pediculis refertus.

CVm Cornelius Heydius collega noſter, Medicus Delfenſis, in Burgundia praxim exerceret, ſe puellam gibboſam præ manibus habuiſſe teſtatus eſt: quæ cum in gibbo maximum pruritum ſentiret, abſceſſum ibidem eſſe Medicus iudicauit: ideo adhibito emplaſto de muccilaginibus, vt ad maturitatem veniret, tandem & accito chirurgo, incidere mandauit & gibbo aperto, exiuit materia aquoſa & abſceſſus repertus eſt pediculis refertus. Lauabat autem decoctione vini centaurii minoris, lupinorum amarorum, dein vlcere mundificato, & abſterſo ad conſolidationem perduxit. *Foreſtus.*

LVXATIO, EXCRESCENTIA, VERTEbrarum duarum abſentia, &c.

Observatio.

Puella ſemeſtris nata, cuius mater dum vtero geſtaretur è ſcalis prociderat, vnde filiola luxata dorſi ſpina, & enata ad lumbos oui magnitudine excreſcentia, paulo poſt ex conuulſionibus mortua eſt: corpuſculo diſſecto, deſiderata duæ vertebræ, & ſpinalis medulla denudata conſpecta.

PVella præfecti cuiuſdam in Marchionatu, cum ſeptimanarum eſſet circiter 17. ante biennium aperta fuit. Mater dum vtero geſtaret, de ſcalis delapſa, ſuper dorſum, dein terrore perculſa, ex conſpectis cuiuſdam grauiſſimis vlceribus, puellam hanc conuenienti tempore enixa eſt, cui ſpina dorſi perfecte luxata erat. Supra vertebras lumborum excreſcentia magnitudine oui membranoſa, mollis, diuerſi coloris, cui ſecundinam applicarunt, cataplaſmata appoſuerunt, tandem meum conſiliū triduo ante mortem expetiere. Cum viderem excreſcentiam hanc veſicæ iſtar humore repletam, & metuerem ne forte ex acriori humore oſſa læderentur, vt aperiretur ſuaſeram. Ipſis reſiſtentibus iuſſi applicare ol. chamomæl. & roſatum, ad doloris & caloris mitigationem, quod cum ea nocte ter applicatum fuiſſet, rupta veſica, materia ſeroſa purulenta, fœtida, effluxit, & veſica concidit. Altera die abſtergentibus & anodinis vti iuſſi. Tertia die conuulſionibus correpta interiit. Aperto ergo loco affecto, meatum nullum, qui ad abdomen penetraret, reperi, licet eſſent qui exiſtimarent vrinæ portionem ex veſica eo deferri: verum ipſam ſpinalem medullam denudatam reperi, ita vt ad duarum vertebrarum lumborum exteriores integris exiſtentibus exiſtentibus. Oſſa ne hæc ab ipſa materia fœtida acri fuerint putrefacta, dubium apud me eſt, cum nulla oſſiū fruſtula fuerint à me reperta, nec in reliqua vertebrarum parte læſionem obſeruare potuerim. Facile ego patiar mihi perſuaderi, naturale hoc fuiſſe vitium, idque ex caſū matris. *Cl. V. Caſparus Bauhinus de obſeruationibus propriis.*

ERYSI-

ERYSIPELAS.

OBSERVATIO.

Eriſypelatis ſpecies rara & periculoſa, circa dorſum tractũ rubrum proferens, tum de eiuſdem prognoſtico & curatione.

FIliolus meus Theodoſius mortuus 10. Decemb. (poſt longiorem infirmitatem) ſubito ſpecie quadam eryſipelatis, quam mulieres Fluck vocant: quia rubet quidam tractus in dorſo eius poſtea apparuit. Is morbus quamprimum foramen aliquod corporis occupat, hominem necat. Ideo croco foramen circumlinitur, ne vlterius rubor ſerpat. *Mart. Cruſius Annot. ad epiſt. 22. lib. 7. Turcogræciæ.*

OBSERVATIO.

Ignis ſacri ſpecies rara Zoſter appellata, medium hominem cinguli inſtar ambiens: ex qua, intempeſtiue conſolidato vlcere, mortuus princeps quidam: alius vero tempeſtiuis remediis adhibitis liberatus.

ERyſipelatis ſpecies, aliis longe pernicifior, Galeno & aliis Arabum medicis vel non viſa, vel nõ cognita. de qua *Plini.* ille Polyhiſtor. *lib. 26.* Ignis, inquit, ſacri plura ſunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoſter appellatur, & enecat, ſi cinxerit, & certe merito à cingulo ζώσηρ appellatur: quoniam ob nimiam febrem continuam efferueſcentis choleræ copiam, inflammatione à lumbis vmbilico & teſticulorum oſſeo vſque ad genua hominem cingit, ſepit & circumdat. Hoc illuſtris princeps & Marchio Brandenburgenſis Georgius in Onelſpachio correptus ex vlcere cruris intempeſtiue à Chirurgo quodam conſolidato, quod idem Chirurgus, ne quid ad vlcus afflueret, faſcis arctiſſime ſtrinxerat, interiit. Deinde poſt biennium eodem eryſipelatis Zoſtere, illuſtris princeps & comes Palatinus Ottenricus, Dux vtriuſque Bauariæ, à lumbis ad genua vſque circumdatus, ac febre continua ad delirium vſque æſtuabat: quem ego Heidelbergæ, inciſa vtriuſque pedis ſaphena, adhibitis quoque quæ febrem reſtinguerent, Deo auſpice, à morte vindicaui. Sic *Scribonius cap.* 106. Hiera, inquit, Pachi, ad ſacrum ignem, quem Zonam vocant, bene facit, ex aqua mulſa, detracto prius ſanguine. *Langius epiſt.* 32.

PHLEGMONE.

OBSERVATIO.

De eximia phlegmonarum curatione, prope ſpinam dorſi.

NObilis Gabriel à Varaderia, Patricius Arelatenſis, vir non minus auita nobilitate, quam virtutum & morum candore inſignis, pagi diui Andeoli dominus, optimi temperamenti, boni habitus, ſucculento corpore, plurimis ac grauibus actionibus aſſuetus, laboribusq; exercitus: cũ per ver præcedẽs æſtatemque ſubſequentem plurimum ſe exercuiſſet, variis obitis in diuerſa loca profectionibus: effectum eſt, vt ab nimio motu agitatis humoribus (ſiquidem mouent excrementa, autore Galeno, ſol, venus, balneum, motus) & in cutem prorumpentibus, in phlegmonem magnam, ſecundum dorſi ſpinam, inciderit. Quã ægre ſuppurata, nec dum perſanata, quum ſe viæ præpropere nimis credidiſſet, & ſe corporeis laboribus exagitaſſet, ad Diui Ægidii pagum profectus: febre continenti atque graui æſtuoſaque ibi corripitur, cum iugi bilioſorum humorum vomitu, tanta copia, vt vix credi poſſit. Æſtus, labor, inquietudo, corporis cõfractio, animi deliquia hominẽ valde premebãt, mox iterum grauis in dorſi muſculis dolor, tumor ingens, rubor ac tenſio cum renixu apparent, phlegmones alterius initiantis primordia. Miſſo ſanguine, perpurgatoq; corpore, adhibitis congruis ad phlegmonem auxiliis, in ſuppurationem tendit. Interea per conſenſum ad inguina humoris portione in dextrum inguen decumbente, bubo apparet cum ingenti dolore. Diſcutitur porro bubo congruis remediis. Suppurata tandem altera phlegmone poſt multos dies, atque diſſecta, ingens intus cauitas apparet (ſiquidem magnum locum influens ſanguis compleuerat,) puris mira copia, quod cum libere effluere non poteſt, ſinu deorſum conſiſtente, ad puris effluxum ſectione iterum opus fuit, ita iubente Galeno. Cauitas adhuc magna ſuberat & ingens puris vndique manantis copia. Ad curam plures accerſiti tum medici tum chirurgi: quos inter cum Chirurgorum alter iterum ſecandum vlcus pronunciaſſet, in ſuas partes chirurgum alterum doctrina conſpicuum traxit, qui & ipſe in eam inclinauit ſententiam, ſine ſectione cauitatis totius curari ægrum minime poſſe: quin & labia vlceris exterenda, quæ paululum intumuerant, candenti ferro opus eſſe intrepide ac conſtanter affirmabat. Nobis contra ſentientibus, cuncta prius tentanda, & pro Galeni doctrina, naturæ familiaria ſemper, antequam ad extrema illa præſidia veniatur: nec niſi ſumma vrgente neceſſitate, cum reliqua non proſint, ad ſectionem properandam, præſertim tantum quantum fieri in hoc ægro oportebat, quam ſine magno diſcrimine atque ægri periculo oboriri non poſſe ſciebamus, quod magnæ diſciſiones mortem vtplurimum adferre ſoleãt, ita aſſerente Galeno, ad ſectionem præſertim reluctante ægro: cuius animum conſulendum eſſe, vbi de ſectione aut vſtione agendum eſt, Galenus docuit. Itaque aduerſus Chirurgi ſententiam nos deterſoriis vtentes per Syphones rectos, mox cauitatem implentibus & ſarcoticis, ac tandem epuloticis hominem citra ſectionem integre Dei nutu curauimus. Id vt intelligatur, nihil quicquam abſolute & aſſeueranter in re medica atque medicis conſultationibus proferendum, ne obiici id poſſit, Bonum quandoque dormitare Homerum. *Franciſcus Valleriola lib. 5. Obſeru. 1.*

DORSO VICINISQVE LOCIS *Adnata.*

OBSERVATIO.

Cornua dorſo & iuncturis nonnunquam agnaſci.

AVdiui dici à patre meo, quod cuidam viro vidit naſci in dorſo ſuo os ad ſimilitudinem vnius cornu, quod erat minoris duritiei oſſis naturalis. Et ipſe pater meus purgauit humores groſſos in ipſo, & poſtea poſuit medicinas exiccatiuas ſuper os ita quod cecidit dictum os, ſicut cadunt cornua cerui

in vere

in vere. Et mihi etiam fuit ortum os vnum ſuper dorſum, magnum mihi inferens dolorem: & purgaui me ab humoribus groſſis, & poſui ſuper ipſum reſolutiua, ita quod reſolutum fuit pro maiori parte, & illud modicum quod remanſit, non impediuit me in aliquo in operationibus naturalibus exercendis. Ergo vbicunque inueneris ſimile, facias ſicut dixi. Et cum purgas iſtos, noli ipſos purgare ſolũ cum virtutib. medicinarũ, ſed cũ ipſis medicinis ꝓpriis. Et de melioribus mineris ad purgandũ hos, eſt lapis Lazuli, ſed in magnete eſt abſque dubio magnum iuuamentum in hoc, ſed ego ipſum non ſum operatus, quia ſufficit mihi lapis Lazuli, & ego commendo opera eius. *Auenzoar lib.2.c.5.*

Cornua hominibus agnaſci, ægritudo eſt non monſtrum, de qua Pricipi Aboali atque maximo viro Abumero narrantibus, equidem propter eorum authoritatem adducebar vt crederem, donec vnum vidimus in dorſo remigis cuiuſdam, qui in Ligurum triremi diu fuerat. *Scaliger exercit.199. 5.ad Cardan. Subtilit.*

Vidimus in Creta, vulnerato genu ſagitta, cornu nigrum rupicapræ capiti ſimilimum prodiiſſe, materiaque quæ in oſſis ſubſtantiam conuerti debuiſſet in corneam naturam aeris afflatu facile conuerſam, concinneque gummi modo indureſcentem. *Benedictus anat.lib.1.c.14.*

Sunt additiones ſpiſſæ vel denſæ, curuæ naſcentes ſuper iuncturas in extremitatibus propter vehementiam operationis. Et cura eorum eſt inciſio, vt remoueatur ex iis illud quod non dolet, deinde adminiſtrentur ſuper reſiduum medicinæ vehementer acutę ex medicinis verrucarum, donec cadat: deinde conſequatur buryrum coctum. *Auicenn. Canon. lib.4.Fen.7.tract.3.cap.14.*

De cornibus quorundam capitibus agnatis, vide *lib.1.huius operis.*

Interdum ceu cornu in integris oſſibus, non in fracturis naſcitur, quod quidem cornu excreſcit extra carnem & cutim: vt vidi Patauii in femore cuiuſdam Nobilis, ex cuius crure excreuit quaſi paxillus longus. *Fallopius de partibus ſimilaribus cap.7. lect.à Coitero publicatarum.*

Observatio.

In recens nato puello, tumor farciminis inſtar dorſo agnatus viſus: quo primum aperto & tandem in totum reciſo, mortuus ille.

NVper puellus natus eſt, elegans & viuidus, niſi quod in dorſo paulo ſupra podicem tumorem farciminis inſtar adnatum habebat. Quo, chirurgi opera, aperto: præter ſaniem & puris modicum nihil effluxit. Eodem vero medicorum quorundam conſilio in totum præciſo, puer quarto inde die extinctus eſt. *D. Thobias Cneulinus de obſeruation. propriis.*

Observatio.

Caro ex dextro latere enata propendens.

EXCREVERAT in dexteriore latere eius caro, propendebatque adeo, vt ægre faſcia ſubſtringeretur. *Suetonius Tranquillus de Sergio Galba numero 21.*

* * *

Observatio.

In globum quorundam corpora incuruata & contracta.

IVuenculam & maritum vidimus, quibus inſtar globi caput ad genua attractum fuit, ſeynd zuſammen gewachſen in die runde wie ein Kugel: obierunt. *V.Cl. Eſaias Meichſnerus de obſ. propriis.*

Observatio.

De Gibbo.

CVm vertebræ exterius luxantur, non ex acuto morbo fit Gibbus, ſi ad interiora ladoſis ſpecies, alia fit etiam in vtramque partem, quam vocant obſtipum, primam proprie vocant incuruationem etiam: fit & quandoque vtrinque quod tamen difficile eſt: vidi nuper in puella nobili, annorum circirciter decem, obliquitatem in latus, ſeu genus id quod vocant obſtipum, erat autem ſpina dorſi obliqua, ſicut anguis, referens literæ S. imaginem. Hoc volui adieciſſe quod ad intellectum præſentis loci facit. Proponit ergo tria Galenus, primum noxa quæ accidit ſpinæ vel eſt per ſe, vel non per ſe, ſed conſequentia quadam noxam per ſe vocat abſceſſum ſeu inflammationem ſeu intemperiem; in hac ſi contingat fieri reſolutionem, ſeu ex vna parte, ſeu ex ambabus, neceſſe eſt omnia membra, quæ ſunt infra illam partem ſpinæ quæ reſoluta eſt, reſolui, ſeu ex vna parte tantum ſeu ex ambabus. Si vero noxa ſit ex conſequentia tantum velut in gibboſitate in qua ſpina dorſi non patitur aut parum, ſed neruus qui facta luxatione obliqua, ſeu ad vnam partem opprimitur ab ea parte in quam ſpina deflectitur, quoniam vertebræ magis conſtringuntur, ex oppoſita autem nerui nimis diſtenduntur: ideo in hoc caſu cum ſpina dorſi ſeu medulla non ſit affecta prorſus, ſed nerui tantum ab ea orientes, & ob id reſolutio non fit niſi in membris quæ recipiunt neruos è regione partis medullæ læſæ. Sicut in exemplo priore, in quo ob luxationem vertebrarũ colli tantum manus reſoluebantur, & non inferiora mẽbra, hoc etiam fit minus, inquit, ſi luxatio fiat ſenſim, aut ſi fiat intus vel extra: & in lumborum vertebris minus quam thoracis, & thoracis quam colli: quia in ceruice vertebrę inter ſe connexæ æqualiter conferunt foramini vnde neruus prodit, ſed in thorace magis confert foramẽ inferioris vertebræ, & longe minus in lumbis. Qui ergo noxam patiuntur per ſe in medulla ſpinali, his omnes partes inferius reſoluuntur, & quanto noxa fuerit maior, & aduentus repentinus: qui vero noxam patiuntur in neruo tantum, vt in gibboſitate, & obliquam, id eſt, in latus hi patiuntur reſolutionem ſolùm in parte quæ eſt e regione vbi nerui læſi ſunt, ſi vel læſio magna ſit, vel repentina, vt in angina, in qua vertebræ luxantur ad latus: ſi vero luxatio vertebrarum fiat ſenſim vel etiam repente, ſed intus, aut extra non in latus, his nulla contingit reſolutio ob hoc ergo qui fiunt gibbi per caſum aut iactum, ſi fiant obſtipi, reſoluuntur: ſin autem incurui aut repandi, non reſoluuntur, quia tametſi repente fiat, non eſt obliqua luxatio: qui vero ſenſim fiunt gibbi, etſi obliqua ſit luxatio, non reſoluuntur, quia non repente facta eſt, qui vero ſenſim facti ſunt incurui aut repandi, nullam patiuntur re-

ſolutionem, tum quia ſenſim vertebræ luxatæ ſunt, & interim ſpinalis medulla, q̃ mollis eſt, potuit extendi, & ita nihil paſſa eſt, tum quia luxatio recta eſt, in qua nerui neq; comprimuntur neque iuſto plus extenduntur. Ex quo concluditur quod in luxatione recta, graui & repentina, poterit contingere etiam reſolutio, quia licet in Angina non fieret, contingit hoc, quoniam ex tribus conditionibus quæ faciunt ad reſolutionem, ſcilicet quod ſit repentina, magna, obliqua, non aderat niſi prima: ſi vero adſit & ſecunda, vt in vehementibus ictibus aut caſibus; tunc reſoluentur membra inferiora, aut ſaltem quæ ſunt è regione. Vertebræ autem luxantur quatuor modis, aut caſu, aut ictu, aut crudis tuberibus, aut materia ſenſim influente: quamuis hæc non vt in propoſito Galenus omiſerit, cuius hoc eſt præſtantiſſimum ſane inuentum. *Cardanus part.3. numero 56. de cauſ. ſig. ac loc. morb.*

HYPOCHONDRIA.

AFFECTVS PRÆTER NATVRAM.

DVRITIES.

OBSERVATIO.

Durities Hypochondriorum.

PVELLÆ cuidam, annorum 7. hypochondrium dextrum atque ſiniſtrum vſq; ad inguina adeo fuit durum & renitens, ac ſi aſſeres ſub cute haberet. Antea febri laborauerat, & corpus non fuerat purgatum. Hunc affectum mulierculæ noſtrates vocant den Fiebekuchen / *Langius lib.1. Epiſt.39.* vocat den Fiberkuchen. Purgato corpore adhibui balnea, fomentationes, vnguenta, & emplaſtra mollientia & diſcutientia, longo tempore, ſed ſine magna vtilitate. Tandem elapſis ſex menſibus hypochondria facta ſunt paulatim molliora, & demum ad integram ſanitatem rediit.

Eodem morbo nobilis cuiuſdam filius, 4. annorum, laborauit, cui etiam vtrumque hypochondrium valde durum fuit, & materia in hypochondriis tanquam orbis ligneus delituit, & digitis vndiquaque comprehendi potuit. Ventrem valde tumidum, pedes & brachia macilenta habuit. Affectio hæc diu durauit, & nullis medicamentis cedere voluit. Tandem muliercula quædam balneum præparauit, ex ſabina ſylueſtri, quæ ſelago Plinii eſſe creditur, vinca peruinca, ſummitate pinaſtri, pyrola fruticante, & fungis ligneis in arboribus prouenientibus, aqua coctis: in quo balneo cum puer ſingulis diebus, horam dimidiam, vel etiam integram lauiſſet, idque nouem diebus continuaſſet, materia reſoluta per ſedem exiit. Huius morbi nemo Medicorum (quod equidem ſciam) mentionem fecit; excepto *Fernelio*, qui *cap. de Lienis morbis* ſcribit: Lienis ſcirrhus alias ſolam ſubſtantiam occupat, alias quoque in partes vicinas diffunditur, vt omnem plerunque ventris ſiniſtram regionem impleat, &c. De curat. nihil ſcribitur. Quam difficulter autem morbus iſte curetur, ego bis expertus ſum. *De Cl. V. Ioan. Franci Hildeſii Cameniceni obſ. raris per Laur. Scholtzium tranſmiſſis.*

CALCVLVS ET OEDEMA.

OBSERVATIO.

Lapis triangularis, ſilicis duritie, ex multis aliis piſiformibus coaleſcens, in œdemate ſcirrhoſo ſub hypochondrio natu extractus.

RVſtico cuidam Pratenſi, ex nimio labore œdema in ſiniſtro hypochondrio iuxta coſtas nothas eſt obortum, quod cum à Chirurgis minus recte tractaretur, in ſcirrhum abiit, cumque nullum inde dolorem perciperet vlteriorem, medicina adhibere ſupſtitit; Anno vero vno vix ex acto, materia illa ſcirrhoſa adaugeri ſimul & dolere cœpit; quam chirurgi emplaſtris accommodatis emollientes, ad aliqualem ſuppurationem deduxerunt, indè ferro locum aperientes, lapidem triangularem quouis ſilice duriorem, ex multis granulis quaſi piſis conflatum, extrahunt, atque ſic ruſticus ille curatus fuit. *Ex Italia, à Petr. Sperèrio ſine expreſſo nomine communicatum.*

DE ILIIS ET INGVINIBVS.

AFFECTVS PRÆTER NAT.

VERMES.

OBSERVATIO.

Vermes in apoſtemate inguinis viſi.

VIDI in puella tumorem magnum inter ilium & inguina, quem incidẽdo chirurgus quidam, me præſente, reperit plenum vermibus.

Quidam miles Mutinenſis, in hoſpitali Carmelitano habebat multos tumores intrinſecos, & extrinſecos, quos vidimus poſt eius mortem (nam ex illis mortuus eſt) qui tumores erãt pleni vermibus paruis, qui videbantur pediculi. *Fallop. cap. 4. de tumorib. præter naturam.*

VLCVS.

OBSERVATIO.

Carcinodes, vt credebatur, vlcus mulieri cuidam, circa inguina, cum horribili putrilagine & fœtore crurisq; tumore œdematoſo, ſubortum. Cum recte curatum crederetur, metaſtaſi quadam, paulo poſt in altero inguine recrudeſcens, ægram ſubito ſuſtulit.

PIa, & honeſto loco nata matrona quædam, affectu in inguine ſuſcitato, & ad vicinas partes ad pudenda vſque pertingente, cum inſigni fœtore ac putredine, totiusque dextri cruris œdematoſo tumore, viriumque maxima imbecillitate, laborabat. Quorum potiſſimum, vt & aliorũ difficilium ſymtomatum cauſa, ego quoque à Luca Arabe ad curationem aſcitus fueram. Collatis itaque ſententiis communi opera, ad difficilimi huius mali curationem, ſingulari induſtria incumbentes; hoc tandem effecimus, vt corruptione & putredine omni ſublata, carunculiſque illis innumeris, per pyrotica, catheretica, & ferro domatis, œdematoſque crure percurato, omnia ſalua eſſe, ægramque priſtinæ ſanitati reſtitutam, omnes fere arbitraremur. Verũ haud ita multo poſt tempore, idem malum, ſymtomata-

mataq; ſimilia ſuſcitans, in altero inguine recruduit miſeram ægram cito abſumſit. *Melchior Sebizius, ſuis ad me datis obſeruationibus.*

CALCVLVS.

OBSERVATIO.

In apoſtematibus inguinis & ilii calculi oui & caſtaneæ magnitudine nati.

EGo meo tempore vidi, vna cum magiſtro Benedicto egregio Doctore Veronæ, apoſtema in inguine cuiuſdam mulieris, in quo erant lapides tres ad quantitatem caſtaneæ, formæ tendentis ad rotundum, & duritie gypſi, quod apoſtema me præſente ſecuit. *Arculanus in comment. ad cap. 69. Auicenna de febre ſextana, ſeptana, & ſimilibus.*

Vidi in muliere quadam patiente apoſtemata in ilio lapidem ex apoſtemate reiectum, nam exhibui ei Therebinthinam, & tum temporis ruptus eſt abſceſſus, & cum pure reiecit lapidem magnum vt ouum, & medici credebant mulierem illam laborare colicis doloribus. *Fallop. cap. 4. de tumoribus præter naturam.*

STRVMAE ET ABSCESSVS.

OBSERVATIO.

Virgini Religioſæ ingens ſtruma ad coxendicem enata.

CArneam excreſcentiam ingentem coxæ alligatam in Monacha D. Ioannis Mantuæ obſeruauimus. *Marcell. Donat. Hiſt. mirab. lib. 5. cap. 3.*

OBSERVATIO.

Strumarum, ſteatomatum, atheromatum, aliorumque ex Pituita abſceſſuum, Hiſt. & cura prophilactica.

IN abſceſſuum de crudo aut partim putreſcentis pituitæ lentore catalogo, quorum materia folliculis, aut propriæ membranæ inuolucro coarctatur & coaleſcit, cenſentur ſtrumæ, ſteatomata, atheromata, & meliceride, quæ à materia qua eorum infarciuntur folliculi, græca ſortita ſunt nomina. Nam quorum materia ſteati, id eſt, ſeuo vel adipi ſimilis, ſteatomata, ab ἀθέρα, id eſt, pulte atheramata dicuntur, à viſcido mellis liquore meliceride appellantur, ex horum miſcellanea ſtrumæ inter aſperam arteriam in collo & ceruice vſque ad pectus pendulæ, ac ſupra adenas paſſim venarum in corpore fulcra coaleſcunt. In collo græcis βρογχοκήλη gutturis hernia & botia ac ſcrophulæ à ſcrophis id eſt, porcis quibus hic morbus eſt peculiaris, ob id græci vel à porcis quoque χοιράδας, aut à ſcopulis in æquore inſtar capitum porcorum natantium prominentibus appellatunt, hos quippe χοιράδες græci dicunt æquoris ſcopulos eminentes, hæc digerentibus illita in ſcirrhum aut cancrum tandem mutantur, hæc quoque maturationi ſunt adeo contumacia, vt ante ſuppurationem computreſeant, in quibus ſanguis concretus in carbones aduritur, villi vero & nerui carnis tabefactæ in rhombos conglomerantur, capillis in glomum complicatis ac ſetis porcorum aſſimilentur, pituita ſiccata lapideſcit ac ramentis oſſium, & fictilium teſtis ſimilima videtur. hæc delirum vulgus philoſophiæ imperitum in apoſtemate præſtigiis dæmonum aut veneficiis anus accidere credit. Hæc autem in diuturna exalteratione putrefactione enaſci experimur, vt lignum quercinum ſub terra defoſſum mutatum in cotem lapideam hiſce manibus erui. Galenus quoque hæc & plura alia oſtentis ſimilima in abſceſſibus ex atra bile & pituita ſubnaſci his verbis teſtatur: Humores inquit, vbi in abſceſſibus perdurauerint, plures habent alterationes. Nam & lapidibus, & arenis, & teſtis, & lignis atque carbonibus & limo & ſorditiei feci, & ſtipulæ & amurcæ & multis aliis in abſceſſibus ſimilia inueniuntur corpora. Hæc de affluxu pituitæ apoſtemata diuerſa corporis obſident loca. Oriuntur, ait, *Aetius libro ſexto* non in collo & ceruice tantum ſtrumæ, ſed etiam in alis & inguinibus ac lateribus, mammis quoque mulierum agnatas ſe vidiſſe Meges chirurgus auctor eſt. At Iulius quidem Pollux Grammaticus (nihil enim refert cum bonis auctoribus verſuram facere) in meſenterio ſcrophulas quoque enaſci prodidit. Tumores quoque inquit, intra carnem & adipem, vel omentum ſubſiſtunt, maxime circa bubones axillas & maxillas & meſenterium, circa quæ chœrades & ſcrophulæ conſiſtunt. Verum nec in his tantum locis, ſed pleriſque aliis hæc ſubnaſci noſtra quoque ætate compertum eſt. Florentiis iuuenculæ ſtruma pondo ſexaginta librarum in coxendice accreuit, cuius moles cum progreſſum moraretur, mulier integrum quinquennium in lecto decumbere coacta mortem tam inerti vita & decubitu potiorem teſtaretur, DEVM hominumque opem, conſilium & ſubſidium imploraret, medici vero curam detrectarent, ex horum collegio iunior natu miſertus iuuenculæ eiulantis, arctiſſima ex ſetis equorum impliciti laquei ligatura ferro & cauteriis ſtrumam radicitus muliercula ſuperſtite felici ſucceſſu auulſit.

Nec minoris ponderis ſtrumæ moles Ambergæ, ſuperioris Palatinatus metropoli Michaeli Aurifabro in genu accreuerat. At is mori quod, & accidit quam ferro curari maluit. Scripſit quoq; ad me Georgius Wirt Medicus conſobrinus meus, generoſo ipſius patienti, illuſtri principum ſtirpe nato, ex inguinibus ſtrumam, aut ſi mauis ſteatoma, ponderis plus minus quadraginta librarum ſuccreuiſſe, & cum corpus plethoricum pituitoſo redundet ſanguine, veretur ne pro incremento lunæ indies adaugeatur. Proinde enixe petit conſilium, vt doceam qua methodo illius & aliarum in collo vel alibi chiriadum incrementum impediri poſſit, chirurgicorum enim operam illuſtriſſimam penitus auerſari & deſpuere, malle enim vt aurifaber ipſum mori quam ligaturis, ſectione & cauteriis curari, verum quandoquidem conſilium operamque meam illuſtriſſimo principi ipſius denegare non potuerim nec debuerim, rem ab ouo hoc eſt à cauſa procarctica & interna id generis ex pituita cruda aut marcida abſceſſuum auſpicatus ſum. Ex cauſarum enim cognitione & indicationibus partim morbi cognitio remediorumque indicatio, quibus curandi morbos Methodus conſtat, habetur, quæ per contraria cauſæ morbi eradicationem indicant. Concors enim philoſophorum ac medico-

rum axioma eſt, ablata cauſa, illius quoque effectus peſſum iri aut euaneſcere. Atqui clare conſtat hoc abſceſſus eſſe pituitæ affluxus ſoboles, quæ cum ad colli ceruicis & emunctoriorum adenas defluxerit intra membranas in ſtrumæ abſceſſus concreſcit. Hos defluxus Hydrargyri virulentia proritate ſolet, cuius genuina virtus eſt pituitam ab extremis & corporis ambitu arcere, & ad colli glandulas, gingiuas, faucium adenas vel pariſthmia regerere, quo malo plurimum infeſtantur qui alpes metallis fœcundas, aut iſtic metallorum venas ſcrutantur, aut aquas ex montibus metallorum ſcaturientes bibunt. Quippe cum Hydrargyrium vna cum ſulphure ſit omnium metallorum parens & origo, par eſt vt deriuatum reſipiat naturam originis, nec id indigenis modo, ſed etiam aduenis accidere certum eſt, ſi has terras incoluerint, & has per metalla ex montibus & fontibus aquarum ſcaturigines potauerint. Proinde Equicolos bellicoſos de natione Medullorum equites, Tauriſeos & Noricos, & qui vltra Saltzburgum Oenoſpontem Curiam Retiæ oppidum atque Stiriam & Carinthiam alpium verſus incolunt metallis diuitibus, colla vt taurorum paleariis bronchocelis turgere vſque ad pectus pendulis nil mirum. Compertum aiunt ſi quis virgulta, aut ſcipiones rectos & enodes in harum aquarum fontibus aut ſcaturigines defixerit, his intortis velut in oleis arboribus tubera adnaſci.

Altera illorum cauſa eſt vitæ luxus & crapula, in qua vitam plerique mortalium Sybaritarum more traducunt, qui Sardanapali exemplo malunt viuere vt edant, quam edere vt viuant. His de grege Epicuri porcis, porcus Troianus vix pro ferculo vno ſufficeret, qua ſagina corpus Nicomachi Schimienei ad tantam molem increuit, vt loco dimoueri non poſſet, qua victus ratione pituita in corpore coaceruata in ſtrumas & ſteatomata coaleſcit & χοιράδας, quibus ſues maxime ob voracitatem ſunt obnoxii. Quare non illepide illis animam pro ſale datam ne putreſcerent Chryſippus exiſtimat, ob id grandine quoque in collo & ſub lingua, non raro in tota humida corporis mole oborta infeſtantur. Sed ſobria & frugi attenuante victus ratione opus, qua crebro genium defraudet patiens. Proinde opus eſt vt abſtineat ab omnibus eſculentis, quorum eſu ſucci craſſi & viſcidi generantur, de quorū cenſu ſunt, lac, caſeus, quadrupedis pes, caro ſuilla, & piſces in ſtagnis limoſis altiles, ſquamis quoque vt Anguillæ carentes: ſaxatilibus vero inter maris ſcopulos captis libere veſci poterit. Euitet quoque omnia ex caſeo, alica, chondro, placentarum genera, ex lactis colluſtris quoque parata, quæ veteres lagona & rhiemata, ac communi nomine Itria appellarunt. Præterea omne ex tritico ſine fermento piſtorum opus vt panes azymos, ac pleraque alia arte culinaria parata fercula, vt pulticulam ex decorticatis, & freſis leguminibus decoctam, quam Græci antiqui Ethnos dixerunt, & Lecython ex molitorum farina in aliquo pingui iure elixatam. Ob id quoque abſtineat à muſto, & omni vino rubro, bibat vina Rhenenſia; quæ in littore Rheni creuerunt, quæ gutturoſis pituitaque cruda laborantibus non parum conferent, ſi illis libanotis, hyſſopus, ſatureia, vel thymus macerata, dum ebulliunt aut feruent, fuerint, Melycratum quoque in quo thymus & gingiberis radices incocta fuerint egregie illis prodeſt. Inter medicata vero pocula, ſunt his ſaluberrima aquæ minerales quædam, præſertim quæ vini feculam reſipiunt, quæ, vt Arnoldus tradit, non internos modo hoſce ſtrumoſos & pituitoſos abſceſſus, ſed externos quoque diſcutiunt. Nec hæc frugi victus ratio ſola ſufficit, ſed opus eſt medicamentis quæ partim hæc ex pituita abſceſſuum fomenta, & crudas coctionis reliquias digerant, partim aluum ducant. Opus igitur erit, vt quauis hebdomadarum triade mane tempore antelucano, & iturus cubitum oxymellis ſquillitici & de radicibus compoſiti, vna mixtis triduo integrum cochlear abſorbeat, quo humores lenti ad excretionem præparentur. Tandem tertia à cœna hora ſeptem de drachma vna pilulas deglutiat, quæ affluxum pituitæ per aluum diuertant & excernant. Ad hos ex phlegmate concretos abſceſſus in halitum reſoluendos & dirigendos, inquit *Galen. libr. 14. Methodi*, medicamenta ex aromatibus compoſita maxime proſunt, quorum laudatiſſima ſunt antidotus ex viperis compoſita, quam Theriacam vocant, tum quæ Athanaſia, & Ambroſia dicuntur, atqui hæc magni conſtant. Viliorum inquit, Galenus, optimum eſt noſtrum quod calaminthe eſt coadunatum, cuius compoſitionem docet *Galenus libro quarto de Medica, de ſanitate tuenda*. Hæc ſane tumores, intra carnem & adipem vel omentum quoque conſiſtentes, maxime circa bubones, & axillas & maxillas, & colli adenas & meſenterium χοιράδας, id eſt, ſcrophulas diſſipant, meatuſque aperiunt, & expeditos ſeruant. Pilulæ autem, quarum ſupra meminimus, conſtant ex aloes roſatæ ſcrupulis quinque, agarici trociſcati ſcrupulis duobus, turbith albi gummoſi, drachma ſemis, ſquinanti, radicum aſari ſingulorum granis quinque, zinziberis ſcrupulo ſemis, cinamomi ſcrupulo vno, Rhabarbari, drachma ſemis, Trociſcorum alhandal granis quindecim. Cum oxymelle fiat maſſa, doſis à ſcrupulis duobus ad Drachmam vnam. De medicamentis topicis oleum ſubſcriptum, cæteris eſt longe præſentius, cuius recta compoſitio arte Chymica eſt illa q̄ Euonimus ignorauit. ℞. Olei Philoſophorum, laterini libram ſemis, thuris, maſticis, gummi arabici, terpentinæ ſingulorum drachmas tres piſtata ſimul per alembicum deſtillentur, tandem deſtillationi addatur ſalis ex cinere cerri & iterum deſtilla, quod deſtillauerit in vitro ſerua. De cerro arbore glandifera præter Plinium vide *Ruellium libro primo de ſtirp. cap. 66.* & quomodo ex cinere cerri fiat ſal norunt Chymiſtæ. Huius olei vnctio diſſipat & digerit ſtrumas & ſcrophulas, quas Græci napthas & glandes appellant. *Ioannes Langius Epiſtol. 4. lib. 3.*

Observatio.

Ganglium, capitis magnitudine, inguini dextro adnatum: cum tuberculo.

Nobilis Picto, cui paulatim ganglium excreuerat in inguine dextro tam magnum, quam pueri caput cum adnato craſſiore tuberculo, in conſilium adhibuit medicos, Fernelium, Syluium, Holle-

Hollerium, Chirurgos, Thierryum, Riuierium, Ambroſium Pareum. Medicis cum Ambroſio periculum declarantibus, ſi excinderetur (nam hoc vnum erat remedium) alii contra ſenſerunt ſine periculo incidi poſſe. Vicit conſilium plurimum, quia metuerent hæmorrhag. gangrenam ab inciſione, claudicationem. Poſt aliquot dies reuocatus æger cum chirurgis de incidendo agentibus, altero voluit rem longa diſputatione agitari. Tandem conuentum, ægro impellente, & profitẽte ſe mori malle, quam diutius malum perferre, quia & armis ineptus eſſet, & coniugio atque coitu, oportere in circulum molem incidi, circulo longius ab inguine & ſcroto circumſcripto, deinde ad membranam tumorem paulatim exſecari, paulatim quoque pellem ſeparari quæ eſſet verſus radicem: venas & arterias vt detegebantur, contra hæmorrhagiam ligari. Quod poſt aliquot dies, Fernelio & Hollerio præſentibus à Theodorico Thyerrio & Riuierio, tribus aliis chirurgis aſſiſtentibus, effectũ fuit. Eualſa moles, cum tunica glanduloſa, albicans, intus ſine ſanguine & carne, multis conſtans glandulis, à ſua pellicula ſeu pediculo facile ſeparabilis, glandulam pinguem repræſentabat. Iam ſaneſcente vulnere, febricula, oris amor, faſtidia incurabilia, virulenta ſanies, fœtida, dolor in altero inguine, pube, ventre. At tandem ſoluta aluo, liberatur amarore, & aeri commiſſus, vt ad ſuos rediret, perbelle habuit. *Hollerius obſeruat. 23. lib. proprio.*

OBSERVATIO.

Struma pondo ſexaginta librarum coxæ innata.

MVLIEREM Oliuam nomine ſtruma coxæ innata multos annos miſerabiliter vexabat. Ad eam enim iam magnitudinem excreuerat, vt occupante ea coxam ipſam ac crus, ambulare non poſſet. Quo factum, vt iam quinquennio miſera in lecto iaceret. Nec ex medicis vllus inueniebatur, qui aut ferreo aut alio quouis medicamento tollere tam igens malum auderet. Quare omni ſpe deſtituta, me cum iunior adhuc eſſem, ad ſe depoſcit.

Lachrymis vrget & precibus vt quamlibet miſerabile, aliquod tamen ei præſidium afferam: mori ſe malle quam in tanta miſeria & calamitate vitam ducere. Mouerunt me, fateor, infelicis mulieris lachrymæ, ac propterea rem ſane arduam, & quam nullus qui ſaperet attentaſſet, aggreſſus, ſtrumam ipſam ea potiſſimum parte, quam coxa pendebat, vinculo deligo. Et quoniam reſecanda craſſitudo palmo plenior erat, ſingulis quibuſque diebus vinculum ipſum arctius necto, donec pars media reſecaretur. Tum candenti ferro quod ſupereſt ſcindo, ſanguinem ſupprimo, & mulierem ferme mortuam reſumens molli cubiculo recreo: ac curioſa deinde obſeruatione, idoneiſque medicamentis rite procedens, diuino tandem auxilio eam in priſtinam ſanitatem reduco. Tanta autem fuit præciſæ carnis moles, vt pondus ſexaginta librarum excederet. *Beniuenius cap. decimo quarto.*

* *
*

DE PEDE INTEGRO.

MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Tripedes & quadrupedes homines nati quidam.

P. Africano & Lælio coſſ. Amiterni puer tribus pedibus, vna manu natus. *Iul. obſequens, de prodig.*

Appio Alaudio, P. Metello. Coſſ. Amiterni puer tribus pedibus natus. *Idem eodem libro.*

P. Africano, C. Fuluio Coſſ. Puella quadrupes nata. *Idem.*

Conſtantinopoli puer natus quadrupes. *Lycoſth. lib. Prodig. Anno Domini 593.*

Puer quadrupes natus, Mauritii Romanorum Regis tempore. *Lycoſten. lib. prodig. An. Dom. 601.*

Plura huiuſmodi exempla require ſupra obſeruatione: *Qui brachiis tribus vel quatuor nati ſunt.*

OBSERVATIO.

Sine pedibus nati.

NAtos infantes vidimus, defectu membrorum mutilos, pedibus carentes. *Rueff. lib. 5. de concept. & generat. hominis.*

In villa Nebritz, nõ procul ab oppido Wurzenſi ſito ad Moldam, natus eſt infans ſine pedib. *Lycoſth. de prodig. & oſtent. Anno Domini 1537.*

In Piceno abſque manibus & pedibus natos Romana tradit hiſtoria. *Peucerus Teratoſcopia pag. 442. facie auerſa.*

OBSERVATIO.

Monſtrum ſuperna parte hominis effigie ad vmbilicum vſque inferna ſyrenum caudam, pedum loco referens.

OCtauo die Februarii, Anno Domini 1541. in Caſtro diui Amandi Alliferi in ſolo Borbonico, ex iuuencula quadam mihi notiſſima natum eſt monſtrum hominis effigiem à capite ad vmbilicum vſque referens, ab vmbilico infra crurum pedumq; ac digitorum pedis loco ſubſtituta erat cauda ſyrenum modo, pyramidali figura, in latum tamen pedis magnitudine deſinebat. Tinctum fuit, hoc mõſtrum Chriſtianorum lauacro, horamque à partu duntaxat vixit. *Nicol. Rocheus de morb. mulier. Curand. cap.*

OBSERVATIO.

Monſtrum pedibus caprinis.

MIchaelis Parpinacei Imperio, natum monſtrũ, quod pedes habuit caprinos, in media fronte oculum vnum. *Peucerus lib 4. Chronici Carionis.*

OBSERVATIO.

Monſtrum ſine pedibus natum, quorum loco cuſpidem vt circa femora prominentias habuit.

VVidensbachi, quod diſtat miliare vnũ à Schleuſinga, monſtrum natum ex muliere, imagine infantis, abſque pedibus, quorum loco habuit cuſpidem demiſſam, à femoribus etiam cuſpides promi-

prominentes habuit. *Author Iobus Fincelius de miraculis.*

OBSERVATIO.

Inuerſis pedibus nati.

IN Saxonia infans Witebergæ natus inuerſis pedibus. *Lycoſth. prodig. Anno* 1525.

AFFECTVS PEDVM.

OBSERVATIO.

De pedis tumore, quem Arabes Elephantiam appellant.

ADOLESCENS quidam circa XX. annos natus, in ſiniſtri pedis tumorem cum dolore incidit: quo craſſiore facto, ſura extenuabatur. Medici ac chirurgi de affectus genere parum conuenerant. Ita XVIII. menſibus lecto affixus decubuerat, cum ad nos curationis cauſa adduceretur. Remedia huic adhibita talia, qualia Auicenna ac Rhaſis Elephantiæ ab ipſis dictæ adhiberi ſuadent, atque ita intra paucos menſes ſanitate pedis reſtituta, quocunque libuit, ambulare ac ire potuit. *Dodonæus lib. obſ. cap.* 52.

Affectum hunc Arabes eorumque ſectatores Elephantiam nominant. Differens vero à Græcorum Elephantiaſi multum eſt. Nam Græcorum Elephantiaſis cutis fœditas ac vitium eſt, cum nonnullo figuræ vitio, nimia craſſities. Cauſa non aliquis quatuor humorum; ſed ex optimo ſanguine in idoneam ad corpus nutriendum ſubſtantiam humor iam conuerſus nondum tamen agglutinatus: quo ad pedem copioſius affluente, craſſior ac veluti tumidus redditur, ſuperioribus partibus magna ex parte extenuatis alimento nempe deſtitutis. Guido de Cauliaco, Chirurgus ſua ætate celebris, cum & hunc affectum non ex aliquo 4. humorum gigni animaduertiſſet, additionẽ carnis eſſe exiſtimauit: Elephantia, inquit, eſt additio carnis in pedibus vltra menſuram: addit vero & in tibiis; quod quidem contingere poſſe quis negauerit, copioſo admodum affluente alimento? Sed nobis partes ſuperiores extenuari obſeruatum. Atque hic quidem affectus ſi ea ætate ſuperueniat, quando auctricis facultatis potentia deſinit, curationem recipere poteſt, ſi idonea adhibeatur: ad minus vt non augeatur craſſities & tumor intendatur, arte effici poteſt: veluti in adoleſcente, de quo ſcripſimus. In iuuenili corpore vigente adhuc facultate auctrice, ſi copioſior huiuſcemodi alimentarius humor ad pedes deferatur, non craſſiores, aut tumidos reddit, ſed ſubinde quãtitatem iuxta omnem dimenſionem, forma haudquaquam vitiata auget.

Puella nondum nata annos XV. pedes maiores habuit, quam procera vlla mulier, interim optime formatos, crutibus admodum extenuatis, adeo vt mole pedum grauata moleſtum ei fuerit progredi. In prouecta ætate, huiuſcemodi humor ad nutritionem deſtinatus copioſior, quam par eſt accedens, articulares & podagricos excitat dolores. Si vero & diutius influat, ordinem ac ſitum oſſium ſubinde perturbat, compagibus ac vnitate partium diſſolutis. Veluti annoſæ cuidam fœminæ accidiſſe recordamur.

Hæc aliquanto tempore dolore pedis laborauerat; cum vero humores probi aſſidue affluere non deſinerent, nec in pedis alimentum cõuerti poſſent, tandem cutis vnitate articuliſque diſſolutis, oſſium tarſi ordo ac poſitus ita perturbatus eſt, vt forma figuraque pedis vix vlla reliqua fuerit. Effluxit autem humor non ſanioſus, non purulentus, non fœtidus, ſed glutini & albido oui fere ſimilis, lentus ac viſcidus, ad pedis videlicet alimoniam deſtinatus. Crus vero huius ſupra pedem omnino extenuatum relictum eſt, veluti de quo ſcripſimus, adoleſcentis. Atque vel ex hoc exemplo ſatis conſtat, non vnum ex quatuor humoribus eſſe elephantiæ huius cauſam, ſed humorem probum ad alimentum partis deſtinatum *Idem in ſcholio ad idem cap.*

Elephantia Græcorum, proprie lepra dicitur. Arabum vero Elephantia ab hac diuerſa, inſignem vnius vel alterius pedis Tumorem, atque craſſitiem exprimit: cuiuſmodi ſemel iterumque Friburgi videre contigit in Piſtore ſuburbano & præterea chelys Muſicis. Ob id, iuxta Dodonæi ſententiam, elephantini pedes analogice dicti: Elephantſchenckel / Oelſchenckel oder Armb. Id obiter aſcribere viſum. *Schenckius filius.*

OBSERVATIO.

De Elephantia Auicennæ.

QVum ex conducto ſimus medici apud Cœnobium diui Auguſtini, ad nos binatim monachi concurrerunt. Sed vnus Auguſtinus nomine, facie tumida, corpore procero, præpoſtero gradu pluſquam feſtineo ad me peruenit. Qui cum affectiones ſuas inueteratas, ac diuturnas enarrare cœpiſſet, pedes fere elephanticos, hoc eſt, ad genu vſque tumentes, vt ſaccos quis diceret plenos, nobis indicat. Super quos cruſtæ eminebant quædam ſubigine affectæ, quas interpellatis diebus, ex decocto emolliente, madefactas deponebat. Nam aliter pruritu, & ingenti vellicatione perdurare nequibat. Quos cum intuerer, & vniuerſum eius corpus exacte perpenderem, hunc Elephantiam apud Auicennam & Arabas deſcriptam pati deprehendi. Sic enim *Auicenna Fen vigeſima lib. tertii ſui Canonis, tract. primo*, elephantiam ſuam deſcribit, Elephantia eſt additio in pedibus ſecundum modum, qui accidit in venis varicum, quare incraſſat pedem cum æqualitate ſua & plerunque fit, propter melancholicum humorem, & aliquando ob phlegma craſſum. *Raſis* præterea *libro nono de morbis curandis ad Regem Almanſorem, capite nonageſimo tertio*, non aliter Elephantiam deſcribit, quam crurium cum varicibus intumeſcentiam, cum totius corporis habitu colore atro perfuſo. Qui affectus interea dum recens eſt, debitis applicitis remediis reſtitui, vtcunque poterit, vel ſaltem, quod non inualeſcat, aut augeatur, intercipi. Cum vero penitus radices infixas habuerit, tunc curationem nunquam malum hoc admittit. Is enim Monachus, de quo ſermo agitur, malum hoc inueteratum cum totius corporis quadam præternaturali obeſitate ac prurigine patiebatur. Qui ſudore reſolutus, à conſortio fratrum receſſit, & ad patres ſuos migrauit, non ſine tamen cœnobii commodo. Diues namque erat, & opulentus, omnia ſua bona illi relinquens.

Proxi-

Proximum hic erit citarem Petrum Simonem Anconitanum, qui præter varices, quas in vtroque patitur crure, œdematoſos tumores in ipſis pedib. habet. Quos pedum tumores, cum varicibus Arabes proculdubio Elephantiam appellãt. At is cum optime per pharmaca purgatus eſſet, & ad opus manuale conſcendere decreueramus, curationem renuit & incuratus manſit; veluti Caio Mario ex altero tantum crure curato euenit, vt citat *Plinius lib. XI. c. XLV.* & ante eum *Cicero libro Tuſculanarum quæſtionum. Amat. Luſitanus Cent. 2. Curat. 34.*

OBSERVATIO.

Magna ſuræ oſſis parte reſecata, puella conualuit.

HIeronymi Corbinelli filia, octauum agens annum elephantico morbo affecta eſt, ita vt ſuræ os vitiari cœperit. Summa enim cutis maculas, crebrorſq; tumores habebat, & rubor paulatim in atrũ eleuari ac conuerti cœperat, adeo vt facile judicares vitium in oſſe conſurgere: præſertim quod & ingenti dolore afficeretur & nullum in carne puris ſignum appareret. Quare ſoluto ventre & ſanguine cucurbitulis miſſo, detegere os decernimus: quo detecto, quicquid putrens ac carioſum inerat abſcindimus, ſicque magna oſſis parte reſecata, puella (quod multis impoſſibile videbatur) tandem rite conualuit. *Beniuenius c. 25. de Abdit.*

OBSERVATIO.

Claudius ex loco eminentiori cadens liberum recipit greſſum.

NIcolaus Architectus, cum de eminẽti turri præceps ruiſſet, tantum abfuit vt ex tam ingenti caſu incommodum aliquot reportarit, vt cum antea altero claudicaret pede, recte deinceps ambulauerit. Quin & puerum vidimus, qui peſtilenti morbo correptus curatuſque, idem malum effugerit. Nam vbi prius vtroque pede claudicaret, vt niſi duobus fulcitus baculis omnino incedere non poſſet, curatus libere, id eſt, ſine aliquo adminiculo incedebat. *Idem cap. 55. Abditorum.*

OBSERVATIO.

Vtroque pede claudus ſuſtentaculis ligneis rependo quaſi corpus de loco ad locum promouit.

BAſileæ Rauracorum, magiſtratus noſtri liberalitate victum habuit vir iam grandæuus, qui cum vtroque pede claudus eſſet, atq; erecto corpore inambulare nequiret, ſuſtentaculis ligneis adiutus, rependo ab vno loco in alium totum corpus traxit. *Lycoſth. lib. Prodig. Anno Domini 1533.*

DE FEMORE.

AFFECTVS PRÆTER NATVRAM, omnis generis.

CALCVLVS.

OBSERVATIO.

Ex tumore, in femore, poſt puerperium oborto, extractus lapis oui gallinacei magnitudine.

VXori Franciſci Fantini, poſt puerperium excreuit tumor in femore ſatis notabilis, qui quum quotidie maior euaderet, poſt varia appoſita medicamenta topica diſſectus eſt tumor, extractuſque lapis albus. magnitudine ouo gallinaceo proximus, cuius rei teſtem adducimus excellentiſs. Franciſcum Valerium Mantuanum, qui curæ non ſolum interfuit, ſed præfuit. *Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 30.*

OBSERVATIO.

De femoris fractura, articulo ſeu oſſis capiti ſuperiori propinqua.

COntingit nonnunquam ad coxæ articulum in oſſis femoris ceruice fractura, qualẽ ego in honeſta matrona animaduerti. Ad eam igitur vocatus, cum ſtatim animaduertiſſem erus ægrum ſano eſſe breuius, cum trochanteris externa prominentia ſupra iſchion, quam primo aſpectu ab oſſis femoris capite eſſe rebar, luxationem, ac non fracturam ſubeſſe facile mihi perſuaſi: tum itaque extendi os, eiuſque, vt mihi videbatur, caput in ſuam cauitatem compuli. Augebat iſtam de luxatione perſuaſionẽ, vtriuſque cruris in magnitudine ad factam à me extenſionem ſubſecutã paritas. Itaque reliqua feci quę in luxationibus fieri ſolent. Poſtridie ſecundo inuiſi, grauiter dolentem comperi, crus partis affectæ breuius, pedem intro contortum animaduerti. Tum deligationes omnes reſolui atque prominentiam qualem antea conſpexi. Conatus itaque caput oſſis rurſum vt primo feceram compellere. Sed id dum conor ipſius ſtrepitum ſubaudio ſimulque cauitatem ſeu depreſſionem nullam in iunctura ſubeſſe conſidero, ex quibus fractum eſſe os, non luxatum, certo mihi perſuadeo: neque vero eiuſmodi tantum fracturæ ſpecies opinionem facit luxationis, ſed & epiphyſeos, ſeu capitis huius oſſis è ſua ſede diuulſio: quæ res minus cautis chirurgis aliquando impoſuit, non epiphyſeos è ſummo oſſe femoris diuulſionem & ſeparationem, ſed luxationem ſubeſſe reputantibus. Tum igitur, vt ad inſtitutam narrationẽ redeam, os complanatis eius fragmentis reſtitui, ferulas appoſitis plagulis circumpoſui, faſcia duobus capitibus prædita ſupra iuncturam, & circumcorpus diſcuſſando obuoluta, deligationem feci, arcula pedem, ne quid integumentorum ipſum premeret, muniui. Funem ex laqueari in medium cubile propendentem multis modis ad comprӕhenſionis & ſubnixus opportunitatem intortum appendi, quod ſemper in femoris cruriſque fracturis & luxationibus eſt faciendum, vt habeant ægri aliquod adminiculum, ad quod manus ádniti poſſint, quoties aſſurgere, & ſe aliquantulum è cubili erigere volunt, ſeu ad aluum exonerãdum, ſeu vt lumbis, natibus, coccygi, aliiſque partibus longo decubitu compreſſis & laſſatis, perſpiratiónem & quaſi flabellationem præbeant: cuius defectu dolore & calore præter naturã corripiuntur: vnde vlcera quæ ſæpe tanto ardoris & doloris cruciatu ægrum diuexant, vt ſuborta febre, vigiliis & inquietudine conficiantur. Hæc excitandi è lecto corporis opportunitas, tanto magis hic neceſſaria eſt, quanto fractura iuncturæ propior eſt: illic enim quam in medio femore periculoſior eſt, adeoque curatu & ſanatu difficilior eſt, quia pars eſt exanguis, & propter neruorum, tendinum, atque liga-

ligamentorum multitudinem multis malignis ſymtomatibus obnoxia. Cæterum in hac fracturæ ſpecie diligenter chirurgo cauendum eſt, & ſæpius intuendum, ne os reſtitutum mox excidat: quod hic facile fit, leui aliqua corporis commotione, & ſimili occaſione, quia os femoris vnicum eſt. Itaque quoties deligationes reſoluentur, & fractura curabitur, intuendum acute in oſſis figuram, & partis ægre, facta cum lana collatione, magnitudinem: nam reſtituta & compoſita fracti oſſis fragmenta denuo excidere vix poſsũt quin aliud ſuper aliud efferatur. Sed & antequam callus fiat, ſic extendenda & ſuo ſtatui reddẽda pars eſt, vt ne in vitã reliquã ęger claudicare cogatur. Proditum enim ab Auicenna legimus, vix cuiquam tam feliciter ſuccedere fracti femoris curationem, vt claudicatem effugiat, itaque ægro id etiam curandum eſt vt ſe, corpuſve ſuum quam minimum commoueat. Veterum permulti conſolidationis huius oſſis tempus quinquaginta dierum numero definiuerunt: Sed iſtius, vt ante diximus, rei nullus certus terminus eſſe poteſt. Cæterum quantocunque tempore os hoc firmauit callus, non tamen ipſi inniti vel ingredi æger ſtatim à conſolidatione poterit: quia parti etiam diu poſt ſuperſtes remanet imbecillitas: vt interim cogantur ægri fulcimentis ſubalarib. ad incedendum vti. *Pareus operum ſuorum lib. 14. c. 21. de Fracturis.*

Observatio.

Ex vulnere femoris claudicans eadem parte denuo vulneratus reſtitutus eſt.

Petrus *Meſsias parte 3. variæ lectionis cap. 15.* ſe quendam vidiſſe teſtatur, qui cum in femore vulnus ſuſcepiſſet, ſanatus claudicabat: at poſtmodum alia in rixa eadem in parte ſauciatus & ſanatus, rectus in poſterum inceſſit. *Idem eodem lib. cap. 5.*

Observatio.

Hiſtoria femoris luxati & male reſtituti, vnde perpetua claudicatio inducta: quam iam à multis annis occalleſcentem corrigere volens Chirurgus, ægrum infami temeritate necauit.

Vidi ſenem Lxx. annorum: cuius ancha fractà fuit: & reſtaurata ſecundum tortuoſitatem reſtauratione firma. poſtquam ergo vidi eum: præcepi ei vt embrocaret cum aqua calida: & poneret ſuper ipſam quod leniret eam: vt alleuiaretur groſſities & durities quæ erat in loco fracturæ. fecit ergo illud: & ambulauit ſuper pedes ſuos ambulatione debili ſecundum claudicationem. & iſte quidem ſenex fuit multi cenſus: quare non placuit ſibi ambulatio eius. vocauit ergo vnum reſtauratorem: & interrogauit eum ſi eſſet ei euaſio à claudicatione. æſtimauit ergo ille reſtaurator quod rectificaret eum poſtquam frãgeretur ancha eius denuo: deinde reſtauret eam. & conuenit cum eo ſuper L. aureos. poſtea ſenex miſit ad me vt faceret ſcire me illud quod fuerat inter ipſum & reſtauratorem. Dixi ergo ei: tu es vir multi cenſus: & non remanet ex vita tua in quo expendas cenſum tuum: & non eſt tibi neceſſarium vt fias curſor & ambules via longinqua: ſis ergo contentus in claudicatione tua: & non decipiat te ſermo huius reſtauratoris: & receſſi ab eo. & venit poſt me reſtaurator & ſtrinxit in ancha eius funes conſtrictorio forti: & ſtrinxit eum, & contuſa fuit eius coxa. fuit ergo illud cauſa mortis ſuæ feſtinæ antequam compleretur pars operis reſtauratoris. *Hali Rodoham, Comm. ad text. 133. Lib. 3. Tech. Galeni.*

Observatio.

Femori & tibiæ proceſſus palmi longitudine agnati.

In femore proceſſus quoſdam ad palmi longitudinem, acutoſque: itidem in tibia, ſed non tam proceros, vidi. *Columbus lib. 15. Anatom.*

Observatio.

Ex intempeſtiuo refrigerantium & aſtringentium in Eryſipelate vſu, ſcirrhus in femore obortus & curatus.

Cercyllii puerum curaui, qui ob eryſipelas nimis aſtrictum & refrigeratum, ſcirrhoſum tumorem toto femore habebat. Videbatur autẽ tenuium partium remedia ad curationem eius requiri, ideoque oleo femur fouebam, puello in labrum collocato, quod olei Sabini plenum erat, cuius præ cunctis tenuiſſimas eſſe partes ſcio. Balneis vero vti non permittebam, niſi plurium dierum interuallo, idque curandi gratia totius corporis. Poſt prædictam olei irrigationem, ex medullis & adipum genere, vt dictum eſt, applicabam remedia mixtis quandoque Scythico bdellio, & Ægyptia maſtiche, & Ammoniaca lachrima, nempe pingui, & non vetuſta, itidemque galbano. Ita ex his apparato pharmaco & Ammoniaco pinguiſſimo aceto valde acri diſſoluto, totum vndiq; femur inunxi. Deinde rurſum poſt aliquot dies pinguiſſimum opopanacem aceto ſolutum acerrimo adieci. Erat autem recens: alias enim non manet pinguis, vt neque bdellium, neque Ammoniacum, neque galbanum. Ad hæc ſuper altero crure ſalire puerum iubebam, vt ad ipſum maior alimenti pars ferretur. Poſtea vero cum durus ille tumor iam repreſſus erat, metuens ne quæ ſupereſſent reliquiæ, diuerſa ratione ſum vſus, inuncto femore pharmacis è pice compoſitis. Cæterum euidenter illito aceto ſcirrhus minuebatur: vſu vero laxantium mollior, non minor, fiebat: ſed moderatus ipſorum & alternus vſus puerum curauit. Quod ſi quis alterutro tantum pharmacorum genere eum ſuſcepiſſet, ſcirrhum ſane nunquam ſoluiſſet. *Galenus lib. 2. artis curatiuæ ad Glauconem.*

Observatio.

Femur tibia & mola connata, eademq; in ingentem tumorem producta.

Vidi femur cum tibia molaque vniri: femur, tibiam in incredibilem tumorem excreuiſſe. *Columbus lib. 15. Anatom.*

DE GENVBVS.

STRVMA.

Observatio.

Struma ingentis ponderis in genu oborta.

Strvma ingentis ponderis, Ambergę, ſuperioris Palatinatus metropoli, circa genu Michaelis aurifabri (qui cum auroargen-

team

team ſuppellectilem obduceret, non ſemel hydrargyri vapore fuerat læſus) concreuerat: ſed is mortem potius, quam cum cauteriis & ſectione curam ferre maluit. *Langius Tom. 1. Epiſt. 43.*

CALCVLVS.

Observatio.

Calculus in abſceſſu aquoſo in genu inuentus.

ANno Domini 1558. Iohanni Bourlierio, ſutori veſtiũ in ſancti Honorati vico, aquoſum in genu abſceſſum aperui, in quo calculum reperi album, durum, & leuem, amygdalæ craſſitiei, quo extracto conualuit. Nulla certe corporis pars eſt in qua calculi non facile concreſcant. *Pareus lib. 24. cap. 19. de Monſtris & Prodigijs.*

Observatio.

Duo poplitem flectentes tendones ex vulnere reciſſi citra claudicationis noxam, conualeſcente ægro.

STephanus Teſſierus, Chirurgus Aurelianenſis, narrauit mihi non ita pridem curaſſe ſe Carolum Veriguellum apparitorem Aurelianenſem ex vulnere in poplite accepto, quo duo tendines poplitem flectentes penitus reſciſſi erant. Curationis vero hãc rationem iniuiſſe, iuſſiſſe ſcilicet ægrum vt crus flecteret, tum reſciſſorum tendinũ extrema extremis oppoſitis aſſuiſſe, inde membrum eo ſitu collocaſſe, & ea arte tractaſſe, vt vulnus tandem ad cicatricem perduxerit, ægro nullatenus claudicãte. Facinus ꝑfecto memorabile, & tyroni chirurgo caute imitandum. *Idem iam citato loco.*

Observatio.

Acus mulieris cuiuſdam genu inſcie & per imprudentiam infixa grauiſſima ſymtomata intulit.

MVlier iuuenis, cum multum ſe domi exercuerat pro domeſticis obeundis muneribus; ecce die ſequenti, cum ex cubili ſurgeret, ita acriter, & ſæue circa genu doluit, vt ſe emortuam alta mente clamaret. Ad quam accitus medicus, locum dolentem aduertit, tangit & conſiderat, ſed nihil notatu dignum inuenit, prædutiuſculi tamẽ neſcio quid particulam præ ſe ferre aiebat. Qua de re, contra dolorem anodynis remediis ſuprapoſitis, inuadit, & ſanguinem ex iecoraria brachii male affectum locum reſpicientis abunde extraxit, tandem poſt triduum huius agonis & infortunii, non ſine ipſius ægrotantis & omnium aſſiſtentium ingenti admiratione, acus cuiuſdam intus latitantis ſupremus apex apparere cœpit, quam tunc Chirurgus integram extraxit, merito namque huius rei omnes admirabantur aſſiſtentes, vt quæ acum totam infigi non præſentierat ægrotans, forte ſomno profundiore detenta, demum extracta acu, quæ directe & profunde ſæuierat, medicus conuulſionem timens, de loco aperiendo dilatandove contendebat. Cæterum hæc etſi renuit, remediis tamen adiuta ſanata eſt, præcipue hoc vno conſtante euphorbio, reſina, & pice. Sed quis precor, latitantem acum eo in loco diceret, præſertim cum puella eam præfigi, profundiori ſomno oppreſſa, non perſentierat. Haud dubie morborum cauſæ ſępe abditæ & difficiles ſunt & habentur. *Luſitanus curat. 58. Centur. 7.*

Observatio.

Vtraq; mola ſeu patella genuum perfracta, vt ad vſum reſtituta.

SEcretarius Marchionis Badenſis binis, ſed alternis caſibus molem vel patellam vtriuſque pedis genu perfregit ac ſi cultro per medium diſſecaſſes: meo conſilio ceruinis coriis ligatus promte incedere potuit. Ita fortunæ etiam fortiſſima oſſa non reſiſtunt. V. CL. *Eſaias Meuchſnerus de obſ. propr.*

CRVRA

HORVNDEMQ. AFFECTVS.

VLCERA CRVRVM.

Observatio.

Antiquatum vlcus cruris cum alijs ſymtomatis.

CVm in vrbe eſſet Branda Scotus, frater Octauiani illius amici noſtri & ipſe mihi familiaris, deduxit me in viã Sozze nominatã. vbi ingreſſus ad mulierem natam circiter annos 30. quæ iam 13. (vt ipſa referebat) annis ſuper cathedra ſedebat, quoniam vlcus in crure ſiniſtro patiebatur, quod etiam tabefactum erat, atq; debile adeo, vt nullo modo ſuſtinere poſſet. Eratque in ea tabes alia quædam totius corporis, & dolores per circuitus eam vexabant, vocabatur Martha Motta quæ etiam nunc viuit: cum iam exacti ſint anni pluſquam 20. habitatque extra portam orientalem, nunc marito coniuncta. Eam curare aggreſſus, biennii ſpacio ſanaui: atque in poſterum ambulauit, nuncque crus elongatum eſt, non tamen adeo vt non claudicet aliquantulum, peperitque filium, quamuis parum ſuperuixerit. Dices, quomodo laborabat quadruplici morbo: corruptione, & retentione menſium, febre inordinata, qua etiam corpus ſiccabatur, contractione neruorũ, & vlcere. Menſes prolicere tam inueterato affectu non potui: ſanguinẽ fumaria & lupo ſalictario, in aqua lactis, victuque humidiore meliorẽ effeci: vlcus ob id ſponte ſanatum eſt, neruum extendi in vnctione pinguedinis aſini, & fotu vinaceorum. Senſim curaui reparare, quod longo temporis curſu corruptum fuit, aut vitiatum, aut tabefactum. *Cardanus Curat. admirand. 2.*

Observatio.

Admirandum verrucoſum in crure vlcus.

MIrandum ſane vlcus verrucoſum in Carolo Selatio, vrbis noſtræ ciue, obſeruauimus. Hic cũ per multos annos vlcus in crure paſſus fuiſſet, quod multoties ſanatum, rurſus reuerſum eſt, demum cum ad gangrenam deueniſſet, à chirurgo rite tractatum, firmataque fluxione, dum carnis generationi, vt impleretur vlcus, ſtuderet, verrucæ plures in carne ſupercreſcere interiore cœperunt, adeoque multiplicatæ ſunt, vt vniuerſum vlcus ita opplerint, vt cicatricem obductam putarent ignari. Harum exſtirpationi dum ſtudet chirurgus, nullo (quamuis

vali-

validiſſima applicata fuerint) cauſtico medicamento id aſſequi potuit, vnde ignitis ferramentis fere centies inuſto vlcere vix eas euellere potuerit in vſta parte eſcara ablata, digeſto vlcere, oſſe optime abraſo, non ſolum in labiis vlceris, ſed & ab oſſe caro verrucis vndique ſcatens pullulare cœpit: multoties corpus expurgatum, guaiaci decoctum ac ſarſæ parillæ exhibitum, ratio victus exactiſſima præſcripta, nec tamen vnquam aſſequi potuit vt ab vlcere adimerentur verrucæ, donec ſuperueniente febre valida, poſt annum & dimidium elapſum, vitam cum morte commutauit. *Marcellus Donatus Hiſt. Mirab. lib. 3. cap. 5.*

ERYSIPELAS CRVRVM.

Observatio.

Eryſipelate in dextro crure laborantis, hiſtoria: quâ errores medicorum in curando detecti, & vera medendi ratio tradita.

OStendam exemplo, quod nuper mihi contigit, quantum aberrent quidam dum in huiuſmodi curationis genere verſantur, & quod maxime mirum eſt, quomodo ſub optima medendi ſpecie ægri periclitentur. Laborat Vincentius Balzanus, vir haud plebeiæ ſortis, eryſipelate in crure dextro, cum dolore & febre, à diuturno morbo conualeſcens; curatus more iſto vulgari quem appellant honeſtiore nomine practicam veriore empiricem: iubeo è talo ſiniſtro ſanguinem mitti tonſor aliis medicis aſſuetus, qui non curant quâ ex parte, ne dum qua ex vena ſanguis mittatur; poſtquam bis pertuſa venâ pedis ſanguinẽ educere non potuit; iecorariã dextri brachii ſecuit. Adueniens ergo veſperi, leuiter damnaui factum, ne terrerem ægrum adhuc febre non leui laborantem, ſed ad L. Nonium Fauentinum iuuenem medicum conuerſus dixi; vno errore multa damna attuliſſe, non eduxit peccantis materię quicquam, non auertit à iecore, ſed ad illud attraxit: & bonum fudit atque inculpatum ſanguinem. Curaui ergo vt non leuiter crus ſiniſtrum totum deorſum trahendo fricaretur: emplaſtrum acopum & frigefaciens tepidum parti patienti adhibui: carnes, vinum ouaque inhibui, exactis duobus diebus, cum res ſatis ex voto cederent, (nam inæqualitas pulſus, quæ ſecunda à ſectione venæ die apparuerat, ceſſauit) dolor eſt imminutus, crus ipſum cum ſura intumuit ſatis, ſed molle & rubrum abſque vehementi calore: dixi hic vides Noni, & quam pernitioſe peccent medici, & quam facile ſit perdere hominem per ignorantiam: & quomodo nihil tam probetur à populo in arte quam quod peſſime fit: tum ille arrexit aures dixitque quomodo? Quoniam (dixi ego) ſi quis medicamentum validum nunc exhibeat, videatur ſanaſſe ægrum & tamen perimet, aut in maximum ſaltem diſcrimen adducet: namque eo exhibito ſtrenuum aliquid facere videbitur, & maxime cum purgauerit egregie, & materiam reuocauit à loco, vnde dolor & rubor ceſſabit: materia enim in venis dum fuerit dolorem non excitat, cum venæ ſenſus ſint expertes, ceſſante dolore, totum quicquid eſt ephemeræ ceſſabit, febriſque ob id alleuiata adeo videbitur vt vix quiſquã febrire illum percipiat. An non ergo ſibi ipſi & aſtantibus longe melius ſe habere ex hoc pharmaco videbitur? tum Nonius imo plane ſanatus multis qui non intelligunt. Sed vnde diſcrimẽ illud vitæ tam magnum? cui ego imo non diſcrimen ſed iactura certa: namque materia, quæ eryſipelas facit, cum non amplius crus patiatur, ſi non educta eſt pharmaco, in corpore adhuc erit: ſecus fieri non poteſt, inquit ille, at eductã eſſe vel minimam quidam eius oſtendam plane eſſe impoſſibile: primum tam multa vt pluribus indigeret euacuationibus, & tam procul vt quaſi totum corpus permeare cogeretur, & maxime in tam breui tẽpore: poſt adeo cruda & minime naturæ ægrotantis ſubiecta: Demum fac vt nihil horum adſit quomodo ex gibba iecoris tam craſſa cum ſit, permeabit in cauã, vbi venæ tam anguſtæ ſunt, vt dubium ſit an penetrent & inuicem cõueniant: adeo vt cum hęc omnia in hoc ægro adſit, dubiũ non ſit ne guttam quidem euacuari. Sed vnde tanta tamen, inquit ille, materia in purgationib. eiuſmodi prodit, & vnde alleuiatio illa adeo manifeſta? dixit Nonius. Euacuantur materiæ crudæ, quæ in meſaræo vndique ſunt, & colliquantur ſana, vt inquit Hipp. At alleuiatio illa eryſipelatis in crure fit, tota materia per conſequentiã attractionis reuocata ex venis magnis ad paruas, ita vt relicto membro iam læſo, & nondum traducta ad iecur, quod tẽpus quatuor vix dies implere poteſt, vbi adſit febris: vbi latuerit per multos. Per totum igitur id tempus quaſi quieſcit morbus, & æger melius ſe habere videtur. Relinquuntur tamen vrinæ crudæ, ſitis, vigilia, & appetitus non integer, quędam moleſtia, & pulſus, ſi quis eum recte tangere norit, inæqualis. Deinde ſuperueniente febre, medici cauſantur ęgrum ediſſe pomum aut iratum eſſe, aut ſurrexiſſe nimis tempeſtiue. Video, inquit Nonius, ſtatum ægri, ſed quomodo tanto ſit in diſcrimine non intelligo, cui ego oſtendam: reuocata ea materia ad iecur, ibi excipitur multa cruda facta maligna exitu illo ad cutim ne potẽs permeare venulas illas capillares iecoris, & retenta, ibi totum corrumpit ſanguinem, coctionem & nutritionem impedit, inflammat iecur, febrem accendit, perſæpe etiam phlegmonem in ipſo iecore excitat: aut reſoluta parte tenuiore ſcirrhum in eo facit, aut etiam putrefacit illius ſubſtantiam. Hi ſunt fines illius glorioſæ alleuiationis ex quibus plerique intereunt: aliqui quorum materia tenuior & paucior, venæ latiores, ætas florida, plurimum conflictati, tandem euadunt, exhauſti omnibus bonis, animæ, corporis & fortunæ. Atq; hic modus non mortis vnius, ſed infinitorum, cũ omnes qui phlegmone in aliqua parte viſcerum laborant, qui totidem ferme ſunt, quot qui febrẽ habent continuam, acutã, aut ſi diuturna ſit cum tumore duro, aut molli eidem periculo atq; alia ſubiiciantur. *Cardanus Conſil. ad Illuſtriſs. Alciatum Cardinal. excuſum, cum comm. authoris ad Hipp. de aere, aquis & locis.*

FISTVLA CRVRVM.

Observatio.

Cruris fiſtula cum oſſis corruptione curata.

DIcam hoc loco inſigne exemplum, quod volo tibi propoſitum eſſe, vt in curandis fiſtulis reſpicias ad illud; fuit vir iuuenis ætate circiter triginta annos,

annos, cui accidit dolor in crure à cauſa quæ incœpit & mora eſt intra corpus, donec peruenerunt materiæ ad crus & apoſtematū eſt apoſtemate magno, & non fuit ei cauſa extrinſeca. Extenſum eſt ergo cum eo tempus cum errore medicorum, donec apertum eſt apoſtema & effluxerunt ex eo materiæ multæ, & dilata eſt curatio eius donec fiſtulatum eſt crus, & facta ſunt in eo orificia multa, quæ omnia emittebant pus & humiditates corporis. Curauit ergo ipſum multitudo medicorum, & nullus potuit: tandem & ego vocatus ſum, vidi igitur crus eius & materias quæ effluebant ex illis orificiis copia magna, & corpus iam tabuerat, & color eius citrinus erat. Intromiſi ergo tentam in vnum illorum orificiorum, & peruenit tenta ad os alterius orificii, deinde perſcrutatus ſum orificia omnia, & inueni ea conuenire ad ſe inuicem ex omnibus partibus cruris, probaui ergo & ſecui vnum illorum orificiorum donec detexi partem oſſis, & inueni ipſum corruptum, quod iam corroſum erat, & denigratum, & putruerat, & perforatum erat, penetrauitque putredo vſque ad medullam, ſeruaui ergo quod detectum erat ex oſſe corrupto, & ego putaui quod non eſſent in oſſe niſi illa corruptio quam abſcidi & abraſi, & credebā me eradicaſſe omnem corruptionem, deinde depoſui reſtaurationem vulneris cum medicinis conſolidatiuis, & eſt conſolidatum vulnus.

Poſtea iteraui & detexi os ſecundo ſuper detectionem primam, & inueni corruptionem continuam cum oſſe, & ſerraui, quod apparuit mihi etiam ex illa corruptione, deinde conatus ſum reſtaurationem eius & non eſt reſtauratū, detexi ergo ipſum iterum, & non ceſſaui incidere os particulatim, & moliri reſtaurationem eius, & non eſt reſtauratum, donec incidi ex oſſe circiter palmum vnum, & extraxi illud cū medulla ſua, deinde reſtauraui ipſum medicinis & conſolidatum eſt celeriter, & ſanatum. Et non fuit neceſſaria hæc iteratio curationis & ſectionis, niſi propter debilitatem & diſpoſitionē infirmi & infirmiores vires eius, nam videbam eſſe periculum, ne moreretur antequam curaretur vulnus, quoniam accidebat ei in omnib. horis ex ſuperfluitate euacuationis ſyncopis mala. Sanatus eſt ergo ſanatione integra, & nata eſt in loco oſſis caro dura, & bona facta eſt diſpoſitio eius in corpore hominis, & rediit virtus eius, & conuerſatus eſt in diſpoſitionibus ſuis, & non fecit ei contrarietatem in ambulatione, neque nocumentum omnino. *Albucaſes chirurg. lib. 2. cap. 86.*

VOMICA CRVRVM, TVMORES.

Observatio.

Vomica in tibia oborta, mortua mulier.

Mulieri cuidam natæ annos 28. tibia poſterior vehementer intumuit, vt inde dolor grauis, præcipue noctu, excitaretur, & tendines crurum extenſi nimium membrum incuruarent. Initium morbi quatuor ante annis. In vteri geſtatione puerperio minuebatur. Manſit tamen reliquum quid, & tertio conceptu plurimum intumuit. Minuebatur reſoluentibus malacticis: parit. Apertus tumor cauterio frigido. Nihil exiit præterquam cruenta ſanies. Caro emortua, inania quædā loca, nullus ea parte ſenſus. Cataplaſma è farina hordeacea & oxymelite, quæque putredinem arcēt, admota. Expuit ſanguinem: cōmota aluus multa deiecit mala, biduo priuſquam moreretur pulſus vehemens fuit & frequens, neque tamen reſpondebat febrilis calor. Decimo die poſtquam aperta vomica eſt exſpirauit. Præſagio iam ante facto liberati calumnia medici & chirurgi. *Hoderius Obſeruat. 9. libri proprij.*

Observatio.

Morum caſtaneæ magnitudine cuidam in talo tibiæ enatum.

Anno ab hinc tertio, grandioris caſtaneæ magnitudine morum vidimus in talo exteriori dextræ tibiæ natum excellētiſſimi Iuriſconſulti non minus quam integerrimi iuſtiſſimique Regii conſiliarii, Ioannis Andreæ à Curtis: quod quidē rotundum erat, anguſtū vero circa cutim: vt pediculus quidam cuti affixus appareret, ficuſque potius, quam mori figuram repræſentaret. Quod demū imperiti cuiuſdam empirici medicamentis irritatum, inciſione iuxta cutim à docto chirurgo, noſtroque iam conſilio admonito, facta, ad ſanitatem facillime reductum eſt. *Ingraſſias de tumoribus præter nat. pag. 264.*

CALCVLVS.

Observatio.

Calculus in ſteatomate cruris oui magnitudine repertus.

In Electoris Saxoniæ Principatu, nobilis quidam, patria Marchita, nomine Ioachimus Kobel, præfecturæ Schuenicenſis præſes, militiæ peritus, cui in ſiniſtro crure ſteatoma enatum, vltra annum durauit, gallinacei oui magnitudine: quod cum ei nihil impedimenti inter ambulandum afferret, nec doleret etiam, incidi voluit, ſed ita reliquit. Sed cum aliquando in equeſtri certamine ex incutia id grauiter offendiſſet, vt immodice intumeſceret, & inflammaretur, dolores acciderunt acerbiſſimi, donec tandem concepta ſanie apertus tumor fuit, in quo lapis auellanæ magnitudine apparuit, anguloſus, rotundus tamen, & ſpadiceus: quo exemto vna cum pellicula, qua continebatur humor ſanieſque, tumor ſubſedit, & vulnus perfecte concreuit. *Kentmannus libello de Calculis.*

VVLNERA.

Observatio.

Ex vulnere cruris mortuus.

Vidi in Cremonia quendam, qui vocabatur Gabriel de Pirolo, qui vulneratus fuit in crure, ſuper focille minus, & perforauit ſagitta vſque ad ſuperficiem oſſis, & non læſit os: & fuit ſagitta arcus vt dicebatur, & cum omnibus inſtrumentis medicus non potuit defendere, quin ſuperueniret rigor, & febris: & mortuus fuit infra menſem ſuæ infirmitatis. *Guliel. Placentinus Pract. cap. 5.*

FRACTVRA.

Observatio.

Fibula perfracta, & ex crure in totum ſubtracta, æger ita conualuit, vt poſtmodum ſine ſcipione incedere valuerit.

Iuueni

IVueni cuidam ex caſu fibula perfracta eſt; quæ ex toto è pede ſublata eſt,is ſanatus,nihilominus abſque baculo vel ſuſtentaculo ingreditur, in Xenodochio Caluuæ nuper in pſora à me curatus eſt. CL. V. *Eſaias Meichſnerus de obſeruat. propr.*

OBSERVATIO.

Dormiens & ex ſella procidens, vtraſq; tibias perfregit.

PHarmacopœus quidam dormiens in ſella, ex ea decidens ſibi ambas ex ſuo onere in totum & circa medium perfregit tibias: ita ſibi quiſque onus eſt, vel aliquando lupus. *Idem de ſuis obſeruat.*

SCABIES CRVRVM.

OBSERVATIO.

Maligna vel inueterata ſcabiei in cruribus curatio.

REgina Guthin 23. annos nata, cum Baſileæ, antè annos circiter viginti graui vlceroſaque ſcabie per multos menſes in tibiis & pedibus cruciaretur, cum tumore rubro, nec vllo remedio à chirurgis (quibus iam lepróſa videbatur) ſanari potuiſſet, à me diuina gratia vnico & ſolo oleo ex malis aureis (quæ Itali pomi d'amor appellant) per elixationem parato, quatuor ſeptimanis integre ſanitati reſtituta fuit. *D. Ioannes Iacobus Weckerus de obſ. proprijs.*

PROMISCVI AFFECTVS ALII.

OBSERVATIO.

Affectus cruris difficilis, expedita curatione promte curatus ſalus parti- bus.

QVidam patiebatur dolores intruſſiſſimos cruris, quod eo peruenerat, vt denigraretur cutis, ita vt iam ſphacelo affici inciperet & Medici de ſectione eius ſolliciti eſſent. Tandem ſuperuenit ſacerdos & totũ crus & maxime locum ex affectu nigricantem humectauit, elixir ſeu aq. Vitæ Iuliani, & ſuperaſperſit pul. myrrhæ & aloes, ana: & linteum madefactum in dicto elexir imponebat pulueribus, ſuperinducta lata faſcia, deſiit dolor & in loco qui niger factus erat, excitatum eſt vlcus, ex quo vlcere exemta ſunt plura fruſta oſſium & his medicamentis conſolidatum: licet toto curationis tempore vinum meracum & ſincerum biberet. *Solenander ſect. v. Conſil. 15.*

OBSERVATIO.

Difficultas motus cruris ex ſuppuratione orta in altera nate.

VIdimus quendam, cui magna oborta ſuppuratione in altera nate, iuxta cruris initium, nerui eiuſdem cruris per inciſionem nudati ſunt, ſed eâ parte ſanata toti membro mouendi difficultas accidit. Itaque coniiciens durum quidpiam à priori inflammatione in neruo derelictum, quod huiuſmodi diſpoſitionem induceret, affecto loco idoneum medicamen adhibendo hominẽ perfecte ſanaui. Quod autem de partibus faciei dictum eſt, id de reliquis quoque omnibus eſt intelligendum. Quippe vnica duntaxat pereunte actione, ſolum muſculum, qui ipſam efficere ſolet, aut neruum ipſius affectum eſſe putandum eſt. At vbi plures actiones vitiatæ ſunt, non eodem in loco, accidit interdum omnes eius muſculos à communi aliqua cauſa lædi. Fieri etiam poteſt vt neruus aliquis qui muſculis ipſis communis eſt afficiatur. *Galenus lib. 5. de loc. affect.*

OBSERVATIO.

Maligna febris materia ad crus delata, ſiderationem eiuſdem intulit.

ACcidit nonnunquam materiam aliquam venenoſam ad membrum aliquod deferri, quod tu quoque Anno M. D. LII. cum multis aliis medicinæ candidatis obſeruaſti, in iuuene illo, quem apud diuum Petronium veterem inuiſimus, qui febre mala & venenoſa correptus, tandem materia illa ad dextrum crus delata, crus vniuerſum ſua malitia interfecit, & ad ſyderationem deduxit, nullo (quod admiratione dignum) apparente vel tumore, vel rubore, nulloque dolore percepto: Sed ſolum quædam frigiditas ab ægro percipiebatur, quæ tandem digitorum pellem reddidit liuidam, in eaque quaſdam excitauit veſicas, & in ſumma totum crus interfecit, ex quo nos deinde crus ipſum vniuerſum excidere (vt vidiſti) coacti fuimus. *Maggius de Vuln. Sclop. curat.*

OBSERVATIO.

De villico qui poſtridie phlebotomiæ onus geſtauit, & paulo poſt maculæ rubicundæ cum liuore in cruribus eruperunt.

ANte annos aliquot acceſſit me quidam ruſticus, qui iam aliquandiu haud ita belle valebat, nec tamen de aliquo manifeſto morbo conquereretur, is ſine Medici alicuius conſilio ſanguinem ex venis vtriuſque manus, quæ ad minimum digitum ſunt, vt apud nos ruſtici ſolent, ſanguinem miſit. Sequẽte ſtatim poſt ſanguinis miſſionem die onus humeris ſublatum ſatis ponderoſum aliquot paſſus geſtauit, idque ſine vlla euidenti noxa. Sequentibus vero diebus ſymptoma non tam moleſtum, quam inopinatum & indecorum ſuperuenit: fœdus nempe extremarum corporis partium color. Apparebant à lumbis per femora & tibias ad pedis calcaneum vſque crebertimæ maculæ rubicundę, cum liuore tali, qualis apparere ſolet poſt ſanguinem miſſum, quum refrigeratus eſt, & quaſi demortuus, magnæ & paruæ: nempe, cum pedibus inniteretur ac erectus ſtaret, ſubito vndiquaque ſeſe oſtendebant, erumpebant, multiplicabantur, & intendebatur eorum color magis magiſque ad ruborem, cum quadam quaſi nigredine. Quando vero in lecto ſcamnove decumberet, præſertim ſi crura paulo reliquo corpore altiora teneret, vel omnes eiuſmodi maculæ euaneſcebant prorſus, vel perpaucæ perdurabant. Ita vt prædictarum rubicundarum cum liuore macularum materiam fluere & refluere manifeſte animaduerteres. CL. V. *Caſp. Wolphius de obſ. propr.*

OBSERVATIO.

Venæ in cruribus & abdomine prægrandes & diſtentæ viſæ.

VEnas in abdomine & cruribus varicoſas maximæ molis vidi. *Columbus de re Anat. lib. 15.*

OBSER-

OBSERVATIO.

In vtroq; crure velut à ſubiectis ſpinis punctiones ſentiens mulier quædam.

RETulit mihi aliquando IOANNES MALNOEVS Andegauenſis Chirurgus longe doctiſſimus, viſam à ſe mulierẽ, quæ in vtroq; crure dolorificam valde punctionem ſentiret, velut à ſubiectis cuti ſpinis vel acubus, ſi vel minimum tangeretur. Nullus tamen inerat tumor, nulla caloris natiui mutatio. An Spina maxime proprie affectus is dicendus fuit, vt ego iudicaui. *Iubertus Annotat. in Tractat. de Anat. Guid. de Cauliaco.* 4444.

DE PEDE IPSO.

Antehac de Pede integro ex ordine hiſtoricæ praxeos noſtræ in genere diximus: nunc deſcenſiue ad ipſum pedem, digitos & plantas progredimur.

MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Sine pedibus nati.

Repete ex titulis *De pede integro.*

AFFECTVS PEDIS.

OBSERVATIO.

Ex tumore dextri pedis ſteatoma trium librarum cum floccis, pilis atq; vngulis caninis extractum.

ANNO 1534. Thobiæ Sutori, Mollaco, in inferiori Holſatia habitanti, tumor magnus abſque vlla externa cauſa in dextri pedis muſculis ſummo cum dolore ſubnatus eſt. Qui nullis medicamentis, quamuis laudatis, ceſſit. Hic cum omnes vias ſanitatis ſibi interceptas videret, ad apertionem confugit, ſperans ſeſe eo modo doloris magnitudinem ſuperare poſſe. Aperto itaq; tumore coram me & amicis præſentibus extracta eſt à Chirurgo materia quædam, pinguedinis inſtar, ponderis trium librarum, in cuius medio flocci cum capillis atq; vngulis caninis repertæ ſunt. *De D. Valentini Henneri Obſeruationibus proprijs.*

OBSERVATIO.

Diſtorti pedis Hiſtoria.

NOuit vniuerſa Ciuitas noſtra, præteritis annis Aromatarium ad inſigne trium clauorum omnes filios generaſſe contortis pedibus ad partes internas crurium, ita vt pedum digiti inuicem opponerentur. *Marcellus Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. c. 20.*

Haganoenſi Reipub. medicinam cum facerem, à Generoſo Domino Henrico Barone in Flecken-ſtein, Prouinciæ Haganoenſis, ad Palatinatum tum temporis ſpectantis, Præſide, Beinheimium vſque, oppidulum ad Rhenum ſitum, familiæ huic proprium, vocatus ſum. Quo cum veniſſem, & in arcem receptus, atque ad Gynæceum deductus fuiſſem à Reingrafia Comitiſſa, Domini Baronis fratria, virgo filia, eiuſdem Baronis ex fratre neptis, annorum circiter viginti, ſubpallida, tenella admodum, imbecillisque corporis conſtitutionis, adducitur. Expromitur Conſilium de corrigendo diſtorto pede ſiniſtro, introrſum nonnihil ſpectãte, & ob luxationem, in minore ætate, vitioſe curatam, vnde claudicatio illa profecta per Kirlochẽſes vicinos & celebres eius tractus Euembolos Chirurgos reſtituendo. Addebatur certam claudicationis huius emendationem eoſdem pollicitos fuiſſe, ſi modo periti medici ad tollendam, ſi quæ ſubeſſet, cacochymiam pharmacia potionaretur: ſic enim feliciorem futuram reſtaurationem. Quo audito & pede diligentius inſpecto contrectatoque, deprehendi calcis taliq; oſſa vſq; adeo diſtorta & per callos obfirmata iam iam induruiſſe, vt non niſi ſummo cum periculo diuelli denuo & reſtitui poſſe certum haberem. Collatis proinde virginis nobiliſſimæ imbecillis viribus cum calloſorum articulorum auellendorum reſtituendorumq; carnificina, puellam omnino de vita periclitaturam intrepide & libere pronunciaui. Argumento, quod Chirurgos illos, quantumuis ex vulgi opinione celebres, indoctos tamen, recta methodo vel recens luxata reſtituendi deſtitutos, perſpectiſſimum haberem: tantum aberat, vt eoſdem calloſa iam facta, non ſine ingenti dolore ſummaque virium proſtratione, difficiliumque ſymtomatum acceſſione, refringere atque reſtituere poſſe confiderem. Etenim quam violenta & execrabili tortura, nullis prorſus conuenientibus inſtrumentis & machinis aut arte inſtructos, callos de nouo perfringere, articulos membranaſque diſtendere, neruos, venas, arterias, muſculorumque fibras, aponeuroſes dilaniare, & abrumpere oporteat, nõ niſi artis periti facile diiudicare poſſunt. Vnde cõcitato humorum affluuio, atque inde etiam dolorum vi ſuſcitatis inflammationibus, febres, deliria, paralyſes, cõuulſiones, & nonnunquam mortem ipſam conſequi neceſſe eſt. Sed & nonnullos inter carnificum & tortorum huiuſmodi manus exſpiraſſe in exemplis eſt. At fideli iſthoc & ſano conſilio meo nihil commotus Baro, vir alias prudentiæ & ſapientiæ ſingularis, ſed ampulloſa temeratiaque Euembolorum ſuorum perſuaſione inductus, quod claudicatione emendata ſplendidiore fortuna virginem elocari poſſe ſperaret, in ſententia ſemel concepta perſtitit: licet Fratria Comitiſſa meo conſilio promtiſſime acquieſceret. Iuſſus itaque purgatorium medicamentũ afferri curaui, quo feliciter reſpondente, dimiſſionem impetraui. Octiduum à diſceſſu meo, miſera puella, dolendo fato, non ſine ſera ſuorum pœnitentia, altera à chirurgorum tortura die dolorũ vi exanimata, extinguitur: euentu prognoſticum meum confirmante. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Pede offenſo mortuus.

C. Aufidius egreſſus cum in ſenatum iret, offenſo pede in Comitio, obiit. *Plin. N. H. libr. 7. cap. 53.*

OBSERVATIO.

Ex leui calcanei vulnere extinctus

A Venione Marcum Sobiratium, ſpectatæ virtutis, ac ſummæ ſpei iuuenem, ex calcanei vulnere leuiore, quam vt quid mali ex eo ſperaretur, mortuum decimo ſeptimo die accepimus: quo tempore, ex eo loco digreſſus, in aula agẽtem. *Valleriola. lib. 3. Enarrat. 8.*

PLANTÆ ET DIGITI PEDVM. MONSTROSA CONFORMATIO.

OBSERVATIO.

Monſtrum inter cætera vnguibus pedum & manuum aquilinis.

HIſtoria monſtri Florentini, nati vnguibus manuum pedumque aquilinis, capite ſimiæ, & barbati, ſupra exhibita circa exempla digitorũ manuum, huc perinde referenda. *Schenckius F.*

AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Plantæ pedis calor intolerabilis ſola ſcarificatione & faciliore perſpiratu leuatus.

QVidam planta pedis adeò incaluerat, vt ſibi deuri pars videretur. Caloris nullis remediis poterat placari (quia, opinor, ob cutis denſitatem nihil exhalare poſſet,) ſed ſcarificatũ & tranſpiratione faciliore tandem euaſit. *Hollerius comment. ad aph. 39. lib. 4. Hipp.*

OBSERVATIO.

Sphacelus intra trihorium à digito pedis ad præcordia progreſſus.

SPhacelum procedere vidimus ſpatio horarum trium ab vno pollice pedis vſque ad ventrem & præcordia laborantis. *Gemma Coſmocrit. c. 8.*

OBSERVATIO.

Sphacelus ſine cauſa manifeſta repente ægrum, ſine febre, & grauioribus ſymtomatibus, è medio ſuſtulit.

EXtremum pedem aliquando repente ſphacelatum vidimus, ſine cauſa externa, ſine tumore aut rubore conſpicuo. Oborto primum dolore immaniſſimo, mox ſenſum in eo ac motũ periiſſe, partem totam liuore contabuiſſe, exulcerationem fœdam inſecutã, quæ acerrima cauſticaq; medicamenta ſine ſenſu admitteret. Non multo poſt arteriam brachii dextri, deinde etiam ſiniſtri pulſare deſiiſſe: ita ſenſim vniuerſo corpore obſeſſo, miſerum extingui, ſine febre, ſine ſymtomatis admodum grauibus. *Ioan. Fernel. c. 15. lib. 2. de Abditis rerum cauſis.*

OBSERVATIO.

Gangrænam mortem adferre, ſi à digito pedis incœperit.

QVi vlcere nigro, quod γάγγραιαν Græci appellant, afficiuntur, ſi id à digito pedis incœperit, & patiens fuerit ſenex, vel ex his quorũ corpus mali habitus ſit, celerius moriuntur. Nouimus nos Cambinum, Carolum, & Thomam, ciues Florentinos, necnon & alios quamplurimos huiuſcemodi affectos vitio paucis diebus vitam finiſſe. Incipit enim caro ipſa in vlcere paulatim increſcere, & liuens fieri: quin & arida interim atque ſicca, & cutis circumiacens nigris impletur puſtulis: tum & quæ proxima eſt amiſſo ſenſu liuet palletque. Nec prius ſerpere id malum definit, donec oſſa etiam inficiat: quod ſi quicquid aridum eſt, & proximum quoque locum, vel vſque ad ſanum prorſus excideris, reuertitur tamen & ſerpit. Verum cum aliæ partes corporis hoc malo afficiuntur, plerumque ſanantur. In illiuſmodi autẽ membris & calor eſt debilis & nerui inſunt plurimi: qui cum inficiuntur, facile etiam circumiacentia loca inurunt. Vnde & proxima his ſtatim liuent, donec totum membrum miſerabiliter occupant atq; inficiunt. *Dodonæus c. 71. Abditorum.*

OBSERVATIO.

Gemurſa nouus morbus.

CEleriter in Italia reſtinctus eſt ille, quem gemurſam appellauere priſci inter digitos pedem naſcentem, etiam nomine obliterato. *Plin. Nat. hiſt. lib. 26. cap. 1.*

OBSERVATIO.

Pedis digitus maior vnico oſſe conſtans.

HAbeo penes me maiorem pedis digitum ex vno oſſe conflatum, fuit enim ſenis, in quo ob ſedentariam vitam & motus priuationem ligamenta articulorum digiti oſſea ſunt reddita. *Coiter. Obſ. Anatom. & Chirurg. pag. 109.*

OBSERVATIO.

Ad perniones remedium rarum.

NOn eſt prætereundum illud experimentum, quod narrat Clarus Olaus in ſecundo libro rerum Septentrionalium, vbi ſcribit populos eos, qui frequentiſſime ob frigus aeris hoc malum experiuntur, ſeſe non alio remedio ſanare, quam puluere pellis leporinæ; nam & hoc experimentum rationem habet, quia, vt notum eſt, pili leporini maxime valent ad vnienda vulnera. *Mercurialis de Morb. puerorum libr. 1. cap. 13.*

DE ARTHRITIDE SIVE GVTTA PODAGRICA.

CAVSÆ ET SPECIES.

OBSERVATIO.

Podagram nonnunquam populariter graſſari: & contrà Diuini Hippocratis ſententiam etiam pueros, eunuchos, virgines, & mulieres ea corripi, velut animalia nonnulla.

PYTHERMVS, vt inquit Hegeſander, memoriæ tradidit æuo ſuo moros annis viginti fructum non ediđiſſe, & popularem morbũ podagram ita fuiſſe graſſatam, vt non ſolum viros, ſed etiam pueros, virgines, eunuchos, mulieres is morbus corripuerit: quin & eam ægritudinem adeo vehementer ſæuiiſſe in greges, vt ouium partes duas ille morbus afflixerit. *Athenæus Deipnoſoph. lib. 2.*

An id euenerit, quia mororum fructus podagram arcere queant, in controuerſiam venire poteſt. Ego ſane apud Hipp. ac Gal. legi mora, quæ ſatis maturuerint, ventrem ſubducere, ſtomachumque ſqualidum ac æſtuoſum conſolari, præſertim ſi frigida, nec cum cæteris cibis, ſed paulo ante ſumantur, moxque per pauimentum deambuletur. Vnde *Horat.* poeta non immerito cecinit.

——— *ille ſalubres*
Aeſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore ſolem.

Ea vero priuata vlla facultate podagricis auxiliari, quo minus infeſtentur illi, apud neminem adhuc obſeruaui, fieri tamen potuiſſe crederem, vt mora frequenter Pythernii æſtate ab omnibus fere ệſitata, ſtomachis recreatis, aluiſque liquatis eorum humorum prouentum interciperent, qui in articulos decumbentes podagram gignere conſueuerũt: eo magis quod Gal. ſcribit; aluos aſtrictas habentes podagris eſſe obnoxios. Sed cõſideranti mihi capras, quæ mororum fructus non attingunt, ab ea lue nõ fuiſſe immunes; potius aeris inclementiam, quæ moris inimica extitit, etiam pedum morbos produxiſſe existimo; quando variis aeris conſtitutionibus varias ægritudines peruagaſſe, non raro à maioribus noſtris obſeruatum fuit. Cum enim morus, vt docet Theophraſtus, idcirco ſit prudentiſſima vocata, ꝙ nouiſſima omnium germinet: ea ſi quando pruina lædatur, quemadmodum lædi proditum eſt *Pſal. 77.* & apud *Plinium lib. 16. c. 26.* iam cœli intemperiem maximam eſſe conſtat, quam etiam ad pedes deducere defluxiones non eſtà ratione alienum. *Mercurialis Variar. Lect. lib. 1. cap. 24.*

Eunuchos podagra non tentari Hippocratis quidem temporibus verum erat, nunc vero propter nimium tum otium, tum vitæ intemperantiam non ita habetur verum. Res autem tota ita habet. Qui podagra eſt laboratur⁹, neceſſe eſt pedes habeat imbecilliores, ſicuti cerebrum infirmius, qui epilepticus eſt futurus: neutrum tamen his affectionibus omnino corripi eſt neceſſarium, ſi nihil peccauerit in vita. Quod autem patris imbecillitas ſatis eſſe nequeat ad morbi generationem, ex eo tempore potes aperte diſcere quod acceſſiones intercedit. Eo enim toto intermedio tempore omnino nihil interpellantur à morbo, quamuis ipſis ſemper adſit naturalis imbecillitas. Quod in podagricis etiam eſt manifeſtum, in quibus humore quopiam ſuperuacaneo in pedes defluente affectum hunc generari conſtat. Si ergo hic humor nunquam adfluat, neq; vnquam talis futurus eſt morbus. Nõ affluet autem ſi corpus ſemper excrementis vacet, ſi moderato exercitio vtatur, probeq; cibum concoquat. Vnde deſidia ipſos & luxuria & heluatio lædit. Lædunt etiam multa & potentia vina potata, maximeq; ſi quis ante præſumtum cibum ipſis vtatur. Hæc enim vt coitus etiã facile neruoſum replent genus. Hippocratis certe quidẽ temporibus pauci omnino laborabãt podagra propter vitæ temperantiam & moderationem ſummã: noſtra vero ætate in tantum auctis delitiis & luxu & voluptatibus, vt nihil ſupra addi poſſe videatur, infinita eſt podagra laborantium multitudo: nonnullis nunquam ſe exercitantibus, ſed male coquentibus, ſeq; inebriantibus, nullo præſumto cibo fortia vina potantibus, & venere immoderata vtentibus: aliis vero etſi non in omnibus in vno tamen aut alterο ex iis quæ retulimus delinquentibus. Et vero ſępe, cum magnum peccatum eſt, in vno eorum quę diximus deliquiſſe ſatis eſſe poteſt. Ob has igitur cauſas eunuchi etiam podagræ doloribus cruciãtur, etiamſi quã maxime ſibi à Venere temperent. Tanta enim eorum eſt deſidia, tam inexplebilis edacia, tanta crapula, vt etiam ſine coitu podagra corripi poſſint. Hæc eadem de particulari morbo dicta eſſe putandum. Arthritici ſiquidem fere omnes prius fiunt podagrici. Accedit ad has cauſas quamobrem plerique nunc podagra infeſtantur, quod parentes & auos multi podagricos habuere, in quibus ſcilicet ſemen erat vitiatum: atque ideo poſteris maiorem conciliauit partium imbecillitatem. *Gal. Comment. in aph. 28. 6. Hipp.*

Mulieres cum virorum licentiam æquarint, corporum quoq; viriliũ vitia æquarunt. neq; enim minus pervigilant, non minus potant, & oleo ac mero viros prouocant: atque inuitis ingeſta viſceribus per os reddunt; vinumque omne vomitu reiiciunt: atq; niuem rodunt, ſolatium ſtomachi æſtuantis. Libidine vero neq; maribus quidem cedunt: pati innatæ. Quid ergo mirandum eſt maximum medicorum ac naturæ peritiſſimum in mendacio pręhendi; cum tot fœminæ podagricæ ſint? Beneficium ſexus ſuis vitiis perdiderunt: & quia fœminam exuerunt, damnatæ ſunt morbis virilibus. *Seneca libr. quinto Epiſtol. 95.*

Vidimus nuper Venetiis eunuchum quadraginta fere annorum natum Turcam, ſine barba, effœminatum, timidum, & qui articulorum dolores patiebatur. hic ob vinum paſſum copioſiſſime epotum hæc diſcrimina inciderat, & ſimul ebrietatem. nempe in ſua patria vinum non bibunt, ita Mahumeto inſtituente, ſed in aliena patria, clandeſtine tamen, ingurgitant. Agitatio illa magna, quæ in coitu fit, debilitat neruos, & articulos, quod eunuchis ob hanc cauſam contingere non poteſt, quibus etſi virile membrum quandoque erigatur, & ſpiritum quendam, atque aquoſam materiam emittant, tamen non eſt ſanguis, nec agitatio fit in principalibus membris, deficientibus teſticulis, qui ſunt tanquam folles omnia membra commouentes, imo & eunuchi rariſſime in coitum excitantur, tamen excitari poſſunt. Illuſtriſſimus Dux noſter tubicinem habet ſpadonem, qui mira de coitu profitetur. Nos parum credimus ex his quæ vir ille dicit. *Braſauola comment. ad aph. 28. lib. 6. Hipp.*

Nos vidimus magnificum Alphonſum Taſſonum 15. annorum ætate podagra laborantem. qua etiam laborare cœpit Illuſtris Claudius Rangonus: an vero prius venerẽ exercuerint, ignoramus. Taſſonus negauit ſe illam exercuiſſe, à nobis quandoq; interrogatus. *Idem comm. ad aph. 31. lib. 6 Hipp.*

Nouimus Eunuchum Podagricum, eumque vehementer. *Scholiographi ad c. 63. lib. 1. Holleriꝗ de morb. intern.*

Vidimus natos tantum decem annos laboraſſe. Tempore Hipp. pueri non conflictabantur podagra ante vſum veneris. Nunc vero conflictantur, fortaſſe quia contraxerunt morbum à parentibus vel quia cœlum hoc Gallicum diuerſum eſt à Coo. *Holler. comm. ad aph. 30. lib. 6. Hipp.*

Vidi quod Hipp. & Gal. non viderunt, nobilem videlicet puerum ſeptem, aut octo annos natum Valleſium laborantem non tantum podagra, ſed arthritide vere & autumno, cui non fuit hæreditarius morbus articularis, & ſatis ille bilioſus erat. *Paſchalius Method. curand. libr. primo cap. 16.*

OBSERVATIO.

Noua, de arthritidis cauſa, eiuſdemque loco affecto, & generationis modo ſententia.

PRoxima continenſque omnis arthritidis ác doloris cauſa eſt non ſimplex vllà intemperies, ſed humor præter naturam infixus & adhærens, qui ſæpe tumore manifeſto ſe prodit. Atque tametſi nonnunquam (vt iis qui primum incipiunt illa tentari) citra inſignem tumorem dolor affligit, tenuis tamen aut paucus aliquis humor ſubeſt. Hic autem qui continens eſt doloris cauſa, nunquam aut admodum raro (præter multorum id opinionem aſſeuero) in id cauum ác ſpacium penetrat quod inter oſſium extrema interuenit, ſed in vincula duntaxat, átque in eas membranás quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt, acetiam in tendones eo directos: hoc ſane argumento, quod in nodoſa tophaceave podagra atq; chiragra, humor in calculum iam concretus, aperta ruptave cute plerunque eruitur è digitorum articulis, vinculo integro ac illæſo. Neque porro humor hic, continens arthritidis cauſa, tam varius atque traditur exiſtit: nec enim ſanguineus, nec bilioſus, nec melancholicus vnquam eſt, ſed omnino vel pituitoſus vel ſeroſus: perperamque arthritidis differentię ex humoris genere ſtatui ſolent: vt alia calida, alia frigida ſit, ſed omnis frigida eſt, ex frigido humore genita. Quod ſi rubor aut calor interdum, maximeque in chiragra vel podagra cernitur, is non ex morbi eſſentia, ſed ex vehementia fit doloris qui ruborem caloremque nonnunquam & febrem accerſit: quæ potiſſimum iis eueniunt, qui conſtitutionem corporis obtinent impenſe calidam atque plethoricam, & qui leui occaſione febre iáctantur. Hic igitur frigidus humor ac tenuis, articulorum vincula, membranás aut tendones implens, & diſtendens aut feriens, dolorem infert: dolor vero ſi corpus præparatum iam eſt, ruborem, calorem atque febrem: quæ diſtendentis aut ferientis humoris ſunt ſymtomata. Talis eſt ratione artiſque vſu comprobata ſententia de arthritidis continente cauſa. Antecedentem potro cauſam recte omnes ſtatuunt humorem eſſe, qui aliunde in imbecillos articulos aut influit, aut influxurus eſt: vnde autem & per quas vias influat, nemo ad vnguem videtur inueſtigaſſe. Ex hac ignoratione hactenus dolor articularis pro immedicabili derelictus eſt, nuncupaturque medicorum opprobrium. Errant profecto quicunque ex intimis illum partibus in articulos irrumpere putát. Quomodo enim à viſceribus intimiſq; ſedibus poſſit humor ſyncerus aliquiſpiam per venas ferri? aut qui ſanguini permiſtus nuper erat illinc p ora venarum in articulos purus excidere? aut ſi etiã cum humore ſanguis emanat, cur in articulo collectus phlegmonem non excitet? Sed neq; humor crudus q per alios ductus quam per venas fertur in articulos, arthritim facit. Nam cruditas in cachexia è viſceribus in pedes incumbens, dum tumeſcant, podagram nõ efficit. Alia igitur quam ex intimis partibus eſt arthritidis origo. Hæc autem caput eſt, è quo ſane pituitoſus humor, iſque tenuis profluit in articulos. Non quidem cerebrum aut interiores eius ventriculi in quibus pituitoſum excrementum cumulari ácaceruarique ſolet, (hoc enim vel foras per nares, vel per palatum in aſperam arteriam, atque pulmones, aut in ventriculum interioreſque ſedes illabitur) ſed partes capitis externæ & extra caluam poſitæ origo ſunt arthritidis: è quib. ſuperuacaneus humor per ſumma corporis ſub cute deorſum decurrit. Venæ enim multæ ab externis iugularibus deductæ eo excrementa ſua tenuia atq; ſeroſa deponunt. cumque capitis craſſa denſaque ſit cutis è qua capilli ſuccreſcunt, non quemadmodum è reliqua corporis cute illinc facile humor expiratur. Tempore igitur cumulatur copioſior in iis maxime quibus gignendi eius euidentes cauſæ conueniunt. *Fernel. lib. 6. cap. 18. pathologiæ.*

OBSERVATIO.

Eiuſdem authoris ſententiæ aſſertio, ratione & experimento ſtabilita.

PRimum quidem frigidæ arthritidis cauſam proponis eſſe tenacem craſſamque pituitam; id quidem ſimpliciter & abſolute pronunciatum falſi inſimulo, initio ſiquidem tenuis eſt & aquoſa, qualis interdum vi frigoris defluit è naribus, neque craſſa tam promte excideret & illaberetur in articulos & corporis partes externas, ſed hæreret in via. At certe hæc tempore vi caloris craſſeſcit in articulis atque tum vt ex Galeno producitur non niſi longiori tempore reſolui poteſt. Tandem vero ſi ſinatur plerunque in tophum dureſcit immedicabilem, & de quo Poeta *ſoluere nodoſam neſcit &c.* Morborum igitur tempora diſtingue, ſi concordes vis eſſe ſcripturas. De huius pituitæ differentiis ſcripſi ex optimorum medicorum ſententia *lib. 5. Naturalis partis medicinæ.* Improbas deinde cerebrum mali fontem eſſe, quæris cur non omnis cerebri externa cauſa deſtillationem proritans arthritidem facit. Quęrendum etiam fuerat, cur non omnis cerebri deſtillatio tuſſim excitet. Scis vir optime non vnum omnis deſtillationis curſum eſſe, varia quoque eſt humoris procliuitas. Et vt aliæ partes aliis imbecilliores aut laxiores exiſtunt: ita alias humorem in hanc illamve partem influere. Contendis inſuper nullum eſſe meatum pedib. cum cerebro communem per quem eò poſſit humor incidere vtque rem tuam conficias euidenter; colligis neq; per ſpinalem medullã nec per neruos illapſum fieri. Quod equidem fateor, nec quemquam adeo eſſe rudem credam, qui eiuſmodi vias excogitet. Ais tu tamen cerebrum poſſe venis communicare ſuum excremẽtum: cum ſis ipſe Anatomes peritiſſimus, vellem mihi viam indicares, quá è cerebri ventriculis (quos *Galen. libr. de vſu partium* excipiendorum humorum excrementitiorum gratia factos commemorat) excrementum ipſum remeet in venas. In cerebri ſubſtantiam nullæ venæ ſparguntur; neq; aliæ intus ſunt, quam quæ per meninges vtrinque in verticem efferuntur, poſſitne excremẽtum ex intimis illis ventriculis in illas rurſum remigrare. Quod ſi is aliquando in ſtomachum procumbit obſtruitque iecur, nihil ad rem noſtram. Ego deſtillationi, quæ fit in articulos, non his exiſtimem ductibus aut meatibus opus eſſe, ſed alias è cerebri ventriculis; alias è partib. externis etiam per ceruicẽ & ſcapulas deorſum illabi, quæ partes conſequuta ſubcutaneas & laxas, tenuis cum ſit [illegible] lerumque ſine ſenſu doloris ſenſim præterlabitur,

dum

dum in ſolidiore & compactiore articulo ſiſtatur & hæreſcat, cuius ligamenta, tendones & membranas non ſine dolore diſtendit. hanc mihi perſuaſi frigidæ arthritidis cauſam, quam male perceptam plerique vt immedicabilem reliquerunt. At neque in his neque in aliis quibuſcunque artis operibus me vnquam ab inueſtigando deterrebit veterum auctoritas, licet nullum hactenus vel minimum ſcriptorem neglexerim: ex meis tamen inuentis plus me quam ex illis profeciſſe experior. Ad te iam redeo, cum ſuadere niteris excrementa hæc pituitoſa è venis excidere, multa certe (tu me libere loqui iubes) commitis. Nunquam enim vidiſti eiuſmodi pituitam medicamento è venis detrahi, ſed quæcunque purgantibus deiicitur, tota aut à cerebro, aut à ventriculo, aut ab inteſtinis eſt. Ea ipſa dolorem coli cum infert: Nec quæ vel in colico vel in febribus vomitione redditur à venis in ventrem confluit, ſed in hiſce ſedibus concreuerat. Allucinaris etiam cum dicis vidiſſe te multam pituitam craſſam ei quę in ventriculo generatur non diſſimilem è ſecta vena cum ſanguine fluxiſſe. Quod enim in peluiculis interdum albicans innatare cernitur, non excrementitia hæc pituita eſt, ſed quia fibrarum vi concreſcit ſanguis appellatur, iſque pituitoſus & qualis in leucophlegmatia redundat. Ego certe inter vulgi errores hunc cenſeo grauiſſimum, quod & in febribus omnibus, & in aliis quibuſcunque morbis humoris vitia non niſi in venis conſtituat, neque aliam his poſſe in nobis ſedem inueniri putet, & cum de humoribus diſſeritur, nihil de ſuperuacuis, ſed de his duntaxat intelligat, qui ſanguini permiſcentur in venis. De his autem aliquando plura. Reliqua omnia quęcunque profers ex Gal. contendunt in cacochymia ex venarum oſculis, multa vel in cutē, vel in aliis partes corporis extimas imbecilles erumpere, quæ ſcabiem, pruritum, tubercula, inflammationes, interdum etiam calidas arthritides excitant, quorum certe nihil inficior. *Fernel. conſ.* 12.

Observatio.

De Aegritudine quæ dicitur Nakir, ſeu de flatu furioſo in ambitu corporis.

Ægritudo hęc nominatur in terra noſtra Nakir, & eſt dolor qui accidit in quibuſdā membris, deinde permutatur de membro ad membrum. Huius morbi exemplum vidi ego tale. Vocatus ſum ad mulierem quandam infirmam in quadam villa, & detexit brachium ſuum, & vidi inflationem paruam in vena brachii, & poſt horam vnam vidi illam inflationem procedere cum focili ſicut ſerpit vermis, aſcendendo ad humerum celerius quam credi poteſt, & mouebatur ſicut argētum viuum quum currit de loco ad locum. Receſſit ergo dolor ex loco qui primum doluerat, & fixus eſt in humero. Deinde, vt narrauit mihi, reuoluebatur in toto corpore, quemadmodum & ego ipſe facile deprehēdere potui. Miratus ſum ergo velocitatem diſcurſionis eius de membro ad membrum, & ego quidē antea nunquam videram hanc ægritudinem, quæ eſſet, qualis hæc in hac muliere. Multos quidem vidi qui ſenſerunt dolorem permutari de membro ad membrum, ſed non hoc modo, aut hac celeritate. Nec ego aliam cauſam coniicere poſſum, quam quod mulier fuit ſole & laboribus exhauſta, ſicuti ſunt quæ ex villis ſicci corporis detectarū venarū, hinc ergo apparet ſenſui illa ventoſitas permutata, & eſt neceſſe vt non appareat ſecundum hunc modum in illis qui ſunt delitioſi, & corporibus humidis, occultarum venarum. Cum ergo molitis curationem eius, & ſentit patiens illum dolorem, tunc ſi eſt apparet oculis, ſicut diximus, tunc ſtringe ſuper ipſum & ſub ipſo velociter, & ſeca ſuper ipſum, donec egrediatur ventoſitas coartata, & cauteriza locum. Si autem non vides locum affectum & dolentem, tunc cura ipſum cum excuſſione corporis, & quopiā remedio quod expellit ventoſitates, & extenuat eas, commode autem fit pilulis fœtidis, & pilulis de ſapino, & ſimilib. *Albucaſis lib. 2. cap. 93.*

Enarrationem huius morbi require à *Marcello Donato lib. 1. cap. 6. hiſt. mirab. med. Wierus in libello ſuo germanico, de morbis incognitis, ad dolorem quem vulgo in Weſtphalia & vicinis locis* den Varen / *hoc eſt, varum retulit*; ſed curatione plurimum differre affirmat: ego etiam cauſis ab eodem diſtare puto, id quod conferenti facile conſtabit.

Observatio.

Arthritidis ſpecies quædam vniuerſalis, Menapiis, aliiſque Rheni ac Moſæ accolis familiaris, eiuſque curandæ ratio.

Ioannes Meſues Polypodium inter ea refert quod corpora maxime exſiccare ac extenuare queat; fortaſſis ad arthritidis quoddam genus reſpexit, quo non vna corporis pars, ſed complures fere afficiuntur: ad quod à Menapiis, aliiſq; Rheni ac Moſæ accolis plurimum commendatur. Tument in hoc morbi genere manus, pedes, vtriuſq; genu cubitorumque articuli, adeſt impotentia præ doloris magnitudine mouendi, ſubinde ſuperiores minus; grauius vero inferiores partes afficiuntur: facile quoque ex vna in aliam partem humores fluentes decumbunt. Huic malo Menapii Polypodii decoctum, vt diximus, adhibent, quo ſuperfluos humores abſumi & reſiccari poſſe ſperant; non quidem mox, ſed temporis mora: nam continuis aliquot diebus decocti huius vſum præcipiunt ac inſtituunt. Citius autem hoc morbi articularis genus aut venę ſectione, vel purgationib. vel vtriuſque, deinde ſudore tollitur: nec difficilis eius curatio, ſi tempeſtiue vniuerſalia hæc remedia adhibeantur: neque enim in ipſis articulis humores impacti hærent, ſed circa ipſos non tam conſiſtunt, quam confluunt. Idcirco corpus citiſſime vacuandum, deinde quod reliquum procuratis ſudoribus digerendum diſcutiendumque eſt. *Dodonæus Hiſt. ſtirp. Pempt. 3. lib. 5. cap. 3.*

Observatio.

Materiam arthritidis occultæ malignitatis participem ſæpe eſſe, atq; horrendos terrificoſque paroxyſmos excitare

Perſuaſum multis incognitam eſſe huius mali eſſentiam, virus enim quoddam occultum & inexplicabile, tantæ malignitatis & contumaciæ authorem eſſe. Quod videtur agnouiſſe Auicenna cū ſcribit arthritidis ſpeciem quandam eſſe cuius materia adeo acuta & maligna ſit, vt aliquando animi irati impetu exacerbetur, ſubita morte homini necando

ſufficiat. Itaque Gal. ipſe ſcribit Theriacen podagricis arthriticiſq; omnibus ex vſu eſſe, non alia credo ratione, quam quod deſiccat, conſumit, & obtundit huius materiæ virulentiam. Idem cenſet Gordonius, hoc addito, quod ante theriacæ vſum corpus præparari & perpurgari oporteat. Materia igitur arthritidis tenuis eſt humor & virulentus, non tamen contagioſus, qualitate peccans potius quam copia, extremos dolores ciens, ideoque humores, vna cum caliginoſis & flatuoſis ſpiritibus, ad influxum paratos, in affectas partes incitans. Itaque vt aſpidum & veſparum morſus, dolores auctos cum calore ſubito tumore & ampullis excitat ob humorũ ſcilicet feruorem, quem venenum intulit non ob ſimplicem continui ſolutionem, cum quotidie ſutores ſartoreſque cernamus acu cutem carnemq; transfixos nullis eiuſmodi malignis ſymtomatibus ſubſequentibus. Sic virus arthriticum dolorum cruciatus intollerabiles inuehit, non copia, quia plerique arthriticis hi contingunt nullo in articulis apparente fluxionis ſigno, ſed ſola qualitate maligna & inexplicabili, qua niſi medicamentorum oppoſitorum, aut naturæ, aut vtriuſque beneficio retuſa, dolores illi non ceſſant. Inexplicabili illi & virulẽtæ materiæ arthriticæ malignitati multum lucis afferet, ſequentium hiſtoriarum commemoratio. Dum felicis memoriæ Rex Carolus nonus Burdigalæ eſſet, Capellano & Caſteliano medicis Regiis, Taſtæo Vrbis Burdigalenſis Medico, Nicolao Lamberto & mihi chirurgis oblata eſt nobilis quædam mulier, nata annos quadraginta, ex tumore vix ciceris magnitudinẽ æquãte, ſub iſchii ſiniſtri, parte externa, dearticulatione, perdolẽter multos iam annos ægra, me præſente dolorificus eam paroxyſmus inuaſit, derepente inclamare, & vociferari cœpit, corpus huc illuc temere & violenter motibus & inſultibus ſupra muliebrem imo humanam omnino naturam iactare. Caput enim inter crura condebat, pedes ſcapulis imponebat, mulierem à dæmone habitam dixiſſes. Durauit illi is paroxyſmus horæ fere quadrantem: toto illo tempore diligenter obſeruaui, num amplius ſolito pars dolens intumeſceret, num noua ſuboriretur inflãmatio: ſed nihil nouum, ꝙ quidem tactu aut viſu diſcerni poſſet, ſuperueniebat: tantum cum pars illa tangebatur mulier inclamabat altius. Exacto paroxyſmo calor ingens illam habebat, totum corpus ſudore defluebat, cum tanta laſſitudine, & membrorũ omnium confractione, vt ne vel minimum quidem digitũ dimouere poſſet. Epileptici inſultus ſuſpicio nulla eſſe poterat; nam mulier interim ſenſuum omnium miniſteriis integre vtebatur, loquebatur, ratiocinabatur, neq; conuellebatur. Nec v. illa ſumtibus vllis aut diligentiæ pepercerat, quò à medicis & chirurgis famatiſſimis morbo remedia nanciſceretur: ſagas etiam mulieres, ſortilegos & incantatores conſuluerat, adeo nihil intentatum reliquerat; ſed mali magnitudine omnis ars ſuperata fuerat. Hæc ego omnia cum in conſilio retuliſſem, communi omnium conſenſu in eam ſententiam itum eſt, vt dolenti loco ſeu tumori affigeretur cauterium potentiale. Id ego ipſe affixi. Poſt eſcharæ lapſum defluxit valde atra & virulenta ſanies, quæ doloris omnis & eiuſmodi morbi in poſterum ceſſationem mulieri attulit. Ex quo intelligere licet tanti mali cauſam extitiſſe venenatũ quoddam virus, qualitate inexplicabili nocens potius, quam quantitate: quo vi cauterii dilapſo & debellato, omnis prorſus dolor conquieuit.

Super ſimili prorſus malo, ſed brachium dextrum occupante, conſuluit Capellanum Caſtellanum, & me, Aureliæ vxor Ciſiarii reginæ, ſupplex doloris leuamen implorãs: nam per paroxyſmos doloris acerbitate ſic affligebatur, vt præ impatientia ſui immemore feneſtris præcipitem ſe dare conaretur: cuius rei metu cuſtodes additos habebat. Simile monſtrũ ſimili remedio debellandũ cenſuimus, nec nos noſtra decepit opinio: nam adhibito potentiali cauterio, par omnino huius qui & illius fuit ſucceſſus. Ergo non à ſola articulorum imbecillitate doloris arthritici acerbitas cauſam habet: ſic enim continuus & ſemper ſibi ſimilis eſſet dolor: non à ſimplicis humoris intemperie, nihil enim in reliquis quotquot ſunt tumorib. ſimile contingit: ſed à venenata, maligna, occulta & inexplicabili materię qualitate, quo magis id mali genus ſolertem Medicum, & ſtrenuũ chirurgum deſiderat. *Pareus Operum ſuorum lib. 17. c. 2. De Arthritide.*

Observatio.

Podagricorum membra exeſa.

IN arthriticis, podagricis maxime, membra intrinſecus diuturnitate adeo perforari ductibus ſinubuſque oblongis, anguſtis, atque ſi tineis vel xilocampis exeſa eſſent, ſectio oſtendit: præſertim carnoſis in locis muſculorum, quorum ſpatia nerui citra omnem connexum peruadunt, per quæ & defluxiones nerui ductum comitatæ feruntur, à quib. & continua deſtillatione humoris ampliata, velut attrita, vel leui ex cauſa humores commotos ſuſcipiunt. Vnde præcipue accidit eos, qui diuturna podagra laborarunt, facile in hunc affectum incidere, malumque eſſe propter organi hoc vitium immedicabile. Impediri tamen ad tempus, ſi corpus non admodum exagitetur, atq; aſtringentium vſu, quibus membra laxata nonnihil coarctantur. CL. V. *Felix Platerus de obſ. proprijs.*

Observatio.

Arthritidem ex Plethora ſæpe generari, & non ex catarrho capitis.

ANimaduerti ſæpe quoſdam dolores & tumores calidos repente omnes articulos extremorum membrorum inuaſiſſe tanta quidam vehementia vt ægri neq; brachia neq; pedes mouere poſſent. Quibus ſymtomatibus febris ſatis intenſa cum vigiliis etiam acceſſit. Hos vero tumores non ex deſtillatione capitis ortos eſſe, vt quidem etiam magni medici cenſent, ſed à plethora in venis magnis collecta proficiſci, oſtendit curatio. Etenim venę ſectionibus repetitis, & topicis moderate refrigerantibus, ac diæta refrigerante & tenui eos ſuſtulimus. CL. V. *Iacob. Oethæus lib. obſ. propriarum.*

Observatio.

Cauſa & remedia ad dolores articulorum ab intemperie ſolitaria ſine materia.

FIunt etiam in articulis dolores ab intemperie ſine materia, qui etſi rari ſunt, quia tamẽ mihi experiri contigit, quibus aduerſum remediis vſus ſim viſum eſt aperire. Mihi aliquando maiore animi contentione in ſtudio occupato, ideoque externas

quæ

quæ in corpus ingruere poterant iniurias non ſentiqnti, venticulus per bibliothecæ anguſta rimarum clanculum ſubiens coxam ſiniſtram perculit: tandem ſtudendo laſſus, cum primum ſurrexi progreſſurus, ſtare in pedes nō potui, tanta erat doloris ſine vllo tumore aut humore, qui quidē cerni poſſet, acerbitas. Itaque coactus ſum lecto me tradere, reuocatoque in memoriam quod frigus, neruis plane inimicum, mihi dolorem illum creaſſet, depellere id tentaui frequenti linteorum calidiſſimorum appoſitione: quæ etſi contactu ſuo ſanas partes, dolenti & perculſo loco vicinas, veſiculis inde ſurgentibus amburerent, vix tamen illic vbi defixa erat doloris acerbitas ſui ſenſum faciebant, tanta erat & tam firmiter fixa intemperies. Impoſui & marſupia auena & milio frixo plena, vinoque rubro calente imbuta; veſicas item bubulas calefacientium herbarum decocto ſemiplenas. Denique & catinum ligneum cinere calenti pene plenum ſaluia, roremarino, & ruta leuiter contuſis obtectum inuolutumque linteo quod aqua vitæ conſperſum vaporem remittebat, qui dolorem lenibat: impoſitus etiam panis ater, recens à furno extractus, & aqua roſarum aſperſus valde profuit. Atque quo lenius inimicum illud frigus expugnarem, pedum plantis lagenas teſtaceas aqua feruente plenas admoui, vt inde etiam cerebrum per neruorum rectitudinem & continuitatem incaleſceret, horum remediorum vi tandem contumaci illa intemperie, cum per viginti quatuor horas me detinuiſſet, præclare ſum defunctus. Aliquando ab excrementitia quadam materia, ſed tenui adeo & ſubtili, vt oculorum ſenſum fugiat, excitatur doloris arthritici alia ſpecies. Fuligo quædam eſt, accenſarum candelarum fungis ſeu atræ illi Vligini, quæ cohibito ad obiectum aliquod corpus lampadum ardentium fumo cogit vt & concreſcit, ſimilis: quæ virulenti ſeti admixtione infecta, quaqua verſum peruerſum peruadit, nunc in illis articulis, extremos dolores ciens, niſi illi exitum affectanti aperiatur via corniculis, cucurbitulis, veſicatoriis, cauteriis, aut alia ſimili arte. *Pareus operum ſuorum lib.17.cap.18.*

OBSERVATIO.

Cyprinorum eſu quidam quoties vellet podagram ſibi prouocabat.

NOueram podagroſum cui Cyprinorum eſu pinguiorum parata erat podagra ſemper; vt in manu illi eſſet accerſere eum vellet, eo pacto. *Alexãdrinus lib.15.cap.6.ſalubr.*

METASTASIS.

OBSERVATIO.

Podagra in varios morbos, & horum in hanc metaſtaſis.

ILLVD inprimis cognoſcendum eſt, podagram nonnunquam, quartana febre ſuccedente, artuum dolores finire, Auicenna autore, quod tamen mirandum videtur: quum alibi podagram perraro ab humore nigro fieri voluerit, qui quartanæ prorius exiſtimatur. De dyſenteria vero quid attinet dicere? quando ex ea haud rite curata artuum pedumque dolores inprimis ſubſequutos fuiſſe non ſemel ipſi vidimus Hippocrateſque *in prorhetico* memoriæ prodidit? ſiquidem podagricos dolores dyſenteriis optime curari, ſi ſucceſſerint: ſed & alias eliquationes valde prodeſſe; quæ ad inferos locos repunt: ſcriptum reliquit. quem imitatus Auicennas, & quandoque, inquit, ſoluitur natura ex eo, & iuuatur per illud. Cæterum contra etiam fieri conſtat: etenim ſi quæ in difficultatibus inteſtinorum fiunt eliquationes non rite purgentur, eas ad articulos naturam transferre rationi conſentaneum eſt. Eſt etiam vt ex coli potiſſimum dolore ſuborto articularis morbus & podagra curentur: quemadmodum ex eodem perperam curato artuum plerunque dolores ſuboriuntur: veluti ea teſtantur, quæ *ſexto de morbis vulgaribus libro* ſcripſit *Hippocrates*. Cui enim, inquit, in dextra parte inteſtinum colum dolebat, & artuum dolore capiebatur, erat quietior: poſtquam autem hic curatus fuit, plus doluit. Nam quum materia ab articulis ad inteſtina columque præcipue permeat, colique propterea dolor progignitur, artuum dolores ceſſant; quæ ſi ad articulos ab inteſtinis transferatur, dolorem in eiſdem parit, inteſtinaque liberat. eadem fere ratione, qua & diuturni morbi in articulos abſcedere conſueuere: veluti idem autor *ſexto eiuſdem nominis libro* memoriæ prodidit. Quibus, dicens, iuxta aures iudicationis tempore exorta non ſuppurarint his euacuatis reuerſio fit, pro reuerſionum ratione: reuerſione vero facta rurſus tolluntur, & permanent; in his ſpes eſt in articulos abſcedere. Quamobrem non inepte contemplandum, inquit, qui morbi aliis ſuccedant: veluti cū iecinoris affectum podagra ſuccedens curat. Cæterum etſi morbis iam commemoratis ſuperuenientibus artuum pedumque dolores finiantur, iidem tamen quibuſdam in hydropiſim plerunque conceſſere multis in deprauatam ſpirationem ἀσθμα græci, anhelitum latini dicunt. Hæc vero ſucceſſio ineuitabilis atque immedicabilis exiſtit Aretæo auctore. Auicennas autem præter hæc illud infortunii podagricis contingere voluit: vt ſcrotum, in quo teſtes continentur, impenſe longum fieret: ea, ni fallor, ratione, quod cum humores deorſum ferantur in podagricis (ad pedes enim confluunt) eorum pars quæpiam ad ſcrotum etiam vt defluat, veluti & ad reliquas omnes artuum compages prius confluere, quam ad pedes, veriſimile exiſtit. *Hieron. Gabucinius Comment. de Podagra fol. 13. & ſequentibus parte auerſa.*

Sæpe vidimus dolores in ventriculo concitatos deſiiſſe in dolores articulares, ſicut accidit cuidam qui me his diebus conſuluit. is poſt ſatis diuturnum morbum cum febre dolebat frequentiſſime ſecundum ventriculum, habebat autem deiectiones mucoſas mixtas cum cruore. Sed doloribus ventriculi recedentibus, articuli dolore correpti ſunt, translata nempe materia ad articulos. Interdum vero ab inteſtinis: quandoque enim dolores colicos in dolores articulorum terminaſſe vidi. ita etiam renales in podagricos & articulares permutatos fuiſſe; imo ſæpiſſime articulares dolores ſolent doloribus renalibus ſuccedere, ita vt in prouerbium & frequens etiam apud vulgares noſtros verſum ſit, vtpote qui noſtra lingua materna dicere ſolent, Do-

glia di fianco, hoc eſt, dolentibus renibus, Gotta à campo, hoc eſt, articulares dolores ſtatim in promtu ſunt. Sed & mulieres faciles (vt *Hippocr.* quoque monet, *ſexto Aphoriſ.* capiuntur ab articularibus doloribus ſuppreſſis aut puerperiis, aut menſtruis purgationibus. In viris autem frequenter intercepto fluore ſanguinis ſoliti per mariſcas purgari. Imo (vt tandem omnia vno capite comprehendamus) omnem interceptionem alicuius conſuetæ vacuationis ſequi ſolent id genus dolores, & hęc omnia conſentiunt, cum Hipp. Galenique decretis. *Victor Trincauellius de rat. curand. particular. hum. corp. affect. lib.* 12. *cap.* 1.

Memini, dum Venetiis medicinam facerem, mulierem quandam, quæ erat in ætate adoleſcentiæ, temperaturæ calidæ & humidæ, & multi ſanguinis; & puerum pepererat, nec per ſua puerperia fuerat, niſi parce, purgata à vehementiſſimis doloribus ſecundum omnes articulos, præter eos qui ad colum & maxillas pertinent, fuiſſe correptam, cum tumore & rubore circa articulos, vt dimouere ſe alioquin nequiret. Illi autem, quam citius potui, ſanguinem copioſum ex vena prope talos cruris dextri mitti volui, quo miſſo, illa eadem die libera euaſit ſecundum partem dextram à doloribus, ita tamen, vt nullum, aut valde exiguum auxilium in parte ſiniſtra perceperit: nam non minus cruciabatur ſecundum articulos ſiniſtri lateris, & eos fere vniuerſos: ſed poſtea, interpoſita die, volui alterius cruris venam ſecari: vnde effluente iterum ſatis copioſo ſanguine itidem illa eadem die illius etiam lateris dolores omnino deleti: quo viſo ſtatim animaduerti primum, quantam vim habet rectitudo in vacuationibus, quamque rationi conſonum ſit præceptum à *Galeno* nobis *decimo de comp. med.* ſecundum locos datum, nempe coxendicis dolorem, cum à ſanguine ortum & occaſionem habet, vel à materia ſanguini mixta, facilime ſecta vena in poplite, vel prope malleolos, eadem fere die curari poſſe. Nec minus etiam alias vidi quæ ex ſupreſſis menſibus his doloribus factæ ſunt obnoxiæ, & non multo poſt per miſſionem ſanguinis citatis mēſtruis ex incommodo exemtæ ſunt. Nam etſi temporibus Hippocratis hac ſola de cauſa podagris ſolitæ ſint tentari mulieres: noſtris tamen aliquæ illis laborant, quamuis menſes fluant: quod Galen. in malam victus rationem refert. Cū in cauſa eſt ſuppreſſio huius purgationis, cur non magis id attribuendum aut vtero, aut corpori vniuerſo: per has enim purgationes tū vterus proxime, tum demum vniuerſum corpus excrementitium ſanguinem excernit, qui ſuapte natura multus in eo ſexu ſolet generari. Addamus & illud, quod fere in idem tendit, quod ſcilicet ex ſanguine ſolito à mariſcis fluere oriuntur eiuſmodi dolores: quod nullus vnquam negauit. *Idem eodem libro & capite.*

PROGNOSIS.

OBSERVATIO.

Quando in Arthritide & chiragra metuenda mors.

AVTOR Leuinus Lemnius, in arthridite & chiragra non eſt quod mortem quiſquam pertimeſcat, niſi circa ſiniſtrum pectoris ſinum, cui cordis turbinatus mucro ſubeſt, humorum colluuies decumbat: digituſque annularis ſiniſtræ manus nodoſus efficiatur, ac valde intumeſcat. *Mizaldus memorabil. centur.* 1. *aph.* 50.

LIBERATI PODAGRICI SPONTE, *fortuito, Medicinis.*

OBSERVATIO.

Podagra ſua ſponte ægrum deſerens.

SVpereſt apud nos I.C. Illuſtriſſimi Principis conſiliarius, qui cum ante vehementer affligeretur podagra: decumbente ad pulmones humore, & tuſſim cum reiectione copioſa excitante, plane à podagra immunis eſt per plures annos. *Cl. V. Oſvald. Gabelchofer de obſeruationibus propriis.*

OBSERVATIO.

Diuites podagrici, luxu, delitiis, atque otio affluentes: pauperes facti parco tenuique victu inſtituto, & laboribus corpus exercentes, à podagra vindicati ſunt.

LEgimus quoſdam morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, pręſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam & pauperes cibos redactos, conualuiſſe. Caruerunt enim ſolicitudine diſpenſandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animam. *D. Hieronym. aduerſ. Iouin.*

Ex ſenatu Romano Plotinum philoſophum Platonicum ſedulo audiebat Rogatianus. Qui vſque adeo ab hac vita animum ſegregauit, vt & bonorum ſuorum curam neglexerit, & ſeruos omnes expulerit, reſpueritque dignitates. Iam vero prætor proditurus lictoribus iam aſtantibus, neque prodit, neque vllam habuit publici muneris rationem, neque lares proprios habitabat, ſed quoſdam amicorum familiariumq; conueniens, apud eoſdem cœnabat & dormiebat, cibumque indies vnicum aſſumebat. Qua quidem negligentia vitæ extremaque incuria factum eſt, vt quum acriter podagris antea vexaretur, neque progredi poſſet niſi vectus ſella, robur tandem inde reſumſerit. Idem quum manus ante extendere non valeret, tamen adeo conualuerit, vt his expeditius vteretur quam qui artificia manibus quotidie tractant. Hunc ergo Plotinus inprimis complectebatur, miriſq; laudibus extollebat, proponebatq; tanquam inſigne philoſophaturis exemplum. *Porphirius in vita Plotini.*

Singulariſſimum hac ætate præſidium, neminem fallens, nunc primum ſeſe euexit, nunc exorta atque excogitata podagricos ſanandi ratio, etiam cum ipſis articulorum calloſis contractionibus cœlitus, altiſue de mentibus elapſa. Quandoquidem, ne vos in re manifeſta longius immorer, Magnificus Franciſcus Pechius, nuper ex catarrho à nobis ſanitati reſtitutus: huius medelæ exemplum, huius ſalutis diuinique auxilii à cœlo delapſi certitudinem præſtabit. Hic cum mulam conſcendiſſet, illuſtriſſimi Ducis noſtri commiſſa expediens, quinquagenarius, podagricus, diuturnis huiuſce morbi cruciatibus oppreſſus, clam à Marchione quodam in ergaſtulum coniectus, vxore, vnico libero, omnibuſque

buſque aliis vita defunctum arbitrantibus: anno iam tranſacto vigeſimo hoc à Deiparæ partu Anno 1556. à Gallis in eam arcem irruentibus incolumis adhuc inuentus eſt, miroque Vercelenſium ſpectaculo, tanquam Lazarus è monumento, diuino equidem munere ſeruatus, nulla articulari læſione, enſe accinctus, nullo innixus baculo, per vrbem incedit: omnemque ex tenui victu, à carceris custodibus indicto, podagræ noxam effugit: vxore, filioque mortuis, ædes, prædia, omneque diuenditum optimum certe patrimonium, iure ipſo reuocare inceepit. In cibo igitur medicamentum *Franciſcus Alexander Vercellenſis in Apollinis radio primo, in deſcriptione elect. diacorallii.*

Ciuem Landſpergenſem Lucam Keſslin nominatum ætate noſtra comperimus, qui prædiues ſummo luxu, delitiis, & otio affluens podagram ſibi acerſiuerat: à qua paululum liber, ſubinde eques, animi gratia, peregre proficiſcens: duobus ſeruis, qui herum equum aſcendentem, deſcendentemque ſubleuarent: aut euntem humeris ſuis fulcirent, ſtipatus: tandem ad extremam egeſtatem redactus eſt. Vnde vini aliorumque carentia, victuque acciſo, & pro pauperis conditione frugali inſtituto: podagra, mutato hoſpitio, hominem deſeruit. Qui etiamnum quinquagenarius, merces corbe doſſuaria hinc inde altiſſimos montes ſcandendo diſcurrendoque diuenditumque conportans: podagra, tenui iſthac fortuna, in totum profligata, victum ſibi quæritabat. *Ioann. Schenckius ex Wirſungii praxi medic. de Podagra.*

Observatio.

Prophylactica aduerſus podagram diæta.

Qvin etiam ex podagra & Franciſcum Tagainum ſacerdotem, amicum meum, quamdiu vixit (vixit autem ſenex) & meipſum, & alios omnes quotquot parere conſiliis meis voluerunt, in perpetuum nullo negotio ſeruaui incolumes. Ea autem fuit ratio, vt mane ſolum olus aliquod aut mel cum pane ederent, exercerentur ieiuni, & aluum mollem haberent: ſummoque ſtudio vitarent, ne abſque fame, aut cum cruditate, aut nauſeabundi cibum ſumerent, vterenturque vino albo. Medicamentum noſtrum ad præſeruandum recipit cuperoſam, ſemen balſamine, aſphaltum Iudaicum, & xiloaloen, aut cinamomum. *Cardanus de curat. admirand. num. 19.*

Observatio.

Vini abſtinentia à podagra quidam tuti.

Adnotatvm eſt, eos qui inter initia podagræ doloriſque articulorum vini potum ſubtrahunt, & ad aquam confugiunt, magnificum ſentire præſidium, ac pene diuinum: fereque compertum & potatores aquæ raro aut nunquam podagricos aut chiragricos effici. Hodie tamen pleroſque omnes videmus aquæ liquorem adulterare aut ſaccharo, aut cinamomo, aut pane, videlicet ſic vtiliorem arbitrantes. Audio ſobrios homines viniq; parciſſimi, atque aquæ potatores callidiores auſterioresque à nonnullis exiſtimari: quoniam ita ſenſiſſe videatur Cæſar de Bruto & Caſſio, qui poſtea ipſum trucidarunt. *Ioannes Bruyer. de re Cibar. lib. 16. cap. 13.*

Noui medicum ſenem Venetiis, qui cum non parum infeſtaretur à podagris ad ſenium vſque ſaltem primum, ac per quinquennium ipſe ſibi vinum interdixiſſet, liber tandem ab huiuſmodi moleſtia ita euaſit, vt amplius ad vltimum vſque ſenium, imo ad mortem horum dolorum expers fuerit. *Trincauella de rat. curand. partic. hum. corp. morb. libr. 12. cap. 2.* Idem teſtatur *in conſilio nonageſimo ſeptimo. libr. 3. edit. Baſilienſ.*

Observatio.

Continentia venereorum à podagra ſibi cauentes quidam.

Arthriticos vxoratos vidi, qui pro parte maioris temporis, in lecto, gutta deprehenſi, permanebant: & mortua vxore rariſſime eam incurrebant: capti vero, facile à paroxyſmo liberabantur. *Guainerius de ægritud. iuncturar. cap. 27.*

Observatio.

Lac aſininum arthriticis ſalutare.

Aſininum lac bibendo qui liberati ſint podagra chiragraue inter exempla ſunt. Serum etiam aſinini lactis efficaciſſime heminis per interualla ſingulis diebus quinis articularibus morbis bibitur. *Plin. lib. 28. cap. 9.*

Aſinini ſtercoris ſuccum aſinino lacti ac dulci vino admiſce, & illine ad podagram: *autor euporiſton libro tertio cap. 248.* Ex aſininis oſſibus mirabiliter efficax medicamentum *Guainerius cap. 18.* parare docet.

A purgatione vere nouo celebrata accedendum immediate ad vſum lactis aſinini cum multo Zaccharo roſarum toto menſe Maio, quemadmodum *Celſus libr. 4. cap. 21.* conſulit. Quidam inquit, cum aſinino lacte epoto ſe aluiſſent, in perpetuum hoc malum euaſerunt. Petrum Deſrceux ſenem pharmacopœum omni huius artis dote præditum mihi cōiunctiſſimum videmus poſt vſum lactis aſinini in multos menſes conualuiſſe, nec alia de cauſa morbum illi rediiſſe, niſi quod ad ægros viſendos & loca ſalebroſa & domorum aſcenſus abire pedibus perpetuo cogeretur. Eam vitæ ſecuritatem & perpetuam conſecutus eſt Claudius Pauton, ciuis Tricaſſinus, eo vſu lactis, iuſculo braſſicæ & pane hordeaceo. Veteribus creditum eſt inquit *Hollerius comment. in 64. aphor. lib. 5.* Arthriticis lac aſininum ſalubre, & *commentar. Hollerii in libr. 4. de rat. vict. in morb. acut.* Sanguinis, inquit, vitium lac aſininum expurgat, vires inſtaurat, dum partes ſolidas, humido primigenio deſtitutas, ex toto reſtituat. Illi vis fuit inſita aluum ſubducere, nobis vero non mouet, quod humores ſint craſſiores & regio frigidior, rugas tollere, viuidum calorem reſtituere. *Douynetus Apolog. lib. 4. cap. 2.*

Observatio.

Seri caprini vſus ad podagram recentiorum certa experientia comprobatus.

Servm caprinum efficaciæ tantæ quidam eſſe confidenter affirmant, vt hominem omnino liberum à podagra & articulari morbo præſeruet, nec qui eo vtetur ſanguinis miſſione aliiſue remediis opus habeat, ſiquidem in ſex rebus non naturalibus

ralibus recte ſe gerat: hocque certa multorum experientia conſtare aſſerunt: ſequenti autem ratione exhibendum conſulunt lactis caprini optimi recentiſque quantum placuerit accipito, coagulo cogito, ſerum diligenter transcolato, colatum olla excipito, ad lentum ignem coquito, inter coquendum curioſiſſime, quo ad haud amplius ſpumet, deſpumato: Deinceps ita decoctum ſolum per ſe ad tertiæ partis remanentiam coquito, denuo colato, idque toties facito quoad nihil lacteæ ſpumæ reddat. In tali ſero optime purgato infundito foliorum borraginis, pugil. vnum: quod ſi in arthritico abundans pituita, quod ſæpius euenire ſolet, fuerit, addito etiam iuæ, betonicæ, ſaluiæ ana pugillum medium: ſin atra bilis abundauerit (hic admonendum lectorem puto artuum dolores, Raze medico teſte, ab ipſo nigro humore quam rariſſime prouenire, vt propterea exiſtiment nonnulli Galenum in catalogo humorum articularem morbum facientium atram bilem non aſcripſiſſe, vtpote à qua dolores articulorum non niſi inſolenter & raro fieri poſſe intelligeret, vetante ſcilicet eius craſſitie & terrena ſubſtantia ne intime & in penitiores oſſium, membranarum & compaginum partes adigatur) apponito ſenæ, epithymi aliquantulum: denique pro humoris abundantis ratione ſimplicia infundito. cum autem dolor infeſtauerit, ſero dicto modo præparato vnam vel alteram drachmam agarici electi & in petia ligati infundito, vnaque leniter ad ignem bullire ſinito, colato vnc. decem & duodecim, plus minus prout ægri vires, alui lubricitas aſtrictione poſtulauerint, mellis roſati vel oxymelitis ſimplicis, aut potius ſquillitici vncias duas admiſceto, ægroque mane ieiuno ſtomacho, quam calidiſſime ferre poterit, propinato, ipſeque aſſumto medicamento quatuor horis à cibo & potu abſtineat: nec aberrauerit ſi paulum ſuperdormierit, maxime cum agaricus in præparatione additus fuerit. Singulis autem menſibus ſepties aut octies huiuſmodi ſerum abſq; agarico paratum, alternis ſcilicet diebus, prout aluus aſtricta fuerit, bibat: aluo namque humidiore exiſtente abſtineat. Sed addatur agaricus inchoante vere & autumno: Item æſtate & hyeme, & cum dolor ægrum infeſtarit vel paroxyſmum futurum veretur: tunc enim inuadens malum auertimus, commodiſſimeque ægrum præſeruamus. Hic eſt ſaluberrimi remedii à maximis viris comprobatus vſus, quo & tu optime lector tutiſſime vti poteris. *Hæc ex doctiſsimi D. P. Imperatoris Ferdinandi medici D. Stephani Laurai literis ad me ſcriptis: nec non ex curatione 29. cent. 5. Amati Luſitani.*

OBSERVATIO.

Ad podagram duo remedia magnis elogiis celebrata.

DVo mihi communicata ſunt magnis elogiis celebrata. Alterum à medico Italo (nomen indicatum non fuit) qui puluerem Iouis nominabat, profectum, atque à D. Conrado Geſnero ad me miſſum eſt: Alterum D. Chriſtophorus Wirſungus Auguſtanus dedit. Puluis Iouis talis eſt. ℞. Ariſtoloch. rotundæ veræ (non Piſtolochiæ vocatæ) Gentianæ, Rhei pontici, Mei, ana vnc. j. ſeminis petroſelini Macedonici vnc. ſemis. Comarum Chamedryos, Centaurei minoris, Hyperici, ana drach. x. Fiat ex omnibus ſubtiliſſimus puluis. Primo menſe datur eſt eo quotidie drachma vna ex aqua tepida: poſtea drachma dimidia tantum per integrum annum. Semel atque iterum ſingulis menſibus purgandi ſunt. Vinum bibendum eſt generoſum decocto Maſtiches dilutum. Admiſcendus interdum eſt agarici puluis, præſertim in pituitoſis ad aluum magis citandam. Alter hoc modo paratur. ℞. Ariſtoloch. rotundæ veræ, Gentianæ, Rhapontici (id eſt, Centaurei maioris) comar Chamedryos, Chamæpityos, ana partes æquales. Per anni quadrantem ſumenda eſt drachma j. (in pituitoſis per anni dimidium continuetur hæc doſis) per reliquum anni tempus ſemidrachma ſolummodo bibenda. Ego his non ſum vſus, ſed non paucos feliciſſime vſos fuiſſe mihi retulerunt qui communicarunt. Blande purgantia meis ægris præſcripſi: quod Hippocratem quoque viderem maxime his confidere. Sic enim *lib. 2. Prædict.* ſcribit. De Podagricis hæc dico. Quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut ærumnoſe viuunt, aut ſiccam aluum habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte quantum ego cognoui. Sanant quidem hos optime Dyſenteriæ, ſi ſucceſſerint. Sed & aliæ eliquationes valde proſunt quæ ad infernos locos repunt. Qui vero iuuenis eſt, & circa articulos nondū callos tophaceos concretos habet, & accurate viuit, & amans eſt laboris, & aluum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione: hic ſane medicum nactus intelligentiam habentem ſanus fieri poterit. Ex hac Hippocratis ſententia liquet, quantam in hoc morbo tollendo purgationes vim habeant. Videtur autem parum intereſſe, ſiue arte moueantur purgationes, ſiue ſponte oriantur. *Eraſtus part. 4. Diſputat. Paracelſ.*

De Puluere Iouis plura apud *Eraſtum in conſiliis: Solenandrum, in Conſiliis Wirſungum in praxeos opere, de podagra.*

Huic antidoto ſimilem reperies in *Aetio, Tralliano, Raſi, Nicolo, Actuario, & Montagnana. Schenckius Filius.*

OBSERVATIO.

Rarum vnum atque alterum Experimentum topicum.

ADDAM, quod inueni permultis bene feciſſe. Adnaſcitur ad quercus radices, non ad truncum, vt plurimum autumno, Fungus quidam rubens, tener, & pro ratione radicis arboris magnus ſatis, eodem fere modo, quo hypociſtis ſub ciſtho frutice pullulare ſolet. quapropter ego ὑποδρῦν nominare ſoleo, iſtum in tenues particulas ſectum, cū trito ſale in ollam teſtaceam indo, ita inſpergens ſalem tritum, vt particularum ſtrata quælibet ſalem intermedium recipiant, ſic permixtum conditum fungum, in penū ſubterraneo ſepono. Muriam quæ tandem inuenitur in olla, liquefacta colligo, eaque aſſeruata affectos articulos illino. Quem ego primum iſto vti vidi, is in doloribus vtebatur, & profuit multis. Verum quia ſiccat vehementer & diſcutit, laxatamque ab affluxu humore partem mirifice roborat & confirmat, principio vtilior, priuſquam dolor

dolor inualuerit, eius vſus eſſe poſſit, aut iam declinante paroxyſmo ad materiam abſumendam, partique robur & firmitudinem addendam, potiſſimum ſi tum aliquoties interponatur fotus & lotio partium ex decocto verbaſci, abſynthii, chamæmeli, herbæ paralyſeos, ſaluiæ, chamæpytheos, arthemiſ. roriſmarin. melilot. roſarum, & id genus aliarum, vel quarundam ex his, q̃ incidere, abſtergere, diſcutere, ſiccare mediocriter, & roborare valent. *Solenander operе conſ. ſect. 4. conſ. 24.* Idem repetit *conſ. 25.* De vua quercina plura *lib. 3. de dyſenteria.*

Phalli fungum (eum vidimus virilis membri icone apud clariſſimum Moccium, Medicum) in hunc vſum commendat doctiſſimus *Iunius, libello priuatim de hoc fungo conſcripto*: eum inquit inuentum, ne diutius lateret incognita remedii præſens vtilitas, nam permagna eſſe traditur in feruenti atque intolerabili Artuum cruciatu. *Schenckius filius.*

Oleum ceræ præparauit Crato, quod miracula in morbis exhibuit, conſopiendis doloribus. Sicut *Gaſpar Bumus* eſt expertus. In Podagra & Arthritide ſummum exiſtit Remedium. Temperatiſſimum id oleum eſt, quamobrem in vulneribus atq; vlceribus mirabiles effectus habet. *Ex manuſcripto* tranſcripſit *Schenckius filius.* Ad eoſdem affectus experientiſſimus *Andernacus, Geſnerus*, item, commendant.

Welſerii, mercatores Auguſtani auguſtiſſimi, fragrantiſſimum oleum ex Mace paratum, ex India auehunt: quod, podagram, mirabile dictu, pedi oblitum, ſanat. *Fœſius, pharmacopœa lib. 1. pag. 149.*

Oleum axungiæ humanæ, *Duretus* comprobat.

Ex ſeminis Tabaci herbæ oleum exprimitur, ſcilicet ex libra ternæ vnciæ proueniunt: quo diros podagræ cruciatus leuauimus. *Porta in Magia natur. recognitiſſima lib. 8. cap. 11.*

OBSERVATIO.

Annuis purgationibus & venæ ſectionibus, accedente competente victus ratione, quidam multis annis à podagra immunes.

VACVABIS podagricos & articulorum dolore conflictatos veris initio, dato nimirum aut medicamento purgante, aut miſſo ſanguine. Equidem complures qui tribus aut quatuor annis per interualla pedum doloribus moleſtati ſunt, ego ſanaui, aut redundante humore veris initio purgato, aut ſanguine detracto. Manifeſtum autem eſt quod tales in vniuerſa victus ratione moderati ſunt. Proinde incontinentes, ebrioſque, ac gulæ deditos, neque purgatione neque ſanguinis miſſione magnopere iuuabis. Nam per victus intemperantiam crudorum humorum multitudinem celeriter coaceruant. Verum vt hos cures, ne ſtudere quidem oportet. Vbi autem obediunt, ſummopere eos iuuabis ſi veris initio primum quidem vacuans, deinceps ad exercitia, victuſque rationem ſalubrem perducas. *Galenus libello de curandi ratione per ſang. miſ. cap. 7. circa finem.*

Vir nobilis Caſtelnan nomine, Aquitanus, articulari vexabatur morbo, ſingulis annis, poſthabita purgatione. Vidiſſes, mirum hercle, quonam modo vel ipſe primariam præhendentis affectionis genituram confeſtim internoſceret, meque accerſens vindicabatur articulari morbo ſtatim vacuatione flaua bili ſucci confecta. Talis enim purgatio bifariam profuit, tum quia vacuantur excrementa, tum quia materia acrior excernitur. Purgabam igitur ipſum non vere tantum, ſed etiam autumno: & ſicuti dixi, ſi ex contemtione aliquando purgationem prætermiſiſſet, ſtatim affectionis accidentia ſentiebat. *Symphor. Campegius Annotat. ad hiſtor. 9. libro 3. Galeni.*

OBSERVATIO.

Ad podagram electuarium admirabile, dolores iuncturarum ſubito & ſine moleſtia ſoluens.

ELECTVARIVM mirabile ad auferendum dolores iuncturarum ſubito ſine moleſtia ignitum calorem extinguens & contemperans membra patientis in tantum, vt à ſella redeat ad locum proprium ſine alterius auxilio *Galen. 2. ad Glauconem cap. de Podagra calida.* appellat puluerem catharticum, inuentum à peritis medicis, & dat de eo pondus duorum denariorum cum mulſa, aut cum vino albo. Ego vero in hunc qui ſequitur modum compoſui, & appellaui cary coſtinum, ex caryophyllis & coſto eius compoſitionem ingredientibus: eſt enim mirabile ad præmiſſa, ſicut in me ipſo expertus ſum. Correptus fui à doloribus iuncturarum octo aut decem vicibus, qui omnes meas iuncturas in paruiſſimo tempore citiſſime & furioſe occupabant, accepi itaque de eo vnciam ſ. in aurora inuoluendo in nebula madefacta in vino albo, illinc ad duas horas incœpit operari fortiter abſque vlla moleſtia. Eram adeo impotens quod ſolam linguam mouere poteram, & quando ibam ad ſellam, oportebat me habere quatuor homines, qui me ponerent ſuper eam, & maxima cum difficultate. Poſtquam ſolutus eſt venter quatuor ſedibus, in quinta ſenſi me à doloribus multum alleuiatum, & cum auxilio DEI abſque alterius adminiculo iui ad ſellam, & ab eadem redii, eodem die ambulaui libere per muſeum meum. in ſequenti vero die liber euaſi, & illud met expertus fui duabus aliis vicibus.

Tandem cogitaui longe præſtantius eſſe vti regimine præſeruatiuo, quam expectare quod dolores me ſurriperent. Nam ſtatim cum ſentiebam me habere ſigna repletionis, capiebam de dicto electuario vt ſupra, & hoc ter aut quater in anno, ita quod ſunt modo pluſquam viginti ſex anni, quibus nullo modo à dictis doloribus fui moleſtatus, & adhuc nunc eundem modum obſeruo. Quod non ſolum in me ipſo, ſed in innumeris hominibus probaui experimento. Quapropter eos flocci pendendos eſſe puto, qui dicunt librum illum ad Glauconem non eſſe Galen. quia non reperitur in eius codicibus Græcis antiquis: ipſi enim profitentur ſcire, & penitus ignorant: ergo ignorantia compoſita laborant. Verum horum ignorantia non debet electuarii perfectionem impedire cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. Hermodactylorum alborum à cortice ſuperiori mundatorum, diagridii ana drach. ij. coſti, cymini, gingiberis, cariophyllorum, ana drachm. j. trita & cribellata conficiantur

tur cum ſyrupo facto ex melle & vino albo inuicem coctis; donec formam ſyrupi bene cocti recipiant, & fiat electuarium in forma opiatæ. Doſis eius eſt drachm. ij. vel iij. vel iiij. ſecundum patientis tolerantiam, in aurora, inuoluendo in hoſtia vel nebula vino albo madefacta, aut diſſoluendo in vino albo Pontico non multum potenti. *Bayrus practic. libr.18. cap.1.*

Caryocoſtinum id electuarium indigitatur: cuius præterea quoq; non ſemel meminens eſt Solenander in opere conſiliorum, cuius ſententia plurimum huc facit. *Ioubertus* item deſcripſit, *annotat. ad Guidonis cheirurgiam, de gutta, pag.664. Schenckius fil.*

Observatio.

Podagricus quidam materia ad ſtomachum conuerſa, præter omnium ſpem conualuit.

CVidam podagrico malum ad ſtomachum conuerſum eſt; vnde dolor tendens & grauis. Imperatum eſt primum hoc oxymel, & quæ ſequuntur remedia: à quibus præter ſpem multorum integre curatus eſt.

℞. oxymelitis ſimp. Galen. lib.5. In fine decoctionis eius infunde fol. menthæ ſiccor. pug. s. Deinde traiiciatur per manicã Hipp. cum cinamom. drach. s. galangæ & calam. aromat. ana ſcrup. j. Vtatur primum frigido, deinde tepido ad vomitum.

℞. Aloes ſuccocitr. opt. ſcrup. ij. rh. elect. drach. s. maſtich. roſ. cinam. galang. ana grana viij. Incorporentur omnia cum ſyrup. de mentha, dentur ex cochleari.

Purgato corpore cucurbitula ſuper vmbilicum applicetur, quæ prius immerſa ſit in vino decoctionis ruthæ, menthæ, abſynthii.

℞. mellis anthoſati, mellis roſ. ana vnc. ij. aquæ vitæ vnc. j. bulliant in balneo mariæ, vel cineribus calidis ad conſumtionem aquæ. Deinde inſperge cinamomi, calami aromatici, galangæ, maſtiches. ana ſcrupul. j. miſce. vtatur ante paſtum vno cochleari.

Mane vtatur Zinzibere viridi, & nuce moſchata viridi, conditis. Auiculis, alauda, perdicibus, &c. cõfixis cariophyllis. Fiant fomenta ex oleis de rutha, ſpica, mentha, abſynthio.

℞. horum oleorum vnc. j. s. mythridatii vnc. s. miſce, & affrica ventriculi orificium.

Vtatur vino albo, veteri, pane albo bene cocto & aniſo condito. Item. ℞. pul. menthæ ſiccæ drach. ij. pul. abſynthii drach. j. cariophyl. ligni aloes, Xilobalſami ana ſcrup. j. cinamomi, macis ana ſcrup. s. f. puluis: vtatur mane cum ouo ſorbili, aut in conſumpto.

Mollis frictio circumducta in ventrem, etiam in articul. deinde longe à cibo, vt facta iam coctione.

℞. oleorum de ſpica & mentha ana vnc. j. olei rutæ vnc. s. ol. de caſtoreo drach. ij. mythridat. drach. j. Zibetti gr. viij. miſce pro litu ſtomachi.

Fiet fotus hepatis cum oleo de abſynthio & chamæmelino, vt hyeme. Vel ℞. ceræ albæ nouæ vnc. s. ol. roſar. chamæmel. & abſynthii ana vnc. s. f. cerotum molle: malaxetur cum vino leuiter aſtringente. Intendatur in linteo molli, & tepidum apponatur.

℞. fol. rutæ ment. abſynt. roſ. ana pug. j. cumini conquaſſati, carui, dauci, aniſi ana drachm. j. galangę piperis longi, ana drachmam s. Conquaſſata omnia diſtemperentur in aquæ vitæ vnc iiij. Deinde cum vnc. iiij. olei de ſpica leuiter coquantur in balneo mariæ ad aquæ conſumtionem. Expreſſum oleum ſeruetur. Cui adde Zibetti gran. vj. mythridatii vnc. s.

℞. Olei de ſpica, abſynth. & ment. ana vnc. s. cariophyl. mac. cinamom. cardam. roſar. corall. galliæ moſchatæ ana ſcrup. j. cum cer. maſtich. aloes ana drach. s. f. linimentum. Loco roſar. & corallorum addes galangæ granor. paradiſi ana ſcrup. s. vbi non ita magnus eſt calor. *Hollerius obſeruation. 12. libro proprio.*

Observatio.

Ab Arthritide liberatorum, hiſtoriæ aliquot raræ & admirandæ.

EX arthritide & articulorum morbis primum Ioan. Antonium Scazonum. Ioan. Baptiſtam Mareſchalcum à ſenatus libellis; & filiam Io. Angeli Linati, tum alios innumeros liberaui. Sed iuuat horum trium inſigniorum curam narrare. Laborabat ergo Io. Antonius Scazoſus biennio Arthritide, nil proficientibus medicis. quem ego exhibitione decocti ex ligno cum betonica, & catapotiis ex hermodactylis, curaui. At Ioan. Baptiſta Mareſchalcus quatuor iam menſibus (eratque menſis ille, quo curare aggreſſus ſum illum, Decembris) conflictabatur, præterea duabus febribus: vna intermittente, altera continua, & quod omnium deterrimum fuit, cibum omnem auerſabatur. & ferme immobilis cum eſſet, merito à medico ſuo vel pro inſanabili habebatur: vel expectandum ver ad curam contendebat. ob idq; diffidebamus. Ego enim non exiſtimaui hoc faciendum, quandoquidem affectæ particulæ indies fiant imbecilliores, neque enim in humano corpore quicquam quieſcit: ſed ſi non in melius proficiant, neceſſe vt in deterius prolabantur. Itaque colocynthidam in melle coxi puro. mel autem odoratis miſtum, velut offam deuorandam dedi: decoctumque interim ligni ex aqua propinãs, ante finem hyemis perfecte ſanaui, vt nũquam poſtea in eum morbum reciderit. & adhuc viuit. Filia autem Angeli Linati iam biennio experta non ſolum omnes medicos, ſed etiam circulatores, ſumpſerat vinum, aquam, vnctiones & ſuffumigia ex cinnabari factitio, nec ſanari poterat. Dolebant ei crura, ac tremore vexabatur ita, vt totas nõctes vigil perſæpe duceret, abſque ſpe, vt par erat, tot fruſtra tentatis potentiſſimis auxiliis. Itaque exhibito vino cum optimo cortice, curandam interim particulam ipſam ſuſcepi. excogitatoque præſidio quod & cauſæ morbi & morbo aduerſaretur, ipſum confirmaret membrum, lachrymæ ligni magnam quantitatem excipi iuſſi: qua cum thure, ligno aloes ſemine balſaminæ, ſtyrace odorata, cortice citrii miſtis & ſæpe cruribus eo ſuffumigio calefactis (aderat & lapis gagates copioſus) ſanata eſt perfecte, conualuitque. Liberaui etiam Petrum Antonium Beſutium, iuxta ædem ſacram Breram, non procul à Porta beatrice laborantem arthritide eiſdem pene auxilis quibus etiam Scazoſum, cum hic à medico ſuo omnibus in deterius labentibus deſtitutus eſſet, *Cardanus. Curat. admirand. num.16.*

OBSER-

Observatio.

Oſſium humanorum ad Podagram ex Galeni ſententia & recentiorum approbatione compertiſſimus vſus.

NON parum conferunt oſſa combuſta in pollinem redacta & aſſumta, & præſertim humana, quibus *Galenus libro ſimplicium medicamentor. vndecimo* vim admodum digerentem exiccantemque tribuit. Noui (inquit ille) noſtratium quoſdam oſſa potui exhibuiſſe, haud ſcientibus quid nam ebibiſſent, ne videlicet auerſarentur, ac multorum tum epilepſiam tum arthritidem curaſſe. Hæc Galenus, cuius authoritate & ſententia freti non paucis arthriticis oſſium humanorum cinerem cum conſeruis florum roſmarini & bethonicæ feliciſſimo ſucceſſu exhibuimus. *Aubertus Exercit. 50. in abdit. Fernelij.*

Si haberemus oleum ex oſſibus humanis, & oleum ceræ, anteferrem hoc omnib. alijs medicamentis. Crato in opere conſiliorum. Alij etiam oſſibus humanis (per deſcenſum chemicum deſtillatis) ad id vtuntur: aliqui etiam puluere oſſium humanorũ: ſed hæc non proſunt ad membra roboranda. Quod autem vſus oſſium explicet, atque ita podagricos iuuet, negari non poteſt. *Idem.*

Arcanum in Podagra, ex Vvelſero. ℞. oſſium humanorum in fictili combuſtorum, calcinatorumque in pulu. ſubtiliſſ. lib. s. turbith, hermodact. ſingulorum vnc. ij. vel s. ſacchari lib. j. miſce. ex hoc ʒj. detur ex aqua iuæ arth. per dies tres vel plures. *Manuſcriptus.*

Observatio.

Vinaceorum vires & vſus admirandus ad Iſchiadem, Podagram, articulorum tumores, omniſque generis arthriticos dolores, memorabilibus hiſtoriis comprobatus.

TEmpus eſt vinaceorum vtilitates, quas ratione inueni, experientia comprobare, à me ipſo inchoans, qui cùm graui quodam dolore diu laborarem muſculorum circa iſchium, ac lumborum, qui dolor inſuper ab eodem articulo non raro ſumebat initium, quandoque etiam in crurum muſculis, modo vno, modo alio ſentiebatur; interim circa popli-tem, præſertim in muſculo ſub eius inflexu ſubſtrato, aut in tendonibus iuxta rotulam, interdum autem tibiæ muſculi afficiebantur, nonnunquam partes iuxta talum, inter cæteras autem partes ſæpius dolore cruciabar eius nerui magni, qui quatuor habens principia ab oſſis ſacri vertebris ad plantam vſque pedis diſtribuitur. Quamobrem nonnullis adhibitis remediis, venæ inquam ſectionibus, purgationibus, foribus, cataplaſmatis, vnguentis, emplaſtris, perfuſionibus, denique balneis cum natura-libus tum arte paratis, cum ab eiſdem parum aut nihil vtilitatis percepiſſem, ad vinaceorum vſum me contuli, à quibus omnino, Deo fauente, fui liberatus. Et vxor mea coxendicum dolore diu vexata à frigidis, craſſis, lentiſque ſuccis, nec valde à cæteris medicamentis adiuta, ex eorundem vinaceorum vſu curata fuit.

Excellens Troilus Spes, podagra coxendicumque dolore ex eiſdem frigidis craſſisque ſuccis orto, magnopere ac diu offenſus, ex eorum vſu non paruam percepit vtilitatem: quamuis ob vinaceorum inopiam paucis quibuſdam diebus eiſdem vſus fuerit.

Illuſtriſſima quoque Caterina Sanſeuerina nuper eodem coxendicum dolore affecta ob iam dictos frigidos craſſosque humores, nec non & crurum ac tibiarum, ob eandem cauſam, magnam cum contraxiſſet imbecillitatem, ex iam dictis vinaceis maximum commodum ingentemq; vtilitatem adepta eſt, & fere omnino curata: quamuis paucis etiam quibuſdam diebus eiſdem vſa fuerit, ob eorum etiam inopiam: erant etenim eo tempore omnes fere vindemiæ abſolutæ.

Magnificus item artium & medicinæ Doctor, Fuluius de Bernardis, à dextræ tibiæ ſiniſtrique cruris diuturno dolore ex vinaceorum vſu prorſus liber euaſit, quamuis valde extenuatas eaſdem etiam partes habuiſſet.

Percepi inſuper excellenti Hieronymo Albertino, Philippi Regis intimo Conſiliario digniſſimo, vinaceorum vſum mirum in modum contuliſſe cũ podagra maximaque pedum imbecillitate laboraret; etſi neque ipſe, vt intellexi, neſcio qua de cauſa, diutius, neque vt nos infra docebimus eiſdem forte vſus fuerit; licet cum me interrogaſſet, non aliter vt eis vteretur, præceperim.

Illud tamen ſilentio non prętermittam, quod nuper, dum hæc conſcriberem, retulit excellens Marius Galeota, vir alioqui prudentiſſimus, omniumque bonarum artium peritiſſimus, nec minus veritatis amantiſſimus, ita vt propterea non parua ei adhibenda ſit fides, retulit inquam, quod cum eius filia, nomine Maria, nunc in venerabili monaſterio ſancti Franciſci monialis, tribus quatuorve annis magno ac duro amborum genuum tumore laboraſſet, vt ambulationis motus fere fuerit ablatus, ex dictorum vinaceorum vſu adeo perfecte curata fuit, vt exinde nullum amplius neque laborem in eis partibus ſenſerit, inſuper in quadam eius ſubdita contrarios vinaceorum effectus ſe obſeruaſſe teſtatus eſt; hæc cum diuturno tempore cum crura tum tibias maxime extenuatas haberet, motu omnino priuatas, cum pauco admodum ſenſu, viginti ad ſummum diebus vinaceis inſidens, ambulare cœpit, carneque impleri cœperunt dictæ partes eo anno, ſequenti autem, cum iterum eis vſa fuiſſet, ſanitatem omnino adepta eſt, inſtauratis, quæ extenuatæ erant, partibus, articulis, ac neruis omnibus roboratis, adeo vt motum ac ſenſum omnino recuperarit, ad hæc quendam inſpexit genuum tumore tibiarumque extenuatione ſimul laborantem, qui ex eorundem vinaceorum vſu omnino liberè euaſit, & in ſeipſo expertus eſt, quod cum à præcedenti podagrico dolore pes reliquus eſſet admodum imbecillis, tumoreque affectus, ita vt cum moueretur non parum doleret, ex vſu vinaceorum tumor & dolor penitus ceſſarunt; tantumque robur inde adeptus eſt, vt non modo citra dolorem ambulet, ſed robuſtior etiam altero pede euaſerit.

Quin etiam cognoui à Cæſare Scamnapeco Medico & philoſopho peritiſſimo, magnam attuliſſe vtilitatem vinaceorum vſum Andreæ Carlutio laboranti œdemate magno ac diuturno in vtraque tibia, vbi ne minimam quidem ex nonnullis aliis medicamentis adhibitis vtilitatem ſibi comparaſſet.

Non ab re itaque vir peritiſſime, pro medendis omnibus præter naturam affectibus, quibus laborare percepi iam dictum Illuſtriſſimum ac excellentiſſimum Protegem noſtrum, vinaceorum vſum commendaui, iterumque commendo, tanquam ſaluberrimum, valde bonum, citraque omne periculum medicamentum, dummodo eiſdem, vt decet, vtatur. Ad quem etſi nullus mihi datus ſit aditus, vt eidem mea opera inſeruirem, nihilominus tanquam diuinum quendam hominem exiſtimo ac colo, ex his, quæ indies prudentiſſimis ſuis operationibus intelligo ac experientia obſeruo: adeo enim vera opinione ac prudentia ad rectum dux eſt, recteque præeſt, ac ſapienter & iuſte omnia gubernat vt cuncti per publicam amicitiam iuſtitiamque ſeruentur. Quamobrem nedum ſanitatem, ſed vitæ etiam perennitatem ſummopere ipſi deſidero ac exopto. Recte denique vinaceis vtetur, ſi prius, quæ à me de eiſdem narrata ſunt, obſeruentur, ac inter cætera quod ex dulcibus vuis fuerint expreſſi, non parum prelo preſſi, vbi prius cum eorum muſto efferbuerint, recenteſque fuerint: ij etenim vinacei ſunt, qui eidem domino magis conducere videntur, vt ex his quæ prius diſſeruimus facile liquet, & quo dulciores fuerint vuæ ex quibus ſecreti fuerint, eo etiam vtiliores erunt, perpenſis eiuſdem excellentiſſimi domini morbis omnibus, eorumque cauſis, ac totius corporis temperamento, & reliquis. Modum vero vſus eorum omnibus communem recenſebimus: ſub quo, & qui proprius & particularis huius Illuſtriſſimi ac excellentiſſimi domini exiſtit, proculdubio continebitur. Capiendi ſunt vinacei modo dicti, aut reliqui quos ſupra probauimus ſimiliter recentes, preloque preſſi, qui prius cum eorum muſto, & non aqua, efferbuerint, humique, aut conclauis pauimento aceruandi. Nam multi eſſe debent, ijque manibus adeo premendi ac læuigandi ſunt vt quoad fieri liceat partes omnes inuicem cohæreant, deinde craſſis laneisque tegumentis, quæ eos omnes circumambiunt, cõtegendi ſunt, ne ex ambiente aëre refrigerentur, ſerueturque eorum caliditas, foribus ac feneſtris omnino clauſis; potiſſimum vbi ex aliqua cauſa aër ambiens frigidior fuerit. Atque vbi eiſdem vti velis, vniuerſo prius corpore vacuato, ventreque à cibis alijſque ſuperfluitatibus immuni, ac deiectis alui prius excrementis, exutus veſtibus, ſcrobe quamprimum longitudine, latitudine, & profunditate manibus commode parata, in eos ſe inſerat æger, protinuſque eiſdem vinaceis, qui pro ſcrobe fienda ſublati ſunt, contegi debet, eis moderate manibus compreſſis ac læuigatis, & deinde laneo etiam tegumento velentur. Vbi vero mediæ ac ſuperiores corporis partes minime affectæ ſint, ſatis erit eiſdem vinaceis inſidere, ac crura, tibias, ſimulque pedes affectos in eos inferre, reliquo corpore conſuetis pannis contecto. At ſi admodum delitioſus fuerit æger mollisque carnis, ne in partibus circa ſedem labor aliquis, dolor, aut exulceratio ex vinaceis inferatur, lineum linteum, duplicatum, triplicatum, aut etiam quadruplicatum ſubſternes, ſuper quod inſideat. Si vero dorſo aut ſcapulis ſolis laboret, eædem partes vinaceis immergendæ ſunt, crura autem & pedes haudquaquam. Verum vbi vniuerſum corpus fuerit affectum, fouea in vinaceis effodienda erit pro vniuerſo corpore congrua, maiorque copia vinaceorum eſſe debet, vt eis contegi vndequaque vniuerſum corpus valeat, atque ita in eis veluti in lecto iacere, puluinari duntaxat ſub capite impoſito, laneo etiam tegumento ſuperpoſito; id quod ſemper ſeruari debet. Brachiis autem & manibus ſi quiſpiam afficiatur, eaſdem partes vinaceis obruat, hoc modo ſi quiſpiam vinaceis vtatur vtiliores erunt. At vbi admodum delitioſi ſint ægrotantes, vt pueri, vel mulieres, aut reliqui molles carnes habentes, priuſquam vinaceis immergantur, linteo lineo molli ac veteri inuoluantur, deſuperque vinacei proijciantur manibuſque premantur ac læuigentur; & deinde laneo, vt diximus, tegumento contegantur. Nec minus quam per mediæ horæ ſpatium in eis quiſpiam immorari debet: melius tamen erit ſi hora vna permanſerit. Nam cum mediocris ſeu moderatus ſit vinaceorum calor, exiguo tempore ſi in eis permanſerint, quibuſdam parum proficiunt, longiori autem multum. Eſt tamen eorum vſus omnibus ſemper vtilis vt dictum eſt, vbi probe eis vtare. Sunt demum à vinaceis ægrotantes detegendi, cum congruo tempore in eis commorati ſint, & in eodem conclaui cubili parato leuiterque excalfacto ab eiſdem exurgentes iacere debent ſaltem per horam pannis mediocriter contecti, deinde calido linteo lineo detergantur, & conſuetis veſtibus induantur. At cum primum ex vinaceis exurgunt, iterum ijdem aceruari debent, manibuſque premi & læuigari, & pannis contegi, vt prius; atque id quoque ſequenti die & reliquis ſeruandum erit: quamuis vbi robuſta fuerint corpora, nedum mane ante cibum, verum etiam veſperi eiſdem vti poterunt, maioremque vtilitatem afferunt, quemadmodum & ipſe vſus fui. Illud tamen animaduertas oportet, quod ſingulis tribus aut ad ſummum quatuor diebus ijdem vinacei renouandi ſunt: etenim verendum eſt ne poſthac putreſcere cœperint, eorumque mediocris caliditas deperdatur, & altera immoderata ſuperueniat, quæ ambientis eſt, qua ratione nocumentum magis, quam iuuamentum corporibus præſtent. *Donatus Anton. ab Altomari libr. de Vinaceis.*

Observatio.

Pedes Podagricus tritici aceruo immergens, liberatus.

Plinius libro 22. cap. 25. Sex. Pompeius prætorij viri pater, Hiſpaniæ citerioris princeps, cum horreis ſuis ventilandis præſideret, correptus dolore podagræ, merſit in triticum ſeſe ſuper genua: leuatuſque ſiccatis pedibus mirabilem in modum, hoc poſtea remedio vſus eſt. Vis tanta eſt, vt cados plenos ſiccet. De vi tritici humores attrahendi lege *Galen. libr. 1. de nat. facult.* Farina frumenti ex aceto cocta, dolorem podagræ ſtatim ſedat impoſita, ſed lenius medicamen erit adiecto melle non multo: Marcel. emp. Tritici farinam cum oleo ad vnguenti formam decoquebat, Raſis pro molliendis tophis: ſummopereque laudat. *Guainerius.*

De Tritico. Q. Ser.

Triticiq́ acido manantes amne farinæ:

Intellige, ſuperimpoſitæ dolores cruciatuſq; podagricos cohibent. Item:

Non audita mihi ſit fas, ſed lecta referre,
Hoc quidam captus morbo per tempora meſſis
Vicino plantas frumenti preſſit aceruo,
Euaſitq; grauem caſu medicante dolorem.

Anton. Sneeberger parabil. libr. ad articulorum dolores.

OBSERVATIO.

Arthritici quidam niue aut aqua niuali, vel alia frigida adiuti ſunt.

DVos arthriticos nouimus, quorum alter, vbi inuadit dolor, pedem ſenſim immergit aquæ niuali, alter pedem ſtatim demittit in aquam frigidiſſimam, atque ita vterque ſtupore dolorem leuat. Sed ille (qui eſt ſatis carnoſo corpore) ſtuporem & frigus ab aqua relictum corrigit petræleo, quod calidum, ac deinde inuoluit partem lana ſordida. Poſterior vero adhibet ſolum chamæmelinum, & macilento eſt corpore: Quamobrem ſi quando in podagra & arthritide his refrigerantibus vti in animo fuerit, oportebit poſtea refouere partes calefacientibus, vt corrigatur ſtuporis & frigiditas. *Holler. com. ad aph.25.lib.5.Hipp.13.*

Noui podagricos, qui ſæuiente malo dolentem pedem frigidiſſima perfundunt. Alij hybernas repo- nunt niues eidem remedio. Sed vbi frigore obtorpuit petræleo fouent, & paroxyſmis liberantur. *Geſ. ex Hollerio.* Huiuſmodi vero remediis caute vtendum eſt. Nam materiam craſſiorem minuſq; vt diſcutiatur aptam reddunt, timendumque ne ad interiores nobilioresq; partes repellatur.

Cuidam podagrico (verba ſunt Guain.) cholerico macilento, debili, à dolore admodum moleſtato, Iudæus quidam nulla præmiſſa euacuatione, petias madefactas in aqua frigida membro ſuperpoſuit, vnde dolor auctus eſt: quod aduertens Iudæus embrocationibus & vnguentis ſucceſſiue opiatis vſus eſt, vnde fuit materia adeo incenſa, vt circa canicu- lam fuerit tota tibia concremata: cui volens Iudæus ſuccurrere, ſuccum ſemperuiui, oleum roſaceum, & acetum cum puluere boli Armeni, ſanguinis draconis, modico camphoræ miſcuit: dehinc petias infuſas ſuper partem membri combuſti poſuit: & in tantum fuit adauctus ignis, vt breui vſque ad genu tota tibia concremata fuerit.

Alium quoque vidi hominem, repletum valde in cibo & potu, cui ſuper podagrico pede repercuſſiuis frigidis appoſitis, in die vna naturali tibia tota adeo tumefacta eſt, vt elephanticum iudicaſſes, & infra diem tertium ad Plutonem permeauit. Hæc aſcribere placuit, quo plures temerarios homines, ne tam imprudenter remedia vbique adhibeant, admonerem. Niuem aſſumtam in potu articulares morbos & neruorum dolores generare ex Gal. & Sim. Sethi conſtat. *Sneeberger libell. facile parabil. aduerſus articulor. dolores.*

OBSERVATIO.

Balneo ex iuniperino ligno conualere quidam articulorum morbo obnoxij.

IVniperi è ligno paratur balneum admirabilis facultatis ad podagricos hoc modo: Sumito ligni iuniperi conciſi libras duodecim, coquito in aqua, in cortina magna, quo vſque tertia tantum pars ſuperſit. Deinde decoctum vna cum ligno in labrum proijcito. In hoc vbi deſcenderit æger, ſedeat vmbilicotenus, & membra languida foueat. Atqui hunc præpurgatum eſſe oportet: Hoc enim balneo nonnullos podagricos in Boemia vidimus in lectulo iacentes, perpetuoque dolore vexatos, qui adeo reualuerunt, vt expeditiores facti ad negotia redierint quoquolibet ambulantes. *Matthiolus lib.1.c.87.*

OBSERVATIO.

Podagræ remedium ex vulgo petitum laudatiſſimum.

AB annis aliquot generoſa atque inclyta Domina mea Anna Beuerienſis articulari morbo laborauit, ac ſæpius grauibus tormentis cruciabatur, nunc à manu, nunc à pede, nunc ab aliis quoque artubus impos, vti toro nonunquam pluſculos dies affixa decumberet. Huic non pauci ad auertendum morbum arte atque eruditione inſignes viri multas præſidiorum centurias conſcripſerunt: Aliiſque inediam imperantibus. Aliis emplaſtra & cataplaſmata infundentibus; peruicax malum nullius induſtriæ ceſſit. Quin ad ſatietatem vbi afflixiſſet, ſua magis ſponte quam abactum diſparebat. Tandem è plebe muliercula cum ſupplex illuſtrem heroinam adiret, atque offendiſſet ſubneruatam podagra. Heu, inquit, Generoſiſſima Domina, & meus maritus huic cruciatui plurimum obnoxius eſſe conſueuit. Sed habeo præſens paratumque remedium, quo protinus diſcutitur. Et quodnam, rogat pientiſſima Domina. Subiecit, quam primum ingruit, ſi pes tentatur aut coxendix, continuo pedem demergo in aquam marinam ſufferuidam, cui melanthion & artemiſia incoquuntur, & ſino demerſum ad dimidiatam horam. Si manus affligitur aut humerus, ipſam manum in ſimilem aquam mitto, & vnico plerunque fotu reſtinguitur dolor. Qui tametſi perſiſtat, redeo ad thalaſſicum labrum. Si nec altero nec tertio intinctu abſcedit: Arthemiſiam elixo in Anglicana cereuiſia, aut hac craſſiore, quam oblæſo articulo calentem circumpono, & à pauciſſimis horis perſanatur, nec me vnquam fefellit periculum. Quid dicam? Siquidem viſum eſt leuiculum & ab ingenti diſcrimine alienum, itidem tentauit Illuſtris Domina, & propitium ſalutareque comperit, & ſi quando recurrit dolor, adminiculum hoc non poſt habet. *Iaſon lib. 2. de ſanitate tuenda.*

Artemiſiæ radix præmanſa & comeſta intolerabiles podagræ dolores cum omni celeritate coercet. Eadem herba, cum oleo ſub acta, & impoſita, neruorum dolorem & tumorem mitigat. *N. Alex.* Præſens remedium ad coxæ dolorem ſic: Artemiſiam aridam tundes, cribrabis, & ex vino dabis bibere ieiuno, continuo emendabitur vitium: *Marcellus empiricus cap.25.* Fomentationem ex decocto artemiſiæ herbæ podagricis commendat *Cælius Aurelianus chronicon libr.5.cap.2.* Experimentum Regii cuiuſdam chirurgi aduerſus chiragras & podagras: Accipe manipulum vnum artemiſiæ, deferuefacito in oleo dulci oliuarum donec decreſcat ad tertias: eo dolentem locum inunge, ſenties breui tempore dolorem ſedari. *Mizaldus memorab.*

OBSERVATIO.

Hiſt. Podagrici fotu ſalis leuati.

GAlenus parteis affectas in arthriticis & podagricis fricabat contrito in pauco oleo ſale multo; idque per intermiſſiones: haudquaquam in acceſſionibus, vt ſuperuacuum omne ſiccaret, atque diſcuteret: tum vt partibus infirmis bonum compararet habitum, ac robur.

Alexander vero quendam ſe Romæ nouiſſe virum longe clariſſimum ſcribit qui fotu ex ſale ſemper vteretur; atque hinc valde mitigaretur, quod autem hoc multam vtilitatem præſtet nemo non nouit: neque enim vnquam artuum læſionem vllam neque tofum excitaſſe compertum eſt. *Gabucinius li. de podagra pag.* 40.

Observatio.

Acetum quomodo Arthriticis conueniat.

ACetum podagricis calido fotu cum ſulphure auxiliatur: *Dioſc.* Acetum inflammationes articulorum à bilioſo humore factas extinguit: At ſi ſuper arthriticorum frigido, vt non parum ſæpe gypſeam naturam meditatur, humore ponatur, compinget adhuc materiam magis, & porum faciet ἐγ τοῦ πόν. Neruos præterea lædet: articulos è ſedibus ſuis conuellet. *Scaliger exercit.* 132. *de ſubtil. ad Card.*

Non eſt prætereundum in aceto exemplum ingens. Siquidem M. Agrippa, autore Plinio, ſupremis ſuis annis cõflictatus graui morbo pedum, cum dolorem eum perpeti nequiret, vnius medicorum portentoſa ſcientia (ignorante Diuo Auguſto, tanti putauit vſu pedum ſenſuque omni carere, dummodo & illo dolore careret) demerſis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi, euaſit. *Sneebergerus libel. facile parabil. de morb. articulor.*

Observatio.

Intempeſtiuo anodinorum adſtringentium atque repellentium vſu quidam arthritici aſthmatici facti. ſtrangulatu perierunt, aut febribus, tremore totius corporis, ſenſuumque ſtupore affecti ſunt.

NVllus grauior poteſt committi, quam ille ſit, quem nonnunquam commiſiſſe aliquos diuites & magnos viros vidimus, qui, cum eſſent dolorum & moleſtiarum impatientes, vſi conſilio quarundam muliercularum aliorumque vulgarium, rebus aſtringentibus & repellentibus voluerunt crura, & manus roborare, parareque quo minus conſuetam fluxionem ſuis periodis admittere poſſint: vnde ab his partibus ad magis præcipuas vitioſi humores diuertentes, alter aſthmaticus factus eſt, & tandem ſtrangulatus mortem obiit: alter vero (erant autem ambo Veneti patricij, & nobiliſſimi, circa principium primi ſenij, bona temperatura, & robuſto corpore) in grauiſſimam & vehementiſſimã febrem incidit, cum tremore totius corporis, & omnium ſenſuum ſtupore quodam: ſed is maximo labore, & multis euacuationibus tum ſanguinis, tum aliorum excrementorum, tam ſpontaneis, quam à Medicis inſtitutis, tandem euaſit. *Trincauella de Rat. Curandi partic. hum. corp. affect. lib.* 12. *c.* 1.

Observatio.

Curatio mira podagræ per fotus, ſudationes, & ſcarificationes.

QVidam podagram ſic curabat: leuiter cibatos, ne deficerent, in balneum, ducebat, exerto capite. Fotus erat ſerum exactiſſime purgatum, in quo abrotanum, abſintium, chamæmelon, pulegium, roſæ, roſmarinus, fœni ſemen, ruta, ſamſucus, fœnugræcum, incocta erant: Sudabant ad lipothimiam vſque. Cucurbitulis in cubitis iuxta carpos & talos prope locum affectum affigebat, ſanguinemque quoad vſque poterat educens, inde Diachylon cum reſinæ modico ſuperponebat, articulos autem affectos oleo cum ſale perũxit. Allio decocto perpetuo ante cibum vtuntur. Galenus tutius cenſet vitandam cruditatem, ebrietatem & otium (6. *aphoriſmorum commentar.* 28.) *Cardanus Art. paruæ à ſe conſcriptæ pag.* 113.

Observatio.

Arthritici hirudinum vſu reſtituti.

HIrvdines non prætereo, quæ podici affixæ humores in vniuerſos articulos à toto corpore irruentes adeo mire reuellunt vt ipſos dolores ilico, & tanquam incantamento demulceant, ac compeſcant. Quod vtique Lugduni experti ſumus in excellenti quodam muſico, cui nomen Roſotus erat: qui quidem præ doloris ſæuitia, & continuis vigiliis (erat enim tunc temperamento calido & ſicco, atque bilioſus) in ardentem febrem cum delirio inciderat, vigente cane, quo tempore purgationes eſſe difficiles ait *Hippocr. in aphoriſmis.* Adeo enim inde remedium eſt, vt nulli alteri comparandum ſit. Nam euacuant à toto corpore abſque vlla moleſtia & virium iactura. *Aubertus exercit.* 50. *Progymnaſmatum Fernelii Abditor.*

Godefridus à Cenami, Venetus, vir illuſtris, iuſta veraque amicitia mihi iunctus, dixit ſe vidiſſe arthriticum ab ea ſecurum multos annos vixiſſe, admota hirudine parti dolenti, eadem ſuadent Matth de Gradi, & Sauonarola. *Douynetus Apolog. libr.* 4 *cap.* 3.

Observatio.

Eſcharotica Arthriticis pernicioſa.

QVicunque ab iſto morbo in multos annos euaſerunt, nunquam fuit illis in animo ad morbi præcautionem eſcharotica ferre, quod inde exiſtimarent crura fore imbecilliora, fluxioni magis obnoxia, & ad iter minus idonea: quandoquidem nulla re triſti pars afflicta exagitanda ſit. Adde quod animaduertant Eſcharotica in multis tanquam fucum arthritidi adhibita fuiſſe, vt in domino Dauquoy Domino à Heuvillæ, & pio ciue Tricaſſino Ioanni le tartier, qui dum vterque podagra grauiter & diu conflictaretur vtrique ſuræ admoto eſcharotico (quod in hoc affectu multis palmarium videtur) dolorem perpetuum crurum ſuſtinuerunt, contabuerunt crura, & vitam cum morte commutarunt. Taceo ampliſſimum & ornatiſſimum Comitem Brienenſem, Virum pietate inſignem, & Principem egregium ex familia à Luxenburg. cui ex Medici domeſtici conſilio, (qui ſibi plane ſuffenus eſt) eſcharotica fuco fuere quod per ea vna cum putri & corrupta ſanie humoris alimentarii, & vitalis ſpiritus maior pars ſenſim erumperet, quibus partes illæ deſtitutæ primigenius illarum humor ſpiritus caloris totiuſque vitæ pabulo lente & pedetentim abſumtus

ſumtus eſt, robur illarum imminutum, ita vt tandem contabuerit, eo modo lenta mors ſuperioribus illis viris venit. Quomodo cita ijs, qui ſuppurantur & aquam inter cutem patiuntur, ſi vrantur aut ſecantur, quod pus illis aut aquæ ἀθρόως effluant, inquit. *Hippocr. aphor. 27. libr. 6.* quod *Galen. in eund. com.* multi ſpiritus vna cum pure & aqua exeant & excernantur. Quomodo clariſſimo viro equiti torquato haud ita dudum contigit, qui cum hepatis intemperie inſigniter calida laboraret, ſcaterentque viſcera multa humorum, præſertim bilioſorum, colluuie, eaque diſtenderentur, natura ea grauata, noctu præcipue, eo enim tempore ſpiritus & humores intro recurrunt, multa per aluum liquida bilioſa & graueolentia deiiciebat, reliqua vero ſubinde inguina atque in totum crus & pedes partis dextræ, cum febre, æſtu vehementi, rubore & tumore totius partis deponebat, cui aderat cruris exulceratio, in qua cruſtulæ inſtar furfuris eminebant & epinictides, & pedum cruciatus podagram ementientes. Quib. omnibus vt occurreret, & præſertim hydropi, quo videbatur maxime periclitari, eſſetque vitæ longioris ſpes in anguſto poſita, medicorum conſilio decretum eſt ἐκπλωτικὰ ſub genubus adhibēda eſſe, quod ea, inquit Arnoldus de Villa noua, magni ſint momenti ad totum corpus impuris humoribus ſordeſcens eluendum, quemadmodum docet *Hollerius lib. 3. de mat. Chirurgica.* Ab ea incommoda fluxione vir clariſſimus emerſit ea parte, ſed dum per hæc ἐκπλωτικὰ valetudinem tueri contendit, robur crurum lente diſſoluitur & macie ſenſim concidunt, ita vt iam munere conſueto fungi non poſſint, vnde fit vt hodie conſilium ſit de cicatrice obducenda, & illam per ectilotica defluxionem, victu tenui (cui inſit facultas morbo aduerſa) & medicamentis ſubinde repetitis compenſare, ne inutilis materia corpori ſuperſit, quæ importunam iſtam fluxionem acceſſat: Quemadmodum docet Arculanus, qui non conſulit ante 40. dies cicatricem coire. Ectiloticis vtivulgo ruptoriis, ſeu cauteriis, nouum non eſt, ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non liceat vti nouum eſt. Siquidem antiqui hoc auxilii genus iudicarunt eſſe durorum corporum qui callum contraxerant, nec facile cicatricem traherent, quod excreſcentem carnem reprimerent, fluida & diuturna vlcera iuuarent, adhiberenturque crudis vlceribus. In contrariis vero podagricis, hemicranicis, cephalalgicis, vetuſtis vitiis & contumacibus veteres ἀμυκτικὰ, vulgo phœnigmos experiebantur, quod ea arte viſcera repurgarentur atque omnino corpus ſordibus & excrementis liberaretur, quomodo eſcharotica peculiariter cancris, carbunculis & hæmorrhagiis, atque etiam in ſolutis vlceribus, quæque nimio humore fluunt in putrilaginoſis depaſcentibus & vbi ex intemperie partis ad cicatricem non veniunt. Poſtea vero recentiorum quorundam medicorum turba, non ſatis probabili Arabum dogmate, iudicauit nihil horum perpetuum eſſe, ſed alias potiores obſeruationes in iſtis pyroticis adhibendas eſſe, ad quas Medici conſilium dirigi debeat: de quibus vide *Arculanum com. in libr. 9. Raſis ad Regem Almanſorem capite de doloribus iuncturarum, & coxendico dolore*; in quorum obſeruationibus, cum inter ſe non conſentiant, nullum interponam iudicium, ſed illud lectoribus permittam, tantum probatorum artificum authoritatem adducam, quorum teſtimonio fidem attribuere nefas, cum in huius morbi cognitione & curatione multa diu cogitarint, & ſurſum deorſumque volutarint, vt Guidonis à Cauliaco, Philonij, Ioannis à Vigo feliciter ἀμυκτικὰ in coxendico dolore expertus eſt, ea ductus ratione, quod iſta vitam parti reſtituerent & euincerent vitia quæ nullis aliis auxiliis purgantur, nam quæ non ſanant pharmaca, ſanat ferrum quæ non ſanat ferrum, ſanat ignis. Atque commune hoc conſilium eſt in omnibus, quæ nulla alia ratione poſſunt ſaneſcere, vt vel vaſtentur igne, vel ferro peramputentur. Eandem medendi viam pari ſucceſſu quem de Vigo in coxendico dolore ſequutus eſt Ioannes Chavangius Chirurgus doctiſſimus. Aſſentiamur igitur probatis iſtis artificibus, qui genus hoc pyroticorum pulchre calluerunt, nec in huius morbi curatione ſcurriliter luſerunt. *Douynetus Apolog. lib. 4. cap. 2.*

Observatio.

Phœnigmo Podagrico loco adhibito, ſeroſaque & tenui materia educta æger conualuit.

VIR mihi coniunctiſſimus iureiurando affirmauit, dum Rotomagi ageret, vidiſſe ſe arthriticum dolore leuatum, doctum fortaſſe ex diſciplina *Arculani comment. in libr. 9. Raſis ad Regem Almanſorem*, admoto phœnigmo ex ſecundo cortice viburni minutim conciſſo, paulo infra partem affectam eo phœnigmo veſica excitata eſt detenſa veſicam illeuit ol. roſaceo, eoque modo ex arthritide conualuit. *Idem eodem lib. cap. 3.*

Inepta & ridicula eſt differentiarum arthritidis cum humorum ſpecie collatio, quod etiam ſenſu ipſo comprobatur, cui fidem detrahere nefas eſt. Amicus mihi coniunctiſſimus iureiurando affirmauit vidiſſe ſe podagra tenuem & ſeroſam materiam profluxiſſe admodum phœnigmo paulo infra locū affectum, cum ſolo cortice ſecundo viburni minutim ſculpto. *Idem cap. 4.*

Observatio.

Per Cauteria ſeu fontanellas vulgo dictas Podagrici aliquot multi reſtituti.

PErcurauit plurimos hiſce annis elapſis, vir optimus & chirurgus feliciſſimus, D. Andreas Peruſinus Romanus, impreſſit autem ægris cauteria ſub genibus & humeris quatuor: catapotia leuiter purgantia dedit ex breuibus interuallis per anni ſpacium vtenda: quibus addere ſolet puluerem cotidie per aliquot tempus vſurpandum. *Eraſtus part. 4. diſputat. Paracelſ.*

Observatio.

Periapton ſeu Phyſicum ad podagram remedium.

VT agnoſcas valetudinem tuam mihi ſummopere curæ eſſe, addam hoc naturale remedium (lubet ſic nominare quæ Græci φύσικα περίαπτα vocant) cuius ego experimentum vidi hiſce meis oculis. Cum anno quinquageſimo quinto Neapoli medicinam facerem, vſus ſum familiariter Epiſcopo Stabienſi Ioanne Fonſeca Hiſpano Theologo, is grauiter laborabat arthritide: quapropter cum vbique auxilium imploraret, remediaque vn-

dique conquireret,intelligit monachum quendam, ex ijs qui ſub Pausilypo monte ante portam habitant,ex graui arthritide curatum eſſe remedio quodam ex iſtis quæ alligantur: accerſit monachum ad ſe vt intelligeret curatuſne eſſet, & quo remedio. Monachus venit,ſexagenarius, narrat ſe quotannis arthritide corripi ſolitum, inque plures menſes detineri morbo tam graui, vt etiam poſt paroxyſmum pedes ſuum officium non facerent, niſi innitatur baculo: addit ſe varia & multiplici curatione vſum nihil profeciſſe:tãdem ſe incidiſſe in Siculum quendam, qui pro experimento certiſſimo, quod ſubſcribemus,docuerat: quo poſtquam vſus eſſet, cœpiſſe paulatim melius habere, atq; iam multis menſibus liberum eſſe à paroxyſmo genua, quæ humore mirum turgidæ fuerant,deſediſſe,cæterosque pedũ articulos egregie detumuiſſe, adeo vt iam membra agiliora ſine ſcipione leuarentur. Remedium hoc eſt, accipiatur teſtudo maſculina (cognoſcitur inter cætera ex caudæ diſcrimine,& leni ſub inferiore teſta inciſura, (vbi luna maxime fuerit lumine diminuta, priuſquam cum ſole coniungatur: amputentur viuæ crura omnia, ea conſuta in ſacculos, ex pelle hædina, anguſtos, allegentur membris patientibus, ita vt dextrum crus teſtudinis dextro cruri ægrotantis reſpondeat,ſiniſtrum ſiniſtro: item anterius crus dextrum brachio dextro applicetur, ſiniſtrum ſiniſtro. Quo loco alligari debeat non expreſſum fuit à Medico. Monachus ſupra genua ſuſpenderat, & in brachiis ſupra cubita. Hoc remedium cum fuit à monacho expoſitum Fonſecæ, tum temporis non adfui: poſtea cum Epiſcopus hæc mihi retuliſſet, voluit vt ipſum Monachum conuenirem, & omnia diligenter conſiderata intelligerem,ſi quid aliud deſideraretur in remedij ſuſpenſione. Conuenio ipſe Monachum, colloquor, nihil intelligo præter iam à me ſcripta: contrecto iuncturas,inuenio detumuiſſe: & quæ ipſe ante aliquot menſes ſuſpenderat ſupra genu, tumore diſſoluto, iam deciderant in pedes, & parum aberat quin exciderent: cum rogarem quid cauſæ eſſet, quare non paulatim ſtringeret alligata pro ratione tumoris decreſcentis:reſpondit:ſe expectare,vt omnino tumore reſoluto exciderent. Addidit ex his, cum primum alligantur, aliquid putreſcentis odoris expirari, ſed ſtatim illud difflari, exiccatis crutibus ſanguinolentis, nihil præterea incommodi eſſe retulit. Is idem monachus longo itinere per varios ambages me pedes è cœnobio eduxit, vt oſtenderet quam recte ſe haberet. Poſtquam rem ſe ita habere intelleximus, optauimus idem remedium Epiſcopo Stabienſi, quod poſtquam alligaſſem, cœpit paulatim habere melius: quo tempore virum reliqui, neque intelligere poſtea potui an penitus conualuerit. Horum omnium, & multi alij docti viri teſtes eſſe poſſunt, & præcipue excellentiſſimus noſtro ſeculo Medicus Ioannes Argenterius fidem facere debet,qui cum hæc agerentur præſens fuit. De differentia teſtudinis nihil addidit monachus: tamen ſi quid inde auxilij ſperandum ſit arbitror in podagra frigida applicandas terreſtres, in calida aquaticas:nam illud diſcrimen obſeruare ſoleo, ab aliis primum edoctus, in vnguento quodam quod ex teſtudinibus ad arthritidem compono,quo alias feliciter ſum vſus. Nolim hoc aut ſimile remedium parui fieri,quod ab vſu communi,aut à ratione alienum videatur:nam multa ſunt in rerum natura, quę experientia talia comprobat, licet ratio nihil inuenit,quo illa diiudicet. Excellentiſſimi ante nos Medici illis vſi ſunt, & diuiniſſimus Galenus vtitur ſubinde,quemadmodum paſſim videre eſt,& *Alexander Trallianus* fidem facit *lib.7.cap.13,Solenand ſect.1. conſil. medicinal.20.*

Observatio.

De nodoſa podagra curata in nobili Sileſiaco.

Leonhardvs à Schindell in Suſterhauſen, Vir nobilis in Sileſia,& primari⁹ Ducatus Svvidnicenſis Iorauienſis,natura calidus & ſiccus, ſed iam etiam Podagra & morbis Arthriticis in hac regione, vbi tunc rariores erant, aliis multis anteceſſit, ſæpe ad conſilium meum confugit, & ſat felicem curatiuam experitur. Denique meam operam vrget in tollendo nodo circa genu,magnitudine oui gallinarum, qui iam ſeptem annos durauerat. Etſi vero non ignorabam illud *Catonis:*

Tollere nodoſam neſcit medicina Podagram:

Tamen poſt ſufficientem euacuationem, & totius corporis curatiuam aliquoties factam,ad nodum illum curandum acceſſi,& menti noſtræ prælucebant hæ indicationes. Primo: Nodus qui ſuperabundat & actionem articuli inprimisque genu lædit,indicat tollendum eſſe. Secundo: Eſſentia nodi iam durioris facti partim ex phlegmatica, viſcoſa, lenta; partim ex melancholico humore, indicat eſſe & alterandum & diſcutiendum. Tertio: Materia pituitoſa, & lenta, indicat parum diſcutientibus nihil iuuari. Quarto: Materia eadem indicat diſcutientibus fortiter ſubtiles partes diſſipari; alias vero magis incraſſari,indureſcere, & incurabiles reddi. Quinto: Collatio igitur indicationum indicat partim emolliendos eſſe nodos, partim fortiter diſcutientibus eſſe diſſipandos. Materiam auxiliorum conſuluimus hanc. Διαιτητικὴν, vt attenuanti victus ratione aliquandiu diligenter vteretur. Deinde etiam φαρμακευτικὴν hanc,vt poſt veram curatiuam totius corporis localia duo alternatim adhiberet, triduum fomentationes ex hiſce herbis, factas hoc modo, ℞. herb. beton. hyperic. origan. an. M. ij. puleg. meliſſ. an. M. s. maluæ M. iij. biſmaluæ M. iiij. fl. chamomill. M. s. ſtœchad. arab. vnc. s. Coq. in ſ. q. aq. & vini ad medietatem vſque: poſtea ſpongia quotidie ter applicabatur, vel etiam aliquando calido linteo puro. Quarta die vnguentum, quo inunxit iſtum nodum quotidie bis, mane & veſperi, quod ℞. ol. lil. vnc. ij. de gran. iuniperi, chamæmeli, ſpicæ nardi ana vnc. j. rutæ, pingued. anatis drach. j. pul. bacc. lauri, ireos an. drach. j. ceræ q. s. f. vnguentum. Quinta & Sexta die iterum repetita fuit fomentatio, ſeptima die inunctio. Denique ſequentibus diebus vſque ad 14. diem alternatim fomentatio & inunctio facta fuit, in fine inunctio ſingulis diebus bis, atque nodus plane ceſſit atque euanuit. *De CL. V. Iacobi Horſtij obſeru. libro, per D. Laur. Scholzium ad me miſſo.*

Observatio.

Arthritis hæreditaria in Sebaſtiano à Dommendorff in totum curata, vt nunquam poſtea rediret, etiamſi ſuperſtes annos 20. adhuc viueret.

Seba-

SEBASTIANVS à Dommendorff Patricius in Sileſia Svvidnicenſis, natus 30. annos, laborabat Arthritide & antea & tunc ſimul etiam podagra & chiragra, cuius Patrem Iſchiaticum & Matrem arthriticam, fere hoc morbo enectam, ſæpius curaui Hic ad conſilium meum confugiebat, in curando paroxyſmo, qui quotannis bis terve redibat, ſed triginta & vnum annos natus vrget talem præſeruatiuam, vt ab Arthritide prorſus liberari poſſet. Inſtitui eam, ſed cum prædictione, quod nihil certæ ſalutis promittere queam. Continuo curationem ad Menſem vſque tertium, nec vnquam redit, licet adhuc ſuperſtes 20. annos viueret. Is natura erat calidus & ſiccus, ad iracundiam valde procliuis, ſed genere vitæ partim luxurioſo, partim etiam nimis quieto vtebatur. inſuper pro cadente ætate acceſſerat aſcitica natura, nimirum inæqualis complexionis frigidioris inteſtinorum & cerebri calidioris, calidioris autem epatis & renum. Cauſæ internæ huius Arthritidis erant pituita & bilis. Cauſæ externæ antedictæ, ad quas iracundia comes Podagræ accedebat. Signa erant, dolor articulorum in digito pedum, atque manuum etiam in tarſo, genu & cubito, tanto ſemper vehementior, quanto minus tumor aderat; tertia vel quarta die plerumque articuli intumeſcebant, rubor apparebat, dolor tandem parumper leniebatur, modo cum, modo ſine febri rabiem ſuam in corpus exercebat. Prognoſtica ſæpe illi dixi, non eſſe mirum ipſum affligi Podagra, cum ambo parentes ſimul laborent hoc morbo. Virtus ſemper robuſta erat, nec vllam amplius indicationem de ſe præbebat. Curatiua ſeu potius præſeruatiua mea nitebatur his Indicationibus. Primo: Pituita & Bilis indicat eſſe euacuandum & alterandum. Secundo: Bilis maxime peccans in ipſo pituita minus, indicat magis bilem purgandam minus pituitam. Tertio: Bilis ſatis furioſa, quæ modo in hunc, modo in alium articulum quauis fere hora mouebatur, ideoque quaſi turgens indicabat præſertim purgandum eſſe. Quarto Bilis alteranda indicat eſſe digeſtiuis refrigerandum & humectandum. Quinto: Materia fluxilis & valde mobilis indicat fluxionem quodammodo inhibendam eſſe. Sexto: Cacochymia maxima ex parte bilioſa indicat dies aliquot cibis boni ſucci, vel ſimul refrigerantibus & humectantibus eſſe nutriendum, & per epicraſin hanc Arthritidem curandam. Septimo: Natura partium in hac Arthritide affectarum indicat eorum habendam eſſe rationem. Octauo: Natura partium mandantium, inprimiſque Cerebri & Epatis, indicat membra principalia & euacuanda & corroboranda. Nono: Natura partium recipientium, ſeu articulorum indicat ſubinde quibuſdam aſtringentibus & appropriatis firmanda. Materia auxiliorum iuxta has indicationes exhibita fuit. Primo: Purgans bilem maxime, & pituitam aliqua ex parte, in forma boli, qui ℞. El. lenit. vnc. s. Indi, Diacathol. an. drachm. j. s. cum ſacchar, quantum ſufficit f. Bolus. Secunda & tertia die digeſtiuam potionem corroborantem calide bibere iuſſi mane & veſperi, quæ ℞. ſyrup. de beton. vnc. s. de ſucc. acetoſæ vnc. j. aq. fragar. acetos. hypericonis, an. vnc j. miſce, & f. potio pro vna vice. Quarta die iterum purgabatur potione ſequenti, ℞. rad. caryoph. drachm. j. cichorii. borrag. an. drachm. j. s. polipod. vnc. s. ſem. carth. drachm. ij. aniſi, drachm. j. s. 4. ſrig. mai. an. drachm. s. Herb. beton. veronicæ, acetoſæ an. m. j. fol. ſenæ vnc. j s. flor. ſtœch. arab. drachm. ij. borrag. roſar. rubr. an. p. j. paſſul. minor. excort. vnc. j coq. in ſ. q. aq. ad tertias, poſt colentur vnc. xiij. & infund. in colatura rhabar. ſcrupul. iiij agarici trochiſc. in petia ligati ſcrupul. ij. ſpicæ Ind gr. iiij macis ſcrupul. s. ſtent in infuſ. per noctem, mane colentur, ℞. colaturæ huius vnc. iiij. ſyrup. de beton. roſ. ſolut. an. vnc. s. Miſc. f. potio. Reliquum ſeruetur vſui. Quinta die & ſexta mane quantitate Caſtaneæ comedit conditum, quod ℞. conſ. roſar. antiq. vnc. j. s. acetoſellæ vnc. j. borrag. beton. ana. vnc. s. nuc. moſch. drachm. j. ſpecier. diamoſch. dulc. diarrh. abb. an. ſcrupul. s. cum ſyrup. de cort. citri quantum ſufficit f. Conditum, ſed & hoc Condito iuſſus eſt vti bis terve interdiu, quantum capit cuſpis cultelli, vt ieiunaret poſt ſemihoram: ſeptima die lambebat de ſyrupis. Qui ℞. ſyrup. de betonica, de ſucco acetos. de ſucco granat. an. vnc. j. s. aquæ veronicæ vnc. j. miſc. & detur. De quo bis mane & ante noctem ſumebat. Octaua die iterum potione purgante ante dicta vſus eſt. Nona die pilulis, vt radicitus articuli à peccantibus humoribus expurgarentur, quæ ℞. pil. alephanginarum, cochiarum, artheticar. an. ſcrupul. j. de hermodactylis ſcrupul. s. cum ſyrup. de ſucco acetoſæ quantum ſufficit f. pil. 15. Decima & ſequentibus diebus condito ante dicto vtebatur, mane & hora poſt, vel rotulis diarrh. abb. vel conſ. roſarum. Poſtremo licet exterius Arthriticis non multa ſunt applicanda, tamen corroborandorum articulorum gratia, & cauſa repercuſſionis refrigerantibus Epithematibus vſi ſumus per interualla. ℞. Aquæ plantag millefolii, fol. quercuum an. vnc. iij. roſar. vnc. ij aceti vnc. j miſce & f. Epithema. Denique poſt ſufficientem purgationem aquis antedictis miſcui aquam lauendulæ, pulegii, & chamomillæ aliquando minori quantitate, aliquando maiori, tandem quatuordecim dies feriatus eſt à medicamentis, ac poſtea iterum ad vſum horum omnium redii eodem modo, niſi quod in fine integrum Menſem corroboranti condito & rotulis vſus ſit, quæ ℞. marg. præparat. ſcrupul. s. cornu cerui vſti ſcrupul. j. ſmaragdi præparat. gran. v. ol. nucis muſchatæ per expres. drachm. j. ſacchar. clarif. lib. s. aquæ lauendulæ vnc. iiij. coq. ad conſumptionem aquæ. & fiat confectio in rotulis. Hic nunquam toto tempore vitæ ſuæ, cum viginti annos adhuc ſuperuiueret, podagram habuit, quod ipſe in eo, qui hæreditariam ab vtriſque parentibus habuiſſet, mirabar. *De Clariſſimo Viro Iacobi Horſtii Obſeruation. per D. Laurentium Scholtzium ad me miſſis.*

CALCVLVS ET TARTARVS.

OBSERVATIO.

Calculi ſiue lapides in podagricorum iuncturis & extremitatibus nati.

VIdimus verum gypſum iuncturas exire, quod in tanta copia abundabat, vt quidam experiri

voluerit an gypſi officio fungeretur: nam omnes gypſi qualitates, quæ ſenſu præſentantur, habebat. Collegimus fere huius gypſi vnciam, & in puluerem redegimus, poſtea addita aqua ſubegimus, & lapidem delinentes, parietique applicantes, lapidem tenaciſſime ſuſtinebat, vt etiam verum gypſum in hac proprietate excederet. *Braſauolus Comment. ad Aph. 79. lib. 4. Aph. Hipp.*

Rochlii, quod Miſſenæ oppidum eſt, ciuis quidam habitauit honeſtus & pius: qui ibidem ſeptuagenarius vitam finiuit, magnis doloribus confectus, nomen illi Iohannes, Cognomen Oberdorffero fuit. Totos enim annos viginti dolore artuum miſere cruciatus fuit, reque impari, vna cum ætate nimirum morboque augeſcente: nec continuo, ſed per interualla redeunte. Morbus, vt ſolet, pedes primum, inde manus brachiaque, tandem humeros quoque & ſpinam dorſi occupauit, donec progreſſu temporis omnes corporis artus inuaſit, quos ſi quãdo vna vice furenter perrepſerat omnes, quod ætate profecta ſæpe eueniebat, in digitorum pedum manuumque extremitates deuolutus deſinebat, vbi dolor conquieſcebat paululum. Tum enim puſtulæ iis locis turgebant, primum glaucæ, deinde maturato puræ flauæ: quæ ruptæ aut acu ictæ magis etiam dolebant, ante afflicto, quam vbi impunctæ relinquebantur. Sic igitur ſtantibus tuberculis, materia intus ardore exiccata, vſtulataque nouaculis ſuccreſcebat: cui præciſæ vomicæ iſtæ, dolore iam intus ſedato, lapillos in ſe continebant duriuſculos, colore cinerio nigriores: grano piperis paucos maiores, minores plurimos. *Iohannes Kentmannus libell. de Calculis.*

Trebinæ in Marchia alius etiam domicilium habet Iohannes Schuneman, ætate quidem grauis, ſed corpore adhuc firmo, & obeſo qui arthritide ſimiliter valde infeſtatur anniuerſaria. Quoties vero cruciatus omnes corporis articulos permearunt, in vtriuſque pedis pollice vomicæ enaſcuntur, iuglandibus non minores, ſed doloris ardentiſſimi: quo mitigato, conflacceſcunt rurſum, ſanie intus areſcente. Vbi igitur puſtularum doloribus iam leuatum ſe ſentit, incidi eas patitur: tum calculi eruũtur ſubrubri, piſorum aut fabarum etiam magnitudinem habentes, & tuberoſi, quibus ſemel liberatus, nouos timet ardores, donec tandem interimant, quod ſæpe ex animo optat & expetit. *Idem.*

In morbo articulari pleriſque à pituita cruda, reſiccata, craſſo terreſtrique humore indiſſolubiliter impacto reſolutis partibus tenuioribus, tophos, Græci πῶρυς velut calcem, in iuncturis enaſci videmus, quam etiam exemptam materiem paulatim excipit alia. *Vierus libro tertio, cap. decimo quinto, de præſtig. dæmonum.*

Duo Lapides albi ſatis craſſi & ampli à iunctura brachii, Domini de Rhouet, illoque viuente, nouacula fuerunt excluſi. His diebus vnus eſt tractus à manus dextræ pollice, deuotiſſimæ monialis Charracæ in Cœnodio, Sanctæ Crucis dicato, degentis. *Ferrandus Senior lib. de Nephritide.*

Tophacea quædam eſt, horum ſubſtantia, nec minore tamen interdum conſiſtentia, quàm rerum ipſarum calculi ſint, quales magnitudine inſigni vidimus de pedis pollice extractos Hungaro primati viro, candicantes, *Iul. Alexandr. Annot. ad lib. 14. Therapeut. Meth. cap. 13.*

Mulier quædam Lucernæ Heluetiorum, è nodoſo pollice pedis ſiniſtri, pugni magnitudinem excedente, calculos tophaceos, è quibus minimus piſo maior erat, pluſquam viginti, ſuppuratione illic facta cum maximo dolore, ſucceſſiue reddidit. *CL. V. Felix Platerus de Obſeru. propr.*

OBSERVATIO.

Grandines, emplaſtri vi, ex vlceribus podagricorum educta.

PODagricus in Herenberg oppido, vlcera expertus in pede vel ſuris, forte fortuna præſens, cum Chirurgus auferret emplaſtrum exemi ex vulnere grandines quaſi, vel iuxta Theophraſtum Tartarum gypſeum. Tanta eſt naturæ ſagacitas in ſequeſtrandis moleſtiis naturæ. Nec alioquin tophos ſenſit in membris, etſi incuruatus nonnihil incedit, temperamenti præſertim capitis pituitoſi. *Clariſſimus Vir Eſaias Meichſnerus in Obſeruationibus prius.*

OBSERVATIO.

Curatio tophorum natorum in iuncturis eorum qui morbo articulari excruciantur.

CVM mihi olim caſeus allatus eſſet bubulus, quem ex odore acrem eſſe coniiciebam, abieci, & iam à famulis abſumptum putabam: Cæterum illi talia ſeruare ſoliti, longo poſt tempore ex promptuario proferentes, quid nam de illo fieri iuberem, rogabant. Cum igitur edendo non eſſet, propter acrimoniam, ludicrum nobis problema extitit, proponentibus cui rei quis illum vtiliter poſſet accommodare. Interea cum ad me arthriticus quiſpiam in curru conuectus eſſet, tophos quos Græci πῶρυς nuncupant in articulis habẽs, ſubiit mihi crure ſuillo falſo decocto caſeum eo decocto macerare, ac probe in mortario ſubigendo, vnitum, tophis imponere. Et ſane Arthriticus ab hoc medicamine magnifice adiutus eſt. Nam rupta ſua ſponte cute abſque inciſione videlicet effluxere quotidie citra dolorem tophorum particulæ. Vbi autem totus qui apud me erat caſeus fuiſſet abſumptus, talem ſibi alium comparans arthriticus in poſterum ſeruauit, & poſtea rurſum vſus eſt inueterato, atque vbi tunc quoque idem percœpit commodum, ſæpius deinceps vti perſeuerabat, & quoſdam amicorum ſimiliter affectorum docuit. Atque id quidem nos excogitauimus, cæterum comprobauit atque confirmauit experientia. *Gal. li. 10. de ſimpl. Medicam. Facult. cap. de Caſeo.*

Ex podagricorum iuncturis, muria, & caſeo vetuſto, & pyritæ vſti ſcobe rupta cute plurimos extraximus (calculos) candore ſteatis, duritia inuictos. *Scal. Exerc. 108. P. 3. ſubtilit. Cardani.*

OBSERVATIO.

De Iſchiade & Arthritide à ſiccitate.

QVEMADMODVM *in libro de paſſionibus, ſeu de affectionibus internis Hippocrat.* coxendicum dolorem

lorem generari à bile affirmauit, ibidem pariter e-undem dolorem à ſiccitate articuli procreari teſtatus eſt. Cuius cauſæ nec Galenus, nec alius poſt e-um author vſquam meminit; dum Iſchiadis vel cognitionem vel curationem tractarent, per ſiccitatem autem non intelligas intemperiem ſiccam partium ſolidarum articulum ipſum conſtituentium, videlicet oſſium, ligamentorum, & tendinum, ſed conſumptionem eius glutinoſæ humiditatis qua naturaliter nutritur, & ad faciliorem motum ſubungitur articulus ipſe, talem humorem continue natura articulis ſubminiſtrat, ne exſiccati ad motum inepti reddantur. Cum autem contigerit humiditatem hanc aliqua ex cauſſa, quæcunque ea extiterit, exſiccari, tunc articuli motus impeditur, difficultaſque in motu, ac dolor vna ſuccedit, huiuſmodi affectum, ſi in coxæ articulo fiat, vocat *libro citato Hippocratis* Iſchiadem, coxendicumve dolorem, perinde ac vocet eos qui à fluente generantur materia, quem eundem affectum ego non in ſolo coxæ, ſed in quocunque alio articulo gigni poſſe animaduerti, hincque fieri alteram arthritidis differentiam notaui, ſi per arthritidem omnem articulorum dolorem, ac impeditum motum intellexerimus, conſumpta enim ea humiditate quæ ex naturæ præſcripto articulos ſubungit, & humectat, coguntur ac in vnum compinguntur articuli; Vnde ad motum inepti ac impotentes redacti, dolore ex quocunque leuiſſimo motu cruciantur. Tales articulorum dolores in conſtitutionibus ſiccioribus *Hippocratis libri tertii, Aphoriſmorum decimo ſexto*, fieri monebat: quoniam vt docebat *Galenus in eiuſdem Aphoriſmi commentatione*, immodicæ aeris ſiccitates articulorum humiditatem conſumentes ad motum difficiles ac impotentes reddunt, doloremque hinc nonnunquam inuehunt.

An autem tales affectus vere ſub nomine arthritidis comprehendantur, viſus eſt negaſſe ibidem Galenus, cum tamen rem indeterminatam reliquerit: qui cum de nominibus parum ſolicitus fuerit, ideo hanc partem, quæ circa nomen arthritidis, & non circa eius eſſentiam verſatur, neglexit.

Si autem nos per arthritidem morbum in articulis à materia fluente factum intellexerimus, tales dolores, ac articulorum impedimenta, ſub nomine arthritidis non erunt recenſendi. Si vero omnem articulorum impeditum motum ac dolorem per arthritidem audiamus, hi proculdubio arthritidis nomine vocandi erunt. Quam ſententiam *Hippocrat. libr. citato, de affect. internis* clare admiſit, pariter coxendicum dolorem hunc, ac eum, qui à materia articulos occupante cauſatur, appellans. Qui dolor à ſola humiditatis naturalis articulorum conſumptione, non à ſicca partium ſolidarum, vt iam dictum eſt, ipſum articulum conſtituentium intemperie pendet; quoniam quandocunque illa naturalis humiditas abundauerit, præſtoque ſit, non adeo inſigniter exſiccari poterunt partes articuli ſolidiores, vt hinc impeditus motus aut dolor ſuccedere queat: deficiente tamen hac humiditate, ac ſupra modum exſiccata nonnunquam etiam communicatur hæc exſiccatio partibus ipſis ſolidis; & hoc potiſſimum cum à cauſa externa, & valida ortum ea habuerit, hincque ſupra modum exſiccatis circa articulum tendonibus & partibus neruoſis in hac affectione, conſueuerunt aliquando, vt notauit Hipp. ſuccedere conuulſiones quas aliquando ſequuntur & febres, quæ ratione doloris & cruciatus accenduntur. Hæc de nomine & eſſentia huius affectus; nunc cauſas recenſeo.

Quæcunque humiditatem articulorum naturalem reſiccare & conſumere apta ſunt, ea omnia talem coxendicum dolorem talem vearthritidem cauſare poterunt. Vnde & diuturnum ac vehemens exercitium ſub ſole factum, vt habet *Hippocrat. libro de affectionibus internis, & ſiccitate aeris immodica*, vt habetur *libro tertio, Aphoriſmo decimo ſexto*, poſſunt eſſe eorundem cauſſæ, pariter & victus exſiccans hoc idem cauſſare poterit; quoniam hinc conſumptis humiditatibus internis etiam illæ, quæ ad articulos naturaliter defluere ſolent, multoties conſumuntur, cuius ratione, vt recitat Hippocrates qui in Aeno leguminibus (quoniam talis victus eſt exſiccans) veſcebantur, infirma habebant crura, & qui Orobos (quoniam hi leguminibus ſunt ſicciores,) comedebant genuum dolores patiebantur. Quod idem & longæ ac diuturnæ ægritudines, quæ corpus exſiccare aptæ ſint, agere poterunt: vnde videmus aliquando conualeſcentes, qui ex huiuſmodi morbis liberati fuere, male incedere, ad omnemque motum ineptos eſſe: qui ſi etiam coguntur deambulare, non leuem articulorum perſentiunt dolorem, qui, deficiente ipſorum articulorum naturali humore, ſuccedere conſueuit.

Harum omnium cauſarum ſigna de ſe patent; nam omnes hæ cauſæ ſunt præcedentes, quæ vel ex ægrotantis relatione, vel ex ſola Medici inſpectione nullo negocio comprehendi poſſunt. An autem ſicuti ab externis, ita ab internis cauſſis poſſit talis affectio procreari, ſi quis quæreret, dixerim hoc pro poſſibili admittendum eſſe, cum huius humiditatis pariter ac cuiuſcunque alterius partis nihil ſit quod exſiccationem impoſſibilem reddat, hoc tamen non ita experimento comprobatum eſt; quare pro huius affectionis cognitione ſufficiant ea quæ de exterioribus cauſſis expoſuimus, de quibus hoc aduertatur, quod ex omnibus moleſtior ea eſt affectio quæ à vehementi & diuturna exercitatione ſub ſole facta occaſionem habuit, in hac enim dolores ſunt multo quam in cæteris ſæuiores, ac æſtuoſi vna cum caloris ſenſu exiſtunt, ſæpiuſque his ſuperueniunt febres, aliquando & conuulſiones. Quare quo ad Prognoſticum, hæc erit cæteris difficilior, & periculoſior: reliquæ autem non ita ſæuæ ſunt, & minori cum diſcrimine affligunt ægrotantes, ac minori cum labore ab his iidem liberantur.

Quæ omnes affectiones quomodo præſentes cognoſcendæ ſunt, ſuperfluum eſſet enarrare: cum ex ſola articulorum reſiccatione & compactione, omni tumore abſente, ac ex ſola inſpectione prudenti Medico patere poſſint. Qui Medicus has curaturus affectiones, iſtas indicationes habebit, ſcilicet, vt amota omni cauſſa externa & præce-

dente

dente tentet naturalis articulorum humiditatis regenerationem, eorundemq; humectationem quærat. Hæc conſequetur, ſi eam viuendi rationem ægrotantibus præſcribat, quæ & actu & potentia corpus humectare queat, cuius merito regeneratis humiditatibus naturalibus, adſit eorum copia, apta ad ſubungendos articulos ipſos. Talis victus ratio perficitur, tum per ea quæ interius ſumuntur, tum per ea quæ exterius adminiſtrantur. Interius conuenient cibaria humectantia, quæ ſint boni chymi, quæque nec difficulter conficiantur, nec ſuperfluitatibus admodum ſcateant; talia erunt oua recentia, ac ſorbilia, iura ex carnibus laudabilius parata, qualis eſt pullorum domeſticorum, hædorum, lactentium vitulorum, fercula in his parata, carnes eorundem animalium elixatæ, ptiſana ſola ex frumentaceis, lactis potus, caſeus recens, & quæ huiuſce ſunt claſſis, & vbi patientem ventriculi robuſtioris curandum habuerimus, extremitates animalium, optime elixatas vel potius eliquatas, nonnunquam exhibere poterimus.

Potus ſit vinum tenue, album, aquoſum, & ad dulcedinem decliue, vel ſaltem admodum maturitate ſaturatum. Exterius maxime proficit, balneum aquæ dulcis: in quo ſi coquantur radices altheæ & maluarum, earundemque ſemina, capita caſtratorum, extremitates animalium, & quæ huius ſunt ordinis & facultatis, mirum in modum prodeſſe poterit, poſt quod adminiſtratum balneum, quamuis æger impotens admodum exiſtat, tamen modice deambulet, hocque ſingulis agat diebus, ita enim motus facilitabitur, & materia ad propria articulorum loca promptius attrahetur. Dum hæc peraguntur, caueant ægrotantes, ne frigus aliquod patiantur, hoc enim articulos valde lædere poterit, & materiam intercipiendo, & eoſdem in vnum cogendo, & rigidos eos reddendo: quare omnibus exterioribus vel calidis, vel ſaltem tepidis vtantur. Vbique à balneo abſtinuerint, fomenta ex iiſdem rebus parata in vſum habeant: in quorum adminiſtratione hoc animaduertant aſtantes, vt antequam corpo detumeſcat, vel hominem è balneo educant, vel fomenta remoueant, alias in his adminiſtrandis ex ſuccedente humoris attracti reſolutione reſtauratio deperditæ humiditatis non eſſet ſperanda. Poſſunt ad idem parari emplaſtra, quæ articulis appoſita eos humectare poſſint, quæ formentur ex axungia ſuilla recenti, butyro recenti, oleo amygdalarum dulcium, medulla vitulina & ceruina, mucilaginibus lini, althææ, fœnugræci, addita cera noua (hæc enim antiqua eſt humidior) ad pondus omnium prædictorum pluſquam dimidium. Si autem in præſenti affectu ſit periculum conuulſionis, ob introductam ingentem articulorum exſiccationem, vltra balneum & fomenta, inungantur loca patientia & eis communicantia aliquo oleo actu quidem calido, ſed quod nullo pacto reſolutionem notabilem cauſare valeat, tale erit oleum dulciſſimum, narciſſinum, maſthichinum, chamomælinum, lubricatum, amygdalinum, & ſimilia, hæ enim olea poterunt magis tueri, articulos à frigore externo, & tendines, ac circumſtantes articulorum partes laxando poterunt patientes à dolore, & inde à conuulſionibus præſeruare: quæ ſi inſtent, abſtineant ægrotantes ab omni genere vini & bibant mulſam dilutam, caueantque ab omni euacuatione, quoniam hæ omnes poſſunt corpus ipſum magis exſiccare. An autem, dum hæc peraguntur, vel purgandi ſint medicamento electiuo patientes, vt docet Hippocrates, vel ſi hoc non conferat, clyſteria acria, qualia ipſe imperat, imponenda veniant, propter ſenis authoritatem quis ambigere poſſet. Attamen ego eius ſum ſententiæ, vt in tanta articulorum exſiccatione omne euacuationis genus noxium ac ſuſpectum ſit, dictante hoc ratione, videlicet euacuationes omnes, & præcipue validas, non tantum prauas, & non naturales, ſed etiam naturales humiditates diſperdere: quapropter caueant in huiuſmodi affectionibus Medici ab omni valido medicamento ſoluente, ne humiditates ad articulos attrahendas diſſipent: niſi forſan ratione exſiccantis cibi, quali habitantes in Aeno vſi erant, hæc affectio inducta fuerit: in his enim potuit aggregari ex malo victu copia prauorum & terreſtrium humorum, qui exturbandi & ante articulorum laxationem excludendi erunt, hoc tamen caute agatur, ſemper hac habita ratione ne in horum humorum deturbatione articuli vlterius exſiccentur, ad quam intentionem poterunt ſatis præter pharmacum facere clyſteria acria, eos ad vias communes deriuando, ac eoſdem ab articulis reuellendo, quo peracto facile erit homines renutrire, & humiditates naturales regenerare, ac articulos ipſos prædictis medicamentis, ac prænarrata victus ratione laxare. Quæ omnia dum fiunt, omnes cauſæ, quæ talem articulorum ſiccitatem introducere, vel eandem conſeruare poſſunt, amoueantur. Vnde fugiant hi omnem vehementem motum, æſtiuum cœlum, aeris ſiccitatem, Veneris vſum, animi accidentia moleſta, exſiccantem victum, externum frigus, & cætera omnia quæ harum partium humiditates diſſipare ac reſiccare queant: & quantum fieri poterit cauſas prædictas per opportuna præſidia reſcindant, eiſdemque per conuenientia auxilia reſiſtant. *Salius de affect. partic. capit. decimo ſeptimo.*

ISCHIAS.

CAVSA.

OBSERVATIO.

De Iſchiade à materia biliosa.

ARTHRITIM fieri à quacunque materia quæ tranſmiſſa vel ab vniuerſo corpore, vel à determinato membro, per proprias vias in cauitatibus articulorum, & in circumſtantibus partibus recipiatur, dogma eſt Galeni antiquum, ab omnibuſque acceptatum. Contra hanc ſententiam inſurrexerunt Moderni diſcrepantes de materia, de membro, mittente, de viis, & de loco in quo hæc materia recipiatur. Materiam vnicam eſſe, hancque pituitoſam, ſubtilem & ſeroſam, affirmant: quod ſi in arthritide quandoque ſit rubor & calor, dicunt hoc fieri ratione doloris attrahentis, ſicuti & aſſerunt febrem huic aliquando connecti non ex ſe, ſed quia hæc affectio contingat in temperatura impenſe ca-

ſe calidæ, & in corpore plethorico, quodve ex leui occaſione in febrem incidat. Membrum mittens dicunt eſſe ſolum caput, in quo extra caluam ſub cute talis aggregatur materia, quæ ſenſim tranſmiſſa ad partes inferiores, modo ad hos, modo ad illos dilabitur articulos, negantque à viſceribus & internis partibus hanc tranſmitti; quoniam ſyncerus humor per venas non poteſt ferri, nec ſanguini permixtus poteſt ſyncerus in articulos excidere, ad quos ſi etiam cum ſanguine emanaret, phlegmonem, non arthritidem excitaret.

Quapropter viam, per quam hæc materia in articulos deſcendit, dicunt eſſe ſub cute tantum, vbi laxæ, & amplæ ſunt viæ, non autem per venas permeare, in mediiſque earum viarum regionibus dicunt eam non ſubſiſtere, quoniam, cum ſit ſubtilis, penetrat vſque ad loca denſa & compacta, quibus hæreat, & ideo in articulos tantum firmatur, loca autem in quibus hæc materia retinetur, dicunt non cauitates articulorum eſſe, ſed in ligamenta, in perioſtia & in tendones recipi, hoc argumento, quod in tophacea podagra, aperta, ruptave cute, plerumque è digitorum articulis eruitur humor in tophum conuerſus vinculo integro & illæſo, addito hoc, quod ſi in Iſchiade, cum ligamenta vel nullius vel obtuſi ſint ſenſus, ſi in coxendicis pixide, in eiuſque cauitate materia reciperetur, nec tam vehementem, nec tam late vagantem dolorem inueheret, ſententia hæc ſicuti Galeno, ita & veritati contradicit, nec digna eſt vt à Medicis recipiatur.

Quod non vnica ſit materia quæ arthritidem generat, apparet clare ex diuerſitate coloris, tumoris, doloris, ſymptomatum, & modo curandi, color enim alias eſt rubicundus, alias flauus, alias albus, tumor aliquando eſt notabilis magnitudinis, quandoque enim vix apparet dolor, quandoque eſt moleſtus quidem, ſed non multum, quandoque autem eſt acerrimus, hicque nonnunquam cito ſoluitur, ille longius protrahitur, ſymptomata autem multoties ſequuntur mala, vt caliditas ingens, & feruor in loco affecto; aliquando autem eorundem vel nulla eſt caliditas, vel frigiditas ineſt moleſta, illique ab aere calidiori, hi à frigidiori læduntur, modus curandi nonnunquam admodum variat, quoniam in his calida iuuant, in illis frigida, illique à frigidis, iſti à calidis exacerbantur: præterea quidam ex ſanguinis, quidam ex pituitæ, alii ex bilis, nonnulli ex atræ bilis euacuatione ſedantur, quæ omnia indicant arthritidis cauſam modo calidam, modo frigidam, ac diuerſam eſſe materiam.

Nec reſponſum eorum ad hoc facit, cum dicunt hanc diuerſitatem cauſſari tum ratione doloris attrahentis, tum ratione ſubiecti recipientis; quoniam ſi ex colore, dolore, ſymptomatibus, & modo curandi diuerſo, diuerſam materiam peccare, non deberemus conìicere ac iudicare, tota deſtrueretur Medicina, omneſque tumores pariter à pituita conſtituere poſſemus; quoniam ruborem, calorem, ſymptomataque cætera ratione doloris attrahentis fieri, non autem ratione materiæ peccantis, eſſet affirmandum.

Quod membrum mittens aliquando ſit cerebrum, non negatur: quod autem ſemper ab eo in quacunque arthritide materia defluat, falſum eſt; aliquando enim à toto, aliquando à determinato membro hæc tranſmittetur, nec ſemper præcedunt hunc morbum capitis affectiones, nec ſemper in omnibus materiæ ſenſibilis deſcenſus à partibus, ad inferiora perſentitur, imo ſæpiſſime nullo præexiſtente capitis alteriuſve ſuperioris partis affectu, ſubita fit arthritis, quod ſæpiſſime animaduertent, qui hanc artem conſumabunt, videbuntque modo hepar, modo lien, modo ventriculum, modo vterum, modo aliam internam partem, modo totum corpus, non autem ſemper caput eſſe in cauſſa huius affectionis.

Nec eſt quod mirentur iſti, quando per venas à partibus intimis, à viſceribuſque ipſis in articulos humor aliquando feratur, quoniam virtus expultrix, vbi vigeat, à partibus interioribus ad exteriores materiam naturæ grauem detrudere ſolet, ac poteſt, & hæc propria vaſa, per quæ vniuerſo corpori materiæ ingeſtæ communicantur, quæ ſunt venæ, & arteriæ, à quibus quomodo poſſint ſanguini commixta per eorum ora in articulos pura excidere, non aliam quærant viam, quam eam, quam ipſi proponunt in ſua cauſſa, dicentes, venas ab externis iugularibus deductas extra caluam ſub cute ſua excrementa tenuia & ſeroſa deponere, quod idem cum cæteræ venæ terminantes ad articulos poſſint vi facultatis expultricis agere, non erit dubitandum, quo modo extra venas traduci poſſit ſyncerus humor, qui cum eis affirmantibus poſſit eſſe frigidus, nihil refragatur, quod etiam poſſit eſſe calidus, qui ratione ſuæ tenuitatis facilius frigido in articulos deponi poterit. Nec eſt quod ſi vnus humor extra venas tranſmittatur cum eo ſanguis ei commixtus tranſmitti etiam neceſſario debeat; quoniam hoc fit vi facultatis naturalis, quæ noxium & ſuperuacaneum tantum excludit humorem, alias in quacunque expulſione omne humoris genus promiſcue & vna commixtum educeretur, nunquam daretur tumor purus vel à ſanguine, vel à bile, vel ab alio humore, animaduertatur tamen, quod cum concedimus ſyncerum humorem extra venas in articulos decidere, non credatur ita ſyncerum ſemper eſſe, vt nullius mixtionem vnquam admittat. Sed dicitur ſyncerus à prædominio; quoniam vel nihil, vel parum quid ei commixtum eſt. Vnde bili aliquando ſanguis commiſceri poteſt, & hinc cauſare arthritidem. Nec tamen tunc veram poteſt cauſſare inflammationem; quoniam intra cauitates, non in ſubſtantia membrorum, materia recipitur. Cuius oppoſitum cum contingat in cachexia, decumbentibus per venas in pedes humoribus crudis, eſt in cauſſa quod tumeant quidem pedes, ſed non hinc arthritim patiantur, & præcipue cum in his non ſit articulorum imbecillitas, quæ neceſſario ad arthritidem procreandam requiritur, quare certo affirmetur humores à viſceribus intimiſque partibus ad articulos per venas tranſmiſſos aliquando arthritim procreare: quam tamen quandoq; etiam à capite delabi, & per

exterio-

exteriora tranſmitti aſſerimus, & atteſtamur. Cum autem materiam recipi in ligamenta, in perioſtia, & in tendones, docere nituntur, quid ad Galeni rationem, quam conſulto tacuerunt, reſpondere poſſunt, cum inquit, argumento eſſe materiam in ſubſtantia membrorum non recipi, nec hinc veram inflammationem cauſari; quoniam viſus eſt nunquam podagricus pati conuulſionem, quæ frequenter ſolet in neruorum ac tendonum inflammationibus aduenire? hæc Galeni ratio eſt demonſtratiua, nec eam impugnare poſſunt, quæ in contrarium adducuntur, videlicet, quod ſi in Iſchiade materia eſſet in pixide & cauitate articuli coxendicis contenta, cum ligamenta obtuſi ſint ſenſus, non poſſet dolorem nec vehementem nec late diffuſum cauſare; quoniam hæc ſententia Galeno non aduerſatur, qui docuit materiam non tantum in cauitatibus articulorum, ſed etiam in cauitatibus circumſtantium membrorum vſque ad cutim recipi, quia vero articulationes hac materia implentur, ideo circumſtantia ligamenta, id eſt, nerui & tendones extenduntur: cuius extenſionis merito neceſſario dolent, quare docet fieri dolorem non ratione materiæ intra cauitatem articuli exiſtentis, ſed merito extenſionis neruorum & tendonum circumſtantium. Vnde in Iſchiade vere quidem dolor non cauſabitur à materia contenta in pixide: quoniam in ea nulla pars ſenſitiua locata eſt, ſed ab ea materia quæ circumſtantia loca occupans neruos & tendones offendit. Quod autem intra cauitatem articuli coxendicis in Iſchiade recipiatur materia (quod negare hi audent) ſola Hippocrat. authoritas eos monere debebat, dicentis: Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis excidit coxa, & rurſus incidit, iis mucores ſuperueniunt. Qui mucores cum laxiora reddant articulationis ligamenta, facile articulus ex cauitate excidit: quod fieri non poſſet, niſi in cauitate illa mucores continerentur, quod idem ex ſequenti Aphoriſm. dicente: Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diuturno excidit coxa, iis crus tabeſcit, & claudicant, ſi non vrantur: elici poteſt: quoniam excidere non poteſt ex coxendice dolore coxa, niſi ratione materiæ intra cauitatem articuli exiſtentis, eundemque vltra quam deceat madefacientis, cuius merito aduſtionem adminiſtrandam eſſe docet. Pro confeſſo igitur habeatur in Iſchiade contineri ad intra pixidem coxendicis materiam, ſed non ab ea cauſa dolorem, qui ſolum ab illa, quæ circumſtantes partes occupat, neruoſque ac tendones extendit, generatur, hincque fieri, quod dolor ſit vehemens, & cum ad inferiores partes hi nerui deſcendant, quod dolor hic late & longe diffundatur, qua de re dolor Iſchiadicus nullo modo argumento erit, quod materia in arthritide non recipiatur in cauitates articulorum, & circumſtantium membrorum, vſque ad cutim, cuius ratione apparere in tophacea podagra ſtatim aperta cute poteſt humor in tophum conuerſus & euelli vinculo integro, & illæſo quoniam non tantum in cauitate interna articuli, ſed etiam in circumſtantium partium cauitatibus vſque ad cutim recepta materia & in tophum conuerſa poteſt immediate ſub cute contineri, & apparere: quod non excludit materiam in cauitatibus articulorum recipi, nec demonſtrat eandem in ſubſtantiam penetrare. Hæc adnotaſſe volui de arthritide, ne ſentẽtia hæc, quam in perniciem laborantium, ſi admitteretur, inuectam eſſe dubito, indiſcriminatim, & ſine examine recipiatur: quare arthritim à quocunque humore in cauitatibus articulorum & in circumſtantibus partibus vſque ad cutim recepto, vere generari, ad mentem Galeni conſtituo. Ab hac vniuerſali poſitione analogia ſumpta in eam deueni ſententiam, quam etiam in libro de internis affectionibus, in quo habetur, coxendicum dolorem quandoque à bile generari, recipit Hippocrat. vt Iſchiadicum affectum non ſolum ab humore frigido & à ſanguine, quemadmodum in propriis libris declarat Galenus eius curationem ex profeſſo tradens, cæterique omnes ſcribentes ſimul, ſed etiam quandoque à bile fieri cenſeam, quod cum me non tantum ratio, & Hippocrat. authoritas, ſed etiam experientia docuerit, (vidi enim aliquando Iſchiadas factas à bile acerrima) arbitratus ſum huius curationem ab authoribus neglectam fuiſſe, non quin ab hac fieri poſſit, ſed tanquam eius affectus, qui rariſſime eueniat, cum vtplurimum à pituitoſo & crudo humore procreari conſueuerit, licet autem raro hic eueniat affectus, non debet tamen Medicus eius curationem negligere; quoniam, vt dixi, quæ raro eueniunt, ſi recte pertractentur, præſtantem Medicum oſtendere poſſunt. Qua de re Medicus, Iſchiadicum curaturus dolorem, optime animaduertat hæc quæ poſſunt eum manuducere in cognitionem peccantis materiei, ſicuti qualitatem doloris, tempus exacerbationum, prægreſſam diætam, exercitia, habitum corporis, temperamentum, ætatem, regionem, anni tempus, applicationem remediorum, excrementorum vel abundantiam vel retentionem, morbos patienti aſſuetos, & omnia alia quæ huiuſce ſunt ordinis, quæ omnia poſſunt ſpeciem materiæ peccantis atteſtari: verum quoniam nos tantum loquuturi ſumus de Iſchiade à materia calidiori, & bilioſa; ideo huius tantum ſigna ponemus, quibus poſitis ad curationem deſcendemus. In tali Iſchiade dolor erit acerrimus, & ſimilis pungitiuo, exacerbationes erunt ſæuiores alternis diebus, victus ad calidum & ſiccum vergens præceſſit, exercitia fuere valida, habitus vt plurimum erit gracilis, temperaturæ erit bilioſæ, ætas iuuenilis ad hoc plurimum faciet, ſicuti & regio calida, tempus anni æſtiuum, dolor à calefacientibus exacerbatur, quod maxime me manuduxit in cognitionem huius affectus, in tali patiente ſolent abundare bilioſi humores, vel idem, qui excerni conſueuerant, retenti ſunt, ſolituſque eſt pati morbos à bile, quæ in hoc morbo magis qualitate quam quantitate lædit, facile iraſcitur, excandeſcentiamque animi facile incurrit. His ductus Medicus in cognitionem materiæ bilioſæ, audacter curam aggrediatur, quoniam morbus hic non ita difficulter, ſi recte curetur, ſoluitur, vt ille à pituita. Quare ſtatim dimiſſis pure repellentibus, quæ in coxendicum dolore non conueniunt; quoniam, cum pars affecta in profundo ſita ſit, ſanguis & humores ex vicinis & ambientibus vaſis ac muſculis ad illam à repellentibus medicamentis compellerentur, debet tentare vt materiam à loco affecto educat, cauſamque fluxionis inhibeat, &, ſi dolores exacerbentur, lenientibus agat. Vnde primo ad totius corporis euacuationem

deſcendat. Quare lenita aluo Caſſia vel Thamarindis, vel alio ſimili pharmaco, vbi contraindicantia non æquipolleant, ſtante totius hepatis, cuius ratione generatur bilis, intemperie calida, ſecetur vena. Vena autem ſit interna, ſeruata rectitudine loci patientis, vbi ſit plenitudo, quod ſi hæc non adſit, ſecetur vel poplitis, vel tali vena, poſtea materia his, quæ bilem reſpiciant, & temperare poſſunt, concoquatur, hæc concocta euacuanda erit pharmaco, quod bilem ducat, in quem vſum plurima venire poſſunt, tamen cum materia è longinquis partibus euocanda ſit, ea aſſumantur, quæ in ſubſtantia ſolida formantur; cuiuſcemodi ſunt pillulæ aureæ: quę, quoniam plurimum recipiunt ſcammonei, in hoc caſu prodeſſe valent, repetaturque hæc euacuatio, quoniam vnica vice affectus tolli non poterit, qui tamen ex repetita euacuatione maxime ſedabitur; mirum enim eſt, quoniam in talibus affectibus conferant bilis euacuationes, ex quibus maxime leniri ſolet dolor, qui ſi aliquando exacerbetur, inungatur locus affectus, perfundaturque oleo roſaceo, cui admixtum ſit dimidium olei camomælini, poſſunt etiam formari emplaſtra ex lactuca, ſolatro, endiuia, farina ordei cocta in poſca, quibus olea prædicta ad impinguandum admiſceantur. Infundantur etiam clyſteria quæ ſimul lenire & refrigerare poſſunt, cuiuſcemodi ſunt formata ex decoctione, radicum altheæ, ſeminum lini, foliorum maluarum, violarum, hordei, quibus addatur oleum violatum, ſaccarum rubeum, lutea ouorum, & caſſia pro clyſteribus parata, aliquando loco prædictæ decoctionis aſſumatur lac recens, & ſi indicium ſit bilem acriorem eſſe, poſſunt etiam admiſceri ſucci endiuiæ, lactucæ, portulacæ, & ſimilium herbarum; in quo caſu etiam maxime probarem balneum, & aerem balnei, tum ad temperamentum, tum ad diſcuſſionem: quod ſi dolor vehemens admodum eſſet, hincque valde angerentur & cruciarentur patientes, ſi prædictis non leniatur, applicentur tum exterius tum interius aliqua leuiter ſtupefacientia, quæ in hoc caſu ſtante & materia & intemperie calidiori, poterunt maxime, nullam inferendo noxam, conferre. His peractis, & iis adminiſtratis, quibus ſuperetur morbus, ſi quid reſidui remanſerit, vel inunctionibus, vel fomentis, vel emplaſtris leniter diſcutientibus agatur, ſemper in hoc caſu cauendo ab omnibus acrioribus & calidioribus medicamentis, à quibus aliquando vidi adeo exacerbatos hos ægrotantes, vt miſeri hinc claudicantes, & ad motum impotentes redacti maximis cruciarentur doloribus, quæ omnia deinceps lenientibus, contemperantibus, & refrigerantibus adminiſtratis remediis, lenita fuere, ad quam intentionem faciunt etiam plurimum frictiones, in parte oppoſita adhibitæ, ſicuti & cætera deriuationum & reuulſionum genera, interim patientes victu vtantur refrigerante & contemperante. Vnde ptiſana maxime probanda eſt, lactuca ſimiliter, & omnia cicoracea, cæteraque olera refrigerantia, quæ non tantum veniant in vſu pro cibo, ſed etiam vt cum his alterentur iura, & carnes aſſumendæ, quæ ſint elixatæ, non toſtæ, ſintque ex pullis domeſticis, ex hædis, ex vitulis, & ſimilibus animantibus, non autem ex ſylueſtribus, & quæ durioris ſunt ſubſtantiæ; caueant omnia aromata, radices, herbas acriores, fugiant mel, & omnia quæ ex eo parantur. Vinum in totum interdicatur vſque ad perfectam morbi declinationem. Motus ſit lenis, ſomni ſint longi, & degant in locis temperatis, omnem aeris exceſſum vitantes, iramque, & omnem animi excandeſcentiam fugiant, aluum lubricam, ſi non ſponte, arte ſaltem habeant, ſique hi præſeruari ab hoc eodem morbo deſiderant, inhibeatur bilis generatio, quæ refrigerato iecore tolletur. Vnde ad hoc balnea naturalia, refrigerantia, cuiuſcemodi ſunt S. Marini Lucenſes, & ſimilia, imperanda ſunt: quod ſi hæc non admittant, ſerum caprinum, vel lac, præcipue aſininum, in emaciatis & gracilibus corporibus optime conferre poterit, multaque alia conſimilia tentanda erunt, quorum plurima eſt ſylua in locis, in quibus de intemperie calidiori hepatis tractatur. *Salius de affect. partic. capit. decimo ſexto.*

LOCVS AFFECTVS.

OBSERVATIO.

Iſchiadis locus affectus verus.

ISCHIAS omnium vehementiſſima ſedem habet non in eo articulo, quo femoris caput in coxendicem inſeritur, ſed altius ad ſummam natem, qua nerui à lumbis & ab oſſe ſacro emergentes feruntur in crura. Dolor atrox non in ſola eſt coxendice, ſed in femur quoque & in ſuram, & in extremum pedem exporrigitur, quocunque nimirum ab affecta coxendice deductus neruus pertingit. Raro tumor ineſt conſpicuus, rarius color aut rubor, quod eius loci ſumma cutis venis conſperſa minime ſit. *Fernel. lib. 6. cap. 18. Patholog.*

SPECIES.

OBSERVATIO.

Phthiſis Iſchiadica ſeu tabes coxaria Hippocrati cuiuſmodi.

ISCHIADICA Phthiſis eiuſmodi eſt: cum humor contumax, vix tamen excluſus venis in articulum magnum & laxum decubuit, vbi qui calidiore loco concoqui non potuit, ægerrime concoquetur. Eſt enim eiuſmodi articulus, quia oſſe multo & neruo conſtat, natura frigidus. Atque hic depoſitus humor neruos laceſſit, vnde dolor grauis venas, qua alimentum cruri diſpenſatur, opprimit, multo magis ſi illic concaleſcens humor putreat atque corrumpatur, & inde partes in inflammationem quandam trahat. Primum igitur aduerſum crus intabeſcet, & reliquum corpus dolore & vigiliis emarceſcet quam φθίσιν ἰσχιαδικὴν appellat, quia inde marcoris initium eſt, quomodo νωτιὰς φθίσις familiaris, vt inquit, recens ſponſis, & immodica venere vtentibus, & φθίσιν quandam νεφρῖτιδα dicit libro περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. Phthiſin autem dico plenius non ab vlcere pulmonis, non à deſtillatione in pulmones, & inde affectis pulmonibus, ſed omnem inſignem extenuationem & mar-

corem. *Iacotius Commentarior. ad Coac. Hippocrat. pagin. 228.*

SYMTOMATA.

OBSERVATIO.

Mulier à partu Iſchiadica facta, vnde eiuſdem articuli luxationem, atque inde perpetuam claudicationem incurrit.

QVÆDAM Matrona à partu coxendicis doloribus cum diu laboraret, vertebra tandem ex acetabulo excidit, perpetuoque claudicauit. Id cum euenit, candenti ferro opus eſt, vbi iunctura committitur, inde enim materia euocatur, alii circa genu exulcerant: vlcera aperta pilula cerea impoſita continenda ſunt, donec vitium deſinat. Prægnantes cum plurimum id malum dimittit, perſeque finit, aliquibus perdurat, qui fere poſt longos morbos, vi peſtifera huc ſeſe inclinante, ſolent accidere. *Idem de Curand. Morb. lib. 18. cap. 10.*

LIBERATI ISCHIADICI, FORTVITO EVENTV, ET MEDICINA.

OBSERVATIO.

Iſchiadici morbi fortuita, rationalis tamen curatio.

PRæfectus quidam multis fruſtra tum intrinſecus tũ extrinſecus vſus eſt remediis in dolore coxẽdicis, tandem ipſe, nullius iuſſu, accepit fila canabina cineribus macerata (mulieres vocant Riſtgarn/) ea elixabat, in aceto fortiſſimo. ex loco dolenti feruida applicabat, pro vt tollerare poterat: quibus ſemotis cutem plurimis veſicis abundantem animaduertebat, ex quibus tandem magna aquę citrinę copia promanauit, vnde ipſe non tantum à doloribus liber euaſit, ſed multis iam annis, his nunquam amplius vexatur. *Ex literis Med. cuiuſdam ad Geſn. communicauit Wolphius doctiſſimus.*

OBSERVATIO.

Vulnere circa malleolum inflicto, & arteria diſſecta, coxæ dolor leuatus.

MIHI ætate adhuc iuueni accidit. Miniſter DEI Pergami diuturno lateris dolore liberatus eſt per arteriæ in ſumma manu ſectionem, ex inſomnii quoque monitu illud aggreſſus. Porro alteri, cui ex malleoli vulnere diſſecta arteria fuerat, ſanguinis effluxus haud ceſſauit, donec ego vocatus totam præcidi, ac medicamento ex aloe & manna, ouorum albo pilis leporinis excepto, vſus ſum: vulnuſque citra aneuriſma curatum eſt, oſculo arteriæ carne obducto. Homo autem ille, annis iam quatuor ex interuallis paruis coxæ dolore vexatus, deinceps perfecte ſanus erat. *Galenus de Curand. rat. per vena Sect. capit. vltimo circa finem.*

* * *

OBSERVATIO.

Dolor coxæ fluxu hæmorrhoidum curatus.

QVIDAM apud nos mercator laborauit Iſchiade, cumque bis eſſet euacuatus, ſatis validis medicamẽtis, dolor tamen ſemper auctus eſt. Cumque ſecundo à purgatione die dolor eſſet vehementiſſimus, cum intenſo calore, & quodam teneſmo, tandem excreuit magnam ſanguinis copiam, cum impetu quodam ex hæmorrhoidibus erumpentem, & ſtatim dolor ceſſauit. *De Obſeruat. Clariſſ. Vir. Ioach. Camerarii.*

OBSERVATIO.

Octodecim annis Iſchiade afflictus, cauterio eandem extirpauit.

SAPIENTISSIMVS quidam Medicus multos ſuo tempore laborantes coxendico dolore curauit, & vnum affectum eo per annos decem & octo cauſtico facto ex capitello viuæ calcis, & aluminis, cuius cruſta butyro vel axungia porci non ſalita eſt amouenda: deinde locus apertus à docto Chirurgo eſt conſeruandus ſalſa carne, vel ligno buxi per ſex Menſes, vt poſſit materia per vlcus euacuari. *Iohannes Mich. Paſchalius de Curand. Morb. libro primo, capit. 61.*

OBSERVATIO.

Quotidianis vomitionibus ab Iſchiade quidam vindicatus.

NOs Iohannem Spinellum, ciuem Venetum, quotidianis vomitionibus ſanauimus. *Alexandr. Benedictus De Curand. Morb. libro decimo octauo capit. 10.*

OBSERVATIO.

Claudicans ex Iſchiade ſine luxatione curatus.

CLAVDICANS ex Iſchiade veteri, ſine luxatione, ſed relaxatis & mollitis articulis, ſequentibus auxiliis liberatus. ℞. agar. rh. elect. an. ſcrupul. j. puluer. hieræ diacolocynth. drachm. s. cum ſyrup. de ſtœchad. formentur pilul. Poterit addi aliquid pilular. de hermodactyl. Vtatur his pilul. per interualla, aut etiam ſyrup. Obſeruatione 5. præſcripto. ℞. Sal. maioran. calamenth. ebul. iuæ arthrit. ruth. roſmar. beton. an. manip. s. radic. acor. vnc. j. fol. laur. pug. ij. f. decoct. in aq. & vini quantitate ſufficienti. Impleatur vaſculum hoc decocto, bene clauſum plantæ pedum admoueatur, dum calor ad cruris ſuperioris articulos perueniat. Eodem decocto pars foueatur. Materia cum oleo laurino ſubacta articulo apponatur. ℞. euphorb. caſtorei, ſtyrac. calamith. ana. drachm. ij. liqueſcant in vaſe duplici cum olei chamæm. & laurin. ana. vnc. iiij. ceræ vnc. j. s. therebinthinæ vnc. j. miſce pro vnguento. Poſt vero, vbi materia fuerit reſoluta, vtatur balneis naturalibus, vel factitiis è ſulphure, ſale, & alumine, cum dupla aqua. Emplaſtrum etiam valet ex ebulo in vino cocto. Potus hydromeli, & ratio vitæ conueniens, *Holler. Obſer. 7. libro proprio.*

OBSER-

Observatio.

Ex Iſchiade decocto ligni cum dropace Pauli liberati.

EX ſciæ morbo, quem inexpugnabilem eſſe putant, multos liberaui, imo præter Aelum quotquot in manus meas venerunt, atque, inter reliquos, vxorem Hannibalis Crucei, à Senatus libellis, amici noſtri, viri præterea eruditi, iacentem cum doloribus intolerandis, & ea parte qua coxendix afficiebatur etiam immobilem iam per quatuor Menſes, tum mihi tempus anni æſtiuum fauit. Aquam igitur ligni, multo admiſto agarico, & multa radice pytiuſæ, cum gingibere, cinamomo, cardamomo maiore, pyretro, ſantaliſque citrinis, ſaluia & roremarino exhibens: cum moderata non exquiſitiſſima victus ratione, quam ferre non potuiſſet ob morbi longitudinem, demum, cum ex his coxendix non leuaretur, dropace Pauli impoſito, perfecte eam paucis in diebus liberaui. *Cardanus Curat. admirand. num.* 17.

Observatio.

Iſchiadis curatio probatis & familiaribus remediis atque hiſtoriis oſtenſa.

DEcoctio hypericonis cum vino pota, mire ſuccurrit Iſchiadicis. *Iacobus Dovynet. Apologia lib.* 4. *capit. quinto.*

Pollicetur *Fernelius* lepidium tritum cum radice Enulæ horæ quadrante impoſitum coxæ, præſenti remedio eſſe. Idem pollicetur *Aetius*, *Paul. Ægineta.* Fernelius de Alberide vulgo naſturtio agreſti incidente 4. horis emplaſtri modo coxæ cum ſuilla adipe ſalſo compoſiti. Item, calamintha inducta coxæ, ex ea materiam euocat; ſi dolor non leuetur & inueterarit, imponatur ſemen naſturtii ſatiui coctum cum polenta & aceto, trahit enim humorem ex alto in ſumma cutis. Idem præſtat & ſinapi ſemen tritum cum ficubus. Fimus columbinus cum ſemine naſturtii tritus & mixtus cum farina hordeacea & aceto inueteratos coxendicis dolores & podagræ extirpat.

Arculanus, Matth. de Gradi, & Arnaldus & Philonium ea medendi via feliciter vſi ſunt, cum nullis remediis ceſſit dolor. Idem expertus eſt, *Iohannes Chauangius* Chirurgus inſignis, & vir expertæ induſtriæ, Cataplaſmate ex fermenti acris lib. ſ. cantharid. vnc. j. ficuum pinguium pulpa vnc. ſ. concinnato. *Matth. de Grado* parat aliud ex ſinapi, fimo columbino trito ex decoctione ficuum, cum ſemine naſturtii, & aceti parum. Addit *Fernelius* farinam hordei. Iſtud autem rubificat, & veſicis excitatis tollitur: detergentur veſicæ linteo imbuto decoctione ficuum; deterſis imponitur braſſica tepida, vt inde materia foras euocetur: & vt, quod eſt coxæ compactum, digeratur, incidatur, extenuetur, & ex alto corpore [illegible] ma transferatur & diſcutiatur.

Nullum nec melius nec præſentius emplaſtrum expertum & perſpectum multorum curationibus excogitari poteſt, quam illud *Galeni lib.* 1. κατὰ γένη deſcriptum ab Auicenna, quod etiam Tagaultius lectiſſimus Medicus, doctiſſimuſque Philoſophus, & arte dicendi inſtructiſſimus in hunc vſum miris modis commendat, cuius deſcriptio talis: ℞. ſeminis ſinapis, vrticæ, ſulphuris, ſpumæ maris, ariſtolochiæ rot. & bdellii ana. vnc. j. ammoniaci, ol. antiqui, & ceræ ana. vnc. ij. fiat emplaſtrum.

Vidi equitem torquatum, coxendico dolore correptum, releuatum impoſita coxæ placenta ex fermento ſecaligineo, cum mixta erant folia cicutæ minutim conſciſſa, compoſita, cocta in foco candente ſub cineribus calidis linteis inuoluta.

Alium vidi ex eodem affectu conualuiſſe ex ſucco cœpæ, quo tota fuit illita, deinde pipere minutim conſciſſo reſperſa, ſuperpoſita ſpongia decoctione cumini imbuta, facta ex vino albo. Præſtabilia quæque videor perſecutus minutioribus quibuſdam duntaxat neglectis, quæ nullo ſtudio in mentem cuiuſquam venire poſſunt, vt Fotus ſalicis *ex Dioſcoride* Hiera Hermetis *à Matthæo Gradi* Cataplaſma ex ebulo, farina ordei, & melle communi *ex Syluio.* Atque etiam aliud ex eodem ex radice altheæ cocta in lacte, adiecta farina hordei. *Idem loco quo ſupra.*

Ibicis ſtercus, cum ad Iſchiadicos & Arthriticos admirabile ſit auxilium, non duxi prætermittẽdum, quod de eo ſcribit *Marcellus empiricus.* Ille itaque ſic habet. Incredibile & vnicum remedium Iſchiadicis & Arthriticis hoc eſt, quo ipſe Antonius Medicus ſanatus eſt, & multos ita iacentes, vt mouere ſe ſine cruciatu requirent, intra quinque dies ſtare, ambulare autem intra ſeptem dies facit. Conficitur ſic: Fimum Ibicum luna ſeptima decima colliges, quanquam & alia luna vetere collectum ſimili efficacia proſit, dum modo medicamen ſeptima decima luna componatur. Ex eo ergo fimo quantum vnius manus pugno pleno poteris comprehendere, dummodo impar ſit numerus pilularum in mortarium mittes, atque adiicies piperis ana. xxv. diligentiſſime trita: tunc addes mellis optimi ſeminam, & vini veterrimi optimi ſextarios duos, & contritis prius pilulis vniuerſa miſcebis & reponas in vaſculo vitreo, vt cum fuerit opus, habeas medicamentum ad ſubueniendum. Sed vt maior ſit medicaminis efficacia, luna ſeptima decima illud facere debebis & cum daturus fueris, à die Iouis incipe, & per dies ſeptem continuos dato, ita vt qui remediandus eſt, ſtans in ſcabello contra orientem bibat. Quæ potio ſi ita vt ſcriptum eſt data & obſeruata fuerit, etiamſi omnibus articulis & coxa infirmus contractuſque fuerit, & immobilis ac deſperatus iacuerit neceſſe eſt vt ſeptima die ambulet. Hæc ille. ℞. etſi non dixerit, quantum huiuſce medicamẽti quotidie ſumere affectos oporteat, intelligendum tamen cenſeo, vt in ſeptem æquales partes diuidi debeat, & vna quotidie ſumi. *Matthiolus.*

A iuga ſiue Chamæpytis tota vna cum floribus & radicibus in puluerem trita, ſi diebus quadraginta ſumatur, & reſinæ terebinthinæ ſiue lariceæ quaternis drachmis, Iſchiadicos ſanat. *Idem.*

Arthemiſię aridorum foliorũ farina trium drachmarum pondere ex vino pota medicamentum eſt optimum ad coxendicum dolorem.

Oleum flammulæ commendant quidam Iſchiadicis, articulorum iliumque doloribus, vrinæ anguſtiis, & renum calculis, in quibus morbis aut calidũ illud inungunt, aut clyſteribus infundunt. Id autem præparant hoc modo; Flammulæ folia tenuiſſime

conciſ in roſaceum imponunt, quod vitreum vas exceperit, ac inde per æſtatem inſolant, obturato vaſe. Idem: Datur etiam in cibis hiſce morbis trium drachmarum pondere. *Idem.*

Compertum eſt multorum experimentis, etiam Iſchiadicos dolores cum nullis aliis remediis ceſſiſſent, litui ex aqua limacū muccoſa per ſeptem aut octo dies vſurpato ſedaſſe, cuius rei fidem mihi fecit Nobilis Dominus à Longomello, vir rei & fidei plenus, cum ipſe totos ſex menſes Iſchiade fuiſſet diuexatus. Hac arte eiuſmodi paratur aqua. Cape limaces rubros 50. aut 60. pone in olla cuprea & ſale cōmuni conſperge, illicque contine per diem integrū, mox per cilicium exprime, in expreſſa colatura lintea demerge imbutaque illo liquore dolenti loco impone ſæpius renouanda. Cæterum ſi magna ſubeſt inflammatio, incoquendi erunt limaces in aceto & piſtillo tuſa, atque cum pauca farina hordei aut fabarum concorporata.

Obſervatio.

Repellentia coxendicum dolori minime conuenire, præclaro exemplo docetur.

Coxendicum dolore preſſis, repellentibus non eſt locus, inquit Galenus, ne humor ille malignus coxæ compagi altius infixus, ſpiraculis cutis contractis cohibeatur, comprimatur, retundatur, impingatur, corrumpatur, & ea contagione imbuti articuli laxentur, vicinæ partes rodantur, exulcerentur, ſæui cruciatus excitentur, procidat ſua compage coxa, redundans illo mulcoſo humore, contabeſcat totum crus, & ſic ægrotus miſere mortem inueniat, quomodo in quadam muliere vidimus, quæ diuturno affectu grauiter conflictata naturæ tandem vitam reddidit. *Iacobus Dovynetus Apolog. libro 4. capit. 5.*

DE CVTE.

CVTIS VITIA NATIVA, ET ACCIDENTARIA.

Obſervatio.

Sine cute natus.

Lvdouicus Vngariæ & Bocemiæ Rex, ſine extrema cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, editus eſt. Arteque & inunctionibus ea producta, vel adoleſcens canos aliquot alebat capillos. Vnde aliqui, non diu duraturum regnum, portendi, ſunt arbitrati. *Sambucus in appendice Bonfinii.*

Obſervatio.

Pallio carneo amictus natus quidam.

Bremopirgi Marchiæ vrbe infans natus eſt, ita in corpore circumflua & laxa carnis mole, vt indutus ſago militari Germanico crederetur. *Iobus Fincelius de miraculis.*

Obſervatio.

Quoſdam viſos, qui cutem inſtar animalium quorundam, vel circa pectus, vel alias corporis partes, mouere potuerunt.

Avdio homines fuiſſe, qui in thoracis regione, & alibi etiam in corpore cutem mouere valuerint, quibus proculdubio membrana hæc ſimilis erit quorum aſinorumque carnoſis membranis contigit. *Veſalius de hum. corp. fab. lib. 2. cap. 5.*

Obſervatio.

Carnoſam proprie dictam corporis cutis membranam poſt cuticulam & cutem veram tertiam male nonnullos cum muſculis abdominis confundere.

Non perperam vocem, carnoſa, adiectam arbitror, quum inter reliquas corporis membranas hæc ſola propemodum carnoſa appareat, vereque talis cenſenda eſt. Quod Arabes paulo exactius perpendentes, primi omnium, quod ſciam, hanc membranam carnoſam appellauiſſe videntur. Atque id ſane penitus noſtræ huius ætatis medicorum præcipuis indagādum fuerat, qui panniculum carnoſum, à Barbaris quibuſdam non male me hercule eo nomine appellatum, octo abdominis muſculos eſſe contendunt, & contra Galeni ſententiam, ac rei veritatem, cuti membranam in vniuerſo corpore, & in ipſo demum abdomine (de quo duntaxat ſapere videntur) ſubtendi inficiantur. Alii, etſi per vniuerſum corpus à me hanc membranam demonſtrari conſpexerint, adeo ineptiunt, vt hanc non fateantur eam eſſe, cuius Galenus tum alibi ſæpius, tum *in tertio de adminiſtrandis ſectionibus* meminit, eo quod ego adipem inter cutem & hanc membranam oſtendo, ſæpe trium etiam digitorum craſſitudine: quodque hominis membrana tantum à cute ſemper abſcedat, quanta adipis eſt craſſities. Debebant profecto eiuſmodi naturæ & veritatis hoſtes perpendere, Galenum de ſuis ſimiis, non autem hominibus locutum, quibus nullus adeps inter membranam & cutem interuenit: ipſaque membrana nō fibris duntaxat cuti continuatur, ſed prorſus vndique citra alterius corporis interuentum ipſi contigua eſt. Vnde etiam non adeo arduum eſt, in homine cutem ſolam illæſa membrana diuidere, ac in ſimiis, canibus, & illis animalibus, ex quibus Galenus anatomen deſcripſit. Huic membranæ, ea parte, qua muſculorum proprias reſpicit membranas, lentor ille muſcoſus, quem cuti Ariſtot. tribuit, obducitur, ob hoc fortaſſis, ne ipſa ſubiectorum muſculorum motum præpediat. Membranis enim omnibus, quæ corpus, quod ſitum locumq; aliquando mutat, continent, ambiuntve, muſcoſo quodam lentoque humore, qua corpus id reſpiciunt, oblini, commune habetur. Sunt itaque tria vniuerſum hominis corpus perpetuo cingentia: cuticula nimirum, cutis, & membrana hæc carnoſa. *Veſalius de Hum. corp. fab. libr. 2. capit. 5.*

Obſervatio.

Rubedo dextri lateris aliquoties animaduerſa in Moniali quadam.

In Monaſterio quodam Nigræ ſyluæ Monialis erat [illegible]orum circiter 25. quæ mihi Medico conquere[illegible]r, quod, quotieſcunque balneum ingrederetur, aut leui aliquo exercitio corporis vteretur, toties inſignis quædam rubedo in dextro latere à fronte vſque ad pedes ſuboriretur: ſiniſtra naturalem omnino colorem ſeruante. Qua ſane relatione admodum ſum obſtupefactus; & à iecinore hunc affectum

affectum prouenire ſum ratus. Venæ ſectionem imperaui,& rhabarbari vſum cum aqua endiuiæ: item epithemata ex camphora & foliis roſarum, &c. Medici cuiuſdam ad Geſnerum,cuius manus mihi, qui hæc tibi communico Clariſſimus Vir, proſus ignota,alioquin appoſuiſſem, vt ſua quoque laude, qua dignus erat, non careret. *Clariſſimus Vir Caſparus Wolphius.*

LICHEN ET FVRFVRES.

Observatio.

Lichen vniuerſum corpus Pumilionis Nani occupans.

NIcolaus Pumilio ad Sereniſſ. piiſſimamque Reginam Poloniæ, Catharinam, ad quam olim à Cæſ. Maximiliano feliciſſ. recordationis, Domino meo Clementiſſimo miſſus fueram, integro quinquennio Lichene per vniuerſum corpus ita affectus fuerat, vt ne quidem minimus ſuperfuerit locus, in quem acies acus defigi potuiſſet. Et cum adhibitis multis remediis per illud quinquennium curari non potuiſſet, à me 6. Septimanarum ſpatio per Dei gratiam feliciſſime priſtinæ valetudini reſtitutus eſt. Pro qua curatione piiſſima Regina ſæpius ad me datis literis, & commemorabat grata mente operam & pro ea amplas gratias agebat. *Thaddæus ab Haycir in actione Med. aduerſus Pheb. Fanchelium Belgam incolam Buduuicenſem, &c. folio 4.*

Observatio.

De vniuerſali furfuracea corporis affectione.

LVdouicus Volia, Nobilis Mantuanus, iam inde ab incunabulis fœda potius; quam moleſta corporis affectione detinebatur: vniuerſa namque fere corporis cutis ſquamoſo, ſeu potius furfuraceo quodam tegumento aſpero ad liuiditatem inclinante circumueſtitur; idque magis hyberno, quam æſtiuo tempore; quo minus, præſertim cum ſudores eliciuntur, illiſque madet corpus, deturpatur. Quinimo multis in corporis partibus exacte mundatur, & inde cadentibus ſquamulis quibuſdam veluti furfuraceis, ſubiecta cutis detecta naturali colore prædita intuentibus ſeſe offert. Minus vero circumueſtiuntur huiuſmodi cutanea fœditate prominentes partes, puta nates, cubiti, & aliæ eius generis: at manus & facies nihil, vel ſaltem parum itaroque admodum tali tegmine obduci conſpiciuntur. Huic infinita propemodum præſidia à Medicis præſcripta fuere; quibus tamen nunquam perfecte curari potuit, etſi plurieseadem, diuerſaque auxilia, ex Medicorum conſilio in vſum traxerit. Nullum tamen remedii genus proficuum magis expertus fuit balneo tum aquæ potabilis in qua detergentia decocta fuerunt, tum etiam Thermalium Caldetienſium, quibus non ſolum corpus immerſit, ſed & eas, corpore prius repurgato, ebibit. His præſidiis etſi mirifice iuuaretur, magnaque ex parte mundaretur, nihilominus rurſus, præſertim hyeme aduenitante, eadem turpi cutis affectione conſpurcabatur. Et cum iam ad perfectam adoleſcentiam peruenerit, in eodem fere ſtatu permanet, quamuis complures ExcellentiſſimosMedicos conſuluerit: in cuius curatione & nos ſedulam operam impendimus. Lienoſus hic iuuenis eſt, coloreque fuſco præditus, ex patre lienoſo, melancholicique temperamenti oriundus, qui nec luis gallicæ, dum eum genuit, ſuſpicione vacauit. *Marcellus Donatus lib. 1. capit. 3. Hiſtor. Med. Mirabilis.*

PHTHIRIASIS.

Observatio.

De Phthiriaſis vulgaris cauſis, variæ eruditorum ſententiæ.

VARIÆ ſunt authorum ſententiæ circa huius morbi generationem,& cauſas. *Ariſtoteles 5 de Hiſt. animal. capit. trigeſimo primo*, fuit eius ſententiæ, quod pediculi gignantur ex carne corrupta: quo in loco tria dicit Ariſtot. Vnum eſt, quod illis, quibus innaſci debent pediculi, prius fiunt quædam puſtulæ in cute, quas ſi quis expungat, ſubapparent pediculi. Aliud, quod dicit, eſt, huiuſmodi morbum fieri in illis qui præhumido ſunt corpore, aut etiam poſt aliquos morbos. Tertium eſt, aues, piſces, & quadrupedia omnia laborare hoc morbi genere, excepto aſino. Sed hæc Ariſtotelis ſententia mihi videtur non omnino ſana eſſe, duabus rationibus, prima eſt, quia in cute capitis naſcuntur pediculi, vbi minima eſt carnis portio: quod ſi fierent ex carne corrupta, ſane in pueris, quorum capita abundant his animalibus, prorſus deſtituerentur carne; quia tota conſumeretur, altera ratio eſt, quia pediculi maxime abundant in ſecunda, & tertia hecticæ ſpecie; verumtamen in hoc morbo ita carnes ſunt conſumptæ, vt nullus remaneat locus pediculorum generationi. Itaque remanet nullo modo fieri poſſe, vt pediculi gignantur ex carne corrupta, quemadmodum dicit Ariſt. *Theophraſtus libro ſecundo, de cauſis plantarum, capite ſecundo*, habuit diuerſam ab Ariſtot. ſententiam, vbi ſcribit, pediculos fieri ex ſanguine corrupto, & putrefacto. Sed neque hæc mihi vera videtur, duabus rationibus, prima eſt, quia in febribus iis, in quibus ſanguis putreſcit, nullus apparet pediculorum prouentus, quod ſignum eſt, non eſſe materiam pediculorum ſanguinem corruptum. Altera ratio eſt, quia, cum orta principiis ſuis atteſtentur, ſi fierent ex ſanguine, aliqui ſaltem apparerent coloris rubei & ſanguinei, ſed nulli videntur; imo color ipſorum eſt prorſus alienus à colore ſanguinis. Vnde patere poteſt non generari à ſanguine corrupto. Supereſt igitur, vt ſola veritas ſit, quam *Galen. 1. de comp. medic. loc. capit. ſeptimo, & Auicen. libro quarto, fen. 7. Tract. 5. capit. vigeſimo ſexto*, & etiam alibi habuerunt, videlicet, quod pediculi gignantur ex excrementis calidis tertiæ & vltimæ coctionis putrefactis, non acribus, non prauis; quorum ſententia, vt exacte intelligatur, ſciẽdum eſt, quod vbi ſanguis in ſubſtantiam membrorum conuertitur, multa excrementorum genera producuntur, quorum alia diſſoluun-

tur per inſenſibilem tranſpirationem, alia per ſudorem, alia conuertuntur in ſordem, alia vero retinentur in ipſa cute, quæ retinentur in cute, ſi in ſummo eius retinentur, faciunt furfurationem: ſi in profundo; aut ſunt praua, & acria, & faciunt ophiaſin; aut non ſunt acria, neque praua, & faciunt pediculos. Itaque pediculi gignuntur ex excrementis iſtis calidis vltimæ coctionis non acribus, nec prauis, ſed dulcibus, atque hæc eſt cauſſa materialis pediculorum. *Mercurialis libro primo, capit. ſeptimo, de morbis cutan.*

OBSERVATIO.

Phthiriaſis rara & horrenda ſpecies, qua pediculi vniuerſum corpus infeſtant.

ANtigonus ἐν συναγωγῇ ἱστοριῶν παραδόξων tradit, in hominis corpore exiſtere veluti puſtulas exiguas, quas ſi quis perforet, exire pediculos, & facile hominem curari. Sin vero integræ relinquantur iſtæ puſtulæ, in grauem quempiam morbum pediculantem incidere, quo Alcmeonem Phyſicum & Pherecydem Syrum interiiſſe ſcribit. *De Obſeru. D.D. Ioach. Camerarii.*

Venetus vir bonus Anconæ, pediculis per vniuerſum corpus ſcatens, ita ipſis lancinabatur, fœdabaturque, vt parum abfuerit, ne ex hoc decederet morbo, contra quem morbum vtpote à putridis & corruptis humoribus originem trahentem, primo eius cauſam venæ ſectione, tum medicamentis purgatoriis depoſuimus: non ſolum ſemel, ſed bis & ter, ac poſtea topicis remediis applicatis, breui ab hac fœda lue liber factus fuit, habent autem topica medicamenta ſic. ℞. lupinorum amarorum pugillos tres, ſeminis ſtaphiſagriæ officinis ſatis familiaris pugillos duos, in aceto acerrimo fiat decoctio ſufficiens, quo aceto vniuerſum corpus à capite ad pedes vſq; lauetur, ac poſtea linimento ſequenti, corpore bene terſo & exſiccato, illinatur. ℞. ſeminis ſtaphidis, id eſt, ſtaphiſagriæ pedicularis dictæ herbæ partes duas, ſandarachæ Græcorum, partem vnam, nitri hodierni fini & purgati, partem mediam, in aceto acerrimo, cum oleo raphanino omnia accuratiſſime piſta, miſceantur, & ex iis fiat inunctio, quibus breui aſſecuti ſumus ſcopum, nec amplius in eandem fœdationem æger deuenit. Cæterum, dixit *Paulus 3. lib. ſuæ Medicinæ, cap. 3. in fine*. Ego pediculariam ex aceto oleoque tritam inunxi, ac ſemper quod volui ſum aſſecutus, miſſa facio, quæ *Aetius, ſermone ſexto ſui operis Medici* dixit *capit ſexageſimo ſeptimo*, & ea quæ *Gulielmus de Saliceto capite quadrageſimo octauo, primi libri* ſcripta reliquit, velut quæ *Galenus* cæterorum ſcaturiens fons, *primo* dixit *libro, de compoſitione Med. s. l. Luſitanus Centur. 3. Curat. 58.*

Dicitur morbus hic Græcis φθειρίασις ἀπὸ τῶν φθειρῶν, id eſt, à pediculis, quem authores capiti, & mento, ac oculorum ciliis familiarem deſcribunt. Nemo tamen ex practicis ſcribentibus, morbum hunc vniuerſum corpus prehendêtem, ac fœdâtem, deſcribit, aut curat. Cæterum ex hac facta lue multi mortui ſunt, vt Sylla, Pherecides, Ennius, & vt nonnullis placet Plato quoque iis adiungendus venit. Nouimus autem nos Olyſſipponæ hominem quendam non ignobilem ex hoc morbo miſerrime obiiſſe: ita enim per vniuerſum eius corpus pediculi ſcatebant, abundabantve, vt duo eius ſerui Æthiopes nihil aliud curæ haberent, quam ex eius corpore pediculorum cophinos plenos ad mare, quod prædictam ciuitatem præterlabitur, portare. Erat autem homini huic cognomen tum, ſi recte teneo, Tabora. Porro apud Hyberniam & Islandiam, ſcimus nos homines ſemiferos ſubuculis croco infectis veſtiri, vt pediculos fugent, quas per ſex menſes, & amplius geſtare ſolent. *Idem in ſcholiis ad curat. eandem.*

OBSERVATIO.

Phthiriaſis ſpecies alia fera dicta: nec ſatis veteribus explicata.

ALiud eſt genus pediculi ἄγριον. i. ferum ab Ariſt. vocatum 5. *Hiſt. Animal.* 31. durius priore, quodque à corpore detrahitur difficilius, noſtri (Galli) Morpions & Pattas (Germani Fülßläuß) vocant: Gordonius peſſolatas, hærentes cuti firmiſſime, vel cuticulam ſuo morſu penetrantes, aridiorem ſortiuntur materiam, qualis eſt ſemiaſſata, vnde minus turgidi, ſed preſſiores videntur. *Ioubertus.*

Petale fit de materia mediocri, & ſunt petale pediculi lati in pectine & ſub aſſellis & in palpebris (aliquando etiam in barba) generati, ibi fortiter adhærentes & pruritum facientes. *Valeſcus de Taranta.*

Ad plactos pediculos, qui reperiuntur in genitalibus & ſub aſſellis, ſummopere valet, &c. *Iohann. de Vigo.*

Arabice (Motes immores) id eſt, pediculi exponitur *in Synonimis continentis Raſis*, ſunt vero & quædam ſpecies pediculorum, qui dicuntur Arabice (Alcarad) à noſtris vulgo Piattolæ dicuntur, in Sicil. chatilli. Abenzoat vocat platulas. Nec aliam intelligi opinor quam hanc ſpeciem apud Arabes adguardam & interdum ſine articulo guardam & gardam atque etiam alfaed, quam in inguine & axillis præcipue oriri, antiquior Arabicorum nominum Auicennæ interpres ait *Ioan. Ingraſſias.*

STRONES, PEDICVLI, DRACVNCVLI, PASSIO BOVINA, VERMI*culi intercutanei, ricinus.*

OBSERVATIO.

De Syronibus Græcis Medicis incognitis.

SYrones inquit Abinzoar ſunt pedicelli, Arabibus Aſſoalat dicti, qui ſubter cutem & ad manus & crura ſerpunt, puſtulas quoque aqua plenas, ſub cute, vbi deliteſcunt, excitant, qua diſſecta, prorepunt animalcula tam parua, vt vix viſu quantumuis perſpicaci ægre deprehendi poſſint. De quibus *Ariſt.* videtur *in libro de natura animalium* ita dixiſſe: pediculi ex carne gignuntur, quibus aſſuturis, emergunt puſtulæ quædam ſine pure exiguæ, quas ſi purgas, pediculi exeunt valde exiles. *Langius.*

Ad noſtra tempora quoddam ſupplicii genus indomita fœtiditate peruenit in manib. exilis quidam pedicellus, lente minor ſub cute ſerpit, non admodum frequens. *Gabucinus.*

Syrones ſub cute geniti, quos antiquitas non recenſuit, vermes ſunt non minus Dracontiis ipſis &c. *Thom. à Veiga.*

Pediculorum ſpecies alia eſt, ſub cuticula oboriens, ibique affixa permanens, aut parum deambulans, præcipue in manibus ac pedibus infantium, non permittens illos quieſcere. Dicuntur Arabice alſoab, apud Abenzoarem, à noſtris vulgo pedicelli, dicunt aliqui pedoſcelli. Mirum hercle dictu, quod vti perbelle Abenzoar deſcripſit, cum excoriatur cutis, vbi ſcilicet minimus ille ionthus varulusve cuiuſdam ſudaminis inſtar apparet, exeunt animalia viua, tam paruuncula, quod vix poſſunt videri. *Ingraſſias.*

Pedicellum Piceni, Scirum Taurini, Bugantem Vaſcones vocant. Nempe admirabile eſt. Ei nulla forma expreſſa, præterquam Globi, vix oculis capitur magnitudo. Tam puſillum eſt, vt non atomis conſtare, ſed ipſum eſſe vna ex Epicuri atomis videatur. Ita ſub cute habitat, vt actis cuniculis vrat. Extractus acu, ſuper vngue poſitus, ita demum ſeſe mouet, ſi ſolis calore adiuuetur. Altero vngue preſſus haud ſine ſono crepat, aqueumq; virus reddit. *Scaliger.*

Sunt Syrones dicti omnium minimi, ſemper ſub epidermide latentes, ſub qua ſerpunt illam erodendo & moleſtiſſimum excitando pruritum. Ex ſicciore (quam Morpions) adhuc materia ſunt, quæ lentoris inopia, velut in atomos diſcinditur. Cyrones peculiariter vulgus acicula extrahit (Germani vocant Seuren graben) ſed cum non ſimul tollatur cauſa eorum fomes, perſeuerat affectio. Itaque præſtat vnguento vel fotu eos extinguere, quo ſimul tollatur pruritus ille infeſtiſſimus. Maxime εὐπόριστον cyrones occidens eſt acetum ſalſum, &c. *Ioubert.*

In manibus (ac pedibus) quidam exilis pediculus, lente minor, ſub cute ſerpit, non admodum frequens. *Benedictus.*

Observatio.

Ad pedicellos infantium, zu den lebendigen Seuren, remedium.

Qvandoqve infantib. pedicelli ſuccreſcunt in pedibus: quibus percurandis oua recenter edita in duritiem, vt ſolet fieri, coques: albumen ex hiſce in latiores particulas diſcindito, vitellos diſterito, deinceps vitellos cum raſura telæ raræ loco affecto admoueto, albumina vero ſuperimponito, inuicemque colligato. Diebus aliquot à deligatura, pedicelli omnes albumina verſus ſurſum conſcendent. *Wirſungius in opere praxeos: primis capitibus.*

Observatio.

Pediculi in dorſo ſub cute inuenti, poſt veſiculas excitatas & inciſas.

Pictor inſignis Bocklandius mirabilem caſum narrabat de alio pictore iuuene, qui per totum dorſum enormem pruritum ſentiret, illi tandem conſultum eſt à Medico, vt veſtibus depoſitis denudato dorſo ad ignem ſederet: quod cum ita feciſſet, veſiculæ à calore ignis excitatæ fuere; quibus apertis atque inciſis, in ijs pediculi innumeri reperti ſunt, ſed abſterſis vlcuſculis cum illis remedijs, quæ detergunt & amarorem habent, ab hoc ſymtomate iuuenis breui ſanatus euaſit. *Foreſtus Scholio obſeru. 15. lib. 8.*

Observatio.

Pulicelli inſtar animalculum, Indis frequens, pedes & manus vt plurimum corrumpens.

In India occidentalis mittit è pulicum genere Niguam, peſtem quandam atrocem. Minus eſt multo pulice hoc animal, quod hærens homini adeo lancinat, dum nec videri poteſt, nec prehendi, vt pedes quibuſdam, alijs etiam manus excid nt. Inuentum auxilium, ſi locus oleo perungatur, nouaculaq; radatur. *Cardan. lib. 9. de ſubtilit.*

Niguæ narratio tua mutila eſt, non inutiliter, ſi philologiam ſpectes, addemus ea, quæ abs te omiſſa ſunt. Pulicellus eſt roſtro acutiſſimo. Pedes potiſſimum inuadit, raro partes alias non ingredientium tantum, ſed cubantium quoque. Ideo in ſublimi cubant Indi. Frequentiſſime partem eam, quæ ſubeſt vnguibus, lancinant. Quarta die creſcere tumor incipit: tum ad eam turgent magnitudinem, vt piſum ſuperet. Tumor fœtus eſt lendinibus candidis: quibus extractis calidos imponunt cineres. *Iul. Cæſ. Scaliger, Exercit. 94. numero 8. ad ſubtilitat. Cardani 23.*

Peſtiferis infectis maximè infeſtantur, inter alia Niguæ, magnitudine pulicis, citra vllum ſenſum inter carnem & vngues præſertim pedum ſeſe immergunt, aluntur que in puluere; ſæpenum. accidit, vt nullus ex ijs dolor ſentiatur, donec in magnitudinem cicerum aut lentium excreuerint: ac tum cum ingenti lendium copia fruticante, acu aut ſpina ægre euelluntur: atque id mali cineribus calidis ſanatur. Porro Numidiæ mancipia, quæ Hiſpani in familijs habent, quod non habeant vnde calceis pedes muniant, ea peſtis peruicaciſſime infeſtat: tantaque copia pedes eorum appetit, vt nulla cura aut arte præterquam igne vel ferro arceri queant. Itaque multi ex eo digitis pedum, vel pedibus integris mutilati ſuperfuere, &c. Poſt pauca de ſeipſo ſcribit quod inguis iſtis laborauit, & cum aliis Hiſpanis crebra ablutione ex aqua ſaluti propriæ conſuluerit. *Turneuſ. in hiſt. ſtirp.*

Observatio.

Pediculi alati, muſcarum forma, intercutanei.

Hiſtoriam ab Agatarchide relatam, quoniam medicos adiuturam ac delectaturam ſpero, etiam latino ſermone expoſitam hijs ſubiungam. A prædictis (Maris rubri incolis) non multum differunt, locuſtarum eſores, gens quidem ſtaturæ aliis breuioris, aſpectu macilens, ac ſupra modum nigra. Sub æquinoctium vernum, quando apud nos Aphrici & Cephyri ſpirant, ex loco quodam incognito, ineffabilis magnarum locuſtarum multitudo vna cum illis ventis ad ipſos prouehitur, quæ ab auibus volandi facultate parum, at corpore lòge differunt. Ab hoc animalium genere toto tempore nutriuntur, ijs ſalitis atque alio modo paratis veſcentes; venantur autem ipſas, fumo ex aëre in terram deijcientes. Atque hi agilitate quidem & pedum velocitate pollere dicuntur. Sed cum valde ſiccum nutrimentum capiant, vltra quadrageſimum annum minime vitam producunt, imo vita miſeriorem ſane mortem obeunt. Siquidem appropinquante ſenectute eorum corporibus alata quædam pediculorum genera innaſcuntur, figura quidem caninis

muſcis ſimilium, ſed alioquin minorum. Incipiunt à pectore ac ventre, breuique vniuerſam faciei cutem depaſcuntur. Atque horum alij primum ſcabioſorum inſtar afficiuntur, deinde ſeipſos grauiter dilacerant, tandemque morbo conſiſtente, necnon cum beſtiolarum exortu tenuibus effuſis humoribus, intollerabiles cruciatus ſubire miſeri coguntur: ſicque vel ob ſuccos, vel ob alimentum, vel ob aëris prauitatem intereunt. *Hier. Mercurialis.*

Observatio.

De Dracunculis Aethiopiæ & Indiæ propriis: græcis, veluti Galeno, nominetenus cognitis.

Δρακόντιον, dracunculus, vt ſcribit introductionis ſeu Medici author, malum eſt cutis varici ſimile, magnumque dolorem, dum paululũ prominens mouetur, concitans. Aetius autem ex Leonida dracunculum lumbrico ſimilem eſſe dicit, interdum magnum, alias paruum reperiri, & frequentius quidem in cruribus, aliquando vero & in brachiorum muſculis oriri & conſiſtere: naſci autem in Aethiopia atque India maxime pueris, lumbricis latis non abſimilem, mouerique ſub cute ſine moleſtia, verũ temporis progreſſu circa dracunculi extremitatem ſuppurationem fieri, cuteque aperta, dracunculum caput exerere, quem ſi quis tentet attrahere dolorẽ ingentem moueri, præſertim ſi eum abrumpi contigerit: quod enim intus relinquitur acerbiſſimos dolores excitare: proinde vt ne intro animal recurrat, valido filo brachium conſtringi oportere, idque quotidie agendum eſſe vt dracunculus paulatim progrediens integer excludatur. Verum Soranus, vt refert ex eo Paulus Aegyneta, non exiſtimat animal eſſe, ſed neruoſam quandam ſubſtantiam quæ opinionem motus ſolum præbeat, ſed quid reuera ſit, nemo medicorum explicare poteſt, qui Europam incolunt: poſſe tamen animal eſſe ratio nobis dictat, cùm non modo in ventriculo atque inteſtinis creari, verum etiam ex cute erumpere tum pediculos, tum maiora quoque animalia compertiſſimum habeamus ex hiſtorijs *Io. Gorraus.* Circa rubrum mare, morbo correpti, (vt Agatarchides narrat) cum aliis inauditis accidentibus ſunt vexati, tum dracunculi exigui, qui nati ſunt exertis capitibus ſuras & brachia pere derunt, & tacti rurſum carnem ſubirent, ac per muſculoſa ſerpentes inflammationum vim intolerabilem excitarent, idque morbi genus prius aut poſterius vllis aliis obtigiſſe, nemo comperit, vt & multa alia. *Plutarchus, probl. 9. lib. 8. ſympoſ.*

Dracunculi Galeno nominetenus noti, poſterioribus innotuerunt, Paulo dracontium dicitur & dracunculus. Arabibus vena, à ſimilitudine, medena, ab vrbe Medena in qua id genus morbi frequens viſitur. Eſt enim in Aegypto frequens & India. Naſcitur ſub cute (non quod Galen. coniectat intra venam) vermis ſatis longus (Albucaſis decem & non raro viginti palmarum longitudinem excedere expertus eſt) ſubruberque qui motu ſuo cutem erodens & inflammans dolorem excitat, neque ſanatur, niſi integer eximatur, abruptus enim acerrimos dolores excitat qui vero negant eſſe animatum, ſed humoris vi ſepere, negligentius rem expendere. Eſt enim vermis non ſecus quam ſyrones noſtri, non minus Dracontijs antiquitati ignoti. *Thomas à Veiga comment. ad lib. 6. Galen. de loc. affect. pag. 298. edit. Plantinianæ.*

Æthiops maris præfectus ſeruus iuuenis octodecim annorum, cum primum ex Memphi Ægypti celebri ciuitate, Teſſalonicen. aduectus eſſet, illico de cruris dolore conqueſtus eſt, in quo iuxta talum primo vlcus excitatum eſt, in quo venæ caput conſpiciebatur. Quod aduertentes Turcæ morbum cognouerunt, periculoſumq; eſſe in Ægypto & india ac reliquis regionibus, quibus innaſcitur, ſignificarunt, quem Arabes, præcipue *Auicenna* venam medenam *Fen. 3. lib. 4.* appellari tradit, veluti Abinzoar, & cæteri huius doctrinæ homines, quibus morbus hic ſatis cognitus & familiaris erat. Pro cuius curatione accerſitus Medicus Parahyas Arabiæ doctus: ita orſus eſt, prima debita victus ratione propoſita, partem extremam venæ, aut verius neruoſæ cuiuſdam ſubſtantiæ, ſubtili ligno alligauit, quam paulatim ligno trahebat rotabatve adeo vt ad eius vltimã partem, hoc eſt, ad trium cubitorum longitudinem poſt multos dies peruenerit, vnde Æthiops à doloribus & anguſtiis, morbove ipſo, liberatus eſt, nullo ſuperpoſito cataplaſmate concoquendi vim habente, aut calida ſuperfuſione aliqua, quæ ex Sorano & Leonide *Paulus vltimis verbis libri quarti ſuæ medicinæ auxiliari* tradit. *Amatus Luſitanus.*

Vena an neruus vel lumbricus morbus hic ſit, in dubium vertunt authores. Ego vero oculatus teſtis, multis auritis verior, teſtor morbum hunc tanquam lumbricum conſpici album, ſubtilem, lineæ contortæ modo, qui ſe foras prodit, & pars extramiſſa, cum creſcit, eam neruum exiccatum quiuis dicet, qui, ſi abrumpi contingat, intenſos excitat dolores, & non leues animi anguſtias concitat, &c. *Idem Luſitanus.*

De Dracunculis Aethiopiæ & Indiæ proprijs, *Galenus libr. 6. cap. 3. de loc. affect.* Præterea *in Introductorio & Definitionum libro. Aetius Tetrabib. 4. ſerm. 2. cap. 85. Aegineta libr. 4. cap. 5. & Iulius Pollux libr. 4. Plutarchus libr. 8. Sympos cap. 9. Rhaſis interpreti libr. 12. cap. 2. Continentis*, dicitur vena ciuilis. Meminit eiuſdem affectus idem autor *in Almanſore cap. 24. tract. 7. Abynzoari cap. 20. tract. 7. libr. 2.* vena mediana & *Halalnachalaidini. Alſabarauio practicæ cap. 12. tract. 18.* vena exiens. *Haliabbati cap. 67. lib. 9. Practicæ*, vena ſanioſa. *Auicennæ cap. 12. tract. 2. Fen. 3. libr. 4. Canon.* vena Medeni. *Albucaſi lib. 2. cap. 91.* Vena cruris. Ex recentioribus *Manardus, & Langius in Epiſt. Agricola, Fuchſius, & Thomas à Veiga, commentariis ſuis ad dictum locum Galeni de loc. aff. Mercurialis in lect. variis, & Epiſt. à Scholzio publicatis, Robertus Conſtantinus in lexico, Wierus in libello Germanico de morb. incogn.* Et poſt hos omnes *Pareus libr. 7. cap. 21. Chirurgiæ*: qui recitatis pleriſque Græcorum, & (vt ipſe putat) damnatis Veterum ſententiis, Dracontion nil aliud eſſe, quam tumorem & abſceſſum, à feruore ſanguinis in genere venoſo genitum, nimis temere affirmat: cũ malum Indiæ & Æthiopiæ proprium ſit, & αὐτοψίαν, quam ipſe in aliis requirit, in ſe ipſo deſiderare debebat, niſi Indiam & Æthiopiam in Galliam transferre velit: cum ex profeſſo Græci & Arabes hunc morbum feruentiſſimis illis regionibus velut proprium attribuant. Quidam ad Varices referunt, quos non minus errare quam priores, certum eſt, quamuis affine malum, nec ita multum euarians: diuerſum tamen. Falluntur præterea, qui ad Ger-

ad Germaniæ noſtræ infantium, ſiue vermiculos ſeu pilos infantes infeſtantes, & ad maciem deducentes, aut Gallorum pilarem affectionem ſeu cridones referre contendunt, muſcam cum Elephanto conferentes: manifeſte vtriuſque vitij exacta collatione plurimum diſtante; & quod primarium eſt, curatione minime reſpondente. *Schenckius.*

Observatio.

Vermis intercutaneus alius à Dracunculo & ſuperioribus Alſabaraũij & Abenzoaris interpretibus paßio bouina à ſimilitudine dictus.

GEnerantur vermes in quibuſdam corporibus & locis, & appellatur hæc paſſio bouina, eo, quod bobus accidit frequenter. Et ſunt vermes naſcentes in corpore humano inter cutim & carnem, & extenduntur, & ambulant ſub cute, donec perforant in aliquo loco cutis & exeunt, & eſt poſſibile eos quandoque perforare & exire per oculos, &c. *Alſabaraũius.* Generatur aliquando inter cutem & carnem vermis, & nominatur hæc paſſio ægritudo bouis, eo, quia pro maiori parte bobus accidit, quod ſi neglexerit Medicus occidere ipſum, poteſt inde magnum conſequi nocumentum. *Auenzoar.* Eadem prope *Albucaſis* habet.

Observatio.

Vermiculi, ſeu, vt alij volunt, Pili infantium & puerorum muſculoſas brachiorum ſurarum, atque tergi partes infeſtantes, veteribus incogniti.

EXiſtunt in puerulis ſubtercutanea quædam animantia viua, lumbricorum formam præ ſe ferẽtia, dracontia vulgari appellatione nuncupata, quæ in muſculoſis corporis partibus, puta brachijs, cruribus, ſuris, plerunque conſiſtunt. Interdum etiam in lateribus ſub cute coëunt, quandoque totum tergum, aut ſaltem ipſum interſcapiliũ occupant. Hoc quidquid eſt animalculi, ni conſentaneis remedijs exſtirpetur, vel noxiam ſuppurationem inducit, vel infantulos prorſum tabefacit. Eiuſmodi vermiculos in poris infantium ac puellorum latitãtes hac extinguemus cura. Si non prominuli vltro fuerint, hoc eſt adhibito calido fotu, edulcatoq; (quale melicraton eſt) condimento, forinſecus illito, capitella ſua non exertarint, violentioribus medelis ad progrediendum foras quatiendi ſunt. Accipienda nimirum radix viticellæ, ſiue vitis albæ quantum manu preſſa capi poteſt: Bulliat in lixiuio è quernis cinerib. concinnato. Quo circumfuſum hiſce tineolis infantile corpuſculum perfundatur & lauetur. Quo facto, progreſſa dracontiorum ora nouacula præſecentur. Quibus ſic obtruncatis, infans denuo, prædicto diaclyimate, puta conia balneandus & abluendus erit, denudataque vel diſſecta pellicula commageno perlinenda. *Georg. Kufnerus cap. 12. appendicis ad lib. Leonelli Fauentini de morb. puerorum.*

Vermiculorum intercutaneorum genus eſt, quod infantibus ſemeſtribus, nonnunquam etiam pueris intra bimatum aut circiter conſiſtentibus, vt plurimum infeſtum eſſe ſolet. Naſcitur id potiſſimum in muſculoſis brachiorum, crurum, & tergi partibus. Prouenit ex excrementitio humore, ætati huic familiari, intra corporis poros contento. Hic, propter cohibitam tranſpirationem & diſcuſſionem, in putredinem tranſiens, vitam concipit, & pro pororum conceptaculis & proportione in vermiculos conuertitur, forma his, qui putreſcentibus caſeis innaſcuntur, niſi quod minores multo ſint, haud abſimiles. Nunquam toti è poris prorepunt, ſed capitula tantum nigris punctis inſignita protrudunt. Quin, intolerabilem ardorem, ſimul & pruritum excitando, moleſtiſſimi ſunt, vigilias & inquietudinem inferentes, vbi coaceruantur & accreſcunt, viua carne, pediculorum inſtar, abſtinentes, alimentarium humorem, qui tenellis corpuſculis alendo eſſe debebat, abſumentes, depopulantur. Ex quo in præſentaneam maciem & tabẽ pueruli tranſeunt. Quod dum mulierculæ aduertunt, ad hypocauſta & ſudatoria eoſdem deducunt, muſculoſas affectasq; partes blande primum inducta manu perfricant, poſt etiam melle perungunt. Hac arte vbi prolecti fuerint plurimum, tum chirurgo imperant, vt nouacula exertorum capitula abradat & demetat, atque hæc vulgi non tam recepta, quam compendioſa, vermiculos huiuſmodi necandi ratio. Germani noſtri Miteſſer & die zehrende Würm / ex eo nominant, quod infantium, quos vexant, alimentum abripiant & abſumant. Norimbergæ vocantur die dürre Maden / quaſi dicas, maciem inducentes vermiculos. *Schenckius.*

Eſt infantilis affectus, per quem pueri continuo plorant ac eiulant, citra cauſam euidentem: cui tandem accedit Epilepſia, quæ magna ex parte in mortem terminatur: vulgo autem vocatur pilaris affectio, ob id quod per exortum & euulſionem pilorum quidam ſeruantur, ad hunc ſane modum. Infricantur cũ ceruice ſcapulæ manu ſicca, aut illita mulctra, id eſt, lacte mulctro adhuc calente: mox confricatæ partes hiſpidæ redduntur, & apertæ barbeſcunt. Deinde per corium laridi, quod pilis infricatur, aut per volſellam pili omnes ad vnum euelluntur, & perinde ſanantur, ſicuti ego accepi de cuiuſdã nobilis Matronæ narratione, quæ aliquot infantes mortuos hoc malo, nonnulloſq; ſeruatos, relata curatione, ſe vidiſſe anno 1544. faſſa eſt.

Proximum videtur quod de ſuibus proditum eſt, nam & ægrotantes cognoſcuntur, inquit Dydimus, euulſis è ceruice pilis. Hiſce quoque euulſis curantur ſi earum tonſillæ infeſtantur. Itaque præfata paſſio, quantum opinor, eſt præambulo Epilepſiæ, quæ neque protopathia, cerebri, neque ſymphatia ventriculi, ſed poſterioris alicuius ſecundum dorſum partis, à qua excrementum veluti fuliginoſum (quod pilorum materia exiſtit) per neruoſa corpora ad cerebrum vſque aſcendit, niſi reuellatur frictionibus, & per cutis poros iam à frictione ſicca rarefactos exiens, in pilos vertatur. Vnde non obſcurum eſt, quod frictiores ſine pinguetudine poros obſtruente magis iuuarent. *Montuus de infant. feb. & malis.*

Abceſſus genus rarum in memoriam reuoco: id Cridones (credo à crinibus) noſtrates Galli nominant: pueros præſertim diuexat, ac quaſi ſpinularum aculeis compungeretur dorſum, huc illuc ſe iactant, quietis impatientes: ab exiguis quidem, qui vix aciculæ longitudinem æquent, ſed craſſis & ſpiſſis pilis oritur id malum. Curatur fotu aquæ plus quam tepentis, quem mox ſequatur litus ex melle & farina frumentacea: ſic enim pili illi ſubcuta-

nei alliciuntur & euocantur foras, prolectique tenuibus volſellis auelluntur. Suſpicor id mali genus veteribus Medicis fuiſſe ignotum. *Pareus libr. 7. c. 21. chirurgiæ.*

Hoc vnum experiri libuit, mulierculis Polonis valde vſitatum: quod mihi profecto miraculi loco eſt, idque eo magis, quod nullam eius rei cauſam inueſtigando reperire poſſum. Inijciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lauabant, panis in micas friati manipulus, cineris item parum; elotis pueris, aqua percolata, panis ille in maſſam compingebatur, hæc maſſa in diuerſas partes manibus diſtracta, magnam ſubtiliſſimorum pilorum vim oculis offerebat primo die, ſubſequentibus autem diebus pauciores pili, poſtquam conualuerunt prorſus nulli apparuerunt. Hos ille caninos, aliæ vermium pilos vocant, & morbi cauſam ad hos referunt.

Præterea humores & brachiola inunximus farina aceto permixta. Vix peracta vnctione & abluta ſtatim, eminebant ex cute diuerſis locis tubercula quædam puſilla, vt papauera, coloris cinericij (quæ ab illis vermium capitula eſſe dicuntur) ea ſtatim cultello abradebantur, niſi id ocyus fieret recondebantur iterum, & intra cutem ſe recipiebant, hi quoque, ſiue vermiculi, ſiue alio quouis nomine vocantur, primo multi ſeſe proferebant, poſtea pauciores, poſtrema vnctione prorſus nulli, fœminæ ſummis horum vermiculorum capitellis nigricantia aliqua quaſi puncta ineſſe aſſeuerabant; quæ tamen ego, etſi pene cum ipſo lynce certare poſſim, nunquam videre potui. Viſa mihi eſt tota res illa prope eadem ſpecie, aut certe non diſſimilis, ſordibus illis, quæ poris impactæ in angulis præſertim natium exterioribus digitis exprimi ſolent: duritie ſunt paulo ſolidiore. Cum in veſtris Medicis quærerem, altum vbique ſilentium reperi. In vno Bacchanello (Leonello) aut neſcio quo de puerorum morbis inueni Dracunculos vocari à neſcio quibus Arabibus. Nam liber hæc ſcribentis non eſt ad manum, & quærere piget, cum hæc properanter ad te ſcribam. Rogo te inquire in cauſam harum rerum, & ſententiam mihi tuam perſcribe. Oblitus eram hoc quoque adſcribere, me eadem illa omnia tentaſſe in reliquis meis liberis ſanis, nec tamen vel pili vlli in panis maſſa, nec Dracunculi in cute; ac ne in his quidem duobus ægrotis, poſtquam conualuerunt, conſpici à quoquam potuerunt. *Andreas Dudith ab Horecouiza libr. 3. conſil. & epiſtolar. Cratonis à Laurent. Scholtzio publicatar. pag. 287. & ſequentibus aliquot.*

Cum infantes citra ἀνορεξίαν in tantam incidunt ἀτροφίαν, vt omni deperdita carne vix oſſibus hæreant, obſtructionem vaſorum adeſſe certũ eſt. Weſtphalis & Ditmarſis Daniæ proximis videtur hic ἐνδήμιος, qui ipſum Varum nominant. Noſtri den Mitteſſer / Riebkuchen / den lauffenden vnnd zehrenden Wurm / ab actione naturali læſa, ducta ſymptomatis appellatione. Vetulæ hic edentulæ, ſacroſanctæ religionis prætextu, varios adhibent exorciſmos, varias nænias, varias cum cingulo ægri geſticulationes.

Præterea inunctum farina triticea ex melle ſubacta, calore hypocauſti vel Laconici exponunt, vt magna caterua vermiculi, forma ἀσκαρίδων, viuentium è poris prorepant, qui nouacula abraduntur. Verum cum hic modus operandi non tantum pleroſque fruſtretur, ſed partim pyra, partim cachinnis dignus ſit, præſtant, vt vacuato prius leniter corpore detur puluis lumbricorum terreſtrium cum oxyſaccara aut theriaca in lacte, aut iuſculo pulli: vel ſuccus raporum cum ſaccaro candi: vel ſpec. elect. diarhod. cum rhabarbaro: hinc collocetur in balneum: quæ dulcis ex cineribus corylorum & lacte caprillo paratum: & demum à balneo fricentur membra & artus oleo amygdalarum: aut vnguento ex ſamſucho, ſolano & butyro. *Hieron. Reuſnerus in diſputat. medica habita Baſileæ Anno 1582.*

Observatio.

Ricini in hominibus animaduerſi.

HOMINI ricinus innaſcitur, è ſordibus, in barba, alis, inguine. Eſtque id quod canibus Cynoraiſtes. Crotonem Græci communi cum Arabicæ Kervæ ſeminis nomine, Galli Platam vocant: cum tamen turgidus & globoſus ſit. Admiranda natura. Hoc animal cum cibi habeat aditum, excrementi exitum non habeat, idcirco Italia id animal Cæcam vocat, quo alterius quam oculorum loci cæcitas declararetur. Cæterum Cicam primum dictam reor: quia Cicy, Croton ſit. *Scaliger.*

Observatio.

Dolor omnium membrorum externorum.

PAſtor in pago quodam vicino, dolore omnium membrorum externorum mire excruciatus, per dies aliquot grauiter decubuit, qui tandem radices ℞. Ranunculi rotundi conquaſſatas & cortice nucl. iugl. exceptas, brachiorum & pedum muſculis impoſuit, quo phænigmo puſtulæ magnæ fuerunt excitatæ, quibus apertis copioſe effluxit membra quædam ſeri lactis ſpeciem habens & ita à doloribus liberatus eſt. *CL. V. Ioan. Franci Hildeſii obſeru.*

Observatio.

De tetro corporis partium fœtore emendando.

NOs experti ſumus argenti vel purgamenta ſiue molibdenam ex aceto feruefactam & percolata, decocto illito protinus valere ad alarum vitia & grauem odorem totius corporis. *Alex. Benedictus.*

Ad hircoſum odorem aq. flor. liliæ: vide *Theſ. Euonymi tom. 2. pag 31.*

Qui pedes odore graues habent, ſi ſquamam ferri calceis imponant, fœtorem illum ingratum exuent. *Georg. Fabricius, ex quo Mizaldus.*

Ad fœtorem pedum ℞. Aluminis M. j. bulliant in ſ. q. aquę, in qua vſque ad talos immittantur pedes atque veſperi & diu multumque fricentur lauenturque. *Ruolandus.*

Observatio.

Piloſi toto corpore.

HIſpanum quendam vidi pilis refertiſſimum in omni corporis parte, præterquam in facie, & manuum parte. Vidi etiam veſtalem adeo piloſam: ſunt qui ſcribant neque in planta pedis, neque in manus vola piloſ. oriri poſſe. *Columbus de re Anatom. lib. 13. cap. 2.*

Exigit locus hic hiſtoriam de Hiſpano puero, quem

quem ex India aduectum, alij parentibus Indicis in Hiſpania natum putant. Is candidis pilis totus tectus fuit. Idcirco Barbet à Gallis dictus. Quo nomine villoſum vocant canem, quem Flandri Vvatter-luind. *Scaliger. Exercit.*114.*num.*2.

Rex Galliarum Henricus, Lutetiæ Pariſiorum, literis humanioribus inſtituendum curauit hominem cane non minus villoſum. *Boſcius diſputat. de concordia medicor. & phyſicor. theſi* 41.

Anno 1549. ſimiarum aſpectu, & vrſinis obſitos villis toto dorſo partus ſe vidiſſe (*in Teraſcopia*) Peucerus teſtatur, & præterea qui exertas ac ceu dependentes tenerent linguas, inſtar vitulorum recens iugulatorum. *Lycoſtenes, lib. prodig. anno vt ſupra.*

DE BICORPORIBVS GEMELLIS MVLTIFARIAM CONNATIS: & aliis toto corpore monſtroſis.

OBSERVATIO.

Gemelli vnico capite coniuncti.

ANno Domini 1569. Turonenſis quædam mulier Gemellos peperit, vnico capite coniunctos, & ſe mutuo complectentes. Horum ad me ſceleton miſit Renatus Ciretus tota Turonenſi regione famatiſſimus. *Ambroſ. Pareus operum ſuorum lib.*24.*cap.*2.

Louanij ſeptimo Idus Aprilis Anno 47. gemelli nati diſtinctis corporibus, vni adhærentibus capiti. *Peucerus Teratoſcopia pag.* 440. facie auerſa.

Quendam, qui circumferebatur Auenione, vidiſſe me memini, à ceruice infra bicorporeum totũ. *Valleriola locor. com. lib.*1.*c.*18.

OBSERVATIO.

Gemellæ virgines aduerſis frontibus cohærentes.

VNum, cuius in Coſmographia ſua meminit Munſterus, quod præ cæteris admiratione dignum ſit, hic adſcripſiſſe iuuabit. Colloquebantur, vt ſcribit, non procul à Vuormacia (in villa Birſtat, quæ ſita eſt inter Vuormaciam & Benshaim, vt teſtatur Lychoſt. lib. prodig. & oſtent.) anno ſalutis humanæ, ſupra milleſimum, quadringenteſimo nonageſimo quinto, duæ mulieres, quarum cum vna vterum geſtaret ac tertia quædam ex inſperato ſuperueniens colloquentium capita concuſſit: grauida animo conſternata, in concepto iam fœtu manifeſtum cõcuſſionis huius reliquit ſignum: ſiquidem cum iam parturiginis tempus adeſſet enixa eſt didymos: erant duæ puellæ corporib. integræ, ſed in vertice fronte tenus connexæ inſeparabiliter, & ſe mutuo inſpicientes, cogebantur ſimul incedere, ſimul dormire & ſurgere, & cum vna procederet altera retrocedebat, naſi vtriuſque ſeſe fere contingebant, oculi vero non in directum, ſed in latera tantum torqueri poterant, quia paululum ſupra oculos frontes cohærebant. Extenſa eſt vita illarum ad decimum annum, & cum tunc vna moreretur, illaque à ſuperſtite reſecaretur, viua ab accepto vulnere, aut potius ex vulneris fœtore & cerebri putrefactione, ſororem paulo poſt per mortem eſt ſubſecuta. Hactenus Munſterus: quæ niſi is ſeſe ſuis oculis vidiſſe affirmaret, quoniam ſupra hominum fidem ſunt, non crederemus. *Bald. Ronſſeus libr. de hominis primordiis, &c. cap.*10. *Cardanus libr.* 12. *de ſubtilit. Corn. Gemma libr.*1. *Coſmocrit. cap.*6. *Lycoſthenes lib. de prodigiis & oſtentis. Pareus lib.*24.*cap.*2.

OBSERVATIO.

Gemellæ virgines, inferiore maxilla & pectoribus connatæ.

SExta Octobris 1573. Geminorum ſe complectentium prodigioſa ſpecies nata, ambobus quidem fœminei ſexus, 4. brachiis, pedibus quatuor. Erant connatæ pectoribus atq; inferiore maxilla, vt prorſus os vnicum videretur. Vixit ad ſpatium dimidiæ horæ. Diſſecto cadaueri cor cuique ſuum, ſua ſede diſcretum, ſecus quam alias apud nos viſum fuit. *Gemma Coſmocrit. lib.*2.*pag.*170.

OBSERVATIO.

Gemini pectoribus connati.

BErcheldiæ, in ditione Principis Illuſtriſſ. Palatini Electoris, in villa non procul ab Heydelberga 14 Calend. Ianuarij, nati ſunt gemini pectoribus ſibi affixis, vnico vmbilici dependentis vinculo conſtricto. *Lycoſth. lib. prodig. Anno Dom.*1494.

Anno 1541. die 9. Februarij Friburgi Miſorum editi gemelli, iuncti totius anterioris thoracis cohæſu. *Peucerus Teratoſcopia pag.*442.*b.*

In ducatu Virtembergenſi nati ſunt gemini, coalitu pectoris, ad vmbilicum vſque connexi. *Idem eodem opere.*

Nati ſunt gemini pectoribus ſibi affixis, & mutuo obuerſis faciebus, vno vmbilici conſtricto vinculo. *Rueff. de concept. & generat. hominis libr.*5.*c.*3.

Heydelbergæ nati ſunt gemelli Anno 44. vtriq; complicatis ſeſe mutuo amplexi ſunt manibus. *Peucerus in Teratoſcopia pag.*441.*b.*

Nos Romæ vidimus Alexandri temporibus infantes geminos ſimul conuinctos aduerſis inter ſe vultibus ac manibus in eodem corpore: qui tamen parum vixerunt. *Volateranus lib.*24. *de Genitalib.*

OBSERVATIO.

Hiſtoriæ aliquot memorabiles Gemellorum connatorum: quorum alter acephalus, collum circa imum pectus aut ventrem alterius inſertum habens, propendere viſus eſt.

IAnus *Vitalis Panormitanus* deſcripſit carmine vatidico Monſtrum ſexus maſculini, cui è pectore inter mammas corpus aliud humanũ abſolutum, capite ſolum inapparente, pronatum ſpectabatur. Id monſtrum, annos XIV. natum Romam illatum retulit. Conſtat libellus paucis paginis, inſcriptus *Teratorizion*: Romæ publicatus 1514. cum icone monſtri. *Schenckius Filius.*

Geminos naſci nullus dubitat, ſed ita naſci, vt indiſtincti ſint, monſtruoſum.

Mulier quædam Alexandra nomine, ex Mediolanenſi agro Florentiam veniens, geminos mares quæſtui ſpectandos dabat: quorũ alter integer toto corpore, diſtinctisq; mẽbris erat: alter vero ita ſcapulis alterius iungebatur ventriculo, vt illo totum caput inieciſſe videretur: cætero vero corpore ab eo ſeiunctus, non ſecus illo de mamilla matris lac exugente mouebatur, ac ſi ipſe pariter ſugeret. *Beniuen. cap. vlt. Abditor.*

Vidi-

Vidimus aliquando ex Gallia in Italiam aduectum hominis in natura monſtrum, quod per vrbes ad ſpectaculum quæſtus cauſa à pleriſque circumferebatur: Id puer nondum plenæ pubertatis erat, cui ab anteriore parte inter imum pectus & vmbilicum eiuſdem ſexus paulo minus quam integer alius pendebat homo: alterius illius & integri ex quo pendebat tertia fere pars. Caput illi tantum & ſuperiores humerorum partes deerant: quæ veluti inſitione quadam in integro illo latentes tam apte quo diximus loco coaluerant, vt ſine labore vitæque tædio, duo ſimul paulo minus quam tota corpora in vno homine viuerent. Brachia incepta illi tantum videbantur: reliquum vndique integrum corpus erat, quod ad alterius ſenſus, neceſſitatesque omnes etiam moueretur. *Marcellus Virg. commentar. ad libr. 4. cap. 141. Dioſcoridis.*

Hoc ego etiam vidi in pandocheo quodam in oppido Caſtauarienſi Pictonum, quum tertium decimum ætatis annum agerem, Anno à Chriſto nato, aut paſſo 1516. *Nicolaus Rocheus de morb. mulier. curandis cap. 31.*

Superuixiſſe ex monſtris ſolum eum conſtat, qui puelli medietatem ab vmbilico inferius inſertam habuit adeo, vt pene puelli etiam mingeret. Circumuagabatur hoc monſtrum, iuuenis vigeſimum quintum annum præferebat, puelli pars inſerta qualis agentis decimum annum, ſeu crura, ſeu pedes inſpiceres.

Hoc anno alium è Germania, priori ſimillimum vidimus, ætas annorum circiter viginti quinque, ſexus iuuenis incertus: pendulus infans maſculus, nam è pene minxit, brachia & manus & crura contracta, ſed crura ſolum pro fœtus magnitudine, reliqua quæ diximus exiliora, anus nullus, nec interſtitium, ſed vtris in modum coniuncti clunes. Senſu carere oportuit, nam capite animal perfectum ſi deſtituatur, & motu & ſenſu carere neceſſe eſt. Sed ſi anima mulieris (propior enim fœminæ facies videbatur) animatus fuiſſet, animal perfectum plus quam quatuor notis moueri potuiſſet. At hoc, & ab Ariſtotele & à nobis alibi fieri non poſſe, demonſtratum eſt: nihil tamen prohibet moueri ſeorſum partes, vt digitos. *Cardanus libr. 12. de ſubtilitate.*

Monſtrum mihi oblatum eſt Patauij diſſecandum, erat infans ſemeſtris mas, vt alij mares ſunt, cui alius imperfectus infantulus anteriore parte incumbebat, cruribus, brachiis, dorſo, abdominis parte, pene, medioque collo. Videbatur autem caput huius imperfecti puelli in thoracem perfectioris intruſum. Hoc monſtrum vixit aliquandiu. Quamobrem inter ſtudioſos viros lis orta eſt & quæſtio, vtrum cor vnicum illi adeſſet, vel duplex: idem de iecore, cerebroque quæſitum eſt, & de alijs internis membris. Marcus Antonius, Ianua illuſtris philoſophus, vnicam in illo ſubiecto animam eſſe opinabatur. Nam ſi quis imperfectam illam appendicem, & pondus inutile attigiſſet, ille, quem integrum membrorum omnium diximus, ſtatim perſentiſcere animaduertebatur. Non deerant tamen quibus oppoſitum videretur. Hoc itaque monſtrum vbi diem ſuum obiit, ego, rei nouitate allectus, libenter ſecui, quæ autem obſeruaui, hæc fere ſunt. In imperfecto quem dixi, nonnulla inteſtina aderant, ex quorum vnius portione tum veſica, tum anus conſtituebantur, nullum ibi aderat iecur, neque cor, neque cerebrum, ſed ren permagnus, quem ego pene hepatis munere fungi ſum opinatus, nam ab extremo iecore perfecti infantis craſſa vena duraque inſtar arteriæ deducebatur ad renem illum inſignem, atque inde venæ aliæ complures paſſim diſtribuebantur, at ab arteria dextra axillari perfecti puelli arteria ortum ducebat, quæ poſtmodum per vniuerſam partem mõnſtri imperfectioris deducebatur. Item à neruis dextri brachij exibant, qui per reliquum corpus imperfecti homunculi diſſeminabantur. *Columbus de re Anatom. lib. 15.*

Cum hæc ſcribo, Anconam venit puer Illyricus ſex natus annos, boni ſane habitus, exacte & perfecte omnia ſua membra habens monſtrum tamen præ ſe ferens, qui ab eius vmbilico, thoracem verſus, alterum pueri corpuſculum deducebatur abſque tamen capite, ſed duo habebat brachia, duo crura ſed vtraque immobilia, ano carebat, ſed ſcroto abſque didymis, id eſt, gemellis teſticulis dictis ornabatur, non ſecus ac pelle oblonga quadam glandis vice, per quam vrina fere ſemper deſtillabat. Sed puer quum mingebat, & per hanc quoque viam vrinam repente mittebat. Erat autem puer hic ita omnibus admirationi, vt eo parentes per vniuerſam Italiam magnam corraſerint pecuniam, fuit autem hoc monſtrum Anconæ Anno M.D.LII. *Amatus Luſitanus curat. 57. cent. 3.*

Illud quod nuper ex nundinis Francofordianis (vnde velut ex Africa ſemper aliquid noui ad nos perfertur) accepi, obticere non poſſum. Anno à Chriſtiparæ virginis partu, ſupra ſeſquimille & quinquaginta ſex annos, ad quartum à celebri vrbe Argentina lapidem, mulier inops in pago quodam enixa eſt maſculum, cui per epigaſtrium infra ξιφοειδέα orificij ventriculi cartilaginem, manu tranſuerſa, prominebat moles infanti non diſſimilis, cuius caput cum ceruice ad ſcapulas vſque intra pectus cognati maſculi latere videbatur: ſi modo vllum habuit, Brachia vero vtrinque cum manibus eminebant foras: ſiniſtra manus quatuor, dextra tribus digitis conſtabat, nates vtraſq; habuit leniter extuberantes diuaricatis vſque ad ſui cognati crura pedibus, quorum inuerſa planta dextra tabeſcebat, hiſpidam ſub axillis & in pube lanuginem, & penem virilem, vnde ſerum ſanguinis eminxit, vt embryo intra ἀλλαντοειδέα ϗ ἄμνιον tunicas ſuum effundit lotium, & proinde ac fœtus in vtero nihil excrementi per anum egerit, ſic quoque nihil excreuit, hoc enim ſeminis copia ita agnatos coaluiſſe in cõnfeſſo eſt, qui nundinis elapſis octo numis videndi proſtabát. *Langius epiſt. 8. tom. 2.*

Anno 1529. in quodam Hercyniæ ſyluæ ſuperioris pago infans natus eſt, & in iuſtæ ſtaturæ virum excreuit, vniuerſa corporis figura mas recte habens, niſi quod vbera haberet, & ex ipſius pectore alterius corpus propenderet, ſine capite & humeris, brachiorum informem figuram prodentes, manibus plus ad pedum, quam manuum formam accedentibus. *Iacob. Rueff. libr. 5. cap. 3. de Concept. & Generat. hom.*

Colmariæ imperialis Alſatiæ oppidi ad Illum fluuium

nium ſiti, natus eſt infans virilis ſexus ex cuius pectore aliud integri hominis eiuſdem ſexus corpus omnibus abſolutum, ad genua vſque propendebat, ſolo capite in alio corpore infixo. *Lycoſth. lib. prodigior.* 1514.

Ex Sabaudia in Heluetiam venit quidam iuſtæ ætatis, integra forma, membris bene compactis omnibus, ex cuius tamen ventriculo præterea aliud hominis corpus ita propendebat, vt caput tantum atque brachia ſola deeſſent. Circumtulit vir bonus hanc molem, magno hominum vndiquaq; confluentium ſpectaculo, & admiratione, per regiones diuerſas. Ex corpore miraculoſo quæſtum faciens. *Idem anno* 1519. *citati operis.*

In Hercyniæ ſyluæ quodam pago non procul à Kniebis, infans monſtroſus natus eſt, virilis ſexus, in corpuſculo circa pectus aliud præterea corpus membris omnibus abſolutis propendebat ad genua vſque: ſolo capite in alio corpore tecto. Peruenit monſtrum hominis ad virilem vſque ætatem, hinc inde miraculi loco ac Argentinæ adhuc, in nundinis, circa Ioannis Baptiſtæ feſtum 1555. ac ſequenti, quo hæc ſcribimus, apud nos Baſileæ in nundinis D. Martino ſacratis conſpectum eſt. *Idem.*

Anno Domini 1530. viſus eſt vir Lutetiæ ex cuius aluo alter velut conditus homo pendebat, membris omnibus, capite excepto, abſolutus. Vir ille quadragenarius erat, inſertumque illum, & velut prodeuntem ex ſeſe hominem tanta omnium admiratione vlnis ſuis geſtabat, vt certatim ad ſpectaculum accurrerent. *Pareus operum ſuorum lib. 24. cap. 2.*

Vidi in hac vrbe, ante annos circiter viginti, virum, non magnæ ſtaturæ, qui corpus humanum aliud à ſuo integrum à ceruice, qua thoraci illius adnatum erat, geſtabat. Hoc à thorace in terram vſque propendebat, omnibus alias partibus præter caput, quod, ac ſi corpori intruſum eſſet, non apparebat, abſolutum, vnguibus inſuper piliſque ſub axillis ac pube ornatum. Hoc, quotieſcunque vir ille mingebat, ſimiliter vrinam profundebat, podice alias clauſo, & nullibi apparente. *CL. V. Felix Platerus de obſeru. propriis.*

OBSERVATIO.

Gemelli pectore & ventre connexi.

OCTAVO Idus Februarij hora quinta, eademque minuta, Scaphuſiæ Heluetiorum nati ſunt infantes duo, vterque fœminei ſexus, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemque pedibus diſiunctis, vno vero corpore à collo ad vmbilicum vſque, vmbilici ſubtus vinculo propendente. *Lycoſth. libr. Prodigior. Anno Domini* 1543. Vide quæ annotauimus, de Geminis Lateribus connatis ex Rueffio, num eandem vel aliam hiſtoriam inaudiat, annus & locus reſpondent, ſed coalitu partium differunt.

Anno Domini 1572. in Ponte Sæo ad Andes oppidulo, prodierunt in lucem, decimo die Iulij, gemellæ fœminæ, cætera membris omnibus perfectæ, niſi quod alterutrius manus ſiniſtra quatuor tantum digitis diſtincta erat. Cohærebant autem anterioribus partibus, nempe à mento ad vmbilicum vſq;, qui ipſis vnicus, vt & cor vnum erat: hepar vero in lobos quatuor diuiſum. Vixere ſemihoram, & regenerationis lauacro inſignitæ fuere. *Pareus lib. 24. cap. 2.*

Vidit parens hic Louanij gemellos ita commiſſos, vt capite diſtincti, brachijs manibuſque quatuor, ventre & ſterno pectoribus copularentur. Inuentum illo præſente per anatomen cor commune, cerebrum ſuum cuique ſecretum. Neque vulgaris quæſtio, an pro vno homine, an pro duobus foret, genus hoc monſtri philoſophis appellandum. Orta eſt contentio varia, aliis ſedem τῆς ἐντελεχείας in corde, aliis in cerebro collocantibus. Mihi quidem (ſaluo ſemper meliore iudicio) formæ humanæ dignitas ex rationis domicilio potius æſtimanda cenſebitur, quanquam in corde ſit fons caloris vitalis, ac facultatum animalium & naturalium præcipuus nodus, hoc enim ad vitam & totam animalis compoſitionem potius, quam ad differentiam ſpectat. Adde his, quod & formatrix vis, quæ primum cuncta delineat atque diſcernit, in cerebro habere primam ſedem certiſſime demonſtretur, ſi quis noſtræ conceptionis monogrammata, ſeu embryonis primum formati rudimenta per ſectionem anatomicam accuratiſſime contempletur: ſemper enim particulis cæteris grandius caput inuenimus, quin & perpetua proportione minora ſingula mēbra, quanto longius à capitis regione deſtiterint, donec plenæ formationis typum ſunt conſecuta. Idem in ranis alijſque animantibus facile eſt animaduertas. *Gemma Coſmocrit. lib. cap. 6.*

Partus monſtroſus, nuper Treiſæ editus, ita fuit formatus, & editus à parentibus probis inferioris & tenuioris fortunæ, quique victum ex diario labore quæritant, pedibus primum, præter naturalem & conſuetum pariendi modum, in lucem prodiit; vita caruit, quanquam paulo ante tempus pariendi vitalem ſenſerit puerpera, partus is gemelli fuerant, ſeu duo infantes, vterque fœminei ſexus, qui antico corpore pectore nimirum & ventre coaluerant, & conglutinati erant, bina capita habuerunt, ternis erant auriculis, & quarta auris erat tantum quædam particula inferius de aure pendula, quaternis pedibus, quaternis item brachiis, mutuos amplexus habuerunt. Cum autem cogitatio mentem meam ſubiret, an ne etiam interiorum partium non naturalis quædam formatio aut coalitio foret, conſenſu parentum & Parochi diſſecui cum chirurgo præſente Parocho & Diacono: offendimus autem interius vnum ventriculum, vnum epar, idque ſatis amplum & latiuſculum, quemadmodum etiam habuerunt foris vnum magnum vmbilicum & ductum, quo hauſerunt maternum alimentarem ſanguinem; Inteſtina erant vniuſmodi, nec ita diuiſa aut diſterminata, vt quilibet infans ſua haberet, nihilominus duos ſplenes, in vtroque ventriculi latere vnum, habuerunt, quemadmodum etiam duas veſiculas fellis, vtrinque iecinori ſubnexas, habuit præterea quilibet infans binos ſuos renes, ſuam veſicam, ſuamque matricem, & partes genitales, ſingula iuſto ſuo loco ſita. In medio ventre pectore nimirum habuerunt vnum cor amplum & latum, quod non circumplicabatur à pulmone, vt alias ſolet, ſed membrana, mediaſtinum dicta, quæ medium pulmonem dorſo & pectori alligat, erat gemina, quæ tanquam duo parietes, & latera aliquatenus à ſe diſtantia, intermedium cor cum pericardio continebat, vtrinque deinde in reliqua cauitate pectoris erat exigua portio pulmonis, ſuis ligamentis alligata,

vt non vnum, ſed duos pulmones cognouerimus. Capita non fuerunt aperta aut diſſecta, fuit enim cuique infanti ſuum peculiare caput, nec aliquid ſingulare & præter naturam in his fore arbitrabamur conſpiciendum. Quare poſt diuturnam inſpectionem fuerunt tum terræ mandati: aliquot etiam maculæ viſæ ſunt, præſertim in brachijs & poſteriore parte corporum, alterius etiam caput nonnihil grandius fuit altero. *De obſeruationibus à CL. V. Ioach. Camerario miſſis.*

Observatio.

Gemini ventribus cohærentes.

Heydelbergæ ad Neccharum flumen, die Pentecoſtes duo coniuncti & maſculi duobus corporibus, ventre conglutinatis, duobus capitibus, quatuor manibus & pedibus, quorum mater Catharina, Pater vero Caſparus Beſsler faber. Baptiſati ſunt ambo, quorum vnus Ioannes, alter vero Hieronymus nuncupatus eſt, vixerunt diem vnum cum dimidio. Defunctis vero à Medicis membra interiora per ſecationem viſa, cor tantum vnum inuentum eſt *Lycoſth prodig. Anno Domini* 1554.

Herbeſlebij in Thuringiæ pago, 20. Martij gemellæ natæ ſunt, ventre concreto, ac faſcia carnea in vnum quaſi colligatæ, medio corpore ſe mutuis amplexibus retinentes. *Idem eodem opere Anno Domini* 1553.

In fine Iulij Anno 1538. mulier quædam peperit geminos fœminei ſexus, ſolo ventre, vnico vmbilico tantum inſignito, connatos. *Viſſennac. libr. 2. Theoricæ pag.* 88.

Observatio.

Gemelli vmbilico connati.

Constantiæ ad Lacum Acronium, duo infantes, maſculus ac fœmella, duobus capitibus, quatuor brachijs totidemque pedibus, membris omnibus abſolutis, ſed circa vmbilicum cõiunctis corporibus nati ſunt. *Lycoſth. libr. prodig. Anno Domini* .093.

In pago vallis ſuperioris Arni, nomine Tertanio, monſtrum eſt natum, habens duos pueros vno vmbilico ad inuicem iunctos, cui ab vno latere & genitalia erant membra, & bina quoque pendebant inualida crura, ab altero vero latere crus ſolum exibat imperfectum, vixitque diem vnum. *Idem prodig. lib. Anno Dom.* 1316.

In pago Groſſouu agri Tigurini apud Heluetios, mulier honeſta peperit maſculos duos, duobus capitibus, vno quidem corpore, vmbilici vinculo coniunctos, quatuor manibus totidemque pedibus. *Idẽ lib. prodig. Anno Dom.* 1503.

Anno 1590. 4. Maij, circa meridiem, in pago Hermeltzheim, ditionis Epiſcopatus Argentoratenſis: Margareta Theobaldi Helden, ciuis, vxor enixa eſt fœtum bicipitem, quadrimanum, quadrupedem, duobus membris muliebribus, omnibus reliquis partibus, vno excepto vmbilico, quo nimirum colligati erant gemelli, diſtinctum. *Wilhelmus Mees, Amicus.*

Observatio.

Gemini lateribus connati.

In Oppido Seckingen (patria Ioannis Iacobi Beureri in Academia Freiburg. Profeſſoris, amici noſtri ſingularis) tribus miliaribus ſupra Baſileam ad Rheni ripam ſito, gemini nati ſunt, coniunctis lateribus, qui tamen propter matris grauiter parturientis dolores non diu vixerunt. *Lycoſth. libr. prodig. Anno Domini* 1534.

In Acken oppido Saxoniæ ad Albim, infantes feminus laterotenus connati viſi ſunt, qua crura ſubnectuntur coxæ, eo ſitu vt dexter ſiniſtra manu humero dextro alterius incumberet, ſiniſter dextrã thoraci alterius tranſuerſim prætenderet. *Peucerus Teratoſcopiæ pag.* 441.

Scaphuſiæ Heluetiorum anno 1543. infantes duo nati ſunt, coniuncto altero latere, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemque pedibus, vmbilico vno, fœminei ſexus vterque. Ex his alter mortuus in lucem prodijt, alter vero viuus prodiens, continuo expirauit. His per omnia ſimiles alij quoque anno 1553. in Einſidler nati ſunt. *Rueff de concept. & generat. hominis lib.* 5. *cap.* 3.

Observatio.

Gemelli dorſo coniuncti.

In Palatinatu non procul ab Heydelberga in Pago quodam Rorbachio, gemini vtriuſque ſexus, obuerſis tergoribus annexis, nati ſunt. *Lycoſth. prodig. lib. Anno Dom.* 1486.

Nati ſunt quidam tergoribus annexis ſingillatim vmbilici vinculis propendentibus, diſtinctis membris, nullo deficiente aut ſuperante. *Rueff. de concept. & generat. hominis lib.* 5. *c.* 3.

Anno Domini 1475. Veronæ in Italia natæ produntur duæ virgunculæ ſibi dorſo ab humeris ad nates vſq; arctiſſime cohærentes. Monſtri nouitas pauperes parentes impulit, vt id per omnia Italiæ oppida, ad corrogandam ex accurrente ad ſpectaculum vndiq; multitudine pecuniam, circumferrent. *Pareus lib.* 24. *c.* 2. *hiſtoriæ.*

Eiuſdem (vt apparet) hiſtoriæ meminit *Lycoſth. prodigiorum lib.* his verbis. In Veronenſi (inquit) agro, infans fœmina orta eſt, binis genitalibus, duplici ventre, quaternis brachijs. Id monſtrum parentes, multum diuq; per Italiæ vrbes, quæſtus cauſa circũtulere, vide Annum Domini allegatum.

Simile Romæ Anno 1493. viſum annotauit *Gemma Coſmocrit. lib.* 1. *c.* 6. *Ex Lycoſthene*, cuius hæc ſunt. Romæ gemini nati, ſimulq; vno corpore iuncti aduerſis inter ſe manibus ac facie, qui pauxillos vixerunt dies. *Vide eiuſdem prodig. lib. anni citati.*

In Romana hiſtoria Vrbis 660. geminas puellas dorſorum concretione continuas, natas legimus. C. Lælio & L. Domitio Coſſ. *Peucerus in Teratoſcopia pag.* 441. *b.* forte ij qui à Rueſio adducuntur proxime.

Vulſinijs gemelli nati tergis ſibi affixi, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemque pedibus, vterque ſexus fœminei. *Rueff. de concept. & generat. hominis lib.* 5. *cap.* 3.

Observatio.

Bicorpora tergoribus connata: quorum anticum hominis, poſticum canis forma.

Circa finem imperij Lotharij Cęſaris, q fuit Saxoniæ Dux, quædã mulier edidit partũ mõſtroſum, ſpecie videlicet hominis ac canis, integerrime corpo-

corporibus coniunctis,dorſo connexis, ac dorſi ſpina ſolidiſſime conglutinatis. *Lycoſth. libr.prodig. Anno Domini* 854.

In Albania ignobilis muliercula, monſtrum biſgemini corporis eſt enixa,auerſis vultibus,& corporibus ſibi cohærens: ante quidem effigies hominis, integro corporiſque membrorum homine diſtincta, retro vero facies canis ſimiliter corporis & membrorum proprietate integra. *Idem Anno Domini* 1126.

Observatio.

Monſtra bicipitia & gemina ſuperna corporis parte: inferna ſimplicia.

ANTE annos aliquot, noſtra certe memoria, in Oriente duplex homo natus eſt ſuperioribus membris,inferioribus ſimplex: nam duo erant capita,duo pectora quatuor manus,venter autem vnus, & pedes duo,ſicut vni homini: & tam diu vixit, vt multos ad eum interdum fama contraheret. *D. Auguſtinus de ciuit. Dei,lib.*16.*cap* 8.

Auguſtinus in Enchiridio cap. 87. facit mentionem bimembris cuiuſdam nati tum in oriente,ſed deſcripti ab Hieron.apud quem eſt: Lyddæ natum hominem duorum capitum,quatuor manuum, vno ventre,duobus pedibus. *Martinus Veinrichius comment. de monſtris cap.* 24.

Conſtat monſtrum in Ægypto nimirum vixiſſe ad quartum vſque annum, quod vmbilico tenus ex duobus conſtabat,infra autem vnus erat puer. *Cardanus com.ad Hippoc.de ſept. partu.*

Anno Henrici 3.Imperat.5.in confinio Nortmanniæ & Britanniæ,portentum viſum eſt in vna vel potius duabus mulieribus. Duo erant capita, & 4.brachia, cætera gemina vſque ad vmbilicum, inferius ſingula omnia. Comedebat,ridebat, loquebatur, vna flebat,eſuriebat,altera tacebat,ore gemino manducabat, ſed vno meatu per ventrem eiiciebat, vna defuncta,ſuperuixit altera, pene triennio mortuam portans,donec & pondere molis & nidore cadaueris defecit. *Vincent.libr.*26 *cap.*38.*Speculi hiſtorici,ex Guillerino.* Sed hæc *Matth. Palmerius* retulit ad annum Chriſt.1061.

In infante nato in Britannia,cuius genitalia genitalibus inſerta erant,crura commixta vt in duo redirent,cætera duorum,caput,brachia,venter,atque ex aduerſo poſiti, mortem regis, mutationemque regni, & ſororis ſucceſſionem oſtenderunt. *Cardanus lib.*14 *cap.*77.*de varietate.*

In Anglia natus eſt puer geminus à clune ad ſuperiores partes ita diuiſus, vt duo haberet capita, duo corpora integra ad renes cum ſuis brachijs, qui baptizatus triduo ſuperuixit. *Lycoſthenes libr.prodig. Anno Domini* 1112.

Aliquando fit bicorporeum ſuperius vel inferius: ſicut accidit de eo qui fuit natus cum duobus capitibus: & poſtea continuata erant duo corpora in collo & in dorſo vtriuſque: & inferius videbatur vnum corpus. *Albertus,comment. ad lib.* 2. *Phyſicorum Ariſtot.*

In agro Florentino natus puer bicorpori effigie: geminis capitibus: quaternis manibus, circa genitales partes connexus, ſic quod non amplius quam in geminos pedes deſineret: viderunt illic omnes. Ad nos autem,qui tunc in Gallia degebamus, per amicos ciues imago picta tranſmiſſa eſt. Ingensque ſolius ad picturæ ſpectaculum concurſus hominum fuit. Septimum ætatis annum agens, genitorem meum vidi tabellam eiuſmodi in manibus tenentem. Sciſcitatus quid eſſet? Rem omnem eo monſtrante didici: & aure conuulſa meminiſſe iuſſus: enarraturus filijs vt ipſe dicebat meis. Ego autem & nepotibus renarro. Et hic quidem partus diebus (vt perhibent) paucis vixit. *Franc. Petracha lib.*4. *tract.* 6.*cap.* 21.*de rebus memorandis.*

Hac Petrus Paulusq; vno ſub corpore bini
Fabrica naturæ mira iacemus humo
Cuiq; ſuum fuit & manuum: fuit oris opusq;
Veſicæ: aſt vnum ventris opusq; fuit
Iunxere extremæ partes nos corporis ambos
Quas neuter ſimul & dicat vterq; ſuas
Neutra ex parte pedes, capita ex vtraq; fuerunt
Bina: ſed è medio corpore planta fuit
Bina fuit medio quæ corpora planta deorſum
Pendebat: ſurſum quinta erat vna manus
Non vero nobis vnus ſomnuſq; cibuſq;
Nec riſus nobis: fletus & vnus erat
Somno membra dabat vnus,ridebat & alter
Surgebatq; vnus,flens quoq; & alter erat
In Florentina natos nos fluminis Arni
Valle dedit patria,nos pia cura patris:
Inde alti: & ſacro pariter de fonte leuati
Viximus ambo decem bis totidemq; dies
Quid nunc Neptunum: quid nunc Ianumq; bifrontem
Miraris? ſtygii terna quid ora canis?
Et quid Gerionis tria corpora? ſcilicet vnum
Nos corpus: binas nos animasq; lege.

Idem de eodem Monſtro *Tract.* 7.*cap.* 2. *eiuſdem operis.* Effigies monſtri huius nati in comitatu Florentinorum ſculpta eſt in hoſpitali ad ſcalas. *Lycoſthenes ad annum Domini* 1310.retulit.

In oppido Germaniæ Rotvvil, ad Herciniam ſyluam ſito, infans duobus capitibus, quatuor manibus,duobus pedibus natus eſt. *Idem lib.prodigior. anno Domini* 1494.

Ante annos aliquot (nimirum anno 1489. vt annotauit *Corn. Gemma*) in ditione Vuerdenberga mõſtrum fœminei ſexus natum eſt, capitibus duobus, brachiis quatuor,pectore & ventre vno,pedib.duobus. *Euchar. Rhodion lib.de partu hominis c.*3. *& Iac. Rueff. lib.*5.*c.*3.*de con.& generat. hominis.*

Anno Chriſti,1543.altera à D. Catharinæ die,mulier quædam in pago Reinach prope Baſileam monſtroſum partum enixa eſt: ſuperna ſcilicet corporis parte geminos,at ventribus & pectoribus ad collum vſque concretos, ſed diſtinctis capitibus duobus, ſeſe inuicem continentibus: & quatuor brachijs mutuo ſe complectentibus; genitali vnico, eodemque maſculo,ano item vnico: reliquo inferioris corporis trunco ſimplici, in duos ſolum pedes deſinente. Ex his alter mortuus,alter viuus in lucem prodiit, qui tamen horam vnicam non ſuperuixit. Similis partus alius anno Chriſti 1063. in Vngaria viſus eſt, cæterum fœmini ſexus. *Munſterus Coſmographiæ libr.*3. *Edit.*1564.*pag.*50.

Monſtrum noui generis in Scotia natum eſt, inferiore quidẽ corporis parte ſpecie maris, nec quicquam à communi hominum forma diſcrepans, vmbilicum vero ſupra, trunco corporis ac reliquis omnibus membris geminis & ad vſum atq; ſpeciem

diſcretis. Id Rex diligenter & educandum & erudiendum curauit, ac maxime in muſicis, qua in re mirabiliter profecit, quin & varias linguas edidicit, & varijs voluntatibus duo corpora ſecum diſcordia diſſentiebant, ac interim litigabant, cum aliud alij placeret, interim veluti in commune conſultabant. Illud etiam in eo memorabile fuit, quod cum inferne crura lumbiue offenderentur, vtrumque corpus communiter dolorem ſentiret, cum vero ſuperne pungeretur, aut alioqui læderetur, ad alterum corpus tantum doloris ſenſus perueniret, quod diſcrimen in morte quoque fuit magis perſpicuum. Nam cum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuiſſet, quod ſuperſtes fuit, dimidio ſui computreſcente, paulatim contabuit. Vixit id monſtrum annos viginti octo, ac deceſſit, adminiſtrante rem Scoticam Ioanne prorege. Hac de re ſcribimus eo confidentius, quod adhuc ſuperſint homines honeſti complures qui hæc viderint. *Georg. Buchananus Scoticæ hiſtor. lib. 13. communicante CL. V. D. Ioach. Camerario.*

OBSERVATIO.

Monſtra ſuperno corporis trunco ſimplicia ſeu vnicorpora: at inferna parte duplicia ſeu bicorpora.

Contigit in Italia, non longe ante iſta tempora viſum eſt mõſtrum in ſpecie humana, ſexu muliebri figuratum, continuum vſque ad pectoris cauitatem, & ab inde duplex extitit perfecte: quod fuit optime cantariuum, & huic ſimile dicit ſe vidiſſe *Hali in techne, de cauſis. Petrus Aponenſ. Comment. ad problem. 61. partic. 10. Ariſt.*

Aliquando fit bicorporeum ſuperius, vel inferius, ſicut accidit de eo qui fuit natus cum duobus capitibus, & poſtea continuata erant duo corpora in collo, & in dorſo vtriuſque & inferius videbatur vnum corpus. Aliquando autem viſus eſt natus è contra, qui quatuor habuit crura: & vnicum & continuum corpus apparuit in ſuperiori parte, quod abſq; dubio contigit ex diuiſione ſpermatis in matrice. *Albertus comment. ad c. 2. lib. 2. Ariſtotelis.*

Bernæ in Italia puella nata eſt, vno capite, duobus poſterioribus corporis partibus, totidemque membris. *Lycoſth. de prodig. Anno Domini* 1472.

OBSERVATIO.

Bicipita monſtra, quæ vna vel manibus, aut pedibus, vel vtriſq; ſimul monſtroſe conformata fuerunt.

C. Lælio. L. Domitio Coſſ. Puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina, fœminea natura, mortua nata. *Iul. Obſequens.*

In agro Tigurino natus eſt infans ei plane ſimilis qui in Heluetiis etiam in pago Goſſouu, ante ſexennium natus eſt, vno ſcil. corpore, duobus capitibus, tribus manibus, totidemq; pedibus. *Lycoſthenes libr. prodig. Anno Dom.* 1536.

Vigeſima ſeptima die Decemb. qui Diuo Stephano ſacratus eſt, in pago Freyuuerck, nõ procul ab Adorffio Voitlandiæ oppido, biceps infans, quatuor manibus, ac pedibus totidem, abſq; ſecreto ſexum prodente (cuius tamen loco vmbilicum habebat) à fabri cuiuſdam ferrarij vxore natus eſt. *Idem Anno Domini* 1555.

Non procul à Lypſia, biceps infans, quatuor manibus, totidemq; pedibus, vno autem corpore tantum, natus eſt. *Idem. Anno Domini* 1556.

OBSERVATIO.

Bicorpora multifariam inter ſe confuſa.

Anno 1552. in Anglia non procul ab Oxonia, informis quidam partus natus eſt, capitib. duob. brachijs quatuor, manibus totidem, ventre vno, mẽbro muliebri, ſede vna. Ex vna parte pedes tranſuerſi duo erant. Ex altera vnus tantum, rite exporrectus, forma duorum pedum, digitos habens decem. Horum alter diebus quindecim, alter vero vno ſuperuixit. Lachrimarunt hoc tempore raro. Alter ex his lætus admodum, alter vero ſomniculoſus & triſtis extitit, viginti digitos tranſuerſos erat longitudo & latitudo ipſorum. *Iac. Rueff de concept. & generatione hominis lib. 5. cap. 3. Lycoſthenes addit.* 3. Auguſti inter decimam ac vndecimam noctis horam Mildeltoſtoni in Anglia natum.

Geneuæ apud Allobroges monſtrum ex Galla quadam muliere, Geneuæ tunc habitante, natũ eſt: quod materiæ redundantis indiciũ fuit. Id monſtrũ binas habuit acies, hoc eſt bifrons erat, qualẽ Ianum pinxit Antiquitas. Quod vtrinq; pendet inflatũ, inteſtina ſunt ex dorſo prodeuntia. Quod autẽ ex ventris inferiore parte pendet, id iecur eſt, ex fœminæ vulua prolapſum monſtrũ hoc vtrunq; habet ſexũ, ad dextrã mas eſt, ad leuam fœmina. Crura quæ iacere ſeparatim vides, ſic diſcerpta euulſaq; ex ipſa matre, dum eniteretur, fuerunt. Ad viuum expreſſit Caſpar Maſerius pictor, qui tum ibidem cum multis alijs aderat. *Lycoſt. lib. prodig. Anno Dom.* 1555. qui adiecit, quem conſulere potes.

OBSERVATIO.

Toto quidam corpore, aut pleriſq; ſui partibus monſtroſi viſi.

In Thracia, paulo ante Mauritij Romanorũ Regis obitum, mulier portentum genuit monſtroſum prorſus, naturæq; ipſius piaculum. Oculis namque palpebris & ſupercilijs caruit, neq; reliqua corporis conſtitutione formã & effigiem iuſtã habuit: quippe cui neq; manus neq; brachia eſſent, & cui ad coxendices cauda piſcis illis innata dependeret. Quod portentum vbi Mauritius Imp. vidit, interfici id iuſſit, gladiumq; ſtatim exoſculatus eſt. Mater autem, quæ monſtrũ ipſum protulerat, quandoquidem ſua culpa ad inopinatum miraculũ nihil contuliſſet, crimine abſoluta eſt. *Lycoſt. prodig lib. Anno Dom.* 601.

In Saxonia menſe Februario infans natus eſt horrẽdo aſpectu, corpore quidẽ integro & bene cõpacto, ſed cõtuſis, laceratis, atq; laxatis membris omnib. excepto capite oblongo, ac quaſi turcico pileo inſignito. *Idem lib. prodig. Anno Domini* 1545.

In Ploa Voitlandiæ oppido infans natus eſt monſtroſus, in eo enim neque dorſum neque venter apparuit, præterquam quod inteſtina circa pectus ex aperto corpore longe dependerent, pedes verſus caput inclinauit, vmbilicũ in mola ſiniſtræ tibię habuit capite fuit acuminato ad ſimilitudinem cidaris aut tiaræ. *Idem lib. prodig. Anno Dom.* 1547.

Margareta Heckelin ciuis Paſſauienſis, anno Domini 1590. fœtũ enixa eſt monſtroſum & horrendũ: capite felis, oculis in frõte triginta, pedibus ſex, brachijs quatuor, digitorũ manus loco vngulis vitulinis pedibus omnibus digitatis, & vnguib. recuruis, præpilatis, forma prorſus cacodæmonis, cauda vitulina,

corpo-

corpore ſcabro & carnoſo, voce qualis capræ, id eſt vanelli vulgo dicti auis. Tetrum hoc animal, ſimul atque in lucem prodijt, conclaue velociſſimo curſu pererrauit: id mulieres, aduocatis in ſubſidium vicinis, captum interfecerunt. Viſumque fœdum & abominabile mõſtrum iſtud aliquot centum hominibus.

Rauennæ natum eſt monſtrum, cornu in capite, alas habebat, brachia nulla, pedem vnum, vt auis rapax, oculum in genu, ſexum vtrumque, in medio pectore Ypſilon & crucis effigiem. Aliqui interpretati ſunt, cornua ſuperbiam, alas leuitatem & mentis inconſtantiam, carentiam brachiorum, defectum bonorum operum, pedem rapacem, rapinam, vſuram & omnimodam auaritiam, oculum in genu, ſolum ad res terrenas mentis defectionem, vtrumque ſexum, ſodomiam: Et propter hæc vitia Italiam ſic bellicis contritionibus quati, regem autem Franciæ non ſua virtute id facere, ſed ſolum eſſe Dei flagellum. Ypſilon vero & X, ſigna eſſe ſalutis, nam Y figura eſt virtutis. Ideo ſi ad virtutem recurrant, & ad Chriſti crucem, ab his preſſuris & tribulationibus reſpirationem & pacem conquaſſationibus deſiderabiliorem ſint habituri. Hæc legimus *apud Ioannem Multiuallem ac Caſparum Hedionem in hiſtorica ſynopſi poſt Sabellicum ad noſtra vſque tempora.* Verum & aliam eiuſdem monſtri effigiem, ſed paulo diuerſam ac priori non in omnibus reſpondentem, cum interpretatione carmine expreſſa, vidimus. *Lycoſthenes de prodigijs & oſtentis Anni* 1511.

Cracouiæ natus eſt infans ex honeſtis & nobilibus parentibus, teter admodum & horribilis aſpectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribuſque Bouinis, cornu figura exortis & prominentibus, dorſo pilis caninis hiſpido, ſimiarum faciebus in pectore extantibus, qua mammarum locus, oculis felium ſubtus vmbilicum hypogaſtrio adfixis, tetris ac minacibus canum capitibus ad vtrumque cubitum & pedis vtriuſque patellam antrorſum ſpectantibus στεγανόπους & στεγανόχειρ, figura pedum cigni, cauda ſurſum reflexa, & recurua, longitudine vlnæ dimidiæ, editus in lucem quatuor horas vixiſſe, & tandem his emiſſis vocibus, Vigilate, Dominus Deus veſter aduentat, expiraſſe dicitur. Hoc monſtrum deſcribit *Caſparus Peucerus de Teratoſcop. & Munſterus noſter in Coſmographicis*: elegantiſſimo autem carmine *Caſparus Bruſchius. Idem de prodigiis Anno* 1543.

In Marchiæ villa Dammenuualde prope Witſtock, coloni cuiuſdam coniunx monſtrum, quod deſcribit Fincelius, edidit. Infans toto corpore fuit ſpadiceo colore, capite cornuto, oculis craſſis, prominentibus, abſque naſo, patulo ore, quod longitudine ſpitamæ diſtentum fuit, in cuius medio lingua candida eminuit, & quadrata, colli expers. Caput enim ſcapulis accreuit, corpus totum inflatum, & rugoſum, brachia in lumbis hæſerunt, pedes longe tenuiſſimi. Ab vmbilico autem ſpecies laxi inteſtini longe dependit ad pedes. *Idem in prodigiis Anni* 1551.

Anno 1594. 18. Martij Winſemij, in Ducatu Luneburgenſi monſtrum procreatum eſt. In cuius capite nulla cutis apparuit: ſed caro tantum cruda & mollis, nec vllum in eo cerebrum. Aurem habuit vnam, imperfectam, non patẽtem, ſed ſolidam & vndique clauſam: vnum etiam oculum, aſpectu horribilem, erat enim ſpecies quædam oculi, ſed antrum potius, ſeu cauerna fuit, in qua pupilla, ſed carbonis inſtar intra, nullam habens colorum diſtinctionem, quæ nunquam mouebatur, ſed perpetuo ſtetit immobilis. Naſo quoque puer hic caruit, ſed loco naſi parua caruncula è facie prominebat, ſub qua foramen erat late patens, per quod omnis capitis concauitas rimari & perſpici potuit. Os eius erat rotundum, è quo lingua propendebat, perpetuo enim patebat, nec vllis circumſeptum erat labijs, quibus clauderetur: vtrinque duo extabant dentes acuti & oblongi: quibus dicam in locis os erat diductum & corrugatum, quaſi alis barbæ veſtitum: alibi verrucis & carunculis quibuſdam erat aſperſum. In humeris vti & dorſo pinnulæ quædam carnoſæ alarum inſtar pendebant. In manuum altera tres tantum erant digiti, ſolidi, nullis articulis diſtincti, ſed cõiuncti. Denique & in vno crure nullum inuentum eſt genu, poples nullus, ſed vnum erat, & continuum membrum. Sexus erat fœminei, vixit dimidium diem & noctem integram, ſæpe lugubri voce eiulans. *D. M. Ianſonius tom. 2. Mercurii Gallobelgici libr. 8. pag. 196. & 197.*

Observatio.

Puer natus ventre prominente acu rotundo, vt vulgo thoraces conficiuntur.

IO. Pontanus Paſtor Regiomõtanus inſcripto quodam ſuo, de monſtro circa collum collare carneo inſignito, prognato, meminit alterius monſtri, Danielis Cortini Regiomontani filii, qui hoc anno 28. Martij natus, ventrem habuit prominentem, ad modum ſemicirculi rotundum, inferiori tamen parte acutiorem, quomodo nunc thoraces, aliæq; veſtes viriles conficiuntur. *D. M. Ianſonius Doccom. Friſius Lib. tom. 2. lib 7. Mercurii Gallob. pag. 55.*

DE TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM.

Observatio.

Boa cuiuſmodi morbus.

BOA appellatur morbus papularum: cum rubent corpora: Sambuci ramo verberatur. Opinor (inquit quidam) morbum eſſe hactenus incognitũ, qui vulgo rubello dicitur. Crurum quoq; tumor, viæ labore collectus, boa appellatur. Feſtus. Boua ſiue Boa morbi genus eſt, cum corpora papularum multitudine rubent, ad ſimilitudinem eorum qui Boa ſerpente icti obturgeſcunt. Ignorauit hæc Feſtus Pompeius, qui boam ſcripſit eſſe crurum tumorem viæ labore collectum. Perottus: qui papularum, quibus corpus exaſperatur & rubet, genera duo deſcribit: & à Græcis hydracia nominari ſcribit, ab hydro, (vt quidam exiſtimant) cuius ictus huiuſmodi papulas excitet cum tumore. Ebuli folia contrita, & veteri vino impoſita, Boam ſanant, id eſt, rubenteis papulas. *Geſnerus hiſt. animal. lib. 4. pag. 524. & ſequenti.*

Observatio.

De abſceſſu ſpirituoſo dicto, raro euenire ſolito.

ABſceſſum patiebatur adoleſcens Raguſæus, ſub ala, & illum quidem præmagnum, qui temporis ſucceſſu, mollis & liuidus, magna cum pulſatione ita euaſit, vt intra eum pus cõtineri medici & chirur-

gici pro certo haberent: itaque de eo aperiendo, nulla inter eos diſcordia habita, opus aggreſſi ſunt, ſed quali ſucceſſu, audite: vix enim abſceſſus phlebotomo apertus fuit, ex quo ſanguis impetuoſe, quodam cum ſpiritus ſtrepitu proſiliuit, cum ægrotus ipſe poſito capite exſpirauit, non ſine tamen ingenti aſſiſtentium medicorum opprobrio & dedecore. *Luſitanus cent.6. curat.82.*

Inflammatio vt à ſanguine è venis effluxo fieri ſolet, ita abſceſſus hic ex arteriæ ſpirituoſa ſanguine, extra collecto, euenire ſolet, qui quidem abſceſſus periculoſus admodum eſt, vt in quo ſpiritus, qui, ipſo Galeno dicente, anima ipſa, vel animæ immediatum inſtrumentum ſunt, continentur, quo aperto, vel ex ſe diſrupto, ægrotans periclitatur & deficit: memini me alias Romæ ſimilem vidiſſe morbum, à quo, qui illum patiebatur, vt & hic, breui obijt. *Idem in Scholio ad eandem curat.*

OBSERVATIO.

Melitera pro carbunculo iudicata.

VLCERE ſubalbido, furunculo ſimili, quod Græci, eo quod faui ſpeciem habeat, μελικηρὶν vocãt, vir quidam nomine Paulus laborabat. Id autem cum febrem & inflammationem ingẽtem excitaſſet, Medicum quidem, ſed qui per imperitiam vlceris ipſius naturam minime calleret, accerſit. Eo autem iudicante vlcus ipſum peſtilens eſſe (venit n. cum dolore vehementi, habensq; foramina per quæ fertur humor glutinoſus, vix matureſcit) ſimul omnes cum conſulente Medico aufugiunt, vni tantum viro ægri curam commendantes. Quo factum, vt deſperatis pene rebus ad me mitteret, rogaretq; aliquod pereunti illi auxilium ferrem. Sciſcitor itaq; nuncium vlceris naturam, an increſcat ægritudo, vel deficiat virtus, aut forte eo loco peſtilentes ſint febres. Refertur vlcus non nigrum, non lucens, non pallidum eſſe, febrem lentam & pene leuatam, ſana omnia in regione illa. Accedo igitur ad hominẽ: cumq; hilari vultu reſidiſſem, faciẽ primo oculosq; ſano ſimiles intueor. Tum arteriam tangens, pleniorem quoque reperio. Quare ſanitatem pollicitus, vlcus detego, & omni ſublato timore, familiam reuocans, curam, aggredior: quæ licet difficilis admodum fuerit, ad integram tamen ſanitatem æger ille per Dei gratiam reuerſus eſt. *Beniuenius cap.67. abditorum.*

OBSERVATIO.

Acrochordones, & verucas aliquando ſua ſponte citra medicamentorum vſum euaneſcere, at contagio minime vacare.

FIliam habeo quæ quintum annum exegit, Margaretam nomine, cui plures acrochordones & aliæ verrucæ accidere, & per faciem & manus innatæ ſunt: ſed ſponte ſua, nulla ope medica adhibita, ſanatæ ſunt: & alij mei filij, qui eodẽ linteo faciem abſtergebant, ex contagio infecti ſunt, tamen nulla cura omnes euaſerunt. *Braſauola comment. ad aphoriſ. 26. lib. 3. Hipp.*

OBSERVATIO.

Aneuriſmatis exempla illuſtria.

QVOD à me paucis ab hinc annis animaduerſum eſt, in ſcarifico quodam S. Andreæ ab Arcubus, magiſtro Ioanne Mailleto, apud primariũ præſidem Chriſtophorum de Thou commorante. Illi igitur, ad humeri dearticulationem cum aneuriſma ſubeſſet nucis iuglandis magnitudine, edixi, ne id ſibi aperiri curaret, alias vitam in manifeſto futuram diſcrimine: tutius ipſi futurum, ſi conduplicatis linteis in ſolani & aizoj ſucco maceratis, caſeo recenti & feroſo admixto, ſi vnguento de bolo, emplaſtro contra rupturam, alijsque refrigerantibus & aſtringentibus, mali impetum retunderet, ſi laminam plumbeam imponeret, caligiſque vteretur breuioribus, vt ad eam continendam eſſet illi thorax ex quo caligas ſubnectebat faſciæ loco: interim vitaret omnia quæ ſanguinem attenuant & incendunt, præſertim vero à vocis omni contentione ſibi temperaret. Hac diæta, etſi per annum eſſet vſus, efficere tamen nequiuit, quin tumor creſceret. Quo animaduerſo, tonſorem adijt, qui ratus tumorem illum eſſe ex genere vulgarium apoſtematum, pyroticum eſcharoticum, quo apertionem moliretur, ſub veſperum appoſuit: exacta nocte, ſub auroram tanta ſanguinis, rupto tumore, prorumpebat copia, vt attonitus omnium opem imploraret, atque me vocari iuberet, qui ipſi hæmorrhagiam tantam ſiſterem, pœnitere quod monitis minus obſequens fuiſſet. Vocor igitur, ſed cum vix dum ædium limina attigiſſem, iam animam cum ſanguine reddiderat. Quare Tyronem chirurgum diligenter monitum velim, ne temere Aneuriſmata, niſi forte exigua & in parte ignobili, nec inſignibus vaſis prædita, aperiat: hac potius curationem adgrediatur. Cutis ſuperincidatur dum patefiat arteria, patefacta ipſa ſcalpello vndique à circumſtantibus particulis diducatur, ipſi retuſa & incurua acus introrſum filum trahens ſubijciatur, ligetur, hinc abſcindatur, intorti fili lapſus ex ſeſe expectetur, dum natura abſciſſæ arteriæ oras regenerata carne obducet: dehinc reliquum curationis ſimplicium vulnerum modo abſoluatur. Quę in partibus internis contingunt aneuriſmata, ſunt incurabilia, qualia frequenter accidunt his, qui litus & ſudores ad curationem luis venereæ multoties pertulerunt, quod ſanguis attenuatus, & nimium inde incaleſcens, adeoque incandeſcens, nec iam arteriæ conceptaculis contineri potis, ipſam in eam diſtendit amplitudinem, vt manũ in pugnum complicatam capere poſſit. Quod ego animaduerti in cadauere Veſtiarij cuiuſdam, qui ex Aneuriſmate arteriæ venoſæ repente, dum pila palmaria luderet, rupto vaſe, corruit; diſſecto cadauere, magnam ſanguinis copiam in thoracis capacitatem effuſam inueni, arteriæ vero corpus in eam quam dixi amplitudinem dilatatum, internamque ipſius tunicam oſſeam: quo ego nomine eius paulo poſt cum magna admiratione copiam in Scholis Medicorum feci, tum cadauer publice diſſecarem: ille dum viueret, micantium impetu arteriarum omnium pulſum ingẽtemque toto corpore calorẽ ſe percipere dicebat: cuius rei occaſione ſæpe animo linquebatur. Domin⁹ Syluius, Regius tum Medicinæ profeſſor, interdixit illi vino, aquam coctam pro potu, & pro cibo lac preſſum, caſeoſque recentes eſſe, atq; cataplaſmatis forma imponi dolenti & tumenti loco voluit: veſperi ptiſana ex farina hordei & ſemine papaueris vtebatur: clyſtere vero ex refrigerantibus & emollientib. aut caſſia ſola per interualla purgabatur, quibus re-

mediis

mediis multo melius ſibi eſſe dicebat. Cauſſa oſſeæ eiuſmodi arteriarum per aneuriſmata conſtitutionis eſt, quod ſanguis calidus & feruens primo tunicarum arteriæ facit dilatationem, inde ruptionem. Quod cum contigerit, mutuatur tum ex corporibus vicinis materiam idoneam qua ſolutam ſui vnitatem reſtauraret. Hæc materia dum ſenſim reſiccatur & induratur, in carthilagineam vel etiam oſſeam ſubſtantiam degenerat, earundem plane cauſſarum materialium & efficientium vi, qua in renibus & veſica calculi generantur, ſanguinis enim portio magis terreſtris deſiccatur & denſatur, vi caloris contra naturam in parte aneuriſmate obſeſſa exiſtentis, quo fit vt ad arteriæ dilatatæ & ruptæ ſubſtantiam additam in oſſeæ conſiſtentiæ corpus abeat. In quo naturæ, Dei miniſtræ, elucet ſingularis prouidentia, vt quæ nouo velut aggere comparato, & oppoſito, furentis ſanguinis, ſpirituum vitalium copia turgentis, impetus retardare velit, niſi quis malit eius duritiei cauſſam referre ad continuam medicamentorum refrigerantium & aſtringentium, quibus denſandi & indurandi vis ineſt, appoſitionem: vt non omnino obſcure licet colligere ex Galeni ſcriptis. Cæterum ne falleris ſignis ſupra cõmemoratis: nam nonnunquam in inſignibus Aneuriſmatis nec pulſum vllum percipere licet, nec digitorum appreſſione ſanguinem in arteriam compellere, vel quia ſanguinis eiuſmodi effuſi maior ſubeſt copia, quam pro priſtinis arteriæ conceptaculis coerceri poſſit, vel quia in thrombos coit & concreſcit, ex quo mox putreſcit, ventilationis à corde beneficio deſtitutus: vnde dolor ingens, Gangræna & partis necroſis, animantis denique ipſius interitus. *Pareus lib. 6. cap. 28.*

Ante annos plus minus 40. habui cum collegis D. Achille Graſſaro Lindauienſe, & quodam noſtrate, in cura quendam Patricium, magni nominis virum, Leonh. Velſerum. Is ex ſaltu & concuſſione equi ferocientis incidit in vehementiſſimum dolorem dorſi qui nulla erat medicabilis arte, plurimis & diuerſis cuiuſque generis tentatis, tandem ex Belgio, ni fallor, huc vocatus Andr. Veſalius, cui in anatomicis adminiſtrationibus ſuo tempore par non erat, nedum ſuperior: is vt deprehendit tumorem aliquem haud ita magnum in dorſo circa vertebras aut ſpinam pulſantem, ſtatim dicebat eſſe ἀνεύρισμα ex dilatatione aortæ arteriæ: nam vt in varicibus videmus contineri ſanguinem in media vena, ita in hoc affectu in media aorta arteria, idque ex ſaltu ſeu concuſſione equi contigiſſe, & incurabilem fore: idem aſſerebat ſe eiuſmodi affectus vidiſſe in gutture, in pectore, in poplite, in brachiis, & ſemper inferre extremos dolores, & tandem ſyderationem, nec curari niſi abſciſſa parte affecta. In eiuſmodi aneuriſmate ſe quandoque reperiſſe humorem concretum inſtar glaciei aut humoris criſtallini, interdum veluti ſanguinem concretum, aut molam, in viuis corporibus verum ſanguinem deprehendiſſe, in defunctis nigrum & ſyderatum, & cum grauiſſimis doloribus ægros mori: ſponte interdum fieri eiuſmodi vaſorum dilatationem, interdum ex cauſa antecedente, qualis fuit in hoc noſtro ægro, qui, ſupra biennium hoc grauiſſimo morbo conflictatus, omnique auxilio Medico deſtitutus, tandem in manus empyrici cuiuſdam incidit, qui, ſalutem pollicitus, exhibuit catapotia neſcio qualia, ex quibus in ſanguinis ſputum incidit, & miſer ille in ſinu coniugis tandem extinctus 25. Iunii, Anni 1557. Diſſecto corpore, reperimus id quod Veſalius prædixerat, in ipſa aortæ arteriæ cauitate tumorem prægrandem, durum, carnoſum, ex ſanguine arteriali concretum, qui foras etiam protuberans, in dorſo dolorem & pulſationes inferebat: eiuſmodi nimirum, qualis in arteriarum pulſu deprehendi ſolent. Ita de hoc affectu incurabili edocti ſumus à Veſalio, priuſquam bonus ille vir moreretur.

Etiamnum apud nos eſt ciuis, qui ex læſione arteriæ in brachio dextro ex venæ ſectione incurrit ἀνεύρισμα magnitudine oui gallinacei aut anſerini, quod tamen conſolidata arteria nullam moleſtiam præbet, ita vt omnes actiones voluntarias obire poſſit citra noxam. *Clariſſimus Vir Adolphi Occonis Obſeruatio.*

Observatio.

Monſtroſa in abſceſſibus viſa.

Abscessus ἀπόστημα Græce dicitur. Huius duplex genus eſt. Vnum cum phlegmone in pus verſa, pus ipſum tanquam in ſinu aliquo eſt collectum. Alterum cum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis ſtatim ab initio, iſque alias ſpecie alius, cæterum omnino acris, in parte aliqua colligitur, porro excoriat hic circumpoſita corpora: ſpatium videlicet ſibi moliens vel inter duas tunicas, vel ſub certis membranis. Excoriat autem omnino ipſa copia diſtendens: interim vero acrimoniã quandam à putredine tempore contrahens. Sane inueniuntur in huiuſmodi abſceſſibus cum ſcalpello ſunt diuiſi, proprietates quædam non paucæ, nec humorum modo, ſed etiam ſolidorum quorundam corporum. Siquidem vnguium, pilorum, oſſium, teſtarum, lapidum, & pori fragmentorum ſimilia inuenta in his corpora quædam ſunt. Ac humorum ipſorum alius veluti lutum, vel cœnum, vel olei quidam limus, vel vini fæx, alius adeo grauiter olens, vt omnes auerſentur. Verum hæc rarius incidunt. Frequẽtiſſima vero huius morbi ſunt tria genera, quorum ſingula propriam appellationem Græce ſunt ſortita. Ea ſunt ἀθέρωμα, στεάτωμα, μελικηρὶς à ſimilitudine contentarum in tumoribus ſubſtantiarum dicta. Eſt enim aliud eorum veluti ſæuum, aliud veluti mel, aliud pulticulæ quam ἀθέραν vocant ſimile. *Galen. lib. Meth. 14. cap. 12.*

Quocunque modo fiat abſceſſus, id ſpatium, quod abſcedentes partes interiacet, humoribus illum efficientibus impletur. Qui, ſi diutius aliquando maneant, in varias formas mutantur. Etenim lapidibus, arenis, teſtis, lignis, carbonibus, luto, ſtrigmento, amurcæ fæci, multiſque id genus aliis ſimilia ſæpe in abſceſſibus contenta deprehenduntur. *Galenus libro ſecundo, ad Glauconem capit. ſeptimo.* Plura vide apud *Celſum libro ſeptimo, capit. ſexto.* Nos accerſiti cum eſſemus præſentes dum nobili cuidam matronæ Venetæ, reſcinderetur abſceſſus vidimus chirurgum extraxiſſe duram quandam materiam ex eo abſceſſu, quam diſcernere non poteramus, num lapis potius eſſet, vel os. *Trincauellus de ratione Cur. Hum. corp. affect. lib. 10. cap. 5.*

Præter Atheromata Steatomata & Meliecrides, multa ſunt alia tumorum genera, vt Nata, Glandula, Nodus, Botium, Lupia, quæ vt materia (ſunt enim omnia ab humore pituitoſo craſſo, lento, & viſcido) ſic ſpecie cum atheromate, ſteatomate, & meliceride conueniunt. Quin & in his apertis plerunque cernas omnis generis & à communi tumorum materia longe diſſita corpora, vt lapides, cretam, arenam, carbones, cochleas, ſpicas, fœnum, cornu, pilos, carnes tum duras tum ſpongioſas, cartilagines, oſſa, integra etiam animalcula, tum viua tum mortua. Quarum rerum generatio (per humorum corruptionem & alterationem) nos non admodum tenebit attonitos, ſi conſideremus, quod, quemadmodum ex totius magni mundi ſeminibus & elementis omnibus, natura hominem microcoſmum concinnauit, vt illius magni mundi eſſet viua velut imago: ſic in illo omnes omnium motuum & actionum ſpecies elucere vult, nunquam in nobis otioſa, quamdiu materia generationi non deeſt. *Pareus operum ſuorum libr. 6. capit. 19. De tumoribus contra naturam.*

Quid memorem prodigioſa corpora, quæ in præter naturam abſceſſibus reperiuntur, calculos dico, cretam, arenam, carbonem, limacum cochleas, ſpicas, fœnum, cornua, pilos & pleraſque animalium viuorum mortuorumque ſpecies? nihil enim eſt in earum generatione (per corruptionem facta quam multiplex præcedit alteratio) quod attonitos animos noſtros & ſuſpenſos tenere debeat: ſi præſertim conſideremus fœcundam & parentem omnium naturam, vniuerſæ materiæ ex qua maior mundus contextus eſt, varias portiones, & particulas, in microcoſmum hominem indidiſſe, quo amplius ad magni illius imaginem, & vnum exemplar factus eſſe videretur. Itaque in eo ſibi placere, vt omnes actiones, motuſque quos obire & edere in maioris illius mundi ſcena ſolet, eoſdem in hoc paruo effingat nunquam in nobis otioſam, modo ne materia deſit. *Idem eodem opere, libr. 19. capit. tertio. De Infantum variolis.*

Observatio.

Septicum ad diſſecandam cutem carnemque ſine dolore admirabile, quo abſceſſus perforari, & membra breui tempore fere ſine dolore cauterio affici queant.

PVblicæ vtilitatis gratia, quædam, quæ tibi non ingrata futura arbitror, & quæ te mihi ſemper accepta laturum certo ſcio, addam, neque me ab hoc propoſito nonnullorum ingratitudo (quæ in noſtra hac vrbe maxima eſt) remouebit, qui vt hæc noſtra diſcant experimenta indigniſſimi ſunt; vincat tamen publica vtilitas, & quod fortaſſe aliquis tanquam arcanum ſibi à diis commiſſum reticeret (quamuis vera eſſe arcana exiſtimem morborum eſſentiam cognoſcere, & ipſo tempore medicinam facere) in omnium bonorum gratiam, quibus maiora & meliora debentur, in publicum prodeat. Septicum hoc medicamentum ſi in aquam verſam fuerit, atque illi quintam partem humanæ pinguedinis, vt penetret, addideris, & partem etiam exiguam opii, ſupra modum tibi gratum erit: iſto enim commodiſſime cutem carnemque perforare poteris, ſi hoc pacto eo vſus fueris, primum perforandus locus optime abſtergatur, deinde baculo buxeo vel oleagino (quod depreſſi ſpecilli formam habeat) in hoc medicamento madefacto vel cuſpide ſpecilli argentei in huiuſmodi medicamento etiam madefacta, locus in quo debet fieri inciſio, ſecundum inciſionis magnitudinem, quæ fieri debet, perfricetur, dum perfricabis, colorem proprium perfricatam illam partem mutare videbis, idque aduertes magis, ſi pauliſper perfricationem intermiſeris. Tunc autem alteratam partem illam lanceola ſcindere tuto poteris, leui tamen inciſione, quod ſine aliquo dolore fiet, quia pars illa iam alimento deſtituta & emortua non ſentiet, deinde eodem ſpecillo vel ligneo, vel argenteo, vt magis commodum fuerit, in eodem medicamento iterum madefacto, refricabis, & rurſus partem illam, quæ poſt primam inciſionem proprium etiam colorem mutauerit, ſecabis, hoc pacto perges, quoad profundam etiam ſectionem, vt opus erit, feceris. Poſſem quoque medicamenta alia ſeptica recenſere, quale illud eſſet, quod ex chalcantho, nitro, alumine, & ſimilibus paratur, per artem chymicam, ſed cum maxime penetrent, violentiſſimeque operentur, & propterea maximos inferant dolores, illa ſoleo vt plurimum reſpuere, quocirca ea ſilentio inuoluam. Hoc autem noſtro medicamento abſceſſus perforare quamplures poteris, & membra breui tempore, & fere ſine dolore, cauterio afficere. *Maggius de Vulner. ſclop. Curand.*

Observatio.

Carbunculus quo tempore Italiæ nouus morbus.

L. Paulo Q Martio Cenſoribus, primum in Italiam Carbunculum veniſſe, Annalibus conſcriptum eſt, peculiare Narbonenſis prouinciæ malum: quo duo Conſulares obiere condentibus hæc nobis eodem anno, Iulius Rufus, & Q Lecanius Baſſus, ille medicorum inſcitia ſectus, hic vero pollice læuæ manus euulſo acu ab ſemetipſo tā paruo vulnere, vt vix cerni poſſet. Naſcitur in occultiſſimis corporum partibus, & plerunque ſub lingua, duritia rubens, varicis modo, ſed nigricans capite, alias liuida, corpus intendens, neque intumeſcens, ſine dolore, ſine pruritu, ſine alio quam ſomni indicio, quo grauatos in triduo aufert, aliquando & horrorem afferens, circaque puſtulas paruas, rarius febrem, ſtomachum fauceſque cum inuaſit, ocyſſime exanimans. *Plinius Nat. Hiſt. lib. 26. cap.* 1. Quomodo cum veterum Anthrace conueniat, *Ingraſſiam de tumoribus præter nat. p.* 213. conſule.

Observatio.

Puer ſphacelo correptus, mutilatis membris omnibus, periit.

PVer erat annos natus ſex, cum articulos digitorum & manuũ & pedũ ſphacelus occuparet, qui ſenſim ſerpens ſupra genua, ad vtrumq; cubitũ peruenit, vbi autē hæ emortuæ partes decidiſſent, ſummam ſiue extremam narium partem, & aurium alulas, ac lobos ſiue fibras inuaſit: morte paulo poſt ſubſequente. Sic tandem miſer puer mutilatis ac amiſſis membris periit. *Dodonæus Obſeru.* 53.

OBSERVATIO.

Gangrænæ à frigore excitatæ Hiſtoria mira.

LVtetiæ Brito quidam ſeruus à ſtabulo, cum à cœna probe potus ſupra lectum ſe conieciſſet, per proximam feneſtram, quam patentem reliquerat, frigus ſubiens ſic alterum eius crus occupauit, vt mox à ſomno excitatus, nec tibiis ingredi, nec pedibus ſe ſuſtentare poſſet. Cum igitur crus ſtupefactum tantum putaretur, iuſſus eſt igni adſtare, ſed cum illud propius admouiſſet, plantam pedis ſibi ſine vllo doloris ſenſu digiti craſſitudine inuſſit, iam enim pluſquam dimidiam cruris partem necroſis occupauerat. Itaque in Noſocomium deportatus cum eſſet, conatus eius loci Chirurgus eſt cruris emortui amputatione reliquum corpus à morte imminente vindicare. Sed fruſtra: gliſcente enim in ſupernas partes necroſi, intra triduum mortuus eſt, cum laborioſis ructibus & ſingultibus, deliriis, frigido ſudore, & crebra ſyncope. Profecto tota illa hyeme frigoris tanta extitit inclementia, vt pleriſque in Noſocomio narium alas ſeu pinnas necroſis ſine vlla putredine occuparit. Itaque cum ex tam multis quatuor delegiſſem quibus nares amputarem, duo quidem incolumes euaſere: reliqui ſerpente malo interiere. *Pareus operum ſuorum libro vndecimo, capit. duodecimo.*

OBSERVATIO.

Gangræna, ſeu corruptio partium extremarum, amputatione earundem curata.

NON poſſum hoc loco ſilentio præterire caſum inſignem qui accidit cuidam viro noſtra memoria. Accidit illi in pede nigredo cum aduſtione quæ aſſimulatur combuſtioni ignis, & corruptio illa in primis accidit in digito eius, donec occupauit pedem totum. Poſtquam ergo vidit corruptionem longius quotidie ſerpere in membro cum dolore & aduſtione, iudicans celeriter malo creſcenti reſiſtendum, nullo adhibito Medico, ipſe incidit pedem apud iuncturam, & ſanatus eſt. Et longiore poſt tempore accidit ei illa eadem corruptio in digito manus ſuæ. Venit ergo ad me, & conatus ſum auertere & expurgare illam ſuperfluitatem Medicinis, mundificando corpus eius, & ſuperfluitas malitioſa tenaxque nullis catharticis potuit reuelli, ſed cœpit inuadere digitum alium donec peruenit corruptio in manum. Vocauit ergo me ad incidendum manum eius, & nolui illud, ſperans adhuc me efficacioribus medicamentis humores illos malos reuulſurum ex corpore hominis. Timui enim ne poſſet perferre ſectionem manus, erat enim admodum imbecillis, ob humores quibus peſſime abundabat miſer, poſtquam ergo me non potuit induci vt abſcinderem illi manus corruptas partes, reuerſus eſt demum, & peruenit ad me de eo quod properauit & incidit manum totam ſuam, & ſanatus eſt. Hoc exemplo nullam aliam ob cauſam dico; niſi vt diſcamus hinc quid ſit audendum in his corruptionibus ſerpentibus. Plurimum enim arbitror prudenti medico prodeſſe, ſi quamplurima notet exempla, quæ ſequatur. *Albucaſis lib. 2. cap. 87.*

OBSERVATIO.

Gangrænæ & ſphaceli curandorum leges, Illuſtri Hiſtoria demonſtratæ.

PLacet nunc gangrænæ & ſphaceli curandorum leges propoſito exemplo confirmare. Dum ego Taurini agerem Chirurgus Polemarchi Monteiani, miles quidam Gregarius, vulnus ad carpum ſeu manus articulum, glande plumbea ſclopo exploſa, accepit: vnde fractis inſigniter oſſibus & tendinibus, neruoſiſque corporibus crudeliter laceratis, gangrænæ, ac tandem ſphaceli, ad cubiti vſque articulum, conſecutio facta eſt, ſed & mediam thoracis partem inflammatio inuaſit, & ad gangrænam quædam velut diſpoſitio, quo factum eſt, vt ructibus, ſingultibus, vigiliis, iactationibus & crebra ſyncope laborioſe & periculoſe admodum exerceretur, quæ cauſa fuit, cur multi illum Chirurgi relinquerent, tanquam deploratum. Ita factum eſt, vt amicorum eius precibus coactus, miſerum illum & omni humano præſidio orbum curandum ſuſciperem. Cognito igitur ſuis ſignis ſphacelo, brachium ad cubiti articulum primo quoque tempore amputo, ſuperinducta prius deligatura, amputo inquam, non ſerra, ſed ſola nouacula: excisis quæ oſſa, id eſt, humerum brachiumque continebant ligamentis, quod in articulo cubiti ſphacelus conſiſteret: etſi gangræna ad humerum aſcenderet: nec vero noua cuiquam hæc in articulo ſectio videri debet. Illam enim Hippocrat. valde commendat, atque ſanatu facilem prædicat, nihilque ex ea timendum præter ſyncopem, propter dolorem, qui inciſione tendinum & ligamentorum communium excitatur. Cæterum inciſione eiuſmodi à me peracta, prohibere non potuit ſuper inducta ligatura, quin multus ſanguis inde manaret, propter inſignia quæ illac perreptant vaſa. Sino igitur ſanguinem liberius fluere quo partem deonerarem, atque inflammationis ac gangrænæ periculis metuque in poſterum expedirem: mox ignito ferro fluorem cohibui, neque dum enim aliam viam noueram. Inde ſoluta blande deligatura, humeri partem gangræna obſeſſam multis & profundis inciſionibus diſſeco, vitata & intacta interna parte, propter inſignium vaſorum & neruorum, qui illac feruntur, multitudinem, mox inciſionum quibuſdam pyroticum admoui, tum vt ſanguinem ſiſterem, tum virulentam ſaniem in parte reſtitantem exhaurirem. Inde immiſſis, appoſitiſque remediis alibi deſcriptis, ſerpentem putredinē debellaui: ad thoracis coercendā inflammationem omni medicamentorum refrenantium genere ſum vſus: epithemata etiam regioni cordis adhibui, & cardiaca ægro potanda, deuorandaq; exhibui, nec ante deſtiti ab illorum vſu, quam illi ructus, ſingultuſque atque leipothymiæ vaneſcerent. His ego dum attentius intendo, aliud ægrum mali genus occupat, conuulſio nempe, non vlla mea, aut eius culpa: ſed loci in quo iacebat vitio, in granario enim decumbebat, rimis vndique dehiſcente, & ventorum omnium afflatui peruio, media vero tum & pruinis, gelu, omnique frigore horrida ſæuiebat hyems, nec has cœli, locique iniurias ignis aut eorum aliud quæ ad vitā tuēdam neceſſaria ſunt minuebat: iam artuū contractio, dentium conſtrictio, & oris, facieique

partium

partium omnium tortura miſerum exercebant,cum ego eius miſertus, in proximum ſtabulum multo fumo fumans deportari curaui, importatoque in duas pyrotecas igne, deſcriptis alibi ad conuulſionem linimentis, quam primum ceruices, totamque homini dorſi ſpinam oblino,vitatis partibus thoracis: mox ipſum calido linteo inuolutum, in fimum pariter calens & recenti ſtramine ante conſtratum ad ceruices vſque defodio. Illic cum triduum manſiſſet,oborto tandem leui alui profluuio, & copioſo ſudore,os ſenſim, denteſque ante conſtrictos & rigentes diducere cœpit. Hinc rei melius gerendæ opportunitatem nactus, inſtrumento in dentes inſerto,os illi amplius diduco.Illum oris hiatum, ſubducto dehinc dilatatorio, inſertis hinc & hinc ſalicis bacillis, ſeruo integrum, vt liceret mihi ipſum paulo liberalius cibis paratu facilibus, nempe lacte bubulo & ouis ſorbilibus cibare, tantiſper, dum mandendi libertas, deuicta conuulſione, rediret. His igitur artibus conuulſionis illo caſu mox liberatus, tum demum brachii curam repeto, ferro candente extremum os denuo inuro, vt ſaniei affluxum perpetuum exhaurirem.Notatu vero haud omnino indignum eſt, quod eiuſmodi cauteriorum actualium appreſſione, mira ſe voluptate perfundi dicebat:titillante quodam pruritu per totam oſſis illius longitudinem graſſante,ob caloris ab admoto cauſtico blandam diffuſionem, quod idem ego in multis aliis, præſertim in Noſocomio Lutetiano decumbentibus ſimili in caſu animaduerti. Secutus eſt hanc inuſtionem multarum & inſignium oſſis ſquamarum & teſtarum prolapſus, ad id etiam faciente aeris liberiore quam par erat appulſu, quin etiam vbi fotui locus datus eſt, roſarum rubrarum, abſynthii,ſaluiæ,foliorum lauri, florum chamæmeli, meliloti,anethi decocto, ſic parti ſolatium parau, vt interim ſaniem virulentam, carnes oſſaque pertinacius imbuentem, vna eademque opera exhaurirem.Denique factum eſt, vt Dei opere, & illa quam dixi arte, & ſollicita cura tandem conualuerit. Ex quo monitum velim chirurgiæ tyronem, vt nunquam quenquam ſic deploratum habeat, vt ipſum penitus pro derelicto habere velit, hominem cum prognoſticis dimiſiſſe contentus. Nam vt appoſite à veterum Doctorum quodam ſcriptum eſt, vt in natura,ſic etiam in morbis monſtra contingũt. *Pareus operum ſuorum lib.11.cap.25.*

Obſervatio.

Gangræna & necroſis ad febrem inueteratam conſecuta, citra dolorem, liuorem, aut tumorem.

Vidimus euenire mortificationem putrefactionemque membri in extremitatibus ægrotantium quorundam, qui diutius febre laborauerunt antiqua, & ſatis acuta, tantum quod eorum corpora adeo arefacta & macrefacta remanſerunt, quod extremitates tibiarum interdum, tempore præſertim hyemali, ad tantam infrigidationem, congelationem ſeu ſtupefactionem, defectu caloris naturalis, redactæ ſunt,vt membrum ipſum propria caliditate naturali priuatum eſſe videretur: & tamen licet mẽbrum quo ad tactum videretur frigidiſſimum, patiens nihilominus multum conquerebatur de magno dolore, & loci incendio, ac ſi in ipſo ignis naturalis adfuiſſet: hoc quidem temporibus noſtris vidimus euenire nullo præcedente dolore, nullaque tumefactione,& nulla inſuper liuiditate ac nigredine loci(vt ſolet in cancræna euenire) in quadam Nobili muliere in ciuitate Genuenſi, Saluagina de grimaldis nuncupata: q̃ poſt longã infirmitatem in lapſum prædictæ corruptionis incidit: & ſic manifeſtus eſt vnicuique morbus. *Iohannes de Vigo Chirurg. maior. lib.2.cap.6.*

Obſervatio.

Carnes cuidam ab oſſibus diſcedentes.

Crateri Medici ſeruus nouo quodam morbo captus fuit, ita vt carnes eius ab oſſibus abſcederent. *Porphyrius lib.de Abſtinent.& anim.*

Obſervatio.

In iuncturarum amputatione vt os contegatur diligenter obſeruandum.

Vt tranſuerſum diſſectũ os contegatur in membrorum inciſione miniſtris iubere ſoleo, vt amputandum membrum contineant,&ad ſe quantum poſſunt membri illius cutem carnemque trahant, vt diſſecta pars, in cutis & carnis muſculorum relaxatione,facilius tegatur, atque ita quandoque ſtatim os illud contegitur, vt nullo modo conſpiciatur, ex quo facilius curatio abſoluitur, hoc tamen commode careremus,ſi extra carnem os prominieret, quod chirurgia eſſet deinde remouendum, & ſi naturæ permitteretur niſi poſt longum tempus abſcederet. In iuncturarum amputatione, vt os contegatur, diligentius ſoleo obſeruare, iubeoque miniſtris, vt, quantum in ipſis eſt, pellem quæ ſupra iuncturam eſt, ad ſe trahant, facta deinde arcti ſima ligatura, membrum in ipſo articulo excido, vaſa præterea ſanguinem effundentia inuro, poſt hæc vt miniſtri, quam contraxerant manibus pellem carnemque remittant, impero, quæ quandoque bonam iuncturæ partem, nonnunquam totam iuncturam ſponte contegit, non ſecus ac ſi dedita opera manu attraheretur coniungereturque,& nullis, vel paucis ſaltem, vt ſanguinis fluxus compeſcatur,membrum eget cauteriis, quippe à pelle illa vaſa conteguntur,& fluens ſiſtitur ſanguis, ſed tamen vt melius pellis committatur, digitis nonnihil eam attrahe, deinde eo modo,quo pelles ſuuntur, illam conſues, dando operam vt omnino iunctura contegatur, emplaſticis poſtea medicinis vulnus, vt dictum eſt, communies. Neque hunc modum amputandorum membrorum à me relatum & obſeruatum Venetorum lictores ignorauerunt, qui facinoroſo alicui homini manum exciſuri, pellem eo (quem diximus) modo ad ſuperiora contrahunt, & poſt manus amputationem ilico contractam pellem laxant, & diligenter circa iuncturam conſuunt, vulnerique ventrem gallinæ morientis adhibent, nec vllum deinde fit ſanguinis profluuium. Nec hoc à Galeno ſententia abhorret, qui 5. *Method.* ſcribit, ſanguinis fluxum ſiſti ex propriæ cutis ſuperpoſitione, quapropter tuto hoc modo membra ſecabis, qui ſi tibi ſatis fecerit, illum te docuiſſe non me pœnitebit, daboque operam, diis volentibus, vt propediem & maiora,

iora, & vtiliora intelligas, *Maggius, de Vul. Sclop. Curat.*

Observatio.

De noua remediorum forma ad compeſcenda ſanguinis poſt amputatum membrum profluuia, diſcrepantes ſententiæ.

FATEOR equidem me olim alia via ſanguinis ab amputatione membrorum fluores compeſcuiſſe, quam quę alibi tradita eſt. Cuius equidem rei pudet me, & piget: ſed quid facerem? ſic à magiſtris, quos mihi imitandos propoſueram, ſemper factitari animaduerteram: qui nempe tum demum ſe præclare inſtructos ad hæmorrhagiam ſiſtendam arbitrabantur, cum ignitorum ferramentorum & medicamentorum cauſticorum varia ſuppellectile circumfuſi, nunc hæc, nunc alia pro arbitrio amputatæ parti apprimerent. Quod profecto facinus non ſine ſummo horrore dici aut cogitari, nedum fieri poteſt. Id enim remedii genus non poterat non ſummum doloris cruciatum ægris inferre: cum eiuſmodi vulnera recentia, & viuam ſanamq; carnem comprehendentia, exquiſitiſſimo ſenſu prædita ſint. Nec vero neruoſis corporibus cauſticum quidquam apprimi poteſt, quin ſtatim ignis ſæua illa impreſſio viſceribus communicetur: vnde pernicioſorum ſymptomatum, ac mortis ſæpius conſecutio. Et certe ex ita inuſtis vix vnquam tertia pars conualeſcebat, & id admodum ægre, quod ambuſta vulnera difficillime ad cicatricem deducantur: illa enim vſtulatione ſæui dolores excitantur, vnde febris, conuulſio, & ſæpe his alia peiora accidentia. Adde quod eſchara lapſa noua ſæpius hæmorrhagia ſuperueniebat, cui coercendæ alius pyroticis & ignitis ferramẽtis opus. Neque enim aliam viam nouerant boni illi viri, ex quorum repetitione magna fiebat carnoſæ & neruoſæ ſubſtantiæ conſumtio & perditio. Cuius occaſione oſſa denudabantur, vnde plurimis cicatricis inducendæ ſpes adempta eſt, coactis in vitæ miſeræ reliquum tempus vlcus ex eo loco quo membrum exciſum fuerat circumferre: quæ res opportunitatem illis adimebat, cruris aut brachii arte parati in exciſi locum optandi. Itaque Chirurgos omnes obnixe rogatos velim, vt vetere illa, & crudelitatis crimine obſita medendi via relicta, hanc nouam amplectantur, quam me edoctum DEI numine arbitror: non enim illam à magiſtris, non à quoquam alio didici, aut vſurpatam vnquam animaduerti. Tantum apud Galenum legi, ad ſanguinis fluxum ſiſtendum nihil eſſe præſentius quam vaſa ipſa, quorum ductibus fit fluxio, verſus radices ſuas, hepar nempe & cor religare. Hoc Galeni præceptum de vinciendis & ſuendis venis & arteriis, in vulneribus recentibus, ad ea quæ membrorum amputatione fiunt cum traduci poſſe putarem, tentaui in pleriſque, ſic tamen vt per initia & prima experimenta cauteria & ignita ferramenta parata ſemper haberem, vt ſi mihi minus quid feliciter nouo illo opere ſucceſſiſſet, ſubſidium mihi ex vetere doctrina compararem: donec tandem magiſtra & felici prope infinitorum experientia confirmatus, ignitis ferramẽtis, omnibuſque cauteriis, quod ad hoc opus intereſſet, vale id ſempiternum dixi. Idem ego Chirurgis omnibus cenſeo faciendum: non enim vt in negotiis ciuilibus, ſic in his rebus, quæ arte geruntur præſcriptio, ius, authoritatem, aut locum contra rationem habere poteſt: ne quis obtrudat ſic ſemper à maioribus fuiſſe factitatum. *Pareus operum ſuorum lib. 11. cap. 24.*

Nimium arroganter inconſultus & temerarius quidam, vaſorũ vſtionem, poſt emortui membri reſectionẽ, à veteribus omnibus plurimum commendatam, & veteres omnes Medicos, ſine ratione, ſine experientia & iudicio docere cupiens, nec animaduertit, maiora multo pericula ex ipſa noua vaſorum deligatione (quam acu, partẽ ſanam profunde tranſfigendo, adminiſtrari vult) imminere, quam ex ipſa vſtione: Nam ſi acu neruoſam aliquam partem vel neruum ipſum pupugerit, dum ita nouo & inuſitato modo venam abſurde conatur conſtringere, noua inflammatio neceſſario conſequetur, à qua conuulſio, & à conuulſione cita mors. Quorum ſymtomatum metu Galenus non ante tranſuerſa vulnera ſuere audebat (quod tamen minus erat periculoſum) quam muſculorum ἀπονευρώσεις denudaſſet. Adde quod forcipes, quibus poſt ſectionem iterum carnẽ dilacerat, cum retracta verſus originem vaſa ſe poſſe extrahere ſomniat, nõ minorem afferrent dolorem, quam ignita ferramenta admota. Quod ſi quis nouum hunc laniatum expertus incolumis euaſerit, is Deo Opt. Max. (cuius beneficentia crudelitate iſta & carnificina liberatus eſt) maximas gratias & habere & ſemper agere debet. *Gourmelenus Chirurg. Art. lib. 2. pag. 124.*

Observatio.

Noua alia extremarum partium amputandarum ratio, citra ſerræ vſum.

PRæſtantius eſſe cenſerem altero modo hæc ſecare, vid. cultro. Cæterum maior cura eſt adhibenda in magnis membris amputandis, q̃ ſi digitus tantum ſit: nam hic facile demitur: collocatur aut ſuper banco, filtro, vel exiguo puluillo ex goſſippio ſubmiſſo, mox illi acies gladii, vel ſcalpelli plani ac lati, optime acuminati, quaſi ad perpẽdiculũ aptatur, & inſtar cunei ligneo malleo adigitur, vt vnico ictu opus pagat. Pro magnis v. membris alius mod⁹ eſt excogitatus: nempe cultri duo lati, quorum vnus intra duas columnas ligneas cippo infixus eſt, aciẽ ſurſum ꝓducens, alter vero intra eaſdem columnas ſuperiore loco ponitur, q̄ ad amuſſim deſcendat, vt aciẽ acie fricet. Hic aũt, quo minus labatur, ſulco in vtraq; columna facto recipitur, vt quaſi fiſtuca ſurſum deorſumq; ferri libere poſſit, non vltro citroque: & quo ſuo ſolo deſcenſu ac pondere totũ membrũ detruncet, cippo vel plumbo onerãdus eſt quantũ ſatis eſſe videbitur, vel ipſe quoq; cædẽdus eſt ingenti & graui malleo ligneo, vt vnica illiſione opus abſoluatur: Sed melius eſt ſi inſtar fiſtucæ cadat. Modus a. hic, eo q̄ ſerra efficitur, multo tutior eſt, facilior & celerior, imo etiã ferme citra dolorẽ: adeo vt Regius Chirurgus magiſter Iac. cognomine, Regius, vir in arte ſua cũ doctrina tũ experientia exercitatiſſimus, fateatur ſua opera nonnullos viuere ſimili inſtrumento crure mutilatos, qui putabant, ex lychnio ignis ſcintillam ſuper pedem incidiſſe, cũ detruncatũ membrũ eſt: quod non euenit niſi actionis eiuſdẽ inſtrumenti celeritate, quæ quantum commodum ferat, ſo-

ſummo-

ſolummodo prudens artifex nouit, & qui in talem calamitatem incidit. Nam præter id quod dolor exiguus & momentaneus eſt, ex arbitrio etiam artificis illico arteria & vena occluduntur: quod non pauci eſt momenti. Imo quidem ex iis, qui à cæſis membris intereunt, plures ob effuſum ſanguinem occidunt, quam ob aliam cauſam. Nam interea dum ſerra oſſa ſecantur (præter id quod & plerunque multas neruoſas partes à nouacula relictas hæc miſere lacerat) perpetuo ſanguinem & ſpiritus fundunt ſectæ venæ & arteriæ: quare non poſſum non vehementer hoc loco ſerram vituperare, & ex aduerſo cultros laudare ac commendare. Sed qui vel animi prudentia, vel ſtupore, vel artis imperitia non facile ad inſueta tranſeunt, ſtatim opponunt oſſium confractionem, vel carnoſæ partis contuſionem, vel operis crudelitatem. Aſt hæc nulla prorſus eſt, ſi cum ea, quæ ſerram conſequitur, conferatur: & contuſio nulla fit ſi cultris acies prout licet fuerit adducta: nullius etiam momenti eſt oſſis confractio, cum facile fragmenta hoc loco arte deducantur, vel à natura reiiciantur. Cum igitur negotium ipſum obeundum eſt, candentia cauteria habenda ſunt præſto: apponenda ad axillam, vel inguen repellentia, aures obturandæ, oculi auertendi: & membrum prout dictum eſt ligandum, poſtea ſic inter vtramque eſt collocandum, vt (ſi intra cubitum vel genu ſectio fiat) ambo oſſa æqualiter inferiori aciei inſiſtant, non autem vnum alteri ſuperſiſtat, (non idem obſeruandum eſt ſi ſupra genu vel cubitum ſecare expediat, quod vnicum tantum os ſit) deinde repente à ſano ſegregandum, mox ad cauteria deueniendum eſt, quibus arteriæ & venæ cohibentur: incepto opere ab arteria: nam ſanguinis aliquid effluere vtile eſt, deinde protinus tenuis cruſta inducenda, perinde atque alibi iuſſum eſt: inde vincula ſoluenda, & totum vlcus cum adiacentibus partibus obtegendum medicamento confecto ex roſaceo, ouo, & bolo armeno, quod tepidum applicetur: vſurpetur hoc biduum. Diebus ſequentibus, quo cruſta decidat, infra ſcripto medicamento vteris: butyri non omnino recentis, nec vetuſti vnc. vj. lauetur per horam in ſucco porri, ſuccum bis terve renouando, cum quo cruſta implaſtretur. Quod ſi porrum non adſit, butyrum ſolum, vel ſuilla axungia non admodum antiqua ſatisfacient. Et cum cruſtam iam ſeparationi vicinam eſſe noueris, butyro ſimplici, vel axungiæ recenti mellis tantundem immiſce, & vtere. Illa deciſa, medicamentum quod mediocriter exſiccet cum abſterſione conducet: cui ſuccedant cutem generantia, quæ ſcilicet potentem exſiccandi ſine morſu vim habeant. Sed virtus hic poſtponenda non eſt, eo quod facile labaſcat, cum propter dolorem, tum propter euacuationem multam ſanguinis, ſpirituumque, præcipue ſi per ſerram opus fiat. Quare per horulam ab opere præter rationem non erit, infuſum panem in vino paucifero dare. Nec aggredienda res eſt ſtomacho vacuo: ſtatim enim moleſta ſyncopi prehendi ſolent: nec eo repleto, ne cibus propter agitationem corrumpatur, vel in venas meſaraicas omnino incoctus trahatur. *Leonard. Botall. de vuln. Sclop. cap. 23.*

Obſervatio.

Extremarum partium frigore prope enectarum curatio mira.

QVOD audiui à quibuſdam Nobiliſſimis Polonis, qui inquiunt, & eſt res notatu digna, in regione ſua, quæ gelidiſſima eſt, ſæpe fieri vt aures, nares, manus, pedes præſumpto frigore ita rigeant, & torpeant, vt ſi vel tangantur manibus calidis, vel approximentur igni, ſtatim decidant; atque vnum eſſe in eo caſu ſummum auxilium, ſi, priuſquam ſeſe calori exponant, partes torpefactæ in aquam gelidiſſimam mittantur, cuius euentus breuiter ratio eſt proponenda. Nam definitum eſt ab Ariſtotele *quarto Meteor.* corpora, quæ congelantur frigido & ſicco, vel ſumme congelari, vel minus; ſi ſumme congelata ſint à nulla re, niſi à vehementiſſimo igne, & raro etiam poſſunt diſſolui, cuiuſmodi eſt cryſtallus montanus, & adamas; quæ cum ſint ſumme congelata à frigido, nullo pacto diſſolui poſſunt. Sed ſi non fuerint ſumme congelata, diſſoluuntur tum à calido humido actu, tum etiam ab humido, & frigido. Exemplum eſt de glacie, quæ & à calida aqua, & à frigida diſſoluitur. Sed differentia eſt, quia calida aqua cito diſſoluit, atque etiam conſumit; frigida diſſoluit tantummodo, non autem conſumit. Quamobrem cum partes externę à gelu torpeſcant, & congelantur, ſi à calore ſtatim diſſoluantur, ſimul etiam ab eo calore conſumuntur, vt conſumptæ ſtatim decidant, veluti emortuæ; ſed ſi tractentur aqua frigida, fit quidem pededentim illa diſſolutio, abſque tamen vlla conſumptione. *Mercurialis de morb. puerorum lib. 2. cap. 5.*

DE VVLNERIBVS.

VVLNERVM OBSERVATIONES MEMORABILES.

Obſervatio.

Decumbens in extremis, inſuper inimico ſuperueniente, qui eum porro enecare ſtatuerat, illato vulnere recipit vitam.

QVIDAM inimicum habens cum extreme laboraret, vt iam mori videretur: venit inimicus, quærit ex famulo vbi ſit Dominus. Famulus reſpondet: Decumbit in extremis, & vix hodie ſuperuiuet. Et ille intra ſe (vt mores ſunt Italici) morietur de manibus meis. Et ingreſſus cubiculum eum vulnerauit grauiſſime & abiit. Ex eo ſanguinis fluxu, poſtquam delegata eſſent vulnera, conualuit. Ita ſalutem attulit, qui mortem inimici quærebat. *R. Solenander Sect. v. Conſ. 15.*

Obſervatio.

Vlcus ex vulnere illato curatum.

PLutarchus, lib. de vtilitate capienda ex inimicis, narrat Theſſalum quendam nomine Proteum, inueteratum, & ad remedia contumax vlcus parte quadam corporis circumtuliſſe, nec ſeruari ante potuiſſe, quam hoſtili in certamine vulnere illic forte accepto, redintegrata cura, ad vnum corpus reductum vulnus fuerit.

Obſer-

OBSERVATIO.

Vulneratis ſanguinis profuſionem quandoque prodeſſe.

VIdimus vulneratos poſt ſanguinis copioſum profluuium, ſine contractionis metu, paucis diebus liberatos. In caſtris quendam chirurgum vidimus, nobilem iuuenem in humero vulneratum, curantem; cui linteolos protinus vulneri admouerant amici contra ſanguinis profluuium; linteolos ſtatim euomuiſſe, neſcio quid in vulnere digito perquirentem, dum amicos profuſione larga ſanguinis conquerentes fruſtraretur ſanguinem pro ægri viribus citra animæ defectum fluere permiſit, haud ignarus, quo ægrotantem tutum à ſpaſmo reddidit, & octauo circiter die per cubiculum ambulantem vidimus. *Alex. Benedict. de curand. morb. lib. 1. c.* 47.

OBSERVATIO.

Vulnera in brachiis, dorſo, alibique accepta perſanata: deinceps inter tormenta, quibus homo ob facinora adhibitus eſt, ſimul omnia rupta.

CVm hoc anno 1596. delectus militum in quadã vrbe Luſatiæ ſuperioris haberetur, orta inter quoſdam lite, res ad arma deuenit & vnus ex iis grauiſſima vulnera in brachiis dorſo & aliis corporis partibus accepit quæ deinde cheirurgi arte & diligentia fuerunt conſolidata. Sed interea ſparſus eſt rumor, eum eſſe hominẽ facinoroſum, quouis ſupplicio dignum. Ideoq; iuſſu Magiſtratus in vincula coniectus & ſufficientibus probationibus accedentibus à carnifice acerrimis quæſtionibus interrogatus eſt. Inter tormenta autem omnia illa vulnera, prius conſolidata, denuo diſrupta & diuulſa ſunt, non aliter ac ſi primum eſſent inflicta. Denique propter ſua ſcelera capitali ſupplicio affectus eſt. *V. Cl. Io. Franci Hildeſii Med. Camicenſis obſeruatio.*

OBSERVATIO.

Vermes in vulneribus, vlceribus, & abſceſſibus nati.

ALiquando in vulneribus pauperum hominum, vel puerorum, vel aliorum animalium male curatis tales (aſcarides) generantur. *Valeſc. de Saranta.*

Fiunt etiam vermiculi in vlceribus ſordidis. *Rondeletius.*

Vidi in puella tumorem magnum inter ilia & inguen, quem incidendo Chirurgus quidam, me præſente, reperit plenum vermibus.

Quidam miles Mutinenſis in Hoſpitali Carmelitano habebat multos tumores intrinſecos & extrinſecos, quos vidimus poſt mortem (nam ex illis mortuus eſt) qui tumores erant pleni vermib. paruis, videbantur pediculi. *Fallopius cap. 4. de tumoribus præter naturam.*

OBSERVATIO.

Miræ vulnerum obſeruationes atque curationes; dum in eo conflictu, qui ad Diui AEgidii pagum, die viceſima ſeptima Septembris habitus eſt, ſub annum reſtitutæ ſalutis milleſimum quingenteſimum ſexageſimum ſecundum, vulnerati cæſique multi eſſent: & qui eorum grauibus acceptis vulneribus curati ſint, dum victi ſeſe in Arelatem vrbem reciperent, ſummaque charitate à ciuibus eſſent accepti.

DE vulnerum admirabilium ratione tractaturus non aliunde auſpicatius principium ſumturus ſum, quam ſi Dei in his potentiam admirer, & cum Pſalmographo rege atque Propheta dicam: Mirabilia opera tua Domine, & anima mea cognoſcet nimis: ipſe eſt qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui redemit de interitu vitam noſtram, coronans nos in miſericordia & miſerationibus: cuius miſerationes ſuper omnia opera eius. Huius vnius potentiæ & miſerationi referamus acceptum, quod ii, de quibus dicturus ſum, ab hoſtibus lethalibus plagis vulnerati, propeque ad internecionem cæſi, incolumes euaſerint. Ne id nobis adſcribamus, ne gloriemur lethalia nos vulnera noſtro marte curaſſe, quaſi ad id vires noſtræ ſuffecerint, & non potius gratia Dei, qua freti atque adiuti tantum opis in tam miſero & luctuoſo caſu miſeris mortalibus tulerimus. Incipiamus ergo ea narrare quæ legentibus admirationem paritura ſint: in quibus recenſendis fidem obſtringo meam, nihil me quicquam obſeruationi huic inſerturum, quod non ipſe oculata fide viderim. Abſit enim à me vt veritati mendacio imponere velim. Res, vt à me viſæ ſunt, plena fide ſynceraque explicabo, & vbi res popoſcerit, teſtes chirurgos, qui vna mecum in curandis ægris non inſtrenuam operam nauarunt, adferam: etſi res ea, quæ omnium oculis expoſita fuit, teſtibus minime egere videatur, ipſa ſibi fidem abunde per ſe faciente.

In eo itaque miſerando conflictu, cum ordines ducerent Hiſpani aliquot duces ſtrenui cum ſuis turmis atque manipulis, & pro inſita Hiſpanis militari virtute aduerſus hoſtes fortiter ſtarent, male mulctati ſunt, & grauiſſimis vulneribus affecti: ſiquidem cum pauci inter multos, aut potius ſoli hoſtium impetum ſuſtinerent, fuſis fugatiſque reliquis exercitus militibus ac ducibus, nec terga hoſti dare vellent, obſtinato animo pauci aduerſus multos, rari inter denſos militum cuneos ſtare auſi ſunt. Sed (proh dolor) bona eorum pars cecidit, & qui ſeruati ſunt, ſeruati quidẽ non fuiſſent, ni ſe mortuos proſtratoſque effinxiſſent. Quos inter duo Hiſpani duces, haud minus moribus quam militari virtute cõſpicue fuere. Alteri Alunſo nomen erat, alteri Manrico, è interiori Hiſpania ambo, quam vulgus Caſtiliam vocat. Strabo, Ptolomæus & Plinius Tarraconenſis Hiſpaniæ partem dicunt. Alonſo duci fortiſſimo ſeptem in capite gladio militari (cotelas vulgo vocant) inflicta vulnera fuere, galea criſtata in terram deiecta, ipſoque etiam proſtrato: quorum quidem vulnerum quatuor cum inſigni cranii fractura ad duram vſque meningem deſcendente erant, reliqua ſine fractura ad caluariam vſque: idem in brachiis octo vulnera exceperat, quatuor in vtroque, è quibus duo circa cubiti articulum & metacarpium conſiſtebant: rurſus in cruribus ſex vulneribus erat confoſſus: vt in ſumma vno ſupra viginti vulneribus dilacerum corpus eſſet, quæ ipſe ſingula denumeraui, loca ſedeſque affectas contemplando, & vulnerum magnitudinem numerumque ſpectando. Vt plane dum ad eum curandum publico decreto veniſſem, vna cum aliis vulneratis tractandis, quorum numerus ad ducentum ſexaginta aſcendebat, in ſtuporem verſus, nec qua curatione m inciperem, nec qua deſinerem, ſatis mihi compos e-

ram: tam multa, tam grauia inerãt in enecto fere homine vulnera. Nam quũ à ſanguinis incredibili profuſione, quæ à tot vulneribus emanarat, & à frigore perpeſſo, & coacto ſanguine, viribuſque pene extinctis, deficere æger in momenta ſingula videretur: priuſquam capitis vulneribus manum admoueremus, reficiendæ nobis ægri iam moribundi vires fuere. quod omnium indicationum prima & potiſſima ſit, quæ à viribus ſumitur, ita tradente Galeno. Itaque iuſculis è capi contuſis carnibus paratis, tum vino aromatide intrita panis in eo infuſa, ac vitellis ouorum ex vino exceptis, ſaccharo & cinamomo reſperſis, parato ex his ferculo, vires defectas reparare ſtudeo. Qua victus ratione (quum exanimis eſſet, & viuens potius cadauer quam homo) mira intra biduum refotus recreatuſque fuit. Nec vero interea dum hæc obimus vulnerum obliuiſcimur: ſiquidem calente vino ex roſis deterſis vulneribus, ſuere illa ſtuduimus quæ ſutura indigebant, & topicis admotis vnguinibus, faſciis vulnera molliter & abſque dolore, quoad fieri potuit, tractauimus. Capitis porro vulnera quum forationem terebellis expoſcerent, nec eam vires deiectæ ſuſtinere poſſent, in tertium diem diſtulimus id muneris aggredi: tumque terebellis, ſcalpris & volſellis, malleoque diffracta & intruſa oſſa ſuſtulimus, ne duram meningem cõprimerent. Sed cum à vulneribus iis, quæ in cubito & metacarpio conſiſtebant, ob vehementiſſimos dolores & conuulſiuos motus, quibus torquebatur, peſſime haberet, iis maximopere inſiſtendum omni cura diximus. Vnde enim à quoquam graue periculum imminet, ab eo exordienda curatio eſt, vt belle Galenus docet. Quod & nos fecimus, dolorem quidem cataplaſmate ex farinis ſedantes, & oleo multo calente tum ſimplici tum chamæmelino & lumbricorum vocato ceruicem vniuerſam ad caudam vſque illinentes, mollibus ſuperiniectis pinguibus lanis, ne conuulſio procederet; quæ infeſtare iam ægrum incipiebat, & quæ auctore Hippocrate atque Galeno vulneribus ſuperueniens, lethalis plerumque eſſe ſolet. Interea vero mollibus clyſmatibus ventrem purgabamus, quod ſoluentia medicamenta deiectę vires non ſufferrent: & ſi in huiuſmodi vulneribus neceſſariam eſſe purgationem eam quæ medicamentis fit Hippocrates & Galenus dixerint. Adauctis tamen ſenſim viribus, catholiconem cum rhacomate & ſyrupo roſaceo dare auſi ſumus, feliciterque ſucceſſit, Tanta autem cura in hoc curando vſi ſumus, vt prope ægro aſſideremus. Vulnera capitis omnia ex roſaceo melle, & Conciliatoris vnguento, quod ad tergenda capitis vulnera mirabile eſſe ſolet, vt & capitali puluere & emplaſtro demum ex betonica vtentes, Dei gratia adiuti, perſanauimus, tum vero reliqua quæ in cruribus & brachiis conſtabant, ſua cuique auxilia admouentes, magna omnium admiratione ac plauſu, Deo gratias reddentibus cunctis. Atque hæc Alonſi grauiter vulnerati curatio fuit.

Collega illius porro Manricus, & dux quoque ipſe fortiſſimus, ſæuiſſime vulneratus ſecundum thoracem, coſtas, faciem, brachia, caput proximus morti erat, biduumque conſtitit ſine voce ac ſenſibus, planeque ἄσφυγμος, id eſt, ſine pulſibus, vt vermiculans & interſectus vix in eo appareret pulſus, cui & ipſi cum facto de morte prognoſtico, manum vix admouere vellemus, quod deploratià medicis non ſint contingendi: (auctore Hippocrate) iuſſi tamen, manum tanquam deplorato admouimus: vires primum refouentes, quæ penitus conciſæ erant, præ nimia ſanguinis profuſione & frigore. Nam fugiens acceptis vulneribus ſeſe præcipitem in Rhodanum dedit, in quo horas plus minus tres aut quatuor latitauit, nunc caput exerens, nunc condens, quoad à ſuis ſub noctem adiunctus, fluuium fere totum natatione meauit. Quis hæc credat? attamen veritate ipſi veriora hæc ſunt. Nam vno impulſu plus minus centum vulnerati ſeſe in Rhodanum proiicientes, natatione virili ſalutem ſibi quæſierunt: quorum tamen multi viribus deficientes, medio in alueo ſubmerſi perierunt. Multi tamen euaſerunt, quos nudos Arelatenſes ciues charitate plauſibili ac pia in altera Rhodani ripa vrbi proxima ſemienectos exceperunt, quibus potuere præſidiis confouentes: quos inter hic ſtrenuus dux, tribunus militum erat. Hunc itaque curandum ſuſcipientes, hunc ſeruauimus ordinem. Primum omnium panniculis lineis mollibus & ſtragulis congelatum fere hominem tepida caliditate fouimus, motum dantes, & enectam virtutem inſtaurantes iuſculis & contuſis ex cinamomo paratis, odoribus item bonis ſpiritus diſſolutos fouentes, ex aqua florum citri, roſacea, vino odorato & caryophillis inuicem mixtis, tempora, pulſus brachiorum, nareſque madefacientes, linteiſque hoc liquore imbutis ſæpe ad nares admotis, ſpiritus pene extinctos refecimus ac recreauimus. Vbi ſeſe exerere vires viſæ ſunt, tractanda vulnera ſumſimus, cum prius etiam in primo aditu eadem quo poteramus modo procurabamus, neceſſariis ad vulnera datis auxiliis, quo tempore ſcilicet æger ſine voce ac pulſibus moriturus ſperabatur. Reſumptis porro viribus, quæ punctim inflicta erant vulnera, turundis longioribus intro datis, & roſaceo melle cum terebinthina ex aqua vitæ lota illitis deterſimus, quo præſidio mirabiliter ſe iuuari æger dicebat. Erat enim ſecundum pectus vulnere punctim facto, & intra cauum pectoris diſciſſo peritonæo, grauiter ſauciatus: tum & ſecundum latus dextrum inter ſextam & ſeptimam coſtas vulnus acceperat ſecundum dorſum cum grauiſſimis ſymptomatis ad hæc vulnera inſequentibus: nempe grauiſſima ſpirandi difficultate, tuſſi moleſtiſſima, cordis palpitatione, & animi deliquiis: quibus omnibus curam ad ſe trahentibus, pro cuiuſque ratione proſpeximus. Spirandi namque difficultati hydromelite ex hyſſopi, fœniculi, praſſii, & capillarium herbarum decocto confecto, adiectis vuis paſſis pinguibus, caricis, glycyrrhiza, myxis, xyli ſemine, & maluæ cum melle electo, proſpeximus: quo ſæpe in die laborantem vti iubebamus, lambendo, idque calide. Nam frigida pectori inimica, tuſſes commouentia, & dolorem inferentia, eſſe ſolent, pro Hippocratis ſententia. Linctibus quoque & vnctionibus ad pectus ſputum promouere & tuſſim ſedare conabamur. Conſtabant linctus ex puluere glycyrrhizæ, hyſſopo montana, caricis pin-

guibus

guibus ex hydromelite coctis,puluere diatragacanthi & diaireos, pulmone vulpis ex arte parato, ſaccharo cando, penidiis & ſyrupo capillorum atque hyſſopi. Ad pectus inunctionem admouimus ex oleo violaceo, liliorum, butyro recenti,pinguedine gallinæ,croco & radice iridis Florentinæ, omnibus cera alba exceptis. Quin & eclegmatis vice oleum amygdalinum è dulcibus amygdalis exceptum, & ſaccharo cando vocato admixtum ſumere ſæpe iubebamus. Sed quod in hoc viro admirandum fuit, id iam dicere pergam. Is quum ſecundum thoracem, tum & ſecundum dorſum inter coſtas duobus vulneribus punctim factis, idque ab haſta mucronata (vulgo Helſebarde vocant) grauiter vulneratus eſſet, nec vlla aut exigua puris copia foras proderet, poſt viceſimum diem ingens puris proluuies è ventre per anum prodiit, fluxu ventris oborto: quum nulla tamen à pectore in inteſtina via communis ſubſit, qua excerni contentum in thorace pus & emitti poſſit. Sed conſpirabile & confluxile eſt vniuerſum corpus, vt recte Hippocrat. dixit, & ipſa ſibi natura vias facit ac præſtruit, quibus nedum per aluum, ſed & per oſſa quandoque ſaniem pellat: vt minime mirandum ſit in hoc ægro per ventrem è thorace pus copioſum emanaſſe. Quod & prius in Ioanne à Lugd. montis maioris ſecus Arelatem monacho annotaueram, qui grauiſſimo vulnere in pectore accepto, acuto ſpathæ mucrone in cauum pectoris penetrante, quum præ puris intro contenti copiam in præfocationis periculum eſſet adductus, erumpente tandem die decimoquarto tum per vulnus, tum per ventrem ingenti puris copia, ab impendenti diſcrimine leuatus eſt, & poſt diutinum tempus vtcunque ſanatus, vlcere in fiſtulam deſinente: viuitque adhuc decimoſexto poſt acceptum vulnus anno, ſed male habitus & tabi proximus: ſed viuit tamen: & munia, quæ ſanus obire ſolebat, obit. Vt ergo ad ægrum noſtrum redeamus, quum multa puris copia aluo effluxiſſet, pauca per accepta vulnera, alleuatum ſe ſenſit, paulatimque probe deterſis vulneribus, quæ nos ſæpe lotionibus ſyphone recto immiſſis ex decocto myrrhæ, ariſtolochiæ rotundæ, abſinthii, & agrimoniæ vino exceptis, interdum prius ad deterſionem hydromelite iniecto, nonnunquam vero vino & melle, adiecta aqua vitæ (quæ in huiuſmodi eluendis & detergendis exſiccandiſque vulneribus admirabilis eſt) vulnera eluere, detergere, tantumque hac curandi ratione Dei miſericordia profecimus, vt ſanata ſint prorſus vulnera thoracis & coſtarum. Reliqua vero quæ in facie erant ſutura ſicca labia iungẽtes, & glutinatoria poſt deterſoria adhibentes facile curauimus, ſicut & quæ in capite, quæ ſine fractura erant, & quæ in brachiis, etſi magna forent, perſanata omnia ſunt nutu Dei, qui quos vult ſeruat. Mira ſunt hæc profecto at mirabiliora quę nunc proxime enarrabo.

Eodem in conflictu miles quidem è peditibus fortis ac generoſus, dum fortiter pugnat, ictum excipit ab æneo tormento (vulgo Arquebuſe vocato) ingreditur globulus plumbeus ſecũdum tempus ſiniſtrum, paulo altius egreditur ex altero latere è regione oppoſito, diffracto vtrinque cranio, & dilacerato: ſanatur tamen is miraculo. Nam poſt acceptum vulnus Nemauſum conceſſit, & ibi curatus fuit. Qui ad me poſtea veniens, vt à me conſilium poſceret, cum nondum plene curatus eſſet, omnia vt acciderant bona fide recenſuit, vidique hominem ita vt præenarraui affectum, & illi in curatione adiutor ac propitius fui. Hic cœcus & ſurdaſter remanſit: viuitque nunc ſanus & incolumis, niſi quod iis duobus ſenſibus viſu & auditu priuatus eſt. Sentiendum vero nec cerebri membranas nec cerebrum ipſum læſum fuiſſe: ſed globulum rupto cranio ſuperficie tenus, in alterum oppoſitum latus impetu eſſe deductum. Mira profecto ſunt hæc, & quæ fere captum ſuperent humanum: & niſi à me viſa pertractataque fuiſſent, vix eſſem fidem daturus. Quod autem cœcus & ſurdus remanſerit, id factum putarim, quod ab ictu & contuſione pars aliqua ſanguinis à commotione cerebri in opticos & auditorios neruos inciderit, obſtructionem pariens, vnde & cœcitas & ſurditas oborta ſint.

Maſſilienſis miles quidam robuſtus bellator, ac ſui ordinis Vexillifer, eodem in conflictu ictum excipit ab æneo tormento, globulo per medium thoracis immiſſo, & per dorſum è regione prodeunte: atque hic itidem miraculo ſanatus. Curam illius ego & Caudius Laydetus chirurgus ſumpſimus. Quumque globulus intra conſtitiſſet, tumoremque in dorſo inferret, hunc dextre Claudius chirurgus præfatus ſectione facta euulſit, & laqueis impoſitis ad deterſionem (vulgo ſetones vocant) cæteriſque ex arte peractis, integre ſanatus fuit nutu Dei, qui ſolus mirabilia facit. Hic, quod maxime mirandum, nulla aut exigua ſpirandi difficultate nec ſymtomatis verendis vllis affectus, curatus fuit, ſed longiuſculo tempore, viuitq; adhuc incolumis, & ſuarum rerum ſatagens.

Miles alius è Borbonii pago ſecus Arelaten, gladio militari (quem vulgo cotelas vocant) ſecundum ceruicem vulneratus, dum ipſum fugientem equites eodem in conflictu perſequerentur, vulnus mirabile accepit. Nam ab aure in aurem ſecundum ceruicem, inter primam & ſecundam vertebram, diſſecta ceruix fuit, ita vt collum in anteriora prolapſum ſuſterniculo indigeret. Hic fere mortuus in xenodochium Arelatenſe cum reliquis ſauciis perductus eſt, & noſtræ curæ à proceribus & decurionibus commiſſus. Hunc nos quum tam grandi vulnere affectum vidimus, plane in conſternationem animi quaſi quandam deducti ſumus: vulnus tractamus, quid bone Deus? ad vertebram vſque fere vulnus attingebat, iugulares venæ diſſectæ, latitudo vulneris vaſta, vt ab aure in aurem vnlnus protenderetur: profunditas vero tanta, vt integra manus paſſa intra vulnus conderetur. Hunc etſi vix euaſurum prædixiſſemus, quod auctore Galeno magnæ diſciſſiones mortem inferant, nihilo ſecius tamen tentandam curationem duximus. nam robuſtiſſimus erat iuuenis, florenti ætate, & virium plenus. Itaque vulnus non alia ratione ſui poterat ob diſtantiſſima labia, quam vt ſutura ſicca, quam vocant, labia coniungerentur: quod & nos fecimus, pannis laneis coccineis glutino adſtringente illitis, & vbi glutinum inaruiſſet, filis ſericeis duplicatis, inuicem hinc inde commiſſis, labia vt potuimus coniunximus, introq; ſpleniis datis, vnguine deterſorio primum illitis, nempe Conciliatoris vacato,

mox etiam lotionibus ex œnomelite, decoctionis agrimonii & radicis iridis, paucaque myrrha & vitæ aqua: quæ profecto in omnibus vlceribus detergendis & glutinandis mirabili experimento valet, vt à me millies expertum. Vbi vero abunde mundificatum vlcus eſſet, glutinantibus vtentes, & lotione ex vino acerbo decoctionis foliorum hederæ, equiſeti, & plantaginis vlcus ad coalitionem deduximus. In quo mirum id fuit, quod cum diſtantiſſima vlceris labia eſſent, & magna intus facta diſciſſio vt nunquam coaleſcere poſſe dixiſſes: tanta tamen eſt naturæ vis atque potentia in coniungendis quæ diſſident, vt natiuo quodā amore caro carni (etiam tum cum vacuitas inter media magna ſubeſt ac cauitas) agglutinata fuerit, ſenſim genita ex vulnere materia ex affluēte ſanguine, vnde fit, vt regenerari caro poſſit, modo adducta ſint quę diſſident chirurgica manu, quod per ſuturam fieri ſolet. Hic tādem nutu Dei curatus fuit, viuitque nunc ſuperſtes quarto poſt anno quam vulnus tam grande accepit. Adoleſcens tamen quidam pari vulnere poſt vndecimum mortuus eſt.

Claudius Allobrox eodem in prælio ad caput vulneratus, cum è lapicida militiæ ſe adſcripſiſſet, ingens accepit militari gladio vulnus, abſciſſo & diffracto vniuerſim cranio ſecundum ſuturas petroſas, nempe ab altero latere in alterum latus diſcuſſo vtrinque cranio vſque ad ſuturam lambdoidem. Sed & hic (mira) nunquam febriuit, nec vllum ſymptomatum paſſus eſt, quæ pati ſic vulnerari ſolent. Oſſa diffracta terebellis, vncinis & ſcalpro ſuſtulimus: mox roſaceo melle & Conciliatoris vnguine, ac puluere capitali, & emplaſtro betonicæ intra duos menſes hominem integræ ſanitati reſtituimus. Hūc Claudius Laydetus chirurgus tractauit.

Alter è Nicea vrbe primipilus ac ſtrenuus miles, eodem in conflictu in domeſtica cruris parte vulneratus bellico tormento (fauconeau vulgo vocant) cum ingenti foſſilis maioris fractura, globulo ingreſſum ſupra genu faciente, & ſylueſtrem partem prolato, atque inde euulſo, magna cura ſeruatus, lōgoque temporis ſpatio curatus à nobis fuit Dei gratia.

Ferdinandus Far peditum ductor, Arelatenſis ciuis mihi perfamiliaris, ad foſſam Marianam dum fortem militem agit, in conſpectum hoſtium poſitus vulnus accepit ab æneo tormento in tarſo pedis, pede in vtrumque latus transfixo, & foras globulo prodeunte. Is grauiſſime & periculoſiſſime laborauit, ingentibus doloribus ob partis naturam obortis, cum pars illa tota oſſea nerueaque ſit, ac tendinum plena: vnde nimirum acerbiſſimi dolores oborti ſunt, & oſſa multa diffracta, quæ auferre neceſſarium fuit. Quin & carioſa nonnulla ob pus retentum fuere. Tumor magnus & phlegmonoſus in toto pede ſuberat, vigiliæ immenſæ ob perpetuos dolores, & conuulſiui motus plurimi. Hunc nos poſt vniuerſalia diligenti & ſolerti cura tractauimus, pro eo quod illum proſequebar amore. Nam fotibus ex betonica, malua, ſampſucho, ſaluia, libanotide, adiectis anthemidis, meliloti, & roriſmarini atque ſtœchados floribus, cum furfure omnibus in vino decoctis (aqua namque locis neruoſis plurimum nocet) interdum vero ex oleo calente locum fouebamus, à quo mirifice iuuabatur: emplaſtro poſtea ſuperdato ex farinis orobi, lentium, fabarum & ſeminis lini ex oxymelite exceptis, quod in cataplaſmatis morem admouebamus. Intus vero laqueo immiſſo, & deterſoriis vnguentis illito, vlcus purgabamus, tum & lotionibus ex aqua vitæ, in qua flores & cacumina libanotidis immaduiſſent, multiſque aliis ad neruoſa vulnera accommodatis, vſi fuimus: tandem vero ægre poſt ſex menſes curatus magna ſane difficultate fuit. Claudus manſit, vt non niſi ſcipioni innixus progredi valeat, ita pes totus imbecillus relictus eſt, ob tendones dilaceratos, & tarſi oſſa diffracta. Viuit tamen alioqui vegetus & ſanus, & rebus ſuis intentus.

Iacobus famulus Domini à Meianes Patritii Arelatenſis, in eo conflictu, qui ad Ciſtertium oppidū habitus eſt, vulnus accepit ab æneo tormēto in brachio dextro, inter cubitum & humerum, maleque à Chirurgis qui in exercitu aderant, aut certe ob rerum indigentiam negligenter tractatus, Arelatē venit, toto iam brachio in ſphacelum conuerſo, cū fœtore mirabili, nigredine, mollitie, frigiditateque ſumma, ipſoque ægro crebra animi deliquia patiente. Vnde concilio vna mecum chirurgorum coacto, concluſimus nullam eſſe aliam curationis viam, quā ſi ſphacelatum membrum ſecaretur. Nam cum non niſi vnica ſubeſt ſalutis via, etſi ea periculoſa ſit & dubia, oportet, Thucydidis conſilium ſequentes (vt Galen. ait) aduerſos periculis ire, & id incunctāter obire: quod & nos fecimus; nouacula primum ſupra carnem demortuam brachium ſecantes, mox ſerra ferrea os detruncantes, cauteriiſque ſanguinis fluorem compeſcentes hominem ſanitati poſt mēſem, Dei gratia adiuti, reſtituimus.

Quæ in eodem conflictu Ciſtertienſi acciderunt memoratu & obſeruatione digna, Deſiderius Teſteius chirurgus, homo doctus & fidei exploratæ, qui præſens ſemper in exercitu erat, vt vulneratis mederetur in caſtra deductus, mihi perquam familiaris & amicus, hæc ex vero retulit à ſe nedum viſa, ſed manu ſua tractata atque percurata, nempe quæ mox à me ſubſcribentur. Nobilis quidam, (cui vulgo nomē Le Cadet du mouſtier) circa ſternum parte ſiniſtra thoracis inter ſextam & quintam ex veris coſtis vulnus excipit ęneo tormēto, globulo in thoracis mediū adacto, & per dorſum egrediente duobus digitis prope ſpinalem medullam, multis circulis ferreis complicato globo ex thorace ferreo circulis ferreis intertexto (quod vulgo Cotte de maille vocant) quorum circulorum circiter duodecim cum globulo prodiere, multique alii in muſculis intercoſtalibus & dorſi conſtitere, multique etiam intus in thorace conditi vna cum pure egrediebantur: intra annum curatus, ſed ægre ſpirans remanſit.

Miles quidam loci à Senas eodem in conflictu ab æneo tormento magno, (cui vulgo nomen Meſquet) vulneratus, cuius globulus pila palmaria luſoria parua maior erat: vulnus in brachium ſiniſtrū incidit, cum oſſium confractione, dilaceratione tāta muſculorum, vt vix digito vno contineretur in ſe brachium, quin vniuerſim decideret. Vocati chirurgi in ea ſententia fuere, vt abſcindendum omnino brachium ducerent. Curatur tamen à Deſiderio intra menſem citra ſectionem, ſeruatis magna ex parte brachii motibus.

Miles

Miles alius quidam qui ſub Caſtelleto duce ſtipendia merebat, æneo tormēto vulneratur, globulo per medium os iniecto, egrediente vero prope coronariam ſuturam parte ſiniſtra circa oſſa petroſa & tempus ſiniſtrum, diffracta ſuperiore mandibula. Curatur tamen is ſumma difficultate, degitq; nunc ſanus, vt aiunt.

Baiulus quidam Arelatenſis, factus miles, ictum mucronato gladio prælongo (vulgo Eſtoc vocant) accipit tribus ſub vmbilico digitis parte ſiniſtra: adigitur enſis magno impetu in thoracem medium, egreſſo mucrone in dorſum inter tertiam & quartam coſtas prope ſpinalem medullam. Curatur tamen præter omnium opinionem ab eodem Deſiderio & Ioanne Angleſio chirurgis: viuitq; nunc ſanus & incolumis Dei bonitate adiutus. Hæc inter cætera admiranda, vel quæ conſpeximus ipſi atque curauimus, vel quæ ab chirurgis probatæ fidei accepimus, digna relatu duximus: vt nemo quicquam in rebus arduis deſperet, vti in leuibus non nimis confidat, cum interdum mori eum cernamus quem medicus euaſurum certus fere erat, & euadere eum non raro de quo medicus deſperarat, (quæ docta Celſi ſententia eſt) exiſtimetque medicus mirabilia etiam in arte contingere atque monſtroſa, vti in naturæ operibus, tantamque eſſe artis vim, vt difficilimis etiam proſpiciat, ad laudem Dei optimi. *Valleriola obſeruat.10.lib.4.*

OBSERVATIO.

Curandorum Sclopetorum vulnerum ratio, memorabilibus hiſtoriis oſtenſa.

CVrandorum Sclopo inflictorum vulnerum leges, placet in Tyronum gratiam appoſitis exemplis illuſtrare. Clariſſimus & bellicoſiſſimus Com es Mansfeldan. Auguſtæ Romanduorum, Protex Burgundiani ordinis eques torquatus, inter auxiliares copias Gallorum Regi ad Mondontortium prælium aderat. Ibi in conflictu manuario tormēto cominus tam grande vulnus ad ſiniſtri cubiti articulum accepit, vt fractis inſigniter oſſibus, multa quaſi à malleo ſupra incudem contrita & comminuta cernerentur. Hinc maligna pleraque ſymtomata emerſere, dolorum nempe acerbi & immanes cruciatus, inflammatio, febris, brachii totius ad extremos vſque digitos tumor œdematoſus & flatulentus, ac quædam ad gangrænam diſpoſitio. Huic vt occurrerent Nicol. Lambertus, & Richardus Hubertus Regii chirurgi, multas & profundas ſcarificationes inflixerant. Ego vero ad eum, qui inuiſerem & curarem, Regis iuſſu cum veniſſem, ingentemque fœtorem & putredinem animaduerterem, ſuaſi vt lotiones ex ægyptiaco viribus aucto, & in aceto ac aqua vitæ diſſoluto, inſtituerentur, aliaq; fierent, quæ capite de gangræna fuſius explicantur. Nã & Diarrhœa ægro ſuperuenerat, qua purulentam & fœtidam ſaniem à brachio & vulnere manantem reddebat. Quod, quomodo fieret, abunde alibi dicetur: permultis enim abſurdum id videbatur, quod vt è brachio purulentus ille humor in aluum deflueret, neceſſe haberet in venas remeare, ſanguini miſceri, ſuoq; perniciali & cōtagioſo per cor & hepar tranſitu peſſima omnium ſymtomata, tandemq; mortem inferre. Certe crebræ nobilem ægrum ſyncopæ inuadebant, tetrorum vaporum ab vlceribus ſuſcitatorum ad partes nobiles translatione: quibus vt occurrerem, deglutire ipſum iubebã aquæ vitæ in qua theriacæ parum diſſoluerã cochlear vnum. Tumorē œdematoſum & flatulentum brachium totum occupantem reprimere conabar ſpleniis oxycrato imbutis, cui ſalis momentum & aquæ vitæ parum affuſum eſſet. Eiuſmodi ſplenia duplatis linteis, quã arctiſſime poſſem conſutis, continebam & ſtabiliebã. Talis compreſſio oſſa fracta ſua ſede continebat, ſaniem ab vlceribus exprimebat, affluentes in partem humores retro in corporis centrum compellebat. Hanc compreſſionem ſi quando intermitterem, adeo augebatur tumor, vt nō leuis me metus haberet, ne partis natiuus calor inde ſuffocaretur. Nec vero alia faſciandi erat commoditas aut facultas, propter doloris acerbum cruciatum, quo habebatur æger, ſi quando vel leniter brachium commoueretur. Multi inſuper abſceſſus ad cubiti articulum, perque totum brachium paſſim erupetũt. Quorum materiebus vt exitum aperirem, nouas moliri inciſiones coactus fui: quas ille, vt omnia forti & intrepido animo tolerabat, detergendorum vlcerum & putredinis corrigendæ ab ægyptiaco in vino vel melle roſato diſſoluto, & vlceribus infuſo, ſpongioſę carnis luxuriantis caſtigandæ, à puluere aluminis, deſiccationis poſt deterſionem completam à linimentis, ſanitatis denique à potione vulneraria compendium illi comparaui. Vere hoc affirmare & profiteri poſſum, me pendente curatione illi à brachio pluſquã ſexaginta oſſium teſtulas exemiſſe, & eximere neceſſe habuiſſe, inter quas vna viſebatur digiti longitudine: Dei tamen fauore ſuperſtes & incolumis euaſit, cætera ſanus, niſi quod contrahendi aut explicandi brachii non illi libertas eſt.

Non ita multo poſt iuſſu Regis inuiſi haud longe à monte vrbe Hannoniæ Carolum Philippum de Croy, Haureti dominum, Aſcotii Ducis fratrem. Is à ſeptem menſibus lecto afflictus iacebat, ex Sclopi vulnere trium digitorum interſtitio ſupra genu accepto. Eum hæc tum ſymtomata habebant: dolores intolerabiles, febris continua, ſudores frigidi, vigiliæ, coccygis excoriationes, ob diuturnam in illam partem decubitum, deiecta ciborum appetentia cũ multa ſiti. Cadebat ſæpe epileptico ſimilis, cũ nauſea & continuo tremore, vt ne manum quidem ori citra alterius auxilium admouere poſſet: crebra à vaporum translatione ad partes nobiles leipothymia prehendebatur. Nam os femoris fractum erat in longum & tranſuerſum, cum multis teſtulis oſſium, quarum nonnullæ iam exciderant diuulſæ à viuente oſſe, aliæ tenacius adhuc hærebant. Erat inſuper ei vlcus ad Bubones, quod in medium femur deſinebat, ſed & alia ipſi iuxta genu erãt vlcera ſinuoſa. Muſculi omnes femoris, crurisque inſigniter tumebant, humore pituitoſo, frigido & flatuoſo, adeo vt earũ partiũ calor natiuus prope omnis extinctus videretur. Quibus omnibus expenſis, vix vnquam ſperabam ipſum conualiturum, adeo vt me incepti mei pœniteret. Tandem tamen fretus virium & florentis in eo ætatis fiducia, cœpi mihi aliquid me ius polliceri. Itaque cum bona eius venia ante omnia duas inciſiones molior, vt exitum materiebus patefacerem, quæ oſſi circumpoſitæ muſculorum ſubſtantiam irrigabant. Succeſſit res feliciter, & multa

humoris copiâ eductа eſt, hinc ſyphunculo expreſ-
ſum in illas exciſiones à me eſt ægyptiacum multum
in vino & pauco aqua vitæ diſſolutum, quo ſic pu-
tredinem comprimerem & emendarem, carnem
ſpõgioſam, laxam & mollem corrigerem, tumorem
œdematoſum & flatulentum reſoluerem, dolorem
ſedarẽ, & calorẽ natiuum ſub humoris excrementi-
tii mole fere oppreſſum, ſic ut vix alimenti quidquã
aſſimilare & partibus adiungere poſſet, excitarem
& roborarem. Hinc partem affectam foui ſaluia,
roſmarino, thymo, lauendula, floribus chamæmeli,
meliloti, roſis rubris in vino albo & lixiuio ligni
quercini incoctis, ſalis & aceti quod ſufficere vide-
batur addito. Eiuſmodi fotui vis erat humorem
morbificum attenuandi & exhauriendi. Diu vero
& multum hi admouebantur fotus, quo ſic plus hu-
moris diſſiparetur, ſiccando, & cutis ſpiracula reſe-
rando, quam in partem aduocaretur. In eundem
hunc finem frictiones illi ex linteis calidis inſtitui-
mus, mixtas ſeu rotundas, id eſt, quæ ſuperne deor-
ſum, inferne ſurſum, atq; in omnem partem quæq;
fierent diutius: nam breuis frictio plus in partem at-
trahit humoris quam reſoluere queat: interpoſitis
diebus illi circum crus, femur, & pedis veſtigium la-
teres ab igne candentes admoueri iuſſi. Extingue-
bantur vero & irrigabantur illi aceto & vino albo
cum tantula portione aquæ vitæ. Suſcitati inde va-
poris vi, multi aquoſi humores ſudoribus diffluе-
bant, tumor minuebatur, natiuus ſenſim calor reſti-
tuebatur: inde ſplenia circumponebantur, imbuta
lixiuio ex cinere querno, in quo incoxiſſent ſaluia,
roſmarinus, lauendula, ſal, aquę vitæ, cariophilli.
Faſciæ vero tam artificioſe & ſuauiter ipſi aduolue-
bantur, vt earum conſtrictionem ſine dolore & fa-
cile ferre poſſet: tam felici ſucceſſu, vt, ſi vel diem v-
num intermitterentur, tumor ingenti mole attolle-
retur. Diplomata vero lintea craſſiora vlcerum ſi-
nubus imis admouebantur, quo ſic facilius com-
preſſa ſanies foras exprimeretur. Cęterum hoc ſedu-
lo curaui ſemper, vt vlcerum orificia hiarent, immiſ-
ſis peniculis fiſtulatis: nonnunquam ad tumoris re-
ſolutionem ſequens cataplaſma apponebatur. ℞.
far. hord. fab. & orob. ana vnc. vj. mel comm. & te-
reb. ana vnc. ij flor. cham. melil. & roſarum rubr. ana
vnc. s. puluer. rad. ireos flor. cype. maſtich. ana drach.
iij. oxymelitis ſimplicis quantum ſufficit, fiat cata-
plaſma ad formam pultis ſatis liquidæ. Appoſita &
fuere emplaſtra de Vigo ſine mercurio, quibus mi-
rifice ſedatus eſt dolor, & reſedit tumor: non tamen
ante apponebantur quam partes incaluiſſent fotu,
frictionibus & euaporationibus, alias è facultate in
actum nunquam id emplaſtrum potuiſſet emerge-
re, propter inſignem partium affectarum intempe-
riem frigidam: nec vero pulueres catagmatici, eli-
minandis, eximendiſque collitis oſſibus idonei, o-
miſſi fuere. Vſus eſt per dies quindecim potione
vulneraria: iam vero, præter particulares affectarum
partium frictiones, alias generales inſtituebam ad
vniuerſum corpus multum emaciatum: his enim
attrahebatur vna cum ſpiritu ad partes ſanguis, fuli-
go acris & ſubcutanea reſoluebatur. Denique febre
doloribuſque ſedatis, reſtituta, appetentia, cibis
boni ſucci abunde pro virium ratione aſſumtis, bre-
ui habilior factus, omnino tandem ſingulari Dei
beneficio ſibi & ſanitati eſt reſtitutus; niſi quod
plena flectendi genu libertas non eſt reſtituta. *Pa-
reus operum ſuorum libro decimo, capit. 12. de vulneribus
Sclop.*

Observatio.

Tela & plumbeas glandes interdum diu in corpore deliteſcere, etiam perſanato vulnere.

INterdum tela infixa integra intus, cicatrice obdu-
cto vulnere, citra noxam aliquandiu delituerunt.
Deinde longiore temporis ſpatio, partem eam ab-
ſceſſu occupante, ac dirupto, exiliere: quo facto,
vulnera mox ad ſanitatem perducta ſunt, ea illis cu-
ratione adhibita, quæ alis debetur vulneribus. *Ta-
gaultius Chirurg. lib. 2. cap. 4.*

Mulierem vidimus, cui vulnus ſagitta iuxta ven-
trem illatum coaluit, & telum in corpore detentum
delituit, quæ nihilominus inde inculpata ſanitate
actionibuſque naturæ illæſis perfuncta eſt. *Albucaſis
lib. 2. cap. 64. chirurg.*

Quidam ſagittam gerens in corpore, intra ſto-
machum penetrantem, & ſic longo tempore nul-
lum dolorem patiebatur, niſi cum ſtomachus im-
plebatur. *Gilbertus Anglicus in compendio p. 233.*

In qualibet fere corporis parte plumbea pila ita
ſine læſione, ac diutiſſime detinetur, perinde ac ſi
corporis portiuncula ſit eadem natura fabricata.
Quod ego ipſe oculis ſæpius vidi, cum quandoque
per viginti iam annos ita retentam extraxerim. *Al-
fonſ. Ferr. lib. 3. c. 5. de vuln. ſclop.*

Hærent infixæ ſeptem, nonnunquam octo pluri-
buſue annis in parte corporis plumbeæ glandes, ſic
vt nec inde vulneris agglutinatio retardetur, nec vl-
lum aliquod ſymtoma ſuperueniat, vt à me pluries
obſeruatum eſt: quouſque tandem naturæ excer-
nentis robore & propria grauitate deorſum pulſæ,
in parte aliqua inferna ſuo ſe tumore prodant, chi-
rurgi manu eximendæ. Aiunt enim plumbo oc-
cultam quandam eſſe cum humani corporis, carno-
ſa præſertim mole, ſympathiam, & familiaritatem.
Ideo in corpore nec putreſcere, nec putrefacere. Ita-
que inſignem eius, in antiquis vlceribus cicatrice
obducendis, eſſe vim: aliam vero rationem eſſe glã-
dium lapidearum, ferrearum, aut alterius metalli:
non poſſe enim diutius perſtare illas in corporibus
citra pernitiem, rubiginem enim ferrum contrahe-
re, vnde vicinorum corporum ſequatur eroſio, & a-
liorum ſymptomatum conſecutio: quanquam ne
diutius quidem in neruoſis, vel nobilibus partibus
cunctari poſſit plumbea glans, citra perniciem. *Pa-
reus lib. 10. cap. 10.*

Observatio.

Tela & glandes ſæpe, vbi multo tempore in corpore delitue-runt, tandem per abſceſſus in variis corporis partibus obortos eximi, aut per aluum excerni.

QVidam iuxta inguen ſagitta percuſſus, quem
nos vidimus, maxime præter omnẽ opinionẽ
ſeruatus eſt. Neq; n. cuſpis exemta eſt, erat n. valde
in profundo, neque ſanguinis eruptio vlla memora-
bilis fiebat, neque inflammatio, neque claudicauit.

Cæterum cuſpidem inuenimus nos,ipſamq; exemimus, cum ſex iam eſſent anni ex quo ſauciatus erat. Sulpicio autem erat hæc,inter medios neruos cuſpidem occultatam fuiſſe, nullamque venam aut arteriam diſſectam eſſe. *Hipp. lib. 5. morb. pop.*

Multis infixa tela integra intus inſederunt, quæ vulnerib. cicatrice obductis, deinde longiore temporis ſpatio, partem eam abſceſſu occupante & dirupto,exiliere. *Aegineta lib. 6. c. 88.*

Iam quidem viſum fuit, de quodam cuius dorſum ingreſſa fuit ſagitta,quæ poſt ſeptem annos exiuit cum ſtercore. *Alſaharauius Theorica Tractat. 16. cap. vnico.*

Homo quidam in inteſtino ſagittam habens cum ægeſtione eduxit,& tunc euaſit. *Gilbertus Anglicus lib. 5. Compend.*

Supra fidem eſt,quod ipſi,cum in Creta eſſemus, vidimus. Ruſticus in quodam ſeditioſo tumultu ſagitta circa dorſum impacta vulneratus fuit, euulſa ſagitta ferrum intus in thorace relictum eſt: vulnus fruſtra perquiſito ferro medicus perſanauit, quod poſt bienniū per inferna extulit, id miraculi gratia, barbatæ figuræ 2. digitorum latitudinis oſtentabat. Secundum enim diaphragma prius mucrone penetrauit, vbi pars carnoſior eſt,deinde ſecundum inteſtina delapſum iuxta aluum ſenſim podicem ſecuit, viamque ſibi ad exitum fecit ſemi exeſum, de qua re magna medicorum concertatio fuit. *Alexand. Benedict. lib. 3. cap. 9. anatom.*

Iuuenis Tharaſconenſis quidam, Eleonoræ Labianæ honoratiſſimæ fœminæ filius, cui Lodoico nomen,dum æneum tormentū manuatium (vulgo Piſtolet vocant) globulo plumbeo farctum, & puluere tormentario plenum,male cautus adornat,clauiculaſq; eiectorias concinnat, imprudenter ad pectus conuerſo telo, diſſultantibus clauiculis, ictum excipit mirificum,globulo in viſcera adacto, atque igniuomo impetu intruſo tribus ſub ventriculo digitis. Paucis poſt diebus emiſſo per anum globulo, nulla noxa in inteſtinis relicta, aut vllo viſcerū, perfecte agglutinato vulnerare, miraculo potius quām naturæ ductu,ſanatur. *Valleriola lib. 4. obſ. 9.*

Ad ſancti Angeli oppidū Franciſcus Miles ex turma Capitanei Mureti,vulnus in ventre accepit, manuario tormento inflictum,inter vmbilicum & ilia. Haud equidem glans extracta eſt, quia ſedulo veſtigantibus Chirurgis reperiri & occurrere non potuit. Qua de cauſa grauibus & torminoſis doloribus conflictatus eſt: donec nono demum poſt vulnus die glandem per anum excreuit. Itaq; intra tres dehinc hebdomadas plane conualuit.Curabat illum Simōn Crineus Chirurgus turmarum Gallicarum. *Pareus operum ſuorum lib. 24. c. 19.*

Debetis ſcire, quod, niſi facillimā ſit extractio, (telorum & glandinum) non extrahatis, ſi poteſt viuere homo non extracta materia. Si homo haberet mille globos in corpore, nunquam debetis tentare extractionem; infiniti ſunt, qui ſagittas & globos plumbeos habēt. Gal. proponit quatuor hominum genera qui habebant ſagittas in corpore, & non laborabant:& ego habeo exempla nobiliſſima Principum habentium glandes plumbeas & nihil patientium. Ego poſt quintum annum extraxi glandem plumbeam receptam in inguine:& etiā extraxi iuxta genu: cum ergo videmus poſſe ſanari vulnera, ſanemus: ſi eſt periculum extrahendi, non extrahamus. Ex cauitate thoracis extraxi laminam ferream hac æſtate cuidam nobili, quam habuerat per nouē annos. Ego habui caſum in muliere meretricula, cui fuit percuſſa facies phiala ſtercore plena: intra oculum fruſtum vitri habuit, non aderant ſymtomata mala: ego curaui ſolidationem, & curata eſt: nihil aliud ſymtoma patitur, & credo φ ſit ſextus annus, niſi quod clauſo altero oculo, & remanente altero percuſſo vitro aperto res maiores videntur quam ſint,& nihil aliud. *Fallopius lib. de vulner. c. 22.*

OBSERVATIO.

Lamina ferrea annis 14. intra clauiculam impacta latens, tandem excitato tumore eoq; ſuppurato extrahitur, ægro ſuperſtite.

Villicus quidam in vicinia, natus annos circiter 50. febre ardente cum aliis grauiſſimis ſymtomatis correptus, præ dolore ex animi impotētia ſibi ipſi mortem conſciſcere volens, fruſtulum cultelli fract. forte fortuna in terram proiectum aliis abſentibus inuenit, illudque ſibimetipſi intra clauiculam dextram in pectus ita valide impegit, vt poſtea domeſtici vel chirurgi non potuerint eximere. Paulo poſt conualuit,& vulnus fuit conſolidatum,ipſeque ad ſolita munia reuerſus eſt,de nulla re niſi ſicca tuſſi,ac leui interdum dolore circa locum affectū conquerens. Poſt 14. annos è regione iſtius loci ad ſcapulam ſenſit dolorem pungitiuum:qui indies factus eſt vehemētior, donec in ea parte tumor manifeſtus appareret, qui tandem in abſceſſum fuit mutatus. Coniiciens itaque eſſe aliquid de ferro, quod exitū quæreret, iuit ad imperitum quendam balneatorem in alterum pagum à ſuo diſtantem dimidio miliari. Qui magna vi ferrum extraxit, cum copioſo ſanguine effuſo. Villicus nihilominus ad noctem domum ire cupiens, in itinere animo linquens, coactus fuit ſub dio decumbere,& tam diu expectare, donec domum veheretur. Hoc facto vulnus rurſum conſolidatum eſt, & ipſe adhuc viuit,ſed tuſſi ſubinde infeſtatur. Ferrum in meis manibus habui & ruſticum ipſum ſæpe ob hanc cauſam ſum allocutus. *CL. V. Ioach. Camerarius in ſuis ad me literis.*

OBSERVATIO.

Loricarum circuli in corpore per vulnera conſolidata deliteſcentes, Ferinis thermis educti.

Loricarum annuli, apertis conſolidatis membris in thermis Ferinis,ſublati ſunt. Inſignes tumores pluribus,præſertim monacho, q nullis vnguentis vel emplaſtris emolliri vel aperiri poterat,in Ferinis aperti,magna illuuie euacuata,ſanati ſunt. *CL. V. Eſaias Meuſchnerus de obſ. propriis.*

OBSERVATIO.

In educendis è ſclopetorum vulneribus globulis, æger eodem quo ictus eſt ſitu conſtituendus.

Huius operis primum hoc caput eſt, vt eodem ſitu collocetur æger, quo erat dum vulnus accepit, alias enim muſculorum alia conuerſio contentis corpuſculis viam exitumq; vel intercludit vel anguſtiorem facit. Sunt vero ſi fieri poteſt corpuſcula illa digito exploranda, quod ſic certior & exactior ſit ſenſus.

Quanquam ſi altius glans impulſa ſubiuerit, tum ſpecillo obrotundo & obtuſo veſtiganda venit, ne dolor inferatur, quanquã & hanc ſæpe induſtriã fugiat glans, nec ſpecillo comperiri poſſit. Vt contigit Polemarcho Briſſacio, cui in Parpinienſi obſidione ad dextram omoplatam glande vulnerato putabatur illa ab his qui aderant chirurgis in corporis capacitatem ſubiuiſſe. At ego eodem in corporis ſtatu ægro eſſe iuſſo, quo erat dum vulnus accepit, digitis vicinas vulneris partes, & alias de quibus ſuſpicabar blande comprimendo, tandem glandis latibulum comperi, partis tumore, duritie, dolore, & liuiditate in carne. Id autem erat in parte inferna omoplatæ, ad ſeptimam aut octauam dorſi vertebram. Eo igitur loco facta inciſione, educta glans, facilem & breuem mihi curationem, nobili viro & generoſo ægro ſanationem parauit. Notanda igitur hæc ars, & digiti potius quam ſpecilli credendum iudicio. *Pareus operum ſuorum lib. 10. cap. 5. de vulnerib. Sclop.*

OBSERVATIO.

Ad omnis generis ſpicula, glandes plumbes quauis corporis parte infixa extrahenda.

VVlpis linguam, quidam mihi retulit ſpiculã extrahere, ſi imponatur, aridam etiã, ſi prius maceretur (nimirũ ex Vino calido, impoſitum:) idem facere, idq; tam potenter, vt ſi mucro linguæ impoſitæ infra aut ſupra ſpiculi foramen in cute ponatur, id vel per integram carnem ad ſe trahat. *Geſnerus.*

Specificum attrahens, Lingua Vulpis, ſuo tempore euulſa, & vt decet præparata, & exiccata glandem etiam ex interioribus partibus ſine dolore attrahit, ſi prius vino rubro decoction. Ariſtoloch. & Serpentar. madefiat, & parti affectę apponatur. *Quercetanus.* Admirabile atq; obſeruatu dignum, cælandumque remedium, ferro Corporis quacunq; parte latente exigendo idoneum: Vulpis linguam, Martio mẽſe recens cõquiſitam exiccato, & reponito, quam vſus tẽpore, Vino tantiſper, donec molleſcat macerato, loeoq; apponito, & eductum conſpicies. *Ex Manuſcripto, Schenckius Filius.*

Eandem facultatem *Manuſcriptus codex* meus tribuit pelli & adipi Leporinæ, eodem menſe conquiſitis, his, ait, impoſitis ſpinas aliaq; membris impacta extrahi. Si oculus afficiatur, occipiti à tergo eſſe imponenda: ſin manus, retro i. e. in auerſa eiuſdem mẽbri, ꝗ læſum eſt, parte ſemper eſſe admouenda. *Idem.*

℞. Ammoniaci, bdellii, diſſolutorum in aceto roſ. ana. ℥ ij. galb. ℥ s. mumiæ, thuris, maſtichis, ana ʒ iij. Caph. ʒ ij. Corall. vtriuſque & magnetis pręparati, aſphalati, Carabes an. ℥ s. rad. ariſtol. ſerpent. & arundinis an. ʒ. ij. s. Cerę, picis naualis an. ℥ iij alabaſt. ʒ iij. Ol. Terebinth. & Ouor. an. q. ſ. vt fiat Cerati inſtar. Hoc medicamentum rectè præparatum, tum venenum ducit, tum glandem ferri, oſſium, lignorum, & veſtium fragmenta ad ſe pertrahit. *Quercetanus.*

OBSERVATIO.

Vulneratis aliquot partib. æger reſtitutus eſt.

CVraui quendam hominem de Papia, de prædela, qui vocabatur Ioannes, qui cùm quodã cultello percuſſit ſe in ventre, & ex vulnere inteſtina erant vulnerata ſecundum longum & ſecundum latum: fuit eadem hora Octobonius de Papia vocatus ad eum, videns ipſe inteſtina infirmi vulnerata, extrà corpus, dixit mortuus eſt, volens ipſe magiſter reducere inteſtina ad interiora, non potuit, quia inflata erant, & vulnus ventris ſtrictum: & ſic venit dictus magiſter cũ amicis infirmi ad me in palatio Comitis in quo eram, rogans vt amore ſui irem ſecum, cauſa videndi infirmum: & ſic feci, & cum vidi infirmum ſic ſtantem cum inteſtinis vulneratis, multũ timui: ſed ſtatim feci apportare vinum calidum, quia tempus exportationis ſuper alia non erat, & cum iſto caleſeci & ablui inteſtina, & hora ablutionis cum vino exibat à diuerſis vulnerib. ſtatim ſtercus inteſtinorum, poſt ablutionem conduxi partes inteſtinorum cum ſutura facta ad modũ pilipariorum: & ſuper ſuturam cõducentem partes vulnerum inteſtinorum poſui puluerem ſecundum bonam quantitatem, & ſtatim adhæſit: & poſt ſuturam volui inteſtina reducere, & non potui: tum accepi raſorium, & dilataui vulnus ſecundum debitam quantitatem & modum, & ſtatim reduxi ea ad interiora. poſt hoc conduxi partes ſiphac & pellis exterioris vnica ſutura, ſimul continuaui curam cum magiſtro Octobono: & curatus fuit: & habuit infirmus poſt curationem vxorem & filios, & vixit longo tempore. *Guliel. Placentinus Chirurg. lib. 2. cap. 15.*

OBSERVATIO.

Communem cauſam, quæ ab aere peſtilentia infecto ſumitur, ſæpe impedire vulnerum & vlcerum curationem.

FAlſiſſimum eſt & ab Hippocratis doctrina alieniſſimum aſſerere, anni tempeſtatibus à naturæ lege aberrantibus, & aeris, non quidem ſimplicis & elementaris, ſed varia vaporum putridorum & peſtilentium, vel è terra ſuſcitatorum, vel cœlitus demiſſorũ admixtione inquinati & corrupti, vulnera alio atq; alio tempore haud maligniora & remediis contumaciora non effici: nam aer vel incaleſcẽs, vel frigore torpeſcens, inſpiratione, tranſpiratione in corpus aſſumtus, ſimilẽ ſuis qualitatibus conditionẽm nobis ingenerat. Cur non igitur putredinoſis inſepultorum poſt dira prælia & naualium exercituum naufragia vaporibus inquinatus, corpora vulneraque ſimili qualitate inficiet?

Anno Domini milleſſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui annus bellorum ciuilium primis tumultibus toti Galliæ fuit funeſtus, cũ Penæ, quod caſtrum eſt toto flumini impoſitum, multa interfectorum hominum cadauera in puteum centum vlnas altum projecta fuiſſent, tam fœtidus hinc & adeo venenatus vapor, poſt duos menſes ſuſcitatus eſt, vt multa inde hominum millia paſſim per totam Agenenſium prouinciam tanquam peſte interierint, veneni ſui perniciali lue late per viginti vndiq; in ambitu miliaria diffuſa. Quod mirum cuiquam videri non debet, cum, præſertim ventorum afflatu, putridæ exhalationes in varias & diſtantiſſimas regiones impelli & iactari, ſparſis tanquam peſtis feminibus poſſint: vnde ſpirituum humorumque & vulnerum lethalis corruptio contingat: haud vulnerum malignitati propriæ, aut peruerſæ curationi, ſed aeris vitio attribuenda. Itaque *Franciſcus Dalechampius, in Gallica ſuã chirurgia*, inter ea quæ vlcerũ ſanationem impediunt non omiſit illam, quæ ab aere peſtilẽtiæ ſeminibus inquinato aduenit, cauſam communem. Didicerat nempe à magiſtro Hippocrate mutationes temporum potiſſimum parere morbos, & legerat apud Guidonem hanc maxime cauſam exiſtere,

cur

cur vulnera capitis Lutetiæ, crurum vero Auenione curatu & ſanatu eſſent contumaciora. Denique ipſis etiam eſt tonſoribus notum, per aeris conſtitutiones calidas & humidas vulnera facile in gangrænam faceſſere. Itaq; Auſtrali tempeſtate per aerem regnante, ne ipſi quidem lanii carnes niſi in diem mactant. Adnotaui antea, quæ vulnerum fuiſſet in Rothomagenſi obſidione ab aeris vitio malignitas, quæ nemini, ne regio quidẽ ſanguine ortis principibus, quib. omnia compendia abunde ſuppetebant, parceret. Quæ me cauſa impulit, vt tandem experientia factus peritior, ſuppurantium loco ægyptiacum vnguentum, & ſimilis facultatis medicamenta vulneribus tota illa tempeſtate admouerem: quo graſſanti paſſim putredini & gangrenę occurrerẽ. Sed ſi aſtrorũ varius motus, influxu ſuo peſtẽ dimittere in aerẽ poteſt: cur nõ & vulnera corporaq; vulnerata, ſuis, & aeris mutationib. obnoxia, qualitatum ſuarũ vitio inficere & tanquam immiſſo veneno corrumpere poterit? Magiſtra experientia didicimus, iamdudum dolores omnes, ſed vulnerum præſertim, pluuioſo & vdo cœlo ingraueſcere, maxime quod in Auſtrali illa conſtitutione craſſis & nebuloſis vaporibus grauis aer humores intus in corpore exagitet: qui mox facile in partes affectas decumbant, & dolorum exacerbationem faciant. At, inquit aduerſarius, in Druedarum & Dyoniſiaco conflictu media etiam hyeme infinita Sclopo vulneratorum militum millia interiere, non alio profecto quam peruerſæ curationis, quæ ſuppurantibus aut acribus medicamentis inſtituitur, vitio. At eiuſmodi hæc verba niſi hominis eſſe nequeunt ignorantis frigus vulneribus vlceribuſq; eſſe inimiciſſimum, quod Hippoc. ſententia ſit mordax, cutẽ obduret, liuorem, id eſt, gangrænam obducat. Si ille mecum in Metenſi obſidione fuiſſet, oculorum fide intellexiſſet multis militibus crura computruiſſe, moxque gangrena correpta concidiſſe, ſola frigoris ſæuitia: ſi mihi non credit, faciat periculum. Cellam catalepticorum & frigore enectorum in humandis corporib. inter Alpes Cottias ſeu montem Cineſium dicatam adeat, intelliget ſanietque quam vera loquar. *Pareus operum ſuorum li.* 10. *cap.* 13. *de vulnerib. Sclop.*

Observatio.

Acetum non ſiſtere, ſed ciere fluxiones, vulneribus inditum.

ACetum, cum tenue ſit & mordax, non eſt dubium quin dolorem ſit illaturum, fluxionem & inflammationem. In quam ſententiam, memini aliquando Mauro cuidam equiti, ex familia Comitis Roſſiani, cui Anglus eques lancea brachium traiiceret, ea arte medicinam factam: fluentem enim ſanguinem dum ſiſtere cuperem, adſtringens medicamentum, cui acetum admixtũ erat, alterius melioris remedii penuria, in vulnus indidi. At ille paulo poſt ad me rediit, querens, eiulans, ſibi totum brachium tanquam ab igne ardere. Itaque eum denuo curare coactus, aliud medicamentum in vulnus inieci, adſtringens remedium: vulneri ſuperpoſui, non infudi. *Idem eodem loco.*

Observatio.

Prodigioſa vulnerum curatio, per Opochryſmatis vſum.

ILluſtris quidam in thermis Ferinis (odioſum eſſet referre nomina, & quæ fidei concredita ſunt euulgare fas non eſt) faſſus eſt mihi, ſe vulnus poſſe ſanare inuncto ſaltem gladio ex quo illatum eſt, Statim tum ſibi offeratur enſis oportet. Quę ſympathias ratio? *Hæc* CL. V. *Eſaias Meuchſnerus de obſ. prop.*

Fama eſt, eſſe vnguentum, quo ſi telum aut enſis, cum quibus vulnus illatum eſt, illinatur, non ſecus leuari ægrum, quam ſi ipſi vulneri ſalutare imponatur medicamentũ. & vt fidem faciant, rei deſcriptionem etiam addunt. conſtat autẽ thure, croco, myrrha, bdellio, moſco, humana pinguedine, aut ſaltem oſſe, ſarcocolla aloe, centaurio, ſeu eius ſucco, lachryma abietis, ſeu laricis, gummi elemi, ſtyrace, pæoniæ radice, panacis ſucco, pice liquida, iride illyrica, verbena, betonica, cocco, braſſica rubra, ozimo, vlmi foliis, lachrima ſycomori, ſorde balnei, vino, melle, ſale, nec telum aut enſem deterſiſſe oportet. Sunt qui dicant quatuordecim tãtum conſtare medicamentis. Itaque hæc ad ſigna potius quam curationem pertinent, cum etiam abſentem afficere liceat. *Cardanus lib.* 2. *de venenis cap.* 6.

Vngentum armarium, Græcis ὀπόχεισμα dictum, olim à Paracelſo Maximiliano Cæſari datum, & ab eodem expertum, maxime carum ab eo habitum quandiu vixit, cuius aulæ nobilis mihi communicauit. Si adlatum fuerit ferrum quod ſauciauit, aut lignum eiuſdem ſanguine madefactum, ſanabitur æger, etiamſi longe aberit. Cape vſneæ, ſiue muſci concreti in caluaria aeri derelicta, vncias binas, adipis humani totidem, mumiæ, ſanguinis humani ſemiunciam, olei lini, terebinthinæ, boli armeni vnciam. Omnia ſimul mortario terantur: in vrna oblonga & anguſta ſeruantur. Immerge ferrum in vnguentum, & ita relinquatur: æger mane ſui ipſius vrina eluat vulnus, nulloque addito deligetur, & ſine dolore aliquo perſanabitur. *Porta magiæ nat. recognitiſſima lib.* 8. *c.* 12.

Magnetiſmus hic agit virtute ſpirituali magnetica attractice, intermedio aere. Ob ſympathiam correlatiuam reciprocam, quam habet balſamum & mumia Medicinæ, cum balſamo hypoſtatico viui hominis, vinculo innectitur. Præterea conſtellatio, quæ hic non exprimitur, quod ad Lunę curſum conficiatur, in id operatur. vnde Conſtellatum dicitur vnguentum. Multa in genere videntur impoſſibilia, & ad nudum diſcurſum poſſibilia minime: quæ tamen fieri poſſe, vſus tandem oſtendit. Plura apud F. *Baſilium Valentinum Monachum, libello de rebus phyſicis & hyperphyſicis.*

Observatio.

Rarum & nouum compertiſſimi vſus remedium, ſpatio 24. *horarum vulnera etiam neruoſarum partium conglutinans.*

NOn poſſum ſilentio inuoluere medicamentum quoddam præſtantiſſimum ad partium neruoſarum vulnera: cuius deſcriptionẽ ab Hiſpano quodam ſacerdote, fide digniſſimo, accepi: qui retulit in Hiſpania non licere hoc medicamentum cõponere, quod homines medicamenti viribus confiſi, facile digladiarentur inque arenã deſcendant. Eſt autem hoc: ℞. ol. vetuſtiſſimi vnc. iij. terebinthinæ puræ

vnc.

vnc.viij.frumenti integri vnc.js. hyperici vnc. ij. rad. cardui benedicti, rad. valerianæ ana vnc.j. thuris pulueriſati vnc. ij. Radices & herbæ craſſo modo contunduntur, in olla ponuntur, & tantum vini albi ſuperfunditur, vt omnia in vino mergantur: & per biduum facta infuſione, oleum & frumentũ adiiciuntur, & coquuntur omnia ad vini conſumtionẽ: mox facta forti expreſſione additur terebinthina & thus: & iterum parum ſinuntur bullire: ſeruanturque in vaſe vitreo. Sanat vulnera, vt aiunt, ſpatio 24. horarum. Modus vtendi talis eſt: Abluto prius vulnere vino albo frigido, ſtatim inungitur totũ vulnus oleo prædicto calente: quod ſi hoc fieri commode nequeat, per ſiphonem intra vulnus tanquam per clyſterem immittitur, & confeſtim labia vulneris ad mutuum contactum adducuntur, deligatura, aut ſutura, aut glutino: deinde partes circumſtantes prædicto oleo ſimiliter inunguntur. Supra vero vulneris labia iam reducta linteum imponitur prædicto oleo madens; & ſupra hoc aliud vino nigro expreſſum: mox alia lintea ſicca: deinde faſcia ſuperligatur. *Hieron. Fabritius ab Aquapend. lib. 2. c. 7. De Vulnerib.*

DE FRACTVRIS ET OSSIBVS.

Observatio.

Incuruatio & fractura oßis portentoſa.

NObilis quidam Pomeranus annos quadraginta quatuor natus, circa ſolſtitium hybernum, ſuperioris añi 1593. grauiſſimis in humero dextro, nullo vel tumore vel qualitate præter naturam affecto, doloribus, nocturno potiſſimum tempore, torquebatur. Quorum leniendorum cauſa, primum Tonſoris cuiuſdã opera vſus eſt, qui neglecta morbi cauſa, parti affectæ multis ſeptimanis medicamenta calida, attrahentia & exulcerantia applicauit. Sed magis ſubinde auctis doloribus, & ſuccedente inſuper femoris dextri dolore, relicto tonſore à me conſiliũ petiit. Vrinæ tamẽ erant aquoſæ & crudæ, appetitus mediocris, mens integra, vires tãtæ, vt interdiu cùm dolores remitterẽt, in area domus obambulare poſſet. Etſi vero ipſi conuenientia quædam pro concoctione, euacuatione, reuulſione, & diſcuſſione redundantium humorum, remedia tam intra quã extra corpus adhibebam; tamen parum aut nihil iis profeci. Cumq; poſt me aliorum quoq; medicorum auxilium fruſtra expertus eſſet, omnem deinceps recuperandæ priſtinæ valetudinis ſpem abiecit. Porro Dominica Exaudi anni huius 1594. matutino tẽpore è lecto in ſellam ſublatus, maximo tremore & concuſſione totius corporis oppreſſus, eoq; ſimul ac lectum repeteret, iterum releuatus eſt. Eadem die circa veſperam dolorib. femoris ingraueſcentibus cõtenta voce exclamare cœpit: haldt/haldt/haldt. Vxor igitur ipſius ad eum lecto decumbentem accurrens, femur affectum vtraq; manu comprehendit, idque media parte introrſum verſus ſiniſtrũ pedem ſubito inflecti atq; incuruari ſenſit, ſic vt genu dextri pedis inguen ſiniſtrum reſpiceret. Viſa tamen eſt ægro arbor in pedem decidere, eiuſq; caſu femur, in quo ſe manifeſtum fragorem percepiſſe aiebat. Cumque & vxor & cæteri amici in eadem cum ægro opinione eſſent, ac femur plane cõfractum eſſe arbitrarentur, ſequenti die chirurgum pro eius curatione accerſiuerunt, qui, locum affectũ diligentiſſime inſpiciens, atq; contrectans, præter inflexionem, quæ poſtmodum indies magis magiſq; aucta eſt, nullum vel fracturæ vel tumoris præter naturã indicium in eo deprehendere potuit. Hanc femoris inflexionem octo diebus anteceſſerunt, ac totidem etiam conſecutæ ſunt vrinæ cruentæ, quæ tamen poſtea ad naturalem ſtatum redierunt, ratio quoque circa illud tempus vt plurimum turbata fuit, vires proſtratæ, deiectio appetitus.

Facta inflexione æger cruciatus in femore ſenſit intolerabiles, vt ſe loco dimoueri non pateretur, ſed quinque ſeptimanis continuis in lecto immotus iaceret, donec tandem ipſa ſolſtitii æſtiui die, vitã cum morte commutaret. Mortuo ægro, femur incuruatum nullo negotio extendi, atq; in priſtinum ſtatum reduci potuit, ac tum demum fractura media ipſius regione ſe cõſpiciendam exhibuit, commiſſura partiũ fracti oſſis adeo æquali, ac ſi ſerra eſſet præciſum. Similis fractura mortuo iam ægro in medio quoque oſſis humeri dextri deprehenſa eſt, cuius tamen nullum, ipſo adhuc viuente, veſtigium animaduertebatur, & ſemihora ante obitum amici aſtantes vtrumque brachium citra omnem difficultatem ab ægro eleuari atq; extendi videbant. *D. Iacobus Seidelius de ſuis per Cl. D. Laur. Scholzium communicatis exemplis.*

Observatio.

Oſſa fracta, contra veterum ſententiam, nouo remedio, citra inflammationem & praua ſymtomata, aliquando intra quinq; dies ferruminata.

FAcit Morochthi lapidis aſtringens facultas, qua cruentas reiectiones ſiſtit, & corporis ſpiracula obſtruit, vt alterius quoq; lapidis hic mentionem faciam, admirabilis ſane facultatis ad oſſium fracturas. Siquidem tametſi perfracta oſſa à chirurgicis ante quadrageſimum diem ſanari ſoleant, compertum tamen eſt à compluribus in Germania, ea, proculdubio, ſanari triduo, aut quatriduo, huiuſce lapidis potu ſeſquidrachmę pondere ex rubro meraco cum mane tum veſperi hauſto. Sed interim os fractũ reſtaurare, æquare, & aſſerculis circumquaque munire operæpretium eſt: & affectum locum illinire vnguento ex radicibus Geranii cœruleum florem gerentis, & lactentis ſuis axungia, ſiccatis prius radicibus, & in puluerem tritis, & deinde ex axungia præſcripta in mortarium exceptis. Extenditur enim ſuper linteolo cera odorata imbuto, & fracto loco adalligatur. Eſt itaq; lapis is longus, perinde ac humanus digitus, teres, craſſitudine fere annularis, & ſępe tenuiore, albicans, friabilis, tophacea intus ſubſtantia. Hunc primo ad me miſit excellẽs ac doctus Medicus Georgius Wirt, qui olim in Aula Cæſaris Caroli Quinti honorifici medicinam fecit. Naſcitur in eo Rheni tractu quem Germani Bergſtraß vocant, circa Darmſtadt oppidum, duobus à Rheno miliaribus; & reperitur in arena. Tale eſt enim illius loci ſolum. Sunt qui hos lapides è plantæ cuiuſdam, bechio ſimilis, radicibus, ibi naſcentis, gigni exiſtimẽt. Sed an hoc verum ſit mihi certo non conſtat, Germani hunc lapidem ab effectu appellãt Beinbruch. *Matthiolus Comm. lib. 5. c. 109.*

Vtendum erit potionibus vulnerariis, ad hanc rem aptiſſimis: quarum opera vidi fracturas ſanari, poſteaquam oſſa in ſuam ſedem reſtituta fuerant.

Idq;

Idq; potiſſimum in Germania obſeruari vidi:ac memini me Reyſtadii nō procul à Rheno didiciſſe, loci eius incolas vti lapide quodam, qui in illa vicinia naſcitur, & ab effectis **Beinbruch** appellatur. Vnam enim illius drachmam in vino rubro exhibēt, in quo prius vinca peruinca madefacta fuerit per noctem, idq; mane per dies quatuor aut quinque, atq; hac ratione dolores eximunt, grauiaq; ſymtomata, fracturaſq; intra quatuor aut quinque dies ſanant, magna cum omnium admiratione: cuius rei oculatus ipſe ſum teſtis, eiuſque rei *Matthiolus in Commentarijs ſuis* mentionem facit. Eodemque lapide vti præterea ſolent in formam cataplaſmatis redacto, cum Geranio contuſo, & oleo oliuarum, vel roſato, tam felici ſucceſſu, vt ſine vllo dolore ac inflãmatione partis oſſa coagmententur; quod incredibile videri poſſet, niſi præter me innumerabiles alii oculati & idonei teſtes extarent. Quamobrem coniecturam facio, genus illud medicamenti ad Sclopetaria vulnera fracturis oſſiū complicata, eſſe accommodatiſſimum. Magna enim iam operis pars effecta eſt, cum oſſa confracta tam facile & tam breui tempore ſanantur, ſine vllo ſymtomate quodam: præſertim cum id non prohibeat nos vulnus tanquam contuſum, & quemadmodum decet tractare. quin etiam viam nobis compendiariam ad breuem curationem patefacit, & ad ſauciatum ſubleuandum accomodatiſſimam. *Ioſephus Quercetanus de Curand. Vuln. Sclop. pag. 132.*

Enoſteos lapis diuiſus oſſium effigiem repræſentat, Agricola: qui hunc lapidem Germanice interpretatur **Knochenſtein**. Idem *l. 5. de nat. foſsilium*: Cotibus aquariis grandibus tantum (inquit) tympani figura datur, & ex ſaxo molari duro fiunt. Ex his autem ipſis, quæ ex inferiori Germania afferũntur, variæ nigro & candido colore, quędam fractę oſſis ſpeciem repræſentant: quas idcirco ἐνοςέυς Græci appellarent. Eſt in animali porus oſſis duritia (inqt Scaliger) à natura in quaſi defuncti oſſis locum ſuffecta ſuccenturiatave. Callum latini appellant. Sic & in terra oſſa lapidea, aut lapides oſſeos eadem meditata eſt, vt legimus apud Plinium.

Quatuor lapides, quos Oſteolithos dixeris, ab amicis miſſos accepi.

Ex his primus in Palatinatu locis arenoſis copioſe naſcitur ex ſabulo oſſium ſpecie, ςελεχειδῶς, hoc eſt, truncorum quadam forma, cum rudimentis ramorum, vnde & Στελεχῖται dici poſſunt, vel Οςεῖται à ſimilitudine oſſium, vel Ammoſtei, compoſita ab arena & oſſe dictione: vel Oſteocolli, à facultate qua oſſa fracta intra corpus ſumti & foris emplaſtris additi mirifice ferruminant: & ab eodem Holoſtei: vnde & Germanice, **Beinwell** & **Walſtein** appellant. Poſſunt autem etiam **Sandſtein** & **Steinbein** nominari: Sed nomen **Sandſtein** ſaxo arenario potius tribuitur. **Bruchſtein** aliqui nominant, ſicut & ſtillatitios lapides, de quibus ſupra dictum eſt, quod ad oſſa fracta valeant, **Zu den Beinbrüchen**. Noſtri ſaxa quæ ex Latomiis eruuntur, & quaſi refringuntur, & exciduntur, **Bruchſtein** appellant. *De horum lapidum natura & vſu Commentarium doctiſsimũ* Thomas Eraſtus *rei medicæ profeſſor Heydelbergæ, vir in omni philoſophia ſummus, in meam gratiam conſcripſit: quem hũic noſtræ lucubrationi quia non licet inſerere, vt cupiebam, propter feſtinationem typographi, prima quaq; occaſione alias edendum, vt dignus eſt, curabo.*

Secundus & tertius, figurā à primo differunt: tertius quidem ea ſola: quartus vero ſubſtãtia quoque: quæ non arenoſa vel terrena & friabilis ei eſt, ſed tenacior & oſſi ſimilior. odor aut ſapor potius idē qui cornui Monocerotis falſo dicto quod diu ſub terra marcuit, gratus & ſubaſtringens. Eum miſit Ioann. Kentmannus, & alteri lapidi incluſum fuiſſe ſignificauit, Enoſtei nomine.

Quartus à Clariſſimo medico Ioanne Dryandro, felicis memoriæ, priuatim Stelechitę nomine ad me miſſus eſt. differt a. à pręcedentibus, quod eis durior eſt, magiſq; lapideus ſit, (imo ſolidus lapis, cũ illi leues, molles & friabiles, albique ſint, primus & ſecundus etiã caui: vt non modo foris, ſed intus quoque præ ſe ferant) & coloris fuſci, figura modice inflexā coſtarũ inſtar. Ego hunc vnũ tantum duos pollices longum vidi: coniicio autem hunc tantum eſſe, qui in ſaxis, è quibus Cotes aquariæ fiunt, inueniri ab Agricola ſcribitur. ea enim colore & ſubſtantia refert.

Quod ad facultatem attinet, non dubito quin ad multos affectus egregie faciant, albi præſertim illi ac probè maturi, ſi medici cum ratione experiri vellēt. Sed nimia plerorumque inertia & ignauia eſt multorum etiam ſtoliditas, qui vetera ſolum retinenda aiunt, noua experimenta non facienda, tanquam periculoſa. imo ne vetera quidē, ſi à Galeno aut illis quos ſequuntur medicis non tradita, paucis, vel plebi & ruſticis forte tantũ in vſu ſint, facile admittunt. Ego Ammoſteorum vim ad oſſa conſolidanda, & chirurgis vulgaribus & agreſtibus quoque illiteratis hominibus à maioribus traditam, perque aliquot ſecula confirmatã, natura ipſa indicante & propemodum loquente, illam ex ea quam habent forma non vulgarem eſſe, multorum & fide dignorum hominũ tum indoctorum, tum etiam doctorum quorũdam experimentis credo: & medicos adhortor, vt pharmacopolos iubeant hos lapides ſemper in promtu habere: qui procul dubio ad alia etiam multa vtiles erũt, quæcunq; ſiccari, ſiſti, aſtringi ſine vlla acrimonia opus fuerit. Lauari etiam, vt ab arena craſſiore ſeparentur, & in paſtillos formari poterunt, Lemniæ terræ inſtar: cui non impares forte vires in præſeruandis etiam à peſtilentia corporibus habuerint: iĩ præſertim qui in hoc genere odoratiores ſunt, qualis videtur qui in ditione Cõmitũ à Solms, non procùl ab vrbe Iena effoditur monte arenoſo; femoris quandoq; figura & magnitudine, quandoque aliorum oſſiũ, **Beinbruch** appellant: & vtuntur ad fracta crura conſolidanda intra corpus per aliquot dies exhibito, & ad dentium nitorem conciliandum: vt Laurentius Hiel, Doctiſſimus medicinæ in Ienenſi Academia profeſſor ad me ſcripſit, ac ſimul miſit lapidem: qui mihi mali cotonei fere odorē repræſentare viſus eſt: Linguę leuiſſime adhęrēt fruſtula eius, minimum enim glutinoſi, idque probe exſiccatum habet, cauernulis etiã modice ſpongioſus eſt, ideoq; leuior. Eiuſdem plane facultatis & ſubſtantiæ, Lac lunæ etiam dictum à noſtris videtur: & ipſum interdum ſatis boni odoris, figuram neſcio.

Nuper vero lapides quoſdam oſſibus vſtis perſimiles, ſed ſolidos & paruis foraminibus in ſuperficie plenos, Petrus Coldeberg⁹ pharmacopœus Antuerpia ad me miſit: in ſarcinis nucum muſcatarũ repertos: vnum rectũ fere, alterum curuum in medio prominente ceu articulo inſignem, qui intus quoque

ſpon-

ſpongioſam oſſium quorundam compagem præ ſe fert. hos Oſteitas fœtidos appellarim, attriti enim vel vſti, lotii veteris inſtar aut oſſis vſti fœtent, vt oſſa verá fuiſſe in lapides mutata ſuſpiceris.

Ab Ammoſteis illis, qui in Palatini Electoris ditione non procul Spira ad Rhenum vrbe Epiſcopali fodiuntur, & aliis qui non procul Iena Saxoniæ, non differt Darmſtetenſis lapis, quem à nobili viro Ioa. Guil. Reiffeſtenio accepi: & ſimiliter ad oſſa fracta in cruribus aut brachiis commendatur, ſi drachma vna aut ſeſqui detur quotidie per triduum, applicatis interim etiam emplaſtris, quibus miſcetur: quanquam & ſine his proficere aiunt, modò oſſa ab initio rite fuerint reſtituta. *Geſnerus lib. Foßilium & lapidum pag. 151. & ſequentibus aliquot.*

OBSERVATIO.

Conferua vis mira ad oſſa fracta ferruminanda, memorabili & veteri exemplo illuſtrata.

PEculiaris eſt Alpinis maximè fluminib. Conferua appellata à conferruminando, ſpongia aquarum dulcium verius, quam muſcus aut herba, villoſæ denſitatis atq; fiſtuloſæ. Curatum ea ſcio, omnibus ferè oſſibus confractis prolapſum ex arbore alta putatorem circumdata vniuerſo corpori, aquâ ſuam inſpergentibus, quoties inareſceret, raroq; nec niſi deficientem herbam mutationis cauſa reſoluentibus, conualuiſſe vix credibili celeritate. *Plinius Nat. Hiſt. lib. 27. cap. 8.*

OBSERVATIO.

Puella à primo ortu tam laxa habens vincula, vt articuli in omnes partes verſari poſſent.

PVellam cernimus, noſtra vicinia, articulorum vinculis adeo laxis, vt quocunque velis artus inuertas, quod illi ab ortu vitium eſt. *Fernel. lib. 2. cap. 9. Abdit. rer. cauſ.*

Cuidam mulieri Lutetiæ totum corpus molle, flexile, & ſine ſolidis oſſibus fuit. *Hollerius libr. Obſeru. proprio numero 7.*

OBSERVATIO.

De prægnante, quæ peperit infantem ſine oſſe coagulato à cubito vſq; ad humerum, qui infans egregie curatus fuit.

A Leida de Renes, matrona nobilis, vxor Ioannis de Oeſtrum, viri nobilitate clari, & quondam vrbis ac arcis Wordenæ præfecti, anno 1587. Delfis habitans in ædibus Adriani Ioannis ichthyopolæ in platea Flandrica dicta. Quæ quidem prægnans manè, ancillis ſuis abſentibus, audiens ploratum infantium, ſubito è lecto ſurgens, per ſcalas admodum præcipites inferius deſcendens, inopinato cecidit in latus dextrum & dextrum cubitũ, verſus humerũ: & circumuoluta, etiam in caput prolapſa eſt, non ſine contuſione eiuſdẽ cum vulnere. At paulo poſt reſtituta ſanitati 8. mẽſes cum dimidio in Haga Comitis tũc agens in domo Prępoſituræ, an. 1588. 13. Iulii die, peperit puellum, cum brachio dextro à cubito vſq; ad humerum non tantum reſoluto, ſed omnino oſſe non coagulato, vt brachium inſtar lori in omnem partem flexile flaccidumq; concideret, ita vt in brachio à cubito vſq; ad humerum os abeſſe videretur.

Ad infantem ego accitus, vna cum M. Ioanne Quattellatio & Iacobo Timanno Capitone dicto, Chirurgis. Cõmuni conſilio adhibuimus medicamentum defenſiuum & conglutinans (vt in oſſium fracturis communiter fieri ſolet (ex bolo armeno, farina volatili: puluere myrtillorum, oleo roſaceo, & albumine oui concinnatum; mox ſuper impoſitis ferulis, primo ligneis (quas infans ferre non poterat) deinde carthaceis, ex charta paulo duriore & craſſiore (quas nos magis laudauimus) inſuper inductis debite faſciis à cubito vſque in humerum, vt ita os paulatim coagulari poſſet. Quibus remediis præter omnium hominũ opinionẽ hinc infans (cui Bruyninc de Oeſtrum nomen erat) miraculoſe intra tres ſeptimanas ſanitati reſtitutus eſt, non ſolum oſſe coagulato, & paulatim indurato, tum brachio etiam valido exiſtente; verum etiam belle puellus contritus ſi quis alius, inter multos infantes & robuſtiſſimus & pulcherrimus euaſit: adeo vt ad libitum etiam quo velit brachium moueat in omnem partem, non ſine admiratione eorum qui puerum viderunt & nouerunt. *Foreſtus lib. 17. Obſeru. 15.*

OBSERVATIO.

Oſſa quorundam morbi vi mollia & ceræ inſtar flexibilia euaſiſſe.

QVod Ruellius non ita pridem literis memorięque mandauit, id ipſi vidimus in milite quodam, oſſa crurum, brachiorum & femorũ, tam mollia & flexibilia euaſiſſe, vt ceræ modo facile ſequerentur quocunque torqueres, quæ tandem balnearum naturalium vſu (eiuſmodi erant aluminoſæ) in priſtinum vigorem roburq; reſtituta ſunt. *Fernel. lib. 2. cap. 9. de Abdit. rer. cauſ.*

OBSERVATIO.

Articulorum, ligamentorum, atq; oßium prope omnium luxatio & corruptio in puero viſa.

IN pueris guloſis frequentiſſime, ſi conſtitutio pręcedens aeris fuerit humida valde, membra aliqua putreſcunt: quod vidi in filio mei vicini, in quo factę fuerunt omnium articulorũ pedis & manus eluxationes, ob ligamentorum putredinem oſſa iuncturarum putrefacta apparuerunt extra. *Rondeletius lib. de dignot. morb.*

OBSERVATIO.

Oſſa quibuſdam concreta, & medullis deſtituta.

COncretis quoſdam oſſibus, ac ſic medullis viuere accepimus, ſignum eorum eſſe nec ſitim ſentire, nec ſudorem emittere. *Plin. lib. 7. c. 18. N.H.*

Lygdamus 33. Olympiade primus ex olympico certamine Pancratii coronam reportauit, eius oſſa medullam non habentia deprehenſa ſunt. &c.

OBSERVATIO.

Os coxendicis, vt & alia quoq; oſſa ſuppurationem quandoq; ſuſtinere.

ANtonii Iaceti filium nouimus, qui cum ingenti coxarum dolore vexatus, in maximam primum debilitatem, tum & in mortẽ, nihil iuuantibus medicis, nihilq; conferentibus præſidiis, deueniſſet, inciſo corpore, inuentus eſt peſtifer humor, in coxa, quo

quo magna pars oſſis eroſa, etiam in cinerem verſa videbatur. *Beniuenius cap.79. Abditorum.*

Quandoq; in ſuppurationem tranſit (coxendix) quem tranſitum in Calceolario Viennæ vidimus, & curauimus. *Montuus c.54. Tom 4. Anaſc. morb.*

Fateor pleroſq; medicorum ignorare oſſa, quantumuis ſolida, quaſi phlegmone & apoſtemate quoque corripi poſſe. Quicquid enim nutritur, creſcit, augmentatur, aut influxus recipit, id quoque putreſcere, & apoſtemate aliquando turgere fatemur. Proinde Auicenna & Galenus, ſuo periculo edoctus, apoſtemate quoque diſtendi aſſerunt. Et Hippocrates os ſacrum empyemate quoque computreſcere nouit, cuius putredine, & incredibili doloris tyrãnide, duos ſpectatæ probitatis viros, N. Wurmhauſer in Neoburgo, & alterum Ioannem Caſtnerum, efflictim & diu maceratos, tandem contabeſcere & mori hiſce oculis vidi. *Langius Epiſt. 42. Tom. 1.*

Nuper, dum mulierem quandam morbo gallico interemtam reſecaremus, cauſam morbi perquirendo, oſſa ſub membranis ſuis integra tumentia & ad medullam vſque ſuppurata inuenimus, ea duntaxat ratione, quoniam, & ipſa nutriuntur, abſceſſibus ob id afficiuntur. *Alex. Benedictus l. 1. c. 6. Anatom.*

OBSERVATIO.

Vniuerſi corporis Sceleton vnico oſſe continuo conſtans.

EXcellens Medicus Ioannes Bertonius ab Auricula mihi amiciſſimus Sceleton mihi dedit, quem ego domi ad ſtudioſorum vtilitatem diligenter adſeruo, in quo oſſa omnia, id eſt, omnes totius corporis articuli à capite ad extremos vſq; pedis digitos vniri conſpiciuntur, huic quatuor dentes deſunt, bini ſupra, totidem infra, ex illorum regione, qua via cibus & potus intromittebatur. Romæ in Xenodochio diui Iacobi incurabilium diu vitam traxit. Viuens autem, quem ſenem vidit & inuiſit ſępe Ioannes Auricula, nihil aliud mouebat, quam oculos, linguam, penem, abdomen, thoracem: nam cartilagines quidem coſtis articulatæ erant, ſed nondum coaluerunt: reliquæ corporis partes omnis motus expertes relinquebantur. *Columbus Anat. lib. 15.*

FINIS.

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM

TOMVS SEXTVS:

qui agit

DE FEBRIBVS, MORBIS EPIDEMICIS, PESTILENTIBVS ET CONTAGIOSIS.

PRÆFATIO.

QVINQVE ſuperiorib. Libris, quæ circa humani corporis partes prope ſingulas noua, varia & admiranda, cum à Veteribus, tum præcipue à Recentioribus accidere animaduerſa ſunt, abſoluimus: reliquum nunc eſt vt ad ea digrediamur, quæ non vni ſolum parti, verum pleriſq; ſimul infeſta ſunt. Quo in cenſu Febres, morbi Peſtilentes, Peſtis ipſa, adeoq; Contagioſi, tum deniq; Venenati quoque conſiſtunt. Quanquam autem non ignoremus, Vniuerſales morbos Particularibus, idq; lege methodi, haud poſtponi debuiſſe: viſum tamen eſt hoc loco vulgi ordinem potius quam methodum in hoc argumento ſequi: ne plus ſatis ſapere, maximeq; qui hiſtoricũ filum tractamus, videamur. Proinde Librum hunc à Febribus exorſi ſingula eo ordine, quo paulo ante recenſuimus, proſequi conſilium eſt. Venenoſos vero morbos & Venena ad ſeptimum & vltimum, ne liber in immenſum excreſceret, reiecimus. Ex quib. omnib. manifeſtum euadet, in Vniuerſalibus morbis non minus quàm in Particularibus noua, vulgo incognita, raraq; & monſtroſa plurima ad artis perfectionem & abſolutionem cognitu cumprimis neceſſaria & vtilia euenire poſſe: & veriſſimum illud eſſe, quod quidam ait; monſtra in morbis animaduerti, quæ ſæpe miraculi ſpeciem præferant, adeoq; ſemel concepta confirmataq; Medicorum decreta haud parum eludere, vel in totum quoque euertere poſſint.

DE FEBRIBS, MORBIS EPIDEMICIS, PESTILENTIbus & contagioſis.

Et primum

DE FEBRIBVS EPHEMERIS.

OBSERVATIO.

Ex horrore flammæ in febrim incidens.

IN Appiani Baſilica, cum adhuc admodum iuuenis vna cum Peregrino Allio græcis operam dabam, ſub pręceptore Franciſco Caſtilionenſi religioſo viro, vbi cũ ſemel è cubili ſummo diluculo conſurgens ædem ipſam ingrederer, vixque, limen tranſiliſſem, ecce, video flammas ab imo pauimento iterum atq; iterũ ſurſum ferri: horreſco, & pauens ac tremens curſim, vt poteram, cubile ipſum repeto. Ille vero Peregrinus condiſcipulus meus, qui adhuc in lectulo requieſcebat, cum anhelantem & veluti lymphatũ inſpiceret, rogat quidnam mali mihi cõtigerit: vix ego trahebam ſpiritum, rem tamẽ vt potui explico. Admiratus & ipſe, timere cœpit. Sed cum interim Præceptor noſter è cubili ſurrexiſſet, hominem conuenimus, rem exponimus, cauſam quærimus. Ille vero, vt erat vir doctus & in Philoſophia ſatis eruditus, vapores, inquit, ex cadaueribus mortuorum, qui calidiſſimum hunc aerem nacti (id n. accidit in ipſo menſe Iulii) facile inflammantur: quod & nos ſæpe vidimus, ac propterea nihil nobis pertimeſcendum eſt. Hoc etſi ego authoritate viri ſuaſus verum iudico, ex præcedente nihilominus timore, ex quo ſpiritus ipſi cateruatim verſus cor regredientes inflammati ſunt, in eam quã Græci ἐφήμερον vocant, febrẽ incidi. *Beniuen. lib. Abdit. c. 62.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Diariæ ex meatuum conſtipatione curatio & hiſtoria illuſtris, contra diatritarios.

DIctum alias eſt in corporibus meatuum conſtipationem febrem excitare, in quibus ꝙ tranſpirat halituoſum non eſt (ἀτμῶδες Gręci dicunt) cuiuſmodi viſitur in iis qui boni ſunt ſucci: ſed mordax & acre, fumo fuliginive non abſimile. His igitur corporibus ſaluberrima eſt ex aqua dulci & temperata lauatio, tum frictio quæ rarefaciat, & exercitationes mediocres, & victus qui dulces efficiat ſuccos. Aduerſiſſima vero ſunt lauatio frigida, & aluminoſa, & lauationis abſtinẽtia, & exercitatio acuta,

& frictio vel plane nulla, vel dura, & victus mali ſucci, & vigiliæ, & ira, & triſtitia, & cura, vſtioq; in ſole, & fatigatio. Verum de reliquis poſt dicam. De ſtipatione vero meatuũ, vnde digreſſus ſermo eſt, liquido ſcire licet ſolam eam, ſi reliqua omnia deſinit, accendere febrem poſſe. Si itaque eiuſmodi naturas à conuenientibus ſibi lauationibus prohibeas, protinus febricitant. Vidiſti autem profecto, quo tempore Romæ nobiſcum egiſti, aliquos ita laborare. In quibus qui mirificam diatriton tranſmittere eos in cibi inedia cenſent, ipſi difficillimas febres faciunt: quando protinus in primæ acceſſionis inclinatione in balneum eos ducere oportebat, ibique ſinere crebro, ſi vellent, nedum ſemel, aut bis lauare. Ego namque reliquis omnibus omiſſis cum tibi in memoriam reuocabo, qui in aquis aluminoſis (quæ Albula vocant) lauerat: ac ex eo cute denſata poſt cœperat febricitare. Quippe ſatisfaciet is pro claritate ſermonis noſtri, veluti exemplum. Sane hominem inuiſebant Medici quidam non incelebres, alter Eraſiſtratius, alter Methodicus. Viſum autem eſt ambobus hominem à cibo continere. Quod tamen nos, cum poſt illos digreſſos ſuperuenimus, nõ permiſimus, ſed ſtatim in balneum perductum, & tepenti oleo largiſſime perfuſum, tum blandiſſime perfrictum, quamplurimum temporis in calidi ſolii aqua verſari iuſſimus Mox egreſſo, ac frigida ex cõſuetudine vſo, tum ſindone cooperto, conſidere paululum ad vires recreandas præcepimus. Poſtea denuo in balneum perducto, ac rurſus ſimiliter tum vncto, tum perfricto, ac in calida morari iuſſo, dein rurſus educto ac frigida merſo deterſoque, exhibuimus cibum protinus quidem, vt egreſſus eſt, atque aquam bibit ptiſanæ cremorem: dein paruo interuallo lactucam, ac poſt hanc ex ſimplici albo iure piſcium aliquid eorum qui molli ſunt carne: cuiuſmodi ſunt ſaxatiles omnes, & aſelli, quos vocant, Porro non alienum ſit, quo nihil narrationi deſit, omnia recenſere. Tempus anni erat, quo hęc agebantur, paululum poſt caniculares, quos vocant dies. Homo ipſe circiter quinque & triginta annorum, colore nigello, & habitu corporis gracili, atque hirto: tum qui tangentibus, etiam cum valeret, manifeſte calorem exhiberet mordentem. Vrinas quoque habebat abunde flauas, ac, ſi pluſculum cibo abſtineret, etiam mordentes. Aluus aſſidue ſicca erat: tum, quæ excernebat, exigua atriaque & ſicca. Mores animi ad iram & cogitationem propenſi. Ipſe pauci omnino ſomni; & qui perpetuo de vigiliis quereretur. Hic quodam loco, quo negotiorum gratia conceſſerat, Albulis (quæ haud longe aberant) eſt vſus ſeptima (vt aiebat) diei hora, ac ter quaterque ſe lauit, ſalubriter ſibi conſuluiſſe ratus. Hinc quoque, vbi rurſus in agrum ſe recepiſſet, ac cibum ſumſiſſet, & paululum indormiſſet, venit ad vrbem ſero veſpere: vbi deſtitutus idoneo balneo, nocte febricitauit. Cum autem tertia fere diei hora contemplati eum Medici eſſent, iuſſerunt non eum modo diem, verum etiam poſterum totum per inediam tranſigere, quo tertię diei noctem obſeruarent. Atq; his dictis abierunt. Nos tum lauato, tum, vt prędictũ eſt, cibato, miniſtris præcepimus, ſi Medici veſperi venirent, quieſcere hominem dicerent: eoſq; ſtatim remitterent, ac poſtridie mane redire iuberent. Vt vero abierunt, rurſus hominẽ ſimili modo lauatum, iis ipſis quæ egimus, dormire probe fecimus. Accedentes autẽ mane poſtridie Medici, cenſuerunt etiã eo die cibo illi abſtinendum, etiamſi quam maxime ſine febre prorſus eſſet. Illo vero promittente ſe facturum quod iuberent, ſcis quantus illis digreſſis riſus ſit excitatus: quem nos paulo poſt ſuperuenientes deprehẽdimus. Non fugit vero nec quomodo cum laborante ipſo ſit actum. Nam quoniam (inquam) cum valeres, bis lauare ſolebas, ac Medici cibum ſibi omnino circumcidunt, nec illis iure in totum obſequendum eſſe, & aliquid eorum quibus per ſanitatem es vſus immutandum arbitror. Eo vero putante me ſibi ſuadere, vt lauaret quidem, ſed non bis: tum paratum ſe affirmãte quicquid iuſſerim exequi: (inquam) neque inediam tolerabis, neque lauabis bis. Siquidem & laboraſſe mihi videris iam triduo, & calfactus vehementius à ſole fuiſſe. Propter igitur laborem (inquam) & vſtionem, vnam te adiicere lauationem ad duas oportet, ac ter mihi audientem lauari: quoniam id mihi facturum te pollicitus es. Ille ſubridens, dura (inquit) imperas. Cæterum, quoniam ſtare pactis eſt iuſtum, faciam quæ iubes. Quæ vero Medici poſt hęc egere, noſti plane quanto erant digna riſu. Bis iam lauatus fuerat, pranſuſque dormiebat, cum circa occaſum ſolis miniſtrorum quiſpiam adeſſe Medicos nuntiat. Hic vero febricitare ſe ſimulat: ac veſte circundatus inuolutuſque, quo minus bibiſſe vinum ab ipſis deprehenderetur, amico cuidam mandat, Medicis, ſi quid percontentur, pro ſe reſpondeat. Erant autem de more, vbi inuolutum curioſe hominem etiam cum capite viderent, primum illud ſolenne ipſi rogaturi, quota hora acceſſio inuaſiſſet. Cum autem amicus reſpondiſſet, ferme ne vnam quidam integram, ex quo cœpiſſet, interceſſiſſe horam, cum horrore ne an frigore cœpiſſet, rogant. Eo cum horrore reſpondente, tangunt hominem iam corpore propter riſum & operimentum madentem. Itaque vbi hominem laudaſſent quod ſibi obtemperaſſet, nec quicquã ante tertiæ diei acceſſionem deliquiſſet: ob idipſum (inquiunt) nunc te deſeruit horror, eſtque ſudoris indicium, ac multa humiditas circa cutẽ: quæ haud quaquam eueniſſent, niſi inediam toleraſſes, & triduum tranſmiſiſſes. Iuſſis igitur propinquis, ſi quæ guttulę illi manarent, diligenter detergerent, ne frigore afficeretur: tum mane ſe redituros præfati diſcedunt, ne tum quidem poſt ſudores iuſſo homine nutriri. Viſæ namque ſunt illis noctes eo tempore breues, vtiliuſque eſſe poſtridie mane nutrire. Digreſſis igitur ipſis, perfuſus ſudore iuuenis, ita vt inuolutus veſtibus fuerat, in balneum cucurrit, ac tertio lauit: & ſimiliter eſt cibatus. Poſtridie, priuſquam aduentarẽt Medici, egreſſus domo dedita opera eſt, ne ſe deprehenderent. Itaq; cum paulo poſt venirent, & egreſſum intelligerent, mirati inter ſe ſunt quid tandem hominẽ egredi ſubegiſſet iam bidui paſſum inediã. Ergo ſi hoc vno male ab eiuſmodi Medicis ægri afficerentur, quod pluribus diebus in cubilibus detinerentur, cum liceret ſine intẽpeſtiua hac inedia multo citius ad conſueta vitæ munia redire, eſſet profecto vel id pergraue. Verum longe grauius eſt ꝙ accidit. Cum n. memoratæ naturę, vbi ſub tali victu reguntur, grauiſſimis occupãtur febribus, qui hunc iniungunt, Medici, nihil mihi à carnificib. differre videntur. Non enim, veluti qui humidi ac boni ſucci

ſunt, vbi in febri diaria tranſmittere mirificam diatriton coguntur, vnum id tantum patiuntur incommodum, quod fruſtra cruciantur: ſic etiã naturæ iam comprehenſæ: imo, ex longiore inedia, acerrimis acutiſſimiſq; corripiuntur febribus, à quib. promtus eſt in hecticas tranſitus: atque ab his rurſus in torridum maraſmum: aut, ſi os ventriculi facile iniuriis patet, in eum qui ſyncopen, id eſt, animi defectum infert. Audiſti enim ſubinde nonnullis talium Medicorum dicentem me, licere ipſis euidenter intelligere quantum mali committant, dum eiuſmodi naturas in inedia cuſtodiũt, ſi velint, dũ ſani omnino ſunt, biduum eos inediam iubere tolerare. Cernent enim ilico febricitantes, idq; ob nullum profecto aliud quam famem. Siquidem, cui nec ſuberat primo quicquam in corpore quo grauaretur, nec quicquam illi interim acceſſit extrinſecus noui, is plane ex inedia febricitauit. Quando enim (vt dictum eſt) non vnus alterve ſic intemperatorum, ſed plane omnes, qui inediam tolerarunt, & balnei ſolio abſtinuerunt, febri corripiuntur: ne vel leuis quidem amplius relinqui nobis ſuſpicio poteſt, quaſi ob aliud quippiam & non inediã febricitarint. Quibus namque in corporis temperatura ſiccum preualet humido, & calidum frigido, his corporis habitus gracilis, hirſutus, & nigrior eſt, ac reliquis tribus tẽperamentis, quæ hoc ſunt minus calida, tactu calidior aduertitur: plurima quoq; his flaua eſt bilis, vrineq; ac deiectio bili ſatura, & pulſus magni, & ſomni leues & pauci, & animi impetus vehemens. Ergo recte horum Hipp. tum generalem victus formulam, cuiuſmodi eſſe cõueniat, tum quot ac qualia ſymtomata in eiuſmodi homines incidant, non ſolum vbi totum diem in cibi inedia trãſegerint, verum etiam vbi altero cibo, qui pro prandio datur, abſtinuerunt, prodidit. Quippe *in ſexto de populatim graſſantib. morbis* ita inquit: in calida natura refrigeratio, aquæ potio, quies. *In libro* autem *de acutorum victu*, quem aliq Cnidiis ſententiis adſcribũt, cum de iis diſputat, qui ſolitum prandiũ dimittunt, etiam huius naturæ hominum meminit, πικροχόλυς eos græce, quaſi amaræ bilis homines, ab redundante ſcilicet ſucco, nominans. Habent vero eius verba ſe ad hunc modum: ſed & qui bis die comedere conſueuerunt, ii, ſi non prandent, ægrotant: tum imbecilli & infirmi fiunt, ac timidi ad quodvis opus: præterea cordis dolorem ſentiunt. Siquidem ſuſpenſa illis viſcera videntur, & calidum, pallidumque mingunt, & deiectio vritur. Sunt præterea, quibus os (ventris) amaricat, oculi cauantur, tempora ſaliunt, & extremæ partes frigẽt. Hæc vbi prædixit, mox alia quædam tum de cœna, tum de nocte, ad finem ſermonis ait huiuſmodi notæ homines (quos πικροχόλυς vocant) tum vnicum in die victum, tum inediam, quam alios homines difficilius ferre: vnam nimirũ in eo libro exponens partẽ eorum quæ *in ſexto Epidemion* monuit in vniuerſum: nempe quod ad victum ſpectat. Nam refrigeratio, quam calidis naturis ſuaſit, efficitur cum ex aliis quibuſdam, tum non minime ex cibi exhibitione. Qui namq; originalem temperaturam parum moderatam habent, horum inſitum calorem, ſi ſqualens acerque eſt, cibi mitiorem minuſque mordentem reddunt. Sane illud non latet, & boni ſucci, & exquiſita debere eſſe quæ his exhibeantur nutrimenta: nõ tamen ea, quæ boni ſucci, propterea quod exiguum huiuſmodi ſubſtantiæ in ſe habent, nominentur, ac nutrire nequeant: imo quod vtile plurimũ in ſe contineant. Sunt namque & maluæ, & braſſicæ, & betę, & lactucæ, & denique omnia olera & fructus, nutrimenta, cum ſubſtantia in his habilis ad alendũ contineatur. Verum, ſicut in his exiguum, eſt ꝙ nutrit, non exiguum quod eſt inutile. Ita in pane puro, & ouis, & carne, & alica, plurimum eſt quod nutrit, minimum quod eſt inutile. Quod ſi id inutile, quod admiſtum vtili eſt, præterquam ꝙ non nutrit, etiam acrem, aut acutam, aut acerbam, aut amarã, aut deniq; vitioſam quampiam qualitatẽ habet, non modo non proprie nutrimenta ſunt, ſed etiam medicamentoſæ facultatis non parum in ſe habent. Expedit igitur tales homines illis nutrire cibis, quicunq; nec medicamentoſam vllã ſenſu perceptibilem vim habeant, ſed nec ipſum quod nutrit plurimum: quãdo hoc quoque, ſi exuperat, vitio non caret. Principio nanque nec quæ in ventriculo eorum agitur concoctio eſt exacta, nec, ſi ventriculus ea ſuperet, quæ in venis obitur, eſt abſoluta. Quod ſi hic quoque haud magnus ſit error, ſaltem tertiam (quæ ſingularum partium propria eſt) difficile fuerit in omnibus illis rite perfici. Conueniet profecto huic, & vt frigidum humidumque quodammodo nutrimentum exhibeas, vbi corpus tũ calidius tũ ſiccius ſolito eſt redditum. Quare commodiſſimus huic eſt priſanæ cremor ad vnguem coctus, in quo nullũ ſit ſuperfluum condimentum: vtpote qui & refrigerare, & humectare, ac ſine ſiti ſeruare hominem poteſt, cum eo ꝙ non halituoſum, non humidum, nec ſiccum detinet excrementum. Voco halituoſa quæcunque per cutim foris effluere ſunt apta. Humida, quæ per veſicam: ſicca, quæ per aluum. Quippe à vincenti in ſingulis eorum ſubſtantia nomina ipſis impoſui. Quod autem nullum horum retinebit priſanę cremor, manifeſtum eſt. Quæ enim per aluum excrementorum deiectiones ſunt, eas adſtringentia retinere ſolent. Quæ per vrinas & vniuerſam exeunt cutim, hæc detinent ea quæ exiguis meatib. inhærẽt: ἐμπλαττόμενα vocant: præterea quę valenter adſtringunt, ea ϛρυφνὰ Gręci vocant. Ptiſana vero nec exiguos cutis meatus obturandi, nec adſtringendi vim habet vllam. Ac, quod non aſtringat quidem, vel guſtus ipſe docet: cuius vnius eſt ꝓprium, quod aſtringẽdi vim habeat diſcernere. Quod vero nec cutis meatibus lentitia craſſitudineve ſua inhæreat, id ratiocinari ex aliis eius effectibus eſt promtum. Nam ſiue ſordidũ corpus extrinſecus ptiſana defrices, vtique, ſicut aphronitrum, & mel, deterget: ſiue ex ventriculo per vomitum educere mediocrem pituitam velis, nihilominus mulſa vtilem ptiſanæ cremorem experieris. Additum tamen in dictionem eſt, mediocrem: quoniam, ſi multa & vehementer glutinoſa, & craſſa pituita ſit, hanc radicula ex oxymelite, non mulſa aut ptiſana detergere eſt habilis. Eſt ſane & aqua mulſa ad omnes ante dictas expulſiones idonea, verũ nec ſitim reſtinguit, vt ptiſana, & in amara bili abundantibus naturis facile vertitur in bilem. Optimum igitur in eiuſmodi temperamentis nutrimentum eſt ptiſana. Proximum ab hoc alica, cui paululum aceti diſtributionis gratia ſit adiectum. Tertium, quæ ſine aceto liquida eſt, non craſſa: qualem nonnulli præparant adſimilem pulti. Iniecіſſe vero huic, dum coquitur, aliquid porri ſatius eſt. Nam quod

tum

tum anethi,tum ſalis aliquid neceſſario habebit,ne-minem latet.Quinetiam in furno coctus panis vtilis eſt cibus:ſicut etiã è piſcib. ſaxatiles omnes: nec ipſis minus aſelli,niſi ſi propè lacum, aut magnũ flumen, ꝙ in mare decidat,depaſti,humidam magis conglu-tinoſamq; habeant carnem:proxime aſellos ſunt ſo-lea & torpedo, itemq; lupus, & mulus, poſt mugil è pelago. Omnis autem piſcis deterior eſt qui prope lacum qui mari coniungitur, aut magni fluminis o-ſtium paſcit. Ex volatilibus vero optimi ſunt perdi-ces,ac montani omnes paſſeres, ab his gallinacei, & phaſiani, & iuuenes columbæ. Sed nec hæ tamen intus claudendæ, cum excremẽtoſa ſint omnia,quæ exercitatione cãrent. Excrementoſa vero non mi-nus ſunt, tum lacuſtria, tum paluſtria omnia. Quo fit, vt etiam ex ipſis ſuillis carnibus optimã ſit mon-tana: ab his deinceps hœdi ſunt. In omnibus iam di-ctis fugienda,tum vetula,tum recens ẽdita, ſunt:illã namque duriora,concoctuque difficiliora ſunt: hæc immodice humida & excrementoſa:ac potiſſimum, quæcunque ex animalium generibus ſunt, quæ na-turaliter humida ſunt,vt oues,ſueſque.Verum de o-mnium ciborum facultate alibi præcepimus. Nunc veluti ..a in hoc opere, ſic iſta quoq; exempli cauſa ſint dicta. Siquidem propoſitum nobis in hoc eſt, non tanquam in iis quę de alimentis & medicamen-tis ſcripſimus materias inueſtigare, ſed ſolas faculta-tes generales. Nihil autem profecto referat, genera-leſne facultates, an vniuerſales ipſas appelles. Re-uertamur ergo rurſus ad propoſitum. Quibus acre aliquid quotidie trãſierit,ii, ſi cutis ſtipetur, promte febri corripiuntur. Stipant vero hanc tũ quæ aſtrin-gunt omnia, veluti ſupra memorauimus de Albulis aquis: tum quæ lentitia craſſitudineve ſua exiguis meatibus inhærent. Aliquando autem ipſius cutis immoderatior ſiccitas exiguos ipſius meatus denſat. Proinde, qui œnanthe in balneo vtebatur, hunc, nos vidiſti quo tempore inæqualitatẽ ſentire ſeque-retur vti, vetuiſſe. Simili modo, & qui largo vino cum oleo exiguo vtebatur: item qui lentiſcino tum, cũm denſitudinem ſentiebat, hunc quoque de cæ-tero vti prohibuimus.Inhibuimus nõ minus & eum qui quotidie inſolabatur,& eum qui puluere vteba-tur. Alteri vero, qui iam ad inæqualitatem febrilem peruenerat,vehementiam remittere frictionis iuſſi-mus.Iam alium (vt ſcis) curauimus mirantem quo pacto vna lauatione ac debita frictione horridã eius multorum dierum inæqualitatem diſſoluerimus. Vtebatur autem & ille aſtringente oleo, hoc, inquã propter alios vſus celebri: Hiſpanum vocant. Hoc igitur mutantes,ac Sabino tum pinguiter,tum mol-liter vberius perfricãtes, ac bis lauantes, ilico ſanum reddidimus. Non ſolum igitur hæc omnia vitanda iis ſunt qui fumidum & fuliginoſum è corpore ex-halant: ſed etiam quæ glutinoſum, & quæ craſſum gignunt ſuccum: quando hæc paruis meatibus in-hærentia,tranſpirationem morantur. Retinent non minus (vt dictum)tranſpiratione, & quæ cutim im-modice ſiccant. Multos ſiquidem talium cum ſole vterentur,alios vero cum vberiore nitro, alios cum ſale,cũ exercitatione multa,aut frictione dura, præ-terea frictione ſicca,(ξηροτριβίαν vocant)& calidis fo-mentis & puluere, & horum occaſione quot annis ægrotarent,ipſe teſtis es, vt ab his prohibitos,multis iam annis ſanos ſeruauerimus. Sunt autem merito eiuſmodi præcepta tũm valentium, tum eorum quí de valetudine quæruntur communia.Non n.ei,quę iam facta eſt,febri conſulunt,ſed ei, quæ nunc in ge-neratione eſt, proſpiciunt, tollendis ſcilicet iis quæ illas excitant cauſis. Quippe, quæ adhuc in genera-tione febris eſt, dum aufertur cauſa, ipſa vna interit. Quare quæ in libris de ſanitate tuenda de eiuſmodi temperamentis ſunt prodita, ea omnia ad eos, qui febricitare incipiunt, ſiue id ſanationem appellaſſe oportet,ſiue prouidentiã, ſunt transferenda. Siqui-dem ſanamus id febris,quod iam inuaſit,etiamſi ex-iguum eſt:proſpicimus ne quid amplius proueniat, adimentes cauſam. *Galen.lib.8.Method.med.c.2.*

DE FEBRIBVS SYNOCHIS ſeu Continentibus.

CAVSA.

OBSERVATIO.

Synochum ex bile ſine putredine ſæpe fieri à Fernelio animaduerſum.

SYnochum ſine putredine ſæpe fieri animaduer-timus ex bilis calidorumq; humorum agitatione nimia. Cauſæ ſiquidem euidentes quum vehemen-tiores in bilioſum corpus alioqui ſanum irruerint, non modo ſpiritus concalfaciunt, ſed & humores acres exagitant, quorum æſtu febris accenditur ſine putredine. Hæc ephemeræ limites egreditur,nec ta-men ſynochos eſt nunc expoſita: illa quippe ſangui-nis efferueſcentia eſt,hęc bilis concitatio ſine putre-dine:illa in corpus incidit temperatum beneq; ha-bitum, hæc vero in calidum ſiccumque ac plane bi-lioſum. Huius cauſæ euidentes non aliæ ſunt quam quæ ephemeram mouent: maxime vero cruciatus ſummus, qualis nephritici aut parturientis eſt,exer-citatio,laborque immodicus,æſtus,balneum,animi excandeſcentia,q̃ his pares ſunt viribus.In hac nullę putredinis notæ in pulſu aut in vrinis cernuntur,ve-runtamen os amareſcit,deiicitur appetentia,ſitis ex-cruciat,capitis dolor ac vigiliæ vrgent: in cute arida calor acer ferit. Sublata euidente cauſa, paucis poſt diebus febris eiuſque ſymtomata, quiete ſola, nullo artis ſubſidio ſedantur ac ſponte deſinunt. Quum febris diaria citra putredinis notas diem vnum alte-rumve exceſſerit, harum alterutra ſuſpecta eſſe de-bet. *Fernelius lib.4.de Febr. cap. 4.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Synochi tam putridæ, quam ſine putredine, curatio-nes memorabiles.

EXempli cauſa redigam tibi in memoriam ado-leſcentes duos. Erat alter eorum liber, & palæ-ſtræ peritus,alter ſeruus,haud inexercitatus ille qui-dem,cæterum in palæſtra parum vehemens, nec ta-men ad quotidiana,quæ ſeruũ deceant, cum exerci-tia, tum opera tractanda, non idoneus. Porro liber continenti citra putredinem febri laborauit; ſeruus continenti cum putredine:horum vtrique quænam ſit adhibita curatio,non intempeſtiuum dictu nunc arbitror, quandoquidẽ in exemplis exercitari quid-vis diſcentes maxime expedit. Neque enim ſatisfa-ciunt ad exactam cognitionem vniuerſales metho-di. Sunt autem exemplorum ea pro potioribus ha-

benda, quæ ipſi oculis vſurpauimus, quando ſi omnes, qui docere ſcribereve aliquid ſunt aggreſſi, eà prius operibus oſtendiſſent: prorſus paucula quædam falſo dicerentur. Nunc vero plerique alios docere tentant, quæ nec ipſi vnquam fecerunt, nec àliis oſtenderunt. Cætera vulgus medicorum nihil miri eſt, ſi, contemtis bonis moribus, opinioni ſapientię magis quàm veritati inhiat. Verum non ſic fuit ratio noſtra. Non enim heri, aut nudius tertius, ſed ſtatim ab adoleſcentia philoſophiæ ſtudio capti, primùm nos ad eam contulimus. Mox patris euidenti inſomnio moniti ad medicinæ ſtudiũ excolendum venimus, ac per totam vitam operibus magis quam verbis vtrique ſtudio incubuimus. Quo minus mirũ eſt, ſi in quo tempore alii totam vrbem ſalutãdo luſtrant, & cum diuitibus cœnant, ac eoſdẽ comitantur, hoc omni ſedulo nos laborantes, primũ quidem omnia quæ veteribus pulchre ſunt inuenta didicimus: mox eadem opere tum indicauimus, tum exercuimus. Ergo qui palæſtræ peritus iuuenis erat, vbi febricitare hora prima noctis cœpiſſet, poſtridie eũ mane circiter horam diei tertiam vidimus. Cum autem inueniſſem febrem admodũ calidam, ſed pulſus æquales, & maximos, & celeres, & frequentes, & vehementes, tum qualitatẽ quæ tactum maxime morderet, iam vero & vrinas tum craſſitudine tum colore à naturali habitu non multũ alienas, audiens præterea hominem circiter triginta dies exercitationis conſuetudinem intermiſiſſe, pridie tamẽ exercitaſſe ſe vehementius, cæterum non multum, ſumſiſſe autem ſolitos cibos, atq; eos concoxiſſe, quamuis tarde & ægre, vtpote cum febris veſpere occupaſſet, cũ interim rubicundus plenuſq; homo appareret, atq; etiam plenitudinis ſenſum ſe percipere diceret, faciente interim quodam eorum qui aderant de vena ſecanda mentionem, viſum eſt nobis eius auxilii cõſideratione in aliud tempus remittere, ſimul vt certius ſciremus cuius generis febris eſſet, ſimul neceſſario propter eam, quæ præceſſerat, concoctionis tarditatem. Cùm autem veſperi ſimilem vigorem tueri febris eſt viſa, ceu nihil ſenſibiliter remittere, ſuſpitio iam erat ſynochon eſſe, hancque ex obſtructione & ſanguinis abundantia, & præ carnis copia ſtipatione. Ac cum parem magnitudinem per totam nocte febris ſeruaret, poſtero die viſum eſt medicis omnibus, qui eum inuiſerant, ſanguinem eſſe mittendum. Diſcordia vero orta de tempore, & vincentibus qui id in ſequentem diem differendum ſuaderent, febris per totum eum diem euidenter viſa eſt vigorem ſuum augere. Mox tertia, ſequente nocte, alia quidem acceſſio minime incidit, quæ primæ ad portionem reſponderet: erat tamen æſtus ipſe laboranti intolerabilis: vrgebatq; tum tenſio totius corporis: vtpote repleti: tum capitis pulſatio: atq; ob hęc grauis vigilia: iuuene in aliam alias ſe figurã iactante. Itaq; cum vltra ferre non poſſet, hora noctis circiter octaua mittit ad me miniſtrum, rogatq; ad ſe ocyus veniam, Ipſe annuo, atq; abeo: inuenioque febrem calidiſſimam, pulſumq; qualem prædixi. Quoniam autẽ nec in hoc, nec in lotio, nec in ipſa caloris qualitate indicium aliquod humorum putreſcentium apparuit: optimum factu viſum eſt venam incidere, antequam putredo inciperet. Aufero itaq; ab homine eo vſq; de induſtria ſanguinẽ, quoad animo linqueretur: maximum plane vbi valentes vires ſunt continue febris remediũ, id quod tum ratione, tum experiẽtia didici. Primum nanq; in contrarium ſtatũ agitur corpus, celerrime ex animi defectu refrigeratum. Hoc vero nemo inuenire poteſt neq; quod ipſis ægris, neque quod naturæ, quæ animantes gubernat, iucundius vtiliusve ſit. Poſtmodum in eiuſmodi corporib. neceſſario ſuperuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio. Quas res ſtatim à toto corpore madores ſudoreſque excipiunt, quæ nimirum omnia cum huic quoq; contigiſſent, protinus febrem extinxerunt: ſic vt quidam ex iis qui aderant iugulaſſe me febrem per iocum dicerent: vnde omnes riſimus. Verum, quo omnem narrationem abſoluã, nihil mali erit paucula addidiſſe. Poſt duas nanque à ſanguinis miſſione horas paulo nutrimenti dato, ac iuſſo quieſcere, diſceſſi. Quinta vero hora reuerſus, tam profundo ſomno indormientem inueni, vt tangentem me prorſus non ſentiret. Cum vero & miniſtri adeo illi altum ſomnum fuiſſe dicerent, vt nec cum madores eius abſtergerent expergiſceretur: ſuaſi ita facerent: eſſe namque hominem ita prorſus à febri liberum. Reuerſus autem & decima rurſus hora etiam tunc dormientem inueni. Egreſſus autem iterũ ad alios viſendos ægros, redeo hora prima noctis, non tamẽ vt ante tacens, ſed voce de induſtria ſublata quo ægrum à ſomno excitarem. Quod cum ita accidiſſet, vbi ſolo ptiſanæ cremore ipſum nutriui, abii. Cuius modum poſtero die augens, tertio lauatum dimiſi. Ac, quæ ad hunc pertinebant infirmum, ita ſunt geſta.

Quæ vero ad alterum, nunc dicam. Is, cum toto die multũ laboraſſet, deinde lauatus paucula comediſſet, cœpit nocte febricitare, totũ etiam cõtinuans ſequentem diem. Hunc nos poſt ſecundam noctem vidimus in cæteris quidem omnib. iam dicto iuueni ſimiliter affectum: verum putreſcentium humorum euidentes præbentem notas. Itaque vena quoque huic protinus inciſa, vſque ad animi defectũ vacuauimus. Poſt id, idoneo interpoſito ſpatio, cibauimus primum mulſa, deinde, vna interpoſita horã, ptiſanę cremore, atque hæc omnia intra quintam acta ſunt horam. Cum autem ſimilis ſibi perſeueraret febris, ſynochon eam fore ex putredine expectauimus. Itaque accidit. Quippe cùm eam ſecunda noctis horà pari magnitudine cerneremus, tertiæ diei acceſſionem, futurane eſſet, ac ſecus, diligenter obſeruare volebamus: cuius in ſeptimam horam noctis ſuſpicio erat. Itaque, cum ſummo mane ſuperueniſſem, inueni quod expectaram. Nam nec tertianã incideret acceſſio, febriſque remiſſior paululo quam veſperi fuerat apparuit. Vt autem rurſus hominẽ meridie vidi, eratq; iam certiſſimum & febrem decreuiſſe, & ſynochon febrẽ eſſe, ſed quæ aſſidue decreſceret: ſatius viſum eſt tum quoque hominem ſimiliter nutrire. Quarta vero exacta nocte, manifeſte minor etiam quarto die erat. Quo rurſus quoque ad eundẽ modum homine cibato, aduertimus tum illo die toto, tum q̃ hunc ſecuta eſt quinta nocte magnitudinem remittere, ſic vt quinto die liquido plane appareret minor eſſe febris quã ante. Itaque ad portionem minuentis ſe febris, vrinæ quoq; concoctio præceſſerat. Eratque haud obſcurum ſeptimo (id quod factum eſt) finiendã. Hanc igitur plane continentem ex humorũ putredine febrẽ, & quæ aſſidue decreſceret, vidimus. Multas vero alias continentes

con-

conſpeximus, quarum aliæ creſcentes, aliæ ſimilem tenorem ſeruantes erant. Illas ἐπακμαστικὰς, has ἀκμαστικὰς vel ὁμοτόνους græci vocant. Aliæ, ceu quam modo memorauim⁹, decreſcẽtes; quas παρακμαστικὰς dicunt. Aliæ rurſus in primo die putredinis notas habuerunt, aliæ in tertio, aut certe ad ſummum quarto: idq; alias medicorum ipſorum inſcitia, qui ſanguinem non miſerant, alias laborãtium ipſorum timiditate. Siquidem eorum, qui ex ſola obſtructione febricitarent, nemo in putredinis febrem incidit qui ſanguinem prius miſerat. Quem, vbi valida virtus ſubeſt, & ætas permittit, vſque ad animi defectũ mittere expedit. Vbi horum alterum non ſatis reſpondet, tutius eſt quantum ſatius viſum fuerit, tantum principio detrahere: quod defuit, iteratione ſupplere. Etenim, hoc præſidio omiſſo, qui ita febricitant, in ſummum diſcrimen veniunt, niſi ſi eos vel virium robur vel largum ſanguinis profluuium, vel ſudor copioſus ex manifeſta pnicië eripiat. Et tamẽ nonnulli ex medicis ſunt, qui tametſi manifeſtiſſime vident naturam ſanguinis profluuio non paucos eorum qui ſic periclitentur ſeruare: tamen ſanguinis miſſionem fugiant, nullam nec experientiam nec veram rationem ſecuti. *Galenus Method. lib. 9. cap. 4.*

Observatio.

Synocho laborantis & curati, hiſtoria mira.

PRofectus ſum in Hungariam ad Baronem magni nominis, & militẽ primariũ, ſynocho laborãtem. is, quoniam (vt mos eſt febribus continuis) æſtu maximo & continuo affligebatur, ideo ſe in cellarium frigidiſſimum deportari iuſſit: ibi (quoniam caput maximopere æſtuaret) vt contraria contrariis ſuaſu quorundam curaret, glaciem minutim confractam ſindoni oblongæ iniecit, & capiti ardenti præ æſtu (idque in ipſiſſimo incremento & paroxyſmo morbi) circumuoluit tum ego ſuperueniens, hominem in cellario decumbentem, ita obligato capite inueni, & cum rem ex relatione agnouiſſem, ſummopere miratus ſum vires hominis quæ tantam hominis ἀντιπερίστασιν per complures iam horas perferre potuiſſet, abſque aliquo nocumento: erat enim corpus vere plethoricum, & ſanguineum. Quare ſtatim glaciem abiicere iuſſi, homini phlebotomiam adhibui, & conuenientia medicamenta ordinaui: atque ſic adiuuante Deo patiens periculum euaſit, & conualuit: alioquin ſtante plenitudine, & perſiſtentibus eiuſmodi topicis periturus. *Cornax Enchirid. conſult. med. lib. 2. c. 28.*

Observatio.

Frigida hauſtu exhibitione à ſynocho liberati.

NOui me, inquit Galenus, (& citatur ab Aetio) formidoloſum te ad frigidam exhibẽdam reddere. Vidiſti me tamen ſæpenumero in arte exercenda ſuo tempore, & vt oportebat, hoc vſum præſidio ægris ſemper abſque vllo prorſus nocumento profuiſſe. Sic Ruſticus quidam à me, ſynocho laborans, citra inflammationem viſcerum, atque potu aſſuetus, gelida aſſumta poſt venæ ſectionem & ſigna coctions apparentia, fuit curatus: Quemadmodum æger ipſius Amati Blanquinus (vt ipſemet narrat *Curat. 14. Centur. 4.*) etiam ſanus factus eſt, cui aqua à Medico abnegata eſſet, ad quem ipſe Amatus cum perueniſſet, & in vrina coctionis notas contemplaretur, & aquę appetentiam inexpugnabilem cum linguæ nigredine & ariditate notaret, illi gelidam ad ſatietatem conceſſit, quare ilico vomuit, & poſtea copioſiſſime ſudauit, poſt quem ſudorem ex integro febris delituit.

Sic in Mercatore Cyrino, nobili & magnifico Ioannis tertii Regis Luſitaniæ apud Antuerpiam negotiorum procuratore, ſiue Factore vt vocant: gelidam bibendam Amatus cum dediſſet, vigente ardentiſſima febre, à potu pallidam bilem euomuit, & melius habuit, vt ſanitatem recuperauerit: ita vt liberalis ille Mercator pro curatione & aquæ potũ Amato ſuo medico largitus ſit trecentos aureos ducatos. Vide eundem *3. curat. cent. 1. & ſchol. eiuſdem*, in qua de aquæ potu multa doctiſſima ex mente Hipp. & Galeni narrantur. Interim ab altera parte conſiderandum ne aquam gelidam intempeſtiue exhibeamus, ob incommoda quæ ſequi ſolent. *Foreſtus ſcholio lib. 1. obſ. 13. de febrib.*

Observatio.

De curatione febris continentis periculoſiſſima in puella octo annorum, quæ vi naturæ, nullis artis præſidiis, quum deplorata valetudinis, ob morbi & ſymtomatum ſæuitiam, habita eſſet, oborto alui fluxu liberatur.

CAtharina Reonarda, Antonii Reonardi Iuriſconſulti ac Arelatenſis iudicis, viri ſane præſtãtiſſimi & optimi filia, annorum octo, in lethalem febrem continentem, grauiſſimis & lethalibus ſymtomatis comitatam, incidit, cum ingenti delirio, vigiliis, crebris animi deliquiis, ſine cibo fere dies octo manens, omnia quæ illi darentur reiiciens, abſque medicamentis vllis, & peſſima item victus ratione vtens; quum morti iam proxima eſſet, & prorſus deploratę valetudinis, fluxu alui cum ſumma virium debilitate ſuborto, liberatur Dei voluntate, nõ artis præſidiis. *Valleriola lib. 2. obſ. med. obſeru. 6.*

Observatio.

De mirabili decretorio continentis febris per exuberantem hæmorrhagiam è naribus ſex diebus ad libras 12. & fluxu alui ingenti ſubſecuto, liberata nutu Dei iuuencula.

PLancha, nobilis iuuencula, Iacobi Ronceri Patricii Arelatenſis filia, vt moribus ſic virtute inſignis, febre continente graui corripitur: ſequitur decimo quarto decretorium, largo ſanguinis fluore è naribus manante tanto vt domus vaſa vix excipiendo ſanguini ſatis forent: pluſquam enim libras 12. ſanguinis diebus ſex emiſit, vt nullis remediis ſiſti poſſet. Inde reſtincto ſanguine, alui fluor ingens ægram corripit dies viginti: perſtat ſomno graui, ſed non tamen veternoſo oppreſſa: liberatur integre præter omnium ſpem nutu Dei. *Idem lib. 4. obſ. 8.*

Observatio.

Fridericus Comes de Hohenloe, continente febre periculoſiſſima laborans ex aqua potu in conuulſiones incidit.

GEneroſus Comes Fridericus de Hohenloe, Germanus, iuuenis albi coloris, egregie formoſus: ſtaturæ admodum proceræ, cum apud Comitem Ioannem de Aſſovven, Illuſtris Principis Auraici fratrem, & etiam fratrem ſuum Philippum Comitem de Hohenloe, Chiliarcham; vino per aliquod tempus liberalius vſus eſſet, tum equitando continuo ſe in armis exercitaſſet, vt Lochenam ciuitatem cum militibus ac equitibus cum obſidione liberaret, menſe Auguſto Anno 1582. Geertrudebergam cum veniſſet, in febrem continentem periculoſiſſimam incidit. Ad quem curandum ſtatim primo accitus fuit Franciſcus Marcellus Medicus Dordracenus amicus noſter. Sed cum ſemper æger in peius vergeret, frater eius Philippus Comes de Hohenloe ad me vna cum literis miſit, vt fratrem extreme decumbentem inuiſerem. Ad quem cum perueniſſem erat octauus dies quo continue febricitare cœperat, qui gelidam aquam noctu dieque biberet, vrina per totum morbi decurſum cruda exiſtente, in conuulſiones omnium fere muſculorum, & præcipue pectoris adeo graues incurrebat, vt ilico mori videretur, & quanquam nos inhiberemus aquæ potum, vix ab eo abſtinuit, vt eius loco ob ſitim vehementiorem aquam cinamomi, tum iulebos ſumeret. At poſtea potius beneficio fortis naturæ quam remediis, quæ admodum difficulter admittebat, paulo melius habere cœpit, medico Dordraceno nũc domum repetente, nos autem deinde per diem atque alterum apud illum egimus, quem deinde in Hagham Comitis deduximus, atq; ibidem quibuſdam adhibitis aptis remediis ſanus factus eſt. Hæc paulo latius de aquæ gelidæ potu in febribus ſynochis, ne opus ſit hæc ipſa in ardentibus ac aliis febribus continentibus repetere. *Foreſtus ſchol. ad obſeruat. 13. lib. 1. de Febrib.*

DE FEBRIBVS ARDENTIBVS & cauſo.

OBSERVATIO.

Ardentem febrem, quo pacto frigida exhauſta extinguat.

APud Galenum legimus (& in Italia quotidie æſtatis tempore vidimus) plurimos ardentibus febrib. laborãtes ex liberaliſſimo frigidiſſimæ aquæ potu à febri hoc modo liberari. Non modo vidi, ſed etiam auctor nonnullis fui vt ita facerent. Ex omnibus quos iuſſi ne vnus quidem non eſt per vomitum largæ bilis flauæ & putridæ: vel per copioſum ſudorem: vel per vtramque vacuationem liberatus. Oportet autem tunc iubere cum apparet in vrinis coctio, & natura viciſſe aliquo modo morbi cauſam cernitur. Non ſuccedit tamen res, niſi multam omnino bibant: tantam ſcilicet, quæ oneri & moleſtiæ eſſe queat. *Eraſtus Explicat. quæſt. 2. de purg. med. facult.*

OBSERVATIO.

Serpentum in febribus ardentibus vſus.

PRimum in iis (ſerpentibus) quos Gallia noſtra profert maximum ineſſe frigus experimur, ſi manibus tractentur, idque in media etiam æſtate: quod bona fide affirmare poſſum. Memini enim, cum aliquando ſub finem menſis Iulii febre ardenti decũberem, eſſe quendam ex amicis, qui, vt à maximo æſtu, quem in manibus percipiebam, me liberaret, ſerpentem inſigni magnitudine & longitudine obtulerat, quem perpetuo inſtar glaciei frigidum eſſe ſentiebam, etiamſi continuo manibus tractarem, & in lecto voluens & reuoluens eum calefacere conarer, id quod quotidie experiri licet. *Greuinus lib. 1. cap. 2. de Venenis.*

OBSERVATIO.

Ex febri ardenti fœmina cum phrenitide mortua.

ANno 1567. menſe Iunio, Ambergæ Palatinatũ ſuperiori mulier quædam, quæ acu ſibi victum quærebat, ex ingenti animi mœrore, febri ardenti cum capitis dolore, cui ex ſanguine eſſe, ridebat, iocabatur, cantabat, omnibuſque geſtibus hilaritatem exprimebat: interim ad interrogata reſponſum dedit, aliquando non. frequenter manum capiti, tanquam iſthic dolorem perſentiſceret, admouit. tempeſtiue fuit leuibus medicamentis purgata, & vena illi ſecta, ſanguis erat maiori ex parte pituitoſus, crudus & ſeroſus. tandem reſipuit, & paulo poſt animã expirauit. Aperui caput, dum ſerra craneum remouebam, effluxit aqua loturæ carnium ſimilis. tenuis membrana & plexus choroidis vaſa aquoſo & pituitoſo ſanguine turgebant. Vterque ventriculus tam dexter, quam ſiniſter plenus aqua fuit inuẽtus. nullam nec in membranis, nec in cerebri ſubſtantia deprehendere quiui inflammationem. Ex ſinubus duræ membranæ cerebri, vt alias ex ſuſpendio enecatorum cerebris, extraxi fibras ſiue filamenta craſſa, lumbricis non diſſimilia, ex alba pituita conflata, ſimiles ſumſi ex cordis ventriculis. Huic accidiſſe opinor, quod multi medici & præcipue barbitonſores in Hermania, anatomiæ prorſus ignari, qui febri maligna cum lenticulis, preterito anno ſatis vulgari, quam Vngaricum appellant morbum, extinctos aperuerunt, tam principibus, quam ſtulto vulgo, in hoc morbo cerebrum putrefieri, atque ex ea putredine in cerebro vermes generari, perſuaſerint. dant itaque his ægris allium & olfaciendum & comedendum, tanquam vermibus lethale venenum. *Coiter. obſeruat. anatom. & chirurg. pag. 110.*

OBSERVATIO.

Ex intempeſtiua & larga venæ ſectione mulier plethorica febrim ardentem incidit, ex qua ægerrime docti medici conſilio liberari potuit.

MVlierem vidimus, quæ cum plenìori & obeſo eſſet corpore, & in ardeſcentem incidiſſet febrem, vſa cuiuſdam imperiti Medici conſilio, ſanguinem ex vena copioſum emiſit. Quo ſtatim grauiter afflictata, in multo deteriorem prolapſa eſt valetudinem. Nam vt in tenuioribus magis ſanguis ita & in plenioribus caro abundat. Nos igitur cũ ad mulierẽ vocati eam, ſummo in diſcrimine poſitam inueniremus, alias omnino obſeruationes adhibẽdas cenſuimus, eas videlicet, ad quas dirigi curantis conſilium debet. Quare defectam dudum virtutũ omni genere auxilii reſumo, donec corporis viribus redeuntibus materiam, quam exuberare cognou eram,

ram, medicamento deponēdam cenſeo: quod cum ex frigidioribus rebus ægrotanti exhibuiſſem, ilicò extincta eſt febris, & mulier, de cuius iam funere cogitabatur, per Dei gratiam rite curata conualuit. *Beniuenius Abditor. cap. 58.*

Vitæ Theſaurus ſanguis eſt: atque immodica idcirco eius profuſio, per quamcunque tandem partē fiat, periculoſa. Multi ex immodica profuſione mortui ſunt, qui vero in vita ſeruati ſæpenumero in hydropem inciderunt: refrigerato ſcilicet iecinore, & naturalibus facultatibus labefactatis. *Dodonæus ſcholio ad modo citatum caput.*

Observatio.

Ab ardente febri & lenta, ſubortis exanthematibus, atque hypochondriorum tumore, ſubſequente denique deiectione purulenta inſtar atheromatum, liberatur æger.

Nobilis adoleſcens ann. 15. Baro Deſſaube, Prouincialis, molliter educatus, deinde ad Aulam translatus, febre ardente correptus eſt, deinde lenta. Ortis exanthematibus tumuit ab vtroque hypochondrio, & velut materiam purulētam ſeorſim ab excrementis alui, & aliquando ante alui excrementa reddidit. Erat autem qualis eſt materia atheromatis. Quæſitum vnde prodiret. Nam ab abſceſſu credebatur. Alii pituitam eſſe à crebro, alii ab inteſtinis autumabant. Sed quia nihil madebat, nec iniecto clyſtere ſenſus vllus doloris erat, & pituita tantum detergebatur, veriſimilior ſententia putauit abſceſſum eſſe in inferiore meſenterio. Data viſceribus quæ molliant, & leuiter diſcutiant. Atque cum clyſteribus non iuuaretur abſceſſus, vſus fuit conuenientiſſimus apozematum ſolutiuorū terebinthinæ, pilul. ex hiera picra & aloe, dataque hæc ad drach. ß. iuſto effectu. Imperatum decoctum ligni ſancti. Conſultum viribus. Deſiit pus excerni: manſit tenſio in dextro hypochondrio: & febricula poſt retentum pus, non à medicamento, ſed à reliquis obſtructionibus. Imperatum eſt catharcticum è ſyrupo de cichor. compoſ. cum rhabarbaro, & decocto radic. oxalidis & gran. conualuit. *Hollerius lib. proprio obſeruat. num. 19.*

Observatio.

Mulier calidiſſimi temperamenti ex cauſo febre in mirabile delirium incidens, cum graui ſyncopa, vt moribunda putaretur, curatur magno labore.

Margareta honeſtiſſima ac prudentiſſima mulier, Iacobi Anfoſii ciuis Arelatēſis honoratiſſimi honoratiſſima coniunx, cauſo febre acutiſſima corripitur, cū linguæ nigredine, ſiti intolerabili, anxietate maxima, delirioque graui, dies totos tres vexata. Putans enim ſe in enixu eſſe, validis clamoribus & conatibus ſeſe exagitans, ac ſi paritura eſſet, defecit fere, virium repentina conciſione & in ſyncopem delapſa, à qua vix reſurgere poterat, & plures horas ſine pulſu manens, moritura putabatur. Tandem decimo quarto die ſoluta ſponte aluo, & & ſudore copioſo manante, liberata fuit præter omnem expectationem. *Valleriola lib. 6. obſ. 8.*

* *
*

Observatio.

Ardenti febre, cauſo dicta, cum frequenti delirio detentus, ſola natationis, quam ardenter expetebat, imaginatione curatus eſt.

Quidam ex noſtris, cum decumberet cauſonizās, & frequenti delirio, obnixiſſime poſtularet, concedi ſibi natationem in ſtagno illo (monſtrabat autem pauimentum) conſtare enim ſibi aiebat ſtatim ab ea natatione conualiturum ſe, & febre liberandum: tandem conſulente medico permiſſus eſt, cumque poſt aliquantum ſpatium crebro cum ſumma iucunditate ſupra pauimentum domus volueretur, aiebat iam ſibi aquam accedere ad genua, optare ſe tamen vt ſurſum conſcenderet. Paulo poſt lætior, iam, inquit, attingit inguina: ita aſcendente iuxta imaginationis concepta paulatim ad guttur vſque aqua, hilari facie geſtiebat, pronunciabatque ſe ſanum iam factum, febreque liberatum. Opinor, imaginatio & per ſomnia & delirantibus obiecta maiora proponit, quam ipſa ſint. Expetebat frigidū continens febris in viſceribus ardens: id continens appellabat ſtagnum frigidæ, non ſecus, quam pituitam guſtans, per ſomnium putat ſemel edere: cumque ex volutatione in pauimento paulatim à pedibus refrigeſceret, fingebat aquam per crura cōſcendere vſque ad integram ſanitatem. *Thomas à Veiga comment. ad 84. cap. art. med. Gal.*

Observatio.

Puer cauſo mortuus, diſſectus, ſoliti pericardii humoris expers ſpectatus.

Patauii puer quidam, famulus germanus, frequēti fictum cibo ſcirrhum contraxit iecoris, nec longe poſt in febrim ardentiſſimam incidens, die perit critico. Eius diſſecādi cadaueris mihi facta copia: aperto abdomine, exta in fœtida natare aqua, ſiccus thorax, pericardium expers aquæ, maximo & continuo cordis æſtu depaſtæ, corrugatum conſpiciebatur. *De obſeru. Ioannis Ieſſenii à Ieſſen, per Clar. V. Laur. Scholtzium ad me miſſis.*

Observatio.

Puella quadrima nimio Clareti & Melicrati vſu Cauſone obiit.

Habui ſororem puellam, Auguſtillam nomine, 4. annorum, cui eques quidam dederat Claretum & Melicratum, quod cum bibiſſet, Cauſone correpta eſt, & ſeptima die obiit. Nam pater cum eodem equite ad Comitem de Hoiha proficiſceba-tur, vnde, cum rediit, mortuam filiam reperit. *Adamus Lonicerus, in explicat. morb. pag. 59.*

DE FEBRIBVS ACVTIS ET diuturnis.

Observatio.

Febribus acutis corripi ſolitus, euacuationibus annuis præſeruatus.

Quidam, nomine Baron dean, tempore æſtiuo ſemper febribus acutis corripiebatur: Sed multis iam annis non febricitauit, quoniam per venæ ſectionem circa principium aut medium Veris anticipauit: cui ſingulis annis ſingulæ purgationes abunde

abunde medebantur. *Symph. Campegius Enarratione hiſt.9.lib.3.camporum.Galeni.*

Observatio.

Pedis phlegmone negligenter tractata, ſubortaque acutiſſima febre, ager in tantum diſcrimen venit, vt de pede amputando deliberaretur: qui tandem debitis remediis, & ex arte adminiſtratis, circa ſectionem reſtituitur.

VOcatus eram aliquando Retium, (Auſtriæ inferioris id oppidum eſt) ad Comitem quendã Bohemum, virum inſigni robore corporis præditũ, procerum, quadratę & veræ muſculoſæ conſtitutionis, prælongam cæſariem habentem. Is tum ex grauiſſima phlegmone pedis iã in itinere hulcerati, nõ ſine periculo decumbebat: ita quod iam à chirurgo præſente, non ignauo ſane, timidiuſculo tamen & interiorum affectionum imperito, conſtitutum eſſet in craſtinum de pede reſecando. Eum Comitem cum acceſſiſſem, primo (rem audi quæſo miram, & topicum minime medicum) vir ſtatura inſigniter magna, barba denſa aliquantiſper caneſcente, in lectulo prope feneſtram erectius ſedebat, eo modo magis conſpicuus: huic ante totum caput lotum ac perlitum erat ſinapi trita, quæ per Bohemiam tanquam acetarium ad cibos apponitur: Italis muſtarda dicta. Capillitium ergo totum illa muſtarda imbutum, circumquaque caput in altum prominebat & caput alioquin magnum, longe maius faciebat; atque adeo Gorgonis cuiuſdam caput repræſentabat: toruum præterea & triſte tuebatur patiens: ad cuius ſane obtutum (vt verum fatear) vehementer obſtupui. Interea porrecta manu, felicitatẽ illi precatus, alterum prope aſtantem Baronem, mihi probe notum, alloquor: Quænam quæſo eſt ratio huius tam horrẽdi capitis? quale nam hoc eſt capillitium? Ibi Baro enarrare cœpit rem geſtam omnem: apud populares ſuos ita in more poſitum, vt ægrotis, de apoplexia metuentibus, eiuſmodi illinitiones capitibus adhiberentur, in cautelam: præterea, vt patientes quotidie vbere ſinapi veſcerentur: ita enim futurum, ne quidpiam ab apoplexia pertimeſcerent, idque conſilii ab expertis medicis (ſcilicet empiricis) in vſum tranſlatum, dominum Comitem ſequutũ eſſe. Ego vero hũc errorem ridens, & tam ridiculum atque topicum execratus, pulſum patientis exploraui: & cum hominem acriter febrire deprehendiſſem, magnam deniq; vidiſſem adeſſe capitis plenitudinem & calorem, atq; iam ob male applicatum topicum prauam victus rationem, febrim deniq; acutam, mentis inſtare alienationem: ſubito iuſſi nouacula cæſariem totã amouere, caput abluere, paulo poſt venam incidere, copioſe ſanguinem extrahere: deinde progreſſu temporis, ordinatis iis quæ ad diœtam ſpectabant, & febris curationem: adhibita tandem omni diligentia in hulcere mundificando & ſolidando, hominem Dei auxilio ſanitati reſtitui: & vtroque pede ſaluum domum dimiſi. *Cornax Enchiridii conſultat.med.lib.2.c.28.*

Observatio.

In acuta febre poſt variorum & malignorum excretionem parotides tardius apparentes lethale.

VIdi qui in acuta febre vtroque contento hypochondrio plurima per aluum deiecerit, nigra, porracea, crueta, flaua, grauiter olentia. Eidem breuis interdũ cataphora, leuis ſurditas, temporarium delirium, à quibus parotides expectabantur. Ad 27. dolor ſub auribus, vnde magis illæ ſperabantur. Verum per imbecillitatem naturę recurrente materia, orta graui ſpirandi difficultate mortuus eſt 30.

In altero quoque eadem omnia & grauiora quoque, ſingultus, animi deliquium, frequens mutitas, pulſus deficiens: ſub 30 leui parotidum ſignificatione edita, & orta ſpirandi difficultate, alteri ſimiliter obiit. Vtrique diſſecto omnia viſcera marcore confecta & abſceſſu putria inuenta ſunt. *Hollerius comm. 2.ad aph.17.ſect.2.Coac.Hipp.*

Observatio.

Diuturnis febribus laborantium curatio mira.

REcitabo hiſtoriam veram. Auriga quidam non paucos febre diuturna febricitantes, aut alias male affectos, hauſtũ vini exhibito, in quo manip. ſalis prius diſſoluiſſet, liberauit. Per vomitum & deiectionem purgati ſunt magna cum violentia, qui hauſerunt. Quidam à diuturno capitis dolore, & febribus tertianis nothis, poſtquam diu eas ſuſtinuiſſent, hac ratione conualuere. Sed multi alii, quibus intempeſtiue exhibitum fuiſſet pharmacum, aut debiliores extitiſſent, grauiſſime hinc offenſi fuerunt. Nonnulli etiam ob eam cauſam, vt videbatur, interierunt. *Eraſtus Explicat. quæſtio. de purgat. medic. facultat.*

Observatio.

Specificum ad diuturnas febres.

OLeum ſcorpionum Germanicorum, noſtrum: ad diuturnas febres ſpecificum. Scorpiones triginta vel plures, hyeme laurino oleo, æſtate oleo nucum tantiſper immacerato, dum diſſoluãtur: deinceps diſtento linimenti in modum. Quo ante paroxyſmum, omnibus in febribus longis, præmiſſa euacuatione, dorſi ſpina, pulſus item & tempora liniantur. In quartana primum fricetur ſpina dorſi, demum ad latitudinem trium digitorum inungatur *Ex archiuis, Schenckius filius.*

Observatio.

In conclamata febre aqua vitæ exhibita, calidũ vinoque conceſſũ, ſanitas ſubſecuta.

QVidam Medicus in vomitu, fluxu, & intenſa febre ægro derelicto à Medicis & iamiam morituro dedit vnc. iij. aqu. vitæ & ita mutata diæta de frigido in calidum ſumptis cibis, & vino odorato, interpolatis horis, reſtitutus, intra triduum conualuit. *Solenander ſect.v.conſ.15.*

Non abſimilis curatio fuerit, quæ piperino oleo, & caryophillorum, peragitur. Empyricum etiam ex manuſcripto remedium, his affine eſt: Paroxyſmo ineunte, duo ternaue cochlearia ex aqua Vrticæ vrentis ſtillatitia ebibuntur; & æger calide integitur. Deinceps prima quam æger inde reddit, vrina, in aquã feruidam bullientem immittitur.

Similitudinis & ſympathiæ lex atque analogia inde dependet.

* * *

Obser-

OBSERVATIO.

Febricitans, cuius Epar, ob vſum nimis calidorum, diſruptum eſt.

AVrifaber habebat miniſtrum Colonięſem macilentum & longæ ſtaturę, qui incidit in febrim ſatis acutam. Monitus igitur à ſuis ſodalibus accepit vinum Maluaticum cum zinzibere & aliis aromatibus ad prouocandum ſudorem, ſed cum ex hoc leui ſudore parum iuuaretur, monitus ab iiſdem accipit Theriacam, & intrauit balneum, vt magis poſteà prouocaret ſudorem: quod & ſecundo fecit. Sed res ſemper ceſſit in deterius. Vocatus eſt igitur D. Hieronymus Heroldus, & ego tandem: adhibuimus refrigerantia, & omnia quæ poſſunt moderare illum æſtum, ſed fruſtra. Et ita intra paucos dies exhalauit animam. Secuimus igitur corpus: Epar ex nimia illa caliditate combuſtum fere inuentum, ita vt haberet quatuor rimas in gibbo. (Es war an vier orthen vor Hitz auffgeſprungen) *De obſeruat. D. Ioan. Heſſi, per Cl. Ioach. Camerarium mihi communicatis.*

DE FEBRIBVS TERtianis.

OBSERVATIO.

Tertiana triginta annis mulier affecta.

SCribis in Aula Illuſtriſſ. Principis Erici Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducis honeſtam eſſe Matronam, annos natam ſexaginta aut paulo minus, quæ tertiana febre annos triginta detenta ſit, ità tamen vt cum infebricitationis tempore ſingula munia obire & exequi poſſit, de tertio in tertium certa atque ſtatuta hora horrere leuiter incipiat, cum quadam pandiculatione, vt vocant, quam poſt tres horas leuis excipiat ſudor, cũ non admodũ acri calore. Atque ideo potiſſimum mirandum aſſeris, quod in tam prouecta ætate, tantum bilioſæ materiæ haudquaquam reliquum eſſe exiſtimes, vt talem ac tam diuturnam febrem poſſit accendere. *Balduinus Ronſeius Epiſt. 13.*

OBSERVATIO.

Tertiana non exquiſita Hiſtoria.

MEdium erat anni tempus inter Vergiliarum occaſum, & quod hunc anteceſſerat æquinoctium: in quo adoleſcentem circa fere ipſam aurorã febris cum horrore corripuerat: quæ neque in calore, neque in pulſibus, tertianę ſimilis eſſe videbatur. imo nec vomitus bilioſus ſequutus eſt, nec multus ſudor: poſtridie vero ad horam circiter tertiam paucus exit mador, cum quo & febris euanuit: ſed adeo ſenſim, vt circa veſperam vix febris expers æger videretur: nimirum relicto tunc in pulſibus euidente admodum febris ſigno. Verum reliqua circa idem tempus, ac per totam noctem, facile omnino æger ferebat. Rurſus vero circa tertii diei auroram, ſecunda acceſſio priori in omnibus, preterquam tempore, ſimilis rediit: ſequente enim nocte paulo ante lucem, exhalato vapore, febris deceſſit: circa quarti diei auroram, & reliquo toto autumno, ac hyeme, quo tempore ęgrotauit, tum reliqua omnia, tum acceſſionis & ſolutionis febris tempus, eadem permãſeruat. Adoleſcens autem annos plus minus octodecim natus erat: aſpectu albus, ac pinguis, vitæ deditus otioſiori, prius crebris tum crapulis, tum lauationibus vſus, ac ſatietatibus: proinde cibos improbe cõcoquebat. Acceſſit vero & huic pulſus duritiés, mediocris quidem in primo & ſecundo die, in tertio vero & quarto & ſequentibus vſque ad ſeptimum ad tantam peruenit duritiem, vt ſi quis ſolo pulſui crediđiſſet, multorum eſſe menſium ægritudinem putaſſet: ac tališ permanſit vſque ad vernum æquinoctium: in quo primũ molleſcere cœpit. Poſtea rurſus quadrageſimo die ab hac tertiana prorſus liberatus eſt, paulatim pulſu emolleſcẽte, & acceſſione decreſcente: vrinisque probum quod deſidet habentibus, quæ prius vehementer crude omnes erant. hæc quidem certe maxime contraria eſt exquiſitæ tertianæ. *Galen. li. 2. ad Glaucon. pag. 91.*

OBSERVATIO.

An maculæ purpureæ in intermittentibus febribus præſertim tertianis apparentes perpetuo periculum portendant.

VVlgo, cum in febribus purpureæ maculæ apparent, præſentaneum vitæ periculum adeſſe putatur. In quo tamen iudicio multi falluntur. Etenim obſeruaui non ſolum in acutis febribus tales maculas cum periculi metu apparere, ſed & abſque periculo in intermittentibus febribus, & præſertim tertianis, & profluuiis ſanguinis narium nulla preſente febre. Quin etiam in tertianis ſalutaribus notaui aliquoties maculas quaſdam non diſſimiles iis, quas vrticæ folia cuti affricta excitãt. Has barbari eſſeras videntur appellare. At eaſdem cuidam inſigni Nobili ſingulis fere menſibus accidere in toto corpore, cum febrili acceſſione, qualis Eryſipelatum exortui adiũgi ſolet, animaduerti, nullo ſubſequẽte inſigni damno. Itaque non ipſæ maculę purpureæ per ſe periculum aliquod magnum portendũt, ſed tales fere ſunt, quales ſunt affectus à quibus procedunt. Etenim virginem quandam nobilem ex familia Ridteſeliorum celebri oriundam olim aduerti, apparentibus his maculis purpureis, preter omnium opinionem diem ſuum obiiſſe, quod à maligno morbo, qui tumorem ventris diuturnum nullo ingenio medicabilem excitarat, eæ prodiiſſent. Cæterum vidi etiam Eichſtadii puellam duodecim annos natã, cui calore in corpore repente excitato in toto ventre, tum etiam in membris exterioribus puſtulæ ſeu potius veſicæ rubicundæ exoriebantur, ex quibus apertis ſanguis purus deſtillabat. Quæ temperato victu adhibito reualuit, nullum euidens vitæ periculum perſentiſcens. *Clar. V. Iacobus Oethaus, de obſeruat. prop.*

OBSERVATIO.

In tertiana continua critice ſoluta, hæmorrhagia ingens narium oborta, præterea tres lapilli vomitu eiecit.

ESaias Iuncker Wetteranus, cum per aliquot ſeptimanas febri laboraſſet, cõtinua tertiana, natura morbũ iudicatura, narium hæmorrhagiã (quæ & alias ipſi familiaris erat) adeo profuſam excitauit, vt intra paucos dies multæ ſanguinis libræ è naribus emanarent: vltimo, ſpontaneo concitatus vomitu, tres lapillos, triangularis formæ phaſioli ſeu ſmilacis hortenſis magnitudinem æquiparantes, colore

colore croceos, quales boum fellibus reperiri obſeruatum eſt, reiecit, ac confeſtim melius habere cœpit, quos penes manus in præſentiarum non habeo, alias perquam lubens miſſurus. *Ex literis D. Petri Spehrerii, 26. Decembr. Anno 1591. Aſchaffenburgo Friburgum ad nos datis.*

Obſervatio.

Aeſtiua tertiana annuis purgationibus ſublata.

QVidam æſtiuo tempore ſemper tertiana corripi ſolitus, iam annos multos febrem non eſt expertus, bile pallida per nos ſub veris finem præpurgata. Tum enim tales vacuari multo præſtat. *Galen. comment. ad aphor. 47. lib. 6. Hipp.*

Obſervatio.

Thermarum hauſtu quidam à tertiana & continua liberatus.

EST apud Forenſes in vrbicula, qui Sanctus Baldomerus dicitur, alius fons, admiratione omnium digniſſimus: Nam quod aquam in primis decet cum argento electroue puriſſimo de claritate contendit, cum vino robore fortitudineque peracri, vnde fons fortis appellatur ab incolis, decertat: & largiflua abundantique ſcaturigine cedit profecto nemini. Verum vt iam ex infinitis eius virtutibus aliquot enumerem, ab ima fontis profunditate ad aquæ ſuperficiem, aſſidue atque inceſſanter exoriuntur bullulæ, quæ vix enatæ ſubito franguntur. A qua hæc fermenti vicem tenere cernitur, eiuſque vim habere, ſic ea pinſitur panis. Quid, quod cum bibitur, vinum apparet guſtui quam optimum: ebibita vero ſui, id eſt aquæ ſaporem relinquit? Mirum profecto hoc eſt: verum longe multoque mirabilius, quod non equidem auditu tantum, ſed experimento quoque habeo cognitum. Huius hauſtu bis febre leuatus ſum, tertiana primum, deinde continua: idcirco quod antea cum audirem, vix credere potueram: cum expertus fuiſſem, perfecta ſciui: permultaque alia, vt crederem, mihi perſuaſit, quæ de fluuiis fontibusque ac lacubus ab optimis ſcriptoribus ſcripta leguntur. *Symph. Campegius Enarrat. hiſtor. 7. lib. 3. Galeni camporum.*

Obſervatio.

Hiſtoria tertianarii curati fallacia quadam, qui imaginationis vi propemodum perierat.

ERat iuuenis, habitu gracili, ſicco temperamento, laborans tertiana: cumque poſt aliquot dies abire Sōdinum decreuiſſem (nam in rure erat) ei dicturus acceſſi, quæ me diſcedente agere deberet. Cumq; finem ſermoni impoſuiſſem, tu (inquit) diſcedis, quia me moriturum certo coniicis. Cumque iureiurando contrarium oſtendiſſem, repente in lecto ſedens, veſtem & calceos petiuit. Quid, inquam cum iſtis agere vis? ſurgere, inquit, an me meis pedibus ſuſtinere valeam, quod ſi hoc detur abii. Cumq; ſurgens in feneſtram, quæ in virides campos ac late patentes proſpectum habebat, conceſſiſſet, intuens, animi deliquio captus eſt. Cumque in lectum portaretur, parumque requieuiſſet, lachrymis obortis: Domine (inquit) Brude nonne tibi dixi quia morior. Cumq; vxorem, clientes & amicos conuocaſſet, omnibus aſtātibus dixit: ſcitis amici morior, medicus abire vult, vt me morientem nō videat. Cumque ei obieciſſem, quid, (inquam) dabis mihi, ſi te ab hoc morbo liberum reddam? Repente miro animi affectu commotus, Pete (inquit) non minus dabo quam poſtulabis. Cumque peterem dedita opera aliquot aureos: parum (inquit) petiiſti, allato ſcrinio numerauit pecunias. Quia (inquam) ſtatim ſoluiſti liberalis viri functus officio, non te relinquam prius, quam ad rus cōcedas & perdices & phaſianos aliquot ex tua venatione mecum in domum portē. Hoc audito clamauit, ſanus ſum. Cumque aperte perſpexiſſem hominem acri præditum imaginatione, vt qui modo mortuum ſe eſſe putabat, nunc ſe ſanum fateatur, pectore hæc verſans, modum quo hominem à tertiana liberarem inueni. Die ſequenti cum febris hora decima eum inuaſura eſſet, nocte ante habito cum vxore & clientibus conſilio: iuſſi vt omnes feneſtræ ad horam nonam aperirentur (aperiebantur enim ad horam ſextam) treſq; horas hero ſuffurarentur. Cumq; hoc ita decretum eſſet, manę omnes ex conſulto nō intrarunt in cubiculū. Cumque vxorem hora octaua vocaſſet, Quota, inquit, hora eſt: illa quintam dicens, dormireq; eum iubens abiit. Hora tranſacta, clientem vocans, cum ab eo accepiſſet, horam eſſe ſextam, quiete egit, poſt horá, quam ſeptimam exiſtimabat acceſſi. Cumq; horam in ſermonibus traxiſſemus, precor, inquam, domine Culpepare duas horas quæ ante paroxyſmum ſuperſunt ad aleā teramus. Cumq; annuiſſet, luſimus hora vna. Cumque vxor eius rem riſu diſſimulare non poſſet, rem omnem homini pandimus. Meridiemque iam eſſe, duáſque horas poſt paroxyſmi tempus, & ita ſanatus eſt. *Brudus Luſitanus de victu febricitant. lib. 3. cap. 18.*

Obſervatio.

In tertianæ ſimplicis & exquiſitæ acceſſione, nimio veſtium operimento intra triborium mortui.

NOn pauci iuuenes atq; robuſti in tertianæ ſimplicis & exquiſitæ acceſſione trium horarum ſpatio, ab iis qui cauſam ſolam intuerentur, veſtibus multis extincti, & ſiti, & ſudoribus exhauſti fuere. *Fernelius method. curand. febrium general.*

Obſervatio.

Bilioſus, ſexagenarius, à tertiana cachecticus factus, recidiuam incurrit, cum frequenti vomitu, qui tandem tabe confectus extinctus eſt: cadauere diſſecto. deprehenſa eſt interior ventriculi tunica, non ſine veneni ſuſpicione, exeſa.

CAmillus Facinus, temperamento bilioſo prędictus, ætatis ſuæ anno quinqageſimonono tertiana febre laborauit, qua extincta, male coloratus cū manifeſto lienis tumore atque hepatis obſtructione remanſit, & ita valetudinarius inordinato regimine vitæ vſus, rurſus in febrem incidit, ad malum habitum corporis deductus, in cuius inuaſione paroxyſmi euomere cœpit, ſicque tertia die poſt cibi aſſumptionem per horas tres vel quatuor cibum & potum maxima pituitæ copia permixtum euomuit, quod & ſingula quaq; die poſtea fecit, donec occubuit, nec minus ad trium librarum pondus pituitæ

euome-

euomebat qualibet vice, multoties ad quinque aſcendebat librarum pondus, quo tempore nunquã per inferiora quicq̃ excreuit, & ſi clyſteres acres & mites quoque ingeſti fuerint, ac per ſuperiora ſoluentia medicamenta ſorbſerit, quę tamen euomuit: interim de dolore circa fundum ventriculi conquerebatur, ſicque ad quartum vſque diem bis quotidie euomendo perſeuerant vitam cum morte commutauit. Cadauer à nobis diſſectum, annuentibus filio, vxore & hæredibus, atque in ima ventriculi regione, iuxta os infernum, pyloron dicunt, tunicam exeſam adinuenimus, quod mali cauſam fuiſſe non dubitauimus. Cum vero in ægro iſto plurima pituita in vniuerſi corporis venis reperiretur, cumq; corpus ex cibis ingeſtis nutriri nequiret, factum puto, quod natura, quæ ſemper de animalis conſeruatione ſolicita eſt, huius pituitæ partem ſingulis diebus à venis ad hepar ipſum & ventriculum deriuarit, vti probe confecta, & in ſanguinem conuerſa alimentum animali ſuppeditaret, quod fieri cum nequiret, vna cum cibo tanquam onus aggrauans extrudebatur cum cibariis per vomitum. quod vero ita ſe res habuerit, mira breui tempore corporeæ molis conſumtio arguit. Abraſionem vero illam in ventriculo repertam ex veneno propinato proueniſſe contendebat filius, id argumentis etiam non leuibus externis coniiciens. nos ab humoribus erodentibus & acribus factum fuiſſe credebamus: memineramus etiam apud *Gal.* legiſſe *de atra bile cap.3.* quibus corporis partibus pura impermixtaque adhæſerit atra bilis, eas prorſus exedendo vlcerare, quod & ſalſam acremq; pituitã efficere poſſe teſtatur idẽ *Gal. 6.epid. com.3.part.18.* q̃ pariter ex bile prouenire poſſe teſtis eſt *Hip.3.Epid.com.1.* Quinimo humores iſtos omnes mala qualitate venenata atque maligna præditi, ad partem aliquam delati, non ſolum exedere, & vlcerare, ſed etiam breuiſſimo tempore mortificare poſſe ſuadet ratio, & experientia plurima commonſtrat. *Marcellus Donatus hiſtor. mirab.4.cap.3.*

Observatio.

Plethoricus, crebris vomitionibus, quibus affici ſolebat, ſuppreßis, inſtar exquiſitæ tertianæ rigoribus ſæpe concuſſus, tandem tertiana vera infeſtatus eſt, quæ in paralyſim trãſiens ægrum necauit: aperto corpore, bilis ſyncera libræ pondere intra membranas hepatis coaceruata deprehenſa, parte eius ad ſpinæ neruos detruſa, vnde paralyſis profecta.

Vir quidam ingenuus, ætate florente, epulans liberaliter, quotidianæ vomitioni balioſæ iam dudũ fuerat obnoxius. Hac repente ſuppreſſa, ventriculi vehemens dolor prehendit cũ nauſea & tuſſi inani. Huic mox cœpit corpus citra febrem vllam vehementi rigore, tanquam inuadente exquiſita tertiana, ex interuallis quotidie ſupra vicies concuti. Exactis diebus circiter quindecim, putreſcente iam bile, tertiana febre corripitur, qua multis poſt diebus, ſoluta, reſolutio inſequitur omnium partium quæ ſunt ſub capite, nec multo poſt interitus. Corpore diſſecto tam multorum affectuum cauſam deprehendimus, bilem ſynceram eamque praſſinam circum iecoris caua libræ pondo membranis coercitam, & cuius iam portio in ſpinæ neruos obrepſerat. Non paucos dein non admodum diſſimiliter affici notauimus: quorum exemplo intelligi poteſt, rigorem modo ſine febre, modo cum febre interdum ex præcordiis ſuſcitari, intermittentis quoque febris fomitem in iiſdem locis contineri. Id ex his quoque conficitur, quæ ſæpe fieri obſeruauimus; tertianam diuturnam atque quartanam in atrocem cruciatum colico immaniorem diſinere, qui nonnunquam & in artuum dolores, & in paralyſin faceſſit. Hic dolor ſine febre eſt, fere tamen conſueto acceſſionis tempore exacuitur & excandeſcit, priſtinumque circuitum retinet. Vix niſi bilis vacuatione miteſcit, quam conſtat vt doloris ita & febris cauſam fuiſſe: depellitur enim è præcordiis & viſceribus in peritonęi inteſtinorumq; membranas, eo argumento, quod & febris & ſitis & inappetentia miteſcunt ſuborto dolore. Itaque vt doloris circa peritonæum & inteſtina, ita intermittentis febris ſedes eſt circa viſcera & præcordia. *Fernelius lib.4.de febribus.cap.10.*

Observatio.

Ex tertiana in ſoporem verſus, qui in vigilias & mortem ceſſauit.

Brito quidam nobilis correptus febre tertiana, in prima acceſſione ſumma viriũ imbecillitate laborauit, vt videretur mori. Tertio die in ſecunda acceſſione eodẽ modo habuit. Somnolentus in vtraque, vt vix ſomno poſſet prohiberi. Aliis acceſſionibus vigil, neque ad ſomnum verti potuit. Sexta mortuus eſt. Adhibita etiam initio fuerant remedia quæ vim vitalem ſuſtinerent. *Hollerius obſeruat.25. libro proprio.*

Observatio.

Sudor copioſus in febre tertiana ante paroxyſmum erumpens.

Nobilis quidam in Turgauia Heluetiæ prædiues, ob inordinatiſſimam victus rationem in tertianam notham inciderat, pene omni ex parte à craſſa pituita ortam. Is ante rigorem & paroxyſmi horam ſemper ſudabat copioſiſſime: poſt ſudorem ſequutus eſt cum vomitu rigor; rigorem vero calor ſatis vehemens cum capitis magno dolore. Huic principio minoratiuum cum caſſia, rhabarbaro & ſpeciebus hieræ exhibui: poſtea ſyrupum digerentem, oxymel ſimplex &c. & venam hepaticam ſecari iuſſi. Hodie, cum hæc ſcribo, dies paroxyſmi erat, at febris eum penitus reliquit, cras medicinam laxantem exhibiturus. Hæc ad te ſcribo prolixius, vt à te cognoſcam num quid de eiuſmodi tertiana aut audieris aut legeris, in qua ſudor copioſiſſimus in omni paroxyſmo rigorem præceſſerit. *Ex Epiſtola Medici Sangallenſis ad Clariſsimum V. Caſparum Wolphium.*

DE FEBRIBVS QVARTANIS.

TEMPVS ACCESSIONIS ET DIVturnitas, ſymtomata, metaſtaſis, tum de aliis exemplis.

Observatio.

Quartanam bis hominem corripere.

Aetius *libro 5.cap.82.Hippocrat. de hebdomadibus* citat, aſſerens, eundem hominem quartana bis non laborare, neque laboraſſe vnquam: neque la-

boraturum, ſi ſemel euaſerit. At Deus bone, quoties obſeruaui ego, eundem bis hanc febrem fuiſſe perpeſſum, plurium interceſſione annorum? Documéto ſit, præter obſcuri nominis quamplurimos, eximiæ & virtutis & nobilitatis vir Franciſcus à Los, dominus in Wiſſen: qui, licet quartanam in iuuenili exceſſiſſet, nihilominus circa annum ætatis ſuæ quinquageſimum ea denuo correptus vltra ſex laborauit menſes: ſicuti tum ipſe teſtabitur adhuc ſuperſtes, tum ego diligenter notaui, dum curationi intereſſem. Quid auté admirationis in hoc euentu? Non ego quidem inficior difficiliorem eſſe quartanæ repetitionem: propterea quod eius cauſa materialis ob ſui ſubſtantiam craſſam, viſcidam, fæculentam ac terreſtrem, longa indigeat & tarda productione. Sed eam interim quum pronunciem impoſſibilem, nulla adducor ratione. Nam affectis male viſceribus, facile regenerari poteſt paulatim tantus materiæ delinquentis cumulus, quantus ad inducendam quartanam deſideratur. Vnica enim ægritudinis perpeſſio, atque vnica materia morbificæ abſumtio, eiuſdem mali reiterationem excludere nequit. *Wier.lib.obſeruat.*

Aetius ex Hipp. ſententia retulit, enundem hominem bis quartana non capi, ſi ſemel fiat ſanus; quia contigit iuxta propriam cuiuſque hominis naturam in ætate vigoris, in qua corripi eſt neceſſe. Quam ſententiam pluribus alias reprehẽdi; quemadmodum ſoleo eos, qui aſſerunt, eundem hominem exanthematis bis non corripi, vulgus variolas & morbillos vocat. Quippe quibus cauſis ſemel accidit quartana, poterit & ſæpius obuenire; & licet inclinata ætas ſæpius redire nequeat, cætera tamen poſſunt. Non alia ratione de exanthematis diſputo. *Ferdinand. Menna Method. curand. febr. cap. 30.*

Observatio.

Nonnullos toto vitæ ſuæ tempore nunquam quartana corripi.

DAmnatur Aetii ſententia, quod omnes homines neceſſario quartana corripi dixerit, eos præſertim, quibus ad vigoris ætatem conceditur aſcẽdere: Plures enim inuenies homines, quibus nũquam obtigit quartana, ſicut nec lethargus, aſthma, pulmonis inflammatio, imo nec melancholia morbus, quæ mala declinanti ætati ſunt familiaria. 3. *Aphoriſmor.* 30. *Ferdinand. Mena. Method. curand. Febr. cap.* 30.

Observatio.

Quartana fœtui in vtero materno congenita.

QVartanam infantes ac pueri citra vllum vitæ errorem ipſo ortu à matre contraxerunt. *Fernelius lib. 4. cap. 14. Patholog. de feb.*

Observatio.

Quartanas nonnunquam, ad quintum, ſeptimum, duodecimum, nonnunquam ad vigeſimum tertium annum durare.

QVartana exquiſita cenſeri non debet, quæ in annos duos excurrit, nec quam vidi in annos nouem perduci. *Fernelius libro quarto cap. 14. Patholog. de feb.*

Quæ rara obſeruatuq; digniſſima in febre quartana animaduerterim, hæc fere exiſtunt. Ex veterum medicorum decretis, & poſteriorum deſcriptis ſententiam adhuc inter noſtri ordinis viros preſtantes hoc ſeculo perdurare conſtat, qua hanc febrem & longiſſime in duodecimum extendi annum cenſent: ſecus autem, ipſo artis vſu, obſeruatione ſedula, & exemplorum indubitatorum teſtimonio oſtendam. Enimuero quendam agricolam nomine Hẽricum Haſſen, in Peninſula vulgo Steinsvvert dicta, ſupra Embricã ad Rhenum, quartana triginta tribus laboraſſe annis, ex eaque interiiſſe intra annos nonnullos, tam in vniuerſa illa vicinia notum eſt, vt in dubiũ minime vocari debeat: hac occaſione & in cœlibatu permanſit. Febris quandoque dies aliquot, vel hebdomadas intermittebat, vt lecto non affigeretur æger: ea tamen ſemper recurrebat. nam quæ in morbis relinquuntur, recidiuas facere conſueuerunt.

Comitem à Morual itidem quartana triginta tribus exercuit annis. Porro ſenex, aurei velleris, Burgundis noti, inſignibus donatus, poſt dies tres exſpirauit. Mortem ex gaudii magnitudine ob honorem, quo affectus fuerat, ſubſequutam ferebatur.

Dominus de Role, œconomus (ni fallor) Cæſaris Maximiliani, eius nominis primi, ea febre annis circiter octodecim laborauit ab ea autem integrum fere reſtitutus annum interiit. quod ſibi prædictum fuiſſe aiebat, mortem nimirum cõſequuturam, vbi deſiiſſet febris.

Cæterum, quem ſeptimo anno quartana enecaret, Nobilem noui: quemadmodum & Parochum, quinto anno ex ea mortuum. Quid enim vetat longioris durationis ſpatium: Perſeuerãte enim & melancholici humoris generatione, & praui victus vſu, neceſſario eiuſmodi ſequitur effectus. Neque vero ex materia ſemel tantum coaceruata talem gigni ægritudinis prolongationem ſentio: niſi quotidie noua cauſæ acceſſione locupletetur, quæ quo maior eſt, eo temporis protogatio diuturnior. Quemadmodum è diuerſo, ſi quoque cauſa minuatur, vincatur, tollaturque (quod pro eius paucitate in corporibus alioqui non tam male affectis nonnunquã poſt acceſſiones non frequentes fieri poteſt) quare in paucarum ſeptimanarum ſpatio morbus hic omnino abigi nequibit? Exemplis id comprobarem facile, ſi actionum præco dici amarem. Quare nec vllius prærogatiuæ momentum iactabundis Paracelſiſtis in eiuſmodi curationibus relinquo. *Wierus lib. obſeru.*

Maria de Cauallos, per ſeptem annos quartana laborauit: famula Principis ſororis Philippi Regis Hiſpaniæ Ioannæ nomine Catharina de Cauallos, eiuſdem ſoror quinque annos. *Ferdinand. Mena methodo febr. curand. cap. 30.*

Quendam noui (quod annotatu dignum eſſe cenſeo) famulum Delfici portus, qui per octo annos cum febre quartana laboraſſet, anno 1565. cum quadraginta annorum natus eſſet, in pleuritidem incidit, à qua cum ope diuina remediis aptis à me exhibitis euaſiſſet, poſtea 14. die à pleuritide reſtitutus cum continuo febricitaſſet, quod ſignum etiam pleuritidi proprium eſt, rurſus more ſolito eum febris quartana apprehendebat. Verum huic

conſului,ne quid contra quartanam adeo illi innatã & confirmatam tentaret, cumque multis bonis remediis hactenus adhibitis non cederet: at imperaui vt ſe quietum teneret,& bona victus ratione vteretur. At his noſtris mandatis neque conſilio ſaniori auſcultans, poſt annum cum eadem quartana adhuc affligeretur, ex empiricis illis qui ſe errones ſeu Ægyptios medicos vocant, medicamentum contra quartanam,me dehortante,accepit: ſed non diu ab exhibito medicamẽto anno 1566. cum nouẽ annis quartana laboraſſet,ſubito extinctus eſt. Huic reſiſtebat vtcunque aluus, & facilior illi in ſiniſtrũ latus decubitus erat, mirum quod in hydropem nõ deuenerit confirmatam, quanquam ventrem vtcunque tumidum habebat: facies illi ſubnigra & totum corpus liuidum, quaſi ictero nigro laboraſſet, quod illi ob ſplenis tumorem fieri iudicabam. *Foreſtus Scholio ad obſeruation. 32. libro tertio de febribus intermittentibus.*

Observatio.

Admirandus quartanæ typus.

OBſeruauimus in Petro Antonio Carnago admirandum quartanæ typum: Hæc prima vice prima hora diei inuaſit, & ſecundus paroxyſmus ſecunda hora diei,tertius tertia,& ſic ſucceſſiue vſque ad primam horam noctis, deinde ordine retrogrado à prima hora noctis, ad vigeſimam quartam,diei,vigeſimam tertiam, vigeſimam ſecundam, & ſic ſucceſſiue vſque ad primam horam diei, iterumque reuerſa eodẽ ordine ad noctem, & a nocte ad principium diei, ſemperque eodem greſſu quouſque penitus extincta deſiit. *Marcell. Donat. Hiſtor. Mirabil. lib. 3. cap. 14.*

Observatio.

Virgo Gigantea ex quartana facta.

VIrginem vidi,quæ ob molem corporis giganteam,per diuerſarum regionum ciuitates circuibat, ſe velut monſtroſi hominis idolum ſeorſim in conductis ædibus viſendam oſtentãs omnibus qui ſtipem numerarent, ex cuius collectione hæc cum matre victum quæritabat. At hanc ego quoque ingreſſus, diligenti inquiſitione ſingula percunctor: doceorque ex matris & grandiſſimæ filiæ reſponſo, eam ex ſtaturæ breuis parente vtroq; natam, nec vllum in auita progenie fuiſſe viſum qui communem aliorum hominum altitudinẽ ſuperaret: eamq; virginem à ſui ortus initio ad annum duodecimũ paruæ ſtaturæ vulgaris fuiſſe: ſed eodem tempore quartana correptam, qua cum mẽſibus aliquot luctata fuerat, ea prorſus remittẽte,cœpit in eam excreſcere molem,cũctis membris æqua dimenſione in magnitudine debita reſpondentibus, vt nihil à iuſta proportione appareret alienum. Annum,ni memoria fallat, agebat viceſimũ quintum, quum eam inſpicerem,quo nondum menſtruæ fluxionis ſenſerat euacuationem. Illum etenim ſanguinem excrementitium in nutritionem, & tantæ molis conſeruationem requirebat natura. Bona interim fruebatur valetudine, forma non venuſta, colore ſubobſcuro: ingenio ſimplici & ſtupido: ac toto corpore torpido. Virtus ſiquidẽ animalis ab initio huic corpori à Deo infuſa, in ea, quæ vulgaris hominis amplitudini debetur,proportione, poſtea in vaſti corporis mole diſperſà, æquali potẽtia ſui operis robur nequiuit oſtendere, quemadmodum in corpore mediocri.

Maior in exiguo regnat nam corpore virtus.

velut etiam Homerus ſuum Aiacem, Virgilius Æneam deſcribunt,figura paruos,artificio ingenioſos quum omnes illis dotes tam corporis quam animi tribuere ſtatuiſſent. Virtus enim (vt philoſophi loquuntur) coacta ſeu vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa. Quæ vero huius miraculi fuerit naturalis cauſa, etſi paulo à ſpeculationis termino remotior, à nobis tamen ea adfertur: quod quartanæ febres non præcipitem,ſed prolixam ſui ſortiãtur generationem. Argumento eſt tarda reſolutio: quæ enim difficulter abolebuntur, facili priuantur ortus progreſſu: inter ortum & interitum eſt relatio. Videmus enim quartanarios,conſumta affectus ſui minera ſemel nec cito nec promte in eundem morbum relabi. Lenta enim & copioſa eius materia longum coaceruationi tempus requirit. Vnde etiam illud à priſcis medicis quaſi per manus traditum axioma: qui ſemel quartanam vicerit,hic tota deinde vita ab ea immunis erit. Eo poſito fundamento, fœminam hanc dico intervallo longo cõgeſſiſſe quartanam, cuius generatio incrementi ſuſtulit impedimentum. A natiuitate enim hæc increuiſſet cõtinuo,ſed vetabat humor ille melancholicus, quo abſumto, naturæ inſtitutũ primogenias vires extendebat in corpus iam mundatum ac purum,quum ſanguinis alimentum optimum à fæce melãcholica ſegregatum tuto attrahere poſſet. Exemplum præbent arbores. Eæ enim tabeſcunt,ſi vitioſo humore ſurculus aliquis corrumpatur. parte vero amputata, vigorem denuo expandit ſtirps. Ita etiam corpus noſtrum tabidũ abſumta ἀτροφίας malitia, & auare admodum haurit, imo deglutit alimentum, quo citius perpeſſum damnũ reſtauraret. Vnde à cõualeſcẽtia quartanarios multa deuorare,quaſi exatiari poſſent nunquam, cernimus: ita vt recidiuam inducat ſæpenumero ingluuies nimia. Natura autem in hac fæmina externo cibo conuenientius habebat nutrimentum, ſanguinẽ ſcilicet mẽſtruum, quem alioqui anno circiter duodecimo expurgari oportuit,quo magis apparere incipiebat moles iſta gigantea: at eum iam ſibi ad caſtigandam ἀτροφίαν reſeruauit. Et quia corpora diu extenuata non affatim reficere oportet,natura paulatim retinendis mẽſibus in nutritionis vſum aſſueuit: ideoque ob alimenti copiam id corpus in tam ſtupendam ſtatuam excreuit. Nam quum eiuſmodi fluxus ordinatus ſemel deriuatur, vix poſtea ſuppletur. Etenim quum quartanarii fere omnes, vbi conualuere, magis increſcere cõperiantur,niſi ætas aut relicta ſymtomata impediant: tum ſane hęc fœmina eiuſmodi naturę motioni magis exponebatur,ex alimẽti largioris acceſſione: & quod auctrix illa virtus conſopita ad tempus, poſtea validius ſuas exercet actiones: ſicut ignis paululum oppreſſus liberior mox vehementiori inſultu ſe prodit. Et quid mirũ in adoleſcentia,circa legitimum tempus eruptionis menſtruorum? Materia & forma ſufficiente, quid tantæ molis fabricam remorabitur? Videmus enim corpora non ſemper eadem increſcere & proportione & tenore. Siquidem pleraque primo proceritatem

tem acquirunt, poſtea vero craſſitiem, & econtra. Quum autem natura proceritati in primis ſæpenumero incumbat, poſtea nutritionis ſubſidio deſtituta, relinquit corpus improportionatũm, debile, & quandoque ridiculum. Tale ſe vidiſſe narrat Iulius Cæſar Scaliger, Mediolani, in publico noſocomio, poſt victoriam ſub Ludouico rege ad Laudempompeiam habitam. Iuuenis erat tantæ proceritatis, vt ſtare nequiret, itaque iacebat, duoſque lectos ſimul iunctos explebat: nam ad craſſitiem & robur alimẽtum deſiderabatur, deeratque. *Wier. lib. obſeruat.*

OBSERVATIO.

Quartanam ſæpe in alios morbos tranſmutari, nonnunquam etiam dyſenteria ſuperueniente curari.

LOngus morbus quartana eſt, diligẽti curatione & exquiſita victus ratione opus habet, in quib. ſi peccetur, facile deterior redditur: vel ex hac in morbum alium tranſitus fit, quod & citra errorem non raro cõtingit. Pleriq; enim ex quartana hydropici, alii phthiſici redduntur. Qui ſexageſimum ætatis annum ſuperant, ſi à quartana occupentur, raro euadunt, & magna ex parte hydropici moriuntur. Iuniores minus periclitantur, niſi natura ſint ad phthiſin propenſi, quibus quartana quandoque in hanc deſinit. In quartana facile multi crudi etiã ſeroſi tenueſq; humores colliguntur, naturali facultate ventriculi ac iecinoris per morbi diuturnitatem debilitata. Excernuntur hi quandoque per ſudores: quandoque per aluum: nonnullis fluxus ſanguinis è naribus accedit: quibus vero nulla harum vacuationum ſuperuenit, vel hydropici fiunt, vel deſtillantibus in pectus vel pulmones humoribus phthiſici: quanquam tamen nec hi, ab hydropis periculo liberi ſunt, quibus ſanguis copioſior diutius à narib. profluit. Contingit vero & crudos, craſſos, melancholicos humores ſplenem occupare, hydrope non raro ſuccedẽte. Quartanæ autem quo puriores, hoc etiam diuturniores, moleſtæ admodum, quæ calidis morbis ſuccedunt. Impuræ, & præſertim ex humore melancholico bile permixta, breuiores ſunt. Diem hę ſubinde mutant. Cum enim acceſſiones multum anticipent, fit vt quandoq; in meridiem vel paulo prius incidant. quod vbi contingit, mox mutato die tertio, veſpertina hora inuadunt, conſuetum paroxyſmi diem anteuertentes, quo die non recurrit febris, vel admodum clementer, cito recurrere deſinens. Atq; ſic ter mutaſſe huiuſmodi quartanam acceſſionis diem à nobis quandoque obſeruatum eſt. Naturæ ſiquidem quartanæ repugnat, vt ante meridiem inuadat. Nam vt generatio eius inclinante anno; ſic & particularis acceſſio non niſi inclinante die accedit. Imponit quandoque medicis triplex quartana, verum à quotidiana dignoſcitur ex eo, quod acceſſiones eius à meridie fiant: quotidianarum vero matutino tempore. Curari quartanam quandoq; errore contingit. Sed qui vni bene cedit, alteri exitialis eſt. Sic duos fuiſſe iuuenes quartana laborantes, *Amatus Luſitanus* refert *curat. 42. cent. 2.* quorum vnus praua victus ratione euaſit: alter vitam cum morte commutauit. Sic etiam quod quandoq; vno tempore (ſi præter rationem fiat) prodeſſe videtur, alio tempore noxium eſt vt Beniuenii villico contigit.

Deſinit vero & quartana febris quandoque alio ſuperueniente affectu: veluti dyſenteria, qua nonnulli à quartana olim liberati.

Vnus Autumno nullo alio præcedente morbo quartana correptus, poſt detractum è ſiniſtri brachii interna vena ſanguinem, & aſſumtas aliquot ex hiera picra pilulas, in dyſenteriã incidit, ſed haud moleſtam. Mox febris mitior facta, & perſeuerante dyſenteria febris cito deſiit: Dyſenteria vero breui poſt, nullo adhibito remedio, ſponte ceſſauit.

Monialis quoque quædam cum duplici quartana laboraret, ſuperueniente ſpõte fluxu Dyſenterico, mox ab vna, deinde ab altera liberta facta eſt. Ceſſauit & huius fluxus nullo alio adhibito remedio, quam idonea victus ratione. Huc facere videtur *Aph. 48. lib. 6.* Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens bonum. Si enim lienoſis expediens Dyſenteria eſt, quartana laborantibus profuiſſe, à ratione haud alienum eſt. Nam per quartanas lien ſæpe male afficitur, & melancholicus humor quartanæ & lieni male affecto communis eſt. *Dodonæus in annotat. ad cap. 59. Beniuenii.*

OBSERVATIO.

Quartanam ſenes non ſemper enecare.

QVod medicinam facientes, quartanam occidere, ſi ſexagenariæ vel grauioris ætatis hominẽ apprehendat, pro rato fere habeant: non ita perpetuum eſt, quin oppoſitum me docuerit exemplorũ frequentia, tum in viris, tum in fœminis. ex quibus vno hoc reliquum numerũ terminemus, quod nobilis apud nos matrona Herdeueldia, ætatis longe pluſquam ſexagenariæ, in autumno anni quinquageſimi ſeptimi ſupra ſeſquimilleſimum, in quartanã fuerit delapſa: quæ & purgato & inuncto ſæpius corpore, conualuit. Sequenti inſuper æſtate eadem in grauem incidit tertianam cum quotidiana coniunctam, (dixiſſet quis Hemitritæum) cui denuo meam feliciter pręſtiti operam, propinata ex ſyrupo acido & aqua card. Benedicti potione: vacuato corpore cũ rhabarbari infuſione, & electuario de ſucco roſar. illinitis quoque renibus, de quorum æſtu impendio quærebatur, cum oleo roſaceo & aceto: tandem etiam capiti admoto oxyrhodino. In promtu autem ratio eſt. Siquidẽ interficere nequit quartana, niſi deficiat virtus ad materiam morbi abolendam ſufficiens: quæ certe non omnino deſiderabitur ex paucorum annorum acceſſione. Etenim deprehendimus quandoque iuuenes vna cum quartana commori, quinquagenarios vero periculo liberari. Quid ita? Niſi quod hi, licet prouectiores, nullum tamẽ ex ætate ſentiant virium detrimentũ: illi, quamuis iuniores, facultate vitali, ad copioſæ materiæ concoctionem requiſita, deſtituantur. Senium enim certi anni proprietati ſemper aſſignari nequit. *Wierus lib. obſeruat.*

OBSERVATIO.

Quartanarii, quibus initio appetentia deiicitur, citius conualeſcunt, quam contra.

ANgelum Corrigiarium, virum ſolertem, in ædibus diui Frãciſci, de quartana febre alloquebar: interim ad nos acceſſit ingenuus iuuenis Baptiſta Zanninellus, qui iã per duos menſes quartana febre detine-

detinebatur, & in principio huius febris non aſſumebat cibum, id eſt, nec appetebat nec comedebat, nunc autem adeo attenuatæ ſunt febres vt vix perſentiat, & iam cibum appetere incipit & comedere. Alter vero eſt, qui à tertio menſe hoc eodem febris genere vexatur, à principio autem cibum aſſumebat, id eſt, appetebat & comedebat, ſed indies febres vehementiores euadunt, adeo vt etiam appetentia remittatur, hocque in multis experientia ſingulis annis vidimus, qui (in quartanis potiſſimum) in principiis bene appetentes in peius mutarunt: qui vero non appetebant in melius commutarunt. *Braſauola commen. ad aph. 32. lib. 2. Hipp.*

OBSERVATIO.

Quartanarii mira deliria.

Reuerendus Rector Diui Felicis in platea, Bernardus nuncupatus, boni habitus corporis, temperamenti ſanguinei, febre quartana correptus, in paroxyſmi augmento delirio hilari corripiebatur, Dominum maris ac terræ ſe faciebat, miniſtros ordinabat, epiſtolas ad diuerſos principes ſcribebat. *Ex Italia acceptum, & ad Angelum Griffonium Briſconenſem relatum.*

CVRATIO QVARTANAE.

OBSERVATIO.

Saluatellæ ſectionem certo experimento quartanæ mederi.

Debet iſta phlebotomia eſſe parua, & facta de Saluatella ſiniſtra aut de ambabus, vel de ſaphenis. Et multis etiam vt Guil. in principio phlebotomant Saluatellam. *Nicolaus Nicolus.*

In quartana ſanguinem ex vena ſiniſtræ manus hora coitus Lunæ mittimus, ſinimusque fluere donec ſponte deſinat: hoc enim generale præceptum eſt in omnibus anguſtiis venis, profuitque id multis ſanitatem (tertio Anatomicarum aggreſſionum inquit *Galenus cap. quinto*) idque vidimus. Vnde & aliis in morbis aſtrorum obſeruatione curare licebit, vt per ſimilia ac diſſimilia in his quæ proprietate agunt, ſeu ſuſpendantur, ſeu per os exhibeantur. *Cardanus libr. Artis paruæ à ſe conſcriptæ pagin. 113.*

Petenda ratio eſt, cur Saluatellæ ſiniſtræ manus venæ ſectio in hora paroxyſmi facta multos à quartana liberauerit: cuius euentus teſtes ſunt doctores non ignobiles Galeatius & Valeſcus. An quod per ſanguinis miſſionem expultrix facultas à ſuo munere, & officio fuit auerſa. Præterea, quia eadem expultrix, vt *Galenus* ait, *libris de morbis & ſymtomatibus*, ſuo munere non fungitur niſi triſte aliquid ſentiat, vtiliſſimum fore videtur ſenſum hebetare: hebetare autem narcoticis, & his quæ opiũ recipiunt medicamentis. *Hieron. Montuus libr. 4. cap. 9. Halos Febr.*

In ſecanda vena inter digitum minimum & annularem, ſecuti ſumus priſcos omnes medicos vel vti omnes ætate noſtra ſuperiores, quamquam non ignoremus ex hodierna hominis ſectione venam hanc propagari & ex axillari & humeraria vena: vtcunque tamen res habet experientia ipſa quotidiana atteſtatur ſectam hanc venulam dextram iecinoris affectionibus opitulari, & ſiniſtram lienis morbis, vt Ægineta clarius præ cæteris memoriæ commendauit, & ante eum *Galen. lib. 3. de Anatom. adminiſt.* veluti ſexcentis aliis locis. *Amat. Luſitanus Scholio ad curat. 49. cent. 7.*

OBSERVATIO.

Ad quartanam remedia aliquot ſelecta.

E Medulla cardui fullonii, cum maturuerit, vermiculus fit; de quo non falſo prodidit ad quartanas remedium Dioſcorides. *Scaliger exercitat. 59. de ſubtil. Card.*

Sunt qui arcano hoc antidoto tenaces quattanæ vires ſe infringere gloriantur. Rec. Olei Vitrioli rite apparati guttas ſeptem Syrup. è cicorio vnc. j. aq. abſynth. vnc. ij. s. miſce pro hauſtu.

Quæ linimenta ſpinæ in quartana ante acceſſionem feliciter applicantur calide, eiuſmodi ſunt. ℞. Olei Laur. vnc. j. s. ſucci rutæ vnc. j. Vini ſublimat. opt. vnc. ij. miſceantur diligẽter in vitro apto, quod cineribus imponetur primum tepidis: calor vero fotu paulatim lento augebitur, donec coctione linimenti forma appareat.

Item, ℞. olei oliuarum, vini generoſi ana ℔. j. rutæ M. j. vermium fluuiatilium ℔. s. ebulliant donec craſſeſcant vt oleum.

Item, ℞. ſaluiæ, rutæ, abſynthii, roriſmar. ana M. s. maſtiches, olibani an. drach j. in vini maluatici & olei oliuarum ana cyatho coquantur, donec liquor cõſumatur: Hinc valida fiat expreſſio. Vſurpari quo que hic poteſt oleum de ſcorpionibus. *Wierus obſer. lib. proprio pag. 46.*

Sal de oſſibus humanis. Sunt qui præſentem medicinam exiſtimẽt febri quartanæ. Todtenbeinſaltz. *Kentmannus in foſſilib.*

Lacertorum Caymanum lapides colligunt Indi & Hiſpani, atque adeo ſibi ſeruant ad quartanam tollendam vtile remedium: ſiquidem bini ex eis temporibus vtrinque alligati in quartanarum paroxyſmo, illas tollere, aut earum calorem manifeſto infringere traduntur. Bis eum lapidem temporibus cuiuſdam puellæ, quæ quartana laborat, adhibui, & certe febris calorem nõnihil remiſiſſe animaduetti, an vero febrem omnino tollat, ignoro. *Nicol. Monardis, de ſimplicib. occidentalis Indiæ.*

Rondeletius ſcribit magno ſucceſſu ſe vſum fuiſſe ſequenti remedio. ℞. fol. ſambuci, ſaluiæ, pedis columbini, rutæ ana M. s. calthæ tertiam partem M. j. ſalis, & vini parum: omnia ſimul trita carpis admota ante acceſſionem: quæ ruſus amoueantur quoties videbitur commodum. *Foreſtus lib. 3. ſchol. ad obſ. 42.* vbi plura inuenies, quæ tamen ipſe ſuperſtitioſa putat.

Experientia ſæpe probatum eſt, Cor leporis panno byſſino inuolutum, & collo ſuſpenſum, ad acceſſionem declinandam, aut certe minuendam plurimum valere. *Piſo lib. 3. de febr. quartana.*

Communicauit mihi quidam amicus, Med. Doctor, ſingulare quoddam experimentum in quartana, quo ſe quamplurimos reſtituiſſe gloriabatur: eſt que hoc. Recipe. Cor leporis ita præparatum vt pulmo vulpis præparari ſolet, poſtea diuidatur in tres partes æquales, & patienti paulo ante paroxyſmum, aut etiam in ipſo paroxyſmo cum vino detur, continuetur hoc tribus vicibus vt dictum eſt:

& quarto paroxyſmus prorſus emanebit. *Monauius in Epiſt. ad Scholtzium. lib. 2. Epiſt. & conſil. Cratonis ab eodem Scholtzio publicator.*

Geneuæ quidam in fine Septemb. correptus eſt febri quartana: laborauit 8. ſeptimanis forte. Accepit à quodam tet potiunculam, nempe tres guttas olei vitrioli ex aqua marrubii, & mox cœpit melius habere, ita vt prorſus eum relinqueret febris: ſed pruritus quidam moleſtus toto corpore eum inuaſit, διὰ τὴν ἀλυσίαν forte: ſolitus enim erat lauare. *Ex ſchedis propriis Geſneri, D. Wolphius.*

OBSERVATIO.

Araneorum, eorundemque telæ ad quartanam vſus.

REmedium expertum apud me (ad febres) eſt ſequens: ante aduentum paroxyſmi per quinque horas nullo cibo præcedente detur patienti infra ſcriptus potus, quo aſſumto, immediate ligetur ſequens mixtura pulſibus manuum, & temporũ, & pedum. Potus erit talis. ℞. Vini granatorum, vel ſucci eorum vnc. ij. Mixtura hæc eſt ℞. Vnguenti populeonis vnc. j. telæ araneorum drach. ij. miſce & fiant pilulæ ad quantitatem vnius ſcrupuli. Et vna cuilibet pulſui ſuperligetur eaſq; patiens detineat vſq; ad tempus quo timor paroxyſmi iam præterierit, & certe ſanabitur. *Benedict. Victorius cap. 11. Empiriæ de Febr.*

Ad tertianam & quartanam, vrticæ, angelicæ, ſemperuiui, ſolatri ana. M. j. telæ araneæ albæ, farinæ hordei ana. drach. j. cum ſale & aceto perficitur, & applicatur pulſibus brachiorum & pedum. *Hieron. Montuus cap. 5. lib. 4. Halos Febr.*

Ex Torna mira, Araneus in loculo ligatus, & appenſus, eidem Montuo ad quartanam commendatur: inſignem quoque araneorum aduerſus diuturnas, & quartanas febres vim & efficaciã Theophraſtus Paracelſus prædicat, ſi nucis teſta concluſum araneum inſcius æger, ad quartum vſque diem amuleti inſtar circumferat. Viuens aranea iuglandis teſtis incluſa, colloque ſubnexa, quartanam depellit. *Fernelius in Abditis.*

Noſtro ſeculo pręſtantes ac celebres quidam medici pilulas ex telis araneorum & populeo vnguento paratas, horis aliquot ante acceſſionem illigatas locis in quibus euidens arteriarum pulſatio deprehenditur, atque ita relictas plurimum ad tertianæ febris circuitus depellendos valere tradunt. *Ioannes. Moibanus.*

Telæ araneæ mundæ vnc. vna, vnguẽti populeonis vncia ſemis, extremitatum & ſeminum vrticæ pugil. j. miſceantur cum potenti aceto, quo arteriæ omnes pulſatiles ante periodum liniantur. *Fumanellus.*

Tela araneæ alba in corio ligata, collo appenſa, curat quartanarios. *Petrus Bayrus.*

OBSERVATIO.

Telæ araneæ ad quartanam abuſus.

SVbiungam non nonnihil de pernicioſo telæ araneę vſu in huius febris curatione, nec video quonam diſtinctionis conſenſu imitari debeamus Guilielmum Varignanam, quod Raſis teſtimonio ad quartanæ profligationem prædicet telam araneæ ſi cum vino potui exhibeatur hora vnicã ante con- ſuetum paroxyſmi inſultum: quoniam eius vſum nec grauioris noxæ periculo vacare, nec effectus ſuæ commendationis pares edere, experimento deprehendi.

Enimuero Anno 1559. muliercula quędam Hambachi in ducatu Iuliacenſi, cũ ex temeraria alicuius perſuaſione hoc remedium improuide aduerſus quartanæ violentiam vſurparet, in horrenda veneſitatis ſymtomata incidit; ad quam accerſitus, præter alia medicamenta, electam propinaui theriacam, quæ poſtea ſanitatis amiſſæ iacturam recuperauit. Deinde ne vel minimum huic errori patrocinium ſuggerere poteſt Dioſcoridis auctoritas: quia in eius contextu duo ſubiicienda conſiderationi veniunt. Vnum eſt, quod araneum quidem quartanæ circuitibus mederi tradat, ſed extrinſecus ſaltem lacerto appenſum, non autem per interiora aſſumtum: alterum quod ſolita quadam ſcribendi proprietate, nullam vel ipſemet tribuat veritatis fidem iis rebus, quas citra vlteriorem cenſuræ ſuæ interpoſitionem affirmat ſub perſonæ tertiæ prolatione: vti apparet euidenter in ca. de Baſiliſco, othonna, lapide Thracio, ſmilace aſpera, trifolio, & id genus reliquis. Telam ad hæc araneæ albam in corio ligatam & collo vel ſuper adiutorium appenſam, quartanarios curare, ſcribit præter alios inſignis medicus *Petrus Bayrus in ſua praxi, diſtinct. 20. cap. ſexto.* Alii ſecus perſuaſi, curationem nimis ſuperſtitioſam contra quartanæ pertinaciam ex aranea vſurpant, nucis nimirum putaminibus, exemti nuclei loco, araneam viuam includunt, eaque colligata ſuſpendunt in collo, ac dies nouem relinquunt: inde in ignem coniiciunt cum horum verborum additione: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Cæterum à primo inchoatæ huius curationis die oportet Orationem dominicam, & Angelicam ſalutationem certo recitare numero quotidie: vt primo nouies, ſecundo octies, tertio ſepties, repetantur imminuendo vſque ad nonum diem, quo ſemel ea referentur. Qui ſe hac incredulitatis ratione liberatum fuiſſe, ac aliis deinceps quaſi per manus tradidiſſe artem aſſereret, hominem leuem noui. Credulitatem ſiue incredulitatẽ ſi lubet appellare id, perinde eſt: multum ſæpe poſſunt, dum certiſſima perſuaſione ſe mutuo inducunt, vt hanc curationis formam iuuare firmiſſime confidant, vſurpentque homines conſcientę nullius religione ducti, auxilium vndiquaque accipientes, ſiue à dæmone, ſiue à Deo, modo ſubleuentur flocci reliqua faciunt. *Wierus lib. obſeruat. pag. 43.*

OBSERVATIO.

De febre intermittente quartana, in ſeptuagenario curata.

SImon Ioannes Zytheſpa, Harlemo oriundus, auunculus meus, qui in vxorem ſororem matris meæ duxerat, Alcmariæ habitans, vir ſeptuagenarius, anno 1557. menſe octobri in tertianam intermittentem vehementiſſimam incidit, ita vt in paroxyſmo delitaret. Quæ ſæua accidentia nõ ſolum morbum naturæ ſenili minime conuenientem: ſed & periculoſum ſignificabant. Fuit tamen eodem tempore per me, Deo auſpice, aptis remediis, vt lenientibus, Zulapiis, purgationibusque lenioribus ad bilioſum humorem facientibus, deinde & alteran-

alterantibus & roborantibus, curatus. ſed poſt tres ſeptimanas recidiuā paſſus, quartana correptus eſt, cui bilis atra aderat. Cum autem in priori morbo, videlicet tertiana, vniuerſalia remedia præceſſiſſent, ſatis mihi fuit, vt pro ꝑparatione humoris quartanam inferentis, tantum adhiberem fumariæ in ſero lactis decoctum, aliquot diebus tempore quietis. Deinde eodem decocto iniectis foliis ſenæ eundem commode purgaui. At cum frigus & horripilatio in principio acceſſionis ei valde moleſta forent, quæ ſi curentur (teſte Nicol. Florentino, quod ab Auicenna accepit) febris quoque curatur. Idem Auicenna præter quędam olea contra rigorem fomentationes calidas præſcribit. Nos vero hoc tempore inſequendo Guainerium ſpinam dorſi inunximus calide à nucha incipiendo vſque ad clunes deſcendendo oleo anethino, chamæmelino, ſimul mixtis, & poſt inunctionem pannos lineos calidos apponendo. Cumque ter hanc inunctionem in ipſa acceſſione abſoluiſſemus, miraculi inſtar non ſolum rigor ceſſauit, verumetiam febris in ſexagenario deſiit, licet poſt hanc febrem quartanam, hoc modo ſolutam, relictus ſit lienis dolor cum duritie exigua, ſed fomentis atque inunctionibus deſcriptis non admodum diu poſt euanuit. Sed & hoc condito ſequenti vtens perfecte ſanatus eſt, ℞. conſ. flor. borrag. vnc. j. cort. citri cond. vnc. ſ. ſpec. diarrhod. abb. aromat. roſ. ana. drach. j. trochiſc. de capparibus ſcrup. ij. Oxyzach. compoſiti, ſyr. de fum. terræ ana q. s. fiat conditum. *Foreſtus lib. 3. obſ. 38. de Febribus.*

QVARTANARII FORTVITO curati.

Observatio.

In flumen ex improuiſo detruſus quartanarius, curatus.

Compertum nuper habeo ex cubicularii Domini Lanſacii fideli narratu, extitiſſe nobilem Gallum in Polonia, qui febre quartana grauiter exercebatur; is, cum aliquando ad Wiſtulę fluminis ripam, quo quartanarii inſultus moleſtias falleret, deambularet: ab amico forte obuio per iocū in profluentem impulſus eſt, ex quo (etſi natandi peritus eſſet, id eo ſciente qui impulerat) tantum pauorem concepit vt nunquam ipſum dehinc quartana inuaſerit. *Pareus lib. 1. cap. 23.*

Observatio.

Glande plumbea ceruici inflicta, euaſit à quartana.

Ab Abianenſe exercitu iuſſerat me rex Henricus II. Dorlanum vrbem proficiſci, vt illic eos curarem, qui ex conflictu cum Hiſpanis vulnerati fuerant, à ſancto Albano capitaneus etſi Subillii conflictus tempus quartanario paroxyſmo teneretur, prę lio tamen intereſſe voluit, in quo cum glans ſclopo eliſa medias ceruices illi perforaſſet, tanto mortis terrore perculſus eſt, vt febris ardore frigido metui cedente à quartana deinceps immunis vixerit. *Idem libro ac cap. eod.*

Observatio.

Concitatione vehementi in prelio à deſparata quartana conualuit.

Qvintus Fabius maximus, authore Liuio, diū multumque quartana febre languebat, nec artis remediis ſucceſſum optatum cōſequebatur, quouſque conſerto cum Allobrogibus prælio pugnandi ardore nouo velut incendio febrile vetus incendiū diſcuſſit. *Idem Pareus lib. & cap. citato.*

Observatio.

Quoſdam rerum etiam abſurdarum deſideratarum largiori vſu à grauiſſimis febribus, quartana maxime, liberatos.

Fverunt qui febribus diuturnis laborarunt, atque certos cibos vehementer appetiuerunt. His, cum ſe ſaturaſſent, imo cum ventriculum impleuiſſent, adeo vt molem ferre nequirent, excitata virtus expultrix, non modo cibos grauantes, verumetiam purulentum & putridum humorem per vomitum extruſit. Vnde illi ſani facti ſunt ſubito, & præter omnem ſpem atque etiam expectationem ſuam. Hoc ab aliis cibis non video eſſe factum: quia non in copiā tanta eos ſumſerunt. Illis tantum ſic excitantur, quos auidiſſime appetunt, & largiſſime peredunt: vt qui copia moleſti eſſe poſſint. Proſunt autem hoc ſumti modo tunc ſolum, cum morbus eſt cōcoctus: Nam qui ab initio id auſi facere fuerunt grauiſſime ſunt læſi. Noui qui hoc modo ſuffocatus repente extingueretur. Amicus quidam meus ſtudioſus, poſtquam multis menſibus quartana laboraſſet, ac vehementiſſime limpidiſſimi fontis pellucidam & frigidam aquam deſideraſſet, tandemque nemine obſeruante eadem ventriculum nō impleuiſſet modo, ſed fere inferſiſſet, poſt copioſum vomitum ſanus eſt factus. *Eraſtus queſt. 2. de Purgant. med. facult.*

Obſeruamus alios quoque nonnūnquam ſucceſſus in diuturno hoc malo, maxime ſi deſiderio ſingulari quid appetatur, quod tamē non ita perpetuū eſt, quin pro morbi vel excreſcentis vel declinantis tempore, ſiue pro corporum ratione, aūt viriū modo id vel iuuare plerunque vel ſæpe etiam opprimere experiamur. Enimuero qui halecibus ſemitoſtis viginti & vno, ſimul ante quartanæ acceſſionem in vniuerſali morbi declinatione voratis liberaretur, intercedente tamen grauiſſimi paroxyſmi inſultu, mihi intus & in cute notus eſt. Erat autem hic natura impendio vorax, alio qui ſaburram hanc non tam illæſe concoxiſſet, exoneraſſetque. Quare & alius imbecillior ea oppreſſus facile interiiſſet. *Vierus obſeruat. lib.*

MORTVI.

Observatio.

Ex quartana male curata ſanitas tum & mors ſubſecuta.

Villicus meus annuam quartanam patiebatur, & conſilio neſcio cuius Empirici faſelum ex omphacino, & alia vſq; ad ſatietatem deuorans, ad viginti inſuper vini meri calices ebibit, quo adeo inflatus eſt, vt è foco, prope quē cœnauerat, amoueri penitus non poſſet. Quamobrem ſtrato humi pallio, quo induebatur, ibidē pernoctauit. Matutino autē aduentante tempore, diffuſus per omnia membra ſudor eſt, quo finito, vomitu quicquid comederat reiecit, & cū eo pituitoſa excrementa quamplurima, quo factū, vt ex quartana quoq;, qua integrum iam

Zzz 4 annum

annum laborauerat, extruſa, valetudinem ſit con-
ſequutus:quam quidem rem validioris naturę vi ac-
ceptam referendam arbitrati ſumus. Nam amotá
iam cruditate, & humorum concoctione longiori
ſpatio perfecta,natura, quæ ſua pigritia torpebat,ab
ignauia & torpore perpulſa,contra morbum & cau-
ſas vires excitat, quibus tandem ſudore ipſo atque
vomitu & morbum & errorem diſiecit. Quod pro-
fecto eadem febris comprobauit. Nam cum qua-
tuor annos hominem iterum inuaſiſſet, & ille puta-
ret eodem ſe poſſe auxilio febrem tollere, quo olim
fecerat,ſtatim,hoc eſt, inter morbi ipſius initia,dum
ſcilicet cruda eſſet adhuc ipſa materia atq; incocta,
pleniore vt cum victu & potione abundantiore ex
iiſdem quibus ſupra rebus abuſus, ante ſolis ortum
eodem quo decubuerat loco mortuus inuentus eſt.
Beniuenius abditor. cap. 59.

Observatio.

Quartana affectus Epiſcopus Colonienſis, qui perſuaſione Empirici deceptus, eandem neglectim tractauit, cui tandem abſceſſus inter ventris muſculos excitatus vitæ finem fecit.

REuerendiſſimus Epiſcopus Colonienſis D. An-
tonius ex Comitibus à Schawenburg, conſti-
tutione corporis ſanguinea, circiter annos natus
quadraginta, ex alia febre in quartanam incidit, in
autumno anni 1557. A qua vbi circiter vernum tem-
pus nonnihil reſpiraſſet, huic, neutra adhuc valetu-
dine freto, ſe inſinuat Ambroſius ille Magirus, an-
nuis mendaciũ libellorũ,vel ſi mauis prognoſticorũ
plauſtris notus nimis: qui eum quidem grauiter la-
boraturum prædixit,euaſurum tamen, ſi à medica-
mentorum vſu caueret.Interim venam ille pertundi
iubet,balneumque pręſcribit.Confiſus hic progno-
ſtico,opem medicam tamdiu reſpuit,donec à capite
& finitimis partibus primum circa ſiniſtram ſcapu-
lam decumberet humoris copia:qui neglectus, len-
to defluxu muſculos ventris ſiniſtros interſecuit:vbi
excitata phlegmone,pus genitũ copioſum putidiſſi-
mumque continuas partes decubitu ſedulo vitiauit,
tandemque ad læuum perinæi latus reſedit, cum tu-
more: qui à Chirurgo ſectus, ingentem fœtidiſſimi
puris quantitatem reddidit.Hoc tamen poſtea non-
niſi ventre cõpreſſo fluxit: quare viribus indies ma-
gis ac magis flacceſcentibus, poſt ſeptimanas tres,de
ventris inferioris inciſione, ex cuius ſinu pus deflue-
re exiſtimabatur, ab iis ſerio agitatur qui curationi
intererant: rogaturq; Princeps noſter Clementiſſi-
mus Dux Cliuiæ,Iuliæ, &c. ægrotũ inuiſens,vt eun-
dem in ſectionis conſenſum induceret: eo etenim
modo promtius liberiuſq; ſine expreſſione pus flu-
xurum ſperabát. Se, quod hac in re proficuum eſſet,
non ſatis intelligere, reſpondit Princeps,at ſe miſſu-
rum ſuum medicum,medicinæ & chirurgiæ peritũ:
cui ſi inciſio probaretur, ſe quoq; calculum addere.
Proinde eo ablegatus,vulnere conſpecto, corpus e-
maciatum, vireſq; impendio proſtratas, cum pulſu
debili,ac de hora in horam magis inclinante, com-
peri.Quare nihil ſpei in ſectione ponendum eſſe,ſed
extrema imminere iudicaui. Hora matutina mor-
tem proximam ſignificauit pulſus interceptus: con-
tra impudentes Fedronis Paracelſiſtæ calumnias,
qui pulſus animaduerſionem ridet, in mendaci fa-
moſoque ſuo libello Germanico. Paulo poſt hic in
Domino obdormiuit: cui ex immenſa ſua bonitate
locum in iuſtorũ reſurrectione largiatur Deus. Ven-
tre circa vmbilicum inciſo, tanta putidiſſimi puris
copia effluxit, vt ex ventris pleni cauo id exundare
iam crederent, qui antea in ea opinione fuerant. At
ſectionem proſequuti,inter muſculos tranſuerſos&
obliquos, vti dictũ eſt, cloacam deprehendimus.In
ſiniſtro autẽ latere cor erat flaccidius, ex graui & cõ-
tinuo exhalante ferienteq; vapore putido: atro ad-
hęc ſanguine nigricabant venæ cor cingentes.In ve-
ſicę collo coctum deliteſcebat pus album:quare nec
vrinam cõtinere potuit aliquandiu, quod ad calculi
læſionem referebatur: ſed aliunde id contractum
apparuit. In ventriculo quiddam inſtar humoris bi-
lioſi innatabat. Reliqua viſcera, vti & vniuerſi cor-
poris partes,videbantur illæſa. *Vierus libro obſeru.*

Observatio.

Quartana mortuus, in corde, venis, & quaſi omnibus membris reperta fruſta magna, alba, pituitoſa.

HElidæus ſecuit aliquando in Hoſpitali Bono-
nienſi virum quẽdam,qui febra quartana, qua
diu conflictatus fuerat,tandem mortuus eſt. Poſtea-
quam autem cadauer iſtud aperuit,reperit in corde,
venis,& quaſi omnibus membris fruſta magna,lon-
ga, alba, pituitoſa. Hoc eſt proculdubio id quod in
venis cruditatem appellare ſolemus. CL. V. *Laurent.
Scholzius de obſ. propriis mihi communicatis.*

DE FEBRIB. INTERMITTENTIBVS.

Observatio.

Quo tempore vtilius in febribus intermittentibus vena ſecetur.

QVorundam Arabum, & Praxes Medicas tra-
dentium ſentẽtia receptum eſt, vt in intermit-
tentibus febribus venæ ſectio vel plane intermitta-
tur,vel in proceſſu morbi tantũ fiat, ſed experimen-
tis propriis,iiſque innumeris cognouimus, eam opi-
nionem & inutilem, & ad curandas febres minus
accommodatam exiſtere. Etenim multorum anno-
rum vſu experti ſumus, eos fere omnes quibus ante
tertium paroxyſmum vena ſecta fuit in tertianis fe-
bribus intermittentibus ab acceſſionibus febrilibus
fuiſſe maturius liberatos,ſed illos, quibus poſt illud
tempus hoc genus auxilii adhibitum fuerit, etiam
tardius adiumentum ſenſiſſe. Neq; eius experimen-
ti ratione deſtituimur,quod præſente plethora,quæ
raro abeſt,in noſtrorum hominum corporibus,mo-
ra & neglectione euacuationis omnia fiant deterio-
ra. Quod vero in intermittentibus febribus materia
vitioſa tota extra vaſa maiora venarum conſiſtat (vt
quibuſdam placet) dubito ſane an id cum iis, quæ in
eiuſmodi febribus euidenter apparent, conſentiat.
Itaque medicis induſtriis diligentius de eo cogitan-
di occaſionem hac obſeruatione propoſita ſuppe-
ditare voluimus. CL. V. *Iacob. Oethæus de Obſeruation.
propriis.*

DE FEBRIBVS INTERMITTENTIbus, alia.

Observatio.

Quod in intermittentibus febribus interdum in die paroxyſmi vtiliter ſecetur vena.

Calu

CAſu quodam multa ſuppeditari auxilia medicorum vſui,tam certum eſt, vt Galenus multis in locis plurima remedia fortuito euētu reperta eſſe affirmet. Sed medicorum rationalium partes ſunt, cauſas eiuſmodi fortuitorum remediorum atque auxiliorum diligenter inquirere. Itaque cum in febrium intermittentium cura, quidam ex vulgo in die paroxiſmi venas forte ſecarint, ac id profuiſſe febricitantibus compertum eſſet,factum eſt, vt plurimi idem ſequentes, morem ſecandi venas in paroxiſmi die introducerent. Quod & nos à quibuſdam factum eſſe obſeruauimus ,& ipſi ſæpius feliciter nō tantum in tertiana, ſed in quartana, experti ſumus, incitati ad hoc etiam Arnoldi de noua villa, Medici olim expertiſſimi, teſtimonio, qui in Neapolitano Regno quendam Empiricum hac ratione plures febricitantes à febre liberaſſe ait in ſuo practicæ breuiario. Quādo vero hic mos ordinariis medicorum præceptis aduerſetur, diligentius in eum inquirendum eſt: Etenim cenſent plerique in die intermiſſionis,cum morbus minus vires grauat,venæ ſectioni incumbendum eſſe, vt virium ratio habeatur, & tutior ſit medicatio.Si itaq; vires conſtent,etiam die paroxiſmi ſanguis educi poteſt,&forte vtilius,quod naturam tum iuuantem in expellendo & ſecernendo vitioſo ſanguine medicus habeat. Ex quo intelligitur non plane ratione carere, quod multi in die paroxiſmi phlebotomia vſi iuuentur, materia enim febrem promouens mota facilius quam non mota educitur.*Idem D.Iacob.Oethæus De obſ. proprijs.*

OBSERVATIO.

Quod omiſſio vacuationum neceſſariarū in initijs febrium intermittentium graues noxas inducat.

EST hoc in more poſitum multis, vt incidentes in febres eas,quas præſertim vulgo intermittentes vocant, neglectis tum venæ ſectionibus, tum purgationibus,ſtatim ad curas illas experimētales,quibus paroxyſmi,ne recurrant ſubinde, ſiſti ſolent, accedant. Quæ ſane oſcitātia multorum, quæ incommoda pluribus attulerit, operæ pretium fecero, ſi oſtendam.Etenim memini ex hac negligentia quoſdam in varios abſceſſus, maxime vero coxendicum, item in impetigines fœdas, item in icteritiam cum hydrope iunctam,item in colicos dolores inſanabiles, quos tandem epilepſiæ, & paralyſes, aut arthritides ſequutæ ſint,item in tabem ac in conuulſiones mirificas incidiſſe. Sed de cōuulſionis genere, quod Eichſtadii febrem ſequutum vidi, viſum eſt quędam ſubiicere.

Erat adoleſcens quidam annos octodecim natus, qui febre tertiana correptus, à muliebribus quibuſdam experimentis,iiſque ſuperſtitioſis (vt pleraque eſſe ſolent) adiutus, febris quidem acceſſione liberatus eſſe videbatur.Sed paulo poſt incidit in quoddam genus conuulſionis , quo per breuia temporis interualla totū caput concutiebatur motu inuoluntario & violento,haud aliter, ac ſi quis ,apprehenſis capillis ipſi caput manu concuſſiſſet. Huic,conſilio meo,cum vena ſecta eſſet, mirificum illud ſymtoma ceſſauit. Quare in initio omniū febrium ab humoribus effectarum euacuationes vtiles exiſtunt, non ſolum ad maturiorem earum curam , ſed & ad præcauendas plurimas noxas febribus ſuccedere ſolitas. *Et. v.Iacob. Oethæus de Obſ. proprijs.*

DE RARIS ET INSOLITIS FEBRIVM typis.

OBSERVATIO.

Anniuerſaria & natalis quorundam febris.

POeta Antipater Sidonius, omnibus annis, vno tantum modo,die quo genitus erat, febri implicabatur. Cumque ad vltimam ætatem perueniſſet, natali ſuo certo illo circuitu morbi conſumtus eſt. *Valerius Max.c.6.l.1.Plin.Nat. Hiſt.lib.7.ca.51.*

Vidit *Raſius Tex. 16. Continentis*, ſemel in anno inuadentem perpetuo. *Thomas à Veiga. comm. ad lib. 2. Gal. de diff. feb.*

Magiſter Iacob. Vero de Firmo, pluribus annis, vna die & hora, habuit vnum paroxiſmum febris ſemel in anno. *Gentilis com. ad proxime citat. Auicennæ textum.*

Ioannes architectus ſingulis annis ſtato die, hoc eſt,quo natus fuerat,febre implicabatur: quæ ex putreſcente bile genita,ſuum circuitum ſeruans, quartum & decimum non tranſgrediebatur diem: donec ſenio confectus, & eadem ex more complicitus febri natali ſuo die vi morbi proſtratus, naturæ conceſſit.*Beniuenius c.84.Abditor.*

Virum quendam nouimus,qui ſingulis annis, eo die,quo in lucem exiuit, paroxyſmo euidente ſatis corripiebatur, reliquo vero in tempore recte valebat:immo adoleſcens, de quo curatio noſtra agit,nō ſolum præſenti hoc anno, hæc dicta paſſus eſt, ſed elapſo anno, etiam eodem tempore omnia ſimilia habuit.*Luſitanus Schol.ad curat.75.cent.7.*

Vidi febrem annalem, imo febrem in die natali ægri perpetuo inuadentem. Vidi aſſuetum in anno ſemel febrire per tres dies non amplius. *Thomas à Veiga comm.ad lib.2.De diff. Feb.*

OBSERVATIO.

De febribus quintanis, ſextanis, ſeptimanis, octanis, nonanis,alijſq; raris & admirandis. periodis.

INter febres,quædam continuæ ſunt, quædam interdiu tenent, nocte intermittunt: vel nocte tenent,die intermittunt:nonnullæ ſemitertianæ ſunt, Tertianæ,Quartanę,Quintanæ,Septimanæ,Nonanæ.*Hipp. lib.Sect.3. Text.2. De Morb. vulg.*

Iam cum eſſe aliquas dicit febres Quintanas, aut Septimanas,aut Nonanas, non de dictionis ſignificato,ſed de re ambigitur?Nam ſunt medici qui confirmant vltra diem quartum circuitum ſe nullum conſpexiſſe. Quidam aſſentiuntur Hippoc. Equidē inde vſque ab ipſa adoleſcentia obſeruaui ad hunc diem,ſed Septimanum,vel Nonanum omnino non vidi nec clare nec obſcure.Quintanos certe vidi circuitus obſcuros , ſed non exacte aut aperte, vt quotidianos,tertianos,& quartanos. Sed res (quantum equidem cenſeo) quandoquidem ex experientia de ipſa iudicium fit, ratione non quærit demonſtrari. Si enim ſit qui exacte conſpexerit, & crebro , aut ſeptimo quoque aut nono die acceſſiones fieri (neque enim iterum aut ter ſit vidiſſe ſatis) ſed ille inductus, eſſe nonnullos etiam tales circuitus.Sin autem non viderit ab initio ætatis ad ſenectutem vſq; quos viſit ægros frequentes eo febricitare modo, iam illi hoc conſtat è diuerſo , nō incidere eiuſmodi

circui-

circuitus. Quamobrem in Hippocratem cum ratione diſputare, quod Diocles fecit, valeas. Nam quibus dicas ex ſignis, aut humoribus oriri, vel Quintanum, vel Septimanum, vel Nonanum circuitum nō habebis. Quinimo reſcripſit quēnquam ita ægrum laboraſſe. Et quidem erat hoc eius officii, vt communia præcepta alia non parum multa priuatis plane fecit exemplis; iam idem quoque in his præſtare: Verum ſciendum eſt in multis exemplarib. eſſe ſcriptum initium huius capitis genere orationis, quod ἀσύνδετον vocant, ad hunc modum: Febres continuę interdiu tenent, nocte intermittunt, nocte tenent, die intermittunt. Quod cum dixi vocari genus ἀσύνδετον, ſimul explicaui eius interpretationem. Oportet autem tāquam in numero nos dictorum adiunctas intelligamus, quæ prætermiſſæ ſunt in orationibus, coniunctiones. *Galenus comment. ad eundem Textum.*

Septimana longa eſt, verum non lethalis. Nonana hac longior etiam, at non lethalis. *Hipp. lib. eodem Sect. 2. Text. 7. De morb. Vulg.*

Neque Hippoc. decet diffidere (præ ſe fert enim oculis arbitrata hæc conſcribere) neq; mentiri conuenit, dicereque etiam ſeſe vidiſſe. Quare obſeruandum eſt nobis ſedulo, & experientia de veritate exiſtimandum: ſed ita vt idem nō nobis accidat, quod vulgo hominum, qui aliquem forte conſpicati, qui ſeptimo die iterum ac tertio febricitaſſet, ab initio duxerunt eſſe quendam ſeptimo die circuitum. Poteſt enim caſu id interdum euenire, atque adeo ſimplici etiam victus ratione. Qui enim ægroti non prorſus ſunt affectione morboſa liberati, ſed ſemen aliquod retinuerunt, his vſu venit ad victum negligentioribus ſæpe ſexto die à principio febricitare, ſæpe ſeptimo, non raro octauo, ſæpenumero alio: & cum febris ceſſauerit, putantibus ſe prorſus eſſe liberatos, eodem omnino victu vtentibus, ex ſemine morbi reliquo totidem diebus in eandem affectionem deueniētibus, ſimiliter febricitare. Quod quidem ſæpe poteſt accidere, vt & æquale ſit, quod affectionis eſt reſiduum, & ægroti eundē victum habeant. Hic vero reuera eſt circuitus morbi, quando exacte ab illis ſeruata victus ratione febris in idem conſtitutum peruenit, quemadmodū fieri in Quartana videmus. *Gal. comm. ad eundem Text.*

Quintana peſſima omnium. Etenim, & ante tabem, & iam tabidis ſuperueniens, perimit. *Hipp. lib. 1. ſect. 2. Text. 9. De Morb. Vulg.*

Tabidi hectica febre laborant nunquam ceſſante: cuius totam naturam, vt cæterorum *in comment. de differ. febr.* didiciſti. In quibuſdam vero vidi ei immiſtam aliquam ex circularibus, aut tertio quoque die inuadentibus, aut quotidie: at vt Hipp. ait etiam infeſtantur Quintana, de qua eadem à nobis dicta puta, quæ de Septimanis paulo ante & Nonanis audiuiſti: *Galen. comment. ad eund. Text.*

Quartanæ, Quintanæ, Septimanæ, & Nonanæ, quibus iudicentur circuitibus. *Hipp. lib. 1. ſect. 2. Text. 17. de Morb. vulg.*

Vt *in libro Præſagiorum* omnem abſoluet de dieb. decretoriis diſputationem, ita de circuitibus quoq; At nuſquam de quintanis meminit, vel ſeptimanis, vel nonanis, non modo in præſagiis de ipſis quicquā prædicens, ſed ne *in Aphoriſ.* quidem. Enimuero cū *in libro Præſagiorum* dixit, fit autem quartanarum etiam ſtatus hoc ordine: Et *in Aphoriſ.* Exquiſitam Tertianam ſeptenis iudicari circuitibus: Poterat eadem opera de quintana, ſeptimana, & nonana idem pronuntiare, ſi ita ſcripſiſſet: Fit autem quartanarum etiam ſtatus, eodem modo quintanarum, ſeptimanarum, nonarumque hoc ordine. *Galenus comment. ad Text. eundem.*

Non oportet vt negentur ægritudines quas non contingit habere in tempore quodam, & regione, nam hoc genus non comprehenditur per multitudinem. Neq; iterū oportet, vt dicatur quod ſi eſt quartana, tunc neceſſe eſt vt ſit materia quinta: nam melancholia generat quartanam non propter hoc ipſum quod ipſa eſt melancholia, imo propterea quod ipſa eſt pauca, groſſa. Etiam nō eſt longinquū, quin ſit in quibuſdā corporibus melancholia groſſa, pauca, cui accidit putredo. Et non conuenit alicui vt dicat poſſibile eſt in phlegmate vt fiant ii paroxyſmi alii, quando incraſſatur, & minoratur: quoniam cōceſſio eſt res ampla: & raro fit poſſibile vt neceſſario conſequatur eius contradictio. Amplius non eſt diſpoſitio in conceſſione eius quod nunquam videtur, & non auditur, neque contradictio experimentator, aut ſapiens, ſic vt conceſſio eius eſt, quod teſtificatur qualis Hipp. Et iam retulit mihi fidelis quidam ſe vidiſſe nonanam. Quintanam vero nos multoties vidimus: & non cogimur propter hoc dicere quod illic ſit humoralius. *Auicenna canon. lib. 4. Fen. 1. tract. 2. cap. 67.*

Non tantum quotidianus, & tertianus, & quartanus: ſed & quintanus, & ſeptimanus, & nonanus. vt *ab Hipp.* dictum eſt, *primo epide. par. 3. tex. 2. & 7. & 9.* quanquam hoc etiam in cōtentione apud medicos: quandoquidem videntur à Galeno negati hi circuitus in commentatione loci prædicti: quo loco negat ſe aliquam talem febrem vidiſſe diſtincte: & videtur ratione Dioclis aduerſus Hipp. commendare; tamen reuera *Gal.* ſub dubio rem reliquit, & *libello de Typis* talium circuituum mentionem fecit, quāquam video in eo loco Galenum non loqui de illis propria ſententia, ſed differere de Typis aut formis (nihil enim intereſt) recepta de hac re aliarum opinione, quia ad eam tractationem admitti poterāt aliorum placita, doctrina nihil læſa. Sed *Auicen. Fen. prima quarti, & tractatu ſecundo, cap. 71.* proprio experimento confirmat: tales circuitus ſolere eſſe febribus: cuius ſententiæ ego hac in parte aſſentior firmiter, quippe qui multo antequam medicinæ ſtudere cœpi, febrem octomanam in quodam ſene, quæ multis annis durauit, ſum conſpicatus, præterquam quod eſt hæc ſententia Hipp. qui nihil ſcripto mandauit temere, itaque febrium circuitus non reſpondent humorum numero: ſed fieri poteſt, vt humor aliquis propter multitudinem aut paucitatem aberret à propria periodo. Nam Auicenna cauſam quintanę & ſeptimanæ febris eandem eſſe dicit cum cauſa quartanæ: cæterum propter humoris paucitatē fieri, vt febris quinto & ſeptimo die repetat, igitur periodus febrium, etiam docente Auicenna, ex quātitate & qualitate humoris fit, nec ſolum hoc humori melancholico accidere loco citato dicit, ſed bili & pituitæ contingere poſſe: vt propter paucitatem materiæ vltra conſuetos terminos protrahantur, quod non minus cenſeo eſſe verum: cæterum hoc non tollit, quod de quotidianis, tertianis, & quartanis con-

ſenſu omnium autorum docetur: fieri ſcilicet, quotidianam ex pituita, tertianam ex bile, & quartanam ex melancholia. *Franciſc. Valleſius controuerſ. medicar. philoſophicar. lib. 5. cap. 25.*

Fateor me vidiſſe quintanam & ſextanam: Et eam quæ ſemper de 15. die in 15. diem inuadebat: & hoc fuit in Bernardino de Burinatis, de Pæruſio. *Gentilis comm. ad allegatum Auicennæ Text.*

Ego magnificam Dominam Catharinam de Lamirandula vidi laborãtem quintana pluribus menſibus, à qua tandem ſanata fuit. *Ioan. Arculanus comm. ad eund. Auicennæ Textum.*

Teſtor me vidiſſe ſeptanam & nonanam & ſanatos ab illis. Vidi qui nono quoq; die patiebatur per triduum acceſſionem quotidie, in quo circuitu durauit per menſes: tamen omnes hi conualuerunt. *Thomas à Veiga comment. ad cap. 4. lib. 2. de diff. feb. Galeni.*

Vidi tum primum & quintanam & ſeptanam febrem quarum *in Epidem.* mentionem fecit *Hipp.* mortui ſunt plurimi, ſed in primis iuuenes, &c. Fiunt quintanæ febres & ſeptanæ ex aduſtionis vehementia ſupra nat. humoris melanch. *Gemma. coſmocrit. lib. 1. cap. 1.*

Achias adoleſcens temperatura ſanguineus, inchoante hyeme, febri correptus eſt octana, quæ ad medium veris vſq; perdurauit, non quidem obſcuris, aut abſconditis paroxyſmis, ſed euidentibus, & ſatis manifeſtis circuitibus; ſingulis nanque octo diebus adoleſcens hic horret, horrore quidem horam perdurante vnam, exinde ſubſequitur febris quindecim fere horas eum affligens, ſed poſt ita recte valet, ac ſi nihil mali paſſus eſſet, imo munia ſua omnia illico exacte conficit: artem autem textricem exercet. Cæterum incipiebat paroxyſmus ante lucem ſabbathi, perdurabatq; totum fere diem, qua de re, hæſitare cœpi, an ob errorem aliquem commiſſum ab adoleſcente in ea nocte, præcipue in cibo & potu, febris hæc veniret: ſed cum experior, nihil tale eſſe depræhendo; ſolent namque hæbrei, præcipue artifices, nocte ſabbatho dicata, maiori otio vacantes, liberalius cibari, ſed, vt dixi, adoleſcens hic in hoc non delinquebat, imo certus fui eum nocte m hanc continuo abſque cibo & potu tranſigere, eueniebat igitur febris, vt huius generis alia, ab humore melancholico, pauco, ſed bene craſſo: pro quo abigendo, & ſanitate huius iuuenis recuperanda, cum multa cõcinne & ornate data ſint medicamenta, ſanatus eſt. *Amat. Luſitanus Curat. 75. cent. 7.*

Experientia mihi bis teſtata eſt, dari certo octauum circuitum, & octanam febrem: Alteram enim vidi in nobili Equite, non vltra vigeſimum quintum annum agente: Alteram autem in muliere quinquagenaria. *Salius c. 12. Annot. ad Altomaris Pract.*

Mulier annorum quadraginta, tenuioris fortunæ, quæ ex Meslandia anno 1560. die 16. Martii conſultandi cauſa vna lotium adferens, me acceſſit. At quantum ego conicere poterã cachexia laborabat, crura inflata erant, venterque plurimum eminebat, qualis hydropicorum eſſe ſolet, lotium, quod iudicandum attulerat, crudum ac ſatis tenue erat, neque hypoſthaſim aliquam habebat. Cum igitur ex ea rogaſſem, numquid quartana laboraſſet? ſtatim annuebat eam autumno præcedente habuiſſe ad tres fere menſes, ſed nunc in quintanam perfecte tranſmutatam eſſe, quæ ſeſe quatuor diebus naturalibus intermittebat & quinto die manifeſte redibat, quæ & eo ordine vſque in menſem procreaſſet, quamuis nunc rurſus in quotidianam intermittentẽ prolapſa, quæ ſub noctem inuadebat, licet mitius quam antea cum calore non admodum intenſo, cruribus tamen tum ventre in maiorem molem increſcẽtibus. Interea dum lotium inſpicio, rogo numquid grauitatem quandam tum dolorem præſentiret in aliqua hypochondriorum parte? mox reſpondit, hypochondrium dextrum dolere, quod cum tetigiſſem, deprehendi leuem duritiem adeſſe, potius tamen obſtructionem quã ſcirrhum: quamuis ex cachexia apparente in id malum tranſmutari poſſe verebar, & ab eo hydropem ſubſecuturam. Quare hoc decoctum præſcribo, quod materiam viſcoſam, pituitoſam, melancholicã ſimul incideret, euacuaret, cum paupercula eſſet, neque multis remediis vti poſſet. ℞, cort. rad. fæniculi, petros. ireos, cichorii an. vnc. s. capill. Ven. agrimon. ceterach, caſſuthæ, ſoldanellæ an. M. s. liq. raſæ vnc. s. vuar. paſſũ. enucle. vn. j. folior. ſenæ vnc. j. s. ſem. dauci fæniculi an. drach j. s. fiat decoctio in aqua comm. pro lib. j. fortiſſ. expreſſ. adde ſyr. de eupatorio, de quinque rad. de cichor. Nicolã cum rhab. (ob febrem) an. vnc. j. miſce pro quatuor doſib. matutinis, quo melius habuit, vt poſtea mihi relatum fuit, quamuis ad me non redierit. *Foreſtus obſ. 43. lib. 3. de feb.*

Quintanas tres Curtius ſuo tempore vidit ſed inſtabiles: Et nos præter hãc quintanam, qua hæc mulier afficiebatur per menſem, aliam quoq; ſemel in tabida nobili muliere conſpeximus, quæ etiã in eadem lethalis fuit. *Idem Scholio ad citatam obſ.*

Quod ex his experimentis colligitur, eſt: cauſam horum periodorum eſſe naturæ aggreſſum per certa interualla ad humorem aliquem latentem in corpore, quicunque ſit: neq; mirum eſt non ſemper ſeruari vnum ex tribus periodis in aggreſſu humoris, quia doctrinę illæ innatæ, & leges pugnandi nõ ſunt magis perpetuæ, quam doctrinæ formãdi hominis, in qua tamen formatione ſæpe natura cõmittit nouitates, diſcedens à communi formatione propter debilitatem virtutis, aut propter materiæ ineptitudinem. Sicut etiã in doctrina innata criticandi: nam dies critica definitur, in qua frequens fit bona criſis: Raro vero etiam accidit in non critica. Sic dies ad pugnam frequentes periodici obſeruantur à natura illi tres: rari autem ſunt multo plures, & experimentum confirmat hanc clauſulam. *Thomas à Veiga lib. 2. de diff. Febr.*

OBSERVATIO.

Hebdomadaria febris.

MEmini me vidiſſe quoſdam qui apud me conquerebantur quod vnaquaq; hebdomada ſentirent febris acceſſionem veluti eum horrore inuadentem. *Hector Gibaltus comment. ad cap. 7. lib. 1. Gal. de diff. Febr.*

OBSERVATIO.

Menſtrua febris.

ANno 1555. Nepos Epiſcopi Gratianopolitani, quum præter alios affectus conquerebatur quod ſingulis menſib. vnicam febris acceſſionẽ experiretur.

Atque

Atque huic remedia adhibuit Ant. Saporta Medicus optimus & illuſtris, quem tum honoris gratia comitabar, quod eum mihi imitandum, ob ſingularem peritiam in medendo, propoſuiſſem. *Idem citato loco.*

Observatio.

Quinquennium integrum febricitans ſine incommodo.

VIdi qui per annos 5. perpetuo febricitauit, neq; macilentum tamen, neque in aſſuetis operibus valde impeditum: Quod enim dixit *Auer. 7. Col. 31.* monſtra accidunt in arte medica non ſecus quam in natura, quo autem fiat probabilius cauſam horum periodorum eſſe certam inuaſionem naturæ, reducamus in memoriã quam crebro occurramus ægris, qui cum nihil minus quam pituita laborent, tamen ſtata quadam & certiſſima hora quotidie inuaduntur tuſſi tam importuna, vt ne momento quidem deſiſtant à tuſſiendo ante ſanguinẽ miſſum: alii cardiaco ſymtomate in ipſo mediæ noctis articulo corripiuntur: alii dolore certi membri: aut Epileptica acceſſione: aut vterina. Quæ omnia tam conſentanea ſunt huic aſſertioni, quam oppugnat Gentilis opinionem, quod atra bilis à proprietate formæ ſuæ per quaternarios ſponte ſua mouetur, aut Hercul. opinantis proprietatem illam eſſe repugnantiam ad naturam mouentem. *Thomas à Veiga Comm. ad lib. 2. Gal. de diff. Febr.*

Observatio.

De ſeptennio in ſeptennium febricitans.

QVidam, teſte Gilberto Anglico, teſtati ſunt ſe vidiſſe febres de ſeptennio in ſeptennium. *Foreſtus ſchol. ad obſ. 43. lib. 3. de Febrib.*

Observatio.

Perpetuo febricitans.

QVibuſdam perpetua febris eſt, vt C. Mœcenati. *Plin. Nat. hiſt. lib. 7. cap. 51.*

Observatio.

Phlegmonas internas, alioſq; morbos nonnullos becticam inducere poſſe.

VIdi inflammationi laxioris inteſtini diutine ſuccedere marcorem, ac ſtomachi, ac veſicæ, ac renum. Fuerunt autem nonnulli, qui affecti erant difficultate inteſtinorum, tali febre correpti, quum ſcilicet laboraſſent inflammatione inteſtinorum. Atq; etiam leuitates inteſtinorum, & fluores inteſtinorum diutinos (quoties ſtatim ab initio, aut tempore præcedente febris exigua incidit) marcor ipſe ſubſequitur. Et vt in ſumma dicatur, quoties præexiccatum cordis ipſius corpus febrilem calorem ſuſceperit, ſolutu difficilem. *Hect. Gibaltus comment. ad cap. 12. lib. 1. De diff. Feb. Gal.*

DE HECTICIS.

CVRATIO.

Observatio.

Aqua ex teſtudinibus curatus quidam ex hectica.

TEſtudines nemorales pauca egent preparatione; quamuis earum ius eſt facilius concoctu: limaces montani ſunt meliores, & optime nutriunt, ſi per aliquot dies non paſcantur: poſt tamen ſaccharo & farina nutriantur duobus tribuſve diebus, dummodo prius decoquantur aqua & pauco ſale, poſtremo iure optimo gallinæ, vel arietis. Hac ratione præparati, refrigerant, humectant, & bonum ſanguinem generant, nec difficiles ſunt cõcoctu: quamuis aqua ex ipſis ſolis per deſtillationem expreſſa ſit concoctu facilior, & eandem facultatem habeat: qua curatus fuit Illuſtriſſ. Marchio Zenetanus ab egregio Doctore Medico Doleſa Valentino. *Ioan. Michael Paſchalius Method. medend. li. 2. c. 8.*

Syrupi de Teſtudinibus deſcriptio Reſumtiua, exſtat *apud Franciſcum Alex. in Apolline.*

Observatio.

Ex putridis febribus in tabem tranſeuntes, vt lactis vſu reſtituti nonnulli.

NOs egregie fatemur multos curaſſe cum lactis adminiſtratione, qui præſenti iam vniuerſali declinatione putridarum febrium, quibus laborauerant, erant præter naturã conſumti, quorum tres tantummodo recenſebimus.

Vnus fuit Tarlatinus Tiphernas, vir quidem in armis ſtrenuus, qui longa admodum ægritudine, nõ ſolum præternaturaliter conſumtus, ſed quaſi tabidus. Accerſitus ergo ad ipſum curandum ex Peruſia Tiphernum (tunc enim Peruſiæ medicinam theoricam ordinarie interpretabar) quamprimum hominem vidi, non hominẽ, ſed hominis oſſa ſola cuti cooperta vidiſſe putaui. Quod ipſe ſagaciſſimus aduertens ſubtriſtis dixit: Magiſter me iam non hominem, ſed ſaccum oſſibus plenũ tibi trado. Tunc ego ſingula quæ medicum decent, ab ipſo perquirens, conſideratiſq; diebus ſequentibus & pulſu & excrementis, cognoui hominẽ putrida laborare, exacerbabatur enim febris quotidie poſt meridiem, quod ſolis datur putridis, cumq; neq; capitis adeſſet dolor, neq; iliorum murmuratio, neq; ſitis, & denique illorum nullum quæ lactis potum ꝓhibent, iniunxi ſumere lac caprinum, quoniam humanum ſe aſſumturum negauit, & quamuis quidam præexiſtentes medici, propter febrem putridam, ſententiam hanc non approbarunt, vicit apud infirmum conſilium noſtrum. Purgato itaq; prius ventriculo ac toto corpore, cœpit lac aſſumere, & proſequens pluribus diebus, tandem conualuit.

Habui & Peruſię adoleſcentem quendam nomine Iuo, qui vltra duos mẽſes pituitoſa febre laborauerat, eratque extenuatus valde, cum autem febris in declinationem iam veniſſet, exhibui leue ſolutiuum, & iuſſi ipſum adduci ad paternam villam, quæ proxima eſt ciuitati, ibique lacte nutriri caprino, ꝙ exeũte patre, adoleſcẽs ſanus & pinguis redditus eſt.

Anno quoq; quarto poſt aduentum meum in vrbem, erat Romæ Reuerẽdus Dominus Petrus Bembus Patritius Venetus, vir Latinis Græciſque literis eruditiſſimus Leonis Decimi Pontif. Max. à Secretis, qui cum febricula quadã ex catharro pendente laborare cœpiſſet, protracta in longum febre & facta demum dependens à catharro, mirum in modum conſumtus fuit, ita vt merito plures medici nobiſcum conuenirẽt, primam ethicę ſpeciem in eo cum putrida coniunctã eſſe: iuſſi igitur vt lac biberet muliebre, quod per annũ & vltra obſeruans, & ſemper

ab

ab vberibus ipſum abſorbens, præter plurimorum Medicorum opinionem ſeruatus eſt. Poſſemus & alios plures enumerare; ſed iſti pro viris probis ſufficiunt. *Hier. Acorombonius Eugub. lib. de lacte.*

OBSERVATIO.

Hecticarum febrium per balneas curatio.

IVVENIS εὔσαρκος cui abunde ſit carnis, æſtatis tempore, atque in febris ſummo vigore, modo nulla viſcerum phlegmone ſubſit; ſi in frigidam ſe coniecerit, ſudabit. Quod ſi frigidæ lauationi ſit aſſuetus, ſecurus remedio vtetur. Qui autem ex calida & ſicca intemperie hectica febricitant, ac potiſſimum qui iam maraſmodes fiunt, iis, vbi tale præſidium petunt, tutum non eſt in totam coniici: æque vt nec gracilibus & imbecillis, qui æſtate calida & ſicca longa via peracta refrigeratione indigēt. Nam neque his tutus eſt frigidi ſolii vſus, niſi prius fuerint in balneo æqualiter excalfacti. Quippe ſimile quiddam nobis accidere videtur, cum in frigidum ſolium poſt balneum ingredimur, ei quod ferro accidit, cum tingitur; etenim tum refrigeramur, tum roboramur, quemadmodum & illud, vbi candens iam redditum frigida mergitur. Atque huius rei cauſſa ad imbecilla corpora inuentæ ſunt balneæ, quæ ea præcalfaciant, atque ad frigidum ſolium præparent. Non diſſimile quiddam faciunt & qui ſine balneo frigida vtuntur, cum ſcilicet ſe ab exercitatione in eam ſaltu demittunt. Siquidem cuiuſmodi nobis eſt balneum, eiuſmodi illis eſt exercitatio: vt quæ non tantum calfaciat, ſed etiam inſiti caloris motum à profundo corpore extrorſum conciet, ſic vt & frigidæ impetui occurrat, & quo minus violenter in profundum ruens viſcerum aliquod feriat, aduerſetur atque prohibeat. *Gal. lib. 10. capit. 10. Meth. Med.*

DE FEBRIBVS COMPOSITIS.

OBSERVATIO.

Febris duarum tertianarum.

QVidam noſtri ſeculi Medicus, Philoſophiæ magis quam medicæ artis peritus, cum vxorem Iacobi Pactii equitis Florentini curaret, quæ duabus tertianis vexabatur, mittere ſanguinem vtiliſſimum iudicauit: quod & ego, cui ſimul cum illo cura demandata erat, penitus non improbabam: cum bilis ſanguini mixta videretur. Sed & multa tamen pituita exuperabat. Igitur venam incidendam quidem cenſui: ſed tentandi gratia, vt ſcilicet colorem ſanguinis habitumque diſcerneremus. Qui ſi craſſus & niger eſſet, tanquam vitioſus largius effunderetur: ſin contra ruber & pellucens, tanquam integer ſeruaretur. Inciſa igitur vena, ſanguis effluxit rubicundior. Quare, dimiſſo iam caliculo, ſupprimendum cenſui: ille contra deducendum. Verum cum eſſet ipſa ætate profectior, eius magis ſententiæ inhærentibus coniuge & propinquis, ad duas ſane libras ſanguinis miſerunt æque lucidi ac rubri. Quare, cura omni ſeniori illi relicta, protinus diſcedo, palàm affirmans atque conteſtans iugulatam eſſe mulierem: quod & paulo poſt rei euentus facile comprobauit, cum paucis admodum diebus mulier ipſa defectis iam viribus, ac voce penitus exhauſta, in ſomnum inciderit grauiorem; ex quo tandem mors ſubſequuta eſt, ob nimiam ſcilicet humorum cruditatem, quæ ex ingenti ſanguinis profuſione contingere ſolet. Quare debet ſemper Medicus, ſi diligens ſit, in omni ſanguinis miſſione conſiderare, vtrum craſſus & niger, an contra ruber & pellucidus ſit. Quod ſi niger & craſſus, vt vitioſum effundi, ſin contra ruber & pellucidus, vt integrum ſupprimi iubere. Tantum enim abeſt vt eiuſmodi ſanguinis, rubri ſcilicet atque pellucidi, miſſio proſit, vt etiam plurimum ſemper obſit. Sed excidit homini documentum filii ſeni: quo in miſſione ſanguinis, cum bilis accenſionem, tum & pituitæ cruditatem plurimum cauendam cenſuit. *Beniuenius Abditorum capit. quinquageſimo.*

OBSERVATIO.

Febris continua; cuius characteriſmus duas tertianas vſque ad 14. diem expreſſit.

PRæclarum vidimus exemplum in caſu Clariſſimi Domini Melchioris Schæti, cum circa Auguſti finem Anno 1562. multis ſtudiis ærumniſque anteactis in febrem continuam incidit; cuius characteriſmus duarum tertianarum aſſultus exactiſſime referebat vſque ad decimum quartum diem. Huic primum ex ſanguinis aduſtione ſumma per cauſſas procatarcticas plures orta eſt vehemens obſtructio, tum in hepate & mezaraicis venis, tum in vena caua, & partibus quæ ſupra hepatis gibbum ſunt conſtitutæ, quemadmodum ex pathognomicis ſignis propriis demonſtratiuis facile fuit colligere. Per obſtructionem nata putredo eſt, & hepatis ingens incendium; hinc rurſum ſudores copioſi, & ventris perturbatio partim naturalis, partim ſymtomatica; à quibus tandem extrema ſiccitas neruoſarum partium, ſtupor in extremitatibus digitorum, affectus conuulſorius in larynge cum deglutiendi difficultate, vt ſane non leuis hic controuerſia fuerit, an concitato ventri magis ſit promouendus, an diuertenda materies potius vniuerſa per vrinas, an naturæ denique ſecundum ordinem & cum intellectu agenti negotium in declinatione febri penitus committendum. Nam ſupereſſe materiem, quæ purgamentis indigeat, ſatis eſt demonſtratum: ſed ex eo iam impendebat periculum, ſi per aluum ducetetur, eo quod venter ante in lubrico poſitus facile incitetur, totamque ſaburram à circumferentia trahat ad centrum ſucceſſu continui ſcilicet ad impediendum vacuum. Vnde & neruoſarum partium ſiccitas maior, hepatis obſtructiones nouæ, ex obſtructione febris, vel marcor, vel apoplexia denique ad quam natura & mali ſpecie tum viſus eſt propediſſe. Cunctandum itaque duximus natura iam occupata circa 14. diem (quo vocatus fui) donec ctiſem inceptā ſponte perficiat: nec ſpes fefellit; nam poſt aſſultus cæteris grauiores, ſecutus eſt vehemens ſudor atque catholicus, mox & excrementorum alui permutatio in craſſius multo magiſque concoctum. Vrina, quæ hactenus ruſta cum leni hypoſtaſi, ſed rara ſemper occurrit, in craſſam, turbidā, copioſam, & digeſtam

optime transformata eſt. Secutus eſt ſomnus vberior, à quo experrectus leuari ſe plurimum ſenſit: verum reſtabat ariditas ingens, cui paulatim humectantibus ſimul ac refrigeratoriis medicamentis (vt fere ſunt cibi medicinales) moderata ſimul inciſione præditis occurrendum duxi, ne ex hepatis ſiccitate malorum circulus fieret, qualem ab initio metuebamus. Sed & hoc conſilium vel ante acceſſum meum prę oculis habuerunt doctiſſimi Medici Antuerpienſes tres, qui niſi cauiſſent ſingula eo quo diximus modo, non dubium quin æger vel vno ex morbo in alios infinitos, in ſcyllam ex charybdi decidiſſet, vel quam celerrime vitam cum morte commutaſſet. Hunc caſum ex infinitis aliis exceptum eo libentius huic ſubieci loco, quia cum hæc tractarem rei geſtæ nobis recentior eſſet memoria, & accurata diductio propter induſtriam Medicorum, qui illi per totum fere morbi curriculum ea aſtiterant ratione, vt methodi veræ nullum potuerit dari exemplum maius, quorum præcipue ſummi Philoſophi D. Bekanus Medicus olim Reginæ Hungariæ, &c. & D. Aluarus Nonius, non poſſunt mihi non ſæpius iucundæ conſuetudinis atque colloquii memoriam in animo refricare. *Cornel. Gemma lib.3. Art. Cyclognom. pag.*111.

Observatio.

De puero ſanguinis profluuio è naribus & tertiana duplici laborante, Hiſtoria mira.

PVER Rhœtus Hector, de Nobili familia, quæ nomen habet à ſalicibus, annum ingreſſus tertium decimum, quum diu hepatis obſtructione & arquato morbo laboraſſet, tandem vbi Tigurum venit duplici tertiana correptus eſt. Traditus erat Ludimagiſtro inſtituendus, qui nec Medicos conſulebat. (Neque ob febres ciues noſtri ad Medicos confugiunt, niſi perpauci, & poſt decimum forte aut vigeſimum paroxyſmum) neque victus rationem vllam puero eiuſque morbis conuenientem adhibebat, ſed puerum quibuslibet ſine diſcrimine vti ſinebat. Primis ſeptimanis tribus elapſis mihi curandus traditus, meæ fidei commiſſus fuit, Curationem aggreſſus ſum: puerum eiuſque præceptorem interrogaui, an febres aliquo modo mutatæ eſſent, ferocioreſne, an mitiores ipſis viderentur, malave aliqua ſymptomata accidiſſent, & huiuſmodi multa quæſii. Nihil notatu dignum, niſi quod ſanguis è dextra nare ſæpius fluxiſſet, retulerunt. Hoſpitium illi mutaui, vt commodius & diligentius curaretur: nobilis enim matrona è noſtris Locarnenſibus, ob veterem, quam cum illius parentibus Clauennæ contraxerat, amicitiam, puerum ad ſe libenter recepit, & curam eius quam maximā habuit; erat enim circa ægrotos ad miraculum ſedula & diligens. Victus rationem bonam præſcripſi, ſerapiis vteretur quotidie obſtructiones liberantibus, hepar iuuantibus, & refrigerantibus, imperaui, qualia ſunt de Biſantiis, de Lupulis, de Endiuia, de Radicibus, de Eupatorio, Oxymeli ſimplex, & quæ ſunt huius generis alia. Sanguis interea ſæpius è nare fluebat, ſed modice, febres ex eo minuebantur, ſed rigor vel frigus (vt ſi bilis ſola non eſſet, ſed coniunctam nō haberet pituitam) quotidie ſub meridiē vel paulo ante inuadebat. Miratus ſum in primis non parum hos morbos, hos; ſcilicet icterum & tertianas, ſanguinis profuſione non fuiſſe curatos, cum & tertianæ & hepatis affectus plerunque ſoluantur ſanguine per nares effuſo, præſertim ſi è dextra nare id fiat. Quippe ſanguinis eruptionem eiuſmodi laboranti hepati auxilium præſentiſſimum afferre conſueuiſſe Galenus aliquot in locis prædicat. Quanquam in memoriam mihi tum reuocabam, quod ſi euacuationes aliquæ tanquam criſes ſuperueniant, probæ cōctionis ſignis non apparentibus, boni nihil ſperādum ſit, quia non ſunt veræ criſes, bonæ, à natura victrice factæ (tales enim morbis iam concoctis & deuictis in ipſis vigoribus vniuerſalibus & declinationibus fiunt) ſed à morbi vi, & eius prauitate, aut aliquo alio præter naturam affectu excitatæ, aut mala quædam ſymptomata ſunt morbis ſuperuenientia, de quibus omnibus copioſe & clare *in Aphoriſmis, & libris de criſibus* pertractatur. Porro febrium acceſſiones alternis diebus fortiores erant, qualis fuerat nudiuſtertius, talis hodie erat; qualis heri, talis erit futura. Videbatur autem altera futura ſatis pura tertiana, altera vero notha: niſi ad infebricitationē quandoque veniſſent, ſemitertianam iudicaſſem. Die ægrotationis trigeſimo ſecundo, cum bene, vt ſolebat, dormiuiſſet, ſanguis è nare erupit, horis circiter quinque fluxerunt ſanguinis (quantum coniectura aſſequi licuit) libræ tres, vel aliquid amplius, libram intelligo medicinalem, quæ vncias habet 12. Nō eſt autem quod nunc mireris: nam cum paulo poſt audieris multo plus ſanguinis vna vice fluxiſſe, tum admirationi locum dabis, remedia permulta interea dum flueret ſanguis adhibebantur quidem naribus, fronti & partibus inferioribus, vt & repelleretur ſanguinis impetus ille, & reuelleretur fontem ſuū verſus: ſed omnia fruſtra. Paroxyſmo autem febris accedente, ſanguinis fluxus ſuppreſſus eſt, febri declinante. Ad veſperam bene habuit, niſi quod erat debilior. Ea nocte ſuauiter dormiuit, ſequentibuſque diebus tribus robur mediocre reſumſit, febres tamē de more accedebant. Trigeſimo ſexto die ſimiliter mane ſanguinis ꝓfluuium rediit, tentata ſunt multa, ſed incaſſum. Secta quoq; ei fuit humeraria, verū ꝑpaucæ guttæ fluxerūt. Dices, cur in tenella ætate venam ſecare auſus eſt? qȧ reliquo omni remediorum apparatu ſine ſucceſſu vtebamur: item quia puer ipſe copioſo ſanguine ꝓfuſo non multū debilitabatur, vt magna cū admiratione poſterius intelliges. Abſtinendū alias in pueris à ſanguinis detractione, ꝙ adiectione magis quā ſubtractione opus habeāt, duobus quidem nominibus: tum quia creſcunt, & alimento indigent plurimo: tum quia de corporis ſubſtantia, ob magnum innatum calorem, ob mollitiem & meatuum laxitatem, quotidie diffluit abſumiturve, vnde multum ſit oportet quod in euacuati locum reponitur. Quibus de cauſſis non modo à ſanguinis detractione, ſed ab omni alia magna euacuatione abſtinendum in pueris, alioqui mirum in modum virtus læditur, nec facile in priſtinum ſtatum reſtituitur. Quia vero fortiſſimus hic Rhœtus cum morbis colluctans multis dieſque nocteſque, & ſanguinis multum effundens, non multum debilitabatur, remedium illud per venæ ſectionem non euacuatiuum, ſed reuulſorium adhibebamus, parcam ſanguinis euacuationem facturi. Verum ne ſic quidem opem ei ferre potuimus: nam ſanguinis ille fluxus horis octo durauit.

Qualiti-

Quantitas maior priore fluxit, de quo inferius dicam. Sanguis fluere non deſiit donec febris inuaderet, ſicut & antea fecerat. Valida autem acceſſio illa fuit, peſſime habuit, pulſus tremulus & paruus, delirauit, ſpiritum ægre ducebat, cum morte cũctari videbatur, deſperauimus, paulo poſt febris cæpit remitti, dormiuit, ſub noctem meliuſcule habuit, ſumſit cibum, noctem facile tranſmittit. Trigeſimo nono die mane, paulo tamen tardius, profluuium adeſt, ſtillatio non erat concitata, ſed lentior; ſpem omnem abiecimus: inſcio illi, inter cætera remedia, frigida aqua repente in caput effuſa eſt, fluxum ſedauit, ſed qui cito repeteret, & lente ſtillaret, non fluxit integra libra: pulcher adhuc & rubidus ſanguis, ægrotus vero mortuis quam viuis ſimilior. Febris poſtea illum corripuit vehemens à decima hora ad ſextam pomeridianam. Sumpto cibo bene tota nocte dormiuit, compos erat mentis, vires mediocriter (mirandum) validæ, ad omnia bene ſe habuit ſitiuit ſemper multum A quadrageſimo primo die ad quadrageſimum quintum meliora fuerunt omnia, febres tamen quotidie inuadebant, anticipantes, ac videbantur in augmento adhuc eſſe, quod ad hoc attinet, paroxyſmi tamen tum leuiores, tum breuiores ſicut in declinationibus contingit, fortaſſe quia imminutum erat virium robur, quanquam prius poſt ſanguinis fluxum acceſſiones fortiores fuerant. Vrina tenuis, cruda, modica, interdum multa: quadrageſimo quarto & quinto mediocriter craſſa apparuit bonique coloris, cum nubecula, quæ concoctionem aliquam oſtendebant, noſque denuo in ſpem erigebant. Cibum more ſanorum capiebat, aluus altero quoque, ſi non omni die, ſponte ſoluebatur, bene dormiebat: caput raro & parum doluit, verum imbecillum erat, exangue. Puer animi fortitudine præſtabat, non perturbabatur, non excandeſcebat, patienter & infracto pectore omnia perferebat. A Deo ſibi immiſſum hoc malum, vt anteactæ vitæ pœniteret, dicebat: meliora, ſi ſuperuixiſſet, pollicebatur. Die 45. ſuperius commemorato, cum cœnam ſumpſiſſet, miniſtris inſciis, frater natu minor vini & panis aliquid dedit, quod accepit, quia famelicus erat. Quæ ſubſecuta eſt nox moleſtiſſima ei fuit, & febris multum anticipauit, ſanguis fluxit paucus, ſequenti die manifeſte delirauit, ſine cauſſa multum fleuit. Vrina apparuit iterum tenuis & cruda, ſub noctem à febre liber bene habuit, pulſus ſatis validus. Hora noctis 11. ſanguis denuo effluere cœpit copioſe ſatis ex eadem nare qua prius. Medicamenta quæcunq; ei afferebantur, propriis viribus, naturalibuſve, ſuis deſtituta dotibus videbantur, tanta erat vis & pertinacia morbi, quinque continuis horis fluxit. Secuimus iterum cubitum, at nihil præter ſeri ſanguinis tantillum effluxit. Cucurbitula iecoris regioni affixa nihil iuuit. Vbi febris acceſſio præ foribus eſſet, fluxus reſtinctus eſt. Fluxerunt rubicundi ſanguinis libræ tres. Quum enim profluuium hoc toties recurrere, tantamq; ſanguinis copiam è puerili corpore promanare viderem illo non modo non moriente, ſed etiam valde exiguam virium læſionem ſentiente, vt caſum ſumma admiratione dignum, quanta potui diligentia annotaui, ſanguiniſque pondus in primis mihi cognitum eſſe volui. Quod igitur prius neglexeram, curioſius obſeruare cœpi. Sanguinem ergo lanci impoſitum expendo, & libras duas cum dimidia, vncias videlicet 30. inuenio, detracto peluis ſiue vaſculi quo continebatur pondere. Pauimento autem & linteis & ſtragulis multum adhuc effuſi cruoris aſperſum erat, (vaſculo enim illo totus contineri nõ potuit) ita vt tota ſumma libras 3. facile compleuerit. Porro ex ſanguinis huius pondere, eum, qui ſecundo fluxit (de quo ſupra dicere diſtuleram) libras minimum 5. pependiſſe deprehendi, idque certo, quia duo æqualis menſuræ vaſcula impleuerat. Capit autem vaſculum vnum vnc. 30. quæ ſi bis ſumantur, libras 5. faciunt. Ex quibus nunc colligo ſanguinis libras, plus minus, 12. fluxiſſe, ab eo die, quo mihi traditus fuit, ad diem 47. ſupputatione facta à primo febrium inſultu. Eſt hæc profecto magna quantitas; vt tantum ſanguinis in humano corpuſculo fuiſſe vix credibile ſit. Atque hinc diſcere licet, non eſſe vanum quod *Galenus* ſcribit *in libro περὶ φλεβοτομίας* detractas, aliquibus fuiſſe per venæ ſectionem cotylas ſanguinis ſex magna cum vtilitate. Nam ſi puer vna vice libras 5. & breui temporis curriculo libras 12. profudit, nec tamen mortuus eſt, quid faciet iuuenis fortis, ſanguine plenus? Vnciarum 4. pondus hodie multi præſcribunt in venarum ſectionibus, qui modus licet in multis ſufficiat, in aliis tamen nihil vtilitatis affert. Paulo itaque liberalius ſanguinem ducendum cenſeo (prudenter tamen, quia multos adeo puſillanimes, & pauidos reperias, qui ne ſanguinem quidem è ſecta vena fluentem inſpicere ſuſtineant, aut quamprimum aperta eſt vena in animi deliquium incidant) quando morbi magnitudo flagitat, virium robur, ætas, anni tempus, aeris conſtitutio, & ſi quæ ſunt ſimilia, conſentiunt: maxime vbi corpus ſanguinis multitudine grauatur. Sed vt ad puerum noſtrum redeamus, 47. die in aurora fluxus, de quo diximus, deſiit, & febris inuaſit. Poſtridie bene habuit, quia febris noctu illum corripuit. Sic & tribus ſequentibus. Quinquageſimo autem ſecundo cum cœnaſſet, profluuium rediit, at cito ſuppreſſum eſt: nam febris crepuſculi veſpertini initio inuaſit. Quippe vnicum hoc fuit ſemper profluuii remedium certum, febris ſcilicet acceſſio, quia ſanguis in acceſſionibus ad ſuos fontes recurrit, fluxerunt vnciæ aliquot. Quinquageſimo tertio, hora diei tertia, ad libram mediam iterum fluxit, & ſequenti fere ſimiliter, fluxus ſponte ſupprimebatur, vrinæ concoctionem aliquam oſtendebant, febris erat mitior. Poſtero die parum ſudauit, ſed vrina cruda fuit. Sequenti ſimiliter ſudauit, vrina vtcunque concocta. Sudor ſpem nobis fecit, præſertim cum vrina non eſſet mala: videbatur enim natura peccantem materiam alio reuocare, & criſim tentare. Quinquageſimo ſeptimo, febre declinante copioſe ſudauit, cum alioqui humoribus exhauſtus eſſet, multo melius habuit. Quinquageſimo octauo vrina hypoſtaſim paucam, albam oſtendit, febris inuaſit hora 2. poſt meridiem, hora 8. declinauit, ſudauit iterum egregie, aluus ter ſoluta eſt, gauiſi ſumus, & illi gratulati. Verum (proh dolor) ſequenti hora 8. ante meridiana profluuium, quod non rediturum putabamus, rediit, ſanguis pependit vncias 28. fluxit horis quatuor. Puer nihilominus hilaris, parum debilitatus, ſenſus integri. Sexageſimo die ſomno grauabatur, ſuauiter dormiuit. Poſtridie febris acceſſit minime valida, ſed ante paroxyſmum guttæ

ſanguinis paucæ eruperunt, vbi ex paroxyſmo incaleſcere cœpit, ſudauit modice. Sexageſimo ſecundo ſanguinis nihil, febris inuaſit hora 10. ſequenti vncias circiter quatuor ſanguinis dedit, & ſudoris aliquid, febris tamen non fuit mitior. Hoc tempore frater illius natu maior, à nobis admonitus, Tigurum venit, puerum mutandi aeris gratia Curiam deduxit, inde poſtea domum. Breui temporis ſpatio integram ſanitatem recuperauit, & in virum fortem poſtea euaſit, tribus tamen annis qui ægritudinem inſecuti ſunt nihil fere creuit. Sanguis vniuerſus, qui intra menſis ſpatium fluxerat, libras minimum 15. pependit. Sententia quidem noſtra erat, illum Hectica febri, tabeve, vel hydrope conficiendum, & morborum horum initia quædam apparebant. Deus tamen illum ſeruauit, quia etiam mortuos excitare poteſt. Multi alii, qui ſanguinis multo minus reddiderunt, cito extincti ſunt. Alios rurſus vidi, qui per hæmorrhoidas copioſiſſimum ſanguinem profuderunt, & non modo non læſi inde ſunt, ſed velut à grauiſſimo onere liberati melius habuerunt. *Thaddæus Dunus Miſc. Med. cap.* 11.

OBSERVATIO.

Hiſtoria adoleſcentis, triplici tertianâ laborantis.

ADoleſcens qui circa autumni finem, cum in prima die circa 5. horam cœpiſſet febricitare, vna cum rigore breui, deinde cum paululum ſudaſſet multo veſpere, mox circa horam 7. noctis, priuſquam exacte febris deſiſteret, febricitare rurſus incœpit cum rigore breui: deinde paululum ſudauit. In ſecunda die ac circa 10. horam iterum ſimiliter acceſſionem habuit, & ſtatim ſimiliter ſudauit in nocte. Deinde 3. die hora 2. cœpit febricitare ſimul cum rigore, antequam prioris diei declinatio in quietem deſineret. Nobis igitur omnem febris formam diligenter conſiderantibus, viſa fuit trium complicatio tertianarum. Nam & quæ primo die cœperat hora 5. & ſequenti nocte rurſus hora 7. & quæ in ſecunda die hora 10. & pulſus & caliditatem omniá propria tertianis habebant ſicuti etiam rigores & ſudores. Nulla vero ex his ad quietem perueniebat, quoniam ſequentis ipſam tertianæ acceſſionis principium anticipabat: ſicut, ſi nulla alia febris ſucceſſiſſet, horis tribus aut quatuor homo ſine febre perſtitiſſet. Trium vero tertianarum complicatio in ſecundo ſtatim die nobis viſa eſt manifeſte. Quod autem anticipando acceſſiones facerent, 3. die primum cognouimus: nam hora 2. febris inuaſit, non 5. quemadmodum in primo: tertiani vero circuitus indicia omnia, iis, quæ in primo die apparuerant, attulit manifeſtiora. Ab hoc vero die deinceps obſeruantes, omnes inuenimus acceſſiones duabus aut tribus horis anticipantes. Quare & illa, quæ primæ proportione reſpondebat in circuitus ſucceſſione, 5. die, oriente ſole facta eſt, ſeptimo vero multo celerius, veluti circa horam noctis nonam: deinde, quæ poſt hanc, ſecundum eandem proportionem in hora noctis ſeptima: & quæ ſecuta eſt, hora 4. atque ab hinc rurſus, quæ ſucceſſit, quarta: & quæ, poſt hanc, quinta: deinde iterum ſexta: deinde 8. hora, decima à principio acceſſio facta eſt. Secundum vero ſimilem huic proportionem ſimileſque modos & aliæ duæ poſt ſeptimum periodum non ſolum non anticiparunt, ſed etiam tardius aduenerunt, quando & mihi & reliquis omnibus manifeſte apparuit, qui ſemitertianam febrem eſſe putarunt, quantum ſua opinione aberraſſent. Nam acceſſionum prolixitate ad octo horas contracta, ipſoque acceſſionis inſultu non amplius anticipante, ſed potius retardante duabus iam horis, tunc acceſſiones ad infebricitationem deuenerunt, & ſic iam paulatim à longitudine dementes ceſſauerunt, primum quidem, quæ leuiſſima erat, deinceps, quæ magnitudine ſecunda erat, & tertia vehementiſſima inter ipſas: quod & ipſum non mediocre fuit indicium, quod ſtatim ab initio tres tertianæ extitiſſent. Sed, cuius gratia hæc omnia dicta ſunt, ad hoc rurſus redeo, quod oporteat exercitari, vt exquiſite noſcamus, omnes ſimplices diſpoſitiones, adeo vt, cùm ſolæ conſiſtunt, primo die facile ipſas agnoſcamus: inuicem vero & ſibi ipſis complicatas, etiamſi non in primo die, ſaltem in ſecundo vel tertio, vel omnino quarto exacte diſcernamus. Nos igitur haudquicquam latuerunt tres iſtæ tertianæ in ſecundo die, non ob aliam cauſſam, niſi quod earum naturam exquiſite noſcebamus. Tale enim quid accidit in morborum notitiis, quod nobis omnibus in tota vita contingit, nam eos amicos qui nobis familiariſſimi ſunt, ex longo interuallo ſtatim primo intuitu agnoſcimus. Si vero quempiam ſemel aut bis tantum viderimus, vel ſæpe quidem non tamen continue, non iam æque iſtum, neq; ex longo interuallo, neque primo intuitu ſtatim agnoſcimus: ſed nonnunquam diu ambigimus ac dubitamus, numquid Coriſæus, an Socrates ſit. Ita & in morbis res ipſa ſe habet: ſinguli proprium habent caracterem: quem quiſpiam ſæpius contemplatus proinde dignoſcit, ac præcipue cum ſolus fuerit ac ſimplex. *Gal. lib. 2. de Criſib. cap.* 9.

OBSERVATIO.

A quartana duplici vindicati.

A Quartana non paucos, ſed inter alios filium Bartholomæi Craſſi Piſtorienſis ciuis, cum iam ſeptem menſibus quartana eaque duplici detineretur, incredibili celeritate, vt etiam vxorem eius, matremque, quartana laborantes, ex diarrhœa totidem menſium: ambo enim in lecto iacebant. Curata fuit, vomitibus, abſtinentia cibi in diebus acceſſionis, purgatione cum pharmaco amechio, inunctione dorſi hora frigoris ex oleo de ſcorpionibus & pinguedine Anſeris & gentianæ ſucco. Alios vero curaui ſucco radicum verbaſci in potu dato. *Cardan. Cur. Admir. num.* 24.

OBSERVATIO.

Quartana triplici vexatus micta vrina nigra liberatur.

VIDI triplici quartana laborantem Dominum Mole Canonicum Tricaſſinum, & ſcytrho vtriuſq; viſceris affectum, nigræ vrinæ & craſſæ fluore conualuiſſe arte noſtra adiutum, medicamentis lieni dicatis, vt Agrimonia, Veronica, Senna, Epithematis & Emplaſtris.

Vidit Syluius multos, qui quotannis hunc vrinæ fluorem indolenter ſuſtinerent. *Iacob. Dovynet. Apol. lib. 3. cap. vlt.*

Observatio.

Sexagenarius à tribus quartanis curatus.

Nos circa Autumni finem Illuſtrem Comitem & MarchionemD. Io. Piſtauia ſexagenarium in S. Valerio à tribus quartanis liberauimus, cum D e i Opt. Max. auxilio, Anno à Chriſto nato 1533. Leo quartanam patitur, propter inſignem eius caliditatem: quo ipſius edometur ferocitas, vt Vitalis retulit. *Hier. Montuus lib. 2. Halos. Febr. cap. 4.*

Observatio.

Mortuus ex febre tertiana æſtiua, tranſeunte in quartanam, quæ in triplicem mutata, tandem hydrope vitæ finem fecit. Diſſecto corpore, deprehenſa inteſtina ſyderata, ſimilia aquatilibus colubris, omentum vitiatum, hepar ſcyrrhoſum.

Quinquagenarius, aut ad circiter, è febre tertiana æſtiua Autumno in quartanam ſimplicem, hinc in quartanam triplicem degenerauit, atque ad Nouembrem in hydropem. Deſperatus eſt à Medicis, quia Practici confirmatum hydropem dicunt poſt ſecundum Menſem. Relata cauſſa ad hepar refrigeratum partim morbo, partim vſu aquarum deſtillatarum acetos, & cichorei, quibus plurimum fuerat vſus, itaque læſa ſanguifica virtute, viſum eſt primum hepati roborando conſulere oportere his talibus. R. Diarrhod. drachm. ſemis, ligni aloes & raſur. eboris ana. drachm. vnam, cinam. ſcrup. ſem. ſacchari in aqua Agrimoniæ ſoluti q. ſ. f. tabellæ quæ pendeant drachm. duas. Deinde etiam Syrup. de Cichor. ſimpl. ad obſtructiones liberandas, &c. Frequens fuit fotus ſacculis ex iis quæ diſcutiunt & roborant. Datæ ſunt pilulæ Rauedſen. auctæ rh. & agar. troch. infuſo in ſucco ireos. Syrup. laxatiuus præſcriptus, qui reciperet aperientia, ſemen cartham. polyp. ſennam, agaric. &c. cum vne. vna ſem. ſucci ireos. Deinde Thermæ ſiccæ; illitus primum ex ol. aneth. & chamem. deinde ex fermento, emplaſtro de bacc. lauri, ſtercore caprillo, poſtremo cauter. in tibiis. Inſtituta diuretica. Atque omnino in roborantibus hepar & ventriculum, in purgationibus per interualla, reliqua curatio poſita. Mortuo Februarii initio, inuenta ſunt ſyderata inteſtina, ſimilia aquatilibus colubris, omentum, hepar multis occupatum ſcyrrhoſ. *Holl. Obſ. 20. lib. propr.*

Observatio.

De Hectica, arthritide, tabe hydropiſi, & vlcere perforante veſicam.

Vocatus ad affinem Nicolaum Siccum, hecticū, arthriticum, tabefactum, morbo regio, aqua intercute, & reſolutione laborantem, nō curaui, ſed ita leuaui, vt iam omnibus præterquam mihi ipſi ſanus videretur. Si voluiſſet de vita curare, viuere potuiſſet. Superuixit quinque annis. Fuit miſtum curādi genus, in multiplici morbo. Iuuit decoctum Cynæ radicis plus aliis auxiliis. Sed & Cæſarem Barbaнaram, Patricium virum, duobus annis in vita retinuimus, quanquam vlcere veſicam perforatam haberet. Hic tamen nunquam ſani viri munia obire interim potuit: ſed ei facultas, alteri voluntas, ad recuperandam integram valetudinem defuit. Multa mihi præter hæc præclara auxilia fuerunt ad cordis palpitationem, quo me à natiuo morbo, alios quoque plures vel vna die in perpetuum ſanaui. Et ad vrriginem flagrantiamque vrinæ: quæ nunc commemorare non eſt neceſſarium, quod ſecreta ſint. *Cardanus Lib. Cur. Admir. num. 29.*

Observatio.

Hectica cum lepra, aſcite, & febre putrida complicata.

Tranſeamus ad eorum ægrotantium narrationem, qui à me his medicamētis curati ſunt, quæ publicare fas eſt; E quibus celebre, id eſt, quod contigit in Franciſco filio Philippi Peragalli, annum is agebat duodecimum, hecticus, aſciticus, leproſus, putrida etiam febre laborabat: Curabatur à Gotfrido Caſtillioneo, Medico nō vulgari: verum in melius non proficientibus remediis, aduocatus ſum, vix erat vbi inciperemus, iecoris dolor præterea vrgebat. Conſilium fuit noſtrum, vt pane vteretur ex zea, cum aqua cineris confecto, ſemineque fœniculi, & dimidio triticeæ farinæ. Curationis autem vis fuit, ſuccus cichorei, cum erithodani puluere, atque ſpicæ. Eo deuenit, vt ſingulis diebus ad libras decem aut duodecim vrinæ mingeret, atque ita is quoque perſanatus eſt. *Idem Cardanus libr. eodem Curat. 30.*

Observatio.

Hectica cum putrida complicatæ dignotio.

Hectica febris alteri aſſociata difficilius cognoſcitur, ſic vt quæ nuper cuidam mulierculæ cōtigit, cuius acceſſio non die tantum, ſed etiam nocte manifeſte fiebat. Latebat enim tabida febris omnes Medicos, quibus eiuſdem cura fuerat demandata, vt qui arbitrarentur, neque principium aliquod ſenſibile febribus hecticis ineſſe oportere, neque incrementum, neque conſiſtentiam, tanquam non poſſet eiſdem aſſociari altera febris ex humorum putrefactione proueniens. At nos ſtatim primis diebus in eadem muliere cognouimus. Vtraque enim anhelatio, & quæ interdiu & noctu fiebat, partes quidem breues acceſſionis faciebat, & ſæpius cum rore aliquo aut perſpiratione vaporoſa ita manifeſte ſoluebatur, vt corpus in temperie poſitum tangentibus ſentiebatur. Signa autem ex arteriis accepta, de quibus paulo ante ſermo habebatur, ſemper remanebant, cum neque ſimiliter vt aliæ partes refrigerarentur, neque celeritatem aut frequentiam motus amitterent. Quæ igitur & alias à nobis ſæpius dicta ſunt, nunc & dicentur, quod non oportet acceſſionum circuitus ac ſimiles proportiones ſolum in febribus aduertere, ſed multo magis ipſius febris modum ac formam, atque ex hac ipſas dignoſcere febres, non aliter quam homines ex figura, & ex propria forma cognoſcuntur. Sic & nos prima die ſæpius febris formam, cognoſcimus non expectata aut triduana, quartana, aut quotidiana reuerſione. *Galen. 1. de diff. Febr. cap. 10.*

Observatio.

Exquiſitæ ſemitertianæ exemplum illuſtre.

NVper quędam muliercula in parib. diebus horridam habebat acceſſionem, ſemitertianæ exquiſitæ propriam, in imparibus vero, mane alteram quādam, ea quæ præceſſerat, longe minorem: vt altera die ſemitertianæ febris acceſſio ſuper acceſſionem aduenire videretur: quod in tali febre fieri cōſueuit: circa octauam vero horam diei altera inuadebat acceſſio cum rigore vehementi, omnia tertianæ febris indicia exquiſite afferens, iam vero hæc contracta ſudoribus ac bilis vomitionibus hora tertia noctis, mox extendebatur ad diei paris horam ſecundam, & cum iam febricitationi appropinquaret, rurſus horrida atq; inæqualis acceſſio ſuccedebat, quam in paribus diebus fieri diximus: deinde per totam diem maligne compreſſa, ac deinceps adaucta, vix occidente ſole ad ſtatum perueniebat, ac declinare incipiebat hora quarta noctis: deinde mane rurſus ſuperabundantes reliquas additum augmentum non valde inæquale vſque ad octauam horam intendebatur, & cum iam manifeſte ſtatum obtinere febris videretur, iam febrem hanc altera febris exquiſitæ tertianæ acceſſio ſuſcipiebat. Hanc nos febrem ſtatim die ſecunda ex complicatione ſemitertianæ febris atq; tertianæ factam agnouimus: Longe vero certiorem tertius dies præbuit cognitionem. Atque in ſpem venimus, alterum tertianæ febris circuitum cito finem habiturum, alterū in lōgius tempus debere protendi: quod etiam contigit. Et tunc aperte viſum eſt in reliqua parte ægritudinis, ſolam ſupereſſe ſemitertianam quæ principium quidem totius circuitus in pari die faciebat, in die vero impari ſuperaccendebatur. Tales quidem miſtiones non eſt vniuſcuiuſque dignoſcere. *Gal. libr. 2. de Criſibus cap. 9.*

Observatio.

De Lipyria febri, variantes authorum ſententiæ.

QVÆ ſit hæc, non ſatis conuenit. *Galenus libell. de inæquali intemperie cap.* 11. in eo genere reponit, in quo propter magnitudinem internæ inflammationis & malignum humorem interna ardent, externa refrigerantur. Id quod in medii corporis inflammationibus contingit. Nam internus calor inſtar cucurbitulæ calorem externarum partium intro attrahit. Aetius Lipyriam putat, quæ ſequitur eryſipelas ventriculi: Arabes pituitam craſſam & viſcidam, aut eiuſmodi bilem collectam in primis venis, & calorem vna cum vaporibus ſuffocantem, ne videlicet calor diſpergatur in corpus, cauſſam faciunt huius febris. Alia quoque parum veriſimilia de hac febre prodiderunt. Lipyria Græcorum primum quidem phlebotomia, deinde refrigerantium vſu, vt lactucæ & aceto diluto, ac iam vrgente morbo largo hauſtu frigidæ aquæ curari debet. Cataplaſmata ex hordeacea farina ſubacta cum ſucco ſemperuiui, & ſimilium, hypochondriis applicentur: Subinde commutentur. Arabes, Syrup. acetoſo, oxymelite, materiam craſſam incidunt, poſtea etiam oxymelite diuretico, ſed perpetuo incidentibus aliquid admiſcent, quod ſtomachum roboret, vt ſyrupum roſatum, de agreſta. Quod perpetuum eſt in febribus phlegmaticis, vt, cum incidimus, ſtomacho etiam conſulamus. Deinde purgant. Purgatio ex aloe, hiera, rhabarbaro. Interim incidunt, vomitum cient, clyſteres acres imperant: vtuntur attenuante victu: eodem modo ſtupis & ſudoribus vtuntur: deinde etiam antidotis, quomodo in epiala dictum eſt. *Holl. de morb. inter lib. 2. de Lipyria.*

Observatio.

Febris ſingultuoſa & continua.

OGionum, anno præterito, ex febre ſingultoſa, quam alias, tātum ſemel videram, ſanaui, dum iam excederet annum octuageſimum. Extra vero abſynthii ſuccum cum oleo amygdalino dulci. Exiſtimaui, vt par erat, membra eſſe ſicca: materiā, quæ in illis cōtinebatur, lentam. Alius item ſeruatus eſt, quem vidiſſe dixi: ſed ille iuuenis erat: vt quod maximum eſſe antea putaueram, non eſſet formidandum. Verum multum intereſt, quod ſingultus cum febre, vel antea adueniat, vel poſt. Agnetem quoque Claudii Galli (qui ſolus ex ea gente in noſtra ciuitate mercator ſupereſt) iam nouem menſibus cōtinua febre laborantem, poſtquam extremam ſumpſiſſet vnctionem, ſanaui: quanquam ſæpe vir ſuus Vale mihi diceret, non poſſe id fieri ratus. Habitabat tum in via quæ à templo magno ducit ad Bouleuterium vetus, & nunc quoque tabernam mercium ibi habet. Simili miraculo ſanaui Iuliam Rotoram, vxorem Iohan. Baptiſt. Mercatoris inſignis, laborantem febre continua, cum tumore & dolore in hypochondrio dextro: tuſſi quoque & ſpirandi difficultate adeo magnis & aſſiduis & confirmatis, vt vix vno aut duobus diebus ſupereſſe poſſe exiſtimaretur. Ergo diæta exquiſita robuſtior facta, & rurſus miſſo ſanguine, &, vbi remiſit febris, decocto propinato ex ligno Indico, conualuit, & nunc etiam viuit: quam tamen repetentibus febribus vix poſt triennium incolumem præſtiti. *Cardanus, lib. Admiran. Curat. pag. 127.*

Observatio.

Febris ſpecies cum tuſſi & fluxu infeſtans, & in Italia magnam hominum ſtragem edens.

ANno 1591. in Italia morbus pernicioſiſſimus exortus eſt, acutiſſima ſcilicet febris cum tuſſi & continuo fluxu, eratque morbi ſedes plerunque in capite: quare ægrotantes fere omnes phreneſi laborarunt, & octauo decimoque die moriebantur. Curabatur morbus hic in nonnullis ſectione venæ, ſiue in capite ipſo, ſiue è capite in brachium deſcendentis. Cauſas huius morbi dicebant nonnulli continuas eſſe pluuias, & inundationes anni ſuperioris, deinde ardentiſſimos calores, qui ſequebantur, & peſſima nutrimenti qualitas ob ſummam annonæ penuriam. Graſſabatur potiſſimum in Vmbria, Thuſcia, Latio, Lombardia, aliiſq; nonnullis Italiæ locis. Moriebantur homines cuiuſuis ætatis, maxime Viri triginta quinque annorum, vſque ad quinquageſimum annum. Sed & hoc animaduerſum eſt, pauciſſimas mulieres hoc morbo eſſe extinctas. Ferūt in ſola vrbe Romana ab Auguſto anni 90. vſq; ad Auguſtum 91. plus quam ſexaginta hominū millia hoc morbo periiſſe. Tandem in Iulio decreuit & Menſe Auguſto plane extinctus eſt. *Ianſonius Tom. 1. Mercurii Gallobelgici Lib. 4. pag. 348.*

PARA-

PARALIPOMENA AD FEBRES.

OBSERVATIO.

De febris natura & calore diſcrepantes medicorum ſententiæ.

ARgenterius ſcribit in libr. de conſult. med. cap. 7. Febrem eſſe intemperiem calidam, non ſiccam, eo quod omnis febris ob calorem labefactat actiones, & non ſiccitatem. Contra alij fere omnes dicunt eſſe intemperiem calidam & ſiccam. *Fernel. lib. de febr.* inquit, Febrem eſſe calorem præter naturam à corde in omne corpus effuſum. Contra *Argenterius, in citato loco*, febrem negat eſſe calorem præter naturam, cum calor morbi cauſa ſit, febris autem morbus: neque in totum corpus ſemper eſſe effuſum, ſed cordis tantum eſſe morbum. Sic *Curt. in lib. de febr.* caliditatem febrilem debere poni calefacto eſſe partem aliquam cordis cum omnis morbus ſit in facto eſſe: contra Argenterius: Quod ſi omnis morbus ſit in facto eſſe, ſolam hecticam febrem eſſe: ſiquidem in alijs humores & ſpiritus ſunt calefacti, ſubſtantia vero cordis eſt in ipſo calefieri. *Altomaris libr. de febr. cap. 2.* Febris qualitatem vult primum in ſubſtantia calidi innati ſuſcipi, calidum autem innatum & naturam idem eſſe. *Fernelius in citato loco* contra, inſitum calorem exuperare non poſſe, nec illius copiam & vbertatem vitio vnquam dari. Ecce, quis non videt hos doctiſſimorum virorum, de Febriũ natura, ſententias eſſe contrarias? *Albertus Vimpinæus de concord. Hipp. & Paracelſiſtar.*

OBSERVATIO.

Noua & paradoxa ſententia de febrium cauſis & circuitibus.

VNiuerſa criſeon ratio, & circuituum in ſingulis morbis optime à Gal. prodita eſt, ex proportione facultatum ad locum continentem, contentamque materiam: accedentibus inſuper cauſis cœleſtibus vt Lunæ analogo motu & aliorum ſyderum Syzigijs. Potiſſimum tamen intermittentium febrium circuitus tum materiæ differentiam, tum febrilis fomitis ſitum, atque à corde diſtantiam inſequi ſolet. Sic in quotidianis paroxyſmis venæ cauæ portio, qua cordi vicinior patet, magis obſtruitur: materies autem plus obtinet pituitæ. In tertianis materies biliosior: locus (meo iudicio) aptius in venis hepatis, ac ſynaſtomoſi vaſorum debuit collocari. Quartanis vero in mezaraicis venis præſertim ſi & humor ſit fæculentus, vel ex aduſtione melancholicus. Cõtinuis omnibus, quæ non ex inflammatione viſcerum, aut putredine foras effuſa in alicuius ventriculi cauitatem, credo caloris fomitem ex ſanguine potiſſimum in arterijs reſidere: vt tamen & illa exacerbationum varietas, tum pro qualitatis differentia in ipſo ſanguine putrefacto tum ſitu fomitis à corde quam optime ſtatuatur. Hic autem fomes vbiq; non ſimplex, ſed ex pituita & bile, permiſtis inuicem atq; confuſis, naſcitur: hac quidem incendi magis, illa obſtructionis aptitudinem ſuggerente: etſi in alijs plus minuſve nunc huius nunc illius exuperet: vnde repetunt febres, dum tota fuerit expugnata materies, atque diſcuſſa: diſcutitur per ſingulos paroxyſmos, pro facultatis proportione ad ipſam materiam regignitur alia pro excrementorum affluentium mole & qualitate, nunc ab hepate, nunc à ventriculo, vtero, aut aliunde. Quare quantumuis ordo diuinitatis characteriſmum in pluribus præ ſe ferat, non tamen iſthic vbi naturæ ratio clara eſt, ſtatim ad Metaphyſica procurrendum. *Corn. Gemma lib. 1. de c. 7. Coſmocr.*

OBSERVATIO.

An ad curationem febrium in die paroxyſmi ſit exhibendum catharticum.

VIDE in monumentis Cratonianis Bartholomæum Hierouium, & Cratonem ipſum.

OBSERVATIO.

Ruſtici febrientis hiſtoria iuxta agreſtem naturam ſuam, ruſtico victu & viuendi genere conſueto liberati, qui prius circa medicinam inconſuetam periturus erat.

ACcidit vt ruſticus quidam febriens acutiſſime perduct' ad hoſpitale, nullis remedijs à D. Gisb. vix curari potuit. Tandem ex morituro quæſiuit, ecquid peteret, quæ fuiſſet victus ratio antea: dicebat ſe plane ab iſto cibo & potu & ſyrupis & id genus ſimilibus & lecto, qui minus eſſet mollis, abhorrere, quod non dormiſſet intra 19. annos in lecto, atque vſus fuiſſet cæpis, caſeo bubulo & ſimilibus duræ coctionis, ſub dioque in ſtramine veſtitus dormiuiſſet: Tandem D. Gisb. vna nocte permiſit, vt in ſtramine dormiret: deinde vt afferretur cæpa, ſal cum aqua frigida: conſenſit & hic D. Gisb. arbitrans illum tandem eo citius moriturum; cum ille poſtridie aſtaret igni præter omnem opinionem. Videndum igitur medico diligenter, vt conſuetudinis rationem in quo morbo, &c. Oſtendit D. Gisb. hoc exemplum multis bonis viris aduocatis dignum quod obſeruetur. *R. Solenander ſect. v. conſ. 15. ope conſil.*

OBSERVATIO.

Piſcis febrem accerſens contrectatus, reiectus vna quoque febre liberat.

REferunt in Arotan flumine beatiſſime Inſulæ Zeilam eſſe piſcium genus, quod manu deprehenſum febr. accendat, illicoq; qui tamen piſcẽ tetigerit febre corripiatur. *Cardanus lib. de ſubtil. 10.*

Zeilam Inſulæ flumen Aratan piſcoſiſſimus eſt. Cæterum piſces illi neutiquam eſculẽti ſunt: E quodam genere vnum ſi quis manu capiat, continuo febre corripitur: amiſſo piſce ſtatim liberatur. Idcirco eum febrium appellauimus. *Scaliger Exercit. 218. nu. 6. ad ſubtil. Card.*

OBSERVATIO.

Recidiuæ febris, præcognitio, & illius per ſudorem diſceſſus hiſtoria.

SExtus in morbũ incidit acutum, adeo vt ſeptimũ diem euadere non poſſet, quin iudicaretur. Quonam autem pacto habeatur huiuſce rei cognitio, in libris de Criſi ſcriptum eſt, in quibus etiã docuimus quomodo criſis ſæpenumero, non expectato die qui fidenter iudicat, alio die erumpit, atq; hoc ſexto euẽturum, quarto die cognoui. Quãobrem interroganti Pitholao cubiculario quidnã fore vaticinarer, reſpõdi, ſubridens, non poſſe morbum vltra ſeptimum diem protendi, verum 7. vel 6. die prorſus iudicatum iri. Quod ſi ſexto iudicetur, reuerſurum morbum, ſin

ſeptimo ſoluatur, integram eam ſolutionem fore: per ſudorem vero neceſſe eſſe eam ſolutionem euenire. Cum igitur 6. die, quemadmodum dixeram, morbi iudicatio adueniſſet, Sextus, qui ſupra modũ contentioſus erat, vt me non redeunte febre redargueret, quotidie quidem lauatum concedebat, ſed neque vinum bibebat, neque quicquam aliud aſſumebat, præter ptiſanam vel ſolam, vel cum panis micis, interdum quoque ſolo pane tantum aqua macerato contentus erat. Hæc vſque in 12. diem faciens, mediam ſe prædictionem ſuperaſſe iactabat: 13. die lymphati vini pauxillum bibit, ac parumper copioſiorem cibum quam antea, tenuem tamen adhuc accepit: ſequenti die, qui à primo decubitus tempore, quartuſdecimus erat, febrire cœpit: ſed, ne quis id mihi renunciaret, vehementer vetuit, exiſtimans eã febr. neque vehementem fore, neque vltra diem vnum progreſſuram. Procedente vero die cum febris aſſidue plus augeretur, Claudius Seuerus de ſuis ædibus, quæ propinquæ erant, in Sexti domum ſe cõtulit, ibique poſtquam Sextum non modo febrire cognouit, ſed valde iam febrire deprehendit: primo quidem ipſum percontatus eſt, quam ego ſententiam habuerim de febre quæ tum incœperat: deinde vt ex eo veritatem intellexit, atque ob concertationis ſtudium ad me vocandum quenquam non miſiſſe: ſtatim me accerſitum miſit, quo & Sextum viſerem, & ſe conuenirem. Quibus peractis interrogauit me Seuerus, quidnam de morbi reditu mihi videretur? cui ego reſpondi, quæ & Sexto paulo ante dixeram, poſt tres dies eam febrem, quæ ſatis magna interim eſſet futura, deſituram: atque decimo ſeptimo die, ſi quis à primo decubitu numeret, iudicationem futuram. Sextus itaque libenter audiens breui morbum ſolutum iri, proinde mihi fidem præſtitit. Quod enim quiſque cupit, id nimirum quoque facile credit. Seuerus autem quamuis quidem me de ſalute Sexti non deceptum iri crederet, de die tamẽ, in quo penitus à morbo liber futurus erat, mihi fidẽ non adhibebat, exiſtimans eſſe difficile, non expectato ſaltem ſequenti die, quod quarto futurum eſſet, firmiter pronunciare. Sic itaque animatus ſubſecuto die, cum vix dum illuxiſſet, ad Sextum miſit quendam, qui me ibi opperiretur, & poſt inſpectum Sextum ad ſe duceret. Quamobrem, vt Sextum viſitaui, & ad eum veni, contradicis, inquit, illis, quæ heri Galene dixiſti, an in eiſdem permanes? cui ego, nunc etiam magis, quam heri, eadem affirmo. Rurſus quoque, cum me poſt prandium ad ſe vocaſſet, denuo percunctatus eſt, an Criſim Sexto, quo die prædixeram, aduenturum firmiter exiſtimarem: cognouitque me magis tum, quam pridie, eadem affirmare. Item & ſequenti die, nunquid, percunctatus eſt eandem prorſus ſententiam, quam prius affirmaſſem, retinerem, an potius aliquid ex his, quæ dixiſſem, immutare vellem. Tum ego, eorũ quidem, quæ prædixiſſem, me ſane quippiam immutare nolle, ſed quædam potius illis adijcere inſuper velle reſpondi. Sciſcitatus eſt ille denuo, quid illud eſſet. Et ego, cum ſeptimus decimus dies, inquam, aduenerit, ſudor hora noctis ſecunda erumpere incipiet. Tum ille nunquid & Pitholao, ſubiecit, hæc dixiſti? Cui ego me dixiſſe reſpondi, nec dubitare Pitholaum aſſerui, quin omnia, ſicut dixi, eueniant, & Sextus quẽadmodum dixi, ſanus fiat. Tum ille, prorſus, inquit, iſta Pitholaus Imperatori ſignificauit fortaſſe, inquam ego, quanquam mihi curæ non eſt huiuſcemodi gloria: neque enim obambulans meas prædictiones, & quos ſanaueram, prædico, ne me plus medici & philoſophi odio proſequantur, & deluſorem atque vatem appellent, ac huiuſcemodi alia de nobis obloquantur: vobis autem amicis, qui ex iſtorum imperitia, medicinam vituperatis, artem quidem ipſam Apolline & Æſculapio dignam oſtẽdo: hoſce vero medicos ita medicinam dedecorare demonſtro, velut Philoſophi philoſophiam, qui, licet nihilo melius cæteris vulgaribus viuant, honeſto tamen philoſophiæ cognomine ſeipſos appellant. Hæc itaque Seuero tunc ipſe dicebam. Tu vero Poſthume pulchre noſti, quæ tunc fere omnium medicorum eſſet malignitas: aperte nanque deſiderabant, ne voti compos fierem, & tota die ſubmittebant, qui ſingula explorarent, non tamen quæ Seuero & Pitholao prædixeram ſciebant, aduentante crepuſculo futuræ criſis initium conſpectum iri. Quamobrem cũ hora ſeptima grauiter febrire Sextum accepiſſent, ridentes, & plane læti quibuſcunque occurrentibus, quo mihi detraherent, inculcabant: Admirandum Galeni vaticinium contrarios exitus ſortitum eſt. Cæterum, vt criſis, ſicuti dixeram, obtigit, ſecus poſtridie loquebantur atque pridie platerauerant, nam præ pudore cuncti ſe ab omnibus auertebant, quanquam hæc prædictio nihil, quod mireris, continet, ſi eorum memores, quæ tibi in commentarijs, quos *in primum Hipp. librum de vulgaribus morbis* conſcripſimus: & præterea quæ *in libris de Criſibus* docuimus, didiciſti. Nam Medici iſti non ſolum ea, quæ ſunt ab antiquis ſcriptoribus hac de re literarum monumentis commiſſa, neſciunt, ſed ne ægritudinum dies, cũ ſeptimum tranſierint, amplius enumerare valent: præſertim ſi ægrotus, poſtquam à febre liber fuerit, denuo febrire incipiat. Atqui ab *Hipp. in lib. de morb. vulg.* deſcripti omnes dies vniuſcuiuſque ægrotantis, ad extremam vſque morborum ſolutionem, non ſolum quarto decimo die factam, ſed & ſexageſimo & octogeſimo. Quocirca, ſicuti modo narrabam, hæc prædicere quamuis vulgaribus iſtis Medicis admirabilis res videatur, reuera tamen admiratione digna non eſt: veluti neque cognitis omnibus quæ aderant ſymtomatis, quo tempore Antonius abfuit, Commodum eius filium ſanare. *Galenus de præcognit. ad poſthumum cap.* 10.

OBSERVATIO.

Repreſſo ſudore à febre ſanatus.

CVM haud poſtremæ notæ Medicus nobilem quendam ciuem curaret, & febribus male hominem habentibus, vniuerſum corpus in ſudorem reſolueretur, vireſque omnes ita deficerent, vt cognati plurimum de ſalute eius addubitarent, me aduocant, ægrum oſtendunt, curam enarrant. Inſpiciens itaque hominem, oculos admodum graues ac pallorem faciei intueor: quin & intima eius præcordia calore vehementi affici aduerto. Quare ſudorem inæqualem, qui finiri non poterat, ſtatim amotis veſtibus, quibus ille de præcepto Medici tegebatur, vt incongruum & inutilem ſupprimere nitimur: præſertim quod eo vires ægri penitus conuelli videbantur: tum corpus euentari, ægrumque etiam frigidioribus potionibus vti iubeo: donec ſudor, quem

Medicus ille omni ſtudio ciebat, prorſus ſupprimeretur. Quod vbi factum eſt, immutari ſtatim videas ægri faciem, vires redire, calorem reprimi, febrem remitti, ac non multo poſt hominem ad priſtinam ſanitatem reuerti. *Beniuenius c. 53. Abditor.*

OBSERVATIO.

In vehementiſſima febre ſanguinem aliquoties de die euomens æger conualuit.

NOs magnificum & illuſtrem Iulium Bojardum Scandiani Comitem curauimus qui cum vehementiſſima febre bis terque in die ſanguinem copioſiſſime euomebat, tamen egregie euaſit. *Anton. Muſa Braſauolus com. ad aph. 37. lib. 7. Hipp.*

OBSERVATIO.

Nauicula (patria lingua Gundula dicta) vectus quidam, & hypochondria ad palum illidens, febre continua cum excretione purulenta corripitur, qui tandem idoneis medicamentis reſtituitur.

VEnetus ciuis nobilis decumbebat vehementi tentatus febre continua cum excretione purulentorum quorundam per aluum, ita vt quibuſdam Medicis imponerent hæc excreta, neſcio quid pituitoſi exiſtimantibus eſſe: pro quo affectu cum aliquandiu tractatus æger, ſuperuocatus quidam Medicus alius (Saxonia vocatus qui nunc Venetijs degit, homo inſignis eruditionis & eloquentiæ) ſuſpicari primum cœpit, quod res erat. Nam ex ſermonibus ægri vltro citroque habitis cognouit ex contuſione prægreſſa in hypochondrijs, cuius tamen dolor poſtea euanuiſſet, cum in ſuam Gundulam deſcendere voluiſſet, forte fortuna corpore palo cuidam in aquam defixo imprudenter alliſo, collectionem ſanguinis extitiſſe: cui febris poſtea, & hæc excretio purulenta ſucceſſerat. Quo affectu cognito, patiens adhibitis conuenientibus remedijs ſanitatē priſtinam recuperauit. *Camerarius de obſeru. Patauio acceptis, & ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

De ijs quæ in nonnullis morbis febrilibus ſub pedibus à recentioribus ligantur.

NOva ſunt, auxilia, de quibus ſcribimus & non modo veteribus, ſed ne multis quidem recentiorum Medicorū ſatis vel cognita, vel probata, præſertim his, qui à veterum aut à præceptorum ſuorum traditionibus ita toti pendent, vt vtile aut expediens aliquod à poſteritate, præter ea, quæ vel legerunt, vel audiuerunt, amplius nihil inueniri, aut excogitari poſſe, temere exiſtimant. Sunt autem, de quibus paucis agere inſtituimus, illa, quæ pedum plantis in magnis & ardentibus febribus ſubduntur. Duplicia autem hæc fere ſunt. Quædam enim ad coloris contemperantiam, adhibentur: alia vero ad vapores, vel etiam humores, caput ac cerebrum petentes, deorſum reuellendos. Priora ex arta vel ex vulgaris vſus bolo, aut etiam ex luto potiſſimum vetere & cratitijs parietibus ademto, cum aceto & oui albo temperatis ac mixtis conſtant, additis quandoque lactucæ, vel ſolani folijs, aut etiam illorum ſuccis. Et talia quidem calorem pedum contemperant, & ſolamen quoddam ægrotantibus in acutiſſimis febribus adferre videntur. Sed tamen non ſatis tutus eſt hic vſus, refrigerando etenim calorem ad cor & interiora viſcera repellunt, quod haud videtur expediens. Nam hinc deliria, & grauiſſimi capitis dolores, vel alia etiam grauia ac difficilia ſymtōmata, quandoque ſequuntur. Alia autem repercutiunt, nec pedum calorem remittunt, ſed magis intendunt, atque hoc modo ab internis viſcerib. & etiam ab ipſo corde vaporoſus ſpiritus, ac etiam calidiores humores, ac eos qui ſurſum feruntur, reuellunt. Ad horum genus pertinent braſſicæ rubentis cruda folia, quæ nitroſa & abſtergente ſucci ſui facultate attrahendi vim habent, præſertim ſi oleo aliquo illita, ac deinde ſale conſperſa fuerint: ſic & ſapo cum ſale permixtus braſſicæ folio impoſitus aut telæ lineæ, vel alterì alicui illitus: Raphanidis item cum ſale trita radix, ſed odor huius mox valde grauis ac moleſtus: Chelidonium maius cum ſale ſolo, vel etiam cum ſapone permixtum. Potentior autem omnibus his eſt columba viuens in duas partes per dorſum diſſecta, & mox cum ſanguine ſub pedum plantis diligenter ligata. Quæ non modo vaporoſus ſpiritus ad caput ferri prohibet, ſed & eo perlatos reuocat, atque ſic grauiſſimos capitis dolores ſopit, & deliria ſedat. Quod frequentius experimentis compertum. Eodem etiam modo exanthemata erumpentia ad inferiores partes pertrahit: ſic vt circa faciem ac caput pauciora, circa vero ipſos pedes plura proueniant. Liganda autem ſub pedibus eſt columba, in ipſis febrium præcipue exacerbationibus vel paulo ante; pedibus interim calentibus: atque illic horis ad minus duodecim ſinenda: deinde adimenda & in alienum aquæ frigidæ mox abijcienda; ne odore ſit moleſta. Et præfertur ad huiuſcemodi diuerſionem columba reliquis vel volucribus, vel etiam animantibus: & quidem propter ſingularem, ac eximiam quandam proprietatem humanæ naturæ gratam ac amicam, qua pollere videtur. Non deſunt vero & qui Tincas piſces ſub pedibus in ſupradictis affectibus ligent, nec etiam abſque fructu, ſed cum minore laborantium ſolamine, & cum grauiore ac moleſtiore fœtore, quam à columba. Meminit vſus harum *Paulus Iouius in libello ſuo de Romanis piſcibus* vbi licet huiuſcemodi remedia nonnullis viſa fuerint ridicula, acute tamen febricitantibus profuiſſe confitetur. Tincas ait ſciſſas per dorſi longitudinem, pedumque & manuum plantis applicatas, ardentis febris feruoribus plurimum aduerſari quidam putarunt ex ſecta Iudæorum, qui quanquam ſordidi admodum, & ridentibus alijs talia experirentur, aliquando tamen ipſis æſtuantibus exoptata blandimenta feliciter attuliſſe comperti ſunt. Non temere anuum huiuſcemodi remedia contemnenda ſunt, veluti ab anu aliqua, aut agyrta, vel veſpillone quopiam reperta. Nam ſubinde ab iſtis hominibus quædam inueniuntur, quæ deinde à Medicis in artis operibus verſantibus probantur: propter vtilitatem quam ex eorum vſu conſequi experiuntur. Neq; enim refert quis qualiſve ſit remedij inuentor, ſed quale illud ſit quod inuentum, cum iudicio & ratione eſt expendendum. Quod ſi tunc experientiæ ratio accedat, non eſt cur reijci aut reprobari debeat, etiam à viliſſimo repertum: Non enim ab inuentoris conditione aut laudandum aut reprobandum eſt remedium, ſed ex facultatibus ac viribus de eo iudicium faciendum. *Dodonæus obſeruat. propr. edit. 1585. circa finem.*

Observatio.

Iuuenis cuiuſdam Alexandrini hiſtoria, qui ob palmularum recentium copiam deuoratarum: horrore vehementi captus fuit, abſque hoc quod febricitaret.

COgnoui adoleſcenti cuidam ex condiſcipulis noſtris in Alexandria accidiſſe, quando primũ in ipſam nauigaui initio autumni. Ingeſſerat autem hic pluribus ex ordine diebus palmarum glandes multas teneras ac recentes,& à balneis,& ante ipſas, nec erant pleræque ipſarum exactè maturæ. Contigit autem ipſi vt primum initium ſumeret à vehementi horrore, ab exercitio & balneo, ob quẽ horrorem,quum etiam ſe febricitaturum timeret,decubuit, &, vbi ſtragulis ſe contexiſſet, quietus manſit. Poſtquam vero per totam noctem febris exors permanſiſſet, mane ad conſueta vitæ munia ſurrexit. Quum autẽ in hoc horrore corriperetur, rurſus decubuit,ac quieuit vſq; ad balnei tempus. Et vbi tunc rurſus velut ad balneum ſurrexiſſet, maior horror ipſi factus eſt: & erat ſymtoma ipſum iam paruus rigor. Atque tunc omni modo ſe febrire opinatus, adhuc magis inquiete ſeipſum continuit. Poſtquam vero & per totam diem & per inſequentem noctem periculo in ſe facto,comperiſſet ſe ex moderatis motibus horrere, ſi vero amplius quandoque motu vſus eſſet rigere, conſiliarios nos adhibuit de his quæ eſſent facienda. Recordatus itaque ego tale quid in Aſia noſtra mulieri contigiſſe, & ſodalem à timore liberaui,& vt calefacientibus ac craſſitudinem humorum ſecantibus edulijs, & potibus ac medicamentis vteretur, adhortatus ſum. Ille igitur ſic reſtitutus. *Gal. lib. de tremore. frigore & palpit. cap. 7.*

Observatio.

Quod rigores interdum abſq; febrili calore ſubſequente appareant, ac ſubinde recurrant.

ETſi *Galen. in libr. de rigore, & libr. 5. de ſymptomatum differentiis*, & poſt hunc *Michael Sauonarola in practica de febribus*, affirment, ſæpe rigores vehementes etiam nullo ſubſequente calore febrili apparere, vel tempore criſeos, vel alias, nulla febre præſente; tamen hoc non ita crebro animaduertitur, ſed merito inter peculiares obſeruat referri debet. Mihi quidem dum medicinam factito, aliquoties occurrit hic rigor. Primo in Reuerendiſſimo Abbate Hersfeldenſi Michaele, qui præſentem in dignitate proxime anteceſſit: is enim vno die decies (vt arbitror) rigorem vehementem paſſus eſt,nulla febre præſente, idque per aliquot dies continuos. A quo tamen accidente lenibus vacuantibus, ac diæta conueniente à me curatus eſt.

Rebdorfij etiam,quod cœnobium in Eichſtadiana diocœſi ſitum eſt, monachus quidam pater Paulus frequentius tali rigore oppreſſus, venæ ſectione, & purgatione ab hoc affectu eſt liberatus.

Animaduerti quoq; idem ſymtoma in ſocru mea fœmina ſexageſimum annum prætergreſſa, quæ repetitis vicibus rigore vehementiſſimo, abſq; tamen inſignis frigoris ſenſu, vno eodemque die vexata, magnam virium proſtrationem ſequentem, ſine acceſſione febrili animaduertit. Curata vero fuit venæ ſectione in crure,& clyſtere purgante infuſo. *D. D. Iacob. Oethæus de obſeru. prop.*

Eo anno, quo ex Italia in patriam redij, qui erat 1559. vocatus fui 8. Iulij ad commenſalem D. Funckij quindecim circiter annorũ. Is rigore quodam quotidie corripiebatur, citra tamen caloris vllum ſenſum. Durabat hic rigor ſine febre per horam integrã, quo ceſſante ſurgebat,valebat,comedebat. Facies erat diſcolorata, conieci obſtructiones ſubeſſe ex humoribus craſſioribus. Quæ cum in iuuene obſeruaſſem, cõſului Galenum (memineram enim tale quidpiam, dum in Academijs verſarer, audiuiſſe) qui *primo de ſymtomatum cauſis* hæc ſcribit: Vetus quidem ſermo eſt, Rigori febrem ſemper ſuccedere: non tamen in totum verus eſt, etiamſi quis eum ita determinare poſſet; qui citra externam occaſionem oriuntur, has febres neceſſario ſequitur. Solent, inquit, eiuſmodi febres vitioſam ſequi victus rationem, cũ homines in deſidia ſe repleuerunt ac ſæpe à cibo lauarunt, &c. Pro cura itaq; huius ſequẽtia præſcripſi. ℞. Oxymelitis ſimplicis, ſyrupi bizantini ana vnciam ſemis, aquarum fœniculi, cichorei ana vnciam vnã, miſce. Hoc ſyrupo vſus eſt quater: hos ſequuta eſt ſequens hæc potio. ℞. caſſiæ recens extractæ vnciam vnam, catholici drachmas duas, aquarum fœniculi, endiuiæ ana vnciam vnam ſemis, fiat potio. Hac egregie quater eſt purgatus. Poſt vſum horum repetiti ſunt ſyrupi præſcripti, addito ſyrupo de abſinthio. Vbi à cœna primam doſim accepiſſet, rigoris acceſſio, quæ horam circiter nonam prius inuadere conſueuerat, mane hora quinta corripuit. Ab eo tempore poſtea nullum alium ſenſit paroxyſmum, aut ad ſummum vnum. Cum per octiduum poſt ſyruporum vſum à medicamentis abſtinuiſſet, liber à rigore eſſet, pro vlteriore humorum euacuatione, qui in ſuperficie corporis continerentur, iuſſi vt balneo aquæ dulcis per aliquot dies vteretur, quod & fecit,& ſanitati reſtitutus eſt. *D. D. Caſparus Wolphius de obſeru. propr.*

Observatio.

Quibus artibus Cyrillum Boethi filium clam cibum ſumere deprehenderit Galenus in febre.

CVm ægrotaſſet alter filiorum Boethi, & liber à morbo factus rurſus in morbum incidiſſet, deindeq; ſoluta febre denuo febriret, diceremq; ego puerum aliquid clam comedere, (nam, quæ palam exhibebantur,& qualitate idonea,& quantitate cõgrua erant) pueri matre promittente ſe filium diligenter obſeruaturam, cuſtodem pater adhibuit, quæ tota die ſecus puerum ſederet, nec ad eum quenquã venire ſineret, noctuq; cubiculum, in quo dormiebat, diligenter clauderet. Cum igitur quatuor diebus puer ita ſeruatus noctu incaluiſſet, indignabundus Boethus in thalamum pueri me manu apprehẽſum duxit: ſubſequebantur autem Boethum, vt ſcis, quicunq; in via nobis obuiam fiebant, quorum in numero & tu Poſthume fuiſti. Vt igitur domum intrauimus, inuenimus puerum de ſolito cubiculo in aliud tranſlatum, vbi lectus erat, in quo pueri mate ſedebat. Huic lecto parum infra medium lectulus iungebatur, in quo puerum iacentem mater ſeruabat

bat, nè quis ad ipſum accedere poſſet: ſella vero vna lectulo aderat, qualis lectulorum ceruicibus hærere ſolet: è regione lectuli, ad extremas & ſuperiores partes lecti, duæ ſedes ſibi propinquæ iacebant, in quibus vt nos Boethus ſedere fecit, ipſe ſecus vxorem ſedit. Et mox, adduxi tibi vxor, inquit, Galenum hunc, vt ex te audiat, qua diligentia Cyrillum cuſtodiſti: nihilque in victu per hoſce quatuor dies aberratum eſſe: & videat, nunquid reuera præterita nocte febrierit, an tu mihi renuncians ipſum calidiorem euaſiſſe, inani timore decepta ſis, & putaris febrem, calorem aliqua alia de cauſa forte excitatum, vt nobis, & quomodo ſe nunc habeat, aperte denũciet, & quæ ad victum pueri faciunt, omnia præcipiat. Hic ego, vt pueri venam in brachio pulſantem attigi, ſine febre quidem ipſum eſſe pronunciaui: me vero deludend: hiſce, qui vatem me appellare conſueuiſſent, anſam dare. Excipiens Boethus, & ego, inquit, in comparationem illorum ſoleo te reuera, vt ſcis, vatem dicere, quoties aliquid prædicis, quod æmuli tui negant præcognoſci medica facultate poſſe. Atqui hactenus, ſubiunxi, ea omnia te docui medica arte inueniri, priſcoſque aliquot Medicos hiſce de rebus conſcripſiſſe. His dictis, effari me omnes vaticinium iubebatis: & ego rogare vos, vt adhuc ſemel pueri pulſum me tangere ſineretis, quod vt feci, teſtis eris Boethe, dixi neminem mihi huc venienti, te cumque, dum huc veniremus, colloquenti ſignificaſſe, quæ vaticinaturus ſum: aſſeuerante illo ſe, quæ dicerem, atteſtari, noſti, quantopere ridens, aduertere vos & auſcultare iuſſi, vatis oraculum huiuſmodi eſſe clamans: Cyrillo huic hac in cella comedendum quippiam abſconſum eſt, vt, quando mater in balneum itura domum hanc clauſit, & ſecuritatis gratia clauem in loculum coniectam obſignauit, (hoc enim ipſam facere interdum comperio) filius id, quod abſconſum eſt, ſumat atque ita demum comedat. His auditis, Boëthus ſtatim ſurrexit, arreptũque puerum in cubile matris tranſtulit, & iuſſit pueri lectulum inſterni, obſeruans, an abſconditi quippiam, dum excuteretur, appareret. Verum, vbi, & quæ ſuper imponebantur veſtes, & quæ ſubſternebantur, omnes excuſſæ fuerunt, lectum quoq; agitari præcepit, & ſellam attolli inſpiciens, an abſcõſi quippiam ſub ipſis videret: demum, vt ne hoc pacto quidem aliquid conſpectum eſt, puerum è cubili matris in lectulum tranſtulit: vxoris quoque cubile totum excuti & denuo ſterni præcepit. Quibus peractis, quid nunc, ſubridens, inquit, noſter vates profatur? Hic ipſe non poteram non mirari, nihil ibi repertum fuiſſe videns, vbi occultum aliquid extitiſſe crediſiſſem: ideoque ſurrexi, &, quod ſolum intactum ſupererat, quia, quod quærebamus, abſconſum illic nullus exiſtimaſſet, attollens excuſſi. Erat autem exiguum prorſus matris velum ſellæ impoſitum, ex quo commoto panis fruſtum in terram cum cecidiſſet, clamorem magnum vos omnes ſuſtuliſtis: atque cum Boetho ſimul & abunde riſiſtis, & vatem laudaſtis. Boethus itaque plus cæteris in riſum effuſus mirabatur, quomodo pulſus occultatum cibum mihi ſignificare potuerit, & nunciarit id, quod in puero fiebat, dum mater lauaretur. Tum ipſe, ſolertiſſime Boethe, non quia pulſus id admonuerit, hoc ideo coniectauit Galenus tuus, ſed clauſo diligenter cubiculi oſtio, difficile non fuit conijcere, in tam longo tempore comedendi copiam puero fuiſſe: verum nec occultari quippiam, nec id, quod occultatum erat, cibum fuiſſe pulſus mihi ſignificauit, ſed, cum puerum agitatum viderem, non iudicaui, vt in amante fœmina, & in ſeruo timente feceram, ob aliquam animi perturbationem puerum agitari: præſertim cum puer febre prorſus careret. At, ſi me interrogaſſes, vnde collegerim, id, quod abditum latebat, cibum fuiſſe, ſi mentem huic quoq; rei adhibueris, exponam: cum neq; orationem puer habiturus eſſet neq; in palæſtram deſcenſurus, nec aliqua in re ſui periculum facturus, aut deniq; à quoquam reprenſus fuiſſet, ab exceſſu corporis aliquo potius, quam ab vlla animi perturbatione, eam commotionem pulſus pendere conieci. Hæc ſimul atq; Boethus audiuit, per Deos, inquit, non miror cum ita res inueſtiges ſi nullus alius medicus iſta ſciat: perſpicuum eſt autem eos neſcire, cum ipſi, quod tu facis, nunquam efficiant: & ſe iſta alio quouis modo potius, quam medica diſciplina, facere diuulgent, videnturq; mihi, ſubiungens dicebat, non ſolum qualis altercantium pulſus eſſe debeat, ignorare, verum etiam neq;, ſi quiſquam eorum caſu noſcat, quæ tu collegiſti, ſcire colligere, cum neq; ſuapte natura ſolertes ſint, neq; ſe in diſciplinis exercuerint. At, reſpondi, ſatis ad male agendum & exercitati & ſapientes ſunt. *Galenus lib. de præcognit. ad poſthumum cap. 7.*

Observatio.

Admirandum in febre vteri geſtationis prognoſticum.

SOrorem Io. Pauli Negroli iam duobus fere menſibus febre ſed magis quam pro febris ratione cõflictatam cum cognouiſſem, dixiſſemque in vtero habere, intra quinque dies ſanaui, exhibito diamargaritione: peperitque filium primogenitum, qui adhuc ſolertia mea ſuperſtes eſt. *Cardanus de curat. admirand. circa finem.*

Observatio.

Oleum vomitorii loco in febribus non exhibendum.

PEſſime faciunt medici imperiti, qui non oleum febricitantibus exhibent tantum, ſed & antimonium. Noui quendam medicum, qui oleo vſus eſt in muliere cereuiſiaria febricitante, quæ poſtea relaxato ventriculo nihil retinere potuit. *Foreſtus Scholio ad lib. 2. obſeru. 10. de febrib.*

Observatio.

Lac frigidum in febre bibitum, graues ventriculi torſiones excitans, tandem concretum vomitu reiectum.

NOn modo ex frigidiſſimæ aquæ potu, aut frigidiſſimi vini hauſtu, periculum ijs imminet, qui vehementer ſupercalfacti ſunt: ſed ex frigidi lactis, cui ademtum eſt butyrum. Nam hoc ipſum in ventriculo, male affecto, etiam facile concreſcit, ac deinde moleſtias excitat. Vir quidam, poſteaquam à febri, qua aliquot dieb. laborauerat, ſibi liber videretur, ac carnes veſperi cum alijs coctas ediſſet, poſtridie magnum hauſtum, circiter libram videlicet, lactis huiuſcemodi frigidi ieiunus bibit, ſperans aluũ (vt alias aſſolet) inde laxiorem futuram. Id cum non ſuccederet, & moleſtis torſionibus ac doloribus

circa

circa ventriculum torqueretur; digito gutturi, impoſito vomitionem excitauit: cum qua duæ lactis concreti magnæ partes excretæ ſunt, pro numero hauſtuum quos ſumſerat. Nam bis ſe bibiſſe affirmabat. Ac ſic à doloribus circa ventriculum liber factus à frigidi huiuſcemodi lactis potione deinceps abſtinuit.

Religioſa quoque quędam, cum febricitaret, & eiuſcemodi lac quoque non coctum bibiſſet, aliquot diebus circa ventriculum pondus ac moleſtum dolorem ſenſit, qui non prius ceſſauit, quàm difficili vomitione ſuperueniente & multis lactis concreti durioribus particulis vna redditis, quibus reiectis, melius habuit. Tantum malorum lac etiam cuj ademtum eſt butyrum adferre poteſt; ſi in ventriculum incidat calidiorem, vel aliena qualitate imbutum, vel prauorum alimẽtorum reliquiis infectum. Corrumpitur vero & in huiuſcemodi ventriculo lac purum, in grumos coiens, moleſta ſymtomata non raro adfert. *Dodonæus annotat. ad cap. 17. Beniuenij Abditorum.*

Observatio.

Febre continua laborans adoleſcens, cum poſt vſum medicamentorum aliquot meliuſcule habere cœpiſſet, neglecta curatione reliqua non modo in publicum prodire, verum etiam nauigationi ſe credere eſt auſus tandem in ſurarum dolorem incidit, & paulo poſt reſtagnante ſurſum in caput materia dolorum, lethales ſibi conuulſiones conſciuit.

ADoleſcens quidam Thorunienſis, primariæ familiæ floridæque ætatis homo, idemque ſponſus, in febrem incidit, grauiter ſatis decumbens, is durante morbo difficilis admodum fuit in ſumendis medicamentis, ſumſit tamen quæ neceſſaria fuerant, hortatu medici, parentum & amicorum: ſed vt quouſque neceſſe fuit conuenientia auxilia continuaret, neque à Medico, neque à ſuis adduci potuit. Sed quamprimum meliuſcule ſibi eſſe ſentiret, & tantum rectus incedere, veſtibuſq; indui poſſet, ſe iam prorſus ad ſanitatem rediiſſe, neq; iam ſibi vllo medicamento opus eſſe dictitabat. Cumq; de morbo nihil ſibi reliquum eſſe diceret, præter dolorem quendam pedum, quem in ſuris, *γαςροκνημίας*, vt vocant, perciperet, id quod corporis motu & aëris mutatione diſcuſſum iri ſibi perſuaderet, in publicum rurſus egredi, ad ſponſam itare, imo vero cum parente ſuo nauigationi ſe credere, & ſecundo Iſtulæ flumine Dantiſcum proficiſci audebat. At quid fit? altero vel tertio die poſtquam nauigium conſcendiſſet, (erat autem tempus anni medius autumnus) dolor ſurarum deliteſcere cœpit, & materia eo à natura miſſa retromeante, caputque inuadente, factũ eſt vt diris modis conuulſus in ipſo itinere obierit. Qui caſus exemplum, meo quidem iudicio, eſſe poteſt, quod *ab Hippocrate* ſcriptum legimus 1. *Coacarum, ſentent.* 3. *ἐν πυρετῷ γαςροκνημῶν πόνοι κακοήθεες, καὶ γνώμης παραφορὴ*, niſi quod hic loco emotionis mẽtis, cum materia in cerebri corpus, vt alibi Hipp. loquitur, impacta ſit, tantarum conuulſionum, quas vel apoplexia exceperit, cauſa extiterit. *CL. Franciſc. Tidicæus ſuis ad me tranſmiſſis obſeru. per D. Laurent. Scholzium.*

Observatio.

Cum ſignis concoctionis nonnullos mori.

QVOD creditu difficile eſt, ſæpe cum perfectis concoctionis indicijs, homines vidi ex febribus perijſſe. Qui enim malignis febribus laborant, ita mori ſolent. Nam exigua in illis excitatur putredo, & propterea exiguus calor in illis accenditur, qui concoctionem turbare non poteſt: itaq; illi pereunt, non ob febris vehementiam, ſed ob malignitatem, quæ pulſus, appetentiamque primum perdit, & paulatim alias actiones inuadit. *Argenter. comment. vltimo ad lib. 2. Galeni art. med.*

Osbervatio,

Intermittentes febres non ſemper periculo carere.

QVOD omnino careat periculo febris intermittens, id quidem perpetuum non eſt. Duos fratres gemellos vidi: vterque ætatis initio tertiana correptus, quæ plurimum intermittebat, ſed violentis acceſſionibus cum pulſu admodum inæquali, intercidente, deficiente, viribus paulatim fatiſcentibus, paucis acceſſionibus extincti ſunt. Natus vterq; annos 72.

Alter iuuenis admodum, bile redundans, æſtate, ardente tertiana correptus, cum longiori inedia vſus, acceſſione vehementi correptus eſſet, diſſolutis viribus obijt. Alios quoque mœrore confectos, vſos intempeſtiua venere, in tertiana, obijſſe conſtat. *Hollerius comment. 2. in aph. 3. lib. 4. Coac. Hipp.*

Observatio.

Puer, horrore ſtato tempore recurrente, mortuus.

PVerum nouimus, qui, dum rure paterno degeret ſinguliſque diebus ad vicinum ſacerdotem ſtudendi cauſa, vt fit, ſummo mane mitteretur à patre: accidit ſemel vt prope iam intranti illi ſacerdotis ipſius ædes, eſſetque cœlum paululum adhuc ſubobſcurum, præſto fuerint duo viri nigris veſtibus obuoluti: quibus adeo perterritus eſt puer, vt toto corpore contremiſcens, altaque voce auxilium clamitans, in admirabilem ſane ægritudinem, ac demum in mortem inciderit. Nam ſtato tempore, id eſt, octauo quoque die, & eadem ferme hora, in eundem ſemper horrorem atque clamorem proruebat, donec, tabe conſumptus, vitam, quæ nullis præſidijs contineri potuit, miſerabiliter finiuit. *Beniuenius c. 63. Abditor.*

DE MORBIS EPIDEMICIS, PESTILENTIBVS, ET contagioſis alijs.

ET PRIMVM:

DE VARIOLIS atq; MORBILIS.

Exempla promiſcua.

Observatio.

De Variolis & Morbillis Græcis vel prorſus incognitis, aut non exacte tractatis.

DE ijs contagioſis eſt agendum, quę tametſi contagioſæ ſint, peſtilentes tamen non appellantur, quod maiori ex parte ſalubres ſint, tales autem videntur illæ, quas, qui Arabum libros tranſtulere, Variolas & Morbillos vocant, per variolas intelligentes

gentes eas,quas & vulgus Variolas vocat ex ſimilitudine, arbitror, puſtularum, qui Vari dicuntur; per morbillos autem eas,quas vulgus ferſas vocat, à feruore fortaſſe dictas: de ijs autem Græci non videntur ſub alio egiſſe nomine, quam exanthematum, quod nomen & varium etiam apud ipſos reperitur. Contingunt igitur eiuſmodi febres præcipue pueris raro viris, rariſſime ſenibus. Videntur autem & omnibus ſemel in vita aut accidere, aut aptæ eſſe quæ accidant,niſi præcox mors hominem tollat, non facile autem dignoſcuntur adeſſe prius quam puſtulæ ipſæ malum prodant, ſigna tamen quædam præcedunt, ex quibus ſuſpicio eſſe poteſt eiuſmodi affuturam febrem.Ac primum quum vides populariter quodammodo vagari genus id febrium, puer autem eſt,qui febrit, tum ſuſpicari poteſt communi illo teneri morbo, neceſſarium tamen non eſt, quare & alia ſigna ſpectato, ſi conuerſatus eſt cum alio affecto,ſi lucent oculi,ſi dorſum confractum ſentitur, ſi facies rubet, febris autem continenter affligit, moroſa quidem magis, quam mordax: hæc enim primum indicia apparent:tum interroga, num quid alias ſenſerit eiuſmodi febrem, quæ ſolet exanthemata illa apportare raro enim fit, vt, qui ſemel affectus fuerit, denuo etiam patiatur:tum vide, ſi quid à natura ad cutim pellitur, nam, vt plurimum,circa quartum diem, aut paulo poſt apparere ſolent, primum ſparſæ quædam ceu maculæ rubentes, mox manifeſtius in puſtulas concreſcunt interdum humidiores, & varis ſimiles, interdum ſicciores, & ſimiles ijs exanthematibus,quæ ex calore ſolent pueris euenire, quas vulgus ſufferſutas vocat: vtræque mox tenui quadam pituita & ſanie replentur, ac per ipſas ſoluitur ægritudo,facilime quidem pueris, difficilius autem grandioribus, propter quod matres ſolent optare febres haſce filijs euenire, quum teneræ in ætate ſunt. Contagioſæ igitur ſunt, quoniam, quod exhalat in putrefactione, lentum admodum eſt, & ſeminarium contagionis in alterum, eo pacto, quo in alijs fieri diximus: maiori autem ex parte ſalubres ſunt, quoniam ebullitio hæc purificatio quædam ſanguinis eſt,neque enim cōtemnendi ſunt,qui dicunt infectionem à ſanguine menſtruo contractam in vtero matris ſecerni per eiuſmodi ebullitionem,& putrefactionem eius, ac ſic defecari ſanguinem per quandam quaſi criſim à natura factam: propter quam cauſam omnes fere hunc affectum patimur, quoniam omnes eam infectionem menſtrualem deferimus à ventre matris:qua de cauſa non perdit vt plurimum febris hæc per ſe, ſed purgat magis. Pueris vero benignior eſt,quam adultis, quoniam, ſi qui per ætatem teneram eam ſanguinis infectionem non expurgant, ſignum eſt eſſe male idoneam ſeparari: quare mox quum in grandiori ætate fit ſeparatio illa, contingit quidem vi multa & affligit magis,minus autem, cum ſanguis eſt melior & aptior vt ſeparetur ab eo labes illa. Ob id etiam, quum ſemel acceſſit, non reuerti præterea ſolet, quoniam ſecreta iam ſit infectio: viſa tamen quandoque fuit bis acceſſiſſe, quibus ſcilicet prius non exacte ſecreta fuiſſet. Si igitur ſanguis pituitoſior ſit, puſtulæ variformes fiunt, albæ, rotundæ, mucore quodam plenæ, ſi vero bilioſior extiterit, puſtulæ ſicciores erumpunt: analogia autem eius contagionis ad eam ſanguinis ſuperfluitatem eſt, quæ à menſtruo ſanguine contracta fuit: quare ad eos ſolum analoga eſt hæc infectio, quibus purificatio ſanguinis non eſt facta, propter quod nec omnes inficit,nec humores omnes. *Fracaſtorius lib. 2. de morb. cap. 2.*

Quoniam diximus expulſionem Variolarum Morbillorumque quodammodo criſim quandam eſſe, & ſequeſtrationem menſtruæ infectionis à ſanguine, nulla tibi eſſe alia intentio debet, quam vt non impedias expellentem naturam, ſed iuues potius, ſi opus eſt: quippe eam impediunt nonnulli interdum phlebotomijs, interdum purgatorijs pharmacis, quare, quum tu videris febrem eſſe eiuſmodi, quæ eas expulſiones aut faciat, aut factura ſit, tum abſtine à medicamentis omnibus, ſed naturam ſines per ſe agere, niſi forte à principio magnam plenitudinem fueris conſpicatus, tum enim licet vti purgante pharmaco, ſed non acri & moleſto. Quod ſi ſit iuuanda natura, locum prius procura, vt calidus decenter exiſtat, vt æger pannis conuenienter tegatur, & ijs rubentibus, vt leui vtatur cibo, vino abſtineat:tum vide,quæ cauſæ prohibeant expulſionem,num carnis denſitas ſit, aut craſſities materiæ: tunc enim,iuuanda eſt natura ijs, quæ foramina cutis aperiunt, & materiam attenuante, quales ſunt caricæ,& fœniculus,& carui,& apium, & ſimilia, ex quibus commode decocta fient, ſunt qui addant lentes, abiecta prima aqua, decoctas: aliqui, qui & tragacantham: quod quidem forte miretur aliquis, quando in lentibus & tragacantha contraria magis videtur intentio ineſſe,quum & ingroſſent,& inſpiſſent ſanguinem, & cutim obſtruant. Verum ita res accipienda eſt, quod ebullitio ſanguinis interdum temperata eſt,interdum non temperata, ſed aut maior quam oportet, aut tenuior quam oportet. Si igitur temperata eſt, craſſior autem humor qui feruet, tum neque lentes, neque tragacantha adiungi debet,ſed ſat erunt quæ ſubtiliant:at vbi intemperata eſt, & maior quam oportet, aut quod excernitur nimis ſubtile viſum fuerit, tum, ſi prædictis addantur lentes,& tragacantha, recte facies, quoniam ita ebullitionem temperabis:quod & in ſputo ſæpe fieri oportet,quum plus æquo tenue eſt. *Idem lib. 3. cap. 4. de contagioſis morbis.*

OBSERVATIO.

Variolas & morbillos ſæpe etiam interna viſcera inuadere.

OBſeruatum quoſdam ab interitu diſſectos, quibus iecur,lien, pulmones, omniaque interiora, haud ſecus atque cutis,ſordidiſſimis papulis manantibus ſcaterent. *Fernelius lib. 2. cap. 12. de abdit. rer. cauſ.*

Mihi & Ricardo Huberto Chirurgo videre licuit in duabus puellis, quarum vna quatuor, altera ſeptemdecim annos nata erat: vtrique enim ex morbillis mortuæ & diſſectæ interiora viſcera cruſtoſis puſtulis, his ſimilibus quæ in cute emergunt,obſita viſa ſunt. *Pareus lib. 19. cap. 1.*

OBSERVATIO.

Infantes nonnunquam in vtero materno aut proxime à partu hoc morbo contaminari.

SÆpe deprehenſum prægnantes maturos partus edidiſſe hac lue perfuſos, quarum aliæ nihil omnino

mnino foris,aliæ non niſi multis poſt diebus incommoda ſenſerunt. *Fernelius lib.2.c.12. de abd.*

Nuperrime à locellis egreſſa ex nobiliſſima matre puella, poſt tres aut quatuor dies ab ortu ſuo, morbillis primum, mox variolis correpta fuit. *Montanus Halos.Feb.lib.7.cap.2.*

Matrona quædam nobilis cum vterum ferret, & paulo ante partum morbillis (vulgus die Blahtern vocat) laboraret, infans ex vtero prodiens aliquot morbillos hinc inde in cute habuit, quod argumento mihi eſt infantes etiam in vtero materno huiuſmodi morbis affici. *De Exemplis CL. V. Ioan. Franci Hildeſii.*

Observatio.

Grauida quadragenaria morbillis correpta, ſaluo etiam fœtu ſeruata.

VXor mea Appolonia, Anno Domini 1569. grauida, firmæ valetudinis, & bene habita, ætate propemodum quadragenaria, & hactenus ſterilis, cum partum ad ſeptimum vſque menſem feliciter pertuliſſet, derepente morbillis toto corpore affatim erumpentibus, cum ſæuiſſimis mali huius ſymtomatibus afflicta, corripitur. Sed Dei Opt. Max. benignitate, & mea operula adiuta, contra Hippocratis ſententiam, qua, grauidam morbo acuto corripi, lethale eſſe, decernit, vna cum fœtu liberatur. Accedente ſpótanea narium hæmorrhagia copioſa. Proinde in rebus arduis nemo deſperet; quum interdum euadere cernamus, quos medicorum leges præſenti perniciei, ſæpe etiam morti adiudicarunt. *Schenckius.*

Observatio.

Sanguinis è gingiuis excretio prodeuntibus ectimatibus ſeu variolis.

FREQVENS eſt, dum natura ectimatum expulſionem molitur, vt, eodem tempore, vel paulo ante, ſanguis è naribus, & ſubinde copioſius effluat. Verum Latomo cuidam ectimatis laboranti, non per nares, ſed è gingiuis erupit, quod cum in primis moleſtum eſſet, & ſanguinem illac manantem reprimit. Repreſſus autem ſanguis aliam, ſibi viam quæſiuit. Nam ad vrinarios meatus conuerſus, vna cum vrina deſcendit, atque ſic, è gingiuis non amplius ſanguine erumpente, vrina cruenta ſubſecuta eſt: quæ cum, & reprimentibus, ſanguiniſque fluorem ſiſtentibus medicamentis adhibitis, tales eſſe deſijſſet, iterum natura ſanguinem ad gingiuas pepulit. Et his autem nec prius deſijt prodire, quam ab ectimatis curatus æger eſſet. *Dodonæus cap.14.*

Conſideranda hic occurrit naturæ ſingularis prudentia ac prouidentia: deinde & cognoſcendum conatum eius non eſſe reprimendum, quando critice ſanguinem, vel aliud aliquod expellit: vel alias grauata ſeſe exonerat. Veluti cum ectimata erumpunt, quæ non alio tempore, quam cum ſanguine reprobo grauata eſt, excludere velle natura videtur. *Idem in ſcholijs.*

Observatio.

Ruſticus variolas habens, nocte ſeſe aeri exponens ſubito extinctus eſt.

RVSTICVM & colonum quendam, qui apud Schiedam fluuium ex variolis decumbebat, præ manibus habebam: ad quem cum vocatus eſſem, & nunc extra periculum eſſet variolis iam vndique eruptis, eidem iniunxeram, ne ſubito ſeſe aëri frigido, poſt abitum meum, committeret. At cum vacca in ſtabulo, in ijſdem ædibus, forte pareret, cumque famuli ad manum non eſſent, is ſubito è lecto proſilijt nudus, & ſtabulum acceſſit, & ianuam ſtabuli aperuit, aëre frigido intrante, ita vt mox variolæ delituerint, & ruſticus ſubito extinctus fuerit.

Præter hunc vnum colonum, & alteram puellam quæ etiam ex variolis obiit, alios multos habui ad quos tum vocatus fueram, qui mortem obiere, modo à frigore ſeſe recte cuſtodirent, facillime ope diuina aſſiſtente curabantur. *Foreſtus Scholio ad obſeru. 46.lib.6.de febrib.*

Observatio.

Puer variolis laborans, & puteo ſe immergens, conclamatam raucedinem incurrit.

PVER quatuor annorum, laborans variolis menſem iam integrum, incuria ancillarum aut matrisfamilias, domo aufugit, cum alijs pueris in platea aliquandiu ludens, tandem ad quendam puteum haud ita profundum perueniens, nullis veſtimentis exutus, in eum deſcendit, (nullo enim muro aut alio quouis modo munitus erat) in quo non admodum diu moram traxit, nam à prætereuntibus extractus eſt, & domum deductus. Die craſtina ita raucus factus eſt, vt nullo remedio reſtaurari in hunc vſque diem potuerit: ac ſane, ne vlla artis medicæ induſtria illi ſuccurri poſſit, metuendum eſt, ſi quis variolarum naturam perpendat, niſi quis id diaphoreticis vel ſudorificis medicamentis fieri poſſe exiſtimauerit. *CL. Geſneri obſeruatio per D. Caſp. Wolphium communicata.*

Osbervatio.

Præter morbillos & variolas etiam tertium puſtularum genus, rarum tamen, nonnullis obſeruatum, Criſtalliforme.

SVNT qui præter duas ſpecies criſtallos adijciant, ſic enim appellant quaſdam veluti veſiculas plenas aqua, inſtar Criſtalli ſplendentes, quibus cutis varijs locis diſtinguitur: has nunc vulgo nominant rauaglione. In quas non ita incurrunt omnes homines, ſicut in variolas & morbillos, neque ſub ipſis ita grauiter affliguntur: quamobrem non videmur tanquam tertia ſpecies, morbillis & variolis hæ puſtulæ adijciendæ. *Vidius Med.part. 2.ſect.2.lib.6.cap.6.*

Observatio.

Exanthematibus laborans puerulus, ſanguine aliquot diebus emicto mortuus.

VIdimus primarij ciuis noſtri filiolum exanthematis grauiſſimis laborantem, ſanguinem aliquot diebus mingere: qui, cum natura humorum & ſanguinis illius ſarcinam ſuperare non poſſet, mortem cum vita commutauit. *Hieron. Leorinus in Scholijs ad cap.28.part.4.libr. Wilichii de Vrin.probationib.*

Solent interire, qui hoc malo capiuntur, propter virtutis debilitatem, cum raſura inteſtinorum, & ventris fluxu: mictus etiam ſanguinis, ſatis lethalis

eſt in-

eſt indicium. Quod pueris non ſemel eueniſſe vidimus: quos morituros eſſe prædiximus. Vt, dum hæc ſcribebam, cuidam cerdonis filio ſeptem annorum nato contigit: cui medendum accerſitus ſum, iam ſeptem diebus elapſis ab ægritudine, quem cum vidiſſem per totam faciem, pectus, & ventriculum puſtulis quibuſdam plumbei coloris infectum, ac fœtore iam oppreſſum, nec dubitaui profecto, quin de illius vita actum eſſe iam eorum omnibus prædicerem. Acceſſit huc ad me quidam ex domeſticis, qui me audiuerat, qua, inquiens, coniectura duceris, quod hunc puerum moriturum præſagias? tunc ego illi, ex colore illo plumbeo variolarum, & ex fœtore & imbecillitate virtutis, quæ omnia apud medicinæ auctores mortis ſunt ſigna: verum lethalius eſt ſignum ſanguinea vrina: tunc ille reſpondens, pueri infelicis ecce vrinam ſanguineam: immo ſanguinem ipſum. *Gartias Lopius comment. de varia rei med. lect. cap 5.*

Neceſſarium eſt, non dare prohibentia ſcreatum, niſi prius, quod fluit à capite, reſtringatur: & non emplaſtres nec inungas corpus habens blaccias, variolas & morbillos: quia ob hoc anhelitus ſubito reſtringeretur & acquiritur fluxus malignus, & vrina ſanguinea, ſicut accidit filio Seuhede. *Raſis cap. 4. lib. 18. continentis.*

OBSERVATIO.

Exanthemata in bubonia peſte viua.

NOS in Regina, febri peſtifera cum bubone ſub alis correpta, vidimus variorum colorum per vniuerſum exanthemata: nempe rubra, flaua, viridia, hiacinthina, plumbea, nigra: à quo mortali morbo, Dei gratia, & medicinæ beneficio euaſit. *Montuus Halos Febrium lib. 7. c. 2.*

OBSERVATIO.

Variolas & morbillos nonnunquam ſine febre aut malis ſymtomatibus protrudi, quarum materia non exactè expurgata, ſæpe perniciosiſſimos morbos, velut peſtiferos tumores, & dyſenterias difficiles inducit.

QVOD *Raſis cap. 18. Continentis* ſe vidiſſe teſtatur, id nos in filiolo noſtro Ioanne Georgio, paulo ſupra bimatum conſtituto, animaduertimus, cui circa autumnũ ſine febre omni, aut alijs malignis ſymtomatibus variolæ ſecundum faciem, & ventrem erumperunt: paucæ quidem illæ ſed colore albæ nullo que alio præterquam aqueo & pellucido humore conſpicuæ. Quarum pleræque citra ſuppurationem diſparuerunt, maiores vero ſuppuratæ in cruſtas excreuere, quæ difficilem & tardam conſanationem carbunculorum inſtar conſecutæ ſunt. Mirum vero puerum ſic affectum fuiſſe, vt vltra vnius diei ſpacium decubitum haud ſuſtinuerit, quin variolæ, nobis vix animaduertentibus, non confertim, ſed ſenſim pullularint. Cæterum etſi ſanguinis puritati tenellæque corpuſculi conſtitutioni vt plurimũm tam clementem morbi huius afflictionem acceptam tũ referebam, nihilo tamen minus ſuſpecta mihi tantа mali huius clementia fuit. Id quod effectus paulo poſt declarauit. Appetente enim Solſtitio hyemali, puer maligna febricula, cum ſumma virium imbecillitate, correptus, & ad ſiniſtram malam, qua parte autem ſpectat, tumore ſub fuſco caſtaneæ nucis quantitate oborto, omnibus peſtis opinionem induxit, qui, exhibito monocerotis cornu ſcobe, & bolo Sleſiaco, paucis inde diebus euanuit, pulchre febricula, & prauis alijs ſymtomatibus cedentibus. Sed nec hæc ipſa tumoris citra ſuppurationem inſenſilis diſcuſſio mihi per omnia probari potuit, quin, latentis veneni occultum ſeminarium initio regeſtum, & latens aliquandiu alijs poſtmodum morbis occaſionem præbere poſſe, conijcerem. Bimeſtri ab eo poſtmodum me non vana coniectura ductum fuiſſe deprehendi: ſiquidem multo tempore cacheсticam diſpoſitionem cum lurido faciei colore præ ſe ferens, tandem in menſtruam dyſenteriam incidit; veneni vi, vt credibile eſt, craſim & humores corrumpente.

Cuius maligna qualitate inteſtina exulcerata ſunt, à qua egerrime, nec niſi ſummo ſtudio, liberatus puer eſt. Notabili exemplo variolarum, & morbillorum malignam venenatamq; materiam, vbi vel ex naturæ, vel medicamentorum beneficio non exactè expurgata fuerit, ſeminarium grauiſſimorũ morborum clam fouere, & poſt ſe relinquere: *Schenckius Pater.*

OBSERVATIO.

Quam grauium & pernicialium ſymtomatum conſecutionem inferant variolæ & morbilli, hiſtoriæ variæ & admirandæ.

VIdimus in puella febriente cum variolis mortem inde conſecutam, cum febris remiſſa videretur. A gingiuis incœperunt vlcuſcula, deinde palatum totumque os occuparunt: tum ad vuam fauceſque deſcenderunt: quibus obſeſſis in cancrum deſierunt, ex quo excitata dyſenteria mors eſt inſequuta. *Iacotius comment. ad libr. 2. ſect. 2. coac. Hippocr.*

Vere hoc pronunciare licet, materiam, ex qua his affectibus origo eſt, qualitatis adeo malignæ, peſtilentis & contagioſæ participem eſſe, vt carnoſas partes laniaſſe non contenta, oſſa etiam arrodat, & corrumpat, luis Venereæ inſtar, vt mihi obſeruare licuit non modo anno Domini 1568. ſed & pluries multorum quo vixi annorum decurſu: cuius rei exemplum hoc proponere viſum eſt nobiliſſimum. Filia Claudij Piquei Bibliopolæ regij in via Iacobea, quatuor vel quinque annos nata, ecthymatibus cum per menſem laboraſſet, nec natura veneni malignitatem vincere potuiſſet, abſceſſus oborti ſunt in ſterno & humerorum dearticulationibus: quorum edax & virulenta materia oſſa ſterni arroſit, & à ſe inuicem diremit, oſſium vero brachij epiphyſes & omoplatæ capitulum pariter eroſa inſigni portione mulctauit. Cuius rei oculati teſtes mecum fuere Marcus Myron Medicus Pariſienſis, & Regis hodie primarius, Ioan. Doreau Comitis Briani Chirurgus, diſſecto coram cadauere. Quin etiam animaduertere licet, in plerіſque huius morbi malignitate mortuis & diſſectis, eam in principibus partibus inueni corruptionis impreſſionem, quæ hydropis, phthiſeos, rauciatis, aſthmatis, dyſenteriæ vlceratis inteſtinis, ac tandem mortis conſecutionem attulerit: prout puſtulæ per hæc aut illa viſcera pari rabie debacchatæ ſunt, quæ per corporis ſuperficiem furere cernuntur: non enim externas modo partes deturpant, puſtularum vlcerumque altius ſeſe in

 carnem

carnem defigentium impreſſionibus, & cicatricibus
relictis, ſed & ſæpe mouendi facultatem adimunt,
arroſis & labefactatis cubiti, carpi, genu & pedum
dearticulationibus. Quinetiam multi inde videndi
ſenſum amiſerunt, vt Nobilis Do. Guimeneus, alij
audiendi, alij olfaciendi oborta hyperſarcoſi in mea-
tu tum narium, tum aurium. Quod ſi reliquias fece-
rit morbus, haudque eius vniuerſa materia naturæ
robore excreta fuerit, ſymtomata poſtea emergunt,
quæ humoris malignitatem reſipiunt, imo & ſymto-
matum luis venereæ perniciem adæquant. *Pareus lib.
19. cap. 1.*

Alſaharauius ſe vidiſſe inquit plures pueros, qui-
bus iuncturæ fuerunt apoſtematæ, ita vt ex illis non-
nulli genuum motum amiſerint. *Marcellus Donatus
tractat. de Variolis & Morbillis cap. 29.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

*Experimenta aliquot infallibilia & probata millies
in morbillis & variolis, adeoq; in omni
ebullitione.*

RHaſis *libro* 18. *continentis* in curatione variolarum,
morbillorum, & ſimilium morborum, in qui-
bus eſt humorum ebullitio, accurate eiuſmodi me-
dicamenta tradit, quæ ebullitionem promouent, &
cum hoc nimiam ebullitionem inhibent, cum in-
quit: Medicina diuina longæ experientiæ & bonita-
tis, trahens ad ſuperficiem corporis variolas, botor
ſcilicet puſtulas, & omnia quæ ſunt neceſſaria exte-
rius educi, ea eſt quæ recipit ficus v. paſſular. enucl.
pondere aureorum decem, laccæ mundatæ drach.
v. dragagan. drach. iij. lentium excort. drach. ij. croci
aureum ſemis, coquantur in cotulis tribus, aut in
lib. iij. aquæ fontanæ, vſque ad tertiam partem, &
detur per triduum, quoquo die mane tertia pars li-
bræ exhibeatur, iuſſu Dei, &c. In hoc medicamento,
ficus & lacca ebullitionem promouent, & ad exte-
riora propellunt. Crocus aperit, & cor corroborat,
paſſulæ epar firmant, dragagantum ſua ſtipticitate
nimiam ebullitionem inhibet.

Idem hoc ipſe *Auicenna prima quarti capite de cura-
tione variolarum* ſentit, vbi inquit: & de illis, quæ ſunt
vehementis iuuamenti ad faciendum apparere va-
riolas, eſt, vt ſumantur ficuum citrinarum drach.
vij. lentiũ excort. drach. iij. laccæ drach. ij s. dragagan-
ti, ſeminis fœnic. ana drach. ij. coquantur in lib. j s. a-
quæ fontanæ, donec remaneat de ea tertia pars, &
detur in potu de ea, expellit enim caliditatem ex
partibus cordis, & prohibet pulſum cordis. *Petrus
Sybillenus l. de Peſte pag. 45.*

Decoctum proponamus, quod aduocandi ad cu-
tem humores vim habet. Cuius deſcriptio hæc eſt.
Caricarum numero decem, ſeminis fœniculi, aniſi,
apij, laccæ, ana drach. ij. lentium decorticatarum vnc.
ij. iuiubarum ſine nucleis num. 15. dragaganti, roſa-
rum, ſandalorum, ſeminis citoniorum ana drach. ij.
decoquantur omnia in iuſta aquæ quantitate: poſt-
ea coletur, & fiat decoctum, cui adde croci in pulue-
rem redacti drach. s. cuius poteſt ſumi interdiu &
noctu quantitas quam libuerit. Quod tamen deco-
ctum illud lentium decorticatarum, & tragacanthi
& laccæ ſcriptum *ab Auicenna, & Aloyſio Mundella Bri-
xienſi Medico in Epiſtola ſua Burella ſcripta* non laudē-
tur, curam non habeo, quod ſentire melius debe-
am de Auicennæ Arabumque omnium eruditione
in medicamentis componendis, qua in re, me iudi-
ce, multos Græcorum antecellunt, quam Medici
cuiuſdam, quamuis non vulgaris: Accedit etiam
quod lentes decorticatæ, tragaganthum, non habe-
ant obſtruendi facultatem illam, quam ille ſecun-
dum Hippocr. & Galeni ſententiam illis tribuit,
quod demonſtratum à nobis eſt in excuſatione &
erroris expulſione Auicennæ, quem erraſſe Brixien-
ſis nititur oſtendere. *Gartias Lopius comment. de Varia
rei med. lect. cap. 5.*

Efficax potio ad exanthemata prouocanda. Hor-
dei, Seminis apij vtriuſque drachmæ ſeptem, Lenti-
um drachmæ quatuordecim, ficuum ſiccarum nu-
mero quinque. Omnia ex aqua intybi ſatiui, oxali-
dis, fœniculi, apij ſingulorum libra, ad tertias deco-
quantur. Iure per linteum colato, addantur ſyrupi
ex acido citri ſucco confecti cyathi tres. Mixta dan-
tur potui, vel oxyzaccharum ex aqua, cui ordeum
prius, deinde zaccharum ſit incoctum, vel oxymeli
ex aqua multa, vel vtrunque cum aqua in qua radi-
cis apij portio ſit decocta, aut caricarum, lentium,
ſingulorum vnciæ pondere decoctarum ius, cum la-
næ elotæ & croci mométo in puluerem redacto po-
tui ſumitur. Mirum eſt, quam hoc puſtulas iſtas in
cutem eliciat. *Andernacus comment. de Peſtilentia Dia-
logo 4.*

Scribis plebeios homines aurum exhibere ad ex-
pulſionem morbillorum cum ſucceſſu: modum non
addis. Arbitror autem de folijs auri te ſentire. Aurũ
aliquo modo reſolutum nunquam dubitaui vires a-
liquas peculiares obtinere. *Geſner. epiſt. lib. 1. pag 4.*

Cum eruperint variolæ, iam, niſi noua ſuccedant
ſymtomata, naturæ cætera poteris permittere. Quã-
do natura duos cõtrarios motus in corporib. inſtitu-
it, videndum qui maxime ad vires reſtituendas faci-
at. Sic fluor alui in variolis non quidem cõprimen-
dus. Mitigandus autem ijs, quæ malignitaté humo-
rum contemperant, & ad ſuperficiem corporis ma-
teriam pellant. Nihil hic raſura, ſeu puluere cornu
Ceruí, item Margaritis cum Auro conuenientius. V-
bi pectus obſidet materia, Decoctum Raparũ cum
ficubus detur, vel decoctum Lentium, vbi nimirum
eſt humorum ebullitio. Ego in iſto caſu lapidi Bezo-
ar non multum tribuo. *Ioan. Crato lib. 4. epiſt. & conſil.
epiſt. ad Th. Iordanum, pag. 393.*

Semen Rapæ albę cochlearis menſura contundi-
to, hinc auri puri fol. vno addito, cum Fumariæ, nec
non Veronicæ extillatis liquoribus probe terito &
commiſceto: hunc hauſtulum puerulo variolas pa-
tienti offerto, demum linteis contectus ſudori euo-
cando ſtudeat, futurum vt variolæ ſeſe exerant. *Ia-
treion Virtenberg.*

Sapphyrum oculis prodeſſe ſcio, & ad metum o-
culis puerorum, qui variolis & morbillis laborant,
ne ab ijs infeſtentur, facere. *Crato lib. 4. epiſt. Iord. pag.
427. conſil. & epiſt. per D. L. Scholzium publ.*

Aquilegiæ ſemen apud Belgas præcipue & affa-
tim puerulis ad excluſionem morbillorum & vario-
larum exhibetur. *Camerarius.*

Aqua deſtillata è floribus lini huic rei confert,
poteſtque modico ſaccaro condiri.
Hollerius.

DE SVDORE ANGLICO.

DESCRIPTIO.

OBSERVATIO.

Noua peſtilentialis febris ſpecies, ad Ephemeras & Britannos relata, nonnullis hydropyrethos, & vulgo ſudor Anglicus appellata.

IN Britania inſula, quæ nunc Anglica vocatur, genus eſt Peſtilentis febr. & contagioſæ, quæ ad ephemeras referenda videtur, quod die vna aut hominem perdit, aut liberat: eſt autem non contagioſa ſolum de vno in alium, ſed & vagatur etiam de ciuitate in ciuitatem, non tantum per eam inſulam, in qua fere vna videri ſolet, ſed ſæpe etiam ad vicinos Belgas deferri viſa eſt. Quapropter & vitio aëris præcipue enaſci cenſendum eſt: cùm autem in ea inſula præcipue oboriatur, vniuerſalis quidem cauſa eſt analogia eius aëris particulatim vero in quo ea conſiſtat analogia difficile certe eſt valde noſſe: quanquam ſunt, qui dicant id è ſoli ratione contingere, quod maxime gypſeum eſt, vnde & Albion olim appellatum fuiſſe volunt: certis igitur conſtitutionibus humidis vapores è ſolo illo accidit eleuari ſubtiliſſimos quidem, corruptos tamen, qui & ſubtilem etiam inferunt contagionem, cuius analogia eſt vel ad ſpiritus, vel ad tenuem ſpumam, quæ ſanguini ſupernatat. Quæcunq; autem cauſa ſit, conſtat analogiam eius contagionis eſſe ad ſubtile ſanguinis, propter quod die vna aut finitur ægritudo, aut æger, vt plurimum autem finitur ægritudo per ſudorem, vnde & febrē etiam ſudorem appellant incolæ: nullis vero alijs medicamentis vtuntur aduerſus ipſam, quam expectatione ſudoris, nam quibus aduenit, omnes fere euadunt, quibus autem retinetur, maxima pars perit: quare cura omni & diligentia procurant, ne impediatur ſudor, quod vel facilime accidit, ſi tantum æger ſitum, atq; accubitum mutet: qua de cauſa iubent Medici, vt æger interea die vna ſitum non mutet: quam moleſtiam qui ferre poſſunt, mercedem laboris recipiunt, & euadunt, qui vero ferre non valent, ſed ſe iactant, decubitum mutant, nouum aërem aucupantur, impedito ſudore ſua cauſa pereunt. *Fracaſtorius lib. 2. cap. 5. de morb. contag.*

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Præſtantiſſima antidotus ad ephemeram Britannicam.

NOs ſub ipſis morbi initijs, cùm non tam ſudoris mouendi, quam etiam veneni frangendi atq; euocandi rationem habuimus, quæ vtrunq; efficiunt commiſcuimus, ne, ſi ex occaſione ſudor interrumperetur, venenum quod ſupereſt de cætero ægrum offenderet. Verum ſi ſponte manarit ſudor, quod venenum tantum retunderet feliciter exhibuimus, vt ex cyatho vno aquæ oxalidis & dimidiato cyatho aceti roſacei egelidi, terræ ſigillatæ ſcrup. duobus, ramenti cornu vnicorni animalis, pulueris dictamni ana ſcrupulo vno, cinnamomi, galangæ, nardi, ana ſcrupulo vno. Aut ex aceto calido, vel bolus armenius, vel terra ſigillata ſeorſum cum odoribus. His atque id genus alijs vſi ſumus, ſed pro ratione perſonarum. Nam ſi laxa cutis, nec obſtructa eius ſpiramenta, frigida & ſicca ſelegimus. Si cōſtricta illa, aut obſtructa iſta fuerat, calida & ſicca maluimus, & melius reſponderunt. Naturæ ex ſe infirmæ ſubſidio erit vinum meracum calens, aut id ex decoctis macere, roſmari herba, aut cypero (quem iuncum quadratum Celſus, triangulum Plinius, odoratum alij nominant) liberaliter hauſtum. Si prima potio ſudorē non elicit, iterum atq; tertio ex interuallo repetitur, auctis aliquando tegumentis atque foco aut ex puris ſiccisq; lignis quercus, fagi, atq; fraxini, adiecto bdellio odorati ſuffitus gratia, ladano, aut ſtyrace calamita: aut ex odoris lauri, iuniperi, abietis atque pinus ſeorſum. Vix enim fieri poteſt, vt per hæc ſudor non ſequatur. Profluente iam ſudore à potionibus ſudorem mouentibus atque à frictionibus abſtinendum, & ad eum ordinem potionemque per omnem acceſſionem, quæ ante cum ſponte naturæ fluxit ſudor propoſueram, reuertendum, cum eo tamen ne potio rara aut frequens, tarda nimium aut immodica ſit. Sed & vincente iam ſudore & natura, vbi copioſe ſudarit æger, memores nos eſſe oportet focum diminuere, & tegumentorum augmentum paulatim pro ratione ſubdūcere, vbi iam tangere corpus cœperit, ſi id ante vndecimam horam fiet. Etenim decima quarta iam exacta hora, etiam de iuſta veſte demere licet. Decima octaua, ſi leui tantum veſte contectus æger ſit ſatis eſt, modo pro temporis ratione ante abunde ſudatum eſt, atque adhuc ſudat. Sed ſi viribus ſatis conſtat, quantus pleniſſimus & longiſſimus poteſt promanet ſudor antequā veſtem demas. Ita tamen ne immodico ſudore digeratur corpus, atque exhauriatur anima. Cuius rei ſemper habenda ratio eſt in infirmis corporibus & digeſtis ſpiritibus vel maxime, vti etiam in alijs firmioribus. Neque enim ſudoris copia tantum, quantum vires æſtimandæ ſunt. Proinde committendum non eſt, vt ſupra vires æger inſudet, quod potior eſt dubia curatio atque ſalus, quam certa mors. l. *Caijus de Ephem. Britann.*

OBSERVATIO.

Lethalis in ſudando commiſſus error, quo multa millia hominum abſumta ſunt.

NEc te prætéribo, heu nimium dira mortalium lues, cui ſudores Anglici, vel ὑδροπυρέτο nomen ab ipſa ſymtomatis ſpecie indiderunt. Orta hæc eſt anno 1529. circa æſtatem, poſt humidiſſimam cœli conſtitutionem, vt à patre piæ mem. qui & eundem morbum paſſus eſt, tum temporis, euaſitq; feliciter, ipſius audiui. Primum vero ex Britannicis locis terras maritimas Hollandiæ, Zelandiæ peruagata, Hantuerpiam venit, ac celerrime in Flandriam, totamq; Brabantiam ſparſa, vno die ſudoris infanda eluuie hominum multa millia ſuffocabat. His aderat ea dementia, vt ſeſe lectis ac linteis inſui paterentur, omni arte ac vi eliciendum ſudorem arbitrati: heu nimis immemores illius Hipp. vocis, qua ſic ait: ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, confert, ac facile ferunt: ſin minus, contra. Imo interea dum alter alterum ſtrangularet, qui præſentes aderant, mutuo hortabantur ne ſe negligerent, vrgente morbi ferocia, ne victi precio, aut precibus ſe ante tempus liberent. Verum quando ad illos ordo peruenerat, vt ſudandi tempus videretur, conſuti ſimiliter, & violenter operti clamitabant miſere, obteſtabantur

Deum atque hominum fidem, ſeſe dimitterent, ſe ſuffocari iniectis molibus, ſeſe vitam in ſummis anguſtijs exhalare, ſed aſſiſtentes, has querelas ex rabie proficiſci, medicorum opinione perſuaſi, vrgebant continue, vſq; ad 24 horas, id enim erat ſudandi ſpacium pręfinitum, ante cuius circuitum euaſere quam paucitſimi, tertia mortalium pars errore proprio atque inſania miſere ſtrangulata, vitaque cum gemitu fugit indignata ſub vmbras. *Gemma Coſmocrit. libr. 1. cap. 8.*

OBSERVATIO.

Temeraria cuiuſdam, at minime infelix ab hoc morbo ſe vindicantis, curatio.

RIdiculum quiddam euenit nuper apud nos, id ἀξιόπιστοι quidam conſtanter retulerunt: Abeſt hinc vix ſtadio pagus quidam, in eo cum quidam ab hac febri correptus eſſet, ſtatim regulas protritas cõtemnens, quantus erat, in accenſum furnum, vnde panes iam cocti educti fuerant, ſe penetrauit: ibi cum totus ſudorib. deſtillaſſet, emerſit tandem languidiuſculus, vt ſolent ab hac febri conualeſcentes. Porro qui deinde in eo furno excoctus eſt panis, neſcio quid virulenti manducantibus conciliauit. *Simon Riquinus in Epiſtola de febr. Sudator. ad Generoſ. Comit. Hermannum de Nuenare.*

DE MORBO VNGARICO.

DESCRIPTIO ET CVRATIO.

OBSERVATIO.

Lues Pannoniæ ſeu Febris Vngarica Theriodes, vulgo cerebri vermis.

TRIBVLIS peſtis eſt lues, quæ dicitur Pannonica: hęc perinde vt illa in populum debacchata truculentam mortalium ſtragem ædidit. Expeditione enim neceſſaria, non minus quam iuſta, contra Solymannum Turcarũ Imperatorem ab Imp. Cæſ. Maximiliano II. Auſtrio, Pio, felice, triumphatore, perpet. Auguſt. anno partus Virginei 1566. ſuſcepta, vbi vires vniuerſi prope Chriſtiani orbis (pro aris ſiquidem & focis certandum erat) vnanimes conuenerant, in Pannonia innotuit: Eoque Vngarici vel Pannonici à regione, veluti morbus Gallicus quia in caſtris Gallorũ in Campania ætate Caroli Octaui Francorum Regis deprehenſus, illinc porro promulgatus: Sudor Britannicus ex Anglia (vbi primum anno ſalutis 1436. conſpectus dicitur, Henrico Septimo rerum illius Inſulæ potiente) vicina littora inficiens, Gallos, Belgas, & Germanos ab anno 1525. vſque ad 1530. vaſtauit, & hic morbus denominationem ſortitus eſt. Caſtris ad Comarum cœpit, iunctis ad Iaurinum incrementa ſuſcepit, exauctorato, & hinc inde dilapſo milite, ſæuiſſimus factus, tunc ſeu per ſeminaria diſtributum eſt contagium Germanis, Burgundis, Belgis, Italis, Bohemis: vehementior tamen, & diuturnior malignitatis portio Viennæ hæſit, qua domum reuertentibus pene ſingulis tranſeundum erat, & pro ſe quiſque reficiendi corporis ſtudioſus, dum intra tecta reciperetur, gratitudinis aut mercedis loco, morbum hoſpiti vel familiæ ingerebat, & ita aduenarum diuerſorijs dedicata loca vndiquaque languentibus referta, viæ publicæ cadaueribus aut exanimibus occupatæ conſpiciebantur. Symtomata ferme huiuſmodi erant: circiter tertiam vel quartam à meridie horam inuadebat, eiuſque ἐπισημασία cum leui rigore, qui frigus potius, vel ſuperficiarium horrorem, quam rigorem præ ſe ferret, obſeruabatur.

Poſt horulæ dodrantem æſtus illum excepit, qui noctes & dies ſequẽtes adſidue excruciatos detinuit. Inquirentibus conquerebantur de capitis dolore potiſſimum, deinde manu quoque admota oſtendebant regionem ſub ſterno ad cartilaginẽ ξιφοειδῆ, quam & malogranatum vocant, vbi orificij ventriculi ſedes creditur vulgo. Ibi omnib. certe ἀντίτυπον quiddam, renitentia inquam, & durities obſeruabatur, quem locum ſi paulo ſummis duntaxat digitis comprimeres, etiam eiulatu ædito dolorẽ vehementem teſtabantur. Sitis inexhauſta primis ſtatim initiis adeo torquebat, vt viderim nonnullos, ad vrceos & vrnas aquæ frigidæ, extra tentoria prouolutos, aſſidue lambendo, vel potius ſorbitando, nõ prius deſeuiiſſe, quam ibi animam exhalarent. Poſtridie, vel ad ſummum tertio die deliria, circa quæ id fuit animaduerſu dignum, quod inter delirandum, dũ ſibimet non conſtarent, ſermones tamen incompoſitos, quiſq; de ſua arte, quæſtu, aut genere vitæ plerunque haberent:

Cauſidicus lites: auriga ſomnia currus, inquit *Claudian.* Ita de mercib. inſtitores, de vini corruptela & adulteratione caupones, de conflictu & bellicis machinis, ſtratagematib. caſtramentatione, velitationibus, militares, & equeſtris ordinis viri, tractabant, licet non defuerint, qui & prouidentiam in dubium vocarint. Impotes mẽtis ſat diu perſeuerarunt. Exacerbationes circa veſperum: per noctem recrudeſcebat morbus. Lingua torrida, labra quoq; fiſſa: quibuſdã ſputum ſanguinis.

Chriſtophero Phriſiæ Orientalis Comiti, ex dyſenteria febris tertio die oborta, cui acceſſit flux⁹ hepaticus, cum abſq; intermiſſione purũ impermixtũque ſanguinẽ, interdum loturæ carnium nõ abſimilem excerneret, febriſq; intenderetur, ſeptimo morbi die, qui erat Autumnalis Æquinoctij dies mane in aurora expirauit. Sectio oſtendit iecur vniuerſum prope diſſolutum.

Iñ quibuſdã colicos, laterumq; dolores iſtiuſmodi excepere febres. Quos inter Nicol. Craſar Dominus in Lanſee tripudiis plures horas in calente hypocauſto occupatus, per interualla poculis etiam vini aliquot exhauſtis, vbi concaluiſſet totus, hyberno tempore exutis omnibus veſtimentis dio ſe expoſuit, eoque momento pleuritide correptus delirio comite (quod obſtitit quo minus lateris vehementẽ ſentiret dolorem) adſiduo, vigiliæ iuges, deiectiones meræ, ſynceræ, bilioſæ, frequentes, herbacei coloris, ſpumoſæ, febris ardentiſſima, lingua ſcabra, immenſam ſitis libidinem exaturare nequiuit. Quarto ſudor leuis, ſexto itidem, quo maculæ apparuerunt, & pulſus ad duos etiam tres ictus intermiſit. Deliria de die in diem creſcentia: ſeptima poſt meridiem lethargicus humanis ceſſit.

Stordinus præpoſitus Tagrabienſis, ex vini meracioris ingurgitatione colicis infeſtari cœpit dolorib. neq; præter iuxta vmbilici regionem cruciatus perſenſit, cum ex improuiſo deliria, febrem ardentiſſimam teſtantia, paucis diebus florenti adhuc ætate hominem è medio tollerent.

Non-

Nonnullis materiæ per aluum commotæ ſalubrem criſim attulerunt, vt Heineckero ad Salinas Viennæ habitanti tertio & decimo die magno impetu aluus turbata, excrementa integrum triduum fluentia, vacuata materia biliosa, partim pituitoſa, putri & fœtida, vbi viribus ſubuentum eſſet, & metu nimiæ virium deiectionis aluus modice adſtringentibus forinſecus appoſitis retenta eſſet, ſaluus euaſit.

Plurimis & fere omnibus materiæ ex capite in vtramuis aurem ſeceſſionem fecerunt, vnde ſurditates plurimæ oboriebantur, eoque ſequeſtrata materia ſalutis certiſſimum augurium prębebat, licet magna poſtea difficultate craſſiores humores è loco anguſto educerentur aut diſcuterentur Euidens tamen ſolutionis morbi argumentum obtulit auditus impeditus. Parotides frequentes, facile tamen in pus abierunt.

Georgius Gerſtorfius ſignifer, in linguæ paralyſin morbo ſoluto incidit, è qua vix longo poſt tempore multis tentatis remediis liber euaſit.

Peſſima fuit criſis, quibus tuberculum in ſummo pedis (tarſum dicunt) oboriebatur, quo per vellicationem ſcalpendo obtrito, & effracto, malum radices ſerpendo agebat, donec lixis calonibus, aut auiculis negligentiorib. ſphacelus, aut Arabum Eſthiomenus ignis, crus occuparet, carbone quouis atrior, vnde ceu ſiderati, ſenſu & motu amiſſo, maloq; radices agente, vtroque aliqui, alterutro cæteri crure priuati ſunt. Cruretenus amputati ſunt pedes plus decem in ptochotrophio Viennenſi, qui pari calculo in eo conueniebant, ſeſe noctu frigus ſenſiſſe cum æſtu ſubſequente: mane vero, vbi ſurgendum fuerat, tuberculi cuiuſdam atri ſigna oborta, quod vbi vnguibus vellicaſſent, malum inſpiciendo auctum & breui crus vniuerſum obſediſſe, ſeque in has miſerias conieciſſe. Nemini tamen hoc contigit, niſi qui ſub dio, vt in excubiis milites, aurigæ, noctu aere frigido, ſereno, iter facientes, aut alioqui frigori ſeſe exponentes, moram longiorem traxerunt, vnde incendium obortum, tuberculo enato, conquieuiſſe affirmabant.

Salutem alii recuperabant 14. die, licet aliqui etiam in vigeſimum ſint producti diem, ii inquam & prius quibus tempeſtiue & recte inſtituta fuit curatio.

Omnes, qui vini potione non abſtinuerunt, interiere, adeo vt ſumma ſpes ſaluationis in vini abſtinentia collocata videretur: neque vllus viſus morbus, qui tantam vini hauriendi voluptatem deſiderio inexplebili coniunctam ac iſte introduxiſſet, ita vt præcipites cum vino necem appetere prudentes & ſcientes viderentur.

Papulæ ſiue puncturæ, pulicum morſuris ſimiles, omnibus equidem fuerunt, latiores aliis, minores aliis, vniuerſum corpus quibuſdam, maiore tamen ex parte regionem thoracis, & dorſum circa ſpinalem medullam occupantes, quamuis frequentes iuxta ſcapulas & in brachiis apparerent, coloris ſaturi plerunque, niſi in morituris, quibus in liuidum & atrum tendebant.

Inſolens & inuſitatum morbi genus prima fronte terruit plurimos, & vt in re noua, plurima excogitata remedia. Empirici, quorum eo ingens confluxerat numerus, Hertzbreun nominabant, vernacula lingua, quaſi febrem ardentem cordis. Cum enim extrinſecus non adeo acrem, mordacemq; perciperent calorē, intus latere incendii fomitem rati, tum quia locum denotabant, qui germanis quoque cordis ſignificatione (haud aliter ac καρδίαν græcis os ventriculi ſignificare paſſim inculcat Galenus) donatur: Ab atro vero vel puniceo linguæ colore, qui febribus ardentibus peculiaris Breun (vt Langius deducit) Cauſus illis dicitur, compoſito vocabulo cauſum cordis appellabant: & quia in diſſectione (cuius egregie ignari erant) aliquas puſtulas ceu ſudamina Plinio dicta ab efferueſcentia ſanguinis oriunda, in ſubſtantia cordis conſpecta illis fuiſſe, temerario iactitabant, ob id locum primario affectum cor eſſe mordicus aſſerebant. Vulgus Kopffwehe à capitis intenſo dolore nominabant. Vicit tamen morbi appellatio. Inſolens morbus initio multos ſuſtulit, idcirco nouæ illis excogitatæ antidoti, eæque ſæpius commutatæ, cum prioribus ignauis & minus ſecuris aliæ ſubinde ſurrogarentur, ſi forte retundi poſſet calamitas publice graſſans. Albuginem oui aut plures ſimul ſumebant, & vehementer agitatam in ſpumam degenerare cogebant, illi ad pondus drachmæ vnius vel ſemiſſis crocum minutiſſime attritum adiiciebant: vbi hæc accurate permixta fuiſſent, vini ſublimati ſiue aquæ ardentis ad vncias duas addebant, & vna vice exhauriendum propinabant. Tum eadem mixtura os colluebant, pannoque aſperiore palatum, gingiuas, linguam, dentes, digitis inſertis vehementer tergendo, tantiſper fricabant, quoad ceu pellem, aut exuuias corii ſpiſſitudine, linguæ exuerent, ita æſtum ſubtractum rati, linguam rubicundam & ſubcruentam reddentes, ſalutem ægro nulla prorſus victus ratione inſtituta pollicebantur. Si matutino tempore id exercuiſſent, veſpere reiterabant, & vix vlli tertium hoc fuit adhibitum remedium. Succeſſit aliud nouum, hoc proſcripto, pollentius forte priore, & ob authorem nobilioris famæ. Id continet viginti folia ſedi maioris (non arboreſcentis, quod non ita pridem apud Italos innotuit) vulgaris, quæ contundenda, & ſuccus diligentiſſime eliciendus per expreſſionem, ſucco, quantus fuerit, adiiciebatur ſcrupulus ſalis Ammoniaci tuſi, vel caphuræ nonnihil cum aquæ fontis lympidiſſimæ ſextario. Hæc permiſta frigidæ exhaurienda propinabantur. Interdum leue momentum pulueris radicis Iridis Illyricæ commiſcebatur. Hac aqua pro libito ægris vti concedebant, vt vicem gereret tam potus ordinarii, quam medicamenti. Gratius hoc poſtremum erat, ob frigiditatem, & quia laxis habenis illis hauriendi poteſtas dabatur. Hungari, è quorum exercitu non plures quam duo ex Epiſcoporum ſtabulariis toto eo tempore ſatis ceſſere, cum reuerſi apud ſe quoque inſinuaturum ſæpe hoc malum animaduerterent, ob affinitatem quam cum febre ardente id habere autumarunt, more gentis conſueto, Leuiſtici radicem (quam Laſerpitium nonnulli potius quam hippoſelinon eſſe contendunt) recentem effoſſam & ablutam, in aruina, ſiue axungia porcina, recenti, ea quoque à membranis perpurgata, & ſæpius frigida abluta, contundunt: illo cataplaſmate, vel vnguine, delibutum reddunt vniuerſum caput, abraſo capillitio, potius

tamen frontem & tempora quam reliquum inungunt capitis, & quidem frigide. Dehinc linteo ingenti, aqua ardente aut vino ſimplici calefacto imbuto, corpus vniuerſum obductum amiciunt, & ita cubanti ægro ſudorem magna violentia, & non leui ex mordacitate creato dolore, proliciunt. Præterea ab allio in aceto macerato, & ſale, carpos manuum, & plantas pedum vehementiſſime diuerſionis cauſa perfricant, nec aliis præterea ſeſe muniuerunt præſidiis.

Rationales Medici, contagii de corpore in corpus tranſitus conſideratione habita, præmiſſis Eccoproticis, quæ expurgandis ductibus communibus ſufficerent, ad venæ ſectionem ſeſe protinus conferebant: tum diæta ex acidis inſtituta, vt mali Medicæ punicæ, vel vuæ acerbæ ſucco, ad antitodos conuertebantur. Mithridaticam confectionem aut theriacam exhibentes, ſudoris prouocatione morbum exterminabant: cordi appoſitis Epithematibus, non poſthabitis iis, quæ cordis vigorem tueri conſeruareque intrinſecus propulſa malignitate poterant. Peculiare quoddam medicamentum quibuſdam in vſu erat, cui plurimum fidebãt, quod accipit Theriacæ Alexandrinæ, Mithridati electi an. vnc.iij. Zedoariæ electæ vnc.j. Zinziberis albi vnc.s. radicum tormentillæ, ſerpentariæ, pimpinellæ ana. drachm.iij. camphoræ drachm.ij. myrrhæ, croci, oſſis de corde Cerui, diptamni ana. ſcrup.ij. s. Doſis erat vnius aurei diſſoluta in pari portione aquæ & aceti ceu euporiſtis: alioqui diluebant aqua vitæ, quam illi Bezaharticam vocant, cuius deſcriptio eiuſmodi eſt. R. diptami, rubiæ tinctorum, caryophyllatæ, rutæ ſylueſtris, ſcabioſæ, pœoniæ, hyſſopi, theriacæ optimæ ana. vnc. s. gentianæ, boli armeni, caſtorei, hipericonis, tormentillæ ana. drachm. j. pulueres biduo macerentur aqua ardente plurium deſtillationum, inde theriaca admixta, ſeruetur ea aqua vſui. Fuere qui ſolius Zedoariȩ in aquis cardiacis exhibitione viſi ſunt plurimos ſanaſſe: Alii promiſcue omnibus aquam ſtillaticiam vel decoctum Verbenæ per ſe mane & veſperi exhibebant, donec in univerſum evictus fuiſſet morbus. Superſtitioſus tum in caſtris invaluit rumor, cum ultro citroque de mali origine & medela paſſim quiritaretur quiſque, non aliam huius internecionis culpam eſſe quam eſum carniũ recentiſſime mactatatum. Cum enim, ad numeroſam militum manum, laniones ægre ſufficerent, vi prope in macellis diripiebantur carnes, inde ſtatim verubus trementia adhuc extra torrendo affigebant, vel calentes adhuc ollis ad elixationem includebant. Qui hoc feciſſent, & veſci avidius ita coctis carnibus conſueviſſent, primo ſtatim die correptos paulo poſt alvi fœda profluvie aut contagioſo hoc morbi genere interiiſſe: tantamque illa perſuaſio, ne dicam inanis opinio, vim habuit, ut inter nobiliorum familias & domeſticos, gravi denunciata pœna, privatim fuiſſet interdictum, ne quiſpiam tam recens mactatas carnes tangeret, niſi, unum vel alterum diem aeri expoſitæ, probe perfrigiſſent, eaque ſola præſervatione ſecuros ſeſe victitaturos ſibimet pollicebantur. Equidem difficilioris longe coctionis ſunt recens iugulatarum pecudum carnes, ſi extemplo igne apponantur, niſi arte ſubventum fuerint, quam ſi mortuæ per aliquot dies præſtiterint. Fibræ enim adhuc in muſculis nerueæ integræ, nondum ruptæ, conciſæ, vel contuſæ ſunt, demum, ad putredinem vergente cadauere, cum vna cum calore natiuo educitur etiam humidum primigenium (cuius merito quæ putrent ſub initia humidiora apparent, deinde abſumto humido areſcunt) friabilior, laxior & mollior redditur caro ſparſa, ceu rore quodam, per muſculoſas partes ea humiditate. Apicii, aut arti culinariæ præfecti hoc obſeruant, neque vt olim Galenus gallos exagitatos, viminibus cædi ad internecionem, vt ruptis fibris ſanguis vndique diſpergeretur, & ſuauior eſui redderetur iuſſit, faciunt, verum minori compendio tam capos, quam ferinas carnes gelu concreſcere prius, aliquando etiam ſub terram defodere ſoliti ſunt, vt primum putredinis gradum acquirant: frigore neruos rumpente, vnde collapſis fibris ruptiſque aliquid friabilitatis, tam in elixatione quam aſſatione conſequuntur. Forte, quia circa ventriculi regionem, vt dictum, dolorem & duritiem perſentiebant, ex craſſioribus, & digeſtioni reſiſtentibus eduliis, id contigiſſe imaginati ſunt, quibus conficiendis plurimum, & quidem fruſtra, inſudaſſet ventriculus. Alioqui, calor quid malignitatis poſſit inuehere, equidem neſcire me fateor, cum maius ſit ſymbolum inter calorem bruti & noſtrum, ſiue is ſit innatus, ſiue influens, quam inter carnem iam calore deſtitutam. Docet experientia in Tartaris & Moſchis, qui totos dies equitando conſumentes, carnes ſub ephippia condunt, vt priſtinum calorem cõſeruent, aut alium ab animali acquirant, & eſui nutritionique aptiores reddantur, ruptis etiam & conquaſſatis ex iugi aſſiduaque concuſſione & contuſione inter equitandum concepta fibris nerueis, quibus muſculi conſtant, neque alia ad ignem demum præparatione vtuntur. Quam fera, aut robuſta gens ſit ea, illis quippe notum, quibus ſunt viſi. Non tamen interea negarim calidiores ventriculos ad confectionem requiri: ſed latentis alicuius malignitatis eas participes reddere, quæ tantam inuehere poſſit calamitatem, vnde nam colligi poſſit, ratione nulla aſſequi valeo. Origo mali altius eſſet repetenda. Aeris conſtitutio in Vere abundauit pluuiis magnis & continuis vſque adeo vt flumina inſolito more exundarent. Danubius, Sauus, Drauus, tanto impetu ruptis marginibus littora tranſcenderunt, vt etiam aduentum Turcarum plus quam bimeſtri ſpacio retardarint. Æſtas ſicca. Autumnus certe ſerenus & ſicciſſimus, vt toto tempore quo in caſtris victitatum vix leues aquarum aſpergines ſemel atque iterum viſæ fuerint. Num culpa in victum conferri poterit; ſub oppugnatione Weſprimii & Tatæ laboratum annonæ penuria aliquandiu fuit, illic aquæ fontanæ ſalubres, hic vero lacus ingens fontium vicem explet. Labore igitur oppugnandi, & æſtu compulſi catervatim ſeſe recreaturi, totos etiam aquis immerſerunt milites, tum ob pilas igneas, quas è propugnaculis hoſtes eiaculabantur, & quia Weſprimium incendio conflagrauit, plurimum illis in igne laborandum fuit. Vbi Danubio viciniores facti, intra alueum is ſeſe receperat, ob magnam aeris ſiccitatem, vnde piſculentus admodum fuit, quapropter, ob vilitatem, plus piſcibus quam carnibus victitatum, quibus condien-

dis non cuiuslibet gregarii militis ſumptus ſufficiebant. Ingens igitur, & inuſitatus piſcium prouetus, piſciuoros adeo ad ſeſe allexit vt nuſquam feliciores ſe vixiſſe multi gloriarentur. Vina erant pendula, vetera, recentia, fæcibus turbida, & ob cauernarum ſubterranearum penuriam, ſi ſoli diurno exponerentur, ſicut & cereuiſia, aciditatem non effugiebant. Scrobibus effoſſis maluerunt lutulentam, craſſam, turbidamque aquam, frigus captantes, bibere, quam Danubianam, vbi conſediſſet longe ſalubriorem, licet tepidam, guſtâre. Omnia eo tendunt, vt, niſi conſtiterit aeris feruor, à prædominio pituitæ hæc orta dicamus, quamuis vna alios quoque putruiſſe humores nemo eſt qui inficietur. Indubiam faciunt fidem ſerotinæ exacerbationes, quæ typum quotidianæ continuæ præ ſe ferunt: nox difficilis, dies lenior: dolores circa ventriculi os Cardialgias referentes, atqui ventriculus lacuna eſt pituitæ. Deliria benigna non Maniaca vel θηριώδεα niſi ſi ex ingenito temperamento melancholico eo procliuis fuiſſet, aut magnam copiam bilis flauæ, aduſtæ aut vitellinæ coaceruaſſet. Capitis dolores, per parotides aut ſurditatem deſinentes, aut linguæ reſolutionem. Maculæ etiamſi rubeæ fuerint, nemini tamen non conſtat ſanguinis etiam pituitoſi ſubtiliorem portionem & tenuiorem tranſudare, & ſub cute detentam, illam colore aliquo ſanguineo tingere. Eſt enim in venis pituita ſanguini permixta, & pituitoſus ſanguis eſt aquoſior ob frigiditatem, & ob id dilutior, quocirca ratione ſeri facilius tranſudauit. Neque neceſſarium eſt, variolas ſolum à pituita fieri, cum ἔκθυμα ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν τὸ ἐστὶ ἐξορμᾶν generali nomine à quouis humore fiat. Ex frigore materia eiuſmodi pedibus tranſmiſſa ſiderationes peperit. Et quia malum vires ſuas circa hyemem maxime exeruit, neque niſi verno tempore, aut æſtu æſtiuali paulum remiſit. Morbus hic non eſt toto genere diuerſus ab eo quem Itali ſuo idiomate le petechie dicunt, de quibus Fracaſtorius doctiſſime, & poſt eum alii accuratiſſime diſputarunt. Quamuis autem aliqua hic fuerint ſymptomata ab illis non animaduerſa, ſciendus tamen ſæpenumero contingere, vt, pro regionum & victus diuerſitate, idem morbum varia & diſſimilia pariat Accidentia. Is morbus, quia frequens apud Italos eſt, nunquam (quod de peſte Lutetiana Roterodamus ait) ceſſat, aliquando remittit, alias rurſus recrudeſcit: non defuere viri docti, qui culpam vniuerſam & exordium in contagium ab Italis allatum & noſtris hominibus propagatum contulerint, quia cum illis ſit peculiaris, vel familiaris, his vero regionibus neque medicis aut raro admodum prius animaduerſus, facile ego quoque in eam adducor ſententiam, aliunde primordia allata, ſubinde incrementis ſumptis, toti demum exercitui impertitam malignitatem.

Fidem mihi & hoc facit, quod diſtributioni diuerſoriorum præfectum ex cohorte auxiliaria Pedemontana, quem Furerum vocant, omnium primum Viennæ adhuc petechiis laborantem deprehendi & reſtitui.

Hæc vt adiicerem, ob materiæ ſimilitudinem, mearum partium fore arbitratus ſum, quæ inſpectione, dum Caſtrenſem Medicum agerem, illinc vero reuerſus, decreto collegii noſtri, trimeſtri ſpacio ægris in Xenodochio præfectus, obſeruaui. Plurimos arte & ingenii ſagacitate, rerumque vſu pollentes aſtuiſſe ſcio Medicos, quorum cenſuræ hæc libens ſubiicio, qui longe abſtruſiora & certiora perſcrutati ſunt, iis inquam anſam porrigere volui ſuarum quoque obſeruationum publicandarum, ne, quod imperiti autumant, morbum nouum, medicis tam priſcis quam recentioribus incognitum, noſtro ſeculo fatali quadam cœli reuolutione apparuiſſe, ſuo ſilentio tanquam calculo dato confirment *Iordanus capit. decimo nono, de peſtis phænominis Tract. 1.*

Vngaricæ Febris huius miſcellaneæ theriodis libellum exactiſſimum, atque experimentis, vt ſi quem alium, nobilem, *Balthaſar Conradinus Medicus* excellentiſſimus, Germanice conſcriptum, ante annos aliquot publicauit: quem doctiſſimus vir *D. D. Iacobus Suterus Horbæ Medicus* celebris & amicus noſter ſingularis in linguam Latinam tranſtulit.

Observatio.

Ad Hungaricum morbum phlebotomia nullum præſtantius remedium.

Error Hungaros inuaſit, in Synocho & febri ardenti (hoc eſt in ſuo morbo Hungarico appellato) phlebotomiam non admittentes: qua præſtantius remedium in eo morbo nullum ſub ſole eſt, præſertim apud eam plethoricam nationem. Non igitur te deterreat vulgi per Hungariam male fundata opinio, & quorundam neotericorum, qui in febribus continuis, acutis & peracutis, euacuationibus nullum locum eſſe contendunt, & talium febrium ſolam cauſſam eſſe ſtatuunt, & pororum cutis conſtipationem, & inde cauſſatam ſuccedentem putredinem, atque ideo ſolis diaphoreticis curam inſtituunt. Sed (mihi crede) febres acutæ, ſynochi ardentes, præter eiuſmodi prohibitam perſpirationem multas alias habent cauſſas internas & externas: quod omnibus Medicis in confeſſo eſt. Imo non præter rem fortaſſe aliquis contendat, chronicarum magis febrium cauſſam eſſe prohibitam perſpirationem; vt monet *Galenus in libro de Criſibus.*

Acuti etiam morbi vt plurimum per profluuium ſanguinis ex naribus, per ſedes ſpontaneas, vel conciliatas per vrinam, per abſceſſus iudicantur perfecte, raro per ſudorem. Quod argumento eſt, in iis febribus phlebotomia, euacuatione ſubita, & per conſequens interdum (ſi res patitur) præparatione humorum, adprime opus eſſe. Quia ſudorifera euacuatio, vel quæ per poros & euentationem fit, raro ſola perfecte criticet, & ob id ſola raro ſufficiat. Quod tamen ſaluo cuiuſque eruditi iudicio dictum volo, contra communem illum empiricorum proceſſum, qui ſudoribus, aperitiuis, herbaceis balneis & diureticis falſo non ſolum acutarum febrium, verum etiam chronicarum curam pollicentur, contra veram medendi methodum.

Cornax Conſult. Medi. Enchiridii lib. 2. capit. 9.

* * *

DE CEPHALALGIA SEV CATHARRO EPIDEMICO.

Obſervatio.

Cephalalgiæ Epidemicæ rara ſpecies cum parotidibus.

EST quoque memoria dignum, quod anno 1510. populariter capitis dolores cum quadam perturbatione & vertigine, quibus parotides ſuperuenirent magna ſtrage hominum. Celeriter enim interficiebant. *Holler. Com.2. in ſecundam Sect. Coac. Hipp.*

Obſervatio.

Catarrhus cum cephalalgia, grauedine anheloſa, & tuſſi Epidemica.

TVssis quoddam populare genus, quod nos anno elapſo (qui annus erat redempti orbi ſeſqui milleſimus quinquageſimus ſeptimus) vigere populariter per vniuerſam Germaniã vidimus tanto impetu, vt derepente ſanis alioqui degentib. hominibus morbus obreperet. Quod morbi genus, ante ſub annum 1510. populariter item viguiſſe ſcimus. Erat autem huiuſmodi. Grauis capitis dolor, reſpirandiq; anguſtia, ac vocis raucitas initio ægros prehendebant: mox horror, febris, tuſſiſq; adeo valida, vt in præfocationis periculum deducerentur. Primis diebus ſicca tuſſis atq; vehemens ſine ſcreatũ, mox concocto humore qui pulmones implebat, poſt ſeptimum aut decimum quartum ſcreatus multus viſcidus, lentus, nonnullis tenuis & ſpumoſus. Procedente autem ſputo, tuſſis & ſpirandi difficultas plurimum remittebantur. Verum in omni morbi progreſſu laſſitudo corporis, virium deiectio, inappetentia multa, & à cibis auerſio ægros vexabat, inquietudo, languor, vigilia ob validam tuſſim vehementer premebant, nonnullis alui fluor ſub finem, aliis ſudores manabant. In vniuerſum vero cu[i]uſuis ætatis, ſexus, victus rationis homines, eodem morbo, eodemque anni tempore corripiebantur: moxque vno in vna quapiam familia correpto, in vniuerſam domum incendium atque contagio obrepebant. At, etſi plurimum diuque etiam afficerentur qui laborabant, nemo tamen mortem obibat præter infantes, quibus vis tanta non erat, vt expectorare, quæ in pulmonibus inſederant, poſſent. Curationis vis neque in ſanguinis miſſione, neque in purgatione conſiſtere videbatur. Nihil enim hiſce remediis, aut parum proficiebatur. Imo, quibus hæc remedia imperabantur, deterius plane habere ſunt viſi, exagitatis mali ſeminariis, nec proprio, ceu Alexipharmaco, extinctis. Extinguebantur autem potiſſimum eclegmatis deuoratis, ſenſimque in aſperas arterias illabentibus, tum & potionibus pectoralibus, & paſtillis in os detentis ad tuſſim ſedandam: ſed ita ſi huiuſmodi auxiliis aliquid, quod & ſiccandi vim haberet, & tota ſua ſubſtantia retinendi venenati ſeminarii poteſtate eſſet præditum, admixtum eſſet. Imprimis vero bolo Armenio plurimum iuuabantur, ſi linctibus, decoctis, paſtilliſve in ore tenendis admiſceretur, additis his, quæ expectorandi vim haberent, quo eorum vis ad ſedes affectas, (thoracem & pulmones) deduci commode poſſet. Iuſculis & potionibus humidis leuabantur magis quam attenuante victu, ſic enim facilius ferebant. Hæc morbi natura, hæc medendi ratio fuit. Morbum hunc vulgus, la coculuche, vocabat, quod qui morbo tenebantur, cucullione caput velarent. Arbitrabantur enim à cerebro in pulmones fluxionem irrumpere, caputque cucullo tegentes putabant ſe ſic melius habituros. E plebe profecto qui contingebantur omnes fere cucullo ſecundum caput amicti viſebantur. Vnde, id nominis vulgo inductum morbo fuiſſe, non vana coniectura eſt. *Valleriola in appendice Loc. Com. cap. 2.*

Exquiſite popularem hunc morbum deſcripſerunt Clariſſimi Viri *Stenglinus, Sporiſchius, Bockelius, & Salius*. Meminerunt eiuſdem *Fernelius libr. Abdit. & Geſnerus in Epiſtolis* aliquoties, quos conſulere licebit.

Hier. Mercur. & Cratonis Epiſt. aliquot de hoc Catarrho exquiſite tractatas & ad viuum excuſſas exhibuit. *Laurent. Scholtzius lib. 2. Conſ. & Epiſt. Cratonis & aliorum*: quibus eiuſdem naturam & curationem ſupra alios omnes proſecuti ſunt. Reperies autem pag. 253, & ſequentibus quinque. *Schenckius.*

DE FEBRE STIGMATICA.

TRACTATIO INTEGRA.

Obſervatio.

De noua febre peſtilenti, quam ſtigmaticam, & vulgo lenticulas, vel puncticula vocant.

SVnt febres, quæ mediæ quodammodo ſunt inter vere peſtilentes & non peſtilentes, quoniam ab iis multi quidem pereunt, multi etiam euadunt; contagioſæ autem ſunt, & idcirco naturam peſtilentium ſapiunt: appellari autem ſolent malignæ magis quam peſtilentes: quales illæ fuere, quæ annis M.D.V. & M.D.XXVIII. in Italia primum apparuere ætate noſtra non prius notæ, certis vero regionibus familiares, vt Cypro & vicinis inſulis, maioribus etiam noſtris cognitæ: vulgus lenticulas aut puncticula appellat, quod maculas proferant lenticulis, aut puncturis pulicum ſimiles, quidam mutatis literis peticulas dicunt: de quibus diligenter agendum videtur, quod nunc quoque crebro viſantur, modo communes multis, modo quibuſdam particulatim contingentes: Viſi etiam ſunt, qui ex Italia in alias regiones profecti, vbi nullæ eſſent eiuſmodi febres, ex iis tamen perierint, quaſi ſecum infectionem detulerint: quod Clariſſ. & doctiſſ. Andreæ Naugerio Oratori pro Illuſtriſſima Venetorum Repub. apud Regem Gallorum annis ſuperioribus contigit, ex hac enim labe interiit in ea prouincia, in qua ne nomine quidem nota erat ægritudo eiuſmodi, Vir eius doctrinæ & ingenii, vt nulla maior literarum iactura ſit facta iam multis annis. Contagioſa igitur eſt & hæc febris, ſed nõ celeriter, nec fomite, & ad diſtans, ſed tantum per tractationem infirmi: per initia autem quum febres omnes

nes peſtilentes placidæ ſint, & mites, tum hæc adeo placidæ inuadit, vt vix admittere medicũ ægri velint, vnde & Medicorum multi plurimum decepti ſunt, expectantes reſolutionem morbi paulo poſt, nec quicquam contra parantes: mox vero ſigna malignæ febris aperiebantur, nam quanquã calor mitis pro natura eiuſmodi febrium ſentiebatur, interne tamen perturbatio quædam percipiebatur, tum & fractio in toto corpore, laſſitudoque more fatigati: decubitus erat ſupinus, caput graueſcebat, ſenſus hebetes erant, & mens magna ex parte poſt quartum aut ſeptimum non conſtabat, oculi rubeſcebant, verba multa dicebantur, vrinæ primum exalbidæ vt plurimum cernebantur, plenæ tamen, mox rubeſcentes & confuſæ, aut ſimiles vino granatorum: pulſus rarus, & humilis, qualem diximus: excrementa corrupta, fœtentia; circa quartum & ſeptimum in brachiis, dorſo, & pectore maculę rubentes ſæpe & puniceæ erumpebant puncturis pulicum ſimiles, ſæpe maiores, imitatæ lenticulas, vnde & nomen inditum eſt: ſitis autem aut nulla aut parua aderat, ſordeſcebat tamen lingua, ſomnolentia quibuſdam & vigiliæ, interdum in eodem vtrumq; per vices: ſtatus aliis ad ſeptimum, aliis ad quartum decimum, aliis & vltra: Vrina quibuſdam detinebatur, quod peſſimum ſignum erat: ea febre mulieres paucæ, ſenes pauciſſimi, Iudæi fere nulli deperiere, iuuenes & pueri multi, & ii quidem Nobiles, contrario modo ac peſtilentes verę cõſueuere, quæ quum vulgum præcipue capiant, tum hæ febres maxime in Nobiles graſſare viſæ ſunt. Perituros ſua ſigna pręcedebant, ſicuti & euaſuros: mala erant, ſi ſtatim æger virtute defici ſe ſenſiſſet, ſi aſſumpto leui pharmaco ingens alui deiectio ſecuta fuiſſet, ſi facta Criſi non acceſſiſſet alleuatio: nam vidimus, quibus libræ tres ſanguinis erupiſſent è naribus paulo poſt tamen obiiſſe: malũ item, ſi vrina detinebatur, ſi lenticulæ delituiſſent, ſi ægre erupiſſent, ſi liuidæ fuiſſent, & valde puniceæ: quodſi aut omnia, aut plura ex his acceſſiſſent, certiſſima ſequebatur mors, euaſio vero, ſi contraria aut omnia, aut plura apparuiſſent.

Hæc quidem in propatulo erant, ante oculos: quibus autem de cauſſis, & quomodo eueniſſent, magna inter Medicos diſcrepantia, magna altercatio erat, variis varia exiſtimantibus: alii aduſtionem & acuitatem in cauſa ponebant, alii plenitudinem, alii intrãſpirationem corporum, alii occultam proprietatem: quare & quiſque pro exiſtimatione ſua auxilia afferebat non ſine artis ludibrio, quod vulgares non lateret tanta diſſenſio. Quoniam autem vagantes erant febres, & multis vno tempore communes, communem quoque cauſſam tum habuiſſe cenſendum eſt, præcipue autem contractam ab aere: quod ſatis rationabile apparet, quando Anno M. D. XXVIII. præcedente hyeme auſtrina pluuioſa, vere quidem multa flumina inundauere, apud nos quidem Atheſis, & Padus, apud alios alia: fuere pariter & caligines quædam, quibus arborum germina, olearum præſertim quam plurima aruere: quibus de cauſſis & principium his febribus datum credendum eſt: quæ vero ſparſæ nunc apparent, cauſſam particularem in nobis habẽt, in quibus primæ fiunt, & conſimilem putrefactionem acquirunt, qualis illa fuit, quæ primum communem multis originẽ ab aere traxit. Quoniam autem cõtagio hæc, per comparationem ad vere peſtilentes, ſatis mitis apparet, nec celeriter contrahere ſolet, nec fomitem relinquit, nec ad diſtans protenditur, ſed tarde & per tractationem ſolam, cenſendum eſt ſeminaria ipſius non eſſe admodum acria, nec fortem illam elaboratamque miſtionem habere, ſed magis apta eſſe vt alterentur facilius, & non agglutinentur quemadmodum alia ſolẽt, quæ fomitem relinquunt, & in ſumma quæ à natura vaporum non multum remota ſint, aeria tamen quantum ſufficit eiuſmodi contagionem inferre. Conſimilem ergo infectionem in aere primum fuiſſe cenſendum eſt, quæ mox in nos ingeſta tale febrium genus attulerit, quæ tametſi peſtilentes veræ ſint, in limine tamen earum videntur eſſe. Analogia vero eius contagionis ad ſanguinem præcipue eſſe conſtat, quod & maculæ illæ, quæ expelli conſueuere, demonſtrant, omnes enim rubẽtes ſunt, principii colorem & rationem retinentes: qua de cauſſa & magna etiam & late fuſa eſt putrefactio propter humiditatem & fluxibilitatem ſanguinis: eadem de cauſſa & lenior etiamnum eſt hæc, quam peſtilentes aliæ, non poteſt tamen non moroſa ſentiri facta magna introrſum euaporatione prauę putredinis: propter quod & laſſitudo quoque ſentitur, & mens non conſtat, & caput grauat: & oculi rubent: quæ euaporatio, quoniam lenis eſt & tractabilis, rariſſime ſolet phreneſim facere, quod multi medicorum timere ſolent, videntes delirium fieri. Porro nec mirum eſt, ſi egeſtiones corruptæ liquidæque apparent, tam larga quum putrefactio fiat: vnde & malum erat ſignum, ſi aſſumto leui pharmaco ingens deiectio ſecuta fuiſſet, præſertim primis diebus, ſignum enim erat valde amplam eſſe corruptionem, ſomnus autem iis multus obrepebat, quib. pituitoſior erat ſanguis, vigilia vero, quib. bilioſior. Maculæ aũt apparebãt in cute, natura foras pellẽte, q̃ poterat, partẽ infectionis: nã & modo p ſanguinis fluxũ è narib⁹, modo p ſudorẽ, modo per alui deiectionẽ exonerabatur, ſed ſalubrior erat, q̃ p eiuſmodi maculas tẽtabatur, expulſio: ꝓpter ꝙ multi eorũ euadebãt, q̃bus large fiebat ea, multi v. pıbãt, quib. raræ & ſparſæ erũpebant maculæ, aut, vbi erupiſſent, deliteſcebãt: ſignificabant n. aut naturã non eſſe potentẽ, aut materiã male obedientẽ, q̃ aut expelli nõ poſſet, aut retrocederet, natura tentante aliam expulſionem. Sanguis vero effluxio per nares nullos pene leuabat, quoniam magnum quidem ſtimulum arguebat, & naturam maxime cogi ad expellendum, qua poterat, contrariũ, ꝙ in maiorib. venis inerat: ſed ea via nõ erat idonea ad expellẽda ſeminaria cõtagionis, q̃ maxime in minorib. venis ſedẽ habebãt, vtpote quæ extrinſecus acceſſiſſent. Similiter nec multum ꝓderat ventris deiectio, quoniam corrupta quidem materia expurgabatur, ſeminaria aũt non: quare ex omnib. conuenientior erat, quæ p cutim expulſio fiebat, primum quidẽ per maculas facta, mox per ſudorem: propter quod & multi viſi ſunt euaſiſſe, quibus largus ſudor ſuperueniſſet, per has enim vias magna pars ſeminariorum vna cum ſubtili parte ſanguinis excernebatur. Detinebatur aũt interdum vrina, ſiue quod abſumeretur aquoſitas, ſiue quod alio verteretur, vt in maculas, vel ſudorem, ſiue ꝙ redundantia nimia humorum, aut craſſities vias obſtrueret, ſiue deficeret virtus: propter quod peſſimum erat ſignum. Pueros autem

& iuuenes carpit magis ea contagio, quod in iis plus adſit ſanguinis, & humidioris, ad quem habet analogiam: tum vero & ii foramina magis aperta habent, & calidiores ſunt, vnde attractio fit maior, tum per venas, tum per anhelitum: propter quam cauſam & qui negotiabantur magis, magis etiã carpebantur, minus autem carpebantur otioſi, & frigidi, & ſicci natura, quale fere eſt ſenum & Iudæorum genus: mulieres vero frigidæ & ipſæ ſunt, & denſioris carnis. Porro nobiles magis, quam plebs hac tanguntur labe, contra vero peſtilentia magis plebs, quam nobiles, quoniam peſtilentia potiſſimum in contagione vnius ad alium verſatur, minus vitio aeris, hæc autem infectio magis aeris vitio, quam tranſitu vnius in alium: ab ea igitur contagione, quæ ab vno in alium tranſit, magis cauere nobiles poſſunt propter diuitias, & commoditates alias, quibus plebs caret, ab ea vero, quæ dependet ex aere, minus defendi poſſunt nobiles, quam plebs, quoniam ea, quum communis omnibus ſit, magis eos occupat, qui delicatiores ſunt, & minus robuſti, quique & plus habent ſanguinis, & humidiores ſunt, quales ſunt nobiles propter luxum & vitæ quietem: plebs autem & robuſtior eſt & ſiccior, vtpote fatigata magis & victus parcioris. Ita igitur ſe habent lenticulares febres, & ex his cauſis fiunt.

Nunc de curatione earum febrium pertractemus, quæ, quod non vere peſtilentes ſunt, malignæ tantum dicuntur, quales illæ fuere, quæ annis 1505. & 1528. tam large apparuere, quas alii lenticulas, alii punctila vel peticulas appellauere: de quibus diligentiſſime agendum videtur, quoniam ſæpe per epidemias reuertuntur, ſæpe ſine iis naſcuntur, ac nunc etiam per Italiam viſuntur, certis autem regionibus maxime familiares. Referemus autem in primis, quo pacto Medici eas curabant, quam primum in eas perinde ac ignotas incidere: inter quos tanta diſcordia orta fuit, vt pene ludibrio haberentur: nam vt à victu ordiamur, alii liberaliter & large nutriri ægros iubebant, quod dicerent virtutem plurimum diſſolui: ita præcipere Hippocratem, ita principem Auicen. alii tenuiſſimum victum dabant, exiſtimantes ægritudinem à plenitudine multa dependere: alii extremorum dubii mediocritatem tenebant, vti ſecuram magis: meracum nonnulli propinabant, nonnulli aquam aut ſimplicem, aut vino granatorum permiſtam. Sed nec minus circa phlebotomias controuerſia oboriebatur, aliis protinus & large ſanguinem haurientibus, aliis nunquam volentibus ſecare venam, quod vidiſſent maiorem partem eorum, quibus ſecta fuiſſet, vitam finire, inter quos alii putantes media quadam via incedere, hæmorrhoidias apperiebant. Porro & circa euacuationes eadem diſſenſio agebatur, alii enim acribus medicamentis vtebantur, alii nullis, aut lenioribus: nec deerant, qui dicerent eam febrem ſudoribus eſſe finiendam: qua in re & Empirici quoque & Chymiſtæ ſuas partes habuere, qui ſublimatis quibuſdam liquoribus ad eam rem efficaciter vterentur, à quibus plurimi mortui ſunt, multi ad Ocriportas deducti, quidam omnino ſanitati reſtituti atq; ſaluati: maior medicorum pars, more empiricorum, a venenis ſimilitudinem accipientes, iis vtebantur, quæ ad venena ſolent apponi, quare & per bolum Armenium, & terram Lemniam, & eiuſmodi medicabantur: contra alii iſthæc negabant eſſe adhibenda, quod obſtruerent venas, & foramina, quod expulſiones impedirent, ſed communibus digerentibus agebant: nonnulli exiſtimantes morbum in aduſtione conſiſtere ea quæ aduſtioni aduerſantur: inter quas controuerſias magna mortalium pars, & nobilitas vrbium periit. Nos, quæ partim longa experientia, partim ratione comprobauimus, in medium adducemus, ſi tanta in re præſtari mortalibus aliquod beneficium poſſet: quod certe fiet, ſi, quæ circa contagiones contemplati fuimus, non aſpernabuntur. In primis igitur ante oculos ea ſunt habenda, quæ ſupra de analogia eius febris, & cauſſis dicta ſunt: quoniam ergo eius analogiam diximus nec ad ſpiritus per ſe eſſe, neque ad acres humores, ſed ad mediam quandam materiam, qualis eſt ſanguis, in qua diſſoluatur quidem virtus, ſed non vehementer, & cito, incipientes quidem à victu melius egiſſe illos exiſtimamus, qui mediocri victu vtebantur, ſic enim & æger non grauabatur, & conſeruabatur virtus: quare & nos hac diæta ægros ſemper nutriuimus, interdum quidem ſubtrahentes magis, interdum & apponentes: neq; enim hæ febres ſemper in eodem ſunt, ſed aliæ ad acutas magis accedũt, aliæ ad tardiores, prout & ſanguis modo bilioſior eſt, modo pituitoſior. Potus autem, ſi fieri poteſt, non è vino detur, quoniam euaporatio multa in his febribus accidit, & delirium facilime conſequitur, quod peſſima res eſt, non ſolum quod circa nobiliſſimum membrum verſetur malum, ſed ob id, quod parere nolint ægri: ſit ergo aqua vel ſimplex decocta, vel aceto mixta, qui potus ante alios mihi idoneus videtur, quod ſi ſtomachus forte non ferat, nihil prohibet cinnamomi paululum admiſceri: ſunt, qui miſcent ſyrupum acetoſum, aliqui qui citri ſuccum: ſunt etiam qui magis ament aquas, quæ ſublimatæ vocantur, vel Cichorii, vel Oxalidis, vel Cicerbitæ, vel Borraginis, vel id genus: quod ſi vinum concedendum ſit, eligitur, quod pauciferum vocatur, à Græcis ὀλιγόφορος, ſapore acerbum. Aer vero, ſi quid vitii continere videbitur tibi, aut permutetur, aut bene perfletur, aut per irrorationes & ſuffitus emendetur, dum reliquum diæticum regimen recte diſpenſetur, vt par eſt. Quod vero ad medicinalia attinet, quærendum in primis de phlebotomia videtur, vtrum conueniat in his febribus, an non, & quando, & quibus è venis, quoniam certe res cecidit annis ſuperioribus, vt maior pars phlebotomatorum perierit: cauſſam ergo arbitror inde fuiſſe, quod febres illæ tum maxime ex aere contigere, (vt dictum eſt) quare, extrinſecus quum veniſſet contagio, circa ſumma & in corporibus præcipuæ vigebat, & in venis remotioribus: facta igitur phlebotomia introrſum ſtatim trahebatur in ſpiritualia: adde & illud, quod febribus his lenib. & placidis apparentibus non fiebat venæ ſectio circa initia, ſed tum maxime, quum ſeminaria iam diſperſa erant, & radices vndique egerant: quare ſecta vena ſanguis plurimum quidem agitabatur, & commiſcebatur, parum autem de ſeminariis, & de corrupta materia ſecum educebatur: vnde in diſcrimen ponebatur magis æger, quam iuuaretur. Si igitur & nũc quoque, aut futuris temporibus extrinſecus videris acceſſiſſe contagionem, non affueris autẽ circa principia, pręſertim ſi nec adeſſe magnam plenitudinem

animad-

animaduerteris, tum ſatis erit venæ parcere: at vero, ſi corruptio in aliquo primo enata fuerit, ſi vocatus fueris ad principia, tum ſecure venam incide, & ſanguinem multum extrahe, ſi reliqua conſentiunt: quod ſi poſt tertium diem, aut quartum ſolum acceſſeris, tum maturius conſule: ſi tamen hominem ſanguinis multi præcipue & fibroſi præ manibus tibi Fors dederit, etiam aude ſanguinem haurire, niſi natura tentauerit expulſionem aliquam: cæterum, quum valde ſparſa contagio eſt, ſectioni parce, ſed cucurbitulas appone, niſi valde magna ſit plenitudo, ea enim, quum eſt, melius aut per pharmaca tolletur, aut per apertionem hæmorrhoidum, aut inciſionem ſaphenæ. De pharmacis vero purgatoriis eadem animaduerſio eſt, nam & ipſa à circumferentia introrſum trahunt, ſanguinem valde exagitant, & non multum de ſeminariis educunt: ſi tamen plenitudo humorum viſa fuerit, niſi ex iis fuerint, qui contumaces ſunt, euacuationibus, ſi potes, à principiis euacua, alioqui aut nihil moue, aut ſolum, quantum ſufficiat educere, quæ iam corrupta eſt materia: Sint autem ſolutiua aut Aloe, aut Caſſia ſiliqua, aut Manna, aut Syrupus roſatus ſolutiuus: expertum autem eſt pharmacum illud multum valere, quod per Agaricum fit, & ſyrupum roſatum ſolutiuum: vehementiora vero mihi non placeant. Quod vero ad ſudorem attinet, non paruo teneri errore illos exiſtimo, qui indiſcrete volunt finire has febres per ſudorem: nam, ſi obſtructio fortaſſis adſit, ſi plenitudo, ſi cruditas, non ſolum nihil proderis per inducentia ſudorem, ſed magnopere lædas: multum præterea refert, quibus ſudorem prouoces, ſublimatorum enim multa, præſertim Chymiſtica, calidiſſima ſunt, & febrem ardentiſſimam reddunt, ac virtutes exoluunt: tum autem non damnem inuitandum eſſe ſudorem, quum maculæ apparent quidem, ſed ægre natura expellit, reliquis conſentientibus: quare nec male videntur facere, qui decocto Fœniculi, & Lacæ, & Caricarum vtuntur: vtilis autem fiet, ſi ea addantur, quæ ſimul & contagioni obſiſtunt, qualis eſt Scordium herba, & Trifolium odoratum, & quæ Luiula vocatur, forte quæ & Oxys apud Plinium, & vocata Gallica, & ſimilia: placent quoque & quæ per vrinam multam materiam educunt, nam multas ex his febribus vidimus per eiuſmodi criſin finitas. His ergo conſideratis ſcito reliquam curationem in eo conſiſtere, quod putrefactioni, & contagioni omnibus ingeniis aduerſatur, tam per ea, quæ communia & aliis febribus remedia ſunt, quam per propria contagioſis: quoniam autem, quæ propria ſunt, omnia quidem potentia ſunt ſicca, & ſiccorum alia calida, alia frigida, & rurſus alia etiam ſtyptica, & craſſæ ſubſtantiæ, quærat fortaſſe aliquis, vtrum calida conueniant in his febribus, ſimiliter & vtrum ſtyptica, & quæ ſunt craſſæ ſubſtantiæ: qua de re Aloiſius Mondella, Medicus Brixienſis, Vir doctus & diligens nonnulla ad nos ſcripſit, ac præcipue ſuper Smaragdo, quem aliqui Medici veluti arcanum quoddam, & venerandum antidotum habent: beneigitur erit de hiſce dubiis (vt promiſimus) nonnulla dicere, quod maxime ad hoc febris genus pertinere videtur. Primum igitur, quantum ad calida attinet, quoniam multæ harum febrium in ſanguine pituitoſo conſiſtunt, & materia in eo genere craſſiori, ſi quis per calida in iis agat, nihil (vt opinor) nocebit, aut ſi frigidis calida tamen permiſceant, præſertim aromatica, & quæ excellenter aduerſantur putrefactioni: ſi vero bilioſior erit ſanguis, conuenientiora erunt frigida, ſiue pulueres fuerint, ſiue decocta, ſiue alia: atque in his ſi etiam ſtyptica adhibeas, nihil efficies, niſi valde multa obſtructio fuerit viſa, quod rarius in eo ſanguine accidit: quare nec dubita per hæc naturam, & macularum expulſionem impedire, ſi ſanguis ſubtilis ſit, nam potius ebullitionem temperabis (vt in variolis dictum eſt) ab his vero magis cauendum tibi ſit, quum craſſior eſt ſanguis, & obſtructionibus paratior. Cæterum illud notandum eſt, quod ſtypticorum quædam craſſiſſimæ ſubſtantiæ ſunt, & ſumme aſtringentia, vt pontica, & auſtera vocata, quales immaturi fructus, & Sorba, & Corna: atque hæc quidem magis cauenda ſunt: propter quod nec vinum laudem, quod ex Oxyacantha fit, nec quod è Cornis: alia vero ſimpliciter acerba ſunt, qualis eſt aqua vino granatorum admiſta, aut aceto, aut ſyrupo acetoſo, ſuccove Citrii, & Aurantii mali, & Limonis & ſimilium: atque hæc ſecure concedi poſſunt, tum vel maxime iuuabunt, quod & ſicca potentia ſunt, & frigida. Quantum vero ad pulueres ſpectat, in vniuerſum dicatur, quod eorum, quæ teruntur, alia propter duritiem & ſiccitatem ſemper adeo ita conſtant, vt, quanquam multa opera ea teras nunquam tamen apta ſint in farinam minui, hoc eſt, in tam tenues partes, quin ſemper actu talia non percipiantur, qualia ſunt Ferri, & æris ſegmenta, & Marmoris, & Vitri, & multorum lapidum: alia vero ſunt, quæ tam optime in farinam vertuntur, vt Margaritæ, & Corallia, & Gemmarum multæ, ſimiliter & Sphragis, & Bolus Armenius, & plures aliæ terræ: rurſus quædam tritorum cum liquidis nunquam ita miſceri poſſunt, vt in vnum coeant, quædam vero ita coeunt, & coaleſcunt, vt actu eſſe per ſe nunquam ſenſu vllo diſcernantur. Qui igitur pulueres in farinam teri non poſſunt, nec bene cum liquidis coaleſcere, hi adhiberi in hac febre non debent, quoniam aut in ſtomacho, aut in inteſtinis reſidebunt, aut, quo oportebat, non diſtribuentur: quare indigeſti nocebunt non parum: qui vero in farinam bene conteri poſſunt, & bene cum liquidis coaleſcere, hi non modo cauendi non ſunt, ſed maxime affectandi, quoniam antipathiam tum materialem, tum ſpiritualem aduerſus contagiones habent, tum vero & intermiſti humoribus, alia etiamnum ratione prohibent putrefactionem illorum, propter ſubtilitatem autem & tenuitatem, ad quam redacti ſunt, neque obſtruere poſſunt, neque expulſionem vllam impedire: eiuſmodi autem ſunt & Sphragis lemnia, & Bolus Armenius, & Margaritæ, & Corallia, & Hyacinthi, & Sapphiri, & Tormentilla, & Biſtorta vocata, & cornu Cerui, & Monocerotis, & Scordium, & id genus multa. De Smaragdo autem ſpecialiter dicendo ego quidem ab antiquis nullam talem attributam illi prærogatiuam inuenio, qualem recentiores quidam Medici attribuunt: quoniam autem de rerum virtutibus loqui poſſumus aut per experientiam factam, aut per rationem, ego quidem ſuper hac re experientiam ſufficientem fieri ſatis difficile arbitror: nam etſi aliqui Smaragdo ter & quater viſi ſint euaſiſſe, infida tamen eſt, ad vni-

vniuerſale ſi illatio fiat, quoniam incertum eſt, per accidens ne contigerit, an per ſe, niſi ratio ad communem naturam fiat: poteſt autem ratio certe fieri, quod Smaragdus valere ad eiuſmodi febres debeat, quod frigidus ſit & ſiccus, quemadmodum & de aliis dictum eſt. habere autem prærogatiuam ſuper alia tanquam ſacrum quoddam antidotũ ratio nulla afferri poteſt, quoniã, an agat & per ſpiritualem antipathiam, nec ratiõne, nec experiẽtia cognitum eſt: regium 'a nen ſit medicamẽtum, quod magno præcio venit. Quærat autem quis, & de Guaiaco ligno, & de radice Cinarum, de qua in Gallico morbo dicemus, vtrum conueniant in hac febre, quoniam vtrumque exſiccat valde, & ſudorem mouet, & putrefactioni reſiſtit: ad quod dicimus nullam nos habere de iis circa has febres experientiam: verum, quantum per rationem poſſumus exiſtimare, credendum eſt vtrumque valere in ea re plurimum, & Guaiacum quidem, quia & ſubtiliſſimis partibus conſtat calidis ac ſiccis, propter quas & valde exiccat, & ſudorem ciet: eſt etiam & reſinoſa ea arbor, quare mire & ad contagiones valet: decoqui autem in qua debet permiſto etiam aceto, ne febrem augeat, aqua de cauſſa conuenientior etiam erit, vbi pituitoſior ſit ſanguis. Radix vero Cinarum ſicciſſima quidem eſt, reſinoſa autem non eſt, nec calida, quãtum ſenſu percipi poteſt, quare & dubium eſt, quomodo ſudoris adeo prouocatiua ſit: fortaſſe igitur eorum eſt, quæ potentia talia quidem ſunt, ſed remote, hoc eſt, quorum calidæ partes tarde actu fiunt, propter quod & ipſa ſudorem mouet, quum ſeparata miſtione actu tandem fiunt igneæ, & ſubtiliſſimæ partes, vel forte, & ſi particulæ, ex quibus conſtat, per ſe calidæ non ſunt, propter ſiccitatem tamen & tenuitatem accenduntur calore noſtro, & ita ſudorem mouent: & ipſa igitur conuenire his febribus poteſt, quoniam & valde exiccet, & ſudorem faciat, & foramina cutis aperiat. Ex ſyrupis autẽ valent Acetoſus, & Oxymel, & de Fumo terræ, de Epithimo & Citro, de Acetoſa, de Lupulis, de Cichorea, de Pimpinella, quæ ad Oenantes genus referri poteſt, & appellari Oenantilia, tum & qui de Bizantiis dicitur, & de Eupatorio, de Thymo, & eiuſmodi: aquæ vero ſunt Borraginis, Meliſſæ, Cicerbitæ, Scabioſæ, Cardibenedicti, Calendulæ, Luiulæ, Trifolii, Gallicæ acetoſæ ca. v. Lupulorum, Eupatorii, Chamædryos, Pentaphilli, Maioranæ, Calamenti, Pulegii. Decoctio optima, quæ habet Agrimoniæ, Cichoreæ, Cicerbitæ, cap. v. recentium Trichomanis, Scordii, Dictamni Cretici. an. M. I. Tormentillę, Biſtortæ, an. vnc. v. ligni Aloes, Caſſiæ ligneæ, Squinanti, Calami, Gummi, an. drach ij. radicum Cauarum drach. iij. infundantur omnia per diem in aquæ puræ lib. x. mox fiat decoctio ad ſufficientiam, cuius decocti colati vnc. v. cum Syrupo de Citro vnc. j. exhibe in aurora. Puluis optimus, terrę Lemniæ, Boli Armenii, Tormentillę, Scordii, cornu Monocerotis, vel Cerui an. de quo drach. j. accipiat cum aquæ roſaceæ vnc. ij. aceti vnc. j. Expertum quoq; eſt, ſucci Luiulæ vnc. iij. aliud vilius quidẽ, ſed non minus valens, Tormentillæ, Biſtortæ. an. drach. s. detur cum aqua Cardibenedicti. Interea vide, ſi qd natura mouet, & per quam viam: ſi quidem erit ſanguis, qui erumpat è naribus, ſiue multus, ſiue paruus, neque iuuato, neque retineto, niſi virtus cadat: ſi vero multa & corrupta per aluum materia exiuerit, neque hanc comprimito, niſi virtus collabens poſcat: at vero, ſi lenticulæ expellantur, eas quidem iuuare oportet, ſi natura pigra eſt, iis quæ ad cutim mouent, & contagioni ſimul contraria ſunt, quale eſt dictamnum, & coſtum, & radix perſonantiæ, & cannarum radix, & eiuſmodi. Solent & accidentia quædam concomitari has febres, inter quæ eſt delirium, quod tametſi rariſſime phreneſim ſequitur, diuertendum eſt tamen propter dictam cauſam. *Fracaſtorius lib. 2. c. 6. & 7. lib. 3. c. 6. de contag. morb.*

Observatio.

Epidemici capitis tumores, rubores, cum pruritu & veſiculis, ambuſtorum inſtar, in pectore, aliiſq; partibus obortis, quæ, Alexipharmacis ſumptis, diſparuere: neglectim vero tractata, in maligna & diſiata ſerpentiaq; vlcera degenerarunt.

ANNO 1588. Menſe Decembri filio meo Ioanni, quatuor annorum puero, intra biduum totum caput vna cum facie mirum in modum intumuit, in pectore vero, dorſo & brachiis puſtulę oblongę, ſeu potius veſiculæ, pellucidæ (ac ſi aqua feruenti affuſa, vel vrtica aduſta eſſent excitatæ) cum magno pruritu & faciei rubore apparuerunt. Ego cornu Cerui vſtum, terram ſigillatam Sileſiacam cum aquis ſcabioſæ, Cardui benedicti, & cichorei propinaui, poſtea elect. lenitiu. exhibui, & tumor omnis breui euanuit.

Eodem fere tempore viro cuidam ſatis robuſto totum caput & facies eodem modo intumuit, (tales namque tumores eo anno in hiſce locis multis fuerunt familiares) cui balneator neſcio quid applicauit, inde natum eſt vlcus malignum & incurabile: quo longius ſerpente, & magnam faciei partem depaſcente, amiſit æger vtrumque oculum: & tandem miſere eſt mortuus. Caueãt igitur ægri ab huiuſmodi imperitis chirurgis. *De CL. V. Iohan Franci Med. Camicenſis Obſeruationibus per D. Laurent. Scholtzium mihi tranſmiſſis.*

DE FEBRE MALIGNA.

HISTORIA ET CVRATIO.

Observatio.

Febris malignæ hiſtoria atq; curatio.

RVTGERVS à Randuvick Nobilis, ætate plus quam quinquagenarius, temperamento bilioſus, incidit in febrem ſummæ malignitatis: quam ſtatim ab inuaſionis principio comitabatur cõtinuus vomitus materiæ bilioſæ, vehemens lingue ariditas, ſitis, inquietudo, intolerabilis ęſtus ventriculi cum frequenti eructationum repetitione, quæ per interualla gulæ cõmunicabat anguſtias, & coarctationẽ difficillimam, non ſecus q̃ ſi integri oui interpoſitione meatus fuiſſet obſtructus: adeo vt æger ob cauſſæ morbificæ ignorationem vereretur inopinatæ ſuffocationis periculum. Pulſatio arteriarum deprehendebatur valde inæqualis & inordinata, vſque ad ſeptimum diem, quo percipi cœpit intermittẽs: cui quadam motionis viciſſitudine caprizans ſuccedebat. Sed hic nondum arripui deſperationis anſam, licet haud

Quaquam me lateret Galeni de hoc ſigno iudicium prorſus formidabile. Ad medelam huic affectioni præſtandam accitus, neglecta ſanguinis detractione, quam hoc anno in quibuſcunq; malignis & peſtilentibus morbis etiam circa Rheni tractum crudeliter graſſantibus periculoſam compereram: ilico exhibere iubebam antidotum cum aqua card. benedict. tum in malis contagioſis familiarem, cuius deſcriptio talis eſt: ℞. theriacæ electæ vnc. iij. rad. tormentillæ, bacc. iuniperi, ſem. card. bened. ana. drachm. j. s. boli armeni præparati vnc. s. diamargarit. frigid. ſcrup. ij. ſeminum acetoſæ, citri, raſuræ eboris ana. drachm. j. ſyrupi de acetoſitate citri quantum ſatis, fiat condimentum: vnde prouocato abunde ſudore meliuſcule habuit. Tertia die, qua primum acceſſi ad morbum, penitus ocularis inſpectionis fide conſiderandum: atque tum obſeruata maxima humorum putredine, & apparentibus incendii aduſtioniſque grauioris indiciis, ordinaui decoctum ex hordeo, card. benedict. & ſcabioſa confectum, admixto ſaccharo & aceto in formam ſyrup. acidi, quo aſſidue vtebatur: quandoque hauſtum ex ſtillaticia card. benedicti, & oxalidis aqua bibebat. Nutriebatur ptiſſana ſubacida, auenato in aqua cum pauxillo aceti præparato, ac tandem iam paulo pulli Gallinacei ſimplici, in quo vitellus oui erat diſſolutus: aſſumpſit quoque ſuccum mali Punici. Quinta die, contecto diligenter corpore, exhibitaque aqua hordeacea dulcorata, copioſiſſime profluxit ſudor, qui mire ægrotantem ſubleuabat anxietatis continuæ moleſtiis. Sexta per ſeceſſum prodibant excrementa penitus bilioſa, cum fœtore magno, adeo vt natura materiæ peccantis diminutionem paulatim moliri iam videretur: ſed impedita fuit ab inſultu noctis ſubſequentis: qua ſymtomatum omnium concurſus ingruebat tanta & vehementia & celeritate, vt æger condito vltimæ voluntatis teſtamento, migrationis è vita momento intenderet. Septima rediens mane, in acerbo conſanguineorum aſtantiumque luctu, citra vllam dilationem digitis carpo admotis pulſum percipio, intermittentem tertia quoq; pulſatione, qui primo quidem contactu terrorem incutit: at examinatis interea cæterorum accidentium præſagiis, indeque certa conualeſcentiæ ſpe data, quicquid diſcriminis portendebat variata illa cordis & arteriarum motio, id totum retuli ad acerrimam naturæ cum vi morbi concertationem. Neque profecto coniecturam meam euentus rei fefellit: quoniam reliquo diei decurſu expultrix facultas occupabatur plane in exonerando ſtomacho à noxia materiæ aduſtæ multitudine, animaduerſioni habita primo ad virtutis corroborationem, odoratui mala aurâtia, aqua roſ. & acetum roſaceum obtuli, deinde, ad iuuandum naturæ conatum in ciendo vomitu, exhibui aquam tepidam cum oleo communi, & aurâtiorum ſucco mixtam. Inde ſeroſa quidem recrementa nonnulla remanarunt: ſed quum minera mali nondum attingeretur ſatis ab imbecilliori hoc medicamento, aut eius tenaciſſima malignitas infringeretur: ſequenti die (qui octauus numerabatur) deliberato animo, & pulſus intermiſſione quamuis perſeuerante, miniſtraui potionem purgantem ſequenti modo confectam. ℞. Rhabar. el. pul. ſenæ laxatiui, an. drac. j. s. Infundantur ſeorſum in aquæ endiuiæ vnc. iiij. s. horis 10. poſt fortem expreſſionem colaturæ [illegible] ſyrup. roſ. ſolut. vnc. j. miſce. Et quia mea [illegible] pulueris ſenæ ſolutiui, cuius vſum in hac in[illegible] Germania ego primus introduxi, eius de[illegible]nem lubenti communicatione obiter ſub[illegible] vt quibus viſum fuerit, in ſuis præparent pha[illegible]poliis. ℞. fol. ſenæ purgatæ, tartari albi ana [illegible] ſem. aniſi garyophyllorum, cinamomi, gala[illegible] drach. j. diagridii drach. ij. comminuantur [illegible]ſime in puluerem ſecundum artis legem: cu[illegible] eſt drachm. ij. in ſubſtantia, & vnc. s. in infu[illegible] ſupraſcripti pharmaci aſſumtione ſexies æger [illegible]uum excreuit flaua, bilioſa, aduſta, fœtida [illegible]datione omnium ſymtomatum: vt etiam te[illegible] ſenſibili perceptione ſeſe liberari ab ingenti[illegible]re incenſi glomeris, per inteſtinorum longitu[illegible] à ventriculo delabentis. Poſtea roboraui in[illegible] conſeruæ roſaceæ exhibitione, foris vero illi[illegible] olei roſacei immaturi. Conualuit probe no[illegible] & optimus Vir, poſt vniuerſalem corporis cu[illegible]tionem: ſaltem pulſus intermittens perdura[illegible] huc in nonum vſque diem, quo commutab[illegible] paruum, rarum, tardum, qui neceſſario debi[illegible] ſequebatur ex mutua naturæ & ægritudinis [illegible]ctatione natam. Proinde manifeſtiſſime [illegible] prædicendi ex pulſibus cautionem à Medicis [illegible] obſeruandam, ne animo penitus perculſo & [illegible] moto de valetudinis recuperatione confeſti[illegible]dant, ſi quãdo eiuſmodi pulſus ſenſui occurrat, [illegible] cauſſæ quidem morbificæ magnitudinem, & [illegible]pitem oppugnantis naturæ luctam denotet, no[illegible]men mortis propinquitatem, niſi plurimi [illegible]um ſignorum tanquam τεκμηρίων acceſſione [illegible]metur artificioſa coniectura. Etenim, priuſquam [illegible]lum ab ore procedat præſagium, duo in con[illegible]tionem veniunt: naturæ robur, & vis morbi. [illegible] tum demum animal interitus perceptionem [illegible] quando illud ſuccumbit, hæc vero victoriæ in[illegible] oſtentat. Verbi gratia: ſtatuamus ægritudinis [illegible] aut parem eſſe naturæ, aut imparem. Pari ſi[illegible] non apparebit conuerſio vel ad ſalutem, vel [illegible]tem: quia mutationis omnis proprietas con[illegible] vnius prędominio. Sic igitur impar tum aut [illegible] vincet, aut natura. Si natura, euadit æger: ſi [illegible] morietur. Mortem enim inuehit defectus natu[illegible] & exuperantia cauſæ morbificæ. Iam pulſationis [illegible]nis continuatio ſignificat facultatis vitalis robu[illegible] defectio autem eius imbecillitatem. *Victor. Obſ[illegible] Medica. lib.*

DE VARIIS PESTILENTIBUS DEFLVXIONIBVS.

OBSERVATIO.

De variis peſtilentium defluxionum generibus, veluti Angina, Pleuritide, Peripneumonia, quæ Anno 1564. & 1565. apparuere in quibuſdam Germaniæ inferioris locis.

QVOD cœleſtis influxionis variatio corpora humana imbuat diſpoſitione ad difficillimum morborum [illegible]gum ſubeundum, manifeſte qui[illegible] elici poteſt ex vnico illo Hippo[illegible]

Aphoriſmo, quo indicat mutationes temporum potiſſimum parere ægritudines. At longe tamē manifeſtius id ipſum demonſtratur præcedentium annorum conſideratione, qui propter multæ humiditatis prædominium, triſtiſſimas vniuerſalis mortalitatis clades nobis crearunt. Etenim præter frequentes puerperarum abortus, præter lumbricorum infeſtantium cruciatus, præter arthritides & vitiatas articulorum motiones, apparuere variolæ & morbilli, quos tanquam præcurſores ſequebatur Epidemica lues incredibili graſſationis ſæuitia, adeo vt ægros depaſceret, oppida exhauriret, ampliſſimas etiam depopularetur ciuitates: veluti ſatis ſuperq; teſtatur in Thracia Conſtantinopolis, in Ægypto Alexandria, in Galliis Lugdunum, Londinum in Anglia, in Germania Dantiſcum, Auguſta, Vienna, Colonia, totuſque ſuperior Rheni tractus, Baſileam vſque: quæ loca omnia exitiali ſua cōtagione crudeliſſime deuaſtauit. In his vero noſtris ditionibus inferiori Rheno propinquis peſtis quidem mitior erat: ſed interea graui morborum penitus peſtilentiū obſeſſione conflictabamur, qui maxime ex fluxionum cauſis dependebant: eo quod externa humiditas, tū cognatæ lubricitatis reſpectu, facilem motionis ꝓcliuitatem ſortiretur, tum putrefactionis anſa veneſitatem acquiſiuiſſet. Anno enim à Chriſto Nato M.D.LXIV. inualere hyeme colli tumores externi glāduloſi, pituitoſi, diſcriminis expertes: quib. poſtea incipiente vere ſucceſſerunt, & per potiſſimam æſtatis partem extendebantur, anginæ crebræ, periculoſæ, & velocis terminationis: quæ præterquam quod malignitatis ſuæ contagione crudeliſſimis peſtilentiæ inſultibus penitus adæquarentur, tam etiam breui perdurationis decurſu interficiebant, vt nonnullas deprehendere liceret ſaltem ephemeras, aliquas triduas, vel quatriduas, pauciores ſeptenarias: at cæteræ octidui periodum excedentes, plerunque medelam receperunt. Oboriebantur primum cum febre & vomitu, ac potiſſimum ex cauſſarum προκαταρτικῶν occaſione, vtpote nouilunio, exercitio corporis vehementiori, deambulatione per ſolis feruorem, aliiſque exæſtuationum focis: deinde momentanea acceſſione ſuperuenit linguæ tumor, loquela adimebatur ex obturatione laryngis: ipſe etiam œſophagus arctiſſime occludebatur, vt ne vix quidem potum admitteret, multo certe minus cibi ſolidioris deglutitionem quorum ſymtomatū confluxus ægros necabat ſtrangulatu: quo nullum mortis genus exſtitit aut atrocius, aut calamitoſius. Interea vero, præter pauciſſimorum eryſipelatum apparitionem, nullus in colli ambitu conſpiciebatur tumor: ſed intrinſecus concidebat fere ſemper virulenti humoris defluxus, qui plerumque excitabat phrenitidem, facta exhalationum cum crebro communicatione. Sæpenumero etiam, relicta priori in faucibus ſtatione, ad latera ſub cutem coſtas tegentem deſtillabat, vnde lethalis Cynanches ſolutionem pleuritis non minus mortifera conſequebatur. Raro autem ad pulmones transferebatur materia quæ peripneumoniam non minus tutam mox excitabat. Interdum quoque, thorace relicto, ad ſpinam dorſalem conuertebatur, eiuſque dolorem gignebat intollerabilem præſertim etiam in mulieribus menſtruum effluuium patientibus, (quod peculiariter notandum ſuccurrit) quo difficili ſymtomate prope liberabatur nemo, moriebantur plerique omnes. Tam malitioſum erat tenuiſſimi humoris virus, ex cuius vehementia & contagione, ob venæ magnæ viciniam, ſanguis vitiatus, ad proximas vteri venas, fluxioni menſtruæ aſſuetas, defluxit, erupitque: vnde & grauior in corpore veneni facta commotio & ſpirituum euacuatio. Obſeruabatur præterea in peſtilenti hac Cynanche, pueros, quorum tamen ætas maxime huius ægritudinis erat particeps, prouectioribus minus periclitari, atque eos prope citius reliquis euaſiſſe, qui decubitum in lecto negligebant: idcirco quod horum reluctatio fortaſſis minus concepti veneni, vel (ſi voles) naturæ robuſtas vires argueret: aliorum autem obſequiū denotaret impotentiam ex veneno ſeuerius eam ætatem infeſtante. Quantum curatiuæ methodi rationem ſpectat, vniuerſales corporis euacuationes, quę præſtantur aut pharmaci purgantis aſſumtione, aut phlebotomię vſurpatione, plus læſionis quam emolumenti inferebant: niſi quod in principio cucurbitulas ſine ſcarificatione humeris collo proximis in teneriori ætate affixas iuuiſſe, & in aliis ſanguinis è linguæ venulis extractionem quandoque profuiſſe cōſcius ſim: adeo vt in hac angina Hipp. præceptum fuerit repudiandum, *lib. de locis in homine*, cuius hæc ſunt verba: Angina affectis, à venis quæ in brachiis ſunt, ſanguinem detrahes: ſimul & aluum inferne ſubduces, quo id, quod morbum committit, detrahatur. Quare exactius conſiderata, curationem inſtituebam, partim corroborando partes inferiores, aduerſus fluxionum iniurias, partim veneni peſtilētis vim infringēdo: hinc & localium remediorū applicatione diſſipando quandoq; idipſum, quod immediate cauſæ coniunctæ præſentiam fouebat. Vbi tamen cautione ſumma opus eſt: alioqui hæc medicationis pars hic prætermittenda. Nam facile, ex localium diſſipantium vel digerentium potentia, hic humor ſua tenuitate ad alia decliuia vergebat loca, vt dictū eſt: vbi periculū conſequebatur quoque, licet ſerius aliquādo. Porro nec hoc qdē ſilentio ꝑtereundū eſt, quod, dū tātopere ſæuirēt & in aliis locis peſtilētiæ, & in his noſtris anginæ Epidemię; frequētiſſime hyeme ꝑcedenti, noctu potiſſimū, apparuiſſent, aut celeri eiaculatione, aut cōſtanti ꝑmanſione, horrēdi & varii in aere fulgores & typhodes: qui, licet durante ꝑ totā æſtatē lue nondū prorſus deſiiſſent, euanuerūt tamen circa aduentū hybernæ conſtitutionis: q̄ tā ſæuero extremi algoris dominio nos tandē oppreſſit & deuaſtauit per integrum duorum menſiū, eoq; amplius, ſpaciū, vt ab hominū memoria hyems nulla extitiſſe aſperior cēſeatur. Quāuis a. ex hoc inauditæ frigiditatis ambitu aer infect⁹ peſtilenſq; vinceretur, & peſtis ꝓagatio mire remitteret paſſim tamē ægritudinis prioris vice alia populariter graſſari cœpit: quemadmodū ſuperiori quoq; anno, alioq prorſus inſolita, fereq; à priſcæ medicinæ ſcriptorib. incognita: quæ, quum & ex humorū ad thoracē eiuſque latera defluxione dependeret, & maligna ſua infectione plurimos mortales corriperet trucidaretq;, ſortietur à me peſtilētis pleuritidis appellationē. Etenim, vt plures eius erant differentiæ, ita multipliciū ſymtomatum comitatu cingebātur. Siquidē in hoc conueniebant, quod cuncti ægrotātes primum infeſtarentur febri continua, ac peſſimi moris: pręſentirent pungitiuum lateris dolorem:

denique

denique ſumma excruciarentur anhelitus difficultate, & crebra reſpirationis repetitione: verum & ratione expuitionis, & facili partis affectæ permutatione diuerſitas contingebat. Nam ſtatim ab acceſſionis principio dolor percipiebatur fixus, & certæ tantum inhærens ſedi, qui deinceps vaga & inconſtanti motione ſerpebat per vniuerſum thoracis circuitum, præcipue poſt vnam alteramve ἀνωδυνῦ medicamenti applicationem, atque poſtea celeri nihilominus tranſitionis impulſu cõuertebatur ad pulmones: quibus ab impetuoſo humorum affluxu inundatis, ſputa prodibant ſanguinolenta, mixta diuerſoque colore aliquando tinctam quæ quãta maiori excretionis aut promptitudine, aut abundantia reiicerentur, tanto grauior nobis minitabatur de amiſſæ valetudinis recuperatione diffidentia: propterea quod hos fere in ſexti diei fine obiiſſe notatum ſit, antequam ad ſeptimi iudicationem peruenirent. Alii autem reperiebantur hæmoptoicæ paſſionis expertes, qui, vbi nonum exceſſiſſent, fere ancipiti periculi euentu liberabantur: niſi malum reuocaretur forte recidiuæ viciſſitudine, quo plurimi interiere ante tertię ſeptimanę terminum. Quin etiam, præter cætera accidentia, aliqui delirio tentabantur, nonnulli alui profluuio, quorum vtrumque & Hippocrat. teſtimonio & continuæ experientiæ documento, certa deſperationis præſagia cõfirmant. Et contagioſi quidem huius morbi Hiſtoriam, vt à nemine antiquorum deſcriptam comperio, ſic à recentioribus, quod ſciam, ne vel mentionem eius factam animaduerto, vnico excepto illo *Guidone de Gauliaco*, qui ad perpetuam poſteritatis memoriam (*in capit. 5. doct. 2. Tract. 2. ſua Chirurgia*) ſimilem Epidemicam luem recenſet, quæ Anno Domini Noſtri 1348. extremam mortalitatis calamitatem toti ferme mundo inuexit, partim cum febri continua & ſputo ſanguinis, partim cum authracibus vel axillarum vel inguinum. Excitati auctoris cautione deinceps *Valeſcus de Taranta* peruenit in obſcuram raræ iſtius ægritudinis cognitionem, ſicuti atteſtatur ipſius *appendix tractationi Pleuritidis ſubnexa*. Verum, quia nullibi compendioſa medendi ratio traditur, exiſtimabo me operæ præſtiturum præcium, ſi in teſtamentum ſempiternæ recordationis, vſumque Reipubl. paucis declarauero curationis noſtræ modum, qui varietatis reſpectu prorſus meretur Obſeruat. induſtriam. Nam, quum in Pleuritide præcipuum & euacuandi & deriuandi materiam morbificam inſtrumentum ſuggerat venæ ſectio, hanc tamen valde noxiam extitiſſe deprehenſum eſt, (vel ob venenoſi humoris agitationem motionemque grauiorem, qua ſpiritus & ſanguis venenoſitatis promptius redduntur participes) cum primis in ea ſpecie quæ cum αἱμοπτύσει coniungebatur: quoniam, ob humorum ad thoracem retractionem, ſanguinis expuitionem impedire cogitur, cuius retentio maioris inflammationis anſam contribuit neceſſario. Vt vel hoc nomine prudenter & circumſpecte Hippocrates inter phlebotomiæ obſtacula enumeraſſe mihi videatur lateris dolorem, tum ſanguinis ſputum, hoc cõtextus ordine. Conuenit quibuſdam ſanguinem detrahere tempeſtiue in talibus: in aliis autem, veluti in his non conuenit. Impedimentum in ſpuentib. cruenta, tempus anni, pleuritis, bilis. Qua differentiæ conſideratione propoſita, felicem expertus ſum ſucceſſum, phlebotomiam his quidem interdicendo, paucis vero ſuadendo. Ad hæc practici noſtri omnes paſſim inculcant, ad expectorationis facilitatem, vtpote potiſſimam intentionem, nihil eſſe conducibilius rerum dulcium, pectus lenientium, materiam apparantiũ, ſputumque promouentium & facile reddentium, lambitione: quæ tamen inſtituto noſtro nequaquã inſeruire poterat, ob putredinis febrilis & veneni peſtilentis augmẽtationem; quorum malignitati ſtudio maiori reſiſtendum erat, quam ipſius Pleuritidis violentiæ. Itaque, contra communis Canonis obſeruationem, conſului rerum acidarum exhibitionem: vt ſyrupi è ſucco acetoſæ, & de acetoſitate citri, cum aqua cardui benedicti & ſcabioſæ, & ſimilium. Deinde præſcripſi potiones pectorales, ex medicamentorum amarorum admixtione contectas: veluti cardui benedicti, ſcabioſæ, ſcordii, meliſſæ, cicorii, oxyos Plinii, acetoſæ, & eiuſdem generis plurium, quæ non ſolum materiam pulmonibus impactam eductioni præparant, verum etiam peſtilenti ſymtomaticæ febris eſſentiæ aduerſantur. A decoctione expreſſa additur ſaccharum purum cum aceto modico, & poſt leuem feruorem, denuo per cribrum ſeraceum traiicitur. Ab iis, quibus potenter aluus deiicitur, abſtinendum, tam ob veneni concepti exagitationem, quam virium deiectionem. Conferunt autem vel clyſteres, vel rhabarbarum infuſum in aquis prædictis, ſi liquori expreſſo ſyrupus roſatus ſolutiuus admiſceatur. Conferunt & pillulæ communes, quas peſtilentiales dicunt. Anditoti hic non inutilis forma hæc eſto. Recipe theriacæ electæ vnc. j. boli armeni veri cum aqua cardui benedicti aliquoties loti drachm. ij. ſpecierum diamargar. frig. ſcrup. iiij. ſem. citri, ſcordii, ſcabioſæ. ana. drachm. j. raſuræ monocerotis ſcrup. j. cum ſyr. de ſucco acetoſæ: fiat conditum, cum dictis vel aquis vel potionibus vſurpandum. Celebratur antidotum quoque in cuiuſmodi morbis peſtilentibus non inidoneum, Canonici cuiuſdam Lotharingi, qui contra peſtis ſæuitiam, eo vſuram haud vulgarem fecit apud Principes & Ciuitatum Reſpublicas inſignes: quanquam fucum interim ſubiunxerit, dum variis variæ formulæ prę̨ſcriptum, velut ſemper vnicum nec aliis vnquam communicandum, multo auro diuendit. Quæ autem à Potentiſſimo Principe, honorario certe liberali redemta eſt, ſic habet. ℞. ſpecier. lætitiæ Galeni, terræ ſigillatæ ana. drach. j. boli armeni vnc. s. theriacæ Andromachi vnc. iij. conſeruæ roſarum, borraginis, bugloſſæ ana. vnc. j. ſyrupi violarum quantum ſatis, fiat electuarium. Victus hic, qui in peſte, conuenit. Anno 1565. Menſ. Ian. *Vierus lib. Obſer. Medicinal. rarar.*

Observatio.

De Peripneumonia peſtifera cum ſputo ſanguinis.

IMMANE, ac horrendum peſtis hoc genus cum ſputo ſanguinis, Anno à Nato Chriſto 1348. tempore Martiniani Imperatoris Orientales, Occidentales, Europam denique totam, quinque annos, nonnulli Paratiſſimi Viri, qui tunc tempore degebant, inuaſiſſe, teſtantur. De quo etiam *Hieronymus Fracaſtorius* Vir ſingularis eruditionis, *in eius Syphilide* ſic canit:

Bis centum fluxere Anni, quum flammea Marte
Lumina Saturno triſti immiſcente per omnes
Auroræ populos, per quæ rigat æquora Ganges
Inſolita exarſit febris, quæ pectore anhelo
Sanguineum ſputum exagitans (miſerabile viſu)
Quarta luce frequens fato perdebat acerbo
Illa eadem Aſſyriæ gentes, & perfidus, & quæ
Euphratem, Tigrimq; bibunt, poſt tempore paruo,
Corripuit, diteſq; Arabas, molemq; Canopum
Inde Phrygas, inde & miſerum trans æquora vecta
Infecit Latium, atq; Europa ſæuiit omni.

Orientales in primis depaſcere cœpit, & eius continuo more procedens inoleſcens omnes fere vſque ad occaſum rapuit. Referuntque temporibus memoralibus tam diram mirabilem peſtilentiam, tam in malitia comparabilem alteram extitiſſe nullam, ac non tam horrendam luem conſcripſiſſe Galenus & Thucididem vel Auenzoar, neque huic illam famoſam ciuitatis Craton peſtem comparandam eſſe. Quoſcunque, qui ſibi obuii fiebant, non duntaxat ex mutua conſuetudine, aut ex propinquitate, aut ex contactu, verum etiam affectorum oculis ſanos aſpicientibus in eos miſeros mortales graſſans necabat. Quo horrendæ peſtis genere mortales omnes tantus inuaſit terror, quo omnes mutuo ſeſe deſerebant. Quamobrem ſine aſſiſtentibus ægri moriebantur, ac non duntaxat ſine ſacerdotibus, ſed vix ſepeliebātur. Tanta fuit huius miſerabilis belluę immanitas, ac ſæuities, vt ab oriente vſque ad occaſum mortalium decimam partem vix ſuperſtitem reliquerit; quotquot rapiebat, tot necabat. His artibus, his gliſcentibus inſidiis generi humano inſidiabatur, cum in vna regione graſſabatur, primis duobus menſibus febre indeſinente ſanguinem expuerunt, ac vehementi anhelitus difficultate laborarunt homines, ſecundum ſitum aliquem iacere minime poterant, ſedere vero aſſidue cogebantur, tanta erat anhelandi impotentia, qua bibere & cibum ingerere vix poterant. Infra tres dies irremiſerabiliter occidebat. Proſtrati hinc inde ducebant corpora, vehementi rubore ſplendebant genæ, tuſſis valida in primis ſine ſanguinis ſputo eos cruciabat, deinde paulo poſt cum pauco ſanguinis ſputo, poſtmodum ex tuſſi maior ſanguinis quantitas expuebatur, pulſus eorum erat diſſimilis. Poſt hos autem duos menſes, febre indeſinente, cum ſanguinis ſputamine, exanthematibus, & abſceſſibus extima occupantibus, breui, aut infra quintum diem omnes fere interimebat. Quamobrem, ſi qui hoc dirum peſtis genus in mente ruminant, ab huius exordio ſecuti, in tanto temporis curriculo, vſque in hodiernum diem, nullum tam dirum peſtis genus huic comparabile eſſe, neque fore, nec illud quod ciuitatem Cratinam, nec illud quod ſcripſit Auenzoar, nec illud quod Æthiopiæ mortales, inde ad Græcos tranſlatum, deuaſtaſſe memorat Auicen. huic cum ſanguinis ſputo æquiparari fatebuntur. Simile fere peſtis genus, ſed non tam ſæuum, *Galen. in 5. Meth. Med.* deſcripſiſſe videtur: vbi refert ex peſte in aſperæ arteriæ interiore tunica de orto vlcere, & de eius pulmonum in ea peſte exanthematibus. Teſtatur Guido de Gauliaco, quod in aliquibus partibus ita tenebatur, quod Iudæi venenaſſent totum orbē terrarum. Quare ab illis Iudæi occidebantur, huc illuc Iudæi curſitantes in ciuitates, in rura ingredi non admittebantur, niſi optime noti fuiſſent: cumque admittebantur, ſi pulueres, electuaria, vnguenta, & ſimilia medicamenta penes Iudæos reperiebantur à portarum, ciuitatum, rurum cuſtodibus, ea mandere, ingerere, compellebantur. Nonnulli, tam immanis peſtilentiæ, Saturni, Iouis, & Martis in domo octaua in Aquarii ſigno, & in appoſitione Leonis Anno 1345. die vigeſima octaua Martii, conuentum, cauſſam extitiſſe, autumant cum maiores conuentus, admiranda, & valde horrenda, & regnorum mutationes, Prophetarum aduentus, & maximos & peſtiferos morbos (quemadmodum Aſtrologi ſentiunt) minentur. At, cum ſidera huiuſmodi in ſigno humano tunc coiuerant, immane, ac in menſura in humanam naturam talis conuentus ditexit. Et cum iſta ſidera fixa fuerint, vires diutius propagatura inſinuabant; quod poſtmodum effectu euenit. Quamobrem ex his ſuborta peſtis, quæ orientales in primis occidendo inuaſit, ſicque ſerpendo, necando, quinque annis vires ſuas extendens in occidentales tandem graſſata fuit. Hæc illi, qui tunc degebant. Cæterum huiuſmodi peſtis genus, quid nominis ſit, à nullis huc vſque deſcriptum reperi. Ego autem ex eius ſymptomatis peripneumoniam peſtiferam hoc peſtis genus nuncupare auderem, cognitis eius ſymptomatum cauſſis. An recte ſententiam, vnuſquiſque iudicare poterit; cum huiuſmodi ſiderum conuentus in aere venenatum peſtiferum virus impreſſerit. Aeris putris in pulmones inſpiratus cor eius mala & vitiata putri qualitate corripiebat. Spiritum in primis inquinans, humores inde putrefaciens, eoſque adurens, atque per aduſtionem incraſſans. Tanta erat putredo in aere, qua non ſolum cor aut eius humores putreſcebant, ſed pulmones etiam inflammabantur pariter; in eiſque eam vim veneficam ſigillans, per cordis & pulmonum capſulas permeans. His humoribus ita veneficis putreſcentibus in præcordiis, febris peſtifera ſuborta fuit. Horum autem humorum putrium copia, in pulmonibus accumbentium, aſpera arteria, & quæ ex ea in pulmones diſtribuuntur propagines omnes augebantur & extendebantur; qua de re anhelandi impotentia oriebatur. Cumque febre indeſinente flagrantibus inquinatis humoribus eorum pulmones exuperaſſent, incendio æſtuque pulmones adflictari cogebantur: quo fiebat, vt tuſſi in primis ſicca cruciarentur, & ex polluti erodentis acris ſanguinis copia vlceroſa in pulmonibus exanthemata gignerentur, quibus inde tuſſis cum ſanguinis ſputamine ſubſequebatur.

Quamobrem ex indeſinente febre, & anhelandi difficultate, ac ex tali ſanguinis ſputo iam mihi conſtat hunc affectum pulmonum phlegmonem, quæ dicitur, appellari poſſe. Mutuatur enim *ex Galeno in 2. Method. Med.* peripneumoniam pulmonum phlegmonem eſſe, & in libro de finitionibus Medicis peripneumoniam eſſe pulmonis phlegmonem cum febre acuta & ſpirandi difficultate, &, *ex 4. de locis affectis*, cum ſpirandi difficultate, cui & anguſtia, & grauitas, coniunctaque acuta quoque febris inciderit. Is affectus inflammatio pulmonis eſt. At ſi intolerabile fuerit incendium, anguſtiæque vero grauitatiſque minus, eryſipelas ipſum

vexare

vexare cenſendum eſt. Et ex Dynadijs peripneumonijs pulſus eſt validus, ſpiſſus. Quando ad periculum deuenerit, pulſus fit tardus veluti non apparens, & formicans. Et ex libro de cauſis pulſuum, peripneumonicorum magnus eſt pulſus, languidus & mollis, quem in hoc peſtis genere talem Guido de Cauliaco extitiſſe teſtatur. Quamobrem non admirandum erat, ſi huius peſtis principio, huiuſmodi exuperantibus veneficis humoribus ſubito in præcordia detruſis, ac ibi decumbentibus, peribant. Tanta & repentina erat in præcordijs eorum copia & venefica malitia, quibus virtus reſiſtere nequierat. Dicebat *Galen. in 3. de Criſibus*, moriuntur autem in principiis propter ſubitum ad interiora motum veluti ſuffocata atque extincta natura, non aliter quam ſi lignorum viridium aceruum ſuper flammas cōijcias, ſic in augmentis plerunque moriuntur. Et *in 10. Meth. med.* ſi cum eiuſmodi febri à corpore momentanea membri phlegmone ſit coniuncta, omnino morietur æger: magis id certum eſt, ſi pulmonis, vel membranæ quæ coſtis ſubtenditur, vel ventriculi, vel iecinoris phlegmone ſit. Etenim, quæ has partes phlegmones occuparunt, non modo ijs, qui tam imbecillis ſunt viribus, ſed etiam ijs, qui valentiores ipſis ſunt, mortiferum eſſe ſolet, vnaque ſalus tum pleuriticis, tum peripneumonicis, adde etiam ſynanchicis, id eſt, qui angina laborant, eſt ipſum virium robur. Præterea, dum ab initio huius immanis peſtis generis vis venenata validior fuerit, quæ, vt placuit Gentili in eius conſilijs, & Guidoni, ex proprietate potius ſiderali, quam ex aperta alia qualitate noxia erat, quoſcunque rapiebat, occidebat; ſed poſtquam per tempus determinatum ſiderum conuentus ex eius vitiata proprietate vim veneficam in inferioribus imprimente opus eius expleuerit, deſinente ſiderali actione, proprietas huiuſmodi vires veneficas ſuas amiſit, & tanto etiam mitius agebat, cum talis vis venenata tam diu de corpore in corpus tranſiens, à natura partim, partim à probis humoribus, oppugnata, mitior ac benignior reddatur. Quo fiebat, vt non duntaxat non proſternere, verum etiam vitæ humanæ principia imbecillia reddere minime poterat. Quamobrem huius peſtiferi virus eneruatis viribus, iamque natura validiore effecta, ad ſubaſcellas, & inguina, & ſecundum aures humores propellebat eos, qui ab initio in pulmonibus, illos æſtuanter putrefacientes, ex putri eorum ſanguine exanthemata gignentes, oraque venarum aperientes, vel eas erodentes, tuſſim ac ſanguinis ſputum efficientes, tandem necantes, accumbere ſolebant. His humoribus validiore effectu ad alia prænotata loca, quam ad pulmones detruſis, non omnes tam paſſim necabantur: quamplurimi enim ſoſpites fiebant. *Andreas Gallus libr. 4. Faſciculi de peſte.*

OBSERVATIO.

De Peripneumonia populariter Anno 1557. & 1565. ſæuiente.

PEripneumoniam noſtra ætate bis populariter graſſatam in memoria multorum eſt: ſemel anno 1557. Octobr. deinde iterum anno 1565. Ianuario menſe. Præceſſerat anno quinquageſimo ſeptimo ſupra milleſimum quingenteſimum conſtitutio aëris ab initio Iulij menſis ſicca, & mediocriter pro temporis ratione calida, præſertim Iulio ac Auguſto. Sub finem Septembris, tertio ac quarto Calendas Octobris, ſuperuenit validiſſimus à ſeptentrione ventus, admodum frigidus, mox deſtillationes plurimæ ſunt natæ: vnde cito validæ vehementeſque tuſſes & lateris cum febre & reſpirandi difficultate dolores proceſſerunt. Lateris dolores vehementes non admodum, non punctorij erant, ſed clementes admodum: tertio die vel prius ſputum prodijt cruentum: quinto, aut ſexto, aut ſeptimo, ad ſummum octauo mortui omnes ſunt latere dolentes, quibus ſectio venæ prætermiſſa, aut tempeſtiue non facta. At, quibus ſanguis vel primo vel altero die detractus, euaſerunt, quarto aut quinto die ſanitati reſtituti. Quarto vero aut quinto ſanguinem detraxiſſe nihil profuit, morbo iam confirmato. Humores deſtillantes tenues admodum, & nonnihil acres fuerunt. Eclegmata idcirco vtiliſſima, quæ inſpiſſandi vim habent, acrimoniam retundunt, & aſpera leniunt, quale eſt ex Ziziphis (iujubas vulgo vocant) ſerapium: quod tenues deſtillationes inſpiſſat, acrimoniam obtundit, aſpera obliniendo lenit.

Altera peripneumonia diſſimilem occaſionem habuit. Decembri mane, Anno 1564. gelu admodum acre extitit, per quod non modo omnia reliqua flumina vbique, ſed & ipſe Scaldis in portu Antuerpiæ (quod admodum raro contigit) adſtrictus fuit, decidit per id temporis nix admodum crebra. Poſt Calend. Ianuar. anni 1565. frigoris remiſſio ſex aut ſeptem dierum ſucceſſit, ſed exigua admodum, ſic vt neque nix, neque glacies diſſoluerentur. Per hos dies vapores multi eleuabantur, qui, cum interdiu diſſolui ac diſcuti non potuerunt, nec altius aſcendere, nocturnis frigoribus denſati, inferiorem & quem haurimus aërem inficientes, craſſum humidum que eum admodum reddiderunt. Ab huius autem tam craſſi aëris, & vaporibus infecti inſpiratione, morbi circa pulmones, atque in ipſis etiam pulmonibus, exitiales nati ſunt: quibus infinita hominum multitudo mox correpta fuit. Nulli autem citius aut grauius affecti, quam qui hora vna aut altera poſt ſolis occaſum aëri ſeſe expoſuerunt. Nam interdiu & præſertim ipſa meridie, aut paulo poſt, aer minus craſſus extitit, nec ita cito aliquem offendit: multis profuit focus elegans ex quernis lignis, qui hos in ſanitate continuit; aëre in cubilibus ac cœnaculis reſiccato ac puriore reddito. Morbi per hos dies erant tuſſis, raucedines, reſpirandi difficultates, & plurimi vna laterum clementes, non punctorij, cum febri dolores, hoc eſt peripneumoniæ. Fuit autem hæc peripneumonia non minus quam ſuperior exitialis: neceſſum quoque erat in hac mox primo aut altero die ſanguinem detrahere. Quando ceſſatum eſt, nulla ſalutis ac vitæ ſpes reliqua erat. Sputum in hac proceſſit craſſum, ſanguini permixtum: nonnullis bilioſum, quorum nemo ſeruatus. Eclegmata deſiderabantur, quæ pulmonis meatus expurgarent, & ab infarctu liberarent: non tamen valde calida; vt ſerapiū ex capillis veneris, ſiue ruta muraria, ac quod ex dulci radice paratur. Ex hyſſopo quoque quandoque profuit. Vtroque autem tempore morbum hunc non pleuritidem, ſed peripneumoniam fuiſſe, mortuorum corporum diſſectiones coram oſtenderunt. *Dodonæus in libel. obſeru. Medicin. cap. 21.*

OBSERVATIO.

Ex Epidemica deſtillatione in aſperam arteriam, pulmones, & vitalia decumbente, excitatæ ſuppurationes cum febre lethales, Medicis per bechica fruſtra expectorationi inſiſtentibus.

FLuxio, quæ multa eſt & mala, fluit aut ad pectus, aut ad venas; quæ ad venas facit morbos laterales, & pulmonias, & præfocationes, quæ cito interimunt: dicebat *Galenus cum Hippocrate tertia Aphoriſmorum*. Et hoc, dicit, accidit maxime ſenibus: vnde plures ſenes quaſi repente interierunt: Et in hoc medici pleriq; aberrauere, eas fluxiones exiſtimantes eſſe ex earum genere, quæ poſſent per tuſſim expurgari: & laborabant cum bechicis medicamentis, fruſtra vexantes naturam, & non parum nocentes.

Ex ſimili morbo cũ perijſſet Nobilis Cæſar Brippius Mediolani, quod ſero aduocatus eſſem, diſſecuimus illum: inuẽta eſt ſanies multa in vinculo quo iecur annectitur coſtis: & non erat pus bonum, ſed liquidum: & ſuperuixerat plus quadraginta diebus cum hoc morbo.

Et ſimiliter diſſecuimus Petrum Caſatum, puerum 14. annorum, qui obierat extra vrbem; ideo nõ potui illum inuiſere dum eſſet æger: & quoniam erat diues valde ſuper quadraginta millia coronatorum, ſuſpicabantur de veneno: & inueni in pulmone ſaniem tenuem è latere dextro, quæ eius partem exederat: & pronunciaui, quod non perierat ex veneno, ſed ex fluxione, ſicut primus. Et aderat huic ſpectaculo Gabriel Cuneus, Chirurgus egregius, qui diſſecuit.

Dicam autem etiam quod accidit Comiti (hæc eſt Longobardica poteſtas) Aluiſio Conzaghæ ad quem cum vocatus eſſem 4. die, prædixi, non ſuperuicturum vltra ſeptimam. Itaq; mortuus eſt ſexta die veſperi. Et nos (eramus enim quatuor medici) diſſecuimus illum, inuenimuſq; non eſſe abſceſſum: ſed omnia vaſa pulmonis ex triplici genere, magis tamẽ aſperæ arteriæ rami erant pleni ſanie ſimili lacti, adeo vti null⁹ adeſſet prorſus ſanguis & huic diſſectioni, tum etiam primæ adfuit Melchior medicus eruditus. Quid plura? Fluxio illa non erat, vt duæ priores: ſed pulmonia mendoſa.

Quo genere morbi mortuus eſt, qui vice legati fungebatur olim, Dan. Rizius Venetus, vir egregius, apud Inſubrum præſidem: ſed illum non diſſecui. Differt hic morbus à pulmonia, quod abſceſſus non eſt.

Hac etiam æſtate ad finem diſſecui puellam tredecim annorum nobiliſſimam, quæ cum eſſet prędiues ad ſexaginta millia coronatorum, & vnica matri ſuæ ſuſpicantes de veneno, ob magnitudinẽ patrimonij, cũ non potuiſſem adeſſe ægrotanti, aduocatis à me in re tanti momenti octo alijs Medicis, cognoui illam ex defluxione repentina obijſſe, non ex veneno, atq; ita omnes Medici in vnum conſenſerunt. Erat enim puellæ morbus iam diu in capite, & ſuppreſſa purgatione per vlcera, nec aduentantib. menſibus, correpta febri, cum alioqui nõ videatur grauiter ægrotare, imo contenti fuiſſent duobus familiaribus medicis, repente tanquam ſiderata interijt: quo caſu perculſi, ſuſpicabantur de veneno. Omnes autẽ huiuſmodi fluxiones neceſſario adducunt febrẽ æſtuoſam, non tamen ardentẽ, nec valde ſiticuloſam: quoniam materia, vt dixi, putret prope cor, & implet vacuum pectoris, & eſt humida, & cruditatibus permiſta: demittit autem cerebrum in pectus, propterea quod guttur non eſt cõtectum & eſt è regione (*Hipp. libro de locis in homine.*) *Cardanus de Prouidentia ex Anni conſtitutione pag.* 1052. *edit. Baſilienſis cum comment. eiuſdem in aph. & opere de venenis, &c.*

OBSERVATIO.

De epidemiis quibuſdam Peripneumonijs & Pleuriticis affectionibus peſtilentibus.

EPidemios ſæpe morbos incidere, quorum natura initio exacte nõ intelligatur, notius eſt, quam vt à me latius explicari debeat. Nam videt ætas noſtra & ſudorem Anglicanum appellatum, & varias peſtes, & febres mirificas, quas Vngaricas vulgo appellarunt: & ante paucos annos tuſſis cuiuſdam genus, quod per totam Europam peruagatum eſt, etiam multis admirationi fuit. Itaque non mirum videri debet, ſi de quibuſdam Pleuriticis, & Peripneumonicis affectionibus, quæ in his ex multis locis vicinis præteriti veris huius anni octuageſimi quinti initio graſſatæ ſunt, aliquis ita ſtatuat, vt quiddam maligni in ijs fuiſſe ſuſpicetur. Sed proponamus ipſarum pręcipuas notas, ceu characterem quendam. In prima earum inuaſione horror cum intenſa febre apparebat, ac interdum adiungebatur ſuffocationis ſymtoma, quale in peripneumonia cernitur. Interdum illud ne aderat quidem, ſed plerunque dolores pungentes & vellicantes in capite, in ſcapulis, in manibus & pedibus, ſæpe etiam in lumbis, in lateribus, & pectore ſentiebantur. Qui tamen ſecta vena in reliquis mẽbris euaneſcebant, remanebant vero in lateribus, vel circa os pectinis, occupantes etiam ſubinde ſtomachum & hypochondria cum maxima anguſtia & cõpreſſione earũ partium. Accedebat his non raro vomitus. Quibuſdam etiã punctiones & diſtentiones grauiſſimæ ad ipſa inteſtina incedebant tanto impetu, vt vtrinq; ipſa inteſtina diſſecari viderentur. In his difficultatib. neq; venę ſectione, neq; lenib. euacuationib. neq; ſcarificationibus, neq; alijs remedijs, tum internis, tum topicis quibus punctiones laterum alias mitigari ſolent, multum eſt profectum; ſed plurimi tandem ſuffocationis acceſſione, & vitalis roboris repentino lapſu, vel quarto, vel ſexto die moriebantur. Cæterum, durante adhuc morbo, vrinæ in pleriſque erant rubeæ, turbatę: & quidam intenſius, quidam mitius febricitabant: pulſus erant languidi, vel intermittẽtes: quibuſdam ante finem vitæ deliria accidebant. Fuit vero à multis obſeruatum plures euaſiſſe, quibus venæ ſectæ non fuiſſent, quam quibus ſectæ fuerint. Quapropter, cum eam curandi ratione, quæ innumeris pleuriticis antea profuiſſet, fruſtra tum adhiberi non ſolum in hoc loco, verum etiam in alijs locis eſſet animaduerſum; plane id ſtatuendum eſſe cenſui, in iſtis morbis malignitatis peſtilentis quiddam latere. Itaque, curandi ratione paululum immutata, principio morbi antidotum ſudatorium cum radice petaſitidis & floribus papaueris erratici miſtum, ac aqua cardui benedicti dilutum, ægris deinceps propinauimus, quos eo remedio plurimum adiutos eſſe ſumus experti, poſtea vero reliqua quæ agenda videbantur adiunximus. Cæterũ, cum de natura harum pleuritidum accuratius cogitaremus, in mentem venit, non ſolum ex veteribus quoſdam, inter quos Valeſius, item Bartholomæus Montagnana recenſeri

poſſunt,

poſſunt, ſed &, ex recentiorib. Ioan. Wierum, Iul. Palmarium, ac Conradinum quendã in lib. de feb. miſcellanea, harum peſtilentialium pleuritidum meminiſſe. Qui, etſi in eo omnes cõſentiunt, quod peſtilentis malignitatis habita ratione antidota peculiaria, quib. veneni vis obtundatur & punctiones mitigentur in principio morbi danda ſint, tamen in venæſectionis vſurpatione diſſentiunt, quibuſdã eorum illã concedentib. quibuſdã vero prohibentib. Sicuti ẽt de pectoralib. tum internis tum exterius adhibendis ſententijs diſcrepant. Sunt n. qui communia bechica ſeu pectoralia, quorum vſus tum interius in pleuritide receptus eſt, admittant, ſunt qui damnent, & tantum ea probent, quæ inflammationis ſedandę & humorum acrimoniæ retundendæ vim obtinent. Non vero ignoro quoſdam celebres medicos iſtos epidemicos morbos potius ad catarrhos ſuffocantes, quam ad peripneumonias vel pleuritides retuliſſe, ſed cum tam multa adſint ſymtomata quæ catarrhorum ſuffocantium propria non ſint, & malignitas euidens in ijs aduertatur, ac catarrhi ſuffocantes potius ex ſingulorum ægrotantium ſingulari diſpoſitione quam ex vniuerſali quadam cauſa, quæ epidemicas affectiones concitent, promanent, non poſſum ab ea ſententia, quam rationib. & experientia ſuffultam exiſtimo, diſcedere. Quod ſi quis tamen meliorẽ ſententiam meliorib. argumentis adductis in medium profert, illi minime ſum refragaturus. Quæ n. à me propoſita iam ſunt, eo à me fuere relata, vt peritioribus de his (quæ ſane obſcuritate non carent) diligentius cogitandi occaſionem præbeam, non vt alijs ſentiendi leges præſcribam. Sed in fine huius obſeruationis mihi illud occurrit, quod ſupra in explicandis huius morbi notis annotaui, ſæpe circa hypochondria & os pectoris punctiones & dolores incidere eſſe ſolitos, ex quo colligi non inepte poſſit diaphragmatis inflammationem etiã pleuriticæ affectioni fuiſſe coniunctam. Quam coniecturam tantum abeſt vt ego refellam argumentis, vt potius probem & ſuffragio meo confirmem. Etſi enim diaphragmatis inflammatio delirium adferre natura ſua ſoleat, tamen, quia malignitas morbi tanta fuerit, vt, antequam phlegmone in iſto loco augeretur, perirent ægri, non mirum videri debet, ſi in omnibus delirium non acceſſerit. *Cl. V. Iac. Oethæus lib. obſeru. propriarum.*

Obſervatio.

Dyſenteria Epidemica maligna.

ANno Chriſti 1583. æſtate præcedente admodum calida & ſicca, dyſenteria circa illius finem ſuperuenit ſatis maligna, longe lateq; graſſans, quæ durauit vſq; ad finem autumni. Pueris in primis infeſta, quorum plures obierunt: ſed multos quoq; adultiores corripuit, qui tamen tempeſtiuis & conuenientibus remedijs adhibitis vt plurimum cõualuerunt. Profuerunt autem leuiſſimæ euacuationes ex Rhabarb. & Clyſteres ſimiles: item creber vſus cornu ceruini vſti, Boli Armeni, & apud vulgus ſemen Rumicis. Vinum ob febrem adiunctam nocuit. Interdum propter nimias euacuationes Theriacæ nouæ, Philonij, vel etiam extracti opiati rite præparati nõnihil fuit vſurpandum. Cum pura bilioſa in magna copia cum deiectione appetentiæ ac vomitu totiuſque corporis inquietudine excernebantur, exigua ſpes fuit reliqua.

Georgius Turonenſis lib. 5. hiſtoriæ ſuæ ſcribit, ſub Childeberto Rege Gallorum Dyſenteriam morbum vniuerſam ferme Galliam occupaſſe. Erat (inquit) his qui patiebantur valida cum vomitu febris, renumq; nimius dolor, caput graue, vel ceruix. Ea vero, quæ ex ore proijciebantur, colore croceo aut certe viridi. A multis autem aſcribebatur venenum eſſe occultum. Ruſticiores vero colores hos puſtulas nominabant: quod non eſt incredibile, quia muſtæ in ſcapulis ſiue cruribus ventoſæ procedentibus erumpentibuſq; veſicis multi liberabantur. Sed & herbæ quæ venenis medentur potui ſumtæ præſidio fuere. Et quidem primum hæc infirmitas à menſe Auguſto initiata paruulos arripuit, lethoq; ſubegit. *De obſeruat. à Cl. V. Ioach. Camerar. mihi communicatis.*

DE HEMITRITÆO PESTILENTI.

CAVSA ET CVRATIO PLENA.

Obſervatio.

De raro genere Epidemicæ febris ac peſtilentis, quæ ad Galenĩ Hemitritæos accedens proxime, magna contagij vi totum biennium pergraſſata eſt, etiamnum durans in hanc æſtatem anni 1574. Quo quidem exemplo longe aptiſſimo methodus vniuerſa tum ad cauſæ inuentionem, tum ad curationem in morbis abditiſſimis aperitur.

QVicunq; affectionis alicuius, aut ſubſtantiæ naturam ſibi recõditam arte velit elicere, ille diſcurſionis ſimplicis filo cauſas eiuſdem affectioneſq; conſiderat, accuratam in illis ſeriem connexumque, & conſpirationem mutuam perueſtigans: vt tanquam à præcedentibus, & pone ſequentibus internam eſſentiam rei, ſeu cauſas cõſtitutrices proximas conſequatur, id eſt, formam atque materiam: quæ totius progreſſus à ratione cẽtrum aliquod, vel punctum medium repræſentant. Atqui nos huius gratia diſcurrentis animi carceres tres totidemque vias ac principia in cyclognomica arte depinximus: quorum complexu mutuo, vel naturarum omnium receſſus penitiſſimos ingredi fas eſt. Verum vbi de rerum agendarum ratione proponitur ſcopus, velut curatio morbi, conſeruatio ciuitatum, humanorum affectuum moderatio: tum ſane vlteriore analyſi (vt & illic præceptum fuit) nobis opus eſt: nam, pro finis varia notione, ſemper tres terminos ante oculos collocamus: agens, patiens, & intermediam vtriuſque proportionem, vt in dirigendis expeditionibus belli duces atque præfecti naturam inprimis aduerſarię claſſis, aut vrbis oppoſitæ diligenter explorant: vt ſitum, ſtructuræ ſpeciem, indolem animorum, artes, machinas vniuerſas. Deinde & ſuorum militum vires, inſtrumentorum ſubſidia, opportunitatẽ locorum & temporum; ac poſtremo vtrorumq; inuicem facta cõparatione, ſuorũ vires ſimilium analogia ſeruare quã maxime ſtudent, hoſtium facultates cõtrariorũ appoſitione conuellere, per proportionẽ videl. inſtrumentorum ad res obiectas ſingulas, nomine quantitatis, figuræ, ſitus, & aliarum rerum, quæ ſimilitudinis, diſſimilitudinis analogiam characteriſticam comprehendunt. Sic etiam in arte medica, cum curare volumus morbum, reſoluitur huius curationis inuentio in affectus naturam altius perſcrutandam,

dam, deinde in præſidiorum copias ac facultates, poſtremo in proportionem vtrorumq;, vt medicamenti ad morbum, ſuturæ ad vulnus inflictum, vectis aut ferulæ cuiuſcunq; ad formam cruris, aut exarthrematis ſpeciē in officina chirurgica. Hęc autem cognitionis aut contrarietatis firma inuentio, per 10. gradus ſubſt. quantit. &c. per indicationē reperitur: quæ nihil aliud eſt quã rei agendæ ratio, ſumta à natura vel cauſis proximis ipſius ſubiecti, circa ꝙ verſamur, quanquam & alia ſit quædam endeixeos ſpecies vel ab effectuum genere ſumta, vel à remotioribus cauſis, tanto infirmior ſane, quanto illius principia longius à rerũ eſſentia interiore diſtiterint. Planius omnem indicationis naturam ita definio, vt ſit demonſtratio quædam ſimilis, aut contrarij ad actionem artificis neceſſaria. Omnem vero illius doctrinam quiſquis tenere compendio volet: non eo ſe redigat quo plures tum veteres, tum neoterici ſolent, tot fere indicationum ſpecies ſtatuentes, quot ſunt locia quibus deriuantur. Aliud certe eſt indicationum genera, aliud ſpecies recenſere: aliud deniq; fontes, aliud fontium capita, vel riuos in fontē vnum profluentes. Indicationũ genera duo tantum reperio aut enim exigimus inuentionem ſimilium in cōſeruandis rebus, aut contrariorum in obterendis & profligandis. Species tantum pro categoricæ claſſis diſcrimine tribuuntur: nã ſimilitudo, contrarietas, latius accepto vocabulo, alia eſt ſecundum ſubſt. alia quantitatis, qualitatis, loci, temporis. Fōtes indicationũ, id eſt, præcipua penuaria vnde promantur, differunt ꝑ vt ſimiliũ, aut contrariorũ inquiſitio fiat. Nã vbi conſeruare eſt animus, prima indicatio ſumitur à virtute, ſecundaria à morbo. Contra, vbi oppugnare decretũ eſt maxime, prima habetur affectus ratio, virtutis nō niſi ex accidente, vt & *Gal.* eleganter explicuit *Meth ther.* Ergo in cōſeruanda valetudine à totius hominis robore, vel partis affectæ, alimentorũ & potuum ineunda eſt ratio. In oppugnandis morbis, à morbi eſſentia ceu proximis cauſis: quæ ſemper ad minimũ duæ cōſtitui poſſunt, locus affectus, & affectionis forma: interdum accedit & materies loco contenta, quã malunt plerique inter affectrices recenſere, ſaltem, quicquid alij ſtatuant de cōtinentib. cauſis, mundi res vniuerſæ formam & materiem habent, quę iuncta illarum eſſentiam vere, proximeq; componunt, ſic & morbi, & ſymtomata, affectioneſq; qualeſcunq; locũ habent in quo exiſtant aut fiant veluti materiem, & modũ affectus velut formam: etſi *Ariſt. in metaphyſicis* apte accidentium definitiones ingredi ſubiectum voluit loco formæ vel differentiæ, formam loco generis ſiue materiæ. Vt in pleuritide, cum dicimus inflammationem membranæ coſtas ſuccingentis: inflammatio generis quoddam vocabulum eſt. Sed à loci peculiari ſpecie reſtringitur ad ſolius pleuritidis notionem. Nunc vero quia fontes indicationum vtrarumq; ſunt obſcuri, quod intellectus acies aſtricta corporeis rerum intima non ita proxime conſequatur, à proximis cauſis vel fontib. totius compoſitionis ad riuos ſingulos procedendum eſt, id eſt, affect⁹ & cauſas vlteriores ita naturã facultatum, vel virium modum à poſteriore cognoſcimus, per pulſus & reſpirationis officia, perque alias actiones in ſingulis partibus apparentes: à priori vero, per cuiuſque temperaturam propriam, & communem, per ſexus, ætatis diſcrimina, & conſuetudinem, quæ naturæ proxima cenſetur. Ita morbi eſſentiam rurſus à poſteriore ſiue effectibus, per actiones læſas, per excretiones, & paſſibiles qualitates, quod harum vnaquæque in genere ſubſt. quantit. qualit. naturam cauſæ ſuæ proximioris 4. loci & materiæ, & ex conſequenti formæ totius indolem repræſentent; à priore vero eadem ſcrutamur à præcedentibus cauſis, vt naturæ totius promtitudine, temperamento, partium conformatione procliui ad hanc vel illam affectionis ſpeciem perferendam. Quod ſi & horum ratio maxime perobſcura eſt, ad capita quædam priora ordine, ad cauſas προηγουμένας procatarcticas, velut filo continuo ducimur: id eſt, per rerum principia, & cauſas, vſq; ad elementa. Si enim, explorandi temperamenti gratia vel morbificæ cauſæ, conſideramus res extrinſecas, anni tempora, & peculiares cataſtaſeon differentias: item locorum diſcrimina, rationem victus præcedentis, ſomni, vigiliæ, laboris, ocij, perturbationum animi, retentionis, excretionis, atq; his omnibus ſæpe priores influxus ſiderum, cœli radios occulta inſpiratione manantes. Ergo hæc rerum agendarum ſuſcepta indagatio in problematicas quęſtiones apte reſoluitur: vt ſic totius ſubiecti paſſibilis natura ad ſcrupulũ exarata, illi per omnia quoddam reperias quod proportione reſpondeat inſtrumentum. Nam vbi conſenſerint ſingula ſingulis, ſola applicatio reſtat, vel agentis actio fortunata, quæ totius methodi circularis primus eſt iuxta analyſin, poſtremus iuxta ſyntheſin ſcopus.

Libet, huius doctrinæ ampliſſimæ gratia, nunc in exemplum trahere morbũ plane diuinum, qui nobis à primo vſq; exortu ſideris noui fere ad hæc tempora, id eſt, per biennium integrum atq; eo amplius perdurauit, populabundus in Belgium vniuerſum ac regiones finitimas, turbæ mortalis incredibili quodam diluuio, & ſymtomatibus admirandis. Oportuit curaturis primo, vt dixi, characteriſmum illius morbi, vel vſq; ad ſcrupula veſtigare: neq; duntaxat circa diuini nomen hærere, vt medicorum vulgus ſolet, in aſinorum ponte defixum, occultæ proprietatis affectum clamitans, vel formæ totius, vel inflictam diuinitus plagam, quæ certe non niſi cum artis artificumque pudore maximo vel apud idiotas maiorem nobis medicinæ partem inacceſſam atque incognitam profitentur. Quin ab idea affectionis cuiuſque communiſſima, quæ ſe vel ſponte ingerit, vbi animus tum lectione paululum tum rerum vſu fuerit confirmatus, debemus ſenſim ad definitam demonſtrationem, circumſcriptionemque eſſentiæ proficiſci. Ergo cum rerum agendarum indicatio tum ab ægrorum natura & viribus, tum ab effectuũ cauſis proximioribus, forma & materia ſit petenda: has autem venemur ab effectibus primo, deinde & præcedentibus cauſis atque occaſionibus: merito nunc morbi ſpeciem confuſaneam velut diſcurſus totius centrum inter priora & poſteriora, effectus inter & cauſas ex ordine ſtatuemus. Dicam prius quã ſit communiſſima forma, per acceſſionis modum & cōmuniora ſymtomata: deinde & illa quæ cathenatim iuncta præceſſerint, cum natura morbi ſemel poſita comparabo: tandem & ſingula ſymtomata, tum quæ paſſim obuenerint, tum quæ pleriſq; duntaxat ſecundum idiotropiam.

Cœperant acutæ febres in populum diuagari anno

ſupra

ſupra milleſimum quingenteſimũ ſeptuageſimo ſecundo, propemodũ à menſib. Iulij, Auguſt. ſed in primis menſe Octob. tum n. & ij, qui cõualuerant, recidebant perculſi rerum tempeſtate, quę tunc vigebat per Galliã inferioremq; Germaniam. *Hipp.* primã vel cõmuniſſimam æſtimationẽ in morbis facit à morbi acumine, ſiue vigoris diſtantia, vt *Aph.* 7. 8. 9. 10. *libr.* 1. particularem vero à ſingulis paroxyſmis, vt *Aph.* 11. 19. ac deinde vtrumq; nobis incertum quadruplici fonte deriuat *Aph.* 12. primam à morbis ipſis: Græce n. ſic habet τοὺς παροξυσμοὺς, ϗ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, ϗ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος: morbi nomine intelligens ipſius eſſentiam interiorem loco & materie definitam. Nam etſi hic videatur ignotum per ignotius explicandum, rapit tamen humanus animus ſpeciem confuſaneam primo, indefinitam adhuc, eamque paulatim & characteriſmis generalibus ad certiorem imaginem quaſi duntaxat ſub hypotheſi veritatis idolum poſtea fingens, & limitans partim ab actionibus læſis, quæ partis eſſentiam proxime conſequuntur: partim ab excrementis proprijs atque germanis, quæ loci affecti ſpeciem, ſæpe cum materie morbum continente delineant: vnde hæc ſigna pathognomica dici rectiſſime voluerunt. Cætera quæ aſſidentia & ſuperuenientia Galenus nominat, triplicia ab Hippoc. memorantur: ſucceſſiuæ circuituum reciprocationes, (ἀνταποδόσιας τῶν περιόδων vocant) anni tempora, quo nomine & cauſas externas, & præcedentes merito comprehendit: excrementorum tarditas, celeritas, quorum ambitu qualitates paſſibiles, & reliqua τὰ ἐπιφαινόμενα ſigna cõplectitur, quæ ſæpius non tam ſpeciem rei, quam modum qualitatemque deſcribunt. Profecto qui morbi iſtius characteriſmum in pluribus obſeruarunt, etiam de communiſſima forma plurimum dubitantes hærebant maxime, num acutum dicerent, num diuturnorum catalogo accenſerent, num poti⁹ acutum, degenerẽ, atq; (vt vulgus) ex lapſu vel decidentia nuncuparent, aderat n. τῶν ὀξυτάτων vehemẽtia, ϗ τῶν χρονικῶν νούσων inexpugnabilis contumacia. Erat vt plurimum mitis inter initia, notis obſcuris admodum vel qualitatem materiæ, vel modum putredinis manifeſtans. Primus aſſultus nunc cum horrore leuiculo: in pleriſque tamen exigua tantum refrigeratio: in paucis nullius frigoris ſenſus occurrit: quæ quidem accidentia maioris minoriſq; nomine differentia Gal. alibi in alias cauſas reijcit, nec ſibi facile conſtat. Mihi ſæpe viſum eſt fieri pro miſtionis modo in materia putrefacta: nam ſi ſanguis ſolus eſt qui putreſcit, aut inflammatur, non facile fit rigor, cum ille conſtet ex humorib. in vnam maſſam temperatis, atque ita diffuſus per vniuerſas venas, arterias, extendatur. Sed ſi ſit alius humor: is, aut permiſtus ſanguini putret, aut ab eodem penitus ſeparatus. Si quidem permiſtus inæqualiter, (vt ſæpe in pituita) horroris ſenſum ſæpius adfert, rigoris non facile: ſin ſeparatus omnino (quod flauæ bili promtiſſimum eſt) rigorem incutit ratione mobilitatis ſuæ, quæ minor maiorve conſpicitur pro tenuitate ſubſtantiæ, pro ſeparationis modo, pro partis natura neruoſa & ſenſili qua continetur, ac demum pro incendij magnitudine circa cor, qua inflammata ſingula ad ſuum principium, ſeu caloris fomitẽ tanquam ad ſuccenſam cucurbitam rapiuntur. Iam ipſa temporum ratio in morbo hoc valde mirabilis, alijs enim conſiſtebat ſtatim quarto die: alijs ſeptimo nono, nonnullis prius decimoquarto, vigeſimo, vigeſimoſeptimo, quod etiam materiæ varietatem in ſingulis oſtendebat. Sæpe hoc animaduerti, criſes imperfectas à ſeptimo in nonum aut vndecimum fuiſſe dilatas, ex hoc rurſus deinceps in alios atque alios criticos dies: natura ſic interim velut à morbi ſæuitie paululum reſpirante: ac rurſus exurgente aliquoties: donec vel feſſa ſuccumberet, vel aduerſarij vires, quod vna non poterat, crebra velitatione confringeret. Obſeruauimus tandem vnum & communem omnibus characterem, quem pro centro totius diſcurſus præcipuum duxi. Erat is primo in illa præcipitis cõtagij vi deſcriptus, qua ſæpe in eadẽ familia tres, quatuor, plures aut pauciores inuicẽ ſunt cõſecuti, deinde & in circuit⁹ ratione perpetua: nã quoquot inuiſerim laborãtes, integras nunquam periodos vel in apyrexiam deſinentes animaduerti: ſed tamen exacerbãtur dieb. ſingulis: quandoq; bis, quandoq; ſemel tantum: alijs veſperi: alijs mane: dehinc ſe paululũ remittebant. Verũ alternis dieb. maxime ferociens malũ inualeſcebat acerrime, nunc cũ horroris ſpecie vel rigoris: nunc abſq; manifeſto frigoris ſenſu. Intendebatur ea ſęuitia pluribus ſtatim à principio vſq; ad 4. 7. 9. 14. 17. diem: in paucis ſtatim à principio declinabant: in nonnullis vero tenorẽ æqualẽ oppido retinebant: vt & verę cõtinuę ſpecies tres in vno genere ſpectarentur, ὁμότονοι, ἐπακμαστικοὶ ϗ παρακμαστικοί. Non poſſum eas exacte reducere ad Galeni Hemitritęas quas ex quotidianis cõtinuis, ac tertianis intermittentib. facit. Nã hic vt plurimũ non magis tertiana quã quotidiana viſa eſt intermittere, imo incertũ ſæpius an quotidiana cũ tertiana continua fuerit cõplicata: an potius tertianæ duæ dieb. alternis gubernacula ſuſceperint. Sed vero ſimilius eſt duplicem ſpeciẽ fuiſſe continuis cõplicatã: vt neutra prorſus intermitteret: quãdoquidem alternæ acceſſiones tũ tempore, tum vehementia maxime diſcreparent. Porro Galenus nõ omnes complexuum differentias eſt proſecutus, imo ne quidem illorum minimam partem. Nam etſi exercitatiſſimum fuiſſe nõ dubitem, plurima tamen non tam ex rerum vſu, quam accurata mentis indagine vel ratione conſtituit. Quin de eſſentia febrium ſingularum nos aliquando ſtudioſis peculiarem commentarium ſcripſimus, alterius longe ſententiæ quam hactenus forſan à quopiam proditum fuit: & nos eandem plenius exaratam aliquando (ſi ſuperi ſinant) ætati poſterum relinquemus. Nunc tãtum repeto paucis, quod etiam tomo ſuperiore perſtrinxeram, me vſu aſſiduo & ratione id conſecutum: quod febres omnes in vniuerſum ex duplici quadam materie conſtent, vna quidem defixa in vaſis, lenta & glutinoſa: ſiue hæc iterum ſit fæculentior bilis, ſeu ſanguis craſſior, ſeu pituita, aut melancholicus humor: altera vero mobiliore, tenuiori, ac magis inflammabili, quæ ſi bilem flauam non exacte refert, tamen ad illam proxime ſemper accedat. Quo reſpexit Hippoc. quando morbos omnes per κατάχρησιν vocabuli conſtare dicebat ex bile & pituita, atque ille tenuior ſuccus incendij fomitem, ſed craſſior alius obſtructionis, materiam recurſus totius nec non durationis vinculum ſubminiſtrat, prout multus, paucus, lentus, ſequax, crudus, maturus in vaſis aut cauitatibus viſcerum, his vel illis denique vaſorum ſpeciebus

aut

aut partubus adhæreſcit. Continuas omnes quæ ſunt legitimæ, etiam peſtilentes, in arterijs collocari, propter phlogoſeos celeritatem ac vehementiam: quæ etſi remittat ſæpius, nunquam intermittat. Intermittentium ſedes in venis aptiſſime cõſtituta eſt. Continuas per conſenſum, nothas ac ſpurias ſcilicet, cenſeo in ipſis viſceribus inflammatis, vel ſpatijs inanibus contineri, ad quę venarum arteriarumque ductus, & oſcula recta poſitione pertingunt, ac putredinis halitum ita continue ad cor tranſmittunt. Intermittentium quæ quotidie repetunt, locum in venæ cauæ caudice, ac ſupra gibbas hepatis partes potiſſimum inuenerunt. Materiem ex pauciore bile, quæ ſanguini non adeo permiſta incenditur, eademque mobilis, propterea diſcutitur ſingulis paroxyſmis, affluente iugiter noua ab hepate, quantiſper ab altera quadam materie glutinoſa, pituitoſa, truncus ille ſuperior ſecundum interiorem ſuperficiem oblinitur, ac præterlabenti ſanguini verſus cor difficiliorem tranſitum præbet. Hæc igitur diuturnitatis pariter fomes eſt ex natura ſua & propter viciniam cordis recurſus quoque frequentiam facit. Nam in vniuerſum iuxta diſtantiam fomitis ab ipſo caloris fonte, etiam longius quoque vel breuius ſpatium infebricitationis efficitur. Itaque tertianæ materiam ſimiliter duplicem acceperunt, præcipue tamen in vaſis hepatis vel minutiſſimis illius plexubus qui diuaricatione capillari propemodum infinita ſynanaſtomoſim mutuam præſtant venæ cauæ, quam κοιλὴν, & portæ, quam στελεχιαίαν anatomici vocant. Quanquam non dubitem quinetiã in caudice præcipua venæ portæ tertianarum materia colligatur, vna quidẽ vt bilis craſſa, & fæculenta, cui (cum ſit coaguli loco) propter analogiam hic etiam pituitæ nomen attribui poſſit, vt veram ſententiam diuini Hip. faciamus: altera vero fluidior bilis, vltro citroq; permeans, nouæ inflammationis periodum facit; etſi ſummatim in omnibus intermittentibus fere iſthæc tenuior totius materiæ pars cauſa ſit cur ægri denuo incaleſcant, craſſior vero cur tenuis obſtruatur atque putreſcat: ac rurſus hæc glutinoſior magis acceſſionis totius periodos, illa liquidior in paroxyſmis æſtum reciprocum cieat, & continentem febris materiem repræſentet. Quartanis febribus natura locum à corde maiore poſuit interuallo: nimirum in mezeraicis venis, atque his præcipue quæ propter lienem ſatis conſpicuæ vel vſque ad ſedem infimam prolabuntur. Materies fixa vel obſtructionis fomes ijſdem ſane lentiſſimus, inſtar viſci, vt verbis Hippocratis conſentaneum eſt, qui melancholiam voluit vel maxime glutinoſam, materies altera inflammationib. aptior, & quaſi ſub priore conſtricta eſt bilis tenuior, quæ acceſſionis circuitũ facit, pro ratione diſtantiæ à ſiniſtro ventriculo cordis, ad quartum videlicet diem, ſed vehementiam partim ex qualitate ſua, partim ex copia præſtat, vt paroxyſmi longitudinem pro meatuum aptitudine, ac proportione roboris naturalis ad materiem inflammatam, quod etiam in cæteris obſeruandum. Iam vero in continuis quæ remittunt, ſimiliter diſtantia à corde & fomitis differentia, exacerbationis ſpeciem mutant, prout putreſcens materies longius à ſiniſtro vẽtriculo cordis remouetur, aut illi ſuccenſa proprius flagrat, eademq; vel pituitoſa magis, vel bilioſa, vel ſanguinea, vel melancholica. Raro autẽ cõtingit, hic vllum humorem eſſe ſecretum à tota ſanguinis maſſa, ac proinde rari rigores in cõtinuis, niſi forte inter initia vel paulo ante criſim. Ea vero quæ de cuiuſq; febris duplici fomite à nobis ſunt conſtituta, ſic ſe habere docent & pulſus & actiones cæteræ, & liberationes in ſingulis factæ, ſi potiſſimum ſudoris, vrinæ, atq; alui excrementa conſideres: quæ vero de fomitis loco, non ſolum præter hæc ratio geometrica probat, interpuncta diſtantiæ ad dierum numerum pulchre accommodans, verum & per anatomen viua frequens experientia conteſtata eſt. Sed plura de his, cum ex profeſſo requiret occaſio.

Nunc vt ad noſtrum hemitritæũ æquata totius curſus planicie reuertamur; ipſa paroxyſmorum ratio ſatis oſtendit, morbi præcipuam partẽ in arterijs, ac ſiniſtri ventriculi cordis vicinia latuiſſe, etſi alium quendam ſeu præcedentem fomitem ſui ſubinde ex venis, atq; aliunde ſuſceperit. Fuit autem materies vt plurimum permiſta ſanguini, compoſita ex glutinoſis particulis, quæ affixæ arteriarum concauo occaſionem putredinis darent, nec non tenuiorib. alijs ad bilem magis analogis, quæ obſtructæ præter conſuetudinem, vbi qua decet moueri, aut tranſpirare non poſſunt, continue à cordis vicinia ſuccenduntur, inflammatæque calorem regerunt præter naturam. quæ febris appellatur. Itaque affectionis totius formæ partim in obſtructione; partim in inflammatione putreſcentis materiæ ſpectabatur. Mixturæ ratio talis apparuit, vt nec plane ſecreti eſſent humores à ſanguine, nec plane in vnitatem ſubſtantiæ coniugati, ſed confuſi, inæquabiliter ſuſpenſis, vt dixi, craſſioribus ad ſuperficiem vaſis, reliquo in ipſa ſanguinis maſſa ſurſum deorſumque mobili, ac penitus æſtuanti, dum glutinoſæ partis vel obſtructionis circumfuſum vinculum expiraret. Nam hoc ſoluto, diſſoluitur promte atque diſcutitur quod putrefactum, quippe tenuis humor ac vias inueniens in omne effluuium expeditas. Hæc quidem de proximis cauſis non probabiliter tantum, ſed methodo quoq; & demonſtratione certiſſima mihi videor cõſecutus. Vtq; à cauſis incipiã, quæ velut prodromæ ſuorũ effectuum, id eſt, ipſi⁹ morbi, vt cauſarum cõtinentium ideã in ſe certiſſimã cõplectuntur: præceſſerat aëris intemperies admiranda anni 1571. autumno auſtrino, pluuio, nebuloſo: hyems ſecuta eſt multo humidior, aſſiduis imbrib. ventis ac niuibus agitata, vſque ad medium Februarij: quo ſane ingentia frigora, ex Aquilone continuo vel Helleſponto, cum aëris obſcuritate ferme ad Veris æquinoctium perſtiterunt. Tum ver cum æſtate proxima in autumnum vſq; auſtris humidiorib. madẽs, ſubinde chaſmatib. varijs ac meteoris igneis ardeſcebat; quam conſtitutionem rurſus excepit hyems, ventorum & pluuiarum copia nulli præteritorum temporum cõparanda: ita magis magiſq; inualeſcens indies vſque ad principium anni 1574. cum igitur tota hæc conſtitutio auſtrina & humida, putredini valde obnoxia fuerit: etiam de materiæ promtitudine in corporibus facta per analogiam, minime dubitãdum eſt. His acceſſit ſalis penuria: nam & adulterino plurimũ vtebantur Hinc n. vt carnis, & piſculentorum vitia ſenſim in humanorum corporũ habitus trãſiere, mortẽ celeriter allatura. Qud dicam de fructuum & leguminum vſum inter plebeios, propter annonæ caritatem. Quid de tumultib. aſſiduis, deprædationib. atq;

ruinis bonorum omnium, de animorum perculſione ineuitabili, quæ ſemel quaſſato ſanguini vehementer, partes eiuſdẽ ſingulas exturbat ſua legitima ſymmetria: ideoq; vel hunc cõcreſcere facit in vaſis, vel collectam eluuiem prauam intro compellit,atq; conſtringit?quare hæc in arterias pulſa, vel vſque in cordis intimum penetrale, vix vllis remediis patet: ſed facta putredinis ſpecie valde profunda, aut veneni violentia fracta, propter tamẽ ipſius lentorem fomitis,& loci difficultatem,in longum protrahitur tempus,& diuturnæ afflictionis veſtigia ponit, ægre nimirum à ſolidarum partiũ habitu diſceſſura: fere etenim omnis contagio peſtilens, ex materiali incendio in hecticam commutatur: atque in eo differt potiſſimum putredo profunda,peſtifera vel maligna à vulgari, quæ ſynochas omnes intermittentes inſuper tum ſimplices tum compoſitas comitatur: quod hæc ſuperficiaria magis, ex vna ſimpliciter ꝓhibita difflatione ꝓcedat: illa vero per repercuſſionem crebram & diuturnam,ſæpe nimirum ac ſępius reſtrictis effluuiis putridis: vt ita validius ſiue profundius cum maſſa totius putredinis fermententur: quemadmodum norunt arcani artifices venenorũ, qui & formæ deleteriæ modum hac macerationis forma potiſſimum conſequuntur: præſertim vbi & materiem nacti ſunt opportunã, & cœleſtium cauſarum ipſa conſpiratio eſt.

Corripiebantur hoc morbo potiſſimum fœminę, & virorum plurimi quibus fortuna domi anguſtior, natura obeſior, venæ ſtrictiores oppletæ vitrea pituita,aut prauis humoribus,vbi præſertim & cæterę occaſiones acceſſerunt. Pituitam vitreã voco ex bile & pituita ita permiſtis, vt in vnius ſubſtantiæ ſpeciẽ actione diutina inter ſe coierint:ſeruat n. naturæ, vtriuſque pugnantis contrarias rationes. Et fere his ipſis congeritur multa,quibus magnę ſunt viſcerum dyſcraſię inuicem repugnantes,vt hepatis ac ventriculi:item cerebri, cordis: aut etiam habitus interioris cum externo: vaſorum cum ſubſtantia circumfuſa. Sic ſane grauiſſime laborabant craſſi pariter, & venis amplis præditi: hirſuti,nigricantes,quibus ſub pituita aduſti humoris plurimum ferueſcebat. acciderunt &pueris paucis,etſi qui correpti fuerint,non ita moriebantur: cui contra nunc euenit hac æſtate anni 1564. Videntur autem ex caſtris, atq; ipſa pauperie, prima contagiis ſemina pullulaſſe, & hinc diſtracta celeri gradu cuiuſcunque fortunæ lares, & oppida peragraſſe.

Quod ſi à cognato effectuum genere firmanda eſt demonſtratio, regnabant per idem tempus & alii congeneres morbi, præſertim vere atq; æſtate 1573. cum dyſenteriæ,papulæ, morbilli, vermes ſupra numerũ infeſtarent. Sola ſtomacace, vel Schelotyrbe etiã integri pagi ſunt abſumti. Non diu durabant ea ſymtomata,quin accedente febre maligna,vel morbo comitiali, vel profluuio ventris, continue morerentur: præſertim craſſi & ſenes, intemperantioris vitæ,& cacochymici. Aliis autem erat id mali ex frigido magis humore & lutulento,cum tumoribus liuidis crurum, aut maculis latioribus, velut in ſugillatis: aliis autem ex melancholia magis aduſta, cum inflammationib. rubicundis & nigris,quæ facile in gangrænam ſiue ſphacelum terminarentur.Si quem tertiana legitima apprehenderat, ea (ꝙ mirabar vel maxime)breuis admodum,atq;expediti iudicii fuit: ſed paucis contigit, dum febre hac peſtilente vel multa millia in pagis paſſim & ciuitatibus abſumta perirent, nullam amplius curam caritatis annonæ, aut calamitoſi temporis in poſterum habitura. Præcipuus vigor contagii fuit anno 1573. à veris medio per æſtatem,atq; autumnum, vſq; ad huius anni auſpicia, quo deflagrare ſenſim viſa & in apertam peſtem aut lenticulas commutari.

Eamus ad noſtræ demonſtrationis alterum fundamentum ad morbi illius effectus ac ſymtomata: vt iſtinc velut à poſteriore ſed tamẽ ſolidiſſimo fundamento noſtram de cauſis proximis hypotheſim confirmemus. Incipiebant fere cum grauiſſimo dolore capitis & ſomnolentia, propter efferueſcentis ſpiritus,vaporis exhalationiſq;craſſitiem ex ſubiecta materiæ, quæ aſſidue à corde per arterias ſurſum ad cerebrum exundabant. Aderant & communia cætera,ingens præcordiorum dolor, ſitis, inflatio, ſpiritus frequens, ſuſpiria luctuoſa, iactatio corporis, extrema laſſitudo, frequentes vomitus circa initia, ſæpe & ventris per inferna excretio turbulenta;in omnibus & bilis exuperantis ſumma malignitas, & pituitæ lentor apparuit: multis à primo aſſultu deſtillationes grauiſſimæ in nares, in ſtomachũ, in metaphrenum,crura aut brachia perfluebaut, cum dolore ſpinæ intolerabili: pleriſque ſtatim ſudores rari ſubfrigidi,ſine dierum lege aut ordine promanantes qui in perfrigerationem exitioſam cum ſtertore vt plurimum deſinebant.Sæpe cũ illis & puſtulæ variæ vel exanthemata in variis partib. occurrebant, nunc cum tumorib.liuidis,nunc veſicis atq; ampullis,nũc deniq; cum excoriatione totius, ꝓ acrimoniæ vehementia, ac putredinis modo. Multis inſomnia fere continua,poſt nonum,vndecimũm, decimũ quartũ diem, in ſomnum dierum plurium terminabantur, quib. & curationis ſpes multo maior affulſerat: pręſertim vbi ſudor vniuerſalis acceſſerat, contra quam aliis,quorum vigiliæ tranſibãt in comalethargicum, aut cataphoram, aut catalepſim. Multis parua quædam initia, & valde tranquilla exiguam latentis veneni ſuſpicionem de ſe dabant. Verum ilicet à quarto, aut ſeptimo die in phlogoſin maximam euadebant, cum delirio alias continuo, alias interrupto. Quibus à principio vehementia maior, his fere minus periculi fuit. Qui vehemẽtius purgabãtur,mortui ſunt plurimi ante criſim. Quibus aures obſurdeſcebant,etiam in melius ꝓgrediebantur: foras enim vertebatur morbus,ac vel ſudoribus copioſis,vel ſuperueniẽte lotio craſſiore ſunt reſtituti Quos ſudor non iudicabat, longa illis impreſſio febris quid hecticum olens cũ cachexiæ veſtigio permanebat.Qui magis dieb. parib. agitabantur,iis & magna ex parte funeſta cataſtrophe fuit. Moriebãtur quibus & ſanguinis boni profluuia ante ſeptimũ diem: nam ſymtomatica erat excretio, non naturæ prouidentia aut gubernaculis fulta. Peribant & illi quibus quartum inter & nonum diem ſudores ſubfrigidi,aut puſtulæ paruæ & nigræ nunc foras erumperent ſubito, nunc ab oculis obliteſcerent: ſequebantur has è veſtigio magna deliria, tremores manuum, pedum, pulſus conuulſorii, cum iactatione corporis & ſumma inquietudine,lingua tremula,vrinæ & alui incontinẽtia, tandẽ ex ſudore continuo perfrigerati ac rigidi ſpiritũ exhalabant. Vrinæ vt plurimum inter initia tenues, minimum tinctæ, ſed ſenſim ex pallido in

ruffum, inde in ſanguineũ, paſſeum, aut atrum penitus mutabãtur: neq; vllum curatũ memini, niſi prius in illis cum plurimis bilis, & pituitæ portionib. craſſiſſimum venerit ſedimentum, inſtar puris aut fæcis: etſi pleroſque anticipans ventris profluuium hanc vrinæ ſpeciem intercepit. Morituris ſæpenumero cum atro admodum circulo, contenta vrinæ conſimilia, atq; ex iiſdem ſpirans teterrimus fœtor.

Multa erant in hoc morbi genere propemodum prodigioſa: quæque diuinum illud Hippocratis in vna miſturæ totius forma incluſum & abditum retinerent. Vt quamuis plerique in iſtiuſmodi fere cum nauitis imperitis ad aſtra confugiunt, tanquã infidæ rationis patentiſſimum campum: mihi profecto nõ ſatisfaciam niſi & inferioris materiæ, ac receptricis cauſæ, per compoſitiones certas qualitatum primarum, ſecundarum, & in eodem corpore ſępe contrarii temperamenti facta ſit præparatio. Illa autem eſt quam ſignis modo me planiorib. explicuiſſe pariter ac demonſtraſſe confido. Erat quiddã fateor in trigono Saturni & Martis ante ingreſſum Solis in Capricornum anni 1571. aliiſque copulis admirandis Veneris Solis Martis Mercurii è veſtigio conſecutus: etſi vero ille trigonus dudum ante præceſſerit, tunc tamen paulatim ſemina ſpargebantur, ac durabat ſupernorum ea connexio plus menſibus decem, ſecuta eſt etiam Lunæ defectio menſe Iunii 1572. digitorum 8. quam propter copulas Solis Martis Mercurii alioſque radios valde inſignes noui illius ſideris cauſam aliquãdo credidimus, cum adhuc ſub cometarum ordine teneremus pauliſper cum ipſa multitudine ceſpitantes: ſed hæc momenti exigui ſunt, apud medicos abortiuos, ac merito ſané, quib. profecto etiã quæ propiora ſunt poſſe inſpicere palmarium duxi, ac proinde ſi ad materiem caligant adeo, non eſt quod è Cymmeriis tenebris oculos tam repente ad aſtra ſuſtollant, cum eorundem lucem quã affectant maxime, ſæpe & nomine profitentur, minime ferant: quæ ſola ratio fuit cur Gal. parcius conſiderationem ad cœleſtia trahat, non quia rudís, ſed ſcribendum rudioribus fuit. Nunc igitur diuinitatis characteriſticam notam, ex vna materiæ & miſtionis proprietate pendentem aliqua ratione deprehendimus. Primum eſt quod etiam nono die præterito, ác decimo quarto, morbi vehementia perduraret: ſæpe vſque in vigeſimum, vel vigeſimum ſeptimum diem, cum enim raro conueniant ſimul & grauiter affligere, ac diu perſiſtere, idcirco compoſitã fuiſſe materiem ac modo mirabili fermẽtatam tacite colligebam; videlicet igneas quaſdam putredinis partes in profundo poſitas, quę ſenſim vrentes ſub multo tamen glutinoſo & aqueo deliteſceret. Erat aliud eiuſdem propemodum argumenti, illa nimirum frequens ſomni inſomnii, ἀνοίας delirii alternata viciſſitudo, confuſa interdum qualis & in ſopore vigili à Gal. eſt exarata. His adde, quod plurimis, vigore præterito, tamen & morbi ſit aucta malitia: vt quaſi deuorato boue, tandem in cauda deficerent. Hæc autem ſimul conſiſtere poſſe *Gal*. oſtendit *lib. De morbi temp.* reſtincto quidem incendio ſecundum extenſionem, ſed intus graſſante putredinis virulentia, cum obſtructionis materiæ, cum ſumma iactura virium: vt quam excoquere plene non potuit propter malitiam, facultas imbecillior non abſoluat, imo vel agredi in poſterum vereatur: & quos totius mali ferocia minime ſuſtulit, diuturnitas paroxyſmi & repetitio crebra confecerint.

Nunc etiam iuxta peculiarem ἰδιοσυγκρισίαν pleriſq; incredibilia contigerunt. Multis enim lingua aſperrima in fiſſuras aridas, vaſta profunditate dehiſcens, cum ſanie ſanguinem extillabat: credo propter inflammationis magnitudinem, vt aliquoties à laureolæ grano aſſumto, vel etiam ſtibii granis aliquot, etſi optime præparatis, item elebori decocto intempeſtiue ab aliis inſtituto in apertam ægrorum perniciem, obſeruaui. Aliis vero inflammata eadem atq; oppido tumens; aliis hiulca, ſquamea, nigrantis corticis inſtar. Vidi quibus exacte viridis, nullo alterius generis colore perfuſa, dixiſſes folium nucis iuglandis vel oxalis, ac tales propemodum omnes moriebantur. Erantque iiſdem ſanguis, & vrina conſimiles iuxta *Hipp. in Epid.* Lingua index eorum quæ ſunt in vrinis. oſtendebant ſcilicet ſingula praſinæ atque iſatoridis bilis copiam, aut malignitatem inſuperabilem. Nunc aliud quiddam in linguis multorum contigit, & maxime rarum: vt illarum tunicæ totum corpus abſcederet, vt abſtergendis ſordibus & pelliculis (ſpatio horarum 24.) vix cochlearia 7. aut 8. ſufficerent. Ea quantitas progreſſu temporis nequaquam diminuta ad certum laborantis exitium laborabat. Nam detractis aliis, aliæ ſubnaſcentes affatim ſubinde & ſuffocationis pericula minabantur. Hæc illis potiſſimum qui a vino prohibiti abſtinere voluerint. Quorundam vrinis poſt ſeptimum diem primo ramenta quædam craſſiora, tum carnea tum membranea ſucceſſerunt. poſtea & furfurea, ac poſtremo minima quædam corpuſcula, prope in atomorum ſpeciem comminuta: prout accenſus putredine calor altius ſeſe inſinuat carneis, ſolidiſque particulis, ac diuiſiones illarum ad ſcrupula facit teſte *Gal. comm. in progn.* Atqui hoc genus ex atomis in peſtilentibus valde eſt familiare: præſertim cum vrinis albis & pallidis: maiore nimirum incendii parte ſe ad præcordia retrahente. Quatuor, aut quinque inuiſi, quibus poſt diuturna deliria velut pus exactum non exigua mole ſubſideret, primo ſubruffum, carminatum, ſanguinolentius, inde & album, æquale, & lene, ſic tamen vt varii humoris rudimenta in locum ſuum tendentia pro elemẽti ſpecie relucerent. Erat autem pleriſq; ſubatrum in fundo, ſurſum liueſcens, ac ita ſenſim candidius atque tenuius. Quod autem vix vnquam alias vidi id erat: in eà craſſitie ſedimenti centrum ſe peregrinum, ac diaphanon oſtendebat, tanquam hic vacua ſedes in circumferentiam amplam immunis à purulenta colluuie ſeruaretur. Tales vbi prodierant pleniſſime iudicati, ac rediuiui velut ab inferis reſurgebant. Factum id arbitror ex fomite peſtilenti iam ſeparato penitus, & per vrinas excreto: cum innati ſpiritus ea ſit vis, vt in vrinis (Actuario teſte) aliquantiſper commoratus, iuxta ideam eius poteſtatis, antipathiæ, & ſympathiæ quam in corpore ſemper obtinuit, etiam nunc egreſſus obambulet, ſingulis partibus ſua loca decernat, noxia quæque & peregrina longius à ſe repellens, aut in circumferentiam trudat, aut medio quocunque ſpatio circumſcribat, vt ſæpe ne velle quidem rurſus attingere videatur. Innumera ſunt morbi huius miracula, ſi caſus ſingulos repetam cum animo meo: ſed refero paucos, eoſque illuſtriores. Noui mulierem cui in pelliculas craſſas

&

& glutinoſas non ſolum lingua, ſed & œſophagus vniuerſus cum ventriculo, tandem & inteſtinorum tunicæ putruerunt. Hęc inter initia ſitiens maximopere, vinum auſterũ & rubrum hauſerat in vno die prope ad quantitatẽ lib. vi. vnde ſic illi guttur incanduit, vt nec liquidiores cibos tranſmittere, nedum medicamenta potuerit. Obiit illa miſerrimo fato, damnans humana præſidia, multumque impatiens, quod ne potui quidẽ accipiendo in acerbiſſima ſiti, viam aut inſtrumentum commodum reperirent. Vrina huic alba ſemper inter calores maximos totius corporis, in qua tamen odor grauis & piſculentus in dies augebatur, vnaque fluebant primo furfurea quædam: inde & pelliculæ magnæ: & poſtremo pus manifeſtum, villis, feſtucis, & tunicis variis intertextum. Aderant ſingultus, ructus aſſidui, cum tanta doloris acrimonia circa præcordia vt tanquam parturiens miſerrime clamitaret. Sed poſt deliria parua ventris torſio ſuperuenit, ac primum fœtida, purulenta per ſedem copia incredibili profluxerũt: inde & ſanguis per os, & per poſticam cum dolore punctili, vehementi: aqua ita per acerbiſſimos cruciatus extincta eſt paulo poſt vigeſimum diem. Sic Deus interdum vel cauſis omnibus exploratis, in artium atq; artificum vbertate maxima omnẽ tamen cum velit humani præſidii atq; operationis aditum intercludit. Profecto (vt retuli) ea membranarum defluxio pro quantitate ſui, certum morituris prænuncium miſit. nam ex hepatis, aut pulmonis aut cordis ſideratione contigerant, vt etiam per anatomen deprehenſum eſt. Pleriſque diſſecto corpore, vniuerſa hæc viſcera, aut maior illorum portio nunc nigra vt carbo quiſpiam viſa eſt, nunc ſuppuratis puſtulis plena. fit enim facillime, vt per conſenſus tunicarum pituita concreſcens iugiter adhæreſcat, eademque falſior, aut virulentior, ſubiectam œſophagi linguæque ſubſtantiam depaſcatur. Poſſum in vnam hiſtoriæ claſſem nominatim plurimos recenſere: vt mulierem in Æthiopis ſymbolo, & ſub inſigni Hieroſol. ſed differo morbos omnium ſingulares in aliud tempus, dum maiore cum ocio praxeos meæ curriculum vniuerſum, cæteriq; rariores caſus in vnum volumen à nobis redigi poſſint. Cæterum in vniuerſa hac ſerie vix vnum aut alterum vidimus pfectum hæmitritæum. Exacta enim imago deſcriptionis Galanciæ patuit nobis in Iohanne Schatz mercatore quodam, ſub inſigni maris rubei. Vidi & ante aliquot annos in nobili quodam adoleſcente de Cordes: rurſus anno ſuperiore, ſed ſubobſcurius, rudimenium in Parcenſi monacho: in Iuuene quodam aulæ principis de Symei: in D. Werne: & pleriſque aliis: verum illa in Schatzio præ cæteris adnotanda, alternis etenim vna tantum acceſſio viſa eſt, alternis duæ, ſic tamen vt ſingulæ ſuis horæ diſtinctæ ſuas quoque anticipationes ad horæ vnius ſpatium retinerent. Verum quæ quotidie repetebat, horroris leuiculi ſpecimen dedit: rigoris altera quæ tertio die, nunquam erat febris expers omnino, ſed melius totius circuitus tempus, quod paulo ante aduentum vtriuſque paroxyſmi dieb. imparibus venit Secta fuit liberaliter ſatis ab initio vena: purgatus abunde materiæ vtcunq; concocta ante ſeptimũ diem: lingua erat impenſe viridis, mali auſpiciũ fere à ventre incœpit, ita conſcendens verſus præcordia, qui dolor per acceſſiones ſingulas increudeſcebat grauiter. circa nonum diem acerrime laborauit in acceſſione delirans, ante illam vomitu crebro & ſummis præcordiorum anguſtiis agitatus. Et cum parciſſime eſitaret pro longitudine morbi, iuſſi frequenter comederet ac parum, curationem ſcilicet inſtituens per ἐπίκρασιν. Remiſit ſe morbus facta paulatim ſecretione per ſudores, ſed maxime per vrinas rubras, craſſas, in atram pene hypoſtaſim ſubſidentes, poſt quartumdecimum diem: ac iam pene curatus ex intempeſtiua deambulatione, quam per ventos & pluuias voti alicuius gratia ſe ſuſcepiſſe dixerat, recidit in multo vehementius malum ac dudum euaſerat, accedente dolore colico: & cum non eſſet ea medendi occaſio quæ prius fuit, lentando ac remigando ſenſim protractus eſt morbus denuo in decimumſeptimum diem: exhibita ſubinde aloes citrini portio vel pilularum communium vnc. 1. pituitam viſcidam copioſam cum fæcibus exturbauit: vnde factus alactior, ſed rurſum intemperans ad ſolita negotia ſe recepit: ingeſtiſque herbaceis multis, oleribus, leguminibus, magnam æruginoſæ bilis ſaburram in ventre congeſſit. Hinc ille quo primum incœperat exacerbatus iterum colicus dolor per biduum integrum afflixerat ſupra modum: & cum venter non reſponderet commode vel enematibus prouocatus, repente concidit: adeoque comitiali paroxyſmo correptus fuit, vt & ſpuma circa os verſaretur, neque ante tres horas ad mentem ſatis redire potuerit. Data decoctio ex ſene agarico cum aliis quæ molliendo incidendoq; paululum morbi ferociam mitigarent: multa deiecit lenta & viſcida, cum abundantia bilis omnigenæ. Redierunt parua quædam deliquia conuulſoria, ſed paulatim minora, ac tandem ita purgatus, adhibitáq; accuratiore victus ratione, ante nonũ diem integerrime reſtitutus eſt. Fui in hoc prolixior, ad exponendum verum archetypum hemitritæi: quod illum à paucis cognoſci ſciam, à paucioribus obſeruari: cum tamen plurimæ febres complexu ſuo eandem ceu proximis veſtigiis imitentur. Miranda ſunt etiam quæ in aliis contigerunt, quæque hoc loco penitus præterire non potui. Cuidam tantus ſudor effluxit poſt ſeptimum diem vſque ad vigeſimum: vt diebus ſingulis & lintea, & culcitram, cum ſtraminibus ipſis imbueret. Quidam qui vaſis vitreis victum cõparabat, adeo vehementi delirio raptus eſt circa vigorem, vt ſuperueniente epilepſia conuulſiones prope aſſiduæ per dies aut 4. detinerent, tanta vehementia vt linguam dentibus amputatam in aſtantium ora expuerit. Medicus Anglus ex Paracelſiſtico genere, alioquin in arte chymica valde inſignis, hoc morbi genere primum correptus cum vxore, tum huic tum ſibi porrexit antimonium præparatum vt vocant. Illa quidem celeriter in maniam fortiſſimam verſa vitam morte commutauit: hic autem primo conqueſtus inſomnia, vigiliaſque continuas, à deiectione non pauca ante ſeptimum diem in delirium venit (quod & ille in proximo eſſe ſatis præſenſerat, & mihi præſenti queſtus fuerat, quanquam ſuadent, vt ad frigida & humectantia tempeſtiue ſe conuerteret, fidem habere nõ potuit) à delirio ſtatim vt præſagiuimus factus eſt epilepticus: ex epilepſia in coma lethargicum venit, cui quid apoplecticum miſceretur, eo ſapore detentus per triduum rurſus ad inſaniam redit, horrendoque furore agitatus, non multo poſt expirauit,

&cà communi lecto communem vxori tumulum eſt ingreſſus. Cuidam iuueni ſtudioſo per vniuerſum curriculum morbi contractior fuit ſiniſter oculus: doluit ſiniſtrũ latus, præſertim per exaſperationem totius circuitus: ac circa criſim inflata arteria cruris ſiniſtri ſecundum longitudinem mouebatur, vt nobis conſpicua velut retractus funis quiſpiã verti ſurſum, deorſumque videretur. Vidi è plebeis alterum mercatorẽ, cui puſtulæ nigræ per vniuerſum corpus ante ſeptimam apparuerint: his vero deliteſcentib. ſubito, delirauit. ac ſuperueniente circa vndecimam ventris profluuio vel diarrhœa, tum denique, & ſanguinis atri, purulenti, fœtidi magna copia ꝑ os, mortuus eſt decimo tertio die. Inuiſi lanium qui perductus ad nonum diem fœliciter, iam iam peracta propemodũ criſi, cum in ſudores erumperet copioſos, hauſto ingenti cyatho aquæ frigidæ quamprimum toto corpore factus eſt rigid⁹, ac poſt horas tres pręcedente delirio conuulſione infœliciter periit ante 11. diem. Alter lanius poſt vigilias diuturnas à nono die prope ad vigeſimum vſque, ſomno altiſſimo & naturali proximo perſiſtebat, nunquam experrectus vltro, niſi cum ſitiret admodũ, tum, conuerſus obiter potum ab aſtantibus exigebat, iterumque reclinans ſe ad parietem continue dormiebat, biberat is decoctum Zarſæ cum radicibus plantaginis: ac poſt vigeſimum plane curatus fuit. Noui mulieres duas quæ per octiduum integrum conuulſæ ac prope exanimes velut in agone fuerint conſtitutæ: dicebam, ſi hæ reuixerint, omnem ego meam librorum ſupellectilem Vulcano dedicabo, ita omnia ſigna Hipp. lethalia in vnum exitium conſpirabant: repente tamen vel natura duce, & mali violentiam & expectationem medici ſuperarunt: quod & aliis paſſim vel in arte verſatiſſimis vſuueniſſe intelligo. Sunt & plerique à me conſpecti, quos nulla ab initio ſtatim inſignia ſymtomata, imo ne febris euidens, aut dolor, aut delirium exercerent: attamen in eodem tenore degentes, vna totius corporis laſſitudo ægrotos eſſe docuerit; ac mortui ſunt circa quartum, aut ſeptimũ diem. Noui quibus alternis icteritia facta eſt, alternis color natiuus refloreſceret. Alios quoq; quibus hoc ordine aut ventris fluxio, aut humores circa adenas, præſertim auris ſiniſtræ regionem tanto cruciatu, ac ſi ab infixa cuſpide pungerentur: iſtis vel in tumorem phlegmonidem: vel in puris effluuium ex eadem aure morbus abſceſſit. Quandam fuiſſe matronam memorant in alia Ciuitate prope Moſam: vt etiam à fide digno accepimus, cui poſt capitis vehementiſſimos & diuturnos maxime cruciatus, diſſecta caluaria magnam putredinis vim oſtenderit circa ſubſtantiam cerebri, & inter menynges, tum vermiculorum, tum cimicum copiam incredibilẽ. Neq; id adeo mirum vt illud Hollerii de Scorpione nato, & pleraque alia quæ nos aliquando genita putredine matre conſpeximus. Alteri cuidam adoleſcenti ꝑ conſimiles febres exortis lenticulis cũ aſſidua diarrhœa, per plurimos dies ſola errabat imaginatio, cõſtante nimirum ratione atq; memoria: nam & ſe delirare plurimum querebatur, & obuerſantia ſimulachra non poſſe vel vi excludere. Tum rurſus phantaſiæ potentia maior inſurgens rationale iudicium obſcurabat: argumento admodum luculento, facultatum ambarum ſedes eſſe diſtinctas, non totas tota cerebri ditione confuſas, vt fruſtra doctiſſimus Vir Fernelius, ſed petita longius demonſtratione contendit. Atqui hæc accidentium infinita varietas, ſi genus obſerues ex vna materiæ, formaque conſimili putredinis oriebatur: ſeu ſpeciem certam in animo comprehendas, ſua cuique peculiaris cauſa & ratio poterat aſſignari; vel in diuerſitate miſturæ vt miſtilum qualitate, proportione, ſubſtantię, corruptionis ac putredinis modo: vel (quód præcipuũ reor) in illa natura partium adeo differente, dum quæque pro ſua infirmitudine, ſeu accidẽtalis fuerit ſeu inſita ab origine, nunc ad excipiendam materiam morbi, nũc ad conſenſus compaſſioniſque neceſſitudinem facta eſt oportunior. Sic enim in vno hemicraniæ genere, aliis dextræ capitis partes, aliis ſiniſtræ potius affici conſueuerunt, per ventriculi ſympathiam. Sic & abſceſſus febrium primo decumbunt in eam partem quæ ad reſiſtendum fluxioni ſit imbecillior: vt annotauit. *Hipp. Aphoriſmis 31. 32. 33. lib. 4. & Gal. lib. De diff. febr.* aliiſque locis compluribus apte diſeruit. Sunt autem vt & materiæ contentæ, ſic continentibus locis ſuæ proprietates & vires, ſuæ propriæ cruces atque ſupplicia, vt ex ſuperioris tomi commentario liquet, vbi de locorum indole diſputatum eſt.

Criſes iſtarum febrium raro ſubitæ ſimulatque perfectæ: rerum vt dixi diuulſæ in plurimos dies, alternatim in morbũ exurgente natura, nec tam dierum numerum ſequebantur, vt vulgus enumerat, quam lunæ medios motus, id eſt certa diei lunaris ſpatia, quibus 12. ſigniferi gradus abſoluit: vel vt expreſſius dicam, ſchematiſmos illius & radios, ad primum zodiaci punctum, in quo ſub morbi principium eſt inuenta. Hinc enim promota ad cœli octauam partem id eſt 45. graduũ intercapedinẽ, quarti diei conſuetudinem referebat: quinti, cum ad ſextilem locum: ſeptimi, cum ad quadraturæ radium: noni, cum ad trigonum: decimi quarti, cum ad exactũ diametrum, vel oppoſitum perueniſſet: ac tum pleriſq; ſucceſſiones validæ, corpus rigidum inſtar cautis, aut ſtatuæ, apertis oculis, cum tremore labii manuumque & aphonia.

Nunc vero cum morbi ratio partim à cauſis, partim ab effectibus firmiter comprehenſa eſt, curationem paucis abſoluam: quæ tamen pro ipſa affectionum ſpecie, pro natura corporum infinita, nexuque ſymtomatum admirando, fere & contrariis fuit indicationum generibus implicata. Erat communis quædam & cuiuis obuia, quæ partim obſtructiones reſpicit, materiei concoctione vaſorumque apertione ſoluendas; partim profundæ putredinis virulentiam non forti per aluum purgatione tollendam, ſed frangendã antidotis opportunis, quæ cum tẽpore ſubhumido, & refrigerandi facultate adiunctam tenuitatem partium admirabilem, & calorem alte demerſum, noſtro natiuo calori congruũ retinerent: partim deniq; & hoc præſtarent, vt periclitantis naturæ virtus tum longitudine morbi, tum vehementia & malignitate, diutius confouerent, atq; ad ſuſtinẽdos conflictus infractã, integrã ꝓ fortunæ ꝑmiſſione ſeruarent. Ea propemodum vniuerſa vno ſubinde negotio & inſtrumẽto, etſi in aliis aliter tẽperato aliquando ſum conſecutus. Dedi ſæpe decoctum radicis plantaginis cum aſparago, atquę oxalide, per continuos dies: ditioribus paulo zulapia ex oxyſacch. ſimplici, ſyrupo de acido ſucco citri, vel limo-

limonibus,cum ſaccharo roſato,aqua betonicę cardui benedicti, fol. perſiccorum, caſſuthæ, & id genus aliis: quæ ventre lenito paululum ægrotos mirifice recreabant. Vitaui quantum potui ſcammoniata quælibet,aut hiſce validiora,metu profluuii, quo ſemel correpti vix ſiſti poterant, vix vires ſemel deperditas reuocare. præſertim cum illa humorum malignitas intĕpeſtiuus concitata, ſibimetipſi calcar adiunctum habeat: ac per fas & nefas qua data porta ruat, cum euidenti facultatum atque ſpirituũ detrimento, lipothymiæ, conuulſionis, vigiliæ, delirii periculo manifeſto. Quare duntaxat infuſa pleraque ex rhabarbaro concinnabam, adiecto interdum agarico, & foliis ſenæ. In delicatioribus ſyr. roſati ſolutiui,ſyr. de cychorio cum rhabarbaro, caſſiæ, mannæ, & diacatholici vſus opportuniſſimus fuit. Mediocres optime ſoluebantur pilulis Ruffi, confectione elect. lenitiui: decoctis communibus ex fol. ſenæ,carthamo,agarico, cum aniſo, fructib. halicacabi, paſſulis corinthiacis, & modico rad. aſparagi, florum viol. acetoſæ, &c. præſertim quando illorum portio meliore circuitus tempore ſumebatur, ſemel iterum,ac tertio repetita. Nam paruis præſidiis mali ferocia non cedebat, fortia ſimul & ſubito minime ſuſtinebat: imo totius victus & medicationis curſum prope neceſſe fuit ad vires ſymtomatum ſingulas,ad momenta temporum & momentorum ſcrupula tĕperare, vt minime mirum, maiorem mortalium partem non tam vi morbi forſitan periiſſe quam vel occaſione fortuita, vel incuria ipſius ægroti, aſſiſtentiũ, medicorum: vel denique iſtorum inſcitia & multitudine, dum diſputando prius opportunitas rerum à tergo calua dilabitur, quam ratione conſtituta apprehĕdi poſſit. De venæ ſectione ſæpe ac merito dubitatum eſt: ſed plures peribant, quibus aperta eſt, q̃ qui ſanguinem in cŏmeatus ſubſidium reſeruarunt. Præſertim his infeliciter ceſſit, qui poſt diem tertiũ detraxerunt, niſi alta & magna vrgens neceſſitas foret. Nam ante acceſſionem ſanguis aductus, partem quoque obſtructionis auertit, & præcedentis cauſæ machinas fere oppreſſit, minore tamen periculo, ſi prius & ventris lenitio facta eſſet: ſed poſtquã confirmata iam inflammatio ſanguinis fuit, oppreſſis viribus ſanguis duntaxat melior effluebat, defixo deteriore in venis atq; arteriis, vnde & facultates animæ ſternebantur, & peſtilentis contagii ſemina commota fortius in penitiores aditus ferebantur: vt fere in omnibus miſtiliũ agitatio ad miſtionis energiam maxime facit. Quare niſi vel corpus plethoricum eſſet, atq; ægrum vocatus ſub initia viſitaſſem: niſi & partis alterius certa phlegmone quid grauius minitaretur, ad venæ ſectionem non lubens acceſſi: quin ſi quando importuniſſimorum hominum obtrectationes, aut artis calumniam ex neglectu tam vulgaris præſidii veritus fui, indulgens paululũ detrahebam ad vnc. ij. aut iij. atq; cum ſe rubentiorem iuſto ſanguis conferret, iam velut aperto indicio & mihi, & cæteris ſatisfeci. In aliis affixæ cucurbitæ cruribus, brachiis, ſuræ & ſcapulæ, plurimum profuerunt. Vſus ſum ſatis frequenter diaſcordio meo, cuius compoſitio conſtat inſtar theriacæ ex variis, ac contrariis inuicem fermĕtatis. Habet pro baſi ſcordium, inde dictamum Cretenſem, abſinthium ponticum, epithymum, cum roſis Alexandrinis: habet & ſemina plantaginis, nucleos pini, melonum, lactucę, papaueris albi, erratici, cucumeris, cucurbitæ: ac paulatim in minore proportione, rad. gentianæ, angelicæ, zedoariæ, pſeudodictami, nucis myriſticæ, macis, croci, piperis albi, myrrhæ, cinnamomi, corallinæ, rhabarbari xylaloes, gummi belzoini, maſtycis, boli Armenici, camphoræ prope partes æquales: cũ aliis odoratis, & inodoris, vt muſco, oſſe cordis ceruini, & ſimilibus paucis, quæ mira proprietate vitalĕ ſpiritum atq; animalem recreant, omnibus exceptis ſaccharo & vino adeoque digeſtis in formam opiati. Mirum in modum ea confectio venenis, vermium corruptelæ, & morbis peſtilentibus reluctatur: ſudores atq; vrinas extemplo prouocat, vires confractas citius expectatione redintegrat. Habui & acetũ cum æqualibus vini partibus, multo circuitu deſtillatum, maceratis in eo liquore prius his ſpeciebus quæ theriacam ingredi conſueuerunt: ſed adiecta copioſius camphora, bolo Armenico, aliiſque refrigerantibus. At cui res familiaris anguſtior, vel curta ſupellex fuit, dabam decocta ſæpius in ſero lactis ex oxalyde, trifolio acetoſo, cum paſſulis corinthiacis, &c. Sæpe & cornu ceruinum, cum corallinæ puluere, & modico rhabarb. quo nihil præſtantius vbi vermium ingens ſuſpicio ſubeſt: nam porrecto hoc antidoto defluunt agminatim. Vngebam in plurib. frontem & tempora, propter dolores grauiſſimos, metumq; delirii, vng. roſato, ſæpe cum populei modico, ac tertia parte, vng. albi camphorati, quo ſe leuari mirifice prædicabãt. Multis contra immoderatas vigilias profuit ſola requies Nicolai, cum ſyrupis calidiuſculis tĕperata: multis ſyrupus de nymphęa, vel de papauere, vel diacodium Meſues, addito pauxillo ſyr. de ſucco citri, cum aqua florum papaueris erratici, meliſſæ, bethonicæ, & conſimilibus, quorũ nec certa ſpecies vbique, nec mixturæ ratio præſcribi poteſt. Dici non poteſt, quam multos curauerim vno decocto Zarſæ parillæ, ſi quãdo in diploide vel vaſe duplici pararetur: ſic enim ſpirituoſa illius ſubſtantia non exhalat, ſed per reflexus continuos cum potus totius corpore denuo permiſcetur: atque tum contra peſtiferos morbos ſiue venena validius profliganda, tum pro principiis noſtrorum corporum refouendis mirabilem concipit analogiam. Nam quicquid alii ſtatuant de caliditate nimia clamitantes, equidem vel in ardentiſſimis febribus, naturis oppido bilioſis, ventre purgato paululum, ac ſtatim à criſeos primo rudimento, plus centies vſus fui: ac rationalem viam ſucceſſus vbique felicitas conſecuta eſt. Nec aliud habui rationis fundamentũ, quam Gal. methodum in exploranda ſimplicium facultate, quæ ita ſæpe compoſita à natura dicit, vt nomen ſimplicium prę noſtris compoſitis ac polychreſtis omnibus aſpernentur. Videbam in illa radice ſaporem primo ſubdulcem atque decoctum, etiam pingue quiddam, recrementitium & calori humido conſentaneum: ſequitur hunc amaritudo leuicula ſenſim ſeſe aperiens tum abſtergendis vaſis atque viſceribus opportuna. Poſtremo tentanti diutius, etiam alte demerſa tenuitas explicatur, calor non vrens, neque ſalſus, aut mordax: ſed ſubtilis, volucer, vt in receſſus abditiſſimos partium ſolidarum poſſit vel momento temporis peruagari. Quamobrĕ quia morbus compoſitæ rationis, hæc paulatim concoqui, roborari; illa velit ſecerni, abſtergi, diſplodi, diſcuti, aperiri, vſque ad minutiſſimas corporũ partes:

quia rurſus conſeruandæ virtutis prima vbique eſt
indicatio, quod hæc per ſe, medicus curationẽ qua
ſi ex accidente perficiat : idcirco me aberrare non
poſſe fidebam, ſi hoc inſigni diuorum munere tan-
quam Iouis ipſius manibus, hydram immaniſſimam
oppugnarem. Quod certo ſciam in hoc vno medi-
camento, & nutriendi quandam vim ineſſe mirabi-
lem, & facultatis deleteriæ vindicem, obſtructionis
ac putredinis curatricem. Imo vt verbo dicam, in-
ſunt ad vitæ cuſtodiam, principii vtriuſque ſemina
non obſcura: alterum, quod in ſolidis partibus ſub-
ſtantiam humidi primogenii poſſit reficere: alterũ,
quod cum ſpiritu calorem æthereũ reſtaurare quan-
quam dubio procul non omnibus æque conueniat
in eadem ſpecie morbi: quin quantitatis, ordinis, a-
liarumque rerum ratio ſit vna in calculum adhiben-
da. In multis etenim adiunxi maiorem partem rad.
plantaginis, eryngii, aſparagi, charyopyllatæ: in aliis
lignum aloes, cinnamomum, aut aliud quicquam.
Imo ſubinde decoctis cęteris parum duntaxat ipſius
Zarſæ quo velut additis aliis, quod reliquum foret
celerius multo vel in corporis penetrale, vel in ex-
ternam circumferentiam permearet. Vt vere à Poe-
ta dictum ſentiam,

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas:
Ille metus omnes, & inexorabile fatum
Subijciet pedibus ſtrepitumq; Acherontis auari.

Corn. Gemma.

OBSERVATIO.

De vlteriore tranſmutatione febris peſtilentis in peſtilentiã veram, quæ ſæuire affatim cœpit æſtate anni 1574. deq; illius methodo curatrice.

DVdum ſane præſagiebat animus mihi malignũ
hoc febrium genus, quod toto biennio Euro-
pæ partem non minimam peragrauit, velut ſparſis
quibuſdam præludiis, in peſtem apertiſſimã tranſi-
turum. Neq; me adeo mea me fefellit opinio, quin
grauius multo nunc ſeſe diffuderit malum, quam ia-
cta iampridẽ ſemina portenderunt. Nam quo mor-
tales poſita contumacia & proximum quemq; per-
ſequendi libidine in ſe deſcendant altius, idcirco &
homines ſæpe non tantum alterius hominis mini-
ſterio punit Deus, verum promiſcue feriens, ac ſuis
quaſimet ignib. armata dextera media inter millia
ſæuit. Quæ res eo forſitan ſpectat, vt ſtirpis antiquæ
non minima parte ſublata, noua regerminet, melio-
riſq; inſtauratione facta ſimul ſcelerati ſeculi veſti-
gia deleantur. Non enim alia commodiore viciſſi-
tudine res permutantur humanæ: vt quæ in ſummo
pretio fuerint; paulatim corruant, neglectaque vi-
leſcant, rurſus deinde velut reducto circuitu ex hu-
mili ſtatu ad æſtimationis faſtigium ſubitura. Memi-
nerunt autẽ & aui & proaui noſtri peſtis vſqueadeo
virulentæ, vt in vna Bruxellenſi ciuitate plures ſub-
inde quingentis abſtulerit vnica die: vt vitam & vo-
lucres ſub nube relinquerent: vtque aſſidentes læto
conuiuio inter calicem ſupremaque labra tanquam
percuſſi fulgure protinus expirarent, & cumulatim
oppido toto congeſta cadauera currus in orbẽ com-
means circumferret, donec ob vaſtitatem ſtrata la-
pidea, atq; ædium valuæ muſco & virenti gramine
veſtirentur. Talis potiſſimum viguit anno 1502. fa-
mem & vehementes aeris intemperies anni proximi
comitata. Namq; hyems tam ferox præceſſerat, vt &
animalia bruta paſſim necauerit, æſtas ardoris adeo
ſæui vt arbores accenſæ ſolis radio cõflagrarent. Ce-
lebres quoq; ſunt peſtilentię ſeculi noſtri quas anno
1505. item 1522. regnaſſe commemorant, quibus au-
gurio certo aues cum pullis & ouis nidos etiam pro-
prios reliquerunt. Sed omnium grauiſſima qualis
anno 1348. ac rurſus anno 1450. quæ primum exor-
ta in Aſia per Illyriam atq; Dalmatiam vſque in Ita-
liam ſerpſit, hinc & Germanos, Hiſpanos, Gallos in-
uaſit annis compluribus adeo debacchata vt vix ter-
tia mortalium pars ſuperſtes euaſerit: cuius generis
etiam duas ſub M. Antonio viguiſſe Romanorum
annalibus conſtat, quibus orbe toto flagrantib. pe-
cudes iuxta & homines prope ad internecionẽ ſint
vſq; deleti. Verum iſta non eo protulimus, quo ma-
gis futurorum metu (de quibus anceps, & lubrica
coniectura eſt) mortalium animi percellantur: ſed
vt hiſtoria æui præteriti ante oculos collocata, Deo
nota, preces ſummiſſo animo conſacremus, luſtra-
tiſq; pectoribus in omnem illius voluntatis ſpeciem
componamur, illud inſuper cogitantes;

Omnes quum ſecundæ res ſunt maxime, tum maxime
Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam ærumnam ferant:
Communia eſſe hæc, fieri poſſe, vt ne quod animo ſit nouum:
Quicquid præter ſpem euenerit, omne id deputare eſſe in lucro.

Quibus & illud Græcum lubens adiecero

εἰ τὸ φέρον σε φέρει, φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανακτεῖς,
Καὶ σαυτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρον σε φέρει.

Fer facilis quod fata ferunt: ſi ferre recuſas,
Ipſum te crucias, nec minus illa trahent.

Cum vero de præcurſoribus morbis à me ſub ve-
ris initia tractaretur, credebam fore vt prius hoc in
publicum ederetur quam eius mali ſe tanta ferocia
propagaret: nunc quando expertus illius mora, ar-
gumenti noui obiecta occaſio eſt, ꝙ non modo ſcri-
ptis priorib. ſummo iure cõnexum, ſed & vſus innu-
meros, habiturum ad ſalutem hominum videretur,
quæ de morbi peſtiferi curatione habui prima, pau-
cis adiungere non dubitaui. Cauſam vero & cura-
tionis methodum vniuerſam non eſt ꝙ iſtic ab ouo
velim retexere: namq; hanc omnẽ præter alios ſcri-
ptores innumeros eleganter ac plene proſecutus eſt
Hieronymus Fracoſtorius, nec non B. Montanus,
Galenus ſeculi ſui, cuius doctrinam magno morta-
lium fructu collegit & illuſtrauit Clariſſ. vir præter
meritum ſtudioſiſſimus I. Crato à Craffheim Sere-
niſſimi Maximiliani Cæſaris Archiatros, quorum v-
trique annos Neſtorios optem, non tantum priuatæ
cauſæ nominibus obligatus, ſed & propter publicũ
bonũ. Dum vt alter virtute heroica Chriſti rempub.
ab iniuſtitiæ, impietatis aduerſo turbine tutam, atq;
incolumem conſeruauit, alter quoque ſumma con-
tentione ac variis ingenii monumentis rem medi-
cam pariter ac philoſophicam tum à fœda barbarie,
tum ab ignorantia methodi vindicauit.

Solet contagionum vis vt plurimum certam dun-
taxat ſpeciẽ peruagari, atq; in eadem nõ etiam quoſ-
uis abripere, ſed quibus ex ipſo putredinis modo
(quam profundam eſſe voluimus) ſingularis quoq;
analogię ratio in venis atq; arteriis delitefcit: cui ſępe

ætatis

ætatis inſuper, ſexus & temperaturæ cognatio ſuffragatur nunc eo ſenſim progreditur malũ, vt & obuia quæque corripiens locis compluribus non tam internum fomitẽ requirere amplius vel materiam ante diſpoſitam videatur, quin ſola ſuapte vi potius, aeriſque circumlabentis fœda infectione graſſetur, fere ad illius inſtar quam ſcite delineat *Maro*,

Vt quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, &c.

Erat autem illa cauſarum inter ſe cohęrentium lex, vt ex priore genere morbi multis morientibus paſſim in duplum, in quadruplum reuoluta, imo in infinitum ſe permiſcerent effluuia putrilaginis venenatæ, vtque excretionis morbidæ virulentia vires aſſumeret, inque maligniorem ſpeciem indies mutaretur: præſertim quando interea nec cauſæ aliæ fomites conquierunt, paupertas, trepidatio, mœror aſſiduus, ærumnæ, & victus vitia, omniumque cupiditatum intemperantia. Quibus acceſſit aquarum copia, qualitatum exuperantiæ in conſtitutionibus cœli, Ver æſtiuum oppido, æſtas contra ſimilis veri, autumnus pluuius valde atq; auſtrinus, maior pars anni ſine ventis, ſine tonitruis: cum & Hipp. νηνεμίας imprimis dixerit peſtilentes, vt Cratoni vſu veniſſe eiuſdem Epidemica conteſtantur. Præter autem tot exhalationes in aere viſas multũ minata nobis eſt oppoſitio Saturni & Iouis circa lacteam viam, cum ſtellis ſcorpii natura Martis, Mercurii, vna cum ſchematiſmis mutuis quinq; errantium per coniunctiones atq; diametros, quanquam hęc non tam cauſas principes, quam ſigna vel inſtrumenta conſentanea diuinæq; voluntati obſequentia ſemper ſim arbitraturus.

Quanquam vero multa ſint peſtis diſcrimina, à ſymtomatũ differentiis ſumta, (vt etiam *in ſuo de peſte libello* doctiſſimus vir L. *Ioubertus* meminit) videas tamen in primis genera 4. notis quibusdam charactẽriſticis interſtincta. Nã vt cum bubone in vnum & alterum locum agminatim facta colluuie circa glandulas (ſed in primis axillas, inguina vel parotides) effloreſcunt: (hæc enim trium principum partium emunctoria chirurgis potiſſimum appellantur) aut ſparſo putrilaginis craſſamento diuerſas maculas nigras, ſubliuidas ſæpe & varii coloris ἐκθήματα quacunque protrudunt: aut etiam vtroque abſceſſus genere natura ſe nititur expurgare: aut oppreſſa demum vel impotentior quam vt poſſit excutere, exhalatione cœca per meatus ſenſiles atque inſenſiles facta, veneni ſignum interius atque ſemotum ab oculis premit: tum vero furtim in aſſiſtentiũ poros pernicitate mirabili peruagatur. Quanquam vero lenticulas & carbunculos multi maligniores iudicent altero modo quo bubones ſubnaſcuntur: minime id ſimpliciter rerum vſus oſtendit. Etenim laborantibus ipſis valde id malum eſt perniitioſum, niſi primo die, aut ſaltem ante quartum ſine moleſtia aliiſve prauis ſymtomatibus expellantur. Videmus tamen ex illo genere neque tam cito raptos occumbere, nec tam præcipiti contagio. eius ἀποῤῥοίαν in ꝓximas deriuari. Eſt enim vt arbitror (ſaluo meliore iudicio) profunda quidem putrefactio, ſed tamen aduſta magis & ſicca, magiſque permiſta ſanguini corporis vniuerſi. Ergo cum vis ſit late diffuſa, non facile à ſanis partibus ſequeſtratur, hinc certius interimit, ſed minus celeriter, quia neque vnita ſibimetipſi vt agminatim vim vitalem poſſit opprimere, neque tam humida illius euaporatio, vt propter lentorem diu pertinacem in aere fomitem ſit relictura: contra quam in bubonibus illis peſtiferis ſolet, quibus compacta, tenax materies non tantum in ipſo fomite, ſed & cuidam effluuio circumquaq; diſperſo. Facit enim hæc ipſa veneni conglobatio, vt quibus natura eſt integerrima promtius excludatur, eademque quibus ſuccumbere cœpit, propter afflatum maioris antipathię ocyus extinguantur. At fomes alterius putredinis ſiccæ licet non adeo totius formæ ceu miſtionis nomine pugnet quoad propriam molem, propter tamen tenuitatem partium ex aduſtione quæſitam, cum ipſo ſanguine fortius permiſcetur, & peruagando latius cor non tam exhalationis indomita vi, quam multitudine, ac diuturnitate peſſundat. Non abſimilis huic & altera difficultas, quare adhuc ſpirantibus ęgris multo minus contagii periculum vſus oſtenderit, quam morientibus ipſis aut recenter extinctis, cum tamen viuentium maior ſit exhalatio, totumq; corpus apertum caloris vi maiorem putredinis partem poſſe foras tranſmittere videatur. Verum talis eſt ratio, ac ſi quis accenſam lampadem extinctæ compararet: ipſus enim met ignis tantiſper dum inardeſcit, exhalat tenue ac fuliginoſum quippiam, ſed minus malignum quippe quod ab eodem igne prius diſcutitur quam intermedium aerem poſſit inficere. Verũ igne ſublato exudat amplius ab ipſo fomite craſſus & tetricus vapor, quem magis peſtiferum ac pertinacius inhærentem tum color & odor, tum tota ſubſtantiæ ratio ſatis oſtendunt: vt multo periculoſius non iniuria putent decem languẽtes inuiſere, quam ſemel adeſſe mortuo, præſertim vbi recens cadauer exhalat, aut etiam illis adeſſe propius, qui primum è domo funebri prodierunt, qui quamuis nondum peſte laborent, nec forte illius ſenſum aliquem ſint habituri, peſtis tamen fomitem in veſte circumferunt, aliis affricantes quorum corpus analogum & ad recipiendum prona ſit conſtitutio. Quare eiuſmodi rerum ſtatu inprimis præcipi debet, vt & antidota ſumant & habitum mutent, aut igne perluſtrent, & quam minimum in turba mortalium tanto diſcrimine conuerſentur.

Mirum quod in hoc Epidemiæ genere à nobis peculiariter obſeruatum eſt pluribus eueniſſe, vt cum in alia peſte ſoleant primum horrenda ſymptomata ſeſe obiicere ceu magna inæqualitas æſtus frigoris, horroris & exudationis vigiliæ ſomnolẽtiæ, perturbationũ ventris ſurſum deorſum, doloris capitis atque delirii cũ laſſitudine ſumma præcipue circa ſpinã, hic tamen interdũ vix vlla inſignis tempeſtas apparuerit ante 3. diem, atq; tũ quidẽ nihil adhuc ꝑter ſoporem leuiculum, iactationem corporis moderatam, vomitum aut ventris fluxum, linguam, pallore ſubuiridi tinctam, præcordiorum anguſtiam, vt etiã ſæpe nil perpeti ſupra ephemeram ſimplicem videantur: tandem erumpentibus maculis circa quartũ, quintum, aut ſeptimum diem, multi etiam facti alacriores obambulent, erectiue ſedeant, ſubito tamẽ tanquam morti à morbo proditi collabantur. Vidi quibus citra omnem febriculam, dolorem capitis, aut laſſitudinem, halitu tantum ex terrore concepto, totum corpus repente maculis nigris, liuentibus, piſi amplitudine tingeretur, nulloque alio

ſuperueniente incommodo, tuti tamen atque incolumes permanſere. quod in eos diſperſa quidem morbida cœli ſit aſpiratio, vt tamen duntaxat humoris ſuperficiem occuparet, ac prius interni caloris impetu repulſa ſit foras, quam potuerit in ſinus intimos aut cordis ventriculum penetrare. Mirum & illud inſuper frequenti obſeruatione comprehēſum quod vis contagii ad normam æſtus maritimi ſeſe nunc acrius, nunc remiſſius, propagaret. Quanquam vero Ioubertus annotet plenæ, atque ſilentis lunæ tempora, nos tamen his potius decreſcentem illius quadraturam inuenimus efficacem: neque hanc differentiam in locorũ diſcrimine pono, quin vniuerſim fieri ſic vero ſimilius putem, quod motus lunæ à diametro ſolis ad coniunctionem, potius motum in corpore præſtet à circumferentia verſus centrum: quare ad cor ſublata materie, corripiuntur citius ſane, interimuntur ægroti.

Curandum vero in primis vt ſalutis publicæ ratio ineatur: deinde vt quiſque prouideat domi ſuæ, præſertim paries cum proximus ardet. Inſigne præſidium veteres olim in extruendis pyris authore Hip. repererunt. Nam ciuitates integras luſtrat accenſus ignis è cedro, iunipero, larice, abiete, picea, quercu, vitice, roremarino, & conſimilibus odoratis. Sed præter hæc ſecernendi ſunt ii qui mortuorum corpora tractauerunt, ædes obſeruandæ cum tota ſupellectile, nec attingendum quippiam, aut efferendum foras, ante quam ſeptimanarum 6. circuitu expirarit. Purgandi ſunt omnes viri atque familiæ; animalia viroſi halitus, vt canes, cati, columbæ, anates, porci, magiſtratus officio procul ſunt ableganda: prohibendi fructus, olera, legumina, præſertim vſus allii, cœpæ, porri, vuę, pruna perſica, fungi caules, piſces, & carnes vitioſæ, male conditæ, aut modis aliis importunæ. Multum vero in externorum commerciis, ne quid ferant contagii, vigilandum eſt. Tum denique præſtantiſſima antidotorum genera ſunt comparanda, vt cum vſus poſtulat fermentata diu, atque in promptũ teneatur. Præ cæteris commendantur Theriaca Andromachi, Mithridatis, pauperioribus autem diateſſeron, aut diaſcordion, quale vel Fracoſtorio vel nobis ſuperiore capite ſit deſcriptum. Germanis ruſticis multũ familiare eſt, quod inſtar moreti ex ficubus, ruta, ſale, & peruetuſtis nucibus temperatur.

Verum ad cuiuſque tutelam primo conferunt odores aromatum, non quorumuis, ſed quæ vitalem ſpiritum atque animalem recreent, auræ peſtiferæ toto genere reluctentur. Æſtiuo quidem tempore magis aceti, citrii mali, limonis, aurantiorum, & cõſimilium. Laudatur præ cunctis acetum vini maluatici quo camphora & nuces myriſticæ diutius ſint maceratæ. Hieme tamen odores calidiuſculi præferuntur, vt zedoariæ, angelicæ, caſiæ, cinamomi cuiuſmodi commanſa ſæpius profundum penetrant, ſpiritumque maiori efficacia purgant. Nos pilam fere eiuſmodi fecimus concinnati, quæ recipit radicũ iridis Florentinæ roſ. rubearum, corticum citri, dictami Cretenſis, maioranæ, ſing. drach. j. ſtyracis cal. gummi belzoini ſeu ſyluii veri, cinamomi opt. caryophyllorum an. ℥. ij. ſtyracis liquidæ, ſandali albi, nucis myriſticę, macis, zedoarię, angelicæ an. ℈ j. cubebarũ, cãphoræ an. ℈. ſemiſſem, moſchi electi, ambrę an. g. vij. aut plus eo, laudani puriſſimi q. ſ. ad cõſiſtentiam molis cum aceto fortiſs. & aqua roſata in pilæ ſpeciem redigantur addito modico tragacanthæ. Purgantur ventres abſque periculo ad ſubtrahendum fomitem morbo, ſolis pilulis Ruffi (quas & peſtilentiales vocant) ſumtis ad quantitatem vnius drachmæ vel etiam ſolius aloes vſu, quæ pura ſit atque pellucida, ad quantitatem exhibita dimidiæ drachmæ. Sæpe huic adiungimus momentum cortic. citri, cardamomi, macis, carpeſiorum aut zedoariæ. A ventris lenitione conueniunt ſyrupi cũ aquis ſtillatitiis in alterius morbi curatione deſcripti. Laudant plurimi ſuccum thapſi barbati ſiue verbaſci maioris ac lanuginoſi, expreſſum cum vino tenui odorato: docuit enim illius vim ſingularem contra venena muſtelę genus aſtutum, quoties cum ſerpentibus pugnaturum eſt. Rarum ſed efficax valde refugium in lapide bezahar, corallinæ puluere, ſapphyri, ſmaragdi, monocerotis, oſſis è corde ceruino, & illorum omnium, quæ compoſ. aromatici roſati vtriuſque ingredi conſueuerunt. Ego quiddam eximium in illo puluere depræhendi, qui perforato ætitidis vtero colligi poteſt, datur dimidii ſcrup. quantitate cum liquore conueniente. Motus & quies, vini potus & abſtinentia, pro cuiuſque natura, ſtatura, & conſuetudine peculiariter ſunt moderanda. Luceat focus perennis. Sit animus hilaris atque vel violenter à perturbationum vertigine diſtrahatur.

Magna vtilitas vini eſt ſi parce bibitur, ſi purum & generis exquiſiti, ſi abſit crapula, nec bilis aut ſanguinis copia reclamarit.

Venæ ſectio alias ad præcautionem mali, alias ad curationem adhibetur. Siquidem præcauendum eſt, prius diſtinguito externis cauſis, an magis intrinſecis (vt plethora vel cacochymia) impendeat morbus. Nam ſi ab extrinſecis tantum, minime tutum eſt ſanguinem commouere, vt alias dictum: nã & intro venenum trahitur ac fortius permiſcetur. Sin fomes ab ipſo corpore metuendus, tum plenitudo exorbitans à ſanguinis vitio dirimatur: nam in plethora venam aperire conſultiſſimum eſt. In cacochymia lenis ſubductio per ventrem potius confert. Quod ſi vtrumque periculum eſt, paulatim ſanguis & interpoſito temporis ſpatio minuatur. Vbi vero curationis gratia demittendo ſanguine cogitandum, diſtingue vt prius, ſed tamen præterea, num in principio morbus exiſtat, num in augmento vel ſtatu. Nam poſt primum aut ſecundum diem raro conuenit, imo ſemel & affatim concitatus venter, aut mota ſanguinis maſſa, ſtatim contagii virus ad cor vſque profundit, vt etiam ſuperueniente deliquio ſæpe ſub manu chirurgica moriantur. Multi ad cautionem crura perforant, aut veſicas excitant ferro, & cauſticis medicamentis, idque ſucceſſu non infelici, quamuis vel inter morientium millia conuerſentur. Magnus vſus & ſalutaris ſcarificationis in crure & brachio ſæpius factæ, cum appoſitione cucurbitæ, nam & acceſſionis initio iuuit plurimos plures cucurbitas extremis partibus (præcipue κατ' ἴξιν ſeu loci laborantis rectitudinem, affixiſſe. Nam ſic & tuta maxime, & celeri via ſunt reſtituti. ſi ſub axillis vel (quod omnium peſſimum eſt) circa aures exuberat malum, mox ſimum columbinum cũ ſapone permiſceas, id è directo ad brachium alligetur, addito interdum cauſtico ex flammula Iouis,

ranunculo

ranunculo bulboſo, clematide, vel cantharidibus. Similiter ſi in inguinibus tumor apparet, inflammatio in cruribus excitetur, vt quam longiſſime ſi fieri poſſit à locis principibus reuellatur. Noui qui proprio fimo cum aliud non occurreret apte diuerterint. Mirum quod veſpillones offerunt ſibimetipſis, confectum ex æquis partibus olei raparum, ſalis, aquæ, & albuminis oui: ac ſi ex elementis 4. ideam microcoſmi referre in integrum ſtatuiſſent. aiunt infinitos vbi correpti fuerant protinus hac miſtione ſeruatos. Quin ſimul ac morbi iam facti ſeſe indicia produnt, curandum ilicet vt venenum à ſanguine ſequeſtratum quam celerrime ebulliat foras. Datur plerisque ſucceſſu mirabili nux myriſtica toſta donec exudet, atque in puluerem comminuta, inde vero cum ſale exhibita adiecto modico aceti fortiſſimi, præſertim ſi calidior temperatura eſt. Illud quoque experientia patris, ac mea deinceps, efficaciſſimum vidi quod conſtat ex vna parte camphoræ, duabus gingiberis, ſacchari roſati quatuor, diu cum vino permiſtis antea, ac ſedulo fermentatis, Doſis eſt vnius drachmæ. Coopertus æger componitur ad ſudorem. Generoſius paulo quod ſequitur. ℞. camphoræ, dictami Cretenſis, ſcordii, rad. angelicæ, cedoariæ, cinnamomi, gingiberis, ana drach j. nucis myriſticæ drach. ij. boli armenii mediam drachmam, ſeminis rutæ, macis, croci, ſing. ſcrup. j. Muſci gr. vij. cum ſacchar. & vino odorato q. ſ. fiat inſtar opiati: Datur poſtremo & aqua per deſtillationem chymicam præparata, qua nihil vnquã potentius vidi. Conſtat è ſpeciebus diaſcordii noſtri, vino pariter atque aceto fortiſſimo maceratis, deinde quaſi per circulos plures paulatim ſublimius è duplici vaſe traductis. Alii eodem modo aquam è ſola theriaca ſolent exprimere, alii baccas lauri, baccas iuniperi, cum bolo caryophil. cinnamom. rad. angelicæ, zedoariæ, eadem arte componunt: ſunt enim pro ipſa affectionis ſpecie formæ propemodum infinitæ. Multi plurimum tribuunt auro potabili. Vnum philoſophorum, aut antimonii vſum minime probo. etſi enim ſubinde euaſerint, fortunæ tamen id potius, aut temeritati, quam arti aut peritiæ tribuendum eſt, vt ſi quem hoſtis a fronte, à tergo præcipitium vocet. Bubonem ſcarificare conuenit admota cucurbita, deinde theriacam apponere (circiter drachmas ij.) decoctam in excauata cæpa, etſi plerique promtius ferro candente, & cultellis exciderint, præſertim vbi ſublimius turget. Alii columbæ pullos, gallinam, aut catellum quempiam diſſectum medio, vel pulmones recenter mactati arietis applicant, & ſubinde commutant. Laudatur & columbinum ſtercus cum cæpa atque theriaca, plures tamen emplaſtra maturando abſceſſui parant ex ſinapis ſemine, ficubus & bulbis Liliorum & ſambuci foliis: addunt, vt efficacius trahat, acre fermentum, elleborum nigrum, cyclamen, & ſubigunt demum cum ſcabioſæ ſucco, oleo chamomælino, & farina ſeminis lini. Poſtquam in plagam tumore ruperit, eadem iuxta doctrinam aliorum vlcerum, ſed multo tamen validioribus expurganda eſt.

Gemma.

* *
*

DE VERA PESTE, EIVSQVE VARIIS GENERIBUS.

ESSENTIA, CAVSA, MODVS generationis.

OBSERVATIO.

De peſtis cauſa, & eiuſdem generationis modo, ſententia noua.

AT remedia peſti conſentanea decernamus, breuiter ea nobis explicanda eſt, quæ neque præcauetur, neque demitur medicamentis primarum, ſecũdarumve facultatum vi inſtructis, cum morbus ſit occultus, & à natura ipſa inuolutus, etſi ab obuiis rebuſque euidentibus credatur naſci, multorumque talis de peſte inoleuit opinio. Quocirca acriter nobis aduerſabuntur, quod de peruulgata eorum ſententia diſcedamus. Nolo tamen cuiuſquam errorem coarguere, ſed tantum quod ſentio libere proferre. Faceſſat igitur præindicata opinio, & ſine ratione non valeat autoritas. Complures medici atque illuſtres philoſophi, quos plurimũ lucis arti attuliſſe fatendum eſt, quod editis voluminibus, quæ accuratiſſime ſcripſerunt, ſatis oſtendunt, quibus nomen ſuum paſſim dilatarunt, quorumque ingenii præſtantia propemodum omnes terras tranauit. Videntur mihi non ſatis (quod pace eorum dixerim) percepiſſe naturam peſtis, alioqui non eam febri, non aeris putrefactione definiuiſſent, ſed genere & differentia (quæ tanquam duo lumina definitionem continent) bene gnauiterque expreſſiſſent: & id, quod apertum erat vera definitone iam pateret. At illi præſtantes viri ſuo ingenio maiorum ſcriptis pluſculum quam concedit veritas largiti ſunt, & id quod tractabant, quoniam non ſatis firme conceptum animo, atq; comprehenſum habebant, vitioſa definitione explicuerunt, ſcribentes peſtem eſſe venenoſum quendam vaporem in aere, qui ſpiritui vitali omnino aduerſetur. Videamus num iſta definitio poſſit in aliam rem transferri quamlibet: ſi poſſe ratione & experientia demonſtretur, quid tum dicere habeant cur illa vera definitio ſit. Non raro venenoſi vapores vitali ſpiritui infeſti concipiuntur in aere, neque tamen peſtis eſſentiam conſtituunt. neque halitus virulentarum beſtiarum, qui cordi, vitæ noſtræ fonti deleterii ſunt, peſtem adferant, quam ſi adferrent, eos, qui in Lybia habitant, ſemper ſine vlla intermiſſione affligeret, & nũquid illa Cretenſes inuolaret: cum hic inopia, illic contra venenorum ſumma ſit copia. neque viuentibus in regione, quæ animalibus mortiferis caret, vnquam illa obreperet, tantum in eos debaccharetur, vbi frequentes, ferarum virus eructantium eſſent latebræ ac receſſus. Sed iſtud non eſt veriſimile, & experientiæ quotidianæ ac rationi repugnat. Cum etiam in locis vbi puriſſimus eſt aer deſæuiat peſtilens contagium, ac in omnes terras ſine diſcrimine euagetur. Quod fertur de duobus draconibus, qui iuxta radicem duorum montium illatebrabant, & tranſeuntes anhelitu peſtifero perimebant. Non potuerunt illi peſtem Epidemiam inuehere, ſed tantum in vicinos malum euome-

euomere, & proxima queq; afflatu ſuo inficere, neque latius ſerpſit eorum virus, cum peſtis venenum diſtantiſſimis regionibus capitale ſit, & longiſſime maleficium ſuum diſſeminet, per quod ſæpe integræ regiones vaſtæ & deſertæ fuerunt.

Qualis Erychthonios peſtis populata Colonos,
Extulit antiquas per funera pacis Athenas,
Alter in alterius labens cum fata ruebat.

Hæc mortifera clades ex remotiſſimis locis propagata, Athenas tandem prouecta fuit, qua homines cateruatim moriebantur. Initium enim fecit primum (vt ait Thucydides, rerum geſtarum ſincerus pronunciator & grauis) ex Æthiopia ea quæ eſt ſupra Ægyptum, deinde etiam in Ægyptum permanauit. Quam nullum animal virus faucibus ſuis eiaculans halitu aerem polluens, nullaque putredo ſublunaris peperit, ſed quædam veneni forma cœlitus in aerem deriuata, quæ humano generi tota ſua ſubſtantia exitialis fuit. Illa per nares & arteriam trachæam ſeſe in cor inſinuans, per alioſque corporis meatus intro ſubiens, vitæ receptaculum obſedit & demolita eſt. Huic non diſſimiles maiorum noſtrorum memoria obtigerunt, qualis fuit peſtis quę anno milleſimo, quadringenteſimo, decimo ſexto graſſata eſt, & complures aliæ, quas commemorare ſuperſedeo, cum hiſtoriæ earum abunde meminerint, & hic tantum ſtricte ſuccincteque oſtendere ſit animus eſſentiam peſtis, cauſam, eique proprietate occulta accommodatas Antidotos, quibus corpus poſſit à peſtilētia vindicari: quæ niſi acriter perueſtigentur, neque illam præcauere, neque curare licebit, cauſa enim morbo ita implicita & coniuncta, vt niſi huius ſublatione ſanatio non contingat. Nam peſtis diuerſiſſima eſt ab aliis morbis quibuſcunque: quam nulla humorum in noſtro corpore immoderatio, nulla intemperies perfert, nulla inteſtina putredo, ingeſtorumue corruptela gignit. Non eſculentorum, potulentorumque commune vitium, non paludum, ſtagnorum, barathrorumque pedor, peſtem Epidemiam efficiunt. Nulla graueolentia, quam expirant cadauera, cœmiteria, foricæ publicæ, non Tinctorum cortinalia: Cerdonum alutariorum, proluuia, aliaue vlla mephitis peſtem in orbem diffundunt, niſi è ſublime inficiantur, & inde noxam hauriant. Non diffiteor quidem, huiuſmodi tetros odores grauiſſimos generi humano morbos ſubinde producere. Cum enim anima ſenſibilis, quam cum mutis animantibus communem habemus, nobiſque innatus calor & ſpiritus, nulla re magis ſuſtententur, & refocillentur, quam bona flagrantia, vt ſæpe videre eſt eos, qui limine mortis verſantur, ſolo odore in aliquod tempus vitam prorogare. Ita contra nihil magis eſt vitali robori aduerſum, quam fœtor, & quod citius virtutum mineras (vt dicunt) labefactat & proſternit, nullum aeris à cauſa manifeſta inquinamentum, aut conſpicuam putredinem rerum inferiorum, peſtis requirit, neque illis ad actum deducitur, neque ſuam ab huiuſmodi materia energiam habet. Quæcunque enim taliter agunt, eorum euidens & vulgaris eſt cauſa, cum formæ peſtiferæ aduentus nullo ſenſu ſe prodat, inuiſibilis ſit, & ignoretur, ſolaque Meteoroſcopica poſſit indagari: furtim enim & latenter ingruit, eiuſque improuiſum eſt telum, &, priuſquam ſentiatur, fecit: quo humanum genus magno ſternit numero: & de medio tollit, totaſque ciuitates ac prouincias crebrò exhauſit. Peſtis nullum moratur ſexum: nihil temperamenta curat, non humorum æquabilitatem, non eorundem ſinceritatem, non enim propter humores corporis noſtri, ſeu laudabiles ſint, impeditur: ſeu vitioſi, citius obrepit: ſed ſpecifica ſua ſpirituali, ac venenata forma, cordi ſe imprimit, cumque eo confligit: quod ſi minus diſpoſitum ad reſiſtendum inuenit, vellicat & miris modis exercet, nec non repente malignitate ſua corde ſuperius euadens, ſpiritus omnes diſſoluit ac diripit, vitaque hominem ſpoliat. Nec minus corripit pura corpora, & Monogrammà, quam Cacochymica & Plethorica, eaque Periclis temporibus Athenienſes attriuit, fere rurales homines nulli humorum redundantia obnoxios, atque omne robur, florémque iuuentutis depâſta eſt. Hyeme æque ac æſtate, & quouis anni tempore rapaciſſimi mali furorem experimur, tam Boreali quam Auſtrino flatus & qualicumque aeris conſtitutione: ſummatim loca quouis vento perflata, ſiue ſint edita, ſiue decliuia, pueros, adultos, iuuenes, ſenes, viros, & fœminas, ſiue rara aut laxa ſint corporis textura, ſiue denſa & compacta, pituitoſos, ſanguineos, bilioſos, melancholicos, & omnes.

Qua graditur conturbat, & immutata coactat.

At neque febris eſt, tametſi illam pernitioſam eſſe febrim definiuerint, cuius calor præ aliis habet, vt ſit inſigniter putridus. Quod ſi peſtis eſt febris pernitioſa, efficietur ex definitionis huius cum definito reciprocatione, quod omnis febris pernitioſa ſit peſtis, verùm res non ità ſe habet. Subinde enim in humano corpore naſcitur perniciosa febris ſine peſte, & aliquoties peſtis febre incomitata, cordis ſubſtantiam depeculatur. Non igitur peſtis cenſenda eſt febris pernitioſa, neque definiti natura febre explanatur, & diſcrepant à ſe mutuo peſtis & febris, ſpecifica differentia quippe ſoboles peſtis, eſt venenum humano generi contrarium, inſpiratione & perſpiratione attractum quod cœlitus in aërem fuit diſperſum. Febris verò à calore præter naturam ſuſcitatur, quæ peſtem aliquando comitatur, eſtque illius ſymptoma, & ortu ſuccedit, quæ autem morbo poſteriore ſunt, non cenſentur de morbi ſubſtãtia. Symtoma autem morbo ſuperuenit, & ortu poſterius eſt, non igitur ſymtoma morbi eſſentiam cõſtituit, & improprie peſtilentia febre definitur: quãdoquidem ab illa ſeparabilis eſt, & peſtis ſolitaria eſſe poteſt nulla coniuncta febre, quod palam docetur epiſtola Æſchinis docti & acris Oratoris, qui Cteſiphontem in iudicium adduxit, quod Demoſthenem rationibus non relatis (quod contra leges erat) aurea corona donaſſet, quod eius ſuffragio nec vir bonus eſſet Demoſthenes, neque bene meritus de Republica: ad quod iudicium concurſum eſt è tota Aſia, vt viderent & audirent ſummorum Oratorum in grauiſſima cauſa accuratam, & inimicitiis inflammatam contentionem, at Æſchines damnatus Athenis ceſſit, Rhodumque ſe conferens, ad Philocratem literas ſcripſit, quibus hæc continentur. Sed Delii peſtilenti quodam morbo laborabant, nam facies eorum vitiligine opplebantur, capillique candicabant, collum autem & pectus intumeſcebant, cæterum nulla febris accedebat, neq;

etiam

etiam dolores magni. Ex iis apertè patet febrim non ſemper eſſe indiuiduum peſtis comitem, & illam cordi, quod viſcus eſt nobiliſſimum, ſine febre creberrimè grauem noxam inurere. Aliquando tamen ſtipatur ſatellitio febris, Bubonis & carbunculi, quæ tamen non ſunt fere de peſtis natura, & ſeorſum ex humorum impuritate, craſſo, retorridoque ſanguine pullulant, nulla orbem obambulante Epidemia. At tempore popularis peſtilentiæ venenum in cor penetrans, deinde vniuerſum corpus quod plethora aut cacochymia turget adoriens, humoribus ſe inſerit, illoſque iactando, agitandoque, huiuſmodi nonnunquam extrinſecus abſceſſum inducit, & characteres exhibet, & varia themata. Quocirca multorum mentibus hactenus imbibita de peſte euellatur opinio, & apud ſincere philoſophantes tandem valeat veritas, penes quos niſi conſiſtat, quæſo quis illi reperietur locus? Quid enim hoc indignius commemorari poteſt, polliceri medicamenta, quibus a peſte tutus euadas, eiuſque telum depellas, ac velle id mederi, male conſiderata peſtis natura atque effectrice cauſa, ſine cuius accurata perceptione, quis peſti legitimam medicinam fecerit? Non igitur deinceps credamus febrim eſſe, aut aeris putrefactionem, neque aerium venenum ex putrium vaporum admiſtione, vel infelici Planetarum concurſu in perniencioſiſſimam animalium generi conditionem, dira conuerſione mutatum, quæ definitio diſſentanea eſt ab humana peſte, lateque patet, neque ſuis terminis circumſcribitur, & homonymiam refixit. Nam illa ſæpe ferociter in nos debacchatur & brutis abſtinet rationis expertibus, nec ſemper vniformi è ſublimi promanat Venenum. Sed modo huic, modo illi animantium generi ſubſtantia tota inimicum, Viſa ſæpius eſt peſtis humanum genus affligere, & brutis abſtinere, contra crebro inter feras, aues, & pecudes, magnam ſtragem edere, ſolo homine peſtis experte, quod adſcribendum eſt veneni ſpecificæ formæ ex horribili, minacique errantium ſtellarum aſpectu in aerem ſcaturienti, quod ſpiritu introducitur. Neque putemus peſtis maiorem eſſe æſtate quam hyeme impetum, quia *Ariſtoteles quarto Meteoron* docet putrefactionem eſſe proprii naturaliſque caloris in vnoquoque humido exiſtentis, ab extranea caliditate corruptionem, & propterea frigore, quam tepore res minus putreſcere. Nam ambiens hyberno tempore nos aer & aqua parum caloris retinent, & ideò parum virium habent ad putrefactionem, æſtate vero multo plus virium obtinent. At hæc non habent locum in Epidemia, quæ nulla aeris qualitate incitatur, neque vires inde acquirit, quibus cor fatiget, & vim inferat, ſed per ſe omnibus aeris qualitatibus malignior eſt, neque his indiget, cum ſolius veneni proprietate agat, quod cordibus noſtris aduerſarium eſt, & plane exitiale. *Ioannes Iuuenis in Epiſtola ad Philippum Brakelemium De Medicament. Bezoardicis.*

* *
*

SYMTOMATA.

OBSERVATIO.

Peſte correptos aliquando repente tanquam ſyderatos concidere loquentes adhuc & incidentes, nullis aduerſæ valetudinis ſignis antegreſſis.

Videas non raro (tanta vis eſt intro concepti peſtilentis halitus) ſyderatorum inſtar concidere derepente eos, qui peſte correpti ſunt: cum alioqui in his nec pulſus exitialis, nec vrina, nec vix vlla aduerſæ valetudinis ſigna appareant, ſanique videantur: at ſtatim & loquentes, & incedentes, tanquam fulmine icti pereunt, quod à me ſæpiſſime per peſtilentis aeris cóſtitutiones obſeruatum fuiſſe, ea præſertim, quæ ſub annum M. D. XXXIIII. in Galliæ Narbonenſis parte graſſata eſt, teſtari ipſe poſſum. *Valleriola loc. com. lib. 3. cap. 18.*

Sic lues tam ſęua viguit aliquando, vt ceu percuſſi fulgure repente conciderent. *Gemma libr. 1. cap. 17. Coſmocrit.*

Ex inſpiratione infecti aeris, ac ex valido contagio experientia docuit aliquos ita efficaciter coinquinari, vt nec præcedente aliqua notabili alteratione, nec poſt mortem ſubſequente vllo peſtilentis affectus ſigno, ſubito peſte correpti, ſubito etiam, perinde ac ſi præſentaneum venenum hauſiſſent, de medio ſublati ſint. *Salius libro de peſte capite quinto.*

Referunt fuiſſe peſtem, in qua cum breui momẽto ſæpius ſternutaſſent, ſtatim concidebant. *Cardanus comm. ad lib. 5. Aph. Hipp.*

OBSERVATIO.

Varia ſymtomata, notatu digna, in peſte Veneta, Anno 1576. obſeruata.

Multi hoc tempore per os & inteſtina vermes excreuerunt, qui propter inſignem humorum putredinem difficilius quam alii fuere curati. Interdum quoque, tametſi rarius, carbunculi exorti ſunt ſine rubedine vel nigredine, pars tamen affecta plurimum doluit, cute ſolummodo exiſtẽte liuida, vel paulo altiore, ſub qua interius latitauit carbo niger & admodum latus, qui aliis fuere maligniores; vnde pauci euaſerunt. Alii liberati ab hoc grauiſſimo malo, per aliquot menſes ſe rurſum ſatis bene habuerunt, poſtea iterum in morbum hunc inciderũt, à quo tamen nonnulli fuere reſtituti. Deprehenſum ſimiliter fuit, tum maculas ſiue petechias nigras deteriores fuiſſe, quam eſt carbũculus, vel bubo; illiſque vt venæ ſectio admodum nocuit, ſic applicatio hirudinum ad hæmorrhoides venas plurimum profuit. Dignum quoque fuit obſeruatione, quod plures qui in ædibus infectorum commorati, aut cum ipſi ægris vixerint ad viginti dies, vel vnum etiam menſem, nihil mali ſenſerint: tamen poſtea hac lue correpti, celeriter fuerint extincti. Cauſa eſt veſtium infectio, vel ædium, in quibus diu fomes contagii ſæpenumero conſeruatur. Quare & veſtes ſæpe mutandæ; & ædium accurata purificatio ſemper inſtituenda. Animaduerterant quoque Medici ſubito & ſine mora huic malo eſſe occurrendum, priuſquã malignitas cor occupat, quod non raro per venæ ſectionem infeliciter tentatum fuit,

fuit,ſed lenientia,& ſudorifera,ac alexiteria,ſemper cum ſucceſſu adhibita. *Angelus Bellicocbus, in tractatu Italico de peſte, communicante D. Ioachimo Camerario.*

OBSERVATIO.

Tumor Oedematodes circa iugulum conſtitutione peſtilentiali.

ANno 1562. menſe Septembri Stephanus filius D. Franciſci Gelnauer cœpit febricitare cum tuſſi ſatis vehementi, dolebat caput, & ſemper volebat dormire. Vocatus,cum habere m ſuſpicionem de peſte,exhibui illi ſudoriferum: quo ſumto ſatis copioſe ſudauit; ſed vires decreuerunt. Quarta die cœpit apparere tumor circa iugulum dextrum albus & mollis,doloris expers. Iuſſi inungi oleo camomillæ, & euanuit tumor. Ipſe vero poſt paucas horas,materia copioſa ad pectus deſtillante, ſuffocatus eſt.

Idem accidit filiæ Vrſulæ D. D. Groſſeri, quæ, cum multa deuoraſſet farcimina,cœpit conqueri de dolore & ſtomachi & capitis, & ſequente die copioſe vomuit,& eſt alleuiata. Quarta die ſuperuenit tuſſis,& rediit febris ad noctem, & dolor capitis intendebatur. Septima etiam talis tumor Oedematodes apparuit circa iugulum dextrum,qui paulo poſt euanuit,& ipſa poſt paucas horas catharro ſuffocata eſt. *De obſeruat. D. Ioannis Heßi per Cl. V. Ioach. Camerarium ad me misßis.*

Peſſimum eſt ſi tumores poſt apparitionem euaneſcant,vireſque reſoluãt. Quod ſi quoque dolore pruritu & ſenſu deſtituta fuerit, tumor deterior eſt, & veneni magnitudinem arguit. Cum peſſimorum venenorum proprium ſit membri ſenſum obtundere, & inducere ſtuporem extinguendo calorem natiuum. *Schroterus themate de peſte 30. & 31.*

OBSERVATIO.

Gangrena partium ex peſte.

CArbunculus in Gangrenam degenerat, ſi corporis truncum obſidet: lethalis eſſe ſolet qui aliam partem prehendit, niſi iugulat,eam putredine abſumit:ſic pes à tibia,& brachium a ſcapula diuulſum viſum eſt. *Palmarius de peſte cap. 27.*

E gangrenatis,ſphaceloue corruptis exhalat fœtor,vti etiam è carbunculis, vlceribus, quæ alas, inguina,aut malas obſederunt, pus ſordidum maleq; olens. Siderationes autem accidiſſe in peſte docet *Galenus 3. de vſu partium 5.* extremis pedum digitis quæ putridis vlceribus occupata refert decidiſſe: Adeo enim praua malique moris erant vlcera, vt partes occupatas eroderent,neque ſerpigo cohiberi præterquam membri abſciſſione potuit, vnde genitalibus exectis,oculis excauatis,pedibus manibuſque truncatis vitam Thucydidis tempore redimebant.

Viuebant ferro priuati parte virili
Et manibus ſine nonnulli pedibusq; viuebant,
In vita tamen & perdebant lumina partim.

Colligi poteſt *ex hiſtoria Chritonis 3. in Epid.* cui puſtula nigra in talo apparens mortem biduo accelerauit, quod malignitati potius quæ ſiderationem momento peperit,quam loci anguſtiæ,qui minime capax fuerit recipiendæ tantæ materiæ eo excuſſæ, tribuendum videtur. Ingentis itaque putredinis documentum eſt vel hoc,quod nullam,niſi per reſciſſionem, curationem receperint, & cum nullo alio ſuccurri poſſet remedio, ad mutilationem ventum fuit. E qua putredine quin teter, virulentuſque vapor emerſerit,vix aliquis inficias iturus eſt. *Iordanus tract. 2. de peſte phanom. cap. 6.*

SPECIES.

OBSERVATIO.

Hectica peſtilens.

NOs hecticam peſtilentem graſſari vidimus Lugduni & Viennæ anno à Chriſto nato 1525. febris parua videbatur, & febri ſe liberos ægrotantes opinabantur,pulſus erant moderatis ſimiles & vrinæ colore, conſiſtentia & contentis non illaudabiles: qui tamen omnes occubuerunt. In quibuſdam alui excrementa erant ſynthetica, quod eſt perpetuum febris peſtiferæ ſymtoma. 3. de præſag. ex pulſibus. In qua pulſus moderati apparent ex temperamentorum quæ in corde fit, pugnantia ibidem, ſed vrinæ laudabiles. quoniam lues & cauma circa cor, & ſuperiores thoracis partes hærent, vnde hepar minus affici conſentaneum eſt. *Montuus Halos. Febr. lib. 7. cap. 1.*

OBSERVATIO.

Formidabilis peſtis ſpecies qua correpti triduum circa caput ac pectus ſanguineum ſudorem excluſerunt.

ANnis ab hinc 1554. fere duobus, Miſenæ, à qua vrbe regio nomẽ traxit, mulieris cuiuſdam peſtilentia correptæ pectus & caput triduo ſudarunt ſanguinem priuſquam extingueretur. *G. Agricola lib. 2. de peſte.*

Anno 1552. duo hominum millia peſtilentia extinguuntur. Mulier in morbo ſuprema parte corporis ſanguinem ſudauit. *Lycoſt. de prodigiis.*

OBSERVATIO.

Mira peſtis ſpecies.

MIra peſtis varietas:nam referunt authores fide non indigni, Conſtantinopoli (olim Byzantium dicebatur) peſtem obortam quæ huius erat generis,vt qui laborarent, aut quibus morbus imminebat, viderentur ab alio homine cædi: perturbatique hoc terrore moriebantur. Interim nec videbant, nec audiebant, ſed velut attoniti aut lymphati ſenſibus ac mente excutiebantur. Febreque ac tuſſi cum laborarent, calor tamen & color mutabatur. Tubercula variis in locis pro hominum natura apparebant. Tandem veterno alii, alii inedia conficiebantur. Quidam etiam ob ſitim in puteos ſe præcipitabant. Certum eſt,fuiſſe genus certum abſceſſus in cerebro, quandoquidem contagio non propagaretur. Certum eſt tot ferme eſſe modos, quot tempora. *Cardan. lib. 2. de ſubtilitate.*

OBSERVATIO.

Carbunculi, anthraces & exanthemata etiam intra corpus interdum apparent.

NEotericus quidam refert, intus in corpore carbunculos, anthraces & exanthemata, qualia forin-

forinſecus efflorefcebãt,apparuiſſe. Mihi antea hoc erat inauditũ,credo tamen verum. *D.Gallus Erſchenreuterus in Epiſt.ad D.Geſnerum, communicante D.Caſp. Wolphio.*

OBSERVATIO.

A miranda peſtis genera, locis & nationibus diſtincta.

CVm eſſemus Baſileæ biennio, peſtis eos ſolos afflixerat,qui eſſent Eluetii, adeo vt eo tempore toto vix vnus aut alter (dictu mirum) Gallus aut Italus obierit. *Cardanus lib.8.cap.40.de variet.*

Locris & Crotone nunquam fuit Peſtilentia. *Text.in officina.*

CONTAGIVM.

OBSERVATIO.

Culcitra ſeptennium integrum peſtis ſeminarium fouens excuſſa,tandem peſtilentiam denuo excitauit.

AVdiui, patris mei ætate, in Veneta vrbe culcitram, peſtilentiæ tempore ſuſpectam, in interiores domus partes cuiuſdam Patricii eiectam, ac poſt ſeptimum annum requiſitam, quam materfamilias diſcuti iuſſit: longo enim ſitu in abdito loco virus vehementius contraxerat, quo ſerui protinus ſubita peſte correpti ſunt. *Alexan. Benedict. lib.de peſte cap.3.*

OBSERVATIO.

Vnica pellicea veſte viginti quinque peſte infecti & mortui.

PRoditum eſt anno 1511. cum per Germanos Verona teneretur,exorta peſte, qua hominum fere decem millia periere, ex vna veſte pellicea nõ pauciores quam quinque & viginti Teutones obiiſſe. Vno defuncto alius induebat eam veſtem, donec monefacti ex tot defunctis veſtem combuſſere.

Ipſe quoque memini, ſeptem pueros extra murũ Alcmariæ ex peſte obiiſſe,cum mater veſtimenta ex Zelandia attulerat cuiuſdam hæredis ex peſte mortui, quæ ſoli expoſuerat, pueris in illis veſtibus colludentibus, è quibus peſtis oborta eſt: quæ omnes interfecit: ita virus latitare poteſt ad aliquot menſes. *Foreſtus Scholio ad obſeruat.22.lib.6.de febr.*

OBSERVATIO.

Latens adhuc & blanda peſtis ſæpe incautos truculenter necat.

MArcus Antonius Cornelius Patricius Venetus, inter ſæuiſſimæ peſtilentiæ ætatis noſtræ initia, in qua plures Medici extincti ſunt, ignoto morbi genere,nondum enim peſtis detecta erat,febre ſatis leui correptus, quam vel amphimerinam putabant, ſubmiſſo per membra calore, & cæteris notis ſecuritatem promittentibus ſeptimo die caput ac ceruix ſudore frigido maduerunt, atque protinus interiit. Interea,dum admirarentur medici,dum caſum inopinum perſcrutarentur, dumque vulgus inſanum eos damnaret inſcitia, ecce per plures vicos ciuitatis peſtis acrius vrbem cœpit premere,adeo vt 300. protinus ſingulis diebus funera tumulis redderentur, ac niſi ſubita populi, ac nobilitatis fuga facta eſſet, maiore ſtrage afflicta ciuitas fuiſſet. Sed hoc vnum referendum arbitror, nugator maligne ac medicomaſtix impudens,nulla eſt in tanta febrium ambage inſidioſior, nulla fallacior: ſalutem enim in fronte promittit, occipitio vero exitialem exitium refert. *Alexand.Benedict.lib.de peſte cap.12.*

Philippus Stroza, & nobilitate generis,& opum affluentia inſignis, lenta quadam febricula laborabat: & ex Medicis,qui ægrum viderat,alii quotidianam,ſed leuem,alii ob algorem contractam febrem putabant;nec defuit qui crederet à capite deſtillaſſe materiam,quæ putreſcentem febriculam gigneret. At nos, cum eam ipſam diligentiore examine perpenderemus,peſtilentem iudicauimus. Quam ſententiam deridentes Medici,cum leuatam iam febrem exiſtimarent(latebat enim anguis in herba) familiari tantum Medico curam dimittunt. At æger, qui iam conualuiſſe videbatur,aduentante die ſeptimo, in neruorum ſubito reſolutionem & febrim incidit ardeſcentem: qua exhauſta, voce, & corporis viribus cõuulſis,paucis etiam diebus mors ſubſequuta eſt. Magna igitur eſſe debet Medicorum circumſpectio in cognoſcendis curandiſque morbis:ne inſcitia (vt ſæpe fit) atque indiligentia eorum ægri ipſi, qui ſeſe illis penitus tradunt atque committuunt,periclitentur. *Beniuenius libr. Abditorum.54.*

OBSERVATIO.

Chordæ,quibus peſte mortuorum cadauera ſepulchris inferebantur ſupra 30. annos deliteſcentes tandem peſtis contagium intulerunt : vnde decem millia hominum abſumta ſunt.

IVſtinopoli, in maxima peſtilentia, chordas quibus deferebant ęgros,aut certe mortuos ad ſepulchrum, poſtquam illa ceſſaſſet, quidam poſt capſulam quandam proiecit : latuere ibi fere per viginti aut triginta annos. Tandem cum ſacris quidam eſſet initiandus, & omnia purgarentur,ſimul & locus in quo ſcrinium quoddam erat,hoc remoto, ſeruus inuenit funes,eoſque campanis aptos aſſeruare volens, incidit in peſtilentialem febr. contagioque illius reliqui infecti adeo ſunt,vt ad decem millia hominum, ex hac occaſione, mortua ſint. *Trincauellà lib.3.conſil.17.*

OBSERVATIO.

Peſtis contagium ab aranea tela contractum.

IVuenis ille egregius Lucas Petri Sasboti cereuiſiarii filius vnicus,annorum viginti nouem,ſi quis alius valde robuſtus, peſte quidem correptus eſt,cũ vxore nuper ædes quas locauerat, intraſſet, manumque in ſcrinium quoddam cum immiſiſſet,tela araneæ ſupra manum cecidit: vnde puſtula peſtifera ſuborta eſt.In eadem domo ante ſex menſes nonnulli peſte obierant,quamuis ab eo tempore nullus in ea habitaſſet, nunc quidem à famulis bonis repurgata, forte ſcrinio intacto, quod in fumario latebat. *Foreſtus lib.6. obſeru. 22.*

* * *

Observatio.

Peſte laborantes caute tractandi, ne contagio afficiantur qui ægrotantium curam ſuſcipiunt.

EGo, cum aliquando peſte correpto homini ad quem inuiſendum vocatus eram propius & imprudentius adſtarem, vtque bubonem, quem in inguine dextro, anthraces vero duos quos in aluo habebat, intuerer, confertim diductis ſtragulis ipſum renudaſſem actutum deſus vapor, teter & putridus ex rupto carbunculorum abſceſſu, tanquam è fimo agitato, per nares in cerebrum mihi inſiluit, ex quo oborta leipothymia mortuo ſimilis præceps in terram ſine ſenſu decidi: paulo poſt excitato, omnia velut vertiginoſo in gyrum circumagi videbantur. Iterumque relapſurus eram, niſi apprehenſa lecti columna me ſubſtentaſſem. Cæterum, vna res me tum conſolata eſt, quod affecti mihi cordis dolore aut palpitatione, fortiue virium & contumaci exolutione, nulla apparuerant ſigna. Argumentum diſſipatorum tantũ ſpirituum à venenato vapore animalium, nullatenus vero læſæ cordis ſubſtantiæ. Confirmauit opinionem, ſubſequutum mox ſternutamentum, tãto impetu decies repetitum, vt hæmorrhagiæ conſequutionem attulerit: quæ me excretio, credo omni veneni impreſſione liberauit. Diſcant ſapiantque, moniti meo exemplo, cæteri. *Pareus lib.21.de peſt.cap.12.*

Observatio.

Veneficium peſtem inducens qua arte à maleficis paretur, tum qua ratione ſe ab eiuſdem contagio, ne & ipſi inficiantur, præſeruent.

VEneficium fuit, quod Caſali, in vrbe Salaſiæ regionis Italiæ contigit circiter annum domini milleſimum quingenteſimum trigeſimum ſextum. Coniurarunt viri ac fœminæ, quadraginta fere numero, inter quos & carnifex erat. vt, quum peſtis ante ſæuiſſet, & iam cœpiſſet miteſcere, vnguentum conficerent, quo illitis portarum vectibus inficerẽtur qui vectes tractarent: apparatant & puluerem, quem vectibus clam inſpergentes, noxã inferebant. Latuit aliquandiu dolus, ſublatique multi à coniũctis ſanguine vel affinitate: data etiam veneficis, vt ferebatur, pecunia hæreditatis ergo. Sed quum cuiuſdam Neci nomine fratrem atque vnicum filium enecaſſent, vixque alii quam domini ipſi domuum, aut filii perirent: ſimulque animaduertiſſent Androginam ſe in domos inſinuare, atque eos maxime interire, quorum ædes ingrederetur: deprehenſa cõiuratione, omnes exquiſitiſſimis tormentis interemti ſunt. Faſſi etiam, quod in celebri cuiuſdam Diui pompa ſubſelliis perunctis, vniuerſos trucidare ciues decreuiſſent: parataſque in hunc vſum fuiſſe ſupra viginti ollas. Idem poſtea Geneuæ tentarunt nonnulli, qui & pœnas dederunt. Alios etiam Mediolani vectes inunxiſſe conſtat: ſed quæſtionibus ſubiecti, cum nihil confiterentur, nec quiſquam obiiſſet, dimiſſi ſunt. Baſſianus Landus ſcribit, Patauii quendam cum aliis pleriſque itentidem conſpiraſſe qui teſtis tempore infecta linteamenta in domos occulte coniiciebãt, vt in multos deriuaretur cõtagio: ſumtum quoq; ab his eſt ſupplicium. *Wierus li. 3.de veneficis cap.35.edit.6.*

Aſſerunt nonnulli plus virulentiæ deliteſcere in cadauere quam viuo homine, eo quod ex cadauerũ peſtilentium elixatorum iure, ſi oſtiorum peſſuli, repagula, manubria, poſtes, limina illinantur: (quod coniuratos tonſorem & alium quendam ſua ætate Patauii feciſſe, & inter tormenta facinoroſos homines confeſſos clariſſimus D. Iulius Alexãdrinus Cæſaris Auguſti valetudinis præſes locuples teſtis eſt) vel clathri ferrei, ſiue cancelli pro cœmiteriorum foribus prohibendis domeſticis brutis affixi (quod Badonæ agro Viennenſi contigiſſe audimus) eodem ſi aſpergantur, tranſgredientes; & attingentes inſici, illincque aſperrimæ peſtis primordia exorta commemorant: magici incantamenti loco habeo. Niſi dicamus ex cadauere recenti, & etiamnum calente rediuiuum redditum, venenum, caloris extrinſeci acceſſione, quod prope mortuum ante fuerat, & virus illud de caloris cuiuslibet ad ſe attrahẽtis natura aquæ fuiſſe attributum. Quod ita demum crediderim, cum mihi cauſam adſignarint, cur, qui Cannibalico, aut potius diabolico huic inuento auctores præfuere, & perniciem horrendam generi humano moliti ſunt, inter coquendum & operandum peſtifero venenatoque vapore, eo quidem plurimo per ebullitionem exhalante, aut cum in fruſta ſecarent cadauera, non prius correpti interierint, pœnaſque pro tanto crimine ſeſe condignas dederint, quum in cædem, abſoluta veneni contagioſi præparatione, proruperint. Num alexipharmacis ſeſe ante muniuerant? Si immunes euaſere, facilius mihi perſuaderi patiar, ſuccum luridum iam frigefactum, & aeri expoſitum, ab eodem non modo retuſum, verumetiam forte abſumtum longe minoris, quam inter coquendum fuerat, efficaciæ eſſe: vbi & propinquius accedendum fuerat, ſiquidem igni fomitem ſuggerere, aut peſtilens illud decoctum colare, & in nefandos vſos aſſeruare vellent. Simile quid contigiſſe teſtatur cum Dione Nicæo & Xiphilinus in vita Commodi: quo imperii habenas moderante, tam atrox in vrbe eſt graſſata peſtis, vt vna die non raro bina hominum interirent millia, cum malefici homines venenis res oblitas mercede pellecti in alios coniicerent. *Iordanus tractat.1.de peſt. phœnom.cap.18.*

Detectum eſt his ſuperioribus annis, quod illi nebulones, qui inſeruiebant correptis peſtilenti febre & peſte, quod non præſeruabant corpora ſua, niſi vſu zinziberis & zedoariæ, ea ore maſticando maſticabant mane zinziber, poſtea bibebant vinum Maluaticum & tota die habebant zedoariam in ore mandendo. *Fallopius libro de Bubone peſtilente cap.13.*

Perditiſſimi nebulones, quos magiſtratus Lugdunenſis morte mulctauit, ob propagatam peſtilentiam, faſſi ſunt, cum ad ſupplicium deducerentur, ſeſe nullo alio remedio defendiſſe à peſte, quam nuce iuglande, quam ad ignem parumper adurebant, priuſquam comederent. *Droetus Conſil. de peſte, cap.10.*

Meminit *Aſcanius Centurius de Hortenſiis prope finem libri quinti ſuarum Italicarum obſeruationum & conſtitutionum de peſte Mediolanenſi*, quæ vrbem iſtam Anno Chriſti 1576. & 1577. grauiter afflixit, hoc edictum ibi fuiſſe propoſitum, vt vnum ex illis ve-

neficis

neficis depræhenſum, atque vltimo ſupplicio, vt meritus fuit, affectum, ante mortem inter cætera reuelaſſe vnguentum, quo prius, ne aliæ perniciosæ vnctiones quas tractabat, illi aliquid noxæ inferrent ſeſe munire conſueuit: cuius deſcriptio talis eſt: Recipe ceræ nouæ vnc. iij. olei communis, olei hederæ ana vnc. ij. Petrolei, fol. anethi, (forſitan Tanaceti, cuius vis mira in hac lue) baccarum lauri ana vnc. v. ſaluiæ, roriſmarini tantundem, puluerisentur quæ debent, & addito pauco aceto bulliant omnia, donec in vnam maſſam inſtar vnguenti redigi poſſint. Eo nares, tempora, arteriæ capitis & manuum illinantur, commedendo prius allia atque cæpas, & ſuperbibendo parum de aceto optimo.

Simile aliquid refert *Doctiſsimus dominus Antonius Maria Parolinus Medicus Ferrarienſis in ſuo Manuſcripto commentariolo de peſte*, aliquando Ticini quoque in Inſubria contigiſſe, ibidemque nefarios quoſdam homines compræhenſos, qui veſtes & alias res infectorum ſemper vlterius ſpargentes, vt hoc pacto contagia atrocius ſæuirent, tandem aſſeueraſſe duobus remediis ſe tutos fuiſſe, ne ab illis quoque corriperentur. Quorum vnum electuarium fuit: Recipit Imperatoriæ, Carlinæ, gentianæ, dictamni albi, dictamni cretici, baccarum lauri, ſingul. æquales partes, omnia puluerisata ſubtiliter miſceantur cum melle deſpumato & clarificato, & fiat Electuarium.

Alterum vnguentum eiuſmodi eſt: Recipit olei Terebinthinæ, Petrolei, de Iaſmino, laurini, an. vnc. v. pinguedinis Taxi tantundem. Ceræ nouæ & olei communis, ana vnc. iij. bulliant per horæ quadrantem, & poſtea adiungatur abſinthii, chamedryos, anethi, ſaluiæ, rutæ, ana M. j. coquantur hæc in B. & redigantur omnia in formam vnguenti, quo vngantur tempora, arteriæ manuum, & cor ipſum. *Hæc ex conſtitutionibus, legibus, & edictis Venetiis & alibi propoſitis, & à Camerario doctiſsimo in ſynopſi commentariorum de peſte latine exhibitis.*

OBSERVATIO.

Infans duabus nutricibus peſte infectis lactatus ſuperſtes remanſit.

RETVLIT mihi Generoſus quidam Baro in Carinthia ante paucos annos magna in illis locis peſte ſæuiente, quendam infantem duabus nutricibus fuiſſe lactatum, quæ ambæ hac lue ſunt extinctæ, infante permanente in viuis, & optima valetudine fruente. *De obſeruation. Clariſsimi V. Ioachimi Camerarii.*

OBSERVATIO.

Veſpillo cadauer virginis ex peſte mortuæ, horribili ſcelere, nulla noxa inde contracta, iniit.

PRætereundum ob flagitii immanitatem forte fuerat, quod nuper admodum Vratislauiæ Sileſiorum peſte depopulante illic accidit. Veſpillo virgineum cadauer à propinquis formidine perculſis vix dum egreſſa anima deſertum formæ nulla vi illata rubens conſpicatus, occaſione à ſolitudine capta noctu extinctam, mane iniuit. Tanquam re probe geſta facinore gloriatus, per indicem magiſtratui defertur: hic, quia vſus eius tum neceſſarius erat, conniuere ſimulans, lues quamprimum deſeruit, publice virgis cæſum exilio multauit perenni. Indemnis hic euaſit, etſi, vt credere eſt, νοσερὰι ἐκκρίσεις καὶ μιάσματα adhuc exhalarent. *Iordanus de peſt. Phœn. tract. 1. cap. 18.*

PROGNOSTICA PESTIS.

OBSERVATIO.

Lethalis peſtis ſigna.

VIx centeſimus quiſque euadit, ex iis, quibus bubones aut carbunculi intro remeantes citra ſuppurationem ſubito diſparent, vel qui incipiente morbo carthartico vtuntur, vel ſpontaneo alui profluuio corripiuntur, vel exacto triduo, quatriduoque ſecta vena ſpiritu ac ſanguine ſpoliantur. *Palmarius de feb. peſtilent. cap. 7.*

OBSERVATIO.

Epidemia aut peſte laborantes, plurimum ſexto die mori.

NOs ſexcenties 1528. experientia vidimus in Epidemico morbo omnes fere ſexto die obiiſſe, & in peſtilentibus morbis vt plurimum ægri 6. die intereunt, vt in præſentiarum quilque veſtrum videre potuit, in Hieronymo Cantalupo, qui naturalem philoſophiam in hoc almo Gymnaſio egregie profitebatur: hic ex peſtilente & venenoſa febre ſexto die interiit in hoc menſe Nouembri. Propter hæc Galen. hunc diem Tyrannum vocat, quoniam, ſi non interficiat, quando iudicat ſaltem male iudicat: quippe Tyrannus, ſi non interficit, ſaltem bona ſurripit, vulnerat, percutit. ita ſextus dies vel pernicie illius quem iudicandum accepit gaudet, vel ſalute delet, quæritque vbi animum expleat, & male ægrum tractet, tum longa punitione exerceat. *Braſauola comm. ad lib. 2. Aph. 24. Hipp.*

OBSERVATIO.

Ex peſte mortui crediti reuiuiſcentes.

APud nos Baſileæ, epidimia labe graſſante, doleatoris cuiuſdam in vico ad ſpalas nominato habitantis ſeruus peſte etiam correptus eſt, qui cum poſt aliquot dierum ægritudinem, deficiente ſimul ſanguine ac ſpiritu, animam exhalaſſe videretur, eius mox corpus cum riguiſſet, è lecto in cubiculi pauimentum poſuerunt, donec ſepulturæ mandaretur. Interea autem, dum conſodales, de militonis morte certiores facti, conſultarent qua ratione terræ mandandus eſſet; in cubiculo qui mortuus eſſe videbatur, ſyntecticus fortaſſis ad aliquot horas, cum ad ſe rediiſſet, ignorans vbi terrarum eſſet (nã in obſcuro atque opaco habitationis angulo ſepoſuerant) qua potuit voce clamauit: Heu quam frigida regio in qua verſor, Heu male calefactum hypocauſtum in quo frigoris ardore pereo miſer. Familia autem raucum atque ignotum clamorem audiens, capta formidine (nam ſerui malum genium in cubiculo eſſe putabant) cum cubiculum intrare non auderent, homo miſer ex ſuo angulo per terrã prope lectum repſit, atripienſque inde manu pului-

nar, ad terram proſtratus capiti ſuppoſuit, ac à ſuis poſtquam animum timore vacuum receperant, inuentus rediuiuus adeo curatus eſt, vt etiam hoc, quo hæc ſcribimus, anno, viuat; vxorem habens ac filios.

Simile fere apud nos, in minori tamen Baſilea, ante annos circiter 19 contigit, vbi quatuordecim annorum puella, quæ in Vineatica tribu habitabat, cum peſte obiiſſet, inſuta, multaſque horas ſepoſita in terra iacuiſſet, dum ſepultura paratur: rediuiua ſeipſam, dum ſola eſſet, liberauit ex linteaminum vinculis, in quibus iamdudum inſuta ad multas horas tempore omnium frigidiſſimo iacuerat, lectumque iterum ingreſſa, cum veſpillones ferettum attuliſſent, pro more terræ mandaturi, magno ſtupore & miraculo rediuiua contra omnium expectationem in lecto audacter loquens inuēta eſt, ac deinde aliquot annos vixit. Dicebat autem ſe reuera mortuam fuiſſe, ac vidiſſe inferni diuerſa tormenta, peccatorum pœnas, atque quoſdam ſibi quàm optime notos (quos nominabat etiam) ibi ſuppliciis torqueri, cum tamen eo tempore adhuc viuerent. Adiecit inſuper alia quædam, anilibus fabulis plane ſimilia, vnde magiſtratus prudentiſſimi mandato, ne nugis ſeduceretur mobile vulgus, ſilere iuſſa eſt. *Lycoſthenes libr. prodig. & oſtent. Anno Domini* 1552.

Scimus quoſdam veſpillonum manibus ad tumulos tractos ſemiuiuos, alios ex nobilibus, quibus anima adhuc in cordis latibulis deliteſcebat, in ſepulchris conditos fuiſſe. Vna ex magnis matronis hoc modo ſepulta paulo poſt viſa eſt mortua, tamen quæ ſedens & emota loco inter cadauera reuixerat, euulſæ comæ dilaniatumque vngue pectus, mærore indicio fuere. Heu quoties viua inter mortuos nequicquam ſuperos inuocauit. Non eſt propterea facile inter tam periculoſa & ingentia mala non deſipere. *Alex. Benedict. lib. de peſt. cap.* 1.

Observatio.

Qui diſtinguere liceat, peſtis ne an venefica vi excitata fuerint in defunctorum corporibus maculæ.

DVm in Noſocomio Pariſienſi Chirurgus agerem, iuuenis quidam & vegetus ex ſodalitio S. Victoris monachus, clinicarum eius loci fœminarū procurator, in continuam febrem derepente incidit, cum lingua nigra, arida, ſcabra (ob putridos ardentes & corruptos plane humores exudantes, vaporeſque in eam & totum os ab intraneis aſſurgentes) & venatico velut cani exerta, ſiti inexhauſta, ſyncope crebra, ac nauſea. Morbi vehementia & malignitate totus conuulſus, mortuus eſt; die ex quo extinctum propinato veneno inter noſocomii clinicas percrebuit, qua de re vt conſtaret iubent noſocomii gubernatores eius cadauer diſſecari, aduocato mecum medico & chirurgo. Animaduertimus in fundo ventriculi veſtigium quaſi ab inuſto cauterio, cum eſchara ſeu cruſta vnguem lata, reliquum ventriculum valde contractum & velut corneum, quibus viſis, prætertimque eſchara quæ altius ſubibat in ventriculi ſubſtantiam, vnâ omnes voce impotionatū illum ſublimato, aut arſenico pronunciauimus. Sed ecce, dum epigaſtrium, conſuerem, multas maculas nigras varie per cutem cadaueris ſparſas animaduerti. Tum igitur concilium rogo, vt animaduertant maculas eiuſmodi, mihi enim fieri veriſimile à peſtilenti, vt loquuntur, putpura illas eſſe. Negabant Chirurgus Mediculſque atque a pulicum cimicumque morſu illas eſſe dictitabant. At ego numerum earum toto corpore copioſum expendere ſuadeo, ſimul & altam in carnes depreſſionem. Nam impulſis altius aciculis nouaculaque mox reſciſſa cute, ſubiectam carnem valde nigram deprehendimus, narium, vnguium & aurium liuorem, totiusque corporis reliquis communibus mortibus minime familiarem conſtitutionem animaduertimus. Tū vero & faciem ſic à ſe ipſa mutatam, vt vix à familiaribus recognoſci poſſet. *Pareus operum ſuorum lib.* 21. *cap* 33.

Observatio.

Diris peſtis ſymtomatibus remittentibus non fidendum.

HOc dici in genere poteſt, morborum peſtilentium non eſſe certas prædictiones ſalutis aut mortis. Habent enim motus valde inconſtantes, nunc rapidos aut celeres, alias tardiores alias momento fere eodem, quo quis afflatus fuerit aura venenata, inter ambulandum negotiaue ſolita obeundum ſuffocantes, ſurgentibus per cutem puſtulis cum acri dolore, ac ſi vniuerſum corpus apum aculeis vndique compungeretur, quod in peſte Lugdunenſi Carolo Rege Lugduni agente; ipſi oculis iudicibus obſeruauimus. Contigit nonnunquā vt ſæuientium paulo ante ſymptomatum ſubita fiat remiſſio ægriq; melius habere videantur, imo omnino belle. Id Mareæ, vni ex mitellatis Reginæ matris ancillis contigit famoſa illa peſtilenti anni conſtitutione, dum rex Carolus in Roſsilionenſi caſtro ageret. Illi enim peſte afflatæ, bubo in inguine obortus, ſubito ad interiora refluxu euanuerat, adeo vt tertio morbi die, mali, norbique expertem ſe prædicaret, niſi quod vrinæ difficultate premeretur (inflammata credo veſica materiæ intro relapſu) cæterum animo & corpore conſtans, perque cubiculum obambulans eadem illa die interiit. Cuius rei nouitas perterritum regem, diſceſſum illinc mutare recte coegit. *Pareus lib.* 21. *cap.* 17.

Observatio.

Suppreſſa Venus diſponit ad peſtem.

EGo pro certo affirmare poſſum, in vna vrbe, in qua Medicus conſtitutus fui, ante paucos annos, ex vna familia in diuerſis ædibus habitante, quę tamen frequenter coueniret, ac laute viuere ſoleret & fœminas nuptas, & viduas, & nubiles puellas omnes ad vnam peſte correptas ac abſumtas eſſe quum mares ex ea familia magna ex parte fuga ſibi conſuluiſſent: nec adhuc ſcio an alia, quam à viris abſtinentia, mortis illarum cauſa fuiſſe putari debeat, illo prius velut certo pietatis ergo conſtituto, quod poëta dixit, Διὸς δ᾽ ἐτελείετο βουλή. *Cornarius libro* 1. *cap.* 13. *de peſte.*

CVRA-

CVRATIO PESTIS.

OBSERVATIO.

Peſtem vt peſtem neque phlebotomia neque pharmacia curari, imo vt plurimum incommodare.

Firmato præſidiis & alexiteriis corde, ad phlebotomiam & purgationem veniendum. De Phlebotomia ingens eſt inter Medicos controuerſia. Qui illam ſuadent, aiunt febrem peſtilentem degere ſe in ſanguine, in eodemque venenum peſtilẽs ſedem ſuam ſtabilire: itaque inde in reliquos humores facile ſerpere, niſi detracto ſanguine vna & venenum ſanguini inſidens dematur. Qui contra ſanguinem mitti non probant, afferunt ſæpius contingere, vt à putredine ſanguis ſit immunis, reliquos tantum humores veneni infici contagio. Si quis meum iudicium in quæſtione illa ancipiti requirat, dico peſtem alias à ſolo aeris vitio pendere, alias inſuper ab humorum corruptione & infectione, cuius initium ab aeris contagione venerit. Id vitium per ductus corporis in viſcera tandem peruenit, quemadmodum ex abſceſſibus intelligere eſt, qui nunc pone aures, nunc ſub axillis, alias in inguinibus prorumpunt, prout cerebrum, cor, aut hepar infectione affecta fuerint. Hinc enim & anthraces manant, aliæque materiæ collectiones, & eruptiones, quæ quauis corporis parte cernuntur, natura nempe excretricis facultatis robore vſa, ad excernẽdum intus foras quod moleſtum & inimicum eſt. Hunc igitur naturæ motum ſi medicus imitari debet, profecto nec purgandum, nec ſanguinem detrahendum putabit: ne motu contrario foris intro reuellendo, naturæ motum qui ſit intus foras interturbet. Sic ſæpe videmus quibus ob bubones venereos purgatio præſcribitur, vel ſanguis detrahitur, his materiam reddi inſuperabilem, eiuſdemque intro reuocatione luis venereæ inferri conſequutionem. Quare emergentibus bubonibus, carbunculis, aliiſque eruptionibus peſtilentibus, quarum cauſa ſit in ſolo aeris vitio, à purgatione & phlebotomia abſtinendũ. ſufficiet vero cor, omnesq; partes nobiles alexiteriis, vi veneni retũdendi ꝓpria præditis, intrinſecus & extrinſecus præmunire. Non enim dubium eſt, quin debilitata vtroque vacuationis genere natura, exhauſtiſque vna cum ſanguine ſpiritibus, aura venenata in vacuum corpus facilius ſubeat & recipiatur, receptaque in idem debilius factum, tyrannidem exerceat.

Anno Domini ſeſquimilleſimo ſexageſimo quinto, qui annus toti fere Galliæ peſte peſtilentibusque morbis fœtus & funeſtus fuit, ex omnibus, vrbium per quas Carolo nono Regi iter Bayonam erat, Medicis & Chirurgis diligenter & ſtudioſe ſciſcitatus ſum, quid ægri ſucceſſiſſet ex purgatione & phlebotomia, vna voce reſponderunt obſeruaſſe ſe ſedulo, omnes peſte correptos quibus liberaliter ſanguis detractus fuerat, & corpus valide purgatum, deterius inde habuiſſe, tandemque interiiſſe: reliquos, quibus ſolis alexiteriis prouiſum eſſet, fere cunctos euaſiſſe: id enim genus peſtis haud ab humorum corruptione, ſed à primario & ſolitario aeris vitio cauſam habebat. Idem euentus antea notatus fuerat in anheloſa grauedine: nempe ex purgatione & ſanguinis detractione deterius ægris ſucceſſiſſe: non negauerim tamen, quin, ſi ingens aliqua in corpore plethora ſubſit, vtrique remedio locus eſſe poſſit, præſertim per initia, etſi materia efferum habeat orgaſmum, vnde metus immineat irruptionis in partem aliquam nobilem. *Pareus lib.21. de peſte cap.24.*

OBSERVATIO.

Narium hæmorrhagia per biduum durante liberatus æger à peſte.

IVuat hæmorrhagiam prouocare, ſi per hanc viam natura ſe exonerare geſtiat. Nam vt eſt ab Hippocrate pronunciatum, caput dolenti & vndique laboranti pus vel aqua, vel ſanguis per nares, aut os, aures effluens, morbum ſoluit. Prouocatur talis hæmorrhagia forti in mungendo contentione, interiorum narium ſcalptu, punctura ex ſeta equina, diuturna capitis depreſſione. Domino Fontano Equiti torquato, dum eſſemus Bayonæ, ſanguis ſponte naturæ profluxit è naribus biduum totum, ſic demum febris peſtilens, qua laborabat quieuit, oborto vna copioſo ſudore, moxque anthraces ſuppuratum cõceperunt, & me curãte, Dei beneficio, conualuit. Si nimium fluat ſanguis vinculis ante manibus, brachiis & cruribus iniectis, ſpongiis oxycrato imbutis axillis ſubmiſſis, cucurbitulis mammis & hepati, lienique admotis, immittere in nares opportebit goſſipium ſaligneum, vel adſtringens aliquod medicamentum confectum ex interfœminei vel iuguli leporum pilis, bolo armeno, terra ſigillata, ſucco plãtaginis & centinodiæ concorporatis, ægro præterea in altioſo loco collocato. *Idem cap.26. lib. prædicto.*

OBSERVATIO.

Narium continuata hæmorrhagia, ob latentem peſtem, extinctus æger.

COnſpeximus nos hic Friburgi in atrociſſima illa peſte, quæ anno 1564. prope quartam ciuium partem abſumſit, veſtiarium quendam, ſponſum, è regione ędium habitantem, veſpere eius diei, qua ipſemet pro more vna cum cognatis, nuptiales inuitabat, ob latentem & blandam peſtem, tam ſæua & lethali hæmorrhagia correptum, ex qua intra paucas horas continuato & conferto ſanguinis profluuio, nihil proficientibus medicamentis, animam exhalauit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Ad peſtem ſcarificationes ſecundum malleolos, aut ſuras crurum, de ſententia veterum, adeoque Arabum, noſtri temporis, atque Turcarum.

CVm primum in Ægyptum me contuliſſem, peſtiſque etiam ingens eam regionem per triennium continuo inuaſiſſet, adeo vt Memphis ad ſeptem & octo hominum millia quotidie per vnum & alterum menſem interirent: ac tandem in noſtros quoque graſſata eſſet, quibus huiuſmodi præſidio ſuccurrere tentabam, nunquam ex miniſtris noſtratibus, qui crura ſcarificando ſanguinem mitteret, inuenire potui. Crura etenim fouebant, lauabant, ſcarificabant, dolore affligebant: ſanguinem vero minime extrahebant. Cumque Arabes in ſanguine mit-

mittendo omnibus dexteritate præſtare accepiſſem cucurbitulas vero vitreas minime illis notas eſſe, ſed tantum corneas, quas in occipitio ophthalmia laborantibus magno emolumento admouent; vt eorum chirurgus accerſeretur curaui: qui cum forte-fortuna abeſſet, venit Medicus inter eos admodum celebris, is nempe, cui publicum munus eſt demandatum Theriacæ quotannis pro Turcarum Rege conficiendæ, eoſque tantum in Medicos admittendi quod idoneos iudicauerit. Cumque à me rogaretur vt ſanguinem iuueni vigeſimum annum agenti, ſanguineque abundanti, ac bubone in inguine laboranti, cum delirio, per crura mitteret, id ſe facturum annuit. Quare aquam calidam afferri iuſſit, quæ cum eſſet allata, crura panno aſpero fricabat, fouebat, ac in eadem aqua crura imponebat: deinde crura vinciebat ſub genu, eo in loco, vbi & nos, dum valemus, crura deligare ſolemus, eodem autem modo ea vinciebat, quo & brachium vincire conſueuimus; incidebat, multas affigens inciſiones vt numerum quadragenarium excederent. Per longum incidebat. Inciſiones autem erant magnitudine, ordine, & ſitu, ęquales, ab inferioribus initium ſumebat. Ab inciſionibus iterum crus in aquam ponebat. Super inciſiones vero aquam tepidam manibus affundebat, ac ſanguinem inciſiones obſcurantem continuo ferramenti parte craſſiore, quod apud hos aptiſſimum eſt, detergebat, vt deterſo confeſtim alius ſuccederet; ſingulis vicibus ad vnciam extergebat, ita vt ad tres libras ſanguinem ſumma cum dexteritate, citiſſime atque citra dolorem extraheret, maiorem etiam copiam extrahere potuiſſet, ſi fuiſſet opportunum. Modicum tandem farinæ triticeæ ſuper vulnuſcula imponebat. Alium etiam vidi: qui Goſſipium ſuper inciſiones abſque farina ponebat; inciſiones numero pauciores, ſed longiores faciebat, æquales tamen triplici illa qualitate. *Ioann. Iacobus Mannus libell. de Malleolor. ſcarificat.*

Eo tempore, quo peſtis graſſabatur in Italia, cum eſſem Patauii, neque mihi eſſet copia miniſtri, neque haberem cucurbitulas, mulieri cuidam vxori cuiuſdam mercatoris, mihi amiciſſimi, perſuaſi, vt ſanguinis extractionem per ſcarificationem permitteret, quod cum de vita dubitaret libenter conceſſit, quam ipſis manibus præmiſſis debitis frictionibus, ablutionibus ac fomentationibus, cum vidiſſem iam fluere ſanguinem, & admodum ſublígato crure, partem internam ſcarificaui, & in talis ſcarificationem exorſus, aſcendi per duos digitos tranſuerſos, ſuper malleolum: inciſiones erant ſatis profundæ, & parte retuſiore nouaculæ, ſanguinem abſtergebam, dum pedem in aqua detineret, & ſic multum ſanguinis extraxi, &, vt ipſa retulit, abſque dolore, & hoc eſt credendum, propter aquę temperiem, quæ vim habebat leniendi doloré. Præter illã poſtea neminé inuenire potui, qui præ timore hoc auxilii genus admittere voluerit, neque barbitonſores ob inſuetudinem libenter faciunt. Ordinem illum inciſionum, qui proponitur *ab Oribaſio & Gal. in lib. de luxationibus* obſeruaui propterea, quod ad dilatationem orificiorum venarum multum facere ſum arbitratus. *Michael Gauaſſetius in epiſt.*

OBSERVATIO.

Vbi venam in peſte ſecare conueniet, ad vitandum contagium, baliſta phlebotomica, nouo nobis & raro inuento, vtendum.

QVi veniſeces contagione fortaſſe pollutos timent, inſtrumentum ad ſecandas venas domi contineant, quo etiamnum Græci Barbarique vtuntur, baliſtum eſt ad corpora ſanguine leuanda, & ſibi quiſq; pro arbitrio demit ſanguinem, tuto enim venam aperit, vel imperitis facile. Arcus eſt cui ſagitta ad iuſtam menſuram annexa eſt, venamq; ſubito vulnerat, & quantum velis transfigit. Ita vt arteriam non timeas, nec vltra citraque venam ictum faciat, expedita res eſt, ac facilis, qui hoc non habet, familiares idoneos habeat ad venas ſecandas. *Alex. Benedict. lib. de Febr. Peſtilent. cap.* 16.

OBSERVATIO.

Hydrargyrus, amuleti loco geſtatus, aduerſus veneficia & peſtem præſtat.

HYdrargyrum κακοζηλίᾳ fortaſſis, cum lui venereæ exterminandæ ceu panacæam quandam conſpicerent, & ad peſtilentiæ contagia miris laudibus extulerunt. Patauii in officina aromatarii ad D. Antonii inſigne forte fortuna cum eſſem, acceſſit mulier petitum hydrargyrum: ibi pharmacopœus terebello pertulit auellanam nucem, excauatam repleuit hydrargyro, & tradidit: ſciſcitanti mihi vſum, reſpondit frequens eſſe mulierculis quibus à faſcinatricibus ademtum ſit lac, quo infantuli alendi fuerant. Hoc ſi ſecum geſtauerint, nullas prorſus ſagarum, lamiarum, aut ſtrigum pertimeſcendas inſidias, quod & in ſua coniuge exploratũ & expertum ſe habuiſſe ſancte aſſeuerabat. Inualuit fortaſſe illinc origine ducta, ſuperſtitio praua, vt etiam peſti tandẽ conducere hominibus perſuaderent, cum faſcinationibus amuletum præberet. *Iordanus cap. 9. tract. 3. de peſtis phæn.*

Inter ea quæ Græcis περίαπτα dicuntur, maxime probamus, ſi ex auellana perforata interior nucleus cum acicula extrahatur, deinde argento viuo repleatur, & ſuſpendatur collo: mirum enim in modum nos tutos à peſte reddet. Hoc remedii genus ante 12. annos accepimus ex medico illuſtriſſimi domini defuncti Vidami. Ille enim, cum Henricus Secundus Galliarum rex militem in Germaniam duceret, in obſidione Metenſis ciuitatis nullo alio remedio ſe defendit à peſtifera lue, quæ tunc maxime ſæuiebat: neque ſolum ſeipſum, ſed etiam Chirurgum qui peſte correptos inuiſebat & tractabat. Huius remedii meminit. *Mar. Ficinus P. Droetus cap. 8. Conſilii noui de peſtilentia.*

OBSERVATIO.

Arſenicum, amuleti inſtar vel per ſe, vel cum aliis geſtatum, vt peſtem arceat.

EX illis quæ apponuntur præſtantiſſimum eſt ex ſpeciebus Arſenici medicamentum ad iuuandã veneni eiectionem. Recipit Arſenici criſtallini partes duas, rubei partem vnam: fitque placenta rotunda craſſitudine digiti cum albo oui vel mucilagine tragacanthæ.

Putant Itali quidam Medici in ſeruandis ſanis nihil illuſtrius à Deo mortalibus conceſſum, vocantque

que diuinum, inuentum Dei: quoniam iurati afferunt, neminem decubuiſſe qui id geſtaret: Eoq; nos ad credẽdum maxime ducunt, quod probatum experientia ſit: & in ſenſus egregia illius vtilitas permanet. Ego illud, quicquid ſit cauſæ, tantum eſſe puto, quantum illis videtur, ſed ſi cum pharmacis coniungatur: tantoque moueor vehementius quod Tiguri anno ſexageſimo quarto quotquot eam ſecum ferrent (fuerunt autem plurimi) nullum ſciam qui morbo caperetur, aut damnum acciperet: cum tamen vt illic fit more & perſuaſione animorum, multus eſſet hominum cum ægrotis congreſſus, & peſtis in reliquos crudeliter ſæuiret. Baſileæ à Medicis eadem probata ſalubris fuit, & multos feliciter ſeruauit. Qui Tiguri hanc medicinam faciebat, acceperat ſcriptionem, non didicerat cauſam, quam, ne cæteri illum ignorare ſcirent, fictã dedit, voluitq; falſa ſpecie gloriam ſuam augere. Conſuetudinem longam dicebat efficere perpeſſionem veneni faciliorem: tantum aſſuefactionem valere, vt qui paulatim ad Arſenicum aſſueſierent, ſine noxa in peſtilenti aere verſentur. At nos de ratione videamus. Si id conſuetudo poteſt, cur hi, quos conſtat inter peſte afflictos menſes duos vel tres ad venenum ſatis aſſueſieri, quarto demum menſe, aut quinto corripiuntur? Cur non Arſenicum, antequam membra conſuetudine firmentur, interficit? Cur non potius ad aerem homines aſſueſacimus? ſed & Arſenicum à veneni natura diſceſſit. Dioſcorides ait, eroſione interficere: curari emollientibus quæ acrimoniã obtundant, & aluum leniendo ſoluant. Quod ſi verum eſt, vt nemo aliter docuit, non eſt putandum virus aliquod in Arſenico latere. Ita nihil aliud eſt venenum eſſe, quam occulta ratione interficere. Quæ enim in animis noſtris conſignatos habent occiſionũ modos, frigore, calore, eroſione, putredine, & alios qui plurimi ſunt: hæc omnia nemo ad ſocietatem venenorum pertinere oſtendet, licet concurrãt plebei omnes Medici Sic enim, qui philoſophiam contemnunt, appellandi videntur. Quid enim? Vtrum venenum in his putamus eſſe quæ intro demerſa quocunque modo homines ad mortem tradunt? Abſurdum id quidem. Qui enim cibus aut quod medicamentum dari poteſt, quæ, ſi ſuis limitibus non terminentur, vitam nobis non extinguant. Nobis vero, quæ mole aut multitudine interficiunt, neque deleteria appellare libet. Quod enim confertim ſumta mortifera ſint, hoc ex circumſcriptione quantitatis quarto, eorum quæ καθ' αὑτὸ Ariſtoteli dicuntur, modo euenit, non natura ſua, cum interim neutrum de neutro in definitionibus enunciemus, totaque oratio ex acceſſione tertii cuiuſdam limitantis nata ſit. Veluti autem non conuenit triangulis, vt æquales omnes ſint: ſed tum, quando in eadem baſi collocatæ iiſdem Parallelis finiuntur: ita lethalia hæc non poſſunt ſimpliciter dici, niſi limitationem annectas: falſumque eſt Fuchſii, de ignis ſcintillulis, argumentum. Ita in omnib. res ſuis ὅροις deuinciendæ ſunt, eritque venenum quod occulta ratione: Reliqua deleteria quæ manifeſta naturam hominis morte diſſoluunt. Arſenicum vero mortiferum quidem, non tamen venenum, ſi Dioſcoridem ſequimur: & ſola eroſione nêcat. Ita vidimus Tiguri cum venenum aeris extinctum eſſet ſiderum conuerſionibus, nihil tamen debilitari, qui & poſt Arſenico vterentur, ſaccoque incluſum circumferrent, ſanis corporibus, viribus integris, ſine infectione aeris. Ergo alia erit, & difficilior, quam ſcrutari oportet. De Arſenico rubeo (quam perſpicuum eſt, veterum Sandaracham eſſe) non habet dubitationem apud doctos, licere illius ſuffitu, catapotiis, eclegmatis, inunctionibus ſecure ad corporum mala vti: valereq; in eo eximiam diſcutiendi vim ſine metu periculi. Verum eo nobis non eſt ſatisfactum, qui ad diſcuſſionem requirimus magnum abditæ facultatis robur. Nam ſi diſſipatione remedii ęgros leuat (hæc a. ſola nunquam reſtitui poſſunt, qui cum debiles ſunt, laborãt) falſo illi de perpetua in omnibus conſeruatione loquuntur: aut ſi hoc efficiunt, errant qui in diſcutiendo medicationem quærunt. An hoc nobis aſſumendum eſt, neq; conſtans eſſe in tuenda ſanitate neq; opportunum ſemper remedium, ſi ſolum ſit? Sed tñ vtiliter admoueri poſteaquam Alexipharmacis vis abdita corroborata eſt plurimumque cõferre ad depulſionem veneni, quam natura prius inceperit? Itaque ꝗ Baſileæ factum eſt, videntur remedia occulta magno cum fructu huic placentę miſceri, aut ſi hoc nõ placet, indies quædam ſeparatim deglutiant: placentam vero ſerico obductam cordi admoueant: quanquam ſecurius eſt, induſium lineũ interponere, ne carnem tangat. Eadem ratio eſt efformandi oblongos ſacculos ex ſimili maſſa qui arteriis manuum alligãtur: veluti noſtræ fœminæ languidis ex Aromatum varietate conficiunt: neceſſario itaq; adderentur ἀλεξιφάρμακα ſi, quod agit Arſenicum, hoc totum in diſcutiendo cõſiſteret. Si vero magnificentiùs quid habet, venenoq; omni detracto ſucceſſionem efficit valetudinis ſine externis adiumẽtis, non deſiderabit admiſtionem aliorum aut variationem, cum ſolum veneni amotione afferre poſſit conſecutionem ſanitatis. Quamobrem ſi hoc conſtitutum ſit, ἀλεξιφάρμακον erit Arſenicum: quod cum quibuſdam placeat illuſtribus & glorioſis Medicis, nobis pene idem videtur. Nã ex eo ſolo aiunt ſine coagmentatione ſimilium medicamentorum nos omnes veneni liberationem & vacuationẽ conſequi. Hoc ſi recte docent, neque ſenſus repugnant, concluſum ſtatim eſt, vim occultam medicandi venena Arſenicum habere. Nos igitur aut hominibus doctis aſſentiemur, ſoloque in placentam congeſto ex tragacantha vti poſſumus, & amplius quod deſideremus nihil erit: aut ſi hoc illi apud nos non obtinent (arduum enim videtur, & periculoſum) miſcebimus gentianam, ſuccumque cyrenaici liquoris, qui laſer eſt, vel Aſa dulcis & officinis Medicis. His enim miſceri & temperari Arſenicum ſecure poteſt: quamuis multorum, vt diximus, iudicio iſtam coniunctionem aſpernetur, & ſeipſo contemtum ſit in veneni curatione. Cur vero, ſi erodendo nocet, panis veluti munimentis circumſeptum, non erodat, non habeo cauſam difficilem. Ita ſi pilulis miſceatur, ſi aliis viſcoſis, deſinet eroſio. Fumus autem ex Arſenico tanto ſalubrior eſt, quo magis aereæ partes & tenues in ſuffitu diſſipantur. Manent autem in vaſe terreæ & craſſæ quæ exedunt. Simile eſt in natura præſeruans remedium ex ſucco Laſeris, pinguedine ſerpentum venenoſorum & Myſi: quæ omnia in vnguentum vel maſſam latam ſerico veſtiendam artificioſe redacta cordi & arteriis imponuntur. *Ioan. Piſtorius Niddanus l. de peſte pag. 34. & deinceps.*

Plura de hoc remedio vide *apud Georgium Agricolam, Theodoſium, Montuum, Fallopium, Simonium, Droëtum, Iordanum, Saracenum, & alios.*

Ζένεχτον ſiue Amuletum *Paracelſi.* ℞.aleohol bufonum aridor.vnc.ij arſenici cryſtall.vnc.j.rubei vn. s. rad. dictamni, torment. ſing. drach. ij. vnionum imperforat.drach. j. corallior. hyacinthorum, ſmaragdorum, ſing. drach.s. croci orient.ſcrup. ij.confiꝗciantur in puluerẽ, qui cum viſcagine tragàc. in maſſulas figura cordiali conformetur, vt à collò ſupra camiſiam geſtari queant, rubro ſyndone inſutæ.

OBSERVATIO.

Hirci olidi ad arcendam peſtem vſus.

DE olido hirco referunt, ea propter cœlò peſtifero ali, vt quicquid eſt ſordidorum odoramentorum, eo ſeſe recipiat, niſi dicas fœtorem hircinum ſuperare alios, & obtundere vſque adeo ne percipiantur: quemadmodum plantas odoratas vegetiores reddi, alliò circumpacto, quod virtus è vicinis ad ſeſe trahit, ſyncerumque pabulum coronariis indulget plantis. *Iordanus c. 9. tract. 3. de peſtis Phœnomenis.*

OBSERVATIO.

Ex cadauerum canum fœtore peſtilentia profligata.

EXemplum vnum non prætermittam ætate noſtra memorandum, quod ratione phyſica confirmatur. Quidam mercator Cretenſis nobilis nobis narrauit, cum in Taurica regione negotiaretur, & ſęuiſſima peſtis orta eſſet, aeris vitio, quo finis moriendi non erat; in ea ſumma hominum ſtrage à ſe medicum viſum loci eius incolam, nam Sarmatæ ea loca tenent, qui canes omnes interemtos paſſim per vias perque vicos omnes abiici iuſſit, qui diſtenti & putridi tetro odore cœlum impleuerunt: quo remedio ſtatim ſanitati reſtituta eſt: & Sarmatas id remedium factitare ſolitos, putreſcentes enim canes aeris naturam immutant, quæ hominibus duntaxat exitialis erat. Ita enim diſſimilitudo facit & rerum diſcordia, vam venenum veneno interdum debellatur, quod etiam Zoar quidam inter poſteriores Phyſicos affirmat. *Alex. Benedictus lib. de peſt. cap. 6.*

OBSERVATIO.

Coriarij immunes à peſte animaduerſi.

EXperientia comperi coriarios qui in media Lutetia habitãt rato peſte corripi, quo etiam tempore ea in vrbe ſæuit crudelius. Graueolens enim vapor, quo tota vicinia perfuſa eſt, peſtilentẽ aerem vix intro ſubire in eorum caſas patitur. Semel autem ingreſſus miram ſtragem facit. Sunt tamen qui coriarios, eiuſque farinæ homines qui ſordida tractãt, ægre idcirco peſte opprimi contendant, quod omni fœtori aſſueuerint, quorum non magnopere à veritate abhorret opinio. Nam qui latrinarum & fœtidiſſimarum cloacarum purgamenta exportant, & quæ in Xenodochio ægrotantibus miniſtrant virgines, quamlibet crudeles peſtilentias (adeo ſcilicet omni graueolentiæ atq; aeris inquinamento aſſueuerunt) rident & deſpiciũt. *Palmarius de febr. peſt. c. 15.*

OBSERVATIO.

Graues odores, & bombardarum crebras exploſiones peſtem arcere.

PLebei noſtrates corii cornuque præſegmina atque oſſa ſubuuida in ignem coniiciunt, eoque nidore ſuas caſas ac tuguria ſuffumigant, quo morborum contagia diſpellant, ac ſe ſuaſque ædiculas à peſtilenti aura tutas præſtent. Atque hinc manauit prouerbium; Cornua inibi aduri: deſignant, loca peſte morbiſque contagioſis infecta euitanda. Non diſſimile remedium diſcutiendæ peſtis adhibitum eſt ſuperioribus annis, quum apud Neruios, quos Tornacenſes modo vocant, morbus popularis crudeliter ſæuiret, totaque vrbe graſſaretur. Milites ſiquidem præſidiarii, qui in arce excubias agebant, machinas, tormentaque bellica, puluere bombardico, non globis oppleta vrbi obuerterunt, eaque ſub diei noctiſque crepuſculum incenſo funali explodi curabant: quo effectum eſt, vt ſonitu violento fumantiq; odore, aeris contagium diſcuteretur, ipſaque ciuitas à peſte facta ſit immunis, ac libera. Neq; enim minus præſentaneũ eſt hoc remedium in diſſipandis nebulis infectique aeris contagiis, quam quod Hippocratem factitaſſe legimus, extructis pyris, congeſtiſque ſarmentis ac faſcibus, per compita ignes excitare. *Lemnius de occult. nat. mirac. libr. 2. cap. 10.*

OBSERVATIO.

Theriaca ad peſtis tum præcautionem tum curationem vſus.

ANtidotus theriaca dicta per excellentiam ſola nobis eſt viſa in peſtilenti conſtitutione ægris ſuccurrere, cum nullum aliud remedium magnitudini mali adeo reſiſtere poſſet. Peſtis enim inſtar crudeliſſimæ feræ non paucos aliquos, ſed ciuitates integras depaſcitur, in prauam & corrumpentẽ qualitatem aere mutato. Itaque periculum euitare nequeunt homines, reſpirare coacti, ſed aerem intra ſe vt venenũ aliquod inſpirando trahunt. Hac de cauſa omnium admiratione digniſſimum virum Hippoc. laudo, quod peſtẽ ex Æthiopia ad Græcos ꝓfectam non aliter curauit, quam aeris mutatione, vt non amplius qualis prius erat inſpiraretur. Iuſſit igitur ignem per totam ciuitatem accendi, non ex quauis materia, ſed corollis & ſuauiſſimis floribus, & vnguentis infuſis, quæ pinguia ſimul eſſent, ac odoratiſſima, vt aerem ita purgatum ad peſtem arcendam haurirent. Itidem mihi theriaca quaſi ignis quidam expurgatorius eſſe videtur, ita vt qui ipſam in peſtilenti conſtitutione præbibunt omnino in affectum incidere non ſinat: qui vero iam inciderunt ſanare queat, emendata aeris inſpirati prauitate, corporiſq; habitum amplius corrumpere prohibita. *Galenus lib. de theriaca ad Piſonem.*

Theriaca Germanorum Monauij.

℞. rad. angel. gent. zed. torm. dict. Cret. pimp. valer. oſtruc. morſus d. ariſt. r. rad. aſari, ſerpentar. leuiſtici, cardopat. pataſit. pentaphyll. an. ʒ. iij. herb. ſcordii, chamadr. beton. rutæ, Card. b. gg. centaur. ana. ℥s. fl. calend. lauend. anthos, ſ. citri, acetoſ. napi, ammi, b. Lauci an. ʒ iij. boli A. pp. d. ſigill. c. cerui vſti pp. an. ℥ j. croci, macis, macrop. maſtic. thuris ſantal. omn. an. ʒ ij. s. myrrh. ſel. fl. ſulph. Caph. an. ʒ. vj. opii theb. ℈ 4. caſtor. Euphor. an. ʒ j. rhapont. veri ʒ j. cinn. ſel. cort. citri, arant. an. ℥ ſ. n. iugl. excort. ficuum per cribrum tranſmiſſ. an. ℥ iij. ſucci card.

card. b. Veron. verben. ſcab. ſcordii, rutæ, ſalu. aceto. borr. meliſſ. ana ℥ ij. ol. Vitrioli ℥ j. ſp. diamar. fr. cal. è gemmis fr. & cal. ana ʒ j. s. cordial. temperat. ʒ ij. diamb. diamoſc. d. an. ʒ j. ther. Andr. ℥ iiij. mithr. ſel. elect. de Ouo ana ℥ ij. diaſcordii ℥ j. s. Extracti Angelicæ ℥ s. ſalis abſynth. ʒ ij. vini odor. ℔ ij. s. mellis opt. deſp. lib. 12. exquiſite commiſc. omnia ad formam Opiatæ. *De hac Monau. ad Io. Hermann. lib. 5. Crat. ſic:* Compoſui hic, dum proxima contagio nobis metum iniiceret, theriacam quandam, quam Germanorũ nuncupaui, cuius libras iam multas pharmacopeius meus diuendit. Si voles, de illa aliquid lubentiſſ. tranſmittam: imo etiam deſcript. communicabo, vt de ea iudiciũ ex arte ferre poſſis. Alioqui nullus eam alius vidit hactenus. Conſtat ex iis potiſſimum, quæ apud nos pura & ſincera reperiri poſſunt, neque minorem vim in venenis extinguendis poſſident, atque exotica & ab extremis Indiis huc importata, vt taceam, quod minoris vendi poſſit, quam Venetam non omnes perſoluere valeant. *Idem in ſubſequenti:* In præſentia habes Theriacæ noſtræ, quam Germanorum vocare ſoleo, aliquid, & ſimul, ſiquidem ita vis, deſcript. illius. Quam ea lege & conditione accipies, vt pro te ſerues, & tuum mihi de illa iudicium ſignifices. Plebei fere nihil aliud in ea, quam colorem minus atrum accuſant. Sed hic etiam conciliari non difficulter poteſt, ſiue Chalcitide, ſiue alio quodã attrificante admixto, &c.

Observatio.

Armeniæ terræ ad peſtem vis mira.

Allata nobis eſt, hoc tam vehementis peſtilentiæ tempore, quædam terra ex Armenia Cappadociæ finitima, inſigniter exſiccans, pallidâ colore. Qui vero ipſam exhibebat, lapidem, non terram nominabat. Friabilis eſt veluti calx quæ ex vſta petra fit, itidem vt calx nihil arenoſum continet: ſed poſtquam piſtillo in pila confracta eſt, tam leuis eſt & lapillorum expers quam calx, aut ſtella Samia qua tamen grauior, denſior, & minus eſt aerea, ideoque ſi negligentius ſpectes, lapis videbitur. Sed aut lapis aut terra vocetur, vt libet, modo ſummam eius ſiccandi vim non ignoremus. In primis enim conuenit dyſentericis, fluxionibus ventris, ſanguinis ſputo, catarrho, & putridis in ore vlceribus. Quibus à capite manante defluxione thorax infeſtatur & quibus ea de cauſa ſpirandi difficultas contingit, vtrique hac terra plurimum & efficaciter iuuantur, &c.

Cæterum in peſte hac ingenti non diſſimili quæ Thucydidis ætate ingruerat, omnes qui hoc remedium bibebant, confeſtim ſanati ſunt: quibus vero non profuit, omnes obierunt, nec ab vllo alio ſunt remedio adiuti. Vnde liquet eos ſolum vtilitatem eius non percepiſſe, quos affectus incurabilis inuaſerat. Bibitur autem cum vino, modice quidem diluto, ſi febris aut nulla ſit, aut exigua: ſin maior, vel de aquato. Fere tamen peſtilentes febres vehemens calor non comitatur. Porro in vlceribus exiccandis quid dicam quantam hęc terra vim habeat? Terram enim appellare malo, vtpote quæ cum liquoribus facile miſceatur, & imbuatur, quæ omnis terræ communis eſt nota, licet qui nobis eam exhibuit, lapidem appellauerit. Hucuſque *Galenus lib. 9. ſimpl. De ter. Samia Aetius* addidit. Bolum hunc Armeniacum Armeni patria lingua Zarinaca vocant, Syri Zarnacha: naſcitur in monte prope Gangana oppidum. Regio vero vbi mons eſt, Agaraca nuncupatur.

Observatio.

Theriaca bimulis peſte correptis & verminoſis contra Galeni ſententiam exhibita.

Interdicit quidem Galenus theriaca pueris, ob raram corporis texturam, caloriſque copiam, metu diſſipationis ſpirituum. Vidimus tamen Romæ excellentiſſimum doctorem Hippolytum Saluianum pueris bimulis exhibentem: eum ipſe imitatus & liberis meis, vermibus vexatis, magno certe emolumento, non ſemel præbui. Qua propter non tantopere illius vſum reformidandum cenſerem. *Iordanus de Peſt. Tract. 3. cap. 7.*

Observatio.

Stibij aduerſus peſtem mira vis.

Stibii intus aſſumti effectum ſilentio non diſſimulandum mihi narrauit Georgius Handſchius. Is enim cum eſſet peſtilentia correptus, ob idq; maxima totius corporis imbecillitate affectus, cordis tremore, ſpirandi difficultate, capitis dolore, & ſiniſtri inguinis abſceſſu: circa noctis crepuſculũ Stibii rhodoſacchàro admiſti tria grana ſumſit, atque poſt horæ dimidium vomitionibus reiecit magnam pituitæ biliſq; tum flauæ tum porraceæ quantitatem, cum proſpero admodum ſucceſſu. Siquidem ex vomitu (ſic ille dicebat) ſtatim ſublata eſt ſpirandi difficultas, ac cordis tremor ceſſauit. Vomitum deinde ſubſecuta eſt copioſa alui deiectio ſine vlla ægrotantis moleſtia: poſt quã reliqua peſtis ſymtomata prorſus euanuerunt, atque adeo breui is fuit integræ ſanitati reſtitutus. Id quod etiam aliis contigiſſe ſcio, qui hoc admirabili medicamento ſunt vſi in ea peſtilentia quæ an. 62. & 63. in tota fere Boemia graſſabatur: ſiquidem quamplures ſeruati ſunt peſtilentia affecti, qui Antimonii hyacinthini noſtri grana tantum quatuor ex antidoti liberantis drachma in morbi principio deuorarunt. *Matthiolus Comment. ad cap. 59. lib. 5. Dioſc.*

Stibii citra exactiorem paraſceuen ſimpliciter adſumti, vitri præſertim, vſus venenatus & inſigni violentia noxius eſt. *Chymicas vero eiuſdem formulas ſelectiores, poſt alios, eluentiſſimus Philoſophus, Medicus, & Chymicus F. Baſilius Val. Monachus, ſcriptis retulit.*

Observatio.

Peſtis antidotus vera & propria nondum inuenta.

Peſtilentis veneni nullum alexiterium eſſe qui contendit, naturalis philoſophiæ principia ſubuertit, quibus, omnia ex contrariis per contraria fieri, humanarumq; rerum viciſſitudinem, atq; inſtabilitatẽ, ex principiorum repugnantia & diſſidio pendere, conſtat. Quum igitur peculiare peſtis remediũ propriumq; venenatæ perniciei alexiterium adhuc in naturę ſinu abditũ deliteſcat, ad communia venenorum

norum alexiteria, & ad cardiaca medicamenta, quæ iis ſuffecit humana induſtria, confugere neceſſe eſt. Communia quæ veneno cuicunque ſiue introſumto, ſiue morſu infuſo, non humiditate, aut ſiccitate, calore, aut frigore, detergendi vel obſtruendi facultate, vel alia denique vlla vi, quæ ab elementorum materia qualitateve dimanarit, ſed occulta proprietate, cuius nulla ratio reddi poteſt, obſiſtunt & aduerſantur. Antidota vero, quæ non extrinſecus corpori impoſita, ſed intra ipſum aſſumta lethalibus venenis, virulentis ferarum morſibus, aut malignis ex praua victus ratione obortis affectibus occurrũt. E quibus ea ſeligemus quæ longo medendi vſu aduerſus peſtilentem perniciem valuiſſe comperimus. Cardiaca vero appellamus, quæ cordis vires tueri & augere nota ſunt: quoniam enim hæc ſpiritus vitales pariter atque natiuum calorem erigunt & recreant, peſtilentis veneni remedia iure habeantur. Hi præcipui fontes ſunt vnde peſtis remedia eruere oportet, tantiſper dum Dei opt. max. beneuolentia verum eius alixipharmacum innoteſcat: neq; enim vel cathartica, vel venæ ſectio peculiaria remedia ſunt, ſed, vt iam dixi, omnibus morbis, qui ab humoris vitio originem habent, communia. *Palmarius lib. de Febre Peſtilente cap. 17.*

Observatio.

Febri peſtilenti affectus quidam, intempeſtiua nitri frictione periyt.

ANdreæ Marino, febre peſtilenti correpto, imperatę fuerunt frictiones ex nitro, à quibus tantum ſenſit ardorem & acrimoniam, vt exclamaret, ante diem ad mortem ſe rapi, quod & factum fuit. *Georg. Melichius comment. de medicament. componend. rat. pag. 319.*

DE BVBONE PESTILENTE.

Observatio.

Bubone peſtilente affecto, vena ſecta profuit.

ROPERTIVS de Symeonibus Vtinenſis Medicus, cum Pannadociam noſtram peteret, Hungaria, quum peſtis affligebat vehementiſſime, tranſeundum illi fuit. Correptus & ipſe bubone peſtilenti, inopia chirurgorum & remediorum, tuguriolo exceptus, focum ſuccendit, ipſi poplitis venam è directo bubonis ſcidit, parum initio emiſit ſanguinis, digito prius, poſt faſcicula vulnus occluſit, ſic obdormiuit; poſt horam denuo remota faſcia vulnus reſerauit, ſanguinẽ fluere permiſit paulo maiore copia, tum ſenſit bubonem, loco mutato, per femur deſcendere: occluſo foramine iterum obdormiuit, expergefactus repetiit, ſenſim ſequente tumore. ſucceſſu hoc elatior factus, ea nocte toties iterauit, donec in ſcalpello locum vulneratum, ad genua deduceret tumorem: tum viribus, quãtum res anguſta ibi tulit, reſtauratis, triduo poſt itineri cœpto ſeſe commiſit, ita lethum ſe euaſiſſe ſæpe gloriabatur, licet tumor in ſcirrhum tandem degenerauerit, qui, multis menſibus greſſũ ambulationeque interdictis, vix emollitus & diſcuſſus fuit. *Thom. Iordanus tract. 3. de peſt. phœnom. cap. 8.*

Fui vocatus mane pro quadam muliere Taurini, quam reperi verbis ſuum teſtamentum explicantem, cum non arbitraretur ſe tantum viuere poſſe, vt in ſcriptis redigeretur. Cauſam huius tumoris inueſtigando vidi bubonem magnum poſt aurem, & ipſa reſpondit: ſunt octo horę, quibus hoc apoſtema apparere cœpit, & in hoc modico tempore excreuit ſicut videtis, & hactenus fui cum maximo dolore: nunc autem quieuit dolor omnino, ſed ſentio venenum ad cor deſcendere, illudque horribiliter moleſtare, neq; credo me viuere poſſe hora vna. Suaſi vt non timeret, & ſtatim feci eam olfacere acetum & aquam roſaceam, iuſſique fieri fricationes, & ſubito chirurgum & apothecarium vocari. Curaui adaperiri ambas cephalicas: primo oppoſitam, quia erat ſanguinea valde & repleta: deinde eam, quæ eſt de eodem latere bubonis, extrahẽdo ſanguinem. Mox applicaui ventoſam ſuper bubonem cum egregia ſcarificatione, iterando applicationem ipſius ventoſæ. Cum autem extracta eſſet libra ſanguinis vel circa, per iteratam applicationem ventoſæ, patiens ipſa incœpit bene ſperare, & dixit ſe ſentire manifeſte venenum à corde recedere: & iterando ventoſam, extractæ ſunt duæ libræ ſanguinis ab ipſo bubone. Feci fieri frictiones, odoramenta, miſturas cordiales, puluerem cordialem, epithema ſuper cor, exhibendo de ſyrupo de acetoſitate citri cum cochleari. Facta itaq; decenti purgatione, Deo iuuante & chirurgo ſanata eſt. *Pet. Bayrus lib. 20. c. 8.*

Observatio.

Bubone peſtilente correpta venæ ſectione mortua.

IN Gallica illa peſte, vxor quoque mea prior correpta eſt: febris primum inuaſit ardens cum frequenti vomitu & lipothymia, deinde ſopore. Quia in ipſo morbi principio, domo, cũ Illuſtriſſimæ memoriæ Principe Chriſtophero Palatino Rheni, aberam, euacuatio nulla ꝓcurata, alias neceſſaria. Tertio die, quo primum adueni, madida cutis, & vellicatio primum, deinde etiã dolor circa inguina: Antidota exhibita, admixtis iis quibus copioſus ſudor ꝓtruderetur: habita febris ratio, lipothymiæ, ſoporis, vomitus: euocatũ ſenſim & blande virus ad vellicatã partem fotibus, emplaſtris, cucurbitulis: paulo poſt oſtendit ſe tumor: reliqua mitiora: tum ſecta poplitis interior vena falſæ ſcilicet ſectæ ſtudio. Deinde applicata trahentia & ſimul vtcunque maturantia: ſcalpello tandem, vt decuit, via patefacta veneno: 11. febris ex toto deſiit: vomitio prorſus nulla: diſſipatus ſopor: conſtans animus. Decimo quarto viſa eſt ex toto libera: item decimo quinto & decimo ſexto: ſed interim, quicquid ageretur, perparum effluebat ex vulnere. Decimo ſeptimo menſæ mecum aſſidens, & Deo gratias pro recuperata (vt ſperabamus) ſanitate agens, momento delirat: nulla febris: paulo poſt tumor pone aurem inſignis: inde ſpatio vnius horæ, quæ à me tanto cum labore & amore, contra omnem ſpem & quaſi miraculo quodam ad illum vſque diem ſeruata fuerat, momento (inquam) & me vix animaduertente ſuffocatur. Tum demum malo non alieno, ſed proprio, rectius curare bubonem peſtilentem didici. Præſtitiſſet ſane obſeruaſſe diligentius infortunium illius adoleſcentis peſte correpti, quem à ſe quoque ſimili prope ratione

tionē curatum teſtatur Auenzoar. Sed ſic erat in fatis. *Simonius lib. 2. de peſt. curand. fol. 48.*

OBSERVATIO.

Ingenioſa & noua veneni peſtiferi per ſectionem & tubulum, deriuandi atq; extrahendi ratio.

MAuritius Cordatus Rhemus med. Pariſienſ. Doctiſſ. ſuæ in artis vſu peritiæ ac dexteritatis ſpecimen, non ita pridem, hic in Comite ex Manſfeldt peſte correpto tale exhibuit, quale intra 50. annos Pariſiis non viſum eſſe teſtatur alii. Aperuit cultro prælongo, ad eum finem fabricato, femur totum ſecundum longitudinem, & venenum omne per canalem inſertū vulneri paulatim extrahit. CL. V. *Martinus Holtzapfel de obſ. prop. Lutetia ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

Bubones peſtiferi vt transferantur.

OStrea viua peſtiferos bubones loco transferūt, & virus omne ad ſe trahunt: ſunt autem adglutinanda brachio, qua axillaris decurrit ſiquidem bubo in alis eſt: ſi vero inguen obſidetur lineamentis femoris, quæ vena cruris deſcribit. *Hollerius.*

Hyoſciamus peſtiferis bubonibus admotus, fertur ſanare, velut quibuſdam placet diſpargere. Et ſi quis ante illorum emerſum plantam eam ſecum habuerit, nuſquam à bubonibus corripietur. *Mizaldus.*

Braſſicæ folium anthraci vel buboni peſtilēti impoſitum, è veſtigio ſiniſtra ad ſalutem via bubonem denuo intra corpus adigere & retro pellere, ex acroamate habemus. Idque paupercul ę Italorum plebeculæ, interdum neceſſitate ad hoc compulſæ, familiare eſſe; quæ ob peſtem innoteſcentem, vrbe exſulare diſpendio rei familiaris nolens, celare veſtigia Luis in propriam perniciem ad hunc modum aſſoleat.

OBSERVATIO.

Bubone peſtilente vnguento ex hydrargyro ad digerendum inuncto, mortuus.

SVnt qui vnguento ex hydrargyro corpus inungunt, ignari frigidum & humidum hydrargyrum calamitoſam veneni labem cum humore intro regere mortemque inferre contaminatis viſceribus; quod multis vſu veniſſe adnotaui. Doctus Lutetiæ Medicus Simonius hoc remedio in ſeipſo vſus ad digerendum peſtilentem inguinis bubonem, illico vires proſtratas ſenſit, breuique bubone deliteſcente occubuit. *Palmarius lib. de febr. peſt. c. 24.*

OBSERVATIO.

Bubo peſtilens, in ſcirrhum conuerſus vt curatus.

OMnis ſcirrhus aut incipit paulatim apparere, aut fit ſucceſſione phlegmonis, aut eryſipelatis, aut exituræ in loco vacuo: ſicut contigit magnificæ dominæ præſidenti Paſſeriæ Taurini, tēpore peſtis, quæ incurrit bubonem ſub axilla, qui mutatus eſt ad non purum ſcirrhum: & poſt ſextum annum ab eius initio apparuit, cum magno tumore & ingenti duritie, cum lata nigredine in parte ſuprema, ita vt nullus chirurgorum illius curam aggredi auderet, quia arbitrabantur eſſe cancrum. Vocatus, dixi chirurgo, vt non timeret curam ſuſcipere: & factis debitis purgationibus, applicatis maturatiuis, & poſt maturationem medicamentis quibus rumpuntur exituræ ſine ferro, (ipſa enim maxime timebat apertionem cum ferro) apertum eſt & curatum cura exiturarum ſimilium. Feci teneri orificium apertum per ſpacium vnius anni, donec omnis tumor & durities euanuerunt, itaque Dei gratia ſanitati ſunt reſtituta. *Bayrus lib. 20. cap. 6.*

OBSERVATIO.

Peſtis profligandæ ratio prodigioſa & ſuperſtitioſa.

QVodui malum quod naſceretur vel ſerperet in vrbe, veteres viri, veræ religionis ignari, expiarunt victimis, & de his aliqui etiā humanis, quas medicinales, quod peſti remedio putarent eſſe, nominauerunt: eas vero ſacerdotes Neptuno ſacra faciētes ſolenni hac precatione, piacula pro nobis ſunt vſi, è promotoriis aut præruptis ſaxis, aut littoribus præcipitauerunt in mare, quam ſuperſtitionem Romæ nuper, cum Hadrianus Pontifex ſummus eſſet, Demetrius natione Græcus, & quidem Spartanus, quodammodo ſecutus taurum magicis cantionibus manſuefactum, tenui filo ad eius cornu integrum religato, nam dimidiam alterius partem reſecuit, ad amphitheatrū, cateruis vulgi ſequentibus, perduxit, & peſti, vt Deæ, immolauit: quanquam autem boni & pii homines hanc ſuperſtitionem improbauerūt; tamē quia caſu tunc hęc lues contagioſa minus multos contaminaret, vana & credula multitudo Græculum valde admirata fuit: non ſecus ac quondam Epidaurium auguem cum is in eandē vrbem, triennio continuo item peſtilentia vexatam, inuectus eſt malo finē feciſſe ſuperſtitioſa credulitate viſus fuiſſet. *Georg. Agricola lib. 2. de peſte.*

DE ELEPHANTIASI, SEV, GRÆCORVM LEPRA.

OBSERVATIO.

Quo tempore Elephantiaſis Italiæ primum innotuerit, & quibus potiſſimum locis & gentibus familiaris.

ELEPHANTIASIS ante Pompeii Magni ætatem non accidit in Italia, & ipſa à facie ſæpius incipiens in nare prima veluti lenticula; mox inualeſcente per totum corpus, maculoſa, variis coloribus & inæquali cute, alibi craſſa, alibi tenui, dura ſcabie aſpera: ad poſtremum vero nigreſcente, & ad oſſa carnes apprimente, intumeſcentibus digitis in pedibus manibuſque. Ægypti peculiare hoc malum: & cum in Reges incidiſſet, populis funebre. Quippe in balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad medicinam eam. *Plinius lib. 26. cap. 1. Nat. Hiſt.*

Quod Plutarchus ſcribit Elephantiaſim ab Arabum medicis Lepram vocatam ac morbum vni homini proprium Aſclepiadis ſolum ætate ſeſe manifeſtaſſe; id ita accipiendum puto, vt, quemadmodum ſcribit *Plinius 26. lib.* in Italia tum apparere cœperit, quoniam cum morbum ſub nomine ſatyriaſis *Ariſtoteles in 4. de Gen. anim. cap. 3.* intellexit, vt *Michael Epheſius in commentario* prudenter notauit. Adhuc in Ægypto antea vulgatum extitiſſe declarat etiam *Lucretius in 6. libro.*

Eſt elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Aegypti in medio, neq; præterea vſquam.

Elephantiaſim autem licet in Italia ſtatim reſtin-ctam narret *Plinius*: in Ægypto tamen frequens du-rauit vſque ad Galeni tempora, qui eum morbum Alexandriæ familiarem in Germania, Scythia, My-ſia, frigidis regionibus non graſſatum *2. lib. ad Glau-conem* tradidit. *Mercur. lib. 1. c. 2. Variarum Lectionum.*

In Germaniæ quibuſdam oris non infrequentes ſunt elephantici: in Hiſpania vero & Aphrica tota frequentiores quam in reliquo orbe. In Prouincia Gallica, Narbonenſi Gallia, & Aquitania plures quã in reliqua Gallia. *Pareus lib. 19. cap. 6.*

Observatio.

Elephantia vniuerſum corpus afficiens, intra menſem ſuſtu-lit ægrum: Tum De diſcrimine Elephantiæ Arabum, & Elephantiæ Græcorum.

Longis morbis annumeratur is quem ἐλεφάντιαν Græci vocant: qui in Italia pene nunquam viſus à medicis vix dignoſcitur. Peregrinum quendam vi-dimus in grabatulo iacentem, cuius ſumma corpo-ris pars maculis quibuſdam ad atrum colorem ver-gentibus inficiebatur, & cutis inæqualiter aſpera craſſaq; & veluti ſquamis fœda ac liuens diuerſis et-iam locis mollis ac dura oſtendebatur: quin & oſſi-bus ipſis, vt videbatur, iam vitiatis, in vniuerſo cor-pore macie ac tabe confecto, ita ſuræ ipſius os, pedes & manus intumuerant, vt vtriuſque partis digiti ſub tumore ipſo conderentur. Quare cum adhęc ma-la etiam febricula quædam adderetur, quæ homi-nem abſumeret, vnius tantum menſis ſpatio è vita migrauit ad Dominum. Parcat igitur Auicenna, qui elephantiam pedum tumorem dixit: cum hæc non ſolum pedes, ſed vniuerſum corpus afficiat, & ſpe-cies lepræ ſit quæ apud noſtros nondum viſa: apud Paulum prope deſcripta notatur. *Beniuenius Abditor. cap. 18.*

Elephantiaſis Græcorum ab Elephantia Arabum multum differens eſt. Temere hic Auicenna carpi-tur, quod Elephantiã tumorem dixit pedum: Nam Elephantiaſim Græcanam Auicenna, & reliqui A-rabes Lepræ nomine comprehendunt. Tumorem vero pedum Elephantiam idcirco appellant, quod pedes craſſi Elephantinos referre videantur. *Dodo-næus Annot. ad citatum cap.*

Elephantia Græcorum, proprie Lepra dicitur. Arabum vero Elephantia, ab hac diuerſa, inſignem vnius vel alterius pedis. Tumorem atque craſſitiem exprimit. cuiuſmodi ſemel iterumque Friburgi Briſ-goiorum videre contigit in Piſtore ſuburbano, & præterea chelys Muſicis. Ob id iuxta Dodonæi ſen-tentiam, Elephantini pedes analogicè dicti Ele-phantſchenckel / Delſchenckel oder Armb. Id obiter adſcribere viſum. *Schenckius Filius.*

CAVSAE.

Observatio.

Elephanthiaſis ſeu Lepra vulgò dicta cauſæ veriores nouæ.

De proximæ Elephantis cauſæ temperamento multi inter ſe non parum diſſentiunt. Galenus melancholicum quidem humorem elephantiam progignere paſſim confirmat: ſed cum ampla ſigni-ficatione id nominis Latini vſurpent (nam & de pro-prie dicta atra bile, acerrimo & ardentiſſimo humo-re, qui & corpus rodit & terram fermentat, & de melancholico ſicco frigidiore, qui ſanguinis veluti fæx & limus eſt, dici ſolet) haud facile aſſequi poſſe putant, quo in ſignificatũ melancholiæ nomen in procreatione elephantis accipiat. Sunt qui eum *commen. in aphor. 2. libr. 4.* ſuccum melancholicum frigidum, proximam elephantiæ cauſam his verbis facere exiſtiment. In atra, inquit, bile totius corpo-ris color ad nigritiem tendit, puſtulæ nigræ fiunt ex eius colore. Et quicunq; morbi ex eius fiunt exupe-rantia, multitudinem melancholici humoris mani-feſto indicant, quemadmodum cancer, elephas, quartanus circuitus ex melancholico humore gene-rantur. Si Galeni ſententia, inquiunt, quartanus circuitus & elephas ex eodem fiunt humore, quar-tanus autem circuitus non raro ex proprie dicta atra bile perniciosiſſimo humore, ſæpe vero ex melan-cholico ſucco frigidiore & terreno originem habet, & elephantem ab eodem ſæpius fieri oritique neceſ-ſe fuerit. At *libro de atra* bile aliter ſentire videtur hac ſententia. Verum alia quoque pleriſque non febri-citantibus in cute craſſeſcente ſicceſcenteque exan-themata prouenire videmus, cum melancholici hu-moris redundantiam natura ad extimas partes pel-lit, quo genere is, quem elephantem nuncupant, continetur. Vbi autem tale quippiam ſimul cum fe-bre exoriatur, humor melancholicus, qui in cutem abſceſſit, facit eum quem carbonem appellant. At ſi citra febrem decumbat, ſitque cum ſanguine coïun-ctus, gignere elephantem poteſt: ſi ſolus ſit, in prin-cipio quidem humorem atrum producit, ſed pro-greſſu temporis in cancrum definit, cum vtique cor-roſa cute acrior ſit magiſque malignus; cum mitior ſine vlcere, latentem cancrum efficit. Euidens enim eſt hoc affectus omnes, præcipue cancrũ, ex humore melancholico gigni. Cancrum, inquiunt, carbuncu-lum & elephantiam, ab vno & eodem humore fieri tradit Galenus, ac carbunculus à maligna atra bile fieri contrahiq; alibi dicitur, quare & elephas: Con-tra tamen, qui calidus eſt humor melancholicus car-bonem, qui non eſt eiuſmodi, cancrum & elephan-tiam gignit ex Galeno. Eodem etiam libro eum af-firmare tradunt, ſubrubros elephantes, ab atro hu-more qualitatib. mitiorib. prædito, ſanguinique ad-miſto, procreari: &, ſi inveterarint, nigriores reddi. Quod vt cõponatur diffidium, atram bilem ex hu-more melancholico nuper genitã humoris melan-cholici nomen & appellationem idcirco veteribus etiamnũ retinere crediderim, ꝙ nondũ plane inca-luerit, nec priſtinis qualitatibus omnino ſpoliata ſit. Procedente vero tẽpore, cũ manifeſto iam incaluit, ſæuioraq; ſymtomata inuexit, proprie tum atram bi-lem nũcupari: tametſi eadẽ vtriuſq; forma eademq; ſit ſpecies: ſic enim videtur ſentire libro de humori-bus pręter naturam. Elephas, inquit, effectus melan-cholicus eſt, cuius prima origo ex melancholico ſan-guine eſt, ſpatio vero tẽporis copioſior quã ſanguis atra bilis redditur: quo tempore corpus iam male & grauiter olet, turpeque & deformatum videtur, & aſpectu horrendum, atque interdum etiam exulce-ratur. Hunc affectum, cum incipit, ſatyriaſmum vo-cant, quod Satyris aſpectu ſimiles elephantici eua-dant.

dant. Atra igitur bilis proxima eſt omnis elephantiæ cauſa, ſed quæ cum vel ex ſucco melancholico ac fæculento ſanguine, vel ex bile vitellina, vel ex nitroſa pituita exuſtis ac torrefactis, non ita pridem habuit originem, illorum etiamnum appellationem interdum retinet. Neque, me iudice, immerito: quod ſuæ procreationis initio nondum late ab humore à quo nuper genita eſt diſſideat. Frigida quidem videtur atra bilis Galeno, quia terreſtris, non tamen caloris expers, quemadmodum nec cinis, nec etiam acetum. Iam Arabum de ea iudicium ac ſententiam inquiramus.

Auicennas author eſt elephantiaſim partium ſolidarum ſubſtantiam, qualitatibus vitæ noſtræ è diametro repugnantibus & infenſis, continenter immutare ac peruertere. Quod ſi verum eſt, frigidam ac ſiccam ſtatuere oportet elephantis cauſam (calore namque & humore vita noſtra fouetur contineturque.) Quibus perſpicuum eſt, frigidum & ſiccum è diametro opponi. Elephantia, Auicennæ eſt bilis atræ per vniuerſum corpus profuſio, qua membrorum temperamentum forma & compoſitio labefactatur: vnde tandem continuitatis ſolutio, & partiũ caſus, & fœda vlceratio ſequitur. Adhæc melancholiam vſtam non prius elephantẽ parere tradit, quam refrixerit, & inueteratas diuturnaſque obſtructiones non aliam ob cauſam elephantiã inurere, quam quod minime ventilatus calor natiuus præfocetur; vnde & refrigeratur & craſſeſcit ſanguis, eiq; gignendæ idoneus fit. Poſtremo in elephanticis ſanguinem non raro circum articulos congelat, & pulſum imbecillum iis idcirco eſſe dicit, quod facultas ſit imbecilla, & exigua neceſſitas, frigido vtpote morbo fatigante. Principem hunc ſcholę Arabicæ ſecuti recentiores fere omnes, elephantis cauſam frigidam & ſiccam eſſe prodiderunt, atram bilem nõ prius eam inferre dictitantes, quam abſumta omnino fluxili liquidaque eius ſubſtantia, calor tandem prorſus diſſipetur atque diuaneſcat, terrena duntaxat eaque ſicciſſima eius parte cineri haud abſimili ſuperſtite. Idq; perinde eſſe atq; cum ſuccenſus ignis abſumto prorſus ligni humore, quo terrenæ eius partes inter ſe iunctæ cohærebant, euaneſcit & extinguitur, ſicciſſimum duntaxat cinerem pro ligno relinquẽs: quem, accenſo ligno ſi conferas, frigidum exiſtimes. His igitur authoribus frigidus & ſiccus humor elephantiam progignit.

Ego vero (ſi de re tam controuerſa meam dicere ſententiam licet) facile efficiam, vt hoc compoſito diſſidio inter veteres concordia coeat, vel ſi dogma eligendum eſt, Græcorum potius ſententiæ ſubſcribendum ſit. Quãquam acerrima ac calidiſſima atra bilis, quæ corpus rodere ac terram fermentare creditur, à frigido & ſicco melancholico ſucco, temperie ac ſpecie recedit atque diſſidet: ſæpe tamen veteres illam melancholici humoris appellatione deſignant & inſigniunt, ſiue quod illa metu & mœſtitia, aliiſque melancholicis perturbationib. animũ mentemque percellat & exagitet, perinde atque melancholicus ſuccus frigidior, ſiue ꝙ ſuæ ꝓcreationis initio, dum nondum vehementer incaluit, accenſaque eſt, haud multum à fæculento ſanguine diſcrepet, vt nec cum ſicceſcens de ſuo calore non parum deperdiderit. His ergo ex cauſis veteres, maximeque Galenus, elephantiam quæ reipſa nunquam aliunde quam ab atrabilario humore vndecunque genitus ſit proficiſcitur, ſæpe à melancholico ſucco aut humore naſci tradunt & Auicennas frigidum morbum eſſe tradidit. Quanquã autem elephãtiæ omnis origo ab atra bile ducitur, ea tamen, pro affectorum corporũ natura, & humoris è quo orta eſt affectione, non parum, & inuadendi ſerpendique modo, & ſymtomatis variat. Vt enim quæ elephante prehenduntur corpora minime ante hanc, melancholica, vt ita loquar, erant omnia, ſed alia ſanguinea, alia biliosa, alia melancholica, alia pituita ſalſa perfuſa, alia ex iis miſta: ſic certe neque atra illa bilis, ex vno eodemque humore perpetuo naſcitur, ſed interdum à ſucco melancholico, frigido & ſicco, interdum à bile flaua in vitellinam verſa, interdum à nitroſa pituita originem habet. Quæ igitur ex frigido & ſicco eoque melancholico ſucco exuſto procreatur atra bilis, quoniam eius humoris, à quo non ita pridem vſtione genita eſt, naturam conditionemque etiamnum redolet, diutius occulitur, nec niſi ſenſim lenteque tandem in extremas partes erumpit: quo cum ventum eſt, elephantem leuiorib. ſymtomatis conſpicuum profert: quem nonnulli frigidam cauſam habere idcirco dixere, quod manifeſta caloris ſymtomata nulla ſtatim corpori intentet nec incutiat. Quæ vero ab aduſta flaua bile fit, breui contaminatis viſceribus, in extremitate corporis ocyus exardeſcit, ſæuiſſimaque incendii ſymtomata, niſi occurritur, inducit, quæ ſui cauſam calidam eſſe manifeſto demonſtrent. Medio quodam modo ſe habet quæ à ſalſa pituita ꝑficiſcitur. Quæ vero à ſanguine feruidiore exuſto ꝓxime ad eam quæ à præaſſata fit flaua bile accedere deprehenditur: vt quæ à fæculento & craſſiore, ad eam quam à melãcholico humore fieri diximus. Quod autem proponunt nonnulli, cum iam eouſque ſerpendo proceſſit elephantia, vt exhauſta humida atræ bilis ſubſtantia, cui calor inſidebat, ſoli eius cineres frigidiores ſuperſint, ardoris incendiique omnia ſymptomata tum remittere morbumque frigidam cauſam habere, plane falſum eſt. Licet enim vſti ligni cineres minime eum retinent calorem, quem vel eius flamma, vel carbones exhibebant: ſunt tamen integris rebus à quibus dimanarunt multo calidiores. Quod vini fæces demonſtrãt; quæ vſtæ longe calidiores acrioreſque euadunt. Tantumque abeſt vt vel atra bilis aut nonnullarum aliarum rerum cineres frigidi iudicari poſſint, vt etiam frigidarum quarundam cineres, non paruam vſtione acrimoniam caloremq; conquirant & aſſequantur, ſicut experientia nos docuit, quia compertum eſt frigidiſſimi ac humidiſſimi argenti viui cineres, cathereticos, acres vrenteſque eſſe. Adhæc ſi frigida & ſicca eſt elephantię cauſa, cur cedo non ſolum elephãticorum tubercula exedantur & in profunda vlcera ſerpendo degenerent, ſed etiam partium ipſarum extrema vel humoris acrimonia abſumta pereant, vel corrupta & putredine carieque confecta excidant? Non enim frigidus & ſiccus humor melancholicus, vel frigida & humida pituita iſtorum poſſint eſſe operum cauſa: niſi immutata ſpecie in alterius humoris naturam commigrarint. Quod igitur dictitant nonnulli, atram bilem per initia elephantiæ calidam, abſumta tandem liquida & fluente eius parte, frigidam euadere, minime permutata ſpecie, abſurdũ plane cenſeri poteſt. Habent

enim ſinguli humores proprium & peculiare temperamentum, quod ſuperſtite forma nunquam depereat. Calida enim ſemper bilis flaua, calida & atra, vt pituita ſemper frigida, frigiduſque ſemper melancholicus humor. Hæc tamen bilis alia calidior, frigidiorque interdum hæc, quam illa pituita cenſetur. Niſi forte putreſcens per febres pituita, quoniam incaleſcit manente forma, iſtius axiomatis veritatem conuellat atque labefactet. Sed hanc impermiſtam, veterum nonnulli vix vnquam putredine ſic incaleſcere cenſuerunt, vt febrem acceſſat, febres omnes bilioſas arbitrati: quorum opinioni ſubſcripſit Fernelius. Nec ſi putreſcens incaleſcat, amplius pituitæ nomine inſignitur: ſed eius humoris, in quem putreſcens degenerat. Elephantia itaq; omnis cauſam habet, quæ tamen caloris ſiccitatiſq; ratione, ꝓ corporis affecti, & humoris, è quo profecta eſt, natura, proque morbi tempore, non parum varia eſt. Quod & veterum authoritate doceri poteſt, qui non alia ratione caſtrandos cenſuerunt elephanticos, quam ꝙ teſtes vim maximam caloris, feruoremque in vniuerſum corpus effundant, qui elephantiæ cauſam exaſperet. *Palmarius libro de Elephantiaſi c. 9. pag. 241. & ſequentib.*

Observatio.

Elephantiaſis ex contagio venereo contractæ, hiſtoria.

CAuere debet ſibi quilibet quod non iaceat cum leproſa muliere, & dicam quod accidit: Quædã Comitiſſa venit leproſa ad Montem peſſulanum, & erat in fine in cura mea, & quidam Baccalaureus in medicina miniſtrabat ei, & iacuit cum ea & impræ gnauit eam, & perfectiſſime leproſus factus eſt. Igitur felix quem faciunt aliena pericula cautum. *Gordonius partic. 1. cap. 22. lil. med.*

Simile quiddam paucis ab hinc annis fabro lignario in Marchia Badenſi accidit: Qui, poſtquam cum leproſa muliere (quam quidem inquinatam minime ſuſpicatus fuerat) commercium habuiſſet, non ita multis ab impuro concubitu diebus leproſus inuentus, & ad locum peculiariter labe eiuſmodi infectis dicatum relegatus eſt. *Philipp. Schopffius libello de Lepra Germanice edito.*

Observatio.

Coitus menſtruorum tempore elephantiaſeos cauſa.

ORitur Elephantiaſis aliquibus ab initio natiuitatis contracta origine, vt maxime in his, qui ex coitu tempore fluentium menſium generantur. Vnde Azarauius, qui fuit vnus è quinque principalioribus Arabibus ſapientibus, licet vltimus in ordine: nam primus fuit Geber, ſecundus Albucaſis, tertius Haſen ſeu Auicenna, quartus Auerroes, qui huius opinionem approbat, dicit, quod, qui generatur in prima die qua prodeunt menſes, corripitur lepra inter XII. annum, ſi ſecunda die à XII. ad XXIV. ſi tertia die à XXIV. ad XLVIII. manet dubitatio, quomodo ſemina talis morbi poſſint tamdiu latere. *Cardanus Comm. & Lect. ad Text. 26. Hipp. de Aliment.*

Observatio.

Ex muliere ſana elephanticus filiam ſanam progenuit.

VIdimus mulierem ſatis decoram genitam à leproſo & matre ſana. *Valeſcus l. 7. c. 39.*

Signa Lepræ.

Observatio.

Vrinæ Elephanticorum experimenta.

ELephantiaſis, quam lepræ nomine paſſim deſignant, abominandus fœduſque morbus eſt, eoque extra vrbis pomeria ablegantur, qui illo contaminati ſunt. Et quoniã aliquando cognitu difficilis eſt, conſtituti ſunt apud Belgas Critici ac Cenſores q̃ hos explorant. Ego ex lotio experimentũ capio, cui plumbi vſti cineres inſpergo: qui ſi ſubſidunt, atque in imum vrceoli deuoluuntur, nullum ineſt corpori huius morbi contagium: ſin fluitent, atque in vrinæ ſuperficie hæreant, infectã eſſe ſtatuo. Indicat enim humorum craſſitiem, atque aduſtam corruptamque per corpus vndique diffuſam melancholiã. *Lemnius lib. 2. c. 52. de Occult. rerum mirac.*

Si de vrina alicuius qui de lepra ſuſpectus eſt iudicium ſumere velis certum, da operam, vt æger à præſeruatiuis triduum aut quadriduum abſtineat: quo facto, vrinam eius, ſi ſcatea eſt, in aquam calidam pone, orbeque fraxineo vitrũ obtura pulte: ita enim in aqua calida vrina deſtillans orbi adhærebit: qui ſiccatus, ſi aſpredinem quandam habeat, ac ſi ſale conſperſus eſſet, certiſſimũ lepræ ſignum erit. *Toxites* explicat *ad Paragraph. 1. cap. 2. lib. 6. Paracelſi Paragraphorum.*

Observatio.

Lepræ confirmatæ ſigna.

IN Elephantiaſi confirmata ſenſus cutis omnino perit: quia denſata tum eſt, & frigore quaſi glacie coaluit. Quare nerui molles, tenues, & quaſi fibræ quæ per eam diſſeminantur ita coguntur atque craſſeſcunt, vt ſpiritum non recipiant animalem. Motus autem etſi ſtupet, non tamen interit: quia natiuus calor in muſculis conſeruatur, cuius munere nerui qui motui deſtinantur minus offenſi ſpiritum animalem excipiunt ac retinent: muſculi nanque, præter carnoſam ſubſtãtiam, venas & arterias in ſe continent, quarum ſpiritibus & ſanguine nutriantur, viuant & incaleſcant. Cutis autem ſiccior & frigidior eſt, vtpote mediam inter carnem neruumque naturam adepta. Cui nec venæ nec arteriæ ſunt, ſed in eam illarum tantum extrema ſubeunt, denique partium omnium eſt imbecillima: ſiquidem totius corporis excrementa recipit, & interiorib. externiſque patet iniuriis. Nec tamen ſicut in muſculis motus, ita ſenſus eſt, ſed in his velut in cute pariter amittitur. Quamobrem qui volunt elephanticum experiri, acum altius in corpus adigunt; ex cuius punctura ſi nullus doloris ſenſus excitatur, elephantiaſin ſolutam eſſe pronuntiant: ſin ſecus, minime. *Franciſc. Du Port. Annot. 20. ad caput vigeſimum quintum lib. 4. de ſignis morbor.*

Stupor ſeu ſenſus per vniuerſum corpus diminutio, propter oppilatos neruos ab humoris melancholici craſſitie intercludente iter animali ſpiritui, ne peruenire poſſit ad partes à quibus ſenſus ſuſcipitur, liberis interim iis qui in muſculos motus gratia ſparguntur, hacque maxime nota elephanticos probare ſoleo, intruſa ſcilicet altius longiore & craſſiore acu, in craſſum tendinem exquiſitiſſimo ſenſu præditum, qui ad calcem extenditur, alioqui peni-

penitiſſime in tendinem illum aut quemuis alium muſculum impulſam acum, vix eſt quiſquam tam confirmatus elephanticus, qui ſenſurus non ſit, propter neruorum, vt iam dixi, in muſculos ſparſorum ab obſtruente humore libertatem. *Pareus lib.19.c.7.*

OBSERVATIO.

Aliud Pathognomicum elephantiaſis ſignum.

PRæcipuam Galenus ſignificationis morborum rationem ab iis, quę ſecundum eſſentiam inſunt, ſumere ſolet. Elephantiaſin porro hæc, ceu caſus proprii, perpetuo comitantur. Extuberationes in pleriſq; corporis partibus, ſed in facie magis, præſertim ſecundum frontem, aures acuminatæ fiunt, naſus ſimus, labra craſſa, horrẽdi aſpectu apparẽt, & Satyris quam ſimillimi. Hos caſus Elephantiaſin vocatam ſequi teſtatur *lib. de morborum cauſis Galen.* Auicenna coloris in facie deprauationẽ addit, (fit enim color ex rubeo liuens) tum vocis raucitatem, ob pulmonũ læſionem. Ego quidem certe magnum à colore iudicium ſumi de Elephante cenſeo. Nam quum Elephantiaſim *Gal.11.ad Glauc.* ſanguinis turbidi ac craſſi in venis cõtenti ad cutim vniuerſam propulſionem eſſe affirmet: fit profecto vt pro ratione ſanguinis, huiuſmodi morbum inferentis, colorem efflorеſcere talem oporteat, (quod color ſuccorum corporis certiſſima nota ſit.) Quamobrem cum qui Elephantem creat humor, ruber ſit, turbidus ac craſſus, colorem in cute ex rubro liuentem apparere conſequens quidem eſt. Vnde *Gal.lib. de Atra bile,* Subrubros (inquit) Elephantes parit ater humor qualitatibus mitis remiſſuſque, ac ſanguini commixtus. Quod ſi vel hi ſpatio temporis perdurent, nigriores redduntur. Cauliaceuſis Guido oculorum rotunditatem addit. Atq; hæc quidem omnia ad figuræ deprauationem pertinent, vti immutatus color ad qualitatem mutatam, & Elephantiaſin perpetuo comitatur. *Valleriola Enarrat 5.lib 6.*

In hoc morbo craſſus ac fæculentus humor vel à liene refluit in hepar, vel in hepate genitus & venoſum genus implens, in ſingulas corporis partes illabitur in alimentum. Vbi, quum nequeat aſſimilari, frigore cogitur & candicat. Quamobrem aſſimilatrice vi languida, congeſto in quibuſque partibus humore, corpus omne verrucis, grandinem æmulantibus, ſcatere conſueuit, vt in ſuibus deprehenditur. Tales autem verrucæ conſummato iam affectu cernuntur, ſuntque ſignum elephantiæ pathognomicum. *Franſc. Portus circa finem lib.4. de ſig. Morb.*

OBSERVATIO.

De mira ſanguinis à Leproſo per venæ ſectionem extracti congelatione.

ANnibal Pedemontanus Phrigio, cum per biennium incurabili illa Arabum lepra vexaretur, calido aeris ſtatu exiſtẽte, pleuritide mala correptus fuit. Cui, ſecta ſecundum rectitudinem tali vena ab inſigni Phlebotomatore Ioan. Pederocca, hoc admirandum accidit. Aqua calida vrinæ menſuram excedens, in qua ſanguis ad ſex vnciarum pondus, Abrahamo de ſummis medico hebræo mandante, fluxit, cum deferbuiſſet, haud ſecus ab ipſo denſata eſt, quam ſi aqua lac, ſanguis vero coagulum eſſet, ita quod conſiſtentia lacti recenter coagulato ſimilis, colore vero Pyropum pręſe ferẽs redderetur, cuius ne gutta quidem inconcreta ſeorſum ab alia reperiri poterat, ægroto dolore laterali & febri ſæuientibus decima ſeptima die accedente peremto. *Marcellus Donatus lib.1. c. 4. Hiſt. med. mirab.*

Huius euentus cauſam ex ipſomet *Authore eodem loco* require.

CVRATIO.

OBSERVATIO.

Ab elephantiaſi ſeu lepra quidam fortuito: quidam analogia & arte curati.

ERat apud nos in Aſia in pago quodam elephantiaſi vir laborans, qui primo quidem reliquis conuiuebat, ac cum familiaribus verſabatur, vbi vero nonnulli ex conſuetudine contagio maculari cœperunt, ipſeque iam fœtore, & horribili ſpecie deteſtandus eſſet, in edito loco prope pagum iuxta aquę riuulum Pagani tabernaculum ægro habitandum ſtruxere, cui deinceps diarium alimentum ſubminiſtrarent. proxima æſtate circa Canis ortum colonis vicinam metentibus ſegetem miniſter odorati vini lagenam, quam attulerat, prope ægri marginem dimittens abiit. Coloni labore functi cum ad pocula acceſſiſſent, ac quidam eorum adoleſcens vinum in craterem funderet, ecce exanimata vipera ſimul collapſa bibituros non minus abominatione, quã metu conſternauit: ac ipſi quidem aquam potãtes, vinum ægrotanti attulerunt, humane ſe acturos exiſtimantes, ſi tantam viri calamitatem morte redimerent, quam ex eo veneni hauſtu plane futuram arbitrabantur. at ille, nouo quodam proſuſq; admirando euẽtu, ab hoc ipſo potu ſanatus eſt. excidit enim tota cutis dura & veluti lapidoſa, non ſecus, ac ſi cancris locuſtisve, aut cæteris huiuſmodi cruſtaceis animalibus teſtam, qua conteguntur, abſcideris.

Nec diſſimile in Myſia Aſiæ non procul à noſtro municipio contigit. Vir erat prædiues elephãticus, hic ancillam ſuam formoſam deperibat. contra, illa fœdum hominem odio habebat, aliiſque amantibus clandeſtine, miſcebatur: cuius doli conſciis duabus ancillis contubernalibus vtebatur, altera pœnuꝰ præerat, altera cellæ vinariæ. Acceſſerat æger inde ſibi promiſſa ſalutis ſpe ad quoſdam calidarum aquarum fontes, vbi multa viperarum vis ob ſquallorem ariditatemque loci ſcatebat. In vini igitur lagenam parum diligenter ſeruatã vipera irrepſit, quam cum ſuffocatam deprehendiſſet ancilla, ratã fore vt odioſus dominus eo veneno facile interiret, cœnanti alacriter attulit, eueneréque omnino eadem, quæ paulo ſupra de pagano retulimus. Atque hæc quidem duo ſunt experientiæ monumenta, quæ caſus attulit. nunc vero tertium adiungam, quod imitatio effecit: Philoſopho cuidam multos antea annos hac ipſa ægritudine efflictum laboranti, vt iam illi mors vitæ præferenda videretur, geminos hoſce euentus cum forte recitauiſſem, idem ipſe etiam experiri conatus (erat enim angurandi peritus) protinus viperam, quod obeundum augurio quoq; confirmauit. ad quod obeundum augurio quoq; confirmatus (erat enim angurandi peritus) protinus vinum ita medicatum, quod parari iuſſerat, intrepide

hauſit: nec multo inde poſtea ex elephantiaſi ad lepram deuenit.

Quartus etiam præter hos omnes viperarum venator, dum primis adhuc morbi incommodis teneretur, me pro ſalute conſulit, quem ego admonui, viperas, quas venaretur, fruſtatim inciſas, & anguillarum more decoctas eſitaret. atq; ita per habitum ægritudo diſcuſſa eſt.

Alium præterea diuitem virum non noſtratem, ſed è media Thracia Pergamum, ſomnio ita iubente, profectum, Æſculapius admonuit, vt medicamentum è viperis quotidie potaret, atque exterius corpus illiniret: ac non ita multo poſtea trauſiuit in lepram, deinde hac medicina, quam Deus docuerat, exquiſite ſanatus eſt. Tot igitur experimentis commoti, tandem Dei quoq; admonitu confirmati, certam ſpem concepimus ſanandi elephantiaſim medicina è viperis confecta, quã Theriacam appellant, nec minus ſale theriacę, quod iam vulgo confici cœpit viuis viperis cum quibuſdam aliis medicamentis in fictili nouo combuſtis: ſed & viperas edendas præcepimus, capitibus, caudiſque earum primo abſciſſis, deinde in paſtillos confectas. non tamen confeſtim ad hæc remedia proficiſcimur, ſed prius corpus exquiſite purgamus. nec raro venam ſecamus, ſi robur & ætas tulerint. Vere autem id potiſſime fieri ad pleroſque diuturnos affectus commune eſt. Tot igitur à nobis enarrata ſunt vt oſtenderemus multa caſu inueniri, & imitatione confirmari. obtulit enim fortuna, vt non incommoda tantum, ſed commoda quoque, ex quibus ars confici poſſet conſpicaremur. *Galen. Iſagog. c. 12. de ſubfigurat.*

Fama eſt eorum quendam, qui in ſolitudinem expoſiti erant, ex terræ latebris receptantem viperam intuitum, aut fame coactum, aut morbi tædio inductum, vt malum malo commutaret, viuentem viperam ediſſe, neq; è vita migraſſe, quam omnia ipſius membra computruerint, atque exciderint.

Alterum præterea ferunt viperã in muſti dolium irrepſiſſe conſpicatum, cum muſtum ad ſatietatem ingurgitaſſet, vomuiſſe, multumque veneni ſimul cum muſto reieciſſe, vt vero in muſto fera extincta fuit: iterum hominem muſtum largiſſime epotum, vitæ pariter ac morbi finem quærentem, vbi autem ſatiatus, iuxta inebritatuſque fuit, primum quidem humi proſtratus inſtar morientis iacebat poſteaquã deinde graui ſopore experrectus eſt, ebrietatemque diſcuſſit, in primis comæ defluxerunt: præterea digiti & vngues, deinceps omnia in ambitu corporis membra contabuerunt. quoniam vero adhuc in ſemine facultas erat, iterum tanquam ab ortu hominem natura veluti ex cera creauit. alios enim crines enutriuit, vngues nouos, & nitidam carnem inſtaurauit, ac vetus corium ceu ſerpentis ſenectam exuit: & tanquãm alter homo ad vitę munia reuocatus eſt. *Aretæus. c. 12. lib. 4. de ſig. ac cauſ. Acut. Morb.*

Exemplum eſt *apud Porphyrium 4. de Abſtinen. ab animalibus*, vbi ſcribit, ſeruum quendam Crateri Medici dum laboraret lepra immaniſſima, ita vt carnes ab oſſibus abſcederent, potato vino in quo extincta erat vipera ſtatim conualuiſſe.

***

OBSERVATIO.

Theriaca & viperarum vſus ad elephantiaſim noſtro tempore inualidus.

QVos *Gal. in præfat. lib. 11. de pharm. ſimpl. facult.* percuratos ſcribit, in via ad Elephantiaſim erant, nondum habitum contraxerant: vereque elephantici nondum fuerãt. Liquet id ex eo perſpicue, quod abſcedente veluti cute ſanati ſunt. At veri elephantici tumores ſeu extuberationes & modos multos & duros ſub cute habent, quos per ſudorem non facile ſit diſcutere: quoſque tempore adeo breui impoſſibile ſit diſſoluere. Cauſa eorum plerunque eſt humor plane terreus, ſiccus & durus adeo vt fruſtra ſtrenue emollientib. remediis emollire tentent medici. Tales quis putet ab vnius alteriuſve vini hauſtu diſſolui. Si in ſola cuticula malum inhæreret, credi poſſet quod ſcribitur. At hoc in confirmata elephantiaſi non eſt: in qua tota pene membrorum ſubſtantia permutata eſt. Galenus vero non ſolum de incipiente affectione verum etiam de inueterata loquitur. Sed ratio docet vera eſſe quæ diximus. Quocirca fateri nos oportet, huius quoque morbum (ſi modo perſanatus fuit: nec falſa Galeno narrata fuere) in diſpoſitione ſeu ἕξει adhuc fuiſſe. Neque fieri non potuit, vt faciem atque pectus magis obnoxia iniuriæ habuerit aliis partibus, & hoc pacto (ſicut ſcabioſi ſolent alios inquinare, tametſi hepar eorum labe nulla affectum ſit) quoſdam infecerit, hepate nondũ de naturæ ſuæ ſtatu dimoto. An non omnibus ægrotantibus medici remedia talia exhibituri & pleroſque ægros curaturi fuiſſent, ſi tanta eſſet vel pharmacorum nominatorum efficacitas, vel morbi imbecillitas, ſiue ad curandum facilitas? Multi certe coctas viperas, theriacam, & ſimilia nullo cum fructu propinarunt ægrotis: quod factum non fuiſſet abſque vtilitate aliqua, ſi talia remedia tanta vi pollerent. Ego ſuperioribus annis cũ D. Sigiſmundo Melanchtone excellente medico ægro cuidam trochiſcos viperæ in Italia diligẽter præparatos exhibui ſæpius, ſed cõmodum ex ea re nullum prorſus deprehendere potuimus. Quare ſi iuuarunt illos, in ſola cute malum adhuc hæſit: neque laborarunt internæ corporis partes. Tumores quoque, quales in hoc malo ſub cute naſci ſolent, nondum exortos fuiſſe certum eſt. Ex quo perſpicue patet, prædictos ægros hepar ſaluum & incolume adhuc retinuiſſe: & proinde vel incepiſſe ſolum elephantem in eis generari, vel præparationem ſolum quandam fuiſſe. Poſſunt enim multa eorum, quæ in elephanticis apparent, etiam ante huius morbi exortum ſuboriri. Quippe tumores faciei & cutis ab humore melancholico pronaſcuntur, qui non tantum poſt hepatis intemperiem, verũ etiam ante eam colligi poſſunt. Eſt enim aliquando cauſa, aliquando effectus prædicti morbi. *Eraſtus Part. 4. Diſputat. contra Paracel.*

Manifeſtæ & generales qualitates carnium viperarum vel Galeni teſtimonio ſunt, exiccare valenter, digerere mediocriter, & excalfacere. Atra autem bilis, quę huius luis cauſa eſt calida & ſicca cum ſit, per contraria retundi poſtulat. Vere potiſſimum elephanticorum curationem aggrediuntur, primumque corpus in aliorũ fere omniũ diuturnorum morborum modum identidem purgant: deinde venam ſecant,

ſecant, ſi vires ferant, hinc ad viperas ſe conuertunt, quas alii aliter apparare ſolent. Omnes in hoc conueniunt, caput & caudam vt abſcindant, dein interanea omnia ac cutem etiam ipſam eximant, poſtremo corpus ipſarum exquiſite eluant. Quidam, quod caſu contigit, imitatione confirmantes, in vini generoſi dolium illas ſuffocentur, deinde vinum ægris neſcientibus propinant. Alii medicinam ex viperis confectam, quam theriacam vocant, ſæpius exhibent. Alii ſale theriaco vtuntur, quod viuis viperis cum quibuſdam aliis medicamentis in fictili nouo combuſtis comparatur. Alii viperas ipſas comedunt in paſtillos redactas. Alii illas in anguillarum modū apparatas exhibent. Atque hoc omnibus commune eſt, viperis tam diu vtendum eſſe, dum elephantia vel in lepram abeat, vel in totum deſinat, in tenues auras difflante per cutem affectu. Galen. elephanticos aliquot ita ſe percuraſſe gloriatur: quia & incipientem morbum ſola catharſi & phlebotomia vere & autumno præſcripta profligaſſe atq; propulſaſſe ſe venditat. Cuius autoritatem, tot ſeculis confirmatam, etſi non repudio, vix tamen quid de hoc remedii genere cenſuerit Fernelius, quidque partim dum is Lutetiæ floreret, partim poſt eius obitum expertus ſum perpetuo ſilentio inuoluere poſſum. Elephanticos multos veterum imitatione cum viperarum vſu reſtituere maxima methodo ſtuduiſſet Fernelius nemini in tota vita, vt erat in votis, ſucceſſit: quod cum mihi indicaſſet, & à remediis omnib. ſiccantibus abſtinendum eſſe nouiſſet, veterum medicorum authoritatem eius opinioni anteponēdam ratus, & illorum pollicitis nimium forte addictus: theriacam elephāticis multis, qua methodo illi præcipiunt, præbui, ſed nullo prorſus profectu quæ res effecit, vt viperas ipſas aliter atque aliter apparatas experiri aggreſſus ſim, quas tamen nihilo plus opis afferre comperi. Paucos (fateor) poſt dies cutis extima ſquammas & furfures remittit, tanquam elephas in lepram degeneret, videturque iuuare per initia hoc remedii genus, ſi ſolius cuticulæ rationem habeas, ſed neque viſcerum conſtitutio hocce modo melior fieri, neque verrucoſa tubera intermori, neque creſcentis cutis deformitas emendari ſolet: ſed elephanticum virus, poſt viperarum vſum, è viſceribus multo maiore quam vnquam impetu in cutim remeans, omnia ſymtomata ſic exaſperat, vt, aucta putredine, membratim dilacerentur ægri teterrimo fœtore. Neque enim paſtilli theriaci, neq; venenatæ viperarum carnes, quouis modo præparatæ, ſiccam & terrenam partium conſtitutionem corrigere poſſunt, ſed omnia deprauare & venenata pernicie inficere. Si quis tamen veterum authoritati tantū tribuit, vt Fernelii & meam hanc experientiam vniuerſis medendi legibus conſentaneam ſuſpectam habeat, ei facile ſit qua ratione illi præcipiunt, viperarum vſum experiri. Tutiſſimam vtendi rationem hanc tradunt recētiores. Viperas præparatas in aqua cum hordeo decoquito, quo poſtea gallinæ alantur, dum implumes euadant. His ergo gallinis elephantici alendi ſunt, donec comæ ac pili defluant omnes, & craſſior cutis ſquamas & furfures remittat.

Palmarius, De Morb. contagioſis lib. de Elephantiaſi.

* *
*

OBSERVATIO.

Viperæ ad Elephantiaſim non minus quam apud veteres comprobatus vſus.

Habet vipera vim tota ſubſtantia, per quam efficit, vt extima pars corporis affecta, quaſi ſerpentum ſenecta reſoluatur, ac decidat. Pluribus autem modis datur, Theriaca enim, quæ ex ipſa conficitur, & deuoratur, & illinitur: deuorantur etiam paſtilli, qui ex eadem parantur ad theriaces compoſitionem, bibitur & vinum in quo iacuerit, præſertim vbi prius caput vna cum cauda fuerit præciſum, & detracta inteſtina ex aluo: quod non tantum relatum fuit à Galeno, ſed frequentatum Romę memoria noſtra à Gilberto medico Germano, qui & ſe, & alios, hoc vitio laborantes eo curauit. Comeditur etiam caro viperæ ex albo iure, cum anetho ſcilicet, ſale, oleo, & porro, ex aqua elixa ac probe cocta, ſed caput prius abſcinditur & cauda vſque ad quatuor digitos, deinde detrahuntur interna, & cutis adimitur, quod reſtat, aqua plurimum abluitur, & coquitur quemadmodum diximus, ac deuoratur ab ęgrotante, cui deinde extima cutis cū toto vitio decidit, reſtatque caro non amplius dura ſed mollis, perinde ac ſi cancris ac locuſtis, & reliquis oſtracodermis externum regmentum adimas. Parantur præterea & ex vipera ſales, quos theriacales vocant, quibus vtiliter alimenta condiuntur quæ ab eiuſmodi ægrotantibus deuorantur. Paratur poſtremo loco ex eadem angue etiam oleum, quo maxima cum conferentia elephanticorum cutis vlcerata inungitur. *Vidius Med. Part. 2. ſect. 2. lib. 5. cap. 8.*

OBSERVATIO.

Ranarum paluſtrium vſu elephantiaſis curata.

Nonnulli Elephantiaſi ac Lepra inquinati morbum vicerunt frequenti ranarum paluſtrium vſu: nimirum mitigato ſanguinis feruore, ac melancholicæ aduſtione emendata. Quod de ranis intellige quæ ſaliunt, & non repunt, & lente progrediuntur: nam venenatæ ſunt. *Mizaldus.*

OBSERVATIO.

Notio & curatio recens natorum infantium Elephanticorum.

In fœtibus recens natis ab elephantica prominent tres veſicæ in planta pedis, quæ ſunt acu configendæ, vt fœtus ipſi ab elephantiaſi vindicentur. Hæc ſunt vſu comprobata. *Iacobus Doutnetus Apol. libr. 1. cap. 7.*

OBSERVATIO.

Recentis Elephantiaſis remedium certum.

Elephantiaſim frequens vſus Vlmi curat, modo ſit illa recens. Vidi adoleſcentem natum 18. annos, factis faciendis, decoctionis Vlmi vſu tandem conualuiſſe, dum ea pro omni potu vteretur in quolibet paſtu cum pauco vino albo. Eo enim potu tanti ſudores mouebantur graueolentes vt vix illos cuſtodes ferre poſſent, viſcera præterea purgabantur magna vrinæ craſſæ & nigricantis copia.

Idem loco citato.

Observatio.

Ad Elephantiaſis curationem remedium planè nouum.

MOryngæ arboris radix probe nota eſt Elephantiaſi laborantibus, quorum plurimos eius cõtinuo vſu ſanari perhibent. *Chriſtophorus à Coſta lib. Aromatum.*

Observatio.

Ex Larice præſeruatio & remedium certum.

FIat balneum ex decocto ramorum & turionum arboris Laricis. Aquæ item potio ex ramis & turionibus Laricis extillata eſt efficaciſſima. Quinetiam domus vel conclauis ex Laricibus conſtructa ſuos colonos etiam Elephantiaſi obnoxios ab ea tuetur, & præſeruat. *Ex Parad. Montuus in Chirurg. cap. 33.*

Observatio.

Ob incuriam à lepra liberatus.

MEmini Onofrium Tedaldum pro mortuo à Medicis derelictũ incidiſſe in manus noſtras, non quidem vt curaretur (id enim factu impoſſibile videbatur) ſed vt ſatis amicorum opinioni & ægro ipſi fieret: Lepra hominem male habebat: & febricula inſuper vrgebat. Quam quod ſolidas animalis partes occupans quaſi habitũ inducat, Græci ἕξιν vocant. Tantumque inhæſerat ſolidis membris hæc febricula, vt macie & tabe conſumtà carne, nihil niſi pellis & oſſa ſupereſſent. Quin & in neruis crurum tanta item contractio facta erat, vt calces natibus inhęreſcentes extendi nullo modo poſſent. Indulgens itaque hominis voluntati, permitto vt omnibus omiſſis legibus ſuo arbitrio viuat. Aduentante igitur vere, cum iam nux plurima tenuiore cortice veſtiretur, his veſci cœpit. Et cum omne aliud cibi genus faſtidiret, non vna alterave contentus etiam ſupra centum ſingulis diebus comedebat, pane licet modico adiectò. Quo factum vt & venter fluere cœperit, & ſtomachus nihil continere: ſicque fruſtula integra deiici, vt concoctio in eis nulla appareret. Hoc itaque incurioſo & licentiore victu vſus ad æſtatem vſque proceſſit. Quo tempore citrullos, angurias, peponeſque comedens, nullum præterea cibum deuorabat, ſed & ea cruda & incocta omnia deiiciebat. Peracta autem iam fere æſtate refici cœpit, & corpus quoquo modo reſumtum ad habitum ſuum reuertitur, quod ſicco & calido morbo humidis & frigidis præſidiis ſuperato, quem ratio & diligentia curare non poterat, incuria & temeritas ad priſtinam redigeret ſanitatem. Quia biennio feliciter vſus, incurioſo poſtmodum victu & inutili libertate in eundem recidit morbum. Quo demum abſumtus paucos poſt annos è vita diſceſſit. *Beniuenius cap. 21. Abditor.*

Observatio.

Elephantiaſis per balnea curationes mirandæ & horrendæ.

ÆGypti peculiare hoc malum: & cum in reges incidiſſet, populis funebre. Quippe in balneis ſolia temperabantur humano ſanguine ad medicinam. *Plinius lib. 26. cap. 1.* N. H.

Accipe ſecundinam poſt exitũ fœtus, ſuperaſpergatur ſal nitri: poſteà patiens in balneum ponatur, & cum prædicta ſecundina locum morphæatum fortiter fricet, faciendo bis vel ter, indubitanter curat. *Arnoldus de Villa Noua in lib. de curandis morbis nondum impreſſo.*

Balneum primogeniti filii, vbi illius ſanguinis ſunt reliquiæ, vt experimento vidi, leproſos mundat. Cauſa à ſympathia, mea ſententia, quærenda eſt. Corruptior n. ſanguis per arterias & venas ingreſſus, corruptum attrahit. Eſt autem ſanguis, qui à partu effunditur, & potentia qualis noſter, & corruptior, & viribus adhuc partus ac pueri calidior: quocirca vehementer vngat ac purgat & extinguit, velut radii ſolis ignis flammam obruunt ac euaneſcere cogunt. *Cardanus lib. 12. De ſubtilitate.*

Referunt leproſos balneo eius aquæ, in qua cadauer ablutum ſit, ſanari. Sed de qua lepra agatur haud compertum eſt: quædam enim ſcabiei peſſimę ſpecies eſt, alia ipſa elephantiaſis. Similiter neq; obſeruatum eſt, an ſemper id contingat, an forſan aliquando fortuito: ratione tamen res ipſa non caret, nam materia, quæ ad cutim propelli ſolebat, antipathia cadaueris à natura non amplius propellitur. Indita enim eſt hæc ratio contrarietatis, etiam in inſectis, & eo magis in perfectioribus animalibus, & maxime equis ac canibus, vt odorem mortuorum ſui generis refugiant: quanto magis humana natura, quæ admodum ſenſu prædita eſt, atque eo exquiſitiſſimo. Itaque occulta vi natura non amplius audet tranſmittere exterius humorem peccantem: atq; eo magis ſi hæc patiente, hæc ſciente fiant. At dices, retenta ergo maioris morbi cauſa erit? non, nam colligitur & vna emittitur per aluum aut ſudorem, aut alia via: in quibuſdam concoquitur: calor enim internus validior eſt. In quibuſdam non ſæuit, quia exigua res eſt: ſed in cute, ob aerem, ob imbecillitatem, ob moleſtiam pannorum multum affligit, & amplum ſpatium occupat, & profundius depaſcitur. In quibuſdam aliis diu latet, augetur, cogitur: & ſi malum accedat regimen victus, nec purgatio adhibeatur, tandem occidit. *Idem l. 8. c. 44. De Variet.*

Observatio.

De atra bile & lepra.

CVm Mediolanum ſub finem anni 1534. rediiſſem, inops & omnium egens, quo me fortuna compulerat: neque enim ſolum in collegium receptus non eram, ſed etiam ab illis oppugnabar, grauique omnium (fato quodam) inuidia laborabam: nõ amici, non res, non affines: ſed ab omnibus deſertus, illum Sinopenſem Diogenem imitari, imo potius referre videbar: forte fortuna obtigit, quod Cauenagus ad curam Principis accerſitus, dimiſiſſet eos phratrios qui Canonici vocantur (ſunt autem in eo genere monachorum, nam & Monachi à quibuſdã appellantur, nobiliſſimi) atque illi medicum quærerent: Franciſcuſque Gadius tum templi collegio præpoſitus, quadam antiqua familiaritate mihi notus eſſet, ſuadente etiam Cauenago ipſo, me pro collegii illius medico eligeret. Ipſe autem loci antiſtes Gadius, tum iam biennio toto & atra bile & Græcorum lepra detinebatur: nec vllis auxiliis, quãquam à clariſſimis viris curatus, leuari, nedum ſanari potuerat, adeoque eum morbũ moleſte ferebat; vt dicere ſoleret, malle ſe mori, quã tam grauiter affligi.

hortabaturque me vt etiam periculoſa tentarem remedia, quandoquidem ſecura nihil profeciſſent. Verum felicior fui ego, quam illi expediret: namque ptiſanæ aſſiduo vſu, & carnium teſtudinum, leuiſſimis alioqui medicamentis ſatis interdicta conſuetudine, eum ſex menſium ſpatio ita ab vtraque affectione curaui, vt nunquam poſtea nec atra bilis ex mœrore animi, nec ſcabies ex mora ſex annorum quibus in Diomedea inſula captiuus ſuperuixit, redierint. Sed, vt dixi, expediebat illi vt potius Themiſon aliquis fuiſſem, quam Hippocrates. Septimo enim poſt, aut ad ſummum octauo anno, qui rex vocabatur apud ſuos, ab eiſdem captus, miſera multa primum paſſus, & ſub terram viuus defoſſus, vt crimina fateretur, tandem in vinculis in excelſo atq; edito loco animam reddidit. *Cardan. curat. Admiran. num. 1.*

OBSERVATIO.

In fœda morboſi corporis conſtitutione, vbi occultam foueri elephantiaſim ſuſpicio erat, quomodo curatus ſit æger homo plebeius

SEcta primum cubiti vena communi, ſequentem quotidie hauſit potum hora matutina. Recipe rad. polypod. vnciam j. s. lapath. acut. integri, cichorii cum rad. ſummit. lupul. ana M. j. ſcabioſæ, veronicæ, fumiterræ ana M. ij. flor. borraginis, bugloſſæ ana M. s. liquiritiæ raſæ vnciam s. paſſul. enucleat. vnciam j. s. Coquantur in aqua riui ℔. iiij. donec abſumatur medietas, admiſcendo in fine decoctionis ſenæ Alexandr. mundatæ vncias duas, epithimi vnciam j. nocte relinquantur in infuſione, & a valida expreſſione adde ſyrup. de ſucco fumariæ vncias iiij. fiat potus. Poſtea hoc vſus fuit balneo frequenter: Recipe ſcabioſæ, veronicæ, fumariæ, lapathi acuti integri, furfurum triticeorum ana M. iiij. maluæ M. vj. in cacabo aquæ bulliant, ad balneum. Deinde ſe eo inunxit linimento: Recip. ſucci ſcabioſæ, veronicæ, fumariæ, lapathi acut. ana drach. ij. ariſtolochiæ rotund. vitrioli Romani ana drach. ij. s. ſal. nitri drach. j. lithargiri argenti drachm. iij. aluminis ſcrup. ij. ſulphuris vnc. s. ol. laurini, axungiæ porc. ana vnc. ij. oleum & axungia cum ſuccis coquantur ad eorum conſumtionem, inde miſceantur reliqua ad linimēti formam. Brachiis & femoribus affigantur cucurbitæ cum ſcarificatione. Cauit a multum ſalſis, fumo induratis, lacte crebro caſei vſu, cereuiſia recenti, turbida & acida, vino rubro, ab iis quæ diutius in aceto fuere aſſeruata, demum ab omni intēperantia in victu atque animi affectibus. *Wierus libro obſeruation.*

OBSERVATIO.

Caſtratione ab Elephantiaſi liberati.

NOuimus quoſdam audaciores qui ſibiipſis teſtes ferro reſecarunt: caſtratis enim nō in peius malum ipſum procedet. Neq; n. temere reperias, inquit Archigenes, vllum aliquem caſtratum elephātiaſi laborantem, neq; ita facile mulierē: Quare etiam quidam ex confidentioribus Medicis manum admouerūt, & quotquot ſane ex his ex ſectione periculum euaſerunt, per conſequentis curationis vſum perfecte ab hac maligna affectione liberati ſunt. *Aetius Tetrabib. 4. ſerm. 1. cap. 122.*

Valeſcus de Taranta caſtrationem in hoc caſu valde probat, nec ego eam improbandam cenſeo. Teſtium enim amputatione euitantur homines in morbum proni, ſicque in fœmineam naturam degenerant, & hepatis ſanguinem aſſantis ardore reſtincto, humidi & frigidi euadunt: quæ temperies elephanticorum intemperiei calidæ & ſiccę toto eſt genere contraria, adde quod ſublata elephanticis gignendi facultate tollitur ea huius mali contagio quæ per prolis propagationem in humanum genus ſerpit & effunditur. *Pareus operum ſuorum lib. 19. cap. vltimo.*

OBSERVATIO.

Lienem humanum analogia quadam non tam ex tuberibus quam eiuſdem colore elephanticos referre.

LIenis ſuperficies non ita exacte, vt iecoris aut renum, læuis eſt, ſed obſcuris quibuſdam leuiterque prominentibus tuberibus, ad eam fere formam qua elephantiaſi morbo inſigniter laborantium cutis, varie extumeſcere conſueuit. Neque illi ſolum inæquali cutis ſuperficiei lien tuberibus reſpondet: verum etiam colorem illius affatim exprimit. Pariſiis enim in Diui Lazari monaſterio, & in pleriſque ſuperioris Germaniæ agris, & alibi quoque, elephātiaſi morbo affectos vidi nigricantem lienis humani colorem ſuperficiemque ita exquiſite referentes, ac ſi quis ex liene eos confinxiſſet. In homine namque hoc viſcus atro quodam & perquam obſcuro colore nigricat: in cane autem ſplendidius pleruņque ipſo iecore rubet. Sues vero & boues albicantē magis lienem oſtendunt. Deinde eiuſmodi colorū diſcrimen non in lienum tantum ſuperficie, verum & in ipſorum quoque corpore vtcunque occurrit, ſiue crudi, ſiue cocti lienes examini adhibeantur. *Veſalius lib. 5. cap. 9. de corp. hum. fabrica.*

OBSERVATIO.

De Elephanticum ſimulante.

VIx annus exactus erat, cum Vitreum in Britannia Gallica appulit mire verſipellis mendicus, qui occupatis ſtatim templi foribus merces ſuas explicuit, ricam nempe minuta ſtipe, qualis in pauperes erogari ſolet onuſtā, ligneum doliolum, & crepitacula, quæ dextra manu cōprehenſa magno ſtrepitu ex interuallis concutiebat. Facies illi craſſioribus puſtulis conſperſa aſſurgebat, confictis fabrili glutino ex rubro, elephanticorum in morem, liueſcente. Hæc eum perſona horridum aſpectu, omnibus miſerabilem reddebat, quod cauſæ erat cur illi quiſq; de ſuo erogaret. Tum frater meus Ioannes Pareus Chirurgus ſe illi propius admouit, quæſiuitque ex quo tempore tam diro morbo correptus eſſet: ille obſcura voce rauca reſpondit, ab vtero ſe materno elephanticum prodiiſſe, elephante tam diro ſibi vtrumque parentem mortuum, vt membra fruſtratim conciderent. Cæterum laneā circum fauces faſciolam habebat, qua manu lęua ſub pallio cōſtricta guttur ſibi ſic arctabat, vt ſimul multus ſanguis ater in faciem aſſurgeret, & vox vix vi erumpens magis rauceſſeret: continere tamen ſe non potuit, quin inter loquendum ducēdi liberius aeris gratia faſciam remitteret. Quod poſtquam animaduertit frater

fraudem ſubeſſe ratus, à magiſtratu impetrauit vt ſibi liceret hominem verénè elephanticus eſſet probare & examinare. Primum igitur ipſi faſciam ceruicibus circumfuſam exemit, inde repente aqua faciem lauit, ſic vt ficta & glutino coagmentata tubercula diſſoluerentur, facieſque vitii omnis expers; naturali & bono colore ac charactere renideret. Totum inde ipſi corpus renudauit, anxieque veſtigatis & luſtratis omnibus membris, nullum elephãtis ſignum vniuocum aut æquiuocum comperit. Quod poſtquam reſciuit magiſtratus, comprehenſum ipſum, & in vincula coniectum, iterum tertiumque per vrbis compita flagris cædendum, pendente in pectus doliolo, in dorſo vero crepitaculis tortori tradidit, addita perpetui exilii pœna. Accidit dum tertia nundinali die cæderetur, vt per iocum conclamaret populus, ne vereretur enim gnauiter cædere, qui ſe elephanticum profeſſus, nihil plane ſentiret: acclamatione vrgentis populi accenſus carnifex adeo cædendo inuectus eſt, vt paucis poſt diebus miſer ille & mendicus flagris interierit, dignus profecto tali mercede. Nam impoſtorum genus, præterquam quod tanquam ignauum fucorum pecus, hoc vel illo morbo miris modis ſimulato, alieno labore otioſum viuit, tum etiam non raro coniuratione facta, proborum & frugi ciuium vitæ & fortunis inſidiatur. *Pareus lib.24.cap.18.*

DE LVE VENEREA.

ESSENTIA, CAVSAE, *Curatio.*

OBSERVATIO.

Morbi Indici, Gallici vulgo dicti, natura, cauſa, & curatio.

NOVVM morbi genus, anno ſalutis nonageſimo ſexto ſupra mille quadringentos à Chriſtiana ſalute, non ſolum Italiam, ſed fere totam Europam irrepſit. Hoc ab Hiſpania incipiens per Italiam ipſam primum, tum Galliam, cæteraſque Europæ prouincias late diffuſum mortales quamplurimos occupauit. Incipiebant enim puſtulæ genere diuerſæ in genitalibus membris; licet interdum, ſed rarenter in capite: & inde per totum corpus diffundebantur: Aliis quidem planæ minimeque extantes, ſed ſcabræ tamen in ſuperficie & colore ſubalbidæ: à quibus ſquamæ reſoluebantur, & caro ſub his corroſa apparebat. Aliis varis ſimiles, figura rotundæ: & ab his quidem ſquamis leuioribus reſolutis prominebat. caro rubicundior, ex qua virulentia fœtens & grauioris odoris profluebat. Nonnulli vero latioribus corripiebantur puſtulis, ſed quæ ſupra cutem non intumeſcerent, craſſiores ſquamas habentes; ex quibus etiam virulentia copioſior emanabat, & amotis ſquamis caro apparebat obſcurior ac ſubliuens, quæ inulcerata roderetur. Quartum genus erat, quod ſubalbidis ſquamis amotis cicatrici ſimile remaneret, à quo profluens interdum ſanguis difficultatem ſanationis oſtenderet, & ſimilitudine ſiccam ſcabiem repræſentaret, cæteris omnino deterius: & licet minus eroderet, ſerpendo tamen variis & intentatis inſidebat locis. Hoc autem morbi genus plebem plurimũ ſeruoſq; afficiebat, ex nobiliorib. vero paucos. Subſequebãturhuiuſmodi puſtulas, licet etiam interdũ præcederent, articulorum dolores, qui non minore cruciatu torquerent, ac ſeneſcentibus iam puſtulis plurimum inualeſcerent. Quod ſi medicamentis compingentibus intrinſecum quis conaretur extrudere humorem, continuo exortæ puſtulæ in gula & ore ægrotos male habebant. Ex quo etiam nonnulli ob incuriam medentis mortem obibant: aut, quod proximum eſt, eroſis faucibus, difficillime ſanabantur. Has autem nos impetiginis eſſe genera, quas Græci λειχῆνας vocant, iudicauimus. Quem etiam morbum Plinius, quod ex accepto oſculo mentum venaretur, Mentagram appellauit. Huius vero & Celſus quatuor ſpecies eſſe dixit, rubricam, ſcilicet, & nigram: tum & quæ ſerpendo procedit & quæ item bullulas varis ſimiles habet. Materiam autem harum puſtularum diuerſam quidem ſicuti diuerſa ſunt genera, iudicamus. Interdum enim acuta humiditas ſanguini mixta & erodens dominatur: Interdum craſſior, tenuiore parte abſumpta, & ad atram bilem verſa: Nonnunquam etiam atra ipſa inſurgit bilis, quæ ab acutiore humiditate non abſoluitur, & cutem perforans carnem erodit. Pari quoque modo exuſti humores ad naturam atræ bilis inclinantes efficiunt: qui ſi denſioribus occurrant membris, quæ perforare nequeant, figuntur ibidem, & dolores excitant vehementiores donec reſoluantur, aut tandem erumpant in puſtulas: quæ etſi alioquin fœdæ, & ad ſaneſcendum difficiles, ſine vllo tamen dolore, vt atræ bilis natura eſt, infectos premunt. Ex quo fit, vt qui eiuſmodi afficiuntur puſtulis, imperitis ſeſe medicis nonnunquam curandos tradant. Quibus ægritudinis huius cauſas penitus ignorantibus dum inter mali initia compingentibus vnctionibus illis mederi feſtinant, ſæpe eos aut in mortem, aut ſaltem in deteriorem, vel etiam penitus in inſanabilem compellant morbum. Nam cum huic malo cauſæ inſint difficiliores, & quæ vix remoueri queant, vt non ſine magno labore, ita nec ſine diuturnioris tẽporis ſpatio ſaneſcere poteſt. Quare qui ex his feſtinã ſanitatem quærunt, mortem plurimum, vt iam dictum eſt, aut ſaltem diuturniorem morbum nanciſcuntur. Si quis igitur, huiuſcemodi malo vexatus, ſibiipſi citra omne diſcrimen conſulere, ac certam ſanitatem acquirere cupit, his vtatur medicamentis atque conſiliis, quæ à nobis infra ponentur. Aſſerunt peritiſſimi Medici, ſi huiuſcemodi morbus toto diffundatur corpore, iiſdem medicamentis curationem ſuſcipere, quibus & lepra curatur. Quare cum iudicaueris ſanguinem his miſceri humoribus, deducique eos cum ſanguine poſſe, optimum præſidium erit, ſanguinem illico de vena media, quam Nigram Medici vocant, mittere. Cõtra vero ſi ineptos, & qui cum ſanguine minime fluere poſſint exiſtimaueris, æquare eos ac deducere medicamento debes. Non inutile tamen fuerit hirudinem, quam ſanguiſugam vocant, aut cucurbitulas, ea parte affigere, qua æger magis vrgetur. Præſidi indigentiam indicant, habitus corporis, rubor in loco, tumor venarum, & ſi puſtulæ ſanguinolentæ ſunt. Poſtea vero ad ea medicamenta confugiendum, quæ materiæ partem deponant: quod certe felicius fiet, ſi aluum duxeris eo medicamento,

quod

quod habet Myrobalanorum omnium partes duas, radicis Barbari partem vnam, agarici, polypodii, ſingulorum partem mediam, ſucci fumi terræ, ſenæ, & vuæ paſſæ, ſingulorum partem quartam. Quæ tudicula attrita bulliant in aquæ libris ſex, donec quarta defecerit pars. Tum decolata comprimantur, & additis mellitis libra, ſcammoneæ vnciola, & ſiliquæ Ægyptiacæ vnciis duabus, paruo igne in vnam redigantur compoſitionem. De qua deuoret æger vnciolam mediam. Demum aggredi debemus potiones materiam æquantes, vt ex fumo terræ, endiuia, aceto, ſaccharo, limonum citrique acido ſucco. Aut eã, quæ habet Myrobalanos omnes, fumum terræ, endiuiam, buglоſſam, meliſſam, borraginem, violas, abſinthium, thamarindum, epithymum & roſam. Quibus additis ſucco fumi terræ atque ſaccharo bulliant, & ad potionis formam redigantur. Materia tandem æquata deducatur aluus medicamento potentiore, quod deponat humorem quem excernere volueris: ſicuti ſena, polypodio, albo veratro lapide ſtellato, ſcammoneo, compoſitione filii Amech, Inda, & aliis multis quæ doctores extollunt dummodo non obliuiſcaris nutrire ea in lactis aqua: quæ ſiue in potione, ſiue buccella accipies, optimum & excellẽs auxilium inuenies. Verum quia humor non vna tantum vacuatione excernitur, iteranda hæc ſæpius erunt. Vltimo loco ea ſunt aggredienda præſidia, quæ extrinſecus adiuncta etiam conferre poſſint: vt in craſſiore & glutinoſa materia quæ incidunt: in tenuiore, quæ reſoluant: in media, quæ vtramque operationem concilient. Mollire interdum & dolores remittere opportunis præſidiis conuenit. Hoc autem malum tollit acida pars citri, gummi arabicum, gummi nucis plurimæ, ſtorax liquens, & ſinapis, ſi aceto liniantur. Saliua quoque hominis ieiuni, præſertim quæ dentibus inhæreſcit, præſentaneum remedium eſt. Aqua ſulphurea, aqua ſalita, & maris ſpuma, ſuccus pſyllii, oleum ex frumento, & ex violis, ſtorax & pix, armoniacus, helleborum, gummi rutæ, lithargyrium, tutia, reſina pini, argenti ſpuma, & ceruſſa. Serapion autem nitri partes duodecim, ſulphuris partes 14. excipiebat reſina copioſa, eaque vtebatur. Alii minio ſinopico ceram & oleũ ex roſa addunt, & eo inungunt. Nonnulli vero reſinam terebinthinam, argentum viuũ, maſticem, litargyrium, ceruſſam, thymiamaque excipiunt myrtino oleo & larido: & eo inungentes ſudare ægros cogunt. Nec poſtremo deſunt qui fateantur ſe ex ſolo potu medicamenti, quod habet laccam lotam, aloen ac myrti coctionem, ex eiuſmodi ægritudine ſanos euaſiſſe. *Beniuenius cap. 1. de Abditis.*

SPECIES.

OBSERVATIO.

Morbus venereus nouus, Borozail dictus, partes genitales potiſsimum infeſtans, diuerſus ab eo qui vulgo Gallicus dicitur.

REfert Theuetus, in vtraque ora fluuii Senega multa eſſe Regna, præſertim in ea, quæ meridiem ſpectat, Regnum Mely, in ea quæ ſeptemtrionem Regnum Tombotu. In his periti ſunt Medici multi, quos biſrains appellant. Morbus qui illic frequentius graſſatur Borozail nominatur, aut zail Æthiopum lingua, qui ex immodica venere, cui multum obnoxii ſunt, ortum habet. Genitales partes potiſſimum is occupat, in homine Aſab, in fœmina Aſſabatas nominatus. Ad huius morbi curationem decoctis multis vtuntur, ſed potiſſimum decocto herbæ, quæ Achanaca dicitur. Huius folia bifurcata & acuminata ſunt, Braſſicæ amplioris foliis ſimilima ſed non ita craſſa, & tenuiore coſta. In horum medio fructus naſcitur, oui magnitudine, colore luteo, quem Aluald nuncupant, alii leſach, nomine ſerpentis concoloris. Fructus is magno apud eos eſt in pretio. Tota planta tibiæ hominis craſſitudine. Ea in morbis curandis vtũtur, perinde ac nos Guayaco. *Theuetus tom. 1. Coſm. lib. 3. cap. 2. & hiſtor. plant. Lugdunenſ. lib. 18. cap. 132.*

SYMTOMATA ET CASVS VARII.

OBSERVATIO.

Lue venerea laborantium venæ vſque adeo pituita infarctæ conſpiciuntur, vt reliquum ſanguinem plurimum ſuperet; quemadmodum etiam muſculoſæ & dolorificæ partes.

PLures homines mortuos in hoſpitalibus ſecui, qui viuentes morbo gallico laborabant, in quibus venæ per vniuerſum corpus plenæ erant pituitoſa materia alba. Quæ pituita in quantitate longe ſuperabat ſanguinem, & loca etiam doloroſa madebant eadem materia pituitoſa: imo in aliquibus omnes lacerti madebant iſta iam dicta materia, & venæ quoque (vt dixi) repletæ erant illa materia. *Nicol. Maſſa Epiſt. 30. tom. 1.*

OBSERVATIO.

Gallicoſis internas partes vlceribus quandoque ſcatere.

NOn in externas duntaxat, quæ ſub aſpectum veniunt, verumetiam in interiores quaſq; partes, in ipſaque viſcera penetrat, quæ diſſectis mortuis comparent puſtulis vlceribusque fœda. *Fernel. lib. 2. cap. 14. de Abdit,*

Annotatione digniſſimum eſt, quod monet Fernelius, non in externis tantum & conſpicuis partibus figi malum, verumetiam in internas corrumpere. Viſa enim ſunt in apertis cadaueribus fœda vlcera & puſtulæ in ipſis viſceribus: haud ſecus ac exanthemata per morbillos eadem afficiunt. Noui ego plures, quibus ex variola magna, non ſolum trachea, ſed & pulmo ipſe fuit exulceratus. *Ioubertus lib. de Variola magna cap. 4.*

Fuit iuuenis, qui maximis tenebatur doloribus lateris dextri. Nullum ei remedium proderat. Poſtquam vero mortuus eſt, facta ſecandi poteſtate, animaduerſa eſt cicatrix circa genua: vnde facta coniectura eum Gallico morbo laboraſſe. Aperto corpore, inuenerunt quod morbo Gallico etiam interius totus laboraſſet: in diaphragmate videbantur maximæ puſtulæ. Vbi autem fuit dolor maximus, dum viueret, ibi ſtomachus habuit cauæ manus inſtar puſtulam, & inſuperincumbente cauo hepatis ſimilem aliquam puſtulam, vt vna alteram comprimeret. Ex ſchedis *Cl. V. Geſneri, communicante D. Caſp. Wolphio.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Iecinoris tunica à morbo Gallico eroſa.

EX morbo Gallico in quodam iuuene Romano ex patricia gente totam fere iecoris tunicam ambientem vidimus eroſam, de qua nunquam viuens conqueſtus fuerat. *Alex. Benedict. cap. 23. lib. 13. de Curand. morb.*

OBSERVATIO.

Gallicoſorum hepata aliquando vitiata eſſe. aliquando non.

EXiſtimarunt non inferioris claſſis autores, Gallicum conſiſtere in ſoluta vnitate hepatis: quod falſum eſſe cognouerunt peritiores anatomici: qui hepata infectorum marium & fœminarum diligentiſſime ſecuere, neque vllam continui ſolutionem cognouerunt in eorum viſceribus. Quanquam alii teſtantur ſe ex anatome percepiſſe iecur viri infecti ſcabie & puſtulis veluti quibuſdam affectum. Atq; ego memini vidiſſe, cum 18. ætatis meæ annum agerē, meretricis inſignis ſectionē Patauii, cuius hepar altera ex parte ſcabioſum pene totum erat, cū tamē nil aliud, incidentibus magiſtris, aut intrinſecùs aut extrinſecus appareret, quod præter naturam extaret. Fœmina erat pinguiuſculi habitus, candore corporis eximio prædita, cui amator Zelotypiæ cauſâ gulam fregerat. Quia vero ſatis conſtabat, eam meretriciā artē exercuiſſe forte 30. annorū ſpacio (agebat autem illa annū 46. vt ferebatur) oēs eā non ſemel tantum, ſed pluries morbo gallico laboraſſe: & vt erat benefica, & rerum ſuarum liberalis, eam putabant ſua plurimis poſcentibus, atque requirentibus, bona diſtribuiſſe. Interea ſecatur mulier, extruditur iecur, rei exitus ſumma cum attentione expectatur. Factum autem eſt, vt intuentibus nobis, nulla in viſceribus noxa viſa fuerit, præter ſcabiem in conuexa iecoris parte. Hæc autem etſi vera ſunt, raro tamen id euenire teſtatur anatome & experientia: ad quam tranſmittendi ſunt illi, qui de hac re ancipites eſſe non deſinunt. *Bernardinus Tomitanus lib. 2. cap. 13. de morbo gallico.*

OBSERVATIO.

Hiſtoria mulieris, quæ fœtum edidit cruſtoſis vlceribus vndique ſcatentem, cum eius coniunx morbo gallico affligeretur, ipſa vero ſana ſemper viſa eſſet.

NOui, dum Patauii iunior artium ſtudiis nauarem operam, quod vxor cuiuſdam iuriſconſulti, qui morbo gallico affligebatur, cum ipſa nūquā ſignum aliquod contractæ illius labis haberet, ſed ſemper omnino integra fuiſſet, fœtum tamen edidit cruſtoſis vlceribus vndiq; ſcatentem. *Trincauella lib. 11. cap. 17. de rat. curand. partic. corp. affectus.*

OBSERVATIO.

Seminarium morbi gallici, aliquandiu latere; & poſt vigeſimum aut trigeſimum annum denuo repullulaſcere.

TEmpore lues venerea reuireſcit, recurritque interdum poſt trigeſimum annum, tantoque interuallo mali fomes quaſi ſepultus deliteſcit. Et nihilominus, q tū expertos mali prorſusq; expeditos ſe putant, alios, cum quibus concubuerint, contaminant, prolemque gignunt ea lue conſperſam: indicium profecto, tum temporis mali fermentum in venis, in ipſiſque partibus reſeruari, & vt dicere ſolent, in ipſis quaſi medullis latere. *Fernelius lib. 2. cap. 14. de abditis rerum cauſis.*

Morbum Indicum reuerti poſt triginta annos à curatione Ingraſſias ſe vidiſſe refert: ego ſane poſt viginti duos, & occidiſſe, *Cardanus comm. ad lib. Hipp. de Aliment. pag. 266. edit. Baſil. in 8.*

OBSERVATIO.

Morbum gallicum aliquando degenerare in Elephantiaſin Græcorum.

QVod omnem admirationem exuperat, an non ex ſyphilide morbo ſæpe in Elephantiaſin tranſitus fit? id ego aſſerere ſancta fide poſſum, plurimos me vidiſſe, qui ex lue venerea neglecta aut potius celata, in Elephantem ceciderunt. *Valleriola lib. 5. obſeru. 7.*

OBSERVATIO.

Morbi gallici ſymtomata veteribus quoque medicis cognita fuiſſe.

LVem veneream hunc morbum nunc rectius recentiores appellant, citra alicuius gentis inuidiam. Tametſi autem ab eo bello quod Carolus Gallorum rex cum Alfonſo rege ad Neapolim geſſit, anno 1493. & 1494. plurimum ſæuierit, & tunc primum natus videatur: nonnulla tamen, quæ huius ſymtomata habentur, multo ante Medicis cognita extitere. Nam & ab immundis & ſordidis mulieribus iam olim nonnullos vitia quædam contraxiſſe teſtantur Guilhelmus Salicetus, Bernardus Gordonius & Valeſcus Tharantanus, quorum hic vixit anno 1418. Salicetus vero claruit circa annum 1270. Bernardus Gordonius medio tempore: omnes autem ante morbi Gallici aut luis Venereæ nomen orbi cognitum. *Dodonæus in annotat. ad cap. 1. Beniuenii de Abditis.*

OBSERVATIO.

Caluariæ putrefactione, ex Lue Gallica profecta, Epilepſia inſecuta, quæ vſtione ſublata eſt.

VIdimus Barcinonę militem Hiſpanum, qui cum ex lue gallica in putridam Caluariæ cariem incidiſſet, non multo poſt cœpit frequenter ac vehementer Epilepſia infeſtari, quam tamen (licet iam annum quadrageſimum ſuæ vitæ ageret) nunquam antea expertus fuerat, a quo ſymtomate is non multo poſt fuit penitus liberatus beneficio vſtionis cum ferro candente, atque aliorum præſidiorum ex conſilio noſtro adhibitorum, quæ putridam caluariæ cariem ſuſtulere, ex qua parte credidimus nos interdum laniei admodum prauę guttulam ſupra duram cerebri membranam deſcendere, & ita contractionis ac concuſſionis ad eiuſmodi moleſtiam propulſandam occaſionem afferre, atque Epilepſiam excitare. Nec quicquam in hac parte obſtet, quod Cerebrum ſit pars ſenſu deſtituta, & ita vel propriam quam in ſe continet, vel aliunde recipit vitioſam materiam percipere non valeat, nam licet hoc verum ſit de illius ſubſtantia, exquiſite tamen ſentiunt duæ membranæ quibus

tegitur

tegitur, veluti & neruorum initia quæ ab eo oriun-tur, quæ partes vbi moleſtiam percipiunt contrã-huntur aut concutiuntur, & vnà cum ipſis etiam i-pſum Cerebrum, non ſecus ac faciunt muſculi in ri-gore primos inſultus intermittẽtium febrium con-ſequente, qui & ipſi quatiuntur, vt vapores & mo-leſtos ſuccos detrudant, qui per carnes ſentientes deferuntur. *Vidus Vidius iunior lib. 2. cap. 18. de Curat. membr.*

OBSERVATIO.

Gallicoſi craneo aperto, deprehenſus Curculio ſupra duram matrem, quo ablato, æger à diuturno capitis dolore liberatus eſt.

EGo quendam noui lue gallica aliquando infe-ctum, qui cùm probè curatus eſſet, tamen longo & diuturno capitis dolore cum affligeretur, nec vllis remediis dolor ille curari poſſet, tandem Bononiæ (vbi tunc agebam) craneum per chirurgũ experti ſſimum, in frontis parte ſuperiori, in qua do-lor hærebat, apertum eſt, ac ſub eo inuentum ſupra duram matrem (vt vocant) nigriuſculum quid in-ſtar Curculionis (Curculio vero vel Curguleo, vt noſter amicus Hadrianus Iunius annotauit in ſuis nomenclaturis, Varroni vermis frumenta exinaniés dicitur, vulgari noſtra lingua Ein Calender) qui ver-mis cum ablatus eſſet, dolor iſte capitis miraculi in-ſtar ceſſauit, neq; amplius rediit, vt æger nobis nar-rauit. *Foreſtus ſcholio obſ. 2. libr. 9.*

OBSERVATIO.

Decennium poſt Alipticam & Hydrargyri inunctionem Gallicoſus recidiuam incidit, ſincipite diuturno dolore in-feſtato, eodemque oſſe computreſcente, accedente vtriuſque meningis putredine, & abſceſſu cerebri exci-tato, ſine febri ægro confecto.

ANno à Chriſto nato 1556. Coriarium quendam, tonſor, vt inuiſerem, rogauit, tatum affectum & obſeruatione dignum me viſurum dictitans. Is tametſi annos amplius decem poſt curationem per Hydrargyrum ita ſalubriter exegerat, vt videretur percuratus, repente tamen exorto in ſincipite dolo-re diutius perſeuerante, non modo eius partis os to-tum paulatim computruit exeſumq; eſt, vt fruſtula-tim excideret: ſed & cerebri vtraque meninx eadem putredine abſumta; ſubiectaque cerebri ſubſtantia in abſceſſum conuerſa eſt, vnde magna puris copia (miſerabili viſu) per multos menſes non ex ea tan-tum parte, ſed ex vtriuſque oculi angulis etiam ſtil-lauit: dentes exciderunt omnes. Hic tamen neque febri corripi (incredibile dictu) viſus eſt, neque cibi faſtidio multum premi, neque extenuari, dum ad ventriculos cerebri ventum eſt. Quo tempore mors repente hominem diu miſere afflictum è medio ſu-ſtulit.

Alios complures vidimus non minus crudeliter excarnificatos, ad longum tempus vitam produxiſ-ſe ſine vlla febre: niſi forte dolorum vehementia aut vigiliarum diuturnitate lentæ cuiuſdam ſpecies in-ducatur. Quæ etſi diutius perſeuerauerit, non tamẽ, vt parum in his verſatus & exercitatus exiſtimare poſſet, in hecticam degenerat, ſed remediis quæ luẽ eiuſque ſymtomata tollunt, interdum etiam febri aduerſis deliteſcit. Huc quoq; ſpectat, quod Medi-cis in artis quidem operibus diu verſatis & exercita-tis, ſed parum oculatis, ſæpe impoſuit; eos, qui vn-guento ex hydrargyro ſemel fuerunt inuncti, ægrè adeo medicamentis purgantibus moueri, vt ea du-plo validiora, quam ante, facile perferant. Quæ o-mnia ſi quis acriore animi acie intueatur. & ponde-ret iudicio: nonne à frigida quadam cauſa hæc pro-ficiſci exiſtimet, quæ non modo corporis noſtri na-tiuum calorem ita obtũdit, vt ęgre poſtea catharcti-cum è potentia in actũ reducat, ſed & partes omnes humoresque ita refrigerat & humectat, & in ſimilẽ ſibi qualitatẽm alterat, vix vt vel medicamentorum vim ſentire, vel inflammationem cõcipere poſſint. Summa autẽm hæc refrigerandi humectandique potentia niſi in tenui ſubſtantia conſiſteret, haud quaquam tantis operibus excelleret. *Fernelius lib. De Lue Venerea cap. 7.*

OBSERVATIO.

Gallicoſo cuidam internæ partes palati cum adiacentibus adeo vitiatæ, & tandem ſubito gangræna affectæ, vnde non tantum gurgulionis particulas, verum etiam ipſius cerebri quadam magna cum fœditate expueret.

VIcentius Boniuentus, patricius Clodienſis, à iu-uentute omnibus carnis voluptatibus addictiſ-ſimus, indeque quaſi conſumtus: ita tamen arrogãs, vt omnes præ ſe vno agreſtes ignobileſq; prædica-ret: poſtquam quinquies ligni ſancti; ſarſæparillæ, Mechoacæ decoctum aſſumſiſſet, terque, ſed fruſtra inunctus fuiſſet: tandem cuidam meretriculæ, me-dicinam peruertenti, ſe curandum tradit. Quæ qui-dem illum bene merentem talique medica dignum ita tractauit, vt magna inflammatio in palato, in oſ-ſe cribroſo, in columella & partibus omnibus illis adiacentibus, à mercurio male extincto & aliis cor-roſiuis facta, ſubito in gangrenam, & mox in cancrũ verum affectus terminauerit; adeo vt quotidie ali-quid ex partibus illis corruptis & putrefactis excrea-ret, & gurgulione, partibusque vicinis primo eie-ctis, eouſque progreſſum eſt, vt & demum cere-brum ipſum excreata per os expueret maximo cum fœtore. Quod proinde mirandum eſt, cum di-xerit *Hipp. 6. aph. 18.* Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, &c. lethale eſſe. Verum *Gal. eo in commento* aſ-ſerit, ſe experientia vidiſſe in Smyrna cerebrum val-dè vulneratum; ſanatum tamen fuiſſe: quod etiam multo melius teſtatur ipſemet *primo de ſympt. cauſ. cap. 2.* ita vt cerebrum ſicuti reliqua membra ſolutio-nem continui pati poſſit. Cum itaque præfatus Vi-centius condignas dediſſet pœnas, tandem meretri-cula illa Medica ſua ſeſe vino ingurgitánte & cum a-liis debachante in cupa miſerime ipſis omnibus ne-ſcientibus obiit. Ego interim Medicus conductus cum ibi, Clodiæ nimirum, eſſem, haberemque apę-riendi corpora amplam authoritatem nemine con-tradicente; imo conſentientibus ſuis amicis & con-ſanguineis, facta funerali pompa & prope monũ-mentum relicto cadauere. Clariſſimo viro Domino Marco de Nigris Clodienſi ſimiliter conducto Me-dico, collega meo multum colendo, præſente ve-ſpillone adiuuante, caput ſerra aperui, ſuiſque membranulis, prout potui, alliberaui: erat enim tantus ibi fœtor etiam ſub dio, vt nullus aſtare poſ-ſet. Nihilominus magna patientia ſummoque vi-dendi deſiderio ductus, ſuperiorem cerebri partem

cultello

cultello ſatis largo amputaui, & confuſis omnibus fere cerebri ventriculis, multum argenti viui cum cochleari in eis collegi, & illud ipſum chare reſeruaui. Atque intolerabili fœtore victus & exturbatus, veſpilloni cadauer ſepeliendum reliqui *D. Georgius Garnerus de obſeruat. propr.*

OBSERVATIO.

Gallicoſo cuidam infamis libidinis cerebrum à tencha piſcè ad infernas, vt credebatur, partes attractum.

IN Xenodochio S. Petri & Pauli, Andreas Lippeneus, ex nobili proſapia ſatus, ſcortorum tamen longe amantiſſimus, & (vt vltro fatebatur) perditiſſimus, poſt diuturnum morbum Gallicum, variaq; ſymptomata, egregia me hercle impudicæ Veneris ſerta, tandem in crudeliſſimis capitis affectum incidit, cui nullæ etiam excellentiſſimorum virorum manus auxiliatrices profuere, adhibitis, ſed fruſtra, omnis generis medicamentis, diæta etiam quaterrepetita, bis ſuffumigiis factis, & quinquies inunctionibus adminiſtratis. Nihilominus noctu diuque, ſed tamen magis noctu cruciabatur, vt frequẽter manus ſibi violenter inferre tentaret. Demum Empiricus quidam Flander, effrons, laudato pauone ſuperbior, cœlum terramque promittens, huic pauperculo, & doloribus quaſi enecato, & veluti deſperato, nobis neſcientibus piſces, tenchas vulgo dictos, plantis pedum alligauit, & fere per totum diem atque ſequentem noctem detinuit. At paulatim viribus animalibus & vitalibus in tanto cruciatu deficientibus, accepto inſuper condigno impuræ veneris præmio, hanc miſerrimam in meliorem per Dei gratiam commutauit vitam. Quo defuncto vltro mihi oblata eſt ipſum diſſecandi facultas, maxime cum illi & ſuis collegis omnibus præeſſem. Itaque collocato corpore in loco congruo, & capite compoſito, detonſis crinibus, à vertice per frontem & ſuperciliorum medium recta ad naſi vſque extremum ſectionem nouacula per cutem duxi. Deinde ab eodem vertice ad nucham fere aliam molitus ſum ſectionem. Et rurſus per modum crucis hinc inde ad tempora & aurium radices, idque propter vlcera gallicoſa, quibus ſcatebat, plurima. Ductis iſtis ſectionibus, eleuata eſt cutis vnà cũ carnea mẽbrana, atque ſerra craneum orbiculatim aperui, & à ſuis membranis, pia & dura matre, liberaui: at nihil cerebri in toto craneo reperi, præter quandam mucoſitatem & phlegma valde indigeſtum, quod vix quartam cranei cauitatis opplebat partem. Interim tantus fœtor ex pedum plantis, quibus admoti fuerant piſces, emanabat, vt nulli aſſiſtentium, nec mihi ipſi, ne dum per ſemiquadrantis horæ ſpatium, media in æſtate, ſæuiente maximo æſtu, ibi adeſſe licuerit. Vnde raptim aperto abdomine, feſtinanter viſis inteſtinis & naturalib. viſceribus, veſpilloni cadauer ſepulturæ tradendum reliqui. Interea non parum diſputatum eſt, an cerebrum à morbo gallico & venere conſumtum: an vero à piſcibus, pedum plantis admotis, per ſpinalem medullam & alios neruos attractum, necne. Clariſs. atque Excellentiſſ. Dominus Nicolaus S. Michael, alias Comalcus, aſſerebat credibilius eſſe cerebrum à morbo & venere conſumtum fuiſſe potius, quam à piſcibus illis attractum, propter infinita obſtacula, quæ in oſſibus ipſis, per quæ ferri debebat ipſum cerebrum, reperiuntur. Ex aduerſo quidam affirmabant, potiſſimũ Dominus Ioannes Siccus Medicus præſtantiſſ. ipſis piſcibus ſummam vim ineſſe attrahendi, nec proinde mirandum cum experientia doceamur quotidiana, multam ineſſe vim rebus, quarum rationem aſſignare aut reddere non valemus. Quare liberum fuit credere quod vnicuique ſecundum experientiam placuit. *Idem D. Garnerus de obſ. propriis.*

OBSERVATIO.

Cœcus quidam, altero oculo gallicoſus factus, hydrargyri inunctione à ſuffuſione & morbo gallico vindicatur.

QVidam, qui, antequam morbo gallico afficeretur, altero oculo cœcus erat, ſuffuſione déſiſſima (vulgus cataractam vocat) oculum occupante, hydrargyri inunctione à morbo Gallico & à ſuffuſione, quod maxime mirum eſt, euaſit, *Alexan. Traian. Petron. lib. 5. cap. 1. de morbo gallico.*

OBSERVATIO.

Vuula ex vlcere Gallico exeſa procidens deuorata.

NObilem nouimus, virum bonum, doctum, & meliori fortuna digniſſimum, qui ob luem venerearn ante plures annos contractam, alypticaex hydrargyro peſſime aliquoties ab imperitiſſimis barbitonſoribus fuit tractatus. Cui, præcedentibus intenſiſſimis & implacabilibus capitis atque dentiũ doloribus, facie prodigioſe tumida, tandem in faucibus vlcus ſordidiſſimum ſimul ac profundiſſimũ ad radicem gargareonis, ea parte qua fauces ſpectat, ſubito quaſi enatum eſt. Exeſa itaque palati tenerrima ſubſtantiâ, vlceris eluuies confertim erumpens, vna quoque vuulam, baſi ſua per eroſionem ſublata, ſede dimouit, ita quidem, vt ſaltem ex tenui fibrilla affixa in os propẽderet, miſerabili ſane & fœdo ſpectaculo, iactura vero irrecuperabili. Qui cum gargariſmis in rem præſentem præſcriptis parum caute vſus fuiſſet, per imprudentiam vuulam propriam diglutiens abſumſit. Vlcere proinde maligno ne latius ſerperet, pyrotico medicamento firmato, venenoque ſpecifica vi ignis domato, de cætero vlcus promte curatum fuit. Hoc vno incommodo relicto, quod vocem aliquantum raucam æger per interualla ex eo ſibi contraxerit. *Schenckius.*

OBSERVATIO.

Palati lacuna morbi gallici vitio aut aliter deperdita, vt replenda.

NOn raro fit vt bõbardulę igniuomæ miſſili globo oſſis palati portio fracta, vel virulentæ luis carie exeſa procidat, quo fit vt minus expreſſe loquantur ægri, ſed obſcurius & turbidius: his etiam opis aliquid adferre noſtra arte operęprecium duximus. Id fiet repleta palati lacuna argentea vel aurea lamina paulo maiore quam ipſa lacuna ſit. Cęterum craſſitie quæ aurei nummi ſolati craſſitiem non excedat, figura teſtudinea ad eius exteriorem, quæ ſcilicet cerebrum verſus ponenda eſt, partem, religata hærebit ſpongiola, quæ mox humore à cerebro ſtillante, vbi ſe iniurgitarit, ſic lacunam, tumidior facta implebit, vt excidere lamina ipſa nequeat, ſed

per

per ſe hæreat, ſtetq; tanquam defixa. Horum inſtrumentorum ſeu laminarum figura eſt eiuſmodi, quorum certum, & qualem enarraui vſum non vno, ſed frequenti experimento comprobaui in bellis Tranſalpinis. *Pareus lib.22.cap.3.*

Plura vide *apud Luſit.cent.5. curat.14. Traianum lib.7.cap.18. de morbo Gallico. Fallopium de eodem morbo cap.79. Rennerum pag.133.*

Observatio.

Gallicoſus biennium à curatione per hydrargyrum recidiuam cum periculoſa Angina incidit, quem imperitus tonſor repetita hydrargyri inunctione infami errore necauit.

NON ita pridem tonſor me ad viſendum ruſticũ quendam, bene habitum, & quadratum, deduxit. Qui cum duos iam annos ab inunctione ex hydrargyro omni dolore vacaſſet, ac omnino reſtitutus videbatur; in recidiuam incidit, qua duos iã menſes crudeliter admodum premebatur. Dolores acerbi tibias & brachia media obſidebant, atq; ipſas etiam ſcapulas, noctu grauius excandeſcentes, ſed omnium grauiſſimi in capitis externa parte figebantur, in qua etiam aliquid circa pericranium occalluiſſe plurimis in locis deprehendebatur, fauces quoque ingens vlcus ad palati baſim iam diu occupabat ſordidum, nihilominus tamen nec decumbebat, nec cibi faſtidio, nec ſiti premebatur, ſed munijs omnibus pro more vacabat, dum ſuperueniente inopinata deglutiendi difficultate, & viribus repente concidentib. in lecto manere coactus eſt, in quo eum deprehendi languidum cum pulſu frequenti & celeri, febre teneri, ac maxima difficultate non modo deglutiendi bibendiq;, ſed etiam loquendi: nihil interim tumoris foris in faucib. vt neq; in amygdalis apparente. Quis non hic agnoſcat periculoſam Anginam Luis recidiuæ implicitam, omni celeritate accommodatis remedijs, Lue etiam neglecta, curandam? At imperitus tonſor moræ impatiens, lucro inhians, omnia deglutiendi ſymtomata ad faucium vlcus pertinere credens, ſtatim me inſcio ſuis ſeruis inungendum aut potius miſere iugulandum ægrum commiſit. Itaq; vnguento proritata fluxione noua, biduo exſtinguitur. Haud mitius cum alijs multis agitur Lue venerea correptis, ſi vel febris adſit continua, vel etiam grauis morbus aliquis, cuius poſtponatur curatio. *Fernelius lib. de Lue Venerea.*

Observatio.

Raucedo pertinax, annum integrum durans, & curationem omnem eludens, nonniſi morbo Gallico, à quo pendebat, curato, cedit.

SVperioribus menſibus iuuenis quidam robuſtus, arculatius, annorum viginti quatuor, tam pertinaci raucedini obnoxius, vt eadem per annum integrum vexatus ab aſtantibus vix intelligi poſſet, & remedijs multis fruſtra tentatis, nihil proficiebat Qui, neſcio cuius conſilio, ad aquas medicatas ſulphure & alumine imbutas, octo miliarijs ab Auguſta diſtantes, atque à corio nomen habentes, ſe recepit. Ego vero forte ad ægrum quendam eo vocatus & cõſultus, raucedinis huius ſuæ cauſam penitius exquirens, morbo Gallico eum laborare deprehendi, ad quem pertinax iſthæc raucedo conſecuta fuerat. Pilula itaque vna ac altera ex turbetho minerali exhibita, non ita multo poſt melius habere, atque clara, expedita, inoffenſaque vti cœpit. *Thobias Cneulinus de obſeru. propriis.*

Observatio.

Gallico morbo affectus poſt alipticam hydrargyricam ventriculi anguſtia preſſus argenti viui pateram vomitione reiecit.

MIrum eſt quendam, qui ter duntaxat ſecundum brachia vnctus fuerat, per aliquot dies pondus & anguſtiam in ventriculo ſenſiſſe, deinde, cum latrinæ ſemel inſideret, argenti viui pateram fere vomuiſſe, vt multi adhuc teſtati ſunt, & literis prodiderunt. *Alexand. Traian. Petron libr.5. cap.1. de morbo Gallico.*

Observatio.

Medicamento ab imperito chirurgo ad ſtranguriam exhibito ſcroti tumor prouocatus, quem idem diſcutere volens, ad ſuppurationem perduxit, atq; ægrum altero teſticulorum priuauit.

STranguriȩ multo tempore obnoxius, quidam celebrem, vti ſibi videbatur, chirurgum adit, remedium certum affectui ſuo petit, querens plurimorum medicamentorum vſu nihil profeciſſe ſeſe. Chirurgus, gloria inflatus, & pecuniæ auidus, aquam chymicam longe omnium prædicatione ſua efficaciſſimam, familiæ propriam atque ſecretiſſimam ei commendat. Bibit hanc panaceam credulus homo aliquoties, cuius vi eo vſque ſcrotum & teſtes intumuere, vt iam pueri ſemeſtris caput magnitudine referret, tantumque abeſſet vt vrina expeditius flueret, quin iam auctis doloribus guttatim omnino extillaret. Vocato rurſus chirurgo, euentum curationis miſer homo denuo ei recenſet. Qui viſo tumore duro admodum & altera ex parte ſubrubente, mox aliud præſens auxilium ei pollicetur. Adornatur magno apparatu ex althæa, malua, fœnugræci, lini ſemine, pulu. radicis iridis Florentinæ, oleo chamæmelino, & alijs cataplaſma pepticum ſimul & paregoricum, quo ſcrotum inuoluitur, quotidie ſemel detrahitur, & recens aliud ſimile ſufficitur. Qua curandi via vterq; ſecurus euentum ex bona fortuna præſtolantur. Interea dolores remiſſiores facti, ſcroto etiam nonnihil ſubſidente, bonam ſpem felicis curationis promittebant. Verum dum paulo exactius ſcrotum ea regione, qua ſiniſter teſticulus ſitus eſt chirurgus notat, ecce liuida admodum cutis macula qua parte locus prius ſubrubidus viſus erat, apparet, qua tamen neglecta, denuo cataplaſmate tegit. Sequenti die vbi rurſum ſoluit, iam manifeſta ſuppuratio non tantum liuidæ ſcroti partis, ſed & præterea ſiniſter teſtis pepticis huiuſmodi & malacticis ad ſuppurationem perductis, in conſpectum venit, vna cum magna puris eluuie, quæ teſticulum ſuppuratione corruptum circumquaque comprehenderat. Chirurgus eo viſo perterritus, craſſum ſuum & pernecinum errorem diſſimulans, patienti perſuadet, vlceris conſolidationem nonniſi quibuſdam neceſſarijs prius exectis inſtitui poſſe. Annuit ille: partibus putrilagine conſumtis vna cum teſticulo corrupto furtim ablatis, menſibus aliquot inde ſcrotum plane percuratum eſt. Porro, vir optimus, dum forte teſticulos ſuos manibus pertentando requirit, alterum ex his deſiderat: cum chirurgo

expoſtulat, qui rem, vti habebat, faſſus, ſe excuſat, quod aliter curationem perficere haud potuerit: patiens contra hominem in ius vocare conſtituerat, niſi eum dignitas & publicum opprobrium auocaſſent. Peſſime itaque mulctatus, ſtranguria ipſius nihilominus etiamnum porro perſtitit. Ventum ad me, inquiro de omnibus ante actis diligentiſſime, tandem ex ſignorum ſyndrome hominem ex impuro concubitu non ſimplici & vulgari ſtranguria, ſed ea quæ cum contagio & charactere gallico coniuncta erat, & vulgaria medicamenta reſpuebat, contaminatum fuiſſe comperio. Quare ligni vſum cum alijs ad ſtranguriam gallicam pertinentibus decerno, eumque alij chirurgo, qui vel hodie quoque viuit, abſoluendum committo. Vnde perfectam ſtranguriæ curationem per tot pericula & calamitates aſſecutus tandem eſt. Liquido autem ex hac hiſtoria perſpicere licet, imperitiſſimorum audaciſſimorumque chirurgorum & empiricorum temeritatem publica caſtigatione digniſſimam, qui nulla vel naturarum, partium affectarum, aut medicamentorum cognitione inſtructi, indiſcriminatim ſibi, magno faſtu, quoſuis affectus curandos ſumunt: id quod huic noſtro, cuius animæ, quoniam ante annos aliquot fato functus eſt, Deus parcat, euenit; qui primum, grauiſſimo & turpi errore, ſtranguriam vulgarem à Gallica interſtinguere neſciens, potentiſſimo medicamento gallicæ ſtranguriæ virulentam materiam ad teſtem & ſcrotum deturbauit: errorem deinde errore alio ſarciens & geminans, diaphoreticorum loco, omni reuulſione præterita, malacticis partes ſanas diuturna remollientium applicatione ad ſuppurationem deduxit; vnde alterius teſtis irreparabilis iactura, tantique temporis diſpendium, cum horribilibus cruciatibus multis modis miſerum ad extremas anguſtias adegerunt. *Schenckius.*

Observatio.

Stranguria Gallica, intempeſtiue ſuppreſſa, ſcrotum perforatum vrinam inde & purulentiam tranſmiſit: ægro paulo poſt Atheromate gallico circa nates oborto, & Tabe ſublato.

IN principis cuiuſdam viri Aula, Nobilem nouimus, annos circiter triginta natum, aliquoties alipticam Hydrargyricam, cũ ligni decocto, à Chirurgis & Medicis adminiſtrata, infeliciter expertum. Huic, ob intempeſtiuam fœdæ ſtranguriæ gallicæ ſuppreſſionem & curationem, eadem eluuies, non tantum ſerpendo & erodendo, in ſcrotum vſque penetrauerat, verum etiam ſcrotum ipſum perforans in eodem exulcerationem & fiſtulam excitauit, quæ per interualla iam vrinam, iam purulentiam viroſam tranſmittebat. Ea temporis progreſſu, aucta indies putrilagine, chirurgo cuidam curanda demãdatur, qui repletum diſtentumq; ſcrotum ſubinde exſtringere & repurgare tum balſamo ſuo per ſyphonem immiſſo conſolidare, turundiſque obſignare contendebat. Quo facto, vrina nihilominus bona ſui parte per ſolitum & legitimum meatum quoque profluebat. Cæteroquin, cum vlcus nulla chirurgi induſtria & arte conſanationẽ admitteret, iamque menſes aliquot hac medendi via, non ſine ſummo & certo ægri periculo, creſcentib. interim putredine & corruptione interna, conſumſiſſent; vterque, æger & chirurgus, morbum porro minime celandum, ſed medico quoque aperiendum, detegendumque decernunt. Vocatus itaq;, curationis pro tempore adminiſtratæ modum, chirurgus recepto more exponit, ſimul etiam, nudato tumido iam ſcroto, penicillum ex vlcere ſoluit, vrinam primum, mox quoque ſaniem, ſua ſponte profluentia, ſubſidente poſthæc nonnihil ſcroto, oſtendit. Specillum, vlceris pertentandi cauſa, immitti præcipio. Quod dum minimi digiti longitudine, ſine magno admodum dolore, intrudi video, confeſtim latentis internæ putrilaginis & vomicæ inſignis malignitatis certum argumẽtum capio: conſentiente etiam, quod paulo ante inſtitueram, neceſſario ægri medico examine: id quod funeſtus euentus, non ita multis menſib. poſt, liquido declarauit. Ex quo enim nuptias cum Nobiliſſ. Virgine celebrauit, vino & veneri liberalius indulgens, circa coccygis oſſa dolor implacabilis obortus & natium ſiniſtra in magnum tumorem & ruborem excreſcens, inibi vlcus aliud protulit. Cui vnico atq; altero ex Diachylo cum gummis apparato emplaſtro impoſito, id quod dudum ſuppurauerat apertũ, magnam fœtentis puris vim, pulti quam ſimillimam, profudit. Virib. tandem exhauſtus & medicamentorum vitæq; pertæſus, cum parum ſpei ſupereſſe intelligeret, Atheromate illo Gallico pulpoſam natis affectæ carnem ſenſim conſumente, accedente inſuper totius corporis febricula & tabe, Anno 1578. vitæ finem, non ſine dolenda ſorte, fecit. Videant igitur imperitiſſimi chirurgi, ne temerario auſu virulentum fluorem in Gallica ſtranguria præter rationem ſupprimant, & remeanti materiei ex fœda Gonorrhœa intus collecta abſceſſibus tam circa teſticulos, aut in perinæo, circumſitiſq; partib. quo pus tetrum & grauéolens effunditur, fiſtuliſq; inde natis, cum certo vitæ periculo, autores ſint. *Idem Schenckius.*

Observatio.

Stranguria virulenta quibuſdam conſeneſcit & commoritur.

HAVD negligi vel ſegniter curari id malum debet, nam ex ſeſe pernicioſa accidentia inuehit, &, neglectum, incurabile euadit, adeo vt per totam vitam ſanie virulenta quibuſdam vrethra fluat. Sæpe & vrinæ ſuppreſſio ad hæc mala accedit, inflammatis tumefactiſque ſupra modum proſtatis & veſicæ ceruice. Inflammationem iſtam augent, vnaque iſchuriam faciunt coitus, vſus ciborum vel acriorum vel flatulentorum, produnt vero & quaſi exacerbant lunæ exitus ſeu menſium fines, ab eiuſmodi iſchuria certa mors venit, vt in quodam animaduerti, qui decennium totum ſtranguria virulenta vexatus, tandem ex ſuppreſſa vrina interiit. Solebat ille Iſchuria prehendi quoties vehementius exercebatur, ſeque illa leuare immiſſa argentea fiſtula, quam eo conſilio in omnem euentum ſecum ſemper circumferebat. Accidit die quadam vt eam in veſicam vſque intromittere non poſſet. Me igitur accerſit, qui vrinam ipſi cierem. In quam rem cum nihil non tentaſſem, fruſtranei fuerunt omnes mei conatus. Mortuo & diſſecto, veſica vrina differta, & quam diſtentiſſima animaduerſa eſt, proſtatæ vero præter naturam tumentes vlceratæ & pure differtæ, ei ſimili, quod ipſi ſtillare per vrethrã ſolebat. Ex quo intelligere licet à proſtatis manare

ad vi-

id virus, quod per virulentam ſtranguriam ſtillat, non à renibus, vt plerique opinati ſunt. Certe ſtranguria virulenta, ſi inueterauerit, particularis lues quædam venerea cenſenda, adeo vt niſi frictione ex hydrargyro nequeat curari. *Pareus libr. 18. cap. 18.*

Observatio.

Naturalia in morbo Gallico eroſa & clauſa.

MVlierem vidimus, cui morbus, quem vulgo Gallicum appellant, totam vuluam eroſerat, & incuria medici quicquid eroſum fuerat, oris inuicem iunctis, obcalluit. Indeque ſola vrina, & ea ex paruo quidem foramine, reddebatur. Huic nos (propterea quod callus ipſe altior eſſet, quam vt citra mortis diſcrimen incidi poſſe exiſtimaremus) conſuluimus, vt incurata potius viuere, quam tanto ſe periculo exponere vellet. *Beniuen. c. 31. de abdit.*

Ciuis quidam apud nos penem habuit carioſum, multis foraminibus, glandem ambientib. ſcrotum habuit exulceratum, & dextrum teſticulum valde tumidum, ſine magno dolore. Cumq; fruſtra vſus eſſet chirurgorum conſilio, ad lithotomum acceſſit, qui teſticulum corruptum exemit, & vlcera conſolidauit: ſed meatus vrinarius in glande, culpa huius imperiti chirurgi, plane fuit obſtructus. Itaq; vrina, alium exitum quærens, per foramen paruum in parte inferiore penis, prope ſcrotum, profluxit. Elapſo anno in eundem morbum incidit, & in pene atque ſcroto vlcera plurima repullularunt. A me vero tandem decocto Sarſæ pariglię, & alijs medicamentis conuenientibus, perfecte curatus eſt. Sed meatus vrinarius verus aperiri, & foramen, per quod vrina profluxit, (in fiſtulam namq; degenerauit) conſolidari non potuit. Nunc autem bene habet, ſed vrinam more mulierum reddit etiam ſemen genitale in coitu per idem foramen, vt ipſe refert, emittit. *Doctiſsimus V. Ioan. Francus Hildeſius, de obſeru. propriis.*

Observatio.

Gallicoſus quidam toto fere corpore verrucoſus.

VIllicum quendam infinitas propemodum verrucas ex contagio Gallicanas contraxiſſe recordor, ita vt non ſolum circa membrum virile, anum, pudenda, nates, ſed & femora exortæ ſint, quarum nonnullæ magnitudinem auellanæ non ſolum æquabant, ſed & ſuperabant. *Leonard. Botallus cap. 8. lib. de morbo gallico* hiſtoriam cuiuſdam Hiſp. conſimilem recenſet, ſed mirandum ſane ipſum, & Fallopium duntaxat, inter tot Gallicæ luis conſcriptores, quot duobus magnis voluminibus Iordan. Zilletus collegit, harum Gallicarum verrucarum curatu difficillimarum nobis curationem tradidiſſe. *Marcellus Donatus lib. 3. c. 5. de hiſt. med mirab.*

Observatio.

Quidam è ſyphilide morbo in phlegmonem ſcirroſam prope coxendicem incidens, gangrana eius partis correptus eſt.

NObilis quidam ſyphilide morbo correptus ingentem phlegmonem, ſcirroſam prope pudenda patitur: fit abſceſſus cum ſinu magno ad coxendicem, gangræna in loco affecto cum ſumma putredine exoritur, vt ſectionibus multis opus fuerit: magno labore curatur. *Valleriola lib. 5. obſeru. 7.*

Observatio.

De Morbo Gallico cum hectica, duplici tertiana, & alijs.

VIrum Illuſtrem Franciſcum Inaram Hiſpanum, præfectum ſtipendijs bellicarum machinarum, qui iam quinquennio perpetuo, magno patientiæ exemplo, non ſolum morbum Indum pertulerat, ſed à diuerſis Medicis excarnificatus, & pecunia magna ſpoliatus (referunt n. ſupra mille aureos coronatos in Medicos conſumſiſſe) iam nihil reliqui habebat. Erat enim hecticus, duplici tertiana laborabat, vlcera in capite ſerpentia & inſanabilia: nec oſſa detraxiſſe profuerat, vigil, tabefactus totus, ac cum gypſeis tuberibus in cruribus varijs doloribus conflictatus, nihilominus vnico præſidio vini Indici ligni diebus in octuaginta, in quibus totidem accepi coronatos, plane pleneque liberaui, reſtituta carne, colore, vitib. vt poſtea plures ſuſceperit filios, & nunc beatus viuat. Porro Indici vini deſcriptio hæc fuit: Vinaciola optima cortex eius ligni in puluerem redactus, cinnamomum noſtrum, gariophyli, lachryma abietis lota, roſmarinus, ſaluia, S. ſampſuci, thalſpi, bugloſſa, borago, meliſſa, radix enulæ, ſtœchas, betonica, chamæpytis, ſulphur non expertum ignem, ſena, cyclamen, colocynthis, camphora, mel, ſerapium è fumaria, modo è ſucco, modo ex infuſo cum rore, thus, elleborus, cardamomum maius, piper, eupatorium, xiloaloes. Prandebat paſſam vuam edens, cœnabat comedens elixum pullum, & panem in iure intinctum, ſumebat tum vuas paſſas. Verum hæc multo poſt, ſcilicet poſt reditum è Scotia. *Cardanus curat. admirand. num. 12.*

CVRATIO.

Observatio.

Gallicoſi tabidi facti, decocto ſarſæparillæ reſtituti.

GEneroſus quidam Dominus, occulta morbi ſyphilidis ſemina ſecū circumferens, & ad extremam maciem deductus, cōuocatis aliquot Medicis, eorum conſilium ac auxilium implorauit. Qui, et ſi non ignorarent, eum aliquando in faucib. vlcus habuiſſe, & de brachij ac tibiarum doloribus aliquandiu conqueſtum eſſe: tamen collatis ſententijs (neſcio an timiditate quadam, an vero deſperatione) ſtatuerunt eum Maraſmo incurabili laborare; ideoq; prognoſticis relinquendum, & à medicamentorum exhibitione abſtinendum eſſe. Ipſe igitur omnem ſalutis corporis ſpem abijciens, tantū de beata ex hac vita migratione fuit ſollicitus. Tandem aliorum inſtinctu me quoq; ad ſe vocari iuſſit, omnia ſymptomata diligenter mihi expoſuit, imprimis vero de grauiſſimis doloribus brachia & tibias, præſertim de nocte infeſtantib. & ſomnū ſibi adimentib. conqueſtus eſt. Ex his & alijs ſignis, abiecto omni metu, palam pronunciaui eū non Maraſmo, ſed morbo Syphilide laborare. Et quanquā, conſumto corpore, ac in tanta virium imbecillitate, nihil certi de recuperanda valetudine poſſim polliceri: non tamen omnem ſalutis ſpem abijciendam eſſe; meq; (ſi modo obtemperare meis conſilijs velit) probi Medici officio functurum promiſi, Deumq; ſua benedictione nobis adfuturum non dubitaui. Annuit. Corpore igitur ſyr. de fumaria Fernelij, & alijs præparato, exhibui ei

medicamenta leniter purgantia, deinde decoctum Zarſæ parillæ propinaui, de quo cum dies 14. bibiſſet, & quotidie parum ſudaſſet, dolores in tibijs ac brachijs paulatim remiſerunt, ita vt noctu ſomnum capere poſſet. Deniq; virib. indies magis magisque confirmatis, & diutius ſudauit, & tandem Dei beneficio ſanitati eſt reſtitutus.

Alius quidam vir nobilis, eodem morbo laborans, in celeberrimis Germaniæ ac Poloniæ vrbib. ſepties decoct. ligni Guaiaci & Zarſæ parillæ biberat, ac ſexies à chirurgis Mercurialib. vnguentis inunctus ac mire cruciatus fuerat. Et tamen morbus ſemper recurrit. Venit igitur ét in hoc oppidum, vix oſſib. hærens, pedib. & manib. vacillantibus dolores grauiſſimos ſuſtinens, ac chirurgi noſtri auxiliũ implorans, qui eum denuo vnguento Mercuriali inunxit, quo incredibilis prauorum humorũ copia per os expulſa eſt, vt ſingulis horis virib. deficientib. animam exhalaturus crederetur. Cumq; etiam vrina omnino ſupprimeretur, me quoq; ad ſe vocari iuſſit. Paucis adhibitis medicamentis vrina iterum profluxit. Bonam igitur ſpem de me concipiens, magnopere rogauit, ne in grauiſſimo hoc ſuo morbo ſibi deeſſem, ſeque iuſta mercede mihi labores meos cõpenſaturũ promiſit. Poſtquã igitur materia non amplius per os effluxit, aſſumto cibo vires paulatim ſunt confirmatæ, decoctum Zarſæ parillæ & rad. garyoph. additis paſſulis, &c ei propinaui, quo factum vt paucis dieb. nõ modo ſanitati ſit reſtitutus, ſed etiam magna omnium, qui eum nouerunt, admiratione, valde corpulentus & obeſus factus eſt. Sed huius beneficij memoriam facile depoſuit, & quod promiſit non præſtitit. Hæc ideo annotaui, vt Medici intelligant, cognito morbo etiam grauiſſimo nõ facile eſſe deſperandum, & ſi morbus iſte vnguentis Mercurialibus non penitus extirpetur, nihil eſſe cõmodius quam vt decoctum Ligni aut Zarſæ parillæ poſt inunctionẽ per dies aliquot propinetur, etſi vlcera ét contumacia adſint, Turpetum minerale bene præparatum cũ theriaca aut elect. de ſucco roſ. illis bis vel ter exhibeatur. De *CL. Io. Franci Hildeſii Cameniceni obſeru. rarioribus. D. Scholzio nobis tranſmittente.*

OBSERVATIO.

Hecticus ex morbo gallico, vt reſtitutus.

QVidam putabatur hecticus cum intenſis vigilijs, dolore capitis & membrorum, ratione morbi gallici: reſtitutus eſt hac potione. Item. Alius quidã patiebatur ſummos dolores ventric. & febriculã, & vix difficulter potuit à Medicis reſtitui. Potio hæc erat: ℞. aq. Lupul. aq. beton. aq. hordei an. lib. iiij. vini græci lib. v. lign. ſancti, cort. ligni eiuſd. ana vnc. 8. ſyr. papau. lib. 5. Fiat infuſio per horas 12. in olla noua inuitreata, decoq. ad tertias lento igne, cum cooperculo pertuſo: tum depoſitum ab igne refrigerari ſinito & colatum ſeruato in loco frigido. Ex eo ſumſit mane vnc. 5. loco ſyr. & deinde coopertus cubet in cubiculo calido. *Solenander ſect. v. conſ.* 15.

OBSERVATIO.

Caſu quidam à morbo Gallico liberatus.

SCatebat quidam è grege mendicabulorum lue venerea, aliquot diebus vniuerſum corpus equino fimo obruit, vt tantum eſſet, qua reſpiraret. Erat ſtercus ſtabularium, equino lotio ſæpius perfuſum, quodque iam computruerat. Effecit ille hac arte, vt totum virus exprimeret: addidit aliquoties enchriſton ex axungia, larigna & hydrargyro. Nec alia vitæ lex ſeruata eſt, quam mantica offerebat: atque his remedijs curatus eſt. *Hollerius lib. 1. cap. 2. Inſt. Chirurgic.*

OBSERVATIO.

Noua nec ita de vulgo cognita remedia ad morbum Gallicum alia.

GRandiorem iuniperum, quæ Cædrum maxime æmulatur, Harar vocant Arabes, Afri nominant Ettalch. Eius medulla in Numidia candida, in Æthiopia nigra, in Libya purpurea: qua in ſcobem comminuta dicuntur Afri medici feliciſſimo ſucceſſu vice Guaiaci ad morbum Indicum profligandum vti. Hunc tres nationes, Galli à Neapoli vbi ſe inueniſſe putant: Itali à Gallis, in quibus primum aiunt ſeſe illum conſpexiſſe: Germani ab Hiſpanis, qui ex India tam præcioſam mercem conuexerunt, nominant. Ego merito ac iure, Indicum. *Scaliger.*

Deſtillatur aqua ex floribus & cauliculis herbæ Violæ multicoloris, vulgo floris Trinitatis dictæ, quæ in morbo Gallico datur per nouem vel plures dies mane & veſperi vnc. iij. & ſudet: commendatur à multis. *Camerarius.*

Buxi virgulta lignum & folia decocta Guaiaci modo ſudores eliciunt, famulam pauperculam Anglam à lue venerea vindicatam huius decocto memini. Ditioribus propter ingratum & tetrum odorem reijcitur. *Lobelius in obſeru. Stirpium pag.* 562.

Similem hiſtoriam require *apud Amat. Luſitanum cent. 3. curat.* 4.

Circumforanei Beticæ Medici, decoctum Hippogloſſi Valentini (quæ vulgo herba terribilis dicitur) propinare dicuntur ijs qui ſcabie Gallica laborant, non ſine magno (vt aiunt) ſucceſſu. *Cluſius lib. 1. cap.* 41. *hiſt. ſtirp. per Hiſpanias obſeruatarum.*

Mira facultate præditus eſt arboris Hyvourabe cortex & Guaiaco non inferior putatur, ideoque à Chriſtianis iſtic degentibus illius loco vſurpatur. Eius vero vtendi ratio hæc eſt: Corticis minutim conciſi certa quantitas in aqua decoquitur, trium aut quatuor horarum ſpatio, donec vini rubri dilutioris, ſeu clareti colorem contrahat. Ex eo decocto bibunt per quindecim aut viginti continuos dies, obſeruata leui diæta, luiſque venereæ doloribus ita liberantur. Verum non modo vtile eſt hoc decoctũ in morbo Gallico, ſed etiam in reliquis frigidis pituitoſisque: nam humores extenuat, & exſiccat, nec iniucundum eſt palato. *Teuetus lib. ſingul. cap.* 50.

Vinum, in quo Maraſſi ſuffocati fuerint, ſi bibatur, morbo gallico mederi certo experimento tradunt. *Alyſius.*

OBSERVATIO.

Sola, eademq; certa locorum, aeris mutatione, morbum Indicum aliquando curari.

QVi morbo Indico laborant, ſi in Numidiam, aut in Nigriticam ſeſe conferant Æthiopiam, ſolius Cœli beneficio, ſine vllis medicamentis cõualeſcunt. Apud Malabaros, morbus is, Pua, nominatur: quæ vox neq; à græca eſt aliena, & ſapit veterem latinam. Sic cecidit Tidòr incolis Molucarum: eadem, qua nunc græcum vulgus vtitur, agnoſceret appellatione, oculum, Matha: ſicut ab ijſdem, Batis,

pes

pes dicitur: communi cum Græca, atque ante hanc hebræa, origine. *βα, βαω, βάσις. Scaliger exercit.* 181. *num.* 19.

Observatio.

Cephalalgia, aurium tinnitus articulorum confractio & puſtulæ ſiccæ ex Gallico morbo profecta, vt curata.

CVidam è luis venereæ reliquijs capitis dolor, aurium tinnitus, & veluti articulorum confractio, dolor, puſtulæ paruæ celeriter inareſcentes cōtigerunt. His conualuit remedijs. ℞. radic. ireos, acor. fœnic. ana vnc. ſ. radic. gran. & acetoſ. ana drach. vj. ſummit. lupul. fumar. abſynth. beton. ana M. ſ. ſalu. P. ij. ſeminum aniſi, fœniculi, melon, limon. cucum. ana drach. ij. paſſul. hord. glycir. ana P. j. fol. ſennæ mund. vnc. iij. agar. trochiſ. vnc. j. ſ. fiat decoct. ad quart. iij. In colatura diſſolue ſacchari albi quart. iij. fiat ſyrup. mediocriter coctus ſecundum artem. ℞. ſupradicti ſyrup. vnc. j. ſ. hydromelit. vnc. iij. fiat potus. Vtatur interuallis. ℞. pulueris ſpecier. hieræ diacolocinth. drach. ij. puluer. hieræ picr. agar. troch. an. drach. j. mac. roſ. & maſtich. ana ſcrup. j. ſem. citr. limon. ana ſcrup. s. croc. gran vj. cum ſyr. de ſtœchade fiant pilulæ. Vtatur interuallis. ℞. raſur. ligni ſancti lib. s. maceretur per tres dies in tribus pintis aquæ, deinde coquatur ad dimid. Vtatur mane initio paſtus, & ſub ſomnum. Ab his tempeſtiuus fuit illitus ſcapularum, ſpinæ, articulorum. *Hollerius obſeru.* 5. *libelli proprii.*

Observatio.

A tophis & doloribus gallicis liberatus.

QVidam curatus eſt tophis & doloribus hac potione ℞. ligni Indici raſ. lib. 1. aq. lib. 12. fol. card. bened. p. ij. ſem. card. bened. p. j. iuæ arthrit. marrub. ſalu. rad. enulæ, ana vnc. s. ſummitat. attractylid. vnc. ij. Macerentur diem vnum in olla vitrea: deinde bulliant leui igne, & ſine fumo ad medietatis conſumtionem. In colatura refrigerata decoquãtur vnc. iiij. palm. ſanct. pulucrat. ad dimid. In alio vaſe macerentur per diem vnc. ij. cortic. palm. ſanct. cum vini albi odoriferi cheopinis tribus; deinde miſceantur cum priore decoctione, & coquantur omnia vnica ebullitione, colatura bibatur mane in lecto, initio paſtus, & ad ſomnum. Rurſus magma ſupradictorum coquatur in lib. 8. aq. ad dimid. & ſub finem decoct. adde vini albi lib. j. Vtatur tempore ſitis interdiu. *Hollerius obſeru.* 6. *lib. proprij.*

DE BRVNNO GALLICO.

DESCRIPTIO ET CVRATIO INtegra.

Observatio.

Lues noua Morauiæ.

BRVNNÆ lues, cuius hiſtoriam pertexere inſtituimus, miſeranda coorta eſt: quæ licet paucos iugulauerit, eoque peſtilentis denominatione minime inſigniri debuit, inſolita tamen facie, horrendis ſymtomatis, intra duorum triumve mēſium ſpacium ad octoginta oppidanorum corripuit: ſuburbanorum ſupra centum dicantur infecta, in campis omni auxilio deſtituti, paſſim oberrantes, viſuntur infiniti. E cenſu eorum fuere etiam Equeſtris ordinis viri ciues ſpectatæ fidei & probitatis, matronæ famæ integerrimæ, intemerata̧que pudicitiæ virgines. Quid morbi eſſet, latuit initio omnes: magnus interea tumor, multa vociferatio, cauſarum nulla apud plebem imperitam diſquiſitio. Colluuies agyrtarum, quemadmodum vultures ad cadauera, ſpe prędæ allecta, penitioris fomitis conſideratione ſuſque deque facta, cum perfunctoria indagatione nihil explorati haberent, in admirationē re conuerſa, aciem mentis non vltra intendentes, ἀμεθόδως καὶ ἀλόγως ad temeraria & tumultuaria confugere remedia. Prior ſi non ſucceſſit, aliam aggreſſi viam, calidis frigida, imbellibus & ignauioribus remedijs pollentiora, etiamſi ab omni arte aliena, ſubſtituendo, etiam ad deleteria progreſſu facto, anſam porrexere peritioribus, totum morbum eiuſque curationem accuratiori calculo & examini ſubijciendi. Tardius fortaſſis, eo quod praua nō minus quam inueterata conſuetudo adeo inualuit, vt mala quæ in conſpectum veniunt, aut oculis ſe produnt (vt omnes cutanei affectus) miſſum factis medicis, ſolis tonſoribus, & id genus impoſtoribus, hic delegari ſoleant. Fortaſſis etiam medicorum olim has operationes faſtidientium arrogantia huic diuortio occaſionem dedit non exiguam. Tria iuxta vrbis Brunnæ pomœria publica inſtituta ſunt balnea: in quæ ſordium corporis extergendarum, & cute ſcalpello conciſa ſanguinis per cucurbitulas extrahēdi gratia, certis diebus confluere noſtrates ſolent. Eorum quod extra Iudæis cognominem (aliis viridem, ab excelſo turris faſtigio eo colore imbuto) portam, nobilius, ſplendidius, etiam Baronibus, & Equeſtris ordinis vtriuſque ſexus frequentatum, & ædificij nitore, ſeruulorum mulierculárumque ſolertiore diligentia, cæteris palmam eripuit. Et quia fons, Nigro proximus (qui ſat lutulentus & ater) tanquam colamentum, aut incerniculo tranſmiſſam aquam limpidiorem excipit, eaque purificatione lotionibus congruentiorem reddit. Extant ad Spilbergi radices aliæ, vbi puteus aquam plurimo ſale nitro & lapide calchario imbutam ſuppeditat: eoque vi exterſoria, nitidiorem quidem redderet cutem: opinio tamen vicit, vt illis potius voluptatem non vtilitatem ſectantes, loturi ſeſe immergant, & ibi delicientur. Illinc labis origo, hinc ſeminaria concepta, virus inde promanauit: hauſtum ibi venenum. Nam brumæ ipſo die, quem ſolis in Capricorni ſidus ingreſſu definiunt aſtrorum periti: vulgus Luciæ feſto inſignem facit: duabus inquam dierum hebdomadis, ante ferias natiuitati Saluatoris conſecratas, hyeme aſperrima, Anno ſalutis reparatæ M. D. LXXVII. quicunque hypocauſtum ſiue Laconicum ingreſſi ſunt, & cutim ſcalpello adacto, appoſitiſque cucurbitis perforarunt, omnes illico correpti putantur. Neque cito noxam perſenſere, ſigna labis receptæ non ſtatim emerſerunt. Sunt quibus octiduum occultatum malum, alijs duabus ſeptimanis, alijs menſtruo temporis ſpatio, pro robore nimirum tam agentis (vt credere eſt) quam renitentia paſſi, delituit: demum publice ſe extulit. Interim inſueta quædam ignauia ſeu torpore

grauati;pigri,ſegnes,inertes ad conſueta munia obeunda,animo quoque abiecto, triſtes vultu, cum nec mens, neque manus & pedes, officium facerent, veluti vmbræ non homines paſſim oberrantes conſpiciebantur. Natiuus faciei color in pallidum: vigor ipſe oculorum in toruum, circulo fuſco ſicut mulieribus menſtruatis deformem, ſubito immutatus: frons exporrectior in caperatam & nubilam degenerauerat. Manifeſtis tum ſe prodidit indicijs. Veſtigia cucurbitularum turgeſcentia extemplo ardor inuaſit immenſus & immedicabilis, quem fœdi abſceſſus & vlcera excepere putrida, ſanie taboque fluitantia: circumcirca puſtulæ, palmum quoque latæ, achoribus floridæ, quibus dehiſcentibus, acu aut medicamine diſciſſis, profluxit pituita tenuis, ſeroſa, marcida, ſanieque mucoſa: alijs etiam acris & erodens: tum caro cucurbitæ ambitu circumſepta, corroſa, putreſcens, tetrum vt è Telephijs ac phagedænicis vlceribus; inuexit fœtorem. Vbi admiratione dignum initio, quod è tot affixis cucurbitis, cum alij decem plus minus, tres quoque tantum nonnulli apponi iuſſiſſent, vna duntaxat, aut ad ſummum duæ (ſocrui Laurentij ſartoris è quindecim, tres) ex ijs omnibus in fœdam tranſiuerint vomicam. Nonnullis vniuerſum corpus puſtulis conſperſum facies informis, triſte ſupercilium, horrendus vultus, dorſum, pectus, abdomen, pedes, loci, à ſummo ad imum porriginoſa ſcabie, cruſtaceis vlceribus ſupra cutem paulum eleuatis, duum cruciatorum nummum vel vnguis pollicis amplitudine, ambitu rubente, candida ſuperficie (vt Tineam quam barbari vocant) polluta, & deturpata, cernere erat. Manabant hæc quoque pingui liquore, mucore lento, qui non pus ſed ſaniem referret luridam, ὑ τῷ πύῳ ἴκελον. Imo, ſcabie ſublata & ſanata, maculæ atræ, diuerſæ quam ab impetiginibus aut vitiliginibus plumbei & fuſci coloris, remanſerunt. Progreſſu morbi, in capite calli concreuere, qui ſummo cum dolore & eiulatu rupti vel diſſecti, melleũ quippiam reſinoſum & tenax ceu ex coniferis arboribus laticem extillare videmus, lentum inquam & viſcidum marceſcentis pituitæ argumentum, exudabant. Abſceſſus hi ſordidi, vereque cacoethes, poſtquam magna difficultate expurgati, & non minore carne rurſum producta, coaluiſſent, nouum prorupit ſymtoma. Vniuerſi corporis artus, brachia, ſcapulæ, cubitus, humeri, ſuræ, tibiæ, pedes imi, puncturis quibuſdam quaſi aculeis, intenſiſſime vellebantur, ac ſi ferris diſcinderentur, aut forcipib. ignitis laniarẽtur (περιφραστικῶς ſic ægri ſenſum doloris exprimebant) potiſſimum vbi tibia maxime excarnis lacertorum non fulta thoris à ſolo perioſteo veſtitur. Membra pondere grauia, fulcra poſtulabant, ſuiſmet viribus nec ſuſtineri, neque attolli potuerunt, imo & paralyſi quibuſdam minata ſuccollatorum beneficio erigi neceſſe habebant. Nulla tamen quies, perpetua vociferatio, lachrymæ, gemitus, indeſinenter torquentibus doloribus, nocte potiſſimum, cum feſſa membra ſopore dulci reficiuntur, illis noctes peruigiles, ob cruciatuum vehementiam, aurora aduẽtante inanis quædam tranquillitatis vmbra affulſit, poſt adeo recruduere tormenta, vt diem accuſarent infeſtam & inimicam, noctis vero imaginem & recordationem exhorreſcerent. Noctes irrequietæ, non vnius, aut paucorum dierum fuerunt, verum etiam menſem integrum, fruſtra tentatis remedijs, cõpleuerunt, vt magna mentẽ ſubeat admiratio, qua ratione vnico hoc ſymtomate virib. fracti lethum euadere potuerint. Caput quoq; non fuit immune. Nam præter achoras ſupra recitatas, gummata & callos, verrucis grandibus ſimiles, doloribus vehementibus infeſtabatur, circa regionem occipitij potiſſimum, qui præter virium imbecillitatem, vigilias, etiam dementiam quibuſdam inuexerunt, quæ vix, muco purulento, maleq; olente, per nares multos dies ſtillante, miteſcere cœpit. Toto interim morbi decurſu ἀπόσιτοι πάντων χυμάτων διέτελον nec Cereris nec Bacchi muneribus voluptatem vllam capiebãt: non condimenta, gulæ illecebræ, nulla ars, vel blanditiæ culinariæ epularum illis deſiderium inuehere potuerunt. Conuerſationem omnem auerſabantur, contuitum hominum ſolitariam viam captantes fugiebant, verecundiane ſuffuſi, aut indignatione commoti, quod horrenda labe, nullo ſuo merito, & ſpe auxilij exigua, aſperſos ſeſe cernerent. Maguo tamen hoc illis conſtitit. Nam neque morbi ea erat natura, vt in apricum illico ſe proderet, ſed intimis hærens medullis ſenſim pabulum conſequutus radices agebat, viresque depaſcebatur; illi vero rerum omnium ignari, conſilij inopes, celabant tantiſper, donec ſocios pœnarum plurimos conſpicati, in medium affectibus ſuis propoſitis, mutuis collatis operis, communes deliberationes inſtituerent. Tunc per fora, vicos, compita & tabernas, de ſuo malo quiſque queritari, & per συνδρομὴν ſiue συναθροισμὸν ſignorum, affectus ſimilitudine deprehenſa, vno ore pariter affirmare, ex hiſce balneis virus ſe contraxiſſe, cum nullum laborantem offendiſſent, qui non eiſdem lauacris deliciatus cucurbitas admoueri feciſſet, ijſdemque ad vnguem affectibus excarnificatus fuiſſet. Hoc non niſi morbo iam plane confirmato & rudi quoque plebeculæ manifeſtiore reddito. Cum hæc plebis coitio facta eſſet, pars impetu in Adamum baluei præſidem facto, iuri vt ſe ſiſtat, popoſcit; pars curiam adit, Senatum deprecatur, vt de crimine inquirat, veneficij cenſuram agat. Horrendum morteque piandum ſcelus, in ciuium perniciem coniuraſſe balneatores. Tumultu pauliſper ſedato, accerſitur Adamus, cum eo grauiter pro enormitate facinoris expoſtulat Senatus, minis interiectis, planum ſibi fieri vult, vndenam hæc labes? cuius culpa? quid contagij? cauſam denique ſciſcitaturus illuuiei inſolitæ, nihil præter lachrymas, mixtis precibus, & excuſationes extorquet. Sibi nihil conſtare, ſe nullius criminis aut conſpirationis ſibi conſcium: multos annos honeſte vitam hac vrbe duxiſſe, famam integram cuſtodiuiſſe, balneo præfuiſſe, & cuicunque pro virili parte inſeruiiſſe. Palam quidem contagium, & manifeſtum ſe non inficiari: verum originis & cauſæ ſe prorſus ignarum, & cum exortum ſit ſummo famæ & rei familiaris ſuæ diſpendio: ipſi examinent, quantæ foret dementiæ ſuam & liberorum ſalutem & fortunas omnes in tantum diſcrimen ſua ſponte præcipitare. Ne nimium Senatus prudentiſſimus indulgeat ſuſpicionibus, plagam diuinitus potuiſſe immitti, cum nulla ope humana manſueſcat: aut incantatorum maleficio profectam: vel maleuolorum, maleque feriatorum hominum inuidia, clanculum in ſuam perniciem dolos ſubſtructos, & machinatos

illos

los eſſe. Daturum ſe omnem operam vt inſons declaretur, cauſſas quanta poterit diligentia perſcrutaturum: ipſis vero pro ſua prudentia, ſi quæ emendanda cenſuerint, vel ad penitiorem inquiſitionem neceſſaria, ne ſe celatum velint, ſe viciſſim nihil detrectaturum, etſi mille mortes ipſi forent obeundæ. Demum diris caput deuoueri petit, ſi vel minimam huic contagio occaſionem dederit, taceam ſi author ipſe deprehenſus fuerit. Tunc ita fuit dimiſſus. Tumultuatum deinde in miniſtrum, cui ob dexteritatem, manus inquam agilitatem & promptitudinem, delegata erat ſcarificationis prouincia. Vulnera is inflixerat, è quibus, ceu fonte, loco omnibus conſpicuo diminabant reliqua ſymptomata. Hero mandatum, vt hunc examini ſubiiciat. Adoleſcens duriuſculis impetitus verbis, cum in ſe fabam cudi non falſa coniectura proſpiceret, carceres & tormenta, quæ facinoroſis adhibentur, veritus (id minitabantur Senatus cum Præfecto) in pedes ſe coniicit. Fuga ſuſpicionem auxit, & in hominum mente opinionem de authore conceptam confirmauit, à hero in miniſtrum tranſtulit: cum is, non tam quod cauſſæ minus fideret, quam terriculamentis & pœnis obſtupefactus, fuga mature ſibi conſuleret. Serio iniungitur Præfecto, vt adoleſcentem ſiſtat. Hic Vratislauiam, Norimbergam, Viennam, ſuis commilitonibus & balneatorum collegio, vt è fuga ipſum retrahant comprehenſum, vinctum compedibus huc tranſmittant, perſcribit. Verum ille hactenus nuſquam comparuit. Deinceps magicis incantationibus ſcalpella & phlebotomos infectos, toxicove illitos, clamitatum. Vt hæc quoque aboleretur ſuſpicio, balneator ferramenta omnia exuſſit, medicas cucurbitas æreas, quotquot habuit, confregit, ignique tradidit. Vltra progreſſus, τοίχυς διαπύρους teſtudinem inquam thermarum, qui candentes ſilices inſternuntur, vt aqua aſperſi vaporem ad ſudorem conciliandum edant (Laconicum vnico verbo dixere veteres) vna cum calefactoria fornace, à fundamentis diruit, & nouos ignitos parietes extruxit, ſi forte vapor infectus illinc emergens, anſam teterrimo morbo præbuiſſet. Neque ita conquietum. Inſtrumentis igne crematis, toto hypocauſto innouato, veneficii ſi quid in aquis latuiſſet, puteum ter funditus exhauriri expurgarique fecit. Ne tum quidem veneni ſpecimen, viſui ſeſe obtulit. Inualuit poſtea rumor, præfectum ipſum lue Venerea fuiſſe non minus quam miniſtros ſuos infectum. De eo cum nihil certi potuiſſet affirmari, eo deuentum, vt eſſent qui aſſeuerarent diebus intercalaribus, quibus publica non habebantur balnea, herum lue Gallica infeſtatos, calefacto eo hypocauſto, ſolitum hydrargyro inungere, & ea ratione huic contagio occaſionem dediſſe. Iuramento ille ſe purgauit apud me, nihil vnquam ſibi fuiſſe commercii cum Gallicis, artem vngendi vel curandi ſibi eſſe incognitam, nunquam ea ſe vſum, neque id genus medicaminis vnquam pertractaſſe, obteſtatus eſt. Impune hoc illi fuit, cum adiiceret, neminem è ſua familia, qui loturis aſſidue ſubminiſtrarunt, ſcabie hac deturpatum, aut doloribus excruciatum fuiſſe: quod ægre euaſiſſent, ſi à balneo contages cœpiſſet. Morbus nihilo mitius ægros torquere, nequicquam remittere, vſque ad æquinoctium vernum, ſolis in arietis ſignum ingreſſu, circa quod tempus manifeſte deſiiſſe, & Paſchatis feriis prorſus interiiſſe iudicatus eſt, eo quod deinceps nullus hac labe ex integro aſperſus deprehenſus fuerit. Vel quia iis balneis ſolitudo ingens, quouis ingreſſum reformidante, ad alias migrationem inſtituerant: paucis ruſticis exceptis, qui hæc vel ignorabant, aut vt nugacia ſpernebant & deridebant: vel quia Prætoris vrbani edicto Senatus authoritate interdictum fuit Adamo exercitium illud: vel, vt omnem prorſus à ſe amoueret ſuſpicionem, quæſtu pereunte, ſua ſponte thermas clauſit. Gnauiter interim, irrito licet conatu, ægris operam locabat: vlcerib. medebatur, appoſito emplaſtro, quod Griſeum vocant, è lapide Calaminari, lithargyro, ceruſſa, tuthia, terebinthina, cera alba, ſæuo ceruino, thure, maſtiche, myrrha, & camphora confecta: in orbem frigidis ad feruorem extinguendum circumiectis. Scabiei demum hieroglyphicum illud miſterium quod Jungfrawaſſer (Lac virgineum, aut ſimile quid iudico) vocant, eique vim exiccandi & eſcharas demoliendi efficaciſſimam tribuunt, illeuit: nihil penſi faciens, de humorum corruptela intrinſecus coercenda, ideo fruſtratus euentu, aliis in locum accitis, repudiatus eſt. Curſitatum iam ſollicite: nouus cum eſſet morbus, nouas poſtulabat antidotos; cum nihil vſitatum & conſuetum, exotica & peregrina remedia, minimeque familiaria, ſibi profutura autumabant: artifices diſquirebant, qui nil niſi ſplendidum pollicerentur & fumos venditarent.

Pollutorum primus habitus Venceslaus Rauſch inſtitor non parui nominis, ex aduerſo Curiæ Senatoriæ, ſupra quadraginta natus annos, breui ſtatura, corpore ἐυσάρκῳ, facie rubente, habitu quadrato, calidi humidique temperamenti, ſanguine exuperante. Hic balneum ingreſſus quinque cucurbitulas affigi iuſſit: vnam ſumma ceruice, ad finem capitis & occipitii: duas alias ad lumbos, vtrinque, circa renum regionem: tum vtrique genui ſingulas adhibuit. Illæſis cæteris, ſola ceruicis & ſiniſtri lumbi in tumorem deſciuere. Poſtridie ſtatim ſuperior ſudaminibus quas ὑδάτιδες dicimus, conſperſa, tactus indicio, & domeſticorum relatu fuit. Dolor non leuis. Proinde vnde origo mali, illinc medela petita. Facile initio, nondum actis radicibus, conſolidari potuit vulnus. Negotiationis gratia Hradiſthum profectus, illinc redux, non integre liberatus, in balneum redit, decimo quarto poſt die. Adoleſcentem monet, vt priore illæſa ſubtus illam loco viciniſſimo, at decliuiore, aliam παροχετεύσεως gratia affigat: Ille v. locũ non ita cauit, q n è priore veſtigio huic ſecũdæ aliq d adderet: eamq; auulſurus nõnihil corticis decerpet, non exiguo dolore creato. Tũ primum æſtu feruoreq; Tartareo exulcerari cœpit caro cucurbita cõprehenſa, q̃ ſuis finibus minime cõtenta, ſerpigine quadã, guttur, fauces, ceruicẽ, collũ deniq; vniuersũ in tumorẽ extulit. Secuta poſt vlcera ſinuoſa, cauernoſa, vt ſemidigitũ foramini inſereres. Matthias accerſitus tonſor, frigida adhibuit, vnguẽtum album, oleum roſaceum. Nihil octiduo auxilii contulit. Temperandi feruoris gratia ſummopere adiutus ſtillaticio liquore Hyoſciami peregrini floris lutei (quem Tabaccam fœminam vocant) ſibi à fratribus contubernii Societatis Ieſu tranſmiſſo, cui linteolis immerſis, poſt vlcera fouebat frigide, iiſque collum integrũ amiciẽdo, æſtum profligabat.

Locus cucurbitæ inferioris circa lumbos quoque putruit, non tam amplo circuitu, minore ambitu contenta putredo, minus contumax, remediis ceſſit, puncturis tamen penitioribus, longe poſt aſſiduam creauit moleſtiam potius, quam dolorem alicuius momenti. Conſultus Iohannes Tenglerus, ſolis topicis intentus, emplaſtris exiccantibus conſolidauit vulnera. Quibus ad cicatricem perductis, noua ſymtomatum incubuit cohors: tergore toto, quatriduo poſt ingenti dolore perculſus eſt. Certis & quidem exiguis finibus antea quod concluſum fuerat vitus, in totam ſpinam propagatum, totam dorſi occupauit amplitudinem. Hinc artus, brachia, femur pectit, à ſumma ſcapula & coxa, ad imas manus & pedes, neruos compreſſit, vt greſſum & comprehendendi poteſtatem auferret: non leuibus doloribus comitibus; qui atrociores noctu erant, diurno tempore quietis vſura aliqua recreabatur. Moleſtia hæc octiduum durauit. Cum in exercitio aliquid ſpei ponerent, aut potius lucri auiditate pellectus, 14. diebus ante Paſchales ferias Kioyiam ad mercatum ſe accinxit. Illic exacerbata omnia, nulla pedibus requies, dolor minime fixus, vagus, modo genua, mox ſuras, demum plantam pedis, rurſum infeſtans, nunc hoc membrum deſerens alio ſe conuertit, illinc mox recurrit, & ſic indefatigabiliter ægrum diuexauit. Diuum hominumque auxilia imploratur. Latereulo excocto nouo, candenti, vinum affudit, pedes vapore fouit: cum incaluiſſent vehementer, oleo iuniperino inunxit: vt vniuerſum crus rubore ſummo perfunderetur (φοινιγμοὺς vel Sinapiſmos diceres) ſæpius iterauit. Irritum hoc: ita 15. dies huiuſmodi doloribus conflictatus, Hunnobrodam attigit. Illic quorundam medicaſtrorum conſilio corollas ſiue ſpiras, quibus bulbi alliorum connectuntur (caudam inquam quæ ſupra caput ſeu nucleum cum capillamentis terra eminet) vt ſuſpenſi laquearibus exiccentur, aqua decoxit, vaporem vdum pedibus excepit: tum etiam totum corpus proluit. Aquis cum mergebatur, dolor mitigatus eſt, ſæuior, labro poſtquam exiliit, longa recurrit. Hinc Hiukium, vbi tarſo, & ſupra malleolos, ad ſuræ latera vtrinque ad genua cucurbitas cum multa flamma adhibuerunt. Deinde vnguinibus ſuis delibutum reddiderunt. Fruſtra tentata omnia, tres horas viſus doloris expers, poſtea priſtina recruduere accidentia. Weſſeliis raphani radices, pila tuſas, ſaleque copioſo aſperſas, crurum tenus calide circumligari iuſſit. Herbam Gichtkraut (ex ægri narratione bryoniam autumo) axungia ſuilla veteri contudit & circumiecit. Nihil contulit. Domum reuerſus, carnificis operam experiri placuit, à quo medulla cruris equi & humani perunctus, nihilo pernicior ad curſum factus, exiguum percepit emolumenti. Tenglerus cum fotibus varia herbarum farragine conſarcinatis καὶ καταντλήμασι nihil proficeret, ad veſicatoria conuerſus, cantharides vtrique pedi appoſuit, medio loco inter genua & malleolos, ad tibiæ latera vtrinque, & quatuor locis cutem exulcerauit: quam licet ſeroſi humoris copioſa excretio ſit ſubſecuta, parum tamẽ abfuit, quin phlegmone oborireṫur, cuius præter intolerabilem dolorem, ſummus rubor index erat, qui tamen quinta die remittens, vlcera quoque clauſit, rubedine in pullum colorem, adhuc atris veſtigiis ſuperſtitem, commutata. Ita ſolenni huic remedio, adhibentis inſcitia & importuno vſu, etiam fides abrogata eſt. Proinde vt in re dubia & ancipiti, animus nullo veritatis fultus præſidio, incertis fluctuat erroribus, faciliique opinionis vento huc illuc impellitur, ita Tenglerus κρέμβη priore recocta, ad πυριάματα reuerſus, noua ἐγκαθίσματα variis radicibus & herbis congeſtis, inſtituit, Hippocratici oraculi immemor: Non eſſe rationali Medico, priore indicatione perſeuerante, contrariam curationem inſtituendam, etiamſi voti compos factus non fuerit. Ignarus etiam Canonis, quo iubemur localibus remediis, niſi antceeſſerint vniuerſales euacuationes, parum fidei adhibere. Ea propter peſſime hæc ceſſerunt: quia forte aſtringentibus & repellentibus conſtabant. Nam ad ſuperiora raptum petentes materiæ repulſæ, cor coarctare, ſuffocationis periculum, etiam ſyncope iam præ foribus exiſtente, minari incipiebant. Exploſum & hoc remedium, cui ſuſtectum balneum ex gleba ſeu glomere nidi formicarum, aqua decocta, & ſilici candenti affuſâ, ſoloq; vapore prius excepto, poſtea pede vniuerſo, & formicis vſtulatis vel elixis circumligatis. Bibit decoctum radicis Pimpinellæ ſaxifragæ è rubro vino per aliquot dies. Attamen omnia in peius ruere. Poſtliminio conſilium & auxilium petiturus me conuenit. Et quia multos prius queſtos, plurima fruſtra tentata medicamina hinc inde audiueram, de contagio & mali contumacia cogitare cœpi: & quia circa cutem malum verſabatur, viciniſſima, congrua, & competenti via educendas materias ratus, exhibito ἐκκοπρωτικῷ ſtercorario medicamento, Mithridatum dedi, exploraturus vt ſe ad ſudorifera eſſet habiturus. Peregre ſudori vacabat, tamen lætus ſucceſſu & hilaris, pertexit: tum Mithridato permixtum ſuccum ſcordii, veronicæ, ſcabioſæ, cum decocto ſcordii dilutum bibit. Biduum iuſſeram, octiduum continuauit. Sudauit quidem modicum, debilitatis ſimulato prætextu, neque ſupra tres horas vnquam lecto ſe continuit. Perbelle habuit: inter ſudandum, pruritus ingens pedes exercuit, ſalſi humoris exeuntis argumentum. Conualuiſſe ſibi viſus, itineri ſe commiſit, fora, nundinas & mercatus frequentauit, aliquot hebdomadas incolumis, hinc inde vagatus vixit. Donec nihil tale opinantem, capitis dolor grauis & obtuſus, ſenſus hebetes, anxietas, animus languens, ſui ipſius odium vel tædium, corriperent: Caput, pectus, facies puſtulis efflоruere minutulis, rubris maculis, & ἐξανθήμασι corpus vniuerſum conſperſum, ſtigmata & pulicum morſus referebant. Occupatus tum fui ſeſquimenſem arce quadam, curatione Baronis primarii. Id temporis Æſculapius ille accurrer[illegible] reliquias errorum per adoleſcentiam commiſſ[illegible] rediuiuas accuſans, pœnas modo luere o[illegible] vociferatus, πάγχρεστον Antidotum Turbith [illegible] Minerale ab ipſis toties decantatum, nulla præmiſſa humorum præparatione aut ſanguinis detractione, exhibuit: in eo quoque vitio non caruit, quod eadem doſi cuicunque ſexui & ætati porrexerit, tam viris quam fœminis, & virginibus tenellis, nulla victus ratione præſcripta, habenas omnes diætæ laxauit. Vel quia nouerat, faucibus & lingua in tantum tumorem eleuatis, buccis inflatis & pituita turgeſcentibus, non facile quæuis obuia ingeri poſſe: vel quia ipſorum axiomati congruit, non diæta,

ſed vi ſui remedii morbos profligari. Quod de morbo Indico illorum anteſignanus profiteri palam (vinum optimum, cibos imprimis conditos, & bene ſalitos offerendo) veritus non eſt. Præcipitato eo puluere, (vere Turbante, cum nullam vniuerſi corporis venulam intactam ægri iudicio præterierit) in pillularum formam redacto, quadrante horæ ante cœnam quinque ciceris minoris magnitudine exhibuit, quę paulo poſt tantum vomitum concitarunt, vt ad noctis medium continuis vomitionibus pene fuerit enectus. Materias alimentarias, poſt pituitoſa, demum ſanguinis plurimum euomuit. Poſtridie hora ſexta matutina, vna minus deglutiuit: vomitus repetiti, licet & per aluum ſubducerentur materiæ ſimiles. Antequam cubitum ſe conferret totidem: ſemper vomuit. Ventriculum denique tanta nauſea inuaſit, vt quotieſcunque Medicus pillulas oſtenderet, ſolo earum conſpectu ad vomitum irritaretur. Neque iam opus erat exhibitione, cum ſolo intuitu voti compos fieret. Quapropter triduo ſequenti, vna duntaxat contentus fuit quotidie. Continuæ autem fuere vomitiones & alui liquamenta. Quinque diebus ſequentibus, atram potionem, mane & hora ſomni, bis die propoſuit. Toto curationis tempore, quæ ad duas prorogata eſt dierum hebdomades, ſemel tantum ſudauit, neque vaporatio calido ſe continere iuſſus eſt. Incendio magno correptus, fauces, lingua turgentia, dolorem vehementem palati & gingiuarum excoriationem inuexerunt, ita vt præ mole linguæ os claudere non poſſet; ſaliuatio multa, cibi deglutitio penitus ſublata. Octiduum totum cibo caruit. Continuis oris collutionibus vſus: nona, cibi nonnihil cœpit aſſumere: tum, vt refert, & nephritides moleſtæ fuere: Pondus ingens circa renum regionem ſenſit: Excreta per aluum acria, mordacia, ac ſi ferro inteſtinum diſcinderetur: murmura & rugitus in inteſtinis: dolor oberrans toto abdomine. Cum exoneratum aluum ſeceſſiſſet, vno impetu, quid lapidis inſtar (hydrargyrum conglomeratum fuiſſe non dubito) ponderoſum prolapſum eſt. Neque tantum fuit illis cerebri, vt fæcibus perſcrutatis de materia egeſta inquirerent. Excuſſo tanto onere, morbo ſubleuatus, & vnico quidem momento, deinceps ad conſueta rediit. Reliquias tamen adhuc, manibus & pedibus algore perfrigeratis, priſtinorũ dolorũ & neruorum exſiccationem quaſi corrugationem & diſtenſionem animaduertere ſeſe refert, & hæc quidem ad 15. Iulii diem.

Adami Bernaueri Seplaſiarii ſolertiſſimi coniunx Anna, calido & ſicco temperamento, excarnis, raro corporis habitu, fuſco colore, trigeſimum ſextum annum egreſſa, octiduo ante Lupercalia, ſeu dies Baccho dicatos, balneum adiit, ſeptem cucurbitas adhiberi fecit, quæ ὠμοπλάτlω vtramque, ceruicem, dorſum & genua occupauerunt. Solus dextræ ſcapulæ locus exulceratus. Pruritum leuem, tædium, moleſtiam potius quam dolorem totos viginti dies pertulit. Puſtula medio veſtigio eminebat, piſi aut orobi magnitudine: denuo in balneas conceſſit: totidem affixit: ſubtus hanc viciniſſimo loco aliam ſubiecit. Serpere malum dilatarique cœpit, vt palmum latitudo exæquaret: color ruber, ſaturus: continuæ vlceris penitiore receſſu vellicationes: ardor ingens. Mariti vſa conſilio bis Triapharmacon emplaſtrum applicauit: nulliſque aliis præſidiis adhibitis, coaluit cicatrice obductum vlcus. Paraſceues, quæ ſolennem Reſurrectionis Domini feſtiuitatem præcedit, die, manuum torporem, veluti ſtuporem grauitatem & ἀναισθησίαν initio animaduertit. Muſculis δελτοείδης cum ἀκρωμίῳ occupatus, manuum eleuationi obſtabat: pendulas vidi iam manus, ac ſi paralyſi correptæ ac prorſus reſolutæ fuiſſent. Emporium Linzianum, vt varia ſuppellectili aromataria tabernam locupletaret, Medicamentarius adierat: illinc reuerſus palam vidit, ad manus radicem, carpi inquam concaua, neruos tremere & contrahi, ac ſi per ſpaſmum manus extrema in digitos deſinens, curuata introrſum, verſus cubiti & radii oſſium compagem pertraheretur. Dolores vrgebant vehementiſſimi: ſomni vero prorſus exularant. Maculæ rubræ ſatis amplæ in facie quinque: in manu dextra à carpo ad cubitum tres vel quatuor minores apparuerunt. Scabies nulla.

Tyrocinia artis cum Dreſdæ Miſniorum myropola ageret, meminerat celebres Medicos, operoſam quauis Panacæa certiorem, cutaneis affectibus profligandis inſtituiſſe Antidotum, quam, vt coniugi bene merenti opitularetur, confecit. Materia & compoſitionis ratio hæc eſt. ℞. ligni Indici lib. s. rad. lapathi acuti vnc. iij. myrobal. chebul. citrin. indor. emblicor. ana. drachm. ij. gran. iuniperi, rad. enulæ campanæ ana. vnc. s. hermodactyli, baccarum lauri ana. drachm. j. ſ. ſantalorum omnium ana. drachm. j. ariſtolochiæ longæ drachm. ij. foliorum ſenæ mundorum vnc. j. ſ. Infundatur primo lignum per ſe in lib. v. aquæ feruentis per XII. horas, poſtea coquantur blando igne, addendo cætera, recto artis ordine, ad medietatem. Stent donec refrixerint, colaturæ feruidæ & forti expreſſioni iterum iniice rhabarb. electi, turbith optimi ana. ſcrupul. ij. gran. v. ell. diacatholiconis, conf. hamech. ana. drachm. ij. diſſol. in aquis ſcabioſæ, lupuli, fumariæ, ana. vnc. iij. ſyrup. fumariæ vnc. xv. de epithymo vnc. v. Bulliant leuiter ſemel atque iterum aromatiſando cum ſp. aromatici roſati drachm. j. cinnamomi optimi drachm. ij. Miſce, fiat lege artis potio. A ſecundo hauſtu quaſi exonerata cœpit agilius brachia mouere: tertio die elicuit ſudorem, ſuccis ſordii, cardui, mithridato permixtis. Probe ſucceſſit. Bis reiterauit Antidotum, ſexta ſudorificum: extra omnem teli iactum poſita, integreque conualuiſſe videbatur. Dum calidis ſeſe foueret, ſudori proliciendo occuparetur, perbelle ſe habuit. At quamprimum in publicum prodiit, tempeſtate vda, Auſtris flantibus, glacie, niuibuſque diffugientibus, verna aeris inæqualitate, humoribus nimirum commotis, priſtina rediuiua fuere ſymptomata, & quidem nocturno tempore, volutationes in ſtratis cõtinuæ, locus quietis nuſquam repertus. Guaiaci lignũ hic infame habetur: & lue polluti venerea, conuictum eorum quouis refugiente, publica notantur infamia (haud aliter ac lepra infecti in populo Hebræo extorres reddebantur) ita vbicunq; ligni mentio fit, actum fere de ægri exiſtimatione & bona fama videtur. In honeſta & integerrimæ famæ matrona huc cõfugere, prima frõte, religio fuit: ceu ſacram

ancho-

anchoram, ad extremum, cæteris fruſtra tentatis, in abdito aſſeruandam cenſui. Horrida immanique ſcabie laborantibus aliis vicinas ſuaſeram thermas, non quod profuturas iudicarem: ſed dubius animi, hac ægrorum inſolentia, & in victu contumaci negligentia, ne regulis, quas in Ligni vſu præſcribimus, & legibus ſe includi paterentur, (compedibus ſe vinciri vel pedicis conſtringi murmurant) conſultius viſum fuit, vt ſuo malo ſapere diſcerent, & certum præſidii genus poſtea ſpe fruſtrati auidius expeterent. Hæc etiam languens vna cum ſorore thermas adire decreuerat, ego vero ad curas medicas auocatus diſceſſi. Paucis diebus interiectis Pharmacopœus ad me per literas: Conſuluiſti, inquit, coniugi, vt thermis lauaretur: at ipſa exploratum habet, vt quotieſcunque labro aquæ dulcis ſe immerſerit, dum aquis tepentibus deliciatur, dolorum ſit expers: vbi pedem extulerit, ilico recurrere & infeſtiores fieri dolores. Suaſum ipſi, vt Guaiaci biberet decoctum: quocirca meo ſe commiſſurum hoc arbitrio: ſe petere, vt diligenter expenſis & rationum mearum momentis examinatis, eam quamprimum certiorem reddam, quid hac in parte fieri velim. Occaſionem etiam de aliis bene merendi oblatam repudiare nolui: vnicam hanc viam ſanitatis recuperandæ ſuperſtitem dixi: in vulgi deliri iudiciorum perplexitate, famæ ipſius conſultum me voluiſſe, veritus, ne lue nefanda correpta publice diffamaretur. Rumore plebis ſpreto, è radicibus polypodii, cichoreæ, herbis fumis terræ, cardui, turionibus lupulorum, aſparagis recentibus, & id genus aliis, cum paſſulis & ſenæ foliis ſero caprino coctis aliquot dies apozema propinatum. Communem dextri brachii ſecuit venam, pilulis purgata, decem & octo dies Ligni ſancti bibit decoctum, canonibus conſuetis obſeruatis. Perſuaderi, vt prorogaret potionem, minime potuit, vel quia deſidem domi latitare non libuit perpetuo debilitate culpata: vel quia nimium ſibi blandiretur, & viribus plus iuſto fideret, eo quod primo protinus biduo, acu pingere, texere, aliaque muliebria exercitia domi tractare inciperet: brachia ſurſum attolleret, manuumque officio alacriter, doloris expers, toto eo tempore perfungeretur. Ædibus incluſam feneſtrarum proſpectu arceri, ſumma erat moleſtiarum portio. In publicum egreſſa, aere denſo, pluuio, nebuloſo, pro anni tempore, tunc rerum potiente, & accurata victus ratione poſthabita (cum neque vini vſu penitus abſtineret) decima quarta die recurrerunt eadem ſymtomata longe quam antea vehementiora. Turpethum illud execrandum experiri, & præcipiti diſcrimine vitam negociari, animamque redimere placuit. Tenglerus quindecim pillulas exhibuit deuorandas hoc ordine: quinas ante cœnam, ſequenti die mane & veſperi totidem. A prima ſumptione vomuit multum, & quinquies aluo deiecit: à ſecunda iterum, & vomuit, & ter deiecit: poſt tertiam vtraque multiplicata virium ingentem edidere ſtragem. Sputum altera ſtatim die apparuit, ilico lingua in tumorem conſpicuum valde eleuata, rictu diducto, fauces impleuit: palati cœlum ſiue fornicata capacitas non ſufficiebat (horrendum viſu) linguæ intra ſua ſepta continendæ, quin extra labia prominere: occludere os aut labra coniungere nullo modo potuit. Tertia plane obmutuit, vt à nemine loquens intelligeretur, ſoloque nutu animi ſenſa proferret: imo ſpiritus viis compreſſis, ſtrangulationis periculum in procinctu erat, oborta etiam magna raucedine, gutture & faucibus nimirum excoriatis. Gargariſmata illis familiaria præſcripta ex aqua ardente, quam vinum quoque ſublimatum dicunt, cui Zuccarum candum & mellis nonnihil immiſcent, cum interea Æſculapius ille (ſi Dis placet) oblatis pillulis, per emiſſarios rem gereret, neque ad ægros poſtea vnquam reuerteretur. Indigne hoc tulit, myropola Medicis rationalib. familiariſſime conuerſatus, è roſis, plantagine, malicorio, & ſimilibus aquæ prunellæ incoctis, ſyrupoque myrtino & de roſis ſiccis admiſtis, collutionem oris inſtituit. A cuius vſu lingua confeſtim ſubſidere cœpit, & intra ἕρκος τῶν ὀδόντων ſuos inquam carceres ſeſe recepit, perpetua tamen ſaliuatione ad decimum quartum, imo etiam vigeſimum diem excruciata, quo die illi egrediendi facta poteſtate, vltro vnam adhuc adiecit hebdomadem. Intra quod tempus omnia peſſum iuere ſymtomata, & turpis macula, quæ dorſum fœdauerat, licet cõtumaciſſima, tota eſt abolita. Num reliquiæ medicamenti, renes & inteſtina turbantis, aut diætæ vitium, certe tribus poſt ſeptimanis crudeliſſimos dolores colicos & nephriticos illi inuexerunt, vt leuidenſia priora quæ tulerat, ſi hiſce compararentur doloribus, aſſerere non vereretur. Domi cum eſſem, his malis ſubuentum pauculis diebus. Nunc incolumis viuit crebro vſu extracti angelicæ, niſi quod corpus probe munitum eſſe oporteat, vt ne flatum quidem frigidiorem admittat, cuius merito etiam podagricis tentata fuit tormentis.

Huius ſoror, ætate maior, Scheittermanni primarii Pandochæi vxor, carnoſa, frigidioris & humidi temperamenti, vna & eadem hora balneum petiit: totidem cucurbitas affixit. E ſeptem, ſola, quæ ſub dextra ſcapula erat, vulnerata in vlcus degenerauit. Ardor vehemens. Caro exeſa, foueam, cui articulum primum indicis digiti inſeruiſſes (nudam carne coſtam dixiſſes) detexit, latitudo vt quadrans taleri numiſmatis. Emplaſtra balneator diu adhibuit. At mouendo cum parum promoueret, quidam noſtras illius affinis emplaſtrum nigrum, arcanum nemini reuelandum (è ceruſſa, maſtiche, in oleo lini ad nigredinem vſtulatis forte conflatum) ſæpius reiterauit. Fruſtra. Vlcus obduxit cortex durus, ſcabritie aridus, craſſitie digiti cutem ſupereminens, qui pruritu intolerabili excitato, cum vnguibus diſcerptus eſſet, ſubtus nouo germine repullulauit iterum. Ab aromatario emplaſtrum de Meliloto illitum, quod eſcharam quidem ſuſtulit, ea tamen paucis interiectis diebus denuo & fœdior ſuccreuit. Hic vero minime prætereundum, dolores etiam ante vlcus occluſum hanc infeſtaſſe, quod pleriſque non niſi vulnere conſolidato euenit. Vidi eam à poplite, per ſuram vniuerſam, (ventrem carnis tibiæ obiectum) calcaneum, talos, tibię apicem, ſolo perioſteo membrana quaſi tectum, dolores crudeliſſimos perpeti, vt eiulatus & clamores ferinos, ſi ſtragulis paulo pedem premeret, ederet. Adeo tamen fuit pertuicax, & præfractæ contumaciæ, vt nullum prorſus ore admitteret remedium: ægre ipſi perſuaſi vt ſerum caprinum cum Zuccaro vulgaris potus loco, ad biduum biberet. Præter dolores, qui iam corpus vniuerſum

uerſum obſederant, totum præ puſtulis corpus tuber erat, vt nec ſtare, ſedere, neque ambulare iam poſſet: lintea pure fœtido vlceribus manantibus imbuta, corpore mordicus adhæreſcentia, ſi auellerentur, cortices quidem vna detrahebant. Pertinacem illius animum tam horrida mala neque flectere neque frangere potuerunt, Turpetum dimidiati, ob infirmitatem (vt agyrtæ referunt) doſi accepit: quocirca nihil emolumenti conſequuta, adhuc ἐλκεσιβλυῶν, cadaueri quam homini ſimilior iacet, ſuæque inobedientiæ exoluit pœnas, cum vnctionibus & ſuffumigationibus Mercureis mallet rem pertentare, quam intra corpus vllum admittere medicamentum.

Paulus Burſarius ex eadem cauſſa ſinuoſis & cauernoſis vlceribus dextram tibiam fœdatam habuit, circa malleolos potiſſimum: ea propter curam temerariam aggreſſus eſt. Pillulis deuoratis cauſſo præhenſus, feneſtris præ immodico æſtu vndique reſerari iuſſis, caniculæ ardoribus vrgentibus, ſanguinis copioſa per aluum excretione, quam τρόμβοι & atræ fæces cõſequutæ, fame quoque, cum ob linguæ tumoré nihil alimenti poſſet ingerere, enectus, intra paucos dies eiulatu & clamoribus toti viciniæ moleſtiſſimus, miſere expirauit. Inopinatus iſte caſus multum artificis detraxit authoritati, & ſolenni pharmaco fidem derogauit, occaſionemque certiora remedia inquirendi ægris præbuit.

Thomas Brenner, inſtitor vterque cum coniuge correpti. Illa mercedem pacta, cum denas tribus ex ordine diebus aſſumpſiſſet pillulas, intendi & intumeſcere crura in vaſtam ſenſit molem. Vomitibus pro more exagitata, vaſa teſtaceo excepit reiectamenta, cuius parietibus circumquaque vidit hydrargyrum crudum adhæſiſſe: illico terrore perculſa, & quia peius ſe habere animaduerteret, nuncium remiſit impoſtori, quem cernebat pro foribus, ne ſpiritum olidum admitteret, pugno nares & labia comprimentem, eminus inquirere, quinam valeret: neque precibus adduci poſſe, vt cominus aut tangeret, aut eam alloqueretur.

Hunnobroda ad equorum mercatum huc ſe cõtulerunt Iudæi duo. Eodem balneo inquinati, alter feriis Pentecoſtes extinctus: alter elephantia obductus miſeram traducit vitam.

Dietrici Molii filia virgo, forma egregia, puella lectiſſima, iam nubilis, miſerandum in modum deformata, reſtituta quidem eſt Turpeto, verumtamen puſtulę nuper frontem & palpebras denuo occuparunt: quibus illi adhibent liquorem luteum, mordacitatis expertem, (gummi fortaſſis Guaiaci, quod illi à liquore & alkali ſeparant) qui eas abolere quidem viſus eſt, non tamẽ ſecuros in vniuerſum reliquit ægros, ita vt vere ſe & ex toto immunes aſſeuerare auderent: imo latet ſemper aliquid virulẽtię, quod alias repullulat: & recidiuam perpetuo minatur. Forte auaritia medicaſtrorum, vt ſemper eſſet quod degluberent: vel malignitate, à deleterio medicamento nondum perdomita, nouaque ſemper moliente accidentia.

Vt curioſis ingeniis rara cara, quotidiana vero viluſcere obſeruamus: ita repudiato Turbante pharmaco, Euancicium duobus hinc diſſitum milliaribus ad balneatorem concurritur. Eo primus Cerdo, poſt Stẽndlianus, opulentiſſimi Senatoris, quadraginta quinque annos coniunx, demum etiam Pandochæi vxor, profecti. Hic fabæ magnitudine electuario purgante exhibito, deinceps perpetuo Laconico eos incluſit, fumum è Cinnabari ſubdidit, ita tamen ne ſupra quam vellet aut ferre poſſet, vrgeret quenquam. De quo amicus ad me. Noſter Chirurgus, ditiſſimi illius veſtratis vxorem non vngit, ſed lauat, & dedit illi aſſumendum ſuaue, vt ipſa narrat, eclegma, quod ei omnes dentes labefactauit. (ὑπερβολικῶς Cerdo inquiebat ſe ordine in menſam potuiſſe dentes loculamentis exemptos collocare,) Hydrargyrum ergo & pro pilulis electuarium, quod haud ſcio an nouum ſit. Hæc ille. In eo tamen probandus eſt, quod diætæ leges non omnes antiquauerit, ſed hypocauſto incluſis aeri omnĩ interdixerit, ſudores extorſerit, vino tamen conceſſo, cætera ſolertem ſe præbuit.

Egenorum ſortis miſeratus & ipſe, ne ἀσύμβολος & otioſus cladis miſerandæ ſpectator eſſem, vulgo paratu facilia & ſine impendio remedia, domeſticis & indigenis conſtantia plantis, collegi: diæta modoque vtendi præſcriptis, paucarum horularum laborem, Senatui obtuli. Præfatus hic baſim curationis in ſudoribus promouendis conſtitutam, diſcriminis plenam per Mercurium curandĩ rationem: Puluerem ſenæ præparatæ D. Montagnanæ præmiſi: legibus phlebotomiæ cuſtoditis axillarem dextri brachii, bubonibus abſentibus, ſecari iuſſi. Inſtitui potionem ex decoctis radicibus, enulæ, polypodii, angelicæ, lapathi maximi, diptamni, Imperatoriæ: Herbis vero Cardui benedicti, chamæpitidis, ſcordii, fumariæ, cicerbitæ, ſcabioſæ, veronicæ, lupuli ſalictarii, phyllitidis, ſcolopendriæ veræ: Item floribus borraginis, lauendulæ, ſambuci, additis ſena, corticibus veratri, cum ligno ſancto, eiuſque cortice. Aliquot poſt aſſumptum decoctum diebus è maſſa pilularum cochiarum cum veratro præparatarum, aggregatiuarum, & de hermodactylis catapotia imperaui. Poſtea è ſuccis ſcordii, Cardui, fumariæ, meliſſæ Turcicæ, veronicæ, ſcabioſæ, exiguo Mithridato permiſtis, ſudorificum vehementius inſtitui, vt decoctionis vim ſudorificam, ignauiorem forte, exſtimularet: Puſtulis & ſcabiei initio aqua ſtillaticia è reſina larignea, oleo Tartari condita, etiam decoctum Guaiacinum erant inſtituta: quorum illinitioni ſi non ceſſiſſent, ſubinde acriora & pollentiora, non præterito etiam oleo atramenti ſutorii, aqua fragariæ vel ſcabioſæ diluto, ſuccedere poterant. Numerus dierum pro affectus contumacia & ægri tollerantia definitus erat, certoque ordine cuncta rite diſpoſita, vt medicamenta ex officina ætati & ſexui cuicunque (vt ſeplaſiæ miniſtri à me edocti fuerant) accommoda, leui precio mercari etiam inopibus licuiſſet, in morbi ne decrementum culpam conferas, aut quod operam meam minus gratam haberent, dubium. Nullus mehercule ad hoc præſidii genus confugit, præter alutarium & ploſtrarium quendam, conſilia niſi manus operatio accederet ſuperuacanea & fruſtranea dicentium. Quinimo tam alutarius quam rhedarius vehicularius fabricator, duri agreſteſque homines, ſibi de perfecta curatione prius

cautum

cautum voluerunt, ne artis manuariæ operis neglectis ſanitati recuperandæ dum vacant, dubio euentu duplici multati diſpendio inanes quoque facerent ſumptus. Equidem alutarii genu dextrum, locus inquam cucurbitæ vlceribus cruſtaceis, ita callo contracto obdurnerat, vt æruginis chalcanti, neque calcis viuæ applicatione ὑπερσάρκοσις reſecari vel abradi potuerit, quæ is quidem ſummo cruciatu conciliato, animo tamen feroci (cuiuſnam vſus conſilio incertum) ſæpenumero aſperſerat. Hac ratione de meo benemerendi ſtudio aut medicaminum ſucceſſu, haudquaquam mihi gloriari licuit. *Thomas Iordanus, Libello de Lue noua Morauiæ nuper publicato.*

Extat de eadem lue *Ioannis Sporiſchii Tractatus*, in quo de nonnullis aliter ſentit, quam Iordanus.

Crato, lib.2. Epiſt per Laur. Scholtzium publicatarum, de hoc morbo *pag.* 228. per quatuor folia ſentẽtiam ſuam per hypotheſes, & curationem, omnia noua & veriora proponit.

DE SCORBVTO.

DESCRIPTIO ET CVRATIO ABSOLVTA.

OBSERVATIO.
De Scorbuto.

SCORBVTVS eſt quando propter ſplenis obſtructionem impeditur attractio humoris melancholici, qui reliquo ſanguini commixtus, vniuerſum corpus tabida corruptione inficit: tum puniceis lituris crura defœdans, ex craſſiorum ſui partium decubitu: tum portione tenuiori ſurſum elata, teneras gingiuas acri corroſione & putida carnis excreſcentia vitians. Eiuſmodi definitionum deſcriptionumque libertatem Medicis vſurpare licet, ad faciliorem rei intelligentiam: cum alioquin curioſius hæc in logicorum ſcholis fore diſcutienda non ignorem. Nomen vero fictum ex Danica, & maritimæ Germaniæ lingua. Scorbuc enim iis ſonat ruptum ventrem, quaſi totus venter & hypochondria, vt fit, patiantur: quomodo & Scormunt noſtrates appellant, quando inficiuntur gingiuæ, quod ruptam buccam vel os ſonat: item Scorbein, quando in cruribus morbi ſymptomata vel ſigna apparent, quaſi dicas ruptas tibias: Hollandis à puniceis maculis Blauſchvuit nuncupatur. Stomacace & Scletyrbe *Plinii* eſt, cuius meminit *libr. Nat. Hiſt.* 25. *cap.* 3. iis verbis: Nec beſtiarum ſolum ad nocendum ſcelera ſunt, ſed interim aquarum quoque & locorum. In Germania trans Rhenum caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis ſolus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compageſque in genubus diſſoluerentur. Stomacacem Medici vocabant, & Sceletirben. Ei malo reperta auxilio eſt herba, quæ vocatur Britannica, non neruis modo, & oris malis ſalutaris: ſed contra anginas quoque & ſerpentes. Folia habet oblonga, nigra: radicem nigram. Succus eius exprimitur & ex radice. Friſii, qua caſtra erant, monſtrauere illam. Apud hos & finitimas regiones maritimas, potiſſimum Septentrionẽ ſpectantes, ſparſim illud malum hactenus ſæuiit: proximis vero annis ad ditiones confines, vbi antea inauditum, vel ex praua victus ratione, ſiue cõtagione proſerpere cœpit, vt iam Germaniæ inferiori vniuerſæ propemodum innotuerit: alioqui ampliſſimo totius Germaniæ ſuperioris regno adhuc incognitum, quemadmodum & Italiæ, Galliæ ac Hiſpaniæ. Si forte in aliqua Aſiæ vel Africæ loco lues hæc ſentiatur, is erit vel maritimus, vel alius vbi rarus ſalubris aquæ vſus, vel vbi victus aut aer eius fomitem ſuppeditat: proinde & morbus hic ei tractui ſolummodo peculiaris, velut maris quoque Borealis accolis: nullo modo autem cunctis mundi partibus, vt reliquus morborum aceruus, familiaris. Nabathæi ſiquidem in felici Arabia, & eo aduentantes Romani, illam perpeſſi fuiſſe videntur, Auguſti Cæſaris æuo. Huius etenim imperio cum in Arabiam exercitum Romanum traduxiſſet Ælius Gallus, eum in ipſa expeditione coactus eſt relinquere in Albo Vico, maximo Nabathæorum emporio: vbi æſtatem & hyemem tranſigere oportuit, vt reficerentur infirmi. Quãdoquidem oris & crurum, cæteriſq; eius loci vitiis tentabatur exercitus, quorũ illa circa os, hæc circa crura reſolutionem quandam fuiſſe, ob aquas & fructus prouenientem, ſcribit *Strabo lib.* 16. *circa finem*: qui eo tempore vixit. Peculiare vero nomen eius peſtis apud Arabes non comperi, cæterum Medici vel Græci, qui apud Romanos tum potiſſimum medicinam faciebant: vel Latini, linguæ Græcæ periti, qui in illis bellis exercitus Romanos ſectati fuere, ex ſymtomatibus, quæ maxime tum in ore, tum in tibiis apparuerunt, nomina finxere Græca, vt morbus στομακάκη, ab oris vitio: σκελετύρβη, à tibiarum læſione infeſtationeque appellaretur. Voces enim has nec qui Germanicum Cæſarem comitabantur Medici, à Phryſiis accepere, qui tunc temporis Medicis, maxime doctis, & in linguarum peregrinarum vſu tritis, caruiſſe videntur, vt apta morbis nomina Græca formare nequiuerint: ſi tamen forte quos habuerint, ii fuere patrii, & eruditionis exiguæ: ab Arabibus vel Nabathæis, eaſdem voces identidem non didicere Medici Ælium Gallum ſectati. Porro quæ Scelotyrbe ab authore Definitionum ſub Galeni nomine deſcribitur, nihil minus eſt quam Scorbutus noſter: cum eam paralyſis ſpeciem eſſe ſcribat, qua recte incedere nequeunt ſed nunc in læuam nunc in dextrum corpus contorquẽt: interdum crus poſt ſe trahunt, non ſecus quam accliues locos aſcendentes faciunt, hæc eius verba: Σκελοτύρβη ἐστὶν εἶδος παραλύσεως, ὥστε περιπατεῖν ἐπ' εὐθείας μὴ δύνασθαι, καὶ ποτὲ μὲν κατ' εὐθὺ, ποτὲ δὲ εὐώνυμον εἰς τὰ δεξιὰ περιφέρειν, τὸ δεξιὸν εἰς τὰ ἀριστερὰ, καὶ ποτὲ μὲν ἐπισύρειν τὸ σκέλος, ὥσπερ ἀναβαίνοντες τι μέγα. Olcedinem hunc morbum appellaſſe Marcellum, ab oris vel gingiuarum exeſione, arbitror: Gingipedium quibuſdam dicitur, nomine ficto à gingiuis & pedibus læſis. Quæſtio hoc loco occurrit, vtrum lues hæc à priſcis nimirũ ſacræ & veteris noſtræ Medicinæ ſcriptoribus, Græcis & Arabicis, fuerit cognita deſcriptaque? Cuius affirmatiuam partem cum alii ſuſtineant, ego in negatiuam propendeo. Nam *Auic.c.* 3. *fen.* 15. *Tract.* 2. *cap.* 5. quandam ſymtomatum quidem congeriem, quæ in Scorbuto videntur, recẽſet, vbi de ſignis apoſtematum ſplenis agit: Scorbutum tamen noſtrum nõ deſcribit,

ſcribit, licet proximius eum attigiſſe videatur. *Hippocrates* item de magnis lienibus ſic quidem ſcribit, *lib.2. Prædictionum*, vt quædam Scorbuti accidentia notet, ſed paucis ſignis, quæ in ſplenis affecti morbis apparent, Scorbutus noſter peculiaris morbus non deſcribitur, ait enim gingiuas vitiatas, oris graueolentiam his accidere, quibus ſplenes magni. Quicunque vero habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingant, neque oris graueolentia, horum tibiæ vlcera praua habent, & ex his cicatrices nigras. Ad trutinam nunc Hippocratis verba reuocemus expendamuſque. Quibus magni lienes, his gingiuas infici & putrere aſſerit. Illud vnum ſymtoma eſt. Hinc ſubiungit: Quibus vero ſplenes magni, nec putreſcunt gingiuæ, neq; ſanguinis eruptio contingit, horum tibiæ vlcera ſortiuntur maligna, atque cicatrices hinc atras. Hic manifeſte apparet, Hippocratem in ea eſſe ſententia, quod eodem tempore vtrumque illud ſymtoma in ſplene magno non coniungatur: ſed tibiarum vlcera tum primum ſubſequantur, quando humor ille melancholicus acris non feratur ſurſum ad gingiuas, vel ſanguinis eruptione minuatur, verum ad tibias ſubſidiat, fœde exulceret, & cicatrices poſtea nigras relinquat. In Scorbuto autem ſimul gingiuæ putreſcunt, fœtentque, & tibiarum lituræ amplæ liueſcunt, quæ etiam quam rariſſime ad exulcerationem perueniunt. Hæc etiam præcedunt vlcera ea rara, malitioſaque, ſi forte tandem emergant: nullaque harum macularum magnarum, in hoc morbo ſemper fere apparentium, apud Hippocratem mentio, ſed ſolarum cicatricum poſt vlcera relictarum, quæ communes quoque ſunt cunctis exulcerationibus ab humore melancholico natis, enimvero difficulter admodum ſanantur: quare etiam in ſcyrrhos ſplenis cicatricem ea non admittere, affirmat *Paul. Ægineta lib.3.c.49.* ad Celſi ſententiam, qui latina reddidit ea Hippocratis verba, *libr.2.cap.8.* idem dictum volo. Eadem ratione ad Cælii, & reliquorum eiuſdem ſententiæ veterum authoritates reſponſum ſit. Scorbutum adhæc alium eſſe ab Icteritia nigra, & tertia Voluuli ſpecie, quam Hæmathiten vocat Hippocrates. & ego longo medicinæ vſu obſeruaui: & docte *in ſuo inſigni libello de magnis Hippocratis lienibus* oſtendit Excellentiſſimus Medicus *Balduinus Ronſſeus*, mihi neceſſitudine haud vulgari iunctus. Ex recentioribus ſcriptoribus Scorbutum ſic ſatis deſcribit *Olaus Magnus, natione Suecus, in ſua Hiſtoria de gentibus Septentr. lib.16.cap.51.* etſi multis in locis eum alioqui figmentorum minime puduerit, hæc ipſius verba: Eſt & morbus Caſtrenſis, qui vexat obſeſſos & incluſos: talis ſcilicet, vt membra carnoſa, ſtupiditate quadam denſata, & ſubcutaneo tabo quaſi cera liqueſcens, digitorum impreſſioni cedat: denteſque veluti caſuros ſtupefacit, colores cutium candidos reddit cœruleos, torporemque inducit cum medicinarum capiendarum nauſea, vocaturque vulgari gentis lingua Scorbuk, Græcæ cachexia, forſitan à ſubcutanea mollitie putreſcente: quæ videtur eſu ſalſorum ciborum, nec digeſtorum naſci, & frigida murorum exhalatione foueri. Sed vim tantam non habebit, vbi muri interius tabulis quorumcunque lignorum ſunt cooperti, inſuper ſi diutius graſſetur iſte morbus, abſynthiaco potu continuato illum arcere: ſicuti & calculi radices, per decoctionem veteris cereuiſiæ cum butyro epotæ tollere ſolent. *Lib.* item 9 *capit.* 38. Viribus ait, primis annis, demum (milite ſtragibus continuis diminuto) artibus, dolis & inſidiis obſidentium ſurripiunt commeatum, præſertim pecudes, quas ſecum abductas, in herboſis domorum tectis paſcendas imponunt, ne defectu carnium recentiorum, morbum incurrant quibuſuis ægritudinibus triſtiorem, patria lingua Scorbuk nuncupatum: hoc eſt, ſaucium ſtomachum, diris cruciatibus & diuturno dolore tabefactum. Frigidi enim ac indigeſti cibi auidius ſumti, morbum huiuſmodi cauſſare videntur, qualem Medici cachexiam vniuerſalem appellant. Huius luis quoque obiter meminit *Albertus Crantz in ſua Saxonia*, item *Euricius Cordus in ſuo Botanologico.* Cauſſa proxima erit humor craſſus, crudus, frigidus, in vaſis ſanguinis contentus, ſiue is ſit melancholicus, ſiue cum pituita mixtus. Cauſſæ remotæ, ſex res non naturales: aer corruptus: victus prauus putriſque, frequens in regionibus ſeptentrionalibus, maxime earum nauibus marinis, velut caro ſuilla à coctione nonnunquam ſubolida, lardum fumo infarctum exiccatumque, ſubinde rancidum, quandoque ab initio imputum grauiſque infectionis indiciis imbutum, plerunque crudum etiam voratum: Item reliquæ carnes, & piſces ſaliti prius, deinde atro multoque fumo transfuſi & indurati, vel multo ſale conſeruati diu, ſimiliter qui craſſæ ſubſtantiæ & exucci ſunt: caro venatica & putida, volucres aquaticæ, & quæcunque aceto condita longo tempore fuere, braſſica, allia: panis biſcoctus vetus, nonnunquam ſubmucidus: legumina, cereuiſia craſſa & fæculenta, vſus aquarum vitioſarum in dulcium penuria, vnde ſæui gignuntur morbi teſtibus Hippocrate & Plinio: item ieiunia cum exiguo ſucci mali cibo: adhæc vigiliæ, labores, intempeſtiui, immodicique, affectus animi, cogitationes graues aſſiduæ: præcedentes quæque febres, & vacuationum debitarum vel conſuetarum intermiſſio ſiue ſuppreſſio, vti hæmorrhoidum, menſtruorum, & ſimilium. Signa in morbi principio: Corporis totius grauitas, ſpontanea craſſitudo, qualiſcunque præcordiorum anguſtia, crurum imbecillitas, leuiſque rigor, cum dolore exiguo: gingiuarum pruriginoſa rubedo à naturali mutata, ac dolor: faciei color ex pallido in fuſcum vergens. In incremento, gingiuarum laxus ſanguifluuſque tumor, & putredo cum oris fœtore, quarum aliquando etiam caro ad dentium radices conſumitur, vtrobique dentes vacillant: crurum adhæc lituræ conſperſi leuiter ſanguinis faciem oſtendentes quandoque, & qualis morſu pulices imprimere ſolent, maiores tamen, quas etiam in femoribus & toto corpore ſparſim aliquãdo apparent, ex minus craſſo ſanguine procreatæ: plerunque etiam maculæ amplæ, plumbeæ, liuidæ, purpureæ, nigris violis obſcuriores, ex fæce corrupti ſanguinis eo decumbente genitæ: quare raro admodum in aliis locis quam cruribus emergunt. Quandocunque vero hæ videntur, certiſſime ſcorbutum adeſſe denunciant etiamſi alia ſigna adhuc deliteſcant. In faucibus item aliquando is liuor apparet in iis, quibus vniuerſum corpus hoc putrilagine ita permaduit, vt fere mortis periculum haud longe abſit.

abſit. Ingraueſcente morbo, neruorum in cruribus rigor, ambulandi impotentia, neruorum item contractio, anhelitus difficultas, maxime vbi æger mouetur, aut erigitur, aut ſedet: tum quoque fere vel omnino linquitur quandoque animo: decumbens autem reſpirat liberius, reficiturque. Quidam appetunt cibum frequenter, quibuſdam edendi auiditas lãguet. Motus aggrauatiuus in multis quarto quintoque die, in pleriſque tertio: in paucis ſingulis diebus, ſine manifeſta tamen febre, obſeruatur. Aliquos interim quandoque ſimul febrire non eſt dubium. Nonnulli enim hac lue correpti, febre lenta erratica afficiuntur. Aliquando etiam febres præceſſerunt ardentes, malignæ, duplices tertianæ: & vbi in ipſo Scorbuto nondum poſt eas febres perfecte curato, febris quartana valde maligna ſubſequeretur, vidi: & in ipſa quartanæ declinatione rurſus apparuit Scorbutus, ſano tandem conſilio victus. Sic eæ febres non adeo per criſim terminari ſæpenumero videntur, quam nouos ex labefactatis viſceribus, atrophia, & multa ſanguinis corruptione putrilagineque producere morbos, prioribus non raro peiores. Quibuſdam aluus adſtrictior, aliis fluxilior. Liuor ille crurum quandoque integras tibias inferiores circumquaque, vſque ad pedes, cum tumore ita obſidet, vt elephantiaſis notam eſſe quis iudicaret: rurſus aliorum crura ſic attenuantur, vt oſſa videatur tegere cutis ſola, plerunque cum calore multo, nonnunq̃ abſque eo. Quorũdam etiam maculæ in ſquamulas reſoluuntur, quẽadmodum in eryſipelate videre fere aſſolet: aliorum læues æquales, nonnunquam ſplendicantes permanent cum leui veſtigio ad digiti impreſſionem. Plerunque etiam, licet raro admodum, apparet varicoſa venarum plenitudo, & ſub lingua tota venæ minutiſſimæ, varicibus perquàm ſimiles: identidem & in inferiori labio cõſpiciuntur. Pulſus hic, vt in quartana febre, varius, exilis, durus, frequens, debilis, pro temporis morbi varietate, Vrina rubicunda, turbida, craſſa, fæculenta ad modum vini rubri recentis: quemadmodum & feruente quartana, potiſſimum à ſudore ſolet apparere: eſt & grauis odoris. Scorbutus in iiſdem familiis aliquando frequens, partim quod eodem victu ſint vſi ægroti, quare contagione putatur ſerpere: partim quod contagio lædat, vbi in oris & gingiuarum vitio, ex iiſdem poculis bibunt, vel aſſidua contrectatione vitiatos ſpiritus admittunt. Quandoque eſt à parentibus hæreditarius. Febres aliquando in hunc morbum terminantur. Hunc etiam plerumque tabes comitatur: ſubinde hydrops, quandoque & dyſenteria: atrophia vero propemodum ſemper. Vlcera in tibiis ſi nonnunquam exoriantur, quod raro tamen fit, cicatricem difficulter admittunt, quippe fœtida admodum, maligna & aliquando gangrænoſa: ita plerunque corrupta, vt immiſſum ferrum non ſentiant. Habent nonnulli in hoc morbo illæſas gingiuas, ſed defœdata crura: qui vel ex ore, vel naribus ſanguinem reiiciunt. Morientibus ex hoc malo pleriſque deliteſcunt maculæ, & aliis à morte effloreſcunt vberrime. Victus ſit concoctu facilis & boni ſucci, moderate calefaciens, tenuis, incidens etiam ſubinde atque attenuans, abſtergenſque: cui leuiter aſtringentia accedant quandoque. Conuenit polenta noſtra hordeacea, imo & auenacea, vel hordeũ excorticatum, cocta in iuſculo aut aqua, deinde cum vino per ſetaceum redacta. Paſſulæ Corinthiacæ item coquantur in iure aliquo idoneo, vel etiam aqua & vino, atque ita ſimiliter per ſetaceum tranſmittantur: poteſt & oui vitellus ſubinde commiſceri. Eædem quoq; paſſulæ manduntur, ſi nimia ſiti aut oris ſiccitati laboret æger. Proſunt & amygdala, cum colatura decococtorum furfurum triticeorum apparata, quibus amarorum pars aliqua fuerit mixta. Aromata in cibo, pro flaccidi corporis & morbi exigentia, quandoque miſcenda: vt cinnamomum, macis, nux myriſtica & zinziber. Omphacii vſus hic non inutilis. Condimenti loco aſſumantur & interdum cappares cum vuis paſſis corinthiacis ex oxyſaccharo, vel oxymelite longo: atterantur vero dentibus prius minutiſſime, quam deglutiantur. Potus ſit, cereuiſia bona, optime defœcata, maxime abſynthites, vti & vinum eadem herba confectum: aut ſi quis chamædryte afficiatur, erit & hoc vtile multum. Aqua etiam lactis haud temere quis vtetur. Lac item caprinum: vel, in eius defectu, vaccinum recens, in quo decocta fuere ſiſymbrium, cardamine, vel naſturtium hortenſe cum foliis latioribus, hyemale vocant: vel cochlearia, non ſine ſucceſſu plerique vſurpant, potiſſimum qui lacti aſſueuere, eoque afficiuntur, vel qui id innoxie, patiuntur. In cubiculo verſentur ſicco, calido, mundo & lucido: triſtiores animi affectus excludant. Curatio à ſanguinis miſſione inchoanda erit in initio, ſi eius fuerit plenitudo, vires, ætas & reliqua conſenſerint. Copioſam autem extractionem hic diſſuaſerim. Per hæmorrhoides, ſi legitime vacuetur, commodum erit. Si peculiari modo affectus competiatur ſplen, lienaris, vel media in ſiniſtro brachio aperiatur: ſin vero hepar magis, vel æque grauatum, corpuſque ſanguine redundare deprehendatur, tum dextri brachii pertundatur iecoraria, vel baſilica aut media. Cum autem raro aduocetur Medicus, niſi altas malum egerit radices, inualueritque, & lituris in tibiis ſe morbus prodiderit, à ſectione venæ abſtinendum conſuluerim. Hinc leuiter corpus vacuetur cum foliis ſenæ Alexandrinæ, quam vocant, expurgatis ad vnc. s. vel drachm. iij. vel minus, ſi epithymi tantundem adiunxeris, cum paucis paſſulis corinthiacis, ſem. fœniculi & zinziberis ana. drachm. s. quæ ſimul veſpertina hora in ſeri lactis quantitate ſufficienti leuiter efferueant: & macerentur noctu: deinde mane poſt feruorem vnicum forti expreſſione coletur ſerum, quod propinetur. Poteſt & vnc. s. ſequentis pulueris eodem modo infundi, colaturaque expreſſa exhiberi. Recipe fol. ſenæ Alexand. expurg. vnc. I. epithymi, tartari albi, ana. vnc. s. cinamomi, garyophyll. galangæ, ſem. aniſi, ana. drach. j. diagridii drac. j. s. fiat pulu. Conferunt & pilulę de fumaria ac diaſene. Pilulas etiam ex lapide lazuli & armeno etſi q̃dam exhibeãt, mihi tamen diſplicent. Confectionẽ hamech q̃ offerre quoq; volẽt, quantitatis vt ſingularẽ habeãt rationẽ neceſſe eſt, cũ vehementes expurgationes innoxie hic morbus non ferat, vbi tã facile cor afficitur læditurq;. Purgato ſuauiter corpore, ſingulis dieb. bis, hora nimirũ matutina, qua etiã in pleriſque ſudor expectatur, & quarta pomeridiana, aſſumentur vnc. iiij. ſucci expreſſi ex herbis ſequẽtib. admiſcebiturq; ſacchari puri quãtũ voles, & canellę parũ. R. cochleariæ, ſiſymbrii cardamines

naſturtij

naſturtii hyemalis dicti, ana. partes æquales: becabundæ partem mediam, quantitate obſeruata vnius prædictæ herbæ: hæ virides in mortario lapideo cũ piſtillo ligneo contundentur, exprimenturque. Cæterum eæ potiſſimum in hoc morbo extirpando ſingularem ſunt ſortitæ ex ratione prærogatiuam, cum primæ tres incidant, extenuent, & per vrinas expurgent, quarta aliarum vires contemperet, propterea etiam pro corporis, morbi & caloris ratione, augeri vel minui poteſt. Contuſæ item illæ in lacte caprino recenti, vel in eius penuria, vaccino decoquuntur: & à forti expreſſione ſimili modo potus propinatur. Recentem eum quotidie apparari conſultius eſt. Felicem quoque ſucceſſum expertus ſum, ſi quando in lactis ſero illæ plantæ decoquerentur: ſuccorum tamen exhibitio præſtat, at ex docti exercitatique Medici arbitrio hæc mutari queunt. Vbi & cum vino rubello coquerentur non temere memini. Liquoris vero non magna ſuperfundenda quantitas, quod ſucculentæ ſint herbæ, quare hæ ſolum eius admixtione contegentur ad coctionem: alias cum iis liquoribus etiam per cribrum ſetaceum valida expreſſione traiici ſolent contuſæ crudæ. Abſynthium vulgare admixtum, confert plurimum: vtiliterque adiunxi ſæpenumero fumariam & chamædrym. Nummularia quandoque, ob laxa viſcera & diſſolutas compages, miſcetur. Si aliis deinde multa aliarum materiarum farrago placuerit, quemadmodum myrobalanorum, maxime Indorum, corticum radicum capparum, fraxini, cuſcutæ, aſari, thymi, epithimi, adianthi, matricariæ, chelidonii, bethonicæ, hyſopi, agrimoniæ, ſcabioſæ, teucrii, phyllitidis, ceterach, tamarices, acetoſæ, radicum valerianæ, biſtortæ, enulæ, polypodii, lapathi acuti, fœniculi, petroſelini, pimpinellæ, cichorii, borraginis, bugloſſæ, rhapontici, ariſtolochię rotundæ, glyzyrrhicæ, paſſularum, ſenæ Alexandrinæ: florum geniſtæ, ſambuci: ſeminum aniſi, fœniculi, viticis, ſemin. frig. & id genus reliquorum per me licet: ex paucarum tamen plantarum legitimo vſu curationem conſequutus ſum non raro felicem.

Hoc item remedio infinitos eſſe curatos intelligo. ℞. comæ abſynthii vulgaris ſicci, granorum iuniperi contuſorum ana. m. j. lactis caprini lib. iiij. coquātur ad tertiæ partis conſumtionē, exprimēdo colentur, deinde admiſce croci in puluerem redacti drachm. j. denuo ebulliant feruore vno aut altero, ſecundo colentur. Decocti huius datur hauſtus tepidus ter in die, hora matutina, ac tertia pomeridiana, & quando cubitum itur.

Mulierem noui in Scorbuti curatione celebrem, quæ corpore vacuato hanc propinabat potionem. ℞. Bacabundæ, ſiſymbrii cardamines ana. m. iij. vel m. iiij. contuſis herbis admiſce ſeminis erucæ, rad. irios hortenſis noſtri vulgaris recentis ana. vnc. ſ. zinziberis drachm. ij. piperis longi drachm. j. ſimul per colum traiiciantur cum vini rubri lib. ij. Ex hoc potu commoto hauſtum ſingulis diebus matutina hora calide offerebat, deinde ęgro diligenter contecto eliciebat ſudorem, nouem in ea curationis ratione impendens dies.

In comitatu Marcenſi baccabundam, ſiſymbrium cardamine & aloen cōtuſa, & cum lacte colata, propinant nobiles quædam matronæ.

Tenello infanti cum ſucceſſu aliquoties apozema hoc exhibuit Comitiſſa quædam. ℞. rhabarbari, centaurii minoris, rhapontici vulgo dicti, an. drach. ſ. ſem. aniſi, liquirit. ana. drachm. ij. in puluerem redacta traiiciantur cum expreſſo liquore manipuli florum Damaſcenorum, quos vocant, in aqua decoctorum, hinc cum ſacchari quantitate ſufficienti fiat ſyrupus longus, vnde cochlear mane & veſperi bibit.

Ingratam & fere abominabilem potionem in Phryſia Orientali, velut certiſſimam in Scorbuti curatione habitam, hic ſubiungere volui, vt excremētis quoque ſuam ineſſe vim naturalem quilibet videat: quæ tamen in vſum non admittimus, quod alia magis grata, neque vſq; adeo abominabilia, certiori ratione vſurpari queant, iucundiorque curationis modus obſeruetur. ℞. vini Rhenenſis menſuram ſex quartarum (ſingulæ quartæ pendent lib. iiij. medicinales) radicum raphani maioris boni & recentis in mortario lapideo diligenter contuſ. vnc. iij. quæ cum parte vini dicti in ollula ſeorſum mixta macerentur, per horam integram: liquor fortiter expreſſus per linum, cum ſex vini dicti quartis commiſceatur: deinde in eiuſdem vini portionem aliam immittatur ſeparatim ſtercoris taurini & anſerini par quantitas trium magnarum nucum, ibidemque per horam relinquatur: poſt validam inde expreſſionem vino primo affundatur. hinc ℞. nucum myriſticarum, garyophyll. ana. drachm. ij. contuſæ ſeorſum, linoque illigatæ in dicto vino ſuſpendantur, atque eo modo horis viginti quatuor potus conſiſtat. Inde quotieſcunque ſitit æger, large bibit: nec aliam vſurpat potionem, donec integram fuerit conſequutus ſanitatem. Potus autem hic apparari ſecundo poterit, ſi requirat neceſſitas. Interea cauentur ſalita valde, ſecalinuſque panis. Cùm Phryſia taurorum & anſerum ſit feraciſſima, ex paratu facilib. ibi concinnantur eiuſmodi medicamenta. Tantam autem vim calorificam ſtercori anſerino ineſſe, vt in quæ inciderit gramina vrat: & hinc cū liquore conuenienti transfuſum incidere, Menſes, ſecundinam, & vrinas potenter mouere, conſtat: nec dubium eſt, taurinum ſtercus identidem huc nonnihil facere.

Vacuationes priores ſemel atque iterum tota curatione reiterari queunt. Inde diebus aliis offeratur matutina hora cochleariæ conſerua, vel etiam conſerua chamædrytes, ſeorſum vel mixtæ: quibus accedent radices bugloſſæ vel borraginis conditæ, velut & enulæ.

Porro notandum, omnes fere plantas acres, quibus inciditur attenuaturque materia morbifica, ad huius mali profligationem iuuare: ne quis ſibi perſuadeat, à tota ſubſtantia vel forma occulta ſolum herbas tantopere prædicatas, nobiſque hic familiares, vt efficaciſſimas, puta ſiſymbrium, cochleariam & becabūdam, iſtum profligare morbum, cuiuſmodi ſunt, pręter enumerata paulo ante, draco, ſcordiū, ſemperuiuum minus, herbæ omnes ſpleneticæ, radices aperitiuæ, ſemina calida, baccæ lauri, iuniperi, atque id genus ſubſtantiæ reliquæ.

Hypochondria illinantur, Siniſtrum hac vel ſimili mixtione. Recipe olei de capparibus vnc. j. vnguenti de bryonia contra ſplenem vnc. ſ. miſce. Dextrum, oleo abſynthite: quibus, ſi poſtulet

neceſſitas, primarum noſtrarum herbarum ſuccus incoquatur.

Gingiuæ laxæ & putridæ interim colluantur cum decocto foliorum & corticum oxyacanthæ vulgaris, cochleariæ, ſiſymbrii cardamines, naſturtii hyemalis, & roſarum rubrarum immaturarum, in aqua ferrata præparato, in cuius colatura expreſſa aluminis pauxillum fuerit diſſolutum. Saporis & abſterſionis ratione admiſceatur mel crudum, vel roſaceum: ſiue vt conſeruentur confirmenturque magis gingiuæ, imo & feruor reſtinguatur, diamoron. Valent huc quoque oleaſtri folia, cum ſtillaticio plantaginis ſucco expreſſa: item pruni ſylueſtris cortices.

Collutio quoque alia hoc conficitur modo. ℞. aquæ lib. j. ſalis, aluminis, an. drach. ij. bulliant ſimul. Item: ℞. Malicorii, ſumach. balauſtiorum, an. vnc. ſ. paſſularum vnc. j. cum aquæ fluuialis lib. iiij. ad medietatis abſumptionem coquantur: traiectoque per colum liquori admiſce mellis roſacei vnc. ij. aluminis drach. ij. Confricantur & gingiuæ ſanguinolentæ & flaccidæ, ſale vſto cui puluis balauſtiorum fuerit immixtus: vel cineribus ſarmentorum, cum teſtis oſtreorum aut mytularum vſtis: interim illa ſanguinis ſanies quoque exugitur, expuiturque. Inde etiam os colluitur decocto radicum biſtortæ, quæ virtute britannicæ ſimili pollet: hinc & ſuccus exprimitur, vt etiam ex dicto noſtro naſturtio, & cum diamori parte dupla miſcetur, quo gingiuæ illinuntur. Vel. ℞. Succi biſtortæ, mellis roſacei, an. vnc. iij. ad ſucci conſumptionem coquantur: inde aluminis vſti drach. j. admiſce, hoc linimento vtere. Quemadmodum & hac confectione: ℞. Biſtortæ vnc. ſ. ſalis ſcrupul. j. cum diamoro ad conditi conſiſtentiam miſceatur: ſic & alumine ac pyrethro cum melle crudo mixtis, quibus ex ſaluiæ & olibani puluiſculo parum indi poteſt. Cuius ſupra memini, muliercula, collutionem parabat ex hyſopo, ambroſiana, betonica & radicibus enulæ, aquæ in coctis: in colaturæ expreſſæ lib. ij. diſſoluebat aluminis vnc. ſ. & ſimul cum melle ſinebat efferueſcere, deſpumabatque.

Phryſii aliam conficiunt, ex aceti cereuiſiarii lib. ij. bolo armeni vnc. ſ. aluminis drach. ij. mellis vnc. iij. ſimul bulliunt. Saxones plerique ſabinam adiungunt.

Si gingiuarum putredinoſus tumor nimis luxuriet, forficula nonnihil auferatur, & vnguento Ægyptiaco vel alumine vſto cum roſaceo melle mixto conſumatur: aut etiam vitrioli oleo coerceatur. Eſt & hæc aqua in earum putredine eximia, quomodo etiam in malignis vlceribus, ſi ſpongiola eo liquore imbuta confricentur gingiuæ. ℞. Arſenici ſublimati ſcrup. ij aluminis vſti drac. ij. ſ. in puluerem contuſa ſimul bulliant in aquæ plãtaginis lib. 1. ad horam, in vaſe duplici.

Lituræ in cruribus fouentur decocto baccarum juniperi leuiter contuſarum, ſiſymbrii cardamine vtriuſque, naſturtii hyemalis, cochleariæ: quibus, ſi voles, addes flores chamomillæ, artemiſiam, meliſſam, abſynthium, roriſmarinum, maioranam, thymum, hyſopum & ſimiles herbas, quæ aquæ incoquantur. Si & ſpongias ex eo preſſeris, inferioribuſque tibiarum partibus vtrinque applicueris, maculas ſub cute obſcuras & adhuc deliteſcentes manifeſte elicies, vt effloreſcant & Scorbuti ſigna luceant.

Linimento hoc inungentur quoque. ℞. butyri maialis vnc. ij. ſ. baccarum iuniperi contuſarum drac. vj. vini puri vnc. ij. coque in fictili ad vini conſumptionem, expreſſione vehementi colato: vngantur crura mane & veſperi. Vel fiat illinitio, butyroſitate collecta ex lacte, in quo decocta fuerint ſiſymbrium cardamine, naſturtium hyemale, becabunda, abſynthium, & baccæ iuniperi contuſæ. Applicantur & panni, ea pinguedine imbuti. Habenda etiam ratio caloris, vt inſigniter calefacientes plantæ tum minuantur, becabunda augeatur, & in lacte ebutyrato apparetur decoctio. Coagulum lactis ebutyrati per ſe quoque apponitur, vel lac ebutyratum recenter concretũ. In tumoribus durioribus admouetur cataplaſma ex lacte, cui conſolida maior fuerit incocta, abſynthium, ſiue etiam chelidonium maius & minus, radices bryoniæ, medulla panis, farina fabarum, vel hordeacea quoque, vel lupinorum, pro affectæ partis conſtitutione, aut calore.

Nerui ligamẽta & tendones, ſi huius materiæ grauis copiam imbiberint, rigidioraq; & ad motum inepta fuerint reddita, poſt fotum, vel etiam abſq; eo, inunguntur adipe anſerino, vel anatino, vel taxi pinguedine, aut ſimili.

Si tibiæ exulcerentur, pro vlceris conditione mutanda, quæ adhiberi debent: pro abſterſione autem, & mundificatione paretur linimentum ex cochleariæ, apii & abſynthii ſucco, ac mellis quantitate debita, coctis ad conſiſtentiam: cui, ſi putredinis magnitudo poſtulauerit, ſiue pulueris ariſtolochiæ rotundæ, vel aluminis vſti, vel præcipitati momẽtum admiſceatur. Conferet quoque emplaſtrum diacalciteos, ſiue diapalma, quod nonnihil etiam cum oleo roſaceo diſſolui poteſt: item ad cicatricem citius inducendam, emplaſtrum de minio, vel vnguentum de tutia, vel confine, poſtea applicetur.

Cum inter morbi huius cauſas non minima exiſtat aquæ vitium: quæ hinc corpori humano accerſantur incommodo ad pleniorem noſtri inſtituti explicationem hic ex Hippocrate ſubiungere volui, *Lib. de Aere aquis & locis*, vbi ita ſcribit: Hyeme vero glaciatas, frigidas ac turbatas præ niue & glacie, vt pituitoſiſſimæ ac mucoſiſſimæ exiſtant. Bibentibus autem ſplenes ſunt magni ac pleni, & ventres duri, tenues ac calidi: humeri vero ac clauiculæ & facies attenuata. In ſplenẽ enim carnes colliquantur, quapropter graciles exiſtunt. Edaces autem eſſe tales, ac ſiticuloſos, par eſt: ventreſque tum ſupernos, tum infernos, calidiſſimos habere, vt etiam fortioribus medicamentis opus habeant: atque hic morbus ipſis & æſtate & hyeme familiaris eſt. Ad hæc etiam hydropes plurimæ ac lethaliſſimæ fiunt. Æſtate enim dyſenteriæ multæ ac alui profluuia incidunt, & febres quartanę diuturnæ. Hi autem morbi prolongati tales naturas ad hydropes deducunt, ac occidunt. Et hi quidem morbi ipſis æſtate fiunt: hyeme vero iunioribus quidem peripneumoniæ & inſaniæ morbi: ſenioribus vero febres ardentes, propter vẽtris duritiẽ: mulieribus aũt tumores oboriuntur, & pituita alba, & vix in ventre concipiunt ac difficulter pariunt: & fœtus magnos ac tumidos, deinde ex alimentis tabeſcentes ac deprauati fiunt. Expurgatio commoda poſt partum mulieribus non contingit. Pueris vero herniæ accidunt, & viris varices, & vlcera in tibiis. Quare fieri non poteſt vt tales

naturæ

naturæ ſint longæua, ſed ante temporis aduentum ſeneſcunt. Præterea fœminæ ſe in vtero habere putant: & vbi partus tempus adeſt, ventris moles illa ac plenitudo euaneſcit: hoc autem contingit ex aqua, cum vteri ex aqua concepta laborant. Atque has quidem aquas ad omnem rem improbas eſſe ſentio. Intelligit autem de paluſtribus ſtabilibus & lacuſtribus, nam earum & paulo ante meminerat. Adhæc, quod in lacte plantas coquant, expreſſumque liquorem ſucceſſu fauſto hauriant ægroti, id ſeri magis ratione quam totius lactis euenire ſentio, dum in colatura butyroſitas, vel lactis coagulum in cribro ſetaceo vel panno lineo, per quem tranſmittitur liquor, adhæreſcit, permanetque: & ſi quippiam ſimul transfluit, reliqui ſucci acrimoniam cōtemperat, ob qualitatem ſuam calidam & pinguem. Serum autem ſanguinis ſero, id eſt, lotio facultatibus reſpondens, & propterea acre & calidum, tenuiumque partium, abſtergit, aperit, vrinas mouet, atque ad huius luis profligationem cumprimis vtile, ex priſcorum etiam teſtimonio. Siquidem *Aetius Amidenus ex Galeno, libr.2.cap.9*4. ſic ſcribit. Efficaciori ſero vtitur aliquis ad corpora & morbos, quæ validioribus præſidiis indiguerint, præſertim ad diuturna exanthemata liuenteſque varos, ad omneſque humorum deprauationes in cutim tendentes, vt lepram & conſimilia, ad antiqua, ferinaque vlcera, ad capitis achores, & huiuſmodi: item ad oculos aſſidue fluentes, ad palpebrarum ſcabiem, ad faciei maculas, imo & ad diturnas febrium periodos, & ad hos qui ab aduerſa valetudine in hydropem pergunt. Prætulit Meſues ſerum ex nigrarum caprarum lacte elicitum, deinde ex ouillo, ſic inquiens: Aqua lactis macerationis materia eſt, & per ſe quidem innocuum medicamentum. Præfertur, quæ fit ex lacte nigrarum caprarum, in laudatis paſcuis victitantium, recenterque fœtarum. Excalfacit hæc atque ſiccat ordine primo completo & vſque ad ſecundum. Quin etiam attenuat, abluit, abſtergit, & nitroſa, qua referta eſt, facultate aluum abſque aliqua mordacitate leniter ſubducit: Bilem tum flauam tum atram ab exuſtis humoribus genitam deiicit, quo fit, vt mirifice conferat maniacis & melancholicis. Præſtat item ad viſcerum infarctus, & morbis inde prouenientibus opitulatur, nimirum aqua intercute laborantibus, felle ſuffuſis, & lienoſis. Datur vtiliter febrientibus ex bile & viſcerum ac vaſorum obſtructionibus. Competit etiamnum vitiis in cute à bile & peruſtis humoribus emergentibus. Quare lichenibus, vitiliginibus, alphis, pſoris, lepriſque admodum conuenit.

Ne præterea remoram Lectori iniiciat plantarum noſtrarum non ita vulgarium ignoratio, paucis meam explicabo ſententiam, potiſſimum cum hic mire noſtrorum hominum iudicia varient. Præcipua autem celebriorque eſt cochlearia, quæ ternas perſpicue oſtendit formas pro ætatis diuerſitate. Primo enim ortu foliola edit ophioglоſſo vel linguæ ſerpentinæ ſimillima: quæ confertim ab ipſa radice cum pediculis emergunt: deinde poſt adoleſcentiam carnoſiora euadunt, aſaroque & magnitudine fere & figura reſpondent, niſi quod circuitus notetur obtuſioribus angulis, vt plurimum ſeptenis vel nouenis, potiſſimum etiam hyberno tempore: foliorum item minor portio plana, frequentior vero conſpiciatur incurua ad cochlearis analogiam, ex qua & etymi ratio tam apud Germanos quam Latinos profluxit, & Cotyledon dici merito poſſet. Tandem altero ætatis anno folia illa hederacea, vel aſaro conformia, ſtriantur, gracileſcūtque paulatim, eo magis, quo altius à radice ad vmbellam conſcendunt, angulis interim quoq; ſe manifeſtius prodentibus: idque menſibus Martio, Aprili & Maio, quibus flores luxuriant albi: in quorum locum deinceps Menſe Iunio ſuccedit ſemen vberrimum, quod maturum in exiguis capſulis apparet obſcure ſubrubrum, exiguum & planum. Radix huic eſt tenuis, albicans, recta, non longa. Guſtu herba deprehenditur calida in ſecundo gradu completo, aut potius tertio, ſiſymbriique cardamines acrimoniam attingit. Apud nos planta eſt domeſtica: apud Hollandos, Phryſios & confines ditiones maritimas Syluestris. Contendunt plerique hanc eſſe Telephium, quod portulacæ ſimilia folia habere iudicetur: id quod à me negatur, licet quoque ad eius ſimilitudinem folia habeat, nequit tamen vnica hæc conditio nobis inde creare telephium: alioqui cepea, crithinum, tribulus terreſtris, tithymallus helioſcopius etiam forent thelephium cum folia ſortiantur portulacæ, hoc eſt, craſſa, lenta, carnoſa. At plures ſunt notæ repugnantes. Primum enim, Telephium habet folia cœrulea, id eſt, obſcure nigricantia: vt plumbago Plinii, branca vrſina, &c. cochlearia ſaturati eſt viroris. Secundo illius folia ſunt plana, æqualia; huius vt plurimum ad cochlearis formam incurua, cum exiguis angulis. Tertio, cauliculi telephii altius ſurgunt, ſuntque referti foliis plurimis: cochleariæ pediculi à radice aſſurgunt plurimi, cum foliis ſingulis in vnoquoque pediculo. Quarto, nec caulem hæc habet portulacæ ſimilem, hoc eſt, pinguem & rotundum: ſed pediculos ſolummodo introrſum anguloſos, extrorſum rotundos. Quinto, illius flos quandoque eſt albus, nonnunquam luteus: huius ſemper albus. Sexto, loci ratione diuerſitas contingit. Telephium enim in cultis, & maxime inter vites naſcitur: cochlearia vero in Phryſiæ & Hollandiæ pratis, & aggeribus mari finitimis, non vinetis. Septimo facultatis gradu differentia liquet, quandoquidem illud exiccandi & detergendi virtute præditum eſſe dicit Galenus, quemadmodum & Dioſcorides, cum vitiligines curare ſcribat: ſed non eſſe calidum inſigniter, niſi in primo gradu; at cochlearia eundem occupat gradum, quem ſiſymbrium cardamine: acrimoniam enim inſignem præbet guſtui. Telephium itaque & Cochleariam diſcrepare, aſſerendum. Iam vero neque eſſe Cochleariam eandem cum Plinii Britannica plantam, vt nonnullis placet, hinc præter cætera demonſtratur, quod non ſit altera à Dioſcoridis Britannica, quæ ſylueſtris lapathi ſortitur folia, ſed nigriora piloſiora, & guſtu adſtringentia: cochlearia autem rotunda, viridiora, aſaro ſimilia, læuia, minime hirſuta, vt nec vllo modo adſtringentia; vrinam etenim promouet: proinde etiam anginæ nullatenus conducit, velut illa, vt Plinius vult. Britannica item habet caulem: cochlearia vero multos pediculos cum ſingulis foliis ab vna radice, quæ etiam hic ad ſpithmæ longitudinem tendit: illius, breuis eſt.

Siſymbrium, quibuſdam Cardamina dictum, naſturtium eſt aquaticum minus, exiguis primo exortu foliis rotundis, quæ adoleſcendo paulatim gracileſcunt, prolonganturque: ramulis numeroſis, in cacumine tantum comantibus, in quibus floſculi emergunt candicantes circa veris initium. Id non modo in aquoſis & riguis locis prouenit, ſed in hortis quoque, & circa itinera ſapore admodum acri.

Alterum naſturtium aquaticum, maius dictum, folia habet multo maiora, primo rotunda: cum vero adoleuerint, erucæ modo diſſecta, ſatiuo naſturtio ſapore proxima. In locis riguis, & potiſſimum circa fontium riuos diſcurrentes naſcitur. Italis nuncupatur Siſembro aquatico, & Creſcione, Gallis Creſſon, Hiſpanis Berros & Agriois, Germanis Brunkreſſen / & Waſſerkreſſen. Vtriuſque icones à Matthiolo exquiſite propo-nuntur.

Eſt & naſturtium dictum hybernum, maiori aquatico primum ſimile: quo autem huius folia ætatem conſequũtur maturiorem, eo frequentius profundiuſque lancinantur, maxime caulem verſus, irionis modo, antrorſum vero cùm quinque angulis in circumferentia variant. Caulis autem altius recta excreſcit anguloſus, ſtriatus, racemoſus, & flexilis: floribus in cacumine luteis, qui in Maio & Iunii initio florent: quibus pereuntibus emergunt ſiliquæ oblongæ, rotundæ & erectæ, exiguum continentes ſemen. In hyeme naſturtii aquatici maioris effigiem refert: in acetariis familiare. Dodonæus ψευδοβούνιον Dioſcoridis eſſe arbitratur, nuncupatq; Barbaream, vel herbam S. Barbaræ: Gallis herbe de ſainct Barbe dicitur, noſtratibus Winterkres. Tres hæ nominatæ naſturtii ſpecies in Scorbuti curatione ſunt vtiliſſimæ. *Vierus Lib. Obſ.*

Inter raros caſus, morbus haud dubie annumerandus venit, quem noſtra hæc ætas Scorbutum appellat: Germani Scorbuck. Eſt autem morbus iſte longus ac natura ſua diuturnus, grauis item & moleſtus. Germaniæ, quæ ad mare Balthicum, ἐπιχώριος ac familiaris fertur: ac deinde oræ maritimæ Friſiæ ac Cimbricæ Cherroneſi, quæ modo Dania. Vnde iam olim ad Brabantos peruenit, nunc vero & Bohemiæ ac Sileſiæ innoteſcere incepit. Tument ac exulcerantur gingiuæ, & non raro ſupra ipſos dẽtes attolluntur, oris fœtor inde accedit. Crura & quandoque pedes liuores occupant, haud diſſimiles iis, qui parte aliqua ſuggillata apparent: Liuent quandoque & femora: in brachiis vero & huiuſcemodi liuores videre, ſed perquam raro contingit. Subinde vero in femoribus non quaſi ſuggillationes, ſed puncta liuentia reperiuntur, qualia à pulicum morſu relinquuntur. Si magnus & diuturnus eſt morbus, & remedium non adhibeatur, tandem & hypochondria liuent: poſtremo vero & ventris tormina accedunt, ſubſequente morte. Præter vero hos liuores faciei & reliqui corporis magna ex parte pallor accedit: pedes vero & quandoque intumeſcunt. Morbi cauſſa craſſus frigiduſque humor, qualis eſt melancholicus ſuccus, ſanguinis fæx, non ex aduſtione natus: cuius fomes eſt praua victus ratio; præſertim ſecale corruptum, per quod Anno 1556. apud Brabantos irrepſit. Nam cum propter validam famem, ſecalis vſus eſſet ex Boruſſia aduectī, non pauci à Scorbuto male habere inceperunt: nonnulli tamen grauius, alii mitius laborarunt, pleriſque nonnulli liuores apparuerunt, ſed circa gingiuas mali labes ſeſe tantummodo oſtendit. *Olaus Magnus in Septentrionalium gentium Hiſtoria*: Caſtrenſis, eſt morbus, qui vexat obſeſſos & incluſos: ac ſalſorum videtur ciborum eſu naſci, frigida vero murorum exhalatione foueri. Noui ego quendam admodum anguſto carceri incluſum, loco non humili, ſed editiore, vbi nulla murorum exhalatio, & aeris liber per patentes feneſtras ac cancellos erat aditus, hoc morbo ſatis grauiter affectum: cui non praua victus ratio, ſed anguſti & diuturni carceris tædium morbum peperit. Curatio huius morbi per nonnullas herbas præcipue perficitur, vt ſunt Naſturtium hortenſe, tum & aquatile Naſturtium: quod à Dioſcoride Σισύμβριον ἕτερον: Item & cochlearia, à forma cochlearis dicta, quæ ſapore Naſturtium refert, commendatur vero & Anagallis aquatica: verum hæc viribus minus præſtat. Decoquuntur in vino aut in lacte à tenuioribus: decoctum aliquot diebus bis aut ter in die bibitur. Atque hoc ſolo nonnulli contenti, haud alia remedia requirunt: os etiam ac gingiuas eodem, quod bibitur decocto abluentes: Nonnulli vero & contuſarum herbarum ſuccum propinant, qui efficacior decocto eſt. Vſus ſum & quandoque conſerua (vt vocant) ex Naſturtio, quæ cum vino propinata admodum efficax fuit. Sed ex ratione eſt, vt præter iſtas herbas, bona victus ratio inſtituatur, & praui humores vacuatione, ſi vires ferant, minuantur: ori vero ac gingiuis commodis remediis prouideatur. Laborandum autem ante omnia, vt panis ex optimo ſit tritico paratus, & probe ſit coctus ac fermentatus. Ab omnibus ſalſamentis & fumo duratis abſtinendum: piſces quoque haud conueniunt: fructus horei crudi pernicioſi ſunt, probatur cibus ex optimis carnibus. Vino vtendum eſt albo, aut, ſi ita conditio ægrotantis poſtulat, ceruiſia tenui & probe defæcata. Humores per aluum vacuandi ſunt: Vtilia ſunt folia ſenę, epithymum, veratrum nigrum, ſi vires ferant, & ex compoſitis confectio hamech. quibus ea addenda ſunt, quę & morbi conditio ac ſimplicium facultas requirit, vt ſunt radices polypodii, aut capparis, aſplenium, vulgo ceterach, hepatorium vulgare, caſſytha, fumus terræ, vuæ paſſæ, aniſi aut fœniculi ſemen: Admiſceri vero & Agaricum quandoque expedit, vel etiam Hermodactylos. Sanguinis detractio non, niſi vbi vires validæ ſunt & plenitudo magna, conueniens eſſe poteſt: Morbi enim cauſa omnino frigida, & p ſanguinis miſſionem corpus amplius refrigeratur. Ori quoq; prouidendum eſt collutionib. ex herbis calidis, propter morbi cauſã, vt dixim⁹, frigidã: vt ex thymo, roſmarino, ſaluia, hyſſopo vulgari, qbus adſtringentia q̃dam admiſcẽda; veluti galbuli cypreſſi, radix biſtortæ, aut nõnihil alumnus: q̃ aquæ ſoli, aut cũ vino mixtæ incoquenda ſunt. Decocto os, & gingiuæ crebro abluendæ, p̃ſertim addito nõnihil mellis roſacei, q̃ ad abſterſionẽ facit. Vni tantũmodo me ſanguinis miſſionem imperaſſe recordor, illi nempe quem ſcripſimus anguſto carceri aliquandiu incluſum fuiſſe: qui vir erat fortis, boni habitus, temperamenti calidi, cuius pulſus ſecundum omnem dimenſionem magnus & valde

valde fortis, præter alia, plenitudinem oſtendebat. Huic aliquot vnciæ ex ſiniſtro brachio detractæ fuere: poſtea exhibitum medicamentum purgans, ex iis quæ ſuperius oſtendimus, additis hermodactylis & confectione hamech. Deinde vſus decocto Naſturtij ex aqua & vino, paucis diebus ſanitatem conſecutus fuit: ſemel atque iterum intermedijs diebus purgatione repetita: & ori ac gingiuis remedio adhibito; quod fuit collutio ex decocto hyſſopi, ſaluiæ, roſmarini, cui additi galbuli cypreſſi, aliquot grana vulgo dictarum cubebarum, & aliquid nucis myriſticæ: poſtremo vero & nonnihil mellis roſacei; quo oris malum facile quoque emendatum. Alij citra ſanguinis miſſionem curati ſunt: quibus purgatio, deinde vſus Naſturtij vnius aut cochleariæ herbæ, & oris collutio ad ſanitatem contulit. Imbecillibus vero & viribus parum valentibus nec purgans exhibitum. Nonnullis vero & ſolum oris medicamentum ſatis fuit, quibus videlicet ſolæ gingiuæ male affectæ. Podagrico cuidam, ſi quando decumberet, mox liuores circa pedes & crura exorti ſunt, qui ab aſſumta Naſturtij cum vino conſerua cito euanuerunt. *Dodonæus cap. 33. obſeruat. medicinal.*

Hippocrates libr. de morb. internis, morbum quendam deſcribit, εἴλεον αἱματίτην id eſt voluulum ſanguineum dictum; qui cum Scorbuto, ſi non per omnia, in plurimis tamen conuenit. Ex ore, ait, male olet, à dentibus & gingiuæ diſcedunt, & à naribus ſanguis fluit: Aliquando etiam ex cruribus vlcera pullulant, & alia ſaneſcunt, alia emergunt, & color fit niger, & cutis tenuis. Sanguinem autem è naribus profluxiſſe in hoc morbo memini ſed rarius tamen obſeruatum. Vlcera vero ſubinde naſci nonnulli affirmant; verum hæc mihi comperta affirmare nequeo. Nec hæc perpetuo adeſſe, ſed quandoque, Hippocrates ſcribit, nigricant autem ſuggillationibus perſimiles maculæ, & cutis ſupertenſa, quia tranſparens, tenuis apparet. Quod autem ſequitur. Eſt autem ad deambulandum ac laborandum promtus, videtur corruptum. Nam, male habentibus cruribus ad deambulationem & laborem promtitudinem adeſſe, vix credibile. Proinde pro πρόθυμος, hoc eſt, promtus, rectius legendum οὐ πρόθυμος, hoc eſt, non promtus. Cum autem huius affectus cauſa, frigidus, craſſus, ac fæculentus humor exiſtat, & talem promtiſſime lien recipiat, & ad ſe pertrahat, tumore quoque vna afficitur, & maior fit. Quod etiam *Hippocrates* ſcribit *Prorrheticon libr. 2.* Gingiuæ (inquit) vitiatæ, & oris graueolentia his ſunt, quibus ſplenes magni. Quicunque vero habent ſplenes magnos, & neque ſanguinis eruptiones ipſis contingunt, neque oris graueolentia, horum tibiæ vlcera praua habent, & (malim legere: aut) cicatrices nigras. Succedere autem spleni magno vel ſanguinis vomitionem, vel ſcorbutum, vel aſcitem, à nobis frequenter obſeruatum. *Idem in Scholiis ad c. citatum.*

De ſcorbuto præterea ſcripſere *Balduinus Ronſeius, Guil. Lemnius, & Reuſnerus libellis proprijs.* Meminere eiuſdem morbi *Euritius Cordus in Botanologico: Olaus Magnus de Gentib. Septentrionalib. lib. 16 Albert Crantz in Saxoniæ deſcr. Dodonæus in ſtirp. Hiſtor. Langius in Epiſtolis: Gemma in Coſmocrit. Ioan. Am. Agricola libello de herbis: Dryander & Carrichterus in praxi germanica, Mithobius lib. de peſte, Foreſtus lib. 20. obſeru. ſuarum, & alij nonnulli.*

Observatio.

Tinctura contra Scorbutum Alexipharmaca Ioannis Werneri Med. Hannoucrani.

MAximarum virium cum in alijs Lienis aff. tum maxime in Scorbuto, Tinctura noſtra ſæpiſſ. (vt immaniter tandem in locis Saxonicis Scorbutus graſſatur) eſt deprehenſa, quã haud grauatim in bonorum gratiam & ſalutem appingemus. ℞. alcohol q. s. in hoc infunde ligni ſancti ℥ 12. rad. fil. c. s ʒ iij. cort. frax. inter. ebuli cappar. ebuli ana ʒ j. ſ. aniſi ℥ j. s. Macer. ad ſolẽ vel loco tepido, dũ Alcohol tincturã ingredientium imbibat, dein fortiter ad 9. circiter diem exprimatur. ℞. ſeri lactis capr. oxymel. parat. q. ſ. In hoc eodem die infunde abſynth. pont. agrim. iulorum ſeu catulorũ ſambuci, chamædr. chamęp. rutæ ana M. s. ſedi minimi Mauerpfeffer Saxonibus Blånloß) naſturt. aqua. min. fumar. Becabungæ (puto anagallid. aquat.) ſcolop. hyſſ. ſcord. ana M. j. cochlear. M. ij. ſimul & ſemel ad ternos dies macer. dein probe exprim. Itaq; ad ternas procedatur vices. Tandem tinctura Alcohol ſeriq; coeant, addendo: Sp. diacrocu (barb. diacurcuma) ℥ s. ſ. card. b. ʒ ij. cinn. ʒ iij. ebull. vna, Colatis expreſſ. & depuratis adiungantur ſyr. de ſucco cochlear. Becabung. ana ℥ j. epythimo, acetoſ. citri, mellis opt. deſp. ana ℥ j. s. Miſc. ſeruenturque vſui. Signetur Tinctura contra Scorbutum Alexipharmaca. *Wernerus Therapeutica pag. 345.*

DE NOVIS ALIQVOT MORBIS.

VAGVS DOLOR.

Observatio.

De morbo quodam nouo & incognito, Weſtphalis, Geldris, & Friſiis quaſi endemio: quem illi die varen vocant, diuerſis ſymtomatib. ægros infeſtante.

NVper mihi legenti locum Galeni, qui eſt in *lib. 6. loc. affect. cap. 3.* vbi ait de Dracunculis, in quodam Arabię loco in tibijs hominum natis, venit in mentem morbus nobis viciniſque Weſtphalis & Geldris quaſi endemius, pluribus quoque familijs hæreditarius, populari lingua die varen dictus. Hic ſe prodit cum vagis doloribus, valde excruciantibus, in omnibus corporis membris, potiſſimum in dorſo & lumbis: primumq; vnam aliquam ſolet inuadere particulam, deinde celeri motu & diſcurſu vicinas quoque partes occupare. Siquidem videre eſt, vt in hac lue ſopitis dolorib. pedum ilico ſcapulæ afficiantur; illis tranquillis è veſtigio manus crucientur, ac ita per omnes artus malum ipſum diſſiliat. Vnde etiam cũ Epitheto die loopende Varen/nominant, plerumque tamẽ vnum aliquod membrum, quod per interualla excruciat, obſidere comperitur. Doloris ſpeciem ſtatuunt ipſi ægri exedentem corrodentemq;, qui vermiculum muſculos, & alias partes ſubito ac nonnunquam momento varijs ſimul locis permeantem depaſcentemque arguere videtur: ab inſeparabili proprietate ipſius morbi Etymologiam deducentes: ſiquidem Varen patria lingua ſingulare quoddam lumbricorum genus denotat. Morbi huius duæ ſtatuuntur differen-

tiæ: quarum prima cum tumore circa dearticulationes copulatur, qui vbi diu perſeuerat, profert tãdem plerunque maculas & lituras Scorbuti notis nõ valde diſſimiles, quæ interdum ſuppuratæ in vlcus cõuertuntur malignum, inprimis circa pedes, ex quo Vermiculi inter aſcaridum educi videntur. Interdum quoq; tota materia vnam in partem aliquam decumbit, vnde corpore toto doloribus liberato, abſceſſus excitatur, qui in fiſtulæ malitiam deſinit. Altera differentia eſt abſque tumore: ſed cum priori participat dolore, hæc interdum peculiarem habet corporis maciem, & quaſi maraſmodem cum aliquali articulorum impotentia coniunctam. Vtrique commune eſt, quod dolores noctu magis exacerbentur. Febris aut lenta, aut nulla comitatur: Aluus in pluribus adſtrictior. Vrina non admodum diſcrepat ab vrinis ſanorum, niſi quod interdum vermiculi inſtar illorum qui è putridis caſeis prorepunt in fundo matulæ innatare, ſicut & alui excrementis miſceri videantur, eſtque hoc illis certiſſ. indicium huius morbi. Cibum alii fere ſemper bene appetunt, alii eum omnino reſpuunt. Hæc variant iuxta humoris peccantis & corporis affecti diuerſitatem. Cauſſam morbi ſtatuunt in omnium humorum ichoribus, non quidem vno in ſubiecto coniunctim, ſed pro cuiuſque temperamenti varietate.

Quicquid ſit id quod hanc luem cauſſare poſſit, certum eſt materiam eſſe tenuem & turgidam, non eam quidem ſimplicem, ſed alicuius virulentiæ, malignitatiſque participem. Mineram morbi ſtatuunt neruoſum genus, per quod humor ille ſubtilis & malignus diffunditur. Idque his potiſſimum indiciis confirmant, tum quia in dorſo ac lumbis propter ſubſtratam medullam valde luxuriat dolor, tum quod facultatis motricis actio læditur: denique quod à confirmantibus reſpicientibuſque neruos iuuantur hac lue infecti. Ad curationem quod attinet ſimul ac aliquem hac lue affici contigerit, protinus ad certa quædam alexipharmaca ſeu Bezoartica medicamenta, nulla corporis vel humorum præmiſſa præparatione, ſine vlla methodo vel ratione præſcripta, pro regionum diuerſitate incolarum obſeruatione & experientia decurrunt. Inter alia commendant tanquam præſentiſſ. remedium, lumbricos terreſtres, maxime quorum collum annulis & cingulis cingitur, quos diuerſimode cum ſuperſtitioſa etiam numeri obſeruatione præparant. Alii Talpam viuam in ollula comburunt, donec in cinerem conuertatur: de hoc puluere exhibent cum cereuiſia aut vino diebus aliquot creſcente luna: & itidem in eius defectu. Alii ſpem totius curationis ponunt in exhibitione venenoſi cuiuſdam vermis, quem patria lingua Meyworm vocant, Itali Cantarello nominant. Alii alia huiuſmodi vehementia & virulenta remedia propinant, quibus curationem pollicentur, vt ſunt oua Pauonis, ſolanum ſomniferum, oſſa ſturionis dicti piſcis. Noui qui extractis eſulæ & ellebori vterentur. Sunt qui ex Saluia, Ruta, Bethonia, & aliis huiuſmodi herbis neruos reſpicientibus potiones conficiunt, quibus lumbricos terreſtres vino prius ablutos, dein contuſos & per ſetaceum traiectos, admiſcent, aut etiam citra eorum admixtionem exhibent ſeptimanas aliquot: ſemper operam dantes vt ab aſſumta potione ſudor prouocetur, quod cum primis in hoc morbo vtile prædicant. Rectius faciunt, quia vacuato primum corpore ſequenti hauſtu vel apozemate laxatiuo, potionem infra ſcriptam propinant. Hauſtus talis eſto: ℞. pul. ſenæ ſolut. drachm. ij. infunde horis 12 in aq. beton. vnc. iiij. à forti expreſſione adde Diacarth. vnc. ſ. vt fiat hauſtus. Apozema tale eſto. ℞. rad polypodii quer. vnc. j. ſaluiæ, beton. an. m. j. ſcabioſ. rutæ, abrot. ana. p. j. ſem. aniſi citri. ana. drachm. ij. paſſul. mundat. vnc. ſ. coq. in aq. lib. ij. ad remanent. medietatis, admiſcendo in fine coctionis fol. ſenæ alex. drachm. x. ſtent in infuſ. per noctem: hinc liquor à forti expreſſione clarificetur, cumque eo per colum tranſmittantur lumbrici vino abluti numero nouem, ſacch. quantum placet ad conſeruationem: ter inde ſumat ægrotus. Potionis forma talis eſto: ℞. rad. ſucciſæ vnc. j. ariſtoloch. rot. drachm. iij. ſaluiæ Nobilis, beton. ana. M. j. abrot. rutæ, vincæ peruincæ, ſabinæ ana. p. j. coq. in aq. fluminis ad conſumpt. medietatis, cum huius decoct. expreſſ. vnc. iiij. pro vice traiiciantur lumbrici terreſtres, circulis in collo inſigniti vino prius abluti & triti numero v. deinde miſce Theriacæ elect. drachm. ſ. pulu. cinam. ſcrupul. j. ſacch q. placet, exhibeatur mane calide & corpus contegatur ad ſudorem. Repetatur potio hæc diebus aliquot continuis. Cura huius morbi aliquando in ſeptimanas plures extenditur. Quod ſi vnam aliquam in partem virus procumbat, & abſceſſum excitet, is vt aperiatur, plantaginem cum ſale in mortario contuſam applicant, abſceſſu aperto vnguentum ex rad. cicutæ aquaticæ cõficiunt, quas lino vel ſtuppa madida inuolutas ſub cineribus coquunt & contuſas cum melle miſcent in formam vnguenti, (putantque vermes dulcedine mellis Attici & cicutæ virulentia interfici) indeque applicant. Alii cataplaſma ex rad. ſigilli Salomonis cum aqua vel cereuiſia componunt: cui quandoque radicem filicis quercinæ miſcent. Noui nob. matronam, quæ inſpergebat puluerem de Talpa combuſta, vt ſupra. Habes breui Doctiſſ. Domine mi Foreſte, Luis tam virulentæ deſcriptionem: partim ex Caſpari Hoffmanni Med. Brandenburgici, partim ex meis obſeruationibus conſarcinatam. An veteribus hic morbus cognitus fuerit, & quo nomine, ex te, pro ea qua es doctrina & humanitate, data occaſione ſcire deſidero. Ego omnino nouum morbum exiſtimo, nec quicquam cum Græcorum Dracontiis, aut cum Bartapaliæ ventoſitate perambulante communicare, multo minus arthritidem ex tenui materia ortam dixerim. Bene vale V. Clariſſime. *Heinrici à Bra Med. Campenſis Epiſt. ad Petrum Foreſtum, exhibita circa finem lib. 20. Obſ. eiuſd. Foreſti.*

De eodem morbo ampliſſime & exacte tractauit Doctiſſ. *Vierus libello ſuo Germanico, quem de morbis aliquot incognitis hactenus ante quinquennium inſcripſit & publicauit.*

Vxor pharmacopœi noſtri, quem & Iudicis & Sartoris cuiuſdam, de doloribus vagis, modo in brachiis, modo in pedibus ſæuientibus conqueſtæ ſunt, quibus tandem lecto affixæ omnium membrorum externorum motum amiſerunt. Medicamentis ſudorem promouentibus curatæ ſunt. Fortaſſis eſt morbus iſte, quia Wiero vocatur die lauffend Fahren. *Clariſſimi Viri Iohan. Franci. Hildeſii Exemplum.*

OBSER-

OBSERVATIO.

De nouo & inaudito quodam morbi genere in pagis aliquot Ducatus Luneburgenſis viſo: Et de alio item miran- do ſymtomate.

MOrbus quidam anno Octuageſimo, primo menſe Auguſto, Dominica prima poſt Trinitatis in Ducatu Luneburgenſi in pagis aliquot multos inuaſit,atque peremit; ita vt in duobus pagis (vt ex ſcripto Ioachimi Lutzerloho paſtoris in Hamigbutzal, dum adhuc in aula Illuſtriſſ. Principis Erici Brunſuicenſis,& Luneburg. Ducis verſor,ad me miſſo intellexi) 523. mortui fuerint. Qui an ſub peſtilentialium epidemiorum,an endemiorum cenſu referendus ſit, non ſatis affirmare poſſim; contages enim vt dixi, vltra paucos admodum pagos non ſerpſit,& pauci qui illo apprehendebantur euaſerunt. Et quia paucis & raro mihi viſus aut auditus fuerit talis morbus, viſum mihi fuit ſingula illius accidentia tibi tranſcribere,vt ſingulis exacte diſcuſſis,ſi forte iterum alicubi inuaſiones faciat,præſentia ad manum ſint remedia. Incepit igitur cum extremorum artuum, manuum dico, & pedum paralyſi aut conuulſione, manuum digitos ita in pugnum comprimens & incuruans, vt à fortiſſimo viro in priſtinum ſtatum reduci nequiuerint, hinc eruperunt in maximum & horrendiſſimum vlulatum non ſecus ac ſi epileptico more apprehenſi eſſent: quem in multis ſubita ſubſecuta eſt mors. Quod ſi ex vlulatu adhuc ſupereſſent, perinde ac catochi oculis & ore aperto iacebant, & poſt dictam illam manuum conuulſionem magnus manuum tumor ſubſequutus eſt, cum intolerabili quodam calore, ita vt frigida continua affuſione ſedari non potuerit, verum ſenſim introrſum repens viſcera atque adeo cor ipſum petierit, & quamuis quam maxime calerent, frigoris tamen impatientiſſimi fuerunt. Etſi forte nonnulli ex morbo vtcunque conualeſcerent,nunquam tamen aut perquam rarc in ſolidum reſtituebantur: nam fere pedum ac manuum officio deſtituebantur, non ſecus ac ſi luxata eſſent membra. Plurimi ex morbo delirio apprehenſi ſunt, ita vt interrogati reſponderint quidem, cæterum neſciuerint quid dixerint,alij prorſus inſaniuerunt, multis memoria læſa fuit, nonnulli ſurdaſtrorum in morem, ſi quid dictum eſſent,alta voce eloquebantur, ita tamen vt balbutiente quodammodo lingua, ſi quid dicerent, proferrent; non aliter quaſi lingua paralyſi affecta eſſet. Os lentore ac mucco plenum erat. Multi etiam fluore alui & dyſenteria corripiebantur. Appetentes fuerunt ſemper cibi & potus,ita vt plus quam pro conſuetudine comederint & biberint,non aliter ac ſi boulimia laborarent. A cibo in ſoporem inciderunt, qui magna ex parte durauit dum ingrueret paroxyſmus, à quo ita defatigabantur,ac ſi totum diem in ſole laboraſſent. Faciebat autem morbus hic varios paroxyſmos,quos ægri ſtatis certisque temporibus præſentiunt, ex diſcurſu humorum ab vna parte in aliam: quemadmodum *Galenus de Epilepſia*, originem à pedibus trahente,mẽtionem facit. Cæterum quod ſi qui conualeſcentes ad ſeſe nonnihil redeuntes, aëris mutationẽ experiri tentaſſent, poſteaquam ſibi ipſis viſi vtcunq; agiles eſſe, ita vt ſolitos labores & munia conſueta ferre poſſent,reuerſi in priſtinum locum paulo poſt impotẽtes,& quodammodo reſoluti facti ſunt, ac tandem magna ex parte vitã morte cõmutarunt. Pueros ſi affectio apprehendiſſet, exiſtimabant ſolo materni lactis vſu refici. *Balduinus Ronſeius miſcellaneorum Epiſt.69.*

Audies nouum accidens,quod adhuc dum nobis negotium faceſſit: Iuuenis eſt plus minus 20. annos natus, qui elapſo anno in grauiſſimam incidit ſceletyrbem, ita vt in eo omnia tam ſtomacaces, quam ſceletyrbes accidentia concurrerent. Statura eſt ſic ſatis procera,ſed pectore ſtrictiore,cuius maiores fere omnes ex tabe vitam finierunt. Hic igitur curata vtcunque ſceletyrbe,paulo poſt incidit in defluxum catharri à capite in pectus cum debilitate ſtomachi. Ad eum igitur iam denuo vocati, quia (vt diximus) ſceletyrbe iam laborarat; illius etiam habita ratione aliqua; medicamenta primum conſcripſimus, quæ materiam peccantem vtcunque maturarent, & expurgarent, deinde quantum in nobis fuit, membris mandantibus & recipientibus robur addere ſtuduimus fuit. In quem vſum præſcripſimus pileolos capiti accommodos & inunctiones pectori & ſtomacho conuenientes, vna cum tragematis & tabulatis, exhibentes interdum à cœna aloen lotam, præſcripta interim debita & bona victus ratione. Quod cum aliquamdiu ex præſcripto noſtro feciſſet, accidit ſub veſperam vt biberet lac ebutyratum cum pane more patrio decoctum, cuius ſumta ſcutellula & alteram ſuperingeſſit: hinc probe ſatur cubitum conceſſit, (mirum dictu) nocte intempeſta ſtatim ſubſequuta eſt continua quædam ebullitio ex faucibus,palatum & os petens, ita vt os & labra continuo humore & ſpuma maderent, quam etſi abſtergeret, ſtatim noua ebullitio ſubſequuta: eſt ad hæc acceſſit proſtratio appetitus vna cum deglutiendi difficultate, ita vt ſi quid diligenter commanſum tranſglutire vellet, gulæ interiore membrana, vi ſua catheltica deſtituta, confeſtim per os lentore ei cõmixto reijceretur. Ego, nouitate rei perculſus, iuſſi primum adferri æthera vini in cuius cochleari agitari iuſſi luteum oui vnum tantiſper dum ætheris calore nonnihil concreſceret ac coqueretur, quod ita præparatum ad tempus offerri iuſſi;dans interim pro eclegmate ſyrupum de praſſio cum oxymelle ſcillitico & conſerua telephij, quam cochleariam vocant, ac ſi quando aſtrictior eſſet aluus (quod ab enematibus adhorreret) hieram picram in opiatæ idea præſcripſi. Parentes interim me inconſulto ob domeſtica negotia profecturi Amſtelredamum, lotium Iuuenis vna ſecum deferunt; ac celeberrimo ibi Medico inſpiciendum dant. Is cum multa ex lotio diuinaret, partim præſcriptis noſtris ſubſcripſit,partim etiam nonnulla adiunxit, ne nihil omnino feciſſe videretur.Hoc ego intelligens,parentes monui, vt ſi Amſtelrodamum iterum profecturi aliquando eſſent,mihi ſignificarent,vt is lectis meis literis & viſo lotio aliquid in medium proferret, quo iuueni ſuccurreretur, & mihi (ſi à ſcopo aberraſſem) meliorem methodum demonſtraret. Laudauit ille vere ſingula: verum in locum Syrupi de praſſio,de hyſſopo,ſubſtituendum cenſuit,& quamuis æthera illum vini quo vſi fueramus,propter oxyporiam & calorem, non ſatis commendatum haberet,iniunxit tamen vſum aquæ,vt vocant,cinnamomi; quam ego vt non prorſus alienam ab inſtituto noſtro admiſi, & quia prorſus flatulenta erat ma-

teria,

teria, quæ à faucib. aut œſophago ad os ebullijt, aquam ēt vti dicunt aniſi præſcripſi: cuius vſu aliquãto lenius ſeſe habuit, ita tamen vt circa genu ædematoſus quidã tumor grauiſſimos excitans cruciatus ſeſe inſinuaret, ad quem diſcutiendum & reuoluendũ exhibuimus remedia, ſperantes naturam per modũ abſceſſus illic ſeſe exonerare velle, atq; id quidē quũ ad tempus aliquod feciſſemus, remiſſus eſt vtcunq; dolor, manente interim tumore atq; ebullitione illa non ceſſante, ita vt quum cōtinuos aliquot menſes ea defatigatus eſſet æger nec quicquam deglutire ēt quam minutiſſime præmanſum, vt dictum eſt, poſſet, verum eo tandem deuenimus, vt lac & luteum oui ſcorbile tranſglutire libere poſſet, quæ vtraq; vt tabidis conuenientiſſima, & quæ in idea noſtri corporis ocyſſime & facillime tranſmutantur, admiſimus, ſedulo illum admonentes, vt obſeruaret num in ſtomacho bileſcerent, aut aceſſerent, quod ex nidoroſis ructib. facile percipere poſſet; nam tum demum à lactis & ouorum vſu abſtinendum illi dixi. Cæterum quum iam hac victus ratione hebdomadas aliquot ſeſe ſuſtentaſſet æger, ac nonnihil conualeſcere niteretur, iam iterum inuaſit ſtomachace adeo vehementer, vt ex ore & gingiuis maxima copia atri ſanguinis efflueret. Iuſſi igitur vt in lacte telephium decoquerent, atq; ablutiones facerent ex decocto becabundæ dictæ, radicum biſtortæ, & ſiſymbrij cardamines, ita tamen vt gingiuas interdum perfricarent cum lapide quodam Philoſophorum communi in pollinem redacto & melle roſato commixto, Lapidis autem huius deſcriptio talis eſt aluminis vnc.ij. vitrioli albi vnc.s. ſalis ammon. drach. j. cerſſæ vnc.j. comburantur omnia ſimul in vaſe fictili in modum aluminis vſti, ac reſeruentur in vſum. Quod cum iam aliquot dies feciſſet, lenius vtcunq; valuit, & gingiuæ firmiores redditæ ſunt, quē finem habiturus ſit morbus, ambigo: hoc certe vereor, ne tandem ea tabis ſpecie, quam Celſus atrophiam vocat, abſumatur. *Idem eodem loco.*

DELIORVM MORBVS.

AEſchines Rhetor nauigationem quandam Philocrati per epiſtolam ſuam deſcribens, cuiuſdã Deliorum peſtiferi morbi meminit: qui quod forſan ab aliquib. ignorari poſſet, hoc in loco (vt mea fert ſententia) notum facere ſtudebo. *Sic* itaq; in libro epiſtolarum legitur. Veſpere ex Atticæ portu cauro valde clare perflante, ſoluentes, circa meridiē Chium peruenimus: ibiq; dies nouem (erat n. aduerſus ventus) morati, deinde rurſum aurora ſoluentes. Delum iuimus. Laborant Delij peſtifero quodam morbo. Vultus quidem vitiligine plenos, capillos pariter albos habebant, ipſorum autem collum & pectus erant tumida; febres vero non aderant, neq; dolores inſignes, neq; inferiores partes quicquã permutatæ fuerant. Atq; hæc Apollinis ira ſibi contigiſſe credebant, cum præter veterem conſuetudinē illuſtris quidã in inſula ſepultus fuiſſet. Ob hoc igitur Deum ipſis huiuſcemodi morbum mittere ſuſpicabantur. Nos autem tanquam externas gentes, vel tanquam inſulam in externo mari accedentes, hominumq; diuerſorum colorem inſpicientes, nocte fuga capta diſceſſimus, mutuo nos ipſos inter abeundum percunctantes, an quiſq; colorem & pilos, quos domo geſtauerat, haberet. Fuerunt itaq; quæ tale morbi genus conditiones comitabantur quinque. Primo peſtilens erat: ſecundo leuce ſeu vitiligine ora replebantur: tertio pili albeſcebant: quarto collum & pectus tumeſcebant: quinto doloribus exiguis ægrotantes exercebantur; aberant febres. Nunquid autem contagioſum malum foret, clare non explicuit Æſchines: attamen cum Delo iam relicta eius ſocij timerent, ne colores atq; pilos exigua mora ibi facta mutaſſent, non ſine ratione quis colligeret etiam contagioſum extitiſſe. Quod vero maxime ambiguũ in hac re videtur, eſt, an ille morbus fuerit leuce, ſiue vitiligo, an alphi an elephantiaſis alba *à Plinio lib.*15.*c.*5. vocata. Mihi ſane cogitanti alphos atq; vitiligines neq; peſtiferos neq; cōtagioſos fieri, pręterea ſine tumore vllo ac ſine dolore exiſtere, magis inclinat animus, vt putem elephantiaſim ſiue lepram albam fuiſſe, quam peſtiferam, contagioſam, cum tumore & dolore fieri cōfirmant Medici. Quod ſi crurum lepræ huiuſcemodi propriarũ nulla fit mentio, ob id non neceſſe videtur ab hac ſententia recedere: quoniam vel ſub leuces nomine, qua replebantur facies, eas comprehendi non inconuenit. Ad id magis forſan repugnat de pilis albis dictum: quos tamen in elephantiaſi ſecundum humoris naturam mutari, valde rationi congruit. Videbunt doctiores, quæ potior ſententia haberi debeat. *Mercurialis lib.*3.*cap.*18. *variarum lect.*

FINIS.

OPERIS

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM

TOMVS SEPTIMVS ET VLTIMVS:

qui agit

DE VENENIS.

PRÆFATIO.

AD vltimam tandem hiſtoricæ praxeos partem σὺν θεῷ peruenimus: quam potiſſimum de rarioribus & nouis, ſeu potius recentioribus Venenis & Alexipharmacis inſtituimus. Hanc, ob inualeſcentem etiam apud nos Germanos, proh dolor, ſiue temporum, ſiue hominum malitiam, minime præterire decuit: ne vniuerſum hoc opus, argumento tam neceſſario, quam quo maxime, deſtitueretur. Viſum autem eſt primum in genere quædam & promiſcue de iis agere; deinde vero in ſpecie, tam ex animalibus, quam ex plantis: Deinde etiam quæ ex Foſſilibus & Metallicis ſiue eadem ſimplicia, ſiue compoſita, natura quoque vel arte talia fuerint, pertractare. Poſtremam ſedem Alexipharmacis primariis tribuimus. Adiecimus præterea, parergi loco, de Idioſyncraſia quorundam hominum, quibus venena & venenata innoxie tractare, aut etiam, quod ſumme mireris, magna ſui copia ingerere, datum eſt: tum qui ex occulta cauſa animalia quædam, certos cibos aut potus, vel deniq; ſalubria alias medicamenta, venenorum inſtar horrent, vel cum vitæ periculo periclitantur. Eſt etiam vbi ſuo loco, quod nulli argumento, quam huic, rectius conuenire arbitraremur, de Philtris & præſtigiis in morbis tractauimus. Atq; ſic tandem, ad Dei Opt. Max. laudem, publicamque, quo vnice reſpeximus, ſalutem & profectum, operi noſtro finem imponimus. Quod animo diu conceptum, ſæpe attentatum, & continuatum, ante hac abſolui non potuit: vel otio deſiderato, quod inter artis noſtræ negotioſas ægrotorum curationes ſæpe exiguum contigit: vel animo perturbatiſſimo, cum ob æmulationes, tum vero morborum, in graui hac ætate, afflictiones, à ſtudiorum labore auocaremur.

DE VENENIS IN GENERE QVÆDAM.

ET PRIMVM:

DE AERE VEL NATVRA VEL ARTE VENENATO.

OBSERVATIO.

Venenatus aer ex ſpecubus aut aſpiratione ex auerno.

VIDI prope Romam ſpecus multas, in quas ſi vel homo, vel animal quodдам ingrediatur ilico interit: eo quod ab aere venenato propter Calchantum, vt ego exiſtimo, ſtatim animalia interimuntur, in ſyris ſeu foueis frumentorum fit aer venenatus, quem ſi quis imprudens hauriat, ſubito interficitur. Poſſumus quoque inter hæc recenſere aërem cubilium, vbi carbones male præparati incenduntur; vidi enim aliquos eſſe mortuos, qui imprudenter in huiuſmodi aëre obdormierant. *Mercurialis lib. 1. cap. 13. de venenis.*

Sunt apud nos, in partibus Britanniæ Septentrionalibus, fodinæ quædam carbonariæ, quarum inſalubris Spiritus atque vapor conductis operis tam grauis eſt, vt eas nulla mora interficeret, niſi ex inditio ardentis lucernæ (cuius flamma tum ante paulo & liueſcit & conſumitur, quam is aduentat) ſtatim ſe ſubducerent. Sunt autem fodinæ illæ bituminoſæ. Inditio eſt lapis quidam niger, durus, ſquamoſus, & bituminoſus, quem ad ignis vſum & materiem inde accipimus. Eum Plinius obſidianum, noſtri carbonem ex mari, ex Nouocaſtro, & fabrarium vocant, abuſu, loco, & vectura, quod ad cæteras Angliæ partes in naui vehitur, & fabris ferrarijs ad ferrum molliendum fingendaque ferramenta accommodatior ſit, & locis Nouocaſtro (celebri Angliæ vrbi) vicinis effoditur. *Ioan. Cayus Angl. lib. de Ephem. Britan.*

Neq; aſpiratio exhalat ſimilis à quolibet auerno,

ſed alia ab eo qui in montibus Ætruriæ, alia ab eo qui prope Cumas, alia ex alijs putribus locis qualis illa fuit, quæ ante decem & ſeptem annos, Florentiæ & puerum & iuuenem interemit. Erat in vico D. Laurentij in quodam diuerſorio puteus, magna ex parte oppletus, fimi fæcis ac ſordis, in hunc forte incidit gladius, puer vt ipſum extrahat, eo deſcendit, & ſtatim mortuus cadit, idem accidit iuueni, qui puerum educere ex puteo tentauit, idem & cani quem in eundem puteum proiecerunt, qui hæc ſpectantes periculum in cane potius quam in ſe facere voluerunt. Neceſſe autem eſt aſpirationem tota ſubſtantia naturæ noſtræ alienam ex putri illa materia, quæ in puteo continebatur, exhaluiſſe quæ ſtatim interitum attulit. Veriſimile autem eſt, hanc alterius ſpeciei fuiſſe atque illum quæ exhalat ab auernis, & alterius eam rurſus, quæ exhalat à foueis, vbi diu triticum ſeruatum eſt, cum primum aperiunt; adeo autem pernicioſa eſt, vt ſepe hominem repente enecet. Ita vt morbus quoque, licet quidem genere ab omnibus excitetur, ſpecie differat. *Vidius med. part. 2. ſect. 2. lib. 1. cap. 11.*

Cum Marci Antonij milites, auri ſpe, in Seleucia Babyloniæ, arculum Auidij Caſſij aperuiſſent, inde tam putris aura exhalauit, vt non Regionem modo peſte infecerit, ſed ventis in Græciam, deinde Romam delata, hominum magnam partem ſuſtulerit. *Riolanus c. 19. lib. 2. meth. medendi.*

Observatio.

Flos caryophilli veneno delibutus, odorantem confeſtim occidens.

Svnt venena quæ olfactu tantum (vt quorundam fungorum meminit Rafis) præſentaneam afferunt mortem ijs, qui ad nares admouerint. Huius ſummæ malitiæ ſedem illud ſane tenere debebat, quod florem, recentioribus vetonicum vocatum, Senis quidam circumforaneus infecerat, ex his innocue venenum deuorare profiterentur. Quem cum olfaciendi exhibuiſſet ſuo concurrenti in publico Senenſi foro, is ſolo olfactu derepente concidit mortuus. *Matthiolus comment. ad præfationem libr. 6. Dioſc.*

Observatio.

Veneni genus, cuius ex carbonibus nidor aſtantes illico necat.

Non prætereibo quod ſcribit *Nicolaus Florentinus ſerm. 4. tract. 3. ſumma ſecunda cap. 9. & tract. 4. c. 6.* ſcilicet, Franciſcum Ordelaphum, Capitaneum Foroliuij, patriæ meæ, genus veneni habuiſſe, quod iniectum ſupra carbones ilico interimebat omnes circumſtantes. *Mercurialis lib. 1. c. de venenis.*

DE AQVIS VEL NATVRA AVT ALIter venenatis.

Observatio.

Aqua mortiferæ naturæ.

Hanc ferme grauitatem obtinuiſſe videtur aqua Stygos dicta in Arcadia, cuius acrimoniæ nullum vas etiam æneum, reſiſtebat, niſi (dictu mirum) mulæ vngula. Cuius aquæ, ac mortiferæ naturæ eius, iam plenæ ſunt hiſtoriæ, ac facta eſt interitu (vt dicunt) Magni Alexandri, omni ſeculo memorabilis. Stygos autem nomine duo memorantur fontes ab authoribus mortiferæ naturæ, alter ad Nonacrim Arcadiæ montem, qui conſtipatione viſcerum ſtrãgulat, vt *Seneca* inquit, vel potius frigiditate, vt *Plinius.* Cui facit authoritas *Theophraſti*, qui naſci hanc ſcribit frigidiſſimam (nam actu, Argentum viuum eſt frigidiſſimum, ac inſuperabilis qualitatis à calore naturali) lapideſcens item in alueis, ac piſces producens item mortiferos. Alter porro fons nomine Stygos memoratur in tempe, qui mons inferius eſt in Theſſalia. Huius fontis aqua (vt author eſt *Plinius*) viſa omnibus terrori eſt, æs ac ferrum erodens, mirumque Siliqua ſylueſtris fontem eum radicib. amplecti dicitur, ſemper florens purpura. Acerrimæ quoque naturæ eas prodidit. *Vitruuius.* Qui & in Beroſo Taurorum colle tres fontes meminit, ſine remedio, ſine dolore mortiferos.

Alia Aqua in Crobi regno memoratur in Alpibus, quam qui guſtant, ſtatim concidunt. Terracinæ fuiſſe fontem, Neptunum vocatum, idem *Vitruuius* teſtatur, ex quo qui imprudenter bibiſſent necarentur, ob id obſtructum à veteribus fuiſſe. Vbi hodie hic fons non apparet, niſi in Neptuni agro Sulphuraria, ac antiqui balnei veſtigium. Cychros autem in Trecha (alij legunt in Thracia) ex Theopompo meminit *Plinius*, ex quo non ſolum qui biberint moriuntur, ſed etiam qui lauerint. Ex ſimili (vt ego arbitror) veneni frigida qualitate, quæ affectis neruis, rigores excitet cõuulſiuos: nam & frigida ſimpliciter aqua tales aliquando inducit affectus. Multæ enecant ſerpentes) quales memorant aliqui luridos alueos in agro Faliſco, & item iuxta Cornetum, qui anguium, ac lacertarum oſſibus ſcateant. Nimirum potius dixerim, quæ ad tepore m illarum aquarum adductæ ſerpentes in illis degunt, & moriuntur, nõ enecantur vi aquarum: idem enim videmus in Angnani lacu, in Puteolano. Porro in eo cenſu mortiferorum, Lycus, fons Siciliæ, proditum eſt in Leontinis, vigeſimo die, qui ex eo bibiſſet, enecari: vigeſimo forſan à potu die, ex benignioris materiei temperamento, quę refrenet tamdiu eius malitiam Scribitur hoc à *Plinio lib. 35. cap. 2.* qui tamen fons hodie (vt *Fazelus de rebus Siciliæ* eſt teſtis) nuſquam in Leontino reperitur. *Andreas Baccius lib. 8. de Thermis p. 378.*

Observatio.

Aqua metallica potu in graue vitæ periculum acti.

Agebat Monſpeſuli Rex Franciſcus (quod eſt Galliæ Narbonenſis oppidum medicinę ſtudio celebratiſſimum) inde aliquando venatum profectus ducebat ſecum Annibaldum: qui hodie Oceani Gallici præfectus eſt. Hic vero (vt ſolet proceres aulæ) iuuenem à pedibus habebat, qui curſu itinereq; contractam ſitim abolere cupiens, in fontem forte incidit, ad quem deuolutus ac procumbens auidiſſime ex eius aqua bibit, protinuſque ab illo potu doloribus imp: tibilibus correptus, magnos eiulatus edebat, quos qui aderant audientes, ad eum acceſſerunt, vt tam ſubiti caſus cauſas cognoſcerent auxilioque eſſent miſero iuueni. Referente autem, potu aquis cuiuſdam fontis contigiſſe, eo in tugurio quodam relicto, rem ad Annibaldum, vt erat geſta, deferunt. Is vero ad Regem: qui mox, vt erat rerum naturæ omnium curioſiſſimus, atque ſtudioſiſſimus, mittit quoſdam, qui fonte illum accurate con-

ſiderent;

ſiderent; eoſq; docēt experimenta, quibus explorari queat vis illa aquæ. Verum qui mandata acceperant, cum ad riuum veniſſent, oculis quidem tactuq; omnia perluſtrabant, atq; percontabantur: nam guſtatum omnes reformidabant, alieno malo prudentes iam facti. Tandem lintèum candidum in eam immerſerunt aquam, quam quodam colore infectam videbant: poſtea extractum luteo colore tinctū apparuit. Quare reuerſi linteum illud Principi oſtenderunt, qui ſtatim prudenter & docte cenſuit aquam illam per metalla tranſire, à quib. & colorem & ſaporem vimq; exitialem referret. Eſt quippe theorema phyſicum, aquas tales eſſe, quales terræ, per quas fluunt. Nam & marina aqua in terra ſi argilla percoletur dulceſcit, *Bruverinus lib. de re cibaria 16. cap.*

Etiam exemplis domeſticis naturæ maieſtatem oſtendamus. In orbe noſtro fons eſt apud Niceam, anne vero à Gallia Narbonenſi diſcretam, in radicibus arcis munitiſſimæ ſcaturiens, ac plerunque æſtu maris infici ſolitus: cuius potu in magnis æſtatis æſtuoſiſſimæ caloribus iuuenis à prima Aruernorum nobilitate pene ſtrangulatus eſt. Namque ſtatim ab ipſo hauſtu in tam intolerabiles alui torſiones incidit, vt vix mutire poſſet, vel etiam ſpirare. Vidi tamen ipſe alios impune bibiſſe, & claſſem tum Gallicam, tum Hiſpanam vim ingentem hauſiſſe, atque in vſus nauigationis repoſuiſſe. *Idem libr. 16. cap. 17. de re Cibaria.*

Observatio.

Aquæ vitioſæ, tum de his, quæ gulæ gignunt tumores.

IN genere vitioſarum ex miſturis aquarum, aliqua ſpecies eſt (inquit *Vitruuius*) quæ cum habeat non ſatis perlucidas, id eſt, ſynceras venas, ſpuma, vti flos natat in ſummo colore, ſimilis vitri purpurei. Hæc maxime cōſiderantur Athenis, ibi n. ex eiuſmodi locis ac fontib. & in Aſty, & ad portam Pyręum, ductꝰ ſunt aquarum ſalientes, è quib. bibit nemo, propter eam cauſam, ſed lauationibus & reliquis rebus vtuntur. Bibunt autem ex puteis, ac ita vitant earum vitia. Inter has legimus *apud Theoph.* in Pyræo eſſe aquas, quæ ebibitæ manent indigeſtibiles & in balneis leproſos efficiunt homines, quin & plantas ex earum irrigatione ſentire idem contagium. In Trœzenis autem eodem *Vitruuio teſte*, ob naturalem id genus infectionem aquarum, quod omnino aliud non habent aquæ genus, niſi quod Cibdeli oritur, id vitium vitari non poteſt; itaque omnes ex ea ciuitate, aut maxima parte ſunt pedibus vitioſi. Ex fonte in Inſula Chio bibentes fiunt inſipientes. In fuſis Perſarum amittunt dentes & quas recenſuit. *Ouidius 15. Metam.* aliquam indicare videntur miſturam: vel gypſi vel id genus lapidis.

Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera, quod tactis inducit marmora rebus.

Quæ ex manifeſta aliqua miſtura vitioſæ in potib. ſint aquæ, ſatis hactenus prædicta exempla demonſtrant. Verum ſubtilior adhuc ratio reddenda eſt de quibuſdam aquis, quæ ſincerę cum ſint, & nec diſſimiles aquæ ſimplici aliquo tamen inſigni vitio notantur. De quib. quidem nullā fere aliā reddere poſſumus rationē; niſi quod indiuiduales ſint proprietates. Proprietates a. indiuiduales, quoniam proportiones ſequuntur varias elementorum, & hæ ſunt infinitæ, quēadmodum & res ipſæ, ignorantur à nobis, ſed ſolum experimento cognoſcuntur, & exhinc aliquas ſaltē extrinſecas & cōmunes venabimur cauſas. Hoc ergo longiſſima experientia obſeruatum ac certum eſt, quod cuiuſcunq; regionis vitia, quæ popularia ſint & cōmunia, vix aliæ referendæ ſunt cauſæ, quam partialib. eius regionis conſtitutionib. aëris & aquis ipſis, & locis. Quorum trium nō eſt vna cōſtitutio vbiq;, non idem ſitus locorum, aut expoſitio ventis, nec eadē terræ facies, nec eadem tandē aquarum naturam eſſe poteſt. Multæ reperiuntur, præſertim in alpib. & quibuſdam locis in Italia aquæ, quæ manifeſto hoc vitio infeſtant bibentes, vt gulæ eis tumefactiones inducāt, quas Medici modo cū græcis Bronchocelas, modo gulæ herniā ſcitiſſime appellāt. In cauſis, qui id miſturis vitio vertunt, aut metalli virus aliquod imputant, vt iam diximꝰ: aut ſpecialiter gypſum, quod aut grauitate, aut ſæuo halitu (*Dioſ. authore*) hoc habet vt impetat fauces, ac ſtranguler. Qui egregie a. hodie de rerum diſputant ſubtilitate, duas habent cauſas; aut id à lacunib. gigni aquis, aut in ſinceris & puris aquis, id cōtumaciæ frigiditatis ac cruditatis earum tribuunt, maxime niualium & glacialium aquarū. Vbi tres diuerſitates declarat experientia, quarum ratio eſt reddenda. Primum non omnis aqua lacus hoc gignit. Præterea nō omnis aqua frigida. Et tertio nullum tale vitium viſitur in Syria, in Aphrica, Arabia, Perſia, India Troglodytica regione, vbi raras diximus fieri pluuias, ac aliquas naturales eſſe aquas miræ frigiditatis. Vniuerſa Germania inferior Sarmatia, Scytia, Norvegia, quæ regiones ſunt aquilonares & frigidæ, expertes huius vitij ſunt. Et ex lacunis bibunt Arabes, Parthi, Lybici, è gelidis Hybernici; nullis tamē in his locis gulæ tumores cōcreſcere legitur. Ratio ergo diuerſitatis hæc eſſe videtur: Id quidem frigidæ qualitatis aquarum vitium eſſe, prædicta ſatis declarant exempla: non omnis vero frigiditatis, ſed quæ contumaciſſimæ & (vt gręci loquuntur) indomitæ, vt niualium diximus, & glacialium aquarum. Vnde frequenter id in alpib. fit, quia eorum putei ac venæ, vix aliud concipiunt genus aquarum, qui quod deſtillat ex niuib. quas bibunt. In calidiſſimis regionibus Aphricæ nō fit, quia ibi non ſunt niues. In frigidiſſimis vero hyperboreis, perennes ſunt niues & quędam paulatim ſoluuntur, tenuantur, digeruntur q; in terræ poris; præter alias cauſas particulares.

Gulæ quidem tumefactionis cauſam in aquis alpium eſſe cōtumaciam frigiditatis, quam ex niuib. eliquatis recipiunt fontes, cum doctiſſimo Scaligero ſentimus. Quod palā eſt multis locis, præcipue vero citra alpes, ex ea parte agri Taurini, quę valdoca vulgo, id eſt, vallis anſeris appellatur. In eam regionem qui commigrat, nemo diu viuit, multis gula turgida fit. Eorum vero, qui naſcuntur ibi, nemo eo vitio caret, pene omnes & amentes & inepti ad loquēdum. Id ab aqua fit è niuibus liquefactis, quæ multum terreſtris frigoris & crudi cōtinet. Crudum n. repugnat reſolutioni, terreſtre vero cum aquea tenuitate ſeſe inſinuat gutturis muſculis, glandibuſq; ibiq; hæret, & concretum dureſcit. Idcirco qui alpes habitant, & Pyrenæos, & in Aruernis circa Ligerim fluuium hoc frequenter patiuntur; nam perennes hi populi habent niues; quæ continuo liquantur, deſtillantq; in puteos eorum, ac fontes, quos bibunt. Vallis Cilleia hoc vitio laborat, quæ diſtat ab Oeno circiter

octo mill. paſſ. quam fortaſſe intellexit. Medullorum nationem Vitruuius in alpibus. Idem in Sudera valle, quæ à Curia Rhætiæ oppido abeſt 12. mill. paſſ. Cæterum Doria fluuius, qui ex alpium vallibus, hinc S. Bernardi, atque hinc S. Mart. excurrens, influit aperta planicie in Padum, ſingularis huius vitij imputatur, vt gulæ gignat tumores ſuis indigenis. Porro in Equicolis aqua iuxta Taliacotium turgidos pariter facit guttures; quæ tamen nec lacunales ſunt, nec niuales, ac aliquam fortaſſe elambunt miſturam eius vitij. Et ad Callim apud Camertes perexigua valle. *Andr. Baccius de Thermis lib. 6. cap. 25. & 26. pag. 413. & 414.*

Obſervatio.

Aqua putealis, in qua lacertæ computruerant, potu, quidam periclitatus.

PRoprietas lacertæ eſt, quod ſi quis comederat eam, vel biberit ex aqua in qua fuit mortua, magnum corpori infert nocumentum. Et mihi, cum eſſem in mareſtan, id eſt, in hoſpitali, accidit hoc: quod in aqua quam bibebam, percipiebam horribilem odorē, & omni die mihi videbatur multiplicari, quare ordinaui & feci hominem intrare puteum, ad videndum quid hoc eſſe poſſit: credens, quod aliqua reptilia intus cecidiſſent, & ille quæſitor inuenit lacertas multas mortuas, pars quarum erat diſſoluta, & pars non, vnde timens ni inde habere poſſem nocumentum, incepi bibere de theriaca, & recepi de ea plurib. vicibus, & ſic euaſi à nocumento gratia Dei. Et poſt longum tempus orta mihi fuit puſtula, ad modum granulæ, ſuper punctum naſi. Et ego deſuper poſui de Tyriaca, eo quod cognoui, quod illud erat ex humore venenoſo à natura expulſo, qui quidem humor generatus fuit ab aqua lacertarum prædicta. *Aluenſoar lib. 2. tract. 7. cap. 10.*

Obſervatio.

Lethalis potus aqua in qua cannabis diutius fuit macerata.

HÆc aqua tantopere ſua malignitate nocet, vt epota inſtar ſit veneni ſic nullis antidotis, quantumuis efficacib. & tempeſtiuis datis, potuit occurri fato Marchionis Arboij fratris Guiſiorum eiuſque vxori ac quamplurium aliorum: qui prope Olbiam in prouincia, cum æſtates feruidas tranſigerent, imprudenter fontanam limpidam, ſed occultis & ſubterraneis cuniculis, indidem in fontem illapſam hauſiſſent. *Pet. Pena in aduerſar. 227.*

Obſervatio.

Aqua Helleboro infecta, cuius potu obſeſſi lethali Dyſenteria correpti, deditionem facere coacti ſunt.

HEllebori vi Cirrhæi expugnati fuerunt. Solon enim eius radices quamplurimas in Pliſtum amnem conijciendas curauit: atq; vbi ſatis infectam medicamento aquam intellexit, quem prius in vrbem influentem auerterat, in priſtinum alueum omnem repoſuit. Cirrhæi, cum auidius de aqua illa bibiſſent, alui perpetuo profluuio laborantes, deſerere mœnium præſidium coacti ſunt, & Amphyctionibus obſidentibus vrbem tradere. En egregium ſtratagema, rem gerere ope herbarum, dum armorum non licet. *Pauſanias in Phocicis.*

DE VINO, CEREVISIA ET GLACIE.

Obſervatio.

Vino & cereuiſia ſolano ſomnifero altero infectis Scoti Danos adeo dementarunt, vt Ducem eorundem cum vniuerſo exercitu deleuerint.

BVchananus *lib. 7. ſuæ hiſtoriæ Scoticæ* exponit, quo pacto huius ſolani ſucco vinā & cereuiſiam Scoti infecerint, vnde Danos ſuos hoſtes ita dementarunt, & in profundum ſomnum induxerunt, vt eorum Ducem Senonem cum toto exercitu deleuerint. *Ioach. Camer. in Horto ſuo.*

Obſervatio.

Glacie ex vino hauſta mortui.

VIdimus in colloquio Pauli III. Ponti. & Caroli V. Imperatoris, Franciſcique Galliarum Regis maximi, quod prope Niceam oppidum Allobrogum tunc ditionis habitum eſt, pro pace Chriſtiani orbis paciſcenda, permultos ex comitatu aulaque Caroli, tum Hiſpanos, tum Italos in portu, Villafranco dicto, curaſſe glaciem ex montoſis Ligurum conuehi, qua calicibus impoſita & liquefacta, vina frigidiora efficerentur: erat enim tunc æſtas. Quod ego in Hiſpanis Italisq; qui ſobrietatem parſimoniamq; arcte profitentur, demiratus ſum, & maiore repræhenſione dignum exiſtimaui. Sed horum maximam turbam poſtea grauiſſimas luiſſe pœnas accepimus. Inter hos autem Gonzagam Mantuanorum principem craſſo, pingui & obeſo aqualiculo diſtentum, paucis poſt menſibus eo potu extinctum audiuimus. Inter luxuriæ Romanæ delicias non poſtremum hic potus locum obtinuit: quare *Plinius*, ſeuerus luxuriæ cenſor & caſtigator. Hi (inquit) niuem & glaciem potant: pœnasq; montium in voluptatē vertunt. Seruatur æſtibus algor, excogitaturque, vt alienis menſibus nix algeat. Quibus verbis aquas ſeparari, & ita naturæ elementa in pecuniæ diſcreta eſſe, oſtendit. *Chares Mytilenaus* refert, Alexandrum Macedonem, in Petra, Indiæ oppido, plurimos ſpecus effodi iuſſiſſe, eoſque niue repleuiſſe, ramis frondibuſque quernis ſuperiniectis & ſuperimpoſitis: ſic enim niuem diutius poſſe ſeruari exploratum eſt. Porro eam voluptatem à Græcis ad Romanos, vt pleraq; alia, tranſijſſe credi poteſt. Nam tum hiſtorici, tum poetæ apud eos celebrem mentionem faciunt. Tradunt enim Simonidem Poetam forte apud quendam æſtate cœnaſſe, cumque pocillatores aliorum conuiuarum potibus niuem indidiſſent, ſuo autem calici non miſcuiſſent, Epigrammate quodam faceto, & eleganti in hunc illiberalem morem luſiſſe. Omnino is potus in Græcia frequens fuit, nam & aquæ refrigerandi gratia in puteum demerſæ niuem ad ampliorem acquirendum algorem addebant, ſiitq; apud eos Prouerbium vulgatum, cum per æſtus intenſos bibere frigide optarent, niuem æque ac Simonidem velle ſe potare aiebant: aquam præterea decoctam vitro demiſſam in niues refrigerari inuentum medicorum eſſe arbitror: ita n. voluptas frigoris contingit ſine vitijs niuis, quanquam Neronis impuriſſimi & impijſſimi tyranni inuentum eſſe prędicent authores ſplendidi. *Bruyerinus libr. 16. cap. 9. eiuſdem operis.*

Bartholomæus Batalionus qui per multos annos Biſantij,

Biſantij,gemmarum mercaturam agens, commoratus eſt,narrabat ſe quotannis obſeruaſſe æſtiuo tempore Turcas plurimos fluxu alui vexatos decedere, quod non niſi ex immodice niue & glacie refrigerato potu,illis accidiſſe, aſſerebant Medici vrbis illius, moderate itaque, & non indiſtinctim, frigido potu vtetur ille, qui rationi magis, minus vero palato inſeruiet. *Mar.Donatus lib.4.cap.6.hiſtor. med. admirabili.*

DE CONTACTV VENENATO.

OBSERVATIO.

Solo contactu interficientia venena.

FErunt Turcas veneficia habere præſentanea,quę ſolo attactu eadem die interimant.Idq; frequens eſt apud illos: ſed tamen ſolum mandante Principe, quanto celerius nociturum,inditum vulneri. *Cardanus lib.5.c.5.de venenis.*

De Turcarum atque Perſarum prædicant venenis,Ephippia certis medicata ſuccis, itemq; veſtes & ocreas interitum afferre. Cereos quoq; letali veneno infici poſſe, nuper compertum eſt. *Scaliger exercitat.1.ad ſubtilit.Cardani.*

Id quoque credimus,quod de veneni genere eo à Turcis parato circumfertur,quod ſolo demum contactu, quacunq; corporis in parte id fiat, attactum hominem perimat,etiam(vt à quibuſdam dici audiuiſſe memini) ſi veſtitus aliquis inter corpus, venenumq; interſit. Nam vel ſtapedibus illis ſolis (quod vix crediderim)concenſuri inde æquum, perire traduntur, ex eo tanto magis ſi veſtitu nullo interſepiente cutim tangat:atque adhuc magis, ſi intro ſumeretur. *Iul. Alexandrin. Annot.ad lib.3.c.3.de temperamentis Galeni.*

Turcarum atq; Perſarum venenis deleteriis, citiſſimę & efficaciſſimę ad penetrandum facultatis, conſtat guttatim infici poſſe ephippia,imbui ocreas, calcaria deliniri,ſoleas ferreas ſubtiliter inungi;vnde confeſtim interiora hominis inuadat, inambulet, enecet; perimatq;. Veſtib.idem,ferro, canib. lapidib. lignisq; contactu hærens,præſentem affert mortem. cubilibus,interulis,camiſis,ſedilib.inſtillatum idem operatur.Hoc peremtum ferunt Ioan. Galeazium, Mediolani Ducē. Venenum etiam literis imprimi, quod halitu enecet; Cereos ſimiliter lethali veneno affici;Et oua integra,fiſſuris ingenioſe celatis, infici, poſſe notum eſt. Quamobrem cautè inter inſidiatores homines prudenterq; agit, qui crudeli morte confeſtim perire, & animam nolet inuitus turpiter profundere. *Schenckius Filius.*

OBSERVATIO.

Concubitus venenatus.

ANtiquorum curam diligentiamque quis poſſit ſatis venerari, cum conſtet omnium venenorū ocyſſimum eſſe aconitum: & tactis quoq; genitalib. fœminini ſexus-animalium,eodem die inferre mortem? Hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes à Calphurnio Beſtia vxores M. Cæcilius accuſator obiecit. Hinc illa atrox peroratio, eius in digito mortuas. *Plin.nat.hiſt.lib.2. cap.*

In coitu quoq; diligentia adhibenda, vt fugiantur mulieres,quo tempore menſtruatæ ſunt: Illud enim compertum eſt,poſſe homines huiuſmodi vſu venenis venenari (& eſt inter alia exemplum antiquum de Calpurneo Beſtia,qui coitu vxores venenabat,vt diues fieret: vnde tumor erat Romæ) Calpurneum digito interficere vxores. *Mercurialis lib.1.cap.17.de venenis.*

Fuit quidam peruerſe & ſcelerate malus,qui dum coniunx κακομηνίαν haberet,pudet dicere quomodo ſuccum toxici Hiſpanorum ei admouit,& mulierem extinxit. *Crato in Epiſtola 1.lib.2. Epiſt.per Laur. Scholzių public.pag. 227.*

OBSERVATIO.

Herba cui indormientes ſuauiter moriuntur.

DIodorus Siculus libr. 2. ex narratione cuiuſdam Iamboli mercatoris in Arabia Felici, reperiri quoddam genus herbæ ait, ſuper quam qui dormiunt,ſuauiſſimo ſopore corripiuntur,&ita intereunt. *Mercurialis de venenis lib.1.c.11.*

OBSERVATIO.

Cultelli parte altera infecta veneno, quo mulier mortua.

CTeſias, auctor antiquiſſimus, *in libro de rebus Perſicis* ſcribit, quandam mulierem Statyram vocatam maxime ſemper timuiſſe venenum, & omni diligentia vſam,vt illud euitaret,factum tamen vt quędam alia mulier eam hoc modo venenaret; cultelli partem alteram tantum veneno affecit, & deinde coram Statyra diuiſit auiculam paruā coctam,& qua parte auis tacta fuerat à veneno cultelli, oblata Statyræ,illico eam extinxit, cūm interim qua parte auis non fuerat tacta à veneno, nullum detrimentum, ipſi miniſtranti detulerit. Quare,qui timent venena, non permittant vt carnes ſibi ab alijs incidantur & offerantur. *Mercurialis lib.1.de venenis c. 17.*

OBSERVATIO.

Scarificationis venenatæ hæmorrhagia mulier demortua.

QVAM mihi reddes rationem, de hæmorrhagia vxoris nobilis viri Berchtholdi à Flerſchelm,de nobili Helmſtettorum ſtemmate natæ? cui grauiter ægrotanti,quum in ſcapulis cutem,adhibitis cucurbitulis,inciderent Scalpello,nemo ſanguinis fluxum vlla arte vel carmine ſiſtere potuit. Altero die mortua,etiā cruētauit, donec ad ſepulchrū efferretur. An chirurgus ea fuerit vſus arte,quā quidam balneator in Monachio,Ducum Bauariæ Metropoli, poſſe fertur:qui cucurbitulis tantum ſanguinis, quantum voles,vel ad ſyncopin vſq; elicit:at illius hemorrhagiam,quando libuerit, ſiſtere poteſt. Hunc vero aiunt ſuum ſcarificationis ſcalprum,puluere quodam quibuſdam ſpeciebus ſalis mixto, expolire,qui ſanguinem concreſcere non ſinit. Nam & ideo in cancrænæ ſcarificatione, inciſiones aqua ſalſa calente, ne ſanguis ingroſſetur irrigamus, quem ſi, ſpongia recenti marina aqua ſalis aut maris humectata, abſterſeris & fomentaueris, etiam liquidior fluet. *Ioan. Langius epiſt. 40. tom. 1.*

OBSERVATIO.

Puella,pomo veneno delibuto & deuorato, à veneficio aſſerta.

SVnt qui puluerem foliorum, aut decoctum, ſucumve omni veneno hauſto aduerſari teſtentur,

afferentes puellã quandam Pauiæ,cum venenum inſcia in pomo quodam ſumſiſſet,adeo intumuiſſe, vt nec Theriaca, nec alio quouis antidoto curari potuerit, tandem vero aqua cardui benedicti diſtillata ſumta,periculo omni & veneno liberatam. *Hieron. Tragus,com.lib.2.c. 115.de hiſt.ſtirp.*

Observatio.

De numo argenteo venenato,quo interemtus fuit Marci Antonij Boſcoli filiolus vnicus, decem menſes natus.

CRudele eſt profecto, & plane inhumanum,innocentes pro delinquentibus punire & vlciſci, vt patet maxime ſequenti hiſtoria.Nam cum Catharina ex familia Piori Clodienſi dictum Marcum Antonium vlciſci pro iniuria, vt videbatur illata, non poſſet: modum excogitauit, quo ſaltem puerulum ſuum vnicum interficeret. Vnde ſimulata ſumma amicitia,omnia veræ & fidelis amicæ officia præbens, domi foriſque tandem ipſi puerulo, in Strenam, vt moris eſt,in Chriſti natiuitate, illa numum ſingulari quodam veneno delibutum,amice ſc. dedit: puerulus vero, qui nondum fari potuerat, eius pulchritudine & nouitate allectus ſubito arripuit, orique admouit,paulo poſt,puſtulis ex dolorib. in ore excitatis ipſum forte fortuna, proh dolor deglutiuit, mox faucib.& gula ſubinde inflammatis, vox faucib.ipſis hæſit,nec clamare potuit,& quamplurimis, ſed fruſtra,admotis,ſequenti die hanc miſeram in ſempiternam,non citra maximum & quaſi incredibilem vtriuſq; parentis dolorem cõmutauit vitam. Ego interea,ſequenti die ab aſſumto & deglutito numo; vocatus,omnia diligenter inquiro, & ſingula exacte examino: At viſis in ore puſtulis maxima cum inflammatione: iudicaui ego numum illum fuiſſe veneno particulari infectum & maxime corroſiuo: quæ dum referrem, meamq; ſententiam de morte pueri dicerem, quæ vel diſſectione magis innoteſcere poſſet: rogauit me vterq; parens quam maxime officioſe, quatenus placeret videre,& diligenter contemplari, num puerulus extinctus fuerit ſimplici numo per ſuffocationem: an vero per ipſummet venenum numo cõmunicatum. Quorum precib. deuictus, non potui niſi ipſum aperire, & ſingula diligenter obſeruare.Sectionem itaq; à mento auſpicatus ad os pubis vſq; recta deduxi, nihil intactum aut non viſum relinquens: ſicq; mandibula inferiori per medium diuiſa: amputata vero & ſeparata lingua & eius muſculo, carbone nigrior omnibus viſui expoſita, ita vt mirarentur, quod tam breui temporis ſpatio, nondum viginti quatuor horis reuolutis, in tantam deuenerit gangrænam. Vlterius autem ego progrediens,ſecundum gulam ſectionem ad clauiculã, & ſecundum thoracis vertebrã vſq; duxi,& quaſi in gulæ medio non longe ab Oeſophago numum ibidem fixum reperi, gula fere tota ſurſum deorſumq; corroſa,vna cum ventriculo valde conſtricto, vt vlterius deſcendere non potuerit. Extracto autẽ intoxicato numo, & aceto iniecto, thoracem ſimiliter aperire volui,cor vt viderem,an iam eſſet veneno infectum, necne. Quo diſcooperto, nihil notatu dignum in toto thorace reperi, quam pulmones valde inflammatos. Cordis vero parenchima cum ſuis vaſis contracta & ſtrictiora reddita, & ſanguis in ipſis vaſis contentus infectus valdeq; ater erat. Quibus viſis & declaratis paruuli defuncti pater ſummopere rogauit, vlterius ne progrederemur: cui obtemperatum eſt;& collectis omnib. rurſum partib. vtcunque cadauere reſuto; magnifice & ſplendide ornato, celebri & honoratiſſima pompa ad ſepulturam funus deductum eſt.Interea bona illa amica,ſc. illico Clodia migrauit,nec ab eo tempore,quod ſciam,reuerſa eſt. *Georg.Garnerus de obſeru.propr.*

CITÆ OPERATIONIS VENENVM.

Observatio.

Nubiæ venenum pernicioſiſſimum.

IOannes Leo, *qui deſcripſit Aphricam, in fine libri ſeptimi,* rem miram narrat, quæ digna ſcitu eſt, ſcilicet, in Nubia reperiri quoddam veneni genus, cuius ſi granum vnum propinetur decem hominib. omnes ſtatim iugulare ſpatio quartæ partis horę;ſin autem tradatur vni homini,illum ſtatim interimere. *Mercurialis lib.1.c.6.eiuſdem operis.*

Hoc quo q; nouis narrationib. acceptum feramus. In Nubia,& quę eſt Æthiopia ſub Ægypto,granum eſt:quod deuoratum expellit animantes vita. Decima pars intra horæ quadrantem interficit. Eius nomen non poſuere. *Iul. Cæſ. Scaliger exercitat.253.nu.11. ad ſubtil. Cardani.*

Observatio.

Adad & baxera veneficia.

ADad legi olim ſolem dictum Perſarum lingua. Eiuſdem nominis in Africa radix eſt: cuius aqua ſtillatitia pota, intra horæ ſpatium mortẽ affert. Naturalem perniciem auxit ars. Erat letalis illa,ſed minus vegeto ac præſenti veneno. Igitur per alembicum educta pars eius efficaciſſima effectioni, cõiunctam habuit celeritatem.In regno Deli quod Tartaris Catainis affine eſt,arbor naſcitur,quæ Baxera nominatur.Ei⁹ radix vorata illico interficit. Cuius mali remedium fructus eſt,qui dicitur Nirabri.Eo nanque venenum tollitur cuiuſq; generis. *Idem Scaliger exerc.eadem num. 4.& 6.ad ſubtil.Cardani.*

DEFINITI TEMPORIS VENENVM.

Observatio.

Venenum temporaneum, quod ad certum tempus interficiat,dari poſſe.

QVod ſatis celebre Attilio de Regulo, id nuperrime legimus ſcriptum *in Tuditani libris*: Regulum captum ad ea quæ in Senatu Romæ dixit, ſuadens ne captiui cum Carthaginenſibus permutarentur:id quoq; addidiſſe, venenum ſibi Carthaginenſes dediſſe, non præſentaneum, ſed eiuſmodi quod mortem in diẽ pro ferret:eo cõſilio vt viueret quidẽ tantiſper quoad fieret permutatio: poſt autem graſſante ſenſim veneno cor tabeſceret. *Gellius c.4. libr.6. Noct. Attic.*

De hac re conſule *Petri Carrarij quæſtionem,cũ Petrĩ Apponi conciliatore excuſam, Ponzettum lib.1.c.13.Galeottum cap. 12 de promiſcua diſciplina Amat. Luſitanum cent. 2.curat.65.Iubertum parodoxo 3.lib.27.Iul. Alexandrinum annotat.ad Galenum. 680. Mercurialem de venenis libr. 1. cap.71.Cardanum lib.2.tract.5.contradict.9. & de ſubtilitate lib.2.Valleriolam loc.commun.pag 633. Pareum de venenis cap.3.Andr.Baccium lib. 1. de Prolegomenis venenorũ, Vidum Vidium.Tom. 2.pag. 13. Matthiolum in 6.Dioſcor. pag.1399.*

CIRCVLATORVM VENENUM.

OBSERVATIO.

Circulatorum admirabile venenum, conuulſiones horrendas cum dementatione inuehens, & tandem expirans.

ILLVD quotidie in circulatorum ſpectaculis admiramur. In vinum immiſcent pharmacum, quod fauces conuellat. Ei cui fucum facere volunt, iubent in illo vino intinctum digitum, quaſi præguſtandi cauſa, ſuggant. Tum ilico in os inditum ſibi mordicus, non ſine & dolore, & clamore, premit inuitus. Interea perinde atq; blanditiis mœrentem conſolentur, tempora, carpiq; arterias oblinunt quaſi attrectando aliud agunt: Simul ſemper aliquid obloquuntur, quo auertant ſpectatorũ attentiones. Oblinunt autem medicamento quodã, vt nos vidimus, ſtudioſe admodum obſeruantes. Deinde, numũ in terrã proiectum, hortantur, vt tollat. Ibi ille pronus primum ſeſe nequit attollere: mox amens concidit: Statimq; eius more qui metuit ne mergatur aqua, natat: ac vociferatur ſimul, ſe fluctib. obrui. Ergo eũ erigit circulator. Ille quaſi vlturus iniuriã, primum maleficium obliquo, ac toruo obtutu exprobrare: mox aggredi: poſtremo fugientem perſequi. Donec abſterſo tandem veneno recipiat animum, ac menti reſtituatur. Vbi ad ſe rediit, quaſi qui euaſit è mari naufragus, capillum, veſtimẽtaq; veluti vda torquere exprimere; brachia tergere, nares emungere: Hæc fabulæ nõ ſunt. Nã & vidimus, & impoſturã veriti, noſtris, amicorumq; famulis fieri iuſſimus. Quos inter & præſtigiatores illos de cõpacto nihil geri potuit. Et coqui lixã totum ſequens triduum attonitum mirati ſumus. Quin etiã à nobis interrogatus, ecquid paſſus eſſet, aiebat, & pœnitere facti, & ſuppudere periculi. *Scalig. exerc.* 154. *ad ſubtil. Cardani.*

EFFECTVS ET CONSEQVNTIA VENENORUM.

OBSERVATIO.

Corda quorundam veneno enectorum, ſeu cardiaco morbo abſumtorum, igne non conſumi.

PLinius libr. 11. Cor negatur cremari poſſe, ijs qui cardiaco morbo obierunt: aut veneno interemptis. Certe extat oratio Vitellij, qua reum Piſonem eius ſceleris, hoc vſus argumento, palamq; teſtatus non potuiſſe ob venenum cor Germanici Cæſares comburi. Idem confirmat *Suetonius primo cap. in Caligula. Lipſius in Tacito.*

Verum ne ſit, quod tanquam populare & vulgatum narrat *Plin. lib.* 11. *c.* 37. cor, morbo cardiaco interemtorum, non vri, ſicuti nec veneno ſublatorum haud certus ſum: Quia, cũ cor nullum magnum affectum ſuſtineat, ſecundum Ariſtot. & Medicos, neceſſarium plane eſt, ſi incombuſtibile reddi debet, id ob aliquam inſignem affectionem pati. Præterea venena, vt quam plurimorum generum ſunt, ſic varijs modis necem inferunt, ob idq; minime veritati conſonum eſt, cor à quolibet veneno, flammis reſiſtendi, facultatem acquirere, fruſtraque diſputatum fuit, an Germanicus obierit Cardiaco morbo, an veneno, quod cor eius vri non potuerit. *Mercurialis, var. lect. lib.* 5. *cap.* 6.

OBSERVATIO.

Veneni vi ſanguinis ſubſtantiam computreſcere: & in virentis herbæ ſuccum tranſire aliquando: nonnunquam etiam omnino lacteum conſpici.

IN aliquibus putreſcit ſubſtantia ſanguinis: velut in muliere, quæ laborare videbatur laterali morbo, anno M. D. X L. ad quam vocatus, cum iam haberet ſpirationem grauem, videreturq; moritura, eadem die conſenſu medicorum priorum, rogantibus affinibus, cum certum eſſet bibiſſe venenum iam aliquot antea menſib. ſecui venam, prodijtq; nõ ſanguis, ſed virentis herbæ ſuccus, perſeuerauitq; vſque ad vncias nouem: quod ego pro digium videns, nec proficere ex hoc certus, iuſſi ſanguinem ſiſti, magna cum aſtantium admiratione: vixit tamen adhuc triduo, quaſi alleuiata venæ ſectione. Manifeſtum eſt autem quod Iecur tale eſſe debuit. Veluti cum hæc reſcriberem Anno M. D. X L V I. ætatis autem XLV. Thomas Iſeus amicus noſter, miſit ſanguinem viri nobilis ad me, cui venam ſecuerat, lacti adeo ſimile, vt nihil fuerat expreſſius. Manifeſtum eſt autem, quod vel putrefaciens hic bibit venenum, aut hepar tale diutino morbo factum eſt, ſiquidem lacteum: ſimilia enim à ſimilibus generari neceſſe eſt. *Cardanus contradict.* 9. *lib.* 2. *tract.* 5.

OBSERVATIO.

Hiſtoria pulueris venenati, mentem lædentis, exhibiti.

EXhibitus fuit in ferculo puluis cuidam adoleſcenti, qui ex eo in maximam incidit corporis iactationem, & in pruritum adeo moleſtum, vt vnguibus ſe laceraret, ſuperuenitque totius corporis tremor, & videbatur animo linqui dubitarũt parentes de veneno, ego ad hunc accedens vidi eum maxime vociferari, altaque voce inclamare, conquerentem ſe à patre, nunc præſente, fuſte percuti, in locoque dolente ſtatim apparebant puſtulæ rubicundæ, ac ſi quis vere eum flagello cæderet, fugamque inde quærebat, ac ſi è patris manibus fugere voluiſſet, niſique ab aſtantibus vi detentus fuiſſet, ex præcipiti loco ſe dediſſet, vt inde exiliret, hoc videns iuſſi, vt pater inde abſcederet: quo remoto, non amplius ſe percuti, ſed percuſſum fuiſſe, alta voce conquerebatur. Cum autem denuo pater dolore filij anxius ad eum conſolandum rediiſſet, ſtatim iterum ſe ab eodem percuti altius clamabat, tandem remoto patre, cum per ſpatium trium horarum conqueſtus fuiſſet, oſtenderetq, aſtantibus ſæpe flagelli veſtigia, vibiceſq;, ac liuores, nullo adhibito remedio, propter copioſum potũ vini generoſi, (nullum n. aliud, omnia renuens, admiſit) ſponte incidit in profundiſſimum ſomnum; qui per mediam diem & noctem integram perſeuerans, ſoluit hunc affectum ſuperueniente copioſiſſimo ſudore, vnde expergefactus, ſanus quidem, ſed fere mente ſtupidus, euaſit. *Salius c.* 19. *de affect. partic.*

OBSERVATIO.

Veneni vi ventriculi fundus eroſus.

AGnoui virum qui vxorem reliquit; & ab ea ſe ſeparauit, & dedit ei venenum, quo facta eſt tympanitica, & ſuperuixit paucis annis, forſan ſex aut ſeptem: & ego curaui eam, ſed ſanare non potui. Iecur autẽ per venas corrumpit colorem linguæ, &

perducit ad lentas febres, & morbum facit ſimilem naturali. Et ego vidi Hieronymum Bertolium ita laboraſſet quaſi eſſet amphimerina: ſed quia eo peruenit, vt lingua eſſet fuligine omni nigrior, & adeo aſpera ac arida, vt appoſito Orichalco non poſſet auelli, ideo exiſtimaui eſſe venenum. Eoq; diſſecto, apparuit ventriculi, imum quaſi excoriatum, & iecoris ſuperficies tota conuexa nigerrima. *Cardanus libr. 2. de venenis cap. 1.*

Observatio.

Hypercatharſis ad ſanguinem vſq; curatio.

MEdicus quidam ſtudioſo Holando, rarioris texturæ iuueni, ac inſueto ad medicamenta, fortes quaſdam pillulas, ex quarum vſu vltra viginti ſedes ad ſanguinẽ vſq; habuit, exhibuit. Helidæus aduocatus à medico illo, qui medicamentum iſtud exhibuerat (quem Syncopalem cognominabant, propterea quod examinandus, cum valde ignorax eſſet, Syncope correptus fuerat) primum ægro lauatiuũ ſine ſale ordinauit. Poſtea abdomen ſeu ventrem inferiorem vnguento ex ol. roſaceo, omphacino, & citoneorũ an. partib. æqualib. cõfecto, inungi, & pulu. ex Anthera, ſumach, corticib. thuris, & gallarum, cõſtantem, inſpergi curauit: ac poſtremo ſyrupi infuſionis roſarum ſiccatum vnciam vnam ſemis cum aq. plantaginis & endiuiæ ana vncijs duab. exhibuit, ſicque ægrum priſtinæ ſanitati reſtituit. *De CL. V. Laur. Scholzij exemplis.*

Observatio.

Importuno Theriacæ vſu mortuus puer.

PVeri in totum abſtineant à theriaca, nã infirmior eſt illorum ætas, quã poſſit tam potens pharmacum tolerare, & colliquat eorum corpus, primogeniumq; calorem eorum depopulatur non ſecus, quã lumen lucernæ, oleo copioſius infuſo, extinguitur. Vidi puerum, qui moriebatur intempeſtiuo Theriacæ, vſu diu febricitarat, & corpore attenuato vires illi plane collapſæ erant, vt niſi ſumma diligentia ſupereſſet, quod ex cõmendatione medica percipiens, interdixi illi Theriacam. At curator eius, qui patrem ſe pueri eſſe aiebat, tyranni magis authoritate vtens, quã rationi auſcultans, temere coegit me quamuis inuitiſſimũ, vt illã puero darem, quam aſſumtam nõ valuit concoquere. Erat enim viribus pueri ſuperior, & totum illius habitum diſſoluit, aluoq; immoderatius citata, puer noctu importune Theriacæ vſu mortuus eſt. *Galen. lib. 17. de Theriaca ad Piſonem.*

Observatio.

Morbus peculiaris ad venena conſequens.

PRoprium eſt veneni relinquere morbum quendam peculiarem ex tertio genere craſſi morbi, quod fit à pituita putrefacta, ſeu illi abunde ſimili: quem vidi in pluribus qui à veneno conualuerant, & maxime patre meo Facio Iuriſconſulto, qui quotidie de eo conquerebatur. Eructant acidum, flatu multo abundant, vago dolore hinc inde torquentur ac ſaltatorio, vt ita dicam, modo è pede, confeſtim in oculum, modo in ventrem, aut ex aure in manum. Mortuus eſt cum eo, non ex eo, neque graue eſt ſymtoma, morbus autem dici non poteſt. Curatio ex Theriaca, ſmaragdo, electuario, vt aiunt Alchermes, coctionem procurare. Hippocratis ratio in purgatione cum elleboro per ſuperiora conſtat, & Hippophae, id eſt, lappagine, de qua Plinius, per inferna. Victus totus ex lacte. Credunt aliqui hoc ipſum Symtoma dæmonem eſſe, aut ab illo. *Cardanus libro 3. de venenis cap. 26.*

APPENDIX DE PHILTRIS ET *præſtigiis.*

PHILTRA.

Observatio.

Philtro potionatus Baro, contabuit: aperto corpore, carnea maſſa in fundo ventriculi deprehenſa: vnde poſtmodum caſu eiuſdem remedium patefactum.

GEneroſus quidã Baro, Bohemus, filiũ Bononiæ habuit, qui accepto Philtro, totus contabuit, ac tãdem mortuus eſt. Poſteaquã vero corpus ſectũ eſt, maſſa quædã dura, cornu ſimilis, in fundo ventriculi inuenta eſt, quæ patri poſtmodũ tranſmiſſa fuit. Pater, in memoriã filij ſui demortui, cochlear ſibi ex ea maſſa fieri curauit, eoq; frequenter vti in menſa ſolitus fuit. Accidit autem forte fortuna aliquando, vt cochlear iſtud embammati ex Naſturtio aquatico, cum aceto cõfecto, impoſitum diſſolueretur. Hinc, Naſturtium aquaticum in rebus non vulgarib. contra Philtra prędi tum eſſe, facile conijcere poſſumus. *CL. V. Philos. & Med. excellens, amicus noſter, ſi quis alius intimus, Laur. Scholzius de ſuis ad nos tranſmiſſis obſeruationibus nobilioribus.*

Observatio.

Philtris & venenis potionati quidam, admirandis horrendisq; inſania ſpeciebus correpti ſunt.

EST in ciuitate ſutor quidam, qui odium vxoris ſuæ bibit cum vino à vetula quadam in conuiuio ſibi præbito. Ille per interualla corripitur furore, in vxorem debacchatur, ſæuitq; verbis, verberibus, quin & gladio quandoq;. Tandem declinante inſània, deſperabundus in ſummum tectum confugit, ſuſpendio vitam finiturus. Hic pene quotidie ſentit tormina, & ſanguinis mictu perpetuo laborat *D. Io. Pincier de obſeru. propr.*

Non procul hinc eſt, quin in offa venenum hauſit atq; ille aliquoties in anno vomitat, nunc carbones, nunc atramentum, nunc membranas, nunc ſeras; neque hæc tantũ, ſed & animalcula viua, araneas, vermiculosq; diuerſarum formarum. Cumq; hoc vexatur ſymtomate, aquas plane aduerſatur, adeoq; vinũ ſitit, vt indies ei non ſufficiant ſex noſtrates menſurę Auguſtanæ circiter duodecim. Delirat interea, mentisq; eſt omnino conturbatæ, & in deſperationem flectentis. *Idem.*

Huc tranſcribes *ex Tomo* II. *huius operis, titulis de ſuffocatibus*, hiſtoriam Camerarij, referentis *Iuuenem à muliere Philtro dementatum, percam piſcem viuum deglutire inſtituiſſe, & ſuffocatum. Schenckius Filius.*

Observatio.

Veneni quod faſcino contrahitur, curatio & hiſtoria.

QVoniã ſagarum & veneficorum hominũ turbã non paruã eſſe ferunt, quorũ faſcino venenum plures ſæpe numero contrahunt: idcirco verum ac proprium ad huiuſmodi virus propellendum & præ cęteris eximium alexiterium depromere nobis venit in mentem, ꝙ profecto Geneuæ expertus ſum mirabili cum efficacia in quadam puella ex Lugduneorũ

genere

genere oriunda, annos quinque aut circiter nata, veneno à quadã malefica muliere iam diu cõtracto tota propemodũ emaciata muta motrice vi prorſus deſtituta, voraciſſima & quaſi inſatiabilis, q̃ quidem quodã alexipharmaco, de quo verba ſum facturus, ter, quaterve illi exhibito, ac iterato tũc & loq & ambulare cœpit. Paulo poſt tẽpore ipſam tandẽ eſſe ſanitati reſtitutã pater, q illinc in Galliã Narbonẽſem, cũ omni ſua familia cõceſſerat, literis nobis ſignificauit. Ea a. antidotus cynogloſſum eſt, nõ tamẽ ipsũ vulgare & q Pharmacopoliis profertur, ſed q à *Dioſcoride li. de medicinali materia quarto* deſcribitur. Huius a. foliis hactenus vſi ſumus, radicũ vires nondum pcepi. At v. ſaga mulier, à qua euulgatũ eſt hoc alexiteriũ nouem folia ex aqua potui dabat faſcinatis. Nos a. foliorũ herbæ(neglecto numero quo ſuperſtitioſa ſaga vtebatur) manipulũ in aquæ fontis ſelibra decoq. ad mediã partẽ pcepimus: dein decoctũ vacuo laborantis ventriculo(vt fere fit) pppinauim⁹. Poſtea cuidã alter Genevæ puellæ eodẽ fere veneni genere, à neſcio qua mulierevenefica infectæ, qdam pharmacopola Gallus feliciſſimo ſucceſſu Moibani antidotum, cuius deſcriptionem à me acceperat, ad ſemidrachmam ex vino albo potui dedit: qua paulo poſt, & abſoluta euacuatione per ſuperiora & inferiora, puella tandem conualuit. *Aubertus Exerc. 41. ad Fer. Abdit. lib.*

DE PRÆSTIGIIS.

OBSERVATIO.

Malis, vt credebatur, medicamentis potionatæ duæ mulieres, horrendis vomitionibus correptæ ſunt. Quarum vna acum crinalem humatum cum capillis, & vnguium ſegminibus cum vitæ periculo euomuit. Altera capillos muliebres, cum nitri fruſtulis, & canis caudæ villoſæ tribus particulis vomitione reiectis.

NOn ſine ſtrangulationis periculo euomuntur, q̃ fidem excedunt. Vidimus mulieres duas ſocias, & vicinitate familiares vna die malis, vt arbitrati ſunt, medicamentis potionatas, q̃ monſtrificis exagitatæ vomitionib. miraculũ præbuere: altera acum crinalẽ ingentẽ, in modum hami implicatã, cum capillo muliebri pluſcũlo, cum reſegminib, vnguiũ inuoluto reiecit magnis conatibus, dum ea euomeret omni nixu, nihilo pene minus ſtrãgulata iacuit, quæ ſequenti nocte obiit. Altera item capillamentũ muliebre, nitri fruſta, cum canis caudæ piloſæ trib. fruſtis arefactis, ita vt pene integræ caudæ quãtitatem, ſi vna cõpoſita fuiſſent, facile adimplerent: Ter aut quater in eos conatus, anxio hiatu pene ſuffocata, iacuit moribunda. Vnde quæſo, Deũ immortalem, eos efficaces effectus inuenerit mortalitas? Qua ratione ea veneficia inuenit, & quomodo ea hauriri potuerint, vitæ ſit iudicium. Quidam veneficis incantaminibus oculorum acies præſtringi dicunt, ne eas obſcœnitates conſpiciant, nec in ore commãducata ſenſũ dignoſcantur: Alii, quod mai⁹ eſt, (ſi credimus) in cinerem redacta magno tentatoris artificio in ventre maiori miraculo redintegrantur. Magorum hæc commenta ſint, tam certum eſt eas euomuiſſe, quam incertus eſt deuorandi modus. De iis veneficiis altera in ſtrangulatu ſæpius defecit, altera miſere interiit. *Alexander Benedictus lib. 7. cap. 25. Practica.*

OBSERVATIO.

Prodigioſus mulieris vomitus, quo longiores & recuruos clauos, æneaſq. acus, vna cum cera & capillis in globum mixtis: præterea, carnis fruſtum ingens euomuit.

ACcidit his temporibus nouum & admirandum morbi genus: quod etſi viderim curauerimque, ſcribere tamen vix auſim. Mulier 16. agens annum, ab ima ventris parte dolore exorto, conuellere manibus nitebatur. Cumq; in horrendũ clamorẽ erũperet, intumeſcebat ilico totus venter, adeo vt vterum geſtare crederes octimenſem: & voce exhauſta, vbi toto cubili hinc inde reiectans ſeſe, & plãtas pedum interdum ceruici connectens reſiliebat in pedes, iterum procidens ac reſiliens: iſtuc ipſum identidem factitabat, quoad paulatim ad ſe reuerſa, quoquo modo recrearetur. Interrogata quid egiſſet, penitus ignorabat. Nos vero eiuſmodi morbi cauſſas diſquirentes, arbitrati ſumus hoc malum ex vuluæ aſcenſu, & vaporibus malis ſurſum elatis, & ſubinde cor & cerebrum impetentibus, puenire. Quare idoneis medicamentis adhibitis, cum nihil omnino pfeciſſent, non parum mirati ſumus. A recta tamen via minime deſiſtendum putauimus, donec ferocior facta, ac toruis oculis circumſpiciens, tandẽ prorupit in vomitum, quo longiores & recuruos clauos æneaſque acus, vna cum cera & capillis in globũ mixtis euomuit: & nouiſſime ientaculi fruſtum, tantæ magnitudinis, vt deuorare integrum nullus potuiſſet. Cumque idipſum ſæpius, etiam vidente me, factitaſſet, teneri eam arbitratus ſum ſpiritu malo, qui, dum hæc ageret, ſpectantium oculos præſtringeret. Quare, ſpiritualibus Medicis commendata, manifeſtioribus dein ſignis & argumentis rem comprobauit. Nam & nos ſæpe eam vaticinantem audiuimus, & ea præterea agentem vidimus, quæ omnem vim morbi ſupergreſſa, humanum etiam captum excederent. *Beniu. cap. 8.*

OBSERVATIO.

Mulieris Bononiæ circa pudenda Meliceride ex faſcino laborantis, Hiſtoria.

BOnoniæ, dum rei Medicæ operam nauarem, mulier quædam circa pudenda vlcere fauoſo, meliceride laborabat, & quum ſpem conſolidationis maxime læto Chirurgo oſtentaret, tum repente nouus ἰχὼρ, humor melli ſimillimus, vbertim erumpebat, donec dæmone, quo obſidebatur, diuinis exorciſmi deprecationibus expulſo, tum eadem nocte, nullo relicto cicatricis veſtigio, vlcus ſua ſponte conſolidabatur. *Langius libro primo, Epiſtolar. 38.*

OBSERVATIO.

Cultelli, ferramenta, claui, capilli in ſtomacho ruſtici reperta.

ILlud, quod à Chriſto, ex Deipara virgine nato, Anno 1539. in quodã Euhſtetenſis Epiſcopatus ditionis pago Fugenſtal accidit, omnem ſuperaret fidem, niſi oculati ſpectatæ fidei teſtes adhuc ſupereſſent, in quo pago Vlricus Neuſeſſer agricola, cũ crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum latere conficeretur, ſubito clauum ferreum ſub il-

læſa cute manu apprehendit, quem Chirurgus illic balneator nouacula exciderat, nec tamen dolores ceſſarunt, ſed indies magis incrudeſcebant. Quare cum nec aliud doloris fore remedium miſer quam mortem ſuſpicaretur, arrepto cultello ſibi guttur abſcidit. Itaque cum tertio die mortuus ad ſepulchrum efferretur, aderant tum Eucharius Roſenbader ex Weiſſenburg Noricorum oppido, ac Iohannes ab Ettenſtet balneator, qui aſtante magna hominum frequentia demortui agricolæ ventriculum inciderunt: in quo lignum teres & oblongum quatuor ex chalybe cultros, partim acutos, partim inſtar ſerræ dentatos, ac duo ferramenta aſpera reperta fuerunt: quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant; aderat & capillorum inſtar globi inuolucrum. Sed quid potiſſimum hic admirabetis? an quomodo tot & tanta ferramenta in ventriculi cauitate contineri potuerint? an qua arte ſint ingeſta? Certe non alia quam dæmonis aſtu & dolo: à quo Chriſtus, qui in eum confidunt, tueri poteſt: qui Salomonem diuinis carminibus hos curare morbos, & fugare dæmones docuit. Id quod & Eleazarus, Iudaicæ factionis Sacerdos, vidente Veſpaſiano, & eius filiis ac tribunis, palam feciſſe in exercitu traditur. *Langius lib.1. Epiſt.38.*

OBSERVATIO.

Caſus mirabilis cuiuſdam abſceſſus in puella Louanienſi annorum 14. qui accidit Anno 1571. quæ præter horribilia & incredibilia ſymptomata, quibus alias affecta fuit, anguillam viuam per ſedem, vna cum variis membranis excreuit: per os vero pilos & lapides varios, ligni & æris fruſtula, vomitione reiecit.

CORnel. Gemma Louanienſis libr. 2. de natura diuinis characteriſmis cap. 4. longa oratione huius generis hiſtoriam proſequutus eſt, quam nos, multis omiſſis, quæ non ita ad propoſitum facere videntur, conciſam afferre voluimus, tanquam admirabiliſſimam; & hæc eſt. Puella nobis vicina, filia Doliarii fabri, annum agens ætatis quintum decimum, habitu corporis mediocriter ſucculento, formæ venuſtate atque ingenio non vulgari, cui tamen in vultu ſubtriſtis quædam alacritas miſturam æquabilē humoris ſanguinei & melancholici præ ſe ferret, nomen huic inditum Catharina Gualteri, cœpit languere variis ſymtomatibus. Circa Ianuar. Anni 1571. mēſes bis terve proceſſerunt, ſed à morbi initio ſtatim ſuppreſſi, inſignem totius corporis laſſitudinem pepererunt, eius generis, quā φλεγμονώδην Gal. appellat. Magna fuit veneni ſuſpicio, quod à gentili & Catanea quadam, quā ſibi offenſam ſemel & minitatam grauiter ante meminerat, obtruſum libamenti fruſtulū accepiſſet, in quo mandendo ſe ſenſiſſe dicebat ſaporem non prorſus extraneum, ſed aſperitatē deglutitioni reſiſtētem; atque ab eo tempore cœpit primum cingi circa præcordia, extenuari plurimum, vomere per interualla anorexiā & vertiginem pati, aliiſque prope, quæ grauidis ſolent accidere, infandis ſymtomatib. conflictari: potiſſimū tamen quarto menſe & ſeptimo, nam circa mediam Iunii febres occultæ ſenſim in manifeſtas abierunt, cum ſiti, & quadam cōuulſionis ſpecie, animiq; deliquio. Interdum vero ſic auctus eſt dolor, vt inſtar furibundæ de loco in locum continuę fluctuauerat, ſæpe inflatis præcordiis multo vehementius quā in hyſtericis ſoleat. Eo anguſtiæ venit, vt nigricante facie fauces velut ab iniecto laqueo præmeretur. Nec leue illud ſpectaculum fuit, tres quatuorve miniſtri, quantumuis robuſtiſſimi, vix retinendæ ſufficiebāt; quia repente exiliens lecto in omnem conuulſionis ſpeciem torquebatur. Hæc mala cum ſe per vices intenderent atque remitterent, Menſe Auguſto, qui nonus ab initio fuit, exacerbata ſunt ſupra modum, Medicos conſulere decreuere. Ventū eſt ad me primo, quod cæteris vicinior forem. Sed cum abeſſem, accitus eſt D.D. Beauſardus, qui vt aſpexit afflictam miſere, non male à vermibus ferociam eſt ſuſpicatus. Euenit interea vt poſt terribiles cruciatus, ſponte concitata vis naturæ, Anguillā viuam per poſteriora detruderet, quam ad me protinus detulerunt. Erat illi legitima forma cum tota ſpecie, craſſitudo pollice maior, longitudo pedis vnius & dimidii: aderant illi & ſquamæ, & oculi, & ſpina, & cauda vniuerſim, vt in anguillis ſolet, quia, quod magis mirere, triduo antequam foras eruperit, auditum narrāt bis terve in vtero ſonum non ipſi puellæ modo, ſed & aſtantibus circumquaque velut argutum & tenuem ab angue productum. Et cum egereret, manifeſte puella retulit ſe ſenſiſſe quod primum exerto capite ſe retraheret per poſticum, inde cum impetu exiliret. Iacebat anguilla diu inter feces veluti exanimis; ſed coniecta in vrnam aqua plenam, reuixit denuo. Ceſſarunt ab huius excretione dolores illi extreme feroces. Anguilla, quam mortuam exenteratamque ſuſpenderant, loco ſublimi ab animalibus tuto repente euanuit. Puella interim cœpit euomere ingentem aquoſi humoris copiam, quā ego, tunc quoq; vocatus, vidi humano lotio non abſimilem, ſaporis, vt ipſa narrabat, abſurdi. Durauit ea vomitio plus quatuordecim dies, ſingulis profecto exonerans ſupra libras viginti quatuor. Teſtor omnia hæc nobis non relatione deſcribi, vidi inter alios his oculis meis, atque his manibus cōtrectaui. Nec magis obſtupui, quam vbi vidiſſem tanta humiditate per os excreta, nihilominus vrinam interdiu bis terve reddere copioſam, quod nullus in ventre tumor, nulla in toto corpore inflatio exterius appareret, quod ipſa puella potus ac cibi pauciſſimi vix vnum cyathum vini aut cereuiſiæ, aut liquoris alterius potitaret. Quæſiui num in hypochondriorum altero quicquam perſentiſceret, aiebat multum ſibi dolere ſiniſtrum latus ab eo tempore quo anguillā excreuerit, imo & dudum ante, ſed prius fuiſſe alicuius ponderis ſenſum, hunc etiam morſum & acrimoniā accepiſſe, quin cū validius premerem, offendi ſe grauiter dixit. Vbi per quatuordecim dies ingens illius aquoſi humoris copia profluxiſſet, cœperunt & pili cōfertim exire p vomitum copioſiſſimi numero, digiti longitudine, ſed longiores alii, alii breuiores, eiuſmodi ſane, quales annoſis canibus euellūtur; auctaque eſt indies ea pilorum quātitas, vt facile pilas quāplurimas iuſtę magnitudinis implere potuerint; eiecit hos oēs magno faſtidio, ac vomitus difficultate, ac iam circa veſperā deliquia quædā animi admiranda cōtingebant. Et cū veſperi in ipſo defectu puellā velut exanimem offendiſſem, diligenter obſeruans ſingula, vidi ſupinā ſubito ſeſe ex vno latere in aliud iactantem tanto impetu, vt niſi coercita caput promtiſſime in aduerſam parietem vel ſpondæ vertices impegiſſet. Manus contractę erant tam valide,

vt nulla

vt nulla vis poſſet effringere. Interdum manu ſubito reducta pectus ꝑcutiebat tãto ſonitu ac vehemẽtia, vt magno in periculo fuerit ne nullũ ꝓcipuorum viſcerũ lethali vulnere violaret. Durabat iſtud ꝑ horas interdũ duas, à ſeptima fere vſq; ad nonã veſꝑtinam; in paroxyſmo neminẽ agnoſcebat. Sæpe velut ab vtero ſuffocata rubebat inſigniter cũ laſſitudine quadã ac ſenſim oborientis febriculæ rudimẽto. Semel atq; iterũ ſpumeũ q̃ddam circa os apparuit. Cõtigit ſemel ſuo paroxyſmũ repente ex riſu in fletus, ex fletu in riſus maximos ſolui. Et cum ad ſe reuerſa paululũ in longã ecſtaſim laberetur, ſubito ſilẽtium rũpens, nõ ſecus atq; cũ Deo locuta eſt velut attonita extenſis ad cœlũ digitis fere his verbis. Ita ne, ô ſumme Deus, tua illa tam incredibilis pulchritudo eſt, quouſq; nobis hic permanendũ? aut quando me rapias vt te fruar? tũ quaſi à ſomno expgefacta, ſic corã aſſiſtentib. inq̃t: Ecquis veſtrum mihi ita eſt odioſus, qui me ſummæ quieti traditã atq; iam hortis floridis lõge pulcherrimis luſitantẽ, in hunc miſeriæ campũ ac tenebrarũ carcerẽ reuocauit? Quæ ſane dicta grauiſſime, quo pacto à puella rudiore, ꝓſertim huius ętatis, efferri niſi pecſtaſim poſſint, minime video. Interea nõnulli vomitus, q̃ floccos ingentes pilorũ eiicerẽt, cũ materia purulenta inſtar ſaniei, interdũ ſimili ſtercori colũbino aut anſerino, in qua colluuię & fruſta lignorũ, & membranarũ tenuia rudimẽta, ſed lignorũ partes adeo viuæ, vt ex caudicib. obſoletis diffractis inæqualiter cõminutæ portiones viderẽtur, vnguis amplitudine, aliæ craſſitudine, intus fũgoſæ, foris obductæ vetuſtiore cortice nigro. Paulo poſt cœpit alius vomitus ater, vt carbo, dixiſſes atramentũ verũ, vel ſæpiæ ſuccũ, imo carbones veros minutiſſime tritos atq; ꝑmiſtos ſingulis dieb. ꝓdeũtes ad quantitatẽ librarũ duarũ aut trium. Sæpiſſime cum pilis tam copioſis, vt nuci iuglandi includi non poſſent, omnib. albis, ꝓlixis, & duriuſculis. Quæ cũ ꝑ triduũ ita duraſſent, eiecit ſemel & puri ſanguinis, tanq̃ à vena diſſecta, libras duas nulli rei alterius generis ꝑmixtas. A vomitu ſanguinis rurſus ſequutus eſt ater, ac ſi antimonio tinctus fuiſſet, humor omnino liquidus, in dies fere ſingulos ad libras quinque aut ſex. Atq; hõc portentũ ſeptimanã integram conſtanti horarũ lege & ſpatio ꝑdurauit, tum relinquere penitus cœperunt Epileptici paroxyſmi, q̃ primũ dieb. ſingulis affligentes, poſtea nõ niſi ꝑ tertium diem ac poſtremo ꝑ ſeptimũ repetierãt. At virgo interea pilos adhuc, ſed pauciores, gradatimq; atriores, excernebat, imo & breuiores indies & cũ pri⁹ ex flauo ruffeſcerẽt, paulatim liuidi, nigri, tandẽ aterrimi, ac veluti diſſecti in fruſta minutiſſima redderentur. Quãdoq; & cũ his virulẽtus humor & craſſus, quãdoq; ſimillimus limo. Circa ſeptẽbris mediũ membranæ fruſta maiora tanq̃ vẽtriculi partes euomuit; habebãt hæc ſpeciẽ tunicæ craſſioris, carnoſæ, lentę, fractuq; cõtumacis: q̃b. ꝓfecto (vt fœtus inuolucro choroidi) etiã venarũ ductus inarati ramoſa ꝓpagine ſpectabãtur interdũ medii palmi lõgitudine. Has aliæ ſunt è veſtigio ſubſequutæ tenuiores multo, ſed penitus nigræ, venarũ duntaxat veſtigia referentes, alioq̃ mẽbranæ Allantoidi nõ abſimiles. Poſtremo venerũt & tertii generis tunicæ vaſorum prorſus expertes, aliarũ omniũ tenuiſſimæ, vt locũ Amnii retinerent. Sed erat his alia multo ſubſtãtiæ atq; figuræ ratio q̃ in agninis fœtuũ inuolucris; nam huic tenuitati aderat mira Soliditas, figurarũ ratio quouis miraculo maior, fragmẽta illius varia, ſed tria ꝓ cæteris rara, duorũ palmorũ amplitudinẽ ſuperabant intertexta ſtriis profundis ſiue epigraphis, q̃ ſeſe à vertice ad baſim ſecãtes mutuo cãcellos in rhombi ſpeciem efformabãt; nõ habeo cui melius conferã, q̃ cũ ſenecta viperæ, quanq̃ nihil à me hactenus conſpectum fuit, cui poſſet merito cõparari. Sed hoc in eo ꝓcipue admirandũ, ꝙ ſecundũ lõgitudinis ductũ, velut canalis quidam ꝓfundior appareret inſculptus, fibris tranſuerſis & raris prorſus vt in aſpera pulmonis arteria. Erat hæc regio prorſus caua & circularis, in vnius mẽbranæ faſtigio paulatim anguſtior, anguini capitis veſtigiũ repræſentans, cũ apophyſi maſtoidi, ſeu ꝓceſſu mãmillari, in alterius fine ſenſim lateſcẽs neſcio quid ventriculoſum & inęquale, etiã bifurcato vertici nõ abſimile ꝓ ſe ferret. Vniuerſæ partes inuicẽ coaptatæ totius anguillæ logitudinẽ atq; craſſitiẽ ſatis luculenter expreſſerant. Poſtq̃ haſce mẽbranas eiecit, ſequuti ſunt lapides fere innumeri, quos veſperi ſemꝑ hac ſtata horarũ periodo magnis cum tempeſtatib. animiq; deliquiis eructabat, forma fuit eiuſmodi, q̃ paſſim in vetuſtis ædificiorũ ruinis ſolet occurrere, lapides ſolidi, anguloſi, inæquales tum ſpecie, tum magnitudine, q̃ ſubinde, ad nucis inglãdis quantitatẽ acceſſit nõ abſq; ſuffocationis diſcrimine manifeſto, videbãtur. quandoq; obtecti calce, & coagmẽtati variæ, vt ab illis, q̃ parietib. detrahuntur, diſtingui non poſſent. Semel me præſente eiecit quendã lapidẽ anguloſum, vix cũ duplicis caſtaneæ mole librandũ hæſit is per horæ quadrantẽ aut plus eo in œſophago, ſic vt tumor inſignis ipſum oſtẽderet in interna gutturis regione: eodẽ tẽporis ſpatio omni pariter & pulſu & reſpiratione deſtituta permanſit, vt ne pluma q̃dem ori oppoſita moueretur: manus pedeſq; frigidi: corpus rigidũ inſtar ſtatuæ, vt ego nil amplius ad vitæ ſpem reliquũ arbitrarer, q̃ commiſeratione perculſus abitũ ꝓperabam, actum eſſe ꝓclamans, cum ſubito me reuocans mater, moueri filiam rurſus atq; oculos aperire conſtanter aſſereret, ſtatim vt reuerſus fui, ſextũ illud magna ſpiritus contentione ꝓiecit, vt & vomentem viderim manifeſte, & in lebetem ſonitum cadẽtis audierim, magno horrore tum animi mei, tum turbæ circumfuſæ. E veſtigio magnam quoq; ligni portionẽ pollicis longitudine pariter & craſſitie, ſed minori difficultate excreuit: erat hoc ſatis poroſum, ſtaminibus rectis inſigne, cui & commiſſura quædam inſignior velut per mediũ totius longitudinis excurrebat. Interea tamen & pili per vices, ſed minores ordine pauciores ac nigriores. Acceſſit aliud, quod omnem excederet fidem, quoque puella in ſummum ſtrangulationis periculum venit, os enim triangulare ſolidum foris, intus cauum, ac ſpongioſum reddidit, nec mora, ſequenti die articuli oſſei, tali, digitorum acies, rotulæ variæ ſpeciei & magnitudinis prodierunt. Interdum tamen & pili & lapides intermixti, atque omnium poſtremo vitri & æris portiuncula. Hanc luſtrandam ſacris omnino & ſacerdotum precibus aſſerebam. Atqui diuinis miſſarum officiis rite peractis, collatiſq; eleemoſynis, ſtatim illæ portentoſæ excretiones & tempeſtates conquieuerũt. Virgo quidem aſſiduis ærumnis valde concuſſa ac decolor

manſit,

manſit, ventre ſubtumido cum anorexia tanquam ad hydropiſin valetudo vniuerſa ſpectaret? ſed ſolo decoc. rad. eringii, aſparagi, iridis Ilyricæ ac zarzæ reſtituta conualuit. Aiebat tumorem ſibi relictum in inguinibus, quem vbi tentaui digitis, ac cedere vidi, herniam flatuoſam ſubnaſci ex vomitus violentia iudicaui. Hactenus *Gemma*. Quod ſi quis hiſtoriam exactius enarratam, & pluribus verbis ab ipſo fonte legere non grauabitur, remedia quæ exhibita fuere puellæ, & quæ ægrotationis cauſæ, ab ipſo authore naturales putatæ fuerint, cognoſcet. Hoc vnum certe ſcio, minime veriſimile eſſe, Regiũ medicinæ Profeſſorem, in ampliſſimæ totius Flandriæ & Brabantiæ ſtudiorum ciuitatis conſpectu, recenter occurſam Hiſtoriam veritate alienam enarraſſe, & ita perfrictæ frontis, vt falſa pro veris typis exarata publicaret. *Marcell. Donatus libr. 2. capit. 1. Hiſt. Med. Mirabilis.*

OBSERVATIO.

Ad periculoſum morbum conſecuta caluities deformis admodum patri & filio, ex quibus hic euaſit; alter vero ſuum diem obiit, non ſine veneni ſuſpicione.

ANNO 83. in pago Poſchvvitz prope Iaurauiam, Sileſiæ oppidum cum ibidem medicinam facerem, ruſticus quidam, vna cum filio ſponſo, accepto à riuali quodam, (vt ſuſpicabantur) veneno, grauiter decubuit. Caluitiemque non ſolum primo genitorum, ſed etiam poſt genitorum, pilorum paſſus eſt, vt ſponſa ſponſum repudiaret, ipſique non niſi lege coacta tandem nuberet. Hic, cum euicto veneno beneficio alexipharmaci noſtri, tempeſtiue dati, diu caluus ſuperuixit: Parens vero, vel ob ſenium, vel non retentum idem remedium, paulo poſt diem ſuum obiit.

Ad eundem modum vxor Ioan. Thileſii, ciuis Vratislauienſis, accepto proculdubio à famulo ſuo veneno, quem talia comminantem ſæpius inuiſerat, citra eiuſmodi caluitiem nihil grauioris ſymptomatis hactenus paſſa eſt. Etiamſi iam annis plus decem ſupra vixerit, piloſque regenerare plurimis remediis fruſtra tentarit. *De CL. V. Chriſtoph. Rumbaum rariorib. Exemplis ad me miſsis.*

OBSERVATIO.

Puerpera terrore menſibus ſuppreſsis, ex Peripneumonia in abſceſſum pulmonis, atq; inde in Phthiſim tranſiit, cui faſcino alterius lateris capitis cincinni viſco auiario fuerunt infecti.

ANNO 90. vxori, viri cuiuſdam, qui ex fœcibus cereuiſiæ, vinum aduſtum arte elicere ſolebat, Vratislauiæ, dum nimio ſubitoque terrore, propter incendium vicinarum ædium, puerpera, ex mẽſium & lochiorum retentione, peripneumonia corriperetur, in pulmonis abſceſſum phthiſinque ipſius incuria, terminante. Dum diu à me fruſtra curaretur: anus quædam empirica acceſſit, ſuamque operã offerens, auxilium præſens pollicita eſt. Quam dum ipſa non admitteret, indignabundam ditaq; comminantem domo excluderet; ſordes capitis, pexis, plicatis, compoſitiſque prius pro more capillis ſatis ꝓlixis, aqua calida, eaque ſimpliciſſima, abluere tentauit. Verum ad primam aquæ affuſionẽ, lateris alterius, cincinni omnes, auiario viſco, quaſi obducti, adeo intriccati ſunt ſubito, vt nullo poſtea modo ingenio ve exſiccari poſſent, donec vitam cum morte commutauit. Atque hoc non niſi faſcino factum opinamur. *Doctiſsimi Viri D. Chriſtophor. Rumbaum Obſeruatio.*

OBSERVATIO.

Cerdonis vxor, vomitu ſpinam pruni ſylueſtris, cum duobus vncis, dimidii digiti longitudine, excluſit.

APud Hæredes Ioannis Woyſlelii, Medici Vratislauienſis, vt nobiliſſimi ita feliciſſimi, ſpinam pruni ſylueſtris vidimus, cum duobus vncis, dimidii fere digiti longam, quam vomitu à quadam Cerdonis vxore eiectam, paucis diebus poſt, ipſa comitãte vita, annotauit. Hæc an ſuapte natura, in ventribus generata, an faſcino intruſa, dubitamus. *Idem D. Chriſtoph. Rumbaum. de Obſeruationibus raris nobis communicatis.*

OBSERVATIO.

Mulier quædam quæ vomitu acus in formam crucis complicatas, pilorum globulos, ouum cum putaminibus, in quibus veneficium latuerat, excreuit. Item, in viri cuiuſdam faſcinati ventriculo varia inſtrumenta reperta.

HElidæus accerſitus ad mulierem quandam maleficiatam, eam curare recuſauit. Verum ad Monachos Dominicanos, qui talium ægrorum curam profiterentur, relegauit. Monachi ex ægra quærunt, num S. Euchariſtiam ſumſiſſet? (hac enim accepta, tales ſe curare amplius non poſſe affirmant) mulier reſpondit ſe non accepiſſe. Exhibent itaque illi medicamentum quoddam, quo ſumto, per vomitum acus in formam crucis complicatas, plurimos pilorum globulos, ac ouum denique cum putaminibus, in quo veneficium latuerat, reiecit. Helidæus ex Monachis huius rei cauſam quærit. Illi autem hoc reſponſi ipſi dederunt: nimirum, veneficos limaturam de clauo alicui exhibentes clauum inde fieri, ſi vero de alio inſtrumento, ſimile quid in ipſis naſci.

Huc referri quoque commode poſſet Hiſtoria illa, quam Noricus quidem Brunslerius Clariſſ. Viro Domino D. Montano retulit, nempe ægrum quendam intolerabiles dolores circa vẽtriculi regionem ad mortem vſque paſſum eſſe. Poſtquam vero diem ſuum obiit, ac corpus apertũ fuit, omnis generis inſtrumenta in ipſa ventriculi cauitate reperta fuiſſe. *CL. V. Laur. Scholtzii Obſ. ad nos tranſmiſſa.*

OBSERVATIO.

Horrificis conuulſionibus certis interuallis exagitata puella, ſine membrorum notabili oblæſione, quæ tandem glomerem capillorum, caſtaneas, carnis portiunculas, gallinacei fœmoris oſsiculum vomitu reiecit.

NObilis cuiuſdam Pomerani filia, annum vndecimum agens, conuulſione totius corporis certis temporum interuallis, vrgebatur, ſingulis dieb⁹, primo quidem bis, poſtea vero ſæpius, tanta vehementia, vt à quatuor vel quinque Matronis vix contineri poſſet. Quamuis vero caput ſimul concuteretur, & dolores in pedibus, dorſo, pectore, capite, oculis, auribus, ac dentibus alternatim vehementiſſimos perciperet: tamen ratio, ſenſus omnes, tam interiores, quam exteriores, & locutio in ipſo paroxyſmi inſultu illæſa permanſerunt. Conquieſcente acceſſio-

acceſſione, nullum in conuulſis membris laſſitudinis aut doloris veſtigium relinquebatur, ſed ilico cum ſuis coæuis diſcurrere, choreas ducere, & alios puerilesac cõſuetos luſus citra omnem noxam exercere cœpit. Paroxyſmi, quia breui tempore reſoluebantur, ego cum cæteris, qui ad eius curationem vocati erant, Medicis, in ea ſententia fuimus, cauſſam eius morbi eſſe vaporem quendam craſſum, ex pituita craſſa in ventriculo & inteſtinis collecta, generatum, qui in neruos ac muſculos abdominis, pectoris, colli, & cæterarum partium expulſus, conuulſionem huiuſmodi violentam concitaret. Primum igitur, pro remotione illius cauſſæ, clyſteres, ac potiones purgantes, deinde pro confortatione ventriculi, cerebri, neruorum, ac diſcuſſione flatuum morſulos & condita, demum fomentationes & inunctiones pro ſpina dorſi adhibuimus. Sed nõ multo poſt grauiora ſymptomata, acceſſerunt, videlicet diſtentio & exertio linguæ indecora, clamores, vlulatus canum referentes, vomitus, quo alias capilli conglomerati, alias nux caſtanea integra alias portiuncula carnis cruda, alias oſſiculum fœmoris gallinacei integrum, reiiciebantur. Quibus ſignis adducti, morbum non naturalem, ſed hyperphyſicum eſſe pronunciauimus. Precibus igitur tam publice, quam priuatim pro ea ad Deum inſtitutis, & adhibitis ſimul exterius quibuſdam contra incantationes à Dioſcoride deſcriptis remediis, breui temporis ſpatio priſtinæ ſanitati reſtituta eſt. *Iacobus Seidelius, de ſuis per Clariſſimum Virum Laurentium Scholtzium communicatis exemplis.*

OBSERVATIO.

Fœmina melancholia & dæmonum illuſionibus vexata, ſe in aquas præcipitem dedit, quibus trihorium dorſo innatans, tandem inuenta, extracta atque ſeruata eſt.

MAgdalena Schvvartzin ex pago quodam Comitatus Kiburgenſis ditionis Tigurinæ, incidit, neſcio quam ob cauſſam, in grauem melancholiam. Hæc à malo dæmone diu vexata & agitata eſt, tandemq; iuſſa, vt ſeſe in proximam piſcinam præcipitaret. Perſuaſa tandem piſcinam acceſſit, & inſidet ei inſtrumento, per quod ſeſe piſcina exonerare aſſolet, ibique trium horarum ſpacio cõmoratur, ſemper à dæmone ſolicitata, vt ſeſe tandem præcipitem daret. Illa importunitate impulſoris victa: parẽdum eſt, inquit, quandoquidem tantopere vrges, mihique moleſtus es, & iam ad caſum preceps, exclamat, ſit ita in Dei nomine **das ſey in Gottes Namen.** Cecidit itaque. Deo nimirum ita volente, vt reſupinata iaceret, & manum vtramque pectori decuſſatim impoſitam haberet. Hoc corporis poſitu, aquæ per tres horas innatat, vt nihil tamẽ penitus aquæ intra corpus per os hauriret. Tandem inuenta & extracta eſt, & in hypocauſtum delata. Corpus eius paleæ inſtar leuiſſimum fuit, & penitus ἄφωνος. Vbi vero paulatim calorem, penitus præ frigore fere extinctum, recepiſſet, ad ſe rediit, moueri ac ſequi paulo poſt cœpit. Tandem in Xenodochium vrbis recepta eſt aliquandiu, paulatim conualuit & dimiſſa eſt. Accidit hoc Anno Salutis 1588. *Clariſſ. Philoſ. & Med. G. Wolphii Obſ. candide communicata.*

OBSERVATIO.

Rara ſimul ac prodigioſa hæmorrhagia verminationiſque Nobilis Fœminæ, hiſtoria haud vana faſcinationis coniectura obita: qua certa per interualla ſanguinis per os ſupra mille libras, mille vero & ducentum vermes, eoſq; promiſcuos eiecit & protruſit.

NObilis Matrona, variis morbis circa annũ Domini milles quadrageſimum, ſupra nonageſimum ſextum, infeſtabatur: quorum excandeſcentia tantos perſæpe ſonitus, fragores & dolores edebat, vt viginti paſſuum interuallo exaudiri poſſent. Dolorum itaq; vehementia & pudore concitata, multoties non tantũ à templo & ſacro publico domum ſe recipere cogebatur, verum etiam peritiſſimos & celebriores Medicos, qui ſæuiſſimis cruciatibus mederentur, ſingulari ſtudio & ſumtibus conquiſitos, conſuluit. Duobus porro primariis ſymtomatibus, admirandis & prodigioſis, quique humani cõceptus conditionem facile præterire, imo longe ſubterfugere poſſint, afficiebatur. Primum portentoſa ſanguinis excretione, qua intra anni decurſum eiuſdem quadringentas matulas terreas (res miraculo proxima) ore egeſſit & protruſit; præter eum, qui aluo redditus eſt, & venæ ſectiones, quas anni ſpacio quinquaginta ſuſtinuit; adeo quidem vt mille libras excretas, non tam ex αὐτοψίᾳ, & fide dignorum hominum relatione, quam propria inſpectione, cuius occaſione omnia hæc confidentius affirmo, conſtet. Hæc etiam vbi maturiores & legitimas venarũ inciſiones neglexit, id ſibi mali diſſeminauit, vt crurum venis ſupra quam dici poteſt, miraculoſe diſtẽtis deinceps nullo negotio ruptæ ſint, & ſanguis copioſe inde promanauerit, qui interdum eouſq; progreſſus eſt, vt omnis generis medicamenta, quantumuis reprimendo ſanguini apta & commoda adhibita eluſerit & vix admiſerit. Alterum ſymtoma, quo eadem Matrona periclitata eſt, æque funeſtũ, & miraculoſum hoc eſt. Cum copioſo ſanguine ſæpius vna quoque Lumbricos, eoſq; iam mille & bis centum, promiſcuos, digiti plerunque longitudine, interdum etiam longiores ore reddidit, qui num helminthagogis forte adhibitis expulſi ſint, ſcire hactenus non licuit, ex iis n. aliqui medicamẽtis diſperdebãtur. Obſeruatũ qn etiã teſtantur, nobilẽ hanc fœminã, vnica vice vix vnc. ij. vrinæ reddidiſſe, inſidentẽ qn etiã balneo nunq̃ ſudaſſe. Ipſa formoſa & bene habita, conſtantib. virib. viuido colore, vegetoq; vitã traduxit, diætæ etiã à Medicis præſcriptæ, gnauiter inſtitit, niſi vbi ꝓfuſis vomitu viginti libris ſanguinis, aliquid imbecillitatis contraxit. Quæ tandẽ ſortilegii preſtigiarumque crimine haud vana ſuſpicione laboraſſe nonnullis comperta eſt. *Hæc Sebaſtianus Brand. I. C. ad Iac. Oliuarum Cæſareum Archiatrũ, cuius copia nobis hactenus fieri non potuit, & Turneuſerus in ſcriptis ſuis in rithmos redacta recenſuit: ex quo deſcripta & compendioſe tractata & accepta nos huc tranſtulimus.*

OBSERVATIO.

Diuinitus à faſcino libertati.

CErte illud horrendum dictu viſuq; eſt, quod in Theuern, Iuliacenſis ducatus oppido, crebro accidit: vbi ægroti in templo ante D. Annæ altare & venerandũ caput eius ſupplices ꝓſtrati fruſta & fragmenta vitrorũ vrceolorũ, & oſſiũ de piſcib. q̃ humana gula & Stomachus deglutire non poſſet, ac loculos quoſdam cum nummis euomuerunt. *Langius lib. 1. Epiſt. 38.*

DE VENENIS EX ANIMALIBVS.

ET PRIMVM,

DE BIPEDIBVS.

OBSERVATIO.

Homines educatione venefici facti.

PVELLA inſigni pulchritudine, decora ſed Nap. veneno educata, ab Ind. Rege doloſo muneri Alexandro Magno data fuit. Cuius ſcintillantes & ſerpentum more nictantes oculos cum Ariſtoteles vidiſſet, ô Alexander, inquit, caue tibi ab hac, nam virus peſtilentiſſimum alit, vnde tibi exitium paratur. Nec iudicio defuit euentus: plerique enim proci puellæ huius commercio intoxicati interierunt. Authores ſunt *Ariſtoteles, Plinius, Auerrhoes, Galenus, Auicenna, & alii multi. Mizaldus memorab. Cent. 1. Aph. 59.*

Auicennas de viribus cordis, *ex ſententia Ruffi, antiquiſſimi Medici*, ſcribit, fuiſſe puellam, quę nutrita veneno non ſolum viuebat, ſed etiam tanquam res venenata, halitu & amplexu, alios venenabat. *Mercurialis de Venenis lib. 1. cap. 9.*

Audiui quendam hominem eſſe in Denaſacia regione, qui ſuum corpus cum vult reſoluere poteſt, vt ſenſu careat: quem ſerpentes non niſi coacti vexant, qui vero coacti læſerint, ſtatim moriuntur: cũque magnus ſerpens illum morſu ſauciaſſet, ex vulnere homo incurrit ephemerã, ſed ſerpens ille mortuus eſt. Cumque ego iter in eam regionem habuiſſem, de homine quærens, intellexi eum mortuũ eſſe: verumtamẽ eius filium mirabilia plura facere, quorum ego cum multa vidiſſem obliuioni tradita, non facio mentionem, vnũ tamen ſatis conſtat, demorſum à ſerpentibus nihil perpeſſum: ſed ſerpentes ipſos ex hos pene extinctos: illius vero ſpiritum ipſis venenatis animalib. noxium fuiſſe. *Card. lib. 2. tract. 2. Contradict. 7. Ex Auic. lib. de Animalib.*

Ab Cambaiæ prouinciæ Rege filium veneno educatum, ſcripſere. Quod quale venenũ fuerit, non explicauere. Illum adultum adeo factum venenoſum, vt muſcæ, quę ſolo ſuctu cutim modo perſtringerent, turgidæ interierint. *Scaliger Exercitat. 175. ad ſubtil. Card.*

Sulthanus letho traditurus è Satrapis quempiam, ad ſe accerſitum cui mors imminet, nudum ſibi aſſiſtere compellit, moxq; edit nonnullos fructus, choſolos vocitant, inſtar nucis myriſticæ: mandit etiam quædam herbarum folia, modo mali Aſſyrii, tambolos nominant, addit etiam attritarum concharũ oſtreæ carcem ſimulque cuncta mandendo ruminat. Tandem in eum, quem cupit occidi, expuit, aſperſoque eo, continuo mors ſubſequitur, præſentaneo veneno vitam perimente; nam vbi in hominem, vt pręmiſimus, expuerit venena contrita, intra mediæ horæ ſpatium perfuſus veneno in terrã corruens, efflat animam. Hæc ille de Sultano Cambaiæ, quem pater à cunabulis veneno aluerat. *Cluſius Annot. ad cap. 25. lib. 1. Garziæ Aromat. Hiſt.*

DE QVADRVPEDIBVS VIVIPARIS.

OBSERVATIO.

Leonis efferati morſus curatio.

CVM aliquando multa plębe Leones regios, qui Lutetiæ in Catatromo, ad Regis Henrici II. delitias, Regis ſumtibus alebantur, inſpectaret, contigit vt vnus ferocior, vincula quibus tenebatur abrumperet, & in turbam inſiliens, virginem duodecim circiter annos natam vnguibus in terrã ſterneret, & hiantibus faucibus caput comprehenſam, dente impreſſo multis locis muſculoſæ cutis laniaret, intacto tamen cranio: vix tamen tandem ab ipſo Leonum magiſtro Orci & Leonis faucibus erepta, curanda tradita eſt Rolando Clareto Tonſori chirurgo, qui tum forte ibi aderat: paucis poſt dieb. vocatus ſum, qui ipſam inuiſerem, febricitabat, tumore & inflammatione totum caput, omoplatæ, thorax, parteſque omnes quas dente vnguibuſque Leo defixerat, turgebant: vulnerum oræ liuebant, & ſanie aquoſa, acri, virulenta, cadaueroſa, nigra, virente, fœtidaque adeo, vt vix fœtor ferri poſſet, manabant. Dolores vero punctorii, mordaces, & omnino magni præmebant, quibus animaduerſis, ſtatim mentem meam placitum vetus ſubiit, quo dicũtur, ferarum imo etiam hominum morſu inflicta vulnera omnia veneni eſſe participia. Itaque impreſſionis venenatæ in ipſis vulneribus, vngue, dentibuſquę relictæ, magnam eſſe in primis habẽdam rationem: ideoq; applicanda ea quibus vis ineſſet obtundendi veneni.

Multis ergo locis vulnerum labra ſcalpello à me exciſa ſunt, ſanguiſugæ appoſitæ, quæ venenatam ſaniem foras in ſe elicerent, & inflammatione partium leuarent, hinc lotio facta ex Ægyptiaco, theriaca. & mithridatio, in ſequentem modum. ℞. Mithri. vnciam vnam, theriac. vncias duas, Ægyptiac. vnciã ſemis; diſſoluantur omnia cum aqua vitæ & Cardui benedicti, foueantur, lauenturque vulnera calide: ſed & medicamentis omnibus quibus ſeu implebãtur ſeu oblinebantur vulnera, theriaca & mithridatium miſcebantur, quin ex iiſdem cum conſeruis roſarum & bugloſi in aqua oxalidis minoris & cardui benedicti diſſolutis potiones paratæ, quæ cor corroborarent, & à malignis vaporib. vindicarent. In quã etiam rem regioni cordis hoc epithema eſt appoſitum. ℞. Aquæ roſar. nenuphar. an. vncias quatuor, aceti ſcillitici vnciam 1. cor. ſan. alb. & r. roſar. rub. p. Spodii an. vnc. mithridatii, theriacæ, an. drach. duas, florum cord. pulueriſatorum pugil. duos, croci drac. vnam; diſſolue omnia ſimul, fiat epithema, ſuperponatur cordi cum panno coccineo, aut Spongia, repetatur ſæpius. Certe hac arte curata, & ſemel commemoratis remediis vſurpatis, dolor, inflammatio, malignaque omnia ſymptomata multum remiſſa ſunt: denique conualuit, niſi quod toto biennio poſt macreſcebat indies, tandem tamen ſibi & naturæ ſuę omnino reſtituta eſt. *Pareus lib. 9. c. 15.*

OBSERVATIO.

Sanguinis proprii in Ventriculo coagulati virulentia & Curatio.

AFfirmat Philaretus quendam paſſum fuiſſe fluxum ſanguinis narium & debilem factum, ac

ſupinum iacuiſſe, cui per gulã ſcilicet permeri multitudo ſanguinis ingreſſa fuerit, eumq; coagulatum fuiſſe in ſtomacho eius: dediſſe autem mel cum ſucco Apii & euomuiſſe ſanguinem diſcoagulatum, ac liberatum fuiſſe. *Nicol. Nicolus ſerm. 4. tract. 4. c.* 28.

Observatio.

Sanguine taurino hauſto, mortui.

Midas, antiquiſſimus ille Phrygiæ Rex contracta ex ſomniorum diritate animi ægritudine, cum formidabilis affectio augeſceret indies, tauri ſanguine copioſius hauſto, conceſſit ab humanis. *Cælius lib. 14. cap. 12. ex Plut. lib. de ſuperſtitione Strabonis lib. 1. & Euſebio de temporibus.*

Pſammenitus Rex Ægyptiorum, victus à Cambyſe, cum denuo ad defectionem ſolicitaſſet Ægyptios, hauſto ſanguine taurino periit. *Herod. lib.* 3.

Cum ob inſperatum Argonautarum reditũ Pelias Æſonem Iaſonis patrem obtruncare decreuiſſet, Æſon ſacrificãs, hauſto taurino ſanguine fatis conceſſit. *Natalis Comes Mythol. lib. 6. cap. 7. ex Diodori lib. 4. cap. 3.*

Themiſtocles Athenienſis, inuidia ciuium relegatus ad Artaxerxem confugit. A quo dum in patriam pugnare cogeretur, vitam cum morte volens commutauit, inter ſacra Dianæ Leucophryos hauſto ſanguine taurino. *Plutarch. in Themiſtocl.*

Tauri ſanguinem idcirco peſtiferum potu ſcribit *Cælius lib. 14. c. 12. A. L.* quod celerrime coeat atq; cõcreſcat. Proinde anhelitus difficultatem ac præfocationem infert cum ſpaſmo prævalido.

Observatio.

Lactis ebutyrati, in ventriculo coagulati, virulentia.

Non modo ex frigidiſſimæ aquæ potu, aut frigidiſſimi vini hauſtu, periculum iis imminet, qui vehementer ſupercalfacti ſunt: ſed ex frigidi lactis cui ademtum eſt butyrum. Nam hoc ipſum, in ventriculo male affecto etiã facile concreſcit, ac deinde moleſtias excitat. Vir quidam, poſteaq̃ febri, qua aliquot dieb. laborauerat, ſibi liber videretur, ac carnes veſperi cũ alliis coctas ediſſet, poſtridie magnũ hauſtum, circiter librã videlicet, lactis huiuſcemodi frigidi ieiunus bibit, ſperans aluum (vt alias aſſolet) inde laxiorem futuram. Id cum non ſuccederet, & moleſtis torſionibus ac doloribus circa ventriculũ torqueretur, digito gutturi impoſito vomitionem excitauit: cum qua duę lactis concreti magnę partes excretæ ſunt, pro numero hauſtuum quos ſumſerat: nam bis ſe bibiſſe affirmat. Ac ſic à doloribus circa ventriculum liber factus, à frigidi huiuſcemodi lactis potione deinceps abſtinuit.

Religioſa quoque quædam, cum febricitaret, & huiuſcemodi lac quoq; non coctũ bibiſſet, aliquot diebus circa ventriculum pondus ac moleſtum dolorem ſenſit, qui non prius ceſſauit, quam difficili vomitione ſuperueniente, & multis lactis concreti durioribus particulis vna redditis, quibus reiectis melius habuit. Tantum malorum lac etiam, cui ademtum eſt butyrum, adferre poteſt, ſi in ventriculum incidat calidiorem, vel aliena qualitate imbutum, vel prauorum alimentorum reliquiis infectum. Corrumpitur vero & in huiuſcemodi ventriculo lac purum, ac in grumos coiens, moleſta ſymtomata non raro adfert. *Rember. Dodonæus in annot. ad cap. 17. Beniuenii.*

Mulier 25. annum agens, Amſtelrodamo Alcmariam venerat, menſe Maio, anno 1550. recreandi ſe cauſa, vna cum marito, & vt cum amicis ſe oblectaret, quæ cum copioſe florem lactis ſeu crema deuoraſſet, ac vinum rubrum ſtipticum ſuperbibiſſet, lac in ventriculo concretum, peſſima ſymtomata intoxicati ſimilia ꝓduxit: inprimis nauſea ſiue vomitione afficiebatur, cũ ingenti vẽtriculi dolore; adeo vt ſyncope ſubſequeretur, & anhelitus præfocatio; ita vt aſtantes illam morituram putarent. Ad hãc accitus (quæ tunc ad foſſam nouam in ædibus Laurentii Gualtheri cognati noſtri decumbebat) ſtatim decoxi flor. chamomillæ manip. vnum, ſem. aniſi. fœniculi ana drachm. in aqua communi: & huius colaturæ capiebam vncias quatuor, cui addebam aceti vini modicum, & zacchari nonnihil; ac totum tepide propinaui. quo remedio lac concretum diſſolutum eſt, atque illa ipſa in vomitum prorumpens lac concretum vna cum vino euomuit, & accidentia iam dicta magna ex parte ſedata ſunt. Glande etiam impoſita ex mellis vnc. 1. pul. hieræ pic. ſcrup. ij. diacryd. gran. ij. ſalis parum ad diuerſionem: aluum quoque excreuit. Inſuper his tabulis vtens ſtatim conualuit. ℞. pul. calamẽti ſcr. ij. ſpecier. diacymini ſcr. j. marg. perforat. & non perfor ſubtiliſ. trita. an. gr. iij. diſſolutis in decoct. aquæ flor. chamomillæ & meliſſæ, adiecto ſaccharo q. ſ. fiat confectio in tabulis. Venit nobis tunc in mentem id quod *Gilbertus Anglicus lib. 7. de venenis, cap. de ſanguine & lacte concreto in ſtomacho* ſcribit: quod ſentiatur frigus corporis, & præfocatio anhelitus, vti huic mulieri contingebat. Is abſtinere iubet à ſalitis, quia faciunt caſeitatem. Dat acetum cum aqua in potu, cum ſucco calamenthi drach. v. quia ſtatim reſoluit lac, & prohibet lac à conglutinatione. Sed quia flores etiam chamomillæ erant ad manum, commode iis vſi ſumus, cum ad nauſeam faciant, & præcipue ad dolorem ſtomachi. Sed eo non vtitur Villanouanus in grauidis; in quibus abortum mouet, vt ille refert. Sed hæc grauida non erat. Aliquid calamẽthi in tabulis probe miſcuimus. *Foreſtus lib. 18. obſ. 13.*

Observatio.

Catuli vomitu reiecti.

Vt depictam tuam, V. Cl. confirmem hiſtoriam, quæ vomitu duos catellos reiectos eſſe oſtẽdit, libuit & eam, credo eandem, adiicere, quam ſuperioribus annis *in Chronico German. Brunſuicenſi M. Henrici Buttingeri, anno* 79. legi, ſi nõ his verbis, ſenſu tamen certe: Hannober Sartor Albertus Hencke, anno 80. vomitu reiecit duos catellos coccos albos, poſt eſum lactis. vide ibidem. *Hæc D. Rombaum ad Cl. Scholtzium.*

Observatio.

Vrſi cerebri veneficium.

Plinius & Edouardus, ſcribunt, cerebrum vrſi deuoratum ingignere imaginationes, quaſi in vrſum quis tranſmutatus ſit. Id noſtro hoc ſæculo cuidam Hiſpano nobili oblatum fuiſſe edendum traditur, qui per deſerta & montes vagabatur, ſe in vrſum eſſe conuerſum, phantaſia vitiata ratus. *Wier. lib. 4. c. 23.*

Observatio.

Luporum morſum, etiam non rabientium, venenatum eſſe, quod plerunque in renibus eorundem ſerpentes naſcantur.

Carol. Stephanus *lib.7. ſua agricult. c.* 1. memorat, ſe primum in luporum ſenum renibus ſerpentes obſeruaſſe ita vt aliquando lupus in vno rene duos habeat ſerpentes, quorũ vnus pedem longus, alter pollicis lõgitudine, alii etiam breuiores ſint, qui venenatiſſimi reddantur, & cum tempore lupũ enecent. Hinc videmus, ſi animal aliquod à Lupo fuerit præmorſum, raro & quam difficillime curari: quod, dubio procul, propter peculiare venenum in Lupo deliteſcens vſu venit: pleraque enim animalia, præmorſa moriũtur aut ſaltem membrum præmorſum putreſcit. *Caſp. Bauhinus lib.1. cap.17. de corporis humani fabrica.*

Etſi plurimum animalium rabientium, morſus venenati & noxii cõperiantur, eorundẽ tamen quędam extra rabiem quoq; veneno participare cõſtat. Id quod *D. Ioan. Clamorgan de Saane* teſtatur, qui *libro ſuo, de luporum venatione*, ſic habet: Nemo, inquit, vnquam, quãtum ego quidẽ vel lectione, vel auditione comperi, prodidit, ꝙ in vetulorum luporum renibus ſerpentes naſcantur, & in iiſdem foueantur. Quod nobis vel ter, imo quater obſeruare contigit. Eſt etiam, vt in vnico rene duos ſerpentes obſerues, vnum pedalis, alterũ pollicis longitudine, nõnullos breuiores. Et vero eorundem morſus pernicies perinde conſtat, ꝙ animalia p̃morſa non niſi ſingulari induſtria & arte conualeſcant, modo rite curationẽ abſoluere velis: quod non aliunde, q̃ ſingulari veneni vi, quod in lupo deliteſcit, accidit. Quare eam ob cauſam potior pars animalium, à lupis commorſorũ aut interit; aut extremæ partes eorundem putredine aut ſphacelo abſcedunt, nihil proficientibus medicamentis, meo ipſius periculo edoctus, plures mihi canes venaticos venatione à lupis læſos ſtatim mortuos eſſe, vel paulò poſt, nihil conferẽtibus medicamentis, interiiſſe. *Ioan. Bauhinus in opere ſuo de luporum rabie memorabili pag.* 77. *quod germanica lingua exiuit.*

Observatio.

Rabidi canis venenum cuiuſmodi.

Rabid⁹ canis demorſu ſaliuæ aut humoris quiddã eructat, in quo eſt vis veneni. Id intro ſubiẽs ſpiritus, ſanguinem, humores, partiſq; ſubſtantiam contagione labefactat: hinc ſenſim ſerpit longius in partes principes, ſed tam ſegniter, vt raro ante diem vigeſimum, interdum non niſi anno ſymtomatis ſe prodat. Per has moras nec febris, nec malum aliud vllum percipitur, nec ſcit æger quanta pernities lateat. At quum hęc tempore in cor penetrauerit, vellicantur pręcordia, æger indignabundus euadit, nec ſtare, nec quieſcere potis, furentis in morem huc illuc effrenate agitur, manibus ora dilacerat, alios dente petit, ex ore ſpuma promanat, oculi torui, & aſpectu horrendi, febris valida, ſitis inexhauſta, & tamen æger aquam omniaque liquida adeo perhorreſcit, vt emori potius eligat, quam bibere, aut ad aquam deduci. Quibus malis defatigatus, tandem miſere cedit è vita. *Fernelius libro 2. cap. 14. de Abdit. rerum cauſis.*

Sane venenum hoc ordine quarto eſſe calidum, teſtatur experientia: cum enim diſſectum eſſet Monachi cuiuſdam cadauer, tria notanda apparuerunt: primo, nulla aderat humiditas aquoſa in pericardio, tota erat conſumta ab hoc igneo veneno. Secundo, ſinus cordis conſpiciebantur aridi & ſanguine prorſus deſtituti. Tertio, in pericardio portio quædam fuit obſeruata ferme combuſta, & in puluerem redacta. *Capiuaccius pract. lib.7. cap.12.*

Singularem admirationem præbet rabies, de qua ſequitur, vt agamus: ea per ſe teneri animal nullum præter canes, *Galenus* ſcribit, atque ita certe conſpicitur, quæ vero animalium rabidi canes momorderint, rabire omnia, præter hominem, *Ariſtoteles* tradit. Quæ autem hac in contagione ſpectantur, hæc fere ſunt. In primis conſtat non concipi eam contactu omni, non fomite, nõ ad diſtans, ſed tum ſolum quum è morſu canis ita dilaceratur cutis, vt ſanguis eliciatur, quaſi in ſanguine ipſo contagio fiat per contactum dentis & ſpumæ animalis rabientis, ſerpit præterea tam ſegniter, & per moras, vt rariſſime ante vigeſimam diem prodatur infectio, maiori ex parte poſt trigeſimum, multis non niſi poſt quatuor aut ſex menſes, quibusdam etiam poſt annum, aliqui & poſt quinquennium manifeſtari tradidere. Vidi ipſe puerum, qui octo poſt menſes, ex quo demorſus fuerat, contagionem oſtendit, ex qua mox periit. Interea nec febris vlla ſentitur, nec vllum aliud malum, neſciente ægro, quanta pernicies lateat, quam mox tum fere percipit, quum ea ad cor pertingit, quo vbi peruenit, incredibili cruciatu hominem affligit, cor & præcordia vellicantur, æger nec ſtare, nec quieſcere poteſt, ſed more furẽtis huc illuc agitur, manibus corpus dilacerat, ſitit immenſe, ſed illud maximum incommodum accedit, ꝙ & aquam & liquida omnia adeo reformidat æger, vt potius emori eligat, quam bibere, aut ad aquam deduci, tũ vero & alios ipſi mordent, ſpumat os, oculi torui aſpectu ſunt, ac demum fatigati vitam miſerabiliter efflant. Ferunt & ſi quis ſub ſorbo arbore iacuerit, q alias demorſus à cane rabido fuerit, ruſus in rabiẽ verti. De his igitur quærendum eſt, quibus è cauſis fiant, verum non per eas rationes, quas demonſtrationes appellant, ſed ſi rationabiliter & ex communibus locuti fuerimus, ſatis feciſſe exiſtimari debemus. Quoniam igitur fomite nõ concipitur hæc cõtagio, nec in cute fit per contactum ſimplicem, ſed dilaceratione cutis indiget, exiſtimandum eſt ſemina illius non admodum lenta eſſe, atq; ea craſſiora fortaſſe, q̃ vt in foraminibus condi poſſint, quare nõ niſi ſanguini agglutinari, ſpuma, in qua ſeminaria latent, illi cõmiſta, porro & quoniã tarde ſerpit, par eſt putare, analogiam eius eſſe vel ad ſolidas partes, quales ſunt nerui, & eiuſmodi, vel ad craſſum aliquem humorem, at conſtat ſolidorum nullum hac in labe corrumpi, quare ad craſſos humores analogam eſſe contagionem: tales autem ſunt phlegma, & melancholia: videtur autem ad melancholiam magis eſſe ea analogia, quia videmus rabioſos, demum etiam furentes fieri, quemadmodum & melancholicos, deinde quia & canis, à quo primum contagio oritur, valde melancholicum animal eſt & ſiccum: porro phlegma in humano corpore multum eſt, comparatione melãcholiæ, quod & aptiſſimum eſt, vt putreſcat: quare, ſi in ipſo foret contagio

gio hæc, non tam diu lateret, vt poſt annum manifeſtaretur: at melancholia, quoniam & paucior eſt, & frigida & ſicca, & minus apta putreſcere, diutius ſeruare latẽtia ſeminaria poteſt. Febrẽ autẽ nõ excitat hæc cõtagio niſi ad poſtremum, quoniã ſenſim fit, & ꝙ euaporat, non ſtatim ad cor fertur, ſed longe poſt, aut etiam expellitur: ꝓpagatur tamen per partẽ poſt partem ad interna, ac demũ ad præcordia, quo vbi peruenit, & febrem ſuſcitat, & ſeptum tranſuerſum, & cor ipſum conuellit, ac poſtremo furorem & mortem adfert. Maxime autem tanguntur ea canes quoniã, vt diximus, maxime ſicci ſunt, & aduſti ſanguinis, primum igitur ii more melancholicorũ triſtes fiunt, & ſolitarii: mox paulatim incaleſcẽte ſanguine ad omnia indignabundi fiunt, cuncta incipiunt odiſſe, ac iã & p̃ iracundia mordent: oculi rubent, os ſpumat, ac tandẽ in furorẽ aguntur: animalium vero, q̃ momorderint, omnia rabiunt, & moriuntur, p̃ter hominem: ꝙ idcirco fit, quia alia animalia proter feritatem, in qua cum cane cõueniunt, cõcepta contage neceſſario rabiunt ꝓpter analogiam, hominis autem natura longe aliena eſt ab ea feritate & cõuenientia, propter ꝙ nec analogiam promtã habet ad ſuſcipiendũ: vnde fit vt nõ omnes, qui demorſi ſunt, etiam rabiant, ſed multi beneficio temperaturæ ex ſe aut non contrahunt contagem, aut ſuperant, atq; hoc ego illud eſſe exiſtimo, ꝙ Ariſtoteles voluit, quanquam ſcio eſſe, qui in eo textu, vbi hac de re agitur, non legendum eſſe præter hominẽ, ſed prius, quam homo, volunt, quaſi Græca lectio non πλὴν, ſed πρὶν audiri debeat, quod nullam habet neceſſitatem. Cur autem adeo reformident liquida & canes ipſi, quiq; à cane demorſi ſunt, vnde & hydrophoui appellantur, difficultatem habet, & abditiſſimam rationem: neq; enim illud credendum eſt, ꝙ multi dicunt, & Aetius etiam exiſtimare videtur, idcirco ita timere aquam, quod iis appareat ſeſe catulos quoſdam in aqua cernere, quandoquidem nonnulli eorum, qui iam aquam cœperant formidare, interrogati nunquid tale appareret, vt viderẽt, nil tale videre reſponderunt.

Vtrum igitur, quemadmodum & in quibuſdã aliis morbis abominatio quorundam fit propter indiſpoſitionem ſtomachi, aut linguæ, ita & in rabie detentis accidat? an magis defectus & indiſpoſitio non eſt in ſtomacho, & lingua, nã & ſitiunt, & quantum è lingua eſt, humida etiam expetunt, ſed defectus potius in phantaſia eſt? Cuius ſignum eſt, quod nec videre volunt, nec tangere, quanquam vti porũ, appetant humida.

Fortaſſe igitur phantaſia quorundam memoriam excitat, quę pauorem ſolent immittere, ꝙ & in rabie poteſt contingere: quoniam enim & ſpuma circa os eorum obuerſatur, & corde p̃cipue liqueſcũt, ex his phantaſia fit quædam liquidi os extinguentis, vnde formido fit, quoties aut vident, aut tangunt, aut & audiunt offerri liquida ſibi. In ægris autem phantaſia fit horribilium ex paruis occaſionibus, vt ſæpe ex aſpectu paruarum figurarum in parietibus videmus ægros & lupos, & canes ſubimaginari, ac clamare & iubere, vt inde auferantur. An quæ exiccata ſunt, humida poſſunt appetere, & trahere, quum forma ſecũdum naturam per ſe remanet, quanquam actu & per accidens aliter ſit, at vero quum ſiccitas eo vſque proceſſit, vt iam forma naturam nõ ſeruet amplius, ſed iam ab ea ceciderit, tum ſicca illa non ſolum non appetunt humida, ſed vti contraria abhorrent, & à ſe abdicant, quemadmodum accidit & in iis, qui prope mortem ſunt, omnem enim & cibum & potum ita abhorrent, vt nihil moleſtius & horribilius iis offeratur, quam cibus & potus, quoniam membra iam priuata natura ſua ſint: ita igitur in rabie facta exiccatione tanta, vt iam natura propria collapſa ſit, & quæ prius vti cõuenientia & bona recipiebat, nunc vti cõtraria & horribilia recipit, non ſolum potus liquidorum omnium, ſed & phantaſia abominationem parit: exiccari autem rabie affectos manifeſtum eſt, quũ etiã in conuulſiones ex ſiccitate incidant. Cur vero & qui ſub ſorbo arbore iacent, rurſus in rabiem vertantur ſi alias rabidi fuere conſimilem habet latentem cauſam, ſi modo verum eſt ꝙ fama quadam circumfertur: nihil autem prohibet vapores qui ex ea arbore continenter exhalant, Styptici quidem, & ſi licet dicere, melãcholici, ad hominem delatos, & intus calefactos, idem facere poſſe, quod & ſeminaria rabiei, magis autem in eo, qui rurſus rabidus, propter relictam diſpoſitionem. *Fracaſtorius libro ſecundo cap. 10. de morb. contag.*

Observatio.

Stupenda & memorabilia contagii ex rabie exempla.

A Rabido cane, qui in faciem, dum ſpiritus adducitur, tantummodo inſpirauerit, & nullo modo momorderit, in rabiem homo agitur. *Aretæus lib. 1. cap. 7. de ſignis & cauſ. acut. morb.*

Hominum Hydrophoborum quidam in hydrophobicã paſſionem deuenerunt ſolius aſpirationis odore, ex rabido cane abducto, cum defatigatione quadam naturalis ſpiratio vexata, venenoſum aerẽ adducit & principalibus inſerit partibus. Alii rabidi animalis vnguibus læſi, in rabiem deuenerunt. Memoratur denique ſic mulierem in hydrophobicam paſſionem veniſſe, cui facies fuerit leuiter à paruulo catulo laceſſita. Quidam à Gallo gallinaceo pugnãte leuiter læſus in rabiem veniſſe dicitur. Sartrix etiam quædam, quũ chlamidem ſciſſam rabidis morſibus ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & lingua pannorum ſuturas lamberet aſſuendo, quo tranſitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem veniſſe memoratur. Eſt præterea poſſibile, ſine manifeſta cauſa, hanc paſſionem corporibus innaſci, cum talis fuerit ſtrictio ſponte generata, qualis è veneno. *Cœlius Aurelianus acut. morb. lib. 3. cap. 9.*

Bertrutius à rabido cane morſum intelligi, ſi vulnus doleat magis quam pro ratione affectus incidãt atrabilarii: his accedere anhelitus difficultatem, aluum ſiccari, vrinam retineri, & emitti quandoque nigram vel lacteam, & adeo craſſam, vt catuli eſſe videantur: quandoque contra tenuem & aquoſam. Poſtremo accidere ſuffocationem cum ſubita morte. *Ex ſched. Geſnerianis. Cl. G. Wolph.*

Magnificus Dominus Ioannes Coqueranus infectus fuit rabie poſt multos dies, ex ſola impoſitione manus in os canis rabidi, etſi eum canis non momorderit. *Ioan. Matth. de Gradi conſ. 82.*

Facile intelligitur à canibus, quãtam habeat vim afficiendæ rei aptitudo: quum enim reliquorum animalium nullum rabie capiatur, ſolus canis eo af-

affectũ corripitur, atque tanta fit in ipſo humorum corruptio, vt ſolum eius ſputum, ſi humanũ corpus contigerit, rabiẽ, excitare poſſit. Vt igitur ab exiguo initio, ſputi videl. qualitate, aucta q̃dam in corpore diſpoſitio, quando ad magnitudinem notatu dignã peruenerit, diſcerni poteſt: idq; poſt ſex menſes, quũ nonnunquam ante id tempus nulla nota deprehendatur. *Galen.6.lib.de loc.affect.*

Si, vt *Gal.* tradit *lib.6.de locu affect.* rabidorum canũ ſaliua, nuda corporis membra contingens, nõ aliter homines rabidos efficit, quam ſi demorderentur, quid mirum, ſi rabidi hominis ſaliua id ipſum effecerit? Proinde eos admonet Auicenna, qui rabidorũ curam agunt, ne eorundem ciborũ reliquias comedant. Nec paruipendant, aliquos ſpumæ contactu infici poſſe homines: quippe ꝙ duos ego viderim, qui ſpuma tantum perfuſi, nullo quidem ex morſu accepto vulnere, rabiem contraxerunt. *Matthiólus comment.ad lib.6.cap.36.Dioſc.*

Hominem, qui aliquo ſplenis vitio affectus, ægre habebat, quæq; in vniuerſum ad lienem attinent Ægyptii Sacerdotes per canis hieroglyphicum ſignificabant. Gracillimum enim ac tenuiſſimum lienem canis habet: ꝙ ſi vel mors vel rabies eum ſemel inuaſerit, à ſplene eſt, quinetiam illi ipſi qui rabie correptum tantum medicare noluerint, morbum cõtrahunt, ac ſplenetica plurimum ea labe affecti pereũt, Et qui canem rabie laborantem diſſecuerit, ea afflatus exhalatione, contagionis vim efficaciſſimam experitur. Vrina quoq; rabioſi canis, quomodocunq; calcata nocet maxime vlcus aliꝗ habentibus. Quin huius lotio, etiam non rabidi, tam pernitioſa vis eſt, vt ſi quis in id ſuum congeſſerit ad generationẽ pigrior torpore lumborum fieri dicatur. Proinde rabido cani contagioſum adeo virus ineſt, vt omnia rabiant quæ momorderit, excepto homine. *Ioa. Pierius Valerianus Hieroglyphicorum libr.5.lemmate lienis vitia.*

Vocati ſumus anno 1543. quarta noctis vigilia ad Alexandri Braſcæ patricii viri curam, cum in alterius Medici manib. eſſet, erat n. Hydrophobus: Cũ autẽ cæteri Medici ſimul aduocati, & qui prius aderat, faterentur: quæſitũ eſt de cauſa, aſtantes confeſſi ſunt, oſculaſſe rabidum canem antequam emitteret ſuffocandum: mortuus autẽ eſt ſequẽti die vt nos p̃dixeramus. Conſtat igitur ſpumam rabidi canis venenum eſſe peſſimum, etiã intro aſſumtam. Ille tamen quum ieiunus eſſet, exoſculatus canẽ mortem momordit. Aut forſan per nares ad cerebrũ raptum venenum eſt, offendebat enim plurimum in inſpiratione. *Cardanus, contract.9.tract.5.lib.2.*

Quamuis, ſi *Galeno lib.6.de loc.affect.* credimus, ſoli canes, abſq; morſu & contactu, interna humorum corruptela & vitio in rabiem agantur, quæcunq; tamen animalia ab his demorſa fuerint, vt ſimiæ, ſues, feles, boues, equi, oues, muli, vulpes, lupi, & reliqua, rabie corripiuntur: ita n. aliquando ruri commorantes fieri in omnibus fere animalium generibus obſeruauimus, tantamq; eſſe eius veneni perniciem, vt non morſu modo, ſed ſolo etiã contactu, rabidi canis ſaliua rabiẽ excitare & hydrophobiã parere viſa fuerit: Interdũ etiã inquinati & furore perciti oſculum cõtagione inficit. Quod ita habere certa comprobauit, atq; mihi fidem fecit experientia. Cum enim ruſticus quidam rabie perculſus furiiſque agitatus ſibi è viuis breui migrandum eſſe intelligeret, aſſidentes, qui eum vinculis conſtrictum tenebant, in furoris intermiſſione obnixe rogauit, vt quos mox deſerturus eſſet liberos, ſibi deoſculari liceret: ꝙ quum ei eſſet conceſſum, liberiſq; oſcula libaſſet, præfocatus eſt: ſed ecce ſeptimo poſt die liberi eodẽ morbo correpti, eiſdemque cruciatibus torti, breui miſerrimam vitam cum morte commutarunt.

Vidi præterea ex ſtraminis, in quo rabie perciti ſues decubuerant, eſu, equos, boues, oues, & reliqua animalia, quæ ſtramentum deguſtaſſent, rabiem cõtraxiſſe, tandemque periiſſe. *Palmarius opere de morb. contag.pag.266.& 267.*

Adamus Schneidtlin, Chirurgus, Maſonis Monaſterii, pro comperto mihi affirmauit, Haffnerſelii, in Boiaria Equitem, ante annos triginta, cum equo inſidere vellet, auerſa parte à rabido cane in pede cõmorſum, nec niſi poſt exactum ſeſquenniũ, liuentibus cicatricibus furere cœpiſſe, adeo vt, etſi veſtibus minime exutus, in propria brachia dilanianda ſæuierit, intra biduum vero vitam finierit. *D.D.Io.Bauhinus lib.doctiſſ.de luporum, anno 90, circa Mompelgardum, & Beſſortum rabientium hiſtoria.*

Anno 1535. in Ducatu Wirtenbergẽſi caupo quidam hoſpitibus carnes porci, rabidi canis morſu infeſtati, edendas propoſuit, parum hoſpitaliter: Vbi homines, eius rei ignari, comederunt, mox verſi in rabiem, mutuis ſe morſibus lacerauerunt. *Surius comment.rerum in orbe geſtarum.*

Hac æſtate Venatores quidam in lupum ſæuiorẽ irruerunt, trucidatum in varia obſoniorum genera apprarunt, & coxerunt. Omnes quicunq; eſitarũt non multo poſt tempore rabie correpti, alii perierunt, alii ſociorum morte prudentes ſibi proſpexerunt. In ea carne, tam diligenter apparata, vis lethifera & venenata permanſit, quæ vix igne miteſcit: quemadmodum nec Cantharidũ vis deleteria vſtione tota perit. *Fernelius lib.2.c.14.de abdit.cauſ.*

Non videbitur mirũ, ſi lupus à venatorib. captus, in diuerſaq; obſoniorũ genera apparatus & coctus, fuerit in cauſa, vt qui eum guſtarint, eſitarintque rabie non multo poſt correpti fuerint; quoniam cum virus hoc ſit venenum à tota ſubſtantia, vi ignis in totũ deuinci nõ potuit, qui tamen omne tẽperamẽti genus, nulla cũ difficultate domare poteſt, quique omniũ rerum, q̃ coctionem vi eius recipiunt, qualitates manifeſtas ſuperare valet. Quare conſtitutio, canes, cæteraq; animalia, q̃ rabie tentari ſolent, non ex temperamenti alteratione, q̃ nuſquam eſt ſufficiens cauſa (cũ huic æqualiter fere omnia hæc animalia deberent morbo corripi) ſed ex praua, & ingenti humorum corruptione, quæ ex violentia exceſſus aeris, & ex eiuſdem validis in contrariũ permutationibus, ſed potiſſimum alimentis putridis, & abominabilibus ab eis deſumtis generari poteſt, rabiẽ pati: quæ rabies ideo in his gignitur, quoniam cum humores ex corruptione deleteriam, & venenatam facultatem acquiſierint; ex his ob proprietatem naturæ, & habitudinis horum animalium occulte generatur venenum, quod à tota ſubſtantia rabiem inducens ea tandem vita excludit. *Salius cap.19.de affect. particular.*

Obſeruaui lupos viginti rabie percitos eodem fere tempore è ſylua egreſſos, in omnis generis ani-

malia

malia obuia magna ſtrage debacchatos fuiſſe, paucaq; ex iis quę demorſa fuerant euaſiſſe. *Palmarius opere de morb. contag. pag.* 267.

Teſtatum quoque fœminarum menſes, prima virginitate ſoluta, canibus ſolo guſtatu rabiem inferre, homini in potu furores gignere, cuius rei multa exempla haberi. *Alexand. Benedict. lib.* 1. *cap.* 28. *de curand. morb.*

Princeps Illuſtriſs. ſanĉte mihi retulit, puerum equitem apud nobilem forte fortuna inueniſſe ſub ſponda delitefcentem gladium, quo exactis plurib. annis canis rabidus confoſſus fuerat, is ſibi cōcederetur periit, quo facto, cum enſem rubigine vel ferrugine obductum extergere & perpolire vellet puer; improuidus ſibi digito inflixit vulnuſculum, vnde rabie percitus nemine animaduertente periit. Tanta vis veneni, cuius venenum per dies & annos exoleſcere multi autumant. *Cl. V. Eſaias Meichſnerus de obſer. propriis.*

OBSERVATIO.

Ad ſpecialem, canis mordentis, dentem, rabiei cauſam nonnullis referre.

PVtauerunt aliqui, quod in quocunq; animali rabioſo, rabies per ſuam ſpecialitatem ſe determinet ad vnum dentem tātum, cum quo ſi momorderit inficietur morſus ab eo, & ſi non cū aliis ſuis dentib. morderetur: & hoc volūt experimento verificari: quoniam dicunt, vidimus hominem quendam à cane rabido morſum rabioſum effici: & aliū ab eodem cane morſum non patiinde læſionem, plus quā ex ſimplici morſu canis non rabidi. *Nicolus ſermon.* 4. *tract.* 4. *cap.* 15.

Obſeruatum eſt animalia quædam à cane rabido morſa, rabiem non incidiſſe: in cauſa eſt, quoniam, vt rabies excitetur, canem eo ſolum dente, vel iis dentibus, mordere oportet, quibus vis ineſt veneni: neque enim id ex æquo omnibus ineſt. *Niphus.*

OBSERVATIO.

Non quæuis demorſa à rabidis in rabiem agi: ſed prædiſpoſita tantum

QVidam putauerunt animal rabioſum poſſe deducere in rabiem quæcunq; animalia momorderit: ſed nō eſt ita: imo ſolum ea q̄ parata ſunt, eam ſuſcipere: & ſunt ea quę dicta ſunt, alia autem minime. Ego enim vidi canem rabioſum mordere quendam anſerem, & dilaniauit de cute eius multum cum ſanguinis effuſione, & tamen nullum malum accidens inde anſer ille paſſus eſt. Et tamen erat, canis ille valde rabioſus, quia poſt valde paruam moram momordit quendam iuuenem, qui inde factus rabioſus mortuus eſt. *Nicol. Ser.* 4. *tract.* 4. *c.* 15.

OBSERVATIO.

Canis rabidi & hydrophobiæ venenum ſeu ſeminarium aliquando cito, nonnunquam vero poſt ſeptennium tandem ſe proferre, tum quæ huius cauſæ.

VIdi hominē morſum à cane rabido in brachio, & anno ſeptimo poſt incepit inflari locus cicatricis, & mortuus eſt infra duos dies. *Albert. Magnus lib.* 7. *de hiſt. animal. cap.* 2.

Non ſtato definitoque tempore illa exoriri ſolet; ſed alias quidē quarto aut ſeptimo aut nono a morſu die, alias decimo ſeptimo, aut vigeſimo, plurimū quadrageſimo, nonnunquam & ad ſeptimeſtre, aut etiam ad annū deferri conſueuit. Narrant & aliquos poſt ſeptennium aquæ metu fuiſſe tentatos, vt quā vim in acutis morbis criticos dies Hippocra. habere prodidit, eandem in huius inuaſione & hebdomadas & menſes & annos nonnunquam obtinere credendum ſit: tametſi in hoc etiamſi quo in alio diuturno morbo criticorum dierum naturam vimque luculenter eluceſcere non dubito. Neq; enim aliis, quam vel vere criticis, vel intercalaribus diebus exoriri deprætenditur, modo ne vltra annum cunctetur. Quam cœcam & inexplicabilem hydrophobiæ cauſam diximus, quidam non niſi immodica ſiccitate, qua totius corporis habitum immutet, nobis noxiam & venenatam eſſe prodiderūt. Quod ſi verum eſt, quomodo impendens ea ſiccante cancrorū cinere, aut alexipharmaco noſtro prohiberi, vel iam genita penitus extingui poteſt? *Palmarius opere de morb. contag. pag.* 270.

Hoc virus per morſum homini communicatum, adeo ſegniter agit, vt perniciem, quam illaturum eſt, non ita cito proferat, ac manifeſtet. Hinc aliqui ad dies plures, alii ad menſes, aliqui anno exacto rabie corripiuntur, in nonnulliſq; proditum memoriæ ab antiquis habemus, hunc morbum ad quintū, ſeptimum, & duodecimum annum dilatum fuiſſe, cuius rei ſi ratio perpendenda eſt, hæc erit. Venena deleteria, & quæ toto genere humanæ naturæ aduerſantur, à calore noſtro nūquam nec euinci, nec ſuperari poſſunt, ſed vel hauſta, vel eiaculata in corpore humano exiſtētia, ſemper agunt, vitam oppugnātes, in perniciemq; tandem hominē ducūt. Actio iſta alias cito, alias tarde perficitur: huius diuerſitatis ratio ex duob. pendet, videlicet vel ex violētia, ſeu imbecillitate agentis, vel à fortitudine, ſeu debilitate patiētis. Ratione agentis, nouimus idem venenū, modo ſuā actionē citiſſime, modo lōgo tempore edere ex eiuſdē violētia vel maiori vel minori: hinc videmus ſi ſub ſole ardenti, media æſtate, vigente canicula, quis à nō cicurato aſpide pcutiatur, ſtatim interiere qui idem ſi hybernis temporibus cicurato exiſtente aſpide feriatur, tarde peribit. hoc venefici agnoſcentes, venenū id, q̄ velociter, paucisque horis, vel diebus hominem enecare poſſet, ita præparant, vt idē remiſſa eius violentia longiori tempore efficiat. Ratione patentis, multos nouimus, qui eodē aſſumto veneno, diuerſis temporibus extincti fuerunt; quoniam ad omnem actionem patientis diſpoſitio requiritur, cuius merito imbecilla corpora citius, fortia tardius à veneno necantur. His aſtantibus, dixerim, cum ex ſui natura virus rabidum in agendo ſegne ſit, nullo pacto ex morſu poſſe cito agere. cur autem in aliquibus citius, in aliis autem tardius rabiē introducat, hoc ex patiētis diſpoſitione fieri aſſero huius merito eorum, qui ab eodem cane commorſi ſunt, alios vidimus duobus, alios quatuor mēſibus, alios tardius rabie correptos fuiſſe; quoniā illi imbecilliores, iſti fortiores exiſtētes pro ratione diſpoſitionis virus admiſere, cum autem quædā corpora à natura robuſta ſint, partesque ſolidas ita formatas habeant, vt facile externis reſiſtant cauſis, ſi his communicatum ſit virus iſtud, quod ſui natura ſegne & tardum eſt in agendo, actio eius diu in eiuſdem protrahetur. cui ſi forte addatur, quod victu hi

vtantur, qui venenum hoc hebetare poſſit, eique reſiſtere, ſicuti eſt vſus vinorum potentium radicum & herbarum acriorum, gulæ indulgentia & ſatietas, in his permultum temporis poteſt dari rabies. quoniam cum venenum ſemper aliquid mali diſponendo agat, ſed robore corporis, & victus ratione reluctãte, vlterius ꝓgredi nõ ita facile queat, res ad actũ vltimum non, niſi permultum temporis ſpatium, deduci poterit. Vnde in his, & per menſes, & per annos poterit tardari rabies: quæ tamen, niſi virus illud potentibus, & validiſſimis antidotis ſuperetur, ineuitabiliter ſuccedet; quoniam hoc venenum vi naturæ nec excludi, nec expugnari poteſt, ſicuti & cætera deleteria, quæ nunquam à calore noſtro ſuperantur: cuius ratione nec è corpore ex naturæ operatione excernũtur, nec quo ad facultatem virulentam euincuntur. *Salius de affect. partic p.360. & 361.*

Nicolus, filium tinctoris in campo S. Pauli Venetiis, a cane rabido demorſum, & curatum à medicis, non edidiſſe rabiei ſigna, niſi per octo menſes poſt, ſcribit.

Poſt tertium annum hic Theſſaloniæ hominem à cane rabido morſum in rabiem agi vulgus vidit & teſtatur. *Amat. Luſitanus, cent. 7. ſchol. curat. 41.*

OBSERVATIO.

Non tantum canes, verumetiam alia animalia in rabiem agi.

VLtra canes ex *Ariſtotele* camelum & equum, ex *Auicenna* vulpes, muſtelas, & mulos, ex *Cælio Aureliano* vrſos, Leopardos, & aſinos, & *Alberto Magno* Lupos tentari rabie certum eſt: non potui igitur nõ admirari, cur de rabie acturi, quæ homini per tot animalia communicari poteſt, ſolum demorſu canis rabidi agentes tractent, & inſcribant de commorſis à cane rabido, cum de commorſis ab animali rabido inſcriptionem ponere debuiſſent. Nec eſt ꝙ dicas, iure ab antiquis hoc factum fuiſſe, cum vera rabies ſolum à cane communicari poſſit, cœteras autẽ non veras eſſe: ſed per ſimilitudinem ad hanc rabies dictas eſſe: quoniã q̃ maior ſimilitudo poni debet lupinæ rabiei ab caninam, quæ ipſius canis aut lupi? cum à lupo ſicuti & à cane vera & exacta inducatur in hominem rabies: imò noui ego à lupo ſæuiora & magis horrenda conſequi ſymtomata, quam à cane rabido, magiſq; hi, & violentius cruciantur, qui à lupo rapido cõmorſi ſunt, q̃ qui à cane. Quod de lupo atteſtor, idem de cęteris animalibus prædictis aſſeratur, affirmeturq;, veram rabiem ab his omnibus generari. Quæ tamen vera rabies à ſolis canibus primam fortaſſe apud antiquos ſumſit denominationem, quoniam hi magis, q̃ cætera animalia, conſuetudinem manifeſtam habent cũ homine, clariuſque nobis eorum patefiunt acccidẽtia, frequẽtiusq; cæteris rabie corripiuntur: ꝙ tamen non tollit cætera prædicta etiam rabie verá deprehendi. Quã veritatẽ cum Galenus negauerit, credatur hoc ab eo factum fuiſſe, ob non habitam ab eo huius rei experientiam quam ſi vidiſſet, vel ſi eius teſtimonium fidum audiuiſſet, eam profecto ſententiam ablegaſſet, nec dixiſſet, ſolum canem ex omnibus animalibus rabie corripi ꝙ cum falſum ſit, pluraq; ſint animalia, q̃ rabie tentãtur, de hac materia ſcribentes titulũ nõ de cõmorſis à cane rabido, ſed de cõmorſis ab animali rabido ponere debebant. *Salius de affect. partic. p. 340.*

Accidit rabies pluribus animalibus, ſc. leonibus, canibus, equis, mulis & aſinis. Et iam accidit quod quidam mulus voluit mordere quẽdam hominem: & homo verſus eſt in fugam, vadens per viam vnam ſtrictam: & mulus ſequebatur eum: qui cum perueniſſet ad introitum talis ſtricti & breuis, infixit ſe ibidem: & cum non potuiſſet exire propter ſtricturam & breuitatem, mortuus fuit ibidem. *Auenzoar Theiſir lib. 1 tract. 9. cap. 16.*

A Fele domeſtica correptam morſu mulierem, ante quatuordecim dies irruentem in rabiem, nullis vnquam adiutam præſidiis, neque igne etiam adhibito ſimiliter interiiſſe, & quod vetuſtum monumentum legimus *in Eccleſia ſanctæ Mariæ ad portam Populi Flaminiam*, non hinc omittendum.

Hoſpes, diſce nouum mortis genus, improba feles,
Dum trahitur, digitum mordet, & intereo.

Andreas Baccius in Prolegomenis venenorum & Anti dotorum pag. 16.

Præter canes, mulos, aſinos, vulpes, muſtelas. camelos, murenas, equos maxime generoſos, ſimias quoq; rabie tentari experientia docet, & teſtantur auth. celeberrimi. *Ariſt. Columell. Plin.* de mulo teſtari ipſe plena fide poſſum, qui cum malũ generoſum ambulonem & citatum nactus eſſem, pullo colore nigrãtem, & vaſto corpore, in rabiem æſtate æſtuoſa incidit, tumq; nullius generis capiſtra, ne ferrea quidẽ, continendo mulo ſatis erat; nec quiſquã accedere ad eũ audebat, ita calcibus & dẽte omnia impetebat. Cumq;, ad compeſcendum furorẽ, validos homines in id cõpoſitos aduocaſſem, vinculis multis adactis currui mulum alligauerunt, q̃ tamen mulus, vt erat ferox, & in rabiem actus, vi & curſu valido ad plus quinquaginta paſſus ſolus traxit, ſeque vinculis liberauit: tãdemq; ſolertia equiſonis cuiuſdam velato muli capite ſenſim & ſubdole in Rhodanum iniectus, flumen tranauit affatim potãs, ſubinde ſanatus eſt mulus. Sed quem tamen meum eſſe amplius nolui, ne me præcipitem in ſaxa daret. *Valleriola Comm. ad cap. 20. de conſtit. Art. Med. Gal.*

Sciendum eſt, quod non canes tantum (quanquam ii magis, quam cætera animalia in rabiem agantur) rabidi fiunt: ſed etiam alia pleraque animalia, nempe vulpes, muſtelę, viuerræ, martes, ſimiæ, & id genus alia. Quapropter neſciuerim, quo argumẽto dixerit *Galenus lib. 6. de locis affectis*, ſolum canẽ inter cætera animalia corripi rabie: niſi voluerit dicere (vt equidem reor) canes cæteris animantibus rabiei magis eſſe obnoxios. Refert *Ariſtoteles li. 8. de hiſt. animal.* camelos etiam & equos in rabiem agi. Id quod ego quoque aſſerere poſſum etenim memini, cum ruri degerem, me vidiſſe equum rabie furẽtem, qui fracto capiſtro, obuiam quandam vetulam per capitis & crinium vittam morſu comprehenſam, decem pluresq; paſſus à terra ſuſpenſam protulit, nullo tamen vulnere illato ſed magno ſane terrore. Hoc affectu capiuntur (vt *Auicenna* autor eſt) etiam muli, qui ſuis aliquando morſibus, dominos & ſtabularios rabidos & veluti arreptitios reddiderunt. *Matthiolus comm. ad c. 36. lib. 6 Dioſc.*

Xuares Theſſalonicẽſis mercator, & alii eius domeſtici quatuor maſculi & fœminæ, eodẽ die à fele dentibus vnguibusve ſunt commorſi, laniatiuè, qui ſimul breui inde ſæuiſſimis ſymtomatis correpti, ſuum obire diem. Erat autem Cattus hic non ſolum

rabioſus,

rabioſus, ſed veneficus & tabificus, ex quo interfe- cto efficax, mirumq; ad præſeris ſubticendum, para- ri poterat venenum. *Amat. Luſit. Cent. 7. Curat. 65.*

Nouum caſum ac mirandum ſubiungam. his an- nis, olitorem, in hortulis Nariis, correptam impro- uiſo inſultu à veteri gallo gallinaceo, roſtro atroci, ac rubris pennis, affectumque morſu in ſiniſtra manu, ſanguinis guttis etiam ductis, à me viſum, ac prima ipſa die ringentem ore inuentũ, nec igne nec ferro, nullis præſidiis iuuantibus, cum aſtantium, ac totius viciniæ horrore, pugnacis galli inſtar oculis decum- bentem, tertio die interemtum vidimus. vnde cum fabuloſa multa cum veris inuoluerit antiquitas, non alium crediderim reperiri Baſiliſcum, ſicut equidem inſolitum caſum admirans, hoc diſticho explicaui.

Dum furit in Dominum Gallus, perimitque veneno
Commorſum, ergo alius non Baſiliſcus erit.

Imò, ob tanti caſus famam tam peritiorum quo- rundam epigrammata euolarunt in totam Italiam. *Andreas Baccius in Prolegomenis Venenorum & Antido- torum pag. 16. & 17.*

OBSERVATIO.

Rabiei verus Character quis, & quod hydro- phobia non ſit.

PRæcipuus huius morbi character non erit aquæ timor, quemadmodũ antiqui opinati ſunt, eum ὑδροφοβίαν adpellantes, cum hi aquam non timeant, ſed læſionem & cruciatum internum ab aqua indu- ctum, ſed verus character erit ad humidorũ aſſum- tionem vel oblationẽ magnopere lædi, & anguſtiari, adeoq; affligi, vt hæc perhorreſcant, & abominẽtur, ab his ſe ſuffocari putantes, vt hinc ea fugiant. Qua- propter, vt rem concludam, vel in rabie non erit ti- mor aquæ, cum aquã non timeant rabidi homines, imo valde ſitientes eam admodum deſiderant: quã tamen, vt vnã cum ea omnia liquidã tantum, modo auerſantur ob læſionem in internis partibus ab eis aſſumtis, vel oblatis excitatam. quam læſionẽ ſi ſen- ſibiliter, eamque validam non perſentirent, aquam & omnia liquida, ob præſentem ſitim, libentiſſime admitterent. Vel ſi in rabie aliquis aquæ ponendus eſt timor, quem ſuccedere ob leſionem, nõ ob aquã, admitterem, ſaltem irrationalis, vt omnes ſenſere nõ erit dicendus, imo maxime rationalis erit; cum enim ab ea vel ſumtã, vel oblãta, ſentiant ſe admodũ cru- ciari, eamque ipſis aduerſari animaduertant, ſi eam timent, iure, maximaque cum ratione timent, non ſecus, ac ſanus homo res viroſas & abominabiles, noxam ab eis inferendam animaduertens, timeat, auerſeturque, cum ei oblatæ fuerint. *Salius de affect. particular. pag. 354.*

OBSERVATIO.

A cane rabido commorſi non ſolum ab aqua verum et- iam à poculentis & eſculentis abhorrent.

ABhorrent etiam à vino ac poculentis omnibus, & interdum quoq; ab eſculentis, quemadmo- dum & canis rabioſus, quod ſuperiori æſtate euenit iuueni, quem Vrrani in valle Nebulana rabioſus ca- nis momordit, primo enim vulnus neglexit, deinde poſt quatuor menſes cuius ibet cibi ac potionis me- tu incredibili oppreſſus, alioquin prudens, paucis diebus fame ac ſiti miſerabiliter obiit. *Vidius part. 2. Sect. 2. cap. 6. Medicinæ.*

OBSERVATIO.

Rabies aliquando ſine delirio.

AN in rabie ſit delirium, hoc non rationibus, ſed particularib. experimentis eſt declarandũ. Non poſſum quidẽ ego negare me nonnullos vidiſſe ra- bientes, qui non tantum delirarent, ſed etiam fure- rent. Plurimos tamen ſcio mente ſemper vſq; ad vl- timam vitæ horã cõſtitiſſe, cuius merito nec poſſum deliriũ huius morbi pathognomicum ſignum con- ſtituere. Quod ſi à viris grauiſſimis aliter aſſeratur, hoc fuit, vel quia huius rei experimentũ ipſi non ha- buere, vel quia tantummodo delirantes rabidi ipſis curandi ſe obtulerunt. Ego autẽ teſtor me vidiſſe & illos, in quib. nulla vnquã minima fuit delirii ſuſpi- cio; imo perſuaſi ad bibendum dicebant, claudatis mihi oculos, ne videam, & omni conatu coniicite ad intra os aquam, & omnia alia, quæ in potu prodeſſe poſſint. cumque dentibus fremerent, moreque ca- num alios morſu petere ob virus rabidum cogeren- tur, precabãtur aſtantes, vt eos valide continerẽt, ne è manibus eorum ad aliquem mordendum exilirẽt, eoſdemq; admonebant, vt ad os eorum manum, vel aliam corporis partem non admouerent, ne ex ea ꝓ- pinquante cogerentur eos dentibus petere. hos eoſ- dem propriam miſeram, & calamitatem lamentarĩ noui, conquerentes morbi principiũ non valide op- pugnatum fuiſſe, ſeq; in omnibus Deo maxima cum commiſeratione commẽdantes, ab eo peccatorum veniam, & vitam æternam implorantes audiui hæc & ſimilia vidi. Quibus experimentis plena fide teſti- ficor, delirium neceſſario rabiem nõ conſequi. *Salius lib. de Affect. Particular. pag. 355.*

OBSERVATIO.

Rabiem etiam à principijs internis, nullo præcedente conta- gio, generari poſſe: & in humano corpore humores gigni aliquando, qui rabidi canis venenum æmu- lentur.

VIrus iſtud, quod in tot generib. animantium ꝓ- creari, hominiq; per ea impartiri nouimus, con- ſiderandum eſt, an in homine ipſo, nullo extrinſeco accedente contagio, à principiis internis fieri poſſit. Dictaret ratio quidem, cum omniũ aſſenſu venenã deleteria in homine generari poſſint, etiã hoc virus non excludendum eſſe, nõ magis diſtante homine à fera, & ſerpente venenum eiaculante, quam ab ani- malibus, quæ in rabiem ꝓcliuiã ſunt, imò maiorem cum his, quam illis, analogiam habente: tamen cum nulla antiquorum authoritas atteſtata ſit hoc, quã ſemper rabiem ex contagio, non ſponte homini ac- ceſſiſſe, docuerunt non videtur hoc ita facilẽ admit- tendum eſſe. Si tamen experientia difficultatẽ iſtam dirimere poteſt, dicam, quid viderim ipſe in particu- lari caſu, quem nunc explicabo.

Mulier annum agens trigeſimum ſextum, febre languens, me ad eam curandam accerſiuit; inuenio eam febre peſtilenti detentã, curationẽ aggredior, ſanitatique reſtitutam die vndecima eam relinquo; totidem diebus interpoſitis, dyſenteria admodum doloroſa, addita febre, affligtari cœpit. me iterum aduocat, morbum oppugnare incipio, ſeptemque diebus morbum ſupero. febricula quædam reman- ſit, quam cum curare delibero, ſuperuenit mulieri maxima omnium liquorum auerſio, tantaque, vt non modo, quæ ipſi offerenda erant tum medica- menti, tum vbi ratione, perhorreſceret, & abomi- naretur, ſed etiam vt aſtantes (nam media erat æ- ſtas) etiam bibentes coram ea ſuſtinere non poſſet.

hanc rabie correptam ex hoc ſolo ſymtomate deprehendi, quod adeo deinceps auctum fuit, vt nihil admitteret, etiam in thalamo, liquidi aſportandum eſſe. & non modo potum ſimplicem, ſed etiam omnia cibaria liquida abominaretur. cumque ſolida alimenta ratione febris, & longitudinis morbi non ita facile admitteret, in virium proſtrationem delapſa eſt; non tamen cito periit, ſed vltra ſeptimam producta eſt, a die, in quo humida auerſari cœpit, octauaque die defuncta eſt. in qua muliere nullum aliud ſymtoma ex his, quæ retulimus, concomitari rabidos, fuit præterquam liquorum omnium auerſio, menteque ſemper conſtitit, nec de vllo vnquam conqueſta eſt, niſi cum liquida admouerentur, quo tempore adeo affligabatur, vt horrendum quid eſſet ipſam conſpicere, reliquo tempore ſemper quieta fuit, interrogataque à me, an vnquam à cane rabido commorſa fuiſſet, certo affirmabat, nunquam ſe à cane, nedum rabido, ſed nec etiam ſano tactam fuiſſe, cum nec domi vnquam canem educaſſet, nec externis vnquam communicaſſet. Mater autem pręſens interrogata à me, an meminiſſet filiam, dum puella eſſet, & in ætate infantili, cuius ratione non ipſa recordaretur, vnquam commorſam ab vllo cane, atteſtabatur certiſſime filiam nihil tale vnquam paſſam fuiſſe. Quare hinc dubitare cœpi, an homo à principiis internis poſſet rabiē incurrere. cum enim hic nihil de contagio cōſtaret, hydrophobiaque iſta non eſſet coniuncta cum his ſymtomatibus, quæ rabidos homines à rabientibus animalibus commorſos concomitari conſueuere, ſuſpicatus ſum factum eſſe à cauſa interna, & cum non fuerit communicata à furente, & rabida bellua, ideo eam extitiſſe cæteris mitiorem: niſi dixerimus remiſſam fuiſſe eius perniciem ob antidota aſſumta in curatione peſtilentis febris, & propter notabilem prauorum humorum in dyſenteria euacuationem. Vltra hanc experientiam ad idem ſuſpicandum me perſuadebat Cœlii Aureliani authoritas, docentis, certo fieri nonnunquam in homine rabiem abſque manifeſta cauſa, Soranique hiſtoria, narrantis, ſe vidiſſe infantem vbera expaueſcentem nullo præcedente contagio, ad hoc idem arbitrandum admonebat. Quid tamen in hac re ſit ſentiendum, certoque affirmandum, ego non decernam: ſed cęteri, his propoſitis, animaduertant, iudicentque, an homo à cauſa interna, nullo accedente contagio, poſſit ex ſe rabiem incurrere. *Petrus Salius de affect. particular.*

In agro Mantuano ad Mincii ripam, menſe ſeptembri, 1573. Gabriel Nouaria, viduus, quinquagenarius, Paulæ Moriſcæ œconomus, dum prandet, neſcio quid ſibi gulam ſcalpere exiſtimat, poculum ſumit, vt moleſtiam illam potione abigat; ſed potum vel ſummo conatu deglutire nequit: ſibi ipſi iratus ad ſitulam aqua plenam accedit vt mane ebibat, ſed vix dum labra admouens retrorſum cadit; mox ſurgit, abit, ea die non cœnat. Poſtridie eadem omnia tum in prandio tum in cœna patitur. Tertia die ad me equo vehitur. In via vuas & multas, & facile vorat. Ego hiſce omnibus ab illo tum auditis, ſymtoma exploraturus, frigidæ poculum illius ori, ſemel iterum, atque tertio per interualla admoueo: amicos ad ſpectaculum aduoco: toties ille horreſcit, tremit, animo linquitur, & in ſummis faucibus (vt reſipiſcens refert) ſuffocatur, remoto poculo ſtatim ad ſe redit, mente conſtat, validus eſt, non febricitat, nihil prorſus dolet, functiones omnes inculpatæ ſunt, vna excepta potatione. præſcribo antidota: intra triduum mors occupat. Quęrendo, explorando ſciſcitando nulla huius affectionis euidens cauſa comperta eſt.

Menſe Maio 1574. Magdalena, Blaſii Voldenſis vxor, die quadam dolitat, primum collo, tum brachio dextro. Secunda die decumbit, cum brachii dolore ac tremore. Tertia die ceſſat dolor, tota tamen tremit, nauſeat inaniter, ſudat, & veluti ſuffocatur. Si vinum, aqua, iuſculum propinatur, conuellitur ac deficit, oua ac panē probe ſumit. valde ſitit, facultates principes, ac ſentiētes belle conſtant. mitis eſt animus; placidus eſt ſermo. Non videtur febricitare. Loci chirurgus diuerſiones adhibet. Quinta die illa effertur.

Menſe Februario, 1575. Dominica Pancalda, virgo annorum ſexdecim, viſa quorundam digladiatione terretur: ea nocte febris vehemens: ſtatim in inuaſione puſtulæ, circa labia, poſt horas duodenas à prima inuaſione attonita fit, (vt aiunt) poſt alias duodenas febris ſedari ſibi viſa eſt. Surgit brachio ſiniſtro paralytico. Si brachium illud dimoueatur, dolor acerrimus latus puellæ transfigit: & (vt ipſa inquit) ad cor vſque pertingit, ita vt fertur inde deficiat. nihil moliuntur domeſtici. In quarta rigor eam rurſus cubare cogit; dolor augetur, ſuperuenit nauſea, anxietudo, oris ſpuma: lumen intueri nequit; eiulat, furit; pauet, domeſticos eiicit; Admota potione caput retrahit, horret, deficit; per interualla recta loquitur: Poſt hæc dentibus ſtridet; linguam ſibi emordet; in principio quintæ emoritur.

Menſe Iunio 1576. Dominicus Beretius agricola, nuptus, validus, annos natus triginta ſeptē, per dies octo ignota ſibi de cauſa brachiis dolitat, operatur tamen in augmento: nec febrire ſe exiſtimat: nona die in cœna brodium ſumturus contremiſcit; quare incœnatus decumbit. Ad mediam noctem pauore corripitur; ex illo vix contineri poteſt, ſed timens, ac tremens exclamat; & ab aſtantibus etiam atque etiam rogat detineri; eoſque ipſe viciſſim arreptos arctiſſime detinet. Summo mane conſulitur vicinus Medicus, qui picram imperat; quæ paulo poſt vomitione eiicitur vna cum cruentis, vt narrant. Ego à prandio accerſitus, domeſticos, & parochum, & cæteros qui conuenerant, ſeorſum ab ægrotante alloquor, ac inopinata illos conſpecturos prędico; nempe virum tunc vel ſi cogatur non bibiturū: ac ſi tentet bibere, animo defecturum; & demum illum cito moriturum. Primam ſententiam allato poculo aſtantium magna cum admiratione comprobo: alteram euentus breui confirmat; ſiquidem poſt horas quatuor extinguitur, præcedentibus fremitu inconſtanti, clamore aſſiduo, inquietudine implacabili, ſudore profuſiſſimo, extremorum frigiditate, deliramento maniaco, & Dæmonum (vt aiebat) ſpectris.

Die 8. Aprilis 1579. Iacobus Piua Voltenſis agricola, nuptus, iuuenis, ſanus, robuſtus, citra omnem manifeſtam cauſam (vt etiam cæteri de quibus ſupra) ex agro rediens, ad veſperam ſudare cœpit, cum anguſtia (vt aiebat) cordis, & agonia. Nocte illa per interualla contremiſcebat, exiliebat, vociferabatur aſſidue, ſudabat. Diluculo à municipii chirurgo data

eſt

eſt Theriaca magna, ego ad veſperam præpropere acutum morbum qualis erat diiudico, & hic rurſum aſtantes in admirationem pertraho, potionis horrorem, & mortis celeritatem conſtanter prænuncians; & dicta factis mox comprobans: Namque ægrotanti oblatam frigidam ipſe repente horreſcit, & linquitur animo, ea reducta actu tum reuiuiſcit. Iſte vero neutiquam ſe tangi patiebatur: Quin ſi quiſpiam manus propius inferebat, ſtatim exclamabat. Horrebat etiam tantillum, dum faciei ſudor frigidis linteaminibus abſtergitur. Quam vero in manibus derant, Deiparæ virginis iconem, intentiſſimus contemplabatur ac inuocabat. Tum ſi forte fortuna cōcidentia lintea illam vel modicum operiebant, mirifice irritabatur & excruciabatur. Ad noctem teſtamentum occœpit condere; ſed inualeſcente ſudore, ac conuulſione, præpedita eſt oratio. poſt paucas horas, mente etiam tum (vt narrant) ſana deceſſit. *Marcellus Donatus lib. 6. cap. 1. pag. 296. & 297. hiſt. med. mirab.*

Observatio.

Rabies nonnunquam febri coniuncta.

FEbrem validam concomitari rabiem, nonnulli docuerunt; alii paruam & minimam dixerunt, cæteri autem ne huius quidem meminere. Non ratio, ſed experientia diſcrimen hoc dirimere debet. Quidam commorſus a cane rabido, vlcere iam ſanato, in remediumq; veneni nullo adhibito præſidio, niſi pane, & aqua benedicta, vti conſueuere vt plurimum noſtri homines facere, à quodam ſacerdote aſſumta, exactis duobus menſibus, paſſus eſt ex vehementiſſimo ictu contuſionem ingentem in imo ventre; hinc cum male haberet, febre valida deprehenſus eſt, ſimulq; paulo poſt rabie correptus, tertia die delirans, furens, & inſigniter febricitans, omniaque ſymtomata rabientium patiēs, miſere vita functus eſt. Mulier quædam, cuius hiſtoriam inferius, enarrabo, ſemper cum hac affectione febricula detenta vſque ad mortem. Reliquorum rabientiū neminem ſenſi vlla conflictari febre, nec huius adeſſe ſuſpicionem, ne dixerim ſignum, obſeruaui. Hinc colligo rabientes ratione proprii virus, non febricitare; ſi autem aliquando febriant, hoc ex corporis præuia altera indiſpoſitione fieri. *Salius lib. de Affect. partic. pag. 358.*

Observatio.

In vrinis eorum, qui canis rabidi morſu inquinati furiunt, nonnunquam ca[illegible] haud diſſimilia corpuſcula conſpici.

NOui quendam ſanatum a morſu canis rabioſi, qui interrogatus a me quid vidiſſet, reſpondit, ſe caninos catulos in vrina ſua vidiſſe. *Alſabarauius c. 30. ſect. 2. Tract. 30. Practicæ.*

Quandoque (affectus ſic) mingit rem in qua apparent res carnoſæ mirabiles, quaſi ſint animalia, & quaſi canes parui. *Auicenna c. 7. Tract. 4. Fen. v. lib. 4.*

Imaginationis vim nihil eſt quod magis declaret, quam morſus canis rabidi, vt enim, inquit princeps in ſexta quarti, qui rabiem conceperit, imaginatur ſe canem eſſe, ideo mordet homines: & cum inſpicit in ſpeculo, exiſtimat ſe canem videre, & in aqua inteſtina canis, ſed ipſa poſſunt referri ad eius ſenſum corruptum. Quod vero videant alii in patientis vrina ex pinguedine quadam, formas catulis ſimiles, illud iam oſtendit, imaginationis vim ſupra humores ipſos dominari. Hoc autem iam, vt dixi, experimentum Auicenna commemorat. *Cardan. contrad. 7. tract. 2. lib. 2.*

In hac mania quoddam mirabile reperit? quod ſi collectum fuerit de vrina iſtius in quantitate multa, in vrinali vitreo, videbis quod clarificabitur vrina, & ſine dubio videbis intus formas catulorum natantes: & ſi illam colaueris per pannū ſubtilem, nullum veſtigium illorum ſeu ſignum in petia poteris inuenire, & ſi dictam vrinam iterum in vrinali repones, & ibidem aliquantulum permanſerit, veraciter iterum reuidebis eos vt prius. *Auenzoar. lib. 1. tract. 9. cap. 16. Theiſir.*

Vidi iuuenem morſum a cane rabido, in cuius vrina apparuerunt ſimulacra canum: deinde conuerſus eſt, ad mordendum appropinquantes ſibi, matri tamen ſuæ dicebat, quod nō approximaret ad eum, quia non poterat ſe continere a mordendo eam, & ſic conſimiliter canis rabidus, antequam ab eo in totum extimatio tollatur, mordet quæcunque præter dominū ſuum, quem non mordet: ſed eſt obediens ei. Et dicit quod ſi Dominus eius tunc ei mandauerit, valde ad aquā, talis alicuius fluminis ſeu torrentis præterquam aliquam lędas in via, & ſuffoca te: quod vadit & neminem lædit & ſe ſuffocat: & retulit mihi fide digna perſona quæ iā audierat de tali obedientia canis rabidi, quod ipſa mandauit cuidam catulæ ſuæ, habenti ſigna rabidi, quæ licet iam momorderit duos ſecum, tamen ſtabat moribus conſuetis; vade, inquit, ad flumen Arni, quod diſtabat à domo ſua fere per duo miliaria, & neminem offendas: & ſuffoca, quod ſtatim catula ipſa diſceſſit, & nunquam poſtea inuenta eſt: Vnde per hoc affirmabant verum eſſe quod dicitur: poſtquam vero extimatio canis in totum corrupta eſt, non amplius obediens eſt domino ſuo: ſed neque ipſum cognoſcit, & eum mordet ſicut alium. *Nicol. Florent. Ser. 4. Tract. 4. cap. 15.*

Mirum & profecto incredibile & fabuloſum, ꝙ *ab Auicenna* dicitur. minxiſſe quoſdam ſic affectos carnea fruſta ingenti cum dolore, quæ prope forma catulos paruos repræſentent. Quod *& Gentilis, Auicennæ interpres, & Conciliator diff. 179.* abunde teſtantur, & a morbo eo multis ſanatis auditum eſt, ſe huiuſmodi catulos minxiſſe, quod reuera mirum videri poteſt, ſed mira tamen in corporibus præter naturam, illiuſq; inſtitutum euenire quotidie cernimus. *Valleriola commentario ad c. 20. lib. De conſtit. art. med. Galeni.*

Nonnulli ſcribūt eos carnis fruſta, cum vrina quę catulos repræſentent, reiicere, id quod potius fit (ſi modo fit) ob cœcam aliquam & occultam cauſam, quemadmodum bona pars earū etiam, quæ veneni actiones ꝓmouent, cauſarū aliunde haberi nō poſſunt, & cū naturales deſunt, ad eas, quę ſunt ſupra naturā, recurrere cogimur. *Iac. Greuinus l. 1. c. 35. de venen.*

Scribit *Auicenna* euenire interdum, vt a cane rabido demorſi quędam fruſta carnis ingenti cum dolore mingant, quæ forma prope canes paruulos referant. ꝙ etiā ab aliis recentioribus accepimus, quin & ab iis, qui huiuſmodi catulos ſe minxiſſe fatentur. Cæterum cum hoc potius fabuloſum, quam rationi con-

conſentaneum videatur, atque ab ipſa natura penitus alienum; ſi qui id verum eſſe rationib. & authoritatibus comprobatum videri cupiunt, *Gentil. Fulginatem* conſulant *Auicennæ interpretem*: Item *Conciliatorem differentia 179.* Quandoquidem ex iis nimirum intelligent, quo pacto hæc præter naturæ conſtitutum quandoque eueniant. *Matthiolus comm. ad cap. 36. lib. Dioſc.*

Non vulgares teſtes, nec pauci referunt, conſpexiſſe ſe in illorum vrinis canina fruſta ſimulachraque. *Thom. à Veiga comment. ad c. 84. Art. med. Gal.*

Quod omnem fidem excedit, teſtes graues ſunt, inter quos non ignobilis eſt. *Matthiolus*, vidiſſe ſe in vrinis eorum canum ſimulachra, & phalangiorum in demorſis à phalange, *Idem comment. ad lib. 6. de loc. aff. Gal.*

OBSERVATIO.

A rabido animali demorſus: ſi Cornum vel virgam ſanguineam tetigerit: denuo rabie corripietur.

Noui hominem morſum qui ſe lauerat aqua marina, & cum liberatus crederetur, poſt aliquot menſes contactu ligni cornui (corni ſorbi apud *Auguſtinum Niphum.*) rediit morbus. *Geſnerus hiſt. animal. lib. 1. de cane.*

Cognoui hominem morſum, qui ſe lauauerat in aqua maris & propterea credebatur liber; poſt plures tamen menſes, cum tetigiſſet lignum corni, ſtatim rediit infirmitas, quia forſitan illa planta habet attractiuam valde fortem, quare ex illo tãtum commouit venenum adhuc non reſolutam. *Ferdinandus Ponzettus lib. 3. cap. 18. de venenis.*

Author eſt *Wirſungius*, demorſos à cane rabido, ſi corum intra vnius anni decurſum contingant, fore vt non tantum auis hæc in rabidem agatur: verum etiam, qui eãdem contigit, eadem rabie denuo corripiatur. Ego non corui, ſed corni, deprauata lectione eundem deceptum exiſtimo.

In Hetruria abſtinent demorſi per integrum annum à quorundam lignorum contactu, præſertim corni arboris & ſanguineæ virgæ vocatæ. Siquidem (vt teſtantur ii, qui rem experimento compertam habent) ſi harum arborum virgæ tandiu manibus teneantur, quouſque concaleſcant, illico demorſi rabie exagitantur. Quod cuiquam minime fabuloſum videri debet: etenim memini me vidiſſe in ciuitate noſtra Illicinenſi amicum quendam meum rabie correptum, quod corni arboris virgis (dabat enim Lanificio operam) lanam diu excuſſiſſet, qui eorum oblitus, quibus ſibi à medicis interdictum erat, rabidus interiit. *Matthiolus comment. ad libr. 6. cap. 39. Dioſc.*

Apud nos per longa tempora obſeruatum eſt, quòd qui commorſus à rabido animali ante exactum annum tetigerit vel plantam cornus, vel ſanguinariæ, ineuitabiliter incidet in rabiem. Proditum eſt etiam eoſdem, ſi ſub ſorbo dormiant, rabie corripi: ex quibus duo clare habemus, alterum, quod hoc virus à tota ſubſtantia, non ratione temperamẽti agit: quoniam nec à tactu, nec ab vmbra intemperies introduci poteſt. alterum, quod hoc venenum, ſi dum ſopitum eſt, excitari poteſt ab his, cum quibus antipathiam habet, tanto magis ab his exacerbari poterit, quibus dum viget, actuq; lædit, eandem habet. Cuius antipathiæ nulla alia poteſt manifeſta cauſa explicari, quam ea, quæ omnib. his, quæ à propria ſubſtantia aliquam peculiarem facultatem habent, eſt communis; videlicet quod à proprietate hoc agant. *Salius de affect. Particul. pag. 351.*

OBSERVATIO.

Hydrophobia.

Miſerrimum morbi genus, vt *Cornel. Celſus* ait, Hydrophobia eſt, qua æger ſiti & aquæ metu cruciatur. Non timet autem hydrophobus ſolam aquam; ſed quicquid liquidum ac humidum inſtar aquæ eſt. Subſequitur hoc malum rabioſi canis morſum, ſi non idoneis remediis primo quoque tempore occurſum fuerit. Nec ſtatim tamen ſuccedit aquæ metus, ſed ſubinde poſt triginta aut plures dies. Vbi autem ſuperuenerit, haud diuturnus eſt. Nam, vti *Cælius Aurelianus* recte ait, ob nimium aquæ timorem & humoris defectum, ægrotantes celeriter pereunt.

Iuuenis quidam annos natus (plus minus) 17. commorſus fuerat à cane in digito ſiniſtræ manus, qui minimo proximus: ignorabatur canem eſſe rabioſum: vulnus quoque perquam exiguum, & tanto quidem negligentius curatum. Poſt triceſimum ſextum diem, vulnere iam multo tempore ſolidato, incœpit iuuenis hic aquam metuere: cereuiſiam & vinum, quod ſui erat officii, promere recuſauit: altero die ſiniſtrũm humerum doluit, à parte videlicet commorſi digiti: potuit tamen brachium ſurſum, deorſum, antrorſum, retrorſumque citra dolorem moueri: tertio die mane inſigniter febricitare videbatur: pulſus valde cõcitati: ſudores copioſi: brachia aſſidue conuellebantur; lingua interim nihil oſtendit febrile; nec vrinæ, quæ ſanorum ſimiles: eodem die mente minus conſtans, manifeſtius delirauit: è lecto ſurrexit: veſtes induit: per vicos diſcurrit: in horto acetoſæ herbæ folia decerpſit, & quædã manducauit, deinde amplius inſaniens, cõtineri debuit. Nox ſubſecuta eum magno furore, in qua tandem clamore defecit. *Dodonæus obſ. Medicinal. c. 12.*

Non diuturnum eſſe affectum Hydrophobiam, & non ſtatim à morſu, ſed aliquot poſt hebdomadas ſuperuenire, *Hieronymus Fracaſtorius libr. 2. de Morb. contagioſis* teſtatur: Vidi ipſe, inquit, puerum, qui poſt octo menſes, ex quo demorſus fuerat, contagionem oſtendit, ex qua mox periit. *Idem Scholio ad cap. citatum.*

Nos in hoſpitali quendam, quem canis momordit rabioſus, habuimus: qui in nocte latrabat. Et vidi, quod ab aqua, quæ ei dabatur, non terrebatur, imo eam petebat, & ex forti ſiti cõquerebatur. Cùm autem aquam ei daremus, ipſam abominabatur, & dicebat quod ſordes in ea erant. Et cum quæreremus, quæ ſordes in ipſa eſſent, dicebat inteſtina canum & catorum in ea eſſe: Et rogabat eos vt aliam ei aquam daremus. Cumque aliam ei afferremus aquam, dicebat vt prius, & litigabat nobiſcum, & iraſcebatur, atq; rogabat, & adiurabat nos per Deum, vt aquam mundam & bonam ei daremus. *Raſis c. 10. lib. 8. ad Almanſ.*

Quidam homo latrabat de nocte vt canis & mortuus fuit. Et quidam alter, qui volebat bibere aquam, & quando approximabatur ei aqua, dicebat quod erat fœtida, & quod ſunt ibi viſcera canis & can-

cancrorum.Et erat quidam, qui, quando videbat aquam,paſſus eſt tremorem & horripilationem & rigorem:& quando auferebatur ab ea aqua,ceſſabant ſupradicta. *Idem lib. 20.c.2.continentis.*

OBSERVATIO.

Ex morſu canis rabidi mortui.

HIc quoque caſus cita remedia poſtulat: fruſtra enim adhibentur, quæ tarde poſt principia veniunt. Id expertus magno ſuo malo didicit Baldus Iuriſconſultus.Forte enim a catulo, quem in deliciis habebat,labiū leniter morſus,cum rabire ipſum neſciret,& vulnus ob exiguitatem negligeret, quarto poſt menſe phanaticus interiit,in vanum tum tentatis omnibus remediis. *Pareus lib. 20. c.14.*

His diebus lithotomus quidam apud nos, ante ſex aut ſeptem ſeptimanas a cane rabido morſus, cū aliquandiu nihil mali ſenſiſſet, ſubito, timoris aquæ ſuperuentu, intra biduū miſerrime periit. Morſa eſt etiam eius vxor, ſed leuiſſime, cui ego aliquid gentianæ propino, ſed tormentillæ aliquid addo, quia menſes alioquin nimios experitur. *Geſnerus Epiſt. lib. 3.ad Coſmam.Holzachium pag. 82.*

Cognoui quendam, qui morſus fuit a cane rabido:& nō curauit inde:& ſine læſione exercendo negotia ſua ſtetit 35.diebus; mane vero diei 36.ſurrexit: & poſuit ſe retro vxorem ſuam ſtans in terram ſicut canis: & cœpit latrare poſt eam: & cum repræhenſus fuiſſet ab ea, ſurrexit de terra ſubridens: & hunc actum pluribus vicibus eodem die fecit ſero corrupta eſt ratio eius in totum,& mortuus eſt in 40. die, a die morſus. *Nicolaus Florentius ſermone 4. Tractat. 4. cap. 15.*

Iacobus quidam textor, qui habitabat trans Tyberim, extra ædes ſancti ſpiritus, iam oblitus canis morſiculum,ꝙ iam per menſem ſummo mane acceperat, ac triduo ſanatum pro nihilo habuit, quando poſt menſem plus ſolito triſtis,ac mæſtus eſſe cœpit, ſe ipſum faſtidiens, me accerſiuit in conſilium. Qui nullam, ipſo referente, inueniens cauſam, niſi inſolitum languorem, ac debilitatē vitæ,& animæ, conſulenſque vt optimo curaret ſe inſtaurare regimine, & vini potu liberali,ſemel & bis reſpondente ſe non poſſe nec comedere,nec bibere;hinc certa equidem ductus coniectura, ac illam bibendi impotentiam poculo ei propinato expertus,nec vllam apertis faucibus cauſam inueniens; ſedulo ipſum percontatus an forſan per aliquot antea dies fuerit a cane aliquo commorſus: idque ab imo corde affirmantem, ac iuſſum eſſe bono animo, ſeorſum proteſtatus ſum vxori & adſtantib.imminens periculum. Ideo excuſans curationis incommodum,vt eum tranſmitterēt in vrbem, ac ex nauicula immergerent in Tyberim, ipſum iam id aſſentientem, ac ter & quater immerſum,reducendum iuſſi. Vbi inuſto paulo poſtea,nec ſatis tamen confiſus,cādenti ferro vulnuſculo,exhibitiſq; prout occaſio tulerat antidotis,circa veſperas furere incipientē,ac inſatiabili correptum ſiti, ac febre,& tamen abhorrens aquam ipſam, ac potum,ligandum iuſſi,quod ipſemet poſtulauerat.fortiſſimo fune ad cubiculum. Porro ipſum mane diluculo viſurus accelerans (quod in ſolam gratiam Dei ſeruatoris hic refero)ac in corona multorum adſtantium, omnibus perterritis,ad lectum accedens;vix defuit, quin fractis furore funibus, ac tracto ſecum cubili, vt in faciem mordicus incauti medici aduolarit, ac edito quaſi a cane latrāte vlulatu, arguenſq; me nomine,recede hinc,recede; in maiorem, & euitatum in me morſum, rabiem excandeſcens inhianſque ac clamitans apertis faucib. ad aquæ potum, quam ex ſcyphone longe intulerant, conterritus ipſe, & adſtātes ſimul,ac medicus,ac tota nocte, quaſi in ignis gehennam coniectus, pœniſque infernalibus cruciatus, ſecundo poſt rabiē ac tricesimo ſexto à morſu die, his miſerandis modis interemtus iacuit. *Andreas Baccius in Prolegomenis Venenorum & Antidotorum pag. 69. & 70.*

Vidi puerū qui poſt octo menſes, ex quo demorſus fuerat,contagionem oſtendit,ex qua mox periit. *Fracaſtorius l.2.de morb. contag.*

AdoleſcensDelfis poſt ſextum menſem ex morſu canis rabidi in hydrophobiā incidit, quamuis prius demerſus fuerat in mari, quos tamen omnes quos noui tutos poſtea ab hoc malo fuiſſe. Ad hunc adoleſcentem ſexto die ſeptembris anno 1578. vocatus fui, mortem futuram ex inſania prædixi, & quod non viueret per duos dies; quemadmodum etiam euenit: nam ſeptimo ſeptembr. die cum bibere non poſſet, hydrophobia extinctus eſt. Hic vulnere quoque conſolidato poſt ſextum menſem in aquæ metum incidit, & poſt triduum ſuccubuit. *Foreſtus lib. 10.obſ. 25.*

Mulier Delfenſis annorum circiter quadraginta, grauida ac prægnans, in vltimo menſe à cane rabioſo demorſa, id flocci faciens, cum grauida eſſet, ad mare more ſolito cum non accederet, & poſtea peperiſſet, atque infantem iam dudum lactaſſet, poſt ſemiannum a morſu in maniam & inſaniam prauiſſimam incidit, vt in lecto detineri non poſſet:noctu cuſtodiebatur: è naribus & ore ſpuma manabat, obuium quemq; dentib. impetebat, morſuque ſuo & ſi poſſet,in aſtantes expuebat, & multos hoc modo ſimili vitio labefactabat, rauca voce inſaniebat: aſtantes illam dæmoniacam exiſtimabant. Tandem ego 12. Maii menſis an. 1543. ad hanc delirantem accitus fui:cumq; ſitibunda eſſet,& bibere non poſſet, & reliqua animaduerterā, prædixi hanc inſaniam a cane rabido originē traxiſſe, & minime dæmoniacā eſſe:ꝙ cum interrogaſſem, maritus reſpōdit ab hinc ſemianno morſum canis rabidi accepiſſe, & quia grauida,in mari non fuerat ſubmerſa. Aſtantes vero tum maritus admirabantur noſtrum iudicium: licet ego id ipſum facilius percipere potuerim, cum hic tertius eſſet ægrotus, qui hac miſerrimā inſania corripiebatur. Cumq; hæc a viris noctu præcedente in lecto detineri non poſſet ac potum timeret, nec bibere poſſet, ſpem nullā in curatione ſitam eſſe prædixi,& me vix ꝑ horā ab ea digreſſo, hac inſania miſere extincta eſt. Imperauimus tamen vt aſtantes omnes,quos ſputo infecerat,ad Oceanū mitterentur, & aqua ſubmergerentur: erant infiniti numero,tam mulieres quam viri, qui eam inuiſerant, ab eadem ſputo infecti, ſed omnes aqua ſubmerſi, nihil poſtea mali vnquam ſenſerunt. *Idem.*

Auguſtinianus Monachus, Theodor.nomine Zelandus, Alcmariæ degens, infelix ex morſu canis rabidi inſania (Græcis hydrophobia dicta) correptus eſt:cumChirurgus imperitiſſimus vulnus in faciē & labiis, quod a cane rabido inflictum eſſet, intempeſtiue occluſiſſet, ilico cicatrice obducta, non

diu,poſt aliquot dies delirauit, & inſanus factus eſt. Ad quem,cum animã ageret atque in extremis eſſet, accitus ſum. Linguã educebat canis inſtar hians; vox illi rauca erat,aquam & potum cum ingenti clamore abhorrebat,quamuis validiſſima ſiti premeretur, ſæpiuſq; poculum petebat, ſed bibere nec audebat, nec valebat, ob metum quo mouebatur. imo cum ingenti clamore & horribili vociferatione ſi bibere vellet, cogebatur à potu deſiſtere, quod & nobis videntibus horrendum erat. linguam vero aſperam quoq; habebat, & ſputum ac ſaliuam in homines rabioſam, ſi poſſet, expuebat, ꝙ quidem ſpumoſum erat,ex calore (vt arbitror) pectus eidem valde coarctabatur,vt anhelitũ trahere non poſſet,veneno iam dudum ad cor translato. Spectaculo hoc horribili ꝑterriti,cum hęc ſup. dict. animaduertiſſem, Chirurgum ipſum,qui non ꝓcul ab ædib. ægroti habitabat, ſtatim vt ad ægrotum accederet iuſſi:eoq; obiurgato cur vulnus tam citò clauſiſſet, neq; in principio medicum vna vocaſſet,idẽ vulnus vt aperiret,conſului, iuxta opinionem *Gilberti Anglici*,qui *l.7.cap.De morſu canis rabidi*,ita nobis ſcirptum reliquit. Primum conſilium eſt vt non claudatur vulnus,&ſi clauſum fuerit,ſtatim aperiatur, vt putredo & ſanies effluat:quia ſolet latere venenum per multa tempora. aperiatur igitur cum phlebotomo, vel ſi apertum ſit, ſuperponatur ventoſa, & iuxta vulnus apponantur ſanguiſugæ, hactenus ille. Vix hæc conſulentibus, cum vulnus multo tempore eſſet conſolidatum, antequam remedia applicaremus, ſtatim hic æger mortuus eſt. *Idem lib. 10. obſ. 27.*

Coniunx Mercatoris huius vrbis, cum eſſet à cane,qui habebatur rabidus, ſuperficie tenus in digito demorſa,nec tamen lęſio manifeſta, aut vulnus euidens appareret,negligebat. Poſt annum plus minus, male cœpit habere, ſtatim omnem liquorem & potum auerſabatur, nec non niſi ſummo cum conatu & fremitũ atq; dolore quaſi admittebat, licet ſolida ſine impedimẽto deglutiret, mente non conſtabat, ſemper huc atq; illuc impetu ferebatur, vt vix à circumſtantibus cohiberi poſſet, vociferabatur inſtar canum latratus. Tandem conuulſionibus correpta, tertia à principio morbi die expirauit. *De D. Georgij Palmæ obſeruationibus,per C L. Med. & Philoſ. Ioach. Camerarium ad me miſſis.*

OBSERVATIO.

A rabie & hydrophobia ſeruati quidam.

EX iis, qui hoc vitium ſenſerint, neminem ſeruatum vidimus, niſi forſan ex hiſtoria vnum aut alterum euaſiſſe audiamus, ſiquidem Eudemus ſuperaſſe quendam affirmat. Themiſonem aliqui demorſum in hunc furorem incidiſſe & euaſiſſe fatentur. Alii ipſum,cum amico aquam expaueſcenti morem gereret,& officium exhiberet, quadam naturarum concordia, ſimilem contraxiſſe affectum: ſed poſt multos tandem cruciatus ſeruatum extitiſſe. *Dioſcorides c.36. lib. 6. De venenis.*

Philoſophus quidam morſus à rabioſo cane, & generoſo animo affectioni reſiſtens, & in conſequẽs ratus canem in balneo apparere: Apparebat enim ipſi quemadmodum etiam aliis hoc modo affectis. Ratiocinatus igitur,& ſic ſecum locutus: Quid cani & balneo commune & ſuperauit affectionem, & ſanatus eſt ab affectione, vbi citra timorem bibiſſet. *Aetius Tetrabib. 2. ſerm. 2. cap. 24.*

Florus à porcelleto, iuuenis annorum 16. Filius Domini à Fos, à cane rabioſo demorſus, nulla adhibita per primos dies cura poſtea in vitæ diſcrimen incidit, vulnere grauiore effecto. Curatur a me magno labore: *Valleriola lib. 3. obſeru. 3.*

De curatione a cane rabido demorſi, exemplum habes *apud Amatum*, de puero annos 12. nato, a cane plauſtrum cõtinuo comitante demorſi in cruce. Sequenti enim die puer eadẽ hora rigore ſuccedente, ingenti poſtea febri correptus eſt. Ad quem vocatus Amatus,& accito chirurgo,locum demorſum ſcarificare iuſſit,non niſi profundioribus inciſuris, & calido vino lauare; optime abſterſo loco affecto, hoc emplaſtrum admouit: cœpam vnam acrem accipiebat,alliorum caput ſiue radicem mediam Theriaces optimæ vnc. ſem. foliorum marrubii fœtidi meliſſæ an. puſil. ſemis rubeæ minoris vnc. ſemis fermenti vnc. ſemis,omnia piſtentur & loco affecto ſuperponantur,quibus puer ſanitatem breui obtinuit. *Foreſt. Schol. ad obſ. 28. lib. 10.*

Anno 1558. menſe Martio, puero decem annorũ Delfenſi, cum a cane rabido morſus eſſet, ne in hydrophobiam incideret, conſului vt in mari immergeretur,& cum ab immerſione domũ rediiſſet, mandaui vt decoctionis rad. gentianæ cum vino vnc. 3. ſemis adiectis ſcr. 2. theriacæ optimæ ebiberet;& nihil mali amplius ſenſit: & chirurgo imperauimus, vt vulnus probe tractaret, neque ſubito occluderet. *Idem dicto loco.*

Rabioſus canis, adoleſcentem momordit, qui mox in caninos deflexit mores, latrabat, ſedebatque vt canis, & ceu quadrupes gradiebatur, manibus tanquam pedib. vtens,iamq; dies triginta hoc morbo laborabat. Apollonius ciuibus præcepit, vt canem inquirerent, qui momorderat; illi negabant ſe canem vidiſſe, quòd extra mœnia morſus fuiſſet adoleſcens. O Damis, inquit, Apollonius, is canis fuit albus, villoſus, cuſtos ouium, magnitudine Amphilochicis canibus æqualis. Stat tremebundus iuxta fontem, aquam cupit, & timet. ipſum ad ripam ducite & immurmura auribus hoc tantum, quod à me vocatur. Adductus canis eiulans, ad Apollonii pedes procubuit, iuſſit morſum vt lamberet. Rediit adoleſcenti mens, parentes & amicos agnouit, & ex flumine aquam bibit: nam remediũ rabiei eſt aqua, ſi eam attingere rabioſus audeat. *Philoſtratus in vita Appollonij Tyanei Hiſt. 6. lib. 18.*

OBSERVATIO.

Præſtantiſſimum aduerſus canis rabidi morſum remedium, cuius vſu nemo mortuus.

FLuuiatilium cancrorũ cinis, quanquã valde exiccatorius eſt, ſubſtantiæ tamẽ totius proprietate mirabilis eſt eius in iis, qui a rabiẽte cane ſunt morſi, effectus, iiſq; tum ſolus, tum cum gentiana & thure multo præſtantior. Thuris ſane partem eſſe vnam oportet, gentianę autem quinque: porro cancrorum decem. Et raro equidem aliter illis vſtis nos ſumus vſi, cæterum ad eum modum plerunque, quo Æſchrion empiricus vtebatur, medicamẽtorum peritiſſimus ſenex, conciuis ac præceptor meus. Patella erat æris rubri, in quam impoſitos cancros viuentes hactenus vrebat, donec in cinerem redigerentur, vt facile ad læuorem redigi poſſent. Hic Æſchrion ſic

paratum promtum ſemper in ædibus hoc habebat medicamẽtum, tempore æſtiuo vrens cancros ipſos poſt ortum canis, quando ſol in leonem tranſiſſet, luna decimaoctaua. Porro bibendum hoc medicamen iis qui a cane rabido fuiſſent, morſi præbebat quotidie vſq; ad diem quadrageſimum menſuram cochlearii ſatis magni aquæ inſperſum. At ſi nõ protinus ab initio, verum aliquot poſt dies a morſu curam cœpiſſet demorſi, tunc quotidie duo cochlearia aquæ inſpergebat. Ad ipſum vero vulnus emplaſticum applicabat medicamentũ, quod ex pice brutia & opopanace acetoque conficitur, habens picis libram vnam, vnum aceti acerrimi ſextarium Italicum, opopanacis vero vncias tres. Hęc tametſi a pręſenti inſtituto eſſent aliena, ſcribenda tamen cenſui, quia medicamento huic ipſe confiderem, nimirum cum nullus vnquam eorum, qui illo fuerint vſi, vt dictum eſt, ſit mortuus. Cæterum ſeorſum alterum librum conſcribam aliquando de iis, quæ proprietate ſubſtantiæ totius quid agunt, e quorum numero ſunt id genus omnia. Ignoſcendum itaque ſcripturæ importunitati, tum nũc, tum ſicubi præterea id mihi hoc in opere contigit: nempe quia ex dictis ſumma proueniret vtilitas, quam ſane poſteris ſeruari, impertire volebam, ſi forſan me prius quam quæ deinceps ſunt opera perfeciſſem, mors occupaſſet, ꝓpoſitum impediens. Cæterum Pelops doctor meus & ipſe omnium eiuſmodi cauſas reddere volens, non abs re inquit, cancer, cũ animal ſit aquaticũ, prodeſt a cane rabido morſis, quibus videlicet metus eſt ne corripiantur affectu ſicciſſimo nempe rabie: quamobrem ſane etiam aquam metuunt. Ac fluuiatiles, non marinos conuenire cancros dictitabat, ſcilicet quod animalia marina ob admiſtionem ſalis naturam ſicciſſimi haud æque exactam tuerentur eam, quæ eſt aduerſus rabiem contrarietatem. Ac cum quidam ſubieciſſet, cur non omnia quæ in potabili aqua degunt animalia perinde vt cancri iuuare aſſolent? quia inquit, ſimilem cancris præparationem non admittunt. Nam horum vſtorum cinerem, exiccatorius cum ſit, canum mordentium rabientium venenum abſumere, ſimulque digerere. hæc igitur Pelops dicebat, profeſſus ſcilicet, & ambitione magna iactitans, omnium ſe talium nouiſſe cauſas. At ego niſi plane me ſcire quippiam prius perſuaſum habeam, iis qui adſunt perſuadere non tendo. Itaq; nec Pelopis rationem veram accepi, vt quæ crebras habeat contradictiones: Verum cancros opinor ex proprietate totius ſubſtantiæ prodeſſe. Quoniam autem nullum mortuum ſciueram eorum, qui fuerant illis vſi, totis vtiq; corporibus hoc aperiendum recenſendumque à me exiſtimaui, tametſi non eſſet huius inſtituti proprium (nam id non erat propoſitum) *Gal. l.11. de ſimpl. med. facult.*

Observatio.

Occulta, & per ſomnium cognita, canis rabidi morſus, hydrophobiæque curatio & hiſtoria.

HErbas alias inuenit caſus, alias (vt vere dixerim) DEVS. Inſanabilis ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus pauorem, aquæ potuſq; afferens odiũ. Nuper cuiuſdam militantis in prætorio mater vidit in quiete, vt radicẽ ſylueſtris roſæ, quam cynorrhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridie in fruteto, mitteret filio bibendam in lacte. In Lacetania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte: caſuque accidit, vt milite à morſu canis incipiente aquas expaueſcere, ſuperueniret epiſtola orantis, vt pareret religioni, ſeruatuſq; eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxiliũ ſimile tentauit. Alias apud authores cynorrhodi vna medicina erat, ſpongiolæ, quæ in mediis ſpinis eius naſcitur, cinere cum melle alopecias capitis expleri. *Plinius Nat. Hiſt. lib. 25. cap. 2.*

Ad canis rabidi morſum, vnicum remedium oraculo quodam nuper repertum eſt; radix ſylueſtris roſæ, quæ Cynorrhodon appellatur. *Idem. Nat. Hiſt. lib. 8. cap. 41.*

Sylueſtris roſæ radix medetur demorſis à cane rabido, allio præſertim vulneri impoſito. *Aquinius.*

Narrat B. Fulgoſius de Ildrico Leodienſi Epiſcopo, de Ioanne Monacho, deque Romana fœmina, quæ admonita per inſomnium, oportune radicem Cynorrhodi demorſo filio & aquas iam metuenti miſit in Hiſpaniam, vnde quam celerrime ſit reſtitutus. *Gemma Coſmocrit. lib. 1. c. 6.*

Observatio.

Aliud ad eundem affectum remedium commendatiſſimum.

NOui ego ſenem, qui morſos a cane rabido ſolo acido rumice (oxalide) curabat: primo enim vlcus eius decocto fouebat, deinde herbam ipſam illinebat, eandemque potandam exhibebat: quod quidem medicamẽtum tanquam efficaciſſimum ſummopere commendabat: plurima & turbulenta (ἄκρατα, id eſt, biliosa) qui illum aſſumſerint mejere ſolent &c. Nos quoq; non raro cum reliquis medicamentis eum miſcuimus. Similes vero vires habet & agreſtis rumex aculeatus radice oblonga, veluti raphanus puſilla. *Aetius lib. 6. cap. 24.*

Observatio.

Prophilacticon hydrophobiæ.

QVidam inter præcipua huius morbi præſidia aſſum canis, qui momordit iecur, commemorant, idcirco eo cocto demorſum vti triduum præcipiunt, & certe aliquot ruſticorum, qui id poſt morſum eſitarunt, experientia didici, eo remedii genere aquæ pauorem prohiberi. *Palmarius lib. de morb. contag. pag. 257.*

Observatio.

Balneum ſeu aquæ immerſio cuiuſmodi rabientium & hydrophoborum remedium.

CElſus vnicum hydrophobia oppreſſis remediũ eſſe putat, nec opinantem ægrum in piſcinam, non ante ei præuiſam, proiicere: & ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibere pati, modo attollere: ſi habet, interdum deprimere, vt inuitus quoque aquâ ſatietur. Verum ſi hyems erit, ne corpus infirmum in aqua frigida vexatum neruorum diſtentio adoriatur, a piſcina protinus in oleum calidum demmittendus ęger eſt. Noſtrates hoc remedii genus ad præcautionem vſurpant, mare fluuiis præferentes. Hydrophobia iam oppreſſis, iſtam curationem infeliciter ceſſiſſe: at præcautionis gratia pleriſque profuiſſe, multorum experientia compertum eſt. Quanquam nec huic quidem remedio prorſus fidendum eſſe per multorũ mortes didicerunt po-

puli maritimi. In plerisq; enim aquæ conſpectus hydrophobiam, veneno in corpore commoto, celerius exſuſcitat, quod alioqui ſine vllo ægri incommodo diutius deliteſcere & alexipharmaco extingui donarique potuiſſet. *Idem opere iam citato pag.* 279.

Permulti ſe in mare demerſere, nec tamē inde aduerſum rabiem quicquam adiumēti ſenſere: quemadmodum libro ſuo de venenis prodit Ferrandus Ponzettus Cardinalis: quare non eſt illi remedio fidendum: ad ea currendum potius, quæ libris medicorum prodita, experientia certa & multiplici comprobata ſunt. *Pareus l.* 20. *cap.* 14.

Vnicum propoſitum eſt ab antiquis ad hoc remedium: videlicet aquæ dulcis balneum, eiuſdemque potus quo, eorum authoritate fretus, aliquando expertus, nullam in eo vtilitatem inueni, imo cum plurimum nonnulli huius potaſſent, plurimum etiam detrimenti hinc eos conſecutos noui, quā rem cum accurate perpenderem, ratio, & fruſtrata experientia, me, vanum eſſe remedium iſtud, credere coegerunt. *Salius De affect. partic. pag.* 374.

OBSERVATIO.

Vſtionis & ſepticorum ad hoc malum ratio.

CONtra virulentos ictus vſtio expeditiſſimum eſt auxilium: ignis enim qui vim omnem ſuperat ſimul & domat virus, & ferri penitus nō patitur: ſimul etiam pars ignem experta, poſtea non vulgare fundamentum curationi futuræ præbet, manente diutius exulceratione, *Dioſcorides interprete Ruellio:* qui eandem ſententiam apud Actuarium paulo aliter tranſtulit, & melius quidem, meo iudicio his verbis: Simul vero pars veneni aliqua intercepta ſiſtitur, quę non mediocre curationi futuræ iacet fundamentum: modo diu patens vlcus debilcat: neque cito eius oræ coaleſcant. Imponuntur ſalſa contra morſum canis rabidi: vel ſi non ſint, ferro vſtæ plagæ, corpotaque clyſteribus exinanita, hoc per ſe ſufficit. *Plinius.* Sunt qui ferreis cauteriis vlcus vrant. *Aegineta.* Eſcharotica etiam pharmaca ignis vim obtinent, eiuſque loco vſurpantur. *Geſnerus hiſt. Animal. lib.* 1. *pag.* 191.

Erat magnati cuidam noſtrati procurator domeſticus fidelis, ſollicitus, & ſedulus, quem momordit canis domeſticus non grandis, dum demulceretur non nihil ab eo. Morſus erat exiguus a duobus caninis dentibus factus, in altera manu, minimis cruſtulis punctoriis inſtar illico contactus, abſque dolore euidenti, ideoq; nihili habitus, donec, qui ictus fuerat horrere inciperet & mente vacillare circa ſeptimum. Canis interea alios quoque ortus eſt, citra læſionem tamen, & vltro concidit mortuus, vt rabiei ſigna ſatis certa fuerint. Medicus conſultus dimiſſa omni corporis purgatione & phlebotomia, locum veſicauit illico cantharidibus: pellicula extima detracta, apparuit ſubſtratā cutis ab vno puncto ad alterum corrupta plane, & vſta, quod pellicula intecta conſpici non potuit. Illi ergo parti corruptæ inſperſus puluis præcipitati eſcharam illam venenatā tempore longiore inſperſus penitus ſuſtulit eliciendo vniuerſum virus, non eo ſolum, ſed ex propinquis etiam, quo peruaſerat: nec data vlceri conſolidato ante diem 40. ex præcepto Galeni, ſed puluis exhibitus quotidie cancrorum vſtorum, vti Galenus iubet, adiuncto victu tenuiore. Sic reſtitutus optime fuit in integrum ea vice: altero vero anno, aut ſummum biennio poſt periit fluxu hepatico. *CL. V. Ioa. Aicholtzius de obſeruat. prop.*

Poſt cucurbitulas vſtionem expeditiſſimum remedium cenſuit Dioſcorides, tum quod ea virus domet, & intromitti penitius non patiatur, tum quod diuturnum vlcus relinquat, per quod virus diu effluat. Vſtionis vicem ſupplent ſeptica & exedentia medicamenta, cuiuſmodi multa adurere & cruſtas vlceribus inducere vſus comprobauit. Inter ea vſurpant nonnulli argentum ſublimatum vnguento aliquo refrigeranti miſtum. Nam præterquam quod omnium vehementiſſime adurit, cruſta etiam ab eo inducta, exuſtaq; caro, citiſſime excidit: quod in hoc affectu perquam neceſſarium eſt, ne diutius ſub cruſta cohibitum virus, exitum non habens, in corporis intima conuertatur. Nudatum cruſta vlcus dies minimum quadraginta apertum ac patens eſſe volunt. Quamobrem attrahentia & valde extergentia vnguenta aut emplaſtra inducunt, cuiuſmodi ſunt tum quæ ſupra poſuimus, tum quæ ex pice, tapſia, ærugine, calcantho vſto, argento viuo præcipitato, aliiſq; eiuſdem claſſis confici poſſunt. Qui dolorum metu ignem & ſeptica medicamenta contemnunt, poſt cucurbitulas lixiuio vlcus accurate abluunt, deinde cataplaſma è cinere ſarmentitio cum aceto ſubacto imponunt, aut theriacam oleo roſaceo dilutam. Nonnulli & ſale aut præcipitato mercurio inſpergunt, aut ſalſamentum ſuper vulnus deligant, omni cura & diligentia demorſæ partis inflammationem proritantes, vt humores ad eam maiori impetu confluant. *Palmarius lib. de morb. contag. pag.* 274.

OBSERVATIO.

Ad morſum canis rabidi & hydrophobiam quantiuiuis pertinacem remedia de experimento noua, certa, & infallibilia, ſi illæſæ partes, quæ ſupra dentes ſunt, fuerint; quorum ſolo vſu aliis omnibus carere queas.

PLurima veteres ad præcauendam hydrophobiam remedia literis ac memoriæ commiſerunt: ad eam vero iam natam profligandam, perpauca. Illa efficacia eſſe, multorum fide confirmatum eſt: hæc ferè ſemper irrita longo medendi vſu cōperta ſunt. Nam & *Dioſcorides* ex iis, qui iam hoc vitium ſenſiſſent, neminem vnquam ſe ſeruatum vidiſſe teſtatur. Et *Celſus* hydrophobia oppreſſis in anguſto ſpem eſſe literis prodidit. Et noſtra hac ætate vulgus ea tentatos dum nullo remedio reſtitui poſſe reputat, vitæ pariter ac morbo ſtrangulatu finem imponit. Triſte profecto & crudele nimium ſpectaculū. Niſi forte ex hiſtoria vnum aut alterū euaſiſſe audiamus: ſiquidem Eudemus conualuiſſe quendam affirmat: Themiſonem etiam demorſum, quidam in hunc furorem incidiſſe & euaſiſſe fatentur. Referunt & alii philoſophum egregia animi conſtantia, aquæ pauore excuſſo, quam perhorreſcebat aquā hauſiſſe, & tandem malum ita ſuperaſſe. Pauci itaque natæ iam hydrophobiæ diſcrimen euaſiſſe notati ſunt. Sed hæc præcautionis ratio à veteribus tradita, in multis reſpōdere cōperta eſt. Quę res effecit, vt poſthabitis medicis ad diuorū opem cōfugere cœptum ſit. Sed poſteritatis induſtria certum iam & minime

fallax

fallax alexipharmacum inuentum eſt, quod & futuram hydrophobiam anteuertere, & præſentem extinguere cohibereq; poſſit, modo inflictum vulnus capitis partes ore ſuperiores non attigerit, aut aqua elotum fuerit, alioqui in anguſto fere (quod veteres non animaduertiſſe miror) ſpes eſt. Præſentaneum alexipharmacum noſtrum tradendum quod ſolum neglectis catharticis medicamentis, omiſſa etiam vulneris cura quocunque a morſu tempore vſurpetur, certiſſimum ac tutiſſimum exiſtit, vt quo nullum vnquam animal vſum viderim, ꝙ non tam atrocis morbi periculum euitarit quacunque vteretur victus ratione, illæſis tamen capitis partibus quæ dentes ſuperant: his enim vulneratis, exigua ſalutis ſpes eſt, vt & vulnerata parte ſtatim a morſu frigida elota. ℞. Foliorum rutæ, verbenæ, ſaluiæ minoris, Plantaginis, foliorum polypodii, abſynthii vulgaris, mentæ, artemiſiæ, meliſſophylli, betonicæ, hyperici, centaurii minoris, ſingulorum æquale pondus. Legantur ſingula, quo tempore viribus pollent maximis, q; ad Iunii fere pleniluniũ in hoc Galliæ tractu aſſequuntur. Papyraceis dein chartis concluſa ſiccẽtur ſeorſum in loco, ad quẽ neq; ſol neq; pluuia pertingat, ne vel minimũ exareſcant, vel ſitũ contrahãt. Siccata ad futuros vſus aſſeruentur, ea lege, vt quotannis renouentur. Quum a. vtendi neceſſitas incidet, ſingulorum æquale pondus in puluerẽ tenuiſſimum redigito, cuius drac. ſemis. demorſis quotidie præbeto, idq; vel ex cochleari cum duplo ſacchari, vel ex vino, vel ex pomaceo, vel ex iuſculo, vel ex butyro, vel ex melle opiatæ forma, ieiuno ſtomacho, & tribus horis ante cibum. Quanquam autem ſeſquidrachma aut drachmæ duæ ſatis ſint, tum homini tũ omni animali quantumuis crudeliter fauciato, nihil tamẽ obfuerit ad tres quatuorve proceſſiſſe, quum præſertim vel longo poſt demorſum tẽpore, vel nata etiam hydrophobia, curationem aggredimur. Qui hydrophobia iam correptus eſt, arcte vinciendus, vt quem dixi puluerem vino aliove liquore ſolutũ (nihil enim ad curationẽ refert) deglutire cogatur. Ore etiamſi opus ſit vi adaperto. Satius autem fuerit in furoris intermiſſione, quum mens integra eſt, remedium propinare. Iam vero quamprimum contractũ vulnus eſt, ne in ſordidum vlcus degeneret, ſpongia aut ſiccis linteis exiccatum, vino aut hydromelite, in quo ſuprapoſiti pulueris drach. ſemis ſoluta ſit, bis, terue quotidie foueto: deinde vnguentum aut emplaſtrum inducito, quale aliis vulneribus ex vſu eſt, & ita ſaneſcere ſinito, nullo hydrophobiæ metu. Hæc dum fiunt, nec conſuetam victus rationem immutare, nec domi ſe cõtinere, nec purgans medicamentũ vſurpare neceſſe eſt, niſi forte ante cœptam curationem nata erat hydrophobia: ea quippe ſublata, qui iam vitium fecerant corporis humores, partim expurgari partim idonea victus ratione immutari debent.

Henrici ſecundi Galliarum regis venator, graui morbo decumbens, bona fide Ioanni Fernelio, præceptori meo amantiſſimo, aſſeuerauit pimpinellam ad præcauendam hydrophobiam tantam vim obtinere, vt quicunque eam aliquot diluculis vel in acetariis vel alio quouis modo apparatam, poſt demorſum comederit, nihil inde incommodi ſentire poſſit: quod in canibus regiis ſe primum expertũ fuiſſe dicebat, quibus demorſis, illam fælici ſucceſſu offerebat. Si quis igitur eam volet in brutis primum experiri, deinde ſi reſpondeat, vt reſpondere in aliquot comperi, ad demorſos homines transferre, præſidiũ erit paratu facilimum. Verum enimuero quum nullum hactenus animal noſtro alexipharmaco vſum ſit, cui non feliciter ceſſerit, ſiue iam nata, ſed non vltra tres paroxyſmos, erat hydrophobia, ſiue ea ex demorſu metuebatur, fruſtra in aliis inueniendis tempus & operam poſtea luderemus. Huius autem præſtantiſſimæ antidoti inuentio atque exploratio Iacobo Syluano Domino de Pyrou viro antiquitate generis & nobilitate præſtanti, accepta ferenda eſt. Vellem interim argutulos quoſdam acerrimos abſtruſarum rerum, ſi diis placet, inueſtigatores, qui occultas medicamentorum proprietates pro ignorantium aſylo reputantes eorum omnium, quæ in arte fiunt, cauſam ad manifeſtas medicamentorum quantitates acceptum referunt, mihi indicarẽt quomodo deſcriptus puluis, calidus quum ſit, febrem tam malignam, eamque continuam, delirio aliiſq; pernicioſis ſymtomatis comitatam, nulla excretione manifeſta profliget, atque hydrophobiam tam facile vel præcauere vel perſanare poſſit. Quinam, cedo temperiei intemperieive gradus, omni animali ætati, ſexui, & corporis conſtitutioni, ita reſpondeant, vt eundem effectum in omnibus producat? Sed valeant illi, & ad ſenium vſque nihil præter intemperiem circumtonent. *Palmarius lib. De morb. contag. pag. 271. 272 & pag. 276. cum ſequentib. aliquot.*

Observatio.

Alia liberati cuiuſdam hiſtoria.

Excellit cæteris theriaca, in aqua vitæ vel vino generoſo diſſoluta, duriuſque parti affricta, ſic vt cruore manet, impoſitis, illo deterſo, linamentis eodem medicamento imbutis, moxque ſuperpoſitis aliis vel cœpis communibus cum ſale vulgari & therebinthina intritis. Hoc ſolo remedio, vnam ex filiabus nobilis dominæ Gron à rabiei ſymtomatib. vindicaui, vulnuſque perſanaui, cum ipſam, altius impreſſis in ſuram dextri cruris virulentis dentibus, canis rabioſus momordiſſet. Prodeſt & extemplo allium cum pane edere, indeque vini generoſi modicum bibere: nam allium calore ſpirituoſo partes nobiles à veneno tuetur. *Pareus lib. 20. cap. 14.*

Observatio.

Diuina & miraculoſa ad canis rabidi morſum, & inde ſubſequentem hydrophobiam curatio.

Est in Rhodiginis paludibus Diui Bellini tẽplum miraculorum frequẽtia celeberrimũ, & affluxu hominum etiam notiſſimum. Erectæ ædis cauſa fere publicata eſt. Pulſus is Diuus Patauio, graſſantibus nobilium pleriſque, quod ſeuerius ſanctiuſque, quã ab illis probari poſſet, epiſcopum ageret, inſectantibus inimiciter aduerſariis, in paluſtre agri noſtri ſolum, quindecim millibus paſſuum Rhodigio diſtans, diuertit. Quum manus hominum euaſiſſe videretur, canum rabiem non euaſit, a quibus e veſtigio conuulſus diſcerptusque, mox in diuorum indigitamenta relatus, templum in iis emeruit locis, in quo & arca marmorea ferreis occluſa cancellis latet ſanctiſſimum eiuſdem corpus. Templi vero ex

necis genere ea cœleſtis eſt proprietas, ſi quis ſibi clauem quæſiuerit, qua ædis valuæ recludantur, ac ea candente quicquid rabie agitari orſum ſit attigerit, præſentiſſimum eſt remedium, & nunquam non verum. *Cœlius Rhodiginus lib. 17. c. 28. L. A.*

Perpauci noſtra hac ætate habentur a rabioſo cane demorſi, qui medicos conſulant. Nam eſt tanta religionis vis, vt omnes, quos canes rabioſi momorderint, partim ad diui Domini templum confugiāt, partim vero ad Diui Bellini ſacellū, vbi quibuſdam exorciſmis, & panibus characteribus obſignatis à ſacerdotibus per quam facile curātur, vt plurimorum teſtimonio equidem fateri poſſum. Sed cogitanti mihi quonam pacto hoc tam facile eueniat, nonnullæ ſeſe obtulerunt rationes quas bibere dicam. Haud dubie in primis diuina auxiliatur gratia: quippe cum non parum moleſtiæ malique morſu canis rabioſi affectis inferre poſſint cacodæmones, vt qui in atrabilariis humoribus ſuam habeant ſedem, iique exorciſmis cedentes abeunt, & afflictorum corpora munda relinquunt, ſublato ſecum veneno. His denique accedit magna laborantium fides, quam ſuſcipit Deus Opt. Max. cuius ſolius munere omnia noſtra delentur incommoda, atq; omnes auferuntur ægritudines. *Matthiolus comment. ad libr. 6. cap. 37. Dioſcor.*

Neapolitanus quidam refert ſe ab Antonio quodam audiuiſſe carmen, quo oppidani vterentur Apuli, ad ſanandum canis rabidi morſum. Inſomnes enim nouies ſabbatho luſtrare oppidum; Virum è diuorum numero implorantes: idque tribus ſabbathis noctu cum peregiſſent, tolli rabiem omnem, venenumque extingui. Eſt autem (inquit) carmen huiuſmodi:

Alme Vithe pellicane,
Oram qui tenes Apulam,
Littusq; Polignanicum,
Qui morſus rabidos leuas,
Iraſq; canum mitigas:
Tu ſancte rabiem aſperam,
Rictusq; canis luridos,
Tu ſæuam prohibe luem,
I procul hinc rabies,
Procul hinc furor omnis abeſto.

Ioan. Iouian. Pontanus in Antonio dialogo.

Obſervatio.

Amuleto curata rabies.

Peruenit ad me opinio, eſſe in inſula Creta barbarum quendam naufragio appulſum, maiorem natu publice mercedem accipientem. Quinetiam cum liquores timent, & latratus edūt, ſpaſmoq; vexantur, remedium, brachio ſiniſtro alligato efficere, vt & potionem accipiant, & liberentur vitio: quod adhuc ante antidotum Celſi inter omnes quaſi inſanabile conſtitit. Hoc ego cum quærerem ab hoſpite meo, legato inde miſſo, nomine Zopyro, Gordienſe medico, quid eſſet pro magno munere accepi. Dixit autem hyænæ corii particulam eſſe panno inligatam: quod ego adhuc nondum ſum expertus, quamuis protinus magna cura hyænam inuenerim, & pellem paratam habeam: quia non incidit ex eo quiſquam & opto quidem ne incidat: ſed quia id nō eſt in noſtra poteſtate, ſi caſu incideret, remedium habere oportet ad tantæ rei experimentum. Antidotus autem Celſi hæc recipit. Nardi Syriaci, croci, myrrhæ, coſti, caſſiæ, cinnami, ſchœni, piperis albi, piperi longi, caſtorei, galbani, reſinæ therebinthinę, opii, ſingulorum * po. iij. alterci albi. * po. ij. aneti. * po. i. Apii ſeminis, tragacanthi, ſingulorum * po. ſex, mellis attici ſextarium vnum, vini falerni vnciā. In hoc maceratur tragacanthum & opium pridie: poſtero die contuſis cæteris, miſcentur in melle galbanum & reſina, fictili patella ſuper carbones impoſita reſoluuntur: deinde arida aſperguntur, & ſi opus eſt adiicitur mel: & vt cerati teneri ſpiſſitudinem habeant, & rurſus patella ſuper ignem imponitur, mouenturq; quæ ſunt in ea ſpatha fraxinea. Coquitur medicamētum, donec crocinum habeat colorem: vltima quæ ſunt vino macerata adiiciuntur: vaſe vitreo antidotus reponitur. Datur fabæ ægyptię magnitudine ex aqua. Facit autē etiam ad ſtomachi omne vitium, & pręcipue ꝙ cum fluore conſiſtit. Facit & ad oculorum epiphoras, & ad tormina, & ad coli inflationē, iecinoris, pectoris dolorem, tuſſienteis, aduerſus mala medicamenta omnia, ſerpentum morſus vel ictus. Oportet autem locum morſum a rabioſo cane, vel à ſerpente, diu tenere in exulceratione: neq; pati cicatricem ducere, vt virus illac pertrahatur. *Scribonius Largus de compoſ. medic. lib. compoſit. 171. 172. & 173.*

Obſervatio.

Hiſtoria mirabilis de Hiſpanis ſalutatoribus, natura vi ſingulari, demorſos a cane rabido, ſanantib.

Magni ſunt authores, quibus fidem abrogaſſe piaculum prope ſit, habere Hiſpaniam genus hominum, addunt etiam nomen, ſalutatores vocāt, geſtare dicūtur in parte corporis aliqua natiuam ab origine notam, ceu ſemifractæ rotæ, quale fere Diuæ Catharinæ appingi ſolet inſigne, omnibus his ea innata inſitaque a natura eſſe vis dicitur, vt a cane rabido demorſos perſanent, verine an nothi generis ſint, (ſunt nanque qui ſe familiæ huic inſerant, ſubdititii) ignis experimento coarguuntur, quem qui adulterini non fuerint illæſi ferant. *Alexandrinus lib. 2. cap. 12. ſalub.*

Obſervatio.

Anhelitus felium veneficium.

Probatum eſt, quod odorare anhelitum catorum, habet conſumere humiditatem radicalem pulmonis & totius corporis. *Auenſoar procœmio libr. 1. Theuzir.*

Prauus eſt etiā anhelitus felium; noui enim quoſdam, qui, cum noctu in lectis feles ſecū habuiſſent, & infectum ab eis aerem inſpiraſſent, hectica febri, & maraſmo tandem conſumti, perierunt.

Nec ita pridem in monaſterio quodam, vbi permulti cati familiariter nutriebantur, & in cœnaculis cubiculiſque & lectis frequentes erant, adeo plerique infecti ſunt, vt intra breue tempus nec miſſa nec veſpera eo in monaſterio decantarentur. *Matthiolus comm. ad lib. 6. c. 25. Dioſcor.*

Ex his intelligere eſt, quam minime fabuloſum ſit, quod vulgus dictitat, feles infantibus eſſe exitiales: ipſorum enim ori toto corpore incumbentes, fuliginis exitū, & thoracis motū intercipiunt, ac peſtifera, q̄ de ſe demittunt, aura, & exhalatione tenellorum

infan-

infantium ſpiritus inficiunt, & præfocant. *Pareus lib. 20. cap. 34.*

Observatio.

Cerebri felium malefica vis.

DIcunt quod qui ederit de cerebro cati maſculi, dementetur fere: eſt enim valde ſiccum, ſi ad hominis temperiem conferas, & meatus cerebri obſtruit, ita vt impediat ſpiritus, animaleſne ad poſteriorem ventriculum tranſeant: vnde excluſa memoria ſine mente videtur qui ſic affectus eſt. Curatur propinando bis menſe drachmam terræ Lemniæ cũ aqua ſampſuchi, aromata etiam cibis miſcenda ſunt, recreandi ſpiritus gratia. Vinum bibendum clarum, & cum eo quandoq; drachma ſemis diamoſchi dulcis; ſed forte ſat fuerit bonam victus rationem inſtituiſſe. *Ponzettus lib. 2. tract. 6. cap. 3.*

Qui felis cerebrum in cibis ederint, crebris conficiuntur vertiginibus, fiuntque ſubinde ſtolidi & amentes. Quibus etſi ſubueniri poſſit, id tamen non niſi temporis tractu, & admodum difficulter fieri poteſt. Hic danda eſt lemnia ſphragis, & vomitiones inde ſunt excitandæ, fierique id oportet ter aut quater in menſe. Præſtat idem auxilium ſi quotidie mane ſumant ægri Diamoſchi confectionem, tribus vel quatuor horis ante cibum. Quinimo moſchus per ſeſe ſufficienter auxiliatur: namque, vt quidam tradiderunt, moſchus tantum huiuſce cerebri proprium eſt antidotum, ſi dimidii ſcrupuli pondere ex vino bibatur. *Matthiolus, comment. ad libr. 6. cap. 25. Dioſc.*

Observatio.

Sanguinis felium maleficium.

PVella quædam mollior, hic Vratislauiæ, nõ multorum annorum, cum publice ſpectaret à carnifice latronem capite truncari, territa ſpectaculi fœditate, in Epilepſiam incidit. Multa, vt fit, pro remedio tentata, fruſtra omnia. Ex vulgo quiſpiam ſuaſit, felium ſanguinem porrigi vtile eſſe: quo ebibito, malum non difficulter ceſſaturum. Offertur; accipit miſera, infœlici admodum euentu. Paulo poſt enim felis naturam induit, ſed ex interuallo: & quod hoc animal ſolet, id illa omne æmulatur, voce, ſaltu, geſtu, veſtigiis, cum mures in ſilentio venatur, in quibuſcunque etiam poteſt anguſtiſſimis foraminibus, idque tantiſper, dum paroxyſmi vehementia remiſerit. Triſtiſſimum hoc parentibus ſpectaculum, miſerabile etiam ſpectantibus, hominem beſtiæ naturam induiſſe. CL. V. *Laurentius Scholzius, de ſuis nobis, adeoque poſteritati communicatis obſeruationibus & CL. Mart. Weinrich. comm. de monſtris.*

Observatio.

Pilorum felium exitium.

SEd illud non ignorandum, quod non modo feles, deuorato eorum cerebro homines inficere poſſint: ſed etiam pilis, reſpiratione, & oculorum intuitu. Nã etſi pili omnes imprudenter in cibis ſumti præfocare poſſint, anhelitus meatus obſtruentes; tamen felium priuatum exitiales cenſentur.

Matthiolus comment. ad lib. 6. c. 25. Dioſcor.

DE QVADRVPEDIBVS OVIPARIS.

Observatio.

Rubetarum ſeu Bufonum virulentia & veneficium.

EGo dum nuper à Bononia doctoratus in medicina acceſſi Piſaurum, vidi quendam iuuenem, qui interfecerat quodam lanceoto quendam magnum bufonem, qui nulla præuiſione vtens, deuenit ad ſtuporem totius corporis, adeo vt ſtetteret duobus diebus protinus abſque pulſu, & ſi tunc ſciuiſſem, quæ nunc ſcio, exiſtimo quod indubie curaſſem eum. *Santes de Ardoynis libr. 4. cap. 7. De venenis.*

Superioribus annis quidam cœpit cannam, in cuius ſummitate ſteterat infixa botrax, & expellens cũm ea animalia ex ſuo agro, reuerſus domũ, quamprimum incepit comedere, euomuit cibum quem tangebat, nec ceſſauit donec fuit ſibi ſubminiſtratus per manus alterius: & tunc cognouerunt, quod illud procedebat à veneno cannæ inducto ab illa botrace, & communicatum ſuis manibus: cum enim ipſa contineat venenũ groſſæ ſubſtantiæ non aptum penetrare, ideo infectio non perueniebat ad terminum interficiendi, ſed ſolum inficiebat cutem. *Ponzettus lib. 3. c. 12. de venenis.*

Ne illud in primis memorabile videtur, ac ſumme admirabile, quod à Ioanne Boccatio traditum eſt de eo, qui dum in horto iuxta Saluiæ fruticem cum amaſia hilariter luderet, ac dentes & gingiuas foliis eiuſdem confricaret ex tempore mortuus corruit. Cum vero amaſia veneficii argueretur à Iudice, & decerpto folio ex ipſamet ſaluia oſtenderet, amaſium hoc modo, quo tunc ipſa, deterſit dentibus & gingiuis obiiſſe, obiit & illa: magna certe omnium admiratione. Vnde iudex admodum prudens, de ſaluia male ſuſpicatus, eam radicitus extirpari, & vulcano committi iuſſit, ne aliis ſimili eſſet exitio. In eam rem dum ab horti colono ſedula nauaretur opera, ecce bufo prægrãdis & luridus ſub ea, qua maxime refici aiunt, ſtabulans apparuit: qui viroſo halitu & tabifica illuuie, peſtilentique ſaliua totã plantam inficiebat. Quod animaduerterat ille, qui ſcripſit, cur moriatur homo, cui ſaluia creſcit in horto? ſibique deinceps cauere hinc proſpicient, qui illotam & inexpiatam ſaluiam temere olfaciunt, mandunt, in ſinu geſtant, aſſandæ bubulæ defigunt, condimentis toſtorum capunculorum (ſaluiata vocant) paſſim iniiciunt, & quod neruos iuuet, poculis ac iuſculis affatim innatare permittunt. Ceterum viroſa ac peſtilens ea maxime cenſetur eſſe, quæ foliorũ pinnas veluti carbunculatas præ ſe fert, eſt toto halitu, nedum foliis retorrida, emaciata, & languidula, ac ſi ſphaceliſmo laboraret, aut ſideratione aliqua percelleretur. *Mizaldus memorabil. Cent. 1. Aph. 1.*

Etſi Bufones dentibus careant, gingiuis tamen, quas præduras & ſcabras habent, partem cui adhæſerint ſic arcte conſtringunt, vt venenũ ſuum in partem, totumq; inde corpus per cõſtrictæ partis poros adigant. Id inſuper venenum mictu, ſaliuatione, & vomitu in herbas eructant, preſertim vero in fraga, quæ vehementer appetere dicuntur. Hinc repentina & occulta mortis cauſa multis cõflatur. Auditum

habeo à viro fide digniſſimo, extitiſſe mercatores
duos, qui non longe ab vrbe Tholoſana, interim
dum pararetur prandium, in hoſpitii hortum cum
deambulandi cauſa ſoli diuertiſſent, folia ſaluiæ de-
legerunt, eaq; illota, vt lecta fuerant, in vinum ſuum
merſerunt. Nondum, pranſi erant, cum illis repen-
tina vertigine præhenſis totum diuerſorium ſuſque
deque verti viſum eſt, tum occæcati in ſyncopem
lapſi ſunt, obortis per interualla conuulſionibus, in-
terruptam. Cęterum labris linguaque nigricantibus
balbutiebant, aſpectu toruo & horrido, cum effreni
vomitu, ſudore frigido, mortis, quæ mox illis, in al-
tum tumorem toto corpore ſublatis, contigit, præ-
nuntio. Cum de veneno ipſis exhibito iuſtitiæ eius
municipii cuſtodib. iniecta eſſet ſuſpicio, manus in
hoſpitii dominum omneſq; conuiuas iniectæ ſunt:
quæſtione habita conſtanti & vna voce ſinguli re-
ſponderunt, iiſdem mortuos illos cibatos potiona-
toſque, quib. & reliqui, hoc vno excepto, quod ſal-
uiam vino ſuo non affudiſſent. Quæſitum ex medi-
co ęſt num ſaluia veneno infici poſſet. Reſponſum
eſt poſſe: ſed in rem pręſentem veniendum, vt inno-
teſceret, num virulenta aliqua ferę ſaliua ſua & ſanie
venenata ſua arbuſculum aſperſiſſet. Id leuicule &
per coniecturam tantum pronunciatum, oculis ve-
rum compertum eſt. Subterraneum enim foramen
ad eius radicem inuentum eſt, totum buffonib. dif-
fertum, qui inſtillata aqua tepidą illecti, fidem fece-
runt venenum a ſe in plantam illam ſaliua & vrina
illatũ, ex quo intelligere licet, quam parum pruden-
ter agant, qui herbas fructuſq; recẽter lectos illotos
deuorent. Cauendum etiam ne in agris obrepente
ſomno decumbamus iuxta foramẽ, quod ſibi, velut
domicilium, buffones & ſimiles perniciei aliæ viru-
lentæ feræ delegerint. Inde enim in pulmones duci
poteſt aura venenata, lethifera. Abſtinendum ea-
dem de cauſa à ranarum eſu menſe Maio, quod tum
buffonib. gratia prolis coeãt. A bobus inter paſcen-
dum exiles nonnunquam buffones vna cum herbis
deuorantur, futuri mox magna mali cauſæ: inde e-
nim tantum boues intumeſcũt, vt ſæpe rumpantur.
Nec vero buffonum venenũ intus modo ingeſtum
perniciale eſt, ſed etiam cuti aſperſum: niſi quis lo-
cum ſtatim abſterſerit vrina, aut aqua & ſale. Admiſ-
ſo buffonum veneno ægri flaueſcunt, toto corpore
intumeſcunt, diſpnœa aſthmatica corripiuntur, ver-
tigine, conuulſione, ſyncope, & tandem morte prę-
henduntur. Hæc tam horrenda ſymtomata non
modo ratione elementarium huius veneni qualita-
tum, frigiditatis & humiditatis, quæ ſummæ buffo-
num veneno inſunt, ſed multo magis occultæ pro-
prietatis, quæ nata eſt humores eius corporis ad ꝙ
peruenerit, putrefacere, credendum eſt contingere.
Ergo procurare vomitum oportebit, ſi præſertim
ore id ſumtum venenum eſt, clyſterem indere, ve-
neni vim omnibus alexiteriis calidis & attenuanti-
bus infringere, vt theriaca & mithridatio in vino ge-
neroſo diſſolutis: tandem vero balneis, æſtuariis, &
valido multoq; exercitio ipſum digerere. *Rondeletius
lib. de piſcibus* eadem illa de veneni bufonum, quæ di-
ximus, diritate, aſtruit, raro tamen ipſos mordere,
ſed vel vrinam, quam multam in ampla veſica colli-
gunt, vel ſaliuam ſpiritumq; virulentum in obuios,
& eos qui adoriuntur eiaculari, quinetiam herbas
vel venenato eorum ſpiritu afflatas, multo magis v-
rina vel ſaliua aſperſas, his, qui eas eſitant, ad mortem
ſufficere. Alexiteria vero eſſe ſuccũ betonicæ, plan-
taginis, arthemiſiæ, præterea & teſtudinis ſanguinẽ,
cum farina in pilulas ſubactum, mox in vino diſſo-
lutum & ingeſtum. *Pareus lib.20.cap.24.*

Observatio.

Ranarum eſu intoxicati.

VIdi in tota familia, ex Ranis eſitatis dominum
duntaxat interemtũ: quia is famelicus, ac ven-
tre vacuo, congeſtum prauæ qualitatis cibum con-
feſtim per venas attrahens, eadem die ſuffocatus eſt:
alii non item, quia cibati prius fuerant, vnde ſuper-
natante in ventre illo veneno, ac vomitu ſuperueni-
ente, cum larga per aluum deiectione omnes ſerua-
ti ſunt. Sic circumforanei per plateas & compita vi-
ſuntur, ſpectante populo, ingurgitare venena: quia
oppleto prius ventre multis ac pinguibus cibariis,
ſupernatans diu venenũ vomitu ſubinde excernũt,
ac ſeruantur incolumes. *Andreas Baccius in Prolegome-
nis venenorum & Antidotorum pag.38. & 39.*

Observatio.

*Lacerti Ormuzani & Tigridis pilorum apud Indos
veneficium præſenta-
neum.*

PRæſentiſſimum apud Indos venenum vocatur
Bicho de Ormutz, id eſt Lacertus ex Ormutz, qui
ſimilis ſcinco eſt, de quo & eius exitioſiſſimo vene-
no, diabolica arte, qua homines extinguere ſolent,
referemus *in libro Animalium.* Alterum e Tigridis pi-
lis fit. *Chriſtoph. a Coſta lib. Aromat. pag. 45. & 46.*

DE MARINIS AQVATILIBVS.

Observatio.

*Paſtinacæ marinæ vis venefica; eiuſdemq; ex ſe ipſa
curatio.*

SVperioribus annis Vxor Iuliani Ferrini Piſis hunc
piſcem (Paſtinacam) abluens, imprudenter eius
aculeo manum ſibi vulnerauit, paucos poſt dies ſe-
cuta eſt neruorum diſtenſio, quæ intra menſis ſpa-
tium ipſam ſuſtulit. *Vidius Med. part. 2. ſect. libr. ſecundo
cap* 8.

Ruſticus quidam è Cemeniis montibus, cum pa-
ſtinacam à ſe furto ſublatã veſte tegeret, telo femori
infixo vulneratus eſt: ſed ne furtum deprehendere-
tur, ad vulneris dolorem exclamare non auſus, clam
ad me venit, rem omnem aperit, telum adhuc infixũ
monſtrans: quod dilatato vulnere extractum eſt, at-
que interea, dum cremaretur, & in cinerem redige-
retur, vulneri paſtinacæ iecur imponendum curaui,
nec id ſine ſucceſſu: paulo poſt enim ſedatus fuit do-
lor, cœpitque tumor ſummitti, nihilominus tamen
cum nõ ignorarẽ piſcem iſtum ſui veneni habere in
ſe antipharmacum, radii cinerem cum aceto vulneri
admoui. Quo & veneno medicatus ſum, & vulnus
recens plane exiccaui. Venenum iſtud noſtris piſca-
toribus notum eſt: captis enim paſtinacis caudas ab-
ſcindunt, niſi ſi aliquando in forum piſcarium inte-
gras deferant in gratiam medicinę ſtudioſorum: qui
a me & de piſce, & de eius in medicina vſu admoni-
ti, eas emunt & exiccant. *Geſnerus lib. 4. de hiſt.
animal. pag.* 801. *Ex Ron-
deletio.*

Obser-

OBSERVATIO.

Leporis marini venenum cuiuſmodi.

NOn indignum relatu, Imperatorem Titum ab Domitiano Leporis marini peſtifera vi peremtum: quū eo ſciſcitante, ἀποθανοῦμαι δὲ τίνα τρόπον; prædictum fuiſſet fatis, moriturū ſcilic.ſicuti fertur deceſſiſſe Vlyſſes ἐκ τῆς θαλάττης, ſed is tamen trygonis, id eſt, paſtinacæ ictu periit. *Cœlius.* Locus eſt apud *Philoſtratem lib.6.* vbi hæc etiam addit: Titum, cum poſt mortem patris annos duos regnaſſet, à marino lepore interfectum dicunt. Is autem piſcis humores quoſdam occultos habet mortiferos ſupra omnia venena, quæ terra marive naſcuntur. Et Neronem hunc ipſum piſcem epulis miſcuiſſe quādoque tradunt, aduerſus homines ſibi inimiciſſimos. Domitianus hoc quoque eodem contra Titum fratrem vſus fuiſſe putatur, quod graue moleſtumque ſibi videretur ſimul cum fratre humano benignoque viro imperare. *Ioan. Tzetzes* quoque *in variis* 6.43. Titum hoc veneno extinctum tradit. *Idem lib.4.De hiſt.4.animal.pag.*567.

OBSERVATIO.

A Dracone marino icti, quæ patiantur, hiſtoria & curatio.

DRaco marinus, viuæ nomen apud Gallos, à viuacitate, obtinuiſſe creditur: quod expiſcatus & mari ſubductus diu poſtea viuere dicatur, venenati ſunt eius aculei, illi maxime qui ad brachiarum apices ſunt. Quæ cauſa eſt cur ei piſcium generi caput amputent coqui, imo Rothomagi non ante macello exponitur antequam caput exemtum fuerit: ictis pars vulnerata grauiter dolet, cum inflammatione, febre, animi deliquio, gangræna, & necroſi mox lethifera, niſi occurſum celeriter fuerit. Non ita pridem vxor Fromagetii curiæ libellorum ſupplicum ſcribæ, huius piſcis aculeo icta eſt in digito medio: iſtum ſubſecuti ſunt partis tumor & rubor ſine non magno dolore. Cum videret tumorem in horas augeri, vicinæ ſuæ vxoris Prægelonii rerum priuatarum iuridici comitialis, quæ ex ſimili caſu neglecto paulo ante interierat, periculis facta cautior, me accerſit, ego intellecta morbi cauſa, digito dolenti totique pariter manui cataplaſma impoſui ex craſſiore cœpa ſub prunis cocta, fermento, & pauca theriaca. Poſtera die iuſſi vt manum totā demergeret in aquā calētem, ad venenum foras eliciendū, mox multiplici ſcarificatu, ſed ſupficiario, cutem in ambitu diuiſi, diuiſionibus hirudines appoſui, ſuctu detracto ſufficienter ſanguine, theriacam in aqua vitæ diſſolutam admoui. Sequenti die detumuerat manus doloris plane expers, paucíſque poſt diebus plane conualuit. Hunc piſcem diſſectum, ſuoque vulneri impoſitum remedio eſſe ſcribit Dioſcorides. *Pareus libro vigeſimo cap.trigeſimo primo, de venenis.*

OBSERVATIO.

Torpedinis marinæ malignitas.

TOrpedo, Græcis olim Νάρκη dicta, vtroque vocabulo re ipſa piſcis naturam explicante, quod ſuâ frigiditate torporem manibus inducat. *Bellonius de Aquatil.*

Tremulam in littore Britonum relabens æſtus quum in ſicco reliquiſſet, & adoleſcens, vt eam palpitatione tentantem abitum ſiſteret, pedibus inuaſiſſet, ipſo in veſtigio totus tremuit. *Scaliger exercitat.* 2.18.8.*ad ſubtilitat. Cardani.*

Torpedo tangentem, vtcunq; celeriter manum retrahat. ſtupefacit, adeo vt vnus de ſociis noſtris, qui extremo digito punctim tantum attigerat, vix intra dimidium annum lotionibus & vnguentis calidis brachio ſenſum reſtituerit. *Albertus* citante *Geſnero hiſt. Animal.lib.4 de torpedine.*

OBSERVATIO.

Scorpionis & ſcorpanæ marinorum ictus virulentia & curatio.

EGo pluries piſcaui, & cum inuenirem & tetigi manu ita quod punxit me in minimo digito. Signum eius quod accidit mihi ex ſua punctura, quoniam in primis ſenſi modicum doloris, & non ceſſauit dolor paulatim augmentari, donec peruenit & aſcendit ad brachium, & ſic vſque ad ſpatulam, & ſic vigoratus eſt ſuper me dolor, & ſumſi tyriacam alfaroc, & non fuit mihi manifeſtum iuuamentum eius, donec acceptis furfuribus tritici & diſtemperatis cū aqua calida loco ſuperpoſui, & hoc pluries reuocato, ceſſauit dolor, & remanſit perditio motus digiti puncti longo tempore. Et mihi retulerunt piſcatores quod impoſſibile eſt manum vel digitum ex ſui punctione areſcere, & non eſt dubium apud me, quoniam cauterizato puncti ſuper cætera valet mihi iuuamento vel ablutione, & hoc bene ſciunt piſcatores, & præſeruant ſe ab eo. *Alſabarauius practic. tract.*30. *ſect.*2.*cap.*21.

Aſſerimus piſcem (ſcorpium) πληκτικὸν eſſe, quod indicat *Plinius lib.*32.*cap.*11. cum ſcribit: ſic & ſcorpio lædit, dum manu tollitur: tot enim aculeos habet in capite, vt ſine noxa tractari non poſſit, niſi cauda arripiatur, vel duobus tantum digitis medium corpus apprehendatur. Ob id accidit plerunque, vt piſcatores noſtri à ſcorpiōnibus pungantur, & expunctæ partis inflammatione dolor magnus oriatur. Puerū ab hoc piſce miſere ictum, dum eum in ſinu reconderevellet, curaui nullo diſſecto & impoſito cum eiuſdē ſcorpionis hepate, adhibito ad vulneris ambitum lentiſco contuſo. Quod ideo commemorare volui, vt ſcorpionis ictuum antipharmaca à veteribus tradita vera eſſe, & à me experientia comprobata omnibus indicarem. Principio nullum ferè venenatum eſt animal, quod veneni ſui antipharmacum in ſe non contineat. Cum enim partes diuerſæ ſint, diuerſo quoque temperamento inter ſe aduerſari neceſſe eſt. Deinde duplex antipharmaci genus eſſe comperio. Antipathiam (ſympathiam) & ſimilitudinem ſubſtantiæ: vt hepar venenatorum animalium vulneri impoſitum ſimilitudine ſubſtantiæ venenum retrahit, maximeque confert ea parte qua fel continetur. Carnes vero impoſitæ idem præſtāt per antipathiam, vt viperarum caro morſui viperarum medetur. Terrenus ſcorpius totus, ictibus ſuis remedio eſt. Sic nullus marini draconis, aranei ac ſcorpionis morſibus medetur, ſi crudus atque diſſectus admoueatur, autore Dioſcoride. Quod, vt dixi experti ſumus. *Geſnerus lib.*4.*de ſcorpio & ſcorpana ex Rondeletio.*

Memini piſcatores maritimos, ſi quis à ſcorpione

piſce ſit punctus in digitis pedum aut manuum, ſubligaculo fortiter ſtringere partem, ac eo modo à cõuulſione homines liberare. Hoc modo curatus fuit ſororius meus Iacobus Teylingius, cùm in littore maris ageret, & digitum ſpina ex improuiſo læſiſſet. *Foreſtus ſcholio ad obſer. 119. lib. 10.*

DE FLVVIATILIBVS piſcibus.

OBSERVATIO.

Barbi & Lucii piſcium ouorum eſus, ad cholericam paßionem, & alia periculoſa ſymtomata malicia.

CVm de ouis Barbuli piſcis cocti duos tantum bolos comediſſem, experiũdi gratia, nihil inde aliquot horis poſtea noxæ percepi. demum ſub horã cœnæ plurimam in ore ventriculi ſenſi inflationem, quam vt diſſoluerem, aniſum ſumſi, ſed fruſtra. Poſt horam facies mea apparuit tanquam in ſyncope, ita vt aſtantes & admirari, & de mea ſalute timere inciperent. Ego interim magnam non ſolum in ſtomacho & vẽtre, ſed omnibus membris externis alterationem & inæqualem quandam intemperiem in vnaquaq; carnis parte ſentiebam. Tum ſuperuenit paſſio cholerica, donec ſupra infraque ſimul pluries oua purgarẽtur, magna cũ anxietate & virium proſtratione, & maximo vitæ periculo. *Ant. Gazius recenſente Geſnero hiſt. aquatil. p. 154.*

Barbuli oua, præſertim Maio menſe, pernitioſa habentur. *Platina.*

Oua venenata eſſe vulgo dicuntur, quod vim turbandæ alui & ventriculi ſubuertendi habeant. Hoc ideo fit, quia bilem mouẽt & excitant: iis enim qui affatim oua iſta deuorarunt, & vomitu & alui deiectione, & magno oris ventriculi morſu & moleſtia corpus vacuantur. Hanc vim ouis iſtis ineſſe nõnulli exiſtimant eo maximè tempore, quo ſalicum (quę ad fluuiorum ripas ſunt) floribus in aquam decidentibus veſcantur. Sed cum eadem neq; ſalicũm floribus, nec aliis ipſorum Barborum partibus, quæ ex iiſdem aluntur, inſit, id idioſyncraſiæ potius tribuerim, quam manifeſtæ cuipiam qualitati. *Rondeletius in hiſt. piſcium.*

Ego etiam quoſdam his ouis deguſtatis ſimiliter fere affectos noui: Et quendam intra duas horas, ab eis aſſumtis ſupra infraq; magna cum anxietate vehementer inanitum: quamobrem oua, cum piſcis exenteratur, ſtatim eximi debent, nec vna cum piſce coqui. *Geſner. hiſt. aquatil. p. 145.*

Oua, menſe Maii ſi edantur, afferunt tormina & bilis vomitum: exiſtimatur id contingere, quod eo tempore floribus populi alãtur, aluum etiam vehementer irritat, vt aliquando, non niſi magno negotio ſiſti poſſit. *Cardanus. de ſanit. tuend. lib. 3. c. 69.*

Quidam ex ouis Lucii quoque ſimiliter cholericam paſſionem excitari aiunt. Etenim oua luciorũ piſcatores circa Argentinam tanquam medicata abiiciunt: videntur enim æque noxia vt Barbi oua, ſimiliterque cholericam affectionem inducere. Sunt qui arida trita purgandi aluum cauſa exhibeant. *Geſnerus in hiſtor. Aquatil. de Barbo & Lucio piſcib.*

DE SERPENTIBVS.

OBSERVATIO.

Serpentum quorundam perneciſſimum venenum.

MEmini me in hiſtoriis legiſſe quod Dux quidã cũ Romanis bello nauali dimicaturus, animaduertens ſe militari manu imparẽ (Carthaginenſis hic fuiſſe traditur) ollas multas impleuit ſerpentibus, qui confeſtim interimere ſolent, cum itaque teſtas opertas omnes repente in hoſtes iaculatus fuiſſet, nec illi, quid incluſum foret, ſuſpicarentur, atq; ideo ſibi non cauerent, (non enim conſuetum fuerat eiuſmodi tela mitti) breui tempore quamplurimi ſerpentibus icti cecidere. His artibus vir iſte, tanquam alter ſerpens & ipſe foret in bello vſus, multoties hoſtium manus effugit. *Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem cap. 5.*

OBSERVATIO.

Sanguis ſerpentini malefica vis.

EX ſanguine ſerpentino etiamnũ venenati affectus ſeu vlcera producuntur. Veluti ſi quis ſerpentem conſcindens ſanguine crura conſpergat, cuius occaſione affectus diuturni oboriuntur. Qui veſicas rubras excitant, & ſubinde circumſitas partes ad oſſa vſque depaſcendo continue magis magisq; exedunt, id quod mihi tertium animaduertenti obſeruare datum eſt.

Primum in militis vxore, quæ æſtate diſcalceata incedens forte eundo ſanguinem ſerpentinum pedibus, fiſſuris & rimis alias ſcatentibus calcauit, per quas ſanguis ſubiens difficilimum hunc affectum excitauit. Viſum hoc Haganoæ in Alſatia.

Alia quædam, ſcabioſis manibus ſerpentem cõprehendens, graue periculum incurrit, vi veneni ſurſum in corpus penetrante, & ſiniſtram mammam ſupra dimidiam partem abſumente: quinetiam bonam partem totius brachii depaſcente, quod faciem rubrarum lichenum ementiebatur. Siquidem per imprudentiam ſerpentem in gramine diſſecans affectum ſeſquennalem inde contraxit. Cui ego ſubſequentibus medicamentis remediatus ſum.

Tertia hiſtoria. Iuuenis ruſticus in Dachſwangen Briſgoiæ, quum flumen piſcandi gratia ingreſſus fuiſſet, ſerpentem obuium adnatantem conſpiciens eundem gladio diſſecuit. Cui ſerpentinus ſanguis nudos pedes inficiens, eundem graui periculo affecit, carnem crurum omnem aduſque genua abſumens. Tribus his huiuſmodi auxilio ſuccurri. Primũ aqua exſtillata origani florũ vlcera proluì & expurgaui quibus deinde hunc puluerem inſperſi, qui recipit herbæ Cancri 12. 13. & 14. Iunii collectæ & florentis vncias tres, pulueris talpæ incineratæ vncias ij. exuuii anguiũ numero quatuor: omnibus in puluerem detritis. & vlceribus inſperſis, tantiſper donec conſaneſcat vtitor. *Bartholom. Karrichterus pract. lib. 2. cap. 7.*

Ab ipſo ſtatim initio, cum hæc regio (Heluetiæ) primum purgari cœpiſſet, fœdus in ea ſerpẽs & horribilis Draco repertus eſt ſupra pagum Wiler. Is pecudes ſimul & homines ita ꝓfligabat, vt pagus Oedwiler diceretur, quaſi villa deſerta. Ibi quidam ex indige-

indigenis, nomine Winckelriedt, cum ob homicidium exulare coactus eſſet, pollicebatur, ſi bona cũ gratia in priſtinam ſedem reciperetur, ſe ſerpentem illum interfecturum. Id ei magna cum lætitia concedebatur. Sed cum Dracone debellato, illico brachium, quo cruentum baculum tenebat, hilaris attollens, de victoria ſibi ac popularibus gratularetur draconis ſanguis ei in corpus deſtillans, præſentem ei mortem attulit. *Stumſius in Cronicis.*

OBSERVATIO.

Serpentes interficientes haſta, aut aliter mortui.

EST venenorum genus, quod tactu vulnerando perimit, vt ſunt omnia armorum genera, aliter aliterque venenata, quæ ſolutionem extrinſecus faciunt, cum manifeſta, tum occulta vi, vt recitat Auicenna de milite, qui ex lanceæ contactu, qua ſerpẽtem occiderat, mortem obiit, cuius primum manus deinde vniuerſum corpus emortuum eſt. Quod quidem an latente ac propria quadam virtute, an euidenti cauſa factum ſit, cum veneni ſit proprium, altero ex his duobus modis nocere: manifeſtiſſimũ eſt, venenatam vim per poros ad interiores meatus & venas arteriaſque, & tendines penetrare: per quas quidem, ceu per quoſdam riuulos, ad nobiliora mẽbra defertur, aliud poſt aliud inficiendo, ab eaque parte ſumto initio, quæ primo contactu læſa eſt donec ad ipſum cor, vti ad membrorum omnium nobiliſſimum peruenerit. Cuius quidem rei cauſa arteriæ ſunt, vtpote quæ ſua dilatatione ſemper attrahant quicquid eis offeratur. *Alfonſus Ferreus lib. 1. de Sclopet. vlnerib. cap. 4.*

Vir Anconitanus robuſtus, & fortis, quum vineam putaret, ſerpentem offendit, non niſi immenſæ longitudinis & neceſſitudinis, quem cum interficere tentaret, ſerpens illũ inuadere conabatur, at ille lignis tum lapidibus, ac gladio munitus eum interfecit, à quo interfecto illico de capitis dolore queri cæpit, febricitauit, demũ indies omnia grauiora facta ſunt, & die vndecimo obiit. *Luſitanus Cent. 1. curat. 62.*

Credere par eſt, huic feræ tabificam vim ineſſe, qua ex interuallo infectus hic vir fuit, ac cõſequenter mors illum conſecuta: viderunt quoque alios fide digni viri, qui quum ſerpentes interfecerũt prope obitum peruenerunt, at antidotis adiuti euaſerunt, non tamen ſine chronico, & graui morbo totum corpus occupãte: ſed præcipue brachium illius manus, qua interemtæ feræ fuere: *Idem, in ſcholio ad eundem locum.*

Tactu alius ſerpens eneca‑, de quo agens *Auicenna lib. 4. fen. 6.* narrat, quod is à milite quodam haſta infixus, virulentam vim per haſtam tranſmiſit ad manum quam primum infecit, & deinde totum corpus corrupit. Ad huiuſce rei comprobationem illud ſane compertum habeo, quod in agro Tridentino eueniſſe ſcio. Nempe cum ruſticus quidam ſuis eſſet in vinetis, paruum quendam collem ſæpius aſcendebat, vt ibi vuarum cuſtodiam ageret. Hinc quadam die ad collis pedem magnum & horrendum vidit ſerpentem, cuius capiti ſuperne haſtam ſatis longam infixit: at dum fixam feram ſe hinc inde fortiter contorquentem, & haſtæ circumuolutam, pro viribus teneret, magno ſtatim tremore correptus eſt, quo maxime deterritus vociferans, viatores, & circumſtantes colonos ad ſe ire rogabat. Quam vociferationem audientes, qui non longe aberant, ruſtici eo curſu velociter contenderunt, & ipſum fere ſemimortuũ inuenerunt. Cognita tamẽ ex occiſo ſerpẽte ſui infortunii cauſa, ad theriacam, & alia antidota confugerunt, quibus eum ad vitam reuocarunt. Veruntamen duobus annis poſtea is vniuerſi fere corporis ſtupore in lecto ſemper decũbens ægrotauit, & eo præſertim brachio, quo pernitioſum animal haſta occiderat. Nec admodum mirari rem hanc nobis licet, cum videamus (vt etiam literis mandauit *Galen. libr. 6. de locis affectis*) torpedinem marinam derepente piſcatoris manum obſtupefacere, ac torpidam reddere, vbi primum is tridente eam tetigerit. Id quod ſimiliter efficit, tranſmiſſa per funem retis qualitate, dum trahitur in littus. Proinde id experientia docti piſcatores, ſi dum retia trahunt, manus torpeſcere tremereque præſentiant, certo torpedinem captam ſciũt, etſi longo admodum fune trahatur. Vnde illud perſpicuum eſt, quod ſi huiuſce piſcis qualitates per tridentis haſtam, & retis quam longiſſimum funem tranſmiſſæ ad manum, inficiunt & corrumpunt homines, eo magis idipſum fieri poterit, ſi animalia ipſa, aut nuda manu, aut alia corporis parte tangantur. Idcirco manifeſte conſtat, nullum eſſe brachium tam validum & robuſtum, quod torpedinem, adhuc viuentem, diutius ſuſtinere poſſit. *Matthiolus comment. ad lib. 6. præfat. Dioſc.*

Quod ſi accidat, vt quis tangat eum (Baſiliſcum) virga, ille qui tetigit moritur, idque mediante virga: Tetigit aliquando eum miles quidam cum lancea ſua: quare mortuus eſt miles, & animal eius, & tetigit ipſe labiũ equi, quare mortuus eſt equus & miles. *Auicenna.*

Creditum quondam baſiliſcum, ex equo occiſo haſta, & per eum ſubeunte vi, non equitem modo, ſed equum quoque abſumtum. Atque huic tali, monſtro (ſæpe enim enectum concupiuere Reges videre) muſtelarum virus exitio eſt: adeo naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Iniiciunt ea cauernis facile cognitis, ſola tabe necant illæ ſimul odore moriunturque & naturæ pugna conficitur. *Plinius lib. 8, cap. 21.*

In Lombardia & agro Ferrarienſi ſerpentum magna copia eſt. Haud procul Dertona, Palauicinum quendam, qui eſſet in venatione, & Hiſpanica Lancea ſerpentem interfeciſſet, eum eiuſque equum morte deletos audiui è fortiſſimo equite Antonio Lazaro, qui ſub patruo meo Bonifacio ſtipendium faciebat. *Scaliger exercitat. 200. ad ſubtilitat. Cardani.*

Sunt quædam venena adeo efficacia, vt per cutem integram ad cor peruenerit & hominem interimat, veluti ſaliua aſpidis, ptyadis, & canis rabioſi, quæ vt idonei authores præſcribunt, non minus nocere per tactum, quam per morſum poſſunt: Audiuimus duos interiiſſe memoria noſtra, quod dum ingentes ſerpentes haſta illiderent, expreſſum virus ad manus vſque peruenerint, vnde per integram cutem permeauit ad viſcera.

Nouimus etiã Iacobum Riconium, huic ingenti angue venabulo tranſuerberata virus expreſſum manum

manum attigit, quæ vna cum toto brachio paulo poſt intumuit cum dolore intolerabili, proceſſu temporis cutis tota detracta eſt, ſed tandē & idoneis remediis à Iuliano patre meo adhibitis, conualuit. *Vidius med. part. ſect. 2. lib. 2. cap. 13.*

OBSERVATIO.

Brachii, ex ſerpentis morſu, putrefactio.

PErmulti negant reperiri venena humida, id eſt, quæ humiditatis efficacia enecent: quod in humidorum ſpecie, quæ ad quartum vſque gradum perueniant non reperiuntur. Stat tamen contra exemplum eius qui noctu dormiens, morſus eſt à ſerpente, quemadmodum *Gilbertus Anglicus* narrat: moriens enim, cum ei brachium ſeruus, dominum à ſomno excitaturus, traheret, caro omnis putrilagine conſumta corruit, moxque & oſſa corruerunt omni carne exuta. Quod contingere non potuit, niſi ab exceſſu humiditatis venenatæ, quæ in ſerpentis dentibus & ſaliua latebat. Itaq; adnotatum ab Hippocr. legimus, anni tempeſtate pluuioſa, humida & auſtrali contigiſſe, vt venenatæ & putrefacientis humiditatis maligna vi brachiorum & crurum carnes putridæ per fruſta corruerent, oſſaque nuda manerent: imo & ipſa oſſa pleriſque putreſcerent, & deciderent: nec certe lues venerea, alia quam humiditatis ſceptica & putrefaciente vi necat: cuius efficacia oſſium ſoliditas liqueſcit, nedum carnes putrilagine tentatæ & arroſæ diffluunt. *Paræus lib. 20. cap. 5. de venenis.*

OBSERVATIO.

Alia morſus colubri curatio.

COlubri morſus virulentam malignitatem, eiuſque malignitatis remedia fideli hiſtoria viſum eſt ſubiicere. Dum Rex Carolus nonus apud Molinios ageret, D. Le Feure Regius medicus & ego vocati fuimus, vt curaremus coquū dominæ à Caſtroperſeo. Hic cum lupulum in ſepibus legeret, ictus manuum à latente colubro, ipſa ſtatim ori admota, vulnus, male callidus, ſuxit, ſaniei expreſſione dolorem, vt putabat, leuaturus. Sed extemplo ſic ei lingua intumuit, vt quæ ſentiret proloqui non poſſet, brachium præterea totum ad ſcapulam vſque ſimiliter in altum tumorem ſublatum, tam acres ei dolorum cruciatus mouit, vt me præſente bis ſyncope præhenſus corruerit, facie flaueſcēte & liuida, mortuo ſimilis, ac quamuis de ſalute deſperarem, penitus tamen deſertum hominem nō paſſus, laui illi os theriaca in vino albo diſſoluta, eademque addita aqua vitæ potionaui. Tandem brachium multiplici & profundo ſcarificatu aperui, qua maxime parte morſus inflictus eſſet, ſanguinem, qui totus ſeroſus ſeu ſanioſus erat, fluere copioſius permiſi, plagas theriaca & mithridato in aqua vitæ diſſolutis laui, ægrū deinde in lecto calidiſſime ſtatui, ſudore procurato, & vigiliis iugibus imperatis, ne ſomnus veneni ad viſcera faceret euocationem. Hac arte tantum profeci, vt poſtera die ſymtomatum omnium malignorum eſſet expers. Itaque id vnum ad perfectam ſanitatem reſtare putaui, vt vulnus diu apertū teneretur, & theriaca ablueretur. nec me fefellit opinio, paucis enim poſt diebus omnino conualuit. *Idem lib. 20. cap. 23. de venenis.*

Ruſticus quidam à ſerpente demorſus, mox intumeſcente pede ſenſit paulatim veneni vim ad cor accedere: edoctus eſt à quadam anu pedem ſub terra ſepeliret, vulneri admota gallina in duas partes diſſecta, gallinæ vero ranam apponeret, q̄ ſanguinē ex gallina exſugens, venenum tandem quoque attraheret. Cum igitur integra nocte pede ſub terra ſepulto manſiſſet, nihil autem alleuaretur, imo malū intenderetur, tandem ex conſilio nobilis cuiuſdam matronæ theriacam ex cereuiſia melle admixto bibit, indeque aliquot horis continuo euomens dolore ſuperiorum corporis partium liberatus eſt, pedibus nihilominus tumidis permanentibus. Quem tumorem, à quodam admonitus, potulactis capræ nigrę quantitate teſtæ vnius oui depulit, pede interim etiam in ſ. q. eiuſdem lactis demerſo: vnde effluxit materia fœtida, glutinoſa, mucoſa. Cum autem progreſſu temporis fortuito in fluuio ſolis calore tepeſcente, pedes lauaret, atque in ripa ſedens pedibus in fluuium demiſſis obdormiuiſſet (neſciebat quot horis ita mā ſiſſet) expergefactus videt flumen prope ſe hinc inde late fœculentum, fœtidum, conſpucatumque, ex eoq; tempore ſemper optime valuit.

Alia puella à ſerpente demorſa, caſeum recentem ex lacte capræ albæ paratum morſui impoſuit, pedemque affuſo eiuſdem capræ lacte defendit, ſanitatique reſtituta eſt. *Ex cuiuſdam epiſtola ad Geſnerū.*

Vidi in villa paterni, in mutello virum morſum à ſerpente, in crure ſuo, & ipſe ignorabat qualis fuiſſet ſerpens: ſed crus eius tumuit valde, ſicut crus elephantioſi, & in eo intenſiſſimum & intolerabilem percipiebat calorem: & tamen crus non erat factum citrinum, & neque rubicundum, imo parum mutatum erat à calore naturali. Et ipſe quidem ad extinguendum caliditatem ſui cruris nullum inuenerat adiutorium, tandem a ſeipſo doctus, poſuit crus ſuum totum in quodam vaſe oblongo aqua frigida plenum, & aqua quidem adeo ab ipſo calefiebat, vt fere bis in hora cogeretur ad innouationem aquæ. Et cum iſta diſpoſitione permanſit ad plures, & finaliter doctus epithimauit crus cum ſucco herbæ dictæ quibuſdam Ananaſe, à quibuſdam caprago, & à quibuſdam lactuca capracia, ſanus factus eſt *Nicolaus Florentinus ſerm. 4. tract. 4. cap. 18.*

OBSERVATIO.

Lignorum ex cauernis ſerpentum virus.

MORTVVS quidam fertur, cum balneaſſet in aqua calefacta ex lignis excíſis ex cauernis ſerpentum. *Ponzettus referente Geſnero libro quinto, De ſerpent.*

OBSERVATIO.

Acontiæ ſeu iaculi ſerpentis, vis malefica.

EST qui referat inter recentiores non obſcurus author, quod cum paſtor quidam miſellus, ſub cuiuſdam arboris vmbra æſtate media quietem ſomnumque caperet, cuius ſocii non procul oues paſcebant, ab Acontia, quæ in arborem aſcenderat, ita percuſſus fuit in ſiniſtram mamillam, vt illico periérit. At ſocii audito percuſſionis ſonitu, viſo ſerpente, quem nouerant, ſuper defuncti pectus, relicto grege in propinquum rus, pauore territi aufugerūt. Reperitur hoc ſæuiſſimi ſerpentis genus, vt quidam mihi

mihi retulerunt, in quibuſdam Calabriæ, & Siciliæ locis, vbi ipſum incolæ a ſagitta Saettone vernaculo nomine appellant. *Matthiolus comment. ad libr. 6. cap. 48. Dioſcoridis.*

OBSERVATIO.

Acontiæ ſeu iaculi Germanorum hiſtoria alia.

AContiam Germanis ignotum *Ge. Agricola* putâuit. Ego quanquam ſerpentem ipſum hoc nomine à veteribus eſſe ſcriptum non noui: hiſtoriam ſaltem ſiue eiuſdem, ſiue alterius ſerpentis ſimiliter ſe vibrantis, recitabo, quoniam & apud nos contigit, & hominem à ſerpente afflictum ego ipſe vidi: Riuus eſt ſatis magnus in agro Tigurino, Glatt nomine, & denominatus ab eo pagus Glattfelden. iuxta hunc tum riuum, tum pagum, ante paucos annos, ſerpens quidem baculi craſſitudine, & trium aut amplius pedum longitudine, in ruſticum frondes illic colligentem inſilire conatus eſt, corpore in quatuor ſpiras ſeu arcus conuoluto: quod ille cernens ſacco, quem in vſum colligendi ferebat, relicto, fugit. Serpens autem proſiliit ſpacio circiter XVI. pedū, non tamen attigit ruſticum. Deinde cum ſacci accipiendi cauſa rediret, ſerpens denuo in eum proſiliēs brachium eius ſiniſtrum totum ſpiris ſuis implicauit (parte caudæ adhuc dependente, collo autem erecto) idque eo imprimendo non ſatis memini an nudum, induſio tectum fuiſſe puto) adeo arcte cōſtrinxit, vt veſtigia ſpirarum imprimeret. non tamen momordit. Nam ruſticus ſtatim altera manu capite comprehenſum abſtraxit reiecitus. Brachiū vero paulatim putrida quadam ſanie contabeſcens carne nudatum eſt, & tandem curatus æger omni carne putrida extracta per chirurgum puloſce reſtitutus eſt, quotannis in eo brachio bis venam incidere iuſſus. Fluit autem ſanguis craſſus & niger. Hæc ego ab ipſo ruſtico audiui, & plurimas brachii cicatrices vidi. Serpentem carbonario, quem pictum oſtendebam, ſimilem fuiſſe aiebat. Idem mihi retulit ſerpentes illic circa Glattum fluuium eſſe cum diademate flauo & aureo in capite: intrare illos interdum aquam & piſces vorare, præſertim ſub lapidibus latentes, vt gobios fluuiatiles aut alios. Complecti eos ſpiris ſuis lapidem, vt fuga piſci nulla pateat, & ſic eum capere.

In Vngaria (vt narrauit mihi Ioannes Vitus Vngarus, iuuenis pereruditus) reperiuntur ſerpentes breues, duorum palmorum longitudine tantum, nulla cauda vulgo decurtatos vocant: æquali per totum corpus craſſitudine. Hos in hominem eminus etiam iaculi inſtar inſilire aiunt. *Geſnerus hiſt. animal. lib. 4. de Aq. pag. 528.*

OBSERVATIO.

Viperarum morſu mortui, & eorundem ſymptomata.

AVlico cuidam à vipera mordicus arrepto contigiſſe obſeruatum eſt, vt corporis totius color in porraceum denunciaretur. *Cœlius antiq. lect. lib. 6. cap. 13.*

Vidimus quendam ab echidna, id eſt, maruſſio ictum, qui trium horarum ſpacio ab ictu vitam cum morte commutauit, & totus maculis affectus eſt luteis violaceis, nigris. *Braſauola com. ad aph. 62. li. 4. Hip.*

Narrat *Amatus Luſitan.* hiſtoriam de quodam iuuene, qui viſa vipera, cum ſocio cōtendebat ſe eam manu abſque offenſa vlla capturum. Cum autem alter decideret, reſq; ad ſponſiones deueniſſet, porrexit ille manum, vt eam caperet, ſed ipſam plus iuſto audax & truculenta, rabido & venenoſo furore percita, eleuato collo, illum in manus digito momordit, qui cum ſic commorſus doleret, citiſſimo ori digitum admouit, forte vt ſanguinem, dentibus compreſſo digito ſugeret, non vero vt mortem ſibi aſciſceret: breui autem infelix hic ſua culpa mortuus fuit, neq; medica auxilia illum quicquam iuuerūt; euaſiſſet tamen, ni ſerpentis venenum ori admouiſſet. *Geſ. hiſt. A. lib 5. de ſerpent. pag. 80. facie auerſa ex Luſit. cent.*

OBSERVATIO.

A viperarum morſibus aut ſumto eorundem veneno, percuratorum hiſtoriæ.

INprimis conferunt vincula ſuperioribus partibus iniecta: ab iis enim præſentaneum præſidium expectatur. Id quod in viperarum ſcorpionum ictibus item aſpidum quoque (quod propter imminens ſubitaneæ mortis periculum magis incredibile eſt) expertus ſum. Etenim quum Alexandriæ eſſem, ruſticus quidam non longe ab vrbe, in vno manus digitorum ictus, eius radicem apud palmam validiſſimo vinculo ligauit, accurrenſq; ad vrbem ad familiarem ſibi medicum totum digitum ab ipſa articuli iunctura, ad palmam abſcindendum prębuit, ſperans inde nihil ſe mali paſſurum. Neq; fruſtratus eſt ſua ſpe: quippe nihil aliud faciens ſaluus euaſit.

Similiter alium noui, qui epoto ex viperis medicamēto, reſciſſo prius digito à periculo liberatus eſt.

Vidi præterea ruſticum, cuius totum digitum vipera momorderat, qui falce, quod tum forte habebat, (erat enim vinitor) ab vltimo articulo ictā partem reſecans deinde inducta, vſitatis pharmacis, in digito cicatrice, nullo ſumto medicamine ſanatus eſt. *Gal. lib. 3. cap. 7. de locis affect.*

Cum Rex Carolus nonus Monſpeſſuli eſſet, ac in Fargii pharmacopolæ officinam viperam vnam tractarem, ipſe extremum indicem, qua inter vnguem carnemq; hiat, morſu mihi prahendit: vnde ſtatim ſubortus eſt acer dolor tū partis exquiſitiſſimo ſenſu præditæ veneni efferi occaſione: è veſtigio digitū ſupra vulnus arctiſſime conſtrinxi, vt ſanguinem, venenumque, ne ſe latius in corpus diffunderet, exprimerem. Theriacam antiquam in aqua vitę diſſolui, ex qua intinctum imbutumque bombacem vulneri impoſui, atq; intra paucos dies hoc vno remedio plane conualui. Licet vti & mithridatio loco theriacæ, ac pleriſque aliis ex alto ſubacri ſuo calore attrahentibus, vt ſcilla ſub cinerib. cocta, alliis, porriſque tritis & impoſitis, hordei farina cum aceto, melle & ſtercore caprino ſubacta, impoſitaque cataplaſmatis inſtar. Quibuſdam ſatis eſt extemplo lauiſſe & fouiſſe plagam aceto, ſale, & pauco melle. *Pareus lib. 20. cap. 16.*

Conſtat Ruſticos quoſdam, dum forte ſecarent herbas demorſos fuiſſe à vipera, ac repente inflatos, appoſita autem tormentilla vocata herba ſupra locum, ſtatim liberatos fuiſſe. *Fracaſtorius De contagioſis morb. libro 3. cap. 2.*

Puella

Puella quædam cum carnem, cui venenum viperæ occiſæ exemtum mixtum erat, forte guſtaſſet, in opiſthotomum aliaque grauiſſima ſymptomata incidit. Sed mox vinum copioſe ei propinatum eſt, & liberata puella. *Geſner. hiſt. animal. lib. 5. de vipera, ex relatione Gerardi Bauman.*

Aqua de Antidoto mea magna parata, tanta virtute pollet (quod millies expertus ſum) vt quatuor drachmarum pondere pota, vel per ſe, vel cum pari odorati vini quantitate, vel ſtillatitiæ cuiusvis aquæ ad cordis robur facientis, vbi quis ictus vel demorſus à quocunque venenato animali in tanto mortis diſcrimine verſaretur, vt vocem, viſum, ac reliquos fere ſenſus amiſiſſet, ægrũ, ingẽti adſtantiũ admiratione, à lõgo veluti ſomno excitet. Quin & vomitione plerunq; plurimãi nfectorum humorũ copiam exhaurit, cuius rei exẽplo, (p̃ter alia innumera) quõdam mihi fuit præfecti oppidi Vipaci vxor; quam à vipera in dextra manu demorſam & iam iam de naulo rationem cum charonte inituram, hæc aqua in vitam à morte reuocauit. Id quod etiam paulo poſt contigit cuidam miniſtræ ſclauæ, ab alia non diſſimili vipera in manu demorſæ. *Matthiolus Comment. ad præfat. lib. 6. Dioſc.* quo loco & Antid. mag. & aquam ex ea præparat. docet.

Puella ruſtica, nata annos tredecim, cum vna cũ matre in agrum diſcalceata abſque calapodiis exiret, & meſſoribus, vigente æſtate, cibum ferret, incauta in medio itineris à vipera in pede dextro morſa fuit. Mater vero puellam ſic punctam & afflictam animaduertens, in oppidum, quam citiſſime fieri potuit, retrahere ſe accelerat: vtcunque tamen properans, medicamentum pro ſalute filię machinatur, & ecce thymelæam fruticem offendit, ad quam cõfugit, & ex ea corrigias parat, quibus crus affectum parte alta prope genu ad poplitem ligauit, optimo ſane conſilio: ne vis veneni altam corporis ſubiret partem. Interpoſitis igitur tribus horis à punctura puellam ſic affectam ad me deferunt: erat enim tũ temporis iã tibia multis & variis maculis liuidis & rubris variegata, adeo vt femur quoque aſcenderãt; bilem, vt mater retulit, euomuerat, ſed tunc præſens in quoſdam totius corporis tremores, cum vertigine & animi defectu incidit, quapropter cunctantius locum affectum animaduertens, in pedis parte alta, tarſo, ſiue pedis raſeta, duo nigerrima ſigna depræhendo, ex quibus iudico, morſum illum à maſculo vipera illatum eſſe, quum duos tantum caninos vipera maſculus habeat dentes, fœmina vero quatuor. nec tantum periculi adfert maſculi morſus, quã tum fœminæ, præſertim ſi poſt cibum morſus fuerit homo, veluti huic contigit puellæ. Nullo igitur interpoſito medio, per chirurgum præſentem locum punctum vulnuſculis profundioribus per ambitum ſcarificare iubeo, & cucurbitulas multa ignitas flãma admouere, quibus ſanguis ater & virulentus latitans abunde fuit extractus: ſed & vniuerſam tibiam leuioribus vulnuſculis ſcarificari quoque iuſſi, ſanguinemq; tamdiu ex illis fluere, quoad ſua ſponte cohibitus fuit. Tunc vero ex alliis ac acribus cœpis optime piſtis theriaca adiecta confectum emplaſtrum loco demorſo admouere curaui, in potuque illi theriaces drachmas tres, meracioris vini vnciis quinque diſſolutas, propinauimus: poſt hæc vero, quatuor interpoſitis horis, panatellam alliis concinnatam in victu obtulimus, à ſomnoque abſtineret quantum poſſibile eſſet, monuimus. Sequenti vero die, puellam quoque tremoribus corripi deprehendi, minoribus tamen, cœperant enim iam fumi venenoſi cor petentes minui, ad infimaſque partes retrahi, tunc, ieiuno ſtomacho, ſucci foliorum fraxini vncias quatuor in potu dedimus. Eſt enim medicamentum hoc omnia antidota in hoc caſu excedens, vt latius commentar. noſtris ad Dioſcorid. in lucem editis diximus. Emplaſtrum porro dictum è nouo paratum, iterum loco per tres ſequentes admotum fuit dies, in quibus quoque & aliis ſequentibus prædictum fraxini ſuccum ebibit, iam enim puella melius habebat, & à tremoribus & animi anxietate fere leuata erat, ſed ex vulneribus profundioribus, loco demorſo, adhibitis, oleoſa quædam ſanies fluebat, imo vulnera ipſa denigrata quodammodo apparebant. Elapſis igitur, quatuor primis diebus plagæ, caprarum fimus cum baccarum lauri ac euphorbii puluere vino mixtus ac calidus in ſplenio ſiue plagula apponebatur, cum quo ſanies illa, iam æruginoſa facta, optime exibat. & eo per quatuor alios ſequentes dies vſa fuit, poſtea hoc vnguentum parare feci, quod habet.

Recip. pulueris ariſtolochiæ longæ vncias duas, brioniæ, haſtulæ regiæ, id eſt, aſphodeli ana vnciam vnam, galbani, myrrhæ ana vnciam ſemis, ol. laurini cum cera q. ſ. fiat vnguẽtum, & in ſplenio, hoc eſt, panniculo lineo, forcipibus multum inciſo, loco morſo bis in die applicetur: quo remedio per menſem fere integrum vſa fuit, quum vulnera ita longo tempore aperta ſint, opus eſt, tandem vnguento baſilicone, ad cicatricem vulnera redacta ſunt, & ipſa puella integræ ſanitati reſtituta.

Cæterum Norcheriæ octo miliaribus à Fulgineo ciuitate, Gentilis illius magni Auicennæ interpretis patria, ſaluberrimus fons eſt, aqua frigidiſſima plenus, in qua ſi vipera, aut ſerpentibus demorſi demergantur, ac per horam ibi manſerint, ſani & liberi euadunt, quod euenire forſan contingit, quia gelidæ frigiditas veneni viperini caliditatem infringit & obtundit ac hebetat. *Luſitanus curat. & cent. 1. curat. medicinal. ſuarum.*

Pleraq; viperarum morſuum accidentia, in pharmacopola quodam, qui forte ab vna viperarum læſus erat, videre licuit. Nam cum è plaga vix duæ ſanguinis guttulæ (magnitudine enim vix caput acus referebat) effluxiſſent, per integram fere horam nihil incommodi percepit, qua elapſa prope, digitus non tantum cum vehementiſſimo dolore intumeſcebat, ſed tota manus etiam citiſſime, & nulla fere mora interpoſita, & inflatio tantum proceſſerat, vt niſi ex conſilio medici, qui tum vocatus fuerat, remediaque idonea adhibuerat ſupra brachii iuncturam compreſſa fuiſſet atque impedita, breuiſſimo temporis ſpatio totum corpus occupaſſet. Nihilominus tamen deinceps, ſex horis elapſis, vomitus amaræ bilis, & totius corporis refrigeratio, manibus & brachiis exceptis, cum expiratione, quæ tamen non ita diu durauerat, quod mature occurreretur, ſecuta ſunt, quod hoc magis admiratione dignum fuit, quod clima noſtrũ frigidum, & hiems præterea eſſet. *Greuinus lib. 1. de venenis cap. 10.*

Rige-

Viperam eam intelligimus, quam Turonenſes & Cenomanni Aſpic. nominant. Sed & in Aruerna inueniri teſtes habemus. Nam cum apud fratrum Minimorum Monaſterium ab Epiſcopo Claremontano D. Gulielmo du Prat apud Beauregard extructũ, eſſemus, Renatus des Pret, Epiſcopi familiæ pharmacopæus, Cenomannus, Foletouete Municeps, nuda manu, vnam coram Epiſcopo, eiuſque vniuerſa familia apprehendit, colubrum eſſe exiſtimans: at præmorſo ab ea illius pollice totum brachium illico inflammatum fuit, cum eiuſmodi ſymtomatibus, vt toto octiduo de eius ſalute perquam exigua ſpes relinqueretur: poſtea tamen ſanitati reſtitutus eſt. *Bellonius obſ. ſingular. lib. 2. c. 54.*

Bubulcus Romanus, cum fortuna, ad ſepem viperam in ſpiras contortam offenderet, mortuam ratus, eam baculo ſuo in modum ſpiræ adacto vlterius proiecit, atque ad pecudum cuſtodiam ſe contulit vbi baculo (vt ſolent) innitens, alteram eius cuſpidem ei immiſit, huic ſub noctem in vtroque labio maxima imflammatio, cum febre ardentiſſima ſuperueniens, mirum in modum excruciabat. Ad quẽ cum D. Cyriacus Paſcionius vocatus eſſet, exhibito Galegæ ſeu Rutæ caprariæ (quæ copioſe hic naſcitur) ſucco, miraculi eum inſtar liberauit. *De Petr. Spebrerii obſeruationibus nobil.*

Ambroſius Gallus ἀρχίατρος, in populi concione Car. IX. Rege ſpectante à vipera morſus, theriaca ore ſumta & vulneri appoſita curatus eſt apud Monſpelienſes, cum more ſolenni theriaca componeretur. *Bodinus lib. 3. pag. 316. Theatri Naturæ.*

OBSERVATIO.

Toxicum Parthorum & Scytharum ex viperis & ſanguine humano.

PRoprium Parthorum & Scytharum toxicum, quo ſagittarum aciem inungebãt, humano ſanguine & viperina ſanie conſtabat, irremediabile ſcelus, quod mortem leui tactu, ea qua ſagittæ celeritate accelerat. quod Poetæ ideo finxerunt ex lerneæ hydræ ab Herculis ſagitta occiſæ cruore enatum, vnde & toxicum appellarunt. Quod Scythicum etiam ideo dicitur, quoniam vt Ariſtoteles refert, Scythæ viperas iam enixas venantur: quas captas, dies aliquot, donec in ſaniem computruiſſent, contabeſcere ſinebant: deinde toto vnius hominis ſanguine in ollam effuſo, eam exquiſite coopertam, fimoque obrutam computreſcere ſinebant: cuius tandem ſupernatans ſanguini ichor, vel ſerum, cum viperina ſanie permixtum, lethale Scytharum toxicum erat. Qui hoc potarunt, his lingua labiaq; intumeſcunt, nec mente ſibi conſtant, ſed rabie efferati, inſtar luporum vociferantur. His autem paſſum cum oleo roſaceo potum, raporumque ſemen ex vino hauſtum, ac crebra vomitione redditum auxiliatur. Cottonea quoque mala conciſa ac cum pulegio commiſta, eos ita iuuant, vt reliquum tamen vitæ attoniti degere cogantur. *Langius tom. 1. epiſtola 68. Plin. lib. 11. cap. 52. Ariſt. lib. de Mirab. Auſcult.*

OBSERVATIO.

Scorzonis ſerpentis Hiſpanici deſcriptio: eiuſdem ictuum ſymtomata, & aduerſus eadem remedium, recens inuentum certum.

SCorzonera nuper in Hiſpania inuenta eſt, herba efficaciſſima ad ictus venenoſos animalis eiuſdem nominis: nam lingua Catalana Eſcorzo ſerpentis genus appellatur apud eos frequentiſſimum: herbę efficaciam docuit Maurus quidam, qui primus in Catalonia curauit percuſſos ab immani fera: radice conſtat ſimili prædicto animali: tradit autẽ Scorzonis figurã Nicolaus Monardes Hiſpanus palmi longitudine cum dimidio, in tenuem caudam deſinentis, verſus caput aſſidue craſſioris: capite craſſo quadrato, ore grãdi, lato rictu, lingua nigra, & acuta pũgente; tenuibus dentibus vt viperæ: Idcirco & dentibus ferit, & lingua pungit. color cutis cinereus, ad nigrum tendens, maculoſus, fero aſpectu, torpido greſſu incedit, latitat cõtinue inter plantas in ſegete & vineis: ictum infligit deteriorem vipera eius regionis, & magis periculoſum cum ingenti dolore, inflatione & animi deliquio, vt breui ſequatur mors niſi cito ſuccurratur ea herba: aliud enim nullum repertum eſt virus illud delere: herba eſt pulchri aſpectus, altitudine cubiti, paucis adnatis ſtolonibus rectis: in totum tragopogo ſimilis: foliis ab radice ſtratis, circa latera leuiter corroſis, & in extremo faſtigiatis, medio neruo ad ſummum vſque producto; colore ſubalbido: quæ autem in caule ſunt, anguſtiora redduntur, tragopogi modo ſed breuiora: in cacuminibus ramulorum luteus flos inſidet, calici incluſus, & ſemina pappum ferentia, vt tragopogon, ſed minora omnia. radix in altum deſcendit, carnoſa, grauis, ex rotunditate in mucronem deſinens: cui aliquando appendices quædam adnexæ ſunt, tuberoſæ, fragiles, cortice tenui, ſubrufo, vergente ad nigrum, ſubaſpero, intus alba, fracta ſuccum lacteum reddit: Sapor ſubdulcis, eſui apta. tum radix tum folia, & cruda & cocta: ſeruatur radix condita cum ſaccharo, quæ gratiſſima eſt: oritur locis montoſis, præcipue humectis; temperamento conſtat calido & humido in primo gradu: tanta eius vis aduerſus Scorzonem, vt ſi eius ſucco tangatur torpeat confeſtim: Si iniiciatur in os pereat: manibus eo ſucco inditis contrectatur ſerpens prædictus ſine periculo; non enim mordet, atque adeo torpeſcit, vt ſemimortuus videatur: qui fuerit ictus, ſi comedat de eius radice, aut ſuccum foliorum bibat, confeſtim ſanatur, ſi inflatus iam fuerit, deſidet tumor: ſedantur dolores, & deliquia: ſi præſumatur, antequam momorderit, non ſuperueniunt praua ſymtomata: bibitur eius ſuccus clarificatus vel per ſe, vel cum aliis roborantibus cor, aut veneno reſiſtentibus, non ſolum ad Scorzonis ictum, ſed & ad viperæ, aliorumque ſerpentiũ: datur eius aqua deſtillata ad febres peſtilentes & malignas: prouocat enim ſudorem mirifice vbi natura hunc motum tentarit; confert ad melancholias, triſtitias, & deliquia: admiſcetur quoque epithematibus cordi conferentibus: radices conditæ per multos dies ſumtæ; & aqua prædicta obſtructiones hepatis & lienis tollunt: menſtruas purgationes moliuntur. Hæc *Monardes* teſtatur. Exiſtimant multi hanc *apud Dioſcoridem* Condrillam eſſe; ſed magis videtur, ad Tragopogi genus reducenda. *Andreas Caſalpinus.*

OBSERVATIO.

Aſpidum latens & deleteria eademque minime dolorifica vis.

ASpidis virus vel ex eo exitialius eſt, quod mox peruadit,& penetrat, & toti corpori ſubito venenum diffundit, & communicat. Nam ab aſpide morſis, nec vllus locus affectus, nec liuor indicat malum, vel notæ omnino aliquæ adſunt, ex quibus criminis author deprehendatur, adeo vt non peſtifero ictu, ſed venenati pharmaci potione ſublatus eſſe, qui periit, exiſtimetur: diligenter tamen conſiderantibus gemina quædam punctula minuta & ſubobſcura inueniuntur, per quæ venenum fuerit dilapſum. Cauſam vero quod nulla veſtigia tanti mali relinquantur, hanc eſſe tradunt rerum naturæ curioſi obſeruatores, quod vis huius veneni velociſſima ſit nimium, vt è veſtigio in ima vitali & abdita ſe condat, nihilque extrinſecus immoretur. Vnde cum mortis hoc genere ſibi mortem Ægypti Regina conſciuiſſet, varius de eius interitu rumor increbuit & ſparſus eſt: ꝙ nulla eſſent certa ſigna relicta ex quibus cauſa fati colligeretur. Prædictis hoc quoque addendum eſt, aſpidis venenum hoc peculiare habere, quod cum ſopore profundo, & graui in ſomnum delatione (ita enim Græci Caron & Cataphoram vocant) interficiat. Proinde Cleopatra Ægypti Regina, cum venenorum omnium vires in hominibus letho condemnatis experiretur; vt eo quod magis probaſſet, ſi quando fors tuliſſet, vteretur, inuenit quidem & didicit alia quædam venena, quæ cito interimerent: mortem per dolores inferre, quæ vero indoloria eſſent, velocitatem illam actionis, qua opus eſſet, non haberēt, ſed demum ad aſpidis venenum peruenit, quod ſomnos conciliando occideret, & fratrem fratri, id eſt, ſomnum cum morte copularet, vt & ipſa voluntatem expleret, & ſenſu doloris priuaretur. Quamobrem cum, mortuo Antonio coniuge, viuere amplius non decreuiſſet: & Auguſtum latere vellet, in ciſta ficuum, clanculum abductam aſpidem, vt ſibi brachium morderet, prouocauit. Hac de re Plutarchi verba conſultius adducere viſum eſt, vt tanti auctoris teſtimoniis noſtra dicta confirmentur, Cleopatra (inquit) exitialium medicamentorum omnimodas facultates congregabat, quarum ſingulas, vt earum vim exploraret, ſi abſque dolore necare poſſint, iis qui letho damnandi coercebantur, propoſuit, ſed poſtquam eas quæ celeri morte afficerent, cōſpexit, quod mortis celeritatem per dolorem inferrent, quæ vero mitiores eſſent, perimenda illa velocitate carerent, ad ferarum virulentarum vires experiundas ſe contulit, cum ipſa ſpectante alterum alteri exhiberetur, hoc autem ſingulis diebus agebat. Sed enim propemodum in omibus ſolum aſpidis morſum inuenit, qui ſine conuulſione & gemitu grauitatem ſomniculoſam & delationem ad dormiendum extraheret, cum molli vultus ſudore, & ſenſuum hebetudine, qui facile ſcilicet diſſoluerentur, & ægre ferrent, ſi quis expergefacere, & ſuſcitare auderet, haud ſecus quam qui profundo ſopore tenerentur. Scribit autem Galenus Alexandriæ hūc eſſe vſum, vt eorum, quos mitiore morte perire velint, pectoribus aſpides applicētur, quo ſubito momento vita ſine dolore decedat. *Anto. Ludouic. Olyſip. de occult. propriet. lib. 3. cap. 7.*

Tempeſtate noſtra vidimus in quodam de ciuitate noſtra: qui dum morā traheret in ciuitate Terracinæ, fuit in digito craſſo manus ab vno aſpide morſicatus, delato à quodam ceretano, in platea dictæ ciuitatis; volente experiri virtutem ſeu gratiam diui Pauli, quam in vrbe iam ſuſceperat à quodam alio ceretano: hinc eſt quod capiēdo aſpidem prædictum in manibus (vt diximus) fuit in dicto digito morſicatus. Ex qua morſura infra ſpatiū quatuor horarum cum accidentibus ſæuiſſimis vitam cum morte ille bonus vir commutauit: quæ accidentia fuerunt hæc. In primis ſtatim amiſit viſum & loquelam cum caſu palpebrarum pulchritudo faciei in liuidum colorem mutata. Cordis defectio cum tremore & ſudore frigido totius corporis, membra laſſa. Ad quæ accidentia matura mors intra dictum ſpatium ſequuta fuit.

OBSERVATIO.

Aſpidis morſu ſucto mortuus.

VEnena quædam ſunt, quæ ſolo guſtatu, quanquam non deglutiuntur, perimunt: idque præſtat aſpidis ſurdi ſputum. Quo memini quoſdam imprudenter infectos eſſe. Inter quos vidi ego ruſticum in valle Anania, qui dum fœnum ſecaret in pratis, ferā falce per medium ſecuit, & cum poſtea capitis truncum manu cœpiſſet, & ſociis aſtantibus oſtenderet, vtpote qui iam feram demortuam fortaſſe cenſebat. ſuſpenſus manu truncus caput retorſit, & ruſtici manum ſæuiens momordit. At ille credens ſuctu vulneri ſuccurrere, os ſtatim morſui admouit. Quo facto, derepente in terram cecidit, vbi illico mutus factus periit. *Matthiolus comment. ad præfat. lib. 6 Dioſc.*

Cum Pompeius Rufus Romæ ædilitium munus obiret quinquatriis (vel Panathenaico feſto) vt ſolet in Romano foro fieri circulator aliis permultis, qui eandem quam is ipſe artem factitarent, circumſtantibus, ad ſuam ipſius oſtentandam ſapientiam ſimulque ex artificio ſuo ſpecimen dandum, aſpidē ad brachium admouit, & ex impreſſo morſu malum exuxit. Cum poſtea non aquam quam ſibi præparauerat exorbuiſſet, quod ea eſſet ſubducta (ex inſidiis nimirum vas erat inuerſum) veneno non exhauſto neque abſterſo, ſecundo poſt die ſine doloris ſenſu, cum ſenſim & pedetentim pernicie veneni illapſa, eius os & gingiuæ extabuiſſent, vita priuatus eſt. *Ælianus Geſnerus lib. 5. hiſt. anim. p. 32. de aſpide.*

OBSERVATIO.

Arte aſpides reddentur innoxiæ, tum cōtra eorundem morſus remedium certum.

SCribit *de Vigo*, viſum à ſe Florentiæ circulatorem, qui, quo melius & pluris pharmaca ſua populo venderet, aſpidi mordendū digitum ſuum exhibuit ſed quadrihorio poſt interiit. In quam rem luculentam hiſtoriam *apud Matthiolum* legere licet: quo loco ſcribit impoſtores illos, quo magis fucum faciant, populoque imponant, ſolere venari & capere viperas & longe poſt vernum tempus, cum ſcilicet lethalius venenum ſuum expuerint: tum ipſas inſolentibus & quibus non aſſueuerint cibis cicurare, ſicut curatura multa tandem id conſequantur, vt virulentæ naturæ magnam partem exuant, nec hoc contentos cogere ipſas, vt multiplici morſu fruſta carnis defigāt, vt in ea venenū, mēbranula inter dē-

tes

tes & gingiuas ſita, concluſum deponant. Denique eaſdem compellere, vt adſtringens medicamentum quod ipſi in eam rem componunt & circumferunt, remordeant, lambant & deglutiant, quod meatus obſtruat, quibus diffluere conſueuit: tum enim demum innoxium eſſe earum morſum adeo, vt ictis nihil noceant. Illis igitur eas artes eſſe, quibus adulterinam theriacam ſuam cariſſime populo diuendant, quaſi quæ tutiſſimum ſit aduerſus virulentos ictus remedium. *Chriſtophorus Andreas in œcoiatria* ſcribit, Hiſpaniæ inſulas ſerpentibus, aſpidibus, omnique genere ferarum virulentarum, paſſim diſfertas & fœtas eſſe. contra quarum morſus nunquã quicquam præſidii in theriaca animaduerſum & compertum ſit. At in ſequenti antidoto vires multiplici experientia comprobatas, adeo certas, & inſignes exiſtere, vt illius fiducia non dubitauerit ſe mordendum, quantum licet effero, offerri aſpidi. Capit vero id remedium folia thapſi barbati, caryophillatæ, leucoii rubri pari pondere, quæ in aceto acerrimo, & ſani hominis vrina bulliant, ad partis læſę fotum. Quanquam ſi ab ictu multum iam tempus ſine remedio exactum ſit, omnino ſatius & certius eſſe, ſi æger eius decocti vncias tres ieiunus, duabus ante paſtum horis hauriat. *Pareus operum ſuarum libr. 20. de ven. cap. 22.*

Observatio.

Aſpidum remedia alia felicia.

PVer cum ab aſpide ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum quod forte ſecum habebat ebibit & liberatus eſt. Credo quoniam id, quamuis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam diſſipandi. Quo fit vt terra reſperſa eo ſpumet. Eadem ergo vi veriſimile eſt ſpiſſeſcentem quoque intus humorem hominis ab eo diſcuti, & ſic dari ſanitatem. *Celſus libr. 5. de remed. cap. de aſpidis ictu.*

Marcus Varro dum 83. ætatis annum ageret, ſcripſit, vrinam commorſi ab aſpide potam, ſingulariſſimum remedium eſſe aduerſus aſpidis venena. Sed illud certiſſimum eſt Ægyptiorum inuentum & experimentum, acetum, quo copioſius poterur, vti ius eſſe hoc in genere veneni, & narrat *Plinius libr. 23. cap. de aceto*, fuiſſe quendam ab aſpide commorſum, vas aceto plenum geſtantem, quod quamprimum depoſuiſſet, ſtatim incipiebat ſentire ictum, vbi vero iterum vas illud recipiebat, illico omnis dolor & malum ceſſabat, vt intelligi poſſit, acetum eſſe ſingulare remedium aduerſus hoc venenum. *Mercurialis lib. 2. cap. 3. de venenis.*

Observatio.

Hæmorrhoidum morſus ſymtomata & exemplum in Tullo.

IMpreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo.
Magnanimo iuueni, miratoriq, Catonis.
Vtque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis.
Corycii preſſura croci: Sic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lachrymæ: quacunq, foramina nouit.
Humor, ab iis largus manat cruor: ora redundant.
Et patula nares: ſudor rubet: omnia plenis.
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus,
Lucr. lib. 9.

De morſu Tullo inflicto cecinit hoc modo etiam *Georg. Pictorius.*

Impreſſit dentes Hæmorrhois aſpera Tullo
Magnanimo, fluxu ſanguinis & periit.
Geſnerus lib. 5. hiſt. animal. Hæmorrhoo pag. 58.

Observatio.

Hirudinum virulentia.

HIrudines, remedii cauſa corpori adhibitæ, aliquando affixa relinquũt capita, quæ cauſa vulnera inſanabilia facit & multos interimit, ſicut Meſſalinum è conſularibus Patriciis, cum ad genua admiſiſſet. *Plinius lib. 35. cap. 10.*

Observatio.

Gangrena ex morſu hirudinum.

QVidam cum nataret morſus fuit ab hirudinibus: is quum vulnera neglexiſſet, correptus eſt Gangrena circa femur: corpus enim plenum erat prauis humoribus. Caro computruit & fruſtulatim decidit. Poſt corporis exquiſitam purgationem, nõ aliis remediis curata eſt gangrena, quam agrimonia conciſa, & cataplaſmatis modo partibus gangrena laborantibus applicata. *A Geſnero ex eius ſchedis pract. Cl. V. Gaſp. Wolph. communicante.*

Cuidam in aqua natanti, hirudines circa pedes adhæſerunt, magnamque ſanguinis quantitatem vnica vice attraxerunt. Harum vna venenata exiſtente, totum inde crus ſphacelatum eſt, ita vt chirurgi huius ægri curam ſuſcipere recuſarent. Helideus in conſilium adhibitus, ſtatim Eupatorium Dioſcoridis, agrimoniam alias vocatam, contritum emplaſtri loco toti cruri impoſuit, ſicque ęgrum iſtum priſtinæ ſanitati reſtituit. Hinc patet, non contemnendis viribus plantam iſtam ad venenatorum animalium morſus præditam eſſe. *De Cl. V. Laur. Scholzii tranſmiſſis obſeruat.*

Observatio.

Scorpionis venenum cuiuſmodi.

A Phalangii ictu totum corpus affici videtur, exiguo veneno per minimum foramen iniecto. Sed longe maiori admiratione dignus eſt Scorpionis ictus, qui breui admodum tempore grauiſſima infert accidentia: quippe cum ſeſe implicat, aut perquam exiguum eſt id quod iniicitur, aut nihil omnino, nullo apparẽte foramine in ipſius aculeo. Atqui fieri non poteſt, quum primum quis perinde, quaſi ab acu punctus eſt, vt vniuerſum corpus veluti grãdine percuti videatur, animi ſimul defectione accedente. Nam rationi magis conſentaneum eſt, vt vel à ſpiritu quodam, vel tenui humiditate iniecta, hæc eueniant accidentia. *Galen. lib. 6. de locis affectis.*

Nos meminimus quendam Campegium Bononienſem, ſcorpionis ictu, maculis nigris totum conſperſum, expellente natura vna cum mala veneni qualitate nigram bilem, qua illius corpus affluebat, quod in multis aliis, à ſcorpionibus ictis, nunquam obſeruauimus. *Marcell. Donat. hiſt. medic. mirabil. libro primo cap. 9.*

OBSERVATIO.

Scorpiones aliquando in cerebro gigni & interficere.

QVidam Italo ex frequenti odoratu Baſilicę herbæ, natus eſt Scorpio in cerebro, qui vehementes dolores & longos, mortem denique attulit. *Hollerius.*

Puellam quandam in Gallia aiunt, cum ſæpe & multum odorata eſſet baſilicam herbam (minorem puto *Geſn.*) incidiſſe tandem in capitis dolorem incurabilem: & cum à morte diſſecaretur eius caput, inuentos fuiſſe ſcorpios in cerebro eius. *Geſnerus ex relatione cuiuſdam pharmacopœi. Animal. hiſtor. libr. 5. de Scorpione.*

OBSERVATIO.

Scorpio infantis os in cunis ſubiens eundem exanimauit.

ANno Sal. noſtræ 1570. in Agro Veronenſi, vbi dicitur à Baldaria accidit, vt dormiente infante quodam, filio vnico Domini Antonii Franciſci Anzonelli in cunis Scorpio ſatis latus, ingreſſus eſt per os ipſius infantis, dormientis, poſtea in eius gutture aculeo inficit eum, adeo vt infans experrectus & dolore excitatus, poſt multos labores & dolores & ploratus, euomuerit ſcorpionem ipſum, & obierit diem ſuum, cum maximo dolore parentum ſuorum. *Omnibonus lib. 2. cap. 9. de art. med. infant.*

OBSERVATIO.

Scorpiones quibuſdam in locis minus noxii.

QVibuſdam in locis mortem afferunt Scorpiones: alibi ſunt innoxii, vt in auitis noſtris ſedibus, qua ſub Noricarum alpium tractu iacent. Totã eam regionem ſine maleficio colũt. Quorum multitudo ſi tibi nota ſit, nõ ſine admiratione obſtupeſcas. Nullum enim pene mouebis ſaxum, ſub quo non offendas plurimos. *Scaliger exercit. 198. 5. ad ſubtilit. Cardani.*

Piſis plures obſeruauimus à ſcorpionibus ictos, ferme nullam percepiſſe in corpore agitationem. Regionis enim eiuſmodi humiditas, ſcorpionum venenum maxime hebetat, & ad homines contaminandos ineptum reddit. *Vidius med. part. 2. ſect 2. lib. 2. cap. 8.*

Habet & Italia & Gallia ſuos ſcorpiones, qui in Italia non ſunt ita venenoſi. *Ponzettus. de venen.*

Viſuntur aliquando in Italia, ſed innocui, multiſque aliis in locis, vt circa Pharum in Ægypto. *Plinius.*

In Heluetiæ quibusdam, ſed raris locis, vt Raperſuillæ ad Tigurinum lacum, minimi viſuntur, ſed pauci iique innoxii. *Geſnerus.* eius generis forte fuerint librorum, quos vinulas vocant admodum exigui & rubri, vini roſei, diluti colore, vnde fortaſſis etiam nomen traxere. *Geſner. hiſtor. anim. libro quinto, de ſcorpion.*

OBSERVATIO.

Symtomatum & curationum eorum qui à ſcorpionibus icti ſunt, hiſtoriæ ſingulares.

FAmulum habui, qui à Scorpione ictus tanto ſubito, ac tam frigido ſudore toto corpore perfuſus eſt, vt algentiſſima niue atque glacie ſeſe opprimi quereretur. Verum quum algenti illi ſolam theriacam ex vino potentiore exhibuiſſem, illico curatus eſt. *Beniuenius cap. 56. abditor.*

Vir qui à ſcorpione, in manus digito punctus fuit, multum dolebat, & refrigeratus totus contremebat, & per corpus dolores cute tota, quaſi acu puncta formicantes patiebatur. Cæterum hic à ſcorpione punctus, illico eum interfecit, & contuſit, & contuſum puncto digito ſuperpoſuit: & breui à dolore liber fuit: & quaſi ab igne exuſtus redditus, & ex toto ſanatus. *Luſitan. cent. 6. curat. 31.*

Antonius Cortuſus patritius Patauinus, Puluere Sereniſſ. Principis Ferdinandi Archiducis Auſtriæ, a me accepto, quẽdam ciuem, & vicinum ſuum ſcorpione magno ictum, iam animi deliquio detentum, breui admodum tempore ad vitam reuocauit. *Matthiol. com. ad cap. 29. lib. 6. Dioſcor.*

In Italia altero poſt noſtras nuptias anno, natam nobis primogenitam filiã Aſpaſiam, nutrici in proxima domo habitanti lactandæ dedimus, quod vxor tum nouum concepiſſet fœtum. Nutrix puellulam ad nos oblectamenti gratia ſæpius afferebat. Forte fortuna cum quodam die, poſt cœnam ad focum ſederemus, nutrix cum filiola adeſt, ſedet & ipſa, ac filiam faſciis inuolutam matri porrigit: illam in ſinum ſuum ſuſcipit, & cum ſuauiter complecteretur, vt matres ſolent, ſummam medii digiti ſiniſtri partem quaſi acu violentius pungi ſenſit (latitabat enim Scorpius in circumplicationibus faſciarum) doloremque & angorem, viriumq; lapſum talem & tantum paſſa eſt, vt filiam in ignes propemodũ proiecerit: præſto alioquin fuit ſedulo nutrix, & filiam ad ſe recepit. Vxor è ſella ſurgens, animo linqui è veſtigio cœpit, ſudoribus perfundi, totaq; diſtẽdi vtris inſtar, ac pene præfocari. Ego rei nouitate & magnitudine, triſtiſſimoq; caſu vehementer perculſus, vix vbi eſſem noram. Coniugẽ tamen compellans, quid acciderit rogo. Illa tum obmuteſcens, nutu veſtes vt mox ſoluam monet. Interea vero dum illa ſurgit, & nutrix infantem excipit, Deus mihi & mali cauſam & curandi modum commonſtrat: cadit enim in focum virulentus hoſtis ille Scorpius. Hunc capi iubeo (parata namque erat nutrix, pede atterere) & aſſeruari, memor antipathiæ. Vxorẽ à veſtium vinculis confeſtim libero, digitum percuſſum, inter primum & ſecundum articulum, vinculo arctiſſimo excipio. Poſt hæc ſcorpionem ipſum, qui pupugerat, comminuo, ac paululum tundo, & læſo loco appono, ac deligo. Mox quæ alia ſint adhibenda remedia, mecum expendo, libros conſulo. Erat autẽ in promtu laudatiſſima theriaca, odoris gratiſſimi, ſummo artificio concinnata, ſucci plena, quam Franciſcus Gallorum Rex ſibi ſuiſq; parari curabat. Eam dono ante ſexenniũ ab amico acceperã. Theriacę huius drach. vnam ex optimo vino propino, & quoddam, è lauri foliis recentibus in vino decoctis, cataplaſma digito impono. Sæua illa accidẽtia paulatim miteſcunt, duarumq; circiter horarũ ſpatio, vxor ſic periclitata, ſalua & incolumis euaſit, nulla in digito noxa relicta. Dei vero beneficio, & ꝓuidentia mera, nõ mater modo, ſed filia quoq;, tũ ab illiꝰ beſtiolę veneno, tũ ab ignis periculo ſeruata eſt. Si n. filiolã Scorpius pupugiſſet, nulla ſalutis ſpes reliqua fuiſſet ob virus & potẽtiſſimũ & nocentiſſimũ. Poſt annos tamen ſex, vxor mirabilibus iiſque grauibus

morbis

morbis tentari cœpit, ſed non niſi ſiniſtris corporis partibus: ſiniſtra parte capitis, ſiniſtris dẽtibus, brachio, latere, hypochondrio & crure. Tormina quoque lethalia ſenſit, vomitiones & ructus incredibiles, & hypochondriacę melancholię ſymtomata dira ſuſtinuit, & conuulſiones. In animi deliquia ſæpe incidit: quæ omnia à frigido genita. In cauſa autem fuerit ſcorpionis virus, nec ne pronunciare non poſſum. *Plin. lib. 11. cap. 25.* fœminis quam viris noxium magis eſſe ſcorpionum venenum ait: virginibus vero mortem ſemper adferre. Laborauit vxor his modis annis viginti. *Thaddæus Dunus in Miſcellaneis c.9.*

Elidæus Præceptor meus, Bononia in Italia cum iuuenis à ſcorpione ictus eſſet, nobis præſentibus, iuſſit vt iuuenis forti animo ſua manu propria ſcorpionem ipſum interficeret, ac morſui, qui in pede contigerat, caliga diſciſſa, apponeret, ac faſcina ſuper vulnus inflictum fortiter ligaret, quod iuuenis fecit, & nullis accidentibus ſuperuenientibus curatus fuit. *Pet. Foreſtus lib. 10. ſchol. ad obſeru. 67.* Hanc eandem hiſtoriam repetit *idem author. eodem lib. ſchol. ad obſeru.* 119 his verbis.

Memini cum aliquis ex noſtris ſcholaribus ac collegis ex ſcorpione in pede vel ſupra pedem ictus eſſet Elidæus præceptor noſter iuſſit, vt fortiter eundem ſcorpionem manu percuſſa interficeret, & interfectum ictui apponeret, ita vt ſcorpius ſuum virus, licet mortuus extraheret, ac eo modo curatus fuit.

Observatio.

Ad Scorpionum ictus remedia rara, phyſica de experimento & hiſtoria cognita.

REfert *Alexandrinus, Iouiano Pontano authore*, ſe vidiſſe hominem grauiter à ſcorpio percuſſum; qui ſtatim liberatus fuit ebibito thure contrito, in quo cælatum fuerat ſcorpii ſignum. Debet autem ſculpi in lapide annulari, aſcendente ſcorpio, dũ luna ibidem agit cardinaliter conſtituta: eo demq; ſigillo aromatica imprimi hora qua luna in ſcorpio cardinalis inuenietur: & quo dictum eſt modo exhiberi, ex aqua, vino albo, aut alio idoneo liquore. *Mizald. memorabil. & arcanor. cent. 6. Aphoriſ. 86.* Eadẽ *Scorpion* habet.

Ipſe vidi ſatellitem Romanum, geometriæ gnarum, qui cum diu habitaſſet Ægyptum, ex Chriſtiano Saracenus euaſit temporibus Regis Camorchæ: hic (mirum) ſponte mobiles imagines fabricabatur. Euenit, cum apud Satellitem eſſem, quod obnixe eiulantem armigerum ſuum audiremus: ex ictu enim Scorpii grauiter dolebat. hic meus ille ſatelles incertum Antidotum quid porrexit, vt id potaret: id gerebat charactere ſcorpii, & thus olebat: quo hauſto, ilico euanuit dolor. Hic ego, quidnam id eſſet, quod tam commodum & ſalutarem preſſiſſet formam? Ilico aureum obtulit annulum, qui emblema gerebat lapidis Bezaar, cui inſculpta erat imago ſcorpii. Rogabam, quanam hora hãc ſculpſiſſet: reſpondit, luna in ſcorpione verſante, cum angulum centrumque cœli attigiſſet. tuncque olibanum maſtice imbutum ſe preſſiſſe affirmabat quin aliis rebus inuſta hæc idæa, æquę ac ſi thuri, hanc efficaciam exercebat. *Heurnius Methodi ad praxim lib. 3. cap. 28.*

Observatio.

Necandis ſcorpionibus medicamentum, confictæ præcantationis cuiuſdam ſpecie deprehenſum.

TOta ſubſtantia vel maxime aduerſa eſt ſaliua beſtiis hominem interficientibus, ceu alicubi etiam Nicander Poeta refert. Pollicitus autem mihi quidam incantationem ſeſe oſtenſurum, quæ Scorpios interficeret. vbi illam ſemel dixiſſet, in Scorpiũ expuit: inde rurſum eam obmurmurans, iterũ ſcorpium conſpuit: ac vbi tertio dixiſſet, atque expuiſſet, mortuus eſt ſcorpius. At poſtea ego abſque incantatione à ſola ſaliua morientem vidi ſcorpium, idque celeriter patientem à ſaliua eſurientium, aut ſitientium; tarde autem ab illis qui cibo potuque fuerant impleti, in aliis autem proportione. *Galenus lib. 10. ſimpl. medic.*

Observatio.

Araneos, Bufones & ſerpentes ictu necare.

LIbrat araneus ſe filo in caput ſerpentis porrectæ ſub vmbra arboris ſuæ, tantaque vi morſu cerebrum apprehendit, vt ſtringens ſubinde, & vertigine rotata ne filum quidem deſuper pendentis rumpere, adeo ne non fugere queat, nec finis ante mortem eſt.

Araneus homini domeſticum eſt animal, exitiale vero ſerpenti, adeo vt forte conſpicatus ſub arbore ſerpentem apricantem, filo ſe librat & aculeum mediæ infigat fronti, tam acri vulnere, vt ſerpẽs dolore rotans ſeſe in gyrum, tandem emoriatur.

Bufo nunc cum in aranea, nunc cum lacerta, quãdoque vero cum colubro, vel etiam cum ſerpente prælium ſubit. Læſus autem veneno alterius animalis venenoſi, à plantagine remedium accipit.

Cum aranea pugnat, & ab ea vincitur, nam cum illa frequenter pupugerit, nec bufo vlciſci ſe poſſit, vſque adeo inflatus turget, vt medius crepet & moriatur.

Borax pugnat cum aranea, ſicut & ſerpens. Arahanea quidem ſuperne filo ſuſpenſa deſcendit, & cerebrum vtriuſuis eorum pungit, bufo autem iraſcens inflatur, & aliquando crepat ob venenum araneæ.

Accepi ab iis qui ſpectarunt (inquit *Eraſmus*) ſimile diſſidium araneo eſſe cum bufonibus (quale cum ſerpente) ſed bufonem ictum ſibi plantagine ad morſa mederi. Audies (alloquitur ſuum congerronem) *Acroama Britannicum.* Scis illic conclauium ſolum conſterni ſcirpis virentibus. Quidam faſciculos aliquot ſcirporum in cubiculũ congeſſerat, ſparſurus cum eſſet commodum. Is, cum à prandio ſupinus dormiret, bufo ingens erepſit, & os dormientis obſedit, infixis ſuperno atq; inferno labro quatuor pedibus. Detrahere bufonem certa mors erat, non amouere quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt, vt monachus ad feneſtram deferreretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum eſt. Mox araneus hoſte conſpecto filo ſe liberat & bufonis ſpiculum infigit, ac filo ſe recipit in telam. Intumuit bufo, ſed non eſt auulſus: repetitur ab araneo, magis intumuit ſed vixit: tertio ictus, abduxit pedes ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hoſpiti ſuo.

OBSERVATIO.

Aranei pedibus calcati venenum calceorum ſoleas tranſmittit: eiuſdem tranſcurſu ſpeculum crepuit.

TAnta huius veneni vis (ſpeciem in memoria nō habeo) vt calcatus calceorum ſoleas tranſmiſerit cuiuſdam Vincentini. Hic vero in Vaſconia vnius araneoli tranſcurſu eoque leuiſſimo crepuerit ſpeculum *Scaliger exercitat.186.*

OBSERVATIO.

Solo combuſti aranei fumi nidore hauſto, quidam periculoſiſſima ſymtomata, & tantum non lethalia incurrit.

VIdi quendam Lombardum Florentiæ in hoſpitio Coronæ, qui quandam araneam, nigerrimam & magnam, combuſſit lumine candelæ. Et commorans in loco olfecit fumum illius araneæ: Et ſtatim incepit debilitari, & incurrit lypothymiam, & tota nocte paſſus eſt pulsū cordis, & cecidit pulſus eius ita vt vix percipiebatur, & curatus fuit cum theriaca, diamuſco, & pul. zedoar. mixtis. *Nicol. Nicolus ſerm.4. tract.4. cap.23.*

OBSERVATIO.

Vino, in quo extinctus fuerat araneus, poto, Monachi aliquot mortui.

NArrat *Nicolaus Florentinus* Florentiæ in monaſterio Eremitanorū tempore ſuo multos monachos fuiſſe peremtos ex potu vini, in quo fuerat extinctus araneus peſtifer, ob negligentiam eorum, qui curam habebant vaſorum vinariorum. *Mercurialis lib.2. cap.5. de venenis.*

OBSERVATIO.

Aranei per imprudentiam deuorati, hiſtoria & curatio.

NOſtri ruſtici, qui circa montes habitāt, & Rhæti Reſinarii (vt ſic appellem pauperes illos ῥυτινοπώλας, id eſt, qui reſinas colligunt & vendunt) reſinam ſiccam abietis, vulgo rubræ cognominatæ à rubente cortice (ſiue ea picea eſt, ſiue lapinus, aut abies fœmina, vt Bellonio placere videtur) contra venena prædicant. Et nuper muliercula, cum incauta deuoraſſet araneum, & circa os ventriculi affligeretur, hac reſina ſumta, mox dolore & malo omni liberatam ſe retulit. Eligi autem debet recentior, pinguis, & alba, thus præ ſe ferens: vetus vero, flaueſcens, macra & fibralis reiici, Rotthanne Hartz noſtri ſua lingua vocant: aliqui Schvventten Hartz, quod ab arboribus illis, cortice ſuo ſpoliatis, colligi ſoleat, in montibus præſertim altis: vbi magna harum arborum copia eſt: & ideo cortex illis detrahitur ab incolis, qui pratis ad pabula vaccarum opus habent, non lignis & arboribus, vt pereant, *Geſnerus in annot. ad lib.2. parab. Dioſc. c.150. p.847. & 848.*

OBSERVATIO.

Alia, ſed ictus aranei hiſtoria.

NOs mirum quiddam vidimus in bolo armenio. Villicus enim quidam noſter, quum à me forte proficiſceretur in forum, inter eundum ſenſit ſe in collo pungi, neſciens qua è re contigiſſet: ſtatim autem facto tumore ingenti, & ſtrangulatione quadam, ad me reuerſus, nec quicquam loquens, ſed ſolum locum digito commonſtrans, proſtrauit ſe ſuper capſa mugiens quaſi moriturus. Ego beſtiā aliquam venenoſam ratus, qui neque carbunculi ſigna vlla vidiſſem, nec alterius eorum, quæ oriri in nobis ſolent, bolum armenum propinaui cum aceto, vt forte excellēs apud me erat bolus, quo aſſumto, confeſtim & quodam quaſi miraculo detumuit locus, ac ſurgens ille, & loquens, hoc me, inquit, à morte liberauit, putare autem ſe araneum pupugiſſe, qui diſceſſiſſet in collum. *Fracaſtorius lib.2. cap.2. de morbis contagioſis.*

OBSERVATIO.

Araneæ Peruanæ ictus lethalis, & quæ huius curatio.

EX Hiſpania ficus arbores in Peruanas Prouincias delatæ ſunt, vbi adeo feliciter creuerunt, vt nunc maxima iſtic illarum ſit copia, quæ plurimos eoſdemque fructus geſtant. Porro in eodem regno inſecta quædam reperiuntur, quæ araneæ appellantur, eo quod vbicunque fuerint ſua retia texant, Hiſpanicarum aranearum modo. Magna ſunt ea inſecta, malum araneum amplitudine æquantia, adeo virulenta, vt eorum ictus iugulent, niſi efficaci remedio ſuccurratur: nā ſi diutius differatur, & ſubeat virus ad cor, præſens mors conſequitur. nec vlla remedia proſunt: miram autem in ficu vtilitatem experti ſunt, ſi quotquot icti fuerint, ſtatim ad eam confugiant, & lac ex ficus foliis manans, bis aut ter in vulnus inſtillent: nam venenum, ex ictu in vulnere relictum, omnino extinguitur, tolluntúrque dolores & ſymtomata ſuccedentia, ſolo vulnere relicto, quod, cum ſit exiguum, facile curatur: diu tamen apertum conſeruare ſolent. Atque vt nunquā deeſſet hoc remedium, voluit Deus vt ficus nunquā iſtic folia deponerent, ſed perpetuo virerent. *Monardis lib.3. ſimplicium noui orbis.*

OBSERVATIO.

Tarantulæ morſus horrenda lethaliaque ſymtomata, eorundemque per muſicam & nobiles antidotos curatio.

EGo aſſerere non dubitauerim, omnia Phalangiorum genera haberi in Italia: quippe quæ à me ſæpius ſunt viſa quanquam ſcribit *Plinius* Phalāgia in Italia non oriri. Quin potius præter prædicta genera, inibi & alterum reperitur omnium pernicioſiſſimum, quod à Taranto Apuliæ ciuitate, vbi innumera ęſtate tota vagantur in campis, Tarantulam appellant. Icti vero ab his variè ac diuerſe torquentur: ſiquidem alii perpetuo canunt, alii rident, alii plorant, alii clamitant, alii dormiunt, alii vigiliis afficiuntur, plerique vomitionibus laborant, nonnulli ſaltant, ſunt qui ſudant alii tremebundi fiunt, quidam pauoribus infeſtantur, & alii alia patiuntur incōmoda, fiuntq; phreniticis, lymphaticis, & maniacis ſimiles. Quæ quidē ſymptomata tā varia ac diuerſa non aliunde prouenire dicendum eſt, q̄ aut ex vario horum animaliū veneno, aut ex demorſorum hominū temperamentis. Nā atra bile tentatis, & eorum temperaturis, omnia hęc accidiſſe cōſpeximus: tāetſi nō deſint, qui putēt Tarātulæ venenū dietim vel horatim immutari, fieriq; ob hoc, vt tam variis ſymtomatib. vexentur, quia ab ea iciūtur. Habētur

Tarantulæ

Tarantulæ etiamnum in maritimis noſtris Senenſibus, Tyrrheno littori adiacentibus, & Romano agro frequentes: veruntamen non perinde ac in Apulia numeroſæ. Degunt hæ inter ſegetes in quibuſdam terræ cauernulis, è quibus interdiu exeuntes ſæpe eos meſſores icit, qui huius inſidiæ ignari crura ocreis non munierunt. Ictos vidi ego nonnunquam in plateis iacentes, & in Xenodochiis, qui prædictis affectibus torquebantur, ſed mirum certe quam facile huiuſce veneni vis muſica mulceatur. Quandoquidem (vt equidem atteſtari poſſum) auditus lyricis, vel tibiarum ſono, primo ſtatim occurſu icti à Tarantula à languoribus ceſſant, & in medium tripudiare, & ſaltare incipiunt, tamque diu rem proſequuntur, ac ſi ſani eſſent, & nullo vnquam teneren-tur dolore. Quod ſi eueniat, vt tibicines tantillum conquieſcant, ac interponant, non multo poſt tempore in terrá concidunt, & ad priſtinos redeunt languores: niſi tandiu indeficiente ſonitu ſaliant, atque tripudient, donec veneni virus, partim inſenſibiliter per cutis meatus, partim per ſudorem exeat & diſcutiatur. Ob id igitur tibicines ſtipendio conducuntur alternatimque mutantur, vt abſque vlla ſonitus intermiſſione tamdiu tripudient demorſi, quouſque penitus curati quieſcant: cum tamē, dum hæc aguntur, ſint, qui antidotis eos corroborent, nimirū theriacá, mithridatico, ac aliis, quæ venenoſorum morſibus aduerſantur. *Matthiolus comm. ad lib. 2. cap. 57. Dioſcor.*

Nihil mirabilius eo aranei genere, quod vocant Tarantulam, qui demorſos morte per Lethargum occupant. Remedium palam eſt ex Muſica, quod ad ſaltandum incitentur: nam ſaltando veternus diſcutitur, ac cum eo ſimul venenum, quod natura frigidiſſimum eſt. Nam & *apud Platonem in Phedone* inducitur quies Socrati à carnifice imperata, vt cicuta illum occidere valeat. Non igitur muſica, ſed labore venenum diſcutitur: at ad laborem incitantur vario Muſicæ genere. Genus enim illud veneni Spiritus ad intima contrahit, naturaliter vero à Muſica Spiritus incitantur, vt in equis, pueris & ſtultis, quamobrem duplici ratione ab ea iuuantur. *Cardanus lib. 9. de Subtilitat.*

Verba tua ſunt hæc: Nihil mirabilius eo aranei genere, quod vocant Tarantulam. Qui demorſos morte per lethargum occupat. Phalangii ſpeciem eſſe Italiæ peculiarē, tibi ſcribendum fuerat. Quod veritate ſua prætexet ſubtilitatem. *Plinius* enim Phalangium Italiæ ignotum dicit. Ea in ore tractu meridionalis pene toto inuenitur, ſed innoxia. In terra Apulia cum frequens, tum malefica. Quare à Tarento vrbe, Tarantula, nominata eſt. Inſulcorum ſqualloꝛe latitans imprudentes vel meſſores, vel venatores pungit. Eam ob cauſam interfuit indigenarum, munimenta pedum excogitare. Itaq; ocreolis calceati metunt. Cæterum quem Lethargum afferat eorum morſus, non intelligo. Nam qui lethargū patiuntur, inertes, languidi, ſoluti, deniq; νωθροὶ ſunt. Eorum modus vnus omnium. At qui læſi ſunt à Tarantula, non vnum eſſe eorū modum, ex Apulorū opinione palam eſt. Arbitrantur n. quot in hebdomade ſunt dies, tot eſſe noxarum ſpecies à beſtiola illatarum. Præterea non omnes obliuione, vel putri ſomno premi, noſtrati quoque prouerbio manifeſtum eſt. Quippe alacriorem quempiam, animove inſolentiore, aut diſſolutiore cum videmus: eum Tarantulæ morſu appetitum dicere conſueuimus. Aliqui ſopore occupantur: ſed non pauciores perpetuis vigiliis diſtrahuntur. Alii flent, alii riſu diffunduntur. Quidam currunt: nonnulli inertes ſedent. Sunt qui ſudent, qui vomant, qui inſaniant. Quare non defuere philoſophi, qui putarent. Tarantularū tot eſſe ſpecies, quot hæc agnoſcentur accidētia. Mihi aliter videtur. Quemadmodū ebrietas non vnius eſt modi, ſed ſua cuique, pro natura & inſtituto: flent, ridēt, ſilent, blaterant, dormiunt, diſcurrunt, verberant: ita ex hoc morſu euenire. Recte tum Muſica curari negas. Labore namque ac ſudore, tum vincitur, tum expellitur venenum. Ceterum illud tibi procurandum fuit. Quamobrem ſomnolenti illi muſica excitantur. Viſi ſunt à nobis languidi ſolutique in tantum accendi calorem ex Aſcauli ſono, vt ſaltando laſſarent oculos ſpectatorum. Sedatur interea dolor, & veneno a corde reuulſo, atq; alioꝛſum diffuſo, & amota mente a ſenſu mali. Sublata Muſica non continuo, ſed pedetentim morbus redintegraſcit. Repetita aboletur. Interea curantur antidotis; quorum vnum præter cætera tibi narrare conſtitui. Ariſtolochiæ rotundæ, Mithridati, ſingulorum vncias duas, Terræ ſigillatæ vnciæ ſemiſſem, muſcas, quæ de Napelli frondibus victum capiunt, duodeviginti, ſucci citri q.s. Namque vel aduerſus hoc maleficium, vel contra quemuis alium morſum, nulla cum hoc eſt comparanda Theriaca. *Scaliger. Exercit. 185. ad ſubtil. Card.*

OBSERVATIO.

Rhabarbarum in mortario tuſum, in quo cantharides contriti fuerant, deuorans; ſanguinis mictu cum veſica exulceratione correptus eſt.

Vincentinus Grema nuncupatus, chirurgus inſignis, medicamentum bibit, cuius pulueres in mortariolo piſti fuerant, in quo prius Cantharides in puluerem redegerant. hic vir ab ore vſq; ad anum excoriatus eſt, & miram veſicæ excoriationem habuit, decem & octo menſium ſpatio, ſanitati reſtitutus eſt, tamen non aderant actu cantharides, ſed vis quædam circa mortariolum derelicta. *Braſauola Comm. ad aphor. 17. li. 2.*

OBSERVATIO.

Cantharides ad genu applicatæ, ſanguinis per vrinam profluuium mirum excitarunt.

Bartholomæus Montagnana, non vulgaris Italorum olim Medicus, refert, quendam Franciſcum Braccum, ciuem Paduanum, cum genui cantharides applicuiſſet, plus pondo quinque librarum ſanguinis eminxiſſe. Idem quoq; accidiſſe, qui eas ad vnguium leproſarum ψώραν vel ſcabritiem tollendam, pollici pedum applicuiſſent. *Langius Tomo. 1. Epiſt. 47.*

OBSERVATIO.

Cantharides in byrſa portans, ſanguinis per veſicam excretionem incurrit.

Incredibile videtur, quidam chirurgus Mediolanenſis bis ſanguinis profluuio correptus fuit, per

per vrinam ſolum, portando cauterium ex cantharidibus in Byrſa. *Ioan. Michael Paſchalius Meth. Curand. morb. cap. 44.*

Quidam cum forte in pera cantharides geſtaret (quarum vſus eſt interdum chirurgis) ſanguinem mingebat, de hoc cum conquereretur apud me, dixi vt abſtineret cantharidibus, nec eas vel tractaret, vel in pera geſtaret; talem aliquando caſum retulit Hælideus de Paduinis med. Bonon. inſignis, quo cum ægros inuiſere ſolitus ſum cũ Bononiæ eſſem. CL. V. *Adolphus Occo. ſuis obſeruationib.*

OBSERVATIO.

Cantharidum ad lichenas potu extinctus quidam.

COſſinus Eques Romanus, amicitia Neronis notus, cum Lichene laboraret, vocato ex Ægypto medico, cantharidum potu ab eo interemtus eſt. *Plin. lib. 29. cap. 4.*

OBSERVATIO.

Cantharidibus ad venerem augendam, aut veneficij loco hauſtis: iiſdemq; ad ſummum vitæ diſcrimen perductis, quomodo nonnulli curati: aliqui vero mortui.

ERat Bononiæ ex Gallia adoleſcens diuitiis & ſtemmate nobilis, Gallo quouis gallinaceo ſalacior: qui puellam non adeo longe ab æde diui Dominici habitatem deperibat, quæ quum illi noctem condixiſſet, illius amore ineſcatus, conſilio ſui commilitonis, ne in veneris conflictu ſuccumberet, ad coitus illecebram cantharidum puluerem in iuſculo quodam abſorpſit, poſtea quum ad primam noctis facem pruritum circa pudenda ſentiret, lætus, ac ratus eſſe libidinis ex pharmaco tentiginem, amicam adiit, in concubia vero nocte, quum punctionibus corpus vellicaretur, & in ore cedrini picis ſaporem perciperet, nec mente ſibi probe conſtaret, ac animę defectu & vertigine pene concideret, triſtis, auxilii & conſilii inops domum rediit. vbi cum cruento vrinæ ſtillicidio ac ardore continuo diſtorqueretur: Deum hominumq; & pręcipue Ludouici de Leonibus mei in re medica præceptoris, opem implorauit. quem quum eius ex Gallia conterranei noctu conſultũ acceſſiſſent, (nempe cui noctu egredi, ob quorundam Bononiæ factionum inſidias, tutum non foret) mihi accerſito negotiũ viſendi ægrum dedit: iuſſitque, vt dato ad ſorbendum oleo, vomitum ꝓlicerem: ventrem clyſteri ex mercuriali, maluarum, radicis altheę decocto, in quo caſſia addito liliorum ac violarum oleo, diſſoluta eſſet, eluerem: & vt ſingulis horis plenum lactis caprini aut bubuli cyathũ patiens ebiberet. Quod ſi hoc deeſſet, lac de nucleis pinearum ac melonum & cucurbitæ ac papaueris ſeminibus contuſis, cum ſtillatitio maluarum ac halicacabi liquore, aromatarium per colum emungere iuberem, ac id loco veri lactis patienti, etiamſi in ſolio aquæ calidæ deſideret, affatim potandum præberem. *Langius Epiſt. 47. Tom. 1.*

Scortum quoddam, quo iuuenem in ſui amore detineret, lauta cæna excepit, additis etiam conditionib. puluiſculo cantharidum conſperſis. Poſtera die cum merum ſanguinem ano virgaq; rigida redderet, medicos vocauit: qui ſtatim, ex commemoratis ſupra, quæ ipſi abunde aderant ſymtomatibus, intellexerunt ei cantharides exhibitas fuiſſe, vomitoriis ergo aluum ſuperne cient, clyſteres ex hordeo mundato, oriza, decocto maluarum, ſeminis lini, fœnugræci, oleo liliaceo, ſebo hircino infundunt, paucam mox theriacam cum multa conſerua violarum, quæ venenum foras eliceret, exhibent, lac potandum præbent, iniectiones in vrethram & inteſtina, ex refrigerantibus, vt ſucco lactucæ, portulacæ, cucumeris, cucurbitæ, melonum, ex lentis & viſcidis quo facilius & diutius vlceratis partibus blando oblitu adhæreſcerent, vt mucaginibus pſilii, maluarum, cydoniorum, ſyrupo de nenuphare, papauere, & violis butyro recenti & oleo amygdalarum dulcium fieri procurant, ſolum hordei decoctum, aut ptiſanam vulgo dictam ei in potu concedunt cibant vitulinis, hædinis, & porcellorum cum lactuca, hordeo violaria elixis carnibus: quæ ſua humiditate alvum laxarent, & lentore inductam aſperitatem oblinirent, refrigerantia & humectantia lumbis, pectini, & perinæo admouent ad ardorem temperandum. Tandem in balneum tepidum ægrum demergunt, nihil deniq; non tentarunt, ſi qua arte venenũ foras elicere, aut infringere poſſent. Sed fruſtranei omnes illorum fuere conatus. Interiit enim iuuenis non remediis conuenienter præſcriptis deſtitutus, ſed veneni efficaci contumacia victus.

Longe felicius ceſſit nobili cuidam mulieri medicorum labor aduerſus hoc ipſum malum, rubris huic & ardentibus fœdiſque puſtulis facies vniuerſa deformis erat, adeo, vt hanc tanquam elephanticam omnes aduerſarentur, parati hominum conſortio interdicere. Lutetiam venit, vocatiſque Hollerio & Grealmo medicis, me vero & Caballo chirurgis, anxie quærit ecquid aduerſum faciei tantam deformitatem remedii ſit. Expenſo diligenter malo, elephantia vacare ipſam pronuntiamus. Cæterum vniuerſæ faciei imponendum eſſe veſicatorium ex cantharidibus tribus vel quatuor horis poſt è facultate in actum redacto medicamento, inſigniter illi ardere veſica, ceruix vero vteri intumeſcere cœpit, cum torminibus, aſſiduo vomitu, mictione & deiectione corporis & membrorum phanatica iactatione, febre perurente & plane ignea. Cogo repente medicos, in eam ſententiam itum eſt, vt illi lac multum potandum exhiberetur, per anum in inteſtina, per vrethram in veſicæ & vteri ceruicem iniiceretur, in lauacro tepido decoctionis ſeminis lini, radicum & foliorum maluæ, bis, maluæ, violariæ, hyoſciami, portulacæ, & lactucæ, ad doloris vſque ſedationem, contineretur. Lumbi & genitalia vnguento roſato & populeone in oxycrato agitatis & concorporatis linerentur. His artib. mituerunt omnia ſymtomata. E facie interim tota in veſicas ſublata, cum purulenta multa ſanies prorupiſſet, euanuit in perpetuum, quę ante faciem occupabat deformitas, adeo vt paulo poſt viro deſponſata, multa prole fœlix, hodie etiam ſuperſtes incolumi ſanitate fruatur. *Pareus operum ſuorum lib. 5. cap. 17.*

Socrui gener quidam veneficus cantharides, extractæ caſſiæ mixtas, obtulit Bononiæ. Quam, veſicæ cruciamentis tam atrociter afflictam, vt etiam ſanguinem largum ex veſica excreuerit, felici ſucceſſu curauit D. Hælideus Paduanus Forolíuienſis, clariſſimus & in artis operib. exercitatiſſimus medicus: quemadmodum recenſuit D. Ioan. Echtius, medicus

dicus Colonienſis ornatiſſimus, illius olim diſcipulus, qui tunc temporis ipſum ſectabatur, & quoque curationi interfuit. *Wierus de præſtig. Dæmon. libr. 3. cap. 35.*

Quidam Italus, homo robuſtus & ſucci plenus, certis de cauſis, quas reticere ſatius eſt, quam exponere, ab amico edoctus, ſumſit puluerem quendam, compoſitum ex ſatyriis, pipere longo, & cantharidibus. Quo facto, ſentit tormina non leuia: quare accepit puluerem alterum alexiterium, quem vulgo vocant Saxonicum, vnde vomitus ſuperuenit, qui diem noctemque durauit, vrinam excreuit cruentam, cum maximo dolore. Altero die, Medicus accerſitus, & remedia efficacia adhibita ſunt: ſed fruſtra omnia. Dolores enim ventriculi, & totius ventris aucti, cum magna anxietate: ratione tamen bene ſibi conſtabat. Sub noctem frigus occupauit extrema, vrina penitus retenta, auctę anguſtiæ, amiſſus pulſus, ipſo libere adhuc loquente; obiit tertia die mane. *de obſ.* C L. V. *Ioach. Camerarij.*

Observatio.

Ad vrinas prouocandas cantharidum potus exitialis nonnullis.

VIro cuidam diuiti, ad ſuppreſſas longo dierum ſpatio vrinas, quorundam ex circumforaneis conſilio, per os exhibitis cantharidum in pollinem quatuor circiter granis: & alteri ſublatis eiſdem cum quinta eſſentia aquæ vitis, ac ſemel cum vino Græco exhibitis, poſt tertiam horam, corroſiuo ſuborto circa ventrem cruciatu, acceleratum vidimus interitum. *Andreas Baccius, in Prolegomenis Venenorum & Antidotorum, pag. 23.*

Observatio.

Cantharidum, in veſicatorÿs adminiſtratis, & per os quoq; ſumtis, minime tutus vſus.

EXperimur, cantharides in veſicatoriis communiter miniſtratas, per os quoq; deſumtas, acerrime corrodere ſtomachum, & ventrem, veſicam tamen à proprietate reſpicere, dilacerareque, & cum ſanguinis acerrima mictione interficere, qui ſumſerint. Nam vtrumq; non ſemel vidimus caſum, cum in capite vel lethargicis adhibitę, vel largis à cerebro fluxionibus, vel quæ in brachiis, vel quæ in ſuris tibiarum applicantur, acerrimo excitato dolore, cum mingendi graui difficultate, ac ardore, & mictu ſanguinis, miſere enecauerint patiẽtes: quod diſcrimen legentibus & incautis tuto animaduertendum conſulimus. *Idem Baccius in Prolegomenis Venenorum & Antidotorum, pag. 22.*

DE VENENIS EX PLANTIS.

Observatio.

Ericæ Bacciferæ vis maligna, amentiam inducens.

ERICÆ Bacciferæ Matthioli; (nam hanc, de qua nunc agimus, eandem eſſe cenſemus,) fructus Saxones qui Brottenbergum montem accolunt, vocant Apenbeer / hoc eſt, Simiarum baccas. Vnde ſi quis neq; ericę, neq; velut Dodonęus Vacciniorum ſpeciem, ſtirpem iſtam eſſe voluerit: is nomine conficto πιθηκόκκον appellare poſſet. Inde autem ei hoc nomenclaturæ inditũ eſt, quod eſus ipſorum vberior, capiti noxia inferat quędam ſymtomata: ad quæ deliræ ſubſequantur geſticulationes, ratione nonnihil interturbata: vt is qui ipſis vſus fuerit copioſius, ſimiarum inſtar ſeſe habere geſtu riſibundo videatur. Hinc plantulam, hanc deleteria facultate minime carere contendunt: & ab eius baccarum eſu omnino abſtinent, aliiſque ipſorum vſum ſancte interdicunt. Ac amicus quidã noſter Andreas Roſelerius, pharmacopeus Halberſtadienſis, vir optimus, ac rei herbariæ non triuialiter gnarus, hãc ſtirpem chamætaxum vocare ſolet, tum ratione, qualitatis iſtius malæ, tum foliorum oblongiuſculorum taxi, ſed breuiorum. *Ioannes Thalius in deſcrip. Harcyniæ Saxonothuringiacæ.*

Observatio.

Rutæ facultas cauſtica.

RVta adeo acris eſt, vt in Scotia quidam hortulanus, ob copioſam rutẽ per aliquot dies erutam & putatam, inciderit in eryſipelas manuum & frontis. Ideoque *Plinius lib. 20. cap. 13.* Cicutæ ſuccum, inquit, prodeſſe manibus colligentium ratam. *Camerarius in horto med.*

Obſeruaui graſſante morbo populari ac ſæuiente peſte, quotquot rutam aceto imbutam identidem naribus admouerẽt, quo acria contagia diſpellerẽt, puſtulas in ſuprema infimaq; labri parte cõtraxiſſe: exhulcerat enim foras admota, atq; vlli parti affricata, veſiculas excitat. quamobrem carbunculis & bubonibus, aliiſq; tumoribus, qui in peſte ſe proferũt, commode adhibetur. elicit enim virus, nec patitur intro reſilire venenatos halitus. *Lemnius lib. 4. cap. 12. de Occult. nat. mirac.*

Observatio.

Ranunculi ſpeciei, quæ proprie Apium riſus ſeu ſcelerata herba dicitur, deleteria facultas.

APium riſus dicitur vel potius herba Sardonia, quæ ridendo interficit, de qua *Apuleius* dixit, ſi quis eam guſtauerit ieiunus, ridendo exanimabitur. vnde riſus Sardonius dictus eſt. Et, vt *Saluſtio* placet, neruos Labiorum & oris muſculos illius, qui eam comedit, contrahere facit; adeo vt ridendo mori videatur.

Nouimus nos apud Antuuerpiam, hodie omniũ ciuitatum facile reginam, nonnullos iuuenes Italos, in acetario herbario, hanc deguſtaſſe herbam, quorum nonnulli illico vitam cum morte commutarũt: alii vero qui ſubito ad antidota & medicamenta vomitoria confugere, euaſerunt. Venefica enim herba hæc eſt, & vitæ humanæ aduerſa. *Luſitanus Comment. ad cap. 171. lib. 2. Dioſ.*

Observatio.

Cicutæ admiranda, narcotica, & mortifera facultas.

VIdi ego honeſtam quandam mulierem, cum inter Paſtinacas, cicutæ radicem decoctam forte fortuna comediſſet, ebriam quaſi ac inſanam redditam, vt in altum ſcandere ac ſubuolare conaretur, cui hauſtu aceti ſubuentum eſt, vt ad mentem rediret. *Tragus lib. 1. c. 159. hiſt. ſtirp.*

Scio

Scio quendam nobilem Patauinum, qui cum ediſſet tortam ex herbis, quibus immiſta erat cicuta pro Petroſelino ab ancilla (eſt enim valde ſimilis ei) mortuus eſt ſequenti nocte. *Cardanus libr. 1. cap. 2. de venenis.*

Cum ruſticus quidam, Magnifici Ioannis à Turri vinitor, non longe à Goritiæ arce, ſuas coleret vineas, ligone forte fortuna erutis cicutæ radicibus, ſecumque domum delatis, paſtinacæ radicis loco decoxit, comeditque in cœna vna cum vxore, mox ſtatim (quæ ruſticorum conſuetudo eſt) ambo iuere cubatum. Media autem nocte a ſomno expergefacti, omni penitus amiſſa ratione, huc atque illuc per domum in tenebris vagabantur, amentia & furore ducti: vnde caput, faciem, & oculos in parietes percuſſerunt, vt mane accurrentibus vicinis, partim percuſſionibus tumidi, partimque effuſo ſub cute ſanguine liuentes, tumentib. admodum oculorum palpebris, horrendam ac monſtroſam oſtenderint faciem. Vocor ego ſtatim ad curam, percontatiſque domeſticis, quibus eduliis in cœna victitaſſent, reperi hos cicutæ eſitaſſe radices, quas paſtinacæ eſſe crediderant. Quandoquidem mihi in propinquam vineam abeunti, oſtenderũt alii locum, vbi ruſticus ille radices effoderat, ibiq; inueni alias cicutæ radices, quæ iam folia emittere incipiebant. Qua re perſpecta, celeriter ad ægros redii, quos quidē non multo poſt tempore, Deo adiuuante, in priſtinam mentem & ſanitatem reſtitui. Tametſi percuſſionum curatio multo longior fuerit, quam veneni.

Decepta quoq; his radicibus eſt, ſuperioribus annis, quædam nobilis matrona à coloreto, Vtinenſis: quæ radices proprio in horto effoſſas toti familiæ decoxit præbuit eſitandas carotarum loco.

Quinetiam monachum Franciſcanũ curauimus, qui plurimis menſibus, modo amentia, modo furore agebatur, quod cicutæ folia, hortenſis petroſelini vice, piſcium quorundam iuſculis impoſita, comediſſet. Caueant igitur omnes, ne in hæc veniant diſcrimina. *Matthiolus Comment. ad cap. 11. libr. ſexto Dioſcor.*

In Italia conſtat cicutam non adeo exitialem eſſe. Eam in Hetruria ſi aſini depaſcantur, profundiſſimo ſomno, & torpore capiuntur, ita vt non tantum ſtupidi, ſed plane mortui videantur. Id quod aliquando ruſticos huius rei ignaros fefellit: nam dum aſinis, quos mortuos credebant, pellem ad vſum detraherent, accidit mirum, quod, in medio fere operis, aſini experrecti ſunt non ſine magno excoriantium terrore, atque ingenti ſpectantium riſu. *Idem Comment. ad cap. 74. lib. 4. Dioſc.*

Cicuta ſturnum non interimere iam vulgatum eſt. Illud neq; vulgatum, neq; de re vulgari: Cicutæ folia necarũt Franciſcum Trapolinum, Præceptoris mei Pomponatii præceptorē, virum ſui ſeculi Phœnicem. Loco Petroſelini hauſit in iuſcula poſita ab ancilla. Itaque amens, ſine ſopore diſcipulis ſuis ſui triſte deſiderium reliquit.

Animalibus quibuſdam tamen tantum induxit ſoporis, vt pro mortuis abiicerētur. At ea poſtea experrecta, primum attonita fuere diū: mox inſano ac præcipiti curſu, eoque vago, atq; interdum vertiginoſo ſæpe proripuerunt.

Aſellos vidimus multum oſcitantes, deinde in anfractuoſos Gyros circumactos, concidere.

In ligutibus Taurinis, anſerculos, cicutæ foliis deuoratis, illico expiraſſe.

Qua tamen in prouincia, vulgo eius radices pro deliciis habent in acetariis: addito etiam elogio ſalubritatis. Vrinas enim eiicere valide admodum.

Ego quoq; ſæpe eſitaui, ſiſari ſapore. In valle tamen Polyzela præſentib. nobis cicutæ radix recepta pro petroſelino in prādium vinitore per initia ieiuniorum amentum fecit. Nazarium Baſſanum ciuem noſtrum & equitem fortiſſimum, ē turma patrui Bonifacii. Is Ludouici Lazizii medici opera liberatus eſt. Multos alios vertigine torſit & obliuione. Qui ſopore fuerit extinctus, ex hominum numero nondum à me viſus vllus eſt.

Ex Phædone Platonis id quoq; colligimus, nō adeo vehementem eius eſſe ſuccum: quin calore modico, ante concepto, vis obtundi poſſit. Idcirco publicus ille nocentiſſimæ fœcis mortalium miniſter, Critonem admonebat, ne Socratem permitteret attentius diſputare, propterea quod ex ea mētis agitatione caloris aliquid contraheretur. Quod ſi cui contigiſſet: ei iterum, atque etiam tertio ſuccus eſſet hauriendus. Vbi vero ſumſit, obiit ille non ſolum ſine ſopore, ſed etiam mente integra, orto à pedibus primum frigore, inde ad crura progreſſo. Quibus in partibus quum ſenſum amiſiſſet, non prius ē vita deceſſit, quā in cor inuaſerit ſtupor. Quin imum ventrem quum refrigeſcere ſenſiſſet, detexit ſe atque vocem emiſit vltimam de Gallo Æſculapii: ſine dolore quidem ille, ſed nō ſine noſtris lachrymis, quoties eum lego locum, ſæpe enim hunc Dialogum à nobis multa repetitum lectione, cum incredibili ardorem legendi cupiditate, vbi eo loci deuentū eſſet, ſimul & conſilium & librum abiecimus. *Iul. Scaliger Exercitat. 152. ad ſubtil. Cardani.*

Eſu cicutæ, quæ Apii hortenſis ſpecie incautum fefellerat, quendam noui ad extremum vſque vitæ dementem factum. *Dalechampius Annotat. ad cap. 13. lib. 25. Plinÿ litera b.*

Paupercula mulier, cum filiis quum hortum fodiſſet, collegerat pulchras radices cicutæ pro radicibus ſiſaris maioris, quas paſtinacas vocitant, eaſque coctas cum iuſculo comederunt. Mulier ſtatim cœpit diuexari veluti ſtrangulatione cæcutire, delirare, torpere, nec quicquam poterat deglutire, ſibi veluti ebria videbatur, nec conſiſtere poterat. Filia iiſdem laborauit, ſed multo mitius, vomuit enim ſtatim, hinc factum, vt hæc hodie bene habeat; illa autem adhuc male. c. l. v. *Ioan. Bauhinus de ſuis obſ. diariÿs.*

Observatio.

Cicutæ minoris cuiuſdam Val. Cordo dictæ, malignitas.

Cicuta minor (*Tragus* ſcribit hoc vitium petroſelini eſſe, & aliquo modo ad cicutam pertinere, quam Germani vocant Glyß Glyſſen) naſcitur cultis hortorum areis, plerumque inter ſatiuum petroſelinum, decerpentes fallens. Nam pro petroſelino, aut vnà cum illo refectū, cibiſque inſperſum, veſcentium mentes graui periculo turbat: ideoque cautos eſſe hortulanos oportet, atq; noxiam hanc herbam ſplendore à petroſelino diſtinguere, alioquin foliorum inciſuris, & forma illi non diſſimilem. *Valer. Cordus hiſt. ſtirp. libr. 2. cap. 150.*

OBSERVATIO.

Nerui vulgo Oleandri dicti, maleficium.

QVidam è ligno Oleandri vero fecerunt, & carnes eo aſſarunt,& mortui ſunt,qui ex eis comederant. *Ioan.Liebautius Comm. de venenis.*

OBSERVATIO.

Napelli horrendorum & lethalium ſymtomatum hiſtoria, atq; antitodi præſtantes.

HVius immanitatem vidimus nos Romæ, Anno à Chriſto nato 1524. menſe Nouembri in capitolio Clementis,VII. Pont. Max. anno primo. Nam cum decreuiſſet experiri olei cuiuſdam præſtantiſſimi vires, quod Gregor. Carauita Bononienſis chirurgus tunc præceptor meus contra deleteria medicamenta, & venenoſorũ animalium quorumcunq; morſus parauerat,iuſſit Pontifex venenũ dari duobus latronibus, quos leges damnauerant, quo ſuorum facinorum pœnas luerent, laqueo vitam finire, vt in iis olei huius experimentum fieret.

Horum alterum,qui plurimum Napelli ſumſerat dulciariis panib. commiſtum, Pontificii medici ſtatim oleo inunguendum præbent, qui poſt tertium diem ſæpius oleo perunctus euaſit incolumis:quanquam nõ ſine magna formidabilium ſymtomatum acceſſione.

Alterum vero,cui longe minus venenati panis exhibuerant, oleo inungi vetant, vt aſſumti veneni effectum, ſæuitiamque cernerent.Id quod illis rei exitus facile comprobauit: quandoquidem paucis poſt horis obiit infelix, iis omnibus incommodis, cruciatibus,& ſymtomatibus correptus, quæab epoto Napello prouenire ſcribit *Auicenna.*

Vidimus etiam id Pragæ Metropolis Regni Boemiæ Anno M.D.LXI. Menſe Decembri in latrone quodã ſuſpendio damnato, cui Napelli radix à carnifice data eſt drachmæ pondere rodoſaccharo excepta, Cæſareis medicis præſentibus, vt antidoti famoſi cuiuſdam vires explorarentur, an contra Napellum id præſtaret, quod antea in altero damnato, qui Arſenici drach. duas ebibit, præſtiterat. Lubens itaq; vorauit ille lethiferum Napelli pharmacum,vt qui non ſolum ſibi conducibilius cenſebat, veneno in carcere necari, quam laqueo publice in patibulo ſuſpendi, ſed quod etiam ſperaret ſe à nobis ſeruari poſſe. Interim tranſacta iam ſeſquialtera hora cum nihil ſymtomatis appareret, verebamur omnes, ne fortaſſe in Boemia algidæ regionis cauſa, Napellus venenoſus naſceretur, aut quod ipſa radix ſucco deſtituta,ob editos iam caules,flores & ſemen,nihil operaretur. Quo factum, eſt, vt alterum illi pharmacum ꝑpinatum ſit, ex eiuſdem Napelli caule, foliis, floribus, & ſemine paratum. At ibidem duabus adhuc horis nobis omnibus permanẽtibus, miſero illi mali prorſus nihil acceſſit. Reducitur ille ad carceres,abeunt cæteri, & mihi ſoli tum committitur negotiũ. Hora tranſacta, carceris cuſtos me admonet, illũ iam ægrotare.Ego ſtatim adſum, audioq; ipſum de vniuerſi corporis laſſitudine vlceroſa, imbecillitate magna,& cordis grauedine cõqueri. Tunc itaq; quamuis audacter ſatis loqueretur nullo ſane mentis incommodo,& viuidis me intueretur oculis cum tamen frontem inſpicerem frigido ſudore madentem, & arterias iam fere obdormiſcere, antidotum propinari iubeo quo epoto, illico inuerſis oculis,atque ore in latus diſtracto capiteq; in ſcapulas rigente, ingenti admodum animi deliquio correptus eſt. Itaq; totus collapſus decidiſſet in terram, niſi à cæteris cuſtode retentus eſſet.Iubeo interim cum vino irrorari faciem, & anterioribus capillis excuti. Quo ingenio ſtatim reuixit,emiſſis interim per ſedem excrementis. Poſthac iubeo illum iacere ſuper ſtraminibus ibi ad hoc paratis, vt, quid inde ſequeretur, animaduerterem.Ille vero de frigore cõquerens,paulo poſt putrida,biliosa,& liuida quædam vomitione reiecit,qua ſe non parum adiutũ fatebatur. Interim ſe ad ſiniſtrum conuertit latus, ac ſi dormire vellet. Prohibeo ne dormiat.Dum hæc aguntur, nullo alio exorto ſymtomate,tantum obmutuit,& obiit ſimul, liuida facta facie, ac ſi laqueo ſuſpenſus.

Cæterum longe aliter ſe habuerunt ſymtomata in altero pariter ad furcam damnato, cui data fuit eiuſdem Napelli drachma, vt de lapide, quẽ Bezoar appellant Arabes,periculũ fieret,an huiuſce veneni circiter immanitatem expugnare poſſet. Agebat latro annum 27. qui epoto lethali pharmaco, piperis omnino ſaporem illi ineſſe dicebat. Hora ſubinde peracta, cum vomere cœpiſſet, lapidis illius grana ſeptem ex albo meraco data ſunt. Verum, ab ebibito antidoto,variis & acerbiſſimis ſymtomatibus exagitatus eſt. Euomuit enim frequẽter biliosa porraceo colore. Quendam quoque veluti globum circa vmbilicum ſe ſentire dicebat, qui inde ſuperna petens, in ſupremam & poſtremam capitis partem frigidam auram quandam diffundebat. Acceſſit paulo poſt ſtupor quidam paralyſi haud abſimilis,qui ſiniſtri lateris brachium, & crus occupauit, adeo vt vix ſummum manum mouere potuerit, motu iam in cæteris partibus extincto. Interim non multo poſt tempore hæc morbi vis, ſiniſtra corporis parte incolumi relicta, in dextram repente ſe contulit, eandemque ſimili modo occupauit. Vagum profecto ſymtoma hoc fuit; nam cum dextrum brachium is attollere potuit, ſiniſtræ non potuit, & è contra. Tandem vtrumque eleuauit. Aiebat quoque vniuerſas corporis venas frigeſcere. Non defuerunt vertigines, quas ſecutæ ſunt cerebri commotiones adeo feruentes,vt aquæ in caldario bullienti ſimiles eſſe diceret. Acceſſit quoque oris,& oculorum conuulſio,atq, acutiſſimus mandibularum dolor. Quare ſæpe manibus affectas illas partes perſtringebat, veritus ne exciderent.in forinſecus eius turgentes oculi,liuida facies,& nigra labia cernebatur, quinetiã ventris tumor videri poterat,perinde ac hominis aqua intercute laborantis. Varia admodum extitit arteriarum pulſatio, & varia quoque mentis perturbatio, pro ſymtomatum recurrentium acerbitate. Nam iam prorſus de vita deſperare, mox in ſpem ſe erigere videbatur, modo rationis compos, modo delirans, nunc ploranti, nunc cantanti ſimilis. Aquam frigidam dari ſibi potandam tantopere appetebat, vt ea ſubito ſe liberatum iri confideret. Toto hoc tempore ſe ter excæcatum, terque in mortis agone colluctatũ affirmabat, lingua tamen perpetuo conſtitit,nullo vnquã ſymtomate affecta, ſiquidem nunquã intumuit, nunquã is balbutire auditus eſt. Cæterum ſeptimã poſt ebibitum Napellum hora,

veneni

veneni tandem vi ab antidoto extincta, omnia euanuere ſymtomata. Arteriæ ad rectam rediere normam, naturalis reuixit colore, & breui quoque virium conſtitit robur. Atque in hunc modum miſer ille, magno conflictu atq; certamine, periculum ſuperauit. *Matthiolus comm. ad l. 4. c. 73. Dioſc.*

Ex reis cui Bezoar poſt venenum oblatum eſt, fuit ante biennium Pragæ, qui cum per aliquot dies in carcere detentus ſolo pane & aqua fuiſſet vſus, atq; præcedenti nocte prorſus incœnatus drach. pulueris Napelli fuit oblata. Erat corpus præcedente diæta valde præparatum, venæ inanitæ, & meatus omnes aperti, ex qua facillime veneni vis ad extrema quoq; membra diſtribui illis potuit, ſuperueniere accidentia, nempe anguſtia pectoris, dolor ſtomachi, oculorum obtenebratio vertiginoſa, pulſus immutatus. Cum vero infirmus aſſereret ni ſtatim ſubueniretur, ſe penitus deficere, oblata illi quinque grana temedii in pauco vino ſunt; continuo alleuiatus eſt. Paulo poſt, non ſine anguſtia tamen, euomuit, & bene ſperabat. Nihilominus ſciebat, materiam circa ſtomachum aggregari. Pars poſterior capitis & collum dolebant, inde cœpit delirare, & canebat alte in folio quodam lacero. Præteriit delirium, recurreruntque alia ſymtomata, dolores ſcilicet ſtomachi, capitis, maxillarum, pectoris, modo vnius, modo alterius iuncturę. Verum ſeptem horarum ſpatio omnes doluere, vẽter intumuit quaſi hydropicus eſſet. Erãt præcordia cum dolore & duritie tenſa, ſentit punctionem in renibus vrina fuit ſuppreſſa, item eſt vno brachio & præterea crure reſolutus. Pulſus ſæpe fuit interceptus, & febriculoſus. Vomuit illo die aliquoties, habuitque ſedes, ſed perpetuo de duritie quadam frigida ac ſi lapis quidam in ſtomacho foret, nobis eſt cõqueſtus. Vltimo vero, de quo aſtantes omnes mirati ſunt maxime ophthalmia quędam lippitudinoſa illi ſuperuenit, adeo dolorifica & horrida, vt patiens ipſe mori potius quam paulo magis cum tali dolore perſeuerare cuperet. A veneni aſſumtione per horas quinq; ne guttam quidem ſumſit, vt eo certius procederet experimentum. Conquieuere ſpatio 8. horarum hæc omnia, noctu cum voluptate cęnitauit, quieteque dormiuit. Mane erat ſaniſſimus, neque membrorum læſio vlla eſt ſubſequuta. Prout ego quinque vel ſex menſium ſpatio ſum percunctatus. Factus eſt liber & etiam à S C. M. liberaliter donatus. *Claud. Richard. in deſcriptione ad Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Archiepiſc. Strigonenſ. Thomæ Iordani de peſt. phœn. operi adiunctæ.*

Napelli videas accliues montium ſaltus Iunio & Iulio perquam elegantem & luxuriantem fundere vbertatem in Rheticis Alpinis, cui tamen (cuncto illic arroſo gramine) parcit quantum eſt pecoris; pręſertim ſecus iter, quo Conſtantia Naſaretum verſus itur, vbi à quouis animalium illibatum præſtat; præterquam à muſcis, quæ illi turmatim inſident & aduolant, & floribus forte innaſcuntur, ſunt enim ferme concolores, maiores, quam communes, alis capituliſque ex lurido viridive cæſio virente, quaſi cantharides, vel cincedulæ, haſce attentius obſeruauimus quidem continentter de floribus roſtello delibantes: cæterum murem Napelli fruſtra, diu & multis auulſis plantis, quæſiuimus, & an vidiſſent opiliones percunctati, nuſquam ſibi viſum negabant: μῦν ſiue murẽ è μυίας feciſſe, nempe e muſca murem: igitur iam tum ſuſpicio non inceſſit iuſtos Arabas cum ſcriptum fuiſſet: Muſca, murem legiſſe: quippe nullam antidotum è mure parant: è muſcis præſtantiſſimam aduerſum funeſtum Tarantæ morſum atque Epidemicos morbos, cuiuſmodi hæc.

Rec. Muſcarum quæ paſtum ceperint de Napello N. xx. Ariſtolochiæ, Boli armeni ana drachmam vnam.

Nec in vlla planta huic congenere muſcæ hæ cæruleæ inſident aut victitant, quo certior eſt, coniectura iſtum Napellum eſſe Arabum, idemque Dioſcoridis vnum ex Aconitis. *Pœna & Lobelius in aduerſarijs ſtirpium. pag. 30.*

Aduerſus tam pernicioſum venenũ & hunc Napellum remedia quædam enumerat *Auicenna*, quæ poſt venenum ipſum vomitione reddita præſidio ſunt: atque inter ea murem etiam (vt paſſim exemplaria habent) reperiri Napello enutritum, qui naturæ eius maleficæ tota ſubſtantia aduerſetur, & aſſumentem ab omni vindicet ac liberet periculo. *Antonius Guanerius Papienſis, ſua ætate celebris medicus, in tractatu ſuo, de venenis* hunc non murem, ſed muſcas eſſe exiſtimat. Refert ſiquidem quendam philoſophiæ ac veritatis ſtudioſum, ſollicite admodum ac diligenter murem huiuſmodi quæſiuiſſe, neque vnquam vel murem vel arroſam etiam Napelli radicem ab eo repertam, ſed muſcas abunde multas folia depaſcentes inuentas, quas philoſophus ille muris loco accipiens, antidotum ex iis confecit, quam & aduerſus venena alia ſed contra Napelli vtiliſſimam ac efficaciſſimam comperit. Accipit hæc terræ lemniæ, baccarum lauri, antidoti mithridatis ſingulorum vncias duas, muſcas Napelli 24. mellis & olei quantum ſatis. In eadem cum Guanerio & Philoſopho illo ſententia ſunt quoque P. Pœna, & M. Lobelius, qui murem Napellum depaſcentẽ nuſquam affirmant viſum, ſed muſcas eſſe, quæ turmatim aduolent, & floribus huius inſideant. Sunt hæ maiores cæteris muſcis & floribus, Napelli propemodum (vt aiunt) concolores, nullamque herbam aut florem, quam huius ſolius, appetunt. Et veriſimile eſt non murẽ eſſe, qui Napello ſuſtentetur, ſed muſcas eſſe, quæ linctu eius viuant. Nam Aconitum, cuius Napellus ſpecies, mures ipſos interimit: atque inde μυοκτόνον καὶ μυόφονον ſiue muricida dicitur. *Dodonæus ſtirp. hiſt. pemt. 3. lib. 4. cap. 12.*

Habemus apud nos radiculas Vincetoxici aduerſus napelli maleficia. *Scaliger animadu. in Theophr.*

OBSERVATIO.

Hæmathagoga herba, caſu inuenta, vis lethalis, ſanguinem è venis primo eliciens.

QVod in Thracibus Bithyniam incolentibus, me adhuc puero contigit, ſine periculo cuiuſquã dici poteſt. Inuenit homo quidã herbam, quam ſi quis aſſumſiſſet, ſanguinẽ primo, tum vitam emittebat. Multis itaq; hoc pacto morientibus cum facinus diligenti inquiſitione dignum arbitraretur, herbarium cõprehendunt, & ad gentis magiſtratũ ducunt. Is cum non ſolum hominem necare ſtuderet, ſed ſi quis alius herbã aut didiciſſet, aut docuiſſet, à nullo ſe quidẽ ipſam didiciſſe, veneficus aſſeruit. Verum in ſuburbanũ cum aliquãdo ſuillũ iecur deferret, vrgente ventre, ſuper herba quadam iecur depoſuiſſe,

depoſuiſſe, quod aliquanto poſt cum ſuſtuliſſet, vidiſſe ex vniuerſo iecinore ſanguineos riuulos ad herbam confluere. Ex hoc coniectura facta, corpori ſanguinem ea detrahi poſſe, periculo mox in obuio quodam facto, vt verum comperit, quod forte ſperabat, ad malos vſus herbam deinceps tranſtuliſſe, ſe tamen alicui alii eam monſtraſſe negauit. Hæc herbarius ille diu inter quæſtiones habitus, retulit. Populi vero magiſtratus, cum plurimum illis in locis naſci hanc herbam ex rei dictis accepiſſet, vinctis oculis ipſum ad ſupplicium duci iuſſit, ne cui inter eundum, herbam indicaret. Ex his ergo multa medicamenta eam vim habentia, vt ſanguinem à principio ſtatim eliciant, inueniri conſtat. Reticere autem ipſa melius eſt, quemadmodum & alia venena latent, quicunq; ratione aliqua prędita ſunt. Quanquam & hæc olim nonnulli abunde docuerint, miram quandam rerum diuerſarum miſturam oſtendentes, ac qua via, quodque venenum conficiatur, ſcribentes, qui mihi cerebrum non habuiſſe videntur. Quemadmodum & nos, ſi me interrogetis, quæ nam ſint ſanguinem educentia. *Galen. lib. de purgant. med. fab. cap. 4.*

Observatio.

Ex Ophiuſa herba hauſta, inſania lethalis.

IN Æthiopia Elephantina Ophiuſam herbam fontes bibentes, inſani redditi, moriuntur. *Alexand. lib. 5. cap. 5.*

Observatio.

Ex Datura ſeu tatula mentis emotio cuiuſmodi.

INiicitur à furibus hic flos, aut eius ſemen in cibos eorum quos deprædari volunt: mente enim quodammodo alienantur, quotquot id medicamentum ſumunt, & in riſum ſoluuntur, magna cum libertate ſinentes, quod lubitum eſt, deprædari. Durat vero hæc mentis alienatio viginti quatuor horarum ſpacio. *Garzias ab Orto Aromat. Hiſt. libro ſecundo, cap. 24.*

Mala inualuit conſuetudo apud impudicas mulieres, vt huius ſeminis in puluerem triti dimidiam drachmam ex vino, aut alia, quæ magis arridet materia præbeant: miſer qui eum hauſit diu velut mente alienatus remanet, aut ridens, aut eiulans, aut dormiens, plerumque etiam alteri colloquens & reſpondens, vt interdum etiam ſana mente præditum eſſe credas, tametſi mentis non ſit compos, neque eum agnoſcat, cum quo ſermones confert, & colloquii habiti plane ſit immemor poſtquam ad ſe redit. Sunt vero nonnullæ adeo exercitatæ in hoc medicamento exhibendo, idque ſic temperare norunt, vt ad certas, eaſque quot velint horas, quibus id propinant, mentem adimant. Multa ſane eius rei exempla, quæ vel ego ipſe vidi, vel ab aliis audiui, huc adducere poſſem; ſed quum ad rem nihil faciant, prætermittenda eſſe duxi: illud ſolum addam, neminem qui ſimile ſumpſiſſet, necatum vnquam comperiſſe, tametſi nonnullos conſpexerim per aliquot dies perturbatos ferri, quod forte acciderat ob immodicam quantitatem exhibitam: quæ ſi fuerit nimia, interimit: quoniam hoc ſemen pernicioſa qualitate non caret, licet Gentiles ad prouocandas vrinas cum pipere & foliis Betele id exhibere ſoleant, & perutile eſſe dicant. Ego vero nunquam obſeruaui, nec experiri volui, cum alia medicamenta ad eam rem vtilia non deſint. *Chriſtoph. à Coſta lib. Aromat. pag. 78.*

Observatio.

Arbores venenatæ.

ARbores venenatæ, inter peru & cánibales multæ ſunt Inſulæ, quæ vnius imperio parēt, quem Caſſique nominant, in quarum maxima, in qua ſæpius Rex habitabat, Gaiacum arbor copioſiſſimè prouenit. Item alia, fructum ferens pilæ magnitudine, viſu ſpecioſum ſed venenatum. Huius ſucco ſagittas Barbari imbuūt, iis aduerſus hoſtes in pręliis vſuri. Eſt etiam alia ex qua ſcarificata ſuccus emanat mortifer: radices tamen ſunt eſculētæ, ex quibus farinam faciunt, qua veſcuntur. Hæc in gratiam eorum qui rerum naturæ variarum, nouarumque cognitione, delectantur, ex *Theuero* deſcripſimus. Qui & hæc de Baxama tradidit: ab inſula ormuz decem miliaribus diſtat, ab ea quæ queionne nominatur, è regione illius ſita, olim Principum quorundam delitiæ, nunc inculta & deſerta, tum quod magna ex parte diruta ſit, ob vehementes terræ motus, tum ob viperarum, aſpidum, colubrorum, qui colore à noſtris valde differunt, & ſerpentum omnis generis copiam, quæ illic ſtabulantur, ex quibus tam venenata & peſtilens aura exhalat, vt non ſolum homines perimat, qui vel aliquantulum moram illic fecerint, ſed etiam ſtirpes ipſas inficiat in quibus eſt arbor Baxama, cuius fructus, vel minimum deguſtatus, mox ſuffocat, id quod ipſius etiam vmbra præſtat, ſi quis vel quadrantem horæ ſub ea moretur. Cum tamen in aliis in regionibus eiuſdem arboris radix, venenorum omnium ſit antidotus, illic lethalis, nec non & folium ipſius, & fructus, qui Rabuxit, vocatur. *Theuetus capit. 61. libr. Sing. Idem T. 1. Coſ. lib. 10. cap. 3.*

Observatio.

Iuniperi vmbra grauis.

Iuniperi grauis vmbra:

Virgilius Æcloga. 10. verſu penult.

Arboribus primum certis, grauis vmbra tributa
Vſque adeo capitis, faciant, vt ſæpe dolores,
Si quis eas ſubter iacuit, proſtratus in herbis.
Lucretius lib. 6.

Observatio.

Nucis arboris vmbra, noxia vis.

QVidam arbori è qua nuces iuglandes enaſcuntur, aut ſaltem vmbræ ipſius vim deleteriam attribunt: Quandoque expertus ſum, nihil quicquam tale opinatus. Nam cum aliquando media æſtate ſub ea dormiuiſſem, vniuerſum corpus refrigerari, cum maximo capitis dolore, qui quinque aut ſex dies durauit, ſenſi. In hoc caſu quis eodem modo vino generoſo, & remediis ad taxi maleficium

cium præſcriptis,vti poterit. *Greuinus lib.2.de venenis, de Taxo.*

Mulier quædam ruris incola, cum in meridie ſub vmbra nucis arboris dormitaſſet: in ſomniis à dæmone opprimi & verberari ſibi ipſæ viſum eſt:& præ timore expergefacta,cum ſub nucis vmbra ſe cubaſſe videret, ſemidormiens perterrita, à malo ſpiritu ſe correptam prædicans,domum reuertitur,& febri ſuperueniente, fere capilli omnes decidere, qui tamen ſanitate reſtitutæ,renati ſunt. *Marcel.Donat.hiſt. med.mirab.lib.1.cap.1.*

OBSERVATIO.

Tamarindorum vmbra noxia.

VSu compertum eſt, tamarindorum arboris vmbram, ſub ea dormientibus non minus noxiam eſſe,quam arboris iuglandis. *Chriſtoph.à Coſta. Arom. lib.cap.de Tamarindis.*

OBSERVATIO.

Buxi vis mortifera.

NOVI virum quendam apud nos,ſed non admodum firmi cerebri aut mentis ſanæ, qui cineres buxi deuſtæ atque in die palmarum benedictæ, quem ritum Eccleſia Catholica Romana Dominica Palmarum obſeruat, cuidam adoleſcentulo ebibendos propinaret aqua benedicta immerſos, adhibito ſuperſtitioſo ac ridiculo quodam exorciſmo,ad diſpellendas,vt adſtātibus perſuaſit, febres, & vermes exigendos non ita multo poſt febris quidem depulſa, ſed adoleſcens morte ſopitus eſt,ſic vt author fuerim meis ciuibus,ne quis tale quiddam iterum attentaret, quum buxeæ frondes deleteriæ ſint & exitiales, corporique humano noxiæ ac pernicioſæ, quod odor grauis etiam & viroſus indicat, & ſapor abominabilis atq; amarulentus, quem palatum reſpuit atque auerſatur. *L.Lemnius, lib.ſimilitud.in Bibliis de Herb.atq; arborib.*

OBSERVATIO.

Taxi,& baccarum eiuſdem veneficium vbi.

TAxus mas noxio fructu: lethale quippe baccis, in Hiſpania præcipue, venenum ineſt, vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe compertum eſt. Hanc Seſtius Smilacem à Græcis vocari dixit: & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni,vt ſi qui dormiant ſub ea,cibumve capiāt, moriantur.Sunt qui & taxica hinc appellata dicant venena,quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tinguntur. *Plin. lib.16.c.10.*

In Italia & Narbonenſi Gallia, Hiſpaniæ conterminà naſcitur. Auiculæ quæ Italice taxi baccas deuorant, denigrantur. Et qui ederint eaſdem homines,alui profluuio corripiuntur. Narbonæ tam præſentis eſt veneni, vt ſi qui dormiant ſub ea,aut in eius vmbra ſubſideāt,lædantur, & ſæpe numero moriantur. *Dioſc.lib.4.cap.75.*

Baccas fert rubentes, aquifolii modò dulces, vinoſaſque,quas quandoque mandentes, tum paſtores,tum qui in ſyluis arbores cædūt, ſtatim in febres incidunt,& dyſenterici fiunt, ſanguine & ſpiritibus inde admodum inflammatis. *Matthiolus Com.ad citatum Dioſc.cap.*

Prouenit arbor hæc frequens in Tridentinis montibus, præſertim Ananiæ vallis & Flemarum: cuius baccæ iiſdem in locis noxiæ ac pernicioſæ deprahēduntur. Quippe quod curauerim ego paſtores, aliosque in ſyluis ligna cedentes, qui ſaporis dulcedine allecti baccas ipſius comederant: ex quarum eſu, non modo in ardentes febres inciderunt, ſed & in alui profluuium,adeo vt in maximo verſarentur diſcrimine. *Idem Com.ad cap.12.lib.6.Dioſc.*

Scribit *Plutarchus tertio ſympoſiorum Commentario*, Taxum eo tantum tempore noxium,quo iam florere inceperit *Petr.Pena,in Aduerſariis*, in Anglia innocuum prorſus decernit *pag.450.*

In Belgio vis pernicioſa eſt,& vmbra periculo caret. *Dodonæus pemt.6.lib.1.cap.10.*

Fructus ab aliquibus hominibus manditur, ſuauiſque eſt, atque innoxius. *Theophraſtus hiſt.plant.lib.3.cap.10.*

Diuerſum experimur in noſtro taxo, reclamantque *Dioſc.& Plin.Rob.Conſtant. Annot.ad eundem Theophraſti locum.*

OBSERVATIO.

Cannarum putridarum maleficium.

QVi cānas putidas euoluit villicus,totus tumuit. Cæterum vt veneno affectus, curatus fuit. Expirant autem ex ſe cannæ putidæ vaporem quēdam, prorſus venenum ſapientem. *Luſit. Cent.84. De noxa arborum plura Langius lib.2.Epiſt.50.*

DE FLORIBVS.

OBSERVATIO.

Croci vis deleteria, ſi nimius eius vſus ſit.

EST Crocus medicina cordialis, quæ merito tum intus, tum extra medicamentis cordi adaptatis, miſceri debet;nam corroborat & lætificat, & ea de cauſſa riſum prouocat, & ita promouet, vt fabuloſum non ſit, aliquando hominem riſu & cachinno ob nimium croci eſum, mori. Vidimus enim nos apud Mutinam à Campo, totius Hiſpaniæ celeberrimum emporium, mercatorem quendam, qui cum plures Croci ſarcinulas ſiue inuolucra emeret, vt in Luſitaniam portaret, multum ex illo in olla, carnes iurulentas pro cœna continente,iniecit: qui poſt earum eſum in tam intenſum ac vehementem riſum prorupit, vt non multum abfuerit, quin riſu & cachino tunc è vita diſcederet. Tunc enim Serapionem verum dixiſſe reddidi, quum capite de croco ex mente Raſis dicat.Crocus pondere duarū drachmarum, partum accelerat,& inebriat,ebrietate forti,ſi cum vino miſceatur,& lætificat adeo, donec facit inſaniam excellenti lætitia. Et *Gal.libr.de Antid.*ſe ob croci odorem incurriſſe capitis dolorem faſſus eſt. Proinde non mirandum, ſi agaſo quidam apud Piſaurenſes, ſuper duabus croci ſarcinulis dormiēs, eadem nocte obiecit: vt ſuperioribus annis accidit, vt teſtantur omnes Piſaurenſes, ac Magnificus Dominus Iohannes Gondula,Patricius Raguſinus, vir non minus doctrina, quam generis nobilitate clarus,qui eo tempore apud Piſaurenſes agebat.& hoc ita eſſe confirmabat. *Luſit.Enarrat.ad cap.25.lib.primo, Dioſc.*

OBSER-

OBSERVATIO.

Colchici deleteria facultas.

COlchici floribus, vt audio, vtuntur Turcæ, cum inebriari volunt: eos enim vino macerant, eoque poto adeo ſtupidi redduntur, vt in ecſtaſin abeant. *Matthiolus Com. ad cap. 80. lib. 4. Dioſc.*

Iohannes Pollio Medicus Chremeſinus mihi ſemel atque iterum, duorum puerorum Hiſtoriam recenſendo, renouauit, qui per luſum in prato, non procul à ſua patria, Colchicum ephemerum deuorasſent, ambo perierunt miſerabiliter, atque extincti ſunt. *Iohannes Agricola Ammonius, rei herbariæ libro ſecundo.*

OBSERVATIO.

Floris Aphricani venefica vis.

VEnenoſa & refrigerandi potentia, florem Aphricanum donatum eſſe, odor nigratus, caput aggrauans, cicutæ ſimilis: qualis Lycoperſii ſucco, oſtendit: deinde & experimentis nonnullis conſtat. Memini etenim in puero, qui flores mandere inceperat, labia & os inflata, me videre: ſicuti crebro iis accidit, qui cicutæ fiſtulis ludentes aut modulantes, intra labia eas aliquandiu continuerunt. Feli etiam flores cum calycibus recenti caſeo permiſtos olim dedimus: quæ mox valde inflata, & paulo poſt mortua fuit. Mures quoque, qui ſemen atroſerant, mortui feruntur reperti. Quæ omnia venenoſam & deleteriam huius herbæ facultatem oſtendunt: & non audiendos eſſe eos, qui hanc Tanaceti vel Arthemiſiæ ſpeciem, aut innoxiam ſtirpem fore autumat. *Dodonæus hiſt. ſtirp. pemt. 2. lib. 3. cap. 12.*

DE SEMINIBVS.

OBSERVATIO.

Vermiculorum in fœniculi ſemine genitorum exitialis vis.

ANgues fœniculi eſu ſenectam exuunt, ac oculorum hebetationi medentur: vnde etiam ad homines in ſimilem vſum fœniculum promanauit, ex affricatione illa oculorum, quæ fit à ſerpentibus. Semini praua quædam imprimitur qualitas, quæ vermiculos quoſdam venenatos producit, quorum venenum à multis creditum eſt nullis euinci alexiteriis; quo factum eſt vt vmbelli aperiantur, ac diligenter concutiantur, quo à vermibus emundentur; ac dein in frigidam ad temporis aliquod ſpacium macerentur. *Balthaſar Piſanellus libro de Eſculentorum & potulentorum facultatibus interprete Freytagio, de Fœniculo.*

OBSERVATIO.

Lini ſeminis noxæ.

QVantopere flatuoſum, & recrementitia humiditate plenum ſemen lini ſit, paucis ab hinc annis Middelburgi in Zelandiis animaduerti potuit, cum propter frumenti aliarumq; frugum inopiam, plerique ex ciuibus pane & libis, ex hoc coctis veſcerentur. Diſtenta enim his valde cito hypochondria fuerunt, & facies aliæque partes tumidæ factæ, quorum non pauci ſic affecti, etiam mortui ſunt. Neque enim aliunde hæc ſymtomata, quam ex recrementitia humiditate, quæ flatulentiam parit. *Dodonæus hiſt. ſtirp. pemt. 4. lib. 2. c. 24.*

OBSERVATIO.

Hyoſcyami ſeminis maleficium.

PVerum ſcimus, iuſquiami ſemine temere ac largiter deuorato ex calyculis, ebrio primum ſimilem, vt vini potu factum fuiſſe credidimus omnes: mox inſaniuiſſe, vertiginoſoque affectu correptum, iacuiſſe aliquandiu. *Alexandrinus Annot. ad capit. 3. libr. Galeni.* Quod Animi mores temperaturam corporis ſequantur.

Nobilis quidam adhuc viuens (cuius nomen, plerorumque hiſtoriographorum edoctus exemplo, nunc data opera ſupprimo) vehementiſſimis punctionibus in ſiniſtro latere excruciatus, ſuaſu coniugis ſuæ, herbarum qualitates ignorantis, viginti quinque integra grana ſeminis Hyoſcyami aſſumpſit, eo fine, vt ſi forte aliquod adeſſet apoſtema, illud rumperetur, aut aperiretur, factis cauitatibus granorum numerum exæquantibus. Hic bonus ergo Nobilis ex illa venenoſa ſubſtantia in tantam incidit φρένεσιν ac mentis abalienationem, vt nec liberos, nec fratres, nec ſororem, quam habuit vnicam, agnoſcere potuerit; tantaque perculſus eſt lypothimia, vt omnes aſtantes de ſalute deſperauerint. Ego autem re cognita, quamuis tarde admodum, nihil aliud ad corrigendum venenum adhibui, quam pulu. mei peſtil. drachm. vnam in vino calido, admotis ſimul lectis, eliciendi ſudoris cauſſa. Quo peracto, intra vnius horæ ſpatium melius ſeſe habuit, ac tandem oblatis corroborantibus, & diuina fauente gratia, breui tempore conualuit. *M. Iohannes Faber. De Obſeru. propriis, a Clariſſ. Viro Laurent. Scholtzio mihi communicatis.*

Similis caſus accidit in pago, cui nomen eſt à Pomario, vbi mulier quædam ingrediens ſyluam adiacentem, vt colligeret ligna arida, collocauit filiolum extra ædes ad vicinorum liberos, is repens ad fructum Hyoſcyami, putauit grana Hyoſcyami eſſe vera piſa, atq; comedit: Sed quid factum, poſtquam beneficio caloris reſoluta eſt iſta qualitas venenoſa? In tam vehementem Epilepſiam incidit, ita vt huius morbi, neque de die, neque de nocte, aliqua remiſſio debilitatæ naturę ſit conceſſa. Mater eiulando ac clamando conuenit generoſam noſtram Capitaneam, pie defunctam, opem eius implorans. Generoſa domina communicauit ei puluerem præſentiſſimũ contra hunc morbum, quo antea multos, diuina fauente gratia, curauit: ſed is exhibitus nihil quicquam valuit, nec aliquam habuit ἐνέργειαν auferendi hunc morbum Herculeum. Triſtiſſima ac plena doloris mater ſecunda vice rediit, vlterius expetens conſilium. Generoſa domina me accerſendum curauit, orans vt ſalutare conſilium impertirer mulierculæ referenti vnde puer morbum contraxiſſet. Ego, vt eſt officium boni Medici, miſericordia motus, pulu. peſtilent. ad duas doſes puero ordinaui. Doſis autem prima erat ſaltem drachma ſemis cum vino. Quamprimum igitur exhibitum eſt

medicamentum, morbus, Deo iuuante, ceſſauit qui prius nullo modo depelli potuit. *Idem Faber.*

Habitat etiam in hoc noſtro oppido ephippiarius, qui, quum apud Nobilem quendam ſuum exerceret opificium, tanta correptus eſt odontalgia, vt nihil quicquam de ſuo officio præſtare potuerit, verum coniiciendo ſe in pedes, domum redierit. In itinere autem tabernam cereuiſiariam, reſtringuendæ ſitis gratia, ingreſſus eſt, vbi hoſpita animaduertens illum ſatis eſſe triſtem, inquiſiuit cauſſam eiuſmodi mœroris: ille dolorem dentium incuſauit. Hoſpita bene ſperare iuſſit, ac ſemen Hyoſcyami carbonibus ignitis impoſuit, adhibito infundibulo, per quod vaporem ore patiens attraheret, & dentes ſuffumigaret, qui, abſoluta ſuffumigatione, in tantam φρένεσιν incidit ita vt tanquam furioſus per campos diſcurreret. Domum vero perueniens, vxori in hypocauſto reſidenti, furore percitus, violentas manus inferre voluit, ac niſi aliqui ſtudioſi, ſeſe canendo exercentes, interueniſſent, manibus ſtrangulando illam interemiſſet. Cæterum hunc virum etiam cum pulu. peſtil. ad priſtinam ſanitatem reduxi, *Idem.*

Observatio.

Lolii maleficium, ſomnolentiam, temulentiam, vertiginem & amentiam afferens.

PANIS, in quo lolium fuerit, ſtuporem quendam & veluti temulentiam eſitantibus parit, cum inexpugnabili fere ſomno. Quare incerniculis diligenter à tritico aliiſque cerealibus ſeminibus ſeparandum eſſe præcepit Galenus iis qui aliis ſeminibus ſalubriter vti volunt. Etenim (inquit) cum anni conſtitutio praua aliquando fuiſſet, lolium tritico affatim innaſci contigit, quod neque agricolæ accommodatis ad eam rem cribris, accurate purgaſſent, neque Piſtores, quod paucus eſſet tritici prouentus, ſtatim quidem multis dolere cœpit: ineunte vero æſtate, in cute multorum qui comederant, vlcera aut aliud quoddam ſymtoma, quod ſuccorum prauitatem indicaret, eſt ſubſecutum. *Gal. li. 6. ſimpl. & lib. 1. de Aliment. fac.*

Aiunt in Græcia & Aſia Balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus id ſemen iniicere. *Plin. lib. 22. cap. 25.*

Mulier quædam ad rem attentior, optimeque nota, ſed quæ ſuum iam obiit diem, trituratores in multos conduxerat dies, curaratque ex lolio diligenter excreto (dourt nos vocamus) molito pinſitoque admiſta ſecalis farina, panem apparari & coqui, vt eos minoribus ſumptibus aleret, quo cum eſſent paſti, in quandam leuem inciderunt amentiam, & cum eſſent aliquandiu rotati vertigine, laſſi ad vnum omnes, in profundum longumque inciderunt ſomnum: vt pro labore, quem vetulæ præſtare oportuiſſet, ipſi continuo ſterterent: donec ea tandem poſt alterum aut tertium diem, errore animaduerſo, victus rationem mutaret. *Vierus de Præſtig. libro tertio, capit. 18. edit. 6.*

* * *

Observatio.

Hypercatharſis, ex ſemine Lathyris aſſumpto.

QVÆDAM apud nos hortulana, cum laboraret ex cruditate ventriculi comedit vndecim grana lathyris, quæ cum nihil educerent: poſt triduum ſumpſit 17. atque his quoque nihil purgantibus, acceſſit Medicum: rogans, vt illi ordinaret medicamentum euacuans: nihil illi indicans de granis iſtis deuoratis. Ignarus itaque eorum quæ facta eſſent, ſatis validum medicamentum purgans, vt robuſtæ & ruſticæ fœminæ, præſcripſit, quo aſſumpto, natura ſtimulata, cœpit tandem aggredi medicamenta vnde ſecuta ὑπερκάθαρσις, vt per decem dies continuos, plurimas haberet deiectiones, non ſine ramentis inteſtinorum. Tãdem alium accerſiuit Medicum, implorans illius auxilium, qui ei ſtatim exhibuit drachmam vnam opt. Theriacæ veteris, cum vino decoctionis hyperici, & ſic fluxus deſiit, & ipſa rurſum, Dei auxilio, conualuit. *De Obſer. D. Ioach. Camerarii.*

Observatio.

Veneficium ex Ricini ſemine pro piſtachiis ſumpto.

QVidam tam multa Ricini, ſiue Kervæ maioris ſemina comedit, putans piſtacia eſſe, vt poſtea paucis interpoſitis horis in vomitum & ſeceſſum ita inter necantem deuenerit, vt inde mors illi ſubſecuta fuerit. *Luſitanus Cent. 6. Curat. 63.*

DE FRVCTIBVS.

Observatio.

Fragis magna copia ingeſtis, medius crepuit.

MElchior Dux Brunſuicenſis, Frater Othonis Neapolitani Regis, ex Tranſyluanis Ducibus Epiſcopus factus Zuuerinenſis, medone venenato Roſtochii hauſto, male ſe habens, profectus in Butzova arcem, cruciatu agitatus, fragis ad refrigerium magna copia ingeſtis, intumuit, crepuitque medius. *Crantzius lib. 9. Vandaliæ, cap. 9.*

Observatio.

Ficuum nive refrigeratarum eſu mortuus.

POmpeius Columna Cardinalis à Cæſare Carolo Quinto, Neapolitani Regni adminiſtrationem ſortitus, poſt comeſtas ficus biferas, quas multa nive refrigerarat, in complexu AuguſtiniNiphi Philoſophi, integris ſenſibus expirauit Anno ætatis 53. *Iouius in eius vita.*

Observatio.

Cucurbitæ eſu grauiter quidam periclitatus.

CVcurbita non minus concoqui facilis, ac mox de ventriculo delabens: quod niſi contingat, moramque ibi diutius trahat, tum corruptelã ſubibit omnium peſſimam: non ſane multum à veneni

natura

natura abhorrentem:quæq; choleram ſæpe, promptèque inferat. Periclitantem meminimus quendam ex huiuſmodi edulio cucurbitæ elixæ, emollitæque primum, tum folioſa *ϛωτὸς*, quam Paſten vulgo dicimus membrana inuolutæ, ac ſub teſta coctæ, ſed ærea, vt tortas ſolent quas vocant: cita vſque adeo inde aluo, tantaque vomendi vehementia, vt conuelli videretur, multiſq; opus habuerimus medicamentis, quo remitteretur affectus, ſiue id vnius cucurbitæ corruptela ſiue abſcedés æruginis aliquid ex teſta fecerat, non antea ad vſum ſatis emendata. *Iul. Alex. Salubrium lib.9.cap.9.*

OBSERVATIO.

Melopeponum intempeſtiue vſu mortui aliquot.

ALBERTVS Secundus Imperator ex Melopeponum vſu periit, alui profluuio correptus. *Cuſpinianus.*

Sophia Vladiſlai Iagellonis Polonorum Regis vxor febrim ex Melopeponibus contraxit, & mox paralyſi accedente, extincta eſt, vno & quadraginta annis, poſteaquam Vladiſlao Regi nupſerat, exactis, *Anno Sal.*1461. *Cromerus lib.*24.

Paulus II. Pontifex Apoplexia mortuus ſecunda hora noctis, ſolus in cubiculo, nemine vidēte, cum eo die lætus etiam conſiſtoriū habuiſſet: & duos pepones prægrandes deuoraſſet. *Platina.*

OBSERVATIO.

Glandis vnguentariæ vis pernicioſa.

PVer pharmacopolæ, qui cum pro auellanis, corylis dictis: myrabolanum ſiue nucem vnguentariam dixerimus, officinarum mangones, ben Arabum appellant, abunde comederet, parum abfuit tunc, quod ex toto moreretur: ita enim illi vomitus & fluxus immoderati ſuperuenere, ſed breui adiutus, euaſit. *Amat. Luſit. Cent.* 6. *Cur.* 63.

OBSERVATIO.

Quidam tythimali generis cuiuſdam fructum cocculi orientales dictum comedit, & in animi deliquium & cordis preſſuras deuenit.

PEdagogus, qui ingenium ſubtile, & memoriam tenacem habere deſiderabat, vt anacardinam confectionem fugeret, carpaſii fructum (cubebam hodie pigmentarii & officinarum mangones appellant) comedere ſummopere deſiderabat, & eo magis, quia, eius vſu prædicta conſequi, à viris doctis acceperat, & re vera cubebam opus hoc complere & multa alia non negamus. Cæterum cum ad pigmentarium, vt cubebam ſemen odoratum ſibi per puerum deferendum amandaret: ecce pharmacopolæ, vt ſæpe fieri ſolet, parum inſtructus miniſter, vice cubebæ ſeminis odorati fructum, quem piſcatores vulgo coccam vocant, & eo piſces fluuiatiles & lacuſtres interficiunt, quem nos ſemen tythimali cuiuſdam eſſe putamus, miſit: cuius, cum quatuor ad ſummum grana miſer pedagogus auidiſſime comederet, illico in nauſeam, & ſingultum, ac animi anguſtias incidit; ad quem cum amici & familiares peruenissent, & rem conſiderarent, videntes carpaſii ſiue cubebæ ſeminis vice coccam, illico rem ex toto tenent, ad me confugiunt, remedium pro tanto depellendo malo quærentes. Ego vero, cum primum rem teneo, illico vomitorium parandum iubeo, quo vel intra horam, ex integro ab agone & periculo liber eſt factus: habet autem vomitorium ſic. Recipe ſem. anethini, radiculæ cumini, ana. vnciam mediam, in aquæ lib. 2. fiat decoct. facta colatura adde oxymelitis ſimpl. vncias duas, agarici boni & albi puluerizati, drac. vnam, Miſce, fiat vomitoriū, & tepidum ex eo quantum potuerit vno hauſtu bibat, quo breui omnia non ſolum commeſta ſed pleraque alia euomuit, & ſanatus eſt: *Luſit. Curat. Med. Cent.*4.*Curat.*79.

OBSERVATIO.

Nucis vomicæ vulgaris, effectus admirandi.

QVÆ canes occidunt & lupos, facile adducor, vt credam eadem homines quoque necare. Vt de vomica nuce ego fateri poſſum, quippe qui ſciam hactantum mulierem iam ſeneſcentem eſſe extinctam: quæ caſeum, è quo ſibi cibum parauerat, ſuper inſtrumento ferreo, ad hoc parato, attriuerat, ſuper quo eius filius, ſuperiorib. diebus, nuces vomicas aliquot in particulas confecerat, quibuſdam necandis canibus, qui eum noctu oblatrabant. *Matthiolus Com. ad cap.*73.*lib.*4.*Dioſc.*

Nucem vomicam eſſe ſpongiam adnaſcentem frutici, & ſtrangulantem, res certa eſt. *Crato ad Camerarium libr.* 5. *Epiſt. pag.*344. *per Laurent. Scholtzium publicatarum.*

Nuces vomicæ, canibus venenum, homini, ſunt innoxiæ. Turcæ enim has abſque noxa eſitant. Germani aduerſus virus peſtilentiæ plurimum vtuntur, (& magno quidē ſucceſſu) Electuario de ouo, quod non exiguam nucis vomicæ quantitatem recipit. Et fuit propinata eius non parua copia, & cibis admixta mulieris infamis: vt inde moreretur, quæ tamen illæſa euaſit. *Georg. Melichius Scholio ad Elect. de Aromat. Galeni, Antidotarii ſui.*

OBSERVATIO.

Solani hortenſis acini, à pueris deuorati, eoſdem ſuſtulerunt.

DIſſimulandum non eſt, baccas ſolani hortenſis ſomnum inducere, quod ipſe tribus aut quatuor ex eo genere deguſtatis acinis expertus ſum. Admonendi ſunt ergo omnes vt à nimio eorum vſu abſtineant. Scripſit ad me D. Georgius Ollingerus Norimbergenſis ciuis, quoſdam pueros, per imprudentiam, aut certe famem, plures, quam par erat, ſolani hortenſis acinos deuoraſſe: ita quidem, vt duo ex illis occubuerint, tertio ſuperſtite. *Tragus hiſt. ſtirp. lib.*3.*cap.*24.

Doctiſſimus Medicus D. Seuerinus Gobelius, in ſuo accuratiſſimo Commentario de ſuccino, tradit ex putredine huius herbæ, ſolani hortenſis vermes virides maculis luteis intermiſtis creſcere in quorum capite cornu apparet interdum ferme digiti longitudine. *Camerar. in Horto ſuo.*

* *
*

Observatio.

Solani ſyluatici, Bella donna dicti, veneficium.

CAuendum ne immodice illa herba vtaris. quod niſi feceris, idem tibi accidet, quod viro cuidam ex Eberbach prope Hochenburg euenit, Anno Domini 1541. Is, cum in ſylua forte fortuna plantam hanc & acinos eius elegantiſſimos vidiſſet, decerpſit illos, & quamplurimos deuorauit. Altero vero die in tantam inſaniam & furorem incidit, vt pleriſque ſuadentibus Widerdorffum, vt vocant, (vbi inſani & qui à Cacodæmone obſeſſi creduntur, exorciſari conſueuere) abducendus iamiam eſſet. Ego autem, vbi rem intellexiſſem, iuſſi illi viro fortiſſimum vinum propinari, quo facto, conſopitus paulo poſt conualuit, viuitq; adhuc hodie. *Hier. Tragus hiſt. ſtirp lib. 1. cap. 15.*

Experientia cognitum eſt geminos pueros ſtatim ex eſu acinorum huius generis ſolani mortuos eſſe. *Fuchſius hiſt ſtirp. cap. 265.*

Clariſſimus eruditione, multiiugaq; rerum obſeruatione & vſu medicus Renerus Solenander, collega in eodem apud Illuſtriſſimum noſtrum Principem in miniſterio coniunctiſſimus, quum Louanii, anno quadrageſimo nono ſub Hieremia Brachelio operam Medicinæ daret, vidit puerum Seruatii Saſſeni bibliopolæ mirandis ſymtomatib. correptum, ex eſu fortaſſe vnius baccæ ſolani maioris (herbam bella donna Itali vocant) quam caſu imprudés propter ętatem, ignaruſque rerum, ex horto D. Gemmæ Phryſii vicini ſui (qui tum eam plantam prægnantem alebat, cum aliquot aliis exoticis herbis) legerat deuoraratque, cæraſum vel vuam forſitan exiſtere arbitratus. Puer primum cœpit furioſe agere, nec vllum parentem interſtinguere, animo & corpore languere: vocatus D. Brachelius ad conſilium & curationem, tam ſubita ſymptomata grauia miratur: Statimque concepta ſuſpicione aſſumti alicuius veneni maniaci, ſciſcitatur vbi nam puer fuerit, quid egerit? cum in D. Gemmæ horto luſiſſe narrant, viſumque verſari circa dictam plantam, eiuſq; decerpere baccas. Sed priuſquam hoc innotuiſſet, incidit puer in ſomnum profundum, vt excitari nequiret, is durat ad horas viginti quatuor, tum puer ſponte euigilat, agnoſcens primum patrem, deinde alios, ſed ſtupidior: aut paucis tum ex arte adhibitis remediis, probe reſtitutus eſt. *Vierus.*

Dioſcoridis Morii baccæ (quæ eſt Mandragoræ ſpecies) reuocant mihi in memoriam ſimilem baccarum ſolatri, quod vulgo maius vocant, (Italis herba bella donna dicitur) læſionem quam Patauii olim animaduerti apud amicum, à ſodali, non malitioſe quidem, ſed incaute deceptum, qui inter deambulandum in horto, baccas illius ſolatri (ſunt autem guſtu ſuaues ſatis, colore intenſe atro, magnitudine fere auellanæ nucis) ipſi commendarat, vt in re venerea excitanda efficaces: is huic figmento fide adhibita vltra xv. ſi recte memini, deuorauit baccas. Domum noctu reuerſus, ſomnũ appetiuit quidem, ſed num eo potitus ſit necne, referre certe nõ potuit, quin potius pturbationes ſenſim in ſomnum propenſas, & quibus quodammodo vigilans ſibi viſus erat ſomniare, dixit ſe percepiſſe, illis in conturbationib. totam exegit noctem ita, vt neſciuerit, vigilaritne an dormierit magis, appetente die oculis inſectorũ varias imagines, tanq̃ lemurum quędam ludibria obuolitare atq; obuerſari credidit. Tandẽ ad libros cõuerſus, vt in illis oculorũ facultatẽ experiretur, & moleſtiã animi deponeret, præter cãdidam marginẽ nigris areis literarũ circũfuſam nihil agnoſcere potuit. Hinc tranſactis aliquot horis, ſumtoq; prandio, malum quieuit vi deleteria, partim tẽporis mora, calore natiuo, partim & meracioris vini in prandio ſumti qualitate deuicta. *CL. Pet. Andr. Matthiolus, in ſuis Commentariis in Dioſ.* ait baccas huius ſolatri largius ſumtas interficere facto inexpugnabili ſomno. At quod amicus, de quo dictũ, ſomno præhenſus non fuerit, id referendum puto in φιλοτησίαν cui velut auitę conſuetudini noſtrę gentis homines, vel apud exteros etiam, valedicere graue ducunt. *Iohan. Moibanus in ſymphon. ad capit. 11. lib. 1. Parabilium Dioſc.*

Nex eſu hæc ceraſa, vt multi noſtra memoria morte ſunt experti, pueri præſertim: namque Angli adoleſcentuli qui per imprudentiam peregre ſitibundi in via eſitaſſent, lymphatici ſed ſomno ſemiſepulti interiere. Etiamq; Antuerpię non multis abhinc annis quidam impuberes, huius eſum morte luebant. Memoranda huius radicis facultas, qua nugiuendi Ægyptæ in Italia plebeculæ attonitæ concurſum plauſum & pecuniam captant: tantillum namq; radicis admodum ſitibundis conſeruæ ſaccharatæ roſarum violarumue cuilibet addunt, atq; deglutienda dant citiſſimo aduerſus ſitim, etiamſi quis ea propemodum enectus foret, leuamento & refocillamento, ſed nequiſſimo: ſtupefactis namque, vt reor, faucium interioribus neruulis ad œſophagũ imum, languet prorſum appetentia, præſertim potus, & interdum cibi, vnde poſtea male habent niſi repente colluant aceto guttur, & quippiam Abſynthites vini, aut Theriacæ deglutiant. *Pœna & Lobelius in aduerſ ſtirp. pag. 103.*

Siccæ radicis mira vis. Nam ſi drachmæ pondere craſſiuſcule trita ea maceretur in vino horis ad ſummum ſeptem, ac inde percolatum vinum quis deguſtauerit ieiunus, fiet vt is nullo modo edere poſſit, niſi epoto paulo poſt aceto. Hoc enim antidoto fucus ſtatim excluditur, reditque qui ſumpſit ad cibum. Locus eſt magnus, vbi quis guloſis paraſitis hoc appoſuerit vinum, cum Menſis optimis cibis refertis aſſidentes, nihil prorſus cibi ingerere queant. *Matthiolus Commentarior. ad librum quartum, capit. 69. Dioſc.*

Mihi quidem radix eſt, à Franciſco Calceolario Veronenſi reperta, qua vino per noctem macerata, & epoto ſubinde vino, linteolo percolato, à quouis quantumcunque famelico, is quidem edere nequit, ne cibi tantillum deguſtare, niſi aceti cochlear abſorbuerit. Ridendus profecto, iocus, ſed res ipſa non omnibus committenda. *Idem Epiſtola nuncupatoria eiuſdem, de eadem radice, operis.*

De ſolano ſyluatico (ſi prius non ſcripſi: ſum enim obliuioſus nimis) hoc à me accipe, & cœla omnino tanquam myſterium: ſuccum ex eius fructibus (acinis, qui ceraſa referunt) expreſſum & ad

ſyrupû

ſyrupi cōſiſtentiam cum pauco ſaccharo decoctum, ita efficacem eſſe, vt vel ligulæ aut cochleatij parui menſura ſomnum inferat, fluxiones ſiſtat, dolores tollat, dyſenteriam curet; gratus eſt plane, ſed cauendum ne amplius detur. Ego cum laude vſus ſum. Eiuſdem radicis particula, dimidiæ drachmæ forte pondere, ſi in poculum vini inijciatur: & de illo vino alicui propinetur (id quod per iocum, & ad illuſionem aliquos feciſſe ſcio) per horam aut dimidiam ante cœnam, eum, qui guſtarit, in cœna ab omni cibo alienum futurum, & cum ægrotet, nec doleat, edere tamen non poſſe: quod ſi cochleare aceti aut ſucci limonis biberit, ſtatim liberatur & edit. Hoc argumento contra alia etiam eiuſmodi venena, maximam aceti, aut limonis citriue ſucci vim eſſe conieceris. *Geſnerus libr. 1. Epiſtolar. cap. 34 facie aduerſa.*

Poma Mandragoræ, quæ dicitur vulgari nomine bella donna, vidi ego pueros, pulchritudine horum pomorum allectos interijſſe. *Mercurialis libr. 1. c. 13 de venenis.*

Fuit hic non multis adeo ab hinc annis tonſor quidam, qui, (vt ſolet hoc genus hominum admodum temerarium eſſe, & per mortes hominum, vt ille ait, impune experimenta ſua facere) cuidam Stolbergenſi ciui, ſpaſis per vniuerſum corpus, neſcio in quo morbi genere, doloribus, iiſque miſere excruciantibus, laboranti ſolani ſyluestris quod στρύχνον μελανοκέρασον appellare licet, foliorum maiorem copiam in decoctione quadam propinauit: præſertim cum circumſtantes varia, ipſisque nota auxilia, conciliandæ quietis gratia, fruſtra autem tentaſſent: tandemque effecit, vt æger ille non ſolum quietem caperet, verumetiam omnium iſtorum dolorum oblitus, lethali prorſus ſomno diem ſuum clauderet. *Io. Thalius in deſcr. Harciniæ Saxono thuringica, quo loco vide Solanum ſyluestre.*

Herbæ, Bella donna vocatæ, radicis drachmam vnam, leuiter contuſam, vini phialæ immergimus, ac intermiſſis duodecim horis, aut paulo pluribus eluttiatum vinum, mane cyathi menſura, ſecum cœnaturo propinabis, cum trium horarum ſpatio detineatur, mox ad menſam accerſito: nam aſſumtum bolum, nulla diligentia, conatu, aut labore deglutire poterit, ſine faucium læſione aut dolore, vt vix potum admittat. Si vis prandeat, bibatque lactis aut aceti pluſculum & gargariſatum abſorbeat, reddet eum ac ſi nil vnquam paſſus fuerit. *Porta Magiæ nat. lib. 14. cap. 13.*

Quum ego aquam modo quodam (ex Bella Donna) paraſſem, & amico impoſuiſſem in quibuſdam vſibus, nonniſi drachmam exhiberet, ille vnciam propinauit, iacuit quatriduo ſine cibo & motu (forte potu) vt ab omnibus mortuus iudicaretur, nec vllis conatibus expergiſci poterat, digeſtis vaporibus experrectus eſt: Modum iniquis celamus, probis apparet. *Idem lib. 8. c. 1. eiuſdem Magiæ nat.*

OBSERVATIO.

Mandragoræ ſopifera vis & deleteria.

Mihi quid de Mandragora accidit, obiter enarrabo. Quum æſtiuis menſibus (nam eo tempore poma Mandragoræ ſe proferunt) ſemel atque iterum in Muſæo noſtro, amabilem ac ſpecioſum eius ſtirpis fructum negligenter collocaſſem, ita ſomnolentus ſum effectus, vt ægre ſopor excuti poſſet. Quum autem obnixe obluctarer ſomnolentiæ illamque excuſſiſſe conater, ægre id obtinui: nec rationem tanti veterni inuenire potui: tandem cum quaquauerſum dimouiſſem oculos, obtulit ſe à tergo pomum mandragoræ, quo amoto, atque in alium locum tranſlato, factus ſum alacrior, atque torporem depuli, omnemq; oſcitantiam diſcuſſi. *Lemnius explicat. herb. Bib. cap. 2.*

Retulit mihi Medicus ſenex apud Baldiaccam, quod quædam iuuencula comedendo quinq; poma de fructu mandragoræ cecidit cum ſyncope rubeſcens: & quod per effuſionem aquæ nimis factam ſuper caput ipſius ſanata fuit.

Et vidi mulierem radicem eius bibere ad impregnandum, & effici exinde in diſpoſitione illius, qui ingreditur balneum, aut bibat vinum abundans in rubedine & inflatione faciei. *Raſis lib. 24. cap. 835. continentis.*

OBSERVATIO.

Mangas ſylueſtris & lactaria herba Malauarica venenum.

Syluestre reperitur Mangas, Brauas nuncupatum, adeo præſentis veneni, vt indigenæ illo ſeſe mutuo perimant: nam ſi quis paululum ederit, illico moritur: interdum oleum admiſcent ad excitandam eius vim, vtque celeriorem perniciem adferat: ſed quocunque tandem modo ſumtum, adeo celeriter perimit, vt hactenus nullum ſit repertum antidotum ad eius vim compeſcendam. Dilute viret, & aliquantulum ſplendet, lacteo ſucco abundat, pauca que carne præditus eſt, nam craſſo cortice ſolummodo integitur oſſiculum prædurum & cartilagineum. Cotonei tamen mali magnitudine eſt. *Christ. à Coſta lib. aromat. pag. 70.*

Aliud apud Indos veneni genus fit è planta quadam, Lacteo ſucco plena, cuius magna naſcitur quātitas in prouincia Malabar. *Idem p. 46. Aromat. hiſt.*

OBSERVATIO.

Abouai arboris fructus lethalis.

Abouai nomen eſt arboris fructu venenoſo & lethali, magnitudine mediocris caſtaneæ, candido, forma literam Græcam Δ referente. Huius nucleus præſentiſſimum eſt venenum, quod alteralteri in mutuis odijs & diſſidijs, præſertim vero viri leuiſſima occaſione vxoribus infenſi, aut contra vxores viris indignatæ dare ſolent. Peregrinis ſane nullo modo cum fructum recens collectum communicant, atque ab eius etiam contactu liberos ſuos arcent, niſi cui exemtus ſit nucleus. Eo etenim exemto, fructu pro nolis vtuntur, quas è cruribus ſuſpendunt, tantum enim ſonitum edunt, quantum Tintinnabula aut nolæ noſtrates. Arbor ipſe pyri magnitudine, folium ternos aut quaternos digitos longum duos, latum, toto anno virens, cortex ligno candicans. Abſciſſi rami ſuccum emittunt album & quaſi lacteum, arbor præciſa teterrimum ſpirat odorem: quam ob cauſam nullius eſt vſus, imo ne igni quidem ſtruendo idonea. *Cluſius annot. ad cap. 11. lib. 2. Arom. Garziæ ab Horto.*

OBSERVATIO.

Pineorum nucleorum malucanorum deleteria vis.

IMprobæ mulieres Malucanæ prouinciæ ſuis maritis, parum æque, quatuor grana ſiue nucleos edendos præbent, vt eos interimant. *Chriſtophorus à Coſta. lib. aromat.*

OBSERVATIO.

Colocynthidis drachma clyſteri iniecta, lethalis.

DOdonæus *in ſuis obſeruationibus* refert, robuſtum hominé, cui enemate drachma vna Colocynthidis fuerat vſurpata, non diu ſuperuixiſſe: cui mox poſt mortem, aliquot deinde horis, ſanguis copioſus per ſedem effluxerit. *Camerarius in Horto.*

DE RADICIBVS.

OBSERVATIO.

Nimio Allii vſu, lethali verminatione periit quidam.

ARnulfus Imperat. quum creberrimo allij vſu corpus diſtemperaſſet, tanta vermium ſcaturiuit multitudine, vt nulla ope medica curari potuerit. *Cranzaus lib. 3. c. 3. Saxoniæ.*

OBSERVATIO.

Porrorum deleteria vis anodina.

CRudorum porrorum ſuccus Plinio inter deleteria recenſetur: nam fama eſt, Melam equeſtris ordinis reum ex procuratione à Tiberio Principe accerſitum, in ſumma deſperatione, ſucco porri ad triũ denariorum argenteorum pondus hauſto: confeſtim expiraſſe, ſine cruciatu. *Mizaldus in horto. Plin. lib. 19. cap. 16.*

OBSERVATIO.

Chamæleontis nigri veri pruriginoſa & malefica facultas.

CVm chamæleontis nigri radices in Lemno apud pagum quendam Lavadochorio nuncupatum erui curaremus, plurimi Græci & Turcæ ſpectatum venerunt quid erueremus: eas vero fruſtulatim ſecabamus, & filo traijciebamus, vt facilius exiccari poſſent. Turcæ in eo negocio occupatos nos videntes, ſimiliter eas radices tractare & ſecare voluerunt: at cum ſummus eſſet æſtus, & omnes ſudore maderent, quicunque eam radicem manibus tractauerant ſudoremq; abſterſerant, aut faciem digitis ſcalpſerant tantam pruriginem ijs locis, quos attigerant poſtea ſenſerunt, vt aduri viderentur. Chamæleontis enim nigri radix ea virtute pollet, vt cuti applicata ipſam adeo inflammet, vt nec ſquillæ nec vrticæ vllæ centeſima parte ita adurant: at prurigo non adeo celeriter ſeſe prodit. Poſt vnam aut alteram porro horam, ſinguli varijs faciei locis cutem adeo inflammatam habere cœpimus, vt tota ſanguinea videretur: atque quo magis eam confricabamus, tanto maior excitabatur prurigo. Fonti aſſidebamus ſub platano, atque initio pro ludibrio habebamus & videbamus: at tandem illi plurimum indignati ſunt & niſi aſſeueraſſemus nunquam expertos tali virtute eã plantam pollere, haud dubie male nos multaſſent. Attamen noſtra excuſatio fuit facilius ab illis acceptatum eodem incommodo nos affectos conſpicerent. Mirum ſane, quod in tantilla radice tam ingentem efficaciam noſtro malo experti ſimus. *Bellonius obſeru lib. 1. cap. 25.*

OBSERVATIO.

Aconiti velociſſimum venenum.

OMnium venenorum ocyſſimum eſt Aconitum: ita vt tactis quoque genitalibus fœminini ſexus Animalium eodem die inferat mortem. Hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes à Calphurnio beſtia vxores M. Cœcilius accuſator obiecit. Hinc illa atrox peroratio, eius in digito mortuas. *Plinius lib. 27. cap. 2.*

OBSERVATIO.

Epoto veratro iugulatus.

LAboranti cuidam zenobio nomine quartana, imperitus quidam Medicus veratrum, quod inter cætera medicamenta periculoſiſſimum eſt, temere propinauit. Ex quo ſtatim ſubſequuta eſt cum crebra ac vehemens alui deiectio, tum ſpiritus tam grauis ac difficilis attractio, vt cum me filij ad hominem iam in mortis periculo poſitum aduocaſſent, & nullis potuiſſet præſidijs tanto malo ſuccurri, intra ſex tantum horarum ſpatium mors eum violenta è medio ſubtraxerit. Cauendum igitur eſt, ne huiuſcemodi medicamenta, quæ veneni naturam habent, & ſtomachum cæteraque membra plurimum lædunt, abſque eo exhibeamus, quod nocumentum auferre poſſit, cum & aluum per ſe ſæpius ducant & hominem non ſolum infirment, ſed plerumque etiam morti tradant. *Beniuenius cap. 51. Additor.*

OBSERVATIO.

Vomitum ex albo veratro mors ſubſequuta.

VOmitus vt interdum ſanis vtilis, ſic aduerſa valetudine laborantibus nonnunquam neceſſarius. Verum multum intereſt, quomodo & quare fiat. Hoc autem officium diligentis Medici eſſe debet. Nam cum quidam Medicæ artis imperitus, albo veratro vomitum ciere ſolitus, omne genus morbi tali præſidio ſe curaturum polliceretur, accidit forte, vt in manus eius inciderit quidam, qui duobus iam annis ventriculi vitio laboraret, nec vllis vnquam medicamentis ſanari potuerit: vtpote quod cum ſuapte natura difficile ſit, difficillimum etiam redditur in corpore infirmo atque imbecillo, præſertim vbi licentiore quadam liberalitate vtatur æger. Album igitur & huic veratrum ex more exhibente illo, plurimum bilis ac pituitæ tum nigram bilem, poſtremo ſanguinem eiecit: quibus ita deductis, imbecillitas ptimo, & quidem magna, tum ſudor frigidus toto capite ac thorace emanans, nouiſſime & mors ſubſequuta eſt. Non igitur ignorare diligens Medicus debet, huiuſcemodi medicamentum non ſemper ægris prodeſſe ſanis vero ſemper obeſſe. Nam vbi robuſtum corpus nactus fueris, & ventriculus ſit potens morbuſque longior ad difficilis, vt Comitia-

lis, & inſania, aut partes his tunc album veratrum ri-te ac citra Medici culpam exhiberi poteſt. *Beniuenius c.52. Abdit.*

Quam periculoſus ſit temerarius veratri vſus, oſtendit *Hippoc. Aph.1. lib.5.* conuulſio inquit ex Helleboro lethalis eſt: & *Aph.17. lib.4.* Carnes ſanas habentibus, Helleborus periculoſus: facit enim conuulſionem. *Dodonæus annot. ad c.52. Abdit.*

OBSERVATIO.

Ex potione Hellebori temere ſumta, ægri in vita diſcrimen derepente inciderunt: liberantur tamen integre Dei auxilio, magna adhibita cura.

IOannes *Baptiſta Neapolitanus*, acri ingenio, rerumq; multarum experiens, quum ventriculo ac capite grauitateque corporis totius laborare ſe diceret, maioris mali metuens, de induſtria Helleborum ſumit: quod *in eo libro, qui Hetruſca lingua conſcriptus, inſcriptionem habet*, GLI CAPRICCI DI FIFRAVANTI ſcriptum inueniſſet, Hellebori vſum ad arcenda totius corporis mala peridoneum eſſe, magnisque laudibus eius medicamenti vſum efferret idem author. Ab accepto Helleboro in vitæ diſcrimẽ venit; liberatur à me magna cura. *Valleriola obſeru. 2. libr. 3.*

Ipſe memini, cum Delphis piſtor quidam longo tempore valetudinarius, cumque ex mulierculæ cõſilio veratrum in ſubſtantia ſumſiſſet, & in conuulſionem incidit, & pene in mortem, niſi remedijs aptis per me adhibitis. reſtitutus fuiſſet. *Foreſtus Scholio ad obſ. 35. lib.3. de febrib.*

Mulierem noui, quæ cum diu circa præcordia male habuiſſet, Empiricus eius cognatus vncias duas rad. Ellebori albi in taliolas inciſi acceperat, & vino per noctes infuderat tres, vinum expreſſum cum mulier bibiſſet, in vomitum enormem atque choleram incidit, ac animi defectum, & anhelitus præfocationem. Ad quam accitus, poculo inſpecto ex quo potionem ſumſerat, inueni radices Ellebori albi in vino infuſas. Statim adhibeo decoct. hordei communis in aqua pura, adiecto pauco ſaccharo, idque tepide, vt melius euomeret: & pro veneni abſterſione mox propinabam drach. duas flor. nenuph. albi pulueriſator, (hoc enim proprium eius eſt remediũ, teſte *Guainero*) cum ceruiſia, propter calorem; cum venenum, ſeu veratrum, cum vino ſumſiſſet, quanquam Guainerus dat cum vino, vti & theriacam, ſeu gentianam cum vino. Mox roborato ventriculo exterius cum ſtipticis emplaſtris, & rob de ribes per os, tum ſyr. cotoneorum exhibito, poſtquam ſatis euomuiſſet, & ventrem deieciſſet hæc tandem curata fuit. *Idem lib.18. obſeru.44.*

OBSERVATIO.

Hellebori drachma vna ſemis quartanario exhibita, eundem extinxit.

VIdi laborantem quartana, qui ſumſit de Helleboro vnam drachmam cum dimidia, & mortuus eſt: fuerunt tamen culpati Medici, quia dederunt ipſum ſine alio ſolutiuo, ſolus enim non actuatur à calore. Nec ſolet in iſtis regionibus dari de eo niſi ſcrupulus. *Ponzettus lib.2. c.32. De venenis.*

OBSERVATIO.

Helleborus, per errorem, cibo, aromatum loco, aſperſus, ſuffocationem prope attulit.

MVlier quædam Bononienſis, ob certum vteri vitium Helleboro ad ſternutationem vti iuſſa fuerat, cumque illa ſacculum, in quo Helleborus erat, inter condimentorum aromaticorum ſacculos repoſuiſſet, ancilla huius rei neſcia, cibos, quos parauerat, Elleboro, loco aromatum, condiebat. Hoſpites, quæ de cibis illis comedebant, quaſi ſtrangulati, in ſuffocationis periculo verſabantur. Hælidæus accerſitus, quæſiuit num aliquid veneni hauſiſſent, vel an ancillam, quæ cibos adminiſtrauerat, ſuſpectam haberent. Illi dum ancillam excuſarent, vlterius ipſos interrogauit, num cibi illi, quibus vſi fuerant, aliquo aromate conditi fuiſſent. Affirmantibus ipſis, aliquid condimenti loco cibis impoſitum fuiſſe; accerſiuit ancillam, ac ſibi ſacculum, quem ad condiendos cibos adhibuerat, adferre iuſſit. Hunc poſteaquam excuſſit, depræhendit in eo Helleborum fuiſſe. Re itaque patefacta, illos iniectione Enematis ex brodio carnis, & exhibitione Theriacæ And. El. ad infrenandam Hellebori malitiam integre percurauit. *De obſeru. CL. & doctiſſ. Laur. Scholzij.*

DE FVNGIS.

OBSERVATIO.

Fungorum quorundam exitioſa vis.

EParchides narrat, Euripidem poetam aliquando in Icarum peregre profectũ, mortua in agro fœmina cũ liberis, duobus ſcil. adultis maribus, & vna puella, fungorum peſtilentium eſu, & cũ prole ſtrangulata, hoc Epigramma compoſuiſſe.

O Sol perpetua cœlum vertigine luſtrans
Vidiſtin' facinus tetrius hoc ſcelere?
Tum matrem, geminos tum fratres, atq; puellam
Omnes hoc vno nunc periiſſe die?

Athen. Deipnoſoph. lib.2. p.47. & 527. edit. Dalechampij.

Noui quendam, cui poſt boletorum non ſatis elixorum, (qui innocentiſſimi eſſe putantur) vſum largiorem, os ventriculi preſſum ac grauatum coarctatumq; fuit, difficilemq; habuit reſpirationem, & in animi deliquium incidit ſudoremque frigidum ſudauit: ac demũ ſeruari ægerrime, ſumtis ijs, quæ humores craſſos incidunt, potuit: cuius generis eſt oxymeli ipſum per ſe, & cũ hyſſopo & origano ipſi mediocriter incoctis. Is n. tũ hæc ſumſit, tum nitri ſpumã ipſis inſperſam: poſt quæ fungos, quos comederat, vomuit, qui iam quodãmodo in ſuccum pituitoſum, frigidumq; admodum ac craſſum erant mutati. *Galen. de aliment. facult. lib.2. cap.69.*

Inter ea quæ temere manduntur, boletos merito poſuerim, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio Principi per hanc occaſionem à coniuge Agrippina dato: quo facto, illa terris venenum alterum, ſibique ante omnes, Neronem ſuum dedit. *Plin. nat. hiſt. lib.23. c.22.*

Iouianus Imperator, hyeme Ciliciam & Galatiam petens, Dadaſtanis obiit, fungo venenato deuorato. *Suidas.*

Fungorum lentior natura, & numeroſa genera, ſed origo non niſi ex pituita arborum. Tutiſſimi, qui rubent callo minus doluto rubore, quam boleti. Mox candidi, vel vt apice flaminis inſignibus pediculis. Tertiũ genus ſuilli, venenis accommodatiſſimum. Familias nuper interemere, & tota conuiuia, Anneũ

Sere-

Serenum præfectum Neronis vigilum & tribunos, & centuriones Quæ voluptas tanta, ancipitis cibi? *Idem, opere & libro eodem, c. 23.*

Antiſtes Bonromeus ex fungorum eſu cum duobus alijs è familia mortuus eſt, annis ab hinc propemodum viginti quinque. *Cardanus libro 2. de ſanit. tuenda cap* 43.

Non omittendi qui è rubis ſpinetis vere naſcuntur, quos ſpinulos, prunulos cardeoloſq; nominant, rotunditate cluſili, modicique. Hoc genus Clemens ſeptimus Pontifex, tam auide expetebat, vt ſolus patinas ex ijs cœnaret nullo non die. Edixerat ijs in terris, quæ ditioni ſuæ parebant, ne cui alteri demetirentur. Ecce, immatura eius mors, indicio fuit, quãtum intemperata viuẽdi ratio homini ad vitam breuiandam valeret. Nam & Peponibus immoderate veſcebatur. Huic Curtius, Medicus alioqui ſpectatiſſimæ doctrinæ, nulla arte auxiliari potuit. *Bruyerinus de re cibaria lib. 9. c. 20.*

Egregius Pererius Iureconſultus, qui cum nuper è ſuis rediret ædibus, atque in pago, appellato VAVSVENARGVES, hoſpitatus, boletis non ſatis elixis (qui innocentiſſimi putabantur) vſu largiori inſeruiret, os ventriculi die ſequenti preſſum ac grauatum coarctatumque ſenſit, difficilemque habuit reſpirationem, & in animi fere deliquium incidit, ſudoremque frigidum ſudauit, ac demũ ſeruari ægre potuit, ſumtis his quæ humores craſſos incidebant, vomitumq; prouocabant. Hinc nouem poſt diebus ab exactis & præſtitis, tam intro quam foris, præſidijs, quibus expurgari Boletos vtrinque oportebat, nocte aduentãte, & diro dolore ad ventriculum recrudeſcente (cui nos ex abſinthij communis coma, irrotata aceto acerrimo, quod ignita fumabat tegula, exemplo ſubuenimus) protinus Boletum vomitu reiecit, nõ mutatum quidem, ſed penitus integrum, ac ſi recens comeſtus eſſet, ita vt ipſo euulſo à tunica ventriculi, cui adhæſiſſe nouem illis diebus, dirus fixuſque claui inſtar, dolor coniecturam dabat; ſtatim ceu Dei manu in totum leuatus fuerat. *Io. Belfortis com. ad libr. Gal. de vrinis pag.* 121.

Venit in mentem Bernardi Medices Foroliuienſium Antiſtitis ampliſſimi, qui non multos ante annos menſe Septembris, fungos quos porcinos vocant, elixos, aſſos, frictos, immoderate deuorauit, dein poſt duas horas anxietatem, & anguſtiam intolerabilem ſentiens in ore ventriculi, aliquam partem ex ipſis euomit, ſed paulo poſt ſomno oppreſſus, adeo redditus eſt attonitus, vt neque excitaretur à candente ferramento ad verticem & occipitium admoto à medicis, in quorum numero & nos fuimus, ita vt quamuis nullum relictum ſit præſidium intentatum, tamen initio tertiæ diei interierit. Sed cum à cognatis rogaremur veriſimile ne fuiſſet illos fungos fuiſſe aliquo veneno contactos, reſpondimus ſatis per ſe fungorum copiam poſſe hominem necare: neque opus eſſe veneno inficere ferreas pilas grandiores, quas in hoſtes iaciunt tormenta muralia, vt ridiculus cuiuſdam caſtelli præfectus facturum minabatur, cum ſuo ictu protinus illos interimant. *Vidus Vidius med part. 2. ſect. 2. lib. 2. cap. 3.*

Accidit Piſis iuueni à pedibus Andreæ Nobilij legati Lucenſis, qui cum fungos ſtipariolos (ita enim appellant eos, qui oriuntur inter ſcopas, quas Piſani ſtipas dicunt) temere comediſſet, magnã moleſtiam in ventriculo ſentiens, nauſea & vomitu præhenditur, tum in delirium incidit, non quidem furioſum, ſed ridiculum ac pene iocularium, quem ruta & naſturtio ex oxymelle curauimus. *Idem eodem loco.*

Non hic fungorum omnium naturas, ſpecies, & cætera ad hos ſpectantia enarrare ſtatuimus, ſed obiter vnum tantum genus maxime omnium peſtiferum & ad ſuffocationes ſeu (vt aiunt) ſtrangulationes inducendas promtiſſimum declarare. Conſtat autem hoc duplici parte, pediculo ſcilicet & tegula, ſeu pileolo. Aſt ſicuti cæteris fere omnibus tegula conuexa eſt ſuperiore parte, in hoc concaua reperitur, vt aquam contineat dum pluit: inferiore vero tota, pectinatim inciſa, colore eſt lacteo, lacque edens quacunque parte diuidatur acerrimum, atque etiam ad ſuffocationem faciendam promtiſſimum, quamuis non deuoretur, ſed tantum ſummitas linguæ intingatur: ſimilem etiam effectum præſtans momentum crudi fungi puta ad magnitudinem ciceris manſum, non tamen deuoratum, adeo, vt tythymali acrimoniæ nulla in re cedere videatur. Quamobrem credendum eſſe puto Pauſaniæ filiam (de qua Hipp. meminit, cum dixit ex fungi crudi eſu anxietas tenebat, ſtrangulatio, dolor ventris, aquam mulſam calidam bibere ac vomere profuit, & balneum) ab hoc genere fungorum fuiſſe affectam forte etiam & familias, de quibus Plinius & alij ſcriptores narrant. Iam iam tertius appetit annus, ex quo non longe à Rothomago generoſiſſima ac ſplendidiſſima familia quædam poſt eſum fungorum omnes illico in labores inciderunt, nempe in vomitus grauiſſimos, alui fluores, ac animi deliquia, quæ ſymtomata nõ parum ſuſpecta patientibus ſe præbebant: tandem citra vllum noxæ veſtigium, poſt paucos horas, ſolo naturæ officio (nam in agris erant à medicorum pharmacopolarumque præſentia remoti) liberati ſunt. Quam rem cum hi poſt aliquot dies mihi exponerent, dicerentque ipſoſmet fungos collegiſſe in campis, ſtatim poſtulaui num tales eſſent, quales ſuperius notaui, annuerunt, locumq; dixerunt vnde orti eſſent, quo in ſolo & ego alias non paucos id genus videram, multiſque nobilibus horum virulentiam patefeceram. Locus autem erat agreſte ambulacrum quercubus raris conſertum, non admodum vmbroſum, nec humens: nam facile ſimilibus in locis naſcitur, præcipue etiam iuxta itinera & nemorum margines, quas non diuturna vmbra vel humor fouet multus. Reperitur autem à medio vere ad medium vſque autumnum: verum autumno frequentiſſimus eſt, vt cætera etiam genera fungorum. Abundat in Italia ac in tota Gallia: ſunt qui mihi dixerunt ſe ex ijs plerunq; & abunde comediſſe citra iniuriam, qui tamen, cum meo conſilio ex crudo deguſtaſſent, coctos attingere ſubinde non audebant. Fieri tamen poteſt forte, vt ab elixatione eſculenti reddantur, acrimonia congenita reſoluta, non ſecus atque alia omnia acria, quæ ebullitione & diutina maceratione miteſcunt. Sed hac in re putarem ſatius eſſe ab ijs abſtinere, niſi aliorum ciborum extrema penuria cogeret. *Botallus, in Appendice ad lib. de Medici & Ægroti munere.*

Memini Catapotiorum ex Maſtiche, Aloe, & Agarico, ſcrupulorum duorum pondere aſſumtione Epiſcopo Caſtelamarenſi Tridentina in Synodo profluxiſſe aluum ad quadragies, non aliud cauſan-

tibus

ribus nobis, quam vitioſum forte tum in compoſitione Agaricum. *Iul. Alexand. lib. ſalub. cap. 2.*

OBSERVATIO.

De nocumento eueniente à fungis.

PVella Ruſticana, ex villa ad me delata, ætate ſeptendecim annorum, oris ventriculi eroſiones, doloresque ingentes patiebatur, febriebat, & lotium craſſum turbulentumve emittebat, adeo vt iumenti eam quis diceret. Nam quum cauſam, vnde morbus originem traheret, inquirerem, ſe ignorare reſpondet: preſſa itaque coarctata doloribus & anxietatibus, ac reſpiratione difficili, villica hæc tunc in animi deliquium incidit, quibus animaduerſis, illico vomitoriũ hoc parare iubeo, quod habet. ℞. ſem. raphani, anethini, an. vnc. mediam, in aqua fiat decoctio, quouſque maneant vnciæ octo facta colatura, adde oxymelitis ſimplicis vnc. duas, agarici ſcrup. 1. miſce, & bibendum dato: quo parum vomuit, & dolor illam grauabat, ob quem venam communem brachij ſecare iuſſi ſanguinisque vnc. 7. detrahere, quo depoſito, dolor minui cœpit, & melius habuit. Non omnino tamen à dolore libera fuit; ſed potius interdum corripiebatur, vt vero humorem illum refrenaremus, ac expulſioni pararemus, ſic orſi ſimus. ℞. ſyr. de matricaria, de betonica, de hyſſopo, ana vnc. vnam ſemis, aquarũ Origani, fœn. hyſſopi ana vnc. j. miſce, & ieiuno ſtomacho tepidũ bibat, & ter iteretur. At ſequenti die, cũ è rure ad me rediret, variaq; cum ea & ſponſo confabularer: ecce nocte antea quam male haberet, mihi exponit fungos cœnaſſe: φ cum audiſſem, illico deprehẽdi ſymptoma illud ab humore craſſo, pituitoſo, ex fungis venenoſis antea ingeſtis, ortum traxiſſe: ſequenti igitur die, quum iam perciperem hanc difficulter vomere, ſic pharmacum parare iuſſi, vt infeſtantem humorem illum è ventriculi ore pellerem, quod ſic habet. ℞. Agarici nouiter in paſta cum oxymelite ſcyllitico parati, drachmas duas, elect. Eleſcoph. diacartami, ana drach. ij. & mediam, in decoctione hyſſopi, origani, & pulegij quantum ſuffecerit, miſce fiat potio cathartica, qua optime egeſſit, & immunis ac ſana euaſit: tribus porro ſequentib. dieb. theriaces drac. integram quolibet mane, ieiuno ſtomacho, cum vino generoſo degluttiret conſului. *Luſitanus cent. 1. curat. 39. curat. med.*

OBSERVATIO.

Mulier ex fungis comeſtis inſana facta.

QVod fungi peſſimi ſint ſucci, conſtat ex hiſtoria ruſticæ, quæ, fungos cum nocte quadam cœnaret, in morbum quendam grauiſſimum incidit, à quo inſana permanſit. Atque inde ruſtici vicini contendebant, in quodam fungorum genere, quos comederat, ſpiritum malignum (ſic enim illi loquebantur) incluſum eſſe: ignorantes fungorum alimentum, craſſum frigidum, & pituitoſum, prauique ſucci ac venenoſi eſſe, à quo non ſolum morbi, ſed etiam mors ipſa euenire poterat. *Foreſt. in Scholio ad obſeru. 116. lib. 10.*

OBSERVATIO.

De Conuulſione ab vtero ex fungis comeſtis orta.

PVella nobilis, (cui Almaras nomen erat) iuuencula formoſa, annos (plus minus) octodecim nata, in Haga Comitis habitans, ab vteri ſuffocatione in motus ſpaſmoſos ſeu conuulſiuos horribiles incidit, ita vt ſtrictiſſime maxillæ conuulſæ os occluderent, & caput ſubinde retrorſum magna vi conuelleretur. Et (dictu mirabile, quod monſtrum, quam deforme ſpectrum, quod miſerabile inquam, terriculamentum) in hanc calamitatem hæc ipſa illa, ridentis ſpeciem exhibebat: ſed profecto non ridebat, quamuis ſardonico riſu conuulſis muſculis multis miſerandum ſpectaculum præberet. Maxillisque ita conuulſis, ore ſubinde adeo ſtricte occluſo, vt ne acum intromittere poſſes, ipſis dentibus miſere quoque ſtridentibus & inuicem fixis. Huiuſmodi autem paroxyſmi crebro redibant. Non loquebatur ob conuulſionem, neque loqui poterat, quam diu in paroxyſmo eſſet: oculi ſimiliter conuellebantur, aderant manuum & pedum vehementiores contractiones, ſed ſine tenſione. Permanebat autem in tali ſtatu per ſex integros dies, modo peius, modo paulo melius habens, at raro ſine conuulſione malum perſeuerabat. Hugho Nievenius Haganus Medicus, familiaris noſter, eam tunc tractabat & curabat, per nodulos odoriferos ſubtus in vtero detentos, & per alios male olentes naribus obiectos, quibus quantum potuit, malum leuabat: adhibitis quoque cucurbitulis leuibus ipſis coxis, pro diuerſione & paroxyſmi leuatione appoſitis: pilulis quoque deglutitis, quæ ad vterum & conuulſionem facere putabat. Verum omnibus iſtis præſidiis nondum iuuantibus, ſexto die huius mali me vocarunt: ego autem, cum puella ſatis carnoſa eſſet & robuſta, de vena ſaphenæ aperienda mentionem feci, hoc n. ſaluberrimum remedium à Medico prætermiſſum ob motus ſpaſmoſos, quibus per interualla afficeretur. Verum cum ſubinde leue aliquod interuallum fieret, eo tẽpore, vt venam ſecaremus, propoſuimus: cui Medicus ſtatim, vt vir probus, conſenſit & ſecta vena miraculi inſtar omnia dicta ſymtomata ſtatim poſt ſanguinis miſſionem ceſſarunt: Interim decoctum paratum ex herbis, quæ cerebrum, tum vterum reſpicerent, & neruos roborarent, ex ſaluia, herba paralyſis, betonica, artemiſia, matricaria, ſtœchade, quibus folia ſenæ & agaricus incocta erant, cum ſem. aniſi & pauco Zingiberis propinauimus. Oportebat autem & rationem membri mandantis & recipientis habere, tam cerebri, quam vteri, ne alioqui cerebrum debilitatum ex conuulſione, quamuis per conſenſum grauius aliquod malum, vt epilepſiam, apoplexiam, inferret, cum bis ex hoc decocto ſumſiſſet, ſatis bene aluum depoſuit, & recte conualuit. Et cum iam recte loqueretur, quod ante venæ ſectionem facere non potuit ob conuulſionem, quamuis ſemper mẽte conſtitiſſet, & ſoluta aluo, nunc perfecte loquere-tur: narrauit nobis malum hoc cõtractum fuiſſe partim ex frigore, & inordinato modo viuendi: nam & fungos antea comederat, vuas, fructus immaturos. Quamobrem tunc huic vinum generoſum conceſſimus, cum vteri ſuffocatio iam ceſſaſſet, poſtquam prius ex medicamento purgante ſatis repurgata eſſet cum & prius nonnulla per ſe euomuiſſet. Hoc autẽ vinum ſtomachum roborat, & fungis optimum remedium exiſtit. *Idem obſ. 116. lib. 10.*

OBSERVATIO.

Ex eſu fungorum deſperate laborans, magna difficultate reſtituitur.

Memi-

MEmini Dominũ deControymaritum filij Bronchorſtij Alcmariæ ex eſu fungorum deſperatè laboraſſe,& tandem in febrem incidiſſe,& ab Antonio Haruero (cum eo tempore tunc Louanij adhuc ſtuderem;poſtea ab iiſdem intellexi) & Coſma Harlemenſi Medico magna cum diligentia curatum fuiſſe. *Idem in Scholio ad obſ prædictam.*

DE SVCCIS.

OBSERVATIO.

Scammonium iuſculis dilutum plerumque lethale.

VNvm in præſenti non prætereibo, quod Actuarius memoriæ commendauit,dignum ſane vt omnes Medici præ oculis habeant,ſcilic. quod Scammonia iuribus & brodijs miſcenda non ſit: ita enim inquit ille: Scammonium non cenſeo iuribus inferendum, quod experientia cōpertum eſt, id cum ipſis conciliari non poſſe. Quod hodierni Medici animaduertant ſuadeo, vt non ſcammonium aut pilulas, iuribus eliquatas in potu tradant: cum inde multis mors ſubſequatur, vt Venetijs vidimus: Et Ferrariæ in Samuele Abarbanelio, qui ob epotas ſic pilulas, vitam cum morte commutarunt. *Luſitanus comment.ad c.171.lib.4.Dioſc.*

OBSERVATIO.

Euphorbij virulentia necatus æger.

REferam obiter exemplum cuiuſdam Empirici: vicinum quendam noſtrum in podagræ dolore auxilio præſentiſſime curaturum ſe promiſerat, audierat enim hic bonus homo pilulas, quæ ab Euphorbio in officinis nomen habent, huic morbo ſæpius profuiſſe. Ex ſolo igitur Euphorbio confici pilulas à ſpeciario,non minus, quam ipſe erat, imprudenti,iuſſit:aſſumtis Catapotiis,dyſenteria eo die æger correptus fuit, atque altero ſepultus. *Alex.Benedict.pract.lib.12.cap.17.*

OBSERVATIO.

Opio extincti.

PAter Licinij Cecinnæ, viri prætorij Bauili in Hiſpania, tædio morbi hauſto opio periit. *Plin. libr. 20.cap.18.N.H.*

Raſis 9. Cont. ſcribit ſe vidiſſe ex ſuppoſito opio quoſdam mortuos fuiſſe. Et *Gal. 2. de morb. vulgarib.* aſſerit quod ſuppoſitum fuit opium in ano quorundam, ad mitigandum dolorem ex quo mortui ſunt. Et *Auicenna* in cura fluxus ſic ſcribit: Vidimus qui ſuppoſuit ſibi colyrium (eſt autem colyrium Auicennæ ſuppoſitorium) ex opio,& eſt mortuus; *Marcello Donato citante,hiſt.mirab.lib.4. cap.18.*

Vidi puerum, cui ſuppoſitum fuit opium, propter teneſmonem, extinctum fuiſſe. *Nicolus ſerm. 2. cap.11.*

Et vidi virum in ſenectute conſtitutum, cui immiſſum fuit clyſtere cum opio propter ſedare dolorem colicum immenſum,quem patiebatur homo ille,& mortuus fuit. *Idem ſerm.2.tract.1.c.15.*

Ne ſis audax in adminiſtratione narcoticorum. Vidi enim in quadam nobili muliere, quæ cum ſtetiſſet per plures dies, quod non dormierat, Medici decreuerunt, vt ſibi ſupponeretur collyrium quodam longum opiatum,quod cum filo communi appenſo,vt extrahi poſſit,adhibitum:quæ cum ſuppoſuiſſet, ſtatim cœpit dormire: Medici autem præceperunt ancillis,vt,cum incœpiſſet dormire,extraherent illud collyrium:quæ omittentes ipſum, & non extrahentes: taliter profundata eſt in ſomno, quod nunquam euigilata eſt, imo perpetuo dormit. *Mar. Gattinaria c.de ſoda colerica in 9. Raſis.*

Iacobus Iuſtinianus, Patritius Venetus, in dentis dolore, Patauij, impoſito oleo opiato, ſopore perpetuo extinctus eſt. *Alexand.Benedict.libr. 6. cap.13. de curand. morb.*

Nelphus, de quo elegans Aurelij Augurelli ode, facti continens hiſtoriam,extat. Cum in certamine equeſtri,Patauij victor extitiſſet, depoſita galea, vt reſpiraret,ab inuidis,quod plebeius eſſet, copioſo illitus opio,extinctus eſt.Nam calor galeæ, tum ſpiritus hauſerant, quicquid halitus pernitioſi intra caſſidem continebatur. Calore autem venarum oſcula omnia patebant: inde ſtatim receptus intra penetralia: hominem ſtrangulauit. *Cardanus de ſubtilit. lib. 18.*

Medici apud Italos, homines facinoroſos, qui morti addicti ſunt, certo anni tempore à præfectis impetrant, in diſſectionis vſum: & quo rei medicæ ſtudioſi in re Anatomica exerceri poſſint. Itaque ne vlios humores diſſipari contingat,aut craſſiores ſpiritus euaneſcere,omniaque ſe aperte proferant: opij hoc eſt, ſucci nigri paupaueris binas, ternas ve drachmas ex vino meraciſſimo, mortem commeritis exhibent,qua potione hauſta, primum exhilaraſcere incipiunt,velut riſu Sardonio perfuſi: mox in ſomnum ſoporemque reſoluti,morte ſopiuntur. Tanta ſiquidem perhicitate venas ac vitalia corripit, vt diſſecto eorum, qui opio potionati ſunt, corpore, cordi adhæſiſſe compertum ſit. *Lemnius de occult. nat. mirac.lib.2.cap.52.*

Cum eſſem Piſis,Dux noſter,corpora iuſtitiæ tradenda Anatomicis exhibebat, vt morte qua ſibi videbatur,ab ipſis interficerentur. Nos autem vni exhibuimus drachmam opij,& ſpatio ſeptem horarum ipſum interfecimus.Exhibuimus autem quandoque alteri laboranti quartana, qui poſt potum ſtatim rigore affici cœpit: cui maximus calor inde ſucceſſit, neque mortuus eſt, vtpote victo à calore naturali ipſo opio. *Fallopius tractat. de Compoſit. medicament. cap.8.*

In vrbe noſtra, Turca captiuus Illuſtris Comitis Bonifacij Torelli à ſeplaſiario ſub æde ipſius Comitis commorante, coemto opio, eoque deglutito, extinctus eſt. *Marcellus Donatus hiſtor.med.mirab.lib. 4.cap.18.*

OBSERVATIO.

Mel venenatum.

QVidam Medicis duobus ad vnguentariorum officinam conſpectus, attulit ad eos mel, venditurus ſcil.Illi, vbi guſtaſſent, de pretio diſceptant: at hic,tanquam illi parum offerrent, propere ſubducit ſeſe: verum medicorum neuter ſeruatus eſt. *Galen. lib.10.de ſimplic.med.facult.circa initium.*

Mella quoque venenata fiunt. Heracleæ in Ponto quibuſdam annis perniciosiſſima exiſtunt, ab apibus facta. Nec dixere Autores è quibus floribus ea fierent. Nos tradimus quæ comperimus: Herba

eſt ab

eſt ab exitio, & iumentorum quidem, ſed præcipue
caprarum, appellata Ægolethron. huius flores con-
cipiunt noxium virus aquoſo vere marceſcentes.
Ita fit, vt non omnibus annis ſentiatur hoc malum,
(de euonymo id *Theophraſt.cap.vltim. libr. 3. hiſtor.* de
rhododendro Dioſcor. ob Aconitum venenatum
eſſe *idem author* prodit *libr. 6.*) venenati ſigna ſunt,
quod omnino non denſatur, quod color magis ru-
tilus eſt, odor alienus, ſternutamenta protinus mo-
uens, quod ponderoſius innoxio. Qui edere, abii-
ciunt ſe humi refrigerationem querentes, nam &
ſudore diffluunt. Remedia ſunt multa quæ ſuis lo-
cis diximus. Sed quoniam ſtatim repræſentari ali-
qua in tantis inſidiis oportet: mulſum vetus è mel-
le optimo & ruta: ſalſamenta etiamſi reiiciantur
ſumta crebro. Certumque eſt, id malum per excre-
menta (quæ ſumto eo melle reiiciunt ægri, ſputo,
vomitu, aluo) ad canes etiam peruenire, ſimiliter-
que torqueri eos. Mulſum tamen ex eo inueteratum
innocuum eſſe conſtat.

Aliud genus in eodem Ponto gente Sannorum
mellis, quod ab Inſania, quam gignit mœnomenon
vocant. Id exiſtimatur contrahi flore rhododendri,
quo ſcatent ſyluæ. Gensque ea, cum ceram in tri-
buta Romanis præſtet, mel (quoniam exitiale eſt)
non vendit. Et in Perſide, & in Mauritaniæ Cæſa-
rienſis Getulia, contermina Maſſæſulis, venenati
faui gignuntur: quidamque à parte, quo nihil eſſe
fallacius poteſt, niſi quod liuore deprehenduntur.
Plinius lib.21.cap.14.

In Heptatonnetarum arboribus venenati genus
mellis naſcitur: quod hauſtum ſtupefacit & men-
tem conſternat. Eo tres Pompeii cohortes, in potu
dato, ab ea gente interemtas fuiſſe memoriæ tra-
ditum eſt. *Rhodig. cap.30.18.* Populos eos in Ponto
Stephanus collocat: & Scythicum montem incole-
re ſcribit.

Apud Trapezuntem in Ponto mel ex buxo de-
fluit grauis odoris, quo ἔκφρονες & amentes fiunt. *Rho-
dig.cap.35.25.*

Observatio.

*Hiucæ ſuccus lethalis: è cuius farina panis con-
ficitur.*

PANIS genus ex hiuca fit radice. Herba ſimilis ca-
nabi, radix tamen ipſa carotis ſimillima, ſed ma-
ior: intus tamen candida, exterius aſpera, & coloris
vinoſi ferme. Illud in huius ſpecie quadam mirum
in modum, quod humanam conditionem referat:
nam panis ipſe ſalutaris homini & anno ſeruatur,
qui fit ex radice expreſſo iam ſucco, ſuccus autem i-
pſe hauſtus illico necat, nec vllo ferme auxilio ſana-
ri poteſt. Ita (vt dixi) mors ipſa cum ſalute coniun-
cta eſt, & perpetuo cubat. Ea propter dum panem
conficiunt, diligenter omnem exprimunt ſuccum,
quem è genere ſucci cicutæ, ſed validiorem eſſe con-
ſtat: nam qui ibi voluntariam oppetunt mortem,
potu illius ſemet occidunt: quaſi lene exitium affe-
rat. *Cardanus de ſubtilitate lib. 12.*

Cur Hiucæ ſuccus lethalis, farina ſalubris eſt? Eo
modo, quo porri ſuccus pernicioſus, porrum ipſum
editur ſine noxa. Ratio pendet à duplici cauſa. V-
na eſt, partium tenuitas: vnde eſt facilitas penetra-
tionis: altera eſt libera qualitas & facultas ad nocen-
dum in ſucco ipſo: poſteaquam ſoluta eſt ſocietas,
quam inierat cum terreſtri parte, à primordiis ipſis
ortus ipſius plantæ: quæ pars aduerſa qualitate fero-
ciam eius ita cohibebat, quemadmodum craſſitie
ſua tardabat celeritatem. Quæ præterea de Hiuca
nobis comperta ſunt, his adiungenda cenſeo. Folio
eſt ſambuci. Radix humanæ coxæ complet craſſitu-
dinem. Eam redigunt in pollinem pumicum, aut
cotium attritione. Tum in manicam induunt (ſice-
nim vocant laneam cucullam, quod nos colum,
Pharmacopolæ) aquam imponunt, vt expreſſione
tranſmittant ſuccum. Ille liquor lethalis eſt. Pultem,
quæ reliqua eſt, exponunt ſoli, ſacchari candi ſpecie.
Siccatam farinam, aqua ſubactam, in panis modum
formant: quem panem Caſſaui nominant. *Scaliger
exercit.153.nu.5.& 8.ad ſubtil.Card.*

DE TOXICIS.

Observatio.

*Pharici, quod nonnulli Gallorum ex helleboro Toxicum Li-
meum quoq; appellatum cenſent venenum &
antidotus.*

PRætereundem non eſt, quod Pharicum veneni
erat genus, μηδικὸν, quoque nuncupatum, quem-
admodum annotat *Nicandri Scholiaſtes*, ſeu ab inuen-
tore dictum pharico Cretenſe venefico, vt placet.
Praxagoræ: vel ab Arcadicis Pharis, vt nonnullis:
vel à Phæris in Theſſalia, vt quibuſdam: vel ab ea
quæ eſt in Lacedæmonia Pharis, vt aliis: vel deni-
que à Pharo inſula, vt ego ſuſpicor. Vndecunque
vero venenum hoc nomen habeat, de eo nihil inter-
eſt. Peccatum autem illud Matthæoli flagris dignum
eſt, quod ipſum etiam de ſe prodere *in rhapſodijs ad ſe-
xtum Dioſcoridis lib.* non puduit: dum ſcripſit: ſe apud
nullum ſcriptorem conſequi potuiſſe, ſimplex an
compoſitum eſſet medicamentum pharicum. Quis
enim æquo animo ferat tam ſupinam negligenti-
am? Decuit ne, eum, qui anteſignanus Dioſcoridis
interpres haberi vult, tam lippis oculis legiſſe, quæ i-
pſemet Dioſcorides habet? An non in methodo v-
niuerſali curandæ malignitatis venenoſæ pharicum
palam inter plantas reponit? Stirpes, inquit, ſunt; ſi-
milax, quam Romani taxum appellant: Solanum
manicum, quod & dorycinum dicitur: ranunculus
Sardonius: papauer corniculatum: Pharicum. Scri-
bonium vero Largum etiam ne inſpexit vnquam?
Nam Heſychium non legiſſe eum minus miror, quã-
do, ſi velit, non poſſit. Atqui vterque pharicum ex
pluribus componi ſcribit. Potius ergo nihil cõmen-
ti ſcribat Matthæolus, quam quod ſuam tantam &
ignorantiam & negligentiam aperte prodit. *Philar-
chus in 6. hiſtoriarum*, referente *Athenæo libro diſpnoſo-
phiſtarum tertio*, memoriæ prodidit cotonea mala o-
doris ſui præſtantia lethalium venenorum vires re-
tundere, eorumq; vehementiam hebetare. Addit,
pharicum, præſens alioqui venenum, in patinam ad
huc cotoneum, vel eius ſalgamum olentem indi-
tum, ignauum fuiſſe, ac elanguidum: nec non à pecu-
liari ſua natura, viribus exhauſtis, defeciſſe: ac ita in-
columes & illæſos euaſiſſe omnes, quos inſidiantes
venefici eo potionarant. Idque tandem compertum
fuiſſe illorum relatu, qui venenum vendentes, rem
ita habere deprehenderant. Ex qua Philarchi aſſeue-
ratione coniicere licet, pharicũ, aut idẽ eſſe cum ve-
neno, quod Hiſpania hodie ex radicibus hellebori

albi conficit, de Baleſtera, & de Ierua vocato, aut parum omnino ab eo differre. Nam ſi in cubiculum, in quo ſit repoſita innumerabilis vaſculorum pharmaco de Baleſtæra plenorum multitudo, inferatur vel vnicum tantum pomum Cotoneum, illico euaneſcit noxia veneni qualitas, ac mutata natura lethale eſſe deſinit. *Guillandinus commentario de papyro memb.5.pag.* 86. 87. 88.

Plinius lib. 25.*capitis quinti calce* ſcribit, Gallos olim tinxiſſe ſagittas in venatu helleboro, circumciſoque vulnere teneriorem ſentiri carnem affirmaſſe. Vt ſuſpicari poſſimus Limeum herbam appellatam à Gallis (qua eos ſagittas in venatu infeciſſe medicamento quod venenum ternarium vocabant refert *idem auctor libro* 27. *cap.* 11.) non diſcrepare ab helleboro. Et grauiter errare illos, qui herbam thoram vocari Limeum crediderunt. *Guilandinus Commentar. ad membr.* 5. *libr. de papyro Pliny pag.* 86. 87.88.

Ariſtoteles refert Celtas Gallos habere pharmacum, quod Xenicon vocant, tam præſentis veneni, ſubitoque putrefacientis, vt quam primum animal aut ceruus eo læſus conciderit, confeſtim currant venatores antequam virus penitius diſpergatur aut putreſcat, carnemque ſauciatam telo virulento excidant ad ſpithami circamulnus latitudinem. Huius antipharmacum eſſe tradit folium quercus & fagi, aut aliud folium, quod à coruis, qui eo ſibi medentur, coracinum appellant. *Langius ex Ariſtotelis mirab. auſcult. lib.* 1.

Osbervatio.

De Hiſpanorum Toxico ex veratro ſeu Helleboro, eiuſq́ue ex Cotoneo alexipharmaco.

PAratur è radicum albi veratri ſucco, arte quadam, venenum præſentaneum, quo illinendis ſagittis quibuſdam in locis vtuntur venatores. Id & nos ſæpe in brutis animalibus, & gallis gallinaceis periculum fecimus, vbi ſanguinem contigerit, facto cum ſagitta vulnere, paulo poſt vulneratum animal interficit. Verum enimuero me non in paruam adduxit admirationem, quod deuoratum, niſi magna fuerit quantitas, nihil fere incommodi adferre ſoleat. Ideoque eo ipſo veſci venatores adfirmant Hiſpani, cum purgationes moliri cupiunt. Ob id nihil mirum ſi ferinæ carnes hoc veneni genere infectæ, nihil prorſus comedentibus obſint, verum vbi facto à iaculo vulnere ſanguini ſe immiſcuerit venenum, nullo alio antidoto ſeruari animal poteſt, niſi deuoratis cotoneis malis. Id quod à Cæſare Ferdinando primo Domino meo clementiſſimo, pluries audiui. *Matthiolus comment. ad lib.*4.*c.* 141. *Dioſc.*

Illinit ſagittas Hiſpania ſucco ellebori albi: id eſt, in venatione venenum ceruis, ſi modo ad venas venerit, vt ſanguis id vel minimus combibat, pereunt, concidunt q; haud ita multo interiecto tempore, vel ex minimo vulnere, modo cruori leui etiam contactu o currat. Inde quippe à minutiſſimis venulis per maiores ſubinde dilata ad cor veneni vis, Spiritus confeſtim deſtruit omnes vitales. Eadem (mirum ſed certum) ſola mali Cydonii fragrantia, ſi præſentis ſentiat vim, ſic hebetatur, ſic euanida fit, vt nocendi extemplo poteſtatem omnem amittat, exhauſtis ſtatim viribus omnibus langueſc. *Iul. Alex. ſalubrium lib.*10.*cap.*5.

Hiſpani milites contra Aphros pugnaturi, cotonea mala ſecum ferre olim conſueuerunt, vt à venenatis telis forte læſi, ea tanquam antidotum ſaluberrimum comedendum in promtu haberent. *Cyriacus Lucius de ligni cotonei natura & viribus.*

Hiſce temporibus aucupes & venatores, ex veratro ſiue helleboro conficiunt medicamentum præſentaneum, & celeritate necandi ſuperans omnia venena. hoc lethales ſagittas inficiunt, & damas ſylueſtresq; capras occidunt. Hoc veneni genus ſi gallis ſylueſtribus, vel gallinis domi nutritis, ad deuorandum obiicias, nihil nocebit, ſin autem acum eo medicamine inunctum per crus vel pedem traiicias, ita vt ſanguinem prolicias: mox velociſſima mors ſequitur, cum conuulſionibus corporis totius & oculorũ cuius rei ea fortaſſis ratio reddi poteſt, quia cũ id virus deuoratur, propter caliditatem, quæ eſt in ventriculis illorum animalium, & propter longiſſimam à corde diſtantiam, vis veneni reſoluitur, nec ad cor penetrare poteſt, at vero cũ ſanguis per puncturam eo veneno afficitur, propter communionem, quæ eſt inter venas & arterias, cum corde, dicto citius ad illud veneni facultas permeat, & vitam proſternit. *Ant. Ludouicus Olyſſiponenſis lib.* 3. *de occult prop. c.*3.

In memoriam mihi reuocas ea, quæ D. Ferdinandus S. M Imperator de ſucco hellebori albi, quo venatores Hiſpani ſagittas inficiunt & feras, maxime autem ceruos interficiunt, commemorabat. Ineunte æſtate, inquit, ſuccum ex tota planta exprimi, eumque æſtiuis diebus in ſole præparari, atque in bouino cornu aſſeruari. Cautionem autem ſummam ab iis, qui vti volunt adhiberi, ne odor, qui è cidoneis exſpirat, hunc ſuccum attingat. Subito enim omnem lędendi vim amittere. Cæterum ſi lingua deguſtetur noxium eſſe, ſanguini vero communicatum, exitioſum. Addebat hoc, ſi quis acu ſaltem eo ſucco infecta punctim læderetur, & exiguum vulnus acciperet, paucis horis poſt extingui. Ceruos vulneratos primum quaſi obſtupeſcere & perturbari, ita vt viſus illis ereptus eſſe videatur, circumire in gyrum, concidere deinde, & ad ſummum intra dimidiæ horæ ſpatium extingui. Carnem innoxiam eſſe, ac tantum eam partem, quæ vulnerata eſt, abiici. Eadem hæc generoſiſſimus Palatij Imperatorij præfectus dominus Adamus Dietrichſteinius commemorauit & confirmauit, atque hoc addidit: Aſello, cui ex oneribus ferendis dorſum attritum, atque ſauciatum fuerat, impoſitum ceruum eo modo, vt dixi, vulneratum & interfectum, ſanguinem, qui ex vulnere manabat, aſini vulnus attigiſſe, atque iſto modo aſellum ſic infectum, vt priuſquam impoſitũ ceruum domum perferret, in itinere mortuus concideret. Fuiſſe etiam quendam peruerſe & ſcelerate malum, qui, dum coniunx καταμήνια haberet, pudet dicere quomodo ſuccum iſtum ei admouit, & mulierem extinxit. Imperatorem Rudolphum II. Auguſtum, vulneraſſe ſagitta cerui tenerum & lacteum cornu, eumque ſtatim fuga, tanquam nullum vulnus accepiſſet elapſum. Poſt aliquot horas, cum ex venatione redirent, mortuum repertum. Lacteum enim humorem iſtum germanum eſſe ſanguini. *Crato lib.*2.*p.*227.*ad Thom. Iordanum.*

Observatio.

Dacorum Dalmatarum Toxicum.

Herba

HErba quam Græci helenium appellant, Incolę patrio nomine Ninum indigetarunt. Eſt autem Ninum dictio barbara, qualem herbæ exoticæ plerumque habent. Hanc herbam Daci & Dalmatæ telorum ſuorum cuſpidibus aſpergere dicuntur: & ſimul ac ſanguinem vulneratorum contigerit, è veſtigio illos interimere, ab ipſis vero ſine noxa comedi, ceruoſque qui in venatu transfodiuntur, magnam perniciem poſtmodum venatoribus importare, niſi ſtatim ab ipſis comedantur. *Galen. libr. de Theriaca ad Piſonem cap.* 10. *& Paulus Ægineta ex eodem lib. 6. cap.* 88. Quidam pro helenio helleborum legunt.

OBSERVATIO.

Aduerſus Toxicum, quo Cannibales ſuas ſagittas inficiunt, antidota.

VEnenis & toxico pernicioſiſſimo, quo Cannibales ſuas ſagittas illinunt, reſiſtere paucis ab hinc annis experti ſunt nonnulli: nam ante ſublimatum vulnerib. inſpergere ſolebant. Toxici autem vires infringere hac ratione ſciuerunt Hiſpani.

Contigit vt quidam Cannibales in ſuis cymbis ad D. Ioan. de portu diuite nauigarent, Indorum, atque etiam Hiſpanorum (ſi quos reperiſſent) telis ſuis venenatis conficiendorum cauſa. Eo appellentes Indos & nonnullos Hiſpanos conficiunt, pleroſq; autem vulnerant: cum vero ſublimato carerent, à quodam Indo edocti ſunt, vt Tabaci ſuccum expreſſum ſuis vulneribus imponerent, & ipſa deinde folia trita: ſedati ſunt ilico dolores, & ea ſymtomata quæ huiuſmodi venena ſubſequi ſolent, venenum ſuperatum, vulnera deinde curata. Ex eo, foliis huius plantæ aduerſus venena vti ceptum eſt. Rex ipſe Catholicus, eius vires experiri volens, cani vulnus infligi iuſſit in gutture, & toxico, quo venatores vtuntur illini, & paulo poſt foliorum Tabaci ſuccum ſatis copioſe inſtillari, & ipſa folia trita ſupra vulnus ligari: liberatus eſt canis non ſine omnium admiratione. *Nicola. Monardus lib. de ſimpl. medicament. occident. India pag.* 23. *&* 24.

Superiore Octobri venit ad nos affinis meus Alphonſus Garcias, ſtrenuus miles, qui ſe verum Alexipharmacum inueniſſe ait aduerſus pernitioſum illud toxicum, quo cannibales in bello & venationib. vtuntur (ſola enim ferina & humana victitant) deguntq; à Chareas ad Chile vſq; peruanas prouincias. Eſt vero ea planta, vt ait, foliis latis, plantagini Hiſpaniæ haud abſimilib. quæ trita & vulnerib. impoſita, venenum extinguit, & à ſymtomatis illis liberat, quæ toxicum generare ſolet. Pro magno theſauro æſtimant Hiſpani, eam plantam ſe inueniſſe, quoniam illius præſidio tuti, hoſtes ſuos Indos non ita metuunt, qui duntaxat illis formidabiles erant, toxici illius præſentaneam mortem adferentis cauſa: infinitos ſiquidem Hiſpanos trucidarunt, quos tamen eſui aptos negant & duriore carne eſſe, niſi trucidati tres aut quatuor dies prius macerentur.

Intellexi lapidum Bezoarticorum puluerem vulneribus ſagittarum toxico illitarum vtiliſſime inſpergi. In ſumma hunc lapidem alexipharmacum eſſe pernicioſiſſimi illius toxici quo ſagittas ſuas illinunt, ad ſeſe mutuo conficiendos, atque etiam nos Hiſpanos, quorum plerique, poſt vehementes cruciatus & furores mortui ſunt, nullum auxilium inuenientes: tametſi in ſublimato vulneribus inſperſo nonnulli leuamen ſenſerint: verum ſi toxico recenti illitæ ſagittæ ſint præſentaneam perniciem adferunt, nec ſublimatum prodeſt. *Ex Epiſtola eiuſdem Monardis citato libello adiecta.*

OBSERVATIO.

Toræ Valdenſium Toxici mortifera vis.

SCribit ad me quidam amicus his verbis: Valdenſis quidam mihi affirmauit: Toram herbam quãdam à ſuis vocari, ex cuius radice, aliquandiu ſeruata loco humido & contuſa, ſuccus exprimitur, quo ſagittæ tinguntur. Quia vero promtum & præſens venenum herbæ illi inſit, ex eo cognoſces, quod mihi narrauit. Quum (inquit) aliquando auunculus meus procul ſagitta huiuſmodi ſucco infecta leuiter vrſum eumque vaſtum attigiſſet, cœpit vrſus magno impetu per ſyluam ferri, & huc atque illuc diſcurrere, ita vt auunculum meum valde perterreſaceret. Itaq; locum æditum conſcendit, ad quem vrſo non patebat via, hinc cum illum ſpectaret, vidit tandem longis decurſis ſpatiis cócidentem & vitam exhalantem, quum nimirum venenum, illud peruaſiſſet cor, quod ita eſſe occiſo iam vrſo deprehendit. De Toxico idem ſcribit Græcus interpres Nicandri; quod noſtri de Tora, quomodo ſcil. venenum miſceatur ſanguini. *Idem ſcribit in ſyn.*

Tora valet vt Toxicum. Potentiſſimum quoque eius plantæ venenum huic eſſe conſtat, quod (ſicut ex Ant. Ptolomæo huius tractationis ſcientiſſimo cognoui) adoleſcens quidam herba illa diutius manib. tractata & geſtata, propemodum exanimis concideerit. *Ex literis cuiuſdam amici.*

Audio præterea quendam manu geſtaſſe chirotecatum, & manum per chirothecam vlceratam inueniſſe. Aconitum foliis ſcribit quidam ad me) iam aridis radicem guſtaui, non ſine periculo. Nam quamprimum videbatur mihi os totum ardere, ipſumque ardorem totum quaſi corpus percurrere: & niſi ſciuiſſem me priori nocte & mane butyro recenti ventriculum vallaſſe, de me actũ putaſſem. Ego bulbulum Toræ Valdenſium guſtaui altero menſe, poſtquam lecta erat, neq; amplius vrentem, ſed ſubdulcẽ & modice acrem inueni Theophraſt. autor eſt, venena in altiſſi. montib. naſci, eoq; valentiora eſſe, quo ſint ſicciora: ego vero quando in Tora hoc non verum eſt, exiſtimarim eo valentiora eſſe, quo ſicciore ſolo naſcerentur.

Valdenſes, populus in montib. habitat Galliæ, nõ procul Auenione, Italiã verſus, apud hos Torã herbam abunde naſci audio, cuius ſuccum expreſſum in bubulis aſſeruant cornib. ad ſagittas tingendas veneno præſentaneo, ipſi Toram & Toxicum vocant. Quomodo vero præparent, nõdum cognoſcere potui. Facile autẽ conijcio eos nihil venenati addere: neq; n. opus eſt: & inſuper venationi noceret. Nunc cum noxi aut ſeptici nihil accedat, pars etiam proxima vulneri (ita puto) ceditur. Toxica vero quib. Bachari contra hoſtes vtuntur, ſeptica quædam ſunt, qualia Ariſt. deſcripſit, Cæterum cum venenum eius cito exhalet: Si ſuccus expreſſus pro Toxico ſeruari debeat, addendum cõiicio aliquid, quod & putreſcere ſuccum illum & exhalare prohibeat, vtrumque fere ſal præſtiterit, aut fel, præſertim ſi aliquid glutinoſum addatur. Et forte non totus ſuccus, ſed craſſior pars tantum quæ ſubſidit, ſeroſa abiecta, ſeruatur.

Hoc ſucco ceu Toxico & homo & quoduis animal telo inde imbuto ictum intra ſemihoram moritur: homini tamen præcipue lethale hoc malum eſt. Vim eius experturi, acum eo ſucco inficiunt, quo ranam pungant: quæ ſi illico moriatur, ita præſentaneum iudicant. Mortiferum negant, ſi deuoretur bibaturve etſi ne id quidem ſine noxa fiat. Præſentiſſimum vero eſſe coniunctum ſanguini: quod per ſagittas contingit, ſi tamen locus ictus frigida mox abluatur, remedium pollicentur. Sanguis qui è vulnere defluxit etiam ad imum pedem, hoc veneno contactus recurrit, & in vulnus iterum ſubit: tanta in eo ſanguinis vitæque auiditas rapida. Et hæc quidem accepi olim ab homine fide digno, qui cum Valdenſibus ipſe verſatus fuerat. Radicis certe & foliorum forma, & vis ipſa veneni, non aliud hanc Toram, quam primum Dioſcor. Aconitum eſſe euincunt, quod & Thelyphonon vocatur, quod verendis fœminarum inditum mortis cauſa ſit: nimirum quod illic etiam vis eius & habitus ſanguini iungatur, ſiue per acetabula, ſiue per ἀνάδοσιν quandam.

Audio etiam Sabaudiæ populum eſſe, qui vallem quandam Lucernenſem incolat, homines aſperos, quod metuendi ſint propter ſagittas herbæ Toræ ſucco venenatas. Singulos domi vaſculum huius ſucci plenum ſeruare aiunt: & tali ſagitta ictos paulo poſt mori, vulnere memorabili. Ab hac valle exiiſſe quidam aiunt Valdenſes, qui ab huius herbæ vſu Torelupini nominentur, nam lupos aliosque feras in venatione ſimiliter huiuſmodi ſagittis feriunt.

Audiui etiam, ſi bene memini, ſolis in Gallia Valdenſibus, priuilegio quodam hoc Toxico vti licere: forte quod & ad venationem indigere videantur, cum montes habitent: & tanquam viri boni citra hominum noxam id poſſeſſuri exiſtimentur: Sic & de Aconito in Ponto ſcribit *Theophraſtus*, iis tantum qui præparare nouerint, poſſidere conceſſum, cæteris interdictum capitis pœna. Aconitum ſeu Toram cum Ludouico in montes profectus collegi, prius bene cognitam, de viribus periculum faciens: poſtquam enim deguſtare iuſſiſſem ſimul & ego ſummis quaſi labris attigiſſem (nam priori anno, vt ſumſeram, periculum feceram) torpor in brachiis, genibus, toto corpore, neſcio quæ imbecillitas eum repente inuaſit, & quaſi omnia eius membra labefactarentur, vt vix pedibus inſiſtere poſſit, nedum vnicam effodere plantulam. Ego, cum hæc videbam, iubebam depromeret Theriacæ & aliarum confectionum pauxillulum, vt, veneno à corde fugato, confortaretur, & ſeſe reficeret, donec ad caſam aliquam peruenire poſſem: abſumto antidoto infra quartam horæ partem iam leuamen ſentiebat. Tum & ego videbar quaſi incipere labefactari, ſed eodem remedio vſus, incolumis euaſi. Sic mei ſcripti præſens teſtimonium habetis. Quo ad ſplendorem alabaſtri, in viridibus & modo euulſis quaſi animaduertetur, ſed arbitror Dioſcoridem non tam ad ſplendorem quam ad colorem, quem in recenter effoſſis videmus, Pario marmori non multo diſſimilem, repetiſſe. Apud Indos radix quædam ſanguinem diffundere, & velut fugare poteſt: alia contra ad ſeſe trahere. Has inuentas aiunt contra morſus ſerpentum venenoſarum. *Theoph.* 9. 15. Toram nimirum & Antitoram intelligens. *Geſnerus libel. de Aconiti primi aſſeueratione.*

Observatio.

Curatio veneni incogniti.

IN Pago quodam nō procul à ciuitate Pithuerienſi, in qua vrbe tūc praxim exercebam, iuuenis exiſtens, cum ex Italia, ex Iacobi Syluii Medici regii cōmendatione anno 1545. Pithueros acceſſiſſem: eo tempore tres comederant ex vno paſtillo, & veneno infecti ſunt: atque omnes dolore intenſiſſimo circa ſtomachum corripiebantur. Vnus autem ex iis lotium ad me miſit: quod cum ſpectaſſem, tenuis ſubſtantiæ erat, & viridis coloris, ſuſpicionem veneni præbens. Nam vrina viridis, teſte *Auicenna lib. 1. fen. 1. ſumma 2. doct. 3. c.* ſignificatione vrinæ viridis, ſpaſmū in pueris ſignificat, aut venenum in potu ſumtum: & ſi fuerit in ea hympoſtaſis, ſpes erit vitæ; alioqui metum incutit. Cum is, qui vrinam adferebat, rem geſtam narraret, magis ſuſpicionem augebat. Præſcribo itaque vomitorium medicamentum; & vt ſimul pinguia deuoraret: quibus, vt poſtea intelleximus, ſtatim ab omni dolore euaſit, & curatus fuit. Alter vero, antequam conſilium peteret, ſubito interiit. Tertius autem cum intellexerat priorem per me ſanatum, tardius tamen & ille lotium ad me tranſmiſit, in re tam ſeria ludens. Huic quoque vomitorium præſcriptum eſt, ex decoct. raphani, & oxymelite, vel ſimili; & ſumta Theriaca, & hic conualuit Eſt enim Theriaca commune remedium contra venenum ſumtum: proprium antidotum præſcribere non poteram, cum non ſcirem cuius generis venenum eſſet. Quibus remediis, conſopito ſtomachi dolore, vterque curatus eſt. *Foreſtus libr.* 18. *obſeru.* 28.

DE VENENIS EX FOSSILIBVS ET METALLICIS.

DE ARGENTO VIVO.

Observatio.

Argenti viui hauſtu quidam extinctus, ſanguine in corde, & corde ipſo coagulato.

CONCILIATOR in lib. de venenis narrat pharmacopolam æſtate, cum ſitiret, noctu hauſiſſe vrceolum hydrargirii. Cum mane mortuus eſſet inuentus, diſſecto corpore, apparuit quod erat, ſanguinem quoque in corde coagulatum, tunc ipſum cor, ideoq; frigidum videtur. Addit Conciliator, inueneruntque in Stomach. fere libram vnam argenti viui, &c. *Cardan. lib. 1. c. 20. de venenis. Palmarius c. 5. lib. de Hydrargyro.*

Observatio.

Argenti viui vapore per imprudentiam naribus admiſſo, hauſtoq;, quidam ſubito aphonos factus concidit.

QVidam temporibus noſtris volens vertere argētum viuum in verum, cum per aliquas ſeptimanas tenuiſſet vas ad ignem circumquaq; coopertum, quando poſtea incaute aperuit illud: quia fumus qui tunc exiuit, erat acutiſſimus ingreſſus nares illius, ſtatim deceſſit ſine loquela. *Ponzettus lib. 2 de venenis cap.* 21.

OBSER.

Observatio.

Hydrargyri virulentia fabri pocula deaurantis exemplo demonſtrata.

FAber quidam aurarius, anno Chriſti 1556. ſolius Hydrargiri vapore grauiſſima, quæ mox dicam, ſenſit incommoda. Is bis aut ter ad ſummum, dum argenteam ſuppellectilem inaurabat Hydrargiri vapore admiſſo imprudentius, ſtatim ſtupidus, veternoſus, ac plane mutus euaſit. Quæ in os indebant, deuorabat ille quidem: ſtercus tamen & vrinam minime ſentiebat exire, neque ad aurem inclamantes audiebat. Exactis menſibus ſex accenſus humor febrim tandem acutam concepit: ac tum excuſſo torpore loqui cœpit, & quæſitis reſpondere, ſed perturbata omnia & confuſa. Remiſit die x x. poſt accommodatas vacuationes febris & in lentam degenerauit, qua tandem liberato, cerebrum graue, torpidiq; ſenſus omnes remanſerunt, menſeque interuallis perturbata. Hic quis opera non agnoſcit immenſæ frigiditatis & humiditatis? Sed quid hæc vt noua profero? Nonne ex iis qui vel vnguento Hydrargiro illinuntur, vel eius vaporem, aut cinnabaris ſuffitum admittunt, alios quotidie videas ſubito roſolutos aut attonitos, repente concidere: quoſdam aſthmate, anhelos, alios paraliticos, collo, manibus, pedibusque tremulis vacillantes, alios ſurdos, reliquam vitam miſere exigere? Hiſpanorum & Italorum aliptæ ex Hydrargiro, fucum mulieribus quærentes, in quam fœda mala illas coniiciunt? Solius faciei illitu dentes ais breui liuidi marceſcunt, fœtet anhelitus, facie corrugata oculi caligant, & ſeneſcentes Aſthmate pereunt. Sed rem in Hydrargiro admiratione dignam, à nullo, quod ſciam animaduerſam, contemplemur. Hic enim ſi quis rerum euentus bene obſeruet non modo pituitoſis morbis obnoxia noſtra reddit corpora, parteſque in primis omnes carnoſas ſuo frigore & humore lædit, verum ita labefactat, & ſua qualitate imbuit vix vt corpus febre corripi poſſet, etiamſi multa ſcateat cacochymia. *Fernel.li.de Lue venerea, c.7.*

Osbervatio.

Hydrargiri virulentia, aurifaber admirandam at ſæuam conuulſionis ſpeciem incurit: qua ille manu dextra perpetuo ventrem pulſando, non minus quam ſi argenti fruſtum ad incudem dilatare, ſiniſtra vero idem verſare, eundemque ſubinde tonum ſeruare viſus eſt.

AVrifaber Noribergenſis, annum agens vltra quinquageſimum cum iam XII. plus minus, annos vſum inaurandi argentea pocula intermiſiſſet, tandem in conſtitutione aëris frigidiſſima, per biduum eundem repetiuit: huic ſtatim debilitas & tremor manuum acceſſit, quibus plerunque hyberno tempore ſingulis annis laborare conſueuit. Verum vt manuum firmitudinem acquireret, tentauit magno malleo fruſtum argenti cudendo diducere: vtraque igitur dum actu frigida eſſent, manus ita labefactarant, vt eadem è manibus per impotentiam retinendi exciderint. Statim tremor & motus quidam conuulſiuus, manuum duntaxat, inprimis dextræ, ſubſecutus fuit, qui indies auctior redditus. Vētrem adeo manus ipſæ impetu quodam percuſſerunt, licet multa ſubſternerentur, vt ferre minime nequiret, imo, quod admiratione dignum, referebant omnimodam formam eam, qua vſus fuerat in cudendo argento, ea ratione, vt quælibet manuum ſuo munere fungi videretur ſiniſtra nimirum argentum verſando, dextra vero tundendo. Corpus etiam quandoque ex nimio motu in ſublime ferebatur. Quādo dormiebat quieſcere interdum minus animaduerſum eſt, quamprimum vero expergefiebat, multo vehementior motus, maiorque dolor ingruebat. Alioquin nec de brachio, nec ſcapulis quicquā conquerebatur. Narcoticis nonnihil viſus eſt ſubleuari, attamen earum vis non diu perdurauit. Expurgantibus prorſus nihil adiutus fuit, quinimo omnia potius in deterius ruebant. Quo minus corpus agitabatur, eo maiore fruebatur quiete. *Doctiſſimus Vir D. Camerarius de obſeruat. CL. V. Palmæ ad me miſſis.*

Observatio.

De caſu capillorum, tremore, variiſque accidentibus, quæ aurifici acciderunt ex deauratione, tum quibus remediis fuerit reſtitutus.

CVm praxim in vrbe Pithuetienſi apud Gallos exercerem, anno 1545. menſe Auguſto, iuuenis quidam octodecim annorum, addiſcens artem aurifabrilem, cum forte ſcyphum, vel aliud quippiam deauraret, argentum viuum (quo tunc præcipue vtuntur) quemadmodum res penetrabilis eſt, cerebrum inuaſit, potiſſimum eius fumigium, ſeu vapor, peſtiferam exhalationem à ſe mittens, adeo vt deinde iuuenis neque dormire, neque quieſcere potuerit, vel in aliquo loco quietus manere, modo in hanc modo in aliam partem ſeſe deuoluendo. Cadebant autem huic omnes pili è capite, ita vt caluus omnino conſpiceretur, mox facies ſupra modum palleſcere cœpit, totumque corpus tremulum euaſit. Hoc quidem affectu duobus menſibus laborans, omnem fere ſubſtantiam in Medicos conſumſerat, licet doctiſſimos quoque tam Pariſiis quam Aureliis conſuluerat, à quibus omnibus, vti referebat, parum emolumenti acceperat. Tandem me quoque conſultandi cauſa acceſſit, caſum mihi narrauit, quem alias nunquam prę manibus habueram, neque apud præceptores meos vnquam tali ſymtomate laborantes curatos conſpexeram: ideo tempus deliberandi (vt Bertrutius recte tyrones Medicos admonet) petebā ſic enim minus, eodem auctore, erratur; quare, vt cū lotio in craſtinum rediret, mandaui. Interea auctores de natura argenti viui perlegendo & perſcrutando inueni *lib.16. de proprietatib. rerum, de terræ ornatu, & lapidib. præcioſis cap. 8.* De Argento viuo auctoritate *Platonis* ita ſcriptum: Argentum viuum calidum & humidum eſſe in quarto gradu conſtat, ex eius affectu, cum penetret & incidat, ſed actualiter ſentitur frigidum: at per calorem ignis facillime in fumum extenuatur. Diutiſſime in vaſe ſolido & frigido conſeruatur. Tanta autem eſt ipſius cohærentia & fortitudo, vt nulli rei poſſit admiſceri niſi prius extinguatur ſaliua: nempe cinere ſaluiæ & puluere oſſis ſepię. Fumus autem huius, cum in eum facile euaporatur, maxime obeſt aſtantibus: inducit enim paralyſim & tremorem relaxando neruos & emolliendo ore acceptum, vel auri immiſſum occidit. Circa quod pe-

riculum valet lac caprinum, in quantitate ſatis magna potum cum continuo motu patientis, & peculiariter cum decocto vini, cum hyſſopo & abſinthio. Hæc cum perlegiſſem, redeunte iuuene, & inſpecto lotio, quod valde tenue & ſubſpiceum erat, crudum quidem ſine hypoſtaſi, ob materiam forte magis raptam ad cerebrum, vnde etiam vigiliæ immoderatæ. Iuſſi vt perpetuo vteretur pro potu lacte caprino, & hoc ipſum etiam vna comederet cum pane, qui furfuris expers non eſſet, ac trium dierum, ſin, antiquior, (teſte Auenzoare) iam deſinit eſſe panis: & quia hic ante purgatus erat à Medicis prioribus per pilulas, imperaui vt hoc decocto vteretur. Recip. Rad. apij vncias ſemis, abſinthij, origani, hyſſop ana manip. j. ſemin. hormini ſeu gallirici, & herbæ quæ tota bona dicitur ana drach. j. coquantur in lib. ij. vini tenuis & albi; addendo albæ bethonicæ lib. ſ. ad conſumtionem medietatis, & colatura Zaccharo dulcoretur. Cum autem continuaret lactis caprini potum, ab omnibus ſymtomatis dictis liber euaſit, & pili poſtea creuerunt per ſe. *Foreſtus lib. 8. obſeru. 5.*

OBSERVATIO.

Cuidam Mercurius aſsiduo vſu venas penetrans in iiſdem fluere & refluere viſus eſt, ægro, poſt multa fruſtra tentata, præcipue pimpinellæ ſucco reſtituto.

CVIDAM, frequenter vtenti Mercurio, id euenit, vt hic tandem venas ipſas occuparit. Hinc brachio eleuato Mercurius diffluere, hoc vero demiſſo, iterum refluere viſus eſt. Hic, multis fruſtra tentatis, tandem pimpinellæ ſucco curatus eſt. Poſtea tamen, in ſuperfluum fluxum Hæmorrhoidum incidens, extinctus fuit. *A CL. V. Laur. Scholzio liberaliſsime ad me tranſmiſſum.*

DE SVBLIMATO.

OBSERVATIO.

Sublimato intoxicatus cum diris ſymtomatibus mortuus.

PRopinato cuidam iuueni à praua muliercula ſublimati polline, cum delectabili contrito carnium, & ſacchari, quod eadem parauerat, prægreſſis eandem die crebris à ventre fluctuationibus, ac vomitibus, mox cum præcordiis æſtuante ventriculo, poſt triduum ſæuis ſuperuenientibus alui torminibus, ac ichoris ſimul purulenti, ac combuſti, violentis vomitibus, quod certum habui putrefacientis veneni indicium, reiecit ſimul & animam. *Andreas Baccius in Prolegomenis venenorum & Antidotorum, pag. 21.*

OBSERVATIO.

De palpitatione cordis cum capitis & ventriculi dolore acuto: quibus affectibus curandis, dum vehementer intentus Medicus, methodum omnem complet, fortuito caſu miſero ægro, loco ſomniferi ſyrupi, aqua ſublimati præbetur, incogitato quidem & in noctis conticinio, cum extinctum fuiſſet cubiculi lumen, diris cruciatibus affecto ægro, in vitæ periculum incidit: liberatur tamen nutu Dei longiſsimo tempore & magno labore.

EXimius legum Doctor Ioannes Spinaldus, ciuis Arelatenſis, ſumma fide & integritate vir, quum cordis palpitatione grauiſſima afficeretur, ita vt in mortis diſcrimen incidiſſet, graui & clamoſo, tum capitis, tum ventriculi comitante dolore: dum à me magna diligentia curatur, nocte intempeſta ſomniferum ſyrupum à me illi præſcriptum quum ſumturus eſſet, illius loco aqua ſublimati, qua ad fucum vti mulieres conſueuerunt, illi propinatur, idque ſorte & caſu. Nam cum eſſet phiala vitrea eius venenati liquoris plena, eaque ei proxima, in qua ſyrupus continebatur, ægerque inſomnis manens, ſyrupum ex præſcripto poſceret: contigit id temporis lucernam extingui, tumque, quæ illi miniſtrabat ancilla, pro ſyrupo phialam ſublimati in mediis tenebris manu ſumit, magnaque copia ægro propinat, (ciatos nempe fere tres vas id continebat) cuius dimidium æger ſumit, pro ſalutari ſcilicet lethalem potionem. Nec quid ſumſiſſet intelligens, nihil quicquam de re profert: etſi inter hauriendum grauem gutture, lingua, & palato acrimoniam ſenſiſſet. Mox vero à grauibus & intolerandis obortis in ventriculo doloribus, in miros cruciatus incidit: ita vt in furorem præ dolorum ſæuitia pene deduceretur, noctes & dies perpetuo eiulans ac clamans, vt ad multam è domo diſtantiam eiulatus atque clamores exaudirentur Tumque perterrefactus ego, tam triſti & ſubitaneo euentu, quid ſumſiſſet æger inquiro, & quiſnam illi ea nocte miniſtraſſet, ſed ne quicquam tamen de re, vt erat declaratum eſt. Tantum dicebant ſe ſub mediam fere noctem ſomniferum propinaſſe ſyrupum. Quod cum diligentius poſtero die inquirerem, ne quicquam ſedatis doloribus, ſed continue augeſcentibus, verum extorquere non potui. Miratus autem vndenam tam ſæui dolores oriri poſſent, à bilioſo eoque valde acri humore atque æruginoſo, tunicas ventriculi vellicante, naſci, coniectura artificiali arbitrabar, eius quod acciderat prorſus ignarus. Sed quum datis in id medicamentis plurib. (præter vomitum concitatum, à quo aliquando alleuiabatur) nihil quicquam proficere viderem, valde animo angebatur. Quumq; poſt ſextum diem ab epoto veneno forte fortuna matulam, quæ in abaco erat, in manus ſumſiſſem ad lotiũ ſpectandum, phialas duas vitreas abditas cerno: alterã ſyrupi plenam, vacuam alteram, & fuco albo adhuc madentem. Vtraſque arripio, deprehendoque ſyrupum eſſe ſomniferum illum, quem ante ſex dies ad conciliandum ſomnum præſcripſeram, neque illi propinatum fuiſſe: inuentaque phiala altera, in qua fucus erat, vacua: coniicio hinc illi datam potionem eſſe. Mox accitis domeſticis, verum comperio, datam illi aquam ſublimati, qua ad fucum vti mulieres, vt ſpecioſiores videantur, ſolent. Re cognita, ad medendum totis viribus inſiſto, vt ſane poteram. Sex namq; iam dies ab epoto veneno (vt antea dixi) præterierant. Deducitur æger ad extremum vitæ, deplorata ſalute, crebris animi deliquiis, virium defectione, tabe, torminib. inſomnia, & intollerandis doloribus afflictus, vt iam de funere cogitaretur: & mortuum plurimi ciuium crediderunt, & aliis ac mihi metipſi ægrum viſuro, mortuum eſſe renunciarunt: tametſi falſo. Hic enim poſt diuturnum tempus ſenſim antidotis crebro datis, vacuationibus aptis,

clyſteribus ex lacte paratis, balneis, lacti potatione, fotibus & vnctionibus lenientibus reſurgere incipit. Siſtuntur dolores, remittuntur ſymtomata, augentur paulatim vires, reficiuntur membra collapſa, atque ſpiritus: tandem poſt trimeſtre tempus præter meam & omnium expectationem, integre, Dei præpotentis manu atque auxilio curatur, ſuperſteſque atque incolumis nunc agit, tranſactis iam annis plus minus decem. Euentus profecto, qui ob raritatem admirationem ciuibus cunctis incredibilem præbuit. *Valleriola lib. 1. Obſ. 7.*

Obſervatio.

De grauiſſima pleuritide, cùm phrenitide, & caſu ab alto, & vulneribus in ventre ab ipſamet ægra ſibi inflictis, & ſublimati potione, quam ipſa ægra in furorem acta ſumſit, & è feneſtra in ſubditum ſolum lapideum ſe præcipitem dedit, vbi fere mortua horas plures cum ſummo frigore pene congelata manſit, curatur tamen integre nutu Dei.

Anna nutrix Petri Biordi, ſubpræfecti Arelatenſis D. Franciſci Biordi filii, ætate iuuenis, temperamenti valde calidi & ſicci, hyeme validiſſima, in ſiniſtri lateris pleuriticum dolorem grauiſſimum cum febri acutiſſima, ſumma ſpirandi difficultate, dolore acuto in latere & punctorio, ægreque procedente ſputo cruento, in delirium die Septimo incidit, delirans ſublimatum, quod forte fortuna in arcula habebat, furore percita, deuorat, ad drachmæ fere dimidiũ, ſeſe cultello multis vulneribus, in ventre & cruribus confodit: ſed leuibus, quod retuſa acie culter eſſet. Eodem die quo tot mala ſibi ipſa mulier intulit, ingens & lethale malum adiungit, ſeſe nocte media è feneſtra, cui cubile, in qua decumbebat proximum erat, præcipitem dat: corpore nuda, gelidiſſima nocte in pauimentum, duriſſimis lapidibus conſtratum decidit: illic horæ dimidium exanimis ſine ſenſu, ſine voce, ſine pulſibus, & frigore prorſus congelata (erat enim frigidiſſima ea nox, hyberno ſolſtitio proxima) manet: tandem à domeſticis in lecto quæſita, nec inuenta, clamor excitatur ingens: exanimem & pene demortuam in ſolo iacentem erigunt: meque ædibus vicinum accerſunt. Accurro cum hera ſua ſpectatæ virtutis, fidei, probitatis, nobili fœmina, Honorata Somata ſubpræfecti coniuge: quæ nutricem filii tam miſerando caſu afflictam cernẽs, vt ſi quid præſidii eſſet ad fœminam leuandam, id omne vt implerem, enixe rogat. Ego, vt illi obſequerer, magis quam vt proficere me poſſe ſperarem, deſperata ægræ mulieris ſalute, manum tentandi magis quam curandi gratia admoueo: & quæ tanti morbi ratio exigit, celeri manu remedia paro, demortuam reuoco, congelatam ſenſim recalfacio, veneno ſumpto proſpicio, vlcera palati, oris & gutturis ſano, dyſenteriæ inde natæ grauiſſimæ medeor. Tantum hac curandi via profectum eſt, vt ad quadrageſimum diem, nutu Dei, integre ſanata mulier ſit: ſuperſteſque adhuc manet vegeta & conſtans, & meliore quam ante habitu. *Idem lib. 1. Obſ. 8.*

* * *

Obſervatio.

De Argento ſublimato epoto, curationeque adhibita, Hiſtoria.

Nobilis quædam, bene habita, veneno diro, nempe argento ſublimato, epoto, quod illi, quum Syrupos quoſdam ad purgationem de more dari ſolitos aſſumeret, clanculum datum fuerat, de induſtria intra ſyrupum iniecto veneno, diris cruciatibus afficitur, torminibus ventris, eroſione maxima percepta, nauſea, vomitu, animi deliquiis, oris & faucium putredine cum tetro odore, vrinæ omnimoda ſuppreſſione, in præſens diſcrimen deducitur. Accerſitus Medicus, ex ſignis & ſymtomatibus coniectura artificiali cognita, ſedula opera, & ſumma arte medetur, tantumque medendo proficit, vt, multis adhibitis præſidiis, mulierem Dei ope integre ſanarit, viuitque nunc & valet vegeta & conſtãs, & ſaluberrimo ſtatu prædita. *Idem Obſ. 6. lib. 1.*

De Præcipitato.

Obſervatio.

Præcipitati Hydrargyri virulentia.

Hunc citra delectum exhibent circumforanei, quidam circulatores, ſcelerati impoſtores, non Medici, ad luis venereæ dolores diuturnos, hydropem, febrem quartanam, melancholiam hypochondriacam, & ad eius generis affectus frigidos, idque quatuor ſexve granorum pondere ex oui luteo, vel mithridatio & theriaca ac ſtatim vt aſſumpſit aliquis ex vniuerſo corporis ambitu omnis generis humores ſurſum ac deorſum prorumpunt, ſæpe tanto tamque violento impetu, præſertim ſi molle, effœminatum, & languidum corpus fuerit, vt exhauſtis ſpiritibus, fractiſque viribus, vel repente moriatur, vel quo die ſumſerit, ſine viribus, ſine pulſu, ſine voce iaceat, mortuo perſimilis. Os eius contagione interdum inflammatur, ac gingiuæ vlcera contrahunt, putrida ac valde fœtida, fauceſque pleriſque ita intumeſcunt, vt ad multos dies nihil prorſus deglutire poſſint. Quin etiam nonnullis mens ita à ſua ſede dimouetur, vt exorta febre phrenitici tandem pereant.

Dum hæc commentarer, ſceleſtus quidam nebulo ad quartanam tria catapotia ex eo & mithridatio confecta iuueni robuſto deuoranda tradens, eum paucis diebus medio ſuſtulit. Itaque à Catharticorum cenſu, tanquam præſentiſſimum venenum, reiiciatur, ac publicis legibus exulet. *Palmarius libr. de Hydrargyro cap. 6. operis de contagioſ. morb.*

Obſervatio.

Præcipitati puluere vlceribus in talo & genu inſperſis, eiuſdem noxa ſubito ſurſum in os regeſta multa ſaliuatione ſe prodidit.

Crebro expertus ſum, quum ſordidis in genu ac iuxta talos vlceribus mercurii præcipitati pulverem paulo frequentius inſpergerem, illius virus, cæteris membris illæſis ad dentes penetraſſe, & os ac pharyngas diurno nocturnoque ſaliuæ effluxu maduiſſe. *Langius lib. 1. Epiſt. 46.*

DE PLVMBO.

OBSERVATIO.

Plumbi pulueris vis venefica & deleteria.

AMICVS quidam meus hiſce diebus deſtillatione è capite, interdum in ceruicem & ſcapulas, interdum in pedum articulos obnoxius: qua tamen ſuperueniente, iuſtis vacuationibus haud ægre liberari ſolebat. Hunc à me iam doloribus liberato, Empiricus quidam plumbi puluerem aduerſus Arthritim ita commendauit, vt in eo ſolo eius recurrentis præcautionem poſitam eſſe, ſtatim perſuaderet. Cuius idcirco vſum amplexus, puluetis eius ſeſquilibrarum ex iuſculis, ex vino, & pyris coctis, aliiſque cibis ſacchari loco, dierum quindecim ſpatio, abſumpſit. Sed Dii boni, quot quantaque incommoda ſtatim perſenſit: dyſenteria crudelis febri ſtipata die duodecimo exorta eſt, cum grauiſſimis non ventris ſolum, ſed & ventriculi torſionibus, ad eam ſpinæ dorſi partem, in quam os ipſius incumbit, pertinentibus. Ventriculi tanta diſſolutio, tanta oris oblæſio ſubſecuta eſt, vt ne contactum vel blandiſſimum ferre poſſet. Et quæcunque ingerebantur, vel in plumbeum nidorem, vel in mucorem tenuiſſimum verſa, mox reuomebantur. Inde ructuum tanta edebatur copia, vt in flatus omnia abire viderentur. Sedata dyſenteria, graues illi ventris, lumborum, & ventriculi cruciatus dies 20. perſeuerarunt cum incendii interni moleſtia. ſenſu, totidemque noctes peregit inſomnes. Atque hoc temporis interuallo licet ſitis ipſum non valde exercuerit, appetentia tamen ſemper proſtrata iacuit: nec aluus quicquam niſi vel clyſtere, vel cathartico medicamento protitata reddidit, & quæcunque tum infra tum ſupra, aut ſponte aut artis beneficio prodiere, plumbeo colore infecta erant, omnia ſuam illam qualitatem internis partibus pertinaciter adeo impreſſerat. Interim exorto ictero corpus totum fœdatum apparuit, ac ſanguis, ſedata dyſenteria ad febris curationem reſerata vena detractus, totus flauus, bilioſus, ac ſpumoſus deprehenſus eſt. *Fernel. cap. 7. de Lue venerea.*

DE ARSENICO.

OBSERVATIO.

Arſenico ſumto & inuncto extincti.

FAmulus Arubas, vna cum hero & domina ac eorum filiis arſenicum pullis per famulam clam inſperſum guſtauit: qui inde paulatim tabificus ac marcidus factus, intra annum obiit. Erat autem famulus puer duodecim tantum natus annos. Nam & prædicti Arubas filiola, quæ quoque pullorum ſic arſenico infectorum carnes guſtauerat, hodie imbecillis reddita eſt quam famuli, imo vniuerſi carnis viam inſequi breui credendum quoque eſt. *Luſit. Cent. 2. Curat 65.*

Iuuenis quidam Florentinus, cum ſcabie vniuerſum eius corpus occupante fœdaretur, ex vnguento cui arſenicum commiſtum erat, præter medicorum conſilium ſe illeuit. ac eum in aurora lecto decumbentem mortuum domeſtici inuenerunt.

Alterum nouimus, qui ob ſimilem factam, inunctionem in inſaniam deuenit, adeo vt ipſum vinciri oportuerit. At quum quodam die abſentibus famulis ſe à vinculis extricaſſet, furens impetuoſe per feneſtram ſaltauit, & alterum crus fregit, ſed poſtea remediis adiutus ab vtroque malo ſanus factus eſt.

Sed alterum nouimus, cui ob illitionem ſimilem tubercula quædam exorta ſunt, ſanatu difficillima. Nam & plures obſeruauimus, qui ob hæc in febres inciderunt lethales. *Idem eadem Cent. Curat. 34.*

Miſerando exitu in caſa contubernalis mei ac ſtudiorum Simonis Bonæfidei, cui ob atrociſſimum in inguine bubonem exedentem cohibendum, conſperſo ab audaci empyrico Galeni puluere adſcripto ex carta combuſta, ac Arſenico, poſt triduum veneno tranſmiſſo ad ſtomachum, acerbiſſimo ſuperueniente vomitu, ac reiectis quaſi à fornace ardente æruginoſis humoribus, interiit. Non ſine ſuſpicione quin à peruerſa concubina, cui erat infenſus, commiſto cum contrito carnium ſublimati polline, fuerit præcipitatus in necem. *Andreas Baccius in Prolegomenis venenorum & Antidorum. pag. 23.*

Memini ego puerum apud Delphenſes, cum pulte ex arſenico, qua glires interficiũtur, incaute ſumſiſſet, ſolo vomitorio ex oleo & iuſculo pulli venenũ euomendo ſtatim curatum fuiſſe.

Solent in Italia in principio hauſti veneni affidue lac bibere, cum oleo amygd.dulc. Et hoc quidem iam ſæpe expertum eſt Auicennæ, de cura ictericiæ in fine deceptum. Ego ſolo oleo amygd.dulc. epoto cum ceruiſia butyracea in multis vſus ſum, quos curaui.

Narrat *Amatus Cent. 4. Curat. 65.* de puero, qui epoto arſenico poſt annum prius obierit. At ego noui qui multos annos ſuperuixere, ſed in magna miſeria, cruribus reſolutis, vt vix incedere poſſent; & mulierem poſt duos annos tandem vita orbatam, ita & religioſa quædam Delphis veneno infecta, longo tempore, ſed miſeré, ſuperuixit. *Foreſt. li. 18. Schol. ad Obſeru. 28.*

OBSERVATIO.

Veneficio ex arſenico vindicati octo pueri, & alii: tum de remedio aduerſus venena erodentia præſentaneo, & paratu facili.

SVmptis venenis erodentibus, non eſt præſentius remediũ lacte bouino, ſi bibatur, in magna quãtitate ad exigentiam ſitis; quia ſæpe ſequitur ſitis ingens tali ſumto veneno.

Hoc modo liberaui octo liberos ruſtici ad lacum Benacum, qui ruri abſentibus parentibus ranas captas in oleo frixerunt inuolutas prius farina quæ arſenico ad capiendos mures infecta erat, & has poſtea ederant.

Deinde etiam pſaltriam illam & meretricem Veronenſem, quæ comederat piſces frictos in oleo cum ſale & agreſta, quæ omnia à marito ſuo infecta erant veneno, ad hoc, vt omnes occideret in domo, & vna etiam amaſium Nobilem, qui caſu retentus erat apud amicos, vt non intereſſet huic prandio. Vbi notandum quod ipſa meretrix, & Pater, & canicula, qui ſtatim biberant lac, liberi omnes euaſerunt,

ſerunt. Mater, quæ primo bibere noluit, donec viderat rem in deterius vergere, & poſt ipſa etiam bibit, euaſit & ipſa, ita tamen vt paralytica eſſet in vtroque genu. Ancilla (quam non voluerat interficere maritus, tanquam inſontem, ſed iuſſerat ex ædibus ire, aliamque dominam magis honeſtam quærere) cum non vellet bibere, ſola eſt mortua. *Montanus Conſil.* 367.

Observatio.

Ex Arſenico horrenda veneficia percurata.

EGo, Domino concedente, fui cauſſa euaſionis cuiuſdam Nobilis mercatoris, de Piſauro, Venetiis commorantis, quem poſtquam fere duobus menſibus iamdiu hic vna cum tribus famoſioribus, Medicis ciuitatis huius cum omni ſolertia medicaueram, nullam habendo de veneno ſuſpicionem, exiſtimando concorditer cum præfatis tribus Medicis ægritudinem ſuam ei naturaliter aduenisse à malis humoribus, & cura noſtra nihil ei proficiente, & ipſo prope mortis ianuam exiſtente, & facto à nobis quatuor vnanimiter prognoſtico, quod erat protinus moriturus in breui: aliis tribus volentibus illum prorſus pro deſperato dimittere, ego, quia magis domeſticus eius eram, in ſero illos tres Medicos rogaui vt mane ſequenti redirent ad eum, & poſtea licentiam ſtatim acciperent. Qui mihi conſentientes, maneque hora aſſignata ad ipſum redeuntes, habita primitus à vicinis informatione ſi viueret, inuenerunt illum adhuc deterius ſe habentem. Ego vero amicus eius exiſtens, atque domeſticus, triſtis de eius morte, poſt receſſum illo ſero aliorum trium medicorum volui à duobus ſuis fratribus, & à diuerſis aliis aſtantibus perquirere, quid poſſet eſſe, quod nihil vnquam à nobis erga eum factum aliquid profuiſſet: fratribus autem ſuis mihi dicentibus, quod pro certo credebant ipſum aſſumſiſſe venenum, ignorãtibus ſpeciem: audiens quod ſclauæ in domo ſua parauerant perſæpe arſenicum, vt interficerent quendam martarellum, qui pluries in nocte venerat ad comedẽdum columbos ſuos: ſtatim ſuſpicatus ſum de arſenici ſuperſtitione: nocteque illa cum ſolertia ſtudens, inueni quod omnia accidentia, illi aduenerant, quæ ab authorib. euenire dicebãtur ex arſenici ſumtione, quæ omnia & eis dicens, quod poſtquam videramus, quod nihil à nobis actum vllatenus ſibi profuerat, & nulla prorſus nobis eius remanſerat ſpes ſalutis, mihi protinus videbatur curare eum, ſicut ſi vidiſſemus eum occulta fide arſenicum aſſumpſiſſe, omnib⁹ aliis remediis prætermiſſis: qui nempe ſubito concorditer aſſenſerunt. Et ſtatim, quia potens & diues erat, & adhuc eſt, incepimus adhibere remedia arſenico appropriata: ex quorum exhibitione ilico recepit adeo notabile iuuamentum, quod ante tertium diem omnes quatuor concorditer diximus ipſum euaſurum, & ſic poſt multos dies euaſit cum auxilio Dei. Hæc narraui, volens per experientiam affirmare, quod accidentia ex arſenici aſſumptione proueniunt, & quod vtile eſt Medicum ſuſpicari de aſſumtione veneni, cum videt infirmo non bene ſuccedere, quamuis approximet remedia rationabiliter congruentia. *Ardoynus lib. 2. cap. 1. de Venenis.*

In nobili familia de Petrinis Bononiæ, duo erant fratres, quorum alter maritus cum numeroſa prole in eiſdem ędibus commoratur matri viduę: alter vero iunior, ſpe ſubſequendæ hæreditatis vniuerſę, totam familiam è medio tollere ſtatuit coniecto in vini dolium arſenico. Ex cuius vſu cum grauibus torquerentur ſymptomatibus, conuocabantur Medici celeberrimi, Matthæus Curtius, Iohannes Maria Bettus, & Hiſpanus Philippaldus, qui in veneni ſuſpicionem mox venerunt, quod iiſdem cruciatibus vicinos quoque exagitari, qui forte domum ingreſſi, vinum illud hauſerunt, intellexiſſent. Eorum itaque conſilio vas infringitur, vinoque effuſo inuenitur arſenicum. Hinc curationem aggreſſi Medici, omnes reſtituerunt; excepta matre vetula debili, & puero infirmo. Fuga ſibi conſuluit veneficus, atque ita veneficii author innotuit. Facinus contigit anno milleſimo quingenteſimo triceſimo octauo, in Auguſto. *Vierus.*

Venefica item erat Ioanna puella, quæ anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quarto, in Nouembri, Nobili & piæ Matronæ Annæ à Virmont, Dominæ in Vuell, optime de ea meritæ, bis clandeſtine arſenicum propinauit. Ego ad morbi, ex prioris veneni aſſumtione, curationem accerſitus, poſt alia fœliciter adminiſtrata, ius caponis ſimplex ab ęgrota ſorbere volui. Cui denuo, vt è medio (vellem nollem) tolleretur, domina, arſenicum largius ſenſim infuderat Ioanna, quæ illi à cubiculis erat. Ego autem non ſatis iuri immixto, guſtu & viſu maxime, ob eius copiam, ab ægrota & me deprehenſum eſt venenum. Necdum enim in animos antea irrepſerat oblati arſenici ſuſpicio, ſed venenatum aliquid ipſis ab ea comeſtis adhæſiſſe opinabamur. Inde num deſtinatum glyribus perimendis puluerem alicubi occluſiſſet ægrota, ſciſcitabar: qui cum altero collatus, certiores nos redderet. Nec defuit ſucceſſus. Hoc etenim modo innotuit venenum dominæ denuo exhibitum: ſed prius à me & puero, veneficii adornati tum adhuc ignaris, guſtatum in iuſculo. Concitato autem vtrinque mox vomitu, & iis quæ veneni vim infringerent oblatis, additoque antidoto, nullæ veneni manſerunt reliquiæ. Veneficium confeſſa puella morti adiudicabatur; aliorum tamen interceſſione, ob ætatem iuuenilem, quia vix decimum quintum attigerat annum, vitæ beneficio rurſus donata, carceri perpetuo mancipabatur. Vnde poſt menſes paucos effractis cancellis eam liberarũt milites. Vt quilibet, hoc doctus exemplo, prouide magis ſuis conſuleret rebus, flagitiũ hoc quam breuiſſime commemorare libuit.

Vidi & vetulam, quæ ob Zelotypiam, arſenicum mariti inſonti cum oluſculo propinarat, vnde hic cum acerbiſſimis interiit cruciamentis: illa vndis publico immergebatur ſupplicio. *Vierus.*

Observatio.

Arſenico pondere drachmæ ſemis hauſto, lapidis Bezoartici Indici granis decem ſuperdatis, æger à morte conſeruatus.

EXperientia fuit decima Decemb. hic Viennę celebrata, in quodam adoleſcente, nondum vigeſimum attingente annum. Habitus corporis erat rarus, & quoquo pacto cachecticus, & à carcere

tabefa-

tabefactus. Proceſſerat etiam in ipſo tenuis diæta, neque nocte præterita dormierat. Exhibita eſt illi Arſenici pulueriſati drachma ſemis cum Zacch. Hincad horam grana X. Bezoartici lapid. in aqua borraginis ſunt ſibi potu data. Sciſcitatus poſtea, qualis ſtatus antè remedii aſſumptionem in eo fuiſſet, dicebat ſe prius magnum ſtomachi cum eroſione ſenſiſſe incendium, fauces ardore quodam detentos, oculos cum vertigine fuiſſe obtenebratos, non intellexiſſe loquentes, neque nouiſſe homines. Epoto vero medicamento, ſtomachum fuiſſe illico refrigeratum, oculos apertos, inquietudines ſic & anguſtias multas, quas prius vniuerſo corpore ſenſerat, ſublatas. Percontatus an genua dolerent, id aſſeruit & cum punctione, quod venenorum fere omnium proprium eſſe credo. Paulo poſt ſecutus eſt dolor ſtomachi, ardor gutturis, & ſputum ſalſum, cui vomitus phlegmatis veneno permixti ſucceſſit: alleuiatus eſt parum, neque diu moratus, conqueſtus eſt de ventris dolore, quarum ferreis vinculis è pedibus remotis vnam habuit fere naturalem ſedem, ex qua ventris dolor quieuit. Recurrit vero intra ſemihoram ſtomachi dolor nauſeatiuus, expuit amatum, extremitates ſunt refrigeratæ. Dicebat ſe quaſi conuolutum filum aut linum in ore ſtomachi & œſophago ſentire, quæ phlegmatis craſſi & vitrei per vomitum excretio eſt ſubſequuta. Inde à vexantibus ſymptomatibus alleuiatus, iterum inquietior factus doluit venter, caput, & genua, hypochondria tenſa ſuut, & vna cum ſtomacho intumuerunt, & aliam tunc habuit ventris exiccationem. Iterum ſenſit dolorem ventris cum corporis inquietudine, aluus tertio materiam nigram, liquidam, & in tranſeundo comburentem excreuit: adhuc vomitus facilis & exiguus fuit. Duodecima audita (cum circa ſeptimam venenum accepiſſet) curaui ſibi iuſculum carnis adferri, de quo ad tria ſumpſit cochlearia, ægerrimeque tunc temporis odorem carnis decoctæ ferebat. Elapſa hora, dum ſitiret, obtuli panem in vino limpatho infuſum, non potuit comedere, parum tamen bibit. Verum iam ſpem meliorem de ſalute concipiebat, de qua prorſus antea deſperauerat, omnia pedetenim in trãquilliorem ſtatum ſunt redacta. Cœnauit nocte commode, & bene dormiuit: mane cum hominem, quo pacto ſe haberet, interrogaſſem, reſpondit, gantʒ wohl/ quaſi diceret, omnino bene. Licet hypochondria tenſa adhuc & renitentia tactui apparerent; quod ſymtoma abſque alia medicamẽtorum ope omnino quieuit. *Claudius Richardus, in deſcriptione Bezoartici lapidis, Iordani de peſte operi adiuncta.*

DE AVRIPIGMENTO.

OBSERVATIO.

Auripigmenti ſumpti horrenda ſymptomata, & curatio.

MVlier, quæ piſces in foro Delphis vendebat, ex animi deſperatione miſera, vt ſeipſam interficeret, drachm. 2. Auripigmenti in ceruiſia ſumpſit, quæ poſt grauiſſima ſymptomata, & ventris torſiones, conuulſiones, tandem in ſyncopem incidit: ſed frictionibus à mulierculis adhibitis à ſyncope releuata quidem, peſſime angebatur. Hoc tempore, cum in Haga Comitis eſſem, accerſitus eſt pharmacopœus, qui oleo oliuarum propinato vomitum prouocabat, & mox Theriacam potandam dabat, qua mel in ſimili caſu recte vſum fuiſſe viderat. At me reuerſum meridie ex Haga vocant, quæ tunc pro deplorata habebatur, tam ob continuum ſpaſmum, quam ventris torſiones, ſupernas quoque atque infernas deiectiones: ſitibunda æſtu ſe præfocari clamabat, ideo decoctum ſequens propinaui. ℞. Fol. maluæ, viol. hordei mundati ana. manip. vnum, ſem. maluæ, cotoneor. ana. drachm. ſemis, ſem. lini drachm. ſemis coquantur in aqua communi pro lib. 1. colaturæ adde ſyrup. viol. vnc. tres quo iulebo & ventrem deiiciebat, & vomebat, ſyncope non amplius reuertente. Dedimus etiam lac calidum: illud enim iuxta *Aetium lib. 13. cap. 40.* ſi aſſiduo vomitu reiectent, valet his, qui calcem, ſandaracham, & auripigmentum potarunt: nam hæc dolorem ventris & inteſtinorum, cum vehementi morſu, inducunt. Iuuantur etiam, eodem Aetio auctore, ſueci maluæ potu, aut ſeminis lini, aut orizæ, aut halycæ, pinguibus iuſculis potatis, & aqua mulſa. Cæterum ſymptomatibus dictis ceſſantibus, decocto iam dicto, pro corroboratione & ſiti continuo ſumebat ex diatrag. frig. & ſubinde ſyrup. violar. omnia enim lenientia his valde commendantur, vt ol. amygdal. dulc. expreſſum, quo non ſolum in hac, ſed in aliis, commodiſſime ſæpe vſi ſumus, propinando quoque indeſinenter butyrum cum ceruiſia, huic negotio admodum conueniens. Quibus quidem præſidiis hæc mulier euaſit, quanquam poſtea poſt annum vnum atque alterum ad cachexiam deuenerit, & poſtea obierit. *Foreſtus Obſ. 13. lib. 17.*

DE CINNABARI.

OBSERVATIO.

Cinnabarum per inſcitiam & imprudentiam pictor quidam admittens, in reſolutionem & contractionem membrorum, vna cum ſæuiſſimis ſymtomatibus aliis incidit, qui tandem ægerrime peritiſſimorum medicorum opera reſtitui potuit.

PIctor quidam Andegauenſis, annos natus 30. firma ac laudabili corporis conſtitutione non ita pridem hic agens Anno M. D. LVII. manuum digitos grauiores ſolito, torpidiores, ægriuſque mobiles percipiens, paucis poſt diebus contrahi illos, & cõuelli ſenſit: atque ſenſim indies magis ac magis aucta affectio eſt, dum incurui illi, & pene implexibiles manerent. Quin & carpum & brachia peruaſit affectio dum neruis tendonibuſque infrigeratis, humoreque craſſo imbutis, admodum torpida, conuulſa, grauiaque redderent. Haud multo poſt idem pedes vitium ſenſere, ſublata incedendi potẽtia, in his tamen, vt neque in brachiis neque in manib. nõ admodũ vehemens dolor affligebat. Miſell⁹ hic tot malis nõ ſatis, credo, diuexatus, aliud ſymtoma longe grauiſſimũ ac crudeliſſimum incurrit. Dolor n. acerbiſſimus atq; atrociſſimus ventriculũ atq; hypochondrium vtrumq; occupare cœpit, ſed qui

ad to-

ad totum ventrem pertineret, cui, cum nec noctu nec interdiu intermittebat, Clyſteribus, fotibus, balneis, & aliis quibuſdam remediorum generibus, ſed fruſtra, leuatio quæſita eſt. Vnicum tantũ in acceſſione inuentum eſt ſolatium, tres quatuorve robuſtos homines ventri ſuperpoſitos ſuſtinere. Compreſſo ſiquidem ventre, paulo mitior cruciatus erat. Vbi ſex, octove dies, nõnunquam & duodecim miſer ille adeo fuerat diſcruciatus, ſenſim abeunte dolore, languidus quidem & pene moribundus cernebatur, ſed qui ſtatim reſtituta appetentia vires aliquas reciperet, dum alia rurſus ſimili acceſſione correptus proſterneretur. Viginti enim non amplius dies intermittebat. Atque in acceſſionibus aluus, ne validis quidem proritata medicamentis, quicquam demittere poterat. Quod ſi quando contingeret; nigrum omnino ac liuidum ſtercus erat. Sed & in intermiſſionibus, quæcunque purgantium medicamentorum vi detrahebantur, atrabilaria omnia ac ſplenis purgamenta iudicari poterant. Adhibiti ad tanti mali expurgationem celeberrimi quique Medici, brachiorum & pedum reſolutionem ad cinnabrium, quo pictores non raro vtuntur, referendum putauerunt. Cum enim penicillum ille ſæpe digitis extergeret, iis inhærens cinnabrium ex hydrargyro factitium, partium continuatione vim ſuam in cerebrum, cui vt & neruis & tendonibus & membranis omnibus inprimis inimicum eſt, tranſmiſit, in quo frigefacto pituita multa tandem collecta eſt, quæ poſtea in tota brachia & pedes influens, eorundem tendonibus & neruis ſymtomata iis non diſſimilia, quæ vnguento ex hydrargyro perunctis accidunt, excitauit. Et hæc ſana fuit, me iudice, ſententia. At in doloris illius atrocis perueſtiganda cauſſa quamdiu laboratum eſt? quot habitæ concertationes, quã varia fuerunt medicorum iudicia? Alius frigidam vitreamq; pituitam inteſtinis firmius inhæreſcentem, quam vt facile poſſet detergeri, inflatus reſolui, doloremq; colicum excitare cõtendebat. Alius bilem acrem, q̃ natura in inteſtina expurgare debuerat, inter abdominis membranas effuſam, illicque cõercitam certis cruciatibus inualeſcere, intumeſcere, & quoquo verſum furibunde moueri iudicabat atque in ipſo motus impetu, tum diſtentione, tum cõpunctione membranarum crudelem illum dolorem excitare. Alii deniq; alias cauſas aſtruebant: quas ſupuacaneum fuerit recenſere. Etſi aũt vnuſquiſq; poſitæ à ſe & ꝓbabilibus coniecturis inuentæ cauſæ remedia oppoſuit conſentanea; nullus tamen potuit dolorem non dico in totum tollere, ſed ne aliqua ex parte quidem minuere, vel acceſſiones eius breuiores aut tardiores efficere. Imo vero annos tres crudeliter excarnificatus, exſanguis tandem ac plane tabidus, vitam cum morte cõmutauit. In diſſecto huius corpore ſingula ad cauſæ inueſtigationẽ inſpicientes, iecur, lienem, ventriculum, & renes naturalem cõſtitutionem præ ſe ferre vidimus, nulla in cyſta fellis obſtructio: nulla in meſenterio humoris vitioſi congeſtio: nihil deniq; in vlla alia parte notari potuit, ꝙ tantorum fuiſſet malorum cauſa. Omnes ſiquidem longe aberramus à ſcopo, & tota, quod aiunt, via errabamus. Cum n. penicillum non digitis modo extergeret, ſed etiam imprudens & incautus ore exſugeret, veriſimile eſt, vt è manuũ digitis partium continuatione cerebro totiq; generi neruoſo communicata fuit cinnabaris, ita ore acceptam ventriculum & inteſtina, membranaſq; omnes interiores non humectaſſe ſolum aut frigefeciſſe, ſed inexplicabili vitio, & maligna quadam qualitate, quæ oculorum refugiat obtuitum, infeciſſe; quæ tãtorum dolorum cauſa occulta fuerit, cui non tam purgantibus, quam contrario erat antidoto ſuccurrendum. Sicuti dolores his non diſſimiles plumbei pulueris vſu concitatos, cum nullis purgationibus cedere viderentur, balneorum & lactis aſini vſu curauimus. *Fern. de Lue Venerea.*

Ante annos duodecim, nobilis quidam, viginti quatuor annorum adoleſcens temperaturæ calidæ & humidæ, in aula Comitis N. ad Albim, grauiſſimis doloribus capitis per interualla afficiebatur, ſæpius etiam per nares ſanguis copioſe effluebat. Dolor nonnunquam per biduum aut triduum remittebat, aliquando ſingulis diebus ter quaterve recurrebat. Dolore ſæuiente, ſeſe coniiciebat in lectũ, & aduocatis duobus aut tribus famulis, iubebat caput manibus comprehendi, & quanta vi poſſent cõſtringi & comprimi, ſeque nulla re maiorem doloris leuationem ſentire affirmabat. Poſt quadrãtem, aut dimidiam horæ partem, dolor nonnunquam quieſcebat, bene edebat, bibebat, dormiebat, & dolore abſente optime valebat. Vſus erat doctorum medicorum conſilio, ſed ſine fructu. Ego quoque vocatus, etſi cauſſam huius mali non ſatis intelligerem: tamen cum plerunque obſtructa eſſet aluo enema præſcripſi, quo iniecto, & anodinis, corpore præparato, capiti applicatis, dolor aliquandiu remiſit. Sed tandem, cum ſæpius recurrere, & malum penitus depelli non poſſet, doloris magnitudine victus, ſubito inter manus famulorum, caput ꝓ more ſuo comprimentium, extinctus eſt. Elapſo anno, chirurgi, eius loci huius adoleſcentis mentionem faciens, mihi ſignificauit, eum ante illud tempus vlcus in pene ex impuro concubitu contractum habuiſſe. Ex eoque plurimum ſanguinis ſæpius effluxiſſe, ſeque, nullis aliis medicamentis, niſi ſuffimigio ex cinabere, aliquoties adhibito, illud curare potuiſſe. Ex eo autem tempore ſemper de doloribus capitis & fluxu ſanguinis è naribus conqueſtum eſſe. Intellexi igitur, non tam venerem, quam mercuriũ, ſeruum ſcilicet fugitiuum, huius mali fuiſſe authorem. Quod ſi hoc non occultaſſet adoleſcens, fortaſſis adhuc in viuis eſſet. Ita, non intellecti, nulla eſt curatio morbi. Medici etiam peritiſſimi, neque vrinis, (vt vulgus opinatur) neque ex aliis circumſtantiis talium morborum cauſas ſatis deprehendere poſſunt. *De Clariſſ. Viro Ioan. Franci Med. Camicenſis Obſeru. per CL. V. Laur. Scholtzium ad me tranſmiſſis.*

DE REALGARE.

OBSERVATIO.

Realgaris ſiue Riſagalli pernicies.

CVI datur Realgar in potu, patietur ſitim, & exæſtuationẽ, & conſumtionẽ humiditatis: ita ꝙ niſi ei ſuccurratur, aut morietur, aut paralytic⁹ & cõtract⁹ remanebit. Vidi & curaui iuuenẽ, cui datũ fuit

cum he-

cum hepate porti aſſato realgar tritum, & euaſit mortem ab eo, & remanſit circa omnes iuncturas, quaſi immobilis ex nimia ſiccitate. Et eius cura eſt vomitus cum butyro & aqua calida, ſæpe iteratus, & clyſteria cum lacte aſinino iterata. Et dare in mane in potu omni die vncias quinque de lacte aſinino, & cibare cum ficubus pinguibus. Et vngere totum corpus ex oleo de Amygdalis dulcibus, & ſedare ſitim ipſius cum iuleb. Et eius bezoar eſt oleum de muellis pini, datum in potu ſtatim, vel in prima die vnc. 4. *Petr. de Apono Tract. de venenis.*

DE AQVA CHRYSVLCA SEV FORTI.

Observatio.

Aqua Chryſulca (vulgo forti dicta) cum adamante ſumta, legatus quidam ſeipſum extinxit.

TRistanvs Cibeletus Cyprius Ferdinandi Regis Neapolitani ad petendas Catharinæ Reginæ Cypriæ nuptias legatus captus, ꝑpterea quod poſt Regis Cyprii mortem, tumultu excitato, Andream Cornelium Reginæ patruum interfecerat, exulque factus fuerat ſui pœnas ſceleris ſe perſoluturum ſciebat, Adamante, quem in Anulo geſtabat, per os in ſtomachum recepto, aqua inſuper, quæ metalla diuidit, epota, dum portaretur interiit. *Bembus lib. 1. Venetæ Hiſtoriæ.*

Observatio.

Aqua forti puella per imprudentiam hauſta, miſeris ſymtomatibus extinguitur.

PVellula quædam, cum ſitiens, caſu arripuiſſet lagenulã, in qua aquæ fortis, cuius vſus eſt in malleorum & auri ab argento ſeparatione, aſſeruabatur, bibit illam: at ditis miſerandiſque cruciatibus periit. Nihil, vt arbitror, in natura rerum indagatum eſt hactenus, neque reuelatum, quod in tali caſu opem adferre potuiſſet, & vim iſtam aquæ corroſiuã prohibere, & eroſas partes ſanare *Bruno Seidelius, libr. de morb. incurab. pag. 13.*

Observatio.

Aquam Chryſulcam per errorem bibentes periculoſiſſimis ſymptomatibus correpti, prope ad vitæ periculum adacti ſunt, qui tandem ſingulari Medicorum ope conualuerunt.

APvd Gandauum puer (vt nobis relatum eſt) cum aquam fortem inſcius bibiſſet, & gula præ ardore occluderetur, adeo vt ſuffocationis periculum immineret: Medicus exhibuit, muccaginẽ cotoneorum in potu: & puer præter multorum opinionem euaſit. *Foreſt. lib. 15. Obſ. 30.*

Illud ſilentio haud quaquam præterire poſſum, quod anno ab hinc quarto, nauta quidem ex iis, qui. aliis operas tradere ſolent mutuas, epota aqua ſegregationis, quam fortem nominant, in grauiſſima inciderit ſymtomata, atq; ab iiſdem minimo negotio liberatus fuerit: res autẽ ita ſe habet. Is, quum ad pagum Alpheen, quem antiquitus Caſtra Albiana fuiſſe coniectura eſt, nauem vnam deduxiſſet, atq; abſoluto penſo reditũ meditaretur, forte fortuna conſpicatus lembum, qui Læyda, quam Lugdunum Batauorum vocant, Goudam ageretur, ſiti æſtuans in eundem proſiliit, conſpicatuſq; amphorulã ſtudioſe coopertam, ſuſpicatus eſſe aquam vitæ vulgo dictam, quam ex fæce vini aut cereuiſiæ, aut ipſo alioqui vino per ſublimationem eliciunt, ea clanculum, furtimque ſurrepta, quod ſiti ſatis eſſe putaret, vno ſpiritu exhauſit. Ille interim, ſtatim ac bibiſſet, ſenſit ſtomachi, faucium atque totius gutturis ardorem cum vellicatione quadam, & contractione ſpaſmo non diſſimili. Domum igitur reuerſus, rem vxorculæ, vt potuit enarrat. Illa rei nouitate perculſa, atque attonitæ quodammodo ſimilis, nec ſatis intelligẽs, quid ille muſſitaret aut obmurmuraret, cito pede ad me fertur (habitamus enim in vna eademq; vicinia) proclamat maritum deleterium neſcio quod bibiſſe, rogat igitur vt Alexipharmacum aliquod præſcribam: Perquiro, vt vſus artis expoſtulat, cui tandem veneno remedium quæreret, pro Toxicorum enim differentia variare etiam remedia, aliud ſiquidem his qui aconitum, aliud qui cantharides, gypſum aut Pſimythium biberunt, dandum eſſe medicamen. Illa interim eandem ſemper canens cantilenam, nihil præter ſumtum venenum ingeminabat. Præſcribo igitur pro tempore, quod ex vſu eſſe putabam, iniungens vt ſi qua ratione poſſit, oleum ex ſemine raporum elicitum aut ſimile aliquod illi propinaret, vt videlicet per vomitum aſſumtum medicamẽtum reiiceretur, deinde iubeo glandem ſuppoſititiam indat ad ſollicitandam aluum ac deinceps granula aliquot vnicornu, cum pauxillo theriaces electæ ſumenda offeret. In ancipiti enim hoc caſu alia methodo vti non potui, quando Scribonius Largus dicat, quoties ſuſpicio aſſumti mali medicamẽti accepta fuerit, primum quidẽ aſſumere oportet, quæ nauſeam faciunt, vel oleum per ſe, vel cum aqua, & reiicere: deinde ea, quæ ventrem molliunt, tãquam lac, album ius pingue & ſalſum, poſtea remedia propria ad ſingula quæq; & antidotos, accipere. Iubeo igitur vt omnibus ex præſcripto noſtro peractis ſtudioſe ſingula accidentia perpendat, atque obſeruet, ac tandem per occaſionem, ſi quomodo fieri poſſit, expiſcetur, quidnam ſit id quod aſſumpſit, ac deinceps poſtridie ad me reuertatur. Sed dum illa marito caſum dolens fruſtra ſciſcitaretur, ex improuiſo ſuperuenit mulier, quæ amphorulam illam aqua ſeparationis plenam repoſuerat, atque vt erat ad rem attenta prorſus, neſcio q̃d muſſitans quæritur, quod nauta quidam, quem eo loci habitare intellexerat, ſe inſcia arrepta amphorula nonnihil liquoris, cuius ſolius ergo Lugdunum Batauorum, profecta eſſet, ebiberit; æquum igitur eſſe vt illatum damnum reſarciat, quod ni actutum faciat, curaturam ne impune factum dicat. Vxor nautæ rei nouitate perculſa, illa relicta, ſubito ad me accurrit, rem omnem ordine narrat. Ego bono animo eſſe iuſſi, nihil etenim ſubeſſe periculi, curaturũ breui, vt mitigato dolore, ac ardore, & aſperitate gutturis, q̃duis & proferret, & circa moleſtiã deglutiret. Præſcribo igitur in eũ vſum Eclegma ex muccagine ſem. cotoneorũ altheæ, & gummi tragacãthæ elicitæ ex roſ. ſtillatitio liquore, melliſq; roſati & violati pari pondere, ꝙ vt continuo lambat impero. His adiungo Gargariſma ex ſeminib. cotoneorũ, altheæ, & cucumeris flor. roſarũ,

violar,

violar. & verbaſci, atque ex vulgari pulmonaria, ſanicula, & card. benedicto; quæ poſteaquam, in aquæ iuſta quãtitate, pro ætatis exigentia, decocta fuiſſent, & percolata, vncias aliquot oxymell. ſquillitici adiungi curaui, ſperabam etenim his auxiliis, vt caſus poſtea docuit, breui perſanandum hominem. Nam etſi ſeparationis aqua acris admodum ſit, adeo vt argentum diſſoluat, atque ipſum ab auro ſegreget; obtunditur tamẽ nonnihil illius acrimonia à parte terreſtri aluminis liquidi, Salnitri, & arenæ, quæ ad eius præparationem concurrere certum eſt: nondum enim per ſublimationẽ ita rectificata eſt, vt omnem terreſtreitatẽ exuerit, alioqui non ſecus ac aqua vitę, quam vocant, facile arderet: adde quod quo magis rectificata fuerit, ac quo ſubtilior, eo etiam euadat acrior, at ita tamen, vt ſuperficiem tantùm cutis erodat: nam ſicuti leuis eſt, καὶ λεπτομερὴς facile euaneſcit, neq; admodum penetrat, quod & mulierculis, quæ eadem pro pſilothro vtuntur longo vſu nimis quam cognitum eſt. *Balduinus Ronſeus. Epiſt. 9.*

DE VITRIOLO.

Observatio.

Vitrioli, & vitriolatorum quorundam exitialis vis.

Vidi qui oleo vitrioli materiam conſumere & exſiccare conarentur, eo quod vehementiſſime ſiccet, & detergat, & initio ſane iuuamentum percipiunt ægri, cum inter vtendum ventriculum adſtringi, auidius appetere, & fluxionum materiam minui ſentiunt, ſed tãdem cachecticos euaſiſſe ſcio, vt interim de aliis morbis taceam.

Mihi ſane ſuſpecta eſt vis cauſtica, quę remanet in eo oleo, etiam iuxta Paracelſi doctrinam parato. In morbis quidem ex craſſiſſimo phlegmate aliquoties vſus ſum, ſed nulli author eſſe volui, vt continuata vſurpatione aliquod guttarum moderatum calorem ventriculi (qui coquendo deſtinatus eſt) obtunderet, & ſanguinis bonitatem corrumperet. Si enim ab externis coniiciendum eſt de internis, quid aliud in foco coquit quam calor, & acida corrugare os ventriculi, & appetentiam excitare, ex aceti vſu nouimus. Tales igitur qui aſſidue hoc oleo vtuntur, etſi per aliquot tempus de bonitate appetentiæ & fluxionum exiccatione ſibi gratulantur, ad extremũ tamen, & tempore procedente, nocumenta ventriculo & reliquis membris illata, cum gemitu agnoſcere coguntur. *Caſpar Hoffmannus libello de Thermis Hirsbergenſibus.*

Vidi qui à multo vſu vitriolatorum iſtorum corroſos pulmones colore vitrioli eiecerint. Alteri epar diſſolutum fruſtulatum excretum putabatur. Audiui quoſdam morti proximos lamentabiliter deplorare ſeueritatem ſuam & magnis vociferationibus deteſtari ſe ipſos præ dolorum immanitate, & interiora ſibi vri & rodi ſubinde clamaſſe. Pictor quidam, egregius apud nos, podagram ſe depulſurum ſperans, in vſurpando oleo vitrioli ſedulus erat. Verum ante obitum in poris omnibus per totã ſuperficiem corporis, veluti cuſpides acuum pungentium ſentire ſe miſerabiliter conquerebatur. *Idem li. 5. 10. conſil. & Epiſtol. Cratonis & aliorum pagina 380. & 383.*

DE STIBIO SEV ANTIMONIO.

Observatio.

Stibij, ſeu antimonij vulgo dicti, maxime vero eiuſdem vbiq; ad purgationes, vel alios vſus, pernecina vis.

Si morbi interius vigeant, (vires conſtent nec ne, non refert) infundũt per os vel præcipatum pulverem, vti vocant, quod vitam forte cum morbo ſępe præcipitet, vel paracelſiſtarum commune ſecretum ex antimonio, & chryſocolla eſt, quib. propter aduſtionem vehementem acquiritur mordax penitus & venenata qualitas, vt in metallis frigidis perpetuo ſolet, etſi infame calidis per vlteriorem aduſtionem hæc ipſa ſæpius emendetur, quod plane demonſtrat. Præcipitati fabrica ex ſublimato, intercedente digeſtione per aquam cauſticam à Ioanne Vigone præſcripta. Teſtatur & venenatas vires inter coquendum vſque adeo peſtilens nidor, vt qui per nares ex improuiſo attraxerit, ad epilepſiam ilicet atque paralyſim pronior fiat, niſi validius obſtet natiuum cerebri robur, & firmum temperamentum. Adde quod vel in minima quantitate. Sumtum vtpote granorum duum, trium, vim tantam in corpus exerceat, vt ſurſum deorſum concutiat omnia, conuulſis etiam diſruptiſque ſæpiſſime vaſis, amicum naturæ ſanguinem cum viſceribus atque anima ipſa eripere videatur. Sunt mihi, quos nominatim ſcriptos aſſeruo domi, quos alis eiuſmodi profectos ad orcum aut campos Elyſios ſciam plures octuaginta numero, tum viri, tum fœminæ. Verum iſtuc eſt ſapere (vt pulchre Comicus) periculum ex aliis facere, tibi qua ex vſu fiet. *Gemma Cyclognomicæ libr. 2. pag. 29.*

Scio multos vſu ſolo Antimonii præparati granorum quatuor, & in ſubſtantia, & in infuſione alicuius liquoris, ſurſum ac deorſum grauiſſime fuiſſe purgatos, & in morbos longos incidiſſe, à quibus nunquam extricari potuerunt. Noui medicum in Republica noſtra, alieno, quam ſuo periculo cautiorem, ſimplici confidentia hoc medicaminis in ſe experiri volentem, eo inſalubritatis adactũ, vt nunquam priſtinum vigorem, ac corporis robur recollegerit, ſed ad extremam pene animam Antimonium deteſtatus ſit. Noui febrientes, noui phthiſicos, arthriticos, calculoſos, leproſa ſcabie, ac cutis vitiis affectos, eiuſmodi centaurica medicatione, aut verius mordicatione in extrema repente diſcrimine, vomitiones vehementiſſimas colicos dolores, diarrhœas, conuulſiones, cardiacas ſyncopas frequentes, in ſummã præmaturas mortes inductos fuiſſe. Atque hæc omnia quando promiſcue confuſeque citra rationem phyſicam, methodum citra demonſtrationes arte inuenta, imo cum pudenda execrabilique Philargyriæ, ſub prætextu iuſtæ mercedis, proximorumque calamitate agitantur. *Croneburgius in defenſione med. vet. aduerſ. Paracelſi. c. 40.*

Carminatius quidam ægrotans ſacrificum accerſiri iubet, hic de ægri ſalute (quod ei cognatione luſtrica familiaris eſſet) ſollicitus, antimonii grana aliquot (cum nihil aliud poſſet) intrepide, vt impoſtorum mos eſt, præſcribit, feliciter ſucceſſit, conualuit. Sed poſtea rurſum male habuit, ad idem ſa-

crifici remediũ ὡς τὴν ἱερὰν ἄγκυραν confugit, id ſibi cauſo laboranti dari expoſtulat, non denegatur, accipit, miſerabiles cruciatus & dolores ſentit, moritur. Quid tum ſacrificus? antimonium ſuum excuſat, heu num cædes hæc manifeſta? & tamen inulta manet. num hic homicidii conſcius? at impune viuit. *Rober. Feuinus lib. de abuſu medic.*

In Pictore quodam Regio, cui nomen erat Nicolao, obſeruaui qui cum ex aqua intercute grauiſſimé laboraret, illique totum corpus ad modum tympani intumuiſſet, tandem, longo interpoſito à morbi principio tempore, me aduocari iuſſit. Cui quemadmodum ars mihi imperabat, & ratio cõfirmabat, etiam medicamenta & clyſmata, ad educendum ſerum quam maxime accommodata, præſcripſi. Sed cum morbi diuturnitatem tandem grauiſſime ferre videretur, & turpiter falſis antimonii miraculis deceptus eſſet, illud omni modo aſſumere decreuit, ſed paucis interpoſitis diebus vitam cum morte commutauit. Quæ cauſa fuit vt pertinacius deinde in priore ſententia perſiſterem. Hi enim ſunt effectus medicamentorum adurentium & humores & carnes depaſcentium. Id quod amplius precipiti & violenta antimonii actione probari poteſt. Nam in dimidiæ fere horæ ſpatio maximam ſeri copiam educit ſtatim, & grauiora ſymtomata inducit, quam vllum aliud vel peſtilentiſſimum veneni genus, quod duplo maiori pondere ſumeretur, & cui argentum viuum quoq; ineſſet. *Greuinus in tract. de Antimonio, cum eiuſdem lib. de venenis excuſo.*

Referebat mihi nuper medicus Illuſtriſſ. Principis, D. Marcus Keckslauw / ſe ex nobili familia, cui fuiſſet exhibitum audiuiſſe, viſum ei eſſe animam è corpore exiiſſe, atque circa lecti cœlum aberrauiſſe. Tandem prorupiſſe medicamentum & aluum turbauiſſe. Affirmauit mihi Marchonis Badenſis Philiberti Medicus ſe aliquot nouiſſe, quibus ex eius vſu venæ in pectore aut pulmonibus ruptæ ſunt: quoq; phthiſici perierunt. Pharmacopæi etiam noſtri famulus, vt ſe à peſte præſeruaret, ſumſit ipſe grana, opinor, quinque. Paulo poſt erumpente ex ore ac naribus ſanguine, ſenſu & mente amiſſis, tertio die animam efflauit. Huius generis hiſtorias recenſere plurimas poſſem, ſi res poſceret. Qui ſapit ex recitatis perſpiciet, quanto cum diſcrimine huiuſcemodi deuoranda exhibeantur à rudibus & ſæpe immaniter impiis, non Medicis ſed carnificibus. Aurifex quidam Cracouienſis, teſte Antonio Schnebergero Medico, peſte correptis exhibere auſus eſt denarii pondere, cum cereuiſia & butyro. Nec mirum eſt Idiotas in talibus audaces eſſe, cum periculum non intelligant, ſed quod vni per accidens forte profuit, omnibus profuturum putent. Sic interdum eos morbos expellunt, quos Medici præſtantiſſimi vix fuerant curaturi. Ea nanque exhibent, quæ aut naturam præſeruãt, aut morbi cauſam tollere cogant. Qui hoc modo pereunt, quauis potius alia cauſa, quam vi medicamenti exhibiti periiſſe ipſis putantur. Qui à me hucuſque cogniti ſunt, tam audacter exhibere omnes imperitiſſimi artis medicæ (vt cæteras virtutes eorum ſileam) fuere. Qui Deum credit male factorum vindicem vltoremque, is à noxiis medicamentis, cum ad manum ſunt alia, diligenter abſtinebit: ne quando homicidii, accuſante conſcientia, reus fiat. Parum profuerit nouemdecim curaſſe periculoſo curationis genere, quo vigeſimus aut trigeſimus ſit necatus. Vt breuiter, quod ſentio, dicam, ſic iudico: vomitorium eſſe violentum. Si quas præterea vires habet, quas habere ipſum non nego, maleficas & noxias eſſe aio, ac tanto ſunt inimiciores nobis, quanto in minore quantitate tanta cum vehementia perturbare corporis noſtri facultates poteſt. Audiui ab homine in arte Medica, præſertim vero chirurgia exercitato, obſeruatum à ſe eſſe, huius pharmaci vſurpationem ſymtomata induxiſſe, qualia ſolent argenti viui, ſublimati, præcipitati, vſum conſequi. Niſi vehementer fallor, vidi ipſe quoque ægrum miſere pereuntem, cui eiuſcemodi quippiam exhibitum fuerat. Nam os, fauces, gingiuæ, & gula etiam exulcerata erant: & profluxerat incredibilis putridæ ſaniei copia. Tandem, exulceratis & ruptis in pectore venis, interiit. Participare naturam hydrargyri hoc etiam declarat, quod ſimiliter ſuperiora petit: atque alia quædam facit, quę illud facere conſueuit. Scriptũ eſt mihi ex vrbe magna & celebri, exhibitum peſte laborantibus ibidem fuiſſe compluribus (itemque aliis etiam malis oppreſſis) & infelici euentu. Alios enim mortuos, aliis inteſtina, aliis ventriculum, aliis alias partes, collum, os, &c. ita afflictas fuiſſe, vt vehemẽter optarint nunquam vidiſſe alexipharmacum. Atque huius vi & malignitate mala enumerata accidiſſe ſcribebatur. Vt ſemel tandem omnia dicam, non minus tutum cenſeo ſtimmeos vſum, ſi intra corpus ſumatur, quã vel hydrargyri, vel præcipitati, vel ſublimati: & ſimilium. Quoniam in exigua quantitate vires maximas habet, atq; ob id ſine nauſea ſumi poteſt, commendatione dignum eſſet, niſi plus malefica virtute noceret, quam vomitoria poteſtate iuuat. *Eraſtus in Diſput. de ocul. pharma. poteſtat. c. 65.*

In articuli cuiuſdam (puta humeri) dolore ex fluxione orto tonſor quidam exhibuerat medicamentum validiſſimum, ac niſi fallor fuerat puluis antimonii exuſti & rubificati, ex quo ille qui ſumſerat violentiſſ. per ſuperiora atque inferiora purgatus eſt, ita vt ſanguinis etiam aliquid deiiceret, & crebris animi deliquiis corriperetur. Sequenti die venam etiam ſecare voluit, quam æger proſtratis pene viribus non admiſit. Quia vero ob corroſa inteſtina dolorem ibidem perſentiebat, ſtolidus tonſor, tormina eſſe coniiciens, quæ ex ſolo frigido humore oriri diceret, vinum potentiſſimum exhibuit, ac ventrem oleo rutaceo laurinoq; inunxit & ſine dubio hominem interemiſſet, niſi ab aliis in tempore accerſitis rectius tractatus fuiſſet. *Bruno Seidelius lib. de morb. incurab. pag. 49.*

OBSERVATIO.

Aduerſus ſtibij ſeu Antimonij venenum antidotus præſtantiſſima.

BOli armenæ genuinæ copiam mihi aliquando fecit piiſſimus ac Sereniſſ. Ferdinandus Sanſeuerinus, Salerni Princeps humaniſſimus, quẽ à Roſtano Baſſa dũ eſſet Cõſtantinopoli, dono acceperat.

Eam

Eam non ita dudum probaui in quatuor chirurgiæ ſtudioſis auditoribus meis, qui dum Stibio catharctico non ſatis caute præparando incumberent, medicamenta aura venenata pene ſuffocati ſunt. Mox vero atque illius boli ſcrupulos duos ſinguli aſſumſere, libera facta eſt reſpiratio, & ſtrangulatus quo maxime vrgebantur, omnino ſublatus, maxima adſtantium Medicinę ſtudioſorum qui me tunc comitabantur, admiratione. Quis enim putet, ab emplaſtico & alioqui aſtringente medicamento ſuffocationis periculum tolli: inter cæteros adfuere Ioann. Pidoux, & Euſtatius Gaillard, familiares mei, ad hęc Franc. Vlmus, purioris diſciplinæ & veritatis indagandæ, (vt ingenio plurimum valet) ſtudioſiſſimus, quam ab eo tempore bene merita Docturæ laurea inſigniuimus. *Ioubert. lib. de peſte, c. 19.*

DE CALCE VIVA.

OBSERVATIO.

Calcis viuæ eſu, puer extinctus.

Filius Hioſeppi chirurgici, annos natus octo, capillos, & parietum cretam aſſuetus, cum eſſet comedere, ſemel in calcem viuam incidit, ex qua cum abunde comederet, in grauia lapſus eſt ſymtomata: Intenſiſſime febricitabat, ſitiebat, & multum bibebat, ſed eius ſitis nunquam extinguebatur, ad fauces dolebat, & de ventre conquerebatur, non egerebat, nihil appetebat, ſed ea, quæ illi offerebantur, reſpuebat, & nihil guſtabat. Ad huc tertio die ingreſſus ipſe, præſagio habito, quod hic breui moriturus eſſet, lac illi copioſum bibendum daret ſuaſi, vel ſaltem ius aliquod præpinguis carnis. Sed & clyſteres ex malua, ibico, ſemine lini, illi inlicerent, mandaui. Cæterum cum is nihil per os admitteret, ſexto ſequenti die obiit. Agebatur autem nonus dies tunc, à morbi initio. *Luſitanus Cent. 5. Curatio. 91.*

DE GYPSO.

OBSERVATIO.

Gypſi potu necem ſibi conſciuit.

Exemplum Illuſtre C. Proculeium Auguſti Cæſaris familiaritate ſubnixum in maximo ſtomachi dolore gypſo poto, conſciuiſſe ſibi mortem. *Plinius Nat. Hiſt. lib. 35. cap. 24.*

Conrado III. Imp. Iconium obſidenti Græco aſtu, Emanuel qui tum Bizantii Imperabat, inſidiatus eſt. Nam quum eius precibus & ſuaſu Germanus ex Boſphoro ad hoſtes pene precipitem traxiſſet exercitum, perfidus Imperator facinus commentus eſt impium & deteſtabile, gypſum contuſum & in ſpeciem farinæ redactum triticeis commeatibus immiſcuit, quos ex Byſantio mittebat in caſtra, eoque cibatu tanta vis militum breui conſumta eſt, vt, negotio infecto, obſidionem ſoluere coactus ſit Rex alioqui inuictus, qui ſuorum clade conſternatus, relicta Aſia domum per Thraciam abiit, *Sabellicus li. 4. En. 9.*

DE SCOBINA CAMPAnarum.

OBSERVATIO.

Scobina ex campana deraſa & à muliercula quadam propinata ægra in vitæ periculum incidit, à quo ſingulari medici induſtria aſſerta eſt.

Nobilis Matrona, in ſummo vitæ diſcrimine conſtituta erat: Vt quæ imprudens, deliræ anus conſilium ſequuta fuerat: quæ certam, vt ſolent, præſentemque ſtipulata ſalutem: ab exhibita ſcobina vel raſura de Campana in vino rubeo, violento vomitu diuexabatur, & aluus vehementer ei ſubducebatur. Vnde corpus quaſi à veneno intumuit. Subſequuti immanes Capitis & ventriculi dolores, vertigines & punctiones: tandem in phrenitidem incidit. Quæ cum nonnihil mentem recepiſſet, ſemper ſenſit roſiones in ventriculo & lancinationes, quaſi acubus transfixus eſſet. Ego exhibitis catapotiis & hypagogis, ſcobinam expurgaui, & dilucide in chartam aſſumtam, aliis viſendam exhibui. *Horſtius Comment. ad Lemnij occult.*

DE FVLMINE.

OBSERVATIO.

Fulmine tacta plerumque venenata.

Seneca loquens de gen. & vi fulminum, inquit eã præter alias mirandas operationes illud habere, vt in corporibus quæ ab ipſis tanguntur relinquant peſtiferam & lethalem auram: idque probat, tum quia vnguenta & olea tacta à fulmine, teterrime odore afficiuntur: tum quia vinum ab eodem congelatum, vbi ad propriam & antiquam conſiſtentiam redit, ſi potetur, dementat & exanimat homines, quaſi pernicioſiſſima & exitialiſſima vis ſit, quam relinquit fulmen in rebus tactis. *Mercurialis lib. primo cap. 14. de venenis.*

DE VITRO.

OBSERVATIO.

Vitri confracti vis venefica & deleteria.

Nuper hoc Martio menſe anni M.D.XLVI. monialis quædam amens, vinculis ſoluta vitrum ciceribus confractum miſcuit, inde multæ ex his abſque detrimento euaſere, duæ tamen hydrope extinctæ ſunt, vna cruciatu ventriculi peritura laborat: ad quam nos, cum alii nihil proficerent medici, vocati ſumus. *Cardanus contradict. 9. lib. 2. tract. 5.*

DE ALEXIPHARMACIS PRÆCIPVIS.

Et primum

DE SIMPLICIBVS EX LAPIDIbus & gemmis.

OPHITES.

OPHITES, genus eſt marmoris maculoſi, cinerei coloris (alteriusque) diſcurſantibus lineis albis ac nigris. Ex ophite vas habui, ſatis capax, oppigneratum ducentis aureis. Compertiſſimum, aquam tepidam in Ophitis vas infuſam, incorruptam aſſeruari, & aduerſus hauſta venena præſentiſſimum eſſe remedium. De Ophite, præter *Dioſcoridem*, *Plinius lib.36. cap. 7.* Italorum Serpentino, non eſt Ophites, ſed Iaſpidis maculoſi ſpecies, vel potius eiuſdem Plinii marmor Lacedæmonium, viride, cunctisque hilarius. *Robert. Conſtantinus, in ſupplemento. LL.*

SMARAGDVS.

VIres huic adſcribunt præſtantiſſimas aduerſus venena omnia, vt hinc octo granorum hordei pondere in polline deuorata, venenatos à morte vindicare potens iam pridem explorata ſit. *Franc. Rueus lib. 2.c.4. de Gemmis.*

PAXAR.

IN regno Deli, quod Tartaris Catainis affine eſt, lapis, qui Paxar dicitur mollis, fuſci coloris, amygdali magnitudine. Is in capite cuiuſdam animalis inuenitur. Certa vtilitate ad omnia venena, apud incolas habetur in prima commendatione. *Scaliger exercit. 153. num. 7.*

BEZOAR EX CERVORVM LAcryma.

COntra omne iobolorum virus & δηλητήρια medicamentum Alexipharmacum, quod arabes ex ceruorum lachrymis coadunatum Bezehardt appellant, quo ſtudio & opera id venatores Siciliæ & Indorum inquirant, ex Auenzoare, non illaudato Arabum medico, docebo *Theomneſtus* quippe grauis veterinariorũ medicinæ auctor, ſcribit: ceruos, vermes inteſtinorum inuolucris implicitos, ſerpentium eſu enecare, quos ex cauernis narium ſpiritu eliciũt: & ne illorum virus ipſis obſit, ad fontes aquarum accelerant, quibus ad labra vſque ſe immergũt: tum oculis lachrimæ lente diſtillant, quæ viſcedine ſua coagulatæ, in angulis oculorum in lachrymas nucis iuglandis pondere coaleſcunt. Deinde quum ſeſe veneno exoneratos ſenſerint, aquam egreſſi, in latebras diuertant: & vt lapis ille, viſus obſtaculum, decidat, caput arboribus affricant: quem inuẽtum, vt Bezehardt contra quoduis venenum antidotum efficaciſſimum, venatores Siciliæ & Orientis magni vendunt. De quo Auenzoar Arabs pondus trium granorum ordei, in lacte aut aqua cucurbitæ vel roſarum diſſolutum, filio Hali Regis conteſtabili potandum dedit, & eum à virulenta ictericæ aurigine liberauit. Scribit quoq; *Scribonius Largus*, ceruis Siciliæ in angulo oculi qui nares verſus vergit, naſci Sordes, quas venatores contra omne iobolorum virus & pharmaca deleteria incincto deferant. Has ego ſordes ex patulis infra ceruorum oculos foraminib. erui & in ſolo papyri inuolucro bene olentes per ſeptennium illibatas ſeruari. Quandoquidẽ vero nemo *Scaligero* lachrymam cerui exactius deſcripſit, operæ præcium erit, ſi eius verba *ex libro de Subtilitatibus Cardani* hic addidero. Ante centeſimum, inquit, annum in ceruo nulla eſt lachrima. Poſt eam ætatem accreſcit ad oculi cantum, ipſis oſſibus, atque in os protuberans, concreſcit, ea duritie, qua cornu ſuperet. qua parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, coloris fului, nõ ſine veſtigiis atriorum venularum: tanta leuitate, vt pene tactum effugiat ita enim ſeſe ſubtrahit, vt propemodum ſeipſum mouere videatur. Adverſus venena remedium præſentiſſimum. Peſte correptis datur cum vini momento, vnde taſitus cietur ſudor, vt pene totum ſolui corpus credas. Quum hæc in circulis aliquando recitarem, vnus ex his qui è legatorum comitatu rerũ Aſiaticarum cognitionem profitebatur, negabat ad ceruum quicquam attinere, ſed eſſe vere lapidem. Ego illi poſtridie oſtendi, qua parte ex oſſe fuiſſet auulſa. Hanc Solimannus olim dono dederat Samblancardo Trierarcho: at ego poſtea, eius filii Bernhardi Orueſani munificentiam expertus ſum. *Langius Epiſt. 24. l.2.*

BEZOAR EX CAPRARVM INDICArum & peruanarum ventriculis.

IN omnis generis venenis nullum præſtantius nouimus remedium: quoniam eos, qui aut venenum hauſerunt, aut à virulentis inſectis præmorſi fuerũt, mirum in modum iuuit. Qui aquæ ſtagnantis potu, in qua virulenta animalia verſantur, ilico intumuere, ſumto iſto lapide bis aut ter, ſanatos conſpexi.

In peſtilentibus febribus ſæpius adhibui, & ſane earum virus extinxit, cuius rei primariam in ſimilibus morbis curam medicus habere debet: nam licet putrefactio prohibeatur, niſi extinguatur virus, inutilis erit cura, quoniam illud eſt, quod hominẽ iugulat. Similiter ſi adſint carnis cum rubore eminentiæ, quas Hiſpani rauardete appellant, quæ plerunq; huiuſmodi febres comitati ſolẽt, lapis Bazar peruanus maximam vim poſſidet: nam in ſimilibus morbis maiorem eorum quos accepi partem abſumſi, plurimique felici & miro ſucceſſu curati ſunt. *Nicol. Monardes li.3. de medicam. noui orbis.*

Vtuntur eo Indi, nos ſequuti, aduerſus deleteriæ facultatis medicamenta. Ormuz vero & Coraſone incolæ, non modo aduerſus virulentorum animalium morſus vtuntur, ſed etiam aduerſus omnes melancholicos morbos. Opulentiores bis ſe purgãt ſingulis annis. Martio videlicet, & Septembri. A purgatione, quinque ſubſequentibus diebus continuis hauriunt in ſingulas doſes, decem huius lapidis grana macerata in ſtillatitio roſarum liquore. Hoc remedio iuuentam & membrorum robur ſibi conſeruari dicunt. Solent interdum nonnulli ad triginta vſq; grana ſumere, nimis ſane magna quantitate. Nam tametſi nullas noxias facultates in ſe cõtineat hic lapis: tutior tamen eius exigua quantitas. Atque etiam parua quantitate exhibere ſolent in Ormutz: nec ſine periculo liberalius ſumi dicunt. *Garzias ab Horto Aromatum hiſt. lib. 1. cap. 45.*

Nos Sacratiſſ. Cæſareæ Maieſtatis iuſſu aliquot experimenta lapidis Bezoartici hucuſque vidimus, in duobus nempe Reis lege ſupplicio damnatis, quibus venenum ſtudio oblatum eſt, & in duobus prætereà aulæ Maieſtatis ſuæ Nobilibus vehementiore morbo afflictis. E quibus primus Dominus Scander ſeſe nobis offert, qui cum longa & graui ægritudine, cum ingenti omnium membrorum & pulſus imbecillitate Oenipontè decumberet, nauſeabundus, ac in ventriculo & præcordiis vehementer dolens, annum agens 75. oblata ſibi lapidis Bezoartici grana quinque in cochleari vini fuere. Nulla illo die ſubſequuta eſt alteratio, nullaque immutatio. Noctu tamen meliùs quieuit. Sequenti die attollebat brachia, & crura ad ſe contrahebat, quod antea haud quaquam facere poterat. Tribus poſtea elapſis diebus, vomitum quidem bilioſum habuit, qui præcordiorum & Stomachi dolores finiuit, ac licet longo adhuc tempore decubuerit, credo nihilominus ſuæ ſalutis fundamenta Bezoar extitiſſe.

Laborauerat poſtea D. D. Staphylus ſedecim continuis diebus acri febre, maligna, & ſopita, ab affectu tenuem ſuum ſumente initium, abhorrebatque ab omni ciborum genere, nauſeabundus, de capite ſæpius queritans: nihil niſi de morte loquebatur, delinquebatque frequēter animo. Habebat ſedes colliquatas cum ani exitu doloroſo. Vrinauerat turbida, cruda, & fere ſubiugalis. Articuli & præſertim genua dolebant, laſſitudo ingens, facies Hippocratica, oculi in dormiendo aperti, & ob vehementem virium imbecillitatem corporis ad pedes delapſus. His ita ſe habentibus, cum de vita illius ab omnibus minus ſperaretur, motu proprio clementia Cæſaris ſeptem grana huius prætioſiſſimi medicamenti ſibi in vini cochleari fuere oblata. Non tamen erat Stomacho tunc omnino ieiuno Staphylus: ſiquidem medium oui vitellum per ſemihoram ante ſumſerat, bibebatque aliquid. Porro hora à Bezoartica aſſumtione elapſa, bonum hauſtum ſeri caprilli calidi, cum Zuccaro ebibit, & intra ſemihoram adhuc etiam. Subſequutæ iſtos ſex vel amplius ſedes cholericæ, & fœtidæ ſunt, cum quadam tamen faciliori tolerantia ſolito. Poſſumque vere affirmare, illum intra hoſce quindecim ægritudinis dies, in totum quantum medietas cruciati panis ſit minime comediſſe. Cum nocte illius diei cœnæ ſuæ cum D. D. Steph. intereſſem, paropſidem hordei, in iuſculo cocti plenam tanto appetitu comedit, vt nos illud intuentes lethalem quandam auiditatem potius, quam famem eſſe crederemus. Et dum inter edendum nos ambo ipſum ad ſtrenue edendum, ſi ſeruari cuperet, cohortaremur, ac laudaremus, reſpondit, ſe ideo comedere quod cibus ſibi placeret, alioqui inaniter nos noſtra iacturos verba. Fuit nocte illa R. Pat. Caniſius in iiſdem ædibus, veritus ne Staphyli obitus, ſequentem lucem præueniret. Quieuit nihilominus ita placide noſter infirmus, vt potuerit ſeruitio corporis & conſolatione ſimul animæ carere. Mane cum recta aſcendere dubitaré, fit mihi P. Caniſius obuiam, ſpem meliorem ſalutis de infirmo afferés, & ex illa hora res in melius ſtatim & continuata ſerie ſunt progreſſæ. *Claud. Richardus in Epiſt. ad Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Strigonienſem Archiepiſcopum, adiuncta Thomæ Iordani libro de peſte.*

MALACENSIS.

Lapis Bezar alium lapidem mihi in memoriam reuocauit, quem vnice venenis reſiſtentem in Malaca inueniri tradunt, ſaltem in Pam Regni Malacenſis prouincia. Inuenitur autem iſtic in felle Hiſtricis, ſed tanta eſt in æſtimatione apud ipſos indigenas, ob raritatem, vt è duobus, qui ſimul reperti meo tēpore fuerūt, alter pro ingenti munere miſſus ſit ei, qui pro Rege Luſitaniæ Indiam gubernat. Et licet iſtic frequens lapis Bezar inueniatur, hunc tamen longe præferūt incolæ. Vnum duntaxat vidiſſe memini cuius color dilutioris videbatur purpuræ, guſtu amaro tangenti leuis & lubricus, quemadmodum Gallicus ſapo.

Hactenus eius facultates experiri mihi non licuit. Sed Clariſſ. Vir & Inſignis Medicus Dimas Boſque Valentinus illas experimento comprobaſſe in duobus viris, qui venenum hauſerant, mihi affirmauit. Vulgari autem aqua (cum cordialis deeſſet & periculum eſſet in mora) hunc lapidem aliquandiu maceràuit: quam deinde ægris propinauit, qui illam guſtu amaram inuenerunt: attamen eorum ſtomachus roboratus eſt, & venenum nihil obfuit.

Multum certe huic viro debēt omnes Indici medici, quod huius lapidis facultates nobis aperuerit. Nam neceſſaria admodum ſunt hac in regione medicamenta, quæ venenis reſiſtunt, Alexipharmaca Græci appellant. *Garzias ab Horto, lib. 1. cap. 46. Aromat. hiſtoria.*

EX CORNIBVS EORVNDEMQVE poculis.

ASINI INDICI.

Sylueſtris Aſinos equis magnitudine non inferiores apud Indos naſci accepi, eoſque reliquo corpore albos, capite vero purpureo, oculiſque nigris eſſe, cornuque in fronte gerere; cuius ſuperius puniceum, inferius autem album, medium vero nigrum ſit. Atque non omnes quidem Indos, ſed potentiores, cum tanquam armillis quibuſdam brachia, ſic cornua certis ſpaciis auro ornarunt, ex his ipſis bibere ſolent. Ex hoc cornu bibentem ab inſanabilibus morbis tutum fieri, neq; eum ipſum conuulſionibus corripi, neq; facto morbo, neq; venenis vllis, ferunt. Quin etiā ſi quid prius peſtilens biberit, tum id vomere, tum ad ſanitatem redire. Adnectit multa alia & præſertim eorum carnes amariſſimas eſſe, & ob id non manducari. *Aelianus lib. 5. hiſt. variæ. c. 22.*

EQVI INDICI.

Ex equi indici cornu poculum factum, veneni noxam frangit. *Idem cap. 10. lib. 4.*

RHINOCEROTIS.

Audio ex nouis inſulis, Monocerotis nomine cornu adferri contra venena laudatum: quod quale ſit nondum reſciui, quærendum autem an ſit Rhinocerotis. Nam & veteres & recentiores quidam hunc cum Monocerote confundunt. Vires quidem, vtriuſq; cornibus prope eaſdem eſſe coniicio. *Geſnerus in Iconibus quadrupedum pag. 64.*

MONOCEROTIS.

COrnu vnicornis præcipue ex nouis inſulis allatum tritum & in aqua potum, mire facit contra venena: vt nuper experientia oſtendit in homine, qui a ſumto veneno, cum iam tumere inciperet hoc remedio reſtitutus eſt obſcur. Audiui & ipſe à viro fide digno, quod cum, à ceraſi eſu (venenatũ ſuſpicabantur) venter ei tumeret, medulla huius cornu è vino hauſta ilico ſanatus eſt. Ad comitialem laudatur à nonnullis hodie, vt ab Æliano quoque, qui hunc morbum ſacrum appellat. Sed veteres medendi vim attribuebant poculis ex hoc cornu factis, vino ex eis poto: nos quoniam pocula habere non poſſumus ſubſtantiam cornu propinamus, vel per ſe, vel cum aliis medicamentis. Ego feliciter aliquãdo tragæam, vt vocant, ex hoc cornu cum ſuccino, ſcobe eboris, foliis auri, corallio, & aliis quibuſdam exhibui, & craſſiuſcule contuſum cornu ſerico incluſum, in decoctum vuæ paſſę & cinnamomi, &c. in aquam conieci, non neglecta interim reliqua medendi ratione. Commendatur præterea à medicis noſtri ſæculi aduerſus peſtilentem febrem (vt Aloiſius Mandella ſcribit) aduerſus canis rabidi morſus & aliorum animalium ictus aut morſus virulentos, priuatim vero contra lumbricos & praua inde Symtomata pueris in ditiorum familiis datur: denique contra venena quęuis & multos grauiſſimos morbos. *Geſnerus. Hiſt. Animal. libr. 5. de Monocerote pag.* 785.

De Cornu vincornis antiquiſſimæ laudis, etiam in ſcripturis ſacris ſcribuntur prærogatiuæ, ad robur naturæ mirifice comparandum, vt venenum, etiamſi coram apponatur, ſudore reuelare traditum ſit. Quam ob rem & ex vino exhibitum comprobant, ex granis ex interiori eius medulla, vel raſura pro amuleto haberi. *Andreas Baccius lib. de Prolegomenis venenorum & Antidotorum pag. 61.*

CAMPHVRCH.

IN molucarum inſularum vna amphibium Crocodili inſtar viſitur animal, Camphurch dictum, magnitudine ceruam æquat, cornu geſtat in fronte mobile fere vt chriſta galli Indici, trium pedum & dimidii longitudine, haud vnquam humano brachio craſſius, pilo cinerei coloris, ceruix obueſtita ipſi eſt: palmas duas habet anſerinis ſimiles, quibus in aquis dulcibus ſalſiſque ad nandum vtitur. Pedes anteriores ceruinis ſunt affines, piſcibus viuit. Plerique ſibi perſuaſerunt id animal vnicornis ſpeciem eſſe: itaq; eius cornum aduerſum venena eſſe efficacem, Rex inſulæ eius fere nomine inſigniri gaudet, ſic enim alii reges ferarum piſcium aut fructuum tota regione ſua nobiliſſimorum nomen ſibi adoptant, vt narrat. *Theuetus Tom. 5. lib. 2. cap. 5.*

PYRASSOVPPI.

IN mari rubro ſecundum Arabiam nauigantibus, apparet inſula arabibus cademotha dicta, in cuius ea regione, quam plata flumen aluit, viſitur fera barbaris incolis Pyraſſouppi dicta, multo magnitudine par, capite haud abſimili, hirta tamen, vrſinis velut pilis veſtita, ſed haud adeo obſcuris, verũ ad flauum inclinantibus, biſulcis vt ceruus pedibus, duo procera capite, ſed minime arborea geſtat cornua vnicornium cornibus illis famatiſſimis affinia. Indigenæ enim, beſtiæ aut piſcis venenati dente demorſi, aqua epota, in qua ſex vel ſeptem dies eiuſmodi cornua demorſa & infuſa fuerint, ſtatim leuantur, & conualeſcunt, vt narrat *Theuetus in Coſmographia tom. 1. lib. cap. 5.*

EBVR FOSSILE.

LAminulis quibuſdã eboris foſſilis quæ natiuum æmulantur, ſed cruſta quadam candidiſſima inductæ ſunt, ante biennium à Raſſio noſtro omnium naturæ miraculorũ diligentiſſimo obſeruatore donatus ſum. In Italia erui hoc ebur intelligo & magno in vſu iſtic eſſe aduerſus virulentorum animalium morſus. *Cluſius annotat. ad c. 14. lib. 1. Garziæ ab Horto lit. e.*

CERVI.

VNicornum non reperiri in noſtris regionibus certiſſimus ſum, vna pars eſt è cornu putrefacto, altera ex oſſe. Pellunt autem iſta ad extremas corporis partes humores, & ſudores mouent. Ideo in affectionibus cordis (vt exiſtimant quidam) conferre videntur. Hæc autem vis etiam in cornu cerui conſpicitur. Ac credas mihi primas iſtas cuſpides in cornubus ceruinis contra venena plus prodeſſe, quã vulgare vnicornu, quod nihil aliud eſt, quam dens Elephanti, ſeu Ebur. *Crato ad Thomam Iordanum. Conſil. & Epiſt. lib. 4. pag. 426.*

Vnicornis ſupplet vices cornu cerui optime præparatum, albiſſimum, quo & adulterari vnicornis ſpecies, quæ circumferuntur, facillime vereor, infarcta ſubtili mangonio in cauitatem ſui vnicornis illa ceruini cornu medulla exactiſſime elaborata, quæ ſubinde eraſa vel infuſa poculis, ſimiles cum terra lemnia promittit præſtare vtilitates. *Andreas Baccius libr. de Prolegomenis venenorum & antidotor. pag. 61.*

EX HERBIS.

RVTA.

THeopompus Chius, veritatis Studioſus homo, & qui hiſtorias exacta inquiſitione magno pecuniarũ impendio perſcrutatus eſt, *libro trigeſimo octauo, Hiſtoriæ ſuæ* narrat Clearchum Heracleotarum, qui in Ponto ſunt, Tyrannũ, per vim necauiſſe multos palam, ac quamplurimos potu cicutæ per inſidias è medio ſuſtuliſſe: cum vero innotuiſſet omnibus propinãdi huius veneni amoris ſpecie ſæuus tyranni mos, priuſquam ex ædibus progrederentur, eſu rutæ ſibi cauiſſe. cuius præſidio nihil læduntur, vel qui Aconitum biberint, quod idem author ſic appellari ſcribit quia naſcantur in Aconis. Locus ſic quidam nominatur Heracleæ vicinus. *Athenæus Deipnoſoph libr. 3.*

GALEGA.

GRalegæ vis eſt maxima, non ſolum aduerſus lethalia venena, verum etiam aduerſus ferarum omnium venenatos tum ictus, tum morſus, ſucco in ſe poto vel herba Emplaſtri modo vulneratis partibus impoſita. Quare Veneti Pharmacopæi inquit Pœna, atque circulatorum ille fex, qui viperas ſtipis colligendæ cauſa circumferunt, ſimul atque demorſi ſunt, nihil certius hac aut præſtantius habent, eadem magis freti quam decantatis illis Theriacis.

Lacerta à vipera læſa herbam quandam, quæ in Italia graliga vel gralega, dicitur, comedens vires recuperat, quod equidem caſu obſeruatum conſtat, vt mihi à quodam Bononienſi medico fide digno, cum in alma Bononienſi academia admodum celebri ſtudii cauſa agerem relatum eſt: quam quidem hiſtoriam non minus vtilem, quam lepidam hic referam. Senex quidam, quondam circa fluminis ripam deambulans, forte fortuna videns lacertam cum vipera dimicantem, humi ſeſe proſtrauit, vt pūgnam aptius, beſtiis non animaduertentibus ſpecularetur. Lacerta vtpote viribus infirmior ictu validiſſimo à vipera ſauciatur, adeo vt moribunda pedibus ceſpitaret: verum paululum ad ſe rediens, per gramen longiuſculum, vipera non vidente, lacerta repſit per ripam fluminis ad herbam quandam in proximo ibi creſcentem, qua equidem deuorata, vires ex tempore priſtinas recuperauit, atque denuo ad viperam conuertens, eandem, non aliter, quam antea adoritur. Sed vulneratur rurſum à vipera, ictu non minus lethali vt prius. Mox lacerta denuo ad hanc herbam clam digreditur, vt viribus recuperatis atque refectis cum hoſte capitali rurſum congrederetur. Sed fruſtra: eodem enim modo, vtpote vipera longe inferior quo antea, excipitur, Animaduertens autē ſenex non minus herbam ipſam quam pugnam, demirabatur, & vt periculum faceret, vtrum herba tales vires occultas & ſublatentes in ſe complecteretur, eandem clanculo dum lacerta iterum cum vipera pugnaret radicibus euellit. Lacerta denuo ſaucia, ad herbam redit: quam cum in loco conſueto non inueniret, ſtatim occubuit: atque expirauit. Senex vero huius herbæ vim expertus, medicis ea quæ viderat narrauit. Eſt ea non ſolum Bononiæ, verum etiam in Italia officinis ſatis nota, contra venenum, vermes, & peſtem celebratur: forte veterib. incognita, quanquā nonnulli hanc Galegam appellant, cuius fit mentio *in Pandectis ſub finem. Foreſtus lib. 2. de incerto vrinarum iudicio.* Huc transfer hiſtoriam *doctiſſ. V. Pet. Spehrerii ſupra expoſitam, de bubulco aſpidis veneno infecto, & rutæ caprariæ ſucco curato. obſeru. 99. p. 217.*

FAALIM.

Helenio, foliis præſertim, ſimilis eſt herba, quæ Faalim vernacula lingua nuncupatur in Mombare inſula, olerum optimorum & ſimplicium medicamentorum omnis generis feraciſſima, atq; eorum potiſſimum, quæ venenis ſerpentium omnium quibus regio hæc abundat, aduerſantur. Huius herbæ experimentum vidi in duobus commorſis, à ſerpente partim in aquis, partim in terra degente, quā illic Alefa vocant, cuius morſus adeo lethalis eſt, vt niſi ſtatim ſuccus huius herbæ admoueatur, neceſſe ſit hominem interire. *Theuetus Coſmograph. T. 1. lib. 4. cap. 4.*

SCORZONERA.

Hirci barbæ congener eſt herba, quam Scorzoneram, aut Scurzunetam appellat Hiſpania, quod latine viperinam, ſiue viperariam, aut Serpentariam ſonat: ſic dicta, quod contra venena viperarum ac ſerpentum efficax habeatur: nam Hiſpani Viperam ſcurzo vocant. Noua hæc eſt planta, vt refert *Matthiolus*, inuenta primum in Catalonia Hiſpaniæ à quodam ſeruo Aphro, à Ceruero Leridano viro nobili pretio emto. Cum enim quidam meſſores in agro à viperis demorſi fuiſſent, is qui in Africa plantam iſtam nouerat, propinato eius ſucco incolumes ſeruabat omnes, quotquot demorſi fuiſſent. Sed nemini plantam oſtendebat, ne lucro defraudaretur. Tandem cum vafri homines locum obſeruaſſent ex quo plantam deferebat, illuc profecti eā nacti ſunt, inuentis nuper reſciſſæ herbæ reliquiis. Ea eruta, factoque ipſius periculo, euulgata res eſt & Scorzoneram appellarunt. Flos in Hiſpania Maio menſe prodit, in Germania ſerius, Iunio videlicet ac Iulio menſibus. Foliorum aut radicis ſuccus datur præſentaneo remedio potandus aduerſus Viperarum cæterorumque venenatorum animalium ictus. *Matthiolus.*

CARDVVS BENEDICTVS.

Carduus Benedictus, præſtat maxime contra peſtilentiam, item aduerſus venena lethalia, tam interius ſumta, quam venenoſorum animaliū morſibus illita. *Idem in epitome.*

EX FRVCTIBVS.

Malum Citrium.

Sumtum Citrium ante quoduis alimentum, ſiccum pariter & humidum, omnibus venenis reſiſtere, ego ſatis noui à meo ciue id edoctus, cui Ægypti mandata fuerat adminiſtratio. In maleficio deprehenſos quoſdam ille ad ſerpentum morſus damnauerat, quos oportebat omnibus eiuſmodi beſtiis lacerandos obiici. Productis illis & ad Theatrum euntibus deſtinatum. Latronum ſupplicio, in via forte caupona quædam miſericordia commota, quod in manibus tum habebat, & rodebat, malum citrium dedit: acceptum vero illi comederunt, & paulo poſt ingentib. & ferociſſimis anguibus oblati, commorſique ab aſpidibus, nihil læſi ſunt, hæſitabundo & attonito iudice, qui tandem cum illorum cuſtodē militē interrogaſſet, num quid bibiſſent, vt id comperit, ꝙ acciderat, nimirum abſq; dolo citriū illis traditū fuiſſe poſtridie alteri rurſus dare iuſſit, alteri minime, percuſſus hic cōfeſtim periit, illæſo altero qui, citriū comederat. Indeque multis id expertis cognitum eſt citrium aduerſari venenis omnibus. Quod ſi quis citrium integrum, & quale natura eſt, cum ſemine in attico melle coquat, donec liquatum tabeſcat, & eius liquoris matutino tres quatuorue digitos ſumat, tutus erit à venenatis omnibus medicamentis. *Athenæus Deipnoſ. libro tertio.*

Eaſdem mali medici vires *Vergilius. Georg. 2.* quoque celebrauit, & faciem arboris depinxit his verſibus.

Media fert triſtes ſuccos, tardumq́; ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſeuæ infecere nouercæ,
Miſcueruntq́; herbas, & non innoxia verba.
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, faciemq́; ſimillima Lauro:
Et, ſi non alium late iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprime tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Cotoneum Malum.

PHilarchus *libro ſexto hiſtoriarum* narrat, lethalium medicamentorum vim, odoris ſui iucunditate à malis Cydoniis hebetari, Phariacumque venenum iniectum caniſtro, adhuc olente cydonia mala in eo repoſita, euanidum factum maleficam facultatē ſuam amiſiſſe, itaq; mixtum & in potu exhibitū quibus inſidia ſtruebantur, nihil attuliſſe noxę, cauſamque poſtea eius rei cognitam fuiſſe illius inquiſitione & inueſtigatione qui vendiderat. Comperit enim hoc accidiſſe propterea, quod condita in eo calatho mala fuiſſent. *Athenæus Deipnoſop.lib.3.*

EX RADICIBVS.

Antora.

PRæſtant radices Antoræ ad epotum napellum, & ad cætera quæcunque venena: quin etiam ad viperarum & cæterorum ſerpentium ictus. *Matthiolus in Epitome.*

Contrayerua.

EX Charicis prouincia Peruana, radices quædam aduehuntur Iridis radicibus valde ſimiles, ſed minores & ficulnei folii odore.

Hiſpani Indias inhabitantes Contrayerua appellant, quaſi dicas alexipharmacum, quoniam earum puluis ex albo vino ſumtus, aduerſus omne venenū cuiuſcunque tandem ſit generis præſentiſſimum eſt remedium (vno ſublimato excepto, quod ſola lactis potione exſtinguitur) vomitione illud reiicere faciens, aut per ſudores euacuās. Sed & amatoria pocula, eo puluere hauſto, educi ferunt. Ventris etiam animalia pellit. *Nicol. Monardis lib.5.& 2, de ſimpl. medicament. ex nouo orbe delatis.*

Moringa.

MORINGÆ Arboris radicibus vnicornū & lapidis Bezar vices ſupplet, veráque Theriaca eſt, qua vulgo incolæ vtuntur, cum aduerſus omnis generis venena, tum morſus ſerpentium maxime noxiorum vulgo Culebras de Capillo, dictorum, aliorumque inſectorum, & virulentorum animalium, cum intro ſumtā, tum foris applicata. *Chriſtoph. à Coſta, lib. aromat. cap. de Moringa.*

Drakena.

DRAKENÆ radicem author eſt M. Eliot qui Domino DRAKE comes fuit Hiſpanos in Peru maximo in pretio habere, nec pretio redimi poſſe ſe ab iiſque didiciſſe, folia præſens venenum eſſe, ipſam autem non modo illius, ſed reliquorum etiam venenorum antidotum eſſe, atque cor & vitales facultates roborare, ſi pollinis modo trita, mane ex pauxillo vino albo hauriatur; ex aqua vero febris ardores mitigare. *Cluſius in deſcript. nonnullarum ſtirpium editarum cum notis ad Garziam.*

Ex lignis, Colubrinum.

LIGNVM colubrinum, ſeu potius Radix aduerſus animalium virus eiaculantium morſus ictibusve prodeſſe, hoc modo probatum eſt. In Zeilan inſula, ſerpentis genus eſt coronatū, ſeu Diademate inſignitum (Luſitani cobras de capelo; nos regulum dicere poſſumus) maxime noxium. Eſt item animalis genus magnitudine viuerræ huic ſerpenti inimiciſſimum. Quil vel quirpele vocant. Quotieſcunque cum ſerpente congreſſurum eſt animalculum, iſtam radicem (quæ multa iſtic naſcitur) ea parte præmordet, qua denudata eſt: etenim pars aliqua extra ſolum prominet. Præmorſa radice pedibus anterioribus ſaliua conſperſis caput primum, deinde reliquum corpus ſibi demulcet: poſtea ſerpentem aggreditur, nec eum dimittit donec occiderit. Quod ſi illo congreſſu ſerpentem vincere non poteſt, denuo ad radicem confugit, ad quam ſe fricat, deinde in prælium redit atque ita morſu ſerpentem necat. Hoc ſpectaculo edocti Chingalæ (ij ſunt Zeilam incolæ) hanc radicem venenis reſiſtere didicerunt.

Huiuſmodi pugnarum ſpectatores plerique fuerunt Luſitani. Nam ſolent domi alere ſimilia animalcula, tum ad mures extirpandos, quos acerrime perſequuntur, tum vt cum ſerpentibus regulis prælientur, quos circumferre ſolent circumforanei quidam, Iogues appellant ſtipem emendicantes & cineribus ſe aſpergentes, vt hac ratione venerandos ſeſe ſanctimoniæ titulo vulgo præbeant. Circūeunt iſti omnes regiones & nonnulli ex eis Circulatorum munere funguntur, geſtantque ſerpentes regulos, quos demulcere ſolent, & collo aptare, (prius tamen exemptis dentibus) vulgo perſuadentes eos ſe incantaſſe, ne nocere poſſint. Interdum vero ſerpentes quos etiam habent integros, quibus non ſunt exemti dentes, accepto præmio, cum iis, quas dixi, viuerris ſiue alio ſimili animalculo, committere ſolent. *Garzias ab Horto libro primo cap.44.*

Molucenſe.

LIgnum molucenſe, intus ſumtum, aut foris appoſitum, omnibus venenis reſiſtit. Intro aſſumitur magno commodo, ex aqua roſacea vel vulgari auiumque iuſculo, eius pulueris apta quantitas, pro neceſſitate; & ægri natura, modo decem grana non excedat, ſed infra id pondus conſiſtat; ad viperarum, Regulorum (qui ſerpentes pileati appellantur & admodum noxii ſunt) aliorumque ſimilium aſpidum & ſerpentum morſus, bibitur hic puluis ex aqua; ipſiſque morſibus inſpergitur. Eadem ratione præbent in vulneribus, quæ à ſagittis toxico illitis facta ſunt, quibus illius regionis incolæ plurimum vtuntur. *Chriſtophorus à Coſta, libr. aromatum.*

Ex Fungis, Fungus ceruinus.

AFfirmant valere ceruinum fungum ad epota venena ex mero hauſtum, quin etiam ad venenoſorum omnium morſum non modo potum, ſed etiam illitum, excalfacere hunc ex odoris graueolentia quiſpiam facile iudicabit. *Matthiolus lib. 3. epiſtolar. medicinal. epiſt. vlt.*

Fungum, quem boletum ceruinum vocant, è ſemine eius animalis genitali ortum à capellis ſcalpendo effoſſa, terra deprehenſum, magnis exornant elogiis. Sane reperti ſunt iis locis vbi ab hominum memoria nullus vnquam viſus eſt ceruus. Ad Trenzinium nobile Hungariæ oppidum circum Carpathii iuga frequentiſſimus montuoſis locis, ſiluis opa-

ois,

cis,vbi licet ceruos reperias, non tamen eorum tanta copia, quæ plauſtris fungorum ſatisfaceret, ſiquidem vera cenſenda quæ de eius generatione ſcribuntur.Inter tubera ſatius fuiſſet collocare,& ſi refragari poſſit, viroſus odor, qui neque in tuberibus adeo ſuauis potiſſimum, cùm ambo veneri extimulandæ opitulari dicantur. Ex eo quibuſdam antidotus paratur. Terũt lamellas ſiue bracteas àuri plures, marmore,pluuea aqua prius madefactas,ceu roris modo aſperſas.Deinde extrahunt ſpiritum vini cum Zuccaro Candi, per tartarum calcinatum. Aurũ tritum, quintæ huic eſſentiæ vini permiſcetur,& alembico committitur. Eo qui tranſcẽdit liquore,imbutus fungus ceruinus digitis exprimitur (alii trituratum mergunt, & torculari exprimunt) rurſus maceratur, denuo exprimitur toties, donec vis vniuerſa è fungo extracta appareat, eam expreſſionem drachmæ pondere in aqua Cardui peſtilentia correptis exhibent. Fecem ſiue reſidentiam, non quidem fungi, ſed tartari,quinque granorum pondere aluum mitiſſime ſoluere dicunt. *Iordanus,de peſt.phœn.tract.3.cap.9.*

DE COMPOSITIS ALEXIPHARmacis & Antidotis.

Antidotus probatiſſima contra venena Matthioli.

NE aliquod præſtans antidotum deſideretur,me probi,ac fidelis medici munere functum exiſtimauerim,ſi quædam antidota mihi longo labore comparata,magni ad venena momenti, deſcripſero quæ non modo iis, quæ per os aſſumuntur, ſed etiã iis,quæ animalium morſu, vel ictu eliciuntur,ſummo ac præſentaneo fuiſſe remedio comperi. Licet autem hac ætate rari admodum habeantur medici, qui ſua pãdere arcana velint, ſi quod nacti ſunt pulchrum & ſingulare auxilium,tamen cum mihi conſilium ab initio fuerit,mea opera, quantulacunq; ſit omnibus generatim prodeſſe, alienum quidẽ inhumanumq; foret,ſi modo vel inuidia vel auaritia cõpulſus, aliquid ſilentio inuoluerem, quod in arte medica vſui futurum putem.Primum igitur antidotum,cuius admirãdas in venena vires ſæpius expertus ſum,hoc modo conficitur.Recipit enim rhabarbari,raponthici ex Ponto aduecti,radicis phu,acori quem falſo calamum odoratum vocãt,cyperi,quinque folii, tormentillæ, ariſtolochiæ rotundæ, pæoniæ,helenii,coſti,iridis,Illyricæ,chamæleontis albi, cuiuſq; drachmas tres. Item galangæ, imperatoriæ, dictamni albi,angelicæ, millefolii, filipendulæ, Zedoariæ,gingiberis ſingulorum drachmas duas: agarici drachmas tres:libanotidis maris,gentianæ,morſus diaboli ſic herbariis dicti, cuiuſq; drachmas duas & ſemis. Ad hæc ſeminis citrei mali, viticis, cocci infectorii,fraxini,oxalidis,paſtinacę ſylueſtris,napi, pigellæ, pæoniæ, ocimi, irionis, thlaſpis, fœniculi, ammi,ſingulorum drachmas duas præterea baccarum lauri,& iuniperi,hederæ aſperæ,ſmilacis,cubebæ,ſingulorum ſeſquidrachmam: foliorum ſcordii, chamædryos,chamæpityos,centaurii minoris, ſtœchadis,nardi celtici calaminthæ, ruthæ, mentæ, betonicæ, verbenacæ, ſcabioſæ, cardui benedicti,meliſſophylli,ſingulorum ſeſquidrachmam, dictamni Cretenſis drachmas tres, ſampſuchi, hyperici,iunci odorati, marrubii, galegæ, ſabinæ, pimpinellæ,cuiuſque drachmas duas.caricarum,nucum iuglandium,piſtaciorum,ſingulorum vncias tres: myro bolanorum empelicorum drachmas quatuor. Florum vtriuſq; bugloſſi, roſarum, lauandulæ,ſaluiæ, roriſmarini coronarii,cuiuſque ſcrupulos quatuor:croci drachmas tres. Caſſiæ odoratæ, quam hodie cinamomum vocant, drachmas decem. Caryophillorum,nucis myriſticæ, macis, ſingulorum drachmas duas & ſemis. Piperis nigri ac longi, ſantalorum omnium, agallochi, ſingulorum ſeſquidrachmam. Cornu cerui crudi drachmas quatuor: vnicorni drachmam vnam.Oſſis cordis ceruini,ramentorum eboris,virgæ ceruinæ, caſtorii, ſingulorum ſcrupulos quatuor:terræLemnię drachmas tres:opii ſeſqui drachmam,margaritarum orientalium, ramentorũ ſmaragdi,hyacinthi,coralli rubri,ſingulorum ſeſqui drachmam:caphurę drachmas duas, maſtiches,thuris,ſtyracis,myrrhæ,gummi Arabici, reſinæ Therebinthinæ, ſagepeni, opopanacis, laſerpitii ſingulorum drachmas duas & ſemis,moſchi odorati,ambari cuiuſque drachmam: olei è chalcantho confecti vnciam mediam, Pulueris cordialis temperati,diamargariti, diamoſchi,diambari, electuarii è gemmis, paſtillorum caphuræ,ſcillæ, ſingulorum drachmas duas & ſemis: paſtillorum viperæ vncias duas. Succi oxalidis,ſonchi,ſcordii, echii,bugloſſi, meliſſophylli,ſingulorum ſelibram: hypociſtidis drachmas duas,Theriacæ electæ, Mithridatii optimi, cuiuſque vncias ſex. Vini veteris albi odorati, libras tres: ſacchari è Medera inſula, vel optimi mellis libras octo & vncias ſex.Ex omnibus his ſumma diligentia & ratione inquiſitis, atque ſelectis fiat electuarium, eo modo quo theriaca, aut Mithridatii antidotum conficiuntur. Sumendi quantitas eſt à drach.j.vſque ad tres pro ætate,& conſtitutione patientis.Atque ita omnibus perſuadere poteris, antidotum hoc non ſolum præſtantiſſimum eſſe,(vt antè diximus)contra omnia venena,quæ per os ſumũtur, itemque aduerſus ea, quæ morſu vel ictu relinquuntur,verum etiam in peſtilentia, cui mirifice opitulatur, quotidie aſſumtum, & præcipue ad præſeruandos ſanos.At ſi cui in animo fuerit,vt præſentaneum adferat auxilium, hęc faciat oportet. Antidoti pręſcripti libram accipiat, libram item ſyrupi è citrei mali cortice parati; & libras quinque aquę vitę vocatę, ex optimo odoratoque vino confectę, totieſque vitreis organis repurgatę, vt quintę eſſentiæ ſpeciem præ ſe ferat. Deinde omnia hæc in vas vitreum iniiciat duplæ à rebus inditis capacitatis, poſtea vaſis ore ita obturato,vt nullus ſpirandi meatus relinquatur, magna cum dexteritate aquam in vaſe cum electuario tandiu agitet,donec totum diſſoluatur. Atque tum vas, ore cera, vel pice obducto,in menſem integrum reponat.Quod tamen bis in hebdomada agitari conuenit eo modo, quo antea dictum eſt: fit enim vt electuarium facile reſidat in fundo,ſi dimittatur. Exacto denique menſe claram aquam aureoque colore nitentem, electuario ſupernatare inueniet, & quæ iam omnem illius vim in ſe contraxerit. Tum itaq; vas ipſum aperiat, & in vas alud item vitreũ lympidam aquam paulatim effundat,cuius os cum cera,& membrana accuratiſſime obturat. Nam ſi illud diei ſpatio apertum

ſineret,

ſineret, omnis concluſa aqua in auram euaneſceret. Tanta hæc aqua virtute pollet (quod millies expertus ſum) vt quatuor drachmarum pondere pota vel per ſe, vel cum pari odorati vini quantitate, vel ſtillatitiæ cuiuſuis aquæ ad cordis robur facientis, vbi quis ictus, vel demorſus à quocunque venenato animali, in tanto mortis diſcrimine verſaretur, vt vocem, viſum, ac reliquos fere ſenſus amiſiſſet, ægrum ingenti adſtantium admiratione à longo veluti ſomno excitat. Quin & vomitione plerunque plurimam infectorum humorum copiam exhaurit. Cuius rei exemplo (præter alia innumera) nuper mihi fuit præfecti oppidi Vipaci vxor, quam à vipera in dextra manu demorſam, & iam iam de naulo rationem cum charonte inituram, hęc aqua in vitam à morte reuocauit. Id quod etiam paulò poſt contigit cuidam miſeræ ſclauæ ab alia non diſſimili vipera in manu demorſæ. Hæc idem ſimiliter præſtat contra venena, quæ per os ſumuntur: ſiquidem ea adeo tenuis eſſentiæ, efficax, & penetrans eſt, vt momento vi ſua in omnes corporis venas permeet. Quin & eoſdem præbet effectus in alios quamplurimos morbos, quos, breuitati ſtudens, prætereo: quandoquidem prudentes, & periti medici, habita huiuſce virium exacta ratione, eam adhibere poterunt, vbi legitime conuenire cenſebunt. *Matthiolus in præfat. ad librum 6. Dioſc.*

MATTHIOLI SEV GREGORII CARAVITÆ oleum aduerſus venena compertiſsimi vſus.

ANtidotum alterum generoſum pariter & ſingulare, oleum illud eſt. Id pulſibus extrinſecus patientibus illitum, nempe temporũ, manuum, ac pedum, quinetiam extimæ cordis parti ad ſiniſtram mammillam, repetita alternis tribus horis illinitione, efficaciſſime occurrit omnibus venenis per os ſumtis, quę tamen ex erodentium genere non fuerint. Similiter viperarum, aſpidum, & cuiuſcunque denique venenati animalis morſibus ſingulari auxilio eſt, vt in proceſſu latius explicabimus. Vt autem omnes intelligant, quam maximum ſit in me iuuandæ poſteritatis ſtudium, modum, quo illud conficitur, hic deſcribere non grauabor. Sumantur itaque ineunte menſe Maio, quo tempore confici debet, olei communis centum annorum, ſin minus ſui temporis vetuſtiſſimi libræ iij. foliorum hyperici virentis manipuli tres. Oleum in vas vitreum duplæ à contento capacitatis, imponatur, in hypericum aliquantulum antea contuſum infundatur. Deinde vas cera, & membrana obturetur, & medium in tenuiſſimam arenam condatur, loco vbi tota die inſolari poſſit, atque inibi ſinatur ad decimũ, vel duodecimum diem vſque. Quo exacto tempore mergatur vas in calentis aquæ balneo ad viginti quatuor horas: mox oleum ab herba exprimatur. Hoc facto ſumatur hyperici, chamedrios, calaminthæ, cardui benedicti, ſingulorum manipulus. Quæ omnia prius diligenter contuſa oleo admiſceantur, ac ſubinde vas in prædictum mergatur balneum tribus continuis diebus. Extrahatur deinde, & ab incoctis herbis exprimatur. Poſthæc accipiantur florum hiperici manipuli tres, quia cauli- bus probe repurgati, & contuſi in prædictum oleum infundantur, ac in idem balneum per triduum reponantur. Poſt idem tempus eximantur, & vt prius exprimantur. Idem fiat ter, aut quater, vſque dum oleum ſanguineum colorem referat. His peractis ſumatur hypericum, quod iam defloruerit, & ab eius cacumine grana illa viridia excerpantur, quæ hordeaceis granis ſimilia deprehenduntur, in quibus ſemen continetur. Ex iis itaque tres confertim manipuli decerpantur: qui poſtea tuſi, & vino meraco albo aliquantulum perfuſi in oleum prædictum infundantur, & cum eodem vitro, in arena ſepulto, octo diebus continuis inſolentur. Quo tempore tranſacto, tridui ſpatio in balneum immittantur, poſt colentur, & modo prædicto exprimantur: tertio, aut quarto ſimiliter dictum ſemen in oleo macerari debet, donec id obſcuri ſanguinis colorem repræſentet. Ad hæc ſumatur ſcordii recentis, calaminthæ, centaurii minoris, cardui benedicti, verbenacę, dictamni cretenſis, ſingulorũ medius manipulus: tundantur omnia, mergantur in oleum prædictum, & vas in balneum iterum imponatur per biduum continuum, deinde colentur, & exprimantur, vt ſupra. Poſtea ſumantur Zedoariæ, radicum dictamni albi, gentianæ, tormentillæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum drachma, ſcordii manipulus. Tundantur item omnia, infundantur, & immittantur in balneum, ibique permaneant tribus diebus continuis: colentur deinde, & exprimãtur. Infundantur denuo Styracis calamiti, Laſatis, cuiuſque drachmæ ſex, baccarum iuniperi drachmæ quatuor, melanthii drachmæ duæ, caſſiæ odoratæ (cinnamomum officinæ vocant) drachmæ nouem: iunci odorati, cyperi, ſingulorũ ſeſqui drachma: ſantalorum alborum ſemuncia. Tundantur omnia (vt pluries dictum eſt) & in idem oleum infundantur, & per triduum continuum in balneum macerentur, demum colentur, & exprimantur modo quo ante dictum eſt. Poſtremo adſint oportet trecenti Scorpiones viui diebus canicularibus collecti. Ii in vaſe vitreo concluſi, cineribus calidis ſuperponantur, & cum eos præ calore ſudare, atque iraſci conſtet, omne iam dictum oleum calidum ſuperiniiciatur. Sed aduertendum eſt, ne id adeo feruens ſit, vt vas diſrumpat, obturato ſtatim vaſis ore in balneum tribus continuis diebus contineatur: deinde coletur, & exprimatur. Proiectis interea ſcorpionibus, rurſum in oleum infundantur rhabarbari laudatiſſimi, myrrhæ communis vſus, aloes hepaticæ, ſingulorum drachmæ tres, nardi Indici drachmæ duæ, croci drachma vna, theriacæ electæ, electique Mithridatii, cuiuſque ſemuncia. Quæ ex his tudenda ſunt, terantur, mox vltimo infundantur in oleum, quod per triduum continuum contineatur in balneo. Quo facto, oleum non amplius percoletur, ſed deinceps recondatur, perinde ac opobalſamum. Quippe quod morandum ſit, remedium ad iam dicta venena, & præcipue contra napellum, quo infecti fuere, vt experimentum fieret. Cæſi illi duo viarum obſeſſores, quorum hiſtoriam ſupra retulimus aconiti mentione: ad cuius lectionem, ne idem bis repetamus, eos reiicimus, qui eius deſiderio capiuntur. *Idem in præfatione ad eundem lib.*

CARDANI ADVERSVS VENENA *Antidoti nobiles.*

EX alexipharmacis extra quidem eſt noſtrum huiuſmodi: Recipe olei expreſſi è ſemine iuniperi & napi libram vnam, rutæ montanæ, hypericonis iam ſemen concipientis, ſingulorum manu quãtum bis poteſt capi: contundantur, & per decem dies in ardenti ſole cum oleo exponantur, inde expreſſis ruta & hypericone, denuo tantundem: tertio addatur eadem ratione: poſt viuaces Scorpii, magnique in eodem numero centum extinguantur. His addantur olei è floribus verbaſci & ſambuci facti in ſole, ſingulorum vnciæ duæ, croci orientalis vnciæ dimidium. *Hieronym. Cardanus lib. 3. de venenis, cap. 3.*

Haud ab re eſſe puto illud quærere: quoniam pacto oleum parari poſſit, quod illitum arteriis cogat venenum extrudi vomitu, aut purgatione, vel ſudore, vel vrina. Certum eſt metallicum eſſe oportere, quod validiſſimum eſſe debet. Vidi ego quandoque tale, & ſolo pondere quod eſſet metallicum haud dubie cõiectaui. Oportet & ex veneni natura illud eſſe, nam immodica caliditate, vt dictum eſt, delet prius cõceptam malam vim: & ſimilitudine auocat exterius quod nocet, & contrarietate pellit. Oportet & diſcutientem illi nõ paruam ineſſe vim, & rurſus aduerſus venena ipſa cõtrarietatem quandam, quæ duo laſeris ſucco conueniunt. Igitur quæ propellere venenum debent, metallica eſſe venena neceſſe eſt, non tamen acerbiſſima & calidiſſima & diſcutientia, & venenis quodammodo contraria. Horum igitur materia his conſtare poteſt, Myſi & auripigmento, & laſeris ſucco, & gentiana, & pinguedine ſerpentum venenoſorum, & aconito: quod ſi cuipiam terræ ex his plura inſint, detractum oleum vi ignis omnium erit præſtantiſſimum, ſecuriſſimum, & quod vomitum deiicit. In vniuerſum autem metallica eſſe oportet, quæ valida ſunt, & quæ illinuntur. Indicio vero terra eſt, quam circulatores deferunt, ex Melitea inſula aduerſus ſerpentum morſus ictusve: licet quidam expertos dicant eſſe oleum, quod fit è ſcorpionibus & ſulphure, nec non chamæleа, hypericoque liberare à venenis illitum. Ac peſte accipiũt autem Scorpios viuaces prægrandeſque caniculæ tempore: nam tunc hoc animal eſt ſicciſſimum, vt reliqua etiam omnia. Siccitate autem venenum, vt docebimus, in ſerpentibus conſtat. Excalefaciunt igitur illos in ſartagine igni ſuperpoſita donec ſudent, atque ſic oleum ſuperfuſum ſudorem illorum combibit. Sed & in hoc oleo ſulphuris metallicum eſt. Si igitur ex Melitea illa terra oleum excipiatur: abunde videtur aduerſus pleraque venena ſufficere: quoniam metallica oportet eſſe, & veneno prædita, quæ venenis aduerſantur. Quod enim purgat venenum, quaſi ſubſtantia eſſe oportet: vt rhabarbarum cum bilem non purgat, in illam vertitur. Hoc autem eſt ſubſtantiæ tale eſſe, quod in id poteſt conuerti. At vero dubitabit aliquis, quoniam pacto ſola arteriarum illitione liceat venenum extrudere? & an hoc ſit præſtantiſſimum? Hercules non dixerim præſtantiſſimum hoc ſenſu, vt etiam ſi præter id des in potu aut Theriacam, aut lac, aut ſuccum vomicæ nucis igne decerptum (hic aquam colore, non odore vel ſapore, imitatur) vel aliud ſi quid habes melius, vt quod forſan quidam circulator aduerſus venena vendebat antidotum dum hæc emendarem, quin etiam melius proficeret. Illud bene auſim dicere, illitionem arteriarum & admota exterius, eſſe his quæ bibuntur præſtantiora ac validiora: hoc vno duntaxat excepto, quod venenum adhuc in ventriculo maneat. Nam his quæ vomitum validum prouocant, lac, lixiuium, oleum, aqua nucis vomicæ, quam modo ſuccum diximus, præſtantiſſima ſunt. Igitur in morſibus venenatis, in aculeorum ictibus, in vnguentis venenoſis, in potu veneni, quod ita ad præcordia penetrauerit, exterius adhibita auxilia validiora ſunt. *Cardanus de ſubtilit. lib. 2.*

ANTIDOTVS MOIBANI *ſeu Saxonica.*

ADmonet me hic locus nobiliſſimæ antidoti noſtro ſeculo cognitæ, & multis experimentis comprobatæ: quam ego à Moibano meo cognominare ſoleo, vt, quoniam ab illo primum accepi ſingularis eius in me beneuolentiæ argumento, hanc veluti gratitudinem ei referam, & poſteritati celeberrima antidotus ſub nomine eius innoteſcat. Quanquam enim initio tanquam ſecretiſſimum & occultandum medicamentum communicauit, poſt ea tamen, vt ſi liberet, etiam publicarem, permiſit. Epiſtolæ eius ad me verba hæc ſunt: Apud Electorem Saxoniæ Ducem audio non ita pridem inclaruiſſe hanc antidotum, oſtentationibus prodigioſis fere cuiuſdam ruſtici, qui deuoratis tum ſerpentibus variis, tum rubetis, quotieſcunque ſpecimen de antidoti viribus edere voluit, huius beneficio ab omni læſione vindicatus ſemper euaſit: donatus tandem ab Electore honeſto ac liberali præmio, ea cõditione, vt porro præter Electorem compoſitionis rationem doceret neminem. Solis enim principibus Elector dignam reabatur auxilii tam præſentis cognitionem: præſertim: cum illo vtendi neceſſitas in ipſos facilius principes, quam vulgares homines, incidat. in auro enim venenum bibitur, vt inquit Tragicus. Rec. autem antidotus medicamenta hæc: Radicum valerianæ ſemunciam. Vincetoxici, id eſt, Hirundinariæ Germanis dictæ: vrticarum (minorũ) quas Heutternеſſel / Germani vocant (harum quidem radices inutiles videntur cum æſtiua ſit herba, ego cum pararem radices maiorum accepi) ana vnciam vnam. Polypodii de quercu altheæ, angelicæ ſylueſtris, ana vncias duas. Angelicæ (ſatiuæ) recentis vncias quatuor. Corticum radicũ laureolæ Germanicæ, quam Kellershalß appellant, vnciam vnam ſemis. Radices hæ omnes effodiendæ ſunt eo tempore, quod quintum decimum Auguſti & octauum Septembris intercedit: quamuis ego, inquit, tardius effodi, & probam tamẽ expertus ſum antidotum. Deinde inciſæ reponantur in ollam vitreatam, affuſo aceto acerrimo, quod duobus digitis radices excedat. Tum olla operculo clauſa, rimæ omnes albo oui cum farina ſubactæ diligenter oblinantur. Et ſic in olla ad lentum ignem leuiter omna bulliant. Poſtea olla operta, abiecto quod redundat aceto, (niſi ex illo forte ſyrupum adiecto melle, ad alios vſus commodum, vt non fecimus, parare libeat) radices

radices exiccentur, quoad teri poſſint. Denique cõtritis omnibus addantur acini herbæ paris dictæ (nos ſolanum tetraphyllum vocamus) numero viginti ſex, & fiat puluis: cuius drachma vna (adultis & validis, aliis enim minor doſis ſufficiet, ſcrupuli duo, vel drachmæ dimidium) è vino albo propinatur. Hæc Moibanus ad me, qui etiam in cane ſe expertum huius remedii vim teſtatur cui dederit arſenici ſcrupulos duos cum ſcrupulo nucis metel, & aliquot granis Mercurii ſublimati: data deinceps ſtatim etiam audito. Apparuit autem (inquit) ex veneno ſtatim cõuulſorium quiddam; vel ſingultum referens, ventriculi canini accidens: quod iniecto medicamento, mox ſedabatur: pauloque poſt totum venenum vomitu reiectum eſt: atque ita morte liberatus canis euaſit. Eiuſdem antidoti portionem mihi cum donaſſet Moibanus, pharmacopolæ dedi, quod & ipſe periculum in cane faceret: cui ille arſenici rubri drachmã dedit cum ſcrupulo ſublimati, in parte farciminis, quam canis deuorauit: & poſtea antidotum quoque è iure pingui, vnde aliquando poſt vomuit, euaſit. Alibi etiam alii tum in canibus, exhibito eis veneno: cum hominibus: quos venenum ſumſiſſe conſtabat, ſimilem, (vt audio) ſucceſſum repererunt. Ego domi antidotum ſeruo, quarta ſolum parte deſcriptionis paratã, partim in puluerem, partim melle excepta ne exhalet. Varius enim eius vſus incidit: Videtur autem non aduerſus venena ſolum, ſed alios quoque affectus vtilis futura: icterum præſertim, cachexiam, dyſpnæam vel aſthma, ſplenis obſtructionem, retentionem menſium, & calculos renum, quartanam (in qua iam ſucceſſiſſe audio) aliaque huiuſmodi, vbi frigidos, craſſos & viſcoſos humores cauſamur.

Eiuſdem antidoti alia deſcriptio, quam poſtea ab alio amico nactus ſum: Valerianæ herbæ vnciȩ duæ, hirundinariæ herbæ vncia vna, polypodii & laureolæ (Kellershalß dictæ) radicum ana vncias duas. Angelicȩ radicum vncias quatuor. Herbȩ paris fructus duodecim, & folia triginta ſex. Simul omnia ponantur in olla cum aceto ſufficienti, ollaque diligenter oblita bulliant leniter ad ſeſquihoram (alias ſemi horam) tum refrigerentur per ſe, & aceto abiecto, olla ponatur loco calido, ad fornacẽ aut alibi vt ſiccata tandem teri poſſint. Vſus eſt, ſi quis veneni, ſiue metallici, ſiue alterius aliquid in cibo aut potu hauſerit, aut à venenatis animalibus morſus fuerit: & aduerſus peſtem præſeruat, aut etiam correptos curat, idque mirifice & ſubito interdum, ſi drachma eius è vino albo bibatur. Remedium hoc Elector Saxoniæ Duci Wirtembergenſi tanquam ſecretiſſimum miſit. Venenum cuiuſcunque generis expellit illico per vrinam, aluum, vomitum. Sic ille.

Eiuſdem tertia deſcriptio, quam ab Hieronymo Heroldo medico Norimbergenſi præſtantiſſimo accepi. Radicum phu vnciæ tres ſemis. Aſclepiadis (ſic vocat hirundinariam noſtram) ſaxifragæ ana vnciam vnam, vrticæ minoris, altheæ ana vncias duas, Herbæ Paris baccas numero duodecim, eiuſdem folia trigita ſex. Trita bulliant in aceto ſufficienti, tum ſiccata reponantur. Datur ſeſqui drachma, aut drachmæ duæ.

Alius præterea amicus meus, medicus iuuenis, ſane diligens & eruditus, Gallus Etſchenreuter, cum ante annum antidoti huius deſcriptionem à me acceptiſſet, experiri & ipſe voluit: expertus autem mihi reſcripſit his fere verbis: canem nocturna hora incluſi ſtabulo, & abſque omni cibo ad meridiem vſque reliqui, vt promtus poſtea venenum admitteret. Tum dedi famelico ſcrupulos duos arſenici, & ſcrupulum ſublimati Mercurii in carne. Mercurium quidem prius per ſe, integrum non comminutũ. Sed canis bolum carnis deglutiens, Mercurium deiecit, itaque illum contriui, & cum arſenico trito mixtum, diducto caniculæ ore, manibus in gulam eius immiſi. Quo deglutito dedi ei aliam portionẽ carnis, vt venenum in ventriculum deſcenderet. Canis deuorato veneno, antidotum admittere noluit. Quare ſimili induſtria drachmam pulueris, in iuſculo cum mica panis immiſi in fauces. Poſt dimidium horæ canis vomuit bonam portionem panis & iuſculi. Poſt horam vomuit dilutius. poſt duas horas vltimoque aquam ſynceram cum Mercurio manifeſte per fauces eiecit, adeo vt viderẽ nihil amplius veneni in eius ventre contineri. Canem dimiſi: qui ſubſequentibus ſeptimanis illæſus vixit.

His ſcriptis binas literas ab eodem doctiſſimo amico meo accepi, in quarum prioribus ſic ad me ſcribit: Cum nuper pridie purgaſſem corpus catapotiis, poſtridie mane ſumſi antidoti tuæ ſcrupulũ, & eo die nullus quidem ſecutus eſt ſudor: ſed quodammodo extendi mihi thoracem percepi eo plane in loco intra quintam & ſextam coſtam, vbi ante octennium tumor peſtilens mihi exortus fuerat, manifeſto extenſionis ſenſu. Sequenti die mane ibidem duo piſi magnitudine tubercula cum dolore efflоreſcebant: quæ non multo poſt ἀδήλῳ διαπνοῇ euanuerunt. In poſterioribus vero: puluerem inquit contra venenũ ſcias me hac ſeptimana feliciter propinaſſe ſcrupuli pondere cum duplo theriacæ, & ſcrupulo ſemis margaritarum ex aquis ſtillatitiis ſcabioſæ, cardui benedicti & acetoſæ ana vnc. vna, cũque iuglandium ſemuncia; & eodem vini generoſi pondere granis duobus caphuræ adiectis; mulieri de peſte ſuſpectæ: ab eo potu ſudor non eſt ſecutus niſi paruus, quem pedes potiſſimum experti ſunt, eumq; graueolentẽ. Intra triduum conualuit, cum antea derepente circa cor & dorſum conqueſta: ſubinde leues incideret lipothymias; pulſu valde depreſſo, phantaſiam apoſtematis exoriundi ſub alis conceperat. *Geſnerus in ſymphoniis ad Euphoriſt. Dioſcoridis, cap.144.*

Etſi quamplurima poſſemus narrare præſidia duo tantum remedia referam, quȩ ſunt inter omnia præcipua, & quorum ego ſæpiſſime periculum feci. ℞. rad. angelicæ ſylueſtris ℥ iiij. angelicæ ſatiuæ & alteæ, ana ℥ ij. enulæ campanæ ℥. iij. aſclepiadis vel vincetoxici, vrticæ polypodii ana ℥. j, corticum de radicibus thimeteæ ſiue metereonis ℥. ij. Colligantur hæ radices à medio Auguſto vſque ad octauum diem menſis Septembr. & ſiccentur in vmbra in calido loco, deinde in olla parua terrea vitreata noua cum aceto albo ferueant per quartam partem horæ cooperculo inprimis circumquaque cum parte farinæ conglutinata, deinde tollatur ab igne, & ita quieſcant quouſq; refrigerentur, eximantur deinde, & extẽdantur inter duos linteolos craſſiuſculos,

& ita ſiccentur in loco calido. Demum addantur his omnibus duodecim baccæ herbæ Paris, quæ Menſe Maii colligatur, & triginta folia eiuſdem herbæ, & omnia in mortario tundantur, & fiat puluis & ſeruetur in ampulla vitrea, cera & membrana concluſa: datur cum vino pondere ʒ j. ſecundum rem. Altera antidotus contra venenũ. ℞. dictamni cretẽſis, dictamni albi, gentianæ, cardui benedicti, tormentillæ, ſuperiorum corticum, cancrorum fluuiatilium in vmbroſo loco ſiccatorum ana. vnc. j. boli armeni orientalis, terræ Lemniæ, oſſis vnicornii pulueriſati ana. vnc. ſ. almiſchii boni drac. j. Hæc omnia ſubtiliſſime terantur, & aqua ardenti perfectiſſima miſceantur & poſtquam ſeptem vices imbibita & deſiccata ad ſolem fuerint iterum pulueriſentur, & p ſetacium emittantur. & in ampulla vitrea bene clauſa ſeruentur, & drach j. cum duobus digitis vini albi optimi detur indigenti. Atq; inter alia remedia, lapis quem Bezaar nominant, reperitur, qui ex orientalibus Indiis ad nos tranſportatur, qui, ſi cum aqua herbæ Scorſuneræ ęgroto detur, confeſtim à veneno liberat. Adeſt etiam terra Lemnia vel ſigillata nuncupata: tanta enim eſt eius vis vt bibita vel comeſa venenum expellat. Scribitur namque quod Reges ac Principes oriẽtales & meridionales quotidie in ſuis cœnis & prandiis hac ſigillata terra vtebantur. Vnde Regum ſigillo terra hæc ſignabatur, hinc terræ ſigillatæ nomen inditum eſt, verum nunc ſigillorum fides euanuit, quoniam tam bona quam adulterata ad nos tranſportatur. *Hor. Alb. enarr. de Ven. Vatro exhib. in fine.*

SERENISS. FERDINANDI BAVARIÆ Ducis, aduerſus omnis generis venena, peſtem, & Febres peſtilentes, multis experimentis nobilitata Antidotus.

Accipit Lap. Bezoar drach. 2. ſcrupul. 1. vnicornu veri drach. ij. ſ. 5. Cornu cerui legitimo tempore collecti, deque anterioribus cuſpidibus capiti proximis limati drach. ij. Oſſis de corde cerui ſcrupul. ij. Terræ Sigillatæ, Boli armeni, Eboris omnium legitimorum ana. drach. ij. Smaragdi ignem ſuſtinentis drachm. v. Rubini, Saphyri, Hyacinthi, Chryſoliti, Topaſii, Margaritarum, Coralliorum rub. albor. an. drach j. Auri puri puti, ſemi. Citri excortic. Cinnamomi ana. drachm. ij. Ambræ, Moſchi, ana. ſcrup. j. Singulis ſeorſim in tenuiſſimum puluerem detritis: Gemmis vero, Margaritis & Coralliis pharmacopolarum recepto modo præparatis, atque omnib. tandem commiſtis, fiat puluis, cuius doſis drac. j. *Iatrion Wirtenbergicum, Gabelchoueri.*

ADMIRANDVM REMEDIVM, QVO INtoxicati animalibus recens mactatis & exenteratis, vel ut mulis, equis, bobus ægri incluſi tantiſper ſudant donec omne venenum è corpore prouciatur.

Homo mulo exenterato, capite prominente, ſtatim dum adhuc feruet, ſic inſeratur, & tandiu in eo iaceat, donec liberetur à vi veneni, quod ſi vnus non ſufficit, alter iterum exenteretur. Atq; hoc modo conſtat Valentinum Borgiam Pontificis Alexandri Sexti Maximi Filium, ſolum hoc præſidio euaſiſſe, multiſque annis egregia facta, aût potius ſcelera admiſiſſe, cum pater, aliique omnes quæ ex eo vno medicato biberant obiiſſent. *Hier. Card. lib. 3. de venenis cap. 3.*

Poſſumus inter præſidiorum genera connumerare auxilii genus quoddam, quo Cæſarem Borgiam, dum venenatus eſſet, ſeſe ſeruaſſe aiunt: & eſt vt vel mula vel bos exenterentur viui, & intra aluum horum animalium calentem corpora venenata ponantur: habent enim hæc animalia proprietate vitalis caloris, quem adhuc obtinent, vim attrahẽdi venena ab intimis ad ſuperficiem; verum etſi hæc omnia prudenter adminiſtrari poſſint, remanet tamen periculum vitæ magna ex parte ſublatum, tanta enim eſt celeritas penetrationis venenorum, vt ſtatim ſoleant viſcera violare, & inſigniter contaminare, idcirco Medicus non debet eſſe contentus, quod ſubitaneum euaſerit periculum, ſed ſimul proſpicere, vt quid mali impreſſum eſt in viſceribus emendetur & deleatur. Ad quod agendum conferunt & ratio victus, & antidoti, ſeu remedia Alexipharmaca, quæ non modo conferunt in venenis ore acceptis, verum etiam in iis, quæ ab animalibus extrinſecus inferuntur. *Mercurialis Lib. 1. de venenis capit. 22. Eiuſdem rei meminens eſt H. Ranzouius de ſanit. tuenda libello.*

NEQVAQVAM VNVM ADVERSVS omnia venena eſſe poteſt alexiterium.

Iactabat ſuperioribus annis coram Carolo Rege, tum apud Claromontanos Aruerniæ agente, lapidis Bezoartici aduerſus omnia venena certiſſimas vires, nobilis quidam, penes quem ex eo genere vnus erat Hiſpania importatus. Quærenti tum ex me Regi, Num quod eſſet alexiterium, quod contra deleteria omnia pariter æqualiterque valeret, reſpondi, nequaquam id naturam admittere: neque enim venenorum omnium ſimiles eſſe effectus, neque ab eadem cauſa manantes: quædam enim ab occulta & ſpecifica totius naturæ proprietate agere, alia ab elementari aliqua qualitate præcellente. Itaq; ſuo cuique ſuum & proprium contrarium opponendum eſſe, calido frigidum eique, quod formæ proprietate occulta oppugnaret, aliud quod eadem vi ꝓpugnaret: facile vero eius eſſe rei periculum facere in facinoroſis cruci damnatis. Placuit Regi conditio. Adductus eſt à Latrunculatore coquus, qui, ob pelues argenteas duas furto in domini ædibus ſubductas, patibulo breui affigendus erat. Reſciri tamẽ ex eo ante Rex voluit, num venenum ſumere vellet, ea lege, vt ſi alexiterium quod vires diuinas contra venena omnia habere dicebatur, ſtatim ipſi à veneno exhibendum cum à morte vindicaret, vita illi ſarta tectaq; eſſet. Alacriter aleam iſtam ſubiturum ſe reſpondit coquus, grauiora etiam non redimẽdæ modo vitæ, ſed & infamis mortis vitandæ gratia ſubiturus. Ergo à pharmacopola, qui tũ in officio erat, exhibitum illi fuit venenũ, extemploq; à veneno Hiſpania adductũ Bezahardicũ. Quibus ingeſtis mox vomere cœpit, & per inferiora multa cum diris torminib. excernere, inclamareq; ſibi igne quodam viſcera peruri, Itaq; aqua ſitienti & poſcẽti oblata eſt:

horam vnam poſt cum bona Latrunculatoris venia ad ipſum intromiſſus, hominẽ comperio in terrã ꝓuolutũ, manibus pedibuſq; feræ more gradientem, lingua ab ore exerta, flammeis oculis, vomiturientẽ, cum frigidis ſudorib. copioſis, ſanguine denique per aures, nares, os, anum, & vrethrã manante. Exhibui hauriendas olei vncias octo, ſed nihil opis attulit, id enim tardius venit remedium. Itaq; magno cũ cruciatu & vlulatu tandẽ mortuus eſt, cum vix ſeptima à ſumto veneno hora eſſet exacta. Cadauer præſente Latrunculatore, & quatuor aliis diſſecui, compertique ventriculi fundum tanquam ab inuſto cauterio atrum, aridumq;, ex quo intellexi ſublimatum ipſi fuiſſe exhibitum: cuius vim Bezahardicum Hiſpanicum eludere non potuit: Rex id in ignem dari iuſſit. *Pareus operum ſuorum lib. 20. de venenis, capit. trigeſimo ſexto.*

VENENO DELIBVTORVM, DIGNOtio & curatio admiranda.

NArrabo è multis pauca, atque inter cætera quid contigerit Baptiſtæ Syrtiro mercatori prædiuiti, tum vxori ac filiis. Eius enim primũ vxor ægrotauit: cumq; nihil proficerent auxilia familiaris medici, antequã illa obiret, ægrotauit & ipſe coniunx, ob idq; alium quendã Themiſonem turgidum, & multa deblaterantem, maledicum, in medendo infeliciſſimũ aduocauit. Is, licet medicamenta nulla ſuo more, vt eruditus videretur, adhibuiſſet, multaq; (vt ſolitus erat) diſſerendo adduceret, partim falſa, pleraq; ex ignobilib. quibuſdam empyricis contra alios medicos, nihilo fœlicior in cura fuit, quippe æger defunctus eſt. Interim iam omnes filii ægrotabant, ego aũt ſolitus erã, tres fratres defuncti mederi, Paulum, Euangeliſtam, & Benedictum. Itaq; videntes hoc nihil profeciſſe, & quia res arbitrio eorum agebatur defuncto fratre, aduocãt me. Ego ꝑpendens rẽ diligenter, cognoui veneno illos eſſe affectos, doceo patruos, iubeo aduocari ſocium eum, ꝗ primus in cura vxoris fuerat, velut teſtem: præſtitis auxiliis, ſcilicet copioſo lactis potu, quamuis febriãt omnes, conualuerunt. Inter hos erat puella minor natu, annos agens circiter octo, quam auia exiſtimabat ſub occaſum ſolis perituram, quod iaceret vt mortua irridebatq; adhibentem auxilia: minuſq; ob hoc mihi fiebat, quoniam crederet quadam iuuenili ac prorſus temeraria ſpe me ad curandum acceſſiſſe, memini autem, ꝙ pueri ipſi conuellebantur etiã, pręter reliquos morbos: ſed & illos poſtmodũ curaui ſolus. Viuunt etiam nunc omnes, præter infantulum: qui, poſtquam ſanatus fuit, à nutrice dormiente ſuffocatus eſt. Verum in curatione ipſa vſus ſum in omnib. medicamẽto illo, quo S. Fondrati filium ſanaueram. *Cardanus Curationum admirand. num. 1.*

OCCVLTA QVADAM NATVRÆ VI, QVIdam à venenatis animalibus ictos, liberare poſſunt.

CRates Pergamenus in Helleſponto circa Pariũ, genus hominum fuiſſe tradit, quos Ophiogenes vocat, ſerpentum ictus contactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori. Varro etiam nunc eſſe paucos ibi, quorum ſaliuæ contra ictus ſerpentum medeantur. Similis & in Africa genus Pſyllorum fuit, vt Agatharchides ſcribit, à Pſyllo Rege dicta, cuius ſepulchrum in parte Syrtium maiorum eſt. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpẽtibus: vt cuius odore ſopirent eas. Mos vero, liberos genitos protinus obiiciendi ſæuiſſimis earum, eoque genere pudicitiam coniugum experiendi, non profugientibus adulterino ſanguine natos ſerpentibus. Hæc gens ipſa quidem prope internecione ſublata eſt à Naſamonibus, qui nunc eas tenent ſedes: Genus tamen hominum ex his qui profugerant, aut cum pugnatũ eſt, abfuerant, hodieque remanet in paucis. Simile & in Italia Marſorum gẽtis durat, quos à Circes filio ortos ferunt, & ideo ineſſe iis vim naturalem eam. Et tamen omnibus hominibus contra ſerpentes ineſt venenum: feruntq; ictas ſaliua, vt feruentis aquæ contactum fugere. Quod ſi in fauces penetrauerit, etiam mori: idque maxime humani ieiuni oris. *Plinius Nat. Hiſt. libr. 7. capit. 2.*

Quorundam hominum tota corpora proſunt, vt ex his familiis, quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu ipſo leuant percuſſos, ſuctuve modico. Quorum è genere ſunt Pſylli Marſique, & qui Ophiogenes vocantur in Inſula Cypro: ex qua familia legatus Exagon nomine, à conſulibus Romæ in dolium ſerpentium coniectis experimenti cauſſa, circummulcentibus linguis miraculum præbuit. Signum eius familiæ eſt, ſi modo adhuc durat, vernis temporibus odoris virus. Atque eorum ſudor quoque medebatur. *Idem libro vigeſimo octauo, capitulo tertio.*

Pomponatius affirmat in ſuo de incantationibus libro, ſe vidiſſe hominem in agro Mutinenſi, qui ſerpentes non ſecus ac gallinas tractaret: verum demum à quodam diuerſi generis, ex his demorſum, miſerabiliter animam efflaſſe, maximo prius vexatum cruciatu. *Cardanus libro ſecundo, Tractatu ſecundo, contradict. 7.*

Non eo inficias, quin aliqui reperiantur, quibus quædam ea è cœlo facultas tributa eſt, vt à ſerpentibus non mordeantur. Siquidem noui ego plures, qui ſimpliciter, nulloque artificio aut verbis aſpides, & viperas quotidie capiebant, nec vnquam ab iis icti fuere, quamuis ſerpentes ab iis modo pedibus calcati, modo manibꝰ compreſſi fuerint, ac diutius in nudo eorum ſinu geſtati. Neque præterea negauerim, ſerpentes non poſſe carminibus, & incantationibus compelli, quod plurimis id conſtet experimentis. Cæterum, vt nihil quod ad curationem ictuum virulentorum facere poſſit, à nobis prætermittatur, qui omnia, quæ ſcimus, ingenue docemus, non verebor prodere memoriæ (etſi id ſciam ad Medicos non ſpectare, neque ab ipſis recipi) quonam pacto in Romano agro ſenex quidam eremita amicus meus, à feris ictos ſanabat, ipſis abſentibus ægris. Cum enim quis è circumſtantibus populis à ſerpente demordebatur, id per nuncium eremitæ ſignificabant: tum is interrogabat nuncium, an medicamentum icti loco ebibere vellet. Quod ſi id ſe facturum reſpondebat, iubebat ille, vt dextrum pedem calceo denudatum ſolo ſiſteret, & cultello totius pedis veſtigio lineam circumducebat: deinde iubebat pedem auferri, & intra ſpacium lineæ ſignatæ cultelli cuſpide hæc verba inſcribebat. CARO CARVZE SANVM REDVCE, REPVTA SANVM, EMANVEL PARACLETVS.

mox terram eodem gladio abradebat, ita vt omnes abolerentur characteres, abraſum puluerem fictili quodam paruo aqua pleno excipiebat, ibique tantiſper dimittebat, donec terra ſubſideret: demum nuncii interula aquam percolabat, & cruce ſignatam illi bibendam præbebat. Sed certe mirum eſt, quod eadem hora ictus ſanabatur, qua nuncius potionem illam ſumpſerat, vt mihi plane compertum eſt, & omnibus illius regionis incolis. Hæc eſt curatio in virulentos ictus: qua vtebatur ille eremita, qui mihi ſæpius dixit, hoc eſſe maius ſecretum, efficaciuſque remedium, quod habeant ii, qui ſuam originem in D. Pauli familiam falſo referunt. *Matthiolus Com. ad lib. 6. cap. 40. Dioſc.*

Melita D. Paulo olim tempeſtate eo pertracto, ſacra eſt. Quod enim is in hanc, & non Eperiri vicinam Meliten venerit: cum alia, tum hoc, argumento eſt: quod hos Melitenſes, Apoſtolus Barbaros vocat: Epeiri autem Melita, græca eſt. Cathedrale etiam templũ, in hac ſicula Melite, non in altera, Paulo ſacrum eſt: adhæc pro mœnibus vrbis ſpecus eſt eidem ſacer: quod cum ibi trimeſtre, ducta à maioribus per manus fama, habitaſſe Melitenſes prædicant. Vbi non Inſulani modo, ſed aduenæ quoq; lapillos cædunt: ad Scorpionum & anguium exitiale virus, ab humanis corporibus profligandum. Quin & in hac inſ. Scorpiones, qui alibi pernicioſi ſunt, manſueſcunt, lædendique naturam penitus deponunt: Pauli (vt creditur) munere nihil hic à vipera paſſi. Vnde & Chriſtiani, quicunque Pauli ſacris (quæ 8. Calend. Febr. celebrantur) quauis orbis terrarum parte nati ſunt, neque horrent angues: ſed ab aliis graſſantis veneni, omnemq; inflati corporis tumorem, ſolo ſputo, quaſi à natura edocti, protinus abſumunt. In hanc Inſ. Ioannitæ equites (Rhodum 8. Calend. Ianuar. v. nempe die Natali Chriſti 1523. Turcis tradere coacti) impari ſorte penates tranſportarunt. *Ex Thomæ Facelli de reb. Siculis, de car. 1. lib. 1. capit. 1. A Martino Cruſio libro octauo, Turco Græciæ inſertis.*

DE IDIOSYN-CRASIA.

QVOSDAM VEL CONSVETVDINE, vel Idioſyncraſia quadam venenis venenatiſque animalibus innoxie veſci.

AIVNT bellicoſum Mithridatem, Bithyniæ & Ponti Regem, nulla theriaca, quæ nondum extabat, verum alio remedio vſum, variis rebus compoſito (quod ab ipſo Rege vſque in hodiernum diem Mithridatũ inſcribitur) nequiſſe mori, cũ vellet ſeipſum hauſto veneno luce orbare, quod continuo vſu Antidoti ſui contra venena occalluiſſet. Cum enim bella gereret contra Romanos, & in acerrima illa pugna, quæ ſumma contentione commiſſa fuit, à Pompeio deuinceretur, atque in hanc crudelem neceſſitatem incidiſſet, vt in ſumma corporis integritate, toxico vitam ſuam finire cogeretur, copioſe hauſtum venenum Antidoto ſuo infractum ceſſit, & irritum fuit. Cum Regis filiæ, quę pietate affectæ, patri ſuo commori volebant, eodem libato, ſtatim extremum vitæ ſpiritum ediderint. Quare cum illi mors tardaretur, vtpote veneno inefficaci, propter aſſiduam pharmaci ſui ſuppreſſionem, amico ſuo Biſtoco, iugulum feriendum præbuit, qui ſtricto ferro opus veneni impleuit, & vim Regi attulit. *Galenus lib. de Theriaca ad Piſonem cap. 16.* Mithridates maximus ſua ætate Regum, quem debellauit Pompeius, omnium ante ſe genitorum diligentiſſimus vitæ fuiſſe, argumentis pręterquam fama intelligitur. Cui ei excogitatum, quotidie venenum bibere, præſumtis remediis, vt conſuetudine ipſa innoxium fieret. Primo inuenta genera Antidoti, ex quibus vnum etiam nomen eius retinet. Illius inuentum autumant, ſanguinem anatum Ponticarum miſcere Antidotis, quoniam veneno viuerent. *Plin. Nat. Hiſt. lib. 25. cap. 2.*

Addam & illud Æthiopas habitatores Hidaſpis fluuii impune veſci ſolere ſcorpionibus, & ſerpentibus, quod quidem aliunde proficiſci non poteſt, quam ex inſigni quadam corporis conſtitutione ſecreta & diuina. *Mercurialis libro primo, de venenis capit. ſexto.*

Galenus circa finem libro ſecundo, ad Glauconem ſcribit populos Marſos veſci carnibus aſpidum, hoc autem fieri non poſſet, ſi huiuſmodi ſerpentes toti eſſent venenati. *Idem lib. eod. cap. 2.*

In Cuba Inſula ſerpentes noua totius corporis ſpecie ac forma prædití, ſeſquipedis plerumque longitudine, qui ex terra & ex aqua viuunt, in lautioribus erant epulis. *Bembus Hiſtoriar. Venetæ libro ſexto.*

Inueniuntur hic colubri humana magnitudine, nulla feritate metuendi, nec cuiquam nocentes. Aranei mali citrii magnitudine, admodum virulenti. Bufones pluit Hiſpanicis non minores, quos Indi aſſatos edunt, vt & pleraſque alias immunditias. *Ex Epiſtola ad Nicolaum Monardem eiuſdem libello, de ſimplicibus medicament. Occidentalis Indiæ, adiuncta.*

Auctor *Magnus Albertus* eſt, In Colonia Agrippina puellam ſe vidiſſe, quæ in trimatu parietibus arreperet, araneas venatura quas voraret: eoque cibi genere oblectata, inſigniter aleretur. *Cœlius cap. 13. lib. 11. I. A.*

Scitu pernecеſſarium eſt, quodlibet Indiuiduum humanum habere complexionem ſibi peculiarem, atque indiuiduis eiuſdem ſpeciei ſpecificas, atque proprias ineſſe cordium formas, quarum calore inſultum veneni ſuſtineant, aut imbecillitate victæ ſuccumbant. Coloniæ puella viſa fuit, quæ quotidie à matre ſe ſubducebat, angulos omnes domus ſollicite ſcrutatura, & in quotquot araneas incidebat, auide deuorabat, quibus velut optimo cibo nutriebatur. Et eleganti forma puella veneno enutrita, ad Alexandrum fuit miſſa, vt Regem ſuis oculis intoxicaret. Ita quod omnibus indiuiduis humanæ ſpeciei venenum eſt, ratione complexionis latæ ac propriæ ſpeciei, aliquando non eſt venenum alicui determinato indiuiduo, propter complexionem propriam. *Iohannes Iuuenis in Epiſtola ad Brakelemium de peſte.*

* * *

ANVS QVASDAM CICVTAM SIne vita incommodo, magna copia deuorare ſolitas.

HOminem quidem cicuta necat, tum ob meatuum amplitudinem, caloriſq; multitudinem, tum ob attractionis arteriarum robur validum, etiamnum ad cor pertingens. Sturnos vero ob cauſſas contrarias haud enecat, vtpote cum & retineatur & cunctetur, ac ſeſe temporis tractu concoqui præpararique à corde tanquam à foco præcalefactum ſinat, nõ ſecus ac ligna extrinſecus. Quare nec id quidem mirum dubiumque relinquitur, ſed eſt quare lactucis accidit, quippe quæ moderato eſu hominem nutriant. At ſi quiſpiam earum expreſſum ſuccum largiter hauſerit, non ſecus profecto morietur, quam qui aut cicutam aut papauer ſumpſerint. Sic Lactuca, ſi cor refrigerauerit, interimit: ſin concoquatur, alimentum animali efficitur. Ad eundem arbitror modum cicuta hominem quidem celeritate diſtributionis interficit, ſturnos vero tarditate ipſa nutrit. Si vero exiguum quiddam ſumatur, mortem homini nequaquam inferet. Id quod anus Athenienſis experimento docuit, cuius apud omnes percelebris memoria eſt. Etenim ea à minima cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento, ad magnã progreſſa eſt copiam: principio enim paucum, exiguitate ipſa deuictum eſt: aut conſuetudo naturale reddit. Nec enim nunc locus eſt, vt cur plurimum poſſit conſuetudo, curque velut altera ea aſcititia natura ſit, vti à veteribus proditum eſt, cauſam reddam. *Galenus libro tertio, cap. decimo octauo, de ſimpl. medicam. facult.*

Scribit *Sextus Empiricus*, fuiſſe, anum quandam, quæ 30. drachmas cicutæ ſorbebat ſine vlla læſione. *Mercurialis lib. 1. de ven. cap. 6.*

OPII NONNVLLI DRACHMAM, ALIqui ſemunciam, alii drachmas decem, inoffenſe ſumpſerunt.

SCribit *Sextus Empiricus* 1. *hypotheſeon Empiricarum*: Lypſidem quendam fuiſſe, qui drachmas quatuor opii ſine læſione edebat. *Mercurialis libr. 1. capit. 6. de venenis.*

Quidam Opii eſui aſſuetus, ſemel drachmam mediam innoxie vorabat: poſtridie vero drachmam integram idem deglutiit ille, citra vllum aliud incommodum, quam quod velut ebrius appareret. Bellonius, qui huic nunquam aſſueuerat, eo ſumto, nihil incommodi ſenſit, quam in ventriculi orificio calefactionem, leuem cerebri turbationem, & ſomnum inquietiorem. *Vierus libro tertio, capit. decimo octauo, edit. 6.*

Gulielmus Rondeletius primariæ notæ Medicus, & in Monſpelienſi Schola Regius Profeſſor retulit mihi vidiſſe ſe ab Hiſpano in ſummo æſtu opii ſemunciam ſine noxa deuoratam. In dolore capitis opium, non croco, quia moleſtiam & grauitatem inducit, ſed nuce moſchata, corrigi debet. *Scholiographi ad Holler. cap. 6. lib. 1. de cur morb. Int.*

Noui quendam Coraſonem natione à Secretis Nizamoxa, qui ſingulis diebus tres laminas opii ederet, quæ penderent decem drachmas, & amplius: & licet ſtupidus & dormit abundus ſemper videretur, aptiſſime tamen, & docte de omnibus diſputat; tantum poteſt conſuetudo. *Gart. ab Horto, Aromat. Indiæ lib. 1. cap. 4.*

Monardes ſe bis in vrbe Siuilia vidiſſe teſtatur, binos Indos: qui cum quiete ſe reficere volebant, poſt multos labores, vel cum laborandum eſſet, à ſeplaſiario, ipſo præſente, ochova opii coemiſſe: quã duabus vicibus innoxie deuorabant.

Vidimus Neapoli ſeruos, qui magnã vim meconii vorabant: alioſque, qui copioſiſſime abſque noxa papauere veſcebantur. *Heurnius libr. 3. capit. vigeſimo, Meth. ad Praxim.*

QVOSDAM HELLEBORI TOTOS MANIpulos deuoraſſe, aut duabus & viginti ex elleboro potionibus nihil vel purgatos vel offenſos.

OMNIVM medicaminum vires debiliores in aſſuetis deprehenduntur, in nonnullis etiam omnino inertes. Quidam enim tantum ellebori eſitantes, vt manipulos totos conſumant, nihil afficiuntur. Quod etiam Thraſias ſæpius fecit, qui radicum peritiſſimus habitus eſt. Faciunt hoc idem paſtores nonnulli. Itaque cum ad medicaminum venditorem, de quo admiratio omnes tenet, quod radicem vnam aut duas mandere poſſet, paſtor quidam veniſſet, abſumpſiſſetq; integrum manipulum, fecit vt nunquam amplius ille pharmacopola laudaretur. Idque ſingulis diebus, non tantum illum, ſed etiam alios pleroſque facere dicebatur: ſit enim, vt pleraque ex medicamentis, propter hominis cõſuetudinem, vim ſuam amittant, neq; amplius medicamenta eſſe poſſint. Cum enim ab natura acceptantur, deuincuntur, conficiuntur, non amplius poni inter medicamina debent, vt & Thraſias dicere ſolebat. Naturas enim ſingulatim ille diſcernens, idem aliis medicamen, aliis non medicamen eſſe aiebat. Enim vero rationem haberi penitus oportere putabat. Et quidem plurimum ad id iudicandum vir ille valebat. Verum vna cum natura etiam conſuetudinem poſſe aliquid efficere conſtat. Quamobrem Euudemus medicamentarius hac in arte facile princeps, cũ ſe nihil affectũ iri pepigiſſet, quodam admodum mediocre ante ſolis occaſum deuorauit, quod neque continere, neque deuincere potuit. *Theophr. de hiſt. Plan lib. 9. cap. 18.*

Chius Eudemus, elleborum bibens, non purgabatur, & viginti duas aliquando potiones vno die ſumſiſſe ſe retulit, foro apud vaſa ſedentem, nec ſurrexiſſe prius, quam eſſet meridies, tunc vero domo petita, balnea ingreſſum cœna, tumque more ſolito, nec quicquam euomuiſſe. Hic tamen auxilio quodam præparato cohibuit. Aceto enim acri aſperſam pumicem bibiſſe ſe retulit, poſt ſeptimam hellebori potionem, rurſuſque ex mero eodem modo egiſſe. Pumicis autem vim magnam adeo eſſe, vt ſi in vrceum bullientem eam inieceris, feruorem extinguas non ſolum parte aliqua temporis, ſed etiam ex toto: pumicem enim exiccare vehementiſſime, atque ad ſe ſpumam totam recipere voluit; idque extinguendi cauſſam eſſe. Hic ergo largitatem potus tali retinere iuuamine potuit. *Idem lib. 9. capit. decimo octauo, Hiſt. Plant.*

SCAMMONII DRACHMAM VNICAM atque alteram, & aliquando vnciam ſine vitæ periculo ſumptam.

NON eſt mirum quod Auicenna admiretur varietatē ponderum in hoc medicamento, quam varietatem ipſe refert ad varietatem locorum. Nam Dioſcorides fortaſſe exhibet vnam drachmam illius ſcammonii quod mite erat, & ortum in miti loco: vel quia ſcammonium illud erat mite, ſi non ratione loci, ſaltem ob vetuſtatem. Sed ſit vtrumque ego ſcio, quod ſcammonium aliquando exhibitum in pauca quantitate non euacuat: aliquando in pauca exhibitum euacuat præter modum, aliquando è contra: ſcio autem quod magna quantitas aliquando non euacuat, quoniam in me ipſo ſum expertus dum puer eſſem, & laborarem colico dolore, nam accepi vſque ad vnum ſcrupulum & nihil euacuauit. Vidi & Ferrariæ Germanum Scholaſticum, qui in Apotheca à Pinea accipiebat vnam vnciam ſcammonii & nihil ſoluebatur. Scammonii dico & non diagridii. *Falloppius de ſimpl. purg. captt. quadrageſimo octauo.*

In morbo Gallico ſemidrachmam quandoque exhibui, & mire profuit. Iohanni Baptiſtæ Toxico hydropem patienti, ſcrupulum exhibui nihil eduxit inde, & duos ſcrupulos qui & ipſi nihil eduxere: tertio integram. Vincelio celato compatre Chariſſimo in Laurentio Auguſto amico nunquam pœnitendo, pharmacopolis admirantibus, tamen nihil in tam magna copia eduxit. Deinceps tentare nolui, & nihil aliud exhibere ſtatui, quam leuia pharmaca. Teſtes ſunt excellentiſſimi iuuenes Franciſcus Bruſantinus prædicti patientis affinis & Illuſtriſſimi Ducis Ferrariæ Curialis Medicus. Maurelius ſanctus, Illuſtriſſimi Hippolyti Mediolanenſis Archiepiſcopi Phyſicus. Et Ioannes Franciſcus Roſſus Chirurgus Doctiſſimus. Et Ioannes Leo Vercellenſis, qui tunc mecum in praxi verſabantur. Alia cauſſa aſſignari nō poterat, quam vel ſcammonium ineptum, vel ventriculum aqua vel multa pituita plenum fuiſſe, quæ pharmaci vim compeſcebat. Nō enim dici oportet, naturam non eſſe auſam aggredi, quia ſaltem ſcrupulum aggreſſa eſſet. Vidi etiam in officina Iacobi à columna pharmacopolæ quēdam, qui duas ſcammonii drachmas præter noxam comedit, quater aut quinquies ſolum eiiciens. Is autem ſcammonio aſſuetus erat, in partibus orientalib. natus, vt etiam teſtis eſt Antonius Diſcalcius, ſimplicium medicamentorum ſtudioſiſſimus frequentiſſime ſcrupulum ſine noxa exhibui, ex Zingibere, ſale, aut pipere, vt Paulus Ægineta iubet, ne ventriculum offendat nam ſine his maxime offendit. *Braſauolus in Exam. ſimplicium.*

Notum habuimus ciuem qui in capitalium drachmam catapotiorum ſcammoneæ ſemidrachma nihil emotus fuit. *Scaliger Comm. ad lib. 3. Theophraſt. de cauſ. Plant. pag. 165.*

HYDRARGYRVM SEV ARGENTVM VIuum ſæpe in magna quantitate. velut vnciarum decem, aut ſeſquilibrarum pondere, ſumtum, per aluum profluxiſſe, citra incommodum, & quæ huius ratio.

DEuoratum non interimit: ſcurræ ſunt plurimi, qui diuitum nutu vel exiguo expoſito præmio ternas & quaternas, & denas vncias hauriunt ſine damno, illam mox per aluum deiicientes: ex iis vnum noui, & alios plures eſſe audio: noſco inſuper & qui pilulas hydrargyrum recipientes dierum 40. & 60. ſpacio frequentarunt ſine vlla noxa, imo potius cum vtilitate, & alios cum integra huius morbi ſolutione, harum tantum pilularum munere: non autem hoc venena efficiunt. *Botallus libello de Lue Venerea.*

Falſum eſt Dioſcor. dictum experientia non probatum ſua grauitate occidere, Hiſcemet oculis vidi mulierem, quæ abortum voluiſſet facere, libram vnam & mediam potatam eſſe, & mox ſemel, nō nobis, ſed pluries id feciſſe mihi dixerat prius, & poſtea videram. Et cum primum aſſumeret, ſtatim egerebat, nullaque ſibi nocumenta, intulerat, vt Auic. dicit in proprio capitulo, Argentum quidem viuum plurimi qui bibunt non læduntur eo. Egreditur enim cum diſpoſitione ſua per inferiorem regionem. Non mihi videtur rationi conſentaneum, inteſtina perforare: cum ſit in aduerſo experientia. Nam ſi biberit patiens ęgritudinem domine miſerere mei lib. 3. argenti viui cum aqua, facta prius mortis prognoſticatione, quando ex ſe mortalis ſit ægritudo, fortaſſe liberabitur, ſicuti multi ſani facti ſunt, à tam ſæuiſſima ægritudine, & etiam à dolore colico ſæuiſſimo, minori accepta quantitate trium vnciarum. *Sanbarolitanus Comm. ad Auic. de cura Caſus & offenſionu. pag. 189.*

Illuſtris D. D. Berchtoldus à Lippa Baro Regni Bojemiæ Mareſcallus hiſtoriam recenſuit. Georgius Marchio Brandenburgenſis eius qui modo Onolzpachii rerum potitur, pater ſecundis nuptiis duxit Caroli Ducis Munſterbergenſis filiam, è qua ſuſcepit filiam Virtembergico Duci nuptam: Nuptiarum feſtiuitas cum celebraretur, certatum poculis, more gentis: ſponſus vino ſepultus, Baccho venereque accenſus noctu circumſpiciebat qua ratione ſitim cum æſtu reſtingueret. Repetit lagenam (chymiæ dicebatur Carolum Dux fuiſſe ſtudioſus) qua hydrargyrum continebatur, & dum reconderētur cætera vaſa, per ſeruulorum imprudentiam illic neglecta fuerat. Sperans Marchio frigore deceptus, ſe liquoris quid illic reperturum, patenti gutture hauſturus, vno impetu in ventriculum quid frigidiſſimum proturbari ſenſit nec ſcrutaretur, aderat quiſpiam, poſt lecto repetito, murmura ſenſit ventris, è quo paulo poſt totū exonerauit hydrargyrum. Nec niſi lue emergente patuit error, nullo valetudini illato detrimento. Forte vini inguргitati feruor, argenti viui frigus obtuderat. *Iordanus Tract. 3. c. 9. de peſt.*

Nuper cum improba vxor marito aliquot vicibus argentum viuum dediſſet deuorandum, id ſine vllo nocumento egeſſit per aluum, quæ in manifeſto maleficio deprehenſa, pœnas legibus dedit. Sed ſi ita cum aliis miſceatur, vt vltra non defluat, vtque in id corporis calor ſuas vires exercere poſſit, tum ſiue intus ſumptum, ſiue extra illitum fuerat, caput petit, & mouet immodicas deſtillationes, quæ partim per os effluunt, partim in gingiuas & genas incumbunt, eaſque tumefaciunt. *Agricola libro octauo, Foſſilium.*

Venefica apud Auſonium probationis loco, quæ afferuntur ex epigrammate conſtat, venena inter ſe certamine minime depugnaſſe, ſed forte impatiens moræ mulier, mortem acceleratura, poſt adiecit hydrargyrum: id lubrica ſua ſubſtantia, in inteſtinis ſiue ventriculo, quod latebat venenum, neque cordis penetralia adhuc ſubierat, ſecum præcipitaſſe, & ad aluum, correptam, deturbaſſe, lecto pœmate cuiuis perſpectum euadit.

Toxica Zelotypo dedit vxor mœcha marito
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera viui
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis: faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceßit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuas alui petiere receſſus
Lubrica deiectu, qua via nota cibis.
Quam pia cura deum: prodeſt crudelior vxor.
Et cum fata volunt bina venena iuuant.

Iordanus capitulo nono, Trackat. 3. de peſtis Phænomenis.

Diabolicæ obſidionis figmentum, à me olim Neomagii apud Geldros viſum in quodam Medico, nomine Iuſto recenſebo. Hic, vt iuſta occaſione pecuniam emendicaret largiorem, ante templi fores decubuit: dæmonii in ſe dominium ſimulans. Nam perpetua inquietudine exiliebat, concidebatque iacenti venter: interdum & fugam minacem, inſultum violentum, & toruam faciei inuerſionem fingebat. Cuſtodes latus vtrinque claudebant, eius coniunx & ſcortum: quæ proſilienti renixæ ferramentis appoſitis eum coercendum mentiebãtur: interea oratione mendicorum rhetorica oppido inſtructæ, ſtrenuam nauabant operam, vt eleemoſynam à populo die Dominico mane hunc adeunte locum, elicerent vberiorem. Tandem in doloſi machinamenti opinionem venit magiſtratus. Adhibiti lictores, qui, à cœmiterio diſcedenti, ſub prandio, quo tempore ab hominum frequentia hic tutus eſt locus, manus iniicerent: nam hic eiuſmodi apprehendiſſe hominem erât religio, nefaſque ducebatur, ob prophanationem loci ſacri. Poſtremo tamen cognito latrocinio quater perpetrato, abreptus, in vinculis artem confeſſus eſt qua ventrem, vt pro ſuo nutu exundaret ſubito relaberetur q; continuo vortice coegiſſet. Prius obice altius podici indito, & multo butyro ſimul deuorato, quo antea oblinie-bãtur p̃muniebanturq; ventriculus & inteſtina aduerſus vim hydrargyri deleteriã, argentũ viuum deglutiebat, ꝙ ſuo pondere ex vẽtriculo per pylorũ in inteſtina ferebatur, vbi, ob peſſulũ oſtio obditum, præciſa erat exitus via: quare quum vehementer id humidum ſit, & tenuium valde partium, ac cognata mobilitate inquietiſſimum, quanquam à calore naturali excitatum, non tamen ob inteſtinorum butyro inunctorum anfractus euaporare (etiamſi ea fuiſſet caloris vehementia) potuit. Hinc ciebatur valida illa ventris perturbatio & iactus inæqualis, quam augebat vehemens & voluntaria ventris ſucuſſatio, illæſis interim ob præſumtum butyri antidotũ partibus interioribus. Stipe autem collecta & arbitris ſemotis, inquietum dæmonem captiuum quippe Mercurium, extracto peſſulo, liberabat. Hunc tragœdum decimo poſt editum hoc ſpectaculum die, propter latrocinium, Germanica punitione imponi rotæ vidi: ex qua horis duabus poſt deſcendit, eodem tamen repoſitus die, ſtrangulatuſque. *Vierus lib. 4. cap. edit. 6.*

ARGENTI VIVI DRACHMÆ DEcem auri immiſſæ, innocuæ.

VIDI quendam, cuius auri drachmæ decem Argenti viui infuſæ nihil incommodarunt. *Alſaharauinus Practica, Tract. 30. cap. 3.*

VNCIÆ VNIVS PONDERE ARSENIcum quidam ſumpſit citra vitæ diſpendium.

A Leone decimo huius nominis Pontifice Maximo crimine capitali liberatus quidam eſt, quod nullo auxilio Arſenicum ſine noxa ad vnciæ ferme quantitatem deuorabat. *Cardanus contradict. 7. Tract. 2. libro ſecundo. Idem Commentar. ad Hippocrat. lib. de Aliment. pag. 237.*

ANTIMONII VITRVM TRIGINTA granorum pondere ſumptum ſine noxa.

TRIGINTA granorum pondere accipi vidimus præparatum abſque damno vllo. *Iohannes Albertus Wimpinæus de concord. Hippocraticor. & Paracelſiſt.*

NONNVLLA, VELVT SERPENTIS quandam ſpeciem, Adamantem, & Magnetem, falſo hactenus credita venenata.

ANguis genus eſt in Italia, ꝙ circa Bononiam p̃ſertim Ange, vel biſſe Ange, vel biſſe ſimpliciter vocatur, nõ tanquam angelus, vt quidam putãt, ſed interpolato anguis nomine. Alii anca (vnde fortaſſis & Germanicũ nomen Vnck detortum eſt, ſiue eiuſdem ſimilis ſerpentis domeſtici) vel antza profe-runt. Serpentem aiunt eſſe oblongum, colore ſubluteo, morſu innoxio ab aliquibus etiam in cibo ſumi. Sceleton eius Bononia Iohannes Pellinus Lucenſis, vir literis clarus, & medicus egregius ad me miſit, & hæc verba adiecit, in epiſtola: Hoc ſerpentis genus vbiq; fere in agro Bononienſi, multiſq; aliis in locis Italiæ reperitur: & ita domeſtice ſe gerit cum hominibus vt multoties in lectis, ab his qui dormitum eunt (ſine pauore) inueniantur: animoſioreſq; pueri ſæpe ſinu manibuſq; abſconditos gerunt, vt timidas mulieres & pueros alios perterrefaciant. Per hyemen propter frigus aut moritur aut (potius) latitat. Hæc tibi ſignificare volui, vt eius natura facilius innoteſceret, ſerpentemq; hunc vere innocuum intelligeres. Hæc ille. Ex aliis audiui Patauii hũc ſerpẽtẽ antza vocari, excrementum eius inſtar moſchi bene olere, notam quandam ceu crucis (forte ex ſquamarũ ſeu laminarum certo poſitu: quanquam ego in arido nihil tale deprehendi) in capite habere. Is, quẽ Pellinus miſit, longus eſt dodrantes quinque cum totidem digitis: caput proportione oblongum,

in cer-

in ceruice vtrinque duæ eminentiæ paruæ, & inter eas locus vacuus apparet in ſceleto, neſcio an ſimiliter in viuis. Poſtrema pars paulatim attenuatur in magnam caudæ exilitatem. Dentes in maxillis vtrinque pluſculi, acuti, reflexique apparent. Aiunt aliquos, vel refrigerii vel oſtentationis cauſa, collo eos appendere viuos, & in ſinum inſerere. De eodem Thom. Eraſtus Heluetius Medicus & Philoſophus inſignis, cum Bononiæ adhuc hæreret, his verbis ad me ſcripſit. Hic ſerpentem videmus porracei coloris, obſcurioris & magis nigricantis in tergore, prorſus viridis (albeſcentis tamen) coloris in parte inferiore, longum, à pueris omnibus circumferri ſine noxa aliqua aut læſione: quem ipſi vocant biſcia buona, id eſt, ſerpentem benignum. Videtur herba paſtus, indeque colorem illum adeptus. Mordet iratus non minus aliis ſerpentibus, ſed innoxie.

Vidi ego Monachum habere vnum, longiorem credo duabus vlnis, quem in nodum implicauit, hoc eſt, nondum ex eo formauit, non aliter ac ſi funem haberet in medio: ex eaque redoleret ſerpens, inflixit caput & dentes in manum monachi ita defixit, vt per quatuor vulnuſcula copioſe efflueret ſanguis, neque vllum nocumentum inde conſecutũ eſt, nulloq; remedio penitus adhibito. Veneni itaq; expers animal exiſtimo: quod vulgares omnes pueri intelligentes ſine metu perſequantur, & capiunt audacter manib. & toto die in ſinu & manibus circumportant. Reliquos omnes fugiunt & metuunt, vt par eſt, pernicioſi cum ſint. Hactenus Eraſtus. *Geſnerus hiſt. animal. lib. 4. pag. 533.*

Exiſtimant quidam ſcobem ac ramenta Adamantis ex eo venenorum genere eſſe, quod certo tempore interficiat: ſed falluntur, nam omnino venenum non eſt, imo egregium ac ſingulare cuiuſdam difficilimi morbi medicamentum. Scio enim quendam Gemmarium, qui mihi faſſus eſt, dediſſe pluribus in vicibus ad pondus drachmæ vnius, quod maximum eſt cuidam (exiſtimo autem, ſed dicere noluit, vxorem illam fuiſſe mœcham) ſub pulueris forma, (ſubſcobis, ſub ramenti, nec obfuiſſe magis, quam ſi panem dediſſet. Poſtmodum alius cum inſaniret, plures acies, ac fruſta deuorauit adamantis, nec quicquã paſſus eſt detrimenti: vocabatur autem ille Franciſc. Todeſchinus. *Card. contradict. 9. lib. 2. tract. 5.*

Adamantem, contra multorum opinionem venena etiam omnia irrita facere, non ſolum doctiſſimus & elegantiſſ. Medicus chymicus Quercetanus inſuper adfirmat: Sed ipſe memini adſerentem Reuerẽdiſſ. & Clariſſimum Piſtoriũ, virum incõparabilem & totius encyclopœdiæ artium ſcientiarumq; (non ſolum medicinæ & theologiæ) veterem nouamque bibliothecam, nõ eſſe Adamante cum Gloſſopetris foſſilib. aliud vllum excellentius vel diuinius in expugnandis venenis, Arcanum. *Schenckius Filius.*

Mulierem quandam ſcio, quæ marito antiqua dyſenteria laboranti. Adamãtis ſcobem per multos dies propinauit ſine aliquo detrimento, donec medicamento toties reiterato laſſus abſtinuit, præſertim cum eius vxor à Medicis intellexiſſet fruſtra ſe laborare: non poſſe n. maritum hoc morbo liberari. Is igitur multo poſt tempore ſublatus eſt, cum ſcobe vti multis iam diebus deſiiſſet. *Gartias ab horto lib. hiſtor. aromat. lib. cap. 47.*

Magnes deleterius non eſt, quod nonnulli voluerant. Nam tradunt huius regionis incolæ, Magnetẽ, pauca quantitate ſumtum, adoleſcentiam conſeruare. Qua de re fertur ſenior Rex Zeilam, patinas ex Magnete iuſſiſſe confici, in quibus cibus eius coquatur. *Idem in eodem opere & lib. cap. 55.*

HOMINVM QVORVNDAM MIRA NATVra qua idioſyncraſia quadam, vel certa Animalia: vel etiam certos cibos & Alimenta, vel denique Medicamenta aliqua definita: non tantum abhorrent & velut venena auerſantur ſed etiam & fortuito aut per dolum inuitis oblata, difficillima ob id ſymtomata, & quandoq; vitæ periculum incurrunt.

HOMINES.

FVit in nobili familia, qui ne aſpectum quidem ferre potuit, intuentis ipſum vetulæ, ex eoq; caſu aliquando è conuiuio mortuus eſt, cum vi ad intuendum pertractus eſſet. *M. Weinrichius com. de monſtris pag. 139.* facie auerſa.

ANIMALIA.

GErmanicus gallum gallinaceum aſpicere non poterat. Perſarum magi mures intolerabili proſequebantur odio: quare eos interficiebant; quod Arabes atq; Æthiopes feciſſe traditur hiſtoriis. *Bruyerinus lib. 1. c. 24. de re cibaria.*

Lædunt feles oculorum intuitu, adeo vt quidam reperiãtur, qui, his viſis aut auditis, pauore quodam illico capiantur, terreanturq; maxime, quod nõ modo ex eorum veneno prouenire exiſtimauerim; ſed etiam propria eorum natura, qui eos vel intuentur, vel audiunt, quandoquidem ij ſua natura talem à cœlo qualitatem influxam habent, quæ nunquam ad propriam moueturactionem, niſi obiiciatur id, quod natura ſibi contrarium fuerit. Horum plures in Germania duntaxat vidimus, & quoſdam ex ea natione Goritiæ commorantes. Quod autem verum ſit id aliunde euenire non poſſe, quam à congenita qualitate, quæ paucis admodum ineſt, aperte ſane oſtenderunt eorum aliqui. Quippe cum huius gentis quidam hyemis tempore in hypocauſtum nobiſcum cœnaturus intraſſet, quo plurium amicorum ſodalitas conuenerat, mulier quædam huius viri naturæ conſcia, ne is, viſo felis catulo quem educauerant, iratus diſcederet, illum in arcula quadam eodem in cœnaculo concluſerat. Sed quamuis nec vidiſſet ille, nec audiſſet catulum, cum pauco poſt tempore aërem felis halitu infectum inſpiraſſet, irritata ſtatim ea temperamenti qualitate felium inimica, emiſſo ſudore, pallida admodum facie, omnibus ſane admirantibus, tremebundus conclamare cœpit, hic aliquo in angulo latet felis. *Matthiolus comment. ad lib. 6. Dioſc. 25.*

Noui principem fœminam omni virtutum genere ornatiſſimam Heroinam, quæ valde ab iſto animali terretur, quamuis cordata alias ſit. Cauſam iſtius terroris referebat ipſa aliquando in caſum matris hunc, quem narrare hic volo, matrem aiebat, dũ ab eo in vtero geſtaretur, ab hoc animali quodam die ita fuiſſe exterritã, vt animo linq cœpiſſet & ab eo metu ſeu pauore ægre admodum, nec niſi poſt multos dies recolligere potuiſſet. Tametſi non expa-

ueſceret alias ad conſpectum felium, ſed ferre eos potuiſſet, nihilominus cum repente quidam de alto loco prope ipſam decidiſſet, ita vt dixi, perterritam fuiſſe dicebat. Hinc illa eueniſſe ratiocinabatur, quod ferre eos ipſa nunquam potuiſſet. Ita quæ mihi imperceptilis viſa eſt cauſa, hanc ſe ſcire arbitrabatur Heroina, de qua dixi. Profectò non minus probabile eſt ab eiuſmodi pauida cogitatione ſpiritus ac temperamentum fœtus certo modo immutari poſſe, quam poteſt appetibilis ſiue plurimum expetitæ rei imaginatio, ſpeciem rei vehementius deſideratæ tenello adhuc infantis corpori imprimere. At hoc frequenter fieri cernimus. Mirum itaque non ſit, ſi aliquando fiat. Rarius accidit, quia cauſæ quæ hoc poſſunt efficere, non tam crebro accidunt, atq; grauidæ vehementius aliquid appetunt. Cæterum licet pauor iſte animi potius, quam corporis affectio exiſtimandus ſit, ideoque à matris imaginatione in animum fœtus nequaquam imprimi potuiſſe videatur, non tamen ita res prorſus habet. Poteſt tamen temperamenti immutatio talis accidere, propter quã occulta quædam diſſentio exoriatur. Quin etiam ſæpe numero audimus matres certorum affectuum morborumque in pueris cauſas in pauorem aut affectum aliquem referre, quo dum eos in vtero habuerunt, correptas ſe fuiſſe dicunt. *Eraſt.diſ.c.* 34.

Hippolitus Lanzonus, nobilis Mantuanus, hericei (Erinacei) terreſtris animalculi aſpectum ita auerſatur, vt niſi diffugiat, ſyncope ſudoribusque corripiatur. *Marcellus Donatus hiſt. Med. Mirab. lib.6.c.4.*

ALIMENTA ET CIBOS.

MVlta in naturæ maieſtate abdita eſſe nemo neſcit: quorum cauſas non facile vel prudentiſſimi rerum dixerint. Nam non minus mirandum, cauſas in aliquibus conſtare, quam in aliquibus non conſtare. Hanc tamen quæſtionem video paſſim in conuiuijs ingenia plurimorum torquere. Alios enim videas à vini potu abhorrere, atque etiam ipſius ſolo odore grauiter affici: alios item à veruecina: alios à caſeo: alios à piſcibus: quoſdam vero nuſquam oua attingere: quos paſſim nominatim hic aſcribere, niſi vnicuique quotidianis exemplis vbiq; fere gentium id appareret. Verum ex his quædam inſigniora retuliſſe non erit abſurdum.

Noui ego Normanum quendam ruſticum, qui nec panem, nec carnes, nec piſces, nec caſeum vnquam deguſtaſſet, ſed ſolis ouis veſceretur, vnde ei cognomentum Muſtelæ à vulgo impoſitum, quod id animal ouorum ſit auidiſſimum.

Nouimus præterea Ioannem è Querceto, Pariſienſem, Regium ſecretarium in aula Maximi atque clariſſimi Franciſci, eius nominis I, qui ſolo malorum odore atque aſpectu adeo turbaretur, vt ſtatim illi abeundum eſſet è conuiuio, ſi appoſita cerneret. Quod ſi propius naribus admouerentur, repente illi è naribus ſanguis profundebatur. Ideoque turundis ex pane confectis, vtramq; narem obturabat.

Huiuſcemodi vero malorum odium innatum & peculiare fuiſſe in nobiliſſima Aquitaniæ familia Fluſtatum (quos nunc Fœſios appellant) accepimus.

Iacobus Foroliuienſis, ſua ætate præſtantiſſimus arte medendi, teſtatum reliquit, non aliter ſolitum ſe cruciari ab allio commanducato quam ab epoto veneno: quippe ea ſibi accidere, quæ ſolent iis, qui venena biberunt. Porro odium id naſci, ex opinione quam habemus, quod ea quæ odimus mala ſint, aut in vniuerſum, aut quantum ad nos attinet, eruditi quidam exiſtimant. *Bruyerinus lib. 1. cap. 24. de re cibaria.*

Noui ego quandam puellam in Gallia Belgica Chauniaci natam loco nõ paupere, quæ annos iam nata ſedecim, aut eo plus, ſolo lacte educata fuerat: alterius cuiuſcunque cibarii expers. Nam vel ipſius panis odorem ferre non poterat: quod ſi in ſerum, quo alebatur, vel momentum panis iniectum fuiſſet, etiamnum à longinquo olfactu (mirum dictu, ſed tamen id nos oculati teſtes verum eſſe affirmamus) deprehenderet: quod hic commemoraſſe non putaui alienum. *Idem eiuſdem operis libr. 2.c.6.*

Referente Io. Mathæo Gradenſi, Conciliator Aponenſis lac ita abhorruit, vt nec illud commedentes quidem ſine nauſea aſpicere poſſet.

Noui quoque & hominem quendam, qui caſei genus quodcunque adeo abominabatur, vt ſi modicum latenter dapibus inditum deguſtaſſet, vomitu infeſtiſſimo ſemper corriperetur.

At mirandum magis, Illuſtris Comitis cuiuſdam puerum, cui, vbi oua comederet, labia tumeſcebant, & facies purpureis, nigriſque maculis conſpergebatur, osq; ſpuma circundabatur ac ſi venenum deguſtaſſet. *Marcel.Donat.libel.de Mechioaca.*

Vna è noſtris fœminis, ſpectatæ & formę & virtutis, Franciſca nomine, quæ Matthiæ Phrigepani, magno atque inſigni Regulo poſtea peperit Chriſtophorum magni nominis & potentiæ virum, ea ante annum ætatis ſuæ quartum decimum nullius ſuaſu flecti potuit, vt carnibus veſceretur.

Abſtemiorum numerus magnus. Quibus caſeus non admittatur in cibos, non pauci. Vnus è meis liberis Braſſicam abominatur. Ego creſſonib. duntaxat viſis horrore perfundor. *Scaliger exercit. 153. 10. ad ſubtil. Card.*

Vladiſlaus Iagello Polonorum Rex ſic à malis abhorruit, vt ne odorem quidem ferret. *Cromerus lib. 20.*

Peculiaris illa indiuiduorum quorundam ratio, ſeu proprietas potius quædam naturæ aliquorum inſita ſub artem non cadit, quo videmus quoſdam eandem cum pleriſque aliis temperamenti rationem nactos, quum quidem ſignis cognoſſe ſuis, notiſque propriis indicatam tenere liceat, peculiariter tamen priuatimq; quædam omnino non admittere, quæ alii, eodem qui eſſe temperamento videri queant, facile admiſſa recipiant. Indiuidualem proprietatem vulgus Medicorum vocat, qua tantopere quidam à caſei aſſumtione abhorreant, vt vel cibis aliis occultatum, manifeſto ſtatim ſentiant, vomitu, nauſeaq; inſurgente ad, ceu noxiæ maxime rei expulſionem ventriculo: alii nõ niſi cibariis, inſtriatum, inſtrumentoq; coquinario, quod ex argumento τυροκνῆστις appellant, inter tritum admittant: alii vinum reſpuunt maxime, acetum non reſpuunt, vuas voraciſſime ingurgitant, iidem Creticum, ac generoſiora & bene dulcia potare ſæpe poſſunt vina, deterioris notæ nõ poſſunt: aliis potus aquæ ſubuerſionem inſignẽ facit ſtomachi: quibuſdam maxime afficitur ventriculus ex ſolo pomorum eſu: nonnullis hordeum ſumtum nocet, ventriculo quamuis non ſane frigido prædi-

tis:

tis: quoſdam ſcio, quibus cancrorum vſus aduerſiſſimus cum eſſet, piſcium omne genus reliquum innoxium experiebantur: iam carnes, ſuillam alij, alij bubulam, veruecum tantummodo quidam, natura ſua non admittunt, admiſſas ægerrime concoquunt: & ſunt tamen ex his, qui gallinaceos pullos egregie faſtidiant: quendam ſcimus hac tempeſtate rarenter admodum panem, alium nunquam in cibum aſſumſiſſe, rem tam naturæ humanæ conuenientem & ad aptiſſime alendum idoneam prorſus, vt non paucos reperias, qui indicibili quadam de cauſa, ſed naturæ ſolum proprietate inſita, hoc illudve abhorrentes fugitent, cætera prope omnia facile admittant. *Alexandrinus lib. 2.cap. 13 Salub.*

Ex varia hominum, atque longa conſuetudine nouimus multos, qui priuatim aliquod edulij genus naturaliter reſpuunt, quod alijs fere omnib. gratiſſimum eſt. Sunt enim quamplurimi, qui vinum nullo pacto bibere poſſunt: ita & caſeum tam crudum, quam coctum multi auerſantur; ſicuti & multi eo quidem cocto libenter veſcuntur, crudo vero nequaquam.

Noui ipſe vetulā, quæ melopepones (vulgo meloni ſi modo hi ſint) tanquam rem inſuauiſſimam aUerſabatur. Pater meus alieniſſimus ſemper fuit ab eſu leporis, & cuiuſcunque generis volatilium. Nec multis ab hinc annis vir quidam nobiliſſimus è vita diſceſſit, qui nullum obſonij genus eſitare poterat, quod ſalem (etiam ſi permodicum eſſet) haberet permixtum. *Maranta methodi cognoſc. ſimpl. lib.3. cap.13.*

Vidimus Illuſtriſſimam Taraconenſem Federici Regis Neapolitani filiam natu minorem, & illi Medicis præſidiis opem tulimus, quæ carnes edere non poterat, imo neq; guſtare, nempe ſi bolum in os ponebat, in vehementiſſimam incidebat ſyncopem, & vehementi clamore vlulabat, in terramq; decidens, volutabatur: idq; per ſemihoræ ſpatium contingebat, poſtea in ſeſe redibat. *Braſauolus comment. 34. ad 2. Hippoc. de rat. vict. in morb. acutis.*

Plures nouimus, qui ab eſu carnium in totum abhorrebant: Alios quibus caſeus nō ſolum comeſtus, ſed odoratus pro veneno habebatur.

Sed & alium nouimus, qui nunquam piſces guſtauerat, at quum ſemel ab amico ad cœnam vocatus, data opera piſcem ſiccum optime piſtum ouis obuolutū ederat, in animi anguſtias, & cordis preſſuras, cum vomitu, & ſeceſſu deuenit. Ita vt prope fuerit, ex toto ſpiritus illi deficeret, & moreretur. Erat autem huic nomen Stephanus Surdaſter, natione Hiſpanus, patria Toletanus, at caſus ij, tanquam vbique communes, pro nihilo forte habebuntur. *Luſitanus. cent. 2. curat. 36.*

Noui, inter Galliæ proceres, primariæ nobilitatis virum, qui, appoſita anguilla, medias inter epulas, atque ſodalium amicorum greges, ſic conſternebatur, vt repente in præcipitem virium omnium lapſum inciderit. *Pareus Introduct. ad Chirurgiam cap. 22.*

Nouimus qui anguillarum non modo odorem, aſpectum, eſum non pati poſſet, ſed ne eſſet quidem in ædibus abſque inſigni anxietate, vbi occultabatur viuus. *Veinrichius commentar. de monſtris cap. 8. pag. 65.*

Eruditus quidam vir mihi retulit, obſeruaſſe ſe quendam Antvverpiæ, qui quoties in conuiuiis porcellum troianum inferri & menſæ apponi conſpiceret, ſtatim ſyncope correptum, corruiſſe. Cuius rei ratio alia nulla, quam proprietas indiuidua, reddi potuit.

Vidi ipſe Generoſam Comitiſſam, menſæ Illuſtris Comitis aſſidentem, cui, vbere vaccino deguſtato, Labia apprime ſubito inflata, intumeſcerent. Eadem cum me animaduertiſſe conſpexerat, ab hoc cibo ſe non abhorrere, ſed quoties eſitaret, ſymtomati huic obnoxiam fieri, affirmabat: cauſam tamen ignorare.

Arnſtadii Comitem Generoſum ab Oliuarum oleo tantopere abhorruiſſe comperimus: Vt omnia ex eo adparata edulia, eodemque quo ille conclauī adſeruata, ſubito auferri oportuerit: niſi exitiali ſyncope eundem periclitari ſuſtinerent. *Horſtius annotat. ad L. Lemn.*

A Pane natura abhorruiſſe Iunij Craſſi Filium & Zaſium accipio.

In Familia eſſe ſcio filios, qui caſeo abſtinent: & filias, quæ eo vtuntur, veſcendo auide: idque quod pater τυρόμισος eſſet, mater autem eſitaret caſeum. *Moccius Medicus.*

Audiuimus de ruſtico in VVatterlandia, in pago Scermerio, non longe ab Alcmaria vrbe ſito, quī nullo alio cibo nec potu vtebatur, quam ſolo lacte vaccino, qui & optima ſanitate fruebatur. *Foreſtus Scholio ad obſeru. 5. lib. 4. de febribus.*

In binis Sereniſſ. Principis Mantuæ heri mei obſeruaui: Alterum Oua taricha, quod ex ſturionis paratur edulium, Caniarium ductum, tantopere aduerſari vt ne ori quidem indi patiatur: Eadem oua taricha vulgo botarga dicta, Dominæ Blancæ Iuſtinianæ aduerſari nouimus. *Marcellus Donat. hiſt. mirab. med. lib. 6. cap 3.*

Neander part. 2. phyſ. vbi de potentia vegetatiua agit, nouiſſe ſe quoſdam ſcribit, qui ſingulari Idyoſincraſia ducti, alimenti nihil intra corpus admittere potuerint, voluerintque, quod ex Vitali aliquo adparatum eſſet.

Et ego Friburgi in Miſnia Virginem noui, ferinæ omnis ex auitio genere, expertem. *Mich. Papa Empyricus Iatrio ſuo memorab. pag. 16.*

MEDICAMENTA.

Svnt in hominum genere permulti, qui Roſarum halitum ferre non poſſunt, atq; in ijs precij quantiuis viri. Nam cum Romæ eſſem, vidi Oliuerium Caraffam magnæ celebritatis Cardinalem, qui Roſarum tempore quotannis ſecedere cogebatur, ſeq; intra ſuos, quos in Quirinali habebat, hortos claudere cuſtodiis ad oſtia diſpoſitis, ne quis aut ſalutantium, aut amicorum officij gratia ingredientium roſam inferret. Et Romana nobilitate inſignis vir, Petrus Melinus, ingenio, eruditione, & loco nobilis, roſarum odore plurimum offendebatur. *Pier. Valer. Hieroglyphicorum lib. 8 in Scarabeo.*

Et de cauſa, caſum raro viſum, immo hucuſque ne fando auditum, deſcribere aggrediar. Monachū quendam nouimus ex Dominicorum ordine, non niſi nobilē, Venetum, & ex Berberigorum proſapia qui cum roſæ odorem perſentiebat, aut ex longinquo eam videbat, illico in animi deliquium, ſyncopim incidebat, & tanquam mortuus, humi proſtratus iacebat. Proinde à Medicis conſulebatur, vt eo tempore quo roſæ vigebant, domi maneret,

ne ex-

ne extra proditet,vt tantum malum fugeret,&in vitæ diſcrimen non veniret. *Luſit.cent.2. curat.56.*

Ex roſarum odore nonnullos in animi deliquium deuenire obſeruatum fuit,quod de donno Henrico à Cardona Cardinali teſtatur *Phil.Ingraßia in quæſtione de diæta craſſa & tenni.*

Ita ex roſarum odore extinctum Laur.Vratislauienſem Epiſcopum teſtatur *Mart.Cromerus de rebus Polonorum lib.* 8

Doct.Ioan.Echtius , amicus noſter , ex leuiſſimo calidi odorati occaſione,in grauem cerebri affectionem peruenit : & quod vehementer eſt mirandum, exRoſæ rubræ olfactu continuo in ſternutationẽ ꝓuocatur,cuius cauſam,ꝓprium ipſius cerebri temperamentũ,calidum , ſenſusq; odoris raritatẽ & ſubtiles quaſdã ab amaritudine ac caliditate,roſæ inditas, partes,cui adſtrictio quæpiã coniungitur,aſſigno:ſed has qualitates exoluit,aquei admiſtio , quæ vſq; adeo elaborata,tenuata & excalfacta videtur , vt facile Roſa in vaporẽ ſoluatur, qua qdem occaſione , roſa tum odorata eſt,tum celerrime ſiccatur. *Cronenburg. de com.med.lib.10.pag.* 881.

Cardinalis quidam à roſarum odore abhorrebat. In tua ciuitate, fuiſſe familiam ſcribunt Medici recentiores, quæ hauſtu Caſſiæ fiſtulæ interiret. *Scalig. exerc.153.10. ad ſubtil. Card.*

Qui ſiliquæ Ægyptiæ atramentum alias pati non poterat,expertus Medicum admonuit, ne quid ſiliquæ ſucci ſibi infeſti medicamento permiſceret,Medicus vero rem periculoſam oblitus catharticum dari iuſſit,cui ſiliqua eadem admiſceri ſolet,quo aſſumto protinus ſeſe ſiliqua miſere necatum acclamauit, qua inter medicinas nulla leuior faciliorq; habetur. Eaq; vis ad poſteros quandoq; tranſit. *Alex.Bened.in præfatione lib.de peſtilenti febre.*

Diaphinicon medicamentũ,integra nobiliũ Vrbis noſtræ Ciuiũ,familia etiãſi clandeſtine aliis medicamentis permixtũ exhibeatur,minime ferre poſſunt, ſed ſemper emomunt , quemadmodum ipſe pluries vidi. *Marcel. Donat. libel. de Mechioaca.*

Bernardus Bonius,ex Raguſæorum patritia familia,iuuenis annos natus viginti , temperatura bilioſus, cũ ad me veniret, vt eius vrinã contemplarer , & ſi quid mali portenderet,eum medicamentis ſaltem iuuarem; ecce cum eum renũ vitium & morbi gallici ſeminaria habere deprehenderim,ſyrupum vnum atq; alterum deſcribere apud pharmacopolã accingor;at ille,ne temere ſic ſyrupos deſcribã inculcare cœpit,quia omnia dulcia odio habebat & reuera, vt poſtea cõprehendi,mel,ſaccharum, & ex eis cõpoſita,huic præſtãtiſſima ſunt venena,imo ꝙ mirari ſubeat,hic nõ veſcitur vua,nõ ficu,nõ pyro,non pomo, non malo cotoneo, non granato, non perſico , nõ prunis,etiam acidis , quia in eis etiam quid dulcedinis reperiri,aiebat,demum ex omnib. fructib. commedebat nuces,amygdalas,& nucleos pineos , multum oblectabatur aceto , multum agreſta , multum aqua tamarindorum,multum rebus ſalſis,nã vinum album in totũ abhorrebat,ẽt maluaticum , veluti ex rubricantib.dulce , aquã ſibi familiarem in potu habebat,quib.omnib. exacte , perpenſis & cõſideratis, medicamenta prout morbus poſtulabat,ad amarorẽ declinantia,deſcripſi , quib. iſte poſtea recte habuit. *Luſitan.curat.60.cent.6.*

Quibuſdam corporib. mitiſſima quædam medicamenta tantam inferunt moleſtiã,vt vehementiſſimis nõ videãtur abſimiles,quod in Illuſtriſſima muliere,atq; noſtræ ætatis vero lumine, ac ornamento, non raro obſeruarunt Medici,dum illã manna exhibita purgare vellent,ex hoc n.aſſumto medicamento tormina,nauſeas,rugitus,laſſitudines,inuoluntarios ſudores, atq; alia quædã grauia ſymtomata ſubſequi ſemper viderunt : & tamen ab aliis manna potentiorib. medicamentis nulla moleſtia ſæpius purgata eſt. Atq; ex eadẽ manna eius nepos (quanquam bilioſo temperamento) vir nõ ſolum in bellicis ſtudiis,ſed in omni ſtudiorum genere egregie verſatus, nunquã fœliciter purgari potuit,vt videatur hæc eſſe quædã familiæ præcipua proprietas, Franciſc. in hoſpitali templo beatiſſimæ virginis Annuntiationi Neapoli dicato pharmacopæus,& materiæ medicamentorum ſtudioſiſſimus, ſæpius mihi affirmauit,ſe drachma integra ſcammonii non ſemel aſſumta nihil purgaſſe vnquã. Cæterum ſi quis per amicos veteri memoria percurrat,ſcio neminem fere futurum, qui nõ aliquid tale in aliquib.animaduerterit, quod non ſolum nouum, ſed admirabile videatur. *Maranta methodi cognoſc.ſimpl.lib.3.cap.13.*

Strenuum militem agnouimus,qui rutæ herbæ odorem aſpectumve nullo pacto ferre poterat, ſed ſe in pedes dare & fugere,ea propoſita,cogeretur. *Marcel.Donat.hiſt.mirab.med.lib.6.cap.4.*

QVO MODO EA QVÆ INSITA NATVRA nobis aduerſa ſunt , corrigere aliquando poßimus, illuſtri exemplo docetur.

AD ineſcationem ſibi ipſi parandam parens meus(beatæ memoriæ) *ἀβούτυρος*, portiũculas butyri, ignis calore diſſolutas, liquoris inſtar pani mixtas lente primum ingerebat, quod ſane ſtratagema haud fuit inefficax. *Ioannes Vernerus Hannoueranus Therapeuticæ lib. priore ſectione 27.*

FINIS.

OPERIS

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICINALIVM

LEMMATA LIBRI PRIMI

DE CAPTE AGIT LIB. I.

De Capillis Capitis et Barbæ fol.1.

De canitie ibid.

Subita canities, qua nonnulli metu mortis aut pœnarum vna nocte, vel vnica etiam hora, cani facti ſunt. ibid.

Canities vnica nocte emendata. fol.3.

Cani à natiuitate. ibid.

Canitiei barbæ admirandum in vtero materno contractum fomentum. ibid.

Canitiei cauſarum variantes authorum ſententiæ, tum quæ verior conſtitui debeat. ibid.

Ad canitiem remedia certa & infallibilia. fol.4.

De Caluitio ibid.

Duorum fratrum natiuum ac perpetuum caluitium. ibid.

Subitaneo terrore perpetuum caluitium contractum in puella. ibid.

Calueſcere mulieres, etſi aliter ſentit Ariſtoteles & alij nonnulli. ibid.

De alopecia fol.5

Hiſtoria alopecia laborantis ſola purgatione curati ibid.

De tinctura capillorum ibid.

Virgines quædam ob deprauatam capillorum tincturam periculoſiſsimis & admirandis ſymtomatibus affectæ ibid.

Nouum prorſus atque Europæ, Germaniæ præſertim, incognitum remedij genus ad capillos aureo colore ſine omni noxa fingendos ibid.

De tricis incuborum fol.6

Nouum veteribus quod indictum horridi & intricati capillitij tum capitis tum barbæ genus, difficilium quorundam capitis morborum argumentum ibid.

De barba ibid.

Infans barbatus, pilisque ſub alis & pectine inſignitus natus ibidem.

Mulieres barbatæ ibid.

DE MONSTROSIS CAPITIS CONformationibus ibid.

Bicipites ibid.

Bicipites nati cætera ſimplices ibid.

Biceps natus, cui ex medio ventre alterum caput prominebat fol.8

Alius biceps natus, cui ex perinæo alterum caput enatum ibid.

Acephali ibid.

Capitibus carentes nati acephali dicti ibid.

Varia capitis forma ibid.

Non naturalium capitis cum ab Hippocrate & Galeno tum ab aliis deſcriptarum figurarum variæ & prodigioſæ formæ ibid.

Capita humana pro regionum, populorum, nationumq; diuerſitate, cum ab arte tum à natura plurimum variare fol.9

Quidam animalium quorundam: velut Elephantino, Bouino, Arietino, Coruino, vel etiam Felium, Simiarum, Ranarumq; ſpecie, capitibus geniti ibid.

Puer monſtroſo capite eodemq; aperto natus fol.10

Monſtrum natum ſuperiore capitis parte & collo carens, oculis in fronte ſitis, occipite foramine peruio, vnde ſanguis emanabat ibid.

Viſus infans reclinato & obtorto in alterutrum latus capite pedibusq; ſibi inuicem impoſitis, figura ſaluatoris Chriſti crucifixi ibid.

Mulier vnico partu caput humanum lacertam bipedem & porcellum enixa ibid.

De magnitudine capitis ibid.

Monſtrum cuius caput ferme duplo aliorum maius ibid.

Magno admodum capite, cæterum ſine oculis, auribus, naſo, mento, ore, cranio & fronte natus ibid.

De hydrocephalo ibid.

Hydrocephalon ibid.

Hydrocephalici mortui ibid.

Hydrocephalici curati fol.11

Hydrocephalici noua ſpecies, qua intra cerebri ventriculos (res mira) nouem prope aquæ libræ citra difficilia admodum ſymtomata deprehenſæ: craniumq; non oſſeum, ſed membranoſum, quale ſolet eſſe abortiuo fœtui, conſpectum fol.12

Puer cranio non oſſeo, ſed membranaceo natus: quibus remedijs reſtitutus ſit 13

Stupenda hydrocephali ſpecies, in viro viſa, & curata: cuius caput increſcendo bouis caput æquabat ibid.

De variis capiti agnatis ibid.

Corona ſacerdotali natus viſus ibid.

Puer multifariam monſtroſus, cui genitale membrum à vertice propendit ibid.

Infans natus, cui præter alia monſtroſa in vertice carnea maſſa teſtudinis inſtar: in ceruice vero quiddam murinæ caudæ ſimile agnatum cernebatur ibid.

Carnis

Carnis excreſcentia infanti cuidam circa frontem vſque ad malam pronata ibid.
Alius & in fronte & in occipite maſſa carnoſa notatus ibid.
Puer oxicephalus, tumore ventriculi ſuilli inſtar ex occipiti pronata ſimili, viſus: oculo dextro bouillo, ſiniſtro exiguo foramine ſine pupilla, peruio; dente vnico, cum aliis aliquot corporis particulis monſtroſis, viſus ibid.
Alia horribilis & monſtroſa capitis conſtitutio, in qua, præter alia monſtroſa, cutaneum velamentum, ex capite pronatum & propendens cernebatur 14
Cornuti ibid.
Capitibus cornutis nati ibid.
Adultis cornua in capite pronata ibid.
Virgini nobili non tantum circa articulos brachiorum & pedum: verum etiam in capite & fronte cornua vitulinis haud abſimilia cute tenus pullulantia, non ſine extrema deformatione ſubnata percurataq; puella, deniq; priſtinæ genuinæ formæ reſtituta 15
Cuidam è fronte corniculum digito longitudine pronatum, & filo præciſum ibid.

DE CVTE CAPITIS. ibid.

CVtem capitis vniuerſam poſteriora verſus mouentes quidam ibid.
Hiſtoria Galeni ruri degentis, quomodo Achoras patientem ſanauerit ibid.
A tinea crebris capitis lotionibus, vindicata, capitis dolorem febremq; continuam incidit: à quibus malis cum nulla arte liberari poſſet, moritur. Aperto cranio, dextra pars cerebri cum membranis putrida, & ichore citrino deprehenſa 16
Talpa cum cranij corruptione ibid.
Capitis arteriæ à vertice ad occipitium vſque cuidam in tantum dilatatæ intumuerunt, vt varicum ſpeciem repræſentarent ibid.
Muſculoſa capitis cutis pars cuidam ab occipite ad frontem diuulſa, reſtaurata ibid.
Sanies inter pericranium & cranium notata, nonnunquam oſſis corruptionem inducens ibid.
Caſu ab alto vulnus in capite acceptum & citra ſaniei repurgationem conglutinatum, capite in tumorem abeunte muſculoſa cutis inciſione percuratum eſt ibid.
Vulnere non ita difficili & periculoſo in capite accepto, atq; ob id neglectim tractato, cranij oſſa vitiata ſunt: vnde perennis cephalalgia oborta, quæ medicis morbi gallici falſam opinionem præbens, ægro prope lethalis extitiſſet, niſi ille chirurgi opera ſeruatus fuiſſet 17
Vlcus in capite cuiuſdam excitatum, quod citra exactam ſuppurationem coaleſcens partes inter cutem capitis & pericranium corrupit, atq; in ſaniem & vermes conuertit, vnde grauiſſima cephalalgia & perpetuæ vigiliæ obortæ, quæ tandem muſculoſa capitis cutis ſectione diſparuerunt 18

DE VVLNERIBVS CAPITIS. ibid.

VVlnera capitis pro locorum & temporum diuerſitate curatu vel faciliora & difficiliora eſſe ibid.
In recentibus tum capitis tum aliarum partium vulneribus curandis; nonnunquam largiori ſanguinis profluuio, ad conuulſiones declinandas, indulgendum 19
Naturam aliquando à capitis vulneribus pus, aliasque noxias materias ſub cranio latitantes, per improuiſos meatus, vel ſymtomatice vel critice expurgare ibid.
In capitis vulneribus collectum intra cranium pus aliquando per eiuſdem poros exſudare ibid.
Oßicula latentia in vulneribus capitis ſæpe curationem ad longum tempus protrahere ibid.
Capitis vulnera non tantum poſt quadrageſimum ſextum diem, verum centeſimo quoque periculo non vacare 20
In capitis deſperatis vulneribus, etiam apparentibus lethalibus ſignis, ægri non deſerendi: exemplo cuiuſdam, qui ex tribus capitis vulneribus magnis, & quæ lethalia eſſe Hippocrates pronũciauit, præter omnium expectationem euaſit ibid.
Graui vulnere in capite percuſſus, ad duram vſque menyngem pertingente vulnere, reuulſione, conuulſione correptus, & ſine voce mutus dies totos ſeptem manens, magno labore, nutu Dei, curatur 21
Simplicium capitis vulnerum, ſine cranij offenſa, per terebrationem apertio quam periculoſa ibid.
Cerebri vulnera cum eiuſdem ſubſtantiæ iactura ibid.
Prodigioſa & deplorata cerebri vulnera cum eiuſdem ſubſtantiæ effluuio & iactura percurata 22
Vulnera ventriculorum cerebri 26
Vulnus anterioris cerebri ventriculi curatum ibid.
Quartus cerebri ventriculus memoriæ dicatus, cuidam totus per vulnus ablatus, ſalua memoria 27
Ex cerebri vulneribus, eiuſdem ſubſtantiæ & ventriculorum incredibilis putrefactio animaduerſa ibid.
Varia alia ad cerebrum pertinentia ibid.
Hiſtoriæ aliquot de vulneratis in cerebro ad animalem facultatem, eorumque proprias ſedes curationem vulnerũ cranii ad fungos & alia chirurgis ſcitu digna, pertinentes ibid.
Sex fungi in caluaria cuiuſdam hominis animaduerſi 29
Quidam cerebro offenſo diu obmutuit, qui poſt crebras conuulſiones in furorem actus tandem conualuit ibid.
Cerebrum punctim læſum ibid.
Medulla ſpinali vulnerata conualuere nonnulli 30
Commotio vehemens ibid.
Hiſtoriæ admirãdæ & variæ, quibus oſtenditur, vnius cerebri, eiuſdemque membranarum, vel vaſorum vehementi commotione atque concuſſione, capitis cute & cranio, quam minime læſis, lethalia vtplurimũ ſymtomata produci, quæ nonnullis præſentem mortem, vel curationem ambiguam admodum aut miraculoſam prorſus attulerunt ibid.
Ex caſu, concuſſione cerebrum ſuppuratum, vnde æger extinctus 32

DE CRANIO, SVTVRIS, FRACTVris, contuſſionibus. ibid.

DE cranio ibid.
Quibus locis & hominibus duriora ſint crania ibid.
Notanda in cranio, quæ vulgo non occurrunt, tubercula 33
Foramina caluariæ exeſa ibid.
De ſuturis ibid.
Caluariæ ſolidæ ſine ſuturis, vel iiſdem obliteratis notatæ ibid.
Caluarias ſutris præditas firmiorem valetudinem præſtare contra Celſum ibid.
Variare plurimum ſuturas 34
Suturas quidam etiam in maiore ætate hiulcas habent 35
Fiſſura ibid.
Cranii fracturæ ſpecies, quæ fiſſura & vulgo rima dicitur, mulieris mortem attulit ibid.
Contrafiſſura 36
Percuſſorum vna parte cranii fiſſuram ſeu rimã in altera & oppoſi-

oppoſita contrahentium hiſtoria admirandæ, contrafiſſuram & reſonitum, contra quorundam ſententiam aperte demonſtrantes ibid.

Reſonitus ſeu contrafiſſuræ in eodem cranij oſſe commiſſæ hiſtoria, fiſſa nimirum interna cranij lamina, externa integra ibid.

Cranij laminæ internæ fiſſæ, externa illæſa, hiſtoria alia 37

Cranij lamina interna rupta animaduerſa ibid.

De effractura ſeu depreſſione oſſium ibid.

Cranij effractura ſeu oßis depreßio vt ingenioſe tractata ibid.

Depreßiones oßium raræ aliæ ibid.

Oßicula in effractura ſeu depreßione menyngarum pungentia, vt tractanda ibid.

Cranij oßium effractura eorundem detractione curanda 38

Oßium depreſſorum & fractorum per terebrationem eductio exemplis aliquot demonſtrata ibid.

Abſceſſio oſſium ibid.

Cum caluariæ oſſa vel ob contuſionē, vel aeris cauſationem abceſſura ſunt, chirurgia ſuperſedendū: & puluis cephalicus ſuperdandus illuſtri exemplo confirmatur ibid.

Contuſio ibid.

Contuſa puerorum capita, citra cutis ſectionem quomodo percurari debeant ibid.

Cranij contuſio in puero, citra eiuſdem inciſionem, aut perforationem percurata 39

Contuſionem capitum infantium & puerorum aliquando, vel cum membranarum cerebri læſione, aut cum vulnere, vel ſine vulnere, curandi ratio 40

Hiſtoria pueri in fractura cranij cum capitis apertione curati ibid.

Ex cranij fractura cum menyngarū offenſa puer ſeruatus ibi.

Pueri in caput præcipitati ſymptomata varia ibid.

De fronte 41

Secundum frontem duobus vulneribus tenuißimis acceptis, mortuus ibid.

Frons tota oſſe nudata ibid.

De bregmate ſeu ſyncipite ibid.

Quædam lapide in ſiniſtro bregmate percuſſa, feliciter curata ibid.

Glās ſclopeti bregmati inflicta vt educta & curatus æger ibi.

Bregmate contuſo cutis capitis inciſione arteria vulnerata æger à lethali hæmorragia liberatus 42

Lapide in ſiniſtro bregmate percuſſus adoleſcens chirurgi inſcitia infeliciter curatus eſt ibid.

Bregmatis oßis fractura ad ſecundam laminam vſque pertingente curata: æger ob prauam victus rationem febrem continuam cum grauißimis ſymtomatibus incurrit, vnde ingens carioſi oßis abceſſus, cum vermibus (res mira) obortus, ſingulari tamen induſtria, tantis periculis ſubtractus conualuit, hoc vno incommodo relicto, quod cicatrix caua permanſerit 43

De oſſe petroſo ibid.

Hiſtoria puerorum, quibus os petroſum fractum erat ibid.

Oßis petroſi fractura, cum temporum muſculi contuſione, metu conuulſionis, citra eiuſdem ſectionem curata ibid.

De temporum oſſibus 44

Eques lapide in temporibus leuiter vulneratus obijt ibid.

Leui ad tempora ictu, conuulſiones & mortem quoque aliquando concitari ibid.

Temporum venis vulneratis conuulſione oborta æger moritur ibid.

Plaga ad alterutrum tempus inflicta, os temporale integrum exemptum, reſtituto ægro ibid.

De fracturis & contuſionibus capitis varia alia ibid.

Caſu ab alto diffracta vniuerſum caluaria, & ſine voce, ſine ſenſibus, & prope apoplectico reddito ægro, curatur miraculo tamen ibid.

Contuſio cum fractura oßis ſine apparente vulnere ibid.

Cranio fracto integra cute, ægros neq; cute inciſa neq; cranio aperto ſeruari poſſe ibid.

Cranij oßis partem aliquam ictu vel aliter penitus exciſam ſic vt muſculoſæ cuti aut pericranio aliquantum adhuc adhæreat, non reſcindendam, abijciendamq;, ſed reponendam, illuſtri exemplo docetur 45

Spaſmos, paralyſes, & Epilepſias, ad cranij vulnera conſequi, & ſæpe mortem inferre, contra quorundam ſententiam tum quomodo his ſuccurrendum & quæ reſolutionis in oppoſita parte ex vulnere capitis cauſa ibid.

DE CEREBRO EIVS MEMBRANIS, ſpinali medulla & neruis quædam 46

De ſitu, numero, magnitudine, forma & vſu ventriculorum cerebri ibid.

Ventriculorum cerebri partem interiorem tenuißima membrana veſtiri cuius beneficio ſentiant 48

De origine ſpinalis medullæ ſententia noua, verior ibid.

De proceßibus à cerebello prodeuntibus 49

DE CAPITIS DOLORE. ibid.

Meridianus capitis dolor ibid.

Capitis doloris ſpecies rara, ægrum circa ſolis exortum dolore ad nares vſq; premens, circa meridiem vehementior, veſperi vero euaneſcens ibid.

Admirabilis capitis dolor; ægrum quotidie circa meridiem inuadens, & ad furorem vſque fatigans, veſperi remittens 50

Dolor capitis ex lunæ periodis ibid.

Hemicrania admiranda, certis lunæ periodis ægrum ad triennium vſq; diuexans ibid.

Dolor capitis ſuturas afficiens ibid.

Ex cephalalgia cranij ſuturas nonnunquam ſeparari ibid.

Dolor capitis ex lapidibus cerebri ibid.

Calculus in cerebro natus, forma & magnitudine mori, intolerabilem & pertinacem capitis dolorem, & tandem etiam mortem inferens, tum de alijs in capite genitis & repertis lapidibus ibid.

Hiſtoria lapidis intra cranium geniti & per nares valido anniſu expulſi, vnde multorum annorum cephalalgia ſublata 51

Dolor capitis ex vermibus aliiſque animalculis in cerebro genitis ibid.

Capitis dolor, ſecundum Indorum medicorum ſententiam, ex vermibus in cerebro natis excitari ſolitus ibid.

In immenſo capitis dolore eorum, qui febre peſtilenti, theriode & Vngarica nonnullis dicta laborarunt, vermes in cerebro deprehenſi ibid.

In grauißima, peſtilentis & Epidemici hemitritæi cephalalgia, cimicum, vermiculorum, & putrilaginis indicibilis copia poſt ſectionem in cerebro animaduerſa 52

Epidemicorum & perniciniorum capitis dolorum, ex cerebri vermibus, hiſtoriæ aliæ ibid.

Capitis doloribus affecti quidam, tandem vermibus per nares reiectis, liberati ſunt 53

Diuturnus, pertinacißimus, atq; adeo lethalis capitis dolor, ex ſcorpione in cerebro genito natus ibid.

Dolor capitis ex cranij laminæ internæ particulis ibid.

Graui pondere in caput ſuſcepto geſtatoq;, internæ diploidis

duæ particulæ, à reliquo craneo diffractæ, duodecennalem cephalalgiam concitarunt: quæ tãdem naturæ vi & ſternutatione per nares eiectæ, eandem ſuſtulerunt ibid.
Implacabilis capitis dolor, ab internæ cranij laminæ corroſione, natus: ægrum tandem ſuſtulit ibid.
Doloris capitis curatio 54
Medicus quinquagenarius ſibi venam ſecuit ob vehementem capitis dolorem ibid.
Capite per inaduertentiam alliſo & hæmorrhagia inde prouocata à deſperata cephalalgia liberatus ibi.
Arteriæ ſectio, vtiliter adhibita, in dolore capitis diuturno ibid.
Arteriotomia in crotapho hemicraniam incurabilem alias, ſtatim ſuſtulit ibid.
Arteriotomia, qua ſupra tres libræ ſanguinis eductæ, quibus æger à diuturna capitis hemicrania leuatus eſt ibid.
Hemicrania deſperata, arteriotomia ſublata ibid.
Dolor capitis cum tuſſi & difficultate ſpirandi 55
Capitis dolor annis viginti ſeptem continuis diuexans, alleuiatus ibid.
Frigidæ vſu quidam, ab hemicrania, qua annos 40. affligebatur, curatus ibid.
Capitis dolor ſedatus, ventriculo cerato impoſito ibid.
Intolerabilis & aſsiduus capitis dolor, omnem medicamentorum vim eludens, vt ferro & igne euincendus ibid.

DE EBRIETATE. ibi.

GRauida eſu nucum aliquot Moſchatarum ebrietatẽ & delirium incurrit: & de nonnullis aliis raris ebrietatem inducentibus* ibid.
Puer vino antiquo liberaliter potato vigiliis correptus & febri cum delirio perijt ibid.
Ex ebrietate conuulſi & ſubito mortui 56
Ametiſta rariora ibid.
Vini odium inducentia 57
Modus tutior ebrietatis noxas corrigendi ibid.

DE VERTIGINE. ibid.

OCcipitij contactu leuiſsimo vertigo prouocabatur* ibi.
In capite cuiuſdam vertiginoſi & caro affecti, arteriæ cartilaginoſæ, humore profluente, viſæ ſunt 58
Noua de cauſis vertiginis ſententia ibid.
Pleraſq; vertigines ex ſanguinis & ſpirituum perturbatione proficiſci ibid.
Vertigo, admiranda & ingenti purulentæ, materiæ per dentium alueolos & os excretione leuata ibid.
Vertigo difficilis admodum incertis periodis & frequenter inuadens, curata 59
Vertiginoſorum curatorum hiſtoriæ aliæ ibid.
Vertigine & vomitu ventriculi vitio excitatis, æger remediis nonnullis reconualeſcere viſus, paucis poſt dieb. languida febricula correptus, recidiuam incidit cum delirio & aliis prauis ſymptomatib. quibus tandem expirauit: vitiata viſcera cadaueris diſſectio detexit ibid.

DE SIRIASI, CEREBRI INFLAMMAtione, ſpacelo eiuſdem, & tumore glanduloſo pomiformi ibid.

DE Siriaſi ibid.
De ſiriaſi, febrili capitis infantium feruore ibid.
De inflammatione cerebri ibi.
De cerebri inflammatione ibid.
De ſphacelo cerebri 62
Cerebri ſphacelo correpti, alij ſeptimum, alij decimum, nonnulli decimum quartum diem, cum reſtitui non poſſent, attingentes, mortui tandem ſunt ibid.
Sphacelo cerebri correptæ mulieri vita ad decimum ſeptimũ diem extenſa
De abſceſſu cerebri ibid.
Ab abſceſſu cerebri per nares aureſque ſupra quatuor libris puris euacuatis æger liberatus ibid.
De tumore glanduloſo pomiformi ibi.
Glandula pomiformis in cerebro viſa ibid.

DE PHRENITIDE. 63

SYmtomata phreneticorum ibid.
Phrenitici nonnulli de iis, quæ oculis offeruntur, recte, quantum ad ſenſitiuam notitiam, iudicant, cogitando vero à naturali iudicio aberrant ibid.
In phreniticis nonnullis veluti errans eſt imaginationis motus, qui cogitatione minime falluntur ibi.
Cogitandi & imaginandi facultatis vtriuſque ſimul læſæ exemplum ibid.
Aliud phrenitici exemplum ibid.
Cauſæ phrenitidis 64
Phrenitide ſublatus, cuius cerebri ventriculi aqua cœrulea referti: ſiniſter quoq; eadem acerrima inuentus eſt ibid.
Paraphrenitis à vermibus ibid.
Mutatio phrenitidis ibid.
Pleuritis in phrenitidem mutata ibid.
Curati phrenitici ibid.
Sæua phrenitide detentus, frontis vena ingenioſe ſecta, liberatus ibid.
Ab acuta & periculoſiſsima phrenitide quidam intra menſis ſpatium conualuit ibid.
Acutas febres ſæpe phreneſin & conuulſionem grauiſsimã inducere: cũ qua ratione eorundẽ ſymtomata mitigentur ib.
Deploratus phreniticus ſeruatus 65
Phrenetici caſu & fortuito liberati ibid.
Mortui phrenetici 66
Intẽpeſtiuo refrigerantiũ medicamentorũ vſu nõnulli phreneticis veternũ, lethargũ & tandem mortẽ conciliaret ibi.
Fœmina ex febri ardente cum phreneſi mortua ibid.
Ex leui catarrho, rubor in facie natus, cum futuri delirii notis ſubſecuta phrenitis, conuulſio, tremor leuiuſculus, & ſudor frigidus: vnde morbi malignitate victus æger ibid.
Adoleſcens cui tumor ad malleolum obortus, ſubſequentibus balbutie febri latente, ſiti & lingua fuliginoſa, phreniticus factus: quarto die moritur 67

DE LETHARGO ET CARO. ibid.

LEthargico diſſecto abſceſſus & pus in anteriore cerebri parte repertum* ibid.
Capitis dolore ſoporifero puer enectus, cuius cerebro diſſecto, circa opticum neruum, abſceſſus ſanioſus, vna cum glutinoſa pellucida aqua deprehenſus eſt ibid.
Medicus ſeptuagenarius ex diuturna febri in lethargum incidens, pro deplorato à medicis relinquitur triduum totũ: reuiuiſcit tamen paulatim & vi naturæ tacite operantis integræ ſanitati reſtitutus eſt 16
Lethargicorum ſolo caſtorio, & aliorum balneo curatorum, hiſtoriæ ibid.
Lethargus vnico cauterio ſanatus 68
Ad lethargum remedia aliquot, comprobati vſus ibid.
In caro memoria ſuperſtes ibid.

DE CATOCHO, CATALEPSI ET congelatis ibid.

CAtocho ſeu catalepſi correptorum horribiles & miſerãdæ formæ ſeu modi, ſymptomataq; mire varia* ibid.
Cauſæ 69
Catalepſeos ſeu catochi cauſæ variæ exanimatæ & noua verior conſtituta ibid.
Catochi vera cauſa experimento per anatomen deprehenſa 71

Prodi-

Prodigioſus ex vermibus natus catochus ibid.
Metaſtaſis ibid.
Gelatus quidam in comitialem incidit morbum ibid.
Catochus abſque febri ibid.
Curatio 72
Catocho ſeu catalepſi ex pletora detentus copioſa narium hæmorrhagia liberatus eſt ibid.
Gelatus medicamentorum vſu conualuit ibid.
Catocho cum febri correptorum & curatorum hiſtoria ibi.
Catalepſis cum febri in iuuenibus curata 73
Catochus in ſene curatus ibid.
Cataleptica reſtituta hiſtoria alia ibid.

DE VIGILIIS. ibid.

ALiquos plures non tantum dies ſed & menſes annos denique, aliquot multos ſine ſomno exegiſſe ibid.
Vigilias multis modis corrigi emendarique poſſe ibid.

DE NOCTAMBVLIS. 74

DE dormientibus, qui vigilantium munia obeunt, noctambulis dictis ibid.

DE MEMORIA. 77

SEnectutis vitio memoria deſtituti ibid.
Terrore & metu repentino quidam memoria priuati ibid.
Veneno hauſto memoria deperdita ibid.
Stupendum exemplum extinctæ literarũ memoriæ poſt hauſtum à venæ ſectione ſanguinem: ægro tamen (res mira) exacto anni decurſu, eodem modo reſtituto ibid.
Ex ſiccitate propter intenſa ſtudia & labores contracta, memoria amiſſa 78
Memoria ex peſte amiſſa ibid.
Poſt acutæ febris ſolutionem quidam memoria & omni literarum cognitione ſubito excidit, quibus tamẽ intra quadrimeſtre debita curatione adhibita reſtitutus eſt ibid.
Morbo amiſſa atque iterum recuperata memoria ibid.
Lethali vulnere accepto ſubſecuta memoriæ amiſſio ibid.
Ex ictu capiti illato, ſubſecuta oculorum aurium, narium & oris cruentatio, quam tantus ſenſuum mentiſque ſtupor excepit, vt etiam adhibitorum remediorum, quorum opera intra trimeſtre æger reſtitutus eſt, & ante actorum omnium prorſus immemor fuit ibid.
Lapidis ictu, caſu ab alto & morbis memoria deſtitutorum exempla ibid.
Memoria ex ignota cauſa amiſſa & reſtituta 79
Memoria deplorata vt inſtauranda ibid.

DE APOPLEXIA. ibid.

CAuſæ ibid.
A ſanguine ibid.
Apoplexiarum à ſanguine profectarum hiſtoria ibid.
Apoplexia mortuus, cui interiores oculi venæ per contuſionẽ diruptæ, è quib. ſanguinis cochlearia duo in cerebri baſin defluentia & concreta arterias retiformes & choroidem plexum obſtruxerunt 82
Apoplectici cap. operto, ſanguis atramẽti inſtar profluxit ibi.
Sanguinem in catalepticis & apoplecticis concreſcere ibid.
Crebro & conferto ſanguinis profluuio nonnullos apoplexia tactos ibid.
Vulgi de apoplexiæ cauſis ſententia 83
A pituita & aqua ibid.
Apoplexiæ à pituitoſo humore, vi caloris potiſſimum æſtiua liquati hiſtoriæ duæ ibid.
Alius apoplexia mortuus in quo craſſus & viſcoſus humor ad eundem retiformem contextum inuentus eſt ibid.
Apoplexia à cerebri nimia humiditate & colliquatione ibi.
Apoplexiæ cauſa, nonnunquam magna & perſpicua ſed glutinoſæ aquæ copia ibid.
A melancholico humore 84
Apoplexiæ potior cauſa humor melancholicus, qui & difficilimas apoplexias creat ibid.
A flatibus vapore & fumo ibid.
Apoplexia à flatibus & eius curatio ibid.
Thermarum quarundam vapore in caput recepto ſymtomata apoplectica induci ibid.
Apoplexia ex carbonum fumo 85
A calidis humoribus 86
Apoplexiam, Epilepſiam & ſimiles capitis affectus, ex calidis potius quam frigidis humoribus proficiſci ibid.
A plethora & alui obſtructione 87
Plethoram & alui obſtructionem apoplecticam diſpoſitionem ſæpe inducere poſſe ibid.
Ab externis 88
Lunæ radiis expoſiti ſub ſomnum ſiderationem incurrunt ibid.
Fulmine attoniti ſeruati quidam, quidam mortui ibid.
Ex horrendo terræ motu, attonitio, mentis emotio, & vaſania inducta 89
Ictu bombardæ exaudito puer apoplexia mortuus ibid.
Alapa quidam, alius pugno in faciem incuſſo ſtatim apoplexia correpti & mortui 90
Cauſarum diſtinctio ibid.
Diſcrepantium apoplexiæ cauſarum diſtinctio notabilis ibi.
Apoplexia in paralyſim deſinens 91
Mulier febricitans apoplexia correpta, quæ in ſiniſtri lateris reſolutionem ceſſauit, dextro latere conuulſionibus cum febre afflicto ibid.
Apoplexiæ in paralyſin deſinentes ibid.
Apoplexia quadam rara ibid.
Apoplexiæ & Epilepſiæ diſcrimen ibid.
Prognoſticum funeſtum ibid.
In magnis capitis morbis, apoplexia ſcil. conuulſione &c. vrina vinoſa, cruenta, mortis argumentum ibid.
Aliquando leuis apoplexia vtero geſtantes infeſtat ibid.
Curatio ibid.
Ab apoplexia curati nonnulli ibid.
Apoplecticus ſine paralyſi reſtitutus 92
Potio, qua apoplecticus 20. horis decumbens reuocatus eſt ibid.
Cucurbitularum in apoplexia vis mira ibid.
Mortui ibid.
Tempeſtiua venæ ſectione neglecta, mortuus apoplecticus ibi.
Intempeſtiua venæ ſectione mortuus apoplecticus 93
Apoplexia ſubito interfectorum hiſtoria ibid.
Apoplexia negligentius curata, æger mortuus ibid.
Ex materia pituitoſa frigida cum obliuione, capitis grauitate & dolore præcedentib. mortuus apoplecticus ibid.
Apoplecticorum hiſtoriæ variæ ibid.
Apoplexia mortui cadauer horrendi aſpectus: quod facie tumida & liuida admodũ per os, nares & prominentes oculos, feruidã ſpumã egerere, viuentis inſtar, viſum eſt 94
Apoplexia, qui mortui credebantur, reuiuiſcentes ibid.

DE PARALYSI. ibid.

SIngulares celebrium aliquot medicorũ de paralyſis cauſis ſententiæ diſcrepantes ibid.
Paralyſim aliquando acutum morbum eſſe, nec ſemper ab humore neruos obſtruente, gigni 96
Paralyſis lateris ſiniſtri & conuulſio dextri ex apoſtemate cerebri, turgentib. venis, tenuis menyngis, cum febre 97
Hiſtoria reſolutionis ex mœrore ibid.

Symtomata ibid.
Paralyticorum linguæ motum tardiorem per nouilunium quam plenilunium eſſe ibid.
Cuidam poſt reſolutionē vtriuſq; cruris vrina ſuppreſſa ibi.
Paralyſim ſibi, quoties vellet, accerſebat quidam, idem totus venenoſus ibid.
Paralyticorum exempla varia ibid.
Curatio 98
Septuagenarius ſenex, optimi habitus, magnarumq; viriū, ex paralyſi dextræ patris, ſola ſanguinis miſſione & purgatione, deniq; ad ceruicē vnctione integre ſanatus ibid.
Omniū membrorū contractio medicamentis curata ibid.
Imperfecta paralyſis cum tremore totius corporis, & linguæ oblæſione ob ictum ad dextrum ſupercilium profecta, cum horrendis ſymtomatibus, ægro ſuperſtite ibid.
Diuturna paralyſi liberatus 99
Collum tortuoſum quadragenario, duodecimo tandem anno reſtitutum & correctum ibid.
Cruris reſoluti ſanatio ibid.
Cruris dextri reſolutione menſes totos decem & octo perſeuerante, poſt articulares dolores enata, & ligni ſancti potione curata ibid.
Paralyſi ex ictu ceruicis, ſagitta inflicti, vt conſeruatus æger ibid.
E vehiculo decidēs dorſi initium afflixit, vnde paulatim duobus minorib. digitis & medietate medij ſenſum illæſo motu amiſit, qui medicamentis digitis fruſtra impoſitis, tandem iiſdem dorſo alliſo applicatis conualuit ibid.
Ex caſu quidam dorſi initium terræ allidens, aphonos factus, crurum reſolutionem incidit, qui affecto loco, remediis idoneis adhibitis, conualuit 100
Quidam ſub multa pluuia & vento impetuoſo ambulans, pallio madefacto, circa ceruicem vehementi frigore affectus: cui imperiti medici medicamenta, quæ ceruici admoueri debeant, capiti magno errore adhibuerunt ibid.
Iuuenis in cella vinaria propemodum reſolutus, vt fuerit curatus ibid.
Curatio fortuita ibid.
Improuiſa & vehementi incandeſcentia, multorū annorum paralyticus quidam, à contractura pedum liberatus ibid.
Reſolutione multos annos laborans, incendii metu ſe præcipitem è ſuccenſa domo deiicit, derepente ſanatur & deinceps probe incedere cœpit ibid.
De paralyſi ex colica 101
Noua & veteribus pleriſq; incognita, Germanis autē noſtris non infrequens paralyſis ſpecies, ad coli dolores & febres conſequens, tum quomodo & quibus ex cauſis accidat, & curetur, eruditorum ſententiæ ibid.
Curationis paralyſis ex colica hiſtoria 104
Paralyſis quæ colicum dolorem ſequitur, natura, cauſæ, generationis modi, criſes & curatio plane noua & exacta: qua autor magno ſuo honore atq; ſucceſſu, ſupra aliquot millia florenorum apud Morauos, Bohemos, alioſq; lucratus eſt 105
De pſeudoparalyticis, quos Germani Contracſt *vocant, cū tabeſcant, vt vix oſſib. hæreant, & manib. ac pedib. ſubinde magis magiſq;, imo tandem prorſus immobiles reddantur* 107

DE STVPORE. 109
Stupor totius corporis cutis viſus ibid.
Digitorum manus ſtupor, ex humero baculo percuſſo obortus, medicamento collo inducto leuatus eſt, cum fruſtra antea digitis adhiberetur ibid.
Ex ſtupore cruris Medici decepti, calculoſum pro paralytico percuratum ibid.
Stupores exorti quid portendant 110
Stupores epidemicis haud abſimiles quibus remediis propulſi ibid.
Hæmorrhagia narium affectus, corporis ſtuporem & inſenſibilitatem incurrit, quam nihil proficientibus remediis mors excepit ibid.

DE TREMORE. ibid.
Rara tremoris ſpecies ibid.
Tremores etiam chronicos, bona diæta curari poſſe ibi.

DE EPILEPSIA. ibid.
Rara epilepticorum ſymtomata ibid.
Rara epilepticæ acceſſionis forma ibid.
Hiſtoriæ epilepticorum admirādis ſymtomatib. affectorū 111
In epilepticorū paroxyſmis, nonnunquā pituitoſum humorē, aliquando cerebri ſubſtātiæ particulā morbi vi extrudi ib.
Admiranda epilepſia, qua æger brachiorū & manuū agitatione conuulſiua inſtar pugilū cū leni rationis noxa & ſine proſtratione in terram torqueri viſus eſt ibid.
Mira epilepſiæ ſpecies aphrodiſiaſtica in qua paroxyſmus ſeminis profluuio ſolutus: aliæ item variis horrificiſq; ſpectrorum imaginationib. & anxietudinib. ægros torquentes 112
Cauſæ ibid.
Epilepſiæ cauſæ præter veterū ſententiā aliæ & nouæ à recentiorib. tum experimento tum ratione conſtitutæ ibid.
Pleraſq; epilepſias à cauſa calida exoriri 114
Epilepticorū cerebrū ventriculos & ſacrā fiſtulam plerunq; limpida aqua eſſe imbuta & repleta ibid.
Ventriculos cerebri aqueo & cruento humore plenos in nonnullis conſpectos eſſe, qui epilepſiæ nunquam obnoxii fuerunt ibid.
De epilepſia à ſanguine ibid.
Melancholia epilepſiæ cauſa 115
Epilepſias à flatib. fumis & vaporib. cauſari, Hippoc. Ariſtot. Auerrhois & aliorum authoritate ibid.
Ex crapula epilepſia oborta 116
Ex vrinarum anadrome funeſta epilepſia ibid.
Epilepſiæ malignitatem, per contactus contagium, in ſanos transferri aliquando annotatum ibid.
Ex animi affectibus epilepſia correpti quidam ibid.
Pueros terrore epilepſia facile corripi ibid.
Subitaneo tubarum terrore puer epilepſia correptus & mortuus 117
Quædam fratris morte ex improuiſo denunciata, comitiali morbo correpta ibid.
Lentis eſu quidam comitialem morbum incurrebat ſemper ibid.
Anguilla affatim deuorata, comitiali morbo correptus quondam ibi.
Aſiduo porrorum eſu epilepſia concitata, eorundem abſtinentia ſublata ibi.
Puella pugno ad tempora cæſa facta epileptica ibid.
A variis corporis partibus per conſenſum ibid.
Epilepſia ab vniuerſo corpore proficiſcens ibid.
Epilepſiæ ſine partium inferiorum coucuſſione, caput ſolummodo afficientes, & parum à vertigine diſtantes ibid.
Particularis epilepſia ſine omni capitis offenſa animaduerſa 118
E ſummo vertice excitari ſolita epilepſia ibid.
Epilepſiæ initium à labro ſuperiore & eiuſdem curatio ibid.
Ex digito, manu, brachio & humero excitatæ primum epilepſiæ ibid.
Ex ore ventriculi ſuſcitata epilepſia ibid.
Ex mamma epilepſia excitata ibid.
Epilepſia à corde ſuſcitata 119
Ex liene proueniens epilepſia ibid.

E veſica

Lemmata Lib. I.

E veſica ſe proferens primum epilepſia exemplo notabili ibi.
Vteri vitio ſuſcitata epilepſia ibid.
A teſtibus & vaſis ſpermaticis prouocata epilepſia ibid.
Ex pedis parte ſuperiore epilepſia initium ſumens ibid.
E cruribus primum & ſura producta epilepſia 120
Hiſtoria cuiuſdam patris & filij, qui cum ſe ob ſcabiem abſq; corporis expurgatione inunxiſſent vulgari linimento, correpti fuerunt, pater palpitatione quadam in dextro brachio, filius autem epilepſia ex pedis conſenſu ibid.
E pedis pollice enata epilepſia ibid.
Grauidarum ibid.
Prægnantes epilepſia affectæ ibid.
Epilepſiam non ſemper in grauidis aborſum facere 121
Epilepſias in grauidis ſectione venarum in cruribus ſæpe curari ibid.
Epileptica acceſſio ex partu difficili nata & crebro recurens, curata ibid.
Puerorum ibid.
De matre puerorum epilepſiæ affini malo ibid.
In matre puerorum cum febre Rutam & caſtoreum minime conuenire, quæque huius mali vera ſit curandi ratio 122
Epilepſia in pueris ſpecies atra & vulgo bruta dicta ibid.
Metaſtaſis ibid.
Epilepſiæ in paralyſin metaſtaſis ibid.
Epilepſia ex terrore contracta, poſt biennium in paralyſim alterius lateris tranſiens, nihilominus ſingulis menſibus, circa nouilunium affligit ibid.
Cum epilepſia ſyncopen aliquando coniungi 123
Diæta ibid.
Comitialium prodigioſa prophylactica diæta ibid.
Curatio ibid.
Epileptica à dæmonibus vexata, reſtituta ibid.
Epilepſiæ venæ ſectione & ſcarificatione curatæ ibid.
Subitanea & difficilis epilepſia, cum rationis priuatione, poſt ſemeſtre per purgationes tempeſtiuas curata ibid.
Acceſſio comitialis grauiſſima, vitio ventriculi derepente ſuborta, curatur ibid.
Epileptici poſt 25. annum curati ibid.
Epileptica triginta annorum conualuit 124
Quadragenarius ab infantia ad eam vſque ætatem epilepſia vexatus & liberatus ibid.
Epilepſia inueterata in ſene curata ibid.
Ad ſæuos dentium & capitis dolores, duciſſa quædam periculoſa epilepſia correpta, quæ poſtmodum in ſiniſtri brachii reſolutionem ceſſauit, tum quibus hæc remediis fuerit reſtituta ibid.
Vulneribus capiti inflictis quidam ab antiquata epilepſia vindicatus ibid.
Tumore in coxa ſuborto, & oſſe vitiato, quidam per conſenſum epilepſia corripi ſolitus: qui tumore & oſſe vitiato percurato, ab epilepſia conualuit 125
Hiſtoria pueri epilepſia ex crure laborantis, deligatione, &c. curati ibid.
Vnico epileptico paroxyſmo eodemque viginti quatuor horis continue & amplius affligente, liberata virgo quædam ibid.
Centum & quinquaginta paroxyſmis epilepticis intra 24. horas exagitatus puer medicamentorum abſtinentia cõualuit quorum vſu prius irritatus fuerat ibid.
Liberari aliquos epilepſia incognita morbi cauſa ibid.
Paracenteſi liberatus ſetone videlicet collo & ceruice perpunctis ibid.
Epilepticorum per pyrotica & ſectiones ſeruatorum variæ & admirandæ claſſicorum authorum atteſtationes ibid.
Rutæ odore quidam caſu ab epilepſia liberatus 126
Pæoniæ vſus ab epilepſia vindicat 127
Alces vngulæ ad comitialem morbum mira vis, hiſtoriis aliquot & experimentis nobilitata. ibid.

DE SPASMO. 128

Symtomata ibid.
Varia ſpaſmi genera ibid.
Conuulſiones infrequentes ibid.
Spaſmi holotonici mira & noua hiſtoria 129
Saltus, motus inordinatus, & riſus in conuulſionibus ibid.
Conuulſio & paralyſis aliquando in eodem membro, alternatim coniunguntur ibid.
Effoſſo oculo ſiniſtro, dextro conuulſus eodemq; latere reſolutus, ſuperuixit ibid.
Diſtentionis & palpitationis genus, ad febris & conuulſionis ſolutionem conſequutum, quo immotis pedibus, corpus indeſinenter ſubſiliebat ibid.
Alia horribilium ſpaſmorum ſchemata, quibus muſculorum & tendinum capita ad diuulſionem vſque extenſa viſa ſunt ibid.
Flatulenta conuulſionis ſpecies rara 130
Rara conuulſio, qua inteſtina, abdomen, teſtes & vaſa ſpermatica conuelluntur ibid.
Mira particularis ani conuulſio ibid.
Admiranda conuulſionis ſpecies, qua in morientibus membrum virile intendi obſeruatum eſt ibid.
Recens etiamnum mortui viſi admirandis conuulſionibus exagitati ibid.
Motus conuulſiuus vt à diſtenſione diſtinguatur 131
Cauſæ 133
Noua de natura & cauſis ſpaſmi ſententia ibid.
Opiſthotono mortuus, in cuius capite aquæ cochlearia tria viſa ibid.
Coturnicum eſu comitialem morbum & conuulſiones contrahi ibid.
Ex decubitu ſub dio in humo contractæ conuulſiones 134
Filius meus triennis ex verminatione in ſpaſmum incidens, excluſo lumbrico, maligni generis viuo, liberatus, ſubſequente tamen tenaſmo, & inde etiam ani procedentia ibid.
Curatio ibid.
Conuulſio exinanitione curata ibid.
Conuulſio ex ſanguinis immenſa hæmorrhagia nata, phlebotomia ſublata ibid.
Opiſthotonus ex congelatione facta in vena caua ibid.
Tenſio neruorum ceruicis curata 135
Vomitione æruginis adoleſcens à febre & conuulſione liberatus ibid.
Conuulſio ab helleboro vomitorio curata ibid.
Quidam ex ſpaſmo dies quadraginta continuos ſpinam ad arcus modum retrorſum inflexam ſuſtinens, vrina lactea emicta, ſumptoque caſtoreo, miraculo quodam conualuit ibid.
Spaſmus ad eryſipelas, bubonem & febrem in infante conſecutus & curatus ibid.
Opiſthotonus curatus 136
Tetanus aquæ frigidæ affuſione curatus ibid.
Mortui ibid.
Ex diſtentione neruorum mors ſubſecuta ibid.
Spaſmo cynico mortua mulier 137
Iuuencula & bene habita, in octauo geſtationis menſe opiſthotono corripitur, graui comitante febre. Quarto à morbi initio die filium parit, poſtera die conuulſa moritur ibid.

Appoloniæ vxor mea dilectiſsima, nonimeſtrem prope partũ vtero gerens, pyrophoba, ædium in vicinia conflagratione perterrita, vna cum fœtu, ventre adhuc concluſo, intra duodecim horas crudeliſsimis ſpaſmis extinguitur ibid.

Opiſth t nos ex clauo pedis digito infixo, ægrũ extinxit 139

DE INCVBO. ibid.

INcubo laborantium hiſtoria ibid.

Epidemici ſeu popularis incubi ſpecies peſtilens & rara ibi.

Incubus in conſtante ætate curatus ibi.

DE MELANCHOLIA. ibid.

SYmtomata ibid.

Prodigioſa melancholicorum hiſtoria ibid.

Melancholiæ varia ſymtomata 142

Hiſtoria melancholici ad riſum proni: quem tandem mœror & triſtitia ſubſequuta ibid.

Alia non multum abſimilis hiſtoria ibi.

Melancholiæ ſingularis quædam ſpecies ibid.

Cauſæ 143

Melancholiæ morbi cauſæ veræ dioriſmo inuentæ, atq; experimento conſtitutæ ibid.

Melancholici cuiuſdam locus affectus circa torcular in cerebro ibid.

Somno ob melancholiam menſibus quatuordecim quidam deſtitutus ibid.

Curatio ibid.

Virgo quædam ob menſes retentos melancholia correpta, & tandem inſaniens, per venæ ſectionem curata eſt: quæ minime repetita recidiuam incurrit ibid.

Melancholici annuis euacuationib. curati hiſtoria alia 144

Melancholici deſperati vitro antimonij reſtituti hiſtoria memorabilis 145

Mulier melancholica enemate & cauterio curata ibid.

Melancholia cum hæmorrhoidibus annuis purgationibus leuata ibid.

Melancholia difficili cum diuturna alui aſtrictione, poſt multorũ remediorũ inutilem vſum, liberatus quidã ibi.

Caſu à melancholia liberatæ mulieres ibid.

Melancholicus ad cranij fracturam vſque vulnere accepto, à melancholia liberatus eſt, eodem vero conglutinato, melancholiam denuo incurrit 146

Melancholicus vulnere in crure accepto ſanatus ibid.

Melancholiam commoda conſolatione ſæpe curari ibid.

Muſicam ad melancholiam curandam efficacem eſſe ibid.

Singulari ſolertia medici à melancholia aſſerta ibid.

DE LYCANTHROPIA. 147

LYcanthropinæ ſeu lupinæ inſaniæ exempla horribilia ibi.

DE MELANCHOLIA HYPOCHONdriaca. ibid.

MElancholiæ hypochondriacæ dilucidatio ibid.

Melancholiæ hypochondriacæ cauſæ variæ hiſtoria mulieris ab eadem liberatæ oſtenſa 150

DE MANIA SEV INSANIA. 151

ADmiranda carpentarij cuiuſdam inſania ibid.

Cauſæ ibid.

Tuberculo in collo oborto grauiſsima inſania inſecuta ibid.

Mania ſiue inſania ex feruente ſanguine cerebrum petente ibid.

Melancholicus ex effreni coitu inſania correptus 152

Adoleſcenti adamatæ ſuæ aſsidenti, vena ſecundum tempora ſua ſponte diſrupta, feruidiſsimum ſimul ac copioſum ſanguinem profudit ibid.

Melancholicos, Maniacos, vel Inſanos amoris vi, aut Zelotypia inductos, ſibimetipſis teſticulos amputaſſe ibid.

Curatio ibid.

Nocturna inſania curata ibid.

Furore correptus ſuperueniente liberatus 153

Inſania graui ad menſes aliquot detentus ſuperuenientibus varicibus liberatus ibid.

Ex menſibus, aut ſemine copioſo cohibitis: virgines & mulieres quædam in furorem actæ: quæ valido & neruoſo coitu, menſibus & rationi reſtitutæ ſunt ibid.

De inſania mirabili ex amore inducta atq; curata ibi.

Hiſtoriæ amore inſanientium & perdite amantium, qui earum quas exarſerant, coniunctione & perfruitione ab amoris inſania mœrore item & tabe liberati ſunt 154

Mira apud veteres medicos inſania, quam Enthuſiaſmum nominarunt annotata: ſaltandi furore, Muſica, Pharmacia & Diæta coercita ibid.

Rara & horrenda, apud recentiores, inſaniæ ſpecies: qua correpti, miro ſaltandi furore, agitantur, vnde S. Viti choreæ nomen inuenit 155

Delirium cum ſaltatione iunctum 156

Melancholicos, Maniacos, Phreniticos quiq; ex alia cauſa furore perciti ſunt, nõnunquam linguam aliam perſonare, quam non didicerint, aut vaticinari: nec tamẽ eſſe dæmoniacos: medicamentisq; reſtitui poſſe ſæpe ibid.

Maniacus, dæmoniacus falſo creditus: medicamentis curatus ibid.

Mania correpti, caute tractandi ibid.

Mortui 157

Virginum quarundam mira inſania, quæ nullis proficientib. perſuaſionib. aut remedijs ſibiipſis manus intulerunt ibi.

Amoris vi puellæ mortuæ ibid.

Suppreſsis menſibus, opinionem conceptus præbentibus dolore leui ab imo ventre ad fauces pertingente mania corripitur mulier & catarrho, quæ paulo poſt interijt ibid.

Peſtifera inſania correpta puella, primo curatur, poſt menſem vero in eandem incidens vnius diei ſpatio è medio tollitur ibid.

DE DÆMONIACIS. 158

VEre dæmoniacos, poſt eccleſiæ preces, etiam medicorum opera ſæpe reſtitui ibid.

Etiam veteres dæmone obſeſſos per medicamenta vel ante vel poſt exorciſmos adminiſtrata liberaſſe 159

Ad inſaniam, mentis emotionem, melancholiam, experimẽtum ſingulariter celebratum ibid.

DE CATARRHO. 160

CAtarrhi maxime externi natura, cauſa, & generationis modus nouus ibid.

Cautio in catarrhorum cura vtilis ibid.

Infantium catarrhus noſtris frequens, ſæpe cum ſuffocationis aut Epilepſiæ metu ibid.

Puer deſtillatione & febre continua laborans, deſperatus reſtituitur 161

De catarrho ſiue deſtillatione ſuffocante ibid.

Raucedo & grauedo in nonagenario ſene curata 162

Pulueris hauſtu lethalis raucedo inducta ibid.

APPENDIX AD CAPITIS MORbos. ibid.

AQuas vitæ magna cautione vſurpandas in capitis morbis ibid.

Topica cordi applicata capiti etiam conferre 163

Alui obſtructiones ob euaporationes capiti pernitioſas cauendas ibid.

DE

Lemmata Lib. I.

DE OCVLIS.

DE conformatione ibid.
Monſtroſæ oculorum conſtitutiones quorundam: cuiuſmodi ſunt, qui vel oculis omnino carent, vel vnicum, vel tres, aut quatuor habent, vel alienis partib. ſitos ibid.
De humoribus ibid.
Non tantum aquei, quantum vitrei humoris oculis contineri ibid.
Cryſtallinum humorem non in centro oculis conſiſtere 164
Viſionis impeditæ in propinqua vel diſtantia loca, cauſa cryſtallinus humor ibid.
Cryſtalloidem nõnunquam defluxionum vi citra externam offenſam repente ſede ſua propelli: & cur nonnulla falſo gemina appareant ibid.
De iride ibid.
Iris quid reuera ſit, ex celebriorum anatomicorum ſententia ibid.
Nigrum oculi cuidam tam latum, vt quam minimum al[illegible] reſtaret. ibid.
De neruis opticis 165
Nerui viſorii num ſint peruii ibid.
Neruorum opticorum conſtitutio veriſſima ibid.
Neruos opticos non oriri ex anteriori baſis parte: ſed ab initio ſpinalis medullæ produci: contra veterum & recentiorum medicorum placita ibid.
Neruorum congreſſus ratio mira ibid.
De muſculis 166
Neruorum muſculos oculorum mouentium conſtitutionis ratio noua ibid.
Muſculorum oculos mouentium deſcriptio vera ibid.
De tunicis ibid.
De tunicis oculorum anatomicorum ſententiæ, mire variantes, diſtinctæ ibid.
De facultatibus 167
Facultatum incorporearum probe diſtinctarum in oculo viſionis inſtrumento luculenta demonſtratio ibid.
De cauſis morborum ibid.
Cataractæ cauſa, aquei humoris craſſities ibid.
Conſummata ſuffuſio vno die oborta ibid.
Ophthalmia, & imminens ſuffuſio, non per ſe ſed ex vermibus ibid.
Splendores oculorum admirandi ibid.
Læſo muſculo temporali læditur oculus & contra 168
Glaucedo ſuffuſionis ſpecie curata excæcauit ægrum ibid.
Ex humorum copia & defluxione oculum aliquando eouſque diſtendi vt crepet medius, cæcitaſque omnimoda conſequatur ibid.
Puſtulea in cornea enata & medicamento intempeſtiuo ad ſuppurationem deducta, æger excæcatus eſt ibid.
Cæcitas ex vulnere in occipitio repentina ibid.
Citra ſynciput vulneratus viſum amiſit ibid.
Colapho faciei impacto, viſus ſubito amiſſus, quem ſurditas & fatuitas conſecuta ſunt 169
Bombardarum horribili exploſionis corruſcatione atque impetu viſus ſine externa nota ſubito amiſſus ibid.
Oculorum vſu, ex male curato vulnere deſtitutus Rhinoptes quidam per nares viſibilium rerum ſpecies internoſcere & haurire quiuit, exemplo plane ab omni hominum memoria inaudito ibid.
Oculo punctim, ad cerebri ſubſtantiam vſque pugiuncula penetrante, læſo puer ſtatim apoplectico ſimilis, concidit 170
Veſtium ſpinteres incuruatas acus & ligularum ferramenta, aliquando incantationum vi per ſuppurationes ex oculis prodire viſa vt & carneas excreſcentias, pirorum aut pomorum forma, ex iiſdem pronaſci ibid.
Curatio ophthalmiæ ibid.
Hiſtoria œconomi Romani diuitis, qui fuit ab oculorum inflammatione, ac cæcitatis periculo per ſanguinis miſſionem è directo liberatus ibid.
Hiſtoria duorum adoleſcentum, ophthalmia percuratorum ibid.
De lippitudine 171
Ad antiquam ophthalmiam ſetonum & annulorum præclarum remedium ibid.
Deſperatæ oculorum defluxiones ſetonum vſu curatæ ibid.
Phlegmone oculi ſola per aluum purgatione vna die ſanata ibid.
Curatio cæcitatis 172
De cæcitate curata ibid.
Poſt dolorem capitis cæcitas diſcuſſa ibid.
Nonnullis repentino alui profluuio viſus reſtitutus ibid.
Viſus ex implacabili capitis cruciatu & vigiliis, repente amiſſus: qui extracti opiati vſu quaſi ſubito reſtitutus eſt ibid.
Doloribus colicis excæcata mulier idoneis adhibitis viſui reſtituitur ibid.
Quidam, vulneribus frontis, à cæcitate liberati ibid.
Curationes Nyctalopis ibid.
Nyctalopis curatio expedita ibid.
Suffuſionis ibid.
Suffuſio citra chirurgiam curata ibid.
Cæcus quidem altero oculo gallicoſus factus, hydrargyri inunctione à ſuffuſione & morbo gallico vindicatur 173
Ad viſus imbecillitatem oculorum ſuffuſiones nubeculas & maculas, quæ ab angulis oculorum naſci incipiunt, remedia noua & de experimento commendatiſſima ibid.
Procidentia oculorum ibid.
Adoleſcenti Veneto, dexter oculus adeo prominebat, vt omnem faciem deturparet ibid.
Sæua vtriuſque oculi ad genas vſque procidentia, ægrum per ſemeſtria interualla, ſine viſus noxa diuexans ibid.
Oculorum procidentiæ hiſtoria ibid.
Vulnerum ibid.
Oculorum vel ſtilo vel aliter per pupillam ad corneam vſque perforatorum diſciſſorum, illæſo viſu curatio ibid.
Prodigioſi oculorum ictus ſagittis vel aliter illati, vti miraculoſi percurati 174
Lignorum & capillorum fruſtula oculis impacta, vt educta ibid.
Cicatrix in oculo caſu deleta 175
Veſiculæ ſeu animalcula ibid.
De veſicis & puſtulis oculorum ibid.
Animalcula, maiorum cyronum inſtar, in coniunctiua oculi membrana, eiuſdemque albo nata: intenſiſſimum pruritum excitantia ibid.
Adminiſtratio remediorum ibid.
In oculorum vitiis vt remedia adhibenda ibid.
Collyriũ oculo admotum, paulo poſt in palato perceptũ ibid.
Oculorum dolor collyrio ex opio adhibito, exaſperatus ibid.
Oculi factitii 176
Oculi factitii, ex auro encauſto, depicto & tectorio opere expolito ibid.
Qua arte veri oculi iactura celari poſſit ibid.
De palpebris ibid.
Nullos eſſe oculis peculiares muſculos dicatos, verum ſolius late muſculi id opus eſſe, contraria prorſus ſententia ibid.
Muſculorum palpebrarum ratio ibid.
Puncta lachrymalia palpebrarum notata 177
Lapis in palpebra ibid.

Morum nucis iuglandis quantitate cuiuſdam palpebræ innatum ibid.
De ſuperciliis. ibid.
Duplex ciliorum alterius oculi palpebræ, ordo magno vtriuſque oculi incommodo in muliere quadam animaduerſus ibid.
Muſculi ſupercilium trahentes à nullo adhuc cogniti ibid.
Mira paralyſis ſuperioris palpebræ ex immodica frigidorum applicatione ibid.
Cauum ſupercilii læſum fractumve, inſanabile alias, reſtitutum tamen 178
Supercilii vulnus vt curandum ibid.
Abſceſſus ad ſupercilium ſiniſtrum ibid.
De angulis oculorum ibid.
De ſanguine tres fere ſeptimanas ex oculis lachrymarum inſtar, copioſe emanante & profluente ibid.
Vermiculi ex angulis oculorum erumpentes 179
Excreſcentia pilæ quantitate, oculum prope totum operiens, ex cantho domeſtico, ſeri cuidam enata ibid.
Orbita oculorum ibid.
Glandulæ in oculorum orbita recentioribus animaduerſæ ibid.
Oſſa oculi orbitæ innata miræ magnitudinis ibid.

DE AVRIBVS. 180

Conformatio ibid.
Monſtroſæ aurium conſtitutiones quorundam ibid.
Aures pro arbitrio quibuſdam mobiles ibid.
Auditus inſtrumenta ibid.
Audiendi modus quis ibid.
Inſtrumenta auditui ſubſeruientia quæ 181
De aure ibid.
Sedes auditus quis in genere 182
Meatus auditorius, ſiue oſſeus canalis quis ibid.
Communicatio aeris externi cum implantato & myringa ſiue tympano 183
Aer implantatus 184
Secunda cauitas, vel ſecundus meatus, & quæ in eo continentur in genere ibid.
Contenta in ſecunda cauitate, & præſertim de tribus oſſiculis 185
Muſculi in ſecundo meatu poſiti 187
Chorda ſeu filum in ſecunda cauitate ibid.
Feneſtræ duæ delationi ſoni inſeruientes itidem in ſecunda cauitate contentæ ibid.
Meatus a ſecundo auris meatu in os pertingens, & expurgationi inſeruiens 188
Aquæductus ibid.
Labyrinthus ſeu tertia auris cauitas 189
Cochlea, quarta auris cauitas ibid.
Neruus acuſticus ſeu auditorius 190
Cauſæ 191
Ingenioſa ratio cognoſcẽdi, num auditus ſit ablatus ob morbum myringi aut potius nerui expanſi ibid.
Quidam ex coniuge ſana liberos omnes ſurdos & mutos ſuſcepit ibid.
Duo muti & ſurdi intra decem menſes cum molis mortuis & putrefactis nati, ſuperſtites ibid.
Vermes in auribus ibid.
Puris per aures perennis defluxio: puellæ nuper natæ firmioris valetudinis cauſa 192
Auris purulentia, à cerebro profluente, cohibita, mortuus æger ibid.
Aquæ limpidæ per aurem excretio admiranda ibid.
Auriſcalpii intempeſtiuus vſus noxa ibid.
Chirurgi errore dum venam tundit, ſcalpelli acies fracta & poſt aurem delata, frequentes lancinationes excitauit ibid.
Curatio ibid.
Ad humiditates aurium & vlcera capitis puerorum remedia ſingularia ibid.
Surditas venæ ſectione curata ibid.
Theſſalicus quidam, purulentam aurem curauit qua Hiſt. demonſtratur, cur ſumme ſiccantia medicamenta, auribus purulentis adhibenda ibid.
Hiſtoria cuiuſdam in cuius aurem curculio irrepſerat 193
Muſca cuiuſdam aurem ſubiens: vt fuerit educta ibid.
Quidam per luſum & imprudentiam ceraſorum nucleum, alius ſiliquæ ſemen, auribus immittentes eadem non niſi prius inibi germinantia educere potuerunt ibid.
Sphærula corallina in aurem delapſa ſtuporem & dolorem atque adeo tabefact. drac. ij. impulit 194
Auricula cum cranii particula abſciſſa, & ad humerum vſque propendente quidam reſtitutus ibid.
Aures vt reſarciendæ ibid.

DE NARIBVS. ibid.

Conformatio ibid.
Prodigioſæ narium conſtitutiones ibid.
Variæ de olfactus organo authorum ſententiæ ibid.
Naſum dilatantes muſculi recens inuenti 196
Promiſcua ibid.
Lapis in capite Nobiliſſimi cuiuſdam Patricii veneti ad cerebri baſim inuentus olfactus inſtrumenta plane impediens ibid.
Nucleus ceraſi olfactum auferens 197
Narium hæmorrhagia iuueni cuidam in ſingulas hebdomadas familiaris citra vitæ diſpendium ibid.
Prodigioſa narium hæmorrhagia, qua interdum 18. *interdum* 20. *nonnunquam etiam* 40. *ſanguinis libræ profluxere* ibid.
Sanguis poſt reſtinctum fluxum narium ex oculis emanans 198
Hiſtoria iuuenis, cui ſanguinem critice profluxurum è nare dextra Galenus prædixerat ibid.
Narium polypus cum bubonocæle ibid.
Horridum faciei puellæ cuiuſdam ſchema cui naſo excidente facieque adæquata cartilagineum quiddam ſuffectum eſt ibid.
Abſceſſus in naribus notatus: vermeſque duo in naribus geniti ægro inſaniam, febrem & tandem etiam mortem inferentes ibid.
Quidam cum febre laboraret per naſum eiecit vermem obſcurioris coloris & longitudinis quatuor ferme digitorum 199
Alia de vermibus in naribus obſeruationes ibid.
Vermes in naribus polypo vexati ibid.
Curatio ibid.
Cuidam iuueni odorandi ſenſus à diuturna tum grauedine tum deſtillatione læſus & reſtitutus. ibid.
Triduani ſanguinis profluuii mirum vetulæ remedium ibid.
Ad narium hæmorrhoides, polypum, atq; omnem eorundem carnoſam excreſcentiam remedium & hiſtoria rara & notanda. ibid.
Ozænæ curatio 200
Narium vlcus deſperatum, efficaciſſimo remedio curatum ibid.
Turundæ muſcoſæ ex naribus ibid.
Ab exulceratione altera pars narium conglutinata relicto

paruo

paruo foramine ibid.
Noua & inaudita ratio, qua Naſus labra, aures, vel à primo ortu curta, vel multo ante tempore abſciſſa reſtaurari & refici queant, Hiſtoriis & teſtimoniis demonſtrata ibidem.
Naſus recens deciſus, expedite conglutinatus 201
Naſus factitius ibid.
Ab ictu naſi profluuium purulentum vnde magni oſsis, excretio 203
Cuidam naſus cum ſuperiore labro ac mandibula adeo præciſus, vt ſupra mentum propenderet: qui ingenioſa chirurgi curatione, ita conualuit, vt nullũ accepiſſe vnquam vulnus videri poſſet ibid.
Aliud admirandi circa naſum à tauro inflicti & curati vulneris exemplum memorabile ibid.
Circa tempora ſagitta vulneratus, poſt annos viginti quinq; teli partem ſternutatione reiecit 204
Teli ſpiculum naſo tranſuerſum inflictum inibi abſq; ſingulari noxa hærens ibid.
Sagitta circa naſi regionem inflicta vti tandem ſingulari induſtria educta ibid.
Iuuencula phaſeolo naribus intruſo, & inibi tumeſcente non ſine moleſtia per ſternutamentum liberata eſt ibid.
In naſi morbis vt remedia adhibenda ibid.
Ex venula in naribus fortuito ſauciata mortuus quidam ibid.
Hirudo naribus imprudenter adhibita, eademq; ſurſum in cerebrum penetrante: ægrum, nihil proficientibus medicamentis necauit ibid.

DE LINGVA. 205

COnformatio ibid.
Linguæ monſtroſæ conformationes ibid.
Magnitudo ibid.
Lingua prægrandis natura 206
Lingua non natura, ſed morbi vitio portentoſæ magnitudinis ibid.
Guſtus ibid.
Guſtus vt fiat & quæ eius ſedes, quæ inſtrumenta ſint, ſententia noua ibid.
Quidam guſtatu omni deſtituti, ita vt neq; iucunda aut iniucunda diſcernerent: indifferenter vitra, lapides, ligna, viua animalia, carbones, piſces, fœnum, lineos & laneos pannos, atque id genus alia vorabant 207
Moueri linguam poſſe, eiuſdem tactu & guſtu amiſſo ibid.
De ſermone & voce ibid.
Cuidam integre valenti per interualla & periodos ſermonis vſus ademtus & reſtitutus ibid.
Vſum ſermonis interdum ex inducta obliuione intercipi 207
Indignatione quædam obmutuit in totum ibid.
Pueri quidam ad nonum aut duodecimum vſque annum ſermonis vſu deſtituti, tandem vel ætatis decurſu aut ſua ſponte vel etiam artis opera vocales facti ſunt ibid.
De angigloſsis ſeu mogilatis ibid.
Promiſcua 208
Linguæ & vteri ſympathia mira ibid.
Linguæ affectæ in peſtilenti febri rara & formidanda hiſtoria ibid.
Conuulſione quidam ſibi linguam mordicus amputauit ibid.
Lingua abſciſſa ſine valetudinis noxa ibid.
Varia in lingua viſa ibid.
Pili ibid.
Pili in lingua genita, ſatis longi ibid.
Spongia ibid.
Cuidam ſpongia carnoſa in lingua enata, quæ à reſectione in tantum excreuit, vt faucibus vndicunq; occupatis, ægrum ſuffocaret ibid.
Lapides ibid.
Lapides prodigioſæ formæ & magnitudinis in lingua nati, ſermonis vſum nonnullis intercipientes ibid.
Vermes 210
Vermes in lingua ibid.
Curationes ibid.
Mutus & ſyncope affectus puer curatus ibid.
Muti quidam ſola animi vehementi incitatione vocales facti ibid.
De ranulæ natura, eiuſq; curatione recentiorum animaduerſiones & experimenta rara ibid.
Verrucæ in lingua 211
Verruca penſilis magna in lingua enata: qua ratione curata ibid.
Malignum & magnum vlcus linguæ curatum ibid.
Lingua fiſſa vt reſtauranda ibid.
De lingua abſumpta putredine in variolis & renaſcente ibid.
Lingua amputata vt arte ſermo procurandus 212

DE GARGAREONE. ibid.

COlumella inflammata, remedio ſecreto coemto, percurata ibid.
Gurgulionis adeo laxati vt ad dentes vſq; anteriores propenderet curationis hiſtoria ibid.
Columellam, ſi neceßitas exigat, caute & prudenter eſſe exſcindendam: ſiquidem per errorem inciſa, vocis detrimentum, & ſpiritualibus refrigeratis, phthiſim aut citam mortem minatur 213
Vvula imprudenter reſecta mortis cauſa ibid.

DE MAXILLIS. ibid.

MAxillam inferiorem in adultis vnico oſſe conſtare, pueris autem biſoſſem eſſe ibid.
Maxilla inferior capiti ita connata vt immobilis eſſet ibidem.
Puellæ inferior maxilla tota putrefacta exempta, in cuius locum callus enatus dentium & maſticationis munus expiens ibid.
Maxillarum alueolos in ſenibus præſertim poſt dentium iacturam coaleſcere 214
Lapis in maxilla dextra ibid.
Puero decem annos nato ex dextra maxilla tumor magnus, chæradicus, oblongus ad internam colli partem vſq; propendens feliciter inciſus: ex quo extractæ ſcrofulæ plereq; vitelli ouorum magnitudine, ſingulæ tunicis incluſæ, ſcutellam ſalis magnam replentes, num. 72. vna cum radice quæ fœturæ gallinarum reſpondebat puero reconualeſcente ibid.

DE GINGIVIS. ibid.

PRodigioſum gingiuaũ incremẽtum & hyperſarcoſis, tum de epulide, vt varie hæc modis ingenioſe percurata ib.
Sanguinis ex gingiuis profluxus periodicus, animaduerſus 215
Sanguinis è gingiuis profluuium, quod nullis cederet medicamentis, ægrum è medio ſuſtulit ibid.

DE DENTIBVS. ibid.

DEntes in matris aluo gigni, licet non prodeant ibid.
Quidam cum dentibus vel omnibus vel aliquibus nati ibid.

Dentulus

Dentulus 216
Dentium numerum plurimum variare ibid.
Duplex vel nonnunquam etiam triplex dentium ordo obſeruatus ibid.
Dentium loco vnicum os in nonnullis annotatum ibid.
Dentes in palato nati ibid.
Dens ſerratus 217
Dens fere aureus, in puero ſeptem annorum viuente conſpectus ibid.
Dens ſuper dentem enatus ibid.
Admodum ſenibus dentes renati ibid.
Maxillares dentes renaſci ibid.
Duo inciſorii dentes poſt annum 40 enati 218
Ex defluxionibus dentium alueolos aliquando ita repleri gypſea pituita, vt dentes extrudantur ibid.
Lapides dentibus adnati ibid.
Vermes dentium ibid.
De dentibus plura alia rara ibid.
Dolores dentium plerumque à cauſſa calida excitari ibid.
Dentium dolor, qui genuinis prodeuntibus excitatur, non catapotiis, ſed ſcarificationibus tollendus ibid.
Dentitio puerorum ex gingiuarum duritie deſperata, vti ſcalpello ingenioſe adiuuanda 219
Ad dentium dolorem remedia aliquot noua, de experimento comprobata ibid.
Dentes vacillantes aut mobiles non ſtatim eximendi, ſed firmandi potius ibid.
Ex dente putrido ſine vi euulſo, mira hæmorrhagia, in annoſa muliere curata ibid.
Vt dentes ſine dolore & ferro extrahantur 220
Homines ſani dens, in auulſi alterius locum ſuffectus ſtabilitus ibid.
Dentes fictitii, quibus ſenio aut aliter edentulis factis, non tam deformitas emendatur, quam articulatæ vocis formandæ defectus reſarcitur ibid.
Erutis dentibus mortui ibid.
Opiato oleo denti dolenti inuncto, perpetua indolentia, quam mors excepit, ſubſequuta ibid.

DE FAVCIBVS, PALATO, ET RE-
liqua interna oris regione. 221

L*Apis in faucibus enatus* ibid.
Faucium inflammationis ex pulſu, oris inſpectione & idoneis medicamentis dignotio & curatio, contra Theſſalicos aſinos ibid.
Ex acri defluxione palati pars ad linguæ baſim mollior exeſa ibid.
Palati lacuna morbi gallici vitio aut aliter deperdita, vt replenda ibid.
Caruncula in palato ibid.
Cancer oris nuper natorum, cancer albus dictus 222
De ſcyrrho ingenti, in ore nato: à multis pro cancro habito ibid.
Alia ſcyrrhoſi humoris, ex ore excreſcentis hiſtoria & curatio ibid.
Ab oſſe ethmoide caro aliquando producta pondo librarum quinque 223
Admiranda mulieris cuiuſdam excreſcentia circa guttur nata: ſpiritum cibum atque potum intercipiens, cuius portiones reſectæ ſubinde renatæ, quæ non niſi cauterio cohiberi potuerunt ibid.
Verrucæ in gutture ibid.
Stomocatia ibid.

DE FACIE, FRONTE, GENIS,
labiis & ore ibid.

FAcies ibid.
De inſueta & admiranda rubedine faciei ibid.
Sagitta faciei cuiuſdam inflicta, cuius ferrum conſolidato vulnere, relictum ſine incommodo 224
Frons ibid.
Natus diuiſo in fronte craneo, ſine labiis, oris loco paruo foramine & pede vnico ibid.
Infans ſine collo & fronte ibid.
Duos eſſe frontis muſculos, quorum beneficio dimidiã frontem nonnulli mouere poſſunt ibid.
Carcinomate ſecundum læuam frontis partem excogitato, mors ſubſecuta ibid.
Frontis dolor eiuſdem frictione & vellicatione auriculæ laxioris partis apparente venula eaque ſilice inciſa ſublatus ibid.
Malæ ſeu genæ ibid.
Genæ vulneratæ curandæ ratio hiſtoria verminoſi vulneris eiuſdem genæ demonſtrata ibid.
Cancer malæ dextræ, ſingulari remedio curatus, aliis nihil proficientibus 225
Labra ibid.
Labio curto nata ibid.
Labia ob incandeſcentiam ſanguinolenta cuidam ibid.
Fiſſis labiis nati & de labellis leporinis ibid.
Labella leporina & colobomata Græcorum quomodo ab vtero matris è medio tollenda ibid.
Labro tremulo quidam 226
Mulier carbone teterrimo circa os & labra correpta curatur: ſed tamen deformis manet ibid.
Noua & notanda amputandi cancri, qui labra obſedit, ratio ibid.
Os ibid.
Ore gemino, oculis quatuor, dentibus duobus, auribus curtis & barbatus natus ibid.
Mentum ibid.
De nouo morbo mentagra ſeu lichene dicto ibid.
Vlcus menti dentis euulſione ſanatum ibid.

OBSERVATIONVM MEDICINALIVM,

LIBRI SECVNDI LEMMATA.

DE PARTIBVS VITALIBVS THORACE CONTENTIS.

DE TONSILLARVM
affectibus. 227

FOramina ibid.
Tonſillarum tunica, foraminibus peruia imperitis aliquando, in earundem inflammatione, vlcerum faciem ementitur ibid.
Calculi ibid.
Calculorum in tonſillis genitorum, pertinacem tuſſim excitantium hiſtoria & curatio ibid.
Abſceſſus 228
Abſceſſus tonſillarum, tumoribus vtrinq; ſub auribus obortis repurgatus ibid.
Inflammatio ibid.
Hortulanus quidam, ab vua & tonſillis, ac glãdulis inflammatis prope ſuffocatus, vt curatus ibid.

Tonſil-

Tonſillis impacta ibid.
De muliere, cui in tonſillis ſpina piſcium inhærebat, pene ſuffocationem inferens ibid.

DE LARYNGE ET Aſpera arteria 229

AFfectus ibid.
Cartilago totoſſea facta ibid.
Laryngis & aſperæ arteriæ cartilagines in ſenibus totoſſeas fieri ibid.
Vlcera ibid.
De aſperæ arteriæ & laryngis vlceribus ſuperficiariis, vnde per tuſsim cruſtulæ, quas ephelcidas vocant, eiectæ: vel etiam eorundem corpus eroſum, floriduſque ſanguis excretus tum de lactis, quod apud Thabias habetur perfectione, hiſtoria ibid.
Vulnera 230
In laryngibus vulnerati neruis vitiatis ſermonem & vocem amiſerunt ibid.
Phlegmone 231
Quidam aſsidue à phlegmonibus ad guttur exiſtentibus, adeo vexabatur, vt ſuffocationis periculum ſubiret, qui remedio ſecreto curatus eſt ibid.
Impacta laryngi gutturique ibid.
Nucem ponticam, quædam dentibus confringens, incaute per aſperam arteriam ad vitalia pertrahit, vnde ſuffocationis periculum, & vitæ diſcrimen incurrit ibid.
Piſcis ariſta deuorata, & in gutture hærente, difficilia & periculoſa ſymtomata ſubſecuta, quibus tamen æger leuatus eſt ibid.
Sagitta cuidam ſecundum guttur inflicta, & ingenioſe educta ibid.
Glans plumbea per laryngem, aduſq; primam ceruicis vertebram impulſa & hærens incolumi ægro 232

DE SVFFOCATIONE. ibid.

A Rebus per errorem ingeſtis impactiſque ibid.
A rebus variis, velut ſpina, ficu, pyro, acinis, pilo, pilula, caruncula & piſciculo ſuffocati ibid.
Nobilis matrona pilulas ſumtura vnam per errorem, in aſperam arteriam pertrahens, vnde propemodum vitæ diſcrimen incurrit 233
Strangulati quomodo ſuffocentur ibid.
Laqueo ibid.
Laqueo ſtrangulati reuiuiſcentes ibid.
Aqua 234
Aqua ſuffocati & liberati ibid.
Fumido vapido ibid.
Carbonum fumo vel in totum ſtrangulati: vel ad ſummum vitæ diſcrimen adacti ibid.
Obeſitate & aruina 237
Nimia corporis obeſitate ſuffocati ibid.
Curatio ſuffocationis ibid.
In quouis ſuffocationis periculo & metu: velut etiam in pertinaci capitis dolore aliiſq; nonnullis deſperatis morbis, venas iugulares, Guidez Arab. dictas, tuto ſecari poſſe & quomodo ibid.

DE ANGINA. 238

DE ſpeciebus & prognoſticis anginæ ibid.
Species raræ ibid.
Anginæ raræ ſpecies, ex primis vertebris nata ibid.
De latente ac difficili angina ibid.
In angina affluxum ſanguinis ſubinde recurrere 239
Prognoſis ibid.
In angina rubor & tumor ceruicis & pectoris, ſi intro conuertantur, mortis argumentum ibid.
Angina lethalis ibid.
Angina, quatuor phlebotomiis, cum ſcarificationibus, tribus ſanguinis libris eductis: ægrum intra octo horas necauit ibid.
Angina octodecim interdum duodecim, nonnunquam etiam decem horis interficiens ibid.
Ex angina ſtrangulante, & febre peracuta, æger in 4. obiit 240
Hiſtoria cuiuſdam muliercul æ, angina laborantis, quæ deuoratis bolis aliquot caſsiæ & vomitu excitato, ſtatim ſtrangulata interiit ibid.
Anginoſi reſtituti ibid.
Inedia ibid.
Ab angina ſanguinea æger citra ſanguinis miſsionem ſanatus ibid.
Phlebotomia ibid.
Angina acutiſsima, per inciſionem linguæ, præter aliorum expectationem curata ibid.
Senex annorum ſeptuaginta, ab angina præfocatiua miſſo ſanguine, & aliis opportunis adhibitis auxiliis integre curatur ibid.
Experimentis ibid.
Selecta aliquot, tum de experimento tum de hiſtoria ad anginam remedia ibid.
Admirandum Galeni ad anginam experimentum 241
Anginæ cura per guttur lupi ibid.
Anginæ curatio mira & ſuperſtitioſa ibid.
Ingenioſa tumoris cura ibid.
Variæ & ingenioſæ, ſuppurati tumoris in angina, aperiendi rationes ibid.
Anginæ ſuppuratio, ruptorio medicamento promota, exemplo memorabili 242
Anginæ tumor maturus in muliere quinquaginta quinque annorum fœliciter ſectus ibid.
De angina graui & præfocatiua à qua conuerſo extrorſum humore & ſuppurato liberatus æger fuit ibid.
Apertis poſt aures tumoribus, euacuato pure ſoluta angina ibid.
Laryngotomia ibid.
In anginæ ſumma deſperatione laryngotomia, ab Medicis noſtræ ætatis feliciter adminiſtrata & aſperæ arteriæ profunda vulnera ſanata ibid.

DE PVLMONIBVS. 245

DE conformatione pulmonũ tum naturali tum monſtroſa, item de rariis aliis exemplis ibid.
Hominem ſecundum naturam conſtitutum, quatuor tantum pulmonis lobos habere ibid.
Non naturaliter & monſtroſæ conſtitutum hominem quinto pulmonis lobo aliquando obſeruatum ibid.
Tunica pulmonibus foraminibus peruia ibid.
In thorace pulmonis portio minima notata 246
Ingens purulentæ & fœculentæ materiæ copia in thoracis cauitate, exigua pulmonum portiuncula ſuperſtite adinuenta in muliere, quæ aſthmate & phthiſi laborauerat ibid.
Ad cruda tubercula ſpirandi difficultas, ſuppuratio cum ſanguinis ſputo & exiguo pure conſecuta: vni etiam hydrops obortus aperti, inuenti pulmones corrupti, pleuræ cohærentes ibid.
Pulmo ſæpe pleuræ connexus in quibuſdam etiam ſanioſus viſus ibid.
Cuidam coſtarum tumore ſuborto folliculus membranaceus circa

circa iugulum aquæ bullis nigris & maſſa 3. lib. carnea laminatim concreta, refertus, coſtiſque affixus deprehenſus: vna cum aqua in pectore & ſanioſis pulmonibus viſis. ibid.

Pulmones ſiniſtræ parti thoracis adhærentes, in abdomine ſerum copioſum, lien magnus & lumbricus latus, viſa ibid.

Arthriticus & Nephriticus creberrimus defluxionibus obnoxius, ſubito ſuffocatus: cuius corpore aperto, inter alia deprehenſi pulmones coſtis adnati, cruentæ ſaniei, inſtar eorum qui pulmonis hydrope laborant, innatantes. in renibus verò lapis amygdali cum cortice magnitudine ibid.

Oſſa in pulmonibus viſa ibid.

Oſſa in pulmonibus obſeruata ibid.

Calculi ſiue tartarus ibid.

Calculi, variæ formæ & coloris in pulmonibus geniti, tuſſim, laterum dolores, ſanguinis ſpuitionem, aſthma, phthiſin, atrophiam & tandem etiam mortem, inferētes ibid.

Pulmones ipſi lapideſcentes 249

Inappetentia, tuſſi ſicca, & ſpirandi difficultate affecta mulier nullis medicamentis proficientibus moritur: aperto corpore ventriculi fibræ nigræ, duri pulmones, lapideſcentes reperti ibid.

Animalcula ibid.

In aſpera arteria, pulmonibus, & vitalium inſtrumētorum regione, animalcula, muſcis, muſcilionibus, ſtrobylis, nucleis, cimicibus, vermiculiſque ſimilia generantur, quæ pertinacem tuſſim excitant, & cum eadem reiiciuntur ibid.

Carunculæ ſeu veſicellæ ibid.

Varia veluti piſcium veſicellæ & carunculæ è pulmonibus reiectæ ibid.

Pectoris & pulmonis hydrops 250

De pulmonis hydrope ibid.

Hydropis pectoris & pulmonis hiſtoria ibid.

Latens pectoris hydrops, cum melancholia hypochondriaca, febre acuta, leui animi deliquio, vrinæ ardore, & vehementi medendi deſiderio 252

Pectoris hydrops, cum cordis palpitatione ad 20. annos ex qua obiit ſacratiſſ. Cæſar Maximilianus II. ſanctæ memoriæ ibid.

Hydrops pectoris, cum ſuppuratione pulmonis vnius lateris & hydrope vero complicatus ibid.

Hiſtoria abſceſſus purulenti ſeu vomicæ antiquæ in pectore diu citra manifeſtę læſionem geſtatæ cum hydero thoracis: in duobus fratribus germanis natione Italis, Alexandro & Octauio, comitibus Blandiadis intra paucos dies eodem malo iugulatis ibid.

Hydropis pulmonis deſcriptio & curatio plena à Petro Salio exhibita 253

DE ASTHMATE. 254

DE ſpeciebus aſthmatis raris ibid.

Aſthmatis admirandæ ſpecies ibid.

Cauſa ibid.

Aſthmatis cauſam non ſemper in pulmonum cauitatib. conſiſtere ibid.

Aſthma lethale virulentia inunctionis hydrargyricæ contractum 255

Aſthma in iuuentute grauius & intenſius, increſcente vero ætate mitius animaduerſum ibid.

Puer decimum ſeptimum menſem agens, aſthmate detentus 256

Metaſtaſis ibid.

Aſthma in anginam verſum ibid.

Curatio ibid.

Experimenta ibid.

Ad aſthma remedia aliquot rara, ſelecta & comprobati vſus ibid.

DE DISPNOEA 257

CAuſæ, ſymtomata, curatio ibid.

De ambulatione vnica atque altera in conclaui quidam ex eadem ſibi periculoſam diſpnœam conciliare ſolitus ibid.

Flatus nonnunquam diſpnœas difficillimas gignere ibid.

Spirandi difficultas cum ſuffocationis periculo ibid.

Difficultate ſpirādi mortuus, cui atra bilis & ſanguinis nigror in corde concreuerat, ibid.

Spirandi difficultatis curationes & euentus admirabiles atque rari: de raro præſertim Cardani ad ſuturam coronalem pro aqua à capite euacuanda remedio ibid.

DE ORTHOPNOEA. 258

D*E orthopnœa, acceſſionibus quibuſdam inuadente, hiſtoriæ* ibid.

DE TVSSI. ibid.

T*Vßis noua Lutetiæ quinta dicta, pueros cumprimis infeſtans, eiuſq; cauſa & curandi ratio* ibid.

Moleſta tußis ſola ſanguinis mißione curata 259

Tußis vniuerſalis Romæ ſæuientis, curatio ibid.

Tußis octodecim annorum, cum ſputo ex vlcere ſanioſo & cruento, percurata ibid.

Fabarum eſu, pertinaci tußi, præter ſpem liberatus quidam ibid.

Tußi diuturna vexatus, tußilaginis vſu liberatus ibid.

Pernitioſa tußis theriaca noua coercita 260

DE HÆMOPTYSI, ET SANguinis ſpuitione ibid.

CAuſa ibid.

Sanguinis ſputum hirudinis hauſtu contractum ibid.

Adoleſcens refrigeratis vitalibus, tußim contraxit, quam ſanguinis ad dimidiam heminam ſpuitio inſecuta & curata ibid.

Ex fratricidio in mœrorem actus cruentum excreauit ibid.

Duæ ſanguinis heminæ, ex accepta plaga, per tußim reiectæ ibid.

Hiſtoria cuiuſdam mulieris, quæ ſanguinem ex ſalſa deſtillatione expuerat curatæ ibid.

Sputum ſanguinis cum tuberculo circa furculam in latere pectoris dextero 261

Admirabilis morbus, cum ſanguinis ſputo, & narium hæmorrhagia ibid.

De ſpumoſo ſanguine cum tußi reiecto & pulmonis ſphacelo 262

Curatio ibid.

Sanguinis reiectio lapide hæmatite curata ibid.

Copioſißima ſanguinis per os reiectio, cum omnium viſcerum obſtructione, ægrum in diſcrimen vitæ adducit, curatur tamen nutu Dei ibid.

Puer intempeſtiua ſanguinis ſputi ſuppreßione, prope ad tabem deductus, tandem legitime curatur ibid.

Experimenta 263

Ad Hæmoptoicos deſperatos, remedia aliquot ſelecta ibidem.

Mortui ibid.
Adſtringentium intempeſtiuo vſu, hæmoptoicus mortuus ibid.

DE PLEVRITIDE. ibid.

DE ſymtomatis pleuriticorum ibid.
In magna pleuritide aſphyxia triduana ibid.
De fabro lignario ter in quatuor menſibus pleuritide vera correpto & curato ibid.
puella verminoſa pleuriticis ſymtomatibus affecta ibid.
portentoſæ inſtrumentorum naturalium conſtitutiones, vel eorundem inflammationes dolorem pleuriticis ſimilem nonnullis excitarunt 264
Pleuriticorum ſuccingens membrana qualis animaduerſa ibid.
Pleuritis ſpuria, ab externa membrana coſtas ſuccingente, tum muſculis intercoſtalibus exterioribus inflammatis ibid.
Diarrhœa in pleuritide, ſignificat naturæ munia, vt hepatis & ventriculi collapſa eſſe ibid.
De criſi & expurgationibus pleuriticorum per tumorem intercoſtalem ibid.
Pleuritici non tantum per ſputum, verum etiam inter quintam & ſextam coſtam: de foris tumore excitato & ſuppurato, expurgati ibid.
Per ſanguinis mictum 265
Pleuritides quaſdam ante ſeptimam per ſanguinis mictum indicatas & ſolutas fuiſſe ibid.
Per vrinas ibid.
Pus in pleuritide ſæpius per vrinas rarius per aluum expurgari ibid.
Per ſputum & menſes 266
De ſanguinea pleuritide per ſputum & deinde per menſes critica expurgatione finita ibid.
Fluxu alui 267
De pleuritide incocta, & ſine ſputo, ægro à Medicis pro deplorato habito: ſanatur tamen fluxu alui oborto, præter omnium ſpem ibid.
Per ſanati pleuritici & de venæ ſectione ibid.
Rariſsima pleuritis, quæ vtrunque latus obſidens, ſanguinis, vna vice ſupra quatuor libras detractione depulſa eſt ibid.
Matthæo Curtio pleuritico vena contra placita, quæ ſcriptis ſuis multis acerrime tutatus eſt, ſecta: vita ſeruata ibidem.
Pleuriticis, pro locorum varietate ſanguinis miſsionem vel prodeſſe, vel noxiam eſſe ibid.
Petrus Caprarius, puer octennis, pleuritide laborans, ſanguine miſſo, curatus intra ſeptimum diem, Arelatæ Anno M.D.LX. Menſe Auguſto ibid.
Alia ſimilis hiſtoria ibid.
Pleuritis pueri annorum octo, cum mirandis ſymptomatis coniuncta: qui miraculo potius, quam artis ope, curatur 268
Laterali morbo ex pituita oborto, ſanatus illuſtris vir, qui tamen leuiſsima occaſione poſt, dolorem in loco affecto percipiebat ibid.
Experimenta ibid.
De potioribus compertiſsimi vſus ad pleuritidem medicinis ibid.
Mortui pleuritici 271
Pleuritica, circa initia intempeſtiuo theriaces vſu, tandem vitam peripneunomia finiit ibid.
Vini ardentis temerario vſu, pleuritici mortui ibid.
In pleuritide, per venæ ſectionem commiſſo errore lethali, mortua regina ibid.

DE PERIPNEVMONIA. ibid

AD vehementem peripneumoniam brachiorum & manuum torpor ſubſecutus: qui medicamento neruorum laborantium principio adhibito ſublatus eſt* ibidem.
In pulmonico, repentina morte ſublato, deprehenſa pulmonis pars ſuperior cancrenoſa, atque ad iugulum ſubtus alas retracta ibid.
In pulmonia, ſæpe vnus aut alter tantum lobus pulmonis inflammatur ibid.
Ad pulmonis, cordis & ventriculi inflammationem, & complures alios affectus, ex Stibio remedium, nobili hiſtoria demonſtratum ibid.

DE EMPYEMATE, SVPPVRATIS & VOMICA 272

DE empyematis exemplis ibid.
Interdum empyema quoddam colligi ex phlegmate ſuppurato & non ex pure ibid.
Ex pleuritide in empyema verſa, ſiniſtri pulmones toti in ſaniem & pus conuerſi; dextris ſaluis perſtantibus ibidem.
Empyematis curatio expedita ibid.
De vomica ibid.
Vomica quidam caſu & deſperatiene liberatus 273
Vomica oui columbini magnitudine excluſa, ſeruati quidam, quidam periere ibid.
Pulmonis vomica rupta & pure ad cor penetrante, eiuſdemque facultates opprimente, quidam intra horæ quadrantem, ex improuiſo, nullis antegreſsibus ſymptomatibus mortui ibid.
Vomica pulmonis ibid.
De ſuppurata ſeu vomica totius pulmonis ibid.
Thoracis cauitas pure pleniſsima, pulmonis exigua parte ſuperſtite 274
In ſuppuratis incredibilem puris copiam in thorace coaceruari, & ſæpius quotidie per os reiici: quod & in thoracem penetrantibus vulneribus deprehenſum eſt ibid.
Apoſtemate oui magnitudini in pectore ſuborto, ſuppurato atque conſolidato, æger diſpnœam incidens, aliquot inde annis, cum corpus forte reclinaret plurimum faniei & puris è pectore reiecit atque etiamnum indies contaleſcente corpore expectorat ibid.
Stertorem non ſemper ſuppuratum pulmonem cõſequi: tum de ingentis vomicæ in pulmone ſymtomatibus, cum puris vomitu periodico 275
Pulmonis abſceſſum per vrinam: thoracis autem per inteſtina & aluum expurgari ibid.
Pectore ſuppuratus, rupta vomica, liberatur ibid.
Puris ex vomica è thorace, per vſtionem ſectionem & coſtarum perforationem, educendi ratio 276
Noua, ingenioſa & admiranda, puris ſupra ſeptum tranſuerſum coaceruati & concluſi per ſectionem comparato emiſſario, eductio; veriſsimis hiſtoriis demonſtrata: quo vnico remedio, ægri alias certo perituri, ſeruari poſſunt 277
Puris in quauis thoracis ſuppuratione, per ſectionem, eductio 278

DE PHTHISI, PHTHOE, ET TABE. 279

CAuſa ibid.
Phthiſis contagium cum ex parentibus, tum aliis contractum, admirabile ibid.

Puella, menſium ad vitalia anadrome phthiſica facta, periit ibid.
Symtomata 280
Pulmo conſumtus in phthiſicis ibid.
De lateris dolore qui phthiſicis ſuperuenit ibid.
Non omnes tabidos ſanguinem expuere: tum qui eum expuunt, non eundem ſemper cum tuſsi excernere ibid.
De tabe 281
De tabe ſimplici ibid.
De ſumma tabe, cum fluxu ventris ibid.
Fratrum duorum prodigioſa & formidanda tabes ibid.
De phthoe 282
De phthoe cum febre, tuſsi, ſputo puris, & ſpirandi difficultate ibid.
De phthoe exquiſita & ſanguinis ſputo ibid.
Phthiſicos nonnullos, vitam ad multos annos produxiſſe ibid.
Curatio phthiſis noua, rara, abſoluta 283
Phthiſim, contra receptam hactenus Medicorum & Scholarum opinionem, minime inter deſperatos morbos, ſed curabiles, habendam ibid.
Phthiſicos reſtitutos, quibus dimidia pulmonum pars morbo amiſſa 284
Ab Arabibus quoque & ſuperioris ſæculi nonnullis, à phthiſi liberatorum hiſtoriæ & atteſtationes 285
Sacchari Roſacei continuato vſu vindicati à phthiſi ibidem.
Remedia ad phthiſim nobiliora, alia 286
Vlcere pulmonum phthiſicus effectus, curatur magna cura 287
De pulmonum vlcere, præcedente ſanguinis ſputo, indeq́; tabe conſecuta, & purulento ſputo multo: à quo affectu nobilis mulier curata ibid.
Ex tabe ſanata ſola ſanguinis miſsione ibid.
De phthiſi ad ſanguinis reiectionem è pulmonibus ſecuta, eademque curata, cum ægra tota tabefacta, moritura ſperaretur ibid.
Mulier ex pleuritide ſuppurata, tabida facta, lactis vſu potiſsimum curatur ibid.
A febre phthiſi correptus, diæta ex vuis & pullis columborum & cancrorum Peruanorum conſtituta, conualuit 288
Mulier ex cauſa in tabitudinem deducta, vſu lactis aſinini, & inunctione dorſum humectante, curatur ibid.
Cauterio etiam actu phthiſici, ſeruati plures ibid.
De curatione phthoe falſæ ibid.

DE ALIIS PVLMONVM MORBIS. ibid.

Pulmonis morbi rari alii ibid.
Pulmonum ex marcore ſenili tabes ibid.
Tumores & apoſtemata pulmonum 289
Nouus morbus, quo pulmones ſanguine nigerrimo & ſanie multa repleti: citra propriam eorundem ſuppurationem animaduerſi ibid.
Pulmonum corruptorum, & nigricantium in quadragenario, ardentiſsima febre laborante, ſymtomata ibid.
Pulmo aridus, ſcyrrhis plenus, ſyderata pars membranæ ſuccingentis & coſtarum: nunquam pus expuerat, neq́; ſanguinem: ante triennium pleuriticus ibid.
Steatomata & atheromata in pulmone 290
Cancrenoſus pulmo ibid.
Pulmo putridus & ſanioſus, ſiniſtri lateris membranis valide adnatus, cum aliis ſymtomatis, in ſacratiſſ. Imp. Diuo Ferdinando viſus ibid.
Franciſci Galliarum Regis, huius nominis primi, cadaueris diſſectio: in quo præter multiplices nutritionis & generationis inſtrumentorum corruptiones: pulmo putris, dextra parte coſtis circa ſpinam pertinaciter adnatus eſt viſus, cuius ſectione viroſa ſanies effluxit ibid.
Vulnera pulmonum ibid.
Pulmonum fibræ, per abſceſſus & vulnera ablata ibid.
Pulmo ex vulnere putrefactus in tantum, vt cor nudum cōſpiceretur ibid.
Pulmones vulnerati, transfoſsi & præſecti, curati ibid.
Pulmonibus inflatis ex vulnere, ſeruati 291
De pericardio & corde ibid.
Hiſtoria pueri perſanati, cui os pectoris exciſum, & cor aliquandiu nudum apparuit: nam inuolucrum eius computruerat ibid.
Cordis parte patefacta, curatus ibid.
Ictus in cordis tunica, conualuit ibid.
Pericardii pars ablata ibid.
Pericardio deſtitutus 292
De aqua intra pericardium contenta, recentiorum animaduerſiones ibid.
De tabe ex affectu pericardii ibid.
In pericardio Simiæ & Galli tumores ſcyrrhoides viſi: qui analogia quadam etiam ad homines transferri poſſunt 293

DE CORDE VITALI CENTRO. ibid.

DE conformatione cordis ibid.
Bina nonnullis animantibus corda ibid.
Animalia nonnulla, execto corde, reſpirare adhuc interne clamare & fugere aliquo vſque ibid.
Cor in nonnullis deſideratum omnino ibid.
Cor hirſutum in nonnullis annotatum ibid.
Septum cordis cartilagineum 294
Siniſter cordis ventriculus deſideratus ibid.
De ſpatio humanæ vitæ, & de pondere humani cordis quomodo creſcat, & decreſcat, ex anatomica Ægyptiorum obſeruatione ibid.
Ad hepatis inflammationem peripneumonia ſuccedente, mortuus æger. Cuius corpore diſſecto præter alia memorabilia, pulmones ſemiputridi & veſicula cordi adhæreſcens, atro ſanguine referta, viſa ſint ibid.
Pinguedinem cordi vere connaſci & eſſe contra Ariſtotelem, Galenum, & Portium 295
De oſſe cordis recentiorum notationes ibid.
De cordis ſitu mutato ibid.
Cordis ſitum in viuentibus & demortuis plurimum differre ibid.
Tabes cordis ibid.
Cordes phthiſis, eiuſdemque remedium à veteribus annotatum ibid.
Cor Marchionis torrefactum & tabidum 296
Diuturno morbo quidam deficiens, repertus eſt corde in totum abſumto: ſola tunica ſuperſtite ibid.
Vermes cordis ibid.
In peſtiferis febribus vermes aliquando in corde genitos animaduerſos ibid.
Vermes nonnunquam ad cor ipſum penetrare & mortem inferre ibid.
Vermium in corde natorum, eiuſdemque palpitationem,

tremorem, lunaticam quoque paßionem: nonnunquam etiam mortem inferentium, hiſtoriæ admirabiles: tum quibus illi remediis expelli aut necari poßint ibid.
Calculi cordis ſiue tartari 297
In corde duo calculi cum multis abſceßibus & vrinæ difficultatibus, ſaluis renibus & veſica deprehenſi, tum de aliis cordis calculis, eorundemque variis ſymptomatibus ibid.
Calli inſtar calculorum in corde, nonnullis etiam cum vlcere inuenti ibid.
Pinguedo ventriculorum cordis ibid.
Pinguedo in cordis ventriculo reperta ibid.
Carnoſa excreſcentia ventriculi cordis 298
Tuberculum nigrioris carnis in ſiniſtro cordis ventriculo viſum, mortis cauſa ibid.
In ſiniſtro cordis ventriculo, glanduloſæ carnis ſubnigricantis libræ duæ inuentæ ibid.
Carnoſæ, albidæ & flaccidæ propagines, ex vtroq; cordis ventriculo enatæ ibid.
Pituitacea concretio ventriculi cordis ibid.
Pituitea flaueſcens concretio, medullæ inſtar, minimi digiti craſſitie, &c. in duobus cordibus inuenta ibid.
Tumores & apoſtemata cordis ibid.
Vlceris ſeu apoſtematis in auricula & ſubſtantia cordis, magnitudine oui gallinacei, hiſtoria: alia, item, in qua plus quam media pars cordis ſanioſa inuenta demonſtratur ibid.
In ſiniſtro cordis ventriculo tumor durus oui magnitudine 299
Abſceßus vel cor ipſum ambientes, vel in eiuſdem ſubſtantia aut ventriculis nati ibid.
In ſuppurato quodam pericardium totum fere corruptum, & cordis ipſius maior pars exeſa ibid.
Cor extenuatum, cuius ſuperficies putredine conſumpta, intra pericardium menſura puris albi thoracis ſinus pure, ſanie & grumis refertus: pulmo conſumtus: epar immenſæ molis ad vmbilicum vſque exporrectum: Ægro dum viueret, tuſſi, febricula, thoracis & ventris dolorib. cum reſpirandi difficultate & paucis animi deliquiis ante mortem infeſtato ibid.
Vlcera ibid.
Vlcera ſordida in corde reperta ibid.
Vulnera ibid.
Vulnera cordis ſuperficiaria non ſtatim interimere hominem: quia animalia nonnulla poſt notabiles læſiones ſuperuixiſſe ibid.
Cordis vtroque ventriculo tranſuerberatus, atque inde per longam plateam diſcurrens, priuſquam concideret, ſenſibus integerrimis ad horam vſque ſuperuixit 300
Corde ſauciatus, eum qui vulnus intulit, ad ducentos paſſus, priuſquam concideret, proſecutus eſt ibid.

DE PALPINATIONE CORDIS. ibid.

Cordis palpitationes raræ ac variæ ibid.
Palpitatio cordis memorabilis ibid.
De cordis palpitatione, cui & difficilis reſpiratio, & alia grauißima acceſſerunt ſymtomata ibid.
De cordis excreſcentia, qua ſacerdos quidam à pueritia perpetuo laborabat cordis palpitatione 301
Cordis palpitatione nonnunquam coſtas effringi, vel ſede ſua emoueri, vel arterias foras in aneuriſma pugni inſtar dilatari aliquando ibid.
Curatio ibid.
Cordis palpitatio vehementißima curata ibid.
Experimenta ibid.
Nobilia aliquot & exoterica ad cordis palpitationem arcana ibid.
Palpitatione cordis affectus quidam, annua venæ ſectione vitam ad multos annos produxit, ex qua tandem mortuus eſt 302
Mortui ibid.
Hiſtoria cuiuſdam religioſæ mulieris, quæ ex palpitatione cordis mortua eſt ibid.

DE ANIMI DELIQVIO ET ſyncope. ibid.

Frigidißimo vino, poſt longum ſub ardentißimo ſole luſum hauſto, defecit quidam ibid.
Animi deliquium ex pede aut digito colliſo ibid.
Ex putri & fœtido humore intra pericardium contento, creberrima animi defectio ibid.
Non omnes, qui animo linquuntur, moriuntur, præſertim ſi oris ventriculi vitio id accidat ibid.
Salubri vrina deceptus adoleſcens ex atonia facultatum vitalium, mortuus 303
Animi deliquium ob vitalis facultatis atoniā & cordis palpitationem, & cardiacas ſyncopas paſſus quidam, ſubito mortuus ibid.
Prognoſtica ſigna ſyncopes in venæ ſectione incidentis ibidem.
Syncope 24. horas aſphixiam inuehens citra vitæ periculum ibid.
Mulier quædam prægnans ſyncope ſæpius corripi ſolita, vt releuata ibid.
De ſyncope cardiaca, qua concreto in venis ſanguine, ægri ſubito moriuntur ibid.

DE ARTERIIS. 305

De obſtructionibus arteriarum leuium pulmonis ibidem.
Tubercula, calli, calculus ſiue tartarus, atque durities arteriarum 308
Crudi tuberculi, iuxta leues pulmonum arterias nati & in abſceſſum verſi, cum pulſus inæqualitate, Hiſtoria ibidem.
Arteria aorta totoſſea ibid.
Callus in arteria magna obortus, cordis diuturnam palpitationem & tandem etiam aſphyxiam cum aliis in pectore raris pariens, viſus ibid.
De magna arteria quatuor digitos dura infra & ſupra renes 309
Calculi ad baſin arteriæ magnæ nati: & retorrida bile in arterias effuſa, & in tophi nigri ſpeciem concreta, duo ex vehementi pilæ luſu, repentina morte ſublati ibid.
Vulnera ibid.
Arterias vulneratas, nonnunquam coaleſcere ibid.
Inciſa arteria, fere mortuus quidam ibid.

DE PVLSV. ibid.

Pulſuum variæ & raræ conſtitutiones ibid.
De naturali ibid.
Cordis motus & quies, per diaſtolen & ſyſtolen, in viuo animali demonſtratio ibid.
Pulſus cordis, quare in ſiniſtro latere deprehendatur 310
Cordium in dextro latere ſolum pulſantium Hiſtoria ibidem.
Aſphyxia ibid.
Aſphyxiæ, ſiue deficientis pulſus, tum ſanâ tum morboſa cōſtitutione, obſeruationes variæ ac raræ ibid.

Pulſu & motu priuatus puer, in febri 311
Intermittens ibid.
Intermittens pulſus, ſæpe citra periculum animaduerſus ibid.
Pulſus interceptus ex oppreßione virium, ob præſentem plethoram ibid.
Pulſus intermittens, quatenus in febre peſtilenti, melancholia morbo & palpitatione cardiaca non arguat imminens mortis periculum 312
Prognoſis ibid.
Prædictiones ex pulſu admirandæ ibid.
Admirandæ aliæ raræque & monſtroſæ pulſuum conſtitutio ibid.
De reſpiratione 313
Reſpirationis, quam pulſus, maior neceßitas ibid.
Reſpirationes raræ ibid.
Hiſtoria ſerui Barbari, qui cohibita tranſpiratione, mortuus eſt ibid.
Spiratio læſa, ob calcitrationem equi in præcordiorum regione 314
Cuiuſdam compreſſo ſpiritu laborantis, hiſtoria ibid.

DE THORACE. ibid.

A*Bſceßus thoracis ſola theriaca apertus* ibid.

DE MEDIASTINO. ibid.

D*E inflammatione membranarum interſepientium & pericardii* ibid.
Interſtitium in mediaſtino nonnunquam materiam coaceruare & quomodo hæc euacuari poßit 317

DE DIAPHRAGMATE. ibid.

TVmores ibid.
De tumoribus diaphragmatis ibid.
Diaphragmatis, mediaſtini, & cordis tumore mortuus 320
Vulnera ibid.
Diaphragmatis vulnera coadunata ibid.
Diaphragmate vulnerato, ventriculum aliquando aut inteſtina in thoracem per vulnus ſubtrahi 321

DE PLEVRA. ibid.

S*Vbcoſtalem tunicam vbique duplicem eſſe Galeno & experimento id addocente, contra Veſalii ſententiam* ibid.
Subcoſtalis tunica in thoracis morbis craßißima animaduerſa ibid.

MVSCVLI THORACIS. 322

D*Vos tantum intercoſtales muſculos eſſe, contra Veſalium & alios* ibid.

OSSA THORACIS. ibid.

V*Ertebrarum thoracis numerus varius* ibid.
Oßium ſterni ſeu pectoris mira varietas ibid.
Sterni cum coſtis ad interna reflexio natiua, ſpirandi difficultatis cauſa, ibid.
Sterni fractura & depreßio vt emendata & reſtituta ibid.
Coſtarum numerum plurimum variare ibid.
Coſta vera gemina animaduerſa 323
Aliquando duas aut tres coſtas connexas coaluiſſe vel in notabilem tumorem abiiſſe ibid.

ICTVS ET VVLNERA THORACIS. ibid.

P*Ectoris vulnere accepto, ingens puris copia cum pulmonum & aſpera arteria portiunculis excreta, æger tandem conualuit* ibid.
Dexter pulmo vulneratus & abſcedens, reconualeſcente ægro ibid.
Thoracis ſinus apertus ibid.
Sagitta circa præcordia vulneratus, relicto mucrone, vaticinatur multa tandemque miraculo liberatur 324
Ictus in cordis regione, vulnere ad thoracis cauitatem penetrante & coſta diffracta ſeruatus ibid.
Æneo tormento thoracem tranſuerberatus conualuit ibid.
Ex vulnere ad ſcapulas deorſum tendente, puri exitus, ſectione inter quartam & quintam coſtam inſtituta, à diaphragmate procuratur, ægro aperta plaga, ad annum vſque ſuperſtite ibid.
Vulnera thoracis, ſi nihil aut parum ſanguinis in thoracis ſpatium penetrauerit, quam primum eſſe conglutinanda: Si vero ſanguis in thoracem confluxerit, diu aperta eſſe debere ibid.
Noua & veteribus incognita thoracis vulnerum tractandi ratio & puris ex eodem per medicamenta, citra vllam vſtionem, ſectionem aut perforationem euacuandi modus 325
Profunda pectoris & pulmonis vulnera curata 329
Fiſtularum pectoris curatio, à nemine vnquam tradita 330

DE MAMMILLIS. 331

MOnſtroſa conſtitutio ibid.
Mammæ monſtroſæ magnitudinis ibid.
Mulier virilibus mammis prolifica ibid.
Mammam Androgyni alteram virilem, & alteram muliebrem habent ibid.
Puella nata pendulis mammillis, cum pilis ſub alis & in pube, tum etiam in menſtruis obnoxia ibid.
Menſtruo profluuio inſtante, mammæ cuidam mulieri decreſcunt: eodem ceſſante denuo intumeſcunt ibid.
Lac nonnunquam mulieribus per veſicam & vterum excluſum ibid.
Viæ communionis mammarum & vteri, quarum nonnullæ recens compertæ 332
Viſa mulier duplicem in mamma papillam lac reddentem habens ibid.
Mulier vtero gerens, cui circa finem noni menſis ſanguis per alteram papillam multus fluebat ibid.
Lac in mammis virginum aut menſtruis carentium mulierum ibid.
Lac in viris quibuſdam effectum & productum ibid.
Vetula auia filiæ defunctæ infantem lactauit 333
Infans primo menſe lac è papillis reddit ibid.
Trimeſtris puellula tumidis mammillis, lac aquoſum fundentibus ibid.
Morbus pilaris ibid.
Eruditorum de morbo pilari, in mammis oboriri ſolito, animaduerſiones ibid.
Cancer 334
Mamma cancroſa quomodo incidenda & quod eadem nonnunquam in totum præſecetur ibid.
Cancri in mammillis chirurgia vera & à nemine hactenus tradita ibid.
De mamma cancroſa ementita 335
Tumor durus, craßitie oui gallinacei in mammilla mulieris cuiuſdam repertus, cancrum ementiens 336
Carnoſa, ſub dextra mammilla, ex vitioſa ſectione, excreſcentia, ſolo filo curata ibid.
Phlegmone mammillæ, pro cancro habita, curata ibid.

Sangui-

Lemmata Lib. III.

Sanguinis è ſiniſtra mammilla ſtillatio periodica cohibita: lethalis cancri cauſa ibid.

Mulier cancroſa mamma annua purgatione leuata ibid.

Mammillarum cancro, ſi materiam putrefactam continebit, bonis ægri rebus, facto per ſectionem emiſſario, conſules: ne materia regeſta intro ex intempeſtiuo refrigerantium, maxime per plumbi laminam, vſu: lethali Aſtmathi & pectoris, ex ſero cruento & ſanioſo, hydropi, occaſionem præbeamus ibid.

Cancer mammæ medicationibus irritatus, cum iam pulchre curatus crederetur, recrudeſcens mulierculam de medio ſuſtulit 337

Cancrorum in mammis cura palliatiua tum de eorundem cum pepticis irritatione lethali, Hiſtoria ibid.

Arrhenico & ſublimato temere cancroſæ mammæ inſperſis: horribilia atque formidandam ſymtomata & mors ipſa inducta ibid.

Cancros mammillarum nonnunquam proba victus ratione, ſine magno vitæ diſpendio, ad productam ætatem vſq; foueri poſſe ibid.

Tumor mammillæ, mali magnitudine cancri opinionem præbens ibid.

Strumæ ibid.

Strumæ in mammis vtriuſque ſexus ibid.

Puris effluuium 338

Puris ex mammillis fluxus diuturnus ibid.

Vermiculi ibid.

In mammis matronarum quarundam vermiculi nati ibid.

Lapides ibid.

Lapides in mammis mulierum obſeruati: ſed & cuidam mamma tota lapidefacta ibid.

Ad papillarum rimas, quæ puerperas mirum in modum excruciare ſolent, remedium præſeruatiuum, longa experientia comprobatum ibid.

Ad eundem affectum quædam aliæ ibid.

OBSERVATIONVM MEDICINALIVM, LIBRI TERTII, LEMMATA.

DE PARTIBVS NATVRALIBVS NVTRITIONI SERVIENTIBVS ET IMO VENTRE CONCLUSIS.

DE OESOPHAGO ET GVLA. ibid.

DE deglutitione ibid.

Citra deglutitionis ſenſum & immoto gutture bibere nonnullos ibid.

Quidam vel volentes vel mercede incitati, varia; veluti vrceos vitreos, vitra confracta, clauos ferreos, mucronem, coria, teſtas, lapides, ligna, piſces, aliquando aculeatos quoque, anguillam viuam, porro 80 tres thaleros, cordam cum cruce gemmis & quadraginta vnionibus inſtructiſſimam, deglutiuerunt: quæ paulo poſt ſine vitæ periculo per anum egeſſerunt 341

Aliqui per imprudentiam fructuum oſſa, annulos, nummos & id genus alia innoxie deuorarunt, & per aluum egeſſerunt 342

Temere & incaute vel auide quidam poma S. Iohannis; Perſica, carnes induratas, inteſtina duriora, pulmones veruecinos, calculos æneos, & acus deglutientes ſuffocationis periculum & tabem incurrerunt: tum quomodo & quibus remediis his ſuccurſum ſit ibid.

Os acutum deuoratum, per cutem, eroſione facta, exemtum 343

Graminis ramulus deglutitus & integer per intercoſtale ſpatium redditus ibid.

Gladius deuoratus, oborto ſub inguine abſceſſu, erupit ibid.

Ærea acus deglutita, poſt decem annos, perforato ſtomacho, extrinſecus truditur ibid.

Acuum vel ſingularum, vel plurium ſimul deglutitarum & per vrinas excretarum Hiſtoriæ admirandæ ibid.

Inſolentes nonnulli, alii per imprudentiam neruoſæ carnis bolum: ouum integrum: ſquilas: acanthios piſciculos: acus: ſpecillum vulgo tentam dictam deuorantes: mortui ſunt 344

Ad perpetuos capitis, maxime vero ventriculi dolores atque quotidianas pituitæ vomitiones, quibus aliquando membranulæ fibroſæ excretæ, ardorem item oris ventriculi: inſignis deglutiendi difficultas in generoſo Barone conſecuta, adeo vt ingeſtus cibus in œſophago circa ventriculum hærens, non niſi potu dilutior ac liquidior redditus in cauitatem eius deſcendat Hiſtoria mira ibid.

Inſtrumentum ad faciliorem deglutitionem comparatum: quo multi fame alias perituri ſeruati ſunt 345

Ob reſolutionem muſculorum deglutitioni inſeruientium, quidam mortui ibid.

De intemperie, tumoribus & vulneribus œſophagi ibid.

Inflammatio œſophagi ab impacto oſſe piſcis ibid.

Moniales ſynanche ex gula, laborantes, cum ciborum vſu fruſtrarentur, ſolis clyſteribus ſuſtentatæ & percuratæ ſunt ibid.

Ex abſceſſu gulæ homo pene iugulatus 346

Duo apoſtemata intrinſecus circa collum oborta & deglutitionem impedientia, ægro per clyſteres aliquandiu ſuſtentato: tandem aquæ Anagallidis vſu ſuppurata & rupta, pure per excreationem expulſo, conualuit ibid.

Apoſtema gulæ inciſum & curatum ibid.

Gulæ vulnus reſtitutum ibid.

DE ORE VENTRICVLI. ibid.

H*Iſtoria cuiuſdam de roſione oris ventriculi conquerentis* ibid.

Reſolutio 347

Os ventriculi reſolutum ex ictu fulminis in capite, vnde cibi omnes ore tenus reiecti ibid.

Ardor oris ventriculi ibid.

De ſtomachi ardore, veteribus nomine ſolo, nec plene cognito: noſtris vero admodum familiari ibid.

Contra ardorem ſtomachi remedia aliquot laudatiſſima 348

DE CARDIALGIA. ibid.

CArdialgia ex compreßione ventriculi, dum illi incumbit ibid.
Cordis dolore ſenex ſæpius conſueſcens, poſt Perſicorum largiorem eſum, repentina morte corruit ibid.
De inexpugnabili dolore præcordiorum ibid.

DE BVLIMIA ET CAnina fame. ibid.

CAnina fames epidemica facta ibid.
Lumbricus duodecim cubitorum, à muliere bulimia laborante, hieræ picræ beneficio, deiectus ibid.
Bulimia Pruthenorum ſtupenda 349
Prodigioſa fœminæ ingluuies, ex qua diſſecta adipis libr. 20. & epar impendio magnum repertum ibid.
Vir prodigioſæ vaſtitatis & ingluuiei ibid.
Periodica à pubertate quinquagenarii voracitas ibid.
Poſt validam famem, pleniore victu vtentes, mortui ibid.

DE PICA. ibid.

PIca, in viris, virginibus & vetulis animaduerſa ibid.
Citta vel malacia laborantes, nonnulli grauiter periclitati ſunt 350

DE INAPPETENTIA. ibid.

EX deſuetudine venerea & mœrore quidam cibi inappetentiam & vitiatam concoctionem incurrit ibid.
A morbo vulua, cibum omnem faſtidiens, inedia liberata mulier ibid.
Nauſea ex ſemicrudo capite vitulino, menſæ illato, correptus quidam: carnium, inde faſtidium atq; hæmorrhoides incurrit 351
Deplorato faſtidio & nauſea in morbis laborantes interdum ad cibos cogendi ibid.

DE ASITIS. ibid.

QVoſdam ἀσίτους h. e. à cibo abſtinentes, per multos non ſolum dies, ſed & annos vixiſſe ibid.
Libra olei violacei hauſta, quidam per decendium famam ſuſtinuit 352
Sanus quidam, ſeptem dierum inediam vrina propria hauſta, ſubterraneo puteo concluſus, conſtanter ſuſtinuit ibid.
Puellæ hiſtoria mirabilis, quæ vndecim annos lecto decumbens, nullo alio victu quam caſei Stolckii eſu, vitam ſuſtinebat ibid.
Ventriculi debilitate ob morbos laborans mulier, nullo alio victu, quam ceruiſia cum ſacchairo, itemq; fœniculo cum aceto ſe ſuſtentauit, tandem maraſmo conſumta 353

DE SITI. ibid.

SIti enectorum hiſtoria ibid.
Aquæ potu extincti ibid.
ÆStuans & ſitibundus, immodico potu ingurgito, corporeque in gelidam aquam immerſo, incidit inſignem vrinæ fluxum: vnde virium reſolutio & apoplexia lethalis inſecuta. Cadauere flatibus diſtentiſſimo & tantopere intumeſcente, vt loculo vix includi potuerit 354
Prodigioſi potatores ibid.
Nihil bibentes ibid.

DE RVCTV. ibid.

ASſiduus ructus curatus ibid.

DE SINGVLTV. 355

CAuſæ ibid.
De ſingultus cauſis diſcrepantes Medicorum ſententiæ ibid.
Coſtarum ad ventriculum detorſio, trimeſtris ſingultus cauſa: quarum repoſitio eiuſdam curatio 356
Singultus, largo ſanguine effuſo ſedatus ibid.
Plurium dierum ſingultus rariſſimi ibid.
Curatio 357
Ad ſingultum remedia aliquot laudata ibid.

DE NAVSEA ET VOmitu. 358

DE ciborum vomitu ibid.
Fœminæ cuiuſdam prodigioſus aſſumptorum ciborum quotidianus vomitus, periculoſiſſima ſymtomata inuehens, qui ſingulis ſeptimanis, bipartita, ſupra ſex vncias ſanguinis, euacuatione, leuatus, ad octo menſes, citra valetudinis ægræ primariam offenſam, etiam plurium dierum aſitia interueniente, perdurauit ibid.
De ſanguinis vomitu ibid.
Sanguinis vomitus ex quibus venis proficiſcatur: tum quantum ſanguinis in corpore humano ibid.
Sanguinis vomitus aliquibus ſtato tempore innoxius: ſenibus etiam aliquando ſalutaris 359
Vomitus ſaguineus periodicus per annos 20. in quadam nobili fœmina ibid.
Viginti ſex libras ſanguinis per diem naturalem vomens, quomodo percuratus ibid.
Sanguinis vomitus, iecinoris, lienis, & vteri vitio nati, hiſtoria rara ibid.
Vomitu ſanguineo annuatim detenta matrona, præſertim tempore menſium valide aſtringentibus vſa, arthritidem & grauem cephalalgiam incurrit 360
Cuidam poſt ſanguinis vomitum & deiectionem crebram, tandem ventriculus & inteſtina ſanguine referta mortem attulerunt ibid.
Creberrimus vomitionibus, torminibus, ventriculi tumore, tabe totius corporis, & facie flaueſcente affectus quidam: tandem ſanguinis & materia nigerrimæ quotidie ad dimidiam menſuram vomitu correptus. Accedente vero Iſchuria, cum alui adſtrictione, & leipothymia, ventris tumor ſubſequutus, quem mors excepit. Diſſecto corpore in abdominis capacitate magna copia aquæ nigræ inuenta: hepar vtrinque ventriculo adnatum viſum. In pectoris cauitate plurimum aquæ rubentis deprehenſum ibid.
Humorum variorum vomitus 361
Quidam ſingulis menſibus biduum bilem vtramque & pituitam vomere ſolitus, vitam ad multos annos produxit ibid.
Menſtruus porraceæ bilis vomitus ibid.
Vomitionis porraceæ & æruginoſæ bilis pernicioſiſſimæ, hiſtoriæ duæ ibid.
Vomitus mireললbilioſus in acuta febre criticus ibid.
Vehemens ſtomachi dolor vomitu liquoris acetoſi leuatus ib.
Bilis atra & corrupta vltra duas menſuras, (baccalia vulgo dicta) vomitione reiiciens, liberatur ibid.
Plagis & contuſione vxor à marito male mulctata internam vaſorum diruptionem incurrit, vnde

ſtata per ſingulas hebdomadas aterrimi ſanguinis vomitio conſecuta, mulierque ſibi bene habere & cibum auerſari compertum ibid.
Moniali cuidam, quatuor annis continuis corruptorum humorum vomitus cum alui adſtrictione, nihil proficientib. remedijs, lethalis tandem fuit ibid.
Diuturnæ vomitiones 362
De diuturnis vomitionibus, obſeruationes vtiles ibid.
Variarum monſtroſarumq; rerum vomitus ibid.
Clyſteres vomitione in colicis reiecti ibid.
Ex tenuioris inteſtini morbo puella clyſteres, glandes, alui excrementa, monſtroſa ventriculi attractrice, vomitu reijciens, miraculoſe curatur ibid.
In teneſmo ſuppoſitorium vomitione reiectum 363
Inteſtinorum motus expulſiuus euerſus ibid.
Fruſteum carneum, coloris albi, duriſſimum, laborioſiſſimo vomitu depulſum ibid.
Fruſta carnea per vomitum & ſeceſſum expulſa ibid.
Coagulata carniformis ſubſtantia latitudinis duorum pollicum & longitudinis duorum digitorum vomitu reiecta ibid.
Quædam poſt diutinos ventriculi dolores pullum diſcerptũ vomitu eiecit ibid.
Ouiformis globus, ex concreta pituita denſatus, vomitu reiectus ibid.
Globus pituitoſus, carniformis, in cuius centro, bruco ſimilis ventriculus deprehenſus, poſt ſæuiſſimos ventriculi cruciatus vomitu deturbatus ibid.
Vermes per vomitum expulſi 364
De vomitu atræ bilis, vna cum vermibus & ſcarabeis ibid.
Vermes erucis ſimiles febrili paroxiſmo per vomitum expulſi 365
Capillorum veluti glomi per vomitum redditi ibid.
Pannos, clauos, ferramenta, lapillos, & oſſicula vomitione diſturbata ibid.
Gallico morbo affectus, poſt alypticam hydrargyricam ventriculi anguſtia preſſus argenti viui pateram vomitione reiecit ibid.
Diluto vino hauſto, nonnunquam ſinceram aquam paulo poſt vomitu reijci ibid.
Euporiſta ad vomitum & nauſeam remedia ibid.

ORIS VENTRICVLI TVMORES 366

EX obturatione tuberculi ori ventriculi innati, grauida per bimeſtre cibo defraudata, fœtu vitali edito, expirat ibid.
Scirrhus pugni magnitudine gulæ ſubſtantiæ, ad ventriculi orificium innatus, varia ſymtomata, & tandem etiam morbum inuehens ibid.
Eleuatio ſtomachi curata ibid.

DE VENTRICVLO. 367

SYmpathia ibid.
Ventriculum cum capite conſentire & coaffici aliquando idque præter experientiam etiam per anatomen demonſtrari ibid.
Conformatio ventriculi varia ibid.
Ventriculi deprauata conformatio ibid.
Ventriculi craſſitiem concoctionem iuuare ibid.
Ventriculi nimia attenuatio cauſa imbecillitatis ibid.
Macula nigra ventriculi ibid.
Macula lutea ventriculi, illiusque ardor ibid.
Maculæ rub. ventriculi, eiuſdem maximum ardorem inferentes ibid.
Subeuntia in ventriculum per os ibid.
Serpentes, lacertas, aliaque animalia venenata aliquando dormientibus per os in ventriculum irrepere, inibique grauiſſima ſymtomata excitare & occidere ſæpe: tum qua ratione propulſanda ſint ibid.
Monſtroſa in ventriculo genita 368
Ranas, Cyrinos, Bufones, aliaq; animalcula ſimilia vel ex hauſtis per imprudentiam eorundem ouis, ſeu ſeminibus: vel interna putredine, maxime peſtilenti in ventriculo non tantum naſci, ſed in eodem quoque foueri & adoleſcere, periculoſa mortiferaq; ſymptomata excitare, & tãtum non enecare: tum quib. illa quoq; expellantur ibi.
De ſerpente artificioſe è ventriculo extracto 372
Calculus & tartarus ibid.
Lapides in venticulo geniti oui gallinæ magnitudine, intolerabiles dolores excitantes ibid.
Dolor ventriculi 373
Ventriculi dolor immenſus ab hepatis anadoſi natus & ſanguinis per vomitum & phlebotomiam excretione leuatus ibid.
Ventriculi doloribus exagitata quædam bilis in vniuerſum corpus ſuffuſione liberata eſt ibid.
Medici decepti, coli cruciatum pro ventriculi dolore curarunt ibid.
Inflatio ventriculi ibid.
Inflatio ventriculi curata ibid.
Inflammatio ventriculi ibid.
Ventriculi inflammatio, cum varijs ſymtomatibus & complicatis alijs morbis ibid.
Reſolutio ventriculi ibid.
Vitium ſtomachi (reſolutio) curatum 374
Adſtrictio ventriculi ibi.
De adſtrictione ventriculi ibid.
Attritio ventriculi ibid.
Ventriculi attritione laborantis, ab inuaſione febris, in Antonino Imp. dignotio & curatio ibid.

DE LIENTERIA ET COELIACA. 375

CAuſa ibid.
De lienteriæ cauſa noua & ſingulari ibid.
Lienteria & vomitus, ac ſubuerſio ventriculi, vno ferme die naturali curata ibi.
Lientericorum memorabiles hiſtoriæ & rariores 376
A morbo cœliaco clyſtere lacteo curatus ibid.

DE CHOLERA. ibid.

MOrbi & cauſæ deſcriptio ibid.
Choleræ morbi varijs cauſis & humoribus excitati, hiſtoria admirandæ ibid.
Choleræ ex flatibus potiſſimum concitatæ & curatæ hiſtoria 377
De cholera ſicca ibid.

TVMORES VENTRICVLI. 379

TVberculum ventriculo innatum, ruptum, exolutionem vomitionem, animi defectionem, & tandem mortem attulit ibid.
Apoſtemate ventriculi laborans regiæ curationis pertæſus, hellebori potione extinctus eſt ibid.
De apoſtemate frigido ventriculi, ac diuturno, in abſceſſum & pus tranſmutato atq; curato ibid.
Abſceſſus circa fundũ ventriculi, quo paulatim exitus omnis ad inteſtinum duodenum fuit prohibitus 380
Vix vnquam alias animaduerſus morbus, quo deprehenſa in ventriculo Verruca pomi magnitudine: quæ ægrum cum virium imbecillitate, & alijs ſymtomatis eouſq; torſit, donec verruca tota, cum fibrillis per aluum excreta & larga atq; diuturna ſanguinis profuſione ad internecionem deduxit ibid.

In ſtomacho aliquando innaſcuntur carunculæ hæmorrhoidibus ſimiles ſanguinem nonnunquam fundentes ibid.
Scirrhoſi tumores poſt diſſectionem in ſtomacho inuenti ibid.
Duri tumores in parte externa ventriculi ibid.
Tumor in ventriculo natus mali punici magnitudine, qui ægrum cum ſæuiſſimis ſymtomatibus è medio ſuſtulit ibid.

VVLNERA VENTRICVLI. 381

V*Vlnus ſtomachi admirabile* ibid.
Ventriculi vulnera conglutinata ibid.
Ventriculus & ſeptum perforata 382
Ventriculus porci bacillo perforatus ibid.

VLCERA VENTRICVLI. ibid.

V*Illica grauida, nono menſe ventriculi exulceratione laborans, moritur: fœtu vtero exciſo & baptiſato* ibi.
Vlcus ventriculi ſpiritus graueolentiam & tandem etiam mortem inducens ibid.
De *ventriculi vlcere* ibid.
De externis ventriculo lethalibus 383
Frigidiſſimo emplaſtro ſtomacho admoto, mors ſubſecuta ibid.
Quidam violentius pugno ad ſtomachum percuſſus, illico obijt ibi.

REMEDIA RARA VENTRICVLO commoda ibid.

D*E pelle ſeu plumoſo tegmine vulturis, quod mira vi pollet in corroborando ventriculo atq; excitanda cibi auiditate paulo efficacius quam Zinziber, cuius natura quoque exprimitur, non cuiuis obſeruata. Tum de analogis aliorum volatilium pellibus* ibid.
De pyloro 384
Fœtor anhelitus ex laxitate pylori ibid.
Pylorus cuidam occalluit ibid.
Circulo pylori occalleſcente & hectica tabeſcente, mortuus ibid.
In inferiore ventriculi ore & duodeno apoſtema, ſanguis in ventriculo & fellis folliculus pugni magnitudine animaduerſus ibid.

DE INTESTINIS. ibid.

DE diarrhœa & alijs alui profluuiis ibid.
Cauſa ibid.
De *cauſa diarrhœæ ſingulari* ibid.
Diarrhœa menſtrua & torminoſa declinante luna, ægrum periculoſiſſimis ſymtomatis tandem conficit ibi.
Diarrhœa ex diſrupto abſceſſu lienis 385
Diarrhœæ rara ſpecies & monſtroſa, qua oſſa ſæpius excreta viſa ſunt ibid.
Fluxus ventris ſola oratione ſedatus ibid.
Ventris fluxum prædicentis hiſtoria Galeni ibid.
Ad profluuium alui venenoſum, aquæ ſmaragdi remedium 386
Ad diarrhœam & ſtomachi ſolutionem poſt longam inediam, Medicina ibid.
Diarrhœæ curatio familiaribus & probatis remedijs ibid.
Intempeſtiua diarrhœæ compreſſio mortis cauſa ibid.
Quinquennium ex fluxu hepatico laborans ſeruatus à medico de ſecta empiricorum 387

DE DYSENTERIA. ibid.

C*Auſa* ibid.
Breuis dioriſmos ſecundum placita recentiorum medicorum de cauſa dyſenteriæ ibid.
Symtomata ibi.
Ex præcedentibus torminibus eroſi villi quibus vis retinendi fulcitur ibid.
Ex *iiſdem torminibus eroſa viſcera* ibid.
Dyſentericorum hiſtoriæ, quibus oſtenditur, præter inteſtina etiam alias partes vitiari & exulcerari ibid.
Dyſentericæ liquida pici ſimilia deiicientes ibid.
Dyſenteria intempeſtiue ſuppreſſa, multorum grauiſſimorum morborum cauſa eſt ibid.
Dyſenterici inter dormiendum album oculi conſpiciendum proferentes contra Hipp.Aph.52.lib.6.*ſententiam, liberati* ibid.
Carunculis per dyſenteriam excretis, (contra Aph. 26. lib. 4.*) ſanati* ibid.
Curatio ibid.
Dyſentericorum venæ ſectione curatorum, hiſtoriæ variæ ibi.
A deſperata dyſenteria ſorborum eſu liberatus 389
Trimeſtris infans à dyſenteria per clyſterem conualuit ibi.
Ex lethali dyſenteria, qua ſpithamæ longitudine ramenta membranarum inteſtinorum cum pure & ſanguine excreta fuere, quidam conualuit ibi.
Difficultate inteſtinorum laborantes, etiam putreſcentibus inteſtinis, beneficio exterioris eorundem tunicæ ſanati ibi.
Torminibus quadriennium infeſtata mulier, & oborto in ventre tumore, atque ſuppurato, eadem paulo poſt medicamento validiore ſumto, expirat ibid.
Experimenta 390
Rariora ad dyſenteriam experimenta ibi.

DE HÆMORRHOIDIBVS. ibi.

H*Æmorrhoides quibuſdam familijs propriæ* ibid.
Hæmorrhoides, an à cauæ, an vero à portæ venæ ramis melancholicum & fæculentum ſanguinem euacuent eruditorum animaduerſiones ibid.
Hæmorrhoidibus periodicis, vt mulieres menſtruis, vexantur quidam, quibus per venæ portæ non cauæ ramum fæculentus ſanguis expurgatur ibid.
Menſtruo hæmorrhoidum fluxu quidam detentus, cum is ſubſiſteret, ſanguinem rubrum & ſubflauum per os citra febrim aut tuſſim affatim reddidit 392
Hæmorrhoidibus menſtruis conſuetis & ſuppreſſis in menſtruum ſanguinis ſputum incidit quidam ibid.
Hæmorrhoidibus affectus quidam per dies 45. *ad libras duas ſanguinis excernens curatus* ibid.
Sanguinem & pus mingenti, hæmorrhois aperta, ſaluti fuit ibid.
Hæmorrhoidum cum vrinæ ſtillicidio curatio ibid.
Hæmorrhoides fluentes menſium loco etiam in grauidis ibi.
Hæmorrhoidum apertio ſeu prouocatio per hirudines, nouũ eſt iuniorum medicorum inuentum: nec eius vnquam facta mentio ab antiquis medicis ibi.
Ad hæmorrhoidas ſuppreſſas, fungos & thymos in ano, remedium 393

DE COLO INTESTINO ibid.

V*Aluula in inteſtino colo Anno* 1579. *reperta* ibi.
Ex colo inteſtino putrefacto mortui ibid.
Colon inteſtinum denigratum & putrefactum 394

DE COLI DOLORE. ibid.

C*Olicus morbus, quo tempore primum Italiæ innotuerit, & quis eo primus laborauerit* ibid.
Colicum morbum Hippocrati vel omnino incognitum vel illei nomine deſcriptum eſſe ibid.

Lemmata Lib.III.

Colicis nonnullis inteſtina connexa mortem attuliſſe viſa ibid.

Colici doloris cauſæ ſæpe inteſtinorum contortio & complicatio, fæcum etiam duriorum cohibitarum in eorundem nexibus implicatio ibid.

Colici doloris ſpecies rara, ex nobili illa vitrea Praxagoræ pituita orta, perforantis doloris ſenſum inferens ibid.

De colo flatu diſtento, ventriculique fundum comprimente, vnde cibi & potus ſubita ad os regurgitatio 395

Flatuum cohibitione colon nõnunquam brachij amplitudine extendi vel etiam pro crepitu ructus elidere ibid.

Colicæ paſſionis exempla rara & ſtupenda ibid.

Nothi colici dolores ibid.

A coli dolore in paralyſin incidens, menſtruam recidiuam patiebatur: quæ tandem tempeſtiua menſtrua purgatione cathartica curata eſt ibi.

Colicus dolor in quadragenario, ex vitioſis humoribus, quomodo curatus 396

Hiſtoria cuiuſdam qui poſt aſſumptum ſcammoneum doloribus colicis tentatus fuit per quædam interualla ibi.

De agreſti quodam hominẽ, qui, vbi coli dolorem ſenſit protinus ſe cinxit, allium cum pane comedit, nec quicquam tota die bibit, ſed veſperi meracius, & liberatus eſt ibid.

Dolore plenioris inteſtini vexatus quidam vmbilici vnitate ſoluta liberatur 397

Dolor & tormina inteſtinorum mirabili modo ſedata ibid.

In deſperato coli dolore remedium ab argento viuo admirabile ibid.

De colici doloris multis nouis obſeruationibus ibid.

DE ILEO. 400

De valua, ilei foribus ad introitum ad colum præfecta ibid.

De ileo variantes eruditorum ſententia ibid.

De ileo abſoluta tractatio quà pugnantes authorum ſententiæ examinantur, & vera cauſa atq; curationes inſtituuntur 401

Contagione ileum aliquando ſerpere 406

Voluuli lethalis ſigna & hiſtoria ibid.

Inteſtinorum tenuiorum mutus ingreſſus digitalis longitudinis in ileo præcipue morbo animaduerſus ibid.

Ex tenuioris inteſtini morbo ſanatus ibid.

De ilei dolore curato ibid.

Colicæ & Iliacæ paſſionis deſperatæ remedia rara 407

DE LVMBRICIS. ibid.

Numerus prodigioſus ibid.

Vermium copia in inteſtinis ſanorum ibid.

Stupendus vermium numerus & copia ibid.

Lumbrici pedales ſupra centum per medicamentum expulſi ibid.

Emplaſtrum ventri verminoſi pueri inductum per aluum vermium copiam, aquæ vero & ſaniei magnam vim per vmbilicum exegit ibid.

Fœti excluſi ibid.

Lumbricos aliquando fœtos excluſos eſſe ibid.

Veſicula concluſi 408

Veſicula concluſi lumbrici excreti ibi.

Veſiculæ aqua flaua & vermibus refertæ, vomitorio ex colocynthide vna cum pituitoſis & porraceis humoribus excretæ vnde diuturnus ventriculi dolor leuatus ibid.

Rara & varia vermium ſymtomata ibi.

Quidam ob vermes Germanica lingua loquebatur, cum nunquam eam didiciſſet ibid.

Verminoſi quidam, ventris inferioris, & ventriculi ſubſultationibus atq; palpitationibus inuoluntarijs affecti ibi.

A lumbricis vexatus puer quieſcere non potuit ibid.

Opiſthotono ex vermibus affecti, quibus capita calcaneis cõnecterentur ibid.

Lumbricos nonnunquam ventriculum, inteſtina vmbilicum & ventrem, hypochondria, atq; inguina perforare, & foras erepere ibid.

Vermium eroſione inteſtini ramentum ſeſqui vlnarum longitudinis foraminulentum excretum 410

Præſagium ex vermibus ibid.

Lati & cucurbitini ibid.

De raro & prodigioſæ longitudinis lumbrico lato & cucurbitino dicto, veterum & recentiorum ſententia atq; hiſtoria admiranda ibid.

Aſcarides 416

Aſcarides cuidam non tantum rectum inteſtinum & anum verum etiam nates & femora fœdarunt ibid.

Aſcaridibus in ano latentibus frequẽti roſione vlcus inibi excitatum, creſcente malo Epilepſia prouocata, quæ vlceris conſolidatione diſpulſa eſt ibid.

De monſtroſis & à communi forma prorſus euariantibus ibid.

Vermis longitudinis octo pedum cornutus, anatis roſtro, poſt ſæuiſſimos ventris dolores, pharmaco expulſus ibid.

Fera, lacerti forma, hirſuta, quadrupes, viridis, viua & corpore propulſa ibid.

Non abſimilis hiſtoria alia ibid.

Senex quidam lumbricũ excluſit nigrum, piloſum, quinq; pedalem craſſitie harundinis ibid.

Serpens aluo expulſus ibid.

Anguilla in colo genita, atq; per ſedem excreta ibid.

Lumbricus hirſutus, pedalis, craſſus, cauda bifurcata, Indi Medici conſilio, verbenæ ſumto ſucco, deiectus, ex quo nobilis matrona poſt multorum annorum aduerſam valetudinem, reſtituta 417

Cardialgia annis aliquot vexatus quidam, per vomitum proiecto vna cum pituita lumbrico palmari, capite rubro, leui, piſiformi, lanuginoſo, cauda lunata, quadrupede, liberatus ibid.

In febre policoſa cum Cardiaca patricius quidam vermem euomuit palmaris longitudinis, corniculatum, centipedem ibid.

Intra horæ ſpatium quadraginta vermes excreti, ex quibus vnus niger, piloſus, biceps, dodrantalis eiectus ibid.

Inter alios, nouem pedalis vermis vnus per inferiora eiectus ibid.

Scarabei genus cornutum per aluum excretum ibid.

Vermes erucis ſimiles breuiores, multipedes, viui excreti 418

Remedia noua & rara ibid.

Ad lumbricos præclarum & nouum remedium veterib. incognitum, & de experimento certiſſimum ibid.

Ad puerorum vermes remedium aliud rarum ibid.

DE INTESTINO RECTO. ibid.

Recti inteſtini ob calculum relaxatio, cum vrina impedita ibid.

Abſceſſus in recto inteſtino natus interdum in fiſtulam abit, quæ ſi callum contraxerit, nonnunquam pus tranſmittit & in veſicam penetrat, ex qua, dictu mirum, crepitus è pudendo non minus quam alias è podice mictionis tempore redduntur, ſæpe etiam fæcis aliquid vrinæ permiſtum excernitur ibid.

Fiſtulæ

Fiſtulæ ani quindecim annorum, aut ſupra 419

Ex procidentia inteſtini recti, globus inſigni craßitie in ano citra notabilem offenſam viſus ibid.

Inter rectum inteſtinum & collum veſicæ lapis natus, & per ſectionem deprehenſus ibid.

Ano clauſo, vel nati: vel ex vlcere aliterue per errorem concreto, vt nonnulli ex his reſtituti ibid.

INTESTINORVM VVLNERA. 421

VVlnerato inteſtino mulieris, & conſuto abdomine, retentum ſtercus inteſtinum & abdomen perforando, ægram in vitæ diſcrimen coniecit, quæ non niſi noua ſectione, & magnis cruciatibus reſtitui tandem potuit ibi.

Inteſtina ex vulnere ventris 24. horis propendentia, repoſita, & vulnus curatum ibid.

Inteſtinis vulneratis, ſicut flatus & alui excrementa tranſmitterent, fiſtula inde nata & curata 422

Per medium corpus transfoßi, atq; inteſtinis vulneratis breui conualuere quidam ibid.

Inteſtinorum vulnera à grumis perpurgata, & citra alia remedia oppoſita, externo tantum vlcere conglutinato, naturæ opera conualuere ibid.

Vulneratis pueri inteſtinis, iiſdemq; male curatis atq; ob id occalleſcentibus, & fæces tranſmittentibus, abdomine cõſuto inteſtina ſua ſponte coaluerunt ibid.

Inteſtinorum tenuium portiones, per vlcera, aut abſceſſus, ablatæ ſuperſtitibus ægris ibid.

Inteſtina tenuia & craſſa vulnerata, curata ibid.

Solutionis continui in tenuiore inteſtino ſanatæ hiſtoria alia ibid.

Ieiunum inteſtinorum omnium tenuium maxime inſanabile, ſanari tamen aliquando viſum ibid.

Abdomine cum tribus inteſtinis, iuguloque vulneratus, ad quartum vſque diem præter omnium opinionem vixit 423

Quidam duobus vulneribus cæſim, altero quidem in maxilla, altero vero in manu, acceptis & conglutinatis: tertio vero, quo punctim gladio ventre perfoſſo, Colon inteſtinum prociderat, cum nulla id arte reſtitui poſſet: tandem oris vulneribus propendens, conglutinatum, biennium citra putrefactionem nulla externa aeris corruptione, eo modo, ſalua hominis vita, perſtitit, etiamſi per interualla per oſcilla meſaraicarum ſanguinem, aliquando etiam alui excrementorum ſubcrudorum quippiam remitteret ibid.

Inteſtinum citra mortem vulneratum ibid.

Sciſſo inteſtino graciliore vita amittitur 424

Cuidam venter transfoſſus totus, colo, renibus, ſpina vulneratis, qui cum bilioſis ſaliuationibus, intra 12. horas expirauit 425

DE INTESTINIS IN GENERE VAria alia ibid.

INteſtina ad hypochondria redacta ibid.

Callo in inteſtinis oborto, qui excrementa alui ægre tranſmitteret, monialis quædam mortua ibid.

Inteſtinorum lapis ſiue tartarus ibid.

Stupendæ lapidum ſiue tophorum in inteſtinis genitorum formæ: ſubſtantia, magnitudine, pondere, & colore mire variantes: colicos dolores, teneſmum, inteſtinorũ obſtructiones, aluum adſtrictiorem, ſtomachi & inteſtinorum diuturnos & perpetuos atq; adeo ſæpe implacabiles dolores, pleriſq; etiam mortem inferentes: tum quibus remediis ægri leuati ſint, hiſtoriæ & atteſtationes admirabiles omnino ibid.

Ad colicam tartaream & calculoſam, ſiue inteſtinorum tartarum, remedium Telini olei ſingulare: tum de analogia experimentis 428

Inteſtino tenuiore clauſo vita finitur 429

Ex vento in inteſtinis viſcera diſtendente, mortuus quidam ibid.

In abſceßibus inteſtinorum lapides viſi ibid.

Ex abſceſſu in ventre rupto & pure ad inteſtina confluente, eademque vitiante, aut ſpacelo corrumpente, ſubitanea mors ibi.

Gummi ſagapenum, ammoniacum, & id genus alia clyſteribus iniecta, pernicioſa & lethalia ibid.

STERCORA ALIENO LOCO EXcreta 430

STercus, quidam toto vitæ ſuæ tempore, ore reddere ſolitus alij ſimiliter pluribus annis ibid.

De vomitu ſtercoris eiusque remedio ibi.

Cur ſedes Iliacis clauſa: hiſtoria item noua & rara de virgine, quæ per veſicam & aluum nihil prorſus excernens, ſed ob modicum quoque alimentum crebro excrementa per os reijciebat ibid.

Alui fæces cuidam per vmbilicum expurgatæ, qui prodigioſa cura conualuit ibid.

Stercora per vmbilicum excreta, poſt abſceſſum ad dyſenteriam conſecutum qui inteſtina perforauerat ibi.

Stercora nonnunquam perforatis inteſtinis, & excitatis fiſtulis, aut aliter multis annis emanaſſe, ſine vitæ periculo ibi.

Alui fæces cum vrina, res plane prodigioſa, per penem expulſæ 431

Excrementa alui puellis & mulieribus quibuſdam ex naturalibus excerni ſolita ibid.

Ex inguine euacuatum ſtercus ibid.

Per vlcus veſicæ & recti inteſtini fæces & vrinas defluxiſſe ibid.

Fæces egreſſæ per partem pedis ſuperiorem 432

Varia & monſtroſa per aluum excreta ibid.

Globuli membrana obducti, ex ventre egeſti ibid.

Pili veri per aluum excreti ibid.

Maſſa, in inteſtinis, inſtar coni concreta & per aluum expulſa ibid.

Omenti fruſtum, menſtruo à ſumtione ſpatio, aluo deiectum ibid.

Rotundus tophaceus globus, tunicula inuolutus, ſuberis ſubſtantia, è cæco inteſtino, poſt alui adſtrictionem, & vehementes alui dolores deiectus ibid.

Cachectica quædam, cum frequenti cardialgia & lipothymia, ſumtis alexipharmacis, grauißimis ventriculi & inteſtinorum, maxime vero recti, torta doloribus, tandem plura oßicula & inſtar gallinaceorum & calcaria per aluum egeßit ibid.

Fracta coſta ſpuria, eiuſdem particula palmæ vnius longitudine, ſummo cruciatu, ſeptimo die per aluum eiecta eſt 433

Aquæ frigidæ frequenti potione atque oris collutione reſtinguendæ ſitis cauſa factum, vt aqua circa primas hepatis & ventriculi venas coaceruaretur, & per ingens alui profluuium conſertim fuerit excreta ibid.

Pus à læſis artubus in aluum profluere ibid.

De nigris deiectionibus 434

Diuturno aſtmathe, & vini nauſea, tum deiectionibus nigris vexatus: tandem ſpontaneo ſanguinis fœtidißimi vomitu, vitam finijt 435

Icterica deiectionibus & vrinis nigris, paulo poſt ſemeſtre exhauſta, exſpirauit ibid.

Lemmata Lib. III.

Sanguis nigerrimus ἄνω ϗ κάτω *liberaliter profuſus, ægro vitam finiente* ibid.
Sanguis ater pici ſimilis, cum valetudinis commodo per aluum nonnunquam excluſus 436
Puri ſanguinis per anum profluuium largum ibid.
Excretiones per ventrem mirabiles ibid.
Aluus prodigioſe pigra aut diu ſuppreſſa ibid.
Aluus nonnullis, vel natura, vel morbo prodigioſe pigra vel iners ibid.
Melancholia correpta puella, tribus menſibus nihil aluo egeſſit ibid.
Virgo quædam nobilis annis amplius octo, aluum, vrinam, menſes & ſudores, cum periculoſiſſimis ſymtomatibus, ſuppreſſa habens, vitam tertio quoquo die aluum clyſtere proluendo, ſuſtinuit 437
Tumor ventris inſignis cum retentione fæcum ingenti ac illius curatio 438
Alui adſtrictio ad tres ſeptimanas ob comeſta numeroſa ceraſa: quæ poſt id tempus rurſus aluum ſubierunt 439
Mira alui adſtrictio, qua recti inteſtini pars ſuperior adeo coaluit, vt neque oleum aquas, aut flatus tranſmitteret, fæcibus in cæco cum pleriſq; alijs coaceruatis, quæ poſt ſæuiſſima ſymtomata ægro lethalia fuere ibid.
De difficultate apertionis alui vehementer obſtructæ ibid.
Rara alui ducendæ exempla 440
Hiſtoria Protæ Rhetoris dicentis, ſibi ventrem poſt eſum pomorum ac pyrorum auſterorum deijci ibi.
Ouorum eſu quibuſdam aluus ſubducta ibid.
Pilulis compreſſis & altera parte ſaliua madefactis, atque ventriculo deforis applicatis, Abbatiſſa quædam ſufficienter purgari ſolit. ibid.
Solo purgantium medicamentorum odore quidam plurimū purgabantur 441
Aluus adſtricta, deambulatione nudis pedibus in pauimento, frigida prius aſperſo ſolita ibid.
Aluus cita nimium ibid.
Inuitæ alui excretionis exempla ibid.

DE MESENTERIO. 442

Meſenterium & pancreas perſæpe focum & ſeminarium eſſe latentium & diuturnorum morborum in quo nonnunquam tumor durus, aliquando vera inflammatio & abſceſſus excitatur, vnde pus, ſi per aluum ſyncerum reddatur, ex meſenterio deriuari contingat ibi.
Ex abſceſſu meſenterij mortui ibid.
Apoſtema in meſenterio inuentum 443
Totum meſenterium pure refertum ac quaſi turgidum, cum grauiſſimis ſymtomatib. ægram affligentibus ibid.
Abſceſſus in pancreate latens, perpetuas vigilias, lipothymiam, faciei frigidum ſudorem, & tandem mortem inferens: idque medicorum errore, qui malum id ex ſtomachi ore vel cardiaca paſſione natum putabant ibid.
Callus inter venas meſaraicas natus, ijſdem obſtructis, mortem attulit 444
Strumæ in meſenterio circiter ſeptuaginta, præter glandulas & tumores externæ inteſtinorum tunicæ adhærentes, animaduerſæ, quarum aliquæ ad oui magnitudinem excreuerant, gypſeam glutinoſam, & liquidam materiam membranulis concluſam continentes ibid.
Meſenterium prodigioſe turgens pondere librarum decem, ſcirrhoſum omnino, cum infinitis abſceſſibus ſuis ſinguli tuniculis concluſis, oleoſis, melleis, ſebaceis, albugineis, alijſq; humoribus refertis ibi.
Calculi in meſenterio nati 445
Meſaræon gangrena vitiatum ibid.

DE IECORE. ibid.

Varia conformatio & conſtitutio iecoris ibid.
Iecur hominis ſecundum naturam conſtituti, contra Hippoc. Gal. & aliorum quorundam ſententiam non vt brutorum in lobos ſeu fibras diuidi ibid.
Iecur humanum præter naturam, monſtroſe & rarò-ter admodum aliquando in duos, tres, quatuor, nonnunquā etiam in quinq; lobos ſeu fibras diſtingui: aliquando etiam ad radicem vſq; vt in ſuibus & canibus diuidi 446
Hepar magnum & oblongum ad dextri renis, qui deſiderabatur locum pertingens ibid.
Viſum hepar extremas fibras cirrhis prominentibus hirſutū habens ibid.
Hepar globoſum iuſto minus cum diaphragmate ſurſum pectus retractum ibid.
Iecur peritonæo adnatum ibid.
Corpus ſine hepate & liene inuentum ibid.
Hepar duplex 447
Hepar in ſiniſtris & lien in dextris ibid.
Morbi & ſymptomata iecoris ibid.
Periculoſæ iecoris obſtructiones ex craſſa bile ibid.
In meatibus iecoris, quibus eiuſdem obſtructiones, excitantur, ſi caruncula aut verruca innaſcatur, deploratū malum eſt ibid.
Febris, lateris dolor, ad hepatis obſtructionem conſecuta, & enemate ſublata ibid.
Medicus quidam Siculus Pleuritide ſe affectum falſo credēs, à Galeno iecoris vitio laborare conuictus eſt ibid.
Hepatitis endemia ſeu vernacula noua 448
Iecinoris vitio laborans ſola ſanguinis miſſione ſanatur ibid.
Hepaticæ puellæ extenuatione & exſiccatione affectæ curatio 449
De ſphacelo iecinoris ibid.
Mira affectionis hepaticæ cuiuſdam vis, qua laborantes domeſticos mures obſeruando proſequebantur ibid.
Tumores iecoris ibid.
De apoſtematibus in iecinore inuentis ibid.
Phlegmone hepatis lethalis 450
Abſceſſu in gibba hepatis obortus, ſectione apertus, immiſſa vlceri fiſtula, vnde æger intra annum conualuit ibid.
Tumor infra cartilaginem enſiformem ſubdurus, indolens, pugni magnitudine, viro nobili enatus: in quo, per ſectionem aperto, trecentum veſicæ, aqua pellucida refertæ, vna cum humore craſſo ſebaceo, & pure, compertæ ſunt: ægro ad annum fere ſuperſtite, cuius cadauere diſſecto, obſeruatus abſceſſus in gibba hepatis, plenus veſicis, & materia putrida: alius item maior in pulmonibus, vterque putrida materia ferme ſex librarum pondere repletus: tertius magnitudine oui anſerini, in ima hepatis, qua parte inteſtino erat connatum: quarto in exitu meatus fellei ad inteſtinum, magnitudine oui columbini ibid.
Abſceſſus hepatis ſæpe per vomitum, aluum aut vrinas expurgari, aut in abdominis capacitatem exonerari 451
Latens hepatis abſceſſus, tumore in ventris parte muſculoſa ad ſternūm regione ſuborto, manifeſte ſuppuratus ibid.
Hepatis abſceſſus per tuſſim aut excreationem expurgatus ibid.
Ex vomica hepar putrefactum, ad ſuras putrilaginem tranſmittit ibid.
Hepatis corrupti, maleq; conſtituti exemplum 452
De iecore in totum putrefacto & fœtidiſſimo ibid.

Hepatis

Hepatis ſubſtantia prope in totum abſumta, cuius loco putrilago ac purulenta tanquam marſupio concluſa animaduerſa ibid.

In iecore tumores, maxime ſteatomata viſa ibid.

Lapides in abſceſſu hepatis notati ibi.

De ſcirrho hepatis, ad quem gangrena in crure dextro & tādem mors ſubſecuta ibi.

De ſcirrhe phlegmonode, cum hydrope ſequente ad ſcirrhum hepatis, cum moritura ægra putaretur, ſanata eſt tandē magna cura ibid.

Vermes in iecore ibid.

Vermes in hepate ibid.

Veſicæ in iecore 453

In iecore veſicæ aqua plenæ, quæ ruptæ, aſcitem aliquando creant ibid.

Veſiculæ aqueæ in hepate, liene, bilis veſicula & meſenterio ibid.

Lapides ſiue tartarus iecoris ibid.

Varij generis formæq́; calculi, vel in hepatis ſubſtantia, vel eiuſdem venis nati, & recentioribus obſeruati, qui difficilimos, & immedicabiles morbos, icteros, hydropem, cum grauiſſimis ſymtomatibus & mortem denique attulerunt ibi.

Porus ſanguineus 454

Circa hepatis regionem latens porus ſanguinem per interualla fundens, annotatus, cuius, ſanguine ſua ſponte reſtitante nullum poſtea veſtigium appareret ibid.

Vulnera iecoris ibid.

Non omnia hepatis vulnera lethalia eſſe, ſed abſciſſis etiam eiuſdem fibris quoſdam conualuiſſe ibid.

Citra vitæ noxam aliquando iecoris fibram, omenti & peritonæi partem, vterum deniq́; totum reſectum 455

Hiſpanus, cui hepatis portiuncula per vulnus exſudans perierat, miraculoſe ſeruatus ibi.

Hepar proprium à cane deuoratum: exemplum analogice tantum huc referendum ibid.

Perfoſſo hepate reſtitutus ibid.

Globulo plumbeo circa hepatis regionem transfoſſus, conualuit vulgaribus remedijs ibid.

Vulnera & contuſiones hepatis lethales ibid.

Iecore diſciſſo vel exeſo, pus in abdominis regionem decumbens ibid.

Vlcera iecoris ibi.

De vlcere in gibba iecinoris parte ibid.

Ex vlcere hepatis quidam repentina morte concidit 456

Iecoris portiunculæ aluo eiectæ ibid.

Hepatis particulæ, fruſtillatim, aliquando per aluum, vel vrinam redditæ ibid.

DE VENIS ET SANGVINE. ibid.

IN *eodem latere duæ venæ iugulares* ibid.

Duplex aut triplex vena aiugæ ſocia animaduerſa ibid.

Venæ cauæ & aortæ ruptæ, & quæ inde orta ſint ſymtomata, hiſtoria noua ibid.

Vena porta diſrupta, & caua fiſſa, ventriculus ſanguine repletus, vnde æger poſt diuturnos Nephriticos & ventriculi dolores, & aſſiduas nigras deiectiones, oborta ſyncope expirauit 457

Vermiculi in ſanguine nati ibid.

Pili in ſanguine & excrementis viſi ibid.

Calculi in venis & ſanguine ibi.

Perennis dolor Iſchiadico ſimilis, ex lapillis in ſanguine genitis excitatus, & venæ ſectione ſublatus ibid.

Mira ſanguinis efferueſcentia, qua cuidam rubræ papulæ toto corpore, maxime in brachijs & pedibus obortæ: per interualla in certis locis errantes, tenſo ardore vexantes, tandem ligaturis & venæ ſectionibus: tum etiam ſanguinis contemperatione curatæ ſunt 458

Terrore militum Monialis ex omnibus meatibus ſanguinem fudit ibid.

Quidam, cui per omnis corporis meatus ſanguis erumpebat, reſtitutus ibid.

Nonnullis in locis hæmorrhaginem omnem ex quacunque cauſa vel parte corporis obortam, lethalem eſſe ibid.

Hiſtoria religioſæ cuiuſdam & nobilis mulieris, quæ aſſueta quotannis ſanguinis miſſioni, eam conſuetudinem ad octogeſimum annum vſq; ſeruauit ibid.

Qui ex nimia plenitudine mori viderentur ſola ſanguinis miſſione ſanantur ibid.

Sanguis putridus graueolens extractus mortem præſagit 459

Flatus vena inciſa erumpens ibid.

Sanguis in quadam poſt venæ ſectionem lacteus viſus eſt ibi.

Secta plethorici vena, lac, quod pridie aſſumſerat vna cum ſanguine profuſum eſt ibid.

Sanguis in omnibus totius corporis partibus concretus ibi.

Vena latens & abdita circa venæ ſectionem, quo ſigno manifeſta fiat ibid.

DE VESICA FELLEA. ibid.

DE conformatione eius ibid.

Fel geminum ibi.

Fellis duplex meatus ibid.

Felle quidam carent, quibus vita longior ibid.

Diſruptio & exhauſtio folliculi fellis 460

Veſicellæ bilis diſruptio mortis cauſa ibid.

Fellis folliculus bile exhauſtus mortis cauſa ibid.

Lapides ſiue tartarus ibid.

Horribiles & ſtupendi lapidis, in veſica fellea coagulati, forma, colore, numero ea effectibus admirandis: vomitum, nauſeam, moleſtiam, ſtomachi & hypochondriorum torſiones, atrophiam, tabem, viſcerum obſtructiones, & inflammationes, morbum regium immedicabilem, vigilias laſſitudines, mœrores, melancholicas affectiones, ad iram propenſiones, vrinæ difficultatem & ardorem, cutis leprā, febrem, nec non ſubitaneam mortem occulto & vulgo incognito morborum & ſymtomatum eiuſmodi ſeminario & fomento inducentes ibid.

Folliculus fellis totus in lapidis ſubſtantiam conuerſus 463

Varia in eodem folliculo ibid.

In fellis veſicula varia, in varijs morborum & corporū conſtitutionibus & prodigioſa animaduerſa ibid.

DE CHOLIDOCHIO MEATV. ibi.

M*Eatum, per quem bilis in duodenum exonerantur, diuidi in geminum canalem ante inſertionem* ibid.

De meatu Cholidochio obſeruatio noua contra Fallopij ſententiam ibid.

In meatu fellis, duodeno inſerto, calculorum, forma, numero & ſymptomatibus ſtupendorum & in principe viro inuentorum hiſtoria 464

Bilis veſiculæ meatus duodeno inſertus propaginem ventriculo tranſmittere viſus ibid.

DE ICTERO. ibid.

P*Rodigioſus icterus* ibid.

Prodigioſa aurigine & febre detentus quidam 465

In pertinaci ictero, & difficili hepatis obſtructione, bilem aliquando per manifeſtos, ſæpe nobis ignotos meatus in vētriculum ferri, vnde ciborum nauſea, crebræ vomitionis, atq; oris amarities, cum alijs ſymptomatis excitātur ibi.

Diu-

Lemmata Lib.III.

Diuturno ictero laborans, ſubitaneo bilis in ventriculũ confluxu, mortuus: cadauere diſſecto, iecur magnum, durum & viride lien mollis & magnus viſus ibid.
Tempore Hippocratis nulli Auriginoſi πνευματώδεες erant ibid.
Ante ſeptimum aurigine correpti, liberati quidam ibid.
Ex ictero acutis ſuperueniente præſagium fallax ibid.
Experimenta ibid.
Ad viſcerum, hepatis præſertim obſtructiones, & ictericos, ſpiritus tartari & chalybis elogium ibid.

DE LIENE. 466

Conformatio & conſtitutio varia ibid.
Lienes nonnunquam duo, aliquando etiam tres viſi ib.
Liene deſtituta quædam ibid.
Lien in dextris & hepar in ſiniſtris ibid.
Lien peritonæo annexus ibid.
Lien cuiuſdam tam exiguus viſus, vt oui columbacei magnitudinem non excederet ibid.
Lienem Generoſi cuiuſdam viri exuccum, & pulpa carentẽ inanemq; deprehenſum 467
Lien magnus inſtar iecoris, cuius anteriori parti accreuerat, obſeruatus ibi.
Lien 20. librarum, exterius cartilagine inductus ibi.
De liene viginti tres libras pendente & iecore vndecim ibi.
Vena lienis ibid.
Vena, quæ à liene bilem atram ad ventriculum defert, bifurcata deprehenſa ibid.
Adeps lienis ibi.
Gibbæ lienis parti adeps inſtar candidiſſimi & duriſſimi lapis adnatus ibid.
Lapides ſiue tartarus 468
Lapides in liene viſi, triduanum ſiniſtri lateris dolorem mẽſtruum ante plenilunium excitantes ibid.
Veſica ibid.
Veſica ſub liene aqua plena inuenta ibi.
Membrana ibid.
Membrana à iecore ad lienem ſubtenſa recens animaduerſa & quorum morborum fomentum ibid.
Symtomata ibid.
Ingentes circa lienem dolores, ad imum ventrem ſpectantes, ſuffuſione atræ bilis in vniuerſum corporis habitum ſublati ibid.
Sanguinis miri fluxus in lienoſis ibid.
Fluxus ex liene admirandi, quorum vnus per vmbilicum, alter per occultum porum ſcroti animaduerſus ibid.
Tumores lienis ibid.
Lien ſcirrhoſus, veluti coctus ibid.
Lien albidus & exiguus in hydropico inuentus 469
A lienis tumore quidam annis continuis quindecim, annuatim bis aut ter, per vrinæ profluuium, atramento ſimile liberatur ibi.
Vulnera lienis ibi.
Lienis vulnera non ſemper lethalia eſſe, quin ipſum in totũ aliquando reſectum ibid.
Lienem curſoribus ne obſit, vel inuri vel exſcindi ſæpe ibid.
Quibuſdam integræ lienis particulæ excretæ ibid.
Curatio ſiue medicina lienis ibid.
A vitio lienis capparis eſu, & potione aquæ, in qua candens ferrum extinctum, curatus ibid.
Splenis dolor medicamento paratu facili ſublatus ibid.
Splenicorum curationes prodigioſæ ibid.
Lienoſis ſaluatella tuſa proficit, ex inſomnio remedium Galeni 470
Ad lienis obſtructiones & ſcirrhos experimentum vnum atq; alterum ibid.
De Cachexia ibid.
Cachexia criſis mirabilis ibid.

DE HYDROPE. ibid.

Genera, ſpecies & cauſæ ibid.
Leucophlegmatia à cerebri fluxione orta, Hippocratis ſententia, lib. de locis in homine ibid.
Hydropem, præſertim Aſcitem & tympanitem à cauſa calida proficiſci contra medicorum receptam ſententiam 471
De hydrope ex colliquatione 472
Hydropis ſpecies rara & admiranda, Græcis aliiſque omnium ætatum Medicis, vno Aretæo excepto, incognita, at recentiorum quorundam obſeruationibus iam demum exactius perueſtigata; quam veſiculæ plures, aqua refertæ, in corporibus genitæ, ſymtomata & tumorem hydropicis ſimilem, ſine aqua alia aut flatibus concitarunt: adeoque mortem intulerunt 473
Hydropes particulares 474
Vix vnquam alias animaduerſa hydropis ſpecies, quæ, hepate ſaluo, & aliis internis partibus, vitio teſticulorum muliebrium orta eſt ibi.
De hydrope teſticulorum muliebrium, cum variis aliis grauiſſimis ſymptomatibus: alia hiſtoria ibi.
Hydrops poſt immodicum ſanguinis profluuium & ruptam vomicam hepatis 475
Crebra, diuturna, & copioſa narium hæmorrhagia, hydropici facti, mortui 476
Ex pertinaci lienis ſcirrho hydrops lethalis ibid.
A crurum ſcirrhoſo tumore prouocatus hydrops lethalis ibi.
Mictu ſanguinis diuturno, hydropici facti 477
Symtomata 478
Hydropica admodum tumida, ſerpentem per anum excreuit ibid.
Hydropem aliquando ad empyema, phthiſin & ſanguinis ſputum, conſequi ibi.
Epilepſiam nonnunquam hydropi ſuccedere ibid.
Aſcitici cuiuſdam admirandum ſymtoma, qui, cibum ſumpturus aut dormiturus, difficultatem cum ſuffocationis periculo patiebatur. Alius in femore ſæuiſſimis doloribus torquebatur, adeo vt horrendis clamoribus vrgeretur ibid.
Hydropis ſpecies rara, qua ægri nullo ciborum faſtidio, vt nec ſiti quoque vehementi torquentur, quod aperientium, & mechioacæ vſu leuarentur 479
Tuſſis hydropi ſuccedens non ſemper mala ibid.
Recidiuæ ibid.
Recidiuæ hydropicorum, poſt euacuationes inuadentes, plerunq; lethales ibid.
Inſperato euentu liberati hydropici ibid.
Aſſiduo labore, citra medicamentorum vſum, hydropicus quidam conualuit ibid.
Cauſa occulta & abdita quidam hydrope ſolutus ibi.
Hydropici humidorum vſu à medicis interdicto ſibi temperantes reſtituti, quorum quidam ab omni potu reliquo vitæ ſuæ tempore abſtinuit 480
Aqua inter cutem laborantes, liberaliore aquæ potu liberati ibid.
Ex vomitu in mari ab hydrope quidam curatus 481
Adoleſcens Aſciticus binis vomitionibus ſpontaneis magna aqua vi profuſa, liberatus ibid.
Ex præciſis vnguibus effluens aqua, hydropicum liberauit ibid.

Aqua intercutem eliſo vtero pulſa ibi.
Sudore ſpontaneo hydropicus exoneratus ibid.
Peregrinatione maritima quidam ab hydrope liberatus ibid.
Per pedes hydropicus exoneratus ibi.
Per veſiculas in digitis pedum obortos magna vis aquæ profuſa, ægra reconualeſcente ibid.
Vſtione per errorem excitata veſica in crure atque ex eadem copioſa aqua effluente, vindicatus ab hydrope adoleſcens ibid.
Hydropico marito mortem intentans venefica, euentu fruſtrata eundem à morbo liberat, ſeroſa materia per lotium excreta 482
Caſu lapidem impingens, & ventrem vulnerans, liberata mulier ſexennium aſcitica ibid.
Abdomine malitioſe perfoſſo, conualuit hydropicus ibi.
Hydrops cauterio potentiali emendatus: æger vero recidiuam incurrens, inter deſperatos iam habitus, rurſus ſibi lacte ebutyrato, cum pane ſecundario intrito medetur ibid.
Aſcite laborãtes, perforato vi naturæ vmbilico, & foras prodeunte aqua, integre curati ibi.
Aſcites, veſicula circa vmbilicum enata, & aqua profuſa, ſolutus 484
In hydrope ſua ſponte natura fecit orificium intra peritonæũ & muſculos ventris, vnde veſiculæ plures ducentis, aquoſæ, extractæ ibi.
Curatio ibid.
Hydropis curatio abſoluta ibi.
Curatorum hydropicorum atteſtationes & hiſtoriæ memorabiles 487
Duobus hydropicis vniuſmodi medicamentum propinatum: contrarios euentus conſecutum eſt 492
Mortui hydropici ibid.
Cauterium tumori pedum in hydrope ſupra genu factum, ægrum gangræna & morte affecit ibid.
Tympanitici mortui ibi.
Hydrops ad diutinos ventriculos doloris, nauſeam & vomitiones conſecutus, lethalis 493
Poſt bene longam tabitudinem ſubito hydropicus factus, moritur ibi.
Hydropici, aqua per vmbilicum excreta, mortui ibid.
Medicorum errore, & Empiricorum inſcitia hydropici quidam mortui 495
Paracenteſis ibid.
De paracenteſi in hydrope adminiſtranda, variæ eruditorũ ſententiæ: tum qua ratione hæc inſtituenda ſit ibi.
Ad paracenteſis in hydrope adminiſtrationem mortui quidam: vel quod Euſplanchni non fuerant, vel quod aqua confertim, emiſſa fuerat 497
Paracenteſis in hydrope vicaria ſectio ibid.
Noua hydropicorum per vmbilicum compunctio ibi.
Anatome hydropicorum cadauerum 499
Hydropicorum corporum quorundam diſſectione, rara & admirabilia quædam animaduerſa ibid.

DE DIABETE. ibid.

Diabete laborantium hiſtoriæ variæ, raræ & memorabiles ibi.
Cotoneorum eſu in diabetem incidentes 501
Ex nimio diureticorum & lithontribticorum vſu, quidam diabete correptus ibi.
Tepentis aquæ medicata libras 16. intra horæ ſpatium bibens, eandem qualem hauſerat, confeſtim eminxit ibid.
Vix quadrantem quidam bibens quotidie ſupra quatuor cantharos meiebat ibid.
Puella plus vrinæ emittens quam ponderaret ibid.
Obeſus quidam, crebra mictione, ſubito extenuatus 502
Vndecim Medici Mediolanenſes vrinæ fluxu mortui ibi.
Vrina per ſemeſtre cohibita, quæ vbi rurſus effluere viſa eſt, aluus per 4. menſes ſubſtitit, tandem vtriſque compreſſis, vrina circa ventriculi regionem magna copia, odore & colore ſe prodente, exudauit: quibus aliæ non multum abſimiles adijciuntur hiſtoriæ ibid.

DE RENIBVS. 503

Conformatio & conſtitutio ibid.
Bubuli & vrſini renes, quales Ariſtoteles humanos eſſe male decernit, etiam in quibuſdam humanibus corporib. animaduerſi ibi.
Renum alterum deficere nonnunquam ibi.
Diſſecto legum Doctoris cadauere, præter alia, viſus ſiniſtro Rene caruiſſe ibid.
Renes nonnunquam tres aut quatuor viſi 504
Quatuor renes in vna mole coniuncti ibid.
Nonnunquam vtrunq; renem, vel alterum ſaltem duas habere cauitates & binos meatus vrinarios, qui prope veſicam coeunt ibid.
Renes iecori affixi ibid.
Morboſa renum conſtitutio ibid.
Renes, pro varia morborum diſpoſitione, multifariam tum colore tum forma & ſubſtantia, immutari ibid.
Ex violento partu, & copioſa ſanguinis excretione mortua muliere, inuenti renes albi, fragiles, putres: quorum membrana flatibus in magnum tumorem extenſa viſa eſt 505
Imminuti, exiccati, obſcuri & tuberculis pleni renes ibid.
Sereniſſimi Erneſti Archiducis Auſtriæ, Proregis Belgij, &c. morbi & ſymptomata: quæque ipſius cadauere diſſecto inuenta fuerint rara ibid.
Emulgentes venæ ibid.
Emulgentes venæ & arteriæ tres, vena Azygos ad ſecundam coſtam pertingens ibid.
Duæ, tres, quatuorue emulgentes venæ in eodem latere animaduerſæ 506
Septem emulgentes venæ notatæ in calculoſo ibid.
Arteriarum & venarum emulgentium, velut etiam Renum atq; vreterum monſtroſa conſtitutio ibid.
Renum imbecillitas ibid.
Vrina rubens propter renum imbecillitatem ibid.
Renum inflammatio ibid
Ex calculis in veſica conſiſtentibus renum inflammatio cui abſceſſus & puris mixtio ſuccedit ibid.
Vrina rubens in morbis frigidis & ex cruditate natis 507
Renum dolor ibid.
Nonnulli, integris & ſaluis renibus pertinaci eorundem dolore affecti ibi.
Conclamatus renum dolor, omnia medicamenta reſpuens, hæmorrhoidum vſu ſubleuatus ibid.
Renum pinguedo ibid.
Pinguedo, lapidis duritie renibus adnata ibid.
Renum carunculæ ibid.
Carunculæ, in renibus ſecundum naturam conſtitutis, obſeruatæ ibid.
Exiguæ carunculæ è renibus per vrinam expulſæ ibid.
Vniuerſa renis ſubſtantia in carunculas reſoluta, iiſdemque ad veſicam delatis, & ſubſiſtentibus, vrinæ ſuppreſſionem lethalem induxerunt 508
Renum trichiaſis ibid.
Trichiaſis renum, quæ cum vrina capilli excernuntur ibid.

Lemmata Lib. III.

Nobilis matrona lanam, filamenta longa, nõnunquam velut ochra tincta, mẽbranacea pilos, atq; huius generis prodigioſa alia multa cum lotio reddidit 509
Renum vermes ibid.
Vermes in renibus geniti, eorundem, vt & lumborum, dolores excitantes, aliquando ad febres conſequentes ibid.
Iſchouria falſa vitio renum eorumq; vaſorum 510
Emulgentium & renũ imbecillitate ſeroſa materia in ſanguine coaceruata, atq; aditu ad veſicam fruſtrata & ad ſuperna delata, ægrũ ſuffocatione & Angina ſuſtulit ibi.
Vrina plurib. diebus ſuppreſſa, cum aditus ad vreteres & veſicam interciperetur, per vaſa ad iecur regeſta ſanguiniq; permiſta eundem refrigerans, cerebri & ſpirituũ craſim labefactauit, vnde lethalis torpor obortus ibid.
Emulgentiũ venarum renumq; deperdita actione, inducta Iſchuria, qua vrina non in veſicam delata, ſed ſurſum regeſta, non tam per vomitum, paulo ante mortem, eiecta, quam in vniuerſum corporis habitum propulſa fuit, Illu-Illuſtriſſimumq; Seuerinum, Illuſtriſſimi Henrici Saxoniæ Ducis filiũ duodecim annos natũ, è medio ſuſtulit ib.
Aliæ illuſtres hiſtoriæ, quibus, nihil vrinæ ad veſicam deferri, oſtenditur 511
De lotij ſuppreſſione, in qua non deſcendit vrina in veſicam 512
Renum alter putrefactus 515
De lithiaſi renum ſiue tartaro ibid.
Cauſa ibid.
Cauſa calculi verior & rarior, ex bolari & viſcoſo tartaro, per ſpiritum ſalis coagulato: tum obiter de catholiciſmo morborum ibid.
Noua calculi renum cauſa ibid.
Calculo renum vexatus, viuus inciſus à Medicis vt cauſas & naturam tantorum cruciatuum & partium rimarentur: ab iiſdem denuo reſtitutus & ſeruatus 516
Genera, Species ibid.
De diuerſis calculi generibus ibid.
Symtomata ibid.
Acris ex lapillo renum doloris ratio, qui partus dolores ſuperet ibid.
Ex calculi difficultatibus aliquando ægros ſyncopas, deliria & vitæ diſcrimen incurrere ibid.
A calculo in cauitatibus renum genito vrina ſine dolore cohibita ibid.
Aliquibus renum alter ſuppuratione colliquatur, altero calculo obſeſſo ibid.
Arenulas nonnunquam citra lithiaſim, præſertim in febribus, excerni; neq; ſemper neceſſe eſſe renes calculoſos arenulas reddere ibid.
Noua & vera ſtuporis crurum & vomitus in nephritico dolore cauſa & ſententia 517
Nephriticus pro colico tractatus à medicis occiſus ibid.
Lapides in renib. naſcentes, & in vreterib. interdũ aliquãdiu ſubſiſtentes, numero, loco, forma, & tempore, plane monſtroſi: qui inflammationes, abſceſſus, vlcera, vomicas, vrinæ ſuppreſſiones, cruentas mictiones, habitus leucophlegmaticos & tandẽ etiã renũ in vniuerſum exeſionem & conſumtionem, nec non vitæ diſcrimen præſentaneo malo inducunt ibid.
Curatio nephriticorum 519
Ingenioſa calculorũ ex renib. per vreteres in veſicã deductio, cucurbitulis ſecundũ vreteris ductum admotis ibid.
Renum calculo laborantium curationes admirandæ 520
Ad calculum & ſuppreſſam vrinam remedium rarum ibid.
Remedium nouum & admirabile quod calculum in lutum diſſoluit, excretumq; denuo in duritiem conuertit ibid.
Cibus rarus lapides frangens ibid
Hiſtoriæ memorabiles, aut confractorum, aut integrorum calculorum per medicamenta, tum ex renibus tum veſica expulſorum ibid.
De cura calculi obſeruatione 523
Renum calculos, viſos aliquando, natura in lumbis exulceratione aut apoſtemate excitato; propulſos: vel inciſione exemtos ibid.
Calculi Renum Cheirurgia 524
Lithotomiam renum veterum, artem arduam, & ſæpe neceſſariam, ob difficultatem, imperitiam, & mollitiem à noſtris neglectam, atq; amiſſam, non tam formidandam impoſſibilemq; eſſe, quam vulgo creditur: rationibus & exemplis illuſtribus comparatur ibid.
Renum tumores 527
Renum calculis obnoxius falſo creditus, intempeſtiuis medicamentis vſus, renum ſuppuratione corripitur, vnde & dyſuriam, iſchuriam incidit, ex qua mortuus: diſſecto corpore, renum alter purulentus totus alba membrana tectus. In veſica fellis lapilli conſpecti ibid.
Ex renum abſceſſu nonnunquam per certa interualla pus per vrinam expurgari ibid.
Ren totus conſumtus, & in pus reſolutus, quod renis tunica concludebatur ibid.
Apoſtemata renum, cum prodigioſa veſicæ conſtitutione ibi.
Apoſtemate & vlcere renis dextri curatus ibid.
E directo renis apoſtema ſuppuratũ, inciſum & curatũ 528
Renum vulnera ibi.
Ren ſiniſter vulneratus & curatus ibi.
Renum portiones per abſceſſus & vulnera ablatæ ibi.

DE VRETERIBVS. ibid.

DVo vreteres ibid.
Vreteres & emulgentes craſſa pituita obſtructi: vnde aquoſitatis renum attractio intercepta ibi.
Frequenti calculorum ex renibus excretione, vreterem in tantum ampliari, vt maiorem digitum recipere, aut peræ inſtar ſabulum & calculos coaceruare poſſit ibid.

DE VESICA VRINARIA. 529

COnfortatio & conſtitutio varia ibid.
Duæ veſicæ vrinariæ, cum aliis animaduerſione digniſſimis ibid.
Extremum colli veſicæ in mulieribus plurimum variare 530
Veſicæ reſolutio 531
Veſicæ reſolutio ſubitanea ex intenſo oſſis ſacri & coccygis dolore, cum ſtranguria tuſſiculoſa & recti inteſtini reſolutione coniuncta ibid.

DE DYSVRIA. ibid.

D*Yſuria* ibid.
Dyſuria, emicto humore albumineo, curata ibid.
Vrinæ vrigo ex defluxione purulenta à paraſtatibus ibid.

DE STRANGVRIA. ibid.

S*Tillicidium vrinæ ex vſu vini Rhenani* ibid.

DE ISCHVRIA. ibid

I*Schuria propter calculum* ibid.
Vreterum altero reſiccato, altero calculo obſeſſo ita vt nihil vrinæ ad veſicam tranſmitteretur, ægri duo mortui 532
Iſchuria octo dierum, cum raris ſymtomatibus, quæ ſedecim librarum vrinæ excretione diſpulſa eſt 533

Vrinæ ſuppreßione ſedecim diebus laborans, tandem aquoſa ventris ſolutione & lapillo cum mucore per vrinam excluſo liberatus eſt ibid.
Vrina voluntatis arbitrio diutius cohibita, Iſchuriam periculoſißimam inuexit ibid.
Iſchuria medicamentis haud cedens perforata cathetere caruncula, ſublata ibid.
Cuiuſdam in perinæo percußi, vnde ſuppreſſa vrina, eiuſdemq; curationis hiſtoria ibid.
Vrinæ retentio propter fæces in recto inteſtino hærentes ibid.
Aliquibus vrina viginti diebus ſuppreſſa: quibus nihil feri in abdominis capacitatem decubuit 534
Vrinæ nunc ſuppreſſæ, nunc præter voluntatem excretæ, hiſtoriæ variæ ibi.
Vrinæ ſuppreßionis curatio, hiſtoria mira ibi.
Ad remoratam puerorum vrinam remedium ibid.
Ad iſchuriam experimenta 535

DE VRINÆ INCONTINENTIA ibid.

MVlier, quæ ex lapſu vrinam continere non poterat, curata ibid.
Vrinæ incontinentia ab exciſo veſicæ calculo ibid.
Alui excrementa & vrina quibuſdam inuitis fluebant ibi.

DE SANGVINIS MICTV. ibi.

SAnguinis mictus periodicus ibid.
De vrinæ profluuio & ſanguinis mictu ibid.
Sanguinis mictus ab hepate dimanans venæ ſectione ſublatus 536
Sanguinis mictus frequenti equitatione aut renum ex veneris imbecillitate contractus ibi.
Sanguinis aterrimi mictu ſubitaneo, arquato morbo liberatus eſt ibid.
Sanguinis mictus allij eſu contractus ibid.
Sanguinis mictus ex caſu contractus, vt expedite percuratus ibi.
Ex vomitu vrina cruenta ibid.
Sanguinis mictus, cum profluuio ſanguineo, ſine inteſtinorū exulceratione in quodam viſus ibi.
Variæ ſanguinis mictus hiſtoria ibid.
Gonorrhœæ aliquando obnoxius vſu thermarum Badenſium in ſanguinis mictum: vnde grumos ſanguineos, forma aciculorum, excreuit 537
Grumi ſanguinis in vrina, ſubſequente ſanie cruenta, hepatis exulcerati argumentum ibid.
A ſanguinis mictu vrinæ difficultas: quæ Chirurgi errore, cathetere veſicæ collum exulcerante, inflammationem & febrem continuam prouocauit: vnde æger, non ſine periculo, ſeruatus eſt ibid.

DE CALCVLIS VESICÆ. ibid.

CAlculi veſicæ cauſa & ſententia noua ibid.
Lapides in veſica nati inſigniores, qui vel numero vel magnitudine, vel ſubſtantia, vel deniq; forma & formidandis accidentib. ægros miſere excruciaruut & plerunque necarunt 538
Lapides veſicæ nonnunquam, nouo exemplo cutaneo inuolucro concludi, qui ob id cathetere explorari minime poſſunt 540
Calculos aliquando veſicæ adnaſci & adhærere 542
Calculus infantium recens natorum ibid.
Mulieres calculo veſicæ laborantes ibi.
Calculorum è veſicis mulierum euulſiones ingenioſæ: tum quibus ſua ſponte prope exciderint 543
Noua exſecandi muliebris calculi ratio ibid.
Setarum velut capillamenta cum calculis in veſica nata ib.
Acus in calculis è veſica extractis depacta ibid.
Mucum calculoſorum non à renibus, ſed veſica defluere, contra Fernelij obſeruationem ibid.
Curatio calculi ſiue tartari in veſica 544
Vrinam calculoſorum ad minus quatriduum adſeruandam antequam Medicus iudicium de ea ferat ibid.
De calculo veſicæ & vlcere curato: relapſu tamen poſt diros cruciatus, cum æger ſe in manus empyrici cuiuſdam nebulonis dediſſet, miſere obijt mortem ibid.
Balneorum & thermarum viribus à calculis liberati ibid.
Calculus in veſica ſponte ruptus ibid.
Calculi vi ſua deciſi 545
Cheirurgia ingenioſa ibid.
Lithotomia veſicæ ex ſententia veterum Græcorum, Latinorum, Arabum, Latinobarbarorum, quæ vulgo Celſica, Guidonica & minor apparatus, appellatur ibid.
Lithotomiæ veſicæ ratio alia recentior, Ioannis de Romanis, quæ ab eiuſdem diſcipulo Mariano, qui eam primus in literas referens ad poſteritatem tranſmiſit, Mariana & maior apparatus nominatur 547
Lithotomia tertia ſpecies admodum recens inuenta, quæ cōtra veterum ſententiam, non per perinæum, ſed per hypogaſtrium, & per membranoſam veſicæ partem ſectio inſtituitur, & ab authore Franconiana dicitur 548
Ob calculum cæſus puer, cum vulnus glutinari haud potuiſſet, margines eiuſdem calculo occalluerunt, vrina ſcilicet ſemper inde excreta; vnde factum, vt chirurgi alterius induſtria, labijs cruſtaceis vulneris recruentatis, reſectiſque calculis, idem rite poſtmodum coaluerit, atq; vrina per legitimum meatum profluxit, ægro in totum reſtituto 549
Quoſdam bis aut ter ſectioni calculoſæ ſe feliciter committere ibid.
Calculi in vrethra per annum ſubſiſtentes ibi.
Lapidis in virgæ meatu hærentis extractio, caute & ſine magna violentia, perficienda 550
Lapidis in virga hærentis chirurgiæ ratio ibi.
Calculus e veſica expreſſus in ceruicem illius ibid.
Tonſor, lapidem cathetere inquiſiturus, vrinarium meatum perrupit, cuius error ægro exitium tulit ibid.
Lithotcmorum circumforaneorum fraus lapides veſicæ ſubeſſe mentientium ibid.

VERMES VESICÆ. 551

VErmes in veſica geniti, longitudinis ſex digitorū, craßitie elychnij, vrinæ difficultatē per interualla inferentes & cum vrina ſæpius viui quoq; emicti hiſtoria & exemplo nouo ibid.
Vermis in veſica natus, dolorem & cruentam mictionē excitans, per penem excluditur, ægrumq; liberat ibi.
Illuſtre exemplum alind vermis poſt vrinæ difficultatem inter dormiendum cum ſanguine reiecti: vna cum vermis viua deſcriptione ibid.
Poſt diuturnum ſiniſtri hypochondrii dolorē, & ſanguinis mictū, quidam vermem calami ſcriptorii craßitie & digiti longitudine, viuū cū lotio excreuit, vnde ſanguinis mictus cohibitus, & dolor conquieuit, qui paulo poſt hydrope correptus interiit ibi.
Vermes poſt vrinam reiecti 552

VESICÆ TVMORES PRÆTER naturam ibid.

SEnex quidam ex caſu pubem ad truncum illidens concreto ſanguine in veſica ſuppurato, abſceſſus in inguine ſuſcitatus, qui capitali chirurgi errore moritur ibi.

Abſceſſus

Lemmata Lib. III.

Abſceſſus & gangrenæ veſicæ ibid.

Caro, excreſcentia, & tuberculum in collo veſicæ 553

Caro in collo veſicæ nata & inuenta calculum ementiens ibid.

Tuberculum in meatu vrinario natum & percuratum ibi.

Hiſtoria quorundam empiricorum, qui vtuntur candelis cereis ad aperiendum pudendi meatum & per eas medicamentum quoddam intromittunt, quo carnis excreſcentias abſumunt ibid.

VVLNERA VESICÆ. ibid.

Veſicæ ſectionem non eſſe lethalem, hiſtorijs quinq; comprobatur ibid.

VESICÆ VLCERA. 554

Veſicæ vlcere cum febre lenta vexatus foliaceis vrinæ ſedimentis ceſſantibus, accedente inflammatione, intra triduum moritur ibid.

MONSTROSA ET VARIA CVM Vrina emicta 555

Calculoſo cuidam vermiculi duo oxycephalis, corniculati & teſtulis intecti cum vrina & ſabuloſa materia emicti ibid.

Plures vermiculi albi, breues, tenuiſsimi, per lotium excreti ibid.

Capillares vermiculi per lotium excluſi ibid.

Cucurbitini vermes emicti ibid.

Draco alatus cum vrina expulſus ibid.

Picæ prope ſimile animalculum per vrinam emictum ibid.

Pediculi dietim emicti ibi.

Vermis millepedij ſimilis per vrinam excretus ibi.

In lotijs eorum, qui lue venerea infecti ſunt, multoties innatare animalcula formicis ſimilia & polymorpha ibi.

Scorpio emictus, ægrum à difficultate vrinæ leuauit ibid.

Quædam veluti conchileacea in veſica nata ibid.

Ab vrinæ detentione membranulæ emictæ, neruea, multiformes, cum ſanie, ſine fœtore & febre ibi.

Balnearum ſerinarum vſu, quidam materiam adeo viſcoſam & longam per veſicæ canalem excluſit, vt inteſtinū eſſe putaretur ibi.

Incredibilis quantitas pituitæ lentæ, corruptæ, per aliquot menſes purgante medicamento cum vrina lutea expulſa 556

Fœminæ curatio, quæ mingebat vrinam turbidam, cum craſſo ſedimento & ramentis liuidis ibid.

Pituitam cum vrina anſeris oui magnitudine excernens, calculi tamen expers viſus ibi.

Piſcium veſicellis ſimilia corpuſcula per vrinam excreta ibi.

Quidam multa liquidis margaritis ſimilia, pellucida, alia craſsiora, cocto oui albumini ſimilia eminxit ibi.

Globuli chryſtalliformes, aut gelatinæ ſimiles, cum magno dolore emicti ibid.

In affectu diabetæ proximo, fruſtula apij radicum iuſculis incocta, per vrinam excreta ibid.

Culmus hordeaceus cum vrina expulſus ibid.

Fungi fruſtillum per veſicam emictum ibid.

Pili longitudinis dimidij palmi, craſsitie parui digiti puerorum, cum corpuſculis ranunculorum effigie, ſanguine turgidis emicti 557

Noua & inaudita trichiaſis, non in renibus, ſed veſica oborta, ex qua mulier per interualla integros pilorum faſciculos, cum diris cruciatibus, quibus tandem immortua eſt, excreuit ibid.

Vrina vitrea emicta ibi.

Vrinam quidam craſſam, & glutinis inſtar lentam, citra valetudinis noxam, mingere ſolitus ſemper ibid.

Sanus quidam, vrinam multam cum ſedimento lactis coaguli inſtar, dimidij inſtar, dimidij vrinalis quantitate, ſine incommodo excernere ſolitus ibid.

In renis exulceratione vrina lactea ac craſſa animaduerſa 558

Vrina nigra in ſanis quibuſdam viſa ibid.

Vrinæ nigræ in morbis nonnullis non ſolum non lethales, verum etiam ſalubriter velut criticæ excretæ ibid.

Vrinas, pro varietate aſſumptorum, multifariam fingi 559

Vrina alienis locis excreta ibid.

Paulo infra glandem vrina emiſſa ibid.

Vrina & ſemen per foramen ſub glande reddita, cum ſterilitatis nota ibid.

Puellus bimulus vrinam emingens retrouerſus interiora, glande & præputio intortis 560

Vrina, nullo glandis foraminis veſtigio apparente per foramen circa radicem virgæ, ſupra teſticulos excreta ibid.

Vrina ex vmbilico ſoluta ibid.

Vrina infra pectinem paululum ſupra vuluam profluere ſolita ibid.

Vrina per ſiniſtræ naris vlcus tranſſudans ibi.

Per femur mingens miles ibid.

Vrina circa coxam euacuata 561

Vrina per perinæum ex vlcere delata ibid.

Apoſtematis in perinæo & fiſtulæ hiſtoria & curatio perfecta ibid.

Vrina per vulnus circa ſedem inflictum excreta 563

Vrina per aluum deiecta ibid.

Vrina ſuppreſſa viſa aliquando exſudare per anum, perinæum, ſcrotum, penem & inguina ibi.

Naturæ aggrauatæ admirandæ excretiones ibid.

DE OMENTO. 564

Omentum peritonæo & abdominis muſculis connexum ibid.

Omentum in laterali morbo cuidam in teſtis ſeminaliumq; vaſorum tunicam delapſum, & ad quinque librarum pondus adauctum, mortem attulit ibid.

In ſcroto omenti libra viſa ibid.

Omenti ſelibra extra vmbilicum ibid.

In rupturis inguinis ſæpe omentum excidere ibid.

Omento ex vulnere procidente, & abſciſſo, gladiator conualuit: tum quis eiuſdem vſus 565

Omento ex ſaltu rupto, & tumore ad ſtomachi regionem cū dolore oborto æger ſectione, & conſuto omento ſanatus ibid.

DE PERITONÆO. ibid.

De vrina intra peritonæum collecta ibid.

De alui excrementis intra peritonæum collectis ibid.

DE VMBILICO. 566

Vmbilicus penis inſtar prominens curatus ibid.

Hernia omphalocele immenſa ibid.

Omphalocele laborioſe partu orta & neglecta, illuſtris fœmina præter alia periculoſa ſymptomata vomitiones & tabem incurrit, quibus tandem extincta eſt ibid.

De vmbilici relaxati tumore puerili ibid.

Tumor vmbilici curatus ibid.

Ex vena vmbilici inteſtina prolapſa ibid.

Circa vmbilici regionem apertum apoſtema curatur ibid.

Vlcus in vmbilico ex putrefactis inteſtinis natum ibid.
Lapides in vmbilico 567
Vulnus cuidam inter vmbilicum & vos ventriculi inflictum mortem attulit ibid.
Vmbilici vis ad vitam ibid.

DE ABDOMINE ET VICINIS EIVS partibus ibid.

ABſceſſuum muſculorum epigaſtrij profundorum hiſtoria ibid.
De inflammatione muſculorum abdominis 568
Pro quodam, cui, in ſpheriſterio nimio & inordinato corporis conatu, fibræ muſculorum rectorum epigaſtrij fracti erant ibid.
Hernia abdominis ſanata ibid.
Abdomen pure repletum, illiusq; viſcera infecta ibid.
Abſceſſus in ventre obortus, paulatim exeſis membranis è peritonæo in abdominis cauitatem penetrans, putrefactis inteſtinis diarrhœa vitæ finem facit 569
De tumore inſigni & circumſcripto hypochondrij dextri, cũ dolore, ventris tumore & ſpirandi difficultate in nobili muliere ſanato ibid.
De vulnere in ventre accepto ſub ſiniſtro hypochondrio, adúſque renum ſubſtantiam & inteſtinorum penetrante, ex quo magnis & lethalib. ſubſecutis ſymptomatis, mors vndecimo ſecuta eſt ibid.
De vulnere in ventre accepto ad inteſtina vſq; penetrante, ex quo quinta die mors inſecuta eſt ibid.
Globulus, è puris regione ſupra aqualiculum, totum ventrem transfodiendo, iuxta ſpinam, nullo læſo viſcere, traiectus ibid.
Tumor flatulentus circa pubem ſua ſponte enatus, qui diſcutientibus adhibitis diſparuit ibid.
Calculus in inguine ibid.
Abſceſſus non procul ab inguine, è quo veſiculæ aquoſæ prodierunt ibid.

PLERISQVE INTERNIS CORPORIS partibus vitiati 570

DE omnium internorum viſcerum citra doloris ſenſum, corruptione ibid.
Puella ſex annorum poſt diſſectionem multifariam morboſa deprehenſa, ſic, vt fere nulla corporis particula ſalua perſtiterit ibid.
Diuturno morbo contabeſcens diſſectus, ſolo corde ſaluo repertus, reliquis omnibus putrefactis ibid.
Diſſecto nobilis Domicellæ cadauere, pleraque corrupta & male conſtituta deprehenſa ibid.

OBSERVATIONVM MEDICINALIVM LIBRI QVARTI *LEMMATA.*

DE PARTIBVS GENITALIBVS Vtriuſq; ſexus 572

MOnſtrum bicorpor pubetenus, cætera ſimplex: genitalia genitalibus inſerta habens ibid.
Genitalibus vtriuſq; ſexus carens natus quidam ibi.
Hermaphroditi, qui olim androgyni 573
Verus Hermaphroditus, qui ancillas comprimere, & in his generare: idemq; filios & filias ex ſe parere ſolebat 575
Ancilla androgyna filiam herilem grauidam fecit ibid.
Naturalis ſexus humani mutatio: qua mulieris in viros: rarius vero viros in mulieres conuerſos eſſe, viſum eſt ibid.
Mulieres quædam, ob maritorum deſuetudinem & menſium defectum, mutata voce barbatæ factæ, in virilem habitum tranſiere, non ſine valetudinis & vitæ periculo 576
Scytharum morbus effœminatus 577

DE PARTIBVS GENITALIBVS, IN ſpecie ibid.

DE maſculorum genitalibus ibid.
De pene & præputio ibi.
Pene gemino viſus quidam ibid.
Sine mentula natus infans, ſed cum ſcroto & teſticulis ibid.
Glãs imperforata & quænã eiuſdem perforãdi rationes 578
In glande virili cuiuſdam duo meatus diſtincti animaduerſi, quorũ vnus vrinæ, alter ſeminis excretioni ſeruiebat ib.
Breuiore pene quidam: & alius ob cancrum eo inciſo, genuit 579
Contorti & ad procreationem inutilis virilis colis, ad fœcunditatem correctio ibid.
De noua pudendi diſtortione ibid.
De phymo ſeu phymoſi præputij cum carnea ἐκφύσει ibid.
Ingenioſa curatio eorum quibus glans præputio nudari non poteſt, & propemodum occalleſcit, graui ſterilitatis noxa 580
Præputij reſectionis ratio noua ibid.
Virulento ſcorti cuiuſdam congreſſu, omnibus illico puſtula in glande excitabatur, qua penis, cum vitæ periculo, paucis horis arrodebatur, niſi vel ſectione, vel vſtione, etſi dubio ſæpe euentu, ſuccurreretur ibid.
Puer quidam medium colem lino arcte conſtringens, eundẽ vſq; ad vrethram diſcidit: vnde per calloſa vulnera perpetua vrinæ excretio conſecuta ibid.
Ob caſtitatis zelum, zelotypiam & inſanum amorem, ſemetipſis quidam vel colem vel teſticulos amputantes, ſeruati ſunt 581
Eunuchiſmus Turcarum ibid.
Res mira, per penem pedere; exemplo quorundam, qui micturi per penem non minus atq; anum olidos ventris crepitus emittere ſoliti ſunt ibid.
Aliæ non minus admiratione quam commiſeratione dignæ hiſtoriæ, quib. oſtenditur nonnullos vel naturæ errore, vel morbi occaſione per mentulam ſtercora excluſiſſe ibid.
Calamũ cum ſpica quidam per propriæ virgæ meatum adegit, qui ſeſquennium poſt ex apoſtemate in ſiniſtro crure oborto & ſuppurato prodijt 582
Capitis cum pene indicibilis prope conſenſus, variis & fere incredibilibus hiſtorijs atq; ſymtomatib. confirmatus ibi.

DE TESTICVLIS, VASIS SPERMAticis varijs & ſcroto 583

MOnſtroſa conformatio teſticulorum ibi.
Teſticuli & mammæ prodigioſæ magnitudinis ibid.
Sine teſticulis nati, qui natura eunuchi ſunt: vel vnico ſolum ibid.
Aliquando etiam tres teſtes viſos in quibuſdam, id quod familijs nonnullis proprium & ſingularis libidinis argumentum exiſtit: quin etiam tuberculum tertium teſticulum ementiens animaduerſum ibid.
Affectus ibid.
Vlcus latens in peritonæo, ex quo altero teſtium intenſo dolore intumeſcente mors conſecuta eſt ibid.
Ob caſtitatis votum inuiolatum cuidam teſtes cũ vaſis ſpermaticis mire contabuerunt 584
Affectus puerorum, quo teſticulus vnus magnus ſpectatur & durus inſtar oui gallinæ; vulgo der Keil ibid.
Siniſtri cremaſteris muſculi reſolutio ibid.

Genero-

Lemmata Lib. IV.

Generoſus quidam Baro cum magnis itineribus per diſpoſitos equos ad comitia contenderet, teſticulorum alterum in ephippio contorquens ita preſſit, vt curſum ad infimos abdominis muſculos in inguem adigeret, vnde nulla arte reduci potuit qui tandem febre & doloris ſæuitia extinctus eſt ibid.
De carcinomate ſiniſtris teſticuli ob emollientium & reſoluentium medicamentorum vſum exulcerato, ac in cancrum immedicabilem conuerſo ibid.
Lapilli in teſticulis geniti 585
Monſtroſæ venarum & arteriarum ſeminalium conformationes: quarum nonnullæ vel ϑηλυγονίας, vel indomitæ veneris cauſæ videntur ibid.
Vaſis ſemen in penem deferentis cauitas exemplo demonſtrata 586
Glandoſum corpus collo veſicæ adnatum, gonorrhœa laborantis, ſemine non minus quam teſtes refertum viſum ibid.
Glandoſo corpore, quod collo veſicæ adhæret, nimium reſiccato; vrinæ difficultas inducta: atque curata ibid.
Lapides in glandoſo corpore quod collo veſicæ adhæret animaduerſi ibid.
In ſcroto lapis viſus qui ex eiuſdem exulceratione procidit ibid.
Lapilli ex collo veſicæ & ſcroto per ſectionem exemti circiter 178 ibid.

DE COITV. 587

Ef eni coitu ſanguis purus emictus ibid.
Coitus deſiderio flagrantes nonnulli ſeminis loco crepitus per aluum elidere ſoliti ibid.
Coeuntibus nonnullis etiam ventris crepitus elidi: vel alui excrementa ma na fœditate profluere ibid.
Beſtiolam exiguam, piloſam, polypodem, cum multo ſemine eiectum ibid.
In coitu ſemine deſtituti ob gonorrhœam in ſomno 588
De iis, qui ſemen non excernunt ibid.
Quidam coeundo, præpropere nimis ſemen profundunt, cum ſterilitatis noxa ibid.
Caſtratos coiuiſſe, & ſemen excluſiſſe ibid.
In venere mortui ibid.
Exemplum ignotum cuiuſdam, qui plagis feruentior corriebatur in concubitum ibid.

IMPOTENTIA VENEREA. 589

Impotentia venereorum cum hernia ibid.
Virilitas ademta & reſtituta ibid.
Iuuenis veneficio mutone ſpoliatus, quomodo reſtitutus fuerit ibid.
Virilitas carmine ademta ibid.
Ad faſcinum ex amore inductum ſingulare experimentum vnum atque alterum 590
Impotentia laborans deſperata curatus ibid.
Ab impotentia venerea quidam commoda victus ratione inſtituta liberatus ibid.
Aphrodiſiaſtica prodigioſa pleraq; noua & rara 591

DE GONORRHOEA. 592

Siſymbrio comeſto quidam gonorrhœam prouocabat ibidem.
Nonnullos mentulam non modo non arrigere, ſed eadem flaccida quoque aliquando genitura diffluere ibid.
Gonorrhœæ ſpecies rara & admiranda ibid.
Gonorrhœa noua virulenta ex lue venerea ibid.
Ad gonorrhœam virulentam remedium 593

PRIAPISMVS. ibid.

Ex priapiſmo vreterum ſenex quidam cornu inſtar intenſum aliquot menſibus ſuſtinuit, nihil proficientibus medicamentis ibid.
Quidam penem vna cum ſcroto tam rigida & ſurſum tenſa habebat, vt mingendo, tabula qua ſe tueretur, ne faciem vrina conſpergeret, opus haberet ibid.
Herniariæ vſu quidam, maxime vero pueri, ab enteroceła percurati 595
Rupturarum vnius Indicæ herbæ & ligaturæ vſu curatio ibid.
Nouum genus curationis ad enterocelas ab authore primum proditum ibid.
Herniarum curatio chirurgica noua per varios puncti aurei dicti modos 596
Securior ſed longior curandæ herniæ modus ibid.
Alia inteſtini omentique reſtituendi facilior & tutior curatio 597
Monſtroſæ magnitudinis, ſine periculo herniæ ibid.
Herniæ triplicis ingens pondus ad libras 60. deueniens: poſt cuius ſectionem mors ſecuta ibid.
Herniæ opinionem nonnunquam teſticulus in inguine latens facit, tum quæ huic animaduerſio debeatur ibidem.
Enteroceles ſpecies quædam ſua ſponte conſaneſcens ibid.
Caſtratores ectomi vel mortis aut ſterilitatis perpetuæ authores 598
A ramice curatus interiit ibid.
Ileo epigenomeno herniæ ſymptomati, vti chirurgica ratione ſuccurrendum ibid.
Omenti in teſtis ſeminaliumque vaſorum decubitum, mollium ramicum, quos vulgus carnoſos vocat, autorem eſſe 599

HYDROCELE. ibid.

De hydrocele ibid.
Scroti in hydrocele periculoſa ſectio ibid.
Hernia aquoſa aperta nobilis quidam præter ſpem ſeruatus 600

DE MVLIEBRIVM GENITALIVM partibus. ibid.

De externis in genere ibid.
Ex inguinibus & aliis vuluæ mulierum & virginum, quarundam monſtroſæ carneæ excreſcentiæ ſtrumarum inſtar, ponderis librarum 18. 25. 34. ad genua & crura vſque à tenuiore baſi propendentes, enatæ: vberum vaccinorum ſubſtantia, glandulis & pinguedine refertæ quarum nonnullæ ſine vitæ periculo per chirurgiam liberatæ, aliæ vero mortuæ ibid.
Criſtæ in pudendo muliebri cheirurgia & medicinis ſublatæ ibid.
Caro ſpongioſa in pudendo muliebri ibid.
Caro ex naturalibus prolapſa 601
Vena digiti indicis longitudine & craſſitie ex vulua propendens hæmorrhoidum inſtar, enata ibid.
Mentula muliebris, Hippocrati κίων, id eſt columella, aliis cletoris, quibuſdam Nympha dicta: recens ex veterum ſcriptis & neotericorum obſeruatione inuenta & deſcripta ibid.
Sedes oblectationis in congreſſu venereo 602

Carnea excreſcentia iuglandis magnitudine ex elatiore vuluæ parte enata: feliciter execta 603
Clethoris ſeu mentula muliebris matronæ cuidam ad eam deformitatem excreuit, vt collum anſerinum craſſitie & longitudine æquaret ibid.
Mentula muliebris vbi ad deformem magnitudinem excreuerit: velut & cercoſis ex veterum præſcripto præſectio ibid.
De Hymene animaduerſiones recentiorum ibid.
De atretis ſeu imperforatis, quarum genitalia vel natura, vel aliter concreta ſunt, tam quomodo hæc ipſa chirurgia aperiantur 606
Membrana ſinui muliebri obtenſa, vt veterum conſilio conſumenda 607
Aliquot puellarum hiſtoriæ memorabiles, quarum pudoris ſinui membrana validior obnata, menſes reſtitantes coaceruabat: harum nonnullæ chirurgia percuratæ ſunt, aliquæ vero mortuæ 608
Colli matricis phyma, eiuſque curatio 609
Os fœminis eroſum, & circa matricis os quatuor lutei tuberculi pili inſtar viſi ibid.
Vteri pruritus curatus ibid.
Phlegmones eryſipelatodis vteri curatio, & de eo, quod poſt feruoris mitigationem accidit in corporis totius ſuperficie ibid.
Gangrænæ in vteri oſtio grauiſſimæ curatio ibid.

DE MVLIEBRIBVS PARTIBVS genitalibus internis. 610

DE vtero ibid.
Conformatio naturalis & monſtroſa ibid.
Vteri ſubſtantia cuiuſmodi vere ſit, de recentiorum obſernatione ibid.
Vteri humani cauitatem internam minime in cellulas ſeptem, vti hactenus pleriſque creditum, diſtingui ibid.
Vterum humanum ſecundum naturam conſtitutum minime vt brutorum in vaccina, caprina aliave cornua excreſcere, ſed quaſi obtuſo angulo deſignari 611
Vterum humanum aliquando, ſed rariſſimæ & monſtroſæ, bicornem vt brutorum animalium obſeruari ibid.
Vterus bipartitus ibid.
Fœminei ſexus, gemina fœminea natura nati ibid.
Mulieris cuiuſdam vuluæ monſtroſa conformatio, qua vterus deſiderabatur ibid.
De vtero ob partus difficultatem rupto, itemq; de fœtuum demortuorum ac difficilis partus cauſa ibid.
Vteri mulieris, ex puerperio mortuæ, conſtitutio 612
Vterus ſpiſſus à partu ibid.
Calli in vtero nati ſterilitatem inducentes 613
Vteri humani ſubſtantia in ſcyrrhum magnitudine capitis humani indurata, molæ opinionem imperitis exhibens ibid.
Vterum aliquando fungoſum, mollem, ſpongiformem: ipſiuſque ceruicem totoſſeam viſam ibid.

DE MVLIERVM VASIS SPERmatis & teſticulis. ibid.

VErmes in vaſis ſpermaticis ibid.
In dextro mulieris cuiuſdam repentina morte ſublatæ, teſticulo tumor magnus, pilis, ſeuo & pure infarctus animaduerſus ibid.

DE CONCEPTIONE. ibid.

MVlieres quaſdam menſium profluuio deſtitutas, non tam inculpata ſanitate vſas, quam concepiſſe & peperiſſe ſæpe ibid.
Honeſta quædam matrona tanto coitus deſiderio eo interuallo, quo nec vterum geſtabat & lactabat, tenebatur: vt cum ſæuiſſimis tremoribus, aliiſque ſymtomatibus, dierum aliquot inſaniam incurreret, quæ poſt conceptum ceſſabant 614
Rara aliquot & noua ad conceptum remedia, de hiſtoria & experimento cognita ibid.
Ad maris vel fœmellæ conceptionem facientia 615
Quaſdam ſolas puellas peperiſſe ibid.
Mancus quidam non niſi mancos & alius ſolum monſtroſos generabat ibid.
Ætas concipiendi & generandi 616
Vetulas admodum concepiſſe & peperiſſe ibid.
Mulier ſexagenaria ex ſeptuagenario ſene concepit, & decimo quinto menſe puellam peperit oculis & manibus priuatam quinque menſibus vitalem ibid.
Anus re iuueneſcens ibid.
Quoſdam viros poſt octogeſimum ſextum nonnullos octogeſimo completo, & ad centeſimum vſque liberos procreaſſe ibid.
Filii ingenio & forma à ſenibus monſtroſi ac ſtolidi nati 617
Pueros ſeptem, nouem, aut decem annorum progeneraſſe: & puellas octo aut nouem annorum vtero geſtaſſe, & peperiſſe ibid.

SVPERFOETATIO. ibid.

SVperfœtationis exempla & rationes ibid.
Superfœtatio epidemica aliquando animaduerſa 621
Superfœtatio monſtroſa ibid.

DE GRAVIDIS. ibid.

GRauidarum imaginationis in corpora & humores vis ſtupenda ibid.
Subitanei & improuiſi terroris grauidis incuſſi, effectus prodigioſi 622
Picæ grauidarum exempla admiranda: quibus abſurdus prægnantium appetitus exprimitur: quo ſi fruſtrantur, eas vel periclitari contingit, vel notas maculaſve rerum deſideratarum fœtibus imprimunt 624
Grauidarum malacia aliquando noxia 625
Grauidis malaciam nonnunquam poſt partum aliquandiu extendi & durare ibid.
Grauida quædam aſſidue ſedendo & nendo mira alui adſtrictione correpta eſt, ex qua tandem in ſæuiſſimos dolores incidit, quæ eidem fœtum immaturum quidem, ſed viuum extorſerunt. A partu ingenti ventris tumore adeo non ſubſidente, vt magis exauctus fuiſſe videretur: quæ paulo poſt vitam finiit. Aperto eiuſdem corpore, colon inteſtinum ſua ſede pulſum & gangrænoſum, vna cum vicinis muſculis abdominis denigratum & ad canthari amplitudinem fecibus infarctum, deprehenſum fuit, reliquis inteſtinis vndique flatibus admodum prodigioſe diſtentis ibid.
De morbis acutis mulierum vtero gerentium 626
Grauidæ, acutis morbis correptæ, ſeruatæ 619
Mulieres prægnantes nonnunquam diarrhœas innoxie vſq; ad tempus partus ferre ibid.
De vtero gerente muliere dyſenteria laborante ibid.
Grauida, febri continua & cum tertiana intermittente & periculoſiſſimis ſymtomatis correpta liberatur ibid.
Mulier in ſeptimo geſtationis menſe graui pleuritide correpta, ſine ſanguinis miſſione, ſudore & ſputo copioſo manante

nante ſunt vigeſimum diem integre curata fuit, fœtu ſaluo ibid.
De pleuritide ſiniſtri lateris graui in muliere prægnante, ſine vllis prope medicamentis, ſed ſolo naturæ ductu infra quartam diem ſanata 630
Deplorata angina in prægnante curata ibid.
Grauidæ hydropica ibid.
Embryo hydropicus 631
Grauidis nonnullis inſignis narium hæmorrhagia innoxia ibid.
Grauida ſanguinis vomitum ad ſeptem menſes perpeſſa, peperit feliciter ibid.
De prægnantis Baroniſſæ N. N. infirmitate ex immodico fluxu menſium, eoque continuo ad quinque ſeptimanas, curata à Iacobo Horſtio ibid.
Menſes fluere nonnullis grauidis aliquandiu, vel etiam toto vteri geſtationis tempore, idq́ citra offenſam matris & fœtus 632
Menſtrua purgatio in grauidis quibus modis fiat ibid.
Grauidis plethoricis ad præcauendum aborſum, ne fœtus ſanguine ſuffocetur, venæ ſectionem profuiſſe, imo ſæpe neceſſariam eſſe 633
Grauidis nonnullis, vel per errorem vel certo conſilio, etiam fortiſſima non tantum catarctica, ſed & menſes ducentia, ſudorifica, idque genus alia medicamenta exhibita & adminiſtrata, nullo vel fœtus vel matris incommodo, imo aliquando magna cum vtilitate 634
DE PARTV. ibid.
DE tempore præcoce abortiuo ibid.
Abortus ibid.
Abortuum aliquot deſcriptiones ibid.
Partus vitalis præcox & ſerotinus 636
Menſe quinto ibid.
Quinto menſe nati vitales ibid.
Menſe ſexto 637
Sexto menſe nati vitales ibid.
Menſe ſeptimo ibid.
Menſe ſeptimo nati vitales ibid.
Menſe octauo 639
Octauo menſe nati vitales ibid.
Menſe decimo & vndecimo ibid.
Decimo & vndecimo nati vitales ibid.
Menſe tertio decimo 640
Decimo tertio menſe natus vitalis ibid.
Menſe quarto quintoque decimo ibid.
Decimo quarto & decimo quinto nati vitales ibid.
Tempore diuturno vtero geſtati ibid.
Menſibus viginti tribus ibid.
Viginti tribus menſibus in vtero geſtatus ibid.
Biennio ibid.
Biennium in vtero geſtatus infans, ſtatim atq́ in lucem editus fuit, & loqui, & incedere potuit ibid.
Triennio ibid.
Triennium vtero geſtatus, monſtroſus & ridiculus in lucem natus ibid.
Quadriennio 641
Alius infans, bene habita matre, quadriennium in vtero geſtatus ibid.
Partus fœcundus ibid.
Fœcunditatis illuſtria exempla ibid.
Partus numeroſus 642
Mulieres quæ vno partu numeroſam ſobolem enixæ ſunt ibid.
Partus facilis 645
Stupenda mulierum quarundam exempla, quæ ſtatim atq́ pepererunt, nulla puerperii ratione habita, ad conſueta opera reuertuntur ibid.
Partus difficilis 646
Partus difficultas, ob vaſa vmbilicalia fœtui collo inuoluta ibid.
Triduum fœtus caput extra naturalia in partu propendens: tandem vi extractus eſt, ſalua matris & infantis vita ibid.
Grauidæ cuidam fœtus manus per vmbilicum exerta eſt, & quindecim dies ad partum ſic ſtetit, ſalua matre, viuo & viuali fœtu ibid.
Partus difficultas ob omphalocelen in qua fœtus inter enitendum ſurſum in vmbilicum manifeſte etiam ad tactum regeſtus: non niſi ſingulari induſtria ad felicem partum dirigi potuit ibid.
A deſperato partu mulier cum fœtu liberatur ibid.
De fœtu mortuo in partu, & ſemihorulæ ſpatio poſt reuiuiſcente 647
Circa difficilem partū exanimato prope infantulo, qua ratione refocillandus & reuocandus ibid.
Ætite lapidis, in continendo & propellendo fœtu, vis, veterum & recentiorum experimento confirmata ibid.
Ad partus difficultatem remedia aliquot rara noua aut vulgo incognita 648
Ancilla puellæ Eſtymargei hiſtoria & curatio cui à puerperio ſecunda retenta fuit 649
Ad ſecundinas à partu hærentes, de hiſtoria & experimento ſelecta & noua aliquot remedia ibid.
De mortuo fœtu medicamentorum vi ex vtero pulſo, hiſtoria ibid.
Ad fœtum demortuum vtero eiiciendum experimenta 650
Sterilis quædam mulier, medicamentis fœcunda & grauida facta, tribus tumoribus in ventre ſubortis, tandem partus difficultate vna cum fœtu moritur, à cuius morte poſt exauditum crepitum fœtus dentatus in lucem exiuit. Alia laborioſo partu mortua, perinde fœtum mortuum vna cum vtero & inteſtinis excuſſit ibid.
DE FOETIBVS IN VTERO PVTREfactis, matribuſque ſæpe pernicioſis: aliquando vero ſaluis: iiſdemq; aut per tumores ventris excretis, aut colliquatione cum oſſiculis per aluum aut vuluam expulſis: vel recentibus adhuc, alterutro ſeruato, per chirurgiam aut manuum ſolertiam liberatis: vel denique vtroq; per nouam hyſterotomotokian eductis ſeruatiſque: hiſtoriæ ſtupendæ & admirationem omnem, præter eam quæ inde ad genus humanum redundat vtilitatem ſummam, vincentes: antiquitatem etiam in hoc argumento longo poſt ſe relinquentes, illuſtranteſque nonnunquam ibid.
Hiſtoria mulieris, quæ cum partum retineret, ipſamet capite gruis dicto inſtrumento extraxit ibid.
Hiſtoria mulierū, quæ ſeipſis ignorantib. vtero geſtarunt, in quib. fœtus mortuus & putrid. cauſa fuit vt & vterus in corpore putreſceret, ita vt tēporis ꝑgreſſu interierint 651
Mulieres, quarū aliquæ puerperæ fuerūt, aliquæ vero nō, quæ apoſtematibus vteri laborantes aperta fuere cauterio actuali abdomini impreſſo, quæ tamē nō modo nō mortuæ verū etiam non facultate concipiendi priuatæ fuere 652
Hiſtoriæ grauidarū quib. vel ob partus difficultatem, vel caſum aliquem fœtus mortuus & putridus, aliquandiu geſtatus, etiam putreſcente vtero, circa vmbilicū abdomen imū ventrē, & inguina, tumores aut veſicas excitarunt: ex quibus vel ſponte, vel arte ſuppuratis apertiſque

putridi fœtus cum oßibus exemti: conſolidatiſq; vlceribus, matres abſque ſterilitatis noxa conualuere ibid.

Hiſtoria grauidarum, quibus ob partus difficultatem fœtus mortuus aliquandiu geſtatus, tandem tabido profluuio excitato, marcidus vel per vuluam, vel anum, vel vtraq; vna cum oßiculis excretus fuit: ſaluis matribus & fœcunditate integra 655

Matthiæ Cornacis Philoſophi & Medici, Romanorum Regis Phyſici, Hiſtoria geſtationis fœtus mortui per annos plus quatuor: qui tandem opera & conſilio Medicorum ex vtero ita per aluum, Deo adiuuante exſectus eſt, & membratim exemtus, vt mater viua permanens integræ reſtitueretur ſanitati: atque poſt biennium denuo conciperet, vt ſecunda teſtatur hiſtoria 656

Quod eadem fœmina denuo conceperit, & geſtauerit fœtum viuum, perfectum maſculum, ad legitimum pariendi tempus: quodque ex poſthabita ſectione mater vna cum puella interierit 657

Memorabilis hiſtoria de muliere quæ iam annis tredecim vtero geſtauit ſceleton fœtus mortui, quod tactu tum ab ipſa matre tum ab omnibus illi præſentibus percipitur. Alia item huic non multum abſimilis 658

Grauida partui propinqua poſt caſum fœtum vitalem amplius non ſentiens, ab eo tempore bis concepit, & feliciter enixa eſt, reſtitante nihilominus adhuc ſemper priore fœtu cum ventris tumore, citra vllas eiuſdem putrefactionis aut excretionis notas 659

Hiſtoria vituli vna cum alterius ſceleto excluſi, analogice huc referenda 660

Mulier ſceleton mortui fœtus vtero ferens denuo concipit: accedentibus vero magnis doloribus & periculo vitæ, ſceleton per ſectionem eximitur, vterus expurgatur & conſolidatur, relicto altero conceptu: qui poſtmodum viuus & validus in lucem prodiit in tantum non offenſa fertilitate, vt etiam quater ab hac curatione pepererit ibidem.

Extrahendi fœtus mortui, ferramentis chirurgicis, viua adhuc matre, recentiorum modi varii ibid.

Fœtus mortui, viua matre, ſola manuum ſolertia & induſtria, ſine inſtrumentis chirurgicis, eductio 661

Extrahendi fœtus viui ratio, matre mortua 663

Exempla exſectorum ex vtero matrum mortuarum, qui veteribus Cæſares & Cæſones dicebantur 664

Si duos fœtus gerat mater, quorum alter viuus alter ſit demortuus, vterque autem ad exitum feſtinet, quid agendum ibid.

Muliercula ob partus difficultatem, vteri os exulceratum neglectumque, adeo coaluit, vt exiguo foramine peruium relinqueretur. Eidem rurſus grauidæ, ob locorum anguſtiam, fœtus denuo ſuffocatus & per chirurgiam fruſtillatim extractus eſt, in collo vteri vlcere excitato, & recto inteſtino communicato, vnde miſera fæces per vlcus deiecit: quæ tandem inteſtino conſolidato, conualuit, atque de cætero excrementa per anum reddidit 665

Cæſareum partum, quo inciſa matris aluo, fœtus, ſalua vtriuſq; vita educitur, non omnino nouum, ſed vetus inuentum eſſe ibid.

Hiſtoriæ nouæ, ſtupendæ, atque incredibiles prope, & à Iulii Cæſaris tempore, à noſtram vſq; ætatem inauditæ, quibus oſtenditur fœtus ex vtero materno abdomine & vtero per latus inciſo, citra vtriuſque vitæ periculum adeoque ſine conceptionis & fœcunditatis iactura fuiſſe eductos, qui alias in lucem produci haud potuiſſent ibidem.

Breuis exhortatio de ſectione Cæſarea quomodo quave ratione adminiſtranda ſit, eiuſdem Frànciſci Rouſſeti 669

Res plane ſtupenda, qua in muliere 37. annorum viſus eſt vterus totus lapideus, ponderis ſeptem librarum, hepar vnico lobo & tunica cartilaginea conſtans, lien rotundus, veſica lapidea: peritonæum durißimum, & quod admirationem omnem ſuperat, viuens muliercula nullis manifeſtis morbis obnoxia 671

Lithopædii Hiſtoria admirationem ſuperans qua fœtus exacte conformatus, & 28. annis in vtero geſtatus, in marmoream duritiem conuerſus: atque à matris obitu per ſectionem exemptus, vel hodie quoque nullius putredinis aut teredinis notam præbens conſpicitur ibidem.

DE MOLIS IN GENERE. 675

CAuſa & modus ibid.

Effluuiorum ſeu effluxionum molarumque tam vitalium, quam non vitalium cauſſæ & modi ibidem.

De molis in ſpecie 676

Molæ veræ quæ vulgo carneæ appellantur ibid.

Molæ fœtibus ſæpe cum certo interitu alligatæ: matribus quoque periculoſißimæ 677

Mulier grauida maſſam molamve informem, anſatam vtrinque palpitantem, cum monſtro ſanguiſugam dicto & fœtu maſculino miſere à fera excarnificato non ſine vitæ diſcrimine parit ibid.

Mola quomodo intelligatur eſſe caro informis tum variæ molarum ſpecies, & ex his vna omnium monſtroſißima, qua tres molæ, forma mentularum virilium excretæ 678

Virgines etiam molas geſtare ibid.

Mulier annorum 56. & ſæpe ſine viri concubitu molas plures cum ſanguinis excretione dolorifica parere ſolita: quæ aëri expoſitæ in aquam reſoluebantur ibid.

Molæ plures & difformes vno partu excluſæ 679

Molas nonnunquam vſque ad quartum, quintum, decimum quintum, decimum ſeptimum & vigeſimum annum à mulierculis geſtari, aliquando etiam toto vitæ ſuæ tempore circumferri ibid.

Molas mulieres quaſdam ad quartum vel quintum annum vſque ſine magna moleſtia aut vitæ periculo circumtuliſſe 680

Molas nonnunquam fœtibus morbos ingenerare ibid.

Mola, cum excludi non poſſet, putrefacta: eadem contagione, vterum affecit & mulierem perdidit ibid.

Mola vtero adnata, & membranæ putrida viſa in fœmina, quæ poſt laborioſum partum cum variis ſymtomatis febre extincta mortua eſt ibid.

Symtomata mulieris cuiuſdam, molam geſtantis & parientis ibid.

Molæ curatio ibid.

De mola, quæ nouies in vxore Tobiæ Knott, ciuis Schvvidnicenſis in Sileſia, generabatur & expellebatur quarto menſe præſeruatiua vnico remedio ibid.

Mola vt deiicienda, tum quæ eius chirurgica ratio 681

Molæ falſæ ibid.

Sanguinea ibid.

Mola ſanguinea ibid.

Pulmentaria ibid.

Pulmentaria mola ibid.

Flatulenta ibid.

Empneuma-

Lemmata Lib. III.

Empneumatoſis, ſeu inflatio vteri, quam vulgo flatuoſam vel ventoſam molam vocant ibid.
Aquea ſiue hydropis vterinus 682
Hydrops vteri, qui vulgo aquea mola dicitur ibid.
Ex hydrope vterino per lunares purgationes magna vis aquæ expurgata ſubinde ibid.
Diſſecto mulieris cuiuſdam vtero, aquæ menſuræ Auguſtanæ ſupra 60. inuentæ: & glandulæ dextri teſtis toroſæ factæ 683
Hiſtoria diſſectionis, eiuſdem mulieris ex vteri hydrope mortuæ integra & abſoluta ibid.
Hiſtoria hydropis vterini cum mola vera 684
Molæ flatuoſa & aqueæ complicatæ animaduerſæ ibid.
Vteri hydropis ſpecies rara, veteribus excepto Aetio, incognita: qua in vtero veſicæ fellis ſimilia corpuſcula, aqua referta, comperta ſunt ibid.
Eadem vterini hydropis ſpecies à noſtræ ætatis Medicis exactius obſeruata, & accuratius etſi nonnihil euarians, deſcripta, cum membranaceis globis bullis, veſicis, aqua aut ſanie refertis 686
In ſubſtantia vteri mulieris cuiuſdam per ſectionem deprehenſa monſtroſa plurima, velut humorum colluuies, carnoſæ excreſcentiæ, membranarum, tendinum, oßiculorum, gummatum, lupiarumque concretiones, quorum pondus librarum quadraginta 685
Mulier poſt abortum & legitimum fœtum per interualla editos, tertio aliquid roſtro & criſtæ galli ſimile enixa eſt ibid.
Poſt felicem fœtus partum, quædam vna cum ſecundina os quadratum excluſit ibid.
Molæ extra matricem ibid.
Molæ extra matricem genitæ, quarum vna inſtar fruſti carnis vtero adnata: altera humani capitis magnitudine ad vaſa ſeminaria ſiniſtri lateris deprehenſa ibid.
Vtriculus ſubſtantia ſebacea, craßitie cultri aquam colore & conſiſtentia lixiuiæ perſimilem continens, inter colon, ex vteri fundo externo mulieri cuidam pronatus, eidem per ſexennium ventris tumorem grauidæ inſtar excitauit, à quo tandem ſuffocata periit ibid.
Muliercula multis annis turgido ventre, cum tabe abſumta & inciſa: inuenta in abdomine aquæ amphora, cum tumore inſigni propria tunica concluſo & variis appendicibus, partim pinguedine partim glutino albo, & materia cruenta, fœtida refertis 687
Molæ vitales ibid.
Molæ vt plurimum vitales, quas Cœlius Aurelianus & Marcellus, Picus: Barbari, feram beluam, Aquilam, Accipitrem, Bubonem: recentiores, Muſculos, Talpas, Ranas, Bufones, Echinos, lepuſculos, feles, aſtachos, tenchas, polypos, erucas, ſanguiſugas, lacertas & ſerpentes nominarunt: quas mulieres vel cum fœtu vel ſine fœtu peperere. Harum nonnullæ leui ſaltem contractionis & explicationis ſenſu præditæ: aliquæ vero ſerpere, repere, diſcurrere & volare quoque animaduerſæ ſunt ibid.
Mulieres quaſdam Elephantes, Leones, Canes, Catos & porcellos peperiſſe 691

DE PVERPERIS. ibid.

DE *morbis acutis puerperarum* ibid.
Febris lactis puerperarum 692
Puerpera miraculoſe lacte abundans ibid.
Vterum à partu mulieri cuidam, admiſſo per errorem flatu adeo refrigeratum, vt magnum tumorem abierit: qui idoneis medicamentis diſparuit 693
Puerpera intempeſtiuus egreſſa puerperium, contractis doloribus magnis, ſuffitu adhibito eliſo interius velut pyrii pulueris crepitu percurata ibid.
Puerpera atque primipara mulier iuuencula ob frigus imprudenter admiſſum altero à partu die in grauem pleuritidem incidit, vt præ ſpirandi difficultate præfocari ſibi videretur. Miſſo ſanguine contra ſuorum omnium vota, à nobis tamen Medicis perſuaſa, aliiſque opportunis auxiliis adhibitis, nutu Dei *præpotentis curatur magna omnium admiratione* ibid.
Puerpera pleuritica alia liberatur ibid.
Mulier grauida poſt partum mortua, vtero hepate atq; pulmonibus vitiatis à ſectione deprehenſis ibid.
De muliere, quæ, cum pariebat, inſana & melancholica fiebat 694
Ab inflammatione mammillæ puerpera melancholia correpta reſtituta ibid.
A partu muliercula nonnunquam melancholia, & tandem confirmata mania correpta eſt ibid.
Puerperas nonnunquam phreniticas fieri, & ſi neglectim habeantur, ſibi ipſis vim inferre ibid.
Puerpera quædam, ex ſiniſtro inguine efflictim dolens, à puerperio dolore indies aucto, locus affectus poſt maturantium vſum ferro apertus, educta puris laudabilis copia ægra conualuit ibid.

DE MENSTRVA PVRGATIONE. 695

PRæcox ibid.
Puella recens nata menſtruis obnoxia, mammillis pendulis & pilis alarum atque pubis ornata ibid.
Quinquennes puellæ menſtruis affectæ, idq; ſine valetudinis incommodo ibid.
Fluori muliebri & menſibus rubris obnoxiæ puellæ octo annorum ibid.
Serotina ibid.
Admodum ſenibus menſtrua purgatio fluens ibid.
Per quas venas menſtrua purgentur ibid.
Lactantibus nonnullis menſes ſine valetudinis incommodo fluere & quæ nam huius ratio ibid.
Suppreſſio 696
Menſtrua purgatio raro admodum per plures annos legitime fluens: tandem hypercatharſi ſuperueniente mulierem è medio ſuſtulit ibid.
Mulieres quaſdam triennium, quinquennium & ſeptennium nonnunquam menſtruis carere ſolitos, tandem concepiſſe ibid.
Quinquennium menſtruis deſtituta, vnde ſterilitatem ſibi contraxerat mulier: reſtituta ibid.
Frigidißima ex niue hauſta, mulieres quædam menſiũ ſuppreßione correptæ: quibus venæ ſectione ſuccurſum ibid.
Hiſtoria mulierculæ haud ignobilis, cui menſtrua ſuppreſſa & venæ ſectione reſtituta fuerant ibid.
Ob menſium ſuppreßionem male curatam à medico, mulier paralyſim incurrit ibid.
Vrinæ, defectu menſium laborantium, quales ibid.
Mulier deuoratis magna copia prunis, menſium ſuppreßionem & ventris tumorem grauidæ inſtar incurrit: quæ tandem exacto anno purgantis medicamenti vi incredibili oßiculorum prunorum per aluum deiectione liberata eſt: tumore ſubſidente, & menſibus legitimum ſuum typum denuo ſeruantibus ibid.
De ſtillicidio menſtrui, veteribus, præter vnum Aetium incognito: noſtris vero non infrequenti 697
Morbus virgineus: febris alba vulgo dicta ibid.
Menſes tum ſuppreſſi, tum loco alieno fluentes ib.
Menſes reſtitantes ex oculis & auribus euacuati ibid.

Menſes

Menſes remorati per nares & os expulſi ibid.
Menſes dentis euulſione per vulnuſculum ſeu præſepiolum, expulſi 699
Menſes per ſputum excreati ibid.
Menſes vomitione proiecti ibid.
In impeditis menſibus non naturaliter aliquando lunares purgationes mulierum per colli vteri venas profluere 700
Menſes per ſanguinis periodicam emictionē expurgati ibidem.
Menſtruum ſanguinem nonnullis ex hæmorrhoidibus profluere ibid.
Menſes detentos, aliquando per ſedem excludi ibid.
Sanguis menſtruus per mammas emiſſus ibid.
Menſes menſtruo tempore cuidam per vmbilicum vna cum vermibus euacuari ſoliti ibid.
Menſes aliquando per minimum manus digitum, & annularem ſiniſtræ manus profundi ibid.
Menſes ex maligno pedis vlcere euacuati, abſciſſo eodem, legitimum curſum conſecuti ſunt ibid.
Sanguis menſtruus per vulnus effluere viſus ibid.
Hypercatharſis ibid.
Menſium hæmorrhagia, nihil proficientibus aliis medicamentis, ſola venæ ſectione cohibita ibid.
Septem menſium fluore curata quadam remedio ſingulari ibid.
Admiranda & vix à quoquam animaduerſa menſium & hæmorrhoidum continuata reciprocatio, mulieris cuiuſdam: à quibus malis remedio non minus raro quam certo vindicata eſt ibid.
Spontanea ſaphenæ hæmorrhagia appreſſo ſilice cohibita ibid.
Menſtruorum profluuio mortua 702
Iuſta menſtruorum menſura ibid.
Mulieri cuidam intra triduum viginti quinque libræ ſanguinis per vterum excretæ ſaluæ vita ibid.

FLVOR MVLIEBRIS. ibid.

F*Luor vterinus vt à gonorrhœa virulenta internoſcatur* ibid.
A deſperato vteri profluuio, mulier medici opera liberata: eundem quadringentis aureis donauit ibid.

VTERI SVFFOCATIO. 703

CAuſa ibid.
Cauſa hyſtericæ acceſſionis vapor eſt ex vtero, non tam per venas & arterias, quam per ductus cæcos & latentes ſublatus, veneficus & malignus: neq; à menſtruo vel ſemine tantum: ſed & aliis venenatis & corruptis cauſis ſuſcitatur ibid.
Ex retento ſemine vteri ſuffocatio & conuulſio oborta ibidem.
Vteri ſuffocatio ex hæmorrhagia ſaphiæ per imprudētiam & fortuito commiſſa 704
Ex zelotypia ſuffocatio ab vtero, velut ab aliis animi paſſionibus ibid.
Muliebrium teſtium ſinus, & in illis contentus humor obſeruatus, qui in ſanis craſſiuſculum lactis ſerum exprimit: in ægrotis vero croceus, fœtidus, venenoſuſque euadit: ex quo virgines nubiles, amantes, pallentes, menſtruis purgationibus deſtitutæ, & attenuato corporis habitu præditæ lethales plerunque vteri ſuffocationes incurrunt ibid. ibid.
Symtomata 705
Vteri ſuffocationis ſymtomata varia & rara ex ſympathia partium, cum quibus conſentit rara ibid.
Ex ſuffocatione vterina voces horrendæ in paroxyſmis ibidem.
Curatio ibid.
Ad vteri ſuffocationem remedia rara, exemplis nobilib. demonſtrata ibid.
Ab vtero ſuffocatæ, pro mortuis habitæ: & ſæpe quoq; elatæ, atq; tumulatæ, reuiuiſcentes 706
Quæ ex vteri ſtrangulatu mortua credebatur, à Medico ad anatomem adhibita inexpiabili & famoſo errore occiſa eſt 707

VTERI PROCIDENTIA. ibid.

S*Tupenda mulieris cuiuſdam vteri procidentia, cui ille humani capitis magnitudine annis aliquot ſalua vita foras propendit* ibid.
Vteri puellæ procidentis, mira ſymtomata ibid.
Iſchias credita: cum eſſet vteri prolapſus, qui curatus eſt ibid.
Vteri ex variis cauſis procidentis hiſtoria 708
Procidentia vteri curata ibid.
Puella, vteri procidentia laborans, mortua ibid.
Hiſtoria mulieris, quæ cum vteri procidentia laborans concepiſſet, ex aborſu mox interiit ibid.
A Diarrhœa in partu vterus cum ſecundina prolapſus, vnde mortua mulier ibid.
De vteri procidentiam ſimulante ibid.
Curatio. Peſſaria ibid.
Ad vteri procidentiam remedium rarum, certum, & à veteribus non ſatis cognitum, ac recentiorum vſu comprobatiſſimum ibid.
Peſſariorum formæ 709
Alter modus ibid.
Circuli vterini 710
Circulus alter ibid.
Obſeruatio, qua oſtenditur etiamſi mulieres peſſarium tale in vteri corpore ferant, nihilominus tamen ipſas & concipere, & vtero ad præfinitum à natura tempus geſtare ibid.
Peſſuli ex ſubere ob vteri procidentiam ſubditi, atq; intus remanentis hiſtoria 711
Peſſus 14. annis geſtatus, excitatis vehementiſſimis dolorib. cum educi non poſſet, quibus demum remediis fuerit exemtus 712

VTERI ECTOMIA. ibid.

V*Teri vel ex procidentia, vel gangræna, aut aliter vitiati, totius aut per partes, ſine vitæ periculo exſecti, Hiſtoriæ admirandæ* ibid.
Vterum ex deſperata procidentia, ſine qualicunque occaſione corruptum, non ſolum ſectione & vſtione, verum etiam ligaturis præſcindi & tolli poſſe 715
Mulieribus nonnullis vterum corruptum citra vllam ſectionem, vſtionem, aut ligaturas, ſed ſua ſponte & in totum è corpore prolabi & ſeparari ibid.
Caſtratio 716
Caſtratarum mulierum cum veterum tum recentiorum atteſtationes & hiſtoriæ celebres ibid.

VTERI TVMORES ET VVLNERA. ibid.

V*Teri abſceſſus multifariam expurgati* ibid.
Abſceſſuum vteri circa inguina ſuppuratorum & curatorum

ratorum hiſtoria ibid.
Vteri portiones per abſceſſus & vulnera ablatæ ibid.
Vteri vitia alia promiſcue ibid.
Vteri antiqui dolores curati ibid.
Tartarus 717
Lapides in vtero nati ibid.
Vermes ibid.
Vermes in vtero nati ibid.
Animalculum penitus monſtroſum ex locellis iuuenculæ, lactantis puerum erepſit, citra incommodum 718
Inteſtina ex vtero prolapſa ibid.
Puella neſcio quo genio ducta, caſtaneam intra vuluam recondens: cum repetere non poſſet, vetulæ conſilio ſternutamento excuſſit ibid.

LIBRI QVINTI LEMMATA.

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM,

DE PARTIBVS EXTERNIS. 719
Brachium ibid.
Monſtroſa conformatio ibid.
Brachiis tribus vel pluribus, vt & pedibus aliqui nati ibid.
Brachio vnico nati ibid.
Sine brachiis, & ex his nonnulli ſine pedibus viſi ibid.
Sine brachiis nati, qui vel ore, aut mento, vel pedibus, incredibili induſtria, quæuis ſubtiliſſima opera, manuum vice, efficere potuerunt 720
Affectus & ſymtomata 721
Gangræna brachii percurata poſt eryſipelas phlegmonodes ſuppuratum inciſumque obortum ibid.
Neruus chirurgi errore venæ loco in brachiis punctus, Carolum IX. Gallorum Regem febricitantem, in graue diſcrimen induxit, qui tandem opportunis adhibitis auxiliis conualuit 722
Mali aurantii particula in ſocium procurrentem iactu, os humeri vnius & brachii ſiniſtri perfractum 723
Quidam nucleum amygdalinum pauimento illidere volẽs: & alius malleo quippiam: leuiter confringere attentans, brachia fregerunt ibid.
Hiſtoria aciculæ de abſceſſu brachii poſt annorum aliquot dolorem exemtæ ibid.
Struma inſignis magnitudinis ac molis vetulæ è dextro brachio enata & chirurgi opera exigua hæmorrhagia feliciter reſecta, quæ glandulis tunicis concluſis referta fuit ibid.
Brachium ab humero diductum ibid.
Brachia & pedes, puellæ cuidam, vi morbi, à reliquo corporis trunco, qui ſaluus perſtitit exciderunt ibid.
Eryſipelas phlegmonodes dextri brachii exulceratum cum copioſiſſimo ſaniei effluxu 724
Hiſtoria adulterini brachii ibid.
HVMERVS. ibid.
Affectus ibid.
Humeri dolor acerbiſſimus ibid.
Napta humeri, pondo ſeptem librarum feliciter exſecta ibid.
Napta ſeu vlcere ſanioſo calloſoque humeri inciſo: pure confertim euacuato, æger chirurgorum imperitia occiſus ibid.
Vulnus ſinuoſum ab humero ad nates vſque extenſum, fruſtra tentatis aliis medicamentis, braſſicæ folio conſolidatum 725
Humeri luxationem crebro & facile incurrebat quidam ibid.
Ex vulnere cum fractura oſſis ad cubitum, diæta carnium cum vini abſtinentia imperata: vnde æger narium hæmorrhagiam & magnam corporis imbecillitatem incurrit, à qua non niſi diæta prima reſumta, liberari potuit ibid.
CVBITVS. ibid.
Monſtroſa conformatio ibid.
Cubito, manu, digitis, & cruribus monſtroſus puer ibid.
Affectus ibid.
Ancyle in dextro cubito curata ibid.
Ex leuiſſimo cubiti vulnere quidam extinctus ibid.
CARPVS. 726
Affectus ibid.
Supra carpum nodus vel natta ad lunæ tempora lotione ſolius aquæ frigidæ ſublata ibid.
MANVS. ibid.
Monſtroſa conformatio ibid.
Sine manibus nati ibid.
Inuerſis manibus, pedibuſq; nati ibid.
Puellæ cuiuſdam ſiniſtra manus enormis formæ viſa ibid.
Manus mulieris cuiuſdam altera duplo maior ibid.
Puellæ cuiuſdam manus à natiuitate trunca & tuberoſa ibid.
Monſtrum manibus pedibuſque anſerinis & capite enormi natum ibid.
Monſtroſæ manus hamatæ ex imaginatione matris in fœtum, deſcriptio ibid.
Affectus 727
Præciſæ manus intra annum renata ibid.
Ex deſpicabili volæ manus vulnere mortuus quidam ibid.
Brachialis oſſa de facili cariei obnoxia eſſe, exemplo memorabili ibid.
DIGITI MANVVM. ibid.
Monſtroſa conformatio ibid.
Monſtroſæ digitorum manus conformationes, & numerus, & defectus ibid.
Chela cancri digitorum loco obſeruata 728
Monſtrum aliud vnguibus manuum atq; pedum aquilinis, capite ſimiæ, barbatum ibid.
Affectus ibid.
Punctura acus inter vnguem & pollicis carnem quidam extinctus ibid.
Paronichia pollicis ſæuiſſima inciſa, conualuit ibid.
Pollicis tendo præciſus vt arte ad vſum reſtauratus 729
In apoſtemate medii digiti manus, vermiculus albus ac piloſus natus & extractus, intenſiſſimum eiuſdem dolorem ſoluit ibid.
Vulnere minimi digiti quidam mortuus ibid.
CERVIX. ibid.
Agnata ceruici ibid.
Tuber rotundum capitis humani fere magnitudine ceruici cuiuſdam agnatum, imaginem bicipitis hominis præbuit ibid.

Lupia ponderis octo librarum, capitis magnitudine è ceruice enata & exſecta ibid.
Struma pediculis referta 730

SCAPVLÆ. ibid.

IN tumore ſiniſtræ ſcapulæ, internæ partis, lapis quadratus inuentus ibid.
De fractura omoplatæ, qua docetur, naturam ſua ſponte viam ſibi moliri peregrina corpora & materies etiam ex conſanatis iam vulneribus propellendi ibid.

DE DORSO ET SPINA. ibid.

AFfectus præter naturam dorſi & ſpinæ ibid.
Dolor dorſi ibid.
De dorſi dolore hiſtoria ibid.
Vlcus dorſi 731
Sinuoſum vlcus dorſi ibid.
Ruptum ſpinæ vertebræ ibid.
Vertebræ thoracis ſpinæ abrupta ibid.
Thrichiaſis ſpinæ ibid.
Trichiaſis ſpinæ lethalis morbis ibid.
Abſceſſus ibid.
Abſceſſu in dorſo aperto quinquaginta oua, tenuiſſima membranula inducta intus aqua limpidiſſima referta, inuenta fuerunt ibid.
Abſceſſus in gibbo apertus & pediculis refertus ibid.
Luxatio, excreſcentia, vertebrarum duarum abſentia, &c. ibid.
Puella ſemeſtris nata, cuius mater, dum vtero geſtaretur, è ſcalis prociderat, vnde filiola luxata dorſi ſpina & enata ad lumbos oui magnitudine excreſcentia, paulo poſt ex conuulſionibus mortua eſt: corpuſculo diſſecto, deſideratæ duæ vertebræ, & ſpinalis medulla denudata conſpecta ibid.
Eryſipelas. 732
Eryſipelatis ſpecies rara & periculoſa, circa dorſum tractum rubrum proferens, tum de eiuſdem prognoſtico & curatione ibid.
Ignis ſacri ſpecies rara zoſter appellata, medium hominem cinguli inſtar ambiens: ex qua, intempeſtiue conſolidato vlcere, mortuus princeps quidam: alius vero tempeſtiuis remediis adhibitis liberatus ibid.
Phlegmone ibid.
De eximiis phlegmonarum curatione, prope ſpinam dorſi ibid.
Dorſo viciniſque locis adnata ibid.
Cornua dorſo & iuncturis nonnunquam agnaſci ibid.
In recens nato puello, tumor farciminis inſtar dorſo agnatus viſus: quo primum aperto & tandem in totum reciſo, mortuus ille 733
Caro ex dextro latere enata propendens ibid.
In globum quorundam corpora incuruata & contracta ibid.
De gibbo ibid.

HYPOCHONDRIA. 734

AFfectus præter naturam ibid.
Durities ibid.
Durities hypochondriorum ibid.
Calculus & œdema ibid.
Lapis triangularis, ſilicis duritie, ex multis aliis piſiformibus coaleſcens, in œdemate ſcyrrhoſo ſub hypochondrio natus extractus ibid.

DE ILIIS ET INGVINIBVS. ibid.

AFfectus præter naturam ibid.
Vermes ibid.
Vermes in apoſtemate inguinis viſi ibid.
Vlcus ibid.
Carcinodes, vt credebatur, vlcus mulieris cuidam, circa inguina, cum horribili putrilagine & fœtore cruriſq; tumore œdematoſo, ſubortum. Cum rectè curatum crederetur, metaſthaſi quadam, paulo poſt in altero inguine recrudeſcens, ægram ſubito ſuſtulit ibid.
Calculus 735
In apoſtematibus inguinis & ilii calculi oui & caſtaneæ magnitudine nati ibid.
Strumæ & abſceſſus ibid.
Virgini religioſæ ingens ſtruma ad coxendicem nata ibid.
Strumarum, ſteatomatum, atheromatum aliorumque ex pituita abſceſſuum, hiſtoria & crura prophilactica ibidem.
Ganglium, capitis magnitudine, inguini dextro adnatum: cum tuberculo 736
Struma pondo ſexaginta librarum coxæ innata 737

DE PEDE INTEGRO. ibid.

MOnſtroſa conformatio ibid.
Tripodes & quadrupedes homines nati quidam ib.
Sine pedibus nati ibid.
Monſtrum ſuperna parte hominis effigie ad vmbilicum vſque inferna ſyrenum caudam, pedum loco referens ibidem.
Monſtrum pedibus caprinis ibid.
Monſtrum ſine pedibus natum, quorum loco cuſpidem vt circa femora prominentias habuit ibid.
Inuerſis pedibus nati 738
Affectus pedum ibid.
De pedis tumore, quem Arabes Elephantiam appellant ibidem.
De Elephantia Auicenna ibid.
Magna ſuræ oſſis parte reſecata, puella conualuit 739
Claudus ex loco eminentiori cadens liberum recipit greſſum ibid.
Vtroq; pede claudus ſuſtentaculis ligneis rependo quaſi corpus de loco ad locum promouit ibid.

DE FEMORE. ibid.

AFfectus præter naturam omnis generis ibid.
Calculus ibid.
Ex tumore, in femore, poſt puerperium oborto, extractus lapis oui gallinacei magnitudine ibid.
De femoris fractura, articulo ſeu oſſis capiti ſuperiori propinqua ibid.
Ex vulnere femoris claudicans eadem parte denuo vulneratus reſtitutus eſt 740
Hiſtoria femoris luxati & male reſtituti, vnde perpetua claudicatio inducta: quam iam à multis annis occalleſcentem corrigere volens chirurgus, ægrum infami temeritate necauit ibid.
Femori & tibiæ proceſſus palmi longitudine agnati ibidem.
Ex intempeſtiuo refrigerantium & aſtringentium in eryſipelate vſu, ſcyrrhus in femore obortus & curatus ibidem.
Femur tibia & mola connata, eademq; in ingentem tumorem producta ibid.

DE GENVBVS. ibid.

STruma ibid.
Struma ingentis ponderis in genu oborta ibid.

Calculus

Calculus 741
Calculus in abſceſſu aquoſo in genu inuentus ibid.
Duo poplitem flectentes tendones ex vulnere reciſi citra claudicationis noxam, conualeſcente ægro ibid.
Acus mulieris cuiuſdam genu inſcie & per imprudentiam infixa grauiſſima ſymtomata intulit ibid.
Vtraque mola ſeu patellæ genuum perfractæ, vt ad vſum ibid.
reſtitutæ

CRVRA HORVNDEMQVE AFFECTUS. ibid.

ibid.
VLcera crurum
Antiquatum vlcus cruris cum aliis ſymtomatis ibid.
Admirandum verrucoſum in crure vlcus ibid.
742
Eryſipelas crurum
Eryſipelate in crure dextro laborantis, hiſtoria: qua errores medicorum in curando detecti, & vera medendi ratio ibid.
tradita ibid.
Fiſtula crurum ibid.
Cruris fiſtula cum oſſis corruptione curata
743
Vomica crurum ibid.
Vomica in tibia oborta, mortua mulier
Morum caſtaneæ magnitudine cuidam in talo tibiæ ena- ibid.
tum ibid.
Calculus
Calculus in ſteatomate cruris oui magnitudine repertus ibid.
ibid.
Vulnera ibid.
Ex vulnere cruris mortuus ibid.
Fractura
Fibula perfracta, & ex crure in totum ſubtracta, æger ita conualuit, vt poſtmodum ſine ſcipione incedere valuerit ibid.
Dormiens & ex ſella procidens, vtraſque tibias perfregit 744
744 ibid.
Scabies crurum
Malignæ vel inueteratæ ſcabiei in cruribus curatio ibid.
ibid.
Promiſcui affectus alii
Affectus cruris difficilis, expedita curatione promte curatus ibid.
ſaluis partibus
Difficultas motus cruris ex ſuppuratione orta in altera na- ibid.
ta
Malignæ febris materia ad crus delata, ſiderationem eiuſ- ibid.
dem intulit
De villico qui poſtridie phlebotomiæ onus geſtauit, & paulo poſt maculæ rubicundæ cum liuore cruribus eruperunt ibid.
Venæ in cruribus & abdomine prægrandes & diſtentæ viſæ ibid.
In vtroque crure velut à ſubiectis ſpinis punctiones ſentiens mulier quædam 745

DE PEDE IPSO. ibid.

ibid.
MOnſtroſa conformatio ibid.
Sine pedibus nati
Ex tumore dextro pedis ſteatoma trium librarum, cum floccis, pilis atque vngulis caninis extractum ibid.
ibid.
Diſtorti pedis hiſtoria ibid.
Pede offenſo mortuus ibid.
Ex leni calcanei vulnere exſtinctus
746
Plantæ & digiti pedum ibid.
Monſtroſa conformatio
Monſtrum inter cætera vnguibus pedum & manuum aquilinis ibid.
Affectus ibid.
Plantæ pedis calor intolerabilis ſo'a ſcarificatione & faciliore perſpiratu leuatus ibid.
Sphacelus intra trihorium à digito pedis ad præcordia progreſſus ibid.
Sphacelus ſine cauſa manifeſta repente ægrum, ſine febre & grauioribus ſymtomatibus è medio ſuſtulit ibid.
Gangrænam mortem adferre, ſi à digito pedis inceperit ibid.
Gemurſa nouus morbus ibid.
Pedis digitus maior vnico oſſe conſtans ibid.
Ad perniones remedium rarum ibid.

DE ARTHRITIDE SIVE GVTTA podagrica. ibid.

CAuſæ & ſpecies ibid.
Podagram nonnunquàm populariter graſſari, & contra diuini Hippocratis ſententiam etiam pueros, eunuchos, virgines, & mulieres ea corripi, velut animalia nonnulla ibid.
Noua, de arthritidis cauſa, eiuſdemq; loco affecto & generationis modo ſententia 748
Eiuſdem authoris ſententiæ aſſertio, ratione & experimento ſtabilita ibid.
De ægritudine, quæ dicitur Nakir, ſeu de flatu furioſo in ambitu corporis 749
Arthritidis ſpecies quædam vniuerſalis, Menapiis, aliiſque Rheni ac Moſæ acolis familiaris, tum quæ eiuſdem curandi ratio ibid.
Materiam arthritidis occultæ malignitatis participem ſæpe eſſe, atque horrendos terrificoſque paroxyſmos excitare ibid.
Podagricorum membra exeſa 750
Arthritidem ex plethora ſæpe generari, & non ex catarrho capitis ibid.
Cauſæ & remedia ad dolores articulorum ab intemperie ſolitaria ſine materia ibid.
Cyprinorum eſu quidam quoties vellet podagram ſibi prouocabat 751
Metaſtaſis ibid.
Podagræ in varios morbos & horum in hanc metaſtaſis ibid.
Prognoſis 752
Quando in arthritide & chiragra metuenda mors ibid.
Liberati podagrici, ſponte, fortuito, medicinis ib.
Podagra ſua ſponte ægrum deſerens ibid.
Diuites podagrici, luxu, delitiis, atque otio affluentes: pauperes facti parco tenuique victu inſtituto, & laborib. corpus exercentes à podagra vindicati ſunt ibid.
Prophylactica aduerſus podagram diæta 753
Vini abſtinentia à podagra quidam tuti ibid.
Continentia venereorum à podagra ſibi cauentes quidam ibid.
Lac aſininum arthriticis ſalutare ibid.
Seri caprini vſus ad podagram recentiorum certa experientia comprobatus ibid.
Ad podagram duo remedia magnis elogiis celebrata 754
Rarum vnum atq; alterum experimentum topicum ibid.
Annuis purgationib. & venæ ſectionib. accedente cōpetente victus ratione, quidā multis annis à podagra immunes 755
Ad podagram electuarium admirabile dolores iuncturarum ſubito & ſine moleſtia ſoluens ibid.
Podagricus quidam materia ad ſtomachum conuerſa præ-

ter omnium ſpem conualuit 756
Ab arthritide liberatorum hiſtoriæ aliquot raræ & admirandæ ibid.
Oſſium humanorum ad podagram ex Galeni ſententia & recentiorum approbatione compertiſſimus vſus 757
Vinaceorum vires & vſus admirandus ad Iſchiadem, podagram, articulorum tumores, omniſq; generis arthriticos dolores, memorabilibus hiſtoriis comprobatus ibid.
Pedes podagricus tritici aceruo immergens, liberatus 758
Arthritici quidam niue aut aqua niuali vel alia frigida adiuti ſunt 759
Balneo ex iuniperino ligno conualuere quidam articulorum morbo obnoxii ibid.
Podagræ remedium ex vulgo petitum laudatiſſimum ibid.
Hiſt. podagrici fotu ſalis leuati ibid.
Acetum quomodo arthriticis conueniat 760
Intempeſtiuo anodinorum aſtringentium atque repellentium vſu quidam arthritici aſthmatici facti, ſtrangulatu perierunt, aut febribus, tremore totius corporis ſenſuumque ſtupore affecti ſunt ibid.
Curatio mira podagræ per fotus, ſudationes & ſcarificationes ibid.
Arthritici hirudinum vſu reſtituti ibid.
Eſcharotica arthriticis pernicioſa ibid.
Phœnigmo podagrico loco adhibito, ſeroſaque & tenui materia educta æger conualuit 761
Per cauteria ſeu fontanellas vulgo dictas podagrici aliquot multi reſtituti ibid.
Periapton ſeu phyſicum ad podagram remedium ibid.
De nodoſa podagra curata in nobili Sileſiaco 762
Arthritis hæreditaria in Sebaſtiano à Dommendorff in totum curata, vt nunquam poſtea rediret, etiamſi ſuperſtes annos 20. adhuc viueret ibid.
Calculus & tartarus 763
Calculi ſiue lapides in podagricorum iuncturis & extremitatibus nati ibid.
Grandines, emplaſtri vi, ex vlceribus podagricorum eductæ 764
Curatio tophorum natorum in iuncturis eorum qui morbo articulari excruciantur ibid.
De Iſchiade & arthritide à ſiccitate ibid.

ISCHIAS. 766

Cauſa ibid.
De Iſchiade à materia bilioſa ibid.
Locus affectus 769
Iſchiadis locus affectus verus ibid.
Species ibid.
Phthiſis Iſchiadica ſeu tabes coxaria Hippocrati cuiuſmodi ibid.
Symtomata 770
Mulier à partu Iſchiadica facta, vnde eiuſdem articuli luxationem, atque inde perpetuam claudicationem incurrit ibid.
Liberati Iſchiadici, fortuito euentu & medicina ibid.
Iſchiadici morbi fortuita, rationalis tamen curatio ibid.
Vulnere citra malleolum inflicto, & arteria diſſecta, coxæ dolor leuatus ibid.
Dolor coxæ fluxu hæmorrhoidum curatus ibid.
Octodecim annis Iſchiade afflictus, cauterio eandem extirpauit ibid.
Quotidianis vomitionibus ab Iſchiade quidam vindicatus ibid.
Claudicans ex Iſchiade ſine luxatione curatus ibid.
Ex Iſchiade decocto ligni cum dropace Pauli liberati 771
Iſchiadis curatio probatis & familiaribus remediis atq; hiſtoriis oſtenſa ibid.
Repellentia coxendicum dolori minime conuenire, præclaro exemplo docetur 772

DE CVTE. ibid.

Cutis vitia natiua & accidentaria ibid.
Sine cute natus ibid.
Palleo carneo amictus natus quidam ibid.
Quoſdam viſos, qui cutem inſtar animalium quorundam, vel circa pectus, vel alias corporis partes, mouere potuerunt ibid.
Carnoſam proprie dictam corporis cutis membranam poſt cuticulam & cutem veram tertiam male nõnullos cum muſculis abdominis confundere ibid.
Rubedo dextri lateris aliquoties animaduerſa in moniali quadam ibid.

LICHEN ET FVRFVRES. 773

Lichen vniuerſum corpus pumilionis Nani occupans ib.
De vniuerſali furfuracea corporis affectione ibid.

PHTHIRIASIS. ibid.

De phthiriaſis vulgaris cauſis, variæ eruditorum ſententiæ ibid.
Phthiriaſis rara & horrenda ſpecies, qua pediculi vniuerſum corpus infeſtant 774
Phthiriaſis ſpecies alia fera dicta: nec ſatis veteribus explicata ibid.
Syrones, pediculi, dracunculi, paſſio bouina, vermiculi intercutanei, ricinus ibid.
De ſyronibus Græcis medicis incognitis ibid.
Ad pedicellos infantium zu den lebendigen Seuren / remedium 775
Pediculi in dorſo ſub cute inuenti, poſt veſiculas excitatas & inciſas ibid.
Pulicelli inſtar animalculum, Indis frequens, pedes & manus vt plurimum corrumpens ibid.
Pediculi alati, muſcarum forma intercutanei ibid.
De dracunculis Æthiopiæ & Indiæ propriis: græcis veluti Galeno, nominetenus cognitis 776
Vermis intercutaneus alius à Dracunculo & ſuperioribus Alſaharauii & Abenzoaris interpretibus paſſio bouina à ſimilitudine dictus 777
Vermiculi, ſeu, vt alii volunt, pili infantium & puerorum muſculoſas brachiorum ſurarum, atq; tergi partes infeſtantes, veteribus incogniti ibid.
Ricini in hominibus animaduerſi 778
Dolor omnium membrorum externorum ibid.
De tetro corporis partium fœtore emendando ibid.
Piloſi toto corpore ibid.

DE BICORPORIBVS GEMELLIS multifariam connatis: & aliis toto corpore monſtroſis 779

Gemelli vnico capite coniuncti ibid.
Gemellæ virgines aduerſis frontibus cohærentes ibidem.
Gemellæ virgines, inferiore maxilla & pectoribus connatæ ibid.
Gemini pectoribus connati ibid.
Hiſtoriæ aliquot memorabiles gemellorum connatorum: quorum alter acephalus, collum circa imum pectus aut ventrem alterius inſertum habens, propendere viſus eſt ibid.

Gemelli

Lemmata Lib. V.

Gemelli pectore & ventre connexi 781
Gemini ventribus cohærentes 782
Gemelli vmbilico connati ibid.
Gemini lateribus connati ibid.
Gemelli dorſo coniuncti ibid.
Bicorpora tergoribus connata: quorum anticum hominis, poſticum canis forma ibid.
Monſtra bicipitia & gemina ſuperna corporis parte: inferna ſimplicia 783
Monſtra ſuperno corporis trunco ſimplicia ſeu vnicorpora: at inferna parte duplicia ſeu bicorpora 784
Bicipita monſtra, quæ vna vel manibus vel pedibus, vel vtriſque ſimul monſtroſe conformata fuerunt ibid.
Bicorpora multifariam inter ſe confuſa ibid.
Toto quidam corpore aut pleriſque ſuis partibus monſtroſi viſi ibid.
Puer natus ventre prominente acu rotundo, vt vulgo thoraces conficiuntur 785

DE TVMORIBVS PRÆTER NAturam. ibid.

BOa cuiuſmodi morbus ibid.
De abſceſſu ſpirituoſo dicto, raro euenire ſolito ibid.
Melicera pro carbunculo iudicata 786
Acrochordones & verucas aliquando ſua ſponte citra medicamentorum vſum euaneſcere, at contagio minime vacare ibid.
Aneuriſmatis exempla illuſtria ibid.
Monſtroſa in abſceſſibus viſa 787
Septicum ad diſſecandam cutem carnemque ſine dolore admirabile, quo abſceſſus perforari & membra breui tempore fere ſine dolore cauterio affici queant 788
Carbunculus quo tempore Italiæ nouus morbus ibid.
Puer ſphacelo correptus, mutilatis membris omnibus, periit ibid.
Gangrænæ à frigore excitatæ hiſtoria miræ 789
Gangræna, ſeu corruptio partium extremarum, amputatione earundem curata ibid.
Gangrænæ & ſphaceli curandorum leges, illuſtri hiſtoria demonſtratæ ibid.
Gangræna & necroſis ad febrem inueteratam conſecuta, citra dolorem, liuorem aut tumorem 790
Carnes cuidam ab oſſibus diſcedentes ibid.
In iuncturarum amputatione vt os contegatur diligēter obſeruandum ibid.
De noua remediorum forma ad compeſcenda ſanguinis poſt amputatum membrum profluuie, diſcrepantes ſententiæ 791
Noua alia extremarum partium amputandarum ratio, citra ſerræ vſum ibid.
Extremarum partium frigore prope enectarum curatio mira 792

DE VVLNERIBVS. ibid.

VVlnerum obſeruationes memorabiles ibid.
Decumbens in extremis, inſuper inimico ſuperueniente, qui eum porro enecare ſtatuerat, illato vulnere recipit vitam ibid.
Vlcus ex vulnere illato curatum ibid.
Vulneratis ſanguinis profuſionem quandoque prodeſſe 793
Vulnera in brachiis, dorſo, alibique accepta perſanata: deinceps inter tormenta, quibus homo ob facinora adhibitus eſt, ſimul omnia rupta ibid.
Vermes in vulneribus, vlceribus & abſceſſibus nati ibid.
Miræ vulnerum obſeruationes atque curationes, dum in eo conflictu, qui ad D. Ægidii pagum, die viceſima ſeptima ſeptembris habitus eſt, ſub annum reſtitutæ ſalutis milleſimum quingenteſimum ſexageſimum ſecundum, vulnerati cæſique multi eſſent: & qui eorum grauibus acceptis vulneribus curati ſint, dum victi ſeſe in Arelatem vrbem reciperent, ſummaque charitate à ciuibus eſſent accepti ibid.
Curandorum ſclopetorum vulnerum ratio, memorabilibus hiſtoriis oſtenſa 797
Tela & plumbeas glandes interdum diu, in corpore deliteſcere, etiam perſanato vulnere 798
Tela & glandes ſæpe, vbi multo tempore in corpore delituerunt, tandem per abſceſſus in variis corporis partibus obortos eximi, aut per aluum excerni ibid.
Lamina ferrea annis 14. intra clauiculam impacta latens, tandem excitato tumore eoq; ſuppurato extrahitur, ægro ſuperſtite 799
Loricarum circuli in corpore per vulnera conſolidata deliteſcentes, ferinis thermis educti ibid.
In educendis è ſclopetorum vulneribus globulis, æger eodem quo ictus eſt ſitu conſtituendus ibid.
Ad omnis generis ſpicula, glandes plumbeas quauis corporis parte infixa extrahenda 800
Vulneratis aliquot partibus æger reſtitutus eſt ibid.
Communem cauſam, quæ ab aere peſtilentia infecto ſumitur, ſæpe impedire vulnerum & vlcerum curationem ibid.
Acetum non ſiſtere, ſed ciere fluxiones, vulneribus inditum 801
Prodigioſa vulnerum curatio, per opochryſmatis vſum ibid.
Rarum & nouum compertiſſimi vſus remedium ſpacio 24. horarum vulnera etiam neruoſarum partium conglutinans ibid.

DE FRACTVRIS ET OSSIBVS. 802

INcuruatio & fractura oſſis portentoſa ibid.
Oſſa fracta, contra veterum ſententiam, nouo remedio, citra inflammationem & praua ſymtomata, aliquando intra quinque dies ferruminata ibid.
Conferuæ vis mira ad oſſa fracta ferruminanda, memorabili & veteri exemplo illuſtrata 804
Puella à primo ortu tam laxa habens vincula, vt articuli in omnes partes verſari poſſent ibid.
De prægnante, quæ peperit infantem, ſine oſſe coagulato à cubito vſque ad humerum qui infans egregie curatus eſt ibid.
Oſſa quorundam morbi vi mollia & ceræ inſtar flexibilia euaſiſſe ibid.
Articulorum, ligamentorum, atque oſſium prope omnium luxatio & corruptio in puero viſa ibid.
Oſſa quibuſdam concreta & medullis deſtituta ibid.
Os cæxendicis, vt & alia quoque oſſa ſuppurationem quandoque ſuſtinere ibid.
Vniuerſi corporis ſceleton vnico oſſe continuo conſtans 805

LIBRI SEXTI

LEMMATA.

OPERIS OBSERVATIONVM MEDICARVM.

DE FEBRIBVS, MORBIS EPIDEMIcis, peſtilentibus & contagioſis 806

DE febribus ephemeris ibid.
Ex horrore flammæ in febrim incidens ibid.
Curatio ibid.
Diariæ ex meatuum conſtipatione curatio & hiſtoria illuſtris, contra diatriarios ibid.
De febribus ſynochis ſeu continentibus 809
Cauſa ibid.
Synochum ex bile ſine putredine ſæpe fieri à Fernelio animaduerſum ibid.
Curatio ibid.
Synochi tam putridæ, quam ſine putredine, curationes memorabiles ibid.
Synocho laborantis & curati, hiſtoria mira 811
Frigidæ hauſtu exhibitione à ſynochis liberati ibid.
De curatione febris continentis periculoſiſſimæ in puella octo annorum, quæ vi naturæ, nullis artis præſidiis, quum deploratæ valetudinis, ob morbi & ſymtomatum ſæuitiam, habita eſſet, oborto alui fluxu liberatur ibid.
De mirabili decretorio continentis febris per exuberantem hæmorrhagiam è naribus ſex diebus ad libras 12. & fluxu alui ingenti ſubſecuto, liberata nutu Dei iuuencula ibid.
Fridericus Comes de Hohen-Loe, *continente febre periculoſiſſima laborans ex aquæ potu in conuulſiones incidit* ibid.
De febribus ardentibus & cauſa 812
Ardentem febrem quo pacto frigida exhauſta extinguat ibid.
Serpentum in febribus ardentibus vſus ibid.
Ex febri ardenti fœmina cum phrenitide mortua ibid.
Ex intempeſtiua & larga venæ ſectione mulier plethorica febrim ardentem incidit ex qua ægerrime docti Medici conſilio liberari potuit ibid.
Ab ardente febri & lenta, ſubortis exanthematibus, atque hypochondriorum tumore, ſubſequente denique deiectione purulenta inſtar atheromatum liberatur æger 813
Mulier calidiſſimi temperamenti ex cauſo febre in mirabile delirium incidens, cum graui ſyncopa & moribunda putaretur, curatur magno labore ibid.
Ardenti febre, cauſo dicta, cum frequenti delirio detentus, ſola natationis, quam ardenter expetebat imaginatione curatus eſt ibid.
Puer cauſo mortuus, diſſectus, ſoliti pericardii humoris expers ſpectatus ibid.
Puella quadrima nimio Clareti & Melicrati vſu Cauſone obiit ibid.
De febribus acutis & diuturnis ibid.
Febribus acutis corripi ſolitus, euacuationibus annuis præſeruatus ibid.
Pedis phlegmone negligenter tractata, ſubortaque acutiſſima febre, æger in tantum diſcrimen venit, vt de pede amputando deliberaretur: qui tandem debitis remediis, & ex arte adminiſtratis, circa ſectionem reſtituitur 814
In acuta febre poſt variorum & malignorum excretionem parotides tardius apparentes lethale ibid.
Diuturnis febribus laborantium curatio mira ibid.
Specificum ad diuturnas febres ibid.
In conclamata febre aqua vitæ exhibita, calidis vinoq; conceſſis, ſanitas ſubſequuta ibid.
Febricitans, cuius epar, ob vſum nimis calidorum, diſruptum eſt 815
De febribus tertianis ibid.
Tertiana triginta annis mulier affecta ibid.
Tertianæ non exquiſitæ hiſtoria ibid.
An maculæ purpureæ in intermittentibus febribus præſertim tertianis apparentes perpetuo periculum portendant ibid.
In tertiana continua critice ſoluta, hæmorrhagia ingens narium oborta, præterea tres lapilli vomitu eiecit ibidem.
Æſtiua tertiana annuis purgationibus ſublata 816
Thermarum hauſtu quidam à tertiana & continua liberatus ibid.
Hiſtoria tertianarii curati fallacia quadam, qui imaginationis vi propemodum perierat ibid.
In tertianæ ſimplicis & exquiſitæ acceſſione nimio veſtium operimento intra trihorium mortui ibid.
Biloſus, ſexagenarium, à tertiana cachecticus factus, recidiuam incurrit, cum frequenti vomitu, qui tandem tabe confectus extinctus eſt: cadauere diſſecto, deprehenſa eſt interior ventriculi tunica, non ſine veneni ſuſpicione, exeſa ibid.
Plethoricus, crebris vomitionibus, quibus affici ſolebat, ſuppreſſis, inſtar exquiſitæ tertianæ rigoribus ſæpe concuſſus, tandem tertiana vera infeſtatus eſt, quæ in paralyſim tranſiens ægrum necauit: aperto corpore, bilis ſyncera libræ pondere intra membranas hepatis coaceruata deprehenſa, parte eius ad ſpinæ neruos detruſa, vnde paralyſis profecta 817
Ex tertiana in ſoporem verſus, qui in vigilias & mortem ceſſauit ibid.
Sudor copioſus in febre tertiana ante paroxyſmum erumpens ibid.
De febribus quartanis ibid.
Tempus acceſſionis & diuturnitas, ſymptomata, metaſtaſis, tum de aliis exemplis ibid.
Quartanam bis hominem corripere ibid.
Nonnullos toto vitæ ſuæ tempore nunquam quartana corripit 818
Quartana fœtui in vtero materna congenita ibid.
Quartanas nonnunquam ad quintum, ſeptimum, duodecimum, nonnunquam ad vigeſimum tertium annum durare ibid.
Admirandus quartanæ typus 819
Virgo gigantea ex quartana facta ibid.
Quartanam ſæpe in alios morbos tranſmutari nonnunquam etiam dyſenteria ſuperueniente curari 820
Quartanam ſenes non ſemper enecare ibid.
Quartanarii, quibus initio appetentia deiicitur, citius conualeſcunt, quam contra ibid.
Quartanarii mira deliria 821
Curatio quartanæ ibid.
Saluatellæ ſectionem certo experimento quartanæ mederi ibid.
Ad quartanam remedia aliquot ſelecta ibid.
Araneorum, eorundemque telæ ad quartanam vſus 822
Tela aranea ad quartam abuſus ibid.
De febre intermittente quartana, in ſeptuagenario curata ibid.
Quartanarii fortuito curati 823
In flumen ex improuiſo detruſus quartanarius curatus ibid.
Glande plumbea ceruici inflicta euaſit à quartana ibid.
Concitatione vehementi in prælio à deſperata quartana conualuit ibid.

Quoſdam

Quoſdam rerum etiam abſurdarum deſideratarum largiori vſu à grauiſſimis febribus, quartana maxime, liberatos ibid.
Mortui ibid.
Ex quartana male curata ſanitas tum & mors ſubſequuta ibid.
Quartana affectus Epiſcopus Colonienſis, qui perſuaſione Empirici deceptus, eandem neglectim tractauit, cui tandem abſceſſus inter ventris muſculos excitatus vitæ finem fecit 824
Quartana mortuus, in corde, venis & quaſi omnibus membris reperta fruſta magna alba pituitoſa ibid.
De febribus intermittentibus ibid.
Quo tempore vtilius in febribus intermittentibus vena ſecetur ibid.
De febribus intermittentibus alia ibid.
Quod in febribus intermittentibus interdum in die paroxyſmi vtiliter ſecetur vena ibid.
Quod omiſſio vacuationum neceſſariarum in initiis febrium intermittentium graues noxas inducat 825
De raris & inſolitis febrium typis ibid.
Anniuerſaria & natalis quorundam febris ibid.
De febribus quintanis, ſextanis, ſeptimanis, octanis, nonanis aliiſque raris & admirandis periodis ibid.
Hebdomadaria febris 827
Menſtrua febris ibid.
Quinquennium integrum febricitans ſine incommodo 828
De ſeptennio in ſeptennium febricitans ibid.
Perpetuo febricitans ibid.
Phlegmonas internas, aliosque morbos nonnullos hecticam inducere poſſe ibid.
De hecticis ibid.
Curatio ibid.
Aqua ex teſtudinibus curatus quidam ex hectica ibid.
Ex putridis febribus in tabem tranſeuntes, vt lactis vſu reſtituti nonnulli ibid.
Hecticarum febrium per balneas curatio 829
De febribus compoſitis ibid.
Febris duarum tertianarum ibid.
Febris continua, cuius characteriſmus duas tertianas vſque ad 14. diem expreſſit ibid.
De puero ſanguinis profluuio è naribus & tertiana duplici laborante, hiſtoria mira 830
Hiſtoria adoleſcentis triplici tertiana laborantis 832
A quartana tuplici vindicati ibid.
Quartana triplici vexatus micta vrina nigra liberatur ibid.
Sexagenarius à tribus quartanis curatus 833
Mortuus ex febre tertiana æſtiua, tranſeūte in quartanam, quæ in triplicem mutata, tandem hydrope vitæ finem fecit. Diſſecto corpore deprehenſa inteſtina ſyderata, ſimilia aquatilibus colubris, omentum vitiatum hepar ſcyrrhoſum ibid.
De hectica, arthritide, tabe hydropiſi & vlcere perforante veſicam ibid.
Hectica cum lepra, aſcite & febre putrida complicata ibid.
Hectica cum putrida complicatæ dignotio ibid.
Exquiſita ſemitertianæ exemplum illuſtre 834
De lipyria febri, variantes authorum ſententia ibid.
Febris ſingultuoſa & continua ibid.
Febris ſpecies cum tuſſi & fluxu infeſtans, & in Italia magnam hominum ſtragem edens ibid.
Paralipomena ad febres 835
De febris natura & calore diſcrepantes medicorum ſententia ibid.
Noua & paradoxa ſententia de febrium cauſis & circuitibus ibid.
An ad curationem febrium in die paroxyſmi ſit exhibēdum catharticum ibid.
Ruſtici febrientis hiſtoria iuxta agreſtem naturam ſuam, ruſtico victu & viuendi genere conſueto liberati, qui prius circa medicinam inconſuetam periturus erat ibid.
Piſcis febrem accerſens contrectatus, reiectus vna quoque febre liberat ibid.
Recidiuæ febris, præcognitio, & illius per ſudorem diſceſſus hiſtoria ibid.
Repreſſo ſudore à febre ſanatus 836
In vehementiſſima febre ſanguinem aliquoties de die euomens æger conualuit 837
Nauicula (patria lingua Gundula dicta) vectus quidam, & hypochondria ad palum illidens, febre continua cum excretione purulenta corripitur, qui tandem idoneis medicamentis reſtituitur ibid.
De iis quæ in nonnullis morbis febrilibus ſub pedibus à recentioribus ligantur ibid.
Iuuenis cuiuſdam Alexandrini hiſtoria, qui ob palmularum recentium copiam deuoratarum, horrore vehementi captus fuit, abſque hoc quod febricitaret 838
Quod rigores interdum abſque febrili calore ſubſequēte appareant, ac ſubinde recurrant ibid.
Quibus artibus Cyrillum Boethi filium clam cibum ſumere deprehenderit Galenus in febre ibid.
Admirandum in febre vteri geſtationis prognoſticum 839
Oleum vomitorii loco in febribus non exhibendum ibid.
Lac frigidum in febre bibitum, graues ventriculi torſiones excitans, tandem concretum vomitu reiectum ibid.
Febre continua laborans adoleſcens cum poſt vſum medicamentorum aliquot meliuſcule habere cœpiſſet, neglecta curatione reliqua non modo in publicum prodire, verum etiam nauigatione ſe credere eſt auſus tandem in ſurarum dolorem incidit, & paulo poſt reſtagnante ſurſum materia in caput dolorum lethales ſibi conuulſiones conciuit 840
Cum ſigno concoctionis nonnullos mori ibid.
Intermittentes febres non ſemper periculo carere ibid.
Puer, horrore ſtato tempore recurrente mortuus ibid.
DE MORBIS EPIDEMICIS, PESTIlentibus & contagioſis aliis ibid.
DE variolis & morbillis exempla promiſcua ibidem.
De variolis & mammillis Græcis vel prorſus incognitis, aut non exacte tractatis ibid.
Variolas & morbillos ſæpe etiam interna viſcera inuadere 841
Infantes nōnunquam in vtero materno aut proxime à partu hoc morbo contaminari ibid.
Grauida quadragenaria morbillis correpta ſaluo etiam fœtu ſeruata 842
Sanguinis è gingiuis excretio prodeuntibus ectimatibus ſeu variolis ibid.
Ruſticus variolas habens, nocte ſeſe aeri exponens ſubito extinctus eſt ibid.
Puer variolis laborans, & puteo ſe immergens, conclamatam raucedinem incurrit ibid.
Præter morbillos & variolas etiam tertium puſtularū genus, rarum tamen, nonnullis obſeruatum, cryſtalliforme ibid.
Exanthematibus laborans puerulus, ſanguine aliquot diebus emicto mortuus ibid.
Exanthemata in bubonia peſte viua 843

Variolas & morbillos nonnunquam ſine febre aut malis ſymtomatibus protrudi, quarum materia non exacte expurgata, ſæpe pernicioſiſſimos morbos, velut peſtiferos tumores & dyſenterias difficiles inducit ibid.
Quam grauium & pernicialium ſymtomatum conſecutionem inferant variolæ & morbilli, Hiſtoria varia & admiranda ibid.
Curatio 844
Experimenta aliquot infallibilia & probata millies in morbillis & variolis, adeoque in omni ebullitione ibid.

DE SVDORE ANGLICO. 845

DEſcriptio ibid.
Noua peſtilentialis febris ſpecies, ad Ephemeras & Britannos relata, nonnullis hydropyrethos & vulgo ſudor Anglicus appellata ibid.
Curatio ibid.
Præſtantiſſima antidotus ad Ephemeram Britannicam ibidem.
Lethalis in ſudando commiſſus error, quo multa millia hominum abſumta ſunt ibid.
Temeraria cuiuſdã, at minime infelix ab hoc morbo ſe vindicantis, curatio 846

DE MORBO VNGARICO. ibid.

DEſcriptio & curatio ibid.
Lues Pannoniæ ſeu Febris Vngaricæ Theriodes, vulgo cerebri vermis ibid.
Ad Hungaricum morbum phlebotomiæ nullum præſtantius remedium 849

DE CEPHALALGIA SEV CATARrho epidemico. 850

CEphalalgiæ Epidemicæ rara ſpecies cum parotidibus ib.
Catarrhus cum cephalalgia grauedine anheloſa, & tuſſi epidemica ibid.

DE FEBRE STIGMATICA. ibid.

TRactatio integra ibid.
De noua febre peſtilente, quam ſtigmaticam, & vulgo lenticulas vel puncticula vocant ibid.
Epidemici capitis tumores, rubores cum pruritu & veſiculis, ambuſtorum inſtar, in pectore, aliiſq; partib. obortis, quæ Alexipharmacis ſumptis, diſparuere: neglectim vero tractata, in maligna & diſſita ſerpentiaq; vlcera degenerarunt 854

DE FEBRE MALIGNA. ibid.

HIſtoria & curatio ibid.
Febris malignæ hiſtoria & curatio ibid.

DE VARIIS PESTILENTIBVS DEfluxionibus. 855

DE *variis peſtilentium defluxionum generibus, veluti Angina, pleuritide, peripneumonia, quæ Anno 1564. & 1565. apparuere in quibuſdam Germaniæ inferioris locis* ibid.
De peripneumonia peſtifera cum ſputo ſanguinis 857
De peripneumonia populariter Anno 1557. & 1565. ſæuiente 859
Ex epidemica deſtillatione in aſperam arteriam, pulmones & vitalia decumbente, excitatæ ſuppurationes cum febre lethales, Medicis per bechica fruſtra expectorationi inſiſtentibus 860
De epidemicis quibuſdam peripneumoniis & pleuriticis affectionibus peſtilentibus ibid.
Dyſenteria epidemica malignæ 861

DE HÆMITRITÆO PESTILENTI. ibid.

C*Auſa & curatio plena* ibid.
De raro genere epidemicæ febris ac peſtilentis, quæ ad Galeni Hæmitritæos accedens proxime magna contagii vi totum biennium pergraſſata eſt, etiamnum durans in hanc æſtatem anni 1574. quo quidem exemplo longe aptiſſimo methodus vniuerſa tum ad cauſæ inuentionem tum ad curationem in morbis abditiſſimis aperitur ibid.
De vlteriore tranſmutatione febris peſtilentis in peſtilẽtiam veram, quæ ſæuire affatim cœpit æſtate anni 1574. deque illius methodo curatrice 870

DE PESTE VERA, EIVSQVE VARIIS generibus 873

ESſentia, cauſa, modus generationis ibid.
De peſtis cauſa, & eiuſdem generationis modo, ſententia noua ibid.
Symtomata 875
Peſte correptos aliquando repente tanquam ſyderatos concidere loquentes adhuc & incedentes, nullis aduerſæ valetudinis ſignis antegreſſis ibid.
Varia ſymtomata, notatu digna, in peſte Veneta An. 1576. obſeruata ibid.
Tumor Oedematodes circa iugulum conſtitutione peſtilentiali 876
Gangræna partium ex peſte ibid.
Species ibid.
Hectica peſtilens ibid.
Formidabilis peſtis ſpecies, qua correpti triduum circa caput ac pectus ſanguineum ſudorem excluſerunt ibid.
Mira peſtis ſpecies ibid.
Carbunculi, anthraces & exanthemata etiam intra corpus interdum apparent ibid.
Admiranda peſtis genera, locis & nationibus diſtincta 877
Contagium ibid.
Culcitra ſeptenniumintegrum peſtis ſeminarium fouens excuſſa, tandem peſtilentiam denuo excitauit ibid.
Vnica pellicea veſte viginti quinque peſte infecti & mortui ibid.
Latens adhuc & blanda peſtis ſæpe incautos truculenter necat ibid.
Chordæ, quibus peſte mortuorum cadauera ſepulchris inferebantur ſupra 30. annos deliteſcentes tandem peſtis cõtagium intulerunt: vnde decem millia hominũ abſumta ſunt ibid.
Peſtis contagium ab araneæ tela contractum ibid.
Peſte laborantes caute tractandi, ne contagio afficiantur qui ægrotantium curam ſuſcipiunt 878
Veneficium peſtem inducens qua arte à maleficis paretur, tũ qua ratione ſe ab eiuſdem contagio, ne & ipſi inficiantur, præſeruent ibid.
Infans duabus nutricibus peſte infectis lactatus ſuperſtes remanſit 879
Veſpillo cadauer virginis ex peſte mortuæ, horribili ſcelere, nulla noxa inde contracta, iniit ibid.
Prognoſtica peſtis ibid.
Lethalis peſtis ſigna ibid.
Epidemica aut peſte laborãtes plurimũ ſexto die mori ibid.
Ex peſte mortui crediti reuiuiſcentes ibid.
Qui diſtinguere liceat, peſtis ne an venefica vi excitatæ fuerint in defunctorum corporibus maculæ 880
Diris peſtis ſymtomatib. remittentibus non fidendum ibid.
Suppreſſa venus diſponit ad peſtem ibid.
Curatio peſtis 881
Peſtem vt peſtem neq; phlebotomia neq; pharmacia curari, imo vt plurimum incommodare ibid.

Lemmata Lib. VI.

Narium hæmorrhagia per biduum durante liberatus æger à peſte ibid.

Narium continuata hæmorrhagia, ob latentem peſtem, extinctus æger ibid.

Ad peſtem ſcarificationes ſecundum malleolos, aut ſuras crurum, de ſententia veterum, adeoq́ Arabum noſtri temporis, atq́ Turcarum ibid.

Vbi venam in peſte ſecare conueniet, ad vitandum contagium, baliſta phlebotomica nouo nobis & raro inuento, vtendum 882

Hydrargyrus, amuleti loco geſtatus, aduerſus veneficia & peſtem præſtat ibid.

Arſenicum, amuleti inſtar vel per ſe, vel cum alijs geſtatum, vt peſtem arceat ibid.

Hirci olidi ad arcendam peſtem vſus 884

Ex cadauerum canum fœtore peſtilentia profligata ibid.

Coriarij immunes à peſte animaduerſi ibid.

Graues odores, & bombardarum crebras exploſiones peſtem arcere ibi.

Theriacæ ad peſtis tum præcautionem tum curationem vſus ibi.

Armeniæ terræ ad peſtem vis mira 885

Theriaca bimulis peſte correptis & verminoſis contra Galeni ſententiam exhibita ibi.

Stibij aduerſus peſtem mira vis ibi.

Peſtis antidotus vera & propria nondum inuenta ibid.

Febri peſtilenti affectus quidam, intempeſtiua nitrifrictione perijt 886

DE BVBONE PESTILENTE. ibi.

B*Vbone peſtilente affecto, vena ſecta profuit* ibid.

Bubone peſtilente correpta venæ ſectione mortua ibid.

Ingenioſa & noua veneni peſtiferi per ſectionem & tubulũ, deriuandi atq́ extrahendi ratio 887

Bubones peſtiferi vt transferantur ibid.

Bubone peſtilente vnguento ex hydrargyro ad digerendum inuncto, mortuus ibi.

Bubo peſtilens in ſcirrhum conuerſus, vt curatus ibid.

Peſtis profligandæ ratio prodigioſa & ſuperſtitioſa ibid.

DE ELEPHANTIASI SEV GRÆcorum lepra ibid.

Q*Vo tempore Elephantiaſis Italiæ primum innotuerit, & quibus potiſſimũ locis & gentibus familiaris* ibi.

Elephantia vniuerſum corpus afficiens, intra menſem ſuſtulit ægrum: tum de diſcrimine Elephantiæ Arabum & elephantiæ Græcorum 888

Cauſæ ibid.

Elephantiaſis ſeu lepræ vulgo dicta cauſæ veriores nouæ ibi.

Elephantiaſis ex contagio Venereo contractæ hiſtoria 890

Coitus menſtruorum tempore elephantiaſeos cauſa ibid.

Ex muliere ſana elephanticus filiam ſanam progenuit ibid.

Signa lepræ ibid.

Vrinæ elephanticorum experimenta ibid.

Lepræ confirmatæ ſigna ibid.

Aliud pathognomicum elephantiaſis ſignum 891

De mira ſanguinis à leproſo per venæ ſectionem extracti cõgelatione ibid.

Curatio ibid.

Ab Elephantiaſi ſeu lepra quidam fortuito: quidam analogia & arte curati ibid.

Theriacæ & viperarum vſus ad elephantiaſim noſtro tempore inualidus 892

Viperæ ad elephantiaſim non minus quam apud veteres cõprobatus vſus 893

Ranarum paluſtrium vſu elephantiaſis curata ibi.

Notio & curatio recens natorum infantium elephanticorum ibi.

Recentis elephantiaſis remedium certum ibi.

Ad Elephantiaſis curationem remedium plane nouum 894

Ex larice præſeruatio & remedium certum ibi.

Ob incuriam à lepra liberatus ibid.

Elephantiaſis per balnea curationes mirandæ & horrendæ ibi.

De atra bile & lepra ibi.

In fœda morboſi corporis conſtitutione, vbi occultam foueri elephantiaſim ſuſpicio erat, quomodo curatus ſit æger homo plebeius 895

Caſtratione ab elephantiaſi liberati ibid.

Lienem humanum analogia quadam non tam ex tuberibus quam eiuſdem colore elephanticos referre ibid.

De elephanticum ſimulante ibid.

DE LVE VENEREA. 896

E*Sſentia, cauſa, curatio* ibid.

Morbi Indici, Gallici vulgo dicti, natura, cauſa & curatio ibid.

Species 897

Morbus Venereus nouus, Borozail dictus, partes genitales potiſſimum infeſtans, diuerſus ab eo qui vulgo Gallicus dicitur ibid.

Symtomata & caſus varij ibid.

Lue venerea laborantium venæ vſque adeo pituita infarctæ conſpiciuntur, vt reliquum ſanguinem plurimum ſuperet; quemadmodum etiam muſculoſæ & dolorificæ partes ibi.

Gallicoſis internas partes vlceribus quandoq́ ſcatere ibi.

Iecinoris tunica à morbo Gallico eroſa 898

Gallicoſorum hepata aliquãdo vitiata eſſe, aliquando nõ ib.

Hiſtoria mulieris, quæ fœtũ edidit cruſtoſis vlceribus vndiq́ ſcatentem, cum eius coniunx morbo Gallico affligeretur, ipſa vero ſana ſemper viſa eſſet ibid.

Seminarium morbi Gallici, aliquandi latere, & poſt aut trigeſimum annum denuo repullulaſcere ibi.

Morbum Gallicum aliquando degenerare in Elephantiaſim Græcorum ibi.

Morbi Gallici ſymtomata veteribus quoque medicis cognita fuiſſe ibid.

Caluariæ putrefactione, ex lue Gallica profecta, Epilepſia inſecuta, quæ vſtione ſublata eſt ibi.

Gallicoſi craneo aperto, deprehenſus curculio ſupra duram matrem, quo ablato, æger à diuturno capitis dolore liberatus eſt 899

Decennium poſt Alipticam & Hydrargyri inunctionẽ Gallicoſus recidiuam incidit, ſincipite diuturno dolore infeſtato, eodemq́ oſſe computreſcente accedente vtriuſq́ meningis putredine & abſceſſu cerebri excitato, ſine febri ægro confecto ibid.

Gallicoſo cuidã internæ partes palati cũ adiacentib. adeo vitiatæ, & tandẽ ſubito gangræna affectæ, vnde non tantum gurgulionis particulas, verum etiam ipſius cerebri quædam magna cum fœditate expueret ibid.

Gallicoſo cuidam infamis libidinis cerebrum à tencha piſce ad infernas, vt credebatur, partes attractum 900

Cæcus quidã altero oculo gallicoſus factus, hydrargyri inunctione à ſuffuſione & morbo Gallico vindicatur ibid.

Vuula ex vlcere Gallico exeſa procidens deuorata ibid.

Palati lacuna morbi Gallici vitio aut aliter deperdita, vt replenda ibid.

Gallicoſus biennium à curatione per hydrargyrum recidiuam cum periculoſa Angina incidit, quẽ imperitus ton-

Vuuu 5 *ſor*

ſor repetita hydrargyri inunctione infami errore necauit 901
Raucedo pertinax, annum integrum durans, & curationem omnem eludens, nonniſi morbo Gallico, à quo pendebat, curato, cedit ibid.
Gallico morbo affectus poſt alipticam hydrargyricam ventriculi anguſtia preſſus argenti viui pateram vomitione reiecit ibid.
Medicamento ab imperito chirurgo ad ſtranguriam exhibito ſcroti tumor prouocatus, quem idem diſcutere volens, ad ſuppurationem perduxit atq; ægrum altero teſticulorum priuauit ibid.
Stranguria Gallica, intempeſtiue ſuppreſſa, ſcrotum perforatum vrinam inde & purulentiam tranſmiſit: ægro paulo poſt Atheromate gallico circa nates oborto, & tabe ſublato 902
Stranguria virulenta quibuſdam conſeneſcit & commoritur ibid.
Naturalia in morbo Gallico eroſa & clauſa 903
Gallicoſus quidam toto fere corpore verrucoſus ibid.
Quidam è ſyphilide morbo in phlegmonem ſcirroſam prope coxendicem incidens, gangræna eius partis correptus eſt ibid.
De morbo Gallico cum hectica, duplici tertiana & alijs ibi.
Curatio ibid.
Gallicoſi tabidi facti, decocto ſarſæparillæ reſtituti ibid.
Hecticus ex morbo Gallico vt reſtitutus 904
Caſu quidam à morbo Gallico liberatus ibid.
Noua nec ita de vulgo cognita remedia ad morbum Gallicũ alia ibid.
Sola, eademq; certa locorum, aeris mutatione, morbum Indicum aliquando curari ibid.
Cephalalgia, aurium tinnitus auriculorum confractio & puſtulæ ſiccæ ex Gallico morbo profecta, vt curata 905
A tophis & doloribus Gallicus liberatus ibid.

DE BRVNNO GALLICO. ibid.

DEſcriptio & curatio integra ibid.
Lues noua Morauiæ ibid.

DE SCORBVTO. 912

DEſcriptio & curatio abſoluta ibid.
De ſcorbuto ibid.
Tinctura contra ſcorbutum alexipharmaca Ioannis Werneri Med. Hannouerani 919

DE NOVIS ALIQVOT MORbis ibid.

VAgus dolor ibid.
De morbo quodam nouo & incognito, Weſtphalis, Geldris, & Friſiis quaſi endemio: quem illi die varen vocant, diuerſis ſymptomatibus ægros infeſtante ibid.
De nouo & inaudito quodam morbi genere in pagis aliquot ducatus Luneburgenſis viſo: & de alio item mirãdo ſymptomate 921
Deliorum morbus 922

OBSERVATIONVM MEDICINALIVM LIB. VII. ET VLtimi

LEMMATA.

DE VENENIS IN GENERE QVÆdam 923

DE aere vel natura vel arte venenato ibid.
Venenatus aer ex ſpecubus aut aſpiratione ex auerno ibid.
Flos caryophilli veneno delibutus, odorantem confeſtim occidens 924
Veneni genus, cuius ex carbonibus nidor aſtantes illico necat ibi.
De aquis vel natura aut aliter venenatis ibi.
Aqua mortiferæ naturæ ibi.
Aquæ metallicæ potu in graue vitæ periculum acti ibi.
Aqua vitioſa, tum de his, quæ gulæ gignunt tumores 925
Aquæ putealis, in qua lacertæ computruerant, potu, quidam periclitatus 926
Lethalis potus aquæ in qua cannabis diutius fuit macerata ibid.
Aquæ Helleboro infecta, cuius potu obſeſſi lethali dyſenteria correpti, deditionem facere coacti ſunt ibi.
De vino cereuiſia & glacie ibid.
Vino & cereuiſia ſolano ſomnifero altero infectis Scoti Danos adeo dementarunt, vt Ducem eorundem cum vniuerſo exercitu deleuerint ibid.
Glacie ex vino hauſta mortui ibid.
De contactu venenato 927
Solo contactu interficientia venena ibid.
Concubitus venenatus ibid.
Herba cui indormientes ſuauiter moriuntur ibid.
Cultelli parte altera infecta veneno, quo mulier mortua ibid.
Scarificationis venenatæ hæmorrhagia mulier demortua ib.
Puella, pomo veneno delibuto & deuorato à veneficio aſſerta ibi.
De numo argenteo venenato, quo interemtus fuit Marci Antonij Boſcoli filiolus vnicus, decem menſes natus 928
Citæ operationis venenum ibid.
Nubæ venenum pernicioſiſſimum ibid.
Adad & baxeræ veneficia ibid.
Definiti temporis venenum ibid.
Venenum temporaneum, quod ad certum tempus interficiat, dari poſſe ibid.
Circulatorum venenum 929
Circulatorum admirabile venenum, conuulſiones horrendas cum dementatione inuehens & tandem expirans ibi.
Effectus & conſequentia venenorum ibid.
Corda quorundam veneno enectorum ſeu cardiaco morbo abſumtorum, igne non conſumi ibi.
Veneni vi ſanguinis ſubſtantiam computreſcere: & in virentis herbæ ſuccum tranſire aliquando: nonnunquam etiam omnino lacteum conſpici ibi.
Hiſtoria pulueris venenati mentem lædentis, exhibiti ibid.
Veneni vi ventriculi fundus eroſus ibi.
Hypercatharſis ad ſanguinem vſq; curatio 9[illegible]
Importunæ Theriacæ vſu mortuus puer ibid.
Morbus peculiaris ad venena conſequens ibi.
Appendix de philtris & præſtigijs ibi.
Philtra ibid.
Philtro potionatus Baro contabuit: aperto corpore, carnea maſſa in fundo ventriculi deprehenſa: vnde poſtmodum caſu eiuſdem remedium patefactum ibid.
Philtris & venenis potionati quidam, admirandis horrendisq; inſaniæ ſpeciebus correpti ſunt ibid.
Veneni quod faſcino contrahitur, curatio & hiſtoria ibi.
De præſtigijs 931
Malis, vt credebatur, medicamentis potionatæ duæ mulieres, horrendis vomitionibus correptæ ſunt. Quarum vna acũ crinalem humatum cum capillis, & vnguium ſegminib. cum vitæ periculo euomuit Altera capillos muliebres cũ nitri fruſtulis & canis caudæ villoſæ tribus particulis vomitione reiectis ibid.

Prodi_

Lemmata Lib. VII.

Prodigioſus mulieris vomitus quo longiores & recuruos clauos, æneaſq; acus, vna cum cera & capillis in globum mixtis: præterea carnis fruſtum ingens euomuit ibi.

Mulieris Bononiæ circa pudenda Meliceride ex faſcino laborantis hiſtoria ibi.

Cultelli, ferramenta, claui, capilli in ſtomacho ruſtici reperta ibid.

Caſus mirabilis cuiuſdam abſceſſus in puella Louanienſi annorum 14. qui accidit anno 1571. quæ præter horribilia & incredibilia ſymtomata, quibus alias affecta fuit, anguillam viuam per ſedem, vna cum varijs membranis excreuit: per os vero pilos & lapides varios, ligni & æris fruſtula, vomitione reiecit 932

Ad periculoſum morbū conſecuta caluities deformis admodū patri & filio, ex quib. hic euaſit; alter vero diem ſuum obijt, non ſine veneni ſuſpicione 934

Puerpera terrore menſibus ſuppreßis, ex peripneumonia in abſceſſum pulmonis, atq; inde in phthiſim tranſiit, cui faſcino alterius lateris capitis cincinni viſco auiario fuerunt infecti ibi.

Cerdonis vxor vomitu ſpinā pruni ſylueſtris, cum duobus vncis, dimidij digiti longitudine excluſit ibi.

Mulier quædā quæ vomitu acus in formā crucis cōplicatas, pilorū globulos, ouum cū putaminib. in quib. veneficium latuerat, excreuit. Item in viri cuiuſdam faſcinati ventriculo varia inſtrumenta reperta ibid.

Horrificis conuulſionib. certis interuallis exagitata puella, ſine membrorum notabili oblæſione, quæ tandem glomerem capillorum caſtaneas, carnis portiunculas, gallinacei femoris oſsiculum vomitu reiecit ibid.

Fœmina melancholia & dæmonū illuſionib. vexata, ſe in aquas præcipitem dedit, quibus triboriū dorſo innatans, tandem inuenta, extracta atq; ſeruata eſt 935

Rara ſimul & prodigioſa hæmorrhagiæ verminationiſque Nobilis fœminæ, hiſtoria haud vana faſcinationis coniectura obita: qua certa per interualla ſanguinis per os ſupra mille libras, mille vero & ducentum vermes eoſque promiſcue eiecit & protruſit ibid.

Diuinitus à faſcino liberati ibid.

DE VENENIS EX ANIMALIbus 936

DE bipedibus ibi.

Homines educatione venefici facti ibid.

De quadrupedibus viuiparis ibid.

Leonis efferati morſus curatio ibi.

Sanguinis proprij in ventriculo coagulati virulentia & curatio ibid.

Sanguine taurino hauſto, mortui 937

Lactis ebutyrati, in ventriculo coagulati virulentia ibid.

Catuli vomitu reiecti ibid.

Vrſi cerebri veneficium ibi.

Luporum morſum, etiam non rabientium, venenatum eſſe, quod plerunque in renibus eorundem ſerpentes naſcantur 938

Rabidi canis venenum cuiuſmodi ibid.

Stupenda & memorabilia contagij ex rabie exempla 939

Ad ſpecialem, canis mordentis, dentem, rabiei cauſam nonnullis referre 941

Non quæuis demorſa à rabidis in rabiem agi: ſed prædiſpoſita tantum ibid.

Canis rabidi & hydrophobiæ venenum ſeu ſeminarium, aliquando cito, nonnunquam vero poſt ſeptennium tandem ſe proferre, tum quæ huius cauſæ ibid.

Non tantum canes verum etiam alia animalia in rabiem agi 942

Rabiei verus character quis & quod hydrophobia non ſit 943

A cane rabido commorſi non ſolum ab aqua, verum etiam à poculentis & eſculentis abhorrent ibid.

Rabies aliquando ſine delirio ibid.

Rabiem etiam à principijs externis, nullo præcedente contagio, generari poſſe: & in humano corpore humores gigni aliquando, qui rabidi canis venenum, æmulentur ibid.

Rabies nonnunquam febri coniuncta 945

In vrinis eorum qui canis rabidi morſu inquinati furiunt, nonnunquam catulis haud diſsimilia corpuſcula conſpici ibid.

A rabido animali demorſus: ſi cornum vel virgam ſanguineam tetigerit: denuo rabie corripietur 946

Hydrophobia ibid.

Ex morſu canis rabidi mortui 947

A rabie & hydrophobia ſeruati quidam 948

Præſtantiſsimum aduerſus canis rabidi morſum remedium, cuius vſu nemo mortuus ibid.

Occulta & per ſomnium cognita, canis rabidi morſus, hydrophobiæq; curatio & hiſtoria 949

Aliud ad eundem affectum remedium commendatiſsimum ibid.

Prophylacticon hydrophobiæ ibid.

Balneum ſeu aquæ immerſio cuiuſmodi rabientium & hydrophoborum remedium ibid.

Vſtionis & ſepticorum ad hoc malum ratio 950

Ad morſum canis rabidi & hydrophobiam quantumuis pertinacem remedia de experimento noua, certa & infallibilia, ſi illæſæ partes, quæ ſupra dentes ſunt, fuerint, quorum ſolo vſu aliis omnibus carere queas ibid.

Alia liberati cuiuſdam hiſtoria 951

Diuina & miraculoſa ad canis rabidi morſum, & inde ſubſequentem hydrophobiam curatio ibid.

Amuleto curata rabies 952

Hiſtoria mirabilis de Hiſpanis ſalutatoribus, naturæ vi ſingulari, demorſos à cane rabido, ſanantibus ibid.

Anhelitus felium veneficium ibid.

Cerebri felium malefica vis 953

Sanguinis felium maleficium ibid.

Pilorum felium exitium ibid.

De quadrupedibus ouiparis ibid.

Rubetarum ſeu bufonum virulentia ſeu veneficium ibid.

Ranarum eſu intoxicati 954

Lacerti Ormuzeni & Tigridis pilorum apud Indos veneficium præſentaneum ibid.

De marinis aquatilibus ibid.

Paſtinacæ marinæ vis venefica, eiuſdemq; ex ſeipſa curatio ibid.

Leporis marini venenum cuiuſmodi 955

A Dracone marino icti, quæ patiantur, hiſtoria & curatio ibid.

Torpedinis marinæ malignitas ibid.

Scorpionis & ſcorpænæ marinorum ictus virulentia & curatio ibid.

De fluuiatilibus piſcibus 956

Barbi & Lucij piſcium ouorum eſus, ad cholericam paſsionē, & alia periculoſa ſymtomata malicia ibid.

De ſerpentibus ibid.

Serpentum quorundam perniciſsimum venenum ibid.

Sanguinis ſerpentini malefica vis ibid.

Serpentes interficientes haſta aut aliter mortui 957

Alia morſus colubri curatio 958

Lignorum ex cauernis ſerpentum virus ibid.

Acontiæ ſeu iaculi ſerpentis, vis malefica ibid.

Acontia

Acontiæ ſeu iaculi Germanorum hiſtoria alia 959
Viperarum morſu mortui, & eorundem ſymtomata ibid.
A viperarum morſibus aut ſumto eorum veneno, percuratorum hiſtoriæ ibi.
Toxicum Parthorum & Scytharum ex viperis & ſanguine humano 961
Scorzonis ſerpentis Hiſpanici deſcriptio : eiuſdem ictuum ſymtomata, & aduerſus eadem remedium, recens inuentum certum ibid.
Aſpidum latens & deleteria eademque minime dolorifica vis 962
Aſpidis morſus ſucto moritur ibid.
Arte aſpides reddentur innoxiæ, tum contra eorundem morſus remedium certum ibid.
Aſpidum remedia alia felicia 963
Hæmorrhoidum morſus ſymtomata & exemplum in Tullo ibid.
Hirudinum virulentia ibid.
Gangrena ex morſu hirudinum ibid.
Scorpionis venenum cuiuſmodi ibid.
Scorpiones aliquando in cerebro gigni & interficere 964
Scorpio infantis os in curis ſubiens eundem exanimauit ibid.
Scorpiones quibuſdam in locis minus noxij ibid.
Symtomatum & curationum eorum qui à ſcorpionibus icti ſunt, hiſtoriæ ſingulares ibid.
Ad ſcorpionum ictus remedia rara, phyſica de experimentis & hiſtoria cognita 965
Necandis ſcorpionibus medicamentum, conſicta præcantationis cuiuſdam ſpecie deprehenſum ibid.
Araneos, Bufones & ſerpentes ictu necare ibid.
Aranei pedibus calcati venenum calceorum ſoleas tranſmittit: eiuſdem tranſcurſu ſpeculum crepuit 966
Solo combuſti aranei fumi nidore hauſto, quidam periculoſiſſima ſymtomata, & tantum non lethalia incurrit ibid.
Vino in quo extinctus fuerat araneus, poto, monachi aliquot mortui ibid.
Aranei per imprudentiam deuorati, hiſtoria & curatio ibi.
Alia, ſed ictus aranei hiſtoria ibid.
Araneæ Peruanæ ictus lethalis & quæ huius curatio ibid.
Tarantulæ morſus horrenda lethaliaq; ſymtomata, eorundemq; per muſicam & nobiles antidotos curatio ibid.
Rhabarbarum in mortario tuſum, in quo cantharides contriti fuerant, deuorans, ſanguinis mictu cum veſicæ exulceratione correptus eſt 967
Cantharides ad genu applicatæ, ſanguinis per vrinam profluuium virum excitarunt ibi.
Cantharides in byrſa portans, ſanguinis per veſicam excretionem incurrit ibid.
Cantharidum ad lichenas potu extinctus quidam 968
Cantharidibus ad Venerem augendam, aut veneficij loco hauſtis: ijſdemq; ad ſummum vitæ diſcrimen perductis, quomodo nonnulli curati: aliqui vero mortui ibid.
Ad vrinas prouocandas cantharidum potus exitialis nonnullis 969
Cantharidum in veſicatorijs adminiſtratis, & per os quoq; ſumtis, minime tutus vſus ibid.

DE VENENIS EX PLANTIS. ibid.

ERicæ bacciferæ vis maligna, amentiam inducens ibi.
Rutæ facultas cauſtica ibi.
Ranunculi ſpeciei quæ proprie apium riſus ſeu ſcelerata herba dicitur, deleteria facultas ibid.
Cicutæ admiranda, narcotica & mortifera facultas ibid.
Cicutæ minoris cuiuſdam Val. Cordo dictæ malignitas 970
Nerui vulgo Oleandri dicti maleficium 971
Napelli horrendorum & lethalium ſymtomatum hiſtoria atq; antidoti præſtantes ibi.
Hæmathagogæ herbæ, caſu inuentæ, vis lethalis, ſanguinem è venis primo eliciens 972
Ex ophiuſa herba hauſta, inſania lethalis 973
Ex Datura ſeu tatula mentis emotio cuiuſmodi ibid.
Arbores venenatæ ibid.
Iuniperi vmbra grauis ibid.
Nucis arboris vmbra, noxia vis ibid.
Tamarindorum vmbra noxia 974
Buxi vis mortifera ibid.
Taxi & baccarum eiuſdem veneficium vbi ibid.
Cannarum putridarum maleficium ibid.
De floribus ibid.
Croci vis deleteria ſi nimius eius vſus ſit ibid.
Colchici deleteria facultas 975
Floris Aphricani venefica vis ibid.
De ſeminibus ibid.
Vermiculorum in fœniculi ſemine genitorum exitialis vis ibid.
Lini ſeminis noxa ibid.
Hyoſcyami ſeminis maleficium ibid.
Lolij maleficium, ſomnolentiam, temulentiam, vertiginem & amentiam afferens 976
Hypercatharſis ex ſemine lathyris abſumto ibid.
Veneficium ex ricini ſemine pro piſtachijs ſumto ibid.
De fructibus ibid.
Fragis magna copia ingeſtis, medius crepuit ibid.
Ficuum niue refrigeratarum eſu mortuus ibid.
Cucurbitæ eſu grauiter quidam periclitatus ibid.
Melopeponum intempeſtiue vſu mortui aliquot 977
Glandis vnguentariæ vis pernitioſa ibid.
Quidam tythimali generis cuiuſdam fructum coculi orientales dictum comedit, & in animi deliquium & cordis preſſuras deuenit ibid.
Nucis vomicæ vulgaris, effectus admirandi ibid.
Solani hortenſis acini à pueris deuorati, eoſdem ſuſtulerunt ibid.
Solani ſyluatici, Bella Donna dicti, veneficium 978
Mandragoræ ſoporifera vis & deleteria 979
Mangas ſyluestris & lactariæ herbæ Malauaricæ venenum ibid.
Ahouai arboris fructus lethalis ibid.
Pineorum nucleorum Malucanorum deleteria vis ibid.
Colocynthidis drachma clyſteri iniecta, lethalis 980
De radicibus ibid.
Nimio Allij vſu, lethali verminatione periit quidam ibi.
Porrorum deleteria vis anodina ibi.
Chamæleontis nigri veri pruriginoſa & malefica facultas ibid.
Aconiti velociſſimum venenum ibid.
Epoto veratro iugulatus ibid.
Vomitum ex albo veratro mors ſubſequuta ibid.
Ex potione Hellebori temere ſumta, ægri in vitæ diſcrimen derepente inciderunt: liberantur tamen integre Dei auxilio, magna adhibita cura 981
Hellebori drachma vna ſemis quartanario exhibita, eundem extinxit ibid.
Helleborus per errorem, cibo aromatum loco, aſperſus, ſuffocationem prope attulit ibi.
De fungis ibid.
Fungorum quorundam exitioſa vis ibid.

Lemmata Lib. VII.

De nòcumento eueniente à fungis 983

Mulier ex fungis comeſtis inſana facta ibid.

De conuulſione ab vtero ex fungis comeſtis orta ibid.

Ex eſu fungorum deſperate laborans, magna difficultate reſtituitur ibi.

De ſuccis 984

Scammonium iuſculis dilutum plerunq; lethale ibid.

Euphorbia virulentia necatus æger ibid.

Opio extincti ibid.

Mel venenatum ibid.

Hiuccæ ſuccus lethalis: è cuius farina panis conficitur 985

De toxicis ibi.

Pharici, quod nonnulli Gallorum ex helleboro toxicum Limeum quoque appellatum cenſent venenum & antidotus ibid.

De Hiſpanorum toxico ex veratro ſeu helleboro, eiuſque ex cotoneo alexipharmaco 986

Dacorum Dalmatarum toxicum ibid.

Aduerſus toxicum, quo Cannibales ſuas ſagittas inficiunt, antidota 987

Toræ Valdenſium toxici mortifera vis ibid.

Curatio veneni incogniti 988

DE VENENIS EX FOSSILIBVS ET metallicis ibid.

DE argento viuo ibid.

Argenti viui hauſtu quidam extinctus, ſanguine in corde, & corde ipſo coagulato ibid.

Argenti viui vapore per imprudentiam narib. admiſſo, hauſtoq; quidam ſubito aphonos factus concidit ibid.

Hydrargyri virulentia fabri pocula deaurantis exemplo demonſtrata 989

Hydrargyri virulentia, aurifaber admirandam at ſæuam conuulſionis ſpeciem incurrit: qua ille manu dextra perpetuo ventrem pulſando, non minus quam ſi argenti fruſtum ad incudem dilatare ſiniſtra vero idem verſare, eundemq; ſubinde tonum ſeruare viſus eſt ibid.

De caſu capillorum, tremore, varijſq; accidentibus, quæ aurifici acciderunt ex deauratione, tum quibus remediis fuerit reſtitutus ibid.

Cuidam Mercurius aſſiduo vſu venas penetrans in ijſdem fluere & refluere viſus eſt, ægro poſt multa fruſtra tentata præcipue pimpinellæ ſucco reſtituto 990

De ſublimato ibid.

Sublimato intoxicatus cum diris ſymtomatibus mortuus ib.

De palpitatione cordis cum capitis & ventriculi dolore acuto: quibus affectibus curandis, dum vehementer intentus Medicus, methodum omnem complet, fortuito caſu miſero ægro, loco ſomniferi ſyrupi, aqua ſublimati præbetur, incogitato quidem & in noctis conticinio, cum extinctū fuiſſet cubiculi lumen, diris cruciatibus affecto ægro, in vitæ periculum incidit: liberatur tamen nutu Dei longiſſimo tempore & magno labore ibid.

De grauiſſima pleuritide, cum phrenitide, & caſu ab alto, & vulneribus in ventre ab ipſamet ægra ſibi inflictis, & ſublimati potione, quam ipſa ægra in furorem acta ſumſit, & è feneſtra in ſubditum ſolum lapideum ſe præcipitem dedit, vbi fere mortua horas plures cum ſummo frigore pene congelata manſit, curatur tamen integre nutu Dei 991

De argento ſublimato epoto, curationeque adhibita hiſtoria ibid.

De præcipitato ibid.

Præcipitati hydrargyri virulentia ibid.

Præcipitati puluere vlceribus in talo & genu inſperſis, eiuſdem noxa ſubito ſurſum in os regeſta multa ſaliuatione ſe prodidit ibid.

De plumbo 992

Plumbi pulueris vis venefica & deleteria ibid.

De arſenico ibid.

Arſenico ſumto & inuncto extincti ibid.

Veneficio ex arſenico vindicati octo pueri & alij: tum de remedio aduerſus venena erodentia præſentaneo & paratu facili ibid.

Ex arſenico horrenda veneficia percuràta 993

Arſenico pondere drachmæ ſemis hauſto, lapidis Bezoartici Indici grauis decem ſuperdatis, æger à morte conſeruatus ibid.

De auripigmento 994

Auripigmenti ſumti horrenda ſymtomata & curatio ibid.

De cinnabari ibid,

Cinnabarum per inſcitiam & imprudentiam pictor quidam admittens, in reſolutionem & contractionem membrorum vna cum ſæuiſſimis ſymtomatibus alijs incidit, qui tandem ægerrime peritiſſimorum medicorum opera reſtitui potuit ibid.

De realgare 995

Realgaris ſiue Riſagalli pernicies ibid.

De aqua chryſulca ſeu forti 996

Aqua chryſulca (vulgo forti dicta) cum adamante ſumta, legatus quidam ſe ipſum extinxit ibid.

Aqua forti puella per imprudentiam hauſta miſeris ſymtomatibus extinguitur ibid.

Aquam Chryſulcam per errorem bibentes periculoſiſſimis ſymtomatibus correpti, prope ad vitæ periculum adacti ſunt, qui tandem ſingulari medicorum ope conualuerunt ibid.

De vitriolo 997

Vitrioli & vitriolatorum quorundam exitialis vis ibid.

De ſtibio ſeu antimonio ibid.

Stibij ſeu antimonij vulgo dicti, maxime vero eiuſdem vbiq; ad purgationes vel alios vſus, pernecina vis ibid.

Aduerſus ſtibij ſeu antimonij venenum antidotus præſtantiſſima 998

De calce viua 999

Calcis viuæ eſu, puer extinctus ibid.

De Gypſo ibid.

Gypſi potu necem ſibi conſciuit ibid.

De ſcobina campanarum ibid.

Scobina ex campana deraſa & à muliercula quadam propinata ægra in vitæ periculum incidit, à quo ſingulari medici induſtria aſſerta eſt ibid.

De fulmine ibid.

Fulmine tacta plerunq; venenata ibi.

De vitro ibid.

Vitri confracti vis venefica & deleteria ibid.

DE ALEXIPHARMACIS PRÆCIpuis 1000

DE ſimplicibus ex lapidibus & gemmis ibi.

Ophites ibi.

Smaragdus ibid.

Paxar ibid.

Bezoar ex ceruorum lacryma ibid.

Bezoar ex caprarum Indicarum & Peruanarum ventriculis ibid.

Malacenſis 1001

Ex cornibus eorundemque poculis ibid.

Aſini Indici ibid.

Equi Indici ibid.

Rhino-

ibid.
Rhinocerotis 1002
Monocerotis ibid.
Camphurch ibid.
Pyraſſouppi ibid.
Ebur foßile ibid.
Cerui ibid.
Ex herbis ibid.
Ruta ibid.
Galega 1003
Faalim ibid.
Scorzonera ibid.
Carduus benedictus ibid.
Ex fructibus ibid.
Malum Citrium 1004
Cotoneum malum ibi.
Ex radicibus ibid.
Antora ibi.
Contrayerua ibid.
Moringa ibid.
Drakena ibid.
Ex lignis ibi.
Colubrinum ibid.
Molucenſe ibid.
Ex fungis ibid.
Fungus ceruinus
De compoſitis alexipharmacis & antidotis 1005
Antidotus probatißima contra venena Matthioli ibi.
Matthioli ſeu Gregorij Carauitæ oleum aduerſus venena cõ-pertißimi vſus 1006
Cardani aduerſus venena antidoti nobiles 1007
Antidotus Moibani ſeu Saxonica ibid.
Sereniß. Ferdinandi Bauariæ Ducis, aduerſus omnis generis venena, peſtem & febres peſtilentes, multis experimentis nobilitata Antidotus 1009
Admirandum remedium, quo intoxicati animalibus recens mactatis & exenteratis, velut mulis, equis, bobus, ægri incluſi tantiſper ſudant, donec omne venenum è corpore proijciatur ibid.
Nequaquam vnum aduerſus omnia venena eſſe poteſt alexiterium ibid.
Veneno delibutorum dignotio & curatio admiranda 1010
Occulta quædam naturæ vi, quidam è venenatis animalibus ictos, liberare poſſunt ibi.

DE IDIOSYNCRASIA. 1011

Quoſdam vel conſuetudine, vel idioſyncraſia quadam venenis venenatisq; animalibus innoxie veſci ibid.
Anus quaſdam cicutam ſine vitæ incommodo, magna copia deuorare ſolitas 1012
Opij nonnulli drachmam, aliqui ſemunciam, alij drachmas decem inoffenſe ſumſerunt ibid.
Quoſdam Hellebori totos manipulos deuoraſſe, aut duabus & viginti ex elleboro potionibus, nihil vel purgatos vel offenſos ibid.
Scammonij drachmam vnicam atq; alteram & aliquando vnciam ſine vitæ periculo ſumptam 1013
Hydrargyrum ſeu argentum viuum ſæpe in magna quantitate, velut vnciarum decem, aut ſeſquilibrarum pondere, ſumptum, per aluum profluxiſſe, citra incommodum, & quæ huius ratio ibid.
Argenti viui drachmæ decem auri immiſſæ, innocuæ 1014
Vnciæ vnius pondere arſenicum quidam ſumſit citra vitæ diſpendium ibi.
Antimonij vitrum 30. granorum pondere ſumtum ſine noxa ibid.
Nonnulla, veluti ſerpentis quandam ſpeciem, Adamantem & Magnetem, falſo hactenus credita venenata ibi.
Hominum quorundam mira natura quæ idioſyncraſia quadam, vel certa animalia: vel etiam certos cibos vel alimenta, vel denique medicamenta aliqua definita: non tantũ abhorrent & velut venena auerſantur, ſed etiam & fortuito aut per dolum inuitis oblata, difficillima ob id ſymtomata & quandoque vitæ periculum incurrunt 1015
Homines ibid.
Animalia ibid.
Alimenta & cibos 1016
Medicamenta 1017
Quo modo ea quæ inſita natura nobis aduerſa ſunt, corrigere aliquando poßimus, illuſtri exemplo docetur 1018.

F I N I S.

FRANCOFVRTI AD MOENVM

ApudNicolaum Hoffmannum, impenſa
Ionæ Rhodij.



Anno clɔ Iɔ CIX.

Ad Regem Galliæ Distichon Satiricum

Dz i

congerit Cupiter profundens aur[um]

nis pauca dedit plurima, sive nihil

seu

congerit profusis Cupiter auro

is pauca, dedit plurima, sive nihil.